BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
1 M
12

A I 050

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIÆ SACRAMENTALIS

SCHOLASTICÆ ET MORALIS

PARS TERTIA,

In qua tractatur de Virtute ac Sacramento Pœnitentiæ

AD MENTEM

DOCTORIS SUBTILIS

IOANNIS DUNS

SCOTI

D. Auguſtino conformem.


Ad Usu[m] P[at]ris AUCTORE Angeli a' Naz

F. IOANNE BOSCO

Ordinis Fratrum Minorum in Academia Lovanienſi

S. Theol. Lectore Jubilato.

Pertinet ad Conv. S. Fran. de Urbe



LOVANII,

Typis HIERONYMI NEMPÆI.

ANNO M. DC. LXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ET ORDO

DISPUTATIONUM, SECTIONUM, ET CONCLUSIONUM,

Quæ in hac Tertia Parte continentur.

DISPUTATIO VI. DE VIRTUTE POENITENTIÆ.

SECTIO PRIMA

De Natura & Eſſentia Virtutis Pœnitentiæ.

CONCL. I. Datur ſpecialis virtus Pœnitentiæ, inclinans voluntatem ad vindicandum peccatum à ſe commiſſum. pag. 3

CONCL. II. Pœnitentia ſpecialis eſt virtus appetitiva, non intellectualis; moralis, non theologica; acquiſita, non infuſa. pag 8

CONCL. III. Pœnitentia ſpecialis non eſt virtus appetitiva ordinans ad ſeipſum, ſed ad alterum. Diſtinguitur à Religione, Amicitia, Juſtitia, tam commutativa, quàm diſtributiva &c. pag. 17

CONCL. IV. Pœnitere eſt actus juſtitiæ vindicativæ. pag. 28

CONCL. V. Pœnitentia, ut eſt juſtitia vindicativa ſive compenſativa, pro objecto formali reſpicit correſpondentiam pœnæ ad culpam. pag. 32

CONCL. VI. Objectum materiale proximum Virtutis ſpecialis Pœnitentiæ eſt quilibet actus internus vel externus ad vindicandum aſſumptus. Inter actus internos meritò computatur deteſtatio peccati, quæ etiam ſæpiſſimè Pœnitentia appellatur. Poteſt eſſe actus Charitatis, Spei, aliarumque virtutum, prout ex hoc aut illo motivo elicitur. pag. 37

CONCL. VII. Objectum materiale remotum Virtutis ſpecialis Pœnitentiæ, eſt quodcumque malum vindicabile, à ſe commiſſum. pag. 41

CONCL. VIII. Subjectum ſpecialis virtutis Pœnitentiæ, eſt voluntas creata, etiam Chriſti, & Angelorum, multò magis B. Virginis, primorum Parentum in ſtatu Innocentiæ, & Beatorum. Quidni etiam voluntas increata? pag. 54

SECTIO II.

De Contritione Charitate perfecta. p. 59

CONCL. I. Nuſpiam Scotus docuit, quempiam pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, ſinè præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio. Fortaſſis nec uſpiam docuit, poſſe dari actum Pœnitentiæ moraliter bonum abſque ſpeciali auxilio Dei. pag. 60

CONCL. II. Contritio remiſſiva peccatorum eſt dolor animi ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito de cætero non peccandi. Sufficere poterit propoſitum virtuale. pag. 70

CONCL. III. Contritio charitate perfecta juſtificat antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur, non tamen ſinè ejus voto, ſaltem implicito. Poterit eſſe formalis actus charitatis. pag. 78.

Digitized by Google

CONCL. IV. Ad Contritionem charitate perfectam requiritur, quòd ſit elicitus actus charitatis, aut ſaltem imperatus. pag. 83

CONCL. V. Solus amor Dei propter ſe ſuper omnia, ſine formali & explicito dolore, juſtificat extra Sacramentum, etiam memorem ſuorum peccatorum, ſi poſſit abſque tali dolore Deum propter ſe ſuper omnia amare. pag. 89

CONCL. VI. Contritio charitate perfecta deteſtatur omnia peccata mortalia; non eſt neceſſe quòd ſingula in particulari. pag. 93

CONCL. VII. Contritio charitate perfecta deteſtatur peccata mortalia ſuper omnia alia mala, etiam pœnam ipſam æternam, & malum Deo intrinſecum, ſi foret poſſibile; ſuper omnia, inquam, appretiativè. pag. 99

CONCL. VIII. Contritio charitate perfecta non debet deteſtari peccatum ſuper omnia alia mala intenſivè. pag. 103

CONCL. IX. Omnis Contritio charitate perfecta, etiam minimæ intenſionis gradualis, remittit quæcumque peccata mortalia extra caſum neceſſitatis, aut Martyrii, ſinè actuali ſuſceptione Sacramentorum. pag. 118

CONCL. X. Contritio charitate perfecta, ſeu juſtificans priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur, non requirit certam durationem; ſed poteſt eſſe inſtantanea. pag. 130

CONCL. XI. Contritio charitate perfecta deteſtatur inæqualiter peccata inæqualia, propria graviora præ levioribus. pag. 133

CONCL. XII. Contritio charitate perfecta magis deteſtatur proprium peccatum actuale mortale, quàm proprium peccatum originale: imò, ſi ſit illimitata, directè magis deteſtatur proprium peccatum veniale, quàm proprium peccatum originale per ſe ſumptum; ſemper tamen originale præ veniali deteſtatur indirectè. pag. 137

CONCL. XIII. Contritio charitate perfecta magis deteſtatur proprium peccatum mortale, immo, ſi ſit illimitata, proprium peccatum veniale, quàm peccatum mortale alienum. pag 140

CONCL. XIV. Contritio charitate perfecta non cauſatur in peccatore phyſicè, & efficienter à gratia juſtificante, ſeu habitu charitatis. pag. 145

SECTIO III.

De Attritione. p. 158

CONCL. I. Contritio imperfecta, quæ Attritio dicitur, ſpecie diſtinguitur à Contritione charitate perfecta. ibid.

CONCL. II. Attritio concepta ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, poteſt excludere omnem voluntatem peccandi. pag. 159

CONCL. III. Non repugnat Auguſtino doctrina, quâ docetur, dolorem peccati propter gehennæ metum, ſeu Attritionem, excludere poſſe omnem peccandi voluntatem, & continere propoſitum bonæ vitæ, ſeu ſervandi totam legem Dei. pag. 169

CONCL. IV. Non repugnat Scoto, neque D. Bonaventuræ doctrina, quâ docetur, dolorem peccati propter gehennæ metum, ſeu Attritionem, excludere poſſe omnem peccandi voluntatem, & continere propoſitum bonæ vitæ, ſeu ſervandi totam legem Dei. pag. 176

SECTIO IV.

De Neceſſitate Virtutis Pœnitentiæ. p. 186

CONCL. I. Pœnitentia, quæ eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, fuit univerſis hominibus, qui ſe aliquo peccato mortali inquinarent, omni tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria. pag. 187

CONCL. II. Pœnitentia obligat per ſe peccatorem, ſub novo ac ſpeciali peccato mortali, in periculo mortis. pag. 188

CONCL. III. Pœnitentia non obligat per ſe peccatorem, ſub novo ac ſpeciali peccato mortali, pro prima opportunitate poſt peccatum commiſſum. pag. 194

CONCL. IV. Nequit certò determinari, an, quando, & quoties in vita, extra periculum ſeu articulum mortis, per ſe obliget Pœnitentia, ſub novo peccato mortali. pag. 205

SECTIO V.

De Efficacia Pœnitentiæ ad remittendum peccatum mortale. p. 210

CONCL. I. Nullum eſt peccatum, quod de facto per Pœnitentiam non poſſit deleri. ibid.

CONCL. II. Nulla gravitas, multitudo, aut iteratio peccatorum, ſtabili lege impedit auxilium efficax verè pœnitendi, minùs ſufficiens, quod Deus nulli negat. pag. 213

CONCL. III. Deus dat omnibus peccatoribus gratiam, ſaltem remotè ſufficientem, quamvis non omni tempore, ſed ſolùm aliquando pro loco & tempore, ita ut, ſi homo peccator illâ bene uteretur, daret ulterius auxilium, uſque ad illud, quod proximè ſufficeret. p. 235

CONCL. IV. Pœnitentia de facto remittit omnia peccata mortalia totaliter, nullam videlicet relinquendo deordinationem moralem, ne quidem venialem. Poſſet aliqua peccata, ſi Deus vellet, remittere ſolùm partialiter, relinquendo ſcilicet aliquam deordinationem moralem. pag. 265

CON-

Digitized by Google

CONCL. V. Non remittuntur de facto peccata mortalia diviſim; poſſet tamen Deus unum ſinè altero remittere. pag. 268

CONCL. VI. De facto non remittitur peccatum mortale ſinè infuſione gratiæ ſanctificantis; contrarium non implicat. pag. 282

CONCL. VII. De potentia Dei ordinata non remittitur adulto peccatum mortale ſinè omni ejus merito. pag. 292

CONCL. VIII. Poteſt Deus e potentia abſoluta remittere peccatum ſinè omni actu peccatoris. Quidni ergo ſinè omni phyſica mutatione? pag. 296

CONCL. IX. Non remittitur de facto peccatum mortale abſque mutatione pœnæ; poſſet abſolutè remitti eâdem æternitatis pœnâ manente: cur non & pœnâ emiſsâ, culpa poſſit permanere? pag. 304

CONCL. X. In adulto, qui juſtificatur extra Sacramentum, magìs certum eſt, eum juſtificari gratiâ habituali, tamquam formâ, quàm Contritione. pag. 309

SECTIO VI.

De neceſſitate & efficacia Pœnitentiæ ad remittendum peccatum veniale. pag. 327

CONCL. I. Peccatum veniale non remittitur in hac vita abſque infuſione gratiæ habitualis, in re, aut ſaltem in jure; ideòque numquam remittitur peccatum veniale exiſtenti in mortali, hoc non remiſſo. ibid.

CONCL. II. Quamvis in inferno pœna, debita peccato veniali non remiſſo, poſſit finiri, macula tamen ſemper permanet. pag. 330

CONCL. III. Ad deletionem peccati venialis extra Sacramentum, non requiritur Contritio Charitate perfecta. Sufficit Attritio ſupernaturalis; immo quilibet actus meritorius juſti, in eum finem relatus. pag. 335

CONCL. IV. Per Sacramenta delentur peccata venialia ex opere operato; per Sacramentalia ſolùm ex opere operantis. pag. 341

CONCL. V. Remittitur ſubinde peccatum veniale poſt hanc vitam; non tamen per actum meritorium, aut ſatisfactorium, extra viam elicitum. pag. 346

SECTIO VII.

De Reviviſcentia meritorum per Pœnitentiam. p. 353

CONCL. I. Merita per peccatum mortificata, reviviſcunt per Pœnitentiam; potuiſſent abſolutè non reviviſcere. ibid.

CONCL. II. Per pœnitentiam recuperatur omnis gratia quomodolibet comparata, & competit actio ſecundùm jus antiquum ad totam gloriam; ità quòd pœnitens in eamdem, quam amiſerat hæreditatem, reſtituatur, & ſemper accipiat novum jus gloriæ, & majorem gratiam eâ, quam habuit ante lapſum. pag. 359

CONCL. III. Peccata ſemel remiſſa, numquam redeunt ad eamdem pœnam, aut culpam, pag. 367

CONCL. IV. Peccata ſic poſſent à Deo remitti, ut per ſubſequens peccatum redirent ad eamdem prorſus culpam, & pœnam. Quidni etiam eadem numero culpa actualis poſſit redire? pag. 373

Digitized by Google

DISPVTATIO VII.
DE SACRAMENTO
POENITENTIÆ.

SECTIO PRIMA.

De Institutione, Neceſſitate & Effectu Sacramenti Pœnitentiæ. pag.380

CONCL. I. Datur in Eccleſia Catholica verè & propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ, à Baptiſmo diſtinctum. *ibid.*

CONCL. II. Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, quando ſtans in medio Diſcipulorum ſuorum, inſufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joan. 20. v. 22. & 23. *pag.*387

CONCL. III. Sacramentum Pœnitentiæ eſt lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium in re, vel in voto. *pag.*391

CONCL. IV. Sacramentum Pœnitentiæ remittit verè & propriè omnia peccata, ritè ſibi ſubjecta, ex integro quoad culpam. *pag.*401

CONCL. V. Sacramentum Pœnitentiæ unà cum culpa remittit pœnam æternam, eamque in temporalem commutat. *pag.* 410

CONCL. VI. In Sacramento ſemper dimittitur pars aliqua pœnæ temporalis, major vel minor ſecundùm diſpoſitionem pœnitentis. *pag.*413

SECTIO II.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ. pag.416

CONCL. I. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ eſt omne & ſolum peccatum baptizati, id eſt, peccatum commiſſum in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum. *pag.*417

CONCL. II. Peccatum veniale ſe ſolo, etiam ſæpiùs virtute Clavium remiſſum, eſt materia ſufficiens Abſolutionis; non niſi mortale, nunquam per Abſolutionem directè remiſſum, materia neceſſaria. *pag.*424

CONCL. III. Quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Contritio quidem & Confeſſio partes quaſi eſſentiales, Satisfactio autem pars integralis. *pag.*428

SECTIO III.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ. pag.435

CONCL. I. Form ordinaria Sacramenti Pœnitentiæ: *Ego tabſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, ┐ Spiritûs ſancti. Amen.* Eſſentialiter conſtituiir his binis verbis: *Abſolro te.* Peccaret tamen ıortaliter qui omitteret ly *A peccatis.* Omiſſicly *Ego*, non niſi venialis, prout etiam invǫtio SS. Trinitatis. *pag.*436

CONCL. II. Ly *A pcatis tuis*, concurrit ad effectum Sacramen Pœnitentiæ, ſi proferatur ante prolata iſta vba: *Abſolvo te*; non concurrit, ſi proferat poſtquam Sacerdos cum debita intentionerotulit iſta verba: *Abſolvo te.* *pag.*442

CONCL. III. Hæ foıulæ æquivalent formæ ordinariæ Sacramei Pœnitentiæ: *Tu abſolveris à me. Petrus abſolvit à me. Iubeo te abſolutum. Do tibi reconcilıatiom. Placet te eſſe abſolutum. Placet quòd tu abſolris*, vel, *quòd abſolvatur hic homo. Abſolvat te us*, ſeu, *Abſolvatur talis ſervus Chriſti*, in ſentimperativo, ſecùs deprecativo. *pag.*445

CONCL. IV. *Ego te ſolvo* &c. idem eſt quod: Impendo tibi gratm remiſſivam peccatorum, vel, Remitto tibeccata tua. *pag.*452

CONCL. V. Abſolutſacramentalis omnino neceſſariò debet ore oferri. Invalidè ad abſentem dirigitur. *pag.*459

CONCL. VI. Sub conione de præſenti & præterito, etiam hac, *Deus ſciat, quòd cras reſtitues*, valet Abſolut; ſed non licet ſinè juſta cauſa: ſub conditie futura, ſuſpenſiva valoris uſque ad implenem conditionis, ſemper eſt invalida. *pag.*462

CONCL. VII. Dimidianon poteſt Abſolutio ſacramentalis circa peca mortalia ritè confeſſa, nec licitè, nec validè *pag.*467

CONCL. VIII. Poſſunlures miniſtri eundem ſimul validè abſolve ab iiſdem peccatis; eruntque tali caſu pluSacramenta, etiam aliquando formaliter. *pag.*469

CONCL. IX. Quando pls ſimul eundem abſolvunt, poſſunt ſingulalidè uti hâc formâ: *Nos te abſolvimus &c.* *pag.* 473

SECTD IV.

De Dolore Sacramenli. pag.475

CONCL. I. Dolor ſacramalis debet eſſe ſupernaturalis, formalis, &icax, etiam de venialibus. *ibid.*

CON-

CONCL. II. Requiritur dolor univerſalis de peccatis mortalibus, non remiſſis, licèt non omnia in Confeſſione exponantur; ſecùs de venialibus. pag. 481

CONCL. III. Nunquam datur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris. pag. 484

CONCL. IV. Dolor ſacramentalis Abſolutionem non ſequatur. Confeſſionem non neceſſariò præcedit tempóre. pag. 494

CONCL. V. Neceſſe eſt ut dolor ſacramentalis aliquo modo referatur ad Confeſſionem, ac moralem cum ea habeat connexionem. pag. 497

CONCL. VI. Unus dolor ſubſervire poteſt duplici Confeſſioni, maximè de diverſis peccatis; probabiliter etiam de iiſdem. pag. 504

CONCL. VII. Qui confitetur mortale peccatum, vel unicum veniale, ſinè debito dolore, peccat mortaliter; ſecùs qui plura venialia, etſi de uno ſolùm doleat. pag. 508

CONCL. VIII. Ad efficaciam doloris requiritur propoſitum emendationis, extendens ſe ad omnia mortalia in particulari ſi proponerentur. Sufficiet propoſitum virtuale. pag. 513

CONCL. IX. Ad efficaciam doloris ſufficit propoſitum particulare, extendens ſe ad ſola venialia confeſſa. Poteſt dari univerſale, extendens ſed ad omnia. pag. 518

CONCL. X. Caret efficaci propoſito, qui non vult deſerere occaſionem proximam peccati; niſi fortè excuſet grave damnum ſpirituale vel corporale, alioquin verè imminens, nec alio modo impedibile. pag. 527

CONCL. XI. Licitè manens in occaſione proxima peccati, tametſi ſemper relabatur, poteſt abſolvi, quotieſcumque habet efficax propoſitum; non ſemper debet abſolvi. pag. 536

SECTIO V.

De Præcepto Divino Confeſſionis. p. 540

CONCL. I. Confeſſio Jure divino obligat ſub mortali omnes & ſolos, qui in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt. *ibid.*

CONCL. II. Præceptum divinum Confeſſionis per ſe & immediatè non obligat, niſi ſemel in vita; adeoque ſatisfacit, qui confitetur in periculo mortis. pag. 545

CONCL. III. Præceptum divinum Confeſſionis obligat per ſe & immediatè, quando quis habet copiam Confeſſarii, quam poſtea per totam vitam non habebit; ſecùs ſi ſolùm ſit periculum oblivionis. pag. 552

CONCL. IV. Præceptum Divinum obligat per accidens, quando ſumenda eſt Euchariſtia, vel eſt medium neceſſarium ad ſuperandam gravem aliquam tentationem, v. g. ad evitandum peccatum fornicationis, aut ſimile: non tamen propterea tenentur communiter Chriſtiani plùs quàm ſemel in anno confiteri. pag. 554

SECTIO VI.

De Præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis. pag. 556

CONCL. I. Eccleſia ſtatuit, ut præceptum divinum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis fidelibus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, impleretur. *ibid.*

CONCL. II. Secluſo præcepto Divino Confeſſionis, Eccleſia numquam attentaſſet imponere Confeſſionem, ad quam de facto fideles obligantur ſingulis annis. Fortè nec imponere potuiſſet. pag. 559

CONCL. III. Præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis obligat omnes & ſolos, quos obligat præceptum Divinum Confeſſionis. pag. 562

CONCL. IV. Confeſſio annua debet eſſe Confeſſio valida alicujus peccati mortalis, ſaltem dubii, numquam directè abſoluti. p. 568

CONCL. V. Si quæ in aliquo caſu ſit obligatio per ſe, confitendi peccata mortalia, ſemel directè abſoluta, hæc ipſa dependet à libera acceptatione pœnitentis. pag. 573

CONCL. VI. Eccleſia poteſt præcipere Confeſſionem peccatorum venialium, ſi non omnium, ſaltem aliquorum, quæ pœnitens voluerit eligere. Quidni etiam ſub gravi obligatione? pag. 577

CONCL. VII. Reincidens in mortale, aut inculpabiliter aliquod omittens, non tenetur eodem anno ad ſecundam Confeſſionem. Fortè excipiendus caſus, ſi tacuit reſervatum ob defectum poteſtatis in Confeſſario. pag. 580

CONCL. VIII. Annus quoad præceptum Eccleſiaſticum confitendi, computandus eſt juxta communem ſignificationem, à prima die Januarii, uſque ad ultimam Decembris. pag. 584

CONCL. IX. Qui intrà annum non eſt confeſſus, ſtatim poſt confiteatur, & ſatisfaciet etiam obligationi præſentis anni; tametſi nullum eius peccatum mortale exprimat. pag. 586

CONCL. X. Prævidens ſe impediendum à Confeſſione reliquo tempore anni, tenetur nunc confiteri. pag. 591

SECTIO VII.

De Qualitate Confeſſionis ſacramentalis. pag. 592

CONCL. I. Confeſſio ſit ſecreta, licèt publica, aut per interpretem ſufficiat ad valorem Sacramenti, & aliquando ſit licita. *ibid.*

 CON-

CONCL. II. Publica Confeſſio, aut per interpretem non videtur obligare, etiam in extrema neceſſitate. pag. 596

CONCL. III. Conſuetudo requirit Confeſſionem vocalem, quamvis ratio non oſtendat, quòd ſub mortali. Sufficit ad vocalem, quòd pœnitens, poſtquam Sacerdos legit peccata ſcripta, dicat, *Accuſo me de his omnibus.* Interim nutu, aut ſcripto, in defectum vocis, poteſt, & debet fieri, ſi abſit periculum infamiæ. pag. 600

CONCL. IV. Confeſſio, abſenti facta, non ſemper eſt invalida; eſtò graviter peccaminoſa extra neceſſitatem. pag 604

CONCL. V. Confeſſio, quæ principaliter fieret propter vanam gloriam, aut alium finem venialiter malum, non eſſet invalida. pag. 614

CONCL. VI. Mortaliter peccat, qui confitetur peccatum mortale, quod non fecit. Qui confitetur veniale, quod non fecit, ſolùm peccat venialiter. Excipe caſum, quo illud foret tota materia Confeſſionis. pag. 620

CONCL. VII. Non peccat mortali ſacrilegio, qui diſſimulat peccata, quæ nunc confitetur, priùs fuiſſe directè abſoluta, vel non fuiſſe directè abſoluta. Item qui primo Confeſſario ſola mortalia; ſecundo autem ſola venialia confitetur. pag. 624

SECTIO VIII.

De integritate Confeſſionis. p. 629

CONCL. I. Jure divino confitenda ſunt omnia peccata mortalia, quorum pœnitens, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habet, etiamſi occultiſsima illa ſint; non tantùm in genere, ſed potiùs in ſpecie, ac ſigillatim. ibid.

CONCL. II. Jure divino confitendæ ſunt circumſtantiæ, peccatorum ſpeciem, aut numerum mutantes; non ita certum eſt, quòd oporteat confiteri circumſtantias ſolùm aggravantes. pag. 634

CONCL. III. Omnia & ſingula peccata mortalia dubia oportet confiteri. Stricta obligatio nec ex Tridentino, nec aliunde, niſi fortè ex praxi, convincitur. pag. 644

CONCL. IV. Qui certus eſt de peccato mortali, & dubitat negativè de Confeſsione, per ſe loquendo tenetur confiteri. Scrupuloſus, niſi ſit moraliter certus tam de peccato mortali, quàm non Confeſsione, taceat. pag. 655

CONCL. V. Dixiſti peccatum ùt dubium, ſi poſtea reperias certum, conſulitur iterata Confeſsio, obligatio non convincitur. pag. 660

CONCL. VI. Qui dixit ſe decies peccaſſe plùs minùſve, ſufficienter explicavit numerum peccatorum, quamvis poſteà comperiat ſe duodecies peccaſſe: inſufficienter, ſi vigeſies. Tacuiſti peccatum certum ex oblivione, vel aliàs ſinè culpa, manet obligatio confitendi. pag. 665

CONCL. VII. Oblitus alicujus circumſtantiæ mutantis ſpeciem, ſi eam poſsis declarare, non declarato peccato, non teneris illud repetere; ſin minùs, repetendum erit. pag. 668

SECTIO IX.

De Cauſis excuſantibus ab integritate Confeſsionis. pag. 676

CONCL. I. Excuſat ab integritate materiali Confeſsionis impotentia phyſica, immò & moralis, id eſt, grave damnum proprium vel alienum, Confeſsioni extrinſecum. ibid.

CONCL. II. Propria infamia vel complicis apud ſolum Confeſſarium, non excuſat ab integritate materiali Confeſsionis, pag. 681

CONCL. III. Qui revelat peccatum complicis ſinè ulla neceſsitate vel utilitate, peccat contra juſtitiam; adeoque tenetur ad reſtitutionem tum famæ, tum aliorum damnorum, quæ ex tali infamia oriuntur. pag. 688

CONCL. IV. Non facilè revelandus eſt complex in Confeſsione, quando illa revelatio non eſt neceſſaria, niſi ad correctionem ipſius, vel ad præcavendum damnum tertii. pag. 693

CONCL. V. In extrema neceſsitate ſufficit Confeſsio unici peccati venialis in particulari, immò peccati ſolùm in communi, his aut ſimilibus verbis: *Peccavi & peto Abſolutionem.* Quidni poſsit, & debeat abſolvi ad quodcumque ſignum externum Contritionis? pag. 699

CONCL. VI. Conditionatè poteris abſolvere moribundum, ſenſibus deſtitutum, de quo aliud non conſtat, niſi quòd Catholicè vixerit; maximè per frequentationem Sacramentorum poſt peccatum admiſſum: immò etiam ante peccatum admiſſum, v. g. moribundum in duello vel fornicatione. pag. 705

SECTIO X.

De Diſtinctione ſpecifica Peccatorum. pag. 719

CONCL. I. Peccata ſpecie & eſſentialiter diſtinguuntur ex rectitudinibus, quibus privant. Accidentaliter ex circumſtantiis, quà tales ſunt. ibid.

CONCL. II. Qui violavit votum ſolemne caſtitatis, ſatisfacit dicendo in Confeſsione: *Violavi votum Caſtitatis.* pag. 726

CONCL. III. Sacerdos Religioſus, confitens peccatum luxuriæ, poteſt per ſe loquendo alterutram circumſtantiam ſubticere, ſi verum eſt, quòd Sacerdos obligetur ad caſtitatem ex voto. pag. 728

Digitized by Google

CONCL. IV. Qui ſuo conſilio cauſa fuit, ut Petrus, habens votum caſtitatis, peccaret contra caſtitatem, tenetur votum iſtud explicare: ſecùs, ſi tantùm indirectè illud peccatum voluerit; v. g. ſi Paulus præviderit, quòd ex ſua actione Petrus acciperet occaſionem peccandi contra caſtitatem, ipſe tamen id non intenderit. pag. 730

CONCL. V. Qui habet votum caſtitatis, debet votum ſuum explicare in Confeſſione, quando conſilio ſuo fuit cauſa, ut Petrus peccaret contra caſtitatem. pag. 735

CONCL. VI. Dignitas perſonæ peccantis, per ſe loquendo, & in univerſum, non eſt circumſtantia mutans ſpeciem, aut notabiliter aggravans, in Confeſſione ſpecialiter explicanda. pag. 744

CONCL. VII. Per ſe loquendo & in univerſum non debet explicari in omni peccatò carnis circumſtantia virginitatis, etiam ex parte feminæ, etſi interveniat fractio clauſtri virginalis. pag. 747

CONCL. VIII. Conſuetudo peccandi, v. g. fornicandi, per ſe loquendo, non eſt explicanda in Confeſſione. Conſuetudo planè inadvertenter jurandi & pejerandi, ordinariè explicanda eſt, eò quòd ſæpè advertentia, aut ſcandalum interveniat. pag. 751

CONCL. IX. Peccatum ex ignorantia mortaliter culpabili, eſt ejuſdem ſpeciei, cum peccato ſcienter commiſſo in eadem materia. Ignorantia venialiter culpabilis, facit ex peccato mortali veniale. pag. 755

CONCL. X. In peccatis carnis debet explicari circumſtantia copulæ conſummatæ; nec ſufficit dicere: *Commiſi peccatum grave contra caſtitatem cum ſoluta.* pag. 763

CONCL. XI. Præceptorum in eadem materia, ex eodem motivo proximo multiplicatio, nihil facit ad diſtinctionem ſpecificam, vel numericam peccatorum. pag. 765

CONCL. XII. Non committit duplex peccatum, qui violat duo jejunia ab Eccleſia indicta, v. g. jejunium Vigiliæ & Quatuor Temporum vel Quadrageſimæ, in unum diem incidentia: neque frangens jejunium debitum ex voto, eſtò voviſſet ex motivo temperantiæ. Franciſcanus tamen, frangens jejunium in Quadrageſima, peccat dupliciter. Sed & quilibet Religioſus poteſt peccare duplici peccato contra præceptum ſui Prælati. pag. 773

CONCL. XIII. In Confeſſione non ſemper debet explicari malum proximo deſideratum ex odio: neque qualitas contumeliæ aut detractionis. pag. 782

CONCL. XIV. In Confeſſione non ſemper debet explicari ſpecies peccati mortalis, de quo quis ſe jactavit; neque qualitas blaſphemiæ; ſed nec qualitas hæreſis. pag. 787

CONCL. XV. Delectatio moroſa probabiliùs contrahit omnem malitiam, quæ eſt in objecto: v. g. ſi eſt de copula cum nupta, Deo obſtricta &c. induit præter malitiam fornicationis; malitiam adulterii, ſacrilegii &c. niſi una ratio malitiæ ab alia præſcindatur, ſaltem negativè, & de una præcisè ſit delectatio. pag. 793

CONCL. XVI. Peccatum externum in Eccleſia commiſſum contrahit indè aliquam malitiam ſacrilegii, ad minùs venialem, ſubinde etiam mortalem, ubi vel notabilis irreverentia in ipſo actu apparuerit, vel ſpecialis prohibitio intervenerit: propter quam placita ſæcularia, mercatus & alia, quæ referuntur in cap. *Decet*, de Immun. Eccleſ. in 6. ſacrilegia ſunt mortalia vel venialia pro ratione materiæ; ſicut & furtum, etiam rei ſolùm per accidens ibi exiſtentis. pag. 801

CONCL. XVII. Quando medium, quod aſſumitur ad aliquem finem, eſt ſufficiens ad peccatum mortale, finis autem minimè, v. g. ſi quis omittat Sacrum propter ſtudium; non eſt neceſſarium in Confeſſione explicare hunc finem, ſed ſufficit confiteri omiſſionem Sacri. pag. 808

CONCL. XVIII. Regulariter loquendo non eſt obligatio explicandi conſcientiam erroneam, maximè quoad Confeſſiones præteritas, in quibus non fuit explicata: quoad Confeſſiones verò præſentes, quando pœnitens ipſe advertit vel dubitat; an peccaverit ſolùm ex conſcientia erronea, tunc optimè faciet accuſando ſe hâc formulâ: *Feci hoc, putans me facere contra obligationem gravem.* pag. 813

CONCL. XIX. Peccata, quæ non ſunt in materia ſervili, ex die Feſto non contrahunt ſpecialem malitiam, ſaltem mortalem. pag. 815

SECTIO XI.

De Diſtinctione numerica Peccatorum.

pag. 819

CONCL. I. Diſtinctio numerica peccatorum deſumitur ex morali actuum disjunctione, quam in actibus merè internis cauſat interruptio, ſaltem per contrariam voluntatem; quidni etiam per voluntariam ceſſationem à priori actu? ibid.

CONCL. II. Actiones externæ non cenſentur multiplicari, in ordine ad Confeſſionem, per repetitionem actûs interni, quamdiu prioris efficacitas permanet in aliquo libero effectu. pag. 825

CONCL. III. In eodem actu phyſico poſſunt eſſe plures malitiæ, ſolo numero diſtinctæ, ut tales in Confeſſione explicandæ. pag. 832

CONCL. IV. Actus internus & externus liber circa idem objectum, phyſicè ſunt plura peccata, in morali æſtimatione unicum. Actus externus vel eventus neceſſarius ſufficit, ut incurratur cenſura tam in foro interno, quàm externo, eſtò

Digitized by Google

eſtò præceſſerit retractatio actûs liberi. Solet etiam in Confeſſione explicari, quamvis per ſe non ſit obligatio, veluti eſt obligatio declarandi actum externum liberum. *pag.* 837

SECTIO XII.

De Satisfactione ſecundùm ſe. p. 850

CONCL. I. Poteſt homo, exiſtens in gratia, Deo in hac vita de condigno ſatisfacere ex opere operantis pro pœna temporali Purgatorii, remiſſis peccatis debita. *pag.* 851

CONCL. II. Satisfactio condigna ex opere operantis requirit liberam acceptationem Dei propter merita Chriſti. *pag.* 855

CONCL. III. Non repugnat, quempiam liberari à pœnis debitis per impetrationem, vel merita congrua: immò probabile eſt, de facto ſuffragia vivorum ita prodeſſe defunctis per modum impetrationis, ut nulla ſolutio æquivalens intercedat. *pag.* 857

CONCL. IV. Opus ſatisfactorium debet eſſe opus honeſtum ac liberum. *pag.* 861

CONCL. V. Opus ſatisfactorium regulariter debet eſſe pœnale. Poteſt eſſe merè internum. *p.* 869

CONCL. VI. Satisfactio fieri poteſt per opus præceptum: neque requiritur intentio ſatisfaciendi. *pag.* 876.

CONCL. VII. Ad ſatisfaciendum ſufficiunt mala quæcumque temporalia, à Deo, vel à cauſis ſecundis provenientia, patienter tolerata. *p.* 880

SECTIO XIII.

De ſatisfactione ſacramentali. p. 888.

CONCL. I. Satisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ. *p.* 888.

CONCL. II. Satisfactio ſacramentalis non cauſat ex opere operato gratiam ſanctificantem, neque gratias actuales; ſed remiſſionem pœnæ temporalis, vel totius, ſi eſt verè proportionata, vel alicujus partis, majoris aut minoris, ſecundùm ejus æquivalentiam, & diſpoſitionem pœnitentis. *pag.* 890.

CONCL. III. Satisfactio, quæ, omnibus ritè conſideratis, à Confeſſario judicatur æquivalens pœnæ reſtanti, totam delet, eſtò non attingat punctum ejus indiviſibile. *p.* 894.

CONCL. IV. Per ſatisfactionem impletam in malo ſtatu ſatisfit obligationi, & obtinetur effectus. *pag.* 900.

CONCL. V. Satisfactio ſacramentalis debet eſſe opus honeſtum ex objecto, & regulariter ſupererogatorium, ac externum. In aliquo caſu ſufficeret opus merè internum, & aliàs præceptum. Opus ſimpliciter impoſitum intelligitur de aliàs indebito. *p.* 908.

CONCL. VI. Rectè imponi poteſt pro pœnitentia ſacramentali Confeſſio ſacramentalis, Communio, Abſtinentia à Communione, Oratio pro defunctis vel aliis vivis. *pag.* 914.

CONCL. VII. Confeſſarius regulariter, & per ſe loquendo, debet imponere pœnitenti ſatisfactionem per modum præcepti. Conſulta tantùm non eſt ſacramentalis. *pag.* 923.

CONCL. VIII. Sacerdos, regulariter & per ſe loquendo, peccat mortaliter, quoties ſinè juſta cauſa non imponit ullam ſatisfactionem pro peccatis mortalibus numquam confeſſis, aliàs ſolùm peccat venialiter. *pag.* 927.

CONCL. IX. Pœnitens regulariter & per ſe loquendo tenetur pœnitentiam juſtam, & prudentem acceptare (ſi velit abſolvi) & acceptatam adimplere. *pag.* 931.

CONCL. X. Regulariter & per ſe loquendo peccat mortaliter, qui ſinè juſta cauſa non implet pœnitentiam, impoſitam pro peccatis mortalibus numquam confeſſis, aliàs ſolùm venialiter. *pag.* 939.

CONCL. XI. Satisfacit pœnitens ſuæ obligationi exequendo opus impoſitum, eſtò memoria obligationis penitùs exciderit. *pag.* 944.

CONCL. XII. Tenetur pœnitens implere pœnitentiam acceptatam pro prima opportunitate, niſi certo tempori ſit affixa: dilatio tamen non ſemper eſt mortalis, tametſi terminus impletioni fuerit præfixus: niſi obligatio cum termino expiret. *pag.* 947.

CONCL. XIII. Excuſat ab impletione ſatisfactionis injuſta gravitas, impotentia phyſica, vel moralis ratione paupertatis, infirmitatis, infamiæ &c. Et ideo non facilè imponenda publica pœnitentia, niſi ad eam pœnitens obligetur pro tollendo ſcandalo. *pag.* 954.

CONCL. XIV. Oblitus pœnitentiæ, non tenetur Confeſſionem iterare. Conſcius pœnitentiæ, tenetur eam per ſeipſum explere, niſi forte aliud declaraverit Sacerdos; aut talis ſit, quæ per alium fieri ſolet. *pag.* 954.

CONCL. XV. Non commutatur ſatisfactio ſacramentalis propriâ auctoritate, etiam in meliorem. Ob cauſam mutari poteſt ab eodem, vel altero Confeſſario, ſaltem ſi peccata repetantur forte etiam abſque repetitione. *pag.* 966.

FINIS.

FACULTAS

Digitized by Google

FACVLTAS

Reverendiſſimi Patris Commiſſarii Generalis.

VIſâ approbatione PP. Lectorum Studii noſtri Lovanienſis *Partis tertia Theologia Sacramentalis Scholaſtica & moralis*, per R. A. P. F. JOANNEM BOSCO Ordinis noſtri Fratrum Minorum Recollectorum Provinciæ noſtræ Inferioris Germaniæ Sac. Theol. Lectorem Jubilatum ac Definitorem compoſitæ; virtute præſentium facultatem concedimus, ut opus publicâ luce digniſſimum, cum S. Obedientiæ merito (accedente eorum licentiâ, quorum intereſt) prælo mandetur. Datum in Conventu noſtro Fratrum Minorum Recollectorum Lovanii 1669. Octobris 16. ſub meo Chirographo Officiique ſigillo minori.

F. JACOBUS DE RIDDERE *Commiſſarius Generalis FF. Min. Germano-Belgicus.*

FACVLTAS

Reverendi Admodum P. Miniſtri Provincialis.

ATtentis Theologorum Ordinis teſtimoniis *ſuper tertia parte Theologia Sacramentalis* R. P. F. JOANNIS BOSCO S. Theol. Lectoris Jubilati, nec non Provinciæ noſtræ Germanæ Inferioris Fratrum Minorum Recollectorum Definitoris; non tantùm facultatem concedo, ſed & in meritum Obedientiæ ſalutaris Auctori injungo, ut eamdem partem, à doctrinæ ſubtilitate ac ſoliditate, mihi experimentaliter nota, commendatam, publici juris faciat accedente eorum, quorum intereſt, aſſenſu, confidens eamdem omnibus ſolidæ ſubtiliſque doctrinæ ſinceris Amatoribus utilem ac gratam futuram. Datum Lovanii in Conventu noſtro Fratrum Minorum Recollectorum ſub noſtro Chirographo Officiique ſigillo minori Anno Domini 1669. die 11. Octobris.

F. JOSEPHUS VAN DOREN *Miniſter Provincialis.*

Approbatio Theologorum Ordinis.

D*Vabus prioribus Theologia Sacramentalis Scholaſtica & Moralis partibus* per Reverend. Adm. Patrem Fratrem JOANNEM BOSCO Provinciæ Germaniæ Inferioris Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum Definitorem, atque in Academia Lovanienſi Sacræ Theologiæ Lectorem Jubilatum aliquot abhinc annis typis evulgatis, & à Pluribus plurimum laudatis, & avidè expetitis, acceſſit Pars Tertia ab eodem Auctore non minori ſtudio, quàm præcedentes compoſita, nec minori laude digna. In hac Parte tractatur de Pœnitentiæ virtute ac Sacramento, materia, inter alias Theologicas, omnibus, & præcipuè animarum curatoribus, perneceſſaria. Tractat autem Auctor hanc materiam non minùs doctè, quàm orthodoxè: Fidem, quam alii impugnant, acriter & ſolidè propugnat; Argumenta quæ contra ſe opponit, ſolvit; & Theologicè fundat ſuam, quam ſuſtinet ſententiam; hæc vera eſſe invenies, ſi opus legeris. Quod, ut fiat, illud prælo dignum cenſuimus. Datum Lovanii in Conventu noſtro Fratrum Minorum Recollectorum die 24. Septembris Anno 1669.

F. PETRUS DE VRIESE *S. Th. Lector Iubilatus.*
F. GUILIELMUS VAN SICHEN *Sacra Theol. Lector.*

Digitized by Google

Privilegium Caſareum.

VIrtute Privilegii S. Cæſareæ Majeſtatis ſuper impreſſione & diſtractione Librorum per Fratres Minores conceſſi; facultatem facimus HIERONYMO NEMPÆO Typographo Lovanienſi, ut imprimat & diſtrahat hanc Tertiam Partem Theologiæ Sacramentalis Auctore Reverendo Admodum P. Fr. JOANNE BOSCO Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum Provinciæ noſtræ Inferioris Germaniæ S. Theol. Lectore Jubilato, ac Definitore cum plenario uſu Privilegii Cæſarei præfati, idque pro prima illius Editione. Datum Lovanii in Conventu noſtro Fratrum Minorum Recollectorum die 16. Octobris Anno 1669. ſub meo Chyrographo Officiique ſigillo minori.

F. JACOBUS DE RIDDERE *Commiſſarius Generalis Fratrum Minorum Germano-Belgicus.*

Privilegium Regis Hiſpaniarum.

PHILIPPI IV. Regis Hiſpaniarum &c. Privilegio cautum eſt, ne quis *Theologiam Sacramentalem Scholaſticam & Moralem* Auctore F. JOANNE BOSCO Ordinis FF. Minorum S. Theol. Lectore Jubilato, in toto vel in parte, conjunctim vel diviſim imprimat, aut alibi impreſſam, in haſce Ditiones importet, retineat vel divendat, præter Typographum Juratum ab eodem Auctore deligendum; idque ſub pœna confiſcationis & amiſſionis Librorum, & inſuper alia gravi mulcta; ut latiùs patet in Litteris patentibus deſuper Bruxellæ in Supremo Concilio Brabantiæ expeditis die 11. Julii Anno 1665. de more ſigillatis & ſignatis.

LOYENS.

VIRTUTE præmiſſi Privilegii Regii do HIERONYMO NEMPÆO Typographo Lovanienſi facultatem imprimendi ac diſtrahendi Tertiam Partem meæ *Theologiæ Sacramentalis* primæ Editionis. Datum Lovanii die 17. Octobris Anno 1669.

F. JOANNES BOSCO.

CENSVRA.

HÆc De Pœnitentia *diſſertatio*, *Doctoris Subtilis Auctore* R. P. F. JOANNE BOSCO *Ord. FF. Minorum S. Th. Lectore Iubilato*, *tum in proponendis*, *tum in ſolvendis argumentis ſolertiam ſparſim exhibet*; *ac præterquam quod ex ipſius principiis ac ſententiis plurima conſequenter & nervosè deducat*, *etiam ad alias materias pænitentiæ affines non rarò amœnè ac fructuosè digreditur. Ita cenſeo Lovanii* 24. *Octobris* 1669.

SIMON SERVATII S. Th. Doctor & Prof. Librorum Cenſor.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO VI.

DE VIRTVTE

POENITENTIÆ.

POENITERE eſt pœnam tenere ſecundùm etymologiam nominis. Ita communiter DD. Catholici. Quid enim aliud ſignificant hæc verba Gen. 6. v. 6. *Pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecùs* &c? Quid aliud nobis indicant verba Jobi cap. ultimo v. 6. *Idcirco ipſe me reprehendo, & ago Pœnitentiam in favilla & cinere*? Audiamus Chriſtum Matth. 11. v. 21. *Quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere Pœnitentiam egiſſent.* 1. Etymologia nominis pœnitere. Gen. 6. Iob. ult. Math. 11.

Sed hæc auſteritas mollibus noſtris hæreticis multùm diſplicet: hinc Eraſmus in cap. 3. Matth. conatur verbum *Pœnitere* deducere, à *Ponè tenere*, ut nihil aliud ſit, quàm, *Poſterius conſilium tenere*, ſive, ut ipſe loquitur, *Intelligere poſt factum.* Verùm advertere debuiſſet, quòd non dicatur *Ponitentia*, ſed, *Pœnitentia.* quæ diſplicet noſtris hæreticis.

Lutherus aliique hæretici claritatem ſignificationis non ferentes, ex codicibus ſuis ubique verbum *Pœnitere* eraſerunt, ſubſtituentes ly *Reſipiſcere*, id eſt, meliorem vitam amare, arguentes textum Latinum erroris ex textu Græco; ſed puto eos errorem ſuum hauſiſſe ex textu Epicuri, dum volunt omnem dolorem & laborem à ſe avertere. Vide Bellarminum lib. 1. de Pœnitentia cap. 7. *Reſipiſcit* (inquit Lactantius lib. 6. cap. 24.) *quem errati piget & ſeipſum caſtigat dementiæ, & confirmat ad rectius vivendum.* Bellarminus, Lactantius.

Quod ſcitè intelligens Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 4. declarat contritionem juſtificativam, *Non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum, ſed veteris etiam odium continere.* Et can. 5. errorem contrarium damnat hiſce verbis: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum* 2. ſed approbatur à Concil. Trident.

ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem; nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magìs peccatorem...... anathema ſit.

Cùm ergo etymologiam nominis teneamus, naturam & eſſentiam inveſtigemus, ſi quo modo illam comprehendere valeamus.

SECTIO PRIMA.

De Natura & Eſſentia Virtutis Pœnitentiæ.

3. Quatuor deſcriptiones ly *Pœnitere* ex Scoto.

CVm pœnitere (inquit Scotus 4. diſt. 14. q. 1. nu. 15.) *ſit pœnam tenere ſecundùm etymologiam nominis: & tenere pœnam, importet actionem reſpectu pœnæ, non tantùm paſſionem ipſius ut inhærentis, propriè videtur ſignificatum hujus vocabuli conſiſtere in quatuor primis* (puta; Vindicare commiſſum: Deteſtari commiſſum: Acceptare pœnam inflictam: Patienter ferre pœnam inflictam) *& ſic ſit quadruplex deſinitio vel deſcriptio eius, quod eſt pœnitere.*

Prima.

Prima eſt iſta: Pœnitere eſt vindicare peccatum à ſe commiſſum: & patet quomodo eſt ibi tenere pœnam: *quia applicare ſibi ipſi pœnam, eſt tenere eam: & iſtud poteſt intelligi, ſive applicet, ſive infligat pœnam in effectu, vel affectu: quia vindicans non minùs vindicat, etſi quandoque pœna non ſequatur, propter defectum alicuius cauſæ ſecundæ, dum tamen ipſe æquè & iuſtè intendat pœnam infligere.*

Ei conſonat Auctor lib. De vera & falſa Pœnitentia. Item D. Auguſt.

Huic deſcriptioni conſonat Auctor lib. de verà & falſa Pœnitentia cap. 8. ibi: *Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.* Et D. Auguſt. lib. 50. Homil. Homiliâ ultimâ cap. 9. dicens: *Tertia actio eſt Pœnitentia, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus continet; & de quibus Apoſtolus,* (ad Gal. 5. v. 21.) *ait:* Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. *In hac ergo Pœnitentia, maiorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo iudicatus, non iudicetur à Deo.*

Et Epiſtolâ 108. ad Seleucianam ait: *Eſt etiam Pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna* (aliàs penè) *quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes, Dimitte nobis debita noſtra.*

& Iſidorus Hiſpalenſis.

Accedat Iſidorus Hiſpalenſis lib. 6. Ethimol. cap. ult. ubi ſic legitur: *Pœnitentia appellata eſt quaſi punientia, eò quòd ipſemet homo in ſe puniat pœnitendo, quod male admiſit.*

4. Secunda deſcriptio.

Venio ad ſecundam deſcriptionem, quæ talis eſt: *Pœnitere eſt deteſtari vel odire peccatum à ſe commiſſum, vel diſplicentiam habere de hoc peccato à ſe commiſſo. Et patet* (inquit Scotus) *quomodo eſt ibi* pœnam tenere; *quia in cauſa proxima partiali.* Quod ſic ulteriùs explicat: *Et iſtud poteſt intelligi de nolle, vel deteſtari, vel diſplicentiam habere de hoc peccato, ſub propria ratione, vel in generali ſimul de quocumque peccato, à ſe commiſſo: & iterum de diſplicentia formali vel virtuali.*

Rogas quæ ſit diſplicentia virtualis? Reſpondet: *Quicumque actus voluntatis virtualiter includens illam diſplicentiam, ſicut quodammodo cauſa includit effectum, licèt effectus in ſe non cauſetur: ſic cùm omnis nolitio oriatur ex aliqua volitione, omnis diſplicentia, ſeu nolitio peccati, licèt formaliter non inſit, poteſt virtualiter ineſſe in aliqua volitione, ad quam nata eſt conſequi talis diſplicentia.* Quid ſit diſplicentia virtualis.

Talis volitio erit actus formalis & efficax ſpei aut charitatis, vel alterius virtutis, cui peccatum directè repugnat; qui enim efficaciter vult beatitudinem, aut amat Deum ſuper omnia, virtualiter deteſtatur omne illud, quod eſt incompoſſibile cum beatitudine formali vel objectiva; ſimiliter qui efficaciter amat v. g. caſtitatem, virtualiter deteſtatur omne illud quod cum caſtitate eſt incomponibile: ad has quippe volitiones nata eſt conſequi deteſtatio ſeu diſplicentia formalis, ſi peccatum proponeretur, ut ex dicendis inferiùs luculenter patebit.

Porrò hæc deſcriptio Pœnitentiæ frequentiſſima eſt in Sanctis Patribus, Conciliis, ac etiam Scriptura. Solùm adfero Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 6. ibi: *Ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* Seſſ. autem 14. cap. 4. *Contritio*, inquit, *animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Hæc deſcriptio Pœnitentiæ approbatur à Conc. Trident.

Sequitur tertia deſcriptio: *Pœnitere eſt pœnam inflictam pro peccato ſuo commiſſo gratanter acceptare: & patet* (inquit Doctor Subtilis) 5. Tertia deſcriptio.

quo-

quomodo hoc eſt pœnam tenere, *ſicuti obiectum tenere per actum voluntatis: & iſtud non poteſt intelligi de acceptare formaliter, vel virtualiter: ſed aliquâ aliâ acceptatione, in qua iſta includitur virtualiter, ſicuti volitio entis ad finem includitur in volitione finis.*

qui utitur Auctor lib. de vera & falſa Pœnitentia, & Conc. Trid. Hâc deſcriptione utitur Auctor libri de vera & falſa Pœnitentia cap. 13. dicens: *Hinc ſemper doleat, & de dolore gaudeat.* Et Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. cùm ait: *Vt perverſitate abiectâ & emendatâ, tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur.* Nota ly *Pio*, quo denotatur voluntaria acceptatio pœnæ.

6. Quarta deſcriptio. Quarta denique deſcriptio eſt: *Pœnitere eſt pœnam ſibi pro peccato ſuo inflictam patienter ſufferre: & patet* (inquit Doctor noſter) *quomodo hoc eſt* pœnam tenere, *quia non abiicere remurmurando; unde & communiter dicitur in hoc ſenſu* ſuſtinere, *id eſt, ſub actione agentis infligentis ſe illi conformando tenere.*

quam approbat Conc. Trid. De hac deſcriptione loquitur Tridentinum ſeſſ. 15. cap. 9. ibi: *Docet præterea tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.*

7. Arguitur Suarius falſitatis. Ex his liquidò conſtat, quàm falsò dicat Suarius diſp. 3. ſect. 4. n. 4. Hæc diſtinctio nullâ methodo aut ratione data eſt: hoc enim modo poſſet diſtinguere innumeros Pœnitentiæ modos.

Reſpondeo, ſi vox æquivoca innumeras haberet ſignificationes, bonâ methodo & optimâ ratione poſſet, & deberet Suarius diſtinguere innumeras illas ſignificationes ante definitionem hujuſmodi vocis. Cùm ergo illa vox *Pœnitere*, ſive *Pœnitentia* diverſimodè uſurpetur à Sanctis Patribus, Conciliis, & Scriptura, cur reprehenditur Scotus, quòd diverſos illos modos diſtinctè explicaverit antequam definiat, quæ, & qualis Pœnitentia requiratur ad peccati deletionem?

Sed hæc ſatis de voce, tranſeo ad rem ipſam, & quæro primò, an detur ſpecialis virtus Pœnitentiæ, & quid illa ſit? Reſpondeo Primò:

CONCLUSIO I.

Datur ſpecialis virtus Pœnitentiæ, inclinans voluntatem ad vindicandum peccatum à ſe commiſſum.

Eſt Scoti 4. diſt. 14. q. 2. ubi n. 2. ſic docet: *Iuxta primam ſignificationem, prima Concluſio eſt hæc: Pœnitere poteſt eſſe actus virtutis medium; quia poteſt eſſe actus conformis rectæ rationi. Hoc probatur; quia ſecundùm rectam rationem quilibet legiſlator vindicat tranſgreſſorem legis: unde & Philoſophus in fine 10. Ethicor. poſt doctrinam de vitiis & virtutibus ſtatim introduxit legem poſitivam, tamquam ultricem vitiorum & præmiatricem virtutum: patet in fine 10. Ethic... Sed ſi legiſlator rectâ ratione vindicat, miniſter rectâ ratione exequitur; quia univerſaliter rectitudo in actu ſubminiſtrationis, eſt ex conformitate eius ad agens, cui ſubminiſtrat: ergo ſecundum rectam rationem, poteſt aliquis, ut miniſter legiſlatoris, vindicare peccatum commiſſum contra legem: & hoc in illum, in quem eſt ſibi commiſſum vindicare, quia aliàs non eſt ſubminiſtrans.* 8. Pœnitere primo modo poteſt eſſe actus virtutis. Scoti.

Pœnitens eſt executor legis Dei de Pœnitentia. *Sed unicuique commiſſum eſt eſſe miniſtrum Dei ferentis legem ſuam ad vindicandum in ſeipſum pro peccatis, quæ commiſit: Pœnitere autem primo modo dicit ſic vindicare in ſeipſum: tenere enim quando non additur dativus exprimens, cui teneatur, ſignificat quòd ſibi ipſi tenenti teneatur. Hoc patet ex communi ſermone. Ideo Deus, licet puniat peccatorem, non dicitur pœnitere, id eſt, ſibi pœnam applicando tenere.*

Quid clariùs & veriùs dici poterat? Interim tamen ne, ut ſæpiùs videmus contingere, de errore redargueretur, ubi verè redarguendus non eſſet, n. 3. ſubjungit: *Non dico quòd pœnitere primo modo ſemper ſit actus virtutis, id eſt, elicitus à virtute: ſed virtutis, id eſt, natus elici à virtute, vel generare virtutem; quia conformis rectæ rationi, & in hoc eſt bonitas moralis actûs humani: accidit tamen quantùm ad per ſe rationem bonitatis moralis, quòd ſit à virtute generata, vel virtutem generans.* 9. Pœnitere primo modo non eſt ſemper actus elicitus à virtute.

Hæc eſt ergo communis ſententia, quam non probo ex Scriptura, Sanctis Patribus, & Conciliis; quia non ago hìc de Pœnitentia virtute, quæ requiritur ad remiſſionem peccati, de qua plerumque loquuntur Scriptura, Patres, & Concilia, & coincidit cum deteſtatione peccati elicitâ ex motivo ſupernaturali ſpei, aut charitatis; ſed de Pœnitentia, ut eſt ſpecialis virtus inclinans voluntatem ad infligendam pœnam, & peccatum deteſtandum ex motivo vindictæ.

Sanè dari talem ſpecialem virtutem diſertis verbis aſſerit Scotus ſuprà n. 4. ibi: *Hoc ſuppoſito, ſit hæc Concluſio: Pœnitere* (ſecundùm 10. Poteſt eſſe actus ſpecialis virtutis.

Scotus. primam ſignificationem nominis) *eſt actus ſpecialis virtutis. Probatur, quia ille actus natus eſt habere ſpeciale obiectum, & ſpeciales circumſtantias ordinatas: obiectum peccatum vindicabile: circumſtantias, quæ conveniunt actui, ut rectè tendenti in tale obiectum, ſcilicet finem, modum & huiuſmodi.*

11. Objectio. Sed contrà Primò; Pœnitentia ſupponit peccatum: ergo non eſt virtus. Probatur Conſequentia; quia omnis virtus eſt per ſe expetibilis.

Reſponſio. Pœnitentia eſt per ſe expetibilis. Reſpondeo negando Conſequentiam. Ad probationem dico, Pœnitentiam per ſe eſſe expetibilem, id eſt, gratiâ ſui præſcindendo ab omni alio motivo, quod ſufficit ad veram virtutem, quæ à Philoſopho definitur: Habitus electivus medii rectâ ratione præfiniti: quis autem dubitet ex ſuppoſitione peccati rectiſſimè eligi medium Pœnitentiæ, id eſt, illationem pœnæ pro peccato commiſſo?

Probatur. Nonne poteſtas punitiva mala eſt, quia ſupponit culpam ad ſui exercitium? Quomodo ergo ſcriptum eſt Rom. 13. v. 1. *Non eſt poteſtas niſi à Deo?* Et v. 4. *Si malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt; vindex in iram ei, qui malum agit?* Si autem poteſtas punitiva bona eſt, quidni etiam bona ſit & virtuoſa ipſa punitio? Non eſt ambigendum.

& confirmatur à ſimili. Confirmatur à ſimili: Medicina ſupponit morbum, & tamen eſt expetibilis, & quidem ante morbum conditionatè, poſt morbum verò abſolutè. Conſimiliter ergo Pœnitentia expetibilis eſt, & quidem ante peccatum conditionatè, ſuppoſito quòd futurum ſit, poſt peccatum verò abſolutè.

Unde ſicuti non bene ſequitur: Medicus vult medicinam; ergo etiam morbum; ita nullatenus rectè infertur: Deus vult Pœnitentiam peccatoris (ut patet ex innumeris Scripturis) ergo vult peccatum; ſed veluti Medicus, ſuppoſito quòd morbus futurus ſit, parat morbo illi convenientem medicinam; ita Deus ſuppoſito peccato, & eo præviſo per decretum permiſſionis, parat illi peccato congruam Pœnitentiam, de quo plura alibi.

12. Secunda objectio. Objicitur ſecundò: Virtus debet habere objectum bonum; atqui ſecundùm Scotum ſuprà, objectum Pœnitentiæ eſt peccatum vindicabile: ergo Pœnitentia non eſt virtus.

Reſponſio. Reſpondeo diſtinguendo Majorem; Virtus proſecutiva debet habere objectum bonum, concedo; virtus averſativa, nego. Patet; quia proſequi malum, & fugere bonum, malum eſt; at verò proſequi bonum & averſari malum, bonum. Cùm ergo virtus Pœnitentiæ ſit averſiva, ſaltem ex parte, quid mirum, ſi pro objecto partiali habeat peccatum?

Reſponſio 2. Aliter diſtinguo Majorem: Virtus debet habere objectum bonum; objectum, inquam, formale, tranſeat: objectum materiale, & circa quod, nego Majorem. Quid namque repugnat circa malum bene & laudabiliter operari? *Non fit aliquid*, inquit Magnus Pater Auguſtinus Enchir. cap. 95. & 96. *niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum eſt Deum facere bene, etiam ſinendo fieri quæcumque fiunt malè, non enim hoc niſi iuſto iudicio ſinit. Et profectò bonum eſt omne quod iuſtum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, ut eſſent & mala, nullo modo ſinerentur eſſe ab omnipotente bono.* Poteſt quis bene operari circa malum. S. Auguſt.

Et lib. de Corrept. & grat. cap. 10. ſic ſcribit: *Quapropter ſaluberrimè confitemur, quòd rectiſſimè credimus, Deum Dominumq; rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura eſſe præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala eſſe non ſinere, ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, iuſtitiæq; iudicium.*

Accedat auctoritas ejuſdem Sancti Doctoris lib. 14. de Civit. cap. 27. ibi: *Quoniam qui providenter, atque omnipotenter ſua cuique diſtribuit, non ſolùm bonis, verùm etiam malis bene uti novit ...... cur non permitteret, ut ab illo* (malo Angelo) *primus homo, qui rectus, hoc eſt, bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur? quandoquidem ſic erat inſtitutus, ut ſi de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret: ſi autem creatorem atque adiutorem Deum ſuperbè ſibi placendo deſereret, vinceretur: meritum bonum habens in adiuta divinitùs voluntate rectâ: malum verò in deſerente Deum voluntate perversâ, quia & ipſum confidere de adiutorio Dei, non quidem poſſet ſine adiutorio Dei.*

Cæterùm, ut ad propoſitam objectionem revertamur, eleganter & appoſitè dixit Sanctus Proſper ad object. Vincent. object. 10. *Adulteria maritatarum & corruptelas Virginum non inſtituere novit ſancta Divinitas, ſed damnare; nec diſponere, ſed punire.* Si ſancta Divinitas novit punire peccata (& quis dicere audeat, quòd injuſtè?) cur non ſimiliter homo peccator eadem juſtè in ſeipſo puniat? Sed de his latiùs infrà. S. Proſper.

Objicitur tertiò; Objectum Pœnitentiæ eſt peccatum in communi: ergo non eſt ſpecialis virtus. Reſpondeo primò, propter hoc fortè deteſtatio peccati non eſt virtus ſpecialis. 13. Tertia objectio. Reſpondetur 1.

Reſpondeo ſecundò, cum Doctore Seraphico Divo Bonaventura 4. diſt. 14. art. 1. q. 2. in corp. *Etſi Pœnitentia reſpiciat malum in communi, tamen reſpicit ſub propria ratione, & habet actum ſpecialem, qui indiget virtute non tantùm præcipiente, ſed eliciente: ut ſicut ira per zelum, qua deteſtatur omne peccatum, in proximo eſt ſpecialis virtus, quia reſpicit illud ſub ratione digni pœnâ: & obedientia eſt ſpecialis virtus, quia reſpicit exequendum ſub ratione mandati; ſic etiam Pœnitentia ſpecialis eſt virtus, quia reſpicit ſub ratione mali proprii, à ſe contra Deum perpetrati, prout homo ex hoc dignus eſt puniri.* Secunda reſponſio ex D. Bonaventura. Pœnitentia reſpicit malum ſub propria ratione.

Simi-

Digitized by Google

in quantum ſcilicet à ſe perpetratum & Dei offenſivum.

Similiter loquitur in eadem quæſtione ad 3. dicens: *Ad illud quod obicitur de obiecto, dicendum, quòd, etſi non contrahatur ad ſpeciale peccatum, tamen illud conſiderat ſub ſpeciali & propriâ ratione; hoc eſt, in quantum à ſe perpetratum, & Dei offenſivum, cui vult reconciliari & emendam facere: & ideo eſt virtus ſpecialis, quia virtus ponitur ſpecialis vel generalis non ratione obiecti, quòd eſt materiale, ſed ſecundùm quod habet rationem motivi.* Hæc Sanctus Bonaventura, optimè conſonans doctrinæ ſubtili Scoti.

14. Deteſtari culpam, videtur eſſe actus ſecundarius Pœnitentiæ.

Unde quod ait q. 3. in corp. *Notandum quòd Pœnitentiæ actus eſt deteſtari culpam ſive peccatum, quia Dei offenſivum*; hoc, inquam, intelligendum videtur de ſecundario actu Pœnitentiæ, ut patet ex verbis immediatè ſubſequentibus: *Et hoc in reconciliationem, ſive emendam; & quia hæc ratio eſt ipſius iuſtitiæ, dico quòd Pœnitentia eſt virtus Cardinalis contenta ſub Iuſtitia.* Ergo principalis actus eſt velle vindicare nomine Dei, quod contra Deum voluntas peccavit; ad quem finem aſſumitur deteſtatio peccati, tamquam optimum medium ex divina ordinatione.

An ſit actus ſpecialis virtutis?

Quæ certè deteſtatio, quamvis ſit actus virtutis, ut docet Scotus ſuprà q. 2. n. 11. & probat: *Quia poteſt eſſe actus electivus concors rationi rectæ. Ratio enim recta, ſicut dictat complacendum eſſe in bono honeſto, ita dictat diſplicendum eſſe in malo inhoneſto*, equidem nullius ſpecialis, ſed, ut ibidem loquitur Doctor Subtilis, poteſt eſſe cujuſcumque appetitivæ.

Scotus.

Quælibet virtus deteſtatur peccatum contra ſe commiſſum.

Quæcumque enim virtus (inquit) *inclinat ad complacendum in bono honeſto, inclinat etiam ad deteſtandum, & ad diſplicendum de malo inhoneſto oppoſito: utpote caſtitas de aliquo inordinato contra caſtitatem inclinat ad diſplicentiam, & humilitas de actu inordinato ſuperbiæ, & ſic de cæteris. Quælibet tamen inclinans ad talem diſplicentiam eſt virtus appetitiva, quia nihil eſt principium odiendi, ſicut nec amandi, niſi virtus appetitiva.*

Et ex hoc patet quòd malè ponitur deteſtatio peccati actus Pœnitentiæ virtutis, loquendo de Pœnitentia virtute primo modo, ut eſt ſpecies iuſtitiæ: quia iſte actus eſt multum generalior, quàm poſſit eſſe ille, qui eſt proprius actus Pœnitentiæ iuſtitiæ elicitus ab ea. Ita Scotus.

Ubi non negat, ut manifeſtum eſt, deteſtationem peccati v. g. luxuriæ poſſe eſſe actum imperatum Pœnitentiæ; ſed tantùm vult, quòd non ſit actus ejus elicitus.

15. Cujus virtutis actus ſit pœnitere tertio modo,

Simili planè modo notificat Doctor ſuprà n. 12. cujus virtutis actus ſit Pœnitere ſecundùm tertiam acceptionem, id eſt, gratanter acceptare pœnam inflictam pro peccato commiſſo. *Dico*, inquit, *quòd etiam iſte actus poteſt eſſe virtutis; quia concors rectæ rationi. Et ſecundò quòd poteſt eſſe multarum virtutum, quarum tamen qualibet ſit appetitiva; quia quidquid poteſt eſſe principium acceptandi aliquod obiectum, poteſt eſſe principium acceptandi aliud in ordine ad ipſum: per diverſas autem virtutes poteſt acceptari aliud, & aliud obiectum in ordine ad quod poßit pœna inflicta pro peccato acceptari. Nam ſi ex charitate amatur Deus, ex charitate poteſt acceptari pœna, in quantum reductiva eſt ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute ſpei deſideratur Deus ut bonum mihi, ex virtute ſpei acceptatur pœna, ut ordinans ad iſtud præmium attingibile. Si ex virtute timoris cavetur amißio vitæ æternæ, ex ipſa poteſt acceptari pœna, ut excludens illam amißionem. Si ex amicitia honeſta ad ſeipſum diligit quis ſibi munditiam & innocentiam, ex illa poteſt acceptare pœnam, quæ ſolvit reatum, qui inſuit.* Hactenus ille.

& quarto modo acceptum.

Rogas autem quid ſit dicendum de Pœnitere quarto modo acceptum, ſcilicet patienter ferre pœnam inflictam? Confeſtim reſpondet: *Patet quòd poteſt eſſe actus virtutis, & ſpecialis virtutis, quia patientiæ.*

Cæterùm plures docent deteſtationem peccati eſſe actum primarium Pœnitentiæ, vindictam autem effectum ſeu actum ſecundarium, quaſi voluntas ideo velit vindicare peccatum, quia illud deteſtatur, & non è contra. Alii putant eſſe unum & eundem actum in re, velle vindicare, & deteſtari peccatum. 16.

Aliqui docent deteſtationem peccati eſſe actum primarium Pœnitentiæ.

Objectio.

Sed contra primam opinionem; actus primarius alicujus virtutis ad ſolam illam virtutem poteſt pertinere, habitus enim per actus primarios ſive elicitos diſtinguuntur, minimè per actus tantùm imperatos; atqui deteſtatio poteſt pertinere ad plures virtutes, ut jam oſtendimus ex Scoto; ergo &c. Porrò vindicta pertinet ad ſpecialem virtutem, ut planum eſt: ergo hæc potiùs eſt actus primarius & elicitus Pœnitentiæ.

Reſponſio.

Scio, reſponderi poſſet, deteſtationem eſſe quidem actum imperatum plurium virtutum; at verò elicitum ſolius Pœnitentiæ, quatenus conſiderat peccatum, ut offenſam Dei: ſed de hoc infrà, ſunt enim qui cenſent, peccatum ut offenſam Dei, ſolùm eſſe objectum charitatis, & non Pœnitentiæ ſpecialis, quamquam contrarium non ſit improbabile.

Interim videtur actus proſecutionis meritò cenſeri primarius; ac proinde cùm vindicta ſit amor pœnæ, deteſtatio ſolùm ſit fuga peccati, eſtò, illi actus pertinerent ad eandem virtutem, quidni vindicta cenſeri poſſit & debeat primarius?

Quia, inquis, finis Pœnitentiæ eſt tollere culpam, quòd principaliter fit per deteſtationem ſive fugam culpæ. Alioquin cur Sancti Patres & Concilia potiſſimùm, ſi non ſolùm, exprimerent nomine Pœnitentiæ dolorem de peccatis & deteſtationem, tamquam ultimam & perfectam diſpoſitionem ad juſtificationem tam in Sacramento, quàm extra Sacramentum? 17.

Cur Patres nomine Pœnitentiæ potiſſimùm exprimant deteſtationem peccati.

Reſpondeo Patres & Concilia ſic loqui, quia dolor & deteſtatio de peccato includitur tamquam effectus in voluntate vindicandi; effectus, inquam, primarius, ſinè quo voluntas vindi-

vindicandi per ſe eſt inefficax ad remiſſionem peccatorum. Certè ut in principio hujus diſputationis diximus, Pœnitere ſecundùm etymologiam nominis eſt pœnam tenere, tunc autem tenetur pœna, quando elicitur dolor, & deteſtatio; adeòque tunc Pœnitentia habet ſuum terminum ſeu effectum, per quem in actu ſecundo completur juſtitia, quæ per vindicationem reſtituit jus ſuum Deo. Itaque finis intrinſecus Pœnitentiæ eſt ſatisfacere legi divinæ, æqualitatem ponendo per medium punitionis, de quo plura in ſequentibus.

18. *Velle vindicare & deteſtari peccatum, non eſt unus actus in re.*

Venio ad ſecundam ſententiam, quæ exiſtimat in re eſſe unum & eundem actum, velle vindicare, & deteſtari peccatum; ſed errat. Nam primus actus eſt proſecutionis, puta volitio pœnæ, ſecundus autem fugæ, puta nolitio peccati; ſicuti ergo amor alicujus honeſtatis, & odium inhoneſtatis oppoſitæ non ſunt à parte rei unus & idem actus, ſed plures actus formaliter diſtincti, quamvis fortè eliciantur ab eadem virtute; pari ratione velle vindicare, & deteſtari peccatum, non ſunt in re unus & idem actus, ſed plures actus formaliter diſtincti, eſtò poſſent elici ab eadem virtute.

Accedit, quòd voluntas finis, & voluntas medii ſint diverſæ; ſed vindicare peccatum eſt voluntas finis, nempe voluntas ſatisfaciendi injuriæ per pœnam; deteſtari verò peccatum eſt medium ſeu ipſa pœna: ergo non ſunt unus & idem actus.

19. *Objectio.*

Si dixeris; qui deteſtatur peccatum, vult efficaciter, quantùm eſt in ſe, illud abeſſe: ergo vult vindicare. *Solvitur.* Reſpondeo negando Conſequentiam; quia deteſtatio poteſt provenire ex motivo tantum charitatis, ſpei, vel alterius virtutis ipſi peccato oppoſitæ, tunc autem non erit vindicatio, ut patet; quia hæc poſtulat motivum juſtitiæ.

Inſtantia. Urges, ſaltem deteſtatio continet, ſeu includit virtualiter voluntatem vindicantem. *Solvitur.* Reſpondeo; quæritur hìc de voluntate formali & expreſſa vindicandi, an ſemper coincidat cum deteſtatione peccati.

& retorquetur argumentum ad oppoſitum.

Deinde retorquetur argumentum ad oppoſitum; ſi tantùm virtute deteſtatio peccati includit voluntatem vindicandi: ergo formaliter illi actus ſunt diſtincti, ſicuti effectus formaliter diſtinguitur à ſua cauſa; nam quòd virtute dumtaxat in alio eſt, non eſt ipſum formaliter. Quis namque dixerit actum perfectæ charitatis, qui virtualiter includit contritionem, formaliter cum illa coincidere; ſimiliter contritionem cum propoſito emendationis & voto Sacramenti? Conſtat ſanè hos actus in ſuo eſſe formali, & expreſſo diverſos eſſe, etſi unus alterum virtualiter includat: ergo conſimiliter voluntas vindicandi, & deteſtatio peccati.

Et verò nonne Adverſarii affirmant, velle vindicare peccatum eſſe effectum ſecundarium Pœnitentiæ, primarium verò peccatum deteſtari? Quidni ergo apud ipſos ſint actus formaliter diſtincti? Quippe ejuſdem ad ſeipſum nullus eſt ordo.

20. *An poſſit dari actus meræ fugæ?*

Cæterùm occaſione hujus difficultatis diſputant hìc aliqui, an poſſit dari actus meræ fugæ, qui non ſit amor alicujus objecti. Nonnulli ſentiunt non dari talem actum; nam licèt aliqui eo modo explicentur, tamen reverà ſunt omnes actus proſecutionis, & per illos volumus aliquod objectum; ſiquidem qui odit dolorem capitis v. g. vult per illum actum carentiam illius doloris. *Sententia negativa probatur.*

& confirmatur exemplo intellectûs.

Confirmatur exemplo intellectûs, in quo non datur actus, qui non ſit cognitio; atque adeò ipſemet diſſenſus intellectualis, quem ſolemus explicare per modum fugæ, re tamen verâ eſt aſſenſus & affirmatio; nam dicere quòd Petrus non currit, eſt affirmare falſum eſſe Petrum currere: ſic ergo voluntas numquam operatur, niſi volendo; & per conſequens ſemper fertur ad aliquid ſive poſitivum, ſive negativum, quod ſit volitum per ipſum etiam actum odii & deteſtationis. *Lugo.* Ita refert Lugo de Pœnitentia diſp. 1. n. 9.

21. *Sententia affirmativa probatur experientiâ,*

Ipſe verò n. 11. veriùs exiſtimat dari in voluntate actus meræ fugæ, per quos nihil formaliter ametur, licèt fortè virtualiter & æquivalenter contineant amorem. Probat experientiâ (quam, niſi obſtet ratio aliqua multi ponderis, negare non debemus) experimur enim diverſo modo ſe habere voluntatem noſtram, quando habemus odio, ac quando amamus: amor enim ſuavis eſt, & dulcis, odium è contra aſperum & rigidum; non ergo amamus quando odio habemus. Alioquin omnis amor erit formaliter odium, & è contra, adeòque non magìs amor, quàm odium, quod eſt abſonum.

& exemplo intellectûs.

Idem docet Cardinalis de actibus intellectûs; aliàs enim propoſitio malè diſtingueretur in affirmativam & negativam: cùm omnis propoſitio eſſet formaliter & affirmatio & negatio. Aliud ergo eſt dicere: *Tenebræ ſunt*, & aliud: *Non eſt lux*: nam prior propoſitio affirmat formaliter tenebrarum exiſtentiam; poſterior autem formaliter negat exiſtentiam lucis: qui actus eſt receſſus ab objecto propter ejus falſitatem, ſicut prior actus, qui dicitur aſſenſus, eſt acceſſus ad objectum propter ejus veritatem.

Sicuti alius eſt actus voluntatis, quo dicit: *Volo non eſſe tenebras*, & alius quo dicit: *Nolo eſſe tenebras*; nam per primum amat negationem tenebrarum, per ſecundum autem nihil formaliter amat, ſed odit tenebras. Quando ergo ille, qui aliquid negat, dicitur aliquid aſſerere, tunc aſſerere idem eſt quod judicare, ſive affirmando, ſive negando; atque eâdem ratione poteſt dici aliquid velle, qui habet

actum

Digitized by Google

actum meræ fugæ, prout nimirum volitio ſignificat quemcumque actum voluntatis.

22. An negatio ſit objectum in diſſenſu?

Sed contrà, hæc propoſitio: *Homo non eſt lapis*, affirmat negationem; ergo omnis propoſitio negativa debet ſimul eſſe affirmativa. Probatur Antecedens; quia ſicuti omnis propoſitio affirmativa neceſſariò debet habere pro objecto identitatem prædicati cum ſubjecto; nam noſcere uno actu animal & rationale, abſque identitate illorum inter ſe, non eſt affirmare illa eſſe idem: ita quoque propoſitio negativa pro objecto habere debet negationem identitatis; atqui eam negationem non negat eo caſu, ſed potiùs affirmat: ergo &c.

Sententia Lugonis.

Reſpondeo cum Lugone ſuprà n. 14. ſi ſermo ſit de propoſitione vocali, indubiè illæ voces: *Homo non eſt lapis*, ſignificant me habere actum, quo ego nego hominem eſſe lapidem; adeoque ſignificant, ſive affirmant negationem, ſi non objectivam, ſaltem formalem, quæ eſt diſſenſus ſeu fuga intellectualis. Sin autem loquamur de propoſitione mentali, quâ in mente dico: *Homo non eſt lapis*, illa non habet pro objecto directo negationem, ſed ipſemet actus eſt negatio intellectualis ſeu diſſenſus negans ſuum objectum, v. g. hominem eſſe lapidem.

23. Quod ſit objectum hujus propoſitionis mentalis: *Homo non eſt lapis*.

Rogas, quod ergo ſit objectum ipſius? Reſpondeo, homo & lapis, & identitas utriuſque, quam repræſentat & ſignificat, non affirmando, ſed negando illam, in quo nullum eſt inconveniens, quòd totum objectum, quod directè attingitur ab actu, & quod dicitur negando, ſit falſum, & actus ſit verus; immo ideo actus eſt verus, quia totum, quod ſignificat negando, eſt falſum. Sicut fuga peccati in voluntate eſt actus bonus; quia totum ejus objectum eſt malum: nam bonitas fugæ deſumitur à malitia objecti; ſic etiam veritas diſſenſûs deſumitur à falſitate objecti, quod directè dicitur ſeu ſignificatur per ipſum; quia dicere negando, non eſt amplecti, ſed reſpuere objectum.

Dico ſignanter, *Quod directè dicitur*; nam alia eſt quæſtio, an, ſicuti poteſt dari actus fugæ vel odii in voluntate, qui pro ultimo objecto habeat malum quà tale ſinè ullo reſpectu ad aliquod bonum prævio aut concomitante, an, inquam, ſimili ratione poſſit dari diſſenſus in intellectu, quo ſic directè fugiat aliquod objectum falſum, ut nullus adſit formalis aſſenſus objecti indirecti, propter quod neget objectum directum.

24. Regulariter voluntas in odio mali movetur à bono.

Circa hanc difficultatem docet Eminentiſſimus ſuprà n. 16. quòd regulariter & ferè ſemper voluntas in ipſo odio mali moveatur à bono, & reſpiciat bonum, atque ideo indirectè & in obliquo ille ſit amor boni oppoſiti, aliquando tamen poſſit ipſum malum ſecundùm ſe, & propter ſe odio haberi; nam ſicut ad amandum & quærendum movet bonum quà tale, ita ad rejiciendum & fugiendum videtur ſufficienter movere malum, quà malum eſt.

Poteſt ſubinde elicere odium mali abſque prævio amore boni.

Præterea exiſtimat, quòd licèt regulariter loquendo ſemper aut ferè ſemper odium procedat ex aliquo amore, ſive circa bonum oppoſitum, ſive circa perſonam propriam vel alienam, cujus malum averſamur, equidem fieri poſſe quòd voluntas nullo præſuppoſito amore formali, eliceat odium mali: nam ſicut poteſt placere humilitas ſecundùm ſe, & in abſtracto propter decentiam ſuam, ità poteſt diſplicere ſuperbia etiam in abſtracto propter ſuam indecentiam, licèt neque ametur ſubjectum ſuperbiæ, neque etiam ametur formaliter humilitas, ſed ſolùm virtualiter & æquivalenter.

25. Non eſt eàdem ratio intellectûs ſecundùm Lugonem.

Sed numquid quæ voluntatis, eadem eſt ratio intellectûs? Negat Lugo ſuprà n. 19. nam licèt intellectus in hac v. g. propoſitione: *Homo non eſt lapis*, neget identitatem hominis cum lapide, quia falſa eſt; non tamen negat ejus falſitatem, ſed potiùs videtur ei conſentire: ideo enim negat objectum, quia exiſtimat illud falſum; porrò voluntas fugit malum propter ejus malitiam, & multò magìs ipſam malitiam.

Differentia provenit ex diverſo modo operandi.

Ratio hujus differentiæ à priori provenit ex diverſo modo operandi utriuſque potentiæ: voluntati ſiquidem proponitur objectum per intellectum, qui proponit malitiam & illam approbat ut veram malitiam, & ideo non eſt neceſſe, ut à voluntate approbetur: at verò intellectus debet ſibi ipſi proponere objectum & approbare: debet ergo intellectus falſitatem ſibi ipſi proponere, & approbare ut veram falſitatem; propter enim illam approbationem ſive aſſenſum fugit objectum falſum propoſitum.

26. Odium unius objecti eſt virtualiter amor objecti oppoſiti.

Itaque nequit intellectus directè fugere aliquod objectum falſum, niſi adſit formalis aſſenſus objecti indirecti, propter quod negat objectum directum, quod non ſemper habet locum in voluntate, licèt alioquin odium unius objecti ſit virtualiter amor objecti oppoſiti; nam experientia docet, eum qui ſæpiùs elicuit odium v. g. doloris, nullam aut certè exiguam ſentire difficultatem ad amandam carentiam doloris, & è contra.

Ratio à priori.

Ratio à priori eſt; quia inter extrema contradictoriè oppoſita, acceſſus ad unum eſt receſſus ab altero, & è converſo. Idem ergo erit recedere ab honeſtate v. g. caſtitatis per odium ejus, atque accedere ad negationem caſtitatis, & è contra accedere per amorem ad inhoneſtatem luxuriæ, ac recedere ab honeſtate caſtitatis, quam luxuria negat. Licèt itaque illi duo actus differant in modo tendendi ad objectum, puta per modum acceſſûs vel receſſûs, ſive quia unus tendit proſequendo, alter fugiendo, re tamen ipſâ quoad effectum & affectum non videntur differre.

Quæ

Digitized by Google

27. *Actus meræ fugæ in voluntate poteſt eſſe honeſtus.*

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò actum meræ fugæ in voluntate poſſe eſſe honeſtum; bonitas namque actus deſumitur ab objecto in ſolis actibus proſecutionis, ut ſuperiùs dixi de virtute Pœnitentiæ; actus autem fugæ eò ſunt meliores, quò objectum eſt pejus: ſicut enim laudabile eſt amplecti bonum, ſic pariter laudabile eſt fugere malum. Deinde illa fuga, ut mox oſtendimus, æquivalenter eſt proſecutio boni, & ideo participat honeſtatem ejuſdem virtutis, etiam theologicæ, v. g. odium carentiæ Dei (quod virtualiter eſt amor exiſtentiæ Dei) honeſtatem virtutis charitatis.

An contritio ſit talis fuga?

Rogas, an contritio, quæ procedit ex habitu charitatis, ſit talis fuga? Reſpondent aliqui negativè; ſed ſimul, inquiunt, eſt proſecutio & amor bonitatis divinæ, ob quam movemur ad odium & deteſtationem peccati: ideo enim nolo peccatum Deo potiùs quàm alteri, quia illum potiùs amo, quàm alterum; alioquin quomodo illa nolitio procederet ex charitate ſive amicitia, ſi bonitas amici non eſſet objectum ejus, vel ſaltem partiale? Sic illi; bene an malè, hìc non dijudico. Sufficit pro nunc quòd, ut verum eſſet, nil obſtaret jam dictis, ut patet.

28. *Vindicta & deteſtatio peccati ſunt actus formaliter diſtincti.*

Manet itaque, quod primò diximus, vindictam & deteſtationem peccati, quamvis ſimul conjungantur in eodem, imò poſſint procedere ab eadem virtute ſaltem imperativè, equidem eſſe actus formaliter diſtinctos; nam unus eſt actus proſecutionis, volitio ſcilicet pœnæ, alter verò actus fugæ, puta nolitio peccati.

Ex his facilè erit diſcernere qualis virtus ſit Pœnitentia ſpecialis, appetitiva, an intellectualis; moralis, an theologica; acquiſita, an infuſa. Dico breviter:

CONCLUSIO II.

Pœnitentia ſpecialis eſt virtus appetitiva, non intellectualis; moralis, non theologica; acquiſita, non infuſa.

29. *Prima pars Concl. probatur ex Scoto.*

PRimam partem diſertis verbis docet Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 5. *Vlteriùs*, inquit, *in ſpeciali ſit hæc Concluſio: Pœnitere non eſt actus alicuius virtutis intellectualis. Patet ſtatim: quia eſt actus appetitus, ut appetitus; quia imperare intellectui, ut conſideret, & voluntati, ut deteſtetur. . . . . . non convenit, niſi appetitui vel voluntati: neque enim aliqua vis ſenſitiva poteſt imperare intellectui & voluntati, & coniungere eos in actibus ſuis: neque intellectus ſibi & voluntati; ſed ſola voluntas ſibi & intellectui, iuxta illud Auguſtini de Trinitate:* Voluntas copulat parentem cum prole. *Hoc quantum ad intellectum: quantùm ad voluntatem, voluntas imperat ſibi.*

Sola voluntas ſibi & intellectui imperat.

Et n. 9. ſic ait: *Alia Concluſio eſt iſta, quòd ille actus eſt actus voluntatis, cuius eſt imperare intellectui & voluntati; & hoc imperio pertinente ad iraſcibilem, & potentiam aliquam habentem in ſe aliquid ſimile virtuti iraſcibili, ſicùt etiam iraſcibilis in ſenſitiva ſuo modo vindicat, ita & illa potentia, quæ imperat vindictam in parte intellectiva, habet quoddam ſimile iraſcibili; nunc autem non convenit in parte intellectiva hoc imperare niſi voluntati.* Hæc Doctor Subtilis. Ex quibus palam fit quàm falsò Derkennis Tract. de Deo uno & Trino diſp. 12. de Providentia divina c. 1. n. 5. Scoto adſcribat imperium intellectûs, cùm hìc expreſſiſſimè illud neget.

Alia probatio ex eodem Doctore.

Aliter probat Doctor ſuam Concluſionem: *Quia*, inquit, *virtus intellectualis dicit verum eſſe, vel non verum eſſe, ſive in ſpeculandis, ſive in agendis; hæc autem* (ſcilicet Pœnitentia) *inclinat ad ſic agendum, non autem ad dictandum ſic eſſe agendum. Eſt ergo actus non virtutis intellectualis, ſed appetitiva.* Nec video quid efficaciter poſſit opponi.

Secunda pars Concl. probatur ex Scoto.

Unde tranſeo ad ſecundam partem Concluſionis, quam invenio apud Scotum ſuprà n. 9. ibi: *Ex hoc poſſet eſſe dubium de habitudine iſtius virtutis ad charitatem: ex quo enim iſta* (Pœnitentia) *per actum ſuum imperat actum charitatis, videtur eſſe ſuperior charitate. Sed oppoſitum eſt manifeſtum; quia obiectum per ſe charitatis eſt Deus, ſub ratione obiectiva nobiliſſima: proprium autem obiectum iſtius eſt malum vindicabile, ſeu reus, in quem eſt vindicandum. Et ex hoc patet, quòd Pœnitentia non tantùm non eſt virtus theologica, ut prius argutum eſt; ſed nec virtus ſimpliciter nobiliſſima inter illas, quæ ſunt circa obiectum creatum.* Et infrà n. 20. ſic ait: *Ad ultimum dico, quòd non eſt virtus theologica: imò circa obiectum creatum.* 30.

Virtus Theologica pro objecto immediato habet Deum.

Probatur ergo ſecunda pars Concluſionis: quia virtus theologica pro objecto immediato debet habere Deum; atqui Pœnitentia ut eſt virtus ſpecialis inclinans voluntatem ad vindicandum peccatum à ſe commiſſum, non habet pro objecto immediato Deum: ergo non eſt virtus theologica. Major patet, quoniam fides per actum ſuum vitalem vitaliter credit & Deo, & ipſum Deum ſecundùm ſe. Spes per actum ſuum ſperat, non aliquid Deo, ſed ipſum Deum tamquam bonum ſperantis. Charitas porrò per actum proximum amat ipſum Deum ſecundùm ſe.

Prima objectio ſolvitur.

Nec obſtat primò, quòd charitas etiam cætera omnia bona amet ipſi Deo, quia illa tantùm ſunt objecta ſecundaria & mediata; ideo ſiquidem opto Deo illa bona, quia ipſum ſecundùm ſe diligo, & quia ipſi bona ſunt, quem formaliter amo per illum actum. 31.

Item ſecunda.

Non obſtat ſecundò, quòd nullatenus ſpere-

Digitized by Google

ſperemus Deum, niſi ſimul ſperando viſionem & fruitionem tamquam poſſeſſionem illius boni; non, inquam, obſtat: neque enim idcirco ſpes attingit Deum mediante viſione, ſed utrumque immediatè; Deum quidem ut bonum poſſeſſum, & tamquam objectum quod, viſionem autem & fruitionem tamquam medium, quo tantum bonum poſſidetur, adeòque tamquam objectum quò; atque hæc duo componunt unum finem, ſive unum completum & primarium ac immediatum objectum noſtri deſiderii. Plura de hac re in Tractatu de Virtutibus theologicis. Hæc ſufficiant impræſentiarùm ad probationem Majoris.

32. *Pœnitentia non habet pro objecto immediato Deum.* Quantùm ad Minorem, quid illâ clarius? Nam juſtitia vindicativa pro objecto formali habet correſpondentiam pœnæ ad culpam; pro materiali autem ipſam pœnam & culpam. Quomodo ergo Pœnitentia ſpecialis, quæ, ſecundùm Scotum, ut ſuo loco videbimus, eſt juſtitia punitiva ſeu vindicativa, haberet pro objecto immediato Deum?

Objectio. Quia, reſpondet aliquis, vult Deo ſatisfacere pro injuria illata, ſive pro peccato commiſſo, ſicuti charitas vult Deo bona extrinſeca.

Solvitur. Sed contrà: charitas vult Deo bona extrinſeca, ut ſtatim diximus; quia ipſi bona ſunt, quem formaliter amat per illum actum, adeòque habet Deum non tantùm pro objecto cui, ſed etiam pro objecto quod; at verò Pœnitentia vult ſatisfacere Deo, vel vindicare peccatum, non quia bona ſit Deo ſatisfactio, vel punitio, tamquam propter motivum ultimum; ſed quoniam ſatisfacere Deo & punire peccatum, bonum eſt & honeſtum ipſi ſatisfacienti; ac proinde ſatisfaciens vel puniens ſeipſum habet pro objecto formali cui & ultimo, minimè Deum, quem illo actu non amat; ſed amat ſatisfacere Deo, quod totum eſt aliquid creatum: ſicut obedientia vult obedire Deo, & religio colere Deum, quæ tamen propterea non ſunt virtutes theologicæ, eò quòd proximè non verſentur circa Deum, ſed obedientia circa rem præceptam, religio verò circa cultum divinum, quæ ſunt entia creata.

33. *Ratio objectiva actûs & habitûs theologici ex Scoto.* Appoſitè Doctor Subtilis 3. diſt. 27. q. 1. n. 7. *Præciſa*, inquit, *ratio hujus eſſentiæ* (intelligit divinam) *eſt ratio formalis terminandi omnem actum, & habitum theologicum; & hoc in quacumque natura intellectuali ...... Quòd probatur breviter ex hoc; quia potentia reſpiciens aliquod obiectum commune, ſive in ratione motivi, ſive in ratione termini, non poteſt perfectiſſimè quietari, niſi in eo ſolo, in quo eſt perfectiſſima ratio obiecti adæquati: omnis autem potentia intellectiva & volitiva reſpicit pro obiecto adæquato terminante totum ens: igitur in nulla natura, ſive creata ſive increata, poteſt perfectè quietari, niſi in illa in qua eſt perfecta ratio entitatis: tale autem eſt ſolùm ens primum, non ſub ratione aliqua relativa, ſed ſub ratione, quâ eſt hoc ens: ergo &c.*

Et eodem libro diſt. 26. q. 1. n. 15. ſic ait: *Reſpondeo, tres conditiones ponuntur pertinere ad virtutem theologicam. Prima eſt reſpicere Deum pro primo obiecto. Secunda habere pro regula primam regulam humanorum actuum, non autem regulam acquiſitam. Tertia immediatè infundi à Deo, ſicut à cauſa efficiente.* Conſtat autem ex dictis Pœnitentiam ſpecialem non reſpicere Deum pro primo objecto, ſed ad ſummum pro objecto ſecundario.

Dices: Pœnitentia vult placare Deum; atqui illa placatio eſt quid increatum, puta, actus divinæ voluntatis acceptantis obſequia noſtra, & condonantis offenſas: ergo &c. 34. *Objectio.*

Reſpondeo; Pœnitentia non intendit placationem Dei in actu ſecundo, ut ſic loquar, quæ ſola eſt quid divinum & increatum, ſed dumtaxat in actu primo, id eſt, vult exhibere opera apta ad placandum Deum & obtinendam remiſſionem peccatorum; quæ utique exhibitio operum in ſe eſt bona & honeſta, eſtò de facto nulla ſequeretur condonatio peccatorum. *Solvitur.*

Sed contrà: illa obſequia non ſunt apta ad placandum Deum niſi prout nota Deo; non eſt autem minùs increatus actus ſcientiæ, quàm actus voluntatis Dei: ergo &c. 35. *Ad instantiam.*

Reſpondeo negando Majorem; neque enim illa aptitudo oritur ex ſcientia Dei, ſed ex voluntate, quâ requiſivit ad remiſſionem peccatorum talia aut talia opera; eo ipſo namque quo hujuſmodi opera ponuntur, homo dignus efficitur remiſſione peccatorum, eſtò per impoſſibile Deus nondum illa cognoſceret; imò in actu ſecundo poſſet accipere remiſſionem peccatorum, ut patet in judice humano, qui ex nunc poteſt condonare peccatum, pro illo tempore, quo reus ponet talem vel talem actum, eſtò ipſe judex nullatenus eum cognoſcat. *Reſpondetur.*

Planè, inquis, ſed quid tum? Nam perinde eſt ad difficultatem propoſitam ſive illa aptitudo oriatur ex voluntate, ſive ex intellectu divino, ſemper enim verum manet, quòd objectum Pœnitentiæ, ſaltem partiale, ſit aliquid divinum ſeu increatum; ſiquidem non vult Pœnitentia illa obſequia exhibere, niſi prout à Deo ordinata ſunt ad condonationem ſive placationem Dei, aut ad remiſſionem peccatorum ſive ſatisfactionem. 36. *Alia inſtantia.*

Reſpondeo, eo modo Pœnitentiam reſpicere voluntatem Dei, & conſequenter ſcientiam, quo modo voluntatem Dei & ſcientiam reſpicit obedientia; ſicut enim illa vult exhibere hoc vel illud opus, quia à Deo præceptum, ita quoque Pœnitentia vult hoc vel illud opus exhibere, quia à Deo ordinatum ad remiſſionem peccatorum; & ſicut propterea obedien- *Solvitur.*

obedientia non eſt, aut dicitur virtus theologica, ita neque Pœnitentia.

37. *Actus voluntatis divinæ non eſt pars intrinſeca formalis objecti Pœnitentiæ.*

Igitur actus voluntatis divinæ præcipientis aut ordinantis non eſt pars intrinſeca formalis objecti obedientiæ vel Pœnitentiæ, ſed tantùm forma extrinſeca ſeu cauſa efficiens talem actum verum, & reale objectum illarum virtutum: niſi enim Deus præcepiſſet amorem ſui, obedientia ipſum non exhiberet; & niſi Deus ordinaſſet contritionem vel attritionem medium ab obtinendam remiſſionem peccatorum, ad ſatisfaciendum ſive vindicandum peccatum commiſſum, talis actus non eſſet objectum Pœnitentiæ, neque peccator talem actum Deo exhiberet ad remiſſionem peccatorum impetrandam.

Quamvìs autem hujuſmodi actus poſſit verſari immediatè circa Deum, ut patet, quando eſt actus charitatis, equidem hoc non ſufficit, ut Pœnitentia dicatur virtus theologica; quia hæc denominatio deſumitur ab objecto actûs primarii, ſive ab objecto primo; hic autem actus non eſt primarius ſive elicitus, ſed tantùm imperatus.

Primarius actus Pœnitentiæ eſt punire peccatum.

Quæris quis ſit ergo actus primarius? Reſpondeo, volo ſatisfacere Deo & punire peccatum per actum v. g. amoris; id eſt, volo amare Deum ad ſatisfaciendum Deo pro peccato commiſſo: planum autem eſt talem actum pro objecto primo non habere Deum, ſed ad ſummum amorem Dei, quem conſtat eſſe aliquid creatum.

38. *Reſponſio Arriagæ, honeſtum fore agere Pœnitentiam, licèt Deus peccata nollet condonare.*

Aliter reſpondet Arriaga dicens: Si Deus noluiſſet homini condonare peccatum de facto, eò quòd homo non poteſt dare ſatisfactionem ſufficientem, non tamen propterea hominem non fore obligatum eo caſu agere Pœnitentiam de ſuis peccatis, ſi auxilia ad eam efficiendam haberet; nam licèt exire non poſſet ex peccato, eſſet tamen in hoc valde laudabilis, quòd ſuâ Pœnitentiâ oſtenderet ſe malè feciſſe, ac dolere de illo, & ex parte ſua reſipiſcere, & conari in Dei gratiam ſeu amicitiam redire, ac quantùm eſt ex ſe, licèt ad æqualitatem non poſſit, offerre Deo quidquid habet.

Quòd de facto facilius inducamur ad pœnitentiam, oritur à Spe.

Totam ergo honeſtatem, quæ eo caſu amari poſſet, amat nunc per virtutem Pœnitentiæ, & nihil amplius; quòd enim nunc ſit ſpes veniæ obtinendæ, ideoque homo facilius indè inducatur ad Pœnitentiam faciendam, provenit à virtute Spei, quæ per ſe loquendo per accidens ſe habet ad Pœnitentiam. Ita ille Tract. de Pœnitentia diſp. 2. n. 76.

39. *Objectio.*

Verùm, dicet aliquis, ſi Pœnitentia quantùm eſt in ſe vult redire in Dei gratiam ſeu amicitiam; ergo Deus tenet ſe ex parte objecti formalis: ergo non evaditur hâc viâ difficultas.

Solvitur.

Reſpondeo diſtinguendo primum Conſequens: Deus tenet ſe ex parte objecti formalis tamquam pars ejus, nego Conſequentiam; tamquam terminus, concedo totum: neque enim omne quod reſpicitur ab actu amoris, eſt objectum volitum vel amatum; nam qui vult librum Petri, reſpicit quidem Petrum per illum actum, non tamen vult vel amat Petrum, ſed reſpicit illum ut terminum ſeu dominum libri: ergo conſimiliter; qui vult pacem cum Deo, ſive amicitiam Dei, reſpicit quidem Deum per illum actum, non tamen vult vel amat Deum, ſed reſpicit illum ut terminum amicitiæ, ſeu pacis, quæ eſt objectum formale juxta ſententiam Lugonis de Pœnitentia diſp. 2. n. 51. de qua infrà.

Non omne quod reſpicitur ab actu amoris eſt objectum amatum.

Lugo.

40. *Infinita perfectio condonationis non reſpicitur formaliter à Pœnitentia.*

Et ſi dixeris, condonatio Dei includitur in bono pacis: reſpondet hic Auctor n. 63, non includi prout requiritur ad reddendam virtutem theologicam; includitur enim modo quodam nimis imperfecto; tum quia non includitur determinatè, ſed disjunctim: nam bonum pacis cum Deo eſt, quod vel non ſit peccatum, vel ſit condignè ſatisfactum pro illo, vel Deus condonaverit: tum quia licèt condonatio Dei ſit aliquid increatum, à Pœnitentia tamen non reſpicitur propter ſuam perfectionem infinitam & divinam, ſed ſolùm ut impedit titulum indignationis Dei, id eſt, ut aufert peccatum; quod quidem, ſi poni poſſet per aliquid creatum, Pœnitentia parùm curaret: non ergo reſpicitur illa increata & infinita perfectio condonationis formaliter à Pœnitentia, prout deberet reſpici ad hoc ut eſſet virtus formaliter theologica.

Amicitia Dei eſt finis extrinſecus.

Quidquid ſit de hac doctrina Lugonis, quam infrà examinabimus, juxta principia noſtra facillima eſt reſponſio ad principalem difficultatem; videlicet Pœnitentiam ordinare ad amicitiam Dei ex fine extrinſeco; intrinſecè autem & ex objecto reſpicere ſatisfactionem legis per pœnam.

41. *Sola virtus theologica eſt ſupernaturalis in ſubſtantia.*

Ex dictis hactenus circa ſecundam partem Concluſionis facilè probari poteſt tertia pars Concluſionis, nam ſecundùm Doctorem Subtilem ſola virtus theologica eſt ſupernaturalis in ſubſtantia ſive per ſe infuſa: ſic enim ait 3. diſt. 36. qu. unicâ nu. 28. *Licèt de iſtis virtutibus moralibus infuſis multa dicantur, ſcilicet quòd videntur neceſſariæ propter modum, medium, & finem: quia tamen omnis finis, quem non poſſunt habere ex ſpecie ſua, determinatur ſufficienter ex inclinatione charitatis: modus autem & medium determinantur per fidem infuſam: ideo non videtur neceſſitas ponendi virtutes morales infuſas, ſed acquiſitas tantùm in his, qui habent eas acquiſitas, vel habere poſſunt: nec etiam in aliis, qui ſcilicet non poſſunt eas acquirere propter*

Probatur ex Scoto.

Digitized by Google

propter defectum uſûs liberi arbitrii ; quia non eſt maior ratio , quare iſti debeant habere , & non illi.

Ex quibus verbis deducitur manifeſta ratio hujus ſententiæ, puta; non ſunt multiplicanda entia ſinè neceſſitate, neque ponenda virtus per ſe infuſa ſinè evidenti fundamento, vel rationis, vel auctoritatis, vel experientiæ. Tale autem fundamentum ſive principium ubi invenitur ? Certè neque experientia , neque ratio naturalis ſatis probant infuſionem habituum Theologicorum.

42. Ratione naturali non poteſt probari habitus infuſus Fidei. *Scotus*

Unde Scotus 3. diſt. 23. q. 1. n. 14. ſic reſolvit : *Ad quæſtionem tamen dico, quòd oportet ponere fidem infuſam propter auctoritatem Scripturæ & Sanctorum; ſed non poteſt demonſtrari fidem infuſam ineſſe alicui, niſi præſuppoſitâ fide, quòd velut credere Scripturæ & Sanctis; ſed infideli numquam oſtenderetur: ſed ſicut credo Deum eſſe trinum & unum, ita credo me habere fidem infuſam, quâ hoc credo, & hoc à Deo, ut perficiat animum in actu primo : quia Dei eſt perfectè perficere, quando perficit.*

neque Spei. *Scotus.*

Similiter loquitur de virtute Spei eodem libro diſt. 26. q. 1. n. 16. ibi : *Cùm enim ſuprema portio rationis immediatè ſubdatur Deo, non perficitur perfectiſſimè ab aliquo creato, ſed immediatè à Deo perficiente : habitus autem, qui natus eſt eſſe circa Deum immediatè, ut circa obiectum, & inniti ſibi, & primæ regulæ, immediatè natus eſt perficere ſupremam portionem : igitur licèt aliquis habitus acquiſitus poſſit haberi, non tamen perfectiſſimus, & per conſequens, ſicut dictum eſt ſuprà de fide, quòd eſt aliqua acquiſita, & cum hoc etiam neceſſariò requiritur infuſa, licèt neceſſitas illius infuſæ non poſſit probari per rationem naturalem, eo modo dicendum eſt in propoſito de Spe.*

immo neque Charitatis; *Scotus.*

Immo etiam de Charitate ; ut docet 3. diſt. 27. q. 1. n. 19. hiſce verbis : *Quantùm autem ad hanc conditionem habitûs, ſcilicet quòd ipſe ſit infuſus; dico ſicut priùs dictum eſt de Fide & Spe, quòd non poteſt probari per rationem naturalem eſſe tales habitus infuſos, ſed ſolùm fide tenetur, & congruitas bona apparet; quia quantùm ad actus circa Deum immediatè, probabile eſt, quòd non poſſit perfectiſſimè perfici ſuprema portio, niſi immediatè à Deo.*

43. multò minùs virtutum moralium.

Quæ ſanè congruitas non obtinet locum in Pœnitentiâ, aliiſque virtutibus moralibus, utpote quæ non verſantur circa Deum immediatè: ergò ſi per rationem naturalem non probatur dari virtutes theologicas per ſe infuſas, multò minùs dari virtutes morales per ſe infuſas ; & per conſequens ſicut non poſſumus cognoſcere ex aliqua conditione actuum noſtrorum, quam experimur, nos habere virtutes theologicas per ſe infuſas; multò minùs nos habere virtutes morales per ſe infuſas.

Virtus ſupernaturalis non poteſt probari ex aliquo actu.

Poſſet dici generaliter (inquit Doctor Subtilis 4. diſt. 4. qu. 2. nu. 4.) *quòd nulla virtus ſupernaturalis poteſt probari ineſſe, neque ex actu aliquo, neque ex aliqua conditione alicuius actûs: ſed nec fortè in univerſali poteſt probari per rationem naturalem aliquam virtutem ſupernaturalem ineſſe.* Pro quo

44. Actus naturalis & ſupernaturalis poſſunt habere idem objectum.

Suppono actum ſupernaturalem non neceſſariò diſtingui ab actu naturali per objectum materiale aut formale. Licèt enim actus ſpecificentur ab objectis, non tamen tamquam à ſpecificativo adæquato, ſpecificantur enim etiam in ordine ad principia.

Actus poſſunt ſpecie diſtingui in ordine ad principia.

Enimverò per hoc quòd unus actus petat fieri à principio ſupernaturali, habet aliquod prædicatum intrinſecum & eſſentiale diſtinctum ab alio actu, qui non petit fieri à tali principio ; illud autem eſt ſufficiens ad differentiam ſpecificam.

45. Probatio à ſimili.

Sicuti externa imago habet à ſuo prototypo quòd ſit imago hominis, leonis &c. & hâc ratione accipit ab eo ſpeciem : quòd tamen ſit tam perfecta, tam pulchra &c. habet à præſtantia pictoris, & pulchitudine ac perfectione colorum ; ex quo fit quòd aliquando imago canis ſit perfectior, quàm imago Regis.

Simili ergo modo intellectio, quæ eſt quaſi imago viva, vel pictura rei intellectæ, habet quidem ab objecto materiali & formali, quòd ſit intellectio talis aut talis rei, & ita accipit ab eo aliquam diverſitatem ſpecificam; attamen quòd ſit multùm aut parùm perfecta, habet à principio effectivo; alioquin ab oculo lyppo & acuto eadem viſio procederet circa idem objectum, quod falſum eſt. Itaque quò potentia vel principium perfectius eſt, eò & actus cæteris paribus perfectior, non tantùm accidentaliter, ſed etiam eſſentialiter, quando principium eſt eſſentialiter perfectius.

Et ita multi diſtinguunt in anima Chriſti ſcientiam infuſam & acquiſitam, licèt utraque terminaretur ad eadem objecta ; quia ſcilicet una oriebatur ex principiis naturæ, altera ex gratia.

46. Deo aliquid narranti poſſum credere Fide naturali.

Breviter ; nulla poteſt oſtendi repugnantia in eo, quòd actus naturalis habeat idem objectum cum actu ſupernaturali. Cur enim Deo aliquid narranti non potero credere fide naturali, ſicut credo homini aut Angelo? Numquid lumine naturæ cognoſcitur honeſtum eſſe & debitum credere Deo aliquid dicenti, quando adſunt ſufficientia motiva ? Planè. Cur ergo non poterit voluntas naturaliter imperare talem aſſenſum ? Quidquid enim voluntati naturaliter proponitur ut honeſtum, poteſt, quantùm eſt ex parte objecti, terminare aliquem naturalem amorem ipſius voluntatis.

& bonitatem ejus naturaliter ſperare & diligere.

Et hinc, quia bonitas divina in ſe, &, ut bona nobis, poteſt naturaliter proponi voluntati, ideo etiam poteſt terminare actum amoris naturalis, & ſpei naturalis.

Digitized by Google

47. Eſt ſententia Scoti.

Audiamus Doctorem Subtilem Quodl. 14. n. 7. *Deo*, inquit, *immediatè revelanti, poteſt quis credere credulitate acquiſitâ........ Et quandocumque ad idem inclinat fides infuſa & acquiſita, tunc neceſſariò acquiſita non ſubeſt falſum; non quòd hæc neceſſitas ſit ex ipſa fide acquiſita, ſed ex infuſa concurrente cum ipſo ad eundem actum.*

Similiter loquitur de virtute Spei 3. diſt. 26. q. 1. n. 15. ibi: *Si omnes tres* (conditiones) *requirantur ad virtutem theologicam, patet quòd Fides, & Charitas acquiſitæ non ſint virtutes theologicæ, nec ſpes acquiſita; quia deficiunt in tertia conditione* (ſcilicet immediatè infundi à Deo, ſicut à cauſa efficiente) *ſi prima ſufficiat, vel etiam prima cum ſecunda, ſic ſpes acquiſita poteſt poni virtus theologica; quia eſt circa Deum immediatè, ut circa objectum deſiderando ipſum, ut bonum ſperanti, & ſi non ſperet illud in ſe fore, tamen ſperat, id eſt, deſiderat illud ſibi & non aliud.* Igitur actus ſpei acquiſitæ ſecundùm Scotum non neceſſariò diſtinguitur per objectum materiale, aut formale, ab actu ſpei infuſæ.

Quantùm ad charitatem ſufficiat quod ait Doctor 3. diſt. 27. q. 1. n. 21. *Ad quartum dico, quòd non poteſt acquiri ex actibus aliquis habitus ejuſdem ſpeciei cum charitate, licèt poſſit acquiri aliqua amicitia tendens in Deum, ſub eadem ratione objecti, & etiam per actum ſimilem; quia ſuper omnia diligendo: quæcumque enim natura non poteſt eſſe ab aliquo efficiente ejuſdem ſpeciei cum efficiente alterius, non eſt ejuſdem ſpeciei cum illa alia, ſicut eſt in propoſito.*

48. Eadem virtus inclinat ad finem & ad media.

Suppono præterea, virtutem, quæ inclinat ad finem, etiam inclinare ad media, ſive ſit virtus naturalis, ſive ſupernaturalis; alioquin convincitur non efficaciter velle finem: adeòque per virtutes theologicas completè perficimur in ordine ſupernaturali, ſicut per virtutes naturales in ordine naturali. Et quamvìs darentur virtutes diſtinctæ circa media; equidem ſufficerent virtutes naturales, accedente imperio virtutum ſupernaturalium, ut in ordine ſupernaturali perficeremur.

49. An virtus ſupernaturalis debeat habere effectum ſupernaturalem.

Si dixeris: virtus ſupernaturalis in ſubſtantia debet habere effectum ſupernaturalem in ſubſtantia. Reſpondeo; aliquem effectum, concedo; omnem effectum, nego. Adde, ſi darentur virtutes morales infuſæ, illæ non forent effectus virtutum ſupernaturalium, quandoquidem omnes ſimul infunderentur; ad ſummum ergo dependerent in ſuis actibus à virtutibus theologicis.

Igitur quemadmodum externa datio eleëmoſynæ, quamvìs ſit naturalis in ſubſtantia, ut patet, eſt tamen effectus proportionatus charitati ſupernaturali, id eſt, poteſt imperari à virtute ſupernaturali charitatis, quidni ſimiliter poſſet imperari actus internus temperantiæ naturalis? Non eſt ulla ratio diſparitatis.

50. Ratio, qua aliqui probant infuſionem virtutum moralium.

His ſuppoſitis, corruit optima ratio, ut eam vocat Valquez 1. 2. diſput. 86. cap. 6. in principio, quâ Adverſarii conantur probare infuſionem virtutum moralium, & deſumitur ex Divo Thoma 1. 2. q. 63. art. 4. ubi aſſignat diverſam rationem honeſtatis, quæ moveat in eodem objecto, v. g. temperantiæ, aut juſtitiæ; ut ita circa eamdem materiam diverſæ virtutes morales aſſignentur, altera acquiſita, altera infuſa.

S. Thom.

Manifeſtum eſt (inquit Doctor Angelicus) *quòd alterius rationis eſt modus, qui imponitur in hujuſmodi concupiſcentiis ſecundùm regulam rationis humanæ, & ſecundùm regulam divinam; puta in ſumptione ciborum ratione humana modus ſtatuitur, ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum: ſecundùm autem regulam legis divinæ requiritur quod homo caſtiget corpus ſuum, & in ſervitutem redigat per abſtinentiam cibi & potûs, & aliorum hujuſmodi: unde manifeſtum eſt quòd temperantia infuſa & acquiſita differunt ſpecie; & eadem ratio eſt de aliis virtutibus.*

Alio modo habitus diſtinguuntur ſpecie ſecundùm ea ad quæ ordinantur. Non enim eſt eadem ſpecie ſanitas hominis & equi propter diverſas naturas ad quas ordinantur. Et eodem modo dicit Philoſophus in 3. Polit. quòd diverſæ ſint virtutes civium, ſecundùm quod bene ſe habent ad diverſas politias. Et per hunc etiam modum differunt ſpecie virtutes morales infuſæ, per quas homines bene ſe habent in ordine ad hoc, quòd ſint cives Sanctorum & domeſtici Dei: & aliæ virtutes acquiſitæ, ſecundùm quas homo bene ſe habet in ordine ad res humanas. Hactenus Divus Thomas.

51. Rejicitur.

Si inferas, ergo neceſſariò dantur virtutes morales per ſe infuſæ; Reſpondeo Neg. Conſeq. nam virtus naturalis & acquiſita (eadem vel diverſa perinde eſt ad præſentem difficultatem) poteſt tendere in utrumque illud motivum.

Enimverò ſi fides naturalis poſſit credere objectum ſupernaturale, ſpes acquiſita deſiderare objectum ſupernaturale, & charitas naturalis & acquiſita amare objectum ſupernaturale, quidni etiam temperantia naturalis & acquiſita poſſit velle abſtinere à cibo & potu, non tantùm quatenus id decet naturam rationalem, ſive (ut utar verbis Doctoris Angelici) *ut non noceat valetudini corporis nec impediat rationis actum*; ſed etiam quatenus conducit ad vitam æternam, ſive ut *homo caſtiget corpus ſuum & in ſervitutem redigat*? Non video quid obſtet.

52. Objectio.

Obſtat, inquis, quòd illa conducentia non cognoſcitur niſi per fidem ſupernaturalem: ergo non amatur niſi per actum ſupernaturalem. Probatur Conſequentia; quia actus voluntatis debet habere proportionem cum cognitione, & actus virtutum cum regula ſua.

& ejus confirmatio.

Confirmatur; quia voluntas non poteſt per actum ſupernaturalem tendere in objectum

ſolùm

Digitized by Google

ſolùm cognitum naturaliter: ergo conſimiliter voluntas non poteſt per actum naturalem tendere in objectum cognitum ſupernaturaliter.

53. *Prima reſponſio ad objectionem.*

Reſpondeo primò negando Antecedens; quia per fidem acquiſitam cognoſcunt hoc hæretici, immo & Catholici, cùm, ut dictum eſt, circa idem objectum poſſit verſari fides naturalis & ſupernaturalis.

Secunda reſponſio.

Reſpondeo ſecundò negando Conſequentiam: cur etenim ſicut voluntas mota à cognitione ſupernaturali poteſt imperare actus potentiæ viſivæ, aut appetitivæ ſenſitivæ; cur, inquam, eâdem ratione non poterit imperare proprios actus naturales? Imperet ergo, cur non eliciet?

54. *Prima reſponſio ad confirmationem.*

Ad confirmationem dico primò diſparitatem eſſe, quòd cognitio ſupernaturalis ſit perfectior naturali, adeoque totum poſſit, quod naturalis; non tamen è contra.

Secunda reſponſio, amorem ſupernaturalem non prærequirere cognitionem ſupernaturalem.

Reſpondet ſecundò quidam Auctor ſibi non conſtare, quin voluntas affecta charitate ſupernaturali, poſſet amare Deum ſupernaturaliter, quacumque cognitione propoſitum. Movetur ad hoc, tum quia aliàs qui cognoſceret Deum ſcientificè à poſteriori ſecundùm perfectiones ſuas abſolutas infinitæ ſapientiæ, bonitatis &c. non poſſet ipſum amare ſupernaturaliter ut ſic, præſertim in communiori ſententia, negante fidem cum ſcientia poſſe compati, quod videtur valde abſurdum; tum etiam quia ſequeretur, quòd qui cognoſceret aliquem per fidem humanam eſſe bonum, non poſſet ipſum amare tali amore in ſpecie, quali amaret, ſi cognoſceret ipſum experientiâ, aut ſcientificè eſſe talem; & ſic darentur plures virtutes acquiſitæ tendentes in idem objectum, v. g. una temperantia acquiſita correſpondens fidei acquiſitæ, altera correſpondens ſcientiæ, quod videtur ridiculum. Ita Hiquæus.

Hiquæus.

Confirmat exemplo juſti, qui ex charitate dat eleëmoſynam pauperi ficto, ille enim actus eſt meritorius & ſupernaturalis, eſtò cognitio præcedens, cùm ſit erronea, non ſit ſupernaturalis.

55. *Rejicitur ab Auctore.*

Sed ut à confirmatione incipiam; Reſpondeo pro communi ſententia, quòd in tali caſu actum ſupernaturalem charitatis præcedat cognitio ſupernaturalis, quâ per fidem judico honeſtum eſſe pauperi, hìc & nunc apparenti, dare eleëmoſynam.

Ad primum actum charitatis juſtificativum prærequiritur actus fidei ſupernaturalis.

Ad primum, nego illud eſſe abſurdum, præſertim cùm omnes fateri debeant, & Auctor ille expreſsè fateatur ad primum actum charitatis juſtificativum peccatoris prærequiri actum fidei ſupernaturalem, ne alioquin falſum ſit quod ait Apoſtolus Heb. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

Accedit, quòd ille qui cognoſcit Deum ſcientificè, tametſi non poſſit ſupernaturaliter amare Deum, ſtante illâ ſcientiâ, equidem relicto actu ſcientifico, poſſit elicere actum fidei ſupernaturalis, & ſic Deum ſupernaturaliter amare. Itaque non magìs abſurdum eſt, quòd ille qui cognoſcit Deum ſcientificè, non poſſit ſtante illâ ſcientiâ Deum ſupernaturaliter amare, quàm quòd non poſſit Deum ſupernaturaliter credere.

Ad ſecundum dico, communem ſententiam minimè affirmare, quòd cognitio ſupernaturalis requirat actum voluntatis ſupernaturalem, ſive voluntatem ſpecie diſtinctam ab illa, quam requirit cognitio naturalis; ſed quòd actus ſupernaturalis voluntatis prærequirat ſupernaturalem cognitionem, quæ ſunt valde diſtincta, ut patet rem penitiùs introſpicienti. Nam quòd actus aliquis voluntatis ſit naturalis vel ſupernaturalis, non provenit à ſola cognitione objecti, ſed magìs ab ipſo objecto cognito, & commenſuratione actûs cum illo objecto, nec non causâ efficiente, quæ eſt habitus immediatè à ſolo Deo infuſus, aut aliquid ſupplens vicem habitûs. 56. *Cognitio ſupernaturalis non requirit voluntatem ſupernaturalem.*

Quare volitio ſupernaturalis prærequirat cognitionem ſupernaturalem.

Requiritur ergo cognitio ſupernaturalis, non præcisè ut det ſpeciem actui voluntatis ſed ut ſit talis proportio inter actus ſecundos, qualis eſt inter actus primos, ut ſicuti habitus ſupernaturalis charitatis præſupponit habitum ſupernaturalem fidei, ita etiam actus ſupernaturalis charitatis, præexigat actum ſupernaturalem fidei, alioquin, ſi ſufficiat quælibet propoſitio objecti, quid eſt neceſſe Deum infundere habitum fidei, aut ſpecialiter concurrere ad actum ſupernaturalem fidei?

Indè autem velle inferre: ergo amor naturalis conſequens fidem humanam, ſpecie diſtinguitur ab amore, qui dirigitur notitiâ ſcientificâ, ridiculum videtur. Quamquam exiſtimem probabile cum Doctore Subtili 4. diſt. 49. q. 5. n. 5. actum charitatis in via, ſpecie diſtingui ab actu charitatis in patria, propter diverſam propoſitionem objecti, obſcuram videlicet in via, claram autem in patria. 57. *An actus charitatis in via ſpecie diſtinguatur ab actu charitatis in patria.*

Verba Scoti ſic ſonant: *Aliter poteſt dici & probabilius, quòd fruitio beata & non beata differunt ſpecie, ſeipſis quidem formaliter, ſed à cauſis, vel habitudine cauſarum cauſaliter. Si enim ponatur, quòd intellectio eſt cauſa, licèt partialis ipſius volitionis, & intellectio viatoris, & viſio beati differunt ſpecie; ergo & effectus, qui neceſſariò requirunt iſtas cauſas diverſas: numquam enim individuum einſdem ſpeciei neceſſariò requirit cauſam alterius ſpeciei, ab illa quam requirit aliud individuum.*

Si autem intellectio dicatur cauſa ſine qua non, ſaltem eſſentialiter requiritur, & tunc ſicut prius diverſa eiuſdem ſpeciei, non neceſſariò requirunt in cauſis aliqua alterius ſpeciei: ita in hac opinione habet concedere volitiones penes obiecta diſtingui ſpecie, & tamen obiectum ſecundùm eos eſt cauſa ſine qua non. Tunc autem poteſt ſalvari diſtinctio fruitionum ex diſtinctione uniontun; ſicut ex diverſa approxi-

matione agentis ad paſſum variatur effectus: aliter enim agit agens quod per lineam rectam opponitur & approximatur paſſo, quàm quod per reflexam & fractam: cognitio autem hæc eſt quaſi approximatio objecti ad voluntatem. Hæc Doctor Subtilis ſuo more ſubtiliter.

58. *Actus naturalis & ſupernaturalis non diſtinguuntur ſpecie ratione propoſitionis naturalis & ſupernaturalis.*

Quidquid ſit de hac controverſia, quæ non eſt hujus loci, tametſi concederemus diſtingui ſpecie actus voluntatis per claram, & obſcuram propoſitionem objecti, quando unus eſſentialiter reſpicit propoſitionem claram, alter autem obſcuram; equidem negari poſſet hæc conſequentia: ergo actus naturalis, & ſupernaturalis diſtinguuntur ſpecie, ratione diverſæ propoſitionis, naturalis & ſupernaturalis.

Rationem diſparitatis aſſigno, quòd propoſitio in quantum naturalis vel ſupernaturalis non applicat, neque unit magìs vel minùs, aut diverſo modo objectum in ordine ad amorem, ſicuti bene applicat cognitio clara, & obſcura. Unde conſequenter dico; ſi daretur aliquis actus naturalis temperantiæ, qui eſſentialiter requireret cognitionem ſcientificam; alius autem qui requireret cognitionem obſcuram, v. g. fidei, probabilius foret illos actus ſpecie differre.

59. Itaque, ut ad principale revertamur, ſive conſideretur honeſtas temperantiæ, ut conducit ad vitam æternam, ſecundùm regulam legis divinæ, ſive ſecundùm rationem humanam, quà conducit ad conſervandam valetudinem corporis, mea ſententia eſt, ex eo nullam probari neceſſitatem virtutis infuſæ, ut ſatìs patet ex dictis, & docet expreſsè Scotus 4. diſt. 14. q. 3. n. 5. hiſce verbis: *Nec ex hoc quòd regula iſtius virtutis* (loquitur de Pœnitentia) *eſt tantùm ex revelatione, vel fide nota, ſequitur iſtam virtutem appetitivam non eſſe moralem; quia ſecundùm Philoſophum 2. Ethic. virtus moralis dicitur eſſe ex hoc, quòd eſt ex more, vel ex conſuetudine generabilis: quacumque autem notitia, ſive ex lumine naturali habita, ſive ex fide, poteſt ſecundùm illam appetitus inclinari, & ex frequenti actione generare in ſe habitum ſic inclinantem, qui erit habitus electivus; quia appetitivus, & ſecundùm rectam rationem, licèt non naturalem, ſed aliam rectiorem.*

Unde dicatur aliqua virtus moralis. — *Scotus.* — *Philoſophus.*

Et hoc modo Paupertas, Humilitas, Caſtitas, & hujuſmodi ſunt virtutes morales; quia ſecundùm perfectam, & rectam rationem, licèt non purè naturalem, ex more, id eſt, frequenter ſic eligere generantur. Sic ſuppoſitâ iſtâ regulâ notâ ex Evangelio: Pœnitentiam agite, *poteſt voluntas ex frequenter elicere actum conformem iſti regulæ, generare in ſe habitum inclinantem ad conſimiles actus; & ille verè erit virtus, quia rectæ rationi, immo rectiſſimæ conſonus; & tamen moralis, quia ex more & conſuetudine generatus.*

Matth. 3. v. 2.

60. *An parvuli habeant virtutes morales in patria?*

Si inferas: ergo parvuli non habebunt ullas virtutes morales in patria. Reſpondet Scotus 3. diſt. 36 q. unicâ n. 28. *Poteſt dici quòd non eſt neceſſe eos habere virtutes morales in patria, ſed ſufficit quòd bene diſponantur circa appetibilia per Charitatem: Charitas enim diſponit circa omnia volibilia in una ratione volibilis: & quòd non oportet quòd habeant omnem ſcientiam in genere proprio, ſed ſufficit habere eam in Verbo, quæ eſt notitia perfecta.*

Scotus. — *Non eſt neceſſe quòd habeant.*

Reſpondet ſecundò: *Si habuerunt eas, poteſt dici quòd infundentur eis* (per accidens) *in inſtanti beatitudinis: non eſt enim magis neceſſe illa, quæ pertinent ad viatorem, ſi aliquando eſſet futurus viator, dari ſibi in Baptiſmo, quàm ea, quæ pertinent ad ſtatum comprehenſoris dari ſibi in inſtanti beatitudinis, immo magìs rationabile hoc quàm illud.*

Poteſt dici quòd infundentur in inſtanti beatitudinis.

Reſpondet tertiò: *Poteſt dici, quòd ſi illa pertinent ad aliquam perfectionem comprehenſoris, & non dentur in inſtanti beatitudinis, poterunt eas acquirere per actus ſuos: ſicut enim non apparet ratio, quare non poterunt addiſcere aliqua ſcibilia in genere proprio, quæ primitùs non noverunt; ita non apparet ratio, quare non poterunt ex bonis electionibus circa appetibilia ad finem, non tantùm ut ſunt volenda propter Deum in ſe, ſed ut ſunt volenda in quantum commoda ſibi, acquirere ſibi unum habitum inclinantem ad electionem talium appetibilium ſub propria ratione, & ita virtutem moralem.* Hucuſque Scotus.

Poteſt dici quòd poterunt eas acquirere per actus ſuos.

Igitur neque per rationem à priori, neque per rationem à poſteriori ſatìs probatur neceſſitas virtutis moralis infuſæ, quidquid ſit de ejus poſſibilitate, quam negat Franciſcus Felix Tentativæ Complutenſis Tom. 1. Tract. de Virt. cap. 3. diff. 3. n. 14. propter quædam argumenta ſatìs parvi momenti, & ideo illis exſcribendis ſuperſedeo. 61.

An virtus moralis per ſe infuſa ſit poſſibilis. — *Franc. Felix.*

Et verò licèt concedatur poſſibilitas, factum tamen optimè negatur: *Deus noſter in cælo* (inquit Propheta Regius Pſal. 113. v. 3.) *omnia quæcumque voluit, fecit*; non omnia quæcumque potuit. *Quis enim audeat credere aut dicere* (utor verbis Divi Auguſtini lib. 14. de Civit. cap. 27.) *ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre: atque ita quantum mali eorum ſuperbiâ, & quantum boni ſuâ gratiâ valeret oſtendere.* Et lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 10. ſic ait idem Sanctus Doctor: *Sed poſſet, inquit, etiam ipſorum* (malorum Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens eſt. Poſſet planè. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt.*

Pſal. 113. — *S. Aug.*

Si ergo à me quæritur, quare Deus non fecerit virtutes morales infuſas? Reſpondeo citiùs, quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt. Sanè non oportet majorem perfectionem actibus aut habitibus noſtris tribuere, quàm conſtat ratione aut auctoritate eos habere; ſed ratione non conſtat eorum ſupernaturalitas, ut jam oſtendimus, neque etiam auctoritate: ergo &c.

Immo,

Digitized by Google

62. Virtus moralis per ſe infuſa probatur ex Scriptura, *Pſal.* 93. *Iac.* 1. *Sap* 7. *Sap.* 8. *Gal* 3. & Conc. Viennenſi.

Immo, inquit aliquis, auctoritas clara eſt, tum Scripturæ pluribus locis, in quibus requiritur gratia ſpecialis ad virtutes morales, & dicuntur eſſe dona Dei, Pſal. 93. v. 10. *Qui docet hominem ſcientiam.* Et v. 12. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine.* Iac. 1. v. 5. *Si quis veſtrum indiget ſcientiâ poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Sap. 7. v. 11. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 8. v. 21. *Et ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* Gal. 3. v. 5. *Qui tribuit vobis ſpiritum, & virtutes operatur in vobis.* Et alibi ſæpiùs.

Tum etiam Concilii Viennenſis & habetur Clementinâ unicâ de Summa Trinitate ibi: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti (quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam & virtutes) tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.* Ergo Concilium probabilius ſaltem cenſet infundi virtutes morales.

63. Reſpondetur ad Concilium.

Verùm nec hæ auctoritates aliquid convincunt; ut autem exordiar à Concilio, Reſpondeo illud intelligendum eſſe de ſolis virtutibus Theologicis.

Objectio. Sed contrà, Concilium loquitur indefinitè; locutio autem indefinita in dogmaticis æquivalet univerſali: ergo &c. Solvitur. Reſpondeo Minorem ſolùm eſſe veram, quando id ex natura controverſiæ aut aliis circumſtantiis colligi poteſt, jam autem hìc ſunt circumſtantiæ, ex quibus potiùs contrarium colligitur.

64. Ex circumſtantiis colligitur Conc. non loqui univerſaliter.

Quæris quæ ſint illæ circumſtantiæ? Reſpondeo, quia Concilium Viennenſe ſub Clemente V. decernit probabilius, quod Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. (& refertur cap. *Maiores* de Baptiſmo) propoſuerat, & inſolutum reliquerat. Propoſuerat, inquam, ſub hoc tenore verborum: *Illud verò quod opponentes inducunt, fidem, aut charitatem, aliaſque virtutes parvulis, utpote non conſentientibus, non infundi, à pleriſque non conceditur abſolutè* (id eſt, indifferenter, ſecundùm Gloſſam ibi) *cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæſtio referatur, aliis aſſerentibus per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri* (ecce prima pars controverſiæ) *nonnullis dicentibus, dimitti peccatum & virtutes infundi habentibus illis quoad habitum, non quo ad uſum, donec perveniant ad ætatem adultam.* En pars altera, in quarum neutra fit mentio virtutum moralium, ut patet.

65. Objectio ſolvitur.

Nec obſtant illa verba: *Illud verò quod opponentes* &c. quia ſunt verba hæreticorum, ut notat Gloſſa ibi, qui contendebant parvulos per Baptiſmum non ſalvari, quos Pontifex in illo capite damnat, dicens: *Baptiſma Circumciſioni ſucceſſit . . . . Cùm ergo Circumciſio tam adultis quàm parvulis ex præcepto Domini conferretur, ne Baptiſmus, qui ſucceſſit loco ipſius, & generalior tamen exiſtit, cùm tam viri quàm fœminæ baptizentur, minoris videatur effectûs, tam adultis, quàm parvulis eſt conferendus.*

Et infrà: *Per Sacramentum Baptiſmi Chriſti ſanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cœlorum etiam pervenitur. . . . . . . Abſit enim ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidiè tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem*; etiam gratìs admiſſo, quòd hæretici opponebant, videlicet, fidem aut charitatem, aliaſque virtutes parvulis, utpote non conſentientibus, non infundi: quidam enim Catholici negabant conſequentiam, & dicebant per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, adeoque eos poſſe ſalvari; ſed gratiam non conferri. Hæc ergo ſententia Catholicorum erat pars negativa controverſiæ, minimè ſententia hæreticorum. — & oſtenditur ſententiam Catholicorum fuiſſe partem negativam controverſiæ.

66. Vt autem ſententia Catholicorum fuiſſet, nihil refert.

Atque ut ſententia hæreticorum fuiſſet pars negativa, & in illa fieret mentio virtutum moralium, quid tum? Enimverò qui oppoſitum teneret, non deberet propterea aſſerere infundi virtutes theologicas & morales, ſed ſufficeret ipſi admittere infuſionem virtutum theologicarum; quippe contradictoria propoſitio hujus propoſitionis: *Non infunduntur virtutes theologicæ, aut morales*, eſt hæc: *Infunduntur virtutes theologicæ, aut morales*, ad cujus disjunctivæ propoſitionis veritatem ſufficit veritas alterutrius partis.

67. Vt etiam tametſi Innoc. uteretur ly *Et* pro ly *Aut*.

Dato etiam, quòd Innocentius uteretur particulâ conjunctivâ, *Et*, diceretque, quòd quidam theologi iſtius temporis negarent fidem & charitatem, & alias virtutes infundi; niſi tamen diceret, quòd alii tenerent fidem, & charitatem, & alias virtutes infundi, haudquaquam ſequeretur, quòd haberent controverſiam inter ſe quoad alias virtutes; ſiquidem controverſia eorum poſſet eſſe de ſola fide, & charitate. Conſtat autem Pontificem nuſquam gentium dicere, alios tenuiſſe, quòd infunderentur *Fides, & Charitas, aliaque virtutes*: vel ſic, *Fides, aut Charitas aliaque virtutes*: ſed dumtaxat: *peccatum dimitti, & virtutes infundi*; quòd ſufficienter verificatur de virtutibus theologicis.

68. Controverſiam quam Innoc. III. indeciſam reliquerat, Clem. V. decidit.

Cæterùm hanc eandem planè controverſiam, quam Innocentius III. indeciſam reliquerat, Clementem V. decidiſſe, colligitur manifeſtè ex his verbis Clementinæ: *Verùm, quia quantùm ad effectum Baptiſmi in parvulis reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe: Quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: Aliis è contra aſſerentibus, quòd & culpa iiſdem in Baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non*

Digitized by Google

non quoad uſum. Nos autem &c.

Ubi Concilium nullo verbo facit mentionem virtutum moralium, idque fortè conſultò, ne decideret controverſiam, quæ tunc erat inter Scotiſtas, & Thomiſtas de earum infuſione, volens tantùm determinare tamquam probabilius, in quo conveniebant Doctores Theologi moderni, nimirum parvulis in Baptiſmo infundi virtutes theologicas cum remiſſione peccatorum.

69. *Conc. Trident. tantùm docet in juſtificatione infundi Fidem, Spem, & Charitatem.*

Concordat Concilium Tridentinum, quod agens de juſtificatione adulti dicit ſeſſ. 6. cap. 7. *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, Fidem, Spem, & Charitatem.* Et can. 11. ejuſdem ſeſſionis ita ſtatuit: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione excluſâ gratiâ & Charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhæreat .... anathema ſit.* In quibus verbis liquet profectò nullam fieri mentionem virtutum moralium.

Itaque ſententia Thomiſtarum nullâ nititur auctoritate Concilii Viennenſis, cùm illud Concilium tantùm approbet ſententiam, quæ magìs conſona eſt dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ, quod falſum eſt, ſi intelligatur de infuſione virtutum moralium, cùm tunc temporis tam multi eſſent pro una parte, quàm pro alia; veriſſimum autem, intellectum de ſolis virtutibus theologicis.

70. *Actus virtutum moralium ut conducant ad vitam æternam requirunt ſpecialem gratiam Dei.*

Venio ad auctoritatem Scripturæ, quæ unico verbo reſolvitur, dicendo, Scripturas intelligendas eſſe de actibus virtutum moralium, qui, ut conducant ad vitam æternam, requirunt ſpecialem gratiam Dei, ut patet ex materia de Gratia, & luculenter ſignificat Sanctus Proſper Reſp 8. ad cap. Gall. dicens: *Cum ducentis quatuordecim Sacerdotibus (quorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus eſt) veraci profeſſione, quemadmodum ipſorum habet ſermo, dicamus, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum, non ſolùm ad cognoſcendam, verùm etiam ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvare; ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo eſſe opinemur; ut, quia ipſa natura noſtræ auctor eſt, per conditionem jam hæc contuliſſe videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem; ſed omnes eam in illo amiſimus, in quo omnes peccavimus.*

S. Proſper.

Conc. Arauſ.

Hinc Arauſicanum II. cap. 25. *Hoc Deo propitiante & prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quòd bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit.*

71. *S. Aug.*

Etenim, ut ait Divus Auguſtinus lib. de Spir. & litt. c. 3. *Neque liberum arbitrium nunc quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via. Et cùm id quod agendum, & quo nitendum eſt cœperit non latere, niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non benè*, hoc eſt, non fructuosè, *vivitur. Ut autem diligatur, Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Etenim teſte Concilio Milevitano cap. 5. *De fructibus mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: ſine me difficiliùs poteſtis facere, ſed ait; ſine me nihil poteſtis facere.*

Conc. Milevit.

Habitus virtutum moralium meritò dici poſſunt dona Dei.

Quid ergo mirum ſi Scriptura actus virtutum moralium vocet dona Dei? Nec tantùm actus, ſed etiam habitus qui per tales actus producuntur, meritò dixeris dona Dei. Ut proinde nemo mirari debeat ſi Sancti Patres virtutes morales ſæpiùs appellaverint dona Spiritûs ſancti, vel ſimilibus nominibus, nam intelligi commodè poſſunt vel de actibus, vel etiam de habitibus modo jam explicato.

72. *Explicatur Catechiſmus Romanus.*

Nullam etiam difficultatem habet quod objicitur ex Catechiſmo Romano Tract. de Baptiſmo §. *Sed ut Baptiſmi effectus* ibi: *Gratiæ adhæret nobiliſſimus virtutum comitatus, quæ in animam ſimul cum gratia divinitùs infunduntur:* nam præterquam quòd Catechiſmus ille non faciat niſi ſententiam probabilem, planum eſt per comitatum illum intelligi poſſe virtutes theologicas.

Conc. Arauſ.

Adde, quòd illa verba ſatis congruè explicentur, non de formali infuſione illorum habituum, ſed quòd baptizati, ſi ſe gerant ut oportet ſecundùm inclinationem gratiæ, ſoleant variis virtutibus imbui, juxta illud Concilii Arauſicani II. cap. 25. *Hoc ſecundùm fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati (Chriſto auxiliante & cooperante) quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere.*

S. Aug.

Et quidem *Semper eſt in nobis voluntas libera* (ait Magnus Pater Auguſtinus lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15.) *ſed non ſemper eſt bona....... Gratia verò Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur: & tam magna fiat ut poſſit implere*, & impleat *divina mandata, quæ voluerit, cùm valde perfectè voluerit: ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt* (Eccli. 15. juxta 70.) *ſi volueris conſervabis mandata: ut homo qui voluerit, & non potuerit*, id eſt, non impleverit, *nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur: tunc enim utile eſt velle cùm poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cùm volumus: nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus volumus; aut ſi quod poſſumus nolumus?*

73. *Perperàm quidam cenſurarunt ſententiam Scoti.*

Atque iſta ſufficiant de hac celebri controverſia inter Scotiſtas & Thomiſtas. Unum ſummopere miror, quoſdam antiquiores Doctores, abſque majori fundamento, tam inſigniter ſententiam Scoti cenſuraſſe, dum Capreolus eam

Digitized by Google

eam vocat erroneam, Conrardus contra definitionem Eccleſiæ, Medina oppoſitam fidei & temerariam. Sed tu benigne Lector probabilem eſſe ne dubites: noli curare inconſideratas hominum voces, ne quid ampliùs dicam, verùm quod rationes tibi meliùs eſſe perſuadent, hoc audacter amplectere, & non errabis in fide, aut bonis moribus.

Probatur ſpecialiter virtutem Pœnitentiæ non eſſe per ſe infuſam. Scotus. Cæterùm quantùm attinet ad virtutem Pœnitentiæ, præter rationes, quas habet communes cum aliis virtutibus moralibus, ſpecialiter probatur eam non eſſe infuſam per ſequia, ut ait Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 20. *Ex multis actibus vindicandi in ſe iuſtè reum, poteſt acquiri habitus, qui maneat cum peccato mortali, & poſſet acquiri ante deletionem peccati mortalis, niſi fortè quia Deus iuſtificat, antequam poſſint haberi actus ſufficientes ad generationem Pœnitentiæ.* Jam autem ex ſententia Adverſariorum nulla virtus infuſa præter Fidem & Spem manet in peccatore.

74. Objectio. Dices: Adverſarii non negant dari aliquam virtutem Pœnitentiæ acquiſitam, quæ maneat in peccatore; nam & alias virtutes morales acquiſitas admittunt in peccatore, utpote in quo experiuntur facilitatem ad actus virtutum, quæ non poteſt provenire niſi à virtutibus acquiſitis; ſed præter illas acquiſitas exiſtimant dari alias infuſas in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum, quæ non permanent in peccatore, ſed expulſâ charitate per peccatum mortale, ſimul expelluntur: ergo ſimiliter dicendum de Pœnitentia.

Diſparitas inter virtutem Pœnitentiæ & alias virtutes morales. Reſpondeo negando Conſequentiam; ratio diſparitatis eſt, quòd Scriptura, Patres, Concilia non alium tribuant vel agnoſcant uſum ſeu effectum Pœnitentiæ præter deletionem peccati; porrò ad hunc effectum Pœnitentia infuſa eſt inutilis, cùm deletio peccati ſemper antecedat infuſionem; & aliunde poſt remiſſionem peccati per ſe loquendo nulla ſit neceſſitas Pœnitentiæ ſive medii ſive præcepti: quia licèt ſuperſit aliqua pœna temporalis ſolvenda, illa poteſt remitti, & pro illa poteſt ſatisfieri jejuniis, orationibus, eleëmoſynis aliiſque pietatis operibus, ut docet Tridentinum ſeſſ. 14 can. 13.

Igitur non ſalvatur in Pœnitentia congruitas, ex qua Adverſarii adſtruunt alias virtutes morales per ſe infuſas, ſcilicet ut opus ſit referibile ad finem ultimum, quoniam actus Pœnitentiæ per ſe neceſſarius, eſt diſpoſitio ad deletionem culpæ, quæ numquam eſt à Pœnitentia infuſa. Et dato quòd requireretur Pœnitentia poſt deletionem culpæ, non eſt ratio, quare ille actus, qui erat diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ, non ſit etiam ſufficiens poſt deletionem culpæ.

75. Objectio ex Conc. Trid. Dicet aliquis, ad deletionem culpæ non ſufficit Pœnitentia naturalis, ait enim Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratiâ conferatur; anathema ſit.* Ergo ſicuti *credere*, *ſperare*, *diligere* ſunt actus ſupernaturales in ſubſtantia, ita pariter *pœnitere*, ut ſit legitima diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum.

Reſpondeo, Concilium ibi tantùm definit contra Pelagianos, & Semipelagianos, hominem non poſſe juſtificari ex ſolis viribus naturæ ſine ſpeciali Dei adjutorio, adeòque ex iſtis verbis non ſatis probatur ſupernaturalitas in ſubſtantia, ſed tantùm in modo, quæ indubiè requiritur ad Pœnitentiam fructuoſam; quin immo, ut patebit ex dicendis ſuo loco, Pœnitentia, de qua hìc agimus, non poteſt eſſe proxima diſpoſitio ad juſtificationem ſive in Sacramento, ſive extra Sacramentum, niſi ſaltem imperetur ab actu ſupernaturali Spei, aut Charitatis. Explicatur Conc.

Pœnitentia ſpecialis non requiritur ad remiſſionem peccati. Indè autem inferre infuſionem habitûs Pœnitentiæ ſpecialis, non habet apparentiam veritatis; præſertim cùm Pœnitentia ſpecialis non requiratur ad remiſſionem peccati, ut proinde Conciliũ illo loco non intellexerit per ly *Pœnitere* actum juſtitiæ vindicativæ, de quo nos hìc agimus, ſed deteſtationem de peccato commiſſo, quæ poteſt eſſe verus actus ſupernaturalis in ſubſtantia, puta actus Charitatis, aut Spei, ut infrà videbimus.

Quæ cùm ita ſint; dico rurſum, Pœnitentia ſpecialis eſt virtus appetitiva, non intellectualis: moralis, non theologica; acquiſita, non infuſa. Et ſi à me quæritur qualis appetitiva ſit, & utrùm diſtincta ab aliis virtutibus appetitivis; Reſpondeo:

CONCLUSIO III.

Pœnitentia ſpecialis non eſt virtus appetitiva ordinans ad ſeipſum, ſed ad alterum. Diſtinguitur à Religione, Amicitia, Juſtitia, tam commutativa, quàm diſtributiva &c.

Prima pars eſt Scoti diſt. 14. q. 2. n. 5. ibi: *Sequitur alia Concluſio, quòd* (Pœnitere) *non eſt appetitiva virtutis ordinantis ad ſeipſum, cuiuſmodi ſunt temperantia, & fortitudo: ergo virtutis ordinantis ad alterum, cuiuſmodi eſt iuſtitia. Hoc argumentum tenet, ſupponendo illam famoſam virtutum appetitivarum diſtinctionem, quòd ad duo genera omnino reducantur. Antecedens probatur, quia actum iſtum vindicandi, poteſt aliquis eodem modo ſecundùm rationem rectam exercere in alterum, ſicut in ſeipſum. Si etiam exerceat in ſeipſum, non exercet in ſe, niſi ut in alterum; quia non exercet in ſe, niſi in quantum ſibi committitur à Legiſlatore in iſtum reum vindicare. Sed accidit quòd iſte, cui committitur ut miniſtro iudicis, ſit iſte reus, quia eodem modo exercet ſecundùm rectam rationem miniſtri* 76. Probatur 1a pars Concluſ. ex Scoto.

Digitized by Google

niſtri in reum, ſi eſſet omnino alius in perſona: ergo iſta virtus, cuius natus eſt eſſe iſte actus, continetur ſub iuſtitia, prout in generali dicitur iuſtitia omnis virtus ordinativa ad alterum, vel quaſi ad alterum. Nec obſtat, quòd ille in actu ſuo ordinetur ad ſeipſum, quia non ad ſe, niſi ut ad alterum, ut ſcilicet miniſter iudicis in reum contra legem, in quem commiſſa eſt ſibi auctoritas à iudice. Hæc Doctor Subtilis, quibus non habeo quod addam.

77. Concedi poteſt in Angelis temperantia.

Tantùm adverto ex eodem 3. diſt. 33. q. 1. n. 16. concedi poſſe in Angelis virtutem appetitivam, ordinantem ad ſeipſum, v. g. temperantiam, & fortitudinem, eſtò bonum iſtarum virtutum non ſibi, ſed mihi velint: *Quia*, inquit Doctor, *per mihi & tibi non variatur ratio formalis habitûs: igitur ſicut habitu temperantiæ formaliter eligo mihi hoc bonum, ita habitu eiuſdem rationis poteſt mihi quilibet velle hoc bonum.* Cur ergo ſimiliter per habitum juſtitiæ non poſſum mihi, & alteri velle hoc bonum?

Et ratio eſt, quia virtus moralis ſumitur ex conformitate ad rationem rectam; ex hoc autem quòd recta ratio dictet à me eſſe jejunandum, vel ab altero; in me eſſe vindicandum peccatum, vel in alterum, non variatur ratio formalis talis rationis rectæ: ergo pariter nec actus elicitus conformiter iſti rationi; conſequenter nec habitus.

78. Objectio prima. Secunda.

Sed contrà: ergo malè diſtinguit Scotus inter virtutem ordinantem ad ſe, & ad alterum; præſertim cùm omnis virtus ſit perfectio habentis, inclinans ipſum ad bonum honeſtum, quod ſit ipſi honeſtum.

Reſponſio ad 2.

Reſpondeo ad ultimum; per bonum, in ordine ad quod diſtinguuntur illæ virtutes, non intelligitur bonum honeſtum, quaſi juſtitia tenderet in bonum, quod tantùm eſſet honeſtum alteri, nam omnis virtus tendit in bonum honeſtum operanti; ſed intelligitur bonum commodum, quod eſt quaſi materiale reſpectu honeſtatis: unde habent objecta quaſi materialia diſtinctæ rationis, in ordine ad quæ etiam aliquo modo poteſt deſumi diſtinctio, utì patet in caſtitate, & ſobrietate, quarum prior, pro objecto materiali reſpicit voluptates concernentes generationem, poſterior autem voluptates concernentes nutritionem, non quòd non habeant etiam objectum formale, ſive honeſtatem diſtinctæ rationis; ſed quòd hæc ipſa honeſtas deſumi poſſit, & deſumatur ex diſtinctione objecti materialis, præſertim in propoſitis virtutibus: ſicut enim multùm diverſæ ſunt voluptates generationis, à voluptatibus nutritionis, ſic itidem alia relucet honeſtas in moderatione voluptatum generationis, & alia in moderatione voluptatum concernentium nutritionem.

Diſtinctio virtutum etiam deſumitur ab objecto materiali.

79. Reſponſio ad 1.

Ad primum dico, Scotum tantùm velle, quòd quando eſt eadē bonitas honeſta, quæ appetitur, ſeu quando ex affectu ejuſdem honeſtatis aliquid appetitur, non oporteat variari virtutem, per hoc, quòd illam honeſtatem, vel aliquid ex affectu iſtius honeſtatis, appetat ſibi, vel alteri. *Poteſt* (inquit Doctor ſuprà) *ſibi* (Angelum intelligit) *competere habitus, quo velit mihi bonum temperantiæ, in quantum eſt mihi bonum conveniens, & habitus iſte non poteſt dici charitas, quia, ut dictum eſt, iſte habitus non eſt tantum bonum, ut quoddam ordinatum ad diligendum Deum: ſed ſub ratione propriæ bonitatis in eo.* Et infrà: *Voluntas Angeli poteſt velle mihi bonum temperantiæ, in quantum eſt tale bonum, quod velle eſt proprius actus temperantiæ.* Scotus.

Jam autem quando diſtinguitur temperantia à juſtitia, quòd illa feratur in bonum proprium, hæc in alienum, ſupponitur eſſe diſtincta honeſtas ex natura ipſius objecti in bono commodo appetendo alteri, quatenus præcisè eſt bonum alterius, & bono commodo appetendo ſibi, quatenus præcisè eſt bonum proprium; quodque non ex affectu ejuſdem honeſtatis quis appetat illa.

Itaque temperantia non ſic ſibi appetit bonum commodum, quin illud ipſum ex affectu ejuſdem honeſtatis, poſſit etiam appetere alteri; ac proinde eatenus fertur in bonum proprium, quatenus operatur ex affectu ejus honeſtatis, quæ ſpecialiter invenitur in ordinata acquiſitione illius boni, quod dicitur commodum proprium, ſive hoc appetat ſibi, ſive alteri: & conſimiliter juſtitia, eatenus eſſe dicitur circa bonum alienum, quatenus operatur ex affectu ejus honeſtatis, quæ ſpecialiter invenitur in ordinata acquiſitione illius boni, quod dicitur commodum alienum, ſive hoc appetat ſibi, ſive alteri. 80. Temperantia etiam alteri appetit bonum commodum ex affectu ejuſdem honeſtatis.

Cùm igitur Pœnitentia ſpecialis operetur ex affectu illius honeſtatis, quæ ſpecialiter reperitur in ordinata acquiſitione boni commodi alieni (puta conſervationis legis & boni communis) ſive hoc appetat ſibi ipſi, ſive alteri, liquet profectò, quòd ſit virtus appetitiva ordinans ad alterum, & non ad ſeipſum.

Sed numquid ideo virtus Religionis? Negat ſecunda pars Concluſionis; quoniam Religio primariò intendit exhibere cultum tamquam debitum Deo ob infinitam excellentiam, & omnium ab eo dependentiam ut à primo principio: Pœnitentia autem non ſic, ſed principaliter intendit ſatisfacere legi punitivæ, conſtituendo æqualitatem inter pœnam & culpam, ut ex dicendis ampliùs conſtabit. 81. Pœnitentia ſpecialis diſtinguitur à virtute Religionis.

Dices; Pœnitentia eſt pars Sacramenti Confeſſionis: ergo propriè pertinet ad Religionem; nam peccata, quæ fiunt in ſuſceptione Sacramentorum, opponuntur Religioni. 82. Objectio.

Reſpondeo primò negando Antecedens, ſi intelligatur de Pœnitentia ſpeciali; nam ſecundùm Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. *Contritio quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus* (qui ſunt quaſi materia) *habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*; qui utique dolor ac de- Prima reſponſio. Conc. Trid.

Digitized by Google

ac deteſtatio poteſt eſſe actus Charitatis, Spei, aliarumque virtutum, ex quarum motivo elicitur, vel imperatur. Num ideo Charitas, Spes &c. propriè pertinent ad Religionem? Minimè. Et ideo

83. Reſponſio ſecunda.

Reſpondeo ſecundò negando Conſequentiam, etiam admiſſo quòd Pœnitentia accepta pro juſtitia vindicativa foret pars neceſſaria Sacramenti. Imperat quidem Religio dignam ſuſceptionem Sacramentorum, ut medium ad colendum Deum; interim verò partes Sacramentorum poſſunt in ſe intrinſecè & elicitivè eſſe actus Charitatis, Spei, Pœnitentiæ &c. Breviter, partes Sacramentorum pertinent ad Religionem imperativè, non neceſſariò elicitivè.

Fide, Spe, & Charitate colitur Deus ſecundùm D. Aug.

Nunquam legiſti in Divo Auguſtino Enchiridii cap. 3. *Hic ſi reſpondero, Fide, Spe, Charitate colendum Deum, profectò dicturus es, brevius hoc dictum eſſe quàm velis?* Si Fide, Spe, Charitate colitur Deus, & tamen illæ virtutes diſtinguuntur à Religione, quidni etiam Pœnitentiâ poſſit coli, eſtò & ipſa diſtinguatur à Religione? Non eſt dubitandum.

84. Quomodo hoc ſit intelligendum?

Quæris quomodo dictum Auguſtini ſit intelligendum? Reſpondeo, vel quòd illæ virtutes operentur in nobis Religionem, imperando actus ejus; vel certè quòd virtus Religionis actus illarum virtutum imperet, tamquam media convenientiſſima & præſtantiſſima ad proteſtandam divinam excellentiam & noſtram ſubmiſſionem: quippe per actum Fidei noſtrum intellectum ſubjicimus veritati divinæ, per actum Spei Deum tamquam ſummum noſtrum bonum deſideramus, & per actũ Charitatis ipſum prę omnibus aliis bonis amamus.

Religio imperare poteſt actum Pœnitentiæ, & Pœnitentia actum Religionis.

Conſimiliter ergo Religio imperare poteſt actum Pœnitentiæ, per quem proteſtamur noſtram ſubmiſſionem & divinam excellentiam dum agnoſcimus nos reos, & omnibus modis quærimus ſatisfacere divinæ juſtitiæ procurando æqualitatem inter pœnam & culpam; & è converſo Pœnitentia poteſt imperare actus Religionis, ut Sacrificium, Orationem &c. in finem vindicationis tamquam media proportionata ad ponendam æqualitatem inter pœnam & culpam.

85. Pœnitentia ſpecialis non eſt virtus amicitiæ. Scotus.

Ex his facilè probatur tertia pars Concluſionis, ſcilicet Pœnitentiam non eſſe virtutem amicitiæ, quam diſertis verbis tradit Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 7. ubi ſic ait: *Reſpondeo, vindicare etiam quando eſt actus ordinatus, non eſt actus amicitiæ ad illum, in quem vindicatur; quia vindicta propriè reſpicit correſpondentiam pœnæ ad culpam ſecundùm legem, licèt non concomitetur correctio ipſius puniti. Unde & quandoque juſta vindicta fit exterminando reum; & patet quòd non corrigendo* (v.g. in ſuſpenſione furis) *nec tamen crudelitatis eſt .... quia finis iſtius proximus eſt conſervatio legis, & ulterior finis ille, qui eſt finis legis. Finis autem legis poſitæ ab homine legem ferente, non eſt ipſe Legiſlator, vel bonum ejus, ſed bonum commune: propter illum ergo finem eſt lex & obſervatio ejus, & ita rationabilior eſt vindicta, in quantum eſt ad iſtum finem, quàm ſi eſſet ad bonum privatum perſonæ punitæ.* Hæc Doctor Subtilis, quæ clariora fient ex ſolutione objectionum.

86. Prima objectio. Solvitur. Scotus.

Objicitur ergo primò: Amicitia eſt actus reconciliandi amico; talis eſt actus Pœnitentiæ: ergo &c. Reſpondet Scotus n. 8. *Si per Pœnitentiam reconciliatur quis Deo; tamen Deus non vindicat principaliter de illo, ut reconciliet illum ſibi, vocando reconciliationem reductionem in amicitiam priſtinam: ſed ut reconciliatus immunis à pœna debita habeatur, ſolutâ jam pœnâ illâ, quam vindicans requirit ſolvi per ſe propter correſpondentiam præmiſſam ad culpam ſecundum legem.*

87. Secunda objectio.

Objicitur ſecundò: Amicitiæ eſt corrigere amicum, ut ſit dignus amari, illo quod repugnat honeſtæ amicitiæ excluſo; atqui vindicare eſt corrigere amicum, ut fiat dignè amabilis: ergo &c. Probatio Minoris; quia ſi tantùm punitur, ut vindicetur, vel ut vindicans ſatietur, crudelitas eſt: ergo non eſt ſecundùm rectam rationem vindicta, niſi ut ille, in quem vindicatur, corrigatur; ſed hæc eſt amicitia: ergo &c.

Confirmatur. Philoſophus.

Confirmatur per Philoſophum 2. Rhetor. c. 12. ubi vult quòd differt correctio à punitione ſtrictè accepta, in hoc quòd correctio fit correcti gratiâ, ut ſcilicet emendetur: punitio autem fit punientis gratiâ, ut ſatietur. Secundum videtur eſſe omnino crudelitas, & hoc tam in miniſtro quàm in judice; quia propter eundem finem debet miniſter exequi, propter quem fert judex ſententiam; quia finis ejus debet eſſe finis moventis ipſum, & per conſequens quod eſt crudelitas in uno, & in alio.

88. Reſponſio ex Scoto. Vindicare non eſt principaliter propter correctionem puniti.

Reſpondet Doctor ſuprà: *Vindicare non eſt principaliter propter correctionem puniti, licèt quandoque illa correctio ſequatur: ſed eſt per ſe ut ordinetur culpa per pœnam & ut obſervetur lex punitiva, in quem tranſgreſſum eſt. Et cùm dicitur hoc eſſe crudelitatis; patet quòd non: quia ulterior finis eſt bonum commune: ſed crudele eſſet, ſi ſtaret in fine alio, quàm communi, vel quàm in fine ultimo.*

Ad confirmationem ſimiliter reſpondet: *Quòd corrigens corrigit gratiâ correcti; ſed vindicans non gratiâ correcti per ſe, nec gratiâ ſui ipſius; ſed gratiâ legis & ulteriùs gratiâ boni communis: & tunc gratiâ ſui, ſi eſt ipſe finis legis, ut eſt in propoſito*, id eſt, in Pœnitentia quæ præſcribitur per legem divinam, quia hìc bonum Legiſlatoris eſt ſimpliciter melius bono communitatis, ſecùs bonum Legiſlatoris humani.

89. Quis ſit finis intrinſecus & extrinſecus Pœnitentiæ.

Igitur ut paucis abſolvam hanc controverſiam, finis extrinſecus Pœnitentiæ eſt correctio; finis verò intrinſecus obſervatio legis punitivæ, bonum commune, & tandem bonum Dei. *Actus autem amicitiæ* (inquit Scotus n. 7. in fine) *qui imperaret aliquam punitionem amati, ut amati, non imperaret illam, niſi præcisè*

Digitized by Google

propter correctionem amati: & licèt illa eſſet via corrigendi, tamen ſi alia eſſet via facilius corrigendi (utique ſine pœna) *amicitia, ut amicitia, magis imperaret illam aliam viam.* Igitur Pœnitentia non eſt amicitia.

Occurritur objectioni. Nec obſtat quòd Scriptura, Sancti Patres, & Concilia tribuant Pœnitentiæ reconciliationem; quia loquuntur de ea prout habet annexam charitatem & alias virtutes; deinde loquuntur de Pœnitentia ſumpta pro deteſtatione, de qua infrà.

90. Probatur Pœnitentiam eſſe diſtinctam à Iuſtitia. Impræſentiarùm ſequitur probanda quarta pars Concluſionis, puta, Pœnitentiam eſſe virtutem diſtinctam à juſtitia tam commutativa quàm diſtributiva, quod optimè demonſtratur ex diſtinctione objecti formalis. Siquidem juſtitia commutativa reſpicit æqualitatem rei ad rem, id eſt, debitum ſtrictum ad æqualitatem reddendum; juſtitia diſtributiva æqualitatem proportionum; juſtitia verò vindicativa, cujus actus eſt pœnitentia, proportionem inter culpam & pœnam ſecundùm legem Dei.

Scotus. Atque huic ſententiæ ex parte ſubſcribit Scotus ſuprà nu. 8. dicens: *Eſt ergo iſte actus* (intelligit Pœnitentiam) *iuſtitiæ punitivæ, quæ diſtinguitur contra iuſtitiam commutativam, & etiam contra amicitiam.*

91. Quid ſit hîc Juſtitia commutativa. Accipit autem juſtitiam commutativam omnino ſtrictè pro illa, quæ reſpicit medium in rebus & mercimoniis propriè dictis; alioquin contradiceret ſibi ipſi 4. diſt. 19. qu. 1. n. 26. ubi ſic lego: *Dico ergo quòd ſicut in alijs commutationibus iuſtitia commutatiua habet aliquam latitudinem, ita quòd non reſpicit in commutationibus indiviſibile, ſed medium rectæ rationis: ita iuſtitia punitiva, quæ eſt commutativa pœnæ pro culpa, non reſpicit neceſſariò gradum indiviſibilem pœnæ correſpondentem huic culpæ; ſed eſt ibi aliqua latitudo, infra quam pœna minor non ſufficit, & ultra quam pœna maior non eſt imponenda.* (Scotus.)

Scotus. Simili modo loquitur 4. diſt. 46. q. 1. n. 4. *Ad propoſitum*, inquit, *commutativa* (juſtitia) *propriè reſpicit punitionem, & præmiationem, ut ſcilicet pro meritis quaſi commutando reddantur præmia, & pro peccatis ſupplicia.*

92. Punitio non eſt actus juſtitiæ commutativæ ſtrictè dictæ. Ubi cùm audis: *Quaſi commutando*; cogita punitionem ſecundùm mentem Doctoris non eſſe commutationem, ſive actum juſtitiæ commutativæ ſtrictè dictæ, ſed in latiori quadam ſignificatione, quatenus ſervat æqualitatem quantitatis, & reſpicit arithmeticam proportionem inſtar juſtitiæ commutativæ ſtrictè dictæ, & non ſolam proportionem geometricam per modum juſtitiæ diſtributivæ; ideòque potiùs ad iſtam quàm ad hanc reducitur, quamvìs in omni rigore neutra ſit, ſed tantùm quâdam imitatione & ſimilitudine, præſertim cùm Deus, de quo loquitur Scotus, præmiet ultra condignum, & puniat citra condignum, ut ibidem notat Doctor dicens: *Prima illarum* (ſcilicet juſtitia commutativa aut quaſi) *non poteſt ſimpliciter eſſe in Deo reſpectu creaturæ; quia non poteſt eſſe ſimpliciter æqualitas, ſed poteſt eſſe aliqualiter ſecundùm proportionem, ſicut inter Dominum & ſervum: Dominum enim liberalem, decet retribuere maius bonum, quàm ſervus poſſit mereri, dum tamen ſit talis proportio, quòd ſicut ſervus facit quod ſuum eſt, ita Dominus retribuat quod ſuum eſt; & eodem modo puniendo citra condignum.* (Juſtitia commutativa non poteſt eſſe ſimpliciter in Deo. Scotus.)

93. Examinatur doctrina Smiſing. Cæterùm quod ait Smiſing de Deo uno Tract. 3. diſp. 4. n. 78. Scotus *totâ illâ quæſtione largè de iuſtitia loquitur*, neſcio quomodo intelligendum ſit: licèt enim n. 2. ponat rationem generaliſſimam juſtitiæ ex Divo Anſelmo de Veritate cap. 12. quòd *Iuſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata:* equidem continuò ſubjungit: *Hæc ratio ſpecificatur per iuſtitiam ſecundùm quod de ea tractat Ariſtoteles 5. Ethic.* (cap. 3.) *qui addit ultra hanc rationem hoc, quod eſt eſſe ad alterum.* (D. Anſelmus. Scotus. Ariſtoteles.)

Juſtitia duplex, legalis & particularis, hæc etiam duplex eſt. Nec ibi ſiſtit, ſed paulò poſt proſequitur: *Iſta ſecunda* (juſtitia) *ſubdividitur, quia eſt quaſi univerſalis ad alterum, puta ad Legiſlatorem & ad legem in quantum eſt regula quædam determinata à Legiſlatore, & hæc dicitur à quibuſdam iuſtitia legalis. Vel eſt particularis, puta in aliquo particulari determinato pertinente ad legem, rectitudo ad alterum. Et hæc ſecunda ſubdividitur, quia vel poteſt eſſe ſimpliciter ad alterum, vel ad ſe quaſi ad alterum. Et ſecundum patet ex eo, quod dictum eſt in materia de Pœnitentia, quòd ipſa eſt iuſtitia punitiva, non tantùm reſpectu alterius ſimpliciter, ſed ſui quaſi alterius; quia ſibi, ut Iudicis miniſtro, conceſſa eſt punitio ſui, ut rei.*

Juſtitia ad alterum dividitur in commutativam & diſtributivam. Neque hìc eſt finis; nam poſt pauca n. 3. ſic ſcribit: *Si loquamur de reliqua iuſtitia, quæ ſimpliciter eſt ad alterum, illa dividitur in commutativam & diſtributivam: & ita diſtinguitur iuſtitia in nobis, ut patet per Philoſophum Ethic. 5. In diſtributiva requiritur æqualitas proportionis, non quantitatis, in commutativa ſecundùm aliquos æqualitas quantitatis, non tantùm proportionis.* Quid vobis videtur de Scoto? Num totâ illâ quæſtione largè de juſtitia loquitur?

94. Alia doctrina Smiſing expenditur. Sequitur apud Smiſing ſuprà: Et ſimiliter diſt. 14. ubi ait; iſtam virtutem *cuius natum eſt eſſe iſte actus* (vindicandi) *continetur ſub iuſtitia, prout in generali dicitur iuſtitia omnis virtus ordinativa ad alterum, vel quaſi ad alterum:* quod autem ulteriùs contineatur ſub juſtitia ſpeciali & preſsè ſumpta, ibi non dicit. Hæc ille.

Reſpondeo, ſi per juſtitiam ſpecialem & preſsè ſumptam, intelligat juſtitiam commutativam, idque propriè dictam, libenter concedo totum; quia q. 2. n. 8. ut ſuprà vidimus, expreſsè diſtinguit juſtitiam punitivam contra commutativam.

& oſtenditur eſſe contraria Scoto in aliquo ſenſu. Sin verò per juſtitiam ſpecialem intelligat virtutem aliquam ad alterum diſtinctam à Religione, amicitia aliiſque ſimilibus virtutibus, quæ comprehenduntur ſub juſtitia largè ſumpta,

Digitized by Google

ſumpta, diſplicet nobis hæc doctrina: jam enim apertiſſimè demonſtravimus ex Scoto diſt. citatâ juſtitiam punitivam diſtinctam eſſe ab amicitia, & Pœnitentiam eſſe actum ſpecialis virtutis, quidquid exiſtimet Smiſing ſuprà dicens: *Iuſtitiam vindicativam propriè iuſtitiam non eſſe, imò nec ullam ſpecialem virtutem*, quod manifeſtiſſimè repugnat doctrinæ Scoti, eſtò res in ſe eſſet vera, pro qua ſic diſcurrit præfatus Auctor n. 77.

Smiſing.

95. Probatur vindicationem non eſſe ſpecialem virtutem,

Vindicatio ſpectari poteſt primò ut verſatur circa malum pœnæ infligendum: ſecundò quatenus illud malum ordinat ad aliquod bonum; tertiò quatenus eſt debita à vindicante. Primo modo vindicatio non eſt actus virtutis, cùm virtus non verſetur circa malum ut ſic, ſed circa honeſtum, quod eſt ſpecies boni: immo velle alteri malum ut ſic, eſt actus odii, vitiumque oppoſitum charitati vel clementiæ. Secundo modo vindicatio aut reſpicit privatum bonum ipſius vindicantis quà tale, puta, quia punit alterum ut ſibi nocere deſinat, aut ne alii alterius exemplo ſibi noceant, aut ut honorem ſibi læſum vel ablatum recuperet, & hic eſt actus charitatis erga ſeipſum: aut reſpicit privatum bonum alterius quà tale, puta, quia punit quis aliquem ut proximo nocere deſinat, aut ne alii nocentis exemplo proximo noceant; aut ut ipſe punitus ſe corrigat, vel proximus ſuum honorem recuperet, & hic eſt actus amicitiæ erga proximum, aut reſpicit bonum privatum alicujus ſpecialis virtutis in ſe vel proximo tuendum contra puniendum, qui illud impedire conatur vel auferre, ſeu impedivit aut abſtulit, & hic actus pertinet ad illam virtutem, cujus defenſio ſuſcipitur; cùm ejuſdem virtutis ſit actus, velle bonum honeſtum, & velle malum oppoſitum deſtruere, ut Scotus 4. diſt. 14. q. 2. art. 1. verſ. *De ſecunda ſignificatione.* Hactenus Smiſing.

96. Probatio hæc rejicitur ab Auctore. Scotus.

Mirum quòd non legerit verſum præcedentem, ubi ſcriptum inveniſſet: *Sic apparet de primo actu pœnitendi, ſive de prima ſignificatione huius vocabuli* Pœnitere, *quid ſit: quia velle imperativum, & cuius effectus, quia triſtitia, & per quæ quaſi per inſtrumenta, quia per cauſas proximas triſtitiæ, ſcilicet conſiderationem actualem, & nolitionem actualem alicuius obiecti, & circa quod obiectum, quia circa peccatum commiſſum, & à quo, quia à miniſtro habente commiſſionem puniendi à Legiſlatore. Et propter quem finem, quia propter obſervationem legis, & ulteriùs propter bonum commune: ac per hoc, quòd ille poteſt eſſe actus virtutis ſpecialis, quia cuiuſdam ſpecialis iuſtitiæ. Et cuius ſubiecti, quia voluntatis, & quam comparationem habeat ad alias virtutes theologicas & acquiſitas.*

Smiſing.

Quid clarius dici poterat, & magìs oppoſitum doctrinæ Smiſing, qui poſt verba jam jam ex ipſo relata quaſi continuò attexit. Unde hâc ratione vindicatio poteſt eſſe actus cujuſcumque virtutis: aut denique reſpicit bonum commune, & ſic eſt actus juſtitiæ legalis ſive in Principe per ſententiam puniente delicta, ſive tam in Principe, quàm in privato cive, per executionem pœnæ Rempublicam ab hoſtibus vindicante. Vindicatio ergo non eſt ſpecialis virtutis actus, ſed variarum virtutum actus eſſe poteſt. Hucuſque Smiſing directè contra Scotum.

Vindicatio poteſt eſſe actus variarum virtutum, ſed imperatus tantùm.

Pro quo tamquam Magiſtro meo, quem defendendum ſuſcepi, Reſpondeo, Vindicationem poſſe eſſe actum variarum virtutum, ſed imperatum, non elicitum. Ratio ſuperiùs eſt aſſignata, quia habet objectum formale diſtinctum, ſcilicet æqualitatem inter pœnam & culpam commiſſam, in qua æqualitate procuranda relucet ſpecialis honeſtas, quæ non reperitur in actibus elicitis variarum virtutum, cùm illæ non ſupponant culpam commiſſam.

97. Objectio.

Si dixeris: Scotus dicit hujus virtutis motivum ſeu finem eſſe conſervationem legis, & ulteriorem finem illum, qui eſt finis legis, nempe bonum commune: ergo ſatis manifeſtè ſignificat eſſe juſtitiam legalem.

Reſponſio.

Reſpondeo, vel juſtitia legalis accipitur pro virtute ſpeciali, quæ procurat bonum commune, & ſequitur contra Smiſing actum vindicandi ex mente Scoti eſſe actum ſpecialis virtutis; vel accipitur generaliter pro complexione omnium virtutum, & conſtat manifeſtè, tametſi vindicatio ſit pars illius juſtitiæ legalis, nihilominus eſſe virtutem ſpecialem ab aliis virtutibus, quæ ſimiliter ſunt partes illius juſtitiæ legalis, diſtinctam; quoniam præter motivum ſeu finem, quem habet cum aliis virtutibus præceptis communem, ſcilicet conſervationem legis & bonum commune, inſuper habet diſtinctum finem ſeu motivum, puta ſpecialem honeſtatem, quæ relucet in conſervatione legis punitivæ, & per conſequens bonum commune, quod ſpecialiter reſultat ex illâ conſervatione.

98. Pœna quodammodo debita eſt malefactori, ſicuti præmium benefactori.

Enimverò per ſe decens eſt malefactorem puniri, & pœna per ſe congruit, & quodammodo debita eſt malefactori, ſicut laus & præmium benefactori, idque ut rectus ordo ſervetur, & quòd extra ordinem recti prolapſum eſt, ad ordinem revocetur. Sic Deus per vindictam omnes eos, qui ab ordine pulcherrimo juſtitiæ & legum divinarum prolapſi ſunt, & ordinatiſſimam diſpoſitionem ..... perturbarunt, ad ordinem juſtitiæ reducet, infligendo congruam pœnam, ut nihil in mundo remaneat informe, nihil inordinatum, nihil confuſum, ſed omnia pulchrè ſuis locis & gradibus ſint diſpoſita, ut ſæpè docet Divus Auguſtinus, inquit Leſſius de juſtitia & jure lib. 2. cap. 47. n. 21.

D. Aug. Leſſius.

Eſt ergo vindicatio actus ſpecialis virtutis, quæ diſtinguitur contra juſtitiam commutativam ſtrictè dictam, & juſtitiam diſtributivam.

C 3 *Et fortè,*

Digitized by Google

Quis actus inter omnes actus juſtitiæ ſit nobilior?

Et fortè, inquit Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 8. *iſte actus eſt nobilior inter omnes actus iuſtitia in communi, excepto actu præmiationis; quia ille eſt proprius Legiſlatori, & nulli alii conveniens, niſi ex commiſſione à iudice, quaſi vice eius. Alii autem actus commutationis, amicitia, & huiuſmodi poſſunt convenire regulariter quibuſcumque perſonis: actus autem, qui excellentiori perſona eſt proprius, cateris paribus eſt excellentior. Sed adhuc actus præmiandi excellentior eſt; quia cum iſta excellentia communi utrobique, ſcilicet quòd ſoli Principi convenit; præmiare habet utrumque extremum nobilius, & ſcilicet meritum pro quo fit, & præmium quod confertur, & perſonam meritam, cui confertur, qua excellunt pœnam, & culpam, & perſonam ream, cui pœna infligitur.*

99. Objectio.

Sed dicet aliquis: Judex peccat contra juſtitiam commutativam, ſi non puniat delictum commiſſum; ergo punitio poteſt eſſe actus juſtitiæ commutativæ: ergo virtus Pœnitentiæ non diſtinguitur contra juſtitiam commutativam.

Solvitur.

Diſcrimen inter Judicem & hominem privatum.

Reſpondeo negando poſteriorem Conſequentiam: nam judex tenetur peccatum punire non tantùm ex juſtitia vindicativa, ſed etiam ex juſtitia commutativa, quatenus ſe Reipublicæ obligavit ad illud officium ritè exequendum; non ſic quilibet privatus homo ex contractu, vel alio titulo ſtrictæ juſtitiæ tenetur peccatum in ſeipſum punire; uti nec Deus in hominem.

100. Quidquid deum decet, juſtum eſt ex D. Anſelmo.

Quod probè intelligens Doctor Subtilis 4. diſt. 46. q. 1. n. 5. ſcribit in hæc verba: *Sic ergo in genere tota illa diffinitio iuſtitia, eo modo quo poteſt ad Deum pertinere, poteſt reduci ad duo membra; ut primò dicatur iuſtitia, rectitudo voluntatis in ordine ad condecentiam voluntatis divina: alio modo, rectitudo voluntatis in ordine ad exigentiam eius, quod eſt in creatura, & illa diſtinctio poteſt haberi ab Anſelmo Proſol. 10. ubi loquens ad Deum dicit:* Cùm punis malum, juſtum eſt, quia illorum meritis congruit. *Quantùm ad ſecundum membrum, ſubdit ſtatim:* Cùm parcis malis, juſtum eſt, non quia illorum meritis, ſed quia tuæ voluntati, & bonitati condecens eſt, *quantum ad primum membrum. Et tanta eſt illorum membrorum diſtinctio, quòd Deus contra primam iuſtitiam operari non poteſt, nec præter eam; ſed præter iuſtitiam ſecundam poteſt operari, licèt non univerſaliter; quia non poteſt damnare iuſtum vel beatum.* Juxta illud divi Auguſtini lib. 3. contra Julianum cap. 18. *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.*

S. Aug.

101. Differentia inter præmiationem divinam & vindicationem.

Ex quo patet differentia inter præmiationem divinam, & vindicationem; nam de præmio vitæ æternæ reddendo bonis operibus, ſcriptum invenio Matth. 10. v. 22. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Ad quæ verba & ſimilia attendens Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. *Atque ideo*, inquit, *bene operantibus uſque in finem & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita aterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

Conc. Trident.

Ex *ipſius*, inquit, *De promiſſione*, nam, ut ſcitè dixit Divus Auguſtinus Enarr. in Pſal. 109. *Fecit ſe noſtrum debitorem non aliquid à nobis accipiendo; ſed tanta nobis promittendo.* Et lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 6. *Cui*, inquit, *reddetet coronam iuſtus iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater?* Sive ergo ex fidelitate, ſive ex juſtitia, tenetur Deus reddere vitam æternam pro bonis operibus in ipſo factis, adeò ut infidelis foret aut injuſtus, ſi non redderet.

S. Aug.

Ex fidelitate ſive ex iuſtitia tenetur Deus reddere vitam æternam pro bonis operibus in ipſo factis.

Sed numquid eadem eſt ratio vindicationis, ſive punitionis pro peccato commiſſo? Promiſſio ſolet eſſe de re grata promiſſario; quocirca expreſſio pœnæ pro peccatis infligendæ, quæ ſatis frequens eſt in Scriptura ſacra, comminatio magì dicenda eſt, quàm promiſſio; & quoniam ex comminatione nullum acquiritur jus peccatori, poterit in ea Deus diſpenſare prout voluerit, quæ diſpenſatio juſta erit, quoniam condecens divinæ bonitati, ut ſuprà dicebat Anſelmus.

102. In pœna poteſt Deus diſpenſare.

Quid ſi dixero, etiam in politiis humanis quandoque juſtum eſſe non ſervare leges particulares juſtitiæ punitivæ? Certè conſentio Doctori Subtili 4. diſt. 46. q. 1. n. 11. ibi: *Ad 3. dico quòd ſicut in iſtis politiis legiſlator reſpicit in ſe ſimpliciter iuſtum, quod eſt iuſtum boni publici: ſecundùm quid autem reſpicit alia iuſta partialia, ſemper quidem in proportione ad hoc iuſtum, & ideo in quibuſdam caſibus iuſtum eſt non ſervare leges iuſtas, reſpicientes aliqua iuſta partialia, quando ſcilicet obſervatio earum vergeret in detrimentum iuſti publici, ſcilicet bene eſſe Republica: ita Deus ſimpliciter determinatur ad iuſtum publicum communitatis, non ut communitate aggregationis, ſicut in civitate; ſed communitate eminentis continentia, quod eſt iuſtum condecens bonitatem ſuam. Omne autem aliud iuſtum eſt particulare, & nunc hoc iuſtum, nunc illud iuſtum ſecundùm quod ordinatur, vel convenit huic iuſto.* Hactenus Scotus.

Ut etiam ſubinde judex humanus.

Scotus.

103. An Juſtitia Dei ſit virtus diſtincta ab ejus voluntate? Felix.

Ex his colligit Felix de voluntate Dei cap. 7. diffic. 4. n. 4. in fine juſtitiam Dei non eſſe virtutem à voluntate diſtinctam; nam, inquit ille, cùm habitus naturaliter inclinent in ſuos actus, v. g. habitus juſtitiæ vindicativæ ad vindicandum, ſi Deus non vindicet, quod efficere poteſt, efficiet contra juſtitiam.

Sed hæc collectio non placet; quippe juſtitia vindicativa non inclinat ad vindicandum in quocumque caſu, ſed tunc ſolùm, quando bonum commune, vel alia juſta ratio contrarium non exigit aut permittit; cæteroquin neque in homine dabitur juſtitia diſtincta ab ejus voluntate, cùm, ut dictum eſt, etiam Legiſlator humanus aliquando poſſit juſtè non vindicare, ſed parcere malis, ſcilicet quando juſta ratio ſubeſt.

Digitized by Google

ſubeſt. Hæc de juſtitia Dei ſatis ad præſens propoſitum.

104. ... peccator ex ſtricta juſtitia ... neatur jus ei repara...

Revertor ad peccatorem, qui, quoniam omne peccatum eſt propriè injuria in Deum, videtur teneri ex ſtricta juſtitia jus Dei læſum reparare: ergo Pœnitentia eſt actus juſtitiæ ſtrictè dictæ, ſive juſtitiæ commutativæ; ſicut in humanis juſtitia, quæ movet ad non furandum, movet pariter ad reſtituendum, quando factum eſt furtum.

...on omni ...ecato ...ortali fit ...juria Deo.

Reſpondeo breviter: Non omni peccato etiam mortali infertur Deo injuria ſtrictè dicta, ſive realis, ſive perſonalis, ſaltem notabilis. Probatur; quia Deus in præcipiendo non ſemper utitur dominio proprietatis, quod habet; ſed aliquando, imò ordinariè ſolo dominio juriſdictionis; quia omnia, aut ſaltem plæraque præcepta divina poſita ſunt per modum legis naturalis aut poſitivæ, lex autem ut lex procedit à poteſtate juriſdictionis, & ex illa ſola obligat; ſicuti ergo non peccat contra juſtitiam, qui tranſgreditur legem humanam in materia temperantiæ, ita nec qui violat præceptum ſeu legem divinam in eadem materia.

105. ...eus non ...enſetur ...xigere actum præceptum ...amquam ...debitum ex ...ſtricta juſtitia.

Et quamvìs Deus poſſet eandem materiam exigere tamquam ſibi debitam ex ſtricta juſtitia, utpote dominus proprietatis omnium noſtrarum actionum, quod non convenit Legiſlatori humano; equidem non præſumitur exigere, niſi amplius declaret.

Sicuti Prælatus Regularis ferens legem propriè dictam, cenſetur tantùm velle obligare ſubditos ex poteſtate juriſdictionis, quamvìs ad eandem materiam poſſet inſuper obligare ex poteſtate dominativa orta ex voto. Et ſicuti Prælatus prohibens Religioſo eſum carnis, cenſetur tantùm velle obligare ex obedientia, licèt poſſet illum actum reddere injuſtum, & contra votum paupertatis, tollendo omnem licentiam circa eſum carnis; hâc quippe licentiâ ſublatâ eſſet contrectatio rei alienæ contra rationabilem voluntatem Domini & Superioris.

106. Quid Deus ſignificet per hæc verba: *Ego Dominus.*

Nec obſtat, quòd Deus in præcipiendo ſæpiùs utatur illis verbis: *Ego Dominus*; per hæc enim ſolùm ſignificare vult ſe attendere ad ſupremum ſuum dominium, ex quo tamquam ex radice oritur poteſtas legiſlativa. Præterea dominium juriſdictionis eſt etiam verum dominium, & qui illud habent, verè Domini ſunt & communiter vocantur. Denique illis verbis proponit nobis dominium & poteſtatem phyſicam, quam habet ad puniendum, ut ſaltem ex timore pœnæ cohibeamur à tranſgreſſione legis.

Exemplum ſit, ſi Legiſlator humanus qui ſimul eſt dominus, uteretur ſimilibus verbis dicens: *Ego dominus veſter præcipio ut omnes tali die laborent in vinea mea*, non ſatis ſignificaret ſe velle obligare ſervos ſuos ex dominio proprietatis, & ideo ſi aliquis ipſorum non laboraret, nullam faceret Domino injuriam, ſed ſolùm peccaret contra obedientiam: cùm enim illa verba ad minus ſint ambigua, & Dominus clariùs potuerit ſuam mentem ſervis ſignificare, contra Dominum interpretatio eſt facienda, argumento Reg. 57. de Reg. juris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.* Ergo ſimiliter in Deo. Reg. 57. de Reg. Iuris in 6.

Reſpondet Dicaſtillo hìc diſp. 1. n. 73. eſſe impoſſibile id non exigi ex jure, quod Deus habet, ut ejus voluntas præcipientis impleatur. Ratio eſt; quia ea obligatio ſervandi tale jus reperitur in omni præcepto Dei præcipientis. Ita ille. 107. Reſponſio Dicaſtillonis.

Sed quis hoc negat? Nonne etiam Legiſlator humanus habet jus ut præceptum ejus impleatur? Quis propterea dicit quodlibet peccatum contra legem humanam eſſe injuſtitiam propriè & ſtrictè dictam? Hactenus nemo id dixit.

Interim ſic declarat ſuam rationem Dicaſtillo: Eo ipſo (inquit) quòd Deus tamquam Legiſlator velit ut aliquid fiat, vel non fiat, ibi involvitur, aut neceſſariò oritur illa obligatio ſervandi Deo illud jus, quod tamquam Dominus habet, ut impleatur, & fiat ejus voluntas. Hæc enim obligatio ex natura rei reperitur in omni præcepto, eo ipſo quod obligat; ita ut ſi præceptum ſit juris naturalis, & nullo præcipiente ex ſe obliget, etiam nullo præcipiente, aut exigente tale jus, oriatur obligatio illud ſervandi; immo (ut rectiùs loquar) ſicut præceptum juris naturalis non dependet ab aliquo præcipiente, aut exigente Legiſlatore, ſed ex ſe obligat, & non ideo obligat, quia præcipitur, ſed ſi præcipitur, ideo præcipitur, quia obligat; ita & obligatio ſervandi tale jus Deo, non ideo eſt, quia à Deo exigitur, ſed potiùs ideo exigitur à Deo, quia ex natura rei eſt. Hucuſque ille. 108. Ejus declaratio.

Fateor Deum ex natura rei habere jus dominii in omnes noſtros actus, etiam non præceptos, adeò quòd eo ipſo quo ſunt, vel fiunt, pleno jure ad eum pertineant; ſicuti Dominus temporalis habet jus dominii in omnes operas ſervi ſui hoc ipſo quo ſunt vel fiunt; ſed numquid indè bene ſequitur; ergo omiſſiones illorum actuum ſunt injuſtæ? Sanè niſi Dominus temporalis illas operas exigat titulo illius dominii, planum eſt omiſſiones illarum neutiquam eſſe injuſtas. Et verò poſſe illas operas exigere ex ſolo titulo juriſdictionis, & cedere jure ſuo dominativo, ut ſic loquar, nemo inficiatur. Ergo conſimiliter ſentiendum de Deo. 109. Deus habet jus dominii in omnes noſtros actus.

Negat Conſequentiam Dicaſtillo ſuprà n. 74. aſſerens Deum non poſſe cedere tali jure; atque adeò non poſſe non exigere: ergo ſi ex uno capite tale jus eſt, & ex alio Deus illo non cedit, ſemper fit contra illud. 110. An Deus poſſit cedere illo jure?

Con-

Digitized by Google

Negat Dicaſtillo, & confirmat à ſimili in Matrimonio.

Confirmatur à ſimili de Matrimonio, in quo, quia jus, quod habet conjux in corpus alterius, ut fides conjugii ſervetur, & corpus alteri non tradatur, eſt indefectibile, non poteſt non habere locum obligatio illa, neque locus poteſt eſſe ceſſioni, aut non exigentiæ. Sed in noſtro caſu jus hoc & dominium divinum multò magìs indefectibile eſt, quàm jus & dominium Matrimonii: ergo multò minùs poteſt ceſſare talis obligatio, ratione alicujus ceſſionis, aut non exigentiæ, quam repugnat Deum habere. Hucuſque Dicaſtillo.

111. Prima reſponſio.

Reſpondeo, fortè conjugem poſſe cedere juri ſuo, ita quòd ipſi non fiat injuria per adulterium compartis, quamvìs fiat injuria Sacramento & Deo.

Reſpondetur 2.

Reſpondeo ſecundò, multa Deum poſſe facere, quæ non poſſunt homines, qui habent ſupra ſe Legiſlatorem Deum. Neque propterea deficit dominium Dei, ſed duntaxat Deus non utitur dominio ſuo, veluti quando nihil præcipit. Quòd autem debeat uti illo dominio, quando præcipit, hoc eſt quod debet probari, & non ſatìs probatur ſimili jam allato: potuit enim Deus, & fortaſſis voluit ceſſionem illius juris matrimonialis reddere invalidam; ceſſionem autem juris divini an fortè voluit, aut potuit invalidare Dicaſtillo? Ego, inquit Sapiens Eccle. 8. v. 2. 3. & 4. *os regis obſervo, & præcepta iuramenti Dei. Ne feſtines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo; quia omne quod voluerit, faciet, & ſermo illius poteſtate plenus eſt; nec dicere ei quiſquam poteſt: Quare ita facis?*

112. Reſponſio Dicaſtillonis ad exemplum Legiſlatoris humani.

Cæterùm ad exemplum Legiſlatoris humani, qui ſimul eſſet Dominus, & exemplum Prælati, quibus ſuperiùs uſi fuimus pro noſtra ſententia, Reſpondet Dicaſtillo n. 75. ut omittam alias diſparitates, quæ in his & ſimilibus exemplis in hac & in aliis materiis reperiuntur; quando volunt aliqui res ſcholaſticas, & maximè quæ Deum concernunt, ad ea quæ inter homines contingunt concionatorio magìs quàm ſcholaſtico more revocare, ut hæc (inquam) omittam, ſufficit nobis ea diſparitas, quòd illæ rationes, obligationes & jura ſint in illis exemplis ſeparabilia; ſecùs verò in noſtro negotio. Nam illud jus & obligatio neque eſt, neque eſſe poteſt ſine obligatione præcepti, neque ſeparari poteſt à peccato aliquo, atque adeò neque à præcepto, cùm peccatum ſit dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei. Ita Dicaſtillo.

113. Rejicitur ab Auctore.

Quàm acutè! Siquidem alios reprehendit in eo, in quo ipſe numero præcedenti defectuoſus eſt (ſi argumentatio ab homine ad Deum defectus vocandus ſit) ut patet ex verbis ſuprà relatis; & præterea inſigniter petit principium: hoc enim eſt quod quæritur, an in Deo illa jura ſint ſeparabilia, ſicut in homine, an verò inſeparabilia. Porrò eſſe inſeparabilia, nullatenus probatur ratione jam adductâ; ſiquidem non controvertitur an poſſit eſſe obligatio dominii proprietatis, ſine obligatione præcepti, nam liquidò conſtat quòd non; ſed an poſſit peccatum & præceptum ſeparari ab illo dominio & obligatione: non poſſe autem ſeparari, ſupponitur quidem à Dicaſtillone, ſed minimè probatur; vel ſi hoc aſſerendo Dicaſtillo probavit, ego negando refutavi.

Dices; communiter Theologi & Sancti Patres vocant peccatum injuriam Dei. Reſpondeo, prout opponitur injuria juri communiori; ſicut dicimus Prælatum habere jus obedientiæ in ſubditum, & fieri ipſi injuriam, ſi non obediatur ejus præceptis: & ſicut pauper dicitur habere jus ad eleëmoſynam divitum &c. 114.

114. Quâ ratione PP. vocent peccatum injuriam Dei.

Peccator tenetur Deo ſatisfacere ex virtute charitatis.

Si inferas: ergo peccator non tenetur ſatiſfacere Deo. Reſpondeo negando Conſequentiam, & dico hanc obligationem oriri non ex juſtitia ſtrictè dictâ, ſed ex virtute charitatis, quæ ſicut obligat ad amicitiam divinam, ita quoque ad tollenda omnia impedimenta amicitiæ, ſive ad tollendam inimicitiam, quæ neceſſariò reſultat ex peccato. Præterea oritur hæc obligatio ex charitate propria, ex gratitudine, & aliis virtutibus, quæ dictant hominem non debere habere Deum offenſum.

115. Objectio. Solvitur.

Urges: Deus habet ſtrictum jus juſtitiæ ad ſuam amicitiam, quale non habet Legiſlator humanus. Reſpondeo negando Aſſumptum; ſolùm quippe obligamur ad amicitiam Dei ratione præcepti Charitatis: *Diliges Dominum Deum tuum*, quod non eſt præceptum juſtitiæ, cùm non conſtet Deum ex dominio proprietatis illum amorem exigere, quamvìs poſſet exigere. Unde qui Deum odio habet, non utitur re alienâ, ſcilicet illâ operatione, invito Domino formaliter ut Domino proprietatis, ſed tantummodo ut Superiore, & per conſequens non peccat contra juſtitiam.

Sicuti ſervus Prætoris, ut maneamus in exemplo ſuprà poſito, agens iter contra prohibitionem communem, non peccat peccato injuſtitiæ, quia Prætor hoc illi non prohibuit ut Dominus proprietatis, ſed ſolummodo ut Superior; jam autem ſervitus non obligat ad reddendum ex juſtitia, niſi id quod Dominus exigit ex dominio proprietatis.

116. Occurritur objectioni. Lugo.

Nec obſtat quòd Scriptura pluribus locis dicat hominem ſervire Deo, & SS. Patres paſſim noſtram obedientiam appellent ſervitium Domino debitum; non obſtat, inquam, quia, ut bene notat Lugo de Incarnatione diſp. 3. n. 119. ſervitium non tantùm accipitur pro obſequio debito ex juſtitia exigente Domino jure dominii, ſed etiam aliquando pro quolibet obſequio præſtito à ſervo reſpectu Domini, licèt non ex obligatione juſtitiæ: nam ille etiam, qui ſervat caſtitatem, & alia conſilia, ad quæ nullo modo obligatur, dicitur ſervire Deo; immo & Reges temporales poſtulantes aliqua à ſub-

Servitium aliquando accipitur pro omni obſequio etiam non debito ex juſtitia.

Digitized by Google

ſubditis, ad quæ nec eos obligant, nec poſſunt obligare, id poſtulant nomine ſervitii ratione dignitatis & perſonæ quam gerunt.

Quomodo homo dicatur ſervire Deo?

Quando ergo homo dicitur ſervire Deo, id non debet intelligi in omni rigore, quaſi ſemper exhibeat illud ad quod ex ſtricta juſtitia tenetur; ſed quòd exhibeat obſequium vero Domino, ſive ex debito juſtitiæ, vel obedientiæ, ſive ex ſupererogatione, præſertim cùm omnes hominis operationes, quocumque titulo fiant, eo ipſo quò ſunt, ſpectent ad plenum dominium Dei.

117. Quo titulo obſequium Dei ſit ſervitium?

Adde, inquit Eminentiſſimus, obſequium Dei eſſe ſervitium alio titulo; quia licèt non exigatur ex juſtitia, præcipitur tamen ex dominio imperativo, non ſolùm politico, ſed etiam deſpotico, quod non reſpicit utilitatem ſubditi ſicut politicum. Deus namque ratione dominii proprietatis habet titulum præcipiendi ſubditis attendendo ad ſolam ſui ipſius complacentiam.

Et de hoc ſervitio intelligi poſſunt Sancti Patres, cùm dicunt noſtrum obſequium exigi à nobis jure famulatûs & ſervitutis; quoniam in noſtra ſervitute, & dominio proprietatis Dei, fundatur poteſtas juriſdictionis præcipiendi deſpoticè, id eſt, independenter à conſideratione noſtræ utilitatis. Interim hoc præceptum non neceſſariò excedit obligationem obedientiæ.

Quo ſenſu dicantur ſervi, qui ſervant præcepta Dei.

Eodem ſenſu, qui ſervant præcepta Dei, dicuntur ſervi inutiles, juxta illud Chriſti Luc. 17. v. 10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Quod debuimus*, inquit, ratione ſervitutis jam explicatæ; vel etiam, *Servi inutiles ſumus*, quia ſolùm fecimus quod præceptum erat, & per conſequens ad quod tenebamur, adeòque non auximus bona creditoris noſtri Dei & Domini.

118. An omne peccatum ſit notabilis inhonoratio Dei,

Ultimò objicitur, omne peccatum eſt inhonoratio Dei: ergo eſt contra juſtitiam non minùs quàm inhonoratio cujuſcumque hominis rationabiliter inviti.

Reſpondeo negando Antecedens, intelligendo illud de inhonoratione notabili, patet in peccato, quod ſolùm committitur ex aliqua fragilitate, ſicut enim iſtud non eſt inhonoratio notabilis, neque injuria ſtricta, tametſi fiat in conſpectu Legiſlatoris humani; conſimiliter nec erit inhonoratio notabilis, aut injuria ſtricta, tametſi fiat in conſpectu Legiſlatoris divini, ſive Dei.

Tranſgreſſio legis humanæ aliquando eſt injuria perſonalis;

Et per conſequens quemadmodum tranſgreſſio legis humanæ in conſpectu Legiſlatoris humani poteſt aliquando eſſe injuria perſonalis ſive vera læſio honoris ejus, quando videlicet fieret ex formali contemptu auctoritatis legiſlativæ & vilipenſionis Legiſlatoris, ut ſic apud alios generaretur indigna de ipſo exiſtimatio, ita procul dubio omne peccatum ex ſimili intentione factum erit vera injuria reſpectu Legiſlatoris divini ſive Dei, & tenebitur peccator ad reſtitutionem damni, id eſt, honoris Deo ablati, auferendo illam falſam exiſtimationem de Deo à ſe, vel ab aliis, verè ac dignè de ipſo exiſtimando, & adlaborando, ut alii verè & dignè de ipſo exiſtiment.

vel etiam tranſgreſſio legis divinæ.

Itaque ſolum peccatum, quod eſt vera contumelia reſpectu Dei, erit injuria perſonalis ſtrictè dicta, quod libenter admittimus; interim negantes illam malitiam contumeliæ ſaltem notabilem in omnibus peccatis inveniri, quamvis omnia peccata fiant in conſpectu Dei, etiam occultiſſima.

119. An detur juſtitia ſtrictè dicta noſtri ad Deum? Sententia negans probatur 1. Probatur 2.

Putant hìc aliqui non dari juſtitiam ſtrictè dictam noſtri ad Deum. Probant primò; quia non poteſt eſſe datum & acceptum inter nos & Deum, cùm nihil ipſe ex nobis accipere poſſit in ſuam utilitatem, quod quidem eſt juſtitiæ ſaltem commutativæ materia. Secundò; quia comparamur ad Deum, ſicut Filius ad Patrem, inter quos non eſt juſtitia. Ita Vaſquez hìc q. 85. art. 7. dubio unico n. 5. — *Vaſquez*

120. Secunda probatio refutatur.

Verùm hæc ultima ratio apertè deficit: nam filius habet verum dominium & proprietatem bonorum caſtrenſium & quaſi caſtrenſium, adeò quòd pater uſurpans ea contra rationabilem voluntatem filii, peccet vero peccato injuſtitiæ, & teneatur ad reſtitutionem. Et verò filius ſi occideret patrem, ſi patrem rationabiliter invitum bonis ſuis ſpoliaret, putas quia non peccaret contra juſtitiam, aut non teneretur ad reſtitutionem? Nemo ſanæ mentis poteſt dubitare; quomodo ergo non eſt juſtitia inter patrem & filium etiam non emancipatum?

Vel ſi quoad iſtos actus cenſetur implicitè emancipatus; quidni etiam peccator, violenter quaſi auferens Deo honorem ſibi debitum, irrogando contumeliam, quoad iſtum actum cenſeatur moraliter quaſi ab ipſo independens (quamvìs verè dependeat) cùm ita ſe gerat ac ſi nullatenus ab ipſo dependeret?

121. Reſpondetur ad primam probationem.

Ad primam rationem Reſpondeo, eam nimiùm probare (qui autem nimiùm probat, nihil probat) nempe bona extrinſeca Dei non eſſe materiam charitatis & amicitiæ erga Deum, immo nec fidelitatis; ſicut enim juſtitia inclinat ad ſervandum jus alienum circa bonum commodum & utile; ſic itidem amicitia ad illud deſiderandum amico, ſic fidelitas ad implenda promiſſa circa idem objectum, nam de re indifferenti votum non obligat: jam autem ex charitate & amicitia deſideramus Deo gloriam extrinſecam, & tenemur

Digitized by Google

mur ex fidelitate implere, quod Deo promiſimus, pertinens ad eamdem gloriam: ergo poterit etiam juſtitia inclinare ad ſervandum jus Dei circa hæc bona extrinſeca.

122. Alia probatio quorumdam DD.

Neque majoris momenti cenſeo aliorum quorumdam Doctorum rationem, puta, quia jus Dei circa opera noſtra non poteſt à nobis lædi, cùm voluntas humana magìs ſit in poteſtate Dei, quàm in poteſtate hominis, juxta illud Divi Auguſtini lib. de corrept. & gratia cap. 14. *Deus magìs habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas ..... ſic enim velle vel nolle, in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem*; adeò ut Deus, ſicut idem Sanctus Doctor ait lib. de grat. & lib. arbit. cap. 20. *Non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis: verùm etiam illas, quæ conſervant ſæculi creaturam, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſcumque præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas, ſicut ipſe judicat, occultiſſimo quidem judicio, ſed ſine ulla dubitatione juſtiſſimo.* (S. Aug.)

Cùm igitur Deus pro libitu ſuo poſſit uti operibus noſtris, poſſit efficaciter determinare voluntates hominum ad quemlibet actum, illumque deſtruere, rurſumque reproducere, ſcienti utique & volenti non videtur fieri ulla injuria.

123. Reſpõdetur jus Dei poſſe aliquando à nobis lædi. Lugo.

Reſpondet Lugo de Incarnatione diſp. 3. n. 65. Jus Dei poſſe aliquando à nobis lædi, ſcilicet exigente Deo ex dominio proprietatis, ut cum tali auxilio eliceamus actum amoris, & nobis diſſentientibus huic præcepto; tunc enim verè impedimus Deum ab illo actu cum illo auxilio obtinendo, ad quem actum non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam per tale auxilium habet jus ratione ſupremi dominii.

quod non repugnat perfectiſſimo dominio Dei.

Neque hoc repugnat perfectiſſimo dominio Dei. Primò, quia dominium morale non includit poteſtatem phyſicam utendi re ſuâ, ut per ſe clarum eſt, ſed ſolùm moralem, id eſt, poteſtatem exigendi eam ſine injuria alterius. Secundò, dominium phyſicum perfectiſſimum non includit poteſtatem phyſicam utendi omni re ſuâ ſine cooperatione alterius; illa quippe potiùs eſſet imperfectio ejus, eò quòd excluderet uſum cauſarum liberarum. Sicuti ergo Deus non poteſt ſine noſtra cooperatione cauſare actum liberum, neque hoc arguit imperfectionem in Deo; ita etiam non arguit imperfectionem, quòd non poſſit cum tali auxilio obtinere actum v. g. amoris ſine libera hominis cooperatione.

124. Tali caſu Deus ſimpliciter eſt nolens. Pſalm. 5.

Quantùm ad commune dictum: *Scienti & volenti non fit injuria*, dico, Deum ſimpliciter eſſe nolentem: *Quoniam*, inquit Pſalmiſta Pſal. 5. v. 5. *non Deus volens iniquitatem tu es.* Quis autem catholicè poteſt dubitare, quin actus vel omiſſio contra præceptum divinum ſit iniquitas? Et quamvìs abſolutè poſſet impedire hujuſmodi actum, vel omiſſionem, etiam ſalvâ libertate hominis, dando gratiam efficacem, equidem non tenetur; adeòque moraliter loquendo non ſe habet perinde ac ſi conſentiret.

Nonne Princeps, qui juſtiſſimis adductus cauſis, non impedit uſuras, fornicationes &c. moraliter cenſetur illas velle? Patet quòd non: ergo conſimiliter Deus, qui indubiè juſtiſſimis de cauſis permittit peccata hominum, etiam quibus directè læditur contra juſtitiam proprius honor, nullatenus debet dici ſciens & volens reſpectu illorum peccatorum, eſtò abſolutè illa poſſet impedire, & concurrat effectivè ad phyſicam entitatem etiam immediatè.

Probatur exemplo Principis qui permittit uſuras.

Proinde licèt Deus non velit efficaciter v. g. amorem præceptum ex dominio proprietatis, in caſu quo ab homine omittitur, non ideo tamen cenſetur velle illam omiſſionem in quantum eſt contra præceptum, & in quantum eſt contra juſtitiam, ſic enim vellet iniquitatem, quod hæreticum eſt. Igitur qui omittit hujuſmodi actum, id facit nolente ſive invito Domino: ergo peccat contra juſtitiam.

Atque ut Deus haberet ſimul voluntatem obligandi, & voluntatem actûs contrarii, adhuc fieret Deo vera injuria. Probatur à ſimili: Judex humanus poteſt ex induſtria aperto cubiculo ſuo obſervare latronem introëuntem ad furandum, ut ita habeat occaſionem illum capiendi & puniendi; num ideo dixeris illud non eſſe verum furtum, aut non fieri veram injuriam iſti judici, quia cùm poſſet abſolutè impedire, non impedivit? 125.

Exemplum judicis qui ex induſtria aperit cubiculum ut obſervet furem.

Audi quid dicat Lex penultima ff. de Furtis: *Si quis cùm ſciret quid ſibi ſubripi, non prohibuit: non poteſt furti agere*, Paulus: *Immo contrà; nam ſi quis ſcit ſibi rapi, &, quia non poteſt prohibere, quievit, furti agere poteſt: at ſi potuit prohibere, nec prohibuit, nihilominus furti aget.* Sufficit ergo voluntas Domini, quâ videns furem rem ſuam ſurripere, vult adhuc retinere jus ad ipſam rem, eſtò ſimul velit ipſum furtum.

Lex penult. ff. de furtis.

Confirmatur; quia ad verum peccatum inobedientiæ ſufficit voluntas obligandi, eſtò Prælatus præcipiens potiùs deſideraret inobedientiam ſubditi: ergo ſimiliter voluntas Domini, cui opponitur injuſtitia, non debet eſſe abſoluta, & efficax retinendi rem ablatam, ſed ſufficit voluntas retinendi jus in rem ablatam; per conſequens ut fiat vera injuria Deo, ſufficit voluntas ejus obligandi hominem ad talem actum v. g. amoris, cum voluntate retinendi jus ad illum actum, quem homo poſſet elicere ſi vellet, etſi Deus ex ſua parte efficaciter illum non velit. Alioquin non fieret injuria 126.

Ad peccatum inobedientiæ ſufficit voluntas obligandi, eſto Legiſlator deſideraret inobedientiam.

injuria ſolventi uſuras, cùm hic non habeat abſolutam voluntatem phyſicè retinendi rem ſuam.

127. Objectio ſolvitur à Lugone.

Si dicas, ſaltem requiritur voluntas retinendi rem ſi commodè poſſet. Contrà, inquit Lugo de Incarnat. diſp. 3. n. 76. qui ex metu alicujus mali juſtè inferendi donat copioſam pecuniam ut malum vitet, vellet retinere pecuniam ſi commodè poſſet, & tamen non patitur injuriam ab accipiente & retinente; ergo non ſufficit voluntas retinendi rem, ſi commodè poſſet, ut fiat injuria, ſed requiritur voluntas abſoluta retinendi jus, quæ ſi adſit, licèt non detur voluntas abſoluta rei, dari poterit injuria. Hæc ille.

Sed ſolutio diſplicet Auctori.

Sed parùm ad rem: non enim volunt Adverſarii quòd ſufficiat ſola voluntas retinendi rem, ſi commodè poſſet, ut fiat injuria, ſed ita ſi acceſſerit juſtus titulus retinendi, ubi autem ille invenitur, cenſent hi Auctores Dominum cedere jure ſuo, ſi alteri tradat rem ſuam, quando commodè poteſt eam retinere, ſecùs quando commodè non poteſt eam retinere. Et ſanè in foro externo aliud judicari nequit.

128. Approbatur ſimile Lugonis.

Magìs ad propoſitum facit ſimile, quod ibidem ſubjungit Eminentiſſimus dicens: Qui ex odio equi feroxis, quem non vult retinere, vendit eum, non habet voluntatem abſolutam retinendi equum, & tamen emptor irrogaret injuriam, ſi eum gratìs acciperet, non ſoluto pretio: ideo ſanè quia venditor non vult utcumque equum eſſe apud emptorem, ſed cum onere ſolvendi pretium; ſic etiam, qui videns furem non impedit, non vult utcumque furem habere rem furtivam, ſed cum onere reſtituendi, & ut rem alienam: ergo illa voluntas non impediendi, non tollit rationem furti, & injuriæ, ſi adſit voluntas retinendi jus circa rem illam. Hucuſque Cardinalis.

Deus habet juſtiſſimas cauſas non impediendi peccata.

Quod maximè verum eſt, quando ille fur non poteſt commodè impediri, id eſt, quando adſunt juſtæ cauſæ non impediendi furem. Cùm ergo Deus juſtiſſimas habeat rationes non impediendi ſemper peccata hominum, ſive quæ ſunt contra juſtitiam, ſive aliam quamcumque virtutem, eſtò non habeat abſolutam voluntatem actûs præcepti, non ideo peccator excuſatur ab injuſtitia, ſi actum præceptum ex dominio proprietatis omittat, quem aliàs poſſet ponere ſi vellet.

Una cauſa aſſignatur ex D. Aug.

Rogas quæ ſint illæ juſtiſſimæ cauſæ? Unam inter cæteras aſſigno ex Divo Auguſtino lib. 14. de Civit. cap. 27. *Quis*, inquit, *audeat dicere ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre: atque ita quantum mali eorum ſuperbia, & quantum boni ſua gratia valeret, oſtendere.*

Quæris rurſum, an ſuppoſito peccato injuſtitiæ in Deum, teneatur peccator ſtatim ſatisfacere per actum Pœnitentiæ? Reſpondent ordinariè Doctores negativè; quia (inquit quidam) ex dilatione Deus non accipit aliquod nocumentum, & potiùs agitur de commodo hominis, qui ſatisfacit, quàm Dei, cui ſatisfit. Sed contrà facit, quòd continuetur nocumentum prius illatum; ergo ferè æquale nocumentum accipit Deus ex dilatione ſatisfactionis, quàm ex primo peccato. 129.

An ſuppoſito peccato injuſtitiæ teneatur peccator ſtatim ſatisfacere?

Ideo alii reſpondent, non eſſe obligationem reſtituendi, quoniam peccator non poteſt reſtituere in individuo illud, quod injuſtè abſtulit; in æquivalenti autem non tenetur ex juſtitia, quia hoc poteſt Deus quoties voluerit, ſine ullo incommodo recuperare, quod idem eſt moraliter, ac illud in bonis ſuis habere; jam autem juſtitia ſolùm obligat ad reſtituendum æquivalens, quando creditor habet minus in bonis ſuis, quàm debet habere; v. g. non teneor reſtituere pro damno illato Petro, ſi ipſe habeat totam meam ſubſtantiam, ex qua poteſt ſibi ſatisfacere ſi velit.

Quidquid ſit de his rationibus, conſtat liquidò ex communi ſenſu & praxi fidelium, Pœnitentiam per ſe non obligare ſtatim poſt peccatum commiſſum, tametſi ſcriptum ſit Eccleſi. 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* 130.

Pœnitentia per ſe non ſtatim obligat.

Ex quo nonnulli inferunt Pœnitentiam non eſſe actum juſtitiæ ſtrictè dictæ ſive commutativæ, utpote cui proprium eſt, ut debito ipſius ſtatim quantum fieri poteſt ſatisfiat, niſi vel contrarium conſtet de mente creditoris, qui indubiè poteſt concedere dilationem reſtitutionis, vel aliqua juſta cauſa excuſans ſuperveniat.

ex quo aliqui inferunt eam non eſſe actum juſtitiæ ſtrictè dictæ.

Porrò Deum ceſſiſſe jure ſuo, unde conſtat, cùm ex Scriptura mox allegata potiùs colligatur contrarium? Deinde ſi ceſſit jure ſuo ad Pœnitentiam, quare non etiam ad primam læſionem, cùm eadem ſit fragilitas ad cadendum, quæ eſt ad non reſurgendum? Denique Pœnitentia etiam verſatur circa venialia, & tamen non eſt obligatio ſatisfaciendi in hac vita pro illis peccatis.

Reſpondent Adverſarii ad primum, ex illa Scriptura tantùm colligi gratius fore Deo, ſi peccator ſtatim ſatisfaciat per Pœnitentiam, interim permittere cum aliqua temporis latitudine dilationem ſatisfactionis, dummodo non elabatur tempus aliquod præſcriptum, vel peccator incidat, vel exponat ſe periculo incidendi in impotentiam ſatisfaciendi. Unde verbis allegatis extemplò ſubjungit Scriptura: *Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* 131.

Contrarium oſtenditur poſſibile.

Ad Secundum inter cæteras diſparitates dicunt hanc ſufficere, quòd prima læſio fiat per peccatum in propria ſpecie malitiæ, quæ, ſuppoſitâ lege, non poteſt non eſſe malitia: at verò poſt peccatum ex eo quòd Deo concedente inducias, non ſtatim ſequatur ſatisfactio, non involvitur peccatum neceſſariò.

Ad Tertium inquiunt, debitum juſtitiæ poſſe non obligare pro aliquo tempore, ſed ad ſatisfaciendum in certa quadam occaſione, aut certo quodam genere ſolutionis Sic Titius debere poteſt Caio centum ſolvenda ſolùm ex teſtamento, & poſt mortem, & in tali materia, niſi Titius ſponté ſatisfecerit antea. Nec tamen ideo illa compenſatio deſinit eſſe compenſatio juris juſtitiæ.

Et dato quòd Deus poſt mortem gratis remitteret peccatum veniale, hoc non tollit, quin peccatum veniale ſit contra jus Dei, quoniam in debito rigoroſæ juſtitiæ poteſt eſſe locus vel ſatisfactioni, vel remiſſioni. Poſſibilitas ergo eſt oſtenſa.

132. non tamen factum. Fateor. Sed numquid etiam factum? Sicut antea dixi, conſtat ſatis ex commui ſenſu, & praxi fidelium, Pœnitentiam non obligare ſtatim poſt peccatum; an autem ex natura rei obligaret, ſecluſâ ſpeciali permiſſione Dei, puto verius quòd non. Ideòque rurſum dico & concludo, Pœnitentiam non eſſe actum juſtitiæ commutativæ ſtrictæ, præſertim cùm debitum peccati mortalis ex natura ſua tale ac tantum ſit, ut purus homo nequeat vel ex parte, vel ex toto ad æqualitatem pro illo ſatisfacere.

Si autem à me quæritur, cujus ergo virtutis actus ſit Pœnitere; citiùs Reſpondeo:

CONCLUSIO IV.

Pœnitere eſt actus juſtitiæ vindicativæ.

133. Concluſio eſt Scoti. COlligitur ex dictis præcedenti Concluſione, & eſt expreſsè Scoti 4. diſt. 14. q. 2. n. 8. ibi: *Eſt ergò iſte actus* (Pœnitentiæ) *juſtitia punitiva*, id eſt, vindicativæ. Unde

Probatur ex lib. de vera & falſa pœnitentia. Auctor lib. de vera & falſa Pœnitentia apud Divum Auguſtinum definit cap. 8. Pœnitentiam: quòd ſit *dolentis vindicta puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.*

Et verò Sacramentum Pœnitentiæ nonne tribunal eſt juſtitiæ? Nec alterius quàm vindicativæ. Sic quippe loquitur Concilium Tri-

& Concil. Trid. dentinum ſeſſ. 14. c. 2. *Nam hos* (baptizatos) *ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſia Catholica nullâ ratione liceat, ſed ante hoc tribunal tamquam reos ſiſti voluit.* Et infrà: *Ad quam tamen novitatem & integritatem* (puta plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem) *per Sacramentum Pœnitentiæ, ſinè magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente juſtitiâ* (vindicativâ) *pervenire nequaquam poſſumus.*

Præterea cap. 5. ejuſdem ſeſſionis inſinuat, peccatorem publicè poſſe confiteri ſua peccata in eorum vindictam; hæc ſunt verba Concilii: *Cæterùm etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem; delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen* &c.

Denique de operibus ſatisfactoriis ita ſtatuit cap. 8. *Habeant* (Sacerdotes) *præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.*

Etenim, ut ibidem ait, *Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritûs Sancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint.*

Ex his ſic argumentor: Deus ex juſtitia vindicativa ordinat peccatum per pœnam, & actus pœnitentiales in hoc Sacramento; ſed idem eſt finis exequentis pœnam, ſeu miniſtri ex una parte, & ipſius judicis ex altera: ergo virtutis Pœnitentiæ finis proprius eſt vindicare. Minor probatur; quia miniſter ut ordinatè procedat, debet procedere ex fine legis, & Legiſlatoris, cùm is ſit finis poteſtatis miniſterialis, qui eſt principalis cauſæ delegantis. 134. Probatur ex ratione.

Si dixeris cum nonnullis, peccator pœnitens non eſt miniſter exequens pœnam in ſeipſum; contrà facit, quòd in hoc judicio idem ſit reus & accuſator, quidni etiam idem poſſit ſuſtinere perſonam rei, & executoris pœnæ? Non dubito quin poſſit. Nonne ſecundùm probabilem opinionem Legiſlator ſuis tenetur legibus quoad vim directivam, & tranſgreſſionem illarum in ſeipſo poteſt (tametſi non debeat) punire tamquam in privata perſona? Nonne ſecum in propriis legibus poteſt diſpenſare? Planè. Ergo nihil repugnat eundem eſſe reum & executorem pœnæ in ſe ipſum. 135. Idem poteſt eſſe reus & executor pœnæ.

Quod clariſſimè apparet in ſatisfactione ſacramentali, aliiſque pœnis impoſitis per legem latæ ſententiæ, quæ neceſſariò requirunt cooperationem rei, quales ſunt omnes cenſuræ, oratio, eleëmoſyna &c. quas proinde reus ut clarè patet in ſatisfactione ſacramentali.

Digitized by Google

reus non tantùm poteſt, ſed etiam tenetur in ſeipſum exequi, niſi aliquid obſtet: tenetur, inquam, non tamquam reus, cui non convenit niſi acceptare ſeu ſuſtinere pœnam, ſed tamquam miniſter publicus per ipſam legem conſtitutus.

Peccator pœnitens tenetur punire peccatum in ſe ipſo. Conſimiliter ergo peccator pœnitens non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur punire peccatum in ſeipſo, non ex auctoritate privata, ſed ex auctoritate Legiſlatoris, Dei videlicet, qui in pœnam cujuſcumque delicti mortalis exigit veram ejus deteſtationem cum propoſito emendationis; adeoque hæc deteſtatio eſt effectus imperatus à voluntate vindicandi, ſive ſervandi legem Dei vindicativam, quæ voluntas eſt actus elicitus ab ipſa Pœnitentia.

136. **Objectio ex Lugone.** Dices cum Lugone hìc diſp. 2. n. 3. Juſtitia vindicativa propriè loquendo ſolùm eſt in judice, vel ſuperiore infligente pœnam, non in ſubdito. **Solvitur.** Reſpondeo, propriè etiam eſſe in miniſtro exequente pœnam, quamvìs ſubordinatè & minùs principaliter, ut patet ex dictis.

Inſtantia ex eodem Auctore. Si inſtes cum eodem Auctore ibidem: Punire ſe pro peccatis non eſt pœnitere propriè loquendo; poſſet enim aliquis velle aſſumere pœnam pro peccatis, & tamen non habere propoſitum non iterum peccandi, nec dolorem de præteritis: Pœnitentia autem propria non poteſt ſine illis eſſe.

Reſponſio. Reſpondeo, talem aſſumptionem pœnæ non fore fructuoſam Pœnitentiam; imò neque veram vindictam pro peccatis præteritis, ſaltem in hac vita, quoniam non ſecundùm leges juſtitiæ vindicativæ à Deo præſcriptas, quæ primò omnium poſtulant dolorem & propoſitum emendationis. Sicuti ergo non colit verè Deum, tametſi habeat voluntatem colendi, qui non adhibet actum internum, vel externum veri cultûs; ſic nec etiam verè pœnitet, neque vindicat, qui non adhibet media à Deo ad hoc ordinata.

137 **Objectio ex Dicaſtillone.** Objicis rurſum, quod habetur apud Dicaſtillonem de Pœnitentia diſp. 1. n. 109. Juſtitia punitiva eſſentialiter reſpicit pœnam, ut pœna eſt, ac proinde non reſpicit actum, qui ſit eſſentialiter voluntarius; res enim quæ eſt pœna, non eſt eſſentialiter voluntaria juxta doctrinam Sancti Thomæ 1. 2. q. 87. art. 2. Pœnitentia autem eſſentialiter reſpicit ſatisfactionem voluntariam, ut voluntaria eſt, ad tollendum maculam & offenſam habitualem; quapropter non eſt juſtitia punitiva propriè loquendo, ſed compenſativa potiùs. Ita Dicaſtillo. Sed quæſtio videtur eſſe de nomine. Quod ad rem ipſam attinet.

Quomodò pœna poſſit eſſe voluntaria ex Scoto. Reſpondet Scotus 4. diſt. 14. q. 1. n. 13. *Omnis pœna eſt involuntaria; verum eſt ſecundùm ſe comparando ad voluntatem ſequentem affectionem commodi, tamen poteſt eſſe voluntaria voluntate antecedente, ſcilicet voluntariâ applicatione cauſarum, ad quas ſequitur. Poteſt etiam eſſe voluntaria, voluntate juſta acceptante, & hoc voluntate ſequente affectionem juſtitiæ: quia ſic acceptat quidquid habet ordinem ad per ſe volendum juſtè: iſta autem triſtitia poteſt eſſe ad aliquid per ſe juſtè volendum.* Pro majori explicatione

138. **Ad deletionem peccati requiritur communiter punitio voluntaria Scot. D. Auguſt.** Nota ex eodem Doctore ibidem n. 10. ad deletionem peccati regulariter requiri pœnam, vel punitionem voluntariam. Probat: *Quia per aliquam punitionem deletur peccatum (ut patet de punitione hominum viatorum) & per aliquam non deletur, ut patet de punitione damnatorum, & de illa pœna, quæ ſtatim ſequitur culpam, juxta illud Auguſtini lib. 1. Confeſſ. cap. 12.* Juſſiſti enim & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus. *Non eſt autem ita probabilis differentia inter punitionem, quâ deletur peccatum, & quâ non deletur; ſicut de voluntario & non voluntario; tum quia punitio damnatorum longè major eſt & intenſivè, & extenſivè, quàm punitio viatoris, cujus peccatum deletur per punitionem: & per conſequens majus & minus in intenſione, & extenſione non facit differentiam inter punitionem delentem peccatum, & non delentem: tum quia ita videmus in offenſis humanis, quòd pœna vel diſplicentia voluntaria, placat offenſum, non autem omnino involuntaria, & cum murmure ſupportata vel ſuſcepta. Ergo rationale eſt, ſi per aliquam pœnam debeat deleri offenſa, & per aliquam non, & differentia quoad hoc non ſit ita probabilis per aliquid ſicut per voluntarium & involuntarium, quòd pœna voluntaria regulariter requiratur ad deletionem peccati.* Ergo ex mente Doctoris Subtilis de ratione pœnæ ut ſic, non eſt quòd ſit involuntaria quocumque modo, licèt communiter dicatur & verè: Sicut nullus peccat in eo quod non vult, ita nec punitur in eo quod vult.

139. **Involuntarium quid ſit? Voluntarium triplex. Scotus.** Si autem ab ipſo quæras, quomodo aliqua pœna poſſit eſſe voluntaria? Reſpondet ſuprà n. 11. *Involuntarium ſimpliciter eſt illud, contra quod voluntas ſimpliciter remurmurat: & per conſequens per oppoſitum voluntarium poteſt intelligi tripliciter. Uno modo contra quod non omninò voluntas remurmurat, ſed patienter ſuſtinet. Secundo modo quod voluntariè acceptat. Tertio modo quod voluntariè cauſat. Et hoc dupliciter; ſcilicet vel ut cauſa proxima partialis & non intendens iſtum effectum, vel ut cauſa remota principalis, & intendens effectum, & ſic habentur quatuor membra.*

Dubitas de hac diſtinctione? *In primis duobus modis* (inquit Scotus ibi) *triſtitia eſt objectum tantummodo volitionis; in tertio eſt effectus tantùm, & non objectum; in quarto objectum & etiam effectus, niſi aliquid impediat.*

140. **Quid ſit pœna ex Scoto.** Rurſum interrogas, quid ſit pœna? *Pœna* (inquit ille) *poteſt intelligi vel quodcumque incommodum, ſive diſconveniens, & illud poteſt eſſe in homine in parte ſenſitiva, vel in corpore conjuncto actus animæ ſenſitivæ: vel poteſt eſſe primum diſconveniens, quod eſt triſtitia, quæ eſt ex parte intellectiva, quæ propriè & primò eſt pœna, de qua dicit* **Quid ſit triſtitia ex D. Aug.** *Augu-*

Digitized by Google

Auguſtinus de Civit. lib. 14. cap. 15. quod triſtitia diſſenſio eſt ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt.

Pœnæ exteriores poſſunt eſſe voluntariæ.

Et quidem pœnas exteriores poſſe eſſe voluntarias, Scoto nulla dubitatio eſt; unde verbis jam relatis illico attexit: *Suppoſito ergo de pœnis exterioribus tamquam de manifeſtis quomodo poſſint eſſe voluntaria quocumque iſtorum quatuor modorum voluntarii.*

141. Idem ſentiendum de triſtitia.

Quin etiam idem ſentiendum eſſe de triſtitia, ibidem declarat, ut ſolet, ſubtiliter. Primò: *Quia malum incommodum* (quale eſt triſtitia) *dum tamen non ſit contra rectam rationem, poteſt non tantùm abſolutè patienter, ſed ordinatè patienter ſuſtineri.*

Secundò: *Poteſt etiam iſtud acceptari in ordine ad aliquem finem, ut dicit Aug. lib. de Pœnitentia: Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.*

Tertiò: *Triſtitia in aliqua voluntate cauſari naturaliter non poteſt, niſi à duabus cauſis concurrentibus, ſcilicet ex actuali nolitione alicuius exiſtentiæ, & actuali apprehenſione illius exiſtentia iuxta deſcriptionem triſtitiæ præmiſſam ab Auguſtino; quidquid ergo eſt cauſa nolitionis, eſt cauſa partialis ipſius triſtitiæ, licèt non intendat per nolitionem cauſare triſtitiam; nec oportet intendere* : quoniam naturaliter conſequitur.

Quartò: *Ex quo triſtitia ſequitur ut effectus naturalis nolitionem actualem alicuius, & conſiderationem actualem iſtius noliti, licèt iſtæ duæ cauſæ multipliciter poßint concurrere, quia ex tot cauſis, ex quot poteſt eſſe talis conſideratio actualis in intellectu, & talis actualis nolitio in voluntate: tamen nihil unum poteſt eſſe cauſa triſtitiæ, loquendo de naturali cauſatione, niſi poßit eſſe cauſa concursûs iſtorum duorum, quæ ſunt cauſæ proximæ naturaliter neceſſariæ: huiuſmodi autem cauſa communis poteſt eſſe voluntas, ut imperans actum conſiderationis, & actum nolitionis eiuſdem obiecti: & hoc ad illum finem intentum, ut ſequatur triſtitia puniens. Ergo voluntas præcipiens intellectui conſiderare aliquid ut actu exiſtens, & voluntati nolle illud ut actu exiſtens, cauſat triſtitiam tamquam una cauſa, etiam intendens iſtum effectum; & hoc non ut proxima, quia non poteſt eſſe una cauſa ſufficiens proxima, ſed cauſat triſtitiam, ut una cauſa remota, quia cauſa eſt proximarum cauſarum reſpectu triſtitiæ, & applicationis earum.* Hucuſque Scotus.

142. Res quæ eſt pœna, poteſt eſſe eſſentialiter voluntaria.

Cæterùm ex nullo capite ſufficienter probatur, rem, quæ eſt pœna, non poſſe eſſe actum eſſentialiter voluntarium (eſtò talis actus non requiratur, ut patet in pœnis exterioribus). etenim quid magìs voluntarium, quàm peccatum? Nam teſte Divo Auguſtino lib. de vera Relig. cap. 14. *Vſque adeò peccatum eſt voluntarium malum, ut nullo modo ſit peccatum* (propriè dictum) *ſi non ſit voluntarium.* Et lib. 1. Retract. cap. 15. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſumma iniquitatis, & inſania eſt.* Num ideo peccatum non eſt pœna peccati?

S. Aug.

Peccatum eſt pœna peccati.

S. Bonav.

Dicendum, inquit Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura 2. diſt. 36. art. 1. q. 1. n. 5. *quod abſque dubio ſicut auctoritates Sanctorum expreſſè dicunt, tenendum eſt, quòd peccatum eſt pœna peccati*; non tantùm cauſaliter ratione læſionis, quam infert, ſed etiam eſſentialiter, ſive ſecundùm id quod eſt. *Nam* (ut ibidem loquitur hic Auctor) *pœna dicit duo, & dicit malum, ſive damnum, & dicit ordinem ad præcedens meritum, & hæc duo contingit reperiri circà ſequens peccatum. Damnificatio enim & nocumentum eſt in ipſo ſecundùm quod peccatum; eo enim eſt peccatum, quo nocet, & magnum malum incurrit quis cùm incidit in peccatum, etiamſi nihil aliud deberet habere poſterius. Ordinationem verò habet in eo quòd ſequens; hoc ipſo enim quod homo eſt in peccato, dignus eſt dimitti cadere in aliud iuxta illud Apocalypſis, ſicut dicitur in Gloſſa:* Juſtum eſt, ut qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. *Concedendum eſt igitur ſimpliciter, quòd peccatum poteſt eſſe pœna peccati, ut expreſſè dicunt auctoritates Sanctorum.*

Pœna dicit duo, malum, & ordinem ad præcedens meritum.

143. Peccatum eſſe pœnam peccati probatur auctoritate D. Aug.

Quæris quæ ſint illæ auctoritates? Sufficiat auctoritas Divi Auguſtini lib. 5. contra Julianum cap. 3. ubi explicans locum Apoſtoli Rom. 1. v. 28. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conveniunt*, inter cætera ſic inquit: *Curavit Apoſtolus dicere, quanta pœna ſit à Deo tradi paßionibus ignominiæ, ſive deſerendo, ſive alio quocumque vel explicabili vel inexplicabili modo, quò facit hæc ſummè bonus, & ineffabiliter iuſtus.* Nam fœminæ eorum, *inquit*, immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum, qui eſt contra naturam &c. *Quid hoc evidentius, quid apertius, quid expreßius?*

Et infrà: *Dixit quid mali antè feciſſent, & adiunxit:* Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum. *Proinde præcedentis eſt hæc pœna peccati, & tamen etiam ipſa peccatum eſt, quod verbis conſequentibus explicat.*

Peccatum, inquam, propriè dictum, ut ibidem diffusè oſtendit Sanctus Doctor concludens: *Cùm ergo dicitur homo tradi deſideriis ſuis; indè fit reus, quia deſertus à Deo, cedit eis, atque conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poßidetur.* A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. *Et fit ei peccatum conſequens, præcedentis pœna peccati.* Et infrà: *Multa alia commemorare poſſemus, in quibus liquidò appareat occulto iudicio Dei fieri perverſitatem cordis, ut non audiatur, quod verum dicitur, & indè peccetur, & ſit ipſum peccatum præcedentis etiam pœna peccati.*

2. Pet. 2. v. 19.

144. D. Aug. & Bonav. ſubſcribit Doct. Subt.

Auguſtino & Bonaventuræ ſubſcribit Doctor Subtilis 2. diſt. 37. q. 2. n. 22. ubi ſic lego: *Ad quæſtionem tertiam in ordine, Dico quòd omne peccatum eſt pœna, & unum peccatum poteſt eſſe pœna alterius. Primum probo; quia pœna formaliter eſt carentia boni convenientis voluntati & volenti, ita quòd ſi diſtinguamus in voluntate affectionem boni iuſti, & boni commodi, patet quòd ablatio boni commodi pœna eſt, quia conveniens ei: ſed bonum iuſtitiæ eſt magìs conveniens voluntati, quàm bonum commodi;*

Digitized by Google

commedi ; igitur eius ablatio per ſe eſt pœna ..... & maior pœna quàm ablatio cuiuſcumque commodi alterius à iuſtitia, & in hoc bene verificatur illud Aug. lib. Confeſſ. Iuſſiſti Domine & ita eſt, ut omnis inordinatus animus pœna ſit ſibi. *Et idem 3. de lib. Arbitr.* Neque enim ad momentum eſt dedecus culpæ ſine dedecore juſtitiæ, *ut ſcilicet ipſa voluntas ſeipſam privans iuſtitiâ, in hoc ſe privat maximo bono ſibi conveniente, cuius carentia eſt ſibi formaliter maior pœna, quàm carentia alicuius boni commodi, qua infertur propter talem culpam.*

145. *Et ſi obiicitur* (inquit n. 23.) *quomodo poſſit eadem carentia iuſtitiæ eſſe formaliter culpa, & pœna formaliter?*

[Q]uomodo [t]ollit ea-[d]em caren-[tia] juſtitiæ [e]ſſe culpa [e]t pœna. [S]cotus.

Reſpondet Magiſter diſtinguendo carentiam in quantum eſt privatio boni activè vel paſſivè. Primo modo eſt culpa ; ſecundo modo eſt pœna. Hoc poteſt ſic exponi quòd ipſa culpa eſt à voluntate ut causâ activâ, ſed tamen deficiente : & ipſa pœna eſt in voluntate ſicut in ſubiecto, quod per culpam privatur bono conveniente ; quod quidem bonum debitum erat, in quantum voluntas ſecundùm primam rationem, ſcilicet in quantum potuit agere ad rectitudinem ſibi debitam, & non egit : & ideo primo modo eſt culpa, & ſic voluntaria ; quia in poteſtate voluntatis ut cauſa activa. Sicut præſentia ad proram dicitur in poteſtate nautæ, per quam poſſet ſalvare navem, ſi præſens diligenter laboraret.

Secundo modo formaliter eſt pœna ; quia corruptio, ſive privatio boni debiti in voluntate, & maximè ſibi convenientis, & ut ſic non eſt formaliter voluntaria ; quia voluntas, in quantum ſubiectum, non habet formam ſibi inhærentem in ſua poteſtate ; & ita privatio iuſtitiæ debitæ inhærens voluntati eſt contra inclinationem naturalem voluntatis magìs, quàm quæcumque carentia boni commodi non iuſti ; vel præſentia incommodi. Ergo ex mente Magiſtri & Scoti peccatum ſecundùm id quod eſt, eſt pœna.

146. Quòd verò poſſit eſſe pœna alterius peccati, probatur ibidem & n. 24. duplici viâ. Dico breviter ex Reportatis diſt. 36. n. 5. *Deus punit ſubtrahendo gratiam & iuſtè propter demeritum præcedens naturâ, & ſicut Deus non aſſiſtit conſervando gratiam, ſic dicitur punire ; quia magna punitio eſt ſubſtractio beneficiorum, & ſic in ſecundo actu cùm iterum peccat, non aſſiſtit Deus ad dandam rectitudinem in illo actu propter demeritum præcedens ; & ſic punit permittendo cadere in peccatum ſecundum*

Quomodo [p]eccatum [p]oſſit eſſe [p]œna alte-[r]ius peccati [e]x Scoto.

Rogas, quomodo peccet ſecundò, cùm ex eo quòd careat gratiâ, non habeat in poteſtate ſua elicere actum ſecundum, ſecundùm omnes conditiones, quas recta ratio dictat? *Anſelmus reſpondet* (inquit Scotus ſuprà) *quòd impotentia non excuſat, quando aliquis incidit in impotentiam per peccatum ſuum ; quia igitur ille à principio potuit vitaſſe iſtam impotentiam, cùm habuit gratiam ; quamquam tunc non poſſit cùm peccat, ideo tenetur ad rectitudinem in actu ſecundo, tertio, & quarto.*

Quomodo peccet qui caret gratiâ.

Reſponſio Anſelmi

147. Sed numquid illa reſponſio placet Doctori noſtro? Minimè, ſi intelligatur de omni gratia etiam remotè ſufficiente. Unde in primo Scripto ſuprà n. 24. ſic inquit : *Sed iſte modus, ut videtur, eſt valde difficilis, quòd ſcilicet in aliquo actu elicito carentia rectitudinis poſſit eſſe ex parte Dei non cauſantis propter demeritum alicuius peccati ....*

Ideo (ſubjungit) *poſſet aliter dici, quòd licèt Deus in actu ſecundo quantùm eſt ex ſe aſſiſtat voluntati* (dando gratiam ſaltem remotè ſufficientem) *ſicut & in primo : & in quolibet actu primò cauſa deficiens, hoc eſt, non iuſtè vel rectè agens, eſt voluntas creata ; tamen defectus ſecundus eſt pœna peccati primi, pro quanto privat ſe bono maximè conveniente.*

Reſponſio Scoti.

Nec eſt ſimile de privatione gratiæ, & rectitudinis in actu ſecundo, puta, quòd Deus ſicut propter demeritum non aſſiſtit ad cauſandum gratiam in anima, ita nec ad cauſandum rectitudinem in voluntate ; quia ipſe non dedit gratiam antecedenter, ſicut dedit rectitudinem, & ideo poteſt eam non dare conſequenter.

Carentia etiam gratiæ eſt una iniuſtitia habitualis in anima, non ſemper propter aliud, & aliud peccatum : ſed in actibus malis ſuccedentibus ſibi, eſt ſemper novum malum : & ideo oportet ibi quemlibet eſſe in poteſtate voluntatis creatæ : non ſic autem carentia gratiæ (habitualis) *poſt inſtans annihilationis oportet eſſe in poteſtate voluntatis ; quia non eſt nova iniuſtitia, ſed tantùm una habitualis malitia, quieſcens in anima.* Hucuſque Scotus.

Subſcribo verba Sancti Proſperi lib. 2. de Vocat. gent. cap. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corq; ipſum illuminando, & Fidei affectionibus imbuendo : ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate, ſi deficit, de gratiæ opitulatione, ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, ſive occultos ſive manifeſtos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia ; quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ.* 148.

Sententia S. Proſperi

Maneat ergo unum peccatum poſſe eſſe pœnam alterius, non ſolùm quoad ſubſtractionem auxiliorum Dei, ſeu gratiæ efficacis, aut certè incommoda, quæ ſecum adfert ; verùm etiam ſecundùm id quod eſt, non quidem poſitiva à Deo inflicta, ſic enim Deus eſſet auctor peccati, quod impium eſt cogitare, ſed privativa. 149.

Unum peccatum eſt pœna privativa alterius, non poſitiva.

Pœna (inquit Scotus ſuprà in primo Scripto n. 25.) *dicitur duobus modis. Vno modo, pœna eſt ſolùm carentia boni convenientis naturæ intellectualis, ſicut eſt carentia viſionis & fruitionis Dei, & hæc eſt pura privatio. Alio modo poteſt dici pœna*

Pœna dicitur duobus modis ex Scoto.

aliquod

Digitized by Google

aliquod poſitivum, & tamen diſconveniens tali naturæ, ſicut calor excellens eſt aliquod poſitivum diſconveniens carni. Omnes pœnæ ſecundo modo dictæ, poſſunt poni à Deo; quia ſunt aliqua poſitiva .... ſed pœnæ primo modo non ſunt à Deo efficiente, quia non ſunt effectibilia.

Ideoque *illud peccatum ſecundum* (ait Scotus ſuprà in Reportatis) *quod eſt pœna peccati prioris, non eſt à Deo efficiente, ſed non cauſante juſtè propter demeritum præcedens, ſicut non dare viſionem beatam peccanti non eſt à Deo efficiente, ſed non cauſante juſtè propter demeritum præcedens, & iſta pœna eſt pœna derelicta, & non inflicta.*

150. Peccatum non eſſet pœna, niſi foret voluntarium.

Herculè ſubſtractio divinæ gratiæ non eſt diſconveniens homini, niſi in quantum annectitur ipſi peccatum: ergo potiùs peccatum ſubſequens, quàm ipſa ſubſtractio meretur denominationem pœnæ; jam autem, ut ad argumentum Dicaſtillonis (occaſione cujus hæc fuſiùs dicta ſunt) revertamur, peccatum eſſentialiter eſt voluntarium. Et quamvis, ut voluntarium ſecundùm Scotum ſuprà, non ſit pœna, equidem pœna non eſſet niſi voluntariè & liberè à voluntate procederet.

Qui ratione pœnitentia reſpiciat ſatisfactionem voluntariam;

Ergo conſimiliter licèt deteſtatio peccati non ſit pœna, in quantum liberè procedit à voluntate, ſed quatenus ſuſcipitur in voluntate, equidem pœna ſufficiens non eſſet ad delendam culpam niſi liberè à voluntate procederet. Atque hâc ratione & non aliâ Pœnitentia juſtificativa reſpicit ſatisfactionem voluntariam ut voluntaria eſt; unàque ſatisfactionem quà pœna eſt. Patet quoque rem, quæ eſt pœna, poſſe eſſe eſſentialiter voluntariam.

151. Confeſſarius poteſt ad vindictam peccatorũ imponere orationem mentalem.

Et verò quis dubitare poteſt Confeſſarium ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem rectè imponere pœnitenti actum orationis mentalis, aut ſimilem, eſſentialiter voluntarium? Num ideo illa vindicta ſeu punitio non erit actus juſtitiæ vindicativæ ſeu punitivæ? Non puto.

Igitur propter argumentum Dicaſtillonis non eſt rejicienda ſententia Scoti, niſi fortè ſit quæſtio de nomine, ut ſuprà notavi, de qua parùm curandum, quando conſtat de re; ut omittam Doctorem Subtilem haudquaquam agere de Pœnitentia neceſſaria ad juſtificationem, quam fatetur poſſe eſſe actum elicitum Charitatis, Spei, aut alterius virtutis, ex cujus motivo pœnitens peccatum ſuum deteſtatur. Sed de hac deteſtatione fuſiùs infrà.

Impræſentiarum quæro, quodnam ſit objectum formale Pœnitentiæ, ut eſt juſtitia vindicativa ſive compenſativa, ſi ita placeat eam appellare. Pro reſponſione inſtituitur

CONCLVSIO V.

Pœnitentia, ut eſt juſtitia vindicativa ſive compenſativa, pro objecto formali reſpicit correſpondentiam pœnæ ad culpam.

NEquit meliùs declarari quidditas alicujus virtutis, quàm inquirendo ipſius objectũ. 152. Duplex objectum alicujus virtutis, materiale & formale.

Eſt autem duplex objectum, unum formale, alterum materiale, per analogiam cum materia & forma phyſicè conſtitutiva: quemadmodum enim materia eſt de ſe indifferens ad varias formas, & per conſequens ad varia compoſita conſtituenda, per formam autem ad certum compoſitum determinatur; ita res ſic cadens ſub virtutem, ut de ſe ſit indifferens ad varias rationes amoris, aut odii, & conſequenter ad varias virtutes conſtituendas, dicitur objectum materiale; ipſa verò ratio motiva amoris vel odii, per quam illa res determinatur ad certam virtutem conſtituendam, dicitur objectum formale.

Hoc ſuppoſito, probatur Concluſio; quia illa correſpondentia, vel, ut alii vocant, æqualitas moralis, eſt ratio motiva, per quam pœna & culpa determinantur ad conſtituendam juſtitiam vindicativam; ſicuti æqualitas phyſica inter datum & acceptum eſt ratio motiva, per quam datum & acceptum determinantur ad conſtituendam juſtitiam commutativam; per conſequens ſicuti illa æqualitas ſtrictè dicta inter datum & acceptum eſt objectum formale juſtitiæ commutativæ, ita pariter æqualitas moralis ſive correſpondentia inter culpam & pœnam erit objectum formale juſtitiæ vindicativæ, adeoque Pœnitentiæ, ut eſt juſtitia vindicativa, ſeu compenſativa. Probatur Concluſ.

Rogas quid intelligam per correſpondentiam ſeu æqualitatem moralem? Reſpondeo æqualitatem ſecundùm legem juſtitiæ vindicativæ; alioquin æqualitas phyſica vix aut ne vix quidem conſtitui poteſt, tum propter gravitatem peccati mortalis, tum propter fragilitatem & imbecillitatem humanam. Unde videmus de facto pro peccatis aliquibus levem pœnam imponi, quæ olim graviori & diuturniori pœnâ puniebantur. Scitè ergo dixit Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 7. *Vindicta propriè reſpicit correſpondentiam pœnæ ad culpam ſecundùm legem.* 153. Quid ſit æqualitas moralis? Scotus.

Quapropter aliqui pro objecto formali Pœnitentiæ aſſignant obſervationem legis divinæ; legis, inquam, vindicativæ: alii recompenſationem injuriæ factæ Deo per peccatum; verùm cùm illa obſervatio, utì etiam recompenſatio formaliter conſiſtant in aliqua æqualitate, tunc ſiquidem lex obſervatur, & injuria recompenſatur, quando ponitur illa æqualitas

Digitized by Google

litas inter culpam & pœnam, hinc meliùs illa æqualitas ſeu correſpondentia ponitur objectum formale hujus virtutis.

154. Sed dicet aliquis; hæc doctrina inducit virtutem Pœnitentiæ, quæ numquam pœniteat & doleat de peccatis, quod ſanè videtur contra omnium mentem, qui præcipuum Pœnitentiæ actum exiſtimant eſſe, pœnitere & dolere, juxta illud Divi Gregorii homiliâ 34. in Euang. & lib. 9. Regiſt. Epiſt. 39. *Pœnitentia eſt peccata præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Similiter autem loquuntur alii Sancti Patres, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, ut inferiùs videbimus.

Objectio, quòd virtus Pœnitentiæ numquam pœniteat de peccatis. *D. Greg.*

Probatur, Inductio probatur; quia nec ante peccatum commiſſum; quoniam qui non peccavit, non poteſt velle efficaciter æqualitatem inter pœnam & culpam, ut clarum eſt; neque de peccato præterito, quia id non opponitur compenſationi ſive æqualitati futuræ, imò neceſſarium eſt ut poſtea ſubſequatur compenſatio ſeu æqualitas inter pœnam & culpam; quare ſi hæc virtus deberet de illis decernere, potiùs deberet velle, quòd fuiſſent, ut fuiſſet occaſio ponendi compenſationem ſeu æqualitatem, quam ſolùm hæc virtus formaliter vult.

155. Reſpondeo, virtutem Pœnitentiæ, quam nos ponimus, efficaciter pœnitere de peccatis tum præteritis, tum futuris; de præteritis quidem abſolutè, quatenus vult illa vindicare & ordinare per pœnam à Deo conſtitutam, & de facto vindicat: de futuris verò ſub conditione exiſtentiæ, quatenus ex nunc vult illa punire debitâ pœnâ, pro tempore, quo exiſtent.

Reſpondetur pœnitere de peccatis tam præteritis quàm futuris.

Et verò quoniam pœna à Deo conſtituta primaria & principalis eſt deteſtatio & dolor cum propoſito emendationis, nemo ſanæ mentis poteſt dubitare, quin hæc virtus hujuſmodi deteſtationem, dolorem, & propoſitum imperet, ſive abſolutè, ſive conditionatè ſecundùm jam dicta. Proinde jure merito Sancti Patres dixêre, Pœnitentiam eſſe deteſtationem & dolorem, non formaliter, ſed cauſaliter; quia videlicet efficit, ſeu potiùs imperat talem deteſtationem & dolorem.

Pœnitentia eſt deteſtatio non formaliter, ſed cauſaliter.

156. Addunt aliqui, quòd ſicuti juſtitia commutativa inclinat non ſolùm ad reſtituendum vel reparandum jus ſtrictum juſtitiæ læſum, ſed etiam ad illæſum ſervandum, ſic itidem juſtitiam vindicativam, cujus actus eſt Pœnitentia, inclinare hominem non ſolùm ad ſumendam vindictam de peccato commiſſo, aut injuriam factam recompenſandam, aſt etiam ad præcavendum id, quod vindictam ſeu recompenſationem poſſet mereri.

An Pœnitentia inclinet ad non peccandum?

Nam Legiſlator, vel humanus tantùm, non ſolùm habet jus tale quale, ut poſt tranſgreſſionem legis pœnalis, tranſgreſſor pœnâ lege conſtitutâ puniatur, ſed etiam ante tranſgreſſionem jus habet ne tranſgreſſio fiat; illa ergo virtus, quæ inclinat ad jus illud læſum reparandum, etiam inclinat ad idem jus illæſum ſervandum.

Legiſlator habet jus ne fiat tranſgreſſio legis.

Alioquin ſi Deus non haberet jus ne offenderetur, nec poſt offenſam quidem haberet jus ad ſatisfactionem; ſicut ſi Petrus non habeat jus ad ſuum pallium, ne illo privetur, non habebit poſt illud ablatum jus ad reſtitutionem; & ſicut ex ablatione pallii oritur jus ad reſtitutionem, non quidem novum jus in rigore, ſed jus ad aliquod novum; ita etiam Deus ante offenſam habebat jus ne offenderetur, & illud idem eſt poſtea jus ad ſatisfaciendum pro offenſa; quare ſicut illud jus Petri reſpicitur ab eadem virtute juſtitiæ ante & poſt ablationem pallii, ita hoc jus Dei reſpici poteſt ab eadem virtute ante & poſt offenſam.

Probatur à ſimili.

Fateor, ab eadem virtute poteſt reſpici, ſed ab illa virtute, quæ per peccatum læſa fuit, unde ſicuti caſtitas inclinat ad non fornicandum, ita poſt fornicationem inclinat ad illius deteſtationem: *Quæcumque enim virtus*, inquit Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 11. *inclinat ad complacendum in bono honeſto, inclinat etiam ad deteſtandum & ad diſplicendum de malo inhoneſto oppoſito.* 157.

Ius Dei reſpici poteſt ab eadem virtute ante & poſt offenſam. *Scotus.*

Sed numquid omne peccatum opponitur juſtitiæ vindicativæ? Minimè. Quod ergo? Illud tantummodo, quod committitur non conſtituendo æqualitatem inter pœnam & culpam, & hoc indubiè ſupponit culpam commiſſam: ergo ſimiliter juſtitia vindicativa; quæ proinde in ſuo motivo magis aſſimilatur gratitudini, quæ non poteſt habere actum abſolutum ante accepta beneficia; quia ſcilicet ſolùm movetur à bonitate illa, quæ eſt in recompenſandis beneficiis acceptis, ſeu in ſatisfaciendo illi titulo ſeu juri morali, quod ex beneficio præſtito habet beneficus, qui titulus, ut liquidò conſtat, non eſt ante beneficia, & ideo gratitudo non habet motivum proprium ante illa.

Non omne peccatum opponitur juſtitiæ vindicativæ.

Iuſtitia vindicativa aſſimilatur gratitudini.

Sic etiam hæc Pœnitentiæ virtus, quam nos ponimus, non habet pro motivo formali, Deum non habere offenſum utcumque; ſed honeſtatem, quæ apparet in recompenſando peccato per ſuſceptionem pœnæ proportionatæ: naſcitur namque Deo jus aliquod ſeu titulus novus moralis ad expectandam à peccatore recompenſationem ſive æqualitatem inter pœnam & culpam, qui titulus non erat ante peccatum, & ideo ante peccatum non poterat hæc virtus habere actum abſolutum & efficacem; quia nimirum non habebat motivum propriũ, id eſt, honeſtatem ſatisfaciendi illi titulo, in quo differt hæc virtus à juſtitia commutativa; titulus quippe ſeu jus alienum, cui iſta juſtitia vult ſatisfacere, idem eſt ante & poſt injuriam, idem enim jus alienum obligat ad non furandum, & ad reſtituendum, quod furto ablatum fuerit: at verò jus Dei ad ſatisfactionem peccatoris 158.

Non poteſt habere actum abſolutum & efficacem ante peccatum,

E

Digitized by Google

toris oritur præciſè ex peccato, ſicut jus ad gratitudinem oritur præciſè ex beneficiis.

159. Poteſt habere actum inefficacem.

Dixi ſignanter, *Et efficacem*; quia nullum dubium eſt, quin ante peccatum commiſſum, quiſque, etiam maximè juſtus, poſſit ſibi ſimpliciter complacere, tum in actu elicito Pœnitentiæ, id eſt, voluntate vindicandi; tum in actu imperato, id eſt, deteſtatione & dolore peccatorum.

Imò verò, reponit aliquis, non parvum dubium eſt, quomodo motivum poſſit eſſe honeſtum, cujus honeſtas includit peccatum præteritum, cùm ille, qui vult hoc motivum ſive efficaciter, ſive ſimplici affectu, videatur debere velle ipſum peccatum.

Deus habet aliquem affectum erga peccatum præteritum ſecundùm Lugonem.

Et ſanè Cardinalis Lugo diſp. 2. n. 36. admittit in punitione peccatoris Deum habere aliquem affectum, non tantùm erga pœnam, ſed etiam erga peccatum præteritum prout componit hoc totum, quod eſt punitio, quod totum habet bonitatem & amabilitatem ſpecialem: pulchrum enim eſt & amabile, quòd peccator puniatur, & propter illam pulchritudinem, quæ Deo placet, vult ponere tormentum, quod cum peccato jam poſito, Deo non volente, facit, quòd reſultet illud totum pulchrum & honeſtum.

160. Ex quo non ſequitur quòd ſimpliciter illud amet.

Ex hoc tamen non ſequitur, quòd Deus amet vel gaudeat ſimpliciter & abſolutè de peccato præterito, ſed quòd habeat etiam aliquem affectum erga illud: non enim eſt neceſſe, quòd qui vult, vel amat aliquid propter bonitatem ſpecialem ipſius, eodem modo & eodem genere affectûs amet bonitatem ipſam, quæ movet ad amorem.

Voluntas non amat eodem modo bonitatem ac ipſum bonum.

Sic qui amat Petrum propter ſapientiam, non ideo amat ſapientiam amore benevolentiæ, quantumvis hoc amore amet Petrum. Similiter veneror Regem & prudenter me ipſi ſubjicio propter dignitatem Regiam; non tamen ideo poſſum me prudenter ſubmittere dignitati Regiæ, quæ cùm non ſit natura intellectualis, non eſt excellentior, ſed inferior me: adeòque licèt reddat Regem venerabilem, & dignum cui ego me ſubmittam, ipſa tamen non eſt ut quod, ſed ſolùm, ut quo, venerabilis illo genere venerationis.

Ergo conſimiliter in præſenti, peccatum præteritum poteſt conſtituere partialiter honeſtatem, quâ redditur amabile tormentum præſens, puta, honeſtatem punitionis, licèt ipſum peccatum non ſit amabile eodem genere amoris, quoniam illam amabilitatem ſolùm habet partialiter ut quo, non, ut quod.

161. Quomodo Deo placeat bonitas punitionis.

Itaque Deo, antequam fiat peccatum, objicitur bonitas punitionis juſtæ, & placet Deo illa bonitas, non tamen poteſt Deus illam abſolutè velle, propter inconvenientia quæ ſecum adfert; ſed ſolùm habet ſimplicem complacentiam circa illam, quæ explicatur per voluntatem quamdam conditionatam, quaſi dicat voluntas: Vellem hoc compoſitum, & hoc bonum juſtæ punitionis, niſi afferret inconvenientia. Similiter poſtquam peccatum factum eſt, videt Deus ex illo ſequi bonum juſtæ punitionis; non tamen poteſt ideo gaudere ſimpliciter de peccato præterito, ſed ſolùm per ſimplicem complacentiam: prout de facto Eccleſia gaudet de peccato Adæ propter bonum redemptionis, dum ait in Officio Eccleſiaſtico: *O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte delendum erat: O felix culpa, quæ talem ac tantum habuit Redemptorē.*

Si objicias: nemo poteſt eligere efficaciter medium, quando finem ipſum non vult efficaciter, ſed affectu ſimplici: ergo nec poteſt amare efficaciter objectum bonum, propter bonitatem, quam non amat efficaciter, ſed ſolùm ſimplici complacentiâ. Ergo Deus non poteſt efficaciter amare pœnam propter bonitatem punitionis, cujus alteram partem ſolùm amat ſimplici complacentiâ. 162. An medium poſſit efficaciter eligi propter finem non efficaciter intentum?

Reſpondet Cardinalis ſuprà n. 39. retorquendo argumentum: quia aliquando eligimus medium abſolutè ad finem, quem tantùm volumus ſub conditione: v. g. qui vult habere ſecum medicum & medicinam, ut ſi in morbum inciderit, recuperet ſanitatem; vult abſolutè medium, & tamen finem, hoc eſt, recuperationem ſanitatis vult ſolùm ſub conditione, quam nullo modo cenſetur velle, imò poſitivè odio habet, puta ipſum morbum. Quin imò medium ipſum poteſt abſolutè eligi, licèt ejus utilitas non ametur abſolutè, ſed conditionatè; ut ſi quis dubius de utilitate herbæ ad curationem, velit eam emere, ut ſi compererit poſtea eſſe utilem, poſſit eam ſibi applicare.

Præterea poſſum aliquid amare abſolutè propter bonitatem, quam tantùm amo ſub conditione, v. g. volo abſolutè jejunare, ut ſi fortè peccaverim antea, ſit compenſatio aliqua pro offenſa. Cur ergo, qui ſcit ſe peccaſſe, non poterit velle abſolutè jejunare, ut ſuppoſito peccato (quam ſuppoſitionem non vult abſolutè) reſultet bonum compenſationis ſeu vindictæ? Hic enim affectus ſemper eſt quaſi conditionatus reſpectu peccati: nam ſicut ante peccatum poſſum dicere, volo jejunare & orare, ut ſi poſtea peccavero, Deus det mihi ſpiritum compunctionis, ſic & poſt peccatum poſſum dicere, volo jejunare, ut ſuppoſito quòd peccaverim, detur bonum compenſationis ſeu juſtæ punitionis; per quem actum volo abſolutè jejunium propter bonum, quod non volo abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, & quaſi ſub conditione alterius partis jam poſitæ. 163. Poſſum aliquid amare abſolutè propter bonitatem, quam tantùm amo ſub conditione.

Si rurſus dixeris, ex hac doctrina ſequi per argumentum à contrario, quòd quando Deus odio habet peccatum hominis, debeat etiam odio habere notitiam, quam habet homo de præcepto, utpote à qua notitia actus 164. An Deus habeat odio notitiam quæ præcedit peccatum?

Digitized by Google

actus completur in ratione mali & peccaminoſi, & per conſequens quæ eſt pars malitiæ totalis.

Ratio diſcriminis inter amorem & odium alicujus totius.

Reſpondet Eminentiſſimus n. 41. negando Conſequentiam. Ratio differentiæ eſt clara: quia amor complexi debet eſſe amor omnium partium; qui enim vult quòd exiſtat totum, vult quòd exiſtant omnes ejus partes, à quibus non diſtinguitur realiter totum, & quarum quâlibet deficiente non exiſtit totum. At verò qui odio habet totum, non oportet quòd odio habeat ſingulas ejus partes, ſed ſufficit quòd odio habeat unam, nam unâ deficiente non exiſtit totum: v. g. ſi nollem habere duo officia propter nimiam occupationem quam afferunt, non ſequitur me utrumque nolle, ſed ſufficit me nolle unum ex duobus. Hæc ſummatim ex Lugone.

165. *Amor vindictæ nullum includit amorem peccati.*

Verumenimvero meliùs, meo judicio, reſpondetur, abſolutè & ſimpliciter negando amorem vindictę ſeu compenſationis includere amorem qualemcumque peccati; aliud enim eſt peccatum ſupponi, aliud verò eſſe partem objecti formalis, amabilis ab ipſo affectu vindicandi ſeu compenſandi.

Quomodo pœna ordinet culpam ex Scoto.

Dico ergo, pœnam non amari præcisè ſecundùm ſe, ſed ut eſt ordinativa ſeu compenſativa culpæ præteritæ; nam, ut ait Scotus 2. diſt. 37. q. 2. n. 22. in fine: *Ex quo Deus non vult culpam auferre, non poteſt meliùs ſive ordinatiùs anima culpabilis eſſe, quàm quòd ſit in pœna, quæ non eſt tantum malum formaliter, quantum eſt culpa; quia naturam manentem ſub culpa ordinat.* Jam verò pœna ut talis amari poteſt, abſque eo quòd ullatenus ametur culpa; imò potiùs affectu contrario afficitur voluntas, quæ vellet id non feciſſe.

166. *Odium peccati non conſiſtit cum amore qualicumque peccati.*

Herculè odium peccati, deteſtatio, dolor, propoſitum non peccandi ſunt principalis pœna, quâ de facto ordinatur & compenſatur culpa ac deſtruitur, conſtat autem hæc non conſiſtere cum amore qualicumque culpæ. Proinde licèt peccatum requiratur, ut pœna ſit eligibilis propter honeſtatem ordinationis ſive compenſationis, non tamen requiritur tamquam pars objecti amabilis, ſed tamquam terminus ſeu materia, circa quam ordinandam, vel etiam deſtruendam verſatur actus Pœnitentiæ; & quia ordinari non poſſet aut deſtrui niſi fuiſſet, ideo requiritur fuiſſe.

Num ideo requiritur, quòd qui vult illum terminum ordinare aut deſtruere, habeat affectum aut complacentiam aliquam circa illum? Liquet profectò quòd non, cùm, ut dictum eſt, diſplicentia circa illum ſit medium principale & neceſſarium deſtructionis ſeu debitæ ordinationis.

167. *Ægrotus amans medicinam, non ideo amat morbum,*

An fortè putas, quia ægrotus amans medicinam ut curativam, v.g. abſciſſionem pedis, ne cancer ulteriùs ſerpat, habeat aliquam complacentiam in cancro illo, eò quòd ſi ille non eſſet, non eſſet etiam bona illa abſciſſio pedis? Sanè vix credo ullum inveniendum, qui eam complacentiam habeat, quin potiùs, quia ſummam diſplicentiam habet in illo cancro, & vult liberari ab eo, ideo vult abſciſſionem pedis. Amat ergo bonitatem curationis ſuppoſito morbo, ſicuti peccator confitens peccata ſua amat bonitatem Abſolutionis ſuppoſito peccato, nullo autem modo peccatum præteritum quod confitetur, ſed potiùs illud deteſtatur, & dolet fuiſſe.

Non debent amari omnes circumſtantiæ ſine quibus actio amata non foret amabilis.

Idem cernitur in reſtitutione, correctione fraterna, & ſimilibus actibus; ideòque falſa eſt ea doctrina, quòd debeant amari omnes circumſtantiæ, ſine quibus actio amata non foret amabilis. Prout etiam falſa eſt doctrina, quòd debeant odio haberi omnes circumſtantiæ, ſine quibus actio odio habita non foret odibilis. Quis enim dixerit Deum odiſſe ſuam legem, quæ tamen neceſſaria eſt, ut fornicatio v. g. quàm indubiè odit, ſit odibilis?

168. *Reſpondetur ad fundamentum Lugonis.*

Ex dictis facilè evertitur fundamentum Lugonis, ut puta: totum non diſtinguitur à ſuis partibus ſimul ſumptis: ergo ſi totum amatur, debent omnes partes amari; nego quippe peccatum præteritum eſſe partem punitionis ſeu compenſationis, & dico tantùm eſſe conditionem extrinſecam neceſſariam ad hoc, ut poſſit exiſtere punitio ſeu compenſatio, eo modo quo eſt conditio neceſſaria, ut exiſtat Sacramentum Pœnitentiæ, minimè autem pars Sacramenti, quidquid ſine fundamento reclamet Eminentiſſimus contra communem hominum apprehenſionem. Vide dicta diſp. 1. ſect. 3. concl. 1. Ubi contra eundem Auctorem latiùs probavimus, intentionem conficiendi, aut ſuſcipiendi Sacramentum non componere intrinſecè Sacramentum, ſed tantùm eſſe conditionem extrinſecam neceſſariam ut Sacramentum poſſit exiſtere.

Peccatum præteritum tantùm eſt conditio punitionis, uti etiam Sacramenti Pœnitentiæ.

169. *Alia reſponſio Arriagæ.*

Et gratis admiſſo, quòd honeſtas compenſationis ſeu vindictæ foret totum aliquod compoſitum ex peccato præterito & pœna, quæ pro peccato præterito infligitur, ſeu voluntariè ſuſcipitur, reſpondet Arriaga hìc diſp. 2. n. 28. non oportere, ut tunc amor feratur in totum, ſed in unam partem, cum cognitione tamen alterius: & ad hoc, inquit, non video ego differentiam inter bonum & malum; fateor quidem malum poſſe eſſe ex quocumque defectu, bonum autem ex integra cauſa, hoc tamen principium mihi videtur nullum habere hìc locum.

Examinatur principium illud: Bonum ex integra cauſa &c.

Primò; quia ſi illud ſignificat, bonum debere componi ex omnibus partibus bonis, malũ autem poſſe reſultare ex unica tantùm parte mala, non poteſt principium illud defendi ab iſto Auctore (Lugonem intelligit) quia ille contrarium docet expreſsè; ait enim ipſum peccatum præcedens, quod eſt malum, componere intrinſecè & eſſentialiter honeſtatem compenſationis quà talis.

E 2 Secundò;

170. Verus illius principii ſenſus.

Secundò; ideo illud principium non eſt ad rem, quia nihil aliud denotat, quàm omnes partes, quæcumque conſtituunt bonum aliquod, ſive illæ ſint omnes in ſe bonæ, ſive aliquæ malæ (de quo illud principium nihil dicit) debere actu concurrere: nam ſi vel unica deficiat, jam non manebit bonum illud; è contrario autem malum ex unius partis abſentia reſultat.

Hæc eſt genuina explicatio ejus principii, ex qua nihil penitùs colligitur pro re præſenti, indè enim non infertur debere amari partes omnes, aut è contrario non eſſe neceſſarium omnes illas odio haberi: ſolùm enim infertur non poſſe amari illud honeſtum complexum, niſi videantur exiſtere, ſeu niſi ſint jam omnes partes; at ut illæ videantur exiſtere, non eſt neceſſarium eas amari. Hucuſque Arriaga.

171. Non eſt neceſſarium juxta Arriagam ut amentur omnes partes bonitatis.

Qui proinde n. 31. negat neceſſarium eſſe ut amentur, aut odio habeantur omnes partes bonitatis vel malitiæ, ſed illas quæ conſtituuntur in ratione bonarum, vel è contrario in ratione malarum, reliquas verò tantùm ſe habere per modum conditionis ad odium aut amorem, etiamſi ad effectum formalem boni aut mali ſe habeant per modum partis.

Plura de hac controverſia vide apud præfatum Auctorem, quibus tamquam impertinentibus ad ſtabiliendam noſtram doctrinam lubens ſuperſedeo: hoc tantùm dico, mihi tam inconceptibile videri, quòd inhoneſtas peccati ſit pars eſſentialis & intrinſeca honeſtatis compenſationis ſeu vindictæ, quàm ipſi inconceptibile videtur, quòd ad hoc, ut ego velim mihi cum ingentibus doloribus, ne cancer ulteriùs ſerpat, abſcindi pedem, debeam gaudere quòd cancer meum pedem infecerit.

172. Argumenta Lugonis quibus probat bonum compenſationis non eſſe objectum formale Pœnitentiæ. Primum.

Cæterùm, ut revertamur ad principalem controverſiam, Lugo ſup. n. 43. licèt exiſtimet, bonum compenſationis ſeu vindictæ poſſe ex ſe terminare voluntatem honeſtam, conatur tamen probare illud bonum non eſſe objectum formale virtutis ſpecialis Pœnitentiæ, idque argumentis ſuperiùs breviter inſinuatis; imprimis quia virtus Pœnitentiæ potiſſimùm eſt ad dolendum de peccatis commiſſis, illud autem bonum non movet ad dolendum de peccatis præteritis, cùm peccata præterita non obſtent, imò proſint compenſationi ponendæ; nam ſine peccato non poſſet eſſe compenſatio.

Secundum.

Secundò; quia Pœnitentia tale debet habere motivum, ut per ſe loquendo non poſſit eſſe ſine dolore & odio peccati. At juxta noſtram doctrinam hoc poſſet fieri; quia virtus Pœnitentiæ ſolùm intendit formaliter ponere æqualitatem inter pœnam & culpam; non quidem quia ipſa Pœnitentia odio habet peccatum, ſed quia amat bonum æqualitatis: ergo ſicut gratitudo non affert odium per ſe loquendo beneficii accepti; ita virtus Pœnitentiæ per ſe loquendo non affert odium peccati, ſed ſolùm amorem æqualitatis ſeu ſatisfactionis: ſtat enim bene, me velle omnino ſatisfacere pro debito, & reddere æquale, & tamen non dolere de debito illo contracto: ſic quippe ille qui emit librum, vult ſatisfacere pro libro, & non dolet quòd contraxerit illud debitum.

173. Reſpondetur.

His binis argumentis (quæ contra ſuum Auctorem probant, bonum pacis cum Deo non eſſe formale motivum Pœnitentiæ, ut optimè oſtendit Dicaſtillo diſp. 1. n. 63. & 66.) ſuperiùs ex parte ſatisfecimus; ſuppleo quod defuit, & dico, ut virtus Pœnitentiæ, quam nos ponimus, inclinet ad odium peccati præteriti, ſatis eſt quòd peccatum præteritum opponatur ipſi honeſtati objectivæ, quam illa virtus intendit; intendit autem ſervare jus Dei, quod habet tamquam Legiſlator univerſalis, ut peccatum præteritum ordinetur per pœnam à lege conſtitutam; cui conſervationi, ut patet, obſtat peccatum præteritum non deteſtatum, cùm odium ſive deteſtatio ſit pœna principalis à lege præcepta; etiamſi ſimul peccatum præteritum juvet, imò neceſſarium ſit ad hoc, ut virtus Pœnitentiæ poſſit exercere ſuum actum.

174. Objectio.

Si inferas: ergo Pœnitentia optat ſui ipſius non exiſtentiam; optat ſiquidem peccatum non fuiſſe, quod tamen eſt neceſſarium, ut ipſa exiſtat. Reſpondeo concedendo totum: nam licèt innato appetitu quælibet res optet ſui exiſtentiam, elicitus tamen appetitus poteſt etiam directè optare carentiam exiſtentiæ, quando iſta carentia proponitur ei ut majus bonum ſubjecti, quod bonum præcipuè ſolent amare voluntatis actus.

Solvitur. Appetitus elicitus poteſt directè optare carentiam exiſtentiæ.

Quid evidentius quàm Jobum optaſſe ſui non exiſtentiam, quando cap. 3. maledixit diei ſuo, & locutus eſt: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo* verſ. 2. Et verò quis dubitet damnatos in inferno ſæpiſſimè optare ſui non exiſtentiam? *Bonum* ſiquidem *erat ei* (loquitur Chriſtus de Juda proditore Math. 26. v. 24) *ſi natus non fuiſſet homo ille.* Si bonum; cur Judas hoc non potuit optare?

Iob 3. Math. 26.

175. Pœnitentia poteſt optare carentiam peccati.

Cùm ergo in carentia peccati præcedentis, Pœnitentia, quæ amat bonum æqualitatis, deprehendat majus bonum ſubjecti, quàm in ipſa æqualitate; quia homini meliùs eſt non peccaſſe, quàm deinde pro peccato reddere æquale, ſicut meliùs eſt non infirmari, quàm ſanari; indè fit, ut optimè poſſit illa virtus optare ne fuerit peccatum, & per conſequens ne ſit commoditas conſtituendi æqualitatem inter pœnam & culpam, & tandem ne ipſe actus potuiſſet exiſtere.

Et

Digitized by Google

Et dato quod deteſtatio & dolor de peccato non poſſet eſſe actus elicitus Pœnitentiæ, ſufficit nobis quòd poſſit eſſe actus imperatus, de quo nemo dubitat, quandoquidem, ut iam ſæpiùs dixi, ſit principalis pœna, adeò ut ſine illa non poſſit eſſe vera Pœnitentia.

Diſparitas inter Pœnitentiam & gratitudinem. Ex quo liquidò conſtat diſparitas inter Pœnitentiam & gratitudinem: nam ad compenſationem beneficii nullatenus requiritur, quin potiùs obeſt, aut certè non iuvat odium beneficii, ſed è contrario amor beneficii eſt quædam compenſatio: eſtò ille, qui vult eſſe gratus benefactori, poſſit dolere ſeriò, quòd ſibi ſit collatum beneficium, quo obligetur ad alienandam à ſe rem aliquam ſibi charam.

176. Objectio. Sed contrà, dicet aliquis; tametſi de facto ita ſe res habeat, ut dolor ſit pœna proportionata & neceſſaria, quia Deus ſic voluit vindicari peccatum; potuit tamen Deus aliam pœnam exigere v. g. jejunium, eleëmoſynam &c. ergo tunc poſſet eſſe vera Pœnitentia ſine dolore, contra communem ſenſum SS. Patrum & Conciliorum. Reſponſio. Reſpondeo, Patres & Concilia loquuntur ſecundùm id quod de facto eſt, non quod eſt poſſibile.

177. Alia objectio. Si rurſum arguis: poterit quis ex ignorantia invincibili exiſtimare non eſſe neceſſarium dolorem de peccatis, ſed ſufficere jejunium v. g. aut eleëmoſynam; tali caſu ipſe habebit verum actum virtutis Pœnitentiæ, & tamen non erit ſufficienter diſpoſitus ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod videtur abſurdum.

Reſponſio. Reſpondeo, hoc minimè eſſe abſurdum; imò de facto ſæpè contingere, ut quis habeat virtutem Pœnitentiæ, quin etiam actum Pœnitentiæ, qui ſit dolor, & tamen non ſit ſufficienter diſpoſitus, ſi videlicet non ſit dolor ſupernaturalis. Sicuti ergo non requiritur ad juſtificationem, ſive in Sacramento Pœnitentiæ, ſive extra illud actus ſpecialis virtutis Pœnitentiæ, ut ſtatim dicam cum Scoto, ita etiam non ſemper ſufficit; ſed tunc tantùm, quando eſt ſecundùm legem à Deo ordinatam.

Aliud eſt velle ſe vindicare, & aliud actu ſe vindicare. Deinde, aliud eſt velle ſe vindicare de peccato, & aliud actualiter ſe vindicare; veluti aliud eſt velle amare, velle colere Deum, & aliud illa actu facere: jam verò ignorans in caſu propoſito, habebit quidem actum elicitum virtutis Pœnitentiæ, non tamen actum imperatum, qui requiritur ex lege Dei ad Sacramentum Pœnitentiæ.

178. Occurritur objectioni deſumptæ ex Con. Trid. Nec moveat quempiam, quòd Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. agens de diſpoſitione requiſita ad juſtificationem nullam faciat mentionem vindicationis; quoniam, etiam ſecundùm Scotum, non requiritur talis actus ad juſtificationem: ſic enim ait Doctor Subtilis 4. diſt. 14. q. 2. n. 13. *De ſecundo principali, ſcilicet an pœnitere ut actus virtutis requiratur ad deletionem peccati; dico quod non ut actus unius determinatæ virtutis.* Probat ex auctoritate Ezech. 18. & 33. *Quacumque horâ ingemuerit peccator* &c.

Ad deletionem peccati non requiritur actus ſpecialis virtutis Pœnitentiæ. Idque omnes debent fateri, cùm certum ſit in quacumque ſententia ſufficere deteſtationem & dolorem ex motivo amoris Dei ſuper omnia; & tamen hic dolor non eſt actus virtutis ſpecialis Pœnitentiæ: quid ergo mirum ſi illius vindicationis ibi non meminerit Concilium?

Quæ cùm ita ſint, perſiſto in Concluſione; & rurſum affirmo objectum formale virtutis ſpecialis Pœnitentiæ eſſe correſpondentiam pœnæ ad culpam ſecundùm legem juſtitiæ vindicativæ; pœnæ, inquam, quam quiſque ſibi ipſi infligit. *Ideo Deus*, inquit Scotus ſuprà n. 2. in fine, *licèt puniat peccatorem, non dicitur pœnitere; quia non ſibi, ſed alteri pœnam infligit: ſed ſibi ipſi infligens dicitur pœnitere, id eſt, ſibi pœnam applicando tenere.* 179. Deus licèt puniat peccatorem, non tamen dicitur pœnitere. Scotus.

Ex quo non difficulter reſolvitur, quodnam ſit objectum materiale hujus virtutis, culpa videlicet & pœna; hæc proximum, illa remotum: hæc actus primarii ſeu proſecutionis, illa actûs ſecundarii ſeu fugæ. Sit itaque

CONCLUSIO VI.

Objectum materiale proximum Virtutis ſpecialis Pœnitentiæ eſt quilibet actus internus vel externus ad vindicandum aſſumptus. Inter actus internos meritò computatur deteſtatio peccati, quæ etiam ſæpiſſimè Pœnitentia appellatur. Poteſt eſſe actus Charitatis, Spei, aliarumque virtutum, prout ex hoc aut illo motivo elicitur.

De prima parte hujus Concluſionis parva aut nulla eſt controverſia inter Doctores, & conſtat ex definitione ſeu deſcriptione objecti materialis in principio præcedentis Concluſionis allegatâ; cùm enim hujuſmodi actus ſint indifferentes ad diverſas virtutes conſtituendas, per hoc quòd illos aſſumo ad vindicandum peccatum à me commiſſum, determinantur ad conſtituendam virtutem ſpecialem Pœnitentiæ. 180. Probatur prima pars Concluſ. à priori.

Sicuti ergo objectum materiale proximum Religionis eſt cultus divinus, id eſt, actus internus vel externus, qui aſſumitur in ſignum ſummæ Dei excellentiæ, & noſtræ ſubjectionis. Similiter objectum materiale juſtitiæ commutativæ, illud quod aſſumitur ad conſtituendam æqualitatem inter datum & acceptum: Item à ſimili.

Digitized by Google

juſtitiæ verò diſtributivæ, præmia ſeu bona communia, quæ ſecundùm uniuſcujuſque meritum diſtribuuntur, ſervatâ proportione proportionum; pari utique ratione objectum materiale proximum Pœnitentiæ, ut eſt juſtitia vindicativa, erit id, quod aſſumitur ad conſtituendam æqualitatem inter culpam & pœnam, id eſt, ipſa pœna culpæ correſpondens; pœna autem quid aliud eſt quàm actus internus vel externus aſſumptus ad vindicandum? Sanè pœna eſt id, circa quod primarius actus Pœnitentiæ verſatur, hoc eſt, quod immediatè vult Pœnitentia; vult ſiquidem pœnam infligere pro peccato commiſſo.

Pœna eſt actus internus vel externus aſſumptus ad vindicandum.

181. Occurritur objectioni.

Nec obſtat, quòd pœna ſit quaſi effectus ipſius Pœnitentiæ; quia in virtutibus moralibus iidem actus externi, qui à virtute fiunt, & ſunt effectus internorum actuum voluntatis elicitorum à virtute, iidem, inquam, ſecundùm ſe ſumpti, & quà priores in ordine intentionis, ut ſic loquar, ſunt objectum ſeu materia talium virtutum, ut patet diſcurrendo per ſingulas.

Idem actus poteſt eſſe effectus & objectum alicujus virtutis.

Idem poteſt eſſe effectus & finis.

Neque hoc mirum videri debet, cùm, ſicut docent Philoſophi, finis & effectus poſſint in idem coincidere ſub diverſis reſpectibus. Nonne ſanitas eſt effectus ambulationis? Et tamen nemo ambigit etiam finem ejus eſſe. Sic ergo dicimus eundem cultum v. g. quem Religio exhibet Deo efficienter, eundem, inquam, eſſe materiam, quæ proximè objicitur virtuti Religionis; conſimiliter eamdem pœnam, quam efficienter Pœnitentia infligit peccatori, eandem, inquam, eſſe materiam, quæ proximè objicitur virtuti Pœnitentiæ.

182. Quis actus intelligatur in Concluſ. per actum internum?

Cæterùm, quia ad vindicandum peccatum, maximè coram Deo, tam opus animæ quàm corporis idoneum eſt, ideo in Concluſione dicitur: *Quilibet actus internus vel externus.* Porrò per actum internum intelligo non actum immediatè elicitum à virtute Pœnitentiæ, ſed actum voluntatis, vel intellectûs, à quacumque virtute eliceatur, qui aſſumitur ad vindicandum; alioquin omnis actus imperatus habet ſe per modum externi, ſi comparetur ad illum, à quo imperatur, in quo ſenſu etiam deteſtatio peccati poſſet dici actus externus, quatenus videlicet imperatur ab actu primario Pœnitentiæ, puta voluntate vindicandi peccatum; equidem communiter vocatur actus internus, condiſtinctus contra jejunium, eleëmoſynam, alioſque actus merè externos, qui ad vindictam præteritorum peccatorum pœnitentibus imponuntur, vel voluntariè aſſumuntur.

183. Explicatur ſecunda pars Concluſ. & probatur.

De hac deteſtatione loquitur ſecunda pars Concluſionis, quæ non indiget niſi explicatione. Itaque deteſtationem peccati ſæpiſſimè appellari Pœnitentiam tam à SS. Patribus, quàm Conciliis, pluſquam meridianum eſt. Pauca ex multis profero teſtimonia.

Primum ſit Magni Gregorii homil. 34. in Euangelia. *Pœnitentia* (inquit) *eſt peccata præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Secundum erit D. Aug. lib. 2. qq. ad Simpl. q. 2. ubi ſic ait: *Opus pœnitendi eſt, cùm reperitur voluntas mutandi cum animi dolore.* Tertium locum accipiet D. Ambroſius, qui Ser. 1. Quadrag. & refertur c. 39. de Pœnitentia diſt. 1. ſic deſcribit Pœnitentiam: *Pœnitentia vera eſt dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quiſque commiſit.*

auctoritas Gregorii Magni. D. Aug. & D. Ambroſii,

Scitè ergo & appoſitè Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos actus Pœnitentis* (intelligit Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem) *habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Quemadmodum ergo ſatisfactio eſt actus juſtitiæ vindicativæ, multò magìs & principaliùs deteſtatio.

nec non Con. Trid.

Sed nunquid ex his & ſimilibus locutionibus ſequitur, quòd deteſtatio ſit actus elicitus Pœnitentiæ? Reſpondeo non ampliùs, quàm ex hac locutione, *Deus colitur Fide, Spe, Charitate,* quæ deſumpta eſt ex D. Aug. Ench. c. 3. ſequitur Fidem, Spem & Charitatem eſſe actus elicitos virtutis Religionis. Ad veritatem itaque hujuſmodi locutionum, ut ſuperiùs adhuc dixi, ſufficit, quòd deteſtatio ſit actus imperatus Pœnitentiæ, veluti Fides, Spes, & Charitas, ſunt actus imperati virtutis Religionis.

184. An deteſtatio ſit actus elicitus Pœnitentiæ? Sufficit quod ſit actus imperatus.

Sed contrà: virtus inferior non poteſt imperare actum virtutis ſuperioris; atqui illa deteſtatio poteſt eſſe actus elicitus Charitatis, ut patebit ex ſequenti parte Concluſionis: ergo non poteſt eſſe actus imperatus Pœnitentiæ, quæ eſt virtus longè inferior Charitate. 185. Objectio,

Ad hoc argumentum reſpondet Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 10. ſub hiſce verbis: *Dico quòd voluntas ſecundùm diverſos habitus poſſit uti ſeipſâ quaſi circulariter hoc modo. Ex dilectione Dei in ſe, quæ eſt actus Charitatis, poteſt imperare actum voluntatis vindicativum peccati, & è converſo ex actu imperativo vindicandi poteſt imperare actum dilectionis Dei in ſe, ad quem ſequatur nolitio vel diſplicentia de aliquo peccato commiſſo; & ſic triſtitia de illo peccato: ergo Charitas poteſt uti actu Pœnitentiæ, & etiam actu cujuſcumque virtutis in voluntate vel in intellectu; & Pœnitentia etiam poteſt uti Charitate, & quacumque virtute in intellectu & voluntate, quæ poteſt eſſe principium conſiderationis & nolitionis objecti, de quo vult cauſare triſtitiam.*

Reſponſio Scoti. Voluntas imperat actum unius virtutis ex motivo alterius & è contra,

Concludit Doctor: *Dico ergo, quòd illa eſt ſuperior ſimpliciter, cui magis ex objecto convenit imperare: ſed Charitati ex objecto, ſcilicet fine ultimo, magìs convenit uti quâcumque aliâ virtute, quàm è converſo: ſicut ſemper in actibus & poteſtatibus ordinatis habens finem ſuperiorem regulariter utitur inferioribus omnibus.* Hactenus Scotus.

Ad Charitatem magis ſpectat imperare actum aliarum virtutum quàm è contra.

186. Nota ſignanter prima verba: *Dico quòd voluntas*

Actus imperans propriè non imperat, nec imperatus propriè obedit.

luntas ſecundùm diverſos habitus poſſit uti ſeipſâ; quibus procul dubio Doctor ſignificare voluit, reipſâ, nec actum imperantem propriè imperare, nec imperatum propriè obedire, ſed voluntatem eſſe, quæ per actum unum imperat, vel quaſi imperat impropriè ſibimetipſi actum alterum; actus autem non magìs imperat, quàm voces, per quas Dominus ſervo imperat; nec certè qualitas illa accidentalis eſt capax dominii vel obedientiæ: quare ex hoc capite non apparet repugnantia in eo, quòd eadem voluntas poſſit ſibimet per actum ignobiliorem imperare actum nobiliorem, v.g. per actum naturalem ſupernaturalem, & in propoſito per actum Pœnitentiæ actum Charitatis.

Ex Miſericordia poſſum velle actum Religionis.

Nonne ex miſericordia erga proximum poſſum velle actum Religionis, v.g. orationem vel votum, ut impetrem à Deo proximi ſanitatem? Nemo ambigit, idque quia talis actus utilis eſt ad finem miſericordiæ, puta ad ſublevandam miſeriam proximi. Pari ergo ratione, cùm actus deteſtationis ſeu doloris, etiam elicitus ex amore Dei, deſerviat ad finem Pœnitentiæ, nimirum ad vindictam ſumendam de peccato commiſſo, cur voluntas non poterit ex amore Pœnitentiæ, quæ eſt virtus inferior, ſibi ipſi imperare actum illum Charitatis, quæ eſt virtus ſuperior? Non video quid obſtet.

187. Probatur tertia pars Concl. ex Scoto.

Reſtat tertia pars Concluſionis, quam docet Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 11. ubi ſic ait: *De ſecunda ſignificatione huius vocabuli* Pœnitere, *ſcilicet de eo, quod eſt deteſtari peccatum commiſſum, vel diſplicentiam habere de commiſſo, dico quòd iſte poteſt eſſe actus virtutis. Probatur; quia poteſt eſſe actus electivus concors rationi rectæ; ratio enim recta ſicut dictat complacendum eſſe in bono honeſto, ita dictat diſplicendum eſſe in malo inhoneſto.*

Quælibet virtus deteſtatur peccatum contra ſe commiſſum.

Et ex hoc patet ſecunda Concluſio, ſcilicet cuius virtutis poteſt etiam eſſe actus, quia nullius ſpecialis, ſed cuiuſcumque appetitivæ: quæcumque enim virtus inclinat ad complacendum in bono honeſto, inclinat etiam ad deteſtandum, & ad diſplicendum de malo inhoneſto oppoſito: utpote caſtitas de aliquo inordinato contra caſtitatem inclinat ad diſplicentiam, & humilitas de actu inordinato ſuperbiæ, & ſic de cæteris.

Igitur in quantum peccatum ſecundùm ſuam particularem rationem repugnat alicui virtuti particulari, eatenus deteſtatio illius peccati poteſt elici ab illa virtute particulari, v.g. deteſtatio odij à virtute Charitatis, cui directè opponitur, deteſtatio luxuriæ à virtute caſtitatis, & ſic de cæteris.

188. Charitas deteſtatur omne peccatum.

Præterea cùm omne peccatum ſit contra infinitam Dei bonitatem, ſeu malum quoddam Dei infinitè boni, eatenus deteſtatio illius erit actus Charitatis ſaltem imperatus.

Similiter ſpes.

Tertiò; cùm omne peccatum nos privet ſupernaturali beatitudine, & ſubjiciat pœnis æternis à Deo vindice infligendis, deteſtatio ejus ex hujuſmodi motivo, erit actus ſpei.

Quartò; deteſtatio peccati poterit eſſe actus amoris honeſti in genere, quatenus omne peccatum eſt contra rectam rationem, & omnino dedecens naturam rationalem. & amor honeſti in genere.

Quintò; quoniam ſubinde peccatum cauſat temporalia damna, v. g. infamiam, exilium &c. deteſtatio ejus ex hoc motivo, erit amor proprius. Aliqua peccata deteſtatur amor proprius.

189. Cujus virtutis ſit deteſtari peccatum ut eſt offenſa Dei

Denique conſiderari poteſt turpitudo peccati, ut eſt quædam injuria Dei, vel actus dedecens creaturam Dei, qui quoddam jus habet ut à creatura ſua non offendatur, ac per hoc auctoritas ſua quodammodo contemnatur; breviter quatenus eſt offenſa Dei: & tunc dubium eſt cujus virtutis actus erit deteſtatio.

Sententia Lugonis ſtatuit ſpecialem virtutem.

Lugo diſp. 2. n. 49. exiſtimat dari aliquam ſpecialem virtutem ab aliis omnibus diverſam, cujus formale objectum ſit æqualitas moralis cum Deo, quæ explicatur per hoc, quod eſt non habere Deum rationabiliter averſum & indignatum, ſeu non dare Deo fundamentum rationabiliter ſe avertendi ab homine, quod incomplexè & communiter dicitur offendere Deum; hæc virtus intendit vitare hanc Dei offenſionem, & conſervare illam æqualitatem moralem: quòd ſi poſita fuerit offenſa, eadem virtus conatur eam tollere, & reducere priorem æqualitatem & pacem cum Deo.

190. diſtinctam à juſtitia etiam inter homines.

Differt autem hæc virtus à juſtitia, etiam inter homines, quoniam aliud eſt aliquem offendere, aliud inferre injuriam: v.g. ſi amicus petat à me librum, quo ipſe valde indiget, & quem ego ſine incommodo poſſem commodare, ſi negem, non facio ipſi injuriam, cùm non habeat jus ſtrictè dictum, tamen rationabiliter mihi offenditur. Item ſi ab amico furarer librum, libro reſtituto injuria ceſſaret, adhuc tamen poſſet manere offenſa. Igitur alia eſt virtus, quæ præcavet illam offenſam, & tollit, ſi poſita eſt, per obſequia, per veniæ petitionem & ſimilia; alia virtus, quæ cavet & tollit injuriam.

Enimvero non ſolùm laudabile eſt & honeſtum præcavere & tollere injuriam, ſed etiam omnem offenſam, id eſt, habere pacem cum omnibus; ſi hoc eſt laudabile inter homines, quidni etiam inter Deum & homines? Itaque ad illam pacem inter Deum & hominem cuſtodiendam & reſarciendam, ſi fracta fuerit, videtur inclinare virtus Pœnitentiæ, deteſtans omnia peccata præciſè quatenus ſunt offenſa Dei, ſive quà ſunt infractio illius pacis, & ideo dicitur virtus reconciliativa.

191. Hæc ſententia reijcitur à Dicaſtillone.

Hæc eſt ſumma doctrinæ Eminentiſſimi, quæ non placet Dicaſtilloni, & ideo reſpondet diſp. 1. n. 36. diſparitatem eſſe inter Deum & hominem, quòd Deus tamquam Dominus omnium creaturarum jus habeat, ut omnes faciamus ejus voluntatem. Unde qui facit contra ſuam voluntatem (in quo conſiſtit ratio offenſæ) facit eo ipſo contra ſuum jus quod

Digitized by Google

quod habet, ut impleamus ſuam voluntatem; atque adeò inſeparabiliter, qui offendit, injuriat, quatenus injuriare eſt facere contra jus. Ideo omne peccatum, ſicut eſt offenſa Dei contra ipſius voluntatem, eſt etiam injuria contra jus, quod habet ut fiat, quod mandat, & vult fieri. Hæc ille.

Sed contrà; etiam Legiſlator humanus habet aliquod jus, ut lex ipſius obſervetur, & tamen non idcirco violatio legis humanæ eſt propriè dicta injuria. Oſtendere ergo deberet hic Auctor, Deum neceſſariò alio jure præcipere, quàm Legiſlator humanus. Vide concl. 3. Non ergo propter hoc argumentum rejicienda eſt ſententia Lugonis.

192. & impugnatur ab Hiquæo.

Aliâ ratione eam impugnat Hiquæus in ſuo Commentario ad doctrinam Scoti 4. diſt. 14. q. 2. ubi n. 10. & ſequentibus conatur probare Charitatem reſpicere peccatum ſub ratione offenſæ dicens: Repugnat Charitatem dolere de peccato, niſi ſub ratione offenſæ; ergo &c. Probatur Antecedens: eatenus dolet Charitas de peccato, quatenus eſt contrarium ſuo objecto, id eſt, ultimo fini & Deo; ſed præciſè eſt contrarium in ratione offenſæ: ergo &c. Probatur Conſequentia: eatenus eſt offenſa quatenus tollit amicitiam, vel quatenus eſt averſio ab ultimo fine, & converſio ad creaturam; ſed hæc duo ſpecificant motivum formale Charitatis: ergo Charitas non aliter fertur in peccatum, niſi ut offenſa Dei eſt.

Charitas eſt de peccato ut eſt offenſa.

Quid ſit offenſa?

Confirmatio ex motivo doloris de offenſa.

Confirmatur: ejus virtutis eſt deteſtari peccatum ſub formali ratione offenſæ divinæ, ſeu contrarietatis ad Deum, cujus eſt operari circa ipſum Deum immediatè; ſicut ejuſdem eſt amare Deum, ac reliqua quatenus in Deum referuntur ſub hac formalitate; ſed ad Charitatem hoc ſpectat, quæ eſt virtus theologica, non verò ad Pœnitentiam aut aliam virtutem moralem: ergo offenſa Dei non ſpecificat motivum Pœnitentiæ, ſed ſolius Charitatis. Hucuſque Hiquæus.

193. Reſponſio Lugonis, aliud eſſe deteſtari peccatum quia eſt malum Dei, & aliud deteſtari quia offendit Deum.

Sed contrà, inquit Lugo ſuprà n. 52. Aliud longè diverſum eſt deteſtari peccatum, quia adverſatur Deo, ſeu quia eſt malum Dei ſaltem extrinſecè, & quia diſplicet Deo, quod pertinet ad Charitatem: aliud verò deteſtari peccatum, quia offendit Deum, ſeu quia irritat Deum, & avertit eum ab homine, quod pertinet ad iſtam aliam virtutem Pœnitentiæ, quam ponimus: nam etiam inter homines diſtinguuntur hæc duo, & poſſum ego nolle offendere alium, ne eum rationabiliter reddam mihi averſum, licèt alioquin nullam habeam, nec habere expetam cum ipſo amicitiam; amicitia enim tendit ad vitandum malum illius, quia malum illius eſt; at verò hæc alia virtus tendit formaliter ad vitandum offenſam, non quia malum illius eſt, ſed potiùs quia malum & inhoneſtum mihi eſt habere alium rationabiliter mihi averſum.

Et ſi dixeris; Pœnitentia tendit ad reconciliationem cum Deo: ergo per Pœnitentiam expetimus formaliter Dei amicitiam. Reſpondet, Pœnitentiam formaliter tendere ad reconciliationem cum Deo, quatenus expedit Deum habere placatum, non ita ut formaliter expetat habere Deum amicum. Aliud enim eſt habere Deum placatum, hoc eſt, non averſum, non iratum, non offenſum; aliud habere Deum amicum, hoc eſt, poſitivè benevolum & gratum. Illud primum ſolùm expetit formaliter Pœnitentia, licèt de facto numquam reperiatur illud primum ſine hoc ſecundo. Sed tamen ſicut etiam inter homines datur ſtatus medius inter amicitiam & inimicitiam: ita Pœnitentia poteſt intendere formaliter hoc, quod eſt, non habere Deum inimicum, & tollere omnes occaſiones offenſionis & diſſidii, ſine eo quod intendat poſitivè ejus amicitiam. 194. Objectio.

Solvitur.

Aliud eſt habere Deum placatum, aliud habere amicum.

Hactenus Eminentiſſimus probabiliter, imò utcumque conformiter menti Doctoris Subtilis 4. diſt. 14. q. 1. n. 9. ubi ſic lego: *Secundo dico, quòd non remittitur* (peccatum) *ſine pœna vel æquivalente in acceptatione divina; quia per quodcumque peccatum offenditur Deus, ſicut Scriptura ſatis clamat: offenſa autem eius vel ira, eſt eius velle vindicare, vel aliquid ſufficiens ad placandum exigere: ergo poſito quocumque peccato Deus vult vindicare de peccante; ſed velle vindicare eſt velle punire: ergo poſt peccatum commiſſum ad eius deletionem requiritur aliqua punitio vel æquivalens in acceptatione divina.* 195.

Ad deletionem peccati requiritur punitio vel æquivalens.

Quid ſit offenſa Dei ſecundum Scotum?

Ergo offenſa Dei ſecundùm Scotum ſpecificat motivum Pœnitentiæ, quod eſt correſpondentia juſtæ pœnæ ad culpam, quam correſpondentiam conſequitur pax cum Deo, nam poſitâ tali correſpondentiâ deſinit rationabiliter eſſe offenſus. Patet; quia jam peccatum vindicatum eſt ab ipſo pœnitente, ut miniſtro Dei. Igitur deteſtari peccatum ut offenſam Dei, idem eſt quòd deteſtari peccatum, ut meretur juſtam vindictam Dei; quis autem non videt hoc pertinere ad virtutem ſpecialem Pœnitentiæ, cujus eſt infligere juſtam pœnam pro peccato commiſſo?

Rogas, quid ſit deteſtatio peccati? Reſpondeo, odium ſeu diſplicentia vel nolitio peccati non tantùm ſecundùm ſe, ſed etiam illius præſentiæ, ad quam ſequitur triſtitia ſive dolor: quippe ex nolitione mali præſentis oritur quædam lucta in ſubjecto capaci ſeu inquietudo animi conantis malum exoſum fugere, & hæc eſt dolor, qui dum eſt vehemens, gignit in parte ſenſitiva ſimilem quemdam affectum, quem ſubinde ſubſequuntur gemitus & lacrymæ: hic tamen affectus poteſt etiam oriri ex alia cauſa, vel ex quadam imperfecta peccati diſplicentia: & ſimiliter poteſt in parte ſuperiori eſſe dolor perfectus ſine ejuſmodi commotione in parte inferiori. 196.

Quid ſit deteſtatio peccati?

Et

197. Duplex eſt regula Pœnitentiæ, naturalis & ſupernaturalis. Scotus.

Et verò hunc dolorem ſive triſtitiam, affirmat Scotus ſuprà q. 3. n. 2. unicam & primam pœnam in certo aliquo ſenſu, quem illico ſubjicio. Quærit ibi Doctor, Utrùm Pœnitentia virtus ſit tantùm unius pœnæ inflictiva? Pro reſponſione autem ſupponit quòd ſit duplex regula Pœnitentiæ: *Quædam* (inquit) *naturaliter cognoſcibilis, ut ſcilicet quòd de peccato eſt diſplicendum ..... Alia regula reſpiciens peccatum deteſtandum, tantummodo eſt nota ex revelatione, ſcilicet quòd peccatum eſt deteſtandum in quantum eſt Dei* (Auctoris ſupernaturalis) *offenſivum, vel in quantum averſivum à Deo* (Auctore ſupernaturali) *vel impeditivum acquiſitionis beatitudinis, vel in quantum inductivum finalis miſeriæ.* Hoc ſuppoſito:

Prima regula tantùm oſtendit unam pœnam.

Ad propoſitum, ait Scotus, *Pœnitentia primo modo* (id eſt, ut habet regulam naturalem) *eſt tantùm unius pœnæ inflictiva, ſicut eius regula tantùm oſtendit unam pœnam infligendam, ſcilicet diſplicentiam, ad quam ſequitur triſtitia, quæ eſt unica & prima pœna. Secunda* (Pœnitentia) *eſt inflictiva cuiuſcumque, cuius ſua regula eſt dictativa: regula autem ſua, ſcilicet notitia habita ex divina Scriptura, dictat plures pœnas eſſe infligendas, quas lator illius legis, cuius pœnitens eſt miniſter, voluit infligi ad hoc, ut ſufficienter placaretur, & tales ſunt multæ, ut colligitur ex Scriptura*, v. g. confeſſio, contritio, ſatisfactio, lacrymæ, jejunium, eleëmoſyna &c. de quibus inferiùs proprio loco.

Secunda plures dictat.

198. Deteſtatio peccati poteſt eſſe actus imperatus ſpecialis virtutis Pœnitentiæ.

Ex his interim liquidò conſtat, deteſtationem peccati ratione triſtitiæ ſubſequentis, ex quocumque motivo cujuſcumque virtutis eliceatur, poſſe eſſe actum imperatum virtutis Pœnitentiæ ſpecialis; quoniam eſt vera pœna, quæ debetur pro peccato commiſſo, ſivè ſpectes regulam naturalem Pœnitentiæ, ſive ſupernaturalem.

Fortè etiam actus elicitus, ſed ſecundarius tantùm.

Quòd ſi aliquis pergat contendere aliquam deteſtationem peccati fore actum elicitum virtutis ſpecialis Pœnitentiæ, non ago pugnaciter, dummodo admittat, ſicut antea dixi, tantùm eſſe actum ſecundarium; primarium autem eſſe voluntatem vindicandi, ſeu ordinandi peccatum per pœnam correſpondentem, præſcindendo ab eo, quòd culpa tollatur, vel non tollatur.

Quomodo pœna ſit ordinativa culpæ? Scotus.

Quod addo: quia *Licèt culpa quæ tollatur* (utor verbis Scoti ſuprà q. 1. n. 9.) *tollitur regulariter per pœnam, ſicut obligatio ad aliquid tollitur per ſolutionem illius, & licèt quandoque tollatur per aliud à pœna, æquivalens in acceptatione divina; tamen regulariter per pœnam ordinatur, etſi non tollatur, & hoc eſt quòd dicitur communiter, & accipitur à Boëtio lib. 4. de Conſol. Philoſ. Proſ. 4. quòd pœna eſt ordinativa culpæ, ita quòd non poteſt relinqui in univerſo aliqua culpa, cui non correſpondeat pœna ordinativa. Et ſimpliciter meliùs eſt peccatorem non correctum eſſe in pœna, quàm ſine pœna; quia in primo eſt aliquid boni, ſcilicet correſpondentia iuſta pœnæ ad culpam; in ſecundo eſſet tantùm malitia, ſcilicet culpa, & impunita.*

Boëtius.

199. Ex vi virtutis ſpecialis

Itaque ex vi virtutis ſpecialis Pœnitentiæ per ſe & ſolitariè ſpectatæ, non tollitur peccatum; procul dubio enim punitio ſceleris, & offenſæ remiſſio ſeparari poſſunt; ſicuti contingit in damnatis, in quibus Deus juſtitiæ vindicativæ medium conſervat per punitionem ſine remiſſione culpæ. Unde quòd de facto ad Pœnitentiam peccatoris Deus remittat offenſam, contingit ex conſortio alterius virtutis, puta charitatis elicientis aut imperantis deteſtationem peccati, vel certè ex conſortio Sacramenti Pœnitentiæ.

Pœnitentia per ſe non tollitur peccatum.

An fuga peccati ſit actus elicitus charitatis? D. Bonaventura.

Dico; *Elicientis aut imperantis*, quia videtur ſententia Doctoris Seraphici, fugam peccati non eſſe actum elicitum charitatis, ſed dumtaxat imperatum: hæc ſunt ejus verba 4. diſt. 14. p. 1. a. 1. q. 2. ad 2. *Ad illud quod obiicitur, quòd eiuſdem virtutis eſt gaudere de aliquo, & de oppoſito triſtari; dicendum quòd verum eſt imperativè, ſed non elicitivè: & hoc patet; quia charitas dictat, & imperat ſugere peccatum; ſed tamen timor elicit motum fugæ. Alterius enim virtutis eſt imperare, & alterius elicere: ut obedientia dictat Deo obediendum in hoc præcepto:* Non mæchaberis, *& continentia elicit.*

200. Affirmat Auctor, intelligendo peccatum directè oppoſitum charitati.

Nihilominus contrarium videtur verius, intelligendo peccatum directè oppoſitum virtuti charitatis, id eſt, peccatum odii: de aliis porrò peccatis, v. g. luxuriæ, injuſtitiæ & ſimilibus, quæ ſolùm indirectè repugnant, quatenus videlicet cum illis de facto non poteſt ſtare actus charitatis Dei ſuper omnia, quid dicam? Fortè hujuſmodi repugnantia non ſufficit, ut deteſtatio illorum peccatorum ſit actus elicitus charitatis, quamquam bene ut ſit actus imperatus.

Et verò quis ſcit, an non ideo dixerit Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat?* Non dicit illam contritionem eſſe actum charitatis; ſed debere perfici per actum charitatis, inſinuans fortè contritionem non eſſe actum elicitum, ſed imperatum à charitate. De quo plura ubi de contritione juſtificativa.

Atque hæc ſatis de objecto materiali proximo, ſequitur objectum materiale remotum. Dubitas quodnā illud ſit? Reſolutio dubii erit

CONCLUSIO VII.

Objectum materiale remotum Virtutis ſpecialis Pœnitentię eſt quodcumque malum vindicabile à ſe commiſſum.

201. Quid ſit objectum remotum?

OBjectum remotum voco illud, inter quod, & internum actum à virtute ſpeciali Pœnitentiæ elicitum, aliquid mediat. Cùm ergo inter peccatum, ſeu malum vindicabile, & actum internum Pœnitentiæ, puta voluntatem vindicandi, intercedat vindicta, ſequitur malum vindicabile tantùm eſſe objectum remotum.

Probatur Concluſ.

Digitized by Google

Aliquo ſenſu malum vindicabile poteſt dici objectum proximum.

Quamquam alio ſenſu poſſet dici proximum, quatenus videlicet per ſe attingitur ab actu elicito; nam Pœnitentia ex vi ejuſdem affectûs, qui proximè ab illa manat, & quaſi eodem impetu, quo verſatur circa aliquam operationem, attingit etiam peccatum; non enim ſiſtit in nuda illa operatione, id eſt, in voluntate vindicandi, ſed per illam tranſit in ipſum peccatum, ut hæc locutio declarat: *Volo vindicare peccatum.*

202. Probatur à ſimili.

Simili planè modo, quo Deus dici poteſt objectum materiale proximum virtutis Religionis; quatenus videlicet Religio ex vi ejuſdem affectûs, qui ab illa manat, & quaſi eodem impetu, quo verſatur circa cultum divinum, attingit etiam Deum, ſiquidem non ſiſtit in operatione, ſed per illam tranſit ad Deum, ut hæc locutio declarat: *Volo honorare Deum.*

Quamquam in priori ſenſu Deus ſit objectum materiale Religionis ſolùm remotum; quia videlicet attingitur ab actu interno Religionis mediante cultu. Et quod ſic attingitur ab aliqua virtute, mediante ſcilicet actu ejus principali, ſimpliciter vocatur objectum remotum. Igitur Concluſio ſubſiſtit, quæ affirmat malum vindicabile eſſe objectum materiale remotum virtutis ſpecialis Pœnitentiæ.

203. Quid ſit malum vindicabile?

Si autem à me quæritur, quid ſit malum vindicabile? Reſpondeo citiùs, quod meretur à Deo puniri, & quod vult Deus puniri. Ergo non tantùm peccatum mortale (de quo nemo dubitat) ſed etiam veniale, licèt enim peccatum veniale non offendat Deum graviter, id eſt, non mereatur gravem pœnam ſeu punitionem; equidem aliquam mereri, non poteſt negare, qui credit illud dari: ſiquidem pœna correlativa eſt culpæ, ergo ubi levis culpa, levis pœna & levis punitio. Nonne temperantia gulam etiam leviſſimam, & juſtitia furtum etiam leviſſimum deteſtatur? Ergo conſimiliter Pœnitentia deteſtatur leviſſimam offenſam, eamque punit.

Tale malum eſt etiam peccatum veniale.

204. An etiam omiſſio actûs perfectioris ſeu conſilii?

Quin imò putant aliqui hanc virtutem ſe extendere ad alias imperfectiones, quæ non ſunt peccata, v. g. omiſſionem actûs perfectioris aut conſilii, ad quem non erat obligatio; licèt enim propter illam Deus non poſitivè avertatur ab homine, equidem avertitur negativè, hoc eſt, minùs convertitur, & deobligatur quaſi ad danda auxilia efficacia & uberiora: quæ negatio tametſi non ſit poſitivè & in rigore pœna, eſt tamen quaſi indirectè, quatenus ex negatione auxilii efficacis conſequitur culpa.

Suadetur pars affirmans,

Sanè multoties audimus homines ſæculares, alioquin bonos, conquerentes & ſummopere dolentes, quòd ambabus ulnis non amplexati fuerint ſtatum religioſum, tum propter multiplicia pericula peccatorum, in quibus ſe vident conſtitutos, tum propter minorem abundantiam gratiæ ad illa pericula evadenda. Unde etiam ſæpiſſimè veniam petunt à Deo neglectæ vocationis, & omnibus modis conantur Deum exorare & aliis obſequiis miſericordiam divinam inclinare ad præſtanda illa beneficia, quæ alioquin Deus in Religione neglecta præſtitiſſet.

Sed quamvìs hæc vera ſint, & talis motus animi ſuo modo vocari poſſit Pœnitentia; equidem ſicut ille neglectus in rigore non eſt culpa, ut ſuppono; ita pariter talis motus in rigore non eſt Pœnitentia, ſed alius ſimilis affectus ad Pœnitentiam reducibilis.

ſed non perſuadetur.

205. An peccatum habituale & originale ſint talia mala.

Quantùm ad peccatum habituale & originale, liquet profectò ſecundùm noſtra principia utrumque eſſe verum & proprium objectum ſpecialis virtutis Pœnitentiæ; nam juxta Concluſionem poſitam, malum ſive peccatum vindicabile eſt proprium objectum hujus virtutis, teſte Scoto 4. diſtinct. 14. qu. 2. n. 4. *Obiectum* (virtutis ſpecialis Pœnitentiæ) *peccatum vindicabile.* Et n. 9. *Proprium obiectum iſtius eſt malum vindicabile, ſeu reus in quem eſt vindicandum.*

Scotus.

Et dubitare quiſquam poterit, an peccatum habituale & originale ſit vindicabile? An ille, qui hujuſmodi peccato obnoxius tenetur, verè ſit reus, in quem eſt vindicandum? Quid enim aliud eſt peccatum habituale, quàm peccatum actuale moraliter permanens? Et quid aliud originale quàm noſtrum in Adamo peccatum actuale, morali exiſtentiâ in nobis à natura manens?

Quid peccatum habituale? Quid originale?

206. Originali debetur pœna æterna damni, habituali etiam pœna ſenſus.

Enimverò quòd peccato originali in altera vita debeatur perpetua pœna damni, nemo catholicè negare poteſt. Præterea docet Catholica fides, quòd peccato habituali mortali debeatur æterna pœna damni & ſenſûs. Quinimò ſecundùm aliquos Scotiſtas, inter cæteros Felicem Tentativæ Complutenſis tom. poſteriori tract. de Peccatis & vitiis cap. 18. diffic. 2. n. 13. peccatum habituale pro formali eſt reatus ſeu deputatio paſſiva ad pœnam æternam.

Quomodo differant offenſa, macula & reatus ex Scoto.

Et videtur eſſe Scoti ſuprà q. 1. n. 7. ibi: *Nihil aliud eſt poſt actum peccati ceſſantem, offenſa, macula, & reatus, niſi iſta relatio rationis, ſcilicet ordinatio ad pœnam; ut eſt diſconveniens ipſi animæ, dicitur eius macula, ſicut per oppoſitum pulchritudo: ut autem eſt obligatio formaliter ad illam pœnam, dicitur reatus; & ut eſt actus voluntatis divinæ, in quo eſt tota iſta realitas, per quem actum ordinatur ad talem pœnam, dicitur offenſa. Nihil enim aliud eſt offendi, vel iraſci in Deo, quàm velle vindicare iſtâ pœnâ, & licèt Deus dicatur figurativè iratus vel offenſus: tamen accipiendo iſtam rationem*

Quomodo Deus dicitur iratus?

Digitized by Google

rationem iraſci pro velle vindicare, excluſâ paſſione concomitante illud velle, Deus formaliter eſt iratus vel offenſus; quia formaliter eſt volens vindicare peccatum commiſſum contra legem.

207. **Peccatum habituale poteſt deleri & deletur. Scotus.**

Quidquid ſit de mente Scoti, de qua hîc non eſt locus diſputandi: *Iſtud*, inquit ipſe n. 8. *quod dictum eſt remanere poſt actum in peccatore poteſt deleri & quodammodo deletur iuxta illud Symboli: Remiſſionem peccatorum.* Idque *non ſine pœna* (ut loquitur n. 9.) *vel æquivalente in acceptatione divina.*

Ergo ſecundùm Doctorem noſtrum peccatum habituale, eſt peccatum vindicabile, id eſt, punibile ſeu ordinabile per pœnam: igitur objectum materiale virtutis Pœnitentiæ ſpecialis; eſtò gratìs admitteremus peccatum habituale quà tale, non eſſe objectum retractationis, ut vult Lugo diſp. 3. n. 13. Sufficit enim quòd ſit objectum diſplicentiæ, ac per conſequens triſtitiæ, & quòd voluntas per illam diſplicentiam poſſit pro peccato habituali ſatisfacere. Quod etiam de originali, ut patet, eodem modo dicendum eſt.

208. **Peccatum originale eſt actio noſtra moraliter.**

Licèt quippe hoc peccatum non ſit actio noſtra phyſica, quemadmodum peccatum perſonale; adeòque non ſubjaceat retractationi: equidem eſt actio noſtra moraliter, per quam verè & realiter conſtituimur maculati & inimici Dei, digniſſimique æternâ pœnâ damni, ſi non etiam ſenſûs: ergo eatenus poteſt nobis diſplicere, & poſſumus illud deteſtari, de eo dolere, omnibuſque modis conari ad ipſius deletionem, quod ſatìs eſt ut ſit objectum Pœnitentiæ ſpecialis, licèt fortè minùs proprium quàm peccatum perſonale.

Perſonale actio noſtra phyſica.

Hoc ſiquidem, ſicuti eſt actio noſtra phyſica; idque omnino libera, ita etiam ſubeſt liberæ noſtræ retractationi; non quaſi voluntas facere poſſit, ut præteritum non ſit præteritum; nam ut habet commune axioma: *Quod factum eſt, infectum fieri nequit*; ſed quoniam ita ſentit ſe affectam, ut ſi adhuc peccandum foret, nollet abſolutè peccare, adeòque non peccaret. Quod dici nequit de peccato originali; ſic enim voluntates noſtræ in voluntate Adami poſitæ erant, ut etiam ipſis nondum exiſtentibus, & fortè ſi extitiſſent, quàm maximè reluctantibus, Adamo peccante, in ipſo omnes peccaremus. Sed de hac quæſtione alibi latiùs.

Quomodo hoc ſubjaceat noſtræ retractationi?

209. **An peccatum dimiſſum ſit materia Pœnitentiæ etiam quoad actû vindictæ.**

Venio ad peccatum dimiſſum, & quæro an etiam illud ſit materia Pœnitentiæ? Affirmat Lugo diſp. 3. n. 15. quantùm ad actum retractationis; poſſum enim velle non feciſſe illud peccatum, ne offenderem Deum: ſicuti poſt vulneris vel morbi curationem poſſum dolere de cauſa antè data.

Præterea poſſum velle illud vindicare, & pro eo ſatisfacere, ſi remiſſio eſt dubia vel ſub conditione, ſi dimiſſum non ſit.

Solùm ergo dubitatur, an qui eſt omnino certus de remiſſione, poſſit adhuc velle ſumere vindictam aut ſatisfacere? Ratio pro parte negativa eſt; quia ubi non eſt debitum, non poteſt eſſe ſatisfactio, & ubi non eſt culpa, non poteſt eſſe punitio.

210. **Affirmat Lugo, eſtò certò conſtaret de remiſſione.**

Adhuc tamen, inquit Cardinalis ſuprà, dicendum videtur poſſe virtutem Pœnitentiæ elicere actum circa peccatum dimiſſum, quo velit ſatisfacere & compenſare pro illo, ut ex alio & alio titulo extinguatur. Hoc enim videtur commune aliis virtutibus, ut poſſint ſuo debito ſatisfacere, vel adæquatè, vel abundanter; v. g. gratitudo poteſt velle retributionem majorem, quàm exigeret beneficium acceptum; item obedientia poteſt velle audire duo Sacra, ut ſatisfaciat abundantius præcepto audiendi Sacrum: juſtitia item poteſt velle tribuere infamato honorem pluſquam exigeretur ad tollendam infamiam.

Aliud eſt ad quod virtus obligat, aliud ad quod movet perfectio virtutis.

Aliud enim eſt ad quid virtus obliget, & quod eſt neceſſarium ad intentum illius; aliud verò ad quid perfectio illius virtutis moveat. Obligat quidem juſtitia, v. g. ad retributionem honoris æqualis cum infamia illata; movet verò perfectio juſtitiæ ad majorem honorem retribuendum, ſicut Zachæus, qui, ſi quempiam in aliquo defraudaverat, reddebat quadruplum: ita Pœnitentia non obligat, niſi ad extinguendum adæquatè debitum peccati; atque ideo extincto debito per condonationem, ceſſat obligatio compenſandi: at verò poteſt perfectio Pœnitentiæ movere adhuc ad ſatisfactionem abundantiorem exhibendam.

Differentia inter eum qui non peccavit, & cui peccatum dimiſſum eſt.

Quare quoad hoc differt ille, qui non peccavit, ab eo, qui peccavit, licèt peccatum ſit jam omnino ablatum: nam ille primus non poteſt pœnitere ob defectum objecti Pœnitentiæ; hic verò ſecundus, licèt jam non habeat debitum obligans, habet tamen titulum pro quo poſſit abundantius & perfectius ſatisfacere; ſicut etiam Chriſtus pro noſtris peccatis ſatisfecit abundantius, quàm neceſſitas exigeret. Hucuſque Eminentiſſimus.

211. **Rejicitur ſententia Lugonis.**

Sed interrogo unum verbum: ſi Petrus propter delicta ſua meruiſſet flagellari, nunquid perfectio juſtitiæ vindicativæ moveret ad ipſum ſuſpendendum? Sic enim abundantius ſatisfaceret debito. Interim credo firmiter quòd Petrus non laudaret illam abundantiam, ſed meritò tamquam injuſtam ab illa exciperet & execraretur. Sanè perfectio virtutis non poteſt reperiri, ubi ipſa virtus non reperitur; jam autem non reperitur juſtitia vindicativa poſitâ æqualitate inter pœnam & culpam: ergo neque ejus perfectio. Et idem eſt de juſtitia commutativa, aliiſque virtutibus.

Reſpondetur ad exemplum Zachæi.

Itaque Zachæus vel implevit præceptum legis Exod. 22. v. 1. *Si quis furatus fuerit bovem*

Digitized by Google

aut ovem, & occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno reſtituet, & quatuor oves pro una ove, aut certè ex abundante fecit charitate. Nam cùm ſatìs certum non haberet quantum cuique abſtuliſſet, voluit, ne fortè aliquid alienum retinens erraret, quadruplo plus reddere, quàm ſibi debere videbatur. Ergo exemplum eſt extra rem, cùm nos agamus de eo, qui certus eſt de plena ſatisfa-ctione.

212. & ad alios caſus.

212. Ad alios caſus Reſpondeo; illud abundantius non dari ab illis virtutibus, ſed à virtute liberalitatis, aut ſimili. Excipio gratitudinem, quæ, ut ait Doctor Angelicus

S. Thom.

2. 2. qu. 106. a. 6. in corp. *Quamdiu recompenſat minus vel æquale, non videtur facere gratis, ſed reddere quod accepit; & ideo gratiæ recompenſatio ſemper tendit, ut pro ſuo poſſe aliquid majus retribuat.*

Et ibidem ad 2. ſic inquit: *Debitum gratitudinis ex charitate derivatur: quæ quanto plus ſolvitur, tantò magis debetur, ſecundùm illud ad*

Rom. 13. Obligatio gratitudinis eſt interminabilis.

Rom. 13. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: *Et ideo non eſt inconveniens, ſi obligatio gratitudinis interminabilis ſit.*

Obligatio Juſtitiæ, obedientiæ &c. per primum actum perfectè extinguitur.

An fortè etiam obligatio juſtitiæ, obedientiæ, Pœnitentiæ &c. interminabilis? Nemo id hactenus dixerit. Quin & ipſe Cardinalis ſupponit debitum illarum virtutum per primum actum perfectè extinctum: impoſſibile autem videtur extinguere debitum quod extinctum eſt; ſicut impoſſibile domum deſtructam deſtruere, combuſtam comburere, occiſum occidere, tollere ab aliquo, quod jam non habet, ſed pridem ablatum fuit.

213. Poteſt fieri ut virtutis præceptum obliget ad actum, & non ad perfectionem actûs,

213. Haud inficior fieri poſſe, ut virtutis præceptum obliget ad actum, & non ad perfectionem actûs; v. g. præceptum contritionis obligat non ad determinatam intenſionem actûs, cùm ſi vera ſit contritio, ſufficiat in quovis minimo gradu, ut infrà videbimus, ideo ſi quis intenſivè conteratur, ad perfectionem pertinet illa intenſio, non ad obligationem: hoc, inquam, non inficior; ſed quid tum?

Nonne illa intenſio ponitur ad ſolvendum debitum, quod non eſt, ſive quod jam deletum eſt? Neutiquam; quoniam intenſio non diſtinguitur ab actu intenſo: antequam autem actus intenſus ſit, debitum ſupponitur exiſtere, cùm per actum illum intenſum ſolùm deleatur, eſtò per actum remiſſiorem fuiſſet deletum. Porrò impræſentiarùm quæritur, an quando per unum actum, debitum perfectè deletum eſt, poſſit voluntas alium elicere, aut imperare ad illud idem debitum delendum, quæ ſunt toto cælo diverſa.

214. Juſtitia inclinat ad ſolvendum pretium ſummum.

214. Deinde fatemur, juſtitiam v. g. inclinare ad ſolvendum pretium ſummum rei vendibilis, eſtò ſatisfaceret emptor ſolvendo pretium infimum; & quid mirum, cùm utrumque ſit pretium juſtum; adeòque contineatur intrà limites objecti juſtitiæ, quod non eſt indiviſibile, ſed habet quamdam latitudinem; interim tamen, quod dabitur ultra ſummum pretium, tamquam inæquale rei venditæ, nullatenus reſpicit juſtitia, ſive ſpectes obligationem illius, ſive perfectionem: ratio patet, quia eſt extra totam latitudinem ſui objecti, quod eſt æqualitas inter datum & acceptum.

Secùs ad ſolvendum quod excedit omne pretium juſtum.

Ergo conſimiliter ſi peccatum perfectè dimiſſum eſt, & perfectè vindicatum ad æqualitatem ſummam, ut ſic loquar, quidquid ultra aſſumetur, aptum ad vindicandum, non juſtitiæ vindicativæ actus, defectu materiæ ſeu objecti, ſed charitatis, aut alterius erit virtutis.

Dices cum Lugone de Juſtitia diſp. 1. n. 25. ſecunda ſolutio debiti, licèt illud inveniat extinctum, poteſt tamen quaſi in genere cauſæ formalis illud debitum iterum impedire, ſicut ſecundum peccatum mortale, licèt inveniat gratiam ablatam per primum, adhuc iterum illam impedit in genere cauſæ formalis. 215. Objectio.

Quod quidem apertè conſtat in ſecunda Miſſa, quam quis audit die Feſto; nam dum eam audit, ponit quod Eccleſia præcipit, nempe audire Miſſam illâ die: ergo dum eam audit, ſatisfacit etiam præcepto Eccleſiæ: quid enim aliud eſt ſatisfacere præcepto, niſi facere id, quod præcipitur? Ergo ſi ſecundò facit, id quod præcipitur, ſecundò ſatisfacit eidem præcepto.

Poteſt ſecundò ſatisfieri præcepto,

Similiter ergo, qui ex juſtitia debet unum librum Petro, ſi poſtquam dedit ei unum, dederit alterum, etiam tunc ſatisfacit debito, quia etiam tunc dat quantum promiſit. Unde ſi poſtea Petrus petat ſibi ſatisfieri, poterit debitor nullâ factâ mentione primi libri, probare ſolùm quòd dederit hunc ſecundum; atque ideo ſolverit debitum: ergo per hunc etiam ſecundum ſatisfecit; alioquin allegaret falſum, nempe ſe dando illum librum, ſolviſſe, & liberaſſe ſe ab illo debito, ſi reverà illius libri redditio nullo modo ſolviſſet debitum.

& ſecundò ſatisfieri eidem debito juſtitiæ.

Fatendum ergo eſt ſecundam ſolutionem aptam eſſe ad delendum; quia ſeipsâ formaliter facit, ut eâ poſitâ, debitum illud non poſſit exigi: ergo ſeipsâ impedit inæqualitatem; quia ſeipsâ facit, ut debitor non debeat aliquid creditori, nec retineat quidquam ex ejus bonis: poteſt ergo eligi à virtute juſtitiæ illa ſecunda ſolutio ad finem iterum impediendi inæqualitatem poſitam per debitum præcedens. Huc-uſque Eminentiſſimus.

Sed numquid rem acu tetigit? Sanè longiùs à ſcopo & veritate aberravit. Interrogo ſiquidem, Joannes audiens Miſſam ſibi non præceptam, ſed Petro tantùm, putas quia ſatisfacit præcepto? Hoc putare non eſt ſapientis: & tamen facit id quod præcipitur, nempe audire Miſſam illâ die. 216. Reſpondetur objectioni.

Si dixeris, non præcipitur Joanni, ſed Petro. Reſpondeo, neque præcipitur Ioanni audire

audire ſecundam Miſſam in die feſto; ergo illam audiens non facit id quod ſibi præcipitur: ergo non implet præceptum.

& ſatisfit exemplis allegatis. Similiter ergo, qui ex juſtitia debet unum librum Petro, ſi poſtquam dedit ei unum animo ſolvendi debitum, & illud totaliter extinguendi, dederit alterum, tunc non ſatisfacit priori debito, quod ampliùs non exiſtit; quia licèt tunc det quantum promiſit, non tamen ex vi illius promiſſionis, quæ ſupponitur ampliùs non obligare; adeoque non dat illud quod promiſit, id eſt, illud, ad quod ex juſtitia vel fidelitate obligatur.

Unde quamdiu conſtat de prima ſolutione, falsò probat ſe ſatisfeciſſe debito, dando ſecundum librum. Si tamen creditor negaret dationem primi libri, vel ſi cauſaretur dationem illam fuiſſe donationem gratuitam; & non ſolutionem promiſſionis; tunc indubiè verum allegaret, nempe ſe dando ſecundum librum ſolviſſe, & liberaſſe ſe ab iſto debito; utpote quod juxta mentem creditoris pro tunc adhuc extabat.

Fatendum ergo eſt ſecundam ſolutionem, licèt apta ſit ad delendum debitum, caſu quo debitum eſſet, de factò tamen illud non delere, ex hypotheſi quòd nullum pro hoc tempore ſit; id eſt, deleret ſi eſſet: ſicut ſecundum peccatum mortale privaret hominem gratiâ, ſi gratia eſſet; quia verò ſupponitur non eſſe, de facto non privat. Jam autem virtus juſtitiæ non eligit quod poteſt impedire inæqualitatem, ſed quod de facto impedit; quamvis alioquin in illo poſſibili impedimento poſſit ſibi ſimpliciter complacere.

217. Alia objectio Lugonis, eadem res poteſt ſecundò voveri, Argues rurſum cum Eminentiſſimo ſuprà n. 26. poſſum me ſecundò obligare ad idem, quod jam priùs debebam, per quam ſecundam obligationem non debeo plus, vel aliud, ſed illud idem ſecundò debeo. Sic qui ex voto debet obedientiam, poteſt iterum ſecundo voto ſe obligare ad eamdem obedientiam, quod eſt ponere ſecundum motivum, ad reddendam turpem & illicitam inobedientiam.

& creditor poteſt ſecundò idem debitum condonare. Sic etiam creditor poſtquam ſemel condonavit debitum, poteſt iterum ſecundò idem debitum condonare: quod nihil eſt aliud, niſi iterum cedere juri, quod acquiſiverat, & iterum ſe obligare ad non utendum illo jure; & apponere ſecundum titulum ad reddendum ſibi turpem actionem exigendi illud debitum.

Sic Deus in Sacramento iterum & iterum remittit peccata. Sic Deus in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdotum miniſterio remittit iterum & iterum peccata; quæ jam ſemel & ſæpiùs remiſerat: & tamen ſecunda etiam & tertia eſt vera remiſſio peccati, & ſufficit ad veritatem formæ abſolutionis.

Sicut ergo creditor poteſt remittere ſecundò debitum ſemel remiſſum, apponendo novum impedimentum, quo ſe denuò obligat moraliter ad illud non exigendum: ſic ipſe debitor poteſt per ſecundam ſolutionem denuò obligare creditorem ad non exigendum illud debitum; tam enim obligatur creditor ad non exigendum per ſecundam ſolutionem, quàm per ſecundam condonationem, quâ denuò ipſemet condonaret illud debitum. Hæc ille.

Sed reſpondetur, per multiplicationem votorum de eadem re, non multiplicari obligationes, cùm ſecundum & tertium votum ſolùm ſint quaſi recordationes & approbationes ſeu ſimplices complacentiæ primi voti; quod indè patet, quia primo voto ſublato per diſpenſationem aut alio modo, nulla reſtat obligatio ex ſecundo aut tertio voto; neque propter ſecundum aut tertium votum diſpenſatio redditur magìs difficilis, ſicut reddi deberet, ſi novas induceret obligationes; cùm major ratio requiratur ad ſolvendum tria vincula, quàm unum. Unde non magìs turpis eſt aut illicita inobedientia poſt tertium votum, quàm poſt primum. 218. Reſpondetur objectioni, & ſatisfit 1. exemplo.

Sic etiam creditor, poſtquam ſemel condonavit debitum, poteſt iterum ſecundò condonare, quod nihil eſt aliud, quàm approbare condonationem priùs factam, & quaſi illius recordari, minimè autem de novo cedere juri ſuo, cùm nullum ampliùs habeat, cui poſſit cedere; unde actio exigendi illud debitum non eſt turpior poſt centum condonationes, quàm poſt unam. Satisfit 2. exemplo.

Quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, non requiritur ad veritatem formæ vera remiſſio peccati; ſed ſufficit collatio gratiæ remiſſivæ peccatorum, ut inferiùs proprio loco demonſtrabitur. Sicut ergo creditor non poteſt remittere ſecundò debitum ſemel remiſſum, apponendo per illam remiſſionem novum impedimentum, quo ſe denuò obliget moraliter ad illud non exigendum, ſic ipſe debitor non poteſt per ſecundam ſolutionem (ſi ita placeat vocare, quia reverà non eſt ſolutio, ſed liberalis donatio) denuò obligare creditorem ad non exigendum illud debitum, ſicuti non poteſt obligare ipſum ad non exigendum debitum, quod antea numquam fuit; nam debitum remiſſum in morali æſtimatione habetur, ac ſi numquam fuiſſet. Igitur quemadmodum ubi nullum præceſſit debitum, aut inæqualitas, non poteſt inveniri actus juſtitiæ; qui pro objecto formali reſpicit æqualitatem; neque itidem inveniri poterit ubi debitum præceſſit, & jam certò ad æqualitatem ſolutum eſt. 219. Satisfit 3. exemplo.

Hæc ſit ergo finalis reſolutio ſaltem probabilis: virtus ſpecialis Pœnitentiæ non poteſt infligere pœnam ſtrictè dictam pro peccato perfectè & planè dimiſſo; quamvìs alioquin ex ſuperabundanti Charitate, aut alia virtute, voluntas poſſit illud denuò deteſtari & de illo rurſum dolere, jejunare, orare, & alia opera pœni- 220. Virtus ſpecialis Pœnitentiæ non poteſt infligere pœnam ſtrictè dictam pro peccato planè dimiſſo.

Digitized by Google

pœnitentialia idonea ad ſatisfaciendum exercere, interim tamen ſine animo ſatisfaciendi, ſeu conſtituendi æqualitatem inter pœnam & culpam, cùm jam æqualitatem inveniat conſtitutam; adeoque ulteriorem pœnam aſſumendo, potiùs cauſet inæqualitatem: equidem non vitioſam, quoniam voluntaria, idque per opera ex ſe bona & honeſta, & non ſine cauſa.

Reg. 23. de Reg. Iuris in 6. Unde hìc poſſet habere locum Regula 23. de Reg. Juris in 6. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.* Quæris, quæ hìc ſit cauſa? Reſp. ſufficiens cauſa eſt peccatum præceſſiſſe, & miſericorditer à Deo fuiſſe dimiſſum.

221. Objectio ſolvitur. Si inferas: ergo peccatum dimiſſum poteſt puniri, quod eſt contrarium noſtræ doctrinæ. Reſp. cum diſtinctione; poteſt puniri pœnâ latè dictâ, concedo totum; ſtrictè dictâ, quæ videlicet aſſumitur ad conſtituendam æqualitatem inter pœnam & culpam, nego Conſequentiam.

Et verò quòd Regula illa non ſit intelligenda de tali pœna, vel indè colligitur, quòd pro exemplo exceptionis communiter Canoniſtæ afferant Sacerdotem leprâ divinitùs percuſſum, qui ſine ulla ſua culpa, etiam præterita, ab Eccleſiæ adminiſtratione removetur, ſed non ſine cauſa, videlicet propter horrorem & ſcandalum populi. Quis autem dixerit, aliquem propriè puniendum abſque ullo peccato proprio vel alieno? *Omnis pœna* (inquit D. Auguſt. l. 1. Retract. c. 9.) *ſi juſta eſt, peccati pœna eſt.* D. Aug.

222. Peccatum plenè dimiſſum in ordine ad punitionem propriè dictam nullum eſt; ſecus reſpectu Abſolutionis ſacramentalis. Igitur peccatum plenè & perfectè dimiſſum, id eſt, dimiſſum quoad culpam, & omnem pœnam, perinde ſe habet in ordine ad punitionem propriè & ſtrictè dictam, ac ſi numquam fuiſſet, ſecùs in ordine ad Abſolutionem ſacramentalem, & conſequenter ſatisfactionem, quæ in Sacramento imponitur, ita volente Chriſto, qui potuit pro materia Sacramenti inſtituere omne peccatum aliquando commiſſum, quantumcumque poſtea fuerit remiſſum in Sacramento, vel extra illud; ſic tamen ut tali caſu ſatisfactio illa non habeat rationem punitionis ſtrictè dictæ, ſed latè tantùm, id eſt, impoſitionis alicujus operis ſatisfactorii, ſive de facto per illud ſatisfiat, ſive non. Quamquam ſi certum eſſet Confeſſario omnia peccata confeſſa plenariè eſſe remiſſa, nullam poſſet imponere ſatisfactionem.

Ratio diſparitatis. Quocirca non mirandum, ſi peccatum omnino dimiſſum, poſſit eſſe materia Sacramenti Pœnitentiæ, & non materia virtutis ſpecialis Pœnitentiæ, ſive objectum juſtitiæ vindicativæ; nam Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt, non tam ad conferendam gratiam remittentem peccatum, quàm gratiam remiſſivam peccati; non præciſè ad vindicandum peccatum, ſed magìs ad oſtenſionem clementiæ divinæ, quæ per Sacramentum ſupplet, quod alioquin ſæpè ex parte pœnitentis deeſt ad remiſſionem peccatorum accipiendam; & ubi nulla remiſſio neceſſaria eſt, liberaliter confert donum gratiæ juſtificantis.

Dixi ſignanter, *Dimiſſum quoad culpam, & omnem pœnam*; quia non video quare juſtitia vindicativa, & per conſequens virtus ſpecialis Pœnitentiæ, non poſſit in præſenti vita eligere pœnam, ut effugiat pœnitens pœnam alterius vitæ, quæ culpâ remiſſâ manet perſolvenda. Dico igitur reatum pœnæ alterius vitæ eſſe materiam & objectum virtutis ſpecialis Pœnitentiæ, eſt enim malum, quod remanet ex peccato, & ideo ad peccatum reduci poteſt, eſt etiam vindicabile, in quantum tolli poteſt per pœnas hujus vitæ. 223. Reatus pœnæ alterius vitæ eſt materia virtutis ſpecialis Pœnitentiæ.

Hæc videtur aperta doctrina Concilii Trid. ſeſſ. 14. c. 9. ubi ſic legitur: *Docet præterea, tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.* Probatur ex Conc. Trident.

Conſonat can. 13. ejuſdem ſeſſ.: *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut ieiuniys, orationibus, eleemoſynis, vel alijs etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam; anathema ſit.*

Si objicias; reatus pœnæ temporalis non eſt offenſa Dei. Reſp. non eſt offenſa æterna, & diſſolvens amicitiam eſſentialem Dei, concedo; non eſt offenſa temporalis, retardans viſionem Dei, nego Aſſumptum. Sanè ſecundùm Scotum 4. diſt. 14. q. 1. n. 9. *Offenſa* Dei *vel ira, eſt eius velle vindicare, vel aliquid ad placandum ſufficiens exigere*; velle autem vindicare, eſt velle punire, quamdiu ergo Deus vult punire peccatum, tametſi pœnâ tantùm temporali, vult vindicare, & per conſequens manet offenſus ſeu iratus. 224. Objectio ſolvitur. Quomodo pœna temporalis ſit offenſa Dei.

Itaque ex affectu vindicandi peccatum, & placandi Deum, poteſt quis à ſe repellere reatum pœnæ, ſeu obligationem ad pœnam temporalem, quæ manet peccato dimiſſo quoad culpam: repellit autem, ut ex dictis perſpicuè manifeſtum eſt, per opera ſatisfactoria; atque adeò Pœnitentia non amplectitur illud malum pœnæ in hac vita, niſi ut pœnitens fugiat reatum pœnæ, & pœnam in altera vita. Firmiſſimè ergo tene, & nullatenus dubites, reatum pœnæ eſſe verum objectum materiale virtutis Pœnitentiæ ſpecialis.

Sed quid dicam de actu materialiter tantùm malo? Nonne & hic erit objectum hujus virtutis? Non puto, ſaltem directum, proximum & immediatum. Ratio eſt plana; quia non participat rationem formalem talis objecti, ſcilicet rationem 225. An actus materialiter tantùm malus ſit objectum Pœnitentiæ?

uis fit materialiter actus. rationem offenſæ divinæ; voco enim actus materialiter tantùm malos, qui vel ex defectu cognitionis, ut ſi nullo modo advertens malitiam comedo carnem die veneris, vel ex defectu libertatis, ut in dormientibus & ſtultis contingit, non ſunt peccata nequidem venialia, licèt alioquin ex ſe ſint contra legem. Conſtat autem hujuſmodi actus non eſſe vindicabiles à Deo: ergo neque ab homine tamquam miniſtro Dei.

Non eſt vindicabilis equidem negativè. Vindicabiles, inquam, non tantùm poſitivè, ſed etiam negativè, id eſt, non poſſunt eſſe cauſa, ut Deus propter illos neget auxilia congrua, cùm planè careant libertate, quà mali ſunt; in quo diſtinguuntur ab illis imperfectionibus, de quibus ſuprà tractavimus: nam illos voluntas planè liberè amplectitur, & ideo meretur ſubſtractionem amplioris auxilii divini.

226. *Generat habitum vitioſum.* Interim quoniam actus illi, materialiter tantùm mali, generant habitum vitioſum, & diſponunt voluntatem, ut poſtea faciliùs cum advertentia & plena libertate ſimiles actus faciat, quibus Deus offendatur; hinc ſub illa ratione poſſunt à voluntate odio haberi, non quidem quatenus Deum offendunt, ſed quatenus diſponunt ſaltem remotè ad Dei offenſam.

Odium ejus non eſt actus directus, proximus & immediatus juſtitiæ vindicativæ. Porrò illud odium non eſſe actum directum, proximum & immediatum juſtitiæ vindicativæ, nemo, qui novit naturam illius virtutis, poteſt ignorare. An autem ſit actus indirectus & remotus, pendet ab hac quæſtione, an juſtitia vindicativa non tantùm velit infligere pœnam pro peccato commiſſo, ſed etiam evitare omne illud, quod pœnam poſſet mereri. Si affirmaveris, conſequenter affirma odium iſtud eſſe actum remotum illius virtutis, ut per ſe manifeſtum eſt. Sin verò negaveris, ſimiliter patet quid ſit dicendum.

227. *Objectio.* Objicies: virtus amicitiæ directè & proximè dolet de damno illato amico etiam inadvertenter; item temperantia de ebrietate tantùm materialiter malâ, & ſic de cæteris virtutibus: ergo etiam Pœnitentia de actu tantùm materialiter malo.

Reſponſio Lugonis & Arriagæ. Reſpondet Arriaga diſp. 4. n. 30. ſecutus Lugonem diſp. 3. n. 17. negando Conſequentiam. Diſparitas, inquit, eſt manifeſta; quia in malo illato amico, etiam ſine ulla mea culpa, immo etiamſi à me non ſit illatum, ſed à beſtia, invenitur propriè & formaliter malum amici, quod amicitia deteſtatur; quia illud malum non deſumitur ex cauſa aut libertate, à qua procedit, ſed à ſeipſo.

Similiter in ebrietate, etiam inconſideratè admiſſâ, invenitur indecentia moralis objectiva contra temperantiam, ratione cujus illam poteſt temperantia deteſtari: at cùm Pœnitentia reſpiciat hæc objecta, non ſecundùm id, quod habent ex natura ſua, & ſecundùm malitiam, quam ex ſe objectivè habent, antequam prohibeantur & ratione cujus prohibentur; ſed feratur ad illa, prout habent denominationem formalis offenſæ Dei; hæc autem nullo modo inveniatur ſine libertate, non poteſt Pœnitentia verſari circa eas actiones neceſſarias.

Quando autem dicitur, eas materialiter eſſe offenſam Dei, eſt repugnantia in terminis; quia offenſa Dei in ſuo conceptu dicit eſſentialiter libertatem; unde hâc deficiente, nec materialiter nec formaliter poteſt eſſe offenſa Dei: unde nec etiam propriè poſſunt dici materialiter peccatum. Poſſunt tamen dici materialiter mala, quatenus verè antecedenter ad libertatem habent malitiam rationi naturali phyſicè contrariam, quæ eſt fundamentum ut prohibeantur, unde ab aliis virtutibus poſſunt tales actus odio haberi, non verò à Pœnitentia. Huc uſque Arriaga. 228. *Implicat eſſe materialem offenſam Dei.* *Non tamen materiale malum.*

Sicut ſi poneretur aliqua virtus (inquit Cardinalis ſuprà) cujus proprium munus eſſet, prohibere, ne homo operetur contra conſcientiam: ſanè hæc virtus nullum actum poſſet deteſtari, niſi eum, qui fieret cum advertentia; alioquin enim non fuiſſet contra conſcientiam, & per conſequens non caderet ſub objecto illius virtutis: ſic ſe habet Pœnitentia, quæ cùm ſolùm habeat odio offenſam Dei, non poteſt odiſſe actum indeliberatum, quia ille non eſt offenſa Dei. Hæc Eminentiſſimus. *Lug.*

Verùm hæc doctrina non placet Dicaſtilloni, qui diſp. 1. n. 147. exiſtimat, quòd malitia indecentiæ, quam odio habet temperantia, quando quis ebrius eſt, non ſit effectus ipſe alienationis ſenſuum & uſûs rationis; ſed exhibitio voluntaria cauſæ, ſcilicet immoderata potatio, & quia hæc diſſonat rationi, ideo (inquit ille) eſt prohibita intemperantia in potando, ita ut non ſit prohibitum, nec poſſit prohiberi nimium potare, præſcindendo à voluntaria, vel non voluntaria potatione, ſed voluntariè, ſcienter & liberè nimium potare; hoc autem non poteſt eſſe præciſâ advertentiâ aut inadvertentiâ. 229. *Hæc doctrina non placet Dicaſtilloni.*

Quocirca n. 149. reſpondet ad objectionem, negando alias virtutes propriè, proximè & immediatè odio habere objecta oppoſita materialiter mala, id eſt, actus prædictos ſine advertentia factos, ſed dum fiunt ſecluſâ advertentiâ, eſſe extra latitudinem objecti deteſtabilis à tali virtute; idemque judicium eſſe de illis, atque de Pœnitentia; quia nimirum advertentiæ defectus inculpabilis tollit rationem objectivam odii, & abominationis propriè, proximè & immediatè oppoſitam tali virtuti, tollendo rationem illam malitiæ moralis, contrariam honeſtati, ad quam virtus inclinat. Huc uſque Dicaſtillo. 230. *Reſpondetur ad objectionem.*

Et ut dicam, quod ſentio, non adeò malè: cùm enim virtus moralis ſit habitus electivus, propriè, proximè & immediatè inclinat in actus electivos, per conſequens propriè, proximè *Judicium Auctoris.*

ximè

Digitized by Google

ximè & immediatè deteſtatur actus electivos ſibi oppoſitos; ſecundariò autem deteſtatur impedimenta & obſtacula, quæ poſſent vel impedire vel retardare, quò minùs voluntas prorumpat in eos actus, vel reſpuat oppoſitos.

231. **Homines timorati ſæpiùs deteſtantur actus tantùm materialiter malos,**

Quidquid ſit de hac controverſia, quæ parvi eſt momenti, certum eſt homines juſtos & timoratos ſæpiùs dolere, & deteſtari etiam actus ſolùm materialiter malos, v. g. illuſiones diabolicas, quas in ſomno patiuntur, privationem uſûs rationis, quam inadvertenter ſibi cauſant per exceſſum in potu, & ſimilia, ſive ex amore virtutis, cui illi effectus materialiter opponuntur, ſive etiam ex amore divinæ bonitatis & juſtitiæ, cui nollent nec quidquam materialiter ſeu phyſicè oppoſitum contigiſſe.

& damnum proximo inadvertenter datum.

Sic etiam dolemus & deteſtamur damnum à nobis inadvertenter proximo datum tamquam effectum inæqualitatis, oppoſitum æqualitati, ad quam non lædendam virtus juſtitiæ inclinat.

Item negligentiam inculpabilem in vindicando peccato commiſſo.

Similiter dolere poſſumus & deteſtari negligentiam noſtram in vindicando peccato commiſſo, eſtò illa negligentia fuerit inculpabilis, quia reverà exiſtit inæqualitas inter pœnam & culpam, oppoſitam æqualitati; ad quam conſtituendam virtus ſpecialis Pœnitentiæ inclinat.

232. **Quid dicendum de peccatis alienis.**

Reſtat ut aliquid breviter diſſeramus de peccatis alienis. Non quæro hìc an poſſimus illa retractare; certum quippe eſt quòd non, quandoquidem non cadat ſub propriam retractationē, ſaltem efficacem, quod propriâ actuali volūtate nullatenus eſt factum; nullatenus, inquam, id eſt, ſive proximè ſive remotè: nam contractum celebratum per meum Procuratorem, poſſum poſtea propriè retractare; quia circa actum Procuratoris habui ego voluntatem actualem propriam, quâ ſaltem dedi illi meas vices, & conſenſi in ipſius actionem.

Non poſſumus ea retractare.

An poſſimus de illis dolere ſicut de peccatis propriis?

De quo ergo hìc diſputatur, eſt, an poſſim ego dolere de peccato alieno, ſicut de proprio, illud deteſtari, procurare ne fiat, immo in me ipſo vindicare? Parti affirmativæ videtur obſtare Scotus 4. diſt. 14. q. 1. n. 15. ubi ſic ait: *Pœnitere eſt vindicare peccatum à ſe commiſſum. Pœnitere eſt deteſtari vel odire peccatum à ſe commiſſum.* Et n. 16. *Pœnitere eſt pœnam inflictam pro peccato ſuo commiſſo gratanter acceptare. Pœnitere eſt pœnam ſibi pro peccato ſuo inflictam patienter ſufferre.* Similiter loquitur Doctor Angelicus 4. diſt. 14. q. 2. a. 2. & alii Theologi communiter.

Videtur negare Scotus

Non dicitur humilis, qui vult alios eſſe humiles,

Enimverò quis dicat eſſe humilem, qui vult alios eſſe humiles, aut eſſe abſtinentem, qui vult alios jejunare? Alioquin Deus diceretur eſſe humilis & pœnitens, quia vult nos eſſe humiles & pœnitentes, & Angeli etiam eſſent abſtinentes, quia volunt nos abſtinentes: ergo pœnitens non eſt, qui vult alios ſatisfacere pro ſuis offenſis, ſed qui ſatisfacit pro propriis. Hæc pro parte negativa.

Pro parte autem affirmativa facit, quòd aliæ 233.
virtutes non ſolùm videantur inclinare ad deſiderandam honeſtatem ſui objecti, illi ſubjecto, cui inſunt, ſed etiam aliis. Sic enim docet experientia, caſtum deſiderare caſtitatem in aliis, ſobrium ſobrietatem, juſtum juſtitiam, & ſic de cæteris: ergo ſimiliter pœnitens non ſolùm vult non offendere Deum, ſed etiam vult ne Deus ab aliis offendatur, non ſolùm vult vindicare peccatum, ſed etiam vult ut alii vindicent: nam turpitudo offenſæ, quam odio habet, & honeſtas vindictæ, quam amat, eadem eſt in aliis, ac in ſe; per conſequens non tantùm vult vindicare peccatum à ſe commiſſum, ſed etiam ab altero commiſſum, non tantùm deteſtari peccatum à ſe commiſſum, ſed etiam commiſſum ab altero, cùm utrobique ſit eadem honeſtas & turpitudo.

Suadetur pars affirmativa.

Caſtus deſiderat caſtitatem in aliis.

Ecce difficultas utriuſque partis, quæ meo 234.
judicio probat in utraque aliquid eſſe veri: pro cujus explicatione, nota, aliud eſſe me velle pœnam alterius, ſive ut alter faciat Pœnitentiam; aliud me velle facere Pœnitentiam pro peccatis alterius. Numquid, quia ego deteſtor peccatum alterius, aut pro illo ſatisfacio per jejunium, eleëmoſynam &c. idcirco alter dicitur pœnitere? Clarum eſt quòd non. Sin autem exhortationibus meis procurem in altero deteſtationem ſui peccati, jejunium, eleëmoſynam &c. liquet profectò alterum verè pœnitere.

Judicium Auctoris.

Et ſanè haud clarè video, cur peccatum alienum non poſſit eſſe directum & immediatum objectum meæ Pœnitentiæ, eſtò (quod non) fornicatio v. g. aliena, & propria, eſſent peccata ſpecie diſtincta, cùm utraque ſit vera & propria offenſa Dei, quæ eſt ratio formalis objectiva deteſtationis & vindictæ.

Peccatum alienum poteſt eſſe directum & immediatum objectum meæ Pœnitentiæ.

Interim tamen quia principalis vindicta, ſive pœna ordinativa peccati, eſt retractatio, quæ eſt propria ipſi peccatori: hinc Scotus ſuprà, Doctor Angelicus, aliique communiter Theologi Pœnitentiam definiunt ſeu deſcribunt per ordinem ad peccatum proprium.

Principalis vindicta eſt retractatio peccati.

Hinc Chriſtus non dicitur Pœnitentiam 235.
egiſſe, licèt reverà pro noſtris peccatis ſatisfecerit, & procul dubio illa fuerit deteſtatus; quia videlicet ultra illam deteſtationem & ſatisfactionem Chriſti, requiritur propria retractatio, aut alius actus æquivalens in peccatore adulto ad remiſſionem peccatorum.

Quare Chriſtus non dicatur egiſſe Pœnitentiam

Sed quid ſi diceretur Pœnitentiam egiſſe pro peccatis noſtris? Talis ſanè locutio nihil abſonum in ſe continet, amplius quàm hæc: *Chriſtus paſſus eſt pro peccatis noſtris.* Itaque propria retractatio ſpecialiter ſibi vendicat nomen Pœnitentiæ: quamquam honeſtas illius virtutis, etiam in aliis actibus inveniatur, eſtò ſecundariò & minùs principaliter.

Cæterum

Digitized by Google

236. Ejuſdem virtutis eſſe ſibi velle caſtitatem & aliis, ut probabile docet Scotus.

Unde in Angelis poſſet eſſe habitus temperantiæ.

Cæterùm quòd ejuſdem virtutis ſit, ſibi velle caſtitatem, & velle illam aliis, tamquam probabile docet Scotus 3. diſtinct. 33. num. 16. ubi admittit in voluntate Angeli virtutem temperantiæ, & probat dicens: *Velle bonum circa agibile non ſolùm ſibi, ſed etiam alteri (& hoc non tantùm in ordine ad bonum divinum, ſed in quantum eſt bonum quoddam proprium) eſt quædam perfectio voluntatis, & voluntas Angeli non eſt neceſſariò imperfecta, igitur poteſt ſibi competere habitus, quo velit mihi bonum temperantiæ: in quantum eſt mihi bonum conveniens, & habitus iſte non poteſt dici charitas; quia, ut dictum eſt, iſte habitus non eſt tantum bonum, ut quoddam ordinatum ad diligendum Deum, ſed ſub ratione propria bonitatis in eo, nec eſt alius habitus quàm temperantiæ, quia per mihi & tibi non variatur ratio formalis habitûs; igitur ſicut habitu temperantiæ formaliter eligo mihi hoc bonum, ita habitu ejuſdem rationis poteſt mihi quilibet velle hoc bonum.*

237. An in Deo poſſint eſſe virtutes morales?

Et ſi inferas: ergo in Deo erunt virtutes morales. Reſpondet Doctor: *Hoc modo conſequenter poſſet poni in Deo eſſe rationem virtutum moralium, ſicut in eo conceditur charitas ſine accidentalitate ejus.*

Prima ratio quare non poſſint eſſe.

Certè vellem ſcire, cur id non poſſet poni. Quia, inquit aliquis, in Deo nulla eſt moralis libertas ſive indifferentia, cùm omnia objecta moralia æqualiter reſpiciat; adeòque ejus voluntas ex objecto morali creato non ſumit ſuam honeſtatem.

238. Alia ratio ex Smiſing.

Smiſing de Deo uno tract. 3. diſput. 4. nu. 26. aliam addit rationem, quæ generaliter poteſt applicari omni virtuti morali, quamvis Auctor ſolùm expreſsè loquatur de temperantia & fortitudine: quia, inquit, ad rationem virtutis temperantiæ & fortitudinis requiritur, ut inclinet ad eligendum medium illarum virtutum propter ipſum; at Deus non eligit medium iſtarum virtutum propter ipſum: ergo non habet virtutem temperantiæ & fortitudinis. Minor probatur: quia Deus quidquid extra ſe vult, vult primò & immediatè propter ſeipſum, ſeu propter divinam bonitatem abſolutè, qui eſt affectus virtutis divinæ charitatis.

239. Tertia ratio.

Accedat tertia ratio; quòd virtus moralis ſit habitus electivus medii à prudentia definiti; at in Deo non poteſt eſſe affectus boni à prudentia regulabilis, quippe voluntas divina ſeipsâ ſummè eſt recta: ergo in ipſa non poteſt eſſe virtus moralis, præſertim talis quæ reſpicit medium rationis, & verſatur circa objectum arduum ac difficile, moderaturque paſſiones, ut eſt fortitudo & temperantia; hæc ſiquidem non conveniunt Deo, ut nimis clarè patet.

Quarta ratio.

Denique ſi ſufficeret, quòd Deus nobis velit temperantiam, jam mater intemperans poſſet ſimul eſſe temperans, optans filiæ temperantiam.

Sed hæ rationes non convincunt; ut autem ab ultima exordiar; Reſpondetur primò, eumdem poſſe ſimul eſſe temperantem v. g. in cibo, & intemperantem in potu; idque quia eadem virtus habet plures actus, adeòque inclinare poteſt ad unum, & non ad alterum. 240. Reſpondetur ad 4. rationem. 1. Idem poteſt eſſe ſimul temperans in cibo, & intemperans in potu.

Reſpondetur 2.

Aristoteles.

Reſpondetur ſecundò, talem mulierem non eſſe temperantem; quoniam non intendit aut vult temperantiam filiæ ex amore temperantiæ, ſive propter ipſam virtutem, quod tamen neceſſarium eſt ad actum virtutis moralis, ut docet Ariſtoteles 2. Ethicor. 4. dicens: *Ea quæ ab artibus fiunt, bonum ipſum in ſeipſis habent: ſufficit igitur ſi ipſa aliquo modo ſeſe habentia fiant*; id eſt, materialiter fiant ſecundùm artis regulas, etiamſi artifex id non intendat, ſed fortè cum diſtractione opus perficiat. *At ea quæ à virtutibus procedunt, non juſtè aut temperatè aguntur, ſi ſint juſta aut temperata, ſed ſi & agens ſic ſe habens agat; primò quidem ſi ſciens, deinde ſi eligens propter ipſa, tertiò ſi firmo animo ac immutabili eligat*; firmo, inquam, ac immutabili animo, id eſt, non ſolùm quâdam velleitate inefficaci aut ſimplici complacentiâ, ſed abſolutâ & efficaci voluntate, quæ ex ſe, ſeu ex modo tendendi in objectum, ſtabilis ac firma ſit.

Quæ requiruntur ad actum veræ virtutis.

Qui alteri vult temperantiam ex amore virtutis, eam etiam ſibi ipſi procurat.

Jam autem ſi mulier præfata ex amore virtutis ageret, etiam illam ſibi ipſi optaret, & in ſeipſa procuraret, quod cùm non faciat, ſed contrarium, ut ſupponitur, ſignum eſt, quòd non velit filiæ bonum temperantiæ propter ipſum, ſed ut bonum filiæ eſt; qui affectus, ſi eſt virtutis alicujus, amicitiæ eſt, non temperantiæ; aut certè propter aliquod bonum proprium utile, commodum vel delectabile, & ſic non eſt opus ullius virtutis, ſed amor merè naturalis, vel ſanè pertinens ad naturalem charitatem erga ſeipſam. At verò Deus videtur velle nobis ineſſe bonum temperantiæ & fortitudinis propter ipſum, ſeu propriam ejus honeſtatem; idque ſcienter vel efficaciter; quantùm eſt ex parte ſua.

Ad tertiam rationem Reſpondetur: regulari per prudentiam, ſolùm eſt de ratione creatæ virtutis moralis, ſecùs virtutis moralis ut ſic, ſed ad hanc ſufficit ſpeculativum prudentiæ dictamen, quod utique in Deo reperitur. Per accidens ergo eſt, quantùm ad præſens, quòd regula ſit diſtincta à regulato; dummodo tamen regula adſit, quæ hìc eſt voluntas divina. Deinde voluntas 241. Reſponſio ad 3. rationem.

divina habet aptitudinem, ut reguletur ab intellectu; nam ſi non eſſet prima regula, indubiè ab illo regularetur.

uì nec arduitas objecti.

Conſimiliter ex arduitate & difficultate boni honeſti non deſumitur eſſentia virtutis ut ſic, ſed ad ſummum virtutis creatæ & habitualis; ſiquidem hæc arduitas & difficultas non fundantur in objecto, neque in per ſe principio operis honeſti; ſed in ſubjecto & principio operis honeſti, quatenus limitatum eſt vel impeditum, ne poſſit ſe ſolo & abſque habitu ſuperaddito, vel abſque principio ſupplente vicem habitûs promptè operari circa tale honeſtum: cæteroquin actus producti ab illo, qui habet habitum, & ab alio non habituato, deberent eſſe ſpecie diſtincti, cùm tamen conſtet eſſe ejuſdem eſſentiæ & ſpeciei; quamvìs objectum reſpectu habituati non ſit arduum, ſicut reſpectu non habituati.

neque actualis moderatio paſſionum.

Pari modo dico, non eſſe de eſſentia virtutis temperantiæ & fortitudinis, quòd actualiter moderentur paſſiones; ſed planè ſufficere quòd ſint moderativæ paſſionum, ſi quæ ſubjecto inſint; ac proinde quòd ſubjectum habeat paſſiones vel non, per accidens eſt, & impertinens ad rationem eſſentialem iſtarum virtutum.

242.
Reſpondetur ad primam rationem.
In Deo eſt ſufficiens indifferentia ad virtutem moralem.

Venio ad primam rationem, & dico, in Deo ſufficientiſſimam eſſe indifferentiam ad virtutem moralem; quamqnam enim non moveatur ejus voluntas ab objecto creato, equidem poteſt ex ſe eligere quod voluerit, tametſi inter ſe forent æqualia.

Probatur ex Scoto.
In voluntate noſtra eſt triplex libertas, ad oppoſitos actus, objecta, & effectus.

Audiamus Doctorem Subtilem 1. diſt. 39. qu. 5. num. 15. ubi explicans triplicem libertatem noſtræ voluntatis, ſic inquit: *Quantum ad primum, dico, quòd voluntas in quantum eſt actus primus, libera eſt ad oppoſitos actus: libera etiam eſt mediantibus illis actibus oppoſitis ad oppoſita obiecta, in quæ tendit, & ulteriùs ad oppoſitos effectus, quos producit. Prima libertas habet neceſſariò aliquam imperfectionem annexam; quia potentialitatem paſſivam voluntatis & mutabilitatem. Tertia libertas non eſt prima; quia, ſi per impoſſibile nihil efficeret extra, adhuc in quantum voluntas poſſet liberè tendere in obiecta*, ſcilicet per actus internos; unde per efficere extra intelligit actum externum. *Media autem ratio libertatis ipſa eſt ſine imperfectione, immo neceſſaria ad perfectionem: quia omnis potentia perfecta poteſt tendere in omne illud, quod eſt natum eſſe obiectum talis potentiæ; ergo voluntas perfecta poteſt tendere in omne illud, quod eſt natum eſſe volibile. Libertas igitur prima ſine imperfectione in quantum eſt libertas, eſt ad oppoſita obiecta, in quæ tendit, cui ut ſic accidit ut oppoſitos effectus producat.*

243.
Quæ libertas competat voluntati divinæ.

Rogas Scotum, quæ libertas ex his tribus conveniat voluntati divinæ? Reſpondet ibidem nu. 21. *Quantum ad primum; dico, quòd voluntas divina non eſt indifferens ad diverſos actus nolendi & volendi; quia hoc in voluntate mea non erat ſine imperfectione voluntatis. Voluntas enim noſtra erat libera ad oppoſitos actus, ad hoc ut eſſet libera ad obiecta oppoſita, & hoc propter limitationem utriuſque actus reſpectu ſui obiecti: ergo, poſitâ illimitatione ejuſdem volitionis ad diverſa obiecta, non oportet propter libertatem ad oppoſita obiecta, ponere libertatem ad oppoſitos actus. Ipſa enim voluntas divina libera eſt ad oppoſitos effectus, ſed hæc non eſt prima libertas, ſicut nec in nobis. Remanet ergo libertas illa, quæ eſt per ſe perfectionis & ſine imperfectione, ſcilicet ad obiecta oppoſita; ita quòd ſicut voluntas noſtra poteſt diverſis volitionibus tendere in diverſa volibilia: ita illa voluntas poteſt unicâ volitione ſimplici illimitatâ tendere in quæcumque volibilia, ita, quòd ſi voluntas illa, vel illa volitio eſſet tantum unius volibilis, & non poſſet eſſe oppoſiti, quod tamen eſt de ſe volibile, hoc eſſet imperfectionis in voluntate, ſicut deductum eſt prius de voluntate noſtra.* Hucuſque Doctor Subtilis. Quis autem dubitare poteſt, hujuſmodi libertatem in voluntate divina abundanter ſufficere ad rationem virtutis moralis?

Non competit libertas ad oppoſitos actus, ſed ad oppoſita objecta & oppoſitos effectus.

244.
Reſpondetur ad ſecundam rationem.
Poncius
Duplex eſt honeſtas virtutis, una ipſiuſmet virtutis, altera referibilitas ejus ad Deum.

Supereſt ergo ſola ratio ſecunda, propter quam Smiſing negat in Deo illas virtutes. Sed ad illam reſpondet Joannes Poncius Sum. Theolog. diſput. 6. nu. 29. duplicem eſſe in qualibet virtute morali honeſtatem, unam ipſiuſmet virtutis, alteram referibilitatem ejus ad Deum, quatenus bonitas ipſius eſt placens Deo, & cedens in honorem & laudem ejus: nihil autem impedit, quò minùs Deus velit illud objectum propter utramque bonitatem; & ſi id faceret, verum eſſet, quòd vellet illud objectum formaliter propter ſemetipſum, & hoc non obſtante, vellet ipſum etiam propter honeſtatem virtutis moralis: ergo non obſtante, quòd Deus debeat omnia velle propter ſemetipſum, non ſequitur, quin exerceat etiam actum virtutis moralis. Sanè licèt viri perfecti omnia opera ſua faciant ex charitate divina, neque ſiſtant in naturali morum honeſtate, non tamen deſtituuntur propriâ virtute temperantiæ, fortitudinis aut ſimili.

245.
Opus quod à pluribus virtutibus procedit eò perfectius eſt.

Unde docent Theologi communiter, Martyrium eſſe opus fortitudinis, & charitatis; contritionem de peccatis opus Pœnitentiæ & charitatis, & ſic de aliis. Quin immo opus, quò à pluribus virtutibus procedit, eò perfectius eſt; & ſiſtere in honeſtate virtutis moralis, videtur eſſe, ſecundùm Divum Auguſtinum vitioſum, ſic enim ait lib. 19. de Ci-

Digitized by Google

de Civit, cap. 25. *Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur* (animus & ratio) *per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potiùs, quàm virtutes. Nam licèt à quibuſdam tunc vera & honeſta putentur eſſe virtutes, cùm ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflata ac ſuperba ſunt: & ideo non virtutes, ſed vitia iudicanda ſunt.*

246.

pus virtus moralis charitate uplicitet eri poteſt, licitivè & nperativè,

Reſpondet Smiſing ſuprà nu. 28. Ex charitate divina poſſe dupliciter exerceri opus temperantiæ & fortitudinis, aut cujuſcumque virtutis moralis; primò elicitivè, ſecundò imperativè. Elicitivè, quando actus voluntatis, quo quis elicit medium virtutis moralis, eſt elicitus à charitate, eò quòd medium virtutis moralis ſit volitum propter Deum ut ſic: ſicut enim omnia alia ſunt referibilia in Deum ut ſic, ita etiam medium virtutis moralis; atque ita charitas, ratione hujus motivi univerſalis, poteſt actu à ſe elicito, illud medium in Deum ut ſic referre, & illud eligere propter Deum ſic ſpectatum.

Imperativè verò, quando actus, quo quis eligit medium virtutis moralis, eſt imperatus à charitate: poteſt enim voluntas per charitatem non ſolùm velle materiam virtutis moralis, ſeu medium talis virtutis, ſed etiam actum virtutis moralis circa tale medium ſub propria honeſtate ſpectatum; quemadmodum velle poteſt actus aliorum habituum, & potentiarum naturalium; atque ita poteſt per actum charitatis imperare actus aliorum principiorum, ipſi voluntati ſubjectorum. Hactenus Smiſing.

247.

Non repugnat quòd aliquis actus divinæ voluntatis feratur in alia bona.

Sed hæc non ſolvunt difficultatem. Quid namque repugnat, quòd aliquis actus divinæ voluntatis formaliter conſideratus, feratur in alia bona, dummodo per alium actum reflexum, quo quaſi imperetur, ordinetur ad Deum? Cùm enim objectum ejus ſit propter ſe volibile, nihil impedit, quò minùs voluntas divina aliquo actu velit ipſum propter ſe; nam licèt videatur perfectius ipſum velle propter Deum, quàm propter ſe; tamen hoc non tollit, quin ſit perfectum, velle ipſum propter ſe; ſed tantùm arguit, quòd Deus velit etiam ipſum propter Deum.

Deus cognoſcit creaturas etiam in ſe ipſis.

Enimverò, quamvìs, ut multi docent, Deus perfectiùs cognoſcat creaturas in ſua eſſentia, quàm in ipſiſmet creaturis, hoc tamen non impedit, quò minùs Deus cognoſcat eas in ſe ipſis; ſed bene arguit, quòd Deus etiam eas in ſemetipſo cognoſcat. Quidni idem in propoſito dici poſſit?

Et univerſaliter loquendo, quoties ſunt duæ perfectiones inæquales compoſſibiles, quarum minùs perfecta non involvit ullam imperfectionem, præterquam negativam, quòd ſcilicet ſit minùs perfecta, quàm altera, perfectionis eſt habere utramque: jam verò amare honeſtatem temperantiæ propter ipſammet, eſt ſolummodo minor perfectio, quàm amare illam propter Deum; ergo uterque amor eſt ponendus in Deo.

Confirmatur; quia in Chriſto ponitur ſcientia beata, & per ſe infuſa reſpectu ejuſdem objecti, cùm tamen una ſit perfectior alterâ. Niſi ergo aliqua virtus ex ſua particulari ratione involvat aliquam poſitivam imperfectionem & repugnantiam cum infinita Dei perfectione, noli timere ubi non eſt timor, audacter, inquam, pone illam in Deo, non per modum habitûs, quaſi voluntas divina non ſit ex ratione ſua formali potens ad tendendum in quodcumque objectum propoſitum per intellectum, aut ſimpliciter, aut facilè, quod repugnat ejus infinitati, ſed per modum actûs. 248.

In Chriſtò ponitur ſcientia beata & per ſe infuſa reſpectu ejuſdem objecti.

Omnis virtus moralis poteſt eſſe in Deo quoad actus aliquos minùs principales.

Et ideo dico, quòd omnis virtus moralis poſſit eſſe in Deo quoad actus aliquos minùs principales, quoniam poteſt nobis diligere honeſtatem illarum virtutum, & deſiderare, ut alii eam ament, ac ſibi procurent, atque hoc ob ipſammet perfectionem illius honeſtatis.

In Deo poteſt admitti actus aliquis ſpecialis virtutis Pœnitentiæ,

Itaque, ut ad primum propoſitum revertamur, admitti poteſt in Deo ſine aliquo inconvenienti vel abſurdo actus virtutis Pœnitentiæ ſpecialis, eſtò ſecundarius & minùs principalis, quo videlicet nobis diligit illam honeſtatem, & deſiderat ut nos eam amemus, ac nobis procuremùs, ubi neceſſaria fuerit; idque ob ipſammet perfectionem illius honeſtatis. 249.

A quo tamen non bene diceretur Deus pœnitens,

Sed numquid ideo Deus bene dicitur pœnitens? Patet quòd non, cùm illa denominatio, ut ſuprà dictum eſt, deſumatur ab actu principaliori, ſcilicet retractatione proprii peccati, qui nullatenus Deo poteſt convenire, utpote repugnans ejus infinitæ bonitati.

Atque ut in Deo volitio, quâ vult nobis Pœnitentiam, non eſſet actus virtutis Pœnitentiæ propter rationem ex Smiſing allegatam, nihil obſtat quò minùs in Angelo talis ſit; utpote in quo non habet locum illa ratio, ut planum eſt, ſimiliter in Beatis, & in Chriſto, ac ejus ſanctiſſima Matre Maria; de quo plura Concluſione ſequenti, ubi de ſubjecto hujus virtutis.

An ſit eadem ratio

Impræſentiarùm adverto, aliquos diſtinguere inter Pœnitentiam infuſam & acquiſitam; 250.

Pœnitentiæ infuſæ & acquiſitæ?

tam; & illam quidem admittunt poſſe inclinare ad amorem Pœnitentiæ propriæ, & amorem Pœnitentiæ alienæ; quia nimirum principale motivum eſt bonitas ipſa Pœnitentiæ ſecundùm ſe, quæ eadem eſt in me & in alio:

Negant aliqui.

negant autem id poſſe Pœnitentiam acquiſitam; quia, inquiunt, quando ego ex habitu Pœnitentiæ volo vindicare peccatum à me commiſſum, ſive volo propriam Pœnitentiam, motivum non eſt ſola honeſtas Pœnitentiæ ſecundùm ſe, ſed honeſtas, quæ apparet in eo, quòd ego faciam Pœnitentiam, ſive quòd ego ſim pœnitens; quod quidem motivum differt ſpecie ab honeſtate, quæ apparet in eo, quòd alii ſint pœnitentes.

Rejicitur eorum fundamentum.

Sed contrà; decentia & honeſtas, quæ mihi apparet in Pœnitentia alterius hominis, non differt ſpecie ab honeſtate, quæ apparet mihi in Pœnitentia mea; Contritio ſiquidem eſt in utroque homine ejuſdem ſpeciei, ſubjectum item ſeu natura rationalis, cui apparet decens illa honeſtas, ejuſdem quoque ſpeciei eſt: ergo tota illa honeſtas, quæ movet in utroque caſu, eſt ejuſdem ſpeciei; neque enim apparet, quomodo convenientia illa habeat diverſam ſpeciem, ſi nec bonum conveniens, nec ſubjectum, cui convenit, nec finis ad quem ordinatur, ſit diverſæ ſpeciei.

Honeſtas quæ movet ad propriam & alienam Pœnitentiam, eſt ejuſdem ſpeciei.

251. *Reſponſio Lugonis.*

Reſpondet Cardinalis Lugo diſput. 3. n. 30. differentiam ſpecificam inter aliqua duo nihil aliud eſſe, quàm differentiam notabilem, quam prudentum exiſtimatio invenit inter illa: poteſt autem contingere, ut aliqua duo exiſtimentur notabiliter differre in ordine ad aliquem finem, quæ tamen in ordine ad aliam conſiderationem non differant notabiliter.

Differentia ſpecifica quæ dicatur.

Aurum & argentum ſpecie diſtinguuntur ſi phyſicè conſiderentur; ſecùs ſi theologicè.

Sic aurum & argentum in ordine ad conſiderationem phyſicam, quâ conſiderantur naturæ phyſicæ rerum, differunt notabiliter, & tamen in ordine ad conſiderationem theologicam non differunt notabiliter; & ideo voluntas furandi argentum, propter bonitatem argenti, differt ſpecie phyſicâ à voluntate furandi aurum propter bonitatem auri; quia Phyſicus multa conſiderat circa aurum, quæ non conſiderat circa argentum; & tamen illæ duæ voluntates non differunt ſpecie theologicâ, nec ſunt peccata ſpecie diverſa, quia Theologus non curat de illa differentia, nec eſt conſiderabilis ad intentum Theologi.

Ternarius hominum & ternarius equorum differunt ſpecie phyſicâ, ſecùs arithmeticâ.

Sic etiam ternarius hominum, & ternarius equorum differunt ſpecie phyſicâ, non tamen differunt ſpecie arithmeticâ; quia Arithmeticus ad ſuum intentum non curat de illa differentia; ſed de æqualitate vel inæqualitate numeri: unde è contra ternarius equorum differt ſpecie arithmeticâ, à quinario equorum, non tamen differunt ſpecie phyſicâ tres equi à quinque equis. Hæc Eminentiſſimus.

Ex quibus concludit illas duas honeſtates Pœnitentiæ, v. g. alienæ vel propriæ non differre quidem ſpecie phyſicâ, differre tamen ſpecie morali, ſeu in ordine ad mores; puta propter majorem, & diverſam obligationem, quam habet quis ordinandi & componendi mores proprios, quàm alienos.

Verùm hæc reſponſio non ſatisfacit: quæro enim an idem habitus, v. g. caſtitatis, qui ante votum caſtitatis inclinabat ad obſervantiam hujus virtutis, poſt votum ampliùs non inclinet? Nemo ſanæ mentis poteſt dicere, fortè non ampliùs inclinat; & tamen poſt votum eſt major & diverſa obligatio. Similiter argumentor de obedientia, paupertate & ſimilibus virtutibus, quæ ante votum ſunt liberæ; putas quòd in illis exercitatus, non faciliùs poſt votum eliciet actus illarum virtutum, quàm inexercitatus? Non eſt prudentis hoc cogitare. Ergo idem habitus, qui antea inclinabat ad actum liberum, nunc inclinat ad actum obligatorium. Quare, niſi quia in utroque actu invenitur eadem honeſtas objectiva? 252.

Reſponſio Lugonis non ſatisfacit

Idem habitus virtutis inclinat ad actum liberum & neceſſarium.

Ergo ſimiliter idem habitus ſeu virtus Pœnitentiæ, qui inclinat ad propriam Pœnitentiam neceſſariam, etiam poterit inclinare ad Pœnitentiam alienam non neceſſariam, idque quia eadem objectiva honeſtas in utraque reperitur; dixeris actus ſpecie morali diſtinctos, ſeu non, parùm curo; ſiquidem habitus ſicut cauſatur non ab entitate morali, ſed phyſicâ, ita etiam inclinat ad entitatem phyſicam, & non tantùm ad moralem; cùm ergo ſecundùm Lugonem illi duo actus non diſtinguantur ſpecie phyſicâ, nulla eſt ratio quare non poſſint produci ab eodem habitu phyſico.

Habitus inclinat ad entitatem phyſicam & non tantùm ad moralem.

Quod omnes fateri debent, qui cum Scoto docent, eumdem habitum poſſe producere actum bonum & malum, cùm procul dubio actus bonus & malus ſpecie diſtinguantur.

Idem habitus poteſt producere actum bonũ & malum.

Unde miror Arriagam, qui diſp. 33. de Virt. in communi n. 10. tenet fieri poſſe, ut quis habitu virtutis acquiſitæ vitioſè utatur, non ſolùm ut objecto, verùm etiam ut principio; miror, inquam, hunc Auctorem diſp. 4. de Pœnitentia n. 8. recurrere cum Lugone ad diſtinctionem moralem, dicens: Si ſermo ſit de acquiſita Pœnitentia, certum puto duos eſſe habitus diſtinctos, quo & mihi, & proximo peccatum fugio. 253.

Arriaga docet duos eſſe habitus diſtinctos, quo & mihi & proximo peccatum fugio.

Ratio eſt clara; quia habitus acquiſiti producuntur ex actibus, ideoque ſolùm facilitant ad actus ſimiles illis à quibus producti ſunt. Actus autem quo mihi amo bonum aliquod, ſive differat ſpecie phyſicâ, ſive non, ab actu quo alteri amo idem bonum, certum eſt moraliter

Ratio ejus, quia actus illi moraliter diſtinguuntur propter facilitatem unius & difficultatem alterius.

Digitized by Google

raliter valde differre, quia illa diverſitas proprii & alieni, eſt maxima in ordine ad amorem; unde non ſolùm in objecto Pœnitentiæ, ſed in omni alio bono experientiâ certum eſt, poſſe quem facillimum eſſe ad amandum ſibi bonum, difficillimum tamen ad amandum illud alteri perſonæ. Ita ille.

254. Rejicitur ab Auctore, quia actus bonus poteſt eſſe facilis, & malus difficilis.

Sed contrà; etiam experientiâ certum eſt, poſſe quem facillimum eſſe ad amandum ſibi bonum, difficillimum tamen ad amandum ſibi malum, & tamen idem habitus, qui inclinat hodie ad amorem boni, v. g. orationem non prohibitam, craſtinâ die poſitâ prohibitione inclinabit ad orationem malam.

Major facilitas propriæ Pœnitentiæ oritur ex alio habitu adjuncto.

Ergo pari ratione idem habitus Pœnitentiæ poteſt inclinare ad amorem propriæ Pœnitentiæ, & Pœnitentiæ alienæ, quamvìs facillimè homo amet propriam Pœnitentiam, difficulter autem Pœnitentiam alienam: ſiquidem illa major facilitas non oritur præcisè ex virtute Pœnitentiæ, ſed ex alio habitu adjuncto, ſcilicet ex amore proprio; unde ſi tam intensè homo amaret proximum ſuum, ſicut ſeipſum, eâdem facilitate amaret Pœnitentiam proximo, quâ ſibi ipſi: ergo ex illa facilitate & difficultate non rectè colligitur diſtinctio ſpecifica, nequidem moralis actuum Pœnitentiæ, multò minùs habituum.

255. An amor quo meipſum amo, ſit ſpecie diſtinctus ab amore proximi.

Cæterùm Lugo ſuprà n. 32. addit in confirmationem ſuæ ſententiæ, quòd amor, quo diligo Petrum, non differat ſpecie ab amore, quo diligo Paulum, & tamen uterque amor differat ſpecie ab amore, quo amo meipſum: quia, inquit, idem motivum in ſpecie phyſica aliter movet ad amandum naturam propriam, & alienam. Quare habitus etiam amicitiæ erga Petrum, non differt ſpecie ab habitu amicitiæ, quo diligo Paulum, ſed ſolùm numero, uterque tamen differt ſpecie ab habitu, quo amo meipſum; quia ego ipſe moraliter loquendo ſum objectum & motivum ſpecie diverſum mei amoris, ab aliis omnibus hominibus; licèt phyſicè loquendo objectum amatum non ſit ſpecie diverſum. Hæc ille. Sed æquè incerta ſunt, atque id, in cujus confirmationem adduntur, adeòque eâdem facilitate negantur, quâ affirmantur.

256. Charitas magìs inclinat ad amandos nos ipſos, quàm proximum. *Matth.* 22.

Fateor, Charitas inclinat ad amandos noſipſos, præ quovis proximo, juxta illud commune dictum; *Charitas incipit à ſe ipſo.* Et quidni, cùm Chriſtus dicat Matth. 22. v. 39. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*? Ubi dilectio noſtra ponitur menſura dilectionis proximi; porrò perfectio & rectitudo regulæ ac exemplaris magìs convenit ipſi regulæ, quàm regulato.

Eccli. 14.

Unde dicitur Eccli. 14. v. 5. *Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit?* Et ſubditur v. 6. *Qui ſibi invidet, nihil eſt illo nequius.* Ratio eſt, major unio hominis ad ſeipſum. *Duæ conditiones* (inquit Scotus 3. diſt. 27. n. 21.) *concurrunt in objecto amabili, ſcilicet unitas & bonitas; & licèt*

Scotus.

unitas quandoque ſuperet (ut patet in homine, qui magìs ſibi ipſi eſt unitus quàm Deo) *tamen bonitas* (divina, à qua actus diligendi eſſentialiter dependet) *ex alia parte recompenſat.*

Sed numquid, quia dilectio ſui ipſius eſt perfectior dilectione proximi, ideo illæ dilectiones ſpecie inter ſe diſtinguuntur? Non puto quòd prudentum æſtimatio inter illos actus inveniat notabilem differentiam, dummodo habeant idem motivum in ſpecie phyſica. Proximus meus, ut vulgariter dicitur, eſt alter ego; ergo licèt inferiori, & minùs intensâ Charitate proximum diligam quàm meipſum, non tamen Charitate ſpecie diſtinctâ, cùm eadem ſpecie virtus eliciat actus ejuſdem ſpeciei magìs & minùs intenſos.

Eadem ſpecie virtus elicit actus magìs & minùs intẽſos.

Si dixeris; amor ſui ipſius eſt amor concupiſcentiæ, amor autem proximi amicitia. Reſpondeo, id non eſſe neceſſarium; nam poteſt dari amicitia ad propriam perſonam, ut docet Scotus 2. diſt. 6. q. 1. n. 2 ibi: *Sicut quodcumque ens poteſt ipſe* (Angelus) *amare amore amicitiæ, ita quodcumque ens poteſt concupiſcere ipſi amato: igitur cùm Angelus potuerit ſe amare amore amicitiæ, potuit ſibi concupiſcere omne bonum concupiſcibile.* Et q. 2. n. 4. ibi: *Primus actus inordinatus* (Angeli) *fuit actus amicitiæ reſpectu ſuiipſius.* 257.

257. Objectio ſolvitur.

Poteſt dari amicitia ad propriam perſonam ex Scoto.

Sed ut contrarium eſſet verum, quid tum? Numquid amor concupiſcentiæ & amicitiæ habent idem ſpecie phyſicâ objectum motivum? Nequaquam. Sic quippe Doctor ſuprà n. 3. diſtinguit illas voluntates: *Circa primum* (inquit) *videndum eſt de ordine actuum voluntatis. Et circa hoc dico, quòd eſt in communi duplex actus voluntatis, ſcilicet velle & nolle; nolle enim eſt actus poſitivus voluntatis, quo fugit diſconveniens, ſeu reſilit ab objecto diſconveniente. Velle eſt actus, quo acceptat objectum aliquod conveniens. Et eſt ulteriùs duplex velle, quod poteſt nominari amicitiæ & concupiſcentiæ. Et dicatur velle amicitiæ eſſe iſtius objecti, cui volo bonum, & velle concupiſcentiæ eſſe iſtius objecti, quod volo alicui alii amato.* 258.

258. Amor concupiſcentiæ & amicitiæ non habent idem ſpecie phyſicâ objectum motivum. *Scotus.*

Igitur ſi actum, quo alteri volo Pœnitentiam, appellaveris amorem amicitiæ, illum autem actum, quo mihi eamdem Pœnitentiam volo, concupiſcentiam, dico tunc illos duos actus non habere idem objectum motivum etiam ſpecie phyſicâ (& ſic non eſt caſus, de quo quæritur) nam principale motivum unius, erit bonitas Petri v. g. cui opto Pœnitentiam; alterius autem, bonitas ipſius Pœnitentiæ, quæ duæ bonitates ſpecie phyſicâ diſtinguuntur.

Quæ cùm ita ſint, dico, & finem impono præſenti Concluſioni unico verbo; idem habitus Pœnitentiæ ſpecialis inclinat voluntatem, principaliter quidem ad vindictam ſumendam de propriis peccatis, ſecundariò tamen etiam de peccatis alienis: vel aliter, principaliter inclinat ad Pœnitentiam propriam, 259.

259. Habitus Pœnitentiæ ſpecialis principaliter inclinat ad propriam Pœnitentiam, ſecundariò etiam ad alienam

Digitized by Google

ſecundariò etiam ad alienam; quamvìs ille habitus non denominetur Pœnitentia, niſi ab actu principali.

Ex his facillimum erit reſolvere & concludere ſubjectum hujus virtutis: pro quo inſtituitur

CONCLUSIO VIII.

Subjectum ſpecialis virtutis Pœnitentiæ, eſt voluntas creata, etiam Chriſti, & Angelorum, multò magis B. Virginis, primorum parentum in ſtatu Innocentiæ, & Beatorum. Quidni etiam voluntas increata?

260. *In voluntate increata propriè reperitur ratio virtutis.*

INcipio à voluntate increata, & quidem in illa rationem virtutis propriè reperiri, ab omnibus admittitur: nam Deus facit ad extra opera quædam virtutum, puta juſtitiæ, miſericordiæ &c. idque morali & intellectuali modo, cùm ſit agens per intellectum & voluntatem; neque in proximo principio talium operum abſtractè & præcisè concepto ulla imperfectio involvitur, & tale principium virtutem vocamus. Difficultas ſolùm eſt, quodnam ſit illud principium proximum, an ipſa voluntas, an verò aliqua formalitas per modum habitûs, ab ipſa formaliter diſtincta.

Hæc virtus non eſt aliquod accidens,

Atque imprimis, ut certum ſuppono, non eſſe aliquod principium accidentale, prout virtus in nobis eſt; quia hoc eſſet imperfectionis in Deo, ut conſtat; & omnis imperfectio virtutis in nobis, à Deo removenda eſt, prout patet etiam in ipſis actibus virtutum, qui non ſunt accidentia, ſed realiter eſſentia divina; adeoque ſimiliter de virtutibus habitualibus loquendum eſt.

261. *An ſit formaliter diſtincta à voluntate?*

Quidam ergo putant illas virtutes eſſe formaliter diſtinctas à voluntate, ita ut voluntas ſit quoddam principium univerſale actûs tendentis in bonum; virtutes autem principia particularia, determinantia voluntatem ad particularia bona amanda, prout virtutes ſe habent in nobis.

Videtur Scotus affirmare, cùm doceat juſtitiam & miſericordiam non eſſe formaliter idem.

In quam ſententiam videtur inclinare Scotus 4. diſt. 46. q. 3. n. 2. ibi: *Suſtinendo tamen ſecundam viam, patet quòd iuſtitia & miſericordia non ſunt formaliter idem; quia iuſtitia reſpicit pro primo obiecto bonitatem divinam: miſericordia autem reſpicit aliquid in creatura; iſtud autem obiectum & illud, non reſpiciuntur primò ab hoc & illo, niſi in hoc & in illo ſit aliqua non identitas formalis; cùm tamen non identitate formaliter, ſtat identitas ſimpliciter.*

Et ibidem n. 3. ſic ait: *Concedo ergo iſtam rationem, quòd ſicut in Deo intellectus non eſt formaliter voluntas, nec è converſo, licèt unum veriſſimâ identitate ſit idem alteri: ita iuſtitia non eſt formaliter vel quidditativè idem miſericordia, vel è converſo, & propter hanc non identitatem formalem poteſt illud eſſe principium proximum alicuius effectûs extra, cuius reliquum non eſt principium formale: eodem modo ſicut ſi hoc & illud eſſent duæ res, quia eſſe principium formale competit alicui, ut eſt tale formaliter.*

Iuſtitia & miſericordia habent effectus diſtinctos.

Rogas qui ſint iſti effectus diſtincti? Reſpondeo, effectus miſericordiæ eſt liberare ſine meritis; effectus juſtitiæ eſt condemnare ubi non ſunt merita, vel ſalvare pro meritis. Hinc appoſitè Caſſiodorus ſuper pſal. 50. *Hæ duæ res ſunt in viis Domini ſemper adiunctæ*: loquitur de juſtitia & miſericordia. 262.

Qui ſint illi effectus.

Caſſiodor.

Ex quo ſic argumentor: ſi juſtitia & miſericordia ſint duæ res (potiùs duæ formalitates) adeoque virtutes inter ſe formaliter diſtinctæ: ergo etiam formaliter diſtinguuntur ab ipſa voluntate, juxta illud: Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe; & quæ ſunt non eadem inter ſe, non ſunt eadem uni tertio, ſcilicet proportionatâ identitate, vel non identitate.

Et ratio ulterior eſt: quia hoc non videtur repugnare perfectioni divinæ; ſufficit namque ad perfectionem infinitam voluntatis quòd includat formaliter omnem perfectionem ſimpliciter pertinentem ad conſtituendam potentiam volendi, licèt non omnem perfectionem pertinentem ad virtutem moralem; id eſt, tametſi voluntas divina ex ſua perfectione infinita & formali nullam patiatur defectibilitatem, quia infinitè & intenſivè eſt recta; tamen ex hac ipſa perfectione formali voluntatis, tamquam ex radice, emanant omnes perfectiones ſimpliciter & attributa, quæ conveniunt voluntati in genere, eo modo, quo dicimus perfectiones eſſendi vel attributa emanare ab eſſentia radicaliter, ſine quibus eſſentia, licèt in eſſe entis & eſſentiæ ſit infinita intenſivè, non tamen extenſivè ſine attributis. 263.

Formalis diſtinctio virtutis à voluntate non repugnat perfectioni divinæ.

Habitus eſt perfectio ſimpliciter quam in ſuo conceptu eſſentiali non involvit voluntas.

Itaque ponimus virtutem formaliter diſtinctam in voluntate divina; quia ipſa eſt perfectio ſimpliciter, quam in ſuo conceptu eſſentiali voluntas non involvit. Nonne dicimus virtutes morales manere in Beatis, quamvìs pro tunc voluntas eorum ſatìs ſit inclinata & determinata ad bonum? Sed cur hoc, niſi quia illi habitus perficiunt potentiam in ordine ad operationem?

Nec obſtat dictis, quòd eadem cauſa, v. g. ſol poſſit habere plures effectus, v. g. lumen & calorem; quia cauſa illa non ſub formali ſua ratione exigitur ad effectus illos, ſed ex ratione eminentiali & virtuali. Aliud eſt, quando exigitur aliqua cauſa ſub formali ſua ratione, tunc enim ſequitur eſſe diſtinctionem in illo effectu 264.

Objectio ſolvitur.

Digitized by Google

effectu ab alio, ad quem non requiritur talis cauſa per ſe formaliter; nam propter aliquem gradum & rationem formalem in ipſo effectu requiritur per ſe: ſic v. g. ad actum voluntatis & intellectûs requiruntur principia diſtincta formaliter; quia actus voluntatis habet aliquid formale diverſum ab actu intellectûs, ſecundùm quod procedit à cauſa ſub ſua ratione formali diverſa.

[J]uſtitia & [m]iſericor[d]ia habent [d]iverſa pro[p]ria motiva,

In propoſito juſtitia requiritur formaliter ad ſervandum debitum, vel quaſi debitum, & ut ponat juſtum reſpectivè ad merita vel demerita: miſericordia verò requiritur ex alio motivo proprio, quod non communicat motivo juſtitiæ, ſed potiùs illud tollit: ſicuti neque juſtitia ſervat modum agendi miſericordiæ, cùm medium utriuſque ſub oppoſita ratione juſti & non juſti attendatur; & utraque ſecundùm ſuam rationem formalem requiratur, ita ut actus unius non poſſit eſſe ab altera ob repugnantiam objectorum, & modi tendendi in ipſa objecta; ideo rectè ex affectu hoc modo diverſo, colligitur differentia in ipſis.

ideo via [c]ontradictionis, quæ [h]ic reperi[t]ur, ſumitur [a]b intrinſe[c]o,

[S]cilicet à di[v]erſo modo [t]endendi in [o]bjectum.

265. Per conſequens via contradictionis, quæ hìc reperitur, nam juſtitia reddit debitum creaturæ, miſericordia autem non reddit debitum, ſed propter illud benefacit creaturæ; illa, inquam, contradictio non ſumitur tantùm ab extrinſeco, ut vult Smiſing de Deo uno tract. 3. diſp. 4. n. 9. v. g. ab objecto materiali, cùm poſſint habere idem objectum, ut clarum eſt; ſed magìs ab intrinſeco, videlicet à diverſo modo tendendi in objectum: eo ferè modo, quo deſumitur contradictio inter potentias animæ, intellectum v. g. & voluntatem, non præciſè ex objecto, cùm ſecundùm Scotum habeant idem objectum, ſcilicet totam latitudinem entis, & eadem potentia voluntatis circa varia ſpecie & genere objecta verſetur; ſimiliter eadem potentia intellectûs; ſed ex diverſo modo operandi circa ſuum objectum: intellectus quidem per modum aſſimilationis, voluntas autem per modum unitionis.

Aliud eſt, quando modus operandi coincidit, & ſolùm reperitur diſtinctio penes objectum materiale ſive extrinſecum, ut contingit in pluribus actibus miſericordiæ v. g. vel juſtitiæ.

Igitur hæc ſententia eſt probabilis, quàm docet Felix tract. de voluntate Dei cap. 1. diffic. 2. n. 4. Quæ autem virtutum moralium, eadem eſt ratio virtutum intellectualium.

Virtutem in Deo non diſtingui formaliter ab intellectu vel voluntate.

266. Nihilominus contrariam ſententiam, videlicet virtutem intellectualem ab intellectu, & virtutem moralem à voluntate, ex natura rei formaliter non diſtingui in Deo, tamquam probabiliorem tenet Smiſing ſuprà n. 8.

probat Smiſing ex Scoto.

Rationem ſumit ex illis verbis Scoti 4. diſt. 26. q. 4. n. 3. *Non eſt certum quòd in voluntate divina poſſit eſſe ratio alicuius virtutis non tantùm non diſtincta re (certum eſt) ſed nec formaliter diſtincta; quia voluntas ex hoc quòd infinita, magìs ſufficit ad omnem rectitudinem actûs, quàm aliqua virtus qualitercumque re vel ratione diſtincta ſuperaddita.* Cùmque ſimiliter intellectus ſit infinitus, magìs ſufficiens eſt ad omnem perfectionem actus, quàm aliqua virtus qualitercumque re vel ratione diſtincta ſuperaddita.

Solvitur argumentum primæ ſententiæ. *Scotus,*

Igitur non valet hoc argumentum, quo 267.
communiter probatur prima ſententia: Actus ab habitu ſuperaddito procedens eſt perfectior in nobis, quàm actus non procedens ab hujuſmodi habitu (ut habet Scotus 1. diſt. 17. q. 3. n. 6. ibi: *Sed quando ambo concurrunt* (ſcilicet potentia & habitus) *ita tamen quòd non maior ſit conatus ex parte potentia, quàm priùs, perfectior operatio elicitur, quàm poſſet elici ab ipſa potentia ſola*) ſed actus Dei eſt infinitè perfectus: ergo provenit ab habitu ſuperaddito.

Hoc, inquam, argumentum non videtur efficax, quoniam intellectus & voluntas in nobis non ſunt infinitæ perfectionis, & per conſequens non poſſunt ſine habitu ſuperaddito tribuere actui omnem perfectionem.

In Deo habitus ſuperadditi forent ſuperflui.

In Deo igitur habitus ſuperadditi forent ſuperflui; ſecùs in nobis; præſertim cùm potentiæ divinæ ſint maximè facilitatæ, & per ſe ſummè inclinatæ & determinatæ ad ſuos actus, quod non habet locum in potentiis creatis. Unde imperfectionis eſt, quòd principium univerſale requirat aliud particulare, & ſine eo non ſufficiat.

Confirmatur primò.

Confirmatur primò; quia omnipotentia di- 268.
vina ratione ſuæ infinitatis ita eſt univerſalis in cauſando, ut abſque alio principio particulari ſufficiat ad omnem cauſalitatem activam; quamvis extra ſe admittat conſortium aliarum cauſarum particularium, quæ tamen non perficiunt ejus inſufficientiam, nec quidquam ei addunt extrinſecæ perfectionis; ſicuti virtutes additæ intellectui & voluntati divinæ, intellectum & voluntatem Dei perficerent in intelligendo & volendo, utpote ſine illis non habentes omnem perfectionem ad intelligendum & volendum requiſitam.

Confirmatur ſecundò ex Scoto,

Habitus non generatur in naturaliter inclinatis ad unum.

Confirmatus ſecundò ex Scoto, qui 2. 269.
diſt. 3. q. 10. n. 18. docet in Angelis non eſſe habitus ſeu virtutes intellectuales præter ſpecies intelligibiles: *Quia* (inquit) *habitus non generatur in naturaliter inclinatis, ſive in ſummè determinatis ad unum: ſicut non generatur in gravi per quotieſcumque deſcendere, ratio deſcenſûs, nec generatur in violenter motis per quotieſcumque tale moveri, aliqua ratio vel habitus facilitans vel habilitans ad talem motum violentum, ſicut patet in lapide moto ſurſum: ſed generatur in potentiis de ſe indeterminatis ad actum, per actum frequen-*

frequenter elicitum. Hoc autem habet magìs locum in Deo, cùm intellectus ejus ad verum, & voluntas ad bonum ex ſuâ formali ratione infinita ſufficienter inclinentur.

270. Ad locum Scoti ſuprà pro prima ſententia allegatum, reſpondet Smiſing ſuprà n. 9. Doctorem ſolùm diſputativè loqui, & ad ſummum reſolvere, non repugnare diſtinctionem formalem inter illas virtutes ex illo principio, quod universè repugnet diſtinctio formalis inter perfectiones divinas (quod principium Scotus non admittit) ſive aliunde repugnet, ſive non.

Reſpondetur ad locum Scoti pro 1. ſententia.

Smiſing.

Aliter dici poſſet, Doctorem noſtrum ibi ſic loqui de illis virtutibus, ſuppoſito quòd dentur habitus virtutum in voluntate divina ab ipſa formaliter diſtincti, de quo ipſe dubitat eâdem diſt. q. 1. n. 12. dicens: *Ad aliud dicendum, quòd non ſunt ibi* (ſcilicet in voluntate divina) *virtutes ſecundùm illud imperfectionis, quod eſt in eo; ſed ablato eo quod eſt imperfectionis, ſicut patet in exemplo adducto de temperantia; illud enim requirit in natura temperata poſſe eſſe aliquam delectationem immoderatam, & hoc eſt imperfectionis, & propter hoc magis propriè ponimus ibi juſtitiam, quàm temperantiam; quia illa non ita requirit exceſſum in paſſione, vel aliquam talem imperfectionem, ſicut requirit temperantia.*

Aliter reſpondetur ex ipſo Scoto.

Cur magis propriè in Deo juſtitia quàm temperantia.

Vtrùm tamen juſtitia, ut ibi eſt, ſit virtus quantùm ad illam rationem, quòd ſit diſtincta formaliter à voluntate, & quaſi regula ejus, vel tantummodo ſit voluntas ſub ratione primæ regulæ ſeipſam determinantis, dubium eſt. Immo ibidem magìs inclinat in partem oppoſitam, continuò ſubjungens: *Quia ſi ſecundum ponatur, magis ſolvitur ratio; quia tunc non eſt ibi ſub ratione virtutis moralis.*

Manet Scotus dubius an juſtitia Dei diſtinguatur à voluntate.

271. Sed contrà, dicet aliquis, hæc videntur gratìs dicta, cùm reſolutè concedat (ut patet ex verbis textûs) ita formaliter juſtitiam non eſſe idem miſericordiæ, ſicut intellectus non eſt formaliter voluntas.

Objicitur contra has reſponſiones,

Ad rationes quoque Smiſing, plana eſt reſponſio ex dictis pro prima ſententia, videlicet ad perfectionem infinitam intellectûs & voluntatis Dei ſufficere, ut includat formaliter omnem perfectionem ſimpliciter potentiæ intellectivæ & volitivæ, licèt non includat perfectionem habituum & virtutum; id eſt, potentiæ illæ divinæ ſunt infinitæ formaliter in linea potentiarum, non verò in linea habituum; ſicut ſcientia eſt infinita formaliter in ratione ſcientiæ, non verò in ratione volitionis.

& reſpondetur ad rationes Smiſing.

Neque habitus tantùm dantur ad facilitandum, aut determinandum potentiam, ſed etiam, ut ait Felix tract. de Scientia Dei c. 1. diff. 2. n. 10. ad quamdam perfectionem individualem, quam non habet actus, qui non procedit ab habitu.

Habitus non tantùm dantur ad facilitandum, ſed etiam ad quamdam perfectionem individualem, Felix.

Et licèt voluntas divina ſit ſatìs determinata ad bonum, equidem cùm indifferens ſit ad hoc vel illud bonum, ut Concluſione præcedenti diximus, poteſt ab habitu particulari accipere particularem inclinationem ad hoc vel illud bonum in particulari.

Ecce rationes pro utraque ſententia. Elige, & non errabis in fide aut bonis moribus: ego autem venio ad probationem meæ Concluſionis, & dico in voluntate divina neceſſariò ponendam eſſe juſtitiam vindicativam, juxta illud Apoſtoli Rom. 12. v. 19. *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim* (Deut. 32. v. 35.) *mihi vindicta, & ego retribuam, dicit dominus.* 272.

In voluntate divina neceſſariò eſt ponenda juſtitia vindicativa.

Probatur ex Apoſt. Rom. 12.

An autem hæc juſtitia, cujus actus eſt illa vindicta, ſit virtus ab aliis diſtincta, ſuperiùs diſputavimus, & reſolvimus affirmativè. Hìc addo per eamdem virtutem Deum conſtituere quemlibet hominem ſuum miniſtrum ad vindicandum in ſeipſum pro peccatis, quæ commiſit; quin etiam ad vindicandum in ſeipſum pro peccatis alienis, non quidem quoad culpam, ſed ſaltem quoad pœnam, quæ culpâ remiſſâ, perſolvenda remanet in altera vita; adeoque ſummopere deſiderat, ut unuſquiſque proprium peccatum vindicet, & pro alieno ſatisfaciat, juxta leges à ſe conſtitutas; per conſequens in Deo reperitur virtus Pœnitentiæ, id eſt, talis virtus, per quam vult nos pœnitere, id eſt, vindicare in noſipſos peccatum proprium & alienum.

Per ipſam Deus conſtituit quemlibet hominem ſuum miniſtrum ad vindicandum in ſe ipſum.

Abſit tamen, ut propterea Deus dicatur pœnitens ſive pœnitere, ut ſuprà adhuc notavimus; quia hæc denominatio non tribuitur, niſi illi, qui ſibi ipſi infligit pœnam, ut notat Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 2. ibi: *Ideo Deus licèt puniat peccatorem* (adde, licèt nobis velit Pœnitentiam) *non dicitur pœnitere; quia non ſibi, ſed alteri pœnam infligit* (quia non ſibi, ſed alteri vult Pœnitentiam) *ſed ſibi ipſi infligens dicitur pœnitere, id eſt, ſibi pœnam applicando tenere.* Hæc ſatìs pro ultima parte Concluſionis. 273.

Per ipſam Deus non dicitur pœnitere.

Pro prima parte ſuppono, quòd propriè dicta virtus ſit habitus electivus; hic enim dat rectum uſum libertatis, & facit hominem ſimpliciter bonum & laudabilem, qui ſunt effectus virtutis propriè dictæ; porrò electio ad voluntatem pertinet, & in illa ſubjectatur. Cùm ergo Pœnitentia ſpecialis ſit virtus propriè dicta, ut omnes admittunt, manifeſtè ſequitur, eam ſubjectari in voluntate. Sed numquid immediatè? Affirmo. 274

Virtus propriè dicta eſt habitus electivus.

Pœnitentia ſubjectatur immediatè in voluntate.

Et ſi inferas: ergo ſubſtantia animæ non eſt digna remiſſione peccatorum. Reſp. negando Conſequentiam; quoniam in ſententia Scoti, & conſequenter noſtrâ, potentiæ animæ realiter identificantur ipſi animæ: ergo eatenus etiam ipſa ſubſtantia animæ recipit immediatè Pœnitentiam, & alias virtutes morales, quamvìs prout formaliter à potentiis diſtinguitur, non ſit immediatè receptiva; ſed ipſæ potentiæ, quæ cum habitibus, à quibus determinantur

Objectio ſolvitur.

Potentiæ animæ realiter ipſi identificantur.

Digitized by Google

tur & facilitantur ad actum proximè & immediatè actum producunt actione immanente.

275. Virtus eſt perfectio etiam potentiæ. Unde virtus eſt perfectio non ſolius animæ, ſed etiam potentiæ; & per eam non ſolùm anima, ſed etiam voluntas redditur Deo grata. An putas, quòd ſola anima fruatur Deo? Nequaquam ſic eſt, verùm etiam ipſa voluntas. Neque ſola anima diſponitur ad optimum, ſed & potentiæ, cùm per habitum diſponantur ad ſuum actum; adeòque immediatiùs videtur habitus recipi in ipſam potentiam, quàm in ſubſtantiam animæ, juxta principia Doctoris Subtilis, quæ hic nolo diſputare, ne longior ſim quàm oportet.

Abſtineo quoque ab alia quæſtione non parum controverſa, an videlicet dentur propriè dictę virtutes in appetitu ſenſitivo, ſaltem convenit inter omnes Doctores, juſtitiam, ad quam reducitur Pœnitentia, ponendam eſſe in voluntate; nam independenter ab omni difficultate extrinſeca, voluntas non videtur inclinata in bonum alienum, eo modo quo in bonum proprium, licèt quippe ſit amabile omne bonum, maximè tamen proprium; ad hoc ergo à natura voluntas habet inclinationem, non ita ad illud.

276. Quæcumque virtus propriè dicta ſubjectatur in voluntate ex Scoto, Interim generaliter quamcumque virtutem propriè dictam ſubjectari in voluntate, docet expreſsè Scotus 3. diſt. 33. q. un. n. 12. ſub hac forma verborum: *Ad quæſtionem poteſt dici, quòd licèt voluntas ſine habitu poſſet in actum rectum, etiam moraliter bonum: nec tantùm hoc, ſed & intellectus poteſt in rectum judicium ſine omni habitu intellectuali: primus enim actus rectus intellectûs; & prima actio voluntatis recta præcedunt habitum, etiam ſecundùm quemcumque gradum; quia ex eis generatur, quidquid primo ineſt de habitu: tamen ſicut in intellectu, vel per primum actum, vel per plures actus elicitos, rectè generatur habitus prudentiæ; ita etiam per ipſum rectum eligere, conſonum rectæ rationi, vel recto dictamini rationis, vel per multas tales electiones generatur in voluntate virtus recta, inclinans ipſum ad rectè eligendum.*

Probatur à Scoto. *Hoc probatur: quia priùs naturaliter eligit voluntas, quàm ipſa vel ratio aliquid imperet appetitui ſenſitivo: ratio enim non videtur attingere appetitum ſenſitivum, niſi mediante voluntate, quæ eſt propriè appetitus rationalis: voluntas autem priùs vult aliquid in ſe, quàm imperet potentiæ inferiori actum circa illud; non enim quia imperat potentiæ inferiori, ideo vult; ſed è converſo: igitur in illo priori poteſt voluntas, cùm ſit indeterminata, & determinabilis, ſicut intellectus, generare in ſeipſa ex rectis electionibus habitum inclinantem ad rectè eligendum: & ſic habitus propriiſſimè erit virtus, quia propriiſſimè habitus electivus inclinans ad rectè eligendum, ſicut ex rectis electionibus generatur.* Hucuſque Scotus.

277. Qui etiam rationes Adverſariorum deducit ad oppoſitum. Qui pulcherrimè eâdem quæſtione à n. 4. uſque ad 10. omnes rationes, quibus conantur aliqui probare virtutes tantùm ponendas in appetitu ſenſitivo, deducit ad oppoſitum; & numero 10. eaſdem epilogat dicens: *Ex his rationibus adductis pro opinione prædicta patet quomodo concluditur oppoſitum: tum quia voluntas eſt rectificabilis reſpectu propriæ operationis, & non eſt de ſe recta: tum quia eſt indeterminata, & determinabilis non minus quàm intellectus, à quo non negatur habitus: tum quia ejus eſt principalitas in operando operationes humanas, quia libera eſt: & operationes humanæ requirunt in principali agente virtutem, ratione cujus habetur laus: tum quia nata eſt propriè delectari in ſua operatione, & ita habere habitum, quo delectabiliter operetur: tum quia voluntas magis poteſt per habitus moderare paſſiones debito modo, quàm appetitus ſenſitivus, ſi eos haberet.*

His itaque ſuppoſitis, nemo poteſt cum aliqua veri apparentia dubitare, quin voluntas hominis peccatoris ſit ſubjectum virtutis ſpecialis Pœnitentiæ; ſi enim illa non eſt, quæ peccavit, quæ tandem alia erit? Sanè hæc ſola propriè dicitur pœnitere à principali actu Pœnitentiæ, qui ipſi dumtaxat competit, ſcilicet, volo vindicare peccatum à me commiſſum. 278. Voluntas hominis peccatoris eſt ſubjectum Pœnitentiæ.

Interim tamen voluntas Chriſti, & aliorum, qui in Concluſione recenſentur, quamvis ex natura ſua impeccabiles fuiſſent (quod non) equidem potuiſſent habere actum abſolutum vindicandi peccatum, non in ſe, ſed in alio; præterea actum conditionatum dicendo: *Si ego peccaſſem, vindicarem in me peccatum*; qui in nobis ſunt actus eliciti veræ Pœnitentiæ, & ex talibus generatur in nobis habitus Pœnitentiæ; ſimiliter ergo & in ipſis generatus fuiſſet: nulla enim poteſt aſſignari ſufficiens ratio diſparitatis. Item voluntas Chriſti & aliorum qui in Concl. recenſentur.

Hinc appoſitè Doctor Subtilis 4. diſt. 14. q. 2. n. 19. *Ad tertium poteſt dici dupliciter. Uno modo, ex quo virtus eſt in nobis ſupplementum defectûs naturalis (unde non ponuntur virtutes morales à quibuſdam in Angelis) nec in ſtatu Innocentiæ fuiſſent tales in natura quales nunc, nec ergo tunc fuiſſet neceſſitas habendi virtutes omnes, quas & nunc; & hoc ſpecialiter de virtutibus, quæ non habent bonum pro objecto, ſed malum, ut Pœnitentia; quia in ſtatu illo non fuiſſet illud malum, ſicut fortè nec tunc fuiſſet Patientia, quia nec materia Patientiæ.* 279. An Pœnitentia vel patientia fuiſſent in ſtatu Innocentiæ.

Aliter dici poteſt, quòd Pœnitentia eſt habitus inclinans ad faciliter vindicandum in ſe reum, & quòd in ſe, hoc eſt materiale, quia formalis ratio virtutis eſſet eadem, ſi committeretur ſibi vindicare in alium reum: Beatus autem & innocens poſſunt habere habitum promptè vindicandi in alium reum: ergo & in ſe, ſi tamen reatus ineſſet, & ſic poteſt concedi, quòd in ſtatu Innocentiæ & Beatitudine manet iſta virtus. Nec mirum cùm in Deo maneat juſtitia vindicativa, licèt non in ſeipſum, quia non poteſt eſſe reus. Ubi, ut perſpicuè manifeſtum eſt, Scotus utramque ſententiam tamquam probabilem proponit. An Pœnitentia manet in Beatitudine.

280. An in Angelis dentur veræ virtutes morales.

Proponitur pars affirmans ex Scoto.

Similiter 3. diſt. 33. qu. 1. problematicè diſputat, an in Angelis dentur veræ virtutes morales. *Ad primum* (inquit n. 16.) *concedi poteſt quòd ſi Angelus eſſet creatus in puris naturalibus non habens in voluntate virtutes morales, poſſent generari in eo ex multis rectis electionibus, non quidem circa paſſiones in appetitu ſenſitivo ſibi inexiſtentes, nec etiam quæ infuerunt, vel inerunt, vel poſſunt ineſſe, ſed ſolùm circa tales paſſiones in univerſali oſtenſas per intellectum; quâ oſtenſione poſitâ, & dictato quid eſſet eligendum, ſi poſſibile eſſet eas haberi ab eis, voluntas eius conſona tali dictamini ex multis electionibus, poſſet habere habitum moralem rectum.*

Igitur circa peccatum, non quidem inexiſtens, nec etiam quod infuit, vel inerit, vel poteſt ineſſe; ſed ſolùm circa peccatum in univerſali per intellectum oſtenſum, quâ oſtenſione poſitâ, & dictato quid eſſet eligendum, ſi poſſibile eſſet illud haberi ab Angelo, voluntas ejus conſona tali dictamini ex multis electionibus poſſet habere habitum moralem rectum virtutis Pœnitentiæ. Si voluntas Angeli, ergo etiam voluntas Chriſti, Beatæ Virginis, primorum Parentum in ſtatu Innocentiæ, ac Beatorum. Et ecce prima pars problematis.

281. Item pars negans ex eodem Doct. Sub. duplici modo.

Primus modus.

Aliter (inquit Doctor ſuprà n. 17.) *ſi non placeret ponere in eis* (Angelis) *virtutes morales, poteſt negari conſequentia illius rationis facta contra propoſitum: & hoc altero iſtorum modorum; vel quia virtus non eſt circa quodcumque bonum, ſed circa bonum difficile; bonum autem tale quod ponitur obiectum virtutis, non eſt difficile niſi habenti appetitum ſenſitivum, qui natus eſt ferri in oppoſitum illius boni, ſaltem quantùm ad aliquam circumſtantiam, & ex hoc quòd appetitus ſic inclinatur, voluntas in eodem nata eſt ſibi condelectari, & ex hoc difficile eſt voluntati tendere in bonum debitè circumſtantionatum: voluntas autem Angeli, quia non eſt coniuncta appetitui ſenſitivo, non eſt nata condelectari ſibi, & ita ſine difficultate tendit in bonum morale, id eſt, rectè circumſtantionatum.* Hic eſt primus modus quo in Angelis poſſunt negari virtutes morales, id eſt, habitus virtutum moralium, per conſequens habitus virtutis Pœnitentiæ.

282. Secundus modus.

Alio modo dici poteſt, quòd duplex eſt volitio, una ſimplex, quæ eſt quædam complacentia obiecti, alia efficax, quâ ſcilicet volens proſequitur ad habendum volitum, ſi non impediatur, ſola autem ſecunda eſt propriè electio eo modo quo Philoſophus loquitur 3. *Ethic.* 5. Voluntas eſt impoſſibilium, electio non: *nullus enim eligit impoſſibile, id eſt, efficaciter vult, ex quâ volitione proſequatur illud, licèt aliquis poſſet ſimplici volitione velle impoſſibilia; quomodo fortè peccavit, vel peccare potuit primus Angelus volendo æqualitatem Dei.*

Electiones efficaces tantùm generant virtutes.

Poteſt igitur dici, quòd in habentibus appetitum ſenſitivum voluntas poteſt eſſe principium multarum electionum reſpectu obiecti moralis, & iſta volitio efficax eſt electio, quæ ſola nata eſt generare habitum; qui licèt ſit prior omni habitu in appetitu ſenſitivo, tamen natus eſt eſſe principium imperandi tali appetitui; in Angelo autem poteſt eſſe volitio ſimplex non nata imperare.

Itaque ex mente reſolutiva Scoti in Angelo poteſt eſſe ſimplex complacentia reſpectu honeſtatis virtutis Pœnitentiæ. Quidni poſſet eſſe in Angelo, cùm etiam indubiè ſit in Deo, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magìs convertatur per veram Pœnitentiam, & vivat? Eamdemque potuiſſe eſſe in Chriſto, Beatâ Virgine Mariâ, Parentibus primis in ſtatu Innocentiæ, nec non Beatis omnibus in cælo, nemo ambigit.

In Angelo poteſt eſſe ſimplex complacentia Pœnitentiæ.

283. Non poteſt eſſe Pœnitentia prout de ea loquuntur ſacræ Litteræ, PP. & Concilia. *Hiquæus.*

Cæterùm Hiquæus 4. diſt. 14. q. 2. in ſuo Commentario n. 140. adhæret primæ Reſponſioni Doctoris, exiſtimans Pœnitentiam non eſſe in iis, in quibus non eſt peccatum, ſi loquamur de Pœnitentia prout de ea loquuntur Sacræ Litteræ, Patres & Concilia, quæ per Pœnitentiam ſemper intelligunt vindictam in ſeipſum proprii peccati, vel potiùs deteſtationem & dolorem de peccato commiſſo cum propoſito de cætero non peccandi.

Quippe loquuntur de ea ut eſt diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem.

Planè ſic eſt, nec mirum, cùm ſolùm loquantur de Pœnitentia, ut eſt neceſſaria diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum; nos autem de Pœnitentia præcisè, ut eſt virtus aliqua moralis inclinans voluntatem ad procurandam æqualitatem inter pœnam & culpam, & ideo elegimus ſecundam Reſponſionem Scoti, eſtò illa virtus in ſtatu Innocentiæ & Beatitudinis non poſſit denominari Pœnitentia. Itaque per Pœnitentiam intelligimus illum habitum, qui poteſt denominari vera Pœnitentia, ſi cætera ad denominationem requiſita adſint, & illum dicimus potuiſſe eſſe in Chriſto, & aliis in Concluſione enumeratis.

284. Potuit in ſtatu Innocentiæ eſſe virtus Pœnitentiæ etiam quoad denominationem.

Quinimmo, ſi vera eſt (quod puto) doctrina Scoti 2. diſt. 21. q. 1. n. 3. *Dico ergo quòd potuit* (Adam) *peccare venialiter in illo ſtatu* (agit de ſtatu Innocentiæ) jam planum eſt etiam in illo ſtatu potuiſſe eſſe virtutem Pœnitentiæ quoad denominationem; potuiſſet enim Adam de illo peccato veniali pœnitere, id eſt, ſumere vindictam, ut ibidem ſatìs innuit Doctor, quando ad ſecundum argumentum in oppoſitum de pœna dicit: *Alia pœna quàm mors poteſt reſpondere veniali, puta diſplicentia aliqua, vel aliquid huiuſmodi: vel poteſt dici quòd pœna ſibi propriè non correſpondet, ſed committens veniale eſt debitor ferventioris actûs voluntatis, quàm priùs, qui fervor conſumeret peccatum veniale. Nec obfuiſſet innocentiæ Adæ habuiſſe pœnam debitam veniali præter mortem.*

285. Objectio.

Si objicias: in Beatis non manet habitus fidei, eò quòd ratione ſtatûs non poſſint habere actum; ergo nec habitus Pœnitentiæ.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſponſio. Reſpondeo, quidquid ſit de Antecedente, negando Conſequentiam; licèt enim habitus Pœnitentiæ in Beatis non poſſit ampliùs elicere actum ſuum principalem, videlicet abſolutam & efficacem volitionem vindicandi peccatum proprium; equidem poteſt habere alios actus ſuprà enumeratos, quod abundè ſufficit ut non dicatur habitus ille in ſtatu beatitudinis otioſus, adeòque ut permaneat; quamquam tametſi non eliceret ullum actum, adhuc poſſet remanere propter ornatum animæ, & in gloriam accidentalem.

Virtus Pœnitentiæ in ſtatu Beatitudinis non erit otioſa.

In patria manebit pius affectus credendi. Et verò pari ratione dicimus manſurum in patria pium affectum credendi, quamvìs enim ibi non poſſit habere imperium efficax aſſenſûs fidei, poteſt tamen habere gaudium in actu præterito, quatenus honeſtus honeſtate fidei; ſimiliter poteſt conditionatè velle elicere actum fidei, ſi poſſibilis eſſet.

Virtutes morales ſunt perfectæ in ſuo genere; Præterea, quod bene notandum eſt, licèt virtutes morales careant aliquâ perfectione, ut ſic loquar, negativâ, id eſt, imperfectæ ſint, comparatæ ad charitatem, equidem in ſuo genere perfectæ ſunt, id eſt, temperantia, fortitudo &c. ſunt perfectæ virtutes morales: at verò fides caret perfectione aliquâ poſitivâ ſibi debitâ in genere cognitionis ſeu virtutis intellectualis, nimirum claritate. (Margin: ...ctus fides.)

286. Credibilia ſunt in triplici differentia ex Scoto. Quibus ſuccedet viſio.

Dixi nihilominus: *Quidquid ſit de Antecedente*; nam fortè & illud poſſet negari, ut colligo ex Scoto 3. diſt. 31. q. 1. nu. 10. ubi ſic lego: *Ad tertium poteſt dici, quod credibilia ſunt in triplici differentia; quædam enim ſunt quorum viſio per ſe pertinet ad Beatitudinem, ſicut eſt viſio Trinitatis, & talia ſunt ſcibilia, extendendo ſcire, & ſunt viſibilia extendendo videre, & de iſtis per ſe intelligendum eſt, quod fidei ſuccedet viſio: alia ſunt, quorum viſio aliquo modo pertinet ad Beatitudinem, non tamen eſſentialiter, ſed concomitanter: quæ etiam non ſunt ſcibilia, quia ſunt quædam facta temporalia, ſicut ſunt credibilia de Incarnatione: & de talibus concomitanter ſuccedet fidei viſio, non tamen rei in ſe, quia non videbitur in patria Chriſtus in cruce, nec in utero Virginis, ſed in Verbo. Alia ſunt nec umquam viſibilia, nec ſcibilia; quia facta temporalia nec pertinentia ad Beatitudinem principaliter nec concomitanter, cuiuſmodi ſunt aliqua vera pertinentia ad actus humanos* (v. g. quòd Clemens IX. ſit verus Pontifex) *de talibus autem, ſi quis viator haberet fidem, poteſt concedi, quòd in illo poteſt manère fides.*

De aliquibus fortè eſt fides in patria,

Si actualis, cur non etiam habitualis? Nam imperfectio habitûs fidei, propter quam minùs convenit ſtatui comprehenſoris, etiam reperitur in quolibet actu. Et quamvìs non eſſet neceſſarium propter illos actus minùs principales infundere habitum, equidem dum jam infuſus eſt, quidni remaneat ad ipſos connaturaliùs eliciendos? Sed de his in Tractatu de Virtutibus Theologicis.

non tantùm actualis, ſed etiam habitualis.

Redeo ad virtutem Pœnitentiæ, de cujus natura & eſſentia hactenus pro modulo noſtro diſſeruimus, ſpero per omnia conformiter menti Doctoris Subtilis, & veritati Catholicæ. Egimus, inquam, de virtute Pœnitentiæ ſpecialis, cujus utique actus (ſcilicet, volo vindicare in me peccatum, à me commiſſum) quà talis neque requiritur ad remiſſionem peccati, neque ad eam proximè diſponit; adeòque rariùs de hac Pœnitentia, ſive habituali, ſive actuali, loquuntur Sacræ Litteræ, Patres & Concilia, ſed communiſſimè eâ voce utuntur, ut ſignificat animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. 287.

Actus Pœnitentiæ ſpecialis non requiritur ad remiſſionem peccati.

In qua ſignificatione Scriptura, PP. Conc. utuntur illâ voce Pœnitentia.

Ita Pœnitentiam remiſſivam peccatorum deſcribit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. in principio, eamdemque circa medium dividit in Contritionem charitate perfectam, & Contritionem imperfectam; quæ dicitur Attritio. De priori Pœnitentia inſtituitur Conc. Trid.

SECTIO SECUNDA.

De Contritione charitate perfecta.

1\. FIdei eſt neminem pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio. Nihil enim aliud ſonant illa verba Concilii Tridentini ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Sed numquid contrarium uſpiam docuit Scotus? Non puto. Hinc erit

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

Nuſpiam Scotus docuit, quempiam pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, ſine præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio. Fortaſſis nec uſpiam docuit, poſſe dari actum Pœnitentiæ moraliter bonum abſque ſpeciali auxilio Dei.

2. Reddit Auctor rationem quare ſtatuat hanc Concluſ.

FOrtè quis mirabitur inſolitam hanc Concluſionem, & ſecum tacitis cogitationibus dicet: Quid mihi cum Scoto, docuerit hoc vel illud, non curo, ſed volo explicationem & enucleationem Contritionis charitate perfectæ, deſidero intimam ejus notitiam, quam promittit titulus Sectionis.

Elogium doctrinæ Scoti.

Promittit planè, nec negatur; ſed meritò paulisper differtur (quamvis nec differatur) donec & uſque Doctor Subtilis, cujus doctrinam in hoc opere ſequimur, ab injuria vindicetur; ab injuria, inquam, graviſſima, quâ ab aliquibus cenſuratur, quaſi Pelagianus, aut Semipelagianus, cùm tamen doctrinæ Scoti, ut alibi adhuc notavi, grave illud extet teſtimonium, quòd ejus libri abſque ullo erroris nævo uſque in hanc diem in Oecumenicis Conciliis inviolati permanſerint.

3. Cur aliqui cenſurent Scotum tamquam Pelagianum aut Semipelagianum.

Porrò lapis offenſionis, & petra ſcandali accepti, ſunt verba quæ hìc ſubjicio ex lib. 4. Sententiarum diſt. 14. q. 2. n. 14. *Ad hujus intellectum, ſciendum, quòd peccator in peccatu exiſtens, eodem modo quo dictum eſt in præcedenti quæſtione a. 1. peccatum manere poſt actum, poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam, & ut averſivum à Deo, & ut impeditivum præmij, & ut inductivum ſupplicij, & ſub multis talibus rationibus, & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis illud peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari & intendi ante infuſionem gratiæ. Poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totaliter circumſtantionata circumſtantijs moralibus debitis: non eſt enim veriſimile, quòd neceſſe ſit propter peccatum iſtud remanens, actum quemcumque circa peccatum commiſſum eſſe defectivum in aliqua circumſtantia morali. Iſte autem motus dicitur Attritio, & eſt diſpoſitio ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in ultimo inſtanti alicujus temporis, in quo tempore iſta Attritio duravit.*

Nota ſpecialiter illa verba: *Ex naturalibus cum communi influentia.* Ex quibus inferunt Adverſarii: ergo voluntas, ſecundùm Scotum, propriis viribus ſine ſpeciali auxilio Dei, poteſt elicere actum Pœnitentiæ, ultimò diſpoſitivum ad gratiam. 4.

Explicatur mens Scot.

Reſpondeo negando Conſequentiam. Ratio patebit ex dicendis; nec potuiſſent illam ignorare Doctores, ſi benigno oculo, ſicut ſolent legere Divum Thomam, etiam legiſſent Doctorem Subtilem; ſtatim quippe deprehendiſſent, ipſum loco citato tantùm inveſtigare an diſpoſitio prævia informis ſufficiat ad remiſſionem peccatorum; ſic namque ait nu. 13. in principio: *De ſecundo principali: ſcilicet an pœnitere, ut actus virtutis, requiratur ad deletionem peccati, dico, quòd non ut actus unus determinatæ virtutis. Secundò, quòd non ut actus cujuſcumque virtutis genitæ talis vel talis indifferenter. Et tertiò, ſi ut actus ſimpliciter perfectè circumſtantionatus, numquid ut formatus, vel ſufficit ut informis?*

Quærit Scotus an diſpoſitio prævia informis ſufficiat ad remiſſionem peccatorum.

Ad quam quæſtionem in fine ejuſdem numeri reſpondet hiſce verbis: *De tertio dico, quòd actum aliquem humanum requiri ad deletionem peccati, poteſt dupliciter intelligi: vel ut diſpoſitionem præviam, vel ut concomitantem: primo modo ſufficit actus informis, immo ſemper eſt informis, quia diſpoſitio prævia ad peccati deletionem eſt ſemper ſine gratia & charitate, à quibus ſolùm inhærentia, & inclinatione ad actum dicitur actus formatus. Secundo modo dico, quòd requiritur actus formatus: nam in illo inſtanti, in quo deletur peccatum, charitas ineſt, & per conſequens, ſi actus requiritur ut concomitans, requiritur ut formatus.* 5.

Reſpondet, diſpoſitionem præviam eſſe informem, concomitantem formatam.

Quando ergo numero ſequenti Scotus aſſeriti intellectum ex naturalibus cum communi influentia poſſe conſiderare peccatum ut offenſivum Dei, & voluntatem peccatum ſic conſideratum poſſe deteſtari, per ly, *Ex naturalibus cum communi influentia*, tantùm excludit gratiam habitualem, neutiquam verò ſpeciale auxilium Dei, id eſt, gratiam actualem prævenientem ac concomitantem, quam aliis pluribus locis, quæ brevitatis gratiâ omitto, agnoſcit omnino neceſſariam ad opus bonum.

Scotus per illa verba: *Ex naturalibus cum communi influentia* tantum excludit gratiam habitualem.

Quinimmo in illo ipſo loco, qui allegatur, non obſcurè innuit neceſſitatem gratiæ actualis, quando requirit deteſtationem, totaliter circumſtantionatam circumſtantiis moralibus debitis; nam una ex his eſt relatio in ultimum finem per virtutem charitatis, ipſo teſte 3. diſt. 36. n. 26. ubi reſpondens ad auctoritatem D. Auguſtini lib. 4. contra Julianum c. 3. quòd non ſunt veræ & perfectæ virtutes ſine charitate, ſic inquit: *Poteſt dici quòd nulla virtus inclinat ad finem ultimum, niſi mediante illâ* (charitate) *cujus eſt per ſe reſpicere finem ultimum; & ita ſi ſola charitas reſpicit finem ultimum immediatè, alia non erunt ad finem ultimum niſi mediante charita-* 6.

Oſtenditur Scotum docuiſſe neceſſitatem gratiæ actualis.

Nulla virtus inclinat ad finem ultimum, niſi mediante charitate.

Digitized by Google

charitate; quatenus autem ſunt quædam instrumenta perficiendi hominem, debent eſſe instrumenta ordinandi ipſum ad finem ultimum, in quo eſt ſua perfectio, & ideo ſunt imperfecta ſine charitate, ſine qua non poſſunt ſic ordinare: tamen quia iſta imperfectio non eſt earum ſecundùm propriam ſpeciem, ideo qualibet earum poteſt eſſe perfecta in ſua ſpecie abſque charitate.

[V]irtutes [si]ne charitate informes, & per [eā]m formatæ.

Pro tanto igitur dicuntur eſſe informes ſine charitate, & formatæ per charitatem, pro quanto charitas ordinat ipſas & earum fines in ultimum finem, quâ ordinatione eſt ultima earum perfectio, licèt extrinſeca. Per hoc patet ad Auguſtinum, nam virtutes non ſunt veræ ſine charitate, quia non perducunt ad beatitudinem.

Et ideo requirit Doctor ad remiſſionem peccatorum deteſtationem, totaliter circumſtantionatam omnibus circumſtantiis moralibus debitis, tam intrinſecis, quàm extrinſecis; indubiè enim deteſtatio ultimò diſponens ad juſtificationem, perducit hominem ad beatitudinem.

7. Pœnitentiam deletivam peccati oportet eſſe ex dilectione Dei. *Scotus.*

Attende quid dicat 4. diſt. 14. q. 1. n. 19. *Ad hoc quod dicitur de Iuda: Reſpondeo quòd non quicumque actus pœnitendi ſufficit ad deletionem peccati..... ſed oportet quòd ſit actus ordinatus, & maximè ex circumſtantia finis, quæ prima eſt inter circumſtantias actûs moralis: Iudas autem non pœnituit cum iſta circumſtantia, id eſt, ex dilectione Dei.*

Probatur ex D. Aug.

Adde quod habet eâdem diſt. q. 2. n. 20. *Et ſi arguitur contra hoc per auctoritates, quarum una eſt Auguſtini de Pœnitentia:* Sine charitate in nobis eſſe non poteſt vera Pœnitentia. *Et alia Auguſtini* (vel quiſquis eſt Auctor) *de vera & falſa Pœnitentia:* Cùm ſit opus Dei fructifera Pœnitentia, inſpirare eam poteſt quandocumque vult ſua miſericordia. *Et ibidem de vera & falſa Pœnitentia, quòd ſine amore Dei conſequatur quis veniam, habet hoc pro inconvenienti; & eodem modo quòd vera Pœnitentia ſit ſine amore Dei.*

8. Ad Pœnitentiam fructuoſam requiritur gratia ex Scoto.

Iſtæ auctoritates omnes unam habent reſponſionem, quia Pœnitentia ſive actus, ſive virtus (id eſt habitus) *non eſt vera quantùm ad finem* (extrinſecum) *Pœnitentiæ attingendum ſine charitate, & hoc eſt quod dicit ſecunda auctoritas de Pœnitentia fructuoſa. Pœnitentia enim* (nota bene) *abſolutè poteſt innaſci ex naturalibus hominis, ſed non fructifera, hoc eſt, ferens fructum: imò ut fructuoſa, eſt in ultimo inſtanti.*

Quis credat Doctorem Subtilem in eadem quæſtione manifeſtiſſimè ſibi ipſi voluiſſe contradicere, hîc aſſerens Pœnitentiam fructuoſam non poſſe innaſci ex naturalibus, & n. 14. affirmans poſſe innaſci ex naturalibus? Abſit hoc cogitare de tanto Doctore.

Proſequitur autem: *Sed iſta tertia* (auctoritas) *quòd ſine amore Dei nullus conſequitur veniam, poteſt ibi accipi venia non tantùm pro Pœnitentia, ſed pro fine Pœnitentiæ; & ita communiter dicimus, quòd per Pœnitentiam acquiritur venia, & illa venia eſt quando quis per gratiam acceptatur ad amicitiam divinam.*

9. Opus Dei ſpeciale, inſpirare fructuoſam Pœnitentiam. *Scotus.* Majus beneficium conſervare innocentiam, quàm inſpirare Pœnitentiam.

Confirmantur jam dicta ex his, quæ ſcribit Scotus 4. diſt. 20. q. unicâ n. 3. ibi: *Cùm ergo opus ſit non hominis ſed Dei fructuoſa Pœnitentia, inſpirare poteſt eam* (Deus) *quandocumque vult ſua miſericordia.* Et diſt. 22. q. 1. n. 15. ſic inquit: *Ad primum concedo, quòd ſimpliciter maius beneficium divinum eſt conſervare innocentiam, quàm concedere poſt peccatum Pœnitentiam: unde maius beneficium contulit Deus ſuæ Matri, quàm Magdalenæ.*

Ergo ex mente Scoti tam præſervatio à peccato, qùam Pœnitentia poſt peccatum eſt beneficium ſive ſpeciale donum Dei. Plura ſimilia loca vide apud Hiquæum 4. diſt. 14. q. 2. in ſuo Comment. a. n. 52. uſque ad 75. Ex quibus facilè conſtare poterit benigno Lectori, quantum Doctor Subtilis diſtet à Pelagianis & Semipelagianis, toto utique Cœlo.

10. Duplex regula Pœnitentiæ naturalis & ſupernaturalis.

Neque prætereundum eſt, Scotum in eadem diſtinctione (ex qua deſumunt Adverſarii materiam calumniandi) q. 3. n. 2. aſſignare duplicem regulam Pœnitentiæ, unam naturaliter cognoſcibilem, *ut ſcilicet quòd de peccato eſt diſplicendum;* aliam tantummodo notam ex revelatione, *ſcilicet quòd peccatum eſt deteſtandum in quantum eſt offenſivum Dei, vel in quantum averſivum à Deo* &c. *Scotus.*

Objectio.

Et infrà n. 3. ſic argumentatur: *Sed ex dictis inſtatur, quòd Pœnitentia ſecundo modo* (ſcilicet ut habens regulam ex Sacra Scriptura acceptam) *non ſit virtus acquiſita; quia ad cuius cognitionem requiritur aliquid ſupernaturale, illud non eſt virtus acquiſita; ſed Pœnitentia ſecundo modo eſt huiuſmodi, quia notitia, quæ eſt eius regula, non eſt naturalis, cùm ſit tantùm poſſibilis haberi ex revelatione: ergo &c.*

11. Solutio.

Reſpondet autem non negando Minorem; ſed Majorem dicens n. 5. *Neque ex hoc quòd regula iſtius virtutis* (Paupertatis euangelicæ, Caſtitatis &c.) *eſt tantùm ex revelatione vel fide nota, ſequitur iſtam virtutem appetitivam non eſſe moralem.* Et quibuſdam interpoſitis: *Sic ſuppoſitâ iſtâ regulâ notâ ex Euangelio,* Pœnitentiam agite, *poteſt voluntas ex frequenter elicere actum conformem iſti regulæ generare in ſe habitum inclinantem ad conſimiles actus.* Hæc ille.

Ergo non eſt veriſimile quæſtione præcedenti per illam particulam: *Ex naturalibus cum communi influentia*, voluiſſe excludere habitum aut actum fidei ob intellectu, ſed nec gratiam revelationis, neque alia adjutoria tam intrinſeca, quàm extrinſeca, in ordine ad talem conſiderationem per Ipſum neceſſaria; cùm etiam ibi agat, ut patet, de Pœnitentia ſecundo modo, ſcilicet ut habens regulam ex ſacra Scriptura acceptam.

12. Objectio.

Sed dicet aliquis; habitus & actus fidei non ſunt principia naturalia: ergo perperàm Doctor aſſerit

aſſerit, intellectum ex naturalibus poſſe ſic conſiderare peccatum.

Solvitur.

Reſpondeo ad Antecedens cum diſtinctione, non ſunt principia naturalia, ut naturale opponitur ſimpliciter ſupernaturali, concedo Antecedens; ut naturale opponitur ſpeciali acceptationi charitatis, quæ eſt forma virtutum, quâ mediante deletur peccatum, & ſecundùm quam opera fiunt digna vitâ æternâ, nego Antecedens. Itaque aliæ virtutes omnes poſſunt dici naturales comparatæ ad charitatem, quamvìs alioquin aliquæ abſolutè ſint ſupernaturales comparatæ ad agens.

Quomodo habitus & actus fidei poſſint dici principia naturalia.

Scotus ſub communi influentia comprehendit omnia media operandi ſupernaturaliter.

Conſequenter ſub. communi influentia comprehendit Scotus omnia media operandi ſupernaturaliter, ſive permanentia, ſive tranſeuntia, id eſt, tam habitualia quàm actualia, quæ in homine peccatore requiruntur ad perfectam Contritionem, de qua loco citato loquitur, ut patebit ex infrà dicendis.

13. Quæ ſit communis influentia?

Rogas, quæ ergo ſit communis influentia? Reſpondeo; quæ datur ſecundùm legem ordinariam divinæ ſapientiæ & providentiæ, juxta exigentiam cauſæ & operis, ac naturam motivi.

Dubitas quæ ſit illa lex? Dico, eſſe legem Euangelicam, quæ includit ſpiritum & Auctorem gratiæ, & reliqua media ordinata ad ſalutem hominis viatoris, puta fidem operantem per dilectionem, influxum capitis, nempe Chriſti, in membra per gratias actuales &c.

Lex Euangelica eſt regula communiſſima.

Et verò, ſicuti lex eſt regula communis non reſpiciens caſum particularem aut perſonam, immo lex Euangelica communiſſima, juxta illud Chriſti apud Marcum cap. ultimo v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ:* ita quoque non immeritò influentia, quæ ſecundùm ipſum datur, à Doctore Subtili appellatur communis, immo communiſſima dici poſſet.

Mar. ultimo.

14. Deus poſt lapſum Adæ providit media ſufficientia ad ſalutem.

Siquidem poſt Adæ lapſum, Deus ita providit omnibus hominibus media ſufficientia ad ſalutem, ut nulli ea neget, licèt non omnibus det proximè ſufficientia; utì nec omni tempore remotè ſufficientia, ſed ſolùm aliquando pro loco & tempore, ſic tamen, ut ſi homo illis bene uteretur, daret ulteriora auxilia uſque ad illud, quod proximè ſufficeret.

Probatur ex S. Proſpero.

Sinceriſſimè, inquit S. Proſper Reſp. 2. ad object. Vincent. *credendum atque profitendum eſt Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant. Siquidem Apoſtolus, cuius iſta ſententia eſt* (1. Timoth. 2. v. 4.) *ſollicitiſſimè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quòd multi ſalvantur, ſalvantis eſt Donum.*

15. De hac ſententia Apoſtoli ita ſcriptum reperio apud Scotum 1. diſt. 46. q. un. n. 3. *Licèt illud dictum Apoſtoli poſſet exponi de diſtributione accommodata pro omnibus, qui ſalvi fiunt, tamen multò meliùs poſſet exponi de voluntate antecedente ſic, id eſt, vult omnes homines ſalvare, & ſalvos fieri, quantùm ſcilicet eſt ex parte & ſui, & voluntate ſua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem.*

Scotus explicat illa verba: Vult omnes homines ſalvos fieri.

Sicut de Rege ſtatuente bonas leges & præfigente miniſtros ad cuſtodiam iſtarum legum, poſſet dici, quòd vult omnes ſubditos ſuos pacificè vivere & quietè: & tamen ſi videret aliquem tribulari iniuſtè, non ſtatim oporteret, quòd Rex intromitteret ſe ad faciendum illum quietè vivere, niſi devolveretur cauſa ad ipſum per querimoniam de facto: ergo vult quidem iſte quemlibet pacificè vivere & quietè antecedenter; non tamen vult quemcumque immediatè ita vivere.

Ita dico in propoſito, quòd etſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad iſtum ſalvandum, tamen vult iſti illa adiutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter bene vivere & ſalvari. Quis autem prudenter cogitare poteſt, Scotum ſub illis adjutoriis communibus non comprehendiſſe gratias actuales?

Conſtat ſanè ſine illis non poſſe quempiam ſufficienter bene vivere & ſalvari. *Hoc ſiquidem Deo propitiante & prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit.* Ita Conc. Arauſ. II. c. 25. 16.

Sine gratiis actualibus non poteſt homo ſufficienter bene vivere. Conc. Arauſ. II.

Et capite 7. ſic ſtatuit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis:* Sine me nihil poteſtis facere: *Et illud Apoſtoli: Non quòd idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Ioan. 15. v. 5. 2. Cor. 3. v. 5.

Porrò illam ſufficientiam eſſe communem, & ideo meritò à Scoto fuiſſe appellatam communem influentiam, clariſſimè teſtatur S. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 25. his verbis: *Sive igitur noviſſima contemplentur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperq́ voluiſſe, & hoc non aliunde monſtratur, quàm de iis beneficiis, eaq́ providentia Dei, quam univerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit: Fuerunt enim ac ſunt huiuſmodi dona ita generalia, ut per ipſorum teſtimonia, ad quærendum verum Deum poſſent homines adiuvari, quibus donis auctorem ſuum per omnia ſæcula proteſtantibus, ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt.* 17.

Aliqua beneficia Dei fuere omnibus hominibus communia. S. Proſper.

Et

atia ſpe- lis non omnibus mmunis.

Et poſt pauca: *Deo autem placuit, & hanc* (gratiam ſpecialem) *multis tribuere, & illam* (benignitatem ſive gratiam generalem) *à nemine ſubmovere, ut ex utraque appareat non negatum univerſitati, quod collatum eſt portioni, ſed in aliis prævaluiſſe gratiam, in aliis reſiluiſſe naturam.* Ubi cùm audis, gratiam ſpecialem *multis tribuere*, cogita quòd & ipſa ſub nomine communis influentiæ veniat intelligenda, & non tantùm gratia generalis.

18\. reconcilia- pertinet gratiam neralem. Aug.

Appoſitè D. Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 25. *Quod dixi: Gratiam eſſe in remiſſione* (aliàs, dimiſſione) *peccatorum, pacem verò in reconciliatione Dei. Vbicumque hoc dixi, non ſic accipiendum eſt, ac ſi pax ipſa & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem: ſed quòd ſpecialiter nomine gratiæ remiſſionem ſignificaverit* (Apoſtolus in Epiſtola ad Rom.) *peccatorum. Sicut legem & ſpecialiter dicimus, ſecundùm quod dictum eſt: Lex & Prophetæ, & generaliter, ut in ea ſint & Prophetæ.*

19\. quâ ratione ona gratiæ, eceſſaria l juſtifica- onem, ſſint dici na gene- lia. tima ratio.

Sic ergo in præſenti Doctor noſter nomine communis influentiæ comprehendit omnia dona per ſe neceſſaria ad deteſtandum peccatum, ſicut oportet, ut juſtificationis gratia conferatur, quæ dona generalia ſunt; tum quatenus cadunt ſub lege & providentia ordinaria, tum reſpectivè ad ſuppoſita, quibus conceduntur, ut ſunt electi, vel alii, quibus Deus præbet juſtificationem pro tempore, quam ipſi peccantes deſerunt: tum etiam quia non eodem modo contingit vocatio hominis ad Pœnitentiam, ſive deteſtationem ſuorum peccatorum, ſed ex variis motivis virtutum.

ecunda.

Hinc illud S. Proſperi cap. 14. contra Collatorem: *Quis perſpicere aut enarrare poſſit, per quot affectus viſitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, ſequatur; quæ oderat, diligat; quæ faſtidiebat, eſuriat; ac ſubitò commutatione mirabili, quæ clauſa ei fuerant, ſint aperta; quæ oneroſa, ſint levia; quæ amara, ſint dulcia; quæ obſcura, ſint lucida? Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult* &c. 1. Cor. 12. v. 11.

Proſper.

20\. Tertia ratio.

Denique hæc dona dici poſſunt communia ſeu generalia tam denominatione à cauſa principali agente, quàm etiam meritoria, quæ ſunt cauſæ univerſales ſalutis omnium hominem. Nam *Deus miſericors* (utor verbis D. Auguſtini lib. de Catech. rudibus c. 26.) *volens homines liberare, ſi ſibi ipſis non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Vnigenitum Filium ſuum ...... ut quemadmodum per unum hominem, qui primus factus eſt, id eſt, Adam, mors intravit in genus humanum ..... ſic per unum hominem, qui etiam Deus eſt Dei Filius, Ieſum Chriſtum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in vitam æternam ingrederentur.*

D. Aug.

Sicuti peccatum primi parentis vocatur

Igitur quemadmodum peccatum primi parentis rectiſſimè appellamus peccatum commune, & per conſequens influxum Adami in omnes homines, influentiam communem; ita etiam rectè Scotus gratiam Chriſti, & influxum ejus per gratias actuales neceſſarias ad veram Pœnitentiam, vocavit influentiam generalem ſeu communem.

peccatum commune, ita gratia Chriſti gratia communis.

Ecce ratio nominis, id eſt, cur dicatur communis influentia, quamvis alioquin gratia efficax pœnitendi reſpectu ejus, cui conceditur, ſit ſpecialis benevolentia, ut docet Scotus 4. diſt. 22. q. 1. n. 14. ibi: *Quantò aliquis recipit ab alio beneficium ſibi magis indebitum, tantò ſibi magis tenetur lege gratitudinis, etiamſi beneficium receptum ſit minus, & per conſequens magis ſi beneficium eſt æquale: ſed exiſtenti in peccato mortali, nullius eſt Deus debitor, niſi pœnæ; igitur ſi ſibi gratiam conſert, hoc erit donum maximè gratuitè & liberaliter datum* &c.

21\. Gratia efficax pœnitendi eſt ſpecialis benevolentia.

Ex his facillimè intelligi poteſt Scotus, & explicari Catholicè, quando 3. diſt. 25. q. 2. n. 2. dicit: *Eſto quòd requiratur motio poſitiva voluntatis* (ad actum ſupernaturalem fidei) *etiam ſufficit voluntas ad ſic movendum in puris naturalibus.* Ex quibus verbis Suarez diſp. 6. de fide ſect. 7 probat Scotum non longè diſtare à ſententia Semipelagianorum, qui initium ſalutis, id eſt, voluntatem credendi, docebant eſſe poſitam in viribus liberi arbitrii.

22\. Quomodo voluntas in puris naturalibus poſſit movere ad actum ſupernaturalem fidei. Scotus. Suarez.

Verùm hic Auctor ſicut in aliis, ita & in hoc turpiter allucinatus eſt; quippe non expendit, uti debuit, reſponſionem intelligendam eſſe conformiter ad quæſtionem; quæſtio autem propoſita erat: *Vtrùm, ut fides ſit in intellectu, neceſſe ſit aliquem habitum infuſum eſſe in voluntate.* Quando itaque Scotus reſpondet: *Sufficit voluntas in puris naturalibus*, nemo non videt per ly, *in puris naturalibus*, ſolùm excludi habitum infuſum voluntatis; minimè autem actuale auxilium gratiæ, quod Semipelagiani negabant neceſſarium ad voluntatem credendi.

Per ly *In puris naturalibus* ſolùm excluditur habitus infuſus voluntatis.

Vides quàm longè diſtet Scotus à ſententia Semipelagianorum? Unde pro ratione ſui dicti ſubjungit continuò Doctor: *Quia poſito, vero ſupernaturali præſente intellectui, poſſet voluntas movere intellectum ad intelligendum illud, dummodo in intellectu eſſet habitus inclinans intellectum in illud, ſicut eſt in propoſito*, eſtò in voluntate non ſit ſimilis diſpoſitio, ſcilicet habitus ſupernaturalis; ut ſignificat verbis immediatè ſubſequentibus, quæ ſic ſonant: *Et ad Secundum, quando dicitur, quòd principale agens debet eſſe diſpoſitum: dico, quòd ſicut in inſtrumento artificiali ſufficit acuties, ad hoc quòd virtus motiva moveat ipſum ad ſcindendum, nec requiritur ſimilis diſpoſitio in principali movente, vel diſpoſitio illi proportionata, ſcilicet in virtute motiva; ita hic, ad hoc, quòd voluntas moveat intellectum ad credendum credibile, ſufficit diſpoſitio intellectûs* (puta habitus ſupernaturalis, vel auxilium phyſicum ſupplens ejus vicem) *& non eſt neceſſarium ſupernaturalem diſpoſitionem proportionalem illi* (videlicet habitum ſuper-

23\. Hinc Scotus longè diſtat à ſententia Semipelagia. notatu.

In cauſa principali non requiritur illa diſpoſitio quæ eſt in inſtrumento.

Digitized by Google

ſupernaturalem vel auxilium phyſicum ſupplens ejus vicem) *poni in voluntate.*

Itaque niſi per fas ac nefas velimus cogere Scotum ad Semipelagianorum claſſem (quod prorſus indignum eſt Chriſtiano animo, ex quo ſemper oriri deberet, ut Chriſtianos Doctores in meliorem partem interpretantes, ab omni cum hæreticis conſenſione, quantùm fieri poſſet, vendicare conaremur) tam longè ab iis diſſidet, quàm ipſe Suarius, & quicumque alius Catholicus Auctor.

24\. Proponitur ſententia Doct. Angelici.

Næ ipſe Doctor Angelicus haud multùm diſſimiliter loquitur 2. diſt. 5. q. 2. in corpore: *Reſpondeo dicendum, quòd circa hoc eſt duplex opinio; quidam enim dicunt quòd ad converſionem meritoriam exigitur duplex gratia. Vna gratum faciens, quæ informat converſionis actum, & meritorium reddit. Alia gratìs data à qua elicitur ſubſtantia actûs, & quæ liberum arbitrium inclinat ad volendum. Sed iſtam gratiam ponere non videtur neceſſarium, niſi ipſa libertas arbitrii gratia dicatur, quæ procul dubio nobis à Deo eſt, vel aliquæ occaſiones, quæ quandoque dantur hominibus à Deo ad converſionem, ut inſtructio legis, & caſtigatio ad humilitatem, & alia huiuſmodi, ſine quibus tamen poſſibile eſt gratiam conſequi; quia ſi homo facit quod in ſe eſt, Deus dat ei gratiam. Ad hoc autem faciendum, non exigitur aliquid aliud. Illud enim ad quod non poteſt per ſe liberum arbitrium, non eſt in homine ut faciat illud; illud enim in nobis eſſe dicitur, cuius nos domini ſumus. Vnde poſitio iſta implicat contradictionem, dum poſuit quòd ad faciendum illud, quod in nobis eſt, liberum arbitrium non ſufficit.*

Non videtur neceſſarium ponere gratiam, quæ inclinet liberum arbitrium ad volendum.

Et ideo, inquit S. Thomas, *aliter eſt dicendum, quòd ad eliciendum actum converſionis, ſufficit liberum arbitrium, quod ſe ad habendam gratiam, per hunc actum præparat & diſponit: ſed efficacia converſionis ad meritum, non poteſt eſſe niſi per gratiam: unde unus & idem motus eſt converſionis liberi arbitrii, in quo gratia infunditur, qui eſt diſpoſitio ad gratiam, ſecundùm quod exit à libero arbitrio, & meritorius ſecundùm quod gratiâ informatur.*

Ad eliciendum actum converſionis ſufficit liberum arbitrium.

25\. Duplex acceptio gratiæ ex D. Thoma.

Eâdem loquendi methodo utitur idem Doctor 2. diſt. 28. q. 1. a. 4. in corp. *Reſpondeo dicendum, quòd gratia dupliciter poteſt accipi, vel quodcumque excitativum voluntatis exhibitum homini ab ipſa divina providentia, quâ omnibus rebus gratìs impendit ex ſua bonitate ea, quæ ipſis conveniunt, vel aliquod donum habituale in anima receptum, quod gratìs à Deo confertur.*

Si ergo primo modo accipitur gratia, nulli dubium eſt, quòd homo ſine gratia Dei non poteſt ſe præparare ad habendam gratiam gratum facientem &c. *Si autem accipitur gratia pro aliquo munere habituali animæ infuſo, ſic duplex eſt opinio. Quidam enim dicunt, quòd nullus poteſt ſe ad gratiam gratum facientem præparare, niſi per aliquod lumen menti infuſum, quod eſt donum gratiæ gratìs datæ. Iſtud autem non videtur conveniens.* &c.

Et ideo aliis conſentiendo dicimus, quòd ad gratiam gratum facientem habendam ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare; faciendo enim quod in ſe eſt, gratiam à Deo conſequitur: hoc autem ſolùm in nobis eſt, quod in poteſtate liberi arbitrii conſtitutum eſt.

Ad habendam gratiam gratum facientem poteſt ſe homo præparare ex ſolo libero arbitrio.

Quid vobis videtur benigne Lector? Nonne ſi Scotus ita loqueretur Pelagianiſmi, aut Semipelagianiſmi inſimularetur? Et tamen omnes in meliorem partem interpretantur D. Thomam, idque jure meritiſſimo: ſed, quod uni conceditur, alteri non debet negari. 26.

Quocirca, ut ad primum propoſitum, unde paulùlum deflexìmus, revertamur: dico rurſum, nuſpiam Scotum docuiſſe, quempiam pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio; bene ſine concurſu efficiente phyſico gratiæ juſtificantis, ut latiùs oſtendo Concluſione 14.

Nuſpiam Scotus docuit hominem poſſe pœnitere ut oportet ad juſtificationem ſine gratia excitante.

27\. Aſſignantur loca in quibus Scotus videtur admittere actum Pœnitentiæ moraliter bonum abſque ſpeciali auxilio Dei. Primus. Secundus.

Venio ad ſecundam partem præſentis Concluſionis, & aſſigno loca in quibus Scotus videtur admittere actum Pœnitentiæ moraliter bonum abſque ſpeciali auxilio Dei. Primus ſit 4. diſt. 14. q. 2. n. 20. circa finem: *Pœnitentia* (inquit) *abſolutè poteſt inaſci ex naturalibus hominis, ſed non fructifera.*

Secundus eâdem diſt. q. 3. n. 2. ubi aſſignat duplicem regulam Pœnitentiæ, unam naturaliter cognoſcibilem, ut ſcilicet quod de peccato eſt diſplicendum: *Et iſta* (inquit) *eſſet nota intellectui angelico, ſi fuiſſet Angelus viator poſt primum peccatum commiſſum, & per conſequens potuiſſet habere aliquid in voluntate correſpondenter inclinans illi regulæ ad actum vindicandi vel diſplicendi: & iſta Pœnitentia ſicut & regula eius, poſſet eſſe in omni ſtatu uniformis; quia ſi non deficeret cognitio naturalis conveniens naturæ humanæ, poſſet pro quocumque ſtatu devenire in cognitionem iſtius regulæ, & per conſequens æquè habere in voluntate aliquid inclinans proportionabiliter iſti regulæ.*

28\. Explicatur ſecundus locus.

Sed reverà hic locus parum urget: nam illa regula Pœnitentiæ dicitur naturalis à Scoto, quia non proponitur nobis ſub motivo revelationis; diſtinguitur enim contra ſupernaturalem, id eſt, tantummodo notam ex revelatione; cum quo tamen bene ſtat, quòd utraque non cognoſcatur ſine ſpeciali auxilio Dei; licèt quippe, ſecundùm communiorem ſententiam, homo lapſus viribus ſuis cum generali concurſu, pertinente ad donum creationis, poſſit cognoſcere multas veritates naturales tam ſpeculativas, quàm practicas, non tamen omnes.

Conſequenter Pœnitentia in voluntate, correſpondens iſti regulæ, ex hoc ſolo dicetur naturalis, quia eſt ex motivo naturaliter cognito, id eſt, non propoſito per revelationem; non verò quòd illa habeatur ſine gratia excitante, & adjuvante, aut ſpeciali auxilio, ſi eſt Pœnitentia propriè dicta, & deteſtatio peccati con-

Pœnitentia aliqua dicitur naturalis, quia eſt ex motivo naturaliter cognito.

Digitized by Google

concepta ex motivo honeſtatis, etiam in genere. Ita Hiquæus in Commentario ſuo ad illum locum n. 25.

29. Ad primum locum neſcio quid reſponderet ille Auctor. Reſponderet, inquis, Scotum per ly *Ex naturalibus*, ſolùm excludere habitum charitatis, ſive gratiam juſtificantem, quæ eſt fructus Pœnitentiæ, ut ſenſus ſit: Pœnitentia abſolutè poteſt innaſci ex naturalibus hominis, id eſt, ex viribus liberi arbitrii cum gratia Dei actuali excitante & adjuvante, ſed non fructifera, id eſt, non Pœnitentia ſimul ſumpta cum ſuo fructu; quoniam fructus ejus, qui eſt gratia juſtificans, à ſolo Deo infunditur.

[…]plicatio […]mi loci.

Sed contrà eſt, quòd ſic minùs propriè accipitur Pœnitentia fructifera, quæ in rigore videtur ſignificare Pœnitentiam, quæ nata eſt fructificare, præſcindendo ab ipſo fructu, id eſt, quæ proximè diſponit ad juſtificationem pro illo priori inſtanti naturæ, in quo nondum intelligitur ipſa juſtificatio poſita. Sic enim ager aliquis dicitur frugifer, etiam antequam fructus producit, à potentia videlicet ſuo tempore fructus producendi.

[…]jicitur ab […]ctore.

[Qu]id ſit Pœnitentia fructifera?

30. Quidquid ſit de his duobus locis, certum eſt Doctorem noſtrum admittere actus virtutum moraliter bonos, tametſi per charitatem non referantur in ultimum finem. Verba ejus nimis clara habes ſuprà in hac Concluſione ex 3. diſt. 36. n. 26. ubi docet virtutes morales eſſe perfectas in ſua ſpecie abſque conſortio charitatis: ergo ſimiliter actus illarum virtutum.

[…]otus admittit actus moraliter [bo]nos abſque relatione in ultimum finem.

Adde quod habet eodem libro diſt. 33. n. 21. *Si obiicitur*, inquit, *ille habitus non erit ratio referendi in Deum, igitur non erit rectus; quia actus eius videtur frui bono creato: Reſpondeo, habitus inferior non habet de ſe actum habitûs ſuperioris; charitas autem, quæ eſt habitus ſuperior, habet referre hunc actum immediatè in Deum: nullus igitur alius habitus habet propriè ex ſe ſic referre, ſed tantùm habet ex ſe ſuum actum proprium diligendi hoc bonum, quod bonum debet ulterius referri per charitatem.*

[S]ola charitas refert [ac]tus bonos immediatè [in] Deum.

Nec ex hoc ſequitur, quòd inferior ſit malus, nec quòd ſit principium fruendi bono creato; quia etſi non referat, tantùm negativè fruendo, tamen non contrariè, ſcilicet repugnando frui recto, & hoc non eſt frui, quia frui non tantùm includit non referre negativè, ſed oppoſitum eius, quod eſt non referre contrariè, ſcilicet uti.

[Q]uid ſit frui bono creato?

Igitur ſecundùm mentem Scoti, actus virtutis moralis, v. g. caſtitatis, elicitus ſine poſitivo ordine ſeu relatione ad Deum, præcisè propter talem bonitatem, convenientem mihi ſecundùm propriam rationem, eſt actus moraliter bonus, tametſi non perducat ad beatitudinem.

31. Quomodo poſſunt intelligi omnes auctoritates D. Auguſtini, quæ adferuntur ab aliquibus in contrarium, ut oſtendo ex eodem S. Doctore lib. 4. contra Jul. c. 3. circa finem: *Aut certe quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnumq́; perducere: ſcito nos illud bonum hominum dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri; per quod ſolùm homo poteſt ad æternum Dei donum regnumq́; perduci.*

Explicantur auctoritates D. Auguſt. de actu meritorio vitæ æternæ.

Quodnam opus bonum.

Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc ſcio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis atque impia non eſt bona. Dicantur ſecundùm te huiuſmodi voluntates arbores bonæ, ſufficit quòd apud Deum ſteriles ſunt, ac per hoc non bonæ. Sint inter homines fructuoſæ, inter quos ſunt & bonæ te (intelligit Julianum) *Auctore, te laudatore, ſi vis, etiam plantatore. Dum tamen illud velis nolis obtineam, quod amor mundi, quo quiſque amicus eſt huius mundi, non eſt à Deo; amorq́; fruendi quibuſcumque creaturis ſine amore Creatoris* (id eſt, conſtituendi ultimum finem in creaturis) *non eſt à Deo. Amor autem Dei quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo Patre per Ieſum Chriſtum cum Spiritu Sancto. Per hunc amorem Creatoris bene quiſque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullus quiſquam bene utitur creaturis. Hoc ergo amore opus eſt, ut opus beatificum ſit.*

Arbor ſterilis apud Deum non eſt bona.

Sine amore Creatoris nullus bene utitur creaturis.

En quanta conſonantia inter Divum Auguſtinum & Doctorem Subtilem! Cumque hæc verba ſint quaſi compendium totius doctrinæ illius capitis, perperàm ex illo colligunt Adverſarii, nullam eſſe veram virtutem ſive habitualem, ſive actualem, veram, inquam, in ſua ſpecie, ſeu eſſentialiter, ſine conſortio charitatis habitualis aut actualis.

Sanè Magnum P. Auguſtinum ibi tantummodo loqui de virtute meritoria vitæ æternæ, mihi certiſſimum fit ex his verbis, quæ ibidem lego: *Quantò ergo tolerabilius illas, quas dicis, in impiis eſſe virtutes, divino muneri potiùs, quàm eorum tribueres tantummodo voluntati: licet ipſi hoc neſciant, donec ſi ex illo ſunt prædeſtinatorum numero accipiant ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciant quæ à Deo donata ſunt eis. Sed abſit ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit iuſtus. Abſit autem ut ſit iuſtus verè, niſi vivat ex fide; iuſtus enim ex fide vivit. Quis verò eorum, qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi ſoli Pelagiani, aut in ipſis etiam fortè tu ſolus, iuſtum dixerit infidelem, iuſtum dixerit impium, iuſtum dixerit diabolo mancipatum?* 32.

Virtutes infidelium potiùs divino muneri, quàm eorum voluntati tribuendæ.

Vera virtus niſi in juſto eſſe non poteſt.

Vides quomodo Sanctus Pater neget veras virtutes non ſolùm in infidelibus, ſed in omnibus, qui non ſunt verè juſti, id eſt, qui exiſtunt in peccato mortali? Cur hoc, niſi

I quia

Digitized by Google

quia ſtatus gratiæ requiritur ad meritum condignum vitæ æternæ?

33. De qua juſtitia loquatur S. Aug.

Si dixeris, Auguſtinus intelligit juſtitiam inchoatam; contrarium palàm fit ex illis, quæ poſt aliquot lineas ſubjiciuntur: *Quomodo*, inquit, *eſt in eis vera iuſtitia, in quibus non eſt vera ſapientia? Quam ſi eis tribuerimus, nihil erit cauſa, cur eos non ad illud regnum pervenire dicamus, de quo ſcriptum eſt* Concupiſcentia ſapientiæ deducit ad regnum. *Ac per hoc Chriſtus gratis mortuus eſt, ſi homines ſine fide Chriſti ad fidem veram, ad virtutem veram, ad iuſtitiam veram, ad ſapientiam veram, quâcumque re aliâ, quâcumque ratione perveniunt.*

Sap. 6. v. 21.

Si per naturam voluntatemque juſtitia gratis mortuus eſt Chriſtus. Gal. 2. v. 21.

Prorſus ſicut de lege veriſſimè ait Apoſtolus: Si per legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt; *ita veriſſimè dicitur: Si per naturam voluntatemq; iuſtitia* (quæ perducit ad beatitudinem) *ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Si per doctrinas hominum qualiſcumque iuſtitia: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Per quod enim vera iuſtitia, per hoc etiam regnum Dei; Deus namque ipſe, quod abſit, erit iniuſtus, ſi ad eius regnum verus non admittitur iuſtus, cùm & ipſum eius regnum iuſtitia ſit, quemadmodum ſcriptum eſt:* Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium.

Rom. 14. v. 17.

Porrò ſi veram iuſtitiam non habent impii, profectò nec alias virtutes comites eius & ſocias: quia cùm non ad ſuum referuntur Auctorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes efficiuntur iniuſti, ſi quas habent, veras non habent, ac per hoc nec continentia, ſive pudicitia vera virtus eſt impiorum. Jam autem juſtitia ſolùm inchoata non ſufficit ad capeſcendum regnum cælorum, ſed ſecundùm omnium ſententiam requiritur juſtitia perfecta, ſcilicet gratia ſanctificans.

34. D. Auguſt. videtur tantùm admittere veras virtutes in iis qui ſunt verè juſti.

Igitur admittit Auguſtinus veras virtutes in illis tantùm, qui ſunt verè juſti, id eſt, quibus Deus faceret injuriam, ſi eos non admitteret ad regnum cælorum. Et verò qui iſti alii quàm habentes gratiam ſanctificantem? Siquidem per illam ſolam homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Et tamen quis ſanæ mentis poteſt dubitare, quin, etiam ſecundùm Divum Auguſtinum, Fides quâ homo impius diſponitur ad juſtitiam, ſimiliter Spes, Charitas, Pœnitentia, quis, inquam, catholicè dicere poteſt, hujuſmodi actus non eſſe veras virtutes, ex hoc præcisè quòd non ſint in homine juſto?

Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quâcumque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri &c. anathema ſit. Ita Tridentinum ſeſſ. 6. can. 7. Et can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit.*

Hic ergo non poteſt eſſe ſenſus Sanctiſſimi Præſulis, cujus doctrinam in materia de Gratia ſervat Romana Eccleſia. Quis ergo? Continentiam v. g. impiorum non perducere ad beatitudinem. Diſputat quippe contra Julianum, qui, teſte Auguſtino ibidem, admittebat in hominibus impiis actus non tantùm eſſentialiter bonos, ſed etiam meritorios vitæ æternæ. 35.

35. Adeoque intelligendus de virtutibus perducentibus ad beatitudinem.

Hæc ſunt verba Juliani apud Auguſtinum: *Cunctarum origo virtutum in rationabili animo ſita eſt, & affectus omnes, per quos aut fructuosè, aut ſteriliter boni ſumus, in ſubiecto ſunt mentis noſtræ, prudentia, iuſtitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis, cùm inſit omnibus naturaliter, non tamen ad unum finem in omnibus properat: ſed pro iudicio voluntatis, cuius nutui ſerviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur. Quod cùm ſit, non in eo quod ſunt, non in eo quod agunt, ſed in eo ſolo variant, quod merentur. Nec nominis ſui igitur poſſunt, nec generis ſuſtinere diſpendium, ſed ſolùm quod appetiverunt præmii, aut amplitudine ditantur, aut exilitate fruſtrantur.* Id eſt (inquit S. Auguſt.) *terrenorum commodorum fructu, non cæleſtium præmiorum.*

Julianus, vera ſit virtus, attendendum dicit quid, non propter quid agat.

Unde, interrogat Julianus; *Erunt ergo in damnatione ſempiterna, in quibus erat vera iuſtitia?* Reſpondet autem S. Doctor: *O vocem impudentia maiore præcipitem! Non erat, inquam, in eis vera iuſtitia* (quæ ſcilicet poſſet liberare à damnatione ſempiterna) *quia non actibus, ſed finibus penſantur officia.* 36.

36. Julianus aſſerit non futuros in damnatione æterna, in quibus erat juſtitia. Quæ ſit vera juſtitia D. Aug.

Ex his & ſimilibus, quæ ibidem loquitur Auguſtinus, nimis clarè patet, ipſum ad ſummum negare virtutes ſine charitate, id eſt, ſine aliqua relatione in Deum, perducere ad beatitudinem. An autem dentur actus moraliter boni ſine ſpeciali gratia Chriſti, ibi expreſsè non diſputat; quamvis inſinuet virtutes, ſi quæ in impiis ſint, potiùs divino muneri, quàm eorum tantummodo voluntati eſſe tribuendas.

Non diſputat ibi D. Auguſt. an dentur actus morales boni ſine ſpeciali gratia Chriſti.

Sanè neque ex Scriptura, neque ex auctoritate, nec ex ratione convincitur, humanum arbitrium per primum peccatum ita inclinatum & attenuatum fuiſſe, ut nullum opus bonum propriis viribus poſſit elicere. Non ex Scriptura, quæ enim illa eſſet? Certè ſi aliqua, hæc foret: *Sine me nihil poteſtis facere.* Joan. 15. v. 5. Quam tamen Concil. Arauſ. II. can. 7. explicat (ut ſuprà vidimus) de opere bono, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ. Et Milevit. can. 5. de opere fructuoſo dicens: *De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius poteſtis facere; ſed ait: Sine me nihil poteſtis facere.* 37.

37. Non poſſe dari, neque probari ex Scriptura.

Joan. 15. Conc. Arauſ. Milevit.

Quan-

Digitized by Google

que ex ...ione. Quantùm ad rationem, illa magìs probat oppoſitum; quippe ad opus bonum morale nihil aliud requiritur ex parte intellectûs, quàm cognitio bonitatis moralis, ex parte autem voluntatis proſecutio ejuſdem bonitatis propter ſeipſam; quâ autem apparentiâ veri negatur talis cognitio viribus intellectûs, vel talis proſecutio viribus voluntatis? Præſertim cùm bonum honeſtum quandoque conducat ad vitæ commoditatem, aut etiam conſonum ſit ſenſualitati, v. g. reddere debitum conjugale.

38. *...us aliquod tripliciter dici poteſt bonum ex D. Bonaven. ...timus modus.* Ita in terminis docet Seraphicus Bonaventura 2. diſtinct. 28. a. 2. qu. 3. Exſcribo ejus verba, quoniam hanc difficultatem pulcherrimè explicant: *Reſpondeo; ad prædictorum intelligentiam eſt notandum, quòd opus aliquod tripliciter poteſt dici bonum. Vno modo dicitur aliquid bonum ſimpliciter, & hoc eſt bonum quod eſt ordinatum in finem; & tale eſt bonum quod eſt meritorium, & in huiuſmodi bonum non poteſt liberum arbitrium lapſum abſque auxilio gratiæ gratum facientis.*

...ecundus ...odus. *Secundo modo aliquid dicitur bonum, ex hoc quod aliquo modo de congruo diſponit ad bonum, & tale eſt bonum quod fit extra charitatem, nihilominus tamen cum recta intentione; & in tali non poteſt liberum arbitrium abſque munere gratiæ gratìs datæ, per quod illuminetur, & dirigatur & excitetur, ut velut facere aliquid quod ſit Deo placitum. Et quod ad hoc ſit munus* *Sap. 8. v. 21.* *gratiæ neceſſarium, expreſsè innuitur Sap. 8. ubi dicitur:* Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det; & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum. *Vnde non eſt parvum donum gratiæ cognoſcere ipſum munus gratiæ, & cognoſcere quòd ſine gratia homo ſalvari non poteſt.*

...tius ...odus, *Tertio modo dicitur aliquid bonum, quia in finem eſt ordinabile, & habet aliquam ordinationem intra ſe, ſive ex tranſitu ſuper naturam debitam, ſicut paſcere eſurientem; ſive ex debita circumſtantia ſuperaddita, videlicet cùm hoc facit cùm exigit tempus & locus & opportunitas. Ad illud autem genus boni complendum, etſi gratia gratìs data ſit neceſſaria ad hoc quòd ſiat faciliter; circumſcripto tamen omni munere gratiæ, & libero arbitrio relicto in puris naturalibus per naturale iudicatorium & inſtinctum poſſet in tale bonum Deo ſibi cooperante, ſicut cooperatur aliis creaturis. Nam ſine primo agente nullum agens poteſt agere, ſicut ſuo loco infra manifeſtabitur, cùm agetur utrùm omnis actio ſit à Deo.*

39. *...iberum ...bitrium ...ſque gra... a poteſt ...ire in ali...quod bo...um mora...* *Ad præſens autem tantùm dixiſſe ſufficiat, quòd liberum arbitrium ſolâ Dei cooperatione abſque aliquo munere gratiæ, licèt difficulter poteſt exire in aliquod bonum morale; per illud tamen nec diſponitur ad gratiam, nec ad gloriam, quia non eſt ad finem ultimum ordinatum, ſed tantùm ordinabile: & iſtud concludunt rationes ad primam partem inducta, & ideo concedenda ſunt. In bonum autem quod ducit ad bonum perfectum ſive merito congrui, ſive merito condigni, non poteſt abſque auxilio Dei, ſicut expreſsè dicunt auctoritates Sanctorum ad contrarium adducta, & ſic omnes intelligenda ſunt.*

Et quod iſto modo debeant intelligi, planum eſt; nam ſi liberum arbitrium in ſolis naturalibus ſuis relinquatur, adhuc remanebit ei rationis iudicium, per quod cognoſcit parentes eſſe honorandos; & conſtat, quòd ſi habet hoc naturale iudicatorium, per quod poteſt noſſe parentes eſſe honorandos, per illud poteſt cogitare; & cùm habeat naturalem inſtinctum, poteſt etiam id velle, & cùm habeat exteriora organa ſibi ſubſervientia poteſt opere implere; ſed prout illud facit iudicium rationis recta abſque munere gratiæ, non dirigit ad obtinendum finem, qui Deus eſt, & mercedem æternæ beatitudinis, quam noſſe non poteſt, niſi Deus revelet. Et propterea dicunt Sancti, quòd nec cogitare, nec velle, nec facere poteſt bonum abſque iuvamine divinæ gratiæ, quia loquuntur de bono, ſecundùm quod eſt ordinatum ad aſſequendam beatitudinem. *Probatur ex ratione.* Hæc fuſiùs ex D. Bonaventura, quia meo judicio nihil pro præſenti controverſia adæquatius dici poterit.

Herculè etſi Seraphicus Doctor non ſic interpretaretur Sanctum Auguſtinum alioſque Patres; ipſemet Auguſtinus ſatìs ſuam mentem manifeſtat lib. 4. contra Julianum cap. 3. ut mox oſtendimus; uti etiam libro de Corrept. & Gratia cap. 2. ubi ſic ait: *Intelligenda eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quâ ſolâ homines liberantur à malo, & ſine qua nullum prorſus, ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt bonum, non ſolùm ut monſtrante ipsâ, quid faciendum ſit ſciant, verùm etiam ut præſtante ipsâ faciant cum dilectione quod faciunt.* 40. *Sine gratiâ non tantùm monſtrante ſed etiam adjuvante nihil fit boni ex D. Aug.*

Simili modo ſeipſum explicat lib. de Gratia & lib. arbit. cap. 4. quod ſic incipit: *Sed metuendum eſt ne iſta omnia divina teſtimonia, & quæcumque alia ſunt, quæ ſine dubitatione ſunt plurima in defenſione liberi arbitrij ſic intelligantur, ut ad vitam piam, & bonam converſationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur.* *Quod intelligendum de bono, cui debetur merces æterna ex eodem Doct.*

41. *Virtutes à vitiis non officiis, ſed finibus diſcernuntur.* Quod ergo lib. 4. contra Julianum cap. 3. dicit: *Noveris non officijs, ſed finibus à vitijs diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt; finis autem propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* *Peccat qui non facit ob quod facere debet.* Et infrà: *Quidquid enim boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* *Bonum ſi fit non rectò fine peccatum eſt.*

Digitized by Google

Per non rectum finē intellige finem perverſum.

In his, inquam, locutionibus per ly *Non recto fine*, intelligit finem perverſum, ut patet ex hoc, quod immediatè ſequitur: *Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus à quibus fiunt: bonum eſt enim ut ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti: ſed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non bene bonum facit: quia non bonus facit, quod non bonâ voluntate facit.* Planè non bonâ voluntate facit, quia ex vana gloria, quæ ſecundùm omnes eſt verum peccatum. Aliud eſt quando ſubveniret homini periclitanti præciſè ob naturalem honeſtatem miſericordiæ, non excludendo poſitivè ulteriorem finem.

42\. Opera infidelium communiter fiunt perverſo fine, & ideo generaliter vocat ea D. Aug. peccata.

Et quoniam communiter opera infidelium quà talium, perverſo fine fiunt, ideo generaliter vocat S. Doctor hujuſmodi opera, peccata; dicens in eodem cap. *Cùm non ad ſuum referuntur Auctorem dona Dei, hoc ipſo mali his utentes* (ſcilicet ad finem perverſum) *efficiuntur iniuſti.* Et iterum: *Per hoc diſce eum qui non facit opera bona, intentione fidei bona, hoc eſt, eius quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus quod illis, velut membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum*; quia videlicet regulariter facit illa opera perversâ intentione, unde non dicit: *Totum corpus*, ſed, *totum quaſi corpus*.

Oculus intentio eſt operantis.

43\. D. Aug. non negat aliqua bona opera impiorum.

Alioquin aliqua opera bona impiorum, licèt pauciſſima, non audet negare ipſe Auguſtinus lib. de Spirit. & Litt. cap. 27. in fine dicens: *Si autem hi, qui naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos Chriſti iuſtificat gratia, ſed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter iuſteq́; colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò recteq́; laudamus: quamquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur quæ iuſtitiæ debitam laudem defenſionemve mereantur.*

Imago Dei non omnino deleta in gentibus.

Et cap. 28. ita incipit dicere: *Verumtamen quia non uſque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ, facere aliqua legis vel ſapere, ſi hoc eſt quod dictum eſt*, quia gentes, quæ legem non habent, *hoc eſt, legem Dei*, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt; *& quia huiuſmodi homines* ipſi ſibi ſunt lex, & ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis, *id eſt, non omni modo deletum eſt, quod ibi per imaginem Dei, cùm crearentur, impreſſum eſt* &c.

Rom. 2. v. 14.

Sine aliquibus bonis operibus difficillimè invenitur vita cujuſlibet peſſimi hominis.

Ac infrà: *Sicut non impediunt à vita æterna iuſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuſlibet peſſimi hominis invenitur.*

44\. Quænam propoſitiones damnatæ à Summis Pontificibus.

Conſimiliter loquuntur alii SS. Patres, quorum verbis recitandis brevitatis gratiâ ſuperſedeo. Sufficiat nobis doctrina D. Bonaventuræ, quam Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. ſuo teſtimonio confirmarunt, damnantes has propoſitiones: Prima: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Secunda: *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, id eſt, quod ex ſolis viribus naturæ ortum ducit, agnoſcit.* Tertia: *Liberum arbitrium ſine adiutorio gratiæ Dei non niſi ad peccandum valet.*

45\. Explicatur auctoritas aliqua D. Aug.

Hinc quod ait D. Auguſtinus ſuprà cap. 3. *Nam neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via. Et cùm id quod agendum, & quo nitendum eſt cœperit non latere, niſi etiam delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Hoc, inquam, commodè intelligendum puto, ut ſuprà, de opere infructuoſo, ut idem ſit, *non bene vivitur*, quod, non fructuoſè vivitur.

Quomodo opus infructuoſum poſſit vocari peccatum. 1. Cor 13.

Porrò opus infructuoſum vocari poteſt peccatum; quia nihil eſt, juxta Apoſtolum 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Peccatum autem ſecundùm Auguſtinum eſt nihil, Tract. 1. in Euang. Joan. ſuper illa verba: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, ubi ſic ait: *Peccatum quidem non per ipſum factum eſt, & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant.*

Peccatum eſt nihil ex D. Aug.

46\. Liberum arbitrium propriè non peccat ſi lateat veritatis via.

Ut autem ſcias liberum arbitrium propriè non peccare, ſi lateat veritatis via, pauca ſubſcribo verba ejuſdem Sanctiſſimi Patris: *Duabus* (inquit Ench. cap. 81.) *ex cauſis peccamus, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit; ſed profectò vincimur, niſi divinitùs adiuvemur, ut non ſolùm videamus quid faciendum ſit, ſed etiam, accedente ſanitate, delectatio iuſtitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo ſcientes videnteſque peccamus: iam non ſolùm peccatores, quod eramus etiam cùm per ignorantiam peccabamus, verùm etiam legis prævaricatores, cùm id non facimus, quod faciendum iam eſſe novimus, vel facimus, quod non faciendum eſſe iam ſcimus.* Quis autem neſciat ſolam legis prævaricationem eſſe peccatum propriè dictum?

47\. Sola legum prævaricatio eſt peccatum propriè dictum ex S. Aug.

Profectò idipſum docet D. Auguſtinus in Pſalmum 118. conc. 25. ſub hac forma verborum: *Si ergo Apoſtolus ſecundùm legem, quam Deus per Moyſen populo Iſraël dedit, cæteris autem gentibus non dedit, ſine lege dixerit cæteras eſſe gentes, quid intellecturi ſumus in iſto Pſalmo dictum eſſe:*

Digitized by Google

eſſe: Prævaricantes æſtimavi omnes peccatores terræ, *niſi intelligamus aliquam legem non per Moyſen datam ſecundùm quam ſunt prævaricantes cæterarum gentium peccatores? Vbi enim lex non eſt, nec prævaricatio; quæ iſta lex eſt, niſi fortè illa, de qua idem dicit Apoſtolus*: Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, hi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex &c. *Nullus enim eſt qui faciat alteri iniuriam, niſi qui fieri ſibi nolit, & in hoc tranſgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare, dum id quod facit non vult pati. Numquid autem non iſta lex naturalis erat in populo Iſrael? Erat planè, quoniam & ipſi homines erant; ſine lege autem naturali eſſent, ſi præter naturam generis humani eſſe potuiſſent: multò magis ergo prævaricatores facti ſunt lege divinâ, quâ naturalis illa ſive inſtaurata, ſive aucta, ſive firmata eſt.*

m. 2.

[Nu]llus eſt [qu]i faciat [alt]eri inju[ria]m, niſi [qu]i fieri ſibi [no]lit.

Iam verò ſi in omnibus peccatoribus terræ non incongruè deputantur & parvuli propter originalis vincula peccati, etiam ipſi in ſimilitudine prævaricationis Adæ, ad illam prævaricationem pertinere monſtrantur, quæ datâ lege in Paradiſo prima commiſſa eſt; ac per hoc rectè nullo prorſus excepto prævaricatores æſtimantur omnes peccatores terræ. Omnes autem peccaverunt & egent gloriâ Dei; omnes igitur prævaricantes gratia Dei invenit, alios magìs, alios minùs: quantò enim legis maior in quocumque cognitio, tantò minor peccati excuſatio; quantò minor peccati excuſatio, tantò manifeſtior prævaricatio. Hucuſque Auguſt. Infero ego: ergo ubi nulla legis cognitio, nulla prævaricatio; adeoque nullum peccatum propriè dictum.

[N]ullo ex[ce]pto præ[var]icatores [æ]ſtimantur [o]mnes pec[c]atores ter[ræ].

48\. Ex dictis facilè ſolvitur alius locus D. Auguſtini ex tract. 5. in Joan. ibi: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.* Quæ verba ex ipſo tranſcripſit Concilium Arauſ. II. cap. 22. *Nemo*, inquit Conc. *habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque iuſtitiæ ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, non deficiamus in via.*

[Qu]omodo [s]it intelli[g]endum [q]uod ait [D]. Aug. [N]emo habet de ſuo [n]iſi mendacium & [p]eccatum? [C]onc. Arauſ. I.

Apud Auguſtinum ſic lego: *Vt ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati, & in hac peregrinatione interim conſolati, ne deficiamus in via, venire ad eius requiem ſatietatemq; poſſimus*; id eſt, ad æternam beatitudinem. Ergo manifeſtè loquitur Aug. & conſequenter Concilium de operibus fructuoſis ſive perducentibus ad vitam æternam, ſaltem tamquam meritum de congruo.

49\. Vocat autem opus infructuoſum mendacium & peccatum; quia cùm exteriùs appareat aliquid eſſe, reverà tamen nihil eſt. Quis enim videns hominem diſtribuentem in cibos pauperum omnes ſuas facultates; tradentem corpus ſuum ita ut ardeat, non illico cogitat illa opera multum ei prodeſſe ad ſalutem? Et tamen ſi charitatem non habeat, nihil ſunt, quia nihil ipſi proſunt, juxtà Apoſt. 1. Cor. 13. v. 3. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Quomodo opus infructuoſum vocetur mendacium & peccatum.

1. Cor. 13.

Vel ſi hæc expoſitio minus arrideat, dicito, idcirco D. Auguſtinum ſic locutum fuiſſe, quia ſola & omnis voluntas creata ex natura ſua eſt mutabilis & defectibilis, omne autem peccatum defectus eſt: ergo peccatum ſic habet homo de ſuo, ut nullatenus ad Deum poſſit pertinere, cùm tamen reliqua omnia ex Deo ſint. *Nulla natura eſt* (inquit S. Auguſtinus lib. 2. de libero arbitrio c. ultimo) *quæ non ſit ex Deo. Motus ergo ille averſionis* (voluntatis à Deo) *quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectivus motus eſt; omnis autem defectus ex nihilo eſt: vide quo pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites.*

Sola & omnis voluntas creata ex natura ſua eſt defectibilis.

S. Aug.

Eleganter D. Anſelmus lib. de Concord. præſc. &c c. 7. *Facit Deus omnia, quæ iuſtâ vel iniuſtâ voluntate fiunt, id eſt, bona opera & mala. In bonis quidem facit & quòd ſunt, & quòd bona ſunt: in malis verò facit quòd ſunt, ſed non quòd mala ſunt.* Ergo quòd opera tam bona, quàm mala ſint, homo habet à Deo; in bonis quidem quòd ſint, & quòd bona ſint: in malis verò quòd ſint, ſed non quòd mala ſint. A quo ergo habet quòd mala ſint? Reſp. de ſuo, id eſt, de ſua mutabilitate & defectibilitate.

50\. Deus facit omnia quæ juſtâ vel injuſtâ voluntate fiunt ex D. Anſel.

Voluntas hominis (ait S. Proſper l. 2 de Vocat. Gent. c. 26.) *ſubiungitur ei* (gratiæ divinæ) *atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate, ſi deficit, de gratiæ opitulatione, ſi proficit.*

S. Proſper.

Itaque neque ex Scriptura, neque ex auctoritate, vel ratione convincitur, liberum arbitrium hominis corrupti ſine ſpeciali Dei adjutorio non poſſe elicere aliquem actum. Dico *Aliquem*, quia experientia clamat, in multis ipſum deficere, niſi ſpeciali auxilio divino ſanetur.

51\. Homo in multis deficit, niſi ſpeciali auxilio Dei ſanetur.

In ſtatu naturæ integræ (auditis D. Thomam 1. 2. q. 109. a. 2. in corp.) *quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis poterat homo per ſua naturalia velle, & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ, non autem bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ: ſed in ſtatu naturæ corruptæ etiam deficit homo ad hoc, quod ſecundùm ſuam naturam poteſt ut non poſſit totum huiuſmodi bonum implere per ſua naturalia.*

Quia tamen natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur, poteſt quidem, etiam in ſtatu naturæ corruptæ, per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare (ſicut ædificare domos, plantare vineas & alia huiuſmodi) non tamen totum bonum ſibi connaturale, ita quòd in nullo deficiat: ſicut homo infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere, non tamen perfectè poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ.

Natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta.

I 3 Atque

Digitized by Google

52. *Explicatur aliquis locus D. Aug. ex Epiſt. 106.*

Atque hoc tantummodo voluit D. Auguſtinus Epiſt. 106. ubi ſic ait: *Aliquando* (Pelagius) *ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æquâ lance perpendit, ut* aliquantum etiam ad non peccandum valere *definiat: quod ſi ita eſt, nullus locus adiutorio gratiæ reſervatur; ſine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere.*

Ubi nota ly *Aliquantum*, quo volebat Pelagius ſignificare liberum arbitrium ſine gratia Dei valere ad implendam totam legem, ſive ad numquam peccandum, eſtò non ſine difficultate.

53. *Quid aliquando docuerit Pelagius,*

Colligo hunc ſenſum ex iis, quæ ibidem Auguſtinus ſubjungit: *Aliquando autem* quotidiano gratiæ Dei muniri nos *confitetur* auxilio, quamvis habeamus ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium *quod utique invalidum & infirmum debuit confiteri* &c. Et poſt pauca: *Videtur ergo auxilium gratiæ tamquam ex abundanti putare concedi, id eſt, ut etiamſi non concedatur, habeamus tamen ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium. Quod ne exiſtimemur de illo temerè ſuſpicari, & fortaſſe quis dicat ſic eum ſentire forte ac firmum ad non peccandum liberum arbitrium (quamvis ſine Dei gratia id efficere atque adimplere non poſſit) ſicut ſanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen nullo modo facere poſſunt, ſi deſit lucis auxilium: alio loco quid diceret, vel quid putaret oſtendit, ubi ait*: Ideo Dei gratiam hominibus dari, ut quod facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam: *ubique cùm dicit* faciliùs, *quid vult intelligi, niſi & gratia ſi deſit, poſſe per liberum arbitrium vel facilè, vel etiam difficilè* (omnia) *quæ divinitùs jubentur, impleri?*

54. *ſcilicet hominem abſque gratia Dei poſſe omnia mandata implere.*

Enimverò Pelagium locutum fuiſſe de adimpletione non unius tantùm præcepti, ſed totius legis Chriſtianæ, neminem poteſt latere, qui vel à limine ſalutaverit libros D. Auguſtini adversùs Pelagium. Solùm appono brevia verba ex eadem Epiſtola. *Caveant*, inquit, *iſti* (Pelagiani) *ne per ſapientiam verbi evacuent crucem Chriſti, & hoc ſit eis offendere in lapidem offenſionis. Natura enim humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuvante ſervaret. Cùm igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poteſt reparare, quam perdidit?*

S. Aug.

Ergo manifeſtiſſimè loquitur D. Auguſtinus in illa Epiſtola de hujuſmodi obſervatione præceptorum, per quam ſalus amiſſa poteſt reparari; & per conſequens per quam poteſt perveniri ad vitam æternam, ad quam obſervationem omnes Catholici admittunt neceſſariâ gratiam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

55. *Sola voluntas non ſufficit ad peccata præte-*

Nam licèt peccata præterita non expientur, nec futura vitentur, niſi voluntas adſit. *Tamen* (inquit S. Auguſtinus lib. de Nat. & grat. c. 18.) *ut fiat, voluntas ſola non ſufficit; ideo pro hac re nec ſuperflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid ſtultius, quàm orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* Et præſertim quod ſic in poteſtate habeas, ut nullo ulteriori adjumento indigeas?

Hinc & in Pſalmis (verba ſunt S. Auguſtini lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 6.) *cùm quidam dixiſſet Deo* Tu præcipiſti mandata tua cuſtodiri nimis: *continuò non de ſe præſumpſit, ſed optavit ut faceret.* Utinam, *inquit*, dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas, tunc non confundar, dum inſpicio in omnia mandata tua. *Quis autem optat quod in poteſtate ſic habet, ut ad faciendum* (id eſt ad inſpiciendum in omnia mandata divina) *nullo indigeat adiumento?*

S. Aug. Pſal.

56. De cætero (quidquid ſit de Pœnitentia naturali, id eſt, quæ ſolis viribus naturæ corruptæ elici poteſt) fateor cum Sancto & eximio Doctore Eccleſiæ D. Auguſtino Epiſt. 106. *Secundum gratiam & miſericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non ſecundùm merita* (condigna) *eorum, quandoquidem etiam ipſam Pœnitentiam* (fructuoſam) *donum Dei dixit Apoſtolus, ubi ait de quibuſdam* (2. ad Tim. 2. v. 25. & 26.) *Nequando Deus det illis Pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*

S. Aug.

2. Tim.

De hac Pœnitentia inſtituitur præſens Sectio, & quæritur qualis ſit. Pro reſponſione ſervient ſequentes Concluſiones.

CONCLUSIO II.

Contritio remiſſiva peccatorum eſt dolor animi ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito de cætero non peccandi. Sufficere poterit propoſitum virtuale.

57. *Probatur 1. pars Concl. ex Concilio Tridentino*

PRima pars eſt fidei, definita à Concilio Trident. ſeſſ. 14. c. 4. quod ſic incipit: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum* (loquitur de Sacramento Pœnitentiæ) *requiruntur.*

Contritio eſt deteſtatio formaliter, dolor autem tantum virtualiter.

De neceſſitate Contritionis agam Sectione quartâ: nunc quantùm ad ejus eſſentiam, dicitur I. *Animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo*; deteſtatio quidem formaliter, dolor autem

Digitized by Google

autem cauſaliter : quoniam ſecundùm Scotum, ut vidimus Sectione præcedenti, dolor ſive triſtitia eſt paſſio quædam conſequens ex deteſtatione ſeu diſplicentia, quæ eſt actus voluntatis.

58. In & quomodo diſtinguantur odium, dolor, & deteſtatio. Conc. Trident.

Nota quòd Concilium cap. 1. ejuſdem ſeſſ. vocat Pœnitentiam, deteſtationem cum peccati odio & pio animi dolore: *Fuit*, inquit, *Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent quovis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria ..... ut perverſitate abiectâ & emendatâ, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur.*

Ubi animi dolor exprimitur in obliquo, ſimiliter peccati odium, hoc tamquam cauſa aut quaſi cauſa deteſtationis, illud verò tanquam effectus aut quaſi effectus. Niſi quis malit dicere, odium, dolorem, & deteſtationem, Concilium pro eodem actu uſurpaſſe, diverſis nominibus eamdem rem exprimendo.

Hinc cap. 4. Contritionem, quam in principio deſcripſerat *dolorem & deteſtationem*, in progreſſu appellavit ſimpliciter *odium*, dicens: *Declarat igitur Sancta Synodus hanc Contritionem, non ſolùm ceſſationem à peccato, & vita nova propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere iuxta illud* (Ezech. 18. v. 31.) *Proiicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum.* [Ezech. 18.]

59. Pſal. 50. v. 6. Pſal. 6. v. 7. Pſ. 38. v. 15.

Rurſumque odio conjungens deteſtationem, continuò attexit: *Et certè qui illos Sanctorum clamores conſideraverit.* Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ *& alios huius generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteacta vita odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe.*

Et iterum deteſtationis ac doloris meminit can. 5. ſequentis tenoris: *Si quis dixerit eam Contritionem, qua paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem &c. anathema ſit.* Ac ſi diceret: Diſcuſſio, collectio & deteſtatio peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, cum propoſito melioris vitæ, eſt verus & utilis dolor.

60. Intentum Conc. fuit definire non ſufficere nudum propoſitum melioris vitæ.

Ut ut ſit de hac re, conſtat ſolum intentum Tridentini fuiſſe, definire contra hæreticos noſtri temporis, ad veram Pœnitentiam non ſufficere nudum propoſitum melioris vitæ, ſive ceſſationem à peccato, ut patet ex verbis Concilii jam allegatis. An autem præter deteſtationem peccatorum, neceſſarius foret dolor aliquis intellectivus, aut ſenſitivus (ſive eum dixeris actum, ſive paſſionem) exiſtimo planè Patres Concilii ad hoc non reflexiſſe.

Vega docet ſufficere deteſtationem abſque triſtitia.

Audiamus Vegam de Juſtific. lib. 13. c. 25. Si qui, inquit, ſunt qui nollent quidem patraſſe, quæ admiſerunt peccata, neque tamen dolent dolore ſenſitivo, aut etiam intellectivo de ipſis, ea deteſtatio peccatorum, abſque ulla triſtitia & dolore, ad juſtificationem ſufficeret, idque conſtanter Scotus, Almaynus & alii tradidère, & valde eſt hoc miſericordiæ divinæ conſentaneum. Nam & apud homines hoc nonnumquam ſatìs eſt ad redeundum in gratiam cum illis.

61. quia talis deteſtatio eſt vera reſipiſcentia à peccatis.

Nec verti in dubium poteſt, quin jam iſti peccatores reſipiſcant à ſuis peccatis, & verè eos illorum pœniteat. Et quatenus dolor ſeu triſtitia de peccatis propriè pro paſſionibus accipiuntur, quæ ſequuntur ex affectibus eorum, qui nullatenus vellent acquieviſſe peccatis, adhibere poſſumus fidem nonnullis peccatoribus, aſſerentibus ſe non poſſe dolere de peccatis ſuis. Poteſt enim hoc uſu-venire in dolore ſenſitivo, ex quo ſequuntur lacrymæ, propter duram complexionem, vel propter nimium alioquin dolorem intenſivum. Et non eſt mirandum, ſi alia magìs ſenſibilia majorem cauſent dolorem, & in plures nos reſolvant lacrymas. Et ſecundùm Doctorem Subtilem poſſibile etiam hoc eſt de dolore intellectivo, qui triſtitia eſt; quia neque neceſſariò ſequitur, ſecundùm ipſum, triſtitia ex fuga, odio, ſeu nolitione peccati, licèt ut plurimum conjuncta ipſi ſit. Unde eſt illud vulgatum Auguſtini lib. de Pœnit. *Sicut Pœnitentia comes eſt dolor, ita lacrymæ teſtes ſunt doloris.* [S. Aug.]

62. Debet admitti ad Pœnitentiā, qui dicit ſe nolle peccaſſe, & dicit ſe dolere, quòd non poſſit dolore.

Quòd ſi ut aſſolent aliqui peccatores dicere, de hoc doleant, quòd non dolent, tali dolore ſenſitivo vel intellectivo, modò ſimpliciter dicant ſe nolle peccaſſe, admitti debent ad Pœnitentiàm. Si tamen dicerent ſe non habere affectum, quo nolint conſenſiſſe peccatis, quæ admiſerunt, quia non poſſunt talem affectum habere, & eum affectum more communi dolorem vocent, communibus & protritis rationibus ex malis, quæ ſunt in peccatis, paulatim trahendi ſunt ut nolint ea admiſiſſe. Fieri quippe nequit, ut doleant, quòd non dolent de peccatis ſuis, ſi dolor accipiatur, ut plerumque fit, pro affectu quo quis vult non peccaſſe. Nam is affectus ſemper ſubeſt poteſtati ejus, qui verè vult eum habere. Quia verò magìs ille pendet ex Dei gratia & benignitate, quàm ex noſtra libertate, imprimis orandus eſt Deus, ut eum dignetur impartiri: *Quis enim* (ut veriſſimè dicit Bernardus de tripl. miſer.) *ſcindet duritiam iſtam, niſi qui in paſſione ſua petras excidit? Quis dabit cor pœnitens, niſi à quo eſt omne datum optimum?* Hucuſque Vega. [D. Bernardus.]

63. Quandoque ex charitate ſtatim

Et verò cùm pro ſe citet Doctorem Subtilem, libet ejus verba ſubſcribere. Igitur Scotus 4. dist. 4. dist. 14. q. 2. n. 17. in fine ſic inquit;

Ineſt deteſtatio peccati, & ſequitur maxima triſtitia; Scotus.

inquit: *Quandoque ex charitate ſive ex contemplatione Dei ſtatim ineſt quaſi quædam deteſtatio peccati, & ſequitur triſtitia maxima, nullo adhuc poſito actu juſtitiæ reſpectu illius triſtitiæ: quandoque autem primò ineſt actus juſtitiæ* (vindicativæ) *& intenſus in ſe: & tamen cauſa proxima, ſcilicet intellectus in conſiderando, & voluntas in deteſtando, non efficaciter moventur ex illo imperio juſtitiæ, fortè quia carent habitibus, qui eſſent principia perfectionis in actibus ſuis.*

quandoque non ſequitur triſtitia in voluntate,

Proſequitur n. 18. *Et licèt iſta moveantur quandoque* (ſcilicet intellectus in conſiderando, & voluntas in deteſtando) *non tamen ſequitur triſtitia: quod, etſi poſſet eſſe propter multas cauſas, propter hoc eſt quandoque, quia ſicut intellectus conformatur parti ſenſitivæ in nobis; ita & appetitus intellectivus appetitui ſenſitivo quantùm ad faciliter condelectari & triſtari. Cujus ergo appetitus ſenſitivus non eſt natus triſtari vel dolere, ejus voluntas non faciliter triſtatur.*

eò quòd appetitus ſenſitivus non eſt natus triſtari.

64. Aliquis poteſt habere maximum actum vindicandi peccatum cum nullo vel modico effectu triſtitiæ.

Ex quo infert Doctor: *Quòd aliquis habet maximum actum Pœnitentiæ primo modo* (id eſt, maximum actum vindicandi peccatum à ſe commiſſum) *& tamen nullum effectum* (triſtitiæ) *vel modicum; & aliqui ſine omni actu Pœnitentiæ primo modo, habent maximum effectum ejuſdem rationis cum illo, qui natus eſt eſſe effectus Pœnitentiæ. Et quòd ille effectus ſit major vel minor, benè eſt aliqua excellentia in ordine ad deletionem peccati. Sed ſimpliciter major eſt excellentia actûs ad actum, ad quos actus ſequitur hinc indè triſtitia, quia plus delet meritoriè peccatum actus cauſativus triſtitiæ, quàm ipſa triſtitia.*

Plus delet peccatum actus cauſativus triſtitiæ, quàm ipſa triſtitia.

Ergo ſecundùm Scotum deteſtatio peccati, utpote cauſativa triſtitiæ, meritoriè poteſt delere peccatum, eſtò per accidens nulla triſtitia vel modica ſequatur. Neque enim veriſimile eſt Deum, qui eſt Pater miſericordiarum, & qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magìs convertatur & vivat, requiſiviſſe ad converſionem & vitam, id, quod non eſt in libera poteſtate peccatoris, veluti hic dolor ſeu triſtitia conſequens actum deteſtationis.

65. Probatur neceſſitas deteſtationis ex ratione naturali.

Cæterùm ipſam deteſtationem eſſe neceſſariam, ratio naturalis haud obſcurè dictat, quando nemo induit novum hominem, & mutat ſtatum ſuum, niſi exuat veterem per diſplicentiam aliquam, & niſi aliquo modo prior ſtatus ipſi diſpliceat, aliàs enim nulla ſubeſt cauſa mutandi; imò vix poſſibile eſt mutare: nam natura & noſtra, & noſtrorum affectuum eſt, ut tamdiu nobis hæreant, quæ ſemel placuerunt, quamdiu nullo ab eis odio vel diſplicentiâ dimovemur; & ſi quæ ſemel approbaverimus, ea tamdiu cenſemur probare, & firma ac rata eſſe velle, quamdiu non ea meliùs cogitantes reprobamus aut retractamus. Ita Vega ſuprà c. 17.

Quod non ſic intelligas velim, quaſi homo neceſſariò actualiter ſemper ſibi complaceat in peccatis præteritis; ſic enim continuò actualiter peccaret, quamdiu non elicit actum deteſtationis ſeu Pœnitentiæ, quod conſtat eſſe falſum; ſed quòd occurrente tentatione & occaſione moraliter nequeat reſiſtere, adeò ut quaſi neceſſitetur ad iterum peccandum, ſi antea illud peccatum nullo modo ipſi diſplicuerit.

Siquidem teſte D. Auguſtino Enar. in Epiſt. ad Galat. *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm hoc operemur neceſſe eſt; ut v. g. occurrit forma ſpecioſæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis: ſed ſi plus delectat pulchritudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam, quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus, & ſecundùm hanc operamur.* 66.

Quod amplius nos delectat, ſecundùm hoc operemur. S. Aug.

Putas autem quòd hominem peccatorem plus delectabit pulchritudo caſtitatis, ſi nullo modo diſpliceat fornicatio præterita? Non dubium quin ampliùs delectabit fornicatio, propter corruptionem & pravitatem naturæ corruptæ, quæ ſemper magìs inclinatur in malum, quàm in bonum, ipſius Dei teſtimonio Gen. 8. v. 21. *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.*

Nec obſtat, quòd Metanœa græcè, latinè Pœnitentia, ſignificet mentis mutationem teſte Tertulliano lib. 2. in Mar. c. 24. in fine ubi ait: *In græco ſono Pœnitentiæ nomen non ex delicti confeſſione, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt*; non obſtat, inquam, nam, præterquam quòd idem Auctor de carne Chriſti c. 8. dicat: *Omnis Pœnitentia confeſſio eſt delicti*, nequit reverà eſſe mutatio mentis integra & perfecta, ubi non ea diſplicent, quæ priùs placuerunt. Numquid mens furis perfectè mutatur, dum proponit ampliùs non furari, ſi adhuc gaudeat ſe aliena rapuiſſe? 67.

Objectio. Tertullian. Solvitur. Tertullian.

Non ſatìs eſt, inquit Vega ſuprà, ad veram mutationem priorum affectuum, longè alios in futurum habere. Nam vera mutatio tranſitus eſt (ſicut Philoſophi dicunt) ab uno in alterum contrarium. Nulla verò contrarietas eſt inter complacentiam anteacti alicujus peccati, & propoſitum non illud committendi in futurum. Nam contraria ſibi invicem repugnant, & ſe mutuo expellunt. Hæc autem paſſim ſtant ſimul.

Non ſufficit ad mutationem priorum affectuum, alios in futurum habere. Vega.

Confirmatur ex humanis: ut enim quis reconcilietur inimico, haud ſatìs eſt, quòd dicat ſe ampliùs non illaturum injuriam, ſed oportet, quòd oſtendat diſplicentiam injuriæ illatæ, & pro ea ſatisfaciat. Quâ igitur fronte, inquit Vega ſuprà, Dei gratiam quis ambiat, quo pudore in illius gratiam reverti poſtulet, ſi non ante omnia acerbum & amarum ei ſit ipſum reliquiſſe, in ipſum peccaſſe, ipſique perfidum & ingratum extitiſſe? 68.

Ut quis reconcilietur inimico, non ſufficit, quòd dicat ſe ampliùs non illaturum injuriam. Vega.

Eamdem veritatem probat ibidem Vega multis teſtimoniis Scripturæ, ſed illa tamquam omnino obvia & omnibus manifeſta lubens prætereo; ſufficiant, quæ ſuprà à Tridentino aſſignantur.

Quæris

Digitized by Google

69. Quæris teſtimonia Doctorum Eccleſiæ? Lege prædictum Auctorem, & dicet tibi: Cyprianus lapſos quoſdam, qui fidem redintegratam & reverſionem ad Deum, ſatis ſibi eſſe ad indulgentiam credebant, hunc in modum alloquitur: *Agite Pœnitentiam plenam dolentis ac lamentantis animi, probate mœſtitiam; neque vos quorumdam moveat aut error improvidus aut ſtupor vanus, qui cùm remeantur in tam grandi crimine, percuſſi ſunt animi cæcitate, ut neque intelligant delicta, neque plangant.* Hæc Cyprianus Serm. 5. de Lapſis.

[…]batur veritas […]imonio Cypriani.

Non commemoro Ambroſios, Auguſtinos, Hieronymos, Gregorios, Anſelmos, Bernardos, quoniam omnes in hoc unum conſpirant, non ſufficere peccatori continentiam à peccatis, niſi etiam adſit Pœnitentia; non ſufficere mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi & de his, quæ facta ſunt, ſatisfaciant Domino per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleëmoſynis.

[…]liorum […] Eccle[…]

70. Atque hæc ſatis de prima parte Concluſionis, quæ ab omnibus Catholicis admittitur, fruſtra reclamantibus hæreticis, & dicentibus: *Optima Pœnitentia nova vita*; nam hoc proverbium non negat ad Pœnitentiam requiſitam eſſe deteſtationem malè anteactæ vitæ; ſed declarat tum demùm eſſe veram deteſtationem & Pœnitentiam, quâ de perperàm priùs factis dolemus, cùm eouſque pertingit, ut nova ſit deinceps vita, neque illis ſordidemur vitiis, quibus nos obnoxios fuiſſe mœremus; juxta illud D. Gregorii 3. part. Paſt. cap. 31. *Quiſquis peccata plangit, neque tamen deſerit, cor quidem conterit, ſed humiliare contemnit. Qui verò peccata iam deſerit, neque tamen plangit, iam quidem humiliat, ſed tamen corde conterere recuſat.* Jam autem dictum eſt per Pſalmiſtam Pſalm. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

[…]plicatur […]e dictum: […]tima Pœni[…]tia nova […]a.

Gregor.

[…]m. 50.

71. Et ſanè quamdiu animus per diſplicentiam non divellitur à priori mala vita, ſed ei adhæret per complacentiam, nondum ex toto nova vita eſt, quamvìs alia ſint jam opera & ſtudia; ſed partim nova erit, partim vetus. *Nunc ergò dicit Dominus, Convertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Joël. 2. v. 12.

[…]amdiu […]n diſpli[…] prior[…]la vita, […]n eſt ex […]o nova […]a.

Unde eleganter Gregorius ſuprà: *Admonendi ſunt, qui admiſſa déſerunt, neque tamen plangunt, ne iam relaxatas æſtiment culpas, quas etſi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim ſcriptor ſi à ſcriptione ceſſaverit, quia alia non addidit, etiam illa, quæ ſcripſerat, delevit: & ſimili modo nec qui contumelias irrogat, ſi ſolummodo tacuerit, ſatisfecit, cùm profectò neceſſe ſit, ut verba præmiſſæ ſuperbiæ, verbis ſubiunctæ humilitatis impugnet: nec debitor abſolutus eſt, quia alia non multiplicat, niſi & illa, quæ ligaverat, ſolvat. Ita & cùm Deo delinquimus; nequaquam ſatisfacimus, ſi ab iniquitate ceſſamus, niſi voluntates quoque, quas diléximus, è contrario appoſitis lamentis inſequamur.*

Gregor.

Et conſimiliter, neutiquam ſatisfacimus, ſi voluntates, quas diléximus, appoſitis lamentis inſequamur, niſi ab iniquitate ceſſemus per propoſitum emendationis, quod etiam hæretici admittunt neceſſarium. *Admonendi ſunt*, inquit Gregorius ſuprà, *qui admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt, ut conſiderare ſollicitè ſciant, quia flendo inaniter mundant, qui vivendo ſe nequiter inquinant; cùm idcircò ſe lacrymis lavent, ut mundi ad ſordes redeant.* 72.

Non ſufficit plangere peccata præterita, ſed inſuper requiritur propoſitum emendationis. *S. Gregor.*

An autem ſufficiat propoſitum virtuale incluſum in ipſa deteſtatione, an autem requiratur formale, diſtinctum ab actu deteſtationis, diſputant Doctores Catholici. Sententia affirmans neceſſitatem propoſiti formalis, fundatur Primò in Scriptura Sacra Apocal. 2. v. 5. *Age Pœnitentiam, & prima operà fac.* Ezech. 18. v. 31. *Proiicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum.* Ubi pari paſſu requiritur deteſtatio & propoſitum; ſed requiritur formalis deteſtatio: ergo etiam formale propoſitum.

An requiritur propoſitum formale?

Sententia affirmans fundatur 1. in Scripturâ Apoc. 2. & Ezech. 18.

Secundum fundamentum ſumitur ex Concilio Tridentino in principio Concluſionis citato, & aliis locis, puta ſeſſ. 6. cap. 6. ibi: *Ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam Pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* 73.

Secundum fundamentum ſumitur ex Conc. Trid.

Et cap. 14. ibi: *Unde docendum eſt Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali; eaq; contineri non modò ceſſationem à peccatis & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum* &c. In quibus locis eodem modo loquitur Concilium de peccati deteſtatione, & propoſito emendationis.

Conſonat Concilium Florentinum in Decreto Eugenii 4. *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus Pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur; quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.*

& Florent.

Citantur etiam pro hac ſententia multi Patres, & antiqui ferè omnes Scholaſtici, ut videre eſt apud Suarium diſput. 4. ſect. 3. nu. 1. & 2. Scotus 4. diſtinct. 17. qu. unicâ nu. 22. ſic ait; *Continet etiam* (loquitur de præcepto Confeſſionis) *qualiter* (debeat confiteri) 74.

Tertium fundamentum eſt auctoritas SS. PP & antiquorū Scholaſticorum, *Suarez*, *Scotus*,

Digitized by Google

fiteri) *quia cum diſplicentia peccati commiſſi, & cum propoſito abſtinendi à peccato.* Item 4. diſtinct. 14. qu. 4. num. 9. *Concedo ergo quòd ante perceptionem dignam Pœnitentiæ, oportet ſuſcitari, vel ſimpliciter, & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, ſed gratia, quæ infuit, augetur; vel ſuſcitari ſecundùm quid, ſcilicet ut habeat aliqualem diſplicentiam de peccatis & propoſitum cavendi de cætero* &c.

Adde quod habet 4. diſtinct. 15. qu. 1. nu. 14. *Vel ſi omnino nullam Pœnitentiam velit recipere à Sacerdote impoſitam, dicit tamen ſe habere diſplicentiam de peccato commiſſo, & firmum propoſitum non recidivandi, abſolvendus eſt.* Vides quomodo ubique Doctor diſtinguat expreſsè inter dolorem, & propoſitum non peccandi? Quocirca Hiquæus 4. diſtinct. 17. qu. unicâ in ſuo Comment. nu. 67. tenet hanc opinionem, tamquam magìs conformem, ut ait, veritati, & ſimpliciter juxta mentem Scoti.

Hiquæus.

75. *Quartum fundamentum deſumptum ex ratione.*

Sanè veritas hujus rei, tamquam ejus, quæ dependet ex ordinatione & voluntate divina, præcipuè debet nobis conſtare ex divina revelatione, quæ auctoritate proponitur. Poſſumus tamen, inquit Suarius ſuprà nu. 1. rationem & congruentiam hujus ordinationis adferre; ſcilicet, quia diſpoſitio ad gratiam debet eſſe per converſionem perfectam voluntatis: non convertitur autem perfectè per ſolum receſſum à malo, quod facit per deteſtationem, niſi etiam convertatur ad bonum, quod facit per propoſitum; quia cùm illi ſint tamquam duo termini à quo, & ad quem, non minùs requiritur ad perfectam converſionem, formalis acceſſus ad bonum per propoſitum, quàm receſſus à malo per deteſtationem. Unde Auguſtinus de vera & falſa Pœnitentia cap. 17. *Convertitur, qui iam totus & omnino vertitur.*

Suarez.

Auctor de vera & falſa Pænit.

Et confirmatur; nam quod Deus maximè intendit in juſtificatione peccatoris, eſt rectitudo vitæ futuræ: ergo non minùs poſtulavit formale propoſitum illius, quàm deteſtationem vitæ præteritæ. Hæc ille.

Interim n. 2. fatetur multos & graves Doctores adhærere contrariæ ſententiæ (quæ eſt noſtra Concluſio) dicentes, ſufficere ad Contritionem virtuale propoſitum, quod in efficaci & perfecta deteſtatione includi putant. Ex omnibus unum produco, qui interfuit Concilio Trid. ſcilicet Andream Vegam Ordinis Seraphici Theologum profundiſſimum; hic lib. 13. de Juſtific. cap. 21. brevibus & claris verbis ſic explicat hanc ſententiam, & noſtram Concluſionem.

Interim multi & graves DD. adhærent contrariæ ſententiæ.

76. *Perfecta Pœnitentia ſemper con-*

Primò quidem illud non inviti fatemur perfectam Pœnitentiam de admiſſis peccatis, ſemper conjunctum habere actu vel virtute propoſitum mutandi vitam. Stare non poteſt, ut alicui diſpliceant præterita delicta, quia offenſæ ſunt Dei, ſi propoſitum ſit offendendi Deum graviter, aut continuandi offenſam aliquam ipſius lethalem. Ut nullus perfectè reſipiſcit ab erratis præteritis, aut vult mutare vitam priorem, quin habeat aliquam illius diſplicentiam: ita nemo perfectam habet prioris vitæ diſplicentiam, quin eam actu vel virtute mutare intendat. Mutuò ſe actu vel virtute comitantur hi affectus. Et qui ſic affectus eſt, ut verè doleat de patratis offenſis, numquam, eo perſeverante dolore, novas admittet; immo eas pro viribus evitabit, & declinare aſſeret ſe cupere, ſi de ea re interrogetur. Quod ſatis eſt, ut dicatur habere propoſitum virtuale emendandi vitam. Et qui verè in futurum eas cavere proponit, numquam, eo ſtante propoſito, in præteritis ſibi acquieſcet aut complacebit, ſed potiùs, ſi quis eum percunctetur, dolere ſe dicet de illis admiſſis.

junctum habet actu vel virtute propoſitum mutandi vitam.

Quis habet propoſitum virtuale emendandi vitam?

Et quoniam vix aliquis communiter à peccatis verè reſipiſcit, niſi & deteſtetur illa, & ea proponat impoſterùm vitare, admonendi eſſent omnes peccatores cùm excitantur ad Pœnitentiam, ut non ſolùm priora peccata deteſtentur, & ab eorum & quorumvis aliorum continuatione, & repetitione ſe contineant, ſed & omnia proponant deinceps pro ſua virili cavere. Hucuſque Vega.

Admonendi ſunt Pœnitentes de propoſito emendationis.

77. *Poſſunt dolere ſine actuali deteſtatio præteritæ vitæ, & propoſito novæ vitæ.*

Et poſt pauca addit: Cum his tamen omnibus ſtat, ſeparari poſſe ab invicem hos affectus. Et ſtare poteſt deteſtatio præteritæ vitæ ſine propoſito novam aliam inchoandi, & propoſitum novæ vitæ ſine deteſtatione prioris. Unde & Patres tamquam duo diſtincta poſuere ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem. Et experientiâ conſtat, nos ſic aliquando meminiſſe præteritorum, ut nihil prorſus de futuris cogitemus: & contrà, ſic futura proſpicere, ut præteritorum nulla mentem ſubeat recordatio. Et hoc ipſum in affectu multò magìs poteſt contingere. Et ſive contingat, ſive non, de hoc uno modo diſputamus, an deteſtatio admiſſorum delictorum ſufficere poſſit ad veniam, ſine propoſito formali numquam ampliùs peccandi, ſicut ex conſenſu omnium Catholicorum in proximo capitulo oſtendimus non ſufficere hoc propoſitum ſine deteſtatione præteritorum.

78. *Ad ſolam peccati admiſſi compunctionem aliquando juſtificantur peccatores. Vega.*

Et quidem (proſequitur idem Auctor) quamquam commemoratam viam ut communem, ita etiam tutiſſimam, & populis ſemper inculcandam, arbitror: tamen dum altiùs mecum reputo divitias divinæ in nos miſericordiæ, dubitare non poſſum, quin etiam aliquan-

Digitized by Google

aliquando ad ſolam peccati admiſſi compunctionem juſtificentur peccatores. Hæc ille.

atur plo dis- eg. 12. Probat autem hanc piam opinionem exemplo Davidis, qui mox juſtificatus eſt, ut ex corde dixit 2. Reg. c. 12. v. 13. *Peccavi Domino.* Statim enim audivit : *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Ubi nulla fit mentio propoſiti emendationis. Et alia plura exempla ſimilia reperies in Scriptura ſacra, quæ ibidem adducit Vega in confirmationem ſuæ & noſtræ opinionis.

ptura memi- topoſiti lis quos juſtifi- s per nitentia. Quòd ſi numquam, inquit ille, Deus ad quantamcumque compunctionem peccatoris peccata dimittit, niſi actu adſit propoſitum impoſterùm cavendi peccata, meminiſſet Scriptura & hujus quoque propoſiti in illis, quos dicit per ſuam Pœnitentiam juſtificatos. Cur enim potiùs deteſtationis, quàm propoſiti ceſſandi à peccatis recordata eſſet, ſi utrumque ex æquo requiritur, & neutrum ſine altero ſufficit? Ita interrogat Vega.

79. Scriptura numquam illi novæ tæ adſcribit remiſſionem peccatorum, uti ſoli dolori. Similiter SS. Patres, Aug. Ambr. & alii.

Et quamquam aliquibus locis, ut vidimus in prima parte Concluſionis, meminerit novæ vitæ, numquam tamen illi ſoli adſcribit remiſſionem peccatorum, utì bene dolori ſeu deteſtationi.

Similiter & SS. Patres; eſtò aliquando recordentur propoſiti emendationis, ſæpè tamen ſoli deteſtationi tribuunt juſtificationem, numquam ſoli propoſito. Sanctus Auguſtinus Serm. 7. de temp. ſic inquit : *Quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente, iam tunc bene ingemiſcis ad Deum, & dicis : Tibi ſoli peccavi.*

Et Divus Ambroſius in cap. 23. Lucæ ait: *Flevit amariſſimè Petrus, ut lacrymis ſuum poſſet lavare delictum. Et tu ſi veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam, eodem momento eodem tempore reſpicit te Chriſtus.*

80. Apud homines aliquando ſola diſplicentia impetrat veniam.

Herculè apud homines humanos & benignos ſola fervens diſplicentia, ſeu vehemens patratæ offenſæ pœnitudo, nonnumquam impetrat illius veniam. Quomodo igitur non multò magìs ſimilis admiſſi delicti Pœnitentia apud Deum ſufficiat, qui ſuprà quàm dici poteſt, propenſus eſt ad miſericordiam?

Ezech. 18. Hinc poſtquam Deus Ezech. 18. v. 21. dixiſſet : *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam; vitâ vivet & non morietur* : ne quiſpiam putaret ipſum tam rigidum eſſe exactorem, ut nolit dimittere peccatum, niſi adſit formale propoſitum cuſtodiendi mandata, & ſatisfaciendi, v. 30. ſubjecit : *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.*

Ideo autem adjecta ſunt priori loco illa verba : *Et cuſtodierit omnia præcepta mea* &c. ut intelligas præter Pœnitentiam de admiſſis, id eſt, compunctionem, averſionem, diſplicentiam, odium, deteſtationem, abominationem, & retractationem vitæ prioris (his enim nominibus & ſimilibus partim à Scriptura, partim ab antiquis & ſcholaſticis Doctoribus vocatur Pœnitentia) neceſſarium eſſe non adjicere nova alia peccata, ſive cuſtodire omnia præcepta Dei; neceſſarium, inquam, ad vitam æternam conſequendam, de qua ibi loquitur Scriptura. 81.

Præter Pœnitentiam de admiſſis peccatis requiritur obſervatio mandatorum ad conſequendam vitam æternam.

Nam ſi peccator, vel tempore, quo agit Pœnitentiam à prioribus peccatis, vel poſtea prætergreſſus fuerit mandata, nequaquam vitâ æternâ vivet, ſed morte ſempiternâ morietur, juxta illud Chriſti apud Matthæum 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19.

Nos verò contendimus, ita poſſe nonnumquam ſufficere ad primam gratiam, ſive ad remiſſionem peccatorum, dolorem de peccatis, ſine propoſito formali vitandi impoſterùm peccata, ut tamen talem & tantum eum dolorem debere eſſe dicamus, ut virtualiter ſit tale propoſitum. Quod quidem tunc dumtaxat continget, quando cum eo non ſtabit complacentia in aliquod peccatum futurum, ſed adeò prorſus affectum noſtrum à peccatis averterit, ut ſi vel meminerimus, vel rogati fuerimus de hoc, omnino diceremus, nos cupere omnia peccata lethalia ſolicitè in futurum vitare.

Certè nemo dubitat, Pœnitentiam poſſe remittere peccata præſentia, quamvìs alia ſint ſubſecutura; immo tametſi moraliter quis eſſet certus de peccatis futuris, dummodo quantùm in ſe eſt cum divina gratia velit ea fugere. 82.

Pœnitentia poteſt remittere peccata præſentia, eſtò moraliter certò alia ſint ſubſecutura.

Quando ergo SS. Patres ſæpiùs hominibus inculcant non eſſe utilem Pœnitentiam, quæ ſubſequentibus peccatis maculatur, intelligendi omnino ſunt de utilitate ad fructum vitæ æternæ cum effectu conſequendum; aut certè peccata ſubſequentia frequenter ſignum eſſe, Pœnitentiam præcedentem non fuiſſe talem ac tantam, ut contineret virtualiter propoſitum vitandi impoſterùm peccata, adeòque fuiſſe inſufficientem ad remiſſionem peccatorum.

Igitur Scripturam Sacram, Sanctos Patres, Concilia Oecumenica, ac denique Doctorem Subtilem commodè intelligimus de his, quæ communiter accidunt vero pœnitenti, & de quibus peccator admonendus eſt; aut certè de propoſito virtuali.

Explicantur Script. SS. PP. Conc. & Doct. Subt.

Sed contrà, inquit Hiquæus ſuprà n. 68. hæc diſtinctio (propoſiti formalis & virtualis) ignota fuit Antiquis in hac materia, & inferret doctrinæ Conciliorum & Patrum ſuperfluita- 83.

Objectio. Hiquæus.

 tem

Digitized by Google

tem & nugationem, & certè in Tridentino non habet locum; quia propoſitum virtuale nihil aliud eſt, quàm odium ipſum & deteſtatio peccati, ſeu Contritio formalis & perfecta, ſed præter odium & deteſtationem peccati, exigit Concilium & Patres propoſitum, tamquam quid omnino diverſum, ut patet ex particulis reſtrictivis & adverſativis, habentibus ſecum notam adverſæ ſententiæ & non comprehenſæ, vel certè copulativis & cumulativis ejus, quod ex integro requiritur: ergo non intelligunt propoſitum virtuale, ſed formale. Hæc ille.

84. **Reſponſio.**

Hæc diſtinctio colligitur ex Trident.

Reſpondeo, hanc diſtinctionem (eſtò termini ignoti fuerint Antiquis) nullam inferre doctrinæ Conciliorum & Patrum ſuperfluitatem aut nugationem, & omni modo locum habere in Tridentino; imò ex ipſo Tridentino rem diſtinctionis colligo; nam ſeſſ. 14 c. 4. ait: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur... ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ; declarat* (Sancta Synodus) *non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.*

Quid Concil. intelligat per excluſionem voluntatis peccandi.

En quod in deſcriptione Contritionis in genere, vocaverat *propoſitum non peccandi de cætero*, hìc appellat *excluſionem voluntatis peccandi*; id eſt, carentiam voluntatis cujuſcumque, tam actualis, quàm habitualis, peccandi; quis autem dixerit illum hominem habere voluntatem aliquam peccandi, qui ita deteſtatur peccatum, ut ſi interrogaretur an vellet rurſum peccare, prorſus diceret ſe malle millies mori, quàm Deum mortaliter offendere?

85. **Enumerantur à Conc. Trid. plures actus præparatorii ad juſtificationem,**

Præterea idem Concilium ſeſſ. 6. c. 6. agens de modo præparationis, ſive diſpoſitione adulti ad juſtificationem, enumerat tamquam actus diſtinctos Fidem, Spem, Dilectionem, Pœnitentiam, Propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, inchoandi novam vitam & ſervandi divina mandata, dicens: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt; atque illud inprimis à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à Divinæ iuſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; illumq; tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Quin & iſtum modum præparationis probat ibidem ex diverſis Scripturæ locis, ut videre eſt in textu.

Num ideo credam nullum impium juſtificari à Deo, qui non priùs habuerit omnes illos actus diſtinctos & formales? Numquid juſtificari poteſt, qui invincibiliter ignorat neceſſitatem Baptiſmi, immo ipſum Baptiſmum? Quomodo autem poteſt habere explicitum & formale propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, qui illum ignorat? 86.

qui tamen non omnes debent eſſe diſtincti & formales

Omnes ergo fateri debemus, non ſemper ad juſtificationē impii requiri omnes illos actus, ſuprà à Concilio enumeratos, formaliter & expreſsè, ſed ſufficere ſi aliqui adſint tantùm virtualiter & eminenter in alio. Sed numquid hoc dicendo, infertur doctrinæ illius Concilii ſuperfluitas & nugatio? Non puto. Nam Concilium enumeravit omnes illos actus, qui ordinariè ſolent intervenire in juſtificatione impii, & quæ abſque ullo dubio ad illam ſufficiunt.

Ergo conſimiliter per diſtinctionem propoſiti formalis & virtualis in præſenti caſu nulla infertur doctrinæ Conciliorum ac Patrum ſuperfluitas aut nugatio; expreſſerunt enim Concilia & Patres deteſtationem & propoſitum tamquam actus formaliter diſtinctos, quoniam communiter duplex iſte actus intervenit; &, ſicut dictum eſt, peccatores admonendi ſunt, de duplici actu eliciendo, quamvis hìc & nunc ſolus actus deteſtationis poſſit ſufficere, quando ſcilicet talis ac tantus eſt, ut propoſitum emendationis virtualiter contineat. 87.

Per diſtinctionem propoſiti formalis & virtualis nulla infertur doctrinæ Concil. ac PP. ſuperfluitas aut nugatio.

Quare Concil. deteſtationi adjungat propoſitum emendationis.

Verbo ut abſolvam, ideo Concilium Tridentinum deteſtationi conjungit propoſitum emendationis, ut ſignificet, non ſufficere quamcumque ſimplicem diſplicentiam peccatorum, ſed neceſſariam eſſe deteſtationem efficacem, id eſt, talem ac tantam, ex qua illico voluntas proſiliret in affectum impoſterùm non peccandi, ſi peccata futura occurrerent, & tempus congruum non deeſſet.

Unde eodem capite 4. ſeſſ. 14. non ſolùm propoſitum emendationis requirit, ſed etiam propoſitum Confeſſionis & ſatisfactionis, imò etiam actum ſpei, dicens: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius: & in homine poſt baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Et tamen liquidò conſtat actum charitatis ſufficere, & communiſſima ſententia eſt, quidquid Hiquæus in contrarium reclamet, non requiri votum explicitum Confeſſionis, ut latè contra prædictum Auctorem probavi diſput. 2. ſect. 3. concluſ. 3. 88.

Requirit etiam propoſitum Confeſſionis, & ſatisfactionis, immo etiam actum ſpei;

& tamen ſufficit actus charitatis, nec requiritur votum explicitum Confeſſionis Hiquæo.

Neque idcirco verſamur in falſa imaginatione,

natione, ut vult Hiquæus ſuprà, quaſi Pœnitentia nobis obdormientibus contingat, & tantùm ex cogitatione præteriti, non recordando de vita futura; ſed dicimus, hominem non ſemper ad omnia ſimul poſſe attendere, adeòque contingere ſubinde, ut adeò ſit occupatus circa peccata præterita & eorum deteſtationem, ut explicitè nihil cogitet de futuris.

89. ...teſt contingere ut ...s ſubitâ ...rte præ...tus, de ...tris peccatis non ...gitet, ſed ...tùm de ...teritis.

Poſſet contingere (inquit Vega ſuprà) ſubitâ ſic morte aliquos peccatores præveniri, ut meminiſſe quidem poſſint peccatorum, quæ admiſerunt, & de eis dolentes & clamantes, *Domine miſerere*, moriantur, antequam quidquam de futuris cogitare, vel ſtatuere potuerint. Numquid igitur & hi veniâ carebunt? Quid rigidius? quid durius? quid inclementius dici poteſt? Equidem Deus omnes confugientes ad ſe obviis manibus excipit, neminem, facientem quod in ſe eſt, deſpicit, ſub ipſo mortis articulo cunctis ad ſe converſis veniam impartitur. Neque de latrone illo felici, qui apud Chriſtum in cruce pendentem, ſub ipſa morte veniam invenit, alia in Euangeliſtis legimus, quàm quæ illum teſtentur, & priorem ſuam vitam averſatum, & ad Chriſtum humiliter recurriſſe, & ipſius miſericordiam oraſſe.

Nonne etiam ad abſolutionem ſacramentalem ſatìs ſunt quandoque ſigna certa doloris de peccatis? Abſolvi profectò poſſunt & debent peccatores, qui articulo mortis præventi confiteri nequeunt ſua peccata, ſi explicuerint ſaltem in ſpecie aliquod peccatum, & ſignis exterioribus dolorem ſuum interiorem indicent, etiamſi nullo ſigno declarent quid in futurum proponant. Neque differenda eſt aliquo modo pro hoc abſolutio. Hucuſque Vega.

90. ...ed hunc ...ſum videtur negare ...iquæus.

Sed hunc eventum videtur negare Hiquæus: quia, inquit, eadem fides, quæ docet de præterito dolendum, id docet quatenus etiam pro ſemper doceat vitandum peccatum: ergo nequit ineſſe ignorantia illa vitæ futuræ; immo quod ampliùs eſt, non cenſetur aliud argumentum veri doloris, niſi propoſitum emendationis. Deinde fides in homine Chriſtiano & inſtructo, quæ docet de peccato dolendum, docet eſſe confitendum, ſi nondum eſt confeſſum. Nec video quomodo deteſtatio ſtatûs peccati, in quo primùm ſe apprehendit peccator illuminatus fide (ut docet Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6) præſcindere poſſit à cognitione & voluntate fugiendi impoſterùm peccati.

Hæc ergo diſtinctio propoſiti (formalis & virtualis) inventa eſt ad ſimilitudinem ejus, quâ Contritio in formalem & virtualem diſtinguitur; ſed diverſa eſt ratio: quia amor Dei contingere poteſt ſine memoria peccati, non ita tamen Contritio ſine propoſito emendæ; quia non videtur admitti caſus oblivionis propoſiti faciendi. Hactenus ille; falsò an verè, conſcientia uniuſcujuſque aperiet.

Quantùm ad me attinet, experientiâ didici poſſe contingere Contritionem ſive deteſtationem peccatorum ſine formali propoſito, non defectu fidei, quaſi-verò illa non doceret pro ſemper vitandum peccatum, ſed defectu attentionis, qui oritur ex imbecillitate intellectûs, qui ita poteſt occupari in proponendo peccatum præteritum, ut de futuro nulla ſit cognitio. In tali ergo caſu neſcio quare homo non juſtificaretur per ſolam deteſtationem peccati præteriti, dummodo ſit efficax, id eſt, talis & tanta, ut ſi occurreret memoria peccati futuri, illico voluntas formaliter proponeret illud vitare. 91. Experientia docet poſſe contingere deteſtationem peccati ſine formali propoſito defectu attentionis.

Nec ab hac doctrina diſſentit Hiquæus, dicens ſuprà n. 69. Si daretur autem caſus (ſcilicet oblivionis propoſiti faciendi) non eſſet negandum ſimpliciter hominem juſtificari, & interpretanda eſſent loca propoſita (ſcilicet ex Tridentino & SS. Patribus, in quibus videtur requiri formale propoſitum) de curſu ordinario. Hiquæus.

Alium caſum excipit Suarez ſuprà n. 4. ibi: Deinde obſervo hoc videri intelligendum regulariter, quando reliquum eſt aliquod tempus præſentis vitæ: nam ſi homo in ipſo mortis articulo pœnitentiam agat, non eſt quòd de propoſito vitæ futuræ ſolicitus ſit: nec enim obligandus eſt ad habendum illud propoſitum ſub conditione: Si vixero; tum quia hi actus conditionales circa futura per ſe & abſolutè loquendo non ſunt neceſſarii ad ſalutem; tum etiam quia fieri poteſt, ut vita futura jam ſit moraliter deſperata; & ideo nulla ratio poſtulat, ut talis actus ſit tunc ſimpliciter neceſſarius. 92. Sententia Suarii in articulo mortis non eſſe neceſſarium propoſitum vitæ futuræ,

Et hoc etiam confirmat uſus: nam ſi hominem damnatum ad mortem exhortemur ad pœnitentiam, non multùm curamus de futuris actibus in præſenti vita, ſed de dolore præteritorum; quia, licèt aliquantulum vitæ ſuperſit, moraliter tamen quaſi nihil reputatur: nam quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, & perſeverando eo tempore in dolore & deteſtatione præteritæ vitæ, ſatìs proponitur obſervantia mandatorum pro eo brevi tempore. Hucuſque Suarez. quæ confirmatur ex uſu.

Sed non placet Hiquæo; quia, inquit, vita duratura eſt uſque ad periodum, per tempus incertum quo ipſe peccare poteſt voluntate, & damnari. Sic ille. Et ut verum fatear, haud ſatìs clarè video ad quid ſerviat illa diſtinctio longioris & brevioris temporis, ſi ita eſt neceſſarium formale propoſitum, ſicuti eſt neceſſaria formalis deteſtatio. 93. Sed non placet Hiquæo,

Numquid enim peccatori jam jam morituro, magìs ſufficit ad ſalutem amor Dei ſuper omnia, abſque formali deteſtatione, quàm alteri diutiùs

Digitized by Google

diutiùs ſupervicturo, ſi uterque meminerit peccati præteriti? Nullus eſt qui hactenus id aſſeruit; ergo nec nos aſſeramus. Per conſequens, ſi eadem ſit neceſſitas propoſiti, quæ deteſtationis, ſi non ſufficiat propoſitum virtuale diutiùs ſupervicturo, nec ſufficiet ſtatim morituro, ſuppoſito quòd adſit poſſibilitas illud eliciendi.

Atque hæc ſufficiant impræſentiarùm de Contritione in genere, reliqua dicentur diſp. ſequenti, ubi de prima parte Sacramenti Pœnitentiæ. Sequitur examinanda diviſio Contritionis in Contritionem charitate perfectam, & Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur. Quantùm ad primum membrum diviſionis, ſcilicet Contritionem charitate perfectam, Dico:

Diviſio Contritionis in perfectam & imperfectam.

CONCLUSIO III.

Contritio charitate perfecta juſtificat antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur, non tamen ſine ejus voto, ſaltem implicito. Poterit eſſe formalis actus charitatis.

94. *Probatur I. pars Concluſ. ex Trident.*

PRima pars eſt fidei, definita in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. hiſce verbis: *Docet præterea* (Sancta Synodus) *etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq́ Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

Et verò cùm DD. Catholici unanimi conſenſu huic doctrinæ ſubſcribant, tamen non parva inter illos eſt contentio, de his, quæ requiruntur ad Contritionem charitate perfectam, de qua ibi loquitur Concilium, & cui tribuit vim juſtificandi extra Sacramentum.

95. *An requiratur votum explicitum.*

Imprimìs autem diſputant de voto Sacramenti, ſine quo Concilium ait reconciliationem non eſſe adſcribendam Contritioni, his intelligentibus votum explicitum, etiam diſtinctum ab ipſa deteſtatione peccatorum, multis verò exiſtimantibus ſufficere votum implicitum & virtuale, quod in ipſo actu deteſtationis continetur, juxta dicta Concluſione præcedenti.

Sententia Auctoris, ſufficere explicitum propoſitum de cætero non peccandi,

Rogas, quæ ſit noſtra opinio? Non dubito, quin juſtificaretur qui haberet explicitum propoſitum de cætero non peccandi, ſive obſervandi omnia mandata divina, eſtò de Confeſſione in ſpecie nihil cogitaret, quod ſatìs ſignificat Tridentinum, quando dicit: *Votum Sacramenti in ipſa Contritione includi*, utique in propoſito de cætero non peccandi, tamquam pars in toto, quatenus videlicet eſt unum ex mandatis Dei, & requiſitis ad hoc ut pœnitens de cætero non peccet.

96. *& quandocumque ſufficit implicitum propoſitum, etiam ſufficere implicitum votum.*

Deinde dico, in omni caſu, in quo ſufficit ad juſtificationem propoſitum implicitum ſeu virtuale de cætero non peccandi, etiam ſufficere votum implicitum debito tempore confitendi: eadem enim, imò potior ratio eſt hujus, quàm illius; cùm Tridentinum magìs videatur requirere expreſſum propoſitum de cætero non peccandi, quàm expreſſum propoſitum confitendi.

Interim nec unum, nec aliud abſolutè requiritur; quia neque ex Scriptura vel Conciliis, neque ex Traditione aut SS. Patribus aliqua hujuſmodi obligatio efficaciter probatur: ergo non eſt aſſerenda. Vide dicta concluſ. præcedenti, & diſp. 2. ſect. 3. concluſ. 3.

97. *Utrum Contritio charitate perfecta ſit formalis actus charitatis?*

Secunda quæſtio inter Sholaſticos eſt talis: Utrùm Contritio charitate perfecta ſit formalis actus virtutis charitatis, id eſt, actus elicitus à virtute charitatis, an verò præter Contritionem ſive deteſtationem peccati, quatenus eſt malum Dei, requiratur alius actus explicitus amoris Dei prævius per modum imperii, aut ſaltem concomitans.

Quòd poſſit eſſe, probatur ratione.

Concluſio noſtra eſt communis, & ſatìs patet ex hoc ſolo, quòd ejuſdem virtutis ſit velle alicui bonum, & nolle ipſi malum, v. g. velle Petro viſum, & nolle eidem cæcitatem; atqui velle bonum Deo, quatenus ipſi bonum, eſt formalis actus virtutis charitatis: ergo ſimiliter nolle Deo malum quà tale, erit formalis actus virtutis charitatis: ergo deteſtari peccatum, quatenus eſt malum Dei extrinſecum, poteſt eſſe formalis actus, ſive actus elicitus à virtute charitatis.

98. *Coincidunt nolle Deo peccatum, & velle Deo carentiam peccati.*

Enimverò coincidunt deteſtari peccatum ſive nolle Deo peccatum, & velle Deo carentiam peccati, licèt quoad modum tendendi illi duo actus differant, quia unus eſt per modum proſecutionis, alter per modum fugæ. Jam autem velle Deo carentiam peccati, quà malum ipſius eſt, quis non videat eſſe formaliter ipſum amare, non minùs quàm optare ipſi aliquod poſitivũ bonum quà bonum ipſius eſt?

Nonne frequènter carentia alicujus mali optabilior eſt, quàm bonum aliquod poſitivum? Et id ſpecialiter in peccato contingit (inquit Arriaga diſp. 6. n. 4.) quia plus Deo diſplicet unum mortale, quàm placeant è contrario multa bona opera poſitiva hominis juſti; imò quàm omnium juſtorum, ſi ſint puræ creaturæ, ſimul ſumptorum. Ita ille Auctor.

Tantum diſplicet Deo unum peccatum mortale, quantum placet bonum opus hominis juſti.

Quod an verum ſit, infrà proprio loco examinabimus. Sufficit pro præſenti, quòd tantùm diſpliceat Deo unum peccatum mortale, quantùm placet bonum aliquod opus poſitivum hominis juſti.

Igitur

Digitized by Google

lem deatio poeſſe a. t & om.

Igitur eadem deteſtatio poterit eſſe formalis amor & formale odium; odium peccati, amor verò Dei: & quid mirum, cùm pro objecto formali motivo poſſit habere tum malitiam peccati, tum bonitatem divinam, quæ extrinſecè inficitur, ut ſic loquar, ab illa malitia?

99. : hac deſtatione rificantur riptura æ videnr require. amorem ti. Ioan. 3. Cor. 13.

Atque de hoc actu verificari poſſunt Scripturæ omnes, ac dicta SS. Patrum, quæ videntur requirere ad juſtificationem amorem Dei; 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*, quamquam hic ultimus locus varias patiatur interpretationes, de quibus alibi egimus.

uter. 4. — uc. 7.

Similiter intelligi poteſt de hac deteſtatione, quod habetur Deuter. 4. v. 29. *Cùmque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Item illud Chriſti Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei* (Mariæ Magdalenæ) *peccata multa, quoniam dilexit multùm*, licèt non dubitem pœnitentem illam animam, præter deteſtationem peccatorum ex motivo charitatis, alios multos actus expreſſiſſimæ dilectionis, & per modum proſecutionis exercuiſſe.

100. De eadem intelligitur Auctor lib. de vera & falſa Pœnit.

Eamdem patitur interpretationem, quod ait Auctor lib. de vera & falſa pœnitentia c. 17. ibi: *Quem serò pœnitet, oportet non ſolùm timere Deum iudicem, ſed & iuſtum diligere. Non timeatur pro pœna, ſed ametur pro gloria.*

Quòd autem ille Auctor non loquatur de actu, realiter diſtincto ab ipſo dolore, colligo ex ſequentibus: *Debet enim* (inquit ille) *dolere de crimine, & de omni eius prædicta varietate. Quod quoniam vix licet, de eius ſalute Auguſtinus potuit dubitare. Credo quidem illi, qui dixit*: Quâcumque horâ ingemuerit peccator, & converſus fuerit, vitâ vivet. *Dixit converſum, non tantùm verſum, vitâ vivere. Verſum quidem puto, qui dolet de crimine, converſum, qui dolet de omni* (al. animi) *eius quam expoſuimus, varietate. Vertitur à peccato, qui iam vult dimittere peccatum; convertitur, qui iam totus & omnino vertitur, qui iam non tantùm pœnas non timet, ſed ad bonum Domini contendere feſtinat. Quæ converſio ſi contigerit alicui, etiam in fine, deſperandum non eſt de eius remiſſione.*

101. Vbi etiam S. Aug.

De hac converſione loquitur D. Auguſtinus Serm. 7. de tempore dicens: *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei*; id eſt, odium peccati, quod procedit ex motivo charitatis.

Nam quòd S. Doctor ibi per amorem Dei non intelligat actum dilectionis diſtinctum ab ipſa Contritione, oſtendo ex verbis immediatè ſubjunctis: *Quando*, inquit, *ſic pœnitet, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente; iam tunc bene ingemiſcit ad Deum, & dicis: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.*

Et poſt pauca: *Iſta eſt, filioli, vera Pœnitentia, quando ſic convertitur quis, ut non revertatur, quando ſic pœnitet, ut non repetat.* Clarum autem eſt ad hujuſmodi converſionem ſufficere veram Contritionem ex motivo charitatis, abſque ulteriori actu diſtincto dilectionis Dei ſuper omnia.

Sed juvat audire Arriagam diſp. 6. n. 21. Locus hic (inquit) facilem habet explicationem: nam in eo loquitur Auguſtinus de certitudine; meritò autem dicitur eam à ſolis illis actibus cauſari. Nam de Confeſſione dubitari poteſt; tum quia non eſt certum illum, qui abſolvit, eſſe ſacerdotem; tum quia non eſt certum illum habere intentionem abſolvendi: quo ſenſu etiam B. noſter P. Franciſcus Borgias ſolebat frequenter dicere, nihil eſſe præter Contritionem, quod animæ perfectam quietem & ſecuritatem pariat. Nam licèt etiam de ipſo dolore Contritionis poſſit dubitari, utrùm ſit ſupernaturalis &c. hæc tamen dubitatio eſt minima, quæ eſſe poteſt, & quæ in hac vita tolli non poteſt: præterea tota quanta ea eſt, includitur etiam in Sacramento Pœnitentiæ; nam & ibi dubitare poſſum an habeam ſufficientem Attritionem. Et præterea ſunt illa alia duo capita, de quibus poteſt dubitari, ſcilicet de Ordine ſacerdotali, & de intentione abſolvendi: nihil ergo Auguſtinus nec pro nobis, nec contra nos ibi docuit. Hæc ille. 102. Aliter eum Explicat Arriaga.

Quæ ſi vera ſunt, miror plurimùm Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. c. 7. pro certiſſima præparatione, ut dignè quis ſacram Euchariſtiam percipiat, præſcribere Confeſſionem ſacramentalem, & non potiùs Contritionem perfectam, vel ſolam, vel ſaltem cum Sacramento. 103. Sed rejicitur ab Auctore.

Et ſanè ſi dubitatio, utrùm Contritio ſit ſupernaturalis, utrùm ſatis intenſa &c. in hac vita tolli non poteſt, quomodo eſt minima, quæ eſſe poteſt? Siquidem dubitatio nihil aliud eſt, quàm ignorantia veritatis; quæ autem ignorantia major, quàm illa, quæ non poteſt vinci in hac vita? Quid ſit dubitatio.

Neque tota quanta ea eſt, includitur etiam in Sacramento Pœnitentiæ, cùm ſecundùm omnes Sacramentum Pœnitentiæ ſuppleat defectū doloris: ergo magìs certus poſſum eſſe de dolore ſufficiente cum Sacramento, quàm de juſtificante extra Sacramentum; alioquin non tam in ſublevamen, quàm in gravamen inſtitutum videri poſſet Sacramentum Pœnitentiæ: cujus tamen oppoſitum docet ibidem Arriaga n. 31. dicens: In Sacramento Chriſtus voluit ſingularem adhuc favorem facere pro lege gratiæ, qui non fuit neque in lege naturæ, neque in ſcripta, ſuaviorem reddendo juſtificationem 104. Sacramentum Pœnitentiæ ſupplet defectum doloris. Inſtitutum eſt in ſublevamen pœnitentium.

Digitized by Google

tionem ob merita ſua, quæ in eo Sacramento includuntur, unde ex ea ipſa rationabili obligatione, quòd homo deberet Deo offerre nobiliſſimum actum, quem efficere poteſt per auxilium gratiæ, voluit Chriſtus aliquid remittere exigendo præcisè Attritionem. Hucuſque Arriaga.

105. Quod falſum videtur, ſi juſtificatio per Sacramentum eſt magis incerta, quàm per Contritionem.

Sed, pace veſtrâ, quid Chriſtus remiſit, ſi juſtificatio per Sacramentum cum Attritione, magis incerta eſt, quàm juſtificatio per ſolam Contritionem? Quis non malit elicere ſummum dolorem cum certitudine, quàm minorem cum incertitudine; præſertim accedente obligatione detegendi omnia ſua peccata alteri homini, quòd aliquibus videtur onus importabile?

Quidquid ergo ſit de hac majori vel minori certitudine, non eſt veriſimile Auguſtinum ad illam attendiſſe, ſed per certam Pœnitentiam, intellexit veram Pœnitentiam, ut patet ex illis verbis mox relatis: *Iſta eſt Filioli vera Pœnitentia.*

106. Proponitur alius locus S. Aug.

Difficilior eſt alius locus D. Auguſtini deſumptus ex libro 2. contra Creſc. c. 12. ubi ſic legitur: *Sed ideo vobis non videntur mundari, cùm ad nos à vobis tranſeunt, quia non denuò baptizantur, quaſi ſolo Baptiſmo, quem repeti non oportet, cùm idem atque unus eſt, homines ab errore mundentur. Mundantur & verbo veritatis ab illo, qui ait*: Jam vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis. *Mundantur & Sacrificio contriti cordis ab illo, de quo dictum eſt*: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. *Mundantur & eleëmoſynis ab illo, qui ait*: Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. *Mundantur ipſâ, quæ ſupereminet omnibus, charitate ab illo, qui per Apoſtolum Petrum dixit*: Charitas cooperit multitudinem peccatorum, *quæ una ſi adſit omnia illa recta ſunt; ſi autem deſit illa, omnia fruſtra ſiunt.*

Joan. 15. v. 3.
Pſal. 50. v. 19
Luc. 11. v. 41
1. Pet. 4. v. 8.

Ubi indubiè loquitur de actu dilectionis Dei ſuper omnia, qui ſolus cooperit multitudinem peccatorum, & ſine quo peccator nullatenus mundatur eleëmoſynis, aut verbo veritatis: ergo neque ſacrificio contriti cordis.

107. Reſpondetur 1. incertum eſſe an loquatur de charitate actuali.

Reſpondetur, non ſatìs conſtare, de qua charitate loquatur S. Doctor, an de actuali, an verò de habituali; nam continuò attexit: *Hæc verò* (charitas) *unde ſit, audi docentem Apoſtolum*: Charitas, inquit, Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. *Unde meritò creduntur, qui extra Eccleſiam Baptiſmum Eccleſiæ perceperunt, non habere Spiritum Sanctum, niſi cùm ipſi Eccleſiæ in vinculo pacis per connexionem charitatis adhæreſcunt.*

Rom. 5. v. 5. & Aug.

Porrò ſatìs manifeſtum eſt, Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. illa verba Apoſtoli intelligere de charitate habituali, ibi: *Id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Et verò per Spiritum ſanctum, quem Auguſtinus credit non habere illos, qui extra Eccleſiam Baptiſmum Eccleſiæ perceperunt, quid aliud intelligi poteſt, quàm gratia juſtificans?

Reſpondetur 2. Sacrificium cordis contriti non mundare peccatorem, niſi vel ſit, vel imperetur à charitate.

Atque ut Auguſtinus illam Scripturam hoc loco interpretatus fuerit de charitate actuali, quid tum? Etenim libenter fatemur Sacrificium contriti cordis neutiquam mundare peccatorem, niſi vel ipſum ſit formalis actus (ſive, ut alii loquuntur, actus virtualis) dilectionis Dei ſuper omnia, aut certè, quod quidam putant probabile, ab actu formali charitatis imperetur.

108. Arriaga explicat hunc locum de charitate proximi.

Cæterùm hunc locum D. Auguſtini explicat Arriaga ſuprà n. 22. de charitate in proximum, & de unione fidelium inter ſe: ibi enim contra Donatiſtas, ſe ab Eccleſia ſeparantes, diſputat, ideo immediatè addit hæc verba, quibus concludit illud caput: *Unde meritò creduntur* &c. Vides hunc locum minùs benè adduci ad punctum de Contritione, & amore Dei ſuper omnia? Hæc ille.

Rejicitur Author.

Certè non video, niſi fatearis charitate proximi & unione fidelium, excluſâ charitate Dei, mundari homines ab errore, & de charitate proximi ſic ſolitariè ſpectatâ dixiſſe Apoſtolum Petrum: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Apoſtolus Paulus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, quod puto non facilè conceſſeris.

109. Exponitur alterius locus S. Aug.

Placeat ergo prior expoſitio, quam ſimiliter applicare poteris alteri loco S. Auguſtini ex lib. 21. de Civit. c. 27. circa initium ibi: *Qui ſi pro uno ſcelere omnia ſua diſtribuerent indigentibus membris Chriſti, niſi deſiſterent à talibus factis* (homicidiis, adulteriis &c.) *habendo charitatem, quæ non agit perperam, aliquid eis prodeſſe non poſſet.*

Hic locus (inquit Arriaga ſuprà n. 23.) nullo modo eſt ad rem præſentem, quia ibi de charitate in proximos agit; vult enim probare eleëmoſynis ſolis non redimi peccata, ſed debere hominem deſerere omnia peccata, & in melius vitam emendare, maximè autem amando proximum ſicut ſeipſum.

110. Rejicitur expoſitio Arriagæ.

Sed quis credat hunc eſſe ſenſum D. Auguſtini? Supponit namque manifeſtiſſimè, peccatores, de quibus agit, diligere proximum, dando indigentibus eleëmoſynas, imò plus diligere quàm ſeipſos: unde exhortatur illos ad dilectionem propriam his verbis, quæ immediatè ſubnectit: *Qui ergo dignas pro ſuis peccatis eleëmoſynas facit, priùs eas facere incipiat à ſeipſo. Indignum eſt enim ut in ſe non faciat qui facit in proximum, cùm audiat dicentem Dominum: Diliges proximum tuum tamquam te ipſum.* Mat. 22. v. 39. Agit itaque de charitate Dei, de qua agebat Apoſtolus 1. Cor. 13. cujus verba citat ex

Digitized by Google

ex v. 4. *Charitas patiens eſt, benigna eſt : Charitas non æmulatur, non agit perperam* &c. Sequitur v. 8. *Charitas numquam excidit* &c. Et v. 13. *Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc* &c.

Relinque ergo expoſitionem Arriagæ ; relinque interpretationem eorum, qui per charitatem intelligunt dilectionem latè ſumptam, quatenus amare dicitur eſſe, velle bonum alicui, quod etiam fit per religionem, aliaſque virtutes ; & dic nobiſcum Auguſtinum locutum fuiſſe de vera & propria dilectione Dei ſuper omnia, ſive per modum proſecutionis, ſive per modum fugæ.

111. ...ſtio ex ...tat.

Si dixeris, Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 6. requirit diſtinctum actum charitatis, tamquam diſpoſitionem ad illam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet, ibi : *Illumq; tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.*

Reſpondeo unico verbo (quia infrà, ubi de ſufficientia Attritionis, fuſiùs locum iſtum explicabimus) Concilium illo capite enumeraſſe tamquam diſtinctos omnes illos actus, qui ſolent intervenire in prima juſtificatione hominis impii, & qui indubiè ad illam ſufficiunt, parùm curando de illa controverſia Theologica, an omnes illi actus diſtincti & expliciti ac formales forent neceſſarii.

112. ...requi... ut ...ritio ...ficet, ac... dilectio- ...diſtinc- ...per ſe ...ficati-

Et ſanè ſi de tali actu dilectionis quæritur, qui per ſe ſine Contritione ſufficit ad juſtificationem, clarum eſt talem non requiri, ſaltem prævium, alioquin jam Contritio numquam conferret primam gratiam juſtificantem, cujus tamen contrarium Concilium ſeſſ. 14. cap. 4. definit, ut patet ex ejus verbis in principio Concluſionis relatis.

Nec etiam concomitantem, quia Tridentinum loquitur de charitate, quæ perficit Contritionem : *Etſi*, inquit, *Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat* &c. Jam autem ex nudo conſortio plurium actuum diverſarum virtutum, nulla in ipſis cauſatur perfectio, nequidem extrinſeca ; ſicuti benè actus imperatus accipit perfectionem aliquam ab actu imperante, utpote ſuo modò ab illo proveniens, & ſuo modo ejus effectus; cauſa porrò communicat effectui ſuam perfectionem, ſi non omnem, ſaltem aliquam, ſi non intrinſecam, ſaltem extrinſecam, prout eſt cauſa extrinſeca, vel intrinſeca.

(...nudo ...ſortio ...ium ac- ...n nulla ...pſis cau- ...r perfe-)

113. ...d dicen- ...n de di- ...ione per ...ion juſti- ...iti a ?

Sin autem ſit ſermo de actu dilectionis Dei ſuper omnia, qui per ſe non juſtificat, quæſtio eſt, an detur talis actus, & inferiùs oſtendam quemcumque verum actum dilectionis Dei ſuper omnia, quantumcumque remiſſum, per ſe ſufficere ad juſtificationem.

(...m de ...a ſpei.)

Non tango hìc actum dilectionis inferioris ordinis, v. g. amorem vel cupiditatem boni, actum ſpei ſive amoris concupiſcentiæ, quo Deum mihi concupiſco ; quia certum eſt Contritionem tali dilectione non perfici ſatìs ad reconciliandum hominem Deo, priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur ; nam etiam Attritio à tali actu poteſt imperari, quæ tamen propterea non juſtificabit ante realem ſuſceptionem Sacramenti.

Sed dicet aliquis; ex ſolo conſortio charitatis habitualis, omnia opera bona hominis juſti accipiunt rationem meriti de condigno vitæ æternæ : ergo ſimiliter ex præciſo conſortio charitatis actualis poterit Contritio elevari ad rationem principii juſtificativi extra Sacramentum ; adeòque de tali elevatione ſeu perfectione videtur Concilium interpretandum, quando docet aliquando cōtingere Contritionē charitate perfectā eſſe, non habituali, ut patebit ex dicendis ſuo loco: ergo actuali, idq; non præviâ, ut mox probavimus, ergo concomitante. 114. Objectio.

Reſpondeo primò, negando Antecedens; nam opera bona naturalia ultra ſtatum gratiæ requirunt imperium virtutis ſupernaturalis, ut patet ex Tract. de Merito. *Prima reſponſio.*

Reſpondeo ſecundò, negando Conſequentiam, & rationem do diſparitatis; quia per charitatem habitualem ſeu gratiam juſtificantem conſtituitur homo filius adoptivus Dei, juxta illud Tridentini ſeſſ. 6 c. 4. *Quibus verbis iuſtificationis impii deſcriptio inſinuatur, ut ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Quid ergo mirum ſi opera bona hominis juſti, magìs ſint accepta Deo, quàm bona opera hominis peccatoris, qui eſt filius diaboli ? 115. *Secunda reſponſio. Per charitatem habitualem conſtituitur homo filius Dei adoptivus ;*

Hæc autem prærogativa non competit actui charitatis, præſertim ſi non eſt talis ac tantus, qui per ſe juſtificet ; & quamvìs per ſe juſtificaret, ac propterea Contritio ipſi conjuncta Deo foret magìs accepta, numquid ideo Contritioni adſcribenda juſtificatio, ut facit Concilium, & non potiùs charitati ? *ſecùs per charitatem actualem quæ per ſe non juſtificat.*

Et verò cùm ipſa Contritio ſit formalis actus charitatis, aut ſaltem virtualis, tam accepta erit Deo ſine ſuperaddito actu per modum proſecutionis, quàm acceptus eſt Deo actus charitatis per modum proſecutionis ſine conſortio formalis Contritionis. Sicuti ergo hic juſtificat, ut inferiùs dicetur, ita & illa.

Rogas, quid igitur Concilium intellexerit per hanc particulam, *Charitate perfectam* ? Reſp. motivum charitatis, ex quo debet procedere illa Contritio, quæ ante Sacramentū juſtificat. 116. *Quid Concilium intellexerit per illam particulam, Charitate perfectam ?*

Optimè, inquis; ſt illud motivum eſt Deus ſummè dilectus : ergo ultra deteſtationem requiritur actus dilectionis per modum proſecutionis; quia enim ſummè diligo Deum, ideò ſuper omnia deteſtor peccatum ſummæ ipſius bonitati oppoſitum.

Confirmatur I. quia deteſtatio eſt receſſus à peccato: ergo ſupponit acceſſum ad oppoſitum.

Digitized by Google

Confirmatur II. amor Dei eſt perfectiſſimus actus, ergo non poteſt includi in alio minùs perfecto.

117. Contritio non eſt actus imperfectior charitate.

Reſpondeo ad ultimam confirmationem, Contritionem non eſſe actum imperfectiorem, ſed æquè perfectum, cùm ſecundùm jam dicta, non tantùm virtualiter contineat actum amoris, ſed ipſe ſit formalis actus amoris, eſtò non ita explicitus ac ſi tenderet per modum proſecutionis.

Idem actus Contritionis eſt receſſus à peccato & acceſſus ad Deum.

Ad primam confirmationem dico, eumdem actum Contritionis, qui formaliter eſt receſſus à peccato, ſaltem virtualiter & æquivalenter eſſe acceſſum ad bonitatem divinam, & è converſo, eumdem actum amoris, qui formaliter eſt acceſſus ad bonitatem divinam, ſaltem virtualiter & æquivalenter eſſe receſſum ab oppoſito peccato, quia videlicet ratione ejuſdem motivi unus iſtorum actuum natus eſt ex alio ſequi, ſi utrimque objectum quod & terminativum ſufficienter proponatur; & quoniam objectum quod & terminativum amoris ſufficienter proponitur, dum eliceo actum Contritionis charitate perfectæ, id eſt, dum peccatum deteſtor quatenus repugnans bonitati divinæ, quid mirum ſi unus & idem actus Contritionis charitate perfectæ ſit ſimul formale odium, & formalis amor, odium peccati, & amor Dei.

118. Quid intendant Theologi quando dicunt, motivum Contritionis eſſe Deum ſummè dilectū? Suarez.

Hinc patet reſponſio ad principalem objectionem, puta, ideo communiter ſic loqui Theologos, quia vel antecedenter conjungitur Contritioni perfectæ formalis amor Dei per modum proſecutionis, vel ſi non, ſaltem ipſa Contritio eſt formalis amor Dei per modum fugæ. Dicendum cenſeo (inquit Suarius diſp. 4. ſect. 2. n. 8.) formalem amorem Dei per ſe loquendo eſſe neceſſarium ad juſtificationem peccatoris, tamquam medium, & rebus ipſis conſentaneum à Deo requiſitum ...... Quamquam fortaſſe neceſſarium non ſit, ut hic amor formalis Dei exerceatur per actum realiter diſtinctum ab ipſa deteſtatione peccati, quæ ex illo naſcitur; quia cùm illa duo objecta ſint ita connexa, ut unum ſit aliquo modo propter aliud, probabile eſt, fieri poſſe, ut uno actu ſimplici utrumque attingatur. Quapropter

119. Summa Dei dilectio non eſt objectum Contritionis, ſed ſumma Dei bonitas. Suarez.

Reſpondeo II. per illam communem locutionem minimè ſignificari ſummam Dei dilectionem eſſe objectum motivum Contritionis, ſed ſummam Dei bonitatem, quæ ſuper omnia eſt diligibilis, & illo actu Contritionis ſuper omnia formaliter diligitur. Illa diſplicentia (inquit Suarez ſuprà n. 14.) verè dici poteſt eſſe propter Deum ſummè dilectum, quia eſt elicita ex charitate ejus, & reſpiciendo ſolùm ad bonitatem & amicitiam ejus.

Suarez negat Contritionem eſſe formalem amorem.

Interim negat hic Auctor hujuſmodi actum eſſe formalem amorem: quia, inquit n. 15. ille actus non tendit directè ad Deum ut in objectum quod, ſed quo, id eſt, ſolùm reſpicit illum, ut rationem proximam deteſtandi peccatum. Item ille actus formaliter non eſt actus proſecutionis, ſed fugæ; amor autem formaliter ſumptus, eſt quædam proſecutio ſui objecti, & quaſi virtualis conjunctio ad illud. Unde ut actus dicatur formalis amor Dei, non ſatìs eſt quòd ſit elicitus à charitate, quia charitas habet unum objectum primarium, quod eſt Deus, & alia ſecundaria, ex quibus quædam amat propter Deum, ut proximum, alia odio habet, ut peccatum: eſt ergo illa deteſtatio virtualis tantùm amor Dei. Hæc ille.

Sed eſt quæſtio de nomine, & ideo non immoror. Dico ergo omnem actum elicitum ab habitu charitatis propriè poſſe appellari amorem Dei, à primario ſcilicet ac formali objecto, quod eſt bonitas divina, licèt aliqui actus differant ſpecie phyſicâ, & ſpeciali nomine gaudeant, ratione objecti materialis aut modi tendendi diverſi; tales autem actus ſunt dilectio Dei propter ſe, & dilectio proximi propter Deum. 120

120. Sed eſt [quæ]ſtio de [no]mine.

Aliqui [actus] charit[atis] ſpecie di[ffe]runt prop[ter] diverſa [obj]ecta ma[teri]alia & mod[um] tendendi.

Nihil ſanè clariùs quàm hos actus habere objecta materialia diſtincta; inſuper deteſtationem peccati propter Deum, modum tendendi diverſum; quamquam enim ſit proſecutio bonitatis divinæ, non tamen ſola; ſed præterea fuga mali oppoſiti, non tantùm implicita & virtualis, ſed expreſſa & formalis, à qua vocatur ille actus amoris, Contritio ſeu deteſtatio.

Contritio eſt actus amoris Dei per modum fugæ.

Et hoc eſt quod antea dixi, Contritionem eſſe amorem Dei per modum fugæ; non quaſi ſit ſola fuga peccati, & non etiam proſecutio bonitatis divinæ; ſed quia non eſt ſola proſecutio, ſed ſimul fuga, quod non convenit dilectioni Dei propter ſe, ſive iſti actui amoris, per quem volo Deo aliquod bonum, quatenus bonum ipſius eſt.

121. Ad juſtificationem extra Sacramentum præter deteſtationem peccati propter Deum non requiritur alius actus amoris.

Ex his finaliter reſolvo, ad juſtificationem extra Sacramentum præter deteſtationem peccati propter Deum, ſive quatenus peccatum eſt malum Dei præciſè ut Deus eſt in ſe infinitè bonus, nullatenus requiri actum amoris Dei realiter diſtinctum, vel prævium per modum imperii, vel concomitantem. Cùmque juſtificatio extra Sacramentum non fiat ſine formali actu charitatis juxta præſentem Dei ordinationem, quæ conſtat ex Scriptura & SS. Patribus, bene infertur: *Contritio charitate perfecta poterit eſſe actus formalis charitatis*, quæ eſt ultima pars Concluſionis.

122. Scriptura aliquando ſoli Contritioni promittit remiſſionem peccatorum. Ezech. 18.

Et fortaſſis ideo Scriptura Sacra aliquando promittit remiſſionem vel ſalutem ſoli actui Contritionis; Ezech. 18 v. 27. & 28. *Et cùm averterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit. Conſiderans enim & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vitâ vivet & non morietur.* Et v. 30. *Convertimini & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.*

Ubi

Digitized by Google

Ubi nulla ſit ſpecialis mentio dilectionis Dei, ſed ſolius converſionis & Pœnitentiæ, quæ indubiè inveniuntur in deteſtatione peccati propter Deum; Pœnitentia quidem in deteſtatione, converſio autem in ly *Propter Deum*, quo ſignificatur Deum, ſeu bonitatem divinam eſſe finem illius deteſtationis; quomodo autem poſſum operari propter finem ſine converſione ad finem? Non eſt conceptibile.

123. emplum vidis 2. g. 12.

Hinc David peccator, adulter utique & homicida, cùm dixiſſet 2. Reg. 12. v. 13. *Peccavi Domino*, ſtatim meruit audire ex ore Nathan Prophetæ: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*. Cur hoc; niſi quia propter Deum deteſtabatur ſuum peccatum? Unde non dixit ſimpliciter: *Peccavi*, ſicut dixerat Saul 1. Reg. 15. v. 24. *Dixitq́ Saul ad Samuëlem: Peccavi, quia prævaricatus ſum* &c. Et ſicut legitur de Juda Iſcariote Matth. 27. v. 2. *Peccavi tradens ſanguinem iuſtum*, qui etiam propterea non meruerunt audire: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*; ſed addidit Propheta Regius ly *Domino*, dicens: *Peccavi Domino*.

[margin: Reg. 15. — tth. 27. — ſalm. 31.]

Quod etiam obſervavit Pſalm. 31. v. 5. ibi: *Dixi, confitebor adverſum me iniuſtitiam meam Domino. Domino*, inquit, id eſt, propter Dominum ſeu bonitatem divinam in ſe, & continuò attexit: *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei*, abſque ulteriori actu dilectionis, quoniam illa confeſſio erat verus & proprius actus dilectionis.

Sed numquid ad remiſſionem peccatorum extra Sacramentum requiritur talis confeſſio, adeò ut non ſufficiat deteſtatio peccatorum ex motivo religionis, obedientiæ, Pœnitentiæ ſpecialis &c. etiam quando adeſt motivum extrinſecum charitatis, id eſt, verus actus charitatis imperans hujuſmodi deteſtationem? Reſpondeo:

CONCLUSIO IV.

Ad Contritionem charitate perfectam requiritur, quòd ſit elicitus actus charitatis, aut ſaltem imperatus.

124. Docent aliqui ad juſtificationem ſufficere deteſtationem ex motivo obedientiæ &c. Probatur hæc doctrina ex Script.

EST communis contra nonnullos qui putant ſufficere deteſtationem peccati ex motivo obedientiæ, vel religionis, aut Pœnitentiæ ſpecialis; quia, inquiunt, illa eſt perfecta averſio à culpa, cui in Scriptura promittitur remiſſio peccati, nulla factâ mentione motivi dilectionis Dei ſuper omnia: idque videtur poſtulare humana fragilitas, quæ rarò trahitur motivo dilectionis, frequentius verò motivo obedientiæ, religionis, aut Pœnitentiæ ſpecialis. Cùm ergo frequentiſſimus ſit lapſus, non debuit adeò difficilis & rara aſſignari medicina.

Confirmatur ex communi fidelium apprehenſione, qui tunc putant ſe habere veram Contritionem, quando ita dolent de peccatis propter Deum, ut nulla etiam ſtante pœnâ vel præmio, damno vel emolumento, eodem modo dolerent, quod totum reperitur, quoties peccatum conſideratur in ordine ad ſolum Deum, vel ut irreverentia, vel ut injuria, vel ut offenſa, tametſi abſit motivum rigoroſæ dilectionis. & confirmatur ex communi fidelium apprehenſione.

Et ſi objicias ipſis: Actus ſpei quo quis deſiderat beatitudinem, & ex hoc deſiderio dolet de peccatis, eſt nobilior, & tamen non ſufficit. 125. Objectio.

Reſponderi, inquiunt, poſſet imprimis, Durandum 4. diſt. 17. q. 2. dicere, dolorem illum ex motivo ſpei ſufficere; quamvis enim non ſit amor amicitiæ erga Deum, ſed ſolùm concupiſcentiæ, equidem eſt verus amor, & in nobiſmetipſis experimur, gaudere nos, quando amamur hoc amoris genere, non enim poteſt eſſe hic amor, niſi ex bonitate, quæ apprehenditur in ipſo objecto amato: breviter, talis amat Deum ſibi propter Dei bonitatem. Solvitur. Durandus dicit ſufficere dolorem ex motivo ſpei.

Atque huic ſententiæ videtur adſtipulari Doctor Subtilis 4. diſt. 14. q. 2. n. 14. ubi docet, Contritionem perfectam poſſe provenire ex conſideratione peccati, ut impeditivi præmii, & inductivi ſupplicii. Verba ejus ſunt: *Ad huius intellectum ſciendum, quòd peccator in peccato exiſtens ...... poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam, & ut averſivum à Deo, & ut impeditivum præmii, & ut inductivum ſupplicii, & ſub multis talibus rationibus; & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis illud peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari, & intendi antè infuſionem gratiæ.* 126. Pro hac doctrina citatur Scotus.

Poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totaliter circumſtantionata circumſtantiis moralibus debitis: non eſt enim veriſimile, quòd neceſſe ſit propter peccatum iſtud remanens, actum quemcumque circa peccatum commiſſum eſſe defectivum in aliqua circumſtantia morali. Iſte autem motus dicitur Attritio (tempore Scoti, nunc Contritio charitate perfecta) *& eſt diſpoſitio ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis; quæ ſequitur in ultimo inſtanti alicuius temporis in quo tempore iſta Attritio duravit.* Hucuſque Scotus pro ſententia, ut apparet, Durandi. Dico, ut apparet; quia reverà nihil tale ibi docet, ut conſtabit ex infrà dicendis.

Cæterùm quoniam hæc doctrina, quam adſcribunt Durando, minùs conſona invenitur Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. ubi ſtatuit Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, tametſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, nihilo- 127. Doctrina Durandi minùs conſonat Conc. Trident.

nihilominus ſine Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem non poſſe perducere, de quo plura ſuo loco; hinc

Non videtur valere argumentum à dolore ex motivo Religionis ad dolorem ex motivo ſpei.

Reſpondent ſecundò ad difficultatem ſive argumentum propoſitum, negando Conſequentiam. Nam actus aliquis religionis aut fidei, licèt ex parte objecti motivi imperfectior, tamen ex aliis circumſtantiis, intentione v. g. duratione, difficultate &c. poteſt eſſe melior quàm actus aliquis remiſſus dilectionis, & tamen quicumque actus dilectionis certiùs & proximiùs diſponit ad juſtificationem: ergo non bene arguitur, dolorem ex motivo ſpei debuiſſe eſſe diſpoſitionem ultimam ad juſtificationem, ſicuti dolor ex motivo religionis, aut Pœnitentiæ, quia perfectior eſt.

128\. Aſſignatur ratio à priori; Tridem.

Et ratio à priori eſſe poteſt; quia juſtificationis exordium conſiſtit in averſione à peccato, & converſione ad Deum, juxta illud Trid. ſeſſ. 6. c. 5. *Declarat præterea* (ſancta Synodus) *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, quâ, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam, ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando, diſponantur.*

129\. Ille actus certius & proximius diſponit ad juſtificationem qui perfectius avertit à peccato & convertit ad Deum.

Itaque ille actus certiùs & proximiùs diſponit ad juſtificationem, qui perfectiùs avertit à peccato & convertit peccatorem ad Deum; hoc autem meliùs fit per actum dilectionis, etiam remiſſum, quàm per actum alterius virtutis, etiam intenſum.

Item per deteſtationem peccati ex motivo religionis, quàm per deteſtationem peccati ex motivo ſpei; quia per ſpem amamus Deum nobis ipſis, ac proinde non totaliter ad ipſum convertimur (ſicuti totaliter ab ipſo per peccatum fuimus averſi) ſed etiam aliquo modo ad nos ipſos: ſecùs per actum religionis, quo homo non amat Deum ſibi, ſed amat cultum & honorem Dei, & ita illum amat, ut ſi neceſſaria eſſet deſtructio & annihilatio ipſius hominis ad Dei honorem & cultum, illam etiam vellet & permitteret; quam conditionem nullo modo poteſt velle dolor ex motivo ſpei, utpote fundatus omnino in amore proprio, quo volumus Deum nobis ut bonum noſtrum: ergo ex hoc capite majorem habet proportionem dolor ex motivo religionis ut diſponat ad juſtificationem, quàm dolor ex motivo ſpei. Hactenus pro opinione, ſaltem minùs probabili.

130\. Quòd aliquis actus juſtificet, non habet ex natura ſua, ſed ex liberali Dei voluntate.

Enimverò ad hæc omnia unico verbo reſponderi poteſt, quòd aliquis actus proximè diſponat extra Sacramentum ad juſtificationem, haudquaquam id habere ex natura ſua, ſed magìs ex liberali Dei voluntate, quâ voluit ad præſentiam hujus actûs remittere peccatum, & non illius; conſtat autem ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 4 hunc actum eſſe dilectionem Dei ſuper omnia, dum ſoli Contritioni charitate perfectæ tribuit vim juſtificandi extra Sacramentum, de illa tantùm intelligens (edoctum, ut credendum eſt, à Spiritu ſancto) Scripturas, quæ ſine expreſſa mentione motivi dilectionis, promittunt remiſſionem peccatorum veræ Pœnitentiæ, ſive perfectæ averſioni à peccatis.

131\. Concil. Trident. quitur de charitate actuali.

Porrò Concilium ibi non agere de charitate habituali, ſed de actuali, indè convincitur; tum quia agit de diſpoſitione ad ipſam gratiam ſive charitatem habitualem; nihil autem diſponit ad ſeipſum: tum quia Contritionem perfectam diſtinguit ab imperfecta, quæ Attritio dicitur, non ex defectu habitûs charitatis, ſed *quoniam vel ex turpitudine peccati conſideratione vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur*: ergo ex defectu motivi charitatis; adeòque ſub Attritione comprehendit omnem dolorem, qui non procedit ex motivo charitatis, & ideo fortè dixit: *Communiter concipitur*, ut ſignificaret præter illa motiva, ibi à ſe expreſſa, alia ſupereſſe, v. g. motivum religionis, obedientiæ, Pœnitentiæ ſpecialis &c. quæ ſint inſufficientia ad juſtificationem extra Sacramentum.

132\. Amor Dei ſuper omnia non eſt tam difficilis.

Neque fortè tam difficilis eſt amor Dei ſuper omnia, & per conſequens Contritio ex motivo charitatis, quàm bene aliqui apprehendunt; ita ut Arriaga ſuprà n. 17. putet probabiliſſimè dici quòd ſit faciliùs odiſſe peccatum ex motivo charitatis, quàm obedientiæ, religionis, aut juſtitiæ; quia faciliùs poſſum apprehendere bonitatem Dei, ita ut eam amem, quàm bonitatem obedientiæ &c. licèt enim in amore obedientiæ &c. ipſa perſona amans ſit objectum formale, cui illa bonitas optatur; in amore autem Dei nullo modo homo ſeipſum amet, adeòque ex hac parte amor obedientiæ ſit facilior; tamen quia illud bonum morale repertum in obedientia, eſt valdè à noſtris ſenſibus alienum, & minùs apprehenſibile à nobis, quàm bonitas Dei, quæ ſupponitur ab omnibus apprehendi etiam rudioribus; hinc fortè faciliùs erit odiſſe peccatum, quia offenſa Dei ſummè boni, quàm quia contra honeſtatem obedientiæ mihi moraliter bonam, aut certè æquè difficile.

133\. In Sacramento Pœnitentiæ inferior dolor diſponit ad juſtificationem.

Et dato quòd eſſet difficilius, ideo Chriſtus in nova lege inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, in quo inferior dolor diſponit peccatorem ad Dei gratiam impetrandam; proinde congruentius fuit extra Sacramentum relinqui juſtificationem difficiliorem, ut homo frequentiùs & libentiùs illud Sacramentum adiret, cogitans ſi fortè ſuperveniat periculum vitæ, aliis viis non tam facilè ſe juſtificandum.

Quantùm

Digitized by Google

34. onde- l com- :m ap- :nſio – fide.

Quantùm ad communem apprehenſionem fidelium, illa incerta eſt, & ſæpè oritur ex ignorantia, præſertim in rudioribus, qui non noverunt diſtinguere inter illas virtutes, & earum motiva, & magìs frequenter dolent ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu: doctiores autem cùm ſciant illam ſententiam vix probabilem, indubiè conantur deteſtari peccatum ex motivo charitatis, & non ex motivo obedientiæ, religionis &c.

5. nitur ritas . em.

Reſtat auctoritas Scoti, propter quam Hiquæus ibi in ſuo Commentario n. 122. aſſerit: Contritio non requirit ut ſit actus elicitus à charitate, ſed ſufficit ut ſit imperatus.

ſub- it ſen- e Du- .

Et ſanè Doctorem noſtrum illo loco minimè ſubſcribere ſententiæ Durandi, oſtenditur ex poſtremis verbis, ſcilicet: *Poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totaliter circumſtantionata circumſtantiis moraliter debitis &c.* Porrò una ex illis circumſtantiis ſecundùm Scotum eſt motivum charitatis; nam eâdem diſt. q. 1. n. 19. ſic ait: *Sed ad hoc quòd dicitur de Iuda: Reſpondeo quòd non quicumque actus pœnitendi ſufficit ad deletionem peccati, ut patebit ex ſequenti quæſtione, ſed oportet quòd ſit actus ordinatus, & maximè ex circumſtantia finis, quæ prima eſt inter circumſtantias actûs moralis. Iudas autem non pœnituit cum iſta circumſtantia, id eſt, ex dilectione Dei.*

ut ibi- docet, n. 19. iten- delem pec- oportet ex dile- ne Dei.

Igitur Contritio juſtificativa extra Sacramentum, exigit ad minus, quòd ſit imperata à charitate.

136. ſufficiat erium ritatis?

Porrò quòd imperium ſufficiat, probat Hiquæus ſuprà n. 123. quia actus cujuſcumque virtutis, ſeu ex objecto bonus, ſi ſit perfectus & imperatus à charitate, non poteſt dici imperfectus in genere moris aut perfectionis: ergo dolor elicitus v. g. à virtute ſpei, & imperatus à charitate, non eſt dolor imperfectus, qualem vocat Tridentinum Attritionem, ut diſtinguitur contra Contritionem, quæ ſanctificat extra Sacramentum.

rs affir- ins pro- ur ex quæo.

ctus im- ratus ha- t dupli- m boni- tem.

Antecedens probatur: ille actus eſt perfectior, quàm actus elicitus à ſola charitate; ſed hic nequit dici Attritio: ergo &c. Probatur Major, ille actus participat perfectè rectitudinem utriuſque virtutis, quia bonitatem ſpei ex objecto, charitatis ex fine & motivo principali, ex quo imperatur: ſed participans perfectionem duarum virtutum perfectè, eſt in ſe perfectior in genere diſpoſitionis & meriti de congruo, & magìs acceptatur ex lege diſponente ſalutem per opera, quàm is, qui unius virtutis participat bonitatem; ergo &c.

137. Probatio.

Major eſt evidens, quia imprimìs actum participare bonitatem ſui objecti eſt primum notum in moralibus, quia ex hoc perfectio & diſtinctio virtutum, atque mutuus exceſſus colligitur; ſed nec minùs notum eſt actum participare perfectè & magìs propriè, ſpectatâ voluntatis inclinatione, bonitatem ſui finis; quia illud motivum magìs ſpecificat actum hoc modo in eſſe morali, quod magìs determinat voluntatem ad ejus productionem, finis autem magìs determinat, quàm objectum, quia propter finem ſolum, & amorem ejus movetur voluntas; unde illud vulgare, quod eſt Philoſophi: *Qui furatur propter mœchari, magìs eſt mœchus, quam fur.*

Finis principalius movet.

Ex quo ſic argumentor ad confirmationem prioris: ſi deteſtatio eliceretur à charitate & imperaretur à Pœnitentia, eſſet perfecta Contritio; ergo à fortiori ſi imperaretur à charitate. Patet Conſequentia: quia ſic perfectiùs participaret perfectionem charitatis, quia hìc per modum finis, ibi per modum objecti tantùm. Hactenus Hiquæus ſatìs obſcurè.

Interim addo confirmationem aliquam ex Doctore Subtili 4. diſt 14. q. 2. n. 17. ubi ſic lego: 138.
Si quæratur de illis quatuor actibus prædictis (puta vindicare peccatum commiſſum, deteſtari peccatum commiſſum, acceptare pœnam inflictam, & patienter ferre pœnam inflictam) *comparando inter ſe, quis eorum ſit ſimpliciter diſpoſitio magìs conveniens ad deletionem peccati; Reſpondeo, quantò ex pluribus virtutibus & perfectioribus actus elicitur, tantò eſt melior actus: ergo primus ſi eliceatur à ſola iuſtitia mediatè vel immediatè, & ſecundus actus vel tertius eliciatur ab alia virtute perfectiori, utpote à charitate; patet quòd ſecundus vel tertius erit excellentior primò .....*

Quanto ex pluribus virtutibus & perfectioribus actus elicitur, tanto eſt melior ex Scoto.

Sed ſi iuſtitia imperans actum in primo modo, moveatur ad ſuum imperium ex actu charitatis, ſicut dictum eſt ſuprà poſſibile eſſe; tunc actus primus habet duplicem bonitatem, & ex iuſtitia proxima imperante, & ex charitate remota imperante actum illum. Similiter ſi iuſtitia imperet in primo modo uſum charitatis, ut cauſa proximæ reſpectu triſtitiæ inhærendæ, actus ille charitatis eò eſt perfectior, quia à duabus virtutibus, quàm ſi ab una tantùm.

Ergo ſecundùm Scotum actus elicitus à virtute ſpei, & imperatus à virtute charitatis, eſt perfectior, & per conſequens diſpoſitio magìs conveniens ad deletionem peccati, quàm actus tantùm elicitus à virtute charitatis. Ergo ſi Contritio elicita à virtute charitatis reconciliat priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur, magìs juſtificabit Contritio elicita à virtute ſpei, & imperata à charitate. 139.

An actus elicitus à virtute ſpei & imperatus à charitate ſit perfectior actu charitatis.

Reſp. ſi charitas imperans talis ac tanta ſit, ut per ſe ſufficiat ad juſtificationem, quid mirum ſi Contritio tunc magìs juſtificet, cùm jam inveniat ſubjectum ſuum juſtificatum per actum amoris prævium, adeòque non ſit tantùm meritum de congruo, ſed verè meritum de condigno gratiæ & vitæ æternæ? Verùm de hac Contritione non videtur loqui Concilium Tridentinum, quoniam non reconciliat peccatorem, ſed invenit reconciliatum; Concilium autem agit de tali Contritione, cui adſcribenda eſt reconciliatio, ut patet ex ejus verbis.

Talis actus juſtificabit, ſi actus imperans per ſe ſufficiat.

Digitized by Google

140. *aliàs non.* Si dixeris, charitas imperans per ſe non ſufficit. Reſpondeo ego, nec tunc ſufficere cum actu imperato Contritionis, elicitæ ex motivo ſpei, aut alterius virtutis inferioris.

Reſponſio ad argumentum Hiquæi. Ad argumentum autem Hiquæi dico, primum notum eſſe in moralibus, actum imperatum non participare perfectè rectitudinem actûs imperantis, niſi velimus concedere actum naturalem, imperatum à charitate, præcellere actum ſupernaturalem elicitum à charitate, quod manifeſtè abſurdum eſt.

Actus internus non participat ab actu imperante niſi bonitatem extrinſecam. Eſtò ergo participet actus internus aliquam bonitatem ab actu imperante (quod ſolùm probabile eſt, ut notat Marginale ad locum Scoti ultimò citatum) certè non niſi bonitatem extrinſecam, ſeu perfectionem accidentalem, tamquam à motivo & fine extrinſeco (quem Theologi appellant finem operantis) quæ longè inferior eſt illâ bonitate & perfectione, quam actus elicitus accipit à virtute eliciente, cùm hæc bonitas ſit intrinſeca & eſſentialis deſumpta ab honeſtate illius virtutis, non ſolùm ut objecto, ſed etiam ut fine intrinſeco (qui *Quis ſit finis intrinſecus virtutis.* ſolet vocari à Theologis finis operis) ſiquidem finis intrinſecus cujuſcumque virtutis eſt ipſum objectum formale, ſive honeſtas propria illius virtutis.

Igitur bonitas ſupernaturalis actûs eliciti à charitate, ſimpliciter eſt perfectior bonitate naturalis Pœnitentiæ, etiam imperatæ à charitate. *Charitas imperans non poteſt dare actui imperato ſupernaturalitatem.* Enimverò quantamcumque perfectionem dixeris charitatem imperantem tribuere actui imperato, indubitatum eſt non poſſe dare ſupernaturalitatem, quam tamen confert tamquam cauſa efficiens ſupernaturalis, actui à ſe elicito.

141. *Replica.* Si replices: actus ſpei eſt ſupernaturalis, ergo ſaltem Contritio ex motivo ſpei ſufficit accedente imperio charitatis.

Solvitur. Reſpondeo negando Conſequentiam; licèt enim hujuſmodi Contritio ſit actus ſupernaturalis, non tamen ſupernaturalis charitas, eſſentialiter & intrinſecè, ſed tantùm denominatione extrinſecâ, quia à charitate ſupernaturali imperata; adeoque minùs perfecta in genere diſpoſitionis, & meriti de congruo & condigno, & minùs acceptata ex lege, diſponente ſalutem per opera, quàm illa Contritio, quæ intrinſecè & eſſentialiter eſt actus ſupernaturalis charitatis. Ecce argumentum Hiquæi ad oppoſitum.

142. *Explicatur illud Philoſ. Qui furatur propter mæchari &c.* Unde illud vulgare, quod eſt Philoſophi: *Qui furatur propter mæchari, magis eſt mæchus quàm fur*, nihil aliud importat, quàm quòd in illo actu magis ſit volitum adulterium, quàm furtum; interim poteſt eſſe major malitia, quæ ex medio, quàm quæ ex fine deſumitur; v. g ſi quis velit furari mille aureos propter ſimplicẽ fornicationẽ: ergo conſimiliter poterit eſſe major bonitas, quæ ex medio, quã quæ deſumitur ex fine extrinſeco, v. g. ſi quis velit elicere amorem Dei ſuper omnia ex fine ſeu motivo ſpecialis Pœnitentiæ, id eſt, ut loquitur Scotus ſuprà: *Si iuſtitia* (vindicativa, qualis eſt Pœnitentia ſpecialis ſecundùm ipſum) *imperet uſum charitatis ut cauſa proxima inhærendæ triſtitiæ*, tametſi actus ille charitatis, ut ibidem docet Scotus, eò ſit perfectior, quia à duabus virtutibus quàm ſi ab una tantùm, equidem non dubito majorem habere bonitatem ex medio quàm ex fine; res plana eſt, quia ex medio habet bonitatem ſupernaturalem, ex fine autem tantùm naturalem.

Igitur libenter fatemur cum Doctore Subtili, tantò eſſe meliorem actum, ſive externum 143. *Actus [illegible] imperatus charitate perfectior actu ſpei non imperato, vel actu etiam charitatis.* (de quo fortè loquitur Scotus, ut notat Marginale, & Scolium præfixum illi loco) ſive etiam internum (de quo nos hìc agimus) tantò, inquam, eſſe meliorem, quantò ex pluribus & perfectioribus virtutibus elicitur vel imperatur, adeoque actum ſpei imperatum ab actu charitatis eſſe perfectiorem actu ſpei, qui non imperatur ab hujuſmodi actu charitatis; & pariter deteſtationem peccati imperatam à charitate, & ſpeciali virtute Pœnitentiæ, eſſe meliorem, quàm ſi ab altera tantùm virtute imperaretur; ſed negamus iſtam Conſequentiam: ergo actus ſpei imperatus ab actu charitatis eſt perfectior & melior, quàm actus elicitus à ſola charitate.

Ratio mea eſt, quia perfectio alicujus actûs 144. *Probatur, quia perfectio actûs deſumitur non tantùm à multitudine, ſed etiam præſtantia virtutum. Scot.* non tantùm deſumitur à multitudine virtutum imperantium vel elicientium, ſed etiam à præſtantia iſtarum virtutum, ut optimè notavit Scotus ſuprà dicens: *Quantò ex pluribus virtutibus, & perfectioribus* &c. Nam indubiè melior eſt actus, qui imperatur à juſtitia & charitate, quàm qui imperatur à juſtitia & ſpe. Jam autem fieri poteſt, ut una virtus eliciens hunc actum præſtet pluribus virtutibus elicientibus aut imperantibus iſtum actum, v. g. virtus ſupernaturalis charitatis, pluribus virtutibus naturalibus, ut juſtitiâ, & obedientiâ, & per conſequens actus elicitus à virtute ſupernaturali charitatis, erit perfectior & melior, quàm actus elicitus aut imperatus ab obedientia, & juſtitia.

Concluſio. Et verò quoniam charitas multis gradibus ſuperat virtutem ſpei, ac præterea perfectio ſive bonitas, quam communicat actibus imperatis, longè inferior eſt perfectione & bonitate, quam tribuit actui à ſe elicito, hinc fit quòd Contritio elicita à virtute charitatis perfectior ſit & melior, quàm Contritio elicita à virtute ſpei ex imperio charitatis, ac proinde iſta ſufficiat ad reconciliandum peccatorem extra Sacramentum, hæc non niſi in Sacramento.

Sed dicet aliquis; per imperium charitatis 145. *Objectio, quòd per imperium charitatis opera fiunt meritoria vitæ æternæ.* opera moraliter bona fiunt meritoria vitæ æternæ, idque quia participant bonitatem actûs imperantis, & accipiunt indè dignitatem ordinis ſupernaturalis, etſi alioquin in ſe forent

Digitized by Google

forent improportionata ad tantam mercedem: ergo conſimiliter Contritio elicita ex motivo ſpei, juſtitiæ, religionis &c. quamvis alioquin foret improportionata ad remiſſionem peccatorum extra Sacramentum, fiet proportionata per imperium charitatis.

ponſio, d plus mereri de gruo infallibilem miſſionem peccatorum extra Sacramentum.

Reſp. negando Conſequentiam, & aſſigno rationem diſparitatis; quia plus eſt mereri de congruo infallibilem remiſſionem peccatorum extra Sacramentum, quàm de condigno augmentum gratiæ, & vitam æternam. Quod ſic probo; quia ſecundùm multorum opinionem valde probabilem, actus ſpei ſupernaturalis in homine juſto, ſecluſo omni imperio charitatis, per ſe eſt meritorius vitæ æternæ; & tamen improbabiliter dicitur, hujuſmodi actum reconciliare peccatorem Deo, antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur.

46. ...as bonum hominis juſti etiam dignificatur à gratia habituali.

Nec id mirum videri debet, nam opus bonum hominis juſti, non tantùm dignificatur ab imperio charitatis, ſed fortè magis ex gratia habituali, per quam operans conſtituitur in ſtatu adoptionis filiorum Dei, & hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

...nc. Trident.

Audiamus Concilium Trid. ſeſſ. 6. can. 32. *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera, ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita, aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Ieſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.*

Ubi generaliter bonis operibus hominis juſtificati per Dei gratiam factis, attribuit meritum augmenti gratiæ, & vitæ æternæ, nullâ factâ mentione imperii charitatis, ut vult Vaſquez diſt. 217. n. 32.

147. Sententia Vaſquez ad meritum condignum non requiri relationem in finem charitatis.

Ergo, concludit ille, fruſtra nos & abſque fundamento poſtulamus relationem illam in finem charitatis. Cumque abſque ulla limitatione de bonis operibus juſtorum aſſerat, eſſe meritoria vitæ æternæ; quânam obſecro ratione ad certum genus bonorum operum verba ipſius reſtringemus? Quin imò qui ad rationem meriti ampliùs ab homine juſto requirit, præter ea quæ dicta ſunt, aut ad certum genus operum bonorum definitionem Concilii reſtringit, verbis ipſius non obſcurè adverſari videtur. Hæc Vaſquez.

Aliquid plus requiritur ad actum meritorium primæ juſtificationis, quàm ſecundæ.

Cujus licèt ſententiam non ſequor, equidem ad hoc ſervit mihi, ut oſtendam aliquid amplius requiri ad actum meritorium de congruo primæ juſtificationis extra Sacramentum, quàm ad actum meritorium de condigno augmenti gratiæ, & vitæ æternæ. Nullus quippe docet cuilibet operi bono ex gratia Dei facto, immo in Deum relato, promiſſam eſſe remiſſionem peccatorum, ſicuti omnes docent cuilibet operi bono hominis juſtificati, in Deũ per charitatem relato, promiſſam eſſe vitam æternam.

Igitur non bene ſequitur, per imperium charitatis opus moraliter bonum hominis juſti fit meritorium de condigno augmenti gratiæ, & vitæ æternæ: ergo per imperium charitatis, quæ per ſe non ſufficit ad remiſſionem peccatorum, quælibet Contritio hominis peccatoris fit meritoria de congruo remiſſionis infallibilis peccatorum extra Sacramentum. 148. Concluſio.

Dico rurſum, *Quæ per ſe non ſufficit ad remiſſionem peccatorum*; quia illa, quæ per ſe juſtificat, neutiquam amittit vim ſuam ex conſortio Contritionis; quin imò elevat Contritionem, quæ ex ipſius imperio elicitur, ad meritum condignum augmenti gratiæ & vitæ æternæ, cùm jam ſit opus bonum hominis juſtificati, in Deum per charitatem relatum.

Nec ſatisfacis, ſi reſpondeas, amorem ſe ſolo non juſtificare, ſed complexum ex amore & dolore; hoc enim eſt quod quæritur, & à nobis negatur, niſi dolor fuerit ex eodem motivo amoris elicitus; ſiquidem Concilium Trident. ut ſuprà inſinuavi, diſtinguit Contritionem ab Attritione non per imperium charitatis, nam etiam Attritio poteſt imperari à charitate (immo ſecundùm aliquos debet imperari) cùm ſit opus bonum & placens Deo; ſed per motivum intrinſecum, quod aliud non poteſt eſſe, quàm motivum dilectionis Dei ſuper omnia: & ideo vocat eam Concilium *Contritionem charitate perfectam*; non ait, *à charitate imperatam*, ſed, *charitate*, inquit, *perfectam*, ſcilicet intrinſecè & eſſentialiter, cùm accidentalis perfectio charitatis etiam poſſit competere Attritioni, & ſecundùm aliquos debeat. 149. Occurritur objectioni. Contritio non diſtinguitur ab Attritione per imperium charitatis.

Dices: hic locus videtur nimis multum probare; nam ſupponit ibi Concilium ipſam Contritionem perfectam poſſe eſſe aliquando charitate formatam, aliquando verò non; id enim manifeſtè denotant ea verba: *Etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat.* 150. Objectio.

Reſpondeo, illa verba manifeſtè denotant ſtupiditatem illius objectionis. Quid enim ſtupidius, quàm ly *Hanc* referre Contritionem perfectam? Sic enim ſenſus Concilii eſſet: *Etſi Contritionem perfectam contingat aliquando eſſe charitate perfectam*, cùm tamen in prioribus verbis nullam fecerit mentionem Contritionis perfectæ, ſed Contritionis in genere, nullum prorſus motivum in particulari pro ea exprimens, ſed ſimpliciter definiens eam hiſce verbis: *Animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Reſponſio.

Illam ergo Contritionem ſic definitam refert ly *Hanc*, eamque Concilium aſſerit aliquando eſſe charitate perfectam, id eſt, elici ex motivo intrinſeco dilectionis Dei ſuper omnia; aliquando verò ex motivo inferiori, ſpei v. g. aut alterius virtutis moralis; non 151. Explicantur hæc verba Trident. *Etſi Contritionem hanc &c.*

quaſi

quaſi eadem numero Contritio nunc poſſit eſſe perfecta, poſtea verò imperfecta, vel è contra, ſed quia contingit aliquando, Contritionem ſecundùm rationem genericam contrahi ad dolorem ex motivo charitatis, aliquando ad dolorem ex alio motivo inferiori, ſicut contingit animali eſſe rationale, & irrationale; non quaſi huic numero animali ſit accidentalis rationalitas, aut irrationalitas; ſed quia animal ut ſic poteſt eſſe rationale, & poteſt eſſe non rationale.

152. *Contritio charitate perfecta debet eſſe actus elicitus dilectionis Dei ſuper omnia. Ratio congruentiæ,*

Itaque, ſalvo meliori, exiſtimo Contritionem charitate perfectam, neceſſariò debere eſſe actum elicitum dilectionis Dei ſuper omnia, Deo ſic volente. Quare autem ſic voluerit, penes ipſum eſt. Aliqui aſſignant rationem congruentiæ; quia ſicut fides non reſtituitur niſi per aliquem actum fidei, neque ſpes niſi per actum aliquem ſpei, ita non debuit reſtitui charitas, quæ expellitur per quodlibet peccatum mortale, niſi per actum aliquem dilectionis. Quod intelligendum eſt ſecluſo ſpeciali privilegio Sacramenti, aut Martyrii.

quam impugnat Arriaga,

Quapropter minùs bene rejicit hanc congruentiam Arriaga diſp. 6. n. 29. Quia, inquit, ſi bona eſſet, deberet etiam probare intrà Sacramentum requirendam Contritionem perfectam, quia etiam tunc recuperatur charitas, quæ expulſa fuerat per peccatum mortale.

ſed fruſtra.

Planè recuperatur, ſed non per ſolam Contritionem imperfectam, ſed per Sacramentum, quod Chriſtus ſingulari benevolentiâ inſtituit, ad ſupplendum defectum charitatis, quæ antea ex ordinatione divina requirebatur.

153. *Alia impugnatiò ejuſdem Authoris,*

Neque valet alia impugnatio ejuſdem Authoris ibidem: Quia, inquit, eſtò quis amiſiſſet ſpei habitum per actum deſperationis, ad converſionem tamen non requiritur in rigore ullus actus ſpei; ſi enim per Attritionem ex timore pœnarum inferni, eſtò non eliceret actum ſpei poſitivè, ſed per fidem crederet ſe poſſe juſtificari, confiteretur tamen, verè reciperet habitum ſpei: ergo etiamſi per peccatum adhuc directè oppoſitum charitati, expuliſſet quis charitatem; non tamen ideo neceſſùm eſt ad recipiendam eamdem charitatem habitualem, elicere actum charitatis. Hæc ille.

Rejicitur.

Sed non videtur attentè legiſſe Concilium Trident. quod ſeſſ. 14. c. 4. ad Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, requirit poſitivum actum ſpei dicens: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat* &c. Ergo qui amiſiſſet habitum ſpei, non reciperet illum ſine actu poſitivo ſpei, eſtò crederet per fidem ſe poſſe juſtificari, & per Attritionem ex timore pœnarum inferni confiteretur.

Ad Attritionem requirit Conc. Trident. actum poſitivum ſpei.

Vel fortè exiſtimas fidem illam eſſe ſpem veniæ? Falleris. Attende, quod dicit Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. ubi de modo præparationis ad juſtitiam: *Fidem*, inquit, *ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Ecce actus fidei, quo homo credit ſe poſſe juſtificari. 154

Fides, q[...] credo [...] poſſe [...] cari, [...] ſpes [...] ex Tri[...]

Sequitur ſpes veniæ: *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.*

Tertiò arguit Arriaga contra hanc rationem: poteſt homo ſine ullo actu ſpei per ſolum amorem Dei ſuper omnia juſtificari, quo caſu etiam ſine ullo actu ſpei reſtitueretur habitus ipſius ſpei; imò habitus omnium aliarum virtutum infuſarum, ſi tales dentur. 155.

Tertium [...] Arria[...]ga.

Reſpondeo, omnino reſtituerentur ſine actu ſpei, ſed non ſine actu perfectiori. Et ſanè cui ſufficit actus imperfectior, quidni ſufficiat actus perfectior? Sed numquid datur actus perfectior charitate, ratione cujus Deus meritò moveatur ad reſtituendum habitum charitatis? Numquam talem audivi.

Reſponſio[...]

Cæterùm quod addit Arriaga, illum exceſſum perfectionis habitûs & actûs charitatis, malè appellari eminentialem ſeu virtualem continentiam aliarum virtutum, quæſtio eſt de nomine, de qua parùm curandum, quando conſtat de re: fatemur habitum charitatis non producere habitus aliarum virtutum, nec actum charitatis actus aliarum virtutum; & ſi hoc putas requiri ad illam appellationem, patet ſic habitum & actum charitatis, non continere eminenter & virtualiter habitus & actus aliarum virtutum: ſin autem dixeris ſufficere, quòd charitas ſit virtus nobilior, quòd ſit forma omnium aliarum virtutum, quòd identificetur gratiæ juſtificanti (ſecundùm ſententiam Scoti) à qua omnes habitus infuſi in ſuo connaturali eſſe, ut vult Arriaga ſuprà n. 31. dependent, liquet profectò optimè dici charitatem virtualiter & eminenter continere alias virtutes, tam ſupernaturales, quàm naturales. 156.

Habitus charitatis rectè dicitur continere eminenter habitus aliarum virtutum,

Et hinc fit, ut per peccatum magìs directè, ſecundùm noſtra principia, expellatur (eſtò tantùm demeritoriè) habitus charitatis, quàm aliarum virtutum; hæ ſiquidem, veluti ſolùm concomitanter, & quaſi proprietates connaturales gratiæ, in juſtificatione infunduntur, ipſa autem gratia principaliter & directè; ita quoque ſolùm concomitanter & indirectè per peccatum mortale expelluntur; ipſa autem gratia ſive charitas habitualis principaliter & directè. Ergo conveniens fuit ut ſecluſo ſpeciali privilegio, charitas habitualis non reſtitueretur, niſi per actum charitatis. 157.

Peccatum magis directè expellit habitum charitatis, quàm aliarum virtutum.

Accedit;

Digitized by Google

158. [...]atum [...]tale eſt [...]imum [...]um Dei, [...]enia ma[...]ium be[...]cium.

Accedit, quòd peccatum mortale ſit maximum malum Dei, & ex parte hominis ſumma Dei injuria & offenſa; ac proinde venia, quæ ipſi offertur, maximum Dei beneficium: quare omnino convenit ut hæc ſolùm concedatur peccatori ſub obligatione nobiliſſimi actûs, quem poteſt, efficiendi: talis autem actus eſt amor Dei propter ſe ſuper omnia.

[...]are in [...]tyrio & [...]ramento [...]iciat At[...]io.

Hic ergo requiritur, niſi defectum ſuppleat ſpecialis favor, ut in Martyrio & Sacramento: in hoc quidem propter merita Chriſti Inſtitutoris, quæ per Sacramentum ſpecialiter hominibus applicantur; in illo verò propter difficultatem operis externi & heroicam fortitudinem, quæ requiritur ad mortem pro Chriſto ſubeundam. Fortè etiam difficultas Confeſſionis, quæ aliquibus videtur ſatis magna, aliqualis fuit ratio majoris facilitatis obtinendi veniam peccatorum per ſolam Attritionem in Sacramento Pœnitentiæ.

159. [...]trùm ſuf[...]iat ad ju[...]ficatio[...]m amor [...]e explici[...] dolore?

His ita conſtitutis de dolore, qui elicitur ex motivo dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, quęſtio ſupereſt, an ſicuti hic dolor juſtificat extra Sacramentum abſque alio actu dilectionis per modum proſecutionis, ita etiam juſtificet ſolus amor Dei propter ſe ſuper omnia, ſine formali & explicito dolore. Reſolutio erit

CONCLUSIO V.

Solus amor Dei propter ſe ſuper omnia, ſine formali & explicito dolore, juſtificat extra Sacramentum, etiam memorem ſuorum peccatorum, ſi poſſit abſque tali dolore Deum propter ſe ſuper omnia amare.

160. [...]robatur [...]onclus. ex [...]criptura.

Eſt communis; & probatur potiſſimùm ex illis Scripturis, in quibus formali dilectioni nullâ factâ mentione Pœnitentiæ ſeu doloris tribuitur efficacia remiſſionis peccatorum. Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm, cui autem minùs dimittitur minùs diligit.* Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Eccli. 34. v. 15. *Oculi Dei in diligentes ſe.* Joan. 1. c. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* Et v. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Joan. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.* Et v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus* (per gratiam ſanctificantem) *& apud eum manſionem faciemus.* Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Quis autem ſanæ mentis dubitare poteſt, quin per ſolum amorem Dei propter ſe ſuper omnia, homo perfectè convertatur ad Deum? Ubi ergo Dominus bonus eſt, non ſit nequam oculus noſter, invidens remiſſionem peccatorum his, quibus Deus illam promiſit.

[Luc. 7. — Proverb. 8. — Eccli. 34. — Joan. 1. 4. — Joan. 14. — Zach. 1.]

Nec obſtat quòd in aliis locis Scriptura meminerit Pœnitentiæ, tamquam neceſſariæ ad remiſſionem peccatorum; Ezech. 18. v. 30. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Luc. 13. v. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Actor. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* 161. Objectio ex Scriptura. Ezech. 18. Luc. 13. Act. 2.

Ex quibus Scripturis concludit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. *Fuit Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria.* Et cap. 4. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius.* Hic, inquam, Contritionis motus, id eſt, animi dolor & deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. & Concil. Trident.

Hæc, dico, non obſtant Concluſioni, quia commodè intelligi poſſunt, immo debent, de Pœnitentia formali & explicita vel actu æquivalente, qualis eſt dilectio Dei propter ſe ſuper omnia: alioquin cui nullum peccatum occurreret in genere, vel in ſpecie, non poſſet juſtificari, & per conſequens non ſalvari. Patet, quia peccatum eſt objectum terminativum explicitæ & formalis Pœnitentiæ, porrò ſine objecto terminativo impoſſibilis eſt actus, ut omnes fatentur. Quis autem credat in tali homine ſalutem omnino eſſe impoſſibilem? 162. Reſponſio, quòd Script. & Conc. intelligi debeant de Pœnitentia explicita vel actu æquivalente.

Poſſibilem eſſe, in terminis docet Scotus 4. diſt. 14. q. 1. n. 17. ibi: *Intelligitur etiam Concluſio de requiri non ſimpliciter neceſſario cuius oppoſitum includit contradictionem: quia poſſet Deus remittere* (peccatum mortale) *ſine omni actu illius, cui remittitur. Sed nec de requiri neceſſario, ſuppoſito actu hominis, cui remittit; poſſet enim Deus remittere per aliquem motum ferventem dilectionis in Deum abſque quocumq; quatuor prædictorum actuum* (loquitur de actibus Pœnitentiæ) *ſub propria ratione, utpote in actu fervoris ad Martyrium ſtatim ſuſtinendum, ubi fortè non eſſet cogitatio de aliquo peccato mortali priùs commiſſo, nec per conſequens aliquod pœnitere prædictum, & hoc formaliter, licèt virtualiter in illo motu eſſet pœnitere iuxta ſecundam ſignificationem*, id eſt; deteſtatio de peccato commiſſo. 163. Homo immemor peccatorum poteſt juſtificari ex Scoto.

Et iſtud probatur (proſequitur Doctor n. 18.) *quia nullus excluditur à regno cælorum, qui facit illud, quod ſimpliciter eſt neceſſarium: ſed eſt poſſibile aliquem uſque ad inſtans A. exiſtentem in peccato mortali, ab inſtanti A. neceſſitari ad toto corde inſiſtendum circa actus diſtrahentes à cogitatione de peccato commiſſo, utpote ſtatim expoſito Martyrio*

arctiſſimo. Ecce qualiter Scotus aſtruat noſtram Concluſionem.

164. *An propterea doceat noſtram Concluſionem?*

Minimè, inquis; nam ſolùm loquitur de caſu particulari, quando videlicet non occurrit memoria peccatorum, & alioquin peccator non poteſt ſalvari: cùm hoc tamen optimè ſtat, regulariter amorem non juſtificare ſine formali & explicita Pœnitentia; cùm enim hi actus non habeant ex natura ſua vim juſtificandi, ſed ex libera acceptatione Dei, potuit optimè Deus ſtatuere, ut non ſufficeret amor, quando eſt memoria peccatorum, & conſequenter quando poteſt facilè haberi dolor, eſtò in caſu oblivionis, & periculo damnationis ſufficeret.

165. *Sentit ad deletionem peccati regulariter requiri explicitam Pœnitentiam.*

Atque ſic ſtatutum eſſe, conſentit Scotus eâdem quæſtione nu. 10. ibi: *De re eſt iſta Concluſio, quòd ad deletionem peccati regulariter requiritur pœna vel punitio voluntaria.* Et n. 18. ibi: *Et propter hoc dictum eſt in Concluſione* (mox allegatâ) *quòd requiritur* (Pœnitentia formalis & explicita) *ad hoc, ut peccatum mortale regulariter deleatur: quia dicitur regulariter fieri, quod fit ſecundùm regulas determinatas à ſapientia divina; quarum hæc eſt una:* Quod peccatum commiſſum non deleatur ſine diſplicentia de peccato commiſſo: *quæ apparet multum rationabilis, quia ſicut peccatum avertit à fine, & convertit ad creaturam, ita rationabile eſt, quòd non deleatur niſi per motum oppoſitum, avertentem à peccato, ſive creatura, ut circa illam fuit peccatum, & convertentem ad Deum.*

Quid dicatur regulariter fieri.

166. *Hanc neceſſitatem non negat Concluſ. quia in memore peccatorum regulariter non invenitur amor ſuper omnia abſque explicita Pœnitentia.*

Hìc hæreo, & ut verum fatear, videtur Doctor in verbis jam jam citatis agnoſcere neceſſitatem formalis & explicitæ Pœnitentiæ regulariter, ſed & illam non negat noſtra Concluſio, affirmans ſufficere amorem Dei propter ſe ſuper omnia, quoniam hic amor regulariter non invenitur in homine peccatore, qui cogitat de peccato mortali commiſſo, ſine formali & explicita Pœnitentia.

Etenim, ut dixi Concluſ. 3. idem actus Contritionis, qui formaliter eſt receſſus à peccato, ſaltem virtualiter & æquivalenter eſt acceſſus ad bonitatem divinam, & è converſo, idem actus amoris, qui formaliter eſt acceſſus ad bonitatem divinam, ſaltem virtualiter & æquivalenter eſt receſſus ab oppoſito peccato; quia videlicet ratione ejuſdem motivi unus iſtorum actuum natus eſt ex alio ſequi, ſi objectum ejus terminativum ſufficienter proponatur, ut ſupponitur in præſenti caſu fieri per actualem conſiderationem peccati mortalis commiſſi; quid ergo mirum ſi communiter non deleatur peccatum mortale abſque formali & explicita Pœnitentia?

167. *Objectio,*

Hinc ſolvitur iſta objectio: in actu imperante continetur virtualiter actus imperatus, & tamen non ſemper habet imperatus æqualem bonitatem, adeòque nec æqualem effectum in ordine ad juſtitiam primam vel ſecundam, quem habet actus imperatus; nam per actum religionis, aut Pœnitentiæ ſpecialis, poſſum imperare actum charitatis, ſeu perfectæ Contritionis. Licèt ergo actus dilectionis contineat virtualiter Contritionem, non propterea habebit ejus bonitatem, & per conſequens effectum remiſſionis peccatorum.

Reſpondeo; aliud eſſe contineri in alio, ut in cauſa vel applicante, & aliud ut in voluntate æquivalente. Prima continentia non ſufficit, quia actus imperatus poteſt habere diſtinctum motivum intrinſecum excellentius, cujus perfectionem non attingit actus imperans, ut patet in exemplo allegato. Secunda continentia abundè ſufficit, quoniam uterque actus habet idem motivum, & tendit ad idem objectum, licèt unus magìs directè & explicitè, quàm alius. Dilectio namque præfert Deum rebus omnibus creatis, atque adeò implicitè vult omnia creata poſthabere ne ipſum offendat; Contritio quoque ex eodem motivo dolet, quòd per peccatum creatura fuerit antepoſita: igitur quoad effectum idem vult Contritio, quod dilectio, & è contra. 168.

Solutio. Aliud eſt contineri aliquod in cauſa vel applicante, aliud in voluntate æquivalente.

Ideòque putant aliqui abſolutè fieri non poſſe, ut homo qui actualiter cogitat de peccato mortali à ſe commiſſo, & nondum remiſſo, amet Deum propter ſe ſuper omnia, ſine formali & explicito dolore de peccato commiſſo, ſicut intentio efficax non poteſt ſubſiſtere ſine electione medii neceſſarii ad conſequendum finem intentum.

Sed contrà facit, quòd Contritio non ſit ſemper medium neceſſarium ad iſtam dilectionem Dei ſuper omnia; cùm enim præceptum Pœnitentiæ ſit affirmativum, non pro ſemper obligat, ſed tantùm pro certo tempore, ut ſequenti Sectione videbimus: igitur poteſt peccator velle ſuper omnia Deum propter ſe diligere, & actu diligere, etſi non velit elicere formalem Contritionem, nec actu eliceat, quandoquidem ad finem ſuum non ſit neceſſaria; in hoc ſiquidem conſiſtit perfectio iſtius dilectionis, quòd homo malit quidlibet facere, aut pati, quàm Deum mortaliter offendere: niſi ergo peccator apprehendat Contritionem formalem hìc & nunc omitti non poſſe ſine novo peccato mortali, non videtur ex hoc capite neceſſitari ad illam eliciendam, ſed ſufficit quòd habeat propoſitum illam eliciendi ſuo tempore. 169.

Videtur ſic quibus abſolutè quis poſſe amare Deum ſuper omnia ſine explicita Pœnitentia, etiamſi cogitet de peccatis ſuis.

Enimverò dilectio Dei per ſe ſolùm tendit ad conjungendum amantem ex parte ſua ſtatim cum Deo, non verò ut amatus conjungat ſe & redamet amantem; immo poſſet aliquis ex amore deſiderare odio haberi ab amato, ſi id bonum, & melius judicaret ipſi amato eſſe: verus enim amor non quærit quod ſuum eſt, ſed quod bonum eſt amato. Non ergo eſt neceſſe, quòd

Dilectio Dei per ſe ſolùm tendit ad conjungendum amantem ex parte ſua cum Deo.

Digitized by Google

quòd dilectio Dei ſit voluntas efficax delendi ſtatim culpam habitualem; hoc enim non eſt amare, ſed velle amari à Deo: ſufficit ergo quòd velit efficaciter delere peccatum habituale, quando id neceſſarium erit ad obediendum Deo, vel non cōmittendum novum peccatum.

170. [...]mmuni[...] [...]x dilec[...] [...]e actuali & me[...]ia pec[...]rum ſta[...] oritur [...]icita [...]itentia.

Cum hoc tamen ſtat, inquit Lugo diſp. 5. n. 96. quòd communiter ex dilectione actuali Dei, & memoria peccatorum oriatur ſtatim Pœnitentia & dolor de illis; non quia apprehendantur ii actus neceſſarii ad expulſionem peccati habitualis, ſed quia ex amore alicujus objecti ſtatim oritur odium contrarii; ſic enim ex amore Petri, ſi audio eum ęgrotaſſe, maximè ex mea culpa, oritur ſtatim diſplicentia & morbi & meæ culpæ, licèt utrumque tranſierit; hæc tamen connexio non eſt adeò neceſſaria, ut non poſſit unquam impediri: amor enim efficax ſolùm videtur afferre neceſſariò voluntatem eorum, quæ adhiberi oportet à me in bonum neceſſarium illius quem amo, & ad conſervandam conjunctionem affectivam cum illo. Hactenus Cardinalis.

171. [...]plicatur [...]ura cha[...]tis ex [...]to. [...]aritas eſt [...]icitia la[...]umendo [...]icitiam. [...]iloſophus. [...]neſtas in [...]gibili & [...]amatio [...]dilecto [...]t condi[...]nes per ſe [...]diligibili, [...]nalias in [...] condi[...] conco[...]tans.

Sed videamus num hic Auctor ſat expenderit naturam charitatis, quâ Deum propter ſe diligimus. *Charitas* (inquit Doctor Subtilis 3. diſt. 27. q. 1. n. 20.) *propriè poteſt dici amicitia, licèt non omnino accipiendo amicitiam ſtrictè, ſicut accipit Philoſophus ibi* (8. Ethic.) *ſed aliquantulùm extendendo, ſicut ſecundùm intentionem ejus, ad Deum eſt aliquid excellentius amicitia. Illa enim excellentia objecti, non tollit quod eſt perfectionis in objecto, ſed illud quod eſt imperfectionis. Honeſtas quippe in diligibili, & redamatio in dilecto ſunt conditiones per ſe in diligibili, non quidem imperfectionis, immo non eſſet perfectior, ſi non redamaret: ſed æqualitas in iſtis eſt conditio concomitans. Deus autem habet honeſtatem, & redamationem ſicut amationem, & excellentius poteſt eſſe amicitia ad ipſum, ita ut dicatur ſuper amicitia.* In quibus verbis Scotus inter conditiones per ſe amicitiæ enumerat redamationem dilecti.

172. [...]or Dei [...]er omnia [...]ctus a[...]citiæ.

Et verò amor Dei propter ſe ſuper omnia; nonne actus eſt amicitiæ? Qui ergo illum vult, quomodo non etiam debet velle, ſaltem implicitè, redamationem dilecti? Hanc autem non poteſt velle, niſi velit tollere illud, propter quod meretur odium dilecti, quale eſt peccatum habituale: ergo non videtur poſſe amare Deum amore amicitiæ ſuper omnia, niſi ipſi diſpliceat peccatum præteritum, quod impedit redamationem dilecti.

[...]n poteſt [...]s velle [...]igere [...]riſtum, [...]ſi etiam [...]lit, ſaltem [...]nplicitè ab [...]lo diligi. [...]n 14.

Nonne Chriſtus ait: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me-ipſum.* Joan. 14. v. 21.? Quomodo ergo poſſum velle diligere Chriſtum, & non velle ſaltem implicitè dilectionem Patris & Chriſti? Quomodo autem poſſum velle dilectionem Patris & Chriſti, niſi velim tollere peccatum habituale, quod novi impedire illam dilectionem? Igitur neceſſariò diſplicet peccatori peccatum habituale tamquā grave aliquod malum dilecti, propter quod meritò non redamatur.

[...]onclusio.

173. Probatur exemplo patris, qui filium vehementer diligit,

Numquid pater qui filium ſuum vehementer diligit, & videt illi grave aliquod malum accidere, maximè ſi ex ſua culpa, ex naturali eo affectu neceſſariò prorumpit in odium iſtius mali, & concipit ſtatim voluntatem, quantùm eſt ex ſe efficacem, illud malum propulſandi?

& experientiâ.

Sanè experientia demonſtrat, ſi offendimus graviter amicum, & eum poſtea vehementer iterum amare incipimus, ſuppoſitâ recordatione offenſæ, haud poſſe nos continere pudorem ac dolorem, potiſſimùm ſi adhuc cognoſcimus eam offenſam non eſſe extinctam. Et potero continere dolorem de peccato à me commiſſo, per quod video me graviter offendiſſe & quodammodò adhuc offendere Deum, quem propter ſe ſuper omnia amo, adeò ut malim omnia perdere, quàm illum de novo offendere? Non videtur moraliter poſſibile.

174. Reſponſio Adverſariorum rejicitur.

Si reſpondeas; eo ipſo quò quis diligit Deum ſuper omnia, tollitur peccatum habituale, eſtò non ſequatur nova illius deteſtatio. Contrà, hoc eſt quod quæritur, & ab aliis negatur, quando nova deteſtatio commodè poteſt haberi, adeòque cùm ſaltem ſit dubia permanentia iſtius peccati, non videtur ſincerè amare Deū propter ſe ſuper omnia, qui cùm poſſit ipſi facillimè certò reconciliari eliciendo formalem & explicitum dolorem, qui quaſi naturaliter ex illo amore ſequitur, quaſi violenter ſine aliqua cauſa ipſum differt ad aliud tempus, cum periculo interea manendi capitalis hoſtis & inimicus Dei, quem propter ſe ſuper omnia dicit ſe amare.

175. An neceſſariò dolendum de peccatis remiſſis, & peccatis alienis,

Neque ex hac doctrina ſequitur, etiam neceſſariò dolendum de peccatis remiſſis, & peccatis alienis; quis namque dolet ſanitatem amiſſam, poſtquam eamdem perfectè recuperavit? Morbus ablatus quaſi pro nihilo reputatur, ſic etiam peccatum perfectè remiſſum. Et verò peccata aliena quà talia, ſicuti non ſunt materia propoſiti de cætero non peccandi, quod utique propoſitum includitur in amore Dei ſuper omnia, ita pariter non ſunt materia neceſſaria deteſtationis de peccato commiſſo; deteſtationis, inquam, ex illo amore infallibiliter provenientis, ſeu illi amori moraliter ſemper conjunctæ.

176. Probabile affirmat Arriaga,

Atque ut ſequelam illam concederemus, quid tum? Si (inquit Arriaga diſp. 7. n. 4.) dum eum amorem elicimus, recordamur commiſſorum peccatorum, valde probabile eſt nos eo ipſo cogi ad deteſtanda omnia antiqua peccata; neque video unde dici poſſit hoc eſſe contra experientiam, quia quando amor ille ſolus eſt, non ſolet eſſe attentio intellectûs ad peccata, ſed purè putè ad infinitam Dei bonitatem. Et n. 6. ſic ait: Probabiliſſimè poſſumus admittere ſequelam, ſcilicet ſi homo advertat ad peccata aliena, cogendum tunc ad ea deteſtanda ſeu ad diſplicentiam in illis. Hæc ille.

Digitized by Google

Exemplum matris extremè amantis filium. Profectò experientia teſtatur matrem extremè amantem filium, non poſſe non dolere ſi illum videat aliquod grave malum actu patientem, ſive à ſe, ſive ab alio inferatur; porrò peccata aliena ſunt malum extrinſecum Dei, ſicut noſtra: ergo qui videt Deum illa patientem, quidni cogatur quodammodò ad dolendum, ſi ipſum ſuper omnia amet?

177. **Ex hypotheſi quòd poſſit elici amor Dei ſuper omnia ſine explicito dolore videtur ſufficere,** Cæterùm ſi à me quæritur, utrùm ex hypotheſi poſſibili, vel impoſſibili, quòd amor Dei ſuper omnia eliceretur abſque formali & explicita deteſtatione de peccatis commiſſis, & cognitis ut non remiſſis, utrùm, inquam, ſolus iſte amor juſtificaret extra Sacramentum?

Reſpondeo citiùs, me non videre rationem efficacem id negandi, licèt extra controverſiam ſit, in poteſtate Dei fuiſſe rem ita diſponere, ut non ſufficeret talis amor; & ſic diſpoſitum fuiſſe, aliqua Scripturæ loca videantur probabiliter ſignificare, illa videlicet, ex quibus Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. c. 4. colligit, motum Contritionis omni tempore fuiſſe neceſſarium ad impetrandam veniam peccatorum.

178. Verùm cùm hæc neceſſitas non ſit tam univerſalis, quin patiatur exceptionem in caſu oblivionis peccatorum, in quo ſufficit, etiam ex ſententia Adverſariorum, ſolus amor Dei ſuper omnia, cur non etiam in caſu extraordinario & rariſſimo memoriæ peccatorum?

Scriptura aliquando tribuit remiſſionem peccatorum charitati nullâ factâ mentione Pœnitentiæ Etenim Scriptura, ut ſuprà vidimus, generaliter nullâ factâ mentione formalis & explicitæ Pœnitentiæ, tribuit remiſſionem peccatorum veræ charitati ſeu dilectioni Dei ſuper omnia, quam alibi tribuit formali & explicitæ Pœnitentiæ, abſque expreſſa mentione alterius actûs charitatis, fortaſſis, ideo ut ſignificet utrumque actum ſeorſim ſufficere, utique propter virtualem ſaltem continentiam unius in altero; ſicuti propter ſimilem continentiam diximus Concluſ. 2. non requiri expreſſum & formale propoſitum de cætero non peccandi, licèt Concilium Trident. ſuprà ſimpliciter & generaliter requirat ad veram Contritionem propoſitum de cætero non peccandi.

179. **Quomodo amor ſuper omnia virtualiter contineat dolorem.** Porrò amor ſuper omnia virtualiter continet dolorem, tum quia ad illum determinat datâ occaſione, tum quia totum motivum iſtius doloris continet, tum quia implicitè dolet. Nam Deum amare ſuper omnia, eſt amare illum ſuper omne peccatum; eſt item illum præferre omnibus, non ſolùm pro tempore futuro & præſenti, ſed etiam pro præterito, ac proinde ibi eſt implicitè nolle peccaſſe, ſeu, ſi per impoſſibile poneretur jam in tempore præterito, nollet tunc offendere Deum, hoc autem eſt odio habere quod peccaverit; qui enim dicit: *Non facerem, ſi iam eſſem in illis occaſionibus*, eo ipſo dolet ſe illud tunc feciſſe: ergo ſufficiet ad juſtificandum, etiamſi fortè hìc & nunc non ſequatur ex illo ullus dolor. Ita Arriaga ſuprà n. 14. *Arriaga.*

Neque repugnat Scotus, quia cùm Concilio Trident. locutus fuit de naturali & ordinario modo, quo impoſſibile eſt, hominem memorem ſuorum peccatorum, amare Deum ſuper omnia, & non illicò formaliter & explicitè dolere de peccatis commiſſis, & non remiſſis. *Scotus.*

Dico, *Super omnia*; quia ſicut aliqua complacentia vel amor ſimplex, quo non magìs amo Deum quàm omnia, ſed præcisè plùs quàm unam & alteram creaturam, haudquaquam includit propoſitum de cætero non peccandi, ſed optimè cohæret cum voluntate Deum graviter offendendi, ita quoque hujuſmodi amor neutiquam cogit ad dolendum de omnibus peccatis præteritis, ſed fortè de uno tantùm aut altero, adeòque minimè ſufficit ad juſtificationem, in qua cum remiſſione peccatorum mortalium nullo excepto (quia de facto unum peccatum mortale non remittitur ſine alio) hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur Fidem, Spem, & Charitatem. 180. *Amor non ſuper omnia [illegible] peccata, adeòque non ſufficit ad juſtificationem.*

Igitur de amore perfecto & ſuper omnia loquitur Scriptura illis locis, in quibus dilectioni ſive charitati attribuit effectum remiſſionis peccatorum, tametſi expreſſis verbis id non ſemper declaret. *Concluſio.*

Sed numquid aliquando declarat? Audi Apoſtolū Rom. 13. v. 10. *Plenitudo*, inquit, *legis eſt dilectio*. Non unius aut alterius præcepti adimpletio, ſed omnium, ad minùs quæ obligant ſub mortali, eſt vera & ſincera dilectio, quæ abſolutè & ſimpliciter illo nomine meretur appellari. 181. *Quod debeat eſſe amor ſuper omnia probatur Scriptura, Rom. 13.*

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, interrogat Jacobus Apoſtolus Epiſt. c. 2. v. 5. *divites in fide & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?* Et ſubdit v. ſeq. *Vos autem exhonoraſtis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos* &c? Quaſi diceret: vos qui exhonoraſtis pauperem, non eſtis divites in fide & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe; quia verè Deum non diligitis, tametſi aliquas ejus leges ſervaveritis. *Jac. 2.*

Unde v. 10. & 11. ſic inquit: *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno* (id eſt, præterquam unam) *factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit & Non occides. Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.*

Quod probè intelligens Apoſtolus, quem diligebat Jeſus Epiſt. 1. c. 4. v. 20. ait: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Unde Chriſtus Joan. 14. v. 23. non dixit: *Si quis diligit me ſermonem meum unum aut alterum ſervabit*; ſed univerſaliter & indefinitè: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Et Joan. 15. v. 10. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in eius dilectione.* Item v. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* *Joan. 1. c. 4.* *Joan. 14.* *Joan. 15.*

Nec

Digitized by Google

2. tio. Nec valet argumentum; poſſum eſſe amicus hominis, eumque ſincerè diligere, etſi non ſim paratus ad amittendum meum honorem & omnia mea in gratiam illius; multò autem magìs etiamſi non ſim paratus alios omnes offendere citiùs, quàm illum: ergo pari ratione potero eſſe amicus Dei, licèt non ſim paratus omnia omnino illi poſtponere, vel propter illum vitam omniaque mea amittere.

tur. Hoc, inquam, argumentum non valet; nam ratio diſparitatis eſt manifeſtiſſima, puta, quia homo eſt homo, qui poteſt iniqua petere; Deus autem eſt Deus, cujus natura bonitas, & in quem non cadit peccatum, nihilque præcipere poteſt, quod non ex omni parte ſit honeſtum, & obligans independenter à titulo amicitiæ. Quid ergo mirum, ſi ratione amicitiæ tenear ita Deum amare, ut illum omnibus præferam; hoc eſt, ut malim omnia amittere, quàm ullum peccatum mortale committere?

Sed hæc ſatìs de amore Dei ſuper omnia, revertamur ad Contritionem charitate perfectam, quæ & ipſa eſt formalis (licèt non explicitus) amor ſuper omnia, ut oſtendimus Concluſione præcedenti; & ideo erit

CONCLUSIO VI.

Contritio charitate perfecta deteſtatur omnia peccata mortalia; non eſt neceſſe quòd ſingula in particulari.

183. ...batur ...ma pars ...ncluſ. PRima pars eſt certa, & in omnibus ſcholis recepta. Probatur abundè ex jam dictis de amore ſuper omnia, qui utique Deum omnibus præfert, hoc eſt, mavult omnia amittere, quàm ullum peccatum mortale committere: ergo Contritio perfecta, quæ procedit ex tali amore, imò formaliter (licèt non explicitè) eſt talis amor, neceſſariò deteſtatur omne peccatum mortale commiſſum, & non tantùm hoc, vel illud, poſitivè ſibi in aliis complacendo. Conſequentia eſt manifeſta, quia hujuſmodi complacentia eſt actuale peccatum, cum quo abſolutè nequit ſtare amor Dei ſuper omnia communi calculo Doctorum.

184. ...n ſufficeret deteſtatio unius tantùm peccati ex pluribus quæ memoriæ occurrunt? Sed numquid requiritur poſitiva & formalis ſeu expreſſa diſplicentia omnium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt; adeò ut non ſufficeret ad juſtificationem, deteſtatio unius tantùm ex motivo veræ charitatis, v. g. deteſtatio ſolius injuſtitiæ, in quantum eſt offenſa gravis divinæ bonitatis, reſervando deteſtationem luxuriæ in aliud tempus?

Ratio pro... Ratio dubitandi eſt, quia ſecundùm aliquos, poteſt peccator amare Deum ſuper omnia & juſtificari, tametſi pro hoc tempore nolit formaliter deteſtari ullum peccatum; cur ergo ſimiliter non poſſet amare Deum ſuper omnia, & ex illo amore tantùm deteſtari unum peccatum? Si enim bonitas divina amata ſuper omnia non cogit me ad deteſtationem vel ſaltem unius peccati, quare coget me ad deteſtationem omnium, ſi unum deteſtor? parte affirmativa ſecundùm aliquam ſententiam.

Si reſpondeas; quia motivum deteſtationis eſt univerſale, ſcilicet offenſa divina: ergo ſi deteſtatur injuſtitiam; quia offenſa divina gravis, etiam neceſſariò deteſtatur luxuriam, quoniam & ipſa eſt gravis offenſa divina. Contrà facit, quòd etiam bonitas divina ſit motivum univerſale & commune tum amoris Dei ſuper omnia, tum deteſtationis peccatorum, tam præteritorum, quàm futurorum: ergo ſi propter illam nolo peccatum futurum, etiam propter eamdem neceſſariò nolo, quantùm in me eſt, peccatum præteritum, præſertim nondum remiſſum; æqualiter enim repugnant bonitati divinæ peccatum commiſſum, & committendum. Igitur ex hac parte non apparet ſufficiens ratio diſparitatis. Si alia ſit, viderint ipſi. 185. Reſponſio ad illam rationem. Rejicitur.

Nos dicimus fieri non poſſe, ut quis practicè advertens plura peccata mortalia tamquam deteſtanda, unum deteſtetur ex amore Dei ſuper omnia, id eſt, quatenus offenſa gravis bonitatis divinæ à ſe ſuper omnia amatæ, & non deteſtetur alterum, quod ſimiliter eſt gravis offenſa ejuſdem bonitatis divinæ; cùm enim abſolutè ipſi diſpliceat offenſa divina gravis; abſtrahendo à tali vel tali gravitate, aut quocumque alio motivo particulari, planè neceſſarium eſt, ut ipſi diſpliceat illa offenſa in quocumque objecto reperiatur, ſive formaliter & expreſsè, ſi objectum illud voluntati explicitè proponatur, ſive implicitè & virtualiter, ſi illius practicè non recordetur. 186. Auctor tenet partem negativam.

Probant nonnulli hanc veritatem à ſimili ex aſſenſu fidei; nam licèt hic interdum verſetur circa definitam aliquam veritatem, ſi tamen ſit ex puro motivo fidei, ſemper eſt univerſalis virtualiter; id eſt, includens hunc affectum ex parte credentis; nimirum, illum eſſe paratum ad credendum quamcumque aliam veritatem ſub illo motivo ſufficienter propoſitam; quia motivum eſt omnino idem in omnibus particularibus objectis materialibus, & in eo talem habent connexionem omnes illæ veritates particulares, ut non poſſit una negari, quin deſtruantur omnes. 187. Probatur ab aliquibus à ſimili ex aſſenſu fidei.

Quod à contrario etiam explicatur, quia propter hanc cauſam non poteſt aliquis verâ fide credere unum articulum, ſi alium ſufficienter propoſitum neget: idem ergo erit quoties motivum ſimile fuerit. Ita Suarez diſp. 3. ſect. 8. n. 4. Suarez.

Addo aliud ſimile ex eodem Auctore ibidem 188. Aliud ſimile.

Digitized by Google

dem n. 5. Qui, inquit ille, deteſtatur unum peccatum mortale propter timorem æternæ pœnæ, neceſſe eſt ut virtute deteſtetur omnia mortalia, quia per quodlibet incurritur æternæ pœnæ reatus, & per unum contrahitur non minùs quàm per omnia, quamvìs quoad gravitatem & intenſionem pœnæ non ſit æqualitas; quo modo intelligi poteſt illud Jacobi 2. *Qui in uno offendit, factus eſt omnium reus.* Similiter qui deteſtatur unum mortale, quia eſt ita contrarium charitati, ut diſſolvat amicitiam cum Deo, virtute deteſtatur omnia, quia in omnibus eſt malitia, ſeu averſio ſimilis, quoad illam rationem. Hucuſque Suarez.

Suarez.

Iac. 2.

189. Primum ſimile diſplicet Arriagæ.

Verumtamen primum ſimile non placet Arriagæ; quia nimium probare videtur, videlicet eum qui ex motivo charitatis amat unum objectum honeſtum, teneri ex eodem motivo amare omnia, quod ipſe putat eſſe falſum, & probat, ſuo judicio, efficaciter, exemplo dantis eleëmoſynam propter bonum eleëmoſynæ, qui non ideo neceſſitatus eſt ad dandam omnem eleëmoſynam poſſibilem. Item exemplo illius, qui vult propter Deum facere bonum opus aliquod, v. g. confiteri & communicare, non tamen ideo tenetur toto anno jejunare, vel ingredi Religionem &c.

190. Aſſignat rationem diſparitatis inter actus intellectûs & voluntatis, quòd hi ſint liberi, illi neceſſarii.

Hinc prædictus Auctor negat Conſequentiam illius ſimilis, quia (inquit diſp. 9. n. 7.) cùm aſſenſus fidei pertineat ad intellectum, qui non eſt liber in ſuis operationibus, eo ipſo quòd certum ſibi perſuadeat, Deum in ſuis dictis eſſe veracem, & advertat hoc in particulari eſſe dictum Dei, non poteſt non judicare hoc dictum eſſe verum; ſuppono enim aliunde, poſito aſſenſu præmiſſarum, non poſſe intellectum non aſſentiri Concluſioni indè evidenter illatæ; qualis eſt in præſenti veritas cujuſcumque dicti Dei, ſuppoſitis illis duabus univerſalibus præmiſſis; in ordine autem ad voluntatem nihil tale reperitur, quia cùm ſit libera, poteſt pro ſua libertate, inter duo objecta, in quibus eſt eadem bonitas, unum amare, aliud reſpuere; neque ideo ſequitur contradictio ulla, quia non amat & reſpuit eamdem bonitatem, ſed diſtinctas, amat enim bonitatem ut ſic, quam obtinet amando aliquam in particulari; reſpuit autem præciſè aliam in particulari diſtinctam. Hactenus ille.

191. Objectio, quòd aſſenſus fidei ſit proximè liber, ſaltem quoad exercitium. Scotus.

Sed contrà; communior ſententia docet, quòd aſſenſus fidei ſit proximè liber, ſaltem quoad exercitium, adeò ut pro libitu voluntatis, intellectus huic veritati fidei aſſentiatur, circa alteram autem ſuſpendat ſuum aſſenſum. Scotus 3. diſt. 25. q. 1. in fine ſic inquit: *Et ſi obiicitur; ergo aliquis poteſt credere nolens, quia quæ ſunt in intellectu præcedunt velle; dico quòd non ſequitur, quia actus credendi dependet ex duobus, ſcilicet habitu inclinante, & credibili præſentato: non quomodocumque, ſed præſentato tamquam credibile, & ſic communiter non præſentatur, niſi per doctrinam: & adhuc ſi ſic præſentatur, non neceſſariò credit intellectus, ut ſic credere præcedit velle, quia proponens credibile intellectui, non demonſtrat, ita ut cogat intellectum ad aſſentiendum, ideo non credit niſi volens.*

Actus ... dendi ... det ex ... bus, ha... inclinan... & cred... præſenta...

Quamvìs autem voluntas ſic habeat imperium ſuper actum credendi, non tamen habet imperium ſuper oppoſitum actum, ſtante fide (habituali) *ut intellectus diſſentiat credibili propoſito per imperium voluntatis: ſed ſolùm poteſt impedire intellectum ne exeat in actum ſuum credendi elicitum circa credibilia propoſita.*

Volun... habet q... dam im... rium ſu... actum cr... dendi, ... nemo cr... dit, niſi v... lens.

Unde appoſitè D. Ambroſius in illud ad Rom. 4. *Ei autem qui operatur* &c. *Aut credere aut non credere voluntatis eſt.* Et D. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 5. circa finem: *Ac per hoc ubi dicitur:* Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? *Quiſquis audet dicere, habeo ex meipſo fidem, non ergo accepi: profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati: non quia credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.* Item tract. 26. in Joan. *Credere non poteſt niſi volens.* Accedat Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. ibi: *Liberè moventur in Deum, credentes* &c. id eſt, liberè credunt.

192. prout docent D. Ambr. & D. Aug.

Item Con... Tridenti... num.

Porrò quamvis hæc teſtimonia explicari poſſent de libertate remota, in quantum propoſitio objecti voluntati eſt libera; equidem nihil obſtat quò minùs intelligantur de libertate proxima, ut ſuppono ex materia de fide, & magìs propriè ſic intelliguntur: ergo &c.

Præterea diſplicet in illa reſponſione Arriagæ, quod habet in fine: Amat, inquit, bonitatem ut ſic, reſpuit autem præciſè aliam in particulari diſtinctam. Cur enim voluntas amando v. g. eleëmoſynam, magìs amat bonitatem ut ſic, quàm reſpuendo eleëmoſynam reſpuit bonitatem ut ſic? Siquidem non magìs amor eleëmoſynæ ex natura ſua reſpicit bonitatem eleëmoſynæ ut ſic, quàm odium eleëmoſynæ.

193. Non magìs amor eleëmoſynæ ex natura ſua reſpicit bonitatem ut ſic, quam odium.

Igitur in exemplo Arriagæ, qui dat eleëmoſynam propter bonum eleëmoſynæ, non amat bonitatem eleëmoſynæ ut ſic, ſed bonitatem particularem, quam reperit in hac eleëmoſyna; ſimiliter qui reſpuit eleëmoſynam, non reſpuit bonitatem eleëmoſynæ ut ſic, ſed bonitatem particularem, quæ reperitur in iſta particulari eleëmoſyna, quam non vult dare.

Nonne idem Auctor ibidem n. 18. in fine docet, eum qui ob turpitudinem furti ceſſat ab uno furto, non tamen ab omnibus, non deteſtari abſolutè efficaciter eam turpitudinem in genere, ſed hanc individuam, quæ in hoc numero peccato eſt? Ergo conſimiliter, qui ob honeſtatem eleëmoſynæ dat unam eleëmoſynam, & non omnem aliam poſſibilem,

Digitized by Google

lem, convincitur non amare abſolutè efficaciter eam honeſtatem in genere, ſed hanc individuam, quæ in hac numero eleëmoſyna eſt. Quæ enim ratio diſparitatis.

94. ropter ſo... ult fa... unum bo... non Deum omnia bona. itio eſt Dei omnia amor...

Conſequenter ad ſecundum exemplum Arriagæ, illius nempe qui vult propter Deum facere aliquod opus bonum, & non omnia; Reſpondeo talem non amare Deum ſuper omnia opera bona abſolutè & efficaciter, ſed tantùm ſuper illud opus bonum particulare, quod vult facere.

eo im... t ut de... ur ... pec... n, & aliud, m vir... iter.

Jam autem Contritio charitate perfecta; cùm ſit formalis amor Dei ſuper omnia peccata mortalia, tam commiſſa, quàm committenda, idque abſolutus & efficax, implicat prorſus ut deteſtetur unum peccatum & non aliud, ſaltem virtualiter; quia omnia ſimpliciter repugnant bonitati divinæ ita generaliter ſumptæ, & amatæ: adeò ut hujuſmodi univerſalis deteſtatio ſit medium neceſſarium ad finem intentum, ſcilicet ad veram amicitiam cum Deo, non minùs, quàm ad evitandam pœnam æternam, aut conſequendam gloriam æternam.

Quapropter veluti qui propter hoc ultimum motivum, efficaciter & abſolutè volitum, deteſtatur unum peccatum, deteſtatur omnia ſaltem virtualiter, quia ſine deteſtatione omnium, non poteſt conſequi vitam æternam; ita pariter qui propter primum motivum, id eſt, amicitiam divinam deteſtatur unum peccatum, neceſſariò deteſtatur, ſaltem implicitè, omnia; quia ſine deteſtatione omnium non poteſt eſſe amicus Dei.

195. nſimili... cùm aſ... ſus fidei ſuper om... , in uno iculo cre... virtuali... omnes ...s.

Conſimiliter cùm aſſenſus fidei divinæ ſit aſſenſus ſuper omnia, ita ut intellectus malit quamcumque veritatem negare, quàm veritatem à Deo revelatam, planè neceſſe eſt ut in uno articulo credat virtualiter & implicitè omnes alios, quoniam diſcredendo vel minimo articulo, ſufficienter propoſito tamquam à Deo revelato, hoc ipſo convincitur non credere alium articulum ſuper omnia firmiſſimo aſſenſu; quoniam fatetur dicto Dei poſſe ſubeſſe falſum; ſi huic dicto Dei, etiam alteri, cùm non ſit major ratio de uno, quàm de alio. Igitur fides implicita omnium articulorum eſt medium neceſſarium obtinendi illam firmitatem, ſeu firmiſſimam adhæſionem intellectûs, quæ requiritur in aſſenſu fidei divinæ; qui ergo abſolutè vult aſſenſum fidei ſuper omnia firmiſſimum, tenetur implicitè credere omnia à Deo revelata, id eſt, nulli poteſt diſcredere.

196. Qui diligit eleëmoſynam ſuper omnia, neceſſitatur ad dandam omnem eleëmoſynam poſſibilem.

Ex quo conſectaneum eſt, ut ſi quis diligat honeſtatem eleëmoſynæ ſuper omnia, adeò ut pro nulla re mundi velit omittere eleëmoſynam, planè neceſſitetur ad dandam omnem eleëmoſynam poſſibilem.

Et conſequenter, ſi diligis Deum ſuper omnia, non tantùm peccata mortalia (ſicuti communiter ille terminus intelligitur,) ſed etiam venialia; immo ſuper omnia, quæ aliquo modo poſſunt Deo placere, ita ut malis mori, quàm omittere id quod ſis Deo placere, indubiè neceſſitaris ad faciendum non tantùm hoc, vel illud opus bonum, ſed quodcumque, adeoque ſi velis ex tali motivo facere unum opus bonum, teneris velle facere omnia, & virtualiter vis facere omnia.

Nec reſpondeas cum Arriaga diſp. 9. n. 6. Id eſt dicere idem per idem, hoc eſt, qui amat rationem genericam, ut continet omnia, amat omnia; ſed potiùs dicito nobiſcum, hoc eſt explicare terminos, qui ſtrictiùs & latiùs accipi poſſunt. Et ſanè ſi bene loquitur Arriaga dicens, qui amat rationem genericam in uno, ſive ut continet unum, amat tantùm unum; cur ego malè loquor dum aio: qui amat rationem genericam ut continet omnia, amat omnia? 197. Reſponſio Arriagæ rejicitur.

Amare honeſtatem genericam in una ſpecie, eſt amare ipſam ſpeciem.

Profectò nihil aliud eſt amare honeſtatem genericam in una ſpecie, quàm amare ipſam ſpeciem; atque ut aliquid plus eſſet, equidem neſcio quare non poſſim ſicut amare, ſic etiam reſpuere rationem genericam in una ſpecie; ſicuti enim, ſecundùm Arriagam ſuprà, ille exequeretur efficaciter à parte rei rationem animalis, qui aliquod animal produceret, licèt non omnia, ita quoque efficaciter deſtrueret à parte rei rationem animalis, qui aliquod animal deſtrueret, licèt non omnia; æqualiter ſiquidem ratio generica animalis continetur in animali deſtructo, atque producto.

Quæ cùm ita ſint, dico rurſum, Contritio charitate perfecta, utique reconciliativa peccatoris ante realem ſuſceptionem Sacramenti, neceſſariò deteſtatur quodcumque peccatum mortale, commiſſum & committendum; deteſtatur, inquam, formaliter, vel ſaltem virtualiter. 198. Concluſio.

Audiamus Dominum apud Ezech. c. 18. v. 21. *Si impius*, inquit, *egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea .... vitâ vivet & non morietur.* Et v. 28. *Conſiderans enim, & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vitâ vivet, & non morietur.* Item v. 30. *Convertimini & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ezech. 18.

Hinc Innocentius II. in Concilio Rom. c. 22. & refertur de Pœnit. diſt. 5. c. 8. *Fratres*, inquit, *noſtros Epiſcopos, & Presbyteros admonemus, ne falſis Pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem Pœnitentiam eſſe conſtat, cùm ſpretis pluribus, de uno ſolo Pœnitentia agitur, aut cùm ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio.* 199. Falſa Pœnitentia eſt, quæ de uno ſolo peccato agitur. Innoc. II. in Conc. Rom.

Item D. Auguſtinus (vel quicumque eſt Auctor) lib. de vera & falſa Pœnit. c. 9. & habetur de Pœnit. diſt. 3. c. 42. *Sunt plures, quos pœnitet peccaſſe; ſed non omnino, reſervantes ſibi* Auctor lib. de vera & falſa Pœnit.

Digitized by Google

ſibi quadam, in quibus delectantur: non animadvertentes Dominum, ſimul ſurdum & mutum à dæmonio liberaſſe: per hoc docens nos numquam, niſi de omnibus ſanari. Si enim vellet ex parte peccata reſervari, habenti ſeptem dæmonia, manente uno proficere potuerat ſex expulſis. Expulit autem ſeptem, ut omnia crimina ſimul eiicienda doceret. Legionem autem ab alio eiiciens, neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum poſſideret, oſtendens quòd etſi peccata ſint mille, oporteret de omnibus pœnitere &c.

200. **Non oportet dolere de ſingulis peccatis in particulari, ſive per unum ſive per diverſos actus.**

Sed numquid de ſingulis in particulari? Negat ſecunda pars Concluſionis, quòd oporteat de ſingulis peccatis in particulari pœnitere, ſive per unum, ſive per diverſos actus. Ita Recentiores communiter, contra nonnullos qui exiſtimant de ſingulis peccatis debere eſſe ſingulas Pœnitentias, aut ſaltem dolorem univerſalem circa omnia in ſpecie, & numero cogitata.

Contrarium docet Sylvius.

Hæc ſingularis opinio placuit Franciſco Sylvio in addit. ad 3. partem D. Thomæ q. 2. a. 6. concluſ. 1. ſequentis tenoris: Ad juſtificationem regulariter & per ſe non ſufficit Contritio de univerſis peccatis generatim & confusè, ſed requiritur ſpecialis & diſtincta ſingulorum peccatorum tam quoad numerum, quàm quoad ſpeciem; ita ſcilicet ut ſingula recogitari debeant, & de illis ſic recogitatis formari una Contritio. Ita Sylvius citans pro ſe D. Thomam 1. 2. q. 113. a. 5. ad 3. & 3. parte q. 87. a. 1. Rurſus q. 7. de Malo a. 11. ad 3. item 4. diſt. 17. q. 2. a. 2. quæſtiunculâ 3.

citans pro ſe D. Thomam.

201. **Probatur 1. ex Scriptura Iſa. 38. & Ierem. 8.**

Quidquid ſit de mente D. Thomæ, dico hanc opinionem deſtitutam ſufficienti fundamento. Quod enim illud eſſet? Primum, inquis, Scriptura Sacra Iſa. 38. v. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et Ierem. 8. v. 6. *Nullus eſt qui agat Pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci?*

Reſpondetur, eas ſolùm ſignificare utilitatem, non neceſſitatem.

Reſpondeo has & ſimiles Scripturas non ſignificare neceſſitatem, ſed ſolam utilitatem recordationis & deteſtationis ſingulorum peccatorum, quam utilitatem per ſe loquendo haud negat Concluſio.

Dico, *Per ſe loquendo*; quia ſubinde periculoſum eſt propter fragilitatem carnis humanæ, ſingula peccata carnalia diu conſiderare, adeò ut, niſi confitendum ſit, magìs expediat aliquibus hominibus in confuſo dolere de omnibus ſuis peccatis carnalibus, quàm ſingula particulatim recogitare.

Ad Confeſſionem requiritur recogitatio ſingulorum peccatorum

Addo, *Niſi confitendum ſit*; quia regulariter Confeſſio debet eſſe ſingulorũ mortalium tam quoad numerum, quàm quoad ſpeciem, quæ procul dubio exigit ſingulorum mortalium tam quoad numerum, quàm quoad ſpeciem recogitationem. *Ex his*, inquit Trident. ſeſſ. 14. c. 5. *colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm adversùs duo ultima præcepta Decalogi.*

Conc. Trident.

Ex his patet reſponſio ad ſecundum fundamentum, quod aliqui accipiunt ex SS. Patribus, puta Chryſoſtomo homil. 9. in Epiſt. ad Hebr. ubi circa finem ſic ſcribit: *Sicut ianuam ingreſſus iam intus eſt, ſic qui propria cogitat mala, etiam ad curationem eorum utique veniet. Si autem dicat, peccator ſum, non autem ad peccatorum ſuorum ſpecies deſcendit, dicens: quia hoc & hoc peccavi, numquam ceſſabit, ſemper quidem confitens, correctionis vero curam numquam faciens.* 202. **Secundo probatur de... ex S. Chr.**

Et homil. 31. in eamdem Epiſt. ait: *Perſuadeamus igitur nobis peccaſſe nos ..... nec tantùm nos peccatores eſſe dicamus, ſed etiam ipſa peccata ſpecialiter ſingula computemus.* Ac paulò inferiùs ſubnectit: *Non dico ſi perſuaſum ſit tibi peccatorẽ te eſſe, hoc quippe non ita valet humiliare mentem, & ſobriam perficere, ſicut ipſa per ſe ſpecialiter conſiderata peccata.*

Planè *non ita valet humiliare mentem, & ſobriam perficere*; ſed numquid quia *non ita valet*, ideo *ſimpliciter non valet humiliare mentem* &c. id eſt, juſtificare peccatorem? Non puto. Alioquin bene ſequeretur, Attritio *non ita valet humiliare mentem & ſobriam perficere* ſicut Contritio: ergo Attritio *ſimpliciter non valet humiliare mentem*; quod conſtat eſſe falſum. 203. **Reſponſio**

Igitur Patres loquuntur de eo, quod melius eſt, minimè de illo, quod eſt omnino neceſſarium ad remiſſionem peccatorum. Unde non dicit Chryſoſtomus, numquam juſtificabitur, *ſed numquam ceſſabit* &c. Perſeverantiam ergo negat, non primam juſtificationem, de qua ſola hìc tractamus. **Patres loquuntur de eo quod melius eſt.**

Pro tertio fundamento pono ſequentem argumentationem: Contritio, quatenus eſt pars Sacramenti, requirit propoſitum confitendi; Confeſſio autem debet eſſe ſingulorum mortalium tam quoad numerum, quàm quoad ſpeciem: ergo & Contritio; quia Pœnitentia interior debet eſſe de omnibus illis, de quibus eſſe debet Pœnitentia exterior. 204. **Probatur 3. ex ratione**

Reſpondeo, non quæritur hìc de Contritione, quatenus eſt pars Sacramenti, ſed quatenus juſtificat extra Sacramentum; & quamvìs eatenus etiam requirat propoſitum confitendi, non tamen confitendi pro tunc, ſed pro tempore opportuno, id eſt, pro tempore, quo urget præceptum Confeſſionis; & indubiè, ut ſuprà dixi, quando erit inſtituenda Confeſſio, tunc neceſſaria erit recogitatio ſingulorum peccatorum mortalium tam quoad numerum, quàm quoad ſpeciem, & per conſequens una Contritio, vel plures de illis, ſic recogitatis: quoniam Pœnitentia interior debet eſſe de omnibus illis, de quibus eſſe debet Pœnitentia exterior, quando Pœnitentia interior eſt pars Pœnitentiæ exterioris; cùm hac equidem **Reſponſio.**

Pœnitentia interior debet eſſe de omnibus, de quibus de...

Digitized by Google

ſſe ex- ır,quan- ſt hujus i. dem differentia, quòd ſufficiat, etiam ſecundùm Sylvium ſuprà, unus actus interior de ſingulis peccatis recogitatis, tametſi ſingula peccata diſtinctè ſint explicanda per diſtinctas partialiter confeſſiones.

Cæterùm quando Pœnitentia interior ſeparatur ab exteriori, tametſi ut juſtificet debeat eſſe de omnibus, ſaltem in confuſo (hoc eſt non ſic de uno, ut aliud excludat) de quibus eſſe debet ſuo tempore Pœnitentia exterior; attamen non convincitur argumentatione propoſitâ, quòd debeat eſſe de ſingulis in particulari conſideratis. Utì nec hoc argumento, quod erit

205. lia probaͤ o ex ratioͤ. Fundamentum quartum: Per quodcumque peccatum mortale homo avertitur à Deo; ergo ad ſui remiſſionem unumquodque requirit oppoſitam converſionem ad Deum, quæ fit per illius recogitationem & dolorem.

ejicitur. Reſpondeo, peccatorem ſufficienter converti per amorem Dei propter ſe ſuper omnia, & per conſequens per Contritionem ex illo amore procedentem, quo neceſſariò deteſtatur quodlibet peccatum mortale, ſaltē in confuſo. Porrò talem amorem & Contritionem exigere diſtinctam recogitationem ſingulorū peccatorū, ipſa quotidiana experientia probat omnino falſum, cùm ſæpiſſimè fideles doleant ex tali amore Dei ſe Deum offendiſſe, nullâ præviâ conſideratione alicujus peccati in ſpecie, minùs in numero. Neſcio autem cur talis dolor non ſufficiat ad juſtificationem.

(margin: ıæpè fideles ſolent ex ımore Dei ıulli præviâ onſideraͤione peccaͤorum in ſpecie vel in numero,)

206. Reſpondetur ad 5. probationem. Si dixeris, & erit fundamentum quintum; quia Pœnitentia eſt medicina, medicinam autem competentem, vel ſatisfactionem condignam non poteſt peccator adhibere, niſi diſtinctè peccata ſua recogitet, quoniam pro ſingulis peccatis debentur ſingulæ medicinæ. Reſpondeo, ſatìs eſſe unam medicinam efficacem, qualis in propoſito eſt Contritio de omnibus peccatis in genere ſub ratione offenſæ bonitatis divinæ in ſe, Deo ipſo ſic volente.

Diſtincta conſideratio ſingulorum peccatorum ſæpè eſt moraliter impoſſibilis. Rogas, unde ſciam Deum ſic velle? Reſpondeo ex Concilio Trident. quod ſeſſ. 14. c. 4. ubi agit de Contritione juſtificativa extra Sacramentum, nullo verbo indicat neceſſitatem prævii examinis, ſeu diſtinctæ conſiderationis ſingulorum peccatorum, quæ ſæpè ob anguſtias temporis, multitudinem ac varietatem peccatorum, imbecillitatemque intellectûs humani, aliavé impedimenta eſt moraliter impoſſibilis; immò, ut ſuperiùs indicavi, ſubinde periculoſa, ut proinde non ſit veroſimile, Deum voluiſſe peccatorem ad illam obligare (tametſi obligare potuiſſet) obligare, inquam, per ſe & regulariter; nam per accidens aliquando oportet recogitare ſingula peccata, tum in ordine ad Confeſſionem, tum etiam ad remedia apponenda, vel in ordine ad reſtitutionem &c.

207. Quid de hac Huic doctrinæ adſtipulatur Catechiſmus Rom. parte 2. c. 5. q. 28. ubi ſic ait: *Maximè hortandi & monendi ſunt fideles, ut ad ſingula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere ſtudeant: ita enim Ezechias Contritionem deſcribit, cùm ait:* Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Etenim recogitare omnes annos, eſt ſigillatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus Sed apud Ezechielem quoque ſcriptum legimus:* Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet. *Atque in hanc ſententiam S. Auguſtinus inquit: Conſideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate, in perſona.* ro cenſerit Catechiſmus Rom.

Ne tamen aliquis crederet, hæc ſic dicta eſſe, quaſi forent neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, extemplò ſubjungitur: *Neque tamen hac in re deſperent fideles de ſumma Dei bonitate & clementia: is enim, cùm noſtra ſalutis cupidiſſimus ſit, nullam moram ad tribuendum nobis veniam interponit, ſed peccatorem paternâ charitate complectitur, ſimul atque ille ſe collegerit, & univerſa peccata ſua deteſtatus, quæ deinde alio tempore, ſi facultas erit, ſingula in memoriam reducere, ac deteſtari in animo habeat, ad Dominum ſe converterit: ita enim nos per Prophetam iubet ſperare, cùm inquit: Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Hactenus Catechiſmus.

Breviter ergo ratio Concluſionis noſtræ eſt; quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione, nec ex auctoritate Patrum aut Conciliorum, neque ex ratione ſolidè probatur obligatio recogitandi ſingula peccata per ſe & regulariter, non eſt autem imponenda obligatio, & arctanda via juſtificationis (quæ adhuc ſatìs difficilis eſt) ſine ſolido fundamento contra communem ſententiam & unanimem cōſenſum præcipuorū Doctorum Eccleſię D. Thomę, Scoti, & aliorū. 208. Probatiò Concluſ.

Quod ne gratìs dicere videar, ſubſcribo verba Doctoris Angelici & Doctoris Subtilis. S. Thomas. Prior ſic inquit q.28. de Veritate a. 5. ad 4. *Omnia peccata conveniunt in averſione à Deo, ratione cuius gratiam impediunt. Unde ad iuſtificationem non requiritur, quòd in ipſo iuſtificationis momento peccata ſingula cogitentur; ſed ſufficit quòd peccator cogitet ſe per culpam ſuam eſſe averſum à Deo; recogitatio autem ſingularis debet præcedere, vel ſaltem ſubſequi iuſtificationem.* Hæc ille.

Et meritò; quia recogitationem ſingularem, & explicitam omnium recogitatorum deteſtationem, præcedere poteſt efficax dolor de omnibus peccatis in confuſo ex motivo charitatis (non enim tenetur peccator dolere de ſingulis peccatis ex motivo virtutis oppoſitæ, ut ſuppono tamquam certum) qui ſit incompoſſibilis cum omni peccato, & habeat omnem perfectionem deteſtationis explicitæ, imò ſit perfectior appretiativè, nimirum ſi etiam excludat affectum venialium; quidni ergo talis dolor juſtificet?

Alioquin ſæpè neceſſaria erit longa temporis mora, cùm tamen perfecta averſio à peccato & converſio ad Deum fieri poſſit etiam in magnis peccatoribus breviſſimo tempore, exemplo La- 209. Perfecta aͤverſio à peccato & converſio ad Deum fieri

 tronis

poteſt breviſſimo tempore.

tronis cum Chriſto crucifixi, & aliorum, qui certè ſua peccata in ſpecie & numero non potuiſſent tam citò recolere.

Cæleſtinus.

Appoſitè Cæleſtinus Epiſt 2.c.2. *Deſperat de clementia Dei, qui eum ad ſubveniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credit. Perdidiſſet Latro præmium in cruce ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius horæ Pœnitentia non iuviſſet. Cùm eſſet in pœna pœnituit, & per unius ſermonis profeſſionem habitaculum paradiſi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum converſio in ultimis poſitorum mente potiùs eſt exiſtimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter aſſerente. Cùm ingemueris tunc ſalvus eris.*

Iſa. 30. Iſa. 30. juxta 70. Interpretes. Vulgata editio v. 19. ſic legit: *Ad vocẽ clamoris tui, ſtatim, ut audierit, reſpondebit tibi.* De quo plura in progreſſu.

Interim requirit Doctor Ang. recogitationem ſingularem, ſaltem ſubſequentem, propter obligationem confitendi peccata, per Contritionem perfectam ante realem ſuſceptionem Sacramenti remiſſa.

210. Non requiritur ſatisfactio ſpecialis ſecundùm ſpeciem vel numerum ad ſpeciale peccatum, *Scotus.*

Sed audiamus Doctorem Subtilem 4. diſt. 15. q. 1. n. 9. *Ex hoc*, inquit, *patet de 4. articulo, ſcilicet de ſolutione quæſtionis, ſive enim intelligatur ſatisfactio propria, id eſt, determinata ſecundùm ſpeciem, ſive propria, id eſt, determinata ſecundùm numerum, non neceſſariò correſpondet propria ſatisfactio cuicumque peccato, quia & eadem ſatisfactio ſecundùm ſpeciem, & eadem ſecundùm numerum poteſt correſpondere huic peccato & illi.*

Quòd ſecundùm ſpeciem patet, quia Contritio poteſt correſpondere huic & illi, & illa eſt eadem ſecundùm ſpeciem; maximè ſi obiecta ſunt eadem ſecundùm ſpeciem. Quòd ſecundùm numerum, patet; quia Contritio de pluribus ſimul in generali, poteſt una correſpondere pluribus illis. Ergo ſecundùm mentem Scoti non requiruntur plures Contritiones de pluribus peccatis in particulari.

211. Explicatur mens Scoti.

Unde quod continuò attexit: *Sed tunc oportet ad hoc quòd ſit ſatisfactio totalis, non diminuta, quòd aliquid eius ſufficiat pro uno peccato, & aliquid pro alio; aliquid, inquam, & aliquid, non de partibus integralibus in actu, ſed de gradibus intenſionis, ita ſcilicet quòd ſit in tanto gradu intenſionis, quòd in longè minori ſufficeret pro uno, & in gradu, quem ſuperaddit ultra, ſufficeret pro alio.* Scias hoc intelligendum eſſe de ſatisfactione, etiam pro pœnis purgatorii, ut manifeſtum erit inſpicienti textum.

Poſſunt plures ſatisfactiones vel totales vel partiales correſpondere uni peccato.

Nam illico ſubjungitur: *Poſſunt etiam plures ſatisfactiones vel totales, vel partiales correſpondere uni peccato. Totales quidem, quia non eſt peccatum, quòd non poſſit remitti per ſolam Contritionem, & tunc illa ſola eſt totalis ſatisfactio. Poteſt etiam idem remitti per Contritionem remiſſam, & alias pœnas ſupplentes imperfectionem Contritionis. Contritio autem intenſa ex una parte, & ipſamet remiſſa cum aliis pœnis ex alia parte, differunt etiam ſpecie, licèt ſint æquivalentes in acceptatione divina.*

Jam autem inter pœnas ſupplentes imperfectionem Contritionis, aliquæ ſunt, quæ tantùm concurrunt ad remiſſionem pœnæ, minimè autem ad remiſſionem culpæ, ut oſtendo ex eodem loco n. 8. qui ſic incipit:

De tertio dico, quòd ſatisfactio in iſto intellectu magis conſiſtit in actibus pœnalibus vel paſſionibus voluntariis, quàm in aliis actibus bonis non pœnalibus &c. Et poſt pauca, ſpecificans actus illos pœnales & paſſiones voluntarias, inquit: *Iſti actus pœnales vel paſſiones voluntariæ in genere, reducuntur ad actum interiorem diſplicentiæ, vel paſſionem triſtitiæ, & ad actum exteriorem confitendi proprium peccatum, quod eſt valde pœnale, vel paſſionem concomitantem, ſcilicet verecundiam, & ad actum ſimpliciter exteriorem vel paſſionem, ſcilicet macerando carnem: & omnis talis maceratio dicitur contineri vel reduci ad ieiunium, vel elevando mentem in Deum, & hoc fit per orationem, vel ſua temporalia erogando, quod fit per eleẽmoſynam.* Quid clariùs?

212. Satisfactio in quo conſiſtat ex Scoto.

Maceratio corporis non requiritur ad remiſſionem culpæ, ſed tantùm ad remiſſionem pœnæ.

Numquid maceratio corporis requiritur ad remiſſionem culpæ? Liquet profectò quòd non, ſed tantùm requiritur ad remiſſionem pœnarum purgatorii. Ergo quando Scotus ibidem n. 9. requirit alias pœnas ſupplentes imperfectionem Contritionis, loquitur de Contritione per ſe inſufficiente ad delendam culpam, & pœnam omnem alterius vitæ. Hæc latiùs pro intelligentia eorum, quæ poſtea dicentur de certa intenſione Contritionis, quam aliqui putant neceſſariam ad effectum remiſſionis peccatorum extra Sacramentum.

213. Contritio poteſt eſſe actu tantùm de uno mortali, ſed habitu neceſſariò de omnibus mortalibus. Scotus.

Cæterùm quòd non ſit neceſſaria recogitatio antecedens ſingularis, colligitur ex eadem quæſtione n. 10. ibi: *Patet enim quoad effectum; quia ſicut non eſt neceſſe intellectum ſimul conſiderare hoc peccatum & illud, ita non eſt neceſſe voluntatem ſimul pœnitere de hoc & illo: & hoc accipiendo pœnitere pro quocumque illorum quatuor ſignificatorum poſitorum diſt. præcedenti qu. 1. ſed tamen dum deſiderat unum, & pœnitet de illo, ſaltem habitualiter ſatisfacit de alio, hoc eſt, animo promptus eſt, ſi cogitaret aliud, ad ſatisfaciendum de eo.*

Poſſum pœnitere de uno peccato & non de alio, etiam habitualiter, ſed inſufficienter ad juſtificationem.

Quamvìs enim poſſim pœnitere, etiam bene, de uno peccato, & non de alio, nequidem habitualiter; v. g. quando doleo de homicidio propter ſpecialem turpitudinem homicidii, ſeu quia eſt contra juſtitiam; haud equidem ſufficienter ad reconciliationem ſive juſtificationem; quia non dimittitur de facto peccatum mortale ſine Pœnitentia, & non dimittitur unum peccatum mortale ſine altero.

Igitur ſi doles de primo peccato perfectè, jam unà remittentur tibi alia peccata quæcumque mortalia: ergo de illis non requiritur novus dolor in particulari, & per conſequens non eſt neceſſaria recogitatio ſingularis; cùm perfectus dolor de uno peccato, poſſit haberi ex hujus dumtaxat conſideratione, ut clarum eſt, quando aliorum peccatorum pœnitens non recordatur, etiam poſt diligens examen.

214. Satisfactio totalis reconciliat ſatisfacientem.

Audiamus Scotum ſuprà: *De quinto articulo dico, quòd ſatisfactio iſto modo accipiendo (quæ tamen totalis eſt & non diminuta) reconciliat ſatisfacientem*

Digitized by Google

facientem ipſi, quem offendit, quia vel implacabilis eſt offenſus, quod eſt contra miſericordiam, vel ſi placabilis per nihil magis, quàm per ſatisfactionem iſto modo dictam (id eſt, per actum interiorem diſplicentiæ &c. ut ſuprà) *Impoſſibile eſt autem aliquem Deo reconciliari, & tamen remanere in aliquo peccato.*

Vnde Auguſtinus (vel quicumque eſt Auctor) *de vera & falſa Pœnitentia cap.* 9. Scio Deum inimicum omni criminoſo. Quomodo ergo, qui crimen reſervat, de alio recipiet veniam? Sine amore Dei conſequeretur indulgentiam, ſine quo nemo umquam invenit gratiam. Hoſtis enim Dei eſt, dum offendit perſeveranter. Quædam enim impietas infidelitatis eſt, ab illo, qui juſtus & juſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam. *Sequitur ergo quòd impoſſibile eſt ſatisfacere Deo de uno peccato, remanente actualiter impœnitente de alio peccato mortali.*

215. Rogas, quid ſignificent illa verba Scoti: *Quæ tamen totalis eſt & non diminuta?* Reſpondeo, ſignificant non ſufficere ſatisfactionem, id eſt, dolorem internum de uno peccato, præciſè ex motivo virtutis cui illud peccatum opponitur; utpote qui dolor nequidem virtualiter ſeu habitualiter extendit ſe ad alia peccata, in quibus motivum illud non reperitur; ſed planè neceſſariam eſſe Contritionem ſeu dolorem de hoc peccato ex motivo communi omnibus peccatis, de quibus expreſsè & formaliter non ſatisfacit. Igitur ſatisfactio totalis & non diminuta, eſt perfecta Contritio ex motivo amoris Dei propter ſe ſuper omnia, aut certè Attritio ex motivo ſpei cum Sacramento Pœnitentiæ.

Quæris à me, quid ultra requiratur ad perfectum dolorem, quàm ut ſit univerſalis de omnibus peccatis mortalibus. Reſpondeo citò:

CONCLUSIO VII.

Contritio charitate perfecta deteſtatur peccata mortalia ſuper omnia alia mala, etiam pœnam ipſam æternam, & malum Deo intrinſecum, ſi foret poſſibile; ſuper omnia, inquam, appretiativè.

216. Explicatur Concluſ. ID eſt: Contritio charitate perfecta deſiderat tolerare omnia alia mala temporalia, etiam pœnam ipſam æternam, & permittere malum Deo intrinſecum, ſi foret poſſibile, potiùs quàm admittere, vel admiſiſſe minimum peccatum mortale.

& probatur ex Script. Hoc ad minus probant Scripturæ, quibus ſignificatur converſio peccatoris debere eſſe ab omnibus peccatis, debere eſſe ex toto corde &c. Deuter. 4. v. 29. *Cùmque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Ezech. 18. v. 30 & 31. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Item Joël. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Adde quod Chriſtus ait Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus; & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.*

217. Probatio ex ratione. Ratio eſt plana: quia Contritio charitate perfecta procedit ex motivo dilectionis, imò eſt actus dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia: ergo Contritio charitate perfecta eſt deteſtatio peccati ſuper omnia, quæ deteſtabilia ſunt; convincitur quippe non amare Deum ſuper omnia, qui ubi moriendum eſt vel fornicandum, magìs deteſtatur mortem, eligendo fornicationem, quàm fornicationem, eligendo mortem.

Atque ut ſufficeret ad Contritionem charitate perfectâ motivum juſtitię, aut religionis vel alterius virtutis, adhuc neceſſarius foret hic exceſſus appretiativus, cùm ſine illo non habeatur converſio ex toto corde, converſio ab omnibus iniquitatibus, ut omnibus eſt manifeſtum.

218. Non requiritur explicita comparatio inter malum culpæ & mala temporalia. Sed numquid ideo eſt neceſſaria explicita comparatio inter malum culpæ & mala temporalia; dicendo v. g. Malo Deum non offendere, quàm non amittere honorem, divitias, filios, uxorem &c? Nequaquam, ſed ſufficit implicita & virtualis; præſertim cùm explicita ſæpè in hominibus infirmioribus ſit nimiùm periculoſa, ut perbellè docet D. Bonaventura 4. diſt. 16. p. 1. a. 2. q. 1. ibi: *Dicendum quod in caſu, in quo oportet præeligere vel conſentire in peccatum, ſive complacentiam peccati, vel tolerantiam pœnæ, quilibet tenetur præeligere, ſive magìs eligere pœnam, quàm vel peccare, vel peccaſſe.*

Præter caſum neceſſitatis dico, quòd præeligere omnem pœnam eſt perfectæ virtutis, dubitare verò eſt infirmitatis, quia timor naturalis valde facit dubitare: & iſta dubitatio ſimul poteſt ſtare cum charitate: ſed præeligere culpam alicui pœnæ, hoc eſt iniquitatis, ſi eſt cum deliberatione & plena voluntate; quia omnis voluntas eſt iniqua, quæ peccatum vult vel abſolutè vel conditionaliter. Vnde periculum eſt & ſtultitia quærere hoc ab aliquo infirmo, vel etiam à ſeipſo, quia hoc eſt hominem ponere in tentationem. Vnde nullus Confeſſor debet hoc ab aliquo, qui ſibi confitetur, quærere: ſed ſi pœnitens ſe offerat, & dicat ſe malle mortuum eſſe, quàm peccaſſe, vel ſimile aliquid, gaudendum eſt, quia ſignum bonæ voluntatis eſt. (Nullus Confeſſor debet petere à confitente an mallet potiùs mori, quàm peccare.)

Si ergo quæritur, utrùm dolorem Contritionis neceſſe ſit eſſe maximum. Si dicatur de dolore ſenſualitatis, manifeſtum eſt quòd non: ſi de diſplicentia rationis, aut quantùm ad intenſionem motûs abſolutè, & ſic nec hoc modo oportet eſſe maximum.

N 2 Si in

Margin notes: ſor lib. de & falſa — Deuter. 4. — Ezech. 18. — Joël. 2. — Matth. 10. — D. Bonaventura.

Si in comparatione ad alios dolores, dico, ſicut de amore, quòd oportet quòd habeat prædominium. Hæc Doctor Seraphicus.

Contritio debet eſſe ſumma appretiativè, non intenſivè.

Ex quibus liquidò conſtat, quæ fuerit ejus ſententia de appretiatione & intenſione Contritionis, videlicet appretiationem eſſe neceſſariam, minimè intenſionem; ſed de intenſione latiùs infrà.

219. Ex quo cognoſci poſſit ſumma appretiatio.

Nunc de appretiatione quæro, ſi non eſt neceſſaria explicita comparatio inter malum culpæ & malum pœnæ, unde ſciam me deteſtari peccatum ſuper omnia, id eſt, plus deteſtari peccatum, quàm malum quodcumque pœnæ temporalis aut æternæ? Ad hoc enim non videtur ſufficere, quòd proponatur Deus tamquam amabilis ſuper omnia, & per conſequens peccatum tamquam deteſtabile ſuper omnia; nam actus voluntatis non ſemper proportionatur actui intellectûs. Sicut ergo fieri poteſt, ut voluntas amet creaturam ſupra Deum, licèt bonitas objecti non proponatur cum hujuſmodi excellentia; cur ſimiliter non poterit fieri, quòd voluntas amet Deum non ſuper omnia, licèt objectum cum tali excellentia proponatur?

220. Aliqui reſpondent illam conſiſtere in modo efficaciæ & firmitatis, quo voluntas fertur in ſuum objectum.

Hinc aliqui reſpondent, illum exceſſum ſeu implicitam prælationem conſiſtere in modo efficaciæ & firmitatis, quo voluntas fertur in ſuum objectum; ſicuti aſſenſus fidei eſt certiſſimus & implicitè ſuper omnia propter modum aſſentiendi cum tam excellenti gradu adhæſionis & firmitatis, ut oſtendat intellectus nullâ prorſus ratione ab eo aſſenſu ſe poſſe dimoveri.

Probatur exemplo aſſenſûs fidei.

Hoc eodem modo ſe habet voluntas, inquiunt illi, in actu ſuo, quo aliquid amat vel deteſtatur ſuper omnia, oſtendens implicitè ex ipſo modo firmiter omnino adhærendi, ſe immobiliter adhęrere illi objecto; non quòd reverà non poſſit poſtea pro ſua libertate ab eo recedere, ſicut etiam intellectus poteſt poſtea diſſentire objecto fidei; ſed quòd, durante illâ voluntate, ex modo adhærendi, oſtendat ſe nullo modo poſtea ab eo receſſurum.

Ex quo firmiſſimo modo adhærendi oritur, quòd ſi tunc haberet voluntas affectum etiam abſolutum circa aliud objectum diverſum, quamprimùm adverteret illud opponi cum hoc alio firmiori affectu, deberet ab illo infirmiori deſiſtere, ſicut ſi intellectus aſſentiatur certò uni objecto, & probabiliter alteri contrario, quia non advertit eſſe contrarium, ſed tamen quamprimùm advertit oppoſitionem, debet deſiſtere ab aſſenſu illo probabili, quia opponitur cum hoc alio aſſenſu firmiori.

Ratio quare voluntas ab iſto firmiſſimo actu ſæpè recedat.

Quæris rationem ob quam voluntas ſæpè ſæpiùs recedat ab iſto actu firmiſſimo? Reſpondeo, eſt mutabilitas voluntatis, & quòd mutatâ opportunitate vel occaſione, & inſurgente paſſione non ita conſideret motivum, quod antea fortiter movebat.

Hunc modum explicandi implicitam appretiationem amplectitur Lugo diſp. 5. n. 22. & 23. Quòd ſi objicias, poteſt quis velle Deo omnem ſuam perfectionem infinitam & intrinſecam, ita quòd malit carere omni bono, & pati omne malum, ſi id neceſſarium foret, ne Deus careret aliquo bono ſibi intrinſeco, qui actus videtur eſſe amor Dei ſuper omnia, & tamen compatitur peccatum; quia per peccatum non auſertur aliqua perfectio intrinſeca Dei, ſed dumtaxat extrinſeca: ſi hoc, inquam, objicias; 221

Objecti

Reſpõ.

Reſpondetur, Charitatem Dei eſſe effectum amicitiæ, qui non ſolùm tendit ad bonitatem intrinſecam, ſed ſimul ad conjungendum amantem cum amato: cùm ergo quodlibet peccatum mortale nos ſeparet à Deo, non poteſt quis vero amore amicitiæ ipſum amare propter infinitam ejus excellentiam, & ſimul velle peccare mortaliter, cùm ſic non ſummè ipſi per affectum conjungeretur. Si igitur amamus infinitam bonitatem ſuper omnia, oportet deteſtemur peccatum mortale ſuper omnia: nam licèt gloria Dei extrinſeca, quæ impeditur per peccatum, non ſit bonum infinitum, eſt tamen aliquid neceſſarium ad conjunctionem affectivam meæ voluntatis cum infinita bonitate, quæ non ſolùm requirit amorem ſupremum in ſe ipſa, ſed etiam conjunctionem amantis cum ipſa procuratam ſuper omnia; imò non amaretur ipſa bonitas amore ſummo, ſi hoc modo non amaretur.

Sed hæc doctrina Eminentiſſimi non placet Arriagæ diſp. 8. n. 14. tum quia amor amicitiæ non debet reflexè ferri in ipſam amicitiam; tum quia datur amor amicitiæ non ſuper omnia, & in poteſtate voluntatis eſt objecto propoſito, etiam infinitè bono, illud amare vel ſuper omnia, vel non ſuper omnia. Ut ergo ſciam voluntatem meam amare Deum ſuper omnia, & deteſtari peccatum mortale ſuper omnia, requirit hic Auctor aliquam comparationem, non quidem expreſſam & diſtinctam in particulari omnium objectorum; v. g. *Malo Deum non offendere, quàm non amittere honorem, divitias* &c. ſed generaliorem, v. g. *Malo te ô Deus non offendere, quàm omnia alia bona poſſidere, aut mala fugere* &c. 222

Doctrina Lugoni non placet Arriagæ.

qui putat neceſſariam eſſe aliquam comparationem generaliorem.

Et, ut verum fatear, hæc comparatio, ſi non omnino neceſſaria, ſaltem ſufficientiſſima eſt, & accommodata communi ſenſui & praxi fidelium, qui per illam ſolent explicare actum Contritionis charitate perfectæ, tamquam per unicum ejus ſignum externum.

quam Auctor putat ſufficientiſſimam;

Dixi: *Si non omnino neceſſaria*, quia ab una parte difficillimum eſt, explicare firmam, imò firmiſſimam adhæſionem voluntatis ſine aliqua comparatione, & ab altera parte argumenta Arriagæ non convincunt omnimodam neceſſitatem.

etſi fortè non omnino neceſſariam.

Eſtò

:3. Eſtò enim amor amicitiæ divinæ non debeat reflexè ferri in ipſam amicitiam, equidem talis eſt naturæ, ut abhorreat omne illud, quod amicitiam divinam poteſt impedire, uti eſt peccatum quodcumque mortale; igitur quicumque amat Deum vero amore amicitiæ, ita debet eſſe affectus ſaltem habitualiter & implicitè, ut ſi expreſsè proponeretur ipſi aut mori; aut peccare, præeligeret mortem; quamvìs de facto nullam talem, aut ſimilem expreſſam faciat comparationem. Cur autem poſſim hominem amare amore amicitiæ, non tamen ſuper omnia, magìs quàm Deum, diximus Concluſione 5. in fine.

Itaque probabiliter ſufficit, quòd pœnitens ſeriò deteſtetur peccatum ex motivo majoris mali (puta quia offenſa divinæ bonitatis) quàm ſit omne aliud malum; hoc ipſum enim eſt deteſtari peccatum ſuper omne aliud malum.

:24. Cæterùm iſta explicita comparatio non tantùm generalis, ſed & maximè ſpecialis, valde laudabilis eſt, quia, ut ait D. Bonaventura ſuprà: *Signum bonæ voluntatis eſt*; ſignum eſt efficacis ac legitimæ Pœnitentiæ, adeóque perfectioni ſtudentibus commendanda, exemplo D. Anſelmi lib. de Similitudinibus c. 190. ubi ſic ait: *Si hìc peccati pudorem, & illic cernerem inferni horrorem, & neceſſariò uni illorum haberem immergi, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cælorum regna tenere.*

Hunc locum aliqui adferunt, ut probent, quòd Contritio charitate perfecta doleat ſupra pœnam æternam; ſed perperàm, ut vult Dicaſtillo diſp. 2. n. 239. nam ſtatim ſequitur: *Cùm conſtet ſolos malos in inferno torqueri, & ſolos bonos in cæleſti beatitudine foveri.* Igitur de loco inferni, non de tolerandis pœnis inferni agit.

225. Interim, quæ loci, eadem eſt ratio pœnarum, ſecluſis peccatis, quæ in inferno à damnatis committuntur, id eſt, pœnarum, quæ damnati omnino involuntariè ſeu coactè patiuntur. Ratio autem eſt; quia motivum perfectæ Contritionis, quod eſt infinita Dei bonitas, ſive offenſa infinitæ Dei bonitatis in ſe, excedit non ſolùm alia mala temporalia, ſed etiam locum inferni & pœnam ipſam æternam, prout diſtinguitur à culpa.

Et verò quoniam de facto pœna æterna non infligitur niſi propter peccatum, ut notat D. Anſelmus ſuprà, & fortè infligi non poteſt, juxta illud D. Auguſtini lib. 3. contra Julianum c. 18. *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Et iſtud Epiſt. 106. *Hæc maſſa, ſi eſſet ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vaſa in contumeliam:* hinc qui abſolutè eligeret pœnam inferni, etiam eligeret culpam, adeoque aliud peccatum non deteſtaretur ſuper omnia.

Intellige ergo Concluſionem de actu conditionato, v. g. ſi deberem fornicari, vel (per poſſibile aut impoſſibile) ſine peccato tolerare pœnas inferni, mallem tolerare pœnas inferni, quàm fornicari.

Sed quid ſi peccator aliquis ex ignorantia invincibili putaret non poſſe ſe ſalvari ſine Sacramento Pœnitentiæ, cujus tunc copiam nôn habet, aliunde autem cogeretur mori, vel novum peccatum admittere; numquid abſolutè poterit eligere æternam damnationem, ne committat illud novum peccatum? Licèt enim de facto, & à parte rei æterna damnatio non ſit medium à Deo ordinatum ad vitandam culpam, ſed potiùs è contra; equidem hìc & nunc ut tale apprehenditur. Quid ergo in tali caſu faciendum? 226.

Ego ſanè crediderim, inquit Lugo diſp. 5. n. 30. in fine, caſum numquam accidiſſe, nec fore ut contingat, ita enim expedit de divina bonitate cogitare, ſed tamen de ſe non videtur impoſſibilis, etiam in hoc rerum ſtatu, nec repugnaret omnino, quòd Deus in pœnam præcedentis peccati permitteret hominem ad eam anguſtiam reduci. Quâ permiſſione poſitâ teneretur ille homo, ſecundùm eumdem Auctorem, citiùs permittere ſe æternùm damnari, quàm admittere illud novum mortale, ad quod cogitur.

Quæ doctrina probabilis eſt, imò planè certa, ſuppoſito quòd putet ſe peccare, v. g. fornicando, & putet ſe non peccare, permittendo ſuam damnationem. Alioquin cùm velle mori in ſtatu peccati mortalis, ſit novum peccatum impœnitentiæ finalis, meo videri, tali eligendum foret peccatum, quod apparet minus, & non peccaret, ſuppoſito quòd alterutrum neceſſariò deberet eligere, ut in caſu propoſito, propter ignorantiam invincibilem actûs juſtificativi extra Sacramentum; adeóque eligere deberet fornicationem, cùm illa indubiè multis gradibus excedatur ab impœnitentia finali, utpote quam in inferno conſequuntur morali quadam neceſſitate infinita quodammodo peccata mortalia; alioquin phyſicè libera, & per quam conſtituitur peccator æternus Dei hoſtis. 227.

Hinc quod docet Suarez diſp. 3. ſect. 9. n. 6. Ex ſuppoſitione prioris culpæ, rectè poteſt Deus hominem obligare ut velit, ſeu ut voluntariè acceptet æternam pœnam propter priorem culpam, & alioquin novam culpam incurrat. 228.

Hæc, inquam, doctrina Suarii intelligenda eſt de potentia Dei abſoluta, quâ potuit velle peccatum ſemel commiſſum in æternum non

Quomodo Concluſ intelligenda?

An aliquis poſſit eligere æternam damnationem, ne committat novum peccatum.

Lugo affirmat.

Sententia Auctoris.

Explicatur doctrina Suarii de potentia Dei abſoluta.

Digitized by Google

non remittere, ſive quoad culpam, ſive quoad pœnam, vel etiam remiſſum quoad culpam, non remittere quoad pœnam æternam; hoc poſito, ſicuti Deus de facto poteſt obligare, imò obligat peccatorem, ut acceptet pœnas temporales purgatorii pro peccatis quoad culpam remiſſis, ita etiam tunc obligare poſſet ad acceptandas pœnas æternas.

Cæteroqui ſecundùm præſentem Dei ordinationem, etiam ex ſuppoſitione prioris culpæ, teneor adhibere omne medium poſſibile ad evitandam damnationem æternam, propter illud peccatum non remiſſum infligendam.

229. *Suppoſito quòd Deus poſſit aliquem damnare ſine malis meritis, poſſet ei ſub peccato præcipere electionem talis damnationis.*

Similiter ſi Deus abſque ulla culpa præcedente, pro ſua voluntate poteſt hominem ad æterna tormenta deſtinare, tantummodo ut ſe Dominum oſtendat, ut ibidem vult Suarez, quamvìs plerique contradicant, tunc indubiè poterit dari caſus, in quo homo, ne peccet, eligere poſſit & debeat pœnam æternam, ſiquidem poſſet Deus præcipere illam electionem ſub peccato.

Loquor de pœna æterna, id eſt, de ipſo malo quod eſt pœna, non autem de pœna ſub relatione pœnæ; ut ſic enim dicit relationem ad culpam, adeòque obligare ad pœnam ſub illa conſideratione, eſſet virtute obligare ad culpam, ſeu ad volendum ſeipſum reddere dignum pœnâ, quod involvit contradictionem.

230. *Nulla de facto eſt neceſſitas eligendi malum culpæ ad vitandam damnationem.*

Quidquid ſit de poſſibili, ſanè de facto per ſe loquendo nulla occurrit neceſſitas eligendi malum culpæ propter vitandam æternam damnationem, cùm potiùs ipſum malum culpæ faciat dignum æternâ damnatione: neque è contra eligere malũ æternæ damnationis, de facto per ſe loquendo eſt medium ad vitandum malum culpæ, cùm potiùs timor & fuga illius pœnæ avertat voluntatem à culpa, eò quòd illa poſſit eſſe cauſa talis pœnæ. Unde hæc doctrina, ſpeculativa magìs eſt, quàm practica, adeòque non judico diutiùs ei immorandum.

Solùm addo commune axioma Theologicum: *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona* (quod deſumptum eſt ex Apoſtolo Rom. 3. v. 8. ubi ſic ſcribit: *Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut eveniant bona: quorum damnatio juſta eſt*) ex quo ſic argumentor: Si non liceat facere mala, ut veniant bona: ergo tametſi vitare æternam damnationem ſit bonum, uti etiam impedire malum intrinſecum Dei, equidem non licet ut illa bona veniant, facere malum, id eſt, eligere peccatum, ſed magìs permittere æternam damnationem, & malum Dei intrinſecum, ſi foret poſſibile, quod peccatum manens tale eſſet neceſſarium ad impediendum iſta mala: & hoc eſt deteſtari peccatum ſuper æternam damnationem, & malum Dei intrinſecum.

Rom. 3.

Quid ſit deteſtari peccatum ſuper æternam damnationem & malum Dei intrinſecum.

231. Enimverò peccatum quà tale habet oppoſitionem cum bono intrinſeco Dei, ſcilicet cum ſumma ejus bonitate; adeoque illud malum intrinſecum cenſeretur eſſe inferioris ordinis, quandoquidem permittendo illud malum intrinſecum, homo non peccaret, & ex conſequenti non offenderet divinam bonitatem; offenderet autem impediendo illud malum, nam peccaret, ut ſupponitur.

Peccatum habet oppoſitionem cum bono intrinſeco Dei.

Repugnat ergo in tali caſu charitatem inclinare ad offendendum Deum, & ad ſeparandos nos ab ipſo per offenſam. Siquidem Deus etiam tunc vellet me non peccare, aliàs enim peccatum meum non offenderet Deum; non ergo poſſum ex motivo charitatis diſplicere Deo in jis, quæ ipſe ſanctiſſimè & rationabiliter vellet.

Charitas non poteſt inclinare ad offendendum Deum.

Interim tamen, quia illa hypotheſis eſt omnino impoſſibilis (ſaltem intellecta de damno intrinſeco Dei, quod neceſſariò ſequeretur ex carentia peccati) eò quòd illud peccatum non eſſet peccatum, quoniam neceſſarium ad bonum intrinſecum Dei conſervandum; hinc aliqui ſuſtinent, nos non deteſtari peccata ſuper illa mala, quæ tanti fieri deberent, ut redderent licita illa, quæ jam ſunt peccata.

232. Neque neceſſe eſt, quòd per charitatem deteſtemur peccatum ſuper omnia mala in quacumque hypotheſi impoſſibili, ſed ſufficit quòd in caſu poſſibili. An fortè putas, quòd charitas poſſit deteſtari peccatum in caſu quo quis putaret peccatum placere Deo? Sanè tunc admiſſio peccati potiùs poneret majorem conjunctionem peccatoris in voluntate Dei.

Non eſt neceſſe quod per charitatem deteſtemur peccata ſuper omnia mala in hypotheſi impoſſibili.

Nihilominus ſi contingeret, ut ex errore invincibili homo judicaret ſe adhuc neceſſariò peccaturum, etiam malum illud intrinſecum Dei impediendo, manifeſtum eſt ex dictis, quòd talis homo deberet permittere, ut bonum illud intrinſecum Dei tolleretur, potiſſimùm ſi ſupponeretur illud bonum intrinſecum tollendum liberè ex alterius malitia: quia tunc ego (inquit Arriaga diſp. 8. n. 35. in fine) ſolùm deberem eſſe ſolicitus, ut meâ libertate bene uterer, quòd verò ex eo bono meo uſu alter ſcandalum paſſivum acciperet ad inferendum Deo illud damnum, non deberet à me ullo modo curari, ſed ipſi deberet dici: *Utere tu tuâ libertate prout decet.* Sed hæc metaphyſica.

233. Bene advertunt aliqui, non eſſe faciendas has comparationes & conditionales impoſſibiles, quia facilè poſſet quis in eis imprudenter ſe gerere, & ſunt undique plenæ periculis & laqueis propter contradictiones, quas involvunt; quamquam viri ſancti illas ſubinde fecerint, ut narratur de D. Auguſtino, qui ſolitus erat dicere: *Si tu eſſes Auguſtinus, & ego eſſem Deus, mallem ut tu eſſes Deus* &c. Et ita multi exponunt illa verba Moyſis: *Aut dimitte eis hanc noxam; aut, ſi non facis, dele me de libro*

Non ſunt faciendæ comparationes & conditionales impoſſibiles.

S. Aug.

Digitized by Google

libro tuo, quem ſcripſiſti. Exod. 32. v. 31. & 32. Et illa Pauli Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.*

234. ...ſtatio ...omnia ...icit et... pecca- ...præte- ...a.

Pro fine notandum, deteſtationem ſuper omnia non ſolùm reſpicere peccatum futurum, ſed etiam præteritum, non quatenus remiſſum eſt, ſic enim eſt potiùs objectum gaudii quàm doloris, ſed quatenus commiſſum fuit.

Unde quamvìs Beatus non poſſit habere hanc voluntatem: *Mallem carere beatitudine, quàm peccaſſe*, quandoquidem illud *peccaſſe*, ut præteritum & remiſſum, neutiquam ſit malum; neque illud *non peccaſſe* queat eſſe medium ad acquirendam, vel amittendam beatitudinem, prout etiam, *de facto non peccare*, cùm ſit moraliter impoſſibile propter abundantiam divinæ gratiæ ipſum peccare; tamen ita debet eſſe conſtitutus, quòd ſi per poſſibile vel impoſſibile deberet amittere præſentem beatitudinem aut peccare, eligeret carentiam beatitudinis ſine peccato.

Similiter, ſi occurreret occaſio & tempus, in quo peccavit, potiùs eligeret non peccare, quàm quolibet alio carere malo. Quæ autem Beati, eadem eſt ratio animæ verè pœnitentis in via.

235. Sed numquid bene ſequitur: ergo verè pœnitens debet abſolutè deſiderare ut occurrat illa occaſio? Minimè; imò poteſt deſiderare contrarium.

Probatur; quia Contritio non includit propoſitum ſeu deſiderium patiendi infernum, aut mortem temporalem ad vitandum peccatum futurum (quin potiùs deſiderat homo, quòd non veniat talis neceſſitas) ſed propoſitum conditionatum potiùs patiendi pœnam æternam, ſi eſſet neceſſitas, quàm peccare.

Ergo conſimiliter, ad deteſtationem ſuper omnia peccati præteriti, ſufficit, quòd peccator habeat propoſitum conditionatum, ſcilicet ſi poſſet tolli præteritio iis mediis, ea eligerem, ſeu, quod in idem redit, ſi nunc redirem ad ſtatum præteritum, potiùs vellem iſta mala pati, quàm peccare. Cum hoc tamen ſtat gaudere, quòd pati pœnam inferni non ſit neceſſarium, nec poſſibile ad impediendum peccatum præteritum.

236. Sicuti poteſt quis optare, ne occurrat occaſio Martyrii, & tamen ex amore Dei ſuper omnia eſſe paratus, ut ſi ea occurrat, velit illud tolerare citiùs, quàm Deum offendere. Cùm enim faciliori medio poſſit peccatum vitare, quàm ſubeundo mortem, ſimiliter faciliori medio à peccato liberari, ſi quòd fortè contraxerit; cur debeat abſolutè & efficaciter deſiderare medium tam arduum? Non video ullam vel apparentem rationem.

Elegantor Doctor Seraphicus 4. diſt. 16. p. 1. a. 2. q. 1. *Sicut non oportet habentem charitatem velle mori pro Chriſto: ſed in caſu, in quo vel oportet ipſum amittere charitatem vel vitam: tunc tenetur magìs velle mori pro Chriſto, quàm charitatem amittere, ſic in propoſito eſt intelligendum, quòd non teneor nunc pro ſatisfactione vel reconciliatione peccati omnem pœnam ſuſtinere, quia Deus non exigit: & ideo ſicut ego poſſum ſalvari non ſuſtinendo Martyrium, ſic poſſum reconciliari Deo ſine multis doloribus.*

Et infrà in fine illius quæſtionis ſic ait: *Ad illud, quod obiicitur, quòd pauci vel nulli mallent eſſe cæci, quàm peccaſſe, iam patet reſponſio ſecundùm viam prætactam. Si enim in neceſſitate eſſent poſiti, ſcilicet vel quòd à deteſtatione peccati deſiſterent, vel quòd oculos amitterent: & loquor de deteſtatione, interiori, neceſſariò haberent præeligere* (amiſſionem oculorum) *nunc autem non habent.*

Sed hæc ſatìs de exceſſu appretiativo. Inquiro ulteriùs, an Contritio charitate perfecta debeat deteſtari peccatum ſuper omnia, etiam intenſivè? Reſponſio erit

CONCLUSIO VIII.

Contritio charitate perfecta non debet deteſtari peccatum ſuper omnia alia mala intenſivè.

Id eſt, Contritio charitate perfecta juſtificat, quantumque imperfecta ſit in intenſione accidentali; quod aliqui his verbis exprimunt: Contritio charitate perfecta, ut juſtificet extra Sacramentum, non requirit certam aliquam intenſionem accidentalem, ſeu determinatos gradus intenſionis. Ita intellecta Concluſio, eſt D. Bonaventuræ 4. diſt. 16. p. 1. a. 2. q. 1. quidquid pro contraria opinione, ſed perperàm, ut patebit ex verbis ipſius, quæ mox ſubjicio, allegetur ab Hiquæo in ſuo Commentario 4. diſt. 14. q. 2. n. 97. verba Doctoris Seraphici ſunt iſthæc: 237.

Dicendum quòd cùm quæritur de quantitate doloris, dolor poteſt dici diſplicentia rationis, vel paſſio ex hac reſultans in ſenſualitate. Si hoc ſecundo modo accipiatur, dico, quòd non eſt neceſſe magìs dolere de peccato, quàm de re temporali: nec etiam neceſſe eſt dolere, quia non eſt in poteſtate cuiuſlibet, talis enim dolor non conſequitur amorem, ſed conſequitur ipſam affectionem, & affectio experimentalem cognitionem; & quia non omnes habent experentiam divinæ dilectionis, ideo non omnes ita ſenſibiliter dolent de peccatis: tamen quòd magis etiam ſenſibiliter doleat aliquis de peccato, quàm de aliquo damno, hoc eſt perfectionis & congruum, non neceſſarium.

Sed in quantum dolor dicitur diſplicentia rationis, ſic dico, quòd diſplicentia menſuratur ſecundùm quantitatem charitatis. Quantitas autem charitatis dupliciter poteſt accipi, vel in ſe, vel in comparatione

ad

Marginal notes: mori pro Chriſto. S. Bonavent. — ...as ſi poſſibile ...mpoſſi- ...deberet ...re vel ...ere ...udi- ...debe- ...oſtre- ...eligere — ...verè ...tens ...at deſi- ...re ut ...rrat oc- ...in qua ...vit? — ...nega- ...proba- ...ſimili. — Explicatur Concluſio, — Hiquæus — & oſtenditur eſſe D. Bonaventuræ. — Contritionis dolor quoad ſenſum non debet eſſe maximus, — neque ſecundùm diſplicentiam rationis abſolutè. — ...liud ſimi- ...de martyrio. — Non oportet habentem charitatem velle

ad alios amores. In ſe ſic dico, quòd eſt parva, & maior, & maxima. In comparatione ad alios, ſic dico, quòd vendicat ſibi dominium in corde, quamdiu eſt, nec umquam ibi eſt, niſi ſit domina: unde dico, quòd ad hoc quòd aliquis habeat charitatem, neceſſe eſt quòd diligat Deum ſuper omnia.

238. **Quid ſit diligere Deum ſuper omnia ex S. Bonavent.**

Dubitas, quid ſit diligere Deum ſuper omnia? *Hoc autem eſt* (proſequitur D. Bonaventura) *diligere Deum ſuper omnia, quòd pro nullo damno vel commodo velit offendere Deum: ſic intelligendum eſt de diſplicentia Contritionis. Unde dico, quòd peccatum debet tantùm diſplicere rationi, quòd nullo pacto, nullo commodo vel incommodo velit in ipſam conſentire vel conſenſiſſe: quoniam voluntas, quæ ex aliqua cauſa conſentit in peccatum, juſta non eſt.*

Contritio ſecundùm diſplicentiam rationis debet eſſe maximus in comparatione ad alios dolores,

Et infrà ſic ait: *Si ergo quæritur, utrùm dolorem Contritionis neceſſe ſit eſſe maximum. Si dicatur de dolore ſenſualitatis, manifeſtum eſt quòd non. Si de diſplicentia rationis, aut quantùm ad intenſionem motûs abſolutè; & ſic nec hoc modo oportet eſſe maximum. Si in comparatione ad alios dolores, dico ſicut de amore, quòd oportet quòd habeat prædominium.* Illud autem prædominium non conſiſtere in gradibus intenſionis, perſpicuè manifeſtum eſt ex præcedentibus.

Concluſio.

Igitur ex mente hujus Sancti viri & Eximii Doctoris Eccleſiæ, Contritio juſtificativa non requirit determinatum gradum intenſionis, ſed quantumcumque parva, dummodo habeat prædominium præcedenti Concluſione explicatum, ſufficit. *Ad illud*, inquit ibidem Doctor Seraphicus, *quod objicitur, quòd minima gratia delet omnem culpam, dicendum, quòd dolor quantumcumque ſit parvus, ſufficit, ſi ſit gratiâ informatus: ſed tamen numquam gratia informat, quin vendicet ſibi in corde dominium quoad actum vel motum voluntatis rationalis, non ſenſualitatis.*

Dolor quantumcumque ſit parvus, ſufficit, ſi ſit gratiâ informatus. S. Bonavent.

Infero; ergo ſemper gratia informat, quando vendicat ſibi in corde dominium: ergo tunc delet omnem culpam. Quomodo clariùs potuiſſet ſuum ſenſum Bonaventura explicare? Unde neſcio quâ veri apparentiâ ab Hiquæo adferatur pro contraria opinione.

239. **An Scotus teneat contrarium Concluſionis.**

Quantùm ad Scotum, videtur contrarium Concluſionis noſtræ inſinuare 4. diſt. 14. q. 2. n. 14. ibi: *Peccator in peccatis exiſtens ..... poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam &c. & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua iſtarum rationum, vel ſub multis illud peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari & intendi ante infuſionem gratiæ. Poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totaliter circumſtantionata circumſtantiis moralibus debitis &c. Iſte autem motus dicitur Attritio, & eſt diſpoſitio ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in ultimo inſtanti alicuius temporis, in quo tempore iſta Attritio duravit.*

Et poſt pauca: *Sed ſi eſt Attritio perfectè circumſtantionata in genere moris, videtur omnino diſpoſitio ſufficiens ad juſtitiam in termino illius Attritionis acquirendam; in termino, inquam, quem Deus præfixit debere eſſe terminum illius Attritionis, quam uſque tunc vult continuari: vel enim oportet dicere quod juſtificetur peccator ſine omni diſpoſitione ſufficiente de congruo ex parte eius; & per conſequens difficile eſt ſalvare, quòd apud Deum non ſit acceptio perſonarum, ut dictum eſt lib. 2. diſt. 6. q. 2. vel nulla poteſt eſſe ſufficientior diſpoſitio ad iſtam juſtificationem, quam iſta Attritio perfectè circumſtantionata in genere moris: & tunc in ultimo inſtanti, vel aliquo, uſque ad quod Deus determinavit Attritionem debere durare, ad hoc, ut ſit meritum de congruo ad juſtificationem, infunditur gratia & tunc ſimpliciter deletur peccatum.*

Hìc Scotus non docet in terminis, requiri aliquam intenſionem gradualem in Contritione ſive Attritione perfecta; potiſſimùm enim loquitur de duratione: ſed intelligi debet, inquit Hiquæus ſuprà, inter cæteras circumſtantias, quas dicit requiri ad eſſe morale hujus actûs. Præterea eam inſinuat, ait idem Auctor, eâdem diſt. q. 4. in fine, & diſt. 17. q. 2. & ſequitur ex iis, quæ docet in 3. diſt. 27. a. 3. & diſt. 29. q. 1. 2. & 3.

Verùm hæc diſtinctio apud me ſolùm habet unicam quæſtionem, in qua nihil dicitur, quod vel remotiſſimè pertinet ad noſtram controverſiam. Similiter diſt. 17. in libro, quo ego utor, abſolvitur unicâ quæſtione, in qua nihil reperio ad hoc propoſitum.

Quantùm ad diſt. 14. q. 4. in fine, ibi non invenio, niſi hæc verba n. 7. *Non ſolùm ergo attritus per aliquod tempus uſque ad certum inſtans, in ultimo inſtanti recipit gratiam delentem peccatum* &c. Et infrà: *Alioquin non appareret, quomodo Sacramentum Pœnitentiæ eſſet ſecunda tabula, ſi numquam per ipſum, ut Sacramentum eſt, poſſet recuperari ſecunda gratia amiſſa, ſed tantùm per Attritionem tamquam per præviam diſpoſitionem, & per Contritionem tamquam per diſpoſitionem completivam.*

Deinde n. 9. ſic lego: *Concedo ergo quòd ante perceptionem dignam Pœnitentiæ oportet ſuſcitari vel ſimpliciter, & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, ſed gratia quæ inſuit augetur: vel ſuſcitari ſecundùm quid, ſcilicet ut habeat aliqualem diſplicentiam de peccatis, & propoſitum carendi de cætero, & velit ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio fit Contritio &c.*

Quomodo autem Scotus hìc inſinuet, quòd ad Contritionem perfectam requiratur determinata intenſio, haud ſatìs clarè video; cùm potiùs agat de duratione, ut patet ex prioribus verbis. Porrò conjectura eſt, illam intenſionem intelligi debere inter cæteras circumſtantias, quas primo loco dicit requiri ad eſſe morale hujus actûs; unde ſi aſſerere probare eſt, negare eſt reprobare.

Reſtat

Digitized by Google

241.

...licantur ...ba Scoti, diſt. 27. ... 19.

Reſtat diſt. 27. ubi n. 19. ſic ait Doctor Subtilis: *De tertio dico, ſicut dictum eſt diſt. 17. primi libri, quòd ille habitus charitatis quantùm ad ſubſtantiam actûs dat aliquam intenſionem ulteriorem, quàm eadem potentia, & ex æquali conatu dare non poteſt actui ſuo.* Loquitur de habitu infuſo & actu ſupernaturali, quem videtur diſtinguere ab actu naturali per ulteriorem intenſionem. Cùm ergo Contritio ſit actus ſupernaturalis, ſecundùm Scotum exigit determinatam intenſionem.

...intenſio- ...eſſentia-

Sed nec ille locus quidquam convincit, niſi Hiquæus probaverit, Scotum ibi per intenſionem intelligere intenſionem accidentalem ſive perfectionem gradualem, & non potiùs intenſionem ſive perfectionem eſſentialem, quod verius apparet ex his, quæ ſubjicio.

242.

...eum ama- ...e ſuper ...mnia in- ...enſivè & ...xtenſivè, ...uomodo ...

Doctor Subtilis eâdem diſt. n. 16. ſic diſcurrit: *De primo dico, quòd illud,* Super omnia, *poteſt intelligi extenſivè, puta plùs diligat Deum quàm omnia alia, & citiùs vellet omnia alia non eſſe, quàm Deum non eſſe: & intenſivè, puta ex maiori affectu vult Deo bene eſſe, quàm alicui alteri.*

De primo membro conceditur communiter, quòd nihil aliud à Deo, nec omnia ſimul ſunt æquè appretianda ſicut Deus.

...iſtinctio ...moris in ...erventio... ...em ſive te... ...eriorem, & ...rtiorem ...ve firmio... ...m.

De ſecundo ponitur una diſtinctio, quòd amor excedit amorem, vel quia ferventior ſive tenerior, vel quia fortior ſive firmior; & dicuntur iſti amores ſeſe excedere, ſicut mater dicitur teneriùs, & ardentius diligere filium, pater verò fortius & firmius, quia maiori periculo ſe exponeret pro amore filii.

Hoc modo dicitur, quòd dilectio Dei debet eſſe ſuper omnia quantùm ad firmitatem, ne ſcilicet aliquid aliud poſſit ab hoc evellere: ſed non oportet quòd ſit ſuper omnia, quantùm ad fervorem & teneritudinem & dulcedinem, quia aliquando invenit ſe quis ferventius diligere creaturam, quàm aliàs Deum.

243.

...ontra eam ...rguit Sco- ...us hoc ſo- ...lùm magis ...diligitur, quod fir- ...mius diligi- ...tur.

Verùm hæc diſtinctio nòn placet Scoto, ideoque contra eam arguit hoc modo: *Quia ſolùm hoc magis diligitur, quod firmius diligitur: hoc enim magis diligo, cui minus volo malum accidere, & pro cuius bono ſalvando magis me expono ex amore, quia exponere ſequitur amorem, & hoc loquendo de amore, qui eſt actus voluntatis, non de illo, qui eſt paſſio appetitûs ſenſitivi.*

Etſi igitur aliqui dicantur diligere ferventius vel tenerius, qui tamen firmius non diligunt, hoc non eſt ex aliquo exceſſu amoris intellectivi in eis, ſed fortè alicuius paſſionis amoris ſenſitivi: ſicuti aliqui, qui dicuntur devoti, ſentiunt aliquam maiorem dulcedinem, quàm alii multò ſolidiores in amore Dei, qui centuplum promptiùs ſuſtinerent martyrium: nec dulcedo eſt actus voluntatis elicitus, ſed paſſio quædam actui tributa, quâ Deus allicit & nutrit parvulos, ne deficiant in via.

Concludit Doctor ſub hac forma verborum: *Dico igitur, quod illud,* Super omnia, *debet intelligi utroque modo (*ſcilicet extenſivè & intenſivè*) ſicut enim teneor diligere Deum ſuper omnia alia extenſivè, ita etiam maiori affectu quàm aliquod aliud.* Ly *Super omnia* debet intelligi extenſivè & intenſivè.

244. De qua intenſione Scotus ſit intelligendus accidentali ſeu graduali, an verò tantùm eſſentiali.

Dubitas an majori affectu ex parte ſubjecti, id eſt, ſecundùm gradus intenſivos, an verò majori ex parte objecti, id eſt, ſecundùm eſſentiam? *Et dico* (proſequitur Scotus) *maiori ſimpliciter, quia ſcilicet magìs repugnat effectui oppoſito, quia faciliùs poſſet inclinari ad oppoſitum dilectionis cuiuſcumque alterius, quàm Dei.*

Ille igitur diligit Deum ſuper omnia intenſivè juxta mentem Scoti, qui faciliùs poſſet inclinari ad oppoſitum dilectionis cujuſcumque alterius, quàm Dei. Ergo non requiritur major affectus ex parte ſubjecti, id eſt, ſecundùm gradus intenſivos; ſed ſufficit major affectus ex parte objecti, id eſt, ſecundùm eſſentiam.

245. Scotus non docet nos teneri ad amorem Dei gradualiter intenſiorem omni alio.

Audiamus Scholium præfixum num. 16. jam jam citato: Ait, inquit, Scotus Deum eſſe diligendum ſuper omnia intenſivè & extenſivè, & ideo tribuitur ei quòd velit nos teneri ad amorem Dei intenſiorem omni alio, & Valentia 2. 2. diſtinct. 3. qu. 4. p. 1. dicit neminem præter Scotum hoc tenere. Sed Scotus hoc non tenet, & alii multi tenent...... Scotus verò tantùm ait, Deum ſuper omnia amandum eſſe extenſivè & intenſivè, ſicut explicantur hæc ab aliis; id eſt, tenerius & firmius Deum plus cæteris amandum, quia intenſivè illis duobus modis pro uno, & eodem reputat, ſed non dicit majori amore graduali eum eſſe amandum, ſed ſolùm majori affectu, ad quem ſufficit majoritas appretiativa ſeu affectus magis excluſivus oppoſiti. Hucuſque Scholium.

246. Scotus per intenſionem ulteriorem quā docet habitum ſupernaturalem dare actui nō intelligit gradualem.

Ergo conſimiliter Scotus per intenſionem ulteriorem, quam docet nu. 19. habitum ſupernaturalem dare actui ſupernaturali, non intelligit intenſionem ex parte ſubjecti ſive gradualem, ſed intenſionem ex parte objecti ſive eſſentialem. *Quantùm* (inquit) *ad ſubſtantiam actûs* (id eſt rationem ejus genericam, quæ deſumitur ex objecto & modo tendendi naturali lumine noto) *dat aliquam intenſionem ulteriorem*, id eſt, commenſurationem cum objecto, per quam conſtituitur actus in ratione ſpecifica ſupernaturali.

Colligitur ex alio loco Scoti. Ex nullo actu noſtro vel circumſtantia ejus probari poteſt dari habitum ſupernaturalem.

Colligo ex diſt. 17. primi libri, quam citat, ubi qu. 3. nu. 21. ſic ait: *Quantùm ad primum articulum poteſt dici, quòd ex nullo actu, quem experimur, nec ex ſubſtantia actûs, nec ex intenſione actûs, nec ex delectatione, ſive facilitatione in operando, neque ex bonitate ſive rectitudine morali actûs, poſſumus concludere aliquem*

O *talem*

Digitized by Google

talem habitum ſupernaturalem ineſſe ; quia quocumque iſtorum dato, poſſet aliquis habens charitatem cognoſcere certitudinaliter ſe eſſe in charitate, ex hoc ſcilicet quòd actum illum ſibi experiretur ineſſe, vel actum ſic intenſum ſibi ineſſe, vel ſic delectabiliter, vel faciliter ineſſe, vel rectæ rationi conſonum eſſe.

Ratio illius doctrinæ.

Ratio autem quare non poteſt concludi ex actu, vel aliqua conditione ipſius actûs talem habitum ineſſe, eſt, quia vel actus ex ſola potentia poteſt habere omnia prædicta concurrente ratione rectâ, ſicut tenendo quartam viam in præcedenti Concluſione poſitam, vel ſi concurreret habitus aliquis propter aliquam conditionem prædictarum, poſſet iſte eſſe aliquis habitus acquiſitus; poſſet enim amicitia acquiſita tantam intenſionem (ſcilicet gradualem) *actui dare, ſicut cauſa ſecunda cum potentia, & prima poſſet etiam tantam facilitatem & delectationem tribuere: poſſet etiam habitus ita conſonus eſſe rationi rectæ, quòd actus elicitus nullam conditionem evidenter apparentem haberet, ex qua neceſſariò concluderetur ipſum elici ſecundùm habitum ſupernaturalem.*

247. Potentia cum habitu acquiſito poteſt dare tantam intenſionem gradualem actui ſuo, quantam potentia cum habitu infuſo.

Vides quomodo Scotus hìc affirmet ſolam potentiam, aut certè potentiam cum habitu acquiſito, poſſe dare tantam intenſionem actui ſuo, quantam poteſt eidem dare cum habitu infuſo? Vel ergo ſibi ipſi contradicit, vel utrobique non loquitur de eadem intenſione; ſed lib. 1. de intenſione graduali, & propriè dictâ, lib. autem 3. de intenſione magìs impropria, ſcilicet objectiva ſeu eſſentiali, quam nos interpretamur commenſurationem actûs ſupernaturalis cum ſuo objecto, quæ probabiliter in eo conſiſtit, quòd actus ille ſit quaſi ejuſdem ordinis cum Deo, qui eſt ejus objectum, nempe ſupernaturalis, & divinæ quoddam naturæ conſortium, juxta illud 2. Petri 1. v. 4. *Per quem* (Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum) *maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit* (fidem, ſpem, & charitatem) *ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.*

Quid ſit intenſio eſſentialis?

2. Pet. 1.

248. Quid Scotus de ea ſentiat?

Paulò aliter ratiocinatur Scotus ſuprà lib. 1. diſt. 17. q. 3. n. 22. concludens ſuperiorem diſcurſum hiſce verbis: *Dico igitur quòd ultra omnes conditiones prædictas, videlicet ultra intenſionem actûs, delectationem, facilitationem in agendo, rectitudinem ſive bonitatem, & conformitatem rationi rectæ, ſive rectæ ſecundùm dictamen prudentiæ, ſive ſecundùm dictamen fidei. Ultra, inquam, hæc omnia creditur eſſe una conditio in actu* (ſupernaturali) *videlicet quòd eſt acceptabilis Deo, non quâdam communi acceptatione ſolummodo, quatenus acceptat omnem creaturam, vel quo etiam modo vult actum ſubſtratum peccato, alioquin non eſſet ab ipſo, ſed ex acceptatione ſpeciali, quæ eſt in voluntate divina: ordinatio hujus actûs ad vitam æternam tamquam meriti condigni ad præmium.*

In actu ſupernaturali eſt ſpecialis aliqua conditio, ſcilicet quòd ſit ſpecialiter acceptabilis Deo.

Hanc conditionem accipit ab

Hanc autem ordinationem accipit actus, ſecundùm Scotum ibi, ab habitu ſupernaturali: *Hoc modo* (inquit ille) *credimus etiam naturam noſtram beatificabilem, juſtam eſſe habitualiter acceptam, hoc eſt, quando non actualiter operatur: adhuc tamen voluntas divina eam ordinat ad vitam æternam tamquam dignam tanto bono ſecundùm diſpoſitionem, quam habet habitualiter in ſe. Propter hanc acceptationem naturæ beatificabilis habitualem, etiam quando non operatur, & propter acceptationem actualem actûs eliciti à tali natura, oportet ponere unum habitum ſupernaturalem, quo habens formaliter acceptetur à Deo, & quo actus elicitus ejus acceptetur tamquam meritorius. Sic enim non videtur acceptari natura vel actus ſine aliquo habitu informante, quia, ſicut argutum eſt, non videtur Deus aliam volitionem ſecundùm rationem habere de objecto nullo modo diverſificato, nec etiam actus ut acceptabilis Deo, videretur eſſe in poteſtate agentis, niſi illud quo formaliter ageret ſic, eſſet forma ejus.* Hucuſque Scotus.

habitu ſupernaturali.

Poſſet ergo per ulteriorem intenſionem, quam dat habitus infuſus charitatis, intelligi ratio meriti, quam procul dubio eadem potentia, & ex æquali conatu dare non poteſt actui naturali. 249.

Poſſet per ulteriorem intenſionem, quam dat habitus infuſus charitatis, intelligi ratio meriti.

Et quamvis hæc ratio completè & formaliter ſit quid extrinſecum actui ſupernaturali in ſententia Scoti; equidem fundamentaliter eſt ipſa ſubſtantia actûs, qui propter ſuam dignitatem, puta commenſurationem cum objecto divino, præ cæteris actibus à Deo acceptatur tamquam meritorius de condigno vitæ æternæ; adeò ut nullus actus naturalis mereatur vitam æternam de condigno, niſi à virtute ſupernaturali fuerit imperatus, id eſt, per actum aliquem ſupernaturalem fuerit quaſi elevatus ad ſtatum divinum.

Quid ſit ratio meriti ſecundùm Scotum?

Porrò hæc dignitas, quanta quanta eſt, provenit actui ab habitu ſupernaturali, vel auxilio gratiæ actuali, ſupplente vicem habitûs, tamquam à cauſa efficiente. Siquidem actus ſupernaturalis in ſubſtantia dicitur, qui à nullis cauſis ſecundis ordinis naturalis, quantumvis bene applicatis, poteſt procedere, niſi communicetur ipſis aliquod comprincipium phyſicum, quod nullo modo ſit cauſabile effectivè à cauſis ſecundis, quantumcumque bene applicatis (ſive illud principium ſit intrinſecum cauſis ſecundis agentibus, ſive extrinſecum) & quod ſit etiam particulariter requiſitum & ordinatum principaliter ad productionem illius actûs, non ex ratione creaturæ, ſed ex eo quòd non ſit virtus adæquata in ipſo agente, ſine illo principio ad productionem effectûs iſtius, ob naturam particularem ejus.

Provenit actui ab habitu ſupernaturali tamquam à cauſa efficiente.

Quis dicatur actus ſupernaturalis in ſubſtantia.

Quod probè intelligens Scotus, ad dubium: *Qualiter habitus ſupernaturalis ſit ratio acceptandi naturam & actum?* Reſpondet n. 23. *Oportet dicere quòd iſte habitus præter hoc, quod eſt decor ſpiritualis, etiam eſt inclinans ad determinatos actus, & hoc* 250.

Qualiter habitus ſupernaturalis ſit ratio acceptandi naturam & actum ex Scoto.

Digitized by Google

ert Sco- ꝑinio- dantem ientiam tui, & bat eam c ratio.

& hoc ſive non activè ſecundùm quartam viam poſitam in ſolutione præcedentis quæſtionis, ſive quod magis videtur, activè ſecundùm tertiam viam. Quod probatur primò; quia alioquin videretur quòd ſine iſto poſſet haberi actus intenſiſſimus diligendi Deum & hoc tam in via quàm in patria, & ita beatitudo; quia in illo inſtanti naturæ, in quo elicitur actus à principio activo, ſi ſola voluntas eſſet principium activum, ipſa eſſet principium, in quantum activum, æquè perfectum ſine iſto habitu, ſicut cum ipſo: & ipſa potentia poſſet æquali conatu agere, ut patet: ergo perfectiſſimus actus diligendi ſine habitu tali haberi poſſet.

bat 2. ex uguſt.

Secundò probatur idem; quia alioquin non videretur verum eſſe quod dicit Auguſtinus de lib. arbit. Quod gratia ſe habet ad liberum arbitrium, ſicut ſeſſor ad equum; *quia ſeſſor activè regit & movet equum qualiter vult. Nec etiam illud, quod dicit in Epiſtola ad Sixtum:* Voluntate, *inquit*, concomitante, non præeunte, pediſſequa non domina: *non autem eſſet voluntas pediſſequa gratiæ, ſi ipſa gratia nullam cauſalitatem haberet.* Hactenus Doctor Subtilis, ſatis ſuo more ſubtiliter.

251. [...]itus ſu[...]naturalis [...]e phyſi. diſtin[...]tur ab [...]itu na[...]ali ex [...]to.

Profectò habitum ſupernaturalem charitatis diſtingui ſpecie phyſicâ ab habitu naturali, diſertis verbis docet 3. diſtinct. 27. qu. 1. nu. 21. ibi: *Ad quartum dico quòd non poteſt acquiri ex actibus aliquis habitus eiuſdem ſpeciei cum charitate, licèt poſſet acquiri aliqua amicitia tendens in Deum ſub eadem ratione objecti, & etiam per actum ſimilem, quia ſuper omnia diligendo, quæcumque enim natura non poteſt eſſe ab aliquo efficiente eiuſdem ſpeciei cum efficiente alterius, non eſt eiuſdem ſpeciei cum illa alia, ſicut eſt in propoſito.*

Idem aſſerit in Reportatis (noviſſimæ editionis) eâdem diſtinct. n. 17. eiſdem verbis uſque ad ly *Quæcumque.* Porrò nu. 18. ſic inquit: *Ad ſextum dicendum, quòd amicitia acquiſita & infuſa non ſunt eiuſdem ſpeciei, nec differunt tantùm per efficientes cauſas, ſed per ſuas naturas; quia habitus* ſupernaturalis *eſt perfectior habitu* naturali. *Si autem iſta acquiſita eſſet infuſa à Deo, non eſſet eiuſdem rationis cum illa infuſa, quia iſte infuſus habitus eſt talis, quòd non poteſt cauſari à quacumque alia cauſa niſi à Deo; unde non diſtinguitur tantùm ab efficientibus, ſed concluditur diſtinctio ex efficientibus, quia ſcilicet non poteſt eſſe habitus iſte* (ſupernaturalis) *à* (ſola) *voluntate ut efficiente, infertur quòd non eſt idem habitus cum alio, qui poteſt ab eo cauſari.* Hæc ille.

[...]tus ſu[...]rnaturalis [...]ecie di[...]nguitur [...]actu na[...]rali.

Ex quibus ego infero: ergo, ſecundùm Scotum, etiam actus ſupernaturalis ſpecie diſtinguitur ab actu naturali, & non tantùm penes intenſionem gradualem. Probatur Conſequentia; quia actus ſupernaturalis non poteſt eſſe à ſola voluntate ut efficiente; actus autem naturalis poteſt ab ea cauſari.

Nec obſtat, quòd homo creatus, & generatus ſint ejuſdem ſpeciei, ut patet in Adamo, & aliis hominibus; non obſtat, inquam; quia ab eodem principio anima Adami, & aliorum hominum producitur, idque per creationem; quòd autem anima Adami à ſolo Deo fuerit unita, non erat, quia in natura non eſſet ſufficiens virtus ad producendam illam unionem, ſed quoniam tunc adhuc nulla creatura exiſtebat, quæ habebat illam potentiam: unde nec corpus, nec illa unio in creatione primi hominis exigebant ex natura ſuâ à ſolo Deo produci; ſicuti ex natura ſuâ habitus ſupernaturalis poſtulat produci à ſolo Deo, & actus ſupernaturalis ab habitu, vel actuali auxilio ſupplente vicem habitûs. Atque hæc ſufficiant pro explicatione Scoti. 252. Objectio ſolvitur.

Venio ad probationem Concluſionis, quæ talis eſt: abſque ſolido fundamento non eſt imponenda hominibus obligatio ſummæ vel alicujus certæ & determinatæ intenſionis accidentalis; atqui nullum hujuſmodi apparet fundamentum ſeu ex Scriptura, ſeu ex Conciliis aut SS. Patribus, minùs ex ratione: ergo illa obligatio non eſt aſſerenda. Videamus ſingula, & maturè expendamus. 253. Probatio Concluſionis.

Scripturæ, quæ adferuntur pro aſſerenda hac obligatione, ſunt, Joël. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro &c.* & ſimiles, quibus ſignificatur converſio peccatoris debere eſſe ex toto corde, vide concluſ. 7. in principio. Scripturæ ergo, inquit Hiquæus ſuprà, exigit vehementem conatum animi ad deteſtandum peccatum. Scripturæ quæ videntur obligare ad intenſionem gradualem.

Eundem conatum exigunt Patres, D. Auguſtinus Epiſt. 54. ad Macedonium, & habetur diſtinct. 3. de Pœnit. cap. 33. ibi: *Aut ſi me ab hac nequitia revocatis, dicite, utrùm mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſima voluptatis blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frænavero, ſi ad caſtigandum corpus meum, multa mihi etiam licita & conceſſa ſubtraxero, ſi me pœnitendo vehementiùs, quàm prius excruciavero, ſi miſerabiliùs ingemuero, ſi flevero uberiùs, ſi vixero meliùs, ſi pauperes ſuſtentavero largiùs, ſi charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentiùs; quis noſtrum ita deſipit, ut huic homini dicat, nihil tibi iſta proderunt impoſterùm; vade, ſaltem huius vitæ ſuavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem ſacrilegij dementiam.* Quæ, ſubjungit Hiquæus, exprimunt majorem conatum voluntatis pœnitentis, quem ſupponit neceſſarium idem Sanctus, ut relapſi ſperent veniam à Deo, quibus Eccleſia Pœnitentiam non concedit ad aliorum terrorem & diſciplinam. 254. Auctoritas S. Auguſtini.

Sed; pace tua Hiquæe, ubi idem Sanctus iſtum majorem conatum ſupponit neceſſarium? Non in iſta Epiſtola, ut manifeſtum 255. quæ tantùm probat utilitatem,

 ſit ex

non neceſſitatem.

fit ex verbis allegatis, in quibus non fit mentio niſi utilitatis ejuſmodi Pœnitentiæ, quam nemo Catholicus hactenus negavit: *Quis*, inquit, *ita deſipit, ut huic homini dicat; nihil tibi iſta proderunt impoſterum* &c.

Alia auctoritas, quæ ab Hiquæo adfertur tamquam Aug. non eſt ejus, ſed D. Ambroſii.

An fortè lib. 1. de Pœnitentia c. 2. (& ponitur diſt. 1. de Pœnitentia c. 78.) ubi ſic legitur: *Deus definitionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit. Sed qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam Pœnitentiam? Maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus.* Verùm hic liber non eſt D. Auguſtini (quidquid perperàm exiſtimet Hiquæus) ſed D. Ambroſii.

256. *Tertia auctoritas D. Auguſt.*

Citat etiam Hiquæus homiliam de Pœnitentia, & habetur, inquit, in eadem diſt. c. 85. *Doloris menſura potiùs quàm temporis, in actione Pœnitentiæ conſideranda eſt.* Illa verba non habentur c. 85. ſed 84. quod ſic incipit: *In actione Pœnitentiæ, ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris.*

Quarta auctoritas D. Hieronymi.

Similia referuntur ex D. Hieronymo c. 86. *Menſuram temporis*, inquit Hieronymus, *in agenda Pœnitentia idcirco non ſatis apertè præfigunt Canones pro unoquoque crimine, ut de ſingulis dicant, qualiter unumquodque emendandum ſit, ſed magìs in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt: quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris.*

D. Hier. loquitur de ſatisfactione injungenda pro peccatis.

Loquitur S. Hieronymus de ſatisfactione injungenda pro peccatis, cujus ſatisfactionis determinationem Eccleſia relinquit in arbitrio Sacerdotis, intelligentis ſtatum pœnitentis. Unde, ut bene notat Gloſſa ibi verb. *Doloris*, tantam Contritionem poſſet Sacerdos perpendere in homine, quòd nullam ſatisfactionem ulteriorem ei imponeret, utpote planè confidens, per exceſſum Contritionis totam pœnam ſimul cum culpa remiſſam. Ergo requiritur ad Contritionem juſtificativam determinata intenſio gradualis, negatur Conſequentia.

257. *Quinta auctoritas eſt S. Ambr.*

Sed pergamus ad alias auctoritates. D. Ambroſius ad virginem lapſam cap. 8. ſic inquit: *Sed quanta putas & qualis neceſſaria Pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat? Vide ergo ſi ſimplex hoc peccatum adulterii eſt, an duplex ſit per illam necem, quæ facta dicitur in occulto, & ſecundùm conſcientiæ molem adhibenda eſt Pœnitentiæ magnitudo.* Et infrà: *Cor verò ſit liqueſcens ſicut cera, ieiuniis inquietans ſeipſum* &c. Ac poſt pauca ſubjungit: *Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem, Fortiùs eſt dolendum, quia peccatum eſt fortius.*

Sexta Divi Cypriani.

Similiter loquitur D. Cyprianus tract. de lapſis ibi: *Quàm magna delquimus, tam magna defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit; Pœnitentia crimine minor non ſit.*

258. *Explicat de ſatisfactione ... ad ... nem pro tempore.*

Verumenimverò hæc omnia loca, & ſimilia, commodè explicari poſſunt, vel de Contritione ſumma appretiativè, ſeu de intenſione entitativa, vel de eo, quod magìs certum eſt, & pleniùs ſatisfacit, non ſolùm pro culpa, ſed etiam pro pœna temporali, quæ remiſſâ culpâ remanet exſolvenda, vel in hoc ſæculo, vel in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit.

Colligitur ex D. Hier. & D. Cypr.

Colligitur ex D. Hieronymo ſuprà, & ex D. Cypriano, qui verbis mox allegatis attexit: *Orare oportet impenſiùs, & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare* &c. quæ omnia nemo dixerit neceſſaria fore ad remiſſionem culpæ, ſive juſtificationem.

259. *Scripturæ itaque & Patres hortantur ... id quod melius eſt.*

Scripturæ itaque & Patres hortantur peccatores ad id, quod melius eſt, ne fortè, dum minùs volunt aut faciunt, non habeant etiam quod ſufficiat; præſertim cùm extra omne dubium ſit ad deletionem pœnæ correſpondentis majori culpæ, majorem requiri ſatisfactionem, tum internam per dolorem, tum externam per opera bona & pœnalia, quàm ad deletionem pœnæ correſpondentis minori culpæ.

Major vindicta debetur majori peccato, quàm minori. Conc. Trid.

Teſtis eſt Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones iniungere; ne, ſi fortè peccatis connivecant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Ergo ſecundùm Concilium major vindicta & caſtigatio debetur majori peccato, minor minori.

Et quoniam ſatisfacere poſſumus pro peccatis, non ſolùm pœnis, arbitrio Sacerdotis pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam pœnis ſponte non nobis ſuſceptis, ideo rectiſſimè monent SS. Patres omnes peccatores, ut pro menſura delicti, ſponte ſuſcipiant pœnas, graviores utique pro gravioribus delictis. Hæc eſt genuina expoſitio Scripturæ, & SS. Patrum.

260. *Objicitur Trident. ubi dicit per Sacramentum Pœnitentiæ non poſſe perveniri ad integram peccatorum remiſſionem ſine magnis fletibus.*

Neque plus voluit Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 2. circa finem, ubi ſic docet: *Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus; per Baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente iuſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus: ut meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à SS. Patribus dictus fuerit.*

Ubi

Ubi, inquit Hiquæus ſuprà n. 99. Concilium ex mente Patrum intenſionem doloris requiri interpretatur & docet. Quantum ergo illa diſtinctio (doloris appretiativi) facilitat Pœnitentiam, in tantum enervat ſolicitudinem peccatorum, quod non videtur adeò congruum modo loquendi Patrum, & Scripturæ: unde meritò Alenſis; *Qui non doleret*, inquit, *magìs de peccato, quàm de amiſſione unius oboli, non cenſeretur contritus, aut diſpoſitus ad veniam.* Hucuſque Hiquæus.

51. ..ndo..ne..gere ..o..mnis ..& pœ.. Reſpondeo, nihil clariùs, quàm Concilium loco jam allegato, per *plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem*, intelligere remiſſionem peccatorum quoad reatum culpæ, & omnis pœnæ. Illum ſiquidem fructum tribuerat Baptiſmo ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali §. 5. ibi: *In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem; qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed, veterem hominem exuentes, & novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculai, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur.* Remoraretur autem aliquid, ſi Baptiſmus non remitteret omnia peccata quoad culpam, & pœnam.

.62. ..negat ..mento ..entiæ ..nagnis ..us. Porrò iſtum effectum negat Concilium Sacramento Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, non quòd iſti fletus & labores ſint neceſſarii ad remiſſionem peccatorum quoad culpam, ſed ad plenam & integram remiſſionem quoad culpam & omnem pœnam alterius vitæ.

..atur ex ..loco ..lem ..c. Hinc ſeſſ. 6. cap. 14. ſic ait: *Unde docendum eſt Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali, eaq; contineri, non modò ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verùmetiam eorundem ſacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionem; itemq; ſatisfactionem per ieiunia, eleëmoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur illis.*

263. ..ſtinctio ..loris ap..tiativi ..n enervat ..icitudi..m pecca..rum. Itaque diſtinctio doloris appretiativi non enervat ſolicitudinem peccatorum; quoniam peccatores ſoliciti eſſe debent de remiſſione peccatorum non tantùm quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam; dolor autem appretiativus tantùm facilitat remiſſionem peccatorum quoad culpam. Facilitat, inquam, aut meliùs, reddit juſtificationem moraliter poſſibilem, & tollit plura inconvenientia, quæ ſequuntur ex neceſſitate doloris ſummè intenſi gradualiter.

264. ..ncove.. Quippe nulla ordinariè eſt intenſio actûs tanta, quin poſſit dari major abſolutè, quamvìs fortè non ex vi talis auxilii. Sed nec illa requiritur; quia ſic aliquando peccator juſtificaretur, qui haberet ſolùm Contritionem ut duo, ſi auxilium non eſt ſufficiens ad alium gradum, & alter qui habet majus auxilium, non juſtificaretur per Contritionem ut ſex, quod eſt inconveniens, maximè ſi hic habeat pauciora peccata. ..nientia quæ ſequuntur ex neceſſitate doloris ſummè intenſi gradualiter.

Præterea interrogo, peccatum commiſſum cum affectu ut quatuor, exigit dolorem intenſum ut quatuor? Si affirmes; infero: ergo contingere poſſet, quòd qui cum majori affectu commiſiſſet peccatum levius, magìs intenſè deberet conteri, quàm qui cum minori affectu commiſiſſet peccatum gravius. Vel ſi etiam intenſio Contritionis debeat correſpondere gravitati objectivè peccatorum; aſſignet nobis Hiquæus, vel aliquis alius, quanta intenſio requiratur pro ſingulis peccatis, & credimus Deum illam præcipiſſe; quod ſi fieri non poteſt, cur credam Deum præcepiſſe, quod nullatenus poſſum ſcire, an fecerim?

Si dixeris: Peccator debet totum facere quod poteſt. Reſpondeo: ergo etiam debet omnibus modis poſſibilibus ſatisfacere per orationes, jejunia &c. quod conſtat eſſe falſum. Deus ſiquidem à peccatore requirit ex neceſſitate ſummam ſatisfactionem ſolùm in ſpecie, non in individuo, quia primum facilè poteſt præſtare, ſecundum verò moraliter eſt impoſſibile. 265. Objectio ſolvitur. Deus non requirit à peccatore ſummam ſatisfactionem in individuo.

Et verò exiſtimas, ſufficere ſummum dolorem intenſivè, ſi non ſit ſummus appretiativè? Minimè inquis. Cur ergo non dicis nobiſcum, ſufficere ſummum dolorem appretiativè? Certè verba Alenſis non alium dolorem requirunt, nam magìs dicitur dolere de peccato, quàm de amiſſione oboli, qui magìs dolet appretiativè, id eſt, mallet amittere obolum, quàm peccare, eſtò magìs ſenſibiliter doleat de amiſſione oboli.

Hæc ſunt ipſiſſima verba Doctoris Irrefragabilis 4. parte q. 68. m. 1. a. 3. circa medium: *Si alicui diſpliceret quòd Deum offendiſſet per peccatum, & illa diſplicentia non excederet diſplicentiam amiſſionis unius oboli, nulli eſt dubium, quin illa diſplicentia inſufficiens eſſet ad hoc quòd eſſet dolor Contritionis. Dolor autem paſſio, quæ eſt affectio doloris ſenſibilis, ſive ſit in parte rationali, ſive in parte ſenſibili, non poteſt eſſe nimis parvus, dummodò dolor ille, qui eſt diſſenſus ſive diſplicentia rationabilis ſufficiat. Mediocriter enim affici ſenſibili dolore, ſive ex parte rationabili, ſive ex parte ſenſibili, non eſt in noſtra poteſtate, propter quod videtur quòd dolor huiuſmodi minimus ſufficit.* 266. Oſtenditur Alenſem ſolùm requirere ſummum dolorem appretiativum,

Quid vobis videtur de Alenſi? Nonne in terminis idem ferè docet, quod D. Bonaventura ſuprà? Et Seraphicus Doctor quid ampliùs requirit ad veram Contritionem, quàm ut habeat prædominium, id eſt, ut ſit maximus dolor appretiativè, hoc eſt, quòd nullo Vel etiam S. Bonavent.

nullo pacto, nullo commodo vel incommodo velit in peccatum conſentire vel conſenſiſſe?

267 Quando ſecundùm Alenſem diſplicentia peccati excedat diſplicentiam amiſſionis oboli.

Tunc ergo, ſecundùm Alenſem, diſplicentia peccati non excederet diſplicentiam amiſſionis oboli, quando ſic diſpliceret peccatum, ut pro retinendo obolo vellet in peccatum conſentire, vel conſenſiſſe; quæ diſplicentia indubiè non eſt vera Contritio: tunc autem diſplicentia peccati excederet diſplicentiam oboli, quando pro retinendo obolo nollet in peccatum conſentire vel conſenſiſſe, & talis diſplicentia eſſet ſufficiens ad hoc quod eſſet dolor Contritionis.

Hinc cùm ſibi objeciſſet Alenſis definitionem Contritionis, puta, *eſt dolor aſſumptus pro peccatis cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi*, in qua definitione non determinatur major vel minor intenſio doloris, Reſpondet: *Poteſt dici quòd ipſa definitio inſinuat dolorem debere aliquo modo intendi ad hoc quòd ſit dolor Contritionis, per hoc quòd in ea ponitur cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi. Cùm enim confeſſio & ſatisfactio de peccatis gravibus, gravem pœnam imponent, patet quòd non cuilibet parvo dolori pro peccato convenit illa definitio, quia parvus dolor non exerceret ex ſe firmum propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi.*

268. Non ſufficit ad Contritionem dolor quantumcumque parvus.

Optima reſponſio, nullatenus oppoſita communi Doctrinæ. Nam, amabo, quis umquam Catholicus docuit ſufficere ad juſtificationem dolorem quantumcumque parvum? Nonne Concilium Tridentinum ait ſeſſ. 14. c. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*? Planè ſic loquitur, manifeſtè ſignificans haud ſufficere quemcumque animi dolorem, etiam cum Sacramento Pœnitentiæ, ſed debere eſſe talem ac tantum, ut ſaltem virtualiter ſit propoſitum non peccandi de cætero.

Ad hoc autem requiritur, ut aliquo modo intendatur, puta, ut diſplicentia peccati excedat diſplicentiam cujuſcumque mali temporalis, id eſt, requiritur intenſio objectiva, non autem gradualis, de qua in toto Tridentino nulla fit mentio, bene de objectiva, cap. 4. citato, ubi docet Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe, id eſt, procedere ex objecto motivo charitatis, hominemque Deo reconciliare, priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur.

Concluſio.

Ex quibus omnibus liquet, SS. Patres & antiquos Scholaſticos, uti etiam Concilia, licèt non utantur ly *amore appretiativo*, ſeu *intenſo eſſentialiter* vel *entitativè*, rem tamen ipſam ſatis manifeſtè indicare.

269. Quamvis intenſio & remiſſio magis propriè determinent gradum

Fateor intenſionem & remiſſionem communiter & magìs propriè determinare gradum, quàm ſpeciem actûs; interim tamen nihil obſtat, quò minùs in certis circumſtantiis debeant determinare ſpeciem, & non gradum. Nonne per actum ſcientiæ remiſſum intellectûs firmiùs adhæret objecto, quàm per opinionem intenſam? Similiter per actum fidei remiſſum, magìs firmiter, quàm per actum ſcientiæ valde intenſum? Ergo non ſolùm datur majus & minus in qualitatibus penes intenſionem & remiſſionem gradualem, ſed etiam in eſſentia, vi agendi & reſiſtendi, ac conjungendi potentiam cum objecto. Ille ergo dolor eſt vera Contritio, quæ ita firmiter conjungit voluntatem cum Deo, ut malit potiùs quidlibet facere, vel omittere, quàm peccare.

Rectè, inquit aliquis; verùm appretiationem illam & firmitatem, non habet deteſtatio efficax peccati ſupra ſimplicem diſplicentiam, ex ratione ſpecifica: ergo ſolùm ex ratione individuali; ſed nulla ratio individualis actûs poteſt tribuere illam firmitatem & appretiationem, ſeu inhæſionem firmam potentiæ, præter ſolam intenſionem gradualem actûs: ergo ab illa habet hunc effectum, & non ex ratione ſpecifica.

Probatur Subſumptum; quia non habet à continuatione ſeu duratione actûs, quia perinde poteſt durare ſimplex diſplicentia ex libertate voluntatis: neque habet ab alio, quia nihil aliud eſt ratio tendendi in objectum voluntati, præter ſolam ſubſtantiam & intenſionem actûs, quæ integrat ſubſtantiam ejus; ergo nihil aliud firmat voluntatem quantùm ad illam adhæſionem proximè & in exercitio, quàm ipſa intenſio actûs.

Confirmatur à ſimili: ſicuti motivum extrinſecum, quod fortiùs movet potentiam, fortiùs etiam ſubigit potentiam, in eo quòd fortiùs & intenſiùs moveat; ita etiam ipſe actus intenſior reſpectivè ad actum remiſſum, perfectiùs determinat potentiam ad objectum formaliter, quàm actus remiſſus; & conſequenter differentia hæc firmitatis ſeu majoris adhæſionis, fundatur in ejus perfectione intenſiva, & non ſpecifica.

Probatur Major; quia ſimplex diſplicentia peccati habet bonitatem eamdem in ſpecie ex objecto, quam habet voluntas efficax: ergo ad formandam voluntatem ſeu diſplicentiam de peccato efficacem, quà eſt offenſa Dei, non ſufficit ſola bonitas ex objecto. Probatur Antecedens; quia voluntas ſimplex eſt dilectio Dei propter ſe, & diſplicentia peccati propter Deum offenſum: idem ipſum eſt objectum ſub eadem formali ratione diſplicentiæ efficacis; quia ordo ad media non eſt differentia formalis, ſed materialis; & objectum ut attingitur ſub eadem ratione formali, non eſt natum communicare voluntati diverſam in ſpecie bonitatem, niſi mutetur ſaltem modus proponendi: cum eadem ergo bonitate formali ſecundùm ſpeciem, ſtat unum actum non eſſe ſufficientem, alium verò ſufficientem.

Ita

Ita pro ſua ſententia ex ratione argumentatur Hiquæus ſuprà n. 101. ſed non evincit intentum; ſiquidem

Reſpondetur primò, etiam ſimplicem complacentiam ſeu voluntatem inefficacem habere ſuam intenſionem gradualem, ſubinde æqualem, immo majorem, quàm habeat voluntas efficax; poteſt enim quiſpiam ex majori conatu potentiæ, ſimpliciter ſibi in aliquo bono complacere, quàm alius illud efficaciter appetat: jam autem ex majori conatu naſcitur intenſio gradualis; ſic damnati v. g. cum majori conatu, & ex conſequenti cum majori intenſione graduali appetunt Deo mala per ſimplicem complacentiam, quàm multi viatores efficaciter deſiderent Deo bona.

Et verò quis dubitet voluntatem efficacem poſſe eſſe remiſſum, & unam intenſiorem eſſe alterâ? Neutiquam ergo per intenſionem voluntas ex inefficaci fit efficax, vel aſſignet nobis Hiquæus gradum intenſionis qui præcisè ſit neceſſarius ad actum efficacem, quandoquidem, ut jam jam dictum eſt, unus actus efficax poſſit eſſe altero intenſior.

3. Dices: illa intenſio conſtituit actum efficacem, quæ includit abſolutum ordinem ad media applicanda pro conſecutione finis.

Sed contrà: ergo per illum ordinem, & non per intenſionem diſtinguitur actus efficax ab inefficaci; porrò ordo ille poteſt haberi & de facto reperitur ſine ulla determinata intenſione graduali in actu amoris Dei ſuper omnia appretiativo, vel, ut mox dixi, aſſignet Hiquæus quis præcisè gradus intenſionis in iſto actu requiratur, ut ſit efficax.

4. Hæc clariora fient ex illis, quæ lego apud Scotum 4. diſt. 49. q. 10. n. 12. ibi: *Quando ergo dicitur, quod beatitudo oſtenditur ut impoſſibilis eis* (damnatis) *& ſub ratione impoſſibilis & ubi non eſt ſpes de conſequendo aliquo, vel omnino non appetitur vel tenuiter; dico, quòd duplex eſt volitio, una eſt efficax, quæ eſt reſpectu finis per media ordinata ad illum finem conſequendum; alia eſt ſimplex ſeu conditionalis, quæ eſt reſpectu alicuius finis, non exequendo media, ad illum finem conſequendum, ſed ſimpliciter appetitur finis ille, & vellet tendere in ipſum, ſi poſſet, & ſi obiectum eſſet ſecundùm ſe præſens.*

Primo modo (proſequitur Doctor Subtilis n. 13.) *non eſt volitio alicuius apprehenſi ſub ratione impoſſibilis. Exemplum de ſanitate oſtenſâ diverſis infirmis. Secundo modo poteſt eſſe reſpectu impoſſibilis, & maximè intenſa* (nota bene) *& in tali volitione poteſt eſſe meritum vel demeritum; ut ſi aliquis appetat fornicari, quando ipſum impoſſibile eſt habere opportunitatem: & ſic damnati maximè volunt beatitudinem ut bonum commodum, & fortè intenſiùs* (inefficaciter) *quàm nos in via* (efficaciter) *licèt eam apprehendant ut impoſſibilem eis, & maximè delectarentur in conſideratione illius obiecti, ſi dimitterentur: & in hoc fortè habent maximam pœnam, quia ſic detinentur ab igne in conſideratione ſua, quòd non permittuntur conſiderare Deum, ut eſt obiectum naturalis beatitudinis, & etiam ſeipſos in quibus maximè delectarentur.*

Accedat quod ſcribit in Report. (1. impreſſionis) 1. diſt. 48. n. 11. *Velle efficax ſubdividitur; aliud eſt intenſum, ut cùm homo vult cum ultimata potentia aliquid; aliud velle efficax remiſſum, ut cùm quis vult aliquid efficaciter, non tamen ſecundùm totum conatum.*

Velle efficax, aliud eſt intenſum, aliud remiſſum ex Scoto.

275. Quid videtur vobis de Scoto? Numquid (ſicut Commentator ejus Hiquæus) diſtinguit volitionem efficacem ab inefficaci per majorem intenſionem gradualem? Nemo non videt oppoſitum, qui habet oculos apertos ad videndum. Concedit quippe damnatos maximè intensè, immo fortè intenſiùs inefficaciter velle beatitudinem, quàm nos in via efficaciter. Verba ejus ſunt apertiſſima. Per quid ergo illas volitiones diſtinguit? Per ordinem ad media, quæ voluntas applicat, vel non applicat ad finem conſequendum. Præterea per objectum, quoniam voluntas inefficax poteſt eſſe reſpectu impoſſibilis; ſecùs voluntas efficax.

Scotus non diſtinguit volitionem efficacem ab inefficaci per majorem intenſionem gradualem, ſed per ordinem ad media;

Quamquam ſubinde Doctor per velle remiſſum intelligat voluntatem inefficacem, ut patet 1. diſt. 47. q. unicâ n. 2. ibi: *Vtrumque* (puta velle & nolle) *in nobis poteſt diſtingui, ut velle diſtinguatur in velle efficax, & in velle remiſſum, ut dicatur velle efficax, quo voluntati non tantùm complacet eſſe voliti, ſed ſi poſſet ſtatim ponere volitum in eſſe, ſtatim poneret.... voluntas autem remiſſa eſt, quâ ita placet volitum, quòd tamen voluntas non ponit illud in eſſe, licèt poſſit ponere illud in eſſe.* Hæc ille, clarè diſtinguens velle remiſſum ab efficaci voluntate non per gradus accidentales, ſed per ordinem ad media.

licèt ſubinde per velle remiſſum intelligat voluntatem inefficacem.

276. Atque ut ordo ille ad media non eſſet differentia formalis in objecto, ſed dumtaxat materialis; num ideo volitio efficax & inefficax circa idem objectum poſſibile, v. g. beatitudinem in via non diſtinguerentur ſpecie phyſicâ, ſed ſolùm numero penes majorem vel minorem intenſionem accidentalem? Haud puto; nam mihi probabilius eſt, actus voluntatis & intellectûs diſtingui ſpecie, non tantùm penes objectum formale, ſed etiam reſpectu objecti materialis, v. g. in intellectu fidem Trinitatis, & fidem Incarnationis.

Actus intellectûs & voluntatis diſtinguuntur ſpecie etiam penes objectum materiale.

Ratio eſt; quia fides Trinitatis, & fides Incarnationis eſſentialiter plus diſtinguuntur, quàm hæc & illa fides Trinitatis; ſicut plus eſſentialiter diſtinguuntur viſio hujus & illius albi, quàm hæc & illa viſio ejuſdem albi, licèt omnes repræſentent rem ſub ratione albedinis.

Probatio.

Quippe una viſio unius albi ita ex ſua eſſentiali & intrinſeca ratione terminatur ad unum album, ut non poſſit terminari ad alterum, ad quod altera viſio eſſentialiter terminatur

Digitized by Google

natur. Similiter fides Trinitatis ita eſſentialiter terminatur ad Trinitatem, ut non poſſit terminari ad Incarnationem, & è contra.

277. **Concluſio.** Si ergo eſſentialiter diſtinguuntur, & plus quàm duæ fides Trinitatis, ſequitur quòd ad minus ſpecie diſtinguantur; ſpecies enim eſt, quæ de pluribus ſolo numero differentibus in quid adæquatè prædicatur: porrò fides Trinitatis prædicatur in quid adæquatè de hac & illa fide. Idem cernitur in viſionibus beatis, quæ quamvìs habeant idem objectum primarium & formale, ſcilicet eſſentiam divinam, pro diverſitate tamen objectorum ſecundariorum & materialium ſpecie inter ſe diſtinguuntur, ut docet Smiſing de Deo uno tract. 2. diſp. 6. n. 261.

[Margin: Quid ſit ſpecies? — Viſiones beatæ diſtinguuntur penes objecta ſecundaria. — Smiſing.]

278. **Idem eſt de ſpecificatione actuum voluntatis.** Quid dicam de actibus voluntatis? Eadem ratione idem de ipſis probatur; quia, inquit Smiſing ſuprà, cùm ſimiliter ex ſua eſſentiali ratione terminentur hoc vel illo modo, quot erunt modi terminationis, non ſolùm ex parte objectorum primorum & formalium, ſed etiam ſecundariorum & materialium, tot erunt ſpecies actionum voluntatis, ita ut alia ſit ſpecies volitionis terminatæ ad hoc volibile, alia verò ſpecies volitionis terminatæ ad aliud volibile, etiam ſub eodem communi motivo formali & primario. Hæc ille.

[Margin: Exemplum, amor Dei & proximi propter Deum.] Quæris exemplum? Ecce tibi amor Dei, & amor proximi propter Deum, actus ſpecie phyſicâ diſtincti, quamvìs habeant idem objectum primarium & formale, ſcilicet bonitatem divinam: actus, inquam, ſpecie phyſicâ diſtincti, tum propter diſtinctum objectum materiale, tum propter diverſam applicationem objecti primarii; nam bonitas divina intrinſecè competit Deo, extrinſecè proximo.

279. **Quod non eſt contra Scotum.** Quod non eſt contra Scotum 3. diſt. 28. ut perperàm exiſtimat Franciſcus del Caſtillo de charitate diſp. 2. q. 6. n. 2. nam ibi ſolùm loquitur Doctor de habitu charitatis, quem libenter admittimus eſſe unicum, & tantummodo ſpecificari ab objecto formali & primario, quod eſt unicum, ſcilicet bonitas divina in ſe; interim negamus actum charitatis, de quo Scotus ibi non tractat, ut ſtatim oſtendo, ſolummodo diverſificari penes illud objectum; ſed audacter ſuſtinemus, etiam ſpecie diſtingui penes objectum minùs principale, ſive applicationem objecti primarii, vel etiam penes objectum materiale, quod Scotus ibi non negat.

[Margin: Franciſ. Del Caſtillo.]

Diſtinctione citatâ q. un. n. 2. ſic inquit: *Ex hoc patet qualiter habitus charitatis ſit unus, quia non reſpicit primò plura obiecta, ſed ſolùm Deum reſpicit pro primo obiecto, ut in ſe bonum primum: & ſecundariò velle eum diligi, & per dilectionem haberi à quocumque quantùm eſt in ſe; quia in hoc eſt perfecta & ordinata dilectio eius: & hoc volendo diligo me & proximum, ex charitate volendo mihi & ſibi velle, & per dilectionem habere Deum in ſe, quod eſt bonum ſimpliciter iuſtitiæ; ita quòd primum obiectum eſt ſolus Deus in ſe; omnia autem alia ſunt quædam obiecta media quaſi actuum reflexorum, mediantibus quibus tendo in infinitum bonum, quod eſt Deus; idem autem eſt habitus actûs recti & reflexi.* Quid illuſtrius, quàm Doctorem Subtilem hìc agere de unitate habitûs, & non de unitate actûs?

[Margin: Quod objectum primarium, & quod ſecundarium charitatis?]

280. Hinc quando ibidem n. 3. dicit: *Et ſecundùm hoc non aſſignatur proximus quaſi ſecundum obiectum charitatis, ſed quaſi omnino accidentale obiectum; quia ut aliquid potens condiligere mecum perfectè & ordinatè dilectum*; neutiquam intendit ſimpliciter negare, proximum eſſe ſecundarium objectum, ſed tantùm negat proximum ita eſſe ſecundum objectum, ut in illo ſiſtatur, quod ſignificat ly *quaſi*; & colligitur ex his verbis nu. 6. *Ad primum argumentum patet, quomodo hìc eſt unum obiectum tantùm: & cùm probatur quòd ſit alia ratio bonitatis in Deo & in proximo: dico, quòd ratio bonitatis proximi non eſt ratio ultima terminandi actum, ſed tantùm ratio bonitatis divinæ: quia ſi in bonitatem proximi tendat, hoc non eſt niſi actu reflexo, qui ſemper ulteriùs tendit in obiectum actûs recti.*

Similiter reſpondet ad ſecundum. *Patet*, inquit, *per idem, quia hæc virtus habet pro obiecto quietativo tantùm Deum: tamen pro obiecto proximo in actu reflexo poteſt habere aliquid creatum: & ita fortè viſio in patria poterit habere pro obiecto aliquid creatum, non tamen ſiſtendo ibi, ſed ulteriùs tendendo in Deum.*

281. Præterea oſtendo Scotum hoc loco agere de habitibus, ex reſponſione ejus ad tertium ſequentis tenoris: *Ad tertium dico, quòd per habitum principii tenditur in principium ſecundùm propriam veritatem, quam habet in terminis: & per habitum concluſionis tenditur in concluſionem ſecundùm propriam veritatem eius, quam habet ex terminis, aliam à veritate principii: non ſic in propoſito, ſed tantùm eſt una bonitas, quæ eſt ratio* (*ultima*) *tendendi; non enim movet me plus bonitas proximi, quàm feſtuca, ſi feſtuca poſſet Deum diligere: ſi enim perfectè diligo Deum, volo eum diligi ab omni potente diligere eum ordinatè, cuius dilectio ei placet.*

Ubi aſſignat differentiam inter habitum principii & concluſionis ex una parte, & habitum charitatis ex altera, nempe habitum charitatis eſſe unicum, propter bonitatem divinam, quæ in omnibus actibus eſt primarium & formale objectum; habitum autem principii & concluſionis duplicem, propter aliud, & aliud objectum formale & primarium principii & concluſionis: de diſtinctione autem actuum, vel unitate eorum nulla mentio.

282. **Objectio Scoti.** Eſtò, inquit aliquis, ſi non hìc, ſaltem alibi negat Scotus, actus ſpecie diſtingui, penes diſtinctionem ſolius objecti ſecundarii ſeu materialis. Nam 1. diſt. 1. q. 2. n. 6. ſic inquit: *Actus omnis habens primum obiectum, à quo eſſentialiter*

tialiter dependet, & obiectum ſecundum, à quo eſſentialiter non dependet, ſed tendit in illud virtute primi, licèt non poſſit manere idem actus, niſi habeat habitudinem ad primum obiectum, poteſt tamen manere idem ſine habitudine ad ſecundum obiectum, quia ab eo non dependet. Exemplum: *idem eſt actus viſionis eſſentiæ divinæ & aliarum rerum in eſſentia: ſed eſſentia in ſe eſt primum obiectum, res viſæ ſecundarium obiectum; non poſſet autem manere eadem viſio, niſi eſſet eiuſdem eſſentiæ; poſſet autem manere, abſque hoc quòd eſſent res viſæ in ea. Sicut igitur Deus abſque contradictione poteſt cooperari ad actum illum, in quantum tendit in primum obiectum, non cooperando in ipſum, in quantum tendit in ſecundum, & tamen eſt actus idem, ita ſine contradictione poteſt cooperari ad viſionem eſſentiæ vel fruitionem, quia eſſentia habet quaſi rationem primi obiecti, non cooperando eidem actui viſionis vel fruitionis, in quantum tendit in perſonam; & ita in unam, quòd non in aliam, quia Perſonæ habent rationem obiecti quaſi ſecundarii.* Hactenus ille.

...nte viſio... eodem... nt vi... t non... i crea... m Ver...

...ſt vide... entia... a non... erſo... t unâ... oa, non... liâ.

283. Quin immo ibidem n. 8. docet, actum, quo quis videret eſſentiam ſine Perſonis, nequidem numero diſtinguendum ab illo, quo videret eſſentiam cum Perſonis: *Per hoc,* inquit, *ad ultimum argumentum dico, quòd non erunt ibi duo actus, quia quicumque actus eſt ibi fruitionis vel viſionis, eſt obiecti primi ſub una ratione formali: ſed iſte actus unus poteſt eſſe obiecti per ſe virtute primi obiecti: vel poteſt eſſe tantùm ipſius obiecti primi, nec ergo erunt duo actus eiuſdem ſpeciei, ſimul, nec ſucceſſivè.*

...o eſſen... tum... onis, ne... em nu... vide... ſtin... ſecun... Sco... à vi... e eſſen... ine Per...

Et ita tenent plures Scotiſtæ, exiſtimantes eamdem viſionem ſufficere, ut videatur objectum ſecundarium de novo, mediante aliquo reſpectu tendentiæ superveniente, quo etiam ablato deſineret videre illud objectum.

284. Sed contrà (inquit Joannes Poncius in ſuo Curſu theologico diſp. 4. n. 61.) ſi poſito illo reſpectu tendentiæ videretur objectum, & eo ablato non videretur, potiùs deberet dici eſſe viſio, quàm reſpectus, niſi reſpectus ipſe poſſet eſſe viſio, & ſic haberetur intentum, quod per viſionem objecti primarii, non poſſit de novo videri objectum ſecundarium abſque nova viſione.

...contra... ï Ioan... cius... idens... ſitum... roba... eſſè... us id... oſuerit... uam... abile.

Deinde ſicut dicis, quòd per reſpectum de novo venientem poſſit de novo videri aliquod objectum, ſive tamquam per cauſam formalem, ſive tamquam per conditionem ſine qua non; poſſet dici, quòd haberemus cognitiones omnium objectorum nobis congenitas, & quòd, quamvis non videamus actu objecta earum, hoc non oritur ex defectu cognitionis, ſed ex defectu reſpectûs tendentiæ, qui deberet acquiri; hoc eſt autem abſurdum, & contra omnes: ergo & id unde ſequitur: Hucuſque Poncius.

Ad Scotum autem reſpondet, eum id propoſuiſſe tamquam probabile; & ita ſanè ſit (inquit Poncius) vel propter ipſiuſmet auctoritatem, ego contendo tantùm hoc alterum, quod ego propono, eſſe probabilius, immo ſufficeret, quod eſſet æquè probabile. Hæc ille.

Verùm abſit à me, ut propter ſolam auctoritatem Scoti dicam probabile, quod ex ratione probatur abſurdum. Vel ergo hoc abſurdum non ſequitur ex illa ſententia; vel illa non eſt ſententia Scoti, quamquam ab aliquibus putetur eſſe. 285.

Iudicium Auctoris.

Hinc cum Smiſing ſuprà n. 262. explico ſenſum illius vulgaris doctrinæ de ſpecifica diſtinctione actuum per ſola principia, vel objecta primaria & formalia, & dico; cùm materiales objectorum differentiæ poſſint multiplicari quaſi in infinitum, & conſequenter differentiæ actuum, quæ ſumuntur ab illis, nec poſſit in hac amplitudine de ultimis actuum ſpeciebus determinata ſcientia haberi, quia infinitum vel quaſi infinitum ſeu innumerabile eſt nobis incognoſcibile; ideòque de particularibus non eſt ſcientia, voluerunt Philoſophi dare regulam per objecta prima & formalia diſtinguendi actus, ſaltem quoad infimas ſpecies ſubalternas ſeu proxima actuum genera, quæ ſpecies infimas appellarunt, non quòd alias ſub ſe non contineant, ſed quòd ſint infimæ, ad quarum diſtinctionem ſcientifica & generalis regula pertingere poteſt; eo modo, quo etiam totales ſcientias in certa ſcientiarum genera diſtribuerunt, non quòd plura totalium ſcientiarum genera aſſignari non poſſint, ſed quòd ea ſcientiarum partitio ab illis conſtituta, ſit apta pro diſcentium captu ad tradendam ex generalibus principiis diſciplinam in uno quodam abſtractionis modo, ſeu unâ quâdam variarum rerum genera conſiderandi ratione connexam.

Explicatur mens Philoſophorū, diſtinguentium actus ſpecie per ſola objecta vel principia primaria & formalia, Smiſing.

Scientiæ totales quomodo ſint à Philoſophis in certa genera diviſæ.

Hunc igitur loquendi modum imitatus eſt Doctor Subtilis, volens loqui cum multis, etſi fortè ſentiret cum paucis.

Et dato quòd Scotus abſolutè negaſſet diſtinctionem ſpecificam penes diſtinctionem ſolius objecti ſecundarii, adhuc ſecundùm ipſum ſubſiſtit diſtinctio ſpecifica actûs efficacis ab inefficaci, propter nimirum diverſum modum tendendi unius, & alterius actûs. Nam, ut bene advertit Doctor noſter 3. diſtinct. 14. qu. 2. nu. 6 *Etſi obiectum diſtinctum ſpecie concludat diſtinctionem actus ſpecie; non quidem formaliter, quia obiectum non eſt forma alicuius actus, ſed cauſaliter, quia cauſa eſſentialiter prior neceſſariò requiſita, in quantum diſtincta, concludit diſtinctionem in cauſato: non tamen unitas obiecti ſpecifica concludit unitatem actûs ſpecificè; quia idem obiectum eſt obiectum omnis intellectus beati, & etiam omnis voluntatis beatæ, nec tamen volitio eſt eiuſdem ſpeciei cum intellectione: poſſunt enim iſti actus formaliter diſtingui, licèt non habeant obiecta formaliter diſtincta; & poſſunt etiam diſtingui cauſa-* 286.

Actus efficax & inefficax diſtinguuntur ſpecie propter diverſum modum tendendi.

Etſi diſtinctio ſpecifica objectorum diſtinguat ſpecie actus, unitas tamen eorum non unificat actus.

P

cauſaliter aliunde, quàm ab obiectis, quia ab ipſis potentiis, tamquam à cauſis ſuis eſſentialibus: & ita dato quòd ab obiecto indiſtincto ſecundùm ſpeciem haberent indiſtinctionem, tamen ab alia cauſa partiali diſtinguerentur ſpecie.

Philoſophus. *Nec Philoſophus 2. de anima, dicit, quòd actus habent unitatem ab unitate obiecti, ſed diſtinctionem: & hoc niſi eſſet aliquod obiectum ita adæquatum actui, quod non excederet, nec poſſet excedi, ſicut eſt* (eſſentia Angeli) *reſpectu actus ſui* (puta viſionis intuitivæ, quâ ipſe à ſe cognoſcitur) *fortè: ſic non eſt in propoſito.* Loquitur de viſione creata eſſentiæ divinæ, quæ non adæquatur ſic.

Unitas termini motuum non concludit unitatem ſpecificam motuum. *Exemplum huius eſt in motu & termino, quia diſtinctio termini motûs concludit diſtinctionem in motu, prout motus eſt forma fluens, ſi illa forma ſit eiuſdem rationis, cum forma terminante motum; ſed ideo non oportet unitatem termini motûs concludere unitatem motûs; quia ubi omnino idem poteſt acquiri diverſis motibus ſecundùm ſpeciem, ut motu circulari, & motu recto, qui ſunt incomparabiles ſecundùm Philoſophum 7. Phyſicorum.* *Philoſophus.* Utique propter diverſum modum tendendi ad eamdem præſentiam.

287. *Concluſio, quòd idem formale objectum poſſit appeti diverſis ſpecie actibus.* Ergo ſecundùm Scotum, idem formale objectum poteſt appeti diverſis ſpecie actibus voluntatis, diverſis, inquam, propter diverſum modum tendendi in illud unicum objectum formale. Quod expreſſis terminis docet 4. diſt. 49. qu. 5. ubi diſputans, utrùm fruitio viæ & patriæ ſpecie differant nu. 5. ſic ait: *Exemplum in fruitione beata & non beata ex Scoto.* *Aliter poteſt dici & probabilius, quòd fruitio beata & non beata differunt ſpecie, ſeipſis quidem formaliter, ſed à cauſis vel habitudine cauſarum cauſaliter: ſi enim ponatur, quòd intellectio eſt cauſa, licèt partialis ipſius volitionis, & intellectio viatoris, & viſio beati differunt ſpecie; ergo & effectus, qui neceſſariò requirunt iſtas cauſas diverſas: numquam enim individuum eiuſdem ſpeciei, neceſſariò requirit cauſam alterius ſpeciei, ab illa, quam requirit aliud individuum. Si autem intellectio dicatur cauſa ſine qua non, ſaltem eſſentialiter requiritur, & tunc ſicut priùs, diverſa eiuſdem ſpeciei, non neceſſariò requirunt in cauſis aliqua alterius ſpeciei ...... Tunc autem poteſt ſalvari diſtinctio fruitionum ex diſtinctione unionum, ſicut ex diverſa approximatione agentis ad paſſum variatur effectus: aliter enim* (id eſt, alio modo) *agit agens, quod per lineam rectam opponitur & approximatur paſſo, quàm quod per reflexam, vel fractam: cognitio autem hæc eſt quaſi approximatio obiecti ad voluntatem.*

288. *Actus efficax & inefficax ſpecie diſtinguuntur propter diverſum modum tendendi.* Quod Scotus hîc de fruitione viæ & patriæ, idem ego affirmo de actu efficaci amoris divini, & inefficaci, videlicet ſpecie differre propter diverſum modum tendendi in eamdem bonitatem divinam, quem ſic declaro. Efficax amor bonitatem divinam præponit cuicumque rei creatæ incompatibili cum illa bonitate, prout eſt omne peccatum mortale, cum quo proinde nullatenus eſt componibilis talis affectus, utpote directè ei oppoſitus; è contra verò cum ſimplici complacentia poteſt ſtare odium Dei, & quodcumque aliud peccatum mortale; ſicut amor inefficax caſtitatis eſt componibilis cum peccato luxuriæ: quamvìs enim alicui ſimpliciter placeat caſtitas; tamen propter difficultatem illius virtutis, & delectabilitatem vitii oppoſiti, poteſt efficaciter velle peccatum oppoſitum. *Cum ſ[illegible] placent. bona diversa [illegible] peccat. mortal.*

Conſimiliter ergo, quamvìs alicui ſimpliciter placeat bonitas Dei, & diſpliceat omne peccatum; tamen propter difficultatem annexam alicui virtuti & delectabilitatem peccati oppoſiti, poteſt ſimul efficaciter velle ipſum peccatum; ſecùs eſt in amore efficaci quantumcumque remiſſo, ut omnes debent concedere. Quidni ergo illi actus ſpecie diſtinguantur? Non dubito diſtingui.

Nec obſtat, quòd actus magìs intenſus fortiùs uniat potentiam Deo; hinc enim ſolùm ſequitur, faciliùs hominem peccaturum cum amore remiſſo, quàm valde intenſo: nunc autem Contritio charitate perfecta non conſiſtit in eo, quòd homo numquam vel difficulter admodum ſit impoſterùm peccaturus; ſed quòd de facto ita ſit conſtitutus, ſive quòd ita de facto amet Deum propter ſe, ut ſi unum deberet eligere, vel peccatum, vel amorem Dei, hunc potiùs eligeret, quàm illud, quod totum poteſt ſtare cum remiſſione accidentali actûs. 289. *Obiect. ſolvitur.* *Contritio charitate perfecta [illegible]*

Sicuti fides ſupernaturalis, tametſi ſit firma adhæſio, & ſuper omnia, adeò ut ſtante illâ fide, intellectus mallet cuilibet propoſitioni diſſentire, & quamcumque veritatem naturalem negare, quàm unicum articulum fidei; interim tamen poteſt abſolutè homo, & ſæpè non ita difficulter, articulis fidei diſſentire, ut patet experientiâ in illis, qui ab hæreticis facili ſæpè negotio, levibuſque argumentis pervertuntur, deficiente utique applicatione motivorum fidei, & voluntate contramovente. *[illegible]*

Non ergo requiritur ad Contritionem charitate perfectam ſtabilitas in operando bono, ſed ſufficit ſola appretiatio, quam falsò aſſerit Hiquæus ſuprà, nos ſtatuere in conſtanti adhæſione objecti, niſi ſecundùm ſenſum jam explicatum, in quo ſenſu ad illam conſtantiam non requiritur determinata aliqua intenſio accidentalis, ſed ſufficit minimus gradus dilectionis Dei ſuper omnia. 290. *Sufficit ſola appretiatio.*

Fateor, ad vincendas omnes tentationes & cupiditates, haud ſufficere quemcumque dolorem, ſed magìs intenſum, magìs ad iſtum finem conducere; attamen negamus illam intenſionem requiri ad perfectam Contritionem, quæ juſtificet etiam extra Sacramentum, cùm hujuſmodi neceſſitas neque ex Scriptura, *Dolor magis intenſus magis conducit vincendis tentationibus.*

neque

neque ex Conciliis, neque ex SS. Patribus, multò minùs ex ratione ſatis clarè oſtendatur. Talis itaque ſit dolor, qui actu efficaciter retrahat voluntatem à peccando, eſtò pleniſſimam relinquat poteſtatem & facillimam impoſterùm peccandi.

291. Quamquam nec omnis hujuſmodi dolor juſtificet extra Sacramentum, ut patet in Attritione, quæ juxta Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. *ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur*; nam & illam, ut diſponat peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam ſeu accipiendam, oportet eſſe dolorem efficacem, teſte Tridentino ſuprà ibi: *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*, quantumvis *ſine Sacramento Pœnitentiæ*, ut ibidem docet, *per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat.*

Igitur intenſio accidentalis, quæ requiritur ſecundùm Hiquæum, ut dolor ſit efficax, non ſufficit ut Contritio juſtificet extra Sacramentum, neque ab illa præciſè habet vim delendi peccata extra Sacramentum.

292. A quo ergo? Reſpondeo à perfectione ſua ſpecifica & eſſentiali. Quod non repugnat doctrinæ Sanctiſſimi Præſulis ac Eximii Doctoris Eccleſiæ D. Auguſtini, quem in omnibus ſcriptis meis ſuſpicio ac veneror tamquam Magiſtrum ac præclariſſimum divinæ gratiæ præconem, non, inquam, repugnat hæc noſtra ſententia de diſtinctione ſpecifica amoris efficacis & inefficacis, ſententiæ D. Auguſtini, quidquid in contrarium aſſerat Hiquæus ſuprà n. 102. dicens: Tota hæc diſtinctio voluntatis remiſſæ & intenſæ eſt Auguſtini, qui ubique reducit fundamentum efficaciæ ad intenſionem actûs, & non ad ſpeciem; & intrà eamdem ſpeciem charitatis admittit voluntatem remiſſam & intenſam, quarum hæc eſt efficax, & principium operis, illa autem nequaquam: igitur de gratia & libero arbitrio c. 17. ſtatuit differentiam inter operantem & non operantem bonum, ex præmiſſa differentia voluntatis remiſſæ & intenſæ.

293. *Qui ergo vult*, inquit, *facere Dei mandatum & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cùm magnam habuerit & robuſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc eſt, magnâ charitate fecerunt, de qua charitate ipſe Dominus ait* (Joan. 15. v. 13.) *Majorem hac charitatem nemo habet* &c.

Et infrà: *Iſtam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit* (loquitur de magna & intenſa, ut infrà patet) *Timor enim* non eſt in charitate, *ſicuti ait Ioannes Evangeliſta in Epiſtola ſua*, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem: *& tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat quando dicebat Domino*, Animam meam pro te ponam; *putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat.* Et *quis iſtam etſi parvam dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.*

Hìc Auguſtinus loquitur de charitate in actu, id eſt, actuali & etiam ſupernaturali, 294. quia diſtinguit voluntatem bonam & donatam à Deo in parvam & magnam; parvam appellat, quæ eſt inefficax ad ſuperandas tentationes, & difficultatem operis, omniaque retrahentia ab opere, ideòque fuit remiſſa & parva in Petro, quia non expulit foràs timorem, ſicut fuit magna illa charitas & amor Martyrum.

Agit etiam de voluntate operis perficiendi hinc indè: *Putabat enim*, inquit, ſupple Petrus, *ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat* &c. Fuit ergo in eo voluntas amans ſupernaturaliter: quamvìs non habuerit illam firmitatem, & conſtantiam adhærendi Deo, quam habuit voluntas & charitas Martyrum, quæ ſolo gradu intenſionis differebat à voluntate Petri, quæ affectu ferebatur ad ſubeundam mortem pro Chriſto. Hactenus Hiquæus; ſed minus benè ad propoſitum.

Nam quæro, quis eſt amor efficax? Quis 295. eſt dolor efficax? Audiamus Hiquæum n. 101. Actus (inquit) deteſtandi peccatum neceſſarius ad juſtificationem extrà Sacramentum, debet eſſe efficax ſecundùm omnes, & ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. quia debet includere propoſitum efficax fugiendi tam peccatum, quàm etiam cauſas proximas ejus, aliàs non eſſet vera converſio ad Deum & requiſita. Item votum ſuſcipiendi Sacramentum & præſtanda reliqua: ergo non ſufficit diſplicentia ſimplex ad hunc effectum, ſicut neque complacentia ſimplex Dei ad implendum præceptum dilectionis, ſine ordine ad media, quibus acquiritur finis; *quia qui diligit me, ſermones meos ſervat* &c. Hæc ille. Igitur ſecundùm Hiquæum, iſte dolor eſt efficax, ſimiliter amor, qui includit propoſitum efficax ſervandi mandata divina.

Sed numquid quia Deus ſcit me cras pecca- 296. turum, ideo hodie non poſſum habere propoſitum efficax ſervandi mandata divina? Quis tam ſtolidus ut affirmet? Numquid quotidie experimur, homines mortales & fragiles non obſervare omnia mandata divina, & proh dolor ſæpè ſæpiùs peccare mortaliter, & relabi in peccata legitimè confeſſa, & per abſolutionem ſacramentalem remiſſa? Num indè bene infertur: ergo hujuſmodi peccatores numquam habuerunt dolorem aut amorem efficacem, vel propoſitum efficax fugiendi omnia peccata? Prorſus inſcitus & rudis eſſe debet, qui hoc audeat aſſerere. Nam ſine dolore aut amore efficaci nulla remittuntur peccata, etiam

Marginal notes: [...]x nullo [...]te oſtē- [...]t neceſ- [...]s. — [...] omnis [...]r effi- juſtifi- extra tamen [...], ut pa- in Attri- e. [...]. — [...]ntritio, et vim [...]ificandi [...]erfectio- [...]ua eſſen- [...]i. — [...] hæc ſen- [...]tia te- gnet do- [...]inæ S. [...]guſt. [...]. — [...]fficientia ter volun- tem bo- [...]m remiſ- [...]n & in- [...]nſam ex . Auguſt. — 1. Ioan. 4. v. 18. — Ioan. 13. v. 37. — Qui loquitur de charitate actuali & ſupernaturali. — nec non de voluntate operis perficiendi. — Quis ſit amor & dolor efficax? Hiquæus. — Poſſum bo- die habere propoſitum efficax ſervandi mandata divina, etſi Deus ſciat me cras peccaturum.

Digitized by Google

etiam in ipſo Sacramento. Quomodo ergo ex hoc quod Petrus poſtmodum negavit Chriſtum, bene colligitur amorem præcedentem, quem habebat, quando dicebat: *Animam meam pro te ponam*, non fuiſſe efficacem?

296. *Reſpondetur ad D. Auguſt. & mens ejus explicatur.* Quid ergo ad D. Auguſtinum? Reſpondeo, hic eſt ſenſus verborum Divi Auguſtini (ſalvo meliori judicio) *Qui ergo vult facere Dei mandatum*, id eſt, abſolutè proponit de cætero non peccare, *& non poteſt*, id eſt, non facit, ſed victus poſtmodum tentatione ſive cupiditate, peccat, *iam quidem*, id eſt, pro tempore, quo vult facere, *habet voluntatem bonam*, quia peccatum ſubſequens, cujus de facto nullus eſt affectus, nequit inficere præſentem voluntatem non peccandi; *ſed adhuc parvam & invalidam*, id eſt, non ſatìs intenſam ad ſuperandas omnes tentationes, & omnem difficultatem operis boni, omniaque retrahentia ab opere bono, & proinde facilè amiſſibilem & corruptibilem per ſubſequens peccatum: *Poterit autem*, id eſt, faciet Dei mandatum, etiam maximè arduum, *cùm magnam habuerit & robuſtam*, id eſt, valde intenſam, utpote quæ fortiùs unit potentiam Deo, & per conſequens difficiliùs amittitur aut corrumpitur per tentationem aut cupiditatem ſubſequentem.

Martyres habuerunt magnam & robuſtam voluntatem, Hanc voluntatem magnam & robuſtam habuerunt Martyres, qui non tantùm voluerunt mori pro Chriſto (ut alii multi Sancti) ſed etiam re ipſa mortui fuerunt, actualem mortem præeligentes peccato. Iſtam autem *Charitatem* ſeu voluntatem *Apoſtolus Petrus nondum habuit*, *quando timore Dominum ter negavit*, *quam non habuit Petrus, quando Dominum negavit;* malens utique peccare, quàm mori; *& tamen quamvìs parva & imperfecta, non deerat quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam.*

297. *Immo nec tunc parvam habuit, quam antea habuerat.* Sed numquid deerat, quando timore Dominum ter negavit? Planè; neque enim propoſitum efficax, dolor efficax, amor efficax ſtare poſſunt cum actuali peccato mortali; eſtò unum propoſitum efficax poſſit eſſe magìs intenſum, quàm aliud, ut ſuprà admiſimus; ſimiliter unus dolor aut amor efficax, magìs intenſus, quàm alius.

Propoſitum efficax quantumcumque parvum non datur, niſi à Deo. Interim propoſitum efficax quantumcumque parvum, uti etiam amorem aut dolorem efficacem quantumvìs exiguum & minimæ intenſionis accidentalis, nemo dat, *niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens* (per gratiam prævenientem) *qui volentibus cooperatur* (per gratiam efficacem) *perficiens. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur, tamen ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Contritio non dicitur charitate perfecta Ecce mens D. Auguſtini, quæ in nullo præjudicat noſtræ doctrinæ, ut patet ex dictis. Non enim hodierna Contritio dicitur charitate perfecta, vel imperfecta, efficax, vel non efficax, quia impedit vel non impedit peccatum craſtinum; ſed quia procedit ex motivo dilectionis Dei propter ſe, vel alio inferiori, & pro tunc non compatitur vel compatitur ſecum affectum vel ſaltem unius peccati mortalis; quòd autem ad illam incompatibilitatem requiratur aliqua intenſio, ne leviter quidem hìc vel alibi indicat D. Auguſtinus.

298. *Obj. S. Aug.* Dices; ſecundùm D. Auguſtinum Enarr. in Epiſtolam ad Galatas: *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt:* ergo niſi ampliùs delectet bonitas divina, quàm peccatum, non erit amor efficax, ſed ſimplex tantùm complacentia conjuncta cum affectu peccati; ergo requiritur major intenſio in actu dilectionis, quàm in cupiditate peccati: ergo requiritur aliqua intenſio ut dilectio, & per conſequens Contritio procedens ex motivo dilectionis, ſit efficax.

Reſp. Reſpondeo ut ſuprà: requiritur aliqua intenſio entitativa & objectiva, concedo totum; aliqua intenſio accidentalis & gradualis, neg. Conſeq. nam tunc ampliùs nos delectat bonitas divina, quàm peccatum, quando parati ſumus potiùs quidlibet facere vel omittere, quàm peccare.

299. *Explicatur verba S. Aug.* Senſus igitur verborum D. Auguſtini ſit ille: *Quòd ampliùs nos delectat*, id eſt, quod ſupra aliud appretiativè diligimus, utique per electionem & deliberatum actum voluntatis, ipſi præ alio adhærendo, *ſecundùm id exteriùs operemur neceſſe eſt*, *ut v. g.* (pergit D. Auguſtinus) *occurrit forma ſpecioſa fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis, ſed ſi plùs delectat pulchritudo illa intima & ſincera ſpecies caſtitatis per gratiam, quæ eſt in fide Chriſti*, id eſt, ſi non obſtante illâ motione ſeu tentatione, abſolutè eligo & deliberatè volo honeſtatem caſtitatis, *ſecundùm hanc vivimus, & ſecundùm hanc operamur*, exteriùs nos continendo à peccato fornicationis, quod, ut patet, non eſt contra noſtram ſententiam, ſed maximè illi conforme. Et ſimiliter intelligi poſſunt alia loca D. Auguſt. quæ Hiquæus ſuprà n. 104. 105. & 106. pro ſe adducit.

300. *Quomodo intelligenda illa verba Ex toto corde &c.* Uti etiam forma præcepti charitatis, videlicet illa verba: *Ex toto corde*, & ſimilia, ex quibus ſic argumentatur prædictus Auctor n. 107. Illa verba denotant materiam præcepti quantùm ad modum dilectionis, & etiam deteſtationis, ut patet ex tanta exaggeratione; deinde ex præcepto diligendi proximum ſicut teipſum, non verò ſuper omnia, neque ex toto corde, ſicut debet diligi Deus. Sed nequit referri præceptum quoad modum actûs & conatûs, ad ſolam ſpeciem actûs: ergo ad aliquam ejus qualitatem. Minor patet, quia ſpecies actûs habetur ex illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum*; ergo reliqua ſuperfluerent, niſi determinarent aliquam circumſtantiam,

Digitized by Google

tiam, & modum diligendi; qui nequit eſſe ſpecies actûs ex motivo & objecto, hoc eſt, perfectio ſpecifica ex objecto &c.

Reſpondeo, modum diligendi ſuper omnia eſſe ſpeciem actûs, ſive tribuere ſpecificam perfectionem actui charitatis, quæ nullatenus invenitur in ſimplici complacentia ejuſdem bonitatis divinæ, ut ſuprà latiùs deduximus. Illam autem perfectionem voca, ſi placet; & non errabis, appretiationem.

[3]01. [Appr]etiatio [eſt i]ſta ſub[ſtanti]a ſpe[cies] actûs, [e]x mo[do] attin[gendi] obje[ctum].

Et ſi velis ſcire cum Hiquæo; in quo fundetur iſta appretiatio, & ad quam circumſtantiam reduci poſſit, vel qualem differentiam addat, liquidò conſtat ex dictis; eſſe ipſam ſubſtantiam ſpecificam actûs, ortam ex modo attingendi objectum; ut, quoniam bonitas divina infinitè ſuperat, & eſſentialiter excedit omnem bonitatem creatam, actus ille bonitatem divinam quà talem attingat. *Ratio naturalis* (inquit Scotus 3. diſt. 27. q. 1. n. 13.) *oſtendit naturæ intellectuali eſſe aliquid ſummè diligendum; quia in omnibus actibus & obiectis eſſentialiter ordinatis, eſt aliquid ſupremum, & ita aliqua dilectio ſuprema, & ita ſupremum obiectum ſic diligibile: ratio autem naturalis non oſtendit aliud à bono infinito eſſe ſummè diligendum* &c.

[Rati]o na[tura]lis dic[tat] bonum [infi]nitum ſummè [dili]gendum.

Et verò ſupremum objectum exiſtimas, quia ſupremum eſt accidentaliter, & non eſſentialiter ſeu entitativè? *In omnibus actibus* (inquit Scotus) *& obiectis eſſentialiter ordinatis, eſt aliquid ſupremum*, quis dubitare prudenter poteſt, an ſupremum eſſentialiter? *Et ita aliqua dilectio ſuprema*, non tantùm accidentaliter, ſive ſecundùm intenſionem gradualem; ſed maximè eſſentialiter & entitativè, uti objectum ejus eſt maximè eſſentialiter & entitativè ſupremum, ut patet in bonitate divina, quæ eſſentialiſſimè, ut ita loquar, ſuperat omne creatum objectum diligibile, ac proinde dilectio ejus quà talis, eſſentialiſſimè excedit omnem dilectionem objecti creati; immo & ſimplicem complacentiam objecti increati, quæ non attingit illud objectum quà tale eſt; id eſt, non attingit bonitatem divinam ſeu Deum propter ſe ſuper omnia; ſicuti verè attingibilis eſt; & neceſſariò attingitur per quemcumque actum charitatis ſupernaturalem, etiam maximè remiſſum gradualiter.

[Sic]ut Deus [eſſ]entialiter [ex]cedit omne objectum [cre]atum, ita [et]iam amor [e]i excedit [eſſ]entialiter [om]nem di[le]ctionem [ob]jecti crea[ti].

302. Reſolutio finalis contra Hiquæum.

Hæc ſit igitur finalis reſolutio contra Hiquæum: Contritio charitate perfecta ſeu juſtificativa extra Sacramentum, ſpecie diſtinguitur ab alio quocumque dolore non juſtificativo extra Sacramentum, & non tantùm per majorem intenſionem gradualem; adeòque nullam requirit determinatam intenſionem, in tantùm, ut etiam juſtificaret, etſi homo intenſius gradualiter (quod poſſibile eſt) diligeret creaturam quàm Deum, vel intenſius gradualiter doleret de amiſſione bonorum temporalium; quàm de offenſa Dei. Pro quo

Nota, intenſionem amoris aliam eſſe ſenſitivam, aliam intellectivam ſeu rationalem; prior comitatur actum appetitûs ſenſitivi, poſterior actum voluntatis, prout voluntas eſt; prior aſſimilatur amori cum teneritudine, quo mater diligit filium; poſterior amori, quo pater diligit filium, ſcilicet cum firmitate, utpote qui pro eo ſalvando magìs ſe exponit periculo. 303.

Alia eſt intenſio amoris ſenſitiva; alia intellectiva.

Deinde in voluntate alia eſt intenſio amoris ſecundùm portionem inferiorem, quæ participatur ab anima, prout conjuncta corpori; alia ſecundùm portionem ſuperiorem, quæ regulatur ſecundùm regulas fidei; & hæc conſiſtit in majori æſtimatione hujus objecti propter ſe voliti; quàm illius propter ſe voliti.

Intellectiva alia ſecundùm portionem inferiorem, alia ſecundùm ſuperiorem.

Licèt ergo quilibet teneatur plùs diligere Deum, quàm patrem aut matrem, id eſt; majori intenſione eſſentiali ſeu rationali, vel intellectuali; & ſecundùm portionem ſuperiorem; equidem non plùs; id eſt, magìs intenſivè ſecundùm teneritudinem; & juxta portionem inferiorem voluntatis, ſive ſecundùm gradualem intenſionem, ſed videtur quòd illâ ratione magìs intenſivè poſſimus amare nos ipſos, & parentes; quàm Deum. 304.

Tenemur plùs diligere Deum, quàm patrem aut matrem ſecundùm portionem ſuperiorem.

Siquidem ſæpiſſimè experimur amorem magìs intenſum illo modo erga nos, vel parentes, quàm erga Deum; tametſi mallemus omnia alia non eſſe, quàm Deum mortaliter offendere; adeoque non obſtante illâ majori intenſione graduali in actu amoris proprii vel parentum, magìs æſtimamus Deum propter ſe, quàm quodlibet aliud objectum volitum propter ſe, & magìs nos exponimus pro repugnando cuilibet oppoſito divinæ voluntati, ſecundùm quod nobis conſtat, tam per rationem naturalem, quàm per fidem, opponi; quæ eſt major intenſio eſſentialis ſeu entitativa in actu voluntatis ſecundùm portionem ſuperiorem.

ſecùs ſecundùm portionem inferiorem.

Herculè ſi Deum magìs intensè gradualiter deberemus diligere, quàm creaturam, homo ſemper foret plenus ſcrupulis, quandoquidem intenſionem actûs ſui vix aut ne vix quidem poſſit cognoſcere. 305.

Inconvenientia quæ ſequuntur ex obligatione amandi Deũ magìs intenſè gradualiter, quàm creaturam.

Quin ſequeretur, quòd ille, qui ſolùm dilexit Deum ut ſex, numquam poſſet elicere amorem parentis ut ſeptem, etiam quando non tenetur amare Deum (nam ſic amaret creaturam plùs quàm Deum) quod patet eſſe abſurdum; quoniam amor ille parentis ut ſeptem, eſt actus honeſtus & virtutis, utpote habens honeſtum objectum, ceteraſque circumſtantias requiſitas ad eſſe virtutis; quippe per illum non pluris æſtimatur creatura quàm Deus, ut conſtat ex dictis, ac proinde nullus hìc intercedit nequidem virtualis contemptus Dei.

Appoſitè D. Auguſtinus Epiſt. 89. *Cùm enim omnis qui renuntiat huic ſæculo, ſine dubio* 306.

Quid ſit

Digitized by Google

plus diligere Chriſtum quàm divitias ex D. Aug.

renunciet omnibus, quæ ſunt eius, ut poſſit Chriſti eſſe diſcipulus: ipſe enim, cùm de ſumptibus ad turris ædificium neceſſariis, & de bello adversùs regem alterum præparando, ſimilitudines præmiſiſſet, adjunxit ſic: Qui non renunciat omnibus quæ ſunt ejus, non poteſt meus eſſe diſcipulus, *profectò renunciat etiam divitiis ſuis, ſi quas habet: aut ſic, ut eas omnino non diligens, totas diſtribuat indigentibus, & ſuperfluis exoneretur ſarcinis: aut ſic, ut plùs diligens Chriſtum, ſpem ab eis transferat in ipſum, atque ita utatur illis, ut facile tribuens & communicans, theſaurizet in cælo, paratuſque ſit quemadmodum parentes, & filios, & fratrem, & uxorem, hoc modo & iſtas relinquere ſi talis conditio propoſita fuerit, ut niſi dimiſſo Chriſto, eas habere non poſſit.*

Luc. 14. v. 33.

Nam ſi aliter huic ſæculo renunciat, quando accedit ad fidei Sacramentum, facit quod de lapſis Beatus Cyprianus ingemuit dicens: Sæculo verbis ſolis renuntiantes & non factis; *de hoc quippe dicitur, cum veniente tentatione, magis iſta metuit amittere, quàm Chriſtum negare:* Ecce homo qui cœpit ædificare, & non potuit perficere. *Ipſe eſt etiam, qui cùm adhuc longe eſſet adverſarius ejus,* miſit legatos quærens pacem, *id eſt nondum affligente, ſed adhuc imminente, ac minante tentatione, ut ea non careat quæ plùs diligit, ad relinquendum Chriſtum negandumq́; conſentit.*

Luc. 14 v. 30.

307. Plùs diligit Chriſtum quàm divitias, qui eas paratus eſt relinquere, ſi non poſſit habere, niſi dimiſſo Chriſto.

Adhuc dubitas, quiſnam ſecundùm mentem D. Auguſtini plùs diligat Chriſtum, quàm divitias? Reſolutio in promptu eſt; qui paratus eſt quemadmodum parentes, & filios, & fratres, & uxorem, hoc modo & iſtas relinquere, ſi talis conditio poſita fuerit, ut niſi dimiſſo Chriſto, eas habere non poſſit: cum quo modo apertiſſimè componitur major dilectio gradualis divitiarum, parentum, filiorum, fratrum, & uxoris; quia quamvis, ubi eſt major appretiatio & intenſio eſſentialis, etiam ſit major intenſio gradualis, quando cauſæ, quæ movent ad amorem aliquorum objectorum, ſunt ejuſdem rationis, & eodem modo applicatæ; ſecùs tamen quando rationes amandi ſunt diverſæ, vel diverſimodè applicatæ.

Intellectus per remiſſum actum ſcientiæ firmius inhæret concluſioni quàm per intenſum actum opinionis.

Fieri ergo poteſt, ut voluntas, propter rationem majoris momenti, firmius adhæreat alicui objecto, tametſi minùs intenſè gradualiter, ex defectu conatûs potentiæ. Patet à ſimili in actibus intellectûs; nam per actum ſcientificum, ut ſuperiùs diximus, licèt remiſſum, firmius inhæret intellectus concluſioni, quàm per intenſiſſimum actum opinionis; ſimiliter per actum fidei magìs remiſſum firmius adhæret intellectus articulis fidei, quàm per intenſum actum ſcientiæ aut opinionis, idque propter diverſam rationem motivam.

Intenſio gradualis in actu fit ex vehementia objecti moventis.

Enimverò intenſio gradualis in actu fit ex vehementia objecti moventis, non ita ex dignitate aut perfectione. Cùm itaque objectum ſenſibile ſuaptè naturâ vehementius moveat voluntatem, quàm objectum ſpirituale; voluntas namque ſequitur cognitionem, cognitio autem pro hoc ſtatu dependet à ſenſibus, quibus ſenſibilia ſunt proximiora, hinc fit ut parentes, filij, fratres &c. aliquando vehementius moveant voluntatem, quàm Deus.

308. Non peccat contra charitatem, qui actu gradualiter magis tenſè amat patrem, quàm Deum.

Hinc ſicuti non peccat contra fidem, qui intenſiori actu ſcit Deum eſſe, quàm credat Deum eſſe; ſic nec etiam peccat contra charitatem, qui actu magis gradualiter intenſo amat patrem aut matrem, quàm Deum; dummodo Deum amet magìs appretiativè ſive magìs intenſè eſſentialiter.

D. Bonav.

Cæterùm D. Bonaventura ſuprà ſic ait: *Quod ſi intelligatur de dolore ſenſualitatis, ad omnes per interemptionem ſolvendum eſt, ſicut tactum eſt, quia ſequitur experientiam & delectationem, & etiam complexionem, vel aliquid tale: ideo ſenſibiliter magìs dolet quis de morte unigeniti,* quàm de peccatis, & tamen ſecundùm Doctorem Seraphicum ſufficienter ad remiſſionem peccatorum: ergo non peccat qui ſenſibiliter plùs amat unigenitum, quàm Deum.

309. Concluſio.

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò quòd neque ex Scriptura neque ex Conciliis, neque ex SS. Patribus, minùs ex ratione evincitur neceſſitas alicujus determinatæ intenſionis gradualis; ut proinde probabiliſſimum ſit quamcumque minimam Contritionem charitate perfectam ſtatim & ſemper juſtificare, etiam extra neceſſitatem, & caſum Martyrii, remittere, inquam, extra Sacramentum quæcumque graviſſima, & quaſi infinita peccata mortalia. Sit itaque

CONCLUSIO IX.

Omnis Contritio charitate perfecta, etiam minimæ intenſionis gradualis, remittit quæcumque peccata mortalia extra caſum neceſſitatis, aut Martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramentorum.

310. Concluſio probatur ex Conc. Trident.

HÆc Concluſio videtur eſſe Concilii Tridentini ſeſſ. 14. c. 4. ubi abſque ulla limitatione peccatorum, vel neceſſitatis, aut Martyrii, & ſine mentione aliqua intenſionis vel durationis, generaliter planè affirmat, Contritionem charitate perfectam hominem reconciliare Deo, antequam Sacramentum Pœnitentiæ (eadem eſt ratio Baptiſmi) ſuſcipiatur. Hæc ſunt verba Concilii: *Docet præterea* (ſancta Synodus) *etſi Contritionem hanc aliquandò charitate perfectam eſſe contingat, hominemq́; Deo recon-*

Digitized by Google

reconciliare, prinſquam hoc Sacramentum (puta Sacramentum Pœnitentiæ) *actu ſuſcipiatur* &c.

1. la Pii omni.

Hanc doctrinam ſine ulla reſtrictione intellexit Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Ex omnibus afflictionibus*, dum inter cæteras propoſitiones damnat ſequentes; Prima: *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona & fide non fictâ tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.* Secunda: *Charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum.* Tertia: *Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.* Quarta: *Per Contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut Martyrii ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

312. Bulla lo- tur de ritate ali, an de habi- ali? Aug.

Si dixeris; in illis propoſitionibus agitur ſolùm de charitate habituali. Contrà videtur facere, quòd primus articulus deſumptus ſit ex D. Auguſtino lib. de Natura & gratia cap. ultimo, quod ſic incipit: *Charitas ergo inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas provecta, provecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt: ſed charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, quæ tunc maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita.* Et verò per habitum charitatis contemnitur vita, & non magìs per actum? Nonne actus procedit de corde puro & conſcientiâ bonâ & fide non fictâ, id eſt, ex cognitione fidei? Nemo ambigit.

habi- n chari- is non ntemni- vita, ſed gìs actum; actus eſt procedit corde pu- &c.

313. lectio ac- n ſigni- at, & non bitum ntùm. m. 13.

Deinde charitas, quæ eſt plenitudo legis, nonne ab Apoſtolo Rom. 13. v. 10. vocatur dilectio? *Plenitudo*, inquit, *legis eſt dilectio.* Dilectio autem etiam actum ſignificat, & non habitum tantùm. Ibidem v. 8. & 9. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis, qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam: Non adulterabis: Non occides: non furaberis: Non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Numquid præcipitur habitus dilectionis, & non magìs actus?

Non præci- pitur habi- tus charita- tis, ſed ac- tus. Matth. 22.

Nonne infanti baptizato, qui habet habitum dilectionis, cùm ad ætatem adultam pervenerit, neceſſarius eſt actus dilectionis Dei? Prorſus, idque ex his verbis Chriſti Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum.* Præceptum ſiquidem non datur de habitu, ſed de actu. Ergo ſimiliter quod ſequitur v. 39. *Secundum autem* (mandatum) *ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, de actu intelligendum eſt, & non de habitu.

Unde continuò ſubjungitur: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ.* Sicut igitur primum mandatum non impletur per ſolum habitum charitatis, ita nec ſecundum. Ergo charitas, quæ eſt plenitudo legis, non habitualis, ſed magìs actualis intelligitur; ut omittam ſimilem eſſe rationem de charitate actuali & habituali.

Hinc Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me* (inquit Chriſtus) *ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum.* Et Prov. 8. v. 17. ſcriptum eſt: *Ego diligentes me diligo.* In quibus locis, & aliis ſimilibus promittitur aut tribuitur præſens remiſſio peccatorum dilectioni ſine ulla limitatione aut mentione neceſſitatis, vel Martyrii, & abſque exceptione aliquorum peccatorum. 314. Charitati in Scriptura promittitur ſine ulla limitatione remiſſio peccatorum. Joan. 14. Proverb. 8.

Conſonat D. Bernardus Epiſt. 107. *Nemo ſe amari diffidat, qui iam amat. Libenter Dei amor noſtrum, quem prævenit, ſubſequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amavit & necdum amantes?* 315. Conſonat D. Bernardus.

Accedat teſtimonium D. Auguſtini ex tract. 9. in Epiſtolam Joannis ad illa verba: & D. Aug. *Nos diligimus, quia ipſe prior nos dilexit. Diligendo*, inquit, *amici facti ſumus: ſed inimicos ille dilexit, ut amici efficeremur. Prior dilexit nos, & donavit nobis ut diligeremus eum, nondum diligebamus: diligendo pulchri efficimur.*

Et poſt pauca: *Anima noſtra, fratres mei, fœda eſt per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur ..... Quomodo erimus pulchri? Amando eum, qui ſemper eſt pulcher. Quantùm in te creſcit amor, tantùm creſcit pulchritudo, quia ipſa charitas eſt animæ pulchritudo.* Conſimili modo loquuntur alii SS. Patres, quos vide apud Vaſquez 1.2. diſp. 203. c. 4.

Reſpondent Adverſarii, ex his auctoritatibus tantùm colligi, Contritionem charitate perfectam diſponere ad juſtificationem aliquando accipiendam, ſive in ipſo Sacramento, ſive extra Sacramentum, ſi urgeat neceſſitas. Primùm (inquit Eſtius 4. diſt. 17. §. 2.) non eſt dubium, quin urgente articulo mortis, quando Sacerdos haberi non poteſt, in homine verè contrito votum Sacramenti ſuppleat, quod ex parte Sacramenti deeſt, quemadmodum dictum fuit de Baptiſmo, idque juxta certiſſimas Dei promiſſiones has & ſimiles: *Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* Et: *Cor contritum & humiliatum non deſpicies*, quemadmodum in Epiſt. 77. ad Hugonem ex Auguſtino & Ambroſio docet Bernardus. Unde pro pœnitentibus, ante manûs impoſitionem morte præventis, olim offerebatur ſacrificium Corporis Domini. 316. Reſponſio Adverſariorum. Urgente articulo mortis votum Sacramenti ſupplet defectum Sacramenti. Eſtius.

Sed præter hunc caſum etiam aliàs id contingere non eſt dubitandum (quod & de Baptiſmate ſuo loco oſtendimus ad diſt. 4.) nimirum quando occurrit caſus ſcandali, aut alterius peccati incurrendi, ſi abſolutio petatur. Item quando quis omnino non poteſt, aut certè 317. Item quando occurrit caſus ſcandali aut alterius peccati incurrendi, ſi petatur abſo-

lutio, vel ſimile aliquod occurrat impedimentum.

certè difficillimè poteſt opportuno tempore adire ſacerdotem à quo abſolvatur, velut ſi habitet inter infideles, aut teneatur in vinculis, aut ſimili quopiam impedimento prohibeatur. Quamvìs enim nondum mortis periculum inſtet, non tamen veriſimile eſt ejus reconciliationem, atque in ſtatu gratiæ reſtitutionem apud Deum differri, qui non eſt in culpa, nec in mora, quò minùs à Vicario Chriſti abſolutionem petat; præſertim ſi fervor Contritionis, deſiderium quoque Sacramenti accenderit.

318. Non eſt certus aliquis gradus intenſionis, ad quem cùm pertigerit Contritio, perpetuâ lege remittat peccata ſecundùm Eſtium.

An autem ſit certus aliquis gradus intenſionis, ad quem cùm pertigerit Contritio vel dilectio Dei in Catechumeno vel pœnitente, perpetuâ lege conjunctam habeat remiſſionem peccatorum, incertum eſt; imò non apparet, tum propter Auguſtini ſententiam ex tract. 13. in Joannem, & exempla ſuprà commemorata; tum quia conſequens videretur Contritionem aliquam ſine ordine ad claves ſufficere ad remiſſionem; tum denique, quia, uti diximus, diſtincta ſunt beneficia paſſionis Chriſti, donum Contritionis, & peccati remiſſio, quorum alterum ad alterum ordinatur, ut ſuprà oſtendimus.

Itaque quoties ante actualem Sacramenti ſuſceptionem peccatum remittitur, neceſſe eſt, ut præter Contritionem adhuc misericorditer ſuppleatur à Deo Sacramenti defectus ad conſequendum effectum remiſſionis. Atque ita ſive per Sacramentum, ſive per miſericordem illam ſuppletionem Deus homini ad remiſſionem peccatorum applicat Chriſti filii ſui paſſionem, tamquam ſufficientem pro pœna peccatis debitâ ſatisfactionem. Hactenus Eſtius.

319. Sed ut à fine exordiar: ſi per pœnam peccatis debitam, intelligat omnem pœnam, etiam temporalem, nullus umquam Catholicorum docuit, perfectam Contritionem perpetuâ lege conjunctam habère remiſſionem peccatorum quoad culpam, & omnem pœnam peccatis debitam. Certè neque ipſum Sacramentum Pœnitentiæ habet hunc effectum teſte Tridentino ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Sancta Synodus declarat falſum omnino eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur.*

Contritiò charitate perfecta non remittit omnem pœnam peccatis debitam, uti nec ipſum Sacramentum. Trident.

Hinc can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemq; pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem quâ apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe; anathema ſit.*

Non ergo controvertitur inter Doctores Catholicos, an Contritio charitate perfecta ſit ſufficiens ſatisfactio pro univerſa pœna peccatis debita, ſed an ſit proxima & infallibilis diſpoſitio ad obtinendam extra Sacramentum Dei gratiam, ſeu remiſſionem peccatorum mortalium quoad culpam, & pœnam æternam.

Hunc autem effectum tribuit Contritioni charitate perfectæ communis ſententia, non ex natura Contritionis, ſed ex miſericordia Dei, qui, ut ait Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. *gratuitò abluit & ſanctificat ſignans & ungens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*, idque propter merita paſſionis Chriſti: qui teſte Tridentino ibidem, *cùm eſſemus inimici propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, ſuâ ſanctiſſimâ paſſione in ligno crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit.* 320.

Remiſſ[…] ſtabili[…] peccata quoad […] pœn[…] naturâ […] ſed ex […] ſericord[…] Dei, idque p[…] ter mer[…] paſſion[…] Chriſti.

Et infrà: *Quamquam nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur; id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Huic autem merito nullatenus derogat Contritio charitate perfecta, eſtò perpetuâ lege conjunctam habeat remiſſionem peccatorum; ſed quemadmodum per Sacramentum Deus applicat homini illud meritum, ita etiam per Contritionem charitate perfectam.

Neque hinc conſequens videtur, Contritionem aliquam ſine ordine ad claves ſufficere ad remiſſionem. Etenim vera Contritio, imò & Attritio eſſe nequit ſine ordine ad claves; quippe ordo ille nihil aliud eſt, quàm votum ſeu obligatio confitendi peccata, etiam aliunde remiſſa. Illud autem votum includitur in Contritione charitate perfecta, immo & in Attritione, ut expreſſis verbis docet Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. ibi: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus* (loquitur de Contritione in genere) *neceſſarius, & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *requiruntur.* 321.

Contri[…] non vera[…] tis peccat[…] ſine ordi[…] ad clave[…] cùm ſine tali ordi[…] non poſſ[…] eſſe vera Contritio, immo nec Attritio. Probatur ex Trident.

Et infrà de Contritione charitate perfecta docet: *Ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Attritionem autem, *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magìs peccatorem, verùm etiam donum dei eſſe* &c.

Et verò quomodo poteſt voluntatem peccandi excludere ſine ordine ad claves? Qui enim confiteri non vult, jam peccat mortaliter. Igitur nulla datur vera Contritio vel Attritio, ſive juſtificet ſive non juſtificet, niſi cum ordine ad claves; quoniam omnis vera Contritio & Attritio debet excludere voluntatem peccandi, adeoque includere propoſitum non peccandi de cętero, & ex conſequenti obſervandi omnia mandata divina, quorum unum eſt integra peccatorum confeſſio.

Nec

Digitized by Google

322. Nec video in quo magìs deroget præcepto confeſſionis, ſtabilis remiſſio peccatorum per Contritionem charitate perfectam, quàm inſtabilis remiſſio, id eſt, cur magìs lex perpetua remittendi peccata per Contritionem charitate perfectam, excludat ordinem ad claves, quàm voluntas remittendi peccata tantùm in caſu neceſſitatis, quando Sacramentum commodè non poteſt haberi.

n magìs ogat :cepto nfeſſionis bilis reſſio, àm inbilis.

Nam ſuppoſitâ illâ ſtabili lege, adhuc rationabiliter & prudentiſſimè potuit Deus inſtituere & præcipere omnibus, etiam per Contritionem juſtificatis, integram peccatorum confeſſionem, tum propter incertitudinem Contritionis charitate perfectæ, tum propter augmentum gratiæ, quod ex opere operato confertur per Sacramentum; tum propter remiſſionem pœnarum temporalium, quam ſimiliter cauſat Sacramentum ex opere operato; tum denique quia *confitendi verecundiâ*, ut bene advertit Catechiſmus Roman. p. 2. c. 5. q. 32. in fine, *delinquendi cupiditati & licentiæ tamquam frænos inicit, & improbitatem coërcet.*

323. Quocirca omnino gratìs aſſeritur, Contritionem charitate perfectam habere effectum remiſſionis peccatorum in neceſſitate, & non extra neceſſitatem. An fortè Eſtius ſpecialem à Deo habuit revelationem, certiſſimas Dei promiſſiones, has, & ſimiles: *Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit*; & : *Cor contritum & humiliatum non deſpicies*, verificandas ſolùm in neceſſitate, & non extra eam?

ratis aſſeitur Conitionem mittere eccata in eceſſitate, non extra eceſſitatem.

Fateor, docet Bernardus cum Auguſtino & Ambroſio in neceſſitate, v. g. articulo mortis, quando ſuſceptio Baptiſmi eſt impoſſibilis, ſufficere ad ſalutem Baptiſmum flaminis, id eſt, Contritionem charitate perfectam, dicens Epiſtolâ citatâ: *Cum his* (Auguſtino & Ambroſio) *me aut errare, aut ſapere fateor; credens & ipſe ſolâ fide* (quæ per charitatem operatur) *hominem poſſe ſalvari, cum deſiderio percipiendi Sacramentum, ſi tamen pio adimplendi deſiderio, mors anticipans, ſeu alia quacumque vis invincibilis obviarit.*

Bernar. um Aug. Amb. ocet ſuffiere Contritionem in eceſſitate.

324. Sed nunquid ideo negat remiſſionem peccatorum Contritioni charitate perfectæ extra neceſſitatem? Nequaquam; alioquin ſibi ipſi contradiceret, quando alibi ſoli dilectioni, nullâ factâ mentione neceſſitatis, adſcribit hunc effectum. Serm. 83. in Cant. *Iam verò*, inquit, *animæ reditus* (à ſtatu peccati) *converſio eius ad verbum reformandæ per ipſum, conformandæ ipſi. In quo? In charitate. Ait enim*: Eſtote imitatores Dei ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos. *Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominus ipſi ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfectè diligit, nupſit.*

ed non deo negat tiam ſuffiere extra eceſſitatem. *Ephеſ. 5. v. 1.*

325. Et verò inquiro, ſubinde pœnitens perfectè diligit extra neceſſitatem? Planè, inquis. Infero: ergo nupſit, ergo accepit remiſſionem peccatorum. Per quid? Per charitatem perfectam, quâ nupſit. Vel ſi pœnitens non poteſt perfectè diligere Deum abſque reali ſuſceptione Sacramenti, ubi & quando poteſt illud ſuſcipere: ergo vanè quæritur & diſputatur, an Contritio charitate perfecta juſtificet ſine reali ſuſceptione Sacramenti extra neceſſitatem.

Pœnitens poteſt perfectè diligere Deum extra neceſſitatem.

Deinde perperàm damnaſſet Pius V. & Gregorius XIII. hanc propoſitionem: *Per Contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis aut Martyrii ſine actuali ſuſceptione Sacramentorum.* Qui enim damnat hanc doctrinam; conſequenter aſſerit Contritionem conjunctam cum perfecta charitate & voto Sacramenti remittere crimen extra caſum neceſſitatis aut Martyrii ſine actuali ſuſceptione Sacramentorum; adeòque dari poſſe talem Contritionem.

Alioquin perperàm damnaſſet Pius V. hanc propoſitionem; Per Contritionem &c.

Profectò ſi aliquid obſtaret, eſſet obligatio ſuſcipiendi Sacramentum, quando commodè fieri poteſt, & exinde peccatum mortale, quod committeretur non ſuſcipiendo; ſed hæc ratio fallit in Sacramento Pœnitentiæ, quod jure divino per ſe & immediatè ſolùm obligat in articulo mortis, aut ſimili caſu, v. g. quando quis jam habet copiam Confeſſarii, quam poſtea per totam vitam non habebit, jure autem eccleſiaſtico ſingulis tantùm annis. 326.

Non obſtat obligatio ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quia non eſt pro prima opportunitate,

Aliud eſt de Baptiſmo, qui præcipitur adultis pro prima opportunitate, & de hoc ſolo loquitur D. Bernardus ſuprà, prout etiam Auguſtinus tract. 13. in Joan. ibi: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam ſuæ iniquitatis portat, non illi dimittitur, niſi cùm venerit ad Baptiſmum.* Quem locum diffuſiùs explicavi diſp. 2. ſect. 4. concluſ. 8. de Catechumeno, qui contemnit Baptiſmum, negligens illum ſuſcipere, quando commodè poteſt, qui cùm peccet mortaliter, quantumcumque ſibi videatur proficere, adhuc portat ſarcinam ſuæ iniquitatis; cùm dilectio Dei propter ſe ſuper omnia, & per conſequens Contritio, procedens ex tali dilectione, ſit incomponibilis cum peccato mortali. Vide ibi dicta.

ſicuti eſt obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum, de quo ſolo loquitur Bernar. ſuprà, prout etiam D. Aug. tract. 13. in Joan.

Et ſanè de tali Catechumeno expreſsè loquitur D. Bernardus. Hæc ſunt ipſius verba: *Quid planius quàm quòd voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas? Niſi fortè putetur in malo, quàm in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum, qui charitas eſt, & promptior eſſe ad ulciſcendum, quàm ad remunerandum miſericors & miſerator Dominus. Quomodo is qui alieno debito ſe teneri fortè in extremis poſitus recolit, ſi deſit unde perſolvat, ſolâ nihilominus Pœnitentiâ & cordis Contritione obtinere veniam creditur, ne tam pro eo damnetur; ſic ſola fides, & mentis* (id eſt voluntatis) *ad Deum converſio ſine effuſione ſanguinis, & ſine perſu-* 327.

Referuntur verba D. Bernardi.

Digitized by Google

perfuſione aquæ ſalutem ſine dubio operatur volenti, ſed non valenti, prohibente articulo baptizati. Et ſicut nullâ illi pœnitentiâ remittitur peccatum, ſi cùm poſſit non reſtituit ablatum (quia non reſtituendo cùm poſſit, actualiter peccat) *ſic & huic nulla prodeſt fides, ſi cùm poſſit non percipit Sacramentum* Baptiſmi, quoniam non ſuſcipiendo mortaliter peccat.

Unde illicò attexit: *Quamquam & fidem convincitur non habere perfectam, ſi negligit. Vera enim & plena fides univerſa præcepta complectitur. Eſt autem hoc unum ipſumq; præcipuum ex præceptis. Meritò ergo non fidelis, ſed planè rebellis atque contemptor reputabitur, quiſquis obedire renuerit. Quomodo denique fidelis, qui Dei contemnit Sacramentum?* Hæc Bernardus cum communi ſententia Theologorum.

328. *Exempla, quibus Eſtius conatur probare ſuam doctrinam.* Venio ad exempla, quibus Eſtius conatur oſtendere ſuam particularem doctrinam. Primum eſt peccatricis euangelicæ, quæ etſi multùm diligeret, non priùs tamen (inquit ille) peccatorum veniam accepit, quàm ei à Domino diceretur: *Remittuntur tibi peccata*, ſcilicet eiſdem planè verbis, quibus peccata fuerunt remiſſa Paralytico. Sic & Paulo tam mirabiliter converſo, poſtea adhuc dictum fuit: *Surge & ablue peccata tua.* Act. 22. Et quidam Martyres, ut Geneſius & Emerentiana, baptizati leguntur in ſanguine, quibus alioquin potiùs tribuendus videretur Baptiſmus flaminis, quàm Baptiſmus ſanguinis. Huc uſque Eſtius, ſed valde infeliciter.

329. *Reſpondetur ad exemplum Geneſii & Emerentianæ.* Enimverò quantùm ad Geneſium & Emerentianam (ut omittam fortè Geneſium per Baptiſmum fluminis accepiſſe remiſſionem peccatorum, de quo egimus diſp. 1. ſect. 7. concl. 4.) iſti Sancti leguntur baptizati in ſanguine ſuo, tum quia Baptiſmus ſanguinis certior eſt, cùm ſit actus aliquis externus, tum quia efficacior eſt, utpote delens omnem culpam, & omnem pœnam debitam; tum denique quia ordinariè includit, aut certè ſupponit Baptiſmum flaminis, quandoquidem mors propter fidem Chriſti ſit actus excellentiſſimus charitatis, ſaltem materialis, juxta illud dictum Chriſti apud Joan. c. 15. *Joan. 15.* v. 13. *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

330. *Reſponſio ad exemplum Pauli.* Ad exemplum Pauli Reſpondeo, Ananiam ſic fuiſſe locutum, vel quia ignorabat, vel dubitabat, aut certè timere poterat, an jam eſſent peccata remiſſa per Baptiſmum flaminis, qui valde incertus eſt, neque ex facto exteriori Pauli innoteſcebat. Accedit, quòd prudentiſſimè judicare poterat, reſtare aliquas pœnas *Pœnæ temporales rectè dicuntur ablui.* temporales, quæ licèt non ſint propriè ſordes aut maculæ animæ, equidem rectè dicuntur ablui, quia per Sacramentum ablutionis condonantur.

Præterea, quòd homo ſemel ſacramentaliter à peccatis abſolutus, rurſum ab iiſdem propriè dicitur abſolvi, quia videlicet iteratò ſuſcipit Sacramentum abſolutionis, & gratiam remiſſivam illorum peccatorum: ergo à ſimili homo juſtificatus à peccatis per Baptiſmum flaminis, ſine metaphora, aut aliqua hujuſmodi improprietate, per ſubſequens Baptiſma fluminis dicitur abluere ſua peccata; quia videlicet accipit gratiam ablutivam, ut ita loquar, præcedentium peccatorum. *Iuſtificatus ante Baptiſmum flaminis, per Baptiſmum abluere peccata.*

An autem reverà Paulus fuerit juſtificatus ante Baptiſmum fluminis, ex Scriptura non ſatis conſtat; interim pars affirmativa valde credibilis eſt, cùm extraordinaria fuerit ejus converſio, eſtò ordinariè juſtificatio non præcederet Baptiſmum fluminis. 331. *An Paulus fuerit juſtificatus ante baptiſmum.*

Et ſic multi intelligunt D. Auguſtinum ſuprà de caſu ordinario, quaſi dicere voluiſſet, Catechumenum regulariter non tantùm proficere, ut dimittantur ei peccata ante realem Sacramenti ſuſceptionem, aut certè ut ſecurus eſſe poſſit de eorum remiſſione, ſicuti poſt ſuſceptum Baptiſmum fluminis.

Sed quid ad exemplum Magdalenæ? Cùm & illius converſio extraordinaria fuerit, & conjuncta extraordinariis ſignis externis veræ & perfectæ dilectionis, vix dubito ante præallegata verba Chriſti fuiſſe juſtificatam: ſaltem tunc, quando Chriſtus dicebat Phariſæo Luc. 7. v. 47. *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ubi remiſſio peccatorum multorum, adſcribitur multæ ſive perfectæ dilectioni. Quid ſimile reperitur in Paralytico? 332. *Reſpondetur ad exemplum Magdalenæ non juſtificatam fuiſſe illa verba: Remittuntur tibi peccata.*

Itaque verba illa Chriſti: *Remittuntur tibi peccata*, intelligenda veniunt de remiſſione peccatorum, quæ tunc temporis fiebat, tametſi non in illo inſtanti: ſicuti quando aliquis reus judicialiter abſolvitur, ſolent homines loqui totâ die de illa abſolutione tamquam de præſenti. Vel dic, illa verba vera fuiſſe, ſicuti verba abſolutionis ſacramentalis, quando proferuntur ſuper peccatis ſemel dimiſſis, adeòque Magdalenam per illa accepiſſe augmentum gratiæ ſanctificantis. *Quomodo hæc verba intelligenda.*

Nonne Chriſtus Marci 5. v. 34. dicebat mulieri jam ſanatæ à profluvio ſanguinis: *Filia fides tua te ſalvam fecit: vade in pace, & eſto ſana à plaga tua?* Conſimili ergo modo Magdalenæ jam juſtificatæ dicere potuit: *Remittuntur tibi peccata tua* v. 48. & v. 50. *Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace*; declarans utique remiſſionem jam factam, tam ad ſecuritatem pœnitentis, quàm inſtructionem circumſtantium. *Marci 5.*

Nec obſtant verba D. Auguſtini Homil. 23. inter 50. *Acceſſit ad Dominum immunda* (Magdalena) *ut rediret munda. Acceſſit ægra, ut rediret ſana. Acceſſit confeſſa, ut rediret profeſſa.* Nam loquitur de acceſſu prout complectitur primam voluntatem accedendi, vel de illo 333. *Alia objectio ex S. Aug. Solvitur.*

tem-

Digitized by Google

tempore, quo intravit domum, quando fortè necdum habebat Contritionem charitate perfectam. Ecce quàm infirma exempla, quibus Eſtius vult imponere molem tanti ædificii.

334. a obiec. ex S. guſt.

Nec magìs firmum fundamentum, quod ibidem ſubjungit dicens: Auguſtinus Epiſt. 180. ad Honoratum loquens de populo Sacramenta flagitante tempore irruptionis hoſtilis: *Ubi*, inquit, *ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati.* Quæ ſanè deploratio locum non videtur habere, ſi etiam extra neceſſitatis caſum ordinariè ſufficit votum Sacramenti. Ità Eſtius.

eſponſio.

Sed contrà, Auguſtinus ibi loquitur de caſu neceſſitatis: *Si miniſtri*, inquit, *deſint* &c. in quo caſu ipſemet Eſtius concedit eodem §. ſufficere votum Sacramenti. Et nihilominus deploratio locum habet, tum quia infantibus non poteſt ſubveniri, niſi per Baptiſmum fluminis; qui licèt ipſis in tali neceſſitate à quolibet homine adulto, & ratione utente poſſet adminiſtrari, fortè tamen non adminiſtrabitur propter ignorantiam, vel turbationem eorum, qui adſunt; tum propter difficultatem & incertitudinem Contritionis charitate perfectæ, maximè in hominibus rudibus & parùm de ſalute ſolicitis; tum denique, quia ſaltem carent fructu Sacramenti ex opere operato, & exeunt de hoc ſæculo, ſi non peccatis ligati, ſanè multis ligati pœnis temporalibus, à quibus per realem Sacramenti ſuſceptionem ſolverentur.

335. bjectio ex onc. Trid.

Argumentatur IV prædictus Auctor: Synodus Tridentina ſeſſ. 13. c. 7. & can. 11. teſtatur hoc habere conſuetudinem eccleſiaſticam, ut nemo ſibi conſcius mortalis peccati, quantùmvis contritus ſibi videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedat; idemque ſtatuit neceſſariò obſervandum, ne tantum Sacramentum indignè ſumatur. Sentit ergo non ordinariè reconciliari pœnitentem ante ſacramentalem abſolutionem. Nam ſi id fieret ordinariè, non faceret is periculosè, qui magnum Contritionis dolorem ſentiens, & propoſitum poſtea confitendi habens, abſque prævia confeſſione ad menſam Domini accederet. Ita Eſtius.

336. ſponde.

Reſpondeo; præcepit Deus, aut ſaltem Eccleſia præviam confeſſionem; propter maximam dignitatem hujus Sacramenti, tamquam remedium certius & ſecurius. Nam teſte Trident. ſuprà c. 7. *Quò magìs ſanctitas & divinitas cæleſtis hujus Sacramenti vero Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavere ille debet, ne abſque magna reverentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat.*

uare Confſſio ſacraentalis ſmitten-

Sentit ergo, non ordinariè reconciliari pœnitentem ante ſacramentalem abſolutionem; negatur Conſequentia: ſed ſentit, reconciliationem ante ſacramentalem abſolutionem, utpote ſatis incertam, & minùs ſecuram propter incertitudinem Contritionis charitate perfectæ, quæ ſæpè talis non eſt, etſi à nobis exiſtimetur eſſe; ſentit, inquam, hujuſmodi reconciliationem haud ſatis magnam eſſe reverentiam & ſanctitatem, debitam maximæ ſanctitati & divinitati cæleſtis hujus Sacramenti, quando commodè major poteſt haberi; ſicut indubiè habetur per abſolutionem ſacramentalem, quâ ex opere operato augetur gratia præexiſtens, & condonantur pœnæ temporales, dum Pœnitentiæ opera, pro qualitate criminum à Sacerdotibus injuncta, homines tum vero animi dolore frequentant.

da ſuſceptioni Euchariſtiæ,

Quocirca tametſi id fieret ordinariè, id eſt, quantumvis per actum Contritionis charitate perfectæ, pœnitens ſtabili lege reconciliaretur ante ſacramentalem abſolutionem, adhuc faceret is periculosè, qui magnum Contritionis dolorem ſentiens, & propoſitum poſtea confitendi habens, abſque prævia confeſſione ad menſam Domini accederet; quoniam hujuſmodi ſentire non raro fallitur, adeò ut dum puto me habere maximum dolorem Contritionis, frequenter apud Deum ſit minimus, ex defectu motivi: facilè enim immiſcet ſe amor proprius, & dum puto me dolere propter Deum præcisè, ut eſt bonum ſuum, magìs doleo propter Deum ſeu bonitatem divinam, quâ nobis bonus eſt, qui dolor tantùm eſt Attritio, inſufficiens extra Sacramentum ad remiſſionem peccatorum. 337.

tametſi pœnitens ante abſolutionem ordinariè reconciliaretur per Contritionem charitate perfectam.

Hinc, quod bene notandum eſt, non dicit Concilium Tridentinum: *Quantumvis contritus ſit*, ſed, *Quantumvis contritus ſibi videatur*; quia ſupernaturalitas actûs non tam facilè à nobis cognoſcitur, cùm intellectus noſter pro hoc ſtatu dependeat à phantaſmate, & tamen illa neceſſaria eſt ad perfectam, imò & imperfectam Contritionem. Fatendum ergo, actum Contritionis charitate perfectæ ſatis arduum eſſe, nec ſemper adeſſe dum adeſſe videtur; ideòque, non perfunctoriè, ſed seriò, implorata ferventer divinâ gratiâ, quantùm tempus patitur, hujus actûs exercitio eſſe incumbendum.

Supernaturalitas actûs non facilè cognoſcitur pro hoc ſtatu.

Actûs Contritionis ſatis arduus eſt, nec ſemper adeſt dum adeſſe videtur.

Interim non eſſe tam infrequentem, ſicut fortè aliqui apprehendunt, probari videtur ex praxi & ſenſu totius Eccleſiæ; nam DD. communiter cenſent, etſi in Miniſtro Sacramentorum requiratur ſtatus gratiæ, ſufficere tamen quòd eliciatur Contritio, etiamſi non deſit copia Confeſſarii; ut non obſcurè ſignificat Rituale Pauli V. tit. 1. ibi: *Etſi Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſunt, neque à pravis miniſtris eorum effectus impediri; impurè tamen & indignè ea miniſtrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo ſi fuerit peccati mortalis ſibi* con- 338.

Interim non eſſe adeò infrequentem, probatur ex praxi & ſenſu totius Eccleſiæ;

quippe Sacerdos cum ſola Contritione poteſt adminiſtrare Sacramenta.

Digitized by Google

conſcius (*quod abſit*) *ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi priùs corde pœniteat: ſed ſi habeat copiam Confeſſarii, & temporis locíq; ratio ferat, convenit confiteri.* Planè convenit; ſed non eſt neceſſarium, quia ſupponit Eccleſia Sacerdotes faciliùs poſſe elicere Contritionem charitate perfectam, quæ juſtificet ante abſolutionem ſacramentalem.

339. & fideles ea (exceptâ Euchariſtiâ) recipere. Præterea, etſi ad ſuſcipienda Sacramenta vivorum neceſſarius ſit ſtatus gratiæ, Fideles tamen paſſim credunt ſe non peccare mortaliter, etſi ad illa (Euchariſtiâ exceptâ) accedant abſque prævia confeſſione cum ſola Contritione charitate perfecta, etiam dum non urget neceſſitas. Quam Fidelium praxim approbat Clemens VIII. in Pontificali Romano Titulo de Confirmandis ibi: *Adulti* (confirmandi) *deberent priùs peccata confiteri, & poſtea confirmari, vel ſaltem peccata, quæ admiſerunt, doleant.*

Similiter paſſim Fideles, qui in peccatum mortale inciderunt, ne maneant in periculo animæ, & ne careant merito condigno gloriæ in operibus bonis, quæ interim faciunt, ſtudent per actum Contritionis charitate perfectæ ſe reſtituere in ſtatum gratiæ, etſi ad aliquod tempus confeſſionem differant.

340. Ante legem Euangelicam ſatis frequens fuit Contritio charitate perfecta. Accedit, quòd ante legem Evangelicam ſatis frequens fuerit Contritio charitate perfecta, utpote per quam ſolam peccatores illius temporis poterant juſtificari; credam autem quòd in Lege Evangelica, in qua datur abundantia gratiæ, minùs frequens ſit hujuſmodi Contritio, aut rariùs juſtificet propter inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ? *Ecce non eſt abbreviata manus Domini*, inquit Iſaias c. 59. v. 1. *ut ſalvare nequeat; neque aggravata eſt auris eius ut non exaudiat* clamantes ad ſe in nova Lege per actum Contritionis charitate perfectæ, quemadmodum exaudiebat peccatores Legis naturæ, & Legis veteris; ſed quoniam *iugum* Chriſti, ipſo Chriſto teſte Matt. 11. v. 30. *ſuave eſt, & onus* ejus *leve*, Chriſtus auctor Legis novæ abſtulit neceſſitatem Contritionis charitate perfectæ, inſtituens Sacramentum Pœnitentiæ, in quo per ſolam Attritionem, tamquam minùs difficilem, peccatores poſſent accipere remiſſionem ſuorum peccatorum, nullatenus autem conveniebat, quòd auferret utilitatem Contritionis charitate perfectæ.

Iſa. 59.

Matt. 11.

341. Objectio ex Catechiſmo Romano, qui docet pauciſſimos poſſe ſperare veniam per Contritionem. Sed contrà dicet aliquis; ergo minùs bene loquitur Catechiſmus Rom. parte 2. c. 5. q. 32. ibi: *Primùm itaque docendum eſt, confeſſionis inſtitutionem nobis ſummopere utilem, atque adeò neceſſariam fuiſſe. Vt enim hoc concedamus, Contritione peccata deleri; quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit? Aut quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut à pauciſſimis hâc viâ peccatorum venia ſperanda eſſet: quare neceſſe fuit ut clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret: quod quidem admirabili conſilio effecit, cùm claves regni cæleſtis Eccleſiæ tradidit.*

Hunc locum Catechiſmi allegat Eſtius pro ſua opinione, ſed perperàm. Nam licèt admitteremus pauciſſimos hâc viâ ſperare veniam peccatorum, adhuc verum foret & conforme eidem Catechiſmo, omnes qui eliciunt Contritionem charitate perfectam, ſive in neceſſitate, ſive extra neceſſitatem, ſtatim juſtificari ante abſolutionem Sacramentalem, quod eſt præcipuum noſtrum intentum. 342. Catech. Rom. e omnes eliciunt eam, extra neceſſitatem juſtificari.

Audiamus Catechiſmum ſuprà q. 30. *Nam cùm pleraque alia pietatis ſtudia, veluti beneficentia in pauperes, ieiunia, preces, & alia id genus ſancta & honeſta opera, hominum culpâ, à quibus proficiſcuntur, à Deo interdum repudientur; ipſa certè Contritio numquam illi grata & accepta eſſe non poteſt; nam inquit Propheta:* Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Quin etiam ſtatim, ut eam mentibus noſtris concepimus, peccatorum remiſſionem nobis à Deo tribui, alio loco eiuſdem Prophetæ verba illa declarant: Dixi: Confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: *Atque eius rei figuram in decem leproſis advertimus, qui à Salvatore noſtro ad Sacerdotes miſſi* (Luc. 17.) *antequam miſſi ad illos pervenirent, à lepra liberati ſunt. Ex quo licet cognoſcere, vera Contritionis, de qua ſuprà dictum eſt, eam vim eſſe, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim à Domino impetremus.*

Statim, inquit, id eſt, antequam ad Sacerdotes perveniamus; non in neceſſitate tantùm, ſed etiam extra neceſſitatem: nam & leproſi iſti Euangelici mundati ſunt, antequam perveniſſent ad Sacerdotes, eſtò facilè potuiſſent ad ipſos pervenire. Itaque priora verba Catechiſmi ad ſummum probant pauciſſimos eſſe, qui eliciant, ſive in neceſſitate, ſive extra illam (quippe ubi leges aut jura non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus) pauciſſimos, dico, elicere Contritionem charitate perfectam propter difficultatem iſtius actûs.

Quod intelligo, quemadmodum S. Auguſtinus intellexit verba Chriſti Matth. 20. v. 16. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Lib. 2. operis imperfecti c. 142. ſic inquit Eximius Doctor Eccleſiæ ac Magiſter noſter: *In comparatione pereuntium pauci ſunt qui ſalvantur: ſine comparatione autem pereuntium, & ipſi multi.* Sicut teſte eodem Sancto Doctore lib. 3. cont. Creſc. cap. 66. *Ipſi boni veríq; Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, in comparatione malorum falſorumq; pauci ſunt.* 343. Quomodo pauciſſimi ſint qui eliciunt Contritionem charitate perfectam.

Conſimiliter aſſero ego cum Catechiſmo Romano, pauciſſimos eſſe, qui eliciunt Contritionem charitate perfectam, & qui per eam ante Sacramentum veniam conſequuntur, in comparatione utique eorum, qui per Sacramentum

mentum juſtificantur cum ſola Attritione ſeu Contritione imperfecta; ſine comparatione autem & ipſi multi, qui amant Deum propter ſe ſuper omnia, & ideo ſuper omnia dolent ſe Deum offendiſſe. Pro quo ulteriùs

echiſ- non ſa- larè ex- it natu- Contri- is.

Nota, Catechiſmum non ſatis clarè & diſtinctè explicaſſe naturam Contritionis, ut inſpicienti textum, & ſingulas quæſtiones ruminanti, nimis apertum erit. Nam imprimis ad quæſtionem 23. *Corporiſne ſenſu dolor, qui ex Contritione naſcitur, æſtimari debet?* Reſpondet: *Quòd Contritio dolore definita eſt, monendi ſunt fideles, ne arbitrentur eum dolorem corporis ſenſu percipi. Contritio enim eſt voluntatis actio &c.*

a Con- o non loris u. ſed pre ani- ſt meti- a.

Deinde ad quæſtionem 26. *Cur dolor de peccatis, vocabulo Contritionis incluſus, maximus & vehementiſſimus eſſe debet?* Reſpondet: *Cùm perfecta Contritio ſit charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filiorum eſt, proficiſcitur: patet eumdem Contritionis & charitatis modum ſtatuendum eſſe. At quoniam charitas, quâ Deum diligimus, perfectiſſimus eſt amor, hinc fit, ut Contritio vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habeat: ut enim maximè diligendus eſt Deus, ita quæ nos à Deo alienant, maximè deteſtari debemus.*

ntritio emen- imum imi dolo- a con- ctum ha- t.

344. Ecce confundit maximum dolorem cum vehementiſſimo. Et paucis interjectis ſummam dilectionem explicat per appretiationem, de qua egimus concluſ. 7. dicens: *Omnibus verò rebus Dei amorem anteponendum eſſe, ita ut ne vita quidem conſervandæ cauſâ peccare liceat; apertè nos docent illa Domini verba:* Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Et: *Qui voluerit animā ſuam ſalvam facere, perdet eam.*

æ con- vandæ uiâ pec- ſe non li-

Denique in eadem quæſtione diſtinguit inter deteſtationem peccati maximam, & vehementiſſimam, inquiens: *Sit præterea deteſtatio peccati non ſolùm maxima, ſed vehementiſſima, atque adeo perfecta, omnemq́; ignaviam & ſocordiam excludat. Etenim in Deuteronomio ſcriptum eſt:* Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ. *Et apud Hieremiam: Quæretis me, & invenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, & inveniar à vobis, ait Dominus.* Putas autem quòd illa verba majorem ſignificent vehementiam doloris, quàm iſthæc; quibus immediatè ante probaverat Contritionem oportere dolorem eſſe maximum: *Convertimini in toto corde veſtro &c.* Joël. 2. v. 12.?

eteſtatio eccati non ſolùm debet e maxi- a, ſed et- m vehe- entiſſima.

Deuter. 4. v. 29.

Hierem. 29. v. 13. & 14.

Joel. 2.

345. Ruſus ad q. 27. *Veranè fuerit Contritio, ſi, remotâ ignaviâ, dolor de peccatis non fuerit abſolutus?* Reſpondet: *Si id minus conſequi nobis liceat, ut perfecta ſit, vera tamen & efficax Contritio eſſe poteſt.*

Contritio poteſt eſſe vera & efficax, etſi non perfecta.

Dubitas, quæ ſit illa vera & non perfecta Contritio? *Sæpè enim* (proſequitur Catechiſmus) *uſuvenit, ut, quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, magìs quàm ſpiritualia nos afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu, quàm ex peccati turpitudine, doloris ſenſum capiunt. Idem etiam judicium faciendum eſt, ſi lacrymæ doloris acerbitatem non conſequantur.*

Quæ ſit illa vera & non perfecta Contritio.

Ubi videtur diſtinguere Contritionem perfectam ab imperfecta per lacrymas, & perceptionem ſenſualem doloris, cùm tamen quæſt. 23. dicat, ut ſuprà audivimus, *Quòd Contritio dolore definita eſt, monendi ſunt fideles ne arbitrentur eum dolorem corporis ſenſu percipi; Contritio enim eſt voluntatis actio. Et S. Auguſtinus teſtatur dolorem* (ſcilicet ſenſualem) *Pœnitentiæ comitem eſſe, & non Pœnitentiam.*

Videtur Catechiſmus diſtinguere Contritionem perfectam ab imperfecta per lacrymas.

Sanè ſi perfectio Contritionis conſiſtat in ſenſu doloris, in lacrymis, & ſimilibus ſignis externis, quidni fideles de illis monendi ſint? Monendos eſſe, diſertis verbis aſſerit Catechiſmus ſuprà q. 27. verbis præallegatis illico ſubjungens: *Quæ tamen* (lacrymæ) *in Pœnitentia ſummopere optandæ, & commendandæ ſunt: præclara eſt enim eâ de re S. Auguſtini ſententia* (Serm. 41. de Sanctis) *Non ſunt, inquit, in te chriſtianæ pietatis viſcera, ſi luges corpus, à quo receſſit anima; animam verò, à qua receſſit Deus, non luges.*

adeoque de illis monendi fideles.

Et verò Concilium Tridentinum, lacrymis aſſerit Contritionem perfici, ſingultibus, tonſione pectoris, jejuniis, & ſimilibus, an verò charitate? *Docet præterea* (Sancta Synodus) *etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq́; Deo reconciliare &c.* 346.

Tridentinum non lacrymis, ſed charitate dicit perfici Contritionem.

Exiſtimas autem, quòd nemo poſſit perfectè amare Deum, niſi lacrymetur, niſi jejunet &c.? Noli id cogitare. Perfectus amor Dei, & per conſequens Contritio charitate perfecta, de qua loquitur Tridentinum, in actu interno conſiſtit, quem ſæpiùs lacrymæ, jejunia, & alia pietatis opera concomitantur, licèt non neceſſariò.

Perfectus amor Dei poteſt eſſe ſine lacrymis.

Sed hìc nondum finis. Nam q. 30. *Quæ eſt propria Contritionis vis & utilitas?* Reſpondet Catechiſmus, nullâ factâ diſtinctione inter Contritionem charitate perfectam, & Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, reſpondet, inquam, ut ſuperiùs audivimus, *veræ Contritionis eam vim eſſe, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim à Domino impetremus.* 347.

Per veram Contritionem ſtatim remittuntur peccata juxta Catechiſmum.

Verùm numquid pauciſſimi perveniunt ad gradum veræ Contritionis? Non exiſtimo Catechiſmum id conceſſurum. Quid ergo ſibi vult, quando q. 32. *Quæ eſt Confeſſionis præſtantia, quamq́; fuit ad Chriſtianam ſalutem neceſſaria eius inſtituto?* docet Contritionem, quæ peccata delet ante abſolutionem Sacramentalem *adeò vehementem, acrem, incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferriq́; poſſit?*

Numquid omnis vera Contritio (quam Catechiſmus q. 22. *Quid in hac materia propriè eſt Contritio?* Cum Tridentino ſeſſ. 14. c. 4. ſic

Digitized by Google

ſic definit: *Animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*) eſt adeò vehemens, acris, incenſa, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit? Perſpicuè manifeſtum eſt quòd non, ſecundùm mentem Catechiſmi; nam talis Contritio invenitur in omnibus, qui per ſacramentalem abſolutionem accipiunt remiſſionem peccatorum.

348\. Pauciſſimi perveniunt ad illam vehementiam Contritionis, quæ ſufficiat ad delendam culpam & omnem pœnam.

Vides benigne Lector quàm verè dixerim, Catechiſmum Romanum non ſatis clarè & diſtinctè tractare materiam Contritionis? Placeat ergo expoſitio antea data; vel certè expone vehementiam Contritionis, ad quam pauciſſimi perveniunt, de illa quæ ſit ſufficiens ad delenda peccata, non tantùm quoad culpam, ſed etiam quoad reatum totius pœnæ temporalis. *Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus* (inquit Trid. ſeſſ. 14. c. 2.) *Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente juſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus.*

349\. Faciliori ratione obtinetur plena & integra peccatorum remiſſio per Sacramentum, quàm per ſolam Contritionem.

Rogas qui ſint iſti fletus & labores? Reſpondeo opera ſatisfactoria, quæ per abſolutionem ſacramentalem, ſecùs per Contritionem, etiam charitate perfectam, elevantur ad effectum remiſſionis pœnarum temporalium ex opere operato; adeóque faciliori ratione (quamvis adhuc ſatìs difficili) obtinetur plena & integra peccatorum omnium remiſſio per Sacramentum Pœnitentiæ, quàm per Contritionem charitate perfectam ante abſolutionem ſacramentalem: quippe illa Contritio rariſſimè tam vehemens & incenſa eſt, ut deleat omnem pœnam; & quamvis aliquam ſemper deleat ſecundùm communem ſententiam, tamen non niſi ex opere operantis, & minorem quàm ipſum Sacramentum, etiam cum ſola Attritione ſuſceptum. Atque hæc ſatìs pro explicatione Catechiſmi.

350\. Quintum argumentum Eſtii contra communem doctrinam.

Quintò argumentatur Eſtius contra communem doctrinam: Si id fieret ordinariè, id eſt, ſi Contritio charitate perfecta ordinariè remitteret peccata ante abſolutionem ſacramentalem, non ſatìs appoſitè videretur dictum eſſe à Patribus, quòd ſententia Petri præcedit ſententiam cæli, ut à Bernardo Serm. 1. in Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli.

Reſponſio.

Reſpondeo, ideo ſic dictum eſſe; quia ſecundùm Trident. ſeſſ. 14. c. 4. ipſa reconciliatio ipſi Contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſt adſcribenda; quia ſine ordine ad ſententiam Petri, id eſt, ad claves ſeu abſolutionem ſacramentalem, numquam remittitur peccatum; adeò ut licèt pro nunc peccator per Contritionem fuerit juſtificatus, ſi tamen tempore præſcripto, dum ad eſt poſſibilitas, non acceſſerit ſententia Petri, id eſt, abſolutio ſacramentalis, non intrabit in regnum cælorum.

Hinc Bernardus ſuprà allegatus Epiſt. 77. 351
neutiquam docet, neminem ſine Baptiſmo fluminis poſſe juſtificari, niſi in neceſſitate, ſed neminem poſſe ſalvari; quia videlicet etſi jam homo juſtus foret, niſi tamen, cùm poſſit, ſuſcipiat Baptiſmum, peccat mortaliter, & ideo non poteſt ſalvari. Quare meritò dicebat Ananias Paulo jam juſtificato Act. 22. v. 16. *Exurge & baptizare* &c. quoniam Baptiſmus fluminis ei erat neceſſarius neceſſitate præcepti.

Et de hac obligatione quidam explicant D. Auguſtinum ſuprà allegatum Tract. 13. in Joannem: *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam ſuæ iniquitatis portat*, id eſt, inquiunt, obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum, ſicut qui emit equum, adhuc cenſetur gravari & premi, donec ſolverit pretium.

Sextò, inquit Eſtius, non eſt dicendum, 352. Sextum argumentum Eſtii.
quòd ante perceptionem Euchariſtiæ Fideles ordinariè recipiant effectum iſtius Sacramenti, & ſimiliter de Confirmatione, atque aliis: ergo nec de Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ id ſtatuendum eſt.

Solvitur.

Planè non eſt ſtatuendum; nec nos ſtatuimus; quia effectus proprius Baptiſmi eſt remiſſio omnis culpæ, & omnis pœnæ, quem ordinariè Catechumeni non recipiunt ante Baptiſmum fluminis, & dum recipiunt extraordinariè, non recipiunt ex opere operato, uti reciperent per Baptiſmum.

Similiter effectus proprius Sacramenti Pœnitentiæ eſt remiſſio peccatorum ex opere operato, quem non ſolùm non ordinariè, ſed nec extraordinariè Fideles recipiunt ante perceptionem illius, aut alterius Sacramenti.

Alioquin ante perceptionem Euchariſtiæ & aliorum Sacramentorum, quæ vocantur vivorum, Fideles poſſe recipere augmentum gratiæ ſanctificantis, quod eſt effectus principalis illorum Sacramentorum, poſſe, inquam, recipere illum effectum ex opere operantis, nemo dubitat, uti etiam gratias actuales.

Ex his profectò liquet, argumenta Eſtii parùm aut nihil probare intentum. Ad argumenta aliorum reſpondebimus in progreſſu, poſtquam Concluſionem noſtram confirmaverimus ex Scriptura & SS. Patribus.

Confirmatur ergo primò ex illis verbis 353. Confirmatur Concl. ex Scriptura. Ezech. 33.
Ezechielis 33. v. 12. *Juſtitia juſti non liberabit eum in quacumque die peccaverit: & impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Veluti ergo juſtus ſtatim adveniente peccato perdit juſtitiam, ita peccator, converſus ad Deum perfectâ converſione, ſtatim liberatur à peccato ſuo; alioquin in die quâ converſus fuerit, noceret ipſi ſua impietas, ut patet.

Hinc

Digitized by Google

Isa. 30. Hinc Iſaiæ 30. ubi vulgata editio legit: *Ad vocem clamoris tui ſtatim ut audierit* (Dominus) *reſpondebit tibi.* v. 19. Septuaginta, & antiqui Patres cum ipſis: *Cùm ingemueris tunc ſalvus eris.* Tunc, inquam, id eſt, illo ipſo inſtanti, quo perfectè ingemueris.

354. ex ... ore lib. ... vera & Pœnit. *Credo quidem illi*, inquit Auguſtinus (vel quicumque eſt Auctor) lib. de vera & falſa Pœnitentia c. 17 *qui dixit*, Quacumque horâ peccator ingemuerit, & converſus fuerit, vitâ vivet. *Dixit converſum, non tantum verſum vitâ vivere. Verſum quidem puto, qui dolet de crimine, converſum, qui dolet de animi eius quàm expoſuimus varietate. Vertitur à peccato qui iam vult dimittere peccatum; convertitur, qui iam totus & omnino vertitur, qui iam non tantùm pœnas non timet, ſed ad bonum Domini contendere feſtinat*; cuius opus, vox, & cogitatio ita mortificari deſudat peccato, ſicut priùs ſervierat iniquitati, id eſt, qui peccatum ſuper omnia deteſtatur propter Deum ſummè bonum in ſe.

355. Conſonat Leo ... Conſonat Leo Papa Epiſt. 89. aliàs 91. ibi: *His autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia, præſidium Pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordia Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur venia moras converſio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.*

Fateor intentum Leonis ibi eſſe, quòd finaliter pœnitentibus nec ſit deneganda ſatisfactio, nec reconciliatio; interim probat hoc ex illis verbis Prophetæ: *Cùm converſus ingemueris*, ſive in neceſſitate, ſive extra illam, *tunc*, id eſt, hoc ipſo inſtanti, ſine aliqua mora, *ſalvus eris*: ergo nulla eſt ratio in periculo mortis vel interdicendi ſatisfactionem, vel denegandi reconciliationem in foro Eccleſiæ, cùm jam apud Deum verè reconciliatus ſit.

356. Chryſoſtomus. Accedat teſtimonium Chryſoſtomi Epiſt. 5. ad Theod. de reparatione lapſi: *Quacumque quis horâ* (inquit aureum illud os) *ſe deiiciens vel unum dixerit verbum* (puta, peccavi Domino) *in eo momento totius vitæ peccata ſimul abſterſit, atque ante Apoſtolos*, id eſt, ante abſolutionem ſacramentalem, quæ primitùs à Chriſto Apoſtolis commiſſa fuit, *officii grati*, id eſt, Contritionis charitate perfectæ, *præmium ſuſcepit.*

357. D. Auguſt. Denique S. Doctor Auguſtinus Enarr. 1. in Pſalm. 31. ad illa verba: *Et tu remiſiſti impietatem cordis mei*, ſic ait: *Audiens vocem confeſſionis in corde antequam voce proferretur.*

Et Enarr. 2. ejuſdem Pſalmi, iſthæc verba: *Pronunciabo adversùm me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei*, ita interpretatur: *Dixi. Quid dixiſti? Non iam pronunciat, ſed promittit ſe pronunciaturum, & ille iam dimittit. Attendite fratres, magna res.* Dixi pronunciabo, & tu dimiſiſti: *quia eo ipſo quòd dixit* pronunciabo, *oſtendit quia nondum pronunciaverat. Hoc ipſum dicere* pronunciabo, *pronunciare eſt, ideo* & tu remiſiſti impietatem cordis mei. *Confeſſio verò mea ad os nondum venerat. Dixeram enim* pronunciabo adversùm me, *verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, ſed auris Dei iam in corde erat.*

Propter hanc auctoritatem Pſalmi, & D. Auguſtini, Scotus 4. diſt. 14. q. 4. n. 9. concedit: *Quòd frequenter dimittitur peccatum per aliquem motum Attritionis, tamquam per meritum de congruo ante ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ: ſicut in adulto frequenter dimittitur originale ante ſuſceptionem Baptiſmi.* Scotus

Sed quid ad hæc Adverſarii? Reſpondent unico verbo, omnes illas auctoritates intelligi debere, non de qualibet Contritione charitate perfectâ, ſed de Contritione charitate perfectâ, quæ merito ſuo adæquet demeritum culpæ. 358. Reſponſio Adverſariorum, quòd auctoritates illæ intelligendæ ſint de Contritione, quæ ſuo meritò adæquet demeritum culpæ.

Et ſi inferas: ergo non dimittitur culpa, ſed ſolvitur de rigore juſtitiæ. Reſpondent negando Conſequentiam: poterat ſiquidem Deus peccatorem juſtè punire pœnâ æternâ, quantumcumque pœnituiſſet, jam autem pro morte æterna infligit temporalem flagellationem; equidem ſecundùm juſtitiæ æqualitatem, quia requirit flagellationem tantam. Exemplum de ſtudioſo Lovanienſi, qui pro homicidio accipit flagellationem, cùm ſecundùm leges communes meruerit mortem. Unde non eſt æqualitas abſoluta & ſtricta, ſed moralis, id eſt, ſecundùm legem Dei punientis.

Confirmatur; quia minimus actus Contritionis non ſufficit pro quibuſcumque venialibus omnino tollendis, alioquin eliciens Contritionem poſt abſolutionem, deleret omnem pœnam, contra Trident. ſeſſ. 14. c. 2. ibi: *Ad quam novitatem & integritatem* (id eſt remiſſionem omnis culpæ & pœnæ) *per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente iuſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus.* Alioquin per Contritionem poſt Abſolutionem deleretur omnis pœna. Trident.

Reſpondeo negando Conſequentiam; quia de remiſſione pœnæ, neque ex Scriptura, neque ex Patribus, neque ex Conciliis conſtat, quemadmodum de remiſſione culpæ. Imò contrarium de remiſſione pœnæ definitum eſt à Concilio Trident. ſeſſ. 14. can. 12. *Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo* &c. *anathema ſit.* Ergo ineptè argumentamur à remiſſione omnis culpæ ad remiſſionem omnis pœnæ. Sed meliùs ſic: Minimum peccatum mortale tollit omnem amicitiam; ergo minima dilectio omne peccatum mortale. 359. Non valet argumentum à remiſſione culpæ ad remiſſionem pœnæ.

Negant Adverſarii Conſequentiam; quia bonum, inquiunt, ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus; neque peccatum dicitur injuſtitia reſpectu amicitiæ præcedentis, ſed ex hoc, quòd jus Dei violet: debet ergo illud jus ad æqualitatem reparari.

Unde

Digitized by Google

Unde etiam non valet hæc Conſequentia: Minimus actus peccati mortalis deſtruit totam charitatem habitualem; ergo etiam minima charitas generat gratiam habitualem. Nam reparatio non fit niſi per Pœnitentiam, quæ debet ſpectare æqualitatem, deſtructio autem reſpicit jus alienum quod violat, id eſt, minima injuſtitia eſt violatio juris alieni, minima autem juſtitia ſeu reſtitutio non eſt adæquatè reparativa juris læſi; & hinc trina confeſſio Petri, pro trina negatione.

360. *Minima reſtitutio non eſt adæquatè reparativa juris læſi quando quis ex ſtricta juſtitia ad æqualitatem debet ſatisfacere.* Reſpondeo concedendo totum, quando ex ſtricta juſtitia debet quis ſatisfacere ad æqualitatem, ſecùs quando ſolummodò obligatur ſatisfacere, uti impræſentiarum, ſecundùm legem ſive juſtitiam vindicativam, exemplo quo ſuperiùs Adverſarii uſi ſunt, ſcilicet Studioſi Lovanienſis, qui pro homicidio accipit flagellationem, indubiè ſecundùm ſe improportionatam delicto.

Et verò, licèt Deus voluerit per minimam Contritionem, elicitam ex motivo dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, delere quodcumque peccatum; equidem poſuit aliquam æqualitatem in ſatisfactione pro pœna relicta, quæ tota, ut jam non ſemel inſinuavimus, nequaquam tollitur per minimum gradum Contritionis charitate perfectæ.

Concluſio. Itaque Deus non deſpicit quantulamcumque, & quamlibet brevi tempore geſtam Pœnitentiam, nec patitur etiam exiguæ Pœnitentiæ amitti mercedem, ſed vera converſio charitate perfecta abſque mora reconciliat peccatorem.

361. *Objectio.* Planè, inquiunt Adverſarii, verumtamen vera converſio in nullo poteſt deficere, ſicut vera locutio nihil falſi continet, adeòque debet eſſe adæquata. Quocirca Ezech. 18. ubi dicitur peccatorem converſum ad Deum per Pœnitentiam vitâ victurum, additur, ab omnibus iniquitatibus debere converti: *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt*, id eſt, habuerit converſionem æquivalentem omnibus, *& cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam*, id eſt, ſolverit ad æqualitatem, *vitâ vivet, & non morietur* v. 21. Interim Deus non deſpicit aut reſpuit quantulamcumque Pœnitentiam, quia ſaltem eſt inchoatio ſolutionis; alioquin dic per ſolam Attritionem peccatorem ſtatim juſtificari.

362. *Solvitur.* Reſpondeo, talem effectum non adſcribi à SS. Patribus, aut Conciliis œcumenicis Attritioni, ſed ſoli Contritioni charitate perfectæ, nullâ factâ diſtinctione inter magnam & parvam, inter peccata mortalia graviora, & leviora; idque quia Deus cenſetur omnem hujuſmodi Contritionem acceptare tamquam ſolutionem æquivalentem, & adæquatam cuicumque peccato mortali quoad culpam (licèt non quoad pœnam temporalem) tam in mortis articulo, quàm extra; veluti minima charitas habitualis ſemper & ubique tollit omnia peccata mortalia quoad reatum culpæ, eſtò non quoad reatum omnis pœnæ.

Deus cenſetur omnem Contritionem charitate perfectam acceptare tan-

363. Sed contrà, clamant Adverſarii, quæ formaliter opponuntur, uti peccatum, & charitas habitualis, non ſe mutuo compatiuntur, bene quæ ſolùm efficienter, uti peccatum & charitas actualis: ſic quippe habitus virtutis & vitii non in una ſede morantur; optimè tamen conveniunt actus virtutis cum habitu vitii, & è converſo actus vitii cum habitu virtutis.

364. Reſpondeo primò, etiam habitus virtutis & vitii ſimul conſiſtere in eadem voluntate, ſaltem in gradibus remiſſis, nam per unum actum malum generatur habitus vitii, & tamen certum eſt non expelli totum habitum virtutis oppoſitum, ſicuti per unum gradum frigoris non expellitur totus calor præexiſtens in eodem ſubjecto.

Addo, quòd ſecundùm aliquos Doctores, habitus ſupernaturalis amoris optimè componitur cum habitu intenſiſſimo odii. Patet, inquiunt, experientiâ; nam peccator, qui per vehementiſſimum actum amoris ſupernaturalis converſus eſt ad Deum, non propterea ſentit minorem inclinationem ad odium, quàm ante juſtificationem. Ratio eſt, quia habitus ſupernaturalis, ſolùm dat ſimpliciter poſſe, non autem aliquam inclinationem vel propenſionem; ſicut ergo potentia ad amorem poteſt eſſe cum quolibet habitu odii, ita pariter habitus ſupernaturalis amoris, cùm habeat ſe inſtar potentiæ.

365. Reſpondeo ſecundò, charitatem habitualem neutiquam opponi peccato phyſicè, ſed tantummodò moraliter, uti docet Scotus 2. diſt. 37. n. 10. hiſce verbis: *Ad ſecundum dico, quòd peccatum non poteſt effectivè*, id eſt phyſicè, *corrumpere gratiam, ſed tantùm demeritoriè, ita quòd prius voluntas avertit ſe naturaliter, quàm Deus ceſſet naturaliter conſervare gratiam; neceſſe eſt autem privationem eſſe alicuius poſitivi formaliter, cum quo impoſſibile eſt ipſam ſtare: non eſt igitur peccatum formaliter privatio gratiæ, quam non ex incompoſſibilitate deſtruit, ſed ut demeritum.*

Idem aſſerit 4. diſt. 16. q. 2. n. 5. qui ſic incipit: *Tertiò ſic: culpa & gratia non ſunt formaliter oppoſita, nec formaliter repugnantia. Probatio; quia tunc agens effectivè vel defectivè potens ſuper eſſe unius, poſſet effectivè vel defectivè ſuper non eſſe alterius, ut patet univerſaliter in incompoſſibilibus; voluntas autem creata poteſt effectivè vel defectivè ſuper eſſe culpæ; quia ab ipſa eſt culpa: ergo ipſa poſſet effectivè, vel defectivè ſuper non eſſe gratiæ, quod eſt falſum; quia gratia non deſtruitur niſi annihiletur: ſed creatura non poteſt aliquid annihilare. Patet ergo prima propoſitio, ſcilicet quòd non eſt formaliter repugnantia inter culpam & gratiam.* Hæc ille.

Qua-

56. ti per imam itatem tualem intur ſia pec- morta- ta etiam mini- n chari- m ac- em, Quapropter veluti per minimam charitatem habitualem, non ex natura charitatis, ſed ex ſpeciali Dei ordinatione, tolluntur omnia peccata mortalia, & per quodlibet minimum peccatum mortale demeritoriè deſtruitur tota charitas habitualis; pari ratione & modo per quemcumque actum ſupernaturalem charitatis, non ex natura rei, ſed ex divina ordinatione, meritoriè infunditur charitas habitualis, adeòque tolluntur ſeu deſtruuntur omnia peccata mortalia.

Et quid mirum, cùm per quemlibet minimum actum dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, peccator ex toto corde convertatur ad Deum, nihil affectûs relinquens ad peccatum, quid mirum, inquam, ſi Deus etiam convertatur ad ipſum, & incipiat diligere, quem priùs aſpernabatur? Nonne ſcriptum eſt Zachar. 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum?* (Zachar. 1.)

367. Impugnatio Adverſariorum. Prorſus ſcriptum eſt, aiunt Adverſarii, ſed numquid de qualibet converſione? Nonne etiam per actum ſpei, & conſequenter per actum Attritionis peccator convertitur ad Deum, etiam ex toto corde nihil relinquens præſentis affectûs ad peccatum? Et tamen Deus non convertitur ad ipſum per infuſionem gratiæ juſtificantis, antequam Sacramentum actu ſuſcipiat. Quare? Quia relinquit aliquid affectûs præteriti ad peccatum, id eſt, non tollitur totaliter totus affectus, ſed inadæquatè.

Ergo ſimiliter qui pro peccato demeritorio ad quatuor, conteritur tantùm ad duo, non illicò recipiet remiſſionem illius peccati, quoniam adhuc relinquit duos gradus affectûs, quem habuit cùm peccaret. Debet igitur totus affectus totaliter & adæquatè tolli. Hinc Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. *Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq́ Deo reconciliare* (ſupple aliquando) *priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur.* Ergo non ſemper reconciliat.

368. Rejicitur. Reſpondeo cum diſtinctione: non ſemper reconciliat Contritio charitate perfecta, Nego Conſequentiam; non ſemper reconciliat Contritio, quæ *animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero,* Concedo totum; idque quia hanc Contritionem non ſemper charitate perfectam eſſe contingit.

Perfectioni ſubſtantiali charitatis adſcribitur reconciliatio, non adæquationi ſive intenſioni accidentali. Perfectioni itaque ſubſtantiali charitatis adſcribitur reconciliatio, non adæquationi ſive intenſioni accidentali, quæ non eſt in hominis poteſtate, utpote planè ipſi ignota. Quis enim hominum novit quot gradus habuerit affectus ipſius præſens ad peccatum, aut quot gradus habeat ejus Contritio ſive dilectio? Quomodo ergo credibile eſt, Deum requirere hujuſmodi adæquationem?

At verò perfectionem eſſentialem charitatis, ſi non phyſicè certò, ſaltem probabiliter peccator poteſt cognoſcere, & ideo meritò Deus illam requiſivit ad perfectam converſionem & reconciliationem ante Sacramentum; noluitque ſufficere Attritionem, quæ non eſt amor amicitiæ, ſed tantùm amor imperfectus concupiſcentiæ, per quem homines incipiunt quodammodo diligere Deum, nondum autem perfectè diligunt.

Dices cum Adverſariis: ſaltem duratio & repetitio Contritionis ſunt in poteſtate pœnitentis, ſufficit autem & requiritur æqualitas undecumque proveniat, & licèt ſint accidentia actûs (uti etiam intenſio) in eſſe phyſico, haud equidem in eſſe morali; quia cùm Pœnitentia ponatur ſub virtute juſtitiæ, non tantùm accidentaliter, ſed eſſentialiter requirit æqualitatem meriti cum demerito culpæ; æqualitas autem habetur ab iſtis. 369. Objectio, quòd duratio & repetitio Contritionis ſint in poteſtate pœnitentis.

Confirmatur à ſimili: non cuicumque fiduciæ promittitur tranſlatio montium, ſed fiduciæ excellenti. Matt. 21. v. 21. *Amen dico vobis ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle & jacta te in mare, fiet.* Confirmatio à ſimili. (Matt. 21.)

Reſpondeo, Pœnitentiam poni quidem ſub virtute juſtitiæ, ſed non ſtrictè dictâ, cùm nimis clarum ſit non ſatisfieri Deo ex rigore juſtitiæ pro peccato mortali per Contritionem ſummæ intenſionis, durationis, & repetitionis, de quo alibi latiùs. 370. Reſpondetur ad objectionem,

Ad confirmationem patet reſponſio ex dictis, videlicet Deum non promiſiſſe cuilibet Contritioni remiſſionem peccatorum, ſed Contritioni excellenti, id eſt, charitate perfectæ, quæ adæquatè pœnitet, juxta diſpoſitionem voluntatis divinæ, de tota culpa. & confirmationem.

Planè, reponunt Adverſarii, pœnitet adæquatè, ſed in affectu tantùm. Simile; debet aliquis 100. nummos, dans hodie juxta commoditatem ſuam unum nummum ex toto corde, & quidem adæquatè in affectu, quia ſic ut habeat animum ſolvendi reliquos, non tamen adæquatè in effectu, donec vel reliquos ſolverit, vel creditor debitorem liberaliter abſolvat. 371. Replica Adverſariorum;

Optimum profectò ſimile! Nam hoc eſt quòd nos contendimus, Deum liberaliter abſolvere peccatorem, qui Deum propter ſe ſimpliciter & abſolutè ſuper omnia diligit quâcumque minimâ dilectione; abſolvere, dico, liberaliter, non tantùm per Sacerdotem, per quem, ut rectè docent Adverſarii, remittit quod de rigore deberet peccator ſolvere, ſed etiam per ſe immediatè, non ſolùm in articulo mortis, aut alio caſu, quo non poteſt haberi confeſſio, ſicut Dominus remittit villico ſuo partem ſolutionis, propter infortunium, quod habuit; ſed etiam extra omnem cui ſatisfit.

neceſſitatem, quandoquidem contrarium neque ex Scriptura, neque ex SS. Patribus, neque ex Oecumenicis Conciliis, minùs ex ratione ullatenus convincatur. Hinc conſequenter aſſero:

CONCLUSIO X.

Contritio charitate perfecta, ſeu juſtificans priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur, non requirit certam durationem; ſed poteſt eſſe inſtantanea.

372. Hæc Concluſio videtur eſſe contra Scotum. HÆc Concluſio non eſt contra Scotum, quamvis aliquibus videatur eſſe, propter ſequentia verba, quæ habet 4 diſt. 14. q. 2. n. 14. *Iſte autem motus dicitur Attritio, & eſt diſpoſitio ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in ultimo inſtanti alicuius temporis, in quo tempore iſta Attritio duravit.*

Et poſt pauca: *Sed ſi eſt Attritio perfectè circumſtantionata in genere moris, videtur omnino diſpoſitio ſufficiens ad iuſtitiam in termino illius Attritionis acquirendam: in termino, inquam, quem Deus præfixit debere eſſe terminum illius motûs Attritionis, quam uſque tunc vult continuari: vel enim oportet dicere quòd iuſtificetur peccator ſine omni diſpoſitione ſufficiente de congruo ex parte eius; & per conſequens difficile eſt ſalvare, quòd apud Deum non ſit acceptio perſonarum, ut dictum eſt lib. 2. diſt. 6. q. 2. vel nulla poteſt eſſe ſufficientior diſpoſitio ad iſtam iuſtificationem, quàm iſta Attritio perfectè circumſtantionata in genere moris: & tunc in ultimo inſtanti, vel aliquo uſque ad quod Deus determinavit Attritionem debere durare, ad hoc ut ſit meritum de congruo ad iuſtificationem, infunditur gratia & tunc ſimpliciter deletur peccatum.* Hucuſque Doctor Subtilis, quem ſic explicat Scholium, præfixum iſti numero.

373. Explicatur Scotus. Loquitur dubitativè: Si, inquit, aliqua diſpoſitio ſufficit, maximè hæc. Secundò ait dari gratiam in ultimo inſtanti, vel in alio termino, ad quem Deus determinavit Attritionem durare. Dubitat ergo tantùm, quis ſit ille terminus, quia non eſt certum eſſe primum inſtans, quia multi tenent oppoſitum Baſſol. Tartar. & Alm. hìc. Palud. diſt. 17. q. 1. a. 5. concl. 7. Caiet. to. 1. opuſcul. tract. 4. q. 1. & Gregor. 2. diſt. 3. q. 1. a. 2. Vaſquez 1. p. diſp. 229. c. 10. tenent actum voluntatis non poſſe durare tantùm uno inſtanti. Tertiò regulariter requiritur duratio in Attritione, quia incipitur ab imperfectiori. Hæc Scholium.

374. Loquitur de Contritione in fieri, non in facto eſſe. Loquitur ergo Doctor de Contritione in fieri, non in facto eſſe. Et ſanè regulariter perfectam Contritionem non fieri in inſtanti, nimis apertum eſt, ut indigeat aliquâ probatione. Nihil enim aliud clamat Trident. quando ſeſſ. 6. c. 6. declarat modum præparationis ad juſtitiam dicens: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam dum excitati divinâ gratiâ, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt* &c. *& dum peccatores ſe eſſe intelligentes à divinæ iuſtitiæ timore, quô utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumq́; tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet. Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Modu ſpoen ad juſt ex Co Trid.

Credis hominem impium omnes illos actus in unico inſtanti elicere, & non magìs indigere tempore, ut tandem aliquando voluntas ejus eliciat Contritionem charitate perfectam? *Facilis deſcenſus averni; ſed revocare gradum, hoc opus, hic labor eſt.* Et alius rectè cecinit: *Non eſt è terris mollis ad cælum via.* Non ergo credendum eſt hominem impium, aut alium quemcumque peccatis mortalibus immerſum, unico inſtanti, ſaltem viâ ordinariâ, conteri ſufficienter ad juſtificationem. Cæteroquin quòd ſufficiat Contritio inſtantanea, inquit Scholium ſuprà, habet Doctor expreſsè infrà diſt. 20. concl. 1. & ad 2. & 4.

Verùm Concl. 1. & ad 2. nihil aliud docet, quàm peccatorem in extremis poſſe habere veram Pœnitentiam. *In iſta* (inquit) *quæſtione* (Utrùm Pœnitentia in extremis valeat ad ſalutem) *duæ ſunt Concluſiones ſatis certæ. Prima eſt hæc: Pœnitentia vera, ſive interior ſola, ſive exterior cum ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ, ſufficit ad ſalutem alicuius in extremis.* 375. Peccator in extremis poteſt habere veram Pœnitentiam.

Secunda, quòd Pœnitentia quæ videtur haberi in extremis vix eſt vera Pœnitentia ſufficiens ad ſalutem: quia difficile tunc eſt habere veram Pœnitentiam.

Has duas Concluſiones poſtquam probavit tum ex auctoritate, tum ex ratione à n. 3. uſque ad 8. nullâ factâ mentione Pœnitentiæ Inſtantaneæ, Reſpondet n. 8. ad 2. *Quòd qui ſcienter exponit ſe periculo ſalutis ſuæ, peccat mortaliter, & ideo iſte ſi aliquo actu elicito determinat ſibi numquam pœnitere, niſi in extremis, illo actu elicito exponit ſe periculo tali, & peccat mortaliter: ſed etiam de illo peccato ſi ſic peccavit, poſſibile eſt ipſum pœnitere in extremis, ſicut de aliis.*

Quòd autem illud pœnitere in extremis poſſit eſſe inſtantaneum, videtur inſinuare in reſponſione ad 4. ibi: *Nunc autem ad legem ſimpliciter ordinatam pro ſtatu iſto naturæ lapſæ, requiritur, quòd Pœnitentia poſſit eſſe fructuoſa: & quâ ratione in quocumque inſtanti ſanitatis, pari ratione & in* 376. An illa Pœnitentia poſſit eſſe inſtantanea ſecundum Scotum.

Digitized by Google

& in extremis: immo magis eſt neceſſarium pro multis imperfectis, quòd tunc poſſit valere. Ubi æquiparat Pœnitentiam ſani ex una parte, & ex altera parte Pœnitentiam ejus, qui eſt in extremis, docens, utramque eſſe fructuoſam in quocumque inſtanti: ergo ſupponit in inſtanti poſſe exiſtere, adeòque in facto eſſe non requirere certam durationem.

377. Facile eſt in extremis habere verā Pœnitentiam. Ex quo colligitur quid Scotus velit, quando eâdem quæſtione n. 6. probat difficile eſſe, in extremis habere Pœnitentiam ſufficientem ad ſalutem: *Quantò* (inquit) *aliquis eſt minùs Dominus ſui actûs, tantò requiritur intenſior diſplicentia, ad hoc quòd ſit diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ, iſte autem* (qui voluntariè diſtulit Pœnitentiam uſque ad tempus mortis) *minùs eſt Dominus, quia nullo modo eſt Dominus actûs exterioris ad peccandum* (quia etſi velit, non poteſt ampliùs exteriùs peccare) *Requireretur igitur ſecundùm ſtrictam juſtitiam intenſior motus diſplicentiæ ad juſtificationem eius quàm ad juſtificationem ſani, cùm vix poſſit habere æquè intenſum.* (Probatur Scoto.)

(D. Aug.) *Et hanc rationem* (proſequitur Doctor) *tangit Auguſtinus in litera.* Age Pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, ſecurus es, quia Pœnitentiam egiſti, quando peccare potuiſti; ſi vis agere Pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa: *Ad minus non tu ita liberè illa dimittis, ſicut ille ſanus, & ideo quantùm deficit in te de libertate, tantùm ſecundùm rigorem requiritur in te motus intenſior, quem vix, vel numquam poteris habere.*

Ideo dicit Auguſtinus, quòd magnum eſt cui Deus tunc inſpirat (ſi quis eſt) veram Pœnitentiam, quia vix vel numquam eſt aliquis, qui habeat diſpoſitionem de congruo, ut cui inſpiretur. Hactenus Scotus.

378. Objectio. Sed dicet aliquis; quomodo verum eſt, *quòd Pœnitentia poſſit eſſe fructuoſa, & quâ ratione in quocumque inſtanti ſanitatis pari ratione & in extremis*, ſi in extremis requiritur major intenſio, quæ vix vel numquam habetur? Præterea fieri poteſt, ut homo ſanus habeat æqualia peccata, immo plura & majora, quàm ille qui eſt in extremis; numquid talis, qui eſt in extremis, præciſè ideo, quia eſt in extremis, debebit habere intenſiorem diſplicentiam de uno aut altero peccato mortali, quàm ſanus de mille peccatis mortalibus?

Solutio. Reſpondeo, hæc ad ſummum oſtendunt, Scotum non eſſe generaliter intelligendum de quocumque infirmo, ſed commodè explicandum de illo infirmo, qui vanâ ſpe pœnitendi in extremis, peccata peccatis accumulavit; hic profectò indiget intenſiori diſplicentiâ, quàm ſanus, qui hic & nunc aliquando peccavit mortaliter ex humana fragilitate, aut etiam malitia; indiget, dico, intenſiori diſplicentiâ ſecundùm ſtrictam juſtitiam, quia non niſi maximo conatu voluntatis poteſt elicere Contritionem charitate perfectam, partim ex defectu gratiæ divinæ, quâ ſe reddidit poſitivè indignum per peccatum præſumptionis; partim, quia ut ait Scotus ſuprà n. 5. *Qui uſque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc extorquere à ſeipſo diſplicentiam novam niſi timore pœnæ imminentis; præſumitur enim, quòd ſi remotus eſſet à pœna ſicut priùs, non extorqueret à ſeipſo illam diſplicentiam, ſicut nec priùs*, adeòque non dolet propter Deum, ſed purè ex metu pœnarum, quas niſi timeret, adhuc vellet peccare, non tantùm habitualiter, ſed etiam actualiter per ſimplicem complacentiam, qui dolor indubiè eſt inſufficiens, etiam cum Sacramento. (Quis infirmus indigeat intenſiori diſplicentiâ. & quare. Scotus.)

379. Partim etiam, *quia habitus malus*, ut loquitur Doctor ſuprà n. 6. *uſque tunc continuatus, multùm retrahit ab actu Pœnitentiæ. Et hanc rationem tangit Auguſtinus in litera*: Cùm filii, quos illicitè dilexit, ſint præſentes, uxor & mundus ad ſe vocet, multos ſolet ſerotina Pœnitentia decipere; *intellige hæc delectabilia eſſe præſentia in ſe, vel in phantaſmatibus vehementer impreſſa; & ſive ſic, ſive ſic, ex vehementia habitûs continuati multùm inclinant ad ſe inordinatè amanda, & per conſequens magnam faciunt difficultatem, ad habendum magnam diſplicentiam de eis, ad hoc ut ſit diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ*, id eſt, ad habendam diſplicentiam cum propoſito non peccandi de cætero. (Habitus malus continuatus uſque ad finem vitæ multùm retrahit ab actu Pœnitentiæ. Scotus. August.)

(S. Aug.) Hinc Auguſtinus lib. 50. Homil. Homil. 41. *Age Pœnitentiam dum ſanus es. Si enim agis veram Pœnitentiam dum ſanus es, & invenerit te noviſſimus dies; curre ut reconcilieris, ſi ſic agis, ſecurus es. Quare ſecurus es? quia egiſti Pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti. Si autem vis agere Pœnitentiam ipſam tunc quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Quaſi diceret Auguſt. Si vis agere Pœnitentiam tunc ſolùm, quando peccare non potes, Pœnitentia tua non eſt efficax, id eſt; non includit verum propoſitum non peccandi de cætero; aut ſaltem talis prudenter & communiter præſumitur, adeòque inſufficiens etiam cum Sacramento Pœnitentiæ ad juſtificationem. (Pœnitentia ejus qui peccare non poteſt, communiter præſumitur inſufficiens.)

380. Igitur qui eſt in extremis, indiget majori conatu voluntatis, ut vincat hæc impedimenta, & eliciat verum dolorem ſive veram Contritionem, non dico charitate perfectam, ſed etiam imperfectam, quæ ſufficiat ad juſtificationem in Sacramento, nam etiam de hac loquitur Scotus. Jam autem ex illo majori conatu oritur intenſior motus diſplicentiæ. (Talis pœnitens indiget majori conatu voluntatis,)

Cæterùm ille major conatus ſæpè deficit in extremis: *Quia*, inquit Scotus ſuprà n. 4. *tunc impeditur uſus liberi arbitrii, vel uſus liber rationis & voluntatis ex dolore vel timore inhærentibus; non enim dico aliquem eſſe in extremis, qui gravatur morbo ſecundùm communem legem curabili, ut febre tertianâ vel huiuſmodi, nec qui ſubitò moritur, cuius mortis adhuc nulla apparet cauſa, ſed qui ex cauſis evidentibus iam poſitis, indicatus eſt proximus* (qui ſæpè deficit. Scotus. Quis dicatur eſſe in extremis.)

morti ſecundùm cauſas inferiores operantes ut in pluribus, utpote in infirmitate, quando iam attingit ad gradum deſperatum iudicio medicorum, vel in aliis periculis, ut ſubmerſione & huiuſmodi, ſtatim imminet mors, & in iſtis inquam vel eſt maximus dolor in parte ſenſitiva vel timor maximus.

Dolor & timor impediunt liberum uſum rationis ſecundùm D. Auguſt.

Et utraque paſſio vehemens nata eſt impedire liberum uſum rationis, & voluntatis, quia ſecundùm Auguſtinum 83. *qq. q.* 36. Paſſiones cauſatæ à triſtantibus, vel triſtibus, plus movent, quàm paſſiones cauſatæ à delectabilibus: *Paſſio autem delectationis vehemens quandoque impedit totaliter, vel ferè uſum rationis, ut dicitur de Civit. Dei: actus autem diſplicentiæ de peccato, ad hoc quòd ſit ſufficiens ad veram pœnitentiam ſive intrinſecam ſolam, ſive ad dignam ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, requirit liberum uſum rationis & voluntatis.*

381. Objectio ſolvitur.

Si dicas quòd dolor vel timor qui ineſt, non totaliter impedit intellectum vel voluntatem, concedo: ſed multùm impedit, & per conſequens remiſſius & imperfectius, uſus voluntatis & intellectûs tunc poteſt haberi, qui vix ſufficit ad diſplicentiam ſufficientem & requiſitam ad veram pœnitentiam. Hanc rationem tangit Auguſtinus in litera: Cùm ſera venit Pœnitentia, tantus aliquando cruciatus ligat membra, & dolor ſenſum opprimit, ut vix homo aliquid cognoſcere valeat. Hucuſque Doctor Subtilis.

Concluſio.

Cùm itaque ſæpè deficiat in extremis magnus conatus voluntatis, qui tamen neceſſarius eſt, hinc fit ut ſæpiſſimè motus diſplicentiæ remiſſior ſit non ſolùm gradualiter, ſed etiam entitativè, adeòque inſufficiens ad delendum peccata, etiam cum Sacramento.

382. Declaratur mens Scoti.

Hanc eſſe mentem Scoti, & non illam, quam litera videtur aliquibus ſonare, oſtendo ex Reportatis ultimæ editionis eâdem diſtinct. & qu. n. 8. ubi ſic lego: *Ad primum argumentum principale cùm dicit Auguſtinus* lib. 50. Homil. Homil. 41. Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere Pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quia bene hinc exit. *Reſpondeo, quòd præſumptio eſt de tali, quòd non ſalvatur, quia præſumptio eſt, quòd non ſufficienter pœniteat, propter multa retrahentia, quæ priùs dixi. Tum quia ſi daretur ei gratia, non poſſet bene uti eâ, ſicut priùs. Tum quia tarda. Non tamen dicit Auguſtinus, quòd ſalvabitur abſolutè, neque quòd damnabitur, quia tanta gratia poteſt ei dari, quòd poteſt meritoriè & ſufficienter pœnitere.*

Quid ſit meritoriè & ſufficienter pœnitere ſecundùm Scotum.

Ambigis, quid ſit meritoriè & ſufficienter pœnitere ſecundùm Scotum? Illico ipſe dubium reſolvit dicens: *Ut quòd magìs doleat, quia offendit Deum, quàm quòd iret in infernum*, id eſt, quòd magìs velit ire in infernum, quàm ampliùs Deum offendere. Hæc eſt illa major intenſio, quam requirit in extremis, non quòd homo ſanus poſſit ſufficienter pœnitere abſque tali intenſione; ſed quòd homini ſano talis intenſio facilior & frequentior ſit. Cui non placet hæc interpretatio verborum Scoti, quærat meliorem.

Redeo ad durationem, quam nego neceſſariam Contritioni in facto eſſe, ut juſtificet, etiam extra Sacramentum, ſuppoſito (de quo hìc nolo diſputare) quòd dari poſſit actus voluntatis inſtantaneus. 383.

An poſſimus eſſe certi de noſtra juſtitia?

Et ſi inferas: ergo poſſumus eſſe certi de noſtra juſtitia. Reſpondeo negando Conſequentiam, vel diſtinguo Conſequens; certi moraliter, tranſeat totum, certi phyſicè, nego Conſequentiam. Nam imprimìs neſcimus, an actus doloris fuerit undequaque bonus, abſque admixtione alicujus circumſtantiæ malæ, tenentis ſe ex parte actûs, quæ reddat actum ſaltem venialiter malum.

An bis reſidue malus ſufficiat ad juſtificationem.

De tali autem dolore dubitat Scotus, an ſufficiat ad juſtificationem extra Sacramentum 4 diſt. 14. q. 2. n. 14. ibi: *Nec eſt certum, ſi Deus talem Attritionem velit eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem, niſi ſit perfectè moraliter circumſtantionata; ſaltem ſi eſt aliquâ circumſtantiâ inordinatè circumſtantionata, non eſt diſpoſitio ad iuſtitiam* (loquitur de juſtificatione extra Sacramentum) *quia tunc eſt actualiter offendens. Sed ſi eſt tantummodò carens aliquâ circumſtantiâ debitâ ex conſideratione intellectûs, vel omiſſione voluntatis, quantùm ad illam circumſtantiam, tunc dubium eſt, ſi diſponat ſufficienter ad iuſtitiam.*

384. Cauſæ ſequentes quæ nos certos faciunt de juſtitia. 1. Reg. 15.

Secundò, ſæpè putamus nos Deum diligere ſuper omnia, & fallimur: habemus quippe occultum affectum in corde ad aliquid Deo repugnans; ſicut quando Saul 1. Reg. 15. v. 13. dicebat Samuëli: *Benedictus tu Domino, implevi Verbum Domini.* Et v. 20. *Immo audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam miſit me Dominus*; cùm tamen ex parte non impleviſſet verbum Domini, nec audiviſſet vocem Domini, nec ambulaſſet in via, per quam miſerat ipſum Dominus.

Et ideo Pſaltes Regius Pſalm. 18. v. 13. meritò poſtulabat mundationem ab occultis delictis dicens: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Nam teſte Eccle. c. 9. v. 1. *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit.* Pſalm. 18. Eccle. 9.

385. Alia cauſa.

Tertiò, varietas opinionum circa requiſita ad Contritionem charitate perfectam, poteſt cauſare aliquam dubietatem & incertitudinem phyſicam circa juſtificationem noſtram, quamvis moraliter (ſi ita appellare allubeſcat) vel potiùs conjecturaliter, poſſimus ſubinde eſſe certi.

Hinc Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 9. *Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Christi merito, deq; Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum ſuamq; propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formi-*

Digitized by Google

formidare & timere poteſt; cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.

6. Quod probè intelligens Apoſtolus 1. Cor. 4. v. 3. & 4. exclamat: *Neque meipſum iudico: nihil enim* (id eſt nullius infidelitatis in diſpenſatione mea ſeu munere Apoſtolico) *mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*, id eſt, non ideo me juſtificatum judico, ut exponunt Chryſoſt. Theophylactus, & alii orthodoxi Commentatores, & indicat Trident. ſuprà c. 16. ibi: *Et quia in multis offendimus omnes; unuſquiſque ſicut miſericordiam & bonitatem, ita ſeveritatem & iudicium ante oculos habere debet, neque ſeipſum aliquis, etiamſi nihil ſibi ipſi conſcius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda & iudicanda eſt, ſed Dei: qui* (ut ibidem teſtatur Apoſtolus v. 5.) *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; & tunc laus erit unicuique à Deo.*

[Margin: titudo catio- le ndi- t Apoſt. t. 4. … m.]

87. Tametſi ergo ad Contritionem charitate perfectam non requiratur determinata intenſio gradualis, neque certa duratio, equidem tam multa ſunt neceſſaria, ut quilibet, dum ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ipſa, deque ſua gratia per ipſam acquiſita, rationabiliter formidare & timere poſſit. Sanè vel hoc unicum eſt ſufficiens fundamentum rationabilis formidinis ac timoris, quòd debeat eſſe dolor ſeu deteſtatio ſumma appretiativè.

[Margin: clufio.]

De qua utique deteſtatione, ultra jam dicta, quæritur, an æqualiter afficiat ſeu reſpiciat omnia peccata, an verò inæqualiter peccata inæqualia? Pro reſolutione ponitur

CONCLUSIO XI.

Contritio charitate perfecta deteſtatur inæqualiter peccata inæqualia, propria graviora præ levioribus.

388. ITa Doctores communiter. Ratio plana eſt, utputa, quoniam peccata inæqualia inæqualiter participant objectum motivum deteſtationis, quod eſt offenſa divina; porrò actus proportionantur objecto motivo de per ſe: ergo major debet eſſe Contritio de peccatis propriis gravioribus, quàm de levioribus, quia graviora magìs participant rationem offenſæ divinæ, quàm leviora.

[Margin: ccata in- jualia in- iualiter ticipant ectivum eteſtatio- a.]

Rogas, in quo conſiſtat ille exceſſus Contritionis? Reſpondeo, in eo, quòd ſi homini eſſet peccandum vel graviori, vel leviori peccato, eligeret peccatum levius. Quamquam tali caſu, illa electio minoris mali non foret mala ſeu peccaminoſa, præſertim quando illa perplexitas non fuiſſet homini libera, ſed inculpabilis.

[Margin: ii homini oret pec. andum vel raviori vel evioli pec. ato deberet ligere le- vius,]

Probatur: Quia neque ratione perplexitatis, neque ratione ſui, quia laudabile eſt in iſtis circumſtantiis eligere minus malum; nam eligens minus malum in occurſu talium circumſtantiarum, verè non habet affectum ad malum, ſed potiùs ad carentiam mali, fugit quippe malum quantum poteſt: ergo debet magìs laudari, quàm reprehendi. [Margin: quod tunc non foret peccatum.]

389. Licèt ergo non ſint facienda mala, ut eveniant bona, quando liberum eſt abſtinere ab omni malo; equidem quando vel unum, vel aliud malum neceſſariò faciendum eſt, recta ratio dictat potiùs faciendum minus, quàm majus, juxta illud communiter receptum: *Ex duobus malis eligendum eſt minus*; ergo eligens minus non peccat, quoniam omne peccatum opponitur rectè rationi illud operantis.

[Margin: Recta ratio dictat potius faciendum minus, quàm majus.]

Qui ergo perplexus fuerit ſic reſolvet, & non peccabit: ubi neceſſariò apparet malitia annexa tam omiſſioni, quàm commiſſioni ejuſdem actûs, vel, tam commiſſioni hujus actûs, quàm illius, quorum alteruter eſt neceſſarius, ibi facere illum, cui apparet minor malitia annexa, non eſt peccatum. Hæc autem reſolutio fundatur in eo, quòd homo faciens diligentiam poſſibilem, non poteſt eſſe perplexus, ut debeat neceſſariò peccare, ſi bonâ fide procedat.

390. Aliqui ad hoc propoſitum adducunt D. Gregorium lib. 32. Moral. c. 20. aliàs 17. ibi: *Dum mens inter minora & maxima peccata conſtringitur, ſi omnino nullus ſine peccato evadendi aditus patet, minora ſemper eligantur: quia & qui murorum undique ambitu ne fugiat clauditur, ibi ſe in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.*

[Margin: Adducitur ad hoc propoſitum auctoritas D. Gregorii.]

Sed fortè minùs ſolidè; nam continuò ſubjungit: *Et Paulus dum quoſdam in Eccleſia incontinentes aſpiceret, conceſſit minima, ut maiora declinarent, dicens*: Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat. *Et quia tunc ſolùm coniuges in admixtione ſine culpa ſunt, cùm non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur: ut hoc etiam quod conceſſerat, ſine culpa, quamvis minimâ, non eſſe monſtraret, illico adiunxit*: Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium. *Non enim eſt ſine vitio quod ignoſcitur, & non præcipitur. Peccatum profectò vidit, quòd poſſe indulgeri prævidit. Sed cùm in dubiis conſtringimur, utiliter minima ſubdimur, ne in magnis ſine venia peccemus.* Hæc ille, haud obſcurè declarans, ſi ſonum litterarum attendamus, illa minora, quæ eliguntur, verè eſſe peccata.

[Margin: 1. Cor. 7. v. 2.]

391. Utcumque ſit de mente D. Gregorii ſub verbis prællegatis, ſufficiat nobis ratio naturalis, quæ dictat peccati, etiam minimi, nullam eſſe obligationem ſeu neceſſitatem; ſic enim eſſet peccatum, ut ſupponitur, & non eſſet, quia ſecundùm D. Auguſtinum lib. de

[Margin: Non poteſt eſſe neceſſitas peccandi. … S. Aug.]

Digitized by Google

vera Relig. c. 14. *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum* (propriè dictum) *ſi non ſit voluntarium*, hoc eſt, liberum libertate indifferentiæ. Et lib. 1. Retract. c. 15. ait idem Sanctus Doctor; *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt.*

Adde quod habet lib. 3. de liber. arbitr. c. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* Si ergo obligor ad eligendum, quod minus peccatum eſt, quomodo illud eligendo pecco, cùm nullo modo poſſim illud cavere, niſi gravius peccando?

392. *Perplexus in caſu propoſito non peccat, tametſi illa perplexitas ſit culpabilis.*

Atque ex hac ratione videtur ſequi, taliter perplexum non peccare, tametſi culpâ ſuâ in illam perplexitatem inciderit; ſiquidem præterita negligentia non poteſt inducere neceſſitatem peccandi de novo, quia ſemper poteſt homo, & de præterito peccato dolere, & ſecundùm præſentem ſtatum prudenter operari, humano modo conſiderando gravitatem utriuſque præcepti, & eligendo quod magìs conveniens, vel minus inconveniens videtur; immo tenetur ſic operari, ut ſupponitur: & tamen ſecundùm D. Auguſtinum lib. de duabus anim. c. 11. *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Liberum, inquam, non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter, id eſt, unde liberum eſt abſtinere ſine peccato.

D. Aug.

393. *Et dato etiam, quòd erroneè invincibiliter judicaret ſe peccare.*

Ex quo ulteriùs infero, etiam in tali hypotheſi non peccaturum, qui erroneè invincibiliter judicaret ſe peccare. Sanè quòd ſola libertas phyſica non ſufficiat, probatur exemplo tranſgreſſionis jejunii ex ignorantia invincibili, aut oblivione; quæ licèt ſit libera in genere naturæ ſeu entis, tamen excuſatur à culpa propriè dicta, quia non eſt libera in genere moris.

394. *Objectio.*

Si dixeris, non eſt ſimile; quia voluntas non fertur in malum cognitum, & ita deficit libertas moralis. At in noſtro caſu voluntas fertur in malum cognitum, & ut malum propoſitum à conſcientiæ erroneæ judicio, ac proinde libertas moralis non deficit.

Solvitur. *Sanchez.*

Reſpondeo cum Sanchez lib. 1. in Decal. c. 11. n. 14. ſicut in eo exemplo voluntas non fertur in malum, ut malum eſt, excuſante ignorantiâ aut oblivione inculpabilibus; ita in noſtro non fertur in malum ut poſſibile vitari moraliter, excuſante erroneo inculpabiliter judicio, utramque partem malam eſſe dictanti. At libertas moralis petit ferri voluntatem in objectum malum poſſibile vitatu, quatenus malum eſt. Ita Sanchez.

395. *Phyſicè neceſſitatus ad non audiendum Sacrum, non peccat etiam ſi putet ſe peccare.*

Igitur veluti phyſicè neceſſitatus ad non audiendum Sacrum in die feſtivo, v. g. incluſus carceri, non peccat, tametſi putet ſe peccare; quia reverà caret libertate, & ſicuti homo in ſomnis putans ſe peccare, tamen non peccat defectu phyſicæ libertatis; conſimili ratione phyſicè neceſſitatus ad unum è duobus malis, non peccat eligendo minus, tametſi putet ſe peccare; quia quamquam illa electio minoris in eſſe naturæ ſit libera, quia phyſicè poteſt eligere majus, tamen in eſſe moris eſt neceſſaria, cùm ſive minus, ſive majus eligat, exiſtimet ſe peccare, idque invincibiliter, ut ſuppono.

Major difficultas eſt, an qui taliter perplexus eligeret majus peccatum, peccaret mortaliter. Et quidem clarum eſt, me peccare mortaliter, ſi peccatum majus, quod eligo, ſit mortale, peccatum autem minus tantùm veniale; v. g. malo adulterari, quàm mentiri. Quid enim refert ad malitiam mortalem adulterii quòd comparativè eligatur ad malitiam mendacii, vel quòd eligatur abſque ulla comparatione? Planè nihil. Sicut ergo peccat mortaliter, qui dicit, *Volo adulterari*, ita etiam qui eligit potiùs adulterari, quàm mentiri; cùm utrobique adulterium ſit omnino liberum, tam in genere entis, quàm in eſſe moris; poſſet enim, ſi vellet, mentiri, ac proinde vitare malitiam adulterii: ergo dum hanc eligit, peccat mortaliter. 396. *Qui … perplexus eligeret … [illegible]*

Idem dicito, ſi quis mallet adulterari, quàm fornicari; licèt enim tunc foret aliqua neceſſitas fornicationis, nulla tamen injuſtitiæ, adeòque eligens adulterium, etſi excuſaretur à malitia fornicationis, nullatenus tamen à malitia injuſtitiæ, quam poterat evitare, eligendo ſimplicem fornicationem. Nec video quid huic doctrinæ poſſit objici. *Idem si mallet … [illegible]*

Caſus ergo, qui controvertitur eſt: Petrus v. g. perplexus, vel debet furari, vel fornicari, judicat peccatum furti eſſe gravius, quæritur an ſi illud eligat, peccet mortaliter. 397. *Quid ſi mallet furari, quàm fornicari?*

Reſolutio pendet ab alia quæſtione, quæ multùm difficilis eſt, videlicet, an malitia furti notabiliter excedat malitiam fornicationis; ſi enim notabiliter excedat, ita quòd ille exceſſus æquivaleat alteri malitiæ mortali ſive ſpecificæ, ſive numericæ, non dubito quin electio furti ſit peccatum mortale, eodem planè modo & ratione, quâ electio adulterii præ ſimplici fornicatione, diximus eſſe peccatum mortale; quamquam enim tota malitia mortalis illius furti non ſit eligenti libera in genere moris, nam ad aliquam neceſſitatur, ut ſuppono, attamen liberè eligit illum exceſſum, ut patet, qui ex hypotheſi eſt mortalis. Sin autem exceſſus non ſit notabilis, æſtimo, quòd electio non ſit peccatum mortale.

Ponam caſum apertum: Aliquis perplexus, vel debet furari mille florenos, vel unum tantùm aureum, eligit furtum mille florenorum; dico, ipſum peccare mortaliter, quia furtum mille florenorum notabiliter excedit furtum unius aurei, & exceſſus ille qui eſt liber, de ſe eſt peccatum mortale: ergo qui tali caſu eligit furtum mille florenorum, eligit liberè 398. *Quid ſi furtum 1000 florenorum præponeret furto unius aurei?*

quòd

quod de ſe eſt peccatum mortale; quidni ergo peccet mortaliter?

d ſi fur- unius i cum ſuferis) unius i ? Alius eſt perplexus, qui debet furari vel unum aureum cum quatuor ſtuferis, vel unum aureum ſine illis ſtuferis; Dico, ſi eligat furtum unius aurei cum illo exceſſu, non peccare mortaliter; quia exceſſus ille, qui ſolus eſt liber, de ſe non eſt peccatum mortale, quamvis conjunctus alteri ſummæ, conſtituat unum peccatum mortale. Sicuti ſi phyſicè eſſem determinatus ſeu neceſſitatus ad furtum unius aurei, & ego ex mea libertate ſuperadderem quatuor ſtuferos, indubiè non peccarem mortaliter; quia licèt illi quatuor ſtuferi cum iſto aureo conſtituant unum aliquod furtum notabile, tamen totum illud furtum, ſive tota illa materia, non eſt mihi libera, ſed tantùm furtum quatuor ſtuferorum: ergo ſolùm pecco venialiter, ſicuti peccarem, ſi ſolos illos ſtuferos acciperem.

99. jectio Si dixeris; exceſſus quantumcumque parvus, eſt peccatum mortale, & punitur pœnâ æternâ, quia licèt ſeorſim non ſufficeret, tamen conjunctus alteri graviori offenſæ, cauſat etiam gravem offenſam.

itur. Reſpondeo, ille exceſſus in noſtro caſu non conjungitur graviori offenſæ; quia furtum unius aurei, cui conjungitur acceptio quatuor aſſium, non eſt offenſa formalis, nequidem levis, cùm non ſit libera in genere moris.

100. d dicen- de illo, non pec- us dice- mallem eceſſita- ommit- adulte- n, quàm nicatio- n? Atque hæc dicta ſint non tantùm de illo, qui jam incidit in perplexitatem; ſed etiam de eo, qui adhuc plenè liber ad hoc vel illud peccatum eligendum, dicit: *Si mihi neceſſariò committendum eſſet hoc, vel illud peccatum, potiùs vellem committere maius, quàm minus, v. g. adulterium, quàm fornicationem.* Quæ enim ratio diſparitatis?

Reducetur autem hoc peccatum ad ſpeciem illius peccati gravioris, quod præeligitur, inſtar cujuſdam delectationis moroſæ; niſi enim tale peccatum aliquo modo delectaret, non præeligeretur alteri.

101. ſponſio quorum Reſpondent aliqui, in tali caſu nullum eſſe affectum ad peccatum illud, ſed ſolùm eſſe electionem in caſu impoſſibili; aliàs enim eſſet etiam peccatum eligere minus malum ita conditionaliter.

pugna- Sed contra I. ergo talis conditionata electio nequidem erit peccatum veniale. Secundò; ergo neque erit peccatum mortale dicere: *Vellem potiùs adulterium, quàm mendacium.* Tertiò; ſi quis propoſuiſſet non ducere uxorem, & ſe voto ad id obligaſſet, quo non obſtante diceret: *Si ducerem, non ſervarem illi fidem*, graviter peccaret; & tamen eligit ſub conditione non ponenda.

Quòd ergo conditio ſit ponenda, vel non ponenda, poſſibilis, vel impoſſibilis, nihil refert ad malitiam actûs interioris; indubiè enim peccat, qui dicit: *Si eſſem Angelus, non obedirem Deo.* Ratio à priori eſt, quòd iſtæ conditiones non præſcindant objectum à peccato, ſicuti hæ conditiones: *Si furtum non eſſet peccatum, vellem illud committere: Si hodie non eſſet dies ieiunij, vellem comedere carnes*, & ſimiles.

Ex quo patet, quare eligere minus peccatum non ſit malum, quia ſcilicet tunc apprehenditur ſub illa conditione, ſub qua non eſt peccatum.

Dices; viri timorati ſolent habere tales conditionatas voluntates: *Si futurus eſſem hæreticus, mallem eſſe Atheiſta, quàm Arrianus*; & tamen Atheïſmus eſt gravius peccatum. 402. Objectio.

Reſpondeo, tales viros eſſe timoratos, ſi habeant tales voluntates, vel potiùs velleitates cum aliqua præciſione, hoc eſt, *Mallem eſſe Atheus, quantùm ſpectat ad maiorem commoditatem, vel minorem inconſequentiam in errore*, præcidendo ſemper à majori, immo ab omni malitia. Reſponſio.

Sicut etiam aliqui dicere ſolent: *Si damnandus eſſem, mallem vivere voluptuosè, quàm ſobriè*, ſcilicet quod attinet ad commoditatem & delectabilitatem, non tamen abſolutè; quia abſolutè pejus eſt damnari propter multa peccata, quàm propter unum: nec liceret id velle, etiam ſub conditione damnationis, ut omnes admittunt; quemadmodum non licet hic conditionalis affectus: *Si peccandum eſſet, potiùs peccarem bis, quàm ſemel.*

Cæterùm quia hæ præciſiones valde periculoſæ ſunt, conſulo viris timoratis, ut ab omnibus hujuſmodi conditionatis affectibus, qui ad nihil utiles ſunt, abſtineant, ne fortè, quod abſit, timorem Domini, qui eſt initium ſapientiæ, ipſi coram Deo ſtulti effecti, cum periculo animæ ſuæ amittant.

Non ignoro Sotum pro ſententia contraria à quibuſdam allegari, quaſi doceat 4. diſt. 17. q. 2. a. 4. actus illos conditionales non continere malitiam gravem, quando comparatio fit inter peccata mortalia; ſed apud me in hac quæſtione eſt minoris auctoritatis, cùm valde obſcurè & indiſtinctè loquatur. Subjicio ejus verba. 403. Quid Sotus doceat de propoſitâ quæſtione.

Quæris (inquit ille) utrùm magis deteſtari, & fugere peccatum minus deteſtabile ſit per ſe peccatum mortale, ut ſi quis ſic animatus ſit, ut caſu quo alterum deberet eligere, potiùs eligeret adulterium, quàm furtum, vel hæreſim & blaſphemiam, quàm nefandum crimen.

Reſpondetur, quòd illud propoſitum non eſt, niſi unum ſimplex peccatum adulterii, quod gravius eſt, quàm furtum, vel unum hæreſis, quod gravius eſt, quàm alia turpitudo. Et in hoc ſenſu eſt intelligenda Concluſio, quòd adulterium eſt magis deteſtandum, quàm furtum; videlicet quòd citiùs deberet homo furari, quàm adulterari, non quòd adulterium, & citiùs illud eligere ſint duo peccata, ſed Docet primò præligere adulterium eſſe unum ſimplex peccatum adulterii.

quòd

Digitized by Google

quòd ipſum per ſe ſit unum gravius. Hæc Sotus, indubiè admittens peccatum mortale in tali electione,ſaltem unicum, cùm in electione contraria nullum foret, quæ eſt communis doctrina.

404. **Docet ſecundò non eſſe peccatum mortale, dummodo firmum ſit propoſitum neutrum committendi.** Interim paucis interjectis ſic ait: Facta conditionali comparatione, ſic appretiativè plus deteſtari furtum, ut ſi alterum eſſet committendum, potiùs homo committeret homicidium, non eſt peccatum, ſaltem mortale,dummodò firmum ſit propoſitum neutrum committendi,ſed eſt venialis perverſio ordinis charitatis. Ita Sotus.

Quomodo id ſit intelligendum. Qui ſi intelligat, talem perverſionem ſive electionem non eſſe duplex peccatum mortale, ſed unicum homicidii, loquitur conſequenter, neque repugnat noſtræ ſententiæ: ſin autem velit hujuſmodi electionem, nequidem unicum eſſe peccatum mortale homicidii, videtur ſibi ipſi contradicere. Nam ſuperiùs admittit in electione adulterii unum ſimplex peccatum adulterii.

405. **Objectio.** Si reſpondeas, unam electionem eſſe abſolutam, alteram ſolùm conditionalem; nam in poſteriori caſu expreſsè dicit: *Factâ conditionali comparatione*; interrogo, quæ eſt iſta conditionalis comparatio? **Solvitur.** Sanè nullius alterius ibi meminit Sotus, quàm comparationis inter diverſa peccata, quæ dicitur conditionalis, quia fit ſub iſta conditione, ſi alterutrum eſſet committendum. Et nonne eadem conditio ſupponitur in priori caſu?

406. **Replica.** Planè, inquis, ſed non ſupponitur firmum propoſitum neutrum committendi, utì in caſu poſteriori, & ideo ùnus excuſatur à gravi culpa, alius minimè.

Rejicitur. Sed contrà; quomodo poteſt eſſe firmum propoſitum neutrum committendi, ſi alterum eſt committendum?

Quia, ais, tantùm eſt committendum ex fragilitate hominis, non autem ex omnimoda neceſſitate. Licèt, inquit Sotus, culpa neque minima venialis ſit eligibilis, neque ad evitandam aliam culpam, quia implicat contradictionem licere peccare, & ideo numquam detur caſus, in quo licitum ſit unum minimum peccatum committere ad evitandum maximum! tamen paratus debet eſſe animus, ut ſi aliquid ex hominis fragilitate committendum ſit, potiùs ſit minus, quàm majus admittendum. Hæc ille. **Non licet committere minimum peccatum ad evitandum maximum.**

Ergo non loquitur de caſu perplexitatis, in quo alterum neceſſariò eſt committendum; ſed de caſu communi, in quo homo ab utroque peccato poteſt abſtinere, liberè tamen eligit majus.

407. **Reſponſio Adverſariorum approbatur.** Optima reſponſio! Ergo extra propoſitum allegatur Sotus; loquimur enim de caſu omnimodæ neceſſitatis: nam extra illam non ſolùm eligere majus peccatum mortale, ſed etiam eligere peccatum mortale minus, indubitanter eſt peccatum mortale.

Prorſus, reponis, quando illud eligere eſt abſolutum, ſecùs quando tantùm eſt conditionatum, v. g. ſi vellem peccare, vellem fornicari, abſolutè autem nolo.

Contrà, hoc eſt quod quæritur, & probatum oportuit, non ſuppoſitum; non probatur autem à Soto, & ideo faciliùs negatur, quàm aſſeritur. Igitur valde obſcurè & indiſtinctè loquitur Sotus in hac quæſtione.

Clariùs expreſſit ſuam mentem Henriquez lib. 1. de Pœnitentiæ Sacramento c. 27. n. 8. ubi ſic docet: Si quis conſideret diverſa peccata, dolor Pœnitentiæ de graviori peccato dicitur appretiativè major, quia ſi per impoſſibile daretur optio, potiùs eligendum eſt levius peccatum ut furtum, quàm adulterium, & dum concurrunt præcepta incompoſſibilia, aut ſcrupuloſus ligatur perplexitate conſcientiæ erroneæ, quam neſcit deponere, non peccat dum ſe conformat prudenti dictamini rationis, ut eligat & liberè permittat in ſe,quod minus malum videtur. Si quis tamen habens firmum propoſitum non admittendi ullum peccatum mortale, ficto caſu optionis datæ, eligeret ex infirmitate vitare potiùs peccatum mortale levius, quia ſibi magìs infame, quàm peccatum gravius, hic pervertens ordinem, ſolùm peccat venialiter. Hæc Ille. 408. [illegible]

Et rationem adjungit: Quia, inquit,quodlibet mortale interpretativè includit odium, & deſtructionem ipſius Dei ex affectu, habetque æqualitatem quamdam ex parte averſionis, cùm ſit ſummum malum & dignum infinito dolore, & æternâ pœnâ: id verò in quo unum peccatum excedit alterum ratione converſionis, aut quia averſio eſt directius contra Deum, eſt quid finitum, cujus perverſio, dum minus peccatum propter gravem infamiam homo eligit potiùs fugere, non videtur peccatum mortale, quando compenſatur honeſtis cauſis. Huсuſque Henriquez.

Sed hæc ratio valde deficit; nam unum peccatum poteſt continere duplicem ſpecie diſtinctam malitiam, per conſequens duplicem averſionem à Deo, ut in exemplo allegato adulterii, quod continet unam malitiam mortalem oppoſitam juſtitiæ, & alteram oppoſitam caſtitati; cùm tamen furtum ſolùm habeat unam malitiam oppoſitam juſtitiæ. 409. Rejicitur ab authore.

Sicut ergo peccaret mortaliter, qui in caſu perplexitatis eligeret ſecundum furtum, ubi unicum ſufficeret, pari certè ratione peccaret mortaliter, qui eligeret adulterium, ubi furtum ſufficeret; nam ſicut duo furta habent duplicem numero malitiam mortalem, & per conſequens duplicem numero averſionem à Deo, ita adulterium habet duplicem ſpecie malitiam mortalem, adeoque duplicem ſpecie averſionem à Deo.

Et veluti malitia adulterii, quando eſt omnino

nino libera extra caſum perplexitatis, non poteſt compenſari honeſtis cauſis, ſic neque in caſu perplexitatis, cùm altera malitia, ſcilicet contra caſtitatem, ſit omnino libera, tam in eſſe phyſico, quàm in eſſe moris. Nullam itaque video probabilitatem iſtius ſententiæ: ſi loquatur de actuali affectu voluntatis, eſtò tantùm conditionato.

410. Atque ex his ſit impoſitus finis huic Concluſioni. Addo ſolummodo unum verbum, quod generaliter notandum eſt, nempe hanc comparationem ſeu appretiationem inter peccatum gravius, & levius; utì etiam appretiationem, ſeu comparationem inter peccatum proprium, & alienum, inter peccatum originale & actuale, has, inquam, comparationes ſeu appretiationes expreſſas & explicitas nequaquam requiri ad Contritionem juſtificativam extra Sacramentum, juxta dicta concluſ. 6. in qua probavimus, quòd non eſt neceſſe Contritionem charitate perfectam deteſtari ſingula peccata in particulari.

[Ex]plicita [ap]pretiatio [int]er peccatum gravius [&]levius, [no]n eſt neceſſaria ad [Co]ntritionem juſtificativam extra Sacramentum.

Satis ergo eſt, quòd peccator de peccatis ſuis in generali ſic doleat, ut illa proponat pro nullo evitando detrimento, aut conſequendo commodo iterum committere, quia hoc ipſo, quo ſic dolet de peccatis ſuis quatenus ſunt offenſa Dei, implicitè & virtualiter deteſtatur propria peccata graviora præ levioribus.

Numquid etiam magìs deteſtatur proprium peccatum actuale, quàm proprium peccatum originale? Accipe reſolutionem:

CONCLUSIO XII.

Contritio charitate perfecta magìs deteſtatur proprium peccatum actuale mortale, quàm proprium peccatum originale: imò, ſi ſit illimitata, directè magìs deteſtatur proprium peccatum veniale, quàm proprium peccatum originale per ſe ſumptum; ſemper tamen originale præ veniali deteſtatur indirectè.

411. HÆc Concluſio plures habet partes, quæ ſigillatim explicandæ veniunt. Prima eſt, & cui à nullo contradicitur, comparatio proprii peccati actualis mortalis, cum proprio peccato originali; illud autem, ſcilicet actuale mortale, magìs appretiativè deteſtandum eſſe nemo ignorat, niſi qui neſcit eſſentiam iſtorum peccatorum. Quippe cùm peccatum actuale propriâ contrahatur voluntate, originale verò voluntate alienâ, indubiè iſtud magìs diſplicet Deo, tamquam magìs voluntarium & magìs averſivum à Deo; adeòque magìs nos obligat ad ſui vitationem.

[Pr]obatur [pr]ima pars [Co]nclus.

Hinc tota diverſitas inter pœnam unius, & pœnam alterius peccati. Nam ſecundùm ſententiam Doctoris Seraphici, peccato originali non debetur pœna ignis, ſed tantùm pœna æterna damni. Sic inquit Divus Bonaventura 2. diſtinct. 33. art. 3. qu. 1. *Cum valde durum dicere videatur*, quòd parvuli cremabuntur igne materiali, *ideo eſt alia poſitio mitior, quæ magis concordat pietati, fidei, & iudicio rationis*; *quòd quia parvuli decedentes cum originali, carent iuſtitiâ & Spiritûs ſancti gratiâ ...... privantur in æternum Dei viſione; quia verò in carne ſuâ fœditas, ideo ponentur in loco vili, utpote infernali; ſed quia non habuerunt in ſe delectationem actualem peccati, nec in ſpiritu, nec in carne, ideo non ſentiunt pœnæ ignis acerbitatem.* 412.

Diverſitas inter pœnam peccati actualis & originalis.

Parvuli non cremabuntur igne materiali ſecundùm D. Bonavent.

Huic ſententiæ ſubſcribit Doctor Subtilis 2. diſtinct. 32. quæſt. unicâ nu. 7. ſub hac forma verborum: *Per hæc ſolvitur ſecunda quæſtio, quâ quæritur, quid ſit peccatum originale. Eſt enim formaliter carentia iuſtitiæ originalis debitæ, & non qualitercumque debitæ; quia acceptæ in primo parente, & in ipſo amiſſæ, cui correſpondet pœna damni dumtaxat ex præmiſſa criminis tranſgreſſione proveniens.* & Scotum.

Et quamvis Divus Auguſtinus admittere videatur in parvulis pœnam ignis, dicens ſerm. 14. de verb. Apoſtoli cap. 3. *Venturus eſt Dominus & iudicaturus de vivis & mortuis, duas partes facturus eſt, dextram & ſiniſtram. Siniſtris dicturus: Ite in ignem æternum*, hoc eſt, combuſtionem æternam. *Dextris, Venite benedicti Patris mei percipite regnum ...... Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus eſt medius locus ubi ponere queas infantes:* equidem mitiſſimam prædicat Ench. cap. 93. ibi: *Mitiſſima ſanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt.* 413.

Contrarium videtur admittere D. Aug.

Et lib. 1. contra Julianum cap. 11. loquens de pœna parvulorum: *Quæ (inquit) qualis & quanta, quamvis definire non poſſim, non audeo tamen dicere, quod eis, ut nulli eſſent, quàm ut ibi eſſent, potiùs expediret.* Quis ergo prudenter poteſt ambigere, an ſi alterutrum peccatum eſſet committendum, actuale mortale, vel originale, hoc illi præferendum fore? Prima ergo pars Concluſionis eſt communis & certa.

Secunda pars ſatis dubia apparet, nam pec- 414.

Rationes dubitandi de ſecunda parte Concluſ.

cato originali, ut jam jam diximus, debetur pœna æterna ſaltem damni, id eſt, æterna carentia divinæ viſionis, peccato autem veniali, quantumcumque gravi, tantùm pœna temporalis; adeòque originale magìs videtur diſplicere Deo, & ex conſequenti magìs vitandum & deteſtandum, quàm quodcumque veniale.

Accedit, quòd Contritio neceſſariò deteſtetur peccatum originale, utpote verum peccatum mortale; veniale autem non deteſtatur, niſi ſit illimitata, & ideo ſignanter in Concluſione additur illa particula: *Si ſit illimitata.*

415. **Probatur 2. pars Concluſ.**

Nihilominus Concluſionem noſtram tenent Lugo hìc diſp. 5. ſect. 5. Arriaga diſp. 9. ſect. 4. & Dicaſtillo diſp. 2. dubio 10. Ratio fundamentalis eſt, quia qualitercumque conſideretur peccatum originale, ſive phyſicè, ut eſt actuale peccatum Adami transfundendum in poſteros, ſive moraliter, ut illud nobis inexiſtit, & nos reddit dignos odio Dei, ſeu privat juſtitiâ originali, ſemper veriſſimè dicitur, quòd peccatum originale non ſit nobis phyſicè voluntarium, ſed tantùm moraliter, quatenus noſtra voluntas non phyſicè, ſed moraliter ſolùm poſita fuit in voluntate Adami, cùm è contra ſemper verum ſit dicere: peccatum veniale illud perſonaliter operanti eſt phyſicè voluntarium; ergo quodcumque peccatum veniale magìs dependet à noſtra voluntate, utique phyſicè & cum poteſtate phyſica illud impediendi; cùm peccatum originale ſolùm dependeat moraliter, ita ut non poſſim illud impedire, niſi dependenter ab alterius voluntate. Quid ergo mirum ſi magìs debeam deteſtari & magìs præcavere, quod magìs mihi liberum eſt, ut fiat, vel non fiat?

Peccatum veniale eſt phyſicè voluntarium, originale ſolùm moraliter.

416. **Conjunctioni voluntatis cum Deo magìs opponitur peccatum veniale perſonale, quàm originale.**

Num actus dilectionis Dei, & per conſequens Contritio charitate perfecta, moraliter dumtaxat dependet à propria voluntate pœnitentis? Nonne phyſicè? Quàm maximè; & propterea tendit ad conjungendam voluntatem pœnitentis cum Deo; illi autem conjunctioni magìs opponitur peccatum veniale perſonale, quàm mortale originale; quamvis enim per hoc Deus etiam avertatur à nobis, noſtra tamen voluntas non avertitur phyſicè à Deo, ſicut per peccatum veniale perſonale; poſſet namque peccatum phyſicè alienum, moraliter tantùm meum, ſummopere mihi diſplicere, ac proinde mea voluntas per proprium affectum phyſicè manere conjuncta Deo, ad quam conjunctionem maximè dilectio inclinat, & ideo magìs deteſtatur, quod magìs illi conjunctioni repugnat.

417. **Non poteſt quis committere peccatum ve-**

Si ergo aliquis habeat debitum contrahendi maculam originalem, non poteſt committere peccatum veniale, ut eam non contrahat; nam contrahendo maculam non peccat, ſed antea peccavit, quando incurrit debitum, ut proinde macula illa pro tunc, potiùs habeat rationem pœnæ aut mali phyſici, quàm rationem peccati, aut mali moralis; jam autem ad evitandam pœnam etiam æternam, aut malum aliquod phyſicum, neutiquam licet peccare vel ſolùm venialiter; implicat enim peccatum eſſe licitum, peccatum, inquam, quà tale; quamquam ſubinde fieri poſſit, ut actio, quæ alioquin eſſet peccaminoſa, fiat licita, quando eſt neceſſaria ad evadendum grave aliquod malum, ut patet in illis, quæ tantùm ſunt præcepta aut prohibita jure poſitivo.

niale, non contrahat maculam originalem.

418. **An etiam in ſtatu peccati mortalis poſſet peccare venialiter, ut ab eo exeat? Lugo.**

An fortè exiſtimas, quòd exiſtens in ſtatu peccati habitualis, poſſit peccare venialiter, ut ab illo ſtatu tali medio exeat? Si aliquis ſciret, inquit Lugo ſuprà n. 60. ſe eſſe in ſtatu peccati, & putaret ſe non poſſe, niſi per Sacramentum Pœnitentiæ liberari, ad illudque obtinendum neceſſe eſſet mentiri venialiter: certum eſt, quòd non poſſet licitè facere, ſed deberet eligere manere in ſtatu peccati, non ſolùm per unum inſtans, ſed per multos annos; nam manere in peccato habituali non eſt peccare, nec dignum novâ pœnâ, ſed perſeverantia mortalis culpæ præteritæ. Quod etiam verum putat Eminentiſſimus, tametſi immineret periculum æternæ damnationis.

419. **Praxis Arriagæ ſi poſſit ſine ſcandalo periculum æternæ damnationis.**

Sed hoc nimis durum videtur Arriagæ ſuprà n 36 tum propter infinita quaſi peccata mortalia, quæ licèt phyſicè liberè, moraliter tamen quaſi neceſſariò ſequuntur æternam damnationem; tum maximè propter perpetuam inimicitiam cum Deo, planè neceſſariò conjunctam cum æterna damnatione. Videtur, inquit hic Auctor, omnino dicendum fore, Deum tunc magìs contentum, ſi illud mendacium lève admitterem, ut in ejus amicitiam in perpetuum redirem, quàm ſi eligerem potiùs ejus eſſe perpetuum hoſtem. Hæc ille, ſatìs piè, ſi ſatìs verè; at non ſatìs verè, ſi verum eſt, quod communiter docetur; Deum nullatenus poſſe diſpenſare in præcepto prohibente mendacium.

Saltem extra hoc periculum non licet.

Ut ut ſit de hoc caſu, qui eſt planè metaphyſicus, ſaltem extra periculum damnationis æternæ, ut vitetur permanentia in ſtatu peccati habitualis, non licet venialiter mentiri; ergo ſimiliter ut evitetur macula peccati originalis.

420. **Objectio.**

Sed contrà: Ratio diſparitatis eſt, quòd qui habet debitum contrahendi maculam originalem, nondum ſit inimicus Dei, ſicut ille, qui exiſtit in ſtatu peccati habitualis. Ergo licèt hic ut exeat à ſtatu, in quo eſt, non poſſit eligere peccatum veniale; equidem ille poterit, ne in ſtatu hujuſmodi conſtituatur.

Reſpon-

[...]ſio. Reſpondeo negando Conſequentiam; nam licèt in eo ſit diſparitas, in hoc tamen eſt paritas, quòd ſicut prior permanet in ſtatu peccati habitualis ſine novo peccato, ita poſterior ſine novo peccato conſtituatur in ſtatu peccati originalis; ſiquidem ſtante debito contrahendi maculam originalem, etiam cum explicita volitione non contrahendi, nihilominus illam contrahet.

421. [...]rivile- exem- is ab veni- t præ- idum egio ivati- ab ori- i.

Si autem à me quæritur, an ergo cui daretur optio, vel privilegii exemptionis ab omni veniali peccato, vel præſervationis ab omni originali macula, deberet eligere privilegium exemptionis ab omni veniali?

Reſpondeo citiùs negativè; quia hoc non eſt peccare venialiter, ſed tantùm permittere peccatum veniale ad evitandum damnum illud ſpirituale, quod incurritur per contractionem maculæ originalis, quod non videtur illicitum, cùm frequenter homines licitè ſe exponant periculo peccati venialis, etiam ad ſolum damnum temporale evitandum.

422. [...]ponitur [...]entia [...]onis,

Interim putat Cardinalis ſuprà n. 63. loquendo de debito majoris perfectionis, præeligendam eſſe immunitatem ab omni peccato actuali veniali potiùs, quàm præſervationem à contrahenda macula originali in primo inſtanti conceptionis. Nam licèt, inquit, poſſit & debeat aliquis ſubire aliquando periculum peccandi venialiter, ut ſatisfaciat debito ſui muneris vel charitatis; in caſu tamen noſtro detrimentum illud contrahendi maculam unico inſtanti, non videtur eſſe tanti ponderis, ut charitas bene ordinata & fervor dilectionis Dei, ac odium offenſæ divinæ, non magìs fugiat & horreat offenſam actualem Dei, ac proinde eligat potiùs carere illo alio privilegio & gratiâ Dei per unum inſtans, quàm ſubire illud periculum certiſſimè offendendi Deum. Hæc Lugo.

[...]n ſua ra- [...]ne,

Ratio autem eſt, quòd contrahere maculam, ſeu eſſe in peccato, non eſt peccare, non eſt offendere Deum, non eſt affectu averti à Deo; ſed pati averſionem Dei, odium & indignationem, ac inimicitiam propter peccatun præteritum non condonatum: charitas autem magìs inclinat hominem ad non offendendum Deum, ad non advertendum affectum noſtrum à Deo, ad non averſandum Deo per voluntatem, quod fit per quodlibet peccatum actuale, quam ad procurandum affectum & amorem Dei erga nos: ergo magìs inclinat ad impediendam offenſam Dei, quàm ad procurandam veniam offenſæ præteritæ, ſeu amicitiam ac benevolentiam Dei erga nos. Hucuſque Eminentiſſimus.

423. Quæ ratio, ſi vera eſt, probat primò præſervationem Deiparæ ab omni peccato veniali majus fuiſſe privilegium, quàm præſervationem à contractione peccati originalis. Qui ergo illud concedunt, quomodo hoc poſſunt negare? Probat ſecundò, charitatem magìs inclinare ad permanendum toto tempore vitæ, ſecluſo periculo æternæ damnationis, in peccato originali, quàm ad permittendum vel unicum peccatum veniale. Quòd an Cardinalis admitteret, neſcio; neque multùm curo, cùm ſint ſpeculationes prorſus inutiles, utì etiam illa quæ ſequitur; & ideo breviter eam expedio. *ex qua Au- ctor aliqua infert.*

Quæritur, ſi aliquis vel deberet peccare venialiter in propria perſona, vel originaliter mortaliter in aliena voluntate, quid cui foret præferendum? Ex dictis conſtat præeligendum peccatum mortale in alia perſona, ſive peccatum originale mortale ſecluſo ſemper periculo æternæ damnationis, quod annectitur illi originali, & non veniali. *Potiùs peccandum originaliter mortaliter quàm venialiter perſonaliter.*

Si objicias: ex duobus malis ſive peccatis minus eſt eligendum; atqui peccatum originale mortale majus eſt quàm peccatum veniale perſonale: ergo veniale eſt eligendum. 424. *Objectio.*

Reſpondeo diſtinguendo Majorem; ex duobus malis ſive peccatis à me phyſicè committendis eligendum eſt minus, concedo Majorem; ex duobus malis ſeu peccatis, uno à me phyſicè committendo, altera tantùm moraliter, eligendum eſt minus, nego Majorem. Iam autem, qui peccat in aliena voluntate tantùm moraliter peccat. Sicut ergo non licet peccare venialiter, ut proximus meus evitet peccatum mortale perſonale, ita quoque illicitum eſt peccare venialiter, ut ego evitem peccatum originale, quod phyſicè eſt alienum, eſtò moraliter ſit proprium, id eſt, operetur eundem affectum in me, ac ſi phyſicè eſſet meum; effectum, inquam, non omnem omnino, quia per illud mea voluntas phyſicè non avertitur à Deo; ſed effectum iræ & indignationis divinæ, quâ Deus avertitur à me, & punit illud in me æternâ pœnâ damni, & fortè ſenſûs. *Solvitur.* *Qui peccat in aliena voluntate, potiùs permittit peccatũ quàm ipſe peccat.*

Si inferas: ergo magìs debeo fugere peccatum originale, quoniam dignum majori odio. Reſpondeo diſtinguendo Conſequens: magìs debeo fugere, ut ego illud phyſicè non faciam, concedo totum; ut non faciam moraliter, nego Conſequentiam. Deus namque magìs odit peccatum mortale alienum, quàm veniale proprium, & tamen, ut dicam Concluſione ſequenti, hoc debeo magìs fugere. 425. *Replica ſolvitur.*

Omitto quoſdam inveniri Magiſtros, aliàs doctiſſimos (ſic eos nominat Conrius tractatu de ſtatu parvulorum cap. 25.) qui ſatis, teſte hoc Auctore, confidenter *An peccatum originale ſit minimum omnium peccatorum.*

Digitized by Google

Conrius. fidenter affirmant, peccatum illud (puta originale) eſſe omnium peccatorum minimum, minuſque veniali, minoremque pœnam ei deberi, quàm peccato veniali; & ideo æternam pœnam ei non deberi ratione ſuæ gravitatis, ſed ratione ſubjecti, ſcilicet hominis, qui ſine gratia invenitur, per quam ſolam fit remiſſio pœnæ; ſicuti ſimiliter peccato veniali pœna æterna aliquando debetur non ratione ſui, ſed ratione conditionis ſubjecti, in quo eſt, quando ſcilicet invenitur in aliquo damnato. Eſſe autem omnium peccatorum minimum, indè ſibi perſuadent, quia minimum habet de voluntario; non enim eſt voluntarium voluntate (ut inquiunt) iſtius perſonæ, ſed voluntate principij naturæ tantùm; peccatum autem actuale, etiam veniale, eſt voluntarium voluntate ipſius in quo eſt. Hactenus Conrius, qui plurimis argumentis illam opinionem conatur evertere, tamquam multùm abhorrentem à ſenſu B. Auguſtini de peccato originali, deque ejus pœnis. Vide Auctorem allegatum.

426. Peccatum originale quà moraliter meum eſt minimum, maximum quà phyſicè peccatum alienum.

Quantùm ad me attinet, judico, peccatum originale, quà moraliter meum, eſſe minimum, ſaltem inter peccata mortalia, quia minus mihi voluntarium, imò nullo modo voluntarium phyſicè, tam ſecundùm actum phyſicum, quàm in eſſe peccati; interim eſſe maximum, quà phyſicè peccatum alienum, in tantum ut non ſolùm voluntati phyſicè illud operanti, id eſt, Adamo, ſed etiam ejus poſteris meruerit pœnam æternam damni, & fortè ſensûs. Enimverò Chriſto teſte: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Joan. 3. v. 5.

427. Cur pœna peccati originalis videatur hominibus dura & injuſta ex D. Aug.

Sed hæc pœna, inquit S. Auguſtinus l. 21. de Civit. c. 12. *ideo dura & injuſta ſenſibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuum deeſt ille ſenſus altiſſima puriſſimaq; ſapientia, quo ſentiri poſſit, quantùm nefas in illa prima prævaricatione commiſſum ſit. Quantùm enim magìs homo fruebatur Deo, tantò maiore impietate dereliquit Deum, & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum.*

Ratio gravitatis primi peccati ex eodem.

Et lib. 14. de Civit. c. 12. aſſignans rationem gravitatis primi peccati ſic ait: *Hoc itaque de uno cibi genere non edendo ubi aliorum tanta copia ſubiacebat, tam leve præceptum ad obſervandum, tam breve ad memoriâ retinendum, ubi præſertim nondum voluntati cupiditas reſiſtebat, quod de pœna tranſgreſſionis poſtea ſubſecutum eſt, tantò maiore iniuſtitiâ violatum eſt, quantò faciliore poſſet obſervantiâ cuſtodiri.*

Itaque reſpectu Adami fuit peccatum grande, quia cum maxima libertate ab ipſo phyſicè commiſſum; reſpectu autem poſterorum, qui in Adamo tantùm peccaverunt, minimum inter omnia mortalia, quæ propriâ voluntate phyſicè perpetrant; unde etiam mitiſſimâ pœnâ in ipſis punitur, cùm tamen in Adamo longè graviorem pœnam habuiſſet.

An autem propter defectum voluntarii in 428.
poſteris debeat dici minus peccatum quàm veniale, an verò ſimpliciter majus, quia privat ipſos gratiâ ſanctificante, & efficit dignos æternâ pœnâ damni; quæſtio eſt de nomine, de qua parùm curandum, quando conſtat de re, ſcilicet de periculo æternæ damnationis, quod annectitur peccato originali, minimè autem veniali.

An pro defectu voluntarii originale debeat dici minimum quæſtio de nomine.

Et ideo addidi in Concluſione ly *Per ſe ſumptum*, id eſt, ſecluſo periculo æternæ damnationis. Nam propter illud periculum magìs tenemur fugere peccatum originale, quàm veniale; adeò ut permiſſio peccati Adæ in eo, qui commodè potuiſſet illud impedire, fuiſſet mortalis; & ſimiliter foret mortalis omiſſio remedii ab originali liberativi; cùm tamen permiſſio peccati venialis, ſimiliter omiſſio remedii liberativi à peccato veniali, ſolùm poſſint eſſe peccata venialia.

Ex quo fit, quòd Contritio charitate 429.
perfecta queat ſtare cum peccato veniali, nullatenus autem cum peccato originali; ideoque indirectè magìs deteſtatur peccatum originale, quàm veniale, quæ eſt ultima pars Concluſionis. Enimverò quoniam Contritio charitate perfecta reconciliat hominem Deo, impoſſibile eſt, ut non deteſtetur omne illud, quod reconciliationem poteſt impedire, prout certò certiùs impedit peccatum originale non retractatum.

Contritio charitate perfecta ſtare cum veniali, non cum originali.

Reſtat comparatio proprii peccati cum peccato alieno, de qua erit

CONCLUSIO XIII.

Contritio charitate perfecta magìs deteſtatur proprium peccatum mortale, immo, ſi ſit illimitata, proprium peccatum veniale, quàm peccatum mortale alienum.

Dico, *Si ſit illimitata*; quia Contritio charitate perfecta non neceſſariò deteſtatur 430.
peccatum veniale, ut mox diximus, ac proinde non neceſſariò deteſtatur peccatum veniale proprium præ mortali alieno. Hoc notato,

Quare addatur ſta particula: *Si ſit illimitata.*

Probatur Concluſio, quæ eſt communis; quia nunquam licet admittere etiam minimum veniale, ad evitandum graviſſimum mortale alienum: ergo minimum veniale proprium eſt magìs deteſtabile, quàm graviſſimum mortale alienum. Conſequentia eſt evidens. Antecedens probatur ex illo Axiomate: *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, quod deſumptum

Probatur Concluſ. quia nunquam licet peccare venialiter ad evitandum peccatum mortale alienum.

Digitized by Google

ſumptum eſt ex Apoſtolo Rom. 3. v. 8. ubi ſic ait: *Et non (ſicut blaſphemamur & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt.*

31. preſſa itia g. Et eſt expreſſa ſententia D. Auguſtini lib. de Mendacio ad Conſentium c. 9. ibi: *Sed ſi quæritur, quid horum potiùs debuit evitare, qui utrumque non potuit, ſed alterutrum potuit: reſpondebo ſuum peccatum potiùs, quàm alienum, & levius potiùs quod ſuum, quàm gravius quod alienum.*

Et c. 18. ita ſcribit: *Nemo poteſt dicere, hoc ſe, aut in exemplo, aut in verbo Scripturarum invenire, ut diligendum, vel non odio habendum ullum mendacium habeatur: ſed interdum mentiendo, faciendum eſſe quod oderis, ut quod ampliùs deteſtandum eſt, devitetur.*

juam nnino ien- ex D. Cap. autem 21. ſic incipit dicere: *Elucet itaque diſcuſſis omnibus, nihil aliud illa teſtimonia Scripturarum monere, niſi numquam eſſe omnino mentiendum: quandoquidem nec ulla exempla mendaciorum imitatione digna in moribus factiſq; Sanctorum inveniantur.*

erſa ge- men- orum odem. Ac paucis interjectis: *Non eſt igitur mentiendum in doctrina pietatis, magnum enim ſcelus eſt, & primum genus deteſtabilis mendacii. Non eſt mentiendum ſecundo genere, quia nulli facienda eſt iniuria. Non eſt mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius iniuria conſulendum eſt. Non eſt mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quæ per ſeipſam vitioſa eſt. Non eſt mentiendum quinto genere, quia nec ipſa veritas ſine placendi hominibus enuntianda eſt, quantò minus mendacium, quod per ſeipſum, quia mendacium eſt, utique turpe eſt. Non eſt mentiendum ſexto genere: neque enim rectè etiam teſtimonii veritas pro cuiuſquam temporali commodo, ac ſalute corrumpitur: ad ſempiternam verò ſalutem nullus ducendus eſt opitulante mendacio. Non enim malis convertentium moribus ad bonos mores convertendus eſt* &c. *Neque ſeptimo genere mentiendum; non enim cuiuſquam commoditas, aut ſalus temporalis perficiendæ fidei perferenda eſt,* &c. *Nec octavo genere mentiendum, quia & in bonis caſtitas animi, pudicitia corporis: & in malis id quod ipſi facimus, eo quòd fieri ſinimus maius eſt. In his autem octo generibus tantò quiſque minus peccat cùm mentitur, quantò emergit ad octavum, tantò amplius, quantò devergit ad primum. Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſeipſum turpiter, cùm honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum.*

432. Oſtenditur quòd hæc ſit propria ſententia D. Aug. Hæc S. Doctor ad extremum iſtius libri, proinde comprehendunt ipſius ſententiam, juxta libri principium ſequentis tenoris: *Magna quæſtio eſt de mendacio, quæ nos in ipſis quotidianis actibus noſtris ſæpè conturbat: ne aut temerè accuſemus mendacium, quod non eſt mendacium, aut arbitremur aliquando eſſe mentiendum, honeſto quodam, & officioſo, ac miſericordi mendacio. Quam quæſtionem tam ſolicitè tractabimus, ut quæramus cum quærentibus. Vtrùm autem aliquid inveniamus, nihil nobis temerè affirmantibus, lectori bene attendenti ſatìs indicabit ipſa tractatio: latebroſa eſt enim nimis, & quibuſdam quaſi cavernoſis anfractibus ſæpè intentionem quærentis eludit, ut modò velut elabatur è manibus, quod inventum erat, modò rurſus appareat, & rurſus abſorbeatur. Ad extremum tamen ſententiam noſtram, velut certior indago, comprehendet.*

Hinc quamquam Auguſtinus in illo libro ſubinde contrarium dicere videatur, v. g. cap. 9. ibi: *Ita igitur concludendum eſt, ut quæcumque aliena peccata, exceptis iis quæ immundum faciunt, in quem committuntur, non evitet quiſque peccatis ſuis, neque pro ſe, neque pro quoquam, ſed ea ſufferat potiùs, fortiterq; patiatur: & ſi nullis peccatis ſuis ea debet vitare, neque mendacio. Illa verò quæ ita committuntur in hominem, ut eum faciant immundum, etiam peccatis noſtris evitare debeamus; ac per hoc nec peccata dicenda ſunt, quæ propterea fiunt, ut illa immunditia devitetur. Quidquid enim ita fit, ut niſi fieret, juſtè reprehenderetur, non eſt peccatum.* Et poſt pauca: *Nullum enim peccatum eſſet, quidquid propter illa evitanda factum eſſet. Propter hæc igitur evitanda, quiſquis mentitus fuerit, non peccat.* 433. quamquam ſubinde contrarium dicere videatur.

Similia, inquam, dicuntur ibi à D. Auguſtino veritatis indagandæ gratiâ, non per modum reſolutionis. Ad extremum autem reſolutio ejus ponitur, quam jam audiſtis, videlicet omne prorſus mendacium eſſe peccatum, tametſi neceſſarium foret ad ſempiternam aliorum ſalutem.

Ergo ex ſententia S. Doctoris proprium peccatum veniale, etiam minimum, ut eſt mendacium officioſum, magìs deteſtandum eſt, quàm maximum peccatum mortale alienum. *Quid eſt enim aliud,* (inquit D. Auguſtinus lib. contra mendacium c. 1.) *mentiamur, ut hæreticos mendaces ad veritatem adducamus, niſi faciamus mala, ut veniant bona? An aliquando bonum eſt mendacium, vel aliquando mendacium eſt non malum? Cur ergo ſcriptum eſt:* Odiſti domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium? *Non enim aliquos excepit, aut indefinitè dixit:* Perdes loquentes mendacium, *ut quoſdam non omnes intelligi ſineret, ſed univerſalem ſententiam protulit dicens: Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Pſal. 5. v. 7. Plura ad idem intentum in præallegato libro reperies, quæ brevitatis gratiâ omitto. 434. Concluſ.

Adjungo ſuccinctam rationem quia peccatum licèt tantùm veniale, non eſt medium ordinatum curandæ ſalutis alienæ, non eſt medium ordinatum ad impediendum peccatum gravius alienum.: ergo inordinatè ad ejuſmodi finem aſſumitur; charitas autem, quâ perficitur Contritio, ordinata eſt, juxta illud Cant. 2. v. 4. *Introduxit me in cellam vinariam* 435. Peccatum veniale non eſt medium ordinatum curandæ ſalutis alienæ.

Digitized by Google

nariam, ordinavit in me charitatem. Ut proinde nequeat inclinare ad id, quod malum eſt & offenſivum Dei, cùm maximè nos uniat Deo, & non optet vel velit, niſi quod eſt bonum ipſius Dei; porrò peccatum veniale ob quemcumque finem fiat, dummodo maneat peccatum, nunquam poteſt eſſe bonum Dei, nec unquam poteſt Deo placere.

436. Objectio duplex. Sed contrà; peccatum grave alienum magìs diſplicet Deo, quàm veniale proprium: ergo charitas, quæ ordinata eſt, magìs inclinat ad iſtud vitandum. Vel ſic, charitas magìs inclinat ad id, quod magìs cedit in gloriam Dei; atqui ſalus v. g. ſempiterna multorum hominum, quam poſſum procurare unico mendacio proprio, magìs cedit in gloriam Dei, quàm augmentum v. g. propriæ ſalutis, quod acquiro abſtinendo ab illo mendacio: ergo charitas magìs inclinat ad iſtud mendacium, quàm ad ejus omiſſionem.

437. Reſponſio aliquorum ad 1. Reſpondent aliqui, peccatum leve, v. g. mendacium officioſum, eſſe gravius peccatum reſpectu mentientis, quàm aliena fornicatio, quam poſſet mentiendo impedire.

quæ aliis non ſatisfacit. Sed hæc reſponſio aliquibus non ſatisfacit, quia videtur, quòd charitas præciſè moveatur à bonitate divina, adeòque præſcindat à ſubjectis, & ſolùm quærat majus bonum Dei, ubicumque illud ſit.

& ideo aliam adhibent reſponſionem, Ipſi ergo reſpondent, licèt peccatum alienum apprehendatur ut majus malum Dei, adhuc tamen apprehenditur Deum hìc & nunc nolle omnino me eligere medium peccati proprii, etiam levioris, ad vitandum peccatum grave aliorum. Lex autem veræ amicitiæ inclinat omnino ad non diſplicendum amico in iis ſaltem, quæ ipſe rationabiliter & prudenter vult, ſed potiùs ad complacendum ipſi in omnibus. Ita Lugo diſp. 5. n. 53. (Lugo.)

438. Prima reſponſio ad 2. Conſequenter dupliciter reſponderi poteſt ad ſecundum argumentum. Primo: Charitas non magìs diligit, ſive magìs inclinat in id, quod objectivè eſt major gloria; ſed in id, quod eſt quaſi effectivè maior gloria, id eſt, magìs diligit id, quo ipſe amans magìs glorificat Deum, non quicumque alius.

Secunda reſponſio. Secundò: id magìs amat charitas, quod Deus vult me magìs amare, Deus autem vult vult me magìs amare propriam ſanctitatem, tametſi parvam, quàm alienam, quantulacumque illa ſit: quapropter ego amando propriam ſanctitatem, tametſi parvam, magìs glorifico Deum, quàm ſi amarem ſanctitatem alienam magnam; quoniam hoc ipſo ego magìs amo Deum, utpote qui magìs impleo ejus voluntatem. Siquidem charitas attendit ad bonum Dei, non præciſè & nudè, ſed quatenus bonum illud non eſt contra Dei voluntatem.

Quis enim niſi fatuus dixerit, poſſe quempiam omnes parvulos Turcarum aliorumque infidelium baptizare, & illico eoſdem occidere? Quippe licèt ſalus æterna iſtorum parvulorum foret magnum bonum Dei; equidem eſt contra juſtiſſimam Dei voluntatem, prout procuratur per hoc medium. Sic ergo impræſentiarùm Deus non vult poni per meum peccatum illam impeditionem gravioris peccati alieni; quia quodcumque peccatum eſſentialiter ipſi diſplicet, aliàs non eſſet peccatum.

Nemo de hoc dubitat, reſpondet aliquis; 439. ſed valde fluctuo, an illud, quod aliàs eſſet peccatum, hìc & nunc non deſinat eſſe peccatum, v. g. dum eſt neceſſarium ad procurandam majorem gloriam Dei. Etenim omnes admittunt omiſſionem Sacri, alioquin præcepti in die feſtivo, non eſſe peccaminoſam, ſi judicatur eſſe neceſſaria ad impediendum grave peccatum proximi, v. g. homicidium, quod me audiente Sacrum committeretur.

Similiter charitas & juſtitia prohibent accipere res alienas invito Domino, & tamen id licet in extrema neceſſitate. Item dare Regi alapam. de ſe & ex natura ſua eſt offenſa contra Regem, & maxima ignominia; attamen ſi alapa iſta eſſet neceſſaria pro conſervatione vitæ Regiæ, nulla cenſeretur injuria, & ſic in aliis infinitis propemodùm caſibus, quod extra neceſſitatem foret illicitum, in neceſſitate ſit licitum.

Nonne oſtendimus concluſ. 11. in caſu perplexitatis, quando v. g. ex errore invincibili 440. vel fornicandum mihi eſſet, vel adulterandum, licitum fore fornicari, quando vel fornicandum mihi eſſet, vel mentiendum licitum fore mentiri? Cur ergo non liceat mentiri quando mendacium eſt neceſſarium ad impediendam fornicationem proximi mei, qui eſt alter ego, vel ad procurandam æternam ipſius ſalutem, & non tantùm unius hominis, ſed quaſi infinitorum?

Profectò docent quidam, quòd ſi ex mei mendacii omiſſione Deus eſſet paſſurus aliquod intrinſecum damnum, tunc deberem mentiri citiùs, quàm illud damnum permittere, & per conſequens tali caſu mendacium non eſſet peccatum. Cur ergo ſimiliter non perdat ſuam malitiam peccaminoſam, quando foret neceſſarium ad impediendum graviſſimum damnum extrinſecum Dei, v. g. infinita peccata mortalia, & æternam infinitorum hominum damnationem? (Tertium.)

Ut ab ultimo exordiar; videant illi quid 441. Reſponſio ad 1 et Arriaga. reſpondeant, qui admittunt Antecedens. Majoris longè eſt momenti (inquit Arriaga diſp 9 n. 47.) ne prædicatum infinitum Dei pereat, quàm ne committatur aliquod mendacium, quod ſolùm in damnum aliquod leve naturæ rationalis creatæ vergit. Majus enim ſine dubio eſt damnum intrinſecum ipſius capitis

Reipu-

Digitized by Google

Reipublicæ. Cùm ergo mendacium ex eo ſolo damno Reipublicæ ſit peccatum, ceſſaret ſine dubio in eo caſu motivum illud fugiendi.

At quando damna alia, quæ ſequuntur, etſi ſint magna, tamen non ſunt intrinſeca Deo, ſed extrinſeca, & in eodem genere cum damno ipſius mendacii, prævalere debet in me obligatio, quæ mihi imprimis incumbit, ne ego quidpiam, quod in ſe malum eſt, admittam, eſtò cæteri ex ſua nequitia alia graviora ſint admiſſuri. Hucuſque Arriaga; illico attexens: Video hanc diſparitatem non eſſe talem, quæ non patiatur adhuc difficultatem aliquam, eſt tamen probabilis.

42. ſio is. Probabilis ſit, nec ne, parùm ſoliciti ſumus, quia negamus Antecedens; præſertim quando ex nequitia alterius Deus eſſet paſſurus aliquod extrinſecum damnum; ſin autem damnum illud intrinſecum ſequitur neceſſariò ex omiſſione mei mendacii; quæro, an inferre Deo illud malum intrinſecum, ſit majus peccatum, quàm mendacium? Si affirmas, infero: ergo poteſt mentiri, imò debet mentiri, quia niſi mentiatur erit determinata cauſa illius damni, quod ſecundùm te eſt gravius peccatum; ex duobus autem malis ab eodem committendis, minus eſt eligendum, quando alterutrum eſt neceſſarium.

43. onſio ulti- Ex quo patet reſponſio ad penultimum; nam fornicatio proximi mei, quamvis ſit majus peccatum, quàm proprium mendacium, non tamen eſt à me committenda, ſed liberè ab alio; adeòque nulla eſt neceſſitas, vel mentiendi, vel fornicandi; quoniam utrumque ſine peccato poteſt omitti. Quâ ergo ratione excuſabitur mendacium à peccato, cùm ex objecto ſuo malum ſit, & à Deo prohibitum, neque deſit libertas?

44. onde I. Ad primum reſpondeo ex D. Auguſtino lib. contra Mendacium cap. 7. *Intereſt quidem plurimum, quâ causâ, quo ſine, quâ intentione quid fiat. Sed ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bonâ intentione facienda ſunt. Ea quippe opera hominum, ſicut cauſas habuerint bonas ſeu malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata. Sicut victum præbere pauperibus bonum opus eſt, ſi ſit cauſa miſericordiæ cum rectâ fide. Sicut concubitus coniugalis quando fit causâ generandi, ſi eâ fide fiat, ut gignantur regenerandi. Hæc atque huiuſmodi ſecundùm ſuas cauſas opera ſunt bona vel mala, quia eadem ipſa ſi habeant malas cauſas, in peccata vertuntur. Velut ſi iactantiæ causâ, pauper paſcitur, aut laſciviæ causâ cum uxore concumbitur; aut filij generantur, non ut Deo, ſed ut diabolo nutriantur. Cùm verò iam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſpemiæ, vel cætera talia; quis eſt qui dicat cauſis bonis eſſe facienda, ut vel peccata non ſint, vel, quod eſt abſurdius, iuſta peccata ſint?*

Sic itaque quæ in neceſſitate licent, extra illam alioquin illicita, non ſunt per ſeipſa peccata, ut patet in exemplis allegatis; audire Sacrum, poteſt bene fieri, poteſt malè fieri, ſimiliter non audire Sacrum. Si audio Sacrum animo honorandi Deum, bonum opus eſt; ſi causâ jactantiæ, malum opus eſt: ſi omitto audire Sacrum, quando præceptum eſt audire, eſt omiſſio mala; ſi omitto quando non eſt præceptum audire, non eſt omiſſio mala: & quoniam præceptum humanum non obligat cum periculo gravis nocumenti, ideo licet non audire Sacrum aliàs præceptum, quando omiſſio auditionis eſt neceſſaria ad impediendum grave peccatum proximi, v. g. homicidium. 445. Quæ in neceſſitate licent alioquin illicita, non ſunt per ſe ipſa peccata.

Similiter, quia charitas & juſtitia non ſimpliciter prohibent accipere res alienas invito domino, ſed ſolùm domino rationabiliter invito, hinc fit, ut in extrema neceſſitate liceat eas accipere, quia pro tunc dominus non eſt rationabiliter invitus, cùm in extrema neceſſitate omnia ſint communia; adeòque tunc potiùs accipitur proprium, quàm alienum. Ecce neceſſitas mutat materiam. Juſtitia ſolùm prohibet accipere res alienas domino rationabiliter invito.

Idem videre eſt in tertio exemplo: ideo quippe inflictio alapæ eſt Regi injurioſa & contumelioſa, quia eſt ſignum deſpectûs & contemptûs, ſeu vilipenſionis, quæ ſignificatio in neceſſitate, quando videlicet infligitur ad conſervandam vitam Regis, planè interit, & quaſi mutatur in ſignificationem debitæ reverentiæ & ſubjectionis, quoniam ſubditus tenetur conſervare vitam ſui Superioris, quando commodè poteſt. 446. Inflictio alapæ in neceſſitate non eſt ſignum contemptûs.

Nihil autem ſimile reperitur in mendacio, tametſi unico poſſem impedire infinita aliorum hominum peccata, & procurare eorum æternam ſalutem; nam etiam in tali caſu erit locutio contra mentem, & generabit deceptionem ſeu errorem in mente audientis, adeòque erit malum contra rationem naturalem, ſeu Rempublicam rationalem. Mendacium in neceſſitate manet mendacium.

Si hanc peccatis aperimus viam (inquit D. Auguſtinus ſuprà c. 9.) *ut committamus minora, ne alij maiora committant, lato limite, imò nullo limite, ſed convulſis & remotis omnibus terminis, infinito ſpatio cuncta intrabunt atque regnabunt. Quando enim fuerit definitum peccandum eſſe homini minus, ne alius peccet amplius, profectò & furtis noſtris ſtupra cavebuntur aliena, & inceſta ſtupris: & ſi qua impietas viſa fuerit etiam peior inceſtis, inceſta quoque facienda dicentur à nobis, ſi eo modo agi potuerint, ut illa impietas non committatur ab alijs &c. Hoc ſapere, quid eſt aliud niſi deſipere, vel potiùs inſanire? A mea quippe iniquitate, non ab aliena, ſive in me, ſive in alijs perpetratâ, mihi eſt cavenda damnatio.* Hucuſque S. Doctor. S. Auguſt.

Si autem nobis quiſpiam occinat exemplum Lot, qui Geneſis 19. v. 8. dicebat Sodomitis: 447. Objectio exempli Lot Gen. 19.
Habeo duas filias quæ necdum cognoverunt virum: educam

educam eas ad vos & abutimini eis, ſicut vobis placuerit, dummodò viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei.

Reſponſio ex S. Aug.

Reſpondeo citiùs cum eodem S. Doctore eodem lib. & cap. *Aliena ille vir iuſtus timendo peccata, quæ niſi conſentientes inquinare non poſſunt, perturbatus non attendit ſuum, quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in Scripturis Sanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla. An verò quia iuravit David ſe occiſurum eſſe Nabal, & clementi conſideratione non fecit, propterea illum imitandum eſſe dicemus, ut temerè iuremus nos eſſe facturos, quod non eſſe faciendum poſtea videamus? Sed ſicut illum* (Lot) *timor, ut proſtituere filias vellet, ſic iſtum* (Davidem) *ut temerè iuraret, ira turbavit.*

448. Objectio ex verbis Michææ Prophetæ.

Sed numquid eamdem reſponſionem adhibebimus verbis Michææ Prophetæ c. 2. v. 11. *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum* (veritatis) *& mendacium potiùs loquerer?* (Ubi S. Hieronymus: *Et tanta multitudo crederet in filium Dei, & non traderetur æternæ captivitati*) Non utique eamdem, ſed planè diverſam; verba quippe Prophetarum plerumque ſunt obſcura, & diſtinctos patiuntur ſenſus.

Explicantur verba.

Dico ergo, ſenſum iſtorum verborum non eſſe, quòd Propheta optet proprium mendacium tamquam medium ad converſionem multitudinis, ſed eſt modus loquendi, quo ſignificet ſe deſiderare, ut non veniat ſuper eam malum. Recito integra verba Hieronymi: *Vtinam de meo ſenſu loquerer, & ſanctum ſpiritum non haberem, & inter Pſeudoprophetas potiùs computatus ſolus perirem, & non eſſent vera quæ dico: & tanta multitudo* &c. ut ſuprà.

449. Explicantur verba Apoſt. Rom. 9.

Sic in Lege gratiæ Apoſtolus Rom. 9. v. 3. *Optabam* (inquit) *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*; non quaſi anathema eſſe à Chriſto, ſit medium ordinatum ad impediendam ruinam fratrum & procurandam eorum ſalutem, ſed eſt modus loquendi, quo ſignificat S. Paulus magnam triſtitiam & continuum dolorem cordis ſui ſuper ruina Judæorum, & magnum deſiderium ruinæ illius reſtaurandæ per media ad hoc ordinata, etiam cum dilatione ad tempus propriæ ſalutis, juxta illud quod ait ad Philippenſes 1. v. 23. & ſequentibus: *Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto multò magìs meliùs: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos. Et hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum & gaudium fidei* &c.

Ad Philip. 1.

450. Excuſatur Lot ab omni peccato ex D. Aug.

Cæterùm, neque adeò difficile erit Lot virum juſtum excuſare ab omni peccatò, teſte D. Auguſt. ſuprà ibi: *Niſi fortè pro defenſione huius viri in eas ſe quiſpiam coarctet anguſtias, ut dicat, quoniam accipere, quàm facere præſtat iniuriam: hoſpites autem illi non erant utique facturi iniuriam, ſed paſſuri; maluit vir iuſtus filias ſuas iniuriam pati, quàm hoſpites ſuos, eo iure quo filiarum Dominus erat, & noverat non eas peccare ſi id fieret, quia peccantes potiùs, quibus non conſentirent, ſine peccato proprio ſuſtinerent. Denique non ſeipſa ſtuprandas, quamvis pro maſculis fœmina, pro illis hoſpitibus obtulerunt, ne reas eas faceret non perpeſſio libidinis alienæ, ſed ſua conſenſio voluntatis.*

Nec pater earum hoc in ſe fieri permittebat, cùm hoc facere conarentur, quibus hoſpites non prodebat, quamvis minus mali eſſet, quod in uno, quàm ſi fieret in duobus. Sed quantùm poterat reſiſtebat, ne ipſum quoque illius proprius macularet aſſenſus, quem libidinoſus furor etiamſi prævaluiſſet corporis viribus, tamen non conſentientem non maculaſſet alienus. In filiabus autem non peccantibus nec ipſe peccabat; quia non eas peccare ſi opprimerentur invitæ, ſed peccantes ferre faciebat: tamquam ſi ò improbis, ut ſui ſervi caderentur efferret, ne hoſpites eius paterentur cadis iniuriam. Hucuſque S. Auguſt. excuſans factum Lot à peccato, quia ſolùm fuerit permiſſio minoris peccati ad impediendum majus peccatum.

Quippe licèt non ſint facienda mala, ut veniant bona, tamen ſæpè abſque peccato permittuntur mala minora, ut evitentur majora. Nonne in Republica bene ordinata permittuntur ſimplices fornicationes, permittuntur uſuræ? Quare, niſi ut evitentur majora peccata? Similiter ergo Lot, ut evitaret ſcelus nefandum, voluit permittere ſtuprum ſuarum filiarum.

451. Sæpe permittuntur mala minora, ut evitentur majora.

Hinc, ut bene notandum eſt, non ſuaſit ſimpliciter & abſolutè Sodomitis ſtuprum ſuarum filiarum, ſed comparativè dicens: *Abutimini eis ſicut vobis placuerit: dummodo viris iſtis nihil mali faciatis.* Quaſi diceret, ſi alterutrum velitis facere, potiùs facite quod minus eſt, quàm quod majus eſt.

Ex quo haud difficile reſpondetur ad hanc objectionem: Poſſum magìs dolere de peccato mortali Petri, quàm de peccato veniali Pauli; ergo poſſum magìs dolere de peccato mortali alieno, quàm de veniali proprio. 452. Objectio.

Potes omnino, ſi per dolorem intelligis deteſtationem ſive odium ſpeculativum, ut quidam vocant, id eſt, potes permittere tuum peccatum veniale, ponendo te in aliqua occaſione peccandi venialiter, cum propoſito tamen non peccandi, ad evitandum peccatum mortale alienum: quinimmo potes permittere tuum peccatum mortale minus, ponendo te in occaſione iſtiuſmodi peccati, cum propoſito tamen non peccandi, ut proximus tuus evitet peccatum mortale majus. Interim numquam poteris practicè velle, id eſt, velle facere peccatum veniale, aut mortale minus, ad evitandum majus alienum. Solutio.

Sicuti etiam, quantumvis liceat permittere peccatum minus Petri, ad impediendum majus Pauli, equidem numquam licitè poteris illud 453. Non licet ſuadere abſolutè pec-

Digitized by Google

illud procurare, ſuadendo abſolutè Petro peccatum minus. Et eadem eſt ratio de duplici peccato Petri, quorum unum majus eſt altero; quamquam enim non pecces permittendo minus, ut Petrus evitet majus, attamen illicitè procuras minus, abſolutè illud ſuadendo.

Dico, *Abſolutè*, quia nullum videtur peccatum dicere: *Si alterutrum vis facere, fac potiùs illud quod minus eſt*, tali namque comparatione non conſulis malum, ſed potiùs abſtinentiam à majori malo.

4. Petes, an liceat inefficaciter & conditionatè velle propriam damnationem pro ſalute aliorum? Reſpondeo affirmativè; quoniam per illam inefficacem & conditionatam voluntatem (qualem fortè habuit Apoſtolus Rom. 9. de quo ſuprà) ſolùm explicatur vis charitatis proximi, ut ſcilicet, ſi eſſet neceſſarium, & poſſet licitè optari damnatio propria pro ſalute proximi, vellet illam; ac proinde potiùs deſervit ad augmentum charitatis, & ad charitatem excitandam, quàm ad ejus diminutionem, & ex conſequenti charitas ad illud deſiderium conditionatum potiùs inclinat, quàm illi adverſetur.

Enimverò conſiderat homo gratiam & gloriam, ut ſunt bona propria, ſalutem autem proximorum, ut cedit in quamdam majorem gloriam Dei, & ſub illa conſideratione ait, ſe optare carere his propriis bonis propter majorem gloriam Dei.

55. Si inferas: ergo eodem modo & eâdem ratione licitum erit optare proprium peccatum. Reſpondeo negando Conſequentiam. Diſparitas eſt, quòd talis actus directè involvat injuriam in Deum; quippe peccatum eſt majus malum reſpectu Dei, quàm reſpectu peccatoris, ſecùs damnatio. Unde in Conſequente non comparatur malum proprium cum bono divino, veluti in Antecedente, ſed cum malo Dei; id eſt, in Antecedente optatur propria damnatio, quæ eſt bonum divinum, utpote actus juſtitiæ divinæ; in Conſequente verò proprium peccatum, quod eſt eſſentialiter malum extrinſecum Dei, adeòque nullo bono fine optabile.

Cæterùm, ſi vis eſſe Catholicus, dic & intus dic: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut, quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Ita æterna Veritas Chriſtus Matt. 16. v. 26. & 27.

Non ait, *opera aliena*, ſed, *opera ejus*, id eſt, opera propria. Nam atteſtante Apoſt. 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

456. His ita conſtitutis de conditionibus requiſitis ad Contritionem charitate perfectam, ſuperest quæſtio ſpeculativa, quæ ſit cauſa efficiens hujuſmodi Contritionis, cùm enim infallibiliter diſponat ad juſtificationem, in qua, ut loquitur Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. *Cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem*, docent communiter Thomiſtæ, Contritionem charitate perfectam in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ procedere efficienter ab habitu charitatis, ad quã diſponit, datâ mutuâ prioritate inter actum & habitum. Sed hæc doctrina non placet Scotiſtis, ideo cum ipſis dico:

Ciens Contritionis charitate perfectæ Tridem.

CONCLUSIO XIV.

Contritio charitate perfecta non cauſatur in peccatore phyſicè, & efficienter à gratia juſtificante, ſeu habitu charitatis.

Videtur eſſe Doctoris Subtilis 4. diſt. 14. q. 2. n. 14. ibi: *Peccator in peccatis exiſtens.... poteſt ex naturalibus, cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, ut offenſivum Dei, & ut contra legem divinam* &c. *& poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis illud peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ. Poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totaliter circumſtantionata circumſtantiis moralibus debitis* &c. *iſte autem motus dicitur Attritio, & eſt diſpoſitio ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in ultimo inſtanti alicuius temporis, in quo tempore iſta Attritio duravit.* 457.

Concluſ. videtur eſſe Scoti, ubi docet Contritionem charitate perfectam eſſe diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem.

Et paucis interpoſitis, idèm repetit dicens: *Vel oportet dicere, quòd iuſtificetur peccator ſine omni diſpoſitione ſufficiente de congruo ex parte eius...... vel nulla poteſt eſſe ſufficientior diſpoſitio ad iſtam iuſtificationem, quàm iſta Attritio perfectè circumſtantionata in genere moris: & tunc in ultimo inſtanti, vel aliquo uſque ad quod Deus determinavit Attritionem debere durare, ad hoc ut ſit meritum de congruo ad iuſtificationem, infunditur gratia, & tunc ſimpliciter deletur peccatum.*

Ergo ex mente Scoti, Attritio perfectè circumſtantionata, quæ eſt diſpoſitio ſeu meritum de congruo ad juſtificationem, antecedit infuſionem gratiæ, per conſequens infuſionem habitûs charitatis. Igitur Contritio charitate perfecta ab habitu charitatis phyſicè & efficienter non cauſatur.

Quinimmo, reponit quiſpiam, ſecùndùm Doctorem Subtilem, contrarium eſt verum: Quod probo ex his verbis, quæ lego eâdem diſt. & quæſt. n. 15. *Et ſi manet idem motus contra peccatum in eſſe naturæ & moris, qui priùs, idem motus qui priùs fuit Attritio, in illo inſtanti fit Contritio: quia in illo fit concomitans gratia, & ita actus formatus, quia habens ſecum charitatem, quæ eſt forma actûs, ut hìc loquimur.* 458.

Objectio ex Scoto.

Ibi tamen oportet diſtinguere ſigna naturæ inter actum, ut eſt talis in eſſe naturæ, & moris, & inter chari-

charitatem , & inter actum ut eſt formatus ; quia in primo ſigno naturæ eſt ibi actus talis , in ſecundo charitas , in tertio actus formatus à charitate iam inclinante , & inhærente , & ſic Attritio fit Contritio, ſine omni reali mutatione actûs. Ecce quamvis Attritio præcedat charitatem , equidem Contritio ſequitur; quidni ergo Contritio juxta Scotum poſſit effici ab habitu charitatis ?

459. **Reſponſio, quòd Scotus per Attritionem intelligat Contritionem charitate perfectam.**

Reſpondeo, Doctorem noſtrum per Attritionem , quam aſſerit diſpoſitionem prævium & meritum congruum ad juſtificationem, non intelligere Contritionem imperfectam, quam Trident. ſeſſ. 14. c. 4. appellat Attritionem, ſed Contritionem charitate perfectam ; loquitur enim de Attritione , quæ extra Sacramentum proximè diſponit , & infallibiliter meretur de congruo gratiam juſtificantem, ut patet ex contextu : certum autem eſt , Contritionem imperfectam, quæ dicitur Attritio , haud taliter diſponere , vel mereri gratiam juſtificantem. Interim vocat Scotus illam Contritionem charitate perfectam, Attritionem , ut diſtinguat Contritionem informem à formata.

Quòd autem ille modus loquendi non placeat Suario , parùm refert , quia , ipſo Suario teſte, ita cum Scoto loquuntur Paludanus, Richardus , & Soto ; congruitas porrò locutionis pendet ab uſu communi , & quamvis fortè nunc poſt Concilium Trid. quod magìs & aliter diſtinxit iſtos terminos , non tam congruè dolor proximè diſponens extra Sacramentum ad juſtificationem, vocaretur Attritio, certè tempore Scoti potuit fuiſſe communis acceptio & uſus illius vocis. Hæc de nomine ſatìs.

460. **Oſtenditur ex verbis Scoti habitum gratiæ non cauſare Contritionem charitate perfectam.**

Veniamus ad rem ipſam , & oſtendamus ex ipſis verbis Scoti jam jam allegatis , habitum gratiæ ſeu charitatis non cauſare phyſicè & efficienter Contritionem, nequidem formatam. *Et ſic*, inquit, *Attritio fit Contritio* (id eſt Contritio informis fit formata) *ſine omni reali mutatione actûs*. Ergo idem phyſicus actus , qui nunc eſt Attritio ſive Contritio informis , in ſequenti ſigno naturæ denominabitur Cōtritio formata. A quo ? Nūquid à charitate phyſicè efficiente?

Qualiter cæteræ virtutes formentur à charitate habituali.

A charitate, inquit, *iam inclinante & inhærente*, id eſt , ab habitu charitatis concomitante , quemadmodum fides, ſpes, & cæteræ virtutes morales , quæ formantur à charitate habituali , non tamquam à principio phyſicè efficiente omnes illos habitus & actus ; ſiquidem habitus fidei & ſpei ſupernaturalis à ſolo Deo infunduntur; ſed tamquam à forma extrinſeca concomitante & dignificante ſubjectum, in tantum , ut hominis bona opera , quæ alioquin non eſſent meritoria niſi de congruo, jam mereantur de condigno augmentum gratiæ , vitam æternam , & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit , conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum , ut expreſsè definit Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 32.

Conc. Trid.

Subſcribo ejus verba ; *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei , ut non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita ; aut ipſum iuſtificatum bonis operibus , quæ ab eo per Dei gratiam , & Ieſu Chriſti meritum , cuius vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam , & ipſius vitæ æternæ , ſi tamen in gratia deceſſerit , conſecutionem , atque etiam gloriæ augmentum ; anathema ſit.*

Profectò cùm ſit idem numero actus Contritio informis & formata ſecundùm Scotum, quomodo fieri poteſt , ut pro eodem tempore vel inſtanti reali , phyſicè & efficienter non producatur ab habitu charitatis & ſimul producatur ? Non eſt conceptibile , quoniam nova cauſalitas phyſica poſtulat novum inſtans phyſicum, & non ſufficit ſignum naturæ, quod tantùm eſt rationis. Si ergo Contritio informis in primo ſigno naturæ non cauſatur phyſicè ab habitu charitatis, neque formata in tertio ſigno naturæ cauſabitur. 461.

Dico , *In tertio ſigno naturæ* ; quia in inſtanti reali vel tempore ſequenti, non video , quare non poſſit phyſicè cauſari ſive conſervari ab habitu charitatis jam inhærente. Quamquam enim idem numero effectus non poſſet , ſaltem naturaliter, produci à duabus cauſis totalibus ejuſdem ordinis, ſimul, & conjunctim influentibus, equidem duas cauſas totales ejuſdem ordinis poſſe naturaliter eumdem effectum diviſim ponere , planè exiſtimo.

Quippe fieri poteſt, quòd aliud agens habeat æqualem virtutem cum hoc agente, quod jam producit effectum ; ſi igitur conſtitueretur illud agens in eiſdem circumſtantiis, in quibus poſitum eſt hoc agens, & Deus determinaret illud ad producendum hunc numero effectum, qui jam producitur ab hoc agente, nulla eſt ratio, quare non produceret.

Etenim ſingularitas effectûs non dependet à ſingularitate cauſæ , ita ut ex naturali & intrinſeca individuatione hanc numero cauſam poſtulet; ſed intrinſecè provenit ab ultima realitate naturæ , ab ipſa ſcilicet hæcceïtate ; extrinſecè verò à determinatione cauſæ primæ, ſaltem in actionibus non liberis: ergo ſicut determinat Deus hunc ignem ad producendum hunc numero calorem, cur non poſſet determinare alium ignem æqualis virtutis , ad producendum eumdem numero calorem ? 462.

Et idem videtur dicendum de actionibus liberis ; cùm enim agens creatum liberum non cognoſcat à parte rei ſingularitatem ſeu hæcceïtatem , ſed ſolus Deus , & libertas non conſiſtat in indifferentia ad producendum hunc vel illum numero actum , ſed in indifferentia ad agendum & non agendum , ad producendum hunc ſpecie actum vel oppoſitum, hinc communiter admittitur, Deum determinare actiones liberas cauſæ ſecundæ quoad individuum , licèt cauſa ſecunda libera determinet eaſdem quoad ſpeciem & exercitium.

Sed,

Digitized by Google

53. ...co- ...ſerit ...re. Sed quid Doctor Subtilis de hac incidente controverſia? 2. diſtinct. 20. qu. 2. nu. 3. ſic ſcriptum reperio: *Dico (ſicut dictum eſt) quòd idem homo in numero non ſolùm quoad animam, ſed etiam quoad corpus organicum potuit eſſe filius Adæ, & filius Abrahæ: & ex quocumque iſtorum duorum fuiſſet, idem in numero fuiſſet.* Et poſt pauca: *Dico, quòd eadem materia, ex qua iſte generatur, quæ fuit in ſtatu naturæ lapſæ ſub forma alimenti, talis potuit eſſe in ſtatu Innocentiæ ſub forma alia, puta pomi, vel huiuſmodi.*

...tio ...ur à Cumque ſibi ipſi objeciſſet, quòd identitas numeralis in effectu, non ſolùm requirat identitatem numeralem materiæ, ſed etiam efficientis: Reſpondet: *Quòd non oportet: ignis enim A. quantitatis & virtutis tantæ, ſi ex tali materia ignem talem generaret, ignis B. euſdem virtutis & qualitatis, pro eodem inſtanti, ſi in iſtam materiam ageret, eumdem ignem in numero produceret: non obſtante quòd generans ſit aliud & aliud numero: quia generatum non ſequitur præcisè unitatem vel pluralitatem ex generante. Unde corpus organicum ad hoc, quòd ſit idem numero, non requirit agens idem numero, licèt requiratur ibi materia eadem numero, & tunc materiâ exiſtente eâdem, induceretur à diverſis generantibus eadem forma numero.* Hæc ille.

64. ...cluſio. Quapropter, ut ad propoſitum revertamur, idem numero actus, qui hoc tempore vel inſtanti reali eſt Contritio informis & formata, producitur autem phyſicè efficienter ab auxilio actuali gratiæ, ſupplente vicem habitûs, in ſequenti tempore, vel inſtanti reali ſi continuetur, poterit conſervari ab habitu jam infuſo & inhærente; ſicuti formæ ſubſtantiales poſſunt conſervare diſpoſitiones prævias, ſecum remanentes. An autem de facto ſic fiat, novit ille, qui infundit habitum, & cauſat auxilium actuale, ſupplens vicem habitûs.

465. ...ctio. Dices; Scotus affirmat illum actum, qui eſt Contritio, aliquo tempore, vel momento ſeparari à gratia; ergo licèt ille actus, ut eſt Contritio informis, non cauſetur efficienter ab habitu charitatis ſeu gratiæ, utpote pro illo tempore ſeparata à gratia, nihilominus idem actus, ut eſt Contritio formata in tempore ſubſequenti, utpote gratiæ conjuncta, ab illa, phyſicè efficietur.

...ponſio. Reſpondeo, ſi Doctor Subtilis vellet affirmare, illum actum, qui eſt Contritio, aliquo tempore ſeparari à gratia, ut quid recurreret ad ſigna naturæ? Plura enim hujuſmodi ſigna in eodem tempore ab omnibus admittuntur.

466. ...obatur ...ponſio ...Scoto. Ut autem clariùs appareat, hanc non fuiſſe ejus intentionem, audi quid dicat ſuprà nu 16. *Prima via videtur rationabilior, ſcilicet, quòd per actum Pœnitentiæ informem, ſed plenè vel ſemiplenè circumſtantionatum in genere moris, deletur peccatum, ut per diſpoſitionem præviam, & meritum de congruo, per actum autem Pœnitentiæ, qui eſt formatus, & dicitur Contritio, deletur ut per actum concomitantem.*

Et cùm arguitur (proſequitur Scotus) *Contritio ut Contritio ſequitur deletionem; Reſpondeo, actus, qui eſt Contritio, in eodem inſtanti temporis* (nota bene) *præcedit naturâ deletionem, licèt ut Contritio, hoc eſt, ut formatus, ſequatur deletionem ordine naturæ; & ſic debet concedi in ſenſu diviſionis, quòd per actum, qui eſt Contritio, deletur peccatum, ut per diſpoſitionem omnino proximam. Nec eſt inconveniens, immo conveniens, diſpoſitionem proximam ſimul eſſe cum forma, ad quam diſponit.* Quomodo Contritio charitate perfecta præcedat & ſequatur deletionem peccati ex Scoto.

Quid tibi videtur benigne Lector? Nonne Scotus hìc affirmat, illum actum, qui eſt Contritio, non ſemper eſſe formatum gratiâ, ſed aliquo tempore vel momento ab illa ſeparari? Cæcus debet eſſe, qui non videt oppoſitum.

Quod ergo n. 15. inſinuat, Attritionem poſſe deſinere antequam infundatur gratia, eſt ex opinione aliorum, qui ita fieri poſſe exiſtimant. 467. Sententia Richardi. *Poteſt dici* (ſcilicet ex ſententia Richardi diſt. 17. a. 1. q. 3.) *quòd Deus diſponit per Attritionem in aliquo tempore, tamquam per aliquod meritum de congruo, in aliquo inſtanti dare gratiam, & pro illa Attritione, ut pro merito iuſtificat, ſicut eſt meritum iuſtificationis. Et licèt non continuaretur idem actus circa peccatum in genere naturæ & moris, qui priùs, adhuc in illo inſtanti infunderetur gratia, quia iam præceſſit meritum ſufficiens de congruo.*

Eſto enim, quòd in ultimo inſtanti intellectus & voluntas ceſſent à præterito actu, convertendo ſe ad aliquem alium actum impertinentem: quare non iuſtificabitur iſte in ultimo inſtanti, ſicut alius habens in illo inſtanti actum, quem priùs habuit? Ille enim, qui in illo inſtanti habet actum, per actum huius, ut in illo inſtanti non iuſtificatur, ſed per actum ut præceſſit in tempore, & hoc modo habuit alius actum illum. Et ſecundùm hoc diceretur, quòd non oportet ad deletionem peccati continuari aliquem actum Pœnitentiæ, neque formatum, neque informem: ſed tantummodò in tempore præcedere uſque ad inſtans actum Pœnitentiæ informem. Hucuſque Scotus, nihil aſſerens, ſed inquirens veritatem illius ſententiæ, quam poſtmodùm reprobat, tamquam minùs rationabilem; quippe ex qua ſequeretur infuſio gratiæ in illo inſtanti, tametſi poneretur obex.

Sed quid, inquit, *ſi in illo inſtanti ponat obicem? Sicut enim poteſt tunc habere actum impertinentem, ita oppoſitum. Diceretur, quòd non poteſt ponere obicem, quia iam meruit, ut in illo inſtanti detur ſibi gratia. Sed hoc nihil eſt; quia etſi non poſſit quis in inſtanti præmiationis poſt meritum de condigno ponere obicem, ut in inſtanti mortis non poteſt quis demereri (tunc enim merito ſuo debet reddi impeccabilitas) tamen, quia meruit de congruo, poteſt ponere obicem in illo inſtanti, in quo reciperet terminum meriti de congruo, ſi non eſſet obex:* 468. quam reprobat Scotus tamquam minùs rationabilem. In inſtanti præmiationis de condigno. non poteſt poni obex, an idem in præmio de congruo,

Digitized by Google

& ſicut in termino meriti de congruo, poteſt non habere illud quod meruit, quia ponit obicem, ita eſt veriſimile, quòd niſi continuet in illo inſtanti actum ſimilem in genere moris, non habebit illud, ad quod talis actus diſponit meritoriè de congruo. Et ideo prima via videtur rationabilior &c. ut ſuprà.

469. Diſpoſitio prævia deletioni peccati, informis, concomitans formata ex Scoto.

Ex his luculenter deducitur, quomodo intelligendum ſit, quòd eâdem quæſt. ait Doctor n. 13. in fine: *De tertio dico, quòd actum aliquem humanum requiri ad deletionem peccati, poteſt dupliciter intelligi; vel ut diſpoſitionem præviam, vel ut concomitantem: primo modo ſufficit actus informis, immo ſemper eſt informis, quia diſpoſitio prævia ad peccati deletionem eſt ſemper ſine gratia & charitate* (ſcilicet in primo ſigno naturæ) *à cuius ſolius inhærentia, & inclinatione ad actum dicitur actus formatus in tertio ſigno naturæ.*

470. Probatio Concluſionis.

Secundo modo dico, quòd requiritur actus formatus: nam in illo inſtanti temporis, in quo deletur peccatum, charitas ineſt, & per conſequens, ſi actus requiritur ut concomitans, requiritur ut formatus. Hæc ſufficiant de mente Doctoris Subtilis.

Impoſſibile videtur idē eſſe prius phyſicè & poſterius reſpectu ejuſdem.

Quantùm autem ad veritatem Concluſionis, probatur illa hoc argumento: Non eſt aſſerenda aliqua cauſalitas phyſica, quæ neque eſt manifeſtè poſſibilis, neque ullo modo neceſſaria: atqui cauſalitas phyſica habitûs gratiæ, ſeu charitatis reſpectu illius actûs, qui eſt Contritio charitate perfecta in homine peccatore, nec eſt manifeſtè poſſibilis, nec ullo modo neceſſaria: ergo non eſt aſſerenda.

471. Contritio charitate perfecta eſt diſpoſitio ad juſtificationem.

Minor, in qua ſola vertitur cardo difficultatis, probatur quoad primam partem; quia impoſſibile videtur, idem eſſe prius phyſicè & poſterius reſpectu ejuſdem; ſic enim eſſet prius phyſicè ſeipſo, quæ eſt manifeſta implicantia; atqui admiſsâ cauſalitate phyſicâ habitûs gratiæ reſpectu illius actûs, qui eſt Contritio charitate perfecta in homine peccatore, idem erit prius phyſicè & poſterius reſpectu ejuſdem; ac conſequenter priùs phyſicè ſeipſo: ergo hæc cauſalitas ſi non eſt manifeſtè impoſſibilis, ſaltem non eſt manifeſtè poſſibilis.

Probo Minorem, nam reliqua ſunt evidentia; quia actus hominis peccatoris, qui eſt Contritio charitate perfecta, eſt diſpoſitio ſive cauſa diſpoſitiva ad juſtificationem, ſeu habitum gratiæ: ergo eſt prior in genere cauſæ efficientis ipſo habitu gratiæ, & erit effectus phyſicus, ut ſupponunt Adverſarii, ejuſdem habitûs gratiæ: ergo phyſicè poſterior habitu gratiæ, & per conſequens prior phyſicè, & poſterior reſpectu ejuſdem habitûs gratiæ, conſequenter prior ſeipſo, quæ, ut dixi, eſt evidens implicantia, ſic enim ſimul eſſet, & non eſſet; eſſet, quia prior, non eſſet, quia poſterior.

Probatur ex Script. Luc. 7.

Porrò illum actum, qui eſt Contritio charitate perfecta in homine peccatore, habere rationem cauſæ diſpoſitivæ ad juſtificationem, haud difficulter oſtenditur ex doctrina fidei. Lucæ 7. v. 47. ait Chriſtus: *Remittuntur ei* (Mariæ Magdalenæ) *peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Ergo hæc cauſalis eſt vera: *Ideo homo juſtificatur, quia conteritur*, & non è contra: *Ideo conteritur quia juſtificatur.*

Hinc Trident. ſeſſ. 14. c. 4. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum lapſo, ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum* &c. Et ibidem docet: *Etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq́; Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominùs reconciliationem ipſi Contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* & Conc. Trid.

Ecce Contritio reconciliat; Contritioni adſcribitur reconciliatio, non è converſo reconciliationi Contritio: ergo Contritio eſt cauſa reconciliationis ſeu juſtificationis, & non è contra juſtificatio cauſa Contritionis.

An fortè dicendum exiſtimas, hominem impium juſtificari ſine omni diſpoſitione? Noli id dicere, niſi velis manifeſtè contradicere eidem Concilio, quod ſeſſ. 6. c. 6. enumerat diſpoſitiones ad juſtificationem dicens: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam* &c. inter quas diſpoſitiones penultima eſt Pœnitentia: *Ac propterea*, inquit, *moventur adverſùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* 472. Homo ... juſtificatur ... ſine ... diſpoſitione.

Et cap. 7. ejuſdem ſeſſ. ſic incipit: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.* Ergo actus, qui eſt diſpoſitio, præcedit habitum gratiæ, quem utique, ut ibidem docet, *Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.*

Ergo habitus gratiæ non cauſat phyſicè & efficienter diſpoſitionem, ſed magìs è converſo diſpoſitio eſt cauſa habitûs, ſi non phyſicè efficiens, quoniam habitus ſupernaturalis à ſolo Deo infunditur, ſaltem phyſicè à Deo prærequiſita tamquam meritum de congruo.

Dico, *Phyſicè prærequiſita*; quia apprimè novi, præmium poſſe præcedere cauſam meritoriam in eſſe phyſico; ſiquidem Chriſtus nondum natus meruit gratiam & gloriam antiquis Patribus, qui per fidem in ipſum juſtificati & ſalvati fuerunt; meruit, inquam, per opera præexiſtentia in divina cognitione. 473. Præmium poteſt præcedere cauſam meritoriam in eſſe phyſico.

Interim habitum gratiæ infundi à Deo, propter prævìſam tantummodo Contritionem hominis peccatoris, nemo hactenus docuit, & repugnat Tridentino, quod, ut mox vidimus, requirit actus fidei, ſpei, charitatis, Pœnitentiæ in eſſe phyſico: *Dum excitati*, inquit Conc. Trid.

Digitized by Google

inquit cap. 6. *divinâ gratiâ, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes vera eſſe* &c. Numquid ſolummodò in præſcientia divina? Stultum eſt id cogitare.

4. icatio- tordi- ımen- eſt à gratia- ident.

Quocirca idem Concilium eâdem ſeſſ. c. 5. *Declarat, ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam, ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando* (procul dubio phyſicè, & non tantùm in divina præſcientia) *diſponantur.*

mere- : con- pri- iuſtifi- nis am ex ent.

Et cap. 8. docet gratìs juſtificari hominem; *quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur*, ſcilicet de condigno. Ergo opera, inter quæ meritò computatur actus, qui eſt Contritio charitate perfecta, præcedunt phyſicè & realiter ipſam juſtificationem, & non è contra. Ergo juſtificationis gratia non eſt cauſa phyſicè efficiens illa opera.

75. e ſit a phyſi- efficiens ıtri- tem cha- te per- am?

Quæ igitur? Gratia actualis, juxta definitionem ejuſdem Concilii eâdem ſeſſ. can. 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Et can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet* &c. *anathema ſit.*

atia data :iquis ribus a fuit iſa phy- & effi- ns meri- um riſti.

Omitto, planè diverſam eſſe rationem meritorum Chriſti; licèt enim propter illa præviſa, & nondum phyſicè exiſtentia, data fuerit gratia antiquis Patribus, certè hanc gratiam fuiſſe cauſam phyſicam & efficientem meritorum Chriſti, nemo hactenus ſomniavit, uti ſecundùm Adverſarios gratia habitualis eſt cauſa efficiens phyſica illius actûs, qui eſt Contritio charitate perfecta, & meritum de congruo ejuſdem gratiæ habitualis; adeòque principium phyſicum meriti cadit ſub idem meritum, & ex conſequenti idem eſt meritum ſuiipſius, ſaltem mediatum, juxta illud axioma; *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſati cauſa.*

Propter quod incommodum evitandum communiter docent Theologi, & quaſi indubitatam habent hanc propoſitionem: *Principium meriti non cadit ſub meritum.*

476. hriſtus on meruit ionem poſtati- m, præce- entibus ıeritis, . Aug.

Unde conſequenter aſſerunt, Chriſtum neutiquam meruiſſe unionem hypoſtaticam, neque de condigno, neque de congruo. *Ubi venitur* (inquit S. Doctor Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. c. 12.) *ad parvulos, & ad ipſum Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum aſſertio meritorum; quia nec illi ullis bonis præcedentibus meritis diſcernuntur à cæteris ut pertineant ad liberatorem hominum; nec ille ullis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipſe ſit homo, liberator factus eſt hominum.*

Et cap. 15. in principio ſic ſcribit: *Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe Salvator, ipſe Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: qui, ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo eſt, comparavit? Reſpondeatur quæſo, ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus, filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruerit? Quod eius bonum qualecumque præceſſit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? ..... Nempe iſta omnia ſingulariter admiranda, & alia, ſi qua eius propria veriſſimè dici poſſunt, ſingulariter in illo accepit humana, hoc eſt, noſtra natura, nullis ſuis præcedentibus meritis.*

Sed numquid ſubſequentibus meritis, aut concomitantibus? Næ omne meritum Chriſti quamdam infinitatem habet ab unione hypoſtatica, ſive à Verbo divino: ergo illam unionem nullis omnino meritis accepit; cùm meritum debeat præcedere præmium, ſaltem in præſcientia divina; jam autem Deus non præſcivit merita Chriſti, antequam præſciret ipſum Chriſtum, nec enim priùs potuit operari Chriſtus, quàm exiſteret. Quomodo ergo eſſe Chriſti potuit fuiſſe præmium meritorum Chriſti? neque ſub- ſequentibus aut conco- mitantibus.

Dices; debuit in natura Chriſti præcedere gratia habitualis, per quam redderetur digna aſſumptione, quæ gratia non caruit actu ſuo, qui poſſet dici meritum unionis hypoſtaticæ; præſertim cùm & Angeli ſancti acceperint ſuam beatitudinem, ut nonnulli exiſtimant, propter merita futura, id eſt, propter miniſteria impendenda circa homines. Quòd autem hoc non repugnet, patet in humanis; nam Rex ſæpè dat militi arma in mercedem futuri ſervitii militaris, quod ab illo expectat. 477. Objectio duplex.

Reſpondeo ad primum, etiam illâ ſententiâ ſuppoſitâ, quam tamen conſtat eſſe falſam, neque illa gratia habitualis, neque actus ejus habuit rationem meriti unionis hypoſtaticæ, quia hæc dignitas eſt quaſi infinita; gratia autem & actus ejus, niſi fundentur in illa unione, ſimpliciter ſunt finita, & nullam prorſus habent infinitatem, adeòque nullam omninò proportionem, vel tantùm congruam ad illud præmium. Reſponſio ad 1.

Ad illud de Angelis, Reſpondeo primò, illam ſententiam communiter à Doctoribus rejici, ut notat Scotus 2. diſt. 5. q. 1. nu. 2. idque propter diverſas rationes: unam tantùm ſubſcribo verbis Doctoris noſtri: *Præterea* (inquit ille) *per hoc quòd aliquis prævidetur bene uſurus accepto non meretur accipere illud; tunc enim poſſet homo mereri primam gratiam, quia prævidetur à Deo, dante eam, bene uſurus eâ; & tunc gratia* 478. Reſponſio 1. ad 2. Angeli non acceperunt ſuam beatitudinem propter merita propria futura.

 non

Digitized by Google

non eſſet gratia, quia eſſet ex meritis, licèt non poſitis in effectu, tamen præviſis. Igitur Angelus non meruit beatitudinem, ſi tantùm habuit eam propter bonum uſum præviſum ipſius in obſequendo circa electos.

Secunda reſponſio. Reſpondeo ſecundò; utcumque ſit de illa doctrina, ſeu merito Angelorum per ſubſequens miniſterium, ex ea ſolùm ſequitur, meritum non oportere tempore præcedere præmium; requiritur nihilominus, quòd ſaltem ordine naturæ præcedat, id eſt, ita ſit efficiens cauſa præmii, ut præmium non ſit cauſa efficiens ipſius, licèt ſit cauſa finalis, ut contingit in Angelis; nam gloria ipſorum, non eſt efficiens cauſa meriti, ſed gratia, quam Angeli non meruerunt: porrò cauſa meritorum Chriſti eſt ipſa gratia unionis, utpote ſine qua gratia, Chriſtus non foret Chriſtus.

479. Reſpondetur ad exemplum Regis dantis arma militi. Ad exemplum Regis, dantis arma militi; Reſpondeo, opera militis futura, non eſſe tribuenda armis & equo, tanquam principiis neceſſariis, ſed magìs induſtriæ & valori militis. Unde ſive miles pugnet iſtis armis, ſive aliis, perinde eſt, adeòque per accidens contingit, quòd armis datis mereatur, & meliùs diceretur illa datio armorum, emptio operæ iſtius militis anticipatâ ſolutione, quàm collatio præmii intuitu ſubſequentium meritorum.

Vel ſi non placet emptio, dicito, eſſe liberalem donationem armorum ſub ſpe boni uſûs, ita ut uſus potiùs ſit cauſa finalis, quàm meritoria. Hinc miles fit dominus armorum, ſive poſtea illis bene utatur, ſive non, quod eſt contra rationem præmii; nam præmium non eſt debitum, nec aliquis acquirit jus ad præmium, niſi faciat opus ob quod præmium conſtitutum eſt, id eſt, niſi ſit dignus præmio, ſaltem in præſcientia præmiantis, antequam illud ei conferat.

480. Non eſt eadem ratio armorum, & unionis hypoſtaticæ. Sed numquid quæ armorum, eadem eſt ratio Unionis hypoſtaticæ? Liquet profectò ipſam eſſe omnimodò neceſſariam ad omne meritum Chriſti. Quomodo ergo poteſt eſſe præmium ejuſdem meriti? Numquid operibus Chriſti fuit promiſſum præmium Unionis hypoſtaticæ? Non puto; quoniam promiſſio præmii, eſt obligatio rei in futurum dandæ, ſuppoſito opere meritorio, vel à parte rei, vel ſaltem in intentione ſeu præſcientia præmiantis vel promittentis; jam autem implicat, quòd Deus prævideat opus meritorium Chriſti, ut ſuprà diximus, antequam cognoſcat Unionem hypoſtaticam à ſe datam; quod non habet locum in merito Chriſti reſpectu antiquorum Patrum, nam illud prævidit, antequam cognovit gratiam antiquis Patribus propter illud dandam, ut proinde fuerint digni illo præmio in præſcientia Dei, in qua jam tunc meritum Chriſti ipſis applicatum erat.

Concluſio. Quæ cùm ita ſint, conſectarium videtur, gratiam juſtificationis nequaquam phyſicè ac efficienter cauſare illam Contritionem, quæ eſt meritum congruum ejuſdem gratiæ, id eſt, Contritionem charitate perfectam in homine peccatore, ne cogamur admittere principium meriti cadere ſub meritum, non tantùm de potentia Dei abſoluta, ſed etiam de lege ordinata. Quamquam enim gratia juſtificationis non ſit principium efficiens abſolutè neceſſarium, tamen inviolabiliter ſecundùm præſentem Dei ordinationem, ut Adverſarii fatentur, efficit.

Si dixeris; Contritio charitate perfecta non meretur gratiam juſtificationis, non poteris dare aliam rationem tuæ aſſertionis, niſi, quia eſt effectus gratiæ juſtificationis, quod eſt manifeſtè petere principium. Cæteroquin ſi peccatores per fidem cæteraſque omnes diſpoſitiones, quibus paulatim tempore procedente ad juſtificationem præparantur, merentur de congruo ipſam juſtificationem ſeu remiſſionem peccatorum, quidni etiam per Contritionem charitate perfectam, ſuppoſito quòd ſit prior naturâ ipsâ juſtificatione, ſeu remiſſione peccatorum? Libertas adeſt, non deeſt honeſtas, imò nec ſupernaturalitas, promiſſio in promptu eſt. Quid aliud requiritur? 481. Contritio charitate perfecta meretur gratiam juſtificationis. Libera

Quòd libera ſit, vel ſatis declaratur ex voluntaria ſuſceptione gratiæ & donorum, quæ in juſtificatione infunduntur; voluntaria enim non eſſet illa ſuſceptio, niſi homo liberè ſe ad illam diſponeret; ultima autem diſpoſitio eſt Contritio charitate perfecta, vel Attritio cum Sacramento. *Hanc diſpoſitionem* (inquit Trident. ſeſſ. 6. c. 7.) *ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.* Conc. Trid.

482. Oſtenditur ex D. Aug. fidem peccatoris mereri remiſſionem peccatorum. Aliæ duæ conditiones non indigent novâ probatione. Tantùm oſtendo ex D. Auguſtino fidem peccatoris mereri remiſſionem peccatorum. Ita ſcribit Epiſt. 106. *Si quis dixerit, quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus, imò verò gratiſſimè confitemur.* Et ut ſcias de quo merito loquatur, ſcilicet de merito congruo, actutùm ſubjungit: *Hanc enim fidem volumus habeant, quâ impetrent charitatem, quæ ſola verè bene operatur.* Fides ergo meritum eſt, ſed impetratorium, id eſt, congruum; utpote cujus effectus maximè pendet ex liberalitate dantis.

Hinc ſcriptum reperio apud eumdem S. Doctorem Epiſt. 105. *Poſſunt quidem dicere* (Pelagiani) *remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis* (condignis) *datur. Quid enim habere boni meriti* (condigni) *poſſunt peccatores? Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt* (id eſt, ſine merito congruo, quod ſimpliciter non vocatur meritum, & ideo addit ly *aliquo*) *ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei, quâ fide ille dicebat:* Deus propitius eſt mihi peccatori, *& deſcendit juſtificatus* Luc. 18. v. 14.

catus merito fidelis humilitatis (puta, Contritionis charitate perfectæ, quæ ſola tunc temporis erat remedium juſtificativum) *quoniam qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Ecce quomodo Sanctiſſimus Præſul ultimæ
3- tio ur ex ug. diſpoſitioni ad gratiam juſtificantem adſcribat rationem meriti congrui. *Nec dicat ſibi* (inquit Epiſt. 106.) *ſi ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potiùs redditur quàm donatur? Non dicat iſta homo fidelis, quia cùm dixerit, ut merear iuſtificationem habeo fidem: reſpondetur ei:* Quid enim habes quod non accepiſti? *Cùm ergo fides impetrat iuſtificationem, ſicut unicuique Deus partitus eſt etiam ipſius fidei menſuram, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pediſſequa non præviâ voluntate.*

Si ergo juſtificatio eſt præmium, nequit præcedere Contritionem charitate perfectam; jam enim hæc Contritio nihil daret, quod antea præmiatus non habuiſſet, quod deſtruit rationem præmii; nam præmium debet eſſe aliquid ultra illud, quod merens jam ſupponitur habere in ſuis bonis, qui enim præmiatur, debet fieri ditior.

484. ma reſ. nſio Adſario. Sed quid ad hæc Adverſarii? Reſpondent primò, Contritionem dupliciter poſſe ſpectari, imprimìs quatenus procedit à gratia, & ſic, inquiunt, non eſt diſpoſitio ad gratiam. Deinde quatenus efficitur à libero arbitrio, & ut ſic eſt diſpoſitio.

icitur. Sed contrà, vel per gratiam intelligunt habitualem, & manifeſtè petunt principium, nam hoc eſt quod quæritur, an Contritio procedat efficienter ab habitu gratiæ; vel accipiunt gratiam actualem, & ſine hac non efficitur Contritio charitate perfecta à libero arbitrio, ſed ut ſit ultima diſpoſitio ad gratiam, debet phyſicè procedere ab utroque, debet enim eſſe actus ſupernaturalis in ſubſtantia, ut ſuppono ex alibi dictis; ergo ſi eſt diſpoſitio, quà procedit à libero arbitrio, etiam erit diſpoſitio, quà procedit à gratia actuali.

485. ecunda eſponſio. Ideo reſpondent ſecundò, Contritionem charitate perfectam, & gratiam juſtificantem eſſe ſibi invicem cauſas in diverſo genere cauſę, videlicet ut Contritio ſit cauſa gratiæ in genere cauſæ materialis, gratia verò ſit cauſa Contritionis in genere cauſæ efficientis, quod non repugnare declarant exemplo: nam apertio, inquiunt, feneſtræ pendet ab ingreſſu venti in genere cauſæ efficientis, & viciſſim ingreſſus venti pendet ab apertione in genere cauſæ diſpoſitivæ ſive materialis. Sed niſi per aliam feneſtram evadant, concluſi ſunt.

Rejicitur. Enimverò apertio feneſtræ nullo modo pendet effectivè ab ingreſſu venti, ſed à qualitate impulſiva, quam ventus non ingreſſu ſuo, ſed occurſu & contactu imprimit feneſtræ, adeò ut etſi ventus non ingrederetur, modò impulſum imprimeret, adhuc feneſtra aperiretur, ſicut poſſunt alia corpora impellere feneſtram, & aperire abſque ingreſſu.

Præterea, ingreſſus venti non pendet ab apertione feneſtræ tamquam diſpoſitione ſeu cauſa materiali, cùm non ſint in eodem ſubjecto, quippe motus venti eſt in vento, motus autem feneſtræ in feneſtra; veluti univerſim motus eſt in mobili: jam verò proxima diſpoſitio & forma debent eſſe in eodem. Ingreſſus venti non pendet ab apertione feneſtræ tamquam diſpoſitione.

Neque ideo ingreditur ventus, quia aperitur feneſtra, ſed è converſo, ideo aperitur feneſtra, quia ventus ingreditur. Siquidem ventus ingrediendo aperit, ſicut peccatum ingrediendo expellit gratiam. Non ingreditur ventus, quia aperitur feneſtra, ſed è converſo.

Nec dixeris, major virtus requiritur, ut ventus ingrediatur clauſâ feneſtrâ, quàm apertâ; nam etiam requiritur major virtus ut peccatum ingrediatur, manente gratiâ: ergo ablatio gratiæ eſt cauſa peccati, negatur Conſequentia. Similiter major virtus requiritur, ut ponatur anima equi ſine ſuis paſſionibus; ergo paſſiones ſunt cauſa, Conſequentia non valet. 486. Objectio ſolvitur.

Igitur major virtus requiritur, ut ventus ingrediatur clauſâ feneſtra, id eſt, requiritur virtus magìs abſoluta à neceſſitate cauſandi illa, quæ ordinariè priori actioni conjunguntur; ut enim ventus ingrederetur clauſâ feneſtrâ, deberet feneſtram penetrare contra legem ordinatam Dei; auferas illam legem, & tam faciliter intrabit ventus clauſâ feneſtrâ, quàm apertâ. Quare requiratur major virtus ut ventus ingrediatur clauſâ feneſtrâ.

Stante autem illâ lege major virtus requiritur, quia ubi ſolùm deberet unum effectum cauſare, ſcilicet motum, & ubi proprium, jam inſuper motum feneſtræ ſeu impulſum in illa, qui propriè, ut dixi, eſt cauſa apertionis, non verò ipſe ingreſſus venti. Igitur exemplum iſtud ineptum eſt ad declarandum, quòd cauſæ diverſorum generum poſſint ſibi invicem eſſe cauſæ quoad eſſe ſimpliciter.

Dico, *Quoad eſſe ſimpliciter*, nam poſſunt aliqua ſibi invicem eſſe cauſæ quoad eſſe ſecundùm quid, idque dupliciter. Primò, quoad eſſe diminutum, ut Scotus loquitur, nempe quoad eſſe intentionale, vel quoad eſſe intentum; quo pacto Philoſophus 2. Phyſ. 3. & 5. Metaphyſ. 7. docet cauſam efficientem, & finem eſſe ſibi invicem cauſas; finis enim quoad eſſe ſuum reale pendet ab efficiente; efficiens autem pendet à fine quoad motionem metaphoricam, à fine, inquam, ſecundùm eſſe cognitum finis: & conſimiliter finis pendet ſimpliciter à mediis; media autem non pendent à fine, niſi quoad eſſe intentum, quia nimirum ſunt volita propter finem. 487. Poſſunt aliqua ſibi invicem eſſe cauſæ quoad eſſe ſecundum quid. Primò quoad eſſe diminutum.

Secundò, poſſunt cauſæ ſibi invicem eſſe cauſæ quoad cauſalitatem: ſic namque omnis cauſa ſecunda in cauſando pendet à materia ſeu præjacente ſubjecto, & viciſſim materia & forma quoad ſuam cauſalitatem, quæ eſt unio, pendent Secundò quoad cauſalitatem.

Digitized by Google

pendent à ſe invicem, & ab agente efficiente unionem: at verò ſecundùm eſſe ſimpliciter, id eſt, ſecundùm phyſicam & realem exiſtentiam, non poteſt eſſe utrimque, & mutua dependentia inter cauſas, quia, ut ſuperiùs dixi, idem eſſet ſimpliciter prius & poſterius ſeipſo, & cauſa & effectus ſuiipſius.

488. Forma non dependet à ſuis diſpoſitionibus quoad eſſe ſimpliciter.

Quapropter ſi vera eſt ſententia illorum Philoſophorum, qui dicunt, in corruptione ſubſtantiæ fieri reſolutionem uſque ad materiam primam, ita quòd omnes proprietates ſeu diſpoſitiones geniti, adveniant cum ipſa forma geniti, & ab ea efficienter pendeant, non poteſt forma viciſſim ab illis pendêre quoad ſuum eſſe ſimpliciter, ſed ſolùm quoad eſſe ſecundùm quid, quatenus forma eſt quoddam medium ad proprietates, & medium quoad eſſe intentum pendet à fine; adeòque proprietates illæ non erunt diſpoſitiones ad formam, ſed erunt diſpoſitiones formæ ſeu potiùs compoſiti, diſpoſitiones autem, quæ præcurrunt generationem, erunt diſpoſitiones ad formam, id eſt, hæ erunt diſpoſitiones antecedentes, iſtæ concomitantes.

Pariterque ratiocinandum eſt in oppoſita ſententia (quæ docet, non in omni corruptione ſubſtantiæ fieri reſolutionem uſque ad materiam primam) videlicet, proprietates ſeu diſpoſitiones permanentes, eo ipſo quo permanent, non ampliùs eſſe diſpoſitiones ad formam, ſed magìs diſpoſitiones compoſiti; adeòque in quantum tales conſervari poſſe à forma ſubſtantiali, ad quam antea diſponebant, nunc autem ampliùs non diſponunt.

489. Cur aqua recuperet frigiditatem deperditam.

Ex quo fit, ut aqua recuperet frigiditatem ſuam, quam perdidit, non quaſi frigus, quod erat diſpoſitio ad formam aquæ quà talis, efficienter cauſetur ab ipſa forma, ſed quòd poſtea, vel novum frigus à forma jam introducta cauſetur, vel antiquum conſervetur; quæ ſanè nova productio, aut conſervatio, non præſupponit pro priori naturæ temperamentum qualitatum exiſtens actu, ſed dumtaxat temperamentum, ſive ultimam diſpoſitionem antea extitiſſe, & nunc non adeſſe aliquod agens fortius, cui debeatur ejuſdem temperamenti deſtructio: his quippe ſtantibus, Deus ut auctor naturæ ſolet conſervare formam, quæ pro ſigno poſteriori conſervat antiquum temperamentum, vel novum producit; ſine quo temperamento licèt forma non poſſit manere, non tamen propterea illud ipſum eſt cauſa formæ efficiens; veluti forma non poteſt manere ſine ſuis paſſionibus, quæ ex illa naturaliter emanant, eſtò propterea paſſiones illæ non ſint cauſæ efficientes ipſius formæ.

490. Non valet hæc Conſequentia: Hoc non eſſet ſine illo, ergo

Unde minimè valet hæc Conſequentia: Hoc non eſſet, niſi illud eſſet; ergo hoc pendet ab illo tamquam à cauſa, vel certè ut à priori. Numquid quia materia non eſſet, niſi eſſet quantitas, ideo materia dependet à quantitate tamquam à priori? Nonne expulſio gratiæ juſtificantis, & introductio peccati mortalis, neceſſariam ad invicem habent connexionem? Quis propterea aſſerit, introductionem peccati dependêre ab expulſione gratiæ tamquam à priori?

Sanè Concilium Tridentinum ſeſſ. 6 c. 11. ait: *Deus ſuâ gratiâ ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Quod ſive intelligat de gratia habituali, ſive actuali, perinde eſt ad præſens propoſitum. Nam ſi introductio peccati pendet tamquam à priori à ſubſtractione gratiæ, ſive actualis, ſive habitualis, jam Deus priùs deſerit ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos, quàm ipſi deſerant Deum.

491.

Conſequenter licèt introductio v. g. caloris ſit cauſa expulſionis frigoris, non tamen è converſo, quamvis ſi frigus non recederet, calor non introduceretur: hoc enim tantùm arguit neceſſariam connexionem, ratione cujus valet argumentum à negatione Conſequentis ad negationem Antecedentis; v. g. ſi non eſt fumus non eſt ignis; ſi non eſt riſibile non eſt rationale; & tamen fumus non eſt prior igne, nec riſibile rationali.

Introductio ergo caloris cauſat in genere cauſæ formalis expulſionem frigoris, vel tamquam effectum primarium, ſi eſſe calidum ſit formaliter non eſſe frigidum, ita ut per abſolutam potentiam non ſe mutuò compatiantur in eodem ſubjecto in gradibus intenſis; aut certè tamquam effectum ſecundarium, quatenus Deus ad productionem caloris in aqua, deſinit frigus ibidem conſervare.

492. Concluſio.

Hæc ergo ad propoſitum noſtrum applicando dicimus, quòd diſpoſitiones ad juſtificationem, inter quas numeramus Contritionem charitate perfectam, ſeu actum, qui eſt Contritio charitate perfecta, cùm non ſint è numero earum diſpoſitionum, quæ conſequuntur formam, id eſt, gratiam habitualem, utpote quæ ſine illis permanet, ſed quæ antecedunt; quòd, inquam, hujuſmodi diſpoſitiones non poſſint intelligi effectivè procedere ab ipſa gratia juſtificante quoad ſuum eſſe ſimpliciter, quamvis pendeant ab ea ut à fine, quæ eſt dependentia ſecundùm quid. Atque hæc ſatis ſuperque contra ſecundam reſponſionem Adverſariorum.

493. Tertia reſponſio Adverſariorum.

Venio ad tertiam, quæ talis eſt: Gratia juſtificans ut infuſa, eſt prior actu Contritionis charitate perfectæ, ut verò recepta, eſt poſterior; & priori modo Cōtritio eſt effectus gratiæ juſtificantis, poſteriori verò modo Contritio eſt cauſa diſpoſitiva ad eamdē gratiam juſtificantem.

Impugnatur primò.

Sed contrà; gratia juſtificans non eſt cauſa phyſica & realis alicujus effectûs, niſi ut recepta in ſubjecto: quippe phyſicè & realiter cauſare non poteſt, niſi exiſtat phyſicè & realiter; non exiſtit autem phyſicè & realiter, niſi ut recepta in ſubjecto: ergo non ſola infuſio, ſed

Gratia non exiſtit phyſicè niſi ut recepta.

etiam

etiam receptio gratiæ ordine naturæ ſeu cauſalitatis deberet eſſe prior ipsâ Contritione.

33. o gra- rece- non cauſa- in re ctæ.

Adde, quòd infuſio gratiæ, & receptio, non ſint cauſalitates in re diſtinctæ, ſed una & eadem, eſſentialem involvens ordinem tam ad ſubjectum, quàm ad agens; quia non eſt aliud quàm productio gratiæ in ſubjecto, id eſt, productio gratiæ, & ejus unio, ſeu productio unionis gratiæ cum anima. Receptio autem, quid aliud eſt quàm unio? Ergo non poteſt intelligi gratia juſtificans ut infuſa, quin ſimul intelligatur ut recepta; ergo non poteſt eſſe ordo naturæ inter infuſionem, & receptionem, alioquin idem erit naturâ prius ſeipſo.

94. gna- ex .Trid.

Denique Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 7. docet unicuique infundi gratiam juſtificantem juxta propriam ejus diſpoſitionem: *Demum*, inquit, *unica formalis cauſa* (juſtificationis) *eſt iuſtitia Dei, non quâ ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit; quâ videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur, & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur* (id eſt, infundit) *ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.*

Si ergo Contritio charitate perfecta diſponit ad receptionem gratiæ, etiam diſponet ad infuſionem; cùm nullibi Concilium diſtinguat inter diſpoſitiones ad infuſionem, & ad receptionem gratiæ: ergo ſi gratia ut recepta eſt poſterior Contritione, etiam erit poſterior ut infuſa.

495. acta re- nſio Ad- ſariorũ.

Reſpondent Adverſarii quartò, Contritionem non emanare effectivè à gratia habituali, quæ eſt in eſſentia animæ juxta doctrinam D. Thomæ, ſed effici ab habitibus charitatis & reliquarum virtutum, quæ ſubjectantur in potentiis animæ, & ſub hac conſideratione Contritionem poſſe eſſe diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem; procedere autem effectivè à virtutibus, & ad iſtas virtutes non eſſe diſpoſitionem.

Refutatur.

At contrà, Contritio charitate perfecta non tantùm eſt diſpoſitio ad gratiam juſtificantem (ſi eſt diſtincta ab habitu charitatis, quod non puto) ſed etiam ad ipſas virtutes, ut apertiſſimis verbis docet Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. in principio. *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.*

Contritio charitate perfecta non ſolùm ad gratiam, ſed etiam ad alias virtutes diſponit.

Dubitas quæ ſint iſta dona? Concilium eodem capite iſta enumerat dicens: *Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.* Si ergo Contritio diſponit ad gratiam, etiam diſponet ad illas virtutes, quæ ſuppoſitâ diſtinctione gratiæ ab illis, quaſi quædam proprietates ab ipſa gratia emanant ſeu ipſam gratiam conſequuntur.

Ecce reſponſiones Adverſariorum cardinibus ſuis luxatæ. Nunc videamus cannabinos pedes, quos ſubdunt ſuæ ſententiæ, & quibus illam geſtiunt ſtabilire. Probant ergo ſuam doctrinam: quia talis mutua cauſalitas non eſt impoſſibilis; cùm itaque convenientius ſit cauſam ſecundam perfici per aliquod habituale intrinſecum, dicendum eſt Contritionem charitate perfectam, per quam homo perficitur, cauſari ab habitu charitatis. 496. Ratio, quâ Adverſarii probant ſuam ſententiam,

Antecedens probatur; quia ſimul tempore exiſtunt Contritio charitate perfecta, & habitus charitatis. Confirmatur, quia in generatione naturali ultima diſpoſitio cauſatur à forma ſubſtantiali, ad quam diſponit; ergo ſimiliter in generatione ſupernaturali.

Et hinc eſt quòd D. Auguſtinus tract. 74. in Joan. ſuper illa verba Joan. 14. v. 15. *Si diligitis me mandata mea ſervate* &c. ait: *Quomodo diligimus* (Chriſtum) *ut eum* (Spiritum ſanctum) *accipiamus, quem niſi habeamus, diligere non valemus. Aut quomodo mandata* (Chriſti) *ſervabimus, ut eum* (Spiritum ſanctum) *accipiamus, quem niſi habeamus, mandata ſervare non poſſumus? An fortè præcedit in nobis charitas, quâ diligimus Chriſtum, ut diligendo Chriſtum eiuſq; mandata faciendo, mereamur accipere Spiritum ſanctum, ut charitas non Chriſti, quæ iam præceſſerat, ſed Dei Patris diffundatur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis? Perverſa eſt iſta ſententia, qui enim ſe Filium diligere credit, & Patrem non diligit, profectò nec Filium diligit, ſed quod ſibi ipſe confinxit.* 497. Confirmatur auctoritate D Aug.

Et poſt pauca: *Quomodo igitur diligebant* (Apoſtoli) *niſi in Spiritu ſancto? Et tamen eis prius imperatur, ut diligant eum, & eius mandata conſervent, ut accipiant Spiritum ſanctum, quem niſi haberent, profectò diligere, & mandata ſervare non poſſent. Reſtat ergo, ut intelligamus Spiritum ſanctum habere qui diligit, & habendo mereri ut plus habeat, & plus habendo plus diligat.*

Concordat Concilium Arauſicanum II cap. 4. dicens: *Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit; non autem ut etiam purgari velimus, per ſancti Spiritûs infuſionem & operationem in nos* (aliàs in nobis) *fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti:* Præparatur voluntas à Domino; *& Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Per infuſionem autem ſignificant Concilia donum habituale. 498. & Concilii Arauſ. Philip. 2. v. 13.

Denique Chriſtus Joannis 15. verſ. 5. ait: *Ego ſum vitis vos palmites; qui manet in me &* Item ipſius Chriſti Ioan. 15.

ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Quibus verbis videtur ſignificari, non poſſe nos efficere ipſam diſpoſitionem ad juſtificationem, niſi per ipſam formam juſtificantem, quâ tamquam palmites adhæremus Chriſto, & ejus gratiam participamus. Hæc ſunt præcipua fundamenta ſententiæ Thomiſtarum.

499. **Reſpondetur ad rationem.**

Sed quantùm ad primum, credo ex dictis liquidò conſtare, talem mutuam cauſalitatem, ſi non ſit evidenter impoſſibilis, ſaltem non eſſe manifeſtè poſſibilem, eſtò Contritio charitáte perfecta ſit ultima diſpoſitio ſimul tempore exiſtens cum forma, id eſt, gratia juſtificationis ſeu habitu charitatis, ad quem diſponit.

Non apparet major repugnantia in eo quòd idem ſit prius & poſterius tempore reſpectu ejuſdem, quàm quòd ſit prius & poſterius naturâ.

Sanè non apparet major repugnantia in eo, quòd idem ſit ſimpliciter prius tempore & poſterius reſpectu ejuſdem, quàm quòd ſit ſimpliciter prius & poſterius naturâ ſeu cauſalitate reſpectu ejuſdem; nam ideo primum repugnat, quia ſi hoc eſt prius tempore illo; ergo prima duratio hujus, fuit ante primam durationem illius: ſi verò hoc eſt poſterius illo; ergo prima duratio hujus, eſt poſt primam durationem illius: ergo prima duratio hujus eſt ante, & non ante primam durationem illius, quæ eſt manifeſta implicantia.

Conſimiliter autem ſi hoc eſt prius naturâ illo: ergo primus conceptus hujus rei, eſt ante primum conceptum illius rei; ſi verò hoc eſt poſterius naturâ illo: ergo primus conceptus hujus, eſt poſt primum conceptum illius; ergo primus conceptus hujus rei, eſt ante, & non ante primum conceptum illius rei.

500. **Quid ſit prioritas & poſterioritas naturæ.**

Enimverò prioritas & poſterioritas naturæ non eſt aliud, quàm independentia hujus ab illo ut à priori, & dependentia illius ab hoc. Sic Sol eſt prior naturâ illuminatione, quamvis ſint ſimul tempore, quia illuminatio pendet à Sole, & non è converſo Sol ab illuminatione; unde & Sol poteſt concipi perfectè exiſtere ſine illuminatione, non è converſo illuminatio ſine Sole.

Objectio.

Si objicias; homo exiſtens non poteſt concipi ſine ubicatione reali, & tamen ubicatio eſt poſterior naturâ.

Solvitur.

Reſpondeo, me ſolùm concipere, hominem exiſtentem exigere talem ubicationem, non tamen de facto habere. Nonne Deus cognoſcit hominem exiſtere, & ex illa cognitione juxta noſtrum modum concipiendi movetur ad dandum illi paſſiones? Ergo in priori ſigno rationis videt hominem, non videndo paſſiones. Jam autem, quando cognoſco effectum exiſtere, non tantùm cognoſco, quòd exigat aliquam cauſam, ſed quòd aliqua cauſa determinatè eum cauſet. Poteſt ergo cauſa cognoſci non cognito effectu, non tamen è contra, cognoſci effectus non cognitâ aliquâ cauſâ, ſaltem in confuſo, & in hoc conſiſtit prioritas naturæ.

Haud ignoro aliquos Recentiores dicere, non poſſe in Philoſophia negari mutuam cauſalitatem; ſed aliud eſt dicere, aliud probare: adferunt quidem plura exempla, in quibus exiſtimant admittendam mutuam cauſalitatem, v. g. de duobus lignis ſeſe invicem ſuſtentantibus; præterea de duobus carbonibus ignitis, qui ſe invicem fovent ac conſervant calidos, ac reſiſtunt fortius contrariis; item de illo homine, qui non vult movere dexteram, niſi ſimul moveat ſiniſtram, & è contra; rurſus de lapide projecto motu violento, ubi impulſus impreſſus eſt cauſa motûs, & rurſus impulſus conſervatur à motu; denique exemplum de exercitatione corporis & bona valetudine. 501.

Sed quid dicam? Operam ludunt boni viri, ſi intelligunt mutuam cauſalitatem phyſicam & realem ſecundùm eſſe ſimpliciter, & pro eodem inſtanti temporis. Vide Lugonem hìc diſput. 81. ſect. 8. per totam, & cùm illum legeris, dices nobiſcum, ſaltem non eſſe manifeſtè poſſibilem hujuſmodi mutuam cauſalitatem, quod ſufficit, ut eam in caſu propoſito negemus, ubi nulla adeſt neceſſitas eam aſſerendi, ut jam oſtendo. 502.

Nam illa neceſſitas vel oritur ex ratione, vel ex auctoritate; non ex ratione, quia alia non aſſignatur, niſi major convenientia alicujus principii intrinſeci habitualis; ſed hæc ratio nullius pili eſt: cùm enim tota noſtra juſtificatio ſit ſupernaturalis, & dependeat à divina ordinatione, iſtud cenſetur magìs conveniens in illo ordine, quod Deus ordinavit; ordinavit autem Contritionem charitaté perfectam, ut ſit diſpoſitio ad infuſionem gratiæ ſanctificantis: quippe Deus inſpirat homini Contritionem ut juſtificetur, & non juſtificat ut conteratur, ut patet ex dictis.

Quamquam ergo ex natura rei magìs conveniens appareat, quòd Contritio charitate perfecta producatur à principio aliquo intrinſeco habituali, puta ab habitu gratiæ vel charitatis; equidem, quia peccator ex ſe indignus eſt tanto Dei beneficio, quo formaliter ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ, convenientiſſimè diſpoſitum fuit, ut tantum beneficiúm de congruo mereatur per actum ejuſdem ordinis & qualitatis, ſcilicet per actum charitatis ſupernaturalem in ſubſtantia. Hujuſmodi autem actum poſſe elici abſque principio habituali, cum gratia actuali ſeu principio actuali, indubitanter aſſerimus. 503.

Sicuti

ifun- abi- ci an- num fidei, ibitus ite 1. ſpei.

Sicuti ergo non infunditur habitus fidei homini adulto ante primum actum fidei, quamvis hoc videatur ex natura rei convenientius, neque habitus ſpei ante primum actum ſpei, Deo ſic volente, ut homo voluntariè ſe diſponat ad receptionem illorum habituum ſupernaturalium per actum ejuſdem ordinis & qualitatis, ita indubitanter aſſerimus, Deum non infundere habitum gratiæ ſeu charitatis, niſi antecedenter homo, capax propriæ voluntatis, ſe diſponat ad receptionem illius habitûs per liberum actum charitatis extra Sacramentum, vel in Sacramento per actum ſpei.

04. itio ite :a eſt s ac-

Igitur Contritio charitate perfecta, charitate, inquam, non habituali, ſed actuali, ſecundùm alibi dicta, eſt propter juſtificationem tamquam effectum ſeu præmium, & non eſt effectus juſtificationis quoad eſſe ſimpliciter. Cujus ergo eſt effectus? Gratiæ actualis. Et verò de gratia actuali efficaci intelligo ſequentes ſententias, deſumptas ex diverſis libris D. Auguſtini, poſt Apoſtolum præcipui Prædicatoris prædeſtinationis & gratiæ.

Certum eſt, inquit ille, *nos facere cùm facimus, ſed ille* (Deus) *facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Gratia* enim efficax, *quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur; ſicq; hominis agit ſenſum, ut legi & doctrinæ accommodet aſſenſum.* Illâ homines *aguntur ut agant, non ut ipſi nihil agant. Agis* itaque *& ageris, & tunc bene agis, ſi à bono agaris; ſpiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor eſt, eos ad ſe ipſum omnipotentiſſimâ facilitate convertens, ac volentes ex nolentibus faciens. Quis* namque *tam impiè deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non poſſe convertere? Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ fidei confeſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.*

Aug. de Grat. ib. ar- c. 16. de Præ- SS i. 107. de Cor- & grat. 2. 13 de Apoſt. 11 l. 107. c. 98. c. 96.

Quando rogavit ergo Chriſtus, *ne fides Petri deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? Ecce quemadmodum ſecundùm gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potiùs libertatem, & ut perſeveret delectabilem perpetuitatem & inſuperabilem fortitudinem. Porrò ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat; reſtat ut propterea rectè dictum intelligatur:* Non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuvandam, & adiuvat præparatam.*

de Cor- & grat. 8. li. c. 11. 9. v. 16.

De hac præparatione, ut ad propoſitum noſtrum veniamus, intelligi poteſt, immo debet Concilium Arauſicanum ſuprà ab Adverſariis adductum, ut patet ex iſtis verbis: *Reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino.* Et verò hanc præparationem per Spiritûs ſancti infuſionem ſeu operationem in nobis fieri, cum Eccleſia Catholica confitemur, & per illam fieri confitemur, ut purgari velimus à peccato. 505.

Explicantur verba Conc. Arauſic. de gratia actuali.

Quod autem additur ſuprà ad verba Concilii: *Per infuſionem Concilia ſignificare donum habituale*, hoc verum eſt, quando res de qua tractatur, & aliæ circumſtantiæ talem poſtulant ſignificationem, v. g. quando quæritur, in quo conſiſtat noſtra juſtificatio, an in actu aliquo libero noſtræ voluntatis, puta in actu charitatis, an verò in dono Dei permanente & ſtabili, puta in habitu charitatis; nam illud propriè infunditur à Deo, quod ab ipſo ſolo cauſatur in nobis, conſtat autem actum fidei, ſpei & charitatis non cauſari in nobis à ſolo Deo, ſed partialiter per cooperationem liberi arbitrii.

Quando ergo Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. dicit: *Id tamen in hac impii iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret: unde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur fidem, ſpem & charitatem* &c. libenter admittimus Patres Concilii per infuſionem ibi intelligere donum habituale; tum quia actus fidei, ſpei & charitatis minùs propriè infunduntur à Deo; tum quia conſtat non ſolùm parvulos, ſed etiam adultos de facto juſtificari, tametſi in ipſo inſtanti juſtificationis non eliciant actum fidei, ſpei, & charitatis; tum denique quia in eodem cap. aſſerit: *Efficiens* (cauſa juſtificationis) *miſericors Deus* &c. tacitè innuens ſolum Deum eſſe cauſam efficientem, quod falſum eſſet, ſi juſtificatio formaliter foret actus liber voluntatis. Igitur ex ſubjecta materia planè colligitur, Tridentinum loqui de dono habituali fidei, ſpei, & charitatis, & non de dono gratiæ actualis. 506.

Explicatur Conc. Trid. de dono habituali.

Hæc explicatio colligitur ex ſubjecta materia.

Contrarium colligitur non tantùm ex materia ſubjecta, ſed etiam ex ipſis verbis Concilii Arauſicani. Nam diſputat ibi Concilium contra Pelagium & ejus reliquias, aſſerentes hominem ſolis naturæ viribus ſine auxilio gratiæ actualis poſſe accipere remiſſionem peccatorum, adeòque tantùm voluit definire, quòd nec præparari quidem poſſumus ad juſtificationem ſeu remiſſionem peccatorum accipiendam ſine infuſione & operatione Spiri- 507.

Explicatio Conc. Arauſic. etiam ex ipſis verbis.

Quid ſit gratia actualis præveniens.

Spiritûs ſancti in nos: id eſt ſine gratia præveniente ſive præparante, quam conſtat non eſſe donum habituale, ſed tantùm actuale, puta piam cogitationem intellectûs, pium motum indeliberatum voluntatis, v. g. timoris, ſpei, delectationis &c.

Quibus nominibus eam appellet D. Aug.

Atque hanc motionem voluntatis S. Auguſtinus diverſis in locis diverſimodè appellat. Aliquando enim vocat, *Spiritum charitatis*, *inſpirationem charitatis*, vel, *dilectionis*, vel, *amoris divini*, ſubinde, *bonam concupiſcentiam*, *cupiditatem boni*, interdum, *condelectationem*, *ſuavitatem*, *iucunditatem*, *voluptatem*; denique frequenter illam nominat, *delectationem iuſtitiæ*. De illa ergo intelligendum eſt Concilium Arauſ.

508. *Conc. Arauſ. non utitur ſolo verbo infuſionis.*

Unde etiam non utitur ſolo verbo *infuſionis*, ſed inquit: *Per Spiritûs ſancti infuſionem &* (id eſt, ſeu) *operationem*, quâ ſcilicet in nobis ſine nobis liberè cooperantibus excitat hujuſmodi pios motus, quibus diſponimur ſeu præparamur ad accipiendam remiſſionem peccatorum.

Non eſt neceſſaria gratia habitualis ut velimus purgari à peccatis.

Et ſanè quis Theologus dixerit, ut homo velit purgari à peccatis, neceſſariam eſſe gratiam juſtificationis ſeu habitum infuſum charitatis, eſtò ut de facto purgaremur, foret neceſſaria? Et tamen de illa prævia voluntate loquitur Concilium, ut patet ex ipſis verbis.

509. *Verba Sancti Auguſt. ſuprà ab Adverſariis objecta explicantur de gratia actuali.*

Adhuc dubitas, quomodo intelligenda ſint verba D. Auguſtini ab Adverſariis ſuperiùs objecta? Intellige, ſi placet, de gratia actuali præveniente & cooperante. De qua etiam videri poſſet locutus Sanctus Proſper Reſponſ. 8. ad cap. Gall. ibi: *Cum dicemus quatuordecim Sacerdotibus (quorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ Dei, totus mundus amplexus eſt) veraci confeſſione, quemadmodum ipſorum habet ſermo, dicamus, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum, non ſolum ad cognoſcendam, verùm etiam ad faciendam iuſtitiam nos per actus ſingulos adiuvare: ita, ut ſine illa nihil veræ ſanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo eſſe opinemur, ut quia ipſe naturæ noſtræ Auctor eſt, per conditionem iam hæc contuliſſe videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem; ſed omnes eam in illo amiſimus, in quo omnes peccavimus.*

Uti etiam verba Sancti Proſperi,

& alia verba S. Aug.

Similem expoſitionem videntur recipere hæc verba D. Auguſtini ex lib. de Spir. & litt. cap. 3. *Nam neque liberum arbitrium* (poſt peccatum) *quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via. Et cùm id quod agendum, & quo nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet & ametur* (per gratiam prævenientem) *non agitur, non ſuſcipitur, non bene* (id eſt, non fructuosè) *vivitur* (per gratiam adjuvantem) *Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris non per arbitrium liberum, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

Si non placet hæc expoſitio, ſed Auguſtinum vis intelligere de gratia juſtificationis, ſive de dono habituali gratiæ, quod infunditur in juſtificatione, tunc conſequenter per opus bonum ſeu fructuoſum debes intelligere opus meritorium de condigno, quod requirit in operante ſtatum gratiæ. 510.

Alioquin, ſecundùm Auguſtinum ſuprà relatum, fides meretur remiſſionem peccatorum, illa autem ſtat abſque dono gratiæ habitualis; immo abſque dono fidei habitualis, quamvis non abſque dono gratiæ actualis ſupplente vicem habitûs, adeóque quoad efficientiam æquivalente; ut proinde ſicuti ipſe habitus fidei, ſpei & charitatis propriè dicitur diffundi in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, ſic itidem propriè dicatur diffundi in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum gratia illa actualis, quæ ſupplet vicem habitûs, & cum potentia phyſicè elicit actum ſupernaturalem fidei, ſpei & charitatis.

Rectè ergo dixit Auguſtinus: *Quomodo diligimus* (Chriſtum) *ut eum* (Spiritum ſanctum) *accipiamus, quem niſi habeamus* (vel per donum habituale, aut certè actuale æquivalens quoad efficientiam) *diligere non valemus*? Ut omittam Auguſtinum hoc loco diſputare de Apoſtolis, qui jam habebant Spiritum ſanctum habitantem in cordibus ſuis per gratiam habitualem ſeu juſtificantem. 511.

Iam itaque, inquit, *Apoſtoli dicebant*, Dominus Jeſus, *& ſi eo modo dicebant, ut non ſoli dicerent ore confitentes, corde & factis non negantes, prorſus ſi veraciter hoc dicebant, procul dubio diligebant.* Et infrà: *Iam itaque habebant Spiritum Diſcipuli, quem Dominus promittebat, ſine quo eum Dominum non dicebant, nec tamen eum adhuc habebant, ſicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, qui quantùm habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minùs, dandus eis erat ampliùs: habebant occultè, accepturi erant manifeſtè, quia & hoc ad maius donum ſancti Spiritus pertinebat, ut eis innoteſceret quod habebant* &c.

Ex his facillima erit interpretatio verborum Chriſti Joan. 15 v. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites* &c. nempe ſimilitudinem inter vitem & Chriſtum, palmitem & nos, in eo ſolùm conſiſtere, quòd, ſicut nihil fructûs poteſt adferre palmes, niſi virtute influxâ à vite, ita nec nos, niſi virtute à Chriſto derivatâ; & ſicut non poteſt palmes illum influxum recipere, niſi manſerit in vite, ita nec nos, niſi in Chriſto manſerimus. 512.

Verumtamen quoad modum manſionis, & unionis non currit ſimilitudo, juxta illud communiter Receptum: *Omnis ſimilitudo claudicat*; neque enim veluti palmes perfectè, & in facto eſſe adhæret viti, antequam influxum ejus recipiat;

cipiat; ita & nos jam perfectè, & in facto eſſe (ut ita dicam) id eſt, per donum gratiæ habitualis debemus eſſe uniti Chriſto ad ejus influxum recipiendum, ſed ſufficit quòd inchoatè, & quaſi in fieri incipiamus ei adhærere per gratiam actualem, & actum charitatis ab ea elicitum, tamquam per ultimam diſpoſitionem, ad habitualem charitatem, quâ perfectè & permanenter in illo manemus, & operamur bona merita gratiæ, & gloriæ; merita, inquam, non tantùm congrua, ſed verè condigna, de quibus loquitur Tridentinum ſeſſ. 6. c. 16. ibi:

Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, qua virtus (ſcilicet charitas habitualis) *bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria* de condigno *eſſe poſſent; nihil ipſis iuſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divina legi pro huius vita ſtatu, ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam vere* (id eſt condignè) *promeruiſſe cenſeantur.*

3. ſcriptu- deſum- ex 1. 1. c. 4. ondetur ò.

Ad aliam Scripturam deſumptam ex Joan. Epiſt. 1. c. 4. v. 10. *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Reſpondeo primò, Apoſtolum loqui de dilectione, quâ Deus filium ſuum dedit pro nobis, ſecundùm illud Joan. 3. v. 16 *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Colligo, quia prioribus verbis continuò ſubjungitur: *Et miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.*

ponde- 2. præde- ationem ſcript. ellari di- ionem. m. 9.

Reſpondeo ſecundò, prædeſtinationem in Scriptura ſacra appellari dilectionem, Rom 9. v. 11. & ſequentibus: *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali* (*ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*) *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi* (id eſt, prædeſtinavi) *Eſau autem odio habui*, id eſt, reprobavi.

514. obatur ex Aug.

Hinc apud D. Auguſtinum Epiſt. 106. ſic lego: *Sed quomodo, inquiunt* (Pelagiani) *non eſt iniquitas apud Deum, ſi diligendo diſcernit, quos merita operum nulla diſcernunt?* Reſpondet autem Auguſtinus non negando dilectionem, ſed allegando cum Apoſtolo miſericordiam. *Quid ergo dicemus* (inquit Apoſtolus ſuprà v. 14.) *numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit: Miſerebor cuius miſereor, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor.*

Ad quæ verba D. Auguſtinus ſuprà: *Quid nos* (inquit) *hìc docuit, niſi ex illa maſſa primi hominis, cui meritò mors debetur, non ad merita hominum, ſed ad Dei miſericordiam pertinere, quod quiſque liberatur; atque ita non eſſe iniquitatem apud Deum, quia neque permittendo, neque exigendo quod debetur, iniuſtus eſt? Ibi enim grata eſt indulgentia, ubi iuſta poſſet eſſe vindicta. Et hinc evidentius apparet à pœna debita liberato, & gratis iuſtificato, quantùm beneficii conferatur, quòd alter æqualiter reus, ſine punientis iniquitate punitur.*

Quis ergo audeat negare, prædeſtinationem divinam rectiſſimè appellari dilectionem? Illâ autem dilectione prior dilexit nos Deus. *Qui* (teſte Apoſt. ad Epheſ. 1. v. 3.) *benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti* (*non quia futuri eramus*, inquit S. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. c. 18.) *& prædeſtinavit in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundùm propoſitum*, non noſtrum, ſed *voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*, non in laudem gloriæ meritorum noſtrorum. 515. Illâ dilectione prior dilexit nos Deus. Epheſ. 1.

Hinc ipſa Veritas Chriſtus ait Joan. 6 v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Non ait* (inquit D. Auguſtinus lib. 1. contra 2. Epiſt Pelag. c. 19.) *duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur ſi iam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* Ioan 6. S. Aug.

At, interrogat idem S. Doctor l. 2. contra litt. Petil. cap. 84. *Quomodo attrahit*, Deus Pater ad Filium homines, *ſi dimittit eos in libero arbitrio*, hoc eſt, *ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

Liquet ergo Deum diligere hominem non tantùm per infuſionem doni habitualis, videlicet habitûs gratiæ ſeu charitatis, ſed etiam per infuſionem gratiæ actualis, quæ prorſus neceſſaria eſt ad diligendum Deum, ſicuti oportet ut homini peccatori juſtificationis gratia conferatur. 516. Deus diligit hominem etiam per infuſionem gratiæ actualis.

Ex quibus omnibus, ut finem imponamus huic Concluſioni & Sectioni, meo judicio manifeſtè infertur, mutuam cauſalitatem Contritionis, & gratiæ habitualis ſecundùm eſſe ſimpliciter pro eodem inſtanti temporis, neque evidenter eſſe poſſibilem, neque ullo pacto neceſſariam, adeòque mimìnè aſſerendam. Sequitur

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

De Attritione.

1. Quid ſit Attritio. Conc. Trident. & quam vim habeat.

EXplicatâ naturâ ſeu eſſentiâ Contritionis, quam vocat Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 4. *charitate perfectam*, ſupereſt gravis controverſia de eſſentia Contritionis imperfectæ, *quæ*, teſte Concilio Trident. ibidem, *Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur.*

Hanc porrò, *ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Hactenus Concilium, volens hiſce verbis ſignificare ſuam mentem de natura & efficacia hujus actûs. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Contritio imperfecta, quæ Attritio dicitur, ſpecie diſtinguitur à Contritione charitate perfecta.

2. Specie diſtinguitur à Contritione charitate perfecta,

EFficaciter probatur hæc Concluſio ex verbis Concilii Tridentini jam jam recitatis: *Quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur.* Quaſi diceret: Contritio imperfecta, quæ Attritio dicitur, eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, quæ communiter concipitur ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu. Hæc autem motiva ſpecie diſtinguuntur, ut in propatulo eſt, à motivo Contritionis charitate perfectæ, quod eſt offenſa Dei propter ſe ſuper omnia dilecti: ergo Attritio ſpecie diſtinguitur à Contritione charitate perfecta, & non tantùm, ut aliqui volunt, per majorem vel minorem intenſionem gradualem. (quia habet motivum ſpecie diſtinctum;)

Conſequentia eſt evidens; quoniam ſecundùm omnes Philoſophos & Theologos, ſpecifica diſtinctio actûs colligitur imprimis ex ſpecifica diſtinctione objecti formalis motivi adæquati. (actus autem diſtinguuntur ſpecie per objecta motiva.)

Sed dicet aliquis; licèt hoc argumentum probet, aliquam Attritionem ſpecie diſtingui à Contritione charitate perfecta, equidem aliqua poterit dari, quæ non diſtinguitur, videlicet aliqua diſplicentia & dolor inefficax de peccato, ex eo quòd ſit contra divinam bonitatem; ille ſiquidem dolor eſt ex motivo charitatis, & non eſt dolor perfectus, quia non eſt efficax: ergo eſt Attritio, & conſequenter Attritio aliqua poteſt eſſe ex motivo charitatis, per conſequens ſpecie indiſtincta à Contritione charitate perfecta. 3. Objectio.

Reſpondeo I. negando ultimam Conſequentiam; nam ſect. præced. concluſ. 8. ubertim oſtendimus, actum inefficacem ſpecie diſtingui ab actu efficaci, eſtò idem haberent objectum formale; diſtingui, inquam, propter diverſum modum tendendi in illud objectum. Vide ibi dicta. Reſponſio I.

Reſp. II. nos impræſentiarùm tantùm diſputare de Attritione, quæ in Sacramento diſponit ad impetrandam remiſſionem peccatorum, hanc autem oportet eſſe efficacem, ut patet ex illis verbis Tridentini: *Si voluntatem peccandi excludat.* Ergo illa Attritio inefficax ex motivo charitatis, quam prædicat Ioannes Poncius in Curſu ſuo theologico diſp. 45. n. 25. non eſt Attritio, de qua loquitur Tridentinum; quia non eſt quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ; neque enim animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Reſponſio II.

Sanè Tridentinum per Attritionem intelligere quaſi materiam Sacramenti, ſatis videtur colligi ex contextu illius capitis 4. ſuprà citati, nam in principio ſic inquit: *Contritio, quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus* (qui ſunt quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ, ut docet cap. præcedenti) *habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* 4. Trident. per Attritionem intelligit quaſi materiam Sacramenti.

Illam porrò Contritionem in progreſſu dividere videtur in Contritionem charitate perfectam, & Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur. Unde non video ſolidum fundamentum affirmandi, Attritionem, de qua loquitur Concilium, remotè tantùm diſponere in Sacramento ad juſtificationem.

Si repoſueris, illa motiva à Concilio aſſignata, nequeunt excludere voluntatem peccandi, 5. Objectio.

Digitized by Google

au-
ibus

di, juxta illud D. Auguſtini lib. de nat. & grat. c. 57. *Sub lege eſt, qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore iuſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi. In ipſa enim voluntate reus eſt, quâ mallet ſi fieri poſſet non eſſe quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè deſiderat.*

Unde Serm. 15. de Verb. Apoſt. ait: *Qui timore pœnæ non concupiſcit*, ſcilicet exteriùs, *puto quia concupiſcit* interiùs. Et lib. 50. Homil. Homil. 28. *Si propterea non facis furtum, quia times ne videaris, intus feciſti, in corde feciſti: furti teneris, & nihil tuliſti.* Similiter ſcribit Epiſt. 2. ad Bonifacium cap. 9. ibi: *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas? ...... Tunc bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere*, id eſt amari ſeu appeti, *cœperit; quando autem timore pœnæ, non amore iuſtitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum: nec fit in corde*, hoc eſt in animo & voluntate, *quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, ſi poſſet impunè.*

Porrò Epiſt. 144. ſic inquit: *Inimicus iuſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, ſi eius amore non peccet; tunc enim verè timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.* Præmiſerat autem: *Quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubſtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri, ſed ideo non facit, quia impunè non poteſt fieri.* Ergo ſecundùm D. Auguſtinum Attritio ex metu gehennæ concepta non poteſt excludere voluntatem peccandi.

Si, inquam, hoc argumentum repoſueris, rem acu tetigiſti; jam, inquam, tetigeris punctum controverſiæ, quod eſt inter Doctores Catholicos, pro quo enodando & enucleando pono ſequentem reſolutionem:

CONCLUSIO II.

Attritio concepta ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, poteſt excludere omnem voluntatem peccandi.

6.
id Conc.
elligat
gehen-
n & pœ-
[illegible]
[illegible]entia
gonis,

ANte probationem oportet inveſtigare, & declarare, quid à Concilio intelligatur per turpitudinem peccati, & metum gehennæ ac pœnarum.

Aliqui per gehennam intelligunt pœnam æternam tam ſensûs quàm damni; nomine autem pœnarum exiſtimant comprehendi in primis pœnam purgatorii, deinde alia damna temporalia, quibus Deus ſolet punire peccata, etiam in hac vita; nam adducitur in exemplum Pœnitentia Ninivitarum, quæ concepta fuit ob metū excidii ſuæ civitatis, quod Deus comminatus fuerat. Et quidem ſicut Deus comminatur pœnas æternas, ſic etiam comminatur pœnas hujus ſæculi ad terrendos homines: ergo ejuſmodi motivum bonum eſt & honeſtum & ſufficiens ad veram Attritionem. Ita Cardinalis Lugo diſp. 5. n. 137.

Qui ibidem n. 140. notat, Attritionem debere eſſe dolorem de peccato cum aliquo reſpectu ad Deum; adeòque infamiam merè humanam, & in univerſum quamcumque pœnam, prout ab homine infligendam, non eſſe motivum veræ Attritionis. 7.

qui putāt Attritionem deberé eſſe dolorem cum aliquo reſpectu ad Deum. Ratio ejus.

Ratio ejus eſt; quia ad omnem juſtificationem requiritur converſio ad Deum, ſaltem imperfecta: hoc enim ad minus videntur exigere loca Scripturæ & Patrum, ubi peccator invitatur ad ſatisfaciendum Deo, & ad petendum veniam ſui peccati: nam qui non movetur ex timore vel amore Dei, ſed ex timore hominis, ille nullo modo ſatisfacit Deo, nec honorat Deum, nec præfert Deum creaturæ, non enim relinquit peccatum propter aliquam perfectionem, quam recognoſcit in Deo, ſed propter potentiam judicis creati, vel aliud ſimile. Requiritur autem in omni vera converſione, quòd detur averſio à peccato, & converſio ad Deum, ſicut in peccato fuit averſio à Deo, & converſio ad creaturam. Hucuſque Eminentiſſimus de metu gehennæ & pœnarū.

Conſequenter autem turpitudinem peccati interpretatur injuriam, irreverentiam, inobedientiam, ſeu offenſam contra Deum; exiſtimans dolorem de furto v. g. propter ſpecialem malitiam furti, prout opponitur juſtitiæ, ſine alio reſpectu ad Deum, nullatenus eſſe ſufficientem Attritionem, quidquid in oppoſitum ſentiat Suarius diſp. 5. ſect. 3. 8.

Quid idem Auctor intelligat per turpitudinem peccati. Puta malitiam cum aliquo reſpectu ad Deum. Prima ejus ratio.

Ratio Lugonis eſt, quia ſicuti non ſufficit ad veram Attritionem conſiderare peccatum, ut cauſativum pœnæ apud judicem humanum, quia illud motivum non facit hominem converti ad Deum, ſed ad judicem, quem timet; ita non ſufficit conſiderare peccatum, prout præciſè opponitur regulæ rationis in ordine ad convictum humanum; quia illud motivum non convertit hominem ad Deum, ſed ad regulam rationis, & ad convictum humanum. Quare per hunc dolorem nullo modo tollitur averſio à Deo poſita per peccatum.

Nec obſtat Tridentinum; quia ibi non ponitur pro motivo Attritionis quæcumque turpitudo moralis, ſed turpitudo peccati, peccatum autem, ut peccatum, dicit oppoſitionem cum Deo: nam ut ſuppono ex materia de peccatis, licèt malitia moralis poſſit deſumi per oppoſitionem ad regulam rationis, malitia tamen peccati, ut peccatum eſt, non ſumitur, niſi in ordine ad Deum. Hæc ille. Secunda.

Sed non placent Arriagæ diſp. 11. n. 7. unde ad 9.

Digitized by Google

Reſponſio Arriagæ ad primam rationem.

ad primam rationem reſpondet: Homo ſciens Deum eſſe caput naturæ rationalis, profectò utì peccando contra naturam rationalem eo ipſo ſcit illum offenſum, etiamſi nullo modo intendat eum offendere; ita eâdem etiam ratione, dum dolet ſe peccaſſe, eò quòd offenderit eam naturam, cujus agnoſcit Deum eſſe caput, jam eo ipſo ad Deum in actu exercito, & implicitè ſaltem convertitur, etſi non habeat pro motivo formali ejus deteſtationis malitiam, quæ in Dei offenſa quà tali reperitur. Hæc ille.

Rejicitur ab Auctore.

At contrà: Nonne peccatum ut peccatum, eſt averſio à Deo ut Legiſlatore, & non ſolùm ut eſt caput naturæ rationalis? Planè ſic judico, & alii mecum. Ex quo ergo probatur, quòd ſufficiat converſio ad Deum, ut ſolummodo eſt caput naturæ rationalis? Deinde peccatum ut peccatum, nonne eſt explicita converſio ad creaturam? Quid ergo mirum ſi requiratur ad juſtificationem explicita converſio ad Deum? Juxta illud Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me ait Dominus exercituum, & convertar ad vos* (quis dubitat an explicitè?) *dicit Dominus exercituum.*

10. Reſponſio Arriagæ ad ſecundum argumentum Lugonis.

Ad ſecundum argumentum Lugonis deſumptum ex Concilio Tridentino reſpondet Arriaga ſup. n. 8. Averſio à natura rationali, quæ de facto eſt, non alio vocabulo nominatur ab ullo, niſi peccatum; unde non debuit Concilium quærere alia vocabula, ut deſignaret propriam malitiam illius, etiamſi non requiſiviſſet dolorem ſub ea conſideratione reflexè accepta.

Rejicitur ab Auctore.

Sed contrà: illa averſio alio vocabulo nominatur ab omnibus malitia moralis, non autem peccatum, niſi cum addito, philoſophicum; & ideo Tridentinum propriè eſt intelligendum de illo peccato, quod communiter & ſimpliciter eſt tale, cùm nihil obſtet.

11. Objectio.

Dices: Attritio poteſt concipi ex aliis motivis, quàm ex timore pœnarum & conſideratione turpitudinis peccati; ideo enim notanter poſuit Concilium illud verbum, *Communiter concipitur.* Sicuti ex eo quòd Concilium Florentinum in decreto Eugenii §. *Septimum eſt Sacramentum*, ponat ly *Regulariter*, ibi: *Cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*, colligit Eccleſia, ſignum expreſſivum conſenſûs, non neceſſariò eſſe verba propriè dicta, ſed poſſe validè, & ſubinde licitè, contrahi Matrimonium per nutus, & alia ſigna æquivalentia.

Porrò inter alia motiva Attritionis, quid prohibet enumerare turpitudinem contra naturam rationalem? Item ſpecialem malitiam v. g. furti, prout opponitur juſtitiæ, ſine ullo reſpectu ad Deum?

12. Reſponſio.

Reſpondeo, nihil prohibet. Sed numquid ideo tale motivum, vel talia motiva ſufficiunt ad veram Attritionem, quæ in Sacramento requiritur ad juſtificationem? Non autumo ſufficere. Neque enim aſſerit Tridentinum, omnem Attritionem diſponere ad gratiam Dei impetrandam in Sacramento, ſed cum illa clauſula: *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*, quaſi diceret, illa dumtaxat diſponit, quæ excludit voluntatem peccandi cum ſpe veniæ.

Et verò à natura rationali ſperatur venia? Nonne à Deo Auctore ſupernaturali, qui gratuitò abluit & ſanctificat, ſignans & ungens Spiritu promiſſionis ſancto, id eſt, cum remiſſione peccatorum ſimul infundens fidem, ſpem, & charitatem?

Audi, de qua ſpe loquatur Tridentinum: *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes* (inquit ſeſſ. 6. c. 6.) *à divina juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Quid tibi videtur Arriaga? Num ſine expreſſa converſione ad Deum poteſt haberi talis fiducia? 13.

Quomodo ergo aſſeris ſuprà n. 10. Conſtat probabiliſſimè dici, ſufficere pro Attritione (utique requiſitâ à Tridentino ad juſtificationem in Sacramento) turpitudinem peccati, etiam ut eſt contra naturam rationalem, eſtò non ordinetur ad Deum?

Venio ad aliud motivum, & quæro, an Attritio concepta ex ſpeciali turpitudine v. g. furti, ut opponitur juſtitiæ, excludat voluntatem peccandi? Quis non videt cum tali Attritione poſſe ſtare voluntatem peccandi contra caſtitatem, cæteraſque virtutes diſtinctas à juſtitia? Invenies enim qui mallent millies mori, quàm furari, tametſi paſſim fornicentur, aliiſque peccatis contra caſtitatem abundent. Itaque illa Attritio non excludit voluntatem peccandi; ac proinde non diſponit ad gratiam Dei in Sacramento impetrandam. 14

Liquet ergo quòd Concilium Trident. dum Attritionem ſtatuit quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, patet, inquam, quòd loquatur de Attritione non qualitercumque honeſtâ, ſed de Attritione elicita, aut certè imperatâ ex motivo virtutis ſupernaturalis ſpei; adeòque gehennam aliaſque pœnas, utì etiam turpitudinem peccati, eatenus tantùm eſſe motivum ſufficiens, quatenus conſiderantur, ut privant hominem æternâ beatitudine, pro ſemper, aut certè pro aliquo tempore. 15.

Hinc Concilium Trident. ſeſſ. 14. can. 5. qui correſpondet cap. 4. *Si quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare*

Digitized by Google

rare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam & magis peccatorem....... anathema ſit.

Ubi, ut vides, ſi tamen oculos apertos habeas ad videndum, inter cætera motiva enumerat amiſſionem æternæ beatitudinis, quam aliis verbis expreſſerat cap. 4. dicens: *Cum ſpe veniæ.*

Nam quid aliud eſt ſpes veniæ, quàm ſpes æternæ beatitudinis? Quippe venia, quam peccator ſperat, quid aliud eſt quàm juſtificatio? Juſtificatio autem ſecundùm Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. *Non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum; unde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.*

it ial ; ju. ? mt.

Et verò peccator, qui ſperat hæreditatem vitæ æternæ, nonne conſiderat ſe eam amiſiſſe? Jam autem Attritio ſecundùm Tridentinum ſuprà cap. 4. non diſponit ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento, niſi ſub hac conditione: *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*; ut ut ſit de honeſtate Attritionis, quæ purè putè conciperetur ex timore gehennæ, & pœnarum, præciſè ſecundùm ſe, ut adferunt dolorem aliquem naturalem, præſcindendo à Deo, & ab æterna ejus viſione, ac fruitione, quâ de facto privant.

7. tio ex ja.

Si dixeris cum Arriaga diſput. 11. nu. 13. ipſæ pœnæ purgatorii ſunt ſufficientiſſimum motivum Attritionis, & tamen illæ non deterrent eâ ratione, quatenus cauſant dilationem beatitudinis; quia ſi homo toto eo tempore, quo in purgatorio eſt futurus, maneret in hac vita, haberet omnino eamdem dilationem ejus beatitudinis; certum autem eſt, eam manſionem in vita non habere vim deterrendi, quàm pœnæ purgatorii: ergo hæ non movent ad Attritionem ratione beatitudinis, quam vel ad tempus differant, vel omnino impediant, ſed aliunde, hoc eſt, ratione eorum graviſſimorum cruciatuum. Hactenus ille.

nſio, in hac on habilla o beanis, n alte.

Reſpondeo breviter: in hac vita non habetur omnino eadem dilatio beatitudinis, quæ habetur poſt hanc vitam; quippe in hac vita adeptio beatitudinis impoſſibilis eſt, poſt hanc vitam, niſi aliquid obſtet, actutùm conceditur beatitudo. Quis autem ambigat carentiam rei impoſſibilis non habere illam vim deterrendi, quam habet privatio rei poſſibilis, & debitæ?

8. onde. id aliud nen. ejuſ. Auctor.

Ad aliud argumentum ejuſdem Auctoris ibidem, videlicet: Ninivitæ vix videntur apprehendiſſe alias pœnas, quàm mortem temporalem, excidium civitatis &c. Reſpondeo nuſpiam definiri, Ninivitas conſecutos veniam peccatorum. Quid ergo? Miſericordiam.

Audiamus Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. *Hoc timore* (loquitur de Attritione quæ communiter concipitur ex metu gehennæ & pœnarum, vel turpitudinis peccati conſideratione) *utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt.* Per miſericordiam, quam conſecuti fuerunt Ninivitæ, poſſumus intelligere liberationem à ſubverſione civitatis.

Per quam utique miſericordiam intelligere poſſumus, mitigationem pœnæ illius imminentis, quam Jonas eis prædixerat hiſce verbis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, Jon. 3. v. 4. Unde ſequitur v. 10. *Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eu, & non fecit.*

Et verò, quæ illa malitia, quam locutus fuerat, niſi ſubverſio Ninive? Utitur autem Tridentinum illo exemplo, non ita ut probet, Attritionem cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem (nam tunc temporis requirebatur Contritio charitate perfecta, quam an habuerint Ninivitæ, incertum eſt, quamvis piè credi poſſit, aliquos ſaltem eam habuiſſe) quàm ad probandam honeſtatem Attritionis contra hæreticos, qui dicebant eam eſſe peccaminoſam. 19. Quare Tridi utatur exemplo Ninivitarum.

Quidquid ergo ſit de Ninivitis, an omnes, vel ſaltem aliqui converſi fuerint à via ſua mala, & ab iniquitate, perfectè ac ſufficienter ad accipiendam veniam peccatorum, mihi certum eſt, & omnibus eſſe debet, ſolum motivum excidii temporalis nequaquam ſuffeciſſe: eſtò foret proportionatum ad honeſtam Attritionem, quæ à Deo remuneraretur temporalis pœnæ relaxatione.

Ex his patet reſponſio ad tertium argumentum Arriagæ: Si, inquit, in ſtatu puræ naturæ relinqueretur homo, & peccaret mortaliter, haud dubiè mereretur eamdem pœnam, quam jam; uti eam merentur, qui cum ignorantia invincibili beatitudinis (quam non Chriſtiani habent maximâ ex parte) cum notitia tamen Dei eum offendit graviter: negari autem non poteſt, quin etiam tunc ſanctè poſſent homines ex earum pœnarum timore retrahi à peccato; & verò de facto id poteſt contingere. Nam ſi aliquis haberet ignorantiam invincibilem æternæ beatitudinis ex minùs bona inſtructione Parochi, certè adhuc ex timore eorum cruciatuum æternorum poſſet atteri honeſtiſſimè, ut ex terminis patet. 20. Reſponſio ad 3. argumentum Arriagæ.

Reſpondeo, honeſtiſſimè naturaliter tranſeat; honeſtiſſimè ſupernaturaliter, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, vel ſolùm in Sacramento, nego. Nam juxta principia Scoti, non datur actus ſupernaturalis, niſi circa objectum ſupernaturale; non datur actus ſupernaturalis, niſi Theologicus fidei, Non datur actus ſupernaturalis niſi circa objectum ſupernaturale.

X ſpei,

Digitized by Google

ſpei, aut charitatis, quidquid alii ſine ſufficienti fundamento contrarium ſentiant, ut probavimus ſect. 1. concl. 2.

21. *Non poteſt quis ſufficienter atteri, niſi credat ſe poſſe obtinere veniã.*

Certè ipſe Arriaga tom. 5. diſp. 12. n. 25. fatetur, non poſſe quem atteri de peccatis (intellige ſufficienter ad eorum remiſſionem in Sacramento) propter pœnas inferni, niſi credat ſe poſſe obtinere à Deo veniam; aliàs (inquit ille) cur doleret, aut cur proponeret emendationem? Obtinere autem veniam, quid aliud eſt, ſicut ſuprà dixi, quàm accipere remiſſionem peccatorum, & jus ad æternam hæreditatem? Ergo æterna hæreditas, quæ indubiè ſupernaturalis eſt, ingreditur motivum veræ Attritionis, quæ requiritur ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento.

Neque excuſat ignorantia invincibilis.

Neque excuſat ignorantia invincibilis, quia Attritio ſupernaturalis, aut alius actus æquivalens, tam neceſſariò requiritur, quàm ipſa Attritio ſecundùm ſe; ſicuti ergo non juſtificaretur per Sacramentum, qui accederet ſine ullo prorſus dolore, eò quòd invincibiliter ignoraret ejus neceſſitatem, ita pari ratione non juſtificaretur, qui accederet cum Attritione tantùm naturali purè putè conceptâ ex metu gehennæ, quatenus adfert aliquem dolorem naturalem, eò quòd invincibiliter ignoret beatitudinem, quam debet ſperare.

22. *Non poteſt peccator ſufficienter pœnitere ſolis viribus naturæ.*

Alioquin ſolis viribus naturæ, ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, poterit peccator pœnitere, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, cujus oppoſitum definitum eſt à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can 3. ſub hac forma verborum: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* (*Conc. Trid.*)

Quare Trident. diſtinctè enumeret actũ ſpei & Pœnitentiæ.

Ecce Pœnitentia adjungitur à Concilio actibus theologicis in ſubſtantia ſupernaturalibus, quo tacitè ſignificet, & ipſam Pœnitentiam juſtificativam eſſe actum in ſubſtantia ſupernaturalem, puta actum ſpei, aut charitatis; quamquam diſtinctè enumeret illos actus propter diverſum modum tendendi in idem objectum, ſcilicet per modum proſecutionis, & per modum fugæ; non quòd Pœnitentia fugiat beatitudinem, quam ſpes proſequitur, ſed quia fugit illud quod beatitudinis conſecutionem poteſt impedire, hoc eſt, deteſtatur peccatum, quatenus impedit conſecutionem beatitudinis; deteſtatur, inquam, peccati turpitudinem, & pœnam ejus æternam, vel temporalem, quatenus impediunt beatitudinem, quam peccator ſperat per remiſſionem peccatorum obtinere.

Concluſio.

Itaque Attritio, quæ requiritur in Sacramento, oportet ut ſit vel actus elicitus ſpei, aut certè imperatus; talis autem non invenitur in homine, qui ignorat ſive vincibiliter, ſive invincibiliter beatitudinem æternam.

23. His ita prælibatis de motivis Attritionis, ſeu Contritionis imperfectæ, quæ Attritio dicitur, nullo negotio probabitur Concluſio. Quid enim illuſtriùs & evidentiùs, quàm intentionem efficacem finis inferre electionem medii neceſſarii? Itaque Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, aut conſideratione turpitudinis peccati, quatenus gehenna, & turpitudo peccati impediunt conſecutionem beatitudinis, neceſſariò excludit omnem voluntatem peccandi, cùm quælibet voluntas peccandi impediat conſecutionem beatitudinis. Nec puto Divum Auguſtinum umquam hoc negaſſe, ut patebit ex Concl. ſequenti, ubi ſpecialiter de mente Divi Auguſtini in hac controverſia.

24. Interim confirmo Concluſionem ex Concilio Trident. imprimis ſeſſ. 6. can. 8. qui talis eſt: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere; anathema ſit.*

Ergo metus gehennæ, ſecundùm Tridentinum, poteſt excludere omnem voluntatem peccandi, cùm non ſit major ratio de una voluntate, quàm de alia: nam Deus, cujus eſt infligere gehennam, ſcrutatur renes & corda, & non tantùm peccata externa punit, ſed etiam interna & occultiſſima; qui ergo efficaciter timet gehennam, non ſolùm continebit ſe à peccatis externis, ſed etiam à voluntate interna peccandi, quam optimè novit gehennam promereri.

25. Quia tamen reſpondere aliquis poſſet, ly *Per quem* in illo Canone non ſignificare cauſam finalem, ſed ſolùm occaſionem aliquam ſeu principium extrinſecum, hinc ſubjicio alium locum ejuſdem Concilii ex ſeſſ. 14. cap. 4. ibi: *Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudine peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat* &c.

Ergo ſupponit Concilium, Attritionem, quæ concipitur propter (ita quippe interpretatur ly *Ex* Suarius 3. p. q.85. a. 1. diſp. 5. ſect. 2. n. 7.) turpitudinem peccati, aut gehennæ metum, poſſe excludere voluntatem peccandi, aliàs fruſtra apponeret illam conditionem, utpote impoſſibilem.

26. Sicuti fruſtra diceret Conc. poteſt homo abſque gratia Dei abſtinere ab omni peccato ſi velit, quia non poteſt hoc velle ſine gratia Dei.

Ergo

Ergo ſimiliter fruſtra diceret : Attritio, quæ concipitur ex metu ſive propter metum gehennæ, diſponit ad impetrandam gratiam Dei in Sacramento, ſi voluntatem peccandi excludat, ſuppoſito quòd non poſſit illam voluntatem excludere.

Docet ergo Concilium, propter metum gehennæ peccatorem poſſe abſtinere à peccando, ſive metum gehennæ poſſe excludere voluntatem peccandi: & cùm non ſit major ratio, ut dixi, de uno peccato, quàm de alio, Concilium intelligendum venit de omni peccato.

Sed contrà, inquiunt Adverſarii, qui dolet de peccato propter pœnam, magìs dolet de pœna, juxta illud communiter Receptum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magìs*; ergo ſi peccandum foret, vel ardendùm, potiùs eligeret peccare, quàm ardere : ergo talis dolor non excludit voluntatem peccandi.

ſio, de oreſt pec- ad dam ı.

Reſpondeo, de facto neminem poſſe eligere peccatum ad evadendam pœnam, cùm ipſi peccato infallibiliter ſit annexa pœna; adeòque peccare (juxta legem Dei ordinatam) non eſt medium evadendi pœnam, ſed vice verſâ, non peccare eſt medium: ergo qui efficaciter dolet de pœna, neceſſariò eligit non peccare.

3. :a ſol.

Dices; ſaltem ſi nulla eſſet pœna conſtituta, vellet peccare. Reſpondeo, vellet peccare, id eſt, haberet actualem voluntatem peccandi, ſi abeſſet illa pœna, nego; vellet peccare, id eſt, ex vi præciſè illius actûs non vitaret peccatum ceſſante pœnâ, concedo totum. Sed quid tum? Numquid ideo de facto peccat? Quinimmo, etſi habitualiter ita eſſet conſtitutus, ut ſi ſciret nullam pœnam eſſe conſtitutam, peccaret, adhuc ſtaret propoſitum non peccandi de cætero: nam voluntas merè habitualis, & in ſola animi præparatione nihil operatur.

tualis aras opera-

ſatur iſis ex- ıliſ.

Alioquin qui, putans invincibiliter ſe occidere feram, occideret hominem, reus eſſet homicidii, & foret irregularis, ſi poſtea ſcientiâ occidiſſet. Similiter frangeret jejunium, qui ex ignorantia invincibili comederet carnes, comeſturus tametſi ſciviſſet eſſe jejunium, quæ ſunt inaudita. Longè ergo diverſa ſunt *peccat*, &, *peccaret*; niſi velis admittere hominem toties peccare, quoties peccaſſet, ſi tales vel tales circumſtantiæ occurriſſent. Quòd ergo quis peccaret, ſi abeſſet pœna, niſi actualiter dicat, *Volo peccare, ſi abſit pœna*, nullum eſt peccatum.

29. ctrina nſenii oponitur,

Sed antequam pergamus, allubeſcit audire Janſenium de Gratia Chriſti Salv. l. 5. c. 34. quod ſic incipit: Nam quòd iſti Scholaſtici dicunt, iſtam ſententiam ſuam (puta dolorem peccati propter gehennæ metum excludere poſſe omnem peccandi voluntatem, & continere propoſitum bonæ vitæ, ſeu ſervandi totam legem Dei, itemque eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad juſtificationem cum Sacramento obtinendam) in Concilio Trident. ſatìs evidenter tradi, quando dicit, quòd Attritio *quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*; non mediocriter mihi allucinari videntur: Tridentinum enim potiùs vice versâ, multis locis evidenter ſignificat, numquam juſtificationis gratiam ſive extra Sacramentum, ſive in Sacramento, tam Pœnitentiæ, quàm Baptiſmi, adultis dari, niſi Contritio antecedat.

Nam in primis diſertis verbis docet, materiam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe Contritionem, eamque ad peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiri. Et can. 4. damnat eos anathemate qui negaverint, *Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem eſſe tres partes Pœnitentiæ*. Et ne quis ignoraret, quid eſſet iſta Contritio, ſtatim definit eam eſſe animi dolorem, ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Hactenus Janſenius.

Reſpondeo neminem iſtorum Scholaſticorum ignorare, quid ſit iſta Contritio, quæ à Concilio ponitur pars Pœnitentiæ. Apprimè etiam ſcire eos, quòd Concilium videatur illã Contritionem dividere in Contritionem charitate perfectam, id eſt, quæ elicitur ex motivo dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, & Contritionem illam imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam communiter concipitur ex metu gehennæ & pœnarum, vel conſideratione turpitudinis peccati, & ideo omnes admittunt hanc quoque Contritionem, quæ Attritio dicitur, eſſe Contritionem veri nominis & rationis & eſſentiæ. 30.

30. & ab Auctore rejicitur.

Conc. Trid. non exprimit motivum charitatis in deſcriptione neque Contritionis in genere, neque Contritionis imperfectæ.

Sed interrogo unum verbum: ubi Concilium dicit, hanc imperfectam Contritionem debere procedere ex motivo charitatis? Nonne illud exprimit in definitione Contritionis? Clarum eſt quòd non, cùm nulla mentio ibi fiat alicujus motivi; nonne in deſcriptione illius Contritionis imperfectæ? Immo contrarium innuit, quando pro motivo exprimit metum gehennæ & pœnarum, vel conſiderationem turpitudinis peccati, & per iſta ſola motiva diſtinguit Contritionem illam imperfectam à perfecta. Quòd ſi etiam Attritio debeat procedere ex motivo charitatis, jam non erit diſtinctio inter illas Contritiones, niſi penes intenſionem accidentalem.

31. Objectio, quòd motivum cha-

Si replicaveris; motivum charitatis includitur in propoſito emendationis, nam tale propoſitum, ut ſuprà ait Janſenius, omnes vires

ritatis includitur in propoſito emendationis.

vires humanas ſuperat, nec niſi à Spiritu ſancto, per veram, & propriè dictam Chriſti gratiam operante, inſpirari, aut haberi ullo modo poteſt, quia charitatis quidam ſive jam perfectæ, ſive ſaltem imperfectæ fœtus eſt, ſine qua juſtificari nemo poteſt.

Reſponſio, quòd hoc non probetur ex Trid. 1. Cor. 13.

Reſpondeo, hoc non probari ex illo loco Tridentini, ſi per charitatem intelligas illam virtutem, de qua loquitur Apoſtolus 1. Cor. 13. v. 13. dicens: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.* Nam etiam ſpes, quam ibi diſtinguit Apoſtolus à charitate (alioquin non eſſent tria) omnes vires humanas ſuperat, nec niſi à Spiritu ſancto, per veram, & propriè dictam Chriſti gratiam operante, inſpirari aut haberi ullo pacto poteſt, intellige, ſicut oportet, ut juſtificationis gratia conferatur.

32. Attritio de qua Trid. debet eſſe actus elicitus aut ſaltem imperatus ſpei.

Sin autem per charitatem imperfectam intelligat Janſenius ſpem, de qua ſuprà loquitur Apoſtolus, & eſt minor charitate, jungo dexteram, & rurſum dico: Attritio quæ concipitur ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex metu gehennæ & pœnarum, niſi ſit actus elicitus ſpei, aut ſaltem imperatus, nequaquam proximè diſponit ad juſtificationem, etiam in Sacramento, defectu ſcilicet ſupernaturalitatis. Cùm enim juſtificatio noſtra ſit opus ſuperans omnes vires humanas, nec niſi à Spiritu ſancto, per veram, & propriè dictam Chriſti gratiam operante, inſpirari, aut haberi ullo pacto poſſit, jure meritiſſimo ad illam exigitur ſimilis diſpoſitio; ad minus ergo actus ſpei, ſecundùm noſtra principia, quæ non agnoſcunt virtutes morales infuſas.

33. An illa Attritio ſit timor ſervilis.

Et quidem ſi timorem gehennæ, procedentem ex deſiderio beatitudinis æternæ, velis vocare timorem ſervilem, Attritio quam nos ponimus, erit timor ſervilis; nihilominus talis, qui corrigat voluntatem, & excludat voluntatem peccandi, utique anteponens omnibus rebus dilectis Deum, neque aliquid diligens ſupra Deum, aut aliquid magìs, quàm Dei offenſam timens: ſiquidem non timet pœnas propter pœnas, præciſè quatenus ſunt malum aliquod naturale, ſed quia incompatibiles ſunt cum adeptione & poſſeſſione ſummi boni, quod eſt Deus.

Non eſt malû ex timore pœnæ fugere peccatum

Quapropter cùm timor ille bonus ſit & honeſtus (de quo nemo Catholicus umquam dubitavit) ſicut bona eſt ſpes æternæ beatitudinis; medium quoque ſive fuga peccati ſit bona & honeſta, non apparet malum & inhoneſtum, ex tali fine tale medium aſſumere, cùm reverà illud medium ſit proportionatum ad fugam pœnæ, quæ bona eſt; ſicut enim pœna non debetur, niſi propter culpam, ita nullum medium eſt aptius ad vitandam pœnam, quàm vitare culpam.

Nec obſtat, quòd culpa ſit malum altioris ordinis; non obſtat, inquam, quia non ordinatur ejus fuga, ad fugam pœnæ, tamquam ad finem ultimum, poſitivè excludendo finem ulteriorem ſive Deum (ad cujus gloriam totum hoc poteſt ordinari) & aliunde quamdiu non excluditur, hic finis ex ſe in illum tendit, quod ſufficit, ut actus ille non ſit vitioſa cupiditas.

Enimverò etiam Deus ſubinde ordinat bonum altioris ordinis, ad bonum ordinis inferioris, quando videlicet utrumque in gloriam ſuam cedit; ita ordinavit Incarnationem & Paſſionem Chriſti ad gloriam noſtram.

In hoc ergo actu Attritionis nulla eſt deordinatio intrinſeca, quamvis ſit minor perfectio negativa; negativa, inquam, non privativa, quia non caret aliquâ circumſtantiâ ſibi debitâ ex recta ratione, quippe nullatenus oſtenditur ex Scriptura, Conciliis Oecumenicis, aut SS. Patribus omnem noſtram actionem ſemper poſitivè debere referri ex charitate in Deum.

35. Ex his patet veritas ejus, quod ſuperiùs diximus, nimirùm, in tali actu non neceſſariò involvi, etiam virtualiter, hanc conditionalem voluntatem: *Si peccato non eſſet pæna impoſita, non vitarem illud*; quia videlicet illa vitatio pœnæ non eſt finis ultimus, in quo affectus ſiſtit ſuper omne amabile, ſed tantùm eſt finis proximus, qui pro nunc omnino avertit voluntatem ab interno affectu peccandi, ſaltem mortaliter; ſecundùm quem affectum præſentem judicandum eſt de hac voluntate; immo implicat, ſecundùm præſentem Dei legem, ſtare affectum peccandi cum efficaci voluntate vitandi pœnam, ſeu obligationem ad pœnam.

36. Addo ſignanter illam particulam, *Saltem mortaliter*; quia cum vera Contritione, etiam perfecta, poteſt ſtare voluntas peccandi venialiter, ut patet ex dictis ſect. præced. Concluſ. 6. & 7.

Hinc etſi concederem Attritionem, de qua agimus, quia non refertur poſitivè in ultimum finem, qui eſt Deus, concederem, inquam, illam Attritionem, ſeu potiùs illum defectum ſeu omiſſionem relationis vitioſam eſſe cupiditatem, ut aliqui videntur imaginari, non idcirco deberem admittere ejus Attritionis inſufficientiam ad juſtificationem obtinendam in Sacramento; quia indubiè ille defectus ſeu omiſſio non eſt peccatum mortale, niſi velis dicere, eum peccare mortaliter, qui comedit aut bibit, ſedet aut ambulat, & ſic de cæteris actionibus naturalibus, non poſitivè illas ordinando ad gloriam Dei juxta præceptum Apoſtoli ſecundùm te (nam ſecundùm me ſolùm eſt conſilium) 1. Cor. 10. 1. Cor. 10. v. 31.

v. 31. *Sive ergo manducatis ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

37. ...tio ...tur. Arguis: ſi illa omiſſio eſt vitioſa cupiditas; ergo illa Attritio non eſt actus ſupernaturalis: ergo non eſt diſpoſitio ſufficiens. Reſp. neg. primam Conſeq. nihil enim obſtat, quin actus ſupernaturalis extrinſecè poſſit vitiari, v. g. ex fine vanæ gloriæ, vel ex præcepto, quo Deus reflexè eum prohiberet. Cùm enim in exiſtentia actûs ſupernaturalis, v. g. ſpei, non ſit ratio boni neceſſarii, & in carentia ejus poſſit eſſe aliqua honeſtas, ſcilicet obedientiæ, poteſt Deus velle ut hìc & nunc talis actus non exiſtat.

Ratio prohibitionis erit oſtenſio ſummi dominii Dei. Sicuti poteſt Deus ratione ſummi dominii, quod habet in omnes creaturas, velle, ut aliqua creatura, etiam perfectiſſima, v.g. Angelus, aut Unio hypoſtatica, non exiſtat. In tali, dico, caſu, adhuc poſſet voluntas velle elicere actum ſpei v.g. & conſequenter elicere, cùm enim ex objecto ſuo bonus ſit, debetur voluntati concurſus ſupernaturalis.

38. Herculè ſuppoſitâ elevatione hominis ad ſtatum ſupernaturalem, jam Deus hìc & nunc ſolùm ſe gerit inſtar cauſæ univerſalis (quamvis reverà ſit cauſa ſpecialis) ſicuti poſtquam voluit, ut legitimus Sacerdos adhibens omnia eſſentialia, poneret Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini, ipſe etiam ſupernaturaliter debet concurrere ad illam poſitionem, etſi fiat à Sacerdote ex malo fine, vel contra reflexam prohibitionem Dei aut Eccleſiæ; quoniam poſitio illa in ſe bona eſt, & malæ intentioni Deus ſpecialiter non cooperatur.

Gratis itaque admiſſo præcepto Dei, quo voluit omnes actus noſtros tam naturales, quàm ſupernaturales, per conſequens actum ſpei poſitivè referri in ſuam gloriam, adhuc ſpecialiter debet concurrere ad actum ſpei, qui ex objecto ſuo eſt honeſtus (nam aliàs non poſſet referri in gloriam Dei) tametſi voluntas noſtra poſitivè illum non referat, & per illam omiſſionem peccet venialiter; nam ad illam omiſſionem, quæ intrinſecè mala eſt, Deus ſpecialiter non cooperatur, ſed dumtaxat ad actum ſpei, qui intrinſecè & ex objecto ſuo eſt bonus. Cæterùm cum peccato veniali poſſe conſiſtere diſpoſitionem ſufficientem ad juſtificationem, paſſim admittitur, de quo plura diſp. ſeq. ubi de dolore ſacramentali.

39. Nunc pergo ad alias objectiones contra principalem doctrinam. Ut aliquis, opponunt Adverſarii, habeat propoſitum efficax vitandi omnia peccata mortalia, debet eligere potiùs pati pœnas inferni, quàm peccare; ergo ex odio inferni nequit habere voluntatem non peccandi, ſiquidem non poteſt ex odio inferni eligere infernum.

Reſp. I. per illam deteſtationem peccati ſuper omnia ex odio inferni, non neceſſariò dicitur explicitè, *Volo potiùs ſubire infernum, quàm peccare*; ſed dumtaxat, *volo non habere actum electionis, quo oſtendam me potiùs velle peccatum, quàm infernum, eò quòd talis electio adferret mihi ipſum infernum.* Prima reſponſio.

40. Reſp II. quamvis in propoſito emendationis, quod neceſſarium eſt ad juſtificationem, diceret homo: *Volo eligere & velle magìs infernum, quàm peccatum*; adhuc non vellet per illud propoſitum infernum ipſum; neque enim coincidunt: *Volo offerre me ad aliquod objectum*, &, *Volo illud objectum*; v. g. *Volo me offerre ad mortem*, &, *Volo mortem*: etenim qui ſciret quòd ſe offerendo inimico ad mortem, evaderet mortem, poſſet indubiè ex deſiderio vitandi mortem, velle ſe offerre, & de facto ſe offerre occidendum ſuo inimico. Reſpondetur a.

Ergo conſimiliter peccator ex deſiderio vitandi infernum, quod ſcit vitari hoc modo, nempe offerendo ſe Deo ad patiendum potiùs infernum quàm peccandum, poteſt velle ſe offerre, & de facto eligere magìs infernum, quàm peccatum.

Nonne actu dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia homo magìs odit peccatũ, quàm infernũ? Et tamen ex deſiderio beatitudinis æternæ & metu damnationis ęternæ poteſt ſibi voluntas imperare talẽ actum (ut omnes concedunt) tamquã utilem, imò quandoque neceſſarium ad evadendum infernum: ergo pari ratione poterit peccator ex odio inferni habere propoſitum vitandi quodcumq; peccatum; & tale propoſitum debet habere, ut Attritio, procedens ex illo odio, ſit ſufficiens diſpoſitio in Sacramento. Ex deſiderio beatitudinis poteſt voluntas ſibi imperare actum dilectionis Dei ſuper omnia.

41. Sed contrà; quid ſi peccator ſciret, quòd Deus electionem inferni acceptaret, & mitteret in infernum? Reſpondeo, quid ſi cælum rueret? *Nec pot nec panna maneret*, ut vulgò dicitur. Metus inferni eſt ſufficiens motivum ad vitandum omnia peccata, quæ de facto in hoc rerum ordine nata ſunt occurrere per ſe & ſecluſâ ignorantiâ. Nam de facto numquam aliquis incurret pœnas inferni, ex eo quòd potiùs eas eligat, quàm peccatum; neque peccatum mortale eſt ulli medium ad fugiendum infernum. Satìs ergo eſt ad propoſitum univerſale & efficax, ut aliquis efficaciter velit numquam peccare in omnibus caſibus, qui ſecundùm legem ordinatam poſſunt occurrere. Objectio. Solutio. Metus inferni eſt ſufficiens motivum ad vitandum omnia peccata, quę de facto occurrunt per ſe & ſecluſâ ignorantiâ.

Dixi: *Per ſe loquendo, & ſecluſâ ignorantiâ*, quoniam per accidens poſſet quis reduci ad tales anguſtias, quòd putaret ſibi peccandum vel ſe damnandum, ut ſi Dœmon minaretur infernum niſi peccaret: hoc tamen non obſtat dictis; quippe ſufficit, quòd motivum de per ſe ſit ſufficiens; aliàs namque nec motivum charitatis perfectæ ſufficeret: v. g. ſi quiſpiam ex ignorantia putaret peccatum manens peccatum non diſplicere Deo, ſed placere, haud poſſet Quare additur ly per ſe &c.

poſſet tali caſu ex amore Dei propter ſe velle vitare illud peccatum. Item ſi aliquis non advertat mendacium diſplicere Deo, quamvis advertat ad illius propriam malitiam. Quis propterea negat motivum dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia ſufficere?

42. *Alia objectio.* Opponis rurſum: qui dolet de peccato ex efficaci amore ſuæ ſalutis, ſolùm habet virtualem voluntatem medii neceſſarii; atqui tale medium non eſt, hìc & nunc vitare hoc peccatum, ſatis enim eſt vel vitare illud, vel de illo commiſſo poſtmodum dolere per Pœnitentiam: ergo &c.

Reſpondetur. Reſp. neg Minorem, ſi ſalus æterna conſideretur in ordine ad me; quia licèt Deus poſſit mihi dare tempus Pœnitentiæ, equidem hoc non eſt in mea poteſtate; quare, ſi volo efficaciter ſalvari, volo efficaciter non peccare, id eſt, volo non ponere impedimentum, quod neutiquam eſt in mea poteſtate tollere: veluti ſi volo efficaciter vivere; non projicio in mare unicum panem, licèt ſciam, quòd Petrus fortè dabit mihi dimidium ſui panis.

Replica ſolvitur. Contrà; poſſum ſcire ex revelatione divina me eſſe prædeſtinatum. Reſpondeo, ſicut homo dolet nunc ex motivo Attritionis de peccatis præteritis remiſſis, tametſi ſciat ſe propter ea non damnandum, idque, quia ſaltem expoſuit ſe periculo, & dedit cauſam condignam æternæ damnationis; ſic ex eodem odio perſequitur quodlibet peccatum futurum, quod poſſet adferre tale periculum, & dare talem cauſam.

43. *Concluſio.* Igitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. nullatenus adverſatur noſtræ doctrinæ, aut eam proſcribit, ſed optimè ex illo loco probatur, dum, ut ſuperiùs diximus, per motivum diſtinguit Contritionem charitate perfectam ab Attritione; & pro motivo Attritionis ſtatuit metum gehennæ, aut conſiderationem turpitudinis peccati.

Motivum intrinſecum Contritionis charitate perfectæ & Attritionis. Pro motivo, inquam, intrinſeco; id eſt, quemadmodum objectum intrinſecum Contritionis charitate perfectæ, eſt ſumma Dei bonitas in ſe ſpectata, ita objectum intrinſecum Attritionis eſt eadem Dei bonitas, quà nobis bona eſt: & ſicuti Contritio charitate perfecta, deteſtatur omne peccatum mortale præteritum, & fugit, ſeu timet efficaciter omne peccatum mortale futurum, quatenus eſt offenſa ſummæ Dei bonitatis in ſe ſpectatæ; pari ratione Contritio imperfecta, deteſtatur omne peccatum mortale præteritum, & fugit ſeu timet efficaciter omne peccatum mortale futurum, quatenus eſt offenſa ſummæ Dei bonitatis, quà nobis bona eſt, id eſt, quatenus impedit æternam beatitudinem.

44. *Metus gehennæ poteſt eſſe objectum ex-* Cæteroquin metus gehennæ & conſideratio turpitudinis peccati, nonne etiam poſſunt eſſe objecta extrinſeca Contritionis charitate perfectæ? Nonne Contritio, quæ ex illis motivis concipitur, poteſt eſſe diſpoſitio remota ad juſtificationem extra Sacramentum? Nemo dubitat.

Ergo quando Concilium ſpecialiter ſtatuit metum gehennæ, ſive gehennam, motivum Attritionis, intelligit motivum intrinſecum modo jam explicato, & quando docet illam Attritionem diſponere ad juſtificationem in Sacramento, loquitur de diſpoſitione proxima.

45. Negatur, inquis, Conſequentia: nam præter gehennam & turpitudinem peccati, ſunt alia motiva, ut ſignificat ly *Communiter*, quo utitur Concilium dicens: *Communiter concipitur*, ut ſuprà expendimus. Deinde Concilium ibi comparat Attritionem, Pœnitentiæ Ninivitarum, quæ ſolùm erat diſpoſitio remota ad miſericordiam.

Reſpondeo; eſtò ſint alia motiva Attritionis, equidem non majoris virtutis aut efficaciæ, quàm gehenna aut turpitudo peccati: quæ enim illa eſſent? Certè conveniebat, quòd Concilium principaliora & motiva intrinſeca, immo, ſecundùm Adverſarios, neceſſaria ad juſtificationem in Sacramento enumeraret potiùs, quàm illa, quæ ſe ſolis non ſufficiunt, ut ipſi exiſtimant.

46. Deinde Pœnitentia Ninivitarum proxima fuit diſpoſitio, non ad juſtificationem, de qua fortè ibi non agitur, ut ſuperiùs inſinuavi, ſed ad miſericordiam impetrandam ſuper malitiam (id eſt excidium civitatis) quam locutus fuerat Deus, ut faceret eis; quippe non leguntur aliud medium adhibuiſſe, & tamen Deus non fecit, quod locutus fuerat, ut faceret eis.

Accedit, quòd tempore illo non erat Sacramentum Pœnitentiæ; adeòque non mirum ſi tunc Pœnitentia plena terroribus proximè non ſufficiebat ad juſtificationem, nam unicum medium juſtificationis erat Contritio charitate perfecta; porrò in lege nova Chriſtus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, quod ſuppleret defectum Contritionis charitate perfectæ; unde nos minimè aſſerimus, quòd Attritio ex illis motivis ſe ſolâ ſit proxima diſpoſitio ad juſtificationem, ſed cum Sacramento, ſive in Sacramento, id eſt, quòd ſit proxima diſpoſitio ad ipſum Sacramentum, quod proximè juſtificat.

47. Ex hactenus dictis explicari poterit alius locus Concilii Trident. quem Adverſarii putant validiſſimum ad impugnandam noſtram doctrinam. Eſt autem cap. 6. ſeſſ. 6. ubi requirit (inquit Ianſenius ſuprà) ad *eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agere oportet*, id eſt, quæ requiritur tamquam diſpoſitio neceſſaria, *fidem, ſpem, dilectionem Dei tamquam fontis omnis juſtitiæ*. Et, *ut propterea*, hoc eſt, quia Deum ut juſtitiæ fontem diligit, *adverſùs peccata moveatur*, idque non quolibet modo, *ſed per*

per odium aliquod & deteſtationem. Denique poſtulat *propoſitum inchoandi novam vitam, & ſervandi divina mandata.* Qui tamen perſpicuè ſunt effectus divinæ cæleſtiſque charitatis, ut nullo colore probabilitatis negari queant. Nam dilectio juſtitiæ ſexcentis locis ab Auguſtino vocatur charitas Dei, & timori pœnæ opponitur. Hucuſque Ianſenius.

[margin: ...i ab ...li- ...i vo- ...hari- ...i?]

A quo utique ſi quæro; numquid & ſpes ab Auguſtino vocatur charitas Dei? Illico reſpondet cap. 9. ejuſdem libri (quod inſcribitur: *Spes Chriſtiana non oritur ex amore concupiſcentiæ, ſed genuinæ charitatis*) reſpondet inquam: Carnalis amoris eſſe dicit (S. Auguſt. in pſalm. 140.) *nolle diſcedere ab invicem, ſuis collocutionibus conciliari, deſiderare ſe abſentes, gaudere ad præſentiam ſuam.* Et ſpiritalis charitatis timere abſentiam, fruique deſiderare: *Cùm times Deum* (timore caſto charitatis) *ne te deſerat præſentia eius, amplecteris eum, ipſo frui deſideras* (Tract. 9. in Epiſt. Joan.) quod mulieris caſtæ virum diligentis exemplo probat. Certiſſima eſt iſta veritas, & ſexcentis teſtimoniis adſtrui poteſt. Hæc ille.

[margin: ...ident. ...iat di- ...nem ...ctam]

Sed rurſum aliquis interrogat: Tridentinum ſuprà requirens pro diſpoſitione neceſſaria fidem, ſpem, dilectionem Dei, intelligit dilectionem Dei diſtinctam à ſpe? Si affirmas, infert: ergo Pœnitentia, quam ante Baptiſmum agere oportet, erit Contritio charitate perfecta, id eſt odium & deteſtatio peccati proveniens ex dilectione Dei propter ſe ſuper omnia. Sin autem non requiratur dilectio diſtincta à ſpe, cur, inquit, Tridentinum ſpem & dilectionem quaſi actus diſtinctos enumerat?

49. [margin: ...na ex- ...ano ...orum ...dentini.]

Fateor, hic locus Tridentini primâ fronte apparet contrarius noſtræ ſententiæ, eò quòd videatur requirere actum dilectionis diſtinctum ab actu ſpei; hinc aliqui Doctores reſpondent, Concilium ibi loqui de Pœnitentia juſtificativa ante Baptiſmum, non autem cum Baptiſmo, ut ſenſus ſit: *Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet*, id eſt, Pœnitentiam, quam agi oportet ad obtinendam juſtificationem ante realem ſuſceptionem Baptiſmi; illa ſiquidem Pœnitentia neceſſariò oritur ex dilectione Dei propter ſe, utpote quæ ſola juxta Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. hominem Deo reconciliat, antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur. Et quamvìs illo cap. 4. diſſerat de Sacramento Pœnitentiæ, eadem tamen eſt ratio, ſecundùm Doctores communiter, de Sacramento Baptiſmi.

50. [margin: ...ux colligi- ...ır ex ipſo ...ontextu.]

Hanc porrò interpretationem Concilii colligunt ex ipſo contextu, qui talis eſt: *Diſponuntur autem* (impii) *ad ipſam iuſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ iuſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; illumq; tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet: denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Ecce, inquiunt illi, poſt Pœnitentiam meminit Concilium propoſiti ſuſcipiendi Baptiſmum: ergo in præcedentibus egit de mediis juſtificationis neceſſariis ante ſuſceptionem Baptiſmi.

51. Reſponſio Adverſariorum.

Reſpondent Adverſarii diſtinguendo Conſequens: de mediis ipſo facto juſtificantibus ante Baptiſmum, negant Conſequentiam; de mediis diſponentibus, concedunt totum. Siquidem traditur ibi modus præparationis ad juſtificationem in adultis; nam caput illud inſcribitur: *Modus præparationis.* Nullo autem verbo ſignificat Concilium, illum modum præparationis ſine Sacramento ſufficere: imò potiùs contrarium, cùm tantùm requirat inceptionem charitatis ſeu dilectionis, *diligere*, inquit, *incipiunt*, ubi tamen poſtmodum ad juſtificationem extra Sacramentum, nimirum ſeſſ. 14. c. 4. poſtulat Contritionem charitate perfectam.

Quare Concil. ultimo loco faciat mentionem Baptiſmi.

Nec mirum quòd ultimo loco faciat mentionem Baptiſmi, ſive propoſiti ſuſceptionis Baptiſmi; quippe illud propoſitum oritur ex illa Pœnitentia, id eſt, odio & deteſtatione peccati; priùs enim eſt deteſtari peccatum præteritum, quàm fugere peccatum futurum, quia enim diſplicet peccatum præteritum, ideo voluntas proponit vitare futurum. Unde in definitione Contritionis, propoſitum emendationis ſequitur dolorem & deteſtationem: *Contritio*, inquit Trid. ſeſſ. 14. c. 4 *animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.*

52. Scripturæ ex quibus Concil probat modum præparationis ad juſtitiam.

Confirmatur; quia Concilium probans prædictam diſpoſitionem ex Scriptura ſacra, inquit: *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.* (Heb. 11. v. 6.) *Et: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* (Matth. 9. v. 2.) *Et: Timor Domini expellit peccatum.* (Eccli. 1. v. 27.) *Et: Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritûs ſancti.* (Act. 2. v. 38.) *Et: Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, docentes eos ſervare quæcumque mandavi vobis.* (Matt. ult. v. 19.) *Denique: Præparate corda veſtra Domino.* (1. Reg. 7. v. 3.) Hactenus Concilium. In quibus verbis conjungit Pœnitentiam cum Baptiſmo: agit ergo in ſuperioribus de Pœnitentia neceſſaria ſimul cum Baptiſmo.

Qua-

53. Secunda explicatio Concilii.

Quapropter alii reſpondent, cùm in his Scripturis nulla inveniatur, quæ apertè probet neceſſitatem actûs charitatis, ſeu dilectionis Dei propter ſe, ſed tantùm fidei, ſpei, timoris & Pœnitentiæ; Concilium per ly *Diligere incipiunt*, non intelligere verum actum charitatis ſeu dilectionis Dei propter ſe, ſed dumtaxat actum ſpei; nam hic actus conſiderat Deum, & illum amplectitur tamquam omnis juſtitiæ fontem, id eſt, tamquam remuneratorem & largitorem bonorum ſupernaturalium.

Quomodo ſint intelligenda illa verba Conc. *Fidentes Deum.* &c.

Cui non obſtat, quòd immediatè ante faciat mentionem actûs ſpei, dicens: *Fidentes Deum* &c. quia per illa verba vult ſolummodo intelligi actum aliquem intellectûs, qui debet præcedere verum actum ſpei, ſcilicet judicium, quo judicant impii ſe accepturos remiſſionem peccatorum ſive veniam; nullus quippe ſperat, quod non judicat ſe accepturum.

54. Occurritur objectioni Adverſariorum.

Sed quia facilè reſponderi poſſet, quòd Concil. in præcedentibus meminerit illius judicii ibi: *Credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam eius* &c. Hinc aliam excogitaverunt interpretationem horum verborum: *Illumq; diligere incipiunt* &c. dicentes, per ipſa tantummodo explicari naturam actûs ſpei, qui requiritur tamquam diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem, id eſt, qualis debeat eſſe actus ſpei, de quo dictum erat, *Fidentes Deum* &c. quaſi diceret Concilium: *Fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*, atque ita illum *diligere incipiunt*, id eſt, per talem actum fiduciæ *Deum diligere incipiunt, tamquam omnis iuſtitiæ fontem*; vel ſic, qui actus fiduciæ, eſt actus dilectionis Dei tamquam fontis omnis juſtitiæ, & miſericordiæ largitoris.

55. Tertia explicatio Concilii.

Sed neque hæc explicatio omnibus placet; ideo tertiam addo, puta, Concilium ibi non agere de ſola juſtificatione in Baptiſmo (licèt Baptiſmi mentio fiat) nec de ſola juſtificatione extra Sacramentum, ſed de juſtificatione adulti in genere, ſive intrà, ſive extra Sacramentum, quod ſatìs colligitur, tum ex initio capitis, tum ex præcedentibus capitibus, ſemper enim in iis agit de juſtificatione in genere.

Nonne cap. 4. docet, hominem juſtificari per Baptiſmum in re, vel in voto? *Quæ quidem tranſlatio* (id eſt juſtificatio) *poſt Euangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt.* Ita Concilium.

56. Verba Concilii poſſunt accommodari juſtificationi impii intrà & extra Sacramentum.

Hinc cap. 6. ita temperat verba ſua, referens actus, quibus ad juſtificationem diſponuntur impii, ut accommodari poſſint juſtificationi intrà, & extra Sacramentum, ac proinde Attritioni & Contritioni charitate perfectæ. Propter quod etiam non dixit: *Per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi neceſſarium eſt*, ſed, *agi oportet*, id eſt, ſaltem opportunum & conveniens eſt.

Similiter illa verba: *Ac propterea moventur adverſùs peccata* &c. poſſunt referri, vel ad verba proximè præcedentia, *illumq; tamquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt*, & ita intelligentur de Contritione charitate perfecta; vel referri poſſunt ad omnia, quæ præceſſerunt, ſive ad omnes actus ibi recenſitos, fidei, timoris, ſpei, & ſic intelligi debent etiam de Attritione.

Enimverò Concilium eò loci non intendit referre ſolos & omnes actus omnino neceſſarios ad juſtificationem, ſed eos, qui communiter ſolent præmitti in juſtificatione adultorum, ut liquet manifeſtè, partim, quia concepto actu fidei poſſet quis prætermiſſo actu timoris & ſpei Deum propter ſe ſuper omnia diligere, & de peccatis ſuis perfectè conteri, adeòque juſtificari ſine actibus à Concilio ibi recenſitis; partim, quia idem Concilium infra ſeſſ. 14. c. 4. docet in Sacramento Pœnitentiæ ſufficere dolorem conceptum ex conſideratione turpitudinis peccati, vel metu gehennæ, nullâ factâ expreſsâ mentione dilectionis Dei propter ſe: ergo veriſimile eſt eumdem dolorem etiam ſufficere in Sacramento Baptiſmi, cum teſte eodem Concilio ſeſſ. 14. c. 2. *Meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à SS. Patribus dictus fuerit.* Si ergo Attritio ſufficit ad laborioſum Baptiſmum, multò magìs videtur ſufficere ad Baptiſmum ſimpliciter.

Itaque Concilium ſeſſ. 6. c. 6. non deſcripſit diſpoſitionem ſimpliciter & abſolutè neceſſariam, ſed vel eam, quæ omnium optima eſt, & hominibus etiam ante Baptiſmum conſulenda; vel certè enumeravit eos actus, qui per ſe loquendo ſunt aliquo modo neceſſarii, non determinans, an omnes ſimul ſint neceſſarii in omni juſtificatione intrà, & extra Sacramentum; an verò perfectiores ſint neceſſarii extra Sacramentum, alii minùs perfecti cum Sacramento ſufficiant; quòd clarius ipſummet Concilium docuit ſeſſ. 14. cap. 4. Ita Suarius tom. 3. in 3. part. diſput. 28. ſect. 2. 58.

Neque huic explicationi adverſatur illa particula, quâ utitur Concilium, *Diligere incipiunt*, ſiquidem non ſignificat imperfectionem in actu dilectionis, ſed novitatem, quaſi diceret, qui antea erant averſi à Deo, jam Deum diligunt.

59. Confirmatur hæc explicatio primò.

Confirmatur hæc explicatio primò: quia diligere magìs ſtat pro dilectione perfecta, ſeu amore Dei propter ſe ſuper omnia, juxta illud Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum* &c. Et iſtud Joan. 1. c. 2. v. 5. *Qui ſervat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt.* Nam cùm dilectio imperfecta poſſit eſſe cum peccato mortali

tali non meretur nomen dilectionis ſimpliciter.

Quòd verò Concilium loquatur de dilectione Dei tamquam fontis omnis juſtitiæ, non excludit quin dilectio illa ſit amor benevolentiæ, ſeu amor Dei propter ſe, ſed ſignificat amorem illum debere ferri in Deum ut ſupernaturalem finem & Auctorem, ille autem poteſt eſſe ſpei & charitatis; ſicut amor naturalis, quo Deus diligitur ut Creator, & Auctor naturæ, poteſt eſſe concupiſcentiæ, diligendo illam perfectionem Dei mihi, & etiam benevolentiæ, diligendo illam in ſe.

50. *firma- cundò.* Confirmatur II. quia Concilium eâdem ſeſſ. can. 3. definit, neminem ſine gratia excitante & adjuvante *credere, ſperare, diligere, pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur*: quibus verbis procul dubio comprehenditur dilectio Dei propter ſe ſuper omnia, & Pœnitentia ſeu Contritio charitate perfecta: ergo etiam cap. 6.

51. *onſio- icujus* Reſponderi poſſet, ait Quidam, in iſto Canone aliquid ampliùs contineri, quàm in cap. 6. idque quia deſumptus eſt verbotenùs ex Arauſ. II. can. 6. Quare nec in margine fit remiſſio ad cap. 6. utì fit in aliis Canonibus, in quibus præcisè ſummatur doctrina capitum.

Fateor, in margine non fit remiſſio ad cap. 6. ſed ad cap. 5. idque quia præcipuum intentum iſtius Canonis eſt, definire neceſſitatem gratiæ prævenientis & adjuvantis. Interim enumerantur actus diſpoſitivi ad juſtificationem, & nulla eſt ratio dicendi, quòd diverſi ab iis actibus, quos Concil. enumeraverat cap. 6. Quod autem additur, illum Canonem eſſe verbotenùs deſumptum ex Arauſ. II. can. 6. haud facilè credet, qui textum inſpexerit.

Habes itaque benigne Lector tres diverſas interpretationes illius loci Concil. Tridentini, quem Adverſarii putant validiſſimum ad impugnandam noſtram doctrinam: elige quam volueris, & citiùs dixeris, Concilium non adverſari noſtræ Concluſioni. Si autem à me quæritur, an D. Auguſtinus ei repugnet? Reſpondeo:

CONCLUSIO III.

Non repugnat Auguſtino doctrina, quâ docetur, dolorem peccati propter gehennæ metum, ſeu Attritionem, excludere poſſe omnem peccandi voluntatem, & continere propoſitum bonæ vitæ, ſeu ſervandi totam legem Dei.

Timoris gehennæ multum eſſe fructum, oſtendit ex Divo Auguſtino Janſenius ſuprà cap. 35. Primus eſt, quòd quamvis à peccato animum non contineat, manum tamen, cæteraque coërcet membra, ne in facta proſiliant. Epiſt. 144 *Pœna corporis*, inquit Auguſtinus, *etſi non à voluntate peccandi, tamen revocat ab opere peccati*. Et lib. 2. contra literas Petiliani cap. 83. *Timor pœnæ, etſi nondum habet delectationem bonæ conſcientiæ, ſaltem intrà clauſtra cogitationis coërcet malam cupiditatem.* 62.

Multus eſt fructus timoris gehennæ. Primus revocatio ab opere peccati S. Aug.

Ex hac autem compreſſione malæ voluntatis naſcitur ſecundus fructus, ſcilicet quòd impeditur homo, ne peccata delectabilia ſæpiùs perpetrando, catenas concupiſcentiæ ſibi nectat ineluctabiles, juxta illud D. Auguſtini 8. Confeſſ. c. 5. *Ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*; id eſt, magna difficultas. *Hodie* (inquit idem S. Doctor lib. 2. contra Fel. c. 8.) *liberâ voluntate faciunt homines conſuetudinem, quam cùm fecerint, facilè ſuperare non poſſunt.* 63.

Secundus impeditio conſuetudinis peccandi. S. Aug.

Hanc conſuetudinem malorum operum tollit, ſeu impedit timor gehennæ. *Proinde* (inquit Auguſtinus Epiſt. 120. c. 18.) *præmiſſus timor in cor noſtrum, pellit ibi conſuetudinem malorum operum, & ſervat charitati locum, quâ tamquam Dominâ veniente, ut illa inſideat, abſcedit.* Hinc naſcitur

Tertius fructus, puta, facilitas bene faciendi. *Timent quidem* (ait Auguſtinus in Pſalm. 127.) *ſed non amant juſtitiam, cùm autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus, & jam incipit homo juſtè vivere, propterea non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem.* 64.

Tertius facilitas bene faciendi. D. Aug.

Quartus & ultimus fructus eſt, ut dum peccatores vehementer timent pœnas, quas Deus tranſgreſſoribus legis comminatur, timore preſſi, & coarctati ad Dei miſericor- 65.

Quartus confugium ad Dei miſericordiam.

Digitized by Google

diam ſupplices fugiant, quatenus miſſo cælitùs adjutorio ad faciendam legem, ab intentata pœna liberentur. *Lex* (inquit Divus Auguſtinus) *iram* (id eſt, ſupplicium) *operatur, ut ad iram evadendam, gratia requiratur.* lib. 2. oper. imperfect. contra Julian. f. 366. (S. Aug.)

Concluſio. Cùm igitur tanti ſint fructus timoris gehennæ, meritò Sanctus Auguſtinus Ser. 18. de verb. Apoſt. exclamat dicens: (S. Aug.) *Modò cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus ſum? Malè times? Vanè times? Non audeo, quandoquidem ipſe Dominus ablato timore* (mortis corporalis) *ſubiecit timorem* (gehennæ) *& ait, ubi dixit:* (Luc. 12. v. 4. & 5.) Nolite timere eos qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant: ſed eum timete, qui habet poteſtatem, & corpus & animam mittere in gehennam ignis, ita dico vobis, hunc timete. *Cùm ergo Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum, comminationem ingeminaverit, dicturus ego ſum, male times iſta? Non dicam. Planè time, nihil melius times, nihil eſt quod magìs timere debeas.*

66. (De bonitate & honeſtate timoris gehennæ non eſt dubitandum. Triden.) Igitur de bonitate & honeſtate timoris gehennæ, non eſt dubitandi locus, nequidquam ringentibus, frendentibus, oblatrantibus hæreticis noſtri temporis, quos damnat Concilium Triden. ſeſſ. 6. can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit.*

Item ſeſſ. 14. can. 5. *Si quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem ...... anathema ſit.*

67. (Contrarium errorem damnavit Leo X.) Quidni damnaret illum errorem Concilium Trident. quem pridem damnaverat Leo X. in Bulla contra errores Martini Lutheri? Sextus quippe error ſequentis erat tenoris: *Contritio quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc Contritio facit hypocritam, immo magìs peccatorem.*

(& ex ratione naturali reprobatur.) Non ſic Martine, non ſic. Nonne lumen naturale evidentiſſimè demonſtrat, bonum & honeſtum eſſe, immo ſanctum, ex amore proximi velle ipſum liberare à graviſſimis doloribus, quos patitur? Si ſanctum eſt ipſum liberare; quidni ſanctum ſit, timere & cavere, ne iſti dolores proximo obveniant? Objectum bonum eſt, ſcilicet carentia dolorum, & aliunde non admiſcetur aliqua inordinatio, ut ſuppono: ergo &c.

Quod ſi bonum, honeſtum, ac ſanctum eſt, ex amore proximi ipſum velle liberare, proximo timere dolores corporales, & velle proximum ab illis doloribus præſervare, quidni etiam bonum, honeſtum ac ſanctum dixerim, ex amore proprio ſeipſum velle liberare, ſibiipſi timere, & ſeipſum velle præſervare à graviſſimis doloribus corporalibus, quales ſunt dolores gehennæ? *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ait Veritas Chriſtus Matth. 22. v. 39. (Mat. [illegible])

Quomodo autem potero effugere dolores inferni, niſi abſtineam non tantùm à peccato externo, ſed etiam ab interna voluntate peccandi? Non eſt poſſibile, nec ullo modo poteſt, cùm fixum & immobile ſit decretum divinum, quo voluit non tantùm peccatum externum, ſed etiam meram internam voluntatem punire pœnâ æternâ, aut temporali pro qualitate delicti. Qui ergo timet gehennam, & ex illo timore abſtinet ab opere tantùm exteriori, planè convincitur non timere efficaciter, cùm ſciat ſe propter puram putam internam voluntatem peccandi in æternum puniendum. ([illegible])

Et quamvis ille timor inefficax bonus ſit, in quantum cauſat abſtinentiam à peccato exteriori, & impedit conſuetudinem externam peccandi &c. neutiquam tamen ex omni parte beatus, cùm non liberet, aut præſervet à malo, quod ſic operans timet. Neque proximè diſponit ad juſtificationem, etiam in Sacramento, ut nimis clarum eſt, quàm ut indigeat aliquâ probatione.

Atque de hoc timore inefficaci paſſim loquitur D. Auguſtinus tamquam de frequentiori, & magìs peccatoribus uſitato. Audiamus ipſum de verb. Apoſt. Serm. 18. ubi verbis ſuprà recitatis extemplò ſubjungit: *Sed interrogo te, ſi non te videret Deus, quando facis, nec quiſquam te convinceret in iudicio illius, faceres adulterium? Tu te vide. Non enim potes ad verba omnia mea reſpondere: inſpice teipſum. Faceres? Si faceres, ergo pœnam times, charitatem nondum habes* (aliàs, caſtitatem nondum amas) *ſerviliter times, formido eſt mali, nondum delectatio boni, ſed time, etiam ut iſta formido cuſtodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iſte, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te, & ſic volentem peccare animo interiore, non finit: eſt quidam cuſtos timor, quaſi pædagogus legis, litera eſt minans, nondum gratia iuvans. Cuſtodiat tamen timor iſte, dum non facis timendo, & veniet charitas, intrat in cor tuum, & quantùm illa intrat, tantùm timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres, charitas hoc agit, ut nolis facere, etiamſi impunè poſſis admittere.* (6[illegible] De timore inefficaci loquitur paſſim D. Aug. tamquam de frequentiori.)

Non

Digitized by Google

tas pro ia atio· Non gravetur Lector, ſi pergo in recitandis verbis D. Auguſtini, neque enim exiſtimo urgentiora inveniri in toto Auguſtino pro ſententia Adverſariorum. Sic ergo proſequitur S. Doctor: *Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis. Sectamini charitatem, intret charitas, admittite illam, timendo peccare, admittite amorem non peccantem, admittite timorem bene viventem. Illa, ut dicere cœperam, intrante, incipit timor exire. Quantò plùs illa intraverit, tantò timor minor erit. Cùm illa tota intraverit, nullus timor erit, quia* perfecta charitas foràs mittit timorem. *Intrat* n. 4. *ergo charitas, pellit timorem, non autem intrat & ipſa incomitata. Habet ſecum ſuum timorem, quem introducit ipſa, ſed illum caſtum permanentem in ſæculum ſæculi.*

Sit ſer- timor, s ca- *Servilis timor eſt, quo times cum diabolo ardere, timor caſtus eſt, quo times Deo diſplicere. Conſiderate Chariſſimi & ipſos humanos interrogate affectus. Timet ſervus offendere Dominum ſuum, ne iubeat eum verberari, iubeat in compedes mitti, iubeat carcere includi, iubeat eum piſtrino conteri. Hæc timens ſervus non peccat* (peccato externo) *ſed quando ſenſerit abſentes oculos domini ſui, nec habuerit teſtem à quo poſſit convinci, facit.*

Quare facit? Quia pœnam timebat, non iuſtitiam diligebat. Vir autem bonus, vir iuſtus, homo 1, v. 34. *liber (nam ſolus iuſtus liber.* Omnis enim qui facit peccatum, ſervus eſt peccati) *delectatur ipſâ iuſtitiâ, & ſi poſſit ſine teſte peccare, & teſtem reformidat & Deum; & ſi poſſit audire Deum dicentem ſibi:* Video te cùm peccas, non te damnabo, ſed diſplices mihi, *ille nolens diſplicere oculis patris, non formidoloſi iudicis, timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur, ſed ne offendat gaudium paternum, ne diſpliceat oculis amantis.* Hactenus Sanctiſſimus Præſul & Eximius Eccleſiæ Doctor.

Omitto alia ſexcenta loca, quibus docet timorem pœnæ non excludere internam voluntatem peccandi, ſed tantùm prohibere ab opere exteriori. Vide aliqua Concluſ. 1. in fine.

71. ſpondet ad auctoritatem Aug. Sed numquid ideo repugnat Auguſtinus noſtræ doctrinæ? Non puto. Quid ergo? Dico, D. Auguſtinum intelligendum eſſe de timore inefficaci, qualis ſæpè ſæpiùs in hominibus reperitur, dum actualiter ita ſunt affecti, ut ſi poſſent impunè, vellent peccare.

Interim fieri poſſe cum Dei gratia, quòd timor gehennæ, in quantùm gehenna privat hominem æternâ Dei viſione & fruitione, excludat omnem prorſus voluntatem peccandi, etiam merè internam, nuſquam gentium negavit D. Auguſtinus; immo ſatis apertè ſignificavit Tract. 9. in Epiſt. Joan. ibi.

72. uctoritas Aug. pro oſtra doctrina. *Sunt homines qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne fortè ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipſe eſt timor ille, qui introducit charitatem, ſed ſic venit ut exeat: ſi enim adhuc propter pœnam* (præciſè quà moleſtia eſt corporis) *times Deum, nondum amas, quem ſic times, non bona* (ſupernaturalia) *deſideras, ſed mala* (corporalia) *caves, ſed ex eo quòd mala caves, corrigis te, & incipis bona deſiderare.*

Cùm bona deſiderare cœperis, erit in te timor caſtus. Quis timor caſtus? Ne amittas ipſa bona. Intendite; aliud eſt timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo; aliud eſt timere Deum, ne recedat à te. Ille timor quo times, ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, nondum eſt caſtus: non enim venit ex amore Dei, ſed ex timore pœnæ. Cùm autem times Deum, ne deſerat te præſentia eius, amplecteris eum, ipſo frui deſideras.

Non poteſt meliùs explanari, quid interſit inter duos illos timores, unum, quem foràs mittit charitas, alterum caſtum, qui permanet in ſæculum ſæculi, niſi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam ita conſtituas volentem facere adulterium, delectari nequitiâ, ſed timere ne damnetur à marito. Timet maritum, ſed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum, huic non grata, ſed onèroſa eſt mariti præſentia: & ſi fortè vivit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales ſunt, qui timent ne veniat dies iudicii. Fac alteram amare virum, debere illi caſtos amplexus, & nullâ ſe adulterii immunditiâ maculare, optat præſentiam viri.

Aliam ſimilem ſubſcribo auctoritatem ex Enarrat. in Pſalm. 127. ibi: *Caſtus ergo timor fratres mei hoc habet, quia venit de amore. Ille autem timor nondum caſtus, præſentiam domini & pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam. Bonus eſt & iſte timor, utilis eſt, non quidem permanebit in ſæculum ſæculi, ſed nondum eſt iſte caſtus permanens in ſæculum ſæculi. In quo eſt caſtus?* 73. Alia auctoritas Sancti Auguſtini.

Iam iterum aliquid interrogo, quod voſmetipſos interrogetis. Si Deus veniens voce propriâ loqueretur nobis, quamquam non taceat loqui per literas ſuas, & diceret homini, Peccare vis, pecca: fac quidquid te delectat; quidquid amaveris in terra, tuum fiat: cui fueris iratus, intereat; quem rapere volueris, rapiatur: quem cædere, cædatur; quem damnare, damnetur; quem poſſidere, poſſideas. Nemo tibi reſiſtat, nemo tibi dicat, quid facis: nemo, noli facere quod velis: nemo, quare feciſti: abundent tibi omnia iſta terrena quæ concupiſti, & vive in illis non uſque ad tempus, ſed ſemper, faciem tantùm meam nunquam videbis. *Fratres mei unde ingemuiſtis, niſi quia iam natus eſt timor caſtus permanens in ſæculum ſæculi? Quare percuſſum eſt cor veſtrum ſi diceret Deus,* faciem meam numquam videbis? Ecce omni iſtâ terrenâ felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deſeris, quid vis ampliùs? *Fleret quidem, gemeret timor caſtus, & diceret: Immo tollantur omnia, & faciem tuam videam.* Hactenus S. Auguſt.

Y 2 Itaque

Digitized by Google

74. Concluſio. Itaque dum ex deſiderio beatitudinis, per conſequens ex timore amittendi beatitudinem, excludimus omnem voluntatem peccandi, cum propoſito ſervandi totam legem Dei, timemus Deum amore caſto, qui permanet in ſæculum ſæculi, id eſt, amamus Deum, non quidem amore amicitiæ præcisè propter bonitatem Dei in ſe, ſed magìs amore concupiſcentiæ, quatenus eſt bonum noſtrum.

S. Auguſt. *Cùm timetur pœna* (inquit S. Aug. Ser. 214. de temp.) *quam Deus minatur, diſcitur amari premium, quod pollicetur, ac ſic per amorem pœnæ bona vita retinetur. Per bonam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur.* Et ibidem in fine: *Ille timor quem forás mittit charitas, propterea pungit animam, ne amittatur aliquid quod in creatura diligitur, vel ipſa ſalus, vel requies corporalis, aut aliquid tale poſt mortem. Propterea enim timentur & apud inferos pœnæ & dolores ac tormenta gehennarum; cùm verò cavet anima, ne Deus deſertus, illam deſerat, timor eſt caſtus permanens in ſæculum ſæculi.*

75. Amor retributionis æternæ eſt amor concupiſcentiæ. Conſonat quod habet Auctor lib. de vera & falſa Pœnitentia c. 17. *Quem ſerò pœnitet, oportet non ſolùm timere Deum iudicem, ſed & iuſtum diligere. Non timeatur pro pœna, ſed ametur pro gloria,* id eſt, propter retributionem æternæ beatitudinis, qui amor, ſecundùm Theologos communiter, eſt amor concupiſcentiæ, & timor peccati ſubſequens vocatur timor ſervilis (vel, ut aliquibus placet, initialis) quoniam fugit culpam propter ſpem retributionis, adeòque proprii commodi, ſicut ſervus ſeu famulus obſequitur Domino, non tam in gratiam ejus, quàm ut recipiat promiſſam mercedem.

Poteſt deteſtari culpa, tametſi non privaret æternâ beatitudine. Quia tamen culpa deteſtari poteſt, quando admiſſa eſt, & per conſequens caveri admittenda, etſi non privaret beatitudine, præcisè quia diſplicet ſummæ bonitati divinæ, ſeu Deo quatenus eſt bonus in ſe, hinc alius exſurgit dolor & timor, videlicet filialis, ita appellatus, quia procedit non ex ſpe retributionis, ſed ex amore filiali hominis erga Deum; ideo enim filius obedit patri, non quia ſperat ab illo retributionem, ſed præcisè quia ſcit inobedientiam patri diſplicere, abſque reſpectu aliquo ad proprium commodum. Ita communiter Theologi.

76. Quid Aug. aliquando intelligat per timorem ſervilem & filialem? Quamquam D. Auguſtinus aliter aliquando videatur uſurpaſſe illos terminos, & vocaſſe illum timorem ſervilem, qui ita cohibet voluntatem ab actu exteriori peccati, ut tamen interiùs velit peccare, ſi pœna abeſſet, id eſt, ut nihilominus nequitiâ delectetur. Illum autem timorem filialem appellavit, qui excludit omnem voluntatem peccandi, tam internam, quàm externam, id eſt, omne peccatum cordis, oris, & operis, ſive procedat ex amore bonitatis divinæ in ſe, id eſt, amore amicitiæ, ſive ex ſpe retributionis, id eſt, amore concupiſcentiæ; & utrumque amorem vocat charitatem, quia utroque diligitur Deus, quamvis aliter & aliter, magìs & minùs perfectè.

Si dixeris; ſpes retributionis non manet in ſæculum ſæculi: ergo nec timor procedens ex ſpe retributionis: ergo hic non eſt caſtus timor, de quo loquitur Divus Auguſtinus.

Reſpondeo ex eodem S. Doctore lib. 14. de Civit. cap. 9. *Timor ille caſtus permanens in ſæculum ſæculi, ſi erit & in futuro ſæculo: nam quo alio modo poteſt intelligi permanere in ſæculum ſæculi? Non eſt timor exterrens à malo, quod accidere poteſt, ſed tenens in bono, quod amitti non poteſt. Vbi enim boni adepti amor immutabilis eſt, profectò ſi dici poteſt, mali cavendi timor ſecurus eſt. Timoris quippe caſti nomine ea voluntas ſignificata eſt, quâ nos neceſſe erit nolle peccare, & non ſolicitudine infirmitatis, ne fortè peccemus, ſed tranquillitate charitatis cavere peccatum.*

Aut ſi nullius omnino generis timor eſſe poterit in illa certiſſima ſecuritate perpetuorum feliciumq; gaudiorum: ſic dictum eſt: Timor Domini caſtus permanens in ſæculum ſæculi: *quemadmodum dictum eſt:* Patientia pauperum non peribit in æternum. *Neque enim æterna erit ipſa patientia, quæ neceſſaria non eſt, niſi ubi toleranda ſunt mala: ſed æternum erit quo per patientiam pervenitur. Ita fortaſſe timor caſtus in ſæculum ſæculi dictus eſt permanere, quia id permanebit, quo timor ipſe perducit.* Et quid illud? Ipſa beatitudo, ad quam perducit ſpes retributionis, & timor procedens ex illa ſpe.

Cæteroquin, ut ait Joannes Apoſtolus Epiſt. 1. cap. 4. v. 18. *Timor non eſt in charitate; ſed perfecta charitas* (qualis indubiè erit in futuro ſæculo) *forás mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.* 78.

Quæris à me, de quo timore loquatur Apoſtolus? Reſpondent communiter Expoſitores, de timore ſervili, qui licèt bonus ſit & utilis, equidem imperfectus. Porrò Vega de Juſtific. lib. 6. c. 25. libentiùs dicit, Joannis verba eſſe intelligenda de timore mundano, hoc eſt, de timore quo timemus laborioſa & gravia, quæ pro Chriſto oportet contemnere.

Hic eſt timor, inquit, qui in charitate non eſt, ſed ab ea procul abjicitur. Hic eſt timor, qui pœnam habet, & non ſolùm anxietate plenus eſt, ſed & à Deo ſeverè punietur. Hunc decebat Joannem à cordibus fidelium expellere ſatagere; quippe qui charitatem exhortabatur, quæ omnia dura & immania propter Chriſtum levia facit.

Digitized by Google

cen- tul- De hoc timore expoſuit hæc verba Joannis Tertullianus cap. 9. libri de fuga in perſecutione. Et pro illis verbis, *Quoniam timor pœnam habet*, ita legit: *Quia timor ſupplicamentum habet, utique ignem ſtagni.* Et ſubdit: *Qui autem timet, non eſt perfectus, in dilectione Dei ſcilicet. Porrò quis fugiet perſecutionem, niſi qui timebit? Quis timebit, niſi qui non amavit?* Hæc ille.

bro- Ambroſius etiam Epiſt. 44. in fine huic timori verba Joannis ſic aptat: *Ideo maior charitas, quia fidem ſpemq́; complectitur. Hanc charitatem habens nihil timet, quia charitas timorem excludit foràs. Et ideo ablegato & exuto timore omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Qui ergo per charitatem omnia ſuſtinet, non poteſt timere Martyrium.*

Au- ia. Et ipſe Auguſtinus tract. 92. in Joan. ſuper illa verba: *Et vos teſtimonium perhibebitis*, de hoc timore mundano exponit hæc verba: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem.* Perplacet ſubſcribere ejus verba: *Ille (Spiritus ſanctus) teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis; dabit enim vobis fiduciam teſtimonium perhibendi charitas Dei, diffuſa in cordibus veſtris per Spiritum ſanctum, qui dabitur vobis. Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum teſtimonium perhibere, ſed contra ſuam pollicitationem timore magno compulſus eſt ter negare: timor autem iſte non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem.*

1. ti- it Pe- quan- gavit ſtum. Et quid timebat Petrus? nonne gehennam? Liquet profectò quòd non, nam ſi illam timuiſſet, non negaſſet Chriſtum, ſciens negationi illi à Deo conſtitutam pœnam gehennæ. Quid ergo timuit? Pœnas corporales hujus ſæculi, quas, negando Chriſtum, ſperabat evadere.

Et hunc timorem vocat ſervilem ibi S. Auguſtinus, illico ſubjiciens: *Denique ante paſſionem Domini ſervilis timor eius interrogatus eſt à famina ſervitutis; poſt reſurrectionem verò Domini, liberalis eius amor ab ipſo principe libertatis; & ideo ibi turbabatur, hìc tranquillabatur; ibi quem dilexerat, negabat, hìc quem negaverat, diligebat.*

timor ttis cor- alis ſit lus? Atque hic timor vitioſus eſt, non ita ex objecto ſuo; nam fugere mortem corporalem per ſe non eſt malum, ut patet in ipſo Chriſto, qui, cùm Judæi vellent eum lapidare, abſcondit ſe Joan. 8. v. 59. *Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum, Ieſus autem abſcondit ſe & exivit de templo*; non, inquam, ex objecto ſuo, ſed ex effectu & medio inordinato, quod aſſumitur ad mortem, aut alias miſerias temporales evitandum. Hinc negans fidem tempore perſecutionis, ſolius infidelitatis reus eſt.

82. n ſit ma- timor, io aliquis ſtinet ab terno ete pec- ti, inte- Sed numquid etiam vitioſus eſt timor, quo aliquis facit præceptum, v. g. quo abſtinet à fornicatione, furto &c. ne incurrat infamiam, interim in animo ſuo complacens ſibi in iſtis peccatis, & paratus iſta facere ſi abeſſet pœna? Auguſtinus dicit (inquit Vega ſuprà) & inter regulas juris recipitur, *Qui timore facit præceptum, aliter, quàm debet, facit.* ſibi complacens? Sententia Vegæ, non eſſe malum.

Et poſt pauca ſubjungit: Multi ſanè Catholici Doctores tradiderunt, tunc quidem vitioſum eſſe timorem ſervilem: ſed ego eorum ſententiæ ſubſcribere non poſſum. Nam ex objecto bonus eſt, ut diximus. Et nulla apparet circumſtantia ex qua vitietur. Non enim hujus malæ voluntatis cauſa eſt, ſed facit potiùs, ut tandem impleatur præceptum. Et impletio ipſa tunc poſſet eſſe non mala, quia non vitiatur neque à timore, neque ab affectu non implendi aliàs præceptum.

Non ergo qui timore implet præceptum, aliter quàm debet facit; neque in timore gehennæ, neque in ipſa impletione præcepti, ſed in eo dumtaxat affectu, quo nollet aliàs implere. Et hic dumtaxat culpandus, & ad eum referenda ſunt, quæ Doctores dicunt, cùm ajunt in ſic affectis & ſerviliter timentibus, libertatem ſpiritûs non eſſe.

Unde & D. Gregorius 3. part. Paſt. Admo. 14. cùm dixiſſet: *Ignorat mens gratiam libertatis, quam ligat ſervitus timoris*: ut explicaret qui ſint eâ ſervitute compediti, & propter quem affectum libertate ſpiritûs careant, ſubjecit; *Qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, ut audacter illicita committat. Unde luce clariùs conſtat, quòd coram Deo innocentia amittitur, ante cuius oculos deſiderio peccatur.* Hæc Gregorius. 83. Confirmatur auctoritate D. Grego.

Et ſummo quidem jure hos ſolos ligatos ſervitute timoris aſſeruit. Nam qui etiam ceſſantibus pœnis, ab illicitis ſe contineret, non omnino ſervit pœnis. Hucuſque Vega, continuò ſubjiciens aliam reſponſionem ad regulam juris, ſub hac forma verborum.

Poſſemus etiam dicere, aliter facere quàm debet, quicumque timore implet præceptum: quia licèt non peccet, neque in timore, neque in executione præcepti, neque in aliquo alio affectu (puta quia non adeſt animus peccandi, ſi abeſſet pœna) tamen non implet ſic ut deberet (id eſt ut congrueret) ex amore ſiquidem & non ex timore, debemus omnes (id eſt congruit omnes) præcepta nobis impoſita perficere. *Bona pro ſemetipſis amanda ſunt* (ait Gregorius) *& non pœnis compellentibus exequenda.* 84. Quomodo aliter faciat, quam debet, qui implet timore præceptum.

Neque verbum *debet* ſemper requirit præceptum. Debemus enimverò ſemper laudare Deum, & omnia quæ facimus, in ipſius gloriam referre; neque tamen ad hæc ita ſumus ſtrictè obligati, ut omnis horum ejuſmodi intermiſſio nobis imputetur in peccatum. Et bonos filios ſolemus dicere, multa debere ſponte ſua in obſequium ſuorum parentum facere. Hæc ille. Ly *debet* nō ſemper importat præceptum.

Et poſt pauca reſpondens objectioni Adverſariorum, inquit: Aliud eſt, quod ad perfectionem actuum noſtrorum neceſſarium eſt, & 85. Reſpondetur objectioni Adverſariorum.

Digitized by Google

ut illi ſint laudabiles, aliud, quod ad eorum bonitatem ſufficit. Fortis non eſt, neque perfectus, addo etiam, neque dignus laude, qui metu dumtaxat pœnarum pericula ſubit, aut præcepta implet. Verumtamen ſicut ex omnium conſenſu bonum eſt, quæ neceſſaria ſunt vitæ tuendæ, operari, ut comedere & bibere, cùm opus eſt; ita bonum eſt mortem, ægritudinem, & incommoda alia naturalia fugere, horrere, timere, & pro virili devitare.

Et quæ facimus, ut ea mala devitemus, bona ſunt, & finem habent bonum, quantùm ſatìs eſt ad bonitatem moralem. Neque relatio in Deum ad bonitatem moralem requiſita eſt, ſed ſufficit virtualis. Eamque habent omnia opera, quibus aut proſequimur bona, aut fugimus mala nobis proportionata. Hucuſque Vega, cujus ſententiæ libens ſubſcribo.

86. *Actus ſupernaturalis ſpei ſufficit ad excludendam omnem omnino voluntatem peccandi.*

Sed quorſum hæc omnia? Ut oſtenſâ bonitate timoris gehennæ, & bonitate actûs ſupernaturalis ſpei, indè concludamus, hunc planè ſufficere ad excludendam omnem omnino voluntatem tam internam, quàm externam peccandi, illamque doctrinam minimè repugnare D. Auguſtino, aut Concilio Tridentino; quin immo contrariam alicui videri poſſe ab Eccleſia Catholica damnatam & proſcriptam.

Quid enim aliud eſt, ſecundùm Lutherum, Contritionem, quæ concipitur ex amiſſione æternæ beatitudinis, facere hominem hypocritam, quàm talem Contritionem non excludere internam voluntatem peccandi? Quid namque aliud eſt hypocriſis, ſecundùm Lutherum, quàm ſimulatio virtutis? Et nonne virtutem ſimulat, qui exteriùs abſtinet à peccatis, & exteriùs confitetur ſua peccata Sacerdoti, cum interna eorumdem complacentia?

87. *Proponitur error Lutheri.*

Audiamus Lutherum, ipſe de ſe teſtimonium perhibeat. Ita loquitur in diſp. ante Sermonem de Pœnit. Theſi 67. & 68. *Hypocritarum iuſtitia eſt opere & foris non occidere, mœchari &c. Gratia Dei eſt nec concupiſcere.* Et in Reſolutionibus ſuper Lipſiæ diſputatis: *Cum ergo peccator ante gratiam iuſſus peccata diſcutere, neceſſariò legis Dei ſit memor, neceſſe eſt ut concupiſcentias refricet, & legem odiat, quam ſola gratia diligere facit. Ita ſit ut hypocrita fiat.* Item adversùs articulum 6. à Leone X. damnatum: *Quod ex corde non ſit, iam hypocriſis eſt, ut dicit Chriſtus Matth. 15.* Cor eorum longè eſt à me. *At Contritio per peccatorum collectionem parata, ſine amore Dei & iuſtitiæ, hoc eſt ſine corde conterit, quare neceſſariò ſequitur facere hypocritam, quia nec volenter nec amanter conteretur in corde ſuo. Ego enim hypocritam aliter definire non poſſum, quàm eum, qui id, quod facit, non ex animo & ſincero corde facit.* Denique in Sermone 2. de Pœnit. ſic ſcribit: *Contritio (ſic enim cœpit vocari vera Pœnitentia interior) duplici viâ paratur. Primò per diſcuſſionem, collectionem, deteſtationem peccatorum, quâ quis, ut dicunt, recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem: deinde amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, & alia quæ poſſunt dolorem & triſtitiam excitare ſpe ſatisfaciendi per bona opera. Hæc autem triſtitia facit hypocritam, immo magìs peccatorem, quia ſolùm timore præcepti & dolore damni id facit; & tales omnes indignè abſolvuntur & communicantur. Et ſi liberè deberent (remoto præcepto, & minis pœnarum) confiteri: certè dicerent ſibi non diſplicere vitam præteritam, quam ſic coguntur diſplicere confiteri: immo quò magìs timore pœnæ, & dolore damni ſic conteruntur, eò magìs peccant & afficiuntur ſuis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odiſſe, & hæc eſt illa Contritio, quam ipſi vocant extra charitatem non meritoriam, alii vocant Attritionem proximè diſponentem ad Contritionem, ſic enim ipſi opinantur, quam opinionem errorem ego iudico.* Hæc Lutherus de primo Contritionis modo.

Alium verò Contritionis modum ita deſcribit: *Secundò paratur* (Contritio) *per intuitum & contemplationem ſpecioſiſſimæ iuſtitiæ, quâ quis in pulchritudine & ſpecie iuſtitiæ meditatus, in eam ardeſcit & rapitur, incipitque cum Salomone fieri amator ſapientiæ, cuius pulchritudinem videat, hæc facit verè pœnitentem, quia amore iuſtitiæ id facit, & hi ſunt digni abſolutione.*

Hìc ego interrogo, Eccleſia Catholica proſcribit hanc doctrinam Lutheri, an non? 88. *[illegible] ab Eccleſia Catholica.*
Proſcribit, inquis, dummodo Contritio, quæ primâ viâ paratur, adjunctum habeat propoſitum melioris vitæ, cujus expreſsè meminit Concilium Tridentinum, tametſi Lutherus nullam faciat illius mentionem.

Acutè! Sed rurſum quæro à te, Lutherus docuit, cum ſola Attritione componi poſſe propoſitum melioris vitæ? Liquet profectò quòd non; alioquin, quomodo triſtitia illa faceret hypocritam? Nam hypocriſis ſecundùm Lutherum, ut vidimus, non eſt aliud, quàm ſimulatio virtutis; jam autem ſi adſit verum propoſitum internum melioris vitæ cum exteriori obſervantia mandatorum, non eſt ſimulatio virtutis, ſed veriſſima virtus.

In quo ergo erravit Lutherus? Exiſtimo planè in eo, quòd negaverit, cum illa Attritione poſſe ſtare voluntarium ac liberum propoſitum melioris vitæ. Credam autem ego D. Auguſtinum, cujus doctrinam Romana ſequitur ac ſervat Eccleſia, hoc ipſum negaſſe? Credat qui volet, ego meam fidem, fidei hujus commenti numquam obſtringam.

Quòd ſi quiſpiam pergat contendere & mordicùs velit ſuſtinere, illam Attritionem cum tali propoſito eſſe actum charitatis, non ago pugnaciter, dummodo admittat non eſſe illam charitatem, de qua loquitur Tridentinum, quando docet Contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo 89. *An Attritio ſit dilectio Dei ſuper omnia?*

Deo antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur.

Interim tamen fateor ignorantiam meam, id eſt, me non ſatis intelligere, quomodo illa Attritio, ſuppoſito quòd ſit verus actus amoris amicitiæ, ſive dilectionis Dei propter ſe, quomodo, inquam, non ſit dilectio Dei propter ſe ſuper omnia, & per conſequens juſtificativa extra Sacramentum, niſi recurreris ad intenſionem gradualem, quam nemo hactenus ſolidè determinavit, quanta debeat eſſe, ut Contritio juſtificet extra Sacramentum, de quo plura diximus ſect. præced. concl. 8.

Andreas Vega ſuprà cap. 30 poſtquam docuiſſet, dilectionem Dei neceſſariam eſſe ad noſtram juſtificationem, affirmat illam dilectionem ſufficere, quæ ſatis eſt, ut de lethalibus ejus offenſis doleamus, & mandata ipſius proponamus. Et ne, inquit, ſine auctoritate re in tanta loquamur, poſſumus hoc colligere ex verbis Chriſti (Joannis 14. v. 23.) *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus* &c.

Hæc verba palam indicant, illam dilectionem Chriſti ſatis eſſe, ut diligamur à Patre cæleſti, & in ipſius gratia ſimus, quæ ſatis eſt, ut ſermonem illius ſervemus. Et quidem talis omnis dilectio, ut ipſe exiſtimo, actu vel virtute eſt dilectio Dei ſuper omnia; quia qui omnia ipſius mandata ſervare proponit, nimirum Deum ſuper omnia, & illum omnibus antefert. Hæc ille; cùm tamen titulus capitis ſit: *Iuſtificari poſſunt homines abſque dilectione Dei ſuper omnia, non tamen abſque dilectione Dei.*

1. ...rius ...nii de ...rfecto chari-

Iuvabit etiam audire Janſenium ſuprà c. 7. ubi ſic diſcurrit: De imperfecto charitatis ſeu dilectionis actu, qui non ſufficiat, ut juſtificetur homo (ſcilicet extra Sacramentum) quia nondum ſuper omnia diligitur Deus, loquitur Auguſt. diverſis in locis, ut lib 8. de Trinit. loquens de dilectione ſempiternæ veritatis, quæ eſt ipſa juſtitia Dei, & exemplar humanæ, ac forma juſtitiæ. *Vnde inhæretur illi formæ niſi amando? Cur ergo alium diligimus, quem credimus iuſtum, & non diligimus ipſam formam, ubi videmus quid ſit iuſtus animus, ut & nos iuſti eſſe poſſimus. An verò, niſi & iſtam diligeremus, nullo modo eum diligeremus, quem diligimus ex iſta? Sed dum iuſti non ſumus, minùs eam diligimus, quàm ut iuſti eſſe valeamus.* Ecce dilectionem juſtitiæ ſeu veritatis iſtius exemplaris, quam ſexcenties in ſcriptis ſuis prædicat, ſed minorem quàm ut juſti eſſe valeamus. Nempe quia eſt quædam dilectio juſtitiæ, quaſi ſimplex ejus complacentia, quæ non eouſque increverit, ut adverſantia iſti bonæ voluntati valeat ſuperare. Hucuſque Janſenius.

92. ...tur amor ...titiæ im- ...rfectus. ...o non ſit ...tim ju- ...s homo,

Et poſt pauca eadem repetit dicens: Eſt amor juſtitiæ imperfectus, quo non fit ſtatim juſtus homo, ſed inſtar infantis in utero concipitur, ut tandem creſcente paulatim ſuper omnia juſtitiæ dilectione naſcatur..... Si juſtitiæ dilectio tam remiſſa fuerit, ut carnalem ſuam conſuetudinem homo ſuperare non poſſit, perſpicuum eſt, juſtitiæ dilectionem tam imperfectam eſſe, ut non ſuper omnia diligatur...... Et in Serm. 17. (de verbis Apoſt.) ubi de illa vera & charitativa juſtitiæ dilectione tantopere laudata loquitur (Auguſtinus) *Amanda eſt iuſtitia, & in hac iuſtitia amanda, gradus ſunt proficientium. Primus eſt, ut amori iuſtitiæ non præponantur omnia quæ delectant.* Ecce juſtitiæ dilectionem perfectam, quæ juſtificat, quia ſuper omnia delectantia juſtitia diligitur. Hæc & alia ſimilia Janſenius. S. Aug.

Ex quibus, inquit, perſpicuum eſt, eſſe quamdam imperfectam legis & juſtitiæ, & veritatis, hoc eſt, Dei dilectionem, ſeu, ut Auguſtinus loquitur, parvam & imperfectam charitatem, quæ non pertingat eò, ut omnia delectantia vincente juſtitiæ delectatione ſuperentur, quâque minùs juſtitiam diligimus, quàm ut juſti eſſe valeamus. Et iſta eſt, ex qua virtutes iſtæ theologicæ naſcuntur fides & ſpes, antequam perfectâ illâ charitate, quæ ſuper omnia Deum diligit, ſuperveniente formentur. Hactenus Janſenius.

93. Quæritur quomodo Attritio non ſit perfecta dilectio.

Quem ſi interrogavero; Attritio, quam docet Tridentinum ſufficere ad juſtificationem in Sacramento, eſt perfecta dilectio, quâ juſti eſſe valemus? quid putatis reſponſurum? Nonne affirmando contradiceret Tridentino, quod docet, Contritionem charitate perfectam juſtificare, priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur, ſecùs illam Attritionem?

Et verò, quomodo non eſt perfecta dilectio, cùm debeat excludere voluntatem peccandi? Quid enim aliud eſt, amori juſtitiæ non præponere omnia, quæ delectant, quàm ita amare juſtitiam, ut pro nullo commodo vel incommodo mundi velit peccare mortaliter? Nonne tale propoſitum requiritur cum Attritione, ut ſit ſufficiens diſpoſitio in Sacramento ad juſtificationem? Si ergo Attritio eſt verus actus amoris amicitiæ ſeu dilectionis Dei propter ſe, quomodo non eſt Contritio charitate perfecta? Hæc non perfunctoriè & ſubſultim, ſed attento, & non præoccupato animo volve & revolve benigne Lector, ut clarè poſſis videre, quæ fuerit mens D. Auguſtini in hac controverſia. Sequens Concluſio erit de mente Doctoris Subtilis Scoti, & Doctoris Seraphici D. Bonaventuræ, quos nuper Quidam minùs verè adduxit, contra ſufficientiam Attritionis. Dico itaque:

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO IV.

Non repugnat Scoto, neque D. Bonaventuræ doctrina, quâ docetur dolorem peccati propter gehennæ metum, ſeu Attritionem, excludere poſſe omnem peccandi voluntatem, & continere propoſitum bonæ vitæ, ſeu ſervandi totam legem Dei.

94. **Adducitur Doctor ſubtilis contra ſufficientiam Attritionis.** QUidam Doctor Lovanienſis in Appendice ſuarum theſium in primam Epiſtolam B. Pauli Apoſt. ad Corinth. contra Attritionem ex ſolo metu gehennæ conceptam & cognitam; contra, inquam, ſufficientiam hujuſmodi Attritionis ad juſtificationem cum Sacramento, adduxit Doctorem Subtilem ſub hac forma verborum: Joannes Duns Scotus in 4. diſt. 20. q. unicâ concluſ. 2. *Ad veram pœnitentiam ſive intrinſecam ſolam, ſive ad dignam ſuſceptionem Sacramenti . . . . . Oportet non ſolùm timere iudicem, ſed diligere: arbitrij enim libertatem quærit ut delere poßit commiſſa: non neceßitatem, ſed charitatem; non timorem ſed amorem . . . . . Quod non ſit niſi ex ſuppoſitione cuiuſdam voluntarii, non eſt ſimpliciter voluntarium: ſicut non omnino voluntariè proiicit quis merces in mari, ſi non proiicit niſi ex ſuppoſitione cuiuſdam periclitationis, quam nollet. Saltem quod non eſt niſi ſic voluntarium, non eſt multùm acceptum alii, nec multùm videtur propter amorem eius factum.* Hucuſque ille Doctor.

95. **Explicatur doctrina Scoti.** Et quidem omnia illa verba in Scoto leguntur, ſed alio ordine, & aliquibus verbis interpoſitis, quæ an omiſerit prædictus Doctor, quia minùs apta ſuo intento, poterit Lector judicare ex textu, quem genuinum mox ſubſcribo.

Doctrina, quam Scotus eò loci intendit probare, eſt hæc: *Pœnitentia quæ videtur haberi in extremis, vix eſt vera Pœnitentia ſufficiens ad ſalutem; quia difficile tunc eſt habere veram Pœnitentiam . . . . . Probatur primò* (inquit n. 4.) *Quia tunc impeditur uſus liberi arbitrii, vel uſus liber rationis & voluntatis ex dolore vel timore inhærentibus.* Quod ubi declaravit, ſubſumit: *Actus autem diſplicentiæ de peccato, ad hoc quòd ſit ſufficiens ad veram Pœnitentiam, ſive intrinſecam ſolam, ſive ad dignam ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ requirit liberum uſum rationis & voluntatis.*

96. **Illa verba: *Oportet non ſolùm* &c ab aliquibus intelliguntur de ſola** Hæc poſtrema verba, *Requirit* &c. omiſit prææallegatus Doctor, fortè ut per priora verba poſſet convincere, Scotum ubique in illa quæſtione tractare de Pœnitentia ſive intrinſeca ſola, ſive ad dignam ſuſceptionem Sacramenti, ſciens aliquos eſſe, qui iſthæc verba: *Oportet non ſolùm timere iudicem* &c. intelligant de Pœnitentia intrinſeca ſola.

Cùm enim in illa quæſtione loquatur de utraque Pœnitentia, aliquibus non videtur neceſſarium, omnem doctrinam illius quæſtionis convenire utrique Pœnitentiæ, ſed ſatis eſſe, quòd conveniat alteri, vel intrinſecæ ſoli, vel dignæ ſuſceptioni Sacramenti; adeòque quod dicit Doctor Subtilis ibi de amore, accommodari, inquiunt, poſſet Pœnitentiæ intrinſecæ, quæ niſi ſit perfectus amor, non juſtificat etiam in extremis. Interim tamen utraque Pœnitentia *requirit liberum uſum rationis & voluntatis.*

An autem oporteat utramque Pœnitentiam non ſolùm timere judicem, ſed etiam diligere, alia eſt quæſtio; nam eſtò aliqua Pœnitentia non diligeret, adhuc poſſet eſſe voluntaria & libera ſufficienter ad actum humanum. Illa ergo verba: *Oportet non ſolùm* &c. ponuntur in fine n. 5. poſt hæc verba: *Quod non ſit niſi ex ſuppoſitione* &c. En commutatio verborum & ordo præpoſterus, non aliâ, ut puto, ratione excogitatus, niſi ut Auctor theſium legentibus inculcaret, quòd utraque Pœnitentia oportet non ſolùm timere, ſed etiam diligere, quod Scotus ibi expreſſè non docet. Audiamus ipſum. 97.

Secundò, inquit, *ad hoc quod diſplicentia valeat & ſit ordinata, oportet quòd ſit debitè circumſtantionata, & maximè circumſtantia finis, & principii activi principalis, ut ſcilicet ſit voluntaria propter Deum: ſed difficile eſt tunc habere actum ſic circumſtantionatum; quia qui uſque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc extorquere à ſeipſo diſplicentiam veram, niſi timore pœnæ imminentis; præſumitur enim quòd ſi remotus eſſet pœna ſicut priùs, non extorqueret à ſeipſo illam diſplicentiam, ſicut nec priùs; tum quia ſaltem aliquid ſimpliciter involuntarium videtur cauſa iſtius diſplicentiæ: nam expectatio mortis videtur cauſa iſtius diſplicentiæ, illa autem eſt involuntaria, & quod non ſit niſi ex ſuppoſitione* &c. ut ſuprà. 98.

Tandem ſubjungit: *Hanc rationem tangit Auguſtinus in litera: Oportet non ſolùm timere iudicem, ſed diligere: arbitrii enim libertatem quærit, ut delere poßit commiſſa, non neceßitatem: charitatem, non timorem* (Auctor theſium ſic: *Non neceßitatem, ſed charitatem: non timorem, ſed amorem*) *Non igitur timeat pœnam, qui pœnitet, ſed anxietur pro gloria.* Illam Concluſionem omittunt theſes, credo, quia ibi videtur ſignificari amor concupiſcentiæ, ſive actus ſpei ſufficere. Ecce quot vitia in una citatione.

Quapropter tametſi concederemus Scotum ibi agere de utraque Pœnitentia, adhuc nihil ex illis verbis ſequitur contra noſtram doctrinam; nam expreſſè admiſimus, actum ſpei eſſe neceſſarium ad juſtificationem cum Sacramento, ut ſatis indicat Tridentinum, quando 99.

ſeſſ.

ſeſſ. 14. c. 4. requirit, ut Attritio habeat ſibi connexam ſpem veniæ: *Si*, inquit, *voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ.*

Nonne qui timet privationem beatitudinis, & ſperat veniam, anxiatur pro gloria? Qui dubitet, nemo. Nonne qui habet diſplicentiam voluntariam propter amiſſam hæreditatem ſecundùm ſpem vitæ æternæ, habet diſplicentiam voluntariam propter Deum? Planè habet; cùm objectum ſpei materiale primarium & immediatum ſit ipſe Deus ejuſque poſſeſſio; formale autem bonitas divina quà nobis bona eſt. Ergo dolere propter amiſſam beatitudinem, eſt dolere propter Deum (qui eſt objectiva beatitudo) amiſſum: ergo propter Deum, quo voluntas deſiderat frui.

Sed nunquid aliud quidpiam Scotus requirit? Suprà n. 7. ſic ait: *Aliud corollarium* (ſequitur) *quòd infirmo iam ad articulum iſtum* (puta mortis) *deducto, ſuadendum eſt, ut ſecundùm ſuam poſſibilitatem laboret ad Pœnitentiam ordinatam; ut ſcilicet non obſtante dolore vel timore* (mortis) *utatur ratione quantùm poteſt, & nitatur habere diſplicentiam voluntariam propter finem debitum, ſcilicet propter Deum; & renitatur malæ inclinationi habitûs, & delectationum præſentium, & laboret ad diſplicentiam quantùm poterit habere, licèt brevem, & ne in deſperationem mittatur, extollenda eſt ſibi Dei miſericordia, proponendo ſibi exemplum de latrone illo, cuius fuit Pœnitentia ſera, ſed non ſera indulgentia.*

Cæteroquin cùm non omnis diſplicentia propter Deum ſufficiat ad juſtificationem extra Sacramentum, ut omnes admittunt, vel Scotus ibi diminutam tradidit doctrinam, vel accommodè intelligendus venit, ut ad juſtificationem extra Sacramentum requirat amorem amicitiæ, ſive charitatem perfectam; ad juſtificationem autem cum Sacramento amorem concupiſcentiæ, ſive charitatem imperfectam.

Sed & hanc charitatem, ſive potiùs ſpem, difficilem eſſe peccatori in extremis, probat Scotus, ut audivimus: *Quia qui uſque tunc fuit impœnitens, non videtur tunc extorquere à ſeipſo diſplicentiam novam, niſi timore pœnæ imminentis; præſumitur enim quòd, ſi remotus eſſet à pœna ſicut priùs, non extorqueret à ſeipſo illam diſplicentiam, ſicut nec priùs.* Bene dicit, *Præſumitur*; quia reverà contrarium poteſt accidere, licèt multùm timendum, ſit hujuſmodi peccatorem retinere internam complacentiam peccatorum præteritorum, & conditionalem affectum peccandi, ſi mors non immineret.

Quod optimè intelligens Concilium Tridentinum, non dixit ſimpliciter, Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, præparat ad gratiam Dei impetrandam in Sacramento, ſed cum illo addito: *Si voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ.* Quæ excluſio voluntatis, & ſpes veniæ in his, qui uſque ad finem vitæ in peccatis perſeverarunt, difficilis valde, & ideo rara eſt.

Quantùm autem ad illud, quod addit Scotus ſuprà: *Quòd non ſit niſi ex ſuppoſitione cuiuſdam involuntarii, non eſt ſimpliciter voluntarium* &c. Notandum; ſimpliciter voluntarium primo modo accipi pro eo, quòd nihil habet de involuntario. Secundo modo pro eo, quod plus habet de voluntario, quàm involuntario. Et tertio modo pro eo, quod fit independenter ab aliqua circumſtantia impediente. 102. *Triplex acceptio ſimpliciter voluntarii.*

Nunc ergo, quòd fit ex metu, eſtò non ſit ſimpliciter voluntarium primo modo, eſt tamen voluntarium ſimpliciter ſecundo modo; aliquando etiam tertio modo, dum videlicet id quod fit ex metu, eſt per ſe amabile, v. g. ſi quis alteri minetur mortem, niſi comedat cibum, quem valde appetit. Interim ordinariè quæ appetuntur ex metu, appetuntur dependenter à circumſtantia periculi, adeòque tantùm voluntariè ſimpliciter ſecundo modo. *Quomodò illud, quod fit ex metu, ſit voluntarium ſimpliciter.*

Hoc notato, liquidò conſtat, Scotum intelligi debere de ſimpliciter voluntario primo modo, ut manifeſtè declarat ſimile: *Sicut*, inquit, *non omnino voluntariè proiicit quis merces in mari, ſi non proiicit niſi ex ſuppoſitione cuiuſdam periclitationis, quam nollet*, id eſt, quæ diſplicet. *Non omnino*, inquam, *voluntariè proiicit*; quia illa projectio, licèt plus habeat de voluntario, quoniam eſt voluntas efficax projiciendi; interim tamen habet admixtum aliquod involuntarium, ſcilicet nolitionem illius periclitationis. 103. *Scotus intelligi debet de voluntario ſimpliciter primo modo.*

Igitur projectio illa eſt ſimpliciter voluntaria, id eſt, procedit à voluntate, cum cognitione ſingulorum, in quibus eſt actio, id eſt, cum ſufficiente cognitione circumſtantiarum, tametſi contra aliquam ſimplicem & inefficacem inclinationem iſtiuſmet voluntatis. Breviter, illa projectio eſt ſimpliciter voluntaria ex parte operantis, etſi non ex parte objecti, quia non eſt per ſe & ſimpliciter natum fieri, ut quis projiciat, hoc eſt, projicere merces nudè ſumptum, non eſt objectum voluntatis, ſecùs veſtitum hâc circumſtantiâ, ad ſalvandam v. g. vitam, ſive in periclitatione vitæ. *Projectio mercium in periculo naufragii eſt ſimpliciter voluntaria aliquo ſenſu.*

Neque opus eſt, quod adſit ſimplex nolitio projectionis, ſufficit quòd habeatur ſimplex diſplicentia illius periclitationis, ut optimè advertit Doctor Subtilis dicens: *Niſi ex ſuppoſitione cuiuſdam periclitationis, quam nollet.* Ab illa ſiquidem nolitione denominatur illa projectio involuntaria ſecundùm quid. 104. *Non requiritur ſimplex nolitio projectionis.*

A quo actu Attritio dicatur involuntaria ſecundum quid.

Et conſequenter ad propoſitum noſtrum, diſplicentia peccati ex metu gehennæ ſeu Attritio, licèt ſit voluntaria ſimpliciter, juxta modum ſecundum, ſuperiùs commemoratum, tamen dicitur involuntaria ſecundùm quid, non à ſimplici complacentia peccatorum, ſeu affectu conditionali peccandi, ſi periculum gehennæ abeſſet; ſic quippe illa Attritio eſſet neceſſariò peccaminoſa, & faceret hominem magis peccatorem; nam peccatis antea commiſſis novum ſuperadderet, ſcilicet ſimplicem illam complacentiam, quæ ex objecto ſuo eſt mala; ſed dicitur involuntaria ſecundùm quid, à nolitione illius periculi, id eſt, dicitur involuntaria ex ſuppoſitione cujuſdam periclitationis quam nollet: interea ſimpliciter & abſolutè diſplicent peccata, non tantùm externa, ſed etiam interna, quia aliàs non poteſt peccator periculum evadere.

105. **Diverſitas inter projectionem mercium & Attritionem.**

Ex quo patet diverſitas inter projectionem mercium ex una parte, & Attritionem ab altera parte; nam ad evadendum periculum naufragii ſatìs eſt projectio externa, ut patet: ad evadendum autem periculum inferni requiritur deteſtatio omnium peccatorum, etiam maximè occultorum. Igitur poteſt quis naufragium evadere, etſi habeat hanc conditionalem voluntatem, non projicerem merces, ſi periculum abeſſet; nequit autem evadere periculum inferni, qui retinet hunc conditionalem affectum, nollem deſiſtere à peccando, ſi abeſſet infernus. Patet; quia in priori caſu illa conditionata voluntas nullum onus adfert navi, adeòque nullum periculum naufragii; in poſteriori autem caſu, ille conditionalis affectus meretur pœnam inferni.

106. **Objectio ex Scoto.**

Dices cum Scoto ſuprà: *Saltem quod non eſt niſi ſit involuntarium* (hoc eſt, niſi ex ſuppoſitione alicujus involuntarii, puta impræſentiarùm, periculi æternæ damnationis) *non eſt multùm acceptum alii, nec multùm videtur propter eius amorem factum.*

Reſponſio.

Admitto totum. Sed quid indè? Numquid Attritio ſufficiens cum Sacramento debet multùm eſſe accepta Deo, & multùm propter ejus amorem facta? Conſtat quòd non; nam dolor qui multùm elicitur propter amorem Dei, eſt Contritio charitate perfecta.

107. **Peccatum poſt Baptiſmum commiſſum dupliciter remittitur per Sacramentum, & ſine eo ex Scoto.**

Hinc appoſitè Scotus 4. diſt. 14. qu. 4. nu. 7. *Non ſolùm*, inquit, *attritus per aliquod tempus uſque ad certum inſtans, in ultimo inſtanti recipit gratiam delentem peccatum, tamquam per virtutem meriti de congruo, ut declaratum eſt in ſolutione præcedente, ſed non habens talem actum qui ſufficit ad meritum de congruo* (id eſt Contritionem charitate perfectam) *ſed tantùm habens voluntat- piendi Sacramentum Eccleſiæ, & ſine cati mortalis actualiter ſibi facto, v- luntate inhærentis, recipit non ex me ex pacto divino effectum iſtius Sacrar ſic parùm attritus, etiam Attritione, habet rationem meriti ad remiſſionem volens tamen recipere Sacramentum P ſicut diſpenſatur in Eccleſia, & ſine voluntate peccati mortalis in actu, inſtanti illius prolationis verborum, in licet eſt vis Sacramenti iſtius, recip ctum Sacramenti, ſcilicet gratiam p lem: non quidem ex merito, quia interior non erat ſufficiens per modum ſed ex pacto Dei aſſiſtentis Sacrament effectum illius, ad quem inſtituit Sacra alioquin non appareret, quomodo Sacr. Pœnitentiæ eſſet ſecunda tabula, ſi nume ipſum, ut Sacramentum eſt, poſſet r ſecunda gratia amiſſa, ſed tantùm pe tionem, tamquam per præviam diſpoſ & per Contritionem tamquam per d nem completivam.* Hactenus Doctor lis.

Igitur ſecundùm ipſum, Attritio tu gehennæ poterit ſufficere cum Sac to ad juſtificationem, eſtò per ſe n multùm accepta Deo, nec multùm ejus amorem facta; quia ſaltem par accepta Deo, & parùm propter eju rem facta, quod ſufficit; quandoquic miſſio peccatorum non tam Attritioni ſcribi debeat, quàm Sacramento, cui e Deus aſſiſtit ad cauſandam illam remiſſ ad quam ipſum inſtituit.

Sed numquid bene infertur ex his Scoti: ergo Doctor Subtilis nullam rit diſplicentiam peccati, ut Sacram Pœnitentiæ cauſet remiſſionem peccat Cæci ſunt & duces cæcorum, qui ſic arg tantur. Non enim viderunt illa verba *parùm attritus.*

Immo, inquiunt, vidimus; ſed ill va Attritio non eſt aliud, quàm vo ſuſcipiendi Sacramentum. Si credere nam nu. 9. ſic ſcriptum invenio: *Conced ante perceptionem dignam Pœnitentiæ, opor citari, vel ſimpliciter, & tunc per Pœnitent cramentum non deletur peccatum, ſed grati infuſa, augetur: vel ſuſcitari ſecundùm qu licet ut habeat aliqualem diſplicentiam de tu, & propoſitum cavendi de cætero, & ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo A ſit Contritio, & tunc ſuſcitatur ſimpliciter per S mentum.* Nonne hìc apertiſſimè diſtingu ter diſplicentiam de peccatis, & volunta ſuſcipiendi Sacramentum?

Quinimmo etiam in prioribus verbis, aliquibus ſunt petra ſcandali (ſed accepti)

pa

patenter eamdem ſignificat diſtinctionem ibi: *Vt ſic parùm attritus etiam Attritione, quæ non habet rationem meriti ad remiſſionem peccatorum* (ecce aliqualis diſplicentia de peccatis) *volens tamen recipere Sacramentum* &c. quaſi diceret: Qui cum parva Attritione ſeu aliquali diſplicentia de peccatis vult ſuſcipere Sacramentum &c. Quomodo ergo dicitis illam Attritionem non eſſe aliud, quàm voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum?

Nonne qui parùm atteritur, id eſt, cui aliqualiter diſplicent peccata, hoc ipſo vult ſuſcipere Sacramentum; vel vice versâ, qui vult ſuſcipere Sacramentum, hoc ipſo atteritur, aut diſplicent ſibi peccata? Certum eſt quòd non.

Meritò igitur Scotus illa enumeravit tamquam diſtincta. Ut proinde ly *Tantùm*, quando dicit: *Sed tantùm habens voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum* &c. non excludat aliqualem diſplicentiam ſive Attritionem; ſed ſolummodo Attritionem, ſufficientem per modum meriti, ut luce meridianâ clariùs patet ex contextu.

Quæ cùm ita ſint, perſiſto in Concluſione, quidquid in contrarium ſentiat Hiquæus in ſuo Commentario 4. diſt. 14. q. 2. n. 119. & ſequentibus, exiſtimans cum Scoto, ut putat, Attritionem vel elici, vel imperari debere à virtute charitatis. Idem docet Joannes Poncius in integro Theologiæ Curſu diſp. 45. nu. 21. ubi ſic ait: Ut quis diſponatur bene ad conſequendam juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, debet habere dolorem de peccatis ex motivo charitatis, ſive elicitè, ſive imperatè. Illamque doctrinam vocat communem apud Scotiſtas.

Interim nullam adfert auctoritatem Scoti, quod mihi rem facit ſuſpectam, maximè cùm Auctor ille, quamvis Scotiſta nomine, tamen ſubinde parùm ſit ſolicitus de mente Scoti. Niſi ergo aliæ adferantur auctoritates, præter illas quas hactenus allatas vidi, non credo nec ipſi, nec Hiquæo, nec alteri cuicumque Scotiſtæ.

111. Sed videamus rationes Poncii. Probatur, inquit, primò ex auctoritatibus, quibus probata eſt prima Concluſio præcedentis quæſtionis, quæ certè videntur expreſsè docere talem neceſſitatem dilectionis ex motivo charitatis, ut nemo adultus compos rationis poſſit juſtificari ſine illa. Hæc ille.

Prima autem Concluſio, quam citat, ita ſonat: *Contritio perfecta eſt dolor, ac deteſtatio peccati ex motivo charitatis, hoc eſt, dolor quem quis concipit de peccato, ex eo, quòd diligat Deum ſuper omnia amore amicitiæ.*

Auctoritates, quas adfert ad probandam illam Concluſionem, ſunt ſequentes: 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Cor. 13. *Sine charitate nihil ſum, ſi charitatem non habeam, nihil mihi prodeſt.*

Quo modo (inquit) loquendi utuntur Sancti Patres communiter: ſufficit citare Auguſtinum de vera & falſa Pœnitentia: *Sine amore nemo unquam gratiam invenit, nec veniam aſſecutus eſt.* Et Serm. 7. de Tempore: *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei.* Et 21. Civit. 27. *Niſi deſiſtant à peccatis habendo charitatem, quæ non agit perperam nihil eis prodeſt.*

Sed hoc eſſet falſum, ſi ſufficeret ad deletionem peccati, & juſtificationem Contritio aliqua, quæ non oriretur ex charitate, quia eſſet filius adoptivus Dei, & conſequeretur veniam ſine amore. Huculque Poncius.

Sed antequam pergo; Notandum quod ait Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 20. in fine: *Quod ſine amore Dei nullus conſequitur veniam, poteſt ibi accipi venia non tantùm pro Pœnitentia, ſed pro fine Pœnitentiæ: & ita communiter dicimus, quòd per Pœnitentiam acquiritur venia: & illa venia eſt, quando quis per gratiam acceptatur ad amicitiam divinam.* Et verò quid eſt gratia, per quam acceptatur peccator ad amicitiam divinam? Charitas, inquis. Rectè; ſed habitualis: de illa ergo, & non de actu videri poſſet alicui Scotus illum locum Divi Auguſtini intellexiſſe. 112.

Quin & ipſe Poncius ſuprà nu. 9. admittit, Tridentinum poſſe intelligi de charitate habituali, quando docet, Contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo, priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur. Unde admittit, ex illo loco Concilii non ſufficienter probari, quòd perfecta Contritio debeat eſſe ex motivo charitatis.

Si hoc verum eſt (quod non) quare non ſimiliter Scripturæ allegatæ, & auctoritates D. Auguſtini, intelligi poſſent de charitate habituali? Omitto quòd aliqui Scripturas illas intelligant de charitate proximi; uti etiam ultimam auctoritatem D. Auguſt. Ex quo ergo probatur illa veritas?

Ex principio (inquit Poncius ſuprà n. 10.) communiter recepto apud omnes Theologos: nempe quòd nemo adultus compos rationis acquirat regnum cælorum ſine merito de condigno: ſed hoc eſſet falſum, ſi Contritio perfecta non eſſet ex motivo charitatis. 113.

Valde efficax probatio! Sed amabo, qui ſunt iſti omnes Theologi? Nonne omnes Theologi docent Contritionem imperfectam, ſaltem illam, quæ concipitur ex motivo charitatis, ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento, eſtò non juſtificet ſine Sacramento? Exiſtimas autem Ponci, quia & hæc Contritio ſive Attritio ſit meritum de condigno? Ut quid ergo omnes Theologi ad meritum de condigno requirunt in operante ſtatum gratiæ?

Et quamvis aliqui Theologi ſint, qui doceant Contritionem charitate perfectam eſſe meritum 114.

Margin notes: & S. Aug. — Explicatur primus locus D. Aug. ex Scoto de charitate habituali. — & conſimiliter Scripturæ & alia loca D. Auguſt. ſi vera eſt doctrina Poncii, quòd Trid. ſ. 14. c. 4. poſſit intelligi de charitate habituali. — An adultus poſſit acquirere regnum cælorum ſine merito de condigno. — An Contritio charitate — 1. Joan. 3. 1. Cor. 13.

Digitized by Google

perfecta ſit meritum de condigno?

meritum de condigno, certè inter illos nullatenus debet numerari Doctor Subtilis, qui ubique eam appellat meritum de congruo; idque quia nec ipſa invenit ſubjectum gratum, ſed ad gratiam recipiendam diſponit.

Scotus vocat eam meritum de congruo,

Quòd autem Scotus illam vocet meritum de congruo, oſtenditur luculenter ex lib. 4. diſt. 14. q. 2. n. 14. ibi: *Iſte autem motus dicitur Attritio* (loquitur de Contritione charitate perfecta, ut patet ex contextu, & alibi declaravimus) *& eſt diſpoſitio, ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis.*

Et in fine ejuſdem numeri: *Vt tunc in ultimo inſtanti, vel aliquo, uſquead quod Deus determinavit Attritionem debere durare, ad hoc, ut ſit meritum de congruo ad iuſtificationem.*

Item n. 5. *Poteſt ergo dici, quòd Deus diſponit per Attritionem in aliquo tempore, tamquam per aliquod meritum de congruo.*

115. diſtinguens contra meritum de condigno.

Præterea n. 16. ibi: *Sed hoc nihil eſt; quia etſi non poſſit quis in inſtanti præmiationis poſt meritum de condigno ponere obicem, ut in inſtanti mortis non poteſt quis demereri (tunc enim merito ſuo debet reddi impeccabilitas) tamen, quia meruit de congruo* (ſcilicet per Contritionem charitate perfectam) *poteſt ponere obicem in illo inſtanti in quo reciperet meritum termini de congruo, ſi non eſſet obex; & ſicut in termino meriti de congruo poteſt non habere illud quod meruit, quia ponit obicem, ita eſt veriſimile, quòd niſi continuet in illo inſtanti actum ſimilem in genere moris, non habebit illud, ad quod talis actus diſponit meritoriè de congruo.*

116. Igitur meritum de congruo ſufficit ſecundùm Scotum ad acquirendum regnum cælorum.

Quomodo illuſtriùs poſſet Scotus ſuam mentem indicare? Expreſsè diſtinguit inter meritum condignum & congruum, & Contritionem charitate perfectam vocat meritum de congruo. Quod utique meritum, cùm ſufficiat ad juſtificationem, ut ibidem Scotus docet, ex conſequenti etiam ſufficit ad acquirendum regnum cælorum.

Vides Ponci quantùm differas à mente Magiſtri tui Doctoris Subtilis? Et tamen Curſui tuo Theologico apponis illum ſpecioſum titulum: *Ad mentem Scoti.* Sed pergamus ad alia.

117. Impugnatur probatio Poncii ſuprà adducta ex Script. & PP.

Pace tuâ Ponci, quæro abs te; auctoritates Scripturæ, & D. Auguſtini, quas ſuprà adduxiſti, loquuntur de amore amicitiæ, quo Deus diligitur ſuper omnia, an de amore aliquo inferioris meriti? Si dixeris, de amore aliquo amicitiæ, ſed adhuc imperfecto, quomodo ergo ex illis rectè probas, quòd Contritio perfecta ſit dolor quem quis concipit de peccato ex eo quòd diligat Deum ſuper omnia amore amicitiæ? Sin autem loquantur de amore amicitiæ, quo Deus diligitur ſuper omnia, & qui extra Sacramentum juſtificat; quomodo ex illis efficaciter concludis, Attritionem, quæ ſolùm juſtificat cum Sacramento, debere concipi ex motivo charitatis?

Hanc objectionem videtur olfeciſſe Poncius; unde ſuprà n. 8. ſic ait: Dices; ex his locis ſequi, quòd Attritio non ſufficeret cum Sacramento, ſi intelligerentur in illo rigore, in quo, ut probent Concluſionem, intelligi debent; ſed hoc eſt falſum, & conſequenter non ſunt intelligenda ſic, nec probabunt Concluſionem. Probatur Sequela: quia Attritio non debet procedere ex charitatis motivo. Ita ſibi objicit hic Auctor.

Reſpondet autem primò, neg. Seq. cum probationis Antecedente; quia Attritio, etiam quæ requiritur ad juſtificationem cum Sacramento, debet eſſe ex motivo charitatis. 118. Prima reſponſio Ponc.

Quod ſi, inquit, hoc non eſſet verum, ut communiùs ſupponitur non eſſe; Reſpondeo ſecundò neg. Sequelam cum Minore, & Conſequentia probationis; quia loca illa debent intelligi in illo rigore extra Sacramentum, licèt in Sacramento non deberent ſic intelligi. Quòd verò excipiendus eſſet caſus, quo reciperetur Sacramentum, intelligi debet ex aliis locis Scripturæ & Patrum, quibus id ſignificant. Hactenus Poncius. Secunda Reſponſio.

Sed contra primam reſponſionem: ergo omnis Attritio eſt Contritio perfecta. Probo Sequelam, quia Contritio perfecta ſecundùm Poncium non eſt aliud, quàm dolor ac deteſtatio peccati ex motivo charitatis, hoc eſt, dolor quem quis concipit de peccato ex eo, quòd diligat Deum ſuper omnia amore amicitiæ. Sic illam deſcribit n. 8. Atqui Attritio ſufficiens cum Sacramento ſecundùm Poncium eſt talis dolor: ergo &c. 119. Refutatur prima reſponſio.

Quòd ſit amor amicitiæ, patenter oſtendo ex n. 21. qui ſic incipit: *Vt quis diſponatur bene ad conſequendam iuſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, debet habere dolorem de peccatis ex motivo charitatis ſive elicitè ſivè imperatè.*

Illamque charitatem diſtinguit eodem numero contra ſpem dicens: *Dilectio quæ hic* (in Concilio Trid. ſeſſ. 6. c. 6) *ponitur, non eſt actus ſpei, ſed alia diſpoſitio diſtincta, & conſequenter charitatis*; ergo amoris amicitiæ.

Quòd ſit etiam ſuper omnia, fatetur n. 23. ibi: *Sed quæres, an Attritio, quæ ſufficeret cum Sacramento, eſſet ex amore Dei ſuper omnia. Reſpondeo quòd ſic, quia excluderet affectum mortaliter inordinatum erga omnem creaturam, quandoquidem involveret propoſitum efficax non peccandi impoſterùm: nullus autem amor Dei poſſet ad hoc ſufficere, niſi qui eſſet ſuper omnia, ut patet.* Quid ergo deeſt illi Attritioni, ut ſit Contritio perfecta?

Ergo videtur Poncius ſibi ipſi contrarius; quippe n. 17. ait: *Contritio perfecta ſemper habet pro eodem inſtanti, quo eſt, iuſtificationem annexam etiam ſine receptione actuali Sacramenti.* Et n. 23. docet: *Si proponeretur in Concilio aliquo generali, an Attritio aliqua, quæ non ſufficeret extra Sacramentum, ſufficeret cum Sacramento; non dubito quin communi Patrum conſenſu decerneretur, quòd ſic,* 120. Poncius videtur ſibi ipſi contrarius.

Digitized by Google

ſic ; quia id inveniretur eſſe conforme traditioni perpetuæ Eccleſiæ , & nullo modo difforme auctoritatibus Scripturæ aut Patrum. Quomodo , inquam, hæ doctrinæ ſibi cohærent , cùm omnis Attritio ſufficiens ad juſtificationem cum Sacramento, ſit Contritio perfecta ſecundùm Poncium ?

1. ... ſio ... acio ... r.

Neque ſatisfeceris dicendo; Contritio perfecta debet elici ex motivo charitatis , ad Attritionem autem ſufficit quòd imperetur. Nam imprimis Hiquæus ,quondam Magiſter Poncii in Theologia , judicat ſufficere imperium charitatis ad Contritionem perfectam. Vide ipſum loco ſuprà citato.

Deinde, vel illa charitas, quæ imperat , eſt perfecta , & ſic ſtatim juſtificat ; adeòque ſemper antecedenter ad ſuſceptionem Sacramenti homo eſt juſtus , quod eſt contra Scotum ſuprà 4. diſt. 14. q. 4. nu. 7. & 9. & contra communem ſententiam Theologorum. Vel illa charitas imperans eſt imperfecta , & per conſequens imperfectus dolor qui imperatur. Et tunc quæro , in quo conſiſtat illa imperfectio.

2. ... itio ... ta, & ... io ... a ſe- ... im ... ium ... ejuſ- ... ſpe- ... & ... nt eſſe ... em in- ... onis ... ualis.

Pro quo nota , ſecundùm Poncium Attritionem , quæ elicitur ex motivo charitatis, eſſe ejuſdem ſpeciei cum perfecta Contritione, & poſſe eſſe ejuſdem intenſionis gradualis ; ſic quippe ſcribit nu. 20. *Hinc* (videlicet ex eo quòd poſſit dari Attritio ex motivo charitatis) *ſequitur, Attritionem aliquam , & Contritionem perfectam eſſe eiuſdem ſpeciei , quantùm eſt ex parte motivi , & conſequenter eas non diſtingui , niſi penes intenſionem ; quod tamen non intelligo de intenſione graduali , quaſi Contritio deberet habere plures gradus realiter diſtinctos , quàm Attritio: nam in Philoſophia docui actus non intendi hoc modo , ſed de intenſione maioris perfectionis eiuſdem indiviſibilis actûs ſupra alium actum indiviſibilem , ratione cuius fit , ut qui habet Contritionem perfectam , doleat de peccatu ſupra omnia mala , modo ſuprà explicato ; qui verò habet Attritionem non ſic doleat, ſed inferiori aliquo modo.* Hæc ille.

123. In quo ... ſiſtat ... perfectio ... as Attri- ... tis,

Sed quæro ego , quis eſt Ponci iſte modus inferior ? Quia , inquis , Attritio , de qua ibi ago , ſcilicet inefficaci , non dolet de peccatis ſuper omnia mala, id eſt, non infert affectum efficacem non peccandi mortaliter.

Rectè judicaſti;aſt nihil ad noſtrum propoſitum:non enim ago hìc de Attritione inefficaci,ſed efficaci,quæ de peccato dolet ſuper omnia alia mala; quæro ſiquidem , quæ ſit differentia inter Contritionem perfectam, & Attritionem, quæ ſufficit cum Sacramento; conſtat autem quòd hujuſmodi Attritio debeat eſſe dolor efficax ; id eſt, deteſtatio peccati ſuper omnia alia mala , ſive , quod in idem recidit, deteſtatio peccati,cum propoſito non peccandi de cætero.

124. Diſtinctio

Quæ igitur diſtinctio inter Contritionem charitate perfectam, & Contritionem imperfectam, ſive Attritionem efficacem ? Quòd, inquis , Attritio tendat ſic , ut faciliùs longè poſſet quis perduci ad peccandum, qui eam haberet , quàm qui eſſet perfectè contritus.

Poncii inter Contritionem & Attritionem.

Subtiliter ! Sed quis hoc vobis revelavit? An fortè experientiâ id didiciſti ? An ex relatu cujuſpiam cognoviſti ? Non credo. Si enim ſunt ejuſdem ſpeciei ex parte motivi , & utraque dolet de peccatis ſuper omnia alia mala , nec una habet plures gradus realiter diſtinctos quàm alia , neſcio ſanè ex qua parte, ſeu ex quo capite oriatur , quòd attritus faciliùs peccet, quàm perfectè contritus, nam uterque amat Deum ſuper omnia , & ideo dolet de offenſa divina. Rejicitur.

Itaque Attritio , & Contritio perfecta tendunt in idem objectum motivum , & eodem modo; & etiam poſſunt habere idem objectum materiale , id eſt , eadem peccata , ut planum eſt ; quæ ergo diſtinctio inter illos actus ?

Dices : diverſitas etiam petitur ex principio phyſicè efficiente ; jam autem Contritio perfecta majorem exigit conatum voluntatis, & majorem intenſionem habitûs , quàm ſola Attritio. Immo ſecundùm Poncium ſuprà n. 20. in fine , hâc ratione inter ipſaſmet Contritiones perfectas , quamvis habeant idem motivum ,& objectum , datur differentia aliqua inæqualitatis perfectionis. 125. Objectio.

Sed contrà ; hoc eſt quod quæritur , ſuppoſito quòd Attritio tendat in idem objectum, & eodem modo, quare non requirat æqualem conatum voluntatis , & æqualem intenſionem habitûs. Solvitur.

Deinde, quid eſt ille major conatus voluntatis , & major intenſio habitûs ? Profectò experientia docet, hominem in peccatis obſoletum , ut ſic loquar , longè majorem conatum debere adhibere , ut eliciat dolorem, cum propoſito emendationis ex quocumque demùm motivo , quàm ille , qui caſu ſemel peccavit mortaliter ; & dicam propterea , illum eſſe perfectè contritum , hunc autem ſolùm attritum ?

Et verò , numquid dantur plures habitus charitatis ſpecie phyſicâ diſtincti, quorum unus requiritur eſſentialiter ad Contritionem charitate perfectam , & alius ad Attritionem ? Nuſpiam legi talem diſtinctionem. An fortè dantur plures habitus charitatis numero diſtincti inæqualis perfectionis ? Hæc ſunt inventa hominum , ut quod ſemel mente conceperunt , ab eo nullatenus recedant. 126. Non dantur plures habitus charitatis ſpecie aut numero diſtincti.

Quid igitur ? Dic & intùs dic , quia ſic eſt ut dicis , dic cum communiori ſententia : Attritio quæ concipitur ex turpitudinis peccati conſideratione , vel ex gehennæ & pœnarum metu , ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ , non ſolùm non facit hominem hypocritam & magis peccatorem , verùm etiam donum Dei eſt , & Spiritûs ſancti 127. Concluſio.

 impul-

Digitized by Google

impulſus non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit, tamquam materia aut quaſi materia hujus Sacramenti, ſiquidem eſt Contritio veri nominis & rationis & eſſentiæ, id eſt, animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Quid ultrà requiritur?

128. Objectio ex Trident. Motivum, inquis, dilectionis, cujus licèt Trident. ſeſſ. 14. c. 4. non meminerit, equidem ſeſſ. 6. c. 6. fecit ſufficientem mentionem ipſius. Ita Poncius ſuprà n. 22.

Solvitur. Sed numquid etiam ſeſſ. 6. c. 6. ſufficientem fecerat mentionem motivi ſpei? Planè, ut patet ex textu non ſemel allegato. Cur ergo ſeſſ. 14. c. 4. rurſum meminit illius dicens: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demùm præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Et infrà agens de Attritione: *Si*, inquit, *voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ.*

Non poterat eâdem facilitate dicere: *Si cum fiducia divinæ miſericordiæ, & dilectione bonitatis divinæ* &c. *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, & dilectione bonitatis divinæ?* Si uterque actus eſt æqualiter neceſſarius, quare magìs hoc loco meminit ſpei, quàm charitatis?

129. Adfertur S. Bonav. contra ſufficientiam Attritionis. Atque hæc ſatìs de mente Scoti. Venio ad Doctorem Seraphicum D. Bonaventuram, quem pro ſua opinione Doctor ille Lovanienſis, de quo ſuprà, citat, dicens: S. Bonaventura 3. diſt. 34. q. 1. n. 59. *Timor ſervilis eſt donum Spiritûs ſancti ..... & propter illum timorem ceſſat homo à peccatorum perpetratione, licèt non omnino ceſſet à voluntate*; nam, ut habet n. 65. *Voluntas peccandi manet in habitu & radice. Quæ deformitas eſt circa timentem* n. 70. Hæc Doctor Lovanienſis, legens, *Quæ deformitas*, ubi in textu ponitur, *Quia deformitas*.

130. Sed contrarium oſtenditur ex ipſius verbis. Sed numquid ex his verbis Seraphici Doctoris rectè colligitur & infertur: ergo dolor peccati propter gehennæ metum nequit excludere omnem actualem peccandi voluntatem? Nequaquam, ut planè demonſtro ex illis ipſis verbis, & aliis n. 64. ubi ſic ſcribit D. Bonaventura: *Ad prædictorum intelligentiam eſt notandum, quòd cùm dico timorem ſervilem, duo dico; videlicet ipſum habitum, quo anima diſponitur ad timendum Deum, ut punientem eos, qui prævaricantur, & ulteriùs nomine ſervitutis importatur deformitas peccati, quæ annexa eſt illi habitui in eodem homine, ratione cujus ille homo dicitur eſſe ſervus peccati, & timor in eo exiſtens dicitur eſſe timor ſervilis.*

Per hunc etiam modum, cùm dico aliquem timere ſerviliter, duo dico, videlicet actum ab illo habitu egredientem, & voluntatis ſervilitatem ſive deformitatem concomitantem. Sed attendendum quòd hoc poteſt eſſe dupliciter; aut ita quòd deformitas illa voluntatis concomitetur quantùm ad habitum, aut quantùm ad actum. Si concomitatur ſolùm quantùm ad habitum, ſic poteſt eſſe, quòd aliquis ſerviliter timeat, & tamen motu illo non peccabit; quia ſi ex recogitatione pœnarum aliquis abhorret offendere Deum, hoc poteſt eſſe præter omne peccatum actuale.

Si autem concomitatur in actu, quamvis ipſum timere de ſe non ſit malum, tamen ratione deformitatis actualiter annexæ depravatur. Sicut aliquis qui timet pœnas, & timendo dolet, quod tales pœnæ infliguntur pro culpa, & actu etiam concupiſcit peccare, ſi non eſſet illa pœna, & hoc modo timere ſerviliter eſt peccatum & malum. Hoc autem non eſt ſemper cùm quis movetur timore ſervili; alioquin per uſum illius doni magìs ſe homo à gratia elongaret quàm præpararet, quod planè falſum eſt. Hæc Doctor Seraphicus.

Adhuc dubitas quæ ſit voluntas peccandi, quæ ſecundùm Bonaventuram manet in habitu & radice? Noli dubitare, quin ſit peccatum habituale, quod non expellitur per timorem ſervilem, niſi accedente Sacramento, & tunc potiùs per Sacramentum, quàm per illum timorem. *Et ideo* (ſubjungit Doctor verbis præcedentibus) *concedendum eſt, quòd uſus timoris ſervilis poteſt eſſe bonus* (quia videlicet poteſt excludere omnem actualem voluntatem peccandi) *licèt non ſit bonus bonitate meriti* (juſtificantis extra Sacramentum) *ſed magìs bonitate præparante vel ordinante ad meritum, quæ ſimul ſtat cum peccato*, ſcilicet habituali.. *Unde & rationes, quæ hoc oſtendunt, concedendæ ſunt.....* 131. Quæ [illegible] ſecund. Bonav. [illegible] per con. timore [illegible]

Ad illud verò quod primò obiicitur in contrarium, quòd in timore ſervili vivit voluntas peccandi, & quod dolet de eo, quod lex vetat, dicendum, quòd illud verbum Auguſtini non intelligitur, quòd ſemper, quando timet, doleat actu; & ſimiliter, quòd voluntas peccandi ſemper ſit in actu, ſed hoc dicit, quia manet in habitu & radice. Licèt autem voluntas ſit per peccatum deformata, & regnet in ea malus amor, id eſt, peccatum habituale, per quod peccator, tranſacto phyſicè actu peccati, permanet ſervus peccati, *poteſt tamen aliquando moveri ad aliqua bona opera in genere, vel ex circumſtantia per aliquam gratiam gratìs datam non committendo culpam, ſicut patet per multa exempla.*

Et infrà n. 70. *Ad illud quod ultimò obiicitur, quòd timere ſerviliter eſt timere cum circumſtantia peccati, dicendum, quòd illa circumſtantia ſive deformitas peccati poteſt poni circa actum timendi ratione ipſius actûs, vel ratione timentis. Et ſi ponatur ratione ipſius actûs, tunc utique actus deformatur, & efficitur malus ratione annexi, ſicut priùs fuit expoſitum. Sed ſi ita ſit, quòd ponatur ratione ipſius timentis, ſic poteſt eſſe quòd actus non ſit deformatus; ſed*

quia

quia deformitas (peccati habitualis) *eſt circa timentem* , *licèt ſecundùm illam deformitatem non actualiter moveatur*; *& propterea non eſt opportunum*, *quod timere ſerviliter ſemper ſit peccatum* actuale, aut habeat peccatum actuale annexum; *unò hoc* (timere ſerviliter) *poteſt eſſe utile & præparatorium reſpectu gratiæ* impetrandæ in Sacramento.

Accedat ad cumulum, quod idem Sanctus Doctor n. 72. reſpondet ad hanc quæſtionem: *Verùm timor ſervilis expellatur gratiâ adveniente? Poſſumus dicere, quòd timor ſervilis tres habet conditiones*; *unam ſicuti materialem & ſubſtratam* , *& hac eſt timere pœnam æternam. Alteram ſicut formalem & completivam*; *& hæc eſt principaliter intueri illam pœnam. Tertiam ſicut annexam*; *& hæc eſt habere voluntatem deformem* (per peccatum habituale vel actuale) *coniunctam*.

...con- ...s ti- ...ferri. D. ...ent.

Cùm igitur gratiæ donum ſuperinducitur, *timor ſervilis quantùm ad hoc quod materiale erat in ipſo*, *hoc eſt*, *in quantum habilitabat ad timendam pœnam*, *manet cum gratia*, *quia gratiæ non repugnat. Quantùm verò ad alias duas conditiones*, *videlicet quantùm ad completivam*, *& quantùm ad annexam pellitur per ipſam gratiam*; *quia cùm gratia ſupervenit* , *nec principaliter intuetur pœnam*, *nec habet annexam voluntatem malam* ſeu actualem, ſeu habitualem; *& ſic haberi poteſt*, *quòd donum timoris ſervilis*, *quantùm ad aliquid ſui adveniente gratiâ pellitur* , *& quantùm ad aliquid manet*. Hucuſque S. Bonaventura, utique ſatìs luculenter pro noſtra ſententia, quæ docet, dolorem peccati propter gehennæ metum, ſeu Attritionem poſſe excludere omnem actualem voluntatem peccandi.

133. Attritio ...ificet ...n Sacra... ...nto in ...iculo ...tis.

Itaque de ſufficientia veræ Attritionis, ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento, multi Auctores antehàc cenſuerunt, nullatenus dubitandum, & ideo docuerunt, quod hìc ſubjicio examinandum: Attritio quæ concipitur ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, juſtificat cum Sacramento, etiam in articulo mortis, & ut talis cognita.

Ratio eorum fundamentalis; quia doctrina Concilii Trident. ſeſſ. 14. c. 4. eſt generalis, à qua proinde ſine gravi cauſa non eſt excipiendus articulus mortis. Quæ hìc autem cauſa? Prorſus nulla.

134. ...bjectio.

Immo, inquit aliquis, quàm maxima, ſcilicet periculum æternæ damnationis, ſi fortè illa Attritio non ſufficiat, ſicut probabile eſt non ſufficere; quamquam enim aliqui exiſtiment probabile, nullam eſſe obligationem præcisè ex virtute religionis, ſequendi ſententiam tutiorem de valore Sacramenti, ut patet ex dictis diſp. 1. ſect. 7. concluſ. 15. equidem quando agitur de æterna ſalute, charitas propria videtur requirere certiſſimum medium recuperandi gratiam deperditam. Porrò illa Attritio non eſt medium certiſſimum: ergo &c.

Deinde fieri poteſt, ut homo numquam in vita ſua dilexerit Deum amore amicitiæ ſuper omnia, ad quam tamen dilectionem, ſaltem ſemel in vita (ſi non ſæpiùs) obligatur: ergo ad minus in articulo mortis. Alia objectio.

Reſpondent ad ultimum, ſe talem obligationem libenter agnoſcere, ſed dicunt, cum tali obligatione cognita, non poſſe conſiſtere Attritionem , de qua ipſi loquuntur; nam cum actuali peccato mortali, quale ſupponitur omiſſio dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia in tali caſu, nullatenus componi poteſt propoſitum non peccandi de cætero. 135. Reſponſio ad ſecundam.

Similiter Reſpondent ad primum; ſi ſupponas obligationem charitatis propriæ, idque cognitam ut talem, quid mirum, ſi non ſufficiat Attritio concepta ex turpitudinis peccati conſideratione, vel gehennæ & pœnarum metu? Haud enim excludit voluntatem peccandi. Reſpondetur ad I.

In hoc itaque verſatur cardo difficultatis, an videlicet peccator, ſine novo peccato mortali, in articulo mortis poſſit velle elicere Attritionem, & cum ea cognita ut tali ſuſcipere Sacramentum. Poſſe autem, docent iſti Auctores, quos citat & ſequitur Lugo diſp. 7. n. 263. Fatentur, propriam charitatem exigere medium ſalutis certiſſimum, ſed etiam profitentur, Attritionē talem, qualem nos deſcripſimus in præcedentibus Concluſionibus eſſe medium certiſſimum, id eſt, medium excludens omne dubium morale & humanum. Major certitudo, unde (inquiunt) probatur neceſſaria? 136. An Attritio ſit medium certiſſimum ſalutis.

Nonne in articulo mortis tenemur ſæpiùs elicere actum amoris, quia incertum eſt, an primus actus fuerit ſupernaturalis? Aut ſæpiùs, quando deeſt copia Confeſſoris, elicere Contritionem charitate perfectam, quia incertum eſt, an prima fuerit ſatìs intenſa pro qualitate delictorum? Num ſtatim poſt peccatum mortale commiſſum teneor perfectè conteri, immo & confiteri, quia incertum, an hâc horâ, vel hoc die ſim moriturus, quia incertum, an perfectè fuerim contritus?

Numquid licitum eſt parvulum rebaptizare ad majorem ſecuritatem, quando non ſubeſt morale dubium de valore prioris Baptiſmi? Conſtat quòd non, & tamen Baptiſmus eſt medium parvulo abſolutè neceſſarium extra caſum Martyrii ad conſequendam æternam ſalutem. Et ſicuti non eſt licitum parvulum rebaptizare in tali caſu, ita nec eſt licitum adulto petere, aut ſuſcipere Baptiſmum, multò minùs debet petere, aut ſuſcipere, tametſi metaphyſicum aliquod dubium æternæ ſalutis ſubeſſet. 137. Non licet parvulum rebaptizare ad majorem ſecuritatem, quando non ſubeſt morale dubium.

Ergo ſimiliter, non tenetur peccator in extremis ex præcepto propriæ charitatis elicere alium dolorem cum Sacramento, quàm talem Attri-

Digitized by Google

Attritionem, tametſi metaphyſicè, ut ſic loquar, dubitet de ejus ſufficientia, & per conſequens de æterna ſalute.

Profectò magìs dubitare poſſum, an hic actus meus ſit ſupernaturalis in ſubſtantia, ſit perfecta Contritio, an ſim ſupervicturus hâc horâ vel hoc die, an Sacerdos baptizans habuerit intentionem validam, fuerit uſus debitâ materiâ vel formâ, quàm an Attritio, de qua hìc tractatur, ſit quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Hoc ſiquidem docet Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 4. iſta pendent vel ex natura rei, vel ex voluntate Dei, vel ex voluntate & facto hominum, de quibus non habemus niſi moralem certitudinem; ſicut ergo moralis & humana certitudo in illis excuſat ab ulteriori obligatione propriæ charitatis, ita pari ratione in caſu Concluſionis. Hæc illi Auctores pro ſua ſententia.

138. Objectio, ex qua Sed contrà; eſt morale & humanum dubium de ſufficientia hujuſmodi Attritionis, nam multi tenent eam non ſufficere; unde non pauci ex illis, qui ſentiunt ſufficere, nihilominus docent in articulo mortis eſſe obligationem ad actum amoris amicitiæ, non quidem perfectum, ſive per ſe juſtificativum, ſed imperfectum, qui ſine magna difficultate poteſt elici. Cur ergo peccator non teneatur eum elicere, ut tantò ſecuriùs moriatur?

ratio Lugonis Ex quo corruit ratio Lugonis ſuprà n. 269. ut puta, quòd præcepta hominibus impoſita non obligant niſi humano modo, hoc eſt, juxta hominum conditionem, juxta quam non obligatur ad exquiſitam & metaphyſicam diligentiam, ſed ad humanam & moralem. Alioquin intolerabilia eſſent, & ſupra humanas vires: numquam enim ita ſatisfactum eſſet, ut non deberet major diligentia adhiberi, ut certiùs ſatisfieret. Ita Eminentiſſimus; ſed non videtur concludere intentum.

139. rejicitur. Enimverò licèt hæc ratio probet, non eſſe Baptiſmum iterandum, non eſſe iterandam Attritionem, vel Contritionem, quia ſemper poteſt manere aliquod dubium de ſufficientia; nam etiam incertum eſt, an ſecunda Contritio ſit ſupernaturalis, an ſecunda Contritio ſit ſatìs intenſa, an ſecundus Baptiſmus valeat, cùm valor dependeat ab intentione baptizantis, quæ ſemper poteſt abeſſe. Similiter ſemper eſt incertitudo, an homo ſupervivet etiam hoc momento, adeòque ſtatim poſt peccatum deberet conteri, quod aliquando moraliter eſt impoſſibile.

Quamvis ergo in his caſibus ratio Lugonis concludat; numquam enim ita ſatisfactum eſſet, ut non deberet major diligentia adhiberi, ut certiùs ſatisfieret; equidem in caſu propoſito videtur illa ratio deficere, quia Contritio, quam requirit oppoſita ſententia, non ſuperat humanas vires; adeòque peccator non obligatur, niſi ad moralem & humanam diligentiam.

Nec majorem vim videtur habere argumentum Lugonis, quod deſumit ex praxi fidelium. Si, inquit Eminentiſſimus, eſſet ejuſmodi obligatio (ſcilicet eliciendi Contritionem in articulo mortis) obligaretur etiam Confeſſarius inſtruere & admonere pœnitentem de ejuſmodi obligatione, nec poſſet pœnitentem abſolvere, niſi conaretur habere Contritionem; immo quilibet alius teneretur ex charitate admonere & inſtruere ægrotum de illo debito. Sicut debemus ex charitate admonere moribundum, qui putat ſe ritè baptizatum, cùm reverà Baptiſmus dubius fuerit. 140.

Et quamvìs ad Confeſſarium hoc præcipuè ſpectet ex officio & munere ſuo, prudenter tamen poſſumus ferè ſemper dubitare, quòd Confeſſariùs id non fecerit, cùm ſint pauci Confeſſarii, qui hoc advertant vel faciant, ut experientia communis teſtatur; atque adeò in hoc dubio omnes alii obligarentur. Conſequens autem & eſt contra praxim fidelium, & laqueos injicit conſcientiæ.

Sed nec hæc probatio convincit; nam eâdem facilitate negatur, quâ aſſeritur: *Prudenter poſſumus ferè ſemper dubitare* &c. immo puto experientiam potiùs teſtari ſolicitudinem Confeſſariorum circa dolorem à pœnitentibus eliciendum ex motivo amoris amicitiæ, etiam extra articulum mortis.

Quid ergo? Vel admittenda eſt obligatio propriæ charitatis, vel negandum rationes, & auctoritatem Adverſariorum ſufficere, ut peccator, cum Attritione ſuprà deſcriptâ recipiens Sacramentum, cenſeatur ſalutem ſuam exponere periculo morali & humano modo. An autem hoc negari poſſit, libentiùs diſco quàm dico. Præſertim cùm poſt hæc ſcripta emanaverit decretum Alexandri VII. fel. rec. de die 5. Maii 1667. in quo prohibetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, ne aliquis fidelium audeat alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ aut contumeliæ notâ taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in Attritione ex metu gehennæ conceptâ, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec à ſancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum. 141. Conclusio

Interim hoc dico, quod ex illis verbis Apoſt. 1. Cor. ultimo v. 22. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema,* non rectè inferatur; ergo Attritio, ut cum Sacramento juſtificet, debet eſſe actus dilectionis Dei propter ſe. 142. Objectio solvitur. 1. Cor.

Interrogo ſiquidem, quia ego hoc inſtanti non elicio actum amoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando nulla eſt obligatio eum eliciendi, idcirco anathema ſum? An fortè quando dormio, actualiter diligo Dominum noſtrum

Digitized by Google

noſtrum Jeſum Chriſtum? Si autem ſufficit dilectio ſive charitas habitualis, illam poteſt habere, qui cum Attritione ſuſcipit Sacramentum, licèt illa Attritio non ſit actus dilectionis Dei propter ſe. Patet, quia juſtus poteſt atteri de peccatis venialibus, aut mortalibus remiſſis, & cum illa Attritione ſuſcipere Sacramentum. Quidni accipiat augmentum juſtitiæ per illam Attritionem cum Sacramento? Omitto ſpem veniæ, quam requirit ſalutaris Attritio, eſſe aliquam dilectionem Dei, de quo ſuprà ſatìs dictum fuit.

Proinde quod ait Didacus Stella in cap. 6. Lucæ: *Si tantum dolorem & Pœnitentiam tuorum peccatorum habueris, & illorum causâ tot lacrymas fuderis, quot ſunt guttæ aquæ in mari, ſi hanc Pœnitentiam & dolorem habueris ſolùm, vel præcipuè id cavens, ne in infernum eas; certiſſimè ſcias te hâc ſolâ ratione damnandum fore,* intelligendum exiſtimo de dolore inefficaci (carente ſcilicet propoſito non peccandi de cætero) idque merè naturali; nam pro exemplo adfert Pœnitentiam Saulis, & pro ratione videtur allegare, quòd talis pœnitens ſeipſum plùs, quàm Deum diligat. Quid autem eſt ſeipſum plùs, quàm Deum diligere? Utique citiùs velle Deum non eſſe, quàm ſeipſum.

14. A contrario ſenſu intelligite: Deum plùs, quàm ſeipſum diligere, eſt citiùs velle ſeipſum non eſſe, quàm Deum, id eſt, malle ſuſtinere quælibet adverſa & incommoda, quàm Deum mortaliter offendere; per conſequens ſeipſum plùs diligere, quàm Deum, eſt malle Deum mortaliter offendere, quàm quælibet adverſa & incommoda tolerare.

Qui ergo ſeipſum plùs, quàm Deum diligit, per dolorem & Pœnitentiam conceptam ex metu inferni, quatenus eſt aliquod malum naturale, numquam accipiet remiſſionem peccatorum, ſed hâc ſolâ ratione damnabitur. Supponitur quippe ita actualiter affectus, ut ſi vel peccandum foret mortaliter, vel ardendum igne ſempiterno, eligeret peccare mortaliter ad evadendum ignem ſempiternum, quod indubiè peccaminoſum eſt, & ex objecto ſuo peccatum mortale. Porrò ille affectus longè abeſt, aut abeſſe debet ab Attritione ſalutari, quæ cum Sacramento juſtificat.

145. Sed dicet aliquis; ſi res ita ſe habet, quomodo ergo dicit Didacus Stella in cap. 3. Lucæ: *Licèt non ſit mala Pœnitentia ex timore facta?*

Reſpondeo, Pœnitentiam ex timore non eſſe malam, ſi conſideretur ut præciſa ab affectu conditionali jam explicato, videlicet ſi vel peccandum foret mortaliter, vel ardendum, eligo magìs peccare mortaliter, quàm ardere. Sin autem ille affectus ſit quaſi pars illius Pœnitentiæ, ita ut Pœnitentia ex timore, in ſuo conceptu eſſentiali, ſive inſeparabiliter includat illum affectum, profectò cupio doceri, quâ ratione talis Pœnitentia non ſit mala. Quod enim bene fieri non poteſt, quomodo dici poteſt bonum, aut non malum?

Hæc dixero, non ad enervandum uſum Contritionis, etiam perfectiſſimæ, quam homo poteſt elicere, nam congruit omni modo poſſibili ſatisfacere Deo pro peccatis in hac vita; ſed ad ſubveniendum infirmitati voluntatis humanæ, quæ ſubinde non movetur ad deteſtationem peccatorum, niſi ſpe æternæ retributionis. Me ergo auctore & duce, omnes qui ad Sacramentum Confeſſionis accedunt, non tantùm in articulo mortis, ſed toties quoties accedunt, elicient perfectiſſimam Contritionem, quam per gratiam Dei poſſunt elicere; & Confeſſarii pro ratione tẽporis ſuos pœnitẽtes, quos minùs inſtructos in rebus ſpiritualibus adverterint, in illa elicienda inſtruent, & illorum mentes ad illam eliciendam excitabunt, juxta illud Catechiſmi Romani part. 2. c. 5. qu. 31. 146.

Excitandi fideles ad Contritionem charitate perfectam, etiam extra articulum mortis.

Plurimùm valebit ad fidelium mentes excitandas, ſi Paſtores rationem aliquam tradiderint, quâ ſe quiſque ad Contritionem exercere poſſit. Monere autem oportet, ut omnes, conſcientiam ſuam frequenter excutientes, videant, num, quæ à Deo, ſive Eccleſiaſticis ſanctionibus præcepta ſunt, ſervaverint: quòd ſi quis alicuius ſceleris reum ſe eſſe cognoverit, ſtatim ſe ipſum accuſet, ſupplexq́; à Deo veniam expoſcat, & ſpatium tum confitendi, tum ſatisfaciendi ſibi dari poſtulet, imprimiſq́; divinæ gratiæ præſidio ſe adiuvari petat, ne impoſterùm eadem illa peccata admittat, quæ admiſiſſe vehementer pœnitet. 147.

Probatur ex Catechiſ. Romano.

Curandum erit præterea Paſtoribus, ut in peccatum ſummum fidelium odium concitetur; tum quia ſumma eſt illius fœditas & turpitudo, tum quia graviſſima damna & calamitates nobis adfert; nam Dei benevolentiam, à quo maxima bona accepimus, longeq́; maiora expectare & conſequi licebat, à nobis alienat, & ſummorum dolorum cruciatibus perpetuò afficiendos ſempiternæ morti nos addicit. Hactenus Catechiſmus Romanus, ſed non ſatìs clarè & diſtinctè in hac materia, ut adhuc ſuperiùs notavi.

Etenim motiva Attritionis ſeu Contritionis imperfectæ, ſcilicet turpitudinem peccati, & cruciatus inferni commemorat, ubi tamen quæritur; *Quâ ratione ad perfectionem Contritionis venitur?* id eſt, ad Contritionem charitate perfectam. Quæ ſanè ratio proximè conſurgit, non ex conſideratione turpitudinis peccati, aut ſummorum dolorum cruciatibus, ſed ex contemplatione infinitæ bonitatis divinæ in ſe, cui infinitè quaſi opponitur quodcumque peccatum mortale.

Hic potuiſſet eſſe finis Concluſionis & Sectionis, niſi aliquis curioſiùs à me quæſiviſſet: 148.

Quomodo

Digitized by Google

Attritio poſſit tranſire in Contritionem.

Numquid Attritio poteſt tranſire in Contritionem? Reſolutio facilis eſt, & ideo quaſi pro coronide illam ſubnecto & dico; quoniam Contritio charitate perfecta, & Attritio, ſecundùm noſtra principia, ſpecie diſtinguuntur, propter diverſa objecta formalia motiva; liquet profectò, Attritionem entitativè non poſſe tranſire in Contritionem charitate perfectam, id eſt, ille idem actus, qui nunc eſt Attritio, nullo retro tempore poteſt fieri Contritio; nam eſſentiæ rerum ſunt immutabiles, adeòque contingere nequit, ut actus, qui jam eſſentialiter reſpicit hoc objectum, craſtinâ die illud non reſpiciat, ſed aliud planè diſtinctum, quamvis bene fieri poſſit, ut actus, hodie eſſentialiter, ſive ex objecto bonus, idem permanens, ſcilicet objectivè bonus, craſtinâ die extrinſecè fit malus propter reflexam ejus prohibitionem, de quo ſuprà aliquid attigimus.

Attritio entitativè non poteſt tranſire in Contritionem.

Et ex conſequenti natum eſt contingere, & quotidie contingit, quòd Attritio nunc informis, id eſt, ſeparata ab habitu charitatis, ſequenti inſtanti, vel tempore, fiat formata per concomitantiam habitûs charitatis; illa ſiquidem concomitantia eſt accidentalis actui, neque ullo modo immutat eſſentiale ipſius objectum.

149.
Attritio ſeu Contritio informis poteſt fieri formata.

Ita ſeipſum explicat Scotus 4. diſtinct. 14. qu. 2. nu. 15. *Si*, inquit, *manet idem motus contra peccatum in eſſe naturæ, & moris qui priùs, idem motus qui priùs fuit Attritio* (id eſt, Contritio informis) *fit Contritio* (formata) *quia in illo inſtanti fit concomitans gratia, & ita actus formatus, quia habens ſecum charitatem, quæ eſt forma actûs ut hìc loquimur*, id eſt forma extrinſeca, ut patet ex his, quæ continuò attexit:

Ibi tamen oportet diſtinguere ſigna naturæ inter actum, ut eſt talis in eſſe naturæ & moris, & inter charitatem, & inter actum ut eſt formatus, quia in primo ſigno naturæ, eſt ibi actus talis, in ſecundo charitas, in tertio actus formatus à charitate jam inclinante & inhærente, & ſic Attritio fit Contritio, ſine omni mutatione reali ipſius actûs, id eſt, idem actus ex informi fit formatus. Nullibi autem Scotus docet, eumdem actum, qui nunc eſt Attritio, id eſt, deteſtatio peccati ex motivo ſpei, pòſt fieri poſſe Contritionem charitate perfectam, id eſt, elici poſſe ex motivo amoris amicitiæ.

Hinc colligitur, quid intendat Doctor Subtilis, quando 4. diſt. 14. q. 4. nu. 9. ait: *Concedo, quòd ante perceptionem dignam Pœnitentiæ, oportet ſuſcitari vel ſimpliciter, & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, ſed gratia, quæ infuit, augetur, vel ſuſcitari ſecundùm quid, ſcilicet ut habeat aliqualem diſplicentiam de peccatis, & propoſitum cavendi de cætero, & velit ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio fit Contritio*, id eſt, in quo, ſive per quod, imperfecta illa, ſive aliqualis diſplicentia, confert gratiam ſanctificantem, quam ſine Sacramento contuliſſet Contritio charitate perfecta. Attritio ergo in Sacramento fit Contritio, quoad æquivalentiam, ſive quoad effectum, non quoad entitatem.

Poſſet etiam dici, per Sacramentum Attritionem fieri Contritionem habitualiter, quia videlicet per Sacramentum voluntas accipit habitum charitatis, cujus actus eſt Contritio. Et verò quis dubitet, hominem attritum poſſe fieri contritum, ſi nimirum jam deteſtetur peccatum propter Deum ſummè ſe dilectum, ubi antea illud tantùm deteſtabatur propter pœnas, vel turpitudinem peccati? Id tamen non neceſſariò ſemper fit per Sacramentum, ſive in Sacramento Pœnitentiæ; neque ſi fiat, erit idem entitativè actus, ſed diverſus ſpecie. Atque hæc ſatis ſuperque pro explicatione naturæ ſeu eſſentiæ Virtutis Pœnitentiæ; tranſeo ad ejus neceſſitatem, ſeu præceptum.

SECTIO QVARTA.

De Neceſſitate Virtutis Pœnitentiæ.

1.
Nulla eſt neceſſitas virtutis ſpecialis Pœnitentiæ. Scotus.

NOn dico, *Virtutis ſpecialis Pœnitentiæ*, nam ejus nulla eſt neceſſitas, ut ſcitè notavit Doctor Subtilis 4. diſt. 14. q. 2. n. 13. ubi ſic inquit: *De ſecundo principali, ſcilicet an pœnitere, ut actus virtutis requiratur ad deletionem peccati, dico quòd non ut actus unius determinatæ virtutis.*

Patet; *Quia* (proſequitur Scotus) *pœnitere ſecundùm quamcumque quatuor ſignificationum prædictarum* (puta, Vindicare peccatum commiſſum; Deteſtari peccatum commiſſum; Acceptare pœnam inflictam: Patienter ferre pœnam inflictam) *ſufficit, ut probatur auctoritate Ezech.* 18. & 33. Quacumque horâ ingemuerit peccator &c. *Actus autem primus & alii* ...

non neceſſariò ſunt alicuius eiuſdem determinata virtutis; ſed primus iuſtitia, ultimus patientia, duo intermedii cuiuſcumque virtutis appetitivæ. Quòd ſi virtus ſpecialis Pœnitentiæ non eſt neceſſaria ad deletionem peccati, ad quem alium finem erit neceſſaria?

otia ne- , niſi tio- ecca- Profectò divina teſtimonia, quæ ſine dubitatione ſunt plurima in defenſione neceſſitatis Pœnitentiæ, Concilium Tridentinum intelligit de neceſſitate in ordine ad remiſſionem peccatorum. Sic namque loquitur ſeſſ. 14.

Trid. c. 1. *Fuit quidem Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut perverſitate abiectâ, & emendatâ, tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur: unde Propheta ait:* Convertimini & agite Pœnitentiam ab omnibus ini- 18.
quitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. *Dominus etiam dixit:* Niſi Pœniten- 1. v. 3.
tiã egeritis, omnes ſimiliter peribitis. *Et Princeps Apoſtolorum Petrus peccatoribus Baptiſmo initiandis Pœnitentiam commendans dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* v. 38.

Conſimiliter loquitur Concilium eâdem ſeſſ. c. 4. ibi: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius.*

3. ſit itio dent. Rogas quid ſit illa Contritio? Reſpondet Synodus ibidem: *Animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Cumque talis dolor poſſit elici à diverſis Virtutibus, puta Charitate, Spe &c. liquet profectò, divina teſtimonia, quæ, ſicut dixi, ſunt plurima in defenſione neceſſitatis Pœnitentiæ, nequaquam intelligenda fore de Virtute ſpecialis Pœnitentiæ, ſive Pœnitentia, ut eſt actus unius determinatæ virtutis. De qua ergo? Reſpondeo & dico primò:

CONCLUSIO I.

Pœnitentia, quæ eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, fuit univerſis hominibus, qui ſe aliquo peccato mortali inquinaſſent, omni tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria.

4. batio nclus. ex dent. & ipt. HÆc Concluſio eſt fidei ex Tridentino jam jam allegato, & quàm plurimis Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quibus referendis ſuperſedeo, quia res clara eſt, & ſufficere poſſunt, quæ Tridentinum ſuprà recenſuit. Ratio à priori, voluntas divina, quæ per talem actum voluit ſibi ſatisfieri pro injuria tali quali, per peccatum mortale illata. Ratio à priori.

Probatur ex Scoto. De hac re ita diſcurrit Doctor Subtilis 4. diſt. 14. q. 1. n. 9. *Secundò dico, quòd non remittitur* (peccatum mortale) *ſine pœna vel æquivalente in acceptatione divina, quia per quodcumque peccatum offenditur Deus, ſicut Scriptura ſatis clamat: offenſa autem eius vel ira (ut dictum eſt) eſt eius velle vindicare, vel aliquid ſufficiens ad placandum exigere: ergo poſito quocumque peccato, Deus vult vindicare de peccante, ſed velle vindicare, eſt velle punire: ergo poſt peccatum commiſſum ad eius deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquivalens in acceptatione divina.* Et infrà: *De potentia ordinata iſta eſt via univerſaliter præfixa à lege divina ordinante, ſcilicet, peccatum puniri per pœnam, tamquam per proprium correſpondens.* Præterea n. 10. *De re*, inquit, *eſt iſta Concluſio, quòd ad deletionem peccati regulariter requiritur pœna vel punitio voluntaria.*

5. Poteſt abſolutè deleri peccatum ſine formali & explicita Pœnitentiâ. Dicit: *Regulariter*, ut ſignificet, per actum dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, ſine formali & explicita Pœnitentia, poſſe deleri peccatum, de quo egimus Sect. 2. Concluſ. 5.

Per pœnam autem, ſive punitionem voluntariam, intelligere actum Pœnitentiæ, à nobis in Concluſione ſpecificatum, ex iis, quæ ibidem docet, luce meridianâ clarius eſt, adeò ut ſupervacaneum exiſtimem huic rei elucidandæ diutiùs immorari. Tantùm ſubſcribo verba Scoti, quæ habet eâdem diſt. q. 2. n. 17. *Ex his ad ſolutionem quæſtionis arguitur breviter ſic: Ad remiſſionem culpæ mortalis, poſt Baptiſmum commiſſæ, requiritur punitio voluntaria vel voluntas punitionis, ſed neutrum iſtorum poteſt eſſe ſine Pœnitentia: ergo* &c.

6. Neceſſitas Pœnitentiæ non eſt ex natura rei, ſed ex ſola voluntate Dei. Itaque ſecundùm Scotum, neceſſitas Pœnitentiæ ad deletionem peccati mortalis, non eſt neceſſitas ex natura rei, quaſi Deus non poſſit remittere peccatum, niſi per actum Pœnitentiæ, ſed eſt neceſſitas ex ſola Dei voluntate, quæ ſic, & non aliter voluit remittere peccatum mortale, id eſt, actus Pœnitentiæ eſt medium ordinarium, quòd Deus voluit acceptare in ſatisfactionem pro peccato commiſſo, ſic tamen ut illud per actum æquivalentem, nempe dilectionem Dei propter ſe ſuper omnia, etiam de facto remittat.

Sed numquid ex hac neceſſitate bene infertur præceptum poſitivum, vel naturale Pœnitentiæ, adeò ut niſi homo peccator in hac vita pœniteat, peccet ſpeciali peccato impœnitentiæ? Reſpondeo & dico ſecundò:

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

Pœnitentia obligat per ſe peccatorem, ſub novo ac ſpeciali peccato mortali, in periculo mortis.

7. Probatur Concluſ. ex Tertull.

TErtullianus lib de Pœnitentia: *Audaciam*, inquit, *exiſtimo, de bono divini præcepti* (loquitur de Pœnitentia) *diſputare; neque enim quia bonum eſt, ideo auſcultare debemus. ſed quia Deus præcepit: ad exhibitionem obſequii prior eſt maieſtas divinæ poteſtatis, prior eſt auctoritas imperantis, quàm utilitas ſervientis; bonum eſt pœnitere, an non, quid revolvis? Deus præcepit. Quod igitur Deus tantopere commendat, ſummâ utique gravitate & aggredi, & cuſtodire debemus.*

quem ſequitur cõmunis ſchola Theologorum.

Tertullianum ſequitur communis ſchola Theologorum, quæ conſiderans neceſſitatem Pœnitentiæ, Concluſione ſuperiori explicatam, indè concludit aliquod præceptum pœnitendi in hac vita, id eſt, ſatisfaciendi Deo pro peccato commiſſo per actum Pœnitentiæ, aut alium æquivalentem in divina acceptatione.

8. An præceptum Pœnitentiæ ſit merè poſitivum?

Interim controverſia eſt, quale ſit illud præceptum, merè poſitivum, an verò naturale. Quòd non ſit præceptum naturale, videtur ex eo conſectaneum, quia non apparet, ad quod præceptum Decalogi pertineat.

Pars affirmans non videtur benè probari ex Scrip. Luc. 3.

Porrò non eſſe poſitivum, probatur; quia nullum tale ius adducitur. Nam illa Scriptura Luc. 13. v. 3. *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, abundè verificatur de neceſſitate medii, ut ſenſus ſit: *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, non propter peccatum impœnitentiæ, ſed propter peccata præterita, non remiſſa.

Aliud eſt de hac Scriptura Joan. 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ſiquidem ſumptio Euchariſtiæ ſupponit peccata præterita remiſſa: ergo carentia vitæ, propter peccatum, quod committitur ratione omiſſionis Euchariſtiæ: ergo præceptum poſitivum Euchariſtiæ.

9. Quam neceſſitatem ſignificent illa verba Joan. 3. *Niſi quis renatus* &c.

Quantùm ad illa verba Chriſti Joan. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, ſi intelligantur de Baptiſmo in re, vel ejus voto, prout videtur ea intelligere Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 4. ibi: *Quæ quidem tranſlatio* (id eſt, juſtificatio) *poſt Euangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut eius voto, fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit* &c.

Hæc, inquam, ſola verba ſic intellecta, non convincunt præceptum poſitivum Baptiſmi in re; quia ſenſus eorum eſſe poteſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, non propter peccatum, quod committitur in omiſſione Baptiſmi, ſed propter peccatum originale non remiſſum, defectu Baptiſmi in re, & ejus voto.

Sin autem accipiantur, ut dicta de ſolo Baptiſmo in re ſuſcepto, cùm aliunde conſtet hominem poſſe juſtificari, conſequenter ſalvari ſine tali Baptiſmo, per Baptiſmum utique flaminis aut ſanguinis, in propatulo eſt, ſi talis homo pereat, ſi non poteſt introire in regnum Dei, id provenire ex peccato, quod committitur ratione omiſſionis Baptiſmi: ergo præceptum poſitivum Baptiſmi.

Igitur Baptiſmus in re, vel eſt neceſſarius ad ſalutem homini jam juſtificato per Baptiſmum in voto, vel non eſt neceſſarius. Si primum, indubiè propter præceptum poſitivum; ſin verò ſecundum elegeris (quod repugnat Catholicæ veritati) dico ex illis verbis Chriſti, ſe ſolis ſpectatis, nullatenus probari præceptum poſitivum. 10.

Cùm itaque non pauci doceant, immo communior ſit ſententia, Pœnitentiam ſolùm obligare in ordine ad remiſſionem peccatorum, ita ut homini juſtificato, quocumque tandem medio, non ſit neceſſaria ad ſalutem, neſcio planè quomodo efficaciter ex illis verbis Chriſti: *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, oſtendatur obligatio Pœnitentiæ ex præcepto merè poſitivo.

Quapropter dico, obligationem Pœnitentiæ potiùs eſſe juris naturalis, ſeu connaturalis gratiæ, puta virtutis ſpei aut charitatis; ſiquidem ſpes, ſicuti obligat, ut efficaciter velimus conſequi æternam beatitudinem, ita etiam obligat ad procurandum ea, quæ ſunt neceſſaria ad beatitudinem conſequendam; ſimiliter charitas propria dictat, unumquemque debere proſpicere propriæ ſaluti, non ſolùm temporali ſive corporali, ſed maximè ſpirituali. 11.

Enimverò ſi teneor procurare ſalutem corporalem, & ſpiritualem proximi, multò magìs propriam, juxta illud D. Auguſtini Enchi. c. 75. *Qui vult eleëmoſynam ordinatè dare, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primò dare.* Loquitur de eleëmoſyna ſpirituali; nam extemplò attexit: *Eſt enim eleëmoſyna opus miſericordiæ, veriſſimeq́; dictum eſt; Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Eccleſi. 30. v. 24. Hinc Chriſtus Matt. 22. v. 39. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ubi dilectio noſtra, ponitur menſura dilectionis proximi.

Aliqui addunt legem juſtitiæ, ex qua unuſquiſque tenetur ſatisfacere injuriæ factæ, ſi non ad æqualitatem, quando illa eſt impoſſibilis, ſaltem in quantum poteſt, quando poteſt quoad partem ſatisfacere in bonis ejuſdem ordinis. Hâc ratione, quamvis homo non poſſit condignas agere gratias pro beneficiis acceptis, debet tamen referre quas poteſt. Item, tametſi non poſſit tribuere adorationem con- 12.

Digitized by Google

condignam tantæ Majeſtati, attamen debet prout potuerit colere.

Ergo ſimiliter, tametſi peccator non poſſit pro peccato mortali ad æqualitatem ſtrictam ſatisfacere in bonis ejuſdem ordinis, debet tamen injuriam talem qualem reſarcire prout potuerit, per actum voluntarium & liberum Pœnitentiæ, tamquam per proprium correſpondens, univerſaliter præfixum à lege divina ordinante, & nolente aliter peccatum remittere. Qui ergo vult remiſſionem peccati, debet velle Pœnitentiam, tamquam medium illius remiſſionis, univerſaliter præfixum à lege juſtitiæ vindicativæ.

Sed numquid peccator debet velle remiſſionem peccati? Planè, tum ex præcepto ſpei, ut mox declaravimus, tum etiam ex præcepto charitatis divinæ, quod obligat ad recuperandam amicitiam divinam per peccatum amiſſam, adeòque ad procurandum, non tantùm ut ego amem Deum, ſed etiam ut Deus amet me, hæc eſt enim completa amicitia, ſcilicet amor mutuus.

Et ſanè cùm ſcriptum ſit Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo*; cumque æterna Veritas Chriſtus Joan. 14. v. 23. dixerit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum* &c. Quomodo fieri poteſt, ut peccator velit activè amare Deum, & non velit implicitè amorem Dei erga ſe, adeòque tollere omne illud, quod amorem illum Dei impedit? Profectò non videtur ſincerè amare Deum, qui non vult tollere, cùm poteſt, id quod ſcit Deo ſummopere diſplicere, & mereri averſionem & odium Dei erga ſe.

14. Quod probè intelligens Doctor Subtilis 4. diſt. 17. q. unicâ, ex hoc præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum*, & illo, *Diliges teipſum*, colligit præceptum Confeſſionis, dicens n. 13. *Quicumque primam gratiam amiſit, tenetur de neceſſitate præcepti, & hoc illius:* Diliges Dominum Deum tuum &c. *agere quantùm in ſe eſt ad eius recuperationem, & etiam virtute illius præcepti*; Diliges teipſum: *Sed iſte peccator in peccato mortali amiſit primam gratiam, & poteſt eam recuperare ſuſcipiendo Sacramentum Pœnitentiæ ab illo Arbitro* (id eſt, Confeſſario) *quia hoc eſt inſtitutum, ut remedium efficax ad recipiendum primam gratiam ex illo verbo Ioan. 20.* Quorum remiſeritis peccata &c. *& ſic concluditur neceſſitas præcepti Confeſſionis, non ex iſto verbo tantùm:* Quorum remiſeritis &c. *ſed ex iſto, & illo præcepto:* Diliges Dominum Deum tuum &c. *ſimul iuncto.* Hæc ille; quæ ſic applico præſenti controverſiæ.

15. Auctor [...]eptum [...]itentiæ. Quicumque primam gratiam amiſit, tenetur de neceſſitate præcepti, & hoc illius: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. agere quantùm in ſe eſt ad ejus recuperationem, & etiam virtute illius præcepti: *Diliges teipſum*; ſed iſte peccator in peccato mortali amiſit primam gratiam, & poteſt illam recuperare eliciendo actum Pœnitentiæ, quia hic actus eſt inſtitutus, ut remedium efficax ad recipiendum primam gratiam ex illo verbo Chriſti: *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*; & illo Prophetæ: *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et ſic concluditur neceſſitas præcepti Pœnitentiæ, non ex iſto verbo tantùm: *Niſi Pœnitentiam habueritis* &c. ſed ex iſto, & illo præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. ſimul juncto.

Addo, & ſic concluditur non neceſſitas præcepti Pœnitentiæ, ſi Deus ex ſe abſque ulla Pœnitentia remiſiſſet offenſam; ſimiliter ſi Deus per Pœnitentiam nollet peccata remittere, quidquid in contrarium ſentiat Card. Lugo diſp. 7. n. 251. & 252. ubi ſic docet: Major videtur eſſe difficultas, an præcisè ex illo alio capite reverentiæ debitæ Deo offenſo, ſit obligatio pœnitendi de jure naturæ, ita ut, licèt Deus non promiſiſſet veniam pœnitentibus; immo licèt poſitivè nollet remittere peccata quâlibet Pœnitentiâ poſitâ, adhuc homo ex parte ſua deberet pœnitere. *[Marg.: ac negatiònem præcepti, ſi Deus abſque Pœnitentia remiſiſſet offenſam, aut per eam nollet remittere.]*

Et quidem mihi probabiliùs eſt, id totum exigere reverentiam erga Deum offenſum: nam ſicut in ijs, & omnibus caſibus maneret ſemper obligatio naturalis diligendi & colendi Deum; ſic maneret obligatio illius cultûs exhibendi, qui exhibetur per actum Pœnitentiæ, quâ homo proteſtatur ſuum errorem, & illum reprobat per voluntatem contrariam: quæ proteſtatio & reprobatio ſi diù differatur, non videtur vitari aliquis Dei contemptus. 16. *[Marg.: Contrarium hujus exiſtimat probabilius Lugo.]*

Unde infero I. licèt Deus ex ſe abſque ulla Pœnitentia remiſiſſet offenſam, adhuc ex naturæ jure manere debitum, & obligationem ex his omnibus capitibus Pœnitentiæ habendæ. Sicut licèt Rex condonaret ſubdito irreverentiam, & contumeliam gravem ſibi irrogatam, adhuc jure naturæ obligaretur ſubditus ad oſtendendũ ſibi diſplicere quod fecerat, & ad petendam veniam, & oſtendendum ſe paratum ad emendandum, corrigendumque priorem errorem; alioquin videretur de novo contemni Rex, ſi ſubditus ex parte ſua nullâ ratione vellet ſatisfacere, ſed abuti Principis indulgentiâ. Hucuſque Eminentiſſimus. *[Marg.: Probatio à ſimili.]*

Exordior ab ultimo, & nego ſimile; cùm enim venia ipſi data ſit, non cenſetur abuti Principis indulgentiâ, etſi nullam aliam ſatisfactionem offerat, quandoquidem jam plenè ſatisfactum ſit injuriæ illatæ, ſeu potiùs, quoniam jam ampliùs non extat injuria, pro qua ſatisfieri debeat. Nonne dum creditor mihi remittit omne debitum, juſtè vel injuſtè contractum, ad aliquid ampliùs ipſi obligor? Conſtat quòd non, niſi ad gratiarum actionem. 17. *[Marg.: Auctor negat ſimile.]*

 Non

& aliam obligationem diligendi Deum. præter eam, quæ erat ante peccatum.

Non nego, in tali caſu manere obligationem naturalem diligendi, & colendi Deum; ſed dico, non aliam manere, quàm illam, quæ erat ante peccatum commiſſum, de qua hic non quæritur, ſed de tali, quæ præciſè reſultat ex peccato mortali præterito, id eſt, quâ homo proteſtatur ſuum errorem & illum reprobat per voluntatem contrariam.

18. An Card ſibi ipſi contradicat.

Alioquin ſi hæc obligatio manet, quomodo (inquit aliquis) ſibi ipſi non contradicit Cardinalis n. 256. ſubſcribens ſententiæ Vaſquezii, puta, Pœnitentiam formalem non eſſe neceſſariam peccatori jam juſtificato ex actu dilectionis Dei ſuper omnia, quem habuit? Numquid talis actus dilectionis Dei ſuper omnia, eſt actus Pœnitentiæ, quâ homo deteſtatur ſuum errorem, & illum reprobat per voluntatem contrariam?

Planè, reponit alius, eſt talis actus æquivalenter; ſiquidem conjungit affectivè ſuper omnia cum Deo, & per conſequens præfert Dei placitum rebus omnibus, quæ eſt eminentiſſima retractatio peccati, quâ homo non minùs roboratur ad ſervanda præcepta divina, quàm per Pœnitentiam formalem, & æqualiter vitatur contemptus implicitus Dei.

19. Peccator in caſu propoſito non habet majorem obligationem diligendi Deum, quàm juſtus.

Optima reſponſio! Sed quæro ego, ex hypotheſi, quòd actus ille non ſit neceſſarium medium peccatori ad obtinendam veniam peccatorum, immo inutile; quæro, inquam, peccator majorem habet obligationem eliciendi talem actum, quàm homo juſtus? Quippe & hic ſæpiùs in vita, ſecundùm communem opinionem, tenetur Deum amare ſuper omnia, ut ſic evitet implicitum contemptum, & roboretur ad ſervanda præcepta divina.

20. Objectio ſolvitur.

Si dixeris; peccator indiget majori robore; tranſeat; ſed quid tum? Nonne majus illud robur neceſſariò dependet ab actu Pœnitentiæ, ex hypotheſi, quòd actus Pœnitentiæ non juſtificet? Cur non poſſit illud obtinere per actum fidei, & actus aliarum virtutum moralium?

Et verò actus fidei, qui eſt cultus aliquis materialis, & honor Deo exhibitus, cur non ſufficiat ad vitandum implicitum contemptum, ex ſuppoſitione, quòd Deus nolit ſibi ſatisfieri, & remittere peccatum per actum Pœnitentiæ? Quid ſi Deus velit ſibi ſatisfieri & remittere peccatum per actum fidei, putas quia adhuc erit neceſſaria Pœnitentia, ut vitetur implicitus contemptus Dei? Noli putare.

21. Alia objectio ex Lugone.

Dices cum Lugone ſuprà n. 253. ſicut non poteſt Deus ita cedere juri ad amorem, vel ad cultum, ut ceſſet in nobis obligatio amandi, & colendi Deum, manente adhuc infinitâ bonitate, & excellentiâ Dei, quæ exigit amorem, & cultum, ſic non poteſt per condonationem, aut ceſſionem juris tollere obligationem, quam infinita bonitas & excellentia Dei inducit jure naturæ ad revocandam offenſam, & exhibendum hunc cultum.

Reſpondeo; quamvis Deus non poſſit cedere jure ſuo, quod habet ad amorem & ad cultum, contrariè, id eſt, ſic quòd licitè & honeſtè poſſit ipſi poſitivè inferri irreverentia, vel poſſit ipſe poſitivè odio haberi; attamen non apparet ſufficiens ratio, quare non poſſit cedere jure ſuo contradictoriè, id eſt, quare non poſſit cedere jure, quod habet ad amorem & cultum poſitivum, auferendo ſtrictam obligationem, ſeu ſtrictum præceptum ſub peccato; vel etiam prohibendo, ne talis vel talis cultus ei exhibeatur.

22. Deus ... (margin note partly cut off)

Breviter dico, Deum poſſe diſpenſare in præceptis Decalogi, etiam primæ tabulæ, in quantum involvunt præceptum affirmativum v. g. colendi poſitivo cultu verum Deum, item jurandi verum per nomen ejus, id eſt, poteſt Deus non præcipere juramentum, poteſt non præcipere verum cultum, cùm illi non dicant neceſſarium ordinem ad finem ſupernaturalem conſequendum.

Sicut enim Deus parvulis, ſine ullo poſitivo actu concedit beatitudinem, quare ſic etiam non poſſet de ſua abſoluta potentia eamdem dare adultis? Deinde ſi adultus licitè poſſit, ſecundùm plurimorum ſententiam, vivere ſeptem diebus ſine aliquo actu amoris Dei, quare, ſi intrà illud tempus moreretur, Deus non poſſet diſpenſare, ut nullum actum amoris eliceret?

Profectò nimis clarum eſt, Deum non neceſſariò præcipere juramentum; immo non videtur ratio, quare nequeat illud prohibere. Nonne Apoſtolus Jacobus Epiſt. Catbol. c. 5. v. 12 ait: *Ante omnia autem Fratres mei, nolite jurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt eſt; Non non?* Si autem illum cultum poteſt prohibere, quare non omnem alium, etiam internum? Et ſic diſpenſabit in illis præceptis contradictoriè.

23.

Sin autem illa præcepta ſumantur ut ſunt negativa, id eſt, ut prohibent irreverentiam Dei; neque ſic ſatis video contradictionem in eo, quòd Deus illam irreverentiam non prohiberet ſub peccato, cùm etiam quà talia non avertant formaliter à conſecutione beatitudinis; quare enim Deus homini, qui toto tempore vitæ ſuæ coluiſſet Deos alienos, non poſſet dare beatitudinem, eſtò etiam prohibitio non fuiſſet ſublata? Numquid aliquid extra Deum, poteſt Deum impedire, ne remittat peccata poſt hanc vitam? Adde, Deum talis poſſe dare auxilia gratiæ, ut numquam homo ſit commiſſurus aliquam irreverentiam. Quid ergo opus eſt illam prohibere?

24. Non poſſ... eam pr... pere.

Interim tamen impoſſibile apparet, ut Deus præcipiat illam irreverentiam, adeòque numquam poterit licitè fieri, id eſt, honeſtè ſive bene

Digitized by Google

bene moraliter. Ratio eſt; quia eo ipſo quo Deus præciperet actum irreverentiæ, jam præciperet actum reverentiæ, quia obedire Deo jubenti, eſt ipſi exhibere reverentiam; idem autem actus non poteſt eſſe reverentia, & irreverentia.

o- ei. Similiter impoſſibile eſt, ut præcipiat actum odii Dei, quia impletio illius præcepti, eſt actus aliquis amoris, oppoſitus actui odii; implicat autem eumdem actum eſſe odium, & amorem Dei, & in eadem voluntate eſſe odium, & amorem reſpectu ejuſdem objecti.

o r. Nec dici poteſt, quòd Deus poſſit cedere jure ſuo, veluti Principes ſæculares; quia hi poſſunt cedere fundamento, propter quod honor ipſis debetur; Deus autem non, cùm ſit eſſentialiter principium noſtrum.

atio- cepta tabu- :antur to in- ſabi. Et hâc ratione illa præcepta à Scoto vocantur indiſpenſabilia, ſcilicet contrariè; ſic enim lego 3 diſt. 37. q. unicâ n. 6. *De præceptis autem primæ tabulæ ſecùs eſt; quia illa immediatè reſpiciunt Deum pro objecto; duo quidem prima, ſi intelligantur eſſe tantùm negativa, primum:* Non habebis Deos alienos; *ſecundum:* Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, *id eſt non facies Deo tuo irreverentiam; iſta ſunt ſtrictè de lege naturæ, quia ſequitur neceſſariò, ſi eſt Deus, eſt amandus ut Deus: & quod nihil aliud eſt colendum tamquam Deus, nec Deo facienda eſt irreverentia, & per conſequens in iſtis non poterit Deus diſpenſare, ut aliquis poſſit licitè* (id eſt honeſtè) *facere oppoſitum talis prohibiti.*

6. re lici- actum ligit ſtum. Quòd autem Scotus per licitum hìc intelligat honeſtum, colligo ex præcedentibus; nam n. 2. proponens ſententiam D. Thomæ, & rationes ejus, quibus probat, Deum in nullo præcepto Decalogi poſſe diſpenſare; illo, inquam, numero manifeſtè agit de diſpenſatione contraria, ut patet ex his verbis: *Et tunc videtur conſequenter eſſe dicendum ad primum argumentum, quòd Deus ſimpliciter non poteſt diſpenſare in talibus. Quod enim ex ſe eſt illicitum, non videtur poſſe fieri licitum per aliquam voluntatem, ut ſic occidere, ex hoc quod eſt actus tranſiens ſuper talem materiam, ſcilicet proximum, eſt actus malus, ſtante illâ causâ ſemper erit malus; & ita nullum velle, quod eſt extra rationem illorum terminorum, poteſt facere quòd ſit bonus*, ſcilicet actus contrarius præceptis Decalogi, v. g. occiſio innocentis. Jam autem Doctor Subtilis n. 5. concedit rationes D. Thomæ concludere de præceptis primæ tabulæ, nempe quòd contrarium illis non poſſit eſſe bonum.

27. ſſet Deus ſpenſare præcepto nitent- e. Itaque ut ad propoſitam difficultatem redeamus, haud video ullam contradictionem in eo, quòd Deus diſpenſaret in præcepto Pœnitentiæ, quin, inquam, Deus poſſet cedere jure ſuo, quod habet ratione ſuæ infinitæ bonitatis & excellentiæ, ad retractationem peccati per Pœnitentiam formalem vel virtualem: ſiquidem illa non retractatio nequaquam eſt nova irreverentia poſitiva, ſed ſolùm non exhibitio reverentiæ. Et quamvis exhibitio illius reverentiæ ſatis conveniat naturæ rationali, ac propterea ab initio naturæ præcepta fuerit à Deo, equidem omnino neceſſariam eſſe ad honeſtatem rationalis naturæ, non convincitur.

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, quòd peccato remiſſo per extraordinariam Dei voluntatem, ſine Pœnitentia formali vel virtuali, nulla maneat ſtrictè dicta obligatio ad illam, præcisè ex peccato præterito, ſive propter peccatum præteritum. 28. Concluſio.

Idemque dicendum arbitror, ſi Pœnitentia foret inutilis ad remiſſionem peccati. Siquidem non ſatis conſtat, Deum ſtrictè præcepiſſe Pœnitentiam poſt peccatum, niſi propter finem remiſſionis peccati; ceſſante autem in univerſum, immo in caſu particulari fine adæquato legis, ceſſat, ſecundùm omnes Theologos, ipſa lex.

Unde puto, damnatos, quibus Pœnitentia non poteſt eſſe utilis ad ſalutem, nequaquam peccare novo peccato, præcisè per omiſſionem Pœnitentiæ, eſtò alioquin poſſent illam elicere. An damnati debeant pœnitere & poſſint.

Ex quo à fortiori ſequitur, nullam eſſe obligationem formaliter & explicitè pœnitendi, dum peccatum remiſſum eſt per Pœnitentiam virtualem, id eſt, dilectionem Dei propter ſe ſuper omnia; quia nimirum Pœnitentia formalis & explicita ſolùm præcipitur, ut Deo reconciliemur, & ſaluti noſtræ conſulamus; adde, ſi placet, ut vitetur contemptus Dei, ſive ut obſerventur alia præcepta; jam autem per illam dilectionem, ut ſuprà diximus, & homo eſt reconciliatus Deo, & ſufficienter eſt retractata prior offenſa, atque ſatis roboratur peccator ad ſervanda Dei præcepta: ergo ex nullo capite tenetur ad formalem Pœnitentiam. Loquor de Pœnitentia neceſſaria extra Confeſſionem Sacramentalem. 29. Nulla eſt obligatio formaliter & explicitè pœnitendi, dum peccatum eſt remiſſum per dilectionem.

Confirmatur; quia ſi quis acceperit rem alterius, dummodo alteri ſit damnum reparatum, ſive per ſe, ſive per alium, ampliùs non tenetur ex lege juſtitiæ ad reſtitutionem. Quare? Quia deeſt materia præcepti: ita impræſentiarùm deeſt materia præcepti, quia reverentia debita ex peccato commiſſo jam exhibita eſt. Potuiſſet quidem Deus, non obſtante remiſſione peccati per actum dilectionis, inſuper exigere formalem & explicitam Pœnitentiam, ſed exegiſſe, unde conſtat? Confirmatur à ſimili.

Quantùm ad Sacramentum Baptiſmi, cùm non ſolùm inſtitutum fuerit ad conferendam gratiam ſanctificantem, ſed etiam ut imprimat characterem Chriſtianitatis; ſitque janua cæterorum Sacramentorum, ad quorum receptionem fideles obligantur, liquet ſanè ſuſcipiendum etiam ab his, qui per votum Baptiſmi fuerint antecedenter juſtificati. 30. Differentia inter præceptum Baptiſmi & Pœnitentiæ.

Con-

Digitized by Google

Item inter præceptum Confeſſionis, & Pœnitentiæ. Conſimiliter diverſa eſt ratio Sacramenti Confeſſionis, cùm expreſſis verbis doceat Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 4. *Etſi Contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Numquid etiam docet, reconciliationem factam per actum dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, ipſi dilectioni ſine voto formalis Pœnitentiæ, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam? Nuſquam gentium talis locutio reperitur.

31. Quid ſentiendum de illo, qui juſtificatus eſt per Attritionem cum Sacramento. *Matth. 22.* Ex his patet, quid ſentiendum ſit de eo, qui juſtificatus eſt per Attritionem cum Sacramento; quamvis enim talis adhuc teneatur ad actum dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, cujus præcepti obligatio non aufertur per juſtificationem, cùm abſolutè dictum ſit à Chriſto Matt. 22. v. 37. & 38. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum:* equidem non videtur obligari ad Contritionem charitate perfectam, quia jam ſufficienter retractavit peccatum, quantùm ſufficit ad vitandum irreverentiam novam in Deum offenſum. Itaque Pœnitentia neceſſaria eſt peccatoribus, non juſtis: alia autem præcepta generaliora ſunt; concernunt quippe juſtos, & peccatores.

32. Ad quod præceptum Decalogi pertineat præceptum Pœnitentiæ. Si autem à me quæritur, ad quod præceptum Decalogi pertineat præceptum Pœnitentiæ. Reſpondeo, non omnia præcepta naturalia contineri expreſsè in Decalogo, v. g. præceptum diligendi Deum (quod tamen eſt maximum & primum mandatum, teſtimonio Chriſti jam jam recenſito) nam primum præceptum Decalogi: *Non habebis Deos alienos,* potiùs eſt de cultu Dei, quàm de amore.

Interim poterit præceptum Pœnitentiæ reduci ad primum præceptum de cultu & reverentia Deo debita; vel dicito, id pertinere ad præceptum diligendi Deum, & diligendi ſeipſum, quod non tam continetur, quàm ſupponitur in Decalogo. Item ad præceptum juſtitiæ vindicativæ, quod exigit proportionem inter pœnam & culpam, ſive pœnam proportionatam culpæ, qualis pœna ex voluntate Dei eſt Pœnitentia.

Vega. Vega lib. 13. de juſtificatione c. 20. reducit illud ad præceptum: *Non occides,* per quod videtur prohiberi etiam mors ſpiritualis, maximè æterna; quod addo, propter objectionem ſequentem, quæ talis eſt.

33. Objectio ſolvitur. Impœnitentia non eſt ſpeciale peccatum: ergo non eſt ſpecialis obligatio ad Pœnitentiam. Reſpondeo Neg. Antecedens, intellectum de impœnitentia finali, de qua ſola loquitur noſtra Concluſio, ut patet ex illis verbis: *In periculo mortis;* ſiquidem directè adverſatur virtuti ſpei, quæ, ut ſuperiùs diximus, dictat hominem debere procurare ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad beatitudinem conſequendam.

Sed contrà, inquis; illa malitia reperitur in quocumque peccato mortali, quia quodlibet opponitur cum ſalute noſtra æterna; quandoquidem ſimul nequeat ſtare peccatum mortale, & conſecutio beatitudinis.

Reſpondet Vega ſuprà; detrimentum ſeu damnum, quod nobis inferimus, cùm non deteſtamur peccata noſtra in articulo mortis, eſt notabile & irreparabile, ſecùs detrimentum ſeu damnum, quod nobis inferimus per alia peccata mortalia; ideoque alia præcepta non obligant graviter ex neceſſitate procurandæ ſalutis.

Confirmatur primò; quia qui ſtatim poſt peccatum non agit Pœnitentiam, non propterea graviter delinquit, ut infrà dicetur, quoniam dilatio illa non adfert grave periculum ſalutis, cùm homo ſemper poſſit recuperare gratiam amiſſam per Pœnitentiam: ergo quodcumque peccatum mortale non contrahit indè malitiam gravem ſeu mortalem.

Et ratio eſt; quia cum alio peccato mortali poteſt ſtare efficax affectus procurandæ poſtmodum ſalutis; quippe poteſt peccator habere efficax propoſitum poſtea pœnitendi; ſecùs apparet in peccato finalis impœnitentiæ, cui neceſſariò & infallibiliter annectitur æterna damnatio.

Confirmatur ſecundò; quia licèt ſit peccatum mortale occidere ſeipſum, haud equidem accipere venenum, quando ad manum habetur antidotum, moraliter efficax & certum contra illud venenum; immo ad probandam illam efficaciam, ſolent nonnulli ſumere venenum, qui tamen propterea non dicuntur graviter peccare contra propriam charitatem.

Ergo à pari, qui admittit peccatum mortale non finale, non videtur graviter peccare contra obligationem procurandæ ſalutis æternæ, propter remedium contrarium, quod adeſt, puta Pœnitentiam, cujus habet propoſitum. Sed numquid peccatum mortale finale, ſeu impœnitentia finalis, habet tale remedium? Conſtat liquidò quòd non; adeòque qui illud vult, ſimpliciter non vult medium neceſſarium ad vitandam æternam mortem.

Sed contrà arguit Lugo ſuprà n. 189. hinc 37.
conſequens erit, quòd, ſi aliquis ſciret adeſſe aliquem hominem ſanctum, qui ſuis precibus facilè poſſet revocare mortuos ad vitam, prout poterant Apoſtoli; adde, ſi aliquis ex revelatione ſciret, ſi Petrus occidatur, reſuſcitandum fore per miraculum; tunc, inquam, non peccaret graviter illum occidendo; quia ſtante poſſibilitate remedii, non opponitur obligationi procurandi ſalutem proximi, quòd

illo

Digitized by Google

illo brevi tempore careat vitâ, breviſſimè recuperandâ.

Unde conſequenter deberet dici, illos, qui de facto Chriſtum Dominũ occiderunt, quem tamen de fide erat reſurrecturum poſt triduum, juxta ipſius Chriſti prædictionem, peccaſſe quidem contra præceptum non occidendi, ſed ſolùm per accidens, propter ignorantiam, quam habebant reſurrectionis brevì futuræ, quòd ſi eam, prout oportebat, credidiſſent, non peccaturos propter occiſionem meram, licèt alias propter tormenta, contumelias, & alias circumſtantias peccarent; quod tamen concedi nequaquam poteſt.

Similiter ergo, licèt facilis ſit, vel poſſibilis reſurrectio ſpiritualis ex peccati morte ad vitam gratiæ mediâ Pœnitentiâ, non ideo excuſatur à malitia gravi contra ſtudium propriæ ſalutis, qui per peccatum mortale ſe lethaliter occidit, ſiquidem, quantùm eſt de ſe, excludit vitam ſpiritualem irrevocabiliter, licèt per Dei miſericordiã reparari poſſit. Hucuſq; Card.

Reſpondetur I. fortè concedi poſſe, occiſionẽ Petri, ſtatim reſuſcitandi, præciſè quà eſt privatio vitæ pro vna aut altera hora, ſine ullo dolore ipſius, aut alio damno extrinſeco, non eſſe peccatum mortale homicidii; ſicuti ablatio v. g. mille aureorum, poſt unam aut alteram horam reſtituendorum, ſine ullo alio damno extrinſeco, præciſè propter carentiam pecuniæ ad tam breve temporis ſpatium, non videtur peccatum mortale, eſtò alioquin Dominus rationabiliter ſit invitus.

Nec obſtat, quòd ſit peccatum mortale, per exceſſum in potu ſeipſum ad breve tempus privare violenter uſu rationis; non obſtat, inquam: quia ebrietas eſt peccatum mortale contra ſobrietatem; illud autem homicidium foret peccatum mortale contra juſtitiam: porrò injuſtitia deſumit ſuam gravitatem ex damno, quod alteri infertur; peccatũ verò oppoſitum ſobrietati ex inordinata ſumptione cibi vel potûs; jam autem ſumptio potûs uſque ad violentam privationem uſûs rationis, etiam pro brevi tempore, cenſetur graviter inordinata, eſtò damnum, quod per illam infertur, non ſit grave.

Proinde tali caſu illa ebrietas non foret peccatum mortale contra propriam charitatem; neque peccaret mortaliter contra charitatem proximi, aut etiam juſtitiam, qui alterum violenter ad tale tempus privaret uſu rationis: ſicuti non eſt peccatum mortale alteri præbere medicinam, ut tanto tempore dormiat, & per conſequens careat uſu rationis.

Reſpondeo ſecundò, ad ſummum indè ſequi, quodlibet peccatum mortale continere gravem malitiam contra charitatem propriam, quia ſcilicet adfert notabile detrimentum ſpirituale animę; interim tamen ultra illam malitiam, impœnitentia finalis aliã cóplectitur, quatenus opponitur graviter adeptioni beatitudinis æternæ, cui non opponuntur graviter alia peccata.

Quæ ſanè differentia, vel indè ſatis probatur, quòd impœnitentia finalis inſallibiliter habeat annexam æternam damnationem, ſecùs alia peccata, cùm infiniti, ut ſic loquar, homines poſt alia peccata commiſſa conſequantur æternam beatitudinem, utpote per Pœnitentiam ante mortem juſtificati. Propter hanc ergo malitiã poteſt impœnitẽtia finalis dici peccatũ ſpecie diſtinctum ab aliis peccatis mortalibus. *Differentia inter impœnitentiam finalem, & alia peccata.*

41. *Malitia contra charitatem, quæ invenitur in quolibet peccato mortali, eſt ſpecifica.*

Deinde gratìs demus, etiam alia peccata continere illam malitiam, numquid indè bene infertur: ergo non eſt malitia ſpecifica? Minimè; quippe quodcumque peccatum mortale habet malitiam inobedientię, irreverentiæ &c. & tamen ex hoc non rectè ſequitur inobedientiam, irreverentiam &c. non eſſe malitias ſpecificas. Quid ergo?

Quomodo hæc malitia ſpecialiter conveniat impœnitentiæ finali.

Dico, malitiam, quam habet impœnitentia finalis contra charitatem propriam, & contra obligationem procurandæ ſalutis æternæ, eſſe ſpecialem, non quaſi alia peccata illam non habeant (niſi fortè quis ad illam non adverteret) ſed quia impœnitentia finalis illam ſolam habet; alia autem peccata ultra iſtam habent malitiam contra caſtitatem v. g. juſtitiam, religionem &c. Proinde licèt malitia contra charitatem non det ſpeciem infimam, equidem dat ſubalternam; & certum eſt malitiam illam in impœnitentia finali, multò eſſe majorem, quàm in aliis peccatis.

42. *Objectio.*

Si inferas: ergo nemo damnabitur propter unicum peccatum mortale, ſemper enim intercedit alterum impœnitentiæ; immo & addere poſſumus tertium impœnitentiæ de hoc ſecundo, & ſic in infinitum.

Reſpondeo neg. Conſeq. Nam imprimìs multi damnantur ſine ſpeciali peccato impœnitentiæ; quia videlicet repentinâ morte extincti, nihil minùs cogitaverunt, quàm de obligatione pœnitendi. *Solvitur 1.*

Deinde illæ plures impœnitentiæ non forent ſpecie diſtinctæ, ſed ejuſdem planè rationis; ſiquidem non diſtinguitur ſpecie impœnitentia penes peccatum, de quo peccator non pœnitet, ſed, ut dictum eſt, ſumit ſuam malitiam à ſalute æterna, quam impedit; hæc autem unica eſt. *Solvitur 2. Non diſtinguitur ſpecie impœnitentia penes peccatum.*

Neque etiam eſſent infinita peccata numero; tum quia ad hoc deberent eſſe infinitæ reflexiones ſupra ſingula peccata, quæ adferunt novam obligationem pœnitendi; tum etiam, quia ad multiplicanda numero peccata, requiritur moralis interruptio actuum; non poſſunt autem poni infinitæ interruptiones phyſicæ, ne dum morales, ut liquidò conſtat. Admittimus ergo impœnitentiam finalem arguere multitudinem peccatorum, numquam tamen infinitudinem. *Impœnitentia arguit multitudinem peccatorũ, non infinitudinem.*

43.

Omnibus ergo maturè diſcuſſis, ſit hæc reſolutio finalis & certa: Pœnitentia obligat per ſe peccatorem, ſub novo ac ſpeciali peccato mortali, in periculo mortis. Sed numquid

An Pœnitentia obliget pro prima opportunitate. quid etiam pro prima opportunitate poſt peccatum commiſſum? Non puto, & ideo erit

CONCLUSIO III.

Pœnitentia non obligat per ſe peccatorem, ſub novo ac ſpeciali peccato mortali, pro prima opportunitate poſt peccatum commiſſum.

44\. **Probatur Concluſ. 1. ex uſu & ſenſu fidelium.** HÆc Concluſio efficaciſſimè probatur ex uſu & ſenſu omnium fidelium, qui numquam confitentur dilationem Pœnitentiæ, niſi fuerit ultra tempus, ab Eccleſia præſcriptum, neque de ea à Confeſſariis interrogantur. Dicere autem, id provenire ex minus perfectâ inſtructione pœnitentium, & Confeſſariorum, eſt malè ſentire de tota Eccleſia, quæ hujuſmodi defectum, optimè novit, & tamen negligit corrigere, cùm facilè poſſit.

45\. **Probatur 2. ex inconvenientiis, quæ ſequuntur ex ſententia oppoſita.** Probatur Concluſio ſecundò; quia ex contraria ſententia ſequitur, quemlibet peccare mortaliter, qui cum ſola Attritione, cognita ut tali, accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, quoniam regulariter intercedit aliqua mora inter dolorem, & receptionem Sacramenti, in quo tempore debuit ſecundùm adverſarios elicere Contritionem charitate perfectam, alioquin peccaturus mortaliter; adeòque implicat vera Attritio, ſeclusâ ignorantiâ, utpote quæ ſecundùm Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. debet excludere voluntatem peccandi, ut patet ex dictis Sect. præced.

Olim Catechumeni non baptizabantur niſi in Paſchate, & Pentecoſte. Præterea ſequitur, olim Baptiſmum non fuiſſe collatum adultis ad primam gratiam, ad quam tamen principaliter inſtitutus eſt. Probatur Sequela, quia olim Eccleſia non permittebat Baptiſmum Catechumenorum, niſi in Paſchate, & Pentecoſte; tenebantur autem Catechumeni ſecundùm Adverſarios ſtatim conteri de peccatis actualibus; conteri, inquam, ſufficienter ad juſtificationem, aut ſaltem elicere amorem Dei propter ſe ſuper omnia, quo juſtificarentur à peccato originali, ſi fortè illo ſolo infecti eſſent.

Dico, *Quo juſtificarentur*; quia non quæritur hìc de ſimplici retractatione peccati, ſed de tali retractatione, quâ peccator conſtituitur extra periculum æternæ damnationis; nam unum ex fundamentis Adverſariorum, propter quæ requirunt Pœnitentiam ſtatim poſt peccatum admiſſum, eſt, ne homo ſe exponat tempore intermedio periculo æternæ damnationis, de quo ſtatim.

46\. **Tertiò probatur Concluſ. à priori, quia Præceptum** Solùm præmitto tertiam probationem noſtræ Concluſionis, idque à priori; quia videlicet præceptum Pœnitentiæ eſt affirmativum, quod non obligat pro ſemper, ſed pro determinato tempore (intellige ad actum poſitivum, ſecùs ad negationem propoſiti non pœnitendi) non eſt autem ullum fundamentum ſolidum aſſerendi, tempus determinatum præcepti Pœnitentiæ eſſe illud, quod immediatè ſequitur peccatum; ut jamjam oſtendo, clarè ſolvendo omnes objectiones Adverſariorum, & per conſequens infirmando eorũ fundamenta.

Objiciunt ergo primò: Scriptura Sacra pluribus locis admonet peccatores, idque graviſſimis verbis, & ſub comminatione graviſſimæ pœnæ, ne differant Pœnitentiam, Iſa. 65. v. 12. *Omnes in cæde corruetis, pro eo quod vocavi, & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiſtis.* Jeremiæ 8. v. 6. *Nullus eſt qui agat Pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci?* Et infrà v. 12. *Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt: quin immo confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt: idcirco cadent inter corruentes, in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus.*

Reſpondeo; in his, & ſimilibus Scripturis agitur de perſeverantia in peccato actuali. Nam Iſa. 65. immediatè ſubnectitur: *Et feciſtis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis.* Similiter Jerem. 8. v. 6. continuò attexitur: *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Immediatè autem præcedit: *Attendi & auſcultavi, nemo quod bonum eſt loquitur.* Et n. 10 ſic lego: *Dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus, quia à minimo uſque ad maximum omnes avaritiam ſequuntur, à Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* Jam autem Concluſio loquitur de dilatione Pœnitentiæ, ceſſante omni affectu actuali erga peccatum præteritum.

Sileo, Scripturam ſacram ſubinde damnare impœnitentiam pro tempore debito, unde Jerem. loco citato n. 7. ait: *Milvus in cælo cognovit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus adventûs ſui: populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Id eſt, non obſervavit tempus Pœnitentiæ, puta præſentis ſæculi, ſed impœnitens permanſit uſque ad judicium Domini poſt hanc vitam, quando non eſt ampliùs locus Pœnitentiæ. Sanè tempus Pœnitentiæ neceſſariæ eſſe illud, quod actutùm ſubſequitur peccatum commiſſum, nuſquam gentium Scriptura exprimit.

Objicitur ſecundò ex ratione: Qui à Deo excitatus ad pœnitendum de peccatis commiſſis, extemplò non pœnitet, cenſetur habere affectum actualem ad peccatum præteritum: ergo graviter peccat, juxta quantitatem, & qualitatem peccati præteriti.

Reſpondeo neg. Anteced. Siquidem longè diverſum eſt, complacere ſibi in peccato præterito, de quo ordinariè ſe accuſant pœnitentes, & interrogantur à Confeſſariis, diverſum, inquam, ab eo, quod eſt non retractare peccatum præteritum, quod communiter provenit ex infirmitate ſpiritûs, de qua non ſolent pœnitentes ſe accuſare, nec Confeſſarii interrogare.

Deinde

Digitized by Google

Deinde poteſt contingere, quòd aliquis ex timore pœnæ habeat affectum contrarium, adeò efficacem, ut excludat voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ; & tamen ſi non confiteatur, permanet in peccato habituali. Quis autem dixerit, eum tunc de novo peccare mortaliter, quia non ſuſcipit Sacramentum Pœnitentiæ, aut ſaltem non elicit Contritionem charitate perfectam, quâ Deo reconcilietur, antequam Sacramentum actu ſuſcipiat? Liquet profectò, quòd nullatenus dici poſſit, talem pœnitentem ſibi complacere in peccato præterito.

Quin immo, reſpondet aliquis, debet dici ſibi complacere in peccato præterito; vult enim permanere in peccato habituali.

Reſpondeo; vult permanere ex affectu erga ipſum peccatum, nego; ex alia cauſa, v. g. propter difficultatem Confeſſionis, aut Contritionis charitate perfectæ, concedo totum. Ergo complacet ſibi in peccato præterito, id eſt, vult peccatum præteritum, nego Conſequentiam; ſed, quia nunc non vacat ipſi, non vult nunc pro eo ſatisfacere per actum Pœnitentiæ juſtificativum. Alioquin dilatio Pœnitentiæ juſtificativæ contraheret malitiam ſingulorum peccatorum præteritorum, ſicuti contrahit explicita volitio, quâ aliquis vult ſe peccaſſe omnibus iſtis peccatis, quod ſuprà quàm cuique credibile eſt. Ideo

Objiciunt tertiò: gravior eſt jactura ſpiritualis, quàm temporalis; atqui unuſquiſque debet ſe liberare à morte corporali, vel aliâ miſeriâ: ergo multò magìs à morte ſpirituali: ergo à peccato habituali, quod eſt mors ſpiritualis.

onſio ...orum, ... homo ...minus ſpiri... s, ſecùs ...ralis, ſatisfa...

Reſpondent quidam, diſparitatem eſſe, quòd homo ſit Dominus vitæ ſpiritualis, ſecùs corporalis. Verùm hæc diſparitas ad ſummum probat, auferre ſibi vitam corporalem fore peccatum contra juſtitiam, ſecùs auferre ſibi vitam ſpiritualem. Interim tamen manet, quòd auferre ſibi vitam ſpiritualem, ſit contra propriam charitatem, quæ obligat unumquemque ad evitandum quodcumque malum ſive corporis, ſive animæ, quantùm commodè fieri poteſt. Ergo obligat ad Pœnitentiam, neceſſariam recuperandæ vitæ ſpiritualis, per peccatum amiſſæ, quantùm commodè fieri poteſt; atqui peccator poteſt commodè, ſaltem in aliquo caſu, ſtatim poſt peccatum, vitam ſpiritualem amiſſam per Pœnitentiam recuperare: ergo tenetur ſub gravi obligatione, ſive ſub novo peccato mortali; cùm mors ſpiritualis ſit graviſſimum damnum, reddens hominem obnoxium æternæ damnationi.

52\.

nec hæc ...onſio, ...d non ...ear im... ...ire, ne ...uis au... ...at bona ...iâ corpo... talia.

Ecce nodus gordius, qui non tam facilè diſſolvitur aut diſſecatur, ſicut aliqui putant. Nam quòd reſpondent: In bonis corporis, licèt ego non poſſim illa mihi auferre, non tamen teneor impedire, ne alii mihi ea juſtè, vel injuſtè auferant; immo poſſum cum merito id aliquando permittere, & optare. Item, licèt ego poſſem mihi manum amiſſam, aut vitam corporalem reſtituere, non peccarem differendo reſtitutionem per aliquod tempus, ſaltem graviter: ergo ſimiliter in vita animæ, licèt non poſſim licitè eam mihi auferre, non tamen teneor ſtatim procurare ejus recuperationem, ſaltem ſub gravi obligatione; gravius enim multò malum eſt, mori ſpiritualiter per peccatum, quàm in ejuſmodi ſtatu aliquamdiu perſeverare. Hæc, inquã, reſponſio non ſatisfacit.

53\. An ſit peccatum mortale differre reſtitutionem vitæ corporalis per aliquod tempus?

Siquidem unde conſtat, differre reſtitutionem vitæ corporalis per aliquod tempus, ubi, & quando commodè poſſet reſtitui, non eſſe novum peccatum mortale? Tametſi minus, quàm primò vitam corporalem auferre. Vel ſi dilatio reſtitutionis non eſt peccatum mortale, cur erit peccatum mortale, primò auferre vitam corporalem, quando poſt modicum tempus vita eſt reſtituenda? Cumque peccator, adjutus à Deo, ſtatim poſt peccatum commiſſum, poſſit gratiam deperditam recuperare, cur erit peccatum mortale contra charitatem propriam, primò illam auferre?

Nonne qui aufert à proximo ſuo centum aureos, illicò reſtituendos, peccat mortaliter contra juſtitiam, aut charitatem? Herculè tametſi res quæ aufertur, in ſe ſit notabilis, tamen damnum, quod per illam ablationem proximo infertur, videtur leve, ſcilicet carentia illius pecuniæ ad unum quadrantem. Ergo ſimiliter, tametſi gratia, quæ per peccatum amittitur, in ſe ſit materia notabilis, tamen carentia ejus ad unum quadrantem, nòn videtur notabile incommodum, ut propterea aliquis peccet mortaliter contra propriam charitatem, illam carentiam primò procurando.

54\. Reſponſio Arriagæ, phyſicam ablationem gratiæ tantùm ad tempus, non eſſe grave damnum.

Hinc Arriaga diſp. 18. n. 16. Reſpondeo, inquit, phyſicam ablationem gratiæ, ſi conſideretur tantùm ad tempus, non debere judicari grave damnum; unde ſi haberet quis poteſtatem, phyſicè eam in ſe deſtruendi, & deinde recuperandi, non putarem eum peccaturum, ſi eam ad tempus in ſe deſtrueret; ut bene dixit Lugo, etiam non peccaturum eum, qui licèt poſſit ſtatim frui viſione beatâ, id tamen liberè ad unum vel alterum annum differt. Hæc ille.

Quare peccatum mortale ſit grave damnum ſpirituale.

A quo ſi peto, quare ergo peccatum mortale eſt grave damnum ſpirituale hominis? Reſpondet n. 15. Quia ipſum defœdat & deturpat, unde etiam homo tunc peccaret contra charitatem in ſe, non quidem ob periculum damnationis, ſed propter gravem indecentiam, quam ſecum adfert peccatum.

55\. Objectio.

Sed contrà; unde conſtat illam indecentiam eſſe grave damnum, quando ſolùm durat ad breve tempus? Vel ſi eſt grave damnum, ad unum quadrantem ſeipſum primò privare decore gratiæ, quare non ſimiliter erit damnum grave, privationem liberè & voluntariè abſque ulla cauſa ad unum quadrantem continuare?

Digitized by Google

Reſponſio Arriagæ. Reſpondet Arriaga; quia in carentia bonorum procuranda, aut non cauſanda, non tam facilè reperitur peccatum, quàm dum mala poſitiva voluntariè quis incurrit. Sic in omnium ſententia, quantumvis ipſa gratia habitualis ſit maximum bonum, ac proinde augmentum illius ſit etiam bonum maximum, juxta illud principium: *Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis*; ſi enim gratia ad 8. eſt magnum bonum, profectò duplicatio illius erit duplò majus bonum; non tamen propterea negligere voluntariè illud augmentum, eſt peccatum; alioquin quoties omitterem actum bonum, aut intenſionem illius, quo augere poſſim eam gratiam, peccarem graviter, quod tamen falſiſſimum eſt; nam etiam ſine veniali peccato poſſunt omitti opera conſilii, & multiplicatio actuum bonorum, quibus incredibiliter augeri indubiè poſſet gratia habitualis, & per illam beatitudo. Conſtat igitur ex eo, quòd ad tempus protrahatur ea gratiæ carentia, non ſequi novum peccatum in homine; ac proinde non ideo obligari nos ad faciendam ſtatim Pœnitentiam poſt peccatum. Hactenus præfatus Auctor.

56. **Impugnatur ab Auctore.** Sed ut mihi videtur, ſatìs inconſequenter, videlicet à phyſica carentia gratiæ, ad carentiam moralem, quæ concomitatur peccatum, & ratione ejus deturpat ſeu poſitivè defœdat animam, & ideo eſt poſitivum malum hominis, quod teneor avertere, quantùm commodè fieri poteſt; cùm phyſica illa carẽtia tantùm ſit malũ negativũ, ſeu carentia alicujus boni poſſibilis & non neceſſarii. Jam autem charitas non me obligat ad procurandum omne bonum poſſibile.

57. **Reſponſio Lugonis ad objectionẽ principalem.** Quid ergo ad objectionem principalem? Mors actualis peccati, inquit Card. Lugo diſp. 7. n. 218. affert novum malum graviſſimum, & novum ac maximum periculum ſalutis æternæ: qui enim peccat mortaliter certus manet de peccato, & incertus de ſufficientia ſuæ Pœnitentiæ, & gratiæ recuperatione, atque ideo dubius de ſua ſalute, cui dubio & incertitudini ſe expoſuit peccando actualiter, quod negari non poteſt, quin ſit graviſſimum detrimentum, & dignum quod omni prorsùs diligentiâ vitetur.

At verò perſeverantia in peccato habituali per aliquod tempus, non affert aliquod novum periculum graviſſimum, quia qualem Pœnitentiam poſſet homo hodie agere, talem, & eâdem ferè facilitate, poterit agere craſtinâ die; nec magìs certus aut ſecurus maneret de ſua ſalute per Pœnitentiam hodiernam, quàm manere poteſt cras per Pœnitentiam craſtinam: unde non eſt mirum, ſi graviùs obligetur ex charitate erga ſe, ad vitandam mortem actualis peccati, quàm ad impediendam perſeverantiam peccati habitualis. Hæc ille.

58. Sed numquid bene ſequitur: graviùs obligor ex charitate erga meipſum, ad vitandam mortem peccati actualis, quàm ad impediendam perſeverantiam mortis habitualis; ergo non obligor graviter ad impediendam perſeverantiam mortis habitualis? Conſtat illam conſequentiam eſſe illegitimam: nam licèt gravius peccatum ſit primò auferre centum aureos, quàm jam ablatos non reſtituere, ſtatim atque commodè poſſunt reſtitui; tamen indè nequaquam ſequitur, illam omiſſionem reſtitutionis non eſſe peccatum mortale contra juſtitiam, & charitatem proximi, quia omiſſio reſtitutionis ferè æquivalet primæ oblationi.

Dico, *Ferè*; quia certum eſt ex multis cauſis cohoneſtari omiſſionem reſtitutionis, ex quibus tamen non redderetur licita prima ablatio. Ergo conſimiliter, quamquam numquam liceat ſibi ipſi inferre mortem peccati actualis, tamen non dubito, quin aliquando homo poſſit excuſari ab omni peccato, tametſi non illicò impediat perſeverantiam mortis habitualis.

Si dixeris; omiſſionem reſtitutionis centum aureorum ad breve tempus, etiam ſine juſta 59.
cauſa, ſolùm eſſe peccatum veniale contra juſtitiam, & charitatem proximi; conſequenter dicam ego, perſeverantiam in peccato habituali ad breve tempus, etiam ſine juſta cauſa, ſolùm eſſe peccatum veniale.

Sed tunc volo ſcire, quare prima ablatio centum aureorum, cum æquali certitudine reſtitutionis poſt breve tempus, ſit peccatum mortale contra juſtitiam & charitatem proximi; & ſimiliter prima ablatio gratiæ, poſt breve tempus æquè certò reſtituendæ, peccatum mortale contra propriam charitatem. Et idem quæro de abſciſſione membri, & occiſione, ſeu morte corporali propria, vel aliena.

Nonne videmus quoſdam bibere vene- 60.
num aut vulnerare ſeipſos, ut oſtendant efficaciam & præſtantiam medicinarum, quibus integra ſanitas poſt paucas horas reſtituitur? Et tamen nemo propterea dicit, illos peccare mortaliter contra propriam charitatem. Si ergo aliquis à Deo accepiſſet gratiam curationum, imò gratiam ſeipſum, & alios à morte reſuſcitandi, putas peccaret mortaliter ſe, vel alios mutilando aut occidendo, ut tali viâ oſtendat gratiam, ſibi à Deo conceſſam?

Interim quia de via ordinaria mors corporis eſt irreparabilis; ſimiliter quia abſciſſio membri non poteſt reparari ſine magnis doloribus, & non niſi poſt longum tempus; ideo ſibi vel alteri mortem inferre corporis, aut membrum abſcindere, regulariter cenſetur peccatum mortale.

Porrò mors ſpiritualis, numquid & hæc de lege ordinata eſt irreparabilis, aut non niſi poſt longum tempus poteſt reparari? Liquet profectò quòd non. Nam, ut volunt Adverſarii, ſtatim poſt peccatum commiſſum obligor ad Pœnitentiam reparativam: ergo de lege ordinata illa eſt poſſibilis.

Cardi-

Digitized by Google

Cardinalis ſuprà n. 219. ſic inquit: Charitas erga nos ipſos non obligat ad vitandum quodcumque malum, etiamſi ſit ſecundùm ſe grave, & ſufficiens materia ad hoc, ut circa proximum eſſet obligatio gravis illud vitandi: ut conſtat in fama, ad quam procurandam, & conſervandam, non ſemper teneor ex charitate erga me, & tamen ſemper teneor graviter ex charitate ad impediendum, ſi commodè poſſim, ne proximus bonam famam amittat, etiamſi ſciam poſt annum v. g. famam eſſe recuperandam: quia nimirum proximus illud malum patitur invitus, & unuſquiſque vult juvari ab aliis, quando invitus cogitur ejuſmodi detrimenta pati.

Quamvis ergo perſeverantia in peccato habituali per menſem v. g. ſit grave malum & ſufficiens, ut peccaret mortaliter, qui illud malum deſideraret, aut ex induſtria alteri procuraret; non eſt tamen malum ita grave, ut teneatur aliquis ex charitate erga ſeipſum, illud detrimentum omnino impedire, cùm non ſit circa bona omnino neceſſaria. Hucuſque Eminentiſſimus.

Verùm quæ conventio famæ ad gratiam? Nam ita homo eſt dominus ſuæ famæ, ut etiam ſubinde licitè poſſit ſeipſum primò infamare. Numquid etiam primò auferre ſibi ipſi gratiam? Patet quòd non. Cur hoc, niſi quia gratia eſt bonum neceſſarium, fama autem non? Fateor, majus peccatum eſſe, proximo auferre gratiam, quàm ſibi ipſi, idque quia non poſſum dum volo, proximo gratiam reſtituere, quemadmodum mihi ipſi. Interim utrumque eſt peccatum mortale.

Ergo licèt ſit majus peccatum procurare alteri perſeverantiam in peccato habituali, quàm ſibi ipſi; quia ſibi ipſi poteſt homo adjutus à Deo reſtituere gratiam, non ſic alteri; equidem utrumque poteſt eſſe mortale: ſicuti quamvis gravius peccatum ſit occidere hominem invitum, quàm conſentientem, tamen utrumque eſt peccatum mortale.

Et verò quæ tanta differentia inter novum malum, & malum continuatum pro illo tempore, quo commodè poteſt impediri, ut illatio novi mali ſit peccatum mortale, & continuatio ſolùm veniale?

63. Hinc Arriaga diſp. 18. n. 15. Reſpondeo, inquit, quidquid ſit de damnis corporis, quæ phyſicè continuantur (in quibus fortaſſe erit eadem ratio pro ſecundo inſtanti, quæ pro primo) in peccato tamen aliam longè rationem eſſe; nam permanentia habitualis non eſt continuatio peccati aut damni, uti continuatio phyſici doloris, eſt continuatio ejus damni; & continuatio cæcitatis, eſt propriè continuatio ejus damni, quod fuit in primo inſtanti: hoc enim modo ſola continuatio ipſa libera peccati actualis protrahit malitiam, quæ ſine dubio auget de novo æqualiter illud peccatum, quoties eſt nova libertas; uti è contrario libera continuatio boni operis auget meritum.

Non hoc modò protrahitur malitia per durationem peccati habitualis; in eo enim permanentia culpæ deſumitur per ſolam denominationem extrinſecam ab actione præterita; & licèt de facto Deus odiò habeat hominem in habituali manentem, non tamen eò quòd nunc malè operetur (ut patet quando dormiens, manens in habituali, odio habetur à Deo) ſed quia tunc odium durat propter malam operationem præteritam: dum ergo in habituali dormit quis, eſt quidem reprehenſibilis, non tamen quia dormiens faciat aliquid contra rationem, aut quia malè operetur; ſed quia malè operatus fuit: non ergo infert ſibi nunc ullum damnum, ſed intulit. *Probat exemplo dormientis,*

Tota ergo indignitas & indecentia illius damni fuit in fieri ipſius peccati; jam autem quòd odium Dei in me diutiùs duret aliquantulum, eò quòd non ago Pœnitentiam, non eſt gravis indecentia, ac proinde non teneor ad illud ſtatim per Pœnitentiam auferendum. Hucuſque Arriaga.

At quæ conventio hominis dormientis, qui defectu libertatis non poteſt peccare, ad eum, qui voluntariè & liberè omittit Pœnitentiam, per quam poſſet odium Dei avertere? Nonne bene ſequitur, injuſtus retentor rei alienæ non peccat eo tempore quo dormit: ergo etiam non peccat in vigilia, quando poſſet commodè rem acceptam reſtituere, & negligit reſtituere? 64. *quod refellitur ab Auctore.*

Neque hic quæritur, an negligens Pœnitentiam peccet priori peccato, quo incurrit carentiam gratiæ, v. g. peccato injuſtitiæ, luxuriæ &c. ſuppono enim cum communi ſententia quòd non; ſed an peccet præcisè contra propriam charitatem, adeòque quaſi novo peccato, non avertendo à ſeipſo malum iſtud, ſcilicet carentiam gratiæ, quando alioquin commodè poteſt eam avertere.

Et ſanè admittere videtur Arriaga peccatum veniale, & ſi multùm diutiùs duret in me odium Dei, debet admittere peccatum mortale. Cur non etiam, ſi diutiùs aliquantulum? Quia, inquis, non eſt gravis indecentia.

Verùm hæc eſt petitio principii; nam Adverſarii aſſerunt, gravem eſſe indecentiam contra propriam charitatem, unâ horâ perſeverare in peccato habituali, & per conſequens perſeverare objectum odii divini, ſicuti eſt gravis indecentia pro una hora tantùm ſe primò conſtituere objectum odii divini; vel aſſignanda ratio diſparitatis.

Meo judicio non poteſt melior aſſignari, quàm communis ſenſus fidelium, qui plurimùm attendi debet ad æſtimandam materiæ quantitatem; quippe, ut habet proverbium: 65. *Ratio quare ſit gravis indecentia conſtituere ſe primò*

Digitized by Google

objectum odii divini, ſecùs ad parvum tempus perſeverare tale objectum. *Vox populi, vox Dei*, id eſt, per communem conſenſum populi, & potiſſimùm illorum, qui ex profeſſione ſua tenentur cæteros inſtruere de gravitate, & levitate peccatorum, cenſetur Deus voluntatem ſuam, graviter, vel leviter obligandi, indicare; ut ſileam, quòd lex naturalis ſcripta ſit in cordibus hominum, & lumen naturale dictet, quid hìc & nunc oporteat agere.

Profectò nequimus hoc tempore, in dubiis obligationibus certiorem habere notitiam, quàm per conſenſum populi, & Doctorum; cùm Deus ampliùs, nec per ſeipſum, nec fortè per Eccleſiam, novas faciat revelationes. Ne ergo ſemper maneamus dubii de gravitate, & levitate materiæ ſeu peccati contra legem naturalem, conſultiſſimum eſt ſequi commune judicium de illa gravitate, vel levitate.

Senſui communi non poteſt derogare paucorum DD. contrariis opinio. Quocirca in principio Concluſionis pro efficaciſſima probatione illius poſuimus communem ſenſum, tum pœnitentium, qui non ſolent ſe accuſare de dilatione Pœnitentiæ, tum Confeſſariorum, qui non ſolent de ea pœnitentes interrogare. Neque huic communi ſenſui derogare poteſt, aut eum infringere, paucorum Doctorum contraria opinio.

66. Objectio. Dices; ſed neque pœnitentes ſolent ſe accuſare de peccato mortali contra propriam charitatem, quod committunt, dum actualiter peccant peccato injuſtitiæ, luxuriæ, aut ſimili; nec Confeſſarii de illo peccato ſolent interrogare.

Solvitur. Reſpondeo; ſatis exprimi illud peccatum in confeſſione, quando exprimitur ſpecifica malitia gravis, v. g. gravis injuſtitia, mortalis luxuria &c. Nam in hoc diſtinguitur gravis injuſtitia à levi, mortalis luxuria à veniali, & ſic de aliis, quòd injuſtitia mortalis adferat mortem ſpiritualem animæ, ſecùs injuſtitia venialis: ergo qui confitetur injuſtitiam mortalem, abundantiſſimè exprimit malitiam gravem contra charitatem propriam, quæ utique in nullo alio conſiſtit, quàm in occiſione ſpirituali animæ.

Qui confitetur injuſtitiam mortalem, hoc ipſo ſatis exprimit malitiam gravem contra charitatem. Nonne ſi aliquis ſeipſum corporaliter occidiſſet, & reſuſcitatus confiteretur ſuum peccatum, diſtinctè deberet exprimere peccatum contra propriam charitatem? Numquid ſufficeret dicere: *Meipſum occidi corporaliter*? Planè: ergo ſufficienter confitetur peccatum contra propriam charitatem, qui exprimit occiſionem ſpiritualem; illam autem ſemper exprimit, quando ſignificat malitiam mortalem. Sed pergamus ad alias objectiones.

67. Quarta objectio. Objicitur ergo quartò: magìs obligor ex charitate erga meipſum, quàm reſpectu proximi; atqui correptio & correctio fraterna debet ſtatim adhiberi quantùm commodè poteſt: ergo &c.

Reſponſio. Reſp. ad Minorem: Peccatum omnino actu præteritum, permanens ſolo reatu, ſine periculo relapsûs, non eſt materia, ſaltem gravis, correptionis fraternæ pro prima opportunitate, niſi in caſu, quo ſi hodie v. g. non reſurgat frater meus ex illo peccato, neque reſurget, quando ad hoc ſub mortali obligabitur.

Colligitur ex Scriptura Eccli. 19. v. 13. 14. & 15. *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat: Non feci: aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne fortè non dixerit: & ſi dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum: ſæpe enim fit commiſſio.* Ergo peccatum futurum eſt materia correptionis, & non omnino præteritum, quod non timetur continuandum, aut iterandum.

Cùm igitur frater meus non teneatur ſub gravi obligatione ſtatim reſurgere per Pœnitentiam, ut docet Concluſio, niſi fortè ex dilatione oriatur periculum ſubſtractionis divinæ gratiæ, & exinde periculum, ne poſſit poſtea tempore debito pœnitere, ſi, inquam, ipſe non tenetur ſtatim reſurgere, cur ego teneor ipſum ſtatim corripere? Non video ſufficientem rationem.

Unde & Chriſtus Matth. 18. ubi tradit præceptum correptionis fraternæ v. 15. 16. & 17. ſolùm loquitur de illa correptione, quam alter non poteſt reſpuere. *Si*, inquit, *peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos; dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

Ergo ex mandato Chriſti non teneor corripere eum, qui non tenetur audire. Sed in caſu propoſito frater meus non tenetur audire, ſaltem ſub gravi obligatione: ergo nec ego ſub gravi obligatione corripere.

Secludo ſemper periculum non confitendi tempore debito (in Paſchate v. g. vel articulo mortis) aut aliàs non reſurgendi à peccato habituali; enimverò ſicuti in illo periculo ego teneor corripere, ita & frater meus tenetur audire.

Si dixeris; teneor aliquem eripere ex miſeria corporali, etiam quando ipſe non tenetur ſe eripere: ergo etiam ex miſeria ſpirituali. 68. Inſtantia.

Solvitur. Reſp. neg. Conſeq. do diſparitatem; quia miſeria ſpiritualis eſt voluntaria, corporalis autem poteſt eſſe neceſſaria, ita ut homo tametſi vellet, non poſſet ſeipſum ab illa liberare. Interim ſi & corporalis foret omnino voluntaria, dico conſequenter, quòd non teneor fratrem meum ab illa liberare, quando ipſe liberationem meam non tenetur acceptare; id eſt, quando rationabiliter poteſt velle, & vult in illa miſeria permanere.

Hinc

Digitized by Google

Hinc non obligor extrahere bovem alienum jacentem in fovea, quando Dominus rationabiliter vult bovem in ea permanere, ſecùs ſi irrationabiliter. Cùmque ſæpiùs poſſit Dominus rationabiliter velle jacturam rerum temporalium, numquam autem poſſit rationabiliter velle, per peccatum actuale amittere gratiam divinam, conſequens eſt, ut correctio fraterna ſemper obliget, ſi cætera adſint, ad impediendum peccatum mortale actuale proximi; ſecùs ſubſidiū in rebus temporalibus.

Fieri etiam poteſt, ut tenear ſubvenire proximo in rebus temporalibus, eſtò non obliger erga meipſū, quia videlicet vel proximus abſolutè eſt involuntarius, vel irrationabiliter volūtarius, ego autem voluntarius rationabiliter.

Sed contrà, reponit aliquis, & erit objectio quinta: Carentia gratiæ habitualis adfert novum peccatum mortale actuale juxta illud D. Gregorii homil. 11. in Ezech. *Peccatum quod per Pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum eſt, aut cauſa peccati ſimul & pœna peccati. Omne enim quod priùs committitur, peccatum eſt. Sed ſi citiùs pœnitendo non tergitur, juſto judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod Pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum ſimul eſt, & cauſa peccati; quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur.* Huc uſque D. Gregorius.

Reſpondeo; hæc & ſimilia multa, quæ ibidem docet D. Gregorius, ad ſummum probare, non poſſe admodum diù differri Pœnitentiam poſt peccatum commiſſum, non autem illicò eſſe neceſſariam. Colligo ex verbis immediatè præcedentibus: *Diſtricta*, inquit, *ſunt omnipotentis Dei judicia. Et qui peccatorem diù expectat ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc, ubi gravius impingat.*

Nota ly *diù*, & ly *contemnenti*. Sanè non cenſetur contemnere miſericordiam divinam, qui redit tempore ab Eccleſia præſcripto, differens ſuam Pœnitentiam ex aliqua infirmitate mentis, ſecluſo omni actuali affectu ad peccatum.

73. Non ignoro doctrinam Concilij Milevitani cap. 5. *Placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tamquam etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſumus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit.*

Sed nihil ad propoſitum noſtrum; agit quippe Concilium contra Pelagianos, qui volebant hominem propriis naturæ viribus, ſine auxilio gratiæ actualis, non tantùm unum, aut alterum, ſed etiam omnia mandata divina poſſe implere ſicut oportet, ut ad vitam perveniat ſempiternam.

Unde illicò ſubnectitur: *De fructibus enim mandatorum* (qui ſunt vita æterna, juxta illud Chriſti Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*) *Dominus loquebatur, ubi non ait, ſine me difficilius poteſtis facere, ſed ait, ſine me nihil poteſtis facere.* Joan. 15. v. 5.

Hinc Concilium Arauſicanum II. c. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit* (ſcilicet ad ſalutem æternam) *aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati; hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere.* 74.

Sed numquid ex his teſtimoniis bene infertur: ergo homo carens gratiâ habituali, niſi illicò reſipiſcat, peccabit novo peccato mortali? Sanè peccatoribus non deeſſe gratias actuales, non tantùm ſufficientes ad implendā omnia mandata divina, ſed etiam efficaces, evidentiſſimè oſtendit eorum perfecta ad Deum converſio per veram Pœnitentiam. Deum autem ad primum peccatum mortale, ſubtrahere omnem gratiam efficacem ad cætera præcepta obſervanda, niſi homo quamprimùm agat Pœnitentiam de peccato commiſſo, quis credat? Certè experientia contrarium docet.

Fateor, quòd hominibus juſtis, utpote amicis & filiis Dei, magis ſit debita (ut ſic loquar) divina protectio ab inſidiis dæmonum, aliiſque obſtaculis, nec non interna actualis gratia ad vitanda longo tempore peccata mortalia, quàm peccatoribus Dei inimicis, & ab eo extraneis: interim tamen nequit ſtatui determinatum tempus, quo peccator, in malo ſtatu perſeverans, à novo mortali præſervetur; adeoque periculum de novo mortaliter peccandi, utpote remotum, & planè incertum, non concernens rem aliquam, aut caſum particularem (unde poteſt homo in ſingulis occaſionibus putare, ſe non relapſurum) hoc, inquam, periculum nequit obligare ſub novo peccato, mortali, ad Pœnitentiam juſtificativam, ſtatim poſt primum peccatum mortale commiſſum. 75.

Objicitur ſextò; dilatio Pœnitentiæ quantulacumque ſine juſta cauſa, videtur graviter repugnare legibus amicitiæ, & reverentiæ Deo debitæ. Numquid enim qui peccavit peccato Infidelitatis, tenetur ſtatim iterum credere? Immo tametſi non peccaſſet peccato infidelitatis, equidem ſi Deo aliquid dicenti, non ſtatim crederet, graviter peccaret. 76.

Deinde ſi filius graviter offendiſſet Patrem, aut ſervus Dominum, nonne graviter de novo offendunt, ſi abſque ulla cauſa differant, etiam ad modicum tempus, petitionem veniæ?

Reſ-

Margin notes (right): *Matth.* 19. — *Joan.* 15. — Ubi nec doctrina Conc. Arauſ. — Peccatoribus non ſemper deeſt gratia ad implenda omnia mandata divina. — Hominibus juſtis magis debetur gratia actualis, quàm peccatoribus. — Sexta objectio, quòd dilatio pœnitentiæ graviter repugnet legibus amicitiæ & reverentiæ Deo debitæ.

Margin notes (left, cut off): ...tia ...iſe. ...iri. & ...lem — ...ob... — ...tori — 2. ...onſio. — ...regor. — ...ctrina ...nc. Milevitani, — ...n facit ...noſtrum ...poſitum

Digitized by Google

77. Reſponſio. Reſpondetur ad ultimum; ſi Pater, aut Dominus ſciret, omnem affectum malum ceſſaſſe, & ſolùm ex pigritia aliqua omitti petitionem veniæ, non haberet cauſam novæ gravis indignationis; quod maximè verum eſt, quando filius aut ſervus non adeò communiter cum Patre, aut Domino converſatur, quotidie coram ipſo comparendo, & cum ipſo mutua colloquia conferendo, ſed ob loci diſtantiam, vel ex alia cauſa tantùm per epiſtolam poteſt animum ſuum manifeſtare.

Lugo. Hoc autem pacto (inquit Lugo diſp. 7. n. 226.) videtur ſe habere homo in hac vita cum Deo, ad quem certè, quaſi per epiſtolam poteſt animum ſuum & deſideria dirigere; non tamen ad mutua colloquia admittitur, ita ut ſciat ſibi nunc Deum interiùs loquentem aſſiſtere. Hæc ille.

78. Parum videtur referre, quòd homo non loquatur Deo os ad os. Sed quid refert, quomodo homo loquatur Deo, ſive os ad os, ſive per epiſtolam, dummodo ſciat, ſicut ſcire debet, Deum ubique ſibi eſſe præſentem, & intima ipſius deſideria meliùs cognoſcere, quàm Pater cognoſcit deſideria filii, mutua colloquia cum Patre quotidie conferentis?

Haud equidem inficior, homines Deum ubique exiſtentem per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, atque ſcrutantem corda & renes, minùs revereri, quàm ſi ſcirent ſibi Deum interiùs loquentem aſſiſtere; ſed quid tum? Num ideo minori reverentiâ dignus, aut minùs diſplicet ei ſtatus hominis peccatoris, quem optimè novit, & quem homo peccator poſſet tam facilè mutare, invitatus à Deo per Scripturam ſacram ad Pœnitentiam, quàm ſi invitaretur per Deum immediatè ſibi interiùs loquentem? Non video ſufficientem rationem diſparitatis.

79. Major videtur obligatio ſtatim ſatisfaciendi inter homines, quàm inter hominem & Deum. Ideo dico, fortè majorem eſſe obligationem, ſaltem indirectam, inter homines ſtatim ſatisfaciendi, quàm inter hominem & Deum, quia Deus perfectè cognoſcit corda hominum; ac proinde dum videt jam hominem omnino ceſſaſſe à volitione libera peccati, non habet novam circa illum diſplicentiam, eò quòd aliquamdiu maneat in peccato habituali purè putè accepto.

At verò homines, cùm non judicent de occultis, præſertim merè internis, dum non vident externam veniæ petitionem, quando nulla cauſa juſta ſubeſt differendi petitionem, judicant affectum internum adhuc actualiter perſeverare, adeoque meritò de novo indignantur.

80. Inſtantia ſolvitur. Dices; ſaltem nova irreverentia eſt, ſpernere Deum vocantem, & invitantem ad Pœnitentiam. Reſpondeo, non vocare præcipiendo, ſed invitando, & conſulendo. Unde ſicut per ſe non graviter peccaret, qui Deo vocanti ad Religionem, non illicò conſentiret, quia non vocat præcipiendo; ſimiliter ſi ſe excuſaret pro aliquo tempore, quando vocaret ipſum ad beatitudinem; pari ratione non peccat per ſe graviter, qui Deum vocantem ad Pœnitentiam non extemplò ſequitur.

Deus non ſemper vocat ad Pœnitentiam

Non dico; *Deum vocantem ſpernit*, id eſt, formaliter contemnit; nam indubiè formalis contemptus, etiam conſiliorum Dei, eſt graviſſimum peccatum, ut alibi docetur, ſed dico; *Extemplo non ſequitur*, id eſt, negligit illam bonam inſpirationem, abſque ullo affectu actuali ad præteritum peccatum.

Quantùm ad obligationem ſtatim eliciendi actum fidei, præſertim poſt amiſſam fidem per peccatum infidelitatis, illâ admiſsâ, duplicem aſſignat diſparitatem inter illum, & noſtrum caſum Cardinalis Lugo ſuprà n. 231. & 232. Prima, quòd fides ſit magìs neceſſaria ad bonos actus, quàm actus dilectionis, aut Pœnitentiæ. Secunda, quòd fides eſt quidam cultus intellectualis, quo divinam veracitatem, & auctoritatem colimus, eo modo, quo coli debet, ſcilicet credendo id, quod per ſe immediatè, vel per ſuos miniſtros ac nuntios, nobis revelat; eſſet autem irreverentia, ſi Regi mihi aliquid narranti, non ſtatim crederem, ſed aſſenſu ſuſpenſo abirem.

Quòd ſi ulteriùs urgeas: Etiam bonitas divina videtur exigere, ut eam ſtatim amemus; Reſpondet Eminentiſſimus, diſparitatem eſſe magnam inter charitatem, & religionem; nam cultus exigit, ut quando quis occurrit Regi, aut Parenti, ei exhibeat reverentiam & honorem; at charitas non exigit, ut quando quis venit in conſpectum alterius, illum amet.

Verùm hæ diſparitates non ſatisfaciunt Arriagæ diſp. 18. n. 27. & 28. Nam imprimis, præceptum religionis non obligat ad hoc, ut quoties ſum in præſentia alterius (cui alioquin debetur honor) ego illum colam, ſed ſolùm requirit, ne aliquid faciam, quod ſit contra reverentiam ei perſonæ debitam. Hinc fit, ut, etiamſi agnoſcam me ubique eſſe coram Deo, non continuò teneat exercere actum religionis, etiam quando primò id agnoſco, & quando ſecundò, aut tertiò, aut quartò de novo id mihi occurrit: unde nec quando è ſomno excitor, eſtò me reflectam, tum me iterum quaſi in conſpectu Dei eſſe, non teneor exercere actum adorationis.

Planè non teneris, ſi aliquando exercuiſti actum adorationis; ſicuti non teneris omni momento credere, etſi proponatur objectum ſufficienter credibile, ſed ſufficit ſemel crediſſe, niſi novus actus fidei ſit neceſſarius ratione impletionis aliorum præceptorum, quæ eſt obligatio per accidens, de qua hìc non agitur, & ſimiliter invenitur in actu charitatis ſeu Pœnitentiæ, quamvis fortè (quod impertinens eſt ad propoſitum) major ſit

ſit neceſſitas fidei, quàm charitatis, aut Pœnitentiæ.

. ſe ido de- fidei s ac- ei, cha- ? Quod igitur controvertitur eſt, an per ſe loquendo citiùs obliget elicere primum actum fidei, quàm primum actum charitatis, aut poſt amiſſam fidem per actum infidelitatis, citiùs elicere novum actum fidei, quàm poſt amiſſam charitatem per actum odii, aut alterius peccati mortalis, elicere novum actum charitatis.

Profectò tametſi communior ſententia agnoſcat obligationem eliciendi actum fidei, quamprimùm objectum proponitur ſufficienter credibile; ſecùs autem charitatis, quamprimùm Deus ſufficienter proponitur ut ſummè amabilis; equidem qui aſſereret æqualem obligationem, neſcio quomodo efficaciter poſſet redargui.

4. modo ſit cultus intellectualis. Nam quod Cardinalis dicit, fidem eſſe cultum quemdam intellectualem, non aliter verum eſt, quàm fidem poſſe imperari à voluntate in ſignum excellentiæ divinæ, & noſtræ *ſubmiſſionis*; alioquin actus fidei per ſe & intrinſecè honeſtus eſt, honeſtate virtutis à religione, cæteriſque virtutibus diſtinctæ, adeò ut voluntas eliciendi actum fidei ſit laudabilis & virtuoſa, licèt non imperet actum fidei ex motivo religionis, vel obedientię, aut alterius virtutis; ſed præcisè propter honeſtatem, quæ reperitur in hoc, quòd intellectus per actum fidei adhæreat ſuper omnia veritati divinæ. Unde voluntas illa non vocatur à Conciliis, aut *Sanctis* Patribus actus religionis, vel obedientiæ &c. ſed actus fidei.

s fidei er ſe & nſecè eſtus.

Confirmatur; quia non minùs honeſtum eſt, contra propriam inclinationem ſubjicere intellectum ſuum intellectui divino ſeu veritati divinæ, quàm voluntatem ſuam ſubjicere voluntati divinæ. Similiter non minùs honeſtum eſt, adhærere per intellectum veritati divinæ, quàm per voluntatem bonitati divinæ.

85. ... charitas eſt virtus diſtincta religione ita & ... Vel ergo charitas non eſt virtus diſtincta à religione, & actus charitatis eſt quidam cultus voluntatis, vel fides eſt virtus diſtincta à religione, & actus ejus non eſt cultus formalis, ſed ad ſummum materialis, quia nimirum poteſt imperari ex motivo religionis; ſed & actus charitatis ſimiliter imperari poteſt juxta illud Divi Auguſtini Enchir. cap. 3. *Hic ſi reſpondero, fide, ſpe, charitate colendum Deum, profectò dicturus es, brevius hoc dictum eſſe quàm velis.*

Sanè quemadmodum per actum fidei ſubmittimus intellectum noſtrum intellectui divino, & proteſtamur ſummam ejus veritatem & noſtram fallibilitatem; ita quoque per actum charitatis ſubmittimus voluntatem noſtram voluntati divinæ, & proteſtamur ſummam ipſius bonitatem, & noſtram indigentiam.

Itaque fides non eſt cultus formalis, ſed ad ſummum materialis; ſed & charitas talis cultus eſt: ergo ex hac parte nulla differentia. Si ergo eſt irreverentia Dei, non illico aſſentiri ejus dictis, ſed pauliſper aſſenſum ſuſpendere; erit irreverētia Dei, etiam ipſum non ſtatim amare ſuper omnia, quando ſufficienter cognoſcitur, ut ſuper omnia amabilis; vel ſi non eſt irreverentia pauliſper amorem ſuſpendere, etiam non erit irreverentia tantillùm ſuſpendere aſſenſum. Fides non eſt cultus formalis,

Sed quid dicemus de actu fidei, eliciendo poſt amiſſam fidem per actum infidelitatis? Omnes (inquit Lugo ſuprà n. 230.) debemus fateri, non eſſe eamdem rationem de actu dilectionis Dei: nam ſi quis peccavit mortaliter, & per hoc diſceſſit à dilectione erga Deum; immo etiamſi peccaverit odio formali Dei, non tamen obligatur ad diligendum quamprimùm Deum, ſed ſatis erit, quòd habeat dolorem ex metu inferni, & cum vera Attritione recipiat Sacramentum Pœnitentiæ & juſtificetur; quo caſu licèt recipiat habitum charitatis, non tamen diligit adhuc Deum, ſed diligitur à Deo: ille autem qui reliquit fidem, debet redire ſtatim per verum actum fidei, ut credat actu id, quod priùs negavit. Hucuſque Eminentiſſimus. 86. Quid dicendum de actu fidei, eliciendo poſt amiſſam fidem per actum infidelitatis. *Lugo.*

Rationem diſparitatis aſſignat Arriaga ſuprà nu. 28. Qui diſcredit, inquit, Deo dicenti, eo ipſo illum, ſaltem implicitè, judicat mendacem; eſt ergo tunc apud eum hominem Deus in mala opinione, & habet, ut ſic dicam, amiſſum ſuum honorem: ergo tenetur homo ille deponere cùm primùm eam malam opinionem de Deo; nam ſi dixiſſem ego alteri, Deum eſſe mendacem, & ille hoc credidiſſet, ſine dubio tenerer ego ſtatim procurare, ut ille eam falſam opinionem de Deo deponeret: ergo ſi ego in meipſo illam concepi, teneor illam ſtatim deponere; totum enim damnum extrinſecum, quod patitur Deus, ſi Petrus illum judicet eſſe fallacem, patitur, ſi ego id ipſum judicem: teneor ergo ſtatim ego deponere eum malum conceptum, non poſſum autem illum deponere, niſi judicando illum vera dixiſſe, hoc autem ipſum eſt jam illi credere. 87. Ratio diſparitatis inter hunc actum, & dilectionem Dei ex Arriaga.

Non ita contingit in aliis peccatis, quia per illa non ſentio malè de Deo; ac proinde eſtò ſtatim Pœnitentiam non habeam, non patitur quidpiam apud me bonum Dei nomen & fama: ergo etiamſi teneat hæreſim aut infidelitatem ſtatim abjurare; non tamen teneor agere Pœnitentiam ſtatim de quolibet peccato. Hæc ille.

Aſt contrà, dicet aliquis; qui Deum odio habet, nonne eo ipſo, implicitè ſaltem, ſignificat Deum eſſe malum? Nonne, quantùm in ſe eſt, vult Deum non eſſe? Et verò quis magis inhonorat Deum, an qui dicit 88. Impugnatur.

Digitized by Google

ipſum eſſe mendacem, &, quantùm in ſe eſt, deſtruit ſummam Dei veracitatem, an verò qui facto ſuo oſtendit Deum eſſe malum, &, quantùm in ſe eſt, vult deſtruere ſummam Dei bonitatem, immo ipſum eſſe Dei?

Deinde, perjurium aſſertorium, nonne, quantùm in ipſo eſt, aufert ſummam Dei veracitatem, adeòque aufert honorem Dei? Similiter idololatria, quid aliud facit, quàm deſtruere unitatem Dei, & per conſequens ejus honorem, eſſentiam, & exiſtentiam? Eadem autem eſt ratio blaſphemiæ, quæ propriè eſt injurioſa in Deum locutio, conſequenter directè opponitur honori divino. Et quamquam aliqui doceant, omnem blaſphemiam eſſe infidelitatem, alii tamen, & non contemnendi Auctores, contrarium judicant, ſcilicet, poſſe dari blaſphemiam non hæreticalem, quamvis ſæpiſſimè admixtam habeat infidelitatem, ſeu hæreſim.

89. Qui ex metu mortis exteriùs tantùm colit idola, graviter inhonorat Deum.

Quid autem clariùs, quàm illum, qui ex metu mortis exteriùs colit idola, interiùs ſervans fidem illibatam, graviter inhonorare Deum, & peccare contra præceptum confeſſionis fidei? Dices propterea, hujuſmodi idololatram tantùm externum, illico obligari ad reſtituendum Deo honorem; reſtituendum, inquam, per externam confeſſionem fidei coram Tyranno? Nonne tranſactâ idololatriâ externâ, hoc ipſo ceſſat actualis inhonoratio Dei?

An teneatur ad reſtitutionem tranſactâ idololatriâ.

Ceſſat planè, reponit quiſpiam; ſed manet interim ablatus honor Dei apud alios, qui ex tuo facto falſam de Deo opinionem conceperunt, adeòque continuatur prius peccatum, quo Deo honorem abſtuliſti, quamdiu commodè potes honorem reſtituere, & non reſtituis; ſicuti continuatur peccatum detractionis, peccatum contumeliæ inter homines, peccatum furti, quamdiu commodè potes famam, vel honorem, aut res temporales reſtituere, & non reſtituis.

Porrò per actum internum odii Dei, ſecluſâ infidelitate, quâ homo judicat Deum eſſe malum, eſtò etiam læderetur honor Dei, non tamen niſi apud ipſum peccatorem, qui honor ſatìs reſtituitur, dum ceſſat ab omni ejuſmodi actu quod fieri poteſt, tametſi poſitivè necdum amet Deum, dummodo judicet ipſum ſuper omnia amabilem.

90. Replica.

Replicatur; etiam reſtituitur ſufficienter honor ablatus per infidelitatem, ſi infidelis ceſſet ab actuali judicio, quo antea judicabat Deum eſſe mendacem, etſi nullum poſitivum actum eliciat, quo judicet illum vera dixiſſe.

An judicare Deum vera dixiſſe, ſit illi credere?

Quin immo etſi foret neceſſarium tale judicium; unde conſtat, quòd hoc ipſum ſit jam illi credere? Numquid quia hâc horâ nolo credere, quoniam aliis negotiis incompoſſibilibus occupatus (eſtò etiam foret obligatio credendi) ideo judico Deum eſſe mendacem? Vel ſi prius judicium cenſetur virtualiter permanere, aut ſaltem habitualiter, & actualiter inhonorare Deum, donec per contrarium judicium expellatur; cur non ſimiliter prior actus odii cenſetur virtualiter aut habitualiter permanere, & actualiter inhonorare Deum, donec per contrarium actum amoris expellatur, ſeu penitus deſtruatur? Hæc ſedulò recogita benigne Lector, & videbis difficultatem haud plenariè exhauſtam; præſertim cùm non ſit peccatum grave inter homines, paululum differre reſtitutionem honoris.

Ad illud, quod ſuprà dicebat Cardinalis Lugo, Attritionem cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, adeòque non eſſe eamdem rationem de actu dilectionis Dei, quamprimùm eliciendo poſt amiſſam charitatem per actum odii, aut alterius peccati mortalis, & de actu fidei, illico eliciendo poſt amiſſam fidem per actum infidelitatis. Reſpondeo, Attritio illa eſt actus dilectionis, ſed imperfectæ, puta actus amoris concupiſcentiæ, excludens voluntatem mortaliter peccandi, adeoque non magìs componibilis cum odio Dei, omnique alio peccato mortali, quàm infidelitas cum vero actu fidei. 91.

Atque hæc ſunt præcipua argumenta, in quibus fundant Adverſarii obligationem continuò pœnitendi poſt peccatum commiſſum, quæ, ut patet manifeſtè ex dictis, non concludunt intentum. Dico, *Præcipua argumenta*; quia reliqua duo minoris ſunt momenti, & ideo paucis verbis eis ſatisfacio.

Peccatum, inquiunt illi, eſt injuſtitia contra Deum: ergo tenetur quis ſtatim ſatisfacere; ſicut qui retinet rem alienam injuſtè, tenetur eam ſtatim reſtituere. 92.

Reſpondeo; peccatum regulariter non eſt injuſtitia contra Deum magìs, quàm contra Legiſlatorem hamanum: non enim ſatìs apertè declaravit Deus ſe in præcipiendo uti poteſtate dominativâ, ut ſic loquar, ſive dominio proprietatis, quo poſſet omnem actum meum, & omiſſionem exigere, tamquam debita ex ſtricta juſtitia, ut fuſiùs declaravi ſect. 1. concl. 3.

Si dixeris; homicida deſtruit rem alienam, puta vitam hominis, cujus dominium Deus ſibi ſoli reſervavit, idque contra voluntatem ipſius Dei: ergo committit injuriam ſtrictam contra jus Dei. 93. Objectio.

Reſpondet Cardinalis Lugo diſp. 3. de Incar. ſect. 7. n. 113. neg. Conſeq. quia, inquit, non ita tollitur homo à Dei poteſtate, ut non maneat moraliter in ejus bonis, cùm facilè poſſit Deus eum quoties voluerit reproducere; quod in communi prudentum æſtimatione idem eſt, ac illum in bonis habere, ſicut antea. Reſponſio Lugonis.

Sed contrà, inquis: ergo etiam non committit injuriam ſtrictam contra jus Dei, qui blaſphe- 94. Impugnatur.

blaſphemando, aut alio medio deſtruit honorem Dei, cùm facilè poſſit Deus illum honorem recuperare, quod in communi prudentum æſtimatione idem eſt, ac illum in bonis habere ſicut antea: & tamen Eminentiſſimus ibidem n. 116. ſic inquit: Si ſecundo modo contingat peccari ex contemptu Dei, & ex intentione eum inhonorandi, tunc etiam dupliciter id fieri poteſt. Primò ex indigna exiſtimatione de Deo, quam in mente habet homo, & quam teſtari vult per illam externam inhonorationem, & tunc tranſeat committi veram injuriam contra Dei honorem. Hæc ille. Ergo ſimiliter poteſt tranſire, quòd homicida committat injuriam ſtrictam contra jus Dei.

Poteſt omnino; ſed quid tum? Non enim negamus, peccatum aliquod ex ſpeciali ſua ratione, & materia ſubjecta, poſſe eſſe injuriam ſtrictam contra jus Dei, ſed tantùm affirmamus peccatum ex ratione ſua generica, quatenus videlicet eſt contra prohibitionem ſeu legem divinam, neutiquam participare ſpecialem malitiam ſtrictæ injuriæ contra Deum.

Arguis rurſum; qui furatur equum alienum, facit veram injuriam homini: ergo etiam Deo, qui habet majus jus, quàm ipſe homo.

Reſpondeo neg. Conſeq. quia per hoc, quòd aufero equum, aut aliam rem externam ab homine rationabiliter invito, Deus non perdit ſuum dominium in illam rem, ut palam & in aperto eſt, ſicut bene ille homo. Illa ergo ablatio tantùm eſt contra præceptum Dei: *Non furtum facies*. Veluti furtum illud non eſſet injuria reſpectu Principis, qui illud prohibuit, ſed ſola inobedientia, quamvis reſpectu hominis foret injuria.

Nonne ſi Princeps projiceret pecuniam in populo eâ lege, ut eſſet primò occupantis, fieret injuria Principi, ſi ego hanc pecuniam à proximo meo, qui primò eam occupaſſet, vi extorquerem? Certum eſt quòd non, ſed tantùm fieret injuria proximo, à quo vi extorqueretur.

16. Atque ut omne peccatum eſſet injuria ſtrictè dicta reſpectu Dei, adhuc negaretur hæc Conſequentia: ergo tenetur peccator ſtatim poſt commiſſum peccatum pœnitere, de qua egimus ſect. 1. concluſ. 3. vide ibi dicta.

Obligatio noſtra (inquit Arriaga diſp. 18. nu. 23.) eſt tantùm ad ſemel habendam Contritionem, aut amorem Dei; per hoc autem quòd ego potiùs hodie, quàm cras efficiam illum amorem, nihil plus minuſvè do Deo, quia ſemel tantùm pro unica vice erat habiturus illum; attento autem præcisè jure juſtitiæ, non videtur eſſe res gravis momenti, quòd hodie detur, vel cras; maximè cùm Deus, qui ab æterno videt res futuras hodie ac heri exiſtentes, ideoque æqualem per totam æternitatem habet voluptatem ex bono opere, quod prævidet futurum poſt mille annos, ac quod vidit futurum ab initio mundi: ergo nihil omnino fit in damnum ipſius ex dilatione ejus ſatisfactionis.

At in rebus quæ habent uſum continuum, & reſpectu hominum ſunt bonæ, pallium, agri, pecunia &c. ſine dubio ea dilatio eſt nociva, quia & impedit partem uſûs, aut opportunitatem utendi juxta placitum; ideoque dilatio eſt contra juſtitiam, niſi dominus illius rei cedat jure ſuo in eam accelerationem reſtitutionis, aut ſatisfactionis. Hæc ille.

Sed interrogo ego unum verbum: Obligatio illa ad ſemel habendam Contritionem, eſt obligatio ſtrictæ juſtitiæ, vel alterius virtutis? Strictæ, inquis, juſtitiæ; ſic enim docet Arriaga tom. 1. diſp. 31. n. 48. ibi: Dico quartò: Nos tenemur ex juſtitia ad eam ſatisfactionem, quam poſſumus. Et n. 49. ibi: Omnis juſtitiæ violatio obligat ad reſtitutionem, ut per ſe eſt certum, ergo cùm ſuppoſuerimus omne peccatum eſſe contra juſtitiam, ex omni erimus obligati ad reſtitutionem. 97. Examinatur doctrina Arriagæ de propoſito caſu.

Aſt contrà: vel per quodlibet peccatum infertur Deo aliquod damnum extrinſecum, quod tranſacto peccato continuatur, vel non; ſi primum: ergo ſtatim teneor ad reſtitutionem, ut patet in humanis; ſin poſterius elegeris: ergo non teneor ad reſtitutionem; quia reſtitutio non eſt niſi ad reſarciendum damnum. Quippe ſi ego furatus fuero 100. aureos à Petro, & Paulus continuò Petro illos reſtituat, ad nihil ego obligor Petro, quia actio mea ampliùs non eſt damnificativa. Ergo ſi peccatum tranſactum ampliùs non damnificat Deum, non teneor Deo ex juſtitia quidpiam reſtituere, quamvis Deus propter peccatum præteritum poſſit juſtè mihi pœnam infligere, & ego ex juſtitia tenear ſuſtinere. Sed tunc illa obligatio naſcitur ex ſententia juſta Dei, non tamen naſcitur ex ipſo peccato immediatè, antequam per ſententiam Dei exigatur. Objectio;

Reſpondet Arriaga ſuprà n. 50. dubium valde eſſe, an omne peccatum, quod eſt contra juſtitiam, eſtò aliud non intulerit damnum, quàm uſum ipſius rei invito domino, non obliget ad ſatisfactionem, ut ſimiliter homo tantumdem refundat, quantum valuit ille uſus. 98. Reſponſio Arriagæ

Et certè ſi utens indè fuerit ditior factus, haud dubiè tenetur; quidquid verò ſit de alijs materiis, certè quando alterum contra juſtitiam offendit per injuriam, omnes omnino homines videntur ſupponere eſſe obligationem illum placandi, eique ſatisfaciendi, ut mole-

moleſtiam illam, quam ei intulit per actionem illam injuſtam, compenſet. Huculque Arriaga.

Sententia Auctoris, peccatum contra juſtitiam non obligare ad reſtitutionem, ſi jam ceſſaverit omne damnum.

Credat qui volet; mea ſententia eſt, nullum peccatum, quod eſt contra juſtitiam, obligare ad ſatisfactionem ſeu reſtitutionem, niſi aliquod intulerit damnum, quod nondum planè ceſſat. Et certè qui alienâ pecuniâ negotiatus fuerit, & ex illo uſu ditior factus, minimè obligatur lucrum illud ſuæ induſtriæ (niſi dominus æquale lucrum accepiſſet) reſtituere. Ita communiter Theologi.

99. Arguitur contra reſponſionem Arriagæ.

Circa hoc autem quod additur de compenſatione moleſtiæ, quæro, an actione tranſactâ adhuc maneat moleſtia, v. g. aliquis dat Regi alapam, & dicit ei: *Tu es infamis*, peccat contra juſtitiam (inquit Arriaga ſuprà n. 46.) eſtò nullus credat dicenti, & conſequenter eſtò nullum aliud damnum extrinſecum indè Regi ſequatur; inquiro ego, moleſtia illa, quam talis percuſſor intulit Regi per ſuam actionem injurioſam, ceſſat ex toto ceſſante percuſſione, vel non? Si ceſſat, cur obligor ex juſtitia reſtituere? Siquidem juſtitia definitur à Juriſconſulto L. *Iuſtitia* ff. de Juſtitia & Jure: *Conſtans ac perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi*. Jam autem ſupponitur percuſſus, ceſſante percuſſione, totum ſuum jus habere, quod antea habuit: ſi enim aliquid deeſſet, id foret carentia illius moleſtiæ; atqui percuſſus caret ex toto illâ moleſtiâ, ergo nihil deeſt: ergo nihil reſtat compenſandum, ſive ad æqualitatem reddendum, cùm nulla ampliùs ſit inæqualitas.

Sin autem moleſtia non ceſſet adæquatè ceſſante percuſſione, indubiè percuſſor tenetur reſtituere, quod, & quantum neceſſarium eſt ad tollendam adæquatè illam moleſtiam, idque ſtatim, eo modo quo tenetur reſtituere damnum illatum in pecunia, aut aliis rebus temporalibus. Cùm ergo non ceſſet moleſtia Regi illata per alapam, ceſſante præciſè percuſſione; nam moleſtum eſt Regi, ſe, vel apud ſolum percuſſorem, vilius æſtimari, quàm par eſt, non mirum ſi omnes homines ſupponant eſſe obligationem Regem placandi, eique ſatisfaciendi per humilem veniæ petitionem.

100. An per quodlibet peccatum Deus quaſi colaphizetur.

Sed numquid per quodlibet peccatum Deus quaſi colaphizatur? Cùm peccator Deum (inquit Arriaga ſuprà) ſibi præſentem, graviterque imperantem contemnat, & quaſi in contemptum faciat in ejus præſentia id, quod Deo graviſſimum eſt, ac quaſi eum colaphizet, ut bene de negatione Petri dixit Drogo Hoſtienſis Sermone de Paſſione Domini (quod ad omnia peccata commune eſt) non video quid ei peccato deſit, ut vera & propria ſit injuria Dei. Hæc ille.

Quæ ſi vera ſunt, quomodo non ſtatim poſt peccatum commiſſum obligor ſatisfacere, ſaltem per veniæ petitionem? Nam ſine illa non aufertur inhonoratio Dei, ſicut non aufertur inhonoratio Regis, quem alapâ percuſſi, niſi per aliquod externum ſignum reverentiæ, ad minus per veniæ petitionem.

Dixi: *Saltem per veniæ petitionem*; nam licèt illa minimè ſufficiat ad ſatisfaciendum pro offenſa, & placandum Deum rationabiliter iratum, ſed ulteriùs requiratur Contritio charitate perfecta, vel Attritio cū Sacramento; equidem ſatìs eſt ad auferendā inhonorationē, quam ſolam ex juſtitia ſtrictè dicta tenetur auferre. Sicuti fur non debet ex juſtitia, niſi reddere librum Petro ablatum, licèt hoc ſolùm non ſit ſatìs ad placandum Petrum rationabiliter iratum propter offenſam.

Venio ad ultimam objectionem, quæ deſumitur ex periculo damnationis: in re, inquiunt Adverſarii, tanti momenti non debet homo ſe exponere periculo morali damnationis; quale eſt occurſus mortis, antequam poſſit agere Pœnitentiam.

Verùm quis non videt, ſatìs ſolidè poſſe negari hujuſmodi periculum? Quippe ex millenis peccatoribus vix unus reperitur, qui ſtatim poſt commiſſum peccatum moritur, antequam poſſit agere Pœnitentiam. Alioquin hoc argumentum probaret, Baptiſmum non poſſe differri, ſaltem in parvulis, cùm poſſint repentè mori: & tamen certum eſt, poſſe per aliquos dies differri.

101. Fatendum ergo eſt, loquendo de obligatione gravi, non teneri hominem ad diligentiam metaphyſicam, etiam circa ea, quæ ſpectant ad ſalutem æternam, ſed ad diligentiam moralem & humanam. Quamvis autem in communi certum ſit, aliquos mori abſque Pœnitentiæ ſpatio; de hoc tamen homine hîc & nunc, non eſt moralè periculum dum bene valet, & non timet aliunde mortem ab inimicis, vel naufragio &c.

Sic etiam certum videtur in communi, quòd aliqui baptizentur invalidè, vel ex defectu intentionis, vel formæ; non eſt tamen morale dubium hìc & nunc de hoc homine, & ideo nec debet, nec poteſt repeti ejus Baptiſmus, etiamſi ſit parvulus, & in mortis articulo conſtitutus: ſufficit enim moralis illa certitudo, quæ periculum morale excludit, licèt non metaphyſicum. Ita Lugo diſp. 7. n. 228.

102. Conſimiliter, licèt certum videatur in communi, quòd aliqui invalidè abſolvantur, vel ex defectu poteſtatis, vel intentionis in abſolvente, vel etiam ex defectu diſpoſitionis in pœnitente, fieri tamen poteſt, ut non ſit morale dubium hìc & nunc de hoc homine, & ideo non debet pluribus confiteri, enim conſtitutus in mortis articulo; ſufficit enim illa moralis certitudo, quæ periculum morale excludit, licèt non metaphyſicum.

Hinc

Digitized by Google

Hinc non eſt audiendus Arriaga diſp. 17. n. 28. ubi ſic ait: Secundò habet (pœnitens) duo alia capita dubitandi (de valore Abſolutionis) in quibus ipſe non poteſt ullam nec moralem habere certitudinem, nempe utrùm Confeſſarius ſit verus Sacerdos; ſecundò, utrùm habeat intentionem requiſitam.

Quæ utique doctrina, ſi vera foret, ſequeretur me nullam, nec moralem habere certitudinem, an hoſtia, quam Sacerdos proponit populo ad orandam, ſit validè conſecrata, & per conſequens me prudenter poſſe dicere: *Fortè non eſt conſecrata*; adeoque me non poſſe abſolutè eam adorare, ſed tantùm ſub conditione, quod eſt contra praxim totius Eccleſiæ.

Quidquid ſit de iſtis inſtantiis: nonne qui longam navigationem ſuſcipit, æquali ſe exponit periculo vitæ temporalis, immo longè majori? Sanè incomparabiliter plures paſſi ſunt naufragium, quàm inter Chriſtianos mortui repentè, immediatè poſt ipſum peccatum actuale, antequam haberent locum eliciendi Contritionem charitate perfectam, aut confitendi; & tamen infinitè propè major eſt numerus peccantium, quàm navigantium.

gantes pec- pecca- icidii, peri- m nau- i eſt ni- iemo- Sicuti ergo illi navigantes non peccant peccato ſuicidii, quia periculum cenſetur remotum, adeoque non cenſentur velle propriam mortem corporalem; quæ per accidens ſequitur: pari & majori fundamento, illi impœnitentes non peccant novo peccato mortali contra virtutem ſpei, quia periculum mortis cenſetur nimis remotum; adeoque nequidem interpretativè cenſentur velle propriam damnationem æternam, quæ planè per accidens conſequitur.

105. caſu ſforet iculum ximum rtis, te- etur catorſta- pœni- e. Interim tamen, ſi hìc & nunc occurreret periculum proximum mortis corporalis, & per conſequens æternæ damnationis, indubiè teneretur peccator ſtatim poſt commiſſum peccatum pœnitere, idque ſufficienter ad juſtificationem, ut patet ex dictis concluſ. præced. Per ſe autem & regulariter, non agnoſcimus obligationem ſtatim poſt commiſſum peccatum pœnitendi, ſub novo peccato, ſaltem mortali.

Quæris à me, pro quo ergo tempore obliget Pœnitentia, ſub novo peccato mortali? Reſpondeo ut priùs, ſaltem in periculo proximo mortis; an etiam in vita, quando & quoties, non ſatis conſtat: quapropter erit

CONCLUSIO IV.

Nequit certò determinari, an, quando, & quoties in vita, extra periculum ſeu articulum mortis, per ſe obliget Pœnitentia, ſub novo peccato mortali.

Nota ly *Per ſe*, id eſt, non ratione alterius, ſed præciſè ex natura rei, & ſecluſo præcepto poſitivo. Nam certum eſt, Pœnitentiam ſæpè ſæpiùs per accidens obligare, ratione aliorum præceptorum, v. g. Confeſſionis, Communionis, adminiſtrationis Sacramentorum, & ſimilium, quæ vel ſimpliciter, vel ſaltem ad bene eſſe requirunt Pœnitentiam. Simpliciter, inquam, ut Confeſſio, cujus pars quaſi materialis & eſſentialis eſt Contritio, vel ſaltem ad bene eſſe, ut Communio, quæ ut debitè & ſine novo peccato fiat, poſtulat ſtatum gratiæ, ad quem aſſequendum univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore neceſſaria fuit Pœnitentia. 106. *Pœnitentia ſæpè obligat per accidens, ratione aliorum præceptorum.*

Conſimiliter, per accidens tantùm obligat Pœnitentia, quando creditur neceſſaria ad vincendam gravem aliquam tentationem, v. g. contra caſtitatem, dum videlicet voluntas per præcedens peccatum fornicationis nimiùm inclinata, moraliter certò rurſum peccabit eodem peccato, niſi prius peccatum per Pœnitentiam retractet. In his circumſtantiis eſſe obligationem pœnitendi, apertiſſimum eſt, eodem planè modo, quo ab omnibus admittitur obligatio orandi, jejunandi &c. quando hæc opera creduntur neceſſaria ad eumdem finem: qui enim præcipit finem, præcipit etiam media neceſſaria, ſive per ſe, ſive per accidens, dummodo ſine illis non poſſit finis obtineri. Interim hæc obligatio non oritur ex præcepto orationis, ex præcepto jejunii, aut Pœnitentiæ, ſed ex præcepto caſtitatis, ſive non fornicandi. *Pœnitentia tantùm per accidens obligat, quando creditur neceſſaria ad vincendam aliquam gravem tentationem.*

De hujuſmodi igitur obligatione pœnitendi merè per accidens, & planè incerta, quandoquidem unus magìs, quàm alter poſſit reſiſtere tentationibus per auxilia gratiæ actualis, ſine retractatione peccati præteriti; unus etiam plures, quàm alius habeat tentationes, & occaſiones peccandi; de hac, inquam, & alia quacumque ſimili obligatione, in præſenti duximus non diſputandum: ſed de ſola naturali, ſeu connaturali obligatione pœnitendi, in quantum ſcilicet Pœnitentia eſt neceſſaria ad evitandum contemptum Dei, & recuperandam ejus amicitiam, per peccatum 107. *De hac obligatione non loquitur Concl.* *ſed de obligatione naturali, quæ ſupponit gratiam amiſſam per peccatum.*

 mortale

Digitized by Google

mortale amiſſam. Porrò hanc obligationem non eſſe eamdem, quæ præcepti dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, vel ex hoc ſolo luce meridianâ clarius demonſtratur, quòd præceptum dilectionis neutiquam ſupponat amicitiam Dei amiſſam per peccatum.

Unde Concluſ. non opponitur Scotus 3. diſt. 27.

Unde Concluſioni noſtræ nihil prorſus officit, quod ait Doctor Subtilis 3. diſt. 27. q. unicâ n. 18. *Fortè determinavit hoc* (præceptum affirmativum Deuter. 6. & Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum* &c.) *illud præceptum divinum*: Sanctifica Sabbathum. *Et*, Maneat unuſquiſque apud ſe, *id eſt, recolligendo ſe, & aſcendendo ad Deum ſuũ. Et Eccleſia ſpecificavit quantùm ad Miſſam audiendam in die Dominico de Conſecr. diſt. 1. cap. Miſſas.* tametſi gratis admitteremus, Scotum eò loci docuiſſe, præceptum dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia ligare ſingulis diebus Dominicis. Nam indubiè loquitur Doctor de præcepto, quod ligat tam juſtos, quàm peccatores (præterquam quòd nihil certi ibi determinet, uti colligitur ex ly *Fortè*) Concluſio autem noſtra loquitur de præcepto Pœnitentiæ, ut concernente ſolos peccatores.

108. Probatur Concluſ.

108. Probatur ergo Concluſio; quia hactenus nemo certò determinavit, an Pœnitentia per ſe ſub novo peccato mortali obliget extra periculum mortis; item quando; item quoties: ergo nequit id certò determinari. Probatur Conſequentia; quia non eſt veriſimile, quin factum fuiſſet, ſi fieri poſſet. Antecedens patet quoad primam partem; nam licèt aliqui DD. affirment Pœnitentiam graviter obligare ante finem vitæ, alii ſanè æqualis auctoritatis contrarium ſuſtinent.

Secunda pars Antecedentis probatur; quia quod quidam dicunt, non poſſe differri Pœnitentiam ultra unum annum, planè conjectura eſt non fundata, niſi in iſto verbo: *Mihi videtur iſta dilatio eſſe gravis materia.* Sed quod uni videtur, alteri non videtur; atque adeò nihil certi habetur de puncto temporis, ultra quod nequeat Pœnitentia differri ſine gravi culpa.

109. Pœnitentia non obligat toties, quoties peccata memoriæ occurrunt;

109. Quid dicam de tertia parte Antecedentis? Tametſi quidam dixerint, toties obligare Pœnitentiam, quoties memorię occurrunt peccata; equidem quis non videt incertitudinem hujus obligationis? Certè nullam hujuſmodi eſſe obligationem, ſenſus omnium fidelium teſtatur, qui licèt piiſſimi, & maximè timorati, numquam tamen ſe accuſant de omiſſione Contritionis peccatorum, jam pridem remiſſorum, tametſi ſæpiſſimè memoriæ occurrerint.

quamvis laudabile ſit de iiſdem ſæpiùs pœnitere.

Haud inficior, multùm laudabile eſſe, ut de iiſdem peccatis ſæpiùs conteramur; immo eadem peccata ſæpiùs confiteamur, propter aliquam incertitudinem phyſicam, aut metaphyſicam remiſſionis eorum per primam Contritionem, aut Confeſſionem, juxta illud Eccle. 9. v. 1. *Neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit*; & ideo à multis id practicatur ſecundùm conſilium Sapientis Eccleſiaſtici 5. v. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.*

Sed numquid ideo obligatio? Nequaquam, niſi & Conſilia Euangelica, obedientiam integram, voluntariam paupertatem, & caſtitatem perpetuam, quæ multùm laudabilia ſunt, ideo dixeris eſſe obligatoria.

110. Ut omittam, quòd Eccleſiaſticus verbis citatis actutùm ſubjungat: *Neque adjicias peccatum ſuper peccatum*, quaſi diceret: *De propitiato peccato* adeò *noli eſſe ſine metu*, ut propterea, id eſt, præſumens de iterata propitiatione, *adjicias peccatum ſuper peccatum*, id eſt, rurſum pecces novo peccato.

Hunc eſſe ſenſum illius Scripturæ, colligo ex verſu ſequenti: *Et ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Multitudinis, inquam, id eſt, multorum peccatorum, ſeu ſimul, quando quis peccatum peccato accumulat ſpe veniæ obtinendæ in fine vitæ, ſeu ſucceſſivè, quando poſt Pœnitentiam & remiſſionem unius peccati, ex præſumptione divinæ miſericordiæ, iteratò peccat eodem, vel alio peccato.

Si non placeat hæc expoſitio; dicito, neminem debere eſſe ſine metu de peccato propitiato, propter pœnam temporalem in purgatorio luendam, quæ rariſſimè tota ſimul cum culpa remittitur.

Eodem modo intelligendi ſunt SS. Patres, quando hominibus inculcant Pœnitentiam ſemper eſſe agendam; puta, quantùm ad non repetenda iterum peccata, ſeu quoad emendationem vitæ, quæ eſt pars Pœnitentiæ, ſeu effectus. Item quando docent, eum, qui graviora peccata commiſit, graviorem debere Pœnitentiam agere, utique in ordine ad ſatisfactionem pro pœna temporali, quæ juxta menſuram delicti remanet major, aut minor, in altero ſæculo perſolvenda. Deinde hortantur Patres populum fidelem ad illud, quod meliùs eſt, eſtò non omnino neceſſarium ad ſalutem. 111.

Sufficit ergo ad evitandum novum peccatum, ut quando peccata remiſſa memoriæ occurrunt, homo non complaceat ſibi in illis, & non retractet Pœnitentiam priorem (etiam in illa ſententia, quæ aſſerit obligationem ſatisfaciendi pro peccato ex ſtricta juſtitia) quia videlicet poſt primam Pœnitentiam, Deus remiſſit totum ſuum jus, quod habebat ad inimicitiam, & debitum, quod habebat peccator pro ea ſatisfaciendi. Hæc ſatis pro ultima parte Antecedentis. Redeo ad primam, & ſecundam.

Et quidem ex incertitudine ſive indeterminatione temporis, pro quo præcisè obligat Pœnitentia extra articulum mortis, probant aliqui incertitudinem obligationis pro quocumque 112.

Digitized by Google

cumque tempore extra articulum mortis: quia, inquiunt, illa obligatio foret inutilis, cùm nemo poſſit dicere, nunc tempus eſt pœnitendi, & niſi pœniteas, peccas mortaliter.

Reſpondent Adverſarii, hanc difficultatem eſſe communem multis præceptis, v. g. in furto, vel jejunio non poſſumus determinare materiam certam, quæ ſufficiat ad peccatum grave, & minor non ſufficiat. Similiter in præcepto dilectionis Dei non poſſumus determinare certò tempus, quo incipit obligare ſub mortali. Item in voto non poſſumus determinare tempus, quo dilatio executionis ſit jam peccatum mortale, cùm antea non eſſet, & tamen hæc & alia non ſunt inutilia; ſufficit enim ſcire cum aliqua latitudine terminum certum obligationis, licèt citra illum non ſit ita certa obligatio, ſed probabilis. Ita Lugo diſp. 7 n. 248.

Sed contrà: quantùm ad præceptum dilectionis eſt eadem difficultas, & qui negant præceptum Pœnitentiæ obligare extra articulum mortis, etiam propter eamdem rationem affirmant non obligare præceptum dilectionis extra articulum mortis.

Deinde ratio diſparitatis eſt, quòd præceptum dilectionis ſit primum & maximum mandatum, teſtimonio Chriſti Matth. 22. v. 38. cur ergò non primò adimplendum, quando cognoſcitur ſufficienter Deus, tamquam ſummè diligibilis?

Certè id videtur probare finis intrinſecus, qui eſt, quòd voluntas præferat Deum omnibus rebus, ſicut convenit ſupremæ Dei bonitati, & quòd ipſi omnino conjungatur per affectum, & per obſequium. Non eſt autem ratio, cur ex hoc fine potiùs obliget præceptum dilectionis in articulo mortis, quàm tunc, quando primùm homo cognoſcit ſufficienter Deum, tamquam ſuper omnia amabilem. Immo potiùs contrarium colligitur, cùm actus ille amoris debeatur Deo inſtar cujuſdam homagii ſive recognitionis, quæ recognitio videtur obligare ſtatim atque homo capax eſt Deum recognoſcere.

114. Nec ſufficit Deum recognoſcere per fidem, aut alium cultum; quia cùm præceptum dilectionis ſit primum & maximum, & indubiè magìs placeat Deo actus dilectionis, quàm quilibet alius, nulla eſt ratio, ſuppoſitâ fide Dei & ſummæ ejus bonitatis, perfectam illam & maximam recognitionem per actum dilectionis Dei ſuper omnia differendi. Poſtquam autem homo taliter Deum recognovit, neſcio an ultrà recognoſcere debeat, ſecluſo præcepto poſitivo

Cùm ergo in noſtro caſu ſupponamus, peccatorem ſatisfeciſſe pro prima vice præcepto dilectionis Dei ſuper omnia, ignoro planè, cur extra articulum mortis debeat rurſum Deum amare ſuper omnia magìs, quàm quilibet homo juſtus, aut pœnitere ſufficienter ad juſtificationem; cùm ad ſalutem æternam conſequendam ſatìs ſit Pœnitentia in extremis.

Ad alia argumenta Lugonis reſpondetur; in furto, jejunio, voto poteſt certò aſſignari materia gravis, v. g. in furto centum aurei, in jejunio ſecunda refectio, in voto negativo caſtitatis, peccatum fornicationis, in voto poſitivo ingrediendi Religionem, dilatio ad viginti aut triginta annos ſine cauſa, licèt de aliquibus materiis diſputetur, an ſufficiant, vel non ſufficiant ad peccatum mortale. Porrò in caſu propoſito nequit certò determinari gravis dilatio Pœnitentiæ extra articulum mortis, ſecluſo quocumque alio præcepto. 115. *Reſpondetur ad alia argumenta Lugonis.*

Dices; dilatio ad unum annum erit gravis, vel ſaltem ad duos, vel tres annos. Verùm id quæritur, & ab Auctoribus contrariæ ſententiæ conſtanter negatur.

Prorſus, inquis, negatur; ſed abſque fundamento. Reſpondeo, neganti obligationem non incumbit probatio, ſed affirmanti; cùm enim homo ex natura ſua ſit liber, niſi poſitivè probaveris obligationem, non tenetur eam acceptare; adeòque ſufficiens fundamentum negandi eſt, non apparere poſitivam rationem affirmandi. 116. *Neganti obligationem non incumbit obligatio, ſed affirmanti.*

Quin immo *In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, Reg. 65. de Reg. juris in 6. Homo autem poſſidet ſuam libertatem, à qua proinde poſſeſſione nequit deturbari, niſi obligatio legis fuerit probabilior non obligatione.

Conſentio, reponis, & ideo probo obligationem pœnitendi extra articulum mortis, quâ obligatione admiſsâ, haud difficile erit intelligere, dilationem ad duos, vel tres annos; aut ſi mavis, ad viginti vel triginta annos, eſſe materiam gravem. Probo, inquam, ex dignitate Dei offenſi, in cujus contemptum redundare videtur, ſi aliquis adeò parùm curet de reconciliatione cum Deo procuranda, ut velit per totam vitam in ejus inimicitia perſeverare. 117. *Probatur obligatio pœnitendi extra articulum mortis ex dignitate Dei offenſi.*

Hinc Scriptura Proverb. 1. v. 24. 25. & 26. *Quia vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.* *Probatio ex Script. Proverb. 1.*

Reſpondeo; Scripturam intelligendam de peccatoribus perſeverantibus in peccato actuali, ut colligitur ex verbis præcedentibus v. 22. *Uſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam.* 118. *Explicatur Script. Proverb. 1. de peccatoribus actualibus.*

Eodem modo explico verba Eccli. cap. 5. v. 8. & 9. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*, ſcilicet quotidie adjiciendo nova peccata, *ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Siquidem v. 5. dixerat: *De propitiato peccato noli eſſe ſine* *Uti etiam alia Script. Eccli. 5.*

ſine metu, neque adiicias peccatum ſuper peccatum.

119. Similiter verba Apoſt Rom. 2. *An divitias* &c. Similem interpretationem patiuntur verba Apoſtoli Rom. 2. v. 4. & 5. *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iuſti iudicii Dei.* Nam immediatè ſubditur: *Qui reddit unicuique ſecundùm opera eius: iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Loquitur ergo Apoſtolus contra eos, qui actu proſequebantur eadem opera prava.

Quin hoc ipſum conſtat ex verbis præcedentibus: *Exiſtimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea,* ſcilicet ſcelera paulò antè enumerata, *quia tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis* &c.

Ergo ex Scriptura non ſatìs certò probatur contemptus Dei, aut aliud peccatum, quod prætenditur inveniri in dilatione Pœnitentiæ uſque ad articulum mortis, hoc ſemper ſuppoſito, quòd abſit omnis actualis affectus ad peccatum præteritum.

120. Objectio. Si dixeris; eſt moraliter impoſſibile, ut homo conſiderans practicè peccatum, id eſt, tamquam deteſtabile, & aliquando deteſtandum, illud non deteſtetur, ſaltem imperfectè, niſi affectus actualis inordinatus id impediat.

Solvitur. Reſpondeo; agitur hìc potiſſimùm de Pœnitentia reconciliativa hominis cum Deo, quam certum eſt ſæpiſſimè abeſſe, tametſi nullus adſit affectus actualis inordinatus Quin immo moraliter poſſibile eſt, quòd diù ſtet imperfecta tantùm deteſtatio peccati, ſive Attritio, abſque conſortio Sacramenti Pœnitentiæ, ſecluſo præcepto poſitivo Confeſſionis annuæ.

121. Ab eadem voluntate poſſunt ſimul abeſſe longo tempore deteſtatio, & complacentia peccati præteriti. Scotus. Quidni etiam ab eadem voluntate, longo tempore ſimul, moraliter poſſint abeſſe, deteſtatio peccati præteriti, & affectus actualis inordinatus? Non video quid obſtet; *quia*, ut ait Scotus 4. diſt. 49. q. 10. n. 10. *voluntas reſpectu cuiuſque actûs eſt libera, & à nullo obiecto neceſſitatur.* Sive, ut loquitur Quodlib. 16. n. 4. *In poteſtate voluntatis eſt, quòd ipſamet non habeat actum circa ſuum obiectum determinatum. Hoc non intelligo ſic, quòd ipſa poſſit voluntariè ſuſpendere actum ſuum: ſed voluntariè poteſt non velle illud obiectum: ſed habet tunc aliud velle, ſcilicet reflexum ſuper ſuum actum; iſtud ſcilicet, volo modò non elicere actum circa illud obiectum.*

Ergo ex mente Doctoris Subtilis, propoſito peccato præterito per intellectum voluntati tamquam deteſtabile, & aliquando deteſtandum, poteſt voluntas habere hujuſmodi velle reflexum ſuper ſuum actum: *Volo modò non elicere actum circa illud obiectum*; adeóque voluntariè ſuſpendere tam inordinatum actualem affectum, ſeu actualem complacentiam, quàm peccati præteriti ſimplicem, aut perfectam deteſtationem; ſicut hodie id poteſt facere, ita die craſtinâ, ſicut hoc anno, ita ſequenti: ergo uſque ad articulum mortis. Quid plerumque fiat, norunt ipſi, qui faciunt, & Deus, qui ſcrutatur renes & corda.

Alia ergo quærenda eſt probatio, ut indubitatè credam Pœnitentiam, etiam imperfectam, obligare extra articulum mortis. Sanè ſi aliqua eſt invenibilis, videtur eam inveniſſe Scotus 4. diſt. 20. q. unicâ n. 8. ibi: *Ad ſecundum concedo, quòd qui ſcienter exponit ſe periculo ſalutis ſuæ, peccat mortaliter: & ideo iſte, ſi aliquo actu elicito determinat ſibi numquam pœnitere, niſi in extremis, illo actu elicito exponit ſe periculo tali, & peccat mortaliter.* 122.

Porrò iſtum, qui aliquo actu elicito determinat ſibi numquam pœnitere, niſi in extremis, illo actu exponere ſe periculo ſalutis ſuæ, oſtendit ibidem Doctor noſter ex communi dicto: *Pœnitentia ſera rarò vera*, de quo ſupeiùs fuſiùs tractavimus. Vide ſect. præced. concl. 4.

Hanc probationem ſeu rationem amplectitur Arriaga diſp. 18. n. 37. dicens: *Videtur* hujuſmodi ratio è mente Chriſti Domini, qui paſſim in Euangelio eam vigilantiam ſuadet, ut maximè neceſſariam: *Vigilate, quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit*, Matt. 24 v. 42. Item: *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam*, Matt. 25. v. 13. Quis autem dixerit eum vigilare, qui voluntariè permanet in ſtatu peccati mortalis, reus æternæ damnationis certò certiùs infligendæ, ſi morte præoccupatus fuerit? Unde non hoc conſilium tantùm exiſtimandum eſt, ſed verum præceptum, non poſitivum, ſed naturale, cùm illa vigilia ſit neceſſaria ad æternam ſalutem, quæ ſuppoſitâ elevatione hominis ad ſtatum ſupernaturalem, antecedit omne præceptum merè poſitivum. 123.

Si dixeris; illa ratio nimium probat, ſcilicet non licere differre Pœnitentiam, nequidem ad menſem; quia etiam intrà illud tempus urget periculum, ex quo Chriſtus eam obligationem deſumpſit. Unde Luc. 21. v. 36. ait: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ ventura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* 124. Objectio.

Reſpondet Arriaga ſuprà n. 38. illud periculum non debere accipi quaſi metaphyſicè, ſed moraliter: ad unum enim, vel alterum menſem, maximè ſi homo bene valeat, moraliter res eſt exigua; quando tamen dilatio eſt ad longum valde tempus, ut qui v. g. putat ſe victurum ad duos, vel tres annos, ideóque non citiùs cogitat facere Pœnitentiam, profectò ſuam ſalutem exponit periculo maximo; quia intrà tam longum tempus, moraliter loquen-

Digitized by Google

loquendo, multa poſſunt evenire, quæ eam Pœnitentiam ex integro impediant, mors repentina, morbus auferens uſum rationis: deinde quòd Deus ipſe irritetur ad negandum locum Pœnitentiæ homini, qui æternam ſuam ſalutem adeò parùm curat. Hæc ille.

Docet præterea, hanc rationem habere locum, non tantùm in caſu Doctoris noſtri Scoti, quando videlicet quiſpiam aliquo actu elicito determinat numquam pœnitere, niſi in extremis; verùm etiam dum ſine tali propoſito, immo cum contrario, v. g. agendi citò Pœnitentiam, ſemper tamen eam procraſtinat uſque ad mortem; docet, inquam, etiam hujuſmodi peccatorem de novo peccare mortaliter peccato impœnitentiæ, quando jam pervenit ad longum tempus, & adhuc ulteriùs differt; jam enim implicitè vult longum tempus, ſcilicet & præteritum, in quo jam ſupponitur neglecta Pœnitentia, & alterum quod ſuperaddit, per quod facit longam dilationem. Utì quando à Petro furatus eſt quis materiam ſummam infra mortalem, ſi velit addere jam unam partem, eſtò in ſe levem, peccat mortaliter, quia virtualiter furatur materiam gravem.

6. Verumenimvero hæc ratio, quantumvis habeat ſuam probabilitatem, equidem non omnimodam certitudinem, etiam tantùm moralem; nam quod ad Scotum attinet, loquitur, ut videtur, de illo peccatore, qui ex præſumptione de miſericordia Dei in fine vitæ, peccata peccatis accumulat, qui propterea ſe reddit poſitivè indignum, ut in fine vitæ exaudiatur, & reddit ſibi ipſi moraliter impoſſibilem pro tunc veram Pœnitentiam ſufficientem ad ſalutem, propter continuum affectum peccati.

Sic enim Doctor ſuprà n. 6. *Tertia* (inquit) *ratio; quia habitus malus uſque tunc* (id eſt uſque ad finem vitæ) *continuatus, multùm retrahit ab actu Pœnitentiæ, & hanc rationem tangit Auguſtinus in litera,* Cùm filii, quos illicitè dilexit, ſint præſentes, uxor & mundus ad ſe vocet, multos ſolet Pœnitentia ſerotina decipere. *Intellige hac delectabilia eſſe præſentia in ſe, vel in phantaſmatibus vehementer impreſſis; & ſive ſic, ſive ſic, ex vehementia habitûs continuati, multùm inclinant ad ſe inordinatè amanda, &, per conſequens magnam faciunt difficultatem* (id eſt moralem impoſſibilitatem) *ad habendum magnam diſplicentiam de eis, ad hoc, ut ſit diſpoſitio ſufficiens ad deletionem culpæ.*

27. Porrò Concluſio noſtra loquitur de peccatore, qui poſtquam commiſit aliquod peccatum mortale, v. g. commiſit ſemel fornicationem, nullum ampliùs habet actualem affectum ad illud peccatum, tametſi differat Pœnitentiam uſque ad finem vitæ, in quo, ut patet, non habet locum illa ratio Scoti; neque iſta Arriagæ, quòd Deus irritetur ad negandum locum Pœnitentiæ, adeò, inquam, irritetur, ut ſit proximum periculum ſubſtractionis gratiæ efficacis.

Fateor, poſſe evenire mortem repentinam, morbum auferentem uſum rationis; ſed numquid ideo periculum proximum? Sanè milleni & milleni inveniuntur, quibus illa non eveniunt. Et quamvis eò majus periculum foret, quò diutiùs protrahitur Pœnitentia, profectò non ſatìs probatur, illud propterea eſſe proximum, adeoque conſtituere peccatum mortale.

Nonne, ut ſuprà dixi, qui longiorem ſuſcipit navigationem, majori ſe exponit periculo mortis corporalis? Quia tamen non proximo, nemo judicat eum peccare mortaliter homicidio ſuiipſius, etſi quandoque contingat ipſum ſubmergi. Ergo ſimiliter, licèt ille, qui differt Pœnitentiam ad 10. vel 20. annos, majori ſe exponat periculo moriendi ſine Pœnitentia, quàm ille, qui ſolùm differt ad unum menſem, vel ad unum, vel duos annos; quia tamen non ſemper proximo periculo, cùm plurimi poſt 10. aut 20. annos verè pœniteant de peccatis præteritis; hinc non ſemper eſt condemnandus peccati mortalis occiſionis ſpiritualis ſuiipſius, tametſi ſubinde contingat hujuſmodi peccatorem ſine Pœnitentia diſcedere ex hac vita, & per conſequens in æternum damnari. 128.

Qui differt Pœnitentiam ad 10. vel 20. annos non ſemper exponit ſe proximo periculo damnationis.

Interim tamen omnibus auctor ſum, & dux eſſe volo, ut ſi quando per fragilitatem humanam, aut certè malitiam, in aliquod peccatum mortale ceciderint, nullatenus differant Pœnitentiam, non dico ad unum annum, ſed neque ad unum momentum, ne præoccupati horâ mortis, quæ planè incerta eſt, locum Pœnitentiæ non inveniant, quâ tamquam unico remedio ſperare poſſunt veniam peccatorum, & per conſequens æternæ ſalutis conſecutionem. *Non enim intrabit in eam* (civitatem ſanctam Jeruſalem) *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.* 129.

Conſulitur Pœnitentia ſtatim poſt peccatum cõmiſſum.

Apoc. 21. *v.* 27.

Ex quo utique libro deletur (ut ſic loquar) homo per peccatum mortale, & rurſum inſcribitur (ſi ita dicere liceat) per Pœnitentiam, juxta illud Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam vitâ vivet, & non morietur,* morte æternâ. *Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor; in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet* vitâ æternâ. 130.

Per peccatum mortale homo quodammodo deletur ex libro vitæ. & per Pœnitentiam rurſum inſcribitur.

Ezech. 18.

Itaque effectus Pœnitentiæ eſt remiſſio peccatorum, tam mortalium, quàm venialium, de quo ſequitur hic agendum. Ut autem effectus, qui principalis eſt, principem locum habeat, erit

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

De Efficacia Pœnitentiæ ad remittendum peccatum mortale.

1\. *Pœnitentia quovis tempore fuit utilis ad impetrandam remiſſionem peccatorum mortalium.*

POenitentia, veluti quovis tempore fuit neceſſaria ad impetrandam remiſſionem peccatorum mortalium, ita quovis tempore fuit utilis ad impetrandam remiſſionem peccatorum mortalium, eamque impetravit, ut nemini dubium eſſe poteſt, qui vel à limine ſalutavit Scripturam ſacram, SS. Patres, atque Oecumenica Concilia.

Probatur ex Script. Ezech. 18.

Unicum ex infinitis propemodùm Scripturæ locis profero teſtimonium: *Convertimini*, ait Dominus apud Ezech. c. 18. v. 30. *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Cur hoc, niſi quia per Pœnitentiam deletur iniquitas? Sed numquid omnis iniquitas?

Cathari & Cataphrygæ putaverunt, peccata hominis poſt Baptiſmum commiſſa, non remitti. Novatus ſenſit id de peccatis aliquibus gravioribus, v. g. apoſtaſiæ aut negationis fidei. Tertullianus videtur putaſſe, quòd peccata ſæpiùs commiſſa non condonarentur. Porrò veritas Catholica eſt:

CONCLUSIO I.

Nullum eſt peccatum, quod de facto per Pœnitentiam non poſſit deleri.

2\. *Probatur Concluſ. ex Script.*

COlligitur ex Scriptura mox allegata, & aliis multis ſimilibus (quas, quia obviæ, non recenſeo) invitantibus generaliter omnes peccatores ad Pœnitentiam, cum promiſſione veniæ.

& ſpecialiter de peccatis commiſſis poſt Baptiſmum ex Concil. Later.

Et verò de peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, hanc veritatem definivit Concilium Lateranenſe Generale ſub Innocentio III. (& habetur c. *Firmiter* de ſumma Trinitate) c. 1. hiſce verbis. *Et ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper Pœnitentiam reparari.* De quo plura diſp. ſequenti ubi de Sacramento Pœnitentię, quod *Conc. Trid.* inſtitutum docet Concil. Trid. ſſ. 14. c. 1. à Chriſto, cùm à mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Joan. 20. v. 23. Inſtitutum, inquam, *Joan. 20.* ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmū lapſos.

3 *Objectio ex* Solùm obſtare videtur, quod ait Apoſtolus Hebr. 6. v. 4. 5. & 6. *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati* (per Sacramentum fidei, quod eſt Baptiſmus) *guſtaverunt etiam donum cæleſte & participes facti ſunt Spiritûs ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq; ſæculi venturi, & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad Pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Quem locum hæretici ſic interpretantur, ut prolapſis poſt ſuſceptam gratiam Baptiſmi, non ſit locus veræ Pœnitentiæ. Numquid verè?

Dico, Apoſtolum loqui, vel de renovatione per iteratum Baptiſmum, quæ abſolutè impoſſibilis eſt, ut cum Eccleſia Catholica docuimus diſp. 2. ſect. 5. concl. 8. vel potiùs de quacumque Pœnitentia, quæ impoſſibilis eſt, id eſt, valde difficilis, his qui voluntariè recedunt à fide Chriſtiana. Vide hæc latiùs deducta loco mox citato.

Tantùm hìc addo, quod ſcriptum reperio in Concilio Trid. ſſ. 6. c. 14. *Qui verò*, inquit, *ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint.*

Hanc autem recuperationem gratiæ, diſtinctam aliam à receptione gratiæ per baptiſmum, ibidem paulò poſt aſſerit ſub hac forma verborum: *Vnde docendum eſt, Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum, multò aliam eſſe à baptiſmali; eaq; continere non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorumdem ſacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionem; itemq; ſatisfactionem per ieiunia, eleëmoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ Literæ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum ſanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti* (ac ſi diceret; qui guſtaverunt donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti, & prolapſi ſunt) *De qua Pœnitentia ſcriptum eſt*: Memor eſto unde excideris: age Pœnitentiam, & prima opera fac. *Et iterum*: Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. *Et rurſus*: *Pœnitentiam agite.* 4

Credis autem, Scripturam hortari fideles prolapſos ad Pœnitentiam in ſalutem, quam exiſtimat, ut volunt hæretici, impoſſibilem? 5

Noli

Noli credere, ſi vis eſſe Catholicus, ſi vis eſſe filius S. Matris Eccleſiæ, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum.

Atque, ut vera Pœnitentia de peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, eſſet impoſſibilis (quod non) nihil contra præſentem Concluſionem, in qua ſolùm diſputamus, an ſint aliqua peccata, quæ nequeant per Pœnitentiam quantumvis in ſe bonam & veram remitti. Sequenti Concluſione examinabimus, an ſit aliquod peccatum, vel qualitate adeò grave, vel numero adeò magnum, ut Deus deneget propter illud auxilium ad veram Pœnitentiam.

Ex his patet, quid reſpondendum ſit ad alium locum Apoſtoli Hebr. 10. v. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Videlicet, Apoſtolum nolle abſolutè negare hoſtiam ſive Pœnitentiam pro ſimilibus peccatis, quaſi ſi Pœnitentia vera foret, peccata equidem non deleret; ſed ſolummodo velle veram Pœnitentiam raram eſſe & difficilem.

Siquidem de apoſtaſia ſive receſſu à fide loquitur, ac reditu ad Judaiſmum. Apoſtata autem difficulter revertitur ad fidem, quam voluntariè deſeruit, & rarò facit fructus Pœnitentiæ, dignos remiſſione peccatorum, cùm ipſa fides ſit *humana ſalutis initium fundamentum & radix omnis iuſtificationis*, ut loquitur Tridentinum ſeſſ. 6. c. 8.

Omitto, Paulum hoc loco inſectari illos, qui volebant ſimul cum lege Euangelica retinere legem Moyſi, quibus nulla reſtat hoſtia pro peccato; non hoſtia, quam Chriſtus obtulit, quæ deficientibus à lege Chriſti nihil prodeſt, juxta illud ejuſdem Apoſtoli Galat. 5. v. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis; quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Neque relinquitur hoſtia veteris legis, quæ jam erat abolita per legem Chriſti, ſecundùm illud Pauli Hebr. 7. v. 18. & 19. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati* (id eſt, legis veteris) *propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris ſpei* (id eſt, novæ legis) *per quam proximamus ad Deum.*

7. Objicitur præterea, quod ait Joannes Epiſt. 1. c. 5. v. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.*

Hæc verba varias patiuntur interpretationes, quas videre poteris apud Interpretes S. Scripturæ. Dico breviter, aliqua peccata dici non lethalia, ſive non ad mortem, quoniam facilè curantur, & talia ſunt, quæ neque fidem, neque deſiderium ſalutis extinguunt, & pro his conſulit Apoſtolus orare, & promittit veniam. Alia ſunt, quæ difficillimè curantur, ut poſitiva infidelitas quæ extinguit fidem, deſperatio quæ tollit deſiderium ſalutis, & ſimilia, pro quibus licèt Apoſtolus non prohibeat orare, equidem non audet conſulere, ut cum plena fiducia quis pro eis roget, quia niſi hujuſmodi oratio valde excellens fuerit, fruſtrabitur ſuo effectu.

Alioquin, ſi converſio peccantis ad mortem, omnino eſt impoſſibilis, cur Apoſtolus non prohibet pro tali peccatore orare? Nonne prohibemur orare pro dæmonibus & hominibus damnatis? Cur hoc, niſi quia eorum converſio eſt planè impoſſibilis, adeoque oratio omnino inutilis? 8. Converſio peccantis ad mortem non eſt omnino impoſſibilis;

Audiamus D. Auguſtinum lib. 21. de Civit. c. 24. *Si* (inquit ille) *de aliquibus ita Eccleſia certa eſſet, ut qui ſunt illi, etiam noſſet, qui licèt adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oret, quàm nec pro ipſo; ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis, nec tamē pro omnibus exauditur.* S. Aug.

Orat, inquam, pro omnibus, etiam peccantibus ad mortem, ſed excluſivè; nam ſi qui inveniantur, qui peccent ad mortem incluſivè, id eſt, *Si qui* (utor verbis D. Auguſtini ſuprà) *uſque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid iam pro eis, id eſt, pro talium defunctorum ſpiritibus orat Eccleſia? Cur ita* (id eſt, cur non orat) *niſi quia iam in parte diaboli computantur, qui dum eſſent in corpore, non ſunt tranſlati ad Chriſtum? Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ cauſa eſt, ut neque nunc, neq; tunc oretur pro angelis malis: quæ itidem cauſa eſt, ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur, etiā malis, tamen neq; nunc, neque tunc oretur pro infidelibus impijſq; defunctis.* 9. niſi intelligatur ad mortem incluſivè,

Et quidem ſi de tali peccato ad mortem, id eſt, de peccato mortali, in quo moritur peccator, velis intelligere diſcipulum, quem diligebat Jeſus, prout eum intelligit D. Auguſtinus lib. de Corrept. & Grat. c. 12. ibi: *Et accipiunt* (prædeſtinati) *tantam per iſtam gratiam libertatem, ut quamvis quamdiu hìc vivunt pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſq; nonnulla ſurrepant, propter quæ dicant quotidie:* Dimitte nobis debita noſtra; *non tamen ultra ſerviant peccato, quod eſt ad mortem, de quo dicit Ioannes Apoſt.* Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. *De quo peccato, quoniam non expreſſum eſt, poſſunt multa & diverſa ſentiri: ego autem dico id eſſe peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur deſerere uſque ad mortem.* Si de tali, inquam, peccato loquitur Joannes, clarum eſt, quòd pro illo nullatenus ſit rogandus Deus magìs, quàm pro peccato dæmonū, quoniam in inferno nulla eſt redemptio. prout verba Joan intelligit D. Aug.

Atque hujuſmodi peccatores propriiſſimè peccant in Dominum, qui dum viverent obliti ſunt miſericordiæ divinæ, quam non eſt reperire poſt hanc vitam, adeoque eligunt æternam Dei inimicitiam. 10. Hujuſmodi peccatores propriiſſimè peccant in dominum;

Et verò quis ſcit, an de talibus non loquatur Spiritus S. 1. Reg. 2. v. 25. *Si peccaverit vir* de quibus videtur loqui Scrip 1. Reg. 2.

 in virum

Digitized by Google

in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Sermo eſt de filiis Heli Summi Sacerdotis veteris Legis, qui retrahebant homines à Sacrificio Domini, quod ibidem v. 17. vocat Scriptura: *Peccatum grande nimis coram Domino,* in quo videntur perſeveraſſe uſque ad mortem; nam v. 25. verbis citatis continuò attexitur: *Et non audierunt vocem patris ſui, quia voluit Dominus occidere eos.* Vel ſi non placet hæc expoſitio, expone, ſicut priùs expoſuimus verba Joannis, de maxima difficultate in obtinenda venia.

11. Explicantur verba Chriſti Matt. 12. Mar. 3 & Luc. 12.

Conſimiliter interpretari poſſumus verba Chriſti Matth. 12. v. 31. & 32. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Et quicumque dixerit contra Spiritum ſanctum non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro* Mar. 3. v. 28. & 29. *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverint: qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum ſed reus erit æterni delicti.* Luc. 12. v. 10. *Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum ſanctum blaſphemaverit, non remittetur.*

de difficili remiſſione defectu gratiæ.

Id eſt, difficillimè remittetur, defectu gratiæ prævenientis, & adjuvantis, neceſſariæ ad convertendum ſe per veram Pœnitentiam ad juſtificationem; non quòd blaſphemia in Spiritum ſanctum ſit graviſſimum peccatum, ſed quia magìs directè opponitur bonitati divinæ ſeu Spiritui ſancto, qui eſt fons inſpirationum & gratiarum, ſine quibus impoſſibile eſt pœnitere ſicut oportet, ut juſtificationis gratia conferatur, juxta illud Trident. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.*

12. Cur difficiliùs remittatur blaſphemia in Spiritum ſanctum, quàm verbum in Filium hominis.

Quid ergo mirum ſi difficiliùs remittatur blaſphemia in Spiritum ſanctum, quàm verbum in Filium hominis? Nonne legimus aliquos, qui Chriſtum & Deum negarunt, & Matrem Dei negare noluerunt, faciliùs obtinuiſſe ſpiritum compunctionis, ac peccati veniam, quàm eos qui Dei Matrem negarunt? Cur hoc, niſi quia ſe non oppoſuerunt interceſſioni Beatæ Virginis, quæ remedium adferre ſolet hujuſmodi peccatoribus? Licèt alioquin gravius peccatum ſit negare Chriſtum, quàm ejus Matrem.

Quid ſit blaſphemia in Spiritum ſanctum.

Dignus itaque eſt, ut qui blaſphemat in Spiritum ſanctum, id eſt, opera Spiritûs ſancti, quæ ad noſtram ſalutem operatur, tribuit ſpiritui malo, prout tribuebant illi, contra quos loquebatur Chriſtus: nam Marcus reddens rationem illius ſententiæ, ſubjungit: *Quoniam dicebant; Spiritum immundum habet,* ſive, ut loquitur idem Euangeliſta ibidem v. 22. *Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* Dignus, inquam, eſt quicumque ſic loquitur, ut ſpecialibus auxiliis deſtituatur, utpote qui contra hæc ſpecialiter delinquit: indignus eſt, qui ſic blaſphemat Spiritum ſanctum, ejus adjutorio.

Sicuti qui ſpecialiter peccat in Eccleſiam, v. g. occidendo vel mutilando in ipſa Eccleſia, non defenditur ab illa; argumento cap. ult. de Immun. Eccleſ. ibi: *Nonnulli impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes, homicidia & mutilationes membrorum, in ipſis Eccleſiis vel earum cæmeteriis committere non verentur* &c. *Cùm in eo, in quo delinquit puniri quis debeat: & fruſtra legis auxilium invocet, qui committit in legem: Mandamus quatenus publicè nuntietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt ſe indignos.*

Sic ergo fruſtra Spiritûs ſancti auxilium invocat, qui directè committit in Spiritum ſanctum; fruſtra, inquam, id eſt, non niſi maximo fervore orationis auxilium Spiritûs ſancti obtinebit. *Clamaverunt* (inquit Pſalmiſta Pſalm. 17. v. 42.) *nec erat, qui ſalvos faceret ad Dominum, nec exaudivit eos.* Puta, quia non tantùm clamaverunt, quantùm clamandum erat. *Admonemur*, ait D. Auguſtinus lib. de Nat. & grat. cap. 17. *à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus, qui ſic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum rès tanta petenda eſt.*

14.

Hinc 2. Machab. 9. v. 13. *Orabat autem hic ſceleſtus* (Antiochus) *Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Utpote quia non orabat ex vera animi Contritione, ſed tantùm ex metu mortis inſtantis, & vi tormentorum, quibus de facto cruciabatur, ſine pio animi dolore, & ſincero propoſito emendationis; ut taceam, non oraſſe ſceleſtum pro ſalute animæ, ſed pro corporali ſanitate, ut quidam autumant.

15.

Eodem modo intelligo, quod de Eſau ſcribit Apoſtolus Hebr. 12. v. 17. *Scitote*, inquit, *quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Quia videlicet Pœnitentia bona non erat, cum qua ſtabat animus occidendi fratrem, Gen. 27. v. 41. *Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater, dixitq; in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*

Quocirca apud Apoſtolum v. 14. & ſequentibus ſic ſcriptum habes: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum: contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator aut profanus ut Eſau; qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua. Scitote enim quoniam* &c.

Quam-

Digitized by Google

Quamquam & hic locus intelligi poſſit de Pœnitentia Iſaac, id eſt, revocatione benedictionis datæ Jacobo, quam non potuit impetrare Eſau, tametſi cum lacrymis inquiſiſſet eam; Gen. 27. v. 34. *Auditis Eſau ſermonibus patris, irrugiit clamore magno, & conſternatus ait: Benedic etiam & mihi pater mi.* Et v. 38. *Cùmque ejulatu magno fleret.*

Porrò per Pœnitentiam in Scriptura ſacra, ſubinde intelligi revocationem alicujus gratiæ jam factæ, oſtendo ex Magno Patre & Magiſtro gratiæ D. Auguſtino, qui lib. de Corrept. & grat. c. 9. ſic inquit: *Quicumque in Dei providentiſſima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, juſtificati, glorificati ſunt, non dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, filii Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt*; hoc eſt, non peribunt: *Non*, ut idem S. Doctor ait lib. de Prædeſt. SS. c. 5. *quia credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.* Præparatur, inquam, *vocatione illa*, ut ait D. Auguſt. lib. de Bono perſev. c. 17. *de qua dictum eſt* Rom. 11. v. 29. *Sine Pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei*; id eſt, ſine revocatione.

Itaque nullum eſt peccatum, quod de facto, id eſt, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, per veram Pœnitentiam non poſſit deleri, immo deleatur, ſi vera Pœnitentia ponatur. Sed numquid gravitas, multitudo, vel iteratio peccatorum aliquando impedit peccatorem, ne poſſit ponere veram Pœnitentiam, aut ſaltem ne hîc & nunc eam ponat? Reſpondeo:

CONCLUSIO II.

Nulla gravitas, multitudo, aut iteratio peccatorum, ſtabili lege impedit auxilium efficax verè pœnitendi, minùs ſufficiens, quod Deus nulli negat.

7. PRima pars Concluſionis eſt extra controverſiam; convincitur quippe ipſâ experientiâ, quæ clamat non ſemel maximos peccatores, ſive ſpectes qualitatem peccati, ſive quantitatem, tandem aliquando divinâ aſpirante gratiâ, perfectè converſos fuiſſe ad Deum. Quæris exempla?

Ecce tibi Maria Magdalene, *quæ* teſte Euangeliſtâ Lucâ cap. 7. v. 37. *erat in Civitate peccatrix*; meruit tamen audire à Chriſto: *Remittuntur tibi peccata*, v. 48.

Et ne dixeris, unum tamen habuit peccatum: nam v. 47. de ea ſic dicit æterna Veritas: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et Euang. Lucas c. 8. v. 2. *Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant.* Similiter Marcus c. 16. v. 9. *Surgens autem manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene, de qua ejecerat ſeptem dæmonia*, id eſt, ſecundùm Interpretes Scripturæ univerſitatem peccatorum. *Quid per ſeptem dæmonia*, inquit D. Gregorius hom. 33. in Euang. *niſi univerſa vitia deſignantur?* Et poſt pauca: *Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ univerſis vitiis plena fuit.* Mar. 16. D. Gregor.

Petrus nonne in domo Caiphæ negavit Chriſtum dicens? *Quia non novi hominem?* Matth. 26. v. 72. Nonne *cœpit deteſtari & jurare, quia non noviſſet hominem?* Et tamen quis ambigat illum inveniſſe locum Pœnitentiæ? *Converſus Dominus reſpexit Petrum*, Luc. 22. v. 61. *Et egreſſus foràs Petrus flevit amarè*, v. 62. Atque audire meruit à Chriſto Joan. 21 v. 17. *Paſce oves meas.* 18. Item exemplo Petri. Matth. 26. Luc. 22. Ioan. 21.

Quid dicam de Paulo? Ipſe de ſe loquatur: *Audiſtis*, inquit, *converſationem meam aliquando in judaiſmo; quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam* Gal. 1. v. 13. Equidem teſtimonium veritatis falli non poteſt: *Vade*, ait Dominus ad Ananiam, Act. 9. v. 15. *quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coràm Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.* & Pauli. Gal. 1. Act. 9.

Tranſeo Davidem, qui poſt commiſſum adulterium, & homicidium, ad unam vocem: *Peccavi Domino*, intellexit ex ore Prophetæ Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. v. 13. Non tango Latronem cum Chriſto crucifixum, qui poſtquam dixiſſet ad Jeſum: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum*, Luc. 23. v. 42. pro reſponſo accepit: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiſo.* Ubi etiam exemplo Davidis, & Latronis cum Chriſto crucifixi.

Alia penè innumera exempla adferri poſſent, niſi ſufficeret in hac materia argumentum ab auctoritate negativa; quia lex ſtabilis negandi auxilium efficax propter gravitatem, aut multitudinem peccatorum, nuſpiam invenitur, nuſquam Scriptura ejuſmodi decretum commemorat: ergo ſine fundamento aſſeritur. 19. Probatur 2. quia nullibi reperitur illa ſtabilis lex.

Dico, *Lex ſtabilis*; quia non dubium, quin frequenter Deus, tum ob gravitatem peccatorum, tum ob eorum multitudinem, ſubtraxerit, & adhuc ſubtrahat auxilium efficax pœnitendi, ut clariùs patebit ex dicendis pro ſecunda parte Concluſionis, quæ hoc tempore admodum diſputatur.

Et quidem, quòd Deus nulli peccatori neget auxilium ſufficiens ad veram Pœnitentiam, communiter probatur ex Apoſtolo 1. Timoth. 2. ubi ſic incipit dicere: *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut tranquillam & quietam vitam agamus* 20. Quod Deus nulli peccatori neget auxilium ſufficiens, probatur ex Apoſt. 1. Tim. 2.

in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vult, inquam, voluntate antecedente, omnes homines, nemine excepto, ſalvos fieri.

21. Juxta interpretationem Scoti, Ita hunc locum interpretatur Doctor Subtilis 1. diſt. 46. n. 3. ſub hac forma verborum: *Ad primum argumentum dico, quod licèt illud dictum Apoſtoli* (Deus vult omnes homines ſalvos fieri) *poſſet exponi de diſtributione accommodata pro omnibus, qui ſalvi fient, tamen multò meliùs poſſet exponi de voluntate antecedente ſic, id eſt, vult omnes homines ſalvare, & ſalvos fieri, quantùm ſcilicet eſt ex parte ſui, & voluntate ſua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia ſufficientia ad ſalutem.*

quæ probatur à ſimili. Probat à ſimili: *Sicut*, inquit, *de Rege ſtatuente bonas leges, & præfigente miniſtros iſtarum legum, poſſet dici, quòd vult omnes ſubditos ſuos pacificè vivere & quietè; & tamen ſi videret aliquem tribulari iniuſtè, non ſtatim oporteret, quòd Rex intromitteret ſe ad faciendum illum quiete vivere. Ita dico in propoſito, quòd etſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti* (conſequentem) *ad iſtum ſalvandum, tamen vult iſti illa adiutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter bene vivere, & ſalvari; propter quæ dici poteſt, quòd quantùm eſt ex parte ſui vult omnes ſalvos fieri.* Hæc ille.

22. Quæ ſit voluntas Dei antecedens, quâ vult omnes homines ſalvos fieri. Ex quibus feſtinè cognoſcimus, quæ ſit voluntas Dei antecedens, quâ vult ſalvos fieri etiam reprobos ac graviſſimos peccatores, qui abſque Pœnitentia ex hac vita decedunt; nimirum voluntas, quâ Deus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, & verè pœnitenti promiſit vitam æternam; nec hoc tantùm, quoniam perparùm eſt ordinare media ſalutis, ſtatuere bonas leges, ſi impoſſibile ſit eas obſervare; ſed quâ inſuper ſtatuit unicuique dare adjutoria communia ſufficientia ad veram Pœnitentiam eliciendam, aut certè hujuſmodi adjutoria nemini negare, adeoque omnibus dare ſalutem, quantùm eſt ex parte ſua; non quidem abſolutè, ſed conditionatè, ſcilicet ſi neceſſaria media applicentur, ſicuti poſſibile eſt ea applicari; adeò ut voluntas illa Dei non tantùm terminetur ad media ſalutis, ſed etiam ad ipſam ſalutem omnium hominum, non quidem abſolutè, ſic enim omnes homines ſalvi fierent, cujus oppoſitum docet fides Catholica, ſed conditionatè, ſi neceſſaria media applicentur.

Et hinc eſt, quòd quamvis voluntas Dei impleatur ſemper quoad media, quoniam illa abſolutè vult, non tamen ſemper impleatur quoad ipſam ſalutem, quia non ſemper ponitur conditio, ſub qua Deus illam vult.

23. Adhuc dubitas quæ ſit voluntas Dei conſequens? Dic illam eſſe, quâ Deus quidpiam abſolutè vult ſpectatis omnibus ad effectum requiſitis. Stat ergo ſimul Deum voluntate antecedente velle omnes homines ſalvos fieri, & voluntate conſequente velle aliquos perire.

Nonne Deus habuit generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, ex qua, quantùm in ſe erat, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibuſque propterea beatitudinis conſequendæ media ſufficientiſſima largitus eſt? Planè habuit, ut omnes fatentur. Et tamen quis dubitet ſimul habuiſſe voluntatem conſequentem & abſolutam aliquos damnandi? Etenim de facto aliquos damnavit.

Ergo ſimiliter fieri potuit, ut Deus haberet generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes homines (quamvis aliqui eorum poſitivè forent indigni propter peccatum originale) ex qua, quantùm in ſe eſt, omnium æternam beatitudinem vellet, omnibuſque propterea beatitudinis conſequendæ media ſufficientiſſima largiretur; tametſi voluntate conſequente aliquos vellet in æternum damnare.

Porrò talem de facto habuiſſe voluntatem, exiſtimat Scotus ſuprà, aliique Scholaſtici Doctores, ſecuti SS. Patres; imprimiſque D. Damaſcenum lib. 2. de Fide ortod. c. 29. ſub finem ubi ſic lego: *Quin illud quoque nos ſcire oportet, Deum, ut bonitate præſtantem, primario quidem omnes homines ſervari ac regni ſui compotes eſſe velle (neque enim ſupplicii aut cruciatus cauſa, verùm ad hoc, ut bonitatis ipſius participes ſimus, nos effinxit) ut iuſtum autem iis quoque, qui peccant, pœnam inferni nihilominus velle; ac prior illud antecedens voluntas ſeu beneplacitum dicitur ex ipſo manans, ſecundum autem inſequens voluntas, ac permiſſio à noſtro vitio ortum ducens.*

Quæ verba, quamvis clara, aliquid lucis accipient ex hoc Jac. Billii, Interpretis ejus, Commentario: Diſtinguit Damaſcenus (inquit ille) in Deo duplicem voluntatem, ſcilicet antecedentem, & conſequentem. Voluntas antecedens eſt, quâ Deus ex ſe ipſo quemque hominem ad conſummatam vult pervenire perfectionem, & finem ad quem conditus eſt; & ad illud aſſequendum præſidia naturalia & gratuita ſufficienter cuique ſubminiſtrat: & hâc voluntate præcedente vult omnes homines ſalvos fieri &c. quia ad ſalutem æternam adipiſcendam omnes homines condidit, & congruentia illi fini media præſtitit, ſcilicet naturam rationalem, gratiam quam cuique parato recipere offert, Eccleſiaſtica Sacramenta, & inſpirationem ad bonum. Hæc Billius.

Unde fit, quòd Damaſcenus vocet illam voluntatem *bonitatis*. Nam ut obſervat in Dial. adverſ. Manich. *Deus omnes bonos creavit. Ipſe quippe omnibus, tum ut ſint, tum ut bene ac præclarè ſint, præbet, Solis nimirum inſtar, bonitatis ſuæ radios ad omnia opera ſua diffundens. Atque ut quidem*

Digitized by Google

nos ſimus non in nobis ſitum eſt accipere : ut autem beati ſimus in noſtro arbitrio (cum gratia Dei) *conſiſtit. Quocirca ſi velimus ac cupiamus, ipſius bonitatis participes erimus.*

Neque aliter expoſuit mentem D. Damaſceni Alenſis 1. p. q. 36. memb. 2. verſ. *Ad quæſtionem quâ quæritur, utrùm voluntate beneplaciti velit omnes ſalvari.* Ad illam, inquam, quæſtionem reſpondet hìc Auctor : *Voluntas beneplaciti poteſt dici reſpectu poſſibilitatis rationalis creaturæ ad ſalutem, quæ quidem poſſibilitas eſt in ipſa à Deo; & hoc modo voluntate beneplaciti vult omnes homines ſalvos fieri : alio modo voluntas beneplaciti dicitur reſpectu effectûs, qui redditur à Deo rationali creaturæ pro merito, & ſic voluntate beneplaciti non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed ſolùm prædeſtinatos.*

Primo modo dicit Damaſc. voluntatem antecedentem, & hæc eſt ratione bonitatis, quæ eſt in Deo. Secundo modo dicit voluntatem conſequentem ſecundùm rationem juſtitiæ, quæ reſpicit merita, quæ ſunt in nobis, vel à nobis. Patet igitur quòd ſemper impletur voluntas Dei beneplaciti, ſive dicatur antecedens, ſive conſequens. Intellige, quoad aliquid, videlicet ſi eſt antecedens, quoad media ſufficientia; ſi eſt conſequens, etiam quoad ipſam ſalutem.

Eodem modo interpretatur D. Damaſcenum Doctor Seraphicus S. Bonaventura 1. diſt. 46. a. 1. q. 1. ibi : *Prima, ſcilicet antecedens, dicitur à Magiſtris* (id eſt Doctoribus ſui temporis) *voluntas conditionalis, ſive voluntas, quâ Deus vult quantùm in ſe eſt; ſecunda autem, ſcilicet conſequens, dicitur abſoluta. Differentia autem inter hanc voluntatem, & illam, non eſt ſecundùm diverſitatem affectionis, ſive modi volendi, qui ſit in Deo, ſed ſecundùm rationem connotandi & intelligendi. Prout enim Deus dicitur velle omnium ſalutem quantùm in ſe eſt, & antecedenter, connotatur in omnibus ordinatio ad ſalutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ. Dedit enim Deus naturam, ſecundùm quam poſſent eum cognoſcere, & cognitum quærere, & quæſitum invenire, & invento inhærere, ac per hoc ſalutem obtinere. Gratiam ſimiliter obtulit, dum Filium miſit & obtulit, cujus pretium omnium ſaluti ſufficit. Leges etiam & mandata tribuit & oſtendit. Ipſe etiam præſto eſt omnibus inquirentibus, & prope eſt omnibus invocantibus eum.*

Velle ergo hominem antecedenter ſalvare, eſt ordinatum ad ſalutem facere, & volenti pervenire, non deeſſe. Unde velle antecedenter ſalvare, non connotat ſalutem, ſed ordinabilitatem ad ſalutem. Velle autem conſequenter, ſive abſolutè ſalvare, eſt abſolutè dare ſalutem ei, quem præſcit ad ſalutem perventurum per ſuum auxilium & gratiam, & connotat ſalutis eventum. Et ſic non eſt dicere, quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri. Hæc ille.

Quamquam ibidem etiam approbet expoſitionem D. Auguſtini, de qua infrà, dicens : *Huic reſponſioni* (ſcilicet Damaſceni) *magis conſonant Magiſtri, quamvis utraque bona ſit.* Quod etiam ſuprà Scotus rectè notavit in his verbis : *Licèt illud dictum Apoſtoli poſſet exponi de diſtributione accommodata pro omnibus, qui ſalvi fient* &c.

Subjungit autem Seraphicus Doctor : *Secundùm hanc ergo* (expoſitionem Damaſceni) *reſpondendum : quòd Deus omnes homines vult ſalvos fieri, quantùm in ſe eſt, voluntate antecedente, non autem voluntate abſolutâ ſive conſequente, & quia illa non connotat effectûs eventum, ideo non impeditur in hoc, quod non omnes ſalvantur.* 28.

Tam voluntatem antecedentem quàm conſequentem D. Bona. vocat voluntatem beneplaciti.

Porrò utramque illam voluntatem, appellat ibidem voluntatem beneplaciti, inquiens : *Reſpondeo dicendum, quòd cùm Apoſtolus dicat, quòd Deus hoc vult, ſcilicet, omnes homines ſalvos fieri, neceſſe habemus concedere, quòd Deus velit, & cùm non poſſit exponi de voluntate ſigni, neceſſe habemus exponere de voluntate beneplaciti; ſed cùm non omnes ſalventur, & voluntas Dei numquam fruſtratur, ideo neceſſe eſt, quòd fiat vis in modo diſtribuendi, vel in modo volendi.* Quid clariùs dici poterat?

29\. Quæ fuerit mens Doct. Angelici de hac duplici voluntate.

Accedat Doctor Angelicus D. Thomas qui 1. diſt. 46. q. 1. a. 1. ſic ait : *Voluntatis antecedentis effectus eſt ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita tam naturalia, quàm gratuita.*

Et lib. 3. contra Gentes c. 159. ſcribit in hæc verba : *Cùm ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò imputatur in culpam ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantùm in ipſo eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur ad Timot. 1. 2. ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant : ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit.*

30\. An DD. prœallegati locuti fuerint de ſolis hominibus in ſtatu Innocentiæ.

Dicere autem, hos Doctores locutos fuiſſe de hominibus in ſtatu Innocentiæ, & non de hominibus poſt lapſum primorum parentum, quam habet apparentiam veritatis? Nonne orandum eſt in ſtatu naturæ lapſæ pro omnibus hominibus, quia Deus in ſtatu Innocentiæ volebat omnes homines ſalvos fieri?

Planè, inquit aliquis; nam illa voluntas adhuc permanet reſpectu aliquorum, ſcilicet prædeſtinatorum, & quia incertum eſt, qui illi ſint, convenit orare pro omnibus, cùm ſine noſtra oratione non voluerit Deus illos ſalvare.

31\. Apoſtolus ex morte Chriſti pro omnibus, probat voluntatem omnes ſalvandi.

Sed contrà : Apoſtolus voluntatem omnes ſalvandi conjungit cum Chriſti morte pro omnibus; immo ex Chriſti morte probat illam voluntatem dicens 1. Timot. 2. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Jam autem mortuus eſt pro omnibus in ſtatu naturæ lapſæ: ergo & illos omnes ſalvos facere vult.

Prorſus,

Prorſus, reponit quiſpiam, pro omnibus hominibus in ſtatu naturæ lapſæ mortuus eſt, & ideo illos omnes ſalvos facere vult, ſed omnes, qui ſalvi fient, quæ eſt expoſitio D. Auguſtini.

Fateor, ſic exponi poſſet iſte locus; ſed Doctores præallegati nequaquam ita expoſuerunt, aut illam expoſitionem ſecuti fuerunt, quando meminerunt voluntatis antecedentis; cùm hæc voluntas, de qua Auguſtinus, ſit omnino conſequens. Illa ergo voluntas antecedens quà talis, neceſſariò afficit, non tantùm homines in ſtatu Innocentiæ, ſed etiam in ſtatu naturæ corruptæ.

32. Quid de hac re ſenſerit S. Proſper.

Audiamus S. Proſperum fideliſſimum Diſcipulum D. Auguſtini: *Remotâ hâc diſcretione, quam divina ſcientia intrà ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè* (inquit ille Reſp. 2. ad Object. Vincent.) *credendum atque profitendum eſt, Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant. Siquidem Apoſtolus, cuius iſta ſententia eſt, ſolicitiſſimè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* Pro omnibus, inquam, etiam reprobis; nam ſequitur: *Ex quibus quòd multi pereunt pereuntium eſt meritum; quòd multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum. Vt reus damnetur, inculpabilis eſt Dei iuſtitia: ut autem reus ſalvetur, ineffabilis Dei gratia eſt.*

Matt. 7. v. 11.

Quæris quæ ſit illa diſcretio, quam ibi removet S. Proſper? Reſpondeo, quam deſcribit in eadem reſponſione hiſce verbis: *Cùm veritas dicat:* Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magìs Pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe? *quì fieri poteſt, ut Deus, qui etiam illos ſalvat, de quibus dici non poteſt, quòd ſalvari velint, nolit aliquos ſalvare, etiamſi ſalvari velint, niſi aliqua cauſa exiſtant; de quibus, quamvis nobis ſint incognoſcibiles, ita tamen bene iudicat, de quo dici non poteſt, aliter eum quidpiam facere debuiſſe, quàm fecerit?* Ubi manifeſtum eſt, ipſum loqui de voluntate conſequente, quâ Deus abſolutè vult aliquos ſalvare, & aliquos damnare. *Remotâ*, inquit, *hâc diſcretione* &c.

33. Præter voluntatem antecedentem circa ſalutem omnium hominum, habet Deus ſpecialem voluntatem conſequentem circa electos.

Idem Sanctus ad cap. Gall. Sent. 8. ſic ſcribit: *Qui dicit, quòd non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei; qui & omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire.* Omnes, inquam, nemine excepto, etiam reprobos; ſiquidem illico attexit: *Et voluntatis ſuæ propoſitum*, quod erat generale ſalvandi omnes, *in eis implet, quos præſcitos prædeſtinavit, prædeſtinatos vocavit, vocatos iuſtificavit, iuſtificatos glorificavit.* Id eſt, præter voluntatem antecedentem circa ſalutem omnium hominum, quam Deus habuit ante lapſum primorum hominum, & poſt lapſum permanet, ſpecialem habet voluntatem, id eſt, voluntatem conſequentem, circa electos, ut claris verbis docet lib. 2. de Vocat Gét. c. 31.

Elaboratum, inquit, *eſt, quantùm Dominus adiuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentia quidem pari & bonitate generali, ſed multi modo opere, diverſaque menſurâ. Quoniam ſive occultè, ſive manifeſtè, ipſe eſt* (*ut Apoſtolus ait*) Salvator omnium hominum, maximè fidelium. *Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controverſiam dirimit. Dicendo enim:* Qui eſt Salvator omnium hominum; *confirmavit, bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem. Adiiciendo autem*, Maximè fidelium, *oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpirata ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur.* Itaque de mente S. Proſperi non eſt relictus dubitandi locus.

34. Quæris quid ſentiat D. Auguſtinus? Lege librum ejus, qui intitulatur *Enchiridion ad Laurentium*, & cap. 103. ſcriptum invenies: *Ac per hoc cùm audimus, & in ſacris Litteris legimus, quòd velit omnes homines ſalvos fieri; quamvis certum ſit nobis, non omnes homines ſalvos fieri, nòn tamen ideo debemus omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere quod ſcriptum eſt:* Qui vult omnes homines ſalvos fieri: *tamquam diceretur, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri ipſe voluerit: non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit, ſed quòd nullus fiat* (ſalvus) *niſi quem velit, & ideo ſit rogandus ut velit, quia neceſſe eſt fieri ſi voluerit. De orando quippe Deo agebat Apoſtolus ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id, quod in Evangelio ſcriptum eſt:* Qui illuminat omnem hominem; *non quia nullus eſt hominum, qui non illuminatur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur.* Ecce prima expoſitio.

35. Sequitur altera: *Aut certè ſic dictum eſt:* Qui omnes homines vult ſalvos fieri, *non quòd nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuiſſe Pœnitentiam ſi feciſſet: ſed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quaſcumque differentias diſtributum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardicordes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adoleſcentes, iuvenes, ſeniores, ſenes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietate innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus.*

36. Hæc eſt ſecunda expoſitio, quam ibidem confirmat ex Scriptura Luc. 11. *Iſto*, inquit, *locutionis modo & Dominus eſt uſus in Evangelio, ubi ait Phariſæis:* Decimatis mentham & rutam & omne olus. *Neque enim Phariſæi, & quæcumque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic omne olus,*

Luc. 11. v. 42.

olus, omne olerum genus, ita & illic omnes homines, omne hominum genus intelligere poſſumus. Diſtribuendo ſcilicet ly *Omnes* univerſaliter incompletè pro generibus ſingulorum; non autem completè pro ſingulis generum. Sicut dicitur: *Omne animal fuit in arca Noë*; quia ex omnibus ſpeciebus animalium, aliquod animal fuit in arca Noë.

Hujus expoſitionis rurſus meminit S. Doctor lib. de Corrept. & Grat. c. 14. ibi: *Et quod ſcriptum eſt, quòd* vult omnes homines ſalvos fieri, *nec tamen omnes ſalvi fiunt, multis quidem modis intelligi poteſt, ex quibus in aliis opuſculis noſtris aliquos commemoravimus: ſed hic unum dicam, ita dictum eſt:* Omnes homines vult ſalvos fieri, *ut intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis eſt, ſicut dictum eſt Phariſæis* De-

1, cimatis omne olus, *ubi non eſt intelligendum, niſi omne quod habebant: neque enim omne olus, quod erat in toto terrarum orbe, decimabant.*

poſt. 10. Addit ſecundam confirmationem: *Secundùm*, inquit, *iſtum locutionis modum, dictum eſt:* Sicut & ego omnibus per omnia placeo: *Numquid enim qui hoc dicit, placebat etiam tam multis perſecutoribus ſuis? Sed placebat omni generi hominum, quod Chriſti congregabat Eccleſia, ſive iam intus poſitis, ſive introducendis in eam.*

1. ex. con. ut ex 6. Similiter primam expoſitionem confirmare poſſumus ex alio loco Scripturæ, puta Joan. 6. v. 45. ubi Chriſtus ait: *Eſt ſcriptum in Prophetis*: *Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quæ verba expendens Divus Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 8. inquit: *Secundùm quemdam modum omnes Pater docet venire ad ſuum filium. Non enim fruſtra ſcriptum eſt in Prophetis*, Et erunt omnes docibiles Dei. *Quod teſtimonium cùm præmiſiſſet, tunc ſubdidit* (Chriſtus) Omnis qui audivit à Patre & didicit venit ad me. *Sicut ergo integrè loquimur cùm de aliquo litterarum Magiſtro, qui in civitate ſolus eſt, dicimus: Omnes iſte hic litteras docet; non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit quicumque ibi litteras diſcit: ita rectè dicimus; omnes Deus docet venire ad Chriſtum: non quia omnes veniunt, ſed quia nemo aliter venit.*

Ergo conſimiliter rectè dicimus: *Omnes Deus vult ſalvos fieri*; non quia omnes ſalvi fiunt, ſed quia nemo aliter ſalvus fit; diſtribuendo videlicet ly *Omnes* accommodatè, eo modo quo diſtribuimus ly *Omnia*, quando dicimus: *Cælum tegit omnia*, ſcilicet quæ tegit; Deus *vult omnes homines ſalvos fieri*, ſcilicet qui ſalvi fiunt, ita quòd Apoſtolus non voluerit ſignificare aliquam Dei voluntatem circa ſalutem omnium omnino hominum, ſed ſolùm commendare divinæ gratiæ neceſſitatem, ut intelligamus neminem, niſi Deo volente gratuitò miſereri, ad ſalutem pervenire.

38. Omitto tertiam expoſitionem, quam invenio lib. de Corrept. & Grat. c. 15 ibi: *Poteſt etiam ſic intelligi, quòd* omnes homines Deus vult ſalvos fieri, *quoniam nos facit velle, ſicut* Tertia expoſitio miſit Spiritum filii ſui clamantem Abba Pater, Gal 4. v. 6. *id eſt, nos clamare facientem. De ipſo quippe Spiritu, alio loco dicit*, Accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Rom. 8. v. 15. *Nos ergo clamamus, ſed ille clamare dictus eſt, qui efficit ut clamemus, Si ergo* clamantem Spiritum *rectè dixit Scriptura, à quo efficitur ut clamemus; rectè etiam & volentem Deum, à quo efficitur ut velimus.* Ita quòd voluntas illa, quâ ſingulorum ſalus optatur, non in Deo, ſed in nobis reperiatur.

39. Concluditur, expoſitiones D. Aug. ſine omni errore poſſe ſuſtineri.

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, ſine omni errore illam Scripturam generalem: *Omnes homines vult ſalvos fieri*, intelligi poſſe de voluntate conſequenti, quâ Deus vult abſolutè omnes homines ſalvos fieri. Ipſe enim Auguſtinus eſt, cujus doctrinam Romana ſequitur & ſervat Eccleſia. Ipſe eſt, quem numquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, *quem*, inquit Cæleſtinus Papa in Epiſtola pro Proſpero & Hilario cap. 2. *tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam à meis ſemper Prædeceſſoribus, haberetur.*

Noli ergo dicere cum aliquibus, expoſitiones illas parùm conſentaneas eſſe ſanctis litteris, & ita non admittendas: nam doctrina Auguſtini (inquit Felix de voluntate Dei cap. 5. diff. 2. n. 8.) in illis libris eſt tantæ auctoritatis, ut ſit approbata à ſummis Pontificibus, ita ut ſine temeritate ejus ſententia refutari non poſſit, ut ſacris litteris contraria.

40. Eadem verba Scripturæ diverſas patiuntur interpretationes,

Herculè ſcire cupio, quæ ſint iſtæ litteræ, quibus contrariantur hæ explicationes ſeu expoſitiones Divi Auguſtini? Sanè non aliæ eſſe poſſunt, quàm quæ ſignificant generalem voluntatem Dei omnes ſalvandi, & neminem damnandi. Sed cùm duplex ſit voluntas Dei, alia antecedens, alia conſequens, quidni de utraque pro occurrentia diverſarum circumſtantiarum, nunc de una, nunc de alia poſſint explicari? Nonne eadem verba diverſas patiuntur interpretationes? Nihil clarius eſt in tota Scriptura.

Audi quid dicat Trident. ſeſſ. 21. c. 1. de illis verbis Chriſti Joan. 6. v. 54 *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. Sed neque ex ſermone illo apud Ioann. 6. rectè colligitur utriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, utcumque iuxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur.* ut patet in illis verbis Ioan 6 Niſi manducaveritis &c. Trident.

Si ille ſermo Chriſti varias patitur interpretationes, & ab his intelligitur de manducatione per fidem, ab aliis de reali manducatione corporis Chriſti; quidni etiam illa Apoſtoli verba: *Vult omnes homines ſalvos fieri*, intelligi commodè poſſint de utraque voluntate

tate Dei, antecedente nimirum, & conſequente? Nonne qui intelligit voluntatem conſequentem cum D Auguſtino, ideo negat antecedentem? Aut qui intelligit antecedentem, ideo negat conſequentem? Minimè, ut jam oſtendo.

41. D. Aug. ex damnatione parvulorũ, morientium ſine Baptiſmo, probat illos non pertinere ad dictum Apoſt. *Vult omnes homines* &c. lib. 4 contra Jul. *Rom. 5 v. 18.*

D. Auguſtinus ex damnatione parvulorum, morientium ſine Baptiſmo, probat illos non pertinere ad illud dictum generale: *Vult omnes homines ſalvos fieri*, lib. 4. contra Julianum c. 8. ibi: *Cur ergo non ſic accipimus quod dictum eſt:* Qui omnes vult homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: *quomodo & illud accipimus, quod idem dixit Apoſtolus:* Per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ? *Hos enim* omnes vult Deus ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, *in quos omnes per unius juſtificationem gratia pervenit ad juſtificationem vitæ, ne dicatur nobis:* Si Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, *ſed ideo non veniunt, quia ipſi nolunt, cur tot millia parvulorum, qui non percepto Baptiſmate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi certa eſt* agnitio veritatis? *Numquid aut homines non ſunt, ut non pertineant ad id quod dictum eſt*, omnes homines? *Aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult, ſed ipſi nolunt, qui nondum velle ſeu nolle iſta noverunt?*

Et poſt pauca: *Sic ergo debet intelligi quod dictum eſt:* Omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, *quemadmodum intelligitur quod dictum eſt:* Per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ. *Quod Apoſtolicum teſtimonium, ſi eo modo intelligendum putas, ut dicas* omnes *poſitos eſſe pro multis, qui juſtificantur in Chriſto; multi quippe alij non vivificantur in Chriſto, reſpondebitur tibi, ſic etiam illic ubi dictum eſt*, Omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: omnes *poſitos eſſe pro multis, quos ad iſtam gratiam vult venire.*

42. Simili modo argumentatur Epiſt. 107.

Simili modo argumentatur Sanctus Doctor Epiſt 107. ibi: *Quomodo dicitur omnes homines eam* (gratiam divinam) *fuiſſe accepturos, ſi non illi, quibus non donatur, eam ſuâ voluntate reſpuerent; quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, cùm multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus, feſtinantibuſq; parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cùm repentè antequam detur expirat, pro quo ut acciperet currebatur? Vnde manifeſtum eſt, eos qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino, quâ locutione ſit dictum*, quòd omnes homines vult Deus ſalvos fieri, *cùm tam multi ſalvi non fiant non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis: ſed ſicut illud, quod dictum eſt:* Omnes in Chriſto vivificabuntur, *cum tam multi æternâ morte puniantur, ideo dictum eſt; quia omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiunt niſi in Chriſto: ita quod dictum eſt*, Omnes homines vult Deus ſalvos fieri, *cum tam multos nolit ſalvos fieri, ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt.*

Et verò hanc explicationem Divi Auguſtini ſequitur Sanctus Proſper Epiſt. ad Rufinum cap. 13. quod ſic incipit: *Et ubi eſt illud, quod nobis quaſi contrarium, à non intelligentibus ſemper opponitur:* quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? *Numquid non ſunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus uſque in hoc tempus ſine Dei cognitione perierunt? Et ſi maioribus natu (quod non rectè dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiſerant, obfuerunt; quaſi boni non mali gratiâ liberentur: non ſalvatos parvulos, & non ſalvatos parvulos quæ meritorum potuit eſſe diſcretio?*

Et infrà: *Confiteamur*, inquit, *neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari, & omnipotentiſſimam Domini bonitatem omnes ſalvare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere, qui vult omnes fieri ſalvos, & ad agnitionem veritatis venire. Niſi enim ipſo vocante, docente, ſalvante nemo venit, nemo eruditur, nemo ſalvatur.*

Nonne hìc S. Proſper ſatìs manifeſtè excludit parvulos, qui moriuntur non percepto Baptiſmate, ab illo generali dicto: *Vult omnes homines ſalvos fieri?* Cur iſtud, niſi quia hic intelligit cum Divo Auguſtino voluntatem conſequentem?

Et tamen non minùs apertè lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 23. oſtendit eos ſub omnibus hominibus, quos Deus vult ſalvos fieri, comprehendi; ſic quippe ibi lego: *Et cùm quæritur: Quomodo omnes homines ſalvos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces? Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper eſt impenſa univerſis nationibus: quâ utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuvarentur. Omnia namque exordia parvulorum, totaq; illa principia necdum rationalis infantiæ ſub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis, niſi per alios conſuli poteſt, & conſequens eſt illos ad eorum pertinere conſortium; quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. ...... Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam, parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exeritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifeſtatur electio. Quæ quidem nec illis, qui renati non ſunt in parentibus, defuit, ſed*

Digitized by Google

ſed ijs qui renati ſunt pra parentibus affuit : ita ut multis ſæpè, quos ſuorum impietas deſeruit, alienorum cura ſervierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat providenda per proximos.

Profectò alio modo poſſe intelligi dictum Apoſtoli, quàm de voluntate conſequente circa prædeſtinatos, ſatis inſinuat ipſe Auguſtinus ſuprà Enchi. c. 103. continuò attexens verbis commemoratis : *Et quocumque alio modo intelligi poteſt* (dictum Apoſtoli) *dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe* (abſolutè) *fieri, factumq; non eſſe, qui ſine ullis ambiguitatibus ſi in cælo & in terra, ſicut & Veritas cantat :* Omnia quæcumque voluit fecit, *profectò facere noluit, quodcumque non fecit.*

Sed numquid voluntas antecedens, de qua illud dictum intelligit Damaſcenus, & alii poſt ipſum, cogit nos credere, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe? Nequaquam. Omnes enim fatentur, & Catholicè fateri debent, Deum quæcumque voluit feciſſe eo modo quo voluit, abſolutè, ſi abſolutè voluit; conditionatè, ſi ſolùm voluit conditionatè.

Putas, quia non poſſim prudenter cogitare, Deum voluiſſe omnes Angelos ſalvos facere? Si enim nullo modo voluit aliquos ſalvare, ut quid dedit omnibus auxilia ſufficientiſſima ad ſalutem conſequendam? Num ideo omnes ſalvati? Num ideo voluntas Dei victa à voluntate Angelorum? *Quantalibet ſint voluntates vel Angelorum, vel hominum,* inquit Auguſtinus Enchi. c. 102. *vel bonorum, vel malorum, vel illud, quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas Dei ſemper invicta eſt :* quoniam voluntas ſalvandi omnes Angelos non fuit abſoluta, ſed conditionata tantùm, ſi bene uterentur mediis ſufficientiſſimis ad illum finem à Deo ordinatis & collatis.

Pari ergo ratione, tametſi non omnes homines ſalventur, quos Deus voluit ſalvos fieri, nihilominus omnipotentis voluntas Dei invicta eſt; quia non voluit abſolutè eos ſalvos fieri (immo abſolutè noluit) ſed tantùm ſub conditione, ſi bene uterentur mediis ſufficientibus ad ſalutem conſequendam à Deo ordinatis, & ſingulis oblatis.

Appoſitè Divus Auguſtinus lib. de Spirit. & lit. cap. 33. *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel malè utentes, iuſtiſſimè iudicentur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Evangelio non credunt : nec ideo tamen eam vincunt; verùm ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, malisq; pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt; vinceretur autem, ſi non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo poſſent evadere, quod de talibus ille conſtituit.*

Qui enim dicit, volo quòd hi omnes ſervi mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes, epulentur, ita ut quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat : videtur quidem quicumque contempſerit, contra voluntatem Domini ſui facere, ſed tunc eum vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate ...... Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate eius, qui contempſerit ad credendum miſericordiam eius. Probatur à ſimili.

Et ibidem cap. 34. ſic inquit : *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio; vel vocatio, cui credat; profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Conſentire vel diſſentire vocationi Dei propriæ voluntatis eſt.

48. Utrùm voluntas quâ credimus ſit donum Dei.

Pro intellectu hujus loci ſatis difficilis; nota, quæſtionem fuiſſe Auguſtinum inter & Pelagium, Utrùm voluntas illa, quâ credimus, etiam ipſa donum Dei ſit, an ex illo naturaliter inſito libero adhibeatur arbitrio. *Si enim dixerimus* (inquit Auguſtinus cap. 33. citato) *eam non eſſe donum Dei, metuendum eſt, ne exiſtimemus inveniſſe nos aliquid, quod Apoſtolo increpanti & dicenti :* Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem & accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? *Reſpondere poſſimus; ecce habemus voluntatem credendi, quam non accepimus : ecce ubi gloriamur quod non accepimus. Si autem dixerimus, etiam huiuſmodi voluntatem non eſſe niſi donum Dei, rurſus metuendum eſt, ne infideles atque impii non immeritò ſe veluti iuſtè excuſare videantur, ideo non crediidiſſe, quòd dare illis Deus iſtam noluit voluntatem.* Hoc notato, 1. Cor. 4. v. 7.

49. Reſponſio Adverſariorum ad D. Aug.

Reſpondent Adverſarii, Auguſtinum in verbis præallegatis n. 47. non ſuam, ſed aliorum ſolutionem afferre, examini deinde ſubjiciendam; eſſe hanc ipſiſſimam Pelagianorum, & ipſius Auguſtini quondam errantis, & poſtea Maſſilienſium ſententiam, ipſummet Auguſtinum vocare illam diſputationem, non autem ſolutionem cùm dicit cap. 34. *Hæc diſputatio, ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat.* Vocare dubitationem cùm dicit : *Si ſufficiat*, non aſſertionem, *quòd ſufficiat.* Refellere ſtatim eamdem ſolutionem cùm ſubjicit : *Si autem reſpondetur, cavendum eſſe ne quiſquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, ſi in eo quod dicitur*, quid habes quod non accepiſti? *propterea etiam voluntas, quâ credimus, dono Dei tribuitur, quia de libero exiſtit arbitrio, quod cùm crearemur accepimus.* Et illico ſuam, veramque ſolutionem afferre cùm attexit : *Attendat & videat, non ideo tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt,*

verùm etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus &c.

Quæ ſanè (inquiunt) manifeſtiſſimè oſtendunt, Auguſtinum in loco illo non tradere doctrinam ſuam, ſed adverſariam, non docere, ſed diſputare, non aſſerere, ſed refellere; adeoque mirabili hallucinatione Recentiores objectionem pro ſolutione, Pelagianam reſponſionem pro Auguſtini doctrina, errorem pro veritate accepiſſe.

50. Rejicitur. Sed ne illi mirabiliter hallucinentur, qui Recentiores mirabiliter hallucinari exiſtimant. Fatentur Recentiores, Auguſtinum dum incipit reſpondere quæſtioni propoſitæ, eo modo loqui, qui ſimilior eſt referenti aliorum ſententiam, quàm proponenti ſuam, cùm dicit: *Priùs igitur illud dicamus, & videamus, utrùm huic ſatisfaciat quæſtioni, quod liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt. Et ideo nec iſtam voluntatem, quâ credit Deo, dici poteſt homo habere, quam non acceperit: quandoquidem vocante Deo ſurgit de libero arbitrio, quod naturaliter cùm crearetur accepit.* Sed quid tum?

Quare aliquis diſcurſus vocetur diſputatio. Siquidem hic eſt mos eorum, qui problemata ſolvunt, qui etſi referant ſuam ſententiam, tamen videntur in initio approbationem ſuſpendere, quaſi tentando quid dici poſſit, & ideo hujuſmodi diſcurſus vocatur diſputatio. Interim non eſt completa diſputatio alicujus quæſtionis, quæ reſponſione & ſolutione caret.

Non eſt completa diſputatio, quæ caret ſolutione. Hinc illa verba S. Doctoris in principio c. 34. *Hæc diſputatio ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat.* q. d. quiſquis ſibi ſatisfactum putaverit per illam diſputationem & ſolutionem, in ea quieſcat. Putas autem quia Auguſtinus voluit animum quieſcere in doctrina Pelagii, quam ibi acriter impugnabat? Non eſt veriſimile.

51. Occurritur objectioni. Nec obſtat, quod illico ſubjungat: *Si autem reſpondetur* &c. illa enim eſt objectio Adverſariorum contra illud, quod præcedente capite docuerat Auguſtinus, procedens ex malo intellectu verborum; quippe non dixerat Auguſtinus, propterea voluntatem, quâ credimus, dono Dei tribuendam, quia de libero exiſtit arbitrio, quod cùm crearetur accepimus; ſed, quia *vocante Deo ſurgit de libero arbitrio.*

Et quoniam ly *Vocante Deo*, intelligi poterat, & à Pelagianis intelligebatur, de externa & naturali vocatione, cùm tamen ſecundùm fidem Catholicam intelligendum eſſet de vocatione interna & ſupernaturali; hinc ſeipſum clariùs volens explicare S. Doctor c. 34. ſic reſpondet iſti objectioni.

Voluntas credendi à Deo, & quomodo. *Attendat & videat, non ideo tantùm iſtam voluntatem* (credendi) *divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verùm etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat: ſive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credat, neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat, profectò & ipſum velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.*

Si diſſentire gratiæ interiori propriæ voluntatis eſt: ergo poteſt homo diſſentire, ſi velit, ut definitum eſt in Concilio Trid. ſeſſ. 6. can. 4. hiſce verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet; nec poſſe diſſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere; anathema ſit.*

Reſpondent Adverſarii primò, Concilium nihil aliud velle, quàm diſſenſum eſſe actum voluntatis. Sed quis hoc ignorat, aut quis umquam hoc negavit, ut propterea id Concilium debuerit definire?

Reſpondent ſecundò, *Si velit*, intelligendum eſſe, poſtquam jam liberum arbitrium gratiæ cooperatum eſt.

Sed contrà: ſi poſt poteſt diſſentire, cur non etiam antea; nam vel manet gratia illa actualis poſt primum aſſenſum, vel non; ſi manet, eſt eadem ratio; ſi non manet, ſed ſolùm eſt gratia habitualis, non eſt ad propoſitum: quippe Concilium hìc non definit hominem poſſe diſſentire ſive abjicere gratiam habitualem, ſi velit; hoc enim definit can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit ampliùs peccare non poſſe, neque gratiam amittere* &c. *anathema ſit*, ſed poſſe diſſentire gratiæ actuali.

Quòd ſi intelligas, poſſe diſſentire, ſi gratia actualis non maneat, nullus hoc umquam negavit; cùm tamen illa definitio Concilii facta ſit contra Calvinum, & alios hæreticos, qui volebant, ſtante gratiâ actuali nos neceſſariò operari; qui, inquam, negabant indifferentiam proximam ad non obſequendum divinæ gratiæ.

Quippe Calvinus in Antidoto ad can. 5. ſeſſ. 6. Conc. Trid. contendit definitionem Concilii non eſſe veram, ſi per liberum arbitrium intelligatur eligendi facultas, quæ ſit in utramque partem ſoluta & libera. Nam ſi quis liberum arbitrium vocare velit facultatem illam, quâ quis voluntate agit, non coactione; jam dixerat in Inſtit. l. 2. c. 2. §. 7.

ſe illi

ſe illi non repugnaturum; & ideo contra Pighium ſic loquitur: *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium eſſe & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro hæretico habeo quiſquis ſecùs ſentiat.*

Neque ſolùm agere de voluntate ſine gratiæ adjutorio, ſed etiam cum illo, patet ex Antidoto ad can. 4. ſeſſ. 6. ubi pag. 702. edit. Genu. anno 1552. ſic loquitur: *Porrò ne longius hìc immoremur, dico, apertè pugnare, quod hìc pronuntiant Trid. PP. cum illa Chriſti ſententia:* Quiſquis audivit à Patre meo &c. *conſtituunt autem hoc in hominis optione, ut Dei inſpirationi, ſi velit, auſcultet, hæc nullo modo conciliari poſſunt.* Hæc ille; cùm tamen paulò ante dixiſſet *non cogi homines invitos Dei gratiâ, ſed voluntarios regi, ut ſponte pareant, & ſequantur.*

Reſpondent; Calvinum errare in hoc, quòd nolit hominem gratiæ pediſſequâ voluntate conſentire.

Sed contrà; ſic loquitur Calvinus: *Sed erunt fortè qui concedent, voluntatem ſuapte ingenio averſam, ſolâ Domini virtute converti, ſic tamen ut præparata, ſuas deinde in agendo partes habeat: quemadmodum docet D. Auguſt. omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante non ducente, pediſſequâ non praviâ voluntate. Quod non malè à S. Viro dictum, præpoſterè huc detorquet Petrus Lombardus* &c.

Ergo admittit in aliquo ſenſu dictum D. Auguſtini, & hunc ſenſum explicat infrà his verbis: *Quatenus à gratia prævenitur, in eo ut pediſſequam appelles tibi permitto.*

Quòd etiam non neget cooperationem voluntatis, patet ex aliis ejus verbis: *Quod autem*, inquit, *alibi dicit Auguſtinus, non tolli gratiâ voluntatem, ſed ex mala mutari in bonam, & cùm bona fuerit adjuvari; ſignificat tantùm, hominem non ita trahi, ut ſine motu cordis quaſi extraneo impulſu feratur, ſed intùs ſic affici, ut ex corde obſequatur.*

Hoc ergo ſolo ſenſu negavit Calvinus, virtutes & vitia, bene & malè agere, eſſe in noſtra poteſtate; id eſt, in libera noſtra electione, quaſi noſtri juris ſit primam ſive prævenientem gratiam Dei, vel reſpuendo irritam facere, vel obedienter ſequendo confirmare. *Quotus quæſo quiſque eſt* (inquit 2. Inſtit. c. 2. §. 7.) *qui dum aſſignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit illum eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in utramvis partem à ſeipſo poſſit?* Quod ibi Calvinus negat verum eſſe.

7. Alioquin ſe agnoſcere actiones ſpontaneas, ibidem §. 5. declarat his verbis: *Obtinuit in ſcholis diſtinctio, quæ triplicem libertatem numerat: à neceſſitate primam, ſecundam à peccato, tertiam à miſeria; quarum prima ſic homini naturaliter inhæreat, ut nequeat ullo modo eripi, duæ alteræ per peccatum ſint amiſſæ. Hanc diſtinctionem ego libenter recipio, niſi quòd illic neceſſitas cum coactione perperàm confunditur: inter quas quantùm ſit diſcriminis, & quàm neceſſariò conſiderandum, alibi apparebit.*

Et ſubdit §. 7. *Liberi ergo arbitrii hoc modò dicetur homo, non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem, ſed quia malè voluntate agit, non coactione. Optimè id quidem: ſed quorſum attingebat rem tantulam adeò ſuperbo titulo* (liberi arbitrii) *inſignire?*

Porrò §. 8. ſic concludit: *Itaque ſi quis vocis hujus* (liberum arbitrium) *uſum non pravâ intelligentiâ ſibi permittat, per me quidem non vexabitur ob eam rem: ſed quia ſine ingenti periculo non poſſe retineri cenſeo, magno contra Eccleſiæ bono futurum ſi aboleatur: neque ipſe uſurpare velim, & alios ſi me conſulant, abſtinere optarim.*

Hæc Calvinus; qui tamen exiſtimat doctrinam ſuam à Concilio Trid. condemnatam; ut proinde illud, *Poſſe diſſentire, ſi velit*, nequeat intelligi de potentia remota, ſeu voluntate ſine gratia, ſed debeat intelligi de indifferentia proxima, ita quòd ſicut voluntas habitâ gratiâ actuali eſt proximè potens conſentire, ita etiam ſit proximè potens diſſentire. Concluſio, quòd Trid. intelligendum ſit de potentia proxima.

Verùm obſtare videtur, quod ſubjungitur 58. iſtis verbis in can. 4. *Sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; paſſivè ſe habere.* Per quæ apparet Concilium velle indicare, quid ſit *poſſe diſſentire, ſi velit*, puta aliquid agere, neque merè paſſivè ſe habere. Objectio ex ipſis verbis Trident.

Veluti can. 6. ubi Concilium docet, Deum ſolùm permiſſivè concurrere ad opera mala, explicant hoc cõmuniter DD. non quòd Deus nullo modo poſitivè concurrat ad opus malum (nam communis ſententia docet, Deum poſitivè concurrere ad materiale peccati, juxta illud D. Anſelmi lib. de concord. præſcientiæ &c. c. 7. *Facit Deus omnia quæ juſtâ vel injuſtâ voluntate ſunt, id eſt, bona opera & mala. In bonis quidem facit, & quòd ſunt, & quòd bona ſunt; in malis verò facit quòd ſunt, ſed non quòd mala ſunt.* Unde Scotus 1. diſt. 41. n. 13. *Scit* (Deus) *hunc* (hominem) *peccaturum, non ſolùm quòd ſcit ſe permiſſurum, ſed etiam quia ſcit ſe cooperaturum huic ad ſubſtantiam actûs non circumſtantionati*) ſed quòd non ita concurrat, ſicut ad opus bonum; idque quia ſubjungitur in canone: *Sed etiam propriè & per ſe, adeò, ut ſit proprium ejus opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.* D. Anſelmus. Scotus.

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quòd hæretici docuerint, Deum æquè concurrere ad 59. actum malum atque bonum, ut colligitur ex Concilio Arauſicano II. cap. 25. ibi: *Aliquos verò ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus:* at verò DD. Catholici communiter docent & docuerunt, Deum concurrere poſitivè ad materiale peccati, ut proinde dici nequeat Concilium voluiſſe commu- Reſponſio.

 nem

nem illam ſententiam damnare. Jam autem, ut oſtendimus ex Calvino, numquam hic negavit cooperationem voluntatis, ſed ſolam liberam cooperationem, ſeu indifferentiam.

60. Concluditur vel Calvinum idem docuiſſe quod S. Aug.

Vel ergo Calvinus idem docuit, quod Auguſtinus, à quo Adverſarii non abhorrent, quando dicunt, non omnia, quæ hæretici docuerunt, eſſe hæretica, neque propter Calvinum Auguſtinum debere luere. *An ideo* (inquiunt) *negandum eſt, quod apertiſſimum ac certiſſimum eſt, Auguſtinum videlicet, & diſcipulos ac poſteros ejus ſanctos Patres ita conciliaſſe gratiam cum libero arbitrio, ut gratia non cogat violenter voluntatem, ſed ſuaviter ei velle tribuat; atque ita non nihil inſtar lapidis agat, ſed aliquid etiam proprio motu cooperetur, nec alius de ipſo homine, ſed ipſe homo velit; an hoc, inquam, ideo negandum eſt Auguſtinum ſenſiſſe, ac docuiſſe, quia Calvinus etiam in immunitate coactionis libertatem videtur voluiſſe collocare?*

Vel S. Aug. loco citato de Spir. & lit. non tradere ſententiam Pelagianorum, ſed propriã & veram.

Vel certè dicendum eſt, Auguſtinum loco citato de Spir. & lit. c. 33. non tradere ſententiam Pelagianorum, vel Maſſilienſium, ſed propriam & veram, quam ſemper tenuit & docuit; nimirum voluntatem credendi eſſe donum Dei, non ideo tantùm, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verùm etiam quod de libero arbitrio ſurgit vocante Deo, id eſt, Deo agente viſorum ſuaſionibus; ut proinde nec iſtam voluntatem dici poſſit homo habere, quam non acceperit.

61. Error Maſſilienſium, fidem eſſe ex nobis.

Contrarium docebant Maſſilienſes, ut patet ex Epiſtola Hilarii ad Auguſtinum ibi: *Nec de hac fide poſſe dici*, Quid habes quod non accepiſti? *cùm in eadem natura remanſerit, licèt vitiata, quæ priùs ſana ac perfecta donata ſit.* Ubi, ut vides, fidem tribuunt ſolis viribus naturæ.

S. Hilarius.

S. Aug.

Immo ipſe D. Auguſtinus ita proponit eorum ſententiam lib. de Prædeſt. SS. c. 2. *Sed nunc*, inquit, *eis reſpondendum eſſe video, qui divina teſtimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus, ex nobis quidem nos habere ipſam fidem, ſed incrementum ejus ex Deo; tamquam fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tantùm augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis.*

62. quem refellit D. Aug. loco citato de Spir. & lit.

Illam itaque ſententiam loco citato refellit D. Auguſtinus, confitens gratiam & miſericordiam divinam etiam ad primam fidem. *Ille*, inquit, *reus erit ad damnationem ſub poteſtate ejus, qui contempſerit ad credendam miſericordiam ejus. Quiſquis autem crediderit ei, qui ſe à peccatis omnibus abſolvendum, & ab omnibus vitiis ſanandum, & calore ac lumine ejus accendendum illuminandumq́; non contempſerit, habebit ex ejus gratia opera bona, ex quibus etiam ſecundùm corpus à mortis corruptione redimatur, coronetur, boniſque ſatietur non temporalibus, ſed æternis ſuprà quàm petimus & intelligimus. Hunc ordinem tenuit Pſalmus ubi dicitur: Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus* &c. Pſal. 102. v. 2. & ſequentibus.

Et poſt pauca: *Recole mecum eadem ipſa paululùm obſecro te, & inſpice delectabiliter laudem miſericordiæ, hoc eſt gratiæ Dei.* Benedic, inquit, anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Non ait, tributiones, ſed* retributiones ejus, *quia tribuit bona pro malis.*

In fine autem capitis ſic reſumit: *Ita nec arbitrium liberum tollimus, & benedicit anima noſtra Dominum, non obliviſcens omnes retributiones ejus. Nec ignorans Dei juſtitiam, ſuam vult conſtituere, ſed credit in eum qui juſtificat impium, & vivit ex fide* &c.

Et ſtatim in principio ſequentis capitis: *Hæc*, inquit, *diſputatio, ſi quæſtioni illi ſolvendæ ſufficit, ſufficiat. Si autem reſpondetur* &c. Quæ proinde verba non poſſunt eſſe refutatio eorum, quæ antè dicta ſunt, niſi velimus, Auguſtinum refutare delectabilem illam miſericordiæ & gratiæ Dei laudem, & concordiam liberi arbitrii cum gratia.

Quid ergo? Ut ſuperiùs dixi, hoc cap. 34. magìs explicat, quæ docuerat cap. 33. tum propter ambiguitatem illius particulæ, *vocante Deo*, quam oſtendit ſe intellexiſſe de vocatione interna & ſupernaturali: tum propter obſcuritatem illius vocis, *liberum arbitrium*; cùm enim triplex ſit libertas, prima à neceſſitate, ſecunda à peccato, tertia à miſeria, ne relinqueret ullam occaſionem dubitandi, de qua libertate intelligi deberet, quod dixerat cap. 33. voluntatem Dei, quâ vult omnes homines ſalvos fieri, non auferre liberum arbitrium, quo vel bene vel malè utuntur homines, cap. 34. utitur hâc forma verborum: *Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Ac ſi diceret: voluntas excitata à Deo per internam gratiam, poteſt ei conſentire, vel ab ea diſſentire, ſi velit; adeoque eſt libera à neceſſitate, ſive eſt indifferens ad utrumque.

Si enim voluiſſet tantùm ſignificare, conſentire & diſſentire eſſe officia voluntatis, præterquam quòd nemo hoc unquam negaverit, ut propterea non debuerit S. Doctor toties illud inculcare; ut, inquam, hoc omittam, tunc potiùs ſic debuiſſet dicere: *Conſentire & diſſentire propriæ voluntatis eſt*, ſicut dicitur *Affirmare & negare proprium eſt intellectûs.* Igitur per ly *Vel*, voluit ſignificare, voluntatem expeditam in utramque partem, & nullâ conſtrictam neceſſitate.

Alioquin ſicut incongruè loqueretur, qui diceret: *Deus videt ſeipſum clarè, ſed amare, vel non amare, propriæ voluntatis eſt*; ita etiam qui diceret: *In omnibus miſericordia ejus prævenit nos, ſed conſentire, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt*, ſuppoſito, quòd ſicut viſio Dei determinat voluntatem Dei ad ſe amandum, ita etiam gratia determinet voluntatem ad aſſentiendum;

Digitized by Google

dum ; non enim relinquitur locus particulæ disjunctivæ , ubi eſt determinatio neceſſitans ad unam partem.

Nec dici poteſt , ſufficere ad libertatem à neceſſitate, quòd voluntas aliquando reſiſtat ſeu diſſentiat vocationi Dei internæ, ſed inſufficienti ad eliciendum perfectum conſenſum ; nam agit D. Auguſtinus de gratia efficaci , ſive de tali vocatione , quâ agit Deus ut velimus , & ut credamus. Certum autem eſt quòd talis vocatio ſit ſufficientiſſima ad eliciendum perfectum conſenſum , imò quà talis infallibiliter habet hujuſmodi conſenſum adjunctum.

Et ſanè neſcio , quid aliqui intelligant, quando id dicunt. Quomodo enim ei reſiſtitur, ſi totum operatur quod poteſt operari? Reſiſtere enim eſt impedire , quò minùs aliquid fiat , quod aliàs fieret. Si autem illa gratia non poſſit habere alium effectum ; quàm habuit , quomodo impeditur in ſua operatione? Certè non magìs , quàm impeditur gratia efficax : cùm utraque , ut ſupponitur, habeat totum ſuum effectum , ad quem à Deo ordinata fuit.

Nonne alteri reſiſtit, qui tam diù illi cedit , quamdiu ab illo impellitur? Numquid alterius ſuaſioni diſſentit , qui imperfectum conſenſum , qui ſolùm exigebatur , continuò exhibet? Putas quia in vacuum gratiam Dei recipit, qui per gratiam efficit , quod Deus volebat? Et tamen reſiſtitur gratiæ divinæ, & in vacuum à multis recipitur. *Vocavi & renuiſtis* (inquit Deus Proverb. 1. v. 24.) *extendi manum meam , & non fuit qui aſpiceret* &c. Iſa. 5. v. 4. *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ , & non feci? An quod expectavi ut faceret uvas , & fecit labruſcas?* Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis* &c. 2. ad Cor. 6. v. 1. *Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Quæ ſanè exprobationes ſeu exhortationes manifeſtè ſupponunt vocationem internam ſufficientem ad annuendum; irrigationem ſufficientem ad proferendas uvas operum ſalutis; auxilium ſufficiens ad Spiritui ſancto non reſiſtendum: fieri poſſe ut vera gratia à Chriſto danda , alioquin ſufficiens ad perfectum conſenſum , in vacuum recipiatur; adeoque ſtare penes hominem , quòd renuat , quòd labruſcas proferat , quòd gratiæ reſiſtat , eamque faciat in vacuum recipi , id eſt , infructuosè & ſine effectu, quem aliàs poſſet habere, ſi homo vellet.

Decertant , inquit Auguſtinus Serm. 17. de Verbis Apoſtoli c. 4 *in te duæ delectationes.* Sed quis exitus in peccatore? *Habet concupiſcentiam, cum qua pugnet , eamq; adiuvante Deo ſuperet , ſi non in vacuum gratiam eius ſuſceperit , ſi reprobatus eſſe noluerit* , ait idem S. Doctor lib. 1. de peccat. merit. c. 39. Nam cùm hæc gratia impiorum animos pulſat, *cor eorum* (utor verbis Auguſtini initio præfat. in Pſalm. 124.) *congelaſcit adversùs Deum , & fit durum adversùs imbrem gratiæ ipſius , ne fructum ferat.*

Experientia teſtis eſt. Audi D. Auguſtinum de ſe loquentem lib. 6. confeſſ. c. 11. *Alternabant* , inquit , *hi venti , & impellebant huc atque illuc cor meum , tranſibant tempora , & tardabam converti ad Dominum Deum , & differebam de die in diem vivere in te , & non differebam quotidie in memetipſo mori.* Et l. 8. c. 5. *Intelligebam meo ipſo experimento id quod legeram , quomodo caro concupiſcit adversùs ſpiritum , & ſpiritus adversùs carnem* &c. *Cogitationes quibus meditabar in te , ſimiles erant conatibus expergiſci volentium , qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur.* 68. Experientia teſtis eſt. S. Aug.

Ideoque Seraphicus ille Patriarcha Franciſcus Tom. 3. Opuſc. Apophtegmate 19. confitetur , quod ſi *Deus maximo peccatori illam gratiam feciſſet quam ſibi , is multò meliùs eâ uſus fuiſſet , ſanctiorq; evaſiſſet.* S. Franciſcus.

Ut proinde ſcitè dixerit B. Laurentius Juſtinianus initio lib. de Spirit. animæ Reſurrect: *Quamvis ad inſinuandum hominem poſſe Deo reſiſtere , multis divinorum eloquiorum valeat auctoritatibus comprobari , id tamen unuſquiſque ſufficienter experitur in ſe. Quis , oro , tantâ ſanctitate eſt præditus , ut ſæpiſſimè aſpirationi non renitatur internæ , aut torpore victus , aut propriâ affectione ſeductus? O quantis clamoribus introrſus , quantiſve exhortationibus ſacris excitatur peccator , antequam de morte , ſeu ſomno delictorum evigilet!* B. Laur. Juſtinianus.

Quapropter , ſalvo meliori judicio , fatendum omnino eſt , quòd homo poſſit diſſentire illi gratiæ , quâ Deus agit ut velimus , & ut credamus , quamvis actu illi quà tali numquam diſſentiat. Quin imò implicat , ſuppoſito quòd ſit gratia operans ſive adjuvans , voluntatem in ſenſu compoſito illi diſſentire , ſic enim operaretur , & non operaretur , diſſenſus componi deberet cum aſſenſu , quod eſt impoſſibile, ut patet. 69. Homo poteſt diſſentire gratiæ efficaci etſi illi quà tali numquam diſſentiat.

Hinc D. Anſelmus lib. de Concord. c. 1. *Si eſt aliquid futurum ſine neceſſitate , hoc ipſum præſcit Deus , quod autem præſcit , neceſſitate futurum eſt ſicut præſcitur , neceſſe eſt ergo aliquid futurum ſine neceſſitate.* Neque *debes dicere , Præſcit me Deus peccaturum , vel non peccaturum* (ſeu bene acturum) *& ita ſequitur , quia ſive peccaveris , ſive non peccaveris* (ſive aſſenſum præbueris gratiæ divinæ, ſive diſſenſum) *utrumque ſine neceſſitate erit.* Et tamen quodammodo neceſſitate; *ſed quæ deſcendit de libera voluntate ; poteſt namque non velle , antequam velit , & cùm vult , non poteſt non velle , ſed eum velle neceſſe eſt , quoniam impoſſibile illi eſt idipſum ſimul velle , & non velle.* D. Anſelmus.

An autem , ut voluntas liberè conſentiat huic gratiæ , debeat eadem , vel alia voluntas , eidem gratiæ in ſua eſſentia , aliquando actu diſſentire , puto quòd non ; ſed videtur ſufficere , quòd eadem , vel alia voluntas gra- 70. Ut voluntas liberè conſentiat huic gratiæ , non eſt neceſſe ut e-

tiæ

dem, vel alia voluntas, eidem gratiæ aliquando diſſentiat.

tiæ ſufficienti, quam vocant, ſive ſit eadem, ſive diverſa in eſſentia à gratia efficaci, aliquando diſſentiat (in quo diſcedimus à Calvino ſuprà, qui non videtur agnoviſſe ullam gratiam merè ſufficientem, ſed conſtanter aſſeruiſſe, omnem gratiam neceſſitare) nam actio libera eſt, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, ita elicitur à voluntate, ut poſſit non elici. Jam autem gratia efficax quà talis, non ita eſt quid prærequiſitum, quàm requiſitum, ſive concomitans actionem voluntatis, adeoque non tollit potentiam, etiam proximam, ad actionem oppoſitam in ſenſu diviſo, magìs quàm ipſa determinatio ſeu actio voluntatis.

Quæ ſit actio libera.

Accedit, quòd actio libera dicitur, quæ ita egreditur à potentia, ut poſſit non egredi; non verò quæ ita egreditur, ut aliquando oppoſita actio egrediatur: ſiquidem voluntas, quâ Deus voluit abſolutè talem hominem ſalvare, libera eſt, quamvis potentia ad oppoſitum numquam exeat in actum.

71. Objectio ſolvitur.

Si dixeris; exit in actum reſpectu alterius hominis. Reſpondeo, etiam potentia mea exit in actum reſpectu alterius gratiæ.

Inſtantia.

Si inſtes; nemo rectè loquitur: *Voluntas poteſt amare bonum quà tale, vel illud odiſſe*; quia voluntas bonum quà bonum, ſecundùm communem ſententiam, numquam odit: ergo ſimiliter ſi voluntas numquam diſſentit eidem gratiæ, cui jam aſſentit, non rectè dicitur: *Voluntas poteſt vocationi Dei internæ conſentire, vel ab ea diſſentire.*

Reſponſio.

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quòd ſecundùm illam ſententiam voluntas non ſolùm non odit bonum quà tale, ſed neque odiſſe poteſt, quia extra objectum adæquatum odii; actus autem malus, ſive diſſenſus non eſt extra objectum voluntatis, quamvis hìc & nunc cum gratia efficaci numquam voluntas illum eliciat; antecedenter enim ad illam ſæpè elicit, & conſequenter poteſt elicere, quamvis illa potentia, ſtante illâ gratiâ quà tali, numquam exeat in actum.

72. Alia inſtantia.

Urges: ergo fruſtra addidit Concilium Trident. can. 4. illam particulam, *Si velit*, cùm ad illam potentiam non ſit neceſſarius aliquis actus.

Solvitur.

Reſpondeo; illam particulam non fuiſſe neceſſariam, ut patet ex cap. 5. ubi non additur, ſed ſimpliciter dicitur: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt.* Addidit autem, *Si velit*, in canone correſpondente illi capiti, ut magìs ſignificaret indifferentiam ad utrumque, & quia requiritur actus ut diſſentiat gratiæ ſufficienti tantùm.

73. Hominem aliquando diſſentire

Aliquando autem hominem diſſentire gratiæ ſufficienti, non poſſum dubitare; præſertim cùm Innoc. X. Bullâ: *Cùm ex occaſione*, & Alex. VII. Bullâ: *Ad ſacram B. Petri Sedem:* hanc propoſitionem: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*, hæreticam declaraverint, & ut talem damnaverint. *Deus miſericors*, inquit S. Auguſtinus lib. de Catec. rud. c. 26. *volens homines liberare, ſi ſibiipſis non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum filium ſuum ..... ut quemadmodum per unum hominem, qui primus factus eſt, id eſt, Adam, mors intravit in genus humanum ..... ſic per unum hominem, qui etiam Deus eſt Dei filius, Jeſum Chriſtum, deletis omnibus peccatis præteritis, credentes in eum omnes in vitam æternam ingrederentur.*

Hinc S. Ambroſius in Pſalm. 118. v. 64. *Si quis non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris radios ſe excludat, non ideo ſol non ortus eſt omnibus, quia calore eius ſe ipſe fraudavit. Sed quod ſolis eſt, prærogativam ſuam ſervat: quod imprudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit.*

Citatur etiam inſigne teſtimonium D. Anſelmi in cap. 6. Matth. ad illa verba: *Fiat voluntas tua* (verè an falsò, relinquo aliis examinandum, nam illud invenire non potui in libro, quo ego utor) ſic autem ſonat: *Duæ ſunt voluntates in Deo: una miſericordiæ, quæ non eſt cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qui omnes homines vult ſalvos fieri, quod tamen in libera voluntate eorum poſitum eſt. Eſt & alia, quæ eſt in effectibus rerum, de qua dicitur:* Omnia quæcumque voluit fecit. *Huic nemo poteſt reſiſtere, de qua dicitur:* Voluntati ejus quis reſiſtet? *Hæc providentiæ concordat ſemper; alia verò non ſemper: ſi enim velit per miſericordiam de aliquo pravo, quod ſit iuſtus, & conferat ei gratiam ſuam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei conſentiat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ, quia quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen ſcit non conſenſurum &c. Itaque homines reſiſtunt voluntati miſericordiæ, & non reſiſtunt voluntati iuſtitiæ.* Mox: *In terra multi contradicunt voluntati Dei, illi ſcilicet, quæ eſt ex miſericordia. Cùm enim vellet pravos etiam ſalvare, ſi vellent, tamen ipſi contradicunt operibus huic voluntati.*

Clariſſimè S. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 26 *Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corq; ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur ipſorum eſt nequitia, quòd autem à*

multis

Digitized by Google

multis ſuſcipitur, & gratia eſt divina (ſcilicet efficacis) *& voluntatis humana.*

Quod aliis verbis dixerat cap. 25. in fine: *Deo*, inquit, *placuit, & hanc* (gratiam ſpecialem ſive efficacem) *multis tribuere, & illam* (gratiam generalem ſeu ſufficientem) *à nemine ſubmovere, ut ex utraque appareat non negatum univerſitati, quod collatum eſt portioni; ſed in aliis prævaluiſſe gratiam, in aliis reſiluiſſe naturam.*

Quid dicam de S. Auguſtino, qui diverſis locis docet, quòd duo quædam ſint Velle & Poſſe? Sic enim inquit de Spirit. & lit. cap. 31. *Cùm duo quædam ſint Velle & Poſſe; unde nec qui vult, continuò poteſt, nec qui poteſt, continuò vult. Quia ſicut volumus aliquando quod non poſſumus, ſic etiam poſſumus aliquando quod nolumus.*

Et lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 17. ita ſcriptum reperies: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt* (id eſt, non facit) *iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam, poterit autem* (id eſt, faciet) *cùm magnam habuerit & robuſtam.* Ne autem dubitares, à quo ſit illa voluntas abſque ſubſequente opere, poſt pauca adjungit: *Et quis iſtam* (bonam voluntatem) *etſi parvam dare cœperat, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens ..... Vt ergo velimus ſine nobis operatur* (ecce gratia præveniens) *cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum operatur* (en gratia adjuvans) *tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Idem docet in eodem lib. c. 15 ſub hac forma verborum: *Semper in nobis eſt voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona ..... Gratia verò Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas quæ iam eſſe cœpit, augeatur: & tam magna fiat, ut poſſit implere* (id eſt, impleat) *divina mandata quæ voluerit, cùm valde perfecteq́;* (id eſt, efficaciter) *voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt:* Si volueris conſervabis mandata, *ut homo qui voluerit, & non potuerit* (id eſt, non conſervaverit) *nondum ſe plenè* (id eſt, efficaciter) *velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata* (id eſt, voluntatem efficacem) *Sic quippe adiuvatur ut faciat, quod iubetur; tunc enim utile eſt velle cùm poſſumus* (id eſt, cùm implemus mandata) *& tunc utile eſt poſſe* (implere mandata ſi volumus) *cùm volumus: nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus* (id eſt, ſi quod non facimus) *volumus, ut ſi quod poſſumus* (id eſt faceremus ſi vellemus) *nolumus?*

77. Ergo ſecundùm D. Auguſtinum datur aliquibus talis gratia Dei, per quam fit ut ſint bonæ voluntatis, ut poſſint adimplere mandata divina, ſi velint, tametſi de facto non impleant, & illam vocamus gratiam ſufficientem; efficacem verò dicimus, per quam non ſolùm datur poſſibilitas proxima ad implendum mandata, ſed ipſe etiam actus ſive actualis adimpletio mandatorum.

Profectò *non eſt conſequens* (inquit Auguſtinus de Grat. Chriſti l. 1. c. 14. in fine) *ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit, ubi iam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.*

Et verò illud *poſſe venire*, quod fatetur Eccleſia Catholica, à quo putas datur hominibus niſi à Deo? Audi S. Auguſtinum lib. 1 de Grat. Chriſti c. 25. *Non ſolùm Deus poſſe noſtrum donavit atque adiuvat, ſed etiam velle & operari operatur in nobis.*

Dices: etiam Pelagius admiſit illud *poſſe*, teſte Auguſt. ſuprà c. 14. ibi: *Venire poſſe in natura ponit Pelagius, vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia, qualemlibet eam ſentiat, quâ ipſa, ut dicit, poſſibilitas adiuvatur.* 78.

Reſpondeo, ſi Pelagius admiſit veram internam gratiam poſſibilitatis (quod non, ut patet ex illis verbis: *Qualemlibet eam ſentiat*) minimè propterea damnatum fuiſſe ab Eccleſia Catholica; ſed quia præter illam noluit admittere gratiam efficacem, quâ Deus operatur in nobis velle & operari; dicebat enim, ut ſuprà refert Auguſtinus: *Venire autem iam in voluntate & opere eſt*, id eſt, poſitâ gratiâ poſſibilitatis, adimplere divina mandata jam in ſolis viribus voluntatis eſt.

Hinc quando Hilarius in Epiſt. ad Auguſtinum inter errores Maſſilienſium refert, quòd intelligerent illa verba Apoſtoli: *Omnes homines vult ſalvos fieri*, de omnibus omnino hominibus, & non de ſolis prædeſtinatis, ibi: *Indè eſt quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum reiiciendorumq́; eſſe definitum numerum velint: atque illius ſententiæ expoſitionem non eam, quæ à te eſt deprompta, ſuſcipiunt; id eſt, ut non niſi omnes homines ſalvos fieri velit, & non eos tantùm qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, ſed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quòd quidam eo invito perire dicantur: ſed quomodo, aiunt, non vult à quoquam peccari, vel deſeri iuſtitiam, & tamen iugiter illa deſeritur contra eius voluntatem, committunturq́; peccata, ita eum ſalvari velle omnes homines, nec tamen omnes homines ſalvari.* 79.

Hæc, inquam, ita intelligenda ſunt, ut non ideo præcisè erraverint Maſſilienſes, quòd dixerint, Deum velle omnes omnino homines ſalvos fieri, & non tantùm definitum numerum prædeſtinatorum, niſi & ipſum Proſperum velis inter Maſſilienſes numerare, qui idipſum docuit, ut conſtat ex ejus apertiſſimis verbis ſuprà relatis ex ſententia 8. ad cap Gallorum; ſed quia negaverint certum numerum prædeſtinatorum,

 in qui-

in quibus Deus per ſpecialia auxilia gratiæ, id eſt, per gratiam efficacem implet ſuæ voluntatis propoſitum.

80. *Quam gratiam negaverunt Pelagius & Maſſilienſes.* Hanc gratiam negavit ſemper Pelagius, negarunt Maſſilienſes; de hac gratia loquitur D. Auguſtinus lib. de Spir. & lit. cap. 34. (ut revertamur ad primum locum, occaſione cujus diffuſiùs diſputavimus de gratia Dei) quando in fine dicit: *Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet: cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat;* O altitudo divitiarum! *&c.* Numquid iniquitas apud Deum? *cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptores.* Cùm enim Deus, ſi vellet, poſſet ita ſuadere omnibus, ut perſuaderet, etiam ſalvâ uniuſcujuſque libertate, non perperàm Apoſtolus, & cum illo Auguſtinus, erupit in has admirantis voces: *O altitudo* &c.

Rom. 11. v. 3. Rom. 9. v. 14.

81. *Pelagiani & Maſſilienſes adſcribunt divinæ bonitati indifferentiam gratiarum erga omnes homines, etiam ipſos parvulos. S. Proſper.* Et quidem ſi feciſſent idipſum Pelagiani, & Maſſilienſes, non tam turpiter ab Eccleſia Catholica defeciſſent, præſumptores effecti, & non doctiores, adſcribentes divinæ bonitati indifferentiam gratiarum erga omnes homines, etiam ipſos parvulos; diſcretionem autem prædeſtinatorum, & reproborum, ſolis viribus voluntatis humanæ, adeò ut cum Pelagianis, teſte Proſpero in Epiſt ad Auguſtinum, objiceretur innumerabilis multitudo parvulorum, *ex quibus alij per regenerationem inter cæleſtis regni aſſumantur hæredes, alij ſine Baptiſmo inter mortis perpetuæ tranſeant debitores*, auſi fuerint dicere; *tales perdi, taleſq́, ſalvari, quales futuros illos in annis maioribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia divina prævidetit.*

S. Auguſt. Auguſtinus ipſe Epiſt. 105. ſic exponit illam opinionem Pelagianorum: *Deus, inquiunt, in eis* (parvulis) *quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus eſſet quiſque, ſi viveret, & ideo quem nequiter novit fuiſſe victurum, ſine Baptiſmo facit & mori; ſic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, ſed quæ facturus fuit.* Mox: *Propterea non baptizantur, quia mali futuri erant, ſi viverent.*

82. *In quo falluntur, teſte S. Fulgentio.* Hinc S. Fulgentius lib. de Incarnat. & Grat. c. 29. cui titulus eſt: *Quod falluntur qui exiſtimant divinam voluntatem æqualiter ſe habere erga ſalvandos & damnandos. Illud*, inquit, *Apoſtolicum ubi dicitur de Deo:* Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: *non ſicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem, ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant.*

Ab hoc errore longè abſunt Recentiores, qui admittunt gra- Catholica profectò doctrina, à qua Recentiores, qui admittunt gratiam internam ſufficientem, ne ad latum unguem ullo tempore receſſerunt; nam in vaſis miſericordiæ agnoſcunt gratiam efficacem, quæ infallibiliter operatur eorum ſalutem, ſive agnoſcunt voluntatem conſequentem, quâ Deus abſolutè omnibus conſideratis vult ipſos ſalvos fieri; in vaſis autem iræ voluntatem tantùm antecedentem, quâ quantùm eſt in ſe, & conditionatè ſolùm vult ipſos ſalvos fieri, & ideo dat ipſis gratiam ſufficientem, quam tamen prævidet ex diverſis cauſis non habituram ſuum effectum, quem alioquin poſſet habere, ſi reliqua concurrerent.

Cur autem noluerit aliquibus dare talem gratiam, quæ non ſolùm ſuaderet, ſed etiam perſuaderet, ipſe novit cujus ſunt inſcrutabilia judicia. *Cur iſtum potiùs*, inquit D. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 8. *quam illum diſcernat,* inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: *Melius enim & hic audimus aut dicimus:* O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo; *quam dicere audeamus quaſi noverimus, quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid iniuſtum velle non potuit.*

Verumtamen *remanentibus Angelis* (utor verbis ejuſdem Sancti Doctoris Enchi. 94 & 95.) *& hominibus reprobis in æterna pœna, tunc Sancti ſcient plenius quid boni contulerit eis gratia.... Tunc non latebit, quod nunc latet, cùm de duobus parvulis unus eſſet aſſumendus per Dei miſericordiam, & alius per iudicium relinquendus .... cur ille potiùs quàm iſte fuerit aſſumptus, cùm cauſa una eſſet ambobus. Cur apud quoſdam non facta ſint virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent illi homines Pœnitentiam & facta ſint apud eos, qui non fuerant credituri ...... Nec utique Deus iniuſtè noluit ſalvos fieri cùm poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent*, vel, ut alii legunt, *ſi vellet.*

Utrumque enim verum eſt; nam ſi Deus vellet omnibus dare gratiam efficacem, omnes ſalvi fierent. Neque ideo injuſtè aliquibus eam negat, cùm poſſet omnibus ſine injuſtitia negare, teſte Auguſtino lib. de Bono perſev. c. 8. *Non ſimus*, inquit, *ingrati, quòd ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione; ut ſi indè neminem liberaret, non eſſet iniuſtus: ex uno quippe omnes in condemnationem non iniuſtam iudicati ſunt ire, ſed iuſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoſcat.*

Verum quoque eſt: *Poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent,* id eſt, ſi cooperarentur gratiæ divinæ, quam de facto habent, vel cooperati fuiſſent illi gratiæ, quam aliquando in ſe, vel in alio habuerunt; ſed quia illam rejiciunt ſeu abjiciunt, vel aliquando abjecerunt, ideo juſtè Deus non vult eos ſalvos fieri.

Nam ut ſcitè dixit S. Ambroſius lib. de Parad. c. 8. *Nec in eo læſus eſt vel Adam, quia mandatum accepit, vel Iudas, quia electus eſt. Non enim neceßitatem Deus vel illi prævaricationis, vel*

huic

huic proditionis impoſuit ; quia uterque ſi quod acceperat , cuſtodiſſet , à peccato abſtinere potuiſſet. Ubi, ut vides, eamdem, aut certè ſimilem tribuit poſſibilitatem abſtinendi à peccato Judæ, & Adamo. Quis autem dubitat Adamum potuiſſe abſtinere à peccato, ſi voluiſſet ?

Conſonat D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum c. 28. ibi : *Vtrùm ſit aliqua rationalis creatura, quam nihil poſſit illicitum delectare, magna quæſtio eſt. Quòd ſi eſt, non in eo genere factus eſt homo : nec illa natura Angelica, quæ in veritate non ſtetit ; ſed in eo genere iſta rationalia facta ſunt, ut ineſſet eis poſſibilitas frenandi delectationem ab illicito, quam non frenando peccaverunt. Magna eſt itaq. & humana creatura, quandoquidem per eam poſſibilitatem inſtauratur, per quam, ſi voluiſſet, nec cecidiſſet.*

Accedat, quod legitur lib. de Corrept. & Grat. c. 7. *Si enim, ſicut Veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Ieſu Chriſti ; & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt, qui poterunt dicere, non ſe audiviſſe Euangelium Chriſti, cùm fides ex auditu ſit, quantò minus ſe liberabunt, qui dicturi ſunt, perſeverantiam non accepimus. Iuſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm dicentium, non accepimus perſeverantiam, quoniam poteſt dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles : nullo modo autem dici poteſt, id quod non audieras crederes, ſi velles. Ac per hoc, & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt ; & qui Euangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt (quoniam ipſe dixit:* Nemo venit ad me, niſi ei datum fuerit à Patre meò *) & qui per ætatem parvulam nec credere potuerùnt, ſed ab originali noxa ſolo poſſent lavacro regenerationis abſolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt ; non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.*

Poteſt ergo dici ſecundùm Auguſtinum : *Homo in eo quod audieràs & tenueras, in eo perſeverares ſi velles*, & per conſequens ſalvus fieres, ſi velles.

Planè, reponit aliquis ; ſed numquid etiam ſalvus fieret, ſi vellet, qui Euangelium non audivit ? *Nullo modo* (inquit Auguſt.) *dici poteſt, id quod non audieras, crederes, ſi velles :* ergo nullo modo dici poteſt, ſalvus fieres, ſi velles ; cùm ſine fide impoſſibile ſit ſalvari. Ergo cùm Auguſtinus ſuprà Enchi. c. 95. loquatur etiam de iis, qui Euangelium non audierunt, minùs rectè diceret, *cùm poſſent ſalvi eſſe ſi vellent.*

Reſpondeo verbis Sancti Auguſtini ex tract. 53. in Joannem : *Qui ergo ignorans Dei iuſtitiam, quâ iuſtificatur impius, ſuam vult conſtituere, quâ convincatur ſuperbus, in hunc non poteſt credere ; hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt, ſed quamdiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Hinc excæcantur, & indurantur, quia negando divinum adiutorium, non adiuvantur. Hoc de Iudæis, qui excæcati & indurati ſunt, Deus præſcivit, atque in eius ſpiritu Propheta prædixit.*

Quamdiu, inquam, talia ſapiunt, non poſſunt credere. Quamdiu non audiunt, nullo modo dici poteſt, crederent, ſi vellent ; ſed quoniam audirent, ſi vellent, id eſt, ſi non reſiſterent, vel aliquando reſtitiſſent gratiæ divinæ, hinc aliquo modo dici poteſt, crederent, ſi vellent, & per conſequens poſſent ſalvi eſſe, ſi vellent. Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores.

Sed numquid ex his bene infertur : ergo 87.
voluntas hominis lapſi ſeipſam diſcernit à maſſa perditionis, & non prædeſtinatio gratiæ ? Profectò contrarium innumeris pene locis tradit Divus Auguſtinus, fideliſſimus gratiæ Aſſertor. Unum ſubſcribo ex lib. de Bono perſev. cap. 14. *Hæc*, inquit, *prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia* (id eſt, ſcientia viſionis) *& præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Cæteri autem ubi, niſi in maſſa perditionis, iuſto Dei iudicio relinquuntur ? Vbi Tyrij relicti ſunt, & Sidonij, qui etiam credere potuerunt* (id eſt, credidiſſent) *ſi mira illa ſigna Chriſti vidiſſent. Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant, & tamen ſi Dei altiore iudicio à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ poſſent credere* (id eſt, crederent) *ſi audirent utique talia, vel viderent.*

Voluntas hominis lapſi non diſcernit ſeipſam à maſſa perditionis, ſed prædeſtinatio gratiæ *S. Auguſt.* Quid ſit prædeſtinatio.

Tyrii & Sidonii in maſſa perditionis relicti.

In eadem perditionis maſſa relicti ſunt etiam Iudæi, qui non potuerùnt (id eſt, noluerunt) *credere factis in conſpectu ſuo tam magnis clariſq; virtutibus. Cur enim non poterant* (id eſt, nolebant) *credere, non tacuit Euangelium dicens :* Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non crediderunt in eum, ut ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur quem dixit : Domine quis credidit auditui noſtro & brachium Domini cui revelatum eſt ? Et ideo non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias : Excæcavit oculos eorum & induravit cor illorum, ut non videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur, & ſanem illos. 88.

Uti etiam Judæi.

Ioan. 12. v. 37 & ſeq.

Iſa. 53. v. 1.

Iſa. 6. v. 10.

Non erant ergo ſic excacati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam crediddiſſent, ſi qualia viderunt iſti ſigna vidiſſent, ſed nec illis profuit, quòd poterant credere (id eſt, crediddiſſent) *quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inveſtigabiles viæ ; nec iſtis obfuiſſet, quòd non poterant credere* (id eſt, nolebant credere) *ſi ita prædeſtinati eſſent, ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum*

Cor Tyriorum & Sidoniorum non erat ſicut Judæorum excæcatum & induratum.

vellet

vellet auferre. Ecce non in voluntatem hominis, ſed in voluntatem Dei, & gratiæ beneficium S. Doctor refundit diſcretionem à maſſa perditionis.

89. Objectio ex D. Aug. Sed dicet aliquis; quomodo hæc doctrina non contrariatur illi, quam habet lib. 12. de Civit. cap. 6. ibi: *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, quâ viſâ unus eorum ad illicitè fruendum moveatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala, quam illa res fecit in qua* (aliàs in quo) *facta eſt? Neque enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus, quandoquidem amborum non diſpariliter occurrit aſpectibus. An caro intuentis in cauſa eſt? Cur non & illius? An verò animus? Cur non utriuſque? Ambos enim & animo, & corpore æqualiter affectos fuiſſe prædiximus. An dicendum eſt, alterum eorum occultâ maligni ſpiritûs ſuggeſtione tentatum, quaſi non eidem ſuggeſtioni, & qualicumque ſuaſioni propriâ voluntate conſenſerit? Hanc igitur conſenſionem, hanc malam, quam malè ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit quærimus. Nam ut hoc quoque impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eâdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque conſentiat, alter idem qui fuerat perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere?*

Supponit igitur Auguſtinus, potuiſſe cadere illum, qui ſtetit, ſed noluiſſe; & ſtare potuiſſe eum, qui cecidit, ſed cadere maluiſſe. Ergo diſcretio à maſſa perditionis per propriam voluntatem, & non per gratiæ prædeſtinationem, cùm uterque ſupponatur habuiſſe æqualem gratiam, id eſt, ambos æqualiter fuiſſe affectos animo, & corpore.

90. Reſponſio. Reſpondeo neg. Conſeq. Nam, prætérquam quòd Auguſtinus minimè aſſerat de facto poſt peccatum ſic fieri, ſed ſolùm, ſi id fieret: *Si aliqui duo*, inquit, *æqualiter affecti animo & corpore* &c. hoc, inquam, prætermiſſo, quod tamen ſufficere poſſet ad ſolutionem argumenti, dico ampliùs, æqualem affectionem animi & corporis intelligi poſſe de affectione ex parte actûs primi, ſive ex parte gratiæ ſufficientis ſeu gratiæ poſſibilitatis; non autem debere intelligi ex parte gratiæ in actu ſecundo, ſive ex parte gratiæ determinantis ad liberam electionem.

Quæris autem à me, quomodo ergo nihil appareat, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Reſpondeo citiùs, quia efficacia ſive determinatio illa gratiæ non apparet, niſi ex volitione; non quòd aliud non ſit, ſed quòd Deus, quid illud ſit, voluerit nos latere. *Si tibi* (Petiliane Donatiſta) *proponam quæſtionem* (inquit Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum cap. 84.) *quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines, quos* S. Aug.

in libero dimiſit arbitrio, fortaſſe eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit ſi dimittit ut quis, quod voluerit, eligat. Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.

Interim ad pleniorem diſcuſſionem illorum verborum ex lib. 12. de Civit. cap. 6. adverto, Auguſtinum ibi inquirere: Quæ cauſa ſit beatitudinis Angelorum bonorum, & quæ cauſa ſit miſeriæ Angelorum malorum; cumque in principio cap. reſpondiſſet: *Proinde cauſa beatitudinis Angelorum bonorum ea veriſſimè reperitur, quòd ei adhærent, qui ſummè eſt. Cùm verò cauſa miſeriæ malorum Angelorum quæritur, ea meritò occurrit, quòd ab illo, qui ſummè eſt, averſi, ad ſeipſos converſi ſunt, qui non ſummè ſunt*; poſtmodum inveſtigat, quæ fuerit cauſa efficiens iſtius malæ voluntatis dicens: *Hujus porrò malæ voluntatis cauſa efficiens ſi quæratur, nihil invenitur.* 91.

Hinc poſt verba ſuperiùs relata in objectione, paucis interjectis, ſubjungit: *Propriam igitur in uno eorum voluntatem malam, quæ res fecerit ſcire volentibus, ſi bene intueantur, nihil occurrit. Si enim dixerimus, quòd ipſe eam fecerit, quid erat ipſe ante voluntatem malam, niſi natura bona, cujus auctor Deus, qui eſt incommutabile bonum? Qui ergo dicit eum qui conſenſit* &c.

Sequenti autem cap. ſic incipit dicere: *Nemo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis, non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio; deficere namque ab eo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam.* 92.

Simile eſt principium capitis noni: *Cùm ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, vel, ſi dici poteſt, eſſentialis nulla ſit cauſa; ab ipſa quippe incipit ſpirituum mutabilium malum, quo minuitur atque depravatur naturæ bonum* &c.

Poſtquam autem ſufficienter inveſtigavit cauſam malæ voluntatis Angelorum, qui in veritate non ſteterunt, tandem hoc cap. 9. diſputat de cauſa bonæ voluntatis Angelorum, qui in veritate ſteterunt; nam titulus capitis eſt: *An ſancti Angeli, quem habent Creatorem naturæ, eumdem habeant bonæ voluntatis auctorem, per Spiritum ſanctum in eis charitate diffusâ.* De qua quæſtione ſic diſcurrit. 93.

Nam & hoc diſcutiendum eſt, ſi boni Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam, utrùm aliquâ eam, an nullâ voluntate fecerunt. Si nullâ, utique nec fecerunt. Si aliquâ, utrùm malâ, an bonâ. Si malâ, quomodo potuit eſſe mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bonâ, iam ergo habebant. Et iſtam quis fecerat niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis & condens naturam & largiens gratiam? Unde ſine bona voluntate, id eſt, Dei amore, numquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt.

Digitized by Google

eſt. Iſti autem qui cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt: malâ propriâ voluntate, quàm bona natura non fecit, niſi cùm à bono ſponte defecit, ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono: aut minorem acceperunt divini amoris gratiam, quàm illi, qui in eadem perſtiterunt, aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibus, illi ampliùs adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt; ſicut iam etiam in libro, quem ſequitur iſte, tractavimus. Confitendum eſt igitur cum debita laude Creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis dici poſſe: quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum qui datus eſt eis.

Ergo S. Doctor bonam voluntatem ſanctorum, tam hominum, quàm Angelorum, non adſcribit ſoli voluntati, ſed magìs Spiritui ſancto, qui datus eſt eis, & per quem charitas Dei diffuſa eſt in eis; quamquam admittat utroſque Angelos bonos æqualiter creatos fuiſſe, utique æqualiter ex parte actûs primi, ſive gratiæ poſſibilitatis.

4\. …ſi …tere. …gelos …ſte- per li. …n arbi- …ſine …ci …g.

Et quamquam admitteremus cum aliquibus, Angelos bonos ſtetiſſe per liberum arbitrium, ſine efficaci adjutorio gratiæ actualis, juxta illud D. Auguſtini lib. de Corrept. & grat. c. 11. ibi: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem* (hoc eſt, volitionem) *in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat & adjutorium* (gratiæ tum habitualis, tum actualis poſſibilitatis) *ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet, ut autem vellet in eius libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet, quia non deerat adiutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa eſt, cuius meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet; ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & huius manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa eſſe manſuros.*

…idem de …minibus …ſtatu na…æ lapſæ admitti …n poſſet,

Ut, inquam, admitteremus (quod non) Angelos bonos ſtetiſſe per liberum arbitrium ſine efficaci adjutorio gratiæ actualis, id certè de hominibus in ſtatu naturæ lapſæ admitti non poteſt.

95\. manifeſtè …nſtat ex Aug.

Eleganter D. Auguſtinus lib. de Corrept. & grat. c. 12. *Nec*, inquit, *de ipſa perſeverantia boni voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolùm dat adiutorium quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis poſſibilitas & voluntas* (id eſt, ipſa perſeverantia) *divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint,* (id eſt, perſeverent) *quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur ut velint: nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adiutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent* (id eſt, non perſeverarent) *quia deficientes infirmitate nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent*, id eſt, ut perſeverarent.

Quare Deus jam det aliud adjutorium perſeverantiæ, quàm primo homini.

Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur. Ita factum eſt ut voluntas hominis invalida & imbecilla, in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & ſana, in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adiutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare (id eſt, non perſeveraret) *ſi vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.*

Divinæ gratiæ potentia in imbecilla hominis voluntate inter tot adverſa gubernanda ac ſuſtentanda.

Quando ergo Auguſtinus lib. 12. de Civit. c. 6. ponit duos, animo & corpore æqualiter affectos, quorum unus velit, alter nolit à caſtitate deficere, vel loquitur de hominibus in ſtatu naturæ integræ, vel intelligi debet de æquali affectione in actu primo; nam certum eſt, Deum per ſpecialem inſtinctum Spiritûs ſancti in altero operari, ut velit; id eſt, certum eſt, voluntatem illam, ſive amorem caſtitatis procedere à gratia efficaci, quæ non conceditur à caſtitate deficienti, ſive jam dixeris gratiam ſufficientem eſſe eamdem eſſentialiter cum gratia efficaci, ſive diſtinctam, parùm curo; nam omnes admittere debent, ſaltem connotato diſtingui; adeoque aliquam inter illas gratias eſſe inæqualitatem, ſive ex parte diſpoſitionis corporis, ſive animi operantis, ſive temporis, aut alterius extrinſecæ circumſtantiæ. 96.

Aug. lib. 12. de Civit. c. 6. vel loquitur de hominibus in ſtatu naturæ integræ vel de æquali affectione tantùm in actu primo.

Quin immo exiſtimo, neque inter Angelos bonos, & malos, fuiſſe omnimodam æqualitatem gratiæ in actu ſecundo, de quo puncto nolo hìc fuſiùs diſputare, unicum tantùm propono argumentum amatoribus veritatis. D. Auguſt. lib. de Nat. & grat. c 18. in fine ait: *Quid ſtultius, quàm orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* Et lib. 2. de Peccat. merit. c. 6. circa finem: *Quis*, inquit, *optat quod in poteſtate ſic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adiumento?* Putas autem, quòd Angelus ſtultè egiſſet, ſi optaſſet ſeu oraſſet Deum ut perſeveraret? 97.

An Angeli boni & mali habuerint omnimodam æqualitatem gratiæ in actu ſecundo.

Noli hoc putare, niſi velis contradicere Gelaſio Pontifici, qui in dictis adversùs Pelagianam hæreſim tom. 2. Conc. apud Binium pag. 257. ita loquitur de primis noſtris 98.

Gelaſius Pontif.

 paren-

Digitized by Google

parentibus, qui eamdem cum Angelis à Deo acceperant potentiam perſeverandi: *Æſtimant quidam in hac vita poſſe quemquam hâc perfectione conſiſtere, ut nullis prorſus fragilitatis humanæ pulſetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris. Quod quiſque ſi propriis viribus, ſuæ propoſito voluntatis exiſtimet adipiſci, ſemetipſum ſeducit, & veritas in eo non eſt. Nam ſi in ipſis primis hominibus, dum ſuâ nimiùm felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nuſquam feciſſe referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent ſimpliciter implorandò, incolumes conſtare nequiverunt: quantò magis poſt prævaricationis ruinam, in quam malâ ſui confidentiâ, Creatorem nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, abſque divino munere ſuis viribus vel ægri ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt?*

Primi parentes ceciderunt, quia Deum non oraverunt pro auxilio.

Et ibidem pag. 259 ſic ſcriptum habes: *Hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tamquam ipſo, qui condiderat, non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec de conſervandis, quæ ſumpſerat poſcit auxilium, nec ad eum pulſata tentatoris acceſſu devota concurrit, & conſulit, ſuaq; ſe credit inter proſpera voluntati, facilè ſine præſidio Creatoris patuit deceptoris inſidiis.*

99. Proinde Eva non ſtultè egiſſet, ſi oraſſet Deum pro gratia efficaci.

Adhuc dubitas an ſtultè egiſſet Eva, ſi pulſata tentatoris acceſſu, popoſciſſet auxilium Dei, & ad eum devota concurriſſet? Et quid opus erat poſcere auxilium & concurrere, ſi ut ſtaret, nullo ampliùs indigebat adjumento, ut volunt Adverſarii, ſed per ſolum liberum arbitrium, cum gratia, quam de facto habebat, poterat ſtare, & ſteriſſet ſi voluiſſet? Numquid ut caderet, neceſſe erat, ut Deus ſubtraheret gratiam poſſibilitatis? Patet quod non.

Pro quo ergo debuiſſet orare, niſi pro gratia efficaci, per quam Deus operaretur non tantùm poſſe, quod vellet liberum arbitrium, ſed etiam velle, quod poſſet? Quæ autem primorum Parentum, eadem eſt ratio Angelorum, juxta beneplacitum Adverſariorum.

100. Stetit Angelus per liberum arbitrium, ſed adjutum gratiâ ſpeciali.

Stetit ergo Angelus bonus per liberum arbitrium, ſed adjutum gratiâ ſpèciali, quam orando, & ad Deum concurrendo acceperat, non credens inter proſpera ſuæ voluntati, ſicut Angelus malus, qui propterea per liberum arbitrium cécidit.

S. Fulgentius.

Profectò cognoſcitur (utor verbis S. Fulgentii lib. 2. ad Traſ. c. 2) *uniformi cunctos* Angelos *opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu pravitatis* (non ait, *liberum arbitrium*, ſed) *virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari depravarivè non poſſet*, id eſt, virtus divina.

Utique *non alia* virtus *ſtantem Angelum*, necdum indignum ac male meritum, *à ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem*, jam indignum ac male meritum, *poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque gratia operata, in hoc ut ſurgeret, in illo ne caderet: in illo ne vulneraretur, in iſto ut ſanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſivit.* Ita Fulgent. ibidem c. 3. Atque hæc ſatìs de gratia Dei pro hoc loco.

Revertor ad dictum Apoſtoli: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quod de omnibus hominibus, nemine excepto, intelligi poſſe, nemini poteſt eſſe dubium, qui credit intelligi poſſe de omnibus omnino hominibus hanc Scripturam, quæ eſt probatio præcedentis: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* 1. Timoth. 2. v. 5. & 6. *Nullum excipiens*, inquit D. Anſelmus (vel quiſquis eſt auctor) in illa verba, *qui vellet redimi ad ſalvandum. In hoc enim patet quantum Deus homines diligat, & eos velit omnes ſalvos fieri, ſi perverſitas eorum non obſtiterit: quia mediator Deus, quem Deus inter ſe & homines poſuit, mortem pro omnibus ſuſtinuit, ut omnes à morte redimeret; & ideo qui non ſalvantur, non eſt quòd de Deo, vel de mediatore poſſint conqueri; ſed de ſeipſis, qui nec redemptionem, quam mediator dedit, nec ſalutem, quam Deus obtulit, voluerunt accipere.* 101

Adeò ut poſſimus dicere de homine reprobo, quod D. Anſelmus lib. de caſu Diaboli c. 4. dicit de Angelo reprobo: *Quamvis bonus Angelus ideo accepit perſeverantiam, quia Deus dedit; non ideo non accepit tamen malus Angelus, quia Deus non dedit; ſed Deus ideo non dedit, quia ille non accepit, & ideo non accepit, quia accipere noluit.*

Hinc illa propoſitio: *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, meritò damnata eſt ab Innocentio X. Bullâ: *Cùm ex occaſione*, & Alexandro VII. Bulla: *Ad ſacram B. Petri Sedem*: ſub his verbis: *Quintam* (propoſitionem) *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe; falſam, temerariam, ſcandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit: impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Vide Lector, an eamdem cenſuram mereatur hæc propoſitio: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum omnes omnino homines velle ſalvos fieri.* 102

Accedat propoſitio quarta, ab eodem Innoc. & Alexan. in eiſdem Bullis damnata hoc tenore verborum: *Quartam* (propoſitionem) *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: falſam & hæreticam*

Digitized by Google

eam declaramus, & ubi talem damnamus. Numquid adhuc aliquis verè dicet; Auguſt. lib.de Spir. & lit. cap. 33. refert ſententiam primò Pelagianorum, & poſtea Maſſilienſium?

Si autem à me quæritur, cur ergo D. Auguſtinus intelligat dictum Apoſtoli: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri* &c. de voluntate conſequente, & conſequenter de ſolis prædeſtinatis?

Reſp. quia ſcribit contra Semipelagianos,
103. qui, ut refert S. Proſper in Epiſt. ad Auguſtinum, contrarium putabant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui, quidquid de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum Auguſtinus diſputaverat. *Multi*, inquit, *ſervorum Chriſti, qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt in Sanctitatis tua* (intelligit D. Auguſt.) *ſcriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputaſti.*

[…]e S. intel[…] dictum […] de ſo[…] […]deſti[…]

104. Cùm enim Semipelagiani paſſim jactarent, Deum non alio modo velle ſalutem electorum, quàm reproborum, S. Auguſt. paſſim inculcat efficacem illam & conſequentem voluntatem, quâ Deus prædeſtinatos certò ad ſalutem promovet. Quo in conflictu, cùm occurreret mentio Apoſtolicæ ſententiæ, quam ad ſuum dogma trahere hæretici conabantur, S. Auguſtinus, & diſcipuli ejus duo ſtatuerunt. Primum eſt, perperàm ex ea colligi, quod hæretici volebant; nimirum, hanc Dei voluntatem, ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam. Secundum: eadem Apoſtoli verba poſſe explicari de voluntate efficaci, quâ divina prædeſtinatio continetur.

[…]e paſ[…] incul[…] […]gratiam […]acem.

Quiſquis (inquiunt Epiſcopi Africani in Sardinia exules in Epiſtola Synodica) *prædeſtinatum Chriſtum, & Sanctos eius negat, Apoſtolicam fidem perverſus oppugnat. Omnes autem prædeſtinati ipſi ſunt, quos vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque ſexu ex omni hominum genere, gradu, ætate, & conditione ſalvantur. Semper quippe voluntas Omnipotentis Dei impletur; quia poteſtas eius nullatenus vincitur, ipſe eſt enim qui omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, & cuius voluntati nemo reſiſtit.*

105. Hinc etiam factum eſt, ut D. Auguſtinus & diſcipuli ejus, efficaciam gratiæ divinæ non attribuant voluntati humanæ, quaſi ideo præcisè una gratia ſit efficax, alia non; quia una voluntas vult, alia non vult: ſed ubique recurrant ad altitudinem & inſcrutabilitatem judiciorum Dei, qui, ut ait D. Auguſt. lib. de Corrept. & grat. c. 14 *Magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.*

[…]are D. [Au]g non [att]ribuat [effi]caciam [gra]tiæ divi[næ] volunta[ti] [h]umanæ.

Aug.

Cùm enim homines (inquit ibidem) *per correptionem in viam iuſtitiæ ſeu veniunt, ſeu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille, qui quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris atque arbuſtulis operante, dat incrementum Deus, cui volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium? Sic enim velle, vel nolle, in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.*

Et continuò adjungit (quod bene notandum eſt) *De his enim qui faciunt, quæ non vult Deus fieri, facit ipſe quæ vult.* Ac ſi diceret: Qui contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus mandata non obſervant, non propterea divinam voluntatem impediunt, aut ſuperant poteſtatem, verùm ſeipſos fraudant magno bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus præcepta contempſerunt.

Cur autem unus mandata obſervet, alius contemnat, audiamus eumdem S. Doctorem lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Si*, inquit, *propterea ſolum dictum eſt*: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia voluntas hominis ſola non ſufficit, ut iuſtè rectèque vivamus, niſi adiuvemur miſericordiâ Dei, poteſt & hoc modo dici*: Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, *quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. At illud manifeſtum eſt, fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem neſcio, quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus; ad eamdem quippe miſericordiam pertinet ut velimus.* Deus enim eſt qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate.

106. Cur unus mandata Dei obſervet, & alius contemnat.

Philip. 2. v. 13.

Nam ſi quæramus, utrùm Dei donum ſit voluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat: At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus, nobis verò tribui non poteſt, quod vocamur. Non igitur ideo dictum eſt putandum: Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, *quia niſi eius adiutorio non poſſumus adipiſci, quod volumus; ſed ideo potiùs, quia niſi eius vocatione non volumus.* Hæc ille.

Et actutum ſubjungit novam quæſtionem, dicens: *Si vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur, quomodo verum erit*: Multi vocati, pauci electi? *Quod ſi verum eſt, & non conſequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut obtemperet in eius eſt poſitum voluntate, rectè etiam dici poteſt*: Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis: *quia miſericordia vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia conſequatur.*

107. Explicatur ex D. Aug. Script. Matth. 20. Multi ſunt vocati &c.

An fortè illi, qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum ſit: Multi vocati, pauci electi: *ut quamvis multi uno modo vocati ſint* (ſcilicet per illuſtrationem intellectûs, & accenſionem voluntatis) *tamen quia non omnes*

Digitized by Google

omnes uno modo affecti ſunt (id eſt , non omnes habent eandem propenſionem , ſeu naturalem, ſeu acquiſitam) *illi ſoli ſequantur vocationem , qui ei capiendæ reperiuntur idonei , & illud non minùs verum ſit* : Igitur non volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei , *qui hoc modo vocavit , quomodo aptum erat eis , qui ſecuti ſunt vocationem ? Ad alios autem vocatio quidem pervenit , ſed quia talis fuit , quâ moveri non poſſent* (id eſt , quâ non moverentur) *nec* (aliàs , ut) *eam capere apti eſſent* (id eſt , caperent) *vocati quidem dici potuerunt , ſed non electi ; & non iam ſimiliter verum eſt* : Igitur non miſerentis Dei , ſed volentis atque currentis eſt hominis , *quoniam non poteſt effectus miſericordiæ eſſe in hominis poteſtate , ut fruſtra ille miſereatur , ſi homo nolit , quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri , poſſet ita vocare , quomodo illis aptum eſſet , ut & moverentur , & intelligerent , & ſequerentur.*

Verum eſt ergo : Multi vocati , pauci verò electi. *Illi enim electi , qui congruenter vocati. Illi autem qui non congruebant , neque contemperabantur vocationi , non electi , quia non ſecuti , quamvis vocati. Item verum eſt* : Non volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei : *quia etiamſi multos* (id eſt , omnes) *vocet , eorum tamen miſeretur , quos ita vocat , quomodo eis vocati aptum eſt , ut ſequantur. Falſum eſt autem ſi quis dicat* : Igitur non miſerentis Dei , ſed volentis , atque currentis eſt hominis , *quia nullius Deus fruſtra miſeretur ; cuius autem miſeretur , ſic eum vocat , quomodo ſit ei congruere , ut vocantem non reſpuat.* Hactenus Auguſtinus.

108. D. Aug. loquitur de congruitate interioris gratiæ.

Porrò quòd loquatur de congruitate interioris gratiæ , patet manifeſtè ex c. 1. lib. 2. Retract. ubi agens de hac quæſtione , ſic inquit : *In cuius quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ , ſed vicit Dei gratia , nec niſi ad illud perveniri potuit , ut liquidiſſimâ veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus , Quis enim te diſcernit ? Quid autem habes quod non accepiſti ? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis ?* (1. Cor. 4. v. 7.) Ergo egit in illa quæſtione de gratia diſcretiva , quæ eſt vocatio & gratia interna ; quoniam gratia victrix.

Præterea Auguſt. in illa quæſtione plerumque utitur illâ voce , *vocatio* , & nunquam vel rariſſimè nomine *gratiæ* : ergo per vocationem intelligit gratiam ; aliàs malè diceret loco ſtatim citato , gratiam ibidem viciſſe liberum arbitrium. Vide totum contextum , & res apparebit clariſſima.

109. Probatur exemplo Apoſt.

Reſtat , inquit , *ut voluntates eligantur , ſed voluntas ipſa , niſi aliquid occurrerit , quod delectet , atque invitet animum , moveri nullo modo poteſt. Hoc autem ut occurrat , non eſt in hominis poteſtate.* Quod confirmat exemplo Apoſtoli inquiens : *Quid volebat Saulus , niſi ut invaderet , & traheret , vinciret , & necaret Chriſtianos ? Quàm rabida voluntas , quàm furioſa , quàm cæca , qui tamen unâ deſuper voce proſtratus , occurrente utique tali viſo , quo mens illa & voluntas refracta ſævitia retorqueretur & cogeretur ad fidem , repentè ex Euangelii mirabili perſecutore , mirabilior prædicator effectus eſt.*

Ubi vocem externam , cum interno viſo delectante atque invitante animum , ponit cauſam converſionis Pauli , ut proinde per vocationem congruam , non ſolùm externam , ſed etiam gratiam internam , quæ conſiſtit in viſo illo , intelligat. Ergo ſimiliter per vocationem incongruam , intelligit gratiam internam , ſufficientem quidem , ſed tamen inefficacem. Alioquin non ſubſiſtunt illa verba : *Ut quamvis multi uno modo vocati ſint* &c. quoniam planè diverſus modus vocandi eſt ſolùm extrinſecè per legem , & doctrinam , à modo intrinſecè vocandi per internas inſpirationes , & delectationes.

Igitur ſecundùm mentem D. Auguſtini , verum eſt : *Multi ſunt vocati* , ſive extrinſecùs , per Euangelicas exhortationes , ſive intrinſecùs , ubi nemo habet in poteſtate , quid ei veniat in mentem : *Pauci verò electi* , quia paucos Deus alloquitur viſis congruis , & ideo pauci , in comparatione reproborum , ſequuntur Deum vocantem.

Interim *nulla Dei vocatio* (ut loquitur Cenſura Lovanienſis aſſert. 4.) *deluſoria eſt ; neque enim alia fit ullâ intentione ac fine , quàm ut convertatur quiſque , aut converti poſſit . . . . . ac debeat , & ſi vocanti non obtemperet , inexcuſabilis habeatur.*

Similiter loquitur Cenſura Duacen. aſſert. 4. *Vocationis* , inquit , *primus finis eſt hominis converſio etiamſi illa non ſequatur. Quòd enim quiſpiam vocatus non convertatur , propria eius malitia imputandum eſt ; quòd autem convertatur , vocantis bonitati & potentiæ adſcribendum eſt. Cùm ergo talia ad Cain loqueretur Deus* (Gen. 4.) *numquid ambiguum eſt voluiſſe eum , & (quantum ad illum medendi modum ſufficiebat) egiſſe , ut Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret ? Sed malitia pertinax indè facta eſt inexcuſabilior , unde debuit eſſe correctior. Neque verò Dei intentio fruſtratur , ſi qui vocatur , non convertitur ; quia in hominum vocatione non ſolùm hominum converſionem abſolutè Deus intendit (ſemper enim tunc ſequeretur) ſed alios etiam fines , veluti ut declararetur humanæ vel infirmitatis , vel malitiæ magnitudo quanta ſit , cùm non ſequitur vocantem. Item ut excellentiam gratiæ ſuæ declaret , & neceſſitatem , utpote ſine qua nemo credere vel Pœnitentiam agere poſſit ; ut ita omne os obſtruatur , & ſubditus fiat omnis mundus Deo , nec quiſquam niſi in Domino glorietur.* Hucuſque Cenſura.

Cùm ergo Deus poſſet omnes homines congruè vocare , ita quòd vocantem ſequerentur , cur unum potiùs congruè vocet , quàm alium , *me ignorare reſpondeo. Audio dicentem Apoſtolum* : O homo tu quis es qui reſpondeas Deo ? & : O altitudo divitiarum &c. 111.

Quantùm

20. *tum itaque iudicia ſua nobis manifeſtare dignatur,* v. *gratias agamus; quantùm verò abſcondere, non adverſùs eius conſilium murmuremus, ſed hoc quoque nobis ſaluberrimum eſſe credamus*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. de Corrept. & grat. cap. 8.

Hoc unicum dico: ſi nulla datur vocatio incongrua, ſufficiens ad converſionem, neſcio quare incongruè vocatus, præciſè quia hìc & nunc non obtemperat, inexcuſabilis habeatur; ignoro planè quomodo ex illa vocatione declaretur præſentis malitiæ magnitudo; fateor me non ſatis intelligere, quid in hoc puncto inter illos homines diſtet & dæmones.

2. ia ıalos ɛs & ıes ex pero, *Hoc*, inquit Sanctus Proſper reſp. ad object. 6. Vincent. *inter malos homines diſtat & dæmones, quòd hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla eſt in æternum ſervata converſio.*

Prorſus nulla, ſtante præſenti decreto Dei. Sed numquid ſtante præſenti decreto Dei, quo in pœnam peccati originalis noluit mihi umquam dare gratiam congruam, aut incongruam ſufficientem; num, inquam, mihi aliqua eſt in æternum ſervata converſio? Numquid aliquando mei miſerebitur Deus?

Poſſet, inquis, miſereri; & ſi miſereatur, ſupereſt reconciliatio. Sed numquid etiam poſſet miſereri Angelorum? Audi Sanctum Auguſt. lib. de Gen. ad lit. cap. 10. *Sed poſſet, inquit, etiam ipſorum* (malorum Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens eſt. Poſſet planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt.*

13. ıeci- la vi- t de il- ıntùm ınibus, tum ı ali- ndo mi- :ur. Illa ergo diſtantia, quam ſuperiùs ponit Proſper inter malos homines & dæmones, non videtur accipienda de omnibus hominibus malis, diſtribuendo ly *Omnibus* pro ſingulis generum, ſed exponenda accommodatè pro illis, quorum Deus aliquando miſeretur, licèt hìc & nunc valde mali ſint, quaſi diceret: Hoc diſtat inter homines malos & dæmones, quòd aliqui homines etiam valde mali convertantur ad Deum, nullus autem dæmon.

Auguſt. Teſtis eſt Divus Auguſtinus Enchi. c. 27. ibi: *Et ſi quidem in melius hominum reformationem nullam prorſus eſſe voluiſſet, ſicut impiorum nulla eſt Angelorum, nonne meritò fieret, ut natura quæ Deum deſeruit, quæ præceptum ſui Creatoris, quod cuſtodire facillimè poſſet, ſuâ malè utens poteſtate calcavit atque tranſgreſſa eſt* &c. *univerſa in æternum deſereretur ab eo, & pro ſuo merito pœnam penderet ſempiternam? Planè ita faceret ſi tantùm iuſtus, non etiam miſericors eſſet, ſuamq; indebitam miſericordiam multò evidentiùs in indignorum potiùs liberatione monſtraret.*

Et cap. 28. ſic ait: *Placuit itaque univerſitatis Creatori atque Moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret. Quæ autem cum Deo illa deſerente perſtiterat, de ſua certiſſimè cognita ſemper futura felicitate ſecura gauderet. Alia verò creatura rationabilis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſuppliciis & originalibus & propriis tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelicæ ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleret.*

Quæ ergo diſtantia inter homines reprobos, quos Deus abſolutè voluit deſerere in æternum, id eſt, quibus noluit in æternum dare gratiam efficacem converſionis, & dæmones? Profectò non alia, quàm quòd hujuſmodi hominibus non neget gratiam ſufficientem, cum qua poſſent converti ſi vellent; neget autem illam gratiam dæmonibus. Siquidem ſtante decreto reprobationis, tam impoſſibile eſt Deum miſereri hominum, quàm dæmonum. Illo autem ſublato, tam poſſibile eſt Deum miſereri dæmonum, quàm hominum. 114. Quæ ſit diſtantia inter homines reprobos & dæmones.

Fateor inſtituiſſe Chriſtum Sacramenta, quibus homines viatores, ſecùs dæmones, aut homines damnati, poſſent ſalvi fieri, ſi ipſis ea applicarentur: ſed parum vel nihil juvat inſtitutio, ſi applicatio ſecundùm præſens decretum Dei eſt omnino impoſſibilis. Imò conſequenter dicam, non inſtituiſſe ea magìs pro hujuſmodi reprobis, quàm pro dæmonibus; ſed pro illis ſolis, quibus aliquando Sacramenta applicarentur, ſicuti illos ſolos qui ſalvantur, vult ſalvos fieri ſecundùm Adverſarios: nemo enim eligit medium, niſi in ordine ad finem; ſi ergo Deus nullatenus intendit ſalutem hujuſmodi reproborum, etiam Sacramenta non ordinavit tamquam media ad illorum ſalutem, magis quàm ad ſalutem dæmonum.

Quæ ergo diſtantia quoad hoc inter hujuſmodi reprobos in hac vita, & homines damnatos, ſuppoſito quòd nec illi habeant gratiam ſufficientem ad ſalutem? Reſp. quòd damnati certi ſint de ſua damnatione, alii autem incerti; quemadmodum D. Auguſtinus loquitur de Angelis lib. de Corrept. & grat. cap. 10. ibi: *Diabolus & Angeli eius etſi beati erant antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium, ipſius permanſionis acciperent, id eſt, ut magna per Spiritum S. datâ abundantia charitatis Dei, cadere omnino ulteriùs non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè noſſent*, id eſt, 115. Quæ ſit diſtantia inter homines reprobos in hac vita, & homines jam damnatos. *S. Auguſt.*

 donec

Digitized by Google

donec certiſſimè ſcirent ſe numquam eſſe caſuros, ſed ſemper in beatitudine eſſe manſuros.

Conſimiliter dico ego; homines iſti reprobi in hac vita, etſi quodammodo damnati ſint, tametſi ipſis nulla ſit in æternum ſervata converſio; eſt tamen adhuc quod eorum addatur damnationi poſt hanc vitam, ſcilicet certiſſima ſcientia ſuæ æternæ damnationis, id eſt, certiſſima ſcientia impoſſibilitatis ſuæ ſalutis.

Non dico, *Impoſſibilitas ſalutis*, ſed, *Certiſſima ſcientia impoſſibilitatis*; quia impoſſibilitas antea inerat, ex hypotheſi, quòd reprobis nullo umquam tempore in ſe, vel in aliis pro ipſis, detur gratia proximè vel remotè ſufficiens ad ſalutem.

116. **Per damnationem non tantùm accedit ſcientia impoſſibilitatis, ſed etiam ipſa impoſſibilitas æternæ ſalutis.**

Sed quoniam hæc hypotheſis videtur repugnare dicto Apoſtoli: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*, dicimus, per damnationem poſt hanc vitam, non tantùm accedere ſcientiam impoſſibilitatis, ſed ipſam quoque impoſſibilitatem, ut damnati poſt hanc vitam omnino ulteriùs reſurgere non poſſint, & hoc de ſe certiſſimè ſciant. Quamdiu autem in hac vita tenentur, vel poſſunt, vel aliquando potuerunt reſurgere.

Alioquin meliùs ipſis foret, ſi ſtatim ex hac vita deceſſerent, antequam per peccata actualia demereantur; ſic enim mitiorem pœnam, imò mitiſſimam ſentirent, juxta illud D. Auguſt. Enchi. c. 93. *Mitiſſima ſanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod origine traxerunt, nullum inſuper addiderunt*, cùm jam longè graviorem ſentiant, propter peccata actualia, ad quæ evitanda numquam habuerunt gratiam, vel remotè ſufficientem, niſi in Adamo.

117. **An peccatum Adami tantæ fuerit gravitatis, ut propter illud hominibus ſubtrahatur gratia ſufficiens?**

Porrò peccatum Adami tantæ fuiſſe gravitatis præ peccato Angelorum, ut propter illud hominibus, qui in ipſo tantùm peccaverunt, ſubtrahatur omnis gratia ſufficiens ad evitanda peccata actualia, quibus demereantur; & augeant pœnam debitam peccato originali, cùm Angeli per ſua peccata ampliùs non demereantur, nec augeant pœnam debitam primo actuali peccato, non facilè crediderim.

Et ſi qui ſint, qui illud credant, legant attentè primam propoſitionem damnatam ab Innocentio X. Bullâ: *Cùm ex occaſione*, & Alexandro VII. Bullâ: *Ad ſacram B. Petri ſedem*: eſt autem propoſitio ſequentis tenoris: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Hanc propoſitionem præfati Pontifices: *Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam* declarant, & uti talem damnant.

Notent etiam, quicumque tales ſunt, propoſitionem tertiam in eiſdem Bullis damnatam hiſce verbis: *Tertiam* (propoſitionem) *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione: hæreticam declaramus, & ut talem damnamus.*

Illi, inquam, viderint quid ad hæc reſpondeant, qui docent hominem non habere gratiam ſufficientem ad obſervanda illa mandata, quæ tamen non obſervando demeretur. Nos conſtanter aſſerimus, Deum nemini negare auxilium proximè, aut ſaltem remotè ſufficiens, ad ſalutem, adeóque nulli peccatori negare auxilium, ſaltem remotè ſufficiens, verè pœnitendi, quæ eſt ſecunda pars hujus Concluſionis. Invitat quippe omnes, nemine excepto, ad Pœnitentiam, imò præcipit omnibus Pœnitentiam, quam non ponendo demerentur: ergo nemini negat gratiam, quâ illa Pœnitentia fiat poſſibilis.

Nam, ut docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Quippe, teſte D. Auguſtino lib. de Nat. & Grat. cap. 69. *Eo ipſo quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus & in difficilibus quid petamus.*

Et lib. 2. de Peccat. merit. cap. 6. ſic inquit: *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum quo fiat quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe. Ac per hoc poteſt homo ſi velit, eſſe ſine peccato, adjutus à Deo.* Igitur *audiamus Dominum & præcipientem, & opitulantem: & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere poſſimus.* Ita Auguſtinus tract. 53. in Joan.

Quis enim, inquit idem lib. de Fide contra Manichæos cap. 10. *non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere? Ne ergo dicatis* (ſcribit Enar. in Pſalm. 40.) *non poſſum tenere, & portare, & frenare carnem meam: adjuvaris ut poſſis.*

Cur namque *dictum eſt*: Diligamus invicem quia dilectio ex Deo eſt, *niſi* (auditis S. Auguſt. lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 18) *quia præceptio admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.*

Ac proinde *conſultiſſimè homini* præcipitur, *ut rectis paſſibus ambulet*, non quòd culpâ ſuâ diſtortus ſit, ſed, *ut cum ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad ſanandam peccati claudicationem gratia Dei eſt per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæc Auguſt. lib. de Perfect. Juſtit. c. 3.

Itaque

Digitized by Google

Itaque rectè præcipitur cuilibet peccatori Pœnitentia, etiam excæcato & maximè obdurato, ut cùm ſe non poſſe pœnitere perſpexerit, id eſt, cùm ſe perſpexerit non pœnitere, nec facilè poſſe propter corruptionem naturæ, medicinam requirat, id eſt, gratiam pœnitendi poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter; utique his omnibus qui ſic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt.

Quamvis ergo Deus non det omnibus gratiam efficacem pœnitendi, neque gratiam ſufficientem proximè, nemini tamen negat gratiam ſaltem remotè ſufficientem, id eſt, non ſubtrahit illam quantùm in ſe eſt poſitivè & ex intentione, ita ut aliis cauſis, ad effectum, id eſt, ad actum veræ Pœnitentiæ ponendum, ſatis diſpoſitis, nolit ex ſua parte concurrere ad poſitionem effectûs, id eſt, ad actum veræ Pœnitentiæ. Quin immo & erit

CONCLUSIO III.

Deus dat omnibus peccatoribus gratiam, ſaltem remotè ſufficientem, quamvis non omni tempore, ſed ſolùm aliquando pro loco & tempore, ita ut, ſi homo peccator illâ bene uteretur, daret ulterius auxilium, uſque ad illud, quod proximè ſufficeret.

121. [...]n non omni[...] gratiam [...]imè [...]cien[...] proba[...]xem[...] omni[...]isti.

QUòd Deus non det omnibus gratiam proximè ſufficientem, probatur ab aliquibus exemplo hominis juſti, qui cùm indigeat ſpeciali gratiæ auxilio tum ad eliciendos actus ſupernaturales, tum etiam ad perſeverandum diù in obſervatione legis naturalis; illud tamen auxilium ſæpè obtinere debet per orationem. *Nam*, ut ait Innoc. in Epiſt. ad Conc. Cartag. *tentationes à nobis vinci non poſſunt, niſi gratia Dei in nos implorata deſcendat.*

[...]ſim[...].

Quod etiam docet Cæleſtinus in Epiſt. ad quoſdam Galliarum Epiſcopos cap. 6. ibi: *Neminem, etiam Baptiſmatis gratiâ renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias niſi per quotidianum adiutorium Dei* (utique imploratum) *perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.*

122. [...]cipitur [...]io tem[...] tenta[...]

Et hinc præceptum orationis tempore tentationis. *Orate*, inquit Chriſtus ad diſcipulos Matth. 26. v. 41. *ut non intretis in tentationem.* Ad quid enim neceſſaria eſt oratio, ſi ſemper habetur auxilium proximè ſufficiens ad tentationes evincendas, & perſeverandum in juſtitia? *Matth.* 26.

Reſpondeo, ut vincat tentationes, & perſeveret in juſtitia; neque enim ſolùm orare oportet, ut poſſimus proximè vincere, & perſeverare, ſed multò ampliùs ut vincamus, & perſeveremus; quia, ut ait Sanctus Auguſtinus lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 15. *Tunc utile eſt velle cùm poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cùm volumus; nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus, volumus, aut ſi quod* proximè *poſſumus, nolumus?*

non ſolùm ut poſſimus proximè vincere tentationes, ſed etiam ut eas vincamus.
S. Aug.

123. *quam victoriam Deus in nobis operatur per auxiliū gratiæ efficacis, quod Apoſtolo datum fuit abſque propria oratione.*
1 Cor. 15.
S. Aug.

Ut autem velimus, & faciamus, quod proximè facere poſſumus, Deus operatur in nobis per auxilium gratiæ efficacis, ad quod obtinendum ſæpè neceſſaria eſt oratio, quamvis ſubinde non orantibus detur, ut patet in Apoſtolo, qui de ſeipſo dicebat 1. Cor. 15. v. 9. & 10. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratiâ autem Dei ſum id quod ſum.*

Atque ut oſtenderet (inquit Sanctus Auguſtinus lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 5.) *& liberum arbitrium mox addidit:* Et gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus omnibus illis laboravi ...... *Tamen ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe, continuò ...... ſubiunxit:* Non ego autem, ſed gratia Dei mecum; *id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Vt autem de cælo vocaretur, & tam magnâ & efficaciſſimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita eius erant magna, ſed mala.*

124. *ſed non ſine oratione aliena pro ipſo*
S. Aug.

Eius, inquam, id eſt, Pauli; alioquin, ut ait Sanctus Auguſtinus Serm. 94 de diverſis cap. 4. *Saulus ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc graſſabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur.* Et Serm. 1. de S. Stephano cap. 4. *Nam ſi Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.*

Conſonat id quod ſcribit idem S. Doctor lib. de Bono perſev. c. 22. *Cur non potiùs ita dicitur. Et ſi qui ſunt nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus? Fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt* (in intentione Dei) *ut noſtris orationibus* (in executione) *concedantur, & accipiant eamdem gratiam quâ velint eſſe atque efficiantur electi.*

125. *Volens ordinatè finē, & media, priùs vult finem, ex Scoto.*

Enimverò, ut ſubtiliter conſideravit Doctor Subtilis 1. diſt. 41. n. 11. *Volens ordinatè finem, & ea, quæ ſunt ad finem, priùs vult finem, quàm aliquod entium ad finem, quia propter finem alia vult: ergo cùm in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis ultimus ſit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid iſtius ordinis, primò vult huic creaturæ beatificabili finem, & quaſi poſteriùs vult ſibi alia, quæ ſunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illum finem; ſed gratia, fides, merita, & bonus uſus*

uſus liberi arbitrii omnia ad iſtum finem ſunt ordinata, licèt quædam remotiùs, & quædam propinquiùs: ergo primò iſti vult Deus beatitudinem, quàm aliquid iſtorum; & priùs vult ei quodcumque iſtorum, quàm prævideat ipſum habiturum quodcumque iſtorum: igitur propter nullum iſtorum præviſum, vult ei beatitudinem in intentione.

Sancti priùs ſunt electi, quàm vocati à Deo. *S. Auguſt.*

Non enim Sancti in hac vita *ſic ſunt vocati* (ait Divus Auguſtinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 7.) *ut non eſſent electi, propter quod dictum eſt*: Multi ſunt vocati, pauci verò electi; *ſed quoniam ſecundùm propoſitum* (non ſuum, ſed Dei) *vocati ſunt, profectò electi ſunt* (ad regnandum cum Chriſto) *per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum; quia gratia illis eſt omne meritum.*

126. Deus his, quos elegit ſine meritis, dat unde ornentur & meritis, ex S. Proſpero.

Verumtamen, ut ſcribit S. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 35. *Deus his, quos elegit* (in intentione) *ſine meritis, dat* (in executione) *unde ornentur & meritis. Et fruſtra dicitur, quòd ratio operandi non ſit in electis, cùm etiam ad hoc operentur, ut electi ſint.*

Per electionis propoſitum non laxatur liberi arbitrii devotio. *S. Proſper.*

Et ibidem cap. 36. *Quamvis quod ſtatuit Deus, nullâ poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum, liberi arbitrii devotio relaxatur, cùm implendæ voluntatis Dei, ita ſit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, & qui bona geſſerint, non ſolùm ſecundùm propoſitum Dei, ſed etiam ſecundùm ſua merita coronentur. Quoniam* (ut ſcitè dixit Divus Auguſtinus Serm. 7. de Verbis Domini) *quos voluit Dominus, hos elegit, elegit autem & ſecundùm ſuam gratiam* (in intentione) *& ſecundùm illorum iuſtitiam* in executione.

127. Deus vult noſtra eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. *Cæleſtinus.*

Siquidem, ut optimè advertit Cæleſtinus Papa Epiſt. ad quoſdam Gall. Epiſcopos cap. 12. *Tanta eſt erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Noſtra, inquam, quia facta ſunt per liberum arbitrium; ſua autem, quia ipſe per ſuam gratiam operatur in omnibus poſſe & velle pro bona voluntate. Hinc Divus Auguſtinus lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 6. *Cui*, interrogat, *redderet coronam iuſtus iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater?*

S. Auguſt.

Conc. Trid.

Quod probè intelligens Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 16. ita ſcribit: *Atque ideo bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Non enim*, inquit Apoſtolus. Hebr. 6. v. 10. *iniuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Id eſt, operis meritorii.

Hebr. 6.

Scotus.

Deus namque ab æterno prævidens hunc actum ex talibus principijs eliciendum voluit ipſum ordinatum ad præmium, & ita actu voluntatis ſuæ ordinando ipſum ad præmium, voluit ipſum eſſe meritum, qui ſecundùm ſe conſideratus abſque tali acceptatione divina, ſecundùm ſtrictam iuſtitiam non fuiſſet dignus tali præmio ex intrinſeca bonitate. Ita Scotus 1. diſt. 17. q. 3. n. 26.

128. Itaque *elegit Deus fideles* (teſte Divo Auguſtino lib. de Prædeſt. SS. cap. 17.) *ſed ut ſint; non quia iam erant. Apoſtolus Iacobus dicit:* Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? *Eligendo ergo facit divites in fide, ſicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.*

Elegit, inquam, *electione gratiæ*, juxta Auguſtinum Epiſt. 105. *non debiti, electione quâ eligendos facit ipſe, non invenit*; per electionem non ſecundùm juſtitiam (id eſt, ut loquitur lib. 1. ad Simpl. q. 2. *meritorum, quæ poſt iuſtificationem gratiæ proveniunt*) ſed electione ſecundùm gratiam (id eſt, ut ibidem ait, *liberalitate donorum Dei, ne quis de operibus extollatur*) *gratia enim*, inquit Apoſtolus Eph. 2. v. 8. *eſtis ſalvati per fidem & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt; non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

Et quoniam propoſitum Dei *manet ut iuſtificet credentes* (utor rurſum verbis S. Auguſtini ad Simp. loco citato) *ideo invenit opera, quæ iam eligat* ſecundùm juſtitiam *ad regnum cælorum.* Hæc eſt illa *electio*, quæ *non præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio. Nemo enim* hîc electione *eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reiicitur. Vnde quod dictum eſt, quia* elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, *non video quomodo dictum ſit niſi præſcientiâ*, id eſt prædeſtinatione.

129. Nam teſtimonio ejuſdem S. Doctoris lib. de Bono perſev. cap. 18. *Prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſt.* Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit. *Hoc quod ait*, præſcivit, *non rectè intelligitur, niſi prædeſtinavit ..... Præſcivit enim reliquias, quas ſecundùm electionem gratiæ* ſalvas *fuerat ipſe facturus: hoc eſt ergo prædeſtinavit: ſine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit; ſed prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus.*

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, ex neceſſitate orationis pro quotidiano auxilio, non efficaciter colligi defectum gratiæ proximè ſufficientis; nam etſi homo certus eſſet, ſe habere gratiam proximè ſufficientem, immo certus, quòd Deus ab æterno ipſi præparaſſet gratiam efficacem, equidem adhuc orare deberet, quia fortè non decrevit in tempore illam dare, niſi præviâ hominis oratione.

130. Meliùs ergo probatur defectus gratiæ proximè ſufficientis, exemplo infidelium, & parvulorum. Quot enim non ſunt, & fuerunt infide-

infideles, quibus fides numquam fuit annunciata? Quid autem dicit Scriptura? *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur?* Rom. 10. v. 14. & 15. Ergo omnes illi, quibus nunquam annunciatum fuit Euangelium Chriſti, non habuerunt auxilium proximè ſufficiens ad credendum, & conſequenter ad obtinendam remiſſionem peccatorum, & ſalutem æternam, nam juxta
11. Apoſtolum Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

De parvulis res etiam eſt clara in omnibus illis, quibus ob defectum alicujus cauſæ, ad applicandum remedium peccati originalis requiſitæ, illud remedium non applicatur, puta ex defectu aquæ, ex defectu miniſtri, ex defectu cauſarum naturalium, quibus indiget parvulus, ut in lucem edatur, & editus vivat, donec ad Baptiſmum perveniat.

Et quamvis hæc omnia adeſſent, nondum haberetur auxilium proximè ſufficiens, niſi miniſter foret à Deo ſufficienter proximè præventus & excitatus ad volendum baptizare, ita quòd, formaliter loquendo, ipſa excitatio proximè ſufficiens ad baptizandum, ſola ſit medium proximè ſufficiens ad ſalutem parvuli; certum autem eſt, illud medium non ſemper omnibus adeſſe.

132. Quin immo, cauſa parvulorum videtur ex illis fuiſſe, quæ D. Auguſt. moverunt, ut dictum Apoſtoli: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*, non intelligeret de omnibus omnino hominibus, eò quòd videamus infantes mori ſine Baptiſmo, tametſi nec ab ipſorum voluntate, neque à voluntate parentum aut Eccleſiæ pendeat, ut Baptiſmum ſuſcipiant.

Quid dicam, inquit S. Auguſtinus lib. de Bono perſev. c. 12. *quod parvulus aliquando antequam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, expirat? Plerumque enim feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut Baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.*

Et Epiſt. 107. *Aliquando cupientibus feſtinantibusq; parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non detur, cùm repentè antequam detur expirat, pro quo ut acciperet currebatur.* Quæ verba videntur importare poſitivam Dei voluntatem, ſive nolitionem Baptiſmi iſtorum parvulorum, & per conſequens poſitivam voluntatem non ſalvandi eos, & non puram permiſſionem damnationis.

133. Ex quo aliqui ulteriùs inferunt, ejuſmodi parvulos non tantùm carere gratiâ proximè ſufficienti ad ſalutem, ſed etiam remotè ſufficienti. Reſpondent autem, Chriſtum eatenus pro omnibus, etiam his parvulis, mortuum eſſe, quatenus communis erat natura, & cauſa omnium parvulorum; & quia juſtè & piè credimus, Chriſtum non denegaſſe illis parvulis meritum ſuum, nec à fructu ſuæ paſſionis apud Patrem excluſiſſe; ac denique quia non minùs piè affirmare poſſumus, Chriſtum voluntate ſimplicis complacentiæ omnibus parvulis ſalutem deſideraſſe, ſicut ſibi ipſi vitam concupivit, dependenter tamen à voluntate Patris. Breviter, reſpondent, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quòd ad unam pertinet cauſam generis humani.

(margin: …omodo …tundum quos …iſtus …rtuus ſit …o parvulis …i abſque …ptiſmo …riuntur.)

Quæ videtur eſſe ſententia S. Proſperi reſp. 1. ad object. Vincent. ibi: *Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi. Sed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate ſint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus Princeps mundi miſſus eſt foràs, & iam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti.* Hæc ille. S. Proſper.

134. Proſſus redemptionis proprietas penes illos ſolùm eſt, qui membra ſunt Chriſti: redemptionis, inquam, proprietas, id eſt, redemptio activa & paſſiva; propriiſſimè enim dicitur redemptus, pro quo non tantum oblatum eſt pretium ſufficiens, ſed etiam pro quo fuit acceptatum, & qui ratione illius fuit à captivitate liberatus.

(margin: Redemptionis proprietas penes illos ſolùm eſt, qui membra ſunt Chriſti.)

Et hoc eſt quod dicunt Patres Concilij Tridentini ſeſſ. 6. c. 3. *Verùm etſi ille* (Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed ii duntaxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur.*

Ut autem ſcires, de quo beneficio loquantur, ſtatim adjungitur: *Nam ſicut reverà homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti; cùm ea propagatione, per ipſum dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant: ita, niſi in Chriſto renaſcerentur, numquam iuſtificarentur; cum ea renaſcentia per meritum paſſionis eius gratia, quâ iuſti fiunt, illis tribuatur.*

Loquitur ergo de beneficio juſtificationis. Ac proinde illi propriiſſimè redempti ſunt, & mortis beneficium recipiunt, quibus ex merito paſſionis Chriſti communicatur efficax gratia ad ſe convertendum ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando. *Mors Chriſti* (inquit Proſp. ſuprà) *non ita impenſa eſt humano generi, ut ad redemptionem eius* (id eſt, actualem liberationem à peccato) *etiam qui regenerandi non erant pertinerent: ſed ita; ut quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare Sacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra* S. Proſper.

& virtute divinâ, habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.

135. Non ideo tamen alii omni deſtituuntur beneficio mortis Chriſti.

Sed numquid ideo, qui non regenerantur, ſive parvuli, ſive adulti, omni prorſus deſtituuntur beneficio mortis Chriſti? Nequaquam.

S. Proſper.

Audiamus S. Proſperum reſp. 9. ad c. Gall. *Cùm itaque rectiſſimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem; poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit. Dicit enim Evangeliſta:* Quia Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed ut filios Dei diſperſos congregaret in unum. In ſua *enim* venit, & ſui eum non receperunt Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. *Diverſa ergo ab iſtis ſors eorum eſt, qui inter illos cenſentur, de quibus dicitur:* Mundus eum non cognovit, *ut poſſit ſecundùm hoc dici Redemptor mundi, dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit: quia* lucem tenebræ non receperunt: *& tenebræ receperunt, quibus dicit Apoſtolus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Ioan. 11. v. 51. & 52.

Ioan 1. v. 11. 12. & 13.

Ioan. 1. v. 10.

Epheſ. 5. v. 8.

Adde quod habet Sent. 9. ad cap. Gall. *Qui dicit, quòd non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus: non ad Sacramenti virtutem, ſed ad infidelium reſpicit partem: cùm ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti pretium totius mundi ſit: à quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captivitate, redimi noluerunt; aut poſt redemptionem ad eamdem ſunt ſervitutem reverſi.* Ubi nota ly *Redimi noluerunt.*

136. De parvulis & infidelibus, qui nullam omnino gratiam receperunt, dici non poteſt, quòd redimi noluerint.

Et verò qui nec in ſe, nec in alio habuit gratiam vel remotè ſufficientem, quâ lucem recipere poſſet, tametſi vellet; nonne de illo rectè dicitur: *Delectatus captivitate redimi noluit?* Nonne verius diceretur: *Extraneus eſt ab hoc pretio, quia Chriſtus eum redimere noluit?* Si ergo aliqui parvuli nullam omnino gratiam receperunt, quâ poſſent erui à captivitate, quomodo de illis rectè dicitur: *Extranei ſunt ab hoc pretio, quia redimi noluerunt?*

Conſimiliter infideles, qui Euangelium non audierunt, ac proinde de quibus nullo modo dici poteſt ſecundùm D Auguſtinum lib de Corrept. & grat. c. 7. *Crederent ſi vellent*, exiſtimas quia de illis dici poteſt: *Extranei ſunt ab hoc pretio, quia redimi noluerunt*; eo dato, quòd nunquam habuerint gratiam, vel remotè ſufficientem, ad Euangelium audiendum?

Noli exiſtimare; ſed dic, & intùs dic, quia ſic eſt ut dicis; vel Chriſtus omnes omnino homines noluit redimere, vel omnes ex meritis paſſionis ejus acceperunt gratiam, ſaltem remotè ſufficientem, quâ poſſent redimi, ſi vellent ipſi, vel alii pro ipſis.

137. Nec recurreris ad peccatum originale; quia redemptio hoc peccatum ſupponit: ergo vel propter illud Chriſtus aliquos redimere noluit, vel ſi eo non obſtante omnes voluit redimere, ex illa voluntate aliquid omnibus confertur, cum quo poſſent redimi per ſe loquendo, ſi ipſi vel alii pro ipſis vellent.

Hinc S. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 23. arbitratur, nec irreligiosè credi, neque inconvenienter intelligi, *quòd iſti paucorum dierum homines* (non tantùm extra uterum, ſed etiam in ipſo utero materno, nulla eſt enim ratio diſparitatis) *ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper eſt impenſa univerſis nationibus, quâ utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.*

Bene, inquam, non tantùm moraliter, quaſi culpabiliter deberent aliquid omittere, vel facere, unde Baptiſmus parvulis negaretur, ſed etiam naturaliter in cauſis naturalibus; adeò, ut licèt abſque ulla ſua culpa, neſcientes hoc vel illud neceſſarium ad nativitatem prolis ex utero, vel ad Baptiſmum prolis ex utero natæ, nihilominus illud omittentes, in cauſa ſint, cur proles per ipſos non juvetur, cùm aliàs per ſe loquendo poſſet juvari.

Sed contrà, inquit aliquis cum Vaſquezio 1. p. diſt. 96. n. 9. Quis dicat Deum parentibus remedia ſufficientia commiſiſſe, ſi nullâ humanâ providentiâ ipſi præcavere poſſunt immaturam mortem infantis, quæ abſque ulla culpa ipſorum contingit, ut in caſibus ab Auguſtino expreſſis?

Parùm ergo refert, ſi mulier prægnans domo liberè exeat, liberè etiam cubet cum parvulo in lecto, ſi poſtea caſu, quem providere non potuit, infans immaturè ſine Baptiſmo moriatur, ut dicamus curæ ipſius, aut alterius remedium Baptiſmi, qui applicari poſſet, fuiſſe commiſſum.

Reſp. multùm referre; quia, ut ait S. Proſper ſuprà: *Omnia exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis niſi per alios conſuli poteſt: & conſequens eſt illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu.*

Et quamvis ille liber exitus mulieris prægnantis non ſit pravus formaliter, eſt tamen pravus materialiter, quia ſi mulier ſciret illum fore impedimentum Baptiſmi, peccaret ſic exeundo, cur hoc, niſi quia curæ illius commiſſum eſt remedium Baptiſmi, etſi hìc & nunc excuſetur ab applicatione illius remedij, propter ignorantiam, aut bonam fidem?

Saltem ex hoc apparet generalis gratia Dei, etiam circa illos parvulos, quòd ita diſpoſuerit cauſas omnes, tam naturales, quàm liberas, ut ſi unaquæque ageret, ſicut poſſet agere, parvulus perveniret ad gratiam Baptiſmi, v. g. ſi mulier non exiret, ſicut poſſet, ſi vellet, non exire.

Quid

Digitized by Google

.O. auguſt. ne- ten- prox- Bap- Quid ergo ad D. Auguſtinum? Reſpondeo, ipſum locis allegatis, & aliis ſimilibus, non negare omnem potentiam Baptiſmi, ſed tantùm potentiam proximam; adeòque affirmare impotentiam proximam ortam ex cauſâ inculpabili formaliter, licèt libera.

Sanè multis parvulis Deum providiſſe remedium Baptiſmi in parentibus, qui tamen ſine Baptiſmo moriuntur, non eſt dubium, illis ſcilicet omnibus, qui ex culpabili negligentia, vel certè malitiâ parentum non baptizantur, cùm facilè poſſent baptizari ſi parentes vellent.

.ſi. De hoc caſu ſic Auguſt. ſuprà lib. de Bono perſev. c. 12. *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus ſubvenire; illis autem non ſubvenire, cùm ſit utriſque cauſa communis; aut res humanas in parvulis non divina providentia, ſed fortuitis agi caſibus opinabimur, cùm rationales damnandæ & liberandæ ſint animæ, quandoquidem nèc paſſer cadit in terram ſine voluntate Patris noſtri, qui in cælis eſt; aut parentum negligentiæ ſic tribuendum eſt, quod parvuli ſine Baptiſmo moriuntur, ut nihil ibi agant ſuperna iudicia, tamquam ipſi, qui hoc modo malè moriuntur, parentes ſibi negligentes voluntate propriâ, de quibus naſcerentur, elegerint.*

Et continuò adjungit: *Quid dicam quod parvulus* &c. ut exemplo parvulorum probet contra Pelagianos, & Semipelagianos, gratiam Baptiſmi non dari ex merito, ſive proprio, ſive parentum, ſed ex mera Dei benignitate.

1 ndo fide- ra- gratia mi, utem m Hinc lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 22. *Et aliquando*, inquit, *filiis infidelium præſtatur hæc gratia, cum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocumque perveniunt; aliquando autem fidelium filii non eam conſequuntur aliquo impedimento exiſtente, ne poſſit periclitantibus ſubveniri.*

Itaque Deo volente iſti datur Baptiſmus, & Deo nolente huic non datur, quia ſi Deus abſolutè voluiſſet, & huic daretur; quia autem ſolùm voluit conditionatè, id eſt, quantùm eſt ex parte ſua, ſi reliqua concurrerent, noluit verò propter certas rationes illum concurſum, ideo abſolutè noluit ut Baptiſmus huic daretur, etiam feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, quod non eſt contra generalem voluntatem omnes ſalvandi, ſive gratiam ſufficientem, quâ poſſent omnes ſalvari ſi vellent; ſed tantùm oſtendit, eſſe partem generis humani, quæ ſpecialibus beneficiis provehitur ad ſummam atque æternam ſalutem.

12. requi- ut dica- velle es ſal- ieri. Enimverò ad hoc ut Deus dicatur propriè velle omnes ſalvos fieri, etiam infantes, qui ſine Baptiſmo moriuntur, non requiritur quòd ſuſpendat actionem cauſarum, quæ poſſunt infantibus mortem præmaturam inferre; ſed ſufficit, quòd velit ex vera intentione ſalvandi omnes quantùm in ipſo eſt conferre media per ſe ſufficientia, ut parvuli ſalutem conſequantur; etiò per accidens illa media impediantur. Sic dedit principia naturalia, quibus parvulus in lucem edi poſſit, dedit parentes, & miniſtros Eccleſiæ, qui per ſe loquendo poſſunt Baptiſmum adhibere, quòd ſi ex malitia aut negligentia nolint adhibere, vel per cauſam naturalem, aut per malitiam aliorum impediantur, quò minùs hic & nunc poſſint, per accidens eſt.

Nonne frequenter videmus adultum peccatorem in amentiam incidere, vel ſubitò occidi, antequam hic & nunc poſſit pœnitere? Et hunc tamen Deus vult ſalvum fièri (ſed voluntate antecedente) quamvis ſalus ejus per accidens impediatur, Deo abſolutè nolente eum pœnitere, quia per peccatum poſitivè ſe reddidit indignum gratiâ efficaci pœnitendi.

Confirmatur exemplo Regis, qui vult omnes ſubditos rectè vivere, quando ex ſincero affectu rectæ vitæ omnium, adhibet leges rectas, & dat ſubditis occaſionem ſufficientem juxta illas vivendi, quamvis aliquando ad evitanda majora mala permittat, immo velit poſitivè aliquam occaſionem minoris mali (quam tamen abſolutè poſſet removere) ita exigente bono communi; & præſertim ſi ſubditus poſitivè ſe reddidit indignum remotione illius occaſionis. 143. Exemplum Regis qui vult omnes ſubditos rectè vivere.

Cùm ergo parvuli per peccatum originale poſitivè demeruerint gratiam efficacem, ſive remotionem omnium illorum, quæ aliquo modo poſſent impedire ſuſceptionem Baptiſmi, & per conſequens parvulorum ſalutem, nulla ipſis fit injuria, ſi Deus poſitivè nolit illa removere; & nihilominus ex ſincero affectu vult poſitivè illos ſalvos fieri, quia dat media, ſufficientia per ſe ad Baptiſmum conſequendum, & per conſequens ſalutem, licèt illa media hìc & nunc culpabiliter vel inculpabiliter non adhibeantur.

Scitè proinde dixit S. Proſper in reſp. ad 3. object. Vincent. *Omnium quidem hominum Deus creator eſt, ſed nemo ab eo ideo creatus eſt ut periret: ut enim naſcantur homines, Conditoris eſt beneficium: ut autem pereant, prævaricatoris eſt meritum.* S. Proſper.

Et hoc eſt quod aliqui hìc reſpondent, voluntatem illam Dei, quâ vult ut Baptiſmus parvulo non detur, eſſe quidem poſitivam reſpectu illius effectûs naturalis, per quem Baptiſmus impeditur, attamen ſolùm permiſſivam reſpectu damnationis parvuli; cùm ille effectus ſeu eventus naturalis ſit præter intentionem divinæ providentiæ particularis circa talem hominem, ex communi ſcilicet providentia naturali, quâ illum effectum naturalem cum reliquis ejuſdem ordinis diſpoſuit, non tamen illo fine, ut hunc vel illum hominem ſic privaret ſalute æternâ, ſed propter ſtatum univerſi conſervandum, qui labefactaretur, ſi Deus non ſineret cauſas, quas condidit, motus ſuos agere. 144. Quomodo voluntas Dei, quâ vult ut parvulo non detur Baptiſmus, ſit poſitiva, & quo modo tantùm permiſſiva.

Et

Et quidem ſi ante prævisum peccatum facta fuerit illa diſpoſitio, res conclamata eſt; ſin autem poſt prævisum peccatum, eſtò damnatio fuiſſet cauſa finalis, nihil indè incommodi; adhuc enim veriſſimè diceretur: *Nemo à Deo ideo creatus eſt ut pereat*, quia antequam Deus vellet damnationem, jam creatus erat, quòd ergo pereat, & Deus poſitivè velit ejus interitum, prævaricatoris eſt meritum: niſi enim in Adamo peccaſſet, ſecundùm diſpoſitionem cauſarum, quæ erat ante prævisum peccatum, ſalvus fuiſſet.

Puto ergo ſic Deum diſpoſuiſſe cauſas naturales, ut ſi Adam non peccaſſet, omnes non ſolùm poſſent ſalvari ſi vellent, ſed etiam abſolutè ſalvarentur: Adamo autem peccante, omnes quidem poſſent ſalvari, licèt in pœnam peccati originalis, vel actualis, aliqui forent damnandi.

145. Objectio. Dices: Deus potuiſſet ita diſponere cauſas naturales, ut, etiam Adamo peccante, omnes ſalvarentur, & hoc ſine labefactatione ſtatûs univerſi; nam ante prævisum peccatum ſic diſpoſuerat.

Reſponſio. Reſpondeo, illi videant qui labefactationem illam allegant; ego, ut verum fatear, non video, quare Deus, ſi voluiſſet, non potuiſſet ita diſponere cauſas naturales, ut omnes agerent ſuos motus naturales, ſimiliter cauſas liberas, ut omnes agerent ſuos motus liberos, & nihilominus omnes homines ſalvi fierent. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt. *Sed poſſet, inquit, etiam ipſorum* (malorum Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens eſt. Poſſet planè* (reſpondet D. Auguſtinus lib. 11. de Gen. ad litt. c. 10.) *Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt.* S. Auguſt.

Et lib. 14. de Civit. c. 27. ſic ait: *Ita factum eſt, ut nec Deum aliquid futurum lateret; nec præſciendo quemquam peccare compelleret; & quid intereſſet inter proprium cuiuſque præſumptionem, & ſuam tuitionem, angelica & humana rationali creatura conſequenti experientia demonſtraret. Quis enim audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre, atque ita quantum mali eorum ſuperbia, & quantum boni ſua gratia valeret, oſtendere.*

Et verò ſi Deus ſic ordinaſſet, ut neque Angelus, neque homo caderet, num ideo labefactaſſet ſtatum univerſi, aut impediviſſet, quò minùs Angelus aut homo liberos ſuos motus egiſſet? Non arbitror; quia de facto ſic ordinavit aliquorum vitam, ut nunquam cadant, quamquam liberè agant.

146. Inſtantia. Contrà, clamat aliquis; *Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre*: ergo ſi nec Angelus, neque homo cecidiſſet, Deus aliquid eorum poteſtati abſtuliſſet.

Solvitur. Reſpondeo; aliquid antecedenter, nego Conſequentiam; aliquid conſequenter, concedo totum: id eſt, abſtuliſſet ipſum actum malum, quia infallibiliter fuiſſet poſitus actus bonus; ſicuti de facto non dando gratiam efficacem, infallibiliter fuit poſitus actus malus, quantumvis antecedenter omnino liberè.

Hinc D. Auguſtinus lib. de Correp. & grat. c. 10 *Saluberrimè*, inquit, *confitemur, quod rectiſſimè credimus, Deum Dominumq; rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura eſſe præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala eſſe non ſinere, ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet ſua gratiæ beneficium, juſtitiæq; iudicium.* S. Aug.

Non ait: *Ut in ea priùs eſſet liberum arbitrium*; quia illud fuiſſet, tametſi nulla mala permiſiſſet; ſed, *ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium*; ſi enim vel Angelus, vel homo numquam peccaſſet, quamquam habuiſſent potentiam peccandi, tamen illa potentia ex facto illorum non innotuiſſet: ſimiliter non innotuiſſet quantum mali illorum ſuperbia, & quantum boni ſua gratia valeret; ut ergo hoc oſtenderet, noluit Deus actum peccati auferre eorum poteſtati, id eſt, noluit actum peccati impedire, ſicuti potuiſſet impedire, etiam ſalvâ libertate, ſi voluiſſet.

Dices; ſi potuit impedire: ergo debuit impedire; nam homo qui poteſt commodè impedire peccatum proximi ſui, & non impedit, peccat peccato alieno. Et ſi reſpondeas, Deus non potuit commodè impedire; quæro quod ſit illud incommodum. Ut enim mox dictum fuit, per illud impedimentum non fuiſſet ablata libertas creaturæ rationalis. 147. Inſtantia.

Planè non fuiſſet ablata libertas in actu primo, ſecùs in actu ſecundo; numquam enim poſitus fuiſſet actus malus, ac proinde conſequenti experientiâ creatura rationalis ignoraſſet ſe habere poteſtatem in actu primo malum operandi. Ut ergo conſervaretur creaturæ rationali libertas, etiam in actu ſecundo, planè conveniens erat, ut aliquam relinqueret Deus cum auxiliis tantùm ſufficientibus, ut ſic omnimodâ uteretur libertate, & ſuavitas ejus non tolleretur: nam, inquit Felix de Provid. cap. 1. diff. 7. n. 5. contra ejus ſuavitatem eſt, ut Deus ſemper auxilio ſpeciali concurrat ad omnes ſuas actiones. Solvitur.

Verbo ut abſolvam: *Scivit Deus magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala eſſe non ſinere.* Omnipotentiſſima ergo bonitas ratio fuit ſufficiens Deo non impediendi omnia peccata, etſi id potuiſſet facere ſalvâ libertate creaturæ rationalis. Ratio cur Deus non impedivit omnia peccata.

Cæterùm quantùm ad hominem lapſum, nulli 148.

Digitized by Google

nulli poteſt eſſe dubium, quin Deus juſtiſſimè propter primum peccatum aliquando ſubtrahat gratiam efficacem ad ſalutem æternam; quia tametſi nulli daret gratiam ſufficientem, quis ei dicere poſſet: Cur hoc facis? Prorſus convenit *quod ita diſpertiatur genus humanum*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 21. de Civit. c. 12. *ut in quibuſdam demonſtretur quid valeat miſericors gratia, in cæteris quid juſta vindicta. Neque enim utrumque demonſtraretur in omnibus, quia ſi omnes remanerent in pœnis juſtæ damnationis, in nullo appareret miſericors gratia redimentis; rurſus ſi omnes à tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret ſeveritas* (aliàs veritas) *ultionis. In qua propterea multò plures, quàm in illa ſunt, ut ſic oſtendatur, quid omnibus deberetur. Quòd ſi omnibus redderetur, juſtitiam judicantis* (aliàs vindicantis) *juſtè nemo reprehenderet: Quia verò tam multi exinde liberantur, eſt unde agantur maximæ gratiæ gratuito muneri liberantis.*

Et lib. de Prædeſt. SS. cap. 8. ſic inquit: *Cur autem non omnibus detur* fides, *fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes eſſe in condemnationem ſine dubitatione juſtiſſimam, ita ut in nullo Dei juſta eſſet reprehenſio, etiamſi nullus indè liberaretur; unde conſtat magnam eſſe gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoſcunt.*

149. Item Epiſt. 105. loquens de Jacob & Eſau ita ſcribit: *Ut cùm ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid egiſſent boni vel mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Jacob ex illa maſſa originalis iniquitatis, ubi fratrem ſuum, cum quo habuit communem cauſam, videt per juſtitiam meruiſſe damnari, non niſi per gratiam ſe potuiſſe diſcerni.*

Siquidem, teſte eodem S. Doct. lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Non Deus odit Eſau hominem, ſed odit Deus Eſau peccatorem. Et quid oderat in Eſau*, interrogat Epiſt. 105. *antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum?* Propter hoc ergo peccatum Eſau, & maximam multitudinem hominum, velut odio dignam, Deus roprobavit negativè, id eſt, in maſſa perditionis reliquit.

150. Cujus utique derelictionis effectus, veriſſimè aſſeritur ſubſtractio gratiæ efficacis, juxta illud D. Auguſtini Epiſt. 105. *Cujus vult miſeretur* (dando gratiam congruam) *non juſtitiæ, ſed miſericordiæ gratia: & quem vult indurat* (ſubtrahendo gratiam congruam) *non iniquitate, ſed veritate vindictæ.* Et infrà: *Quærimus meritum obdurationis, & invenimus: merito namq; peccati univerſa maſſa damnata eſt.*

Lib. 1. ad Simpl. q. 2. ſic legitur: *Ob hoc dicitur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur, non quia impellit ut peccent, eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam, æquitate occultiſſimâ, & ab humanis ſenſibus remotiſſimâ judicat.*

151. Accedat, quod habet lib. 2. de Peccat. merit. cap. 17. *Cum voluntate humana gratiâ adjuvante divinâ ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt. Sed ſi ex me quæritur, quare nolint, imus in longum. Verumtamen etiam hoc ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat ...... Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt* (non peccata propriè dicta) *quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt non in Deo* (qui dignos deſeri tantùm deſerit) *ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ* (id eſt, peccatum originale) *ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi filii ſint miſericordiæ.* ſit in hac vita ſine peccato, Peccati cauſæ duæ, Ignorantia & infirmitas.

Addo adhuc unam auctoritatem ex lib. de Geſtis Pelagii cap. 3. ibi: *Abſit autem ut ii* qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſcivit & prædeſtinavit conformes imaginis filii ſui, *ſuo ut pereant deſiderio dimittantur. Hoc enim patiuntur vaſa iræ quæ perfecta ſunt ad perditionem: quibus*, ut ait lib. Soliloq. c. 28. *omnia cooperantur in malum, & ipſa etiam oratio vertitur in peccatum, ut ſi etiam uſque ad cælos aſcenderint ...... quaſi ſterquilinium in fine perdentur.* Non quaſi oratio reprobi ſit ex ſe mala & peccaminoſa, ſed quia non adducit ad perfectum, id eſt, ad ſalutem æternam propter ſubſtractionem gratiæ efficacis finalis. 152. Prædeſtinati non dimittuntur ſuo deſiderio ut pereant, ſecùs reprobi.

Præclarè ſcripſit Divus Auguſtinus Epiſt. 106. *Hæc maſſa ſi eſſet ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vaſa in contumeliam. Cùm verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem univerſa defluxerit, procul dubio, quòd ex ea fiunt vaſa in honorem non ipſius juſtitiæ, quæ gratiam nulla præceſſit, ſed Dei miſericordiæ: quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ abſit ut ſit apud Deum, ſed judicio deputandum eſt.* Maſſa media.

His non obſtantibus, objicitur, quod docet Tridentinum ſeſſ. 5. §. 5. *Nihil eſt damnationis iis qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem: qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum qui ſecundùm Deum creatus eſt induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur.* Remoraretur autem aliquid, & aliquid damnationis ipſis eſſet, ſi propter peccatum originale dimiſſum, privarentur gratiâ efficaci finali. 153. Objectio ex Conc. Trid.

Quamvis ergo quæ hactenus dicta ſunt, benè probent de parvulis, qui ſine Baptiſmo moriuntur, minimè tamen de adultis, qui, remiſſo peccato originali per Baptiſmum, tandem in fine perduntur.

Digitized by Google

154. **Reſponſio.**

Propter peccatum originale, cui obnoxius homo jacuit, noluit Deus ipſum à perditionis maſſa diſcernere.

Reſpondeo breviter: propter originale delictum non poſſe quempiam immediatè excludi à regno cæleſtis hæreditatis; nihilque aliud Tridentinum voluiſſe: interim veriſſimum eſt, propter illam culpam, cui obnoxius homo jacuit, noluiſſe Deum ipſi totale beneficium liberationis decernere, & à perditione, ſic ut eam reipsâ evadat, liberare; hoc eſt, ſecundùm D. Auguſt. phraſim, noluiſſe ipſum à perditionis maſſa gratiæ ſeu beneficiorum ſuorum prædeſtinatione diſcernere, ac proinde voluiſſe eum finaliter in perditione relinquere.

Ex reliquiis peccati originalis fit ut baptizatus iterum cadat in perditionem.

Accedit, quòd ex reliquiis illius peccati (puta concupiſcentiâ ſeu fomite) quas gratia Chriſti non abſterſit, ut ibidem fatetur Trident ſed ad agonem reliquit, fiat ut baptizatus in ſtatum perditionis iterum cadat, in eoq; e maneat & moriatur. Radicaliter itaque oritur ſubſtractio gratiæ efficacis finalis ex peccato originali etiam remiſſo; quamvis enim culpa non maneat, propter quam ſit dignus damnatione, manet tamen pœna, ſcilicet concupiſcentia, per quam, ſemel culpâ extractus, novum iterum perditionis reatum incurrit.

Confirmatur; quia unum peccatum poteſt eſſe pœna alterius peccati perſonalis etiam remiſſi, cùm tamen neque ex illo peccato remiſſo aliquid damnationis maneat.

155. **Objectio ex Felice,**

Sed contrà, inquit Felix Princip. 1. Tract. 3. de Prædeſt. c. 6. diff. 2. n. 10. cum dignitate gloriæ incompoſſibilis eſt dignitas carendi auxilio efficaci ad perſeverandum in gratia, quia talis dignitas eſt alicujus, cum quo incompoſſibilis eſt vita æterna, quæ ſine perſeverantia in gratia impoſſibilis eſt: ergo ſi homo eſt dignus, ut privetur perſeverantiâ, etiam dignus eſt, ut privetur gloriâ, quæ eſſe non poteſt ſine perſeverantia: ergo ſimul eſſe non poteſt dignus eâdem gloriâ.

& occluſiones effugiorum ex eodem Auctore.

Si dixeris, non eſſe inconveniens utramque dignitatem conjungi, quia adhuc perſeverantia eſt in poteſtate cujuſque juſti ſaltem antecedenter. Contrà, inquit idem Auctor, etiam dices, juſtum propter peccatum præteritum eſſe dignum carere auxilio ſufficienti ad perſeverandum; nam non eſt major ratio ſufficientis, quàm congrui.

Dices ſecundò: Trident. loqui de pœna æterna, non de temporali, cùm in renatis maneat pœna mortis. Contrà, quia illa carentia gratiæ eſt pœna æterna; nam quantùm eſt ex parte ſua, privat Deo in æternum, immo major pœna eſt, quàm pœna ſenſûs inferni: ergo ſi in renatis, hujus non manet debitum, ita neque illius; unde mors, & fomes peccati, quæ manent in renatis, ſive ſint pœnæ, ſive pœnalitates, non ſunt aliquid damnationis, ſicut eſt carentia gratiæ. Quare licèt Adamus per peccatum contraxerit debitum ſibi, & poſteris carendi omni auxilio efficaci, tamen in renatis aufertur tale debitum, quia nihil damnationis eſt in illis.

Inſtabis; licèt peccatum Adæ ſit illi remiſſum, poteſt dici cauſa cujuſlibet permiſſionis peccati actualis; nam illo non peccante nullus poſterus peccaret. Reſpondetur negando: nam ut ait Scotus 2. diſt. 20. § *Dico*; etiamſi Adam non peccaret, poſteri poſſent peccare. Hæc ille.

Reſpondeo, hominem non eſſe ſimul dignum gloriâ & privatione gloriæ pro eodem tempore, & immediatè; bene tamen poſſe eſſe ſimul dignum gloriâ pro hoc tempore, & immediatè; pro alio verò & mediatè indignum. Igitur tametſi peccatum originale remiſſum ſit, adeoque pro illo tempore, is cui remiſſum eſt, immediatè dignus ſit gloriâ, adeò quòd ſi per poſſibile vel impoſſibile in illa gratia moreretur, conſequeretur gloriam; attamen poteſt eſſe dignus, ut pro tempore ſequenti careat auxilio efficaci ad vitandum peccatum finale, quo peccato poſito, jam ampliùs non manet dignitas ad gloriam, ſed ea immediatè eſt indignus, qui peccavit.

Probatur à ſimili: ſi quiſpiam eſſet reus capitis ac privationis omnium bonorum, poſſet Rex ipſi remittere injuriam ſibi illatam, & pro tempore non velle ipſum privare vitâ aut bonis ſuis, nihilominus pro alio tempore exigere pœnam privationis omnium bonorum, quamvis prævideret, quòd ex pœna illata ſequeretur nova injuria, per quam iteratò mereretur privationem vitæ.

Applico ad propoſitum: Deus poterat non pro perpetuo propter peccatũ originale privare gratiâ efficaci, & gloriâ æternâ (immo etiam, ſecundùm Felicẽ ſuprà n. 9. ſine omni peccato præviſo, quia homo haberet adhuc gratiam ſufficientem, quâ poſſet ſalvari ſi vellet) quamvis ergo pro tempore remiſerit illam pœnam, dando gratiam efficacem, per quam homo reconciliaretur ſibi, & etiam fieret dignus æternâ gloriâ; potuit nihilominus ex juſto judicio velle poſtmodum illam pœnam infligere, ſubtrahendo gratiam efficacem, tametſi prævideat, quòd ex illatione iſtius pœnæ ſequetur nova injuria erga Deum, puta peccatum mortale perſonale, per quam conſtituetur homo indignus immediatè gloriâ æternâ: præſertim cùm habeat gratiam ſufficientem vitandi illud peccatũm, & conſequenter retinendi dignitatem gloriæ.

Ex quo patet, illam carentiam gratiæ non eſſe pœnam æternam ſive damnationem; quia eâ poſitâ, liberum manet peccare vel non peccare, id eſt, homo adhuc poteſt non peccare, & liberè peccat, quod peccatum privat Deo in æternum, non autem carentia gratiæ quantùm eſt ex parte ſua. 158. Carentia gratiæ efficacis non eſt damnatio.

Confirmatur: quia poſſet Deus ſubtrahere gratiam efficacem, & non velle concurrere ad peccatũ; quâ utiq; viâ maneret dignitas gloriæ cum carentia gratiæ efficacis: ergo illa carentia non eſt immediata privatio Dei in æternũ.

Dices;

Digitized by Google

Dices; etiam poſſet Deus ſubtrahere gratiam ſufficientem, & non velle concurrere ad peccatum, adeoque eâdem viâ maneret dignitas gloriæ cum carentia gratiæ ſufficientis: ergo etiam hanc gratiam poſſet Deus ſubtrahere in pœnam peccati originalis remiſſi.

Reſpondeo negando hanc Conſequentiam: & rationem do diſparitatis; quòd ſubtractio omnis gratiæ ſufficientis inferret neceſſitatem damnationis, ita ut homo non poſſet ſalvari, tametſi vellet, ut patuit in dæmonibus, quibus Deus ſubtraxit à principio omnem gratiam ſufficientem, qui propterea non poterant ſalvari, tametſi vellent.

Non ſic Deus egit nobiſcum; ſed, etiam prævìſo peccato, omnes voluit ſalvos fieri, adeoque omnibus providit de gratia ſufficienti, id eſt, quâ poſſent ſalvi fieri, ſi vellent, & majorem incurrerent damnationem, ſi non obſervarent præcepta ejus, cùm illa poſſent obſervare, ſi vellent.

Et quoniam ſola gratia ſufficiens ſive incongrua non liberat à damnatione, ſed potiùs eam aggravat, defectu liberæ cooperationis voluntatis humanæ, hinc Sanctus Auguſtinus locis ſuprà allegatis noluit illam vocare *miſericordiam divinam*, ſed illam vocem appropriavit gratiæ congruæ ſive efficaci; præſertim cùm gratia ſufficiens ſit omnibus communis. Unde à Sancto Proſpero vocatur gratia ſeu benignitas generalis lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 25. ibi: *Et quàm nulla eſt ambiguitas de benignitate generali; tam de ſpeciali miſericordia nihil quod ſtupendum eſſet exiſteret, ac proinde illa eſſet gratia, iſta non eſſet.*

Illius ergo propriè miſeretur Deus ſecundùm phraſim Divi Auguſtini, & aliorum SS. Patrum, quem ſic vocat, quomodo ſit ei congruere, ut vocantem non reſpuat. Alioquin, ut bene notavit D. Bernardus Serm. 1. in Pentec. *Multi moventur ut bene faciant, ſed minimè ſciunt quid agendum ſit, niſi adſit denuò gratia Spiritûs ſancti, ut quam inſpirat cogitationem doceat in opus proferre, ne vacua in nobis ſit gratia Dei. Sed quid? Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi gratia*: & ideo illa gratia minùs meretur nomen miſericordiæ.

Cæterùm, an poſteri Adæ potuiſſent peccare, illo non peccante, parùm refert ad noſtrum propoſitum: ſaltem non potuiſſent peccare, ſive non peccaſſent finaliter; adeoque peccatum originale remiſſum, poteſt dici cauſa permiſſionis peccati finalis.

161. Quidquid ergo ſit de hac controverſia, an Deus poſſet ſubtrahere gratiam ſufficientem propter originale remiſſum, quemadmodum ſubtrahit gratiam efficacem; dicimus interim non ſolùm non ſubtrahere omnem gratiam ſufficientem propter originale remiſſum, ſed nec etiam propter originale non remiſſum; imò nec propter peccata perſonalia, quantumvis plurima & graviſſima, quamdiu homo vivit, vel ſi pro aliquo tempore ſubtrahat, hominem non peccare, ſaltem demeritoriè, in illis quæ defectu iſtius gratiæ neceſſariò omittit, cùm agere deberet, vel neceſſariò facit, cùm omittere deberet. *Vel ſi aliquando ſubtrahit, homo non peccat demeritoriè in eo quod neceſſariò facit defectu illius gratiæ.*

Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſumma iniquitatis & inſaniæ eſt, inquit D. Auguſt. lib. 1. Retract. c. 15. *S. Auguſt.* *Quis enim* (interrogat idem S. Doctor lib. 3. de libero arbit. c. 18.) *peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt?* Et c. 17 ſic ait: *Hoc breviſſimum tene; quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur.*

Ut autem oſtendat, hominem poſſe reſiſtere malæ voluntati, adeoque Deum non ſubtrahere omnem gratiam ſufficientem propter peccatum originale, vel perſonale, cap. 19 ejuſdem libri ita ſcribit: *Quieſcant* homines, *& adverſus Deum murmurare deſinant. Rectè enim fortaſſis quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret. Cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem, averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitùs ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis; iſta tua propria* (& propriè) *peccata ſunt.* 162. *Homo poteſt reſiſtere malæ voluntati ex D. Auguſt.*

Nulli enim hominum ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec laborat. Nam illud quod ignorans quiſque non rectè facit, & quod rectè volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit iſta ſequentia; nam ſicut linguam dicimus, non ſolùm membrum quod movemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud, quod hujus membri motum conſequitur, id eſt, formam tenoremq; verborum, ſecundùm quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina; ſic non ſolùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum; liberâ enim voluntate, & ab ſciente committitur, ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt.

Quæris à me, quod ſit illud? *Sunt etiam*, inquit Sanctus Auguſtinus ibidem cap. 18. *neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt: nam unde ſunt illæ voces:* Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. *Et illud*: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. *Et illud*: Caro concupiſcit adversùs ſpiritum; ſpiritus autem adversùs carnem. *Sed hoc peccatum*, verba ſunt Sancti Auguſtini lib. 1. Retract. cap. 15. *de quo ſic eſt locutus Apoſtolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, &* 163. *Quod ſit illud peccatum, quod conſequitur de ſupplicio peccati originalis.* *S. Aug. Rom. 7. v. 18. & 19. Gal. 5. v. 17.*

Digitized by Google

eſt, & pœna peccati eſt: quandoquidem hoc de concupiſcentia carnis dicitur.

Concupiſcentia, Conc. Trid.

Concupiſcentia itaque illud peccatum eſt, de quo Trident. ſeſſ. 5. §. 5. *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Sicut Scriptura*, inquit S. Auguſtinus ad Bonif. lib. 1. c. 13. *manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit.*

164. & ignorantia, etiam in puero recenter nato. S. Auguſt.

Nec ſola concupiſcentia illud peccatum eſt, ſed ignorantia quoque, non tantùm in homine adulto, ſed etiam illa, quâ puer recèns natus obruitur, *neſciens*, ut ait D. Auguſtinus lib. 1. de Peccat. merit c. 36. *ubi ſit, quid ſit, à quo creatus, à quibus genitus, tam reus delicti, necdum capax præcepti, tam profundâ ignorantiæ caligine involutus, & preſſus, ut neque tamquam de ſomno excitari poſſit* &c.

Et in principio capitis ſic ait: *Illas, inquam, conſideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus & Deum prorſus ignorant* (infantes) *cuius Sacramentis etiam cùm baptizantur obſiſtunt. In has quæro unde & quando ſubmerſi ſint? Itane verò eas hìc contraxerunt, & in hac vita ſua iam propria per nimiam negligentiam obliti ſunt Deum, prudentes verò & religioſi vixerunt vel in uteris matrum? Dicant iſta qui auſi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint. Ego autem puto, quòd omnes, quorum mentes non obnubilat defendendæ ſuæ ſententiæ pervicacia, hæc ſentire non poſſunt.*

Hanc autem ignorantiam malam eſſe, & peccati pœnam, ibidem his verbis declarat: *An nullum eſt ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum? Et quid ait illa vox; delicta iuventutis & ignorantiæ meæ ne memineris?*

Pſal. 24. v. 7.

165. Ignorantia non eſt peccatum propriè dictum in parvulis, S. Auguſt. ſed magnum aliquod malum ortum ex primo peccato.

Putas verò, quòd ignorantia illa infantium, qui necdum utuntur ratione, ſit peccatum propriè dictum? Noli hoc putare, ſi non vis errare. Peccatum eſt impropriè dictum, id eſt, malum aliquod ortum ex primo peccato: *Hoc tam magnum*, inquit in fine capitis, *ignorantiæ atque infirmitatis malum, ſi in hac vita iam nati parvuli contraxerunt, ubi, quando, quomodo magnâ aliquâ impietate commiſſâ repentè tantis tenebris involuti ſunt?* Atque hanc ignorantiam peccati pœnam eſſe, ita probat eodem capite: *Si natura eſt hominis ſic incipere, & non iam vitioſa eſt iſta natura, cur non talis creatus eſt Adam? Cur ille capax præcepti?* &c.

166. Ut etiam ignorantia & concupiſcentia in quolibet baptizato.

Porrò eamdem ignorantiam, uti & concupiſcentiam, eſſe malum ſeu peccatum impropriè, etiam in quolibet baptizato, docet hiſce verbis lib. 6. contra Julianum cap. 16. *Tu autem* (alloquitur Julianum) *qui putas, quòd ſi malum eſſet concupiſcentia, careret eâ qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Numquid enim caret corruptione corporis? An non eſt malum quod aggravat animam? Et erravit qui dixit, corpus enim corruptibile aggravat animam? Numquid caret ignorantiæ malo, per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala?* (Mala, inquam, non peccata propriè dicta.) *An parvum malum eſt, per quod homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei? De baptizatis nempe dicebat Apoſtolus: Animalis homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia eſt enim illi, & non poteſt ſcire, quoniam ſpiritualiter diiudicatur.*

Et poſt pauca concludens ait: *Non igitur caruerant tantæ ignorantiæ malo in lavacro regenerationis, ubi tamen omnibus caruerant ſine dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum, templo Dei, in quo habitabat Spiritus Dei, ſtultitia erant, quæ ſunt Spiritus Dei.*

Non gravetur Lector, ſi adhuc exſcripſero unum teſtimonium hujus veritatis ex eodem Sancto Doctore lib. 1. Retract. cap. 9. ubi ſic ait: *Ad quam miſeriam iuſtæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas* (id eſt, concupiſcentia) *quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis ſuæ, nec ab iſto malo, niſi Dei gratiâ quiſquam liberatur. Quam miſeriam Pelagiani nolunt ex iuſta damnatione Dei deſcendere negantes originale peccatum.*

Hæc teſtimonia ſi vera ſint (de quo nemo poteſt Catholicè dubitare) quomodo verè S. Auguſtinus verbis ultimò relatis illicò ſubjunxit: *Quamvis ignorantia & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet, ſicut in eodem tertio libro* (de libero arbitr.) *diſputavimus?* Cur, inquam, laudandus Deus, ſi tanta mala forent hominis primordia naturalia?

Exponam breviter verbis Divi Auguſtini, deſumptis ex lib. 3. citato c. 20. *Non mediocria bona ſunt, non ſolùm quod anima eſt, quâ natura iam omne corpus præcedit, ſed etiam quod facultatem habet, ut adiuvante Creatore ſeipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante* (id eſt concupiſcentia) *& ab ignorantia cæcante liberetur.*

Quod ſi ita eſt, non erit naſcentibus animis ignorantia & difficultas ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium: Non enim ante omne meritum boni operis parum eſt accepiſſe naturale iudicium, quo ſapientiam præponat errori, & difficultati quietem, ut ad hæc non naſcendo, ſed ſtudendo perveniat. Quòd ſi agere noluerit, peccati rea iure tenebitur, tamquam non bene uſa ſit eâ facultate, quam accepit. Quamquam enim in ignorantia & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in eo, quod nata eſt, aliquâ neceſſitate comprimitur; neque omnino potuit, niſi Deus omnipotens eſſet etiam talium Creator animarum, quas & non dilectus ipſe faciat, & diligens eas reficiat, & dilectus ipſe perficiat; qui & non exiſtentibus præſtat ut ſint, & amantibus eum à quo ſunt, præſtat ut beata ſint.

Si verò

Digitized by Google

Si verò in Dei aliquo ſecreto iam exiſtentes animæ mittuntur ad inſpiranda & regenda corpora ſingulorum quorumque naſcentium, ad hoc utique mittuntur officium, ut corpus quod de pœna peccati, hoc eſt, de mortalitate hominis naſcitur bene adminiſtrando, id eſt, caſtigando per virtutes, & ordinatiſſimè atque legitimè ſervituti ſubiiciendo, & ipſi comparent ordine atque tempore opportuno cœleſtis incorruptionis locum. Quæ cùm introeunt in hanc vitam, ſubeuntq́ gestanda membra mortalia, ſubeant etiam neceſſe eſt & oblivionem vitæ prioris, & præſentis laborem, unde illa ignorantia & difficultas conſequitur, quòd in primo homine ſupplicium mortalitatis fuit ad animi expendendam miſeriam: in iſtis autem ianua miniſterii ad reparandam corporis incorruptionem.

Nam hoc quoque modo non dicuntur iſta peccata, niſi quia caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad ſe animis hanc ignorantiam & difficultatem facit, quæ neque his, neque Creatori tamquam culpanda tribuatur. Dedit enim ille (Creator) *& facultatem bene operandi in laborioſis officiis, & viam fidei in oblivionis cæcitate. Indicium illud vel maximè, quod anima omnis & quærendum eſſe concedit, quod inutiliter neſcit, & perſeveranter in officioſis laboribus enitendum ad evincendam rectè faciendi difficultatem, & opem à Creatore implorandam, ut conantem adiuvet, qui vel extrinſecùs lege, vel in intimis cordis allocutione conandum eſſe præcepit, & præparat civitatis beatiſſimæ gloriam triumphantibus de illo, qui primum hominem ad iſtam miſeriam perduxit victum peſſimâ ſuaſione* &c.

9. Et poſt pauca: *Si autem alibi animæ conſtitutæ non mittuntur à Domino Deo, ſed ſuâ ſponte ad inhabitandum corpora veniunt, facilè eſt iam hoc videre, quidquid ignorantiæ difficultatiſq́ ſecutum fuerit earum propriam voluntatem, nullo modo Creatorem hinc eſſe culpandum; quandoquidem etiamſi eas ipſe miſiſſet, quibus etiam in ipſa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi & quærendi & conandi non abſtulit, daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus, omnino extra culpam eſſet. Hanc enim ignorantiam & difficultatem ſtudioſis & benevolis evincendam ad coronam gloriæ valere præſtaret, negligentibus autem & peccata ſua de infirmitate defendere volentibus, non ipſam ignorantiam difficultatemq́ pro crimine obiiceret; ſed quia in eis potiùs permanere, quàm ſtudio quærendi atque diſcendi, & humilitate confitendi atque orandi ad veritatem ac facilitatem pervenire voluerunt, iuſto ſupplicio vindicaret.* Huc uſque Auguſtinus, ut verum fatear, intellectu difficilis.

170. Exiſtimo, ſalvo meliori, intelligi poſſe de primis noſtris Parentibus, qui dato quòd in difficultate & ignorantia creati fuiſſent à Deo, non tamen ſic Deus culpandus fuiſſet, quia ſaltem facultatem habuiſſent, ut adjuvante Creatore ſeipſos excolerent, & pio ſtudio poſſent omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberarentur.

Ignorantia & difficultas (inquit D. Auguſt. ibidem c. 22.) *ſi naturalis eſt, indè incipit anima proficere, & ad cognitionem & requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri. Quem profectum in ſtudiis optimis atque pietate, quorum facultas ei non negata eſt, ſi propriâ voluntate neglexerit; iuſtè in graviorem, quæ iam pœnalis eſt, ignorantiam difficultatemq́ præcipitatur; decentiſſimo & convenientiſſimo rerum moderamine in inferioribus ordinante. Non enim quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatum: ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facilitati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit.*

Cùm ergo primi parentes Adam & Eva, quamquam creati in juſtitia, in ſumma facultate, & plena ſcientia ſeu cognitione rerum naturalium, & ſupernaturalium, nihilominus dignam ad rectè faciendum operam non dederint, ſed propriâ voluntate neglexerint profectum in ſtudiis optimis atque pietate, quid mirum ſi ipſi juſtè in graviorem, quæ jam pœnalis eſt, ignorantiam difficultatemque præcipitati fuerint, & poſteri eorum quotidie præcipitentur?

qui licèt in ſumma facultate & plena ſcientia fuerint creati, tamen propriâ voluntate neglexerunt profectum in pietate.

Sanè tametſi Deus nulli dediſſet facultatem ſe liberandi ab hac ignorantia, & difficultate, de injuſtitia minimè argui poſſet, ut ſuprà oſtendimus ex D. Auguſtino: *Pœna æterna* (inquit ille l. 21. de Civit. c. 12.) *ideò dura & iniuſta ſenſibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuum, deeſt ille ſenſus altiſſimæ puriſſimæq́ ſapientiæ, quo ſentiri poſſit, quantum nefas in illa prima prævaricatione commiſſum ſit. Quantò enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum, & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum.* 171.

171. Tametſi Deus nulli homini lapſo dediſſet facultatem ſe liberandi ab hac ignorantia &c. difficultate, non foret injuſtus. *S. Auguſt.*

Quid evidentius, quàm mors parvulorum, antequam poſſint ſeipſos liberare à difficultate cruciante, & ignorantia cæcante? Quòd ergo adulti habeant hanc facultatem, gratiâ fit, gratìs fit, gratiæ ſunt agendæ quia fit.

Rogas, unde ſciam quia fit? Reſpondeo; quia Deus ipſe eſt Salvator omnium hominum, ipſe eſt qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, adeò ut etiam parvulis in parentibus providerit media neceſſaria ad eorum ſalutem, in qua pleniſſimè veritatem agnoſcent. Quippe, quoniam communis erat natura & cauſa parvulorum & adultorum, planè conveniebat, ut Deus, qui omnes vult ſalvare, omnibus præpararet media neceſſaria, quibus ſalutem conſequi poſſent, ſi non propriâ voluntate, ſaltem alienâ.

Quin verò cauſæ communitas, adde, & pretii dignitas non videntur ſufficere ad veritatem illius ſententiæ generalis, niſi Chriſtus pretium illud obtulerit: propter iſtam cauſam 172.

172. Cauſæ communitas & pretii dignitas non

videntur ſufficere ad veritatem dicti Apoſt. *Qui vult omnes homines &c.* Probatio à ſimili.

communem omnibus, & pro omnibus, intendens omnibus reconciliationem quantùm erat ex parte Patris, & ſuâ.

Probatur à ſimili: ſi plures ſint rei mortis ob idem delictum, & dives quiſpiam judici offerat pretium condignum redemptioni omnium, non dicetur omnes redemiſſe, niſi pro omnibus pretium obtulerit, tametſi fortè nullum poſitivè excluſerit, ſed circa quoſdam negativè ſe habuerit, ſciens judicis voluntatem circa iſtos non eſſe placabilem: immo quamvis habuerit ſimplicem complacentiam circa iſtorum redemptionem; quam utique poteſt habere, tametſi nullo modo velit iſtos redimere. Unde & Deus ſimplici complacentiâ verſatur circa ſalutem dæmonum, quia res de ſe bona eſt.

173.
Poſitiva Chriſti oblatio pro omnibus probatur ex Script.

Cæterùm, poſitivam Chriſti oblationem pro omnibus, optimè colligimus ex illis Scripturis, quibus dicitur: *Dediſſe ſeipſum redemptionem pro omnibus: Dediſſe ſemetipſum pro peccatis noſtris: Dediſſe ſemetipſum pro nobis ut nos redimeret*: non enim datur quidpiam pro aliquo, niſi dans illud offerat pro eo, intendens ipſum obtinere quod emitur vel redimitur; nam datio pretii pro merce eſt contractus, qui abſque poſitiva oblatione dantis, & acceptatione reddentis non conſummatur.

Iſa. 53. Hebr. 7. 1. Pet. 3.

Hinc alibi Scriptura vocat Chriſti redemptionem, *Oblationem.* Iſa. 53. v. 7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Hebr. 7. v. 27. *Hoc enim ſemel fecit ſeipſum offerendo.* 1. Pet. 3. v. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo.*

174.
Quomodo intelligendi PP. qui dicunt, Chriſtum mortuum pro omnibus quoad cauſæ communitatem.

Patres ergo qui dicunt, Chriſtum mortuum pro omnibus quoad cauſæ communitatem, & pretii dignitatem, intelligendi veniunt juxta jam dicta, ut etiam propter talem cauſam pretium illud obtulerit, neminem excludendo, ſed omnes poſitivè includendo: cùm enim habuerit omnium notitiam, ſi neminem expreſsè excluſit, videtur omnes poſitivè incluſiſſe, quantùm ad media ſufficientia; ſecùs quantùm ad media efficacia, ut verè dicere potuerit Apoſtolus Rom. 9. v. 21. & 22. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Rom. 9.

175.
Deus oſtendit divitias gloriæ ſuæ, quando uni providet gratiam efficacem, alteri tantùm ſufficientem.
Rom. 9.

Nonne ſatis oſtendit divitias gloriæ ſuæ, quando aliquibus providet gratiam efficacem cum qua infallibiliter ſalventur, aliis tantùm gratiam ſufficientem, cum qua infallibiliter damnentur? *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit: Miſerebor, cuius miſereor; & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Hæc Apoſtolus Rom. 9. v. 11. & ſequentibus.

Sed quomodo Pharaonem induravit? Nonne ſubtrahendo omnem gratiam ſufficientem? 176.
Ut ita eſſet, adhuc Concluſio noſtra ſubſiſteter, dummodo admittas aliquando habuiſſe gratiam ſufficientem, quâ ſi bene uſus fuiſſet, Deus numquam illam ſubtraxiſſet. Et dato, quòd pro aliquo tempore Deus illam ſubtraxerit, dico, pro illo tempore non peccaſſe, ſaltem demeritoriè, contra illa præcepta, quibus abſolutè ſine gratia Dei non poterat obtemperare.

Sic aliqui interpretantur hæc verba D. Auguſtini in Expoſ. quarumdam propoſitionum ex Epiſt. ad Rom. *Legimus in Exodo*: Obduratum eſt cor Pharaonis, ut tam evidentibus ſignis non moveretur. *Quòd ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, iam de ſupplicio veniebat. Non autem quiſquam poteſt dicere obdurationem illam cordis immeritò accidiſſe Pharaoni, ſed iudicio Dei retribuentis incredulitati eius debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur quòd tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.* Sic, inquam, quidam intelligunt iſta verba, ut excuſent Pharaonem à demerito poſtquam cor ejus fuit obduratum, eò quòd obdurato corde obtemperare non poterat.

177.
Siquidem teſtimonio D. Auguſtini lib. de vera Relig. c. 14. *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum* (propriè dictum & demeritorium) *ſi non ſit voluntarium*, hoc eſt, liberum libertate indifferentiæ. *Et hoc quidem manifeſtum eſt, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi. Non autem rectè negat peccaſſe animam, qui & pœnitendo eam corrigi fatetur, & veniam pœnitenti dari, & perſeverantem in peccatis iuſtâ lege Dei damnari. Poſtremò ſi non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus. Quibus ſublatis Chriſtiana lex & diſciplina omnis Religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus iudicavit, ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* Ecce voluntatem non coactioni, ſed neceſſitati opponit.

Si ergo quæris à me, quid ſit voluntate 178.
peccare?

Digitized by Google

peccare? Reſp. ex D. Auguſt. lib. de duabus animabus c. 12. *Dicere animas & eſſe malas, & nihil peccare, plenum eſt dementiæ: dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt: & peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ non voluntate faciunt: id eſt, ſi libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent: ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.*

Si ergo Pharaoni jam obdurato, nulla erat poteſtas obtemperandi, jure merito non hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperarit. Sed quia hoc aliquibus incredibile videtur, hinc docent, Pharoni, etiam obdurato, non in totum fuiſſe opem gratiæ ſubtractam, ſed habuiſſe aliquam poteſtatem obtemperandi, quamvis non proximam & expeditam, habuiſſe, inquam, poteſtatem phyſicam, quamvis fortè non moralem; habuiſſe moralem, id eſt, aliquod auxilium gratiæ, quamvis non tam abundans, ſicuti ante obdurationem.

9. ine D. e ob- one to-

Quæ ne gratìs dicta videantur, attendite & intendite his, quæ S. Auguſt. docet de obduratione ſeu induratione peccatorum. Epiſt. 105. ſic ſcriptum invenio: *Quærimus meritum obdurationis, & invenimus. Merito namque peccati univerſa maſſa damnata eſt; nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur; at potiùs ut non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum miſericordiæ, nec invenimus, quia nullum eſt, ne gratia evacuetur, ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur.*

lligit ram tractio- mile- rdiæ, , gra- fficacis lis.

Hìc, ut vides, per obdurationem S. Doctor intelligit ſubſtractionem miſericordiæ, id eſt, gratiæ efficacis ſive congruæ, maximè gratiæ finalis, & illam ſubſtractionem tribuit merito primi peccati. Explicat autem illa verba Apoſtoli Rom. 9. v. 18. *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Et verò inter illos obduratos Apoſtolus enumerat Pharaonem, ibi: *Dicit enim Scriptura Pharaoni; quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam* &c. Et continuò attexit: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Adeoque vel Pharao poterat abſolutè obtemperare non obſtante ſuâ induratione, vel nullus reprobus poteſt; quia Auguſtinus hìc omnes reprobos vocat obduratos.

180 xplicatur S. Aug. cus Apoſt om. 1. uia cùm cognoviſſent. &c.

Sed pergamus ad alia loca S. Auguſtini. Lib. 5. contra Julianum c. 3. tractans illum locum Apoſtoli Rom. 1. v. 21. & ſeqq. *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt,* &c. *Propter quod tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ* &c. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt;* ſic inquit: *Curavit Apoſtolus dicere quanta pœna ſit à Deo tradi paſſionibus ignominiæ, ſive deſerendo, ſive alio quocumque vel explicabili vel inexplicabili modo, quo facit hæc ſummè bonus & ineffabiliter iuſtus.* Nam fœminæ eorum, *inquit*, immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relinquentes naturalem uſum fœminæ, exarſerunt in appetitum ſuum in invicem &c. *Quid hoc evidentius, quid apertius, quid expreſſius?* Mercedem mutuam recepiſſe *dicit*, *utique damnatos ut tanta operarentur mala* (quis dubitet obduratos?) *& tamen iſta damnatio etiam reatus eſt, quo gravius implicantur. Ita & peccata ſunt iſta, & pœna præcedentium peccatorum.*

Putas autem, quia illa peccata non fuerint imputata? Non eſt credibile. *Tam multa*, inquit Aug. Enarr. in Pſalm. 57. *dicit Apoſtolus fieri ab eis, quæ peccata ſunt deteſtabilia, & tamen pœnas eas dicit:* Propter hoc, *inquit*, Deus tradidit eos in concupiſcentiam cordis eorum in immunditiam, ut faciant quæ non conveniunt. *Et ne putaret quiſquam ipſis pœnis tantùm ſe affligi, quibus modò delectatur, & non timeret quod venturum eſt in fine, commemoravit ultimam pœnam: Qui cùm iuſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, inquit, quoniam qui ea agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* 181. Peccata de quibus ibi loquitur Apoſt fuerunt Ethnicis imputata. Rom 1. v. ult.

Accedat teſtimonium ejuſdem S. Doctoris ex lib. 5. contra Julianum c. 3. aliàs 4. *Tradit Deus in paſſiones ignominiæ ut fiant quæ non conveniunt, ſed ipſe convenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorum.* Merita, inquam: ergo illis peccatis merebantur ſupplicia futura, id eſt, æterna.

Quæris quo modo hæc faciat Deus? Reſpondet Aug. ſuprà: *Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui novit iuſta iudicia ſua, non ſolùm in corporibus hominum, ſed & in ipſis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, ſed utitur eis ut voluerit; cùm aliquid iniquè velle non poſſit. Exaudit propitius, non exaudit iratus. Et rurſus non exaudit propitius, exaudit iratus. Parcit propitius, non parcit iratus. Et rurſus non parcit propitius, parcit iratus; atque in his omnibus bonus perſeverat & iuſtus.* Hæc ille; quæ, ſi placet, applicemus Pharaoni. 182 Quomodo Deus tradat in paſſiones ignominiæ ex D. Aug.

D. Auguſt. qq. ſuper Exodum q. 18. commentans illud Exod. 7. v. 3. *Sed ego indurabo cor eius*, id eſt, Pharaonis, *Vtitur*, inquit, *Deus bene cordibus malis, ad id quod vult oſtendere bonis, vel quid facturus eſt bonis. Et quamvis uniuſcuiuſque cordis in malitia qualitas, id eſt, quale cor habeat ad malum, ſuo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis: & tamen qualitate malâ ut huc vel illuc moveatur, cùm ſive huc vel illuc malè moveatur, cauſis fit quibus animus propellitur: quæ cauſæ ut exiſtant, vel non exiſtant, non eſt in hominis poteſtate, ſed veniunt ex occulta providentia iuſtiſſima planè & ſapientiſſimâ, univerſum quod creavit diſponentis & adminiſtrantis Dei.* Explicatur ex D. Aug illa verba Exod I Ego indurabo &c.

Vt

Digitized by Google

183. Ut cor Pharaonis non moveretur patientiâ Dei, vitii proprii fuit. *Vt ergo tale cor haberet Pharao, quod patientiâ Dei non moveretur* (non dicit, *non poſſet moveri*, ſed, *non moveretur*) *ad pietatem, ſed potiùs ad impietatem, vitii proprii fuit. Quod verò facta ſunt ea, quibus cor ſuo vitio tam malignum reſiſteret juſſionibus Dei: hoc eſt enim quod dicitur*, Induratum, *quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat* (id eſt, quia non faciliter & humiliter obtemperabat juſſionibus divinis, ſed contumaciter & ſuperbè repellebat gratiam Dei, quâ potuiſſet obtemperare ſi voluiſſet) *diſpenſationis fuit divinæ, quâ tali cordi non ſolùm juſta, ſed evidenter juſta pœna parabatur, quâ timentes Deum corrigerentur.*

Propoſito quippe lucro v. g. propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor moventur: ille ſcilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipſius tamen lucri propoſitio in alicuius illorum non fuit poteſtate. Ita cauſæ veniunt hominibus malis, quæ non ſunt quidem in eorum poteſtate, ſed hoc de illis faciunt, quales illos invenerint jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Videndum ſanè eſt, utrùm etiam ſic accipi poſſit: Ego indurabo: *tanquam diceret, quàm durum ſit, demonſtrabo.*

184. Ad hoc non fuit neceſſarium ut Deus ſubtraheret omnem gratiã ſufficientem. Sed nunquid ut eſſet durum cor Pharaonis, neceſſarium erat, ut Deus ſubtraheret ipſi omnem gratiam, etiam remotè ſufficientem, quâ, licèt difficulter, poſſet implere mandata divina ſi vellet? Nonne durum ſatìs demonſtrabat, ſubtrahendo gratiam efficacem, per quam non ſolùm potuiſſet obtemperare Pharao, ſed etiam obtemperaſſet mandato divino, cui jam noluit obtemperare, etſi toties Dei plagâ percuſſus?

Tempore D. Auguſtini (ut ipſe refert Serm. 88. de temp.) non ſolùm laici, ſed etiam aliqui Clerici dicebant inter ſe: *Cur iniquitas illa Pharaoni imputatur, cùm Dominus cor illius obduraſſe referatur?* Ad quam quæſtionem ita reſpondet S. Doctor in illo Sermone: *Primò hoc fideliter & firmiter credat dilectio veſtra, quia nunquam priùs Deus deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur. Cùm enim & ſemel, & ſecundò, & tertiò unuſquiſque gravia peccata commiſerit, expectat tamen illum Deus, ſicut per Prophetam dicit*, ut convertatur & vivat. *Cùm verò* [Ezech. 33. v. 11.] *in peccatis ſuis cœperit permanere, de multitudine peccatorum naſcitur deſperatio, ex deſperatione obduratio generatur: dum homines negligentes imprimìs deſpiciunt peccata ſua, quia parva ſunt, creſcentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt & demergunt. Quod cùm factum fuerit, impletur hoc quod ſcriptum eſt:* Peccator [Proverb. 18. v. 3.] cùm venerit in profundum malorum, contemnit. *De talibus & Apoſtolus dicit: Ignoras quod patientia Dei ad Pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ.* [Rom. 2. v. 4. & 5.]

185. Obduratio Et adductis aliis Scripturis ad idem propoſitum concludit dicens: *Iſta teſtimonia Scripturarum ideo Charitati veſtræ inſinuare volui, ut intelligatis, quia & obduratio non Dei potentiâ compellente perficitur, ſed Dei remiſſione vel indulgentiâ generatur: ac ſic Pharaonem non divina potentia* (compellens) *ſed divina patientia credenda eſt obduraſſe.* Potentia, inquam, compellens, id eſt, cogens ſeu neceſſitans ad peccandum.

Qui dicit (inquit S. Proſper ad cap. Gall. Sent. 11.) *quòd per potentiam Deus homines in peccata compellat, meritò reprehenditur. Nec enim Deus qui juſtitiæ & bonitatis auctor eſt, & cujus omnia ſtatuta & mandata contra peccatum ſunt, quemquam ad peccandum cogere* (id eſt neceſſitare) *& ab innocentia in facinora præcipitare credendus eſt. Si qui autem tam profundæ impietatis ſunt, ut extra remedium correctionis habeantur, non à Deo incrementa iniquitatis accipiunt, ſed per ſemetipſos deteriores fiunt, quia relinqui à Deo, ac ſibi, ac deceptoribus ſuis tradi propter præcedentia peccata meruerunt, ut eis peccatum ſit ipſa etiam pœna peccati.*

Alioquin Deum obdurare aliquando peccatorem, & tradere deſideriis ſuis, non ſolùm per patientiam, ſed etiam per potentiam, expreſſis verbis docet S. Aug. lib. 5. contra Iul. c. 3. ibi: *Quid eſt autem quod dicis* (alloquitur Julianum) *cum deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata compulſi: quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apoſtolus & patientiam & potentiam ubi ait:* Sic autem volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ; quæ perfecta ſunt in perditionem, 186.

Quid bonum tamen dicis eſſe quod ſcriptum eſt: Et Propheta ſi erraverit, & locutus fuerit, ego Dominus ſeduxi Prophetam illum, & extendam manum meam ſuper eum, & exterminabo eum de medio populi mei Iſraël: *Patientia eſt an potentia? Quodlibet eligas, vel utrumque fatearis, vides tamen falſa prophetantis peccatum eſſe, pœnamq; peccati. An & hic dicturus es, quod ait:* Ego Dominus ſeduxi Prophetam illum, *intelligendum eſt, deſerui, ut pro eius meritis ſeductus erraret? Age ut vis, tamen eo modo punitus eſt pro peccato, ut falsò prophetando peccaret.* Hæc ille.

Et ſi quæras à me, an ergo Auguſtinus 187. aliquando docuerit, Deum homines per potentiam in peccata compellere, id eſt, ad peccandum cogere ſeu neceſſitare? Reſp. negativè, ut patet ex Proſpero ſuprà, ubi Auguſtinum defendit à calumniis Adverſariorum, *in nullo recedens*, ut ait Præfatione in reſp. ad cap. Gall. *à tramite earum definitionum, quæ in ſancti Viri diſputationibus continentur.*

Quid eſt ergo quod dicit D. Auguſt. *Deum* tradere hominem deſideriis ſuis non tantùm per patientiam, ſed etiam per potentiam? *Quis ita deſipiat*, inquit ille ſuprà cap. 4. *ut cùm audierit quod in Pſalmo canitur:* Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori; *hoc dicat eſſe homi-*

hominem, ne Deus ſit patiens erga illum, ſi Deus non tradit, ut mala fiant, niſi patientem bonitatem præbendo cùm fiunt? Quid eſt autem quod quotidie
v. 13 *dicimus:* Ne nos inferas in tentationem: *niſi ut non tradamur concupiſcentijs noſtris?* Unuſquiſque enim tentatur à concupiſcentia ſua abſtra-
14. ctus & illectus. *An fortè hoc à Deo petimus, ut non ſit erga nos patiens bonitas eius? Non ergo eius invocamus miſericordiam, ſed potiùs iracundiam provocamus. Quis iſta ſapiat ſanus; immo quis vel furioſus hæc dicat?*

8. it per iam, tra- r po- l.

Itaque tradere per patientiam, non eſt aliud, quàm Deum non illico peccatorem punire pœnâ æternâ, ſed expectare ad Pœnitentiam: tradere verò per potentiam, non eſt ſubtrahere omnem omnino gratiam neceſſariam ad evitanda ulteriora peccata, ſed ſubtrahere omnem gratiam efficacem, aut certè proximè & abundanter ſufficientem, nec non præbere occaſionem peccati futuri, non ex intentio-
ne peccati, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, inquit Propheta Regius Pſalm. 5. v. 5. ſed potenter operando quædam bona in ſe & juſta, unde peccatores accipiunt occaſionem malè aut pejùs agendi, ut ſic oſtendat in ipſis ſuam virtutem.

Eſt in malorum poteſtate peccare, inquit S. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 16. *ut autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non eſt in eorum poteſtate, ſed Dei dividentis tenebras, & ordinantis eas; ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntas Dei.*

Nonne dicit Scriptura Act. 4. v. 27. & 28. *Convenerunt verè in civitate iſta adversùs ſanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſraël, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri?*

189. ... itas ... uen- Chri- non ... ex ... onſi-

Numquid ideo, interrogat S. Leo Serm. 16. de Paſſ. *iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei eſt orta conſilio? Et illud facinus quod omni ma[illegible] eſt crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc planè de ſumma iuſtitia ſentiendum eſt. Quia multum diverſum eſt, quod in malignitate Iudæorum eſt præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum. Non indè proceſſit voluntas interficiendi, unde moriendi, nec de uno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris; & tolerantia Redemptoris. Non enim has impias furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit, nec præſciendo quod faciendum eſſet, coëgit ut fieret; cùm tamen ad hoc carnē ſuſcepiſſet ut fieret.* Hæc S. Leo.

Aliud exemplum lego apud Auguſtinum lib. de Grat. & lib. arbit. c. 20. *In animo*, inquit, *factus eſt timor ut fugerent* (Iſraëlitæ à facie hoſtium de civitate Hai) *& hoc factum eſt ut vindicaretur peccatum eo modo quo fuerat vindicandum.*
7. v. 12. *Vnde dicit Dominus ad Ieſum Nave:* Non poterunt filii Iſraël ſubſiſtere à facie inimicorum ſuorum. *Quid eſt*, non poterunt ſubſiſtere? *Quare non ſubſiſtebant per liberum arbitrium, ſed per timorem turbatâ voluntate fugiebant, niſi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem convertit iratus?*

Ibidem ſic ait S. Doctor: *Quomodo dixerit Dominus huic homini* (Semei) *maledicere David, quis ſapiens & intelliget? Non enim iubendo dixit, ubi obedientia laudaretur, ſed quod eius voluntatem proprio vitio ſuo malam, in hoc peccatum indicio ſuo iuſto & occulto inclinavit.* 190.

Quomodo Deus dixerit Semei, ut malediceret David 2. Reg. 16. v. 10.

Cumque plura ſimilia exempla attuliſſet, tandem cap. 21. concludit hiſce verbis: *His & talibus teſtimonijs divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, ſatis, quantùm exiſtimo, manifeſtatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique ſuo, aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto. Fixum enim debet eſſe & immobile in corde veſtro, quia* non eſt iniquitas apud Deum. *Ac per hoc quando legitis in litteris veritatis, à Deo ſeduci homines, vel obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, ut iuſtè iſta paterentur.*

Deus inclinat voluntates hominum quo vult, ſive ad bonum, ſive ad malum.

Rom. 9 v. 4.

Hoc eſt ergo Deum tradere peccatorem deſideriis ſuis, non tantùm per patientiam, ſicut Julianus intelligebat, id eſt, per longanimitatem & patientem Dei bonitatem conſervare ſuperſtitem in hac vita, nec è medio tollere dum peccat; ſed etiam per potentiam, puta inclinando ejus voluntatem ad mala pro ejus meritis. Ac ſic Pharaonem non tantùm divina patientia, ſed etiam quodammodo divina potentia credenda eſt obduraſſe, non imponendo neceſſitatem, ſed ineffabili modo inclinando ejus voluntatem ad liberè reſiſtendum gratiæ divinæ, cum qua poſſet, ſi vellet, obtemperare. 191.

Pharaonem divina potentia quodammodo obduravit.

Quotiens eum Dei plaga percuſſit (inquit Auguſtinus Serm. 88. de Tempore) *afflictus pœnituit: at ubi ei remiſſio divina indulgentiam dedit, iterum ſe in ſuperbiam elatus erexit. Hoc ergo definitiſſimè credite Fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit:* Ego indurabo cor Pharaonis: *non aliud intelligi voluit, niſi ego, inquit, ſuſpendo plagas meas & flagella, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto.* Dicit: *Permitto*, nam, ut rectè lib. 13. de Trinit. c. 12. *Modus iſte quo traditus eſt homo in diaboli poteſtatem, non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit, aut fieri iuſſerit, ſed quod tantùm permiſerit.* S. Auguſt.

Quid ergo fecit Pharaonem obdurari? Reſpondet Auguſt. ſuprà: *Certiſſimè credat, quòd Pharaonem non Dei violentia, ſed propria iniquitas, & indomabilis ſuperbia contra Dei præcepta toties fecerit obdurari. Quid eſt autem quod dixit:* Ego indurabo cor ejus, *niſi cùm abfuerit gratia mea, obduraret illum nequitia ſua?* 192.

Quid fecerit Pharaonem obdurari. S. Auguſt.

Dubitas de qua gratia Auguſtinus loquatur? Diſce ex hac ſimilitudine, quam ibidem ſubjungit: *Sicut quotiens nimio frigore aqua conſtringitur, Solis calore ſuperveniente reſolvitur, &*

diſcedente eodem Sole, iterum obduratur; ita nimirum peccatorum frigore refrigeſcit charitas multorum, & velut glacies obdurantur; & cum eis iterum calor divinæ miſericordiæ ſupervenerit, reſolvuntur. Ille utique calor de quo ſcriptum eſt: Pſal. 18. v. 7. Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. *Quod etiam erga Pharaonem impletum eſſe cognoſcimus, à quo quotiens flagella remota ſunt, contra Deum ſe obduratus erexit, quotiens verò afflictus eſt, humiliter ſupplicavit.*

Et ſi quæras, quare Deus non omnes ita miſericorditer flagellat, ut nullum contra ſe obdurari permittat? Reſpondet S. Doctor: *Aut illorum iniquitati, qui obdurari merentur adſcribendum eſt, aut ad inſcrutabilia Dei judicia referendum, quæ plerumque ſunt occulta, numquam tamen injuſta.*

193. Pharao obduratus potuit obtemperare. S. Auguſt. Ut autem ſcias Pharaonem obtemperare potuiſſe, quando obduratus non obtemperavit, penſita quod poſt pauculas lineas attexit Auguſt. verbis præallegatis: *Quâ ergo conſcientiâ Chriſtianus* Deum *injuſtum eſſe conqueritur? Nam & in tantum non eum* (Pharaonem) *Deus irrevocabiliter obduravit, ut poſt decem plagas populum Dei non ſolùm dimitteret, ſed etiam exire compelleret. Quod autem decem plagis percuſſus feciſſe legitur, poſt primam caſtigationem implere potuiſſe cognoſcitur.*

Adde quod ſcribit lib. 83. qq. q. 68. ibi: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea etſi quiſquam ſibi tribuit, quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere quod vocatus eſt; qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cùm vocatus venire neglexerit.*

Non ait, *inchoat meritum ſupplicii cùm peccaverit in Adamo*, ſed, *cùm vocatus venire neglexerit*, id eſt, venire noluerit, cum poſſet venire, ſi vellet.

Pſalm. 100. v. 1. *Ita erunt* (proſequitur Auguſtinus) *duo illa*; Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. *Ad miſericordiam pertinet vocatio* (tam congrua quàm incongrua, quia de utraque loquitur) *ad judicium pertinet, beatitudo eorum, qui vocati venerunt, & ſupplicium eorum, qui vocati venire noluerunt.*

194. Non defuit Pharaoni vocatio. S. Auguſt. Neque talis vocatio defuit Pharaoni; ſic namque interrogat S. Doctor: *Numquid ergo latebat Pharaonem, quantùm boni conſecuta fuerunt terra illa per adventum Ioſeph? Illius ergo rei geſta cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Iſraël miſericorditer tractans non eſſet ingratus. Quòd autem huic vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas & miſericordia debebatur, meruit pœnam ut induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, ut tot & tam tamque manifeſtis Dei ſignis non crederet.*

Non ait, *ut non poſſet credere tametſi vellet*, ſed, *ut non crederet*, tametſi poſſet credere ſi vellet; credere, inquam, ſe debere obtemperare mandatis divinis per Moyſen intimatis.

Quid ergo ſibi vult Auguſtinus, quando ſuprà in Expoſ. quarumdam propoſitionum ex Epiſt. ad Rom dicit de Pharaone: *Non ergo hoc illi imputatur quòd tunc non obtemperavit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat?* Jam enim ex Auguſtino oſtendimus, quòd poterat obtemperare. Et ſi poterat, quomodo non imputatur hoc illi, quòd tunc non obtemperarit?

Reſpondeo, non poterat obtemperare, quia nolebat; nam ſi voluiſſet cooperari gratiæ divinæ, quæ, licèt remota & exigua, non deerat ipſi, etiam obdurato, non ſolùm potuiſſet proximè obtemperare; ſed etiam obtemperaſſet, ſicuti obtemperavit, quando poſt decem plagas populum Dei non ſolùm dimiſit, ſed etiam compulit exire. 195.

Audiamus D. Auguſt. loquentem de Judæis excæcatis & obduratis. Tract. 53. in Joan. ad iſta verba Joannis 12. v. 39. & 40. *Propterea non poterant credere* (Judæi) *quia iterum dixit Eſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde & convertantur & ſanem eos.* Hæc, inquam, verba ſic interpretatur S. Doctor: *Dicitur nobis: ſi non potuerunt credere, quod peccatum eſt hominis non facientis, quod non poteſt facere? Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium: Propterea non poterant credere* &c.

Et poſt pauca: *Non poterant credere, quia hoc Eſaias Propheta prædixit. Hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit. Quare autem non poterant ſi à me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt.*

Multis autem interpoſitis de modo excæcationis & indurationis, tandem concludit dicens: *Non itaque mirum eſt, quia non poterant credere, quorum voluntas ſic ſuperba erat, ut ignorantes Dei juſtitiam, ſuam vellent conſtituere: ſicut dicit de illis Apoſtolus:* Juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. *Quia enim non ex fide, ſed tamquam ex operibus tumuerunt, ipſo ſuo tumore cæcati, offenderunt in lapidem offenſionis. Sic autem dictum eſt,* non poterant, *ubi intelligendum eſt quòd nolebant, quemadmodum dictum eſt de Domino Deo noſtro,* ſi non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt; *de Omnipotente dictum eſt,* non poteſt. *Sicut ergo quòd Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus eſt voluntatis divinæ, ita quòd illi* (Judæi) *non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ.* Ubi comparat impotentiam credendi in Judæis, cum impoſſibilitate negandi ſeipſum 196.

in Deo:

Digitized by Google

in Deo: non tamen ad æqualitatem, nam Deus naturâ ſuâ non poteſt ſeipſum negare; ſed numquid etiam Judæi naturâ ſuâ non poterant credere? Audi quod ſequitur apud D. Auguſtinum.

Ecce dico & ego, quòd qui tam ſuperbè ſapiunt, ut ſuæ voluntatis viribus tantùm exiſtiment eſſe tribuendum, ut negent ſibi eſſe neceſſarium divinum adjutorium ad bene vivendum, non poſſunt credere in Chriſtum &c. *Qui ergo ignorans Dei juſtitiam, quâ juſtificatur impius, ſuam vult conſtituere, quâ convincatur ſuperbus, in hunc non poteſt credere. Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt, ſed quamdiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Hinc excæcantur & indurantur, quia negando divinum adjutorium non adjuvantur.* Nam ut ibidem ait Auguſtinus: *Sic excæcat ſic obdurat Deus deſerendo & non adjuvando.* Indigni autem ſunt adjutorio, qui illud negant neceſſarium.

197. …itas …rum …at de …eo- …Iud. De eiſdem Judæis ſic loquitur Auguſt. lib. de Bono perſ. c. 14. *In eadem perditionis maſſa relicti ſunt Iudæi, qui non potuerunt* (quia noluerunt) *credere, factis in conſpectu ſuo tam magnis clariſq; virtutibus.*

Utique, *qui de ſe præſumentes*, inquit lib. de Grat. & libero arbitr. c. 12. *gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant.* Adeoque, teſte eodem lib. de Bono perſev. cap. 9. *Facilè eſt ut infidelitatem* Judæorum *accuſemus de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus credere noluerunt.*

Ecce quod hìc dicit, *credere noluerunt*, ſuprà c. 14. ejuſdem libri dicit, *non potuerunt credere*, & lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 12. *non credebant.*

198. …g per …tiam …poten- …æpè …ngit …& ne- …nem Ex quo manifeſtè apparet, Sanctum Auguſtinum per potentiam & impotentiam ſæpè ſæpiùs intelligere ipſum actum & negationem actûs, ſive potentiam & impotentiam conſequentem ſeu concomitantem, id eſt, negat id poſſe fieri, quod infallibiliter non fiet, & affirmat id poſſe fieri, quod infallibiliter fiet.

Sic lib. de Corrept. & grat. c. 9. *Quicumque*, inquit, *in Dei providentiſſima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, juſtificati, glorificati ſunt, non dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, jam filii Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt*, hoc eſt, omnino non peribunt. Alioquin, ut rectè Scotus 1. diſt. 40. n. 2. *Iſte qui eſt prædeſtinatus poteſt damnari; non enim propter eius prædeſtinationem, eſt voluntas eius confirmata, & ita poteſt peccare, & ita pari ratione in peccato ſtare, & ita juſte damnari.* Igitur vel Scotus hìc errat, vel S. Auguſtinus ibi accipit impotentiam pro infallibili negatione ipſius actûs.

Interrogas, ubi S. Auguſt. accipiat potentiam pro infallibili actu? Reſpondeo, lib. de Bono perſev. c. 14. quando dicit: *Ubi* (id eſt, in maſſa perditionis) *Tyrii relicti ſunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent.* Credere, inquam, potuerunt, hoc eſt, credidiſſent: nam actutum ſubjungitur: *Sed quoniam ut crederent* (non dicit, *ut poſſent credere*, ſed, *ut crederent*) *non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant; & tamen ſi Dei altiore judicio, à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ poſſent credere* (hoc eſt, crederent) *ſi audirent utique talia vel viderent.* Et paucis interpoſitis: *Audiunt*, inquit, *hæc & faciunt, quibus datum eſt, non autem faciunt ſive audiant, ſive non audiant, quibus non datum eſt.*

Dices: Tract. 54. in Joan. enumerat tamquam diſtincta, *non credere*, &, *non poſſe credere*; 199. Obiectio ex S. Auguſt. ſic enim incipit hic Tractatus: *Loquente Domino noſtro Ieſu Chriſto apud Iudæos, & tanta miraculorum ſigna faciente, quidam crediderunt prædeſtinati in vitam æternam, quos etiam vocavit oves ſuas; quidam verò non crediderunt, nec poterant credere, eò quòd occulto, nec tamen injuſto judicio Dei fuerant excæcati, & indurati, deſerente illo, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Reſpondeo, non ſic intelligendum eſſe Reſponſio. quod hìc ſcribit Sanctus Doctor, quaſi Judæi nullam habuerint poteſtatem credendi; ſed ideo ſic locutus fuit, ut accuſaret infidelitatem eorum de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus credere non potuerunt, quia credere noluerunt. Sicut enim impoſſibile eſt ut dum volumus, non velimus, ita impoſſibile eſt ut dum nolumus, velimus; cùm ergo nemo credat niſi volens, ſaltem cùm nolens nemo credat, quamdiu Judæi excæcati & indurati ſuperbiâ ſuâ nolebant credere, tam diu non poterant credere.

Interim quandoque diſtincta eſſe, *nolle credere*, &, *non poſſe credere*, perſpicuè manifeſtum fit ex ipſo Auguſtino lib. de Corrept. & grat. c. 7. ibi: *Ac per hoc & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt; & qui Euangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt..... & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt* &c. 200. Aliquando apud D. Auguſt. diſtincta ſunt nolle credere, & non poſſe credere.

Ecce hìc diſtinguit inter parvulos, qui non poſſunt credere tametſi velint, cùm careant propriâ voluntate, id eſt, actu libero voluntatis, & propterea minimè peccant non credendo, & inter illos, qui audito Euangelio non poterant credere, quia nolebant, id eſt, qui credere noluerunt, cùm poſſent, ſi vellent, de quibus loquitur Chriſtus Joan. 15. v. 22. Ioan. 15.

Digitized by Google

Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, ſcilicet infidelitate.

Ut ergo S. Auguſtinus omnibus notum faceret, Judæos excæcatos non caruiſſe omnimodâ poteſtate credendi, adeoque excuſationem non habuiſſe de peccato infidelitatis, ſicut parvuli; ideo tract. 54. ad ly *Non crediderunt*, quod commune erat ipſis & aliis, quibus Chriſtus non fuerat locutus, addidit ly *Nec poterant credere*, utique quia audito Evangelio ad Chriſtum venire, hoc eſt, in eum credere nolebant, cùm tamen poſſent ſi vellent.

201 *Quæ de Judæis, eadem eſt ratio de Pharaone.*

Cæterùm quæ de Judæis, eadem eſt ratio de Pharaone, qui non obtemperabat mandatis divinis, nec poterat obtemperare; non quemadmodum parvuli, quibus divina mandata nondum ſunt propoſita, & ideo abſolutè non poſſunt obtemperare, neque imputatur ipſis, quòd non obtemperant; ſed nec poterat, quia nolebat, cùm tamen poſſet ſi vellet.

S. Proſper.

Nemini Deus, ait S. Proſper ad object. Vincent. reſp. 15. *correctionis adimit viam; nec quemquam boni poſſibilitate deſpoliat. Quia qui ſe à Deo avertit, ipſe & velle quod bonum eſt, & poſſe ſibi ſuſtulit*, pro illo ſcilicet tempore quo manet averſus à Deo, id eſt, non poteſt conjungere averſionem cum non averſione: poteſt quidem voluntas à Deo averſa, ſe velle non avertere à Deo, antequam velit, quia libera eſt; verùm cùm vult, non poteſt non velle, ſed eam velle neceſſe eſt, quoniam impoſſibile eſt idipſum ſimul velle & non velle; velle ſe avertere, & non velle ſe avertere, ſe avertere, & non avertere. Quaſi diceret S. Proſper: Qui ſe à Deo avertit, nec vult bonum, nec poteſt velle, quia non vult; tollit itaque averſio poſſibilitatem conſequentem ſive concomitantem, non autem antecedentem, & ideo non excuſat à peccato.

202. *Peccatum eſt, cùm vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet, ex S. Auguſt.*

Peccatum eſt (inquit S. Auguſtinus lib. de Perf. juſt. reſp. 15.) *cùm vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit: ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit, & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adiuvatur*, id eſt, ſi quis velit cum gratia adjuvante humiliter ſe ſubdere Deo, licèt non poſſit, ſi ſuperbè velit in inobedientia permanere, atque in ea ſibi complacere.

Pharao fatetur proprium peccatum. Exod. 9. Exod. 10.

Nonne ipſa Scriptura ſacra de Pharaone teſtatur: *Videns Pharao quòd ceſſaſſet pluvia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum?* Exodi 9. v. 34. Et ipſe fatetur proprium peccatum, cap. 10. v. 16. & 17. *Quamobrem feſtinus Pharao vocavit Moyſen & Aaron & dixit eis: Peccavi in Dominum Deum veſtrum & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hâc vice.*

Quomodo igitur non imputatur Pharaoni, quòd tunc non obtemperarit? Reſpondeo verbis D. Auguſtini immediatè ſubſequentibus, in illa Expoſ. *Quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate. Sicut enim in iis quos elegit Deus, non opera, ſed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur; ſic & in iis, quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipſam pœnam etiam male operentur. Sicut & ſuperiùs idem dicit Apoſtolus:* Et quoniam non probaverunt Deum in notitia habere, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conveniunt.

Quapropter ita concludit Apoſtolus: Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat: *cum enim miſeretur, facit eum bonum operari, & quem obdurat, relinquit eum ut mala operetur. Sed & illa miſericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ipſa obduratio præcedenti impietati, ut & bonum per donum Dei operemur, & mala per ſupplicium; cùm tamen homini non auferatur liberum voluntatis arbitrium, ſive ad credendum Deo, ut conſequatur eum miſericordia, ſive ad impietatem, ut conſequatur eum ſupplicium.* Quæ omnia ſic recognoſcit in lib. 1. Retract. c. 23. ut nihil in iis reprehendat, quæ de obduratione, & ejus merito diſſeruit, ſed ſolùm quæ dixit de initio fidei.

Ex his autem colligitur primò, vel peccata obduratorum imputari, & æternis puniri ſuppliciis, vel bona electorum opera nullo modo ipſis tribui, nec æternâ mercede coronari: nam de utriſque eodem modo loquitur, & peccatorum obduratorum tantùm meminit, ut à ſimili confirmet, quod dixerat de bonis operibus electorum. 204

Colligitur ſecundò, Auguſtinum, cùm dicit Pharaoni non imputari illa peccata, loqui de peculiari quodam imputationis genere, quo aliquid ſoli homini ita tribuitur, ut nec divini muneris, nec ſupplicii locum habeat. Patet; quia hoc antecedente poſito: *Quòd tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, iam de ſupplicio veniebat*; ita concludit: *Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperarit*, ſcilicet ſpeciali imputatione, quâ electis quidem ſolum initium fidei imputari defendit, quia erroneè tunc putabat, illud non eſſe donum Dei: obduratis verò primum dumtaxat peccatum imputari, quia ex Catholicorum ſententia, primum hominis peccatum ſupplicii locum non habere exiſtimabat: peccatum autem Pharaonis ſupplicii locum habebat, ut conſtat ex verbis citatis.

Atque hâc ratione illa peccata, de quibus ait Auguſt. lib. 5. contra Julianum cap. 3. *Præcedentis eſt hæc pœna peccati, & tamen etiam ipſa peccatum eſt*; & quæ cap. 4. vocat *peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorum*, non imputantur, ſcilicet primò & radicitùs, quamvis alioquin proximè & formaliter æternis ſuppliciis puniantur. 205

Eòdem

Eòdem pertinet illa comparatio, quâ probat priorem tantùm infidelitatem Pharaoni imputari: *Sicut enim in iis quos elegit Deus* &c. Vide ſuprà. Ergo idem eſt hoc loco *imputari*, &, *inchoare meritum præmii aut ſupplicii*, ita ut quidquid muneris, aut pœnæ locum habet, non poſſit hoc ſenſu nobis imputari, id eſt, primò & radicitùs, quamquam alioquin proximè & formaliter imputetur; quia videlicet ſic indurat & obdurat Deus in pœnam peccati præcedentis, ut tamen non tollat liberum arbitrium in illis, quæ occaſione indurationis contra præcepta ejus fiunt. Nam ſolùm ſubtrahit auxilium abundans, quo homo facilè potuiſſet obtemperare, interea relinquens auxilium abſolutè ſufficiens, quo, licèt difficulter, ſimpliciter tamen poſſet obtemperare ſi vellet, ne alioquin obduratio, Dei potentiâ compellente, id eſt, neceſſitante, perficiatur.

6. Ita ergo ſe habet de obduratione, definita ſententia voluntatis divinæ: Deus ſæpè vocat peccatorem, & expectat patienter ad Pœnitentiam, & tandem ſubtrahit auxilium abundans, hoc eſt, deſerit, & deſerendo obdurat, ac tradit ipſum deſideriis ſuis; quia deſertus cedit eis, atque liberè conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur, & fit ei peccatum conſequens, præcedentis pœna peccati. Ut proinde patientia Dei ſit occaſio remota obdurationis, deſertio proxima; efficiens autem propria libertas obdurati, qui propterea non poteſt converti, quia non vult.

Nec ideo (inquit S. Auguſt. lib. de Grat. & libero arb. c. 23.) *auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus:* Ego induravi Pharaonem, *vel*, induravi, *vel*, indurabo cor Pharaonis. *Non enim propterea ipſe Pharao non induravit cor ſuum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata eſt ab Ægyptiis cynomia, dicente Scripturâ*: Et ingravavit Pharao cor ſuum & in iſto tempore, & noluit dimittere populum. *Ac per hoc & Deus induravit per juſtum judicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium.*

07. Quamquam enim, ſuppoſitâ craſſâ ignorantiâ, non poſſet voluntas Pharaonis obtemperare Deo; non enim poterat velle facere, quod non credebat ſe facere debere: quia tamen poterat illam ignorantiam craſſam (utpote voluntariam) tollere, poterat quoque Deo obtemperare. Pro cujus pleniori intellectu

Nota, obdurationem & excæcationem hujus vitæ eſſe tantùm imperfectam, & plurimùm diſtare ab obduratione damnatorum. De utraque D. Auguſt. Enarr. in Pſalm. 6. ad illa verba: *Turbatus eſt in ira oculus meus*; ſic diſcurrit: *Utrùm ſuâ, an Dei irâ, in qua petit ne argueretur, aut corriperetur? Sed ſi illa* (ira Dei) *diem judicii ſignificat, quomodo nunc poteſt intelligi? An inchoatio ejus eſt, quòd hìc homines dolores, & tormenta patiuntur, & maximè damnum intelligentiæ veritatis, ſicut jam commemoravi quod dictum eſt*: Dedit illos Deus in reprobum ſenſum? *Nam ea eſt cæcitas mentis. In eam quiſquis datus fuerit ab interiori Dei luce ſecluditur. Sed nondum penitùs cum in hac vita eſt.* Ecce obduratio hominum hujus vitæ.

Sequitur obduratio damnatorum: *Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magìs ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitùs extra Deum ſit, quiſquis dum tempus habet corrigi noluerit. Penitùs enim eſſe extra Deum quid eſt, niſi eſſe in ſumma cæcitate? ..... Hujus igitur iræ inchoatio eſt, quam in hac vita patitur quiſcumque peccator ..... Et ideo non dixit, extinctus eſt, ſed, conturbatus eſt ab ira oculus meus.* Ergo obduratio hujus vitæ non aufert omnem prorſus gratiam ſufficientem; alioquin non ſolùm conturbatus, ſed extinctus foret oculus obduratus.

Quidni, reponit quiſpiam, ſit extinctus etiam in hac vita? Sic enim lego apud D. Auguſtinum Enarr. in Pſalm. 57. ad illa verba: 208. Objectio ex D. Auguſt.
Ergo eſt Deus judicans eos in terra. Nondum, inquit, *in illa vita, nondum in igne æterno, nondum apud inferos, ſed hìc in terra. Ecce dives ille adhuc induitur purpurâ, & byſſo, & adhuc epulatur quotidie ſplendidè. Nondum produxit ſpinas rhamnus, nondum dicit, crucior in hac flamma, ſed jam eſt mentis cæcitas, jam oculus mentis extinctus eſt. Si cæcus oculis carnis ad menſam ſuam quamlibet optimam diſcumberet, miſerum eum diceres. Cæcus interiùs panem Chriſtum non videt, & beatus eſt?*

Reſpondent aliqui, hìc ſermonem eſſe de ſingulari aliqua veritate, quam excæcatus videre non poteſt. Patet, inquiunt, ex illis verbis: *Cæcus interiùs panem Chriſtum non videt.* In priori autem loco loquitur generatim de mentis oculo, quem dicit non extingui, ſed turbari; quamvis enim homo poſſit amittere, & ſæpè amittat lucem circa particularem aliquam veritatem, adeòque & poteſtatem videndi, quot enim nobis ſubducuntur gratiæ lumina, tot mentis oculi effodiuntur; tamen quia non penitùs in hac vita ſecluditur ab interiori lumine, hinc neque omnem poteſtatem videndi amittit, niſi quando ligatis manibus & pedibus projicitur in tenebras exteriores. *Quid*, inquit Bern. de grat. & libero arbitr. poſt medium, *eſt ipſa manuum pedumque ligatio, niſi omnimoda poteſtatis ablatio?* 209. Reſponſio aliquorum. D. Bernard.

Sed contrà; non loquitur hìc Auguſtinus de particulari veritate, niſi exempli gratiâ, & quia fecerat mentionem menſæ, in qua ſemper ſolet apponi panis, Chriſtus autem eſt panis vivus, qui de Cælo deſcendit, ideo ſpecificat fidem in Chriſtum. Interim videtur eſſe eadem ratio hujus veritatis, & aliarum; ſi ergo cæcus interiùs ſimpliciter non poteſt videre Chriſtum, id eſt, credere in Chriſtum, ex quo convincitur, quòd habeat aliquam poteſtatem credendi alias veritates? Numquid qui negat Chriſtum, poteſt credere Evangelium Chriſti? Impugnatur.

eſt, & pœna peccati eſt : quandoquidem hoc de concupiſcentia carnis dicitur.

Concupiſcentia, Conc. Trid.

Concupiſcentia itaque illud peccatum eſt, de quo Trident. ſeſſ. 5. §. 5. *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Sicut Scriptura*, inquit S. Auguſtinus ad Bonif. lib. 1. c. 13. *manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit.*

164. & ignorantia, etiam in puero recenter nato. S. Auguſt.

Nec ſola concupiſcentia illud peccatum eſt, ſed ignorantia quoque, non tantùm in homine adulto, ſed etiam illa, quâ puer recèns natus obruitur, *neſciens*, ut ait D. Auguſtinus lib. 1. de Peccat. merit. c. 36. *ubi ſit, quid ſit, à quo creatus, à quibus genitus, iam reus delicti, necdum capax præcepti, tam profundâ ignorantiæ caligine involutus, & preſſus, ut neque tamquam de ſomno excitari poſſit* &c.

Et in principio capitis ſic ait : *Illas, inquam, conſideremus tenebras mentis utique rationalis, in quibus & Deum prorſus ignorant* (infantes) *cuius Sacramentis etiam cùm baptizantur obſiſtunt. In has quæro unde & quando ſubmerſi ſint ? Itane verò eas hìc contraxerunt, & in hac vita ſua iam propria per nimiam negligentiam obliti ſunt Deum, prudentes verò & religioſi vixerunt vel in uteris matrum ? Dicant iſta qui auſi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint. Ego autem puto, quòd omnes, quorum mentes non obnubilat defendendæ ſuæ ſententiæ pervicacia, hæc ſentire non poſſunt.*

Hanc autem ignorantiam malam eſſe, & peccati pœnam, ibidem his verbis declarat : *An nullum eſt ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum ? Et quid ait illa vox ; delicta iuventutis & ignorantiæ meæ ne memineris ?*

Pſal. 24. v. 7.

165. Ignorantia non eſt peccatum propriè dictum in parvulis, S. Auguſt.

Putas verò, quòd ignorantia illa infantium, qui necdum utuntur ratione, ſit peccatum propriè dictum ? Noli hoc putare, ſi non vis errare. Peccatum eſt impropriè dictum, id eſt, malum aliquod ortum ex primo peccato : *Hoc tam magnum*, inquit in fine capitis, *ignorantiæ atque infirmitatis malum, ſi in hac vita iam nati parvuli contraxerunt, ubi, quando, quomodo magnâ aliquâ impietate commiſſâ repentè tantis tenebris involuti ſunt ?* Atque hanc ignorantiam peccati pœnam eſſe, ita probat eodem capite : *Si natura eſt hominis ſic incipere, & non iam vitioſa eſt iſta natura, cur non talis creatus eſt Adam ? Cur ille capax præcepti ?* &c.

ſed magnum aliquod malum ortum ex primo peccato.

166. Uti etiam ignorantia & concupiſcentia in quolibet baptizato.

Porrò eamdem ignorantiam, utì & concupiſcentiam, eſſe malum ſeu peccatum impropriè, etiam in quolibet baptizato, docet hiſce verbis lib. 6. contra Julianum cap. 16. *Tu autem* (alloquitur Julianum) *qui putas, quòd ſi malum eſſet concupiſcentia, careret eâ qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur : omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Numquid enim caret corruptione corporis ? An non eſt malum quod* aggravat animam ? *Et erravit qui dixit*, corpus enim corruptibile aggravat animam ? *Numquid caret ignorantiæ malo, per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala ?* (Mala, inquam, non peccata propriè dicta.) *An parvum malum eſt, per quod homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei ? De baptizatis nempe dicebat Apoſtolus : Animalis homo non percipit quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia eſt enim illi, & non poteſt ſcire, quoniam ſpiritualiter diiudicatur.*

Et poſt pauca concludens ait : *Non igitur caruerant tantæ ignorantiæ malo in lavacro regenerationis, ubi tamen omnibus caruerant ſine dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum, templo Dei, in quo habitabat Spiritus Dei, ſtultitia erant, quæ ſunt Spiritus Dei.*

Non gravetur Lector, ſi adhuc exſcripſero unum teſtimonium hujus veritatis ex eodem Sancto Doctore lib. 1. Retract. cap. 9. ubi ſic ait : *Ad quam miſeriam iuſtæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas* (id eſt, concupiſcentia) *quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis ſuæ, nec ab iſto malo, niſi Dei gratiâ quiſquam liberatur. Quam miſeriam Pelagiani nolunt ex iuſta damnatione Dei deſcendere negantes originale peccatum.*

Hæc teſtimonia ſi vera ſint (de quo nemo poteſt Catholicè dubitare) quomodo verè S. Auguſtinus verbis ultimò relatis illicò ſubjunxit : *Quamvis ignorantia & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet, ſicut in eodem tertio libro* (de libero arbitr.) *diſputavimus ?* Cur, inquam, laudandus Deus, ſi tanta mala forent hominis primordia naturalia ?

Exponam breviter verbis Divi Auguſtini, deſumptis ex lib. 3. citato c. 20. *Non mediocria bona ſunt, non ſolùm quod anima eſt, quâ natura iam omne corpus præcedit, ſed etiam quod facultatem habet, ut adiuvante Creatore ſeipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante* (id eſt concupiſcentia) *& ab ignorantia cæcante liberetur.*

Quod ſi ita eſt, non erit naſcentibus animis ignorantia & difficultas ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium : Non enim ante omne meritum boni operis parum eſt accepiſſe naturale iudicium, quo ſapientiam præponat errori, & difficultati quietem, ut ad hæc non naſcendo, ſed ſtudendo perveniat. Quòd ſi agere noluerit, peccati rea iure tenebitur, tamquam non bene uſa ſit eâ facultate, quam accepit. Quamquam enim in ignorantia & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in eo, quod nata eſt, aliquâ neceſſitate comprimitur ; neque omnino potuit, niſi Deus omnipotens eſſet etiam talium Creator animarum, quas & non dilectus ipſe faciat, & diligens eas reficiat, & dilectus ipſe perficiat ; qui & non exiſtentibus præſtat ut ſint, & amantibus eum à quo ſunt, præſtat ut beatæ ſint.

Siverò

Si verò in Dei aliquo ſecreto iam exiſtentes animæ mittuntur ad inſpiranda & regenda corpora ſingulorum quorumque naſcentium, ad hoc utique mittuntur officium, ut corpus quod de pœna peccati, hoc eſt, de mortalitate hominis naſcitur bene adminiſtrando, id eſt, caſtigando per virtutes, & ordinatiſſimè atque legitimè ſervituti ſubiiciendo, & ipſi comparent ordine atque tempore opportuno cæleſtis incorruptionis locum. Quæ cùm introeunt in hanc vitam, ſubeuntq́; geſtanda membra mortalia, ſubeant etiam neceſſe eſt & oblivionem vitæ prioris, & præſentis laborem, unde illa ignorantia & difficultas conſequitur, quòd in primo homine ſupplicium mortalitatis fuit ad animi expendendam miſeriam; in iſtis autem ianua miniſterii ad reparandam corporis incorruptionem.

Nam hoc quoque modo non dicuntur iſta peccata, niſi quia caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad ſe animis hanc ignorantiam & difficultatem facit, quæ neque his, neque Creatori tamquam culpanda tribuatur. Crea- ma tem pe- & dei, *Dedit enim ille* (Creator) *& facultatem bene operandi in laborioſis officiis, & viam fidei in oblivionis cæcitate. Indicium illud vel maximè, quod anima omnis & quærendum eſſe concedit, quod inutiliter neſcit, & perſeveranter in officioſis laboribus enitendum ad evincendam rectè faciendi difficultatem, & opem à Creatore implorandam, ut conantem adiuvet, qui vel extrinſecùs lege, vel in intimis cordis allocutione conandum eſſe præcepit, & præparat civitatis beatiſſimæ gloriam triumphantibus de illo, qui primum hominem ad iſtam miſeriam perduxit victum peſſimâ ſuaſione* &c.

9. ibſtu: unta- eten- quæ- & co- Et poſt pauca: *Si autem alibi animæ conſtitutæ non mittuntur à Domino Deo, ſed ſuâ ſponte ad inhabitandum corpora veniunt, facilè eſt iam hoc videre, quidquid ignorantiæ difficultatiſq́; ſecutum fuerit earum propriam voluntatem, nullo modo Creatorem hinc eſſe culpandum; quandoquidem etiamſi eas ipſe miſiſſet, quibus etiam in ipſa ignorantia & difficultate liberam voluntatem petendi & quærendi & conandi non abſtulit, daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus, omnino extra culpam eſſet. Hanc enim ignorantiam & difficultatem ſtudioſis & benevolis evincendam ad coronam gloriæ valere præſtaret, negligentibus autem & peccata ſua de infirmitate defendere volentibus, non ipſam ignorantiam difficultatemq́; pro crimine obiiceret; ſed quia in eis potiùs permanere, quàm ſtudio quærendi atque diſcendi, & humilitate confitendi atque orandi ad veritatem ac facilitatem pervenire voluerunt, iuſto ſupplicio vindicaret.* Huc uſque Auguſtinus, ut verum fatear, intellectu difficilis.

170. ug in- gi po- de pri- noſtris entibus, Exiſtimo, ſalvo meliori, intelligi poſſe de primis noſtris Parentibus, qui dato quòd in difficultate & ignorantia creati fuiſſent à Deo, non tamen ſic Deus culpandus fuiſſet, quia ſaltem facultatem habuiſſent, ut adjuvante Creatore ſeipſos excolerent, & pio ſtudio poſſent omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberarentur.

Ignorantia & difficultas (inquit D. Auguſt. ibidem c. 22.) *ſi naturalis eſt, indè incipit anima proficere, & ad cognitionem & requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri. Quem profectum in ſtudiis optimis atque pietate, quorum facultas ei non negata eſt, ſi propriâ voluntate neglexerit; iuſtè in graviorem, quæ iam pœnalis eſt, ignorantiam difficultatemq́; præcipitatur; decentiſſimo & convenientiſſimo rerum moderamine in inferioribus ordinante. Non enim quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc anima deputatur in reatum: ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facilitati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit.*

Cùm ergo primi parentes Adam & Eva, quamquam creati in juſtitia, in ſumma faculta- qui licèt in ſumma facultate & plena ſcientia fuerint creati, attamen propriâ voluntate neglexerunt profectum in pietate.
te, & plena ſcientia ſeu cognitione rerum naturalium, & ſupernaturalium, nihilominus dignam ad rectè faciendum operam non dederint, ſed propriâ voluntate neglexerint profectum in ſtudiis optimis atque pietate, quid mirum ſi ipſi juſtè in graviorem, quæ jam pœnalis eſt, ignorantiam difficultatemque præcipitati fuerint, & poſteri eorum quotidie præcipitentur?

Sanè tametſi Deus nulli dediſſet facultatem ſe liberandi ab hac ignorantia, & difficultate, 171. Tametſi Deus nulli homini lapſo dediſſet facultatem ſe liberandi ab hac ignorantia & difficultate, non foret injuſtus. S. Auguſt.
de injuſtitia minimè argui poſſet, ut ſuprà oſtendimus ex D. Auguſtino: *Pœna æterna* (inquit ille l. 21. de Civit. c. 12.) *ideò dura & iniuſta ſenſibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuum, deeſt ille ſenſus altiſſimæ puriſſimæq́; ſapientiæ, quo ſentiri poſſit, quantum nefas in illa prima prævaricatione commiſſum ſit. Quantò enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum, & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum.*

Quid evidentius, quàm mors parvulorum, antequam poſſint ſeipſos liberare à difficultate cruciante, & ignorantia cæcante? Quòd ergo adulti habeant hanc facultatem, gratiâ fit, gratìs fit, gratiæ ſunt agendæ quia fit.

Rogas, unde ſciam quia fit? Reſpondeo; quia Deus ipſe eſt Salvator omnium hominum, ipſe eſt qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, adeò ut etiam parvulis in parentibus providerit media neceſſaria ad eorum ſalutem, in qua pleniſſimè veritatem agnoſcent. Quippe, quoniam communis erat natura & cauſa parvulorum & adultorum, planè conveniebat, ut Deus, qui omnes vult ſalvare, omnibus præpararet media neceſſaria, quibus ſalutem conſequi poſſent, ſi non propriâ voluntate, ſaltem alienâ.

Quin verò cauſæ communitas, adde, & pre- 172. Cauſæ communitas & & pretii dignitas non
tii dignitas non videntur ſufficere ad veritatem illius ſententiæ generalis, niſi Chriſtus pretium illud obtulerit: propter iſtam cauſam

videntur ſufficere ad veritatem dicti Apoſt. *Qui vult omnes homines &c.*

communem omnibus, & pro omnibus, intendens omnibus reconciliationem quantùm erat ex parte Patris, & ſuâ.

Probatio à ſimili.

Probatur à ſimili: ſi plures ſint rei mortis ob idem delictum, & dives quiſpiam judici offerat pretium condignum redemptioni omnium, non dicetur omnes redemiſſe, niſi pro omnibus pretium obtulerit, tametſi fortè nullum poſitivè excluſerit, ſed circa quoſdam negativè ſe habuerit, ſciens judicis voluntatem circa iſtos non eſſe placabilem: immo quamvis habuerit ſimplicem complacentiam circa iſtorum redemptionem; quam utique poteſt habere, tametſi nullo modo velit iſtos redimere. Unde & Deus ſimplici complacentiâ verſatur circa ſalutem dæmonum, quia res de ſe bona eſt.

173. Poſitiva Chriſti oblatio pro omnibus probatur ex Script.

Cæterùm, poſitivam Chriſti oblationem pro omnibus, optimè colligimus ex illis Scripturis, quibus dicitur: *Dediſſe ſeipſum redemptionem pro omnibus: Dediſſe ſemetipſum pro peccatis noſtris: Dediſſe ſemetipſum pro nobis ut nos redimeret*: non enim datur quidpiam pro aliquo, niſi dans illud offerat pro eo, intendens ipſum obtinere quod emitur vel redimitur; nam datio pretii pro merce eſt contractus, qui abſque poſitiva oblatione dantis, & acceptatione reddentis non conſummatur.

Iſa. 53. Hebr. 7. 1. Pet. 3.

Hinc alibi Scriptura vocat Chriſti redemptionem, *Oblationem*. Iſa. 53. v. 7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*. Hebr. 7. v. 27. *Hoc enim ſemel fecit ſeipſum offerendo*. 1. Pet. 3. v. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo*.

174. Quomodo intelligendi PP. qui dicunt, Chriſtum mortuum pro omnibus quoad cauſæ communitatem.

Patres ergo qui dicunt, Chriſtum mortuum pro omnibus quoad cauſæ communitatem, & pretii dignitatem, intelligendi veniunt juxta jam dicta, ut etiam propter talem cauſam pretium illud obtulerit, neminem excludendo, ſed omnes poſitivè includendo: cùm enim habuerit omnium notitiam, ſi neminem expreſsè excluſit, videtur omnes poſitivè incluſiſſe, quantùm ad media ſufficientia; ſecùs quantùm ad media efficacia, ut verè dicere potuerit Apoſtolus Rom. 9. v. 21. & 22. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Rom. 9.

175. Deus oſtendit divitias gloriæ ſuæ, quando uni providet gratiam efficacem, alteri tantùm ſufficientem. Rom. 9.

Nonne ſatìs oſtendit divitias gloriæ ſuæ, quando aliquibus providet gratiam efficacem cum qua infallibiliter ſalventur, aliis tantùm gratiam ſufficientem, cum qua infallibiliter damnentur? *Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit: Miſerebor, cujus miſereor; & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra. Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Hæc Apoſtolus Rom. 9. v. 11. & ſequentibus.

Sed quomodo Pharaonem induravit? Nonne ſubtrahendo omnem gratiam ſufficientem? Ut ita eſſet, adhuc Concluſio noſtra ſubſiſteret, dummodo admittas aliquando habuiſſe gratiam ſufficientem, quâ ſi bene uſus fuiſſet, Deus numquam illam ſubtraxiſſet. Et dato, quòd pro aliquo tempore Deus illam ſubtraxerit, dico, pro illo tempore non peccaſſe, ſaltem demeritoriè, contra illa præcepta, quibus abſolutè ſine gratia Dei non poterat obtemperare. 176.

Sic aliqui interpretantur hæc verba D. Auguſtini in Expoſ. quarumdam propoſitionum ex Epiſt. ad Rom. *Legimus in Exodo*: Obduratum eſt cor Pharaonis, ut tam evidentibus ſignis non moveretur. *Quòd ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de ſupplicio veniebat. Non autem quiſquam poteſt dicere obdurationem illam cordis immeritò accidiſſe Pharaoni, ſed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur quòd tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat.* Sic, inquam, quidam intelligunt iſta verba, ut excuſent Pharaonem à demerito poſtquam cor ejus fuit obduratum, eò quòd obdurato corde obtemperare non poterat.

Siquidem teſtimonio D. Auguſtini lib. de vera Relig. c. 14. *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum* (propriè dictum & demeritorium) *ſi non ſit voluntarium*, hoc eſt, liberum libertate indifferentiæ. *Et hoc quidem manifeſtum eſt, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi. Non autem rectè negat peccaſſe animam, qui & pœnitendo eam corrigi fatetur, & veniam pœnitenti dari, & perſeverantem in peccatis juſtâ lege Dei damnari. Poſtremò ſi non voluntate malè facimus, nemo objurgandus eſt omnino, aut monendus. Quibus ſublatis Chriſtiana lex & diſciplina omnis Religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſervos ſuos meliores eſſe Deus judicavit, ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſervirent.* Ecce voluntatem non coactioni, ſed neceſſitati opponit. 177.

Si ergo quæris à me, quid ſit voluntate peccare? 178.

peccare ? Reſp. ex D. Auguſt. lib. de duabus animabus c. 12. *Dicere animas & eſſe malas, & nihil peccare, plenum eſt dementiæ: dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt: & peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ non voluntate faciunt: id eſt, ſi libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent: ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato eorum teneri non poſſumus.*

Si ergo Pharaoni jam obdurato, nulla erat poteſtas obtemperandi, jure merito non hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperarit. Sed quia hoc aliquibus incredibile videtur, hinc docent, Pharoni, etiam obdurato, non in totum fuiſſe opem gratiæ ſubtractam, ſed habuiſſe aliquam poteſtatem obtemperandi, quamvis non proximam & expeditam, habuiſſe, inquam, poteſtatem phyſicam, quamvis fortè non moralem; habuiſſe moralem, id eſt, aliquod auxilium gratiæ, quamvis non tam abundans, ſicuti ante obdurationem.

9. ...ine D. ...le obd... one ...o- Quæ ne gratìs dicta videantur, attendite & intendite his, quæ S. Auguſt. docet de obduratione ſeu induratione peccatorum. Epiſt. 105. ſic ſcriptum invenio: *Quærimus meritum obdurationis, & invenimus. Merito namque peccati univerſa maſſa damnata eſt; nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur; at potiùs ut non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum miſericordiæ, nec invenimus, quia nullum eſt, ne gratia evacuetur, ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur.*

...lligit ...am ...ractio- ...miſe- ...rdiæ, ..., gra- ...fficacis ...lis. Hìc, ut vides, per obdurationem S. Doctor intelligit ſubſtractionem miſericordiæ, id eſt, gratiæ efficacis ſive congruæ, maximè gratiæ finalis, & illam ſubſtractionem tribuit merito primi peccati. Explicat autem illa verba Apoſtoli Rom. 9. v. 18. *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Et verò inter illos obduratos Apoſtolus enumerat Pharaonem, ibi: *Dicit enim Scriptura Pharaoni; quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam* &c. Et continuò attexit: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Adeoque vel Pharao poterat abſolutè obtemperare non obſtante ſuâ induratione, vel nullus reprobus poteſt; quia Auguſtinus hìc omnes reprobos vocat obduratos.

180 ...plicatur ... Aug. ...cus Apoſt. ...om. 1. ...ia cùm ...novifſent. ...c. Sed pergamus ad alia loca S. Auguſtini. Lib. 5. contra Julianum c. 3. tractans illum locum Apoſtoli Rom. 1. v. 21. & ſeqq. *Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt,* &c. *Propter quod tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ* &c. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt;* ſic inquit: *Curavit Apoſtolus dicere quanta pœna ſit à Deo tradi paſſionibus ignominiæ, ſive deſerendo, ſive alio quocumque vel explicabili vel inexplicabili modo, quo facit hæc ſummè bonus & ineffabiliter iuſtus.* Nam fœminæ eorum, *inquit,* immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relinquentes naturalem uſum fœminæ, exarſerunt in appetitum ſuum in invicem &c. *Quid hoc evidentius, quid apertius, quid expreſſius? Mercedem mutuam recepiſſe dicit, utique damnatos ut tanta operarentur mala* (quis dubitet obduratos?) *& tamen iſta damnatio etiam reatus eſt, quo gravius implicantur. Ita & peccata ſunt iſta, & pœna præcedentium peccatorum.*

Putas autem, quia illa peccata non fuerint imputata? Non eſt credibile. *Tam multa,* inquit Aug. Enarr. in Pſalm. 57. *dicit Apoſtolus fieri ab eis, quæ peccata ſunt deteſtabilia, & tamen pœnas eas dicit:* Propter hoc, *inquit,* Deus tradidit eos in concupiſcentiam cordis eorum in immunditiam, ut faciant quæ non conveniunt. *Et ne putaret quiſquam ipſis pœnis tantùm ſe affligi, quibus modò delectatur, & non timeret quod venturum eſt in fine, commemoravit ultimam pœnam: Qui cùm iuſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, inquit, quoniam qui ea agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* 181. Peccata de quibus ibi loquitur Apoſt. fuerunt Ethnicis imputata. Rom. 1. v. ult.

Accedat teſtimonium ejuſdem S. Doctoris ex lib. 5. contra Julianum c. 3. aliàs 4. *Tradit Deus in paſſiones ignominiæ ut fiant quæ non conveniunt, ſed ipſe convenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorum.* Merita, inquam: ergo illis peccatis merebantur ſupplicia futura, id eſt, æterna.

Quæris quo modo hæc faciat Deus? Reſpondet Aug. ſuprà: *Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui novit iuſta iudicia ſua, non ſolùm in corporibus hominum, ſed & in ipſis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, ſed utitur eis ut voluerit, cùm aliquid iniquè velle non poſſit. Exaudit propitius, non exaudit iratus. Et rurſus non exaudit propitius, exaudit iratus. Parcit propitius, non parcit iratus. Et rurſus non parcit propitius, parcit iratus; atque in his omnibus bonus perſeverat & iuſtus.* Hæc ille; quæ, ſi placet, applicemus Pharaoni. 182 Quomodo Deus tradat in paſſiones ignominiæ ex D. Aug.

D. Auguſt. qq. ſuper Exodum q. 18. commentans illud Exod. 7. v. 3. *Sed ego indurabo cor eius,* id eſt, Pharaonis, *Vtitur,* inquit, *Deus bene cordibus malis, ad id quod vult oſtendere bonis, vel quid facturus eſt bonis. Et quamvis uniuſcuiuſque cordis in malitia qualitas, id eſt, quale cor habeat ad malum, ſuo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis: & tamen qualitate malâ ut huc vel illuc moveatur, cùm ſive huc vel illuc malè moveatur, cauſis fit quibus animus propellitur: quæ cauſæ ut exiſtant, vel non exiſtant, non eſt in hominis poteſtate, ſed veniunt ex occulta providentia iuſtiſſima planè & ſapientiſſimâ, univerſum quod creavit diſponentis & adminiſtrantis Dei.* Explicatur ex D. Aug. illa verba Exodi Ego indurabo &c.

Vt

183. *Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientiâ Dei non moveretur* (non dicit, *non poſſet moveri*, ſed, *non moveretur*) *ad pietatem, ſed potiùs ad impietatem, vitii proprii fuit. Quod verò facta ſunt ea, quibus cor ſuo vitio tam malignum reſiſteret juſſionibus Dei: hoc eſt enim quod dicitur*, Induratum, *quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat* (id eſt, quia non faciliter & humiliter obtemperabat juſſionibus divinis, ſed contumaciter & ſuperbè repellebat gratiam Dei, quâ potuiſſet obtemperare ſi voluiſſet) *diſpenſationis fuit divinæ, quâ tali cordi non ſolùm juſta, ſed evidenter juſta pœna parabatur, quâ timentes Deum corrigerentur.*

Ut cor Pharaonis non moveretur patientiâ Dei, vitii proprii fuit.

Propoſito quippe lucro v. g. propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor moventur: ille ſcilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum: ipſius tamen lucri propoſitio in alicujus illorum non fuit poteſtate. Ita cauſæ veniunt hominibus malis, quæ non ſunt quidem in eorum poteſtate, ſed hoc de illis faciunt, quales illos invenerint jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Videndum ſanè eſt, utrùm etiam ſic accipi poſſit: Ego indurabo: *tanquam diceret, quàm durum ſit, demonſtrabo.*

184. Sed nunquid ut eſſet durum cor Pharaonis, neceſſarium erat, ut Deus ſubtraheret ipſi omnem gratiam, etiam remotè ſufficientem, quâ, licèt difficulter, poſſet implere mandata divina ſi vellet? Nonne durum ſatis demonſtrabat, ſubtrahendo gratiam efficacem, per quam non ſolùm potuiſſet obtemperare Pharao, ſed etiam obtemperaſſet mandato divino, cui jam noluit obtemperare, etſi toties Dei plagâ percuſſus?

Ad hoc non fuit neceſſarium ut Deus ſubtraheret omnem gratiã ſufficientem.

Tempore D. Auguſtini (ut ipſe refert Serm. 88. de temp.) non ſolùm laici, ſed etiam aliqui Clerici dicebant inter ſe: *Cur iniquitas illa Pharaoni imputatur, cùm Dominus cor illius obduraſſe refertur?* Ad quam quæſtionem ita reſpondet S. Doctor in illo Sermone: *Primò hoc fideliter & firmiter credat dilectio veſtra, quia nunquam priùs Deus deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur. Cùm enim & ſemel, & ſecundò, & tertiò unuſquiſque gravia peccata commiſerit, expectat tamen illum Deus, ſicut per Prophetam dicit*, ut convertatur & vivat. *Cùm verò in peccatis ſuis cœperit permanere, de multitudine peccatorum naſcitur deſperatio, ex deſperatione obduratio generatur: dum homines negligentes imprimìs deſpiciunt peccata ſua, quia parva ſunt, creſcentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt & demergunt. Quod cùm factum fuerit, impletur hoc quod ſcriptum eſt*: Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. *De talibus & Apoſtolus dicit: Ignoras quod patientia Dei ad Pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ.*

Ezech. 33. v. 11.

Proverb. 18. v. 3.

Rom. 2. v. 4. & 5.

185. Et adductis aliis Scripturis ad idem propoſitum concludit dicens: *Iſta teſtimonia Scripturarum ideo Charitati veſtræ inſinuare volui, ut intelligatis, quia & obduratio non Dei potentiâ compellente perficitur, ſed Dei remiſſione vel indulgentiâ generatur: ac ſic Pharaonem non divina potentia* (compellens) *ſed divina patientia credenda eſt obduraſſe.* Potentia, inquam, compellens, id eſt, cogens ſeu neceſſitans ad peccandum.

Obduratio

Qui dicit (inquit S. Proſper ad cap. Gall. Sent. 11.) *quòd per potentiam Deus homines in peccata compellat, meritò reprehenditur. Nec enim Deus qui juſtitiæ & bonitatis auctor eſt, & cujus omnia ſtatuta & mandata contra peccatum ſunt, quemquam ad peccandum cogere* (id eſt neceſſitare) *& ab innocentia in facinora præcipitare credendus eſt. Si qui autem tam profundæ impietatis ſunt, ut extra remedium correctionis habeantur, non à Deo incrementa iniquitatis accipiunt, ſed per ſemetipſos deteriores fiunt, quia relinqui à Deo, ac ſibi, ac deceptoribus ſuis tradi propter præcedentia peccata meruerunt, ut eis peccatum ſit ipſa etiam pœna peccati.*

Alioquin Deum obdurare aliquando peccatorem, & tradere deſideriis ſuis, non ſolùm per patientiam, ſed etiam per potentiam, expreſſis verbis docet S. Aug. lib. 5. contra Jul. c. 3. ibi: *Quid eſt autem quod dicis* (alloquitur Julianum) *cum deſideriis ſuis traditi dicuntur, videlicet per divinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata compulſi: quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apoſtolus & patientiam & potentiam ubi ait*; Sic autem volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ; quæ perfecta ſunt in perditionem, 186

Quid horum tamen dicis eſſe quod ſcriptum eſt: Et Propheta ſi erraverit, & locutus fuerit, ego Dominus ſeduxi Prophetam illum, & extendam manum meam ſuper eum, & exterminabo eum de medio populi mei Iſraël: *Patientia eſt an potentia? Quodlibet eligas, vel utrumque fatearis, vides tamen falſa prophetantis peccatum eſſe, pœnamq́; peccati. An & hic dicturus es, quod ait*: Ego Dominus ſeduxi Prophetam illum, *intelligendum eſt, deſerui, ut pro ejus meritis ſeductus erraret? Age ut vis, tamen eo modo punitus eſt pro peccato, ut falsò prophetando peccaret.* Hæc ille.

Et ſi quæras à me, an ergo Auguſtinus aliquando docuerit, Deum homines per potentiam in peccata compellere, id eſt, ad peccandum cogere ſeu neceſſitare? Reſp. negativè, ut patet ex Proſpero ſuprà, ubi Auguſtinum defendit à calumniis Adverſariorum, *in nullo recedens*, ut ait Præfatione in reſp. ad cap. Gall. *à tramite earum definitionum, quæ in ſancti Viri diſputationibus continentur.* 187.

Quid eſt ergo quod dicit D. Auguſt. *Deum tradere hominem deſideriis ſuis non tantùm per patientiam, ſed etiam per potentiam? Quis ita deſipiat*, inquit ille ſuprà cap. 4. *ut cùm audierit quod in Pſalmo canitur*: Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori; *hoc dicat oraſſe homi-*

hominem, ne Deus ſit patiens erga illum, ſi Deus non tradit, ut mala fiant, niſi patientem bonitatem
.13 *præbendo cùm fiunt? Quid eſt autem quod quotidie dicimus:* Ne nos inferas in tentationem: *niſi ut non tradamur concupiſcentijs noſtris?* Unuſquiſque enim tentatur à concupiſcentia ſua abſtra-
4. ctus & illectus. *An fortè hoc à Deo petimus, ut non ſit erga nos patiens bonitas eius? Non ergo eius invocamus miſericordiam, ſed potiùs iracundiam provocamus. Quis iſta ſapiat ſanus; immo quis vel furioſus hæc dicat?*

8. Itaque tradere per patientiam, non eſt aliud, quàm Deum non illico peccatorem punire pœnâ æternâ, ſed expectare ad Pœnitentiam: tradere verò per potentiam, non eſt ſubtrahere omnem omnino gratiam neceſſariam ad evitanda ulteriora peccata, ſed ſubtrahere omnem gratiam efficacem, aut certè proximè & abundanter ſufficientem, nec non præbere occaſionem peccati futuri, non ex intentione peccati,
5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, inquit Propheta Regius Pſalm. 5. v. 5. ſed potenter operando quædam bona in ſe & juſta, unde peccatores accipiunt occaſionem malè aut pejùs agendi, ut ſic oſtendat in ipſis ſuam virtutem.

Eſt in malorum poteſtate peccare, inquit S. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 16. *ut autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non eſt in eorum poteſtate, ſed Dei dividentis tenebras, & ordinantis eas; ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntas Dei.*

Nonne dicit Scriptura Act. 4. v. 27. & 28. *Convenerunt verè in civitate iſta adversùs ſanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſraël, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri?*

89. *Numquid ideo*, interrogat S. Leo Serm. 16. de Paſſ. *iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei eſt orta conſilio? Et illud facinus quod omni ma[illegible] eſt crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc planè de ſumma iuſtitia ſentiendum eſt. Quia multum diverſum eſt, quod in malignitate Iudæorum eſt præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum. Non indè proceſſit voluntas interficiendi, unde moriendi, nec de uno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim has impias furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit, nec præſciendo quod faciendum eſſet, coëgit ut fieret; cùm tamen ad hoc carnē ſuſcepiſſet ut fieret.* Hæc S. Leo.

Aliud exemplum lego apud Auguſtinum lib. de Grat. & lib. arbit. c. 20. *In animo*, inquit, *factus eſt timor ut fugerent* (Iſraëlitæ à facie hoſtium de civitate Hai) *& hoc factum eſt ut vindicaretur peccatum eo modo quo fuerat vindicandum.*
.12. *Vnde dicit Dominus ad Ieſum Nave:* Non poterunt filii Iſraël ſubſiſtere à facie inimicorum ſuorum *Quid eſt*, non poterunt ſubſiſtere? *Quare non ſubſiſtebant per liberum arbitrium, ſed per timorem turbatâ voluntate fugiebant, niſi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem convertit iratus?*

Ibidem ſic ait S. Doctor: *Quomodo dixerit Dominus huic homini* (Semei) *maledicere David, quis ſapiens & intelliget? Non enim iubendo dixit, ubi obedientia laudaretur, ſed quod eius voluntatem proprio vitio ſuo malam, in hoc peccatum iudicio ſuo iuſto & occulto inclinavit.* 190. Quomodo Deus dixerit Semei, ut malediceret David 2. Reg. 16. v. 10.

Cumque plura ſimilia exempla attuliſſet, tandem cap. 21. concludit hiſce verbis: *His & talibus teſtimonijs divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, ſatis, quantùm exiſtimo, manifeſtatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique ſuo, aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto. Fixum enim debet eſſe & immobile in corde veſtro, quia* non eſt iniquitas apud Deum. *Ac per hoc quando legitis in litteris veritatis, à Deo ſeduci homines, vel obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, ut iuſtè iſta paterentur.* Deus inclinat voluntates hominum quo vult, ſive ad bonum. ſive ad malum. Rom. 9. v. 4.

Hoc eſt ergo Deum tradere peccatorem deſideriis ſuis, non tantùm per patientiam, ſicut Julianus intelligebat, id eſt, per longanimitatem & patientem Dei bonitatem conſervare ſuperſtitem in hac vita, nec è medio tollere dum peccat; ſed etiam per potentiam, puta inclinando ejus voluntatem ad mala pro ejus meritis. Ac ſic Pharaonem non tantùm divina patientia, ſed etiam quodammodo divina potentia credenda eſt obduraſſe, non imponendo neceſſitatem, ſed ineffabili modo inclinando ejus voluntatem ad liberè reſiſtendum gratiæ divinæ, cum qua poſſet, ſi vellet, obtemperare. 191. Pharaonem divina potentia quodammodo obduravit.

Quotiens eum Dei plaga percuſſit (inquit Auguſtinus Serm. 88. de Tempore) *afflictus pœnituit: at ubi ei remiſſio divina indulgentiam dedit, iterum ſe in ſuperbiam elatus erexit. Hoc ergo definitiſſimè credite Fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit:* Ego indurabo cor Pharaonis: *non aliud intelligi voluit, niſi ego, inquit, ſuſpendo plagas meas & flagella, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto.* Dicit: *Permitto*, nam, ut rectè lib. 13. de Trinit. c. 12. *Modus iſte quo traditus eſt homo in diaboli poteſtatem, non ita debet intelligi, tamquam hoc Deus fecerit, aut fieri iuſſerit, ſed quod tantùm permiſerit.* S. Auguſt.

Quid ergo fecit Pharaonem obdurari? Reſpondet Auguſt. ſuprà: *Certiſſimè credat, quòd Pharaonem non Dei violentia, ſed propria iniquitas, & indomabilis ſuperbia contra Dei præcepta toties fecerit obdurari. Quid eſt autem quod dixit:* Ego indurabo cor ejus, *niſi cùm abfuerit gratia mea, obduraret illum nequitia ſua?* 192. Quid fecerit Pharaonem obdurari. S. Auguſt.

Dubitas de qua gratia Auguſtinus loquatur? Diſce ex hac ſimilitudine, quam ibidem ſubjungit: *Sicut quotiens nimio frigore aqua conſtringitur, Solis calore ſuperveniente reſolvitur, &*

diſcedente eodem Sole, iterum obduratur; ita nimirum peccatorum frigore refrigeſcit charitas multorum, & velut glacies obdurantur; & cum eis iterum calor divinæ miſericordiæ ſupervenerit, reſolvuntur. Ille utique calor de quo ſcriptum eſt:
Pſal. 18. v. 7. Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus. *Quod etiam erga Pharaonem impletum eſſe cognoſcimus, à quo quotiens flagella remota ſunt, contra Deum ſe obduratus erexit, quotiens verò afflictus eſt, humiliter ſupplicavit.*

Et ſi quæras, quare Deus non omnes ita miſericorditer flagellat, ut nullum contra ſe obdurari permittat? Reſpondet S. Doctor: *Aut illorum iniquitati, qui obdurari merentur adſcribendum eſt, aut ad inſcrutabilia Dei iudicia referendum, quæ plerumque ſunt occulta, numquam tamen iniuſta.*

193. Pharao obduratus potuit obtemperare. S. Auguſt.

Ut autem ſcias Pharaonem obtemperare potuiſſe, quando obduratus non obtemperavit, penſita quod poſt pauculas lineas attexit Auguſt. verbis præallegatis: *Quâ ergo conſcientiâ Chriſtianus Deum iniuſtum eſſe conqueritur? Nam & in tantum non eum* (Pharaonem) *Deus irrevocabiliter obduravit, ut poſt decem plagas populum Dei non ſolùm dimitteret, ſed etiam exire compelleret. Quod autem decem plagis percuſſus feciſſe legitur, poſt primam caſtigationem implere potuiſſe cognoſcitur.*

Adde quod ſcribit lib. 83. qq. q. 68. ibi: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam ut venirent vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea etſi quiſquam ſibi tribuit, quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere quod vocatus eſt; qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cùm vocatus venire neglexerit.*

Non ait, *inchoat meritum ſupplicii cùm peccaverit in Adamo*, ſed, *cùm vocatus venire neglexerit*, id eſt, venire noluerit, cum poſſet venire, ſi vellet.

Ita erunt (proſequitur Auguſtinus) *duo illa*; Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. *Ad miſericordiam pertinet vocatio* (tam congrua quàm incongrua, quia de utraque loquitur) *ad iudicium pertinet, beatitudo eorum, qui vocati venerunt, & ſupplicium eorum, qui vocati venire noluerunt.*

Pſalm. 100. v. 1.

194. Non defuit Pharaoni vocatio. S. Auguſt.

Neque talis vocatio defuit Pharaoni; ſic namque interrogat S. Doctor: *Numquid ergo latebat Pharaonem, quantùm boni conſecuta fuerint terra illa per adventum Ioſeph? Illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio eius fuit, ut populum Iſraël miſericorditer tractans non eſſet ingratus. Quòd autem huic vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas & miſericordia debebatur, meruit pœnam ut induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, ut tot & tanta tamque manifeſta Dei ſigna non crederet.*

Non ait, *ut non poſſet credere tametſi vellet*, ſed, *ut non crederet*, tametſi poſſet credere ſi vellet; credere, inquam, ſe debere obtemperare mandatis divinis per Moyſen intimatis.

Quid ergo ſibi vult Auguſtinus, quando ſuprà in Expoſ. quarumdam propoſitionum ex Epiſt. ad Rom dicit de Pharaone: *Non ergo hoc illi imputatur quòd tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat?* Jam enim ex Auguſtino oſtendimus, quòd poterat obtemperare. Et ſi poterat, quomodo non imputatur hoc illi, quòd tunc non obtemperarit?

Reſpondeo, non poterat obtemperare, quia nolebat; nam ſi voluiſſet cooperari gratiæ divinæ, quæ, licèt remota & exigua, non deerat ipſi, etiam obdurato, non ſolùm potuiſſet proximè obtemperare; ſed etiam obtemperaſſet, ſicuti obtemperavit, quando poſt decem plagas populum Dei non ſolùm dimiſit, ſed etiam compulit exire.

Audiamus D. Auguſt. loquentem de Judæis excæcatis & obduratis. Tract. 53. in Joan. ad iſta verba Joannis 12. v. 39. & 40. *Propterea non poterant credere* (Judæi) *quia iterum dixit Eſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde & convertantur & ſanem eos.* Hæc, inquam, verba ſic interpretatur S. Doctor: *Dicitur nobis: ſi non potuerunt credere, quod peccatum eſt hominis non facientis, quod non poteſt facere? Si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Euangelium: Propterea non poterant credere &c.*

Et poſt pauca: *Non poterant credere, quia hoc Eſaias Propheta prædixit. Hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit. Quare autem non poterant ſi à me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt.*

196. Multis autem interpoſitis de modo excæcationis & indurationis, tandem concludit dicens: *Non itaque mirum eſt, quia non poterant credere, quorum voluntas ſic ſuperba erat, ut ignorantes Dei iuſtitiam, ſuam vellent conſtituere: ſicut dicit de illis Apoſtolus:* Juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. *Quia enim non ex fide, ſed tamquam ex operibus tumuerunt, ipſo ſuo tumore cæcati, offenderunt in lapidem offenſionis. Sic autem dictum eſt,* non poterant, *ubi intelligendum eſt quòd nolebant, quemadmodum dictum eſt de Domino Deo noſtro,* ſi non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt; *de Omnipotente dictum eſt,* non poteſt. *Sicut ergo quòd Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus eſt voluntatis divinæ, ita quòd illi* (Judæi) *non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ.* Ubi comparat impotentiam credendi in Judæis, cum impoſſibilitate negandi ſeipſum in Deo:

in Deo: non tamen ad æqualitatem, nam Deus naturâ ſuâ non poteſt ſeipſum negare; ſed numquid etiam Judæi naturâ ſuâ non poterant credere? Audi quod ſequitur apud D. Auguſtinum.

Ecce dico & ego, quòd qui tam ſuperbè ſapiunt, ut ſuæ voluntatis viribus tantùm exiſtiment eſſe tribuendum, ut negent ſibi eſſe neceſſarium divinum adiutorium ad bene vivendum, non poſſunt credere in Chriſtum &c. *Qui ergo ignorans Dei iuſtitiam, quâ iuſtificatur impius, ſuam vult conſtituere, quâ convincatur ſuperbus, in hunc non poteſt credere. Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt, ſed quamdiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Hinc excæcantur & indurantur, quia negando divinum adiutorium non adiuvantur.* Nam ut ibidem ait Auguſtinus: *Sic excæcat ſic obdurat Deus deſerendo & non adiuvando.* Indigni autem ſunt adjutorio, qui illud negant neceſſarium.

97. De eiſdem Judæis ſic loquitur Auguſt. lib. de Bono perſ. c. 14. *In eadem perditionis maſſa relicti ſunt Iudæi, qui non potuerunt* (quia noluerunt) *credere, factis in conſpectu ſuo tam magnis clariſq; virtutibus.*

…litas …rum …ut de eo… Iud…

Utique, *qui de ſe præſumentes*, inquit lib. de Grat. & libero arbitr. c. 12. *gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant.* Adeoque, teſte eodem lib. de Bono perſev. cap. 9. *Facilè eſt ut infidelitatem* Judæorum *accuſemus de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus credere noluerunt.*

Ecce quod hìc dicit, *credere noluerunt*, ſuprà c. 14. ejuſdem libri dicit, *non potuerunt credere*, & lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 12. *non credebant.*

3. Ex quo manifeſtè apparet, Sanctum Auguſtinum per potentiam & impotentiam ſæpè ſæpiùs intelligere ipſum actum & negationem actûs, ſive potentiam & impotentiam conſequentem ſeu concomitantem, id eſt, negat id poſſe fieri, quod infallibiliter non fiet, & affirmat id poſſe fieri, quod infallibiliter fiet.

…g per …tiam poten… ſæpè …igit …& ne…nem

Sic lib. de Corrept. & grat. c. 9. *Quicumque*, inquit, *in Dei providentiſſima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, iuſtificati, glorificati ſunt, non dico etiam nondum renati, ſed etiam nondum nati, iam filii Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt*, hoc eſt, omnino non peribunt. Alioquin, ut rectè Scotus 1. diſt. 40. n. 2. *Iſte qui eſt prædeſtinatus poteſt damnari; non enim propter eius prædeſtinationem, eſt voluntas eius confirmata, & ita poteſt peccare, & ita pari ratione in peccato ſtare, & ita iuſte damnari.* Igitur vel Scotus hìc errat, vel S. Auguſtinus ibi accipit impotentiam pro infallibili negatione ipſius actûs.

Interrogas, ubi S. Auguſt. accipiat potentiam pro infallibili actu? Reſpondeo, lib. de Bono perſev. c. 14. quando dicit: *Ubi* (id eſt, in maſſa perditionis) *Tyrii relicti ſunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent.* Credere, inquam, potuerunt, hoc eſt, credidiſſent: nam actutum ſubjungitur: *Sed quoniam ut crederent* (non dicit, *ut poſſent credere*, ſed, *ut crederent*) *non erat eis datum, etiam unde crederent eſt negatum. Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant; & tamen ſi Dei altiore iudicio, à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ poſſent credere* (hoc eſt, crederent) *ſi audirent utique talia vel viderent.* Et paucis interpoſitis: *Audiunt*, inquit, *hæc & faciunt, quibus datum eſt, non autem faciunt ſive audiant, ſive non audiant, quibus non datum eſt.*

Dices: Tract. 54. in Joan. enumerat tamquam diſtincta, *non credere*, &, *non poſſe credere*; ſic enim incipit hic Tractatus: *Loquente Domino noſtro Ieſu Chriſto apud Iudæos, & tanta miraculorum ſigna faciente, quidam crediderunt prædeſtinati in vitam æternam, quos etiam vocavit oves ſuas; quidam verò non crediderunt, nec poterant credere, eò quòd occulto, nec tamen iniuſto iudicio Dei fuerant excæcati, & indurati, deſerente illo, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 199. Obiectio ex S. Auguſt.

Reſpondeo, non ſic intelligendum eſſe quod hìc ſcribit Sanctus Doctor, quaſi Judæi nullam habuerint poteſtatem credendi; ſed ideo ſic locutus fuit, ut accuſaret infidelitatem eorum de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tam magnis virtutibus credere non potuerunt, quia credere noluerunt. Sicut enim impoſſibile eſt ut dum volumus, non velimus, ita impoſſibile eſt ut dum nolumus, velimus; cùm ergo nemo credat niſi volens, ſaltem cùm nolens nemo credat, quamdiu Judæi excæcati & indurati ſuperbiâ ſuâ nolebant credere, tam diu non poterant credere. Reſponſio.

Interim quandoque diſtincta eſſe, *nolle credere*, &, *non poſſe credere*, perſpicuè manifeſtum fit ex ipſo Auguſtino lib. de Corrept. & grat. c. 7. ibi: *Ac per hoc & qui Euangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt; & qui Euangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt ….. & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt* &c. 200. Aliquando apud D. Auguſt. diſtincta ſunt nolle credere, & non poſſe credere.

Ecce hìc diſtinguit inter parvulos, qui non poſſunt credere tametſi velint, cùm careant propriâ voluntate, id eſt, actu liberò voluntatis, & propterea minimè peccant non credendo, & inter illos, qui audito Euangelio non poterant credere, quia nolebant, id eſt, qui credere noluerunt, cùm poſſent, ſi vellent, de quibus loquitur Chriſtus Joan. 15. v. 22. Ioan. 15.

Digitized by Google

Eòdem pertinet illa comparatio, quâ probat priorem tantùm infidelitatem Pharaoni imputari: *Sicut enim in iis quos elegit Deus* &c. Vide ſuprà. Ergo idem eſt hoc loco *imputari*, &, *inchoare meritum premii aut ſupplicii*, ita ut quidquid muneris, aut pœnæ locum habet, non poſſit hoc ſenſu nobis imputari, id eſt, primò & radicitùs, quamquam alioquin proximè & formaliter imputetur; quia videlicet ſic indurat & obdurat Deus in pœnam peccati præcedentis, ut tamen non tollat liberum arbitrium in illis, quæ occaſione indurationis contra præcepta ejus fiunt. Nam ſolùm ſubtrahit auxilium abundans, quo homo facilè potuiſſet obtemperare, interea relinquens auxilium abſolutè ſufficiens, quo, licèt difficulter, ſimpliciter tamen poſſet obtemperare ſi vellet, ne alioquin obduratio, Dei potentiâ compellente, id eſt, neceſſitante, perficiatur.

06. nodo bdura- :eccato. Ita ergo ſe habet de obduratione, definita ſententia voluntatis divinæ: Deus ſæpè vocat peccatorem, & expectat patienter ad Pœnitentiam, & tandem ſubtrahit auxilium abundans, hoc eſt, deſerit, & deſerendo obdurat, ac tradit ipſum deſideriis ſuis; quia deſertus cedit eis, atque liberè conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur, & fit ei peccatum conſequens, præcedentis pœna peccati. Ut proinde patientia Dei ſit occaſio remota obdurationis, deſertio proxima; efficiens autem propria libertas obdurati, qui propterea non poteſt converti, quia non vult.

io ob- us re- : libe- arbi- ex S. iſt. *Nec ideo* (inquit S. Auguſt. lib. de Grat. & libero arb. c. 23.) *auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus:* Ego induravi Pharaonem, *vel*, induravi, *vel*, indurabo cor Pharaonis. *Non enim propterea ipſe Pharao non induravit cor ſuum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata eſt ab Ægyptiis cynomia, di-* .I. v 32. *cente Scripturâ*: Et ingravavit Pharao cor ſuum & in iſto tempore, & noluit dimittere populum. *Ac per hoc & Deus induravit per iuſtum iudicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium.*

207. rimen obdu- nem s vitæ, mna- m ex uguſt. Quamquam enim, ſuppoſitâ craſsâ ignorantiâ, non poſſet voluntas Pharaonis obtemperare Deo; non enim poterat velle facere, quod non credebat ſe facere debere: quia tamen poterat illam ignorantiam craſſam (utpote voluntariam) tollere, poterat quoque Deo obtemperare. Pro cujus pleniori intellectu

Nota, obdurationem & excæcationem hujus vitæ eſſe tantùm imperfectam, & plurimùm diſtare ab obduratione damnatorum. De utraque D. Auguſt. Enarr. in Pſalm. 6. ad illa verba: *Turbatus eſt in ira oculus meus*; ſic diſcurrit: *Utrùm ſuâ, an Dei irâ, in qua petit ne argueretur, aut corriperetur? Sed ſi illa* (ira Dei) *diem iudicii ſignificat, quomodo nunc poteſt intelligi? An inchoatio eius eſt, quòd hic homines dolores, & tormenta patiuntur, & maximè damnum intelligentia veritatis, ſicut iam commemoravi quod dictum eſt*: Dedit illos Deus in reprobum ſenſum? *Nam ea eſt cæcitas mentis. In eam quiſquis datus fuerit ab interiori Dei luce ſecluditur. Sed nondum penitùs cum in hac vita eſt.* Ecce obduratio hominum hujus vitæ.

Sequitur obduratio damnatorum: *Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magìs ad diem iudicii pertinere intelliguntur, ut penitùs extra Deum ſit, quiſquis dum tempus habet corrigi noluerit. Penitus enim eſſe extra Deum quid eſt, niſi eſſe in ſumma cæcitate? ..... Huius igitur iræ inchoatio eſt, quam in hac vita patitur quiſcumque peccator ...... Et ideo non dixit, extinctus eſt, ſed, conturbatus eſt ab ira oculus meus.* Ergo obduratio hujus vitæ non aufert omnem prorſus gratiam ſufficientem; alioquin non ſolùm conturbatus, ſed extinctus foret oculus obduratus.

Quidni, reponit quiſpiam, ſit extinctus 208.
etiam in hac vita? Sic enim lego apud D. Au- Objectio ex
guſtinum Enarr. in Pſalm. 57. ad illa verba: D. Auguſt.
Ergo eſt Deus iudicans eos in terra. Nondum, inquit, *in illa vita, nondum in igne æterno, nondum apud inferos, ſed hic in terra. Ecce dives ille adhuc induitur purpurâ, & byſſo, & adhuc epulatur quotidie ſplendidè. Nondum produxit ſpinas rhamnus, nondum dicit, crucior in hac flamma, ſed iam eſt mentis cæcitas, iam oculus mentis extinctus eſt. Si cæcus oculis carnis ad menſam ſuam quamlibet optimam diſcumberet, miſerum eum diceres. Cæcus interiùs panem Chriſtum non videt, & beatus eſt?*

Reſpondent aliqui, hic ſermonem eſſe de 209.
ſingulari aliqua veritate, quam excæcatus vi- Reſponſio aliquorum.
dere non poteſt. Patet, inquiunt, ex illis verbis: *Cæcus interiùs panem Chriſtum non videt.* In priori autem loco loquitur generatim de mentis oculo, quem dicit non extingui, ſed turbari; quamvis enim homo poſſit amittere, & ſæpè amittat lucem circa particularem aliquam veritatem, adeòque & poteſtatem videndi, quot enim nobis ſubducuntur gratiæ lumina, tot mentis oculi effodiuntur; tamen quia non penitùs in hac vita ſecluditur ab interiori lumine, hinc neque omnem poteſtatem videndi amittit, niſi quando ligatis manibus & pedibus projicitur in tenebras exteriores. D. Bernard.
Quid, inquit Bern. de grat. & libero arbitr. poſt medium, *eſt ipſa manuum pedumque ligatio, niſi omnimoda poteſtatis ablatio?*

Sed contrà; non loquitur hic Auguſtinus Impugnatur.
de particulari veritate, niſi exempli gratiâ, & quia fecerat mentionem menſæ, in qua ſemper ſolet apponi panis, Chriſtus autem eſt panis vivus, qui de Cælo deſcendit, ideo ſpecificat fidem in Chriſtum. Interim videtur eſſe eadem ratio hujus veritatis, & aliarum; ſi ergo cæcus interiùs ſimpliciter non poteſt videre Chriſtum, id eſt, credere in Chriſtum, ex quo convincitur, quòd habeat aliquam poteſtatem credendi alias veritates? Numquid qui negat Chriſtum, poteſt credere Evangelium Chriſti?

 Hinc

Digitized by Google

210. **Secunda reſponſio.**

Hinc reſpondeo ſecundò; Auguſtinum in poſteriori loco non intelligére perfectam extinctionem, ſed inchoationem extinctionis, quæ magìs eſt conturbatio, quàm ſimpliciter extinctio, ne alioquin ſibi ipſi contradicat. Quòd autem vocet ſimpliciter extinctionem, nil mirum; ſuppoſuit namque S. Doctor quòd ex dictis eodem libro mens ipſius ſatìs ſuperque omnibus conſtaret, ut mirum ſit ab aliquibus eam in dubium revocari.

Non omnis cæcus oculis carnis caret omnimodâ poteſtate videndi.

Atque ut inhæreamus ſimilitudini cæcitatis corporalis, quæro, numquid omnis cæcus oculis carnis, caret omnimodâ poteſtate videndi? Nonne plurimi ſive per miraculum implorando ſuffragia Sanctorum, ſive per humanam induſtriam, lumen oculorum receperunt? Certùm quippe eſt, hujuſmodi frequenter dari cæcitatem corporalem, id eſt, impotentiam proximam videndi, quæ humanâ ope abſtergatur, & ad potentiam proximam, ac ipſum actum videndi reducatur. Quid ſi talis cæcus nolit uti ope humanâ, nonne in ipſo oculus carnis totaliter & penitùs extinctus eſt, ita ut videre non poſſit tametſi velit? Perſpicuè manifeſtum eſt quòd non; adeò ut de ipſo dici poſſit: *Vult cæcus eſſe corpore.*

Conſimiliter nec omnis cæcus oculis cordis.

Conſimiliter argumentor de cæcitate ſpirituali; fateor aliquam eſſe, quæ eſt extra omne remedium correctionis, utique poſt hanc vitam in æterna damnatione; ſed dico, aliam eſſe minorem hujus vitæ, quæ quidem aufert potentiam proximam videndi, ſic tamen ut relinquat remedium correctionis, id eſt, facultatem per orationem recuperandi potentiam amiſſam; immo & ipſum actum videndi, id eſt, credendi & bene operandi. Quòd ſi cæcus interiùs nolit orare, nolit quærere medicum rectè dici poterit: *Volens cæcus eſt corde.*

211. **Quomodo intelligenda verba D. Auguſt. *Quis volens cæcus eſt corde* &c.**

Non ignoro verba D. Auguſt. lib. 1 Oper. imperf. c. 47 *Quis porrò volens cæcus eſt corde, cùm velit nemo cæcus eſſe vel corpore?* Sed hæc commodè intelligenda ſunt imprimìs de voluntate rationabili, quâ nemo volens cæcus eſt corde, quamvis de aliquo Sancto legatur, quòd oraverit Deum pro cæcitate corporis, eamque ſuâ oratione impetraverit.

Secundò intelligenda ſunt de voluntate inefficaci, ſeu ſimplici complacentia, quâ vellet peccator ſcelera ſua, nec iſtâ, nec aliâ pœnâ vindicari. Enimverò ponamus caſum, quòd privatio oculorum corporalium ſit conſtituta pœna adulterij aut homicidij, perjurij, aut alterius gravis delicti, ſi quis ſciens & volens tale delictum committat, nonne de ipſo dici poterit: *Vult cæcus eſſe corpore?* Quis dubitat? Et tamen etiam verum eſt: *Non vult eſſe cæcus corpore*, quia vellet ſcelus ſuum hujuſmodi pœnâ non vindicari.

212. **Quomodo pœna ſit voluntaria**

Ecce quomodo pœna voluntaria ſit, & involuntaria. Voluntaria in ſua cauſa; involuntaria, ſed inefficaciter, in ſe ipſa. Quamvis ergo poſitâ cauſâ non ſit nobis libera pœna, tamen antecedenter libera erat, quia libera poſitio cauſæ, & ideo merito nobis imputatur, ſicuti imputantur homicidium, in ſua cauſa libera prævisum, ebrietas, & alia peccata, quia neceſſariò ſequuntur cauſam liberè poſitam, idque quia eſt neceſſitas, quæ deſcendit de libera voluntate.

Nec cogitat (inquit D. Auguſtinus lib. de Nat. & grat. c. 22. *prævaricatorem legis, quam dignè lux deſerat veritatis, quâ deſertus utique fit cæcus, & plus neceſſe eſt* (neceſſitate quæ deſcendit de libera voluntate) *offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat, & ideo tantùm audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.*

Admoneatur, inquam, à Deo, implorare gratiam Salvatoris, juxta illud in eodem libro c. 43 *Non igitur Deus impoſſibilia iubet, ſed iubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Fruſtra autem admonetur prævaricator legis petere quod non poteſt, ſi nullam prorſus habeat poteſtatem petendi; ſicut fruſtra admonerentur dæmones petere quod non poſſunt, cùm omnino ſit ipſis impoſſibile petere ſicut oportet, ut eis gratia Salvatoris conferatur.

Interim neceſſe eſt quòd cæci offendant, 213.
neceſſitate ſcilicet, ut ſtatim dixi, dependente à libera eorum voluntate; nam ſi gratiam Salvatoris implorarent, ut poſſunt, & ad quod faciendum à Deo admonentur, neceſſe non eſſet eos cadere. Perinde ac ſi de homine cæco corporaliter, qui per viam foſſis abruptam ambulans non vult implorare gratiam medici, qui poſſet oculos ejus aperire, diceretur: *Neceſſe eſt ut cadat*, ſcilicet neceſſitate, quæ deſcendit de libera voluntate; quia ſi vellet, poſſet implorare opem medici jam parati ad ipſum curandum.

Hinc appoſitè D. Auguſtinus lib. de Nat. & grat c. 51. *Poſſet* (natura corrupta per peccatum) *medicum quærere, qui cæci oculos ſanaret, & videndi poſſibilitatem reſtitueret, quæ fuerat amiſſa per cæcitatem, quoniam cæcus puta quod velit videre, ſed non poteſt, ſi autem vult & non poteſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas*, ſcilicet proxima; nam poſſet medicum quærere, qui reſtitueret poſſibilitatem amiſſam: ergo habet remotam poſſibilitatem videndi. Si autem nolit quærere medicum, quid mirum ſi non poſſit videre?

Quamdiu quiſque malus eſt (ait S. Auguſtinus 214.
lib. 2. de Serm. Domini in monte c. 37.) *non poteſt facere fructus bonos; ſi enim bonos fructus fecerit, iam malus non erit. Sic veriſſimè dici potuit:* Non poteſt eſſe nix calida; *cùm enim calida eſſe cœperit, non iam nivem, ſed aquam vocamus. Poteſt ergo fieri, ut quæ nix fuit, non ſit: non autem poteſt fieri, ut nix calida ſit. Sic poteſt fieri, ut qui malus fuit, non ſit malus, non tamen fieri poteſt ut malus benè faciat.*

Conſi-

Digitized by Google

Fieri … cæ- Conſimiliter dico ego : quamdiu quiſque cæcus eſt, non poteſt videre, ſi enim videret jam cæcus non eſſet. Poteſt ergo fieri, ut qui cæcus fuit, non ſit cæcus ; non autem fieri poteſt, ut cæcus videat, ſcilicet quamdiu manet cæcus.

… ve- … de … æco. Sed nunquid de omni cæco veriſſimè dicitur : *Poteſt fieri, ut qui cæcus fuit, non ſit cæcus ?* Patet quod non de illis, qui dum tempus fuit, corrigi ſive videre noluerunt. Illud tempus eſt tempus vitæ, in quo cæcitas nondum talis eſt, quin, licet difficulter, curari poſſit, & ſæpe curetur.

Sicut enim confirmatio in gratia non omnem tentationē interiorem excludit ab homine viatore, ut Apoſtoli exemplo conſtat ; ita nec cæcitas hominis viatoris omnem gratiam internam ab eo removet. Immo confirmati in gratia (B. Virginem excipio) imperfectum quandoque conſenſum adhibent, qui veniale peccatum eſt ; & adhibere poſſent conſenſum perfectum, qui peccatum mortale foret, ſi vellent ; quidni ergo & obdurati in hac vita quandoque imperfectè gratiæ aſſentiantur, & poſſint perfectè aſſentiri ſi velint ?

6. … ex … rma- … bono Tho- Hæc videtur eſſe doctrina D. Thomæ Aquinatis q. 24. de veritate ubi art 9 in corpore ſic inquit : *Dicendum, quòd aliquis poteſt confirmari in bono dupliciter. Vno modo ſimpliciter, ita ſcilicet quòd habeat in ſe ſufficiens ſuæ firmitatis principium, quòd omnino peccare non poſſit, & ſic beati ſunt confirmati in bono. Alio modo dicuntur aliqui confirmati in bono, per hoc quod eis datur aliquod munus gratiæ, quo ita inclinantur in bonum, quod non de facili poſſint à bono deflecti : non tamen per hoc ita retrahuntur à malo ; quin omnino peccare non poſſint, niſi divinâ providentiâ cuſtodiente.*

En duplex confirmatio in gratia ſecundùm Doctorem Angelicum ; una viæ, altera patriæ : una quæ excludit omnimodam poteſtatem peccandi ; altera quæ ſolùm excludit poteſtatem facilem peccandi.

217. … plex obſtinatio in … o ex … doct. Simili methodo art. 11. in corpore duplicem aſſignat obſtinationem in malo : *dicendum,* inquit, *quòd obſtinatio importat quamdam firmitatem in peccato, per quam aliquis à peccato reverti non poſſit : Quòd autem aliquis non poſſit à peccato reverti, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ita quòd vires ſuæ non ſufficiant ad hoc, quòd à peccato totaliter liberetur, & ſic quilibet in peccato mortali cadens, dicitur non poſſe ad iuſtitiam redire, ſed ex iſta firmitate in peccato non dicitur aliquis propriè obſtinatus. Alio modo habet aliquis firmitatem in peccato, ita quòd nec cooperari poteſt ad hoc quòd à peccato reſurgat.*

Sed dupliciter eſt hoc. Vno modo ita quòd nullo modo poſſit cooperari, & hæc eſt perfecta obſtinatio, quâ Dæmones ſunt obſtinati …… Alio modo ita, quòd non de facili poſſit cooperari ad hoc quòd exeat de peccato. Et hæc eſt obſtinatio imperfecta, quâ aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ ; dum ſcilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quòd non ſurgant motus ad bonum niſi debiles. Quia tamen aliqui ſurgunt ex eis, datur via ut præparentur ad gratiam. Hactenus Doctor Angelicus.

Et vero Pharao, etiam cùm eſſet obduratus, nonne, teſte D. Auguſt Sermo 88. de Tempore, *Quotiens eum Dei plaga percuſſit, afflictus pœnituit ?* Ergo habuit gratiam, quâ liberas quaſdam, ſi non voluntates, ſaltem velleitates vel complacentias excitavit : ergo non omni prorſus gratiâ interiori deſtitutus fuit. 218. Pharao etiam obduratus, afflictus pœnituit.

Hinc S. Proſper lib. 1. de Vocat. Gent. c. 21. *Si verò quæritur, cur Salvator omnium hominum, non omnibus dedit hunc ſenſum, ut cognoſcerent verum Deum, & eſſent, id eſt, permanerent in vero filio eius : quamvis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam* &c. Et lib. 2. de Vocat. Gent. c. 13. *Quæ beneficia* (generalia gratiæ) *licet obduratis nihil remedii attulerint, probant averſionem eorum non divinæ fuiſſe conſtitutionis, ſed propriæ voluntatis.* S. Proſper.

Loquitur de poſteris Cain fratricidæ, quibus *quamvis* (inquit) *in progenitoris ſui moribus viverent, numquam ſe divinam bonitatem negaſſe, quis non facilè advertat, ſi conſideret, quantum eis prodeſſe potuerit tam longa patientia Dei, tam dives bonorum temporalium copia, & multiplicatæ fœcunditatis tam numeroſa propagatio ?*

Et ſanè ſi illa beneficia probant, averſionem eorum fuiſſe propriæ voluntatis, quidni, ſaltem remotè, ſufficientia fuerint ad eorum converſionem ?

Bonitas Dei (inquit S. Proſper loco citato) *ne illi quidem parti defuit, quæ in charitate non ſtetit, & ab initio ſui veneno diabolici livoris intumuit. Principem enim gentis impiæ, ſancti fratris meritis invidentem, cædemque eius parricidali corde meditantem, dignatur Dominus paterno mitigare conſilio dicens ad Cain :* Ut quid triſtis factus es ? Ut quid concidit vultus tuus ? Nonne ſi rectè offeras, rectè autem non dividas, peccaſti ? Quieſce. Ad te enim erit converſio ejus, & tu dominaberis ejus. *Depone* (*inquit*) *iram de invidia æmulatione triſtitiam, & flammas odii crudelis extingue, nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placendo te læſit.* Deſpexi *munera tua meo iudicio, non illius voto. Opus enim bonum negligenter egiſti, recta fuiſſet oblatio tua, ſi fuiſſet recta diſcretio, ſciens cui offerres, ſcire debueras quid voveres. Non dignè inter me & te diviſiſti, quoniam tibi electiora ſervaſti.* 219. Bonitas Dei non deſuit impiis ante diluvium. S. Proſper. Gen. 4. v. 6.

Tuus ergo hic error eſt, tuumq́ peccatum, quieſce & noli in inſontem fratrem moveri, ad te potiùs tua culpa revocetur. Noli peccato regnum in te dare, ſed tu potiùs in ipſum ſume dominatum. Pœnitendo enim nec in maius facinus progredieris, & ab eo in quo te doles diſplicuiſſe, mundaberis.

Cùm ergo talia ad Cain loqueretur Deus, numquid ambiguum eſt voluiſſe eum, & (quantum ad illum medendi modum ſufficiebat) egiſſe, ut Cain

ab

Digitized by Google

ab illo impietatis furore reſipiſceret , ſed malitia pertinax indè facta eſt inexcuſabilior , unde debuit eſſe correctior. Hucuſque Proſper.

Profectò ſi debuit eſſe correctior ; ergo potuit : ergo ille modus medendi, internus, ſive externus , ſaltem remotè ſufficiebat, ut Cain reſipiſceret ; adeò , ut ſi voluiſſet illâ admonitione divinâ uti , accepiſſet gratiam proximè ſufficientem, immo fortè efficacem, tum evitandi peccatum futurum , tum verè pœnitendi de peccato præterito.

220. Adducitur percelebre teſtimonium D. Aug. quo aliqui probant non dari gratiam ſufficientem.

Atque hìc fuiſſet finis hujus diſcurſûs , niſi occurriſſet percelebre teſtimonium D. Auguſtini, quo Adverſarii probant, nullam omnino dari gratiam ſufficientem. *Si* (inquit lib. de Corrept. & grat. c. 11.) *hoc adjutorium vel Angelo vel homini cùm primùm facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat , ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet , non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium , jam pœna peccati eſt ; quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur , non ſecundùm debitum , & tanto amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum , quibus id dare Deo placuit , ut non ſolum adſit , ſine quo permanere non poſſumus , etiamſi velimus. Verùm etiam tantum ac tale ſit , ut velimus.*

Ergo , clamant Adverſarii , ſecundùm mentem S. Auguſtini in pœnam peccati primorum Parentum , poſteris eorum deeſt tale adjutorium , puta gratia ſufficiens , quam habuerunt Angelus & homo , cùm primùm facti ſunt, & quam niſi habuiſſent, ſine culpa ſua cecidiſſent. Breviter , deeſt hominibus poſt peccatum adjutorium ſine quo non.

221. Diſcurſus D. Aug. de adjutorio ſine quo non.

De quo utique adjutorio ita ibidem diſcurrit S. Auguſtinus : *Iſtam gratiam non habuit homo primus , quâ numquam vellet eſſe malus : ſed ſanè habuit, in qua ſi permanere vellet , numquam malus eſſet , & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet ; ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia , quam reliquit in ejus libero arbitrio , quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit , ad bonum autem nihil eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono* , id eſt , à Deo. Ad bonum , inquam , ſupernaturale, de hoc enim agit ibi Auguſtinus , ſcilicet de amore ſupernaturali , in quo Deus fecerat primum hominem , ut patebit ex ſequentibus.

Primus homo ex eo quod in creatione acceperat , potuiſſet perſeverare.

222. Potentior eſt gratia quam Chriſtiani accipiunt, quàm quæ Adæ fuit collata.

Quod adjutorium (proſequitur S. Doctor) *ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus : ſed deſeruit , & deſertus eſt. Tale quippe erat adjutorium , quod desereret cùm vellet , & in quo permaneret ſi vellet ; non quo fieret , ut vellet. Hæc prima eſt gratia , quæ data eſt primo Adam ; ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim quâ fit, ut habeat homo juſtitiam ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt , quâ etiam fit ut velit , & tantum velit tantoq; ardore diligat , ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem , voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, quâ demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrii , quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret , ſed hoc adjutorium ſi vellet deſereret. Hæc autem tanto major eſt , ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem ; parum ſit denique non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur ut velit.*

Procul dubio parum id eſt , quia ut ſuprà diximus ex S. Bernardo Ser. 1. in Pentec. *Scienti bonum & non facienti , peccatum eſt illi gratia.* Quamquam & hæc ipſa gratia non ſit parva , quoniam demonſtrat potentiam liberi arbitrii.

Porrò ex jam dictis concludit Auguſtinus : 223. [illegible]
Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem (utique eamdem, quam dederat Angelis. Et quæ iſta ? *Sine bona voluntate* , inquit Auguſt. lib. 12. de Civit. c. 9. *hoc eſt , Dei amore numquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt. Verùm iſtam quis fecerat , niſi ille, qui eos cum bona voluntate , id eſt , cum amore caſto , quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis & condens naturam , & largiens gratiam* ?) *In illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet , quia non deerat adjutorium per quod poſſet , & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere , profectò ejus culpa eſt , cujus meritum fuiſſet , ſi permanere voluiſſet.* Hæc ille.

Atque ut clariùs omnibus innoteſceret diſtinctio adjutorii ſine quo aliquid non fit, & adjutorii quo aliquid fit , in eodem lib. c. 12. ſic ſcriptum reperio : *Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit , & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta , eis fit ut vivat , qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt , ſine quo non fit , non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo , quam non habet homo , cùm data fuerit , continuò fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit , verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium , & quo fit eſt , & ſine quo non fit. Quia & ſi data fuerit homini beatitudo , continuò fit beatus , & ſi data numquam fuerit , numquam erit.* Quid veriùs dici poterat ?

224. [illegible]

Sed numquid ideo eliminanda gratia tantùm ſufficiens ? Minimè ; aſt potiùs amplectenda. Quid ergo reſpondebimus ad percelebre teſtimonium D. Auguſtini , quod videtur negare hominibus lapſis adjutorium ſine quo non ?

225. Exiſtimant aliqui Aug. per adjutorium ſine quo non intellexiſſe gratiam habitualem.

Exiſtimant nonnulli, per adjutorium Auguſtinum ibi intellexiſſe gratiam habitualem, ſive habitum charitatis , ſine quo , vel aliquo ſupplente ejus vicem , non poterat voluntas tametſi vellet perſeverare in actuali & ſupernaturali amore Dei , quem Deus dederat Angelo & homini in prima ejus creatione , ac proinde

proinde ſi illum habitum non habuiſſent, ſine culpa non eliciuiſſent ſimiles charitatis actus, quibus tamen neceſſaria, & eis imperata perſeverantia continebatur.

Si, inquit, *hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adiutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent; adiutorium quippe defuiſſet ſine quo manere non poſſent.*

[margin: ...tia ...æ habi... ...s eſt ... pec. origi... vel ...lis.]

Sequitur: *Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium iam pœna peccati eſt*; quicumque enim in hoc ſtatu rerum carent gratiâ habituali, carent utique in pœnam peccati originalis vel actualis; cùm ſi Adam non peccaſſet, omnibus in ipſa conceptione, quaſi debita, conceſſa fuiſſet: illud autem jus in Adamo omnes amiſimus, adeoque omnes, qui illam gratiam accipiunt, ſingulari divinæ gratiæ beneficio accipiunt, quod his verbis ſignificat Auguſtinus: *Quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum.*

226. [margin: ...tia habitualis non ...plius ſuf... ...]

Addit: *Et tantò ampliùs datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verùm etiam tantum ac tale ſit, ut velimus.* Siquidem ita per peccatum inclinatum & attenuatum fuit liberum arbitrium, ut ampliùs gratia habitualis non ſufficiat Sanctis ex parte voluntatis ad actuoſam illam perſeverantiam, quæ virtutum actibus continetur. *Hoc Deo propitiante*, inquit Conſilium Arauſ. II. c. 25. [margin: ...c. Arauſ.] *& prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea, aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit.*

[margin: ...uare Deus ...m det ...ud adju... ...rium ...erſeveran... ...æ quam ...imo ho... ...ini. ...i. Auguſt.]

Quòd probè intelligens Divus Auguſtinus, lib. de Corrept. & grat. cap. 12. ſic ſcribit: *Nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius ..... ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adiutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ, voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent* (hoc eſt, non perſeverarent) *quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent* perſeverare, id eſt, ut perſeverarent.

227. [margin: Velle non eſt neceſſarium ad potentiam perſeverandi, ſed ſolùm ad ipſum actum perſeverantiæ. S. Auguſt.]

Sanè quòd S. Doctor hic per potentiam perſeverandi intelligat actualem perſeverantiam, vel indè ſatis conſtat, quòd velle non ſit neceſſarium ad potentiam perſeverandi, ſed dumtaxat ad actum perſeverantiæ, ut clariſſimè patet in Adamo, qui potuit perſeverare, ſed quia noluit, non perſeveravit.

Eſt in nobis, inquit Auguſtinus ibidem c. 11. *per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet; & acceperat poſſe ſi vellet, ſed non habuit velle quod poſſet, nam ſi habuiſſet* velle, non ait, *potuiſſet perſeverare*, quia hoc habebat antecedenter ad velle, ſed, *perſeveraſſet.*

Poſſet enim perſeverare etiamſi vellet; quod ut nollet de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat ut bene velle poſſet & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato, quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono (id eſt, humano) *merito* (quia per peccatum perdidimus innocentiam, & naturalem poſſibilitatem, id eſt, gratiam habitualem, quæ, ſi Adam non peccaſſet, omnibus in ipſa conceptione quaſi debita fuiſſet infuſa) *in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Donum, inquam, gratiæ, quia hominibus lapſis omne meritum, eſt gratia, quoniam in Adamo perdiderunt jus, quod alioqui omnes habuiſſent ad gratiam habitualem, quæ neceſſaria eſt ad meritum condignum vitæ æternæ. 228. [margin: Liberrimum tunc erit arbitrium cùm peccato ſervire non poterit.]

Primo itaque homini (utor verbis S. Auguſt. eodem lib. c. 12.) *qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere; datum eſt adiutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis; non tantùm tale adiutorium perſeverantiæ datur; ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.* Ubi S. Doctor diſtinguit inter adjutorium perſeverantiæ, quod datum eſt Adamo, & nunc datur hominibus lapſis uſque in finem perſeverantibus. 229. [margin: Perſeverandi adjutorium quale ſit primo homini datum.]

Numquid indè bene infertur: ergo non perſeverantibus uſque in finem, nullum datur adjutorium perſeverantiæ; ne quidem tale, quo perſeverare poſſent, ſi vellent? Non arbitror. Audiamus Conc. Trident. ſſ. 6. c. 13. *De perſeverantiæ munere* (non ait, *de potentia perſeverandi*) *de quo ſcriptum eſt*: Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: *quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet. & eum, qui cadit, reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſolutâ certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent: Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* 230. [margin: Munus perſeverantiæ incertum eſt. Conc. Trid. Matth. 10. v. 22.]

Et verò quomodo poſſunt gratiæ deeſſe, ſi non habeant gratiam, cum qua poſſint perſe-

Digitized by Google

S. Auguſt. verare ſi velint? *Homo ergo*, inquit Auguſt. lib. de Grat. & lib. arbit. c. 4. *gratiâ iuvatur, ne ſine cauſa voluntati eius iubeatur.* Sine cauſa voluntati hominis lapſi jubetur perſeverantia, ſi nullam omnino habeat gratiam perſeverandi.

231. Vires primi hominis. Fateor interim, & dico cum S. Auguſtino lib. de Corrept. & grat. c. 12. *Tales vires habebat hominis voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati, perſeverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præſciente quid eſſet facturus iniuſtè;* Deus peccatum ejus præſcivit, non ad id coëgit. *præſciente tamen, non ad hoc cogente* (hoc eſt, neceſſitante) *ſed ſimul ſciente, quid de illo ipſe faceret iuſtè. Nunc vero poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas* (puta, ut ait S. Doctor lib. 1. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 2. *habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam*) *etiam maioribus donis adiuvanda remanſit infirmitas* voluntatis humanæ, non ſolùm ut poſſit perſeverare, ſed maximè ut perſeveret.

232. Adam non indigebat adjutorio ad reſiſtendum motibus concupiſcentiæ ex S. Auguſt. Rom. 7. v. 23. 24. & 25. Gal. 5. v. 17. Profectò, teſte Auguſtino eodem lib. c. 11. *Ille* (Adam) *non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti* (Sancti in hac vita) *cùm dicunt:* Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: *Quoniam in eis* Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem. *Atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari ſibi pugnandi vincendiq; virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nullâ tali rixâ à ſeipſo adversùs ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur. Proinde etſi non interim latiore nunc, verumtamen potentiore gratiâ indigent iſti: Ut quoniam*, inquit Auguſtinus ibidem cap. 12. *non perſeverabunt niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis poſſibilitas, & voluntas,* (id eſt, actualis perſeverantia) *divinæ gratiæ largitate donetur.*

233. Gratia habitualis fuit neceſſaria pro ſtatu Innocentiæ. Et ſanè, ut propiùs accedamus ad propoſitam difficultatem, neque Adverſarii negant neceſſitatem gratiæ habitualis pro ſtatu Innocentiæ, ſed cum Divo Auguſtino fatentur, non minùs in Angelis, quàm in hominibus, bonam voluntatem, hoc eſt, charitatem Dei per Spiritum ſanctum initio creationis diffuſam fuiſſe. *Confitendum eſt*, inquit Auguſtinus lib. 12. de Civit. cap. 9. *cum debita laude Creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis.* S. Aug.

Hæc ergo voluntas bona, inquiunt Adverſarii, ſeu charitas Dei, hoc eſt, gratia habitualis & operatoria divinitùs data, neceſſariò ſimul cum libero arbitrio juſtum opus operante, concurrebat & influebat, ſine cujus ope in juſtitiæ operatione per liberum arbitrium perſeverare non poterat.

Ubi, ut vides, per bonam voluntatem non intelligunt amorem caſtum ſeu volitionem bonam, quâ Angeli & homines in principio creationis ſuæ adhæſerunt Deo, ſed principium elicitivum illius volitionis bonæ; cùm tamen alibi per bonam voluntatem intelligant volitionem, ſive actum elicitum voluntatis, cauſantes nullam omnino eſſe bonam voluntatem, hoc eſt, volitionem Auguſtino, quàm eumdem illum amorem Dei. Omnis, inquiunt, reliqua voluntas eſt ei prava cupiditas, quia dilectio creaturæ, hærens in creatura, quæ creaturæ rationali divinâ æternâque lege prohibetur. 234.

Et quæſo te, quid prohibetur creaturæ rationali? Quid ei præcipitur? Nonne charitas habitualis? Nonne habitualis dilectio creaturæ? Certum eſt, quòd lex divina & æterna præcipiat, & prohibeat actus voluntatis; ergo per voluntatem bonam, quam Deus dederat Angelo & homini, intelligere oportet juxta Auguſtinum caſtum amorem ſive volitionem, quâ Deo adhæſerunt, quamquam & habitum charitatis, vel aliquid ſupplens vicem habitûs ipſis dederit, tamquam comprincipium illius volitionis ſupernaturalis, quam ſe ſolâ voluntas nullatenus poterat elicere.

Itaque Adverſarii, ut probent ex D. Auguſtino, adjutorium ſine quo non fuiſſe gratiam actualem, intelligunt per bonam voluntatem gratiam habitualem. Ita Janſ. lib. de Grat. 1. hominis c. 13. ibi: Hoc ergo ut clariùs ac diſtinctiùs nobis Auguſtinus exprimeret & imprimeret, ita loquitur (lib. de Corrept. & grat. c. 11.) *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem*, id eſt, charitatem ſeu juſtitiam; *in illa quippe*, ut addit, *eum fecerat, qui fecerat rectum.* Ecce gratiam habitualem, quam ei fuerat in ipſa conditione largitus. Mox verò ſubjungit: *Dederat & adiutorium,* hoc eſt, dederat ei quoque ejuſdem bonæ voluntatis adjutorium. Hoc enim ſibi vult illud (*&*) hoc eſt, *etiam*; diſtinctum ergo fuit ab ipſa gratia bonæ voluntatis. Cujus naturam ut magìs explicaret: *Sine quo*, inquit, *in ea non poterat permanere ſi vellet*, id eſt, etſi vellet. Quo ſignificat robur addidiſſe voluntati, ut in ea bona voluntate perſeverare poſſet: ad quod non poterat nudum ejus velle ſufficere; & proinde ab ipſa bona voluntate fuiſſe diverſum. Niſi ridiculum omnino fuiſſe velimus Auguſtinum, qui dicere voluit, quòd ſine bona voluntate non potuerit in bona voluntate permanere, ſi vellet. Hæc Ille.

Sanè ridiculus fuiſſet Auguſtinus, ſi dicere voluiſſet, quòd ſine bona voluntate, id eſt, actuali amore ſuperioris immutabilis boni, 236.

non

Digitized by Google

non potuerit in bona voluntate, id eſt, actuali amore Dei permanere ſi vellet. Sed quis hoc docet? Docent aliqui, Auguſtinum voluiſſe dicere, quòd ſine bona voluntate, id eſt, habitu ſupernaturali charitatis, vel aliquo ſupplente ejus vicem, non potuerit voluntas permanere, tametſi vellet in bona voluntate, id eſt, actuali dilectione Dei ſuper omnia; idque quia vires naturales voluntatis nequaquam ſufficiunt in ratione principii phyſici productivi actûs ſupernaturalis in ſubſtantia.

Quod ut Auguſtinus non voluiſſet dicere, equidem veriſſimum eſt, & liquet adjutorium illud habituale, diſtinctum fuiſſe ab ipſa bona voluntate, id eſt, actu amoris Dei, in quo hominem fecerat qui fecerat rectum. Fecerat, inquam, non ſe ſolo, ſed ſpecialiter cooperando libero arbitrio per habitum ſupernaturalem, aut aliud quidpiam ſupplens ejus vicem.

37. obatur ·aria D Au- primò, uitur s deſi- tibus em ha- dem. Probant autem hi Auctores illam eſſe mentem Divi Auguſtini primò; quia S. Doctor utitur verbis deſignantibus, gratiam habitualem, & non actualem: *Iſtam gratiam*, inquit lib. de Corrept. & grat. c. 11. *non habuit homo primus, quâ numquam vellet eſſe malus; ſed ſanè habuit in qua ſi permanere vellet, numquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet; ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet.* Mox: *Quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium.* Paulò poſt: *Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet.* Rurſus: *Sed hoc adjutorium ſi vellet deſereret.* Et cap. 12. *Vt in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent.* Jam autem non dicimur permanere in gratia actuali, ſed ſequi illam atque ei conſentire; non dicimur deſerere gratiam actualem, ſed ei diſſentire vel reſiſtere: permanere autem dicimur in gratia habituali, ſimiliter deſerere gratiam habitualem.

238. Fulgent. Unde bene ſcribit D. Fulgentius lib. de Incarnat. cap. 12. ita conditum fuiſſe Adamum, ut *Si juvantem ſe gratiam Dei non deſereret, præmium vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini, ſi autem juſtitiam divinam contemnens à gratia excidiſſet, ſupplicia retribueret juſtitia peccatori.*

m eſt tiam de- re, & à tia exci- e. Idem eſt ergo gratiam deſerere, & à gratia excidere; poſtremum non competit niſi gratiæ habituali: ergo nec primum. Docet quidem D Auguſtinus, juſtos Deum deſerere, cùm actuali ejus gratiæ reſiſtunt; quemadmodum ille nos deſerit cùm ſubtrahit gratiam actualem; ſed nuſpiam affirmat, hominem actualem gratiam deſerere, verùm eam repudiare, & diſſentire.

239. batur ndò, a pro- Probant II. proprium eſt gratiæ actuali, quod ad ſingulos actus detur nova; ergo de nulla, niſi fortè de ultima dici poteſt: *In qua ſi permanere vellet, numquam eſſet malus;* quamvis enim uni aut alteri præbuiſſet aſſenſum, tertiæ poterat diſſentire: gratia verò habitualis eſt, quæ hominem formaliter & permanenter facit bonum, quia & ipſa aliquid permanens eſt. Hinc rectè aliqui dixerunt: Primus homo ex eo quod in creatione acceperat, potuiſſet perſeverare; certum autem eſt, quod non acceperat omnes actuales gratias ad ſingulos actus neceſſarias. Quocirca S. Auguſtinus non dicit: *Dabit adjutorium*, ſed: *Dederat & adjutorium ſine quo in ea non poſſet permanere.* priùm eſt gratiæ actuali quod ad ſingulos actus detur.

Quod verò ſub finem cap. 12. ait: *Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida & imbecilla, in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & ſana, in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet*, aliud nihil ſignificat, quàm adjutorium illud in creatione acceptum, non antè defuturum fuiſſe, quàm ab homine deſereretur.

Cum ducentis, inquit Sanctus Proſper Reſpon. 8. ad cap. Gall. *quatuordecim Sacerdotibus* (*quorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus eſt*) *veraci profeſſione quemadmodum ipſorum habet ſermo, dicamus, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum, non ſolùm ad cognoſcendam, verùm etiam ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvare: ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo eſſe opinemur, ut quia ipſe natura noſtræ auctor eſt, per conditionem jam hæc contuliſſe videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem; ſed omnes eam in illo amiſimus, in quo omnes peccavimus.* Dedit, inquam, ab initio hanc homini facultatem, id eſt, habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, quibus valeret, ſi vellet, elicere actus veræ ſanctæque pietatis, id eſt, actus fidei, ſpei, & charitatis. 240. Facultatem bene agendi omnes amiſerunt in Adamo ex S. Proſpero.

Si dixeris: Divi Auguſtini phraſi liberum arbitrium Adami non erat ullo pacto liberum, niſi per illam habitualem divini amoris gratiam; utpote quæ eſſet ipſiſſima libertas ejus ad bonum: ergo quando diſputat de gratia adjuvante liberum arbitrium, non de ipſo charitatis libertatem afferentis habitu, utpote qui ſub ipſo arbitrio quatenus libero comprehenditur; ſed de diſtincto & libertatem flexibilem adjuvante adjutorio intelligi debet. 241. Objectio ex D. Auguſt.

Reſpondent illi Auctores, Auguſtinus quandoque ſumit liberum arbitrium, ut complectitur gratiam habitualem; ſed tunc nullam ad bene agendum gratiam illi adjungit: aliquando verò ſumit pro ſola naturali facultate, & tunc ait indigere gratiæ adjutorio 242. Reſponſio. S. Aug. aliquando ſumere liberum arbitrium ut comprehen-

dit gratiam habitualem, aliquando pro ſola naturali facultate.

ad bene agendum. Priori ſenſu accipit liberum arbitrium lib. de Corrept. & grat. cap. 10. ubi affirmat S. Angelos *per ipſum liberum arbitrium* in veritate ſtetiſſe, & Adamum ſtare potuiſſe *per ipſum liberum arbitrium*: ſed iſto cap. non facit mentionem alterius gratiæ.

Secundo ſenſu uſurpat nomen liberi arbitrii cap. 11. ne quis enim malè interpretaretur quod dixerat cap. 10 primum hominem *per ipſum liberum arbitrium* ſtare potuiſſe, duo illa ſejungit, quæ ibi hoc nomine complexus fuerat; dicens: *liberum arbitrium* (ſcilicet naturalis facultas voluntatis) *ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt niſi adjuvetur ab omnipotenti bono*, hoc eſt, à Deo per gratiam habitualem, vel aliud ſupplens ejus vicem.

243. Liberum arbitrium primi hominis non ſufficiebat retinendæ juſtitiæ. S. Auguſt.

Similiter loquitur Enchi. cap 106. *Etſi peccatum in ſolo libero arbitrio* (id eſt, naturali facultate voluntatis) *erat conſtitutum; non tamen juſtitiæ* (ſcilicet actualis) *retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni* (id eſt, Dei) *divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori eſt in hominis poteſtate cùm velit, nemo eſt enim, qui non ſeipſum, ut nihil aliud dicam, vel non veſcendo poſſit occidere; ad vitam verò tenendam voluntas non ſatìs eſt, ſi adjutoria ſive alimentorum, ſive quorumcumque tutaminum deſint. Sic homo in paradiſo ad ſe occidendum relinquendo juſtitiam* (id eſt, non eliciendo actus ſupernaturales, ubi & quando ex præcepto erant neceſſarii) *idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita juſtitiæ* (id eſt, ut eliceret actus ſupernaturales, in quibus conſiſtit vita juſtitiæ, hoc eſt, actualis juſtitia) *parum erat velle, niſi ille qui eum fecerat, adjuvaret. Sed poſt illam ruinam major eſt miſericordia Dei, quando & ipſum liberum arbitrium* (id eſt, naturalis facultas voluntatis) *liberandum eſt à ſervitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omnino per ſeipſum, ſed per ſolam Dei gratiam, quæ in fide Chriſti poſita eſt liberatur, ut voluntas ipſa, ſicut ſcriptum eſt, à Domino præparetur.* Hæc ille.

244. Liberum arbitrium inſtructum gratiâ habituali non poteſt peccare, niſi perdat illam gratiam.

Quis autem ſapiens, & non intelligit ibi liberum arbitrium ſumi pro ſola facultate naturali? Non quòd liberum arbitrium inſtructum gratiâ habituali non poſſit peccare, ſed quoniam non poteſt peccare, niſi perdat illam gratiam; & prætèrea, quia illa gratia non eſt neceſſaria ad peccandum, adeòque quando conſideratur in ordine ad peccatum, nullo modo complectere debet gratiam habitualem. Porrò hìc ita conſideratur; ut proinde mirum minimè ſit, quòd ei ſic conſiderato, adjungat adjutorium gratiæ habitualis, ut bene poſſit agere, & in juſtitia, id eſt, amore caſto perſeverare.

Gratia habitualis eſt participatio immutabilis boni. 2. Pet. 1.

Sanè gratia habitualis participatio eſt immutabilis boni, id eſt, Dei; per illam enim efficimur participes divinitatis, & conſortes divinæ naturæ, juxta illud D. Petri Epiſt. 2. c. 1. v. 4. *Per quem* (ſcilicet Chriſtum) *maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit* Deus: *ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.*

Quæris unde conſtet, Auguſtinum ibi loqui de juſtitia actuali? Reſpondetur ex verbis immediatè præcedentibus: *Illam* (immortalitatem in qua homo poſſet non mori) *natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc* (immortalitatem in qua non poſſet mori) *eſt acceptura per gratiam, quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum; quamvis ſine gratia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet. Quia etſi peccatum* &c. 245.

Quid tibi videtur Lector? Gratia ſive juſtitia habitualis meritum eſt? An non magis, immo non ſola juſtitia actualis? Planum eſt omne meritum conſiſtere in actu, neque Angelos ſanctos meruiſſe ſuam beatitudinem per gratiam habitualem, quam in creatione à Deo acceperant, ſed per amorem caſtum, ſive actum charitatis Dei, in quo ipſi per liberum arbitrium inſtructum gratiâ habituali ſteterunt, aliis per liberum arbitrium eâdem gratiâ inſtructum cadentibus, *à divina*, ut loquitur Gelaſius Pontifex in dictis adversùs Pelag. hæreſim tom. 2. Concil. apud Binium pag 259. *quâ illuſtrabantur gratiâ & participatione*, ſeipſos plùs diligendo, quàm Deum.

Si voluntas, teſte Auguſtino lib. 14. de Civit. cap. 13. *in amore ſuperioris immutabilis boni* (id eſt, Dei) *à quo* per illum amorem *illuſtrabatur ut* cætera *videret, & accendebatur ut rectè amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc tenebreſceret & frigeſceret, ut, vel illa* (Eva) *verùm crederet dixiſſe ſerpentem, vel ille* (Adam) *Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretq; ſe venialiter tranſgreſſorem eſſe præcepti, ſi vitæ ſuæ ſociam non deſereret etiam in ſocietate peccati. Non ergo malum opus factum eſt, id eſt, illa tranſgreſſio, ut cibo prohibito veſcerentur, niſi ab eis qui mali jam erant per ſuperbiam.* 246.

Nam *malæ voluntatis*, inquit ibidem, *initium quid potuit eſſe niſi ſuperbia? Initium enim omnis peccati ſuperbia eſt. Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principium. Hoc fit cùm ſibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipſe ſibi. Spontaneus eſt autem iſte defectus; quoniam ſi voluntas* &c.

Non ergo intelligit S. Auguſtinus illuſtrationem, & accenſionem, quæ amorem Dei præcedant, & ad illum provocent; ſed ipſum potiùs amorem Dei, per quem primi Parentes illuſtrabantur, & accendebantur, ut res creatas viderent, & rectè amarent. 247.

Quemadmodum enim cùm de Angelica creatura dixit 12. Confeſſ. c. 15. *Ineſt ei tamen*

ipſa

Digitized by Google

ipſa mutabilitas, unde tenebreſceret & frigeſceret niſi amore grandi tibi cohærens, tamquam ſemper meridies luceret & ferveret ex te: iſta duo, *lucere*, &, *fervere*, ſic accepit, ut amorem illum grandem non antecedant, ſed conſequantur; pari ratione hoc loco, *illuſtrabatur*, &, *accendebatur*, quaſi neceſſarios divini amoris, quo primi Parentes initio flagrabant, effectus conſiderat.

Contendit ſiquidem, Evam non potuiſſe credere verum dixiſſe ſerpentem, & Adamum non potuiſſe Dei mandato uxoris præponere voluntatem, niſi jam antè per ſuperbiam à Dei amore defeciſſent; idque quia amor ille mentem illuſtrabat ad cætera videnda, & voluntatem accendebat ad eadem rectè diligenda.

8. …utem …n in… …tum …den… …mo… …re.

Itaque accenſio non ſumitur pro motu indeliberato antecedente Dei amorem, & quo poſito voluntas Adami poſſet eodem momento Deum amare, ſed magìs pro ipſo Dei amore, qui voluntatem accendebat, ut reliqua ordinatè amaret, & quo poſito non poſſet Adam eodem tempore Dei mandato uxoris præponere voluntatem.

Et ſanè uti vox illa, *Videret*, Deum non reſpicit, ſed cætera, ac præcipuè dæmonis inſidias, quas vidiſſet Eva, ſi priùs ab amore Dei non excidiſſet; ſic itidem verbum illud, *Amaret*, creata ſpectat, atque ipſam maximè Evam, quam præpoſterè Adam non amaſſet, niſi antea caſtum Dei amorem, per quem ad cætera rectè amanda inflammabatur, extinxiſſet.

49. …ctio ex …guſt. …hus.

Si rurſum objicias: Auguſtinus lib. de Corrept. & grat. c. 11. diſputat cum Pelagianis, cum quibus non erat quæſtio niſi de gratia actuali. Reſpondetur, doctrinam quidem Auguſtini eſſe contrariam doctrinæ Pelagianorum, qui teſte Ianſenio lib. 2. de hæreſi Pelagiana c. 7. nullum habituale gratiæ adjutorium Adamo conceſſum agnoſcebant; negatur interim contra Pelagianos ſuſceptam fuiſſe hanc diſputationem, verùm contra quoſdam ex Adrumetinorum numero, qui approbatâ Catholicorum doctrinâ de dono perſeverantiæ hoc in ſtatu juſtis conceſſo, quid de Adamo ſtatuendum eſſet, poſtulabant. *Hinc*, inquit Auguſtinus c. 10. in principio, *exoritur alia quæſtio non ſanè contemnenda ..... Quæritur enim à nobis quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeverare uſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus.*

250. …o conſi…randa ſũt …integri… …e primi …minis.

Docet igitur S. Doctor adjutorium gratiæ habitualis neceſſarium fuiſſe, ut Adamus in bona voluntate permaneret, id eſt, ut Deum amare pergeret; vel ut ſine vitio perſeveraret. Etenim duo conſideranda ſunt in integritate primi hominis; primum carentia omnis infirmitatis, concupiſcentiæ, ac vitii. Secundum actus Charitatis, quem in ipſa creatione accepit. Ad illam utramque primæ integritatis partem conſervandam neceſſarium fuit adjutorium habitualis gratiæ; quia ut ad bene agendum, ita & ad omnia retinenda, quæ per actus virtutum ſervari debebant, requirebatur. Ita Stephanus Dechamps lib. 3. diſp. 3. c. 20. n. 11. *Dechamps.*

Quamquam ſimul admittat neceſſitatem alicujus adjutorii gratiæ actualis, ſed intellectûs, puta cogitationem indeliberatam; non voluntatis, puta delectationem indeliberatam. Nam vera ratio cur cæleſtis delectatio ad actus bonos neceſſaria ſit, ex natura medicinæ, ſeu medicinalis adjutorii petenda eſt; voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata eſt, ex quibus fit ut in omnibus actionibus ante gratiam delectatione quadam libidinosâ præeunte ac titillante provocetur: cui utique malo concupiſcentiæ contraria cæleſtis delectatio mederi debet. Cùm ergo ante peccatum nulla fuerit in Angelo vel homine hujuſmodi libidinoſa delectatio, liquet profectò voluntatem ſanam non indiguiſſe contrariâ cæleſti delectatione. 251. An in ea neceſſarium fuerit adjutorium gratiæ actualis?

Interim, quia *voluntatem*, ut ait D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitr. c. 3. *non allicit ad faciendum quodlibet niſi aliquod viſum: quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat eſt in poteſtate: ſed quo viſo tangatur nulla poteſtas eſt*. Et lib. de Spir. & lit. c. 33. *Nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem*. Nemo, inquam; ergo neque homo, neque Angelus, neque innocens, neque peccator: hinc neceſſarium fuit tam homini quàm Angelo, etiam ante lapſum, adjutorium actuale cognitionis, de quo loquitur D. Auguſt. lib. de Nat. & grat. c. 48. *Si*, inquit, *de integra & ſana hominis natura loqueretur* (Pelagius) *quam modò non habemus, nec ſic rectè diceret, quòd non peccare noſtrum tantummodo ſit, quamvis peccare noſtrum eſſet: nam & ibi eſſet adiutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adiuti videant ſe præbere volentibus.* 252. Saltem neceſſarium fuit adjutorium actuale cognitionis.

Docet ergo prædictus Auctor, gratiam actualem Adamo & Angelis ad perſeverandum collatam, illuminationem fuiſſe intellectûs, non autem motionem voluntatis; pro quo notat c. 16. duodecim præſertim nominibus D. Auguſt. appellare gratiam voluntatis, quorum ſex priora amorem (ſcilicet indeliberatum) reliqua delectationem apertiùs ſignificant. 253. Duodecim nomina quibus S. Aug. appellat gratiam voluntatis.

Primò appellat, *Spiritum Charitatis* lib. 1. ad Simpl. quæſt. 1.; vel, *Inſpirationem Charitatis*, Epiſt. 147. ſub finem; vel, *Infuſionem Charitatis*, lib. 2. ad Bonifacium c. 8. vel denique, *Gratiam quâ Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris*, ut in omnibus paſſim operibus, præcipuè lib. de grat. Chriſti c. 26. Secundò, *Delectationem dilectionemque ſummi boni*, de Spirit. & lit. c. 3. vel, *Inſpirationem dilectionis* lib. 4. ad Bonif. c. 5. Tertiò, *Amoris divini inſpirationem*, diſp. contra Fortun. Quartò, *Bonam concupiſcentiam*, lib. de Spirit. & lit. cap. 4. *Vbi ſanctus non adiuvat Spiritus inſpirans pro concupiſcentia*

Digitized by Google

cupiſcentiâ mala concupiſcentiam bonam &c. Quintò, *Cupiditatem boni*, 2. ad Bonif. c. 9.

Sextò, *Bonam voluntatem*, de grat. Chriſti c. 24. Septimò, *Suavitatem*, maximè lib. 2. de Peccat. merit. cap. 17. & 19. & Enarr. in Pſalm. 84. ubi illud: *Dominus dedit ſuavitatem*, exponit de gratia voluntatis. Octavò, *Dulcedinem*, lib. 2. ad Bonif. c. 9. *Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei*. Nonò, *Delectationem*, paſſim in libris, quos ſcripſit in defenſionem divinæ gratiæ. Decimò, *Condelectationem*, lib. 1. de Nupt. & concupiſ. c. 30. *Iſta condelectatio legi Dei ſecundùm interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei*. Undecimò, *Iucunditatem*, in Pſalm. 85. *Si nulla iucunditas, deficimus*. Duodecimò, *Voluptatem*, tract. 26. in Ioan. *Voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino* &c. *Eſt quadam voluptas cordis* &c.

254. *Ex his omnibus putat Dechamps S. Aug. ne unum quidem adhibere gratiæ perſeverantiæ conceſſæ Adamo & Angelis;*

Ex omnibus his nominibus, ne unum quidem vel ſemel adhibet S. Doctor, cùm de gratia Adamo & Angelis conceſſâ ad perſeverandum diſputat. Si ergo gratia medicinalis ex mente D. Auguſtini comprehendit motionem voluntatis, quoniam ab eo vocatur, *Delectatio*, *Suavitas* &c. patet adjutorium perſeverantiæ hominibus & Angelis in ſtatu Innocentiæ conceſſum, non comprehendere illam motionem, quia illud adjutorium non appellat *Delectationem*, *Suavitatem* &c. Hæc eſt ſententia Dechamps.

255. *ſed contrarium oſtendit Auctor.*

Sed apud me S. Auguſtinus gratiam perſeverantiæ conceſſam S. Angelis appellat lib. 12. de Civit. c. 9. *Charitatem Dei diffuſam in eis per Spiritum ſanctum*, ibi: *Confitendum eſt igitur cum debita laude creatoris non ad ſolos ſanctos homines pertinere verùm etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis*.

Quod ne gratis dicere videar, ſic diſcurro: Poſtquam S. Auguſtinus c. 6. 7. & 8. diſſeruit de mala voluntate malorum Angelorum, docuitque nullam eſſe ejus cauſam efficientem, ſed ſolùm deficientem, tranſit c. 9. ad voluntatem bonam bonorum Angelorum, & ejus ſimiliter cauſam inquirit, inquiens: *Si dixerimus nullam eſſe efficientem cauſam etiam voluntatis bonæ, cavendum eſt ne voluntas bona bonorum Angelorum non facta, ſed Deo coæterna eſſe credatur*. Ex quo perſpicuè manifeſtum eſt, Auguſtinum non loqui de gratia habituali, vel de potentia voluntatis, ſed de actu; cùm de hoc neceſſario agat, quando quærit cauſam voluntatis malæ.

256. *An bona voluntas bonorum Angelorum ſit facta cum ipſis, an ſine illa fuerunt priùs?*

Sed videamus quid Auguſtinus decernat. *Porrò* (proſequitur) *quia facta eſt* (voluntas bona bonorum Angelorum) *utrùm cum ipſis facta eſt, an ſine illa fuerunt priùs? Sed ſi cum ipſis, non dubium quin ab illo facta ſit, à quo & ipſi: ſimulque ut facti ſunt ei à quo facti ſunt, amore cum quo facti ſunt, adhæſerunt: Eoq; ſunt iſti* (boni) *ab illorum* (malorum) *ſocietate diſcreti, quod hi in eadem voluntate bona manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati ſunt, malâ ſcilicet voluntate, hoc ipſo quòd à bono defecerunt, à quo non defeciſſent, ſi utique voluiſſent*.

Quia verò interrogatio Auguſtini ſuprà poſita duplex erat, ad ſecundam partem ſic reſpondet. *Si autem boni Angeli fuerunt priùs ſine bona voluntate* (hoc eſt, Dei amore) *eamque in ſeipſis Deo non operante fecerunt: ergo meliores à ſeipſis, quàm ab illo facti ſunt? Abſit. Quid enim erant ſine bona voluntate* (hoc eſt, Dei amore) *niſi mali? Aut ſi propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat, neque enim ex ea, quam nondum cœperant habere, defecerant, rectè nondum tales, nondum tam boni, quàm eſſe cum voluntate bona* (hoc eſt, Dei amore) *cœperunt*.

At ſi non potuerunt ſeipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam fecit, profectò & bonam voluntatem (hoc eſt, Dei amorem) *quâ meliores eſſent, niſi operante adiutorio Creatoris habere non poſſent*.

Et cùm id egit eorum voluntas bona, ut non ad ſeipſos, qui minus erant, ſed ad illum qui ſummè eſt converterentur, eiq; ſtabiliter adhærentes magis eſſent, eiuſque participatione ſapienter beatèque viverent: quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam, inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem? Id eſt, *quid aliud oſtenditur niſi voluntatem quamlibet bonam* (id eſt, amorem Dei bonorum Angelorum) *inopem* (id eſt, inefficacem ſeu inſtabilem) *fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille qui bonam naturam ex nihilo* (naturæ & meriti) *ſui capacem fecerat* (ſecundùm naturam & gratiam) *ex ſeipſo faceret implendo meliorem* (augmento gratiæ & gloriæ) *priùs faciens excitando avidiorem*, auxilio gratiæ actualis & efficacis, ne inops in ſolo deſiderio remaneret, id eſt, ut eſſet amor efficax & ſtabilis.

Neque enim hoc loco diſputat Auguſtinus, & inquirit cauſam illius tantum bonæ voluntatis, quam omnes Angeli tam boni quàm mali in ſui creatione acceperunt, ſed maximè illius bonæ voluntatis, per quam S. Angeli aliis cadentibus ſteterunt, id eſt, perſeveraverunt uſque in finem. Si quidem continuò ſubjungitur: *Nam & hoc diſcutiendum eſt, ſi boni Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam* (id eſt, perſeverantiam bonæ voluntatis) *utrùm aliquâ eam, an nullâ voluntate fecerunt. Si nullâ, utique nec fecerunt. Si aliquâ, utrùm malâ an bonâ. Si malâ, quomodo eſſe potuit mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bonâ, iam ergo habebant. Et iſtam quis fecerat, niſi ille qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit ſimul in eis & condens naturam & largiens gratiam?*

Ubi loquitur de primo actu amoris, & nomine *Gratiæ* intelligit, vel illum ipſum actum (ſolet quippe Auguſtinus bonum opus, quod per gratiam Deus operatur, gratiam appellare) vel

vel ſanè adjutorium gratiæ, à qua ille actus productus fuit.

259. *Vnde* (proſequitur) *ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore* (actuali ſcilicet) *numquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt*, quemadmodum aliquando fuerunt, & in æternum erunt Angeli mali, de quibus illico attexit: *Iſti autem qui cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt: mali propriâ voluntate, quam bona natura non fecit, niſi cum à bono ſponte defecit, ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono: aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi qui in eadem perſtiterunt* (ubi inſinuare videtur fortè S. Angelos à principio ſuæ creationis fuiſſe formaliter beatos, id eſt, habuiſſe viſionem & fruitionem beatificam, immo & certam ſcientiam ſuæ æternæ felicitatis) *Aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti* (id eſt, efficaci adjutorio gratiæ actualis diutiùs perſeverantes in bona voluntate, hoc eſt, Dei amori actuali) *ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent pervenerunt*, non jam per ſpeciem & in ænigmate, aut cognitione abſtractiva; ſed facie ad faciem Deum videntes, & taliter viſo fruentes.

260. *Sicut*, inquit, *etiam in libro, quem ſequitur iſte, tractavimus*, id eſt, lib. 11. c. 11. ibi: *Quæ cùm ita ſint, nullo quidem modo ſecundùm aliquod temporis ſpatium prius erant illi Spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus. Sed ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt, non tamen ita tantùm creati, ut quoquo modo eſſent, & quoquo modo viverent, ſed etiam illuminati, ut ſapienter beatèque viverent. Ab hac illuminatione averſi quidam Angeli, non ſolùm non obtinuerunt excellentiam ſapientis beatæq; vitæ, quæ procul dubio non niſi æterna, æternitatiſque ſuæ eſt certa atque ſecura: ſed & rationalem vitam licèt inſipientem, ſic habent, ut eam non poſſint amittere, nec ſi velint. Quatenus autem antequam peccaſſent, illius ſapientiæ fuerint participes, definire quis poteſt? In eius tamen participatione æquales fuiſſe iſtos illis, qui propterea verè plenèq; beati ſunt; quoniam nequaquam de ſua beatitudinis æternitate falluntur, quomodo dicturi ſumus: quandoquidem ſi æquales in ea fuiſſent, etiam iſti in eius æternitate manſiſſent pariter beati, quia pariter certi?*

Omnes Angeli ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt ex S. August.

261. Et cap. 13. ſic ſcribit: *Quocirca cuivis iam non difficulter occurrit, utroque coniuncto effici beatitudinem, quam recto propoſito intellectualis natura deſiderat: hoc eſt, ut & bono incommutabili, quod Deus eſt, ſine ulla moleſtia perfruatur, & in eo ſe in æternum eſſe manſurum, nec ullâ dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. Hanc habere Angelos lucis, piâ fide credimus: hanc nec antequam caderent habuiſſe Angelos peccatores, qui ſuâ pravitate illâ luce privati ſunt, conſequenti ratione colligimus: habuiſſe tamen aliquam etſi non præſciam beatitudinem, ſi vitam egerunt ante peccatum, profectò credendi ſunt. Aut ſi durum videtur quando facti ſunt Angeli; alios credere ita factos, ut non acciperent præſcientiam vel perſeverantiæ, vel caſus ſui: alios autem ita factos, ut veritate certiſſimâ æternitatem ſuæ beatitudinis noſſent: ſed æqualis felicitatis omnes ab initio creati ſunt, & ita fuerunt, donec iſti, qui nunc mali ſunt ab illo bonitatis lumine ſuâ voluntate cecidiſſent; profectò multò eſt duriùs nunc putare Angelos ſanctos æternæ ſuæ beatitudinis incertos, & ipſos de ſemetipſis ignorare, quod nos de illis per Scripturas ſanctas noſſe potuimus.*

In quo conſiſtat Beatitudo Angelorum.

262. Et paucis interjectis rurſum ait: *Cuius* (felicitatis æternæ) *illi alii* (mali Angeli) *quia certi non fuerunt: non enim erat eorum æterna felicitas, cuius certi eſſent, quæ finem fuerat habitura: reſtat ut aut impares fuerint* (id eſt, ut Sancti Angeli à principio creationis ſuæ fuerint certi de ſua æterna felicitate, ſecùs Angeli mali) *aut ſi pares fuerunt* (id eſt, ſi omnes incerti) *poſt iſtorum* (malorum Angelorum) *ruinam, illi* (Angelis ſanctis) *certa ſcientia ſuæ ſempiternæ felicitatis acceſſerit.*

Mali Angeli non fuerunt certi felicitatis æternæ.

Addit tertiam conjecturam (ſi ita appellari placeat) *Niſi fortè quis dicat, id, quod Dominus ait de diabolo in Evangelio*: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit; *ſic eſſe capiendum, ut non ſolùm homicida fuerit ab initio, id eſt in initio humani generis; ex quo utique homo factus eſt, quem decipiendo poſſet occidere; verùm etiam ab initio ſuæ conditionis in veritate non ſteterit; & ideo numquam beatus cum ſanctis Angelis fuerit, ſuo recuſans eſſe ſubditus Creatori, & ſuperbiâ ſuâ velut privatâ poteſtate elatus, ac per hoc falſus & fallax, quia nec quiſquam poteſtatem omnipotentis evadit.* Ioan. 8. 44

263. Hæc fuſiùs volui referre, ut unuſquiſque videat, quàm obſcurè & dubiè in hac materia loquatur D. Auguſt. ut proinde meritò dixerit Eſtius 1. diſt. 41. §. 14. agens de Prædeſtinatione Angelorum: *Quòd ſi nihilominus adhuc contendat aliquis, Auguſtini verba, quæ obiecta ſunt, huc inflecti non poſſe, puteta; eum reverà alterius eſſe ſententiæ: tum reſpondebimus, ea quæ de adiutorio primi hominis & Angelorum obſcurius, & ut videtur extra Scripturæ auctoritatem ab illo diſputata ſunt, ad hoc ut ex ea comparatione gratia noſtræ per Chriſtum reparationis magis emineret, non debere præiudicare doctrinæ, quæ apud alios Patres, ipſumq; D. Thomam in huiuſmodi rebus exactiſſimum doctorem expreſſior reperitur, maximè propter rationes in eam partem graviſſimas, & ut nobis videtur inſolubiles, & clarè in Scriptura fundatas.* Hæc ille.

S. Auguſt. de prædeſt. Angelorum obſcurè & dubiè fuit locutus. Eſtius.

264. Cæterùm, utcumque ſit de opinionibus jam relatis ex D. Auguſtino, *Confitendum eſt* (inquit ipſe lib. 12. de Civit. v. 9.) *cum debita laude Creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis* (qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per liberum arbitrium ſteterunt ipſi) *poſſe dici, quòd charitas Dei* (id eſt, amor Dei actualis, non tantùm quo primo inſtanti adhæſerunt Deo, ſed etiam

De Sanctis Angelis dici poteſt, quod charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum. S. Aug.

in

in quo ſteterunt,aliis ab illo cadentibus)*diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis: nec tantùm hominum, ſed primitus præcipuéq; Angelorum bonum eſſe quod ſcriptum eſt:Mihi autem* Pſal. 72. v. 28. *adhærere Deo bonum eſt.*

Profectò cum S. Auguſtinus illo cap. non tantùm diſputet de prima volitione bona Angelorum, ſed etiam de perſeverantia, ſeu volitione, per quam formaliter ſteterunt ſancti Angeli, malis Angelis cadentibus, & diſputationem ſuam illis verbis concludat; nulla prorſus eſt ratio, cur magis dicta putentur de prima volitione, quàm de ſecunda; aut tertia (ſi ita placeat loqui) id eſt de volitione, per quam formaliter ſteterunt Angeli boni, malis Angelis cadentibus.

265. Etſi D. Aug. per adjutorium ſine quo non intellexiſſet gratiam voluntatis, non ideo negaſſet gratiam ſufficientem.

Demus itaque Adverſariis noſtris D. Auguſtinum per adjutorium ſine quo non intellexiſſe non tantùm illuminationem intellectûs, ſed etiam accenſionem voluntatis, ſive indeliberatum motum dilectionis, præter habitum charitatis; nonne jam conclamatum eſt: hominibus lapſis deeſt gratia ſufficiens? Exiſtimo quòd non. Quomodo ergo intelligendum eſt, quod ait lib. de Corrept. & grat. c. 11. *Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium* &c.

266. Explicantur illa verba: *Nunc autem quibus deeſt* &c.

Reſpondent aliqui, Auguſtinum minimè negare quodcumque adjutorium, ſed tale, quo proximè & faciliter poſſit homo implere mandata, quale adjutorium habuerunt Angeli & primi Parentes, juxta illud D. Auguſtini lib. 1. de peccat. merit. c. 37. *Agitur de illius quadam mentis valentia, uſuque rationis, quo præceptum Dei legemque mandati & oculis Adam caperet, & facilè poſſet cuſtodire ſi vellet.* Et iſtud lib. 2. cont. Fel. c. 8. *Si quid infirmitatis patiuntur, qui non poſſunt implere quod volunt, manifeſtum eſt hoc veniſſe de traduce primi peccati Adam, & de conſuetudine mala. Nam hodie libera voluntate faciunt homines conſuetudinem, quam cùm fecerint facilè ſuperare non poſſunt.*

Explicatio rejicitur.

Sed cóntrà facit, quòd Auguſtinus loquatur de tali adjutorio, quod ſi defuiſſet Angelo vel homini, non utiq; ſuâ culpâ cecidiſſent; jam autem ſuâ culpâ cecidiſſent, eſto accepiſſent ſolam orandi gratiam, ſicut de facto ſuâ culpâ cadunt, quibus hæc una adeſt gratia. Et ſicuti de facto ſuâ culpâ cadunt, qui ſimpliciter poſſunt, etſi difficulter, obſervare præcepta divina, ita Angelus & homo tunc ſuâ culpâ cecidiſſent, quantumvis difficulter potuiſſent perſeverare.

267. Alia explicatio. Felix.

Aliter ergo reſpondet Felix de Reprob. c. 6. diff. 7. n. 23. quòd Auguſtinus ſolùm voluit, quòd quamvis omnibus peccatoribus Deus tribuat auxilia ſufficientia, ut à peccatis reſurgant, non tamen in quocumque inſtanti & continuò, ut patet, & hoc in pœnam peccati, quo carebant Angeli & primi Parentes in ſtatu Innocentiæ, & ita continuò illud habebant; nam erat quaſi debitum illi ſtatui: nos verò illud habemus non continuò, quando occurrit tentatio, vel præceptum implendum. Hæc ille.

Sed rurſum opponi poteſt: tametſi An[g] & homo non habuiſſent adjutorium continuò, dummodò habuiſſent, qu[ando] erat præceptum adimplendum, ſuâ culpâ [ceci]diſſent.

Ideo ſit tertia reſponſio: Auguſtinus [ibi]dem ibi dicit, aliquos non habere gra[tiam] ſufficientem, quod & nos dicimus; nam [con]cluſio expreſsè concedit, non omnibus [omni] tempore eam dari; haud equidem docet [San]ctus Doctor, tali caſu hominem pecca[re, ſi] non ſervet præceptum, ſed tantùm ait, [eius] ſubſtractionem eſſe pœnam peccati: *Nun[c au]tem quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna p[eccati] eſt*; quòd ſi voluiſſet ſignificare homine[m] tali gratia, nunc verè peccare, potuiſſet [&] buiſſet dicere: *Nunc autem quibus deeſt tale [adiu]torium, ſuâ culpâ cadunt*; nam eâdem phra[ſi lo]quitur de Angelo, & Adamo dicens: *[Quod] adiutorium vel Angelo vel homini quum pr[imum] facti ſunt defuiſſet ..... non utique ſuâ culpâ [ceci]diſſent.*

Nec obſtat, quòd, ut aliqui docent, Da[mna]tes peccent per omiſſionem actûs præ[cepti] etiam ſupernaturalis, quem tamen de[fectu] gratiæ ſufficientis non poſſunt elicere; qu[ia] ſubſtractionem illius gratiæ dederunt ca[uſam] per peccatum perſonale, & ideo, ſecun[dum] eoſdem Doctores, omiſſio rectè imputatur in peccatum perſonale, ſi non novum, ſa[ltem] idem continuatum. Et idem conſequ[enter] poſſet dici de homine, qui propter pecc[atum] perſonale damnatus eſt; vel in vita per peccatum dedit cauſam ſubſtractioni gr[atiæ] ſufficientis.

Hinc reſpondeo quartò & ultimò, A[ugu]ſtinum non negare illud adjutorium hom[ini]bus viatoribus, ſed Angelis & homin[ibus] damnatis, qui etiam propterea non am[plius] ſuâ culpâ cadunt, id eſt, damnabiliter ſe[u de]meritóriè peccant.

Et verò quia omnes homines pot[uit] Deus relinquere, & in æternum deſerere [ſub]trahendo etiam gratiam ſufficientem, ſ[icut] reliquit & deſeruit malos Angelos; hinc [San]ctus Doctor continuò attexit: *Quibus autem [da]tur tale adiutorium* (ſcilicet hominibus viat[ori]bus)*ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm [debi]tum*, vel quaſi debitum ſicut datum fuit A[nge]lis, & primis hominibus pro tempore, quo [nondum] poſitivè demeruerant illud adjutorium, *tanto ampliùs datur per Ieſum Chriſtum Domi[num] noſtrum, quibus id Deo dare placuit* (ſcilicet præ[de]ſtinatis ad vitam æternam) *ut non ſolùm [ſit] ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi veli[mus] verùm etiam tantum ac tale ſit ut velimus*; id non tantùm datur gratia ſufficiens, ſed et[iam] efficax; non ſolùm poſſibilitas perſevera[ndi]

Digitized by Google

ſed etiam voluntas perſeverandi, ſeu ipſa perſeverantia.

270. Finio verbis Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ 2. diſt. 28. art. 2. q. 2. *Illa poſitio Pelagij* (puta, quòd liberum arbitrium ſecundùm ſtatum, in quo nunc eſt, abſque munere gratiæ, omni poſſit tentationi reſiſtere propriâ virtute) *tamquam erronea repudianda eſt. Hoc autem fuit quod decepit Pelagium, quòd liberum arbitrium numquam deſtituitur omni gratiâ gratis datâ* (de illo agit tempore, quo tentationi reſiſtendum eſt) *& ipſe poſſe gratiæ attribuit ipſi naturæ. Superbiâ enim excæcatus, neſcivit diſtinguere inter dona naturalia, & gratuita.*

Et infrà ſic ait : *Ad illud quod obiicitur, quòd liberum arbitrium integrum eſt, reſpondendum eſt ſicut dicebatur in opponendo, quòd hoc intelligitur quantùm ad eſſentiam potentiarum, non quantùm ad perfectionem habilitatum conſequentium. Et ſi quæratur ulteriùs, utrùm poſſit reſiſtere vel non. Dicendum, quòd de aliqua tentatione per ſe non poteſt; ſi tamen conſentiat, non eſt à culpa immune; propter hoc quòd adiutorium gratiæ ſibi præſtò eſt, ſi vellet ſuſcipere. Propter hoc etiam, quòd ex propria ſua culpa devenit in illam neceſſitatem.*

271. Deinde q. 3. concludit totam doctrinam illius Diſtinctionis ſub hac forma verborum: *Patet igitur ex prædictis quantùm ſit neceſſaria libero arbitrio gratia gratum faciens, quia ſine ea non poteſt à peccato reſurgere; nec poteſt adverſarium vincere* (id eſt, aſſequi oppoſitum ejus, quod diabolus intendebat. Intendebat autem diabolus hominem reddere inimicum Dei, & facere dignum æterno ſupplicio) *nec poteſt mandata Dei implere.*

Patet nihilominus quantùm ſit neceſſaria gratiâ gratis data (id eſt, gratia actualis) *quia ſine eâ non poteſt liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem ſufficienter ſe diſponere : non poteſt etiam omni tentationi reſiſtere : non poteſt etiam in aliquod bonum quantumcumque modicum quod ſit ordinatum ad ſalutem*, ſive merito congrui, ſive merito condigni. *Et licèt poſſit in aliquod bonum morale, vix aut numquam tamen faceret niſi malum, propter peccati originalis corruptionem. Et ex his manifeſtè convincitur error Pelagii, & ſuperbia, quâ ſe contra divinam gratiam erigebat; & ingratus gratiæ Dei, ſibi, quod erat gratiæ uſurpabat: & dum hoc agebat, ſeipſum à munere divinæ gratiæ elongabat.*

272. Cæterùm quod tunc Pelagius, hodie multi faciunt peccatores, qui ingrati gratiæ Dei, quâ poſſent pœnitere ſi vellent, peccata peccatis accumulantes, de die in diem differunt Pœnitentiam, in vacuum Dei gratiam recipientes, & dum hoc agunt, ſeipſos à munere divinæ gratiæ in tantum elongant, ut non niſi difficillimè poſſint, immo moraliter non poſſint veram elicere pœnitentiam, tametſi velint; præterquam quòd ſæpè deſtituantur omni gratiâ ſufficiente, tam proximè quàm remotè, ut patet in illis qui in ipſo actuali peccato, juſto Dei judicio ſubitò extinguuntur, vel immediatè poſt incidunt in perpetuam amentiam, vel diſtracti ad alia, ampliùs non cogitant de Pœnitentia agenda, ac proinde non habent neceſſariam libertatem ad illam Pœnitentiam; quam tamen habuiſſent, ſi ſuo tempore gratiæ divinæ cooperati fuiſſent, prout poterant ſi voluiſſent. Sed quia noluerunt, profectò eorum culpa eſt, quòd in peccatis ſuis moriantur abſque ſufficienti gratia verè pœnitendi.

Itaque nulla gravitas, multitudo, aut iteratio peccatorum, ſtabili lege impedit auxilium efficax verè pœnitendi, minùs ſufficiens, quod Deus nulli negat, licèt non omnibus det proximè ſufficiens, ut nec omni tempore remotè ſufficiens, ſed ſolùm aliquando pro loco & tempore, ita ut ſi homo illo bene uteretur, daret ulterius auxilium uſque ad illud, quod proximè ſufficeret ad veram Pœnitentiam remiſſivam omnium peccatorum mortalium. 273. Concluſio.

Si autem à me quæritur; Pœnitentia remittit omnia peccata mortalia partialiter, an totaliter? Reſpondeo:

CONCLUSIO IV.

Pœnitentia de facto remittit omnia peccata mortalia totaliter, nullam videlicet relinquendo deordinationem moralem, nè quidem venialem. Poſſet aliqua peccata, ſi Deus vellet, remittere ſolùm partialiter, relinquendo ſcilicet aliquam deordinationem moralem.

HÆc Concluſio quoad primam partem optimè probatur argumento partim poſitivo, partim negativo. Siquidem ſimpliciter & abſolutè affirmat Scriptura, Pœnitentiam remittere omnia peccata mortalia. 274. Probatur prima pars Concluſ. ex Scriptura. Ezech. 18. v. 21. & 22. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vitâ vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et alibi frequenter. Ezech. 18.

Similiter loquuntur Sancti Patres & Oecumenica Concilia; neque uſpiam meminerunt remiſſionis partialis, id eſt, remanentiæ alicujus deordinationis moralis, vel ſaltem venialis : ergo talis remiſſio ſeu remanentia Ex Patribus & Conciliis.

Digitized by Google

tia ſine fundamento aſſeritur, quidquid ſit de poſſibili.

275. *Non obſtat partialis remiſſio pœnæ, quia de illa conſtat ex Trident.* Nec obſtat partialis remiſſio pœnæ (de qua alibi) nam de illa conſtat, ut alia omittam, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 14. ibi: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum ſanctum contriſtaverunt* &c.

Et ibidem can. 30. *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit; anathema ſit.*

Porrò ſi Concilium exiſtimaſſet non totam culpam ſemper remitti, ſed remiſsâ injuriâ mortali, remanere ſubinde deordinationem venialium, cur id ſilentio tegiſſet, & non potiùs apertè docuiſſet?

276. *Cur Deus magis per partem voluerit remittere pœnam, quàm culpam.* Rogas, cur Deus per partem voluerit remittere pœnam magìs quàm culpam? Reſpondeo; quia retentio alicujus pœnæ eſt utilis ad exercitium bonorum operum, quibus homines curant ſatisfacere pro pœna relicta, quæ opera deſerviunt ad vitanda impoſterùm alia peccata, juxta illud Trident. ſeſſ. 14 c.8. *Conc. Trid.* *Procul dubio magnoperè à peccato revocant, & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſq; & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos, contrarijs virtutum actionibus tollunt.*

Adde, quòd reatus pœnæ non eſt macula, nec deturpat animam, ſicut reatus culpæ, quare faciliùs potuit Deus velle, quòd in ſuis amicis remaneret reatus ille, quàm iſte.

Denique remiſſio totalis pœnæ foret cum aliquo præjudicio juſtitiæ vindicativæ, cui juſtitiæ fit ex parte ſatìs, dum retinetur pars pœnæ, ut delicta puniantur. Condonatio autem totalis culpæ tantùm derogat implacabilitati & ſeveritati, quæ virtutes non ita videntur procurandæ à Gubernatore, cùm ſolùm ſpectent ipſius propriam perſonam; ſicuti juſtitia vindicativa, quæ ſpectat bonum commune, & punitionem debitam, ut Reſpublica purgetur à delictis; cui debito difficiliùs debet derogare Princeps.

277. *Ratio à priori voluntas Dei.* Et quidem hæ ſunt rationes congruentiæ, ab hominibus excogitatæ. Ratio autem à priori, voluntas Dei, qui omnia quæcumque voluit fecit, & aliquid injuſtum aut irrationabile velle non potuit.

An Deus potuerit aliqua peccata mortalia ſolùm re- Porrò, an potuerit velle, quamvis de facto noluerit, aliqua vel omnia peccata mortalia remittere ſolùm partialiter, relinquendo ſcilicet aliquam deordinationem moralem ſive mortalem ſive venialem, v. g. permutar culpam odii Dei in culpam luxuriæ, offenſam adulterii in offenſam ſimplicis for cationis, culpam ſimplicis fornicatio in culpam. mendacii, furium centum fl norum in furtum quinquaginta florenor furtum unius floreni in furtum decem aſſiu De his, inquam, permutationibus c trovertitur à nonnullis, an Deo ſint pc biles.

Mea ſententia eſt, Primò, Deum non p permutare culpam odii Dei in culpam lu riæ. Ratio eſt; quia ſunt peccata ſpecie ſtincta, quorum unum alteri nullatenus ſ ordinatur, nec virtualiter ſeu æquivalente altero continetur: ergo ſi Deus remittat tum ſuum jus, quod habebat ex peccato c nequit retinere jus aliquod ex peccato lu riæ, cùm reverà tale peccatum numquam rit in ſe, vel in æquivalenti.

Nonne Deus poteſt mutare eſſentias catorum, & facere ut peccatum odii De peccatum luxuriæ, & è converſo? P quòd non magìs, quàm mutare eſſentiam minis aut bruti. Ergo ſicut in poteſtate non eſt facere, ut homo ſit brutum, & verſâ; ita pariter excedit potentiam De cere, ut peccatum odii Dei ſit peccatum lu riæ; conſequenter ut jus quod Deo c petebat ad inimicitiam propter offenſam Dei, fiat jus propter peccatum luxu ſicuti enim illa peccata ſpecie diſtinguun & non ſolùm penes magis & minus, & illa jura, quæ eſſentialiter reſpiciunt peccata.

Ex quo confeſtim apparet diſparitas i reatum pœnæ, & reatum culpæ: nam p major & minor, ſolùm differunt penes m & minus intrà eamdem ſpeciem; ac proi facilè eſt remittere aliquid, & aliquid retin Omitto, taxationem pœnæ pro culpa ſi eſſe in libera poteſtate judicis punientis, proinde majorem vel minorem poteſt ta juxta ſuum beneplacitum; poteſt ergo D velle remittere pœnam æternam, & infli pœnam temporalem. At verò odiſſe in me catum luxuriæ, quod numquam fuit, fuerit majus, v. g. odium Dei, Deus non teſt, quia ut hoc vel illo peccato peccaver non pendet à ſola voluntate divina, ſicuti b ut hâc vel illâ pœnâ peccatum puniatur.

Dico II. Deus poteſt permutare offen adulterii in offenſam ſimplicis fornicatio Hoc enim nihil aliud ſignificat, quàm De poſſe extrinſecè condonare malitiam inju tiæ, & retinere malitiam luxuriæ, quæ plex malitia reperitur in peccato adulte Sicuti ergo poteſt remittere malitiam in ſtitiæ, quæ reperitur in furto, & retin malitiam luxuriæ, quæ invenitur in ſimp fornicatione, quando idem fur eſt, & for

cat

Digitized by Google

tator; pari ratione quando quis adulter eſt, poterit Deus cedere jure ſuo, quod habet ex illo adulterio in quantum eſt contra juſtitiam, & nihilominus retinere jus ſuum, quod habet ex eodem adulterio in quantum eſt contra caſtitatem.

281. Dico III. poteſt Deus permutare furtum centum florenorum, in furtum quinquaginta florenorum. Sunt quippe peccata ejuſdem ſpeciei, tantummodo differentia penes magis & minus: ergo in his poterit Deus remittere culpam ut centum, & retinere culpam ut quinquaginta, & illum qui furatus eſt centum, præcisè odio habere, ac ſi ſolùm furatus eſſet quinquaginta.

Deus poteſt permutare furtum 100. florenorum in furtum 50.

282. Dico IV. poteſt Deus permutare furtum unius floreni, ſive furtum mortale, in furtum decem aſſium, ſeu furtum veniale. Nam licèt illa furta ſpecie morali diſtinguantur, ſic tamen, ut unum ſubordinetur alteri, & in alio virtualiter & eminenter contineatur. Siquidem de illo, qui furatus eſt florenum, verum eſt dicere, quòd furatus ſit decem aſſes; ſecùs de illo, qui odio habuit Deum, quòd fuerit fornicatus, eſtò odium Dei ſit peccatum longè majus. Cur ergo Deus nequeat deponere odium grave, quod habebat ex vi furti unius floreni, & retinere odium leve, quod habebat ex vi furti decem aſſium, cùm utrumque verè fuerit ab illo homine commiſſum? Non video quid obſtet.

Poteſt Deus permutare furti mortale in veniale.

Nonne ille qui paſſus eſt damnum unius floreni, poteſt remittere jus, quod habet ad reſtitutionem integri floreni, & velle ſibi reſtitui decem ſolummodo aſſes? Nemo dubitat. Ergo ſimiliter Deus poteſt remittere jus, quod habebat ad grave odium ratione gravis furti, & retinere nihilominus jus ad leve odium ratione levis furti, quod in illo gravi continebatur.

283. Si dixeris: ergo furtum grave ſolùm eſt complexum aliquod ex pluribus levibus furtis. Tranſeat totum. Quid miraris? Etenim ſumma centum florenorum non eſt aliud à parte rei, quàm complexum ex centum florenis; & unus florenus à parte rei non eſt aliud, quàm compoſitum ex viginti aſſibus: ergo ſimiliter furtum centum florenorum, videri poſſet non eſſe aliud, ſaltem æquivalenter, quàm complexum ex centum furtis unius floreni, & furtum unius floreni, complexum ex viginti furtis unius aſſis. Cur igitur ſicut homo poteſt remittere furi debitum centum florenorum; & retinere jus ad quinquaginta florenos, ſimiliter remittere debitum unius floreni, & retinere jus ad decem aſſes; cur, inquam, pari paſſu non poſſet Deus remittere furi jus ad grave odium, reſultans ex furto unius floreni, & retinere jus ad leve odium, reſultans ex furto decem aſſium?

Objectio ſolvitur.

284. Dico V. non eſt impoſſibile Deo remittere jus ad grave odium, proveniens ex peccato mortali, v. g. fornicatione, & retinere jus ad leve odium, ratione ejuſdem phyſici peccati; quod ſic probo: Non fuit impoſſibile Deo fornicationem leviter tantùm prohibere, id eſt, ſub pœna aliqua temporali compatiente amicitiam divinam; quæ enim in hac lege contradictio? Tunc autem fornicatio fuiſſet peccatum ſolùm veniale: nam apud me, & alios communiter, ſine lege prohibente unum graviter, alterum leviter, ex ſola rei naturâ non differt mortale à veniali; & per hujuſmodi legem fit, ut aliquod peccatum ſit mortale, aliquod veniale ex genere ſuo.

Poteſt Deus remittere jus ad grave odium ex fornicatione, & retinere jus ad leve odium ex eodem peccato.

Quamvis ergo de facto Deus prohibuerit fornicationem ſub gravi peccato; id eſt, ſub pœna æterna excludente amicitiam divinam; equidem non apparet impoſſibile quòd per Pœnitentiam remitteret illam pœnam (prout de facto remittit) & nihilominus retineret jus ad aliquam diſplicentiam, eo modo quo retinet jus ad pœnam temporalem.

Veluti enim taxatio pœnæ pro culpa, eſt in libera poteſtate Dei, & ideo poteſt taxare hanc vel æquivalentem; immo etiam minorem; ita quoque taxatio ipſius culpæ, ſive deordinationis moralis in actu phyſico fornicationis. Potuit ergo Deus velle, & ita ſtatuere, ut ante Pœnitentiam actus fornicationis graviter ſibi diſpliceret, poſt Pœnitentiam autem adhuc leviter, niſi tanta foret, quod mereretur relaxationem omnis pœnæ, etiam temporalis.

Enimverò actus, qui antecedenter natus eſt prohiberi ſub gravi indignatione Dei, multò magis aptus eſt prohiberi ſub indignatione levi, eſtò illæ indignationes ſint ſpecie diſtinctæ; cur ergo hic actus non poſſit prohiberi ſub gravi indignatione, ita quod illâ ſublatâ per Pœnitentiam, adhuc permaneat jus levis indignationis; hoc enim nihil aliud eſt, quàm unum & eumdem actum prohibere ſub gravi & levi diſplicentia, ſicuti prohibetur ſub pœna æterna & temporali, eſtò gravis & levis diſplicentia ſpecie differant, pœna autem æterna & temporalis ſolùm penes magis & minus intrà eamdem ſpeciem; nam illa diſtinctio ſpecifica indignationum, non orietur ex diverſitate ſpecifica actûs prohibiti, ſicuti in caſu primæ noſtræ Aſſertionis (ſupponitur quippe quòd ſit eadem phyſicè fornicatio) ſed ex natura ipſarum indignationum, quarum una tollit amicitiam divinam, altera non, tametſi utraque oriatur ex eodem fundamento, ſcilicet actu phyſico fornicationis, qui juxta beneplacitum divinum natus eſt fundare hanc, vel illam indignationem. 285.

Quod eſt natum prohiberi à Deo ſub gravi obligatione, multò magis ſub levi.

Ponamus caſum, quòd fornicatio prohiberetur à Pontifice, vel Principe ſæculari ſub levi peccato (permanente ſemper gravi obligatione

Digitized by Google

ex lege divina) utì probabiliùs poteſt fieri, numquid tunc poſſet Deus remittere malitiam mortalem fornicationis, retinendo malitiam venialem ? Non apparet ratio dubitandi.

Atque hæc dicta ſint de remiſſione peccatorum,quæ fieret per extrinſecam tantùm condonationem, abſque infuſione gratiæ ſanctificantis. Quidni etiam vera ſint de illa remiſſione, quæ fieret per infuſionem, ſive cum infuſione gratiæ juſtificantis? Nam, ſecundùm noſtra principia,de potentia Dei abſoluta componitur gratia juſtificans cum peccato mortali, de quo latiùs infrà. Eademque eſt ratio de remiſſione per ſatisfactionem, ſi ſatisfactio inæqualis eſt poſſibilis.

286. Cur in humanis ſæpiùs fiat remiſſio odii per partes. *Arriaga.*

Cæterùm cur in humanis ſæpè fiat placatio ſeu remiſſio odii per partes; Reſpondet Arriaga de Pœnitentia diſput. 12. nu. ultimo: quia ordinariè magna illa averſio, quam initio habuimus, conſiſtebat tantùm in intenſione odii ex vehementi propoſitione injuriæ in nos commiſſæ, ea autem intenſio ſine dubio poteſt per partes ſucceſſivè diminui: & idem de propoſitione vehementi, quæ paulatim minuitur, ac proinde etiam paulatim infert odium levius. Atque hic ſit finis Concluſ. 4. ut verum fatear parùm utilis.

Sequitur Concluſio 5. ſatis utilis, in qua reſolvitur hæc quæſtio: An per Pœnitentiam remittantur peccata mortalia diviſim, id eſt, unum ſine altero, an verò neceſſe ſit, quòd omnia ſimul ſeu copulatim remittantur.

CONCLUSIO V.

Non remittuntur de facto peccata mortalia diviſim; poſſet tamen Deus unum ſine altero remittere.

287. Prima pars Concluſ. fundatur in Script. SS. Patribus & Concil.

PRima pars eſt communis omnium Theologorum nemine excepto, quòd ſciam, & fundatur in Scriptura, SS. Patribus ac Oecumenicis Conciliis, quæ paſſim inculcant remiſſionem omnium peccatorum mortalium, nullibi autem meminerunt diviſionis, ſive ſeparatæ remiſſionis unius peccati ab altero; promittunt, inquam, remiſſionem peccatorum per modum juſtificationis, vivificationis, liberationis à morte, quæ non habentur niſi per integram remiſſionem peccatorum mortaliûm.

Ezech. 18. Ezech. 18. v. 27 & 28. *Et cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit. Conſiderans enim & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vitâ vivet & non morietur.*

Quomodo autem vitâ viveret, ſi ur peccatum ſine altero remitteretur ? Nam l ptum eſt Jacobi 2. v. 10. & 11. *Quicu autem totam legem ſervaverit, offendat aute uno, factus eſt omnium reus: Qui enim dixit, mœchaberis, dixit &*, Non occides. *Quòd ſi mœchaberis, occides autem, factus es tranſgr legis.* Jam autem ſingula peccata mortalia mors animæ, juxta illud Ezech. 18. v. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur.*

Hinc Apoſtolus Petrus Act. 2. v. 38. *nitentiam,* inquit, *agite, & baptizetur unuſqu veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem p torum veſtrorum.* Non ait, hujus vel illius cati, ſed indefinitè, *Peccatorum veſtrorum* intelligamus, non hoc vel illud peccatum Baptiſmum remitti, ſed omnia copulatii mul & ſemel.

Quod probè cognoſcens Concilium T ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali § ſic ait: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri tiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum ginalis peccati remitti negat, aut etiam aſſeru tolli totum id, quod veram & propriam pe* (ſive originalis, ſive perſonalis) *rationem bet; ſed illud dicit tantùm radi, aut non i tari, anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deu*

Audiamus Innocentium III. cap. *Mai* de Baptiſmo ibi: *Sed adhuc quæritur, quar ſaltem originale peccatum amentibus & dorm bus in Baptiſmo, ſicut parvulis dimittatur ? A eſt taliter reſpondendum, quòd Dominus, qui t hominem ſalvum fecit in ſabbato, opus imperſi nis non novit: & ob hoc peccata non ex parte, ex toto dimittit.*

Addit 2. rationem: *Præterea pœna orig lis peccati eſt carentia viſionis Dei: actualis pœna peccati eſt gehenna perpetua cruciatus: ſi dimitteretur alicui primum, altero non dimiſſo, non careret viſione Dei propter originale dimiſſum cruciaretur in gehenna perpetuò, propter rea criminis actualis: ſed hæc tamquam incompoſſi ſeſe minime patiuntur, imme ſibi mutuo adverſan* Huc uſque Innoc.

Sed poteſt dici (inquit Gloſſa ibi V. *Pr originale*) *quòd hæc ratio ſuperficialis eſt, & prima rior eſt: quia Deus opus imperfectionis non novit: in Baptiſmo omnia crimina dimittuntur, de Co diſtinct.* 4. *Regenerante.* Quod deſumpt eſt ex D. Aug. lib. 1. de peccat. me cap. 15. ubi ſic ait: *Generante carne illud tummodo trahitur, quod eſt originale peccatum: generante autem ſpiritu non ſolùm originalis, etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum*, uti omnium, quandoquidem non ſit major ra de uno, quàm de alio, & ſingula ab ingr cæli remorentur; cùm tamen, juxta Trid tinum ſuprà, verè baptizatos nihil prorſus ingreſſu cæli remoretur.

Præterea, dicet aliquis, quomodo hæc mutuo adverſantur, non carere viſione I

prop

propter originale dimiſſum, & cruciari in gehennæ perpetuò propter reatum criminis actualis, cùm de facto in multis hæc duo ſeſe compatiantur; nimirùm in omnibus illis, qui per Baptiſmum remiſſionem acceperunt peccati originalis, & poſtmodum prolapſi in peccatum mortale perſonale, in eodem deceſſerunt. Hi enim omnes non carent viſione Dei propter originale dimiſſum, & cruciantur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis ſeu perſonalis.

[illegible] Reſpondetur, Pontificem intelligi poſſe, vel de abſoluta repugnantia inter non carentiam viſionis Dei, & perpetuum cruciatum in gehenna abſque reſpectu ad aliquam cauſam; aut certè de inutili quaſi remiſſione peccati originalis agit quippe de illis, qui ſimul gravantur peccato originali & actuali, propter quod actuale, cum quo utique ſupponuntur decedere ex hac vita, æquè aut magìs privantur, ſive carent viſione Dei.

291. [illegible] Utcumque ſit de hac ſecunda ratione Innocentii, certum eſt ipſum loco citato docuiſſe noſtram Concluſionem tamquam certam ac indubitatam. Quidni docuiſſet, cùm juxta præſentem Dei ordinationem non fiat remiſſio peccatorum abſque infuſione gratiæ juſtificantis; illa autem eſt incompatibilis de facto cum quolibet peccato mortali, utpote per quam formaliter conſtituitur homo amicus & filius Dei, ac hæres vitæ æternæ, teſte Trident. [illegible] ſeſſ. 6. c. 4. ibi: *Quibus verbis juſtificationis impii deſcriptio inſinuatur, ut ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum, Salvatorem noſtrum.*

Et cap. 7. in principio: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur; quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum: unde homo ex iniuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Singula autem peccata mortalia hominem faciunt Dei inimicum, & filium gehennæ.

292. Deum nunquam ſanare, niſi de omnibus, ex lib. de vera & falſa Pœnit. Concludo verbis D. Auguſtini (vel quiſquis eſt auctor apud D. Auguſt.) lib. de vera & falſa Pœnitentia cap. 9. *Sunt plures quos pœnitet peccaſſe, ſed non omnino, reſervantes ſibi quædam in quibus delectentur: non animadvertentes Dominum ſimul ſurdum & mutum à Dæmonio liberaſſe, per hoc docens, nos numquam niſi de omnibus ſanari. Si enim vellet ex parte peccata reſervari, habens ſeptem Dæmonia, manente uno proficere potuerat ſex expulſis. Expulit autem ſeptem, ut omnia crimina ſimul eiicienda doceret. Legionem autem ab alio eiiciens, neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum poſſideret .... Numquam aliquem ſanavit, quem omnino non liberavit. Totum enim hominem ſanavit in ſabbato, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberavit.* Et poſt pauca: *Quædam impietas infidelitatis eſt, ab illo qui juſtus & juſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam.*

Solùm obſtare videtur, quod ait Chriſtus Luc. 7. v. 47. *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Ergo non ſemper omnia peccata mortalia remittuntur, ſed pro magnitudine amoris plura vel pauciora. 293. Objectio ex Script. Luc. 7.

Reſp. neg. Conſ. quippe loquitur ibi Chriſtus de remiſſione peccatorum quoad culpam magìs vel minùs intensâ, non autem magìs vel minùs extensâ; aut certè de remiſſione peccatorum, etiam quoad pœnam temporalem, quæ manet culpâ remiſsâ. Unde communiter SS. Patres dicunt Mariam Magdalenam propter intenſionem ſuæ Contritionis ſeu dilectionis accepiſſe intenſam valde gratiam ſanctificantem, & remiſſionem etiam omnis pœnæ temporalis. Hactenus de prima parte Concluſionis. Reſponſio.

Venio ad ſecundam, quæ nonnullis diſplicet, eò quòd exiſtiment remiſſionem peccatorum abſolutè non poſſe fieri per ſolam extrinſecam Dei condonationem, ſed omnimodâ neceſſitate fieri debere per infuſionem gratiæ ſanctificantis, ex natura ſua incompatibilis cum quolibet peccato mortali. 294. Secunda pars Concluſ. aliquibus diſplicet,

Sed ne illi falſum, dixerint verum. Et quidem nullam eſſe repugnantiam phyſicam inter peccatum mortale, & gratiam ſanctificantem ſive habitum charitatis, oſtendo hâc Concluſione, ſequenti demonſtraturus, remiſſionem peccatorum poſſe fieri, ſi Deus velit, per ſolam extrinſecam condonationem abſque infuſione gratiæ. ſed abſque ſufficienti ratione.

Itaque quòd non ſit repugnantia phyſica ex natura rei inter peccatum mortale, & gratiam ſanctificantem ſive habitum charitatis, ratione cujus implicet utrumque ſimul eſſe in eadem anima, docet Scotus 4. diſt. 16. q. 2. ubi n. 4. hanc ponit primam Concluſionem: *Infuſio gratiæ & expulſio culpæ, ſeu magis propriè loquendo, remiſſio culpæ, non ſunt ſimpliciter una mutatio.* Probat quadrupliciter. 295. Infuſio, gratiæ & remiſſio culpæ non ſunt ſimpliciter una mutatio. Scotus.

Primò ſic: *Idem ſimpliciter non poteſt plurificari, & non plurificari ſimul, & hoc accipiendo uniformiter identitatem & plurificationem; puta ſi realiter, realiter, & ſi ratione, ratione: hoc enim includit oppoſitum primi principii; quia idem, ut eſt idem, eſſet unum & non unum: ſed remiſſiones culparum ſunt multæ, quando non eſt niſi una infuſio gratiæ: eo enim modo, quo quis dicitur peccator poſt actum peccati tranſeuntem, dicitur peccator à multis culpis, poſtquam multas commiſit: & illarum qualibet habet propriam remiſſionem, quia qualibet remiſſio poſſet eſſe ſine alia, ſi tantùm illam culpam commiſiſſet, & non aliam.*

Omitto ſecundam probationem, de qua ſequenti Concluſione, & progredior ad tertiam, quæ directè ſervit noſtro propoſito, eſtque ſequentis tenoris: *Culpa & gratia non ſunt formaliter oppoſita, nec formaliter repugnantia.* 296. Culpa & gratia non ſunt formaliter oppoſita, nec formaliter repugnantia.

 Probatio:

dit gratiam habitualem, aliquando pro ſola naturali facultate.

ad bene agendum. Priori ſenſu accipit liberum arbitrium lib. de Corrept. & grat. cap. 10. ubi affirmat S. Angelos *per ipſum liberum arbitrium* in veritate ſtetiſſe, & Adamum ſtare potuiſſe *per ipſum liberum arbitrium*: ſed iſto cap. non facit mentionem alterius gratiæ.

Secundo ſenſu uſurpat nomen liberi arbitrii cap. 11. ne quis enim malè interpretaretur quod dixerat cap. 10 primum hominem *per ipſum liberum arbitrium* ſtare potuiſſe, duo illa ſejungit, quæ ibi hoc nomine complexus fuerat; dicens: *liberum arbitrium* (ſcilicet naturalis facultas voluntatis) *ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt niſi adjuvetur ab omnipotenti bono*, hoc eſt, à Deo per gratiam habitualem, vel aliud ſupplens ejus vicem.

243. Liberum arbitrium primi hominis non ſufficiebat retinendæ juſtitiæ. S. Auguſt.

Similiter loquitur Enchi. cap 106. *Etſi peccatum in ſolo libero arbitrio* (id eſt, naturali facultate voluntatis) *erat conſtitutum; non tamen juſtitiæ* (ſcilicet actualis) *retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni* (id eſt, Dei) *divinum adjutorium præberetur. Sicut enim mori eſt in hominis poteſtate cùm velit, nemo eſt enim, qui non ſeipſum, ut nihil aliud dicam, vel non veſcendo poſſit occidere; ad vitam verò tenendam voluntas non ſatis eſt, ſi adjutoria ſive alimentorum, ſive quorumcumque tutaminum deſint. Sic homo in paradiſo ad ſe occidendum relinquendo juſtitiam* (id eſt, non eliciendo actus ſupernaturales, ubi & quando ex præcepto erant neceſſarii) *idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita juſtitiæ* (id eſt, ut eliceret actus ſupernaturales, in quibus conſiſtit vita juſtitiæ, hoc eſt, actualis juſtitia) *parum erat velle, niſi ille qui eum fecerat, adjuvaret. Sed poſt illam ruinam major eſt miſericordia Dei, quando & ipſum liberum arbitrium* (id eſt, naturalis facultas voluntatis) *liberandum eſt à ſervitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omninò per ſeipſum, ſed per ſolam Dei gratiam, quæ in fide Chriſti poſita eſt liberatur, ut voluntas ipſa, ſicut ſcriptum eſt, à Domino præparetur.* Hæc ille.

244. Liberum arbitrium inſtructum gratiâ habituali non poteſt peccare, niſi perdat illam gratiam.

Quis autem ſapiens, & non intelligit ibi liberum arbitrium ſumi pro ſola facultate naturali? Non quòd liberum arbitrium inſtructum gratiâ habituali non poſſit peccare, ſed quoniam non poteſt peccare, niſi perdat illam gratiam; & prætereà, quia illa gratia non eſt neceſſaria ad peccandum, adeòque quando conſideratur in ordine ad peccatum, nullo modo complectere debet gratiam habitualem. Porrò hìc ita conſideratur; ut proinde mirum minimè ſit, quòd ei ſic conſiderato, adjungat adjutorium gratiæ habitualis, ut bene poſſit agere, & in juſtitia, id eſt, amore caſto perſeverare.

Gratia habitualis eſt participatio immutabilis boni. 2. Pet. 1.

Sanè gratia habitualis participatio eſt immutabilis boni, id eſt, Dei; per illam enim efficimur participes divinitatis, & conſortes divinæ naturæ, juxta illud D. Petri Epiſt. 2. c. 1. v. 4. *Per quem* (ſcilicet Chriſtum) *maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit* Deus: *ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.*

Quæris unde conſtet, Auguſtinum ibi loqui de juſtitia actuali? Reſpondetur ex verbis immediatè præcedentibus: *Illam* (immortalitatem in qua homo poſſet non mori) *natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc* (immortalitatem in qua non poſſet mori) *eſt acceptura per gratiam, quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum; quamvis ſine gratia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet. Quia etſi peccatum* &c. 24[?]

Sine in ſt[...] noce non ullan titun 1. A[...]

Quid tibi videtur Lector? Gratia ſive juſtitia habitualis meritum eſt? An non magìs, immo non ſola juſtitia actualis? Planum eſt omne meritum conſiſtere in actu, neque Angelos ſanctos meruiſſe ſuam beatitudinem per gratiam habitualem, quam in creatione à Deo acceperant, ſed per amorem caſtum, ſive actum charitatis Dei, in quo ipſi per liberum arbitrium inſtructum gratiâ habituali ſteterunt, aliis per liberum arbitrium eâdem gratiâ inſtructum cadentibus, *à divina*, ut loquitur Gelaſius Pontifex in dictis adversùs Pelag. hæreſim tom. 2. Concil. apud Binium pag 259. *quâ illuſtrabantur gratiâ & participatione*, ſeipſos plùs diligendo, quàm Deum.

Grat[...] bitua[...] eſt m[...] tum.

Si voluntas, teſte Auguſtino lib. 14. de Civit. cap. 13. *in amore ſuperioris immutabilis boni* (id eſt, Dei) *à quo* per illum amorem *illuſtrabatur ut cætera videret, & accendebatur ut rectè amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc tenebreſceret & frigeſceret, ut, vel illa* (Eva) *verùm crederet dixiſſe ſerpentem, vel ille* (Adam) *Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaretq́ ſe venialiter tranſgreſſorem eſſe præcepti, ſi vitæ ſuæ ſociam non deſereret etiam in ſocietate peccati. Non ergo malum opus factum eſt, id eſt, illa tranſgreſſio, ut cibo prohibito veſcerentur, niſi ab eis qui mali jam erant per ſuperbiam.* 24[?]

Que[...] ſcuſa[...] cati p[...] pate[...] S. Au[...]

Nam *malæ voluntatis*, inquit ibidem, *initium quid potuit eſſe niſi ſuperbia? Initium enim omnis peccati ſuperbia eſt. Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſa celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principium. Hoc fit cùm ſibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magìs placere debuit, quàm ipſe ſibi. Spontaneus eſt autem iſte defectus; quoniam ſi voluntas* &c.

Initiu[...] omni[...] cati ſ[...] bia.

Non ergo intelligit S. Auguſtinus illuſtrationem, & accenſionem, quæ amorem Dei præcedant, & ad illum provocent; ſed ipſum potiùs amorem Dei, per quem primi Parentes illuſtrabantur, & accendebantur, ut res creatas viderent, & rectè amarent. 24[?]

S. Aug[...] illuſtra[...] nem & cenſio[...] intellig[...] ipſum [...] rem D[...]

Quemadmodum enim cùm de Angelica creatura dixit 12. Confeſſ. c. 15. *Ineſt ei tamen* S. Aug[...]

ipſa

Digitized by Google

ipſa mutabilitas, unde tenebreſceret & frigeſceret niſi amore grandi tibi cohærens, tamquam ſemper meridies luceret & ferveret ex te: iſta duo, *lucere*, &, *fervere*, ſic accepit, ut amorem illum grandem non antecedant, ſed conſequantur; pari ratione hoc loco, *illuſtrabatur*, &, *accendebatur*, quaſi neceſſarios divini amoris, quo primi Parentes initio flagrabant, effectus conſiderat.

Contendit ſiquidem, Evam non potuiſſe credere verum dixiſſe ſerpentem, & Adamum non potuiſſe Dei mandato uxoris præponere voluntatem, niſi jam antè per ſuperbiam à Dei amore defeciſſent; idque quia amor ille mentem illuſtrabat ad cætera videnda, & voluntatem accendebat ad eadem rectè diligenda.

248. [illegible] Itaque accenſio non ſumitur pro motu indeliberato antecedente Dei amorem, & quo poſito voluntas Adami poſſet eodem momento Deum amare, ſed magìs pro ipſo Dei amore, qui voluntatem accendebat, ut reliqua ordinatè amaret, & quo poſito non poſſet Adam eodem tempore Dei mandato uxoris præponere voluntatem.

Et ſanè utì vox illa, *Videret*, Deum non reſpicit, ſed cætera, ac præcipuè dæmonis inſidias, quas vidiſſet Eva, ſi priùs ab amore Dei non excidiſſet; ſic itidem verbum illud, *Amaret*, creata ſpectat, atque ipſam maximè Evam, quam præpoſterè Adam non amaſſet, niſi antea caſtum Dei amorem, per quem ad cætera rectè amanda inflammabatur, extinxiſſet.

249. [illegible] Si rurſum objicias: Auguſtinus lib. de Corrept. & grat. c. 11. diſputat cum Pelagianis, cum quibus non erat quæſtio niſi de gratia actuali. Reſpondetur, doctrinam quidem Auguſtini eſſe contrariam doctrinæ Pelagianorum, qui teſte Ianſenio lib. 2. de hæreſi Pelagiana c. 7. nullum habituale gratiæ adjutorium Adamo conceſſum agnoſcebant; negatur interim contra Pelagianos ſuſceptam fuiſſe hanc diſputationem, verùm contra quoſdam ex Adrumetinorum numero, qui approbatâ Catholicorum doctrinâ de dono perſeverantiæ hoc in ſtatu juſtis conceſſo, quid de Adamo ſtatuendum eſſet, poſtulabant. *Hinc*, inquit Auguſtinus c. 10. in principio, *exoritur alia quæſtio non ſanè contemnenda ..... Quæritur enim à nobis quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeverare uſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus.*

250. [illegible] Docet igitur S. Doctor adjutorium gratiæ habitualis neceſſarium fuiſſe, ut Adamus in bona voluntate permaneret, id eſt, ut Deum amare pergeret; vel ut ſine vitio perſeveraret. Etenim duo conſideranda ſunt in integritate primi hominis; primum carentia omnis infirmitatis, concupiſcentiæ, ac vitii. Secundum actus Charitatis, quem in ipſa creatione accepit. Ad illam utramque primæ integritatis partem conſervandam neceſſarium fuit adjutorium habitualis gratiæ; quia ut ad bene agendum, ita & ad omnia retinenda, quæ per actus virtutum ſervari debebant, requirebatur. Ita Stephanus Dechamps lib. 3. diſp. 3. c. 20. n. 11. *Dechamps.*

Quamquam ſimul admittat neceſſitatem alicujus adjutorii gratiæ actualis, ſed intellectûs, puta cogitationem indeliberatam; non voluntatis, puta delectationem indeliberatam. Nam vera ratio cur cæleſtis delectatio ad actus bonos neceſſaria ſit, ex natura medicinæ, ſeu medicinalis adjutorii petenda eſt; voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata eſt, ex quibus fit ut in omnibus actionibus ante gratiam delectatione quadam libidinosâ præeunte ac titillante provocetur: cui utique malo concupiſcentiæ contraria cæleſtis delectatio mederi debet. Cùm ergo ante peccatum nulla fuerit in Angelo vel homine hujuſmodi libidinoſa delectatio, liquet profectò voluntatem ſanam non indiguiſſe contrariâ cæleſti delectatione. 251. *An in ea neceſſarium fuerit adjutorium gratiæ actualis?*

Interim, quia *voluntatem*, ut ait D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitr. c. 3. *non allicit ad faciendum quodlibet niſi aliquod viſum: quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat eſt in poteſtate: ſed quo viſo tangatur nulla poteſtas eſt.* Et lib. de Spir. & lit. c. 33. *Nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem.* Nemo, inquam; ergo neque homo, neque Angelus, neque innocens, neque peccator: hinc neceſſarium fuit tam homini quàm Angelo, etiam ante lapſum, adjutorium actuale cognitionis, de quo loquitur D. Auguſt. lib. de Nat. & grat. c. 48. *Si*, inquit, *de integra & ſana hominis natura loqueretur* (Pelagius) *quam modò non habemus, nec ſic rectè diceret, quòd non peccare noſtrum tantummodo ſit, quamvis peccare noſtrum eſſet: nam & ibi eſſet adiutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adiuti videant ſe præbere volentibus.* 252. *Saltem neceſſarium fuit adjutorium actuale cognitionis.*

Docet ergo prædictus Auctor, gratiam actualem Adamo & Angelis ad perſeverandum collatam, illuminationem fuiſſe intellectûs, non autem motionem voluntatis; pro quo notat c. 16. duodecim præſertim nominibus D. Auguſt. appellare gratiam voluntatis, quorum ſex priora amorem (ſcilicet indeliberatum) reliqua delectationem apertiùs ſignificant. 253. *Duodecim nomina quibus S. Aug. appellat gratiam voluntatis.*

Primò appellat, *Spiritum Charitatis* lib. 1. ad Simpl. quæſt. 1.; vel, *Inſpirationem Charitatis*, Epiſt. 147. ſub finem; vel, *Infuſionem Charitatis*, lib. 2. ad Bonifacium c. 8. vel denique, *Gratiam quâ Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris*, ut in omnibus paſſim operibus, præcipuè lib. de grat. Chriſti c. 26. Secundò, *Delectationem dilectionemque ſummi boni*, de Spirit. & lit. c. 3. vel, *Inſpirationem dilectionis* lib. 4. ad Bonif. c. 5. Tertiò, *Amoris divini inſpirationem*, diſp. contra Fortun. Quartò, *Bonam concupiſcentiam*, lib. de Spirit. & lit. cap. 4. *Ubi ſanctus non adiuvat Spiritus inſpirans pro concupiſcentia*

Digitized by Google

cupiſcentia mala concupiſcentiam bonam &c. Quintò, *Cupiditatem boni*, 2. ad Bonif. c. 9.

Sextò, *Bonam voluntatem*, de grat. Chriſti c. 24. Septimò, *Suavitatem*, maximè lib. 2. de Peccat. merit. cap. 17. & 19. & Enarr. in Pſalm. 84. ubi illud: *Dominus dedit ſuavitatem*, exponit de gratia voluntatis. Octavò, *Dulcedinem*, lib. 2. ad Bonif. c. 9. *Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei.* Nonò, *Delectationem*, paſſim in libris, quos ſcripſit in defenſionem divinæ gratiæ. Decimò, *Condelectationem*, lib. 1. de Nupt. & concupiſ. c. 30. *Iſta condelectatio legi Dei ſecundùm interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei.* Undecimò, *Iucunditatem*, in Pſalm. 85. *Si nulla iucunditas, deficimus.* Duodecimò, *Voluptatem*, tract. 26. in Ioan. *Voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino* &c. *Eſt quædam voluptas cordis* &c.

254. **Ex his omnibus putat Dechamps S. Aug. ne unum quidem adhibere gratiæ perſeverantiæ conceſſæ Adamo & Angelis;** Ex omnibus his nominibus, ne unum quidem vel ſemel adhibet S. Doctor, cùm de gratia Adamo & Angelis conceſſâ ad perſeverandum diſputat. Si ergo gratia medicinalis ex mente D. Auguſtini comprehendit motionem voluntatis, quoniam ab eo vocatur, *Delectatio, Suavitas* &c. patet adjutorium perſeverantiæ hominibus & Angelis in ſtatu Innocentiæ conceſſum, non comprehendere illam motionem, quia illud adjutorium non appellat *Delectationem, Suavitatem* &c. Hæc eſt ſententia Dechamps.

255. **ſed contrarium oſtendit Auctor.** Sed apud me S. Auguſtinus gratiam perſeverantiæ conceſſam S. Angelis appellat lib. 12. de Civit. c. 9. *Charitatem Dei diffuſam in eis per Spiritum ſanctum*, ibi: *Confitendum eſt igitur cum debita laude creatoris non ad ſolos ſanctos homines pertinere verùm etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quòd charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis.*

Quod ne gratis dicere videar, ſic diſcurro: Poſtquam S. Auguſtinus c. 6. 7. & 8. diſſeruit de mala voluntate malorum Angelorum, docuitque nullam eſſe ejus cauſam efficientem, ſed ſolùm deficientem, tranſit c. 9. ad voluntatem bonam bonorum Angelorum, & ejus ſimiliter cauſam inquirit, inquiens: *Si dixerimus nullam eſſe efficientem cauſam etiam voluntatis bonæ, cavendum eſt ne voluntas bona bonorum Angelorum non facta, ſed Deo coæterna eſſe credatur.* Ex quo perſpicuè manifeſtum eſt, Auguſtinum non loqui de gratia habituali, vel de potentia voluntatis, ſed de actu; cùm de hoc neceſſario agat, quando quærit cauſam voluntatis malæ.

256. **An bona voluntas bonorum Angelorum ſit facta cum ipſis, an ſine illa fuerunt prius?** Sed videamus quid Auguſtinus decernat. *Porrò* (proſequitur) *quia facta eſt* (voluntas bona bonorum Angelorum) *utrùm cum ipſis facta eſt, an ſine illa fuerunt priùs? Sed ſi cum ipſis, non dubium quin ab illo facta ſit, à quo & ipſi: ſimulque ut facti ſunt ei à quo facti ſunt, amore cum quo facti ſunt, adhæſerunt: Eoq; ſunt iſti* (boni) *ab illorum* (malorum) *ſocietate diſcreti, quod hi in eadem voluntate bona manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati ſunt, malâ ſcilicet voluntate, hoc ipſo quòd à bono defecerunt, à quo non defeciſſent, ſi utique voluiſſent.*

Quia verò interrogatio Auguſtini ſuprà poſita duplex erat, ad ſecundam partem ſic reſpondet. *Si autem boni Angeli fuerunt priùs ſine bona voluntate* (hoc eſt, Dei amore) *eamque in ſeipſis Deo non operante fecerunt; ergo meliores à ſeipſis, quàm ab illo facti ſunt? Abſit. Quid enim erant ſine bona voluntate* (hoc eſt, Dei amore) *niſi mali? Aut ſi propterea non mali, quia nec mala voluntas eis inerat, neque enim ex ea, quam nondum cœperant habere, defecerant, rectè nondum tales; nondum tam boni, quàm eſſe cum voluntate bona* (hoc eſt, Dei amore) *cœperunt.* **An[...] fue[...] mel[...] ſeip[...]**

At ſi non potuerunt ſeipſos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam fecit, profectò & bonam voluntatem (hoc eſt, Dei amorem) *quâ meliores eſſent, niſi operante adiutorio Creatoris habere non poſſent.* **25[...] ſed ó[...] te ad[...] Crea[...]**

Et cùm id egit eorum voluntas bona, ut non ad ſeipſos, qui minus erant, ſed ad illum qui ſummè eſt converterentur, eiq; ſtabiliter adhærentes magis eſſent, eiuſque participatione ſapienter beatèque viverent: quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam, inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando avidiorem? Id eſt, *quid aliud oſtenditur niſi voluntatem quamlibet bonam* (id eſt, amorem Dei bonorum Angelorum) *inopem* (id eſt, inefficacem ſeu inſtabilem) *fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille qui bonam naturam ex nihilo* (naturæ & meriti) *ſui capacem fecerat* (ſecundùm naturam & gratiam) *ex ſeipſo faceret implendo meliorem* (augmento gratiæ & gloriæ) *priùs faciens excitando avidiorem*, auxilio gratiæ actualis & efficacis, ne inops in ſolo deſiderio remaneret, id eſt, ut eſſet amor efficax & ſtabilis.

Neque enim hoc loco diſputat Auguſtinus, 258 **Diſput[...] hic Aug[...] maxim[...] bona v[...] tate, q[...] Angeli[...] boni al[...] cadenti[...] ſteteru[...]**
& inquirit cauſam illius tantum bonæ voluntatis, quam omnes Angeli tam boni quàm mali in ſui creatione acceperunt, ſed maximè illius bonæ voluntatis, per quam S. Angeli aliis cadentibus ſteterunt, id eſt, perſeveraverunt uſque in finem. Si quidem continuò ſubjungitur: *Nam & hoc diſcutiendum eſt, ſi boni Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam* (id eſt, perſeverantiam bonæ voluntatis) *utrùm aliquâ eam, an nullâ voluntate fecerunt. Si nullâ, utique nec fecerunt. Si aliquâ, utrùm malâ an bonâ. Si malâ, quomodo eſſe potuit mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bonâ, iam ergo habebant. Et iſtam quis fecerat, niſi ille qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit ſimul in eis & condens naturam & largiens gratiam?*

Ubi loquitur de primo actu amoris, & nomine *Gratia* intelligit, vel illum ipſum actum (ſolet quippe Auguſtinus bonum opus, quod per gratiam Deus operatur, gratiam appellare)

vel

Digitized by Google

vel ſanè adjutorium gratiæ, à qua ille actus productus fuit.

259. Vnde (proſequitur) ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore (actuali ſcilicet) numquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt, quemadmodum aliquando fuerunt, & in æternum erunt Angeli mali, de quibus illico attexit: Iſti autem qui cùm boni creati eſſent, tamen mali ſunt: malâ propriâ voluntate, quam bona natura non fecit, niſi cum à bono ſponte defecit, ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono: aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi qui in eadem perſtiterunt (ubi inſinuare videtur fortè S. Angelos à principio ſuæ creationis fuiſſe formaliter beatos, id eſt, habuiſſe viſionem & fruitionem beatificam, immo & certam ſcientiam ſuæ æternæ felicitatis) Aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti (id eſt, efficaci adjutorio gratiæ actualis diutiùs perſeverantes in bona voluntate, hoc eſt, Dei amori actuali) ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent pervenerunt, non jam per ſpeciem & in ænigmate, aut cognitione abſtractiva; ſed facie ad faciem Deum videntes, & taliter viſo fruentes.

260. Omnes Angeli ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt et S. August.

Sicut, inquit, etiam in libro, quem ſequitur iſte, tractavimus, id eſt, lib. 11. c. 11. ibi: Quæ cùm ita ſint, nullo quidem modo ſecundùm aliquod temporis ſpatium prius erant illi Spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus. Sed ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt, non tamen ita tantùm creati, ut quoquo modo eſſent, & quoquo modo viverent, ſed etiam illuminati, ut ſapienter beatèque viverent. Ab hac illuminatione averſi quidam Angeli, non ſolùm non obtinuerunt excellentiam ſapientis beataq; vitæ, quæ procul dubio non niſi æterna, æternitatiſque ſuæ eſt certa atque ſecura: ſed & rationalem vitam licèt inſipientem, ſic habent, ut eam non poſſint amittere, nec ſi velint. Quatenus autem antequam peccaſſent, illius ſapientiæ fuerint participes, definire quis poteſt? In eius tamen participatione æquales fuiſſe iſtos illis, qui propterea verè pleneq; beati ſunt; quoniam nequaquam de ſuæ beatitudinis æternitate falluntur, quomodo dicturi ſumus: quandoquidem ſi æquales in ea fuiſſent, etiam iſti in eius æternitate manſiſſent pariter beati, quia pariter certi?

261. In quo conſiſtat beatitudo Angelorum.

Et cap. 13. ſic ſcribit: Quocirca cuivis iam non difficulter occurrit, utroque coniuncto effici beatitudinem, quam recto propoſito intellectualis natura deſiderat: hoc eſt, ut & bono incommutabili, quod Deus eſt, ſine ulla moleſtia perfruatur, & in eo ſe in æternum eſſe manſurum, nec ullâ dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. Hanc habere Angelos lucis, piâ fide credimus: hanc nec antequam caderent habuiſſe Angelos peccatores, qui ſuâ pravitate illâ luce privati ſunt, conſequenti ratione colligimus: habuiſſe tamen aliquam etſi non præſciam beatitudinem, ſi vitam egerunt ante peccatum, profectò credendi ſunt. Aut ſi durum videtur quando facti ſunt Angeli; alios credere ita factos, ut non acciperent præſcientiam vel perſeverantiæ, vel caſus ſui: alios autem ita factos, ut veritate certiſſimâ æternitatem ſuæ beatitudinis noſſent: ſed æqualis felicitatis omnes ab initio creati ſunt, & ita fuerunt, donec iſti, qui nunc mali ſunt ab illo bonitatis lumine ſuâ voluntate cecidiſſent; profectò multò eſt duriùs nunc putare Angelos ſanctos æternæ ſuæ beatitudinis incertos, & ipſos de ſemetipſis ignorare, quod nos de illis per Scripturas ſanctas noſſe potuimus.

Et paucis interjectis rurſum ait: Cuius (felicitatis æternæ) illi alii (mali Angeli) quia certi non fuerunt: non enim erat eorum æterna felicitas, cuius certi eſſent, quæ finem fuerat habitura: reſtat ut aut impares fuerint (id eſt, ut Sancti Angeli à principio creationis ſuæ fuerint certi de ſua æterna felicitate, ſecus Angeli mali) aut ſi pares fuerunt (id eſt, ſi omnes incerti) poſt iſtorum (malorum Angelorum) ruinam, illis (Angelis ſanctis) certa ſcientia ſuæ ſempiternæ felicitatis acceſſerit. 262. Mali Angeli non fuerunt certi felicitatis æternæ

Addit tertiam conjecturam (ſi ità appellari placeat) Niſi fortè quis dicat, id, quod Dominus ait de diabolo in Euangelio: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit; ſic eſſe capiendum, ut non ſolùm homicida fuerit ab initio, id eſt in initio humani generis; ex quo utique homo factus eſt, quem decipiendo poſſet occidere; verùm etiam ab initio ſuæ conditionis in veritate non ſteterit; & ideo nunquam beatus cum ſanctis Angelis fuerit, ſuo recuſans eſſe ſubditus Creatori, & ſuperbiâ ſuâ velut privatâ poteſtate elatus, ac per hoc falſus & fallax, quia nec quiſquam poteſtatem omnipotentis evadit. Ioan. 8. v. 44

Hæc fuſiùs volui referre, ut unuſquiſque videat, quàm obſcurè & dubiè in hac materia loquatur D. Auguſt. ut proinde meritò dixerit Eſtius 1. diſt. 41. §. 14 agens de Prædeſtinatione Angelorum: Quòd ſi nihilominus adhuc contendat aliquis, Auguſtini verba, quæ obiecta ſunt, huc inflecti non poſſe, puteq; eum reverà alterius eſſe ſententiæ: tum reſpondebimus, ea quæ de adiutorio primi hominis & Angelorum obſcurius, & ut videtur extra Scripturæ auctoritatem ab illo diſputata ſunt, ad hoc ut ex ea comparatione gratia noſtra per Chriſtum reparationis magis emineret, non debere præiudicare doctrinæ, quæ apud alios Patres, ipſumq; D. Thomam in huiuſmodi rebus exactiſſimum doctorem expreſſior reperitur, maximè propter rationes in eam partem graviſſimas, & ut nobis videtur inſolubiles, & clarè in Scriptura fundatas. Hæc ille. 263. S. Auguſt. de prædeſt. Angelorum obſcurè & dubiè fuit locutus. Eſtius.

Cæterùm, utcumque ſit de opinionibus jam relatis ex D. Auguſtino, Confitendum eſt (inquit ipſe lib. 12. de Civit. v. 9.) cum debita laude Creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis (qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per liberum arbitrium ſteterunt ipſi) poſſe dici, quòd charitas Dei (id eſt, amor Dei actualis, non tantùm quo primo inſtanti adhæſerunt Deo, ſed etiam 264. De Sanctis Angelis dici poteſt, quod charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum. S. Aug.

in

in quo ſteterunt, aliis ab illo cadentibus) *diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis: nec tantùm hominum, ſed primitus præcipuèq; Angelorum bonum eſſe quod ſcriptum eſt: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.*

Pſal. 72. v. 28.

Profectò cum S. Auguſtinus illo cap. non tantùm diſputet de prima volitione bona Angelorum, ſed etiam de perſeverantia, ſeu volitione, per quam formaliter ſteterunt ſancti Angeli, malis Angelis cadentibus, & diſputationem ſuam illis verbis concludat; nulla prorſus eſt ratio, cur magìs dicta putentur de prima volitione, quàm de ſecunda, aut tertia (ſi ita placeat loqui) id eſt de volitione, per quam formaliter ſteterunt Angeli boni, malis Angelis cadentibus.

265. Ergò D Aug. per adjutorium ſine quo non intellexiſſet gratiam voluntatis, non ideo negaſſet gratiam ſufficientem.

Demus itaque Adverſariis noſtris D. Auguſtinum per adjutorium ſine quo non intellexiſſe non tantùm illuminationem intellectûs, ſed etiam accenſionem voluntatis, ſive indeliberatum motum dilectionis, præter habitum charitatis; nonne jam conclamatum eſt: hominibus lapſis deeſt gratia ſufficiens? Exiſtimo quòd non. Quomodo ergo intelligendum eſt, quod ait lib. de Corrept. & grat. c. 11. *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium* &c.

266. Explicantur illa verba: *Nunc autem quibus deeſt* &c.

Reſpondent aliqui, Auguſtinum minimè negare quodcumque adjutorium, ſed tale, quo proximè & faciliter poſſit homo implere mandata, quale adjutorium habuerunt Angeli & primi Parentes, juxta illud D. Auguſtini lib. 1. de peccat. merit. c. 37. *Agitur de illius quadam mentis valentia, uſuque rationis, quo præceptum Dei legemque mandati & facilis Adam caperet, & faciè poſſet cuſtodire ſi vellet.* Et iſtud lib. 2. cont. Fel. c. 8. *Si quid infirmitatis patiuntur, qui non poſſunt implere quod volunt, manifeſtum eſt hoc veniſſe de traduce primi peccati Adam, & de conſuetudine malâ. Nam hodie libera voluntate faciunt homines conſuetudinem, quam cùm fecerint facilè ſuperare non poſſunt.*

Explicatio rejicitur.

Sed contrà facit, quòd Auguſtinus loquatur de tali adjutorio, quod ſi defuiſſet Angelo vel homini, non utiq; ſuâ culpâ cecidiſſent; jam autem ſuâ culpâ cecidiſſent, eſto accepiſſent ſolam orandi gratiam, ſicut de facto ſuâ culpâ cadunt, quibus hæc una adeſt gratia. Et ſicuti de facto ſuâ culpâ cadunt, qui ſimpliciter poſſunt, etſi difficulter, obſervare præcepta divina, ita Angelus & homo tunc ſuâ culpâ cecidiſſent, quantumvis difficulter potuiſſent perſeverare.

267. Alia explicatio. Felix.

Aliter ergo reſpondet Felix de Reprob. c. 6. diff. 7. n. 23. quòd Auguſtinus ſolùm voluit, quòd quamvis omnibus peccatoribus Deus tribuat auxilia ſufficientia, ut à peccatis reſurgant, non tamen in quocumque inſtanti & continuò, ut patet, & hoc in pœnam peccati, quo carebant Angeli & primi Parentes in ſtatu Innocentiæ, & ita continuò illud habebant; nam erat quaſi debitum illi ſtatui: nos verò illud habemus non continuò, ſed quando occurrit tentatio, vel præceptum adimplendum. Hæc ille.

Sed rurſum opponi poteſt: tametſi Angelus & homo non habuiſſent adjutorium illud continuò, dummodò habuiſſent, quando erat præceptum adimplendum, ſuâ culpâ cecidiſſent. Co... lam... aut...

Ideo ſit tertia reſponſio: Auguſtinus quidem ibi dicit, aliquos non habere gratiam ſufficientem, quod & nos dicimus; nam Concluſio expreſsè concedit, non omnibus omni tempore eam dari; haud equidem docet Sanctus Doctor, tali caſu hominem peccare, ſi non ſervet præceptum, ſed tantùm ait, illam ſubſtractionem eſſe pœnam peccati: *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, iam pœna peccati eſt*; quòd ſi voluiſſet ſignificare homines ſine tali gratia, nunc verè peccare, potuiſſet & debuiſſet dicere: *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, ſuâ culpâ cadunt*; nam eâdem phraſi loquitur de Angelo, & Adamo dicens: *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini quum primùm facti ſunt defuiſſet ..... non utique ſuâ culpâ cecidiſſent.* 2(Ter plic

Nec obſtat, quòd, ut aliqui docent, Dæmones peccent per omiſſionem actûs præcepti, etiam ſupernaturalis, quem tamen defectu gratiæ ſufficientis non poſſunt elicere; quia ad ſubſtractionem illius gratiæ dederunt cauſam per peccatum perſonale, & ideo; ſecundùm eoſdem Doctores, omiſſio rectè imputatur ipſis in peccatum perſonale, ſi non novum, ſaltem idem continuatum. Et idem conſequenter, poſſet dici de homine, qui propter peccatum perſonale damnatus eſt; vel in vita per tale peccatum dedit cauſam ſubſtractioni gratiæ ſufficientis. Obj ſolvi

Hinc reſpondeo quartò & ultimò, Auguſtinum non negare illud adjutorium hominibus viatoribus, ſed Angelis & hominibus damnatis, qui etiam propterea non ampliùs ſuâ culpâ cadunt, id eſt, damnabiliter ſeu demeritoriè peccant. 2(Quar plicat

Et verò quia omnes homines potuiſſet Deus relinquere, & in æternum deſerere ſubtrahendo etiam gratiam ſufficientem, ſicuti reliquit & deſeruit malos Angelos; hinc Sanctus Doctor continuò attexit: *Quibus autem datur tale adjutorium* (ſcilicet hominibus viatoribus) *ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum*, vel quaſi debitum ſicut datum fuit Angelis, & primis hominibus pro tempore, quo nondum poſitivè demeruerant illud adjutorium; *& tanto ampliùs datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id Deo dare placuit* (ſcilicet prædeſtinatis ad vitam æternam) *ut non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verùm etiam tantum ac tale ſit ut velimus*; id eſt, non tantùm datur gratia ſufficiens, ſed etiam efficax; non ſolùm poſſibilitas perſeverandi,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam voluntas perſeverandi, ſeu ipſa perſeverantia.

Finio verbis Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ 2. diſt. 28. art. 2. q. 2. *Illa poſitio Pelagij* (puta, quòd liberum arbitrium ſecundùm ſtatum, in quo nunc eſt, abſque munere gratiæ, omni poſſit tentationi reſiſtere propriâ virtute) *tamquam erronea repudianda eſt. Hoc autem fuit quod decepit Pelagium, quòd liberum arbitrium numquam deſtituitur omni gratiâ gratis datâ* (de illo agit tempore, quo tentationi reſiſtendum eſt) *& ipſe poſſe gratiæ attribuit ipſi naturæ. Superbiâ enim excæcatus, neſcivit diſtinguere inter dona naturalia, & gratuita.*

Et infrà ſic ait: *Ad illud quod obiicitur, quòd liberum arbitrium integrum eſt, reſpondendum eſt ſicuti dicebatur in opponendo, quòd hoc intelligitur quantùm ad eſſentiam potentiarum, non quantùm ad perfectionem habilitatum conſequentium. Et ſi quæratur ulteriùs, utrùm poſſit reſiſtere vel non. Dicendum, quòd de aliqua tentatione per ſe non poteſt; ſi tamen conſentiat, non eſt à culpa immune; propter hoc quòd adiutorium gratiæ ſibi præſtò eſt, ſi vellet ſuſcipere. Propter hoc etiam, quòd ex propria ſua culpa devenit in illam neceſſitatem.*

171. Deinde q. 3. concludit totam doctrinam illius Diſtinctionis ſub hac forma verborum: *Patet igitur ex prædictis quantùm ſit neceſſaria libero arbitrio gratia gratum faciens, quia ſine ea non poteſt à peccato reſurgere; nec poteſt adverſarium vincere* (id eſt, aſſequi oppoſitum ejus, quod diabolus intendebat. Intendebat autem diabolus hominem reddere inimicum Dei, & facere dignum æterno ſupplicio) *nec poteſt mandata Dei implere.*

Patet nihilominus quantùm ſit neceſſaria gratiâ gratis data (id eſt, gratia actualis) *quia ſine eâ non poteſt liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem ſufficienter ſe diſponere: non poteſt etiam omni tentationi reſiſtere: non poteſt etiam in aliquod bonum quantumcumque modicum quod ſit ordinatum ad ſalutem*, ſive merito congrui, ſive merito condigni. *Et licèt poſſit in aliquod bonum morale, vix aut numquam tamen faceret niſi malum, propter peccati originalis corruptionem. Et ex his manifeſtè convincitur error Pelagii, & ſuperbia, quâ ſe contra divinam gratiam erigebat; & ingratum gratiæ Dei, ſibi, quod erat gratiæ uſurpabat; & dum hoc agebat, ſeipſum à munere divinæ gratiæ elongabat.*

272. Cæterùm quod tunc Pelagius, hodie multi faciunt peccatores, qui ingrati gratiæ Dei, quâ poſſent pœnitere ſi vellent, peccata peccatis accumulantes, de die in diem differunt Pœnitentiam, in vacuum Dei gratiam recipientes, & dum hoc agunt, ſeipſos à munere divinæ gratiæ in tantum elongant, ut non niſi difficillimè poſſint, immo moraliter non poſſint veram elicere pœnitentiam, tametſi velint; præterquam quòd ſæpè deſtituantur omni gratiâ ſufficiente, tam proximè quàm remotè, ut patet in illis qui in ipſo actuali peccato, juſto Dei judicio ſubitò extinguuntur, vel immediatè poſt incidunt in perpetuam amentiam, vel diſtracti ad alia, ampliùs non cogitant de Pœnitentia agenda, ac proinde non habent neceſſariam libertatem ad illam Pœnitentiam; quam tamen habuiſſent, ſi ſuo tempore gratiæ divinæ cooperati fuiſſent, prout poterant ſi voluiſſent. Sed quià noluerunt, profectò eorum culpa eſt, quòd in peccatis ſuis moriantur abſque ſufficienti gratia verè pœnitendi.

Itaque nulla gravitas, multitudo, aut iteratio peccatorum, ſtabili lege impedit auxilium efficax verè pœnitendi, minùs ſufficiens, quod Deus nulli negat, licèt non omnibus det proximè ſufficiens, ut nec omni tempore remotè ſufficiens, ſed ſolùm aliquando pro loco & tempore, ita ut ſi homo illo bene uteretur, daret ulterius auxilium uſque ad illud, quod proximè ſufficeret ad veram Pœnitentiam remiſſivam omnium peccatorum mortalium. 273. Concluſio.

Si autem à me quæritur; Pœnitentia remittit omnia peccata mortalia partialiter, an totaliter? Reſpondeo:

CONCLUSIO IV.

Pœnitentia de facto remittit omnia peccata mortalia totaliter, nullam videlicet relinquendo deordinationem moralem, nè quidem venialem. Poſſet aliqua peccata, ſi Deus vellet, remittere ſolùm partialiter, relinquendo ſcilicet aliquam deordinationem moralem.

HÆc Concluſio quoad primam partem optimè probatur argumento partim poſitivo, partim negativo. Siquidem ſimpliciter & abſolutè affirmat Scriptura, Pœnitentiam remittere omnia peccata mortalia. 274. Probatur prima pars Conclus. ex Scriptura. Ezech. 18. v. 21. & 22. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vitâ vivet & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor.* Et alibi frequenter. Ezech. 18.

Similiter loquuntur Sancti Patres & Oecumenica Concilia; neque uſpiam meminerunt remiſſionis partialis, id eſt, remanentiæ alicujus deordinationis moralis, vel ſaltem venialis: ergo talis remiſſio ſeu remanen- SS Patribus & Conciliis.

tia ſine fundamento aſſeritur, quidquid ſit de poſſibili.

275. *Non obſtat partialis remiſſio pœnæ, quia de illa conſtat ex Trident.*

Nec obſtat partialis remiſſio pœnæ (de qua alibi) nam de illa conſtat, ut alia omittam, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 14. ibi: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum ſanctum contriſtaverunt* &c.

Et ibidem can. 30. *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit; anathema ſit.*

Porrò ſi Concilium exiſtimaſſet non totam culpam ſemper remitti, ſed remiſsâ injuriâ mortali, remanere ſubinde deordinationem venialium, cur id ſilentio tegiſſet, & non potiùs apertè docuiſſet?

276. *Cur Deus magìs per partem voluerit remittere pœnam, quàm culpam.*

Rogas, cur Deus per partem voluerit remittere pœnam magìs quàm culpam? Reſpondeo; quia retentio alicujus pœnæ eſt utilis ad exercitium bonorum operum, quibus homines curant ſatisfacere pro pœna relicta, quæ opera deſerviunt ad vitanda impoſterùm alia peccata, juxta illud Trident. ſeſſ. 14 c.8. *Procul dubio magnoperè à peccato revocant, & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſq; & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos, contrarijs virtutum actionibus tollunt.* *Conc. Trid.*

Adde, quòd reatus pœnæ non eſt macula, nec deturpat animam, ſicut reatus culpæ, quare faciliùs potuit Deus velle, quòd in ſuis amicis remaneret reatus ille, quàm iſte.

Denique remiſſio totalis pœnæ foret cum aliquo præjudicio juſtitiæ vindicativæ, cui juſtitiæ ſit ex parte ſatìs, dum retinetur pars pœnæ, ut delicta puniantur. Condonatio autem totalis culpæ tantùm derogat implacabilitati & ſeveritati, quæ virtutes non ita videntur procurandæ à Gubernatore, cùm ſolùm ſpectent ipſius propriam perſonam; ſicuti juſtitia vindicativa, quæ ſpectat bonum commune, & punitionem debitam, ut Reſpublica purgetur à delictis; cui debito difficiliùs debet derogare Princeps.

277. *Ratio à priori voluntas Dei.*

Et quidem hæ ſunt rationes congruentiæ, ab hominibus excogitatæ. Ratio autem à priori, voluntas Dei, qui omnia quæcumque voluit fecit, & aliquid injuſtum aut irrationabile velle non potuit.

An Deus potuerit aliqua peccata mortalia ſolùm re-

Porrò, an potuerit velle, quamvis de facto noluerit, aliqua vel omnia peccata mortalia remittere ſolùm partialiter, relinquendo ſcilicet aliquam deordinationem moralem ſive mortalem ſive venialem, v. g. permutando culpam odii Dei in culpam luxuriæ, offenſam adulterii in offenſam ſimplicis fornicationis, culpam ſimplicis fornicationis in culpam mendacii, furtum centum florenorum in furtum quinquaginta florenorum, furtum unius floreni in furtum decem aſſium. De his, inquam, permutationibus controvertitur à nonnullis, an Deo ſint poſſibiles. *mitt tiali*

Mea ſententia eſt, Primò, Deum non poſſe permutare culpam odii Dei in culpam luxuriæ. Ratio eſt; quia ſunt peccata ſpecie diſtincta, quorum unum alteri nullatenus ſubordinatur, nec virtualiter ſeu æquivalenter in altero continetur: ergo ſi Deus remittat totum ſuum jus, quod habebat ex peccato odii, nequit retinere jus aliquod ex peccato luxuriæ, cùm reverà tale peccatum numquam fuerit in ſe, vel in æquivalenti. 27 *Sent Auct Deus poſſe muta culp Dei i pam riæ.*

Nonne Deus poteſt mutare eſſentias peccatorum, & facere ut peccatum odii Dei ſit peccatum luxuriæ, & è converſo? Patet quòd non magìs, quàm mutare eſſentiam hominis aut bruti. Ergo ſicut in poteſtate Dei non eſt facere, ut homo ſit brutum, & vice verſâ; ita pariter excedit potentiam Dei facere, ut peccatum odii Dei ſit peccatum luxuriæ; conſequenter ut jus quod Deo competebat ad inimicitiam propter offenſam odii Dei, fiat jus propter peccatum luxuriæ, ſicuti enim illa peccata ſpecie diſtinguuntur, & non ſolùm penes magis & minus, ita & illa jura, quæ eſſentialiter reſpiciunt iſta peccata. *Deus pote tare tias*

Ex quo confeſtim apparet diſparitas inter reatum pœnæ, & reatum culpæ: nam pœna major & minor, ſolùm differunt penes magis & minus intrà eamdem ſpeciem; ac proinde facilè eſt remittere aliquid, & aliquid retinere. Omitto, taxationem pœnæ pro culpa ſitam eſſe in libera poteſtate judicis punientis, qui proinde majorem vel minorem poteſt taxare juxta ſuum beneplacitum; poteſt ergo Deus velle remittere pœnam æternam, & infligere pœnam temporalem. At verò odiſſe in me peccatum luxuriæ, quod numquam fuit, etſi fuerit majus, v. g. odium Dei, Deus non poteſt, quia ut hoc vel illo peccato peccaverim, non pendet à ſola voluntate divina, ſicuti bene ut hâc vel illâ pœnâ peccatum puniatur. 27 *Diſp inter pœn reatu pæ.*

Dico II. Deus poteſt permutare offenſam adulterii in offenſam ſimplicis fornicationis. Hoc enim nihil aliud ſignificat, quàm Deum poſſe extrinſecè condonare malitiam injuſtitiæ, & retinere malitiam luxuriæ, quæ duplex malitia reperitur in peccato adulterii. Sicuti ergo poteſt remittere malitiam injuſtitiæ, quæ reperitur in furto, & retinere malitiam luxuriæ, quæ invenitur in ſimplici fornicatione, quando idem fur eſt, & fornicator; 28 *Deus perm offenſ adulte offenſa ſimplic fornica nis.*

Digitized by Google

cator; pari ratione quando quis adulter eſt, poterit Deus cedere jure ſuo, quod habet ex illo adulterio in quantum eſt contra juſtitiam, & nihilominus retinere jus ſuum, quod habet ex eodem adulterio in quantum eſt contrà caſtitatem.

281. Dico III. poteſt Deus permutare furtum centum florenorum, in furtum quinquaginta florenorum. Sunt quippe peccata ejuſdem ſpeciei, tantummodo differentia penes magis & minus: ergo in his poterit Deus remittere culpam ut centum, & retinere culpam ut quinquaginta, & illum qui furatus eſt centum, præcisè odio habere, ac ſi ſolùm furatus eſſet quinquaginta.

Deus poteſt [illegible] furtum [illegible] in furtum 50.

282. Dico IV. poteſt Deus permutare furtum unius floreni, ſive furtum mortale, in furtum decem aſſium, ſeu furtum veniale. Nam licèt illa furta ſpecie morali diſtinguantur, ſic tamen, ut unum ſubordinetur alteri, & in alio virtualiter & eminenter contineatur. Siquidem de illo, qui furatus eſt florenum, verum eſt dicere, quòd furatus ſit decem aſſes; ſecùs de illo, qui odio habuit Deum, quòd fuerit fornicatus, eſtò odium Dei ſit peccatum longè majus. Cur ergo Deus nequeat deponere odium grave, quod habebat ex vi furti unius floreni, & retinere odium leve, quod habebat ex vi furti decem aſſium, cùm utrumque verè fuerit ab illo homine commiſſum? Non video quid obſtet.

Poteſt Deus [illegible] furtum mortale in [illegible] veniale.

Nonne ille qui paſſus eſt damnum unius floreni, poteſt remittere jus, quod habet ad reſtitutionem integri floreni, & velle ſibi reſtitui decem ſolummodo aſſes? Nemo dubitat. Ergo ſimiliter Deus poteſt remittere jus, quod habebat ad grave odium ratione gravis furti, & retinere nihilominus jus ad leve odium ratione levis furti, quod in illo gravi continebatur.

283. Si dixeris: ergo furtum grave ſolùm eſt complexum aliquod ex pluribus levibus furtis. Tranſeat totum. Quid miraris? Etenim ſumma centum florenorum non eſt aliud à parte rei, quàm complexum ex centum florenis; & unus florenus à parte rei non eſt aliud, quàm compoſitum ex viginti aſſibus: ergo ſimiliter furtum centum florenorum, videri poſſet non eſſe aliud, ſaltem æquivalenter, quàm complexum ex centum furtis unius floreni, & furtum unius floreni, complexum ex viginti furtis unius aſſis. Cur igitur ſicut homo poteſt remittere furi debitum centum florenorum; & retinere jus ad quinquaginta florenos, ſimiliter remittere debitum unius floreni, & retinere jus ad decem aſſes; cur, inquam, pari paſſu non poſſet Deus remittere furi jus ad grave odium, reſultans ex furto unius floreni, & retinere jus ad leve odium, reſultans ex furto decem aſſium?

Objectio ſolvitur.

284. Dico V. non eſt impoſſibile Deò remittere jus ad grave odium, proveniens ex peccato mortali, v. g. fornicatione, & retinere jus ad leve odium, ratione ejuſdem phyſici peccati; quod ſic probo: Non fuit impoſſibile Deo fornicationem leviter tantùm prohibere, id eſt, ſub pœna aliqua temporali compatiente amicitiam divinam; quæ enim in hac lege contradictio? Tunc autem fornicatio fuiſſet peccatum ſolùm veniale: nam apud me, & alios communiter, ſine lege prohibente unum graviter, alterum leviter, ex ſola rei naturâ non differt mortale à veniali; & per hujuſmodi legem fit, ut aliquod peccatum ſit mortale, aliquod veniale ex genere ſuo.

Poteſt Deus remittere jus ad grave odium ex fornicatione, & retinere jus ad leve odium ex eodem peccato.

Quamvis ergo de facto Deus prohibuerit fornicationem ſub gravi peccato; id eſt, ſub pœna æterna excludente amicitiam divinam; equidem non apparet impoſſibile quòd per Pœnitentiam remitteret illam pœnam (prout de facto remittit) & nihilominus retineret jus ad aliquam diſplicentiam, eo modo quo retinet jus ad pœnam temporalem.

Veluti enim taxatio pœnæ pro culpa, eſt in libera poteſtate Dei, & ideo poteſt taxare hanc vel æquivalentem; immo etiam minorem; ita quoque taxatio ipſius culpæ, ſive deordinationis moralis in actu phyſico fornicationis. Potuit ergo Deus velle, & ita ſtatuere, ut ante Pœnitentiam actus fornicationis graviter ſibi diſpliceret, poſt Pœnitentiam autem adhuc leviter, niſi tanta foret, quod mereretur relaxationem omnis pœnæ, etiam temporalis.

Enimverò actus, qui antecedenter natus eſt prohiberi ſub gravi indignatione Dei; multò magis aptus eſt prohiberi ſub indignatione levi, eſtò illæ indignationes ſint ſpecie diſtinctæ; cur ergo hic actus non poſſit prohiberi ſub gravi indignatione, ita quod illâ ſublatâ per Pœnitentiam, adhuc permaneat jus levis indignationis; hoc enim nihil aliud eſt, quàm unum & eumdem actum prohibere ſub gravi & levi diſplicentia, ſicuti prohibetur ſub pœna æterna & temporali, eſtò gravis & levis diſplicentia ſpecie differant, pœna autem æterna & temporalis ſolùm penes magis & minus intrà eamdem ſpeciem; nam illa diſtinctio ſpecifica indignationum, non orietur ex diverſitate ſpecifica actûs prohibiti, ſicuti in caſu primæ noſtræ Aſſertionis (ſupponitur quippe quòd ſit eadem phyſicè fornicatio) ſed ex natura ipſarum indignationum, quarum una tollit amicitiam divinam, altera non, tametſi utraque oriatur ex eodem fundamento, ſcilicet actu phyſico fornicationis, qui juxta beneplacitum divinum natus eſt fundare hanc, vel illam indignationem. 285.

Quod eſt natum prohiberi à Deo ſub gravi obligatione, multò magis ſub levi.

Ponamus caſum, quòd fornicatio prohiberetur à Pontifice, vel Principe ſæculari ſub levi peccato (permanente ſemper gravi obligatione

 ex lege

ex lege divina) uti probabiliùs poteſt fieri, numquid tunc poſſet Deus remittere malitiam mortalem fornicationis, retinendo malitiam venialem? Non apparet ratio dubitandi.

Atque hæc dicta ſint de remiſſione peccatorum, quæ fieret per extrinſecam tantùm condonationem, abſque infuſione gratiæ ſanctificantis. Quidni etiam vera ſint de illa remiſſione, quæ fieret per infuſionem, ſive cum infuſione gratiæ juſtificantis? Nam, ſecundùm noſtra principia, de potentia Dei abſoluta componitur gratia juſtificans cum peccato mortali, de quo latiùs infrà. Eademque eſt ratio de remiſſione per ſatisfactionem, ſi ſatisfactio inæqualis eſt poſſibilis.

286. Cæterùm cur in humanis ſæpè fiat placatio ſeu remiſſio odii per partes; Reſpondet Arriaga de Pœnitentia diſput. 12. nu. ultimo: quia ordinariè magna illa averſio, quam initio habuimus, conſiſtebat tantùm in intenſione odii ex vehementi propoſitione injuriæ in nos commiſſæ, ea autem intenſio ſine dubio poteſt per partes ſucceſſivè diminui: & idem de propoſitione vehementi, quæ paulatim minuitur, ac proinde etiam paulatim infert odium levius. Atque hic ſit finis Concluſ. 4. ut verum fatear parùm utilis.

Cur in humanis ſæpiùs fiat remiſſio odii per partes. *Arriaga.*

Sequitur Concluſio 5. ſatis utilis, in qua reſolvitur hæc quæſtio: An per Pœnitentiam remittantur peccata mortalia diviſim, id eſt, unum ſine altero, an verò neceſſe ſit, quòd omnia ſimul ſeu copulatim remittantur.

CONCLUSIO V.

Non remittuntur de facto peccata mortalia diviſim; poſſet tamen Deus unum ſine altero remittere.

287. PRima pars eſt communis omnium Theologorum nemine excepto, quòd ſciam, & fundatur in Scriptura, SS. Patribus ac Oecumenicis Conciliis, quæ paſſim inculcant remiſſionem omnium peccatorum mortalium, nullibi autem meminerunt diviſionis, ſive ſeparatæ remiſſionis unius peccati ab altero; promittunt, inquam, remiſſionem peccatorum per modum juſtificationis, vivificationis, liberationis à morte, quæ non habentur niſi per integram remiſſionem peccatorum mortalium. Ezech. 18. v. 27. & 28. *Et cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit. Conſiderans enim & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vitâ vivet & non morietur.*

Prima pars Concluſ. fundatur in Script. SS Patribus & Concil.

Ezech. 18.

Quomodo autem vitâ viveret, ſi unum peccatum ſine altero remitteretur? Nam ſcriptum eſt Jacobi 2. v. 10. & 11. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus: Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es transgreſſor legis.* Jam autem ſingula peccata mortalia ſunt mors animæ, juxta illud Ezech. 18. v. 20. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur.*

Jacob.

Ezech.

Hinc Apoſtolus Petrus Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Non ait, hujus vel illius peccati, ſed indefinitè, *Peccatorum veſtrorum*, ut intelligamus, non hoc vel illud peccatum per Baptiſmum remitti, ſed omnia copulatim ſimul & ſemel. 2[...]

Omn[...] cata [...] remit[...] in Ba[...] ex Sc[...] Act. 2

Quod probè cognoſcens Concilium Trid. ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali §. 5. ſic ait: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati* (ſive originalis, ſive perſonalis) *rationem habet; ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus* &c.

Conc.

Audiamus Innocentium III. cap. *Maiores*, de Baptiſmo ibi: *Sed adhuc quæritur, quare non ſaltem originale peccatum amentibus & dormientibus in Baptiſmo, ſicut parvulis dimittatur? Ad hoc eſt taliter reſpondendum, quòd Dominus, qui totum hominem ſalvum fecit in ſabbato, opus imperfectionis non novit: & ob hoc peccata non ex parte, ſed ex toto dimittit.* 28[...]

& Inn[...] III. ca[...] *Maiore* Baptiſ[...] ubi id[...] bat d[...] ratione

Addit 2. rationem: *Præterea pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei: actualis verò pœna peccati eſt gehenna perpetua cruciatus: unde ſi dimitteretur alicui primum, altero non dimiſſo, talis non careret viſione Dei propter originale dimiſſum, & cruciaretur in gehenna perpetuò, propter reatum criminis actualis: ſed hæc tamquam incompoſſibilia ſeſe minimè patiuntur, immo ſibi mutuo adverſantur.* Huc uſque Innoc.

Sed poteſt dici (inquit Gloſſa ibi V. *Propter originale*) *quòd hæc ratio ſuperficialis eſt, & prima verior eſt: quia Deus opus imperfectionis non novit: quia in Baptiſmo omnia crimina dimittuntur, de Conſec. diſtinct.* 4. *Regenerante.* Quod deſumptum eſt ex D. Aug. lib. 1. de peccat. merit. cap. 15. ubi ſic ait: *Generante carne illud tantummodo trahitur, quod eſt originale peccatum: regenerante autem ſpiritu non ſolùm originalis, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum*, utique omnium, quandoquidem non ſit major ratio de uno, quàm de alio, & ſingula ab ingreſſu cæli remorentur; cùm tamen, juxta Tridentinum ſuprà, verè baptizatos nihil prorſus ab ingreſſu cæli remoretur.

Præterea, dicet aliquis, quomodo hæc ſibi mutuo adverſantur, non carere viſione Dei 290.

Argui[...]

propter

propter originale dimiſſum, & cruciari in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis, cùm de facto in multis hæc duo ſeſe compatiantur; nimirùm in omnibus illis, qui per Baptiſmum remiſſionem acceperunt peccati originalis, & poſtmodum prolapſi in peccatum mortale perſonale, in eodem deceſſerunt? Hi enim omnes non carent viſione Dei propter originale dimiſſum, & cruciantur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis ſeu perſonalis.

Reſpondetur, Pontificem intelligi poſſe, vel de abſoluta repugnantia inter non carentiam viſionis Dei, & perpetuum cruciatum in gehenna abſque reſpectu ad aliquam cauſam; aut certè de inutili quaſi remiſſione peccati originalis: agit quippe de illis, qui ſimul gravantur peccato originali & actuali, propter quod actuale, cum quo utique ſupponuntur decedere ex hac vita, æquè aut magis privantur, ſive carent viſione Dei.

291. Utcumque ſit de hac ſecunda ratione Innocentii; certum eſt ipſum loco citato docuiſſe noſtram Concluſionem tamquam certam ac indubitatam. Quidni docuiſſet, cùm juxta præſentem Dei ordinationem non fiat remiſſio peccatorum abſque infuſione gratiæ juſtificantis? Illa autem eſt incompatibilis de facto cum quolibet peccato mortali, utpote per quam formaliter conſtituitur homo amicus & filius Dei, ac hæres vitæ æternæ, teſte Trident. ſeſſ. 6. c. 4. ibi: *Quibus verbis iuſtificationis impii deſcriptio inſinuatur, ut ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum, Salvatorem noſtrum.*

Et cap. 7. in principio: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur; quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum: unde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Singula autem peccata mortalia hominem faciunt Dei inimicum, & filium gehennæ.

292. Concludo verbis D. Auguſtini (vel quiſquis eſt auctor apud D. Auguſt.) lib. de vera & falſa Pœnitentia cap. 9. *Sunt plures quos pœnitet peccaſſe, ſed non omnino, reſervantes ſibi quædam, in quibus delectentur: non animadvertentes Dominum ſimul ſurdum & mutum à Dæmonio liberaſſe, per hoc docens, nos numquam niſi de omnibus ſanari. Si enim vellet ex parte peccata reſervari, habens ſeptem Dæmonia, manente uno proficere potuerat ſex expulſis. Expulit autem ſeptem, ut omnia crimina ſimul eiicienda doceret. Legionem autem ab alio eiiciens, neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum poſſideret .... Numquam aliquem ſanavit, quem omnino non liberavit. Totum enim hominem ſanavit in ſabbato, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberavit.* Et poſt pauca: *Quædam impietas infidelitatis eſt, ab illo qui iuſtus & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam.*

Solùm obſtare videtur, quod ait Chriſtus Luc. 7. v. 47. *Cui minus dimittitur, minus diligit.* Ergo non ſemper omnia peccata mortalia remittuntur, ſed pro magnitudine amoris plura vel pauciora. 293.

Reſp. neg. Conſ. quippe loquitur ibi Chriſtus de remiſſione peccatorum quoad culpam magìs vel minùs intensâ, non autem magìs vel minùs extensâ; aut certè de remiſſione peccatorum, etiam quoad pœnam temporalem, quæ manet culpâ remiſsâ. Unde communiter SS. Patres dicunt Mariam Magdalenam propter intenſionem ſuæ Contritionis ſeu dilectionis accepiſſe intenſam valde gratiam ſanctificantem, & remiſſionem etiam omnis pœnæ temporalis. Hactenus de prima parte Concluſionis.

Venio ad ſecundam, quæ nonnullis diſplicet, eò quòd exiſtiment remiſſionem peccatorum abſolutè non poſſe fieri per ſolam extrinſecam Dei condonationem, ſed omnimodâ neceſſitate fieri debere per infuſionem gratiæ ſanctificantis, ex natura ſua incompatibilis cum quolibet peccato mortali. 294.

Sed ne illi falſum, dixerint verum. Et quidem nullam eſſe repugnantiam phyſicam inter peccatum mortale, & gratiam ſanctificantem ſive habitum charitatis, oſtendo hâc Concluſione, ſequenti demonſtraturus, remiſſionem peccatorum poſſe fieri, ſi Deus velit, per ſolam extrinſecam condonationem abſque infuſione gratiæ.

Itaque quòd non ſit repugnantia phyſica ex natura rei inter peccatum mortale, & gratiam ſanctificantem ſive habitum charitatis, ratione cujus implicet utrumque ſimul eſſe in eadem anima, docet Scotus 4. diſt. 16. q. 2. ubi n. 4. hanc ponit primam Concluſionem: *Infuſio gratiæ & expulſio culpæ, ſeu magis propriè loquendo, remiſſio culpæ, non ſunt ſimpliciter una mutatio.* Probat quadrupliciter. 295.

Primò ſic: *Idem ſimpliciter non poteſt plurificari, & non plurificari ſimul, & hoc accipiendo uniformiter identitatem & plurificationem; puta ſi realiter, realiter, & ſi ratione, ratione: hoc enim includit oppoſitum primi principii; quia idem, ut eſt idem, eſſet unum & non unum: ſed remiſſiones culparum ſunt multæ, quando non eſt niſi una infuſio gratiæ: eo enim modo, quo quis dicitur peccator poſt actum peccati tranſeuntem, dicitur peccator à multis culpis, poſtquam multas commiſit: & illarum qualibet habet propriam remiſſionem, quia qualibet remiſſio poſſet eſſe ſine alia, ſi tantùm illam culpam commiſiſſet, & non aliam.*

Omitto ſecundam probationem, de qua ſequenti Concluſione, & progredior ad tertiam, quæ directè ſervit noſtro propoſito, eſtque ſequentis tenoris: *Culpa & gratia non ſunt formaliter oppoſita, nec formaliter repugnantia.* 296.

Quomodo Pontifex intelligendus.

De ... remiſſio ... ſine infuſione gratiæ.

Conc. Trident.

Deus nunquam ... niſi de omnibus, ... de vera & falſa Pœnit.

Objectio ex Script. Luc. 7.

Reſponſio.

Secunda pars Concluſ. aliquibus diſplicet,

ſed abſque ſufficienti ratione.

Infuſio gratiæ & remiſſio culpæ non ſunt ſimpliciter una mutatio. Scotus.

Culpa & gratia non ſunt formaliter oppoſita, nec formaliter repugnantia.

Probatio:

Scotus. *Probatio: quia tunc agens effectivè vel defectivè potens ſuper eſſe unius, poſſet effectivè vel defectivè ſuper non eſſe alterius, ut patet univerſaliter in incompoſſibilibus: voluntas autem creata poteſt effectivè vel defectivè ſuper eſſe culpæ, quia ab ipſa eſt culpa: ergo ipſa poſſet effectivè vel defectivè ſuper non eſſe gratiæ, quod eſt falſum; quia gratia non deſtruitur niſi annihiletur: ſed creatura non poteſt aliquid annihilare. Patet ergo prima propoſitio, ſcilicet quòd non eſt formaliter repugnantia inter culpam & gratiam: ſed non eſt unica mutatio ab aliquo, ut à termino à quo, ad aliud, ut ad terminum ad quem, niſi illa ſint formaliter repugnantia: ergo* &c.

Peccatum non poteſt effectivè corrumpere gratiam, ſed tantùm demeritoriè. Scotus.

Similiter loquitur 2. diſt. 37. q. 1. n. 10. ibi: *Ad ſecundum dico, quòd peccatum non poteſt effectivè corrumpere gratiam, ſed tantùm demeritoriè; ita quòd priùs voluntas avertit ſe naturaliter, quàm Deus ceſſet naturaliter conſervare gratiam, neceſſe eſt autem omnem privationem eſſe alicujus poſitivi formaliter, cum quo impoſſibile eſt ipſam ſtare: non eſt igitur peccatum formaliter privatio gratiæ, quam non ex incompoſſibilitate deſtruit, ſed ut demeritum.*

297. *Nulla virtus infuſa corrumpitur in nobis per aliquem actum noſtrum quaſi per naturam repugnantiæ. Scotus.*

Idem docet 4 diſt. 1. q. 1. n. 33. ibi: *Ad illam probationem de virtutibus, Reſpondeo, quòd nulla virtus infuſa poteſt corrumpi in nobis per aliquem actum noſtrum, quaſi per naturam repugnantiæ, ſed ſolùm per cauſam demeritoriam. Anima enim peccans demeretur, quòd gratia non conſervetur in ea: & ſic in ſecundo inſtanti naturæ propter tale demeritum quaſi præcedens, Deus non conſervat gratiam, & ſic annihilatur.*

Ad probationes illas de amicitia, & inimicitia, Dico, quòd per peccatum non eſt aliquis formaliter inimicus, ſed tantummodo demeritoriè. Similiter ad illas probationes de fide & ſpe dico, quòd fides & ſpes infuſa non corrumpuntur per actum infidelitatis & deſperationis niſi demeritoriè. Et ſi velis habere aliquid, quod corrumpatur per iſtos actus tamquam repugnans formaliter, dico, quòd non eſt niſi fides & ſpes acquiſita: & benè poſſibile eſt per actus noſtros induci aliquid repugnans formaliter illis habitibus acquiſitis.

298. *Voluntas creata non poteſt phyſicè deſtruere gratiam.*

Igitur de mente Scoti non eſt relictus dubitandi locus. De veritate autem aliqui dubitant, contra quos probatur: nam alioquin voluntas creata phyſicè deſtrueret gratiam (veluti phyſicè deſtruit lucem, qui effectivè vel defectivè producit tenebras, & phyſicè deſtruit calorem in ſubjecto, qui effectivè in eodem producit frigus) quod eſt falſum, quia gratia non deſtruitur niſi annihiletur; ſed creatura non poteſt aliquid annihilare: ergo &c. Conſequentia eſt evidens.

Annihilare nequit creatura, & quare.

Minor probatur à Scoto 4. diſt. 1. q. 1. n. 33. *Quia annihilare non eſt agere poſitivè, ſed non agere, id eſt, non conſervare: ſolius autem Dei eſt conſervare totam creaturam & totaliter: & breviter, ſicut qualibet creatura requirit cauſam concauſantem in fieri, ſcilicet principium potentiale, ita ſuper illud non poteſt deſtruendo, ſicut nec producendo,* Scotus. *& per conſequens neceſſariò aliquid relinquit, ſicut neceſſario præſupponit. Sicut autem creatio propriè dicta eſt productio de nihilo, id eſt, non de aliquo, quod ſit pars primi producti, & receptivum formæ inductæ: ita annihilatio eſt deſtructio in nihil utroque modo.* Atqui creatura, ſaltem de potentia ordinaria, non poteſt quidpiam de nihilo producere: ergo neque in nihil deſtruere. Deſtrueret autem gratiam in nihil, ſi peccatum & gratia forent formaliter oppoſita.

Qui crea ann[illegible]

Patet: quia gratia de nihilo producitur; infunditur namque à ſolo Deo, neque præſupponit aliquam phyſicam diſpoſitionem neceſſitantem ad illam; adeoque producitur independenter à ſubjecto in eſſe, & fieri: ergo etiam in nihilum deſtruitur, quia de lege ordinaria, inceptio & deſitio rei proportionantur.

Gra[illegible] nihi[illegible] deſtr[illegible] ficur[illegible] bilo[illegible] citur

Nec obſtat, quòd producantur in ſubjecto; nam etiam anima rationalis producitur in ſubjecto: quis tamen ideo negat, eam creari?

Occ[illegible] objec[illegible]

Si dixeris: ergo ſicut anima rationalis per ſe exiſtit, ita quoque gratia. Reſpondet Hiquæus in ſuo Comment. 4. diſt. 1. q. 4. & 5. n. 66. neg. Conſeq. quia quòd ſic exiſtat, provenit à virtute cauſæ primæ creantis & prævenientis dependentiam ejus ad ſubjectum, quâ quidem poſſet ineſſe ex communi & propria natura accidentis, & aptitudine ineſt, non actu: quia aptitudinalis dependentia eſt proprietas accidentis abſoluti; actualis verò eſt ejus accidens & ſeparabile: gratia verò dicit aptitudinalem, non actualem dependentiam, quam dicere poſſet, ſi Deus vellet ſic eam producere. Hæc ille.

Inſta[illegible] ad q[illegible] reſpo[illegible] Hiq[illegible]

Sed contrà: ſi gratia poteſt dicere actualem dependentiam à ſubjecto; unde conſtat Deum non ſic velle eam producere, cùm numquam eam producat, aut conſervet extra ſubjectum, & connaturalis ſit accidenti actualis dependentia, immo connaturalior?

3[illegible] qua[illegible] natu[illegible]

Quia (inquis cum præfato Auctore n. 63.) ſpecies Angelorum fuerunt ipſis concreatæ, juſtitia originalis fuit concreata primo homini, & utriſque tam homini, quàm Angelo fuit concreata gratia; quin & bona voluntas, ut interpretari licet ex Auguſtino variis in locis, qui dicit, Deum creaſſe tam primum hominem, quàm Angelum in bona voluntate, & rectos ſecundùm intellectum, & voluntatem: ergo neque ratio accidentis, neque etiam modus ordinarius producendi alias formas, convincit gratiam, & quamcumque formam accidentalem educi de potentia ſubjecti: idem dici poteſt de lumine gloriæ, & de lumine prophetico. Huculque Hiquæus.

Reſp[illegible] Hiqu[illegible]

Sed non ſatisfacit omnibus: nam unde conſtat, ſpecies Angelorum, juſtitiam originalem, gratiam, & bonam voluntatem tam hominis, quàm Angeli, hæc, inquam, accidentia non eſſe educta de potentia ſubjecti? Nam illi, qui

302 Sed no[illegible] tisfaci[illegible]

Digitized by Google

qui negant gratiam creari, etiam negant ad eductionem formæ requiri, quòd ſubjectum temporis ordine antecedat, & cenſent ſufficere, quòd præcedat ordine naturæ; unde volunt formas elementorum, in principio ſimul cum materia productas, verè eductas eſſe è potentia materiæ, & non creatas, nec concreatas; conſequenter dicerent ſpecies Angelorum, & cætera accidentia jam enumerata, verè educta eſſe è potentia ſubjecti, quod indifferens erat, adeòque priùs natura ſub privatione illorum accidentium, & non creata, nec concreata.

[illegible] Hinc, meo judicio, meliùs reſpondetur ad argumentum: quamvis gratia non ſubſiſtat propriè, veluti anima rationalis; eam tamen quaſi ſubſiſtere, quatenus habet eſſe independens à ſubjecto, quamvis habeat eſſe in ſubjecto, quæ duo ſunt valdè diverſa: & illa gratiæ quaſi ſubſiſtentia ſufficit, ut poſſit eſſe effectus creationis; nam & accidentia divinitùs conſervata extra ſubjectum, non ſubſiſtunt propriè, & nihilominus propter ſuam quamdam quaſi ſubſiſtentiam creantur.

303. Quæ ſit independentia gratiæ à ſubjecto. Rogas quæ ſit illa independentia à ſubjecto? Reſpondeo, productio per virtutem agentis ſupernaturalis, quæ ſicut non dependet à ſubjecto, ita nec forma per eam producta, cùm actio ſive productio ſit ipſa dependentia effectûs ſeu formæ productæ. Quòd autem actio, quæ effectivè pendet à ſolo Deo, non dependeat à ſubjecto, vel ex hoc ſolo abundè probatur, quòd aliàs Deus in agendo eſſet dependens à ſubjecto; quod non ita eſt, cùm poſſit omnem formam abſolutam à ſubjecto realiter diſtinctam, extra illud producere & conſervare.

Quando actio pendet à ſubjecto. Herculè tunc ſolùm actio pendet à ſubjecto, quando ſubjectum eſt conditio phyſicè requiſita ad illam actionem; quis verò dicere audeat, ſubjectum eſſe conditionem phyſicè requiſitam ad actionem ſolius Dei? Nemo niſi qui vult, Deum in agendo limitari propriâ ſuâ ordinatione. Siquidem ad nullam actionem productivam termini abſoluti, ſubjectum eſſentialiter requiritur, niſi ex Dei ordinatione extrinſeca, ſic limitante cauſas ſecundas; quemadmodum etiam approximatio ad paſſum eſt ſolùm hoc modo requiſita ad actionem cauſæ ſecundæ. Itaque actio Dei, ab illo ſolo procedens, non pendet à ſubjecto, ſaltem ut à cauſa, vel conditione cauſandi.

304. Objectio. Si arguitur contra hoc, quòd actio productiva accidentis in ſubjecto, non ſit ſolùm productiva termini abſoluti, ſed etiam reſpectivi; quoniam eſt actio unitiva, & unio eſt reſpectus, vel reſpectum eſſentialiter includit: non ergo poteſt actio productiva accidentis in ſubjecto eſſe independens à ſubjecto; quia terminus ejus, nempe unio, eſſentialiter pendet à ſubjecto.

Reſpondetur neg. Antecedens: nam ſicut accidens, & unio accidentis ſunt entitates realiter diſtinctæ; ita actio productiva accidentis, & actio productiva unionis ſunt actiones realiter diſtinctæ: quare etſi actio unitiva non eſſet creatio; actio tamen præcisè productiva accidentis poſſet eſſe creatio: nam hoc modo productio animæ intellectivæ eſt creatio, & tamen unitio ejus cum corpore non eſt creatio. Solvitur.

Dixi: *Etſi actio unitiva non eſſet creatio*, aliquando enim eſt creatio, ut actio unitiva formæ, de qua loquimur, & cujuſcumque alterius formæ, unitæ à ſolo Deo, ut actio unitiva formæ cœlorum, elementorum, & mixtorum cum ſuis materiis in principio mundi. Actio unitiva aliquando eſt creatio.

Nec refert, quòd actio unitiva eſſentialiter reſpiciat ſubjectum, ab eoque dependeat: non enim univerſaliter reſpicit illud, neque ab eo dependet tamquam à cauſa, vel conditione cauſandi, ſed tamquam à termino reſpectus; quæ dependentia à ſubjecto non obſtat, quin talis actio poſſit eſſe creatio: quemadmodum dependentia aliarum relationum à ſuis terminis non obſtat, quin illæ relationes poſſint eſſe creatæ; prout tranſcendentalis relatio creaturæ ad Deum, & tranſcendentalis relatio accidentis ſeparati ad ſubjectum (quam vocant inhærentiam aptitudinalem) ſunt creatæ, tametſi à terminis ſuis dependeant, quia non dependent ab illis cauſaliter, ſed terminativè ſolùm. Porrò actio cauſæ ſecundæ, quâ formam producit & unit ſubjecto, quamvis ab illo non pendeat ut cauſa propriè (ut multi docent) pendet tamen ab illo ut conditione cauſandi, à qua conditione non poteſt pendêre actio ſolius cauſæ primæ, ut ſuperiùs diximus. 305. Objectio ſolvitur.

Actio, inquam, *ſolius cauſæ primæ*; nam actio quâ Deus agit cum cauſa ſecunda, quamvis ex parte Dei non habeat quòd pendeat à ſubjecto; tamen quia id habet ex parte cauſæ ſecundæ, ideò ſimpliciter pendet à ſubjecto, eò quòd effectus & actio ſequantur debiliorem partem ſuæ cauſæ; & ſpecificatio actionum ſumatur à cauſa particulari. Talis ergo imperfectio ac limitatio actionis, communis cauſæ primæ & ſecundæ, non refunditur in cauſam primam, ſed in cauſam ſecundam: ſi autem actio, quâ Deus agit ſe ſolo, pendêret à ſubjecto, non poſſet non talis imperfectio, limitatioque refundi in cauſam primam. 306. Actio quâ Deus agit cum cauſa ſecunda, pendet à ſubjecto.

Ex his confeſtim apparet diſparitas inter gratiam habitualem, de qua hìc tractamus, & actus ſupernaturales; nam illa à ſolo Deo infunditur, adeò ut fortè, nequidem per Deum ipſum, à creatura phyſicè poſſit attingi: hi autem, etiam ſecundùm præſentem Dei ordinationem, producuntur phyſicè ab intellectu, & voluntate creatis, mediante principio ſupernaturali, habitu videlicet, vel alio ſupplente vicem habitûs: ergo non mirum ſi actus Diſparitas inter gratiam habitualem, & actus ſupernaturales.

Digitized by Google

actus educantur è potentia ſubjecti; minimè autem gratia habitualis.

307. Alia objectio ex Vaſquezio. Arguis rurſum cum Vaſquezio 1. p. d. 174. creatio eſt productio entis,ut ens eſt, adeoque totius entis primò; non verò eſt productio entis, ut tale ens eſt, ac proinde non productio alicujus partis entis primò: ergo quod producitur ex aliqua parte entis præſuppoſitâ; ſicut accidens ſupponit ſubjectum, illud minimè creatur.

Reſponſio. Reſpondeo, gratiam habitualem produci, ut quoddam independens à ſubjecto, & proinde per ſe primò, & non ut partem entis primò, quantùm eſt ex modo productionis; tametſi reverà ſit pars compoſiti accidentalis; quod nihil refert: nam etiam anima rationalis eſt pars compoſiti ſubſtantialis, & tamen non ut talis, ſeu per ſe ſecundò, ſed tamquam ſubſiſtens, ac per ſe primò producitur & creatur; quia licèt in ſubjecto, independenter tamen ab illo producitur.

308. Tertia objectio ex Conc. Trident. Arguitur tertio ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ibi: *Id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Ergo charitas Dei, quæ diffunditur per Spiritum ſanctum in cordibus eorum, qui juſtificantur, infunditur dependenter à ſubjecto;illud quippe inhæret, quod ineſt dependenter à ſubjecto.

Reſpondetur. Reſpondeo neg. Conſeq. Ad rationem dico; illud quidem inhærere, quod ineſt dependenter à ſubjecto, ſed non illud ſolùm; verùm etiam omne iſtud, quod intrinſecè alteri inexiſtit, & permanenter unitur, ſi non philoſophicè loquendo, ſaltem ad intentum Concilii, quod erat damnare hæreticos, qui docent, juſtitiam noſtram nobis eſſe extrinſecam.

In Juſtificatione juſtitiam in nobis recipimus. Unde paulò ſuperiùs in eodem cap. ſic ait: *Demum unica formalis cauſa* (juſtificationis) *eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit; quâ videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam.* Impertinens autem eſt ad illam receptionem, ſive fiat per propriè dictam inhærentiam, id eſt, unionem dependentem à ſubjecto, ſive per aliam quamcumque inexiſtentiam independentem à ſubjecto, qualem putamus competere gratiæ juſtificanti.

309. Dependentia accidentis abſoluti poteſt ſuppleri à Deo. Quamquam enim regulariter accidens dependeat à ſubjecto; tamen quando eſt accidens abſolutum, illa dependentia poteſt ſuppleri à Deo, ut patet, quando producit accidens extra omne ſubjectum: ergo ſimiliter poterit ſuppleri, quando producitur in ſubjecto per unionem ad ſubjectum, quæ in eo caſu exigitur ad communicandum effectum formalem, non ad terminandum dependentiam. Igitur ſententia Scoti, & communis antiquorum Scholaſticorum eſt, Deum creare ſimul & unire gratiam, concreando eidem unionem ſui ad ſubjectum.

Quod ſi fortè alicui adhuc diſpliceat ly *Creare*, ſufficit ad noſtrum propoſitum, quòd Deus ſe ſolo phyſicè producat gratiam, & illam uniat ſubjecto, nullâ previâ diſpoſitione phyſicâ neceſſitante Deum ad hujuſmodi productionem,& unionem. Quis enim credat vim agentis naturalis,poſſe phyſicè & ex natura rei impedire vim agentis increati, in productione aut conſervatione alicujus formæ, quam agens naturale nullâ ratione phyſicè attingit, nec poteſt, ſaltem naturaliter, attingere? Numquid homo poteſt Deum impedire, ſicut impedit per occluſionem feneſtræ illuminationem ſolis? Nihil abſurdius.

Hinc patet differentia inter gratiam,& animam rationalem: quamvis enim homo non poſſit phyſicè cauſare animam rationalem, cauſat tamen diſpoſitiones, quæ neceſſariò exigunt infuſionem animæ, fortè etiam ipſam unionem animæ cum corpore; adeoque ſimili ratione poteſt hominem phyſicè deſtruere, tollendo illas diſpoſitiones neceſſariò requiſitas. Porrò gratia omnino liberaliter ex promiſſione divina,ſuppoſitâ Pœnitentiâ tamquam diſpoſitione congruâ, à ſolo Deo infunditur peccatori & conſervatur, juxta illud Trident. ſeſſ. 6. c. 7. *Efficiens verò* (cauſa juſtificationis) *miſericors Deus, qui gratuitò abluit, & ſanctificat ſignans, & ungens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.*

Et verò qui gratuitò abluit & ſanctificat, exiſtimas quia in conſervatione illius ſanctitatis phyſicè dependet à tua voluntate, ita ut non poſſit eam conſervare, tametſi velit, ſi tu velis mortaliter peccare? Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuû. *Deus noſter in Cælo omnia quæcumque voluit fecit* Pſ. 113. v. 3. *Quod utique non eſt verum*, inquit S. Auguſt. Enchi. c. 95. *ſi aliqua voluit, & non fecit, & quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.*

Planè, inquit aliquis, Deus omnia quæcumque voluit fecit; ſed unde conſtat ipſum poſſe velle conſervare gratiam in me, ſi ego velim peccare mortaliter? Numquid poteſt velle conſervare in eodem ſubjecto lucem & tenebras, calorem & ejus privationem? Clarum eſt quòd non; jam autem peccatum mortale eſt privatio gratiæ, in hoc enim diſtinguitur à peccato veniali, quod mortem animæ præſentem adferat; mors autem illa non aliud eſt quàm privatio gratiæ ſanctificantis. 31[0] Object.

Solvitur. Reſpondeo; ſecundùm præſentem Dei ordinationem privatio gratiæ eſt paſſio ſeù effectus

[illegible] ctus inſeparabilis à peccato mortali, tum actuali, tum habituali, neutiquam autem eſſentia, aut pars eſſentialis. *Peccatum*, inquit Scotus 2. diſt. 37, q. 1. n. 5. *non eſt formaliter privatio, ſeu corruptio gratiæ.* Loquitur de peccato actuali, &

312. Probat I. *Secundum peccatum non erit peccatum, quia nihil corrumperet, quia peccatum natum eſt per ſe corrumpere, & gratia non ineſt, quæ corrumpatur.*

Probat II. *Quia gratia eſt à ſolo Deo per creationem, & ab eo ſolo conſervatur, & quando deſtruitur annihilatur, quia cuius productio eſt creatio, eius deſtructio eſt annihilatio.*

313. Probat III. *Quia gratia eſt cauſa contingens reſpectu rectitudinis in actu:* jam autem ut argumentatur Doctor ibidem n. 4. *Cauſa contingens reſpectu alicuius poteſt eſſe, & non cauſare; ergo propter non eſſe iſtius peccati cauſati, non oportet cauſam deſtrui. Patet per oppoſitum in ſimili; ideo enim præcisè alterans inducens aliquid repugnans qualitati, corrumpit formam ſubſtantialem, quia ipſam neceſſariò concomitatur qualitas talis; igitur quod eſt præcisè corruptivum alicuius contingenter concomitantis, non poteſt corrumpere illud, quod ſic contingenter concomitatur.* Cùm ergo gratia contingenter concomitetur rectitudinem in actu, poteſt enim quiſpiam rectè agere, tametſi non habeat gratiam juſtificantem, id quod corrumpit rectitudinem in actu, non neceſſariò corrumpit gratiam.

314. Probat IV. *Quia peccata mortalia eſſent eiuſdem rationis in formali ratione privationis*; quia eſſent privationes unius & ejuſdem gratiæ; privationes autem habent diſtinctiones ab habitibus ſeu formis, quibus privant: ut ibidem docet n. 9. his verbis: *Ex hoc patet ſecundum; quia cùm privationes diſtinguantur ſpecie ex diſtinctione habituum ſpecifica: & numero ex diſtinctione habituum numerali, peccata quæ ſunt privationes quædam, ſcilicet rectitudinum; ut quando debent haberi diverſæ rectitudines ſpecie, ſunt carentiæ diverſæ ſpecie; & ita non per converſiones ad obiecta, quæ non ſunt mala, niſi materialiter, diſtinguuntur ipſa peccata, ſed formalis ratio in eis diſtinguitur in comparatione ad rectitudinem aliam & aliam in ſpecie, quæ deberet ineſſe.*

Malitiæ eo modo differunt, quo bonitates, quæ deberent ineſſe, ſi ſpecie, ſpecie, ſi numero, numero.

Et quodl. 18. n. 17. ſic ait: *Malitiæ eo modo differunt quo bonitates, quæ deberent ineſſe, ſi ſpecie, ſpecie; ſi numero, numero. Privationes enim diſtinguuntur ſicut habitus nati eſſent diſtingui, puta ſurditas & cæcitas, ſuo modo differunt ſpecie privativâ, ſicut auditus & viſus ſpecie poſitivâ; & hæc cæcitas & illa numero privativè, ſicut hic viſus & ille differunt numero poſitivè.*

315. Adhuc dubitas, quæ ſecundùm Scotum ſit præciſa ratio peccati? Audi ipſum 2. diſt. 37. q. 1. n. 3. *Quod peccatum*, inquit, *ſit formaliter privatio boni, oſtenditur per auctoritates adductas in oppoſitum* (Auguſt. ſuper illud Joan. 1. v. 3. *Sine ipſo factum eſt nihil*, ibi: *Peccatum nihil eſt.* Et D. Anſelmi de caſu diaboli c. 16. in principio: *Æſtimo etiam te cognoſcere, quòd cùm iniuſtitia non ſit aliud, quàm abſentia iuſtitiæ, nec iniuſtum eſſe aliud, quàm non habere iuſtitiam* &c.) *& per rationem talem: quia agens inferius tenetur in agendo conformare ſe agenti ſuperiori; quia ſi in poteſtate eius ſit, ſe conformare illi, non conformari illi eſt peccatum: ideo loquendo de peccato ſive contra legem divinam, ſive contra legem humanam, aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordari legi ſuperioris agentis, & diſcordavit. Iſte igitur actus, qui eſt in poteſtate diſcordantis & per hoc voluntarius, non eſt formaliter peccatum: quia ſi ille eſſet concors regulæ ſuperiori, non eſſet peccatum: ergo in illo actu præciſa ratio peccati eſt privatio illius concordiæ.* D. Anſelm.

Peccatum eſt formaliter corruptio rectitudinis in actu ſecundo.

Et n. 6. ita ſcribit: *Peccatum eſt formaliter corruptio rectitudinis in actu ſecundo, quæ opponitur illi rectitudini ut privatio habitui, non quidem rectitudini, quæ ineſt; quia tunc duo oppoſita ſimul ineſſent: nec quæ priùs infuit illi actui, quia actus non manet, ut poſſit alterari ab oppoſito in oppoſitum: ſed quæ deberet ineſſe. Voluntas enim libera debitrix eſt, ut omnem actum ſuum eliciat conformiter regulæ ſuperiori, ſcilicet ſecundùm divinum præceptum: & ideo quando agit diſcorditer ab illa regula, caret iuſtitiâ actuali debitâ: hæc eſt iuſtitia, quæ deberet ineſſe actui, & non ineſt: & hæc carentia in quantum eſt actus voluntatis deficientis, ſicuti dicetur in alia ſolutione, eſt formaliter peccatum actuale.*

Probat autem iſtud triplici auctoritate. Prima eſt D. Auguſtini lib. de duabus animabus c. 11. ibi: *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Hoc, inquit, Scotus ſuprà n. 7. *eſt dictum breviter, peccatum eſt velle vetitum, ita quòd ipſa voluntas* (id eſt, actus voluntatis) *eſt ibi materialis: & pro tanto totum imputatur voluntati, quia totum eſt in poteſtate eius. Vetitum autem vel prohibitum, eſt ibi formale, quod ſignificat diſcordiam à regula ſuperiori.* 316. Probatur auctoritate D. Aug.

Secunda auctoritas eſt D. Ambroſii lib. de Paradiſo, ibi: *Peccatum eſt cæleſtium tranſgreſſio mandatorum* &c. & D. Ambroſii.

Huic etiam conſonat (& eſt tertia auctoritas) quod dicit D. Auguſtinus de Civit. l. 12. c. 8. *Scio in quo ſit mala voluntas, id in eo fieri, quod ſi nollet non fieret; & ideo non neceſſarios, ſed voluntarios defectus iuſta pœna conſequitur. Deficitur enim non ad mala, ſed malè, id eſt, non ad malas naturas, ſed ideo malè, quia contra ordinem naturalem ab eo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt. Quaſi diceret*, inquit Doctor Subtilis, *iſte actus poſitivus volendi creaturam, non eſt formaliter peccatum, ſed carentia debiti ordinis in actu illo, quo illud dicitur amari propter ſummum bonum; à quo ordine deficit voluntas quieſcens in bono creato, & iſte defectus eſt formaliter peccatum.* 317. Itemque alii auctoritate D. Aug.

Mm Cum

Digitized by Google

Probatur ex ratione.

Cum iſtis auctoritatibus (proſequitur Scotus) *conſonat ratio; quia omne peccatum eſt iniuſtitia formaliter; & tale peccatum talis iniuſtitia, & per conſequens privatio talis iuſtitiæ: ergo peccatum actuale eſt formaliter iniuſtitia actualis: ergo & privatio iuſtitiæ actualis, ſcilicet iuſtitiæ quæ deberet eſſe in actu:* non in actu malo, ſed in actu bono, qui deberet ineſſe potentiæ, & non ineſt.

Materiale peccati commiſſionis eſt actus poſitivus voluntatis.

Hæc fuſiùs ex Scoto contra illos Scotiſtas (nomine, ſed non re) qui conſtituunt peccatum commiſſionis, formaliter in actu poſitivo voluntatis. Dico; *Formaliter*, quia materiale peccati cum Doctore noſtro admittimus poſitivum actum voluntatis. Ita ipſe explicat communem definitionem peccati (apud Divum Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*) ſuprà n. 11. *Ad primum dico, quod dictum, factum, concupitum accipitur tamquam materiale; ſed dictum & factum ut materiale remotum, ſed concupitum dicit materiale proximum: contra legem Dei, dicit formale in peccato.*

S. Aug.

318. Explicatio alicujus auctoritatis D. Auguſt.

Ad aliam auctoritatem D. Auguſtini in oppoſitum, deſumptam ex lib. 12. de Civit. cap. 6. *Malum illud bonum corrumpit, cui nocet* (ita lego apud Scotum 2. diſt. 36. q. unicâ) ſed non nocet niſi illi in quo eſt: igitur &c.

Ad hanc, inquam, auctoritatem ſic reſpondet Doctor 2. diſt. 37. q. 1. n. 11. *Ad tertium dico, quod* (peccatum) *eſt corruptio formaliter, hoc eſt, privatio illius boni, quod ineſſet actui* (bono) *niſi ipſa eſſet, & privatur per ipſam, & ad Auguſtinum dico, quod nocet illi in alio, non in ſe auferendo aliquid quod ſit de natura eius: ſed ab eo auferendo aliquam perfectionem ſibi convenientem, ſcilicet iuſtitiam actualem.*

Et ſi obiicitur; iſta iuſtitia non infuit, ergo non poteſt corrumpi, patet reſponſio ex dictis: ſequitur enim, quòd non corrumpitur corruptione, quæ eſt mutatio ab eſſe ad non eſſe: ſed corrumpitur formaliter per hoc, quòd eius privatio ineſſet, & non ipſa, ſicut peccatum originale corrumpit iuſtitiam originalem quam privat, non tamen priùs inexiſtentem, & ita illam formaliter corrumpit.

319. Referuntur verba genuina D. Aug.

Dixi notanter; *Ita lego apud Scotum* &c. quia illa non ſunt genuina verba D. Auguſtini, ſed hæc quæ ſequuntur: *Non eſt prima voluntas mala, quam nulla fecit voluntas etiam mala; ſed illa prima eſt, quam nulla fecit: nam ſi præceſſit à qua fieret, illa prior eſt, quæ alteram fecit. Si reſpondeatur, quòd eam nulla res fecerit, & ideo ſemper fuerit, quæro utrùm in aliqua natura fuerit. Si enim in nulla fuit, omnino non fuit. Si autem in aliqua, vitiabat eam & corrumpebat, eratq; illi noxia, ac per hoc bono privabat. Et ideo in mala natura voluntas mala eſſe non poterat, ſed in bona, mutabili tamen, cui vitium hoc poſſet nocere. Si enim non nocuit, non utique vitium fuit, ac per hoc nec mala voluntas fuiſſe dicenda eſt. Porrò ſi nocuit, bonum auferendo, vel minuendo utique nocuit.* Hucuſque S. Doctor, inquirens cauſam primæ voluntatis malæ.

Quidquid ergo ſit de hoc puncto, ſive dixeris peccatum commiſſionis formaliter eſſe privationem conformitatis ad legem, vel potiùs actum poſitivum voluntatis difformem legi; communiſſima ſententia eſt, privationem gratiæ nequaquam ingredi conceptum eſſentialem peccati mortalis actualis, quamquam de facto ſemper ſit ipſi connexa, quaſi paſſio ſeu effectum per Deum ſeparabilis.

An fortè putas, ſi Deus hominem non elevaſſet ad ſtatum ſupernaturalem, quòd nullum fuiſſet peccatum mortale? Et tamen non fuiſſet privatio gratiæ, quæ modò eſt: ergo hæc non eſt eſſentia, cùm eſſentiæ rerum ſint immutabiles. 3

Oſt pri gra eſſe tian ti

Nonne ſi Deus diceret homini: *Si feceris illum actum, ad quem te non obligo, dabo tibi gratiam*; nonne, inquam, tali caſu homo non eliciens illum actum haberet privationem gratiæ, & tamen non haberet peccatum nequidem veniale? Ergo illa privatio non eſt tota eſſentia peccati mortalis: neque pars eſſentiæ, quoniam effectus non eſt pars cauſæ, ſed quid omnino ab illa diſtinctum, ne idem ſit cauſa ſui ipſius; adeoque prius & poſterius ſeipſo.

Porrò privationem gratiæ eſſe effectum moralem peccati mortalis actualis nemo dubitat, per quem tamquam notiſſimum communiter explicatur differentia mortalis peccati à peccato veniali; quamquam alioquin in hoc eſſentialiter differant, quòd mortale ſit tranſgreſſio legis graviter obligantis, id eſt, ſub pœna æterna, & diſſolutione amicitiæ divinæ; veniale autem ſit tranſgreſſio legis ſolùm leviter obligantis, id eſt, ſub pœna temporali abſque diſſolutione amicitiæ divinæ. Et quamquam per gratiam ſanctificantem, ut docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. homo ex inimico fiat amicus Dei, & hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ, non tamen ex natura rei, ſed ex divina tantùm ordinatione.

ſed mor

Enimverò Deus non neceſſitatur ad ſpecialem dilectionem alicujus creaturæ, ſepoſito decreto libero ſuæ voluntatis, alioquin eodem modo amaret illam creaturam ſicut ſeipſum; adeoque neceſſariò illam conſervaret, immo produceret, cùm voluntas ejus non ſit defectibilis. Nonne quia Deus ſeipſum neceſſariò amat, neceſſariò vult ſe eſſe? Quis autem catholicè dixerit, Deum neceſſariò conſervare gratiam, aut hominem gratum? Poſſet ergo abſolutè fieri, quòd homo haberet gratiam ſanctificantem, & tamen à Deo non amaretur; per conſequens ex natura rei non conſtituitur homo amicus Dei per gratiam; quoniam completa amicitia importat amorem reciprocum, & eſſentiæ rerum ſunt immutabiles. 32

Deus neceſ amat quem turam natur

Confirmatur; quia aliàs homo juſtus non erit filius adoptionis, ut loquitur Tridentinum

Homo ſtus eſt ſiliu

num

Digitized by Google

num ſeſſ. 6. c. 4. ſed magìs filius naturalis; nullus ſiquidem conſtituitur filius adoptivus alicujus, niſi dependenter ab ipſius voluntate, ut patet in temporalibus: ſicuti ergo in homine non datur aliqua qualitas, quæ cogat alium hominem, ut adoptet ipſum in filium, & det ipſi jus ad hæreditatem temporalem; ita nec in ſpiritualibus datur aliqua qualitas, quæ cogat Deum, ut adoptet hominem in filium, & tribuat illi jus ad hæreditatem ſpiritualem.

Profectò Scriptura non tribuit gratię majus jus ad regnum cælorum, quàm bonis operibus; atqui omne jus fundatum in operibus, eſt morale tantùm, utpote meriti: ergo &c. Hinc Trident. ſeſſ. 6. c. 16. *Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda*, inquit, *eſt vita æterna, & tamquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Si *miſericorditer promiſſa*: ergo non ex ſola conditione operum. Si *merces*; ergo ex conventione, Matth. 10. v. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Et v. 13. *Nonne ex denario convenisti mecum?* Ergo non ex ſola natura operis.

Debitor, inquit S. Auguſt. Serm 16. de Verb. Apoſt. *factus eſt* Deus, *non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo*. Et poſt pauca: *Illo modo poſſumus exigere Dominum noſtrum ut dicamus, redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti, & hoc tu feciſti, qui laborantes juviſti*.

Et ratio eſt quia nullâ obligatione juſtitiæ tenetur Deus ad præmianda, quæ ſunt ſua dona, & ab ipſo principaliter procedentia.

Ex quo oritur, quòd opera Beatorum non ſint meritoria, & limitatio præmii ſit à voluntate divina, ut videlicet non mereatur quis alteri gloriam, ſed ſibi ipſi dumtaxat, quia pro altero Deus non acceptat. Niſi ergo Deus per priorem voluntatem, creaturam rationalem elegiſſet ad gloriam, quamvis in ea poneretur gratia, nullum jus habuiſſet ad gloriam; potuit namque Deus creare hominem cum juſtitia in ordine ad finem ſupernaturalem, prout capax eſſet ejus in via.

Accedit, quòd juſtitia noſtra non tribuat jus ad gloriam, niſi quà nititur meritis Chriſti: ergo non ex natura rei, ſed ex ordinatione divina, quâ ordinatus eſt Chriſtus tamquam noſtra redemptio & ſanctificatio; ac proinde jus illud eſt morale, & non reale, aut naturale. Trident. ſeſſ. 6. can. 26. *Si quis dixerit, juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare æternam retributionem à Deo per ejus miſericordiam, & Ieſu Chriſti meritum* &c. *anathema ſit*. Et c. 16. *Quæ juſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentem juſtificamur; illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur per Chriſti meritum*.

324. Si objicias: Non ex ſola promiſſione eſt præmium. Reſp. ſuppoſitâ bonitate operis requiritur talis promiſſio.

Arguis rurſum: peccatum ex natura ſua eſt dignum pœnâ. Reſpondeo primò, plus requiritur ad merendum, quàm demerendum; quia bonum ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus. Alia objectio Prima reſponſio.

Reſpondeo ſecundò; requiritur lex ad dignitatem formalem pœnæ, quamvis non ad fundamentalem; & idem dico de bono opere, fundamentaliter quidem meretur præmium, id eſt, Deus poteſt præmiare ſi velit, equidem niſi accedat voluntas Dei, actu nihil meretur. Secunda reſponſio.

Objicis tertiò; gratia juſtificans eſt ſola cauſa formalis noſtræ juſtificationis, juxta illud Trid. ſeſſ. 6. c. 7. *Demum unica formalis cauſa* (juſtificationis) *eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit*. Ergo gratia juſtificans formaliter expellit peccatum, & ex natura rei; quemadmodum lumen formaliter, & ex natura rei expellit tenebras. 325. Tertia objectio.

Reſpondeo; ſufficit quòd expellat moraliter, id eſt, poſito decreto Dei, quo ſtatuit, omni peccatori hoc ipſo quo gratiam habitualem ei infundit, remittere univerſa peccata mortalia, cumque in amicum & filium adoptare; ut proinde hæc vis non competat charitati ſeu gratiæ habituali ſecundùm entitatem ſuam phyſicam, ſed ſolùm ratione illius virtutis moralis, ipſi ex decreto Dei annexæ. Reſpondetur.

Eſt itaque infuſio gratiæ ſignum, ſeu externa actio ſignificativa internæ voluntatis Dei, remittentis peccata, & nos in filios adoptantis; ſicuti purpurei pilei impoſitio à Pontifice facta, eſt aſſumptio ad Cardinalatum ejus, cui imponitur. Quod ſufficit ad intentum Concilii: agit ſiquidem de cauſis juſtificationis, ut de facto juſtificatio inſtituta eſt, & illius unicam cauſam formalem aſſerit eſſe gratiam juſtificantem, quam, cum remiſſione peccatorum ex voluntate Dei inſeparabiliter connexam, Spiritus ſanctus diffundit in cordibus eorum qui juſtificantur. Gratia ergo ſola eſt forma intrinſeca & inhærens, adeoque ſola cauſa formalis, abſentia peccatorum conditio ſine qua non charitas poſſit nos juſtificare; cauſa efficiens, voluntas Dei, actus videlicet internus Dei, nobis peccata remittentis, & gratiam infundentis. 326. Infuſio gratiæ eſt ſignum voluntatis Dei remittentis peccata.

Breviter, ſicuti Sacramentum Baptiſmi eſt vera cauſa, ſed extrinſeca & inſtrumentalis, juxta Trident. ſuprà, remiſſionis peccati, etſi non ex natura ſua, ſed tantùm prout ſubſtat acceptationi & ordinationi divinæ moraliter hunc effectum operetur; ſic verè & formaliter, etſi tantùm moraliter, per gratiam tollitur totum id, quod habet veram rationem peccati. Quod hæretici, contra quos ibi agit Trident. negabant, cauſantes, juſtitiam inhærentem, in ſuo genere verè non ſufficere, neque verè nos juſtificare, ſed id formaliter provenire à juſtitia Dei vel Chriſti, nobis impu- 327. Sicuti Baptiſmus eſt cauſa remiſſionis peccati, ſed moralis tantùm, ita etiam infuſio gratiæ.

Digitized by Google

imputata, dummodo in ea fiduciam collocemus.

Audiamus Bucerum, in Colloquio Ratiſponenſi dicentem, *hanc inchoatam iuſtitiam non eſſe eam quâ iuſti ſumus apud Deum, ita ut propter illam vita æterna nobis debeatur; cùm ex parte tantùm & imperfecta ſit, nec legi Dei ſatisfaciat dum hic vivimus: ideo aliam in nobis, nempe Dei iuſtitiam eſſe, quâ Chriſto confidamus, & fiducia ſalutis confirmemur.* Et ibidem ſic ait: *Idcirco non poſſum fateri iuſtitiâ inhærente, quæ fide, ſpe, & charitate conſtet, nos iuſtificari, iuſtoſq́; eſſe, quia imperfecta eſt, nec legi Dei ſatisfacit.* Quæ quàm aliena ſint à noſtra doctrina, quiſque facilè videt.

328. Gratia juſtificans ex ordinatione divina facit nos amicos & filios Dei adoptivos. Itaque omnia quæ adferuntur, ſive ex Scriptura, ſive ex Conciliis abundè ſalvantur, dicendo, gratiam juſtificantem ex ordinatione divina nos facere amicos, & filios Dei adoptivos; fortè tamen naturâ ſuâ conſtituit nos remotè amicos Dei, quatenus videlicet nos reddit proximè aptos, & aliquo modo dignos, qui in amicos & filios Dei adoptemur; ſaltem ornat hominem tali qualitate, quæ in ſe nequit Deo diſplicere, adeóque nec homo ſpectatus tamquam ſubjectum illius poteſt diſplicere.

Cauſa formalis non poteſt ſeparari ab effectu ſuo primario, Atque hic eſt effectus primarius & phyſicus illius formæ, inſeparabilis ab illa, ſicut facere ſubjectum album, eſt effectus inſeparabilis ab albedine; implicat enim, poſitâ cauſâ formali, non poni effectum formalem, ſaltem phyſicum & primarium; hic enim oritur præcisè ex inexiſtentia formæ, imò nihil eſt aliud, quàm forma ſubjecto inexiſtens: poteſt tamen cauſa formalis ſeparari ab effectu ſecundario, præſertim morali. Sic impenetrabilitas eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis, à qua tamen poteſt divinitùs abeſſe. Similiter calor, à ſubjecto, quod formaliter primariò reddit calidum, formaliter ſecundariò expellit frigus, quod tamen per Deum, ut multi volunt, poſſet non expellere, ſi Deus frigus cum calore in eodem ſubjecto conſervaret. Quid ergo mirum, ſi effectus formalis ſecundarius, & moralis gratiæ ſanctificantis, qui eſt hominem ſimpliciter gratum, & amicum ac filium Dei conſtituere; quid, inquam, mirum, ſi hujuſmodi effectus divinitùs poſſit abeſſe, eò quòd Deus nolit peccatum remittere, vel in amicitiam recipere, aut in filium adoptare?

(Margin: ſecùs ab effectu ſecundario.)

329. An peccatum actuale & gratia ſint oppoſita contrariè? Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, quòd peccatum actuale, & gratia non ſint privativè oppoſita. Sed numquid oppoſita contrariè? Puto quòd non; quoniam contraria ſummè debent diſtare ſub eodem genere: quis autem ignorat peccatum ſubinde eſſe quid merè negativum? Quando videlicet eſt pura omiſſio.

Peccatum & gratia genere diſtant. Atque ut ſemper eſſet aliquid poſitivum: nonne gratia, quæ eſt ens ſupernaturale in ſubſtantia, & peccatum, quod eſt ens merè naturale, genere diſtant? Plus enim differunt, quàm charitas & fides; hæc tamen differunt ſpecie: ergo gratia & peccatum genere.

Non ergo ſe habent peccatum & gratia (ut quidam volunt) ſicut calor & frigus, vel albedo & nigredo; hæc enim ſe mutuò phyſicè formaliter deſtruunt, adeò ut non poſſint exiſtere ſimul in eodem ſubjecto, niſi per ſpecialem concurſum Dei conſerventur; jam autem Deus nequit peccatum ſpecialiter conſervare, immo nullo modo immediatè: quamquam ex ſuppoſitione peccati præcedentis, poſſit indirectè velle, ut illud duret, quod nihil aliud eſt, quàm nolle illud condonare, quod juſtiſſimè facere poteſt, odio habendo hominem prout promeritus eſt; non tamen ideo dicendus eſt cauſa per ſe durationis; quia communi modo loquendi non dicitur Deus cauſa per ſe illius, quod ſolùm vult ex ſuppoſitione noſtri peccati, v. g. damnationis hominis, licèt ſuppoſitâ ejus impœnitentiâ, velit illam. (Margin: Non ſe ſic… lor & … gus,)

Si autem à me quæritur, qualem ergo repugnantiam habeant ex natura rei gratia & peccatum. Reſpondeo ſimilem illi, quam habent dignitas Epiſcopalis & ſcurriles mores, ac gravia & publica peccata, quæ dedecent omnino eſſe in eodem, habentque inter ſe contrarios effectus: nam illa reddit ſubjectum ſuum dignum omni amore & veneratione; hæc verò dignum odio & contemptu. Simili ergo ratione gratia efficit nos dignos amore, aptóſque qui in amicos & filios Dei aſſumamur, peccatum autem mortale efficit ſuum ſubjectum dignum odio, & ineptum, quod aſſumatur in amicum aut filium Dei, niſi priùs tollatur. 33 (Margin: Qua… pugn… ex n… rei … grati… pecc…)

Expellit ergo gratia peccatum, quatenus ex natura ſua quodammodo exigit, ut Deus remittat peccatum ei, cui ipſa infunditur; tum quia eſt contra dignitatem tanti doni eſſe in homine peccatore; tum quia per peccatum impediuntur ejus effectus, qui eam naturaliter conſequuntur, quales ſunt, ut mox vidimus, reddere nos dignos amore Dei, & aptos, ut in filios Dei adoptemur; atque ita movet quodammodo Deum, ut ipſam numquam relinquat ſimul cum peccato in eadem anima, quod eſt expellere peccatum mediante liberali condonatione Dei, tamquam forma ei moraliter repugnans. 33 (Margin: Grati… batur quoda… do ex Deus … tat pe… tum.)

Veluti, ſi quis promotus ad Epiſcopatum, & advertens repugnantiam iſtius dignitatis cum malis moribus, hos illius intuitu corrigeret, dignitas Epiſcopalis rectè diceretur, malos mores ab eo expuliſſe.

Porrò quæ expulſionis peccati per gratiam, eadem eſt ratio expulſionis gratiæ per peccatum, cùm enim peccatum contineat graviſſimam injuriam reſpectu Dei, meretur abſolutam reſciſſionem amicitiæ, ac odium ipſius Dei, & æternam damnationem; per conſequens ablatio- 33: (Margin: Pecca… ex nat… ſua q… damn… exigit … Deus a… tat grat…)

ablationem charitatis ſive gratiæ, quâ homo conſtituitur dignus amore Dei.

Homo ergo peccando, objicit Deo impedimentum aliquod, ne gratiam in eo ampliùs conſervet, tum ratione decreti divini, quo ſtatuit, eam non conſervare niſi in amico; tum etiam, quia ejus conſervatio non decet; quemadmodum reo leſæ Majeſtatis, non decet relinqui uſum eorum ornamentorum, quæ ſolis amicis Regis ſolent concedi: attamen hæc indecentia non eſt tanta, quin Deus, ſecluſo ſuo decreto, poſſet plurimas habere cauſas, ob quas decenter charitatem in peccatore conſervaret, utì conſervat fidem & ſpem.

333. Objectio ſolvitur. Ex his patet ſolutio illius, quòd ſolet objici: Peccatum eſt averſio à Deo, & inimicitia; gratia autem converſio, & amicitia: ergo &c. Neutra quippe pars Antecedentis eſt formaliter vera; ſed peccatum eſt objectum formale odii, gratia autem objectum formale amoris Dei.

Enimverò amor, & inimicitia Dei erga nos, ſunt aliquid ipſi intrinſecum. Aliud ergo eſt aliquem eſſe dignum amore, vel odio, aliud de facto amari, vel odio haberi. Deinde longè diverſa ſunt Deum amare me amore benevolentiæ, & me eſſe ejus filium adoptivum: poſſet namque Deus nobis optare multa bona, etiam ſupernaturalia, quamvis non ordinaſſet nos ad vitam æternam. Nonne de facto vult peccatori fidem & ſpem? Quis propterea dixerit, Deum amicum peccatoris?

334. Stare poteſt peccatum habituale cum converſione hominis ad Deum. Sileo, quòd poſſit ſtare peccatum habituale, tametſi homo, quantum eſt ex ſe, ſit ad Deum formaliter converſus, ſi nimirum Deus nolit injuriam ſibi factam remittere. Patet in homine, qui non vult remittere injuriam ſibi factam, quantumvis ille, qui injuriam intulit, ad eum convertatur, & veniam ſui errati poſtulet, ſed pleniorem exigit ſatisfactionem.

Secùs peccatum actuale. Dico; *Peccatum habituale*; quia impoſſibile eſt hominem actualiter amare Deum ſuper omnia, & ſimul actualiter ab eo averti per peccatum, creaturam præ ipſo amando; ſic enim ſimul amaret Deum ſuper omnia, & non amaret ſuper omnia, quod manifeſtam implicat contradictionem. Aliter omnino ſentiendum eſt de charitate habituali, quæ homini infunditur, merè paſſivè ſe habenti, ut perſpicuè manifeſtum ſit in parvulis, quibus charitas habitualis infunditur in Baptiſmo, quæ proinde non poteſt eſſe actualis converſio ad Deum, cujus parvuli ſunt incapaces; conſequenter non repugnat ex natura rei cum peccato actuali.

335. Objectio. Si dixeris; habitus charitatis non poteſt elicere actum charitatis ſtante peccato actuali, ut clarè ſequitur ex jam jam dictis.

Reſpondetur. Reſpondeo; indè ad ſummum ſequi, habitum illum pro iſto tempore eſſe otioſum (quamvis neque tunc omnino otioſus ſit, cum illo inſtanti, quo elicit voluntas actum peccati, poſſet elicere actum amoris in ſenſu diviſo) exinde tamen non rectè infertur: ergo ex natura rei debet deſtrui, cùm poſtea poſſit exire in actum.

Igitur propter illam talem qualem otioſitatem, non eſt omnimoda repugnantia; eſt tamen aliqua congruentia, quare habitus charitatis per peccatum actuale expellatur; licèt enim non maneret otioſus, quatenus otioſitas ſignificat ſtatum, in quo non ſit potentia proxima ad actum charitatis, eſſet tamen otioſus, quatenus otioſitas ſignificat ſtatum, in quo homo ex decreto ſtabili & firmo non vult operari, & in hoc decreto moraliter & habitualiter perſeverat.

Et hactenus quidem de repugnantia inter peccatum actuale & gratiam habitualem. Sed numquid aliter ratiocinandum de peccato habituali? Apud me & omnes illos, qui conſtituunt totam eſſentiam peccati habitualis in peccato actuali moraliter perſeverante, eadem prorſus eſt ratio. Si autem à me quæras, an Scotus ſit unus ex illis? Reſpondeo confeſtim affirmativè; quamquam aliquibus contrarium appareat, propter hæc quæ ſequuntur, & lubens ex ipſo tranſcribo.

Sic diſcurrit de peccato habituali 4. diſt. 14. q. 1. n. 6. *Dico ergo quantùm ad iſtum articulum, quod nihil reale abſolutum vel relativum eſt in aliquo, ceſſante omni actu peccati, à quo ille dicatur peccator, & hoc vel graviter vel multipliciter peccator, ſicut aliquis dicitur poſt actum tranſeuntem.* 336. Peccatum habituale non eſt aliquid reale abſolutum vel relativum ex Scoto.

Probatur I. Probat primò: *Quia ſi dicatur aliquid derelictum ab actu manere, illud non eſt formaliter peccatum: quia poteſt ſtare in iuſtificato* (ſecundùm præſentem Dei ordinationem) *ſicut habitus vitioſus, vel diſpoſitio ad illum manet in iuſtificato ſubitò: patet, quia in principio pronus eſt ad ſequendam illam inclinationem habitus vitioſi, ſed pugnando contra eam, bene meretur, & acquirit ſibi habitum in contrarium. Unde magni peccatores non ſtatim quando ſunt iuſtificati, habent illam pacem, quam habent perfecti & exercitati in virtutibus.*

Probatio ſecunda; *Quicumque etiam habitus, vel diſpoſitio vitioſa relinqueretur ex actibus, deſineret eſſe poſt fluxum temporis, niſi firmaretur per frequentes actus: ſicut univerſaliter omnis diſpoſitio ad habitum, deſinit eſſe, ceſſantibus actibus perficientibus habitum; ſed illud, à quo peccator dicitur peccator poſt actum, non deſinit eſſe per quantumcumque tempus, licèt actus ſimiles non aduciantur: ſemper enim in infinitum eſt peccator poſtquam commiſit.* 337. Secunda probatio.

Non eſt ergo ibi aliquid abſolutum vel relativum poſitivum, vel privativum, à quo dicatur peccator à tempore ceſſationis actus uſque ad Pœnitentiam; ſed tantummodo quadam relatio rationis, in quantum eſt objectum intellectûs, vel voluntatis Dei: quia poſtquam commiſit, Dei voluntas ordinat ipſum ad pœnam correſpondentem peccato, & tunc intellectus

 pravi-

prævidet, & pro omni tempore, donec pœna debita ſit ſoluta.

338. Videre Deum peccata, eſt ad pœnã imputare ex S. Aug.

Iſtud probatur per Auguſtinum ſuper illud Pſalmi: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates &c. Videre, *inquit*, Deum peccata, eſt ad pœnam imputare. Avertere autem faciem à peccatis, hoc eſt, ea ad pœnam non reſervare. Ita legit Scotus. Hæc autem quæ ſequuntur, ſunt verba genuina S. Doctoris Enarr. 2. in illum Pſalmum: *Cooperta ſunt peccata, & tecta ſunt, abolita ſunt Si texit peccata Deus, noluit advertere, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere,* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. *Nec ſic intelligatis quod dixit*, peccata cooperta ſunt, *quaſi ibi ſint & vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Vt non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, niſi punire peccata? Vt noveris quia hoc eſt Dei videre peccata, quod punire peccata, quid ei dicitur?* Averte faciem tuam à peccatis meis. *Peccata ergo tua non videat, ut te videat.* Hucuſque Auguſt.

Pſal. 31. v. 1. — Pſal. 5. v. 11.

Ita ergo (proſequitur Scotus ſuprà) *dicit peccata ab eo tecta, non ut Deus tunc non videat, ſed ut nolit animadvertere, id eſt, punire: ergo ipſum remanere in reatu poſt actum tranſeuntem, nihil aliud eſt, niſi ipſum à Dei voluntate ordinari ad pœnam condignam illi peccato: obiectum autem intellectûs, vel voluntatis, ut intellectum, vel volitum, non habet niſi relationem rationis: ergo &c.*

339. Confirmatur doctrina Scoti duplici ſimili. Primum.

Confirmat ſuam doctrinam Doctor Subtilis duplici ſimili. Primum ſit: *Quia eſtò quòd Deus in multiplicatione meritorum non intendat habitum Charitatis, ut poſſibile eſt, ſi merita ſint remiſſa, vel etiamſi eſſent intenſa; tamen iſte qui plura merita habuit tranſeuntibus interioribus & exterioribus, eſt magis meritus quàm alius; quod nihil aliud eſt, niſi quia ordinatur ad maiorem gloriam; per quod non habetur aliquod reale poſitivum vel privativum, abſolutum vel relativum intrinſecum iſti; ſed tantùm relatio rationis, in quantum ut eſt obiectum voluntatis divinæ, ordinatur ad multiplicem gloriam. Ibi enim in acceptatione divina ordinantur iſta merita, vel ille per merita ad talem vel talem gloriam.*

Sicut ergo iſta acceptatio propter merita tranſeuntia nihil eſt realiter, niſi actus voluntatis divinæ, & in iſto tantùm relatio rationis, ſicut in obiecto volito: ita ex alia parte propter peccata tranſeuntia nihil eſt aliud abiectio iſtius, niſi reprobatio vel repulſio in voluntate divina, & in peccatore relatio rationis, ut abiecti, vel reprobati ad talem vel talem pœnam ordinati.

340. Secundum.

Secundum ſimile eſt: *Quia ſi quis offendat magnum Principem tali offenſâ, cui correſpondeat pœna magna: ceſſante illo actu, nihil eſt in ipſo, quod priùs non fuit, propter quod modò dicatur inimicus, & non priùs; ſed tantùm in voluntate Domini offenſi eſt actus tranſiens ſuper ipſum: & per hoc in ipſo eſt relatio rationis, ut in obiecto volito, vel ordinato ad talem pœnam.*

Concluſio Doct.

Ex his concludit Scotus: *Quod nihil aliud eſt poſt actum peccati ceſſantem, offenſa, macula, & reatus, niſi iſta relatio rationis, ſcilicet ordinatio ad pœnam: ut eſt diſconveniens ipſi animæ dicitur eius macula, ſicut per oppoſitum* (ordinatio ad gloriam) *pulchritudo: ut autem eſt obligatio formaliter ad illam pœnam, dicitur reatus: & ut eſt actus voluntatis divinæ, in qua eſt tota iſta realitas, per quem actum ordinatur ad talem pœnam, dicitur offenſa. Nihil enim aliud eſt offendi, vel iraſci in Deo, quàm velle vindicare iſtâ pœnâ: & licèt Deus dicatur figurativè iratus vel offenſus: tamen accipiendo iſtam rationem iraſci pro velle vindicare, excluſâ punitione concomitante iſtud velle, Deus formaliter eſt iratus, vel offenſus; quia formaliter eſt volens vindicare peccatum commiſſum contra legem ſuam.*

Propter iſta verba, Felix de peccatis c. 18. diff. 2. n. 13. vera, inquit, ſententia, & à nobis defendanda aſſerit: maculam peccati mortalis pro formali eſſe reatum ſeu deputationem paſſivam ad pœnam æternam; itaque hominem, qui mortaliter peccat, Deus deſtinat ad pœnam æternam, ex qua deputatione reſultat in homine relatio rationis ſeu reatus, à quo homo denominatur deputatus tranſacto actu peccati, & in hac deputatione paſſiva conſiſtit peccatum habituale. Hæc ille; ſed immeritò. 3

Ex q ligit macu pecca mort eſſe p mali tatio paſſi pœn terna

ſed i ritò.

Siquidem, ut notat Scholium præfixum n. 6. Scotus ibi vult, nihil medium dari inter actum peccati, & obligationem ad pœnam, quo quis dicatur peccator; non tamen ait, illam relationem ad pœnam eſſe peccatum habituale, ſed ipſum actum præteritum, manentem virtualiter. Nam diſt. 21. q. 1. n. 8. agens de remiſſione peccati venialis poſt mortem, ſic inquit: *Si iſte modus non placet, quia videntur Sancti diſtinguere inter remiſſionem culpæ, & pœnæ, & maximè inter remiſſionem culpæ, & ſolutionem pœnæ debitæ illi culpæ.* Et ibidem n. 2. ait: *In iſta quæſtione una Concluſio eſt certa, ſcilicet, quòd peccato dimiſſo in hac vita, pœna debita pro ipſo poteſt ſolvi poſt hanc vitam.* Scotus.

Ergo, ſecundùm Scotum, peccatum veniale habituale non conſiſtit formaliter in ſola deputatione paſſivâ ad pœnam temporalem; quia poteſt remitti peccatum veniale in hac vita, manente deputatione paſſivâ ad pœnam temporalem, id eſt, relatione rationis, quæ reſultat ex deputatione activa, ſeu ordinatione, quâ Deus hominem, qui venialiter peccat, deſtinat ad pœnam temporalem ſolvendam poſt hanc vitam. 342

Peccatu veniale bituale conſiſtit maliter i ſola de tatione pœnam

Nunc quæro: Macula peccati venialis pro formali quid eſt? Sanè non aliud quàm peccatum veniale phyſicè præteritum, moraliter permanens. Ergo ſimiliter macula peccati mortalis formaliter nihil aliud erit, quàm peccatum mortale phyſicè præteritum, perſeverans moraliter, ut expreſsè docet Hiquæus in ſuo commentario 4. diſt. 14. q. 1 n. 31. ſub hac forma verborum: Dico V. peccatum habi-

ſed eſt pe catum niale phy cè præte tum mo liter pern nens.

Hiquæus.

Digitized by Google

habituale eſt ipſum peccatum, præteritum quidem phyſicè, manens autem moraliter, donec remittatur, connotans privationem gratiæ, & debitum pœnæ, tamquam effectus correſpondentes, à quibus tamen non denominatur quis peccator, ſed ab ipſo actu, qui manet moraliter.

343. *Homo ut ordinatur ad præmium, aut pœnam, nequit abſtrahere ab operibus.*

Pro quo notat hic Auctor, quòd homo ut ordinatur ad præmium, aut pœnam mediante lege, quæ eſt ipſi regula directiva operandi, nequit abſtrahere ab operibus; quia ratione operum ſubeſt legi, & ratione operum in eodem fundatur dignitas ad pœnam, aut præmium, & ratione operum tranſit in hunc aut illum ſtatum. Unde ſicut profeſſio monaſtica, votum, contractus, & hujuſmodi, quæ fundantur in actibus præteritis phyſicè, cenſentur ſemper manere, ut comparantur ad ſtatum mediantibus illis aſſumptum, & ſecundùm legem, ex qua recipiunt vigorem; ita etiam cenſetur quis in ſtatu peccati ſemper manere, donec illud remittatur, & per condonationem transferatur in ſtatum contrarium.

Probatur; quia jus, debitum, vel quodcumque aliud, reſultans ex actu, in ipſo fundatur, & mediante eo convenit homini: ergo nequit præſcindere ab ipſo actu; ergo ſicut illa manent, debet manere eorum fundamentum, quod eſt ipſe actus; ſed non manet phyſicè: ergo præcisè moraliter, vel ut conſideratur homo in ordine ad finem mediante lege; pœnitendo autem remittitur tale peccatum, & transfertur homo in alium ſtatum, aliter ſe habens ad legem nunc, quàm antè. Hactenus Hiquæus.

344. *Peccatum mortale habituale eſt actus peccati mortalis phyſicè præteritus, moraliter perſeverans. Quid ſit illa perſeverantia moralis.*

Itaque peccatum habituale mortale (de quo hìc præcipuè tractamus) nihil aliud eſt, quàm actus peccati mortalis phyſicè præteritus, moraliter perſeverans in ordine ad reddendum hominem inimicum Dei.

Rogas quid ſit illa perſeverantia moralis? Reſpondeo, formaliter ſumpta eſt æſtimatio prudens hominum, qui meritò cenſent in ordine ad inimicitiam Dei perinde eſſe ac ſi nunc actu exiſteret prior voluntas; & denominativè ab hoc judicio dicitur moraliter, id eſt, in prudenti æſtimatione perſeverare prior voluntas, non ab actuali judicio, ſed ſaltem poſſibili in potentia proxima. Porrò fundamentum hujus perſeverantiæ ſeu prudentis æſtimationis, non eſt aliud ex parte objecti, quàm hominem peccaſſe, nec à Deo peccatum eſſe remiſſum. Itaque perſeverantia moralis fundamentaliter ſumpta, non eſt aliquid phyſicum actuale, ſed eſt ipſemet actus præteritus non remiſſus.

345. *An non remiſſio ſit pars eſſentialis peccati habitualis?*

Si inferas: ergo non remiſſio eſt pars eſſentialis & intrinſeca peccati habitualis; alioquin non poſſet deſtrui peccatum habituale, niſi deſtrueretur illud, quod eſt actum præteriiſſe.

Reſpondeo neg. Conſeq. & diſtinguo probationem, non poſſet deſtrui peccatum habituale, niſi deſtrueretur eſſe phyſicum actûs præteriti, nego; niſi deſtrueretur eſſe morale, concedo totum.

Contrà, inquis; illud eſſe morale, eſt non eſſe remiſſum à Deo. Reſpondeo rurſus cum diſtinctione; eſſe morale eſt non eſſe remiſſum à Deo, tamquam tota eſſentia ejus, aut pars eſſentialis, nego; tamquam conditio eſſentialis, ſine qua non poteſt illud eſſe ſubſiſtere, concedo totum. Eo modo quo in Sacramento Pœnitentiæ probabiliter dicitur, tota eſſentia ejus conſiſtere in forma, quamvis Contritio & Confeſſio ſint conditiones eſſentiales, ſine quibus forma nequit exiſtere, ſcilicet in ordine ad effectum ſuum moralem. 346. *Objectio ſolvitur.*

Peccatum habituale eſt peccatū præteritum, prout hominem reddit inimicum Dei.

Et ita eſt in præſenti caſu; actus ille præteritus non poteſt habere ſuum effectum moralem, id eſt, reddere hominem inimicum Dei, niſi adſit non remiſſio; hinc tamen non ſequitur, illam non remiſſionem eſſe partem eſſentialem peccati habitualis, quod non eſt aliud quàm peccatum præteritum, prout habet illum effectum.

Sed contrà; illud eſt peccatum habituale, quod homines concipiunt ex parte objecti, ut Deus poſſit rationabiliter homini iraſci nunc, ſicut antea. 347. *Objectio.*

Reſpondeo; illud eſt peccatum habituale, cui Deus ex judicio prudentum ita jam iraſcitur, ſicut antea; atqui hoc non eſt negatio remiſſionis: ergo &c. ut tamen Deus jam poſſit illi iraſci, conditio neceſſaria eſt non remiſſio. Sicuti non poſſum concipere viſionem, niſi concipiam objectum, & tamen objectum non eſt de eſſentia viſionis, ſed tantùm conditio eſſentialis extrinſeca; idem eſt de calefactione, quæ includit conceptum approximationis, quamvis approximatio non includatur in eſſentia calefactionis. Sic pater nequit eſſe vel concipi ſine filio, & tamen filius non eſt de eſſentia patris. *Solvitur.*

Lex requiritur neceſſariò ad denominationem peccati actualis, & tamen non ideo eſt pars ejus eſſentialis.

Similiter in præſenti materia, lex requiritur neceſſariò ad denominationem peccati actualis, & tamen quis propterea dicit, legem eſſe partem eſſentialem & intrinſecam peccati actualis? Ergo conſimiliter, licèt ad denominationem peccati habitualis concurrat neceſſariò non remiſſio, exinde non rectè infertur; ergo non remiſſio eſt pars eſſentialis & intrinſeca peccati habitualis.

Utcumque ſit de hac controverſia, ſive dixeris non remiſſionem eſſe partem eſſentialem, ſive tantùm conditionem ſine qua non, parùm refert ad noſtrum intentum, quòd eſt oſtendere, peccatum habituale non conſiſtere formaliter & præcisè in illo reſpectu rationis, qui reſultat in peccatore ex actu voluntatis divinæ, quo illum ordinat ad pœnam; ſed neceſſariò conſiderandum eſſe hunc reſpectum

cum

Digitized by Google

cum ordine ad peccatum præteritum, quod fuit ratio hujuſmodi ordinationis, quæ proinde magìs effectus dici debet peccati actualis, quàm peccatum habituale.

348. Explicantur verba D. Aug *Deo auctore nemo fit deterior.* Quod probè intelligens Felix ſuprà n. 21. cùm ſibi ipſi objeciſſet ex D. Auguſtino 83. qq. q. 3. *Deo auctore nemo ſit deterior*; ſed hæc ordinatio paſſiva eſt à Deo: ergo in illa non conſiſtit formaliter macula; aliàs macula eſſet à Deo. *Felix.* Reſpondet cum Scoto 4. diſt. 22 q. unicâ n. 4. Auguſtinum loqui de malitia culpæ, non verò de malitia pœnæ. *Probatio*, inquit *Scotus.* Doctor noſter, *adducta per Auguſtinum nihil valet hìc, quia etſi Deo auctore non ſit homo deterior malitiâ culpæ, tamen poteſt eſſe malus malitiâ pœnæ, & multò magìs obligatus ad pœnam; cùm nullus ſit rectè obligatus ad pœnam, niſi per actum voluntatis divinæ.*

Quod ſic explicat Felix: In deputatione ad pœnam eſt duplex formalitas inter alias; una ut eſt à Deo activè, & paſſivè in homine, & ut ſic eſt bona & à Deo, & pertinens ad ejus juſtitiam, & ut ſic non eſt macula; altera ut eſt ab homine influente in illam in genere moris & demeritoriè ratione actûs præteriti, & ut ſic eſt macula & mala, & denominat hominem peccatorem, & ut ſic nullo modo eſt à Deo, ſed ab homine deficiente. Hæc ille.

Infero ego: ergo macula ſeu peccatum habituale, quod denominat hominem peccatorem, potiùs conſtituendum eſt in actu præterito, quàm in ordinatione activa vel paſſiva, quæ non eſt mala niſi per ordinem ad iſtum actum, & per illum ordinem mala eſt; hoc autem eſt manere actum præteritum, non propriè ſeu phyſicè, ſed moraliter.

349. Obliquitas in actu non propriè manet poſt actum. *Illa obliquitas* (inquit Scotus ſuprà n. 3.) *quæ propriè nata eſt eſſe in actu, non propriè* (id eſt, non phyſicè) *manet poſt actum; tum quia privatio, quæ nata eſt ineſſe determinato ſubjecto, non propriè manet ſine illo ſubjecto: tum quia tunc oppo-* *Scotus.* *ſita poſſent eſſe ſimul. Si enim aliqua inordinatio propria culpæ odii fraterni remaneret poſt actum, & poſtea ſequeretur fruitio ejuſdem fratris, eſſent ſimul culpæ oppoſitæ, quia odium immoderatum, & immoderata fruitio ejuſdem perſonæ.* Quis non videt Doctorem Subtilem per propriam inordinationem hìc intelligere inordinationem phyſicam? Nam oppoſitio propriè non invenitur niſi inter formas phyſicas.

Concluſio Scoti. Concludit Scotus: *Ex hoc igitur ſequitur verum eſſe illud, quod dictum eſt ibi* (4. diſt. 14. q. 1. n. 17.) *quòd poſt actum peccati tranſeuntem nihil præter injuſtitiam habitualem, id eſt, carentiam gratiæ, manet in anima, niſi obligatio propria ad pœnam correſpondentem culpæ actuali.* Nihil, inquam, aliud, phyſicè loquendo; nam moraliter loquendo manet culpa actualis, utpote à qua illa obligatio denominatur mala: ergo tamdiu manet illa culpa, quamdiu manet illa obligatio.

Sicuti tamdiu manet moraliter votum, contractus &c. quamdiu manet obligatio voti, obligatio contractûs &c. quod enim nullo modo actu eſt, quomodo poteſt actu alterum denominare? Numquid paries dicitur videri à viſione quæ nullo modo exiſtit? Ergo ſimiliter non obligor voto, niſi votum aliquo modo exiſtat; nec obligor aliquo alio contractu, niſi ille contractus aliquo modo intelligatur exiſtere; per conſequens obligatio ad pœnam non dicitur mala, niſi à malitia actûs, ſaltem moraliter exiſtentis.

Pono caſum, quòd Deus condonet mihi obligationem ad pœnam æternam, ortam ex peccato mortali; velit autem me obligari ad eamdem pœnam titulo dominii ſui, quod habet in omnes creaturas (quod eſt poſſibile ſecundùm multos) nonne illa obligatio permanens erit mala? Clarum eſt quòd non. Sed cur hoc, niſi quia jam nullo modo ampliùs exiſtit peccatum præteritum, propter quod eâdem pœnâ eram dignus? Similiter obligor ex lege, & ex voto ſimul, ad unam & eamdem rem, v. g. ad jejunium. Auferatur obligatio voti, aufertur malitia irreligionis ab infractione jejunii, quæ alioquin ineſſet; cur hoc, niſi quia votum ampliùs non exiſtit neque phyſicè, neque moraliter?

Dices; auferre obligationem voti, non eſt tollere votum, ſed effectum voti, qui ampliùs non pendet à voluntate voventis. Aliud foret, ſi obligatio voti nondum eſſet inducta defectu alicujus conditionis nondum poſitæ, tunc enim in ordine ad illam obligationem inducendam, actus voluntatis præteritus rectè diceretur moraliter perſeverare, quia videlicet poſitâ jam conditione, prior illa voluntas ſic operaretur, ac ſi primùm phyſicè poneretur. 3 Obj

Reſpondeo, quæſtionem eſſe de nomine; communiter dicitur à Theologis, votum irritari, votum diſpenſari, votum commutari: ergo cenſent, quamdiu manet obligatio voti, votum ipſum aliquo modo manere, non phyſicè: ergo moraliter. Et quamvis illa obligatio ſemel inducta, non ampliùs pendeat à voluntate voventis, pendet tamen in conſervari ſuo modo à voluntate irritantis, diſpenſantis, commutantis: ergo non ita cenſetur inducta, quin continuò dependeat ab aliqua conditione, ſi ita placeat loqui, id eſt, obligat me votum, niſi à Superiore irritetur, diſpenſetur, commutetur. Reſ

Veluti ſi voverem ſervare caſtitatem, quouſque pater voluerit me inire matrimonium, illud votum continuò cenſetur operari moraliter loquendo, & inducere quaſi novam obligationem, ſive antiquam extendere ad viginti v. g. annos, quia ſi pater voluiſſet, non extendiſſet ſe niſi ad unum v. g. annum.

Et verò, nonne commutatio voti in melius, 35

pendet

Digitized by Google

[illegible] pendet à propria voluntate voventis? Ita communiter docent Theologi. Quidni ergo primum votum moraliter perſeveret, hodie inducens obligationem, ac ſi phyſicè exiſteret? Etenim ſi vellem, hodie non obligaret; cùm ergo obligatio ad pœnam æternam dependeat à voluntate Dei, immo aliquo modo à voluntate hominis, qui peccavit, ita ut ſi velit, poſsit eam tollere per Pœnitentiam, aut aliud medium à Deo ad id ordinatum, tamdiu perſeverat moraliter peccatum actuale, per quod inducta eſt illa obligatio, quamdiu perſeverat illa obligatio.

Loquor ſecundùm præſentem Dei ordinationem, juxta quam Deus non eſt graviter offenſus niſi ei, quem ordinat ad pœnam æternam, neque aliquem ordinat, niſi cui eſt offenſus; & ita offendi in Deo eſt velle vindicare, ſcilicet de facto, quia de facto ſe mutuo ſemper ſequuntur. Numquid etiam de poſsibili? Non puto. Sed de hoc infrà.

353. [illegible] Et eadem eſt ratio privationis gratiæ, quæ licèt ſit effectus peccati actualis, immo & habitualis, ſecundùm præſentem Dei ordinationem infallibiliter conjunctus; non ſic tamen quin abſolutè poſsit ſeparari, non tantùm à peccato actuali, ſed etiam habituali, cùm nec unum, nec aliud formaliter ſit privatio gratiæ; quidquid aliqui ſentiant in contrarium, docentes, peccatum habituale formaliter conſiſtere in ſola privatione gratiæ ſanctificantis, aut ſaltem illam privationem ingredi conceptum eſſentialem peccati habitualis.

Pro oppoſita ſententia adducitur Scotus. Pro qua etiam doctrina citari poſſet Scotus 4. diſt. 14. q. 1. n. 3. ubi ſic ait: *Poſt actum intrinſecum & extrinſecum tranſeuntem, manet quædam injuſtitia habitualis* (ſcilicet privatio gratiæ) *ſed non ab illa ſola dicitur quis peccator; alioquin qui commiſiſſet duo millia peccata mortalia, & qui unum, eſſent æquè peccatores intenſivè & extenſivè; quia in eis & tota gratia quantùm ad intenſionem, & ſola ipſa quantùm ad extenſionem privatur, tam in eo qui commiſit unum, quàm in eo qui duo millia; & ideo non dicetur unus minùs peccator poſt actum tranſeuntem, quàm alius.*

Idem repetit n. 5. in fine: *Contra iſtud*, inquit, *ſtat deductio prior; quia macula iſta vel elongatio, vel diſsimilitudo quomodocumque nominetur, non poteſt eſſe tantummodo carentia habitûs gratiæ, quia illa totaliter ineſt primo peccato.* Ergo ex mente Scoti, peccatum habituale, ſi non eſt ſola privatio gratię, ſaltem illam privationem includit.

354. *In quo formaliter conſiſtat peccatum originale ex Scoto.* Præterea Scotus 2. diſt. 32. q. unicâ n. 7. docet peccatum originale formaliter conſiſtere in privatione juſtitiæ originalis, ibi: *Per hoc ſolvitur ſecunda quæſtio, quâ quæritur, quid ſit peccatum originale. Eſt enim formaliter carentia juſtitiæ originalis debitæ, & non qualitercumque debitæ, quia accepta in primo parente, & in ipſo amiſſa, cui correſpondet pœna damni dumtaxat ex præmiſſa criminis tranſgreſſione proveniens. & ideo Adam non habuit peccatum originale, quia illud debitum non fuit ad ipſum traductum per aliquem parentem, ſed ipſe in ſe accepit illam juſtitiam* (ſcilicet gratiam habitualem, & alia dona) *& actu ſuo amiſit.*

Atque hæc videtur eſſe ſententia D. Anſelmi lib. 1. de Concept. Virg. c. 26. ibi: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi ipſam quàm ſuprà poſui factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes ſunt filii iræ.* *Pro ſententia Scoti adducitur D. Anſelm.*

Reſpondeo ad ultimum; per juſtitiam debitam, neque Anſelmum, neque Scotum, qui Anſelmum ſequitur, intelligere donum aliquod habituale, ſed rectitudinem debitam ineſſe per modum termini ex actu ſecundo, ſcilicet non comeſtione ex ligno vetito. Siquidem D. Anſel. ſuprà c. 28. *Juſtitia*, inquit, *eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata.* Loquitur de illâ juſtitia, cujus nuditas facta eſt per inobedientiam Adæ. Hanc autem rectitudinem voluntatis habuit Adam, & nos omnes in illo, quamdiu malam concupiſcentiam illiciti cibi correctâ voluntate refrenavit. Hanc rectitudinem voluntatis perdidit Adam, & nos omnes in illo, quando ad peccati conſummationem, id eſt, illiciti cibi comeſtionem perventum eſt. 355. *Quid D. Anſel. intellexerit per juſtitiam debitam.*

De hac etiam rectitudine loquitur Scotus ſuprà, ſubjungens verbis D. Anſelmi, verbis, inquam, quibus deſcribit peccatum originale: *Iſta ratio peccati originalis probatur ex hoc, quia peccatum formaliter eſt injuſtitia; igitur & tale peccatum talis injuſtitia. Injuſtitia autem ſecundùm eum* (Anſelmum) *ibi cap. 5. & 16. de Caſu diaboli, non eſt niſi carentia juſtitiæ debitæ.* Juſtitiæ, inquam, id eſt, rectitudinis voluntatis propter ſe ſervatæ. Nam c. 5. cit. ſic ait Anſelmus: *Quòd juſtitia ſit rectitudo voluntatis propter ſe ſervata, & injuſtitia non ſit aliud, quàm abſentia debitæ juſtitiæ* &c. *ſufficienter me puto oſtendiſſe in eo tractatu, quem feci de caſu diaboli.*

Nemini ergo dubium eſſe poteſt, D. Anſelmum locis jam jam allegatis nequiquam intellexiſſe donum aliquod habituale & ſupernaturale, quale eſt gratia ſanctificans, ſed actualem volitionem conformem legi divinæ. Ergo ſimiliter Scotus, qui ſequitur, ut patet ex textu, ſententiam D. Anſelmi. 356. *Non intellexit gratiam ſanctificantem, ſed actualem volitionem conformem legi divinæ.*

Atque ut hæ auctoritates accipiendæ forent de gratia juſtificante, adhuc verum eſſet, peccatum originale nihil aliud fore, quàm privationem juſtitiæ originalis, id eſt, gratiæ ſanctificantis & aliorum donorum habitualium; nihil, inquam, aliud phyſicum: eſt tamen aliquid aliud morale, ſcilicet peccatum Adæ in poſteros transfuſum, & in illis moraliter perſeverans.

Si objicias; per illam nuditatem ſive privationem ſumus filii iræ: ergo hæc ipſa eſt formaliter peccatum originale. 357. *Objectio*

Reſpondeo; ſumus filii iræ, quia Deus exercet iram ſuam in peccatoribus, auferens *Solvitur.*

Nn ab eis

ab eis juſtitiam originalem in pœnam peccati præteriti & moraliter perſeverantis; adeoque illa privatio potiùs eſt effectus peccati, quàm formaliter peccatum.

Alia objectio ſolvitur. Si rurſum dixeris; illa carentia ſeu privatio diſplicet Deo, facit nos ejus inimicos &c. Reſpondeo rurſum; non eſſe niſi malum pœnæ, & non diſplicere Deo ratione ſui, ſed ratione peccati Adæ in nos transfuſi, & moraliter perſeverantis.

Inſtantia. Inſtas; ſi eſſet carentia illius juſtitiæ abſque peccato præcedente, adhuc privaret unione cum Deo. **Reſponſio.** Reſpondeo, tali caſu non eſſet carentia juſtitiæ debitæ; adeoque illa carentia non eſſet mala moraliter, ſed ſolùm phyſicè.

358. **Quare Deus poſſit eſſe cauſa privationis gratiæ, ſed non rectitudinis debitæ.** *Si Deus* (inquit Scotus 2. diſt. 37. q. 2. n. 17.) *immediatè ſubtrahendo manutenentiam ſuam annihilaret gratiam ſine defectu voluntatis in operando, iſta carentia non eſſet peccatum, quia non eſſet carentia iuſtitiæ debitæ. Voluntas enim non eſt debitrix iſtius iuſtitiæ, niſi in quantum in poteſtate eius eſt conſervare eam, ne ſcilicet demeritoriè corrumpat eam. Licèt igitur maius malum ſit privatio gratiæ, quàm privatio iuſtitiæ actualis: tamen iſta poteſt eſſe à Deo non agente, id eſt, non conſervante: ſed non primo non agente, ſed ideo non agente, quia voluntas demeruit illud, propter quod Deus ſubtrahit conſervationis ſuæ manutenentiam à gratia: ſed reſpectu illius privationis rectitudinis actualis, ſi eſt primum peccatum, non eſt aliquod peccatum præcedens vel demeritum, propter quod Deus poſſet ſe ſubtrahere, ut illa rectitudo non inſit, quantùm eſt ex parte Dei: igitur nec privatio gratiæ eſt peccatum, niſi in quantum eſt iuſtitiæ debitæ, quâ voluntas demeritoriè ſe privavit: licèt à Deo non cauſante ſit iſta annihilatio gratiæ: ſed ſi iſta annihilatio eſſet non propter aliquam obliquitatem in voluntate priorem, iſta non eſſet peccatum*

359. **Scotus hic per peccatum intelligit effectum peccati.** Ubi Scotus per peccatum intelligit effectum peccati; quoniam aliquando effectus appellatur nomine cauſæ, ut teſtatur Trident. ſeſſ. 5. in Decreto de Peccato originali can 5. dicens: *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando* (puta Rom. 6.7. & 8. & ad Coloſſ. 3.) *Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & quia ad peccatum inclinat.*

Privatio gratiæ eſt effectus inſeparabiliter conſequens peccatum. Quidni ergo privatio gratiæ habitualis aliquando poſſit vocari peccatum, ſive actuale, ſive habituale, non quòd verè formaliter & propriè ſit peccatum, ſed quia ex peccato eſt, id eſt, quia eſt effectus inſeparabiliter conſequens propriè dictum peccatum? Inſeparabiliter, inquam, non phyſicè, & ex natura rei, quaſi Deus neceſsitetur phyſicè ad ſubtrahendam conſervationis ſuæ manutenentiam à gratia, ſed liberè prorſus, dependenter à decreto libero ſuæ voluntatis, quo ſtatuit, ad præſentiam peccati actualis tamquam demeriti, gratiam annihilare, & annihilatam non reproducere ad præſentiam peccati habitualis, id eſt, quamdiu peccatum phyſicè præteritum moraliter perſeverat; tamdiu autem perſeverat moraliter, quamdiu non remittitur.

Porrò remittitur peccatum, quando Deus cedit jure, quod habet ad rationabile odium propter peccatum commiſſum; tametſi retineat jus ad pœnam infligendam. Interim non ſolet Deus cedere jure, quod habet ad rationabile odium, niſi unà cedat jure, quod habet ad infligendam pœnam æternam: id eſt, remittendo culpam ſemper unà remittit pœnam æternam; quamquam, ut ſuo loco videbimus, hæ remiſſiones abſolutè ſeparari poſſint, id eſt, Deus poſſet remittere culpam, tametſi unà non remitteret pœnam æternam. 36 **Qua Deus ... tat pe... tum.**

Impræſentiarum quæro, an remiſsio peccati mortalis fieri poſsit ſine infuſione gratiæ, & ſi poſsit, an aliquando fiat.

CONCLUSIO VI.

De facto non remittitur peccatum mortale ſine infuſione gratiæ ſanctificantis; contrarium non implicat.

Prima pars eſt communis; & colligitur ex Scripturis, quæ remiſsioni peccatorum adjungunt infuſionem gratiæ. Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu*, ſcilicet per gratiam ſanctificantem. 361 **Proba... pars C... cluſ. ... Scripe... Rom. 1**

Et cap. 6. v. 4. ſic habes ſcriptum: *Conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Quæ autem illa vitæ novitas, niſi gratia ſanctificans? Hinc v. 22. *Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* **Rom. 6**

Ezech. Ezech. 18. v. 21. & 22. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis &c. vitâ vivet & non morietur.* Vita, inquam, quæ eſt gratia ſanctificans, & non morietur morte æternâ. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor, in iuſtitia ſua quam operatus eſt vivet.* Item Pſalm. 50. v. 11. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* **Pſal. 50. v. 11.** Et ut ſcires deletionem illam non fieri ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, continuò ſubjungitur: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.*

Hanc

Digitized by Google

362. & Conc. Trid. Hanc inſeparabilem, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, conjunctionem remiſſionis peccatorum cum infuſione gratiæ ſanctificantis, graphicè exprimit Concilium Trid. in primis ſeſſ. 5. in Decreto de Peccato originali can. 5. dicens: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet* &c. *anathema ſit.* Ecce collationem gratiæ, ſive ipſam gratiam, quaſi cauſam ſtatuit remiſſionis originalis peccati, & totius quod habet veram rationem peccati.

Hinc ſeſſ. 6. cap. 7. deſcribens juſtificationem peccatoris: *Quæ*, inquit, *non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſusceptionem gratiæ & donorum.* Et can 11. *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat*, &c. *anathema ſit.*

363. Objectio. Sed dicet aliquis: non renuo rem de facto ſic ſe habere in juſtificatione impii; aſt unde conſtat numquam remitti peccatum mortale extra juſtificationem, ſi id ſit poſſibile, ut habet altera pars Concluſionis?

Reſponſio. Reſpondeo; unde conſtat aliquando remitti extra juſtificationem? Sanè nullam hujuſmodi remiſſionem invenio vel in Scripturis, vel in SS. Patribus, aut Oecumenicis Conciliis; adeoque licèt poſſibilis ſit, tamen cùm pendeat à ſola voluntate divina, non eſt aſſerenda, niſi illius voluntatis aliquod extet indicium.

Igitur quantùm ad factum ſatìs conveniunt inter ſe Doctores Catholici: de poſſibilitate oppoſita diſputant, nonnullis exiſtimantibus, Deum nullatenus poſſe remittere peccatum ſine infuſione gratiæ, aut alterius formæ æquivalentis.

364. Non implicat Deum remittere peccatum mortale abſque infuſione gratiæ. Nos illam poteſtatem Deo nolumus eripere; ſed fidenter aſſerimus, nullam hactenus fuiſſe probatam implicantiam in remiſſione peccati mortalis abſque infuſione gratiæ, aut alterius ſimilis formæ. Hæc eſt ſententia Doctoris Subtilis, qui aſſerit 4. diſt. 16. q. 2. n 4. infuſionem gratiæ eſſe mutationem diſtinctam à remiſſione culpæ ibi: *Hæc ſit prima Concluſio, quòd infuſio gratiæ, & expulſio culpæ, ſeu magis propriè loquendo, remiſſio culpæ, non ſunt ſimpliciter una mutatio.*

Probatur ex Scoto. Hanc Concluſionem probat ſic: *Idem non ſeparatur ab eodem, accipiendo uniformiter identitatem & ſeparationem, puta ſi realiter, realiter, & ſi ratione, ratione (quia etiam hoc includit oppoſitum primi principii, ſcilicet quod idem ut eſt idem, ſimul ſit, & non ſit) ſed remiſſio culpæ, & infuſio gratiæ, poſſunt ab invicem ſeparari. Probatur tam comparando primum ad ſecundum, quàm è converſo: poſſet enim in ſtatu innocentiæ in genere humano (& ita factum eſt in Angelis, qui non peccaverunt) gratia infundi abſque culpæ remiſſione, quia nulla culpa infuit. Similiter poteſt culpa remitti abſque hoc, quod gratia infundatur: poteſt enim Deus de potentia abſoluta hominem creare in puris naturalibus ſine culpa, & ſine gratia: ergo & poſt lapſum talem reparare, & ita remittere culpam ſine infuſione gratiæ. Evidentia iſtius rationis patet ſuprà in quæſtione de Circumciſione diſt. 1.*

In hac autem quæſtione, quæ in ordine eſt ſexta, n. 2. inquirit: *An ex iſto ſuppoſito* (quod videlicet per Circumciſionem peccatum originale delebatur) *ſequatur neceſſariò gratiam in Circumciſione conferri. Et quia*, inquit, *dimiſſio culpæ, & collatio gratiæ ſive conjunctim, ſive ſeparatim, non reſpiciunt niſi potentiam divinam, aliquid autem dicitur poſſibile Deo dupliciter, ſcilicet ſecundùm potentiam abſolutam, vel ordinatam: ideo primò videndum eſt, an poſſibile ſit Deo de potentia abſoluta delere culpam originalem ſine infuſione gratiæ. Secundò, an hoc ſit ſibi poſſibile ſecundùm potentiam ordinatam.* Expectas reſolutiones Scoti? 365. Duplex Dei potentia abſoluta & ordinata. Scotus.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondet hiſce verbis n. 9. *Teneo, quod non eſt poſſibile de potentia ordinata culpam originalem, nec aliquam aliam mortalem dimitti ſine infuſione gratiæ; quia licèt abſolutè ſine contradictione poſſit eſſe medium in ſpecie humana inter filium regni, & filium perditionis, ſcilicet homo in puris naturalibus: tamen ſecundùm legem ſapientiæ divinæ, poſt lapſum nullum eſt medium inter gratum, qui eſt filius regni, & peccatorem, qui eſt filius carceris. Nec poteſt eſſe loquendo de potentia ordinata, id eſt, conformi legibus à ſapientia & voluntate divina determinatis: & ideo nullum liberat, nec ſic liberare poteſt à culpa, niſi cui dat gratiam.* De ordinatâ non eſt poſſibile peccatum mortale remitti ſine infuſione gratiæ, Scotus.

Quantùm autem ad potentiam abſolutam: *Concedo*, inquit Doctor n. 6. *Concluſiones ultimarum rationum, quòd de potentia abſoluta poſſet Deus dimittere culpam originalem non conferendo gratiam: & hoc maximè cùm gratia non opponatur formaliter peccato originali, nec modò dimittatur illud peccatum per collationem gratiæ, niſi quia gratia includit æquivalenter in acceptatione divina juſtitiam originalē, quæ formaliter opponitur peccato originali.* 366. ſecus de potentia abſoluta.

Cùm ergo ex ſententia Scoti, de qua præcedenti Concluſione, gratia non opponatur formaliter etiam peccato perſonali, nec modò dimittatur illud peccatum per collationem gratiæ, niſi dependenter à libera voluntate Dei, liquet profectò, quòd de potentia abſoluta poſſet Deus dimittere culpam perſonalem, non conferendo gratiam.

Sed contrà; ſi culpa dimittitur, divina offenſa remittitur: ergo peccator Deo reconciliatur: ergo per conſequens à Deo acceptatur; nullus autem à Deo acceptatur ſine gratia: ergo &c. Et confirmatur; quia ſi non eſt inimicus: ergo amicus. 367. Objectio

Reſpondet Doctor ſuprà nu. 7. *Concedo quòd divina offenſa placatur, & iſte cui dimittitur pecca-* Reſpondetur ex Scoto

peccatum, reconciliatur: ſed non ſequitur ergo eſt acceptus Deo iſtâ acceptione ſpeciali, quâ acceptus eſt per gratiam: homo enim in puris naturalibus eſt placitus Deo, non tamen acceptus ſpecialiter, hoc eſt, dignus vitâ æternâ; pax enim & reconciliatio non dicunt niſi Deum nolle vindicare culpam iſtam: ſed acceptare plus dicit, ſcilicet iſtum ordinare tamquam dignum vitâ æternâ. Patet etiam in nobis: poſſum enim alicui, qui offendit me, placari, ut non ſim ſibi inimicus, neque velim vindicare commiſſum, abſque hoc quod recipiam eum ad amicitiam ſpecialem, ſecundùm quam ordinetur ad aliquod bonum ſpeciale.

Ergo ſimiliter Deus poteſt alicui, qui ipſum offendit, placari, ut non ſit illi inimicus, neque velit vindicare commiſſum, abſque hoc quod recipiat eum ad amicitiam ſpecialem per gratiam, ſecundùm quam ordinetur ad gloriam. Quæ enim ratio diſparitatis?

368. *Deus de abſoluta potentia poteſt remittere unum peccatum mortale ſine illo.*

Conſequenter aſſero, ſicuti poſſum alicui, qui me multoties offendit placari, ut non ſim ipſi inimicus, neque velim vindicare hoc commiſſum, quamvis velim vindicare iſtud commiſſum; ita non apparet ratio, quare Deus non poſſit dimittere unum peccatum mortale, id eſt, placari, ut non ſit inimicus, neque velit vindicare hoc commiſſum, & non dimittere aliud; id eſt, non placari, & velle vindicare iſtud commiſſum, cùm utrumque commiſſum dignum ſit inimicitiâ, & pœnâ; hoc enim nihil aliud eſt, quàm Deum cedere juri, quod habet ad inimicitiam, & pœnam infligendam ex hoc peccato, & non cedere juri, quod habet ad inimicitiam, & eamdem, vel diverſam pœnam infligendam ex alio peccato, in quo nulla apparet implicantia, eſtò etiam remiſſio neceſſariò deberet fieri per infuſionem gratiæ, ſuppoſitâ ſemper veritate hactenus dictorum, videlicet gratiam non expellere peccatum niſi dependenter à libero decreto Dei, neque phyſicè, & ex natura ſua reddere hominem Dei amicum & hæredem vitæ æternæ, ſed ſolùm moraliter; quia de facto ſic Deus ordinavit, ut homo per gratiam ex inimico fieret amicus, & hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

369. *Ut gratia reddat hominem amicum Dei, neceſſe eſt ut expellat quodcumque peccatum mortale.*

Ad quem utique effectum neceſſe eſt, ut gratia expellat quodcumque peccatum mortale; nam relicto vel unico, foret homo ſimpliciter injuſtus, peccator, & indignus vitâ æternâ; tametſi haberet ſimul formam, quæ ſive ex natura rei, ſive ex congrua ordinatione Dei juſtum, ſanctum, & cælo dignum redderet, ſi omne peccatum abeſſet. Enimverò, ut communiter dicitur, bonum conſtat ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus.

Peccatum non efficit hominem inimicum Dei phyſicè & ex natura ſua.

Cæteroqui ſicuti gratia phyſicè & ex natura ſua non efficit hominem Dei amicum & hæredem vitæ æternæ, ſed tantùm moraliter, ſeu dependenter à libero decreto Dei juxta antedicta; ita neque operatio mala phyſicè & ex natura ſua efficit hominem inimicum Dei, & hæredem æternæ damnationis, ſed tantùm moraliter, ſeu dependenter ab ordinatione divina, quâ ſtatuit odio habere impium, & impietatem ejus vindicare pœnâ æternâ.

Et ratio eſt, inquit Felix de Peccatis c. 18. diffic. 2. n. 14 quia Deum ſe præbere per modum offenſi, eſt actus Dei liber ad extra: ergo nulla operatio etiam peſſima poteſt Deum obligare, ut præbeat ſe offenſum & inimicum: ſicut neque gratia, neque alia creatura poteſt Deum obligare, ut præbeat ſe amicum. *Pr... Fel...*

Et confirmatur; nam poſitâ quâcumque lege, quâ Deus præcipiat, ut homo bene moraliter operetur, poteſt Deus non adimplentem legem non expellere à ſua amicitia, & non præbere ſe illi inimicum, cùm in Deo ſit diſtinctum, ſaltem noſtro modo concipiendi, Deum velle ut homo bene moraliter operetur, & velle Deum vindicare peccatum & inimicum ſe præbere. Nam ad bonitatem Dei ſpectat, non ſe inimicum & offenſum oſtendere: in humanis enim homo ille qui injuriis afficitur, & nihilominus tantâ benignitate & patientiâ pollet; ut non ſe inimicum aut injurioſum præbeat, maximâ gaudet bonitate; ita Deus qui infinitâ pollet, poteſt ſe inimicum non præbere. *Co... tio.*

Dices; Deus nequit approbare malum Sap. 14 *Odio ſunt Deo impius & impietas*; ſed peccatum eſt malum, & hominem reddit malum: ergo neceſſariò Deus hominem odit. Reſpon. conc. Antecedens (auctoritas loquitur de facto) & negando Conſ. nam hominem ſpecificativè, vel propter aliquam formam ſupernaturalem compoſſibilem cum peccato, v. g. fidem, vel propter ipſum hominem bene poteſt approbare; ſicut nobis præcepit, ut inimicos diligamus, & deteſtemur inimicitiam. Hucuſque Felix. *Obje... ſolvit... Sap. 1...*

Si dixeris; in bonis operibus proxima dignitas ad præmium non poteſt auferri: ergo neque in malis operibus proxima dignitas ad inimicitiam, & pœnam. 371 *Alia ob... ctio.*

Reſpon. I. neg. Antecedens: ſi enim Deus non acceptaret bona noſtra opera ad præmium, non haberent proximam dignitatem ad illud, ut docet Scotus 1. diſt. 17 q. 3. n. 25. ibi: *Ad primum dico, quòd actus, qui eſt meritum, eſt in poteſtate mea ſuppoſitâ influentiâ generali ſi habeo uſum liberi arbitrii, & gratiam: ſed completio in ratione meriti non eſt in poteſtate mea niſi diſpoſitivè, tamen ſic diſpoſitivè, quod ex diſpoſitione divina* (ergo tantùm moraliter, & non phyſicè ſeu naturaliter) *ſemper ſequitur illud completivum ad agere meum, ſicut* (naturaliter) *ſemper ſequitur animatio ad organizationem factam à cauſa naturali.* *Reſpon... tur pri... proxim... dignitat... ad præm... in bon... peribus... venire... acceptat... ne divin... Scotus.*

Et n. 26. ſic inquit: *Deus ab æterno prævidens hunc actum ex talibus principiis eliciendum, voluit ipſum ordinatum ad præmium; & ita actu voluntatis ſuæ ordinando ipſum ad præmium, voluit ipſum*

Digitized by Google

ipſum eſſe meritum , qui ſecundùm ſe conſideratus abſque tali acceptatione divina , ſecundùm ſtrictam juſtitiam non fuiſſet dignus tali præmio ex intrinſeca bonitate , quam haberet ex ſuis principiis ; quod patet , ſemper enim præmium eſt majus bonum merito , & juſtitia ſtricta non reddit majus pro minus bono : ideo bene dicitur quòd ſemper Deus præmiat ultra meritum condignum , univerſaliter quidem ultra dignitatem actûs , qui eſt meritum , quia quòd ille actus ſit condignum meritum , hoc eſt ultra naturam & bonitatem actûs intrinſecam , ex mera gratuita acceptatione divina.

Reſp. II. neg. Conſeq. diſparitas aſſignatur, quia in bonis operibus homo ea offerens eſt quaſi actor, Deus autem quaſi reus ſeu debitor; ſolutio autẽ debiti non pertinet ad debitorem, niſi quatenus ille ſolvit, ſed ad creditorem; unde Deus non poteſt tollere jus mihi ortũ ex bono opere niſi ſolvendo: porrò in peccatis contrariũ evenit; nam Deus creditor ſeu actor eſt, homo autem debitor ſeu reus, creditor autem poteſt condonatione tollere debitum , etiam contra voluntatem debitoris ; condonatione , inquam , planè extrinſecâ inter homines abſque productione alicujus qualitatis phyſicæ in debitore, cur non ſimiliter inter hominem & Deum ? Cur ſicut homo poteſt alteri homini remittere injuriam , condonare debitum pœnæ mere extrinſecè , nihil omnino in altero producendo, ita pari ratione non poterit Deus remittere peccatori culpam , & pœnam , abſque infuſione gratiæ juſtificantis, aut alterius formæ phyſicæ naturalis , vel ſupernaturalis ?

Nonne Deus poteſt remittere obligationem voti ſolâ ſuâ voluntate , abſque productione alicujus formæ intrinſecæ , vel extrinſecæ ? Cur non ſimiliter obligationem pœnæ, ortam ex peccato ?

Quia , inquit Dicaſtillo hìc diſp. 1. n. 323. obligatio voti pendet ab extrinſeco acceptante, ſicut & quævis promiſſio pendet ab acceptante legitimè potente non acceptare , aut remittere verbum promiſſionis ; ſicut etiam obligatio orta ex contractu, diſſolubili ex voluntate contrahentium , & obligatio ex injuria reſultans , pendet ex voluntate condonantis, ita ut ille extrinſecus terminus ſit una ex præviis requiſitis , ut obligatio ſit, & eâ deficiente , deficit obligatio : in noſtro autem caſu non ſic ; contendimus enim maculam , & peccatum operis , contra rationem facti , non pendêre ab extrinſeco ; ſed ex natura operis facti contra fas & regulam rationis , quatenus tale opus facere , aut omittere abſolutè , vel ſub talibus circumſtantiis , diſſonat rationi ; tum æternæ Dei , tum participatæ à creatura , ſive Deus id velit punire, ſive non, & ideo Deus odit hoc , quia diſſonat : unde ipſa diſſonantia antecedenter præſupponitur , & homo eſt inordinatus ; non quia Deus odit & opus , & operantem , ſed è contra , ideo Deus odit , quia res eſt diſſona ; nec Deus poteſt aliter coodonare , niſi donando aliquid , quo poſito , tollatur ab homine illa diſſonantia juxta dicta ; quod verò dicitur de poteſtate Dei ad condonandam pœnam abſque mutatione intrinſecâ, non urget ; quia ad hoc ſufficit , quòd nolit Deus illam infligere , adhuc manente homine maculato maculâ culpæ , & digno tali pœnâ. Sic Deus in hac vita ſæpè non punit , quod dignum erat punitione ; non tamen ideo homo peccans deſinit eſſe dignus eâ pœnâ , & caret culpâ. Huc uſque Dicaſtillo.

Sed non videtur ſatisfacere illis, qui docent cum Scoto 4. diſt. 1. q. 1. n. 33. *quod per peccatum non eſt aliquis formaliter inimicus , ſed tantummodo demeritoriè.* Dico ergo , maculam peccati , in quocumque illa conſiſtat , ſic pendêre ab extrinſeca voluntate Dei , ut ſi Deus voluiſſet , ceſſante actu peccati tam interiori quàm exteriori , nulla omnino fuiſſet relicta deordinatio ex tali actu in peccatore. Diſſonat quidem rationi tale opus facere aut omittere abſolutè , vel ſub talibus circumſtantiis , & ideo quamdiu phyſicè exiſtit , diſplicet Deo, & odit illud Deus ; attamen ut illo ceſſante continuetur diſplicentia & odium Dei , pendet à libera ipſius poteſtate ; quamvis enim homo dignus ſit , ut propter illud opus , etiam phyſicè tranſactum , odio habeatur à Deo , & puniatur pœnâ æternâ , equidem nulla oſtenditur neceſſitas actualis odii , aut punitionis. 374. Sed non videtur ſatisfacere. Quomodo macula peccati pendeat ab extrinſeca voluntate Dei.

Nonne Deus neceſſariò amat hominem, aut illi neceſſariò vult vitam æternam propter bonum opus præteritum , adeò ut ſecluſâ liberali promiſſione homo poſſit dicere Deo : *Redde quod debes , quia feci quod juſſiſti* ? Non ſic loquitur S. Auguſtinus , ſed ut vidimus Concluſ. præcedenti : *Redde quod promiſiſti , quia fecimus quod juſſiſti.* Serm. 16. de Verb. Apoſt. & tamen opus bonum ante promiſſionem Dei , dignum quodammodo eſt, quod ametur, quod gloriâ æternâ coronetur , & quando fit , neceſſariò placet Deo, interim quia dignitas illa, radicalis tantùm eſt & remota , quod opere bono tranſacto Deus propter illud amet hominem , eique velit gloriam æternam , dependet ab ejus libera voluntate. 375. Uti etiam vita æterna propter opus bonum. S. Aug.

Sicut ergo Deus potuit facere , ut nullum foret opus meritorium vitæ æternæ , aut meritorium pœnæ æternæ, ut nulla eſſet pulchritudo habitualis , aut turpitudo habitualis ; ita facere poteſt , ut poſtquam turpitudo habitualis ſeu macula peccati infuit , ampliùs non inſit , remittendo videlicet jus ſuum , quod habet ad odium , & pœnam propter peccatum præteritum, id eſt, nolendo ampliùs jus ſuum retinere quod aliàs poſſet retinere , ad quod non requiritur infuſio gratiæ , aut alterius formæ ſanctificantis , cùm hæc remiſſio nihil aliud ſit , quàm pro hoc tempore velle

Digitized by Google

peccatorem odiſſe propter peccatum præteritum, & velle ipſi infligere pœnam æternam; pro alio autem tempore nolle.

376. Objectio. Dices; ſi condonatio merè extrinſeca eſſet poſſibilis, ſequeretur, de facto peccatum ſufficienter condonari per Abſolutionem, priùs naturâ quàm infundatur gratia; nam formaliter per condonationem macula peccati auſertur. Cùm ergo Abſolutio Sacerdotis contineat condonationem, quâ Sacerdos nomine Dei condonat, & hæc præcedat naturâ tamquam cauſa effectum, ipſam ſcilicet gratiæ infuſionem, ante infuſionem gratiæ intelligi debet ablatum peccatum.

Prima reſponſio. Scoti. Reſp. I. concedendo totum. *Si quæras*, inquit Scotus 4. diſt. 16. q. 2. n. 19. *quem ordinem habent iſta, ſcilicet gratia, & non culpa, ut ſunt obiecta ſecundaria divinæ voluntatis? Reſpondeo, ſicut dictum eſt lib. 1. diſt. 41. q. de Prædeſtinatione, eo modo quo eſt ordo volitionis divinæ ad obiecta ſecundaria; prius enim vult propinquius fini, & ita ſimpliciter prius vult iſti pro A. poſtquam ſcilicet peccavit, gratiam, quam non vindicare, loquendo de prioritate intentionis; ſed exequendo vult è converſo: ſicut enim prius vult iſtum habere merita, quàm gloriam, ita vult prius ordine executionis iſti non ineſſe culpam, quàm ineſſe gratiam.* Ergo ſecundùm Scotum ante infuſionem gratiæ, quæ non eſt aliud quàm *ineſſe gratiam*, intelligi debet ablatum peccatum, id eſt, *non ineſſe culpam.*

Remiſſio culpæ præcedit infuſionem gratiæ.

Conc. Trid. Quin immo hunc ordinem putant nonnulli ſignificaſſe Concilium Trident. quando ſeſſ. 6. c. 7. ait: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed &* (id eſt, etiam) *ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ* &c. Quod an verum ſit, patebit ex dicendis.

377. Objectio ſolvitur, & probatur ex Trident. infuſionem gratiæ & expulſionem culpæ non eſſe unam mutationem. Si inferas: ergo gratia non eſt unica formalis cauſa juſtificationis. Reſpondeo neg. Conſeq. & adverto, ex illo Tridentini non modicum confirmari ſententiam Scoti, per quam ſuprà n. 4. aſſerit, infuſionem gratiæ, & expulſionem culpæ non eſſe ſimpliciter unam mutationem; non modicum, inquam, confirmari hanc ſententiam, quandoquidem ibi à Concilio *peccatorum remiſſio*, &, *ſanctificatio*, id eſt, infuſio gratiæ ſanctificantis, enumerentur tamquam diſtincta; uti etiam in eodem cap. ibi: *Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.*

Non eſt ordo aliquis cauſalitatis inter infuſionem gratiæ & expulſionem culpæ. Non dicit Concilium; *per infuſionem fidei, ſpei, & charitatis accipit homo remiſſionem peccatorum*, ſed, *cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit*, ut ſignificet concomitantiam remiſſionis peccatorum, minimè autem cauſalitatem unius reſpectu alterius: quod ante Concilium notavit Doctor Subtilis ſuprà n. 19. in fine, ubi ſic lego: *Vel ſi dicatur, quod per ineſſe vel non ineſſe* (culpam) *nihil ponitur in iſto* (homine) *extra, ſed tantùm ut eſt obiectum voluntatis divinæ; poteſt dici conſequenter, quòd hæc obiecta ſecundùm perfectionem habent ordinem quemdam, ut in ea tendit voluntas divina, ſed ſecundùm cauſalitatem vel generationem nullum ordinem habent.* Sen

Ibidem de hoc puncto ita diſcurrit Doctor: *Sed an gratiam ſequatur expulſio culpæ, dubium eſt, cùm non ſit formaliter oppoſita* (gratia culpæ) *ut probatum eſt in tertia ratione, & prima concluſione ſolutionis. Sed poſſet dici negando illud, quia contradictio eſt eſſe amicum Deo, & non amicum; per gratiam eſt amicus, per culpam verò inimicus: ergo &c.* An g mag rat tiam quàt cont Scot

Sed hoc non cogit, quia amicitia per gratiam eſt ordinari ad vitam æternam: inimicitia per culpam eſt ordinari ad pœnam condignam. Hæc poſſunt ſimul ſtare, licèt non pro eodem nunc; ſaltem quomodocumque ſint oppoſita (ſi non phyſicè, certè moraliter) *magis videtur formalis conſequentia ad ineſſe gratiam, non ineſſe culpam* (puta ineſt gratia, ergo non ineſt culpa) *quàm è converſo* (non ineſt culpa, ergo ineſt gratia) *quia in ſecundo antecedens nullo modo ponit conſequens.*

Sed ſi quæratur de prioritate cauſalitatis inter iſta. Reſpondeo, non eſt quæſtio; nec enim iſta negatio obligationis, quæ non eſt niſi negatio entis rationis cauſa eſt gratia, nec è converſo (gratia cauſa iſtius negationis) *quia ſola voluntas divina ex ſua iuſtitia determinat illam obligationem, ſed ex miſericordia non obligationem.*

Placet adjungere quod in eadem quæſtione ſcribit n. 18. *Secundum*, inquit, *Argumentum de priori, & poſteriori, ponderatur ab aliquibus in iſta materia, quia ponendo diſtinctionem iſtorum* (expulſionis culpæ, & infuſionis gratiæ) *tamquam mutationum, quærunt ordinem inter ea. Breviter dico, quod ſecundùm Philoſophum 5. Metaph. cap. de priori, & 9. Metaph. cap. 7. Aliqua ſunt priora generatione, aliqua perfectione; & iſtæ prioritates communiter è converſo ſe habent: in via enim generationis imperfectiora ſunt priora. Hoc modo dico, quod ſi expulſio culpæ eſſet aliquod ens, & infuſio gratiæ; viâ generationis prior eſſet expulſio culpæ; ſed è converſo via perfectionis prior eſſet infuſio gratiæ, quia immediatior ipſi fini, quod eſt ſimpliciter perfectum in iſto ordine.* 3 Prioi netat ſunt riora ſtioni Scoti Ariſto

Similiter de prioritate conſequentiæ, patet quod imperfectius eſt prius, ſicut animal eſt prius ſecundùm conſequentiam, quàm homo (bene enim ſequitur: homo eſt, ergo animal eſt; & non è converſo; animal eſt, ergo homo eſt) *& univerſaliter conſequens eſt imperfectius, quàm antecedens. Sic eo modo quo eſſet conſequentia inter iſta* (expulſionem culpæ, & infuſionem gratiæ) *expulſio ſequeretur ad infuſionem gratiæ, non è converſo. Non enim ſunt oppoſita immediata ſimpliciter ex natura extremorum, ſed ex inſtitutione divina: & non ſequitur inductio unius ad amotionem alterius, niſi in oppoſitis immediatis ſecundùm ſe.* An co quens imper antece te?

Tran-

Digitized by Google

380. Tranſeat ergo, quòd expulſio culpæ in executione & viâ generationis ſit prior infuſione gratiæ, quatenus videlicet expulſio peccati eſt diſpoſitio, & tollit impedimentum ad infuſionem gratiæ; num indè ſequitur, quòd gratia non ſit unica cauſa formalis juſtificationis? Planè, inquis, quoniam cauſa formalis prior eſt ſuo effectu: ergo vel expulſio peccati ſequitur infuſionem gratiæ, vel habet diſtinctam cauſam formalem; cùmque illa expulſio ſit pars, ut ſic loquar, juſtificationis, jam non unica, ſed duplex erit cauſa formalis juſtificationis, ſicut eſt duplex mutatio ſecundùm Scotum ſuprà n. 4. Et verò quæ alia erit cauſa formalis expulſionis peccati, quàm extrinſecus favor Dei, quem in hæreticis damnat Trident. ſeſſ. 6. c. 7.?

381. Reſpondeo, expulſionem culpæ non eſſe aliquod ens reale, ſed, ut ſuprà dicit Scotus, negatio entis rationis; quæ nullam habet cauſam formalem, ſed reſultat ex voluntate Dei, nolentis ampliùs vindicare peccatum, & propter peccatum manere averſus ab homine, quæ voluntas nihil intrinſecum ponit in homine, & ideo ſola non ſufficit ad juſtificationem, ſive ad plenam & perfectam juſtitiam; ut contra hæreticos definit Trident. ſeſſ. 6. can. 11. hiſce verbis: *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſolà imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolà peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei; anathema ſit.*

Quid vobis videtur? Num Trident. hìc negat favorem Dei concurrere ad juſtificationem? Quis non videt potiùs hunc concurſum aſſerere? Quid ergo? Aſſerit, gratiam quâ perfectè juſtificamur non eſſe tantùm favorem Dei, non eſſe ſolam remiſſionem peccatorum, aut ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti, ſed inſuper charitatem; diffuſam per Spiritum ſanctum in cordibus eorum, qui juſtificantur, quod omnes Catholici fatetur, quamvis aliqui exiſtiment illam charitatem ex natura ſua non remittere peccata, ſed ex ſola ordinatione divina; adeoque favorem Dei concurrere, licèt ſolus non ſufficiat ad plenam & perfectam juſtitiam, per quam de facto peccator ex inimico fit amicus, & hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

382. Hanc formam intrinſecam, charitatem, inquam, diffuſam per Spiritum ſanctum in cordibus eorum, qui juſtificantur, negabant hæretici neceſſariam ad plenam & perfectam juſtitiam, cauſantes, homines formaliter juſtos eſſe per juſtitiam Chriſti, quâ nobis meruit juſtificationem, præſertim accedente certâ fide juſtificationis, ſeu remiſſionis peccatorum.

Patet ex diverſis Canonibus ejuſdem ſeſſionis. Can. 10. *Si quis dixerit, homines, ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, aut per eam ipſam formaliter juſtos eſſe; anathema ſit.* Can. 12. *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quàm fiduciam divinæ miſericordiæ, peccata remittentis propter Chriſtum; vel eam fiduciam ſolam eſſe, quâ juſtificamur; anathema ſit.* Can. 13. *Si quis dixerit, omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, ut credat certò, & abſque ulla hæſitatione propriè infirmitatis & indiſpoſitionis peccata ſibi eſſe remiſſa; anathema ſit.* Can. 14. *Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolvi, ac juſtificari ex eo, quod ſe abſolvi ac juſtificari certò credat, aut neminem verè eſſe juſtificatum, niſi qui credat ſe eſſe juſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & juſtificationem perfici; anathema ſit.* Canonibus.

383. Hi ſunt errores, quos damnat Concilium Trid. Porrò gratiam ſive charitatem diffuſam per Spiritum ſanctum in cordibus eorum, qui juſtificantur, phyſicè & ex natura ſua expellere peccatum, nuſpiam docet vel hoc, vel aliud Concilium. Similiter nuſpiam docent Concilia, gratiam phyſicè & ex natura rei facere hominem ex inimico amicum, & hæredem ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Facit tamen ex inimico amicum etiam ſecundùm noſtra principia, ſed ex ſpeciali favore ſeu acceptatione Dei, quæ acceptatio nullibi à Conciliis reprobatur. Trident. nuſpiam docet charitatem ex natura ſua expellere peccatum.

An autem ille favor debeat dici extrinſecus, quæſtio eſt de nomine; putant aliqui, quòd licèt acceptatio ad gloriam dicatur extrinſeca gratiæ, quatenus eſt per actum Dei acceptantis, non tamen poſſe dici extrinſecum favorem; quoniam non conſiſtit in ſola extrinſeca imputatione, ſed ordinatur ad futurum effectum realem & intrinſecum, ſcilicet gloriam aliquando conferendam ratione gratiæ, & qui dat formam, dat conſequentia ad formã. An favor Dei, quem nos requirimus, debeat dici extrinſecus, eſt quæſtio de nomine.

384. Adde, quòd hæc acceptatio non eſt nova, conſequens gratiam jam infuſam, ut aliqui Recentiores exiſtimant Scotiſtas ſentire, ſed eſt antiqua ex decreto Dei de facto annexa gratiæ habituali, & in illa imbibita; & ita de facto gratia eſt perfecta juſtitia, licèt totum quod habet, non habeat ex natura rei, ſed aliquid ex pacto, aliquid ex natura rei, ut optimè notavit Scotus 1. diſt. 17. q. 3. ubi n. 26. ſic ait: *Ad illud quòd ſecundò adducitur pro ſecundo membro, quod actus meretur acceptare. Reſpondeo, in hoc eſt ratio meriti ſecundùm quid, quia non eſt ordinatio actûs ad beatitudinem, ut ad præmium juſtè reddendum pro tali actu, & conceditur, quòd acceptatio iſta paſſiva divina, non includitur in ratione meriti ſecundùm quid: ſicut non requiritur in ratione meriti de congruo, quomodo attritus meretur juſtificari. Et quod prædictum eſt* (ſcilicet de acceptatione requiſita ad meritum condignum) *eſt intelligendum de acceptatione æternâ, quâ Deus ab æterno prævidens hunc actum ex talibus* Non conſequitur gratiam jam infuſam.

talibus principiis eliciendum voluit ipſum ordinatum ad præmium. Ergo conſimiliter, quod dicitur de acceptatione gratiæ ad effectum gloriæ, & remiſſionis peccatorum, intelligendum eſt de acceptatione æterna, quâ Deus ab æterno voluit cum infuſione gratiæ remittere peccata, & dare jus ad vitam æternam.

385. **Secunda reſponſio ad principalem objectionem.** Hinc, ut revertamur ad principalem objectionem, tametſi condonatio merè extrinſeca foret poſſibilis (quod putamus) adhuc poſſet negari hæc conſequentia: ergo de facto peccatum ſufficienter condonatur per abſolutionem Sacerdotis priùs naturâ, quàm infundatur gratia; quia dici poſſet, quòd de facto Deus ordinaverit non condonare peccatum, niſi præviâ, aut ſaltem concomitante infuſione gratiæ; adeoque licèt Sacerdos nomine Dei condonet, non tamen niſi concomitante infuſione gratiæ; cùm Deus de facto non aliter condonet, quamvis poſſet ſine infuſione gratiæ condonare, & infundere gratiam ſine condonatione.

386. **Objectio.** Si inferas: ergo poſſet quis eſſe ordinatus ad vitam æternam, etiamſi non eſſet juſtus. Item poſſet augeri habitus gratiæ ſecundùm rationem acceptationis, & non ſecundùm rationem habitûs phyſici.

Reſponſio. Reſpondeo conc. totum de potentia Dei abſoluta. Immo de facto probabiliter contingit, quòd qui habet quatuor gradus gratiæ, & operatur ut tria, ſit acceptus ad ſeptem gradus gloriæ, & non habeat niſi quatuor gradus gratiæ, ut infrà videbimus.

De primo lego apud Scotum ſuprà n. 29. hæc verba: *De ſecundo articulo dico, quòd Deus de potentia abſoluta bene potuiſſet acceptare naturam beatificabilem acceptatione ſpirituali prædicta* (puta ad vitam æternam) *exiſtentem in puris naturalibus. Et ſimiliter actum ejus, ad quem eſſet inclinatio ejus merè naturalis, potuiſſet acceptare ut meritorium. Sed non creditur ita diſpoſuiſſe, quòd naturam puram, vel actum ejus ſic acceptet: quia actum ex puris naturalibus eſſe meritorium appropinquat errori Pelagii; ideo veriſimilius creditur, quod acceptet naturam, & actum ejus tamquam meritorium, per habitum ſupernaturalem.*

387. **Alia objectio ſolvitur.** Si rurſum inferas: ergo per gratiam potiùs reputamur filii & amici Dei, quàm verè à parte rei ſimus. Reſp. neg. Conſeq. nam per gratiam verè & propriè ſumus filii Dei, licèt non ex ſola natura rei, ſed ſimul ex pacto connexo & imbibito in ipſa gratia.

Veluti in noſtra ſententia, in qua gratia de potentia abſoluta poteſt eſſe ſimul cum peccato, non ſolùm tegitur peccatum, ut dicebant hæretici, ſed adhuc verè & propriè peccatum excluditur per gratiam, licèt non ex ſola natura rei, ſed ſimul adhibito pacto, imbibito in ipſa gratia, cum qua proinde conſtituit unicam cauſam formalem juſtificationis.

388. Neque propterea loquimur in ſenſu quorumdam Canonicorum Colonienſium in libello, qui inſcribitur *Antidagma* tit. de Juſtif. cap. *Per quas cauſas juſtificemur*; nam iſti non videntur ponere gratiam inhærentem, ſicuti nos ponimus, ſed dicebant (ut refert Vaſquez 1. 2. diſp. 202. c. 1.) *Eodem modo juſtificamur à Deo juſtitia duplici tamquam per cauſas formales & eſſentiales, quarum una & prior eſt conſummata Chriſti juſtitia, non quomodo extra nos in ipſo eſt, ſed ſicut & quando eadem nobis, dum tamen fide apprehenditur, ad juſtitiam imputatur. Hæc ipſa nobis ita imputata juſtitia Chriſti præcipua eſt, & ſumma juſtificationis noſtræ cauſa.*

Ubi, inquit Felix de grat. c. 8. diff. 9. n. 11. hi Canonici primò non dicunt eſſe cauſas formales, ſed, *tamquam*; quod ſi daretur forma intrinſeca, non dicerent, *tamquam*. Sed hæc conſideratio eſt parvi momenti.

Secundò, inquit idem Auctor, dicunt eſſe in nobis eamdem juſtitiam Chriſti per imputationem, & quando creditur nobis imputari, quod nos nullo modo dicimus, ſed fatemur formam intrinſecè inhærentem, etiamſi dicamus, quòd omnes ſuos effectus formales non præſtet ex natura rei, ſed aliquos ex pacto Dei. Sed quidquid ſit de ſententia horum Colonienſium, & Alberti Pyghii, ſi tenent noſtram ſententiam, nihil definitum eſt contra ipſos; quod ſi malè audiunt apud Catholicos, ex eo eſt, quia Catholici exiſtimant eos convenire cum hæreticis. Hæc Felix.

Qui ibidem n. 12. fatetur eſſe unicam formalem cauſam, ſed non indiviſibilem, verùm conflatam ex entitate phyſica gratiæ, & ex moralitate provenientem ex favore Dei; unde, inquit, talis moralitas vel intrinſeca denominatio non eſt in homine, ſed in ipſa gratia, quæ formaliter & intrinſecè reddit hominem amicum & filium Dei, & expellit peccatum, licèt hoc non efficiat ex natura rei, ſed ex pacto imbibito. Hactenus Felix. 38[9] **Unica cauſa ... ſed n[on] diviſi[bilis] Felix.**

Sicut ergo ab uno calore ſubjectum eſt calidum, & frigus eſt expulſum ab eodem ſubjecto; ita ab una gratia homo eſt amicus & filius Dei, & peccatum eſt expulſum ab eodem homine, cum hac ſola differentia, quòd calor utrumque illum effectum, unum poſitivum, alterum privativum, cauſet phyſicè, gratia autem ſolùm moraliter. Unde veluti in calefactione illius ſubjecti duplex intervenit mutatio, una à privatione caloris ad calorem, quæ eſt mutatio poſitiva, altera à frigore ad privationem frigoris, quæ eſt mutatio privativa; ſimili ratione in juſtificatione peccatoris duplex cernitur mutatio, una poſitiva & realis à privatione gratiæ ad ipſam gratiam, altera privativa, ſed rationis tantùm, à peccato ad ejus expulſionem ſeu privationem.

Dico: *Sed rationis tantùm*, quia *obligatio ad pœnam pro culpa remiſſa non eſt aliquid reale in anima poſt actum præteritum, ſed eſt tantùm relatio* 390. **Mutatio peccato[ris] ejuſdem**

rationis

Digitized by Google

rationis in objecto volito, ut volitum eſt: ergo remiſſio qua eſt ab obligatione iſta, ad non obligationem, non eſt mutatio realis. Conſequentia patet; *quia non eſt mutatio realis, niſi ſit in terminum realem poſitivum, vel privationem realem.*

Antecedens declaratur; quia ſicut volitum à me, per hoc, quod eſt à me volitum, nullam habet formam realem novam abſolutam vel relativam, ſed tantùm relationem rationis correſpondentem reali volitioni in me: ita per hoc, quòd aliquis eſt volitus, vel ordinatus ad pœnam à voluntate divina, poſtquam commiſit culpam, cùm culpa non remaneat (phyſicè) *nec aliquod reale poſitivum vel privativum: nec alia relatio realis fundata ſuper culpam remanebit, ſed tantùm rationis.* Hæc Scotus 4. diſt. 16. q. 2. n. 7. poſtquam n. 6. docuiſſet, remiſſionem culpæ non eſſe mutationem realem.

Secunda, inquit, *Concluſio eſt hæc: Infuſio gratiæ, & remiſſio culpæ, non ſunt duæ mutationes reales. Hoc probatur, quia infuſio gratiæ eſt mutatio realis, quia eſt inter privationem formæ realis ad formam illam: remiſſio autem culpæ non eſt mutatio realis.*

391. [illegible] Cæterùm hanc duplicem mutationem haud obſcurè, ut ſuprà notavi, indicat Concilium Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ibi: *Quæ* (juſtificatio) *non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed &* (id eſt, etiam) *ſanctificatio & renovatio* &c. Et infrà: *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo* &c.

Chryſoſtom. His conſonat D. Chryſoſtomus Homil. 20. in Geneſim dicens: *Num grave aliquid & moleſtum à nobis requirit Deus? Contritionem vult cordis, compunctionem mentis, confeſſionem ruinæ, ſedulitatem continuam, & non ſolùm largitur vulnerum curam, & à peccatis mundos oſtendit, ſed & eum qui antea innumeris peccatorum ſarcinis gravabatur, juſtum efficit.* Ubi duæ mutationes ſignificantur, ſicut cùm dicimus; *Per calefactionem non ſolùm producitur calor, ſed etiam expellitur frigus,* quo loquendi modo non utimur in ſimplici mutatione; non enim dicimus: *Per illuminationem non ſolùm producitur lumen, ſed etiã expelluntur tenebræ.*

392. Concil. Moguntin. Idem docet Synodus Moguntina ultima c. 7. ibi: *Quæ juſtificatio cum peccatorum remiſſione, etiam ſanctificationem, & interni hominis renovationem confert.* Si remiſſio peccati nequidem per Deum aliter fieri poteſt, quàm per infuſionem gratiæ, hoc eſt, per ſanctificationem, & interni hominis renovationem, cur Eccleſia adeò fuit ſolicita, ut remiſſioni peccatorum ſemper conjungeretur ſanctificatio, & interni hominis renovatio?

Trident. Tridentinum ſeſſ. 5. in Decreto de Peccato originali can. 5. *Qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes*, per remiſſionem peccatorum, *& novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt*, per ſusceptionem gratiæ ſanctificantis, *induentes* &c. Nam per gratiam, ſi non phyſicè, ſaltem moraliter participamus eſſe Dei, & efficimur conſortes naturæ divinæ, quod nullatenus competit ex ſe remiſſioni peccatorum.

Sed audiamus Innocentium III. cap. *Maiores* de Baptiſmo, ubi ſic ſcribit: *Illud verò quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem aliaſq; virtutes parvulis, utpote non conſentientibus, non infundi, à pleriſque non conceditur abſolutè, cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæſtio referatur: aliis aſſerentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus, dimitti peccatum, & virtutes infundi* &c. 393. Item ex Innoc. III. cap. *Maiores* de Baptiſ.

Dubitas de probabilitate utriuſque ſententiæ? Omne dubium diſſolvet Clemens V. in Clem. unica de ſumma Trinit. ibi: *Verùm quia quantùm ad effectum Baptiſmi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe: Quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: Aliis è contra aſſerentibus, quòd & culpa eiſdem in Baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti (quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit, tam parvulis quàm adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes) tamquam probabiliorem & dictis Sanctorum; ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam.* Clement. de ſumma Trin.

Et quamvis hodie illa ſententia fortè ſit definita per Concilium Tridentinum ſuprà, ubi dicit anathema illi, qui *per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat*, equidem ex eo minimè conſequens eſt, non poſſe abſolutè remiſſionem peccati ſeparari ab infuſione gratiæ; quia multa Deus abſolutè poteſt facere, quæ de facto non facit. Et quæſtio inter Doctores illos Theologos non erat de poſſibili, ſed de facto. Poſſibilitatem ergo omnes ſupponebant, de facto autem diſputabant. Unde qui factum negabant, non leguntur allegaſſe impoſſibilitatem, neque Clemens allegat; ſed ſolummodo generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis. 394. Fortè hodie definitum eſt parvulis in baptiſmo conferri gratiam informantem. Conc. Trid.

Dixi notanter, *Fortè*; quia nonnulli per ly *Gratiam* in illo canone intelligunt quodcumque beneficium ſpeciale, quod ex meritis Chriſti præſtatur parvulis in Baptiſmate, ſive ſit gratia informans, ſive favor aliquis extrinſecus, dummodo tale beneficium ſit, per quod remittatur reatus peccati originalis, & totum id quod veram & propriam peccati rationem habet; non enim intentio Concilii erat, illâ Seſſione, definire naturam gratiæ juſtificantis; ſed tantummodo decernere transfuſionem peccati originalis, ejuſque

Digitized by Google

remiſsionem per meritum unius Mediatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut patet ex contextu.

395. Objectio ex Conc. Trid. Rogat aliquis, ſi jam dicta vera ſint, quomodo ergo rectè Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. dicat, quòd juſtificatio *ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei &c?* cùm in his verbis tantùm inſinuetur unica mutatio; utì etiam in illis cap. 7. *Vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus.*

Reſponſio. Reſpondeo, Concilium ibi ſolùm velle, juſtificationem eſſe verum motum à contrario in contrarium terminum; contrarium, inquam, ſaltem moraliter, & eſſe expulſionem unius, & introductionem alterius; ſed exinde non ſequitur eſſe unum motum ſimplicem. Sicuti quamvis idem Concilium ſeſſ. 13. cap. 4. Tranſubſtantiationem vocet ſingulariter, *Converſionem*, & non pluraliter, *Converſiones* ibi: *Quæ converſio convenienter & propriè à ſancta Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata.* Similiter can. 2. ibi: *Quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationem appellat.* Scholaſtici tamen fatentur, duplicem ibi eſſe mutationem, unam privativam, quæ terminatur ad deſitionem ſubſtantiæ panis, alteram poſitivam terminatam ad præſentiam corporis Chriſti.

396. Alia objectio ex Scoto. Sed rurſum alius clamat: Scotus expreſsè negat duplicem mutationem 4. diſt. 16. q. 2. n. 16. ibi: *Sed ſi ex illa auctoritate velis probare duas eſſe mutationes, infuſionem* (gratiæ) *& expulſionem* (peccati) *per hoc quod peccare, & gratiam corrumpi ſunt duæ mutationes: ergo à ſimili in propoſito. Dico, quòd conſequentia non valet; quia illa culpa, ad quam eſt motus peccati vel peccandi, non manet uſque ad infuſionem gratiæ; nec etiam tunc poſſet eſſe terminus à quo propriæ mutationis: ſed illâ culpâ tranſeunte, manet ſola obligatio in iſto, ut eſt obiectum ſecundarium voluntatis divinæ, & illa in iuſtificatione non poteſt eſſe terminus à quo alicuius mutationis propriæ.*

Occurritur reſponſioni. Nec ſatisfacies ſi dixeris, Scotum ibi per *mutationem propriam*, intelligere mutationem realem; nam n. 17. ſic ait: *Ad ultimum de diſpoſitione ad formam, ad quam diſponit; dico, quòd iſta remiſſio privativa, quæ eſt carentia obligationis ad pœnam, non eſt aliqua diſpoſitio realis ad amicitiam ſeu gratiam: & ideo ipſa remiſſio accepta quaſi terminata ad hanc carentiam, non eſt aliqua mutatio realis. Si ergo accipias, quòd remiſſio mutatio, eſt diſpoſitio ad illam mutationem, quæ eſt infuſio gratiæ, nego: quia remiſſio non eſt aliqua mutatio, neque activa, neque paſſiva, nec rei, nec rationis.* Ubi expreſsis verbis negat mutationem rationis.

397. Explicatur doctrina Scoti. Planè negat, ſed in quo ſenſu? Diſces ex n. 15. ſequentis tenoris: *Poteſt dici, quòd ubi actus, in quo obiectum habet eſſe rationis, poteſt eſſe terminus mutationis realis, ibi poteſt obiectum mutari mutatione rationis: ſicut lapis poteſt fieri de non intellecto, intellectus à me; quia intellectio eius in me poteſt eſſe nova. Sed ubi actus nullo modo eſt terminus mutationis realis, ibi obiectum ut in actu, non poteſt mutari mutatione rationis. Huiuſmodi eſt velle divinum; & per conſequens Petrus ut eſt obiectum iſtius actus, quia ut extra habens eſſe novum, non habet noviter rationem obiecti, ſed uniformiter in æternitate, & ita nulla videtur eſſe concedenda mutatio, nec rei, nec rationis in Petro, quando dicitur culpa ſibi eſſe remiſſa.* Quia videlicet nulla fit mutatio, nec rei, nec rationis in voluntate divina, quæ ab æterno pro hoc nunc volebat vindicare peccatũ in Petro, & pro alio nunc nolebat vindicare.

Eſſe volitum non mutationis. volitio eſt term mutatio

De potentia ordinata non remittitur peccatum ſine gratia. *Concomitatur tamen ibi* (proſequitur Doctor) *remiſſionem illam activam Dei, & paſſivam ſecundum dici in Petro, quædam mutatio realis; & hoc ſemper de potentia ordinata, quæ eſt ad gratificandum Petrum; quia de potentia ordinata, nulli remittit Deus pro A. quin illum pro tunc gratificet: ſed de potentia abſoluta, & in re extra, & in actu intra pro æternitate poſſent iſta ſeparari, ut ſcilicet remitteret Petro in A. adveniente A. quod non eſt, niſi actus immanens Deo, & tamen non gratificaret ipſum in A. aliquo actu tranſeunte extra, ſi in æternitate vellet remittere in A. & tamen non vellet in æternitate gratificare pro A. quia primum nihil dicit, niſi negationem actûs poſitivi, qui eſt velle punire, ſecundum autem dicit actum alium poſitivum.* Hæc ille.

398. In aliquo ſenſu remiſſio culpæ poteſt vocari mutatio rationis. Interim in aliquo ſenſu, remiſsionem culpę poſſe appellari mutationem rationis, perſpicuè manifeſtum fit ex his, quæ ibidem ſcribit n. 18. *Ad rationes*, inquit, *in oppoſitum. Ad primam dico, quòd ſicut reatus, vel planius obligatio ad pœnam, quæ ſola manet poſt tranſitum actûs interioris & exterioris in peccato eſt ens, quia rationis, & ſic eſt ens poſitivum: & per conſequens non reatus, vel non obligatio, vel non debitum eſt privatio entis rationis; & ita ſi eſſet alicubi tranſitus rationis ab obligatione ad non obligationem, illa eſſet mutatio rationis privativa vel deperditiva: ſed illa nuſquam eſt, nec in actu voluntatis, nec in obiecto ut obiectum eſt, nec in obiecto ut extra; niſi dicatur, quòd pro tanto eſt in obiecto extra, pro quanto illud obiectum eſt in illo nunc, pro quo actus voluntatis divinæ reſpicit illud obiectum, & tunc obiectum extra tranſire à non eſſe in iſto nunc, ad eſſe in illo nunc, eſt concomitanter mutari mutatione rationis ab obligatione ad non obligationem.*

Quæſtio de nomine an expulſio culpæ ſit vocanda mutatio rationis. Quæſtio ergo eſt de nomine, an expulſio culpæ ſit vocanda mutatio rationis, an non. Ad noſtrum intentum ſufficit, quòd non coincidat cum infuſione gratiæ, ſed infuſio gratiæ ſit vera & realis mutatio, diſtincta phyſicè ab expulſione culpæ, ſeu magìs propriè loquendo, à remiſſione culpæ, ut notat Scotus 4. diſt. 16. q. 2. n. 4. quia remittere ſignificat decretum Dei, quod nos putamus neceſſarium. Hinc Conc. Trid. Trident. ſeſſ. 5. in Decreto de Peccato originali can. 5. non dicit per gratiam, quæ in Baptiſmo confertur, *expelli*, ſive, *deleri* reatum originalis peccati, ſed, *remitti*.

Dices;

399. Objectio. Dices; quamvis peccatum non ſit phyſica privatio gratiæ, ſaltem eſt moralis privatio: ergo unica mutatio à peccato ad gratiam: ergo non poterit peccatum remitti ſine infuſione gratiæ.

Solutio. Reſpon. neg. utramque Conſeq. quia ſi eſt privatio tantùm moralis, & per conſequens gratia tantùm moraliter expellat peccatum: ergo requiritur actus voluntatis divinæ annectens illum effectum gratiæ: ergo ſecluſo tali actu, jam poterit eſſe remiſſio peccati ſine gratia, & vice verſâ, gratia ſine remiſſione peccati: ergo non præciſè ex voluntate, quâ infunditur gratia, tollitur illa privatio, quæ eſt peccatum; ſed ex voluntate extrinſeca; quâ ſtatuitur repugnantia inter peccatum & gratiam; ac proinde neque productio formæ in eſſe entis, aut ipſa forma ſic conſiderata, tollit peccatum; ſed forma ut ſubeſt divinæ inſtitutioni: ſic autem conſiderata infert duplicem mutationem, naturalem, & inſtitutam, ſicuti duplex eſt in ipſa eſſe, ſcilicet naturale, & inſtitutum; veluti in aqua Baptiſmatis lavare, & ſanctificare.

In eſſe morali gratia æquivalet pluribus formis. Itaque in eſſe morali gratia æquivalet pluribus formis, nempe tot, quot ſunt peccata remittenda; adeoque tot ſunt remiſſiones, quot peccata; quamvis ſit unica infuſio in eſſe phyſico, quæ non tollit formaliter phyſicè, niſi privationem phyſicam gratiæ præexiſtentem.

400. De facto datur infuſio gratiæ ſine remiſſione peccati. Et verò quid manifeſtius, quàm etiam de facto dari infuſionem gratiæ ſine remiſſione peccatorum, v. g. quando homo juſtus auget gratiam habitualem per bona opera meritoria de condigno gratiæ & gloriæ? Igitur juſtificatio connotat remiſſionem peccatorum ſecundùm præſentem ſubjecti diſpoſitionem, non autem ex præciſa ratione juſtificationis, quatenus dicit motum ad juſtitiam.

Quis ergo adhuc dubitet, remiſſionem peccatorum eſſe effectum diſtinctum à juſtificatione? Scriptum quippe novimus: *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Apocal. ult. v. 11. & Rom. 1. v. 17. *Juſtus ex fide vivit.* Si juſtus vivit, non indiget remiſſione peccatorum mortalium, quæ ſunt mors animæ; & tamen juſtificetur adhuc, per infuſionem utique gratiæ abſque remiſſione peccatorum. Ergo juſtificatio eſt quid realiter & phyſicè diſtinctum ab illa remiſſione, etiam dum ſimul perficiuntur.

Apoc. ult.

Rom. 1.

401. Infuſio gratiæ eſt perfectior & primariò à Deo intenta. Si autem à me quæritur, quem ordinem perfectionis inter ſe habeant. Reſpondeo cum Scoto 4. diſt. 16. qu. 2. nu. 18. infuſionem gratiæ eſſe perfectiorem, & primariò à Deo intentam. Vide verba Scoti ſuprà n. 379. Idem docet 4. diſt. 1. qu. 6. nu. 9. ibi *Addo etiam contra ſecundam opinionem, quod principaliter intenditur gratia in Circumciſione, quod probo; quia agens ſecundùm rectam rationem principalius intendit perfectionem, quàm carentiam defectûs ſive imperfectionis: quia non intendit illam carentiam niſi propter perfectionem: Deus ergo in inſtituendo Circumciſionem (cùm ſit agens ſecundùm rectam rationem) principaliter intendit perfectionem poſitivam, puta gratiam, quam carentiam imperfectionis, id eſt, peccati originalis.* Hæc ille.

Contraria nihilominus ſententia videtur eſſe D. Auguſtini lib. 19. de Civit. c. 17. ibi: *Ipſa noſtra juſtitia, quamvis vera ſit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita, ut potiùs remiſſione peccatorum conſtet, quàm perfectione virtutum.* 402. Pro oppoſita ſententia adducitur D. Aug.

Reſpondet Felix de Grat. cap. 8. diff. 10. n. 6. quòd Auguſtinus non comparat infuſionem gratiæ cum expulſione peccati, ſed ait, quòd juſtitia noſtra quoad durationem rarò eſt conſtans, & rarò perficitur; nam homo ſæpè cadit, & iterùm reſurgit; & ita magìs perſeverat remiſſio peccati, quàm perfectio virtutis: nam quamvis non peccemus, tamen non ſemper augetur virtus. Hucuſquè Felix. Reſponſio Felicis.

Colligitur hæc expoſitio ex iis, quæ immediatè ſubjiciuntur: *Teſtis,* inquit Auguſt. *eſt oratio totius civitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. Per omnia quippe membra ſua clamat ad Deum:* Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Nec pro eis eſt efficax hæc oratio, quorum fides ſine operibus mortua eſt; ſed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur. Quia enim Deo quidem ſubdita, in hac tamen conditione mortali, & corpore corruptibili, quod aggravat animam, non perfectè vitiis ratio imperat: ideo neceſſaria eſt juſtis talis oratio.* Loquitur ergo Auguſtinus non de remiſſione peccatorum mortalium, & prima infuſione gratiæ ſanctificantis, ſed remiſſione peccatorum venialium, & de profectu in virtutibus. 403. quæ colligitur ex verbis ſubſequentibus.

Arguitur ſecundò ex Scriptura 1. Joannis 3. v. 5. *Scitis quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret.* Et v. 8. *In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Ergo præcipuum intentum in redemptione Chriſti Domini fuit remiſſio peccati. 404. Objectio ex Script. 1. Joan. 3.

Reſpondeo, ex illis Scripturis nihil aliud colligi, quàm remiſſionem peccati fuiſſe intentam à Chriſto. Et quamvis Scriptura ibi non meminerit infuſionis gratiæ, illam tamen ſatis expreſſit, tamquam finem primarium, ad Epheſ. 1. verſ. 3. & ſequentibus: *Benedictus,* inquit, *Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui* pra- Reſponſio. Epheſ. 1.

Digitized by Google

prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo. Ecce finis primarius. Sequitur: *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ eius.*

405. In operibus Chriſti poteſt diſtingui ratio ſatisfactionis & meriti.

Unde quamvis Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecerit merendo; poſſumus tamen in ejus operibus diſtinguere rationem ſatisfactionis, & meriti, & dicere, quòd quatenus ſatisfactoria, principaliter ad remiſſionem peccatorum ordinabantur; quatenus verò meritoria, propter gratiam, & gloriam nobis obtinendam, præcipuè offerebantur, & quòd hic finis fuit primarius reſpectu Chriſti; remiſſio autem peccati ſecundarius, & quaſi remotio impedimenti.

Quidquid ſit de hoc ordine perfectionis inter infuſionem gratiæ, & remiſſionem peccati, ſufficit ad veritatem noſtræ Concluſionis, quòd non ſint unica mutatio, quemadmodum illuminatio & expulſio tenebrarum; adeóque ſaltem per Deum ab invicem poſſint ſeparari, quamvis de facto numquam ſeparentur in juſtificatione peccatoris.

406. An Deus poſſit remittere peccata abſque mutatione phyſica peccatoris.

Sed numquid exinde ſequitur, Deum poſſe remittere peccata mortalia abſque mutatione ulla phyſica peccatoris? Sequitur planè, ſed inadæquatè, nimirum quantùm eſt ex parte infuſionis gratiæ. Interim manet aliqua difficultas ex parte meriti ſive actûs retractationis, qui videtur nonnullis neceſſarius ad peccati remiſſionem, etiam de potentia Dei abſoluta. Itaque erit

CONCLUSIO VII.

De potentia Dei ordinata non remittitur adulto peccatum mortale ſine omni ejus merito.

407. Probatur Concluſ. ex Script.

NOn dubito de veritate hujus Concluſionis, propter Scripturam ſacram, quæ infinitis propemodum locis requirit actum Pœnitentiæ ad remiſſionem peccati, ut patet ex alibi dictis: ille autem actus eſt meritum, ſi non de condigno, ſaltem de congruo. Loquor de peccatore adulto; nam certum eſt parvulis in Baptiſmo remitti peccatum abſque proprio merito, cujus ſunt incapaces.

quam nuſquam negavit Scotus, neque primus fuit illius meriti inventor.

Hanc Concluſionem ſic intellectam, nuſpiam negavit Scotus, neque primus fuit illius meriti inventor. Doctorem Subtilem requirere actum Pœnitentiæ ad remiſſionem peccati mortalis, demonſtravimus ſect. 4. concl. 1. Porrò illum actum, dum juſtificat extra Sacramentum, expreſsè vocat meritum de congruo 4. diſt. 14. q. 2. n. 14. ibi: *Iſte motus dicitur Attritio, & eſt diſpoſitio, ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis.* Et n. 15. ibi: *Poteſt ergo dici, quòd Deus diſponit per Attritionem in aliquo tempore, tamquam per aliquod meritum de congruo in aliquo inſtanti dare gratiam, & pro illa Attritione, ut pro merito iuſtificat, ſicut eſt meritum iuſtificationis.*

408. Attritio juſtificativa extra Sacramentum, non eſt neceſſaria in Sacramento. Scotus.

Et quamquã hujuſmodi Attritio non ſit neceſſaria in Sacramento, ut docet Scotus 4 diſt. 14. q. 6. n. 6. & 7. ſed ſufficiat *opus exterius cum amotione interioris impedimenti*, id eſt, *cum voluntate ſuſcipiendi Sacramentum Eccleſiæ, & ſine obice peccati mortalis actualiter ſibi facto, vel in voluntate inhærentis*; equidem numquam negavit Doctor, illam voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum, & aliqualem diſplicentiam peccati, cujus meminit ibidem n. 9. dicens: *Concedo ergo, quòd ante perceptionem dignam Pœnitentiæ oportet ſuſcitari vel ſimpliciter, & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatũm, ſed gratia quæ infuit augetur, vel ſuſcitari ſecundùm quid, ſcilicet ut habeat aliqualem diſplicentiam de peccatis, & propoſitum cavendi de cætero, & velit ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio ſit Contritio*:

Illa Attritio, quæ requiritur in Sacramento, eſt meritum congruum.

illam, inquam, diſplicentiam, nuſpiam gentium ſimpliciter negavit eſſe meritum de congruo; meritum, inquam, aliquale, quamvis non tale, ut ei debeatur juſtificatio ante ſuſceptionem Sacramenti.

Quid requiratur ad meritum congruũ.

Et verò quid aliud requiritur ad meritum de congruo, quàm ut ſit opus liberum, honeſtum, & quodammodo relatum in Deum, &, ſi fiat reſpectus ad præmium ſupernaturale, procedens à gratia? Hæc autem omnia conveniunt illi aliquali diſplicentiæ, quæ requiritur cum Sacramento ad juſtificationem, ut ex dictis ſuprà luce meridianâ illuſtrius eſt.

409. Meritum congruum agnovit Aug. pluribus locis.

Cæterùm, meritum congruum agnovit D. Auguſtinus pluribus locis lib. de Prædeſt. SS. c. 2. ibi: *Quis autem dicat, eum, qui iam cœpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri?* Quaſi diceret, nullus hoc audet dicere. Epiſt. 106. ſic ſcribit: *Si quis dixerit quòd gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus, immo verò gratiſſimè confitemur.* Et Epiſt. 105. *Chriſtus non pro nullis, ut homines conderentur; ſed pro impiis mortuus eſt, ut iuſtificarentur; quippe homo erat, qui dicebat*: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: *Poſſunt quidem dicere remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis* (condignis) *datur. Quid enim boni meriti* (condigni) *habere poſſunt peccatores? Sed tamen nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito* (congruo) *eſt, ſi fides eam impetrat. Neque enim nullum* Rom. 7. v.

Digitized by Google

Luc 18. v. 13. *lum eſt meritum fidei, quâ fide ille dicebat*: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtificatus *merito fidelis humilitatis* (aliàs humiliatus) *quoniam qui ſe humiliat exaltabitur.*

410. Objectio ex S. Aug. Sed contrà D. Auguſt. lib. de Corrept. & grat. c. 1. *In bono*, inquit, *liber nullus eſſe poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos*
Joan 8 v.36. *filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et continuò ſubdit: *Nec ita ut cùm quiſque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat ſui liberatoris auxilio.*

Reſponſio. Reſp. S. Doctorem loqui de gratiis actualibus prærequiſitis ad Pœnitentiam, quæ tamquam meritum de congruo proximè diſponit ad juſtificationem; ut proinde remiſſio peccatorum ultimatè habeatur ex gratia, & non ex merito, vel ſaltem congruo.

Colligitur ex ejus Epiſt. 106. *Nec dicat* (homo fidelis) *ſi ex fide, quomodo gratìs? quod enim fides meretur, cur non potiùs redditur quàm donatur? ...... Reſpondetur ei*: Quid enim habes
1 Cor 4 v 7. quod non accepiſti? *Cùm ergo fides impetrat* (id eſt, de congruo meretur) *iuſtificationem, ſicut unicuique Deus partitus eſt etiam ipſius menſuram fidei*, *non* primam *gratiam* actualem *Dei aliquid meriti* (etiam congrui) *præcedit humani, ſed ipſa* prima *gratia* actualis *meretur* (per fidem, quam efficit) *augeri* (ulterioribus auxiliis gratiæ) *ut aucta mereatur* (per ſpem, dilectionem, & pœnitentiam) *perfici* (infuſione gratiæ ſanctificantis, ad quam ille actus proximè diſponit) *comitante, non ducente, pediſſequa, non præviâ voluntate*; quoniam ratio meritorii convenit actui principaliter à gratia, & minùs principaliter à voluntate.

Magìs, inquit Doctor Subtilis 1. diſt. 17.
411. Ratio meriti convenit actui magis, quia eſt à charitate, quàm quia eſt à voluntate. q. 3. n. 27. *acceptatur actus ut dignus præmio* (loquitur de merito condigno) *quia eſt elicitus à charitate, quàm quia eſt à voluntate liberè elicitus, quamvis utrumque neceſſariò requiratur*. Quod probat triplici exemplo.

Probatur à Scoto triplici exemplo. Primum. Primum ponitur de diviſione alicujus corporis mediante cultello. *Ipſa quidem diviſio*, ait Scotus, *abſolutè magìs eſt à potentia dividente, quàm à cultello; & ideo potentia motiva fortior velocius dividit: ſed tamen in quantum hæc diviſio comparatur ad viſum in ratione acceptabilis, ut cui placeat, magìs attribuitur cultello, quia lenitas partium diviſarum, quæ placet viſui, magìs eſt ex acutie inſtrumenti, quàm ex efficacia virtutis principaliter dividentis.*

Secundum. Secundum exemplum: *Sonus magìs eſt ex percuſſione corporis ſonantis, quàm ex percuſſionis ordine, & tamen ut acceptabilis auditui; magìs eſt ex ordine percuſſionis, quàm ex efficacia potentiæ percutientis; immo poſſet eſſe efficacior vis percutientis; & tamen omnino non acceptaretur auditui, quia non eſſet ſonus harmonicus.*

412. Tertium. Accedat tertium exemplum: *Etſi pater ſit cauſa principalis reſpectu filii, & mater minùs principalis; tamen ipſa poteſt eſſe cauſa principalior filii in quantum dilecti, vel diligibilis alicui, hoc eſt, quòd filius magìs diligatur, quia eſt matris ut gignentis, quàm quia eſt patris ut gignentis. Ita Deus poteſt ordinaſſe aliquem actum acceptare tamquam dignum tali præmio, vel acceptabilem vel acceptandum eſſe, quia ad illum actum inclinat habitus aliquis, ut principium activum eius partiale: & quòd principaliter per hoc acceptetur, vel acceptabilis ſit, quàm quia eſt à reliquâ cauſa partiali.*

Secundùm igitur hoc poteſt exponi illud Auguſtini: Charitas eſt ſicut ſeſſor ad equum: *& illud etiam, quòd* voluntas reſpectu gratiæ pediſſequa eſt, & non prævia. *Hoc quidem verum eſt reſpectu actûs in quantum meritorius eſt, ſed non in quantum eſt ille actus in ſubſtantia.* Hucuſque Scotus de merito condigno, quæ facilè applicari poſſunt merito de congruo remiſſionis peccatorum; quod & ipſum debet eſſe actus in ſubſtantia ſupernaturalis, ſicuti eſt infuſio gratiæ, cujus eſt meritum.

Itaque per primum actum fidei meretur de congruo homo, ut ad timorem gehennæ excitetur; poſtea timet; & ex hoc timore meretur; ut excitetur ad fiduciam in Deum; dein confidit; & per hanc fiduciam meretur, ut excitetur ad dilectionem; denique diligit, & per iſtam dilectionem meretur, ut excitetur ad Pœnitentiam, quæ eſt proxima diſpoſitio, & proximum meritum de congruo juſtificationis. 413. Quomodo peccator de congruo mereatur juſtificationem.

Porrò quòd unus actus mereatur de congruo excitationem ad alterum, probatur; quia inter hos actus eſt immediata habitudo, & unus actus eſt proportionatus cum auxilio ad alterum actum: ergo poterit mereri tale auxilium, non tantùm ſufficiens, quod ex generali providentia eſt quaſi debitum, verùm etiam efficax; alioquin non verè diceretur homo mereri remotè de congruo juſtificationem; quoniam ad illam non perveniet per auxilium ſufficiens, ſed neceſſaria ſunt auxilia efficacia.

Si dixeris: juſtus non meretur de condigno auxilium efficax ad reſurgendum à lapſu. 414. Objectio ſolvitur. Reſpondeo diſparitatem eſſe; quòd meritum condignum ſit infallibile; non conveniebat autem, quòd juſtus poſſet promereri infallibilem reparationem poſt lapſum; meritum verò congruum eſt fallibile, & ita ceſſat illud inconveniens.

Si rurſum objicias; peccator non habet conguentiam, ut exaudiatur à Deo. Alia objectio ſolvitur. Reſpondeo, opera ſupernaturalia habent congruentiam, quod ſufficit ad meritum congruum.

Cæterùm D. Auguſtinum meritum propriè intellexiſſe, & non tantùm, ut nonnulli volunt, hâc ratione, quia fides oſtendit viam merendi, liquet vel ex eo ſolo, quòd fidem appellet tale meritum, ut ſi eſſet ex viribus naturæ, jam gratia non eſſet gratia. *Reſtat*, inquit Epiſt. 105. *ut ipſam fidem, undè omnis* 415. Oſtenditur D. Aug meritum propriè intellexiſſe.

juſtitia ſumit initium ..... non humano quo (aliàs, quod) *iſti* (Pelagiani) *extolluntur* (aliàs, extollunt) *tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam indè incipiunt bona quæcumque ſunt merita, ſed per gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus.*

Nonne & lex factorum oſtendebat viam merendi? *Quia lex*, inquit Auguſtinus Epiſt. 106. *per litteram iubet, non per ſpiritum iuvat, quicumque ſic audit litteram legis, ut ei ſufficere videatur cognoviſſe quid iubeat, aut prohibeat, quo id ſe arbitrii ſui virtute impleturum eſſe confidat, nec fide confugiat adiuvandus ad ſpiritum vivificantem, ne reum factum littera occidat; is profectò* Zelum Dei habet, ſed non ſecundùm ſcientiam. Ignorans enim Dei juſtitiam, *id eſt, eam quæ datur ex Deo,* & ſuam volens conſtituere, *ut tantummodo ex lege ſit*, juſtitiæ Dei non eſt ſubjectus: finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti; *ſicut idem Apoſtolus dicit:* Ut nos ſimus juſtitia Dei in ipſo. Juſtificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: juſtificati autem gratìs per gratiam ipſius, *ne fides ipſa ſuperba ſit.* Hæc Auguſtinus.

Rom. 10. v. 2. & 3. — *2. Cor. 5. v. 21.* — *Rom. 5. v. 1.*

416. Abſit autem ut retractaverit meritum fidei lib. 1. Retract. c. 23. quin potiùs illud ibi confirmavit hiſce verbis: *Sed & illa miſericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & iſta obduratio præcedenti impietati, quod quidem verum eſt, ſed adhuc quærendum erat, utrùm & meritum fidei miſericordia Dei præveniat* (aliàs, de miſericordia Dei veniat) *id eſt, utrùm iſta miſericordia ideo tantùm fiat in homine, quia fidelis eſt, an etiam facta fuerit ut fidelis eſſet.*

D. Aug. nuſpiam retractavit meritum fidei.

Quid ergo in iſto capite retractavit? Reſpondeo, meritum fidei non eſſe donum Dei, ſed ex viribus liberi arbitrii; *Sed fidei*, inquit, *meritum etiam ipſum eſſe donum Dei, nec putavi quærendum eſſe, nec dixi*, puta in expoſitione quarumdam propoſitionum ex Epiſt. ad Rom. propoſ. 62.

417. Idem meritum juſtificationis aſſeruit D. Ambroſius lib. 2. de Pœnitentia cap. 3. loquens de filio prodigo: *Fatetur*, inquit, *peccatum ad mortem, ne quem vos agentem cuiuſlibet criminis Pœnitentiam, iure excludi putaretis, quando is, qui in cælum peccavit, vel in regnum cæleſte, vel in animam ſuam, quod eſt peccatum ad mortem, & peccavit coram Deo, cui ſoli dicitur:* Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, *tam citò veniam meretur, ut venienti & adhuc longè poſito occurrat pater, oſculum tribuat, quod inſigne eſt ſacræ pacis, ſtolam proferri iubeat, quæ veſtis eſt nuptialis* &c. Et D. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos ibi: *Qui peccata ſimpliciter confitentur, merentur humiliter clementiam Salvatoris.*

Meritum juſtificationis aſſeruit D. Ambroſius. — *Pſal. 50. v. 6.* — Item D. Hieronymus.

Nonne hæc & ſimilia intelligi debent aut poſſunt de ſolo augmento juſtitiæ, aut de initio meriti excluſivè, ut vult Sotus l. 2. de nat. & grat. cap. 4.?

Accipe verba Doctoris Seraphici ex 4. diſt. 15. q. 5. *Aliqui dicunt, quòd peccator nihil omnino meretur apud Deum, neque ex congruo, neque ex condigno; ſed tamen Deus ratione abundantiſſimæ largitatis bona eius opera non dimittit irremunerata, immo remunerat, & eſt bonum peccatori bene operari, quamvis non ſit iuſtum eum remunerari, ſed magis benignum.* 418.

D. Bonaventura.

Alii dicunt, & probabiliùs, quod eſt mereri de congruo, & de condigno; peccator autem apud Deum nihil meretur de condigno, ſed mereri poteſt de congruo; peccator enim aliquando facit bonum opus in genere ad gloriam ſuam, ut cùm dat eleëmoſynam propter gloriam, & ex hoc opere non meretur mercedem, ſed pœnam; quia procedit ex contumelia. Aliquando facit ad Dei gloriam, & propter amorem Dei, quem habet, & hoc non poteſt eſſe ſine aliqua gratia gratìs data, quæ diſponat de congruo ad gratiam gratum facientem, quam Deus aliquo modo acceptat, & ex hoc meretur de congruo. Illud autem meritum, comparatum merito charitatis, eſt improportionale, ſicut linea latitudini, & ſuperficiei: unde ſicut linea nihil eſt in comparatione ad ſuperficiem, aliquid tamen eſt in ſe, ſic eſt de peccatore ad iuſtum, & de eius amore ad amorem charitatis, & de merito ad meritum. Quomodo ergo Scotus primus inventor meriti congrui juſtificationis?

Et verò licèt Auguſt. Ambroſ. Hieron. & alii antiquiores Patres uſi non fuerint illo vocabulo, *Meritum congruum*, rem tamen ipſam ſufficienter ſignificarunt. Prout etiam Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 4. ibi: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius.* Ubi per *Impetrationem* neceſſariò intelligit meritum de congruo, id eſt, aliquod obſequium & aliqualis recompenſatio Deo facto pro peccato commiſſo. 419.

& Conc. Trident.

Quod utique meritum in hoc convenit cum vera & ſtricta impetratione (quæ eſt ſola oratio) quòd ſicut non eſt condignitas inter orationem & rem poſtulatam, neque certa & infallibilis conſecutio rei per orationem poſtulatæ, ſed ex mera beneficentia, qui oratur, concedit quod petitur; ita etiam meritum congruum quà tale non habet infallibilem effectum, neque eſt æquale præmio, ſed ex beneficentia, & ad ſummum ex fidelitate conceditur, quod meretur.

In quo c[…] veniat m[…] tum con[…] um cum ſtricta im[…] tratione.

Quæris, quid ergo ſibi velit Concilium Trident. quando ſeſſ. 6. c. 8. ait: *Nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt ſive fides, ſive opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.* Reſponſio in promptu eſt, ſi per *Iuſtificationis gratiam* intelligas gratiam habitualem, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus eorum, qui primò juſtificantur; reſpectu, inquam, illius gratiæ excludit Concilium non omne prorſus meritum, ne ſibi ipſi contradicat, ſed meritum condignum, quod ſolùm intelligitur 420.

Quomodo intelligendum Trident. quando ait, nihil eorum quæ præcedunt juſtificationem, eam promereri.

tur per meritum ſimpliciter poſitum (niſi aliud ex ſubjecta materia colligatur) & propter quod ſolùm aliquid dicitur eſſe ex operibus, per conſequens ſimpliciter negatur eſſe gratia.

Explicatur dicti apoſt. Rom. 11. Si gratia, iam non ex operibus &c.

Senſus ergo illius dicti Apoſtolici Rom. 11. v. 6. *Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia*, quod Concilium ſuprà allegat pro ratione ſuæ doctrinæ; ſenſus, inquam, illius dicti eſt: In quantum gratia, ſic non ex operibus. Unde ſi ſit ſimpliciter ex operibus, ſimpliciter non habet rationem gratiæ; ſi verò ſit ſecundùm quid ex operibus, ſecundùm quid non habet rationem gratiæ, tamen ſimpliciter habet rationem gratiæ: eſt autem ſimpliciter ex operibus, quod eſt ex condignis, ut eſt vita æterna reddenda bonis operibus juſtorum, quæ proinde ſimpliciter merces, & præmium, & corona juſtitiæ appellatur; licèt ſecundùm quid ratione primæ gratiæ, quæ eſt cauſa ejus remota, etiam ipſa vita æterna gratia nominetur ad

Rom. 6. Rom. 6. v. ultimo: *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Secundùm quid verò eſt ex operibus, quod eſt ex operibus congruis tantùm, & impetratoriis; unde iſtud rationem gratiæ ſimpliciter habet.

421\. Prima gratia habitualis eſt ſimpliciter gratia.

Admitto igitur, primam gratiam habitualem, quatenus ex operibus congruis eſt, ſecundùm quid non eſſe gratiam; dico tamen, ſimpliciter gratiam eſſe, quia non eſt ex operibus condignis, & ſic meritò à Paulo dictum

Rom. 3. eſt: *Iuſtificati gratìs per gratiam ipſius.* Rom. 3. v. 24.

Secus augmentum gratiæ juſtificantis.

Augmentum tamen gratiæ juſtificantis rectè docet Trident. ſup. cap. 10. & can. 24. & 32. cadere ſub meritum ſimpliciter; unde quoad moralem æſtimationem (quam nunc attendimus) ſimpliciter non eſt gratia, ſed merces boni operis, licèt phyſicè & quoad entitatem ſit ejuſdem ſpeciei & valoris cum prima gratia juſtificante, cujus augmentum

Smiſing. eſt. Ita Smiſing de Deo uno tract. 3. diſp. 6. n. 370.

422\. Per gratiam juſtificationis aliquando intelligitur tota ſeries auxiliorum quibus ad juſtificationem diſponimur.

Dixi ſignanter: *Si per iuſtificationis gratiam intelligas gratiam habitualem* &c. quia ſi cum nonnullis per juſtificationis gratiam intelligas non gratiam illam, quâ formaliter juſti ſumus, ſed totam ſeriem auxiliorum, quibus ad juſtificationem diſponimur à prima vocatione ad fidem incluſivè, ſic conſtat Concilium non ſolùm excludere meritum condignum, ſed etiam congruum primæ gratiæ juſtificantis; quia totam illam ſeriem auxiliorum, quibus ad juſtificationem diſponimur, nequidem de congruo promeremur, ut contra Semipelagianos docet cap. 5. in principio

Conc. Trid. hiſce verbis: *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur* &c. definitque can. 1. 2. & 3. inhærendo veſtigiis Conc. Milevitani can. 3. 4 & 5. nec non Conc. Arauſicani II. can. 3. 4. 5. 6. 12. 14. 16. 17. & 25.

423\. An Trident. illam, ſeriē intellexerit. ſeſſ. 6. c. 8.

An autem Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 8. per gratiam juſtificationis intellexerit totam ſeriem auxiliorum gratiæ, an verò formalem juſtificationem, non convenit inter Doctores. Smiſing ſuprà n. 372. veriſimiliùs apparet, Concilium locutum fuiſſe de formali juſtificatione, tùm quòd diſpoſitionem ad juſtificationem diſtinguat ab ipſa juſtificatione; nam poſtquam c. 5. & 6. explicaſſet diſpoſitionem ad juſtificationem, cap. 7. ſubdit: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur.* Tum etiam, quia cap. 8. agit contra Lutheranos, qui per gratiam juſtificationis numquam intellexerunt totam ſeriem auxiliorum gratiæ, ſed gratiam dumtaxat remiſſivam peccatorum, ad quam volebant ſolam fidem eſſe ſufficientem diſpoſitionem, fidem, inquam, ſupernaturalem.

424\. Alius locus Conc. Trid. deſumptus ex eadem ſeſſ. c. 7.

Quidquid ſit de hac controverſia, quæ non eſt hujus loci, arbitror evidens eſſe ex jam dictis; locum illum Tridentini nullatenus derogare merito congruo primæ juſtificationis, ſeu formalis gratiæ juſtificantis. Ubi nec derogat alius locus deſumptus ex eadem ſeſſ. c. 7. ubi inter cætera ait Concilium: *Meritoria* (cauſa juſtificationis) *dilectiſſimus unigenitus ſuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus; qui, cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, ſuâ ſanctiſſimâ paſſione in ligno crucis nobis iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit.*

Oſtenditur non repugnare merito congruo juſtificationis.

Fateor omnino, cauſam meritoriam, utique de condigno (quæ ſimpliciter digna eſt tali nomine) eſſe paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ ex dignitate perſonæ operantis ſeu patientis, infinitum quemdam habebat valorem; cum hoc tamen optimè componitur, hominem peccatorem excitatum divinâ gratiâ & adjutum, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando, ſeipſum meritoriè de congruo diſponere ad juſtitiam ſuam in ſe ipſo recipiendam *ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult*, nec tantùm prout vult, ſed, ut præfatum Concilium c. 7. addit, *& ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.* Ergo diſpoſitio illa & cooperatio eſt aliquod meritum, non condignum, ſive quod actus præciſè habet ex dignitate operantis: ergo ad minus congruum, ſive meritum ſolius actûs.

425\. Sicuti per Sacramentá ex opere operato, ita per pœnitentiam ex opere operantis applicantur merita Chriſti.

Proinde ſicuti per Sacramenta ex opere operato applicantur nobis merita Chriſti, ſic pariter per fidem, ſpem, charitatem, Pœnitentiam eadem merita nobis applicantur ex opere quaſi operantis, prout illud opus habet annexam acceptationem liberalem Dei, factam intuitu meritorum Chriſti; quæ merita ſunt cauſa principalis in genere cauſæ meritoriæ.

Digitized by Google

riæ. Interim quia ex gratia, & dono Dei, indignis dantur illa opera, ideo etiam ex gratia, & dono Dei dicitur eſſe illa acceptatio, & per conſequens juſtificatio. Igitur quæſtionem movet de nomine, qui recuſat, hujuſmodi diſpoſitiones ſeu opera, proximè vel remotè diſponentia, ut procedunt ex gratia, vocare merita de congruo gratiæ formaliter juſtificantis.

426. An aliquis actus ſit abſolutè neceſſarius ad remiſſionem peccatorum? Principalis difficultas hìc tractanda, eſt, an aliquis actus (meritum ſit, vel non, parùm refert) naturalis, aut ſupernaturalis, abſolutè ſit neceſſarius ad remiſſionem peccatorum, ita ut nequidem per omnipotentiam divinam abſque illo remiſſio fieri poſſit. Affirmant nonnulli hujuſmodi neceſſitatem, moti hâc ratione, quia quamdiu peccatum non retractatur, videtur moraliter permanere in ratione voluntarii. Noſtra ſententia eſt:

CONCLUSIO VIII.

Poteſt Deus de potentia abſoluta remittere peccatum ſine omni actu peccatoris. Quidni ergo ſine omni phyſica mutatione?

427. Concluſio eſt Scoti. PEccatum abſolutè poſſe remitti à Deo ſine Pœnitentia, aut aliquo actu æquivalente in acceptatione divina, docet Scotus 4. diſt. 14. q. 1. n. 17. ibi: *Ex iſta ratione patere poteſt, quomodo Concluſio, in qua ſtát ſolutio quæſtionis, debeat intelligi, ſcilicet, quòd Pœnitentia requiritur ad deletionem peccati &c. non enim intelligitur niſi de Pœnitentia actuali, id eſt, actu pœnitendi, qui eſt pœna tenentia (ut ita loquar) actualis ..... Intelligitur etiam Concluſio de requiri non ſimpliciter neceſſariò, cuius oppoſitum includit contradictionem: quia poſſet Deus remittere ſine omni actu illius, cui remittitur.* Loquitur Doctor de peccatore adulto, cùm, etiam de potentia ordinata, remittatur peccatum originale parvulis ſine omni actu ipſorum, cujus pro tunc incapaces ſunt.

Probatur primò exemplo in humanis. Sic ergo intellecta Concluſio, probatur I. quia ſi aliquis actus requireretur, foret retractatio peccati præteriti; illa non requiritur: ergo &c. Majorem admittunt Adverſarii; Conſequentia eſt evidens: Minor, in qua eſt tota difficultas, & quæ ab Adverſariis negatur, oſtenditur exemplo in humanis; ſiquidem poteſt homo condonare offenſam, etiam ignoranti, nec aliquid minùs cogitanti, quàm de retractatione offenſæ: ergo ſimiliter Deus. Quæ enim ratio diſparitatis?

428. Reſpondent Adverſarii; vel loquitur Antecedens de offenſa, id eſt, obligatione reſarciendi injuriam, & reſtituendi damnum illatum, vel de offenſa, id eſt, de dignitate Reſponſ. Adverſariorum. quâ injurians radicaliter aut proximè, quantùm eſt ex ſe, dignus eſt vituperio, & quod cenſeatur & habeatur ab æquo rei æſtimatore homo injurioſus: ſi primum dicat, verum eſt; ſed ea obligatio extra rem eſt. Nam condonatio illius non facit hominem non injurioſum, ſed tantùm non obligatum ad compenſandam injuriam, & damnum quod intulit, etiamſi compenſare poſſit: ſi dicat ſecundum; falſum eſt, quantumvis enim centies millies injuriatus condonet, ille eſt, & meritò cenſetur averſus à regula rationis, donec aliquâ ratione mutetur animus, & formaliter vel virtualiter, actu vel habitu cenſeatur averſus ut oportet ab injuria, ita ut quemadmodum factus eſt dignus tali denominatione & notâ; acquirat in ſe vel aliquid phyſicum, vel aliquid morale indè reſultans, ratione cujus non cenſeatur jam averſus & devius ab illa rationis regula, à qua deviavit; ſed potiùs à quocumque recto æſtimatore oppoſitum cenſeatur, id autem numquam fit per meram extrinſecam condonationem; neque enim ex eo, quòd ille, qui eſt læſus, deponat ſuum vel odium, vel affectum puniendi, aut odio habendi, deſinit læſor eſſe dignus tali odio aut irâ, & mereri ut ab ipſo pœna exigatur. Ità Dicaſtillo diſp. 1. n. 319. Dicaſtillo.

Sed contrà; hoc eſt quod quæritur, an per ceſſationem ab actu præterito, & per depoſitionem odii, ille qui antea proximè erat dignus odio, deſinat eſſe dignus odio, & eâdem facilitate; immo cum majori fundamento affirmatur, quàm negatur: nam proxima dignitas oritur non ex ipſa natura actûs præteriti, ſed magìs ab extrinſeca voluntate perſonæ offenſæ, quâ ſtatuit, etiam actu phyſicè tranſacto, retinere jus ad odium, vel affectum puniendi, aut odio habendi perſonam, quæ actu præterito offendit. Quâ utique voluntate ſublatâ, rectus æſtimator cenſet oppoſitum, videlicet quòd peccator non ſit ampliùs proximè dignus tali odio aut irâ, & quòd ampliùs non mereatur, ut ab ipſo pœna exigatur: jam autem in proxima dignitate, ſive in actu præterito ut proximè digno, conſiſtit peccatum habituale, ſecùs in dignitate remota & radicali, quam admittimus non tolli per meram extrinſecam condonationem. 429. Rejicitur.

Suppono, non retractationem per actum oppoſitum, nullatenus ingredi conceptum eſſentialem peccati habitualis; alioquin poſitâ retractatione ex parte hominis, non maneret peccatum habituale, quod conſtat eſſe falſum; ad ſummum ergo eſt aliqua conditio, ſive cauſa, influens in conſervationem peccati, quia nimirum Deus ordinariè non remittit peccatum, niſi homo retractet, & poſitâ ſufficienti retractatione ex parte peccatoris, Non retractatio peccati per actum oppoſitum non ingreditur conceptum eſſentialem peccati habitualis.

Deus

Digitized by Google

Deus ſolet peccatum condonare; ut proinde retractatio ſolùm ſit diſpoſitio ordinaria ad remiſſionem peccati. Ex quo

430. *Secunda probatio Concluſionis.*

Probatur II. Concluſio; quia Deus poteſt ſupplere quamcumque diſpoſitionem: ergo ſine actu peccatoris poterit remittere peccatum. Antecedens patet; quia Deus poteſt producere formam ignis in ligno ſine diſpoſitionibus, & ſic in aliis.

Occurritur objectioni.

Nec dixeris; retractatio concurrit in genere cauſæ materialis, illud autem genus cauſæ non poteſt Deus ſupplere. Reſpondetur quippe; genus cauſæ materialis in aliquo ſenſu non poteſt ſupplere Deus, nempe quod Deus ſit materia, & materializet; in alio ſenſu ſuppletur à Deo: nam poteſt Deus efficere ſine ſubjecto id, quod aliàs facit cum illo, v. g. conſervare accidentia ſine ſubjecto in Euchariſtia: ergo conſimiliter poterit remittere peccatum ſine prævia ordinaria diſpoſitione.

In aliquo ſenſu Deus poteſt ſupplere genus cauſæ materialis.

Breviter dico; per ſolam extrinſecam Dei condonationem fit, ut Deus non ſit ampliùs rationabiliter homini offenſus, tametſi non accedat retractatio actualis hominis, dummodo actu in peccato ſibi non complaceat: ergo per illam tollitur peccatum habituale; quod nihil aliud eſt, quàm peccatum præteritum, quatenus adhuc fundat jus Dei ad rationabile odium.

431. *Objectio ſolvitur.*

Si objicias; non obſtante condonatione Dei, actus ille præteritus retinebit oppoſitionem cum lege. Reſpondeo ut ſuprà ad argumentum Dicaſtillonis, illum actum ampliùs non eſſe realiter, ut ſupponitur, neque habitualiter aut virtualiter, ita ut poſſit eſſe, & de facto ſit juſta ratio offenſæ; ſolùm quippe in tantum dicitur manere, in quantum ſi homo interrogaretur, an complaceat ſibi in illo actu, fortè reſponderet, *Complaceo mihi*: jam autem actus ſive peccatum ponendum probabiliter ſub conditione, ſi nullo modo actu ſit, non eſt rationabilis cauſa offenſionis.

432. *Alia objectio.*

Si rurſum objicias; quamdiu eſt non condonatio Dei, judicant homines tantum jus habere Deum ad odium peccatoris, ac ſi homo actu peccaret: ergo pariter quamdiu eſt non retractatio.

Reſponſio.

Reſpon. neg. Conſ. quia quamquam neutrum ſit pars eſſentialis peccati habitualis, ſed ſolummodo conditio ſine qua non, equidem unum eſt conditio ex parte Dei offenſi, alterum ex parte perſonæ offendentis; unum ex parte creditoris, alterum ex parte debitoris: creditor autem poteſt remittere debitum etiam contra voluntatem debitoris, quantò magis ubi nulla apparet voluntas debitoris in contrarium, quin immo ſi recordaretur debiti, ſuppliciter exoraret remiſſionem debiti?

Diſcrimen inter non condonationem Dei, & non retractationem peccatoris.

Sic impræſentiarum fieri poteſt, quòd homo peccator non meminerit actûs præteriti, & ſi recordaretur, deteſtaretur illum. Quidni hujuſmodi homini Deus poſſit remittere omne debitum? Interim quamdiu non remittit, manet debitum; quia revocatio debiti non pertinet ad debitorem, niſi quatenus ille ſolvit, & impræſentiarum non poteſt ſolvere, niſi præviâ aut concomitante gratuitâ acceptatione creditoris, ſeu condonatione; adeoque in rigore nullus purus homo ſolvit pro peccato quod debet, ſed gratuitò Deus abluit maculam, quam voluntariè peccando homo contraxit.

Ex quo patet reſponſio ad rationem contrariæ ſententiæ, ſcilicet illam permanentiam peccati talem qualem in ratione voluntarii, minimè ſufficere, ut homo maneat actu & abſolutè maculatus ſive peccator, ſed ſolùm ſub conditione, ſicuti actu voluntario & abſolutè non peccat, ſed tantùm ſub conditione, immo fortè nec ſub conditione. 433.

Reſpondetur ad rationem contrariæ ſententiæ.

Quod aliis verbis ſic explicat Felix de Grat. c. 8. diff. 13. n. 10. Tranſacto, inquit, actu ſolùm manet denominatio actûs præteriti, quòd fuerit voluntarius, non tamen actualiter vel virtualiter eſt voluntarius; quia hoc non eſt ſine aliqua conſideratione & voluntate actuali, quæ virtualiter aliam contineat, quæ in præſenti non invenitur; nam eo ipſo quo quis ceſſat ab actuali peccato, incipit ipſum peccatum eſſe non voluntarium, eſtò non poſſit dici involuntarium, donec retractetur.

Tranſacto actu non manet actus formaliter vel virtualiter voluntarius. Felix.

Dices; ſaltem habitualiter per durationem moralem erit voluntarium. Reſpondet Felix ſuprà, hoc ſolùm eſſe denominationem ex actu præterito voluntario, quod eſt eſſe voluntarium in cauſa (id eſt, procedere ex cauſa voluntariâ) & tale voluntarium poteſt Deus deſtruere ſine retractatione oppoſita, ut patet in habitu vitioſo, quem poteſt Deus abolere, & tamen productus fuit ex actibus voluntariis. 434.

Objectio ſolvitur, Felix.

Adde, quòd etiamſi talis actus retractetur à peccatore, non erit involuntarius elicitivè, ſed tantùm objectivè. Hucuſque Felix.

Confirmatur: Religioſus non retractans votum emiſſum, cenſetur habitualiter ſeu moraliter in illo permanere, hoc eſt, judicant homines quòd gaudeat de illo, & quòd ſi deſuper interrogaretur, illud approbaret; eo tamen non obſtante poteſt Pontifex, etiam ipſo inſcio obligationem voti tollere, per conſequens moralem voti permanentiam (quæ non eſt aliud, quàm ipſum votum, manens quoad effectum obligandi) licèt votum maneat in ratione voluntarii habitualis. 435.

Solutio confirmatur exemplo Religioſi, non retractantis votum emiſſum.

Et è contra, quantumcumque retractet ipſe votum ſuum, ac per hoc votum fiat involuntarium objectivè, nihilominus ſemper manet obligatio voti, donec accedat Superioris voluntas, condonantis ſeu remittentis obligationem.

Digitized by Google

436. *quod applicatur peccatori non retractanti peccatum præteritum.* Conſimiliter ergo, homo peccator non retractans peccatum præteritum, cenſetur habitualiter ſeu moraliter in illo permanere, hoc eſt, judicant homines quòd gaudeat de illo, & quòd ſi deſuper interrogaretur, illud approbaret; eo tamen non obſtante, poteſt Deus, etiam ipſo inſcio, jus ſuum, quod habebat ad odium propter peccatum præteritum, remittere, per conſequens tollere peccatum habituale (quod non eſt aliud, quàm actus præteritus, quatenus fundat tale jus) licèt actus præteritus maneat in ratione voluntarii habitualis.

Et è contra, quantumcumque peccator retractet peccatum præteritum, ac per hoc peccatum illud fiat involuntarium objectivè, nihilominus ſemper manet fundamentum ſeu jus rationabilis odii, donec accedat Dei voluntas condonantis, ſeu remittentis ſuum jus.

437. *Objectio ex S. Aug.* Sed contrà, dicet aliquis; Divus Auguſt. lib. de vera Relig. cap. 14. ſcribit in hæc verba: *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.*

Reſponſio, quod S. Auguſt. loquatur de peccato actuali; Reſpondeo, Auguſtinus loquitur de peccato actuali, ut liquidò conſtat ex iis, quæ actutùm ſubtexit: *Et hoc quidem manifeſtum eſt, ut nulla hinc DD. paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi.*

438. *vel ſi etiam de habituali, intelligendus venit de voluntario morali.* Ut autem intelligeretur de omni peccato, etiam habituali (quod non) tunc commodè accipiendum eſt ly *Voluntarium*, pro voluntario quod actu eſt, vel aliquando fuit, & adhuc moraliter manet; nam peccatum præteritum retractatum, tametſi ampliùs non ſit phyſicè voluntarium, manet tamen adhuc moraliter voluntarium, quouſque à Deo remittatur: quia videlicet habet eumdem effectum, ſcilicet odium Dei, ac ſi phyſicè adhuc de præſenti eſſet voluntarium; ac proinde quoad aliquid eſt voluntarium, & quoad aliquid involuntarium.

Conſimiliter autem ſentiendum de peccato, non quidem retractato, ſed tamen à Deo condonato, videlicet ſecundùm quid eſſe voluntarium, & ſecundùm quid involuntarium; voluntarium quidem per ordinem ad phyſicam voluntatem peccatoris, quæ aliquando fuit, & ideo habitualiter permanet donec retractetur: involuntarium verò per reſpectum ad voluntatem Dei, quâ cedit jure ſuo, quod ex peccato præterito habebat ad rationabile odium, & ideo non ampliùs manet moraliter voluntarium, id eſt, non habet effectum moralem, quem alioquin haberet.

439. *Objectio.* Urget quiſpiam: peccatum eſt eſſentialiter converſio ad creaturam; atqui illa non poteſt tolli niſi per averſionem: ergo &c.

Solutio Reſpond. diſtinguendo Minorem: converſio habitualis (de tali enim debet intelligi major propoſitio, ut ſit vera, intellecta de peccato habituali, de quo ſolo eſt controverſia) non poteſt tolli, niſi per averſionem actualem & poſitivam, nego Minorem; niſi per averſionem ſaltem negativam, id eſt, carentiam actualis converſionis, concedo Minorem. Et verò talis carentia hìc invenitur ſine aliquo actu reali peccatoris, per ceſſationem ſcilicet ab actu præterito, & condonationem extrinſecam Dei.

Si inſtes; ad hoc quòd remittatur peccatum, neceſſe eſt ut homo, qui erat à Deo averſus; convertatur ad illum, & Deus, qui erat offenſus, & à nobis averſus, convertatur ad nos; atqui per voluntatem Dei nos non convertimur ad Deum, ſed tantùm Deus convertitur ad nos: ergo ut convertamur ad Deum, requiritur aliquis actus peccatoris. 440. *Inſtanti*

Reſponſ. Reſpondeo; ad hoc ut remittatur peccatum, non requiritur quòd homo phyſicè & actualiter convertatur ad Deum, cùm ipſum peccatum habituale non ſit phyſica & actualis averſio; ſed ſufficit habitualis & moralis converſio, ſicut ipſum peccatum habituale eſt habitualis & moralis averſio; illa autem moralis converſio ſufficienter habetur per voluntatem Dei extrinſecam abſque productione alicujus phyſici in peccatore. Probatur; quia averſio moralis nihil phyſicum eſt in peccatore: cur ergo converſio moralis debeat fieri per aliquod phyſicum & intrinſecum peccatori? *Ad remiſſionem p... ſufficit moralis converſio ad Deum*

Inſtas rurſum: ergo Deus eſt cauſa per ſe peccati habitualis; quia eſt cauſa moralis permanentiæ peccati præteriti, illud non remittendo. 441. *Alia inſtantia.*

Solvitur. Reſpon. neg. Conſeq. quia ſecundùm noſtra principia, moralis permanentia non eſt peccatum habituale, ſed adæquata eſſentia peccati habitualis, eſt peccatum præteritum, moraliter permanens; jam autem non condonatio, ſive non remiſſio, neutiquam ingreditur conceptum eſſentialem peccati præteriti, moraliter permanentis.

Quod probo à ſimili in contractu; non irritatio, ſive non eſſe irritatum, minimè ingreditur formalem rationem contractûs, moraliter permanentis, quantumvis poſitâ illâ retractatione, contractus diſſolveretur. Si quidem contractus permanens moraliter, non habet aliam rationem formalem, quàm habebat in primo ſuo inſtanti; tunc autem ratio ejus formalis conſiſtebat, non in abſentia irritationis, ſed in mutuo conſenſu. 442. *Non irrit[a]tio non i[n]greditur f[or]malem r[a]tionem co[n]tractûs m[o]raliter pe[r]manentis*

Contractus namque communiter definitur; actio ſenſibilis plurium, pariens, ſaltem in alterutro, obligationem ex mutuo conſenſu. *Quid ſit contractu[s]*

Digitized by Google

ſenſu. Et coincidit cum pacto, quod definitur L. 1. ff. de Pactis: *Duorum pluriumve in idem placitum conſenſus.* Hic autem conſenſus, adeoque tota ratio formalis contractûs, niſi præexiſteret, non eſſet opus irritatione; ac proinde non irritatio ſolùm eſt conditio aliqua, ſine qua contractus non poteſt exiſtere, id eſt, irritatio eſt aliquid, per quod res poſita deſtrueretur.

Lex 1. ff. de Pactis.

Non poſitio caloris in aqua non conſtituit formaliter frigus.

Sed numquid indè bene ſequitur: ergo non irritatio ingreditur formalem rationem contractûs? Nonne bene ſequitur, per calorem formaliter deſtruitur frigus: ergo non poſitio caloris in aqua conſtituit formaliter frigus? Patet quòd non. Igitur negatio ſeu abſentia deſtructivi, ſolùm eſt conditio aliqua requiſita, ut permaneat illud, quod per ipſum deſtrueretur.

443. Objectio.

Dices; diſparitas eſt, quòd in conſervatione frigoris ſit aliquid diſtinctum à negatione caloris, ſcilicet actio conſervativa frigoris: at verò in caſu noſtro præter negationem condonationis ſeu remiſſionis, ſolùm invenitur hominem peccaſſe, quod totum perſeverat poſitâ remiſſione.

Reſponſio.

Reſpondeo, perſeverare in eſſe phyſico, ſed non in eſſe morali; ſicuti contractus poſitâ retractatione tametſi perſeveret in eſſe phyſico, quia ſemper verum eſt dicere, aliquando extitiſſe duorum pluriumve in idem placitum conſenſus, tamen non perſeverat ampliùs moraliter.

444. Non omne id ſine quo aliquid non poteſt exiſtere, eſt de ratione ejus formali.

Itaque non omne id, ſine quo aliquid non poteſt exiſtere, eſt de ratione ejus formali; ſic quippe actio non eſt de ratione formali effectûs, v. g. concurſus Dei, ſine quo homo non poteſt phyſicè permanere, non eſt de eſſentia hominis, quamvis ſublato illo concurſu, homo ampliùs non exiſtat. Ergo ſimiliter, tametſi peccatum non poſſit permanere poſitâ condonatione Dei, & poſitâ non condonatione neceſſariò permaneat, tamen indè non rectè infertur, non condonationem eſſe de ejus ratione formali.

445. Objectio.

Dices; eſtò concurſus Dei non ſit de formali ratione eſſentiæ hominis, ſaltem eſt de formali ratione exiſtentiæ hominis.

Solvitur.

Concurſus Dei non eſt de formali ratione hominis, etiam ut exiſtit.

Reſpondeo, exiſtentiam non habere formalem rationem diſtinctam, ſaltem adæquatè, ab eſſentia actuali; adeoque concurſum Dei non eſſe de formali ratione hominis, etiam ut exiſtit, ſed ſolùm eſt cauſa, quare homo exiſtat: ſicuti non eſſe condonatum, ſive non eſſe deſtructum peccatum, eſt aliquo modo cauſa, quare exiſtat peccatum habituale, id eſt, ut ſuprà dixi, conditio requiſita ut permaneat peccatum habituale, quod per condonationem deſtrueretur; interim cauſa non eſt de formali ratione effectûs, etiam quà effectus eſt, quia illud quà effectus, non diſtinguitur ab ipſo effectu; ſecùs homo ut albus, ab homine, qui eſt albus; quia homo ut albus dicit compoſitum ex homine, qui eſt albus, & albedine tamquam formâ realiter diſtinctâ.

Quemadmodum ergo permanentia phyſica rei non eſt forma aliqua realiter diſtincta ab ipſa re permanente, ſed ipſa res, ut realiter permanens, ſeu habens eſſe continuatum; ita cum proportione, moralis permanentia contractûs, aut peccati, nihil eſt diſtinctum ab ipſo contractu, aut peccato permanente, quaſi faciens unum aliquod compoſitum cum ipſis; ſed eſt ipſe contractus, aut peccatum, ut moraliter continuatum; cauſa autem illius eſſe continuati, eſt ipſa voluntas præcedens, ut habitualiter & moraliter permanens: cùm enim illud eſſe continuatum non ſit eſſe aliquod phyſicum; ideo non requirit novam cauſam phyſicam, ſed ſufficit prior cauſa nondum deſtructa. 446.

446. Moralis permanentia contractûs aut peccati nihil eſt diſtinctum ab ipſo contractu aut peccato permanente.

Si ergo à me quæritur, quod ſit objectum condonationis ſeu remiſſionis peccati? Reſpondeo citiùs, peccatum habituale; id eſt, voluntas phyſicè præterita, & ideo moraliter manens, id eſt, tribuens Deo fundamentum rationabilis odii, donec per ipſum Deum peccator reſtituatur in ſtatum antiquæ libertatis & indemnitatis; quæ reſtitutio fieri poteſt abſque eo, quòd Deus velit formaliter ſuam volitionem, quâ antea rationabiliter erat averſus: cùm illa voluntas, ut jam oſtendimus, non ſit ratio formalis, nequidem partialis, moralis permanentiæ, ſed magìs cauſa efficiens, ſeu conditio ſine qua non.

Quid ſit objectum remiſſionis peccati.

Igitur per condonationem Deus vult deſtruere titulum ſeu jus, ortum ex peccato præterito, ad prudenter judicandum, peccatorem meritò & rationabiliter haberi odio à Deo. Veluti homo irritans contractum vult deſtruere titulum ſeu jus, ortum ex conſenſu præterito, ad prudenter judicandum, contrahentes meritò & rationabiliter obligari ad hoc vel illud faciendum. 447.

447. Deus per condonationem vult deſtruere jus ortum ex peccato præterito.

Loquor de homine irritante ſeu relaxante proprium contractum, & condonante alteri debitum, quod ſibi ex illo competit. Quodcumque dixeris eſſe objectum illius condonationis, idem dicito eſſe objectum condonationis peccati; cùm per peccatum homo factus ſit debitor ſive reus odii divini, à quo debito ſive reatu non poteſt abſolvi, niſi per ipſum Deum, & quod debitum, ſive qui reatus tamdiu manet, quamdiu manet non condonatio, ſeu non remiſſio.

448. Objectio.

Dices; ille reatus odii divini non eſt aliud à parte rei, quàm voluntas divina, odio habens talem hominem propter peccatum præteritum, ſive actus voluntatis divinæ, quo

Pp 2 de

de præſenti avertitur Deus à peccatore propter peccatum præteritum: ergo condonatio ſeu remiſſio illius reatûs pro objecto habet ipſum actum voluntatis divinæ.

Reſponſio. Reſpondeo, illum reatum à parte rei nihil aliud eſſe, quia à parte rei nihil eſt; ſicuti obligatio voti à parte rei nihil aliud eſt, quàm actus voluntatis divinæ, quo de præſenti vult rem promiſſam, v. g. caſtitatem: ergo quando Deus remittit obligationem voti, remittit propriam volitionem, quaſi prior illa voluntas formaliter terminet illam remiſſionem, nego Conſequentiam; quia licèt à parte rei nihil aliud ſit, quoniam obligatio nihil reale eſt, tamen in morali æſtimatione, longè aliud eſt, puta vinculum aliquod, quo homo adſtringitur ad hoc vel illud faciendum, reſultans ex actu præterito, & in homine permanens donec à promiſſario, qui eſt Deus, relaxetur. Relaxatur autem quando ampliùs Deus non vult rem promiſſam; adeoque res promiſſa ut talis eſt objectum voluntatis divinæ.

449. Rejicitur ab Adverſariis. Prorſus ſic eſt, reponit aliquis; ſed quid hoc ad rem? Nonne res promiſſa eſt aliquid diſtinctum à volitione divina? Nemo dubitat. Et verò odium ſive averſio Dei propter peccatum præteritum, nonne eſt ipſiſſima volitio Dei? Quis audeat negare? Ergo Deus, qui remittit, ſive non vult ampliùs odium, remittit, ſive non vult ampliùs propriam volitionem; ſecùs qui non vult ampliùs caſtitatem, aut rem promiſſam.

Sed immeritò, ſi offenſa Dei non foret aliud, quàm ordinatio ad pœnam. Poſſem facilè reſpondere huic argumento, ſi averſio ſeu offenſa Dei non foret aliud, quàm ordinatio ad pœnam æternam, ita ut non poſſit remitti offenſa, niſi remittatur pœna æterna; cùm enim hæc pœna ſit aliquid diſtinctum à volitione divina, non minùs quàm caſtitas v. g. promiſſa Deo, ſicut caſtitas poteſt remitti omnino extrinſecè, abſque eo quòd illa remiſſio pro objecto ſuo habeat ipſam volitionem divinam, quâ antea Deus volebat ſibi rem promiſſam; ita quoque poterit remitti pœna æterna, ſive offenſa Dei omnino extrinſecè, ſine infuſione alicujus formæ ſanctificantis, abſque eo quòd illa remiſſio habeat pro objecto terminativo ipſam volitionem divinam, quâ antea Deus volebat pœnam æternam. Quæ enim diſparitas? Nam ſicut in primo caſu illa remiſſio non eſt aliud, quàm nolitio caſtitatis promiſſæ ut talis, antea volitæ; ita in poſteriori caſu illa remiſſio non eſt aliud, quàm nolitio pœnæ æternæ, antea volitæ.

450. Quia tamen hæc ſententia minùs videtur conformis dictis Sanctorum, hinc ponitur Verùm quia hæc ſententia, quæ aliquando placuit Scoto, minùs videtur conformis dictis Sanctorum, qui videntur diſtinguere remiſſionem culpæ à remiſſione pœnæ, de qua controverſia Concluſ. ſequenti; hinc manet difficultas prætacta, quomodo remiſſio culpæ, ſuppoſito quòd poſſit fieri ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, aut alterius formæ, non habeat pro objecto ſuo ipſam volitionem divinam; nam illud odium Dei, quod remittitur, non eſt aliquid diſtinctum ab ipſa volitione divina, vel aſſignetur quid aliud ſit.

Reſpondeo ut priùs, Deum non remittere odium ſeu averſionem, ſed remittere jus illud ſive titulum, quem habebat ad odium ſeu averſionem; quo jure ſublato, odium & averſio per ſe ceſſat. alia r ſio.

Dices: illud jus ſive titulus eſt peccatum præteritum, ſeu hominem peccaſſe; illud non poteſt tolli à Deo: quia quod factum eſt infectum fieri nequit, ſive ad præteritum non datur potentia. 45 Objec

Reſpondeo; non poteſt tolli peccatum præteritum, phyſicè, concedo; moraliter, nego: id eſt, poteſt Deus facere, ut peccatum præteritum ampliùs non ſit ſufficiens & rationabile fundamentum odii ſeu averſionis, quod non eſt aliud, quàm Deum velle, ut hodie peccatum non ſit proximè dignum odio, quod heri erat dignum. Quòd autem hoc poſſibile ſit, probatur ex eo, quòd Deus potuerit facere, ut opus malum numquam eſſet proximè dignum odio, ſicut potuit facere, ut numquam opus bonum foret proximè dignum amicitiâ divinâ; cùm ſicut meritum pendet, in ſententia Scoti, ab acceptatione divina, ita & demeritum à lege divina, in tantum ut ſublatâ omni lege per poſſibile vel impoſſibile, nullum foret peccatum, ſaltem theologicum, id eſt, quod hominem redderet proximè dignum ſpeciali odio Dei, & pœnâ æternâ, ut ſuppono ex materia de Virtutibus & vitiis. Solvit Poteſt facere, peccat prætet non ſi pliùs ciens dame odii.

Sed revertamur ad retractationem peccatoris, quam aliqui probant neceſſariam eſſe hoc argumento: quia ſi nullus eſſet Deus, homo maneret maculatus, uſque quo retractaret peccatum; homines enim juſtè ipſi indignarentur, eò quòd feciſſet contra legem naturæ: ergo etiam modò requiritur illa retractatio. 452. Argum tum qu aliqui p bant ne ſitatem tractatio

Reſpond. neg. Antecedens: quia ſicut nunc Deus condonat peccatum theologicum, id eſt, tollit titulum juſti odii per ſolam ſuam voluntatem, abſque retractatione peccatoris; ita tunc homines potuiſſent condonare peccatum phyſicum, ut ſic loquar, id eſt, tollere titulum juſtè indignationis, per ſolam ſuam voluntatem abſque retractatione peccatoris. Reſpon

Et verò quoniam Deus ſupremus omnium eſt Dominus, & magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas, poteſt pro ſe, & pro omnibus hominibus illud jus ſeu titulum condonare, quo facto irrationabiliter homo averteretur ab eo, à quo Deus non poteſt ampliùs rationabiliter averti.

Si inſe-

Digitized by Google

453. *An Deus poſſit condonare peccatum antequam fiat, vel quando fit?*

Si inferas: ergo Deus poterit condonare peccatum antequam fiat, vel etiam quando actu fit. Reſpondet Lugo diſp. 7. n. 126. id non repugnare in ordine ad potentiam abſolutam: ſicut, inquit, etiam homo antequam ab hoſte lædatur, poteſt & ſolet illi remittere injuriam quantùm eſt de ſe. Sic Deus etiam, ſciens Petrum cras peccaturum, poſſet hodie cedere, & condonare jus illud, quod ex peccato Petri ſibi adveniret ad rationabiliter eum odio habendum; unde adveniente peccato, licèt Deus haberet odium circa ipſum peccatum, non tamen in perſonam Petri propter peccatum, quia jam ceſſit juri rationabili ad illud odium Petri.

[illegible]

Tunc autem Petrus procul dubio, quando actu pejeraret, actu peccaret, & actu macularetur actualiter per peccatum actuale, & actu amitteret gratiam ſanctificantem, propter oppoſitionem quam habet ex natura rei cum peccato actuali: cæterùm non eſſet inimicus Dei, id eſt, non terminaret actum inimicitiæ Dei in ipſum; immo pro illo eodem inſtanti diceretur Petrus peccator actualis, & peccatum illud eſſet à Deo condonatum: hæc enim duo non repugnant, ut videmus inter homines, poſſe ſimul unum offendere actu alium, & ille qui offenditur, poteſt actu condonare, vel condonaſſe illam offenſam: neque enim remitti peccatum eſt ex conceptu ſuo eſſentiali, quòd non ſit peccatum, ſed quòd non ſit habitualiter.

Peccaret ergo homo actu, quia actu operaretur contra Dei præceptum, offenderet Deum, & quantùm eſt de ſe daret illi jus ad rationabile odium ipſius; adhuc tamen illa offenſa eſſet condonata, quia Deus ceſſerat juri ad rationabiliter indignandum contra hominem propter illam offenſam; quem modum dicendi olim à me traditum, video placuiſſe jam aliquibus Theologis non vulgaribus, & ideo libentiùs in eo perſiſto. Hactenus Cardinalis.

454. *Oppoſitum docet Dicaſtillo cum Suarde,*

Porrò qui ſint iſti Theologi, quibus placuit hic modus dicendi, planè ignoro; hoc ſcio inter illos nullatenus numerandum eſſe Dicaſtillonem, qui diſp. 1. à n. 310. uſque ad 323. diffusè probat condonationem coëxiſtentem cum peccato manifeſtè implicare, ſecutus Suarium lib. 7. de Grat. c. 21. n. 5. ibi: Actuale (peccatum) dum eſt, remitti non poteſt, ut eſt per ſe notum, quia peccatum quod remittitur, tollitur, ac deſtruitur; peccatum autem quod actu fit, non poteſt pro eodem tempore deſtrui ſeu tolli, quia contradictio involvitur manifeſta: non poteſt ergo ſimul fieri, & remitti; ideóque vel pro illo tempore non poteſt infundi homini peccanti habitus gratiæ, vel ſi infundi poteſt, ut nos diximus, clarum eſt, non poſſe ſufficere ad remittendum tale peccatum pro eodem tempore. Hucuſque Suarez. Quæ autem condonationis coëxiſtentis peccato, eadem eſt ratio condonationis antecedentis peccatum, ut omnibus eſt manifeſtum.

Rogat aliquis, quid ego ſentiam de hoc puncto? Reſp. I. Deus abſolutè poteſt facere, ut actus craſtinus, v. g. homicidium cras perpetrandum, non ſit peccatum, quod aliàs eſſet peccatum, non per condonationem ſeu remiſſionem peccati, ſed per ſublationem legis prohibentis homicidium. Et hoc probat exemplum hominis condonantis alteri injuriam antequam fiat, vel dum actu fit; quippe per illam condonationem tollitur materia injuriæ, ita ut opus quando fit, non ſit injuria, quod aliàs injuria fuiſſet, juxta regulam juris 27. de Reg. juris in 6. *Scienti & conſentienti non fit injuria neque dolus.* Intellige, quando ſciens & conſentiens poteſt cedere juri ſuo. 455. *Auctor docet primò, Deum poſſe facere, ut actus craſtinus non ſit peccatum, qui aliàs eſſet peccatum.*

Ex hypotheſi ergo quòd Deus cedat jure ſuo (ſicut poteſt cedere, ſaltem in ijs quæ tantùm ſunt prohibita jure poſitivo) quod habet ut hoc vel illud fiat, eo ipſo hoc, quod aliàs eſſet peccatum, & offenſa Dei, jam ampliùs non eſt peccatum, vel offenſa, defectu ſcilicet legis, quæ lex eſſentialiter requiritur ad peccatum theologicum, de quo hic tractamus.

Reſpondeo II. ex ſuppoſitione quòd actus quando fit, ſit verum peccatum, implicat quòd non ſit pro iſto inſtanti vel tempore vera offenſa Dei; nam peccatum theologicum eſſentialiter eſt offenſa Dei. Siquidem lex Dei non eſt aliud, quàm efficax intentio Dei, ex ſe perpetuò obligandi in conſcientia, id eſt, obligandi ſub pœna indignationis divinæ. 456. *Docet ſecundò, implicare actum eſſe verum peccatum, & non veram offenſam Dei.*

Reſpondeo III. fieri poteſt per abſolutam Dei potentiam, ut tranſacto peccato actuali, non maneat peccatum habituale, ſi videlicet pro ſequenti inſtanti vel tempore Deus remittat peccatum, id eſt, nolit ampliùs propter illud indignari; illam autem nolitionem putamus poſſibilem abſque ulla phyſica mutatione peccatoris, quæ eſt ultima pars Concluſionis, nec habet aliquam difficultatem, ſuppoſitâ veritate eorum, quæ hactenus de hac materia diſſeruimus. *Docet tertiò, fieri poſſe per abſolutam Dei potentiam, ut tranſacto peccato actuali non maneat peccatum habituale, etiam ſine phyſica mutatione peccatoris.*

Breviter dico, neque eſt repugnantia ex parte Dei, neque ex parte ſubjecti ſive hominis, neque ex parte effectûs ſeu peccati. Et confirmatur non repugnantia ex parte ſubjecti; quia ſine omni mutatione phyſica poteſt homo fieri peccator, ſcilicet per puram omiſſionem actûs præcepti. Similiter per fugam mali, ſuſpendendo ſolùm conſenſum in opus prohibitum, fit bonus bonitate morali virtutis oppoſitæ. Item per motum primò primum, non intermiſſum poſt advertentiam, haud equidem mutatur phyſicè, ſaltem in voluntate, tamen mutatur moraliter quoad bonum & malum. 457. *Probatio, quia neque eſt repugnantia ex parte Dei, neque ex parte hominis, neque ex parte peccati.*

Digitized by Google

Nonne ſolvitur obligatio legis, per ſolam ſublationem legis, factam à Legiſlatore? Nonne remittitur debitum per ſolam voluntatem creditoris? Et ſimilia multa rem penitiùs introſpicienti facilè occurrent, quæ videntur concludere, nullam omnino eſſe repugnantiam ex parte ſubjecti ſive peccatoris, ut ſine omni phyſica ſui mutatione, accipiat à Deo remiſſionem ſuorum peccatorum; quamquam de facto Deus noluerit peccata remittere, niſi per gratiam, ut graphicè docet D. Bonaventura 4. diſt. 17. a. 1. q. 1. n. 9. ibi: *Et quoniam miſericors eſt, ideo etiam amplius bonum reddit. Quia magis indiget, ideo non tantùm reſtituit innocentiam, ſed etiam dat gratiam; ideo quamvis delere poſſet Deus ſine medio culpam, decrevit tamen delere per gratiam, quæ non tantùm faceret innocentem, immo etiam naturam debilitatam habilitaret ad bonum.*

D. Bona.

458. Dixi: *Abſque omni mutatione phyſica*; quia moralis ſemper intervenit, cùm ex peccatore fiat non peccator.

Semper intervenit aliqua mutatio moralis.

Planè, inquis; ſed bene notandum, quòd nova denominatio realis non poſſit advenire homini, niſi ſit aliqua mutatio realis; atqui in Deo non eſt talis mutatio: ergo in homine.

Objectio ex Scoto.

Hanc objectionem proponit Scotus 4. diſt. 16. q. 2. n. 8. hiſce verbis: *Non eſt tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine aliqua mutatione; ſed quando iſti remittitur culpa, eſt tranſitus talis, quia ante remiſſionem iſte ordinatus ad pœnam & dignus pœnâ, & poſt non: ergo &c. Maior patet; quia ſi nulla eſt mutatio, non eſt ratio, quare magis nunc pars una contradictionis eſt vera, quàm alia, & priùs alia vera magis, quàm nunc.*

Et poteſt hæc probatio ulteriùs deduci, quòd talis tranſitus non poteſt eſſe ſine mutatione reali: quia mutatio rationis oportet quòd reducatur ad aliquam mutationem realem ...... Et poteſt argui ex Concluſione probata ulteriùs; quia cùm iſta mutatio non ſit in voluntate divina, nec in actu eius: ergo erit in iſto, cui culpa remittitur, & per conſequens remiſſio culpæ in iſto ſecundùm propriam rationem eius eſt aliqua mutatio. Hactenus Doctor Subtilis Qui, ut aſſolet, ſubtiliter reſpondet ad illud argumentum n. 9. & ſequentibus.

459. Non gravetur Lector, ſi ejus ipſiſſima verba, quantumvis fortè longiora, ſubjicio: *Reſpondeo, hìc primò videndum eſt aliquid de voluntate creata, poſtea ad propoſitum applicandum. Voluntas autem creata licèt non poſſit ſimul velle affirmationem & negationem eidem pro ſimul: tamen poteſt non ſimul velle illa eidem pro ſimul, ſcilicet per diverſos actus ſibi invicem ſuccedentes: & poteſt ſimul velle illa eidem non pro ſimul, & hoc eidem nullo modo in ſe variato ante terminum volitionis. Patet, ſi ſimul conſideret idem pro diverſis nunc, & pro illis oppoſita ſibi competere.*

Reſponſio Scoti.

Poteſt voluntas creata diverſis actibus velle oppoſita eidem, non tamen pro ſimul.

Sed nec neceſſe eſt illud, cui vult affirmationem & negationem pro diverſis nunc, variari ex illa volitione, niſi illa ſit cauſa ſufficiens illorum oppoſitorum, & ſit volitio abſoluta, non conditionata. Si enim non poſſet eſſe cauſa illorum, & ſit volitio abſoluta, utpote ſi ambo non ſint cauſabilia extra, quia ſunt tantùm entia rationis, ut volo huic dominium, vel aliquid tale, quod non eſt cauſabile realiter in illo: vel ſi illud volitum iſti eſt cauſabile, non tamen ab hac voluntate; ut volo iſti beatitudinem, quæ eſt quoddam reale cauſabile in iſto, non tamen à voluntate mea. Si etiam ſit cauſabile realiter in iſto, & à voluntate mea imperante cauſabile illud; velim tamen iſti conditionaliter pro A. & oppoſitum pro B. conditionaliter; nec oportet hoc oppoſitum pro A. nec illud pro B. ineſſe iſti, niſi conditio ſiet pro utroque, vel altero. Hucuſque Scotus de voluntate creata, quæ ſic applicat ad propoſitum:

Non neceſſariò muta- tur id volunt creata aliqu

460. *Quæcunque abſoluta obiecta (exceptis peccatis, & generaliter inordinatè volitis) voluntas creata poteſt velle pro eodem nunc, vel pro alio & alio, ſive uno actu, ſive diverſis, voluntas divina poteſt uno actu velle eidem pro eiſdem nunc, una volitione realiter, ſed diverſis ſecundum rationem (quia voluntatem eſſe limitatam ad aliqua obiecta ſecundaria præciſè, ita quòd in alia non poſſit, eſt imperfectionis in voluntate) & per conſequens pro diverſis inſtantibus poteſt velle affirmationem, & negationem iſti, nullo modo in ſe variato ante actum volitionis; & hoc magis poteſt, quàm voluntas creata, quia minus dependet æternum à temporali, quàm actus temporalis à temporali; immo non dependet.*

Quidque vult vol tas crea diverſis tibus p. peccatu volunta divina teſt vel uno actu

Quòd ſi illa affirmatio vel negatio, quâ vult illa voluntas iſti non variato in ſe, unum pro A. & alterum pro B. ſint ſimpliciter cauſabilia, quia ſunt realia, ſequitur quòd ſint cauſabilia à voluntate divina, quia eſt omnipotens: ſed ſi non ſint cauſabilia, vel voluntas illa velit tantùm alterum, vel ambo conditionaliter; ſequitur quòd illa voluntas volet iſti unum oppoſitum pro A. & aliud pro B. & ſine omni iſtius mutatione, ſine etiam omni mutatione ſui in ſe, & in actu ſuo, & ſine mutatione obiecti ut obiectum eſt; quia & volitio, & obiectum, ut voluntati obiicitur, habet eſſe in æternitate; nec poſſet obiectum variari, ut obiicitur actui ſine variatione actûs.

Stat ben nec voler nec voli mutatio volitum poſt voli tum.

461. Ex hoc concludit Doctor: *Quòd voluntas divina poteſt velle iſti affirmationem (dicatur C.) pro inſtanti A. & eidem negationem (dicatur D.) pro inſtanti B. abſque omni mutatione in voluntate divina, vel in obiecto ut obiectum eſt, vel in aliquo extra; & hoc ſi inter illa oppoſita non ſit nata eſſe mutatio, puta quia affirmatio non eſt, niſi tantùm affirmatio rationis, & per conſequens negatio eſt tantùm negatio entis rationis; vel ſi voluntas non velit illa, niſi tantùm conditionaliter, vel ambo, vel alterum.*

Concluſi

Sed quia nullum ens rationis eſt novum, niſi per novum actum voluntatis, vel intellectûs; iſta conditio, ſcilicet de ente rationis, non ſalvat tranſitum à contradictorio in contradictorium ſine mutatione,

Ens ratio nis aliquo do infert mutatio- nem.

Digitized by Google

tione, licèt non inter illa, quæ ſunt rationis; tamen inter actum, & non actum: propter ergo omnipotentiam voluntatis divinæ, nullo modo poteſt velle iſti C. pro A. & D. pro B. ſine mutatione aliqua in iſto: & hoc ſi velit illa volitione efficaci & abſoluta; ſed ſi velit ambo, vel alterutrum conditionaliter, & conditio non exiſtat; nec tunc requiritur mutatio. Voluntas autem creata, quia non eſt omnipotens, poteſt abſolutè velle eidem non variato C. pro A. & D. pro B. & ſine aliqua mutatione præcedente, vel ſequente.

462. Ly Puniendum participialiter & nominaliter.

His ſuppoſitis, ad formam rationis: *Concedo*, inquit Scotus, *Maiorem, propriè accipiendo tranſitum; ſed Minorem iſto modo nego, quia voluntas divina pro inſtanti, pro quo iſte peccat, & pro toto tempore habito uſque ad inſtans B. vult illum eſſe puniendum; non prout puniendum eſt participium futuri temporis paſſivi, ſed prout eſt nomen, id eſt, vult illum eſſe dignum puniri: quod nihil aliud eſt, niſi velle punire iſtum pro tunc, & hoc volitione conditionata, videlicet ſi fiat in termino: vel ſi in inſtanti B. pœniteat, vult iſtum pro tunc, & pro toto tempore habito uſque ad inſtans novi peccati non eſſe puniendum, quod eſt velle iſtum conditionaliter non punire, ſi fiat in termino. Hic ergo non eſt tranſitus aliquis ab uno oppoſito in aliud oppoſitum; ſed hic eſt circa idem obiectum velle conditionatum affirmationis pro uno inſtanti, & velle conditionatum negationis pro alio inſtanti, & iſta duo velle in æternitate ſimul ſtant, & circa obiectum in æternitate volitum, licèt non pro æternitate, ſed pro alio, & alio nunc.* Hucuſque Scotus, fortè diffuſiùs quàm velit Lector non Scotiſta; qui autem, ut oportet, Doctrinam Scoti ſuſpicit, plura ibidem quæret, & reperiet digna conſideratione.

463. Ut homini adveniat nova denominatio realis non peccatoris, ſufficit realis mutatio temporis.

Dico paucis ad argumentum propoſitum, ut adveniat homini nova denominatio realis (ſi ita allubeſcat eam vocare) non peccatoris, prorſus ſufficit realis mutatio temporis, id eſt, ſufficit quòd tempus illud adveniat, pro quo ab æterno Deus decrevit remittere peccatum; jam tunc enim ſine aliqua mutatione reali in Deo, immo in peccatore (de potentia abſoluta) peccatum cenſebitur condonatum, & homo ex peccatore factus non peccator.

Deus poteſt remittere votum ſine omni propria, aut hominis mutatione reali.

Nonne Deus habenti votum, ſolâ ſuâ voluntate poteſt illud remittere, ſine omni ſui ipſius, aut hominis mutatione reali? Planè; & tunc homo fiet ex debitore non debitor pro diverſis temporibus, per ſolam voluntatem Dei, cujus decretum pro tali & tali tempore, fuit æternum; adeoque habere poteſt effectum in tempore ſine mutatione Dei, & ſine mutatione phyſica hominis, cum ſola mutatione morali; quoniam eſſe debitorem ex voto, ſolùm quid morale eſt: ergo ſimiliter ex peccatore poterit fieri non peccator pro diverſis temporibus, ſine mutatione Dei, & ſine mutatione phyſica peccatoris cum ſolâ mutatione morali, quoniam eſſe peccatorem ſolùm quid morale eſt.

Quando ergo dicitur: *Deus nunc amat Petrum, heri verò odio habebat*, illud *nunc*, & *heri* non ſe tenent ex parte amoris, & odii, nec ſignificant eorum durationem, cùm fuerint ab æterno, & ab æterno denominaverint objectum amatum, vel odio habitum (quamvis non pro omni tempore, ſed pro tali vel tali duratione) ſed potiùs tenent ſe ex parte objecti, quatenus amor v. g. terminatur ad Petrum pro hoc tempore, & odium pro iſto. 464. Quomodo Deus nunc poſſit amare Petrum, quem heri odio habebat.

Si arguas (inquit Scotus ſuprà n. 13.) *quia ſemper ſtat difficultas rationis, quia primò eſt una pars contradictionis vera, ſcilicet, iſte eſt ordinatus ad pœnam: ſecundò altera, ſcilicet, iſte non eſt ordinatus ad pœnam; ſed non eſt tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine mutatione: ergo &c.* 465. Objectio ex Scoto.

Reſpondeo, in æternitate hæc eſt vera: Iſte pro A. eſt ordinatus ad pœnam, & iſte pro B. non eſt ordinatus ad pœnam; nec iſta ſunt contradictoria ſimul vera, nec ſuccedentia ſibi invicem in veritate: ſed illa, pro quibus affirmatio, & negatio denotantur ineſſe, apprehenduntur ut ſuccedentia ſibi realiter vel poſſibiliter. Vel aliter, nihil aliud eſt, iſte eſt nunc ordinatus ad pœnam, niſi, iſte eſt volitus ad pœnam pro A. ſi tunc iudicetur, & iſte poſtea non eſt ordinatus ad pœnam, id eſt, iſte non eſt volitus ad pœnam pro B. ſi tunc iudicetur, & hæc non ſunt contradictoria. Quòd autem utraque volitio iſta pertinens ad retentionem & remiſſionem culpæ non ſit niſi conditionata, patet; quia ſi vellet abſolutè peccatorem ſtatim cùm peccat punire, ſtatim puniret. Hæc ille. Reſponſio ex eodem.

Sed dicet aliquis; ſi illa determinatio voluntatis divinæ ad remiſſionem peccati eſt ab æterno; unde contingit quòd pro hoc tempore cenſeatur remiſſum peccatum, & non pro altero, niſi pro hoc tempore ſit aliqua phyſica mutatio in Deo, vel creatura, & non pro altero tempore? Non enim videtur hoc referendum in divinæ voluntatis terminationem, cùm utraque ſit ab æterno. 466. Objectio.

Reſpondeo, hoc eſſe referendum in divinæ voluntatis terminationem, quatenus una terminatio eſt ad remiſſionem pro uno tempore, & alia terminatio ad non remiſſionem pro alio tempore; nam terminatur divina voluntas non ſolùm ad remiſſionem peccati ſecundùm ſe, ſed ad remiſſionem peccati pro tali tempore. Solvitur.

Quòd autem talis æterna Dei determinatio ſine nova phyſica mutatione, præterquam temporis, ſufficiat ad remiſſionem peccati vel non remiſſionem, poteſt declarari exemplo humano; nam ſi ego hodie ineam pactum cum altero, quo me obligem, ut poſt tres dies ſim ejus famulus, & poſt unum annum deſinat obligatio mea ad ipſi famulandum, ex vi hujus pacti, nullâ phyſicâ mutatione factâ in me, 467. Quòd æterna Dei determinatio ſine mutatione, præterquam temporis, ſufficiat ad remiſſionem, vel non remiſſionem, de-

Digitized by Google

claratur exemplo humano. me, vel in ipſo, cui me famulum conſtituo, elapſo tertio die ero famulus ejus, & poſt annum deſinet obligatio mea ad ipſi famulandum, ex eo ſolùm, quòd actus voluntatis meæ præcisè terminabatur ad obligationem inducendam pro tempore, quod flueret poſt tres dies uſque ad finem anni; ex eo enim fit ut occurrente tertio vel quarto die incipiat obligatio mea, & eo finito expiret.

Itidem ergo ſuppoſitâ determinatione æternâ divinæ voluntatis, ut vi ejus uno tempore ſim Dei inimicus, altero tempore non, ſufficit quòd occurrant illa tempora, pro quorum altero mihi non remittat, pro altero verò remittat injuriam, ipſi per peccatum meum illatam.

468. Item exemplo in divinis. Nonne ab æterno Deus poteſt velle hodie conſervare v. g. Joannem, & velle cras non conſervare, abſque ulla ſui mutatione? Nemo dubitat quin poſſit. Quid ergo obſtat, quin ſimiliter poſſit ab æterno velle hodie non remittere peccatum, & ab æterno velle cras remittere, abſque ulla ſui mutatione? Nec ideo debet poni mutatio phyſica in peccatore, ſicuti ponitur mutatio phyſica in Joanne, quia Joannes eſt ens aliquod phyſicum & reale; peccatum autem habituale, quod remittitur, ens aliquod tantùm morale.

469. Replica ſolvitur. Si replicaveris; ſaltem Deus deberet revelare peccatum remiſſum, ne laborans conſcientiâ erroneâ peccet omittendo Pœnitentiam. Reſpondeo, indè ad ſummum ſequi, poſt remiſſionem requiri aliquem actum; hic tamen non eſt neceſſarius ad ipſam remiſſionem, cùm jam ſupponatur peccatum remiſſum. Deinde poteſt homo ſtatim incidere in amentiam; immo potuit Deus ab æterno voluiſſe pro illo tempore perpetuæ amentiæ remittere peccatum, & tunc non erit neceſſaria ulla revelatio. Denique potuit Deus ab æterno præparare talem gratiam, cum qua infallibiliter eliceret actum Pœnitentiæ, de ſe remiſſivum peccatorum, quæ autem tunc neceſſitas revelationis? Nulla omnino.

Et verò, cur minùs requiritur revelatio remiſſionis peccatorum, quando fit per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quàm quando fit ſine omni mutatione phyſica peccatoris? Numquid & ille, qui juſtificatus foret ſecundùm legem ordinatam per infuſionem gratiæ, poſſet laborare conſcientiâ erroneâ, & ex illa peccare omittendo Pœnitentiam, quam judicat neceſſariam ad remiſſionem peccatorum? Apage ergo cum illa tua revelatione, quæ planè impertinens eſt ad propoſitum.

470. An peccatum mortale de facto remittatur abſq; commutatione pœnæ. Quæro autem ego, an quemadmodum de facto non remittitur peccatum mortale ſine infuſione gratiæ juſtificantis, quamvis abſolutè poſſet remitti; ita quoque de facto non remittatur peccatum mortale abſque commutatione pœnæ, quamvis abſolutè poſſet remitti? Reſponſio erit

CONCLUSIO IX.

Non remittitur de facto peccatum mortale abſque mutatione pœnæ; poſſet abſolutè remitti eâdem æternitatis pœnâ manente: cur non & pœnâ remiſsâ, culpa poſſit permanere?

PRima pars eſt communis, & ſufficienter probatur argumento partim affirmativo, partim negativo: affirmativo quidem; quia Scriptura ſacra inſeparabiliter jungit ſtatum culpæ mortalis cum reatu damnationis, & è contra juſtificationem ſeu remiſſionem culpæ cum liberatione à damnatione, & redintegratione ad gloriam, ut videre poteris concluſ. 6. in principio. Argumentum negativum eſt; quia nullum habemus indicium, ſive in Scriptura, ſive in SS. Patribus & Oecumenicis Conciliis, vel apparens tantùm contrariæ remiſſionis: ergo non eſt aſſerenda, cùm pendeat à ſola voluntate divina, quam nemo novit niſi ipſe Deus, & cui voluerit Deus revelare. 471. Sententia negativa probatur Script.

Hinc non immeritò Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. *Non quidem*, inquit, *pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur.* Et can. 30. *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis* &c. *anathema ſit.* Ergo ſupponit Concilium, cum culpa mortali ſemper remitti pœnam æternam. & Conc. Trid.

Ratio eſt; quia, ut dictum fuit concluſ. 6. numquam remittitur culpa mortalis ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, per quam homo fit amicus ac filius Dei, & hæres vitæ æternæ: ergo non manet reus æternæ damnationis; nam *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu* per gratiam ſanctificantem, ut loquitur Apoſtolus Rom. 8. v. 1. *In renatis*, inquit Trident. ſeſſ. 5. in Decret. de Peccato originali can. 5. *nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem; qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur.* Et ſanè quomodo ſimul & proximè eidem deberi poſſunt hæreditas ſeu gloria, & ejuſdem privatio, quæ eſt eſſentialis damnatio ſeu pœna damni? 472. Probatur ex rat. Rom.

Igitur

Igitur quantùm ad factum ſatìs conveniunt ter ſe DD. Catholici: porrò circa oppoſi- m poſſibilitatem, quam aſſerit ſecunda pars onclusionis, præcipua oritur difficultas ex oto 4. diſtinct. 14 qu. 1. nu. 7. in fine, ubi ocet, *quod nihil aliud eſt poſt actum peccati antem offenſa, macula & reatus, niſi iſta rela- rationis, ſcilicet ordinatio ad pœnam*; quæ *ut eſt conveniens ipſi animæ, dicitur eius macula, ſicut oppoſitum pulchritudo: ut autem eſt obligatio naliter ad illam pœnam, dicitur reatus, & eſt actus voluntatis divinæ, in qua eſt tota realitas, per quem actum ordinatur ad talem nam, dicitur offenſa. Nihil enim aliud eſt offen- vel iraſci in Deo, quàm velle vindicare iſtâ â.*

Et ibidem n. 9. ſic ait: *Offenſa* (Dei) *vel (ut dictum eſt) eſt eius velle vindicare, vel uid ſufficiens ad placandum exigere ..... ſed vindicare eſt velle punire.* Ergo ſecundùm otum ſi remittitur pœna æterna, etiam re- ittitur offenſa ſeu culpa, & è converſo, ſi mittitur offenſa ſeu culpa, etiam remittitur na æterna.

Atque pro hac opinione citari ſolet Divus guſtinus lib. 6. contra Julian. cap. 19. ubi cit, reatum concupiſcentiæ reſpectu homi- , qui ſe peccaſſe non meminit, non eſſe in imo ipſius, ſed *in occultis*, inquit, *legibus i, quæ conſcripta ſunt quodammodo in mentibus gelorum, ut nulla ſit iniquitas impunita, niſi m ſanguis Mediatoris expiaverit: cuius ſigno cis conſecratur unda Baptiſmatis, ut eâ dilua- reatus, tamquam in Chirographo ſcriptus in itia ſpiritualium poteſtatum, per quas pœna exi- ur peccatorum.*

Quibus verbis, quia ſignificat reatum il- m non eſſe in animo, ſed in mentibus An- lorum, per quos pœna exigenda eſt pecca- um, videtur reatum pœnæ, nomine rea- s intelligere; adeoque per reatum pœnæ, i manet tranſeunte actu, intelligere pec- um habituale. Igitur ſecundùm Auguſti- m, impoſſibile eſt, quòd maneat reatus næ æternæ, & non maneat peccatum ha- uale; & conſequenter ut remittatur pec- um habituale, & non remittatur pœna erna.

Et ſanè, ſi peccatum habituale eſſentiali- r nihil aliud eſt, quàm reatus pœnæ, nimis nifeſtum eſt, Concluſionem noſtram neu- quam ſubſiſtere; ſed quia hoc putamus om- imodè falſum, ideo perſiſtimus in Conclu- one, quam aliqui probant exemplo in rebus manis, ubi quis poteſt remittere offenſam injuriam, & nihilominus velle punitionem o peccato debitam.

Nonne præcipitur dilectio inimicorum atth. 5. v. 44. & 45. *Ego autem dico vobis: iligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt , & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt?* Quis ideo negat me poſſe exigere juſtam ſatisfactio- nem pro injuria illata? Similiter fieri poteſt ut homo non poſſit alterum punire, & per conſequens non poſſit velle alterum punire, & tamen poteſt manere ipſi offenſus: ergo à paritate rationis poſſet Deus ipſi remitte- re jus quod habet ad odium & inimicitiam, interim tamen velle retinere jus ad pœnam; poſſet velle remittere jus ad pœnam, retinendo interim jus ad odium & inimicitiam, cùm re- miſſio culpæ, & remiſſio pœnæ ſint remiſſio- nes diſtinctæ.

Sed hæc probatio poſſet videri minus ha- bens; nam dilectio inimicorum, quæ ibi præ- 476. cipitur à Chriſto, in hoc præciſè conſiſtit, ſe- cundùm communem ſententiam D.D. quòd inimici ſine juſta cauſa non excludantur à ge- nerali affectu, aut communibus beneficiis, quod totum ſtare poteſt, tametſi offenſa & injuria non remittatur, ut patet in Deo, qui, ut ibi- dem ſubjungitur, & ponitur in exemplum, *So- lem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Nec ideo tamen re- mittit offenſam malis & injuſtis, cùm nihilo- minus velit ipſos punire pœnâ æternâ, ſi ita deceſſerint ex hac vita.

Sed hoc exemplum rejicitur tamquam impertinens ad hoc propoſitum.

Ergo à pari, quamdiu manet voluntas pœnæ debitæ in homine, cenſetur adhuc manere offenſa, eſtò jam diligat illum, quem vult pu- nire; diligat, inquam, illâ dilectione, quam Chriſtus loco ſuprà citato præcepit; ergo dile- ctio inimicorum impertinens eſt ad propoſitũ.

Quantùm ad remiſſionem pœnæ, quæ fieret abſque remiſſione offenſæ, ubi, inquis, illa in hu- 477. manis reperitur? Fateor ſæpè fieri poteſt, im- mo ordinariè ſic accidit, ut homo offenſus, quia privatus, non poſſit licitè per ſeipſum in- fligere pœnam pro peccato commiſſo; adeo- que non poſſit licitè velle per ſeipſum illam infligere: num ideo rectè dicitur, talem ho- minem remittere pœnam, & nihilominus ma- nere alteri offenſus? Patet quòd non rectè id dicatur, quia non remittit pœnam, qui vult il- lam infligere per alium, puta per competentem judicem. Si autem nec ſic vult pœnam inflige- re, cùm tamen poſſet velle, unde conſtat quòd talis adhuc maneat verè offenſus? Quid enim eſt illa offenſio? Numquid averſio aliqua ſeu diſplicentia propter peccatum præteritum?

An in humanis remittatur aliquando pœna abſque remiſſione offenſæ.

Quid ſit illa offenſa.

Rectè judicaſti. Et quidem ſi averſionem illam etiam appellaveris pœnam, conſentio impoſſibile eſſe, & inconceptibile, Deum re- mittere culpam, eâdem pœnâ æternitatis per- manente, uti etiam remiſsâ omni pœnâ cul- pam permanere. Verumenimverò per pœ- nam communiter non intelligitur hujuſmodi averſio ſeu diſplicentia, ſed malum aliquod ſeu incommodum naturæ, quod ab extrinſeco infligitur ſecundùm juſtitiam punitivam, juxta menſuram delicti præteriti, tametſi quoad

Quid per pœnam communiter intelligatur.

culpam remiſſi; ut patet in pœnis temporalibus, quæ culpâ remiſsâ remanent perſolvendæ in Purgatorio.

478. Deus de facto remittit culpam, & retinet jus ad pœnam temporalem.

Sicut ergo Deus de facto remittit culpam, id eſt, jus quod habet ad rationabile odium, ſive rationabilem averſionem & diſplicentiam, & retinet nihilominus jus ad pœnam temporalem; ita non apparet contradictio in eo, quòd remitteret culpam, retinendo interim jus ad pœnam æternam: ſimiliter in eo quòd remitteret jus ad omnem pœnam, interim retinendo jus ad rationabilem averſionem; quoniam jura illa moraliter ſunt valde diverſa, adeoque ſeparabilia.

Nam ſi Deus, inquit Lugo de Pœnitentia diſp. 7. n. 79. per impoſſibile non eſſet ex officio Gubernator & Judex univerſi, licèt haberet jus ad rationabile odium peccatoris, & per conſequens, cedendo huic juri, poſſet condonare culpam; non tamen haberet jus ad puniendum hominem, nec poſſet condonare pœnam: ſicuti contingit, quando Petrus offendit alium hominem privatum, cui quidem oritur contra Petrum jus morale, ad hoc ut rationabiliter avertatur à Petro, cui juri poteſt ipſe cedere condonando offenſam; non tamen habet jus ad puniendum Petrum condignè propriâ auctoritate, & ideo in rigore non poteſt Petrum abſolvere à pœna: Princeps verò è contra, poſſet Petro condonare pœnam, non tamen poſſet tollere offenſam, quâ moraliter loquendo Petrus reputatur dignus, à quo offenſus rationabiliter avertatur, dum non ſatisfacit condignè pro offenſa. Hæc ille.

479. Poteſt manere actus præteritus in ordine ad obligationem pœnæ, tametſi non maneat in ordine ad rationabilem averſionem, & è converſo.

Et quamvis Deo utrumque illud jus competat, unde probatur, quòd Deus non poſſit cedere uni, & non alteri, hoc eſt, quòd non poſſit perſeverare peccatum præteritum in ordine ad rationabile odium, & non in ordine ad juſtam punitionem? Nonne promiſſio matrimonii, facta virgini, ad extorquendam copulam illicitam, poſt copulam manet quoad obligationem matrimonii, tametſi ampliùs non maneat in ordine ad culpam, puta ſi promiſſor doleat de peccato? Ergo ſimiliter in præſenti, poteſt manere actus præteritus in ordine ad obligationem pœnæ, tametſi ampliùs non maneat in ordine ad rationabilem averſionem, ſive in ordine ad culpam, & vice versâ manere in ordine ad culpam, quantumvis ampliùs non maneat in ordine ad pœnam.

Quare permanentia in ordine ad odium ſit potiùs macula, quàm permanentia pœnæ.

Et ſi quæritur, quare permanentia in ordine ad odium, potiùs ſit macula ſeu culpa habitualis, quàm permanentia reatûs pœnæ. Reſpondeo cum Lugone ſuprà n. 84. quia ſicut macula corporis eſt objectum diſplicens viſui, ſic macula animæ objectum diſplicens Deo; jam autem remanente ſolâ obligatione ad pœnam, homo ampliùs non diſplicet Deo.

Arguis; ratio formalis, propter quam Deus odit hominem, & propter quam eum punit, eſt eadem, ſcilicet peccatum: ergo quamdiu manet illa ratio, manebit jus ad odium, & jus ad punitionem. 480 Objectio.

Reſpondeo Conc. totum: ſed fieri poteſt ut maneat illa ratio in ordine ad unum effectum, & non reſpectu alterius; quia ut maneat peccatum præteritum, conditio neceſſaria eſt non remiſſio; cùm ergo remiſſio culpæ, & remiſſio pœnæ ſint remiſſiones diſtinctæ, & à ſe mutuo ſeparabiles, ut jam oſtenſum eſt, fieri poteſt quòd peccatum præteritum maneat quoad culpam, & non quoad pœnam, vel è converſo quoad pœnam, & non quoad culpam. Saltem non oſtenditur evidens contradictio in illa ſeparatione; eſt autem Maxima certiſſima Scoto, *Quod Deo eſt poſſibile omne quod non includit evidenter contradictionem, & ad quod non ſequitur neceſſariò contradictio* 4. diſt. 10. q. 2. n. 11. Solvit[ur]

Herculè ſi Deus poſſit (ut nonnulli exiſtimant) innocentem adjudicare igni perpetuo inferni, ſolo titulo ſupremi dominii; quantò magìs eum, qui juſtè per peccatum promeritus fuit ignem perpetuum inferni, tametſi peccatum quoad culpam remiſerit?

Dices; pœna æternitatis prout nunc eſt, infert quaſi ineluctabilem neceſſitatem peccandi: ergo licèt poſt peccatum remiſſum, poſſet Deus jam innoxium adjudicare igni perpetuo inferni, ſecluſâ inimicitiâ divinâ, obſtinatione voluntatis in malo &c. haud equidem punire eâdem æternitatis pœnâ, quâ puniret ante peccatum remiſſum. 481 Alia [obje]ctio.

Reſp. neg. Conſ. quia & hanc quaſi ineluctabilem neceſſitatem juſtè promeritus fuit per peccatum; unde quòd peccet, non Deo, ſed ſibi ipſi debet imputare. An fortè exiſtimas, Deum in hac vita numquam ſubtrahere gratiam efficacem, neceſſariam ad reſiſtendum tentationibus, propter peccatum præteritum remiſſum? v. g. aliquis cum voto ſimplici caſtitatis duxit uxorem, exiſtimas quia culpâ deletâ per Pœnitentiam, Deus non poſſit negare auxilia uberiora & efficacia ad reſiſtendùm aliis, etiam gravioribus, peccatis? Erras toto cælo. Si hìc poteſt ſubtrahere, & aliquando ſubtrahit, quidni etiam poſſet ſubtrahere poſt hanc vitam in inferno? Non dubito quin poſſet, quamvis de facto numquam contingat id fieri. Reſp[ondetur]. Deus quan[do] hac v[ita] ſubtra[hit] gratia[m ef]ficace[m] propt[er] pecca[tum] præter[itum] remiſ[ſum].

Poſſet ergo Deus tali caſu ſubtrahere auxilium efficax, quo homo alioquin reſiſteret tentationi, quæ ex æterno illo ſupplicio ad odium Dei oriretur; quo facto, homo infallibiliter prorumperet in odium Dei, & maneret obſtinatus in illo peccato; ſuppoſito quòd maneat illa ſubtractio, haberet etiam vermem conſcientiæ, non quidem peccati commiſſi, & non remiſſi quoad culpam in hac 48[2] Poſſe ſubtr[ahere] in inf[erno].

Digitized by Google

hac vita, ſed peccati commiſſi poſt mortem, & non remiſſi, propter quod foret dignus odio Dei, quamvis non puniretur propter illud, utpote quod non fuit peccatum hominis viatoris, ſed propter peccatum hujus vitæ remiſſum quoad culpam.

Ratio itaque ſecundæ partis Concluſionis eſt; quia non oſtenditur manifeſta implicantia in ſeparata remiſſione pœnæ, & culpæ, ſuppoſito quòd culpa non ſit eſſentialiter reatus pœnæ.

483. *An D. Aug. aliquando docuerit culpam habitualem eſſentialiter eſſe reatum pœnæ.*

Sed numquid Scotus ſuprà, & Divus Auguſtinus, quem Scotus pro ſe allegat, aliquando docuerunt, culpam habitualem eſſentialiter eſſe reatum pœnæ? Aliquibus viſum eſt, quòd Divus Auguſtinus loco ſuprà citato de reatu pœnæ loquatur: non quaſi alium reatum non agnoverit, qui iſtius origo & veluti baſis eſt, ſed quia per reatum pœnæ, tamquam vulgò notiorem, magiſque intellectu facilem, rem obſcuram illuſtrare maluerit. Perfacilè enim intelligitur, peccato tranſacto dignitatem pœnæ eſſe reliquam: quo verò pacto peccati reatus, ipſo peccato jam præterito, maneat, non ita cuivis obvium eſt; cùm etiamnum difficultas iſta Doctiſſimorum fatiget ingenia. Solutio facilis eſt, inquit Janſenius de Stat. nat. lap. l. 1. c. 2. & fortaſſis vera.

484. *Oſtenditur loco ſuprà citato Aug. per reatum intellexiſſe reatum culpæ. Janſenius.*

Ut verum tamen fatear (proſequitur ille Auctor) difficulter mihi perſuaſerim, hanc Divi Auguſtini ſententiam eſſe. Nam in ipſo iſto capite, ex quo locus ille avulſus eſt, luculentiſſimè, tam ipſe, quàm Julianus, de reatu peccati ſeu culpæ diſſerunt. Julianus enim propter illa Auguſtini verba, quibus dixerat, concupiſcentiam *manere actu, præterire reatu*, velut ea reprehendens dicit contrarium in peccatis habere locum, nempe ut prætereant actu, reatu verò maneant. Hoc autem eum de reatu culpæ, non pœnæ intelligere, apertiſſimè declarat, quando dicit: *Poteſt donec conſequatur veniam, premi impietate commiſſi, & manet reatus actione finita.* Quid eſt enim impietas commiſſi, niſi reatus culpæ, quæ commiſſa eſt? Unde mox *reatum abſcedere*, idem eſſe dicit, quod *liberum à profanitate videri.* Quod ſanè nihil aliud eſt, quàm liberum ab ipſa profanitatis culpa videri.

Nec Auguſtinus hoc reprehendit, ſed potiùs probat cùm dicit: *Hoc de Sacrificio idolis oblato veriſſimè dicis; actus eſt enim, qui opere ipſo peragitur, & non erit; & ſi iterum ſit, alterum ſit. Impietas verò ipſa, quâ hæc fiunt, tamdiu manet, donec idolis renuntietur, & credatur in Deum.* Quid eſt enim, *impietatem* manere, niſi reatum culpæ manere? Unde paulò inferiùs id quod dixerat, impietatem immolationis manere, aliis verbis dicit: *Manet tamen reatus ejus, donec in lavacro* &c. Quæ cùm apertè de reatu culpæ ab utroque intelligantur, etiam de reatu culpæ intelligi debet id, quod de reatu concupiſcentiæ dicit; propter quem explicandum illa de peccati actualis reatu permanente ſimilitudo prolata fuerat. Hucuſque Janſenius.

Et in Concluſione illius capitis ſic ait: 485.
Quapropter non aliud iſto loco vult Auguſtinus, quàm reatum culpæ præteritæ manere quidem objectivè in conſcientia delinquentis, ut Julianus dixerat, quamdiu ſe deliquiſſe meminit, ſed ſi oblitus fuerit, manere in occultis legibus Dei, ſeu in ipſa æterna incommutabili veritate, ſcriptâ quodammodo in mentibus Angelorum, id eſt, quam mentes Angelorum intuendo cognoſcunt: in qua vident *nullam impietatem*, id eſt, nullum peccati reatum impunitum eſſe debere, niſi quem ſanguis Mediatoris expiaverit. Et quia mens Angelorum quaſi charta eſt, in qua veritas illa ſcribitur, idcirco, *non hunc reatum*; ſed ipſas mentes, ſeu ipſam *notitiam* Angelorum *chirographum* vocat, in quo, velut objectum in notitia ſeu in noſcente, reatus ille ſcriptus eſt: *ut diluatur reatus tamquam in chirographo ſcriptus in notitia ſpiritualium poteſtatum, per quas pœna exigitur peccatorum.*

Qui manet objectivè in conſcientia delinquentis, quamdiu ſe meminit deliquiſſe, alioquin in occultis legibus Dei.

Sed iſta omnia rectiſſimè de reatu culpæ intelliguntur: nam & ille non minùs, quàm reatus pœnæ in Angelorum notitia ſcriptus manere debet, ut ſciant de quibus pœna ſit exigenda, nempe de illis, qui culpæ rei ſunt. Nam quo pacto in eorum mentibus ſcribi poteſt, *ut nulla ſit iniquitas impunita*, ſi non in eorum mentibus etiam iniquitas ipſa, quæ non debet eſſe impunita, ſcribatur? Et quid eſt iſta iniquitas, niſi ipſa culpa ſeu reatus culpæ, qui ex mente hominis, non ampliùs memoris ſe peccaſſe, deletus eſt? Hæc ille.

Sed dicet aliquis; intellexerit ibi Augu- 486. *Objectio.*
ſtinus per reatum, reatum culpæ, numquid ſolius culpæ? Cur non etiam reatum pœnæ, qui & ipſe in Angelorum notitia ſcriptus manere debet, ut ſciant quæ pœna de ſingulis ſit exigenda?

Eſtò; quid tum? Fatemur ſiquidem de fa- *Solutio.*
cto & ſecundùm legem ordinatam numquam manere ſcriptum in mentibus Angelorum reatum culpæ abſque reatu pœnæ, & è contra reatum pœnæ æternæ abſque reatu culpæ, & de illo quod de facto contingit locutus fuit D. Auguſtinus tam hoc loco, quàm alibi: ergo aliter fieri non poſſet de potentia Dei abſoluta, negatur Conſequentia.

Ex quo feſtinè cognoſcitur, quomodo in- 487.
terpretandus Doctor Subtilis, videlicet de illo, quod ſecundùm præſentem Dei ordinationem accidit. Quid illud? *Nihil aliud eſt offendi vel iraſci in Deo, quàm velle vindicare*, id eſt, offenſæ divinæ inſeparabiliter de facto conjungitur voluntas vindicandi: & *nihil aliud eſt*

Quomodo intelligendus Doctor Subtilis ſuprà, ſcilicet de potentia ordinata.

Digitized by Google

poſt actum peccati ceſſantem offenſa, macula & reatus, niſi iſta relatio rationis, ſcilicet ordinatio ad pœnam, id eſt, nihil aliud phyſicum manet poſt actum peccati ceſſantem, præter actum voluntatis divinæ, per quem ordinavit peccatorem ad pœnam juxta menſuram delicti. Ergo peccatum habituale eſſentialiter eſt reatus pœnæ ſive obligatio ad illam pœnam, negatur Conſequentia; ſed reatus pœnę eſt effectus inſeparabiliter de facto conſequens reatum culpæ, per quem effectum, tamquam vulgò notiorem, magiſque intellectu facilem, voluit Doctor Subtilis cauſam obſcuram illuſtrare.

488. **Quomodo peccatum veniale remittatur poſt hanc vitam ex Scoto.**

Et gratis admiſſo, quòd ibi illam ſententiam docuiſſet, in ſequentibus tamen eum modum dicendi revocavit 4. diſt. 21. q. 1. ubi n. 7. ſic diſcurrit de remiſſione peccati venialis poſt hanc vitam: *De ſecunda Concluſione poteſt dici dupliciter, uno modo ſic, quod nihil aliud eſt culpæ venialis remiſſio, quàm ſolutio pœnæ temporalis debitæ pro ea. Probatur, quia poſt actum tranſeuntem, culpa, quæ manet, nihil aliud eſt, niſi reatus ad pœnam debitam; iſte autem reatus venialis non eſt niſi ad pœnam temporalem, & per conſequens ſolutâ pœnâ temporali in purgatorio pro iſto veniali, ex hoc ipſo ipſa culpa venialis remiſſa eſt.*

Primus modus.

Non ſic autem de mortali, quia pœna debita ei non poteſt eſſe totaliter ſoluta, niſi primò ſit æterna commutata in temporalem, & iſta commutatio vocatur remiſſio culpæ mortalis; hæc autem remiſſio non fit niſi per voluntariam diſplicentiam ordinatam, qualis non habetur poſt mortem.

Sic patet unus modus, quomodo poſt mortem non poteſt dimitti mortale, ſed tantùm pœna debita mortali priùs dimiſſo; poteſt autem poſt mortem dimitti veniale priùs non dimiſſum, quia poteſt ſolvi pœna totalis ſibi debita, & in hoc ipſum remitteretur.

Ecce primus modus, qui remiſſionem culpæ, ſive mortalis, ſive venialis, non diſtinguit à remiſſione pœnæ correſpondentis, æternæ videlicet, vel temporalis.

489. **Secundus modus.**

Si autem iſte modus non placet (proſequitur Scotus n. 8) *quia videntur Sancti diſtinguere inter remiſſionem culpæ cuiuſcumque* (mortalis videlicet, & venialis) *& pœnæ, & maximè inter remiſſionem culpæ, & ſolutionem pœnæ debitæ illi culpæ, poteſt dici alio modo* &c. Ergo non recedit à Scoto, qui cùm Sanctis diſtinguit inter remiſſionem culpæ mortalis, & remiſſionem pœnæ æternæ, ſeu commutationem pœnæ æternæ in temporalem: ergo non opponitur Doctori Subtili, qui aſſerit peccatum mortale poſſe remitti quoad culpam, manente eâdem æternitatis pœnâ, & peccatum mortale poſſe permanere quoad culpam, remiſsâ ſeu commutatâ pœnâ æternâ in temporalem.

Non recedit à Scoto, qui diſtinguit inter remiſſionem culpæ mortalis, & remiſſionem pœnæ æternæ.

Veluti non opponeretur Scoto, qui aſſereret, peccatum veniale poſſe remitti quoad culpam, eâdem purgatorii pœnâ permanente; & peccatum veniale poſſe permanere quoad culpam, remiſsâ omni pœnâ purgatorii. Si enim ſecundùm Scotum poteſt affirmari diſtinctio inter remiſſionem culpę cujuſcumque, & remiſſionem pœnæ; quidni etiam poſſit affirmari ſeparatio inter remiſſionem culpæ cujuſcumque, & remiſſionem pœnæ?

Sed numquid primus modus Scoti coincidit cum hac propoſitione, inter alias plures, 490 **An primus modus damnat**
à Pio V. & Gregor. XIII. damnatas, 54. *In peccato duo ſunt, actus & reatus; tranſeunte autem actu nihil manet niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam. Unde in Sacramento Baptiſmi aut Sacerdotis Abſolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolùm liberat à reatu?*

Ita videtur Vaſquezio 1. 2. diſp. 139. c. 2. **Ita vid. Vaſque**
Et quamvis (inquit) prædictæ propoſitiones (intelligit omnes propoſitiones damnatas à Pio V. & Gregorio XIII.) non damnentur niſi in ſenſu ab Auctore intento; hanc tamen propoſitionem non docuit ille (Auctor) in alio ſenſu, quàm Scotus, & quàm verba ipſa ſonant. Hæc Vaſquez, ut aliàs minùs benignus, ne plus dicam, interpres Scoti, quod ſic oſtendo.

Senſus Auctoris videtur fuiſſe, in Sacramento, ſive per Sacramentum Baptiſmi, aut 491 **ſed perp rám, ut oſtendit**
Sacerdotis Abſolutionem, id eſt, Sacramentum Pœnitentiæ non conferri gratiam ſanctificantem, ſed dumtaxat tolli reatum peccati, id eſt, obligationem ad pœnam, ut colligitur ex propoſitione 55. ſequentis tenoris: *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui Pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, vivificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolùm reatus tollitur.*

In hoc ergo ſenſu damnatur propoſitio 54. & jure merito, ut manifeſtè patet ex Concilio Trid. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere **Conc. T.**
can. 6. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre* &c. *anathema ſit.* Et can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantùm eſt ex parte Dei, etiamſi ritè ea ſuſcipiant* &c. *anathema ſit.*

Enimverò Auctorem iſtarum propoſitionum negaſſe gratiam habitualem, videtur colligi ex propoſitione 41. quæ talis eſt: *Iuſtitia quâ iuſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum iuſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, quâ adoptatur homo in filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum ſanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.*

Et conſequenter dicebat, inquit Felix de 492. **Scotus numquam negavit gratiam habitualem, Felix.**
Peccatis cap. 18. diff. 2. n. 20. quòd in peccatore non erat privatio gratiæ, & ita quòd ſolùm manet reatus; Scotus verò non negat gratiam habitualem, ſed fatetur ſæpè in peccatore eſſe privationem gratiæ: & ſuppoſitâ hâc

Digitized by Google

hâc doctrinâ tamquam de fide, difficultas eſt inter Scholaſticos, an formaliter macula conſiſtat in privatione gratiæ, vel in deputatione, vel in aliquo alio. Hæc ille. Nihil ergo commune habet ille modus dicendi Scoti cum illa propoſitione damnata, in ſenſu ab Auctore intento.

Quod vel indè manifeſtè probatur; quia Auctor ille, ex eo quòd tranſacto actu nihil maneat, niſi obligatio ad pœnam, infert: *In Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis Abſolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolùm liberat à reatu.* Numquid ſic aliquando argumentatus fuit Scotus?

Dicitur, inquit Scotus 4. diſt. 14. q.4. n.6. *quod ita Deus requirit diſpoſitionem de congruo, ad hoc, ut peccatori conferat gratiam per Sacramentum* (Pœnitentiæ) *& hoc non, quòd alliget potentiam ſuam Sacramentis, quin tamen ſine diſpoſitione illa praviâ, & congruâ, quæ ſufficeret, conferat per Sacramentum gratiam, & hæc eſt maioris miſericordiæ, ſcilicet duplicem viam inſtituere, per quam iuſtificetur peccator, quàm ipſum ad unam viam arctare. Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale poteſt habere duplici viâ, vel ex bono motu diſponente ad illam de congruo, vel ex ſuſceptione Baptiſmi, ita & in propoſito.* Vide Vaſquez an hoc docuerit Auctor iſtarum propoſitionum.

493. Quid Lugo & Dicaſtillo ſenſerint de hoc puncto. Lugo Diſp. 7. n. 6. putat propoſitiones prædictas à Pontifice rejectas, quia reatum pœnæ non diſtinguunt à culpa. Ego, inquit Dicaſtillo diſp. 1. n. 264. non video quòd in iis propoſitionibus reatus pœnæ non diſtinguatur à culpa, quin potiùs ideo damnantur, quia cùm diſtinguerent reatum ab ea, concedebant ſolum reatum dimitti. Nam ſi reatum pœnæ non diſtinguerent à culpa, non negarent culpam remitti per id, per quod remittitur actus. Ita Dicaſtillo.

Sed contrà, inquit Lugo n. 7. quia in iis propoſitionibus nec verbum eſt de culpa, ſed ſolùm dicunt id quod remanet, eſſe ſolum reatum pœnæ, ut diſtinguitur contra actum peccati; quia nimirum duo ſolùm ſint in peccatò, ſcilicet actus, & reatus; quòd ſi reatus, ut diſtinguitur ab actu, eſt macula habitualis, non debuit rejici illa propoſitio, ſed teneri ut Catholica, quæ docet, poſt actum ſolùm manere reatum pœnæ. Hucuſque Cardinalis.

Reſpondere poſſet quiſpiam; verbum eſt de culpa, alioquin non duo eſſent in peccato, ſed unicum, ſcilicet reatus pœnæ; jam autem duo ſunt, actus, & reatus: Actus ergo culpa eſt, actus, inquam, phyſicè præteritus, quem actum illæ propoſitiones negant remitti per Sacramentum Baptiſmi, vel Abſolutionem Sacerdotis.

494. [illegible] Utcumque ſit de hac controverſia inter Lugonem & Dicaſtillonem; Doctorem noſtrum ſæpiùs diſtinxiſſe inter culpam, & reatum pœnæ, patet ex 4. diſt. 50. q. 6. in fine ibi: *Ideo pœna durat* (in damnatis) *quia peccatum*, id eſt, culpa, *in eis durat; unde dicit* (Fulgent. de Fide ad Petrum) *permanente in eis iniuſtæ affectionis malo, permanet in eis iuſtæ retributionis damnatio.* culpam & reatum pœnæ.

Præterea 2. diſt. 7. q. unicâ n. 26. ſic inquit: *Poteſt concedi totum argumentum, ſcilicet quòd ipſi* (damnati) *habent potentiam, quæ non eſt formaliter peccatum, licet non habeant potentiam non peccandi, hoc eſt non eſſe in peccato: quomodò peccator dicitur eſſe in peccato, poſtquam tranſivit actus quem commiſit: & privatus gratiâ remanet reatus, uſque ſcilicet ad Pœnitentiam de peccatò commiſſo*, id eſt, de culpa.

Item 2. diſt. 28. q. unicâ n. 7. *Ad quæſtionem*, inquit, *poteſt dici, quòd peccatum uno modo poteſt accipi pro ipſo actu elicito deformi, loquendo de peccato commiſſionis. Alio modo pro macula, quæ remanet poſt actum elicitum, ſive pro reatu permanente, quouſque peccatum* (id eſt, culpa) *fuerit deletum per Pœnitentiam.*

Atque hanc diſtinctionem haud obſcuris verbis ſignificat Trid. ſeſſ.6. cap. 14. ibi: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur.* Et can. 30. *Si quis ..... ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis* &c. *anathema ſit.* Conc. Trid. diſtinguit inter culpam, & reatum pœnæ.

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò Concluſionem noſtram nullatenus opponi ſententiæ D. Auguſtini, aut Doctoris Subtilis. Et hæc ipſa fuiſſet finis hujus Sectionis, niſi incidiſſet quidam ſcrupulus; nimirum, utrùm Pœnitentia, per quam remittuntur, ſive quæ remittit peccata mortalia, ipſa ſit forma juſtificans? Reſpondet Vaſquez 3. parte tom. 1. diſp. 2. n. 62. In adulto, qui juſtificatur extra Sacramentum, magìs certum eſt, eum juſtificari contritione, tamquam formâ, quàm gratiâ habituali, ut oſtendimus 1.2. diſp. 203. c. 3. Hæc ille. Communis ſententia eſt: 495. Utrum Pœnitentia, per quam remittuntur peccata, ſit forma juſtificans? Vaſquez.

CONCLUSIO X.

In adulto, qui juſtificatur extra Sacramentum, magìs certum eſt, eum juſtificari gratiâ habituali, tamquam formâ, quàm Contritione.

Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 7. quod inſtitulatur: *Quæ ſit iuſtificatio impii, & quæ eius cauſæ*, poſtquam enumeravit cauſam finalem, efficientem, meritoriam, & inſtrumentalem: *Demum*, inquit, *unica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei; non quâ ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit, quâ videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis* 496. Quæ ſit formalis cauſa juſtificationis ex Conc. Trid.

mentis noſtra, & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes unuſquiſq; ſuam ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſq; diſpoſitionem, & cooperationem: quamquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur: id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſima paſſionis merito, per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret; unde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur fidem, ſpem, & charitatem.

497. **Loquitur Con. generaliter de omni juſtificatione impii.**

Ubi Concilium loquitur generaliter de omni juſtificatione impii intrà & extra Sacramentum, & eam docet fieri per charitatem diffuſam in cordibus, & inhærentem. Atque contrarium errorem damnat can. 11. ejuſdem ſeſſ. ſub hac forma verborum: *Si quis dixerit, homines iuſtificari vel ſolâ imputatione iuſtitia Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat* &c. *anathema ſit.*

Occurritur objectioni.

Nec obſtat quòd cap. 7. meminerit Sacramenti Baptiſmatis, quia illud, ſi non in re, ſaltem in voto eſt medium per ſe neceſſarium ad juſtificationem impii, ut expreſſis verbis docet eâdem ſeſſ. c. 4. ibi: *Quæ quidem tranſlatio* (id eſt, juſtificatio) *poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt.* Ergo per votum ejus fieri poteſt; ergo loquitur de juſtificatione, etiam quæ fit extra Sacramentum.

498. **Probatio Concluſ.**

Cùm ergo Concilium indifferenter loquatur de juſtificatione intrà, & extra Sacramentū, ne minimo quidem verbo ſignificans, vel minimam diſtinctionem cauſæ formalis unius, & alterius, & ſecundū Adverſarios, cauſa formalis juſtificationis in Sacramento ſit gratia habitualis; quo fundamento contritio charitate perfecta conſtituitur forma juſtificans extra Sacramentum? Ubi enim jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, abſque evidenti ratione. Videndum itaque, an rationes Adverſariorum ſint tam evidentes, ut cogant nos quodammodo ad diſtinctionem.

499. **Prima ratio Adverſariorum deſumpta ex Script.**

Prima ergo ratio deſumitur ex Scriptura, quæ pluribus locis dilectioni & contritioni adſcribit animæ ſanctitatem, conjunctionem, & adhæſionem cum Deo, & purgationem à peccatis, Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ubi dilectioni tribuitur, ut à Deo etiam diligamur, & ipſe in nobis ſit. Ad Coloſ. 3. Charitas dicitur *Vinculum perfectionis,* v. 14. 1. ad Timoth. 1. v. 5. dicitur *Finis præcepti,* hoc eſt, conſummatio & complementum legis; quia charitate ſervatur tota lex: & ad Rom. 13. ob eamdem rationem charitas dicitur *Plenitudo legis,* v. 10. Conſtat autem plenitudinem & principium obſervandi legem non in habitu charitatis, ſed in actu dilectionis eſſe, quem excitat in nobis fides viva, quæ per dilectionem operatur. His igitur locis dilectio dicitur juſtitia noſtra.

Joan. 14. Coloſ. 3. 1. Timoth 1. Rom. 13.

Præterea eidem charitati tribuitur remiſſio peccati Proverb. 10. v. 12. *Univerſa delicta operit charitas.* 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Scripturam autem loqui de actu charitatis, non de habitu conſtat; quia Scriptura illis in locis exhortatur nos ad actum charitatis & dilectionis, non ad habitum; & ideo charitatem commendans, ipſum actum dilectionis commendat. Hæc Vaſquez 1. 2. diſp. 203. c. 4. n. 31. Et addit: Eodem modo de dilectione & contritione loquuntur Patres.

Proverb. 1. Pet. 4. Vaſquez

500 **Explica. Scriptur.**

Reſpondeo, ad veritatem Scripturæ & Patrum abundantiſſimè ſufficere, quod longè lateque docuimus ſect. 2. concl. 3 & 5. videlicet, dilectionem Dei propter ſe ſuper omnia, & contritionem charitate perfectam juſtificare impium, antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur. Num ideo ſunt, & dici debent cauſæ formales juſtificationis? Minimè.

Nam interrogo Vaſquezium, rectè dicitur: *Deus abluit & ſanctificat? Baptiſmus abluit, & ſanctificat? Chriſtus eſt iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio noſtra? Baptiſmus eſt iuſtitia & ſanctificatio noſtra? Si quis Baptiſmum ſuſceperit, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus? Univerſa delicta operit Baptiſmus? Baptiſmus operit multitudinem peccatorum?* Quis Catholicus negare poterit veritatem harum propoſitionum? Et tamen propterea nemo cogitur aſſerere, vel Deum, vel Baptiſmum eſſe formam juſtificationis. Quid ergo ſunt? Cauſa efficiens, & inſtrumentalis.

501 **quòd dilectio & contritio ſint cauſæ inſtrumētales juſtificationis.**

Ergo ſimiliter, ut Scripturæ allegatæ, & dicta Patrum verificentur, ſatis ſuperque eſt, quòd dilectio, & contritio ſint cauſæ inſtrumentales juſtificationis; non quidem externæ, quemadmodum Baptiſmus, & Sacramentum Pœnitentiæ, ſed internæ, notæ ſoli Deo, qui eſt cauſa principalis efficiens.

Et verò cùm dilectio, & contritio tantùm juſtificent tamquam vicariæ ipſorum Sacramentorum, id eſt, ratione voti Sacramenti, quod in ipſis includitur, ſive potiùs (ut loquar cum Trid. ſeſſ. 14. c. 4.) cùm non juſtificent ſine voto Sacramenti, quod in ipſis includitur, ſi ipſum Sacramentum ſolùm eſt cauſa inſtrumentalis, & non forma juſtificationis, quidni etiam votum Sacramenti?

502. **Objectio ſolvitur.**

Nec obſtat, quòd dilectio & contritio ſint formæ intrinſecæ, ſecùs ipſum Sacramentum; indè enim ad ſummum ſequitur, quòd poſſent eſſe forma juſtificans; interim cùm conſtet aliam dari formam juſtificantem, ſcilicet gratiam

Digitized by Google

tiam habitualem in parvulis, & adultis, qui juſtificantur in Sacramento; quis Vaſquezio revelavit, adultos extra Sacramentum juſtificari contritione ſeu dilectione tamquam formâ? Núm quia forma intrinſeca, ideo neceſſariò debet eſſe forma intrinſeca juſtificationis? An fortè implicat Sacramentum, quod eſſet ſignum tantum internum, puta actus aliquis intellectûs, aut voluntatis? Et ſi non implicat, num ideo illud Sacramentum internum neceſſariò foret forma intrinſeca juſtificationis? Contrarium evidens eſt.

Cæterùm Deum feciſſe, quod potuit facere, id eſt, dilectionem & contritionem conſtituiſſe formam intrinſecam juſtificationis, non puto revelatum, nequidem probabiliter, in Scripturis præallegatis; cùm, ut oſtendimus, veriſſimæ ſint, tametſi dilectio & contritio tantùm forent (quod poſſunt eſſe) cauſæ internæ inſtrumentales, ſive, ut alii loquuntur, diſpoſitiones proximæ, ac motiva infuſionis gratiæ habitualis, juxta illud Trident. ſeſſ. 6. c. 7. *Quam* (menſuram juſtitiæ) *Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam cuiuſq; diſpoſitionem, & cooperationem.*

Veluti enim Sacramentum, tamquam ſignum aliquod externum, à Deo inſtitutum, movet Spiritum ſanctum ad diffundendam charitatem in cordibus eorum, qui illud ſuſcipiunt; ſimili profectò ratione actus dilectionis ſeu contritionis, tamquam ſignum aliquod internum, cui à Deo promiſſa eſt iuſtificatio, movet Spiritum ſanctum ad diffundendam charitatem, id eſt, gratiam habitualem, in cordibus eorum, qui Deum propter ſe ſuper omnia diligunt, ſeu de peccatis perfectè conteruntur. *Hanc diſpoſitionem*, inquit Conc. in principio illiùs capitis, *ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur.*

Et amabo, quæ illa diſpoſitio? Utique quam deſcripſerat cap. præcedenti, fides, ſpes, charitas, Pœnitentia, de qua loquitur can. 3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atq; eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Diſpoſitionem autem diſtingui à forma, ad quam diſponit, quis ſapiens, & non intelligit?

504. Scio Adverſarios explicare Concilium de dilectione imperfecta, propter ly *diligere incipiant*, quo utitur cap. 6. quod ut verum eſſet, de quo egimus ſect. 3. conc. 2. numquid eodem modo loquendi utitur can. 3? Patet quòd non. An fortè Canon intelligendus eſt juxta verba capitis, & non potiùs verba capitis interpretanda juxta verba Canonis?

Audi quid dicat Concilium ſeſſ. 6. c. ultimo in fine: *Poſt hanc*, inquit, *Catholicam de Iuſtificatione doctrinam, quam niſi quiſq; fideliter firmiterq; receperit, iuſtificari non poterit; placuit ſanctæ Synodo hos Canones ſubiungere, ut omnes ſciant non ſolùm quid tenere & ſequi, ſed etiam quid vitare & fugere debeant.* Ergo Canones ad majorem explicationem & ſcientiam ſubjunxit S. Synodus: ergo quod fortè in Capitibus dubium, ex Canonibus reſolvendum erit, & non vice verſâ.

Deinde nota hæc verba: *Poſt hanc Catholicam de Iuſtificatione doctrinam*, non ait *de Iuſtificatione in Sacramento*, ſed ſimpliciter, *de Iuſtificatione*. Quis ergo indicavit Vaſquezio, Concilium ibi tantùm agere de Iuſtificatione in Sacramento? Nonne cap. 4. expreſſis verbis agit de Juſtificatione, quæ fit per votum Baptiſmatis, abſque reali ſuſceptione Sacramenti? *Quæ tranſlatio* (id eſt, juſtificatio) *poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt.*

Quin immo ſeſſ. 14. ubi Vaſquez admittit, Concilium agere de juſtificatione extra Sacramentum, ſatis apertè contritionem in genere vocat diſpoſitionem, dicens cap. 4. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt Baptiſmum lapſo, ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum.* &c. Porrò hunc contritionis motum in eodem cap. videtur dividere in contritionem charitate perfectam, quæ reconciliat extra Sacramentum, id eſt, præparat ad remiſſionem peccatorum, ſive impetrat veniam peccatorum antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur, & in contritionem imperfectam, quæ tantùm diſponit ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento. 505. Trident ſeſſ. 14. vocat contritionẽ diſpoſitionem.

Profectò niſi Concilium ſeſſ. 6. agat de Iuſtificatione in genere tam in Sacramento, quàm extra illud, doctrina Concilii minus ſufficiens cenſeri debet, quidquid in contrarium aſſerat Vaſquez ſupra n. 98. Siquidem nihil certi habebimus contra hæreticos de juſtificatione extra Sacramentum, utrùm videlicet fiat per formam tranſeuntem, an verò per formam inhærentem.

Docet quidem Concilium, contritionem charitate perfectam hominẽ Deo reconciliare antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur, ſed cùm illa contritio tranſeat, juſtificatio autem maneat, quamvis à principio juſtificatio facta fuerit per formam inhærentem, ſeu potiùs intrinſecam, in progreſſu tamen homo erit juſtus per imputationem tantùm juſtitiæ præteritæ; adeòque non magis realiter & formaliter juſtus, quàm antea fuerat peccator ſeu injuſtus, ratione peccati præteriti non remiſſi; quod an poſſit concedi, tu videris.

Si dixeris; præter actum illum contritionis infunditur gratia habitualis, per quam homo permanenter eſt juſtus. Reſpondeo, ubi hoc docet Tridentinum? Nam ſecundùm te ſeſſ. 6. tantùm agit de juſtificatione in Sacramento. Et verò ſi hæc juſtificatio fiat per ſolam 506. Obiectio ſolvitur.

Digitized by Google

lam gratiam habitualem, cur itidem fieri nequeat juſtificatio extra Sacramentum per ſolam gratiam habitualem? Ergo gratis aſſeritur alia forma juſtificans.

Aliâ objectio. Arguis II. Canon 3. ſuprà allegatus editus eſt contra reliquias Pelagianorum, ſeu Semipelagianos, qui concedebant, ex propriis noſtris viribus, ſine ullo auxilio gratiæ per Chriſtum, præcedere in nobis fidem, ſpem, & aliquam dilectionem Dei, & Pœnitentiam, quibus juſtificationis gratiam, id eſt, omnia gratiæ auxilia à primo uſque ad ultimum, quibus tandem ad juſtitiam movemur & pervenimus, à Deo impetremus. Ergo non intelligitur de dilectione, & contritione perfectâ.

507. Quæ fuerit Doctrina Semipelagianorum. Reſpondeo; hæc fuit doctrina Semipelagianorum, ut teſtatur D. Hilarius in quadam Epiſtola ad Auguſtinum: *Novum & inutile eſſe prædicationi, quod quidam ſecundùm propoſitum eligendi dicantur, ut id nec accipere valeant, nec tenere, niſi credendi voluntate donata; excludi putant omnem prædicandi vigorem, ſi nihil quod per eum excitetur in hominibus remanſiſſe dicatur. Conſentiunt omnem hominem in Adam periiſſe, nec inde quemquam poſſe pro arbitrio liberari; ſed id convenitens aſſerunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cum proſtratis, & numquam ſuis viribus ſurrecturis annuntiatur obtinendæ ſalutis occaſio; eo merito, quo voluerint & crediderint, à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum, & totius ſanctitatis ſuæ conſequantur effectum. Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt.*

Hæc ſola non fuit damnata in Can. 3. ſeſſ. 6. Conc. Trident. Ergo reliquiæ Pelagianorum non concedebant, ex propriis noſtris viribus, ſine ullo auxilio gratiæ per Chriſtum, in nobis præcedere ſpem, & aliquam dilectionem Dei & Pœnitentiam, ſed ſolum initium fidei. Ergo Concilium Trident. non præciſè ibi damnat illam hæreſim, ſed ampliùs aliquid docet, ſcilicet actus illos diſpoſitivos ad juſtificationem, quos cap. 6. enumeraverat non poſſe elici ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque adjutorio; jam autem actum, quem cap. 6. vocaverat initium dilectionis, can. 3. ſimpliciter vocat dilectionem, ne quis putaret, per ly *diligere incipiunt*, intellexiſſe ſolam dilectionem imperfectam, ſive amorem concupiſcentiæ.

508. Evaſio Vaſquezij præcluditur. Nec obſtat; quod, ut Vaſquez vult, ante Concilium nulla præceſſerit controverſia de diſtinctione gratiæ, quæ eſt forma juſtificans, & contritionis, neque cum hæreticis, neque cum Catholicis; non obſtat, inquam: quia nos non dicimus, ibi ſententiam noſtram definiri; ſed, occaſione acceptâ ex errore hæreticorum, qui ibi expreſsè damnantur, ſufficienter inſinuari. Quamquam enim hæc ſeſſio celebrata fuerit occaſione erroneæ cujuſdam de Juſtificatione doctrinę, ut dicitur in Procemio, putas quòd propterea nihil in ea ſtatuatur, aut declaretur, de quo nulla præceſſerat controverſia cum hæreticis, aut Catholicis? Non eſt credibile.

Cum hoc tempore, inquit Concilium in Procemio illius Seſſionis, *non ſine multarum animarum jactura, & gravi Eccleſiaſticæ unitatis detrimento, erronea quædam diſſeminata ſit de Juſtificatione doctrina: ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Eccleſiæ tranquillitatem, & animarum ſalutem, ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus ..... exponere intendit omnibus Chriſti fidelibus veram ſanamq; doctrinam ipſius Juſtificationis* &c. Conc. T[rid.] Univerſam autem doctrinam de Juſtificatione veram & ſanam, aliquando fuiſſe controverſam vel inter hæreticos, vel inter Catholicos, unde conſtat?

Dices III. Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 4. ſuprà allegato, in principio non loquitur de contritione charitate perfectâ, ſed de contritione univerſè ſumptâ; adeoque ad veritatem illius doctrinæ ſufficit; quòd aliqua contritio, ſcilicet imperfecta, fuerit omni tempore neceſſaria ad impetrandam veniam peccatorum; immo ſic intelligi debet Concilium, cùm certum ſit contritionem charitate perfectam non eſſe neceſſariam. 509 Tertia [ob]jectio.

Reſpondeo; etiam certum eſt, contritionem imperfectam non eſſe neceſſariam, cùm homo poſſit juſtificari ſubitò per contritionem perfectam, ut Vaſquez ſuprà n. 103. admittit. Neque hoc rariſſimum eſt, ut ipſe ibi affirmat, aut contra legem Dei ordinatam; quamquam magìs commune ſit, ut voluntas ab inferioribus ad ſuperiora virtutum culmina aſcendat, adeòque priùs doleat voluntas ex timore pœnarum, quàm ex motivo perfectæ dilectionis Dei ſuper omnia. Interim non rarò, conſideratâ fœditate peccatorum, & infinitâ Dei bonitate infinitè quaſi offensâ; non rarò, inquam, accidit, ut voluntas immediatè proſiliat in perfectiſſimum actum amoris Dei ſuper omnia, ſummè deteſtando turpitudinem oppoſitam. Reſponſ[io]

Reſpondet Vaſquez: cùm ait Concilium, contritionem fuiſſe neceſſariam omni tempore, non dixit ad Juſtificationem, ſed dixit neceſſariam eſſe ad obtinendam veniam, vel Juſtificationem, ac ſi diceret, ut homo oratione, jejunio, aut aliis piis operibus priùs tempore præparatus à Deo veniam obtineat per Sacramentum, vel extra Sacramentum per affectum charitatis perfectum, neceſſaria ſemper fuit attritio. Nam ſi quis videat ſe peccaſſe, quomodo oratione, vel alio pio opere à Deo veniam obtinebit, niſi ipſum aliquo modo pœniteat peccatorum? Hæc ille. 510. Evaſio V[as]quezij.

Planè oportet, quòd ipſum pœniteat peccatorum. Ergo neceſſaria ſemper fuit attritio; negatur Conſequentia. Nam teſte Tridentino, contingit aliquando contritionem, quæ neceſſaria eſt ad obtinendam veniam peccatorum, Præcludi[tur]

Digitized by Google

rum, charitate perfectam eſſe, hominemque Deo reconciliare antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur.

Loquitur ergo Concilium de contritione in genere, quam docet eſſe neceſſariam *ad impetrandam veniam peccatorum*, id eſt, ad accipiendam veniam peccatorum, ſive, ut loquitur c. 1. ejuſdem ſeſſ. *ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam*, ſupponens, neminem de facto aſſequi, ſive accipere veniam peccatorum, niſi impetratam per contritionem ſeu Pœnitentiam, vel perfectam extra Sacramentum, aut certè imperfectam in Sacramento.

Si quis dixerit, inquit ſeſſ. 6. can. 9. *ſolâ fide impium iuſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nullâ ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi; anathema ſit.* Ergo contritio charitate perfecta, per quam indubiè impius juſtificatur, id eſt, juſtificationis gratiam conſequitur, & quæ prælucente fide immediatè elici poteſt ſine alio præparatorio actu voluntatis; ipſa, inquam, præparat & diſponit impium, non autem formaliter juſtificat.

Sed mittamus iſta; quia licèt concederemus, teſtimonia Concilii Tridentini jam allegata, non ſatìs efficaciter probare noſtram Concluſionem, ſufficit nobis, neque ex Scriptura, neque ex illo, vel ex aliis Conciliis ullum ſumi poſſe ſolidum fundamentum diſtinguendi formam juſtificationis in Sacramento, à forma juſtificationis extra Sacramentum.

Utì nec ex locutionibus Sanctorum Patrum, quamquam in ipſis exprimèretur, quòd charitas ſit juſtitia, quemadmodùm legimus apud Divum Auguſtinum lib. de Nat. & grat. cap. 42. ibi: *Nam neque illud nimis curo, utrùm fuerint hìc aliqui, vel ſint, vel eſſe poſſint, qui perfectam, cui nihil addendum eſſet, habuerint, vel habeant, vel habituri ſint charitatem Dei. Ipſa eſt enim veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaq; iuſtitia.*

Reſpondeo; ſi eſt ſermo de charitate habituali, hæc, in ſententia Scoti, & aliorum plurimorum, coincidit cum gratia habituali; ſin verò locutio intelligatur de charitate actuali, ipſa eſt juſtitia actualis, utpote vinculum perfectionis &. plenitudo legis, obſervatio ſcilicet mandatorum Dei, quæ ſuper omnia Deum diligenti facillima eſt, immo neceſſaria; cùm quodlibet peccatum mortale phyſicè repugnet actuali dilectioni Dei ſuper omnia.

Bene ergo dixit D. Auguſtinus ſuprà cap. ultimo: *Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt; Charitas provecta, provecta iuſtitia eſt; Charitas magna, magna iuſtitia eſt; Charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.* Num indè rectè infertur: ergo dilectio vel contritio charitate perfecta eſt forma juſtificans extra Sacramentum? Minimè. Sed ideo non ſtatim finis hujus controverſiæ. Nam Vaſquez exiſtimat ſuam opinionem ſatis probabiliter oſtendi multiplici ratione.

Prima eſt hujuſmodi: Si quis exiſtens in ſtatu peccati, antequam in hac vita juſtificaretur, aſſumeretur ad videndum clarè Deum, & ipſo fruendum, abſque ullo habitu gratiæ & charitatis, & luminis gloriæ, nemo negaret eum fore beatum; nam beatitudo non in habitibus, ſed in operatione aut operationibus, quibus Deum conſequimur poſitam eſſe, omnes fatentur. 515.

Prima ratio oppoſitæ ſententiæ ex Vaſquezio.

Ergo ingenuè fatendum eſt, illum etiam fore juſtum, & ſanctum, & eo ipſo à peccati macula purgatum. Nam quî fieri poſſet, ut homo verè beatus eſſet, & ſummo affectu amoris Deo conjunctus cum maxima miſeria, nempe peccati? Illa autem maculæ purgatio nulli alteri formæ meliùs tribui poſſet, quàm ardenti dilectioni. Hæc ille.

Reſpondeo; ſi peccator raperetur ad claram Dei viſionem, & fruitionem, & non infunderetur gratia habitualis, jam quidem neceſſariò expelleretur omne peccatum actuale, non tamen habituale, ut conſtat ex antedictis, adeoque non foret beatus; quamvis enim formaliter conſiſtat beatitudo in fruitione, ſive actu amoris divini, tamen ut denominet hominem beatum, plura requiruntur; maximè autem ſtatus ſanctus, ſive ſanctitas ſubjecti, quæ non habetur niſi per gratiam habitualem. 516.

Reſpondetur.

Fruitio Dei non denominat hominem beatum niſi adſit ſanctitas ſubjecti.

Quinimmo, tametſi illa fruitio formaliter expelleret peccatum habituale, adhuc non redderet hominem ſanctum; quia juſtificatio ſive ſanctitas hominis *non eſt ſola peccatorum remiſſio*, inquit Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. *ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum*, id eſt, per voluntariam ſuſceptionem fidei, ſpei, & charitatis, quæ in juſtificatione, teſte Tridentino ſuprà, *omnia ſimul infuſa accipit homo.*

quæ fit per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum habitualiũ.

Conc. Trid.

Infuſa, inquam; proinde per voluntariam ſuſceptionem donorum habitualium, cùm actùs propriè dicantur elici, minùs propriè, ſaltem minùs uſitatè infundi, & certum ſit in juſtificatione parvulorum non infundi ullos actus, quorum ſunt incapaces.

Actus minùs uſitatè dicitur infundi.

Sed neque in juſtificatione adulti, etiam illâ, quæ fieret, ſecundùm Vaſquez, per contritionem charitate perfectam, tamquam per formam juſtificationis, neceſſariò infunditur aut elicitur actus ſpei. Cùm ergo in caſu propoſito talis homo non haberet dona illa, quæ infuſa accipit peccator in juſtificatione, non eſſet verè ſanctus, conſequenter neque beatus.

In juſtificatione adulti non neceſſariò infunditur actus ſpei.

Non ergo ſanctificat propriè omne illud, quod mundat à peccato; nam etiam Deus per condo- 517.

Non propriè ſanctificat

omne illud quod mundat à peccato.

condonationem extrinſecam poteſt mundare hominem, qui tamen propterea non erit ſanctus poſitivè, quamvis bene negativè, id eſt, non ſordidus, vel iniquus; ſed inſuper requiritur, quòd reddat ſubjectum particeps naturæ divinæ, per modum naturæ ſive alicujus permanentis, per quod ſimus amici & filii Dei, etiam dum nihil operamur; illud autem non eſt actus, ſed habitus. Omitto, hoc argumentum Vaſquezii ad ſummum probare poſſibilitatem.

518. Secunda ratio Vaſquezii.

Secunda ratio Vaſquezii eſt: Qui diligeret Deum ex toto corde & affectu, etiam ſine habitu gratiæ & charitatis, diceretur unus ſpiritus cum Deo, quia eſſet unus cum eo affectu & voluntate: ergo verè eſſet juſtus cum Deo. Ille enim juſtus eſt cum ſua regula, qui ei rectè adæquatur.

Reſpondetur.

Reſpondeo; homo ſic diligens Deum, de præſenti quidem adæquatur cum ſua regula, attamen de præterito fuit inadæquatus, ſuppoſito quòd aliquando peccaverit mortaliter; quæ utique inadæquatio, niſi remiſſa fuerit, non diligitur homo à Deo. Sin verò numquam peccaverit mortaliter, erit quidem juſtus, prout juſtitia dicit talem adæquationem, haud equidem prout eſt ſemen gloriæ, & participatio divinæ naturæ.

Eſſet itaque unus ſpiritus cum Deo affectivè, quantùm eſt ex parte ſua; non tamen quantùm eſt ex parte Dei, ſi aliquando peccavit, & peccatum nondum remiſſum fuerit; vel ſaltem Deus non amaret illum amore iſto, quo diligit filios adoptivos, ſed alio inferiori. Sic enim in ſtatu puræ naturæ poſſet Deus diligere hominem ob aliquam perfectionem naturalem, etiam amore amicitiæ; non tamen erit talis amor, qualis eſt ille, quo Deus iam amat hominē juſtum& ſanctum.

519. Homo in puris naturalibus eſt placitus Deo, non tamen acceptus ſpecialiter. Scotus.

Audiamus Doctorem Subtilem 4. diſt. 1. q. 6. n. 7. *Ad quartum concedo, quòd divina offenſa placatur, & iſte, cui dimittitur peccatum, reconciliatur; ſed non ſequitur: ergo eſt acceptus Deo iſtâ acceptione ſpeciali, quâ eſt acceptus per gratiam: homo enim in puris naturalibus eſt placitus Deo, non tamen acceptus ſpecialiter, hoc eſt dignus vitâ æternâ; pax enim & reconciliatio non dicunt niſi Deum nolle vindicare culpam iſtam: ſed acceptare plus dicit, ſcilicet iſtum ordinare tamquam dignum vitâ æternâ. Patet etiam in nobis; poſſum enim alicui, qui offendit me, placari, ut non ſim ſibi inimicus, neque velim vindicare commiſſum, abſque hoc quòd recipiam eum ad amicitiam ſpecialem, ſecundùm quam ordinetur ad aliquod bonum ſpeciale.*

520. Fruſtra Vaſquez conatur trahere Scotum in ſuam ſententiam.

Hinc fruſtra Vaſquez ſuprà nu. 27. conatur Scotum trahere in ſuam ſententiam, eò quòd 4. diſt. 49. q. 6. §. *Dico ergo*, doceat, majorem eſſe oppoſitionem inter dilectionem Dei, & peccatum, quàm inter gratiam habitualem, & peccatum.

Sed hanc doctrinam loco citato in libro, quo ego utor, non invenio, an Vaſquez in libro, quo ipſe uſus fuit, invenerit, neſcio. Hoc ſcio, quòd illa doctrina intelligi debeat de dilectione Dei, & peccato actuali; nos autem hìc agimus de dilectione Dei, & peccato habituali, & quærimus, an dilectio Dei formaliter expellat peccatum habituale; nec hoc tantùm, ſed inſuper formaliter conſtituat amicum & filium adoptivum Dei, quod nos cum Scoto negamus, qui ubicumque agit de remiſſione peccatorum, & ſpeciali acceptatione hominis ad vitam æternam, hos effectus tribuit gratiæ ſive charitati, tamquam unicæ cauſæ formali.

Actum aliquem requiri ad deletionem peccati (inquit 4. diſt. 14. q. 2. n. 13. in fine) *poteſt dupliciter intelligi, vel ut diſpoſitionem præviam, vel ut concomitantem: primo modo ſufficit actus informis; immo ſemper eſt informis, quia diſpoſitio prævia ad peccati deletionem, eſt ſemper ſine gratia & charitate, à cuius ſolius inhærentia & inclinatione ad actum* (ergo loquitur de charitate habituali) *dicitur actus formatus. Secundo modo dico, quòd requiritur actus formatus: nam in illo inſtanti, in quo deletur peccatum, charitas ineſt, & per conſequens ſi actus requiritur ut concomitans, requiritur ut formatus.*

Et ſanè nihil clariùs eſt in Scoto, quàm contritionem charitate perfectam eſſe tantummodo diſpoſitionem præviam ad juſtificationem (*Iſte motus* inquit ibidem n. 14.) *dicitur attritio, & eſt diſpoſitio ſive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ ſequitur in ultimo inſtanti alicuius temporis, in quo tempore iſta attritio duravit. Nec eſt certum, ſi Deus talem attritionem velit eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem niſi ſit perfectè moraliter circumſtantionata.* 521 Nihil [clar]iùs eſt [in] Scoto, [quàm] contri[tio]nem c[hari]tate pe[rfe]ctam e[ſſe] ſolùm [diſ]poſitio prævia [ad] juſtifi[catio]nem.

Et infrà: *Sed ſi eſt attritio perfectè circumſtantionata in genere moris, videtur omnino diſpoſitio ſufficiens ad iuſtitiam in termino illius attritionis acquirendam...... vel enim oportet dicere, quòd iuſtificetur peccator ſine omni diſpoſitione ſufficiente de congruo ex parte eius; & per conſequens difficile eſt ſalvare, quòd apud Deum non ſit acceptio perſonarum; vel nulla poteſt eſſe ſufficienter diſpoſitio ad iſtam iuſtificationem, quàm iſta attritio perfectè circumſtantionata in genere moris; ut tunc in ultimo inſtanti, vel aliquo, uſque ad quod Deus determinavit attritionem debere durare, ad hoc ut ſit meritum de congruo ad iuſtificationem, infunditur gratia, & tunc ſimpliciter deletur peccatum*, ſcilicet per illam gratiam tamquam unicam formam juſtificationis. Igitur de mente Scoti non eſt dubitandum.

Redeo ad rationes Vaſquezii. Qui diligeret, inquit, Deum ſine habitu, verè diceretur manere in Deo, & Deus in eo, & habere ſemen Dei intrà ſeipſum. Hæc eſt tertia ratio æquè infirma atque aliæ duæ præcedentes: nam reſponſio in promptu eſt; poteſt quis 522. [Te]rtia Vaſque[zii]. Rejicit[ur].

amare

amare rem pulchram, & tamen in ſe manere deformis: maneret ergo in Deo per affectum; poſſet autem extra manere per peccatum, adeoque non haberet ſemen Dei intrà ſeipſum: nam ſemen ſignificat rem aliquam permanentem, per quam homo fit particeps divinæ naturæ, & conſtituitur amicus & filius Dei adoptivus; quod non convenit niſi gratiæ habituali: *Omnis* (inquit Apoſtolus, quem diligebat Jeſus Epiſt. 1. c. 3. v. 9) *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*

Et verò quæ res magìs propriè ſemen Dei, quàm gratia habitualis, quam ipſe ſe ſolo infundit, cùm alioquin actus dilectionis & contritionis partialiter phyſicè cauſetur à voluntate creata? Ut proinde in ſententia Vaſquezii non ſolùm miſericors Deus ſit cauſa efficiens juſtificationis, ſed etiam voluntas creata.

523. Objectio. Quòd ſi verum eſt, mirum fortè alicui videbitur, Concilium Trident. ſimpliciter dicere ſeſſ. 6. cap. 7. *Efficiens* (cauſa juſtificationis) *miſericors Deus; qui gratuitò abluit, & ſanctificat* &c.

Reſponſio. Reſponderi poſſet; Concilium ibidem prò cauſa meritoria aſſignat ſimpliciter paſſionem Chriſti, cùm tamen, ſecundùm nos, etiam contritio ſit meritum de congruo juſtificationis.

Sed contrà; ſolum meritum condignum meretur nomen meriti ſimpliciter & ſine addito. Voluntas autem creata ſine addito ab omnibus vocatur cauſa efficiens actûs ſupernaturalis.

Ideo aliter reſpondetur; verba illa Concilii ſolùm denotant Deum eſſe cauſam noſtræ juſtificationis efficientem præcipuam, qui gratìs prævenit nos gratiæ ſuæ auxilio, ut moveat corda noſtra, & in ipſo etiam conſenſu præemineat; gratìs, inquam, hoc eſt, ſine ullis meritis ex propriis viribus. Ita Vaſquez ſup. n. 119.

524. Atque ut amor viæ non ſufficeret ad juſtificandum propter ſuam inſtabilitatem, cur ſaltem, dicet aliquis, non ſufficiat amor beatificus? Hic quippe ſtabilis & permanens eſt.

Admitto cum Scoto 4. diſt. 49. q. 2. n. 31. *Quòd actus ille eſt æquè diuturnus cum habitu, & ex parte potentiæ, & ex parte obiecti, & ex parte naturæ huius & illius*; nihilominus dico, quòd non eſt ſanctitas, quia non eſt participatio divinæ naturæ, ſed alicujus attributi Dei, nempe dilectionis, & ſanctitas eſt divinæ naturæ participatio. Unde patet, inquit Felix de Gratia c. 8. diff. 3. n. 6. quod ex natura ſua non eſt forma ſanctificans, cùm præſupponat formam ſanctitatis, ſcilicet gratiam. Unde ſi daretur fruitio, & non præcederet in homine gratia, iſte talis beatus eſſet, non tamen juſtus, quia non haberet formam juſtificantem. Hæc ille, citans Suarium lib. 7. de Grat. c. 8. n. 29.

Sed reponet quiſpiam, hoc eſt quod quæritur, cùm neque ipſa gratia habitualis ſit ex natura ſua, ſecundùm Scotum, forma ſanctificans, ſed ex voluntate Dei extrinſeca; cur ſicut voluit charitatem habitualem eſſe formam juſtificantem, non ſimiliter potuerit ad eumdem effectũ aſſumere amorem beatificum, qui ex natura ſua æquè diuturnus eſt. Et cur potiùs charitas habitualis, quàm amor ille ſit participatio divinæ naturæ, ſi ſint æqualis permanentiæ? 525. Objectio.

Reſpondeo; quia non ſunt æqualis efficaciæ; habitus enim charitatis eſt principium phyſicum actuum, ſicuti natura divina eſt principium ſuo modo attributorum divinorum; adeoque per habitum ſupernaturalem gratiæ perfectiùs participamus naturam divinam, quàm per actum, etſi hic phyſicè foret perfectior, quod tamen multi negant. Reſponſio. Per habitum perfectiùs participamus naturam divinam, quàm per actum.

Nonne vita naturalis hominis conſiſtit in principio operationum naturalium? Planè. Ergo magìs conveniens fuit, quòd vita ſupernaturalis itidem conſiſteret in principio operationum ſupernaturalium. Per quod utique principium, puta charitatem habitualem cum ſuo comitatu, fide & ſpe habituali, quæ ſimul infuſa accipit homo in juſtificatione, redditur anima habilis ſeu potens ad quævis opera ſupernaturalia ſanctitatis, & in actu primo ſancta & recta, cum excluſione omnis peccati mortalis commiſſi, & (in ſenſu compoſito) committendi; adeoque per quamdam participationem ſeu imitationem efficitur conſors divinæ naturæ, cujus proprium eſt habere potentiam & promptitudinem ad opera ſancta, & omnia ſanctè operari, peccatumque excludere. Differentia tamen eſt, quòd hæc ſanctitas ſit in nobis accidentalis & creata, in via amiſſibilis & compatiens ſecum peccata venialia, ſecùs quàm in Deo. 526. Magis conveniens fuit, quòd vita ſupernaturalis conſiſteret in principio operationũ ſupernaturalium.

Quarta ratio Vaſquezii eſt: Per omnem charitatem ſine habitu, verè diceremur Deum diligere ut amicum: ergo pariter & nos à Deo diligeremur tamquam amici. Nam amor ſuaptè naturâ reciprocus eſt, & Deus non patitur ſe ab aliquo diligi, quin ipſum etiam diligat. 527. Quarta ratio Vaſquezii.

Reſpondeo, amorem amicitiæ completum ſuaptè naturâ eſſe reciprocum, ſecùs incompletum, qualis hic eſſet; quamvis enim de facto omnes ſe diligentes, Deus diligat, quia ſcilicet ex miſericordia & liberalitate illos juſtificat, & condonat offenſam infundendo gratiam habitualem; tamen hoc non eſt omnino ex natura rei neceſſarium, ut patet ex antedictis. An putas quia non poſſum diligere inimicum meum, niſi & ipſe me diligat? Quidni ſimiliter poſſim diligere Deum, tametſi ipſe me non diligat vero amore amicitiæ? Reſponſio. Amor amicitiæ completus eſt reciprocus, ſecùs incompletus.

Quia, inquis, ego non poſſum diligere Deum, niſi Deus præſtet mihi ſpeciale auxilium, 528. Evaſio.

lium, hoc autem non poteſt præſtare, niſi me diligendo; cùm dilectio non ſit aliud, quàm volitio ſeu collatio alicujus beneficii.

Præcluditur. Reſpondeo; ego non poſſum credere, & ſperare, niſi Deus præſtet mihi ſpeciale auxilium; num indè bene infertur: ergo Deus diligit amore amicitiæ peccatorem, quando ipſi præſtat auxilium illud ſpeciale ad actum ſupernaturalem fidei aut ſpei? Itaque non omnis collatio ſpecialis beneficii eſt amor amicitiæ in Deo propriè dictus, quo de facto diligit hominem, participem ſuæ naturæ, & filium ſuum adoptivum.

529. Quintum argumentum Vaſquez. Quintò argumentatur Vaſquez: Ille qui juſtificatur contritione, & ſimul habitu, aliter juſtificatur, quàm ſi ſolâ infuſione habitûs juſtificaretur; nam ſublato habitu adhuc maneret juſtus.

Reſpondetur. Reſpondeo; contritio, & habitus vel cauſant eumdem effectum, quem cauſat ſolus habitus, vel diverſum. Si eumdem, vel ſunt cauſæ totales ex parte effectûs, vel partiales tantùm; ſi totales, jam idem effectus formalis procedit à duabus formis totalibus, quod ſaltem naturaliter non poteſt fieri. Si dixeris eſſe cauſas partiales, aut certè cauſare diſtinctum effectum; tunc reſpondeo cum diſtinctione: ſublato habitu, adhuc maneret juſtus eâdem juſtitiâ, nego; diverſâ, concedo: ſed quid hoc ad propoſitum? Nam ſupponitur quod probandum eſt, ſcilicet de facto contritionem juſtificare.

530. Evaſio Vaſquezii. Dices cum Vaſquez ſuprà n. 126. Idem effectus eodem modo non poteſt à duabus cauſis formalibus provenire; at verò ſanctificatio ita æquè fieri dicitur per actum, & per habitum, ut non dicatur fieri eodem modo. Nam ſanctificatio, quæ fit per habitum, talis naturæ eſt, ut non ſit meritoria præmii, ſed tantùm digna gloriâ, tamquam hæreditate; juſtificatio autem per actum ſit digna gloriâ, tamquam præmio.

Rejicitur ex Conc. Trident. Reſpondeo; Concilium Trid. tantùm meminit juſtificationis impii, quæ eſt digna gloriâ, tamquam hæreditate ſeſſ. 6. c. 7. in principio: *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum: unde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.*

531. & deducitur ad oppoſitum. Enimverò ſi juſtificatio per actum, ſive potiùs actus juſtificans eſt dignus gloriâ, tamquam præmio, jam non erit forma ſive cauſa formalis, ſed magìs cauſa meritoria juſtificationis, ſicuti bona opera hominis juſtificati, quę merentur augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitę æternę, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam glorię augmentum; illa, inquam, opera, quæ digna ſunt gratiâ & gloriâ per modum præmii, reverà non ſunt cauſa formalis gratiæ & gloriæ, ſed potiùs cauſa efficiens moralis, id eſt, meritoria.

Nonne uſpiam dicit Concilium Tridenę. contritionem vel dilectionem hominis peccatoris mereri de condigno vitam æternam? Non memini me aliquid ſimile legiſſe; ſed ſeſſ. 6. can. 32. illud præmium tribuit operibus hominis juſtificati: *Si quis dixerit, hominis iuſtificati bona opera &c. aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius vivum membrum eſt, fiunt, non verè* (id eſt, de condigno) *mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atq; etiam gloriæ augmentum; anathema ſit.* Con... aut d... hom... pecc... non ... tur d... digne... tam... nam.

Sextò argumentatur Vaſquez: Dilectio Dei potentior eſt, ut convertat animam ad Deum finem ultimum, quàm voluntas primi Parentis ad avertendum poſteros à Deo; poterit igitur quilibet, exiſtens in originali, per ſolam dilectionem ſine habitu, ab eo peccato juſtificari & emundari. 53... Sextu... gume... Vaſq...

Conſimiliter argumentatur de peccato perſonali, quod ſecundùm ipſum non eſt ſola privatio nitoris gratiæ gratum facientis, ſed relatio quædam averſionis à Deo, & converſionis ad creaturam; jam autem cùm per dilectionem Dei expreſsè convertatur homo in finem ſupernaturalem, ex toto corde dilectum, à quo per peccatum non fuerat expreſſè, ſed virtualiter ſolùm (ut dici ſolet) averſus, eò quòd dilexerat per peccatum aliquid contra Dei voluntatem; efficitur multò efficaciùs per dilectionem hominem converti in Deum, quàm per peccatum ab eo fuerat averſus: ergo per dilectionem Dei, vel contritionem charitate perfectam aufertur totum, quod eſt in peccato: ergo juſtificat.

Reſpondeo: ergo per dilectionem Dei, vel contritionem charitate perfectam aufertur totum, quod eſt in peccato; totum, inquam, phyſicum, tranſeat totum: ergo juſtificat; nego Conſequentiam. Ratio eſt; quia peccatum habituale, quod remittitur in juſtificatione, non eſt aliquid phyſicum phyſicè adhuc exiſtens, ſed aliquid morale, peccatum ſcilicet præteritum moraliter perſeverans, ut videlicet dignum odio Dei, & pœnâ æternâ: illa autem dignitas non tollitur ad æqualitatem per dilectionem, aut contritionem charitate perfectam; id eſt, dignitas actûs ſupernaturalis dilectionis aut contritionis, licèt phyſicè, immo fortè etiam in bonitate morali, adæquet indignitatem ſive malitiam peccati, ut videtur velle Scotus 4. diſt. 14. q. 1. n. 19. de quo plura ſtatim; interim tamen in acceptatione divina, dignitas contritionis non æquivalet indignitati peccati, quoniam contritio procedit à perſona inviſa & inimica. 53... Reſpo... Dignit... peccati tollitur æquali... per dile... onem ... contrit... nem c... tate pe... fectam.

Si dixeris: ſublato ſubjecto & fundamento, aufertur quod eſt in illo; ſed per converſionem 534 Objectio

nem ad Deum aufertur averſio phyſica, immo & moralis, cùm, ut dictum eſt, in genere moris bonitas contritionis æquivaleat malitiæ peccati: ergo aufertur offenſa & injuria, quæ fundatur in tali averſione.

Solutio.

Reſpondeo; offenſa & injuria ſeu macula peccati non fundatur in tali averſione phyſica, phyſicè exiſtente, ſed dumtaxat moraliter permanente; illa autem moralis permanentia non ſufficienter tollitur per contritionem ſeu retractationem peccati ex quocumque tandem motivo, vel etiam per dilectionem intenſiſſimam Dei, niſi acceſſerit remiſſio ſeu condonatio Dei. Sicuti votum moraliter perſeverat quantumcumque vovens retractet voluntatem præteritam, & de ea doleat, niſi acceſſerit remiſſio Dei. Igitur ſtat, quòd quis convertatur ad Deum, & avertatur à peccato, ſine eo quòd Deus convertatur ad eum, & ſine eo quòd illi remittat injuriam, & tollat maculam.

Moralis permanentia peccati non tollitur per contritionem, abſque remiſſione Dei.

535\. Quantùm ad efficaciam voluntatis primi Parentis ad avertendum poſteros à Deo, putamus voluntatem primi Parentis illam efficaciam non habuiſſe, niſi ex ſpeciali voluntate Dei, quâ præceptum Adæ datum, ad omnes fuit extenſum, qui ex eo naturali generationis ordine naſcerentur, ita ut ſi ille prævaricaretur, prævaricatores conſtituerentur omnes, atque juſtitiâ originali privati, filii iræ naſcerentur.

Primum peccatum non fuit transfuſum in poſteros, niſi ex ſpeciali voluntate Dei.

Hinc ſecundùm nos, peccatum originale non eſt aliud, quàm noſtrum in Adamo peccatum actuale, morali exiſtentiâ in nobis à natura manens, non per imputationem, ſed inhærentiam, eo modo quo peccatum habituale inhærentiæ eſt capax.

Quid ſit peccatum originale.

536\. Itaque dilectio Dei potentior eſt, ut phyſicè convertat animam ad Deum finem ultimum, quàm voluntas primi Parentis ad phyſicè avertendum poſteros à Deo, quoniam poſteri Adæ non propriâ, ſed alienâ voluntate, adeoque tantùm moraliter averſi ſunt à Deo; ſi autem Deum diligerent, propriâ operatione in ipſum converterentur.

Dilectio noſtra Dei potentior eſt ut phyſicè nos convertat ad Deum, quàm fuerit peccatum Adæ ut phyſicè avertat nos à Deo; ſecùs ut moraliter.

Interim tamen potentior fuit ex ordinatione divina voluntas aliena Adami ad avertendum poſteros à Deo moraliter, quàm ſit propria voluntas ad convertendum eos ad Deum moraliter, id eſt, ad eos convertendum ad Deum, & Deum ad ipſos. Et quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit? Profectò omnes hoc debent fateri, qui admittunt, ſine ſpeciali auxilio gratiæ neminem diligere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.

Concluſio.

Ergo ex hoc, quòd peccatum Adami ſit formaliter noſtrum peccatum, non rectè infertur; ergo dilectio noſtra, vel contritio, eſt formaliter noſtra juſtificatio, eſtò Deo volente ſic potuiſſet fieri.

Ratio manifeſta; quoniam nullum extat indicium hujuſmodi voluntatis, ſed potiùs contrarium; cùm Scriptura ſacra dicat non uno loco, juſtificationem eſſe diſtinctum beneficium Dei poſt contritionem. Unum tantùm locum adfero: *Nunc ergo dicit Dominus: convertimini ad me in toto corde veſtro* (ergo loquitur Propheta de contritione charitate perfecta) *in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium, & libamen Domino Deo veſtro?* Joël 2. v. 12. & ſequentibus. Quomodo clariùs potuiſſet Scriptura diſtinguere beneficium juſtificationis à perfecta converſione?

537\. Juſtificatio eſt diſtinctum beneficium poſt contritionem. *Joël 2.*

538\. Hinc D. Auguſtinus in Pſalmum 144. ad illa verba: *Miſericors & miſerator Dominus* &c. in fine ſic inquit: *Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilectioni tuæ diem craſtinum non promiſit.* Ubi apertè diſtinguit converſionem ab indulgentia; converſionem, inquam, perfectam: quia imperfectæ converſioni nullibi eſt promiſſa indulgentia.

Probatur auctoritate D. Aug.

Accedat teſtimonium Chryſoſtomi Homil. 80. ad populum in principio: *Totam*, inquit, *vitam in peccatis abſumpſi, & ſi Pœnitentiam egero ſalvabor? Et maximè. Vnde conſtat? Ex Domini clementia. Ne tuæ confidas Pœnitentiæ; tua namq; Pœnitentia tanta nequit peccata delere. Si ſola foret Pœnitentia, iure timeres: ſed poſtquam cum Pœnitentia commiſcetur Dei miſericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam, multùm enim eſt miſericors Deus* &c.

D. Chryſoſtomi,

Audiamus etiam Hieronymum in illud Michææ 6. v. 6. *Quid dignum offeram Domino? Nihil*, inquit, *dignum eſt, quod pro peccato poſſit Deo offerri, & nulla humilitas poteſt maculas eluere delictorum*, ſupple, niſi acceſſerit miſericordia Dei. Ergo contritio ſuaptè naturâ non juſtificat. Quinimmo nec ipſa gratia habitualis, ut patet ex antedictis. Conſequenter aſſerimus, Pœnitentiam & dolorem peccatorum non divino jure naturali, ſed dumtaxat poſitivo, ad juſtificationem, quæ fit actu proprio extra Sacramentum, neceſſarium eſſe.

& D. Hieronymi.

539\. Cæterùm, quia mentionem fecimus cujuſdam æqualitatis inter bonitatem dilectionis aut contritionis, & malitiam peccati, libet hic inveſtigare, an purus homo poſſit ſatisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali proprio, vel alieno, quemadmodum Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecit.

An purus homo poſſit ſatisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali?

Scotus 4. diſt. 15. q. 1. n. 4. hiſce verbis refert ſententiam D. Anſelmi lib. Cur Deus homo c. 20. *De ſecundo dicitur, quòd non eſt poſſibile homini ſatisfacere de peccato Deo, quem offendit. Primò; quia per peccatum aufertur honor Deo debitus: nihil autem æquivalens honori eius poteſt à nobis*

Sententia D. Anſelmi ex Scoto.

à nobis ſibi reddi. Secundò; quia peccatum mortale eſt infinitum malum; tantum enim malum eſt, quantus ille in quem peccatur; nihil autem à nobis poteſt ſibi reddi niſi bonum finitum: ergo non æquivalens: ergo &c.

540. Nihil habemus, quòd non ſit debitum Deo aliquo modo. *Item ex alio medio, ſcilicet aliàs indebito, arguitur ſic: quia quidquid poſſumus Deo impendere obſequii & honoris, totum debitum eſt ratione creationis, gubernationis, & redemptionis: ergo nihil poſſumus ſibi impendere, quod ſit indebitum ſibi, etiam ab innocente, & per conſequens aliàs debitum, quàm pro peccato.*

Quid ergo? Dicitur, quod in virtute paſſionis Chriſti, poteſt peccator ſatisfacere; quia illa paſſio in tantum acceptatur à Deo trino, ut virtute eius acceptetur ſatisfactio illa, quæ ſecundùm ſe accepta non poſſet eſſe ſatisfactio.

541. Quid de hac re Scotus ſentiat? Quæris à me, quid de hac re ſentiat Doctor Subtilis? *Si illa opinio* (inquit n. 5.) *intelligat de potentia abſoluta divina, quòd non poſſet actum aliquem acceptare pœnitentis tamquam ſatisfactionem iſtam pro peccato, niſi in quantum coniungitur merito paſſionis Chriſti, improbatur primò; quia*

Poſſibile fuit filium Dei non fuiſſe incarnatum. *poſſibile fuit filium Dei non fuiſſe incarnatum, nec per conſequens paſſum: & cum hoc poſſibile fuiſſet, Deum produxiſſe prædeſtinatum ad beatitudinem, & iuſtè, non tamen excludendo miſericordiam; ergo poſſibile fuiſſet tunc pœnitentem ſibi ſatisfeciſſe, quia non poteſt iuſtè peccatorem ſine ſatisfactione beatificare.*

Probatur ex D. Aug. *Confirmatur iſtud per Auguſtinum 13. Trinit. c. 10. Fuit quidem & alius modus noſtræ redemptionis poſſibilis, ſcilicet quàm per incarnationem, & paſſionem; ſed nullus noſtræ miſeriæ ſanandæ convenientior.* Ita legit Scotus. Hæc ſunt verba textûs: *Verùm etiam ut oſtendamus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati æqualiter cuncta ſubiacent, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ convenientiorem modum alium non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe. Ergo* (infert Scotus) *lapſus videtur poſſe ſanari aliâ viâ, quàm per incarnationem, & paſſionem Chriſti.* Hæc eſt prima improbatio ſententiæ D. Anſelmi, ſi intelligatur de potentia Dei abſoluta.

Paſſio Chriſti meritoriè delet culpas. Sequitur altera: *Paſſio Chriſti non delet culpam noſtram, niſi ut cauſa meritoria, & per conſequens ut cauſa ſecunda, quæ non eſt de eſſentia rei, immo reducitur ad genus cauſæ efficientis; ſed quidquid poteſt Deus per cauſam ſecundam efficientem, poteſt immediatè: ergo ſine illa poſſet iuſtè & ordinatè remittere culpam.*

542. Obiectio ex Scoto. *Si dicatur ad iſta duo, quòd Deus poſſet ſine Chriſto mediatore deleviſſe culpam viatoris, & ita produxiſſe eum ad beatitudinem iuxta primum argumentum, & immediatè iuſtificaſſe iuxta ſecundum argumentum: tamen non per viam ſatisfactionis; quia non fuiſſet aliquid æquivalens redditum tunc: nunc autem eſt totum æquivalens per paſſionem Chriſti, cum iſta tamen tali quali ſatisfactione iſtius.*

Reſponſio Scoti *Contrà, ſatisfactio eſt redditio æquivalentis pro æquivalente, ſed quantum malum fuit peccatum avertens à Deo, tantum bonum eſt converſio ad Deum ex charitate: quantum etiam bonum natum fuit ineſſe actui meo, tantum bonum & non plus abſtulit peccatum meum, & tantum bonum poteſt ineſſe actui meo: ſic ergo per illum omnino æquivalens redditur.*

R Sc *Si dicas, actus meus non ſit æquivalens in bono, illi malo in diſplicentia, niſi actus iſte eliciatur ex gratia; ſed prima gratia non daretur peccatori niſi ex paſſione Chriſti.*

Ri ex Cl no ſua tia *Contra hoc; quia de potentia abſoluta bene poſſet dari prima gratia ſine merito paſſionis Chriſti. Quod probatur; quia ſumma gratia data creaturæ, data eſt animæ Chriſti, & ſine omni merito. Nullo enim modo paſſio eius nec exhibita, nec prævisa erat meritum reſpectu gratiæ ſibi conferendæ: immo priùs prævidebatur gratiam habiturus, quàm eius paſſio acceptanda.*

Pa ſti fin inf *Item; paſſio Chriſti fuit bonum finitum, etiam accepta ſecundùm totam rationem meriti in ea: quia non erat bonum increatum, nec per conſequens acceptatur à Deo infinitè ex parte obiecti: quia non fuit Deus beatus volendo illam paſſionem, ſicut amando ſuam eſſentiam: ſi ergo infinitas in peccato prohiberet ſatisfactionem poſſibilem, etiam prohiberet eam poſitâ paſſione Chriſti.* Hactenus Doctor Subtilis ſed dumtaxat diſputativè.

Re Sco ten lut nen ſati pro toti den paſſ Chr Sequitur eius reſolutio. *Quantum ad iſtum ergo articulum* (inquit n. 7.) *poteſt dici, quòd Deus de potentia abſoluta poſſet dediſſe peccatori poſt attritionem* (id eſt, contritionem charitate perfectam) *tamquam poſt diſpoſitionem congruam, & meritum de congruo gratiam* (habitualem) *per quam motus eius fieret contritio* (id eſt, contritio informis fieret contritio formata) *& ſic per ſatisfactionem deleviſſe peccatum; quia per actum illum reddentem Deo æquivalens illi bono, quod abſtulit peccatum.*

per ſupe tioni non Deo in rig juſtit *Poſſet etiam ille actus eſſe alias indebitus, quia licet Deus poſſet velle nos obligare ſibi, ut quidquid ſumus & poſſumus teneamur Deo; tamen ex maxima miſericordia ſua conſiderans noſtram fragilitatem, & difficultatem ad bonum, noluit nos regulariter obligare, niſi ad Decalogum; & ita potuiſſet tunc ordinaſſe obligare hominem ad Decalogum, ſcilicet Chriſto non incarnato. Poſſet ergo tunc homo aliqua opera ſupererogationis exercere, quæ aliàs ſibi eſſent indebita, & tunc ſalvaretur tota ratio ſatisfactionis.* Atque hæc de potentia abſoluta. De potentia autem ordinata:

54[illegible] ſecu pote ordin *Deus* (inquit Scotus ibidem) *non diſpoſuit alicui peccatori dare primam gratiam* (habitualem ſeu actualem) *niſi in virtute meriti illius, qui erat ſine peccato, ſcilicet Chriſti; quia, ſicut tactum eſt ſuprà, non diſpoſuit ſibi reconciliare inimicum niſi per obſequium magìs gratum, quàm offenſa eius erat ſibi diſplicens: & tale obſequium eius eſt paſſio Chriſti, vel meritum eius. Et ſicut non diſpoſuit dare gratiam peccatori ſine paſſione, ſine qua gratia, nulla poteſt eſſe ſatisfactio omnino; quia nec æquivalens aliquo modo, nec ſimpliciter, nec in divina acceptatione:*

Digitized by Google

tione : ideo multò magis de potentia ordinata non eſt poſſibile ſatisfieri Deo de peccato, niſi in virtute paſſionis Chriſti Ita Scotus de hac controverſia.

546. Addo quæ de eadem difficultate ſcribit 3. diſt. 20. q. 1. n. 8. *Quando*, inquit, *in tertio articulo dicitur, quòd non ſatisfacit quis Deo, niſi offerat Deo aliquid maius formaliter, quam pro quo peccare non debuit, quod eſt maius totâ creaturâ, credo ſalvâ reverentiâ ſuâ* (id eſt, ſalvâ reverentiâ D. Anſelmi) *quòd hoc non eſt verum. Non enim oportuit ſatisfactionem pro peccato primi hominis excedere totam creaturam formaliter in magnitudine & perfectione: ſuffeciſſet enim obtuliſſe Deo maius bonum, quàm fuerit malum illius hominis peccantis. Vnde ſi Adam per gratiam datam & charitatem habuiſſet vnum, vel multos actus diligendi Deum propter ſe, ex maiori conatu liberi arbitrii, quàm fuit conatus in peccando; talis dilectio ſuffeciſſet pro peccato ſuo remittendo, & fuiſſet ſatisfactum; & tunc propoſitio illa eſt falſa, quod debuit offerre Deo aliquid maius omni eo, pro quo peccare non debuerat: ſed ſicut pro amore creaturæ, ut obiecti diligibilis, non debuit peccare, ita ſatisfaciendo debuit offerre Deo aliquid maius attingendo per actum obiectivè, quàm ſit creatura, ſcilicet amorem attingentem Deum propter ſe; & ille amor obiectivè ut terminatur in Deum, excedit amorem creaturæ, ſicut Deus creaturam. Vnde ſicut peccavit per amorem ignobilioris obiecti in infinitum, ita debuit ſatisfacere per amorem nobilioris in infinitum, & hoc ſuffeciſſet ſaltem de poſſibili.*

Dico igitur, quòd amor, quem offerre debet ſatisfaciendo, debet excedere amorem cuiuscumque creaturæ, quod verum eſt: & diligere magis obiectum nobilius ſatisfaciendo, quàm dilexerit ignobilius peccando, tamen ille actus, quo convertor ad Deum per amorem, in ſua formali ratione non eſt maior omni creaturâ, nec etiam amor Chriſti creatus, quo dilexit Deum, fuit talis.

547. Et infrà n. 9. ſic ait: *Sicut Chriſtus homo innocens, non debitor, ſatisfecit, ſic ſi placuiſſet Deo potuit unus bonus Angelus ſatisfeciſſe, offerendo aliquid placitum Deo pro nobis, quod ipſe acceptaſſet pro omnibus peccatis: quia tantùm valet omne creatum oblatum, pro quanto Deus acceptat illud, & non plùs, ſicut ſuprà dictum eſt.*

Præterea unus purus homo potuiſſet ſatisfacere pro omnibus, ſi fuiſſet conceptus ſine peccato, ſicut potuiſſet fieri de poſſibili, operatione Spiritûs ſancti & Matris, ſicut fuit Chriſtus, & Deus dediſſet ſibi ſummam gratiam, quam potuiſſet recipere, ſicut dedit Chriſto ſine meritis præcedentibus ex liberalitate ſua: talis enim potuiſſet mereri deletionem peccati, ſicut & beatitudinem.

548. Deinde paucis interjectis finem imponit huic numero dicens: *Præterea videtur* (de poſſibili dico) *quòd quilibet poteſt ſatisfacere pro ſe; quia ſi data fuiſſet cuilibet homini prima gratia ſine meritis, ſicut modò, licèt quilibet ſit filius iræ, cuilibet tamen dat primam gratiam ſine propriis meritis, & tunc meretur beatitudinem; igitur potuit etiam meruiſſe deletionem culpæ.* Hæc diffuſiùs ex Scoto, propter rei difficultatem, & in rebus difficilibus explicandis miram Doctoris Subtilis ſubtilitatem.

Putas autem, quia jam dicta, in toto, vel in parte contrariantur noſtræ Concluſioni? Nequaquam. Enimverò, ut alia omittamus, nihil luculentiùs, quàm Scotum (ubicumque poſſet nobis videri contrarius) loqui de poſſibili; noſtra autem Concluſio loquitur de eo, quod ſecundùm legem Dei ordinatam natum eſt fieri, & quotidie fit. 549.

Quin immo ubique videtur Doctor ſupponere infuſionem gratiæ ſanctificantis, præter contritionem aut dilectionem actualem; idque quia agit de ſatisfactione reconciliativa, non autem de ſatisfactione, quà præciſè eſt actus juſtitiæ, & ordinari poteſt de potentia abſoluta Dei ad remiſſionem peccati hominis exiſtentis in pura natura, abſque reconciliatione ſui cum Deo id eſt, abſque ſpeciali acceptione, & ordinatione ad vitam æternam.

Plus dico, nuſpiam Scotus docuit, contritionem aut dilectionem vel eſſe, vel poſſe eſſe ex natura rei completam ſatisfactionem pro peccato mortali; ſed inchoatam tantùm, complendam per acceptationem Dei; ſicut contritio aut dilectio hominis juſti non eſt ex natura rei meritum completum gratiæ, & gloriæ, ſed ſolùm inchoatum, quod completur per acceptationem ad tale præmium. 550.

Vnde non venit intelligendus de ſatisfactione juſtitiæ commutativæ ſed magis juſtitiæ vindicativæ, cui ſatisfacit, qui patitur pœnam per legem à judice impoſitam; quamvis ſine tali lege non foret æqualitas rigoroſa inter pœnam & culpam.

Quæ cùm ita ſint, dico cum Magiſtro meo, quamquam de facto contritio charitate perfecta, aut formalis dilectio Dei propter ſe ſuper omnia non ſit æqualis ſatisfactio ex natura rei pro peccato mortali, equidem poſſet remittere peccatum mortale, & pro eo ad æqualitatem ſatisfacere, ſi Deus vellet illam ad hujuſmodi effectum acceptare.

Contrarium aſſerit Card. Lugo diſp. 8. de Pœnitentia n. 115. dicens: Si de poſſibili id haberet, haberet etiam de facto: forma enim applicata ſubjecto capaci, non poteſt impediri, quin communicet illi ſuum effectum formalem. 551.

Diſtinguo; quin communicet illi ſuum effectum formalem phyſicum ex natura rei, concedo totum; quin communicet illi ſuum effectum formalem moralem, quem poſſet habere ex libera voluntate agentis extrinſeci, nego. Et verò talis effectus formalis moralis eſſet remiſſio peccati, & adoptatio in filium Dei, quæ fieret, ſi Deus vellet, per contritionem aut dilectionem, ſine infuſione gratiæ habitualis

Marginal notes: (546) Non oportuit [illegible] pro peccato A[dæ] [illegible]. — Debuit excedere amorem cujuſcumque creaturæ. — (547) Si placuiſſet Deo potuiſſet unus bonus Angelus ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris. — Immo etiam purus homo [illegible]. — (548) [illegible] quilibet pro ſe [illegible]. — (549) Scotus in nullo contrariatur noſtræ Concluſ. — (550) Nuſpiam Scotus docuit, contritionem aut dilectionem poſſe ex natura rei eſſe completam ſatisfactionem. — Contritio poſſet eſſe æqualis ſatisfactio, ſi Deus vellet. — (551) Contrarium aſſerit Lugo, — cujus argumento ſatisfit.

Digitized by Google

tualis. Immo & de facto talis effectus formalis moralis eſt remiſſio peccati, & adoptatio in filium Dei, quæ fit per infuſionem gratiæ habitualis, præviâ diſpoſitione, puta actu contritionis aut dilectionis, ut liquidò conſtat ex antedictis.

Cùm ergo de facto nulla forma ſit, quæ ex natura rei cogat Deum, ut ſic loquar, ad remiſſionem peccati, & adoptationem in filium, quidni ſicut de facto illos effectus tribuit gratiæ habituali, etiam eoſdem tribuere potuiſſet contritioni aut dilectioni?

552. Objectio ex Scoto.

Dices; quia illud, per quod deletur peccatum mortale, oportet eſſe majus bonum, quàm peccatum illud ſit malum, vel æquè bonum; ſed Pœnitentia eſt minus bonum, quàm peccatum mortale ſit malum: ergo &c. Major patet; quia non compenſatur malum, niſi per bonum æquale illi, quod tollit. Minor probatur, quia Pœnitentia eſt bonum finitum, peccatum autem mortale eſt malum infinitum; quod patet per illud Anſelmi: Cur Deus homo lib. 2. c. 5. *Tantum malum eſt peccatum, quantus eſt qui offenditur, vel in quem committitur*; ſed ille eſt infinitus, quia *tibi ſoli peccavi*: ergo &c. Ita objicit Scotus 4. diſt. 14. q. 1. n. 2. quamquam in Anſelmo loco citato illa verba non inveniam.

553. Reſponſio ex eodem.

Interim Reſpondet Doctor n. 19. *Ad ultimum patebit aliqualiter ex quæſtione ſequenti, quis actus pœnitendi vel puniendi ſit diſpoſitio prævia ad deletionem peccati; & quis formaliter requiſitus, in quo deletur peccatum: & ille ſecundus eſt tantum bonum, quantum malum eſt peccatum: quia malum peccati conſiſtit in averſione à fine: ergo & bonum reductivum conſiſtit in converſione ad finem. Ita autem perfectè convertit in Deum actus converſionis, ſicut avertit actus peccati. Sicut autem non eſt in ſecundo actu realiter bonitas intenſivè infinita, ità nec in actu peccati malitia intenſivè infinita, quia non eſt major malitia, quàm bonum quod privat; non privat autem bonum ab actu, niſi quod natum eſſet ineſſe actui; actui autem cùm ſit quid finitum, non eſt natum ineſſe bonum, niſi finitum. Eſt ergo præciſè infinita & malitia in peccato, & bonitas in actu oppoſito, propter infinitatem ipſius objecti, à quo peccatum avertit, & ad quod actus bonus convertit; & hoc non eſt niſi infinitas participata, vel magìs ſecundùm dici in ipſo actu propter infinitatem realem, & ſimpliciter in ipſo objecto.* Hæc ille.

In actu peccati non eſt malitia intenſivè infinita.

Lugo.

Quem ex parte ſequitur Lugo de Incarna. diſ. 5. ſect. 3. per totam, ubi diffuſè probat malitiam peccati mortalis ſimpliciter eſſe finitam ſive in ratione malitiæ, ſive in ratione offenſæ aut injuriæ, vel etiam demeriti, & reſpondet ad objecta contraria. Vide ipſum, quia longior tractatus non pertinet ad hunc locum. Unam tantùm aut alteram pono objectionem, & ſolutionem ex Scoto.

554. Prima objectio ex

Prima erit; Offenſa creſcit ex dignitate perſonæ: ergo ex perſona infinita creſcit infinitè; ergo licet malitia peccati mortalis in ratione malitiæ, utpote quæ deſumitur ex bonitate, quâ privat, non ſit ſimpliciter infinita, equidem in ratione offenſæ erit ſimpliciter infinita, ſicuti perſona, quæ offenditur, eſt ſimpliciter infinita.

Reſpondeo neg. Conſeq. Nam offenſa non creſcit arithmeticè, ſed geometricè, & patet; ſiquidem amor Dei, etiamſi reſpiciat Deum infinitum, & excedat amores aliorum objectorum, etiam infinitorum, non ideo eſt ſimpliciter infinitus: ergo neque offenſa Dei, etiamſi excedat alias offenſas contra infinitas ponamus creaturas, non propterea erit ſimpliciter infinita. Hæc ergo calculatio ita intelligenda eſt, ut ſicuti ex perfectiori objecto cæteris paribus actus eſt melior, non tamen participat eumdem exceſſum, quem objectum habet reſpectu aliorum objectorum; ita quoque offenſa ſit major ex dignitate perſonæ offenſæ, non tamen tanto exceſſu, quanto Deus excedit alias perſonas.

Alter reſpondet Hiquæus in ſuo Commentario 4. diſt. 15. q. 1. n. 22. videlicet, in iis quæ ſunt propriæ & rigoroſæ juſtitiæ creſcere offenſam ex dignitate perſonæ offenſæ, in aliis autem negatur; quia in prioribus peccatis perſona offenſa aggravat peccatum, quandoquidem lædatur ipſa ejus dignitas, ut ſi percutiatur, interficiatur, aut derogetur ejus famæ; ſin minùs, negatur: quia tunc dignitas perſonæ extranea eſt malitiæ peccati, neque vitiat actum. Unde quando quis tranſgreditur præceptum Principis aut alicujus inferioris ab ipſo delegati, committit idem in ſpecie peccatum, ſi præcepta ſint ejuſdem ſpeciei, licèt dignitas perſonarum ſit diſpar, quando non fit tranſgreſſio in contemptum perſonæ.

In propoſito, quando aliquis facit irreverentiam Deo per blaſphemiam, tunc committit diverſum in ſpecie peccatum ab eo, quod faceret contra dignitatem Principis politici: quia perſonæ dignitas ſe habet ut circumſtantia actûs tribuens ei ſpeciem; quando verò non læditur dignitas, erit circumſtantia generalis, quæ non tribuit ſpeciem actui, niſi per ſe intendatur.

Offenſa Dei in genere eſt circumſtantia generalis incluſa in peccato mortali, quando etiam committitur cum ignorantia aut inadvertentia Dei; ideo non aggravat peccatum, niſi in quantum opponitur legi Dei, & rectitudini oppoſitæ virtutis. Hæc ille; parum obſcurè & confuſè. Neque ſolvit omnino difficultatem; nam inferri poſſet: ergo ſaltem blaſphemia habet malitiam infinitam, quandoquidem ſecundùm ipſum illa creſcat ex dignitate perſonæ.

Juvabit audire Scotum 3. diſt. 19. q. 1. n. 13. ubi ſic ait: *Ad ſecundum cùm dicitur, meritum Chriſti eſt finitum, peccatum eſt infinitum, ergo*

Digitized by Google

ergo non potuit meritoriè auferre peccati reatum: Dico, quòd etſi Chriſti paſſio, & meritum ipſius totum ſit formaliter finitum; quia tamen conjunxit per gratiam, & gloriam objecto infinito, ideo potuit delere peccati reatum, ſive peccatum avertens à bono infinito. Et cùm dicis quòd non, quia peccatum illud erat infinitum; ſi intelligis, quod erat malum formaliter infinitum intenſivè, falſum eſt; tunc enim oporteret ponere ſummum malum & Deum Manichæorum.

Ubi Scotus inſinuat rationem à priori ſuæ doctrinæ, puta, quia malum ſimpliciter infinitum in ratione mali eſt illud, quo non poteſt excogitari aliud majus malum; ſicuti bonum ſimpliciter infinitum in ratione boni eſt illud, quod continet in ſe omnem perfectionem excogitabilem, & quo non poteſt excogitari aliud majus bonum. Jam autem nullum eſt peccatum, quod in ſe contineat malitiam & gravitatem omnium peccatorum, & quo non poſſit aliud majus & gravius excogitari.

Et ſimiliter argumentari poſſumus de malo ſimpliciter infinito in ratione offenſæ, injuriæ, aut demeriti; hæc enim tria fundantur in ipſa malitia, ſi ergo malitia finita eſt, etiam quæ in illa fundantur erunt finita.

557. *Et cùm probas* (proſequitur Doctor) *quòd tantum eſt peccatum, quantus eſt ille, in quem fit, ſi ly* tantum & quantum *referantur ad rationes formales utriuſque in ſe, falſum eſt. Tamen ſecundùm terminum, à quo avertit peccatum, ſortitur quamdam denominationem extrinſecam, ut ſicut quâdam denominatione extrinſecâ actus beatificus Michaëlis dicitur infinitus, quia conjungit termino ad quem infinito, in ſe formaliter tamen actus eſt finitus; ſic peccatum mortale, quia avertit à termino à quo infinito; ſortitur quamdam denominationem extrinſecam. Gravius enim peccatum eſt peccatum in Deum, quàm in alium, & in Regem terrenum, quàm in militem ſuum; numquam tamen poteſt eſſe, quòd ſit formaliter infinitum malum.*

Exemplum aliud: Si ponatur per impoſſibile infinitum corrumpi, diceretur quòd illa corruptio eſſet infinita, non quidem intenſivè & formaliter, ſed ratione termini à quo corruptionis, quia corruptio inciperet ab infinito; ſic in propoſito, quia peccatum avertit ab infinito &c.

Ex his concludit Doctor *probabiliter opinando, quòd tanto amore intenſivè poteſt aliquis Sanctus ferri in ſummum bonum diligendo, quantâ inordinatione intenſivâ avertebatur, & quantum enim abduxit à termino à quo, tantum aliud conjungit ei, & maximè hoc eſt verum de amore animæ Chriſti.*

558. Si autem à me quæritur, de qua intenſione hic loquatur Scotus. Reſpondeo confeſtim, de utraque, videlicet de intenſione eſſentiali, ſeu ſpecifica, ut ſic loquar, & intenſione accidentali ſeu graduali: nam peccata ſunt inæqualia, non ſolùm in intenſione graduali, ſed etiam in ſua ſpecie, ut patet in odio Dei, quod in ſua ſpecie gravius eſt furto: ergo nullum peccatum, non tantùm in intenſione graduali, ſed etiam in intenſione eſſentiali, id eſt, in ſua ſpecie eſt infinitum; cùm unum infinitum, ut ſuprà dixi, maximè in perfectione, aut imperfectione eſſentiali, non ſit majus altero. *etiam in ſua ſpecie.*

Deinde ſi in ſua ſpecie eſſet aliqua malitia infinita, vel contineret alias malitias formaliter, vel eminenter; non formaliter, alioquin malitia v. g. injuſtitiæ eſſet malitia intemperantiæ, infidelitatis &c. quod eſt abſurdum; non eminenter, quia una malitia non eſt veluti primum principium, & cauſa aliarum malitiarum, aliàs jam eſſet Deus Manichæorum: ergo nulla malitia ſimpliciter eſt infinita. Atque hæc de prima objectione. *Nullum peccatum in ſua ſpecie eſt infinitum.*

559. Secunda deſumitur ex infinitate pœnæ, quæ videtur correſpondere cuilibet peccato mortali. Peccatum mortale, inquiunt Adverſarii, meretur carentiam unionis hypoſtaticæ; atqui illa eſt pœna infinita: ergo &c. *Secunda objectio deſumpta ex infinitate pœnæ.*

Reſpondeo I. neg. Minorem, tum quia ipſa unio hypoſtatica, quamvis in ratione unionis ſit maxima, & per illam communicetur creaturæ maximum donum, equidem ſimpliciter eſt finita; tum quia quantitas pœnæ non ſolùm deſumitur ex quantitate boni, quo privat, ſed etiam ex majori neceſſitate & debito, quod aliquis habet non carendi illo bono; v. g. ſi Ducem reducas ad ſtatum communis Equitis, plus aufers, quàm ſi eumdem poſtea reducas ad ſtatum mendici; & tamen pœna poſterior videtur major, quia aufert illud, quod magis erat neceſſarium. *Prima reſponſio.* *Carentia unionis hypoſtaticæ non eſt pœna infinita.*

Nonne majus bonum eſt ſcientia Philoſophiæ, quàm viſus corporeus? Et tamen major pœna eſt auferre viſum corporeum, utique quia magis eſt neceſſarius. Itaque quamquam unio hypoſtatica ſit majus bonum, quàm gratia & gloria, haud equidem bonum magis debitum & neceſſarium; immo minùs. Unde ſi hæc relinquerentur, & illa tolleretur à Petro, non videretur tanta pœna, atque ſi haberet jus ad unionem, & foret privatus gratiâ & gloriâ; atqui privatio gratiæ & gloriæ non eſt pœna infinita: ergo &c. *Major pœna eſt auferre viſum corporeum, quàm ſcientiam Philoſophiæ.*

560. Reſpondetur II. ſuppoſito quòd carentia unionis hypoſtaticæ foret infinita, non deberi eam peccato mortali, quia ſolùm debetur pœna, quæ de facto eſt, vel paulò gravior; illa autem eſſet infinitè gravior. *Secunda reſponſio.*

Contrà, inquis, quodlibet peccatum mortale meretur pœnam æternam, quæ non compatitur unionem. Reſpondeo, etiam peccatum veniale meretur pœnam (puta pœnam purgatorii) quæ non compatitur unionem. Deinde dici poſſet, tali caſu carentiam unionis *Objectio ſolvitur.*

 tan-

tantùm eſſe pœnam per accidens, quæ, ut multi docent, aliquando excedit condignitatem delicti, v. g. pœna æterna, quâ putant (licèt immeritò, juxta principia Scoti) peccatum veniale puniri in inferno.

561. Alia objectio.

Si urgeas: pœna æternæ durationis, quâ de facto, ſecundùm omnes Catholicos, juſtè punitur peccatum mortale in inferno, eſt pœna infinita: ergo ſimiliter peccatum mortale, quod talem pœnam meretur, eſt infinitum.

Solvitur ex Scoto.

Reſpondet Scotus ſuprà n. 14. *Ad tertium cùm dicitur, quòd pœna debita mortali eſt infinita; verum eſt, ſi voluntas finaliter maneat in peccato, illa pœna eſt infinita extenſivè; & hoc, quia ſubiectum manet ſemper ſub culpa, & hoc ex ordinatione divina, quod* ubi ceciderit lignum, ibi erit, Eccle. 11. *non quin Deus poſſit punire aliter peccatum illud. Unde ſi Deus puniret animam per diem tantùm pro culpa mortali, & poſt annihilaret animam, non faceret iniuſtitiam: tunc ad formam, pœna eſt infinita extenſivè ex ordinatione divina, non tamen quin aliter poſſet punire peccatum ſi vellet.*

Pœna inferni eſt infinita extenſivè.

Eccle. 11. v. 3.

Uti etiam peccatum mortale in inferno.

Igitur ceu pœna eſt infinita extenſivè, ſic itidem culpa mortalis in inferno eſt infinita extenſivè, id eſt, in inferno infinitè durat culpa, & pœna: ergo ſimpliciter, & intrinſecè pœna eſt infinita; per conſequens culpa, negatur hæc Conſequentia: quia illud ſimpliciter, & intrinſecè infinitum dicimus, quo non poteſt dari vel excogitari aliud majus; quod nec pœnæ æternæ, quæ de facto eſt, nec culpæ mortali æternæ, ut ſic loquar, competit.

562. Reſponſio ad aliquam inſtantiam.

Ex quo patet reſponſio ad hanc inſtantiam; pœna æterna inferni eſt gravior, quàm pœna infinitè intenſa per unam horam: ergo pœna æterna eſt ſimpliciter infinita; negatur enim Conſequentia; nam pœna infinitè intenſa per unam horam, non eſt ſimpliciter infinita, cùm pœna æterna, ut ſupponis, ſit major. Alioquin eodem modo argumentabor: opera bona hominis juſtificati merentur viſionem, & fruitionem Dei æternam, quæ melior eſt, quàm temporalis infinitè intenſa: ergo opera bona hominis juſtificati in ratione meriti ſunt ſimpliciter infinita.

Æterna duratio pœnæ non arguit ſimpliciter infinitatem in culpa.

Igitur æterna duratio pœnæ non arguit ſimpliciter infinitatem in culpa. ſed tantam gravitatem, quæ juxta rectam gubernationem exigit illam pœnam ad arcendos homines à peccatis; adeòque effectus æternus poteſt provenire à cauſa finita; maximè ſi & ipſa æterna ſit, prout eſt peccatum mortale in inferno, ut colligitur ex Scoto ſuprà ibi: *Illa pœna eſt infinita extenſivè, & hoc quia ſubiectum manet ſemper ſub culpa.* De quo plura Sectione ſequenti. Sufficit pro nunc, quòd viſio, & fruitio æterna proveniant, ut à cauſa morali, ab operibus finitis; ergo ſimiliter pœna æterna poteſt provenire, ut à cauſa morali, ab operibus finitis. Quæ enim diſparitas?

Dices; peccator peccando mortaliter conſtituit ultimum finem in creatura: ergo, quantùm eſt ex parte peccatoris, vult deſtruere Deum, ſiquidem vult non eſſe ultimum finem, ſed in deſtructione Dei, ſi eſſet, infinita malitia eſſet: ergo peccator, qui hoc vult, habet infinitam malitiam. Præterea peccatum mortale propter nihil fieri poteſt: ergo in peccato mortali eſt infinita malitia. 5 Du... ieſt

Reſpondeo ad ultimum neg. Conſequen. Inſtantia clariſſima; quia neque peccatum veniale propter aliquid fieri poteſt, cùm tamen in illo, ſecundùm omnium ſententiam, non ſit malitia infinita. Reſ... ad ſe... dum

Et ſi quæritur à me, quare ergo nullum peccatum committendum ſit pro ulla re? Reſpondeo citiùs; quia omne peccatum eſt contra rectum ordinem, & rectam rationem; quoniam peccatum eſſentialiter eſt malum, non ſunt autem facienda mala, ut eveniant bona, etiam infiniti valoris, ſi eſſent. Qui... lum... tum... mitt... pro

Ad primum diſtinguo Antecedens; peccator peccando mortaliter conſtituit ſpeculativè ultimum finem in creatura, nego Antecedens; aliquo modo practicè, concedo Antecedens: ergo, quantùm eſt ex parte peccatoris, vult deſtruere Deum, nego Conſequentiam: nam practicè conſtituere finem ultimum in creatura, nihil aliud eſt, quàm ad illud ſe convertere, quod perfectè à Deo avertit, & cum quo, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, nequit conſiſtere finis ultimus, & amicitia Dei. 5(Reſ... ad p... Quo... pec... mor... crea... ulti... nec... atu...

Putas autem quia qui ſe taliter convertit ad creaturam, ideo debeat expreſsè contemnere, & odio habere Deum; debeat formaliter & explicitè creaturam aliquam pluſquàm Deum & cætera omnia diligere; debeat ſe, & ſua omnia formaliter referre in aliquam creaturam, tamquam in finem ultimum? Conſtat evidenti experientiâ quod non.

Sed eſto, velit aliquis, non ſolùm virtualiter, ſed etiam formaliter & expreſsè, quantùm in ſe eſt, per peccatum ſuum deſtruere Deum; num ideo peccatum illud infinitam habebit malitiam? Non puto, quoniam non ſemper voluntas contrahit totam bonitatem aut malitiam objecti; alioquin voluntas quâ volo Deum exiſtere, foret infinitè bona. Et ratio eſt, quia objectum derivat tum bonitatem, tum malitiam in actum, mediâ tendentiâ, & modo tendendi in illud; & cùm hæc tendentia ſit finita, ſimiliter finitus modus tendendi, pariter bonitas erit finita, & ſimiliter malitia. Volt... non... con... tota... nita... mali... obje...

Finio

Digitized by Google

565\. Finio hanc controverſiam verbis Scoti 4. diſt. 50. q. 6. n. 16. *Ad ultimum nego, quòd exceſſus in pœna debeat attendi ſecundùm quantitatem extenſionis; quia per ſe culpæ correſpondet pœna ſecundùm intenſionem ſecundum juſtitiam diſtributivam. Unde (ſicut dixi ſuprà) Deus poſſet infligere pœnam aliquam, quæ ſi tantùm per momentum duraret, ſufficienter tamen puniret peccatum: nec fortè duratio pœnæ cadit ſub demerito; ſicut nec duratio beatitudinis ſub merito, ſed ratione liberalitatis.*

Excessus in pœna non debet attendi ſecundum quantitatem extenſionis ex Scoto.

Et quando dicis, quòd gravitas accipit extenſionem in peccato, quia ſecundùm infinitatem, & ſecundùm hoc correſpondet pœna, dico, quòd peccatum non dicitur infinitum, niſi, quia ſeparat ab infinito, non quòd formaliter malitia ſit infinita; quia talis & tanta eſt, quanta eſt bonitas, quæ nata fuiſſet ineſſe illi actui, ſi ſecundùm debitas circumſtantias fuiſſet elicitus: ſed hæc non fuiſſet infinita, nec poſſibile fuiſſet eſſe infinitam, niſi pro termino, quia conjungit infinito.

566\. Admiſsâ itaque malitiâ peccati mortalis ſimpliciter finitâ; nihilominus Cardinalis Lugo abſolutè negat ullam puram creaturam poſſe ſatisfacere æqualiter pro peccato mortali, quantumvis multiplicet obſequia & actus intenſiſſimos: & dicit id provenire ex magnitudine offenſæ, quæ licèt non ſit infinita ſimpliciter, habet tamen quamdam infinitatem ſecundùm quid, quatenus eſt incompenſabilis,

Argumentum Lugonis, quo probat puram creaturam non poſſe ſatisfacere æqualiter pro peccato mortali.

Radix autem hujus incompenſabilitatis in ordine ad ſatisfaciendum, explicatur ſicut infinitas in ordine ad pœnam; nam ſicut offenſa mortalis, cùm in ſe non ſit infinita, parit pœnam infinitam in duratione, quia in delicto, quod ſummè & omninò expedit vitari, illa eſt pœna condigna & æqualis, quæ in æſtimatione prudentum moraliter exigitur ad arcendos homines ab illo delicto; ita etiam pro ſimili delicto illa eſt ſatisfactio æqualis & condigna, quæ moraliter exigitur, ut ex ejus facilitate non vileſcat offenſa, ſed arceantur potiùs homines ob difficultatem ſatisfaciendi & placandi perſonam offenſam: vileſceret autem apud homines offenſa Dei, & facilè peccarent, ſi ſcirent Deum obſequiis & compenſatione, etiam diuturnâ, poſſe condignè placari.

Cùm ergo neceſſe fuerit homines omninò ab offenſa Dei gravi arcere, neceſſe fuit, ut offenſa illa eſſet ex natura rei incompenſabilis ullis obſequiis puræ creaturæ, & hæc eſt infinitas illa ſecundùm quid, quam offenſa gravis habet, id eſt, inæquabilitas per ulla obſequia puræ creaturæ, quod totum oritur ex dignitate ſumma Dei, qui offenditur, ratione cujus neceſſe eſt homines omninò ab hujuſmodi offenſæ perpetratione deterrere. Ita argumentatur Cardinalis de Pœnitentia diſp. 8. n. 119.

Et quidem ſi loquatur juxta legem Dei ordinatam, jungimus dexteras; ſin autem de potentia Dei abſoluta, retorqueo argumentum & dico: ſicut non fuit omnino neceſſarium, ut Deus puniret offenſam mortalem pœnâ infinitâ in duratione, ſed abſolutè aliam potuit aſſignare pœnam, ut ſuprà audivimus ex Scoto (& ſi placet iterum audire, ſubſcribo ejus verba ex 4. diſtinct. 46 qu. 4. nu. 21. *Pro hoc videtur ratio; quia poſſibile eſſet Deo, ſecundùm etiam ſtrictam rigorem juſtitiæ taxare pœnam intenſam ſecundùm quod ſufficienter reſponderet culpæ, etſi natura eſſet ſtatim annihilanda: ergo quòd pœna æterna ſic infligitur, non eſt, quia æternitas ſit per ſe de ratione pœnæ, in quantum æqualiter punitiva, ſed accidit propter æternitatem perſonæ punitæ, & culpæ remanentis*) Sicut, inquam, poſſibile fuit Deo, taxare pœnam temporalem pro delicto mortali, ſic pariter poſſibile fuit Deo, acceptare contritionem, aut dilectionem ſupernaturalem ad condignam ſatisfactionem pro peccato mortali. 567. Intellectum de potentia Dei abſoluta retorquetur.

Æternitas non eſt per ſe de ratione pœnæ, in quantum æqualiter punitiva ex Scoto.

Neque ideo vileſceret apud homines offenſa Dei, aut faciliùs peccarent, quandoquidem ſcirent, aut certè ſcire deberent, ſine Dei ſpeciali gratia, quâ per peccatum reddunt ſe indignos, illam condignam ſatisfactionem eſſe impoſſibilem. Et verò quid refert ſive condignè ſatisfaciam Deo per contritionem aut dilectionem, ſive de congruo merear, & infallibiliter accipiam remiſſionem peccati mortalis, & pœnæ æternæ? Quid refert, inquam, ad hoc ut faciliùs, aut difficiliùs peccem? 568. Tametſi Deus acceptaſſet contritionem ad ſatisfactionem æqualem pro peccato mortali, non ideo viloſceret offenſa Dei.

Haud ignoro doctrinam Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 8. ibi: *Divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut, occaſione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnoperè à peccato revocant, & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt &c.* Conc. Trid.

Sed numquid hinc benè ſequitur: ergo non fuit Deo poſſibile per Sacramentum Pœnitentiæ remittere omnem culpam & pœnam etiam temporalem, eo modo, quo remittit omnem culpam & pœnam, etiam temporalem, per Baptiſmum? Non credo quòd Eminentiſſimus talem potentiam Deo negaſſet, quamvis Deus non fecerit, quod facere potuit, & faciendo, homines, occaſione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto, in graviora lapſi fuiſſent, & faciliùs peccaſſent. 569. Fuit Deo poſſibile per Sacramentum Pœnitentiæ remittere omnem culpam & pœnam, ſicut per Sacramentum Baptiſmi.

Nonne & hodie aliqui accipiunt, aut certè accipere poſſunt occaſionem graviùs, & faciliùs peccandi, ex integra remiſſione peccatorum quoad culpam, & pœnam per Sacramentum Baptiſmi? Non eſt dubium; & tamen Chriſtus ita inſtituit Baptiſmum ob rationes juſtiſſimas, quamvis aliter potuiſſet inſtituere. Illud ergo argumentum Lugonis apud me nullius eſt momenti, ſi intelligatur de potentia abſoluta.

570. *Reſponſio Card. ad argumentum Scoti.* Sed videamus, quid Cardinalis reſpondeat ad argumentum Scoti ſuprà ſequentis formæ: Deo tam placet actus contritionis, vel dilectionis ſuper omnia, quàm diſplicuit peccatum; tam bonus enim eſt iſte actus, quàm malus ille: ergo ſufficit ad placandum Deum, ſaltem de poſſibili.

In genere moris magis diſplicere Deo peccatum, quàm placeat actus contritionis. Reſpondet Eminentiſſimus de Incarnat. diſput. 5. n. 11. in genere moris magis diſplicere Deo peccatum, quàm placeat actus contritionis; plus enim eſt viliſſimam creaturam audere contra infinitum Creatorem, quàm exhibere illi ſubjectionem mille titulis debitam.

Objectio. Sed contrà: voluntas carentiæ peccati, & odium exiſtentiæ peccati ſunt ejuſdem bonitatis apud Deum; poſito autem præcepto dilectionis, peccatum vitatur per ejus actum: ergo tantum placet Deo tunc fieri amorem, quantum diſplicet violatio præcepti; ſicuti tam placet ægroto ſalus, quàm diſplicet ægritudo.

571. *Solvitur à Lugone.* Reſpondet Lugo n. 12. bonitatem quidem phyſicam æqualem eſſe, ſecùs moralem. Per bonitatem verò moralem intelligit æſtimabilitatem quamdam moralem, ratione cujus homo ille laude dignus eſt, & præmio; ſicut malitia moralis eſt æſtimabilitas, ratione cujus ille homo vituperio dignus eſt & ſupplicio.

Sæpiſſimè plùs meretur homo ſupplicii actu aliquo, quàm laudis actu oppoſito. Contingit autem ſæpiſſimè, plus mereri hominem ſupplicii actu aliquo, quàm laudis aut præmii per actum oppoſitum; v. g. qui Regem occideret, eſſet dignus extremo ſupplicio, qui tamen non occidit, nullum præmium meretur. Item qui Regem præſentem non coleret, digniſſimus eſſet ſupplicio, qui coleret, nullum præmium compararet; ſiquidem tantùm facit id, quod omni jure facere debet: ergo major eſt malitia moralis in illâ occiſione, & omiſſione cultûs, quàm bonitas in non occiſione, & cultu. Ergo à pari, cùm contritio ſeu dilectio aliunde ſit debita Deo, adeò ut, eâ exhibitâ, adhuc dicere poſſimus: *Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus,* liquet profectò, quòd minus bonitatis moralis ſit in actu contritionis aut dilectionis, quàm malitiæ moralis in omiſſione actûs præcepti.

572. *Entitas di-* Interim tamen, quatenus entitas dilectionis formaliter excludit peccatum, eatenus phyſicè tantum placet, quantum diſplicet peccatum; ſicut phyſicè æquè placet Regi voluntas ſubditi non occidendi, atque diſplicet voluntas occidendi, quia videlicet æquè placet vita, atque diſplicet mors, quam impedit voluntas non occidendi. *lectio phyſi… tum quan… diſpl… pecc…*

Quin immo nonne pluris phyſicè æſtimat Rex, quòd ejus ſubditi eum non occidant, quàm quòd ſtrenuè ſe in prælio gerant? Utique, quia plùs phyſicè æſtimat vitam ſuam, quàm vitas aliorum. Et tamen pluris æſtimat moraliter hoc ſecundum, quàm primum; pluris, inquam, æſtimat in ordine ad laudem & præmium.

Sic etiam Deus pluris æſtimat phyſicè actum remiſſum, quo impletur præceptum, & vitatur peccatum, quàm actum intenſum conſilii; quia videlicet plùs phyſicè diſplicet omiſſio actûs præcepti, quàm omiſſio actûs ſupererogationis ſeu conſilii; cæterùm in ordine ad præmium præfert actum intenſum conſilii: alioquin majoris meriti eſſet velle non furari unum obulum, quàm velle fieri Religioſum. *Deus æſtim… phyſi… tum… ſum, impl… præce… quàm inten… conſi… chs i… ne ad… miun…*

Non negat Eminentiſſimus omnem bonitatem moralem actui dilectionis aut contritionis; ſed ſolùm contendit bonitatem moralem illius actûs, non tantùm æſtimari à Deo in ordine ad præmium, quàm malitia moralis peccati mortalis æſtimatur à Deo in ordine ad ſupplicium.

Si dixeris; dilectio meretur præmium æternum: ergo &c. Reſpondet neg. Conſ. quia, inquit, dignitas pœnæ tota fundatur in ſola malitia peccati; at dignitas præmii non fundatur in ſola bonitate dilectionis, ſed ſumitur potiſſimùm ex gratia habituali dignificante actum illum ad tantum præmium; nam ſi actus eſſet in ſubjecto ſine gratia habituali, non mereretur de condigno ullum gradum gloriæ. *5… Obj… ſolvi… Lug…*

Sed contrà; ergo ſaltem dilectio ut dignificata per gratiam hoc meretur: ergo eatenus habet tantum valorem ad merendum, quantum peccatum ad demerendum: ergo dilectio hominis in ſtatu gratiæ erit condigna ſatisfactio. *Rep…*

Reſpondet Cardinalis neg. ultimam Conſeq. quia hujuſmodi dilectio ſupponit Deum placatum, & peccatum remiſſum: ergo non eſt efficax ad ſatisfaciendum, ſaltem pro proprio peccato. *Solv…*

Addit Eminentiſſ. etiamſi contritio, prout dignificata per gratiam, habeat tantum valorem ad merendum præmium, quantum habet peccatum ad merendum ſupplicium, non indè ſequi, quòd habeat tantum valorem ad ſatisfaciendum. Patet; quia per dilectionem vel contritionem homo juſtus meretur augmentum gratiæ, & gloriæ; & tamen non ſatisfacit pro tota pœna temporali debita peccatis remiſſis: jam autem minus eſt auferre debitum pœnæ *57… Con… majo… habet rem a… rendi præm… quàm tisfac… dum… gone.*

pœnæ

Digitized by Google

pœnæ temporalis, v. g. unius anni Purgatorii, quàm afferre jus ad quatuor, aut quinque gradus gloriæ æternæ.

Ratio à priori hujus inæqualitatis videtur eſſe, quòd in ordine ad merendum præmium, actus bonus conſideratur ſecundùm totam ſuam vim, & quaſi operans ſine aliquo contrario; atque ideo exerit totas ſuas vires ad movendam liberalitatem præmiantis: at verò in ordine ad ſatisfaciendum ſeu ad placandum, conſideratur ut operans in præſentia robuſtiſſimi contrarii, nempe culpæ præteritæ, quæ habet magnam vim ad inferendam indignationem, vel ſupplicium; ne videlicet ex nimis facili placatione, ſive pro culpa, ſive pro pœna, vileſceret offenſa Dei, & nimis facilè admitteretur.

575. Sed ad hoc inconveniens ſuprà reſponſum fuit. Ad aliud, quòd videlicet dilectio vel contritio, dignificata per gratiam habitualem, ſupponat peccatum remiſſum. Reſpondet Hiquæus in ſuo Comment. 4. diſt. 15. q. 1. n. 29. Non eſt contra ſatisfactionem, ut eam anticipet extinctio delicti, ſicut & meritum poteſt anticipari per præmium: ergo remiſſio peccati facta per anticipationem non derogat condignæ ſatisfactioni, modò fiat in virtute & acceptatione contritionis aut dilectionis ad talem effectum.

Probatur Conſequentia; quia paſſio Chriſti præviſa, & nondum exhibita, hoc modo in ſanctos Patres influxit, per modum ſatisfactionis, & meriti; unde illud axioma: *Quòd principium meriti non cadat ſub meritum*, licèt de facto verum ſit, non repugnat tamen quin de poſſibili cadat, in diverſo genere ſaltem, nempe ut in intentione præcedat meritum, in executione autem principium meriti, eo modo quo finis, & medium ſunt ſibi invicem cauſæ.

576. Confirmatur; juſtitiæ non derogat, ut præmium ex conventione promiſſum, antecedat meritum, ſicut in operariis ſæpè contingit, qui per anticipationem ſui laboris ſtipendium recipiunt; & milites ſimiliter ut arma, quibus pugnare debeant neceſſariò, ſi ſub merito cadere debeant, per anticipationem recipiunt, quia alioquin ſine his mereri non poſſint.

Eodem ergo modo, quia contritio nequit eſſe perfecta ſatisfactio, niſi ſit formata per gratiam, hinc anticipari debet per gratiam: neque indè minuitur jus & debitum juſtitiæ; nam ſicut per exhibitionem meriti acquiritur jus ad præmium mox reddendum, ſic etiam per anticipatum præmium acquiritur jus ad præſtandum ſuo tempore meritum. Hæc ille, juxta probabilem aliquorum ſententiam.

577. Ego autem reſpondeo, ſtatum gratiæ ad meritum de condigno ſolùm requiri de potentia ordinata, ut docet Scotus 1. diſt. 17. q. 3. n. 29. ubi ſic ait: *De ſecundo articulo dico, quòd Deus de potentia abſoluta benè potuiſſet acceptare naturam beatificabilem acceptatione ſpirituali prædictâ exiſtentem in puris naturalibus* (hoc eſt, ſine habitu ſupernaturali) *& ſimiliter actum ejus, ad quem eſſet inclinatio ejus merè naturalis, potuiſſet acceptare ut meritorium de condigno. Sed non creditur ita diſpoſuiſſe, quòd naturam puram, vel actum ejus ſic acceptet: quia actum ex puris naturalibus* (id eſt, ſine habitu ſupernaturali) *eſſe meritorium appropinquat errori Pelagii; ideo veriſimilius creditur, quòd acceptet naturam & actum ejus tamquam meritorium per habitum ſupernaturalem.*

[Margin: ...tur de potentia ordinata ex Scoto.]

Igitur de potentia abſoluta potuiſſet Deus acceptare contritionem aut dilectionem hominis peccatoris tamquam meritoriam de condigno gratiæ, & gloriæ æternæ; quidni etiam tamquam ſatisfactionem condignam pro peccato mortali? Non video quid obſtet; præſertim cùm remiſſio peccatorum, immo etiam amicitia, & filiatio divina, potuiſſent conſiſtere ſine gratia habituali.

Sed non creditur Deus ita diſpoſuiſſe, quòd 578.
actum contritionis aut dilectionis hominis peccatoris acceptet ad meritum condignum gratiæ, & gloriæ æternæ, neque ad ſatisfactionem condignam pro peccato mortali; quoniam diſpoſuit nos gratis juſtificare per merita ſanctiſſimæ paſſionis dilectiſſimi Unigeniti ſui Domini noſtri Jesu Chriſti, ut docet Trident. ſeſſ. 6. c. 9. in principio dicens: *Quamvis neceſſarium ſit credere, neque remitti, neque remiſſa umquam fuiſſe peccata, niſi gratis divina miſericordia propter Chriſtum* &c. Gratis autem juſtificari dicimur, teſte Trident. eâdem ſeſſ. c. 8. *Quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam* de condigno *promeretur.* Quomodo ergo aliquid de condigno ſatisfaceret?

[Margin: Deus diſpoſuit nos gratis juſtificare ex Conc. Trid.]

[Margin: Quid ſit gratis juſtificari ex eodem.]

Nec valet dicere; gratis juſtificamur in ra- 579.
dice, eò quòd auxilia gratiæ, quibus contritio aut dilectio elicitur, gratis dantur. Nam contrà eſt, quòd auxilia ad gloriam promerendam, etiam dantur nobis gratis in radice, & tamen dicitur nobis dari gloria, ut corona juſtitiæ: ergo ſimiliter dici poſſet juſtificatio dari nobis ut corona & merces meritorum, quod falſum eſt. *Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus, à juſto judice ſibi reddendam.* Ita Trid. ſeſſ. 6. cap. 16.

[Margin: Evaſio præcluditur.]

[Margin: Conc. Trid.]

Numquid aliquando ſic locutum fuit Trident. de Juſtificatione ſeu remiſſione peccatorum dicens: Bene operantibus proponenda eſt remiſſio peccatorum, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter

deliter reddenda? Nuſpiam talis locutio vel in Scriptura, vel in Conciliis, aut in SS. Patribus reperitur.

580. **Aliqua contritio aut dilectio potuiſſet eſſe forma juſtificans, de facto nulla eſt.**

Itaque, ut finem imponamus huic Concluſioni & Sectioni, dico cum Scoto & Vaſquezio, quòd poſſibilis fuerit condigna ſatisfactio pro peccato mortali; cum Scoto autem & Lugone nego de facto aliquam contritionem, aut dilectionem Dei propter ſe eſſe hujuſmodi ſatisfactionem. Conſequenter aſſero, quòd aliqua contritio ſeu dilectio Dei propter ſe potuiſſet, ſi Deus voluiſſet, eſſe forma juſtificans, nego de facto eſſe talem formam, etiam in adulto, qui juſtificatur extra Sacramentum; formam, inquam, ſeu totalem, ſeu partialem. Nam aliquid factum eſſe à Deo, quod fieri potuit, non eſt aſſerendum abſque ſolido fundamento, quale nullum adfertur à Vaquezio, ut arbitror liquidò conſtare ex dictis.

Tantummodò ſubſcribo verba D. Auguſti-
581. ni, quæ lego lib. 1. de Peccat. merit. cap. 19. *Sed præter hanc imitationem* (quâ Sancti imitantur Chriſtum ad ſequendam juſtitiam) *gratia eius, illuminationem juſtificationemq; noſtram, etiam intrinſecùs operatur, illo opere de quo idem prædicator eius* (intelligit Apoſtolum Paulum) *dicit:* Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. *Hâc enim gratiâ baptizatos quoque parvulos ſuo inſerit corpori, qui certè imitari aliquem nondum valent. Sicuti ergo ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod ſe ad iuſtitiam* (actualem) *exemplum imitantibus præbuit, dat etiam ſui ſpiritûs occultiſſimam fidelibus gratiam* (habitualem) *quam latenter infundit & parvulis: ſic & ille* &c.

Referuntur quædam verba Sancti Auguſtini.

1. Cor. 3. v. 7.

Hìc Auguſtinus agnoſcit eamdem gratiam infundi fidelibus, id eſt, adultis, & parvulis: ergo habitualem, cùm parvuli actualis gratiæ, id eſt, contritionis aut dilectionis ſint incapaces.

In quibus agnoſcit eandem gratiam infundi parvulis & adultis.

Gratìs autem Vaſquez intelligit hæc verba
582. de eadem gratia in univerſum, non ſecundùm ſpeciem; ideoque pari jure negatur hic intellectus, quo affirmatur.

Evaſiones præcluduntur.

Non obſtat quoque, quòd gratiam adultorum vocet, *Illuminationem*; nam hæc non ſignificat operationem hominis, ſed magìs operationem Dei, qualis eſt infuſio habitûs permanentis: ſic quippe lumen fidei non ſignificat actum fidei, aſt potiùs habitum fidei, aut certè gratiam actualem excitantem ad actum fidei.

Alium locum invenio apud D. Auguſti-
583. num, in quo evidentiſſimè diſtinguit actum gratiæ ab habitu gratiæ, videlicet Conc. 26. in Pſalm. 118. ubi explanans iſta verba Pſalmi: *Feci iudicium & iuſtitiam* &c. ſic inquit: *Iuſtitiæ nomine hoc loco non ipſa virtus, ſed opus eius ſignificatum eſt. Quis enim fecit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium? Hoc eſt per gratiam ſuam ex impio facit iuſtum. Unde ait Apoſtolus:* Juſtificati gratìs per gratiam ipſius. *Facit ergo iuſtitiam, id eſt, opus iuſtitiæ, qui habet in ſe iuſtitiam, id eſt, opus gratiæ.*

Alius locus D. Aug. in quo diſtinguit gra- tiam ... lem a... bitual...

Rom. 3.

Quomodo clariùs potuiſſet diſtinguere gratiam habitualem, per quam impii juſtificantur, ab actu gratiæ ſive juſtitiæ, puta contritione, dilectione &c?

Sed quid ad hanc auctoritatem Dicaſtillo, diffuſus propugnator ſententiæ Vaſquezii? 58[4]. Quòd, inquit, Auguſtinus non loquatur in particulari de actu & habitu charitatis, ſatìs legenti conſtabit. Agit enim de ea virtute, cujus operatio ſit *iudicium rectum*; ait enim loquens de hoc judicio: *Huius virtutis eſt operatio.* Unde quando ſubjungit: *Iuſtitiæ nomine non ipſa virtus, ſed opus eius ſignificatum eſt*, non loquitur de charitate, ſed de ea juſtitia, quam qui habet facit juſtitiam. Ideo poſtea ait: *Facit ergo iuſtitiam, id eſt, opus iuſtitiæ, qui habet in ſe iuſtitiam, id eſt, opus gratiæ.* Hæc ille.

Reſp... Dicaſ... hanc ... ritate...

Videtur huic Auctori contigiſſe, quod ſub- 58[5].
inde aliis contingit, qui opinione quâdam præoccupati, hoc quem legunt Auctorem ſentire putant, vel etiam volunt, quod ipſi jam antè verum eſſe judicarunt, ne alioquin ſe tanti Doctoris teſtimonio damnatos eſſe fateantur. Ex quo fit, ut quidquid eò alludat, obtorto collo in ſuæ opinionis ſuffragium rapiant, quidquid abludat, vix eâ, quâ decet attentione & patientiâ ponderent, excutient, cum aliis conferant, ſed velut obſcurius dictum prætereant.

Rejici...

Si enim Dicaſtillo eâ, quâ decet attentione & patientiâ ponderaſſet, excuſſiſſet, cum aliis contuliſſet hæc verba Auguſt. *Quis enim fecit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium? Hoc eſt, per gratiam ſuam ex impio facit iuſtum. Unde ait Apoſtolus: iuſtificati gratìs per gratiam ipſius*, quæ videtur præteriiſſe, cùm nullam illorum faciat mentionem, non potuiſſet ignorare, Auguſtinum ibi locutum fuiſſe in particulari de gratia juſtificante. Cumque non diſtinguat inter adultos & parvulos, neque nos diſtinguamus, & pluris apud nos valeat auctoritas tam Eximii & Sanctiſſimi Præſulis, præcipui propugnatoris gratiæ divinæ, quam infirmæ & penè mortuæ (ut ſic loquar) rationes Vaſquezii.

His ita conſtitutis de effectu primario pœnitentiæ, qui eſt remiſſio peccatorum mortalium; ſequitur explicandus effectus ſecundarius, qui eſt remiſſio peccatotum venialium, ſive in hac vita, ſive poſt hanc vitam. De hoc igitur effectu inſtituitur

SECTIO

SECTIO SEXTA.

De Neceſſitate & efficacia Pœnitentiæ ad remittendum peccatum veniale.

1\. *Multis remediis expiari poſſunt peccata venialia.* MUltis remediis expiari poſſunt peccata venialia, ut diſertis verbis docet Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter, citraq; omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur; quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſq; aliis remediis expiari poſſunt.*

Quæ ſint iſta remedia. Porrò quæ ſint iſta remedia, Concilium nuſpiam meminit: unde factum, ut varii variè ſentiant de hoc puncto: quidam enim etiam per dolorem naturalem putant ea poſſe tolli; alii per quamcumque infuſionem gratiæ, etiamſi non adſit deteſtatio illorum, dummodo non ſit actualis complacentia in illis: nonnulli per quemcumque actum bonum ſupernaturalem; aliqui per quamcumque attritionem: alii è contrario non niſi per contritionem, aut per attritionem, conjunctam cum Sacramento Pœnitentiæ; alii verò etiam per attritionem, & alia Sacramenta. Si autem quæritur, quid ego ſentiam in hac tanta varietate ſententiarum? Dico primò:

CONCLUSIO I.

Peccatum veniale non remittitur in hac vita abſque infuſione gratiæ habitualis, in re, aut ſaltem in jure; adeòque numquam remittitur peccatum veniale exiſtenti in mortali, hoc non remiſſo.

2\. *Intelligitur Concl. de potentia ordinata.* INtelligitur Concluſio de potentia ordinata; nam ſi peccatum mortale de potentia abſoluta poteſt remitti abſque ulla infuſione gratiæ per meram extrinſecam condonationem, ut docuimus Sect. præcedenti concl. 6. multò magis, aut ſaltem æquè peccatum veniale.

Probatur Concl. Sic ergo intellecta Concluſio probatur: quia vel remittitur peccatum veniale in Sacramento; Sacramentum autem confert gratiam non ponentibus obicem, ut omnes Catholici fatentur; vel remittitur peccatum veniale extra Sacramentum, & tunc neceſſariò intervenit aliquis actus meritorius augmenti gratiæ; quod utique augmentum vel ſtatim confertur, quando nimirum actus meritorius eſt ſatis intenſus; vel reſervatur uſque ad inſtans mortis, puta quando actus meritorius eſt remiſſior, ut probabile docet Scotus 4. diſt. 21. q. 1. n. 9. ibi: *Iſtud eſt probabile in aliis; quia cùm quodcumque meritum, mereatur (ut credo) augmentum gratiæ, quia aliquem determinatum gradum gloriæ, ad quem requiritur ut diſpoſitio prævia aliquis gradus gratiæ, & non ſemper Deus poſt quemcumque actum meritorium augeat gratiam proportionatam merito, videtur quòd augmentum debitum meritis remiſſis reſervet uſque ad inſtans mortis.* *Probabile eſt quòd augmentum gratiæ aliquando reſervetur uſque ad inſtans mortis Scoti.*

Tali, inquam, caſu, vel etiam ipſa remiſſio venialium reſervatur uſque ad idem inſtans, ut videtur innuere Scotus ſuprà immediatè ſubſcribens: *Et eodem modo de iſta deletione venialium, quæ eſt quoddam præmium non principale iſtorum meritorum, ſicut & augmentum charitatis in tali vel tali gradu.* Aut ſi peccata ſtatim remittantur, ſaltem non ſine infuſione gratiæ in jure, cùm jam per illud opus meritorium, quantumvis remiſſum, acceperit homo jus ad augmentum gratiæ pro inſtanti mortis.

3\. *Contrarium apparet probabilius.* Interim probabiliùs apparet, ſtatim quocumque opere meritorio, etiam remiſſiori, completo, conferri augmentum gratiæ; idque quia ſubjectum capax eſt, & virtus activa ſufficienter applicata: ſiquidem hoc ipſo quo quis facit actum meritorium, ſufficienter movet voluntatem divinam, quæ ſola eſt cauſa efficiens illius augmenti; neque ex auctoritate, vel ratione oſtendi poteſt evidenter, quòd alia diſpoſitio in nobis requiratur.

4\. *Non obſtat quòd gloria non ſtatim detur.* Nec obſtat, quòd gloria non ſtatim detur; quia hæc repugnat ſtatui viatoris. Deinde illa non eſt nobis promiſſa niſi dependenter à finali perſeverantia, ut colligitur ex Trident. ſeſſ. 6. can. 32. ibi: *Et ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum* &c. nihil autem ſimile ibi vel alibi dicit de augmento gratiæ, ſed ſimpliciter decernit, *Iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius vivum membrum eſt, fiunt, verè mereri augmentum gratiæ.*

Nulla eſt ratio differendi augmentum gratiæ. Adeòque nobis non licèt dicere, illud augmentum ſolùm eſſe promiſſum ſub conditione certæ intenſionis, cùm illa conditio pendeat à ſola divina voluntate (ſuppono tamquam certum merita noſtra non eſſe diſpoſitionem

Digitized by Google

nem phyſicam ad gratiam, ſed purè putè moralem) cujus nullum exſtat indicium neque in Scriptura, neque in Conciliis, nec in SS. Patribus. Si autem abſolutè promiſſum eſt, cur non illico conferatur opere completo? Nulla eſt urgens ratio dilationis.

5. *Fieri poſſet ut eſſet ratio aliqua differendi remiſſionē venialium,*

Cæterùm fieri poſſet, ut eſſet ratio aliqua differendi remiſſionem peccatorum venialium, ſcilicet actualis permanentia in illis. De quo caſu videtur tantùm loqui Doctor Subtilis; nam verbis præallegatis actutùm ſubjungit: *Et hoc eſt rationabile, quia in illo inſtanti* (mortis) *iſte primo fit in ſtatu alio, & præmium meritorum reddi eis impedivit ſtatus viatoris, vel aliquid concomitans ſtatum huiuſmodi.*

puta permanentia actualis in illis. Scotus.

Quæris quid ſit illud concomitans? Reſpondeo, actualis permanentia in peccato veniali. Sic enim ſcribit Scotus ibidem n. 8. *Ad propoſitum, opera iſtius, qui moritur in charitate, etſi poſt mortem non referantur ab ipſo ad veniale, in quo moritur, dimittendum: nec etiam ipſe habeat aliquem actum novum meritorium, per quem deleatur veniale: tamen illa opera priùs facta, poſſunt eſſe à Deo relata ad remiſſionem iſtius venialis poſt mortem. Et hoc iſto modo, quia cauſa impedibilis dum eſt impedita, non ponit effectum, dum verò eſt non impedita, ponit: ſed merita iſtius morientis in charitate eſſent cauſa ſufficiens deletionis venialium iſtius, vel relata ab ipſo, vel à Deo acceptante illa in ordine ad iſtud: ſunt autem impedita dum iſte vivit, ſi ſemper actu manet in peccato veniali: poſt mortem verò non ſunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis; igitur per illa delebuntur venialia poſt hanc vitam.* Sed de his plura, ubi de remiſſione venialium poſt hanc vitam.

6. *Aliqui docent, peccatum veniale remitti in hac vita ſine infuſione gratiæ,*

Impræſentiarùm reſtat probandum, numquam remitti in hac vita peccatum veniale exiſtenti in mortali, hoc non remiſſo, quod nonnulli negant; qui conſequenter aſſerunt, peccatum veniale, de facto remitti in hac vita ſinè infuſione gratiæ. Et probant primò; quia veniale non includit privationem gratiæ, & compatitur cum ipſa: ergo non requiritur ad remiſſionem ipſius infuſio gratiæ. Ita Hiquæus in ſuo Comment. 4. diſtinct. 21. q. 1. n. 50.

& probatur primò.

Hiquæus.

Reſponſio.

Reſpondeo; ex illo Antecedente ad ſummum ſequitur, quòd non requiratur prima gratia juſtificans, neque ſecunda tamquam cauſa formalis, ita ut per ipſam gratiam habitualem, quam Deus infundit, deleatur culpa, & macula relicta ex culpa veniali, ſicuti deletur culpa & macula relicta ex peccato mortali.

Peccatum veniale præter obligationem ad pœnam, relinquit maculam.

Suppono, peccatum veniale præter obligationem ad pœnam relinquere in anima aliquam maculam: *Quia*, ut ait Scotus ſuprà n. 8. *videntur Sancti diſtinguere inter remiſſionem culpæ cuiuſcumque, & pœnæ.* Illam autem maculam, tametſi gratia habitualis non deleat in genere cauſæ formalis, ſeu phyſicæ, ſeu moralis ex ordinatione divina; equidem, ut nobis apparet veriſimilius, deletionem ejus neceſſariò concomitatur, juxta præſens Dei decretum.

Probat ſecundò ſuam opinionem Hiquæus; quia venialia remittuntur per Sacramentalia, neque Eccleſia explicat uſum Sacramentalium eſſe tantùm in juſtis; immo contrarium, ut patet in aſperſione aquæ benedictæ, quæ tam juſtis, quàm peccatoribus communicatur.

Reſpondeo; Eccleſiam quidem permittere uſum Sacramentalium peccatoribus, nullibi tamen docere, hunc uſum ipſis eſſe utilem ad remiſſionem venialium; poteſt quippe aqua benedicta alias habere utilitates, propter quas à peccatoribus uſurpetur. Patet, quia etiam domus, animalia, & aliæ res aquâ benedictâ aſperguntur, in quibus non habet illam utilitatem.

Probat tertiò; ſecundùm communem ſatis ſententiam, remittuntur peccata venialia juſtis poſt mortem in inſtanti ſeparationis, ſed tunc non infunditur aliqua gratia de novo.

Reſpondeo, hoc eſſe per accidens; quia nimirum gratia antea infuſa fuit, non tamen remiſſa peccata venialia propter impedimentum. Adde, probabile eſſe, ut ſuprà docet Scotus, augmentum gratiæ, debitum meritis remiſſis, reſervari uſque ad inſtans mortis.

Probat quartò; opus ſatisfactorium pro pœna temporali, factum à juſto, non meretur ei gratiam, niſi excedat debitam ſatisfactionem, quia in pœnis & præmiis ſervatur juſtitiæ commutativæ proportio & æquitas: ergo quandoque opus juſti bonum non meretur gratiam: ergo ad remiſſionem peccati venialis, etiam in juſto per opus bonum, neque ex conditione operis, neque ex neceſſitate remiſſionis, neque ex ratione ſatisfactionis exigitur gratiæ infuſio.

Reſpondeo primò; ex hac probatione ſequitur, quòd opus ſatisfactorium pro pœna temporali factum à juſto, non mereatur ei remiſſionem peccati venialis, niſi excedat debitam ſatisfactionem, quod non puto facilè Hiquæus admiſerit. Probatur autem Conſequentia; quia alioquin in pœnis & præmiis non ſervatur juſtitiæ commutativæ proportio & æquitas. Ideo

Reſpondeo ſecundò; opus bonum duplicem poteſt habere effectum, unum quà pœnoſum eſt, & eatenus eſt ſatisfactorium; alterum quà eſt opus hominis juſti, & in tantum eſt meritorium. Nonne per ſatisfactionem Sacramentalem impletam in malo ſtatu, ſatisfit obligationi, & obtinetur effectus? Planè in ſententia Doctoris Subtilis, de qua ſuo loco.

An fortè exiſtimas, quòd contritio hominis juſti, quæ & ipſa eſt ſatisfactio pro pœna temporali, careat merito ſuo, niſi deleat totam pœnam, ſeu potiùs niſi excedat debitam ſatisfactionem? Non eſt credibile, cùm

Trident.

Digitized by Google

Trident. ſeſſ. 6. can. 32. generaliter doceat, juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt fiunt, verè mereri augmentum gratiæ. Sed de his plura alibi.

11. [illegible]

Neque valet hoc argumentum; peccator poteſt ſatisfacere pro pœna temporali: ergo etiam pro culpa; negatur quippe Conſequentia; quia, ut ſuperiùs diximus ex Scoto 4. diſt. 15. q. 1. n. 7. *De potentia ordinata Deus non diſpoſuit alicui peccatori dare primam gratiam, niſi in virtute meriti illius, qui erat ſinè peccato ſcilicet Chriſti: quia, ſicut tactum eſt ſuprà, non diſpoſuit ſibi reconciliare inimicum, niſi per obſequium magis gratum, quàm offenſa eius erat ſibi diſplicens: & tale obſequium eius eſt paſſio Chriſti, vel meritum eius, & ſicut non diſpoſuit dare gratiam peccatori ſinè paſſione, ſinè qua gratia nulla poteſt eſſe ſatisfactio* (reconciliativa) *omnino, quia nec æquivalens aliquo modo, nec ſimpliciter, nec in divina acceptatione, ideo multò magis de potentia ordinata non eſt poſſibile ſatisfieri Deo de peccato, niſi in virtute paſſionis Chriſti.*

[illegible] Satisfieri, inquam, pro culpa; imprimis pro mortali, de quâ ibi loquitur Doctor, deinde etiam pro culpa veniali; ſimilis quippe eſt ratio, ut manifeſtè declaratur in illo, qui (juxta Scoti ſententiam, de qua concl. ſequenti) ſatisfacit in inferno pro pœna temporali, debitâ peccato veniali, in hac vita non remiſſo; nam culpa in æternum manet, quoniam damnatus indignus eſt miſericordiâ & reconciliatione per ſanguinem Jeſu Chriſti. [illegible] Idem dico de omni homine exiſtente, & perſeverante in peccato mortali; cùm enim perſeveret inimicus Dei, indignus prorſus eſt reconciliatione, etiam pro leviſſima injuria.

12. [illegible] Ita apertè docet S. Bonaventura 4. diſt. 21. p. 1. a. 1. q. 1. n. 5. *Dicendum*, inquit, *quòd aliquorum poſitio fuit, quòd venialia ſinè gratia gratum faciente deleri poſſint per gratiam gratìs datam. Et rationem huius oſtendere voluerunt pro eo videlicet, quòd veniale peccatum non repugnat gratiæ gratum facienti, ſed gratìs datæ; nec offendit Maieſtatem divinam, quia ibi non diligitur aliquid ſupra Deum, ſed aliquantulum inordinatè ſub Deo; & ideo ſicut mortale poteſt deleri per gratiam, quia ei repugnat, & quia gratia Deo offenſo reconciliat, & quia Deum contemptum, amare facit ſuper omnia, ſic veniale poteſt deleri per gratiam gratìs datam, quæ illam modicam inordinationem removet, & illam occaſionem minus amandi Deum, ab ipſa anima tollit: nec oportet ibi eſſe gratiam elevantem animam ad dilectionem Dei ſuper omnia, quia per veniale nihil amatur ſupra Deum.*

Sed hæc poſitio licet probabilis videatur, à veritate tamen deviat, ſi quis inſpiciat. Omne enim peccatum, eo ipſo quòd peccatum eſt, aliquo modo animam defœdat, & aliquo modo ipſam deordinat, & neceſſe eſt ex hoc, quòd aliquo modo Deo diſpliceat. Quoniam igitur nota diſplicentia minima, quæ eſſe poſſit, ſinè habitu, qui reducit ad complacentiam, & ad amicitiam, auferri non poteſt, tenendum eſt omnino de omni peccato generaliter, quòd nullum omnino poteſt deleri ſinè gratia gratum faciente; ſic enim decrevit nos ſanare divina miſericordia; & hoc dicunt Sancti, & ſonat Scriptura, quæ maximè ponit gratiam eſſe neceſſariam ad delenda peccata. Hucuſque Doctor Seraphicus.

Et pro ſe allegat D. Auguſtinum 21. de Civit. c. 27. ubi docet nec parva, nec magna peccata nobis dimitti, niſi nos dimiſerimus debitoribus noſtris. *Hoc*, inquit D. Bonaventura, *non eſt ob aliud, niſi quia dum homo non dimittit, eſt ſemper in peccato: ergo nullum peccatum poteſt homini dimitti, quamdiu eſt in peccato mortali.* allegans prò ſe D. Aug.

13. Hæc ſunt verba D. Auguſtini: *Verumtamen nec ipſa magna* (peccata) *à quibus omnino, mutatis in melius moribus, recedendum eſt, dimittuntur orantibus, niſi fiat, quod ibi dicitur*: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Si enim minima peccata, ſinè quibus non eſt etiam vita iuſtorum, aliter non remittuntur: quantò magis multis & magnis criminibus involuti, etiamſi ea perpetrare iam deſinant, nullam indulgentiam conſequuntur, ſi ad remittendum aliis, quòd in eos quiſquam peccaverit, inexorabiles fuerint, cùm dicat Dominus: Si autem non dimiſeritis hominibus peccata, neque Pater veſter dimittet vobis.* Referuntur verba D. Aug.

Solet etiam ad hoc propoſitum allegari, quod inculcat Apoſtolus 1. Cor. 13. v. 3. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Prodeſſet autem multùm, ſi homo peccator poſſet ſatisfacere non tantùm pro pœna temporali, ſed etiam pro reatu culpæ venialis, qui ſolus ſufficit ad impediendam, ſeu differendam vitam æternam. Probatur etiam hæc ſententia ex Apoſt. 1. Cor. 13.

14. Objectio. Dices; adhuc prodeſſet multùm, tametſi pro ſola pœna temporali poſſet ſatisfacere: ergo hæc Scriptura vel nihil probat, vel probat contra Scotum, exiſtentem in peccato mortali nequidem pro pœna temporali poſſe ſatisfacere.

Solvitur. Reſpond. neg. Antec. Numquid furi multùm prodeſt, quod ſuſpendatur? Et tamen per ſuſpendium ſatisfacit pro pœna temporali, vel potiùs ſatiſpatitur. Numquid ſolutio centum florenorum multùm prodeſt ſolventi, quia per illam liberatur à debito antea contracto? Nemo ſic loquitur, quoniam non liberatur à debito, niſi per æqualem ſolutionem, & quantum bonum eſt illa liberatio, tantum malum eſt carentia ſuæ pecuniæ: ergo ſimiliter, qui ſolvit pro pœna temporali, quod lege ſtatutum eſt, nihil proficit; quia quantum bonum eſt liberatio à pœna, tantum malum eſt ſolutio æquivalentis.

Quamvis ergo ſtatus peccati mortalis, non tollat poteſtatem ſatisfaciendi pro pœna temporali, tollit tamen ſatisfactionem reconciliativam pro culpa, quoniam hæc reconcilia-

Digitized by Google

tio gratia eſt, & miſericordia per Chriſtum, quam non convenit fieri niſi illi, qui per gratiam habitualem eſt vivum membrum Chriſti.

15. *Sicut mortalia, ita nec venialia peccata remittuntur, niſi gratìs divinâ miſericordiâ.*

Sicut ergo neceſſarium eſt credere, juxta Trident. ſeſſ. 6. c. 9. neque remitti, neque remiſſa fuiſſe umquam peccata mortalia, niſi gratìs divinâ miſericordiâ propter Chriſtum, ita multùm conveniens eſt, & piè credi poteſt, neque remitti, neque umquam remiſſa fuiſſe peccata venialia, niſi gratìs divinâ miſericordiâ propter Chriſtum. Nam de peccatis venialibus ſcriptum eſt 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et continuò attexitur modus remiſſionis: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ergo gratìs fit remiſſio omnium peccatorum tam mortalium, quàm venialium. *1. Ioan. 1.*

Et verò quòd propter Chriſtum, colligitur ex illis, quæ paucis interjectis ſubjiciuntur: *Si quis peccaverit*, inquit Joannes in eadem Epiſt. c. 2. v. 1. & 2. *advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris* &c. Illâ autem propitiatione indigni ſunt, qui voluntariè permanent in ſtatu peccati mortalis, tamquam capitales hoſtes Chriſti, & Dei.

16. *Explicatur D. Aug. de fidelibus juſtis.*

Quapropter quod ait D. Auguſtinus Enchirid. c. 71. *De quotidianis autem brevibus levibuſq; peccatis, ſinè quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit*, intellige de fidelibus juſtis. Nam immediatè ſequitur: *Eorum eſt enim dicere*: Pater noſter qui es in cælis, *qui iam Patri tali regenerati ſunt ex aqua & Spiritu Sancto. Delet omninò hac oratio minima & quotidiana peccata*, ſi cætera adſint, id eſt, ſi ſubjectum eſt debitè diſpoſitum per gratiam juſtificantem. Unde quos hìc vocat *fideles*, ſuperiùs lib 21. de Civit. cap. 27. nominat *iuſtos*, ut ſenſus ſit: De quotidianis autem brevibus, levibuſque peccatis, ſinè quibus etiam vita juſtorum non ducitur, quotidiana eorum oratio ſatisfacit.

Sed numquid hæc oratio tantùm delet minima & quotidiana peccata juſtorum? *Delet & illa*, inquit Auguſtinus ſuprà in Enchir. *à quibus vita fidelium, ſceleratè etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata, diſcedit: ſi quemadmodum veraciter dicitur*, Dimitte nobis debita noſtra, *quoniam non deſunt, quæ dimittantur, ita veraciter dicatur*: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, *id eſt, ſi fiat quod dicitur.* Ergo Auguſtinus hoc loco non favet ſententiæ Hiquæi, ut ipſe perperàm exiſtimat.

17. *Ultimum argumentum Hiquæi.*

Nec quidquam probat ultimum ejus argumentum, quod proponit ſub hac forma verborum: Hæc, inquit, ſententia eſt magìs pia, & commendat divinam juſtitiam & miſericordiam, & contraria retardaret à bono opere ob rigorem, ſi omnia opera peccatorum eſſent mortua quantùm ad effectum ſatisfactionis.

Reſpondeo, neutiquam retardare à bono opere; ſed potiùs excitare ad illa bona opera, quæ ſunt neceſſaria ad remiſſionem peccati mortalis, ut ſic etiam leviorum peccatorum veniam poſſint obtinere. Unde noſtra ſententia nihil derogat vel iuſtitiæ, vel miſericordiæ divinæ, qui enim non curat deletionem peccati mortalis, parùm erit ſolicitus pro delendis venialibus; neque congruit, ut leviores offenſæ remittantur illi, qui non curat de remiſſione graviorum: illa ſiquidem incuria reddit ipſum minùs dignum tali remiſſione. Ex his ſequitur *Solvitur.*

CONCLUSIO II.

Quamvis in inferno pœna, debita peccato veniali non remiſſo, poſſit finiri, macula tamen ſemper permanet.

Suppono, utì ſuppoſui præcedenti Concluſione, peccatum veniale, præter reatum ſeu obligationem ad pœnam, relinquere poſt ſe maculam habitualem; quod à poſteriori ſatìs manifeſtè colligitur ex univerſali praxi Eccleſiæ, quæ imponit Pœnitentiam Sacramentalem pro ſolis venialibus confeſſis, & per abſolutionem quoad culpam remiſſis. 18. *Peccatum veniale relinquit maculam probatur à praxi Eccleſiæ.*

Ratio à priori eſt; quia peccatum veniale eſt vera & realis offenſa Dei, juxta illud Jacobi Apoſtoli cap. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Sicut ergo peccatum mortale, quia gravis offenſa, relinquit poſt ſe maculam habitualem gravem; pari utique ratione peccatum veniale: quia levis offenſa, relinquit poſt ſe maculam habitualem levem. Utrumque ergo diſplicet Deo, quia per utrumque violatur lex Dei, adeòque eſt virtualis quidam contemptus Dei, qui non poteſt ei non verè & realiter diſplicere, licèt inæqualiter. *Ratio à priori. Iac. 3.*

Suppono præterea, moraliter non contingere, ut damnatus præter peccatum mortale actuale, quod eſt cauſa damnationis, non habeat aliquod peccatum veniale non remiſſum quoad culpam, aut, ſi omnia remiſſa ſint quoad culpam, pro quo non reſtat perſolvenda aliqua pœna.

His ſuppoſitis, quæſtio multùm diſputata inter Doctores Catholicos eſt, an pœna, correſpondens illi peccato, in inferno ſit æterna, an verò temporalis, ita quòd aliquando accipiat finem. 19. *Peccato veniali non reſpondet niſi pœna temporalis etiam in inferno ex Scoto.*

Et quamvis Doctor Angelicus 1. 2. q. 87. a. 5.

Digitized by Google

a. 5. ad 3. cum Doctore Seraphico 4. diſt. 21. p. 1. a. 1. q. 1. n. 10. aſſerat, pœnam iſtam per accidens eſſe æternam; nihilominus Doctori Subtili placuit opinio, quam ejus verbis hîc ſubjicio: *Dico ergo, quòd peccato veniali, ſive hîc puniendo, ſive in inferno, ſive alibi, non debetur niſi pœna temporalis nec per ſe, nec per accidens.* Ratio- Ratio.
nem ſubjungit: *Quia ſecundùm ſe eſt talis offenſa, quæ ſecundùm ſe punitur per temporalem ſufficientem.*

20. Occurrit objectioni. Et occurrens objectioni, quæ poſſet fieri ab inconvenienti. *Nec*, inquit, *eſt inconveniens pœnam debitam veniali, habere terminum in inferno: quia & verè pœnitens primò* (de peccato mortali in Sacramento Pœnitentiæ) *& partem Pœnitentiæ impoſita explens, & ante totam expletam recidivans in mortale, & in illo mortali decedens, pro parte Pœnitentiæ reſiduâ explendâ ſolvet pœnam in inferno, ſed non niſi temporalem; quia ex quo in remiſſione peccatorum priori, commutabatur debitum pœnæ æternæ in debitum pœnæ temporalis, numquam iſte eſt debitor pro illis* (peccatis) *niſi pœnæ temporalis, & per conſequens pœnâ totali ſolutâ, erit liber ab iſtis. Non tamen in inferno eſt redemptio illius, ſcilicet peccati, pro quo iſte eſt damnatus; quia pro illo debitum pœnæ æternæ, numquam fuit commutatum in debitum pœnæ temporalis: & ideo ſemper manet illud debitum, ſi numquam poteſt eſſe illa pœna tota ſoluta.* Hæc Scotus de præſenti controverſia 4. diſtinct. 21. q. 1. n. 6. verè, an falsò, reſtat examinandum.

21. Conveniunt Doct. Ang. Seraph. & Subtil. quòd peccato veniali per ſe non debetur, niſi pœna temporalis. Fatetur Doctor Angelicus, quòd æternitas pœnæ non reſpondet quantitati culpæ venialis, ſed irremiſſibilitati ipſius. Conſentit Doctor Seraphicus, quòd ratione adjuncti pœna illa erit æterna, non ratione ipſius culpæ venialis: ergo conveniunt cum Doctore Subtili in eo, quòd peccato veniali in inferno non debetur niſi pœna temporalis per ſe.

Quod per accidens puniatur pœnâ æterna, non intelligit Doct. Subt. Quòd autem per accidens, ſive propter conjunctionem cum peccato mortali, vel propter irremiſſibilitatem ipſius, puniatur pœnâ æternâ, *Hoc*, inquit Scotus ſuprà n. 5. *non intelligo; quia Deus ſemper punit citra condignum. Et eſtò quòd ſimpliciter ſecundùm rigorem puniret uſque ad condignum, omnino injuſtum eſſet pœnam æternam infligere pro illo, cui ſecundùm ſe debetur pœna temporalis, quantumcumque enim conjungatur alteri, hoc non facit iſtud in infinitum exire iſtud genus culpæ: ergo nec juſtè correſpondet ſibi pœna in infinitum excedens.*

22. Non conſtat de voluntate Dei puniendi peccatum veniale in inferno pœnâ æternâ. Quidquid ſit an Deus poſſet abſolutè punire peccatum veniale pœnâ æternâ, quod ibi videtur negaſſe Doctor Subtilis; ſaltem de actuali voluntate puniendi, ſive per ſe, ſive per accidens, ex quo conſtat? Nam ſi affirmare (ut non ſemel antea dixi) eſt probare, negare eſt reprobare; maximè in his, quæ pendent à libera voluntate Dei, uti eſt punire peccatum veniale in inferno pœnâ æternâ, ſuppoſito quòd poſſit ipſum punire pœnâ æternâ. Non enim exiſtimo, Doctores illos Eximios voluiſſe Dei potentiam ita coarctare, ut velit nolit debeat infligere pœnam æternam.

Ex qua ergo ratione, vel auctoritate probatur, Deum voluiſſe infligere pœnam æternam? Sanè dignitas pœnæ non creſcit ex conditione perſonæ, niſi quando illa conditio aggravat ipſum peccatum; jam autem peccatum hominis peccatoris non eſt majoris malitiæ, quàm peccatum hominis juſti; immo potiùs vice verſâ. Ergo veniale in homine peccatore non debet graviùs puniri, quàm in homine juſto. Peccatum hominis peccatoris non eſt majoris malitiæ quàm hominis juſti.

Planè, inquit aliquis, quamdiu homo peccator eſt in hac vita; ſecùs quando eſt in inferno, non quaſi ex damnatione peccatum veniale contrahat majorem malitiam intenſivè; undè etiam non punitur majori pœnâ quoad intenſionem, ſed quoniam ex ſtatu damnationis contrahit majorem malitiam extenſivam, ſeu quoad extenſionem; nam ſecundùm Concluſionem, macula peccati venialis in inferno numquam remittitur, ſed permanet in æternum: quid ergo miramur, ſi etiam pœna creſcat quoad extenſionem, & maneat in æternum? 23. Macula peccati venialis in inferno numquam remittitur.

Æternitas pœnæ (inquit Doctor Angelicus ſuprà) *non reſpondet quantitati culpæ, ſed irremiſſibilitati ipſius.* Irremiſſibile autem eſſe, ſignificat Eccleſia, ubi cantat: *In inferno nulla eſt redemptio.* Eſſet autem redemptio, ſi culpa ibi remitteretur, immo tametſi ſola pœna finiretur. Et Concluſione præcedenti oſtenſum fuit, peccatum veniale non remitti, exiſtenti in peccato mortali, hoc non remiſſo. Conſtat autem peccatum mortale in inferno non remitti. Doct. Angel.

His accedit, quòd Doctor Subtilis, æternitatem pœnæ, debitæ peccato mortali in inferno, refundat in æternam permanentiam culpæ, 4. diſt. 46. q. 4. n. 20. ibi: *Alius eſt modus dicendi, qui videtur eſſe Auguſtini 21. de Civit. c. 11. ubi videtur dicere, quòd non requirit juſtitia pœnam infligi perpetuam, ad hoc ut ſit ſufficiens culpa, ſed ideo eſt perpetua, quia perſona perpetua, & perpetuò manet in culpa. Ait enim:* Quod eſt de iſta civitate mortali, homines ſupplicio primæ mortis, hoc eſt de illa civitate immortali, homines ſupplicio ſecundæ mortis, auferre. *Et paulò antè de pœnis quibuſdam in iſta civitate inflictis.* Nonne, *inquit*, pro hujus vitæ modo, ſimilia videntur pœnis æternis? Ideo quippe æterna eſſe non poſſunt, quia nec ipſa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum. *Vult dicere, quòd aliqua culpa talis eſt, quæ non meretur totalem excluſionem à civitate, & hæc eſt temporalis. Reſpectu autem vitæ civilis aliqua tanta eſt, quæ meretur totalem excluſionem ab illa vita civili, & illius intenſio correſpondet culpæ. Extenſio autem accidit, ſcilicet quòd ſit finita, quia vita finita: ſic in propoſito, culpa mortalis meretur totalem excluſionem ab illa civitate ſuperna; ſed ideo præcisè perpetua eſt, quia vita cum culpa eſt perpetua.* 24. Scotus æternitatem pœnæ debitæ peccato mortali refundit in permanentiam culpæ. Probat auctoritate D. Aug.

Digitized by Google

25. & S. Fulgentii s

Similiter loquitur 4. diſt. 5. q. 6. in fine: *Ideo*; inquit, *pœna durat, quia peccatum in eis durat*; unde dicit (Fulgentius de Fide ad Petrum) *Permanente in eis iniuſtæ affectionis malo, permanet in eis iuſta retributionis damnatio.* Ita legit Scotus.

Textus genuinus ſic habet: *Pars itaque Angelorum, quæ à ſuo Creatore Deo, quo ſolo bono beata fuit, voluntariâ prorsùs averſione diſceſſit, æquitatis ſupernæ iudicio, initium ſuæ damnationis in ipſa averſione voluntatis invênit: ut non aliud eſſet incipere iam puniri, quàm illius beatifici boni dilectione deſtitui: quam Deus in æterno ſic totam præcepit remanere ſupplicio, ut etiam ignem ei æternum præpararet: in quo omnes illi prævaricatores Angeli nec malâ poſſint umquam voluntate carere, nec pœnâ, ſed permanente in eis iniuſtæ averſionis malo, permanet etiam iuſta retributionis æterna damnatio.*

eſtque præcipuum argumentum pro ſententia oppoſita Concluſ.

Ecce præcipuum argumentum pro ſententia Doctoris Angelici, & Doctoris Seraphici, ad quod proinde oportet reſpondere, ſi fortè alicui magis placeat opinio Doctoris Subtilis.

26. Reſpondetur primò, quòd peccatum veniale ſecundùm aliquam ſententiam non ſit irremiſſibile in inferno.

Reſpondeo itaque dupliciter; uno modo, quòd peccatum veniale non ſit irremiſſibile in inferno, ex hypotheſi, *Quòd*, ſicut ait Scotus 4. diſt. 21. q. 1. n. 7. *nihil aliud eſt culpæ venialis remiſſio, quàm ſolutio pœnæ temporalis debitæ pro ea.* Indubiè enim pœna illa temporalis ſolvi poteſt in inferno, æquè ac in purgatorio. Sicut ergo ſolutâ pœnâ temporali in purgatorio pro iſto veniali, ex hoc ipſo culpa venialis remiſſa eſt, pari jure remiſſa erit, ſolutâ illâ pœnâ temporali in inferno.

Quomodo intelligendum quòd in inferno nulla ſit redemptio.

Si inferas: ergo in inferno eſt aliqua redemptio. Reſpondeo, ab ipſo inferno, aut ab aliquo peccato, quod meretur infernum, aut ab ulla pœna propriè infernali, id eſt, quæ debet perſolvi in inferno, nego Conſequentiam. Et ſic procul dubiò debet intelligi ille communis cantus Eccleſiæ, *In inferno nulla eſt redemptio*; non autem de redemptione ab aliquo peccato, quod non meretur infernum, vel ab aliqua pœna non infernali, id eſt, quæ alibi poteſt perſolvi, quàm in inferno.

27. Secunda reſponſio.

Interim *quia videntur Sancti diſtinguere inter remiſſionem culpæ cuiuſcumque, & pœnæ, & maximè inter remiſſionem culpæ & ſolutionem pœnæ debitæ illi culpæ*, ut ait Scotus ſuprà n. 8. & quia remiſſio culpæ cujuſcumque, diſtinctæ à pœna, ſeu à ſolutione pœnæ debitæ illi culpæ, videtur fieri gratis, divinâ miſericordiâ propter Chriſtum, ut patet ex Concluſione præcedenti, quâ miſericordiâ damnati indigni meritò reputantur; hinc poteſt dici alio modo, quòd permanente culpâ veniali in æternum, pœna debita pro illa culpa finiatur; quia nimirum culpa venialis, etiam in æternum manens, non meretur niſi pœnam temporalem; cùm tamen peccatum mortale, etiam non manens in æternum, mereatur pœnam æternam.

Culpa venialis, etiam in æternum manens, non meretur niſi pœnam temporalem.

Diſt pecc mo ven

Patet hoc; quia peccatum mortale non diſtinguitur à peccato veniali, per æternam, vel temporalem durationem, per æternam, vel temporalem pœnam de præſenti inflictam; nam multa peccata mortalia in hoc ſæculo remittuntur tam quoad culpam, quàm quoad pœnam æternam; ſed in eo diſtinguuntur, quòd peccatum mortale hoc ipſo quo exiſtit, etſi per unicum inſtans, reddat hominem obnoxium pœnæ æternæ, ſi in peccato decedat; peccatum autem veniale, tametſi etiam in æternum duret, ſolùm reddat hominem obnoxium pœnæ temporali. Alioquin quæ erit quoad hoc diſtinctio peccati mortalis, à peccato veniali in inferno?

Qui pecc pun. næ per quid acci

Quòd unum, inquis, puniatur pœnâ æternâ per ſe, aliud per accidens. Sed contrà, quid eſt peccatum puniri pœnâ æternâ per ſe, & quid puniri pœnâ æternâ per accidens? Puniri, inquis, per accidens, eſt puniri, non ratione quantitatis culpæ, ſed ratione irremiſſibilitatis; per ſe autem puniri pœnâ æternâ, eſt puniri ratione quantitatis culpæ. Rectè: ergo non ideo præciſè peccatum mortale punitur pœnâ æternâ, quia in æternum durat; nam hoc etiam competit peccato veniali, ut fateris: ergo independenter ab æterna duratione, peccatum mortale dignum eſt pœnâ æternâ.

2 Expl doct. Scoti

Proinde dum Scotus ſuprà dicit: *Ideo pœna durat, quia peccatum in eis durat: Ideo præciſè perpetua eſt, quia vita cum culpa eſt perpetua*; non excludit quantitatem culpæ, ſed illâ ſuppoſitâ, aſſignat rationem, quare impræſentiarum pœna æterna infligatur, quæ non fuiſſet inflicta, ſi ante mortem peccatum quoad culpam & pœnam fuiſſet remiſſum, ſicut poterat remitti, ut ſenſus illorum verborum ſit: Ideo pœna in damnatis durat, quia peccatum, quod ex ordinatione divina meretur pœnam æternam, in eis durat; ideo præciſè pœna damnatorum perpetua eſt, quia vita cum culpa, quæ ex lege Dei meretur pœnam perpetuam, eſt perpetua. Ergo pœna debita peccato veniali in inferno durat, quia peccatum in eis durat; neg. Conſeq.

Ratio paritatis inter catum niale rans, mort rans.

Ratio diſparitatis patet, quia peccatum veniale durans, ex lege Dei non meretur pœnam æternam, quemadmodum peccatum mortale durans. Vel aſſignetur aliqua lex, quâ Deus ſtatuit peccatum veniale punire temporaliter in purgatorio, æternaliter autem in inferno.

2 Objeć

Dices; dignitas pœnæ eſt paſſio inſeparabilis ab eſſentia peccati: ergo ſi peccatum perſeverat, etiam dignitas pœnæ: ergo & ipſa pœna.

Prima ſponſi. In bus ſi manet ſentia paſſion

Reſp. I. eſt petitio principii; cùm enim ſæpiùs in moralibus maneat eſſentia ſinè paſſione, v. g. eſſentia Matrimonii ſine jure ad copulam conjugalem, ſi dignitas ad pœnam ſolùm eſt paſſio, unde conſtat tibi, eſſe paſſionem inſeparabilem? Et quare non magis aſſeris, illam ſeparari per ſolutionem pœnæ con-

Digitized by Google

conſtitutæ, id eſt, pœnæ temporalis, ſicuti tollitur jus ad copulam conjugalem per votum, per adulterium &c? Neque enim dignitas pœnæ æternæ eſt paſſio peccati venialis, ſed dignitas pœnæ temporalis.

Et verò ſi paſſio poſſit manere ſinè eſſentia, id eſt, ſi culpa poſſit remitti, & manere dignitas ſeu obligatio ad pœnam temporalem, cur non potiùs, aut ſaltem æquè, poſſit manere eſſentia ſinè paſſione, id eſt, remitti ſeu potiùs ſolvi pœna, manente culpâ?

Sed eſtò, maneat per totam æternitatem in illo peccato dignitas ad pœnam; equidem non ad novam ſeu durantem pro tota æternitate, ſed tantummodo pro eo inſtanti, vel tempore, quo reus eam ſuſtinuit. Sic hæc propoſitio: *Petrus currit in inſtanti A.* ſemper enuntiat illum curſum quamdiu durat, etiam in inſtanti *B.* non tamen pro inſtanti *B.* ſed pro inſtanti *A.*

31. Arguis rurſum: damnatus non tantùm permanet in peccato veniali præterito, ſed de novo complacet ſibi in illo; adeòque continuè actualiter peccat, quidni igitur novam mereatur pœnam?

Antequam reſpondeo ad hanc objectionem, exſcribo, quod ſcripſit Scotus 4. diſt. 46. q. 4. n. 7. *Prima quidem pœna non eſt inflicta, nec poſſet juſtè infligi* (à Deo, ut cauſa poſitiva) *cùm ſit formaliter culpa, ſed eſt pœna derelicta, ſicut dicit Auguſtinus ſuper Pſalmum 5. v. 4.* Cùm punit Deus peccatores, malum ſuum non infert, ſed ſuis malis malos relinquit. *Quod intelligo de illa prima pœna, quæ eſt culpa derelicta, ſive non remiſſa, vel deſertio peccatoris in tali culpa, & hoc, ſicut dictum eſt eſſe à Deo in articulo præcedente* (putut cauſâ negativâ, ſcilicet non remittente) *ſic eſt juſtè ab ipſo; juſtè enim derelinquit, vel non remittit: ſive quia voluntas voluntariè continuè malè vult, ſive quia uſque ad terminum viæ permanſit in peccato ſinè Pœnitentia, quod tamen tempus erat ſibi præcisè taxatum ad pœnitendum; ſive tertiò, quia peccavit in via, ubi demeruit ſic derelinqui.*

Juſtum eſt quidem illum qui continuat malitiam, à malitia per alium non liberari; nec hoc ſolum, ſed qui potuit malitiam derelinquere, & adhuc habuit tempus præciſum ſibi taxatum, nec in tempore illo corrigitur, ſed perſeverat in malo; juſtum eſt ut tempore illo elapſo deſeratur illi malo. Tertiò etiam, *de quo minùs videtur, ſi quis per culpam ſuam ſe præcipitat in impotentiam evadendi non ſolum à ſe, ſed etiam à quocumque, niſi ab illo, quem tunc offendit; juſtè poteſt deſeri in iſta impotentia; ſicut ſi quis ſe voluntariè projiceret in foveam, de qua non poſſet per ſe evadere, nec aliquo modo, niſi per adjutorium alterius, quem contemnit & offendit in projiciendo ſe, juſtè poteſt in illa fovea derelinqui.*

32. *Hæc tria ad propoſitum ſatis patent, quia & damnatus continuè eſt in aliquo malo velle, ut videtur probabiliter, & uſque ad terminum viæ permanſit impœnitens, & in via offendit labendo in peccato, de quo non poteſt evadere per ſe, niſi tantummodo diſponendo ſe meritoriè de congruo, & hoc pro ſtatu viæ, quem totum ſinè tali merito infructuosè pertranſit.* Huc uſque Scotus de hominibus damnatis.

Et quamvis 2. diſt. 7. q. 1. n. 24. putet, primò, Angelos malos non habere neceſſariò ullum actum malum contrariè; quia poſſunt non apponere circumſtantiam poſitivè deformantem actum. Secundò, non eſſe improbabile, poſſe eos habere actum completè bonum moraliter; equidem probabile etiam exſtimat, quòd non exeant in actum hujus potentiæ, propter vehementem malitiam.

Hoc, inquit, *videtur probabile, quòd actum bonum ex genere poteſt habere, hoc eſt ſiſtendo ibi, non deformando per circumſtantias contrarias circumſtantiis bonæ volitionis; vel ſi habeat illum actum circumſtantionatum quibuſdam bonis, & deordinatum quibuſdam malis; non tamen oportet, quòd ille ſit ſemper malus. Mirum enim videtur, negare potentiam naturalem in natura illa excellente, ubi non apparet aliquid, propter quod ſit neganda: probabile eſt tamen, quòd ſecundùm hanc potentiam non exeant in actum, propter vehementem malitiam, ſecundùm quam magis probabile eſt, quòd agunt, quàm ſecundùm poteſtatem naturalem: ſecundùm quam poſſent in actus aliquo modo oppoſitos.* 33. Poteſt habere actum bonum ex genere.

Nunc ad objectionem dico, non conſtare de iſta nova complacentia in peccato veniali præterito. Et dato, quòd continuè complaceret ſibi in peccatis venialibus præteritis (quod moraliter videtur impoſſibile, maximè ſi ſint multa peccata; quoniam intellectus & voluntas non poteſt in illis pœnis ita ad illa attendere) numquid indè bene infertur: ergo continuè meretur novam pœnam? Nequaquam; quippe ſolius viatoris eſt mereri, & demereri; ut in terminis docet Scotus 2. diſt. 7. q. 1. n. 28. ubi ſic ait: 34. Non conſtat quòd damnatus continuè de novo complaceat ſibi in peccatis venialibus præteritis.

Per idem ad illud de pœna: quia ſicut præmium ſubſtantiale in primo inſtanti, in quo aliquis Angelus eſt beatus, eſt determinatum: nec ex tunc creſcit, quia actus boni, qui ſequuntur, non ſunt meritorii, licèt ſint boni, ita etiam in Angelo damnato, in primo inſtanti ſuæ damnationis determinatur ad certam pœnam, quæ non creſcit intenſivè; nec tamen erunt mali actus ejus, quos elicit, impuniti; ſicut nec boni Angeli boni actus erunt irremunerati; illi quidem boni actus includuntur in primo actu, quia procedunt ex perfectione actûs beatifici; ſed quantùm ad accidentale præmium, quod poſſunt habere, quilibet actus eſt ſibi præmium; ita etiam iſti mali actus, quos elicit damnatus, includuntur in prima pœna, ſibi certitudinaliter determinata, & quilibet, ſicut poſſet habere pœnam accidentalem & propriam, habet ſeipſum pro pœna: Juſſiſti Domine (*inquit Auguſt. lib. Confeſſ.*) & ita eſt ut ſit ſibi pœna omnis peccator (Textus genuinus: *Juſſiſti & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus* lib. 1. Confeſſ. c. 12.) *Potiſſima enim & maxima pœna eſt privatio maximi boni; qualis eſt formaliter in actu malo*

35. Pœna damnati non creſcit, ſicut nec gloria beati intenſivè loquendo. Scotus.

Nec tamen erunt mali actus impuniti, nec boni irremunerati.

S. Aug.

Maxima pœna eſt privatio maximi boni.

Digitized by Google

malo, malitia culpæ peccatorem avertente à Deo (loquitur de actu mortali) *Creſcet ergo pœna eorum in infinitum extenſivè, ſicut & malitia, & neutrum intenſivè.*

Et ſi obiicias, quòd ſecundum malum eſt actus demeritorius; ergo correſpondet ſibi propria pœna. Reſpondeo, etſi concedi poßit eſſe culpa, non tamen propriè demeritoria; quia non elicitur à viatore, cuius ſolius eſt mereri, & demereri, qui magìs propriè poteſt dici eſſe actus damnatorius ſive damnati: ſicut ex alia parte actus beati, licèt ſit acceptabilis Deo, non tamen propriè eſt meritorius, ſed magìs actus beatificus vel actus beati, vel ex beatitudine procedens. Hucuſque Scotus.

Solius viatoris eſt mereri & demereri.

36. **Vnde damnatus per complacentiam in peccatis præteritis non meretur novā pœnam.**

Eſtò itaque damnatus continuè peccet, non tantùm mortaliter, ſed etiam venialiter per complacentiam in peccatis venialibus præteritis; dico per hanc complacentiam non mereri novam aliquam pœnam, ſed, ſi ita velis, hæc complacentia ſeipſam habet pro pœna, & illa pœna eſt æterna, ſi peccatum eſt æternum; verùm de tali pœna non loquitur Concluſio, ſed de pœna diſtincta ab ipſo peccato, quæ in primo inſtanti, in quo aliquis venialiter peccavit in via, fuit determinata ad certum aliquod tempus; adeoque creſcere non poteſt, nequidem extenſivè, per actus in ſtatu damnationis; cùm iſti, quamvis mali, tamen non ſint demeritorii.

Aliud eſt de pœna peccati mortalis, quæ quidem in primo inſtanti determinata fuit ad certam intenſionem, & ideo quoad illam non creſcit per peccata ſubſequentia in ſtatu damnationis; numquam tamen determinata fuit ad certam extenſionem, ſed à primo inſtanti fuit æterna, & ideo non mirum ſi creſcat in infinitum extenſivè, ſicut & malitia.

37. **In inferno nulla eſt ſatisfactio reconciliativa.**

Fateor, in inferno nulla eſt ſatisfactio reconciliativa, quâ recipiatur offendens in gratiam offenſi; illa enim eſt actus miſericordiæ in Deo, & ſpecialis favor, quo damnatus eſt indignus; interim negare non poſſumus, ſatisfactionem vindicativam, ut ſic loquar, ſeu meliùs ſatiſpaſſionem ſecundùm leges juſtitiæ, in quâ non intervenit ulla miſericordia (quæ ſubvenit indigentiæ, excludens omne debitum ejus, cui ſubvenitur) ſed ſpectatur æqualitas rei ad rem, ſolutionis ad debitum; & hæc juſtitia poteſt ſervari in inferno, & de facto ſervatur, dum pœnæ diſtribuuntur ſecundùm æqualitatem peccatorum; jam autem peccato veniali ſolùm eſt ſtatuta ex lege Dei pœna temporalis: illâ ergo perſolutâ, ſatisfit juſtitiæ divinæ; adeoque debitum pœnæ ſolvitur ſecluſo omni actu miſericordiæ.

38. **Obiectio ſolvitur.**

Nec valet dicere; executio pœnæ diſplicet damnato, & patitur contra ſuam voluntatem: ergo non ſatisfit juſtitiæ divinæ. Negatur enim Conſeq. Nonne legi humanæ, quâ præcipitur abſciſſio manûs pro furto, plenè ſatisfit per abſciſſionem, tametſi executio furi diſpliceat, & fur adhuc ſibi complaceat in furto præterito? Ergo ſimiliter ſatisfiet legi divinæ, quâ præcipitur pœna ignis v. g. unius anni pro peccato veniali, v. g. mendacii, tametſi damnato diſpliceat ejus executio, & adhuc ſibi complaceat in peccato præterito, pro quo patitur.

Enimverò ſatispaſſio ordinatur, tum ad deterrendum reum, & alios à ſimili culpa, tum ut dolore, quem tolerat reus, puniatur ejus iniquitas, & habeat tantum doloris, quantum habuit voluptatis, juxta illud Apoc. 18. v. 7. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Ad hunc autem finem non requiritur voluntaria acceptatio, ut patet; immo involuntaria magìs videtur conducere; quidni ergo ſufficiat ad ſatispaſſionem? Nonne damnati ſatispatiuntur pro peccatis mortalibus, quantum divina juſtitia decrevit, tametſi involuntarii?

Qui... nis... ſion...

Ap...

Dices: Deus potuit impoſuiſſe pœnam temporalem eâ conditione, quòd amicabiliter acceptaretur; & videtur ſic impoſuiſſe, quandoquidem dolores à Deo immiſſi in hac vita, ſi non tolerentur voluntariè, non ſint ſatiſpaſſiones.

An... qui... ſati... nen... tarii...

Reſpondeo; de ratione pœnæ aliquibus videtur eſſe, quòd ſit involuntaria; adeò ut propterea negent, unum peccatum poſſe eſſe pœnam alterius. Et quamvis ſecundùm nos poſſit eſſe voluntaria, quin immo ad delctionem peccati regulariter debeat pœna vel punitio eſſe voluntaria, ut docet Scotus 4. diſt. 14. q. 1. n. 10. dicens: *De re eſt iſta Concluſio, quòd ad delctionem peccati regulariter requiritur pœna vel punitio voluntaria*; interim Deum pœnam voluntariam impoſuiſſe, & requiſiviſſe ad ſatispaſſionem pro peccato veniali, unde probatur?

Fateor, in purgatorio animæ voluntariè ſuſtinent illas pœnas, hoc tamen non convincit neceſſitatem, quaſi aliàs non ſatispaterentur; ſed hoc ideo fit, quia cùm ſint confirmatæ in gratia, nequeunt reſiſtere juſtiſſimæ Dei voluntati, illas pœnas infligenti.

Req... non... prob... ſive... nis... rum... gato...

Quantùm ad dolores à Deo immiſſos in hac vita, reſpondetur primò, quòd illæ non ſint pœnæ peccatorum actualium, ſed peccati originalis, quos Deus infligit, ut homo abſtineat à peccatis actualibus, vel ob alias cauſas. Secundò, illi dolores ſecundùm ſe non ſunt pœna proportionata, cùm non habeant proportionem cum pœnis infernalibus; adeoque niſi accedat aliqua ſupernaturalis acceptatio, & ratione illius aliqua dignitas major, quàm ex ſeipſis habeant, non poſſunt eſſe ſatisfactio, aut ſatiſpaſſio.

ſive... lori... Deo... ſis i... vita...

Hinc Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *Neque ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hac Pœnitentiæ opera homines cum*

4... Ope... facto... jus v... bent...

vero

Digitized by Google

[illegible] *dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd,* [illegible] *ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis* [illegible] *ſufficientia eſt, conformes efficimur.* Quis autem dubitet, Chriſtum Jeſum amicabiliter [illegible] pœnas, ſibi à Judæis inflictas?

Deinde c. 8. *Docet, tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod* [illegible] *amoris argumentum eſt, temporalibus* [illegible] *à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.*

[illegible] contrarium errorem damnat can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis* [illegible] *inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote* [illegible] *; ſed neque ſponte ſuſceptis, ut ieiuniis, orationibus &c. anathema ſit.* Numquid aliquid ſimile docet de pœnis inferni, aut purga-[illegible]

[illegible] etiam dici poſſet, illa mala à Deo [illegible], & impatienter tolerata in hac vita, [illegible]cientem ſatispaſſionem, dummodo à [illegible] illum finem immittantur. Interim cùm [illegible] quamdiu hìc vivit, ſit in ſtatu merendi [illegible] debeat ſatisfacere, ſaltem per voluntariam acceptationem? Poſt banc vitam au[illegible] jam ſit extra ſtatum merendi, ſuffi[illegible]ſſio, ut patet in animabus exiſtentibus [illegible] Purgatorio, quarum pœnæ non minuuntur per voluntariam earum acceptationem [illegible] uſque ad noviſſimum quadrantem [illegible] pœnam, debitam ex lege divina, niſi [illegible] vivorum juventur.

[illegible]oniam juvari poſſunt, hinc orationes [illegible], & alia ſuffragia pro hujuſmodi ani[illegible] pro damnatis autem nullæ orationes, [illegible] ſuffragia, quoniam his juvari non poſſunt, ſed oportet ipſos ſatiſpati, & ſolvere [illegible], ex lege Dei conſtitutam, uſque ad [illegible]um quadrantem. Quâ utique ſolutio[illegible]tâ, per ſe abſque interventu alicujus [illegible] aut miſericordiæ, ceſſat pœna, ut pro[illegible]tio illa non mereatur nomen redemptionis, quod videtur ſonare aliquem favorem [illegible]. Et quamvis fortè talis favor virtute meritorum Chriſti intervenerit in taxatione pœnæ, equidem in ſolutione pœnæ ta[illegible] nullum agnoſcimus.

[illegible] inferas: ergo damnati ſunt capaces alicujus refrigerii & mitigationis pœnarum. Reſpondeo ut priùs, alicujus refrigerii & mitigationis ex aliqua gratia, ſic ut aliquando mitiùs [illegible] agatur, quàm alioquin digni eſſent, [illegible] Conſequentiam; alicujus refrigerii & mitigationis, id eſt, ceſſationis pœnæ temporalis poſt ſatispaſſionem ſecundùm rigorem [illegible] vindicativæ, concedo totum; quamquam hæc ceſſatio non mereatur nomen mitigationis, ut ſuprà dixi de nomine redemptionis. Putas enim, quòd damnatus ad perpetuos carceres, & ducenta verbera ſuſtinenda, diceretur propriè accipere mitigationem pœnarum, ex eo quòd acceptis verberibus per ſententiam decretis, ulteriùs non vapularet? Nemo ſic loquitur.

Nullum igitur eſt inconveniens, quòd ſicuti accidentalis gloria Sanctorum augetur uſque ad diem judicii, ſic etiam quantùm ad aliquid accidentale, pœnæ inferni minuantur, non tantùm uſque ad diem judicii, ſed etiam poſt diem judicii; immo niſi minuerentur, contingeret aliquem longè graviùs in inferno æternaliter puniri propter venialia, quàm propter mortale; v. g. ſi habeat decem venialia, quæ merentur pœnam temporalem ut decem, & unum mortale, quod meretur pœnam æternam ut decem. Si enim pœna illa temporalis non minueretur, ſed fieret in damnatis æterna, talis puniretur ob ſua venialia æternaliter ad centum, & ob mortale tantùm ad decem; cùm tamen venialia quantumvis multa, non poſſint in ratione demeriti, adeóque nec in ratione ſupplicii, adæquari uni mortali. 44. Non eſt inconveniens quòd quantum ad aliquid accidentale pœnæ inferni minuantur.

Finio cum verbis Eccleſiaſtici cap. 34. v. 23. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum; nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Conſimiliter dico ego, pœnas damnatorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in pœnas damnatorum; nec in multitudine pœnarum eorum propitiabitur peccatis: id eſt, pœnas damnatorum non probat Altiſſimus ad ſatisfactionem reconciliativam; ſecùs ad ſatisfactionem rigoroſam, quæ eſt purus effectus legis vindicativæ, & potiùs meretur nomen ſatispaſſionis, quàm ſatisfactionis. Hâc ergo ſatispaſſione relictâ in inferno (à qua nos cuſtodire dignetur Altiſſimus) amplectamus ſatisfactionem reconciliativam Deo per mortem Filii ejus. 45. Pœnæ damnatorum non ſunt ſatisfactio reconciliativa. Eccli. 34.

Et verò, quoniam multipliciter ſatisfieri poteſt Deo pro peccato veniali in hac vita, quæro, quis actus ſufficiat extra Sacramentum. Reſponſio erit

CONCLUSIO III.

Ad deletionem peccati venialis extra Sacramentum, non requiritur contritio charitate perfecta. Sufficit attritio ſupernaturalis; immo quilibet actus meritorius juſti, in eum finem relatus.

HÆc videtur ſententia Doctoris Subtilis 4. diſt. 21. q. 1. n. 8. ibi: *Poteſt dici alio modo, quòd peccatum veniale in iſta vita remitti poteſt* 46. Concluſ eſt Scoti.

poteſt, non tantùm per pœnam interiorem vel exteriorem; quia illa non eſt neceſſaria ad hoc: ſed per aliquem actum Deo magìs acceptum, quàm peccatum veniale diſpliceat, & hoc vel relato ab ipſo operante ad hoc peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipſo, ſed à Deo acceptante in ordine ad illud.

Qui docet primò, peccatum veniale in hac vita remitti poſſe per pœnam interiorem vel exteriorem.

Ubì docet primò, quòd peccatum veniale in iſta vita remitti poteſt per pœnam interiorem vel exteriorem. Et ſi à me quæris, quid Scotus intelligat per pœnam interiorem & exteriorem. Reſpondeo ex ipſo 4. diſt. 15. q. 1. n. 8. *Actus pœnales, vel paſſiones voluntariæ* (in quibus conſiſtit ſatisfactio pro peccato) *reducuntur ad actum interiorem diſplicentiæ* (puta contritionem charitate perfectam, & attritionem) *vel paſſionem triſtitiæ, & ad actum exteriorem confitendi proprium peccatum, quod eſt valde pœnale. Vel paſſionem concomitantem, ſcilicet verecundiam, & ad actum ſimpliciter exteriorem, vel paſſionem, ſcilicet macerando carnem: & omnis talis maceratio dicitur contineri vel reduci ad ieiunium, vel elevando mentem in Deum & hoc fit per orationem, vel ſua temporalia erogando, quod fit per eleëmoſynam.*

Secundò, hanc pœnam non eſſe neceſſariam.

Docet ſecundò, pœnam interiorem, vel exteriorem non eſſe neceſſariam ad hoc, ut peccatum veniale remittatur in iſta vita.

Tertiò, ſufficere quemcumque actum Deo magìs acceptum quàm veniale diſpliceat.

Docet tertiò, ſufficere quemcumque actum Deo magìs acceptum, quàm peccatum veniale diſpliceat, vel ab ipſo operante relatum ad hoc peccatum veniale remittendum, vel ſaltem à Deo ad iſtum finem acceptatum.

47. Contritio charitate perfecta remittit omnia venialia, ad quæ ſe extendit.

Quod ad primum attinet, ſi contritio charitate perfecta ſufficienter diſponit ad remiſſionem peccatorum mortalium extra Sacramentum, quantò magìs ad remiſſionem peccatorum venialium? Sed eorum tantùm, ad quæ contritio illa ſe extenderit.

Stat ſiquidem contritio charitate perfecta cum actuali affectu peccandi venialiter. Non videtur autem conveniens Deum remittere peccata, niſi aliquo modo diſpliceant. *Si confiteamur peccata noſtra* (inquit Joan. Epiſt. 1. c. 1. v. 9.) *fidelis eſt & iuſtus ut remittat nobis peccata noſtra.* Loquitur de peccatis venialibus, ut oſtendimus concluſ. præced.

Quid ſit confiteri ſua peccata ex S. Aug.

Et verò quid eſt aliud confiteri peccata noſtra, quàm accuſare noſmetipſos? *Confitemur,* inquit S. Auguſt. Serm. 8. de verb Domini, *ſive laudantes Deum, ſive accuſantes noſmetipſos. Pia eſt utraque confeſſio, ſive cùm te reprehendis, qui non es ſinè peccato; ſive cùm illum laudas, qui non poteſt habere peccatum,* Quis autem ſe reprehendit de eo, quod nullo modo ipſi diſplicet?

48. Contritio charitate perfecta poteſt ſtare cum actuali peccato veniali.

Porrò quòd contritio charitate perfecta poſſit ſtare cum actuali affectu peccandi venialiter, hinc patet manifeſtè, quia ipſa charitas perfecta, ſive amor Dei propter ſe ſuper omnia, ſtare poteſt cum tali affectu, quamdiu ſumus in hac mortali vita. Audi quid dicat D. Auguſt. lib. de Spir. & litt cap. ultimo. *Sed fortaſſe quiſpiam putaverit, nihil nobis deeſſe ad cognitionem iuſtitiæ, quod Dominus, verbum conſummans & brevians ſuper terram, dixit; in duobus præceptis totam legem Prophetaſque pendere; nec ea tacuit, ſed verbis apertiſſimis prompſit:* Diliges, *inquit,* Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum tamquam teipſum. *Quid verius his impletis impleri omnino iuſtitiam? Verumtamen qui hoc attendit, etiam illud attendat, quam* in multis offendamus omnes, *dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non diſplicere quod facimus: & poſtea per Scripturam eius, ſive certâ & perſpicuâ ratione commoniti, cùm didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut ignoſcat.* Hæc ille. Mat. v. 3 Iac.

Et tamen non dubium, quin cum illis offenſis, levioribus utique & venialibus, adimpleamus præceptum dilectionis Dei ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, quantùm impleri debet in hac vita. Nonne Apoſtolus, quem diligebat Jeſus, ex toto corde Jeſum diligebat? Quis poteſt dubitare? Et tamen dicit Epiſt. 1. c. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ioan

Cor. cha perf dele ta v. de q non

Itaque tametſi contritio charitate perfecta neceſſariò remittat omnia peccata mortalia, tum propter infuſionem gratiæ juſtificantis, quæ inſeparabiliter, juxta præſentem Dei ordinationem, ipſi conjungitur, & formaliter expellit quodcumque peccatum mortale; tum etiam, quia eſſentialiter includit propoſitum de cætero non peccandi mortaliter: attamen non neceſſariò remittit omnia peccata venialia; quia tam ipſa, quam gratia juſtificans, componi poteſt cum quolibet peccato veniali; illa ergo ſola peccata venialia remittet, ad quæ ſe explicitè, vel implicitè extenderit, id eſt, de quibus aliquo modo dolet animus, cum propoſito ea de cætero non committendi.

Quo con dele cau lia bus

Diſputant hìc aliqui, an contritio habeat hanc efficaciam per modum meriti, an verò per modum ſatisfactionis, an formaliter ex natura rei, an verò ſolùm ex decreto Dei. Sed ſpeculationes ſunt parùm utiles; quæ enim major utilitas in uno modo, quàm in alio?

Interim juxta principia noſtra, ſi gratia non expellit formaliter ex natura rei peccata mortalia, neque contritio; multò minùs vel gratia, vel contritio expellet formaliter ex natura rei peccata venialia, cum quibus nullam habet oppoſitionem, nequidem ex divina ordinatione, ut patet, quando contritio ſolùm ſe extendit ad peccata mortalia, cum actuali affectu peccatorum venialium.

Cor non nitu tura Pecc niali tua.

Et quamvis contritio ex natura ſua opponatur peccato veniali actuali, quod deteſtatur, non tamen habituali. Nonne etiam deteſtatio naturalis

naturalis opponitur ex natura ſua peccato veniali actuali, quod deteſtatur? Num ideo etiam ex natura ſua opponitur peccato veniali habituali? Conſtat quòd non. Quòd autem Deus ordinaverit eo modo per contritionem expellere ſeu remittere peccata venialia, quo modo expellit ſeu remittit peccata mortalia per gratiam, nuſpiam invenio revelatum.

51. Contritio juſti videtur aliquibus eſſe condigna ſatisfactio pro peccato veniali.

Cæterùm contritio juſti videtur aliquibus eſſe condigna ſatisfactio pro peccato veniali, quamvis non ſinè acceptatione divina, eodem modo quo non eſt condignum meritum gratiæ & gloriæ ſinè acceptatione divina.

Objectio.

Quòd ſi objiciatur, id repugnare gratuitæ venialium remiſſioni omnino aſſerendæ (ùt oſtendimus Concluſione præcedenti) quam proinde inſtar beneficii à Deo petimus in oratione Dominica ibi: *Dimitte nobis debita noſtra*, & conſequenter inſtar beneficii impetramus.

Reſponſio. Quomodo peccatum veniale gratis remittatur.

Reſpondent; venialia equidem remitti gratìs, quatenus ex gratiæ auxilio provenit actus ſatisfactivus; adeoque petimus ea dimitti, quatenus petimus gratiam ad ſatisfaciendum ſeu dolendum Adde, etiam gratìs remitti, quatenus gratuitò Deus acceptat, ſeu ſtatuit acceptare talem actum inſtar ejuſmodi ſatisfactionis; quem ſanè aliis titulis exigere, & ad id non acceptare potuiſſet.

Herincx.

Hæc ſententia, inquit Herincx Sum. Theol. part. 2. tract. 4. diſp. 5. n. 77. non diſplicet, ſuppoſito quod condignè ſatisfacere poſſimus pro culpis venialibus, de quo diſp. 6. q. 4. n. 70. agetur. Ibi autem docet hic Auctor ſententiam affirmativam.

52. Objectio.

Sed contrà, dicet aliquis; augmentum gratiæ juſtificantis, quod juſtus de condigno meretur, gratuitum aſſeri debet, utì gratuita aſſeri debet remiſſio venialium? Immo poteſtne dici gratìs conferri illud augmentum? Enimverò ideo gratìs juſtificari dicimur: *Quia*, inquit Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 8. *nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur; ſi enim gratia eſt, iam non ex operibus; alioquin ùt idem Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia.* (Conc. Trid.)

Cùm ergo opera, quæ præcedunt augmentum gratiæ juſtificantis, illud ipſum promereantur, palam fit hujuſmodi augmentum non conferri gratìs juxta intellectum Tridentini, & tamen etiam ad illud meritum in principiis Scoti requiritur acceptatio divina, requiritur gratiæ auxilium. Igitur vel contritio non eſt condigna ſatisfactio pro peccato veniali, vel remiſſio peccati venialis, non eſt magis gratuita, quàm ſit gratuitum augmentum gratiæ juſtificantis.

Utrùm autem remiſſio venialium debeat eſſe gratuita eo modo, quo ſecundùm Conc. Trid. debet eſſe gratuita remiſſio peccatorum mortalium, ipſi viderint, qui aſſerunt condignam ſatisfactionem. Ego exiſtimo acceptationem Dei planè neceſſariam eſſe, ut Contritio juſti ſit ſatisfactio condigna, non tantùm pro pœna temporali, ſed etiam pro culpa veniali.

Oppoſitum ſentit Lugo diſp. 9. n. 16. & 53. Sententia Lugonis, non eſſe neceſſariam acceptationem Dei, ut Contritio juſti ſit ſatisfactio condigna pro culpa veniali.
17. ubi aſſignat diſparitatem inter culpam, & pœnam, quòd reus per delictum ita contraxit debitum pœnæ, ut determinatio pœnæ non ſit in arbitrio rei, ſed Judicis, qui quantumcumque reus ſe puniat, poteſt nolle acceptare illam punitionem pro pœna, quam debet, ſed imponere aliam pœnam lege taxatam: at verò ſatisfactio pro culpa non eſt imponenda ab offenſo, ſed offendens debet ſatisfacere, id eſt, facere in ratione obſequii tantum, quantum arbitrio prudentum ſatis eſt ad placandum offenſum: quod ſi fecerit, licèt ille non acceptet, non obſtat quò minùs offenſor dicatur ſatisfeciſſe, id eſt feciſſe ſatis, quantùm erat ex parte ſua, atque ideo in æſtimatione prudentum eo ipſo formaliter tollitur offenſa, hoc eſt, non poteſt jam offenſus rationabiliter retinere indignationem.

Reſpondeo; quis prudens poteſt ſcire, quid 54. Rejicitur, & oppoſita opinio probatur.
ſufficiat ad placandum Deum, etiam pro minimo peccato veniali, cui correſpondet pœna Purgatorii, quæ ſuperat ſuâ gravitate omnes pœnas temporales totius mundi? Niſi ergo accedat beneplacitum offenſi, qui eſt Deus, nihil erit ex natura rei æquivalens in ratione obſequii ad placandum Deum; ſicuti, ſecluſâ acceptatione divinâ, nihil ex natura rei eſt æquivalens in ratione obſequii ad promerendum præmium æternum; quamquam, accedente divinâ acceptatione, homo juſtificatus, per bona opera ex condigno illud mereatur. Ergo, ſimiliter accedente divinâ acceptatione, nulla eſt ratio, quare Contritio hominis juſti non poſſet eſſe condigna ſatisfactio pro culpa veniali, tametſi ſinè illa nullatenus talis foret.

Sicuti quando reus adimplet pœnam lege Confirmatur à ſimili.
præſcriptam, non eſt in poteſtate Judicis aliam infligere, ſecùs ſi nulla pœna conſtituta ſit, vel non impleat pœnam lege taxatam. Ergo conſimiliter, ſi Deus conſtituiſſet contritionem juſti tamquam ſatisfactionem, ſive pro culpa, ſive pro pœna, non eſſet ampliùs in poteſtate Dei aliam ſatisfactionem exigere, adeoque tunc contritio juſti foret ſatisfactio condigna, ſecùs ſi nulla ſatisfactio fuerit conſtituta. Quid autem factum ſit à Deo, ipſe novit qui fecit.

Potuiſſe Deum acceptare contritionem ju- 55. Deus potuit contritionē juſti acceptare tamquā ſatisfactionē condignam.
ſti tamquam meritum condignum remiſſionis culpæ venialis; potuiſſe eam conſtituere tamquam ſatisfactionem condignam pro culpa veniali & pœna, non dubito.

Digitized by Google

Probatur. Enimverò cùm actus Contritionis ſit ex parte actûs ſatis condignus; operans ſit juſtus, quidni Deus potuiſſet iſti actui promittere remiſſionem culpæ, & pœnæ, ſicuti promiſit ei augmentum gratiæ, & gloriæ? Quidni ſicuti de condigno meretur augmentum gratiæ, & gloriæ, potuiſſet etiam mereri de condigno remiſſionem culpæ, & pœnæ? Hæc enim tantùm ſunt impedimenta quædam retardantia ab ingreſſu cæli, adeoque potiùs præmium negativum, quàm poſitivum; præmium quoddam non principale, ùt illud vocat Scotus 4. diſt. 21. q. 1. n. 10. ibi: *Et eodem modo de iſta deletione venialium, quæ eſt quoddam præmium non principale iſtorum meritorum, ſicut & augmentum charitatis in tali vel tali gradu.* Ubi Scotus videtur comparare deletionem venialium in ratione præmii, cum augmento gratiæ.

Scotus.

56. Objectio ex Lugone.
Dices cum Lugone ſuprà n. 18. totus valor & dignitas illius Contritionis in ratione meriti, exhauritur in ordine ad augmentum gratiæ, quam condignè meretur; nam ſi haberet adhuc majorem valorem & condignitatem, mereretur plus gratiæ; plus enim refert merenti habere aliquid plus gratiæ, & gloriæ æternæ; quàm mereri remiſſionem venialium, quam, eo ipſo quo eſt juſtus, habebit aliquando, ſaltem in puncto mortis; non ergo poteſt mereri ulteriùs de condigno remiſſionem culpæ; alioquin vel dabitur valor condignus ultra condignum, vel non datur augmentum gratiæ ſecundùm totam condignitatem illius actûs, ſed fit unum præmiū adæquatum condignum ex augmento gratiæ, & remiſſione peccati venialis. Hęc Eminentiſſimus.

57. Reſpondetur.
Reſpondeo; fiat unum premium adæquatum ex augmento gratiæ & remiſſione venialium, quod indè inconveniens? Nonne ex augmento gratiæ, & gloriæ, fit unum præmium? Vel ſi illa ſint præmia diſtincta, correſpondentia eidē bonitati operis; cur non ſimiliter augmentum gratiæ, & remiſſio venialium, poſſint eſſe præmia diſtincta, ſubordinata tamen, fundata in eadem bonitate operis?

Satisfactio pœnæ etiam fūdatur in operis bonitate.
Nonne augmentum gratiæ, & ſatisfactio pœnę fundantur in eadem bonitate, ſaltem partialiter? Etenim ſatisfactio pœnæ non ita fundatur in operis pœnalitate, quin etiam ſimul in operis bonitate, & circumſtantiis bonitatem augentibus, v. g. intenſione, duratione, appretiatione, ſinè quibus opus non foret ſimpliciter, vel non ita ſatisfactorium.

58. An actus dilectionis poſſet ſimul cum augmento gratiæ de condigno mereri bona temporalia?
Si inferas: ergo actus dilectionis Dei poſſet ſimul mereri de condigno cum augmento gratię, bona etiam temporalia, divitias, honores, & alia hujuſmodi; & per conſequens per omnes actus meritorios poſſet acquiri jus ad hæc omnia bona, quod eſt omninò falſum: nam cùm valor condignus illius actûs exhauriatur in augmento gratiæ, ſolùm poteſt mereri de congruo hæc alia bona.

Reſpondeo; unde probatur impoſſibilitas? Unde probatur exhauſtio valoris? An fortè quia de facto ille actus non meretur de condigno bona temporalia? Non valet argumentum à negatione actûs, ad negationem potentiæ. Nam ad meritū requiritur acceptatio divina in Schola Doctoris Subtilis; porrò Deum de facto acceptaſſe dilectionem ad bona temporalia conferenda, ex nullo indicio conſtat; immo clarè apparet contrarium, cùm ſæpiſſimè viri maximè excellentes in amore divino, minimè excellentes ſint in bonis temporalibus. No bat pot

Ergo non potuiſſet acceptare ſi voluiſſet, negatur Conſequentia; cùm, ſuppoſitâ dignitate operis, ab ipſius libera poteſtate dependeat, ad hoc vel illud præmium, majus vel minus, opus illud acceptare, ita ut ſi ad nihil acceptaſſet, nulli feciſſet injuriam, cùm illud opus multis aliis titulis ei debeatur. Ergo ex eo, quòd jam acceptaverit ad augmentum gratiæ in tali vel tali gradu, non rectè infertur, quòd non potuerit ad plures vel pauciores gradus acceptare; ſimiliter ex eo, quòd jam acceptaverit ad ſolum augmentum gratiæ, quòd non potuerit ſimul acceptare ad bona temporalia. Ergo ſi non acceptarit, potuit ſaltem acceptaſſe ad remiſſionem culpæ venialis, & pœnæ; præſertim cùm remiſſio illa ſit ſubordinata gloriæ, & neceſſariò concedenda poſt hanc vitam.

5 Rejic exem Princ creat Lugo proſ tenti
Nec valet exemplum Principis creati, apud quem, inquit Lugo ſuprà, ſi ſubditus meruit obſequiis eximiis, aliquando præmiatur divitiis & opibus, aliquando pro præmio impetrat veniam delicti ſibi, vel alicui amico, quæ quidem venia computatur illi loco præmii, & minuit valorem operum in ordine ad divitias, & ad alia præmia conſequenda. Sic ergo juſtus, qui per actum contritionis mereretur condignè veniam peccati venialis, deberet habere minus præmii de gratia habituali, quàm ſi eam veniam non meruiſſet.

Hoc, inquam, exemplum non valet: Nam eſtò de facto apud Principem creatum venia delicti computaretur loco præmii & minueret valorem operum in ordine ad divitias; nunquid oppoſitum implicat? Numquid etiam apud Principem creatum, venia delicti minueret vim impetrandi novum beneficium? An etiam ideo apud Deum? Quæ ergo conventio Principis creati ad Deum, ut Deus deberet dare minus præmii de gratia habituali, quia Princeps humanus minus daret de divitiis?

Reſ Aud
Dico itaque, contritionem juſti poſſe tollere de condigno, ſive per modum ſatisfactionis, ſive per modum meriti, quæ eſt quæſtio de nomine, maculam peccati venialis; an de facto tollat, ſub judice lis eſt; hoc ſcio, ſi tollat, non eo modo gratuitam eſſe remiſſionem peccati venialis, quo modo gratuita eſt remiſſio peccati mortalis.

Memini

Digitized by Google

Memini quoque ejus, quod ſuprà retuli ex Epiſt. 1. Joannis Apoſtoli c. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra* (loquitur de venialibus ſecundùm communem expoſitionem) *fidelis eſt & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra.* Fidelis, inquam, eſt & juſtus; quâ phraſi loquendi Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 16. exprimit meritum condignum bonorum operum dicens: *Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa; & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ* &c. Atque hæc ſatis de contritione charitate perfecta.

61. *Attritio peccatoris non remittit venialia extra Sacramentum;* Sed numquid eadem eſt ratio attritionis? Vel quæſtio intelligitur de attritione hominis peccatoris, vel de attritione hominis juſti; ſecundùm primum intellectum, in propatulo eſt, ex dictis Concluſione præcedenti, nullatenus eam ſufficere extra Sacramentum ad deletionem peccati venialis, cùm non ſufficiat ad remiſſionem peccati mortalis, ſinè qua tamen remiſſione, peccatori non remittitur veniale, ùt ibi diffuſiùs probavimus. Sin verò intelligas attritionem hominis juſti, idque ſupernaturalem, affirmat ſecunda pars Concluſionis iſtam ſufficere.

Secùs attritio hominis justi. Quidni ſufficeret, cùm ſit retractativa peccati venialis, meritoria gratiæ & gloriæ & ſatisfactiva pro pœnis temporalibus? Meritò ergo cenſeri poteſt eſſe unum ex multis aliis remediis, quibus extra Sacramentum Pœnitentiæ, juxta Trid. ſeſſ. 14. c. 5. venialia peccata expiari poſſunt; quidquid nonnulli in contrarium clament, hoc præcipuo motivo, ut oſtendant, quòd per Sacramentum Pœnitentiæ aliquando remittantur ſola venialia, quod aliàs eſſet falſum ſecundùm ipſos.

62. *Rejicitur fundamentum quorumdam.* Sed hoc fundamentum minùs ſolidum eſt; quia imprimis, ut numquam per Sacramentum Pœnitentiæ remitterentur ſola venialia, quod indè inconveniens? Nam certum eſt Sacramentum Pœnitentiæ primariò eſſe inſtitutum pro remittendis peccatis mortalibus; quid ergo abſurdi ſi ſecundarium effectum numquam obtineat ſinè primario? Omitto, quòd peccata remiſſa extra Sacramentum, poſſint ſubjici clavibus Eccleſiæ, & iteratò remitti per Sacramentum.

An attritio extra Sacramentum remittat omnia peccata venialia, ad quæ ſe extendit? Adde, fortaſſis attritionem extra Sacramentum non remittere omnia peccata venialia, etiam ad quæ ſe extenderit, ſed tantùm aliqua ſecundùm regulam ordinationis divinæ, ut putat Lugo diſp. 9. n. 29.

63. *Res dubia.* Dico, *Fortaſſis*; quia res planè incerta eſt. Potuiſſet quidem Deus ſic ordinare illam remiſſionem, ut perfectior requireretur attritio, immo & contritio pro gravioribus venialibus, imperfectior ſufficeret pro levioribus, ſed unde conſtat ſic inſtituiſſe?

Ex ſenſu, inquis, fidelium, qui utuntur Sacramento Pœnitentiæ ad expiationem venialium, & reconciliationem cum Deo. Eſtò; jam jam diximus Sacramentum iteratò poſſe remittere peccata venialia antea remiſſa: adde, extinguere pœnam reſtantem. *Ex ſenſu fidelium nihil certi habetur pro una aut altera parte.*

Deinde, nonne multi fidelium confitentur ſola venialia etiam cum maxima & perfectiſſima contritione? Non eſt dubium: & tamen admittis, per illam contritionem omnia illa peccata remiſſa fuiſſe extra Sacramentum. Ergo ex ſenſu fidelium nihil certi habetur.

Dices: cùm veniale ſit etiam aliqualis offenſa Dei, requiri videtur etiam deteſtatio talis peccati propter Deum, ſecluſo beneficio Sacramenti. Ita Averſa hîc q. 4. ſect. 5. §. *In hac varietate.* 64. *Objectio ex Aversa.*

Reſpondeo, attritionem ſupernaturalem eſſe deteſtationem peccati propter Deum, non ùt eſt bonus in ſe, ſed ùt eſt bonus mihi; ideo enim deteſtor peccatum veniale, quia ad tempus privat me æternâ beatitudine. Et licèt illa deteſtatio non ſufficiat ad remiſſionem mortalis extra Sacramentum, utpote gravis offenſæ, quæ meretur æternam privationem beatitudinis; cur non poſſit ſufficere ad remiſſionem venialis peccati, quod ſolùm eſt levis offenſa, & tantùm meretur temporalem privationem? *Solvitur.*

Liquidò ergo conſtat, hanc rem totam eſſe incertam, defectu revelationis divinæ, quæ neceſſaria eſt ad cognoſcendam voluntatem Dei, à qua dependet remiſſio peccatorum tum mortalium, tum venialium; adeò ut ſinè omni actu prævio peccatoris potuiſſet, ſi voluiſſet, remittere peccata non tantùm venialia, ſed etiam mortalia, ùt docuimus ſect. præced. concl. 8.

Cùm itaque hæc res ità incerta ſit, adeoque conjecturæ probabili locus relinquatur, quidni cum Scoto aſſeramus, remitti de facto peccatum veniale per quemlibet actum meritorium juſti, in eum finem relatum? Non video quid obſtet probabilitati iſtius doctrinæ. 65. *Remittitur de facto peccatum veniale per quemlibet actum meritorium juſti in eum finem relatum.*

Et quidem quantùm attinet ad formalem dilectionem Dei propter ſe ſuper omnia, quæ eſt virtualis contritio charitate perfecta, & extra Sacramentum remittit peccata mortalia, ùt multipliciter probando deduximus ſect. 2. concl. 5. neſciò quare aliqui dubitent de ejus efficacia circa remiſſionem peccatorum venialium, ad quæ virtualiter ſe extenderit, id eſt, quæ ſi occurrerent memoriæ, formaliter vi illius diſplicerent. *De formali dilectione Dei,*

Idem affirmo de formali actu ſpei, qui eſt virtualis attritio, videlicet eamdem habere virtutem remittendi peccata venialia cum formali attritione, quando ita eſt fervidus, ut ipſo perſeverante, vi illius diſplicerent *& formali actu ſpei non videtur dubitandû.*

 venialia,

venialia, ſi occurrerent memoriæ, & moraliter loquendo moveret ad expreſſam de illis attritionem.

66. *Explicatur dictum aliquod S. Aug. de pœnitētia formali aut virtuali.*

Nec obſtat dictum D. Auguſtini ex Epiſt. 48. ad Vincentium (& refertur de Pœnit. diſt. 1. c. 43.) *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque ſeu magno ſen parvo peccato ad correctionem ſinè Pœnitentia poſſe tranſire.* Hoc, inquam, dictum non tantùm poteſt, ſed etiam debet intelligi de Pœnitentia formali aut virtuali. Alioquin formalis dilectio Dei propter ſe ſuper omnia, abſque formali dolore non juſtificaret, quod eſt falſum.

Ubi etiam quædam verba Auct. lib. de vera & falſa pœnit.

Eodem modo explico, quod ait Auctor lib. de vera & falſa Pœnit. c. 8. *Eſt Pœnitentia aſſiduè peccantibus, aſſiduè neceſſaria. In multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, ſi ſemper deplorantur.*

67. *Cur SS. PP. ordinariè requirant lamenta de peccatis quotidianis.*

Non inficior SS. Patres ordinariè requirere lamenta, etiam de peccatis quotidianis, idque quia illud eſt magìs commune & ordinarium remedium: hinc tamen non bene infertur alios bonos & meritorios actus non poſſe ſufficere; præſertim ſi fuerint ſaltem virtualis & implicita diſplicentia & retractatio illorum peccatorum.

Quod addo; quia communiùs docetur, Deum non reconciliari alicui, qui aliquo modo per peccatum ab ipſo voluntariè diſceſſerit, niſi ille priùs ad Deum voluntariè acceſſerit per aliquem contrarium motum; contrarius autem non videtur eſſe, niſi involvat aliquam diſplicentiam, ſaltem virtualem. Porrò omnis actus meritorius juſti aliquam diſplicentiam involvit, ſi relatus fuerit ab operante ad peccatum veniale remittendum; hoc ipſo enim vult peccatum non eſſe, & conſequenter ipſum retractat, ſaltem virtualiter.

68. *An relatio actûs boni in finem remiſſionis venialium tribuat ei aliquam efficaciam?*

Et ſi à me quæritur, an ergo illa relatio tribuat aliquam bonitatem, aut efficaciam illi actui ſic relato. Reſpondeo; eſtò nihil bonitatis, aut efficaciæ daret, equidem dat applicationem; ſic relatio jejunii ad ſatisfactionem pro pœna temporali, vel oblatio Sacrificii pro tali vel tali effectu, non dat bonitatem, aut efficaciam jejunio, vel Sacro, ſed applicationem, quæ facit, ut habeat talem effectum, quem aliàs non haberet.

Sicuti applicatio ignis ad rem combuſtibilem, non dat efficaciam igni in actu primo, quamquam alioquin faciat, ut ignis in actu ſecundo comburat talem rem, quam aliàs non combuſſiſſet. Ergo conſimili modo, applicatio actûs meritorii ad effectum obtinendi veniam peccati venialis, eſtò non tribueret actui illi novam aliquam efficaciam in actu primo, equidem facit, ut in actu ſecundo remittat peccatum veniale, quod aliàs non remiſiſſet.

Vel ſi hæc reſponſio non placet, nullum inconveniens erit aſſerere, relationem in caſu noſtro tribuere efficaciam quamdam in actu primo, eò quòd per ipſam actus meritorius jam ſit virtualis diſplicentia, & retractatio peccati venialis, cùm alioquin poſſet ſtare cum actuali affectu illius peccati.

Sed dicet aliquis; Scotus, in principio Concluſionis relatus, non requirit determinatè relationem operantis, ſed vel relationem operantis, vel acceptationem Dei. *Sed per aliquem*, inquit, *actum, Deo magìs acceptum, quàm peccatum veniale diſpliceat, & hoc vel relatum ab ipſo operante ad hoc peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipſo, ſed à Deo acceptante in ordine ad illud.* *Ob Sco*

Antequam reſpondeo ad hanc objectionem, Adverto, per actum, Deo magìs acceptum, quàm peccatum veniale diſpliceat, Doctorem Subtilem intellexiſſe quemcumque actum meritorium juſti: ut colligo ex ſequentibus, in quibus non ſemel, ſed pluries actum remiſſivum peccati venialis ſimpliciter appellat meritum, in primìs n. 8. ibi: *Sed merita iſtius morientis in charitate eſſent cauſa ſufficiens deletionis venialium iſtius* &c. Deinde n. 10. in principio: *Et eodem modo de iſta deletione venialium, quæ eſt quoddam præmium non principale iſtorum meritorum, ſicut & augmentum charitatis* &c. Rurſus eodem numero: *Si neuter iſtorum modorum placet, nec primus* &c. *nec ſecundus, ſcilicet quòd per merita in vita habita, & reſervata in divina acceptatione, deleantur in inſtanti mortis.* *Oſt Scot actu gis tum quàm le di intel quen que meri*

Et quid mirum, ſi magìs placeat Deo bonum opus hominis juſtificati, quo verè meretur augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; magìs, inquam, placeat illud bonum opus, quàm diſpliceat peccatum veniale? Nam hoc facillimè in particulari committitur, & quodam modo neceſſariò in communi; neque minuit intrinſecam perfectionem gratiæ aut gloriæ, ſed fervorem dumtaxat actûs charitatis, cum aliqua dilatione gloriæ.

Nunc ad objectionem reſpondeo: fortè Scotus exiſtimavit ſufficere ad remiſſionem peccati venialis, quemcumque actum meritorium, abſque formali & expreſſa relatione operantis in eum finem, dummodo actu non maneat in peccato. 71 *Reſpon tur ad c ctionem*

Neque id negat noſtra Concluſio; ſed affirmat quod certius, & communius eſt, ſcilicet ſufficere actum meritorium expreſsè & formaliter relatum ab ipſo operante ad peccatum veniale remittendum; quòd autem illa relatio ſit neceſſaria, ibi non dicitur.

Et profectò neceſſariam non eſſe, videtur ſententia Doctoris Seraphici 4. diſt. 21. p. 1. a. 1. q. 2. n. 12. ibi: *Veniale peccatum poteſt deleri libero arbitrio conſonante* (id eſt non repugnante) *& aliquo exteriùs adjuvante. Unde ſi liberum arbitrium gratiâ non repugnat volendo perſiſtere in culpa, & gratia virtute Sacramenti, vel rei ſacramentalis* 72. *Non eſſe neceſſari expreſſa & formal relatione in finem miſſionis videtur c*

vigo-

Digitized by Google

vigoratur, culpam venialem delet vel univerſaliter, vel particulariter.

Vnde credendum quòd aliquo nihil de peccatis ſuis cogitante, ſed tantùm paſſionem Chriſti recolente in Sacramento Euchariſtiæ; recogitante, inquam, ferventer, quòd venialia peccata vel omnia, vel quædam remittantur ei per gratiam ſit adiutam, & omnia illa ſive Sacramenta, ſive Sacramentalia, ut Euchariſtia, & Vnctio, & Baptiſmus, & aqua aſperſio, & Epiſcopalis benedictio, & Contritio, & miſericordia exhibitio & orationis Dominicæ devota exoratio faciant ad venialium deletionem, non per propriam naturam, ſed per eam naturam, quâ gratiam gratum facientem ad hunc actum adiuvant & vigorant.

73. Interrogas ipſum, quomodo adjuvent? Reſpondet: *Quod in talibus ut plurimùm eſt humiliatio & devotio, quæ eſt actus gratiâ informatus, repugnans ipſi veniali peccato, quod fervorem Charitatis & devotionem quantum eſt ex ſe diminuit. Vel eâ ratione, quâ eſt in eis pœnalitas, quæ repugnat inordinatæ delectationi, & prout illa pœna iuncta eſt ordinanti gratiæ. Et ſic poteſt reſponderi, quòd quamvis venialia valde congruè per pœnitentiam deleantur, poſſunt tamen per gratiam aliter adiutam deleri.* Hæc illè.

Cùm ergo in omni opere meritorio ût plurimùm ſit humiliatio & devotio, aut certè pœnalitas, profectò ſinè alia relatione formali & expreſſa, de qua D. Bonaventura ibi nullam facit mentionem, immo quam excludit, dum pro exemplo ponit aliquem, qui nihil de peccatis ſuis cogitat, quodlibet opus meritorium remittet peccata venialia vel omnia, vel ſaltem aliqua, niſi impediatur in hac vita, ut ſuprà Scotus dicebat, ab actu peccati venialis.

74. Nec obſtat, quod ſuprà ad 4. reſpondet Doctor Seraphicus ſub hac forma verborum: *Ad illud quod obiicitur, quòd veniale eſt voluntarium, dicendum, quòd non ſic, ſicut mortale; tamen quia aliquo modo voluntarium eſt, numquam deletur niſi voluntas deteſtetur.*

Solutio. Hæc, inquam, verba non obſtant; nam per illam deteſtationem non videtur aliud intelligere, quàm carentiam actualis affectûs peccandi venialiter: etenim continuò ſubjungit: *Vnde vix contingit quod ei, qui proponit manere in veniali peccato, utpote in verbis otioſis, quòd etiamſi confiteatur, remittatur ei culpa; niſi fortè pro opere illo contra ſe ipſum inſurgat, & adeo rugitus rationis fremat, quod beſtiales motus ſenſualitatis greſſum figant, ad modum leonis, quo rugiente cetera animalia greſſum figunt.*

75. Itaque piè credi poteſt, Deum acceptare quemcumque actum meritorium juſti, ſicut ad augmentum gratiæ, adeoque ad arctius vinculum amicitiæ, ita quoque ex condecenti ad remiſſionem peccatorum venialium, vel omnium, vel quorumdam, vel in hac vita, ſi voluntas non repugnet volendo perſiſtere in culpa vel poſt mortem ſi voluntas repugnet, nolendo deſiſtere à culpa. Plura de remiſſione peccati venialis poſt mortem concluſ. ultimâ.

Priùs videamus, ſi Sacramenta & Sacramentalia deleant peccata venialia in hac vita, & quomodo, an ex opere operato, an ſolùm ex opere operantis.

CONCLUSIO IV.

Per Sacramenta delentur peccata venialia ex opere operato; per Sacramentalia ſolùm ex opere operantis.

De Sacramento Baptiſmi, Sacramento Pœnitentiæ, & Sacramento Extremę Unctionis nemo dubitat. De Baptiſmo inquit Trid. ſeſſ.5 in decr. de pecc. orig. can 5. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat; aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema ſit.* Atqui peccatum veniale habet veram & propriam rationem peccati: ergo omnia remittuntur per Baptiſmum; cur non ex opere operato, quemadmodum omnia peccatâ mortalia? Non eſt ratio diſparitatis. 76. Probatur Baptiſmum remittere peccata venialia ex opere operato. Conc. Trid.

Sed contrà; ſi hìc per peccatum intelligitur etiam peccatum veniale: ergo formaliter tollitur peccatum veniale per gratiam juſtificantem, eodem modo quo tollitur peccatum mortale; conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Probatur minor; quia gratiâ quantumcumque intenſa poteſt componi cum peccato veniali, & de facto componitur, juxta illud Joannis Epiſt. 1. c. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* 77. Objectio. Joan. 1. c. 1.

Nec intuleris: ergo homo ſolùm extrinſecè mundatur à peccato veniali; ergo peccatum veniale tantùm tegitur ſeu non imputatur, ut volunt hæretici. Reſpondetur enim, nunquam tolli culpam venialem ſinè mutatione intrinſeca, ſaltem morali; ſicut enim macula venialis eſt aliquid moraliter intrinſecum, ita quoque ablatio debet eſſe intrinſeca moraliter; hæc autem ablatio fundari poteſt ſufficienter in voluntate Dei, verè remittentis & condonantis culpam ſeu maculam venialem ad præſentiam gratiæ. Ergo peccatum tantùm tegitur ſeu non imputatur, ut volunt hæretici, negatur conſequentia; nam volunt hæretici nullum peccatum verè remitti ſeu condonari, ſed manente maculâ, tantummodo non imputari ad culpam. Peccatum veniale nũquam tollitur ſinè mutatione intrinſeca morali.

Interim differt remiſſio culpæ venialis, à remiſſione culpæ mortalis, quòd hæc de facto ſemper fiat per mutationem phyſicam, & formam intrinſecam, quæ repugnat ex divina ordinatione cum quacumque culpa mortali, adeò ut una de facto numquam remittatur ſinè alia In quo differat remiſſio venialis à remiſſione mortalium.

alia ; ſecùs autem contingit in remiſſione peccati venialis; nam unum ſæpiſſime remittitur ſinè alio.

78. *Reſponſio ad objectionem.*

Quid ergo ad Concilium Tridentinum ? Reſpondeo, vel per gratiam intelligit quodcumque beneficium collatum ex meritis Chriſti, & tale indubiè eſt extrinſeca condonatio venialium; vel ſi gratiam habitualem, dico, per illam tolli totum, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed non eodem modo ; nam peccatum mortale tollit formaliter per modum formæ ex ordinatione divina incompatibilis : veniale autem ſolum diſpoſitivè ſeu concomitanter; id eſt, infuſionem gratiæ habitualis in Sacramento Baptiſmatis, inſeparabiliter concomitatur remiſſio peccati venialis, adeò ut numquam in hac vita remittatur peccatum veniale per Sacramentum Baptiſmatis abſque infuſione gratiæ ſanctificantis, aut ejus augmento : & numquam conferatur gratia ſanctificans, aut ejus augmentum per Sacramentum Baptiſmatis abſque remiſſione peccati venialis, ſi cetera adſint.

Gratia habitualis alio modo tollit peccatum mortale, quàm veniale.

79. *Colligitur ex ſubjecta materia.*

Porrò diverſitas iſta colligitur ex ſubjecta materia ; quoniam aliunde conſtat, in prima juſtificatione hominem mundari à peccato mortali, non quomodocumque ; ſed per inhabitantem Spiritum adoptionis, & per participationem naturæ divinæ.

Nonne Tridentinum ſeſſ. 6. c. 7. apertè docet, unicam formam juſtificationis eſſe juſtitiam Dei ; *non quâ ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit ; quâ videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur ; ſed verè iuſti nominamur, & ſumus, iuſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam* ? Jam autem juſtificatio impii, de qua ibi agitur, in conceptu ſuo eſſentiali involvit remiſſionem peccati mortalis ; eſt enim *tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum, Salvatorem noſtrum*. Ita Trid. ſuprà c. 4. Quid verò clarius, quàm illam tranſlationem fieri non poſſe, ſinè remiſſione peccati mortalis ? Secùs ſinè remiſſione peccati venialis.

80. *An venialia in baptiſmo remittantur ſinè aliqua diſplicentia.*

Sed numquid peccata venialia remittuntur in Baptiſmo abſque virtuali ſaltem eorum diſplicentia ? Reſpondeo ; ſicut mortalia non remittuntur ſinè prævia Pœnitentia de illis, formali, aut ſaltem virtuali, ſic multùm veroſimile eſt, neque venialia dimitti, niſi velis dicere cum Bonaventura ſuprà, ſufficere, quòd voluntas non repugnet, volendo perſiſtere in culpa ; minus quippe videtur requiri, etiam ex parte diſpoſitionis, ad remiſſionem levis offenſæ, quàm gravis.

Sufficit quòd homo ita ſit diſpoſitus, ut ſi occurre-

Communiter dicitur, inquit Lugo diſp. 9. n. 24. ſufficere ſaltem cum Sacramento hominem ita eſſe diſpoſitum, ut ſi tunc occurrerent peccata, diſplicerent. Quam conditionalem diſplicentiam intelligere debemus (inquit idem Auctor ibidem) non ſolùm ùt ſubeſt ſcientiæ mediæ (multi enim ſunt, de quibus ſcit Deus per ſcientiam mediam, quòd ſi occurrerent eis peccata, diſplicerent, & tamen hic actus futurus ſolùm conditionaliter, nihil juvat eos ad meritum, ſicut neque è contrà peccata futura conditionaliter, ſi mihi nunc talis vel talis occaſio occurreret, non nocent mihi ad demeritum) ſed ùt habet aliquam neceſſariam connexionem cum aliquo actu præſenti, quem nunc habet homo, in quo actu implicitè continetur illa diſplicentia, & ideo certum eſt quòd diſplicerent peccata, ſi nunc venirent in memoriam, quia v. g. nunc tali vel tanto affectu verſatur circa Deum vel res divinas, aut circa objectum virtutis ; ut cum illo affectu non poſſet non diſplicere illi peccatum oppoſitum, ſi illius recordaretur, atque ideo diſpoſitio præſens implicitè & virtualiter continet retractationem prioris peccati. Hucuſque Cardinalis.

Et fortaſſis id voluit ſignificare D. Bonaventura, quando ſuprà dixit : *Recogitante inquam ferventer*, id eſt, tanto affectu recolente paſſionem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, ut cum illo non poſſet non diſplicere illi peccatum oppoſitum, ſi illius recordaretur.

Si inferas : ergo nihil minùs requiritur ad remiſſionem venialis, quàm ad remiſſionem mortalis.

Reſpondet Eminentiſſimus ſuprà n. 25. negando ſequelam : nam in primis, ad remiſſionem mortalis per ſe loquendo requiritur dolor formalis, ita ut non niſi per accidens, & ratione inadvertentiæ, homo excuſetur ab eo dolore formali habendo : ad remiſſionem autem venialis hoc non requiritur, quia ſicut homo non tenetur procurare ejus remiſſionem, ita nec tenetur habere dolorem formalem illius.

Secundò, ad remiſſionem mortalis requiritur propoſitum efficax ſive explicitum, ſive implicitum numquam peccandi mortaliter ; at verò ad remiſſionem venialis ſufficit propoſitum explicitum, vel implicitum non committendi iterum illud peccatum, licèt non ſit propoſitum vitandi alia diverſa.

Tertiò, ad remiſſionem mortalis extra Sacramentum, ſemper requiritur contritio perfecta : ad remiſſionem verò venialis, etiam extra Sacramentum, ſufficit aliquo modo attritio.

Sed contra primum ; non quæritur, an homo teneatur habere dolorem formalem peccati venialis, ſi nolit procurare ejus remiſſionem : ſed an teneatur habere dolorem formalem peccati venialis, ex hypotheſi quòd velit procurare ejus remiſſionem. Alioquin eodem argumento probabo, quòd ad remiſſionem peccati venialis nulla requiratur diſplicentia, dicendo ; ſicut

Digitized by Google

ſicut homo non tenetur procurare remiſſionem peccati venialis, ita nec tenetur habere ullam diſplicentiam illius; ergo non requiritur ad remiſſionem venialis ulla diſplicentia, negaret Lugo Conſequentiam.

Contra ſecundum; illud tantùm probat unum peccatum veniale poſſe remitti ſinè alio, interim ſuppoſito, quòd velim habere remiſſionem omnium peccatorum venialium, clarum eſt, quòd debeam habere propoſitum univerſale & illimitatum.

Contra tertium; illa differentia tantùm probat, quòd minus requiratur ad remiſſionem venialis extra Sacramentum, quàm ad remiſſionem mortalis extra Sacramentum. Quod autem hic quæritur eſt, an nihil minùs requiratur ad remiſſionem venialis in Sacramento Baptiſmi, quàm ad remiſſionem mortalis in eodem Sacramento.

83. [illegible] Et quidem ſi ſermo eſt de peccato originali, neque ad hujus remiſſionem requiritur Pœnitentia formalis ſecundùm plurimorum ſententiam, de qua egimus diſp. 2. ſect. 3. concl. 2. Sin verò loquamur de peccato mortali perſonali, *Fuit*, inquit Tridentinum ſeſſ. 14. c. 1. *Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Baptiſmatis Sacramento ablui petiviſſent*, quod multi intelligunt de Pœnitentia formali. Nihil autem tale dicitur de hominibus, qui ſe veniali aliquo peccato inquinaſſent; quidni ergo his ſufficiat diſplicentia ſeu Pœnitentia virtualis?

Sed progrediamur ulteriùs: nam quod aliqui objiciunt, ſi præter voluntariam ſuſceptionem Baptiſmi, requiritur aliqua implicita retractatio peccati venialis ad ejus remiſſionem; ergo Baptiſmus non perfectè mundat ab omni culpa & pœna, diſſolvimus diſp. 2. ſect. 3. concl. 2. videantur ibi dicta. Unico verbo, ſi non mundat in hac vita propter obicem, qui eſt non retractatio, vel actualis complacentia, mundabit in altera vita, ſublato illo obice, de qua mundatione conc. ſeq.

84. Progredior itaque ad Sacramentum Pœnitentiæ, de quo nulla eſt ratio dubitandi, quin ſicut ex opere operato remittit peccata mortalia, clavibus Eccleſiæ legitimè ſubjecta, ita pari ratione & jure remittat venialia omnia & ſingula, clavibus Eccleſiæ legitimè ſubjecta.

Alioquin contradicitur Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in qua frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur* &c. Enimvero quæ ſpecialis utilitas ex illa dictione, ſi Sacramentum illa peccata non remittat ex opere operato ſeu immediatè; ſed tantùm excitando novam devotionem, per quam remittantur ex opere operantis?

Sileo, ſæpiſſime ſola peccata venialia eſſe materiam Sacramenti; ergo remittit illa ex opere operato. *Res & effectus hujus Sacramenti*, inquit Tridentinum ſeſſ. 14. c. 3 *quantùm ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax ac ſerenitas, cum vehementi ſpiritûs conſolatione conſequi ſolet.* 85. Alia probatio.

Ubi ergo reconciliatio, id eſt, condonatio offenſæ, ſive gravioris, ſive levioris, neceſſaria eſt, ibi indubiè eam cauſat Sacramentum Pœnitentiæ, quis dubitat an ex opere operato, cùm illa cauſalitas ſit propria omnibus Sacramentis?

Omnino, inquis, propria eſt, ſed reſpectu gratiæ ſanctificantis, & conſequenter in ordine ad remiſſionem peccati mortalis, quæ eſt effectus formalis gratiæ ſanctificantis; ſed unde conſtat quòd etiam reſpectu remiſſionis peccati venialis, quæ non eſt effectus formalis gratiæ ſanctificantis? 86. Objectio.

Reſpondeo; tametſi non ſit effectus formalis, eſt tamen aliquid infallibiliter concomitans infuſionem gratiæ juſtificantis ex ordinatione divina; ſicuti ergo ipſa infuſio eſt ex opere operato, quidni etiam remiſſio peccati venialis concomitans? Siquidem Sacramentum movet Deum non tantùm ad infuſionem gratiæ, verùm etiam, eſtò minùs principaliter, ad remiſſionem peccati venialis, adeò ut intuitu præcisè ipſius Sacramenti, aliqua peccata venialia remittantur, quæ aliàs fortè non fuiſſent remiſſa. Reſponſio.

Quantùm ad Sacramentum Extremæ Unctionis, de illo dicitur Jac. 5. v. 14. & 15. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei.* Quod communiter intelligunt Doctores de peccatis etiam venialibus, cùm nulla ſit ratio diſtinguendi; immo potiùs ratio intelligendi ſola peccata venialia, cùm Sacramentum Extremæ Unctionis ſit Sacramentum vivorum, quod ſupponit peccata mortalia remiſſa; adeoque tantùm per accidens ſeu potiùs ſecundariò confert primam gratiam, ſi tamen aliquando eam conferat, quod aliqui negant. 87. Extrema unctio remittit peccata venialia ex opere operato. Probatur ex Script. Jac. 5.

Et hinc additur particula conditionalis, *Si*, quia ſupponuntur delicta tam mortalia, quàm venialia purgata per Sacramentum Pœnitentiæ, quod primariò ad iſtum finem eſt inſtitutum; ſi tamen propter aliquam occaſionem non forent purgata, veriſimile eſt quòd expiarentur per hoc Sacramentum, ſuppoſitâ debitâ diſpoſitione; puta internâ Pœnitentiâ formali aut virtuali. Hinc in forma abſolutè dicitur: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti &c.*

Neque

88. *Ad hunc effectum non eſt opus novo aliquo fervore vel devotione.*

Neque ad hunc effectum opus eſt novo aliquo fervore vel devotione, ad quam fortè ſuſceptio Sacramenti excitat ſuſcipientem, quia Scriptura & SS. Patres, nec non Concilia OEcumenica, eodem modo tribuunt huic Sacramento remiſſionem peccatorum, ſicuti Baptiſmo, & Pœnitentiæ, quæ immediatè eam cauſant, ſolùm cum hac differentia, quòd Baptiſmus, Pœnitentia ſint principaliter ad hunc effectum inſtituta, Extrema autem Unctio tantùm ſecundariò, ùt jamjam diximus.

Adde, quòd ſæpe ægrotus dum inungitur, ſit incapax novæ devotionis; ergo non eſt veriſimile, quòd illa requiratur ad effectum remiſſionis venialium. Sed plura de hac re in propria diſputatione de Sacramento Extremæ Unctionis.

89. *An Euchariſtia remittat venialia ex opere operato? Conc. Trid.*

De his ergo tribus Sacramentis parva aut nulla dubitatio eſt, de aliis à multis dubitatur. Et quidem de Euchariſtia ſic ſcriptum reperio in Concilio Trid ſeſſ. 13. c. 2. *Sumi voluit Sacramentum hoc, tamquam ſpiritualem animarum cibum* &c. *& tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur.* Sed quòd liberet immediatè, ſive ex opere operato, nullibi legò; quamquam ab aliquibus id aſſeratur, & nos probabile dixerimus diſp. 4. ſect. 7. concl. 2. videantur ibi dicta.

Sententia affirmans eſt probabilis.

Ratio à priori, & ratio congruentiæ.

Summatim: ratio à priori, voluntas Chriſti: ratio congruentiæ, quòd hoc Sacramentum inſtitutum ſit per modum convivii; facile autem ſolent amici in conviviis leves offenſas condonare. Deinde eſt cibus animæ; debet ergo reparare, quæ per continuam fomitis, & contrariorum pugnam deperdimus; ſicut cibus naturalis reſtaurat, quæ per naturalem calorem deperduntur: reſtaurat, inquam, immediatè; quamquam ſolùm mediatè juvet ad operandum, dando vires.

Ex quo apparet diverſitas inter liberationem à culpis venialibus, quam Euchariſtia præſtat immediatè, & præſervationem à mortalibus, quam ſolùm cauſat mediatè. Ita Auctores illius ſententiæ. Cæterùm, an deleat Euchariſtia immediatè omnia venialia, incertū eſt; rationes enim aſſignatæ id non exigunt.

90. *Piè creditur, etiam reliqua Sacramenta remittere aliqua venialia ex opere operato.*

Sed quid dicam de Sacramentis Confirmationis, Ordinis & Matrimonii? Quamvis ex natura rei non ſit neceſſe, ut collatio gratiæ ſanctificantis adferat remiſſionem peccati venialis; equidem valde conſentaneum eſt legibus amicitiæ, ut quoties aliquis admittitur ad arctius vinculum amicitiæ, condonentur offenſiones leves, ſaltem aliquæ, pro majori, vel minori augmento amicitiæ; cùmque illud augmentum Sacramenta conferant ex opere operato, rectè aſſeritur, etiam illam remiſſionem conferre ex opere operato; alia autem opera bona, ſicuti ſolùm ex opere operantis augent gratiam, ſic itidem ſolùm ex opere operantis remittunt peccata venialia.

Hæc ergo ſit probatio ſecundæ partis concluſionis: Sacramentalia non cauſant infuſionem gratiæ, neque augent gratiam ſanctificantem ex opere operato; ergo neque remittunt peccata venialia ex opere operato. Sacramentalia communiter enumerantur: Oratio Dominica, Aſperſio aquæ benedictæ, Comeſtio panis benedicti, Confeſſio generalis, Eleëmoſyna, & Benedictio Epiſcopi vel Abbatis conſecrati. Aliqui addunt Tunſionem pectoris, Orationem in Eccleſia conſecrata, & ſacram Unctionem, quæ fit poſt Baptiſmum, & alibi. Hæc omnia valere contra peccata venialia, probat communis ſenſus fidelium, & auctoritas SS. Patrum.

Sed quæſtio eſt, quomodo valeant, an immediatè remittendo, an verò ſolùm mediatè excitando aliquem pium motum attritionis, aut alterius virtutis, meritorium gratiæ juſtificantis. Hiquæus in ſuo Commenratio 4. diſt. 21. q. 1. n. 52. ſic inquit: Venialia delentur per Sacramentalia, & idem dicendum in ſuſceptione Sacramentorum dignâ. Ubi comparat ſacramentalia Sacramentis in remiſſione peccatorum venialium.

Et n. 53. probat ſpecialiter de Oratione Dominica ex D. Auguſtino Enchi. c. 71. ibi: *De quotidianis autem brevibus levibuſque peccatis, ſinè quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit. Eorum enim, eſt dicere:* Pater noſter qui es in Cælis: *qui jam Patri tali regenerati ſunt ex aqua & Spiritu ſancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.*

Reſpondet Vaſquez (inquit præfatus Auctor) id intelligi mediante motu contritionis, cui remiſſio debetur, ad quem excitat ipſa oratio. Sed hæc gloſſa eſt imaginaria; ſi remiſſio datur contritioni: ergo oratio non delet; neque talis effectus ſpecialis huic adſcribi debet magìs, quàm aliis orationibus, ex quibus excitari poteſt contritio, v. g. *Miſerere mei Deus* &c. Et ſic de aliis pœnitentialibus.

Deinde non contritioni, ſed huic petitioni: *Dimitte nobis debita noſtra*, talis effectus tribuitur: *Si*, inquit, *quemadmodum veraciter dicitur:* Dimitte nobis debita noſtra &c. *ita veraciter dicatur, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* &c.

Concilium Milevitanum, ni fallor, cap. ultimo idem docet, ſicut & reliqua Africana, probantia contra Pelagium, neminem immunem eſſe à peccato. Huc uſque Hiquæus.

Sed næ iſte fallitur: nam caput ultimum Concilii Milevitani ſic inſcribitur: *Quod à ſanctis veraciter dicitur, dimitte nobis debita noſtra.* Numquid idem ſunt; *Veraciter dicitur: Dimitte nobis debita noſtra*; &, *Per illam dictionem debita iſta immediatè dimittuntur*? Nonne controverſia erat inter Eccleſiam Catholicam, & Pelagianos, per quid remitterentur peccata venialia?

Minimè,

Digitized by Google

Minimè; ſed, an juſti haberent debita, quæ ſibi dimitterentur. Habere autem probat Concilium ex illis verbis Orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Hæc ſunt verba Concilii: *Placuit, ut quicumque verba ipſa Dominicæ Orationis, ubi dicimus:* Dimitte nobis debita noſtra, *ita volunt à Sanctis dici; ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit.* Probationem ſubjungit: *Quis enim ferat, orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur debita, non habere?*

95. Quantùm ad D. Auguſtinum, certum eſt, ipſum non excludere Pœnitentiam, immò includere, ſaltem virtualem, ùt oſtendo ex Epiſt. 108. ibi: *Propter hæc* (venialia peccata) *jejunia, & eleëmoſyna, & orationes invigilant, in quibus cùm dicimus:* Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, *manifeſtamus habere nos, quod nobis dimittatur, atque in iis verbis humiliantes animas noſtras, quotidianam quodammodo agere Pœnitentiam non ceſſamus.*

96. Nec dixeris; Auguſtinus ſuprà Enchi. c. 71. ſpecialiter meminit Pœnitentiæ dum loquitur de remiſſione mortalium ibi: *Delet* (oratio Dominica) *& illa, à quibus vita fidelium ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit: ſi quemadmodum veraciter dicitur:* dimitte nobis debita noſtra, *quoniam non deſunt, quæ dimittantur; ita veraciter dicatur,* ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, *id eſt, ſi fiat quod dicitur: quia & ipſa eleëmoſyna eſt, veniam petenti homini ignoſcere.*

Ne, inquam, putes, propterea excludere omnem Pœnitentiam à remiſſione venialium; nam agit ibi contra illos, qui exiſtimabant infanda crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleëmoſynis quotidie redimenda, perversè interpretantes verba Chriſti Luc. 11. v. 41. *Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

De illis, dico, jure meritiſſimo exigit ſpecialem Pœnitentiam per diſceſſionem, id eſt, propoſitum efficax impoſterùm non peccandi, quale non cenſetur habere, qui quotidie committit eadem peccata mortalia: ſecùs qui committit venialia, à quibus difficillimum eſt abſtinere, & ideo vocantur quotidiana.

97. Et verò quòd non ſoli huic petitioni: *Dimitte nobis debita noſtra* tribuatur effectus remiſſionis, luculenter patet ex illis verbis: *Si quemadmodum veraciter dicitur:* dimitte nobis debita noſtra &c. *ita veraciter dicatur:* ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, *id eſt, ſi fiat, quod dicitur.* Ergo ſola hæc petitio non ſufficit; ſed oportet, concomitetur datio veniæ peccanti; quia, ùt continuò ſubjungitur; *Et ipſa eleëmoſyna eſt, veniam petenti homini ignoſcere,* cui eleëmoſynæ potiſſimùm adſcribitur ibi illa remiſſio.

Hinc in fine cap. 72. ſic ſcriptum habes: *Multa itaque ſunt genera eleëmoſynarum, quæ cùm facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis noſtra peccata.* Adjuvamur, inquam; quia intuitu earum Deus ſpecialia nobis tribuit auxilia gratiæ; excitantia ad motum contritionis, aut ſimilem, cui remiſſio debetur.

Ergo illa oratio non delet peccata, neque talis effectus ſpecialis huic adſcribi debet magìs, quàm alijs orationibus, ex quibus excitari poteſt contritio; negatur Conſequentia; quia licèt hæc oratio non deleat peccata abſque Pœnitentia, tamen quoniam ab ipſo Chriſto ſpecialiter inſtituta, & edocta, veriſimile eſt, accedente communi ſenſu Eccleſiæ, ſpecialiùs conducere ad excitandos motus contritionis, & ſimiles, quibus ex opere operantis augeatur gratia ſanctificans, & ex conſequenti remittantur peccata venialia; ſpecialiùs autem conducit propter ſpecialia auxilia gratiæ, quæ ejus intuitu dantur. *Quomodo magis debeat attribui remiſſio venialium Orationi Dominicæ quàm alijs orationibus,*

Atque ut gratìs concederetur immediata remiſſio venialium Orationi Dominicæ, utpote quæ à Chriſto inſtituta eſt & edocta; qui indubiè potuit illam vim annectere iſti orationi, ſicut annexuit vim ſanctificandi ex opere operato Sacramentis; unde conſtat cetera Sacramentalia, quæ ſolùm inſtituta ſunt ab Eccleſia, eodem gaudere privilegio? 98. *An iii eadem ratio Dominicæ orationis, & aliorum Sacramentalium?*

Sanè ſi Eccleſia haberet poteſtatem inſtituendi aliquid, ùt efficax ad tollendas illas culpas, aliquando extra Sacramenta exercuiſſet illam poteſtatem, etiam ſinè aqua benedicta, aut alio ſimili Sacramentali, dicendo ſolùm: *Ego dimitto tibi peccata venialia*, ſicut dimittit pœnas peccatorum immediatè per Indulgentias, nullum opus pium exigendo. Cùm ergo non fecerit, ſignum eſt talem poteſtatem à Deo non accepiſſe, quamvis Deus potuiſſet eam dare.

Ratio diſcriminis eſt, quòd reatus pœnæ tollitur ſinè infuſione gratiæ, non autem reatus culpæ, cùm remiſſio culpæ ordinetur ad ſanctificandam & mundandam animam. *Quare Eccleſia potiùs poſſit remittere reatum pœnæ, quàm culpæ.*

99. *Objectio ex cap. 20. diſt. 3.* Dices; ſanctificatio & mundatio expreſſis verbis tribuitur aquæ benedictæ ab Alexandro Papa 5. à Petro Epiſt. 1. c. 5. & refertur de Conſecr. diſt. 3. c. 20. *Aquam, inquit, ſale conſperſam populis benedicimus, ut eâ cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ ſanguine aſperſus, populum ſanctificabat, atque mundabat, multò magìs aqua ſale aſperſa, divinisque precibus ſacrata, populum ſantificat, atque mundat.*

Et, ſi ſale aſperſo per Heliſæum Prophetam ſterilitas aqua ſanata eſt, quantò magis divinis precibus ſacratus ſal ſterilitatem rerum adfert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atque mundat, & purgat, & cetera bona multiplicat, & inſidias diaboli avertit, & à phantaſmatum verſutiis homines defendit?

Reſponſio. Reſpondeo; ſanctificat, & mundat aqua benedicta, quatenus ex impetratione Eccleſiæ, Deus utentibus eâ ſæpe dat pium aliquem motum contra venialia, quem aliàs fortè non daret; neque veriſimile, eſt quòd alio modo cinis vitulæ ſanguine aſperſus populum ſanctificaverit atque mundaverit à peccatis venialibus.

100. Inſtantia ſolvitur. Sed contrà; hoc modo poteſt conducere aqua benedicta ad tollenda etiam mortalia. Reſpondeo, ſed non ità frequenter, quia Deus non ità facilè placatur in uno caſu, quàm in alio. Deinde homo difficiliùs concipit motum neceſſarium ad deletionem mortalis, quàm venialis peccati. Denique Eccleſia non applicat illam aquam, utì nec alia Sacramentalia, niſi ad deletionem venialium.

Alia inſtantia. Arguis rurſum: cinis vitulæ, ſanguine aſperſus, populum ſanctificabat, & mundabat immediatè ab immunditiis legalibus. Similiter ſale aſperſo per Heliſæum Prophetam, ſterilitas aquæ immediatè ſanata eſt. Quin & ipſa aqua benedicta immediatè aufert ſterilitatem rerum humanarum, cetera bona multiplicat, & inſidias diaboli avertit, & à phantaſmatum verſutiis homines defendit; quidni igitur ſanctificet coinquinatos, eoſque mundet à venialibus etiam immediatè, quamvis tantùm fallibiliter, & de congruo, ſive per modum impetrationis?

101. Explicatur mens Hiquæi. Nec aliud videtur intendere Hiquæus ſuprà: Si illud dicatur ex opere operato, inquit n. 54. quod confertur non ſolùm intuitu operantis, ſed alterius; ſic dici poſſunt (Sacramentalia) ex opere operato cauſare, quia habent efficaciam; quatenus ſanctitas Eccleſiæ ipſis applicatur mediantibus orationibus, quibus hunc effectum ipſis impetrat à ſponſo. Si verò dicatur ex opere operato illud, quod de condigno, & infallibiliter ex meritis alterius datur, vel operatur, tunc Sacramentalia non cauſant ex opere operato; quia tantùm impetrat Eccleſia, non meretur de condigno. Hæc ille.

Qui ibidem ad illam impetrationem remiſſionis venialium peccatorum requirit, ut Sacramentalia nobis applicentur mediante fide noſtrâ, & cultu Religionis; quia, inquit, ceremoniæ, quarum uſus debet eſſe religioſus, & humano modo, ideo in amentibus aut dormientibus fortè non habent effectum talem, licèt in infantibus habeant alios effectus, ùt fugandi dæmones, & ſimilia.

102. Reſpondeo, diverſitatem hìc petendam eſſe ex materia ſubjecta; altioris quippe ordinis eſt remiſſio peccatorum, etiam tantùm venialium, quàm alii effectus; nam remiſſio non impetratur, ùt fatetur ipſe Hiquæus, niſi Sacramentalia nobis applicentur mediante fide noſtrâ, & cultu Religionis; ſecùs alii effectus: ergo ſimiliter fieri poteſt, ut alii effectus conferantur immediatè, remiſſio autem tantùm mediatè; ſcilicet mediante pio motu, quo de condigno mereamur augmentum gratiæ, ſinè quo in præſenti vita peccatum veniale non remittitur, utpote quæ remiſſio, ùt ſuprà dixi, ordinatur ad mundandam & ſanctificandam animam, quæ ſanctificatio alterius planè rationis eſt à mundatione externa veteris Legis, & ab aliis effectibus ſuprà enumeratis. Hucuſque de remiſſione peccati venialis in hac vita.

Sed numquid aliquando remittitur poſt hanc vitam? Reſpondeo:

CONCLUSIO V.

Remittitur ſubinde peccatum veniale poſt hanc vitam; non tamen per actum meritorium, aut ſatisfactorium, extra viam elicitum.

Doctor Subtilis 4. diſt. 21. quærit primò, Utrùm poſt hanc vitam poſſit aliquod peccatum dimitti; & aſſignat duplicem modum hujuſmodi remiſſionis, unum in Purgatorio, alterum in Inſtanti mortis. *De ſecunda concluſione* (inquit n. 7.) *poteſt dici dupliciter, uno modo ſic, quòd nihil aliud eſt culpa venialis remiſſio, quàm ſolutio pœnæ temporalis debitæ pro ea. Probatur, quia poſt actum tranſeuntem, culpa quæ manet nihil aliud eſt, niſi reatus ad pœnam debitam; iſte autem reatus venialis non eſt niſi ad pœnam temporalem; & per conſequens ſolutâ pœnâ temporali in Purgatorio pro iſto veniali, ex hoc ipſo ipſa culpa venialis remiſſa eſt.*

Non ſic autem de mortali, quia pœna debita ei, non poteſt eſſe totaliter ſoluta, niſi primò ſit æterna commutata in temporalem, & iſta commutatio vocatur remiſſio culpæ mortalis. Hæc autem remiſſio non fit niſi per voluntariam diſplicentiam ordinatam, qualis non habetur poſt mortem.

Sic patet unus modus, quomodo poſt mortem non poteſt dimitti mortale, ſed tantùm pœna debita mortali priùs dimiſſo; poteſt autem poſt mortem dimitti veniale priùs non dimiſſum, quia poteſt ſolvi pœna totalis ſibi debita, & in hoc ipſum remitteretur.

Hunc modum non amplectimur propter auctoritates Sanctorum, qui videntur diſtinguere inter remiſſionem culpæ cujuſcumque, & pœnæ, & maximè inter remiſſionem culpæ, & ſolutionem pœnæ debitæ illi culpæ.

Sequitur

Digitized by Google

104. Secundus modus. Sequitur ſecundus modus, quem Doctor ſuprà n. 8. exprimit hiſce verbis: *Ad propoſitum, opera iſtius, qui moritur in charitate, etſi poſt mortem non referantur ab ipſo ad veniale, in quo moritur, dimittendum: nec etiam ipſe habeat aliquem actum novum meritorium, per quem deleatur veniale: tamen illa opera priùs facta, poſſunt eſſe à Deo relata ad remiſſionem iſtius venialis poſt mortem.*

Et hoc iſto modo; quia cauſa impedibilis dum eſt impedita, non ponit effectum: dum verò eſt non impedita, ponit; ſed merita iſtius morientis in charitate, eſſent cauſa ſufficiens deletionis venialium iſtius, vel relata ab ipſo, vel à Deo acceptante illa in ordine ad iſtud: ſunt autem impedita dum iſte vivit, ſi ſemper actu manet in peccato veniali: poſt mortem verò tunc non ſunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis; igitur per illa delebuntur venialia poſt hanc vitam, puta in inſtanti mortis; nam continuò ſubjungit.

105. Venialia remittuntur in hac vita, niſi continuetur actus peccati uſque ad mortem. *Ex hoc ſequuntur duo. Primum, quòd in inſtanti mortis remittuntur venialia, quia tunc non manet actus peccati venialis, & per conſequens tunc ceſſat impedimentum. Aliud, quòd omne peccatum veniale morientis in charitate, remittitur in hac vita, niſi ille continuet actum peccati venialis uſque ad mortem, vel ad inſtans mortis.* Igitur continuatio actûs peccati venialis uſque ad mortem, impedit remiſſionem peccati venialis in hac vita.

Quid ſit illa continuatio ex Hiquæo. Quæris, quid ſit illa continuatio? Reſpondet Hiquæus ſuprà n. 55. complacentia aut perſeverantia habitualis & interpretativa in peccato veniali commiſſo, ſuppoſito, quòd non fuerit aliàs retractatum per Pœnitentiam, aut alia opera æquivalentia, aut media, quibus remittitur in via.

Et hoc eſt, quod intendit Doctor per illa verba: *Si ſemper actu manet in peccato veniali* &c. Non enim intelligit de actu complacentiæ actualis, ſed de permanentia in peccato habituali quod commiſit, & pro quo non ſatisfecit, ideoque infrà §. *Ex hoc ſequuntur duo*, excipit à remiſſione in inſtanti mortis caſum, quo moriens actu continuet veniale, aut in eo complaceat: *Niſi*, inquit, *continuet actum peccati venialis uſque ad mortem, vel ad inſtans mortis.* Manere ergo actu in peccato veniali intelligit hìc modo dicto, id eſt, in habituali. Hæc ille.

106. Hæc ſententia rejicitur primò. Sed contrà; quomodo Scotus *excipit à remiſſione in inſtanti mortis caſum, quo moriens actu continuet veniale, aut in eo complaceat*, qui docet iſto caſu peccatum veniale remitti in inſtanti mortis? Excipit ergo iſtum caſum, ſed à remiſſione in hac vita: *Omne peccatum veniale*, inquit Scotus, *morientis in charitate remittitur in hac vita, niſi ille continuet actum peccati* &c. Quid clarius?

Et ſuprà: *Sunt impedita* (merita iſtius morientis in charitate) *dum iſte vivit, ſi ſemper actu manet in peccato veniali, poſt mortem verò* (id eſt, in inſtanti mortis) *non ſunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis. Igitur per illa delebuntur peccata venialia poſt hanc vitam*, id eſt, in inſtanti mortis. Quomodo ergo excipit à remiſſione in inſtanti mortis caſum, quo moriens actu continuet veniale, aut in eo complaceat?

Deinde inquiro, quid eſt manere actu in peccato veniali habituali? Quid hìc eſt peccatum veniale habituale? An fortè macula, quæ manet poſt actum tranſeuntem? Manifeſtum eſt quòd non; ſic enim Scotus apertiſſimè peteret principium; nam quæritur, quare hæc macula maneat uſque ad inſtans mortis, illa autem deleatur in hac vita. 107. Rejicitur ſecundo,

Rationem autem diſcriminis aſſignat; quia merita, quæ eſſent cauſa ſufficiens deletionis *ſunt impedita dum iſte vivit, ſi ſemper actu manet in peccato veniali, poſt mortem verò non ſunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis.* Sed quod illud impedimentum? Nonne ipſa macula? Quis ita deſipiat? Quod ergo? *Si ſemper*, inquit Scotus *actu manet in peccato veniali.* Ergo per peccatum veniale non intelligitur hìc macula, quæ manet poſt actum tranſeuntem.

Quid igitur manere actu in peccato veniali habituali, quod manere Scotus aſſignat pro impedimento? Impedimentum (inquit Hiquæus ſuprà n. 56) eſt, non retractaſſe aliàs peccatum, quod requirit lex in viatore ad effectum remiſſionis, vel quòd Deus non acceptarit opera, aut alia media, ùt Sacramenta, ad illum effectum; ſed in morte ceſſat hoc impedimentum: quia merita adjuncta perſeverantiæ finali tribuunt ultimum & completum jus ad gloriam, quod jus aliàs fuit remotum & ſuſpenſum, donec poneretur conditio, à qua dependebat, nempe perſeverantia finalis: quia; *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*: ſicut ergo additâ perſeverantiâ finali completur noſtra juſtitia reſpectivè ad gloriam, ſic etiam opera accipiunt valorem tollendi hujus impedimenti, quod eſt ex peccato habituali, ita ut ipſorum intuitu remittatur. Huc uſque præfatus Auctor. Sed inſpiciamus ſingula. 108. Impedimenta remiſſionis venialium in hac vita ex Hiquæo.

Impedimentum, inquit, *eſt, non retractaſſe aliàs peccatum, quod requirit lex in viatore ad effectum remiſſionis, vel quòd Deus non acceptarit opera, aut alia media, ùt Sacramenta, ad illum effectum.*

Sed hoc eſt quod quæritur, quare Deus non acceptarit opera, aut alia media ad illum effectum, quæ aliàs acceptaſſet. Quia, inquis, non retractavit peccatum. 109. Prima objectio.

Optima reſponſio! Ergo ſola non retractatio debuit aſſignari pro impedimento, & non ſub disjunctione, *non retractaſſe aliàs peccatum, vèl quòd Deus non acceptarit opera* &c.

Præterea, quæ eſt illa lex, quæ requirit retractationem peccati venialis in viatore ad effectû remiſſionis? Aut quæ eſt iſta retractatio, quæ requi- 110. Secunda.

Digitized by Google

requiritur? Ad minus, inquis, relatio operis meritorii ad finem remiſſionis.

Sed contrà; Scotus aſſerit, ad remiſſionem ſufficere acceptationem Dei abſque relatione operantis, ùt concl. 3. vidimus. Planè, reponis, ſed quandò talis relatio operantis non poteſt haberi; ſcilicet poſt mortem.

Contrà; loquitur de remiſſione in hac vita, quandò relatio illa poteſt haberi. *Peccatum veniale*, inquit, *in iſta vita remitti poteſt, non tantùm per pœnam interiorem, vel exteriorem..... ſed per aliquem actum Deo magìs acceptum, quàm peccatum veniale diſpliceat, & hoc vel relatum ab ipſo operante ad hoc peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipſo, ſed à Deo acceptante in ordine ad illud.* Et infrà: *Merita iſtius morientis eſſent cauſa ſufficiens deletionis venialium iſtius* (ſcilicet in hac vita) *vel relata ab ipſo, vel à Deo acceptante illa in ordine ad iſtud.*

Ergo ſinè relatione eſſent cauſa ſufficiens, ſi à Deo acceptarentur: acceptarentur autem, niſi eſſent impedita; per quid? Numquid per non relationem? Reverà ſi Deus numquam acceptat actum ad effectum remiſſionis in hac vita, niſi relatum ab operante, fruſtraneè omnino dicitur ſub disjunctione: *Vel relatum, vel non relatum, ſed à Deo acceptatum.*

111. Actualis complacentia in peccato veniali impedit eius remiſſionem in hac vita.

Quod ergo impedimentum acceptationis divinæ? Reſpondet aliquis, actualis complacentia in peccato veniali; *Poſt mortem*, inquit Scotus, *non ſunt impedita* (merita morientis in charitate) *quia tunc non contrahit actum peccati venialis.* Numquid contrahit actum peccati venialis, qui non retractat peccatum præteritum? Ille propriè contrahit actum peccati venialis, qui actualiter peccat: qui autem moritur in charitate, non peccat actualiter poſt mortem, ne leviter quidem, & ideo poſt mortem remittitur illud peccatum, quod continuavit uſque ad inſtans mortis.

Impediuntur illa merita iuſta & bona, inquit Scotus in Report. (ultimæ editionis) 4. diſt. 21. q. 1. n. 9. *habere ſuum effectum uſque ad illud inſtans, quo moritur, quia ſemper concomitatur illa aliqua culpa venialis* (actualis) *uſque ad illud inſtans; quia omnem culpam venialem* (actualem.) *non poteſt viator effugere, licèt illam, & illam, & quamlibet diviſim.* Hæc pro intelligentia verborum Scoti, quæ nonnullam habent obſcuritatem.

112. Licèt Scotus propendeat in ſecundum modum iſ explicatum, tamen dat facultatem quærendi tertium.

Eo tamen ſemper ſalvo, quòd Doctor Subtilis, licèt multùm propendeat in hunc ſecundum modum dicendi, videlicet peccata venialia remitti in inſtanti mortis per opera priùs facta, & à Deo relata ad hunc effectum, nihilominus concedat facultatem, ut quæratur alius modus: ſic enim ſcribit n. 10. *Si neuter modorum iſtorum placet, nec primus, ſcilicet quòd idem eſt veniale remitti, & pœnam ſolvi debitam illi: nec ſecundus, ſcilicet quòd per merita in vita habita & reſervata in divina acceptatione deleantur in inſtanti mortis; quæratur alius, quem eſt difficile invenire: nam motum aliquem bonum, per quem tamquam per diſpoſitionem, vel meritum de congruo, vel condigno deleatur veniale, ponere in anima poſt mortem, non videtur doctrinæ Theologicæ conſonum, quæ ponit ſtatum illum ab iſtis immunem.* Ut proinde Scotiſtis liberum ſit hac in re ſentire, quod libet.

De cetero ad propoſitum noſtrum Doctor Seraphicus 4. diſt. 21. a. 1. q. 2. in corp. ſic inquit: *Cùm nullus ſit uſus liberi arbitrii meritorius poſt mortem, in nullo videtur poſſibile, quòd gratia culpam deleat cooperante motu voluntatis animæ tam exutæ, & ſic modus iſte dicendi non videtur omnino conveniens.* Modus iſte dicendi erat: *Si quis cum impœnitentia de venialibus diſcedat, mortaliter peccat. Si quis verò præter uſum liberi arbitrii diſcedat, poſtmodum delentur per gratiam cum deteſtatione voluntaria: nam anima, quæ eſt in gratia, ſtatim dum in ſe conſpicit culpam illam, deteſtatur, & gratia exiſtens in anima eam delet.* 1 Nō libe trii rius moi

Hunc modum dicendi ex parte amplexus fuit Card. Lugo, qui diſp. 9. n. 35. cum aliis, quos citat, requirit ad remiſſionem culpæ venialis poſt mortem actum retractationis; quæ, inquit, retractatio facillimè elicitur ab anima ſeparata in ipſo exitu à corpore, concurrentibus tot tantiſque motivis ad deteſtandam culpam, & ceſſantibus omnibus, quæ in hac vita retardabant ab ea retractatione perfectè habenda. 1 Lug qui miſſ ven poſt actu rtac nis.

Ratio Eminentiſſimi eſt; quia durare culpam habitualem, eſt durare fundamentum ad rationabilem indignationem Dei ratione offenſæ: hæc autem indignatio inter alios fines ordinatur ex ſe ad reſipiſcentiam peccatoris, ut qui offendit, ex juſta indignatione offenſi advertat, ſe malè feciſſe: quamdiu ergo homo non habet hujuſmodi reſipiſcentiam, videtur eſſe poſitivè indiſpoſitus ad veniam, atque ideo ad remiſſionem videtur prærequiri ex natura rei iſta reſipiſcentia, & retractatio ex parte offendentis: & per conſequens etiam poſt hanc vitam expectat Deus ejuſmodi retractationem ad remiſſionem peccati venialis. Hæc ille. Prol

Quæ non omnino diſplicent, admiſſo, ùt ipſe ibi admittit n. 36. quòd ea retractatio non requiratur ùt meritoria, vel ſatisfactoria; ſed ſolùm tamquam removens prohibens, quatenus, inquit, tollit indiſpoſitionem poſitivam, & impedimentum, quod præerat ad veniam, dum homo non reſipiſcit; nec recognoſcit offenſam: non ergo datur venia intuitu illius diſpoſitionis tamquam meriti, ſed tamquam conditionis ex natura rei neceſſariæ, ut peccatum remittatur omnino gratis. 11 illa r ctatio requi ùt m tia vel factor

Et fortè Scotus ſuprà n. 10. nihil aliud voluit, quamvis videatur diſtinguere inter diſpoſitionem, & meritum; & negare tam diſpoſitionem, quàm meritum. Interim n. 8. ſolius meminit actûs meritorii ibi: *Ad propoſitum, opera iſtius, qui moritur in charitate, etſi poſt mortem* Scotu

Digitized by Google

tem non referantur ab ipſo ad veniale, in quo moritur, dimittendum, nec etiam ipſe habeat aliquem actum novum meritorium, per quem deleatur veniale &c. Doctor quoque Seraphicus ſuprà ſolummodo negat uſum liberi arbitrii meritorium poſt mortem, nullam faciens mentionem diſpoſitionis non meritoriæ.

116. [illegible] Quidquid ſit de neceſſitate illius retractationis, quæ incerta eſt, ſicut multa alia, quæ hactenus propoſuimus circa remiſſionem peccatorum venialium, defectu revelationis divinæ voluntatis, à qua potiſſimùm pendet hæc remiſſio; non dubium, quin moriens in charitate, illico retractet omnia peccata venialia, ſi fortè aliqua habeat, quæ in vita non retractaverit, idque modo perfectiſſimo quo poteſt, cùm nihil ſit quod ipſum impediat, immo adſit, quod maximè juvet, ſcilicet conſideratio malitiæ, divinæque bonitatis, tunc ei veraciter propoſitæ in judicio particulari.

[illegible] Et ſi à me quæritur, an ergo omnino gratìs illa peccata remittantur. Reſpondeo, remitti omnino gratìs, id eſt, ſinè ullis meritis poſt mortem; interim intuitu meritorum præcedentium, ùt cum Scoto docet Lugo ſuprà n. 37. Juſtus enim in hac vita per bona opera, ſicut meretur gloriam, ſi moriatur in gratia, ita etiam meretur, ut, ſi moriatur in gratia, detur ei venia ſuorum venialium, ſinè qua non poteſt conſequi cum effectu gloriam, quam meretur: habet ergo jus ex meritis præcedentibus hujus vitæ, ut poſt mortem remittantur ei venialia, atque ideo aliquo modo remittuntur ei ex meritis. Ita Eminentiſſimus.

117. Objectio ſolvitur ex Scoto. Sed contrà, inquis; ſi opera præcedentia merentur remiſſionem, cur non remittuntur illa peccata ante mortem? Reſpondeo ex Scoto ſuprà; quia ſunt impedita dum iſte vivit, ſi ſemper actu manet in peccato veniali.

Atque ùt non ſemper actu maneret in peccato veniali, nihilominus Scotus probabile reputat, quandoque differri remiſſionem uſque ad inſtans mortis. Hæc ſunt verba illius 4. diſt. 21. q. 1. n. 9. *Ex hoc ſequuntur duo. Primum* &c. *Aliud, quòd omne peccatum veniale morientis in charitate remittitur in hac vita, niſi ille continuet actum peccati uſque ad mortem, vel ad inſtans mortis. Hoc ſecundum videtur probabile, niſi dicas, Deum hoc ordinaſſe, quòd bona merita iſtius reſerventur in divina acceptatione, uſque ad inſtans mortis, quando ſcilicet deſinit viator eſſe, & per conſequens tunc retribuat bonum correſpondens iſtu meritis: non ſic autem pro aliquo inſtanti priori, pro quo fuit viator.*

[illegible] *Iſtud eſt probabile in aliis* (meritis) *quia cùm quodcumque meritum mereatur* (ùt credo) *augmentum gratiæ, quia aliquem determinatum gradum gloriæ, ad quem requiritur, ùt diſpoſitio prævia, aliquis gradus gratiæ, & non ſemper Deus poſt quemcumque actum meritorium augeat gratiam proportionatam merito, videtur quòd augmentum debitum meritis remiſſis, reſervet uſque ad inſtans mortis.*

Et eodem modo de iſta deletione venialium, quæ eſt quoddam præmium non principale iſtorum meritorum, ſicut & augmentum charitatis in tali vel tali gradu. Et hoc eſt rationabile, quia in illo inſtanti iſte primo ſit in ſtatu alio, & præmium meritorum reddi eis impedivit ſtatus viatoris, vel aliquid concomitans ſtatum hujuſmodi. 118. Idem dici poſſet de remiſſione venialium.

Et proſequitur dicens: *Nec oportet hìc aſſignare, quòd hac reſervatio* (augmenti gratiæ) *pro inſtanti mortis ſit rationabilis, quia homo tunc maximè indiget* (gratiâ) *propter maximas tentationes tunc imminentes: hoc enim non eſt verum, quia in inſtanti mortis anima eſt ſeparata à corpore, & per conſequens non eſt in via, ſed in termino, nec per conſequens tunc expoſita tentationibus.*

Itaque juſtus non meretur utcumque remiſſionem venialium, ſed ſubordinatè ad augmentum gratiæ, nec meretur utcumque augmentum gratiæ in illa ſententia, ſed ſolùm pro illo tempore, quando erit neceſſarium ad augmentum gloriæ, cùm ergo augmentum gloriæ, quod eſt præmium principale reddi meritis impediat ſtatus viatoris, quid mirum ſi ſimiliter impediat reddi augmentum gratiæ, & remiſſionem venialium, quæ ſunt præmia non principalia? 119. Juſtus meretur remiſſionem venialiū ſubordinatè ad augmentū gratiæ;

Deinde juſtus, licèt ſuis operibus mereatur remiſſionem venialium, non tamen niſi pro illo tempore, quando non eſt ampliùs locus propriæ ſatisfactioni; ſolùm enim meretur in genere ablationem impedimentorum ad habendam aliquando gloriam, ùt ſtatim dictum eſt, ad hoc autem ſufficit remiſſio poſt mortem: & aliunde congruit, ut quamdiu homo poteſt ſe diſponere ad veniam per propriam ſatisfactionem, non remittantur ſinè illa. idque non niſi pro illo tempore, quando non eſt ampliùs locus propriæ ſatisfactioni.

Si inferas; ergo nec immediatè poſt mortem remittuntur, quia quamdiu pœna non eſt ſoluta, non debetur introitus in Cælum. Reſpondeo neg. Conſeq. quia licèt poſſet ulteriùs differri illa remiſſio, quod ſolum probat ratio adducta; equidem nulla ampliùs eſt ratio differendi, cùm jam homo non poſſit ulteriùs pro culpa ſatisfacere, ſed tantùm ſatiſpati; nam illa retractatio ſive diſplicentia, quæ fortè eſt neceſſaria poſt mortem, non requiritur ùt ſatisfactio, ſicut in vita; ſed ùt mera ablatio indiſpoſitionis & obicis ad veniam, qui obex erat carentia diſplicentiæ ſeu retractationis; poſitâ ergo retractatione, ponitur conditio, defectu cujus ante mortem non fuit facta remiſſio; ergo ſtatim ponitur remiſſio. 120. Objectio ſolvitur.

Petes, quid ſi ergo poſt ultimum peccatum veniale, nulla habuit nova merita, v. g. deceſſit cum actuali affectu peccati venialis? Reſpondeo, ſufficiunt merita præcedentia; nam ſicut illa meruerunt augmentum gratiæ, meruerunt etiam ablationem impedimentorum ad conſecutionem gloriæ, ſi in gratia deceſſerit, inter quæ impedimenta eſt perſeverantia maculæ venialis. 121. Quid ſi aliquis poſt ultimum peccatum veniale nulla habuerit nova merita?

Digitized by Google

122. *Quid ſi nulla omnino habuerit merita? Prima reſponſio.* Rogas iterum, quid ſi nulla omnino habuerit merita, ſed deceſſerit cum ſola juſtitia baptiſmali? Reſpondeo I. loquitur Scotus ſecundùm ordinarium curſum, non in eo caſu, qui fortè non contingit, nec contingere poſſe docent ij, qui in primo inſtanti uſûs rationis dicunt hominem obligari ad perfectam in Deũ converſionem, alioquin mortaliter peccaturum (ſi credere fas eſt) quâ ſententiâ ſuppoſitâ, niſi aliàs baptizatus ſit infans, habet meritum aliquod, ùt patet.

Secunda. Reſpondeo II. ſuppoſitâ veritate caſûs, videlicet, quòd adultus, qui moritur, habeat ſolam gratiam baptiſmalem cum peccato veniali; reſpondeo, inquam, tunc remitti peccatum illud intuitu operum & meritorum Chriſti, quæ ipſi applicata fuerunt per Baptiſmum, & intuitu quorum per Baptiſmum accepit gratiam habitualem, quæ gratia habet annexum jus ad gloriam, adeoque jus ablationis impedimentorum, per conſequens jus remiſſionis venialium, ſinè qua impoſſibilis eſt, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, conſecutio gloriæ.

123. *Objectio ſolvitur.* Sed contrà; ſi eſt jus ad remiſſionem; ergo non eſt remiſſio, quæ importat actum liberalitatis, ſed ſolutio debiti. Reſp. neg. Conſ. quia non repugnat, quòd ex juſtitia aut fidelitate debeatur actus liberalitatis. *Poteſt actus liberalitatis eſſe debitus ex juſtitia.* Quid ſi enim promittam Deo, dare pauperi eleëmoſynam, num ideo eleëmoſyna pauperi exhibita non erit actus liberalitatis? Liquet profectò eſſe; cùm pauperi ex illa promiſſione nullum acquiratur jus, & tamen aliunde erit actus debitus Deo ex fidelitate.

124. *Replica ſolvitur primò ex S. Anſelmo,* Dices; remiſſio debita reſpicit eamdem perſonam; ergo diſparitas. Reſpondent aliqui neg. Antecedens; quia, ùt ait D. Anſelmus Proſologii c. 10. *Iuſtus es* (Domine) *non quia nobis reddas debitum, ſed quia facis, quod decet te ſummè bonum.*

& D. Aug. Similiter loquitur D. Auguſtinus 1. Confeſſ. c. 4. *Reddis*, inquit, *debita nulli debens.* Itaque remiſſio illa poſt mortem debita eſt, non homini, reſpectu cujus eſt actus meræ liberalitatis, ſed magìs ipſi Deo, qui teſte Apoſt. 2. Timoth. 2. v. 13. *Fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt.* *2. Tim. 2.*

Solvitur 2. Atque ut fidelitas in Deo reſpiceret hominem, immo ut eſſet vera & ſtricte dicta juſtitia in punitione & præmiatione, ut ſcilicet pro meritis quaſi commutando reddantur à Deo præmia, & pro peccatis ſupplicia, quid tum? Nonne aliqui docent, habentem ſuperflua, teneri ex juſtitia dare eleëmoſynam, conſtituto in extrema neceſſitate?

125. *Obligatio juſtitiæ non ſemper evacuat rationem eleëmoſynæ.* Quid ſi ergo cum aliquo contraxiſſem, ut mihi nunc daret 100. florenos, ego autem pro tempore indigentiæ, ipſi ex meis bonis neceſſaria præſtarem; putas quia iſta obligatio juſtitiæ, evacuaret rationem eleëmoſynæ, quam alioquin haberet datio neceſſariorum tempore indigentiæ? Quid ſi omnino liberaliter promiſiſſem? Quid ſi homo obligaret ſe alteri ex juſtitia, vel fidelitate, ad remittendam offenſam, quotieſcumque ipſum offenderet, & poſtea nollet offenſam remittere, nonne exiſtimaretur durus aut implacabilis, quaſi irrationabiliter iram retineat?

Reverà, inquit Lugo ſuprà n. 39. habet adhuc totum fundamentum indignationis, ſcilicet offenſam abſque ſatisfactione ſufficienti offendentis: maneret ergo offenſa, donec ab offenſo remitteretur, licèt ad hanc ipſam remiſſionem teneretur ex juſtitia, aut certè fidelitate, ob ſuam promiſſionem. *Qu ex tei mi nis me no rat lib tis*

Ergo ſimiliter in Deo, ſive dicatur ex juſtitia obligatus ad illam remiſſionem venialium poſt mortem, ſive ſolùm ex fidelitate, aut quadam condecentia, vel, ùt alii vocant, connaturalitate, quâ gratiæ finali debetur gloria, & per conſequens remotio impedimentorum, conſtat manifeſtè, quòd illa obligatio non auferat ſeu impediat rationem liberalitatis; ſicuti quòd Deus ex liberali promiſſione obligetur remittere peccatum mortale, quando peccator ex perfecta charitate conteritur, non facit, ut illa contritio ſit meritum condignum, neque ab illa remiſſione aufert rationem liberalitatis.

Quare? quia, etiam accedente ordinatione ſeu promiſſione divinâ, ille actus non eſt ſatisfactio ſufficiens. Ergo conſimiliter, licèt Deus acceptet merita morientis in charitate ad effectum remiſſionis venialium poſt hanc vitam, eo ipſo quo acceptat illa ad augmentum gratiæ & gloriæ, quia ordinavit gloriam non dare, niſi præceſſerit illa remiſſio; equidem illa merita non ſunt ſatisfactio ſufficiens, & ideo non impediunt, vel non auferunt rationem liberalitatis ab illa remiſſione poſt mortem. *quia dem præ non tisfa ficie*

Ceterùm fieri aliquam remiſſionem poſt hanc vitam, colligit Mag. 4. diſt. 21. in principio ex illo Chriſti Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit* (verbum) *contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ex quo datur intelligi (inquit ille) ſicut ſancti Doctores tradunt, quod quædam peccata in futuro dimittentur, quædam enim culpæ in hoc ſæculo relaxantur; quædam verò parvæ etiam in futuro, quæ quidem poſt mortem gravant, ſed dimittuntur, ſi digni ſunt, ſi bonis actibus in hac vita meruerunt, ut dimittantur eis. Hucuſque Magiſter. *1: Fieri remi pecc poſt vitan git Mat*

Dubitas qui ſint iſti ſancti Doctores? Reſpondeo, inprimìs D. Gregorius lib. 4. dial. c. 39. (& refertur diſt. 25. c. 4.) ibi: *Qualis hinc quiſque egreditur, talis in iudicio præſentatur; ſed tamen de quibuſdam levibus culpis eſſe ante iudicium purgatorius ignis credendus eſt, pro eo, quod veritas dicit*: Quia ſi quis in Spiritum ſanctum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo remittetur ei, neque in futuro. *In qua ſententia datur intelligi,* *12 & p auct D. G*

Digitized by Google

intelligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro poſſe relaxari. Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur.

D. Aug. Accedat D. Auguſtinus lib. 21. de Civit. c. 24. ibi: *Neque enim de quibuſdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus etſi non in iſto, tamen remitteretur in futuro.* Plures vide apud alios; hi duo nobis ſufficiunt pro veritate iſtius doctrinæ: contra quam nihilominus

129. Objicitur I. Nullus moriens juſtus poteſt poſtea peccare: ergo nec moriens in peccato poteſt poſtea reſurgere. Conſequentia patet; tum, quia ſimile videtur pro aliquo ſtatu poſſe peccare, & reſurgere à peccato: tum, quia faciliùs eſt cadere, quàm reſurgere; tum, quia reſurgere à peccato non videtur competere niſi ei, qui poteſt mereri: ſed qui non poteſt in aliquo ſtatu cadere, non poteſt mereri; ergo &c.

Reſpondet Scotus 4. diſt. 21. q. 1. n. 11. neg. Conſequentiam, *Intelligendo reſurgere pro liberari à peccato.* Ad probationem dicit: *Quòd non eſt ſimile; quia peccare eſt liberè agere, & pro ſtatu via* (intellige de peccato demeritorio) *reſurgere autem, id eſt, immunem fieri à peccato non requirit liberè agere, etiam in via, quia vel ſecundùm primam opinionem non eſt niſi ſolvere pœnam, & hoc eſt pati eam, vel iuxta ſecundam non eſt niſi per merita priùs habita in via, & pro tunc acceptata, culpam nunc dimitti.*

130. *Ad ſecundam probationem Conſequentiæ, concedo, quòd faciliùs eſt cadere, quàm reſurgere, prout reſurgere dicit actum ordinatum in poteſtate ſimpliciter reſurgentis; ſed ſic non accipitur reſurgere in iſta remiſſione peccati venialis.*

Ad tertiam probationem falſum accipit, ſcilicet quòd reſurgere tunc eſt per actum voluntatis meritorium, qui tunc inſit; ſed per actum meritorium qui priùs inſuit in vita iuxta ſecundam opinionem; vel per nullum actum meritorium, ſed tantùm per pati pœnam condignam pro illo peccato ſecundùm primam opinionem. Hucuſque Doctor Subtilis.

Interpoſui autem illam parentheſim, *Intellige de peccato demeritorio*, quia damnatus verè peccat, etiam ſecundùm Scotum, ùt patet ex dictis concl. 2. licèt per illud peccatum nihil de novo demereatur.

131. Cur ergo ſimiliter, dicet aliquis, animæ in purgatorio non poſſent peccare, ſaltem venialiter, eſtò nihil per peccatum demererentur? Nam confirmatio in gratia ſolùm videtur excludere peccatum mortale. Unde tametſi id admitteretur, adhuc verum eſſet id, quod dicit Eccleſiaſtes cap. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Eccle. 11.

D. Aug. Similiter quod ait D. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 14. *His atque huiuſmodi Doctor ille* (intelligit Cyprianum) *ſententiis in Catholica fidei luce clariſſimâ, ſatìs apertèque teſtatur, uſque ad huius corporis depoſitionem peccandi pericula tentationeſque metuendas; deinceps nulla talia quemquam eſſe paſſurum*, puta pericula tentationeſque peccandi mortaliter, & demeritoriè. Nam ſententiæ D. Cypriani, quas ibidem allegat D. Auguſtinus nihil aliud videntur probare. Sunt autem hæ.

Prima: *Cur non cum Chriſto futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quòd ad Chriſtum vocaris amplecteris: & quòd Diabolo careas gratularis?* Secunda: *Pueri periculum lubricæ ætatis evadunt.* Tertia: *Quid non properamus & currimus, ut patriam noſtram videre, ut parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua incolumitate ſecura, adhuc de noſtra ſalute ſollicita.* Cyprianus.

Interim non peccare, eſt res certa de fide (inquit Suarius 3.p.to.4.diſp 47. ſect.1.n.7.) contra Lutherum, qui dixit, illas animas ſemper peccare, horrendo & fugiendo pœnas illas juſtas, in quo ſeipſas, ſuumque commodum quærunt, ùt refert Roffenſis art. 38. Hæc ille. 132. Non peccare eſt res certa. Suarius. Roffenſis.

Quidquid ergo ſit de poſſibili, an Deus ſic potuiſſet ordinare, ut peccarent non demeritoriè, & illa peccata remitterentur quoad culpam per merita hujus vitæ, ſicut remittuntur peccata venialia hujus vitæ poſt mortem; certum eſt de facto non ſic ordinaſſe, ſed voluiſſet ut hoc ipſo, quo juſtus moritur, ampliùs non peccaret; non defectu libertatis, neque præciſè quia ampliùs non eſt in via; ſed quia eſt in tali ſtatu, in quo eſt tranſitus infallibilis ad gloriam: illi autem ſtatui, tametſi ab intrinſeco non repugnet peccatum, tamen convenientiſſimum eſt, ut ab illo quàm longiſſimè abſit; cùm peccatum ex ordinatione divina ſit incompoſſibile cum gloria: & aliunde nulla ratio ſubeſt permittendi peccatum, quod alioquin neceſſariò & infallibiliter eſt remittendum. Quare Deus ſic ordinaverit.

Aliud eſt de peccatis damnatorum, ùt patet; utì etiam de remiſſione venialium hujus vitæ poſt mortem, quæ neceſſaria eſt ad gloriam conſequendam, adeoque juſtiſſimam Deus habuit rationem, ordinandi reſurrectionem poſt mortem, & ſimul impeccabilitatem, aut potiùs carentiam omnis peccati. Hæc de prima objectione.

Objicitur 2. Nullum peccatum mortale poſt hanc vitam poteſt remitti; igitur nec veniale. Conſequentia patet; quia ſunt ejuſdem rationis, cùm non niſi ſecundum magis & minùs differant. 133. Secunda objectio.

Reſpondet Scotus ſuprà n. 12. *Non valet Conſequentia.* Et ratio ſecundùm primam opinionem eſt; quia pœna debita mortali non poteſt eſſe totaliter ſoluta, cùm ſit æterna; ſecùs pœna debita peccato veniali. *Iuxta verò ſecundam eſſet dicendum*, inquit Scotus, *quòd merita facta in vita non poſſunt acceptari pro inſtanti mortis,*

Digitized by Google

mortis, ut per ea deleatur mortale; quia Deus diſpoſuit mortale non delendum, niſi per ſuſceptionem voluntariam Sacramenti, vel per aliquam diſpoſitionem tamquam meritum de congruo, tunc vel uſque tunc inhærentem, quando peccatum deletur; non ſic eſt in eo, qui diſcedit in mortali.

Ad probationem Conſequentiæ dicit: *Quod etſi mortale, & veniale ſint eiuſdem rationis in genere naturæ, vel fortè in malitia moris, ùt genus virtutis diſtinguitur contra gratuitum & peccatum (non enim idem eſt eſſe virtuoſum vel vitioſum moraliter, & iuſtum & peccatorem theologicè: immo quandoque vitioſus eſt iuſtior, & magìs virtuoſus magìs peccator, ùt aliàs dictùm) ſed tamen non ſunt iſta eiuſdem generis vel rationis in ratione offenſæ divinæ; & ideo nec uniformiter remittuntur.*

Id eſt, peccatum mortale, & veniale quandoque opponuntur eidem virtuti, & privant eâdem bonitate phyſicâ, aut etiam morali philoſophicâ, ut ſic loquar, non tamen eâdem bonitate morali theologicâ, quia peccatum mortale opponitur ex divina ordinatione gratiæ juſtificanti, & privat amicitiâ divinâ, ſecùs peccatum veniale. Quid ergo mirum ſi unum remittatur poſt mortẽ, & non alterum?

134. Tertia objectio ex D. Damaſceno.

Objicitur III. ex Damaſc. lib. 2. de fide c. 4. *Quod eſt Angelis caſus, hoc eſt hominibus mors;* ſed Angelus poſt caſum eſt omnino invariabilis ab hujuſmodi, in quod cadit; ergo & homo ab illo, in quo moritur eſt invariabilis poſt mortem. Ità lego apud Scotum ſuprà n. 1. Subſcribo genuina verba D. Damaſceni: *Illud etiam ſcire non alienum fuerit, quod hominibus mors eſt, hoc Angelis lapſum extitiſſe. Poſt lapſum enim præcluſa iam eſt illis omnis reſipiſcendi facultas, quemadmodum & hominibus, poſtquam ex hac vita migrarunt.*

Reſponſio Scoti.

Reſpondet Scotus ſuprà n. 13. *Eſt ſimilitudo quoad hoc, quòd Angelus cadens eſt in termino, non in via, ſic & homo in morte: ſed non oportet ſimilitudinem eſſe quantùm ad ſtabilem permanentiam in quocumque, ſed in illo quod eſt principale in eo, qui iam attingit terminum, cuiuſmodi eſt vita ſpiritualis per gratiam, vel mors ſpiritualis per peccatum mortale; & ſic qui moritur in vita gratiæ ſemper vivet: qui verò moritur in peccato mortali ſemper permanebit.*

Secundùm veniale non attenditur ſtatus.

Sed de peccato veniali non oportet eſſe talem ſtabilitatem, quia illud non eſt aliquid, ſecundùm quod per ſe attendatur ſtatus bonus, vel malus viæ, vel termini, quia poteſt ſtare cum bono ſtatu, & cum ſtatu malo, tam viæ quàm termini; ſed quando eſt cum bono ſtatu termini, oportet, quòd deleatur antequam plenè habeatur ultimus terminus.

135. Quarta objectio.

Objicitur IV. per pœnam minimam poteſt dimitti peccatum veniale, dum tamen ſit voluntaria, ùt aſperſione aquæ benedictæ, & hujuſmodi pœna mortis eſt maxima, quia *ultimum terribilium eſt.* 3. Ethic. c. 9. ergo per illam ſi ſit accepta voluntariè ab iſto morituro, poteſt deleri omnis culpa venialis; ergo poſt mortem nulli remanet dimittenda.

Reſpondet Doctor Subtilis ſuprà: *Poteſt bene concedi, quòd mors voluntariè accepta ſit pœna ſufficiens pro pœna cuiuſcumque peccati venialis, & fortè pro magna parte pœnæ debita pro mortalibus dimiſſis. Nec obſtat, quòd eſt pœna neceſſaria; quia aliquis poteſt neceſſarium voluntariè acceptare: & ſic huic conſonat, quod dictum eſt in ſecunda opinione, quòd peccatum veniale deleatur in inſtanti mortis, cum dicto in prima opinione; quia ſi per ſolam ſolutionem pœnæ remittatur in morte, illa pœna ſolvitur; & ſic in morte veniale remittitur.* Reſ[…] Scot[…]

Mor[…] lunt[…] cept[…] magn[…] parti[…] næ d[…] pecc[…] mor[…] dim[…]

Clariùs exprimit hanc doctrinam in Report (ultimæ editionis) eâdem diſt. & q. n. ultimo, ibi: *Ad aliud tùm dicitur, quòd per maximam pœnam, quæ eſt mors, poſſunt omnia peccata venialia remitti, dico, quòd quidquid dicant alii, mors ſi voluntariè toleraretur, deleret omnia peccata venialia, & etiam fortè mortalia quantùm ad eorum partialem pœnam non ſolutam. Licèt enim mors ſit pœna neceſſariò conſequens hominem, quia homo neceſſariò moritur; poteſt tamen Deus illam pœnam voluntariè acceptam & toleratam acceptare pro multis aliis pœnis debitis tam venialibus, quàm mortalibus, dummodo culpa priùs remittatur per Abſolutionem ſacramentalem. Et ideo ſecurè imponenda eſſet latroni, qui ſtatim morietur pro facinore aliquo, mors ſua voluntariè ſuſtinenda pro pœna. Et credo, quòd ſi fur illam voluntariè ſuſtineat, tanta poſſet eſſe illius contritio & diſplicentia, & voluntaria & libera electio mortis pro pœna ſibi debita, quòd ſtatim evolaret ad Cælum.* Hucuſque Scotus ſecundùm primam opinionem, quæ erat, quòd nihil aliud eſt culpæ venialis remiſſio, quàm ſolutio pœnæ temporalis debitæ pro ea.

Juxta autem ſecundam opinionem, quæ diſtinguit remiſſionem culpæ, à ſolutione pœnæ, ut mors voluntariè tolerata deleret omnem pœnam debitam peccatis venialibus, & mortalibus priùs quoad culpam remiſſis, equidem manifeſtè conſtat, per illam non remitti peccata venialia quoad culpam, niſi in quantum acceptatio mortis eſt opus meritorium relatum in iſtum finem, vel à Deo acceptatum in ordine ad illud.

Finio verbis Scoti deſumptis ex Reportatis ſuprà n. 2. *In iſta quæſtione concluſio eſt certa, quòd peccatum aliquod poteſt dimitti poſt mortem, non tantùm quantùm ad pœnam, quia ſcilicet pœna illi peccato debita non fuit hìc ſoluta, ſed etiam quantùm ad culpam in ſe. Probatio iſtius: nullus ſalvabitur cum aliquo peccato, ſed exiſtens cum aliquo peccato veniali poteſt dormire, & dormiendo mori; & ſimiliter poteſt aliquis venialiter peccare uſque ad ultimum inſtans, quo anima egreditur à corpore. Conſtat autem quòd ſic morienti numquam fuit dimiſſum hoc peccatum veniale, igitur vel intraret gloriam ſinè remiſſione culpæ talis venialis, vel ibi remitteretur ei.* Atqui non intrabit gloriam ſinè remiſſione culpæ talis venialis, quoniam *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Apoc. 21. v. 27. ergo ibi remittetur ei. 13[…] Pecc[…] aliqu[…] quoa[…] pam[…] nam[…] tur[…] mort[…] Apoc.[…]

Cùm-

Digitized by Google

Cùmque nulla ſit ratio differendi illam remiſſionem, non dubitò quin ante delationem ad locum Purgatorii remittetur ei talis culpa venialis, abſque tamen infuſione novæ gratiæ, aut ulla diminutione pœnarum temporalium.

Hæc ſunt, quæ habuimus communicanda Lectori de re adeò incerta, & nobis incognita, de remiſſione dico peccatorum venialium, ſive in hac vita, ſive poſt mortem. Reſtat ultimus effectus Pœnitentiæ, nempe reviviſcentia meritorum, de qua inſtituitur

SECTIO SEPTIMA.

De Reviviſcentia meritorum per Pœnitentiam.

1. HAud rarò contingit, ut juſtus avertat ſe à juſtitia ſua, & faciat iniquitatem; cùm *autem averterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitates ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, numquid vivet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, quâ prævaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccavit, in ipſis morietur.* Ezech. 18. v. 24.

Omnes, inquam, juſtitiæ ejus, id eſt, opera meritoria, quæ fuerunt exercita ab homine juſto, non recordabuntur ad præmium gratiæ, & gloriæ: quæ propterea vocantur opera mortificata, quoniam in principio viva fuerunt, nunc autem nullum vitæ effectum, neque præmii meritum habere poſſunt.

2. Sed, *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* Ezech. 18. v. 23. Hinc ſæpiſſimè evenit, ut impius avertat ſe ab impietate ſua, quâ operatus eſt, & rurſum faciat judicium & juſtitiam. *Cùm autem averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit.* Ezech. 18. v. 27.

Numquid etiam vivificabit opera mortificata? *Convertimini*, ait ibidem Dominus v. 30. *& agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et quamvis fortè hęc Scriptura nō probet efficaciter intentum, ùt in progreſſu apparebit, ſit nihilominus

CONCLUSIO I.

Merita per peccatū mortificata, reviviſcunt per Pœnitentiā; potuiſſent abſolutè non reviviſcere.

3. PRima pars eſt communis Theologorum, quæ ſinè temeritate non poteſt negari, & probari ſolet primò ex Apoſt. Heb. 6. v. 9. & 10. *Confidimus*, inquit, *de vobis dilectiſſimi meliora, & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur. Non enim iniuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis* (id eſt, ut non remuneret opera veſtra, & dilectionem) *quam oſtendiſtis* (id eſt, exhibuiſtis ſeu præſtitiſtis) *in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis*; indigentibus videlicet Chriſtianis neceſſaria ſubminiſtrando, ſeu in neceſſitatibus adjuvando.

Et quamvis hic locus ab aliquibus explicetur de bonis operibus, non interruptis per peccatum; ab aliis autem de bonis operibus in peccato factis; equidem probabiliùs à pleriſque intelligitur, vel de ſolis operibus bonis, mortificatis per peccatum, vel generaliter de omnibus operibus bonis in gratia factis, ſive adhuc vivis, ſive jam per peccatum interruptis; loquitur enim ibi Apoſtolus generaliter cum omnibus Hebræis, quorum licèt magna pars cecidiſſet è gratia, non dubium tamen, quin adhuc multi ſtarent in gratia, acceptâ per Baptiſmum. Ideóque facit illam diſtinctionem: *Miniſtraſtis*, inquit, *& miniſtratis*; Miniſtraſtis quando adhuc eratis in gratia, à qua jam multi veſtrûm exciderunt, & miniſtratis de præſenti, quando adhuc aliqui ex vobis ſunt in gratia.

Alioquin ſi ſolùm alloquitur lapſos poſt 4. Verior intellectus.
Baptiſmum, fruſtranea eſt illa diſtinctio, cùm præſens ipſorum miniſterium nihil de condigno mereatur; adeóque non foret Deus injuſtus, tametſi illius obliviſceretur, id eſt, tametſi illud non remuneraret. Sin autem hæc verba dirigat ad ſolos Hebræos nondum lapſos, quis dubitare poterat, bona eorum opera eſſe in memoria Dei in ordine ad præmiandum, ſi decedant in gratia?

Agit ergo & cum illis, qui antea in gratia bene operati fuerunt, quibus, ut reddat faciliorem Pœnitentiam, proponit reditum meritorum; agit etiam cum his, qui adhuc erant in innocentia, vel redierant ad gratiam, ut eos reddat alacriores & promptiores ad bona opera exercenda ſpe reditûs meritorum, ſi fortè prolabantur, & iterum reſurgant.

Huic explicationi per omnia conſonat Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 16. quòd ſic incipit: *Hac* 5. quem amplectitur Conc. Trid.
igitur ratione iuſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino: non enim iniuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.

Ubi verba illa Apoſtoli, non proponit ſpecialiter reparatis poſt lapſum, ſed tam iis, quàm aliis, qui acceptam gratiam perpetuò conſervarunt, proponit, inquam, tum ratione meritorum præcedentium fortè mortificatorum, (alioquin fruſtrà adderet: *Sive amiſſam recuperaverint*; quis enim dubitat eum, qui amiſſam gratiam recuperavit, eſſe capacem meriti

riti de præſenti ?) tum ratione meritorum vivorum, tam præſentium, quàm præteritorum.

6. Alia probatio ex Apoſt. ad Gal. 3.

Probarur ſecundò Concluſio,& fortè efficaciùs, ex alio loco Apoſtoli, nimirum ad Gal. 3. v 4 ubì loquens de Galatis poſt Baptiſmum lapſis(ùt oſtendunt verba illa v. 1. *O inſenſati Galata, quis vos faſcinavit non obedire veritati &c.*)tamen multa priùs paſſis, interrogat: *Tanta paſſi eſtis ſinè cauſa? Si tamen ſinè cauſa.* Oſtendens per hanc adverſativam, adhuc in poteſtate eorum eſſe, ut ea opera non ſint infructuoſa, ſi nimirum per Pœnitentiã ad gratiam redire voluerint, eò quòd tunc priora opera reviviſcant.

S. Hieron.

Ità plerique explicant hunc locum cum D. Hieronymo, qui ait: *Meliùs ſic intelligi poteſt, quòd primùm credentes Galata in crucifixum, & à Iudais, & à Gentilibus opprobria multa perpeſſi ſint, & perſecutiones non minimas ſuſtinuerint. Quas fruſtra arguuntur perpeſſi, ſi à gratia Chriſti recedant, propter quem tanta perpeſſi ſunt. Simul & illa ſpes, quòd quicumque ob Chriſti fidem lavoraverit, & poſtea lapſus fuerit in peccatum, ficut priora ſinè cauſa dicitur paſſus fuiſſe dum peccat; ſic rurſum non perdet ea, ſi ad priſtinam fidem, & ad antiquum ſtudium revertatur.*

7. Tertia probatio ex Ezech. 18.

Addunt aliqui tertiam probationem ex illo Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, qua operatus eſt, & cuſtodierit omnia pracepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam: vitâ vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor: in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet.* Et infrà v. 30. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris; & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Recordaretur autem Deus iniquitatum, & eſſet eis in ruinam iniquitas, ſi propterea in æternum privarentur à Deo effectu meritorum præcedentium.

8. Hæc probatio non placet Arriagæ propter duas rationes.

Verùm ibì non agi de reditu meritorum, videtur clarum Arriagæ hìc diſp. 16. n. 3. Primò, inquit, quia ibi non agitur de peccatore, qui ante peccatum fuerat juſtus, & poſtea ſecundò redit ad Deum, ſed abſolutè de quolibet peccatore, etiam qui antea ſemper fuerat in peccatis, ubì ſinè dubio non habet locum reditus meritorum.

Secundò; quia eodem modo agit de juſto cadente in peccatum, ac è contrario de peccatore agente Pœnitentiam; ait enim: *Omnes iuſtitia eius non recordabuntur*, & tamen nemo dicit peccata redire: ergo neque vi eorum verborum debet dici, merita redire.

9. Arguitur contra primam rationem.

Sed contra primum; ſecundùm te ibi agitur abſolutè de quolibet peccatore, etiam qui antea ſemper fuerat in peccatis: ergo etiam agitur de illo, qui ante peccatum fuerat juſtus, ubì ſine dubio habet locum reditus meritorum.

Reſponſio ad 2.

Ad ſecundum dico; ex illo ad ſummum ſequitur, quòd vi eorum verborum deberet dici, peccata redire, niſi aliunde conſtaret de abſoluta eorum remiſſione. Cùm ergo aliunde conſtet de abſoluta remiſſione peccatorum in juſtificatione, ſecùs de abſoluto interitu, ut ſic loquar, meritorum per peccatum mortale, ex ſubjecta materia colligitur diverſitas, adeòque vi eorum verborum bene dicitur, merita redire, ſecùs peccata. Fateor interim, hanc probationem non convincere.

10. Quarta probatio ex Conc. Trid.

Quarta probatio deſumitur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 16. ibi: *Nihil ipſis iuſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quo minùs plenè illis quidem operibus, qua in Deo ſunt facta, divina legi pro huius vita ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam aternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur.*

Idem ſtatuit can. 32. *Si quis dixerit &c. ipſum iuſtificatum bonis operibus, qua ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius vivum membrum eſt, fiant, non verè mereri augmentum gratia, vitam aternam, & ipſius vita aterna, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloria augmentum; anathema ſit.*

Ubì generaliter loquitur de operibus in Deo factis, cujuſmodi etiam ſimpliciter ſunt opera mortificata. Nec dixit Concilium: *Si gratiam non interruperint*, ſed, *Si tamen in gratia deceſſerint*; quod ſimiliter locum habet in meritis mortificatis: ergo hæc reviviſcunt ad gloriam, & conſecutionem gloriæ propter illa donandæ: alioquin falsò dixiſſet Concilium: *Nihil ampliùs deeſſe.*

11 Objectio Trident.

Sed contrà, idem Concilium eâdem ſeſſ. can. 26. decernit in hunc modum: *Si quis dixerit, iuſtos non debere pro bonis operibus, qua in Deo fuerint facta, expectare & ſperare aternam retributionem à Deo per eius miſericordiam, & Ieſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverint; anathema ſit.* Ubì requiritur perſeverantia ſinè interruptione uſque in finem.

Prima ſolutio

Reſpondeo I. ibi quidem perſeveranti in gratia ſinè interruptione uſque in finem, promittitur æterna retributio; tamen minimè negatur id, quod nos dicimus, & alio loco à Concilio dictum erat.

Secun[da]

Reſpondeo II. perſeverantia uſque in finem intelligitur hìc, gratia perſeverans ab ultima ejus acceptione uſque ad mortem: ſic namque dicitur Matth. 10. v. 22. *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit.* Quibus verbis non ſignificatur gratia, numquam per peccatum amiſſa ſeu interrupta, ſed uſque ad mortem conſervata, ſive multò, ſive paulò antè accepta fuerit. Ille ergo dicitur perſeverare in gratia uſque in finem, qui in gratia decedit, adeòque nulla repugnantia inter canonem 26. & 32. ſed perfecta conſonantia.

Matth.

1[2]. Quinta probatio auctoritate Patrum. *Vaſquez.* *Felix.*

Sileo plurimas auctoritates Patrum, quas pro communi doctrina adfert Vaſquez 3. part. qu. 89. & apud ipſum videri poſſunt. Unicam exſcribo Felicis Papæ III. Epiſt. ad Acatium Epiſcopum Conſtantinopolitanum lapſum,

ipſum, ibi: *Vbi eſt frater Acati labor tuus, quo tyrannidis hæreticæ tempore deſudaſti? Patieris hoc damno conſcientia tua eiuſmodi perire mercedem?* Quibus verbis ipſum hortatur ad correctionem & Pœnitentiam, apertè ſignificans, per eam præmium priorum operum poſſe recuperari.

Cùm ergo teneamus auctoritatem tum Scripturæ, tum Concilii Tridentini, tum Patrum, quæ maximè attendenda eſt in hac re, ùt patebit ex dicendis; videamus ſi etiam ratione poſſit hæc res convinci, aut ſaltem probabiliter ſuaderi.

13 Scotus 4. diſt. 22. q. unicâ: *Vtrùm peccata per Pœnitentiam dimiſſa, in recidivante redeant eadem numero?* poſtquam n. 6. cum communi Doctorum ſententia, de qua nos infrà, reſpondit non redire, objicit ſibi ipſi: *Bona,* inquit, *opera mortificata per peccatum mortale, pòſt in reſurgente à peccato reviviſcunt, ùt dicit Auguſtinus de Pœnit. diſt. 2. & ponitur in lit. diſt. 15. c 4. Pium eſt credere, ut cùm Dei gratia in homine deſtruxerit mala priora, etiam remuneret bona: & cùm deſtruit, quod ſuum non invenit, diligit bonum, quod in illo plantavit.*

Objicit II. *Similiter ſe habent mala ad punitionem, & bona ad remunerationem; ſed bona facta prius reviviſcunt ad remunerationem: ergo & mala redeunt ad punitionem.* Laborat autem in aſſignanda diſparitate.

14 Et quidem n. 7. ſic reſpondet: *Dici poſſet uno modo, quòd hæc eſt ſuperabundans bonitas & miſericordia divina: quia bona ſemper vivunt in eius acceptatione, bona, inquam, meritoria: & ſemper eſſet eis præmium retribuendum, niſi eſſet indiſpoſitio recipientis propter novam culpam: ſed mala totaliter extinguuntur, ità quòd nec in ſe, nec in intellectu, vel voluntate divinâ remanent in ordine ad vindictam.*

Addit paucis interjectis: *Et per iſtam viam eſſet ad propoſitum bonum exemplum Iuriſtarum, quòd alicui remanet aliquod ius, cui tamen non remanet, vel non competit actio propter aliquod impedimentum. Ita habenti bona merita in acceptatione divina, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum ius, quod correſpondet illis meritis ad vitam æternam: ſed non remanet actio, quamdiu ille eſt inimicus: & ſi perpetuò ſit inimicus perpetuò ceſſat illa actio, ceſſante autem illâ inimicitiâ, contractâ per novum peccatum mortale, non redit novum ius, ſed competit actio ſecundùm ius antiquum: in mortali autem remiſſo, nec ius remanet, nec actio, quia nec Deus habet ius vindicandi in iſtum; ità enim perfectè texit peccatum illius, & remiſit, ut nec actio ſibi rĕmaneat ad vindicandum.*

15 Ne autem quiſquam putaret totam illam diſparitatem fundatam in ſola miſericordia divina, ocyùs ſubjungit: *Quamvis hoc ſit bene dictum in commendationem miſericordiæ divinæ; tamen poteſt aliquo modo reduci ad iuſtitiam hoc modo: Peccatum non remittitur, niſi ad minus debitum pœna æterna commutetur in debitum pœna temporalis, quâ commutatione factâ, numquam regulariter remittitur illa culpa, niſi illa pœna ſolvatur in ſe, vel in pœna æquivalenti: & per conſequens remiſſo peccato mortali in ſe primò, & in pœna ſua ſoluta, pòſt nihil iuris remanet, per quod ab iſto ſit exigenda pœna aliqua pro illo peccato. Sed poſt meritum aliquod vitâ æternâ dignum, numquam dignitas iſta ad bonum æternum commutatur ſecundùm iuſtitiam in bonum temporale: igitur numquam expirat illud ius, quouſque bonum æternum ſit ſolutum; ſed illud non ſolvitur in viatore dum eſt viator: ergo ſemper manet illud ius, tamen extinctum per peccatum mortale, quia tunc non competit ſibi executio iuris ſui.*

Non eſt igitur ſimile de remuneratione meritorum mortificatorum, & de reditione peccatorum remiſſorum; non ſolùm propter Dei miſericordiam, quod utique verum eſt: ſed etiam propter iſtam iuſtitiam commutantem ibi æternum in temporale: non ſic autem hìc. Atque hæc de primo argumento.

Per idem, proſequitur Doctor, *patet ad ſecundum argumentum, quia non ſimiliter ſe habent mala ad punitionem, & bona ad remunerationem; quoad hoc quòd mala poſſunt puniri temporaliter & ſufficienter, ſi pœna æterna ſit commutata in temporalem; ſed bona merita non poſſunt præmiari ſufficienter per talem temporalem commutationem; nec per conſequens, niſi ipſum præmium æternum in ſe ſit collatum; quod numquam fit viatori, & ideò ſemper remanet ius ſibi ſalvum ad gloriam, quam acquiſivit per illa merita.* Hæc diffuſiùs ex Scoto, quia ſubtilia & clara, quibus nihil habeo addendum. 16. Reſponſio ad 2. argumentum ex Scoto.

Igitur reviviſcentia opus eſt divinæ miſericordiæ, non tantùm quatenus Deus liberaliter tribuit auxilium efficax ad verè pœnitendum de peccato commiſſo, quod erat impedimentum remunerationis; ſed etiam in quantum Deus voluit ſemper eis præmium retribuere, niſi adſit indiſpoſitio recipientis propter novam culpam, quæ voluntas potuit abeſſe à Deo, quidquid dicat Vaſquez 1. 2. diſp. 221. c. 3. n. 17. ubi vocat utrumque principium Scoti abſurdum, & illud de remiſſione peccatorum, non virtute & dignitate nativâ gratiæ & juſtitiæ inhærentis, ſed favore Dei condonantis peccatum, & illud de acceptatione operum juſti ad vitam æternam, ſinè quâ acceptatione ex natura ſua non eſſent digna & meritoria vitæ æternæ. 17. Reviviſcentia eſt opus divinæ miſericordiæ.

Sed mihi videtur potiùs abſurdum, adeò Creatorem nutui ſubjicere creaturæ, ut velit nolit teneatur dona ſua, aliis multis titulis ſibi debita, remunerare. Quomodo ergo verum erit, quod ait Cæleſtinus Papa in Epiſt. ad quoſdam Galliarum Epiſcopos pro Proſpero & Hilario de Gratia Dei c. 12. *Tanta eſt erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona?* Quomodo ſubſiſtet doctrina Concilii Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. *Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperan-* *Cæleſtinus Papa.* *Conc. Trid.*

ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda?

18. Quid Scotus intelligat per acceptationem Dei, quam affirmat neceſſariam ad rationem meriti condigni.

Quæro enim, potuit Deus non promittere vitam æternam bonis ipſorum operibus? Quis non affirmet? Alioquin quomodo miſericorditer promiſſa? Quid ſi non promiſiſſet? Putas quia nihilominus reddenda foret? Quomodo ergo reddenda ex promiſſione, & non potiùs ex natura ipſorum operum? Et verò quid aliud Scotus intelligit per acceptationem Dei, quam affirmat neceſſariam ad formalem & completam rationem meriti condigni, quàm hujuſmodi promiſſionem?

Quid tibi videtur benigne Lector? Nonne ſi offerrem pretium condignum cum aliqua re emenda, v. g. equo, fieret mihi injuria, ſi res illa mihi non venderetur? Quis ſapiens, & hoc affirmat? Et ratio eſt clara; quia præter condignitatem inter datum, & acceptum, requiritur voluntas dandi, & acceptandi; poteſt autem quis citra omnem injuriam non acceptare pretium condignum, immo & ſuperabundans, quod ſibi offertur pro equo; ſi tamen velit acceptare, & contractum faciat, jam emptio & venditio erit ex omni rigore juſtitiæ.

19. Non tenetur Deus acceptare opera hominis juſti ad præmium.

Atque ſimili modo ſe res habet in merito condigno gratiæ & gloriæ; opera bona hominis juſtificati de ſe habent quamdam condignitatem ad illud præmium, quam non habent opera bona hominis peccatoris; interim non tenetur Deus ea acceptare ad illud præmium quod ſi tamen acceptare voluerit, & acceptaverit, erit illa acceptatio promiſſio gratiæ & gloriæ, pro pretio quodammodo condigno, & habebitur completa ratio meriti condigni, quæ includit, ſecundùm communem hominum conceptum, obligationem Dei ad præmium reddendum. Quæ amabo abſurditas in illo principio ſic intellecto?

S. Aug. Ulteriùs, S. Auguſt. Serm. 16. de Verb. Apoſt. c. 2. *Debitor* (inquit) *nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed quod ei placuit*

Pſal. 93. *promittendo.* Et in Pſalm. 93. ſuper iſta verba: *Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis* &c. expen-

2. Cor. 4. dens illud Apoſt. 2. Cor. 4. v. 17. *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, ſic ait: *Quanto labore digna eſt requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Verum eſt, ſed noli timere, miſericors eſt Deus.* Quaſi diceret, labor iſte brevis non eſſet condignum pretium, niſi divinâ miſericordiâ acceptaretur. Acceptatur autem; quia, ùt ibidem ait S. Doctor, *Si haberes æternum laborem, numquam pervenires ad æternam quietem.*

Sicut ergo divina miſericordia eſt, quòd velit hominem pervenire ad æternam quietem; ità divina miſericordia eſt, quòd acceptet temporalem laborem pro pretio quodammodò condigno æternæ quietis; temporalem, inquam, laborem, qui alioquin ex ſe non eſſet omnino commenſuratus. *Exiſtimo*, inquit Apoſtolus Rom. 8. v. 18. *quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom 8.

20. Ratio meriti compl[...] eſt ex o[...] natione [...] vinæ vo[...] tatis ex Scoto.

Si hæc dicta abſurda non ſunt, neque abſurdum erit principium Scoti, qui 1. diſt. 17. q. 3. n. 25. ſic diſcurrit: *Ratio meriti non habetur completè* (loquitur de merito condigno) *niſi habeatur ratio digni, vel dignè ordinabilis ad præmium, quod eſt beatitudo, & hoc dignè ſecundùm iuſtitiam commutativam ſive retributivam: ſed quicumq; actus ex ſolis intrinſecis agentis, non habet hunc ordinem; tunc enim Deus non poſſet ei, qui ſic operatus eſt, non retribuere beatitudinem: nam iniuſtè eam ſibi ſubtraheret: hoc autem eſt falſum; ergò talis ordo ſecundùm iuſtitiam eſt ex ſola voluntate divinâ gratuitè ordinante; & ita ratio meriti completè erit ex ordinatione voluntatis divinæ illius actûs ad præmium.*

21. Nihilom[...] nus in [...] nu noſtr[...] eſt mer[...]

Si dicas, quòd tunc non eſt in poteſtate merentis mereri. Similiter quòd principalius erit Dei mereri, quàm mei. Ad primum reſpondet Doctor, *quòd actus, qui eſt meritum, eſt in poteſtate mea, ſuppoſitâ influentiâ generali, ſi habeo uſum liberi arbitrii, & gratiam: ſed completio in ratione meriti, non eſt in poteſtate mea, niſi diſpoſitivè; tamen ſic diſpoſitivè, quòd ex diſpoſitione divina, ſemper ſequitur illud completivum ad agere meum, ſicut ſemper ſequitur animatio ad organizationem factam à cauſa naturali.* Scotus.

& Deus [...] mereri [...] quit.

Per idem reſpondet ad 2. *Quia licèt principalius, id eſt, ultimum & completivum in merito ſit à Deo; non ſequitur tamen, ergo Deus meretur; quia meritum eſt actus potentiæ liberæ, & ſecundùm inclinationem gratiæ elicitus acceptus Deo, ùt præmiabilis beatitudine, & ità mereri eſt ſic agere: Deus autem non ſic agit.*

22. Accepta[...] divina [...] includit[...] in ratio[...] meriti ſe[...] cundùm quid. Scotus.

Si rurſum objicias; actus ex natura ſua meretur acceptari. Reſpondet Scotus: *In hoc eſt ratio meriti ſecundùm quid, quia non eſt ordinatio actûs ad beatitudinem, ùt ad præmium iuſtè reddendum pro tali actu; & conceditur quòd acceptatio iſta paſſiva divina, non includitur in ratione meriti ſecundùm quid: ſicut non requiritur in ratione meriti de congruo, quomodò attritus meretur iuſtificari.*

Et quod prædictum eſt, eſt intelligendum de acceptatione æterna, quâ Deus ab æterno prævidens hunc actum ex talibus principiis eliciendum, voluit ipſum ordinatum ad præmium; & ità actu voluntatis ſuæ ordinando ipſum ad præmium, voluit ipſum eſſe meritum, qui ſecundùm ſe conſideratus abſque tali acceptatione divina, ſecundùm ſtrictam iuſtitiam non fuiſſet dignus tali præmio ex intrinſeca bonitate, quam haberet ex ſuis principiis.

Quod patet; ſemper enim præmium eſt maius bonum merito, & iuſtitia ſtricta non reddit melius

pro

Digitized by Google

Deus præmiat ultra condignum.

pro minùs bono: ideo bene dicitur, quòd ſemper Deus præmiat ultra meritum condignum, univerſaliter quidem ultra dignitatem actûs, qui eſt meritum, quia quòd ille actus ſit condignum meritum (id eſt, obligans Deum ad reddendum præmium) *hoc eſt ultra naturam & bonitatem actûs intrinſecam ex mera gratuita acceptatione divina.* Hæc ille. Quæ an abſurda ſint, judicet æquus Lector.

De alio principio Scoti, ſcilicet de remiſſione peccatorum in juſtificatione per favorem Dei, ſatìs egimus Sect. 5. Concl. 5. & ſequentibus, videantur ibi dicta, & citiùs apparebit, neque illud eſſe abſurdum; ſed maximè conſonum divinæ potentiæ, quæ ſummè libera eſt, & ideo ſinè evidenti ratione non eſt limitanda, ut hoc vel illud non poſſit, tametſi velit.

23\. Deus abſolutè potuit impedire reviviſcentiam meritorum.

23\. His itaque principiis retentis, dico contra Vaſquezium ſuprà, Deum abſolutè potuiſſe impedire reviviſcentiam meritorum. Sicut enim abſolutè potuit nolle acceptare opera noſtra bona, etiam non interrupta, ad præmium æternum; pari jure potuit non acceptare opera mortificata; id eſt, abſolutè potuiſſet ordinare, ut per peccatum ſuperveniens; opera bona, priùs meritoria gratiæ, & gloriæ æternæ, non dico, mortificarentur, ſed planè deſtruerentur, ſicut peccata deſtruuntur per gratiam ſupervenientem. Nam qui poteſt omne præmium negare ſimpliciter & abſolutè, multò magìs poteſt aliquod concedere ſub certa tantùm conditione: ergo ſub hac; *Si acceptam gratiam perpetuò conſervaverint.*

De facto eſt opus ejuſdem juſtitiæ.

Interim ſi ſimpliciter voluit remunerare opera bona, facta in gratia, cum hac ſola conditione, *Si homo in gratia deceſſerit*, jam non ſolùm ante interruptionem, ſed etiam poſt interruptionem tenetur ex quadam juſtitia ea remunerare, adeòque reviviſcentia, quamvis ſit opus miſericordiæ, in quantum potuit impediri à Deo, eſt tamen opus juſtitiæ, quatenus ex Dei acceptatione eamdem vim habent opera bona poſt interruptionem, quam habuerunt ante interruptionem. Quam utique juſtitiam in remuneratione, ſatìs inſinuat Apoſtolus ad Hebr. 6. v. 10. *Non enim iniuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri.* Ubi juxta probabilem expoſitionem, de qua ſuprà, agit de operibus mortificatis. Hebr. 6.

24\. Sententia Lugonis de hac controverſia.

24\. Nobiſcum, ex parte ſaltem, ſentit Lugo diſp. 11. ſect. 1. n. 12. dicens: Fatemur Deum potuiſſe non dare gloriam poſteà pro eis operibus per peccatum interruptis, & quoad hoc à libertate Dei pendêre, quòd detur præmium pro illis; ſicut etiam pendet ab ejus libertate quòd detur præmium pro meritis non interruptis: ſed dubium, inquit, eſt, an ſicut merita non interrupta ex natura rei exigunt præmium, ità merita interrupta, illud exigant ex natura rei, ità ut Deus ex natura rei non poſſit aliter facere, licèt poſſet de potentia abſoluta?

Potuit Deus poſt primum peccatum privare hominem omni ſpe recuperandi priora merita.

Reſpondet autem ad illud dubium I. potuiſſe Deum de potentia abſoluta poſt primum peccatum privare hominem omni ſpe recuperandi priora merita. Probat; quia potuiſſet Deus condonare culpam, non condonando pœnam æternam: ergo à fortiori poſſet condonare culpam, non condonando aliquam partem pœnæ, qualis eſſe potuiſſet extinctio meritorum præcedentium, ſi Deus in pœnam peccati ea extinxiſſet, ùt videtur potuiſſe.

25\. Ex naturà rei eo ipſo quòd homo redit in gratiam Dei priora merita reviviſcunt.

25\. Reſpondet II. ex natura rei, & conformiter ad exigentiam gratiæ habitualis, eo ipſo, quòd homo redeat in Dei amicitiam, debent reviviſcere merita priora ſinè ullo favore Dei ſuperaddito; qui ſaltem non ſit connaturaliter debitus ipſi juſtificationi. Probat; quia gratia habitualis ex ſe naturaliter eſt ſemen gloriæ, cum qua gloria non poteſt ſtare pœna aliqua æterna, qualis eſſet privatio præmii meritorum præcedentium. Infligeretur enim propter peccatum præteritum jam remiſſum.

Cum gloria non poteſt ſtare pœna aliqua æterna.

Porrò cum gloria non poſſe ſtare pænam aliquam æternam, ex eo conatur perſuadere, quòd in gloriam nihil intrat coinquinatum, non ſolùm debito culpæ; ſed neq; etiam debito pœnæ; neque enim ille locus eſt ſupplicii & punitionis, ſed gaudii & præmii; illum enim quem Deus actu punit, videtur aliquo modo odio habere; non odio inimicitiæ, ſed odio juſtæ vindictæ; & dum punit, recordatur illius peccati: quod eſſet contra id, quod promiſit, quòd in quocumque die ingemiſcat peccator, ejus peccati ampliùs non recordabitur. Ezech. 18. hoc eſt, non ſolùm ad odium retinendum propter culpam, ſed neque ad puniendum in æternum, ùt explicat ibi Gloſſa.

Cùm ergo gratia connaturaliter afferat ſecum jus ad ſtatum beatificum, cum quo ex natura rei non poteſt ſtare malum culpæ, vel pœnæ; conſequens eſt, quòd gratia afferat etiam ex natura rei reſtitutionem meritorum, quæ ſi non reſtituerentur, daretur aliquod malum perpetuum pœnæ. Hæc ex Lugone. Quæ, ſicut ſuprà notavi, ex parte ſaltem coincidunt cum noſtra & Doctoris Subtilis ſententia; in quantùm videlicet Eminentiſſimus concedit merita potuiſſe non reviviſcere, ſi Deo ità placuiſſet.

26\. Merita de facto reviviſcere ex natura rei nonnullis meritò diſplicet.

26\. Ceterùm quod addit, de facto ea reviviſcere ex natura rei, & ad exigentiam gratiæ habitualis &c. nonnullis diſplicet, & meritò; quia gloria non excludit, niſi pœnam moleſtam & doloroſam, qualis hæc non eſſet; quia meritis ex natura rei, vel ex voluntate Dei extinctis, beatus careret illâ parte gloriæ ſecundùm rectam rationem, & rerum naturam, quam non poſſet non approbare, atque adeò non doleret de tali eventu, nec illi diſplicentiâ doloroſâ diſpliceret; immo omnino placeret, & gauderet, quòd eo modo glorificaretur

Digitized by Google

Dicaſtillo. *Arriaga.*

caretur Deus. Ita Dicaſtillo diſp. 2. n. 601.

Arriaga autem diſp. 16. n. 50. Beati, inquit, qui perfectiſſimè ſunt conformes rationi, magis deberent dolere, quòd commiſerint offenſam contra Deum, quàm quòd careant intenſiori gloriâ in pœnam illius offenſæ, ſicut ergo dolorem de offenſa dicimus ſuſpendi divinitùs, idem poſſumus dicere de dolore ob amiſſam gloriam.

Adde, cùm illis Beatis factum fuerit infinitum fere beneficium, eò quòd qui fuerant juſtè promeriti pœnas æternas, & omnis gloriæ carentiam, à Deo tamen ad Pœnitentiam vocati ſunt, & dimiſſa ſint eis mortalia, condonatâ pœnâ æternâ; & è contrario beatitudo perpetua conceſſa, hujus beneficii ſummâ æſtimatio, meritò poteſt illis omnem omnino dolorem ex ulteriori gloriâ amiſsâ extinguere. Hæc ille.

Multi beati carent multâ gloriâ, quam potuiſſent habere ex meritis neglectis.

27. Et ſanè non dubium, quin multi Beati careant multâ gloriâ, quam potuiſſent habere ex meritis neglectis: ſicut ergo illa carentia non repugnat ex natura rei cum ſtatu beatifico gloriæ, ita neque repugnat privatio gloriæ, aliquando debitæ propter bona opera; amiſſæ autem per peccatum ſubſequens, ſuppoſito quòd Deus ſic ordinaſſet.

Uti etiam hæc privatio ſtat cum perfecta amicitia Dei non minùs, quàm pœna temporalis Purgatorii; quæ dum infligitur homo à Deo amatur amore amicitiæ, & quidem tam multùm, quàm amatur, dum actu non punitur; niſi velis debitum pœnæ maculare actu hominem, reddendo illum minùs amicum, minùs dignum amore Dei, quod eſt contra ſenſum communem. Ita Arriaga ſuprà n. 49.

Merita de facto reviviſcunt ex quadam eorum condignitate.

28. Quidquid ergo ſit de illa connaturali exigentia, gratiæ habitualis, quæ non ſatis probatur; dico iterùm, & perſiſto in eo, quod ſuperiùs paucis verbis inſinuavi; nempe merita de facto reviviſcere, ſeu potiùs remunerari ex natura rei, intelligendo per naturam rei quamdam condecentiam, ſeu etiam condignitatem ipſorum meritorum; cùm enim opera illa bona in Deo facta, ſemper ſint ejuſdem intrinſecæ bonitatis, ſive ante peccatum, ſive poſt peccatum commiſſum, & remiſſum; ſicut ante peccatum movebant Deum, & digna quodammodo erant, quæ à Deo acceptarentur ad præmium gratiæ, & gloriæ æternæ, ita quoque poſt peccatum commiſſum & remiſſum, rurſum apta ſunt movere Deum, & quodammodo digna ſunt, quæ à Deo acceptentur ad idem præmium gratiæ, & gloriæ.

Formæ morales, quales ſunt merita, cum ſemel extiterint, ſemper deinde exiſtunt moraliter.

29. Nam formæ morales (ùt bene notat Arriaga diſp. 16. nu. 45.) quales ſunt merita, cum primùm ſemel extiterint, ſemper deinde exiſtunt moraliter, ſemper eodem modo Deum movent, ac ſi actu exiſterent, quia ſemper Deo placent: quòd enim inſervirim Deo, ſemper eſt ei gratum; ac proinde ſemper habent ea obſequia vim movendi, ut Deus det præmium illis proportionatum, nec ea vis cenſetur moraliter extincta, niſi poſtquam eſt ei ſatisfactum per præmium: tunc enim etiamſi duret complacentia Dei in illis operibus, motio tamen actualis ad dandum novum præmium jam ceſſat.

Cùm ergo per adventum peccati, non tollatur ea complacentia Dei in illis operibus pro ſua differentia temporis, & nondum ſit eis datum præmium illud, ad quod habent condignitatem, adhuc habebunt ſuam vim motivam cauſativam moraliter volitionis Dei de danda gloria, quam non cauſabant præſente peccato, quod eam cauſalitatem impediebat; per hoc tamen vis in actu primo non fuit eis ablata; unde remoto impedimento, neceſſariò producitur ſeu cauſatur moraliter ea motio, hoc eſt, iterum inducunt Deum ut velit dare gloriam. Hactenus Arriaga. *Arriaga.*

Planè conformiter Scoto, & fortè ex Scoto, quamvis mutatis verbis, ut videatur novum aliquid inveniſſe, & proprium ſtatuere, quod erat à parte rei alienum. Dico, *fortè*, quia duo bona ingenia facilè coincidunt: & expertus ſum, me, licèt tenuiſſimi ingenii, aliqua ſubinde ſcripſiſſe, quæ poſtea, tametſi diverſis verbis, in aliis Auctoribus invenerim priùs ſcripta. Hoc certum eſt, ſæpiùs Scotum citari in his, quæ putantur reprehenſione digna, quàm in illis, quæ meritò laudanda forent. Sed redeamus ad propoſitum.

Explicatur clarâ inſtantiâ ex Arriaga.

30. Explico rem, inquit Arriaga ſuprà n. 46. inſtantiâ clarâ: Mandat mihi ſuperior, ut faciam hanc, vel illam rem, mandatum illud movet me moraliter, etiam poſtquam phyſicè extitit; occurrit interim impedimentum eſſentiale, quò minùs poſſim exequi rem præceptam, tunc quidem mandati vis ſuſpenditur, ceſſat poſtea impedimentum, jam eo ipſo redit vis motiva præcepti; quia non movet me ratione exiſtentiæ ſuæ phyſicæ hìc & nunc, ſed ratione illius, quam olim habuit, quando fuit validum, & quia adhuc non eſt moraliter annullatum, ſed purè putè eſt poſitum impedimentum pro executione. Hæc ille.

Cùm ergo ſatis conſtet de reviviſcentia meritorum, licèt aliqua diſputatio ſit de modo, quo reviviſcunt; quæritur ulteriùs, an reviviſcant in integrum, id eſt, ad omnem effectum gratiæ & gloriæ, quem habuiſſent, ſi per peccatum non fuiſſent mortificata. Pro reſolutione ponitur

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

Per Pœnitentiam recuperatur omnis gratia quomodolibet comparata, & competit actio ſecundùm jus antiquum ad totam gloriam; ità quòd pœnitens in eamdem, quam amiſerat hæreditatem, reſtituatur, & ſemper accipiat novum jus gloriæ, & majorem gratiam eâ, quam habuit ante lapſum.

31. *Duplici titulo competit homini jus ad gloriam, titulo hæreditatis, & titulo mercedis.*

PRænotandum duplici titulo competere homini jus ad gloriam, videlicet titulo hæreditatis, & titulo mercedis. Titulus hæreditatis fundatur in gratia juſtificante, per quam, ùt ait Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. *Homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Titulus mercedis fundatur in bonis operibus ex gratia, & in gratia factis, ſuppoſitâ Dei promiſſione & pacto, ùt docet idem Concilium eâdem ſeſſ. c. 16. ibi: *Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa; & tamquàm merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

Quod autem iſti tituli ſint diverſi, patet in parvulis, qui ratione gratiæ acceptæ in Baptiſmo, ſibi vendicant jus ad vitam æternam, cùm tamen ſint incapaces alicujus operis meritorii.

32. *Homo juſtificatus bonis operibus meretur augmentum gratiæ.*

Prænotandum II. hominem juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum fiunt, non ſolùm mereri vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ conſecutionem, atque gloriæ augmentum, verùm etiam augmentum gratiæ, ùt expreſſis terminis definit Tridentinum ſuprà can. 32. Porrò gratiam & gloriam eſſe effectus diſtinctos, nihil clarius, cùm gratia ſit quaſi diſpoſitio, immo, ſecundùm Scotum, principium effectivum gloriæ, & conferatur hominibus adhuc in hac vita degentibus; gloria autem reſervetur retribuenda poſt hanc vitam.

Gratia, & gloria ſunt effectus diſtincti.

His prænotatis. Dubitatur, an per Pœnitentiam recuperetur tota gratia priùs habita, & per peccatum amiſſa, ſimulque totum jus, vel potiùs tota actio ſecundùm jus antiquum ad vitam æternam, ſive titulo hæreditatis, ſive titulo mercedis.

33. Et quidem reperiuntur aliqui, qui exiſtimant, merita non reviviſcere, niſi ad præmium aliquod accidentale, v. g. ſpeciale gaudium de operibus mortificatis. Sed contrà eſt, quòd illud gaudium habebunt Beati de operibus bonis, etiam factis in ſtatu peccati mortalis, id eſt, de operibus bonis mortuis, cùm horum intuitu Deus dederit illis ſpiritum compunctionis, immo & primam gratiam juſtificantem, ùt patet de contritione, quæ eſt meritum congruum juſtificationis, ùt alibi explicavimus.

merita ſolùm reviviſcere ad aliquod præmium accidentale.

Deinde vita eſt ipſa ſubſtantia rei, non aliquod ſolùm accidens; ergo ſi merita reviviſcunt, id eſt, recuperent vitam, indubiè reviviſcunt ad præmium ſubſtantiale; utique ad illud, quod antea ipſis debebatur, non autem, ùt quidam volunt, ad illud, quod debetur meritis præſentibus, quaſi duplici titulo conferendum: ſic enim non plus haberet homo propter merita priora, quàm ſi non fuiſſent; adeóque reviviſcentia meritorum foret titulus ſinè re, aut ſolidâ conſolatione fidelium, quibus unicus gradus gloriæ ſinè dubio eſt multò acceptabilior, mille titulis: nam quid refert, quòd idem præmium mihi detur unico, vel duplici titulo?

Nonne conduceret ad terrorem peccatoribus incutiendum, quòd peccata ſequentia deberent puniri eâdem pœnâ peccatorum præcedentium, ſinè aliquo pœnæ augmento, ſolùm pluribus titulis? Sanè riderent hujuſmodi terricula. Ergo ſimiliter reviviſcentia meritorum, ſi nihil aliud eſt, quàm retributio ejuſdem præmii diverſis titulis, jure à fidelibus ridetur, & quaſi nihil deſpicitur; cùm tamen Apoſtolus eam proponat, ut fideles excitet ad Pœnitentiam, & ad exercitium bonorum operum. 34.

Uti & illa, quæ aſſerit, reviviſcentiam nihil aliud eſſe, quàm retributionem ejuſdem præmii diverſis titulis.

Et alioquin poſſemus dicere, per primum opus ſolùm dari determinatum gradum gloriæ, qui idem dabitur, ſed diverſis titulis, per omnia alia bona opera ſubſequentia, quod eſt abſurdiſſimum.

Præterquam, quòd aliàs inveteratus peccator, in fine vitæ per unicam, ſed ferventem contritionem, juſtificatus, eſſet major in gloria, quàm is, qui poſt vitam diù ſanctiſſimè tranſactam, ſemel lapſus, & cum minori contritione reſurgens, moreretur, quod æquè abſurdum videtur, & piarum aurium offenſivum.

Nec obſtat, quòd eadem corona data in certamine literario, eſt majus præmium, quàm ſi daretur in certamine inferiori, aut ſinè ullis meritis; non obſtat, inquam, quia hìc non habet rationem præmii ipſa entitas coronæ ſecundùm ſe; ſed multò magis honor, & æſtimatio hominum, quæ per illam coronam oſtenditur de virtute illius, qui præmiatur; porrò in Cælo, præmium ſubſtantiale non ſumitur ex honore, vel fama extrinſeca; ſed ex fruitione Dei, quæ ſeipſâ beatificat hominem. 35.

Objectio ſolvitur.

Itaque hæc fruitio propriè eſt vita æterna, quam 36.

Digitized by Google

Fruitio Dei propriè eſt vita æterna.

quam utique vitam æternam, ejuſque conſecutionem, ſecundùm Tridentinum ſeſſ. 6. c. 32. merentur opera bona hominis juſtificati, ſub hac ſola conditione, *Si in gratia deceſſerit.* Ergo eadem, quæ debebatur operibus ante interruptionem per peccatum, debetur poſt reſurrectionem à peccato, & confertur poſt hanc vitam, ſi homo in gratia deceſſerit. Ubi enim jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus abſque evidenti ratione; qualis nulla ab Adverſariis adfertur.

Merita reviviſcunt ad totam gloriam;

Cùmque Concilium eâdem phraſi loquatur de augmento gratiæ, videtur conſequenter dicendum, quòd ſicut merita reviviſcunt ad totam gloriam, ità etiam reviviſcant ad totam gratiam. Quæ enim ratio diſparitatis?

ergo etiam ad totam gratiam

37. Objectio ex Scoto, propter quam aliqui negant merita reviviſcere ad totam gratiam.

Quia, inquis, *tunc omnis reſurgens à peccato mortali, reſurgeret in gratia maiori, quam fuit illa, ex qua cecidit; quia reſurgeret in omnibus bonis, quæ priùs habuit iam vivificatis, & præter hoc, in iſto actu Pænitentiæ, per quem reſurgit, & quem illis præteritis ſuperaddit, & ità in maiori gratia; quod videtur inconveniens; tum quia non omnis cadens, ſemper graviùs cadit, quàm priùs ceciderit; nec igitur reſurgens gratior reſurgit, quàm præfuit; tum quia prima gratia poteſt eſſe maior, & minor, & per conſequens minima: ſed per Pœnitentiam acquiritur prima gratia: ergo poſſibile eſt aliquandò primam gratiam recuperatam per Pœnitentiam eſſe minimam.* Puta, quia gratia infunditur ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem; illa autem Pœnitentia poteſt eſſe minima diſpoſitio. Ità ſibi objicit Scotus 4. diſt. 22. q. 1. n. 9.

Atque hoc eſt fundamentum aliquorum Doctorum, propter quod negant merita reviviſcere ad totam gratiam deperditam; quia videlicet gratia infunditur juxta diſpoſitionem præſentem ſubjecti, & ſubinde diſpoſitio præſens non ſufficit ad infuſionem totius gratiæ amiſſæ.

38. Reſponſio Scoti,

Sed numquid Scotus inter illos Doctores? Nonnulli affirmant; nam verbis mox citatis illicò ſubtexit: *Ad hoc dico, quòd non eſt idem habere plura merita in acceptatione divina, reſervata in ordine ad præmium* (vitæ æternæ) *pro eis reddendum, & habere maiorem gratiam intenſivè. Vniverſaliter enim cuicumque merito debetur non tantùm aliquod præmium accidentale, ſed etiam præmium eſſentiale. Patet; quia ſi quis iſtud ſolùm haberet ſinè omni alio merito beatificaretur, non præciſè in illo gradu, in quo propter gratiam ſolam ſinè meritis beatificaretur; ſicut parvulus nunc baptizatus; gloria enim cuiuſcumque habentis meritum proprium, excedit gloriam talis; ergo quodcumque meritum ſequens alia merita iam habita, requirit proprium gradum gloriæ eſſentialis ſibi correſpondentem: nec tamen per quodcumque meritum augetur ſtatim gratia; nec habens plura merita eſt ſemper in maiori gratia. Si igitur ſufficiat ſola gratia ad aliquam gloriam, tamen meritis correſpondet aliquis gradus gloriæ ſaltem, licèt maiori gratiæ ſinè meritis, correſpondeat maior gloria, quàm minori gratiæ: tamen in quocumque gradu eodem ponatur gratiæ merito adiuncto, licèt per illud non ſtatim intendatur gratia, tamen correſpondet ſibi gradus gloriæ ultra illum gradum, qui reſponderet præciſè illi gratiæ.*

Merito quantumcumque remiſſo debetur præmium eſſentiale;

non tamen gratia ſtatim danda

Per hoc dico ad argumentum, quòd reſurgens plura merita habet in acceptatione Dei, quàm habuit quando cecidit, & per conſequens ad maiorem gloriam ex ea parte ordinatur; ſed non oportet eum in maiori gratia reſurgere, quia ſecundùm eius diſpoſitionem in deteſtando peccatum commiſſum intensè, vel remiſsè, datur ſibi nunc maior, vel minor gratia. Huc uſque Doct. Subt.

Pœni ſemp dina majo glori non reſur majo tia,

Et continuò ſibi objicit dicens: *Sed contrà, quia tunc reportaret commodum de lapſu ſuo; quia reſurgit dignior præmio in Dei acceptatione. Item reſponſio data videtur includere repugnantia; quia ſi eſt dignus maiori gloriâ quando reſurgit, quàm fuit quando cecidit, & cecidit à magna gratia, per quam fuit dignus magnâ gloriâ: ergo non reſurgit in parva gratia; quia illud unicum medium, quod reſurgendo ſuperaddit, non adderet tantum de gloria, quantum defectus ſecundæ gratiæ, ſive eius minoritas reſpectu primæ, diminuerit de gloria: ergo* &c. 39

Duple jectio Scoto.

Ad primum reſpondet Doctor: *Quòd non habet commodum; ſed magnum incommodum, non ſolùm quia peccavit; ſed ad propoſitum, quia totum tempus, quo manſit in peccato, eſt ſibi perditum, quo tempore merita potuiſſet multiplicaſſe, ſi tunc in gratia manſiſſet.*

Reſpo ad pri

Ad ſecundum dicit: *Quòd præſcindendo illud in gloria, quod reſpondet meritis, & illud dicatur B. ab illo quod reſpondet gratiæ, & illud dicatur A. fortè A. excedit B. & quando iſte reſurgit, quia omnia priora merita vivunt in Dei acceptatione, redit ſibi ius & dignitas ad totum B. ſed ad A. non redit ſibi ius & dignitas, ſi gratia ſecunda ſit minor primâ. Igitur reviviſcunt merita, ſed non reviviſcit prior gratia, quia priùs habita. Et iſtud eſt ſatis conſonum iuſtitiæ, quia gratia prior fuit tantùm donum Dei: merita autem erant aliquomodo opera hominis. Et ideò illa ſunt ſibi ſemper ſalva in acceptatione Dei: gratia verò non, ut propter eam ordinatur ad aliquod præmium, quia habuit eam, ſed tantummodo per eam, ſi nunc habet eam.* 40

Reſpo tur ad

Hæc littera aliquid habet obſcuritatis; cùm enim duplex ſit gratia, una quæ habetur ex opere operantis, alia quæ confertur ex opere operato, neſcitur de qua gratia Scotus loquatur, quando ait: *Gratia prior fuit tantùm donum Dei.* 41

Explica mens S

Hiquæus in ſuo Commentario ad hunc locum n. 90. exiſtimat utramque gratiam comprehendi à Doctore ſub dono Dei, adeòque neutram gratiam redire, neque jus gloriæ, quod per modum hæreditatis ratione utriuſque gratiæ homini competebat, ſed tantùm jus correſpondens operibus per modum mercedis.

Hiquæus

Et

Digitized by Google

Et rationem diſparitatis aſſignat; quia ipſa gratia antiqua, in qua fundatur jus hæreditatis, deperditur peccatori ob ſuum demeritum, quia jam collata eſt: non ità jus fundatum in operibus, quia manet in divina promiſſione nondum completâ, & acceptatione ſecundùm illam promiſſionem: hinc reviviſcit per gratiam, quæ datur per Pœnitentiam.

42. Meritis correſpondet gradus eſſentialis gloriæ. Porrò, gradum eſſentialem gloriæ correſpondere merito, *conſonat*, inquit Scotus ſuprà num. 11. *Scripturæ, quæ in multis locis iſtam ſententiam divinæ iuſtitiæ aſſerit, quòd reddet unicuiq; ſecundùm opera ſua in Pſalm. 61. & Rom. 2. nuſquam autem habetur, quòd reddet unicuiq; ſecundùm habitum ſuum* (id eſt, gratiam juſtificantem) *& conſonat obſervantiæ legis divinæ; quia ſecundùm ipſam utile eſt continuè, quantum poſſibile eſt, opera meritoria exercere, quamvis remiſſa, adeò ut per illa non ſtatim augeatur gratia; quia correſpondet ſingulis in acceptatione Dei determinatus gradus gloriæ.*

Scotus. *Nec adeò expedit ſalvare gratiam, quantùm opus remiſſum agere, per quod non augetur gratia; quia etſi iſte remiſſè agens non habeat maiorem gratiam per opus ſuum, quàm ille dormiens, in quo ſalvatur gratia ſinè tali opere: non tamen fruſtra egit, nec in nullo excedit illum, qui dormivit: immo per illud, quod egit, iam dignus eſt aliquo æterno bonò, quo non eſt dignus ille.*

43. Probabile cenſet Scotus, non ſemper per Pœnitentiam ſtatim recuperari totam gratiam deperditam. Hæc de mente Scoti, quæ non ſatis patet; niſi quòd probabile exiſtimet, ùt vidimus concluſione ultimâ præced. ſect. augmentum gratiæ, debitum meritis remiſſis, Deum reſervare uſque ad inſtans mortis, per conſequens per Pœnitentiam non ſtatim recuperari totam gratiam deperditam, ſed tantùm partem ſecundùm præſentem diſpoſitionem, reliquum autem reſervari uſque ad inſtans mortis: ùt patet ex illis verbis nu. 10. *Non oportet eum in maiori gratia reſurgere; quia ſecundùm eius diſpoſitionem in deteſtando peccatum commiſſum intenſè, vel remiſſè, datur ſibi nunc maior vel minor gratia.* Nunc, inquam, id eſt, ſtatim poſt Pœnitentiam.

44. Huic ſententiæ non contradicunt Scriptura, nec Conc. Trid. Pro qua ſententia facit, quòd Scriptura & Tridentinum ad ſummum videantur probare, illa merita non caritura ſuo præmio, quod ſufficienter verificatur, ſi dicamus gratiam deperditam reſtitui poſt mortem, cùm tunc ſolùm poſſit dari augmentum gloriæ; & alioquin cùm homo, quamdiu vivit, adhuc ſit expoſitus novis peccatis mortalibus, ſæpiùs eadem gratia eſſet reinfundenda, prout homo ſæpiùs peccat, & rurſum per Pœnitentiam juſtificatur. Immo Trident. ſeſſ. 6. can. 32. (Immo Trid. potius favet.) explicans valorem noſtrorum meritorum ſolùm dixit, *mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atq; etiam gloriæ augmentum.* In quibus verbis non invenitur reſtitutio gratiæ ſtatim facienda.

Unde retorqueri poſſet argumentum, quod communiter deſumitur ex hoc loco pro oppoſita ſententia; retorqueri, inquam, poſſet hoc modo: homo juſtus ſuis bonis operibus ſolùm meretur de condigno ea, quæ enumeravit Trident. reſtitutio autem gratiæ ſtatim facienda, eſſet præmium diverſum ab his omnibus, & non connexum cum iis, nec ad illa requiſitum: ergo deberet dari major valor in operibus, ad illud aliud præmium etiam condignè promerendum.

Reſpondet Lugo diſp. 11. num. 40. illud augmentum probare, quòd etiam juſto, dum bene operatur, non ſtatim detur augmentum gratiæ, & tamen contrarium omnes fatentur. Ratio autem eſt; quia homo juſtùs per bona opera in gratia facta, meretur augmentum gloriæ, & acquirit jus ad illud augmentum, & deſtinatur ad illud; fit etiam charior Deo, & dignus majori amore, & magìs ſtricto amicitiæ vinculo. Non eſt autem dignus ſolùm, quòd in fine vitæ magìs diligatur; & ſit magìs amicus; ſed etiam quòd ex nunc, ùt conſtat etiam in humanis: nam amicus præſtans obſequia amico, eo ipſo creſcit de condigno in amicitia, & terminat majorem benevolentiam amici, neque hìc major amor differtur, ſed ſtatim ponitur. Hæc ille. 45. Augmentum gratiæ debitum, etiam meritis remiſſis, ſtatim dari, eſt communior ſententia. Lugo.

Scotus autem probabile putat, quòd augmentum gratiæ, debitum meritis remiſſis, Deus reſervet ad inſtans mortis, & vellem audire, qui convinceret oppoſitum. Dum autem meritum ſatìs intenſum eſt, gratia ſtatim conferenda, eſt præmium proportionatum, quid ergo mirum, ſi ſtatim detur, cùm adſit capacitas ſubjecti? Oppoſitum cenſet probabile Scotus.

Ad rationem dico, illam ad ſummum probare, quòd ſicut ſtatim acquiritur jus ad augmentum gloriæ; ſic etiam ſtatim acquiratur jus ad augmentum gratiæ; interim cùm gloria non ſtatim detur, videtur ſufficere, quòd gratia illa detur, quando datur gloria proportionata, id eſt, poſt mortem. 46. Reſpondetur ad rationem communis ſententiæ.

Quod autem additur de ſtrictiori amicitiæ vinculo, non ſolùm de futuro, ſed etiam de præſenti, hoc eſt quod quæritur, quare ſaltem non ſufficiat, quòd de præſenti habeatur jus ad augmentum gratiæ poſt mortem conferendum, adeoque homo fiat charior Deo remotè, ſive in jure, quod habet ad majorem amicitiam. In humanis, cùm amicitia tantùm duret uſque ad mortem, quid mirum, ſi major amor non differtur, ſed ſtatim ponitur?

Deinde hoc ſolùm probat, ità potuiſſe fieri; non autem, quòd ſemper ità fiat: præſertim cùm bona opera non juſtificent

ex natura rei abſque promiſſione divina; nullibi autem Deus promiſerit, quòd ſtatim dabit augmentum gratiæ poſt quodlibet opus meritorium.

47. Sufficit ad opus meritorium, quòd aliquando habebit augmentum gratiæ.

Sufficit ergo ad opus meritorium, quòd homo per illud mereatur augmentum gratiæ; & quòd aliquando illud habebit, niſi ponat obſtaculum; ſiquidem præmium, ùt patet in humanis, non ſemper ſtatim datur poſt meritum. Ergo conſimiliter videtur ſufficere, quòd illa gratia, ad quam merita reviviſcunt, tribuatur poſt hanc vitam; ſic tamen, ut ſtatim conferatur jus, ſeu actio ſecundùm jus antiquum, ad illam gratiam poſt mortem exigendam.

Objectio.

Si dixeris; pœnitens ſtatim habet jus ad majorem gloriam, illud autem jus non datur, niſi per formam intrinſecam.

Solvitur.

Reſpondeo; petitur principium; cùm enim de poſſibili, ùt fatetur Lugo ſuprà n. 41. potuiſſet alicui Deus dare jus ad gloriam, abſque forma intrinſeca, per ſolam acceptationem extrinſecam, unde conſtat non feciſſe in caſu reviviſcentiæ? Quamquam & aliqua forma intrinſeca neceſſariò interveniat, ſcilicet gratia juſtificans, de novo infuſa in juſtificatione, per quam aufertur obex, ſeu impedimentum illius actionis, id eſt, peccatum mortale. Quòd autem propterea debeat ſtatim infundi tota gratia amiſſa, unde evidenter probatur? Hæc ergo ſententia non eſt improbabilis.

48. Exiſtimat Hiquæus, gratiam ſemel datam ſive ex meritis, ſive ex aliis mediis nunquam redire.

Quin immo Hiquæus ſuprà num. 80. exiſtimat, gratiam ſemel datam, ſive ex meritis, ſive ex aliis mediis, numquam redire, niſi juxta præſentem diſpoſitionem, quantumvis redeat jus, ſive actio ſecundùm jus antiquum ad totam gloriam. Quam opinionem ut meliùs intelligamus, duplex proponitur quæſtio. Prima, an merita non poſſint præmiari, niſi juxta menſuram gratiæ ſanctificantis, adeò ut voluntas non poſſit attingere fruitionem Dei ampliùs ſive intenſiùs, quàm ſit gratia habitualis. Secunda, an merita in tantùm acceptentur, & non plùs, in quantùm perſona ipſa, mediante gratiâ, acceptatur.

49. Docet præterea, meritum fundare proprium titulum reſpectu gloriæ, diſtinctum à gratia habituali.

Ad ſecundam reſpondet Hiquæus nu. 30. & ſequentibus, gratiam tantùm eſſe conditionem requiſitam, ut opus ſit meritorium de condigno, & ſufficere gratiam in quocumque gradu, ut meritum acceptetur, licèt non ſit commenſurata merito, quin in gradu, quo merito commenſuratur, ſubſequi ipſum meritum, tamquam effectus minùs principalis. Hoc eſt, meritum ſeu juſtitia actualis fundat titulum proprium reſpectu gloriæ, diſtinctum à gratia habituali, quamvis illam requirat.

Probatur ex Apoſtolo Romanorum 2. verſ. 6. *Qui (Deus) reddet unicuique ſecundùm opera eius.* Ad Romanos 4. verſ. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Hebræorum 6. verſ. 10. *Non enim iniuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri.* Eccleſiaſtici 16. v. 15. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum.* Et aliàs ſæpiſſimè hujuſmodi phraſi utitur Scriptura.

Probat Scriptu Roman Roman Hebr 6 Eccli.

Tota Scriptura divina, inquit Scotus in Report. (ultimæ editionis) 4. diſt. 22. quæſtio unicâ num. 8. *clamat, quantitatem præmii correſpondere operibus meritoriis, & non habitibus: nam ſecundùm Philoſophum* 1. *Ethic.* 5. *per habitum non diſtinguitur miſer à felice, dormiens à vigilante: in Symbolo autem dicitur, quòd qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam.* 50.

Probat Scoto.

Miſer felix n diſtingu tur per bitum.

Enimverò promiſſio regni facta eſt homini, non propter habitus, ſed propter opera: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ait veritas Chriſtus Matthæi 19. verſ. 17. Et Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* &c. Ergo opus ratione ſui acceptatur à Deo ad vitam æternam, & non ſolùm ratione gratiæ, quamvis non acceptetur, niſi gratia adſit.

Matth. Matth.

Poſito, ait Doctor ſuprà in Report. *quòd opus meritorium poſſet eſſe ſinè gratia acceptum, ùt quòd actus ex genere actus eſſet acceptus Deo, adhuc correſpondet ſibi præmium & gloria eſſentialis, quia quodlibet tale opus eſſet meritorium, & remunerabile vitâ æternâ, & per conſequens cuilibet gradui operis meritorii, correſpondet gradus in præmio, & maiori gradui meriti maior & intenſior gloria, & retributio: modo tamen ad hoc quòd opera noſtra ſint accepta Deo, & digna præmio vitæ æternæ, requiritur charitas & gratia, quia ſinè ipſa impoſſibile eſt placere Deo, non tamen intenſioni, ſed operi meritorio, quod elicitur ſecundùm inclinationem eius, correſpondet præmium. Vnde habens ſolùm charitatem ſinè meritis & bonis operibus, habebit tantum de gloria & præmio eſſentiali, ſicut habens minorem charitatem cum multis meritis & operibus bonis, non tamen habebit tantam gloriam habens ſolùm charitatem magnam ſinè operibus meritoriis, ſicut cum eis, quia eis correſpondet principaliter præmium.* 51

Gloria præmi eſſenti correſ dens tis. Scotus

Non in ſioni c tatis gratiæ operi m torio reſpon præmi

Confirmantur jam dicta: quia ſi opera acceptarentur mediante gratiâ; vel mediante primâ gratiâ, & hoc non, quia ipſa eſt ex dono Dei, nec tribuit jus ad gloriam, tamquam præmium, ùt patet in infantibus decedentibus cum ſola gratia baptiſmali; vel acceptarentur mediante ſecundâ gratiâ, ſeu 52

Confi tio d rum.

ſeu augmento gratiæ, quod dici nequit, cùm illud augmentum ſit præmium ſecundarium ipſorum operum, adeò ut per ipſa opera gratia accepta conſervetur, & conſummetur.

Conclusio, quòd aliquis poſſit habere jus ad majorem gloriam, quam habeat aut habiturus ſit gratiam. Itaque non eſt impoſſibile, aliquem habere plura merita in acceptatione divina, & conſequenter jus ad majorem gloriam, quamvis de facto non habeat, nec fortè poſt mortem habiturus ſit intenſiorem gratiam; nam poteſt manere jus fundatum in operibus reſpectu gloriæ, quæ nondum data fuit, quamvis non maneat jus ad gratiam, quæ data fuit, & culpâ peccatoris amiſſa. Et quamvis hoc jus ad gloriam impediatur in executione per abſentiam gratiæ, redit tamen per quamcumque minimam gratiam, cùm Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32. ſolùm requirat hanc conditionem: *Si in gratia deceſſerit.*

53\. *Merita poſſunt præmiari ultra menſuram gratiæ ſanctificantis juxta Hiquæum.* Ex his feſtinè cognoſcitur, quid reſponſurus ſit Hiquæus ad primam quæſtionem ſuprà propoſitam; videlicet, merita poſſe præmiari ultrà menſuram gratiæ ſanctificantis, adeò ut voluntas poſſit attingere fruitionem Dei ampliùs ſive intenſiùs quàm ſit gratia habitualis. Quod ſi verum eſt, evidenter ſequitur, poſſe recuperari totum jus, ſive totam actionem ad jus antiquum gloriæ debitæ, ſive titulo mercedis operibus, ſive titulo hæreditatis gratiæ ſanctificantis, abſque recuperatione gratiæ ſemel deperditæ. An autem verum ſit, patebit ex dicendis.

54\. *Primum argumentum Hiquæi contra reviviſcentiam meritorum ad gratiam amiſſam ex Conc. Trident.* Probat itaque præfatus Auctor non reviviſcere merita ad gratiam amiſſam; Primò, quia auctoritates Scripturæ, Concilii Tridentini, & Patrum, quibus communiter utuntur Doctores ad ſtabiliendam reviviſcentiam meritorum, ſatis ſuperque verificantur de reviviſcentia operum ad præmium gloriæ.

Enimvero Tridentinum ſeſſ. 6. c. 16. ſolius meminit gloriæ dicens: *Atq; ideo bene operantibus uſq; in finem, proponenda eſt vita æterna,* &c. Non dicit, proponenda eſt gratia, ſed, *vita,* inquit, *æterna.* Et infrà: *Nihil ipſis juſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quo minùs* &c. *& vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur.* Ubi rurſum nulla mentio gratiæ.

Præterea in eodem capite ſic ait: *Neq; verò illud omittendum eſt; quòd licèt bonis operibus in ſacris Literis uſq; adeò tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſuâ mercede cariturum; & Apoſtolus teſtetur, id quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis; abſit tamen, ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cujus tanta eſt ergà omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* In quibus apertiſſimis verbis mercedem bonorum operum ſtatuit *æternum gloriæ pondus:* gratiæ autem non meminit.

55\. *Solvitur oſtendendo Tridentinum clariſſimè expreſſiſſe meritum gratiæ.* Reſpondetur, non omnia omnibus locis debere exprimi à Concilio. Porrò in principio illius capitis expreſſerat recuperationem gratiæ. *Hâc,* inquit, *ratione juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint* &c. Similiter cap. 14. in principio: *Qui verò ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, cùm excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, meritò Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint.*

Et quomodo clariùs potuiſſet exprimere meritum gratiæ, quàm can. 32. ejuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit* &c. *ipſum juſtificatum bonis operibus* &c. *non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam* &c. *anathema ſit?*

Reſponſio Hiquæi. Quid ad hæc Hiquæus? Ibi (inquit num. 67.) non loquitur de alia gratia, diverſâ ab ea, quæ correſpondet Pœnitentiæ, & præſenti diſpoſitioni; illa enim, quantumcumque minima, ſufficit ad juſtificationem, & eſt verum augmentum gratiæ. Unde putat hic Auctor, quòd divina providentia præſens, non compatiatur reviviſcentiam gratiæ in integrum, utpote quæ menſuram gratiæ recuperandæ ſtatuit juxta media ordinata, & eorum efficaciam in ſuo genere, nempe Sacramenti & diſpoſitionis præſentis, ſeu converſionis peccatoris.

56\. *Fatetur Auctor eſſe aliquam diſparitatem inter gratiam, & gloriam; ſed putat inſufficientem.* Sed hoc eſt quod quæritur, & de quo infrà diſputabimus. Fateor aliquam eſſe diſparitatem inter gratiam & gloriam, quam Scotus ſuprà ſubtiliter advertit; videlicet, iſtam aliquando datam fuiſſe, & culpabiliter amiſſam, hanc verò minimè: equidem diſparitas illa non videtur ſufficiens, ad negandam recuperationem gratiæ amiſſæ; quandoquidem gratia data non habuerit ultimum ſuum effectum, ſcilicet ipſam gloriam, ad quam eſt medium, & propter quam data erat.

Suarius. Interim propter hæc, & alia inferiùs allegand a, rectè Suarius reviviſcentiam meritorum quoad præmium eſſentiale, id eſt, æternam gloriam, ùt certam ſtatuit; reviviſcentiam autem gratiæ prioris, ùt tantùm probabiliorem, Relect. de Reviviſcentia meritorum diſp. 2. ſect. 3. n. 13.

57\. *Secundum argumentum Hiquæi.* Itaque ſecundò argumentatur Hiquæus ſuprà n. 69. illa commenſuratio gratiæ & gloriæ (propter quam aſſeritur illa reviviſcentia gratiæ deperditæ) exigeretur vel per modum diſpoſitionis requiſitæ, vel ùt quis dicatur acceptatus à Deo in ordine ad præmium, vel certè quatenus charitas ſeu gratia eſt medium aſſequendi præmium; ſed nihil horum convincit,

vincit, merita non redire quoad totum præmium eſſentiale, quamvis non rediret gratia in eodem gradu antiqua, vel etiam nullo modo rediret: ergo &c.

Gratia, quæ datur propter merita, nequit eſſe diſpoſitio antecedens.

Probatur Minor; imprimìs non exigitur per modum diſpoſitionis; quia gratia debita ex meritis, non eſt diſpoſitio antecedens meritum, ſed potiùs effectus conſequens, ſeu, ùt illam vocat Scotus 4. diſt. 21. q. 1. n. 10. *Præmium non principale. Et eodem modo*, inquit, *de iſta deletione venialium, quæ eſt quoddam præmium non principale iſtorum meritorum, ſicut & augmentum charitatis*, id eſt, gratiæ ſanctificantis, *in tali vel tali gradu.* Cur ergo non poſſit meritum habere effectum gloriæ, qui eſt principalis, ſinè effectu gratiæ?

58. Gratia & gloria ſunt effectus diſtincti.

Etenim ſunt effectus, ſive præmia diſtincta, & ùt talia enumerantur à Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 32. ſæpiùs allegato. Et quamvis primo loco ſtatuatur augmentum gratiæ, hoc ideo tantùm fit, quia augmentum illud priùs conceditur, videlicet in hac vita, cùm gloria & augmentum ejus tantùm concedantur poſt mortem. Si igitur augmentum gratiæ eſt præmium operis meritorii, liquidò ſequitur, quòd opus meritorium in nullo ſui eſſe naturali, morali, aut meritorio dependeat à gratia ſibi debita, & quæ redditur propter ipſum meritum; tamquam à diſpoſitione antecedente, & cauſa.

Neque gratia eſt diſpoſitio conſequens.

Neque eſt diſpoſitio conſequens neceſſaria ad acquirendum præmium eſſentiale, quaſi ratione illius gratiæ opus illud acceptetur à Deo ad præmium eſſentiale: hoc enim falſum eſt; cùm Tridentinum nihil aliud requirat, quàm quòd fiat in gratia, & per gratiam, quod totum habetur ſinè augmento gratiæ, quod eſt præmium non principale.

59. Reſponſio, quod licèt gratia ſit præmium operum; equidem poſſit etiam eſſe diſpoſitio ad gloriam.

Reſpondeo; licèt augmentum illud ſit præmium; & conſequenter detur propter opera (alioquin, cur daretur reprobis?) equidem nil obſtat, quin etiam concedi poſſit tamquam diſpoſitio ad præmium eſſentiale: quia qui dat formam tamquam præmium, etiam poteſt concedere tamquam præmium ipſam diſpoſitionem; maximè quando diſpoſitio poteſt præcedere longo tempore ipſam formam: immo quando diſpoſitio poteſt fruſtrari ſuâ formâ, ad quam diſponit, ùt impræſentiarum ſæpiùs contingit.

60. Objectio.

Dices: eſtò poſſit concedi tamquam diſpoſitio, unde conſtat quòd ſic concedatur, & non potiùs tamquam præmium planè diſtinctum & nulli alteri ſubordinatum?

Solvitur.

Reſpondeo: quia gratia eſt ſemen gloriæ; immo principium ejus effectivum in ſententia Scoti, conſtituentis gloriam eſſentialem in fruitione, quæ eſt actus gratiæ habitualis, quam Scotus non diſtinguit à charitate. Oportet itaque gratiam commenſurari gloriæ, tametſi ſint præmia diſtincta. Quòd autem gratia

Gratia eſt ſemen gloriæ & principium ejus effectivum.

(& non tantùm opera bona) ſit ſemen gloriæ, videtur ſignificari per illud Joan. 1. c. 3. v. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo* (per gratiam ſanctificantem) *peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* 1. Joan.

Sed contrà: gratia non eſt neceſſaria, ut attingatur objectum beatificum in via; quia præmium gloriæ non datur in via. 61. Inſtantia.

Reſpondeo: ſufficit quòd ſit neceſſaria poſt mortem; nam ſi debeat poſt mortem reſtitui, non eſt ratio evidens, quare non ſtatim reſtituatur, cùm non ſit ullus obex poſt Pœnitentiam. Solvitur.

Contrà: neque eſt neceſſaria poſt mortem; nam poteſt ſuppleri defectus hujus principii per auxilium actuale. 62. Secunda inſtantia.

Reſpondeo: poteſt omnino; ſed unde conſtat, quòd ſecundùm præſentem providentiam Dei ità fiat? Nonne potentia cum auxilio actuali poſſet in via ſemper elicere actus ſupernaturales fidei, ſpei & charitatis? Quis ideò negat habitus proportionatos? Idque quia per habitum magìs connaturaliter elicitur actus: ergo & in patria illa proportio, & connaturalitas ſervabitur. Reſpondetur.

Contrà: in via gratia actualis, vel etiam habitualis, quæ concurrit ad actum meritorium, poteſt eſſe minùs intenſa, quàm gratia, quam aliquis per talem actum meretur; vel etiam quàm ſit ipſe actus meritorius. 63. Tertia inſtantia.

Reſpondeo, diſparitatem eſſe, quòd gratia, quam quis meretur, non eliciatur, ſive efficiatur per gratiam illam actualem, vel habitualem antecedentem; ſed à ſolo Deo infundatur: gloria autem, ùt dictum eſt, effectivè procedit ab habitu charitatis, ſeu gratia habituali. Poteſt porrò Deus infundere per modum præmii majorem gratiam, quàm ſit præexiſtens: at verò in patria, cùm homo ampliùs nihil mereatur, non videtur voluntas poſſe elicere actum fruitionis magìs intenſum, quàm ſit gratia habitualis, à qua phyſicè elicitur. Solvitur primò.

Deus per modum præmii poteſt infundere majorem gratiam, quàm ſit præexiſtens.

Deinde demus potentiam per majorem conatum poſſe ſupplere defectum gratiæ, & cum inæquali gratia elicere æqualem fruitionem; utì etiam per concurſum extraordinarium objecti fruitionis, quod eſt Deus, liberè movens in ordine ad actum: ex quo probatur ità fieri, & non potiùs contrarium, cùm hoc ſit magìs conforme, & connaturale naturis rerum? Nam, quod quidam aſſerunt, habitum ſupernaturalem non eſſe principium connaturale potentiæ, falſum eſt, ſuppoſitâ elevatione ejus ad ſtatum ſupernaturalem. 64. Secunda ſolutio.

Habitus ſupernaturalis eſt principium connaturale potentiæ.

Ceteroquin nullum requiramus habitum, ſed dicamus, fieri fruitionem per auxilium aliquod actuale, & concurſum extraordinarium Dei, quod eſt contra communem ſententiam, quam apertiſſimis verbis indicat Scotus 3. diſt. 13. q. 4. n. 18. ibi: *Licèt* (voluntas creata 65.

Gratia ſanctificans eſt cauſa partialis fruitionis ex Scoto.

creata Chriſti) *poſſit ſummam gratiam habere, quæ ut cauſa partialis reſpectu fruitionis aquè cauſaret fruitionem in ipſa, & Angelo* &c. Et n. 19. ibi: *Gratia reſpectu fruitionis habet tantùm rationem cauſæ efficientis ſecundæ.*

Fruitio non eſt à gratia, ùt à cauſa totali.

Similiter n. 20. ibi: *Argumentum in oppoſitum concludit, quòd poteſt ſummè frui formaliter, quod concedo, tamen illud argumentum deficit in hoc, quòd videtur probare, quòd fruitio ſit à gratia, ùt à cauſa totali, quod eſt falſum. Vnde licèt illa naturaliter ſe habeat ad fruitionem, non tamen voluntas, quæ eſt alia cauſa partialis, ſed potiùs liberè. Ipſa tamen voluntas in patria ſemper cooperabitur ſecundùm ultimum potentiæ ſuæ activæ, gratia ſecundùm ultimum eius.*

Reſponſio Hiquæi petit principium.

Reſpondet Hiquæus ſuprà n. 75. Ex debito meriti requiritur præmium eſſentiale in gradu proportionato merito; non debetur autem reſtitutio gratiæ deperditæ, neque in via neque in patria: ergo ex debito meriti debetur concurſus ſpecialis, quo attingat potentia præmium deſtinatum operibus, & non reſtitutio gratiæ per modum principii. Sed hoc eſt quod quæritur, & oportet probari.

66. *Tertium argumentum Hiquæi.*

Probat ergo III. ſuam ſententiam: Providentia ordinaria Dei ſequitur naturam mediorum, per quæ reducitur in effectum; ſed media, per quæ vivificatur lapſus, ſunt Sacramenta, v. g. Baptiſmi & Pœnitentiæ, aut contritio charitate perfecta; hæc autem media nata ſunt tantùm cauſare eumdem effectum in omnibus, ùt per ſe conſtat: ergo non habent ex natura ſua cauſare in eo, qui lapſus eſt à juſtitia, niſi eumdem effectum, quem in aliis cauſant ſive juſtis, ſive injuſtis, quantùm ad gradum gratiæ. Sed Deus non confert regulariter alium effectum, quàm qui ex prima ſui inſtitutione convenit his mediis: ergo &c.

Sacramenta eundem cauſant effectum in omnibus.

Conc. Trid.

Atque hæc doctrina videtur conformis Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 7. ibi: *Iuſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem.*

67. *Reſpondetur, per accidens fieri poſſe contrarium in caſu propoſito.*

Reſpondeo, per Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ præciſè ſive huic, ſive illi conferri æqualem gratiam, ſi adſit æqualis præſens diſpoſitio; ſimiliter per contritionem charitate perfectam omnibus conferri æqualem gratiam præciſè ex vi illius, ſi ipſa in omnibus ſit æqualis: ceteroquin fieri poteſt, ut per accidens conferatur huic major gratia, quàm illi, eo quod hic ante lapſum habuerit majorem gratiam, quàm ille, quæ utique gratia reviviſcit ſublato obice peccati.

Objectio ſolvitur.

Dices: eſt petitio principii; hoc enim eſt, de quo diſputatur, an gratia reviviſcat. Fateor, de hoc diſputatur; verumtamen cùm conſtet apud Hiquæum, totum jus ad gloriam reviviſcere, adeò ut, non obſtante æquali diſpoſitione præſenti, huic conferatur majus jus ad gloriam, ſeu actio ad majus jus, quàm illi, cur non itidem poſſit conferri inæqualis gratia? Cur potiùs gratia debet commenſurari diſpoſitioni præſenti, quàm gloria? Nam utraque eſt præmium operum. Et ſi merita antiqua ſunt moralis diſpoſitio præſens ad gloriam, cur non itidem ſint moralis diſpoſitio præſens ad gratiam?

Gratia non potiùs debet commenſurari præſenti diſpoſitioni, quàm gloria.

68. *Explicatur Conc. Trident.*

Quantùm ad Tridentinum, ſi intelligas illud de propria diſpoſitione, & cooperatione phyſicè præſenti, dicito conſequenter, intelligendum eſſe de illa juſtitia, quæ de novo infunditur; non autem de illa juſtitia, quæ ſublato obice reviviſcit. Sed quare nequeo interpretari Concilium de diſpoſitione etiam ſolùm moraliter præſente; id eſt, quæ aliquando fuit, & manet in acceptatione divina?

Conc. Trident menſuram juſtitiæ tribuit non ſoli diſpoſitioni, ſed etiam voluntati Spiritus ſancti.

Et ſi fortè nolis, aut non poſſis merita mortificata computare inter diſpoſitiones, quia Concilia propriè intelligenda ſunt, niſi aliquid obſtet; adverte, Concilium menſuram juſtitiæ tribuere, non ſoli diſpoſitioni, & cooperationi hominis; ſed etiam voluntati Spiritûs ſancti, *Secundùm menſuram*, inquit, *quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſq; diſpoſitionem.* Vult autem Spiritus ſanctus, merita mortificata ſicuti reviviſcunt ad gloriam, ità etiam reviviſcere ad proportionatam gratiam: & ideò illam infundit in juſtificatione; non ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem; ſed ſecundùm ſuam voluntatem, in qua opera meritoria manent acceptata ad gratiam & gloriam.

69. *Objectio.*

Sed contrà: Deus juſtificat gratìs & non ex debito; ergo non confert gratiam ex titulo meritorum antiquorum.

Solutio.

Reſpondeo: Antecedens non poteſt intelligi, niſi de prima gratia juſtificante; cùm Tridentinum expreſſè definiat ſeſſ. 6. can. 32. juſtificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ: quod proinde aliquo ſenſu confertur ex debito, & non omninò gratìs.

70. *Aliqui docent contritionem charitate perfectam eſſe meritum de condigno primæ gratiæ.*

Ut omittam opinionem aliquorum, qui docent peccatorem per contritionem charitate perfectam ſibi mereri de condigno primam gratiam habitualem, & nihilominus gratìs juſtificari, quia, ùt dicit Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 8. nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt ſive fides ſive opera ipſam juſtificationis gratiam, id eſt, totam ſeriem auxiliorum, promeretur vel ſaltem de congruo, quia non primum auxilium.

Bonæ Spei.

Hanc doctrinam noviſſimè amplectitur Bonæ Spei tom. 2. tract. 2. diſp. 5. nu. 192. tametſi diverſimodè explicet verba Concilii Trident. puta: *Gratìs iuſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem* ùt principium *præcedunt ſive fides ſive opera, ipſam iuſtificationis gratiam* ùt principium *promeretur.* Quaſi verò hæretici, contra quos ibi agit Concilium,

 docuiſ-

Digitized by Google

docuiſſent, Fidem & opera, quæ juſtificationem præcedunt, promereri *gratiam juſtificationis* ùt principium, & non potiùs ùt præmium, quod eſſentialiter correſpondet merito.

71\. Deus non dat primam gratiam propter opera præcedentia tamquam merita de condigno.

Sed revertamur ad propoſitum noſtrum. Abſit ut dicamus, Deum dare primam gratiam peccatori propter opera præcedentia, tamquam merita de condigno; ſed, ſuppoſitâ juſtificatione gratuitâ, contendimus, Deum reſtituere gratiam per peccatum deperditam, ſive comparata fuerit ex opere operantis meritoriè de condigno, de qua hactenus egimus, ſive ex opere operato per Sacramenta, ſive ex opere operantis non meritoriè de condigno per contritionem charitate perfectam.

Recuperatio gratiæ colligitur ex Script. Joël. 2.

Ratio à priori voluntas Dei, quam colligimus ex Scriptura Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro* &c. v. 12. *Et reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca*, v. 25. Super quæ verba D. Hieronymus: *Et annos*, inquit, *quos perturbationibus* (id eſt, peccatis) *antè regnantibus perdideratis in vobis; quando opera veſtra locuſta, bruchus, erucaq; conſumpſerant, Deus vobis perire non paſſus eſt.* Et poſt pauca: *Si autem poſt Pœnitentiam, tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid reſpondebit Novatus, negans Pœnitentiam: & reformari poſſe peccatores in priſtinum ſtatum, ſi digna fecerint opera Pœnitentiæ? In tantum enim Deus recipit pœnitentes, ut vocet eos populum ſuum, & nequaquam aſſerat confundendos* &c. Non reformarentur autem in priſtinum ſtatum, ſi vel minima gratia antea habita non reſtitueretur.

D. Hier.

72\. Item ex parabola filii prodigi Luc. 15.

Ad idem ſervire poteſt parabola Luc. 15. de filio prodigo, cui reſipiſcenti Paterfamilias jubet reddi ſtolam primam. *Dixit autem Pater ad ſervos ſuos: citò proferte ſtolam primam* &c. v. 22. Ubi per *ſtolam* Patres intelligunt gratiam; per *primam*, illam gratiam, quam habuit ante peccatum. Chryſoſtomus Hom. 4. in Lucam ſic inquit: *Deinde mox jubet et ſtolam illam primam proferri, vel priſtinam gloriam, quam ex ſeductione diaboli nudatus amiſerat: reddi ſimul & annulum ſive ſignaculum ſalutaris Symboli, ſeu magis diſpenſationis inſigne, & nuptiarum pignus illarum, quibus Chriſtus Eccleſiam ſponſat, cùm omnis anima reſipiſcens per annulum fidei jungitur Chriſto.*

S. Chryſoſt.

Ezech. 33.

Addi poſſet, quod ait Dominus Ezech. 33. v. 12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumq; die converſus fuerit ab impietate ſua.* Noceret autem, ſi per Pœnitentiam non recuperaret omnem gratiam amiſſam.

73\. Alia probatio.

Præterea probatur hæc recuperatio ab aliquibus: quia ſequeretur aliquid damnationis eſſe iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu; quandoquidem peccator juſtificatus, in pœnam peccati perpetuò privaretur tantâ gratiâ priùs habitâ, & conſequenter gloriâ: cujus abſoluta privatio ſeu carentia, ſicut conſtituit pœnam eſſentialem damni, ſic in taliter juſtificato aliquid damnationis remaneret. Ità Herincx parte 2. tract. 4. diſp. 4 n. 67. Herinx

Sed reſponderi poſſet, per damnationem illo loco Apoſtoli ad Rom. 8. v. 1. tantùm intelligi privationem gratiæ; aut gloriæ, incompoſſibilem cum eſſentiali beatitudine, juxta illud Trident. ſeſſ 5. in Decreto de peccato originali can. 5. *Nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem* &c. *ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur.* Jam autem illa privatio tantæ gratiæ, & conſequenter gloriæ, non remoraretur eos ab ingreſſu cœli, ùt patet. Reſpo

Sicuti quamvis per Baptiſmum remittatur peccatum originale; tamen non reſtituitur juſtitia originalis, per peccatum primi Parentis amiſſa: ſed juſtitia tantùm adoptionis, æquivalens quantùm ad effectum ſalutis. Non refert, inquit Hiquæus ſuprà nu. 86. ut peccator ſuâ ingratitudine patiatur illud incommodum, quia periculo, aut lucro recipit præmium gratiæ per merita, quod ſibi conſervare poteſt, aut amittere.

Per [Bapti]ſmum reſtitu[itur] juſtiti[a ori]ginali[s]

Hiquæ

Subſcribo adhuc unam probationem ex Herincx ſuprà: Quia etſi contrito, aut ſuſcipienti Sacramenta gratia non detur ex propriis meritis condignis; datur tamen ex merito condigno Chriſti, quod homini tamquam proprium applicatur; igitur credendum eſt id fieri cum non minori virtute ad reviviſcendum, quàm habeant merita propria hominis. 74

Alia [proba]tio ex [Her]incx.

Confirmatur: quia durum eſt hominem, qui tali viâ magnam gratiæ; & conſequenter gloriæ copiam, comparaverat, in æternum illa privari ob unicum, in quod fortè labitur peccatum; contrarium autem valde excitat ad fervorem contritionis, & frequentem præſertim Sacramentorum uſum.

Reſpondetur, illam eſſe bonam congruentiam, ob quam ſic potuerit fieri; interim factum eſſe, quod potuit fieri, non convincit: nam certum eſt, merita non ſemper applicari ad omnem effectum, quem poſſent habere, ſi Deus vellet; ſiquidem poſſent cauſare perſeverantiam in gratia; quis tamen ideo dixerit ſemper habere illum effectum? Applicuit ergo Chriſtus ſua merita nobis, & Sacramentis cum aliqua limitatione; quæ & qualis illa ſit, non ſatis conſtat.

Reſpo[ndetur.]

Merit[a non] ſempe[r ap]plican[tur] ad o[mnem] effectu[m] quem [poſ]ſent h[abere] ſi Deu[s vel]let.

Denique quod addit ibidem præfatus Auctor; quia alioquin ſemel lapſus in aliquod peccatum, ſemper privaretur jure ad gratias actuales, vi Sacramentorum ſuſceptorum dandas tempore opportuno: nam jus ad illas dependet à jure ad gratiam habitualem. 75

Tertia [pro]batio e[x eo]dem A[uto]ris,

Hæc, inquam, doctrina æquè, aut magis incerta eſt. Plures quidem docent, & nos cum ipſis docuimus diſp. 1. ſect. 4. concl. 10. Sacramenta conferre auxilia ſpecialia tempore oppor-

quæ e[t] non c[on]vincit.

Digitized by Google

opportuno, dummodo gratia habitualis non ſit amiſſa; non deſunt tamen, qui contrarium ſuſtinent, cauſantes, ſicuti Sacramenta ex meritis Chriſti immediatè cauſant gratiam habitualem, ità etiam immediatè conferre auxilia gratiæ, eſtò non redeat gratia habitualis, data per eadem Sacramenta; ſed homo permaneat in peccato: quantò magìs, ſi redeat gratia habitualis ejuſdem omnino rationis, etſi non præcisè illa, quæ data fuerat per Sacramenta præcedentia.

In ratione nihil certi de reditu gratiæ.

Igitur ex ratione nihil certi, non ſolùm de reditu gratiæ habitualis datæ ſinè meritis, ſed etiam datæ ex meritis, ùt patet ex iis, quæ diximus pro ſententia Hiquæi; idque quia totum pendet à ſola voluntate Dei, quæ poteſt habere juſtiſſimas cauſas, eſtò nobis incognitas, hoc vel illud faciendi, quod nobis apparet non eſſe faciendum; aut non faciendi, quod nos judicamus eſſe faciendum. Porrò auctoritas Scripturæ videtur ſtare pro hac noſtra concluſione, & ideo eam elegimus; tametſi fortè Scotus contrarium exiſtimaverit probabile, quantùm ad reditum gratiæ, præſertim in hac vita.

76.
Inconveniens eſſe quod reſurgens ſemper reſurgat in majori gratia, probatur I. à Scoto.

Videtur, inquit Scotus, *inconveniens* (ergo non loquitur omninò aſſertivè) *quòd omnis reſurgens à peccato mortali, reſurgeret in gratia majori, quàm fuit illa, à qua cecidit.* Probat autem illam inconvenientiam ùt ſuprà vidimus I. *Quia non omnis cadens, ſemper graviùs cadit; quàm priùs ceciderit: nec igitur reſurgens, gratior reſurgit, quàm præfuit.*

Reſponſio.

Reſpondeo, non omnem cadentem ſemper graviùs cadere; quia gravitas peccati per ſe loquendo non deſumitur ex gratia, quæ deperditur: ſed ex meliori rectitudine oppoſita, quâ privat, ùt ait Scotus 2. diſt. 37. q. 1. n. 9. ibi: *Ad* 3. *etiam patet; quia illud peccatum eſt gravius ex genere, quod opponitur rectitudini meliori: illa autem eſt melior, quæ eſt fini immediatior cæteris paribus...... loquendo autem in eodem genere peccati mortalis, illud eſt gravius, in quo voluntas maiori libidine peccat* &c.

Quantùm autem ad majorem gravitatem, per accidens provenientem ex conditione perſonæ offendentis, fortè dici poſſet, ſecundum peccatum ex ea parte habere annexam aliquam ingratitudinem, ùt videbimus concl. ſequenti; adeoque ſinè inconvenienti affirmari poterit, quòd omnis cadens, ſemper graviùs cadat, quàm priùs ceciderit: ergo ſimiliter, quòd omnis reſurgens gratior reſurgat, quàm præfuit.

77.
Secunda probatio Scoti.

Probat Scotus II. *Quia prima gratia poteſt eſſe maior, & minor, & per conſequens minima; ſed per Pœnitentiam acquiritur prima gratia: ergo poſſibile eſt, aliquando primam gratiam, recuperatam per Pœnitentiam, eſſe minimam.*

Reſponſio.

Reſpondeo concedendo totum, ſi loquatur de gratia, quæ per ſe acquiritur per Pœnitentiam; ſecùs ſi de tota gratia, quæ partim de novo acquiritur, partim reſtituitur.

78.
Merita dum ſunt mortificata non poſſunt mereri minimam gratiam ex Scoto.

Igitur ut finem imponamus huic concluſioni, quæ incerta eſt, quantùm ad recuperationem gratiæ deperditæ, verbis Scoti ſubjiciam, quod certum eſt, videlicet: *Quòd illa merita quibus reſpondet magnus gradus gloriæ, dum ſunt mortificata, non poſſunt mereri minimam gratiam; alioquin qui cecidiſſet à multis meritis, iam meruiſſet, ut reſurgeret ab illo lapſu per primam gratiam, ſibi propter iſta merita conferendam.* Ità Doctor Subtilis 4. diſt. 22. q. 1. n. 13.

Interim aliquid faciunt pro reſurrectione.

Addit, quod conſolatorium eſt: *Nec tamen credo, quòd merita mortificata omninò nihil faciant in acceptatione divina ad primam gratiam dandam huic lapſo; quia etſi ſecundùm ſtrictam iuſtitiam iſte inimicus Dei non ſit dignus de propinquo ad aliquam gratiam & gloriam; tamen excellens miſericordia Dei, propter præcedentia merita, licèt mortificata, citiùs dat gratiàm ad reſurgendum: unde, ſicut credo, quòd perfectior graviùs cadit propter maiorem ingratitudinem; ità credo, quòd cæteris paribus citiùs reſurgit propter Dei benignitatem, merita prædicta ad hoc aliqualiter acceptantem. Vnde aliquando audivi de viro priùs valde perfecto, & poſtea profundiſſimè lapſo, cùm propter facinora ſua eſſet mortis adiudicatus, miſericordiſſimè viſitato, perfectiſſima Pœnitentia ſibi ſubitò inſpirata eſt. Iſtud bene debet allicere quemlibet ad ſemper meritoriè agendum pro viribus; quia ſive manſurus ſive lapſurus ſit, non erunt iſta in oblivione totaliter coram Deo.* Hæc ille in laudem miſericordiæ divinæ, quæ ſuperexaltat judicium.

Atque hæc eadem miſericordia præcipua ratio eſt, quare potiùs per Pœnitentiam merita reviviſcant ad eamdem gratiam & gloriam, cùm tamen poſſent non reviviſcere, quàm per ſubſequens peccatum redeant priora demerita ad eamdem pœnam & culpam, quamvis abſolutè poſſent redire, ùt ediſſero duabus ſequentibus concluſionibus.

CONCLUSIO III.

Peccata ſemel remiſſa, numquam redeunt ad eamdem pœnam, aut culpam.

Veritas hujus concluſionis dependet à ſola voluntate divina, & ideò non meliùs probatur, quàm ex auctoritate Scripturæ, & communi ſenſu Doctorum. Quod probè intelligens Doctor Subtilis 4. diſt. 22. q. 1. n. 6. ſic inquit: *De ſecundo articulo dico, quòd Deus diſpoſuit peccata pœnitentis poſt Pœnitentiam eſſe tecta, ſecundùm Auguſtinum exponentem illud Pſalmi:* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta *&c. id eſt, non ampliùs videri*

79.
Probatur Concluſ. ex Script. & communi ſenſu DD.
Scotus.
S. Auguſt.
Pſal. 31. v. 1.

Nahum 1. v. 9.

videri ad vindictam: & ſecundùm illud Nahum: Non judicabit Dominus bis in idipſum. *Et ideo de potentia ordinata non poteſt redire obligatio nec ad eamdem pœnam, nec eadem* (obligatio) *poſtquam eſt extincta: & hoc eſt, quod habetur de Pœnitentia diſt.* 4. (ex Gelaſio Papa) *Divina clementia dimiſſa peccata in ultionem ulteriùs redire non patitur.*

S. Proſper.

Adde, ſi placet, verba S. Proſperi in Reſponſ. 2. ad cap. Gallorum. *Relapſum poſt Baptiſmum ad infidelitatem, & impios mores, qui negat originali peccato fuiſſe purgatum, tam falſa opinatur, quàm qui eumdem aſſerit, non æternâ morte eſſe damnandum. Qui enim recedit à Chriſto, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? Sed non in quod remiſſum eſt, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter poſtrema crimina eâ morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remiſſa ſunt, debebatur.* Id eſt, morte æternâ.

80. Non bene probatur ex Apoſt. Rom. 11.

Adducunt etiam aliqui, quod legitur apud Apoſt. Rom. 11. v. 29. *Sinè Pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei.* Id eſt, ùt ipſi explicant, Deum non pœnitet ejus, quod ſemel donavit, unde non repetit illud.

Sed hic locus nihil probat; ſi enim ità univerſaliter intelligatur, ſequitur nec gratiam juſtificationis ſemel obtentam, quæ indubiè eſt donum Dei, auferri à Deo propter peccata ſequentia, quod eſt clare falſum; ſin autem per dona intelligas eo loco promiſſa Dei, quorum ipſum non pœnitet, id eſt, quæ non facit irrita, jam locus nihil eſt ad propoſitum: ubì enim Deus promiſit ſe non denuò imputaturum priora peccata? Saltem per iſtum locum illa promiſſio non oſtenditur.

Eſt autem hic poſterior intellectus germanus; intendit quippe Apoſtolus eâ ſententiâ declarare, Deum non facturum irritam promiſſionem, factam ſemini Abrahæ; quòd ſub finem mundi Judæi forent ad Chriſtum convertendi. Sic enim ait v. 25. & 26. *Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc (ut non ſitis vobiſipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſalvus fieret.* Et infrà v. 30. & 31. *Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: ità & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, ut & ipſi miſericordiam conſequantur.*

Quæris, quæ ſit illa miſericordia? Reſpondeo, beneficia Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Audi

S. Auguſt.

D. Auguſtinum lib. de Bono perſev. c. 17. *Iſta ſua dona* (intelligit perſeverantiam uſque in finem vitæ in gratia Dei) *quibuſcumq; Deus donat, procul dubio donaturum ſe eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit: Quos ergo prædeſtinavit, ipſos & vocavit vocatione illâ, quam me ſæpe commemorare non piget; de qua dictum eſt: Sinè Pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei.*

Quantùm ad Scripturam allegatam à Scoto ex Nahum 1. c. v. 9. vulgata editio ſic legit: *Non conſurget duplex tribulatio.* Septuaginta autem: *Non vindicabit bis in idipſum in tribulatione.* Cùm autem prima peccata non fuerint punita ſemel, tametſi redirent per ſubſequens peccatum, nondum bis punirentur, ſed tantùm ſemel. *Hoc fieret* (id eſt, Deus bis vindicaret in idipſum) inquit Mag. Sentent. 4. diſt. 22. *ſi poſt condignam ſatisfactionem, & ſufficientem pœnam, iterum puniret, ſed non ſatiſfecit dignè, & ſufficienter, qui non perſeveravit.* Et ideo nec iſte locus videtur quibuſdam ſatìs efficax. 81 Nec lo[…] ille ex [Na]hum 1. [vi]detur efficax.

Utì nec ille Ezech. 18. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis* &c. *omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor,* v. 21. & 22. Quippe eodem univerſali modo loquendi ibidem additur v. 24. *Si averterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua* &c. *omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur:* quod abſolutè, ſicuti ſonat, nequit intelligi; ſed dumtaxat ſub hac conditione, niſi denuò egerit Pœnitentiam, per quam, ùt vidimus concluſione præcedenti, merita mortificata reviviſcunt; ut proinde conſimiliter explicari poſſit prior ſententia hoc ſenſu: *Omnium iniquitatum eius non recordabor,* niſi per ſubſequentia id mereatur peccata. 82. An eff[…] citer pr[…] ille Ez[…] 18. Si i[…] egerit p[…] tentiam

Interim quoniam gratia *potentior eſt ad bonum, quàm culpa in malum,* ùt ait Doctor Seraphicus 4. diſt. 22. p. 1. q. 1. & Deus *pronior eſt ad miſerendum, quàm ad condemnandum,* hinc (utì inſinuavimus concl. 1.) ex parte materiæ ſubjectæ colligitur, eumdem univerſalem modum loquendi, priùs abſolutè, poſtmodum autem reſtrictè eſſe accipiendum; ſaltem poſſe accipi, præſertim accedente communi ſenſu Doctorum, ac fidelium. D. Bon.

Ratio ergo à priori hujus concluſionis eſt, voluntas divina, quæ propter pœnitentiam ità perfectè texit peccatum & remiſit, ut nec actio ſibi remaneat ad vindicandum, multò minùs ad odium aut inimicitiam; quamvis enim, ùt docuimus ſect. præcedenti concl. 9. abſolutè poſſet remiſſâ pœnâ culpa manere, adeoque redire peccatum quoad culpam tantùm, non etiam quoad pœnam; equidem de facto numquam remittitur pœna peccati mortalis, manente culpâ, adeoque non eſt veriſimile redire peccatum mortale quoad culpam tantùm, non etiam quoad pœnam. 83. Concl. […] batur à priori.

Igitur peccata per Pœnitentiam, Deo ſic volente, penitùs tolluntur & deſtruuntur pro nunc & ſemper; quod autem ſemel ità deſtructum eſt, non poteſt redire ſinè nova productione: ab homine de novo non producitur, ùt ſupponitur, nec à Deo poteſt produci, quoniam peccatum habituale, de quo eſt

Digitized by Google

eſt ſermo, non eſt aliud, quàm peccatum actuale moraliter permanens; actuale non poteſt produci à Deo, ùt patet: ergo neque habituale, quamvis hoc à Deo poſſit conſervari; quia illa conſervatio in Deo non eſt aliud, quàm non remiſſio. Ergo ſi peccatum ſic abſolutè remiſſum eſt, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, non ſolùm de potentia ordinaria, ſed neque de abſoluta redire poterit per ſubſequens peccatum.

84. Peccata redire videntur fuiſſe aliquorum ſententia. Magiſt.

Ceterùm peccata non ſic abſolutè remitti, videtur aliquorum fuiſſe ſententia: ſiquidem Magiſter Sentent. 4. diſt. 22. hâc quæſtione in utramque partem diſcuſſâ, ait: *Utrique parti quæſtionis probati favent Doctores. Ideoq́ alicui parti non præiudicans, ſtudioſo Lectori iudicium relinquo, addens, mihi tutum fore, ac ſaluti propinquum, ſub menſa dominorum micas edere.* Hæc ille.

Citantur autem 1. D. Ambr.

Citat autem pro reditu peccatorum imprimìs Ambroſium ſuper c. 4. ad Epheſ. in fine: *Donate*, inquit, *invicem ſi alter in alterum peccat; aliàquin Deus repetit dimiſſa. Si enim in his contemptus fuerit, ſinè dubio revocabit ſententiam, per quam miſericordiam dederat: ſicut in Euangelio de ſervo nequam legitur, qui in conſervum ſuum impius deprehenſus eſt.*

85. Secundò D. Gregor.

Secunda auctoritas eſt D. Gregorii lib. 4. Dial. c. 6. & ponitur de Pœnitentia diſt. 4. c. 2. *Conſtat ex dictis Euangelii, quòd ſi hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rurſus exigitur, quod nobis iam per Pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus.*

Tertiò D. Auguſt.

Accedat D. Auguſt. Homil. 15. de verbis Domini, & refertur eâdem diſt. c. 3. *Dixit Dominus* (aliàs, *dicit illi Deus*) dimitte, & dimittuntur tibi, *ſi ego prior dimiſi, dimitte vel poſtea. Nam ſi non dimiſeris revocabo te, & quidquid tibi dimiſeram replicabo tibi.* Plures ſimiles locutiones, tum Auguſtini, tum aliorum, allegat ſuprà Magiſter, quibus innituntur, qui dicunt, peccata dimiſſa ſi replicantur, redire ſimpliciter.

86. Fundantur hæ auctoritates in parabola Matthæi 18.

Fundantur autem hæ auctoritates, ùt perſpicuè manifeſtum eſt ex contextu verborum, in illa parabola Matth. 18. de ſervo, cui Dominus remiſerat omne debitum ſuum; poſtea verò, quia noluit ipſe dimittere conſervo ſuo, *Iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum*, v. 34. Et continuò attexit Chriſtus: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.*

D. Auguſt.

Hinc D. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 12. *Redire dimiſſa peccata ubì fraterna charitas non eſt, apertiſſimè docet in Euangelio de illo ſervo, quem cum inveniſſet debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimiſit; ille autem conſervum ſuum, qui ei debebat centum denarios, cùm miſeratus non fuiſſet, iuſſit eum Dominus reddere, quæ ei dimiſerat.*

Et quamquam hæc parabola ſolùm loquatur de odio fraterno, & ideo aliqui putent per illud tantummodo peccatum, peccata remiſſa redire; alii tamen univerſaliter indè diſcurrunt, vel ad omnia peccata, vel ſaltem ad hæc tria, apoſtaſiam à fide, contemptum confeſſionis, & dolorem de priori actu Pœnitentiæ; quia, inquiunt, non eſt major ratio de odio fraterno, quàm de omnibus aliis, aut ſaltem de his tribus.

Sed numquid propter hanc parabolam recedendum à communi ſententia? Nequaquam. Quomodo ergo intelligenda? *Ad primum*, inquit Scotus 4. diſt. 22. q. 1. n. 20. *patet, quòd illa parabola ad hoc principaliter tendit, quòd eadem pœna exigitur à ſervo illo, qui noluit dimittere conſervo ſuo, quæ fuiſſet exacta ab eo propter delictum principale: quod enim ibi dicitur:* Tradidit eum tortoribus donec redderet univerſum debitum; *intelligo ad propoſitum; quia non redderet univerſum debitum, niſi ſolvendo pœnam damnationis, pro eo mittatur in illum carcerem damnatorum: & ita ad propoſitum recidivans eidem pœnæ damnationis adiudicatur, quam habuiſſet propter peccata priora, & priùs dimiſſa, & æqualem quantùm ad durationem, quia donec reddat &c. ſed non ſequitur, quòd æqualem quantùm ad intenſionem: & ita dicendum eſt ad omnes auctoritates Sanctorum, fundatas in illa parabola Salvatoris, quòd peccata illa redeunt, id eſt, quòd obligatio ad damnationem redit, & aggravata propter remiſſionem illorum peccatorum præteritorum.* 87. Explicatur illa parabola ex Scoto de reditu æqualis damnationis quantùm ad durationem, ſecùs intenſionem.

88. Eodem modo explicat verba Jac. 2. Quicumque autem &c.

Simili modo reſpondet ad auctoritatem Jacobi 2. v. 10. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Quantùm*, inquit Scotus ſuprà n. 21. *ad damnationem, quæ eſt generalis pœna omnium peccatorum mortalium*, factus eſt omnium reus. *Vel aliter, & in idem redit, quantùm ad averſionem à fine ultimo, quæ eſt communis omni peccato mortali. Sed non eſt intelligendum, quòd factus eſt omnium reus quantum ad gravitates ſpeciales ſingulorum, & nullo modo quantùm ad illas gravitates eaſdem numero, vel in ſpecie.* Hæc ille.

89. Quod ſit illud aggravamen, cujus meminit Scotus.

Si autem à me quæritur, quod ſit illud aggravamen (ut ſic loquar) cujus meminit Doctor in his verbis: *Et aggravata propter remiſſionem illorum peccatorum præteritorum?* Reſpondeo ex ipſo ſuprà n. 14. *Peccatum*, inquit, *dimiſſum redit tamquam circumſtantia aggravans hoc peccatum, in quod recidivat, & hoc dupliciter. Primò, quia quantò aliquis recipit ab alio beneficium ſibi magìs indebitum, tantò magìs tenetur lege gratitudinis, etiamſi beneficium receptum ſit minus, & per conſequens magìs, ſi beneficium eſt æquale: ſed exiſtenti in peccato mortali, nullius eſt Deus debitor, niſi pœnæ: igitur ſi ſibi gratiam confert, hoc erit donum maximè gratuitè, & liberaliter datum,* &

Digitized by Google

& præcipuè ſi eſt gratia æqualis gratiæ collata alii innocenti. Igitur iſte ex lege gratitudinis eſt Deo ſpecialiter obligatus propter hoc donum liberaliter collatum; & per conſequens offendens poſt contra eum, graviùs peccat propter ingratitudinem.

90. Peccatum dimiſſum redit tamquam circumſtantia ingratitudinis.

Ecce primus modus, quo peccatum dimiſſum redit tamquam circumſtantia aggravans hoc peccatum, in quod peccator recidivat. Neque caret ſuâ difficultate; quia (ùt arguit Scotus ſuprà n. 15.) *illud non aggravat, quo non exiſtente, immo poſito eius oppoſito, eſſet peccatum æquè grave, vel gravius; ſed ſi iſte non fuiſſet priùs pœnitens, immo ſemper innocens, & nunc peccaret, graviùs peccaret quàm modò, ergo &c. Probatio Minoris, quia cadens à ſtatu innocentiæ, graviùs peccat, quàm cadens à ſtatu pœnitentiæ; tum quia maius beneficium recipit iſte, cui Deus conſervavit innocentiam, quàm cui conceſſit Pœnitentiam poſt peccatum: tum quia innocens minorem habet occaſionem cadendi.*

Scotus.

Maius beneficium eſt conſervare innocentiam, quàm concedere Pœnitentiam.

Et quidem admittit Doctor, *Quod ſimpliciter maius beneficium divinum eſt, conſervare innocentiam, quàm concedere poſt peccatum Pœnitentiam. Vnde maius beneficium contulit Deus ſuæ Matri, quàm Magdalenæ. Vnde ſingularis gloria, & ornatus eſt in Beatis de numquam cecidiſſe in peccatum.* Ergo conceſſiſſe Pœnitentiam poſt peccatum, non eſt circumſtantia aggravans, negat conſeq.

Quia, inquit, *poſſibile eſt aliquod peccatum habere nunc unam circumſtantiam aggravantem, nunc aliam; & illa, quæ ibi aggravat, poteſt eſſe gravior, quàm illa, quæ hìc aggravat: & iſtæ circumſtantiæ duæ poſſunt eſſe repugnantes: & ità hìc Pœnitentiam præcedere aggravat, quia tribuit ingratitudinem. Conſimiliter ab innocentiâ cadere aggravat propter ingratitudinem, & innocentia, & Pœnitentia modo quodam repugnant; ſed cadere ab innocentia ſimpliciter magis aggravat.* Hæc ſufficiant pro primo modo, quo peccatum dimiſſum redit tamquam circumſtantia aggravans.

91. Secundus modus, quo peccatum dimiſſum redit tamquam circumſtantia aggravans ex Scoto.

Secundum modum explicat Scotus ſuprà numero 14. ſub hac forma verborum: *Quia quantò aliquis tenetur pluribus obligationibus ad aliquid, tantò, ſi tranſgreditur, graviùs peccat: ſed pœnitens quotieſcumque dignè pœnitet, obligat ſe ſaltem voto ad non peccandum impoſterùm, quia ſinè tali propoſito non eſt digna Pœnitentia; & præter hoc, eſt aſtrictus ad non peccare eâdem lege, quâ innocens: igitur ſi pòſt peccat, tranſgreditur duplicem legem, obligantem ad non tranſgrediendum, ſcilicet & illam generalem, & iſtam ſpecialem de promiſſo ſervando, quod maximè obligat de promiſſo facto Deo, & de aliquo pertinente ad honorem Dei.*

Sed non placet omnibus.

Sed nec iſte modus omnibus placet, eò quòd propoſitum de cetero non peccandi, quod requiritur ad dignam Pœnitentiam, neutiquam ſit votum propriè dictum, ſeu promiſſio facta Deo de cetero non peccandi, niſi velis, quodcumque peccatum mortale poſt Pœnitentiam eſſe ſacrilegium mortale, contra communem ſenſum Doctorum, & fidelium.

92. Explic ab Hi

Reſpondet Hiquæus in ſuo Commentario 4. diſt. 22. q. unicâ nu. 93. hoc propoſitum eſſe implicitam promiſſionem ſecundùm æquivalentiam quantùm eſt ex determinatione voluntatis, quæ debet eſſe abſoluta, & quantùm eſt ex parte pœnitentis ad non peccandum ampliùs, quæ voluntas eſt bona, & actus virtutis, non alterius, quàm fidelitatis, prout hæc virtus comprehendit non ſolùm promiſſionem ſtrictè ſumptam, ſed etiam pactum. Unde ſicut Deus non remittit peccatum ſinè tali propoſito; ità hoc propoſitum habet obligationem pacti obligantis ex fidelitate in genere ſumptâ; ſpecialiter autem obligat ùt opponitur obligationi, quæ eſt ex circumſtantia ingratitudinis generali; ſicut ergo ex pacto remiſſionis concedendæ, obligatur peccator ad propoſitum illud habendum ex pacto, & hoc ſpecialiter; ità etiam tranſgreſſio & contemptus propoſiti eſt tranſgreſſio pacti, licèt ipſum propoſitum non ſit promiſſio obligans Deo ſub ſpeciali ratione voti.

Per ſpecialem ergo obligationem fundatam in propoſito, non intendit Doctor illam, quæ eſt voti; ſed illam, quæ eſt pacti, ùt diſtinguitur à circumſtantia generali ingratitudinis; quia propoſitum illud de non peccando denuò exigitur ex pacto remiſſionis, & ad ejus obſervantiam tenetur pœnitens ex lege fidelitatis ſeu fidei ſervandæ Deo, ad quam magìs obligatur, quàm paganus, cui nullum remiſſum eſt peccatum, & hæc circumſtantia eſt generalis ſive remittatur peccatum adulti per Pœnitentiam ante Baptiſmum, & per ipſum Baptiſmum, ſive etiam baptizati poſt Baptiſmum. Hæc ille; quæ ſanè indigent novo commentario, ut intelligantur. Abſolvo difficultatem tribus verbis.

93. Explic Auctor primis tum tenus tum de pr ſione dicta.

Imprimìs fixum eſſe debet & immobile in omni intellectu, quia Scotus hìc non loquitur de promiſſione ſtrictè dictâ; hæc ſiquidem communi calculo graviùs obligat, quàm virtus gratitudinis, præſertim promiſſio facta Deo, quæ à Theologis vocatur votum, cùm tamen Doctor in eâdem quæſtione n. 19. ità ſcribat: *Sed quid eſt ſimpliciter gravius, vel cadere reſpiciendo ad maius beneficium, vel magìs indebitum præſtitum, vel ad plura promiſſa de non cadendo? Reſpondeo, abſolutè plùs ligat præceptum legis naturæ pertinens ad gratitudinem, quàm iſta obligatio nova contracta per propriam promiſſionem; niſi fortè iſtud principium vel præceptum:* Serva promiſſa, *magìs obliget, quàm iſtud: Eſto gratus benefacienti ſecundùm gradum eius in benefaciendo.*

94. Probatu ipſo Sc

Deinde n. 18. docet, illam circumſtantiam ſive ingratitudinis, ſive non obſervationis promiſſi, neq; mutare ſpeciem, neq; notabiliter aggravare. *Reſpondeo*, inquit, *nulla nova culpa eſt ità gravis*

Digitized by Google

gravis ex aliqua circumſtantia reſpiciente Pœnitentiam præcedentem, quòd illa circumſtantia æquiparetur gravitati peccati in ſe, ſive in propria malitia, nec fortè in centeſima parte.

Exiſtimas autem, quòd circumſtantia propriè dicti voti caſtitatis, non æquiparetur gravitati fornicationis in ſe, ſive in propria malitia, nec fortè in centeſima parte? Indubitatum eſt apud omnes, fornicationem ex illa circumſtantia contrahere malitiam, ex ſuo genere graviorem ipsâ malitiâ ſimplicis fornicationis.

95. *Secundo. Scotum intelligendi obligationem virtutis conſtantiæ.* Quæ eſt ergo obligatio promiſſi, de quâ Scotus? Reſpondeo, obligatio virtutis Conſtantiæ, cujus ratio in eo ſita eſt, quòd homo ſibi in bono propoſito conſtet, ſibíque ſimilis permaneat contra omnes difficultates occurrentes, idque quamdiu ratio dictabit.

Cùm ergo Deus non remittat peccatum ſinè propoſito de cetero non peccandi, & nulla ratio dictet, ullo umquam tempore eſſe recedendum, ſed ſemper, & ubique in illo eſſe permanendum, conſtat evidenter, quòd recidivans poſt Pœnitentiam, peccet contra illam virtutem ſpeciali peccato inconſtantiæ, licèt ſolùm veniali, quo non peccavit, quando primò cecidit ab innocentia. Ità ergo intelligo Scotum, an verè, an falsò judicet æquus Lector.

96. *An cadens à Pœnitentia, neceſſariò peccet duobus peccatis?* Si inferas: ergo cadendo à Pœnitentia, neceſſariò ſimul pecco duobus peccatis. Reſpondet Doctor ſuprà nu. 18. *Quòd poſſibile eſt recidivantem peccare pluribus peccatis, vel quaſi pluribus, ſi ex deliberatione agat contra legem communem, & contra legem gratitudinis, & contra legem promiſſi; ſed communiter non ſic peccatur; quia peccans communiter non appetit niſi delectationem, licèt inordinatè, & vellet illi delectationi non eſſe annexas tot prohibitiones: & iſto modo omni peccato conjungitur inobedientia, & contemptus, & odium Dei, & ingratitudo, & hujuſmodi, non quòd peccator habeat tunc actum elicitum pertinentem ad ſingula iſtorum, ſed implicitè in quantum vult aliquid ad quod quodammodo concomitantur hæc omnia.* *Quomodo omni peccato conjungitur inobedientia, contemptus &c.* *Concedo ergo, quòd poſſibile eſt peccare recidivantem unico peccato*; quia videlicet poſſibile eſt, quòd non conſideret, niſi ſolam legem communem.

Homo magis ingratus eſt cadendo ab innocentia, quàm à Pœnitentia. *Et quando infers* (proſequitur Doctor) *ergò poſſet æquè graviter peccaſſe primò quando cecidit ab innocentia; concedo quantùm eſt ex parte libidinis, & inordinationis formalis in peccato: ſed non quantùm eſt ex parte iſtius circumſtantiæ ingratitudinis, & multiplicioris obligationis: peccaſſet tamen tunc graviùs quantùm ad illam circumſtantiam, quia magis ingratus eſt cadendo ab innocentia, quàm à Pœnitentia.* *Item.*

97. *Objectio ex Script. Lucæ 7.* Sed contra hoc arguitur per illud Lucæ 7. v. 41. & ſequentibus: *Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utriſque. Quis ergo eum plùs diligit? Reſpondit Simon: Æſtimo quia is, cui plus donavit.*

Quam reſponſionem Chriſtus approbans ſubjunxit: *Rectè judicaſti.* Sed innocenti nihil donat Deus hoc modo; peccatori autem multa donat: ergo peccator plùs Deo tenetur; quare magis ingratus eſt ſimpliciter quando recidivat.

Reſpondet Scotus ſuprà n. 16. *Donare poteſt intelligi abſolutè prout eſt actus voluntatis liberaliter communicantis; vel donare, id eſt, condonare ſive remittere, ùt accipitur cùm dicitur*, donavit peccata. *Primo modo verum eſt, quòd cui plus donatur, ille magìs tenetur donanti: & hoc modo dico, quòd Deus innocenti maius donum dedit, quàm cui dimittit peccatum. Secundo modo pœnitenti donat plus, quàm innocenti; quia innocens non habet, quod ſibi remittatur.* 98. *Reſponſio ex Scoto.*

Et ſi tunc ſumatur Maior, quòd ille plùs tenetur diligere, cui plura donantur, id eſt, remittuntur; verum eſt comparando duos, quorum uni pauciora donantur, & alteri plura; & hoc ſi non eſſet beneficium aliud datum, niſi hoc, quod eſt donare vel remittere. Sed nullus eſt, cui Deus pauca donat, quia pauca commiſit, quin ſit eidem aliud beneficium datum maius, quàm donare, id eſt, remittere plura, ſcilicet præſervare eum ab aliis, in quæ cadere potuiſſet, & cecidiſſet, niſi præſervatus à Deo fuiſſet.

Quod optimè confirmatur duplici auctoritate D. Auguſtini. Prima petitur ex lib. 2. confeſſ. cap. 7. ibi: *Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ*, (alloquitur Deum) *quòd peccata mea tàmquam glaciem ſolviſti. Gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? Et omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ meâ ſponte feci mala; & quæ te duce non feci. Quis eſt hominum, qui ſuam cogitans infirmitatem, audet viribus ſuis tribuere caſtitatem, atque innocentiam ſuam, ut minùs amet te, quaſi minùs ei neceſſaria fuerit miſericordia tua, quâ donas peccata converſis ad te?* Et poſt pauca: *Et ideo te tantumdem, immo verò ampliùs diligat; quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari.* 99. *Confirmatur Reſponſ. duplici auctoritate D. Aug.* *Prima.*

Secunda auctoritas habetur lib. 50. Homil. Homil. 23. ibi: *Hoc tibi dicit Deus tuus, Regebam te mihi, ſervabam te mihi, ut adulterium non committeres: ſuaſor defuit, & ut ſuaſor deeſſet, ego feci: locus, & tempus defuit, & ut hæc deeſſent, ego feci. Affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non conſentires ego tenui. Agnoſce ergo gratiam eius cui debes, & quod non admiſiſti. Mihi debet iſte* (peccator) *quod factum eſt, & dimiſſum vidiſti; mihi debes & tu* (à peccato præſervatus) *quod non admiſiſti. Nullum enim eſt peccatum, quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector, à quo factus eſt homo.* *Secunda.*

Digitized by Google

Additur exemplum ex Scoto. Addit Scotus exemplum : *Si aliquis*, inquit, *ex liberalitate concedit alicui omnia ſua, ut eis utatur ad libitum : alteri verò concedit aliqua mutuo, & pòſt, quando debet illa reddere, remittit ſibi : quis eum plùs diliget? Dico, quòd primus, quia majus beneficium recepit, & tamen plura remittit alteri; ſed quòd primus nihil habeat ſibi dimittendum, hoc eſt ex beneficio illius, qui omnia ſua liberaliter ei conceſſit. Vnde non eſt vera illa propoſitio ſimpliciter :* Cui plus dimittitur, plùs diligit dimittentem, *niſi de illo dimittente, per cuius beneficium non ſtat, quòd iſte non tenetur ad tot, ad quot ille.*

100. Oppoſita ſententia aliquibus placet. Ceterùm non deſunt Auctores, qui, licèt admittant, ratione beneficii accepti eſſe majorem ingratitudinem cadere ab innocentia, quàm poſt juſtificationem relabi, equidem exiſtimant, ratione aliarum circumſtantiarum, immo ſimpliciter hoc poſtremum gravius eſſe.

Probatio. Probant : quia major obligatio gratitudinis conſurgit ex eo, quòd beneficiatus beneficio indignior ſit; dictat ſiquidem ratio naturalis, debere pauperem eſſe gratiorem pro dono unius coronati, quàm Regem pro centum, & inimicum debere eſſe gratiorem pro parvo, quàm amicum pro majori beneficio; quia dignitas, vel indignitas perſonæ recipientis, vel operantis, maximè attenditur ad moralem æſtimationem rei acceptæ, vel operis, ùt in Chriſti merito, & ſimilibus exemplis patet.

101. & reſponſio ad Scotum. Ad Scotum 4. diſt. 22. qu. 1. nu. 15. ibi : *Cadere ab innocentia ſimpliciter magìs aggravat.* Reſpondent, per ly *ſimpliciter magìs*, non intelligit, quod omnibus conſideratis eſt magìs tale in ſua ſubſtantia individua; ſed quod in ſua ſubſtantia ſpecifica, quæ ſumitur ex objecto & circumſtantiis magìs eſt tale.

quæ ſatis extorta videtur. Quidquid ſit de hac interpretatione Scoti, quæ ſatìs extorta videtur; & ſimiliter de ratione allegata, quæ minùs ſolida apparet; ſufficiat impræſentiarùm, quòd per peccatum ſubſequens redeat obligatio ad damnationem, & quidem aggravata propter remiſſionem illorum peccatorum præteritorum; ratione cujus aggravaminis hæc fuſiùs ex Scoto deduximus.

102. Non debemus in ſpeciali confiteri peccata præcedentia, tamquam circumſtantias aggravantes. Porrò ſi quæritur : Numquid oportet in ſpeciali confiteri peccata præcedentia, tamquam circumſtantias aggravantes? Reſpondet Scotus ſuprà n. 19. *Quòd quamquam hoc ſit licitum, & fortè utile : non tamen videtur neceſſarium illa confiteri in ſpeciali; quia in quantùm aggravant, poſſunt exprimi ſufficienter in confeſſione, abſq; expreſſione illorum peccatorum, priùs dimiſſorum in ſpeciali, ſcilicet dicendo : de multis & magnis peccatis aliàs pænitui, & credo quòd Deus mihi remiſerat, & ideo ſui nunc magìs ingratus in peccando.* Scotus.

Sed neque in generali. Sed numquid hoc tenetur dicere in confeſſione? Non credo, ſecluſo formali contemptu prioris juſtificationis. Probatur : quia peccata præcedentia non ſunt circumſtantiæ notabiliter aggravantes, ùt ſuprà diximus ex Scoto. Præterea ingratitudo eſt conditio tranſcendens cum omni peccato, quatenus in omni peccato offendimus Deum, non modò ùt ſupremum Dominum, & Legiſlatorem; verùm etiam ùt ſupremum benefactorem, cui vicem reddere tenebamur. Ergo ſufficienter exprimitur, & intelligitur in omni peccato, ſicuti exprimitur, & intelligitur inobedientia.

Quæ cum ità ſint, liquet profectò, propter parabolam Chriſti Matth. 18. nequaquam recedendum eſſe à communi ſententia. Ut omittam, parabolas non in omnibus adaptandas eſſe; & ideo comparatio præſentis parabolæ nonnullis videtur in hoc ſita, quod ſicut Rex ille parabolicus debitum dimiſſum revocavit ob cognitam poſtea inclementiam ſervi in conſervum; ſic Deus ob eamdem cauſam ſimpliciter non dimittat debitum illi homini, in cujus corde jam videt odium erga conſervum, tametſi ex parte Sacramenti videatur remiſſum; ideoque veluti revocabit, & puniendò oſtendet non fuiſſe dimiſſum. *Sic*, inquit Chriſtus concludens parobolam, *Pater meus cæleſtis faciet vobis*, id eſt, ſic vobis non remittet, *ſi non remiſeritis unuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris.* 1c Parab non ſi omni adapt In qu ſitat parati rabola ſti Ma

Addunt aliqui; ſpeciale videri peccato inclementiæ, ut propter illud Deus frequenter permittat hominem labi in æquivalentia peccata priùs dimiſſis; ideoque contra hoc vitium parabolam iſtam ſingulariter adductam. Sed conjectura eſt, fundata in rationabili congruentia, & malitiâ peccati inclementiæ.

Objicitur præterea ex Scriptura, quod habetur 3. Reg 17. v. 18. *Quid mihi & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Item Pſalm. 37. v. 6. *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Id eſt, peccata vetera per novam inſipientiam denuò fætere cœperunt. Item Pſalm. 78. v. 8. *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.* Item Pſalm. 108. v. 14. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius.* 10 Objecti Scriptu 3. Reg & Pſal 78. &

Reſpondeo, has Scripturas exceptâ illâ Pſalmi 37. intelligi de peccatis quoad pœnam temporalem hujus vitæ, cujus dicitur Deus recordari; quia differendo illam, ejus videbatur quaſi oblitus, & per ſequens peccatum accipit occaſionem eam accelerandi. Expor tur Sci te.

Porrò in illo Pſalm. 37. per cicatrices non veniunt vetera peccata; ſed peccatorum reliquiæ, id eſt, inducti habitus pravi, ſeu perverſæ inclinationes, quæ à facie inſipientiæ quaſi computreſcunt, id eſt, corruptionem concipiunt, quando inſipientiâ hominis conſentiente in nova ebulliunt peccata. Alii aliter inter-

Digitized by Google

interpretantur hæc verba, ùt videri poteſt apud Interpretes S. Scripturæ.

105. Ex ratione arguitur: Contritus de peccato, ſi poſtea contemnit confiteri, aut redit idem peccatum, & ſic habetur propoſitum; aut non, & ſic erit dimiſſum ſinè ſecunda & tertia parte Pœnitentiæ, quod eſt inconveniens.

Objicitur ex ratione.

Reſponſio Scoti.

Reſpondet Scotus ſuprà num. 21. *Vno modo poteſt dici, quòd ſi contritus priùs, contemnit poſtea confiteri, peccat novo peccato mortali in illo contemptu; nec tamen redit culpa dimiſſa per contritionem, neq;, inquam, redit quantùm ad malitiam, nec quantùm ad reatum* (ubì, ut vides, Scotus clariſſimè diſtinguit inter culpam & pœnam) *ſed ſemper ſola pœna manet temporalis debita illi, licèt pœna damnationis debeatur novo peccato mortali.*

Alio modo poſſet dici, quòd quando pro peccato habetur pœna completa (*intellige, completa quantùm ad tres partes Pœnitentiæ, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem*) *tunc commutata eſt pœna damnationis in pœnam temporalem, non ſic autem de peccato, de quo habetur contritio ſinè aliis duabus partibus Pœnitentiæ.*

Contritio tollit culpam & mutat pœnam æternam in temporalem ante alias partes Sacramenti Pœnitentiæ.

Ecce duplex reſponſio; *Sed prima*, inquit Doctor, *eſt convenientior, quia peccatum in contritione ſimpliciter deletur, ità quòd non manet, niſi obligatio ad pœnam temporalem, & ſi pòſt ſequatur contemptus ſatisfactionis, ſeu confeſſionis, novum peccatum mortale eſt, & aggravatum propter culpam priorem in contritione dimiſſam.*

106. Objicitur ultimò: Tenebra poteſt redire eadem numerò, quia privatio numeratur vel ex numeratione habitûs, cui opponitur, vel ſubjecti: ſed tenebra ſequens lumen, habet idem ſubjectum cum tenebrâ præcedente, & eſt privatio ejuſdem luminis in numero, quia idem lumen in numero maneret, ſi tenebra non ineſſet: ergò eodem modo peccatum, quod eſt tenebra ſpiritualis in mente, poteſt idem numero redire.

Ultima objectio.

Reſponſio ex Scoto.

Eadem tenebra non poteſt naturaliter redire.

Reſpondet Doctor ſuprà nu. 22. *Quòd non poteſt redire eadem tenebra numero, ſaltem per naturam; quia ità non poteſt eſſe eadem negatio, ſicut nec eadem affirmatio poſitâ interruptione hinc & inde.* Ad probationem dicit: *Quòd ad unitatem privationis non ſufficit unitas ſubjecti, & habitûs oppoſiti; ſed requiritur unitas continuitatis eiuſdem in ſubiecto, eo modo quo poteſt habere eſſe in ſubiecto.*

Ad unitatem privationis quæ requirantur.

Probat à ſimili: *Quia ad unitatem negationis non ſufficit unitas affirmationis; nam non Sortes quod eſt negatio unius numero affirmationis, poteſt eſſe non ſolùm plura numero, ſed in pluribus ſpecie & genere: & tot eſſe, quot ſunt entia, quæ non ſunt Sortes: ita & privatio poteſt eſſe eiuſdem formæ, & tamen non eadem: poteſt etiam eſſe in eodem ſubiecto plurificata, ſi ſit interruptio, ſicut & habitus eius eſt plurificatus, ſi cum interruptione ineſſet illi ſubiecto: ſive enim poſitivum, ſive privativum vel negativum idem numero reparare, hoc* (*ſicut dicetur in materia de Reſurrectione*) *ſolius eſt potentiæ infinitæ Dei.* Erit itaque

CONCLUSIO IV.

Peccata ſic poſſent à Deo remitti, ut per ſubſequens peccatum redirent ad eamdem prorſus culpam, & pœnam. Quidni etiam eadem numero culpa actualis poſſit redire?

Reſolutio hujus quæſtionis pendet ab illa quæſtione phyſica: An idem numero ens poſſit reproduci per Deum; ſuppoſitâ autem ſententiâ affirmante (quæ videtur nobis verior & probabilior) quare non poſſet de potentia Dei abſoluta redire idem numero peccatum actuale? Neque propterea Deus erit auctor peccati, quoniam non aliter ſe hàbebit in hac reproductione, quàm ſe habuit in prima productione. 107.

De potentia Dei abſoluta poſſet redire idem numero peccatum actuale.

Rogas à me, qualiter ſe habuerit in prima productione? Reſpondeo; obtulit in actu primo concurſum indifferentem ad actum bonum, & malum, nullo modo determinans, aut ſuadens; immo potiùs diſſuadens fieri actum malum, licèt poſitâ determinatione voluntatis creatæ ad ſpeciem actûs mali, Deus illam determinaverit ad hunc numero actum.

Quomodò Deus ſe habeat in prima productione peccati.

Audiamus Scotum 2. diſt. 37. q. 2. n. 14. *Ità igitur ſi ad velle voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates, ſcilicet voluntas creata, & divina, poteſt eſſe defectus in ipſo velle ex defectu alterius cauſæ, & hoc quia iſtâ cauſa poſſet rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & tamen non dat: alia autem licèt non teneatur eam dare, tamen quantùm eſt ex ſe daret, ſi voluntas creata cooperaretur. Vniverſaliter enim quidquid Deus dat antecedenter, daret illud conſequenter quantùm eſt ex ſe, niſi eſſet impedimentum: dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ ſunt in poteſtate voluntatis; & ideo quantùm eſt ex parte ſui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & voluntati ex conſequenti daret, ſi ipſa voluntas quemcumq; actum elicitum rectè ageret ex parte ſui. Eſt igitur defectus in effectu duarum cauſarum, non propter defectum cauſæ ſuperioris, ſed inferioris; non quia cauſa ſuperior cauſet rectitudinem in effectu, & inferior obliquitatem; ſed quia cauſa ſuperior quantùm eſt dè ſe, cauſaret, ſi cauſa inferior ſecundùm ſuam cauſalitatem cauſaret: & ideo rectitudinem non cauſari eſt propter hoc, quia cauſa ſecunda quantùm ad ſe pertinet, non cauſat.* Hæc ille. Quæ ſic expono: 108.

Defectus contingit quandoque ex una cauſa, non ex altera, licèt effectus ſit communis.

Voluntas creata, & non Deus eſt formale principium determinativum communis actionis 109.

Voluntas creata eſt

Digitized by Google

Formale principium determinativum actionis peccaminoſæ.

nis utriuſque cauſæ ad talem actum, qui eſt peccatum: id eſt, voluntas creata eſt ratio, quare communis actio non ſolùm à voluntate, ſed etiam à cauſa prima determinatè procedat, quatenus cauſa 1. ſeſe accommodando determinationi cauſæ ſecundæ; ipſa etiam propriâ determinatione concurrit ad actionem, ad quam ſuum concurſum determinat cauſa ſecunda.

Enimvero illud appellamus formale determinativum in unoquoque ordine, quod ità eſt ratio alicujus tertii determinati, ut etiam alteri determinativo ſit ratio, cur idem determinatum conſtituat: ſic forma ſubſtantialis eſt formale determinativum in compoſito phyſico, quia ſcilicet eſt ratio conſtituendi determinatè tale compoſitum.

Probatio.

Simili modo impræſentiarùm, cauſa ſecunda ſe determinando ad ſuam actionem, eſt ratio, cur etiam cauſa prima ſeipſam liberè determinet ad eamdem actionem; adeoque eſt formale principium determinativum communis actionis, non quidem quoad individuum, ſed quoad ſpeciem & exercitium.

110. In quo fundetur malitia formalis & moralis.

Cùm igitur malitia formalis, & moralis fundetur in eo, quòd liberè eliciatur actus talis ſpeciei, & eliciatur hìc & nunc cum talibus conditionibus, quibus illicitus eſt, nempe lege & conſcientiâ prohibente, & cum indebitis circumſtantiis, ſequitur manifeſtè, cauſam ſecundam liberam ſolam eſſe principium formale determinativum actionis malæ; ac proinde ſolam eſſe principium & cauſam malitiæ: quoniam hæc malitia non fundatur in actu poſitivo quomodocumque exercito determinatè (quo pacto etiam Deus concurrit ad exercitium ejus determinatè) ſed exercito determinatè contra legem, & rationem, ſeu conſcientiam in talibus circumſtantiis; ſic autem non exercetur, niſi à principio formali determinativo; ſiquidem lex, & conſcientia vetat dumtaxat eſſe formalem rationem, cur iſte actus fiat hìc & nunc.

Deo moraliter eſt impoſſibile non cooperari voluntati creatæ.

Porrò huic principio formali determinativo cooperari ſolùm prohibet lex, & conſcientia, quando non cooperatio eſt phyſicè, & moraliter poſſibilis: jam autem Deo moraliter eſt impoſſibile non cooperari; quia non abſque maximo inconvenienti, puta perturbatione totius ordinis naturæ, & cauſarum liberarum ad bonum neceſſitatione, ac ſubtractione concurſûs ad operandum convenienter ſuæ naturæ, id eſt, ex libertate & indifferentia ad bonum & malum.

111. Occurritur objectioni.

Fateor potuiſſet Deus ab æterno ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut numquam vellent peccare; ſed ſemper liberè amplecterentur quod bonum eſt: interim ſuppoſitâ contrariâ ordinatione, de qua D. Auguſt. lib. de Corrept. & Grat. c. 10. ibi: *Quapropter ſaluberrimè confitemur, quod rectiſſimè credimus, Deum Dominumq́; rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exortura eſſe præſcivit, & ſcivit magìs ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala eſſe non ſinere, ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.*

S. Auguſt.

Hâc dico ordinatione admiſsâ, ſicut neceſſariò admittenda eſt, evidens eſt, ſi homo abſolutè ſe determinet ad malum, Deum non poſſe negare ſuam cooperationem, niſi perturbando ordinem naturæ, & cauſas alioquin liberas ad bonum neceſſitando, & ſubtrahendo concurſum ad operandum convenienter ſuæ naturæ, ùt de facto inſtituta eſt, id eſt, ex libertate & indifferentia ad bonum & malum.

11[2] Maliti[a] produć[tio]nis ac[tus] mali [non] debere[t] Deo i[mpu]tari.

Sicut ergo Deo non imputatur malitia primæ productionis actûs mali, tametſi determinet creaturam ad individuum, ità neque deberet imputari malitiâ reproductionis actûs mali, tametſi ab ipſo ſolo dependeat, ut idem numero actus malus reproducatur. Neque enim tali caſu illud peccatum à ſolo Deo reproduceretur, ſed ab ipſo homine peccante, quamvis Deus, ùt dixi, foret cauſa, quòd idem numero actus ab homine reproduceretur, in quo nulla eſt malitia.

Adeoqu[e] Concl. [no]ſtra no[n] repugn[at] D. Au[g].

Adeoque hæc doctrina non repugnat illi dicto S. Auguſtini lib. 83. qq. q. 3. *Nullo ſapiente homine auctore fit homo deterior. Non autem parva iſta culpa eſt; immo tanta eſt, quæ in ſapientem quemvis hominem cadere nequeat. Eſt autem Deus omni homine ſapiente præſtantior. Multò minùs igitur Deo auctore fit homo deterior.* Etenim in caſu propoſito, Deus non erit auctor peccati magìs, quàm concurrendo ad actum peccati numero diverſum.

113 Si poſſit [re]dire ide[m] numero actus phyſicu[s] etiam [ea]dem nu[me]ro mali[tia].

Quòd ſi poſſit per Deum redire idem numero actus phyſicus peccati; cur non etiam eadem numero malitia? Nam forma, quâ privat, eſt eadem numero, & ſubjectum idem numero; ergo ſimiliter privatio erit eadem numero.

Nec obſtat interruptio, de qua Scotus in fine præcedentis concluſionis; quia ſi illa interruptio non impedit, quin Deus poſſit reproducere eundem numero actum, etiam non impediet, quin per ipſum poſſit redire eadem numero privatio. Sin autem illa interruptio, vel quodcumque aliud, impedit Deum, ùt quidam autumant, ne poſſit reproducere eundem actum phyſicum peccati, etiam indubiè impediet Deum, ne poſſit reproducere eamdem numero malitiam; quia eadem numero malitia non alio modo cauſatur, quàm cauſando eamdem numero entitatem phyſicam peccati.

Sed

Digitized by Google

114 [illegible] Sed mittamus iſta, & veniamus ad primam partem concluſionis, quæ eſt propria huic loco, & communior, quantùm ad reditum ejuſdem pœnæ. De quo utique reditu ſic inquit Doctor Subtilis 4. diſt. 22. q. unicâ n. 5. in fine: *Sic igitur poteſt dici quantùm ad iſtum articulum, quòd ſive in recidivante, ſive in non recidivante, quia actus divinus non dependet à peccato extrinſeco iſtius recidivantis, poteſt Deus de potentia abſoluta reducere obligationem iſtius ad eamdem pœnam quà priùs, & etiam eamdem obligationem, & ità eodem modo quo peccatum remanet poſt actum, quia non niſi obligatio ad pœnam, poteſt de potentia Dei abſoluta peccatum idem numero redire, non ſolùm in recidivante, ſed in non recidivante.*

Probatur ex Scoto, Probatur hæc ſententia ex Scoto ſuprà n. 4. *Deus poteſt iſtum obligare pro B. ad eamdem pœnam, ad quam pro A. Igitur & iſte poteſt obligari ad eamdem, & per conſequens habere eumdem reatum; & inter A, & B. inſtantia, inter quæ ſuccedit tempus medium, in quo non eſt obligatus. Antecedens probatur: quia voluntas mea hoc poteſt velle, ſcilicet iſtum primò ordinare ad pœnam; & ſecundò velle non ordinare ad pœnam ſub conditione, ſcilicet ſi iterum non offendat: & ſi iterum offendat, velle eum ex tunc ordinare ad eamdem pœnam.*

& ſatisfit objectioni. Si autem dixeris, quòd in hoc voluntas mea non eſt juſta, & per conſequens ſimile non poteſt competere voluntati divinæ. *Contra* (inquit Doctor n. 5.) 12. q. 2. Epiſcopus. *Servus manumiſſus, propter ingratitudinem iterum pœnâ ſervitutis juſtè ſubduur; ergo ſic in propoſito.*

115. Scotus non loquitur de remiſſione abſoluta, ſed conditionata. Verùm hoc exemplum ſervi manumiſſi aliquibus dedit occaſionem dicendi, Scotum docuiſſe, quòd peccatum poſſit redire quoad eamdem pœnam, tametſi pœna abſolutè foret remiſſa, contra expreſſum textum ibi: *Secundò velle non ordinare ad pœnam ſub conditione, ſcilicet ſi iterum non offendat.* Ergo non loquitur Scotus de remiſſione abſoluta, ſed condionatâ; alioquin falſum locutus fuiſſet, quod abſit.

Probatur; quia remiſſio abſoluta comprehendit totum tempus ſequens ipſam remiſſionem, & includit voluntatem abſolutam non puniendi; ſiquidem tollit objectum juſtitiæ vindicativæ in univerſum reſpectivè ad tale ſubjectum, adeoque omnem inæqualitatem ex parte peccatoris. Jam autem de abſoluta potentia nequit Deus agere ex juſtitia vindicativa, niſi ſuppoſitâ materiâ ejus in peccatore, neque poteſt per juſtitiam vindicativam derogare voluntati determinatæ & abſolutæ ſuæ miſericordiæ, quâ voluit peccatorem ampliùs non eſſe reum culpæ aut pœnæ.

Sicuti ſi aliquis ſuſtinuiſſet pœnam condignam pro peccato, non poſſet ultrà pro eo peccato etiam de abſoluta potentia à Deo puniri. Quis autem neſciat, per abſolutam condonationem æquè ſatisfieri, ſive æqualiter extingui obligationem juſtitiæ vindicativæ, atque per condignam paſſionem pœnæ?

Ceterùm ad exemplum Scoti Reſpondeo; 116. Reſpondetur ad exemplum ſervi manumiſſi adductum à Scoto, non in omnibus debere eſſe paritatem. Præterea talis ſervus manumiſſus, non eſt liberatus, niſi cum hac conditione, quòd ſi ſit ingratus, poſſit iterum ſubjici ſervituti; idque quia lex hoc præcipit, aut ſaltem permittit. Hæc ſunt verba legis: *Hujuſmodi liberto* (id eſt, ſervo manumiſſo) *adverſus Eccleſiam, cujus juris extitit, accuſandi, vel teſtificandi denegetur licentia. Quòd ſi præſumpſerit, placet, ut ſtante communicatione, in ſervitutem propriæ Eccleſiæ revocetur, cui nocere conatur.*

Si non eſſet talis lex, non poſſet revocari in ſervitutem propter ingratitudinem, niſi tanta eſſet ingratitudo, quæ ſecundum ſe mereretur talem pœnam. Et conſimiliter ſi peccatum recidivantis tale eſſet & tantum, ut mereretur pœnam priùs abſolutè remiſſam, indubiè illa infligi poſſet, & de facto infligeretur, non quatenus fuit pœna prioris culpæ remiſſæ, ſed quatenus hæc actualis nova culpa illam meretur.

Igitur Scotus intelligendus venit de remiſſione pœnæ conditionata, ſive reſtrictâ ad certum aliquod tempus, ſecùs de omninò abſoluta ſinè determinatione ad aliquod tempus, vel certas aliquas circumſtantias.

Atque ſic intellecta ejùs doctrina, communior eſt Theologorum, & probatur; quia 117. Probatur doctrina Scoti; de facto Deus liberaliter remittit pœnam æternam ſimul cum culpa; adeò ut etiam ſervando æquitatem juſtitiæ vindicativæ poſſet remittere vel ſolam culpam eâdem æternitatis pœnâ permanente, ût oſtendimus ſect. præced. concl. 9. aut certè, quod minus eſt, remittere pœnam æternam ſub hac conditione, ſi ampliùs peccator non offendat. Quæ enim repugnantia in hac conditionali remiſſione?

Hæc, inquis, quòd ablatâ ſeu remiſsâ culpâ, abſolutè & ſimpliciter, homo nihilominus maneat dignus pœnâ, cum tamen ſinè culpa nemo ſit puniendus, & dignitas pœnæ ipſa ſit formaliter peccatum ſeu culpa habitualis.

Reſpondeo, de facto ablatâ abſolutè & 118. & ſatisfit objectioni. ſimpliciter culpâ veniali, manet nihilominus pœna temporalis, debita culpæ veniali. Quidni ergo remiſsâ ſimpliciter & abſolutè culpâ mortali, poſſit nihilominus remanere pœna æterna, ſaltem ſub conditione, ſi ampliùs peccator offendat? Nonne Deus potuiſſet ordinare pro peccato mortali pœnam non æternam, condignam tamen ſecundùm intenſionem? Quidni illa potuiſſet permanere remiſsâ culpâ ſicuti de facto permanet pœna non æterna, debita peccato veniali; permanere, inquàm, ſaltem ſub conditione relapsùs? Non video quid obſtet.

In caſu propoſito non punit. Neque tunc puniretur quiſpiam ſinè culpa; quia ſupponitur recidivatio ſive relapſus. Et quam-

Digitized by Google

retur quiſpiam ſinè culpa, aut certè ſinè cauſa.

quamvis ille relapſus de ſe non mereatur tantam pœnam, eſt tamen conditio ſinè qua non tanta pœna infligeretur. Unde Regula juris 23. de Reg. juris in 6. non dicit abſolutè & ſimpliciter: *Sinè culpa non eſt aliquis puniendus:* ſed cum hac modificatione: *Sinè culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.* Cauſa autem hìc eſt, peccatum dignum tantâ pœnâ præceſſiſſe, & pœnam non eſſe remiſſam, niſi ſub conditione: Si ampliùs homo non peccat. Porrò dignitas conditionata pœnæ, ipſa neutiquam eſt formalis ratio peccati, ſeu culpæ habitualis; immo nec dignitas abſoluta pœnæ; ſed potiùs dignitas abſoluta odii ſeu inimicitiæ divinæ. Vide dicta ſect. 5. concl. 9.

Quæ ſit illa cauſa?

119. Occurritur objectioni.

Nec obſtat, quòd nunc contritio deleat pœnam æternam abſolutè & ſimpliciter; hoc enim non habet ex natura rei, ſed ex divina acceptatione; potuiſſet ſiquidem Deus (quidquid reclamet Vaſquez, exiſtimans contritionem ex natura rei eſſe condignam ſatisfactionem pro culpa, & pro pœna æterna) eam non acceptare ad remiſſionem abſolutam pœnæ, vel ſolùm acceptare ad remiſſionem conditionatam.

Reverà ſi contritio foret æqualis ſatisfactio ex natura rei pro pœna æterna, quæ ratio quæſo, quare non ſemper deleat omnem pœnam temporalem? Nonne major ſatisfactio requiritur pro pœna temporali, quàm æternâ? Et tamen conſtat per contritionem non ſemper deleri omnem pœnam temporalem.

120. Culpa poteſt remitti ſub hac conditione, ſi rurſum homo non offendat.

Sed numquid quæ remiſſionis pœnæ, eadem eſt ratio remiſſionis culpæ, ut etiam culpa poſſit remitti ſub hac conditione, ſi rurſum homo non offendat, vel meliùs, donec rurſum offendat, adeoque redire poſitâ novâ offenſâ? Affirmat concluſio, quamvis multi contradicant, inter quos Cardinalis Lugo diſp. 10. de Pœnitentia n. 10.

Probatio ſententiæ oppoſitæ ex Lugone.

Probat autem Emin. ſuam opinionem; quia eo ipſo, quòd culpa remittitur ſolùm ſub conditione, non remittitur abſolutè & ſimpliciter, nec poterit dici ablata, nec homo mundatus, & purificatus ab illa macula; condonare enim culpam alicui, eſt radicitùs ex corde evellere radicem offenſionis & querelæ contra illum; ſi ergo manet adhuc in corde altâ mente repoſtum peccatum præteritum, & radix querelæ & averſionis, non fuit verè condonata offenſa: condonare quippe eſt reducere res ad priorem ſtatum; interim autem dum Deus reſervat ſibi illud jus ad querelam & odium ratione offenſæ præteritæ, non reducit rem ad priorem ſtatum æqualitatis & pacis, nec habet erga hominem eumdem animum, quem habebat priùs.

Quid ſit condonare culpam.

121. Et quamvis Deus non poſſit talem hominem actu odio habere, quamdiu non ponitur illa conditio, tamen verè remanet in illo jus odii. Sicuti quamvis homo pro meritis mortificatis, non poſſit actu quidquam exigere à Deo, manet tamen jus exigendi poſitâ conditione.

Talia ergo peccata non eſſent verè deſtructa, ſed ſolùm mortificata ſeu conſopita, adeoque non eſſet in tali homine perfecta juſtitia, & æqualitas cum Deo, & per conſequens neque ſanctitas; qui enim debet ſub conditione odium, jam debet aliquid, & habet debitum actuale ex parte obligationis, licèt non obliget pro tunc, ſed pro tali tempore ad odium Dei terminandum; quæ obligatio repugnat veræ amicitiæ divinæ.

Culp[a] remi[ſſa] eſſet deſt[ructa] ſed mort[ificata]

1: Conf[irma]tur ſ[ententia] Lugo[nis].

Confirmatur; quia illa macula ſic mortificata non poſſet ſtare cum Unione hypoſtatica; quæ cùm adferat ſecùm ſummam ſanctitatem non poſſet non extinguere omninò quamcumque maculam peccati. Neque videtur quòd Deus poſſet aſſumere humanitatem alicujus peccatoris, & ſolùm condonare peccata pro illo tempore, ità ut ſolutâ Unione redirent; talis enim homo poſſet orare pro peccatis ſuis, & ità eorum veniam à Deo exigere; quod non videtur poſſe ſtare cum perfectiſſima illa ſanctitate. Hæc ex Lugone.

1: Prob[atur] noſtr[a con]cluſi[o].

Reſpondeo, illa omnia ad ſummum probare, oppidò conveniens eſſe, ut fiat remiſſio peccatorum abſque tali conditione, prout de facto fieri admittimus: interim tamen, ſicut de poſſibili poteſt Deus remittere peccatum ſinè infuſione gratiæ, & aſſumptione ad ſuam amicitiam, ùt diffusè probavimus ſect. 5. concl. 6. cur non pari ratione poterit peccatum remittere cum imperfecta aſſumptione ad ſuam amicitiam?

Et ſi Deus abſolutè poſſit unum peccatum mortale ſinè altero remittere, ùt latiùs oſtendimus ſect. præc. concl. 5. cur non poſſit omnia remittere ſub conditione, donec & uſque homo rurſum offendat? Nullam video diſparitatem; cùm nullo modo antecedenter ad ſuum decretum neceſſitetur, vel ſaltem ad remiſſionem conditionatam peccatorum. Quocirca etiam per remiſſionem conditionatam non minimam præſtaret gratiam peccatori, tametſi majorem, ſi ſimpliciter & abſolutè remitteret.

12[illegible] Quid remiſſ[io] condi[tio]nata.

Priuſquam autem reſpondeo in particulari ad argumenta Lugonis; Nota, nos per remiſſionem conditionatam, non intelligere illam, quæ fieret poſitâ aliquâ conditione; v. g. ſi cras oraveris, remittam tibi peccata tua: hæc ſiquidem non tam eſt remiſſio, quàm promiſſio remiſſionis pro tempore futuro; ſed intelligimus remiſſionem de præſenti, duraturam tantùm pro illo tempore, quo homo abſtinebit ab ulteriori peccato, ità ut poſito novo peccato, jam Deus ſit ipſi inimicus, tam pro peccato, quod in præſenti committit, quàm pro illo, quod antea ſub iſta conditione fuit remiſſum. Hoc notato

Dico

Digitized by Google

125. Dico paucis; eo ipſo quòd culpa remittitur ſub tali conditione, remittitur pro nunc ſimpliciter & abſolutè, & poterit dici ablata, & homo mundatus, & purificatus ab illa macula. Etenim impræſentiarùm radicitùs ex corde evulſa eſt radix offenſionis, & querelæ contra illum, & res reducta eſt ad priorem ſtatum æqualitatis & pacis, adeò ut ſit in libera poteſtate hominis, ne ampliùs eum Deus odio poſſit habere; ut proinde peccatum iſtud non debeat dici mortificatum dumtaxat, & conſopitum; ſed planè extinctum & deſtructum pro tempore præſenti, utpote ex quo nullum Deo competat jus, quo poſſit uti invito homine. Aliud eſt de meritis mortificatis; quia licèt de facto pro illis peccator à Deo nihil poſſit exigere, tamen in libera poteſtate ejus eſt, ut reviviſcant per Pœnitentiam.

Nonne Deo hodie competit jus, ſi ità velimus loqui, ut pro peccato craſtino odio habeat peccatorem? Num ideo homo, quem Deus videt cras peccaturum, hodie non erit verus & perfectus amicus Dei? Ergo ſimiliter poterit hodie Petrus v. g. eſſe verus & perfectus amicus Dei, tametſi Deus cras futurus ſit ipſi inimicus pro peccato præterito remiſſo. Nam totum jus, quod Deus poteſt prætendere ex illo peccato præterito, conſignavit in manus Petri, adeoque potiùs Petrus, quàm Deus, eſt Dominus illius juris; quia ſi Petrus vult, ſicut poteſt velle, non magìs ex peccato præterito, quàm futuro, poterit ipſi eſſe inimicus.

126. Hinc non video, quare non poſſet Deus abſolutè aſſumere humanitatem alicujus peccatoris, cui condonaſſet peccata pro toto illo tempore, quo ampliùs non offendit, nam licèt talis humanitas poſſet fieri inimica Dei pro peccato præterito, equidem numquam fieret, ùt ſuppono; ſicuti in ſententia Scoti, humanitas Chriſti de facto fuit peccabilis, adeoque capax odii divini pro peccato futuro.

Et gratìs admiſſo, quòd non poſſet ſtare illa remiſſio conditionata cum Unione hypoſtaticâ; ergo neque cum gratia habituali & abſoluta amicitia Dei, negatur Conſequentia: nam gratia habitualis & abſoluta ſeu perfecta amicitia Dei ſtat cum peccato veniali; cum quo tamen non ſtat Unio hypoſtatica, propter majorem perfectionem & dignitatem.

127. Quod additur de oratione, nullius eſt pili; vel enim illa humanitas eſſet certa ſe numquam peccaturam, & tunc conſequenter certa eſſet, quòd numquam redirent peccata præterita remiſſa; ut quid ergo oraret pro venia? Vel non foret certa ſe numquam ampliùs peccaturam, & tunc ſicut poſſet orare pro evitatione peccati futuri, ità etiam pro liberatione ab illo reditu peccatorum; non quia de præſenti obſit; ſed quia pro eo caſu conditionali, eſſet ipſi melius non incurrere odium propter peccatum præteritum; quia melius eſt incurrere odium tantùm ùt quatuor, quàm ùt octo.

Posset orare pro peccatis ſuis?

Utì ſi quis faciat votum de non fornicando, poteſt hodie petere diſpenſationem, non quia modò illud votum obſit, ſed quia judicat melius eſſe, ut caſu quo fornicetur, ſolùm peccet unico peccato.

128. Objectio.

Dices; qui alteri daret rem quampiam ſub onere eamdem in ſpecie, & numero reſtituendi poſt certum tempus, non verè transferret dominium illius rei in alterum; ergo ſimiliter Deus condonans mihi jus ſuum, quod habebat ex peccato ad odium & inimicitiam; condonans, inquam, ad certum & determinatum tempus, ità ut elapſo hoc tempore rurſum fiam inimicus ejus, non verè donavit mihi jus ſuum; ſed ſibi potiùs retinuit, & ſuſpendit actionem illius ad certum tempus.

Solutio.

Reſpondeo; eſtò ità foret, quando rediret reatus odii independenter à propria voluntate hominis; ſecùs tamen quando non poteſt redire, niſi dependenter à propria ejus voluntate, ùt ſupponitur in caſu noſtro; nam peccatum ſubſequens, quod eſt conditio, ſinè qua non redit odium propter peccatum præteritum, pendet à libera voluntate peccantis.

129. Alia objectio.

Si iteratò objicias: Deus non poteſt eſſe auctor peccati habitualis; unde ſinè libero hominis actu peccatum habituale non poteſt conſurgere, aut reſurgere: in caſu autem de quo loquimur non redit actus peccati, ergo nec redit peccatum habituale.

Solutio.

Reſpondeo, de abſoluta potentia poſſet peccatum remitti ſinè phyſica hominis mutatione (ùt videre eſt ſect. 5. concl. 8.) eo ſolo quòd Deus ab æterno ſtatuiſſet hominem pro hoc tempore habere reum odii, pro alio verò condonare reatum. Cur ergo non poterit ab æterno ſtatuiſſe, ut pro hoc tempore peccatum ſit condonatum, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam; pro alio autem tempore rurſùm imputatum: nempe ſi relabatur in alia peccata, vel etiam ſinè omni conditione, per ſolum reſpectum ad diverſa tempora?

130. Remiſſio conditionata, de qua hic, habet ſufficientem effectum & ſufficiens objectum.

Enimvero talis voluntas Dei haberet ſufficientem effectum, & ſufficiens objectum: effectum quidem, quia ex ea voluntate fieret, ut pro eo tempore, quo Deus homini remitteret dignitatem pœnæ & odii, ſive jus, quod habet ad odium & pœnam, non poſſet hominem juſtè punire, aut odio habere; ſecùs poſt illud tempus: ſicut in rebus humanis

fieri

fieri poteſt, ut quis inimico remittat dignitatem pœnæ pro certo tempore, quo proinde ſi puniret illum, peccaret contra juſtitiam aut fidelitatem; pro alio autem tempore ſibi reſervet jus puniendi.

Haberet etiam objectum ſufficiens; quià ſicut peccatum actuale præteritum eſt ſufficiens ratio, ut propter illud homo in perpetuum ſit dignus odio, & vindictâ divinâ, ità etiam ſufficiens ratio eſt, ut ad tempus ſuſpenſâ illâ dignitate, tempore elapſo, Deo non ampliùs eam ſuſpendente, prior dignitas reviviſcat ſeu redeat. Licèt namque Deus non poſſit eſſe cauſa efficiens illam dignitatem, cùm non poſſit eſſe cauſa actualis peccati præteriti, ex quo remanet illa dignitas, poteſt tamen eſſe cauſa, ſinè qua non tollitur, aut ſuſpenditur, vel ſuſpenſa permanet illa dignitas, utpote quæ non tollitur, niſi pro arbitrio perſonæ offenſæ.

131. Non conſtat Deum aliquando conditionatè remittere peccatum.

Igitur poſſibilitas conditionatæ remiſſi ɔnis eſt oſtenſa; factum eſſe, quod potuit fieri, non conſtat ſive ex Scriptura, ſive ex Conciliis, vel Sanctis Patribus: ergo non eſt aſſerendum, ſed cum Gelaſio Papa piè credendum, quòd *Divina clementia dimiſſa peccata in ultionem ulteriùs redire non patitur* de Pœnitentia diſt.5.c.24. Divina, inquam, clementia, quæ ſuperexaltat judicium. *Scio*, inquit Jonas Propheta. c. 4. v. 2. *quia tu Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia.*

Hæc dicta ſufficiant de virtute Pœnitentiæ, quam univerſis peccatoribus inſpirare dignetur, qui dixit per Prophetam ſuum Ezech. 18. v. ultimo, *Nolo mortem moritntis . . . . . revertimini & vivite.* Et c. 33. v. 11. *Vivo ego . . . . . nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.* Impoſſibile autem eſt, ut convertatur impius à via ſua, & vivat, niſi, tangente Deo cor ejus per Spiritûs ſancti illuminationem, egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt. *Ezech & 33*

13[…] Virtus […]nitent[…] ſolâ […] ſuffici[…] ad vit[…] nunc […]tem e[…] cepto […]ſti in […]nibes Bapti[…] lapſis […]quirit […]ſortiu[…] crame[…] Pœnit[…]

Et quidem in veteri Lege, utì quoque in Lege naturæ, virtus Pœnitentiæ ſe ſolâ ſufficiens erat ad vitam: nunc autem eo præcepto Chriſti requirit conſortium Sacramenti Pœnitentiæ in omnibus poſt Baptiſmum lapſis. *Tanta autem circa illud* (auditis Tridentinum ſeſſ. 14. in Procemio) *noſtra hâc ætate diverſorum errorum eſt multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe, in qua demonſtratis & convulſis, Spiritûs ſancti præſidio, univerſis erroribus, Catholica veritas perſpicua & illuſtris fieret.* Non ergo immeritò novam de hoc Sacramento inſtituam diſputationem.

DISPU-

DISPUTATIO VII.
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

1. Sacramentum Pœnitentiæ eſt opus divinæ miſericordiæ. *Conc. Trid.*

LIBET auſpicari hanc Diſputationem ab illis verbis Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 1. *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam, in Baptiſmo, ipſius beneficio & gratiâ ſuſceptam, conſtanter tuerentur; non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus, dives in miſericordia, cognovit figmentum noſtrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſteà in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur.*

Sed quid dicam? Malitiâ hominum ità comparatum eſt, ut quod iis, qui ſalvi fiunt, eſt odor vitæ in vitam, hoc ipſum iis, qui pereunt, ſit odor mortis in mortem, dum gravius judicantur ex non ſuſcepto Sacramento, per quod ſi voluiſſent, plenam & perfectam remiſſionem peccatorum obtinuiſſent, & ſalvi facti fuiſſent. Nolunt autem homines ſuſcipere hoc Sacramentum, vel quia latet quod ſit, vel quia non delectat.

2. Non defuerunt olim nec modò deſunt negantes hoc Sacramentum. *Conc. Trid.*

Herculè nec olim defuerunt, nec hiſce temporibus deſunt, negantes remiſſionem peccatorum dari per miniſterium Eccleſiæ. *Tanta* (inquit Trident. in Prooemio ſeſſ. 14.) *circa illud* (Sacramentum Pœnitentiæ) *noſtrâ hâc ætate diverſorum errorum eſt multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe.*

quos tamquam hæreticos condemnat Conc. Trident.

Et cap. 1. ejuſdem ſeſſ. ſic ait: *Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tamquam hæreticos exploſit atque condemnavit*, hodieque non minori ratione Lutherum, Calvinum, alioſque ex modernis Sectariis, qui non minori pertinaciâ negant, Pœnitentiam in Eccleſia Catholica eſſe verè & propriè Sacramentum, tamquam hæreticos explodit atque condemnat.

Ut igitur demonſtrato & convulſo hoc errore, aliiſque quàm plurimis, Catholica veritas perſpicua & illuſtris fiat, quæ latebat, & ſuavis fiat, quæ non delectabat, erit

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

De Inſtitutione, Neceſſitate & Effectu Sacramenti Pœnitentiæ.

3. Deſcriptio Sacramenti Pœnitentiæ ex Scoto.

SAcramentum Pœnitentiæ deſcribit Scotus 4. diſt. 14. q. 4. n. 2. ſequentibus verbis: *Pœnitentia eſt abſolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à Sacerdote, iuriſdictionem habente, ex inſtitutione divina efficaciter ſignificantibus abſolutionem animæ à peccato.*

Hæc deſcriptio quamvis longa, ùt quidam objicit; equidem nullam habet particulam otioſam, nam quælibet ſignificat neceſſariam habitudinem ad eſſe ſimpliciter Sacramenti. Prima quidem, habitudinem ad pœnitentem; ſecunda, habitudinem ad formam; tertia, ad Miniſtrum; quarta, ad principalem cauſam, quæ eſt Deus; quinta denique, ad effectum, quarum aliquâ deficiente, deficit Abſolutio Sacramentalis.

In qua nihil eſt dignum reprehenſione.

Quid ergo reprehenſione dignum in hac deſcriptione? Nihil omnino, niſi fortè quòd ſit Scoti; hoc enim aliquibus videtur ſufficere ut errorem exiſtiment, quod aliàs ambabus manibus amplecterentur, ſi eſſet D. Thomæ. In hujuſmodi quadrat: *Errare putant alios ipſi omnibus planetis errabundiores, nempe vertiginoſi omnia præter ſe circumagitari putant, cum præter ipſos nil eo morbo laboret.*

4. Breviores definitiones.

Interim ſi placeat brevior definitio: Pœnitentia eſt Sacramentum, quo Sacerdos tamquam judex, confitenti cum debito dolore confert remiſſionem peccatorum, cum onere ſatisfaciendi. Vel ſic: Sacramentum Pœnitentiæ eſt ſignum efficax gratiæ remiſſivæ peccati, poſt Baptiſmum commiſſi. Aliter: Eſt Sacramentum remiſſivum peccati per modum judicii.

Diverſa nomina hujus Sacramenti.

Hinc diverſitas nominum hujus Sacramenti; puta, Sacramentum Pœnitentiæ; quia omnes ejus partes pœnam & laborem includunt: Contritio adfert dolorem, Confeſſio ruborem, Satisfactio laborem. Sacramentum Abſolutionis; quia forma ejus eſt Abſolutio, *id eſt*, inquit Scotus ſuprà n. 3. *quædam ſententia definitiva abſolvens reum.* Sacramentum reconciliationis ſeu remiſſionis, & ſecunda poſt naufragium tabula, ab effectu, qui eſt remiſſio peccati, poſt Baptiſmum commiſſi. Ab operibus ſatisfactoriis appellatur Baptiſmus laborioſus. Sæpiſſimè etiam vocatur Sacramentum Confeſſionis, ſeu Confeſſio Sacramentalis, propter confeſſionem oris, quæ eſt ſecunda pars quaſi materiæ hujus Sacramenti.

Sed hæc ſatis de nomine, veniamus ad rem ipſam, & videamus cum Doctore Subtili ſuprà, an rationi illius nominis aliquid ſubſit. Hæc eſt veritas Catholica:

CONCLUSIO I.

Datur in Eccleſia Catholica verè & propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ, à Baptiſmo diſtinctum.

SCotus 4. diſt. 14. qu. 4. n. 3. ſic inquit: *Quoad ſecundum, oſtendo primò, quòd poſſibile eſt huic p ſitioni nominis aliquid ſubeſſe. Secundò, quòd congruit aliquid ſubeſſe; & tertiò, quòd aliquid ſubeſt. Primum oſtenditur per hoc, quòd poſſibile eſt Deo animam abſolvere à peccato iuxta illud Symboli:* Remiſsionem peccatorum: *& per conſequens poſſibile eſt inſtituere aliquod ſignum illius abſolutionis, & hoc ſignum efficax, ùt priùs expoſitum eſt efficax in materia de Sacramentis in univerſali; & pari ratione verba quæcumque, à quocumque Miniſtro prolata, & tunc patet tota poſſibilitas illius rationis.* 5. Poſſib hujus erame probat Scoto.

Quantùm ad congruitatem, probatur hæc, Primò, *quia*, inquit Doctor, *congruum eſt aliquod eſſe ſignum ſenſibile iſtius Abſolutionis propter eaſdem rationes, propter quas dictum eſt diſt. 1. de congruitate Sacramenti in communi. Et propter eaſdem congruum eſt illud eſſe ſignum inſtitutum à Deo, quia & magis movebit, & ducet intellectum in certitudinem, & magis inclinabit affectum ad promptitudinem ſuſcipiendi illud ſignum.* Item q congru Probat

Congruit etiam in propoſito, iſtud ſignum Abſolutionis interioris, inſtitui in verbis ſignificantibus Abſolutionem, ut ſignum repræſentet ſignatum. Probat

Congruit etiam, quòd iſta Abſolutio exterior fiat à Sacerdote, quia congruit extrema per medium reduci in extremum; & ità in Hierarchia Eccleſiaſtica, extremos, ſcilicet peccatores, reduci in Deum per Hierarcham, id eſt, Sacerdotem, ſicut eſt in Eccleſia triumphante. Congruit etiam, quòd à iuriſdictionem habente; quia ſententia, à non ſuo Iudice lata, nulla eſt. 6. Probat

Con-

Digitized by Google

Congruit etiam, quòd requiratur intentio debita, ùt ſuprà expoſitum eſt in aliis Sacramentis. Congruit etiam ex parte ſuſceptivi, quòd ſit pœnitens, id eſt, habens aliquam diſplicentiam de peccato commiſſo: hoc enim videmus etiam in Iudicibus temporalibus, quòd protervum ſententialiter condemnant: pœnitentem verò ſuo modo abſolvunt, id eſt, tamquam non reum, vel non puniendum ſententiant. Hucuſque Scotus. Igitur poſsibilitas & congruitas hujus Sacramenti oſtenſa eſt.

7. *Probatur factum eſſe quod poterat fieri [illegible] Matth. 16. & Joan. 20.*

Factum fuiſſe, quod poſsibile, & congruum erat fieri, docet ibidem Scotus nu. 5. hiſce verbis: *Tertiò dico, quòd hoc factum eſt. Cuius* (proſequitur) *fundamentum accipitur ex auctoritatibus adductis ad oppoſitum.*

Rogas, quæ ſint illæ auctoritates? Reſpondeo, Matth. 16. v. 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Item Joan. 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Occurritur obiectioni.

Et quamquam priora verba ſoli Petro & ejus in Pontificatu ſucceſſoribus dicta videantur; equidem ſimilia dixit Chriſtus omnibus Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* *(Matth. 18.)*

8. *Interpretatio hæreticorum [illegible] & [illegible].*

Scio hæreticos, tum antiquos, tum novos, verba illa Joan. 20. intellexiſſe, & intelligere de poteſtate prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annuntiandi; ſed non ſunt audiendi, ùt patet ex his, quæ ſubjicio ex Concilio Tridentino, *Dominus*, inquit ſeſſ. 14. c. 1. *Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens:* Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. *Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles, poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.*

[illegible] damnat.

Et poſt pauca: *Quare veriſsimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annuntiandi, contra huiuſmodi Sacramenti inſtitutionem falsò detorquent.*

Eodem modo loquitur can. 3. ejuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris:* Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt: *non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem huius Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangelium; anathema ſit.*

9. *Poteſtas remittendi peccata non exercetur inter homines niſi per ſignum viſibile.*

Cùm ergo teneamus poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, non tantùm promiſſam Matth. 16. & 18. ſed etiam conceſſam Joan. 20. atque hæc exerceri non poſsit inter homines (qui non communicant ſignis inſenſibilibus) niſi per ſignum ſenſibile, quidni ſi gnum iſtud ſenſibile ſit verum & propriè dictum Sacramentum? Nihil ipſi deeſt. Nam Sacramentum à Scoto 4. diſt. 1. q. 2. nu. 9. definitur: *Signum ſenſibile, gratiam Dei vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione divina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.*

Sed dicet aliquis; poſſet Sacerdos auctoritate divinâ in corde ſuo remittere peccata, ſicut poteſt remittere in corde ſuo offenſas ſibi illatas.

Neceſſitas hujus ſigni probatur ex traditione.

Poſſet planè. Ex quo ergo habetur neceſsitas ſigni ſenſibilis? Reſpondeo; ex continua & perpetua traditione univerſalis Eccleſiæ, quam nemo niſi inſanus poteſt negare.

10. *Probatio à ſimili non eſt efficax.*

Et ſanè ſi creditor remittat debitum intrà ſe, neque id exteriùs explicet, remiſsio nondum eſt valida, ſed poteſt creditor exigere ſuum debitum. Ità probant aliqui hanc neceſsitatem à ſimili.

Reſpondetur; fortè remiſsio eſt valida; licèt poſsit revocari, quamdiu à debitore non fuerit acceptata; non poteſt autem acceptari, niſi ſigno aliquo externo debitori innoteſcat. Putas autem, quia ad validam abſolutionem ſeu remiſsionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ requiritur acceptatio pœnitentis? Clarum eſt quòd non requiratur, niſi interpretativa, qui enim confitetur, hoc ipſo cenſetur implicitè acceptare abſolutionem pro quocumque tempore impartiendam: quippe confeſsio eſt accuſatio ſui in ordine ad obtinendam abſolutionem.

Abſolutio dari poteſt dormienti, ſurdo, &c.

Interim certum eſt, abſolutionem validè conferri dormienti, ſurdo, amenti, & alijs, qui nihil minùs cogitant, quàm de Abſolutione; aut etiam tam ſubmiſſâ voce, ut pœnitens nullatenus poſſit ſcire peccata ſibi eſſe remiſſa. Ergo ſimile allegatum nimiùm claudicat.

11. *Chriſtus non inſtituit hoc Sacramentum per modum alicujus contractûs, ſed judicii.*

Enimvero Chriſtus non inſtituit hoc Sacramentum per modum contractûs alicujus aut donationis; ſed per modum Judicij, in quo pœnitens eſt reus, & accuſator; Sacerdos vero Judex: jam autem ſententia Judicis eſt valida, quamvis non audiatur à reo, maximè ſi eſt abſolutoria. Satis quippe eſt, quòd proferatur in judicio, cum debita ſolemnitate.

Ergo conſimiliter in propoſito, ſufficiet ad remiſſionem peccatorum, quòd Confeſſarius ità proferat Abſolutionem, ut ſaltem

 ipſe-

Digitized by Google

ipſemet, utpote ſuſtinens perſonam Judicis, & notarii ſeu teſtis, poſſit fidem facere de probatione. Neque enim eſt ſententia communis, ùt à pluribus teſtari ſeu cognoſci debeat; ſed privata, ſpectans privatum cujuſque bonum.

12. Objectio.

Si rurſum objicias: ad abrogationem legis per ſimplicem retractationem Legiſlatoris, ſufficit defectus voluntatis Legiſlatoris, etiam nullo ſigno ſenſibili manifeſtatus. Similiter valeret diſpenſatio merè interna in voto, dummodo non cedat in præjudicium alicujus tertii; ergo etiam abſolutio merè interna à peccatis.

Diſparitas inter diſpenſationem in voto, & abſolutionem à peccatis.

Reſpondeo ad ultimum (quidquid ſit de Antecedente, quod non eſt certum) neg. Conſeq. Ratio diſparitatis voluntas Chriſti, quâ conceſſit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem ſimpliciter condonandi obligationem ortam ex voto; poteſtatem autem abſolvendi à peccatis non ſimpliciter, ſed in judicio.

Item inter abſolutionem à peccatis & abrogationem legis.

Ex quo ſimiliter patet diverſitas inter Abſolutionem à peccatis, & abrogationem legis per ſimplicem retractationem, cùm neque hæc abrogatio ſit actus judicii, ſed mera ſublatio obligationis legis; quæ utique obligatio, ſicuti non potuit induci abſque voluntate Legiſlatoris, ità abſque illa non poteſt permanere. Peccati autem remiſſio non pendet à voluntate Confeſſarii, niſi in quantum Deus voluit. Et quamvis potuiſſet Deus velle remittere peccatum per meram internam voluntatem Confeſſarii, attamen voluiſſe, unde conſtat? Sanè contrarium nimis manifeſtè patet ex continua & perpetua traditione univerſalis Eccleſiæ. Quidni ergo pœnitentia ſit verè & propriè dictum Sacramentum?

13. Pœnitentia agnoſcitur pro vero Sacramento à Concil. Florent. & Trident.

Pro tali agnoſcitur à Concilio Florentino in Decreto Eugenii §. *Novæ Legis ſeptem ſunt Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia* &c. Et §. *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia.* Noviſſimè autem hanc veritatem definivit Concilium Trident. ſeſſ. 14. can. 1. *Si quis dixerit, in Eccleſiâ Catholica non eſſe verè & propriè Sacramentum pro Fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit.*

Item à Lucio III. c. 9. de hæreticis.

Quod jam pridem docuerat Lucius III. in quadam Epiſt. Decret. quæ refertur c. 9. extra de hæreticis ubì tamquam hæreticus dicitur puniendus, qui negaverit Sacramentum Confeſſionis. Subſcribo verba textûs: *Ad abolendam.* Et infrà: *Univerſos qui de Sacramento Corporis & Sanguinis D. N. Ieſu Chriſti, vel Baptiſmate, vel de peccatorum Confeſſione, Matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire, aut docere non metuunt, quàm Sacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat: & generaliter quoſcumque, eadem Romana Eccleſia, vel ſinguli Epiſcopi per diœceſes ſuas cum conſilio Clericorum, vel Clerici ipſi ſede vacante cum conſilio (ſi oportuerit) vicinorum Epiſcoporum, hæreticos judicaverint, vinculo perpetui anathematis innodamus.*

Omitto teſtimonia SS. Patrum, quæ in magno numero adfert Bellarminus lib. 1. de Pœnitentia cap. 10. Unus Auguſtinus pro mille. Epiſt. 180. ad Honoratum ſic ait: *An non cogitamus cùm ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem & Sacramentorum confectionem & erogationem?* Et paulò poſt: *Si autem Miniſtri adſint pro viribus, quas eis Dominus ſubminiſtrat, omnibus ſubvenitur; alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici Corporis Communione fraudantur* &c. & SS tribu[...] S. A[...]

Sed quid ad hæc Acatholici? Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 19. §. 15: *Romanenſes,* inquit, *Scholaſtici (quibus ſolemne eſt omnia perperam interpretando corrumpere) anxiè in reperiendo hîc Sacramento deſudant, nec mirum videri debet, nodum enim in ſcirpo quærunt. Quod tamen optimum habent: rem implicitam, ſuſpenſam, incertam, opinionumque varietate confuſam ac turbatam relinquunt.* 1[...] Impu[...] mend[...] Calvi[...] Roma[...] ſes a[...] deſud[...] reperi[...] hic S[...] ment[...]

Liceat hìc mihi dicere Calvino, quod olim dicebat Daniel impudico Presbytero, qui falsò accuſaverat caſtiſſimam Suſannam adulterii: *Rectè mentitus es in caput tuum,* Dan. 13. v. 55. Theologi enim, inquit Bellarminus ſuprà c. 11. ſummo conſenſu Pœnitentiam Sacramentum eſſe docent, neque ulla eſt de hac re opinionum varietas: in eo ſolùm nonnihil laborant, ut oſtendant in hoc Sacramento, quid ſit Sacramentum tantùm, quid res tantùm, quid res ſimul & Sacramentum. Hæc enim tria perſpicuè cernuntur in Baptiſmo, & quibuſdam aliis Sacramentis; in quibuſdam autem non ità facilè diſtingui poſſunt, neque neceſſe eſt. Dan. Bellar[...] In qu[...] nihil ſent C[...] lici.

Sed hæc nihil ad rem noſtram faciunt, quod enim quæritur eſt; An Pœnitentia ſit verè & propriè dictum Sacramentum. A qua utique quæſtione Romanenſes Scholaſtici (quibus ſolemne eſt nihil perperam interpretando corrumpere) facillimè ac breviſſimè ſe expediunt, abſq; ſudore aliquo aut labore; cùm tamen Acatholici Scholaſtici (quibus ſolemne eſt omnia perperam interpretando corrumpere) anxiè in excludendo Pœnitentiam à numero Sacramentorum deſudent; nec mirum videri debet, nodum enim in ſcirpo quærunt. Quod tamen optimum habent rem implicitam, ſuſpenſam, incertam, opinionumque varietate confuſam, ac turbatam relinquunt, ùt videre eſt apud Bellarminum ſuprà c. 9. ubi ſic ſcribit de Luthero: Acath[...] anxiè [...] tant in cluden[...] Pœnite[...] tiam à mero S[...] mentor[...]

Verum & propriè dictum Sacramentum eſſe Pœnitentiam, primus negavit hoc noſtro ſæculo Lutherus, ſed timidè & inconſtanter: nam 15. Lutheru[...] aliquand affirmat

Digitized by Google

aliquando negat eſſe Sacramentum. nam in lib. de captivitate Babyl. non procul ab initio: *Principiò*, inquit, *neganda mihi ſunt ſeptem Sacramenta, & tantùm tria pro tempore ponenda, Baptiſmus, Pœnitentia, Panis.* Sed in eodem libro extremò, Pœnitentiam ad Baptiſmum revocat, & ex tribus duo facit. *Propriè*, inquit, *ea Sacramenta vocari viſum eſt, quæ annexa ſignis promiſſa ſunt; quo fit, ut ſi rigidè loqui volumus, tantùm duo ſint in Eccleſia Dei Sacramenta Baptiſmus, & Panis, cùm in his ſolus & inſtitutum divinitus ſignum, & promiſſionem remiſſionis peccatorum videamus. Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accenſui, ſigno viſibili & divinitus inſtituto caret, & aliud non eſſe dixi, quàm viam ac reditum ad Baptiſmum.* Hæc ille. Idem tamen Lutherus tum alibi ſæpe, tum in propoſitionibus adversùs Lovanienſes, quas edidit anno 1545. propoſitione 35. Pœnitentiam Sacramentum eſſe conceſſit. Hucuſque Bellarminus.

16. Similiter Philip. Melanchthon. Similiter Philippus Melanchthon in locis communibus editis anno 1522. apertè negavit hoc Sacramentum: ſic enim loquitur in tit. de Pœnitentia: *Pœnitentiam non eſſe ſignum, nihil obſcurum eſt: eſt enim Pœnitentia vetuſtatis noſtræ mortificatio & renovatio ſpiritûs. Sacramentum eius vel ſignum non aliud niſi Baptiſmus eſt: atque hic omnium rectiſſimè vocetur Sacramentum Pœnitentiæ.* Idem tamen Philippus, Lutherum ſuum ſecutus, in libris poſtea editis, Pœnitentiam Sacramentum eſſe docuit, ac præſertim in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ. Ità refert Bellarm. ſuprà.

Oſtendat nunc Calvinus aliquos Romanenſes Scholaſticos, qui primò affirmarunt, Pœnitentiam eſſe verè & propriè dictum Sacramentum, & poſtmodum idipſum negarunt, aut de eo dubitarunt; vel vice verſâ principiò negarunt, & extremò affirmarunt.

17. Unde tanta inſtabilitas in hæreticis. Sed unde tanta inſtabilitas in Hæreticis? Quia quærunt nodum in ſcirpo, & ideo nequeunt invenire veritatem. Dicunt enim; *Sacramentum propriè dictum debet eſſe ſignum viſibile, confirmans fidem, à Deo inſtitutum, cum promiſſione remiſſionis peccatorum.*

Confirmatio fidei non eſt primarius finis Sacramenti, ſed concionis. Sit ità, exceptâ tamen illâ particulâ, *Confirmans fidem*; quamvis enim fides ex Sacramentorum ritibus poſſit confirmari, non eſt tamen is proprius & primarius finis Sacramenti, ſed concionis atque exhortationis; alioquin fruſtra infantes, dormientes, amentes Sacramenta illa perciperent. Vide quæ de hac re diximus diſp. 1. ſect. 3. concl. 2.

Hæc confirmatio æqualiter reperitur in Pœnitentia, & Baptiſmo. Interim hæc confirmatio æqualiter reperitur in ſigno Pœnitentiæ juxta ac Baptiſmi: ſicut enim qui audit: *Ego te baptizo* &c. in fide confirmatur & confortatur; ità & ille, qui audit: *Ego te abſolvo* &c. Et veluti ille, qui per Baptiſmum vult incorporari familiæ Chriſti, oſtendit ſuam pietatem erga ipſum: ſic itidem oſtendit ſuam pietatem, qui ſigna Pœnitentiæ proferens, accurrit ad Abſolutionem, poſtulans cum Deo reconciliari.

18. Oſtenditur viſibilitas Sacramenti Pœnitentiæ. Quantùm ad viſibilitatem Pœnitentiæ, nemo ignorat, Confeſſionem, & Abſolutionem eſſe ſigna viſibilia, id eſt, ſenſibilia: nam ût rectè S. Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. c. 35. *Ad oculos propriè videre pertinet. Vtimur autem hoc verbo etiam in cæteris ſenſibus, cùm eos ad cognoſcendum intendimus. Neque enim dicimus, audi quàm rutilet; aut olfac quàm niteat; aut guſta quàm ſplendeat; aut palpa quàm fulgeat. Videri enim dicuntur hæc omnia. Dicimus autem non ſolùm vide quid luceat, quod ſoli oculi ſentire poſſunt; ſed, vide etiam quid ſonet, vide quid oleat, vide quid ſapiat, vide quam durum ſit.*

Per ſignum viſibile D. Aug. intelligit quodlibet ſignum ſenſibile. Et ſanè D. Auguſtinum, quando requirit ad rationem Sacramenti ſignum viſibile, per ly *viſibile* intelligere ſenſibile, ſatis manifeſtè colligitur ex Sermone de Baptiſmo ad infantes ibi: *Sacramentum ideo dicitur, quia aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem.* Ubi corporale opponit ſpirituali, & quod ſenſu percipitur, ei, quod intelligentiâ apprehenditur. Verbum igitur corporale rectè ſignum viſibile, id eſt, ſenſibile atque externum dicitur; Verbum, inquam, Abſolutionis in Sacramento Pœnitentiæ.

19. Objectio ex S. Aug. Si dixeris: S. Auguſtinus tract. 80. in Joan. ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* atqui verbum Abſolutionis in Sacramento Pœnitentiæ non accedit ad elementum: ergo &c.

Solvitur. Reſpondeo; non loquitur S. Doctor generaliter de omnibus Sacramentis, ſed in particulari de Baptiſmo, cujus materia eſt aqua elementaris. Patet ex contextu: *In aqua*, inquit, *verbum mundat: detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit* &c.

20. Ubi Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum, & promiſerit ei remiſſionem peccatorum, *Joan.* 20. Eſtò, reponit Hæreticus, Pœnitentia ſit ſignum viſibile ſeu ſenſibile: ſed ubi inſtitutio Chriſti? Ubi promiſſio remiſſionis peccatorum? Reſpondeo Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata* &c. Quæ verba Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit in proprio & obvio ſenſu.

Verba Chriſti: *Accipe Spiritum ſanctum* &c. ineptè intelligunt hæretici de poteſtate evangelizandi. Aſt numquid hic proprius & obvius: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, id eſt, accipite poteſtatem per prædicationem Euangelii excitandi fidem, quâ apprehenditur remiſſio peccatorum? Senſus planè ineptus & commentitia interpretatio, ac omnino diſtorta. Nec mirum cùm ab ingeniis diſtortis proficiſcatur.

21. quæ data eſt, Matth. ult. & Mar. ult. in Gallilæa. Reverà poteſtas prædicandi Euangelium data eſt Apoſtolis Matth. ult. verſ. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptiZantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Similiter Marc. ult. v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Data, inquam, eſt hæc poteſtas in Gallilæa, idque

Digitized by Google

porrò verba illa Joa. 20. dicta ſunt Jeroſolymis.

idque univerſalis & extenſa ad omnes gentes, etiam maximè obſtinatas; porrò poteſtas remittendi peccata, de qua Joan. 20. conceſſa fuit Jeroſolymis, idque limitata ad illos, qui cum debito dolore peccata ſua confiterentur, quam utique limitationem ſatis ſignificant iſthæc verba: *Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt*; ergo non omnes paſſim abſolvendi, cùm tamen omnibus nullo excepto ſit annuntiandum Euangelium.

22. Concionator agit officium præconis; Confeſſarius autem officium Judicis.

Quid miramur? Siquidem Concionator officium agit Præconis, qui omnes promiſcuè debet admittere, & neminem rejicere: remittens autem peccata, officium Judicis, cujus eſt diſcernere inter reum, & non reum, inter cauſam & cauſam, atque quod juſtum eſt ſtatuere. Quis autem juſtum dixerit abſolvere protervum?

Ergo diverſæ ſunt poteſtates prædicandi Euangelium, & abſolvendi à peccatis, excitandi in alio fidem, & remittendi ejus peccata; niſi etiam mulieres fatearis remittere peccata, dum in aliis excitant fidem, & Prædicatores Euangelii retinere peccata, dum per prædicationem non excitant fidem, quæ abſurdiſſima ſunt.

23. Alia interpretatio iſtorum verborum Chriſti rejicitur.

Alia interpretatio eſt; per illa verba Joan. 20. dari poteſtatem Apoſtolis remittendi peccata, quatenus datur eis poteſtas denuntiandi peccata eſſe remiſſa; quaſi verò ad hoc eſſet opus clavibus, & non potiùs tubâ. Neque tunc debuiſſet Chriſtus dicere Apoſtolis in præſenti: *Remittuntur eis*; ſed, *Remiſſa ſunt*.

Accedit, quòd nullus poſſit certò denunciare peccata eſſe remiſſa, niſi hoc ſciat; ſcire autem non poteſt, niſi ex revelatione Dei.

24. Aliquorum evaſio damnata à Concil. Trid.

Nam quod Aliqui reſpondent, poſſe hoc ſciri & de facto ſciri, eo ipſo quò ſcitur, aliquem credere ſibi eſſe remiſſa peccata, nec in Scriptura, nec in Patribus fundamentum habet, & tamquam erroneum damnatur à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 14. his verbis: *Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolvi, ac iuſtificari ex eo, quòd ſe abſolvi ac iuſtificari certò credat* &c. *anathema ſit.*

Atque ut verum eſſet, nihil facit ad rem: tum quia fruſtra dico, Petro v. g. remiſſa eſſe peccata, quando ipſe hoc independenter à meo dicto certiſſimè credit; tum quia ſcire non poſſum, an illud credat, niſi ipſe mihi dicat; quocirca priùs rogandus erit, an credat, & reſpondenti ſe credere, dicendum erit, peccata tibi ſunt remiſſa, quæ ridicula & nugatoria ſunt.

25. Contraria doctrina S. Chryſoſtomi.

Et contrarium eleganter docuit S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio ibi: *Corporis lepram purgare, ſeu veriùs dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Iudæorum Sacerdotibus ſolis licebat ..... At verò noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dico, purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.*

Et poſt pauca interrogat: *Quis tam infelici genio natus, ut tot tantaq; bona faſtidiat? Equidem neminem exiſtere talem dixerim, niſi ſi quis furiarum æſtro percitus ſit.*

26. Tertia interpretatio hæreticorum

Ideo tertiam reſponſionem adhibent hæretici dicentes, Joan. 20. non loqui Chriſtum de Sacramento diſtincto à Baptiſmo, ſed de ipſo Baptiſmo, cujus recordatione remittuntur peccata, poſt ipſum commiſſa, id eſt, de Baptiſmo, in memoriam revocato.

explodit

Subtilis interpretatio! Digna profectò talibus hominibus, qui vel ad ſolum nomen Pœnitentiæ contremiſcunt, & ideo quæſierunt recordationem Baptiſmi, per quam omnia eorum peccata remitterentur. Sed numquid invenerunt? *Si quis dixerit peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti Baptiſmi, vel dimitti, vel venialia fieri; anathema ſit.* Ità Concilium Trident. ſeſſ. 7. de Baptiſmo can. 10. Conc. Tri.

27. Sacramentum Pœnitentiæ diſtinguitur à Baptiſmo

Itaque, ùt habet ſecunda pars concluſionis, Sacramentum Pœnitentiæ prorſus diſtinguitur à Sacramento Baptiſmatis, teſte Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 2. in principio: *Cæterum*, inquit, *hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *multis rationibus à Baptiſmo differre dignoſcitur.* Conc. Tri. *Nam præterquam quòd materiâ & formâ, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet* (quippe materia & forma Baptiſmi eſt ablutio, cum verbis eam ſignificantibus; Sacramenti autem Pœnitentiæ quaſi materia accuſatio, & forma ſententiæ probatio) *conſtat certè, Baptiſmi miniſtrum Iudicem eſſe non oportere, cùm Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Secus eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lavacro Baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit; nam hos ſi ſe poſteà crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito Baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat; ſed ante hoc tribunal, tamquam reos ſiſti voluit: ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum Pœnitentes confugerint, poſſent liberari.*

materiâ, formâ, & miniſtro.

Non ait, *per recordationem Baptiſmi*, ſed, *per Sacerdotum ſententiam.* Igitur Pœnitentia Sacramentum diſtinguitur à Baptiſmo, materiâ, formâ & miniſtro.

28. Præterea effectu.

Nec hoc tantùm, ſed etiam effectu, ùt ibidem docet Tridentinum continuò attexens: *Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus: per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente iuſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à Sanctis* Conc. Tri.

Patribus

Digitized by Google

Patribus dictus fuerit. Quid autem faciliùs memoriâ Baptiſmi? Nonne opus eſt ſpeciali poteſtate, aut ſpeciali ſententiâ Sacerdotum, ut homo baptizatus recordetur ſui Baptiſmatis?

29. [illegible] 1. Ioan. 1.

Et verò, ſi hæc memoria eſt unicum medium remiſſionis peccatorum poſt Baptiſmum, cur nuſpiam Scriptura illius meminit? Lego quidem apud Ioannem Epiſt. 1. c. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra:* ſed ubi ſcriptum ſit: *Si recordamur Baptiſmi noſtri fidelis eſt & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra,* planè ignoro. Hoc ſcio, contra rationem eſſe, faciliùs quempiam liberari à peccato, poſt Baptiſmum commiſſo, quàm ante Baptiſmum commiſſo.

Contra rationem eſt, quòd faciliùs remittantur peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quàm ante. Conc. Trid.

Sanè, inquit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 8. *& divinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritûs ſancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione* (per ſolam recordationem Baptiſmi) *peccata* (poſt Baptiſmum commiſſa) *remittantur, ut, occaſione acceptâ, peccata leviora putantes, veluti iniurii, & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur.*

30. [illegible]

Nonne Rex temporalis daret occaſionem graviùs delinquendi, ſi, dato chyrographo, ità peccatum alicujus dimitteret, ut etiam peccata poſtmodum committenda polliceretur remittere, quoties chyrographum inſpiciens, crederet Regem ſibi remiſiſſe peccata? Nemo dubitat. Et exiſtimabimus Deum id feciſſe? Non eſt juſtum & æquum, quantùm poteſt capere ratio naturalis.

Heb. 6.

Impoſſibile eſt, inquit Apoſtolus Hebr. 6. v. 4. *eos, qui ſemel ſunt illuminati* (per Baptiſmum) *guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti* &c. *rurſus renovari ad Pœnitentiam* (id eſt, ad remiſſionem peccatorum) *rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei*, id eſt, per iteratam ſuſceptionem Baptiſmi, qui eſt figura mortis Chriſti, quantò minùs per ejus recordationẽ?

Heb. 10.

Et cap. 10. ejuſdem Epiſt. v. 26. & 27. ait: *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Quis ergo niſi impius dicet, *Voluntariè peccantibus nobis poſt Baptiſmum, relinquitur pro peccatis hoſtia*, id eſt, recordatio Baptiſmi?

31. Recordatio Baptiſmi non eſt fructus dignus pœnitentiæ.

Non ſic Hæretici, non ſic: ſed relinquitur quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt hujuſmodi peccatores, niſi fecerint fructum dignum Pœnitentiæ, qualis non eſt recordatio Baptiſmi, ùt omnes fateri debent, qui credunt Ioanni Baptiſtæ, dicenti Matth. 3. v. 2. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Non ait; *Recordamini circumciſionis*, ſed, *Pœnitentiam agite.* Et quæ illa? Matth. 3.

Sequitur v. 5. 6. 7. & 8. *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua. Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum venientes ad Baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum Pœnitentiæ.* Ac continuò attexit: *Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham* &c.

Igitur fructus dignus Pœnitentiæ, confeſſio eſt ſuorum peccatorum, ſi non Sacramentalis, quæ tunc nondum erat inſtituta, certè interna Contritio charitate perfectâ. Hæretici autem; qui contenti ſunt recordatione Baptiſmi, quid aliud dicunt intrà ſe, quàm, *Patrem habemus Abraham*, id eſt, Chriſtum, cujus familiæ adſcripti ſumus per Baptiſmum? 32. Fructus dignus Pœnitentiæ eſt confeſſio peccatorum, ſecùs recordatio Baptiſmi,

Si illa recordatio foret unicum medium remiſſionis peccatorum (præterquàm quòd ſic potiùs cogitatio noſtra remitteret peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quàm ipſe Baptiſmus) quomodò poſſibile fuiſſet, quòd nullus SS. Patrum illius, vel minimam mentionem feciſſet? Audite Divum Auguſtinum Epiſt. 23. ad Bonifacium: *Semel*, inquit, *perceptam parvulus Chriſti gratiam, non amittit niſi propriâ impietate, ſi ætatis acceſſu tàm malus evaſerit. Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed aliâ curatione ſanentur.* cujus PP. nuſpiam meminerũt.

Dubitas, quæ ſit illa alia curatio? Lib. 2. de Adult. conjugiis c. 16. claris verbis eam ſignificat dicens: *Si à Catechumeno factum eſt* (homicidium) *Baptiſmate abluitur, & ſi à Baptizato, Pœnitentiâ & reconciliatione ſanatur.*

Quando ergo idem S. Doctor lib. 1. de Nupt. & Concup. c. 33. explicans illud Apoſtoli Epheſ. 5. v. 25. 26. & 27. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo* &c. quandò, inquam, docet, ſic iſtud accipiendum eſſe, *ut eodem lavacro regenerationis, & verbo ſanctificationis* (id eſt, Baptiſmo) *omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur atque ſanentur; non ſolùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo, ſed etiam quæ poſteriùs humanâ ignorantiâ vel infirmitate contrahuntur: non ut Baptiſma quotiens peccatur, toties repetatur; ſed quia ipſo, quod ſemel datur, fit, ut non ſolùm antea, verùm etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur*, numquid tunc recordationi Baptiſmatis adſcribit veniam quorumlibet peccatorum ſubſequentium? Noli id cogitare, ſi ſapis. 33. Occurritur objectioni, & explicatur doctrina S. Aug.

Digitized by Google

34. qui ſolùm vult Pœnitentiam non prodeſſe ſinè Baptiſmo in re, vel in voto.

Quid ergo? Reſpondeo, vult Pœnitentiam, tam virtutem, quàm Sacramentum, nullatenus impetrare veniam peccatorum, ſinè lavacro regenerationis, aut ejus voto. Nam ſequitur: *Quid enim prodeſſet vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet? In ipſa quoque Dominica oratione: quæ quotidiana eſt noſtra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur:* Dimitte nobis debita noſtra, *niſi ab eis, qui baptizati ſunt, diceretur? Itemq́ eleëmoſynarum largitas, & beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda ſua peccata prodeſſet, ſi baptizatus non eſſet? Poſtremò regni cœlorum ipſa felicitas, ubi non habebit Eccleſia maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi, ubi nihil reprehenſionis, nihil ſimulationis erit, ubì non ſolùm reatus, ſed nec concupiſcentia erit ulla peccati, quorum erit, niſi baptizatorum?* Hucuſque Auguſtinus.

35. Quòd recordatio ſola Baptiſmi ſuſcepti impetret veniam peccatorũ,

Ergo per ſolam recordationem Baptiſmi ſuſcepti, impetratur poſtea quorumlibet venia peccatorum, negatur Conſequentia: ſed ut impetretur per virtutem Pœnitentiæ ante Baptiſmum venia peccatorum, requiritur votum Baptiſmi; adeòque niſi Baptiſmus ſequeretur, ubì & quando commodè ſequi poſſet, nihil prodeſſet, utì nec Sacramentum Pœnitentiæ; niſi præcederet realis ſuſceptio Baptiſmi, quia nimirum Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum. Et ſpecialiter Sacramenti Pœnitentiæ, *Cùm Eccleſia*, ùt dicit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. *in neminem iudicium exerceat, niſi priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 5. v. 12. *de iis, qui foris ſunt, iudicare?*

Concil. Trid.

1. Cor. 5.

nuſpiam docuit S. Auguſt. aut alius S. Pater,

Quod autem pœnitens, ut judicetur ab Eccleſia, id eſt, ſacramentaliter abſolvatur, debeat recordari Baptiſmi antea ſuſcepti, aut quòd illa recordatio ſufficiat ſinè judicio, id eſt, Sacramentali Abſolutione, ad juſtificationem, nuſpiam docuit Sanctus Auguſtinus, vel alius quiſpiam Sanctorum Patrum; ſed omnes unanimiter diſtinguunt Pœnitentiam à Baptiſmo, appellantes eam, ſecundam poſt naufragium tabulam, reconciliationem fidelium, ſimilibuſque nominibus.

36. Remiſſio peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ probatur ex S. Ambr.

Sanctus Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia cap. 7. ſic inquit: *Cur baptizatis* (alloquitur Novatianos) *ſi per hominem peccata remitti non licet? In Baptiſmo utiq́ remiſſio peccatorum omnium eſt: Quid intereſt utrùm per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes vendicent, unum in utroque myſterium eſt.* Et quia Novatiani dicebant, poſſe hominem baptizare, quia in Baptiſmo Deus eſt, qui potiſſimùm operatur, addit Ambroſius: *Quid in Pœnitentia, nonne nomen Dei operatur?*

Accedat S. Hieronymus lib. 1. contra Pelag. ibi: *Redimatur ſanguine Salvatoris, aut in domo Baptiſmatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur Baptiſmatis gratiam.* S. Hie

Atque ut alios omittam, quid evidentius iſtis verbis Cyrilli Alexan. lib. 12. in Joan. cap. 56. circa finem: *Quâ igitur ratione divinæ naturæ dignitatem ac poteſtatem Diſcipulis ſuis Salvator largitus eſt?* (explicat locum Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum* &c.) *quia certè abſurdum non eſt, peccata remitti poſſe ab illis, qui Spiritum Sanctum in ſeipſis habent. Nam quum ipſi remittunt, aut detinent, Spiritus qui habitat in eis, per eos remittit, & detinet. Erit autem id per eos duobus, ut arbitror, modis: Primùm Baptiſmo, deindè Pœnitentiâ. Nam aut credentes & vita ſanctimonia probatos homines ad Baptiſmum inducunt, & indignos indè diligenter expellunt, aut Eccleſiæ filiis* (id eſt, baptizatis) *peccantibus quidem increpant, pœnitentibus autem indulgent.* 37. & S. C rillo Al

Ubì licèt apertiſſimè diſtinguat inter poteſtatem remittendi peccata per Baptiſmum, & poteſtatem remittendi peccata per Pœnitentiam; attamen videtur inſinuare, utramque poteſtatem datam eſſe Apoſtolis Joan. 20 illis verbis: *Accipite Spiritum ſanctum* &c. nam illa verba ibi pertractat & exponit, ùt ſuprà adnotavi.

Quod etſi verum eſſet (quod non, quia poteſtatem Baptizandi dedit Chriſtus Apoſtolis Matth. ult. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti*; & jam pridem baptizaverant, ùt patet ex Joannis 4. v. 2. *Quamquam Ieſus non baptizaret, ſed Diſcipuli eius*) equidem nihil contra concluſionem, quæ tantùm aſſerit diſtinctionem inter utramque poteſtatem.

Matth.

Ioan. 4.

38. Doctrin Cyrilli e plicatur

Interim explicatur Cyrillus, ut tantùm voluerit illis verbis ſignificare dignitatem ſacerdotalem, enumerando duplicem poteſtatem, quæ in Sacerdotibus eſt ad remittenda peccata, in Baptiſmo ſcilicet, & Pœnitentia, ſive utraque illo loco Joannis data fuerit, ſive una tantùm. Unde in principio capitis, & in medio, dum expreſsè interpretatur verba Joannis, nulla fit mentio Baptiſmi.

Explica 2.

Alii reſpondent; Cyrillum illa verba per quamdam accommodationem extendiſſe ad poteſtatem remittendi peccata per Baptiſmum, propter ſimilem neceſſitatem utriuſque Sacramenti, & virtutem remittendi peccata, tametſi diverſimodè; unum videlicet per regenerationem ex aqua & Spiritu Sancto, alterum per modum judicii, utì etiam diverſa peccata, Baptiſmus quidem peccata ipſum antecedentia; Pœnitentia autem peccata Baptiſmum ſubſequentia. Unde etiam Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à SS. Patribus dictus fuit, ùt teſtatur Trident. ſeſſ. 14. c. 2.

Quæris

Digitized by Google

39. *Qui Patres appellaverint Pœnitentiam laborioſum Baptiſmum?*

Quæris à me, qui ſint iſti SS. Patres? Reſpondeo, Nazianzenus Orat. in Sancta lumina, quæ eſt 39. ſub finem, ubì enumerans ſex diverſa Baptiſmatum genera quinto loco collocat βάπτισμα τῶν δακρύων ἀλλ' ἐπιπονώτερον, *Baptiſma, quod eſt lacrymarum, verùm laborioſius*. Hæſit hujus Theologi veſtigiis Joannes Damaſcenus lib. 4. de Fide Ortodoxa cap. 10. qui octo Baptiſmatum genera commemorans, ſexto loco Pœnitentiam ponit his verbis: ἕκτον τὸ διὰ μετανοίας καὶ δακρύων, ὄντως ἐπίπονον, *Sextum, quod per Pœnitentiam & lacrymas, verè laborioſum.*

Quid ergo mirum, ſi Cyrillus, quod propriè & in rigore Chriſtus dixerat de Baptiſmo laborioſo, accommodaverit Baptiſmo ſimpliciter, qui nondum regeneratis eſt neceſſarius ad ſalutem, quemadmodum Baptiſmus laborioſus lapſis poſt Baptiſmum?

40. *Baptiſmus remittit omnem culpam originalem & actualem.*

Enimvero veluti Sacerdos, poteſtate judiciariâ, acceptâ à Chriſto Ioan. 20. remittit, & retinet peccata in Sacramento pœnitentiæ; ità quodammodo in Sacramento Baptiſmi remittit peccata illud adminiſtrando, & retinet peccata indignum à ſuſceptione repellendo. Remittit, inquam, omnem culpam originalem & actualem, juxta illud Florentini in Decreto Eugenii: *Huius Sacramenti* (loquitur de Baptiſmo) *effectus, eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis.* *Floren.*

Bona Spei. Unde allucinari videtur Bonæ Spei diſput. 4. de Pœnitentiæ Sacramento n. 9. dicens: Peccata per Baptiſmum remittendi poteſtas (præterquam quod ex univerſæ Eccleſiæ traditione ad ſolum originale extendatur) non eſt judiciaria. Non ſic loquitur Eugenius, ſed, ſicuti ſtatim audivimus: *Huius Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis.* Ergo poteſtas remittendi peccata per Baptiſmum non extenditur ad ſolum originale ex univerſæ Eccleſiæ traditione, niſi vel Eugenius in ſuo Decreto erraverit, quod nefas eſt cogitare, vel Bonæ Spei, contra omnem proprietatem verbi, & communem loquendi modum univerſalis Eccleſiæ, per peccatum originale intellexerit omnem culpam originalem & actualem, commiſſam ante ſuſceptionem Baptiſmi.

41. *Concluſio.*

Quæ cùm ità ſint, jure meritiſſimo Concil. Trid. ſeſſ. 14. can. 2. diſtinctionem horum Sacramentorum credendam proponit ſub hoc tenore verborum: *Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.* *Conc. Trid.*

Si autem à me quæritur, quando Chriſtus inſtituerit Sacramentum Pœnitentiæ: Reſponſio in promptu eſt:

CONCLUSIO II.

Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, quando ſtans in medio Diſcipulorum ſuorum, inſufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Joan. 20. v. 22. & 23.

42. *Chriſtus non inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ Matth. 10.*

QUo enim alio loco Chriſtus hoc Sacramentum inſtituiſſet? Si dixeris, Matth. 10. v. 7. *Euntes prædicate* (ſupple Pœnitentiam) *dicentes: Quia appropinquavit regnum cælorum.* Non poterant autem prædicare Sacramentum Pœnitentiæ, quod nondum erat inſtitutum. Nonne Matth. 4. v. 17. legitur: *Exinde cœpit Ieſus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum?* Et Luc. 13. v. 3. ait Chriſtus: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Reſpondeo, duplicem eſſe Pœnitentiam. Una eſt Pœnitentia virtus, altera Pœnitentia Sacramentum; prima omni tempore fuit neceſſaria univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent; neceſſaria, inquam, ad gratiam & juſtitiam aſſequendam, illis etiam, qui Baptiſmi Sacramento ablui petiiſſent, ùt docet Trident. ſeſſ. 14. c. 1. & illam Pœnitentiam prædicavit Chriſtus, & præcepit Apoſtolis ſuprà prædicare. *nam ibi ſolùm loquitur de virtute Pœnitentiæ.*

43. *quam prædicabat Joan. Bapt. Matth. 3. & Mar. 1.*

Illam prædicabat Joannes Baptiſta Matth. 3. v. 2. dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Et Mar. 1. v. 4. *Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.*

De hac loquitur Apoſtolus Petrus Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm* &c. Similiter Apoſtolus Paulus Act. 26 v. 20. *Sed his, qui ſunt Damaſci primum, & Ieroſolymis, & in omnem regionem Iudææ, & Gentibus annuntiabam, ut Pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum digna Pœnitentiæ opera facientes.* *Apoſt. Petrus Act. 2. & Paulus Act. 26.*

44. *Huic Pœnitentiæ Prophetæ teſtimonium perhibuerunt Ezech. 18. Act. 26.*

Huic Pœnitentiæ Prophetæ teſtimonium perhibuerunt, ùt patet ex Ezech. 18. v. 21. *Si autem impius egerit Pœnitentiam* &c. *vitâ vivet* &c.

Ut proinde verum foret, quod ait Paulus ſuprà v. 22. *Auxilio autem adiutus Dei, uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque maiori, nihil extra dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes*; tametſi intellexiſſet Pœnitentiam.

Quod addo, quia videtur tantùm loqui de his, quæ ſpectant ad Paſſionem, & Reſurrectionem Chriſti: nam ſequitur: *Si paſſibilis Chriſtus,*

Digitized by Google

ſtus, ſi primus ex Reſurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus eſt populo & Gentibus.

Quare nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Prophetæ prædicaverint Sacramentum Pœnitentiæ.

Et quid miramur, ſi nec Prophetæ, nec Apoſtoli, nec Chriſtus prædicaverint Sacramentum Pœnitentiæ? Etenim loquebantur Judæis, & Gentilibus necdum Baptizatis, cùm tamen Sacramentum Pœnitentiæ ſolis Baptizatis ſit utile, & neceſſarium. Prædicabant ergo Pœnitentiam, quæ pro tunc erat ipſis unicum medium neceſſarium ad remiſſionem peccatorum.

45. Explicatur Doctrina S. Fulgentii.

Ex his feſtinè cognoſcitur, quomodo intelligendum ſit, quod ſcribit S. Fulgentius de Fide ad Petrum diaconum (inter opera S. Auguſtini tom. 3.) c. 30. *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Chriſti ſuo ſanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hìc à malis ſuis fuerit per Pœnitentiam, fidemq́; converſus, & per Sacramentum fidei, & Pœnitentiæ, id eſt, per Baptiſmum liberatus.*

Intellige non quamcumque Pœnitentiam, ſed illam quam ante Baptiſmum oportet agere; id eſt, virtutem Pœnitentiæ: quippe confeſtim adjungitur: *Et maioribus quidem neceſſarium eſſe, & Pœnitentiam de malis ſuis agere, & fidem Catholicam ſecundùm regulam veritatis tenere, & Sacramentum Baptiſmatis accipere: parvulis verò, qui nec propriâ voluntate credere, nec Pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere poſſunt, Sacramentum fidei, quod eſt ſanctum Baptiſma, quamdiu rationis ætas eorum capax eſſe non poteſt, ſufficere ad ſalutem.* Quid clarius?

46. Probatur inſtitutio Sacramenti Pœnit. ex verbis Chriſti Joan. 20.

Igitur ex prædicatione Pœnitentiæ vel Chriſti, vel Apoſtolorum, aut Joannis Baptiſtæ, neutiquam probatur inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ. Ex quo ergo? Ex inſigni facto & perſpicuis verbis Chriſti Joan. 20. v. 22. & 23. *Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata* (ſigno aliquo externo) *remittuntur eis* (utique judicio Dei in cœlis) *& quorum retinueritis* (id eſt, quibus remiſſionem negaveritis, ſeu quibus cenſueritis non remittenda) *retenta ſunt* judicio Dei in cœlis.

Non ait Chriſtus: *Quorum remiſeritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt*, in futuro, ſed in præſenti: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, in ſignum tunc actu traditæ poteſtatis, quaſi diceret, jam nunc ratum habeo in cœlis, quidquid à vobis factum fuerit in terris.

Porrò in futuro loquitur Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo* &c. Ubì, ùt ſuperiùs inſinuavi, non conceditur poteſtas alligandi, & ſolvendi; ſed tantùm promittitur poſtmodum concedenda.

Non erat conveniens quòd priùs dareture poteſtas in corpus Chriſti myſticum, quàm verum.

Sanè conveniens non erat, quòd priùs daretur poteſtas in corpus Chriſti myſticum, quàm poteſtas in corpus Chriſti verum: hanc autem ſolùm acceperunt in ultima cœna. Et quamquam fortè tunc Chriſtus inſtruxerit Apoſtolos de ſtatu futuræ Eccleſiæ, & conſequenter de Sacramento Pœnitentiæ, ùt poſteà inſtituendo; equidem quod in ultima cœna inſtituerit, ità quòd habere inceperit ſignificationem, & efficaciam gratiæ, nuſpiam legitur, cùm nondum eſſet data poteſtas remittendi peccata, ſinè qua non potuit hoc Sacramentum ſuam efficaciam habere.

47. Sententia quæ do Sacramentum Pœ[nit.] fuiſſe [ante] legem [no]vam, ex[plo]ditur.

Refert Magiſter 4. diſt. 22. circa finem ſententiam quorumdam, qui dicunt, Sacramentum Pœnit. ſicut & conjugii, ante tempus gratiæ, etiam à primordio humani generis fuiſſe.

Sed hæc doctrina ab omnibus exploditur, ſi intelligat Sacramentum propriè dictum, de quo hìc tractamus. Fuit quidem à primordio naturæ contractus Matrimonii, ſive conjugium in ratione contractûs; utì etiam externa Confeſſio & dolor internus peccatorum; verumtamen Abſolutio, efficax gratiæ ex opere operato, ubì legitur?

48. Objectio [ex] Script. Geneſ. 3.

Gen. 3. v. 9. ſcriptum eſt: *Vocavitq́; Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Volens illo modo interrogandi elicere Confeſſionem peccati. Similiter cap. 4. v. 9. *Et ait Dominus ad Cain; Vbi eſt Abel frater tuus?* Sed quid tum? Num etiam ibi legitur Abſolutio à peccatis?

Solvitur.

Nihil minùs. Falſum ergo eſt, quod Aliqui ſomniarunt, illis locis inſtitutam eſſe Confeſſionem auricularem, quâ de facto utitur Eccleſia Catholica, id eſt, Confeſſionem Sacramentalem.

Simple[x] Confeſ[ſio] extern[a le]gitur J[o]ſue 7.

Alioquin ſimplicem Confeſſionem externam ſuorum peccatorum legimus Joſue 7. v. 19 & 20. *Et ait Ioſue ad Achan: Fili mi da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere & indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Reſponditq́; Achan Ioſue & dixit ei: Verè ego peccavi Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci.* Ecce Confeſſio. Sed ubì Abſolutio? *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitq́; eum omnis Iſraël, & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.* Si hodie ſic homines abſolverentur, fortè pauci confiterentur.

49. Alia objectio ex Reg. 2.

Dices; ſaltem Nathan abſolvit Davidem, confitentem peccatum ſuum 2. Reg. 12. v. 13. *Et dixit David ad Nathan: peccavi Domino.*

Solvitur.

Reſpondeo, non lego iſta verba: *Abſolvo te*, vel æquivalentia; ſed hæc, quæ ſubjicio: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum; non morieris.* Quibus Nathan ſignificabat id, quod ſibi divinitùs erat revelatum, ſcilicet remiſſionem peccatorum factam à Deo; ergo Nathan remiſit peccatum, vel ſaltem miniſteriali poteſtate, prout remittunt Sacerdotes novi Teſtamenti, negatur Conſequentia: alioquin Euangeliſtæ crucifixiſſent Chriſtum, quoniam narrant, Judæos Chriſtum crucifixiſſe.

Solvitur.

Atque ut totum concederemus, id fuit factum

Digitized by Google

Factum extraordinarium non ſtatuit legem.

factum aliquod extraordinarium, quod non ſtatuit legem, qualis debet eſſe inſtitutio Sacramenti. Adeoque nec Chriſtus ſacramentaliter abſolvit Paralyticum Matth. 9. v. 2. dicens: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua:* Neque Mariam Magdalenam Luc. 7. v. 48. his verbis: *Remittuntur tibi peccata*: tum defectu Confeſſionis, tum quia id fecit per poteſtatem Excellentiæ, quæ non erat alligata ſignis illis externis qualiter alligata eſt poteſtas ordinaria abſolvendi Sacramentaliter à peccatis.

Matth. 9.

50\. *Marc.* 1. quamvis ſit mentio confeſſionis, non tamen abſolutionis.

Quantùm ad Joannem Baptiſtam, prædicavit hic Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, *Et egrediebatur ad eum*, inquit Euangeliſta Marcus c. 1. v. 5. *omnis Iudææ regio, & Ieroſolymitæ univerſi, & baptizabantur ab eo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua*; ſed abſolutionis à peccatis confeſſis non meminit Scriptura.

Fateamur ergo Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamentum neque in Teſtamento veteri, neque in Concionibus Baptiſtæ. Sed neque tale habemus de Baptiſmo dando in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & tamen Baptiſmus admittitur verum Sacramentum. Similiter Sacramentum Euchariſtiæ.

51\. Objectio.

Dices; de Baptiſmo & Euchariſtia habemus teſtimonium Chriſti, qui ipſe Euchariſtiam conſecravit, &, ſi non per ſe, ſaltem per Apoſtolos ſuos baptizavit: non legitur autem abſolviſſe ſacramentaliter per ſe, vel per Apoſtolos. Ergo ritus abſolvendi, qui modò obſervatur in Eccleſia, inventum ſolum humanum, & non ceremonia aliqua ſacra, à Chriſto inſtituta.

Reſponſio.

Reſpondeo; *Sunt & alia multa, quæ fecit* (& dixit) *Ieſus; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*, inquit Joannes cap. ult. v. ultimo. Traditio eſt, nihil quæras ampliùs; ſed dicito, verba illa: *Ego te abſolvo* veram eſſe ceremoniam à Chriſto inſtitutam, ad ſignificandam, & efficiendam gratiam ſanctificantem, atque ad Deum illo ritu colendum.

Illa verba: *Ego te abſolvo*, ſunt ceremonia ſacra.

52\. à Chriſto inſtituta præcipuè Joan. 20.

Quærit autem aliquis à me, ubì illa ceremonia à Chriſto ſit inſtituta? Reſpondeo, præcipuè Joan. 20. teſte Tridentino ſeſſ. 14. cap. 1. ibi: *Porrò nec ante adventum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum; nec eſt poſt adventum illius cuiquam ante Baptiſmum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum* &c.

quia ibi data fuit poteſtas remittendi & retinendi peccata.

Dicitur; *Præcipuè*, quia tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtas remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuit communicata, quæ ante Reſurrectionem tantùm erat inſinuata & promiſſa. Atque hæc poteſtas in actu exercito eſt ſola eſſentia hujus Sacramenti, aut ſaltem præcipua pars, ſi Contritionem & Confeſſionem malueris appellare partes eſſentiales, quàm conditiones, ſinè quibus non exercetur validè illa poteſtas.

Et verò cùm illa contritio, non ſolùm ante Paſſionem Chriſti; ſed etiam ante ejus adventum, immo à primordio naturæ habuerit ſuam utilitatem, immo neceſſitatem; quis ſcit, an non etiam propterea Concilium addiderit ly *Præcipuè*?

Interim cùm illa contritio, nullo umquam tempore ante reſurrectionem Chriſti, habuerit vim delendi peccata ex opere operato, qui eſt effectus proprius Sacramenti; rectiſſimè dicitur, Sacramentum Pœnit. quantū quantum eſt, inſtitutum fuiſſe Joan. 20. ubì, ùt dictum eſt, dedit poteſtatem remittendi peccata, & retinendi, id eſt, inſtituit tribunal, in quo jus dicerent Sacerdotes, abſolvendo, quos judicarent dignos, non abſolvendo, quos judicarent indignos; abſolvendo, inquam, per collationem gratiæ ſanctificantis ex opere operato. 53.

Rectè dicitur, totum Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum Joan. 20.

Atque hâc ratione Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 14. ſimpliciter, omiſſo ly *Præcipuè*, aſſerit, Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum Joan. 20. ibi: *Etenim pro iis, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Ieſus Sacramentum inſtituit Pœnitentiæ cùm dixit: Accipite Spiritum Sanctum &c.*

Conc. Trid.

Sed contrà I. Si Joan. 20. data eſt Apoſtolis poteſtas abſolvendi, ergo Thomas, qui dicitur Didymus, caruit illâ poteſtate. Probatur Conſequentia: quia Joannis 20. verbis Chriſti: *Accipite Spiritum Sanctum* &c. extemplò ſubjungitur: *Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Ieſus.* 54.

Prima objectio.

Reſpondeo verbis Cyrilli Alexandrini lib. 12. in Joan. c. 56. *Dicimus* (inquit ille) *virtutem Spiritûs, ex intentione dantis Chriſti, in omnes Diſcipulos pertranſiſſe: non enim quibuſdam, ſed omnibus Diſcipulis dedit. Quare liberalitate dantis non ſolùm præſentes, ſed etiam abſentes Apoſtoli, Spiritum ſanctum acceperunt. Quòd autem non violenta, ſed tuta veraq; iſta ratio ſit, auctoritate ſanctæ Scripturæ monſtrabimus. Iuſſit Deus quondam Moyſi* (Num. 11.) *ſeptuaginta ſeniores Iudæorum eligere. Dixit autem de Spiritu, qui erat in Moyſe, ablaturum ſe atque impoſiturum in illis. Quum verò Heldad & Medad de 70. Seniorum numero in Synagoga remanſiſſent; ac Spiritus omnibus illis ſeptuaginta immiſſus fuiſſet: prophetabant quidem, qui erant cum Moyſe; prophetabant autem etiam illi duo, qui aberant &c. Non ergo licèt abfuerit Thomas, à participatione Spiritûs decidit, quum de numero eſſet eorum, quibus, dignitate Apoſtolatus decoratis, Spiritus debebatur.* Hæc Divus Cyrillus.

Reſponſio ex D. Cyrillo Alex.

Ccc 3 Dices

55. Secunda objectio.

Dices II. Christus Joan. 20. v. 21. dixit Apoſtolis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Atqui, ùt ſuperiùs diximus, Christus reconciliavit peccatores abſque miniſterio alicujus Sacramenti; ergo per verba illa v. 22. *Accipite Spiritum ſanctum* &c non inſtituit aliquod ſpeciale Sacramentum, quo neceſſariò deberent uti Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, ad reconciliandos peccatores poſt Baptiſmum

Solvitur ex S. Gregor. Papa.

Reſpondeo neg. Conſeq. Ad Majorem dico cum S. Gregorio Papa Homil. 26. in Evang. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, id eſt, ſicut miſit me Pater Deus Deum, & ego mitto vos homo homines. Pater Filium miſit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari conſtituit. Quem videlicet in mundum venire ad paſſionem voluit: ſed tamen amavit eum, quem ad paſſionem miſit. Electos verò Apoſtolos Dominus non ad mundi gaudia, ſed ſicut ipſe miſſus eſt, ad paſſiones in mundum mittit. Quia ergo & Filius amatur à Patre, & tamen ad paſſionem mittitur; ita & diſcipuli à Domino amantur, qui tamen ad paſſionem mittuntur in mundum. Itaque rectè dicitur:* Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: *id eſt eâ Charitate vos diligo, cùm inter ſcandala perſecutorum mitto, quâ me Charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit.*

Apoſtoli non habuerunt omnem poteſtatem remittendi peccata, quam habuit Christus.

Ergo Apoſtoli habuerunt omnem poteſtatem remittendi peccata, quam habuit Chriſtus, nulla Conſequentia. Omnis ſimilitudo claudicat: adeòque quamvis ſimilem poteſtatem habuerint reconciliandi peccatores, videlicet per media, ab ipſo Chriſto inſtituta, puta Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ; non tamen omnino eandem, puta poteſtatem Excellentiæ, quæ nullis externis ſignis erat alligata in Chriſto, utpote qui ipſe ſolus eſſet inſtitutor illorum ſignorum, id eſt, Sacramentorum.

56. Tertia objectio.

Dices III. Si ità clara eſt & aperta inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ, quid eſt quod Gratianus ſuo tempore diſt. 1. de Pœnitentia, allatis pro utrâque parte variis auctoritatibus, hanc rem dubiam reliquerit?

Reſpondetur.

Reſpondeo; hæc fuit quæſtio diſputata à Gratiano loco citato: *Vtrum ſolâ cordis Contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſque oris Confeſſione, quiſque poſſit Deo ſatisfacere*, ùt expreſsè ponitur in principio illius diſtinctionis, non autem; *An Chriſtus inſtituiſſet verum & propriè dictum Sacramentum Pœnitentiæ.* Et verò non inſtituiſſe, nulla omnino ſententia, ab ipſo allegata, inſinuat; quamvis aliquæ videantur negare neceſſitatem hujus Sacramenti. Tantùm exſcribo ultimum Canonem deſumptum ex Pœnitentiali Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, juxta Burchardum & Ivonem.

57. Refertur can. ult. di- ſtinct. Pœnit.

Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam verò Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota ferè S. Eccleſia. Quod utrumque non ſinè magno fructu intra ſanctam fit Eccleſiam: ita dumtaxat ut Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, peccata noſtra confiteamur, & hoc perfectorum eſt (qui, ut Gloſſa ibi, *non habent niſi venialia: unde non indigent oris confeſſione ſpeciali) ut cum David dicamus:* Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi confitebor adversùm me injuſtitias meas Domino & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Sed tamen Apoſtoli inſtitutio nobis ſequenda eſt, ut confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem, ut ſalvemur. Confeſſio itaque, quæ ſoli Deo fit, quod eſt juſtorum, purgat peccata. Ea verò quæ Sacerdoti fit, docet, qualiter ipſa purgentur peccata (*id eſt, oſtendit ordinarium purgandi modum eſſe per Sacerdotis Abſolutionem) *Deus namque, ſalutis & ſanctitatis auctor & largitor, plerumque hanc præbet ſua Pœnitentiæ medicinam inviſibili adminiſtratione (*id eſt, Contritione charitate perfectâ) *plerumque Medicorum operatione*, id eſt, Abſolutione Sacerdotum.

Pſal. 31. v. 5.

Conc. Cabil.

Eadem ferè habentur in Concilio Cabilonenſi 2. ſub Leone Papa 3. c. 33. omiſſis his verbis: *Vt Græci.* Item illis: *Vt tota ferè ſancta Eccleſia.* Ac iſtis: *Et hoc perfectorum eſt.* Item illis: *Quod eſt juſtorum.*

Cæterùm cùm audis inſtitutionem Apoſtoli, ſcilicet Jacobi Epiſt. Cathol. c. 5. v. 16. non ſubeat cogitatio, D. Jacobum eſſe principalem inſtitutorem hujus Sacramenti; ſed ad ſummum (quæ videtur eſſe ſententia Doctoris Seraphici 4. diſt. 17. p. 2. a. 1. q. 3.) fuiſſe promulgatorem Confeſſionis, ſeu præcepti confitendi. *Duo ſunt in Confeſſione*, inquit D. Bonaventura ſuprà n. 71. *unum formale & completivum, & hoc eſt abſolutio, ſive poteſtas abſolvendi vel medicandi, & hanc Dominus inſtituit, qui poteſtatem clavium conceſſit, & penes hoc reſidet virtus*, ſcilicet Sacramenti, ùt patebit ex dicendis. Ergo ſecundùm ipſum, Chriſtus immediatè inſtituit Confeſſionem in ratione Sacramenti, id eſt, Sacramentum Pœnitentiæ. 58.

Jacobus non fuit principal[is] inſtituto[r] hujus Sacramenti ſed ad ſu[m]mum pr[o]mulgato[r] obligatio[nis]. D. Bona[v.]

Aliud autem eſt materiale, & hoc eſt detectio peccati ſive morbi, & hoc Dominus non inſtituit in ſe; ſed inſinuavit. Ratio autem quare non inſtituit, ut dicunt Aliqui, hæc fuit; quia ſufficit ægroto exponere Medicum & Medicinam; & ulterius Confeſſio peccati non valet extorta, ſed debet eſſe voluntaria; ideo Dominus inſinuavit, relinquens hoc in voluntate ægrotantium. Et hoc eſt, quod dicit Hugo: Medicus dixit, ut curarent; ſed infirmis non dixit, ut ad Medicos curandi cauſa venirent: hoc quaſi certum eſſe voluit, quòd ægri libenter ſalutem quærerent, & ſe curandos offerrent, ſi Medicos invenirent. Ecce prima ratio, quare Chriſtus minùs explicitè præceperit Confeſſionem, id eſt, ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ.

Prima ratio, quare ſecundùm D. Bona[v.] Chriſtus per ſe no[n] inſtitueri[t], id eſt, pr[o]mulgaver[it] explicitè obligatio[nem] hujus Sacramen[ti]. Hugo l. 2. p. 4. c. 14.

Et licèt hoc (proſequitur Bonaventura) *ſit ſatis probabile, poteſt tamen & aliter dici, quòd* 59.

Secunda ratio.

Dominus

Dominus Confeſſionem per ſe non inſtituit (id eſt, præcepit) *quia eſt in remedium recidivantium : ſed quia Chriſtus erat Eccleſiæ fundator, & venientibus omnium peccatorum per Baptiſmum fiebat remiſſio, ideo ab eo non debuit inſtitui (* antequam Eccleſia eſſet inſtituta) *Confeſſio, ne ex verbo Domini daretur aliquibus recidivandi occaſio. Cum autem Eccleſia fuit inſtituta ; labi homines (* qui jam per Bapriſmũ Eccleſiam ingreſſi fuerant) *cœperunt ; & tunc remedium, ne deſperarent, vel contemnerent, publicari oportuit : & ideo per Apoſtolos Confeſſio debuit inſtitui, auctoritate ſibi à Domino traditâ, in clavibus ſibi datis ; in quibus poteſtatem acceperant ſanandi (* id eſt, remittendi peccata, nec hoc tantùm, ſed etiam retinendi) *& ita imperandi modum convenientem ſaluti ; & hoc quidem erat per morbi detectionem, expectantis humiliationem, & Sacerdotalem Abſolutionem : & ideo Confeſſio fuit à Domino inſinuata (* id eſt, implicitè inſtituta, quando dedit poteſtatem retinendi peccata) *ab Apoſtolis inſtituta (* id eſt, expreſsè declarata, ùt contenta in clavibus ſibi datis) *ab Epiſcopo Ieroſolymitano, ſcilicet Iacobo promulgata. Sicut enim ſententia* (id eſt, voluntas Chriſti ſeu dei) *de non ſervandis Legalibus, promulgata fuit Act. 15. ſic & Confeſſio omnibus peccantibus indicta & impoſita fuit Iacobi 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Indicta, inquam & impoſita ; id eſt, explicitè ſignificata, ùt neceſſaria ex voluntate ipſius Chriſti ; implicitè contentâ in illis verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum* &c.

60. Tentatio. Ulteriorem rationem addit D. Bonaventura *Confeſſio*, inquit, *hominis eſt opus purè humanum ; unde non eſt data virtus Sacramenti ipſi Confeſſioni, ſed abſolutioni ; ideo rectè hominibus puris inſtitutio debuit reſervari.* Inſtitutio, id eſt, immediata & expreſſa impoſitio Confeſſionis, quæ implicitè erat impoſita à Chriſto.

Nam ſequitur : *Ex his quæ dicta ſunt ; quatuor poſſunt rationes elici, quare Dominus immediatè Confeſſionem, & expreſſè non inſtituit. Prima quidem, quia non oportuit. Secunda verò, quia in hoc voluntariam eſſe debere docuit. Tertia, quia eſt Sacramentum recidivantium. Quarta, quia quantum eſt de ſe, eſt opus humanum, unde credo quòd non per ſe inſtituit : & ſi dicatur inſtituiſſe, hoc eſt intelligendum, inſinuando & auctoritatem dando.*

Ut ut ſenſerit Doctor Seraphicus de Inſtitutione, & Neceſſitate hujus Sacramenti (quem benignè poſſumus interpretari) hodie non eris Catholicus, ſi negaveris Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam eſſe, vel ad ſalutem neceſſariam jure divino. Dic ergo, & intùs dic, quia ſic eſt, ùt dicis :

CONCLUSIO III.

Sacramentum Pœnitentiæ eſt lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium in re, vel in voto.

Ità noviſſimè docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 2. in fine his apertiſſimis verbis : *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ùt non dum regeneratis ipſe Baptiſmus.* Atqui Baptiſmus nondum regeneratis eſt ad ſalutem neceſſarius in re, aut in voto ; ergo &c. Minor probatur ex eodem Concilio ſeſſ. 6. c. 4. ibi : *Quæ quidem tranſlatio* (id eſt, juſtificatio) *poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut eius voto, fieri non poteſt.* Et ſeſſ. 7. de Baptiſmo can. 5. *Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem ; anathema ſit.* Quibus hæc probatio non ſufficit, videant diſp. 2. ſect. 3. concl. 3. ubi diffuſiùs, & ex profeſſo hanc veritatem diſcuſſimus. 61. Probatur Concluſio ex Conc. Trid.

Venio ad Majorem, quæ communiter colligitur ex illis verbis Chriſti Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* 62. Neceſſitas Sacramenti Pœnit. colligitur ex verbis Chriſti Joan. 20. ut teſtatur Conc. Trid.

Teſtis eſt Concilium Tridentin. ſeſſ. 14 c. 5. ibi : *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicatâ, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure divino neceſſariam exiſtere : quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, è terris adſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tamquam præſides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint ; quo, pro poteſtate Clavium, remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient.*

Hìc, ùt vides, Concilium probat neceſſitatem hujus Sacramenti, non ex eo tantùm quòd Sacerdotes inſtituti ſint judices (nam ad poteſtatem judicativam ſufficit, quòd Judex poſſit judicare eos, qui voluntariè ſe ipſi ſubjiciunt, & poſito judicio ſeu ſententiâ, poſſit eos cogere ad executionem, tametſi ante ſubjectionem nulla eſſet neceſſitas coram tali Iudice comparendi) ſed ex eo, quòd tales ſint Iudices, ut ad eos pertineat remittere, & retinere peccata. Jam autem retinere non poſſent peccata, eſtò poſſent remittere, niſi Sacramentum hoc foret neceſſarium. 63. Quia ſufficiat ad poteſtatem judicativam.

Patet ; quia retinere peccata, idem eſt, quod non remittere peccata, & conſequenter non remiſſa manere in cælo ; porrò ſi hoc Sacramentum non eſſet medium neceſſariũ ad remiſſionem peccatorum, quantumcumque Sacerdotes retinerent peccata, poſſent homines accipere 64. Quid ſit retinere peccata.

Digitized by Google

accipere remiſſionem peccatorum in cælo per Contritionem charitate perfectam. Ut ergo Sacerdotes poſſent uti ſuâ poteſtate quoad utrumque illum actum, debuit Sacramentum Pœnitentiæ eſſe medium neceſſarium, ità quòd peccata cenſeantur retenta, quamdiu non ſunt per Abſolutionem remiſſa.

Atque hæc eſt poteſtas Clavium cujus ſuprà meminit Concil. Tridentinum, dicens: *Quò, pro poteſtate Clavium, remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient.* Peccatorum, inquam, mortalium, in quæ Chriſti fideles ceciderint. Nonne quando alicui dantur claves domûs clauſæ, eo facto recurſus ad ipſum fit medium neceſſarium, ut aliquis ingrediatur?

Luc. 13. Cum proportione ergo applicari poteſt Sacramento Pœnitentiæ, quod Luc. 13. v. 3. dicitur de Pœnitentia veteris Legis, id eſt, de Virtute Pœnitentiæ: *Niſi Pœnitentiam habueritis omnes ſimiliter peribitis.*

65. Objectio. Sed dicet Aliquis; retinere ſignificat actum aliquem poſitivum ligandi aut obligandi; ſicut remittere ſignificat actum poſitivum ſolvendi; ſi ergo poſitivè non liget Sacerdos, eſtò etiam poſitivè non ſolvat, poterit homo aliâ viâ ſolvi vel ligari; ergo Sacramentum Pœnitentiæ non eſt medium neceſſarium.

Solvitur. Reſpondeo, antiquos Patres illam retentionem explicaſſe per negationem veniæ, ſeu non remiſſionem peccatorum. Immo aliter explicari non poteſt, ſi verbum retinendi immediatè referatur ad peccata, quia peccatum, ùt patet, non poteſt directè per actionem poſitivam Sacerdotis retineri: eſtò judicium, quo quis judicatur indignus Abſolutione, ſit actus poſitivus, quod judicium licèt poſſit aliquando intervenire, equidem non neceſſariò intervenit; ſed ſufficit abſentia judicii, quo judicatur dignus abſolutione. Et dato caſu, quo peccator judicaretur dignus Abſolutione, nihilominus peccata retenta erunt; donec & uſque accedat voluntas remittendi.

Duplex eſt poteſtas ligandi in Sacramento Pœnit. Dico, *Si verbum retinendi immediatè referatur ad peccata*; quia duplex eſt poteſtas ligandi in hoc Sacramento, una negativa, quæ exercetur per negationẽ veniæ, altera poſitiva, quæ imponit pœnas confitentibus juxta qualitatẽ delicti.

66. Objectio. Sed contrà, utroque illo modo retineri poſſunt peccata venialia, & tamen illa non neceſſariò debent confiteri.

Solvitur. Reſpondeo; quemadmodum peccatum mortale & veniale, non ſunt æqualiter peccatum, ſic itidem verbum *retinendi* non poteſt æqualiter de utroque intelligi, cùm non ſit eadem aptitudo & capacitas in utroque, ut retineatur; ſiquidem retentio, quæ fit à Sacerdote in terris, rata habetur in cælis, ſecundùm illud Chriſti Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo.* Jam autem peccatum

Verbum Retinendi non poteſt æqualiter de peccato mortali & veniali intelligi.

veniale quantumcumque retineatur, id eſt, non remittatur à Confeſſario, equidem non poteſt hominem ligare ſeu perpetuò excludere à regno cælorum, cùm non privet gratiâ, quæ dat jus ad gloriam.

Ceu ergo peccatum mortale ſimpliciter eſt offenſa Dei, & claudit januam cæli, ad quam aperiendam claves datæ ſunt, ſecùs peccatum veniale: ità quoque poteſtas remittendi & retinendi, principaliter & ſimpliciter data eſt propter peccatum mortale; conſecutivè verò poteſtas remittendi extenditur etiam ad veniale; quia poteſtas ſufficiens ad tollendum impedimentum perpetuum, pariter ſufficiens eſt ad tollendum impedimentum temporale, non ſic poteſtas retinendi, quæ coactionem indicat, & ideo minor eſſe debet circa minores offenſas. 6[7] Poteſt mitte[re] retine[re] eſt pri[nci]paliter propte[r] peccat[um] morta[le]

Etſi mortale & veniale, inquit Scotus 4. diſt. 21. q. 1 n. 12. *ſint ejuſdem rationis in genere naturæ, vel fortè in malitia moris, ut genus virtutis diſtinguitur contra gratuitum, & peccatum ..... ſed tamen non ſunt iſta ejuſdem generis vel rationis in ratione offenſæ divinæ, & ideo nec uniformiter remittuntur.* Sed veniale aliquando poſt hanc vitam, mortale numquam (de hac differentia loquitur ibi Doctor) quid ergo mirum, ſi non etiam uniformiter retineantur? Scotus. Peccat[um] mortale veniale unifor[miter] remitti[tur].

Quamvis ergo Chriſti verba ſimplicia & generalia ſint, quia tamen peccata in ratione offenſæ non omnia ſunt ejuſdem generis vel rationis, hinc cum proportione debita ſecundùm capacitatem cujuſq; ſunt ipſis applicanda. 68 Verba [Chri]ſti Quo[rum] retinue[ritis] &c. c[um] propor[tione] applic[anda] ſunt ut[rique] pe[cca]to.

Sicuti ſi quis diceret: *Niſi Pœnitentiam peccatorum egeritis, eorum remiſſionem non conſequemini*, hæc verba licèt uniformia & generalia ſint, equidem includunt has duas propoſitiones. Prima: *Si egeritis Pœnitentiam, veniam conſequemini*, quæ non minùs mortalia quàm venialia complectitur. Secunda eſt: *Si non egeritis Pœnitentiam, non conſequemini veniam*; quæ non æqualiter complectitur ùtrumque peccatum; nam in mortali ſimpliciter vera eſt; in veniali autem ſolùm ſecundùm quid, ſcilicet non obtinebitis ex vi talis diſpoſitionis, aut, niſi aliud medium adhibueritis.

Conſimiliter ergo hæc verba: *Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt*, in mortalibus quidem peccatis ſimpliciter ſunt vera; in venialibus autem ſolùm ſecundùm quid, ſcilicet retenta ſunt, id eſt, non ſunt remiſſa per Abſolutionem Sacramentalem, aut, niſi aliud medium adhibeatur.

Si rurſum objicias; verba Chriſti Joannis 20. poſſunt intelligi de illis ſolis peccatis, quæ fideles voluntariè & liberè ſubjiciunt Clavibus Eccleſiæ, non autem quaſi omnia debeant ſubjicere Clavibus, ut remiſſionem accipiant. 69 Objecti[o].

Reſpondeo, illum intellectum eſſe contra vim & proprietatem verborum cùm abſolutè Reſpon[ſio].

& ſim-

Digitized by Google

& ſimpliciter dicatur: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt:* ergo oportet illa interpretari de omnibus peccatis, quæ ſimpliciter veniunt nomine peccati, qualia ſunt omnia peccata mortalia; non autem illa ſola, quæ peccatores voluerint ſubjicere Clavibus Eccleſiæ.

Alia reſponſio. Deinde licèt Confeſſarius peccata expoſita retineret, equidem de illis poſſet peccator conteri, & ſic accipere remiſſionem; ergo retentio eſſet pro magna parte fruſtranea. Dico, *Pro magna parte*, quia ſaltem ex opere operato non poſſet recipere remiſſionem.

70. Neceſſitas hujus Sacramenti potius colligitur ex retentione, quàm remiſſione. Ex his manifeſtè cognoſcitur, quare neceſſitas hujus Sacramenti colligatur potiùs ex retentione peccatorum, quàm ex remiſſione; quia videlicet poteſtas remittendi conceditur in favorem rei, adeòque poſſet eſſe utilis, eſtò ſuſceptio Sacramenti non foret neceſſaria; at verò poteſtas retinendi data fuit in favorem ipſius cauſæ ſeu juſtitiæ divinæ, ùt proinde maximè conveniens fuerit, quòd eſſet omninò independens à voluntate rei, & dependens à ſola voluntate Sacerdotis, ne fortè dum liberà datur electio reo, pauci vel nulli inveniantur, qui iſti judicio cauſam ſuam velint ſubjicere & ſubjiciant; adeòque fruſtranea omninò ſit inſtitutio hujus Sacramenti, & præſertim poteſtas retinendi peccata, ex quo efficaciter Sacerdos nequit peccata retinere tametſi velit, quin alio medio remittantur.

71. Objectio ſolvitur. Neque dixeris, de facto alio medio remittuntur, ſcilicet Contritione charitate perfectâ; ne, inquam, hoc dixeris, nam docet Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. *Etſi Contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq; Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni, ſinè Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Et ideo dixi in Concluſione: *In re aut voto.*

72. Sufficit aliquando confeſſio in voto. Sanè votum ſufficere docet præterea idem Concilium ſeſſ. 6. c. 14. ibi: *Vnde docendum eſt, Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum, multò aliam eſſe à baptiſmali; eâq; contineri non modò ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorumdem Sacramentalem Confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem Abſolutionem.*

Quomodo hoc ſit intelligendum. Non quòd per Contritionem culpa remittatur ſub conditione, ſic enim non haberet effectum donec conditio adimpleretur; quod conſtat eſſe falſum; ſed cum ordine ſive obligatione confitendi: veluti dominium alicujus rei transfertur in emptorem abſolutè & ſimpliciter per traditionem; tametſi cum obligatione ſolvendi pretium, per quam ſolutionem poſtmodùm contractus emptionis & venditionis omnino completur & perficitur intrinſecè & extrinſecè. Et pari ratione per Sacramentalem Confeſſionem, quæ ſuo tempore ſit, & Sacerdotalem Abſolutionem, omnino completur & perficitur intrinſecè & extrinſecè Contritio præcedens, alioquin in ſe ſatis perfecta, ut ſtatim remittat peccata.

Si autem à me quæritur, an requiratur votum explicitum confitendi, quod ſit actus aliquis diſtinctus ab actu Contritionis, an verò ſufficiat votum implicitum confitendi, id eſt, propoſitum de cætero non peccandi, ſeu obſervandi omnia præcepta divina, quod propoſitum includitur in omni vera Contritione. 73. An requiratur votum explicitum?

Reſpondeo; neque ex Scriptura, neque ex Traditione oſtendi poteſt neceſſitas voti explicitì; ergo non eſt aſſerenda, quidquid Aliqui ſenſerint in oppoſitum, quos rejecimus longè & latè diſp. 2. ſect. 3. concl. 3. ubì de voto Baptiſmi, cujus eſt eadem ratio. Videantur & maturè expendantur, quæ ibi diximus, & nullus remanebit ſcrupulus. Neque ex Script. neque ex Tradit. oſtenditur ejus neceſſitas.

Atque hìc poſſet eſſe finis hujus concluſionis: ſed quoniam defenſandam ſuſcepimus doctrinam Subtilis Scoti, placuit inveſtigare mentem ipſius de hoc articulo fidei, videlicet neceſſitate Confeſſionis Sacramentalis, quam diſertis verbis definivit Concilium Trident. ſeſſ. 14. can. 6. *Si quis negaverit Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure divino; aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.* 74. Quid Scotus docuerit de neceſſitate Confeſſionis, quam definivit Conc. Trid.

Et jam pridem Concil. Conſt. ſeſſ. 8. damnaverat hunc articulum Joannis Wicleff: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis Confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis.* Quam damnationem approbavit Martinus V. Bulla, *Inter cunctas*, quæ habetur ad calcem illius Concilii Tom. 3. Conc. Conc. Conſtant.

Refert etiam Caſtro contra Hæreſes verb. Confeſſio, quamdam Extravagantem Sixti IV. in qua damnatur hæc propoſitio Petri de Oſma Doctoris Salmanticenſis: *Peccata mortalia quantum ad culpam & pœnam alterius ſæculi, delentur per ſolam Contritionem cordis, ſinè ordine ad Claves.* & Sixtus 4.

Conſentiunt in hac re SS. Patres præſertim D. Auguſt. lib. 50. Homil. Homil. 49. ibi: *Qui poſt uxores veſtras vos illicito concubitu maculaſtis, ſi præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite Pœnitentiam qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat,* occultè ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. *Ergo ſinè cauſa dictum eſt;* Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo? *Ergo ſinè cauſâ ſunt Claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? Promittimus vobis, quod ille negat?* 75. Docent etiam SS. Patres D. Auguſt.

Digitized by Google

S. Leo.

Similia loquitur Sanctus Leo Epiſt. 89. aliàs 91. *Multiplex*, inquit, *miſericordia Dei ità lapſibus ſubvenit humanis, ut non modò per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ; ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent, ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, hanc Eccleſiæ Præpoſitis tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.*

Quòd autem S. Leo per Confeſſionem, quam Sacerdotibus faciendam aſſerit ex jure divino, intelligat illam, quæ ſecretò fieri ſolet, patet ex Epiſt. 80 ad Epiſcopum Campaniæ ibi: *Cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari Confeſſione ſecretâ.* Et infrà: *Sufficit illa Confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti.*

& Auctor lib. de vera & falſa Pœnit.

Accedat Auctor de vera & falſa Pœnit. c. 10. ibi: *Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis oſtendat: repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præveniat iudicium Dei per Confeſſionem. Præcepit enim Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus: docens corporali præſentiâ confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcriptum manifeſtanda.* Plura teſtimonia reperies apud Magiſt. Sent. 4. diſt. 17.

96. Contrariū nuſpiam docuit Scotus.

Putas autem quia contrarium tenuit Doctor Subtilis? Abſit ut hoc ſuſpicemur de tanto viro, cujus ſententiæ nullâ exceptâ uſque modo illibatæ, & tutæ in fide permanent. Itaque 4. diſt. 17. q. 1. n. 3. & 4. explicat quid ſit jus naturale, & Divinum poſitivum ac Eccleſiaſticum. *Illud*, inquit, *eſt verum de iure naturali, cuius veritas eſt nota ex terminis, & tale eſt principium in Lege naturæ, ſicut & in ſpeculabilibus principium notum eſt ex terminis, ſive quod ſequitur evidenter ex tali vero ſic noto, cuiuſmodi eſt concluſio practica demonſtrata: & ſtrictè loquendo nihil aliud eſt de lege naturæ, niſi principium vel concluſio demonſtrata: ſic tamen extendendo quandoque dicitur, illud eſſe de lege naturæ, quod eſt verum practicum conſonum principiis & concluſionibus legis naturæ, in tantum quòd ſtatim notum eſt omnibus illud convenire tali legi.*

Quid ſit jus naturale.

97. Gratianus non rectè loquitur de jure legis naturæ.

Et ex hoc patet (proſequitur Scotus) *quòd non rectè loquitur Gratianus* (diſt. 1. *Humanum*) *de iure legis naturæ, volens illa, quæ ſunt in Scriptura veteris & novi Teſtamenti, de lege naturæ eſſe; quia nec illa omnia ſunt principia practica nota ex terminis, nec concluſiones practicæ demonſtratæ; nec vera evidenter conſona talibus principiis & concluſionibus. Exponendus ergo eſt, quòd extendit ius naturale ad ius poſitivum ab Auctore naturæ, ùt diſtinguitur contra ius poſitivum ab aliquo, qui non eſt Auctor naturæ.*

Accipe verba Gratiani: *Ius naturale eſt, quod in Lege & Evangelio continetur: quo quiſque iubetur alii facere, quod ſibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod ſibi nolit fieri. Vnde Chriſtus in Evangelio* (Matth. 7 v. 12.) *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ.*

An autem inter illa debeant computari ceremoniæ Judæorum pro tempore illius Legis, & Chriſtianorum pro tempore Legis novæ; relinquo judicio Lectoris. Gratianus videtur intellexiſſe omnem omnino Legem divinam; nam protinus ſubjungit: *Hinc Iſidorus in 5. libro Etymologiarum cap. 2. ait: Omnes Leges aut divinæ ſunt, aut humanæ. Divinæ naturâ, humanæ moribus conſtant.*

Interim communis ſententia diſtinguit inter Legem naturalem, & divinam poſitivam *Quæcumque*, inquit Scotus ſuprà n. 4. *continentur in Scriptura pro tempore, pro quo ſunt obſervanda, & tamen non ſunt nota ex terminis, nec demonſtrabilia ex talibus notis, nec ſtatim conſona talibus veris evidenter, ſunt merè de iure poſitivo divino, cuiuſmodi ſunt omnes ceremoniæ Iudæorum pro tempore illius Legis, & Chriſtianorum pro tempore Legis noſtræ. Nec enim eſt notum ex terminis, nec demonſtratum, nec evidenter conſonum talibus, quòd Deus ſit colendus in immolationibus beſtiarum* (aliàs hoſtiarum) *veteris Legis, & hoc pro quocumque tempore: nec quòd ſit colendus in ceremoniis noſtris, puta in oblatione Euchariſtiæ, vel cantu Pſalmorum, licèt iſta ſic ſint conſona Legi naturæ, quòd non repugnent.* 98. Commu[nis] ſententia diſtingui[t] inter le[ges] naturale & divina[m] poſitivā.

Hoc etiam patet; quia illa quæ ſunt de Lege naturæ, ſive propriè, ſive extenſivè ſemper ſunt uniformia, non ſic huiuſmodi ceremoniæ, quæ erant aliæ pro tempore alterius Legis.

Quantùm ad jus Eccleſiaſticum; *Vltra ius poſitivum divinum*, inquit Doctor ibidem, *quod continetur in Scriptura divina, Eccleſia ſtatuit multa, & propter obſervantiam honeſtiorem in moribus, & propter reverentiam maiorem in ſuſcipiendis & diſpenſandis Sacramentis.* His ſuppoſitis

Si à Scoto quæras, de quo jure ſit Confeſſio Sacramentalis; Reſpondet n. 5. *Quòd non tenetur quis præcepto Legis naturæ ad confeſſionem peccati, de qua quæritur* (id eſt, Confeſſionem Sacramentalem) *quia tunc hæc obligatio fuiſſet pro ſtatu vel tempore cuiuſcumque Legis, quòd falſum eſt, quia nec erat in ſtatu Innocentiæ, nec in ſtatu Legis Moſaicæ.* 99. Confeſſio Sacramentalis non de iure naturæ. Scotus.

Si objicitur, Gloſſ. ſuper illud Geneſ. 3. v. 9. *Adam ubi es? Vox eſt*, inquit, *increpantis & Confeſſionem inquirentis* &c. Ergo fuit Confeſſio in tempore Legis naturæ poſt lapſum. Prima objectio.

Reſpondet Scotus ſuprà n. 6. *Quòd Adam non debuit peccatum ſuum occultaſſe Deo; quia ipſe eſt Iudex, cui manifeſtum eſt omne peccatum, & coram quo quilibet reus debet recognoſcere peccatum ſuum, & hanc Confeſſionem Deus requiſivit ab eo,* Solvitur Scoto.

quam

Digitized by Google

quam non ſolùm non fecit, ſed peccatum ſuum excuſavit retorquendo in mulierem, dixit, Mulier quam dediſti mihi &c. *Vnde illud non concludit, quòd in illa Lege eſſet Confeſſio facienda homini, licèt eſſet facienda Deo.*

100. Secunda objectio. Objicis rurſum: de Aaron & filiis ejus legitur in Levit. cap. 16. Quod debuerunt confiteri peccata filiorum Iſraël: & frequenter dicitur in Lege, quod qui peccaſſet, deberet confiteri peccatum ſuum, & offerre tale vel tale ſacrificium.

Reſponſio ex Scoto. Reſpondet Doctor ſuprà: *In tota Lege Moſaica non fiebat iſta Confeſſio, de qua loquimur, ſed de peccatis occultis tantùm Deo fiebat Confeſſio, de quibuſdam tamen defectibus publicis, & obſervantia Legalium, fiebat Confeſſio, & uniuſcuiuſque, quando ſcilicet obtulit pro tali delicto Sacrificium; & generalis Confeſſio Sacerdotis pro populo erat iſta:* Quæ confeſſio fiebat à Sacerdote in lege Moyſis. Injuſtè egimus, peccavimus, *& huiuſmodi. Et iſto modo publica Confeſſio Sacerdotis erat quædam diſpoſitio ad petendam miſericordiam Dei populo. ſicut & modo in Eccleſia, non Confeſſione iſtâ de qua loquimur, confitemur nos peccaſſe, & petimus miſericordiam & nobis & toti populo.*

101. Tertia objectio. Arguitur tertiò, in veteri Teſtamento multæ ſunt auctoritates de Confeſſione facienda, ſicut illud: *Iuſtus prior eſt accuſator ſui* Proverb. 18. v. 17. & hujuſmodi. (Proverb. 18.)

Solutio ex Scoto. Reſpondet Scotus ſuprà: *Quod omnes auctoritates de veteri Teſtamento ad probandum Confeſſionem, ſicut hìc loquimur; ſunt tantùm vocales, non ſententiales.* Rogas de qua ergo Confeſſione loquantur? *De illa,* inquit n. 7. *generali, quam fecerunt Sacerdotes & Daniel, & multi alii Viri ſancti; vel de illa Confeſſione delicti ſui publici proprii in obſervatione Legalium, ùt ſunt illæ irregularitates in contrahendo immunditias Legis.*

102. Quarta objectio. Arguitur quartò ex ratione; hæc propoſitio eſt nota ex terminis, quòd quilibet reus debet judicari: & iſta; quòd nullus debet eſſe judex in cauſa propria: ergo reus debet judicari per alium: non poteſt accuſari per alium, niſi accuſetur illi alii, nec poteſt accuſari, niſi à ſeipſo, ſi peccatum ſuum ſit occultum, ergo debet ſeipſum accuſare alii, à quo judicatur: & magis eſt conſonum rationi, quòd in ſecreto, quàm in publico, ſi peccatum ſit occultum, immo fortè ſatis notum ratione naturali. Ergo ex propoſitionibus notis Legis naturæ, vel ſaltem valde evidenter conſonis ſequitur, Confeſſionem iſtam ſecretam proprii peccati, eſſe faciendam alii, & tunc nulli rationabiliùs, quàm Sacerdoti.

103. Reſpondetur ex Scoto. Peccatorem judicare eſt juris naturæ. *Ad rationem illam,* inquit Scotus ſuprà, *concedo, quòd iſta eſt nota lumine naturali, vel ſaltem valde conſona propoſitioni notæ,* quòd reus eſt judicandus; *quia nullum delictum relinquendum eſt impunitum in univerſo, ſi eſt unus rector univerſi juſtus; quod eſt notum naturaliter, vel valde conſonum notis naturaliter. Sed ultrà, quòd iudicandus ſit ab alio iudicandus, concedo: ſed quis eſt iſte alius? Non eſt notum per rationem naturalem, nec per aliqua conſona rationi naturali, niſi per eum, qui eſt retributor meritorum, & punitor peccatorum.*

Et tunc ultrà cùm dicitur: ille alius non poteſt judicare, niſi ſibi fiat accuſatio; *poteſt negari; quia ipſe peccata novit, etiam antequam fiant ſine omni accuſatione. Vel eſto quòd detur ibi tamquam conſona notis, quòd iſti iudici debet culpa accuſari, & ab ipſo peccante; quia ipſe ſolus ſcit.*

Ex omnibus iſtis non ſequitur, niſi quod peccator debet Deo confiteri, & concedo fuiſſe de Lege naturæ Confeſſionem talem, id eſt, conſonam veris notis ex Lege naturæ: quia pro omni ſtatu poſt lapſum, iuſti, qui habuerunt fidem de Deo, quòd erat rector univerſi iuſtus, poſtquam peccaverunt contra Dei legem, confitebantur Deo peccata ſua, petentes ab eo remiſſionem, ſcientes eum ſinè tali remiſſione, tamquam iuſtum iudicem vindicaturum de illo peccato. Ex lege naturæ eſt Deo confitendum.

Si dixeris: debet ſe accuſare alicui alii homini, qui ſit judex ejus. Reſpondet Doctor n. 8. *Iſtud non poteſt probari per nota Legis naturæ: nec etiam eſt eis evidenter conſonum, quia nullus homo poteſt eſſe iudex peccati hominis, niſi ùt miniſter ſummi Iudicis: hoc autem modo, ſcilicet eſſe miniſtrum Iudicis in vindicando vel puniendo peccatum commiſſum, magis conceſſum eſt unicuique reſpectu ſui, quàm uni reſpectu alterius. Vnicuique enim commiſit Deus, ut ſit miniſter Dei in vindicando peccatum proprium, in infligendo ſibi diſciplinam & triſtitiam pro illo peccato, non ſic autem notum eſt, quòd conceſſerit alicui reſpectu alterius.* 104. Peccatum judicari debere ab homine non eſt juris naturæ.

Nec obſtat, quod in Republica humana unus eſt judex alterius: nam ùt rectè Scotus ibidem, *id verum eſt de illis, quæ poſſunt ſibi innoteſcere in illo iudicio, cuiuſmodi ſunt publica.* Igitur Confeſſio Sacramentalis, qualis hodie frequentatur in Eccleſia Catholica, non eſt de jure naturæ. De quo ergo jure?

Si tertium membrum teneatur, inquit Scotus ſuprà n. 9. *ſcilicet, quòd Confeſſio non cadit niſi ſub præcepto Eccleſiæ, non poteſt faciliter improbari, niſi quia vel Eccleſia non attentaſſet tam arduum præceptum imponere omnibus Chriſtianis, niſi eſſet præceptum divinum, vel quia non invenitur, ubi ab Eccleſia imponatur iſtud præceptum, quin ante hoc Sancti reputarent, hoc præceptum de Confeſſione obligare. Si enim allegatur illud capitulum extra de Pœnit. & Remiſſ.* Omnis utriuſque ſexûs; *patet quòd illud eſt Innocentii III. in Conc. Later. Ante autem illud tempus per multos annos fuit Auguſtin. plus quàm per octingentos annos, qui prædicavit Confeſſionem valde eſſe neceſſariam ..... Nec Canoniſta facilè inveniret aliquod Concilium vel præceptum propriè, ubi exprimatur præceptum de Confeſſione facienda, ſicut hìc loquimur.* 105. Præceptum Confeſſionis non eſt tantùm de jure canonico. Cap. 12. de Pœnit & remiſſ.

Digitized by Google

106. Oppoſitum docet Gloſſator de Pœnitent. diſt. 5.

Interim hanc opinionem tenet Gloſſator de Pœnitentia diſt. 5. in principio, ubì priùs diverſas opiniones recitat de Confeſſione oris, quando fuerit inſtituta & poſt ſuam ſubdit dicens: *Sed melius dicitur eam inſtitutam fuiſſe à quadam univerſalis Eccleſiæ traditione potius, quàm ex novi vel veteris Teſtamenti auctoritate. Et traditio Eccleſiæ obligatoria eſt ùt præceptum, arg.* 11. *diſt.* In his rebus; *ergo neceſſaria eſt Confeſſio in mortalibus apud nos, apud Græcos non; quia non emanavit apud illos traditio talis; ſicut nec conficiunt in azimis, ſed in fermentatu.* Conſtat autem præceptum conficiendi in azimis, non eſſe niſi Eccleſiaſticum.

107. quod meritò diſplicet Scoto,

Sed hæc ſententia non placet Scoto, ideo ait: *Salvâ gratiâ ſuâ irrationabiliter loquitur Gloſſator. Turpe enim eſſet Theologo, dicere aliquid eſſe in Biblia, & neſcire ubi illud inveniretur: & ità inconveniens debet eſſe Canoniſta, dicenti aliquid eſſe ex univerſali traditione Eccleſiæ, & non invenire in Canone, ſi Canon ſufficienter continet univerſales traditiones Eccleſiæ: non allegat autem aliquod capitulum Canonis ad iſtam traditionem.*

quia non allegatur aliquod cap. Canonis,

& quia videretur quod Papa non teneretur confiteri,

neque infideles.

Præterea improbat Doctor illam opinionem; quia aliàs *videretur, quòd Papa non teneretur confiteri, quia ſicut habetur extra de Verb. ſignif.* Exiit qui ſeminat, *Non habet imperium par in parem. Item non videretur, quòd infideles tenerentur ad præceptum de Confeſſione, quia ſecundùm Apoſtolum* 1. *Cor.* 5. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?*

108. Reſponſio Scoti ad argumentum Gloſſ.

Ad argumentum, quod innuit Gloſſator pro ſua opinione, videlicet: Confeſſio non eſt neceſſaria apud Græcos: eſſet autem neceſſaria ſi præceptum de ea eſſet ex auctoritate S. Scripturæ. Ad hoc, inquam, argumentum reſpondet Scotus ſuprà n. 10. *Antecedens non eſt manifeſtum: neceſſarium enim eſt apud eos Baptiſma Fluminis, ſicut & nobis tàmquam prima tabula; ſic etiam Pœnitentia videtur, immo Sacramentum Pœnitentiæ, ùt ſecunda tabula.*

Multa laudabilia omiſerunt Græci, poſtquã defecerunt ab Eccleſia Rom.

Et ſi probatur Antecedens; quia non eſt apud eos conſuetudo confitendi. Reſpondet: *Multas laudabiles conſuetudines omiſerunt, ex quo ab Eccleſia receſſerunt, & iſtam non ſolùm laudabilem, ſed etiam neceſſariam potuerunt omittere. Nec neceſſariò iſtius actus inducit conſuetudinem: nec eſt iſtud, quod ipſe accipit pro Antecedente, ſcilicet, quòd Græci non teneantur confiteri, ità notum inter eos, ſicut ipſe dicit: quin immo nec notum, quòd non confiteantur. Nec hoc alicubi aliquis Doctor, ſcribens contra alias abuſiones eorum, expreſſit, cùm tamen fuiſſet notabilis diſcordia ab Eccleſia Romana, ſi in hoc diſcordarent, notabilior ſcilicet quàm conficere in fermentato, vel uti hâc formâ:* Baptizetur ſervus Chriſti, *de quibus non tacetur à Latinis.*

109. Conſuetudo Græcorum non confitendi ante celebratione Miſſæ.

Meminit quidem Eug. IV. cujuſdam conſuetudinis Græcorum non confitendi peccata ſua, ſed Pontificum tantùm & Presbyterorum ante celebrationem Miſſæ: nam inter cæteras quæſtiones, quas in Concilio Flor. hic Pontifex propoſuit Græcis una erat: *Cur neque Pontifices, neque Presbyteri celebraturi, peccata ſua confiteri ſoleant?* Ità refertur ad calcem dicti Concilii Tom. 4. Conc. illam autem, ùt ibidem dicitur, Præſul Mytilenenſis diſſolviſſe facilè viſus eſt.

quæ co firmat ſententiam Scoti.

Sed hoc nihil contra nos, immo magis confirmat ſententiam Scoti juxta commune dictum: *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Non quærit Pontifex generaliter, quare Græci numquam confiteantur, quod indubiè feciſſet, ſi illa, tunc temporis fuiſſet conſuetudo; ſed, *Cur neque Pontifices, neque Presbyteri celebraturi peccata ſua confiteri ſoleant.* Sanè licèt præceptum confitendi, fides doceat eſſe juris divini, nullibi tamen ſufficienter revelatum eſt, quòd obligatio confitendi ante celebrationem Miſſæ ſit juris divini, ùt probavimus diſp. 4. ſect. 10. concl. 3.

Cæterùm in Eccleſia Græca ſemper manſiſſe uſum Confeſſionis liquet ex Conc. Quiniſexto ſeu Trullano Can. 102. qui ſic incipit: *Oportet qui facultatem ſolvendi & ligandi à Deo receperunt, peccati qualitatem ſpeculentur & peccatoris promptitudinem ad reverſionem, ut ſic medicamentum admoveant ægritudini.* Ac noviſſimè Jac. Goar in Notis ſuper ordinem Miſſæ S. Chryſoſtomi n. 3. idipſum confirmat, allegans renovatos de hoc Canones in Actis Synodalibus Germani Amethuntos Epiſcopi. 110

Probatur in Eccleſia Græca permanſiſſe uſum Confeſſionis Conc. Trullan.

Cùm igitur ſecundùm Scotum, Confeſſio Sacramentalis neque ſit de jure naturæ, neque de jure poſitivo Eccleſiaſtico; quid reſtat, niſi ut cadat ſub præcepto divino poſitivo?

Breviter, inquit ille ſuprà n. 11. *videtur rationabilius tenere ſecundum membrum, ſcilicet quòd Confeſſio cadat ſub præcepto divino poſitivo. Sed tunc oportet videre, an explicitè habeatur in Euangelio à Chriſto immediatè, quia patet quòd non in veteri Lege; an ab ipſo explicitè in aliqua doctrina Apoſtolica, an nec ſic, nec ſic: ſed dato à Chriſto, & vocetenus ab Apoſtolis Eccleſiæ promulgato.* 111

Rationabilius videtur Scoto Confeſſio ſit juris divini poſitivi.

Primum iſtorum eſſet magìs conveniens tenendum, ſi poſſet evidenter haberi iſtud præceptum ex Euangelio. Nec oportet ad hoc adducere illud Matth. 16. Tibi dabo Claves regni Cælorum, *quia nòn eſt niſi promiſſio de datione futura. Si autem aliquid in Euangelio valet ad hoc, videtur illud Ioan.* 20. *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata* &c. Matth 16.

Sed numquid illud valet apud Scotum? Patebit ex his, quæ ſubjicio, & latiùs ex ipſo transcribo. Sic diſcurrit Doctor: *Ex hoc* (loco Joannis) *arguitur uno modo ſic: Hic data eſt poteſtas Apoſtolis, & in eis omnibus Sacerdotibus, remittendi peccata; non principaliter: quia hoc eſt proprium Dei: ergo miniſterialiter & arbitrativè, ſed non poſſunt arbitrari in cauſa ignota; ergo eſt eis manifeſtanda cauſa, in qua debent arbitrari. Hæc manifeſtatio eſt Confeſſio; ergo ex iſta collatione poteſtatis arbitrariæ Sacerdotibus in cauſa peccati,* 112.

Probat e Joan. 20 Quorum remiſeritis &c.

peccati, obligatur peccator ad accuſandum ſe eis tamquam arbitris, quod eſt confiteri.

Quo modo probetur ex Conc. Trid. Atque hoc eodem modo arguunt Patres Concilii Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicatâ, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure divino neceſſariam exiſtere: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus è terris adſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tamquam præſides & iudices; ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo pro poteſtate Clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuiſſe.*

113. Obiectio contra hanc probationem ex Scoto. Verùm contra hunc modum arguendi obiicit ſibi Scotus: *Si dicatur, quòd ratio bene concludit, quòd Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum à Chriſto tamquam utile & efficax: non tamen ſequitur ex hoc quòd ſit neceſſariò recipiendum ut cadens ſub præcepto; quia Extrema Unctio eſt inſtituta à Chriſto, & Confirmationis Sacramentum, ut dictum eſt ſuprà, & tamen neutrum eſt ſimpliciter neceſſarium, nec eſt præceptum de iſto vel illo recipiendo: & tunc ad formam argumenti; ſunt arbitri in cauſa peccati; ergo alii debent ſe illis accuſare.*

Verum eſt, illi, qui volunt ſe eorum arbitrio ſubmittere, & ſi ſubmittant, ipſi habent bene poteſtatem arbitrandi: ſed non ſequitur; ergo alii neceſſitate præcepti tenentur ſe ſubmittere eorum arbitrio. Exemplum, quatuor ſunt Sacerdotes, quorum quilibet habet auctoritatem abſolvendi iſtum peccatorem, quilibet eſt completè arbiter eius quantùm ad poteſtatem: non tamen tenetur ſe ſubmittere cuilibet, ſed uni tantùm, cui voluerit.

114. Confirmatur ex eodem. *Et hoc confirmatur per hoc, quòd Chriſtus ſubiunxit:* Et quorum retinueritis, retenta ſunt. *Illud verbum non eſt præciſum; non ſolùm enim illa peccata retenta ſunt à Deo peccatori ad pœnam, quæ retenta ſunt à Sacerdote, quia Sacerdos non retinet aliqua, niſi aliquo modo ſibi accuſata, licet ſignis indebitis Pœnitentiæ; & tamen illa, quæ nullo modo ſunt oſtenſa Sacerdoti, Deus retinet ad vindictam gehennæ: ergo nec iſtud verbum;* Quorum remiſeritis, remittuntur; *erit præciſum. Unde neutri affirmationi adiunxit negativam denotantem remiſſionem factam ab Apoſtolis, vel retentionem eſſe præciſam reſpectu retentionis, vel remiſſionis à Deo faciendæ;* quaſi nulla peccata remitterentur à Deo, niſi priùs remiſſa per Sacerdotem, aut retinerentur à Deo, niſi priùs retinerentur à Sacerdote.

115. Reſponſio ex Scoto. Sed numquid hîc finis diſcurſûs Subtilis Scoti? Nequaquam. *Licèt*, inquit ille, *hæc reſponſio videatur multùm probabilis, excludendo rationem præcepti ab iſto verbo Ioan. 20.* Quorum remiſeritis &c. *tamen excludendo eam, oſtenditur propoſitum dupliciter. Primò ſic: Nulli committitur poteſtas iudiciaria vel arbitraria, niſi alicui imponatur neceſſitas ſubmittendi ſe ſibi; ſed Sacerdoti per te committitur huiuſmodi poteſtas in cauſa peccati: ergo alicui ut reo imponitur neceſſitas ſubmittendi ſe arbitrio eius. Maior probatur; quia nullus eſt iudex alicuius, in cuius ſcilicet iudicandi voluntate eſt iudicari ab iſto iudice, vel non iudicari; tunc enim iſte nullam auctoritatem iudicandi haberet, ſi iſte poſſet iudicari ſi voluerit & non iudicari, ſi noluerit: ad quid enim eſt poteſtas iudiciaria apud aliquem, niſi ut ius dictet in illum, qui tenetur parere iuri? Tantummodo enim iudicare per modum punitionis, ſi tu velis, non eſt iudicare.*

Sed nec iſtud cogit. Concedo enim, quòd iſte arbiter non tantùm habet ut poſſit dictare ius in cauſa iſta: ſed ex quo alius ſubmittit ſe ſibi, ſua dictatio ligat, vel ſolvit iſtum, non ſic autem dictatio alicuius ſcientis ius, & non habentis poteſtatem iudiciariam.

Aliter ergo arguo ſic: Quicumque primam gratiam amiſit, tenetur de neceſſitate præcepti, & hoc illius: Diliges Dominum Deum tuum &c. *agere quantum in ſe eſt ad eius recuperationem, & etiam virtute illius præcepti:* Diliges teipſum: *ſed iſte peccator in peccato mortali amiſit primam gratiam, & poteſt eam recuperare, ſuſcipiendo Sacramentum Pœnitentiæ ab illo arbitro, quia hoc eſt inſtitutum, ut remedium efficax ad recipiendam primam gratiam, ex illo verbo Ioan. 20.* Quorum remiſeritis peccata *&c. & ſic concluditur neceſſitas præcepti Confeſſionis, non ex iſto verbo tantùm:* Quorum remiſeritis *&c. ſed ex iſto, & illo præcepto:* Diliges Dominum Deum tuum &c. *ſimul iuncto.* 116. Aliud argumentum Scoti deſumptum ex præcepto charitatis Dei & ſui ipſius.

117. Obiectio. Si dixeris, quòd Major eſt vera, quòd tenetur ad aliquam viam, per quam poſſit recuperare, ſed non ad iſtam determinatè, ſi alia ſit poſſibilis: nunc autem, licèt ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ ſit via utilis, tamen eſt etiam alia utilis; quia non probatur iſtam eſſe præciſam ad illam recuperandam.

Reſponſio Scoti. Contra hoc, inquit Scotus, *nulla alia eſt ita facilis, & ita certa: hîc enim non oportet, niſi non ponere obicem ad gratiam, quod multò minùs eſt, quàm habere aliquam Attritionem, quæ per modum meriti de congruo ſufficiat ad iuſtificationem, ut dictum eſt ſuprà diſt. 14.*

Poteſt etiam aliquis eſſe magìs certus, quòd non ponat obicem, quàm quòd habeat Attritionem ſufficientem quaſi per modum meriti de congruo; quia probabiliter poteſt ſcire, ſe tunc non peccare actualiter peccato interiori vel exteriori, & intendere recipere, quod Eccleſia intendit in illo Sacramento conferre (& habere aliquam diſplicentiã de peccatis, & propoſitum cavendi de cætero) *non ſic poteſt ſcire ſe habere Attritionem, ſufficientem ut meritum de congruo ad iuſtificationem.*

Tunc hanc Maiorem accipio, ubi eſt via facilior; id eſt, magìs in poteſtate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam, ita quòd non omiſsâ illâ attentet aliam difficiliorem & incertiorem (ſaltem in periculo mortis) *quia tunc exponeret ſe periculo ſalutis ſuæ. Sed illa via ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ eſt*

Digitized by Google

magìs poßibilis homini, & certior ad primam gratiam recuperandum: ergo ex illo, unde iſtud habet efficaciam (id eſt, ex Inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ Ioan. 20.) *& ex illo præcepto Dilectionis Dei & ſui-ipſius, tenetur quis ad iſtam.* Ecce quomodo Scotus ſolicitus ſit oſtendere neceſſitatem Sacramenti Pœnitentiæ immediatè ex verbis Scripturæ, abſque recurſu ad traditionem Eccleſiæ, aut Patrum conſenſum.

118. Præceptum de Confeſſione eſt valde rationabile pro multitudine. *Scotus.*

Quia tamen non poteſt ſibiipſi undequaque ſatisfacere, quin ſemper remaneat aliquis ſcrupulus, hinc conſequenter addit: *Iſta ratio ſi concludat præceptum de Confeſſione haberi ex Euangelio ex illo verbo:* Quorum remiſeritis peccata *&c. & illa:* Diliges Dominum *&c. bene quidem. Sin autem, ſaltem hoc concludit, quòd præceptum de Confeſſione faciendâ eſt valde rationabile pro multitudine; quia etſi aliqua perſona poſſit habere aliquod remedium ſpeciale, tamen de iſto remedio, quod communitati eſt poſſibilius & certius rationabiliter datur præceptum, etiam omnibus in communitate, ùt dictum eſt ſuprà de Baptiſmo, quòd licèt aliquis habeat Baptiſmum Flaminis ſine Baptiſmo Fluminis: tamen quia Baptiſmus Fluminis eſt remedium facile & certum, præceptum de hoc pro tota communitate eſt valde rationabile, & ità ad minus habebo quòd rationabiliter fuiſſet datum præceptum generaliter de Confeſſione facienda.*

119. An præceptum Confeſſionis habeatur ex verbis alicujus Apoſtoli, puta Iac. 5.

Verumenimverò cum oppidò diverſa ſint, rationabiliter fuiſſet datum præceptum, &, fuit datum præceptum, quærit Scotus ulteriùs, an ſi per rationes poſitas non probetur fuiſſe datum ex verbis Euangelii; an, inquam, dicendum, quòd illud præceptum habeatur ex verbis alicujus Apoſtoli.

Negat Scotus vel Jac. dediſſe præceptum,

Sunt qui affirmant de illo verbo Iac. 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata* &c. *Sed nec per hoc videtur mihi* (inquit Doctor ſuprà n. 15.) *quòd Iacobus præceptum hoc dedit, nec præceptum à Chriſto promulgavit. Primum non: unde enim ſibi auctoritas obligandi totam Eccleſiam, cum eſſet Epiſcopus Eccleſiæ Ieroſolymitanæ? niſi dicas illam Eccleſiam in principio fuiſſe principalem, & per conſequens eius Epiſcopum principalem Patriarcham: quod non concederent Romani, nec quòd illa auctoritas propriè pro tempore illo erat ſibi ſubtracta.*

120. vel etiam promulgaſſe.

Nec ſecundum videtur, quia Apoſtoli publicantes præceptum in ſcripturis ſuis utebantur modo loquendi, per quem potuit innoteſcere, quòd erant præcones Chriſti: ùt patet per illud Pauli 1. ad Cor. 7. ubi quando vult publicare illud præceptum Domini de non admittenda uxore, dicit: Præcipio non ego, ſed Dominus *&c. Quando autem vult facere propriam perſuaſionem, dicit de cohabitatione viri converſi ad fidem cum ſua uxore infideli, vel è converſo (quia hoc, licèt ſit ſine contumelia Chriſti, non tamen eſt neceſſarium)* Dico ego, non Dominus: *alioquin non poſſet Eccleſia conſtare, quòd ipſe ùt præco publicaret præceptum, niſi ex præcedentibus, vel ſubſequentibus manifeſtaret ſe eſſe in illa publicatione præconem.*

1. Cor. 7.

Deinde probat utrumque membrum ſimul per illa verba annexa: *Et orate pro invicem, ut ſalvemini.* Nam *dicendo:* Confitemini alterutrum *non magìs dicit Confeſſionem faciendam eſſe Sacerdoti, quàm alii; ſubdit enim:* Et orate pro invicem, ut ſalvemini. *Vbi nullus diceret ipſum inſtituiſſe, nec promulgaſſe præceptum divinum, ſed intellectus eius eſt ſicut in illo verbo:* Confitemini alterutrũ, *perſuaſio ad humilitatem, ut ſcilicet generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores iuxta illud,* Si dixerimus, quia peccatum non habemus noſmetipſos ſeducimus *&c. Ità per ſecundum perſuadet ad charitatem fraternam, ut ſcilicet per charitatem fraternam ſubveniamus nobis invicem. Apparet ergo iſtud* (puta præceptum Confeſſionis) *non eſſe de iure divino promulgato per Scripturam Apoſtolicam.*

121 Proba[…] utrumq[…]

1. Ioan v. 8.

His ità pro utraque parte diſputatis, & omnibus rationibus hinc inde maturè expenſis, tandem reſolvit Doctor n. 17. dicens: *vel igitur tenendum eſt primum membrum, ſcilicet quòd ſit de iure divino promulgato per Euangelium, ùt in ſecundo vel tertio membro eſt declaratum; vel ſi illud non ſufficiat, dicendum eſt tertium, ſcilicet quòd eſt de iure divino poſitivo, promulgato à Chriſto Apoſtolis, ſed Eccleſia promulgato per Apoſtolos abſque omni ſcriptura; ſicut multa alia tenet Eccleſia oretenus per Apoſtolos ſibi promulgata ſinè ſcriptura, cuius fundamentum eſt illud Ioan. 20.* Multa quidẽ & alia ſigna fecit Jeſus *&c.* & *habetur expreſſe extra de Celeb. Miſſ.* Cum Marthæ *ibi: Sanè multa tam de verbis, quàm de factis dominicis invenimus ab Euangeliſtis omiſſa, quæ Apoſtoli vel ſuppleviſſe verbo, vel facto expreſsiſſe leguntur.*

122 Reſolu[…] Scoti.

Ioan. 20 30.

Cap. Cũ Martha[…] Celeb[…]

Quid vobis videtur de Scoto? Num quiſpiam ſubtiliùs potuiſſet inveſtigare veritatem communem, neceſſitatem, dico, Sacramenti Pœnitentiæ? Putas opponitur univerſæ Eccleſiæ, quæ ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, ùt docet Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. ſemper intellexit integram peccatorum Confeſſionem, omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere? Noli putare. Non negat utique intellectum univerſæ Eccleſiæ, quamvis exiſtimet ipſum non eſſe evidentem præcisè ex vi verborum Joan. 20. quaſi verba illa neceſſariò debeant ſic intelligi. Interim Eccleſia edocta, ùt creditur, à Spiritu ſancto, videtur verba illa ſic intellexiſſe, ut non tantùm utilitatem, ſed etiam neceſſitatem ſignificent hujus Sacramenti, quamvis non deſint SS. Patres, qui primo aſpectu videri poſſent illam neceſſitatem ignoraſſe.

123 Non n[…] Scotus […]tellectu[…] univerſ[…] Eccleſia quamvi[…] exiſtime ipſum n[…] eſſe evid[…]tem præ[…] ex Ioan[…]

Atque in primis D. Chryſoſt. Tom. 1. Hom. 2. in Pſalm. 50. ſic ait: *Peccata tua dicito, ut deleas illa, ſi confunderis alicui dicere quia peccaſti, dicito ei quotidie in anima, non dico ut confitearis conſervo tuo ut exprobret, dicito Deo qui curat ea.* Similia habet aliis locis.

124. Contra […] ceſſitatem Confeſſio[…]nis addu[…]tur aucto[…]tas D. Chr[…]ſoſt.

Reſpon-

Reſponſio quid loquatur de Confeſſione publica vel ſecreta, quæ fieret cum periculo exprobrationis.

Reſpondeo; intelligendus venit de Confeſſione publica, aut etiam ſecreta, quæ fieret cum periculo exprobrationis: ùt patet ex illis verbis: *Non dico ut confitearis conſervo tuo ut exprobret.*

Nota etiam ly *Conſervo tuo*, non dicit, Sacerdoti, ſed, *Conſervo*, per quem intelligi poteſt quilibet laicus, qui faciliùs peccata ſibi confeſſa exprobraret. Unde ſæpe ait: *Non ad theatrum voco, non teſtes requiro.* Sed, *dicito Deo, qui curat ea*, id eſt, vel Deo immediatè, quando non adeſt copia Confeſſoris, cui poſſis ſinè notabili damno, peccata tua revelare, vel Sacerdoti, qui vices Dei gerit in hoc Sacramento, quando commodè potes, & inſtat præceptum confitendi.

Enimverò licèt conſultiſſimum ſit quotidie examinare conſcientiam ſuam (ad quod examen non ſemel exhortatur Chryſoſtomus omnes fideles) ſtatimque ſe exire è ſtatu peccati, ſaltem per Contritionem charitate perfectam; equidem non ſemper eſt neceſſarium, immo ſæpè moraliter impoſſibile illico poſt peccatum confiteri Sacerdoti; & tunc indubiè optimum conſilium eſt, Deo ſolummodo confiteri peccata per Contritionem charitate perfectam, juxta illud Pſalm. 31. v. 5. *Dixi, confitebor adverſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Pſal. 31.

125\. Allegantur quoque auctoritas Caſſiodori & S. Aug.

Super quæ verba Caſſiodorus: *Hic magna pietas divinitatis oſtenditur, ut ad ſolam promiſſionem devotionis ſubitò peccata laxaverit.*

Item S. Auguſtinus Enarrat. 2. in illum Pſalmum: *Dixi. Quid dixiſti? Non iam pronunciat, ſed promittit ſe pronunciaturum, & ille iam dimittit. Attendite Fratres magna res, dixi pronunciabo, non dixi, pronunciavi & tu dimiſiſti. Dixi pronunciabo, & tu dimiſiſti; quia eo ipſo quod dixit, pronunciabo, oſtendit quia nondum pronunciaverat, ſed corde pronunciaverat. Hoc ipſum dicere pronunciabo, pronunciare eſt, ideo & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Confeſſio verò mea ad os necdum venerat.*

126\. Sed tamen hi Patres oſtendunt, abſque oris confeſſione aliquando obtineri remiſſionem peccatorum, eſtò non ſinè eius voto. Scot.

Num ideo Caſſiodorus & Auguſt. negant neceſſitatem Confeſſionis oris? Minimè; ſed oſtendunt abſque oris Confeſſione aliquando obtineri remiſſionem peccatorum, eſtò non ſinè voto Confeſſionis, ſive obligatione poſtmodum confitendi peccata illa Sacerdoti, ùt ſuperiùs diximus, & notat Scotus ſuprà n. 30. in principio.

Ad auctoritatem, inquit, *Auguſtini & Caſſiodori ſuper Pſal.* 31. Dixi confitebor: *dico, quòd illa contritio habet propoſitum ſeu promiſſionem Confeſſionis ſecuturæ: & ſic non deletur peccatum ſinè propoſito confitendi, quod patet per finem auctoritatis Caſſiodori, ubi ſubdit*, Votum pro opere judicatur (vel ùt habet textus: *Quando ſic indicat pium votum, quemadmodum operationis effectum*) *quaſi diceret, votum vel voluntas confitendi indicatur pro Confeſſione futura.*

Nec tamen ſequitur ex hoc, quòd ſinè Confeſſione futura peccatum deleatur quantum ad pœnam debitam; quia illa Confeſſio eſt una pœna, & ſi illa non ſolvatur hìc, ſi ſit tamen voluntas ſolvendi, ſolvetur alibi. Si autem mutetur voluntas ſolvendi illam, iam recidivat à vera Pœnitentia, & peccat mortaliter, ùt dictum eſt ſuprà de baptizato Baptiſmo Flaminis, contemnente poſteà Baptiſmum Fluminis. Hæc ille.

Appoſitè Concilium Cabil. 2. can. 33. *Quidam ſolummodò Deo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent, quod utrumque non ſinè magno fructu intrà ſanctam fit Eccleſiam, ità dumtaxat ut & Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, confiteamur peccata noſtra ..... & ſecundum inſtitutionem Apoſtoli confiteamur alterutrum peccata noſtra.* Quaſi diceret, tunc utiliter confitemur peccata ſolummodò Deo, quando non excluditur Confeſſio ſuo tempore facienda Sacerdoti. Conc. Cabil.

Cæterùm Chryſoſt. agnoviſſe neceſſitatem Confeſſionis Sacramentalis patet ex Homil. 33. in Joan. ibi: *In peccatis quæ commiſimus confitendis, neminem vereamur; Deum dumtaxat, ùt decet, formidemus qui & nunc opera noſtra videt, & tunc quos in præſentia non pœnitet, damnabit.* Item libro 2. de Sacerdotio: *Quamobrem multâ quidem arte opus eſt, ut qui laborant Chriſtiani, ultrò ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationibus ſeſe ſubmittere oportere.* 127. S. Chryſoſt. agnovit neceſſitatem Confeſſionis.

Et alibi ſimiliter loquitur; puta Homil. 10. ſuper Matth. ibi: *Tempus ſiquidem Confeſſionis incumbit iis quidem, qui Baptiſma conſecuti ſunt. Aliis quidem ut poſt patentium criminum vulnera Pœnitentiâ interveniente curentur, & ad ſacra myſteria redire mereantur* (à quibus nimirum per Epiſcopum arcebantur, donec debitâ Confeſſione & ſatisfactione, ſeu Pœnitentiâ publicâ prævia, ſinerentur ad ſacra myſteria ſeu Euchariſtiam redire) *Aliis verò ut eam, quam poſt lavacrum cæleſte conceperunt, maculam diluentes, ad dominicam menſam mundâ tam conſcientiâ ſecuráq; veniant*; qui ſcilicet publica crimina non habebant, ob quæ à Communione arcerentur, quibus proinde ſufficiebat emundatio conſcientiæ per Confeſſionem & Abſolutionem Sacerdotalem.

Et hoc Chryſoſt. teſtimonium (inquit Heſſelius in Explicatione Sacramentorum c. 27.) allegavit ante 200. annos Thomas Waldenſis Tom. 2. c. 136. ſcribens contra Wicleffiſtas, & ſedulò admonuit ſe hìc Aniani interpretationem citare, qui floruit circa tempora S. Auguſtini, ùt teſtatur egregium quoddam Manuſcriptum Exemplar Chryſoſt. in Matthæum Bibliothecæ Cartuſiæ Lovanienſis. Hæc ille, poſt pauca ſubjungens: Cùm cœperunt in Eccleſia iſtæ hæreſes (quæ oppugnant Confeſſionem) invaleſcere, cœpit & hic locus Chryſoſtomi mirum in modum vitiari &c. Heſſelius.

Quan-

128. *Ubi etiam D. Auguſt.*

Quantùm ad Auguſt. lib. 50 Homil. Homil. 41. ſic ait : *Non ſolum poſt Pœnitentiam ab iſtis vitiis ſe homo ſervare debet, ſed & ante Pœnitentiam dum ſanus eſt : quia ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam Pœnitentiam accipere ac Deo & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit.*

& S Ambr.

Conſonat D. Ambroſ. lib. 2. de Pœnitentia c. 6. ibi : *Si vis iuſtificari, fatere delictum tuum, ſolvit enim criminum nexus verecunda Confeſſio peccatorum.* Et cap. 10. ait: *An quiſquam ferat, ut erubeſcas Deum rogare, qui non erubeſcis rogare hominem? Et pudeat te Deum ſupplicare quem non lates, cùm te non pudeat peccata tua homini, quem lateas confiteri?*

aliiſque Patres uſque ad 30. qui ante Innocentii tempora floruerunt. Bellarminus.

Transeo Irenæos, Tertullianos, Origines; Cyprianos, aliosque uſque ad triginta, qui ante Innocentij tempora floruerunt (quorum teſtimonia videre poteris apud Bellarminum lib. 3. de Pœnitentia c. 6. & ſequentibus, utì etiam teſtimonia Conciliorum, quæ eodem libro c. 5. ſigillatim enumerat idem Auctor) & quæro :

129. *Quæritur explicatio aliquorum verborum D. Amb.*

Quid ergo ſibi vult D. Ambroſius ſuper Lucam ad cap. 22. quando ait : *Petrus doluit & flevit, quia erravit ùt homo. Non invenio quid dixerit : invenio quòd fleverit : Lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego. Sed quod defendi non poteſt ablui poteſt.* Item : *Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri.*

& Caſſiani.

Similia invenio apud Caſſianum Coll. 20. c. 8. *Si verecundiâ*, inquit, *retrahente revelare ea coram hominibus erubeſcis, illi quem latêre non poſſunt, confiteri ea iugi ſupplicatione non deſinas, ac dicere, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.*

130. *Reſponſio Scoti, ad priora verba D. Ambr.*

Reſpondet Scotus ſuprà n. 29. *Poteſt dici quòd tempore negationis Petri, Sacramentum Pœnitentiæ non fuit inſtitutum, ſed poſt Reſurrectionem, quando Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis :* Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis *&c. & ideo non tenebatur pro tunc ad Confeſſionem, nec poſt inſtitutionem Sacramenti adhuc tenebatur : quia iam ante Reſurrectionem per aliud remedium fuit peccatum ſuum deletum.*

Petrus non tenebatur ad Confeſſionem ab negationis Chriſti.

Ubi nec alii diſcipuli ad Confeſſionem infidelitatis.

Et conſimiliter (proſequitur) *reſponderi poteſt de infidelitate omnium Diſcipulorum in Paſſione Chriſti, quòd non tenebantur poſt ad Confeſſionem; quia poſt Reſurrectionem pœnituerunt ante inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ, & hoc bene confirmat, quòd Confeſſio non erat de Lege naturæ nec Moſaicâ.*

131. *Objectio ex Trident.*

Si inferas; ergo falſum eſt, quod docet Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 5. in principio, integram peccatorum Confeſſionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere.

Solvitur.

Reſpon. Neg. Conſ. loquitur quippe de peccatis non remiſſis ante inſtitutionem Sacramenti; nam neceſſitatem colligit ex ipſa inſtitutione : ergo ante inſtitutionem iſta peccata remittebantur per Contritionem charitate perfectam abſque Sacramenti voto, quod pro tunc in illa non includebatur, ſicuti nec modò includeretur, niſi foret Sacramentum neceſſarium. Et ſic veniunt intelligendi omnes Theologi, qui ſimpliciter docent, omnia peccata mortalia, poſt Baptiſmum commiſſa, eſſe materiam neceſſariam hujus Sacramenti.

Reſponderi etiam poſſet ad illa verba Ambroſii ipſum loqui de Confeſſione oris coram Deo, quia Petrus nil Deo ſeu Chriſto dixiſſe, ſed tantùm fleviſſe legitur, qui eſt efficaciſſimus modus veniam impetrandi, quando cum Deo agitur. 13 *Alia ponſi verba Amb*

Deinde nil dixit Petrus, quaſi volens cauſam ſuam dicere, & ſeipſum juſtificare, dando ſatisfactionem ſui operis; ùt ſignificant illa verba : *Sed quod defendi non poteſt, ablui poteſt.*

Alia verba Ambroſii : *Lavant lacrymæ delictum &c. Non ſunt*, inquit Scotus, *ſic intelligenda, quod ſine Confeſſione pudoroſa in actu vel in habitu lavetur delictum : ſed Contritio poteſt eſſe tanta, quòd in ea etiam ante Confeſſionem deletur peccatum, quod tamen eſt ità grave, quòd Confeſſio eius ſequens eſt pudoroſa.* 13 *Reſpo Scoti poſter verba Ambr*

Et ſimiliter interpretari licet verba Caſſiani, qui loco citato enumerat diverſas diſpoſitiones ad remiſſionem peccatorum impetrandam; inter quas indubiè eſt contritio, non tamen ſinè ordine ad Sacramentum ſuo tempore ſuſcipiendum. *quæ c applic verbis ſiani.*

Sed quid dicemus de Nectario Patriarcha Conſtantinopolitano, qui narratur à Zozomeno abrogaſſe Confeſſionem ſeu ritum confitendi? Reſpondeo breviter, nihil abſtuliſſe ſeu abrogaſſe, quod erat eſſentiale Sacramento Pœnitentiæ; ſed tantummodo ſuſtuliſſe Preſbyterum Pœnitentiarium, cujus officium erat omnia omninò publicè pœnitentium peccata audire; ſed quæ occulta erant, ſecreta habebat, quæ autem publica erant, licèt multis fortaſſe incognita, ea palam in Eccleſia tamquam in theatro pandebantur, & Pœnitentia publica pro illis injungebatur. Illum itaque Preſbyterum, iſtam Confeſſionem publicam, & Pœnitentiam publicam ſuſtulit Nectarius propter ſcandalum indè exortum, quod hiſce verbis narrat Socrates lib. 5. c. 19. 13 *An N rius 1 archa ſtant. gaver Conf nem* *Socrat*

Mulier, inquit, *nobilis ad Preſbyterum Pœnitentiarium accedit, peccata, quæ poſt Baptiſmum commiſerat particulatim confitetur.* Ecce privatam Confeſſionem omnium peccatorum. Subjungit Satisfactionem : *Presbyter*, inquit, *Mulieri mandatum, dat, ut ieiuniis & continuis precibus ſe dederet, quo unà cùm peccatorum Confeſſione, opus dignum Pœnitentiâ oſtenderet.* Confeſſione, inquam, publicâ : nam ſequitur : *Mulier longiùs* (quam injunctum erat) *in confitendo progreſſa, alterius culpa ſeipſam inſinulat, docet Diaconum Eccleſiæ cum ipſa dormiviſſe* (occaſione diuturnioris moræ in Eccleſia, quæ injuncta fuerat à Presbytero Pœnitentiario orationis cauſâ)

Ob quod

Digitized by Google

Ob quod facinus hoc modo patefactum, Diaconus ab Eccleſia ejectus eſt, tumultus indè in populi multitudine excitatus &c. Vide Bellarminum lib. 3. de Pœnitentia c. 14. Bellar.

135. Quis ſit effectus Sacramenti Pœnitentiæ?

Igitur de neceſsitate Sacramenti Pœnitentiæ in re aut voto, de neceſsitate Confeſsionis Sacramentalis ex jure divino poſitivo, non eſt relictus ambigendi locus. Si autem dubitas, quis ſit effectus hujus Sacramenti, propter quem Chriſtus voluit, ipſum eſſe medium neceſſarium in re vel voto; Reſpondeo cum Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. *Res & effectus huius Sacramenti quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum ſuſcipientibus conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi ſpiritûs conſolatione conſequi ſolet.* Erit itaque Conc. Trid.

CONCLUSIO IV.

Sacramentum Pœnitentiæ remittit verè & propriè omnia peccata, ritè ſibi ſubjecta, ex integro quoad culpam.

136. Peccata verè & propriè remittuntur.

NOlo hic diſputare cum hæreticis noſtri temporis, de quibus veriſſimè doctiſſimèque dixit jam olim Divus Auguſtinus: *Nonne iſti palpant in meridie, quaſi in media nocte?* Et ideo negant omnem veram & propriam remiſſionem peccatorum, exiſtimantes peccata tantùm tegi, & non imputari, etſi reverà permaneant: nolo; inquam, de hac controverſia fuſiùs hic diſputare; nam ſpectat ad Tractatum de juſtificatione ſecundùm ſe, & error iſte manifeſtiſſimus in lucem omnium, qui Scripturæ credunt, conſtitutus, ab his ſolis videri non poteſt, quibus oculi fumo contentionis excæcati ſunt, & unicum ſtudium eſt, alios ex videntibus cæcos facere.

Probatur ex Scriptura, quæ dicit peccata dimitti, deleri, tolli &c.

Nonne paſſim in Epiſtolis Pauli tribuitur hominibus ſimpliciter juſtitia? Et quæ neceſſitas intelligendi juſtitiam ſolùm imputativam? Nonne paſſim Scripturæ dicunt, peccata dimitti, deleri, tolli, hominemque ab iis mundari, & ſuper nivem dealbari? Nonne in Scriptura homines, quibus remittuntur peccata, appellantur filii & amici Dei, ſancti & immaculati? Quæ omnia verè & propriè dici non poſſunt, ſi macula peccati remaneat, quæ non poteſt tegi oculis Dei cuncta cognoſcentis; adeòque neceſſariò & ipſa, & homo propter ipſam odio ſunt Deo juxta illud Sap. 14. v. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* Sap. 14.

Quod probè intelligens Propheta Regius, 137.
Pſa. 31. v. 1. inquit: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Remiſſionem præmiſit, ut ſcires, de qua tectione peccatorum loquatur; ſcilicet, de vera illorum curatione & abolitione, & quidem tam perfecta, ut nec veſtigium cujuſquam remaneat, prout graphicè expreſſit S. Chryſoſtomus Homil. 80. ad populum Antiochenum ibi: *Si namque vel infinita quis habens vulnera Pœnitentiam egerit, ſic ea Deus delet, ut neque cicatricem, neque veſtigium, neque peccatorum oſtendat iudicium.*

Specialiter expenditur verſ. 1. Pſalm. 31. S. Chryſoſt.

Hinc Sanctus Auguſtinus Enarrat. 2. in Pſalm. 31. ad illum verſum: *Nec ſic intelligatis quod dixit, peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant.* Ergo ſecundùm Doctorem ſanctum, ſic Deus tegit peccata; ut ibi ampliùs non ſint. Et hinc ſequitur in præfato Pſalmo: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*; quia ſcilicet ampliùs non eſt: ſi enim eſſet; Dominus neceſſariò imputâret. S. Auguſt.

Appoſitè Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone adverſus Iudæos in fine: *Beatus eſt cui Dominus peccatum non imputavit. Hoc autem ſignificat, eum, quem ſcelerum ſuorum pænituerit, peccatorum veniam atque remiſsionem accepiſſe à Deo: non ùt voſmetipſos fallitis, aliiq; Nonnulli vobis ſimiles, qui ex hoc concludunt, ſi peccatores ſint, dummodo Dei notionem habeant, Dominum ſibi peccata non eſſe imputaturum.* S. Iuſtinus Martyr.

Meritò igitur Concilium Tridentinum 138.
ſeſſ. 5. in Decreto de Peccato originali can. 5. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id; quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema ſit.*

Doctrina Conc. Trid. de remiſſione peccati originalis per Baptiſmum.

Et conſimiliter dicere potuiſſet: Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Sacramento Pœnitentiæ confertur, reatum actualis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema ſit.

Hoc itaque errore exploſo, concertatio no- 139.
bis eſt cum nonnullis Doctoribus alioquin Catholicis, qui ità diminuunt effectum ſeu efficaciam, & vim hujus Sacramenti, ut ſoli Deo tribuant remiſſionem peccatorum quoad culpam, Sacramento autem remiſſionem pœnæ, Aliqui æternæ, Alii temporalis tantùm. Sunt etiam qui exiſtimant, Abſolutionem liberare dumtaxat ab obligatione confitendi. Denique inveniuntur, qui cenſent, illa verba: *Abſolvo te*, non aliud ſignificare, quàm

Variæ ſententiæ circa efficaciam hujus Sacramenti.

Digitized by Google

quàm, oſtendo & declaro te abſolutum per contritionem.

Sententia Mag ſolum Deum dimittere peccata.

Ut autem ab ultimis incipiamus; Magiſter Sentent. 4. diſt. 18. ſic inquit: *Hoc ſanè dicere ac ſentire poſſumus, quòd ſolus Deus dimittit peccata & retinet; & tamen Eccleſiæ contulit poteſtatem ligandi & ſolvendi; ſed aliter ipſe ſolvit vel ligat, aliter Eccleſia. Ipſe enim per ſe tantùm dimittit peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis ſolvit. Non autem hoc Sacerdotibus conceſſit, quibus tamen tribuit poteſtatem ſolvendi & ligandi, id eſt, oſtendendi homines ligatos vel ſolutos.*

140. Probatur exemplo leproſi Luc. 5.

Quod probat per illud de leproſo priùs ſanato, quàm ad Sacerdotem miſſo Luc. 5. v. 13 & 14 *Et extendens* (Jeſus) *manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo. Et ipſe præcepit illi ut nemini diceret, ſed, Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes in teſtimonium illis.*

Item Lazari Joan. 11.

Similiter de Lazaro priùs ſuſcitato, quàm Diſcipulis ad ſolvendum tradito Joan. 11. v. 43. & 44. *Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamavit* (Jeſus) *Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis* (Diſcipulis) *Ieſus: ſolvite eum & ſinite abire.*

& auctoritate D. Hieronymi.

Item per Hieronymum ſuper illud Matthæi 16. v. 19. *Tibi dabo claves: In Levitico,* inquit, *ſe oſtendere Sacerdotibus iubentur Leproſi, quos illi non faciunt leproſos vel mundos: ſed diſcernunt qui mundi vel immundi ſunt.* Ex quo arguit Magiſter & dicit: *In remittendis vel retinendis culpis, id iuris & officii habent Euangelici Sacerdotes, quod olim habebant ſub Lege Legales in curandis leproſis.*

141. Hanc ſententiam rejicit Doct. Subt. quia tunc hoc Sacramentum non eſſet Sacramentum novæ Legis.

Hæc ſententia non placet Doctori Subtili: *Quia tunc*, inquit 4. diſtinct. 19. q. 1. n. 23. *Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet Sacramentum novæ Legis, nec aliquam cauſalitatem vel diſpoſitionem haberet cauſalem ad primam gratiam: quia nunquam dignè ſuſciperetur niſi ab habente iam primam gratiam: nullus enim oſtenditur dignè ſolutus à Deo, niſi priùs ſit ſolutus.*

Item quia ſuſceptio hujus Sacramenti eſt inſtrumentum ad gratiam.

Item; ſuſceptio iſtius Sacramenti eſt inſtrumentum ad gratiam, hoc eſt, diſpoſitio efficax neceſſaria ex ſtatuto divino ad gratiæ ſuſceptionem: inſtrumentum autem, vel diſpoſitio prævia, non eſt ſignum rememorativum, ſive oſtenſivum alicuius, ùt iam præteriti, ſed futuri, ergo collatio Sacramenti Pœnitentiæ ad hoc ut fiat dignè, non oportet ut ſit ſignum Abſolutionis divinæ præcedentis. Hæc ille.

142. Sacramentum Pœnitentiæ poteſt dignè recipi attritum.

Ideòque concedit, *Quòd Sacramentum Pœnitentiæ poteſt dignè recipi ab attrito, & hoc tantâ Attritione, quæ non ſufficeret per modum meriti ad iuſtificationem ſuſcipiendam in termino Attritionis, & ſi non fictè recipiatur, in termino recipitur gratia prima, quia à Deo confertur, & Abſolutio Sacramentalis eſt ſignum efficax illius Abſolutionis ſequentis in ultimo inſtanti ipſius, ſicut prolatio verborum eſt ſignum confectionis Corporis Chriſti.*

Quon[modo] hoc S[acra]ment[um] inſtru[men]tum a[d gra]tiam.

Et ſecundùm hoc patet, quomodo Sacramentum hoc, eſt inſtrumentum ad gratiam primam, ſicut diſpoſitio prævia eo modo, quo alteratio poteſt dici inſtrumentum reſpectu generationis ſubſtantiæ, quia diſpoſitio prævia.

Sacra[men]tum [Pœnit.] eſt 2. [tabu]la.

Alioquin, ùt ait diſtinct. 14. q. 4. nu. 7. *non appareret, quomodo Sacramentum Pœnitentiæ eſſet ſecunda tabula, ſi nunquam per ipſum, ùt Sacramentum eſt, poſſet recuperari ſecunda gratia amiſſa, ſed tantùm per Attritionem tamquam per præviam diſpoſitionem, & per Contritionem, tamquam per diſpoſitionem completivam.* Siquidem nunquam liberaret naufragum à periculo ſubmerſionis, utpote qui jam periculum evaſiſſet per Contritionem ante ſuſceptionem Sacramenti. Vide Doctorem qu. 4 citatâ, ubì diffuſiùs declarat hanc veritatem.

143 Non e[ſt ſi]mile de [Sa]cerdote [Le]gali & [Eu]angelic[o] Scoto.

Non igitur eſt ſimile de Sacerdote Legali reſpectu lepræ, & de Euangelico reſpectu culpæ: *Quia*, inquit Scotus ſuprà diſt. 19. nu. 23. *ille tantùm exercuit aliquid, quod erat ſignum rememorativum mundationis lepræ, & nihil quod eſſet ſignum pronoſticum efficax reſpectu mundationis ſequentis; ſed iſte exercet actum, qui eſt ſignum pronoſticum efficax reſpectu mundationis ſequentis in ultimo inſtanti, nec tamen mentitur iſte, quia intelligitur Abſolutio eius pro illo inſtanti, pro quo iſte à Deo, & ab Eccleſia eſt abſolutus.*

144 Objecti[o] Luc. 15

Si dixeris: ergo Sacerdos delet maculam, & pœnam mortis æternæ, quod eſt proprium Deo, ſecundùm illud Luc. 15. v. 21. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*

Solvitu[r] Scoto.

Quomo[do] Sacerdo[s] deleat m[a]culam [&] pœnam licet in[ſtru]mentali[ter] moralit[er].

Reſpondet Doctor nu. 24. *Vtrumque facit* (Sacerdos) *ſed non facit niſi inſtrumentaliter, non quidem attingendo eum effectum, nec virtute propriâ, nec alterius: ſed attingendo aliquid prius, quod eſt diſpoſitio neceſſitans ad illum effectum; neceſſitans, inquam, ex divina pactione, & tale agens cauſans diſpoſitionem neceſſariam ad terminum, dicitur agens inſtrumentale, ut eſt de alterante & generante. Proprium autem eſt Deo principaliter mundare & remittere illud debitum etiam attingendo* (phyſicè) *illum effectum: horum autem neutrum convenit Sacerdoti,* utpote qui ſolùm moraliter attingit illum effectum, idque ex delegatione & commiſſione Dei, ſicuti procurator ex facultate Domini remittit debitoribus, quod Domino debent.

Solus autem Deu[s] principal[i]ter & phy[ſi]cè.

145. Probatur à ſimili ex Script.

Numquam legiſti quod ait Pſalm. 71. v. 18. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus?* Et illud Eccleſi. 31. v. 8. & 9.

Digitized by Google

& 9. *Beatus dives qui inventus eſt ſinè macula &c. Fecit enim mirabilia in vita ſua?* Dives utique miniſterialiter; Deus autem ſolus principaliter.

Sacerdos ita dimittit peccatum in Pœnit. ſicut in Bapt.

Concedo, inquit Scotus ſuprà diſt. 14. q. 4. n. 11. *quòd Sacerdos ità dimittit peccatum in Pœnitentia, ſicut in Baptiſmo, & ità abſolvit ſicut baptizat: quia utrobique ſimpliciter verum eſt, quòd miniſtrat Sacramentum, effectum autem Sacramenti miniſterialiter cauſat, quia aliquid cauſat, ad quod ſecundum diſpoſitionem ſeu pactionem Dei, regulariter ſequitur effectus Sacramenti.*

146. Reſponſio ad auctoritatem D. Hieron.

Quid ergo ad auctoritatem Divi Hieronymi? Reſpon. Doctor loco jamjam citato; *Affirmativa illa vera eſt; ſcilicet quòd ſicut Sacerdos legalis oſtendebat leproſos mundatos, ſic Sacerdos Evangelicus oſtendit peccatores iuſtificatos; ſed negativa, ſcilicet quòd non aliter Sacerdos Evangelicus ſe habeat ad leproſos ſpiritualiter, quam Sacerdos legalis ad leproſos corporaliter, ſcilicet praciſè oſtendendo immunditiam hinc inde, falſa eſt.*

Rationem attexit: *Quia non dedit Deus in veteri Lege aliquam ceremoniam vel purificationem, cui miniſtratæ à miniſtro idoneo aſſiſtat regulariter ad mundandum lepram corporalem: dedit autem in lege nova aliquod Sacramentum, cui ex pacto regulariter aſſiſtit ad mundandum ſpiritualiter, niſi impediat obex contrariæ voluntatis.*

147. Sacerdos Evangelicus oſtendit quidem pœnitentem mundatum, ſed non hoc ſolum.

Simili modo loquitur diſtinct. 19. n. 24. *Auctoritates*, inquit, *quas Magiſter adducit pro ſe, affirmativè loquuntur, quòd hoc facit; & verum eſt quòd Sacerdos Evangelicus oſtendat illum mundatum & ſolutum pro inſtanti, pro quo intelligitur ſua Abſolutio: ſed non hoc ſolum; immo ſic oſtendit; quod illa oſtenſio eſt diſpoſitio prævia & neceſſaria ad illud, quod oſtenditur; hæc eſt enim excellentia Sacramentorum novæ Legis: quod eorum ſuſceptio eſt ſufficiens ad gratiam: illorum autem Legalium, nec ſuſceptio erat diſpoſitio efficax ad mundationem corporalem lepræ vel huiuſmodi fœditatis.*

Comparatio ſacerdotis legalis & Evangelici.

Eſſet autem ſimile, ſi loqueremur de Sacerdote Legali, purificante aliquem per aquam aſperſionis ab aliqua irregularitate, contracta in lege ex contactu lepræ vel huiuſmodi: tunc enim Sacerdos ille exerceret quemdam actum, qui eſſet ſignum efficax reconciliationis huius irregularitatis & mundationis illius polluti, in cuius mundationis actu vel termino, ſequeretur effectus ſignatus, ſcilicet quòd iſte eſſet dignus communicare cum cæteris Synagogæ. Et hæc quidem ſatis clarè & exactè ad exemplum de Leproſo.

148. Reſponſio Scoti ad exemplum Lazari.

Sed quid ad ſimile de Lazaro, qui priùs fuit ſuſcitatus, quàm ſolutus à vinculis? Reſpondet Scotus ſuprà diſtinct. 14. q. 4. nu. 10. *Reus obligatur debito pœnæ æternæ, quo vinculo ſolutus, obligandus eſt ad pœnam temporalem. Priùs autem ſuſcitatur, quam obligatio prima mutetur in ſecundam, vel, quod verius eſt, priùs ſuſcitatur, quàm ſolvatur à ſecunda obligatione. Et hoc modo ad Sacerdotes pertinet ſolvere non ſimpliciter, ſed pro parte pœnæ, quam poſſunt relaxare virtute Clavium...... Et ſic Lazarus vivificatus à Chriſto, id eſt, peccator à morte culpæ per gratiam reſuſcitatus, & ſolutus à carcere ſepulchri, id eſt, peccator ſolutus à debito pœnæ inferni, relinquitur Diſcipulis ſolvendus ab inſtitis, id eſt, à Pœnis temporalibus, in quas commutatur pœna æterna, quas pœnas temporales poteſt Sacerdos relaxare clave non errante.* Hæc ille.

Sed non adeò clarè: nam videtur Sacerdotibus tribuere ſolam poteſtatem relaxandi pœnas temporales; cùm tamen eodem numero concedat ipſis poteſtatem remittendi peccata, & conſequenter commutandi pœnam æternam in temporalem, quod ſic oſtendo. — quæ non eſt ſatis clara;

Quærit Scotus, *Vtrùm per Sacramentum Pœnitentiæ deleatur culpa?* Et pro parte negativa adducit verba Divi Auguſtini ſuper illud Joan. 11. de ſuſcitatione Lazari: *Nemo poteſt confiteri niſi ſuſcitatus* (ſi tamen verba Divi Auguſtini ſint, quia Tract. 49. in Joan. ubi de ſuſcitatione Lazari illa non invenio) Reſpondet autem n. 9. *Quod duplex eſt Confeſſio, laudis & fraudis* (id eſt, peccati) *Confeſſione laudis nullus dignè confitetur, niſi priùs ſuſcitatus, quia ſecundùm Hieronymum in illa Epiſtola, Cogitis me,* Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, *ſed Confeſſio fraudis accepta eſt Deo in ore peccatoris, hoc eſt, eius qui adhuc eſt peccator, eo modo quo expoſitum eſt in prima quæſtione iſtius diſt. peccatum manere poſt actum, dum tamen non ſit peccator in voto ſeu actu interiore* (id eſt, propoſito peccandi) *vel exteriore.* — 149. unde eluciſdatur ex ipſo Scoto. Duplex eſt Confeſſio laudis & fraudis.

Concedo ergo, quòd ante perceptionem dignam Pœnitentiæ, oportet ſuſcitari vel ſimpliciter, & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, ſed gratia quæ inſuit augetur, vel ſuſcitari ſecundùm quid, ſcilicet ut habeat aliqualem diſplicentiam de peccatis, & propoſitum cavendi de cætero, & velit ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio fit Contritio, & tunc ſuſcitatur ſimpliciter per Sacramentum, per conſequens miniſterialiter per Sacerdotem, qui miniſtrat Sacramentum. — Ante perceptionem dignam Pœnit. oportet ſuſcitari vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid.

Quando ergo immediatè pòſt, videtur tribuere remiſsionem culpæ & pœnæ æternæ ſoli Chriſto, neceſſariò intelligendus venit de cauſa principali & phyſica. Indubiè de facto non remittitur peccatum mortale, & conſequenter non mutatur pœna æterna in temporalem, abſque infuſione gratiæ ſanctificantis, quæ eſt propria Deo, ſecundùm illud Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. *Efficiens* (cauſa juſtificationis) *miſericors Deus* &c. adeòque veriſsimè doctiſſimeque Scotus reſuſcitationem peccatoris à — 150. Quare Scotus ſuprà potius tribuat remiſſionem Pœnæ temporalis Sacerdotibus, quàm remiſſionem culpæ.

Digitized by Google

morte culpæ, & ſolutionem peccatoris à debito pœnæ inferni, ſpecialiter tribuit Chriſto; ſolutionem autem à pœnis temporalibus concedit Sacerdoti, quia ad hanc non requiritur infuſio gratiæ ſanctificantis, ût patet in conceſsione & lucratione Indulgentiarum.

Pontifex ſimpliciter & abſolutè dicitur concedere Indulgentias, tametſi id faciat auctoritate à Deo ſibi conceſſa, Proinde ſicuti ſimpliciter & abſolutè dicitur Pontifex concedere Indulgentias, per conſequens ſolvere ſeu relaxare pœnas temporales, etſi id faciat auctoritate ſibi à Deo conceſsâ (veluti etiam diſpenſat in votis) ſic quoque Sacerdos ſacramentaliter abſolvens, potiùs dicitur relaxare ſeu ſolvere pœnas temporales, quàm ſolvere à debito pœnæ æternæ; quia ad hanc ſolutionem, præter poteſtatem à Deo conceſſam, requiritur ſpecialis & propria actio Dei, ſcilicet infuſio gratiæ; ad illam autem nihil præter conceſsionem poteſtatis. Ut omittam ſæpe contingere, quòd per Sacramentum Pœnitentiæ non deleatur peccatum mortale, rariſsimè autem quòd non relaxetur pœna temporalis.

151. Exemplum Lazari non per omnia debet eſſe ſimile. Cæterùm exemplum Lazari non per omnia debet eſſe ſimile, cùm ſenſus ille ſit allegoricus; ſed ſatis eſt, quòd ſicut ibi ab Apoſtolis verè fuit ſolutus Lazarus vinculis ſuis materialibus, ſic à Sacerdote pœnitens verè ſolvatur vinculis ſuis ſpiritualibus, ſive peccatorum, ſive pœnarum, hujus, vel alterius In quo conſiſtat ſimilitudo, vitæ: & veluti Lazarus non fuit ſolutus niſi priùs reſuſcitatus, ità quoque à Sacerdote pœnitens neutiquam ſolvatur, niſi priùs reſuſcitatus, ſaltem ſecundùm quid, ût loquitur Scotus ſuprà, id eſt, niſi priùs vivat, ſi non vitâ gratiæ habitualis, ſaltem vitâ gratiæ actualis, quâ dolet de peccatis, & movet ſe motu vitali, foras exiens per humilem Confeſsionem, quam vitam indubiè ſolus Deus intùs operatur, dum multis exiſtentibus impiorum meritis vocat eos, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ, liberè aſſentiendo, & cooperando diſponantur.

152. declaratur ex doctrina S. Auguſt. Tract. 49 in Joan. Hæc eſt doctrina D. Auguſt. diverſis locis, atque in primis Tract. 49. in Joan. ad illa verba: *Lazare veni foras. Quomodo*, inquit, *proceſſit ligatis pedibus, miraris, & non miraris, quia ſurrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat; non vires mortui. Proceſſit & adhuc ligatus eſt, adhuc involutus, tamen iam foras proceſſit. Quid ſignificat? Quando contemnis mortuus iaces; & ſi tanta quanta dixi contemnis, ſepultus iaces: quando confiteris, procedis. Quid eſt enim procedere niſi ab occultis velut exeundo te manifeſtare? Sed ut confitearis Deus facit magnâ voce clamando, id eſt, magnâ gratiâ vocando: ideo cùm proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus, ut ſolverentur peccata eius, miniſtris hoc dixit Dominus:* Solvite illum, & ſinite abire. *Quid eſt*, ſolvite & ſinite abire? *Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in Cælo.*

Conſimiliter ſcribit Serm. 8. de Verb. Domini ibi: *Quiſquis malæ conſuetudinis, malæ vitæ, terrenarum ſcilicet cupiditatum mole premitur, ità quòd in illo iam factum ſit, quòd in quodam Pſalmo miſerabiliter dicitur:* Dixit ſtultus in corde ſuo, non eſt Deus. *Fit talis de quali dictum eſt,* A mortuo, velut qui non ſit, perit Confeſſio. *Quis eum reſuſcitabit, niſi qui remoto lapide clamavit dicens:* Lazare prodi foras? *Quid eſt autem foras prodire, niſi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur foras prodit: foras prodire non poſſet niſi viveret* (inchoativè per gratiam prævenientem & adjuvantem ad eliciendum verum dolorem ſupernaturalem) *vivere non poſſet niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in Confeſſione ſui accuſatio, Dei laudatio eſt.* Item S. de Verb. Dom. Pſal. 1. Eccli. v. 26.

15[3]. Object. *Dicit ergo aliquis; Quid prodeſt Eccleſia, ſi iam confeſſor voce dominicâ reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia confitenti, cui Dominus ait: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo?* Ità ſibi objicit Sanctus Doctor, & continuò reſpondet:

Reſpo[nſio] ex D. *Ipſum Lazarum attende, cùm vinculis prodit, iam vivebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt:* Quæ ſolveritis, ſoluta erunt, *niſi quòd ait Dominus continuò ad Diſcipulos: Solvite illum & ſinite abire?*

Ecce nomine, *vitæ*, intelligit ſolam Confeſſionem, quam ante Abſolutionem Sacerdotis pœnitens habet à ſolo Deo, & quæ niſi præceſſerit, nulla eſt poteſtas Sacerdotibus ſolvendi, ut rectè alio loco dixerit Auguſtinus: *Chriſtus per ſe intùs vivificat; miniſtris poteſtatem ſolvendi poſt vitam tribuit, qui nullum ſolvere poſſunt, niſi vivat*, id eſt, niſi ritè fuerit confeſſus. qui n[omine] vitæ i[ntel]ligit ſ[olam] Conf[eſſio]nem.

154 Explic[a]tur ve[rbum] Hiero[n.] de hac [ma]teria. Et fortè nihil aliud voluit S. Hieron. ſuprà à Magiſt. allegatus, videlicet poteſtatem Sacerdotum non eſſe abſolutam, ſed certis legibus ligatam, quas obſervare debent, ut eorum ſententia valida ſit, abſolvendo ſolùm eos, quos Deus judicat Abſolutione dignos, nimirum per debitam Pœnitentiam. Verba ejus genuina ſunt, quæ ſequuntur: *Iſtum locum* (*Quodcumque ligaveris* &c. Matth. 16.) *Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur; cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi iubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant; non quo Sacerdotes leproſos faciant & immundos, ſed quo habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & quod poſſint diſcernere qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit, ſic & hic alligat vel ſolvit Epiſcopus & Preſbyter,*

Digitized by Google

byter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii, ſed pro officio ſuo cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus, ligandus utique, qui non ritè confitetur, abſolvendus verò, qui ritè confitetur.

155. Quomodo ſit intelligendum Greg. Papa Hom. 26 in Euang.

Ex his haud difficulter cognoſcitur, quomodo ſit intelligendum, quod ait Gregorius Papa Homil. 26. in Euang. & refertur 11. q. 3. c. 88. *Cauſa*, inquit, *penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt quæ culpa præceſſit, & quæ ſit Pœnitentia ſecuta poſt culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt Abſolutio Præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur Iudicis.* Et infrà: *Ex qua conſideratione intuendum eſt, quòd illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos Auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare,* inſpirando, veram Pœnitentiam.

Et infrà: *Veniat itaq; foràs mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foràs ſolvant Diſcipuli* (id eſt, Confeſſarii à vinculis peccatorum) *ut Paſtores* (id eſt, Prælati) *Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere* (id eſt, relaxare alias pœnas externas) *quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* Verba clara ſunt, & ideo non indigent ulteriori interpretatione.

156. Quomodo explicentur aliquorum verborum D. Ambr.

Rogas quid ſignificent hæc verba D. Ambroſii: *Verbum Dei dimittit peccata: Sacerdos eſt Iudex. Sacerdos quidem ſuum officium exhibet, & nullius poteſtatis iura exercet?*

Reſpondeo in primis, me illa verba non reperire in Ambroſ. lib. 2. de Cain & Abel, ex quo citantur à Grat. de Pœnitentia diſt. 1. c. 51. ſed iſthæc lego: *Remittuntur peccata per Dei verbum, cuius Levites interpres & quidam executor eſt, remittuntur per officium Sacerdotis, ſacrumq; miniſterium*: quæ potiùs noſtram doctrinam confirmant.

Explicatio

Interim ſenſus aliorum verborum eſt: *Verbum Dei*, id eſt, Filius Dei, *dimittit peccata* propriâ poteſtate: *Sacerdos eſt Iudex* ſecundarius vel commiſſarius: *Sacerdos quidem ſuum officium exhibet* ſolvendo à peccatis, vel ligando, *& nullius poteſtatis iura exercet*, id eſt, nullâ ſuâ propriâ poteſtate peccata dimittit, ſed tantùm poteſtate, à Deo ſibi delegatâ ſeu communicatâ.

157. Verba D. Chryſoſt. ex Homil. 15. in Matth.

Reſtant verba D. Chryſoſthomi Homil. 15. in Matth. *Liberare*, inquit ille, *à putredine peccatorum, Chriſti virtutis eſt, ut autem ad illa iterum non revertantur, Apoſtolorum curæ eſt ac laboris.*

Explicantur.

Reſpondeo, loquitur de Apoſtolis, non ùt Sacerdotibus, ſive Iudicibus ſecundariis, qui ex commiſſione cognoſcunt in cauſa, & ex commiſſione ſententiant, vel pro condemnatione rei, ſi indignus eſt, vel pro ejus Abſolutione, ſi dignus ſit, ſic quippe Apoſtolorum eſt, etiam liberare à putredine peccatorum, juxta illud D. Auguſtini lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 6. *Condiendis & extinguendis* *putoribus* (peccatorum) *Apoſtolicum ſalem Dominus miſit*; ſed de Apoſtolis, ùt Prædicatoribus & Magiſtris orbis, qui ùt tales non habent ullam poteſtatem ſanandi à peccatis, niſi movendo peccatores ſuis cohortationibus ad veràm peccatorum Confeſſionem.

S. Aug.

Non pro veſtra, inquit Chryſoſtomus ibidem, *tantummodo ſalute, ſed pro univerſo orbe vobis certamen erit. Non ad duas quippe urbes aut decem aut viginti, neque ad unam gentem vos mitto, ſicut mittebam Prophetas, ſed ad omnem terram prorſus ac mare, totumq; mundum & hunc variis criminibus oppreſſum.* Et verò quomodo mittebat Prophetas? Nonne ut abſolverent à peccatis? Minimè, ſed ut populum exhortarentur ad Pœnitentiam virtutem, per quam ſolam tunc temporis peccata remittebantur. Mittebat Prophetas non ùt Iudices, ſed ùt Prædicatores & Magiſtros. 158.

Loquitur Chryſoſt. de miſsione Apoſt. ad docendum univerſum orbem.

Ergo de tali miſſione Apoſtolorum hìc loquitur Chryſoſtomus, de qua ſcriptum habes Matth. ult. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes*; & non de illa, quàm ſignificat Chriſtus Ioan. 20. v. 22. & 23. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata* &c. quæ fruſtranea fuiſſet, ſi tantùm per illa verba accepiſſent poteſtatem docendi remiſſionem peccatorum, ſive oſtendendi quæ peccata forent remiſſa, & quæ non.

Matth. ult. Ioan. 20.

Audiamus Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 6. *Quamvis*, inquit, *Abſolutio Sacerdotis, alieni beneficii ſit diſpenſatio* (puta ipſius Dei) *tamen non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actûs iudicialis, quo ab ipſo, velut à Iudice, ſententia pronunciatur: atque ideo non debet pœnitens adeò de ſua ipſius fide blandiri, ut, etiamſi nulla adſit Contritio, aut Sacerdoti animus ſeriò agendi, & verè abſolvendi deſit; putet tamen ſe, propter ſuam ſolam fidem, verè & coram Deo eſſe abſolutum, nec enim fides ſine Pœnitentia remiſſionem ullam peccatorum præſtaret, nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem ioco ſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem, ſedulò requireret.* 159.

Abſolutio Sacerdotis non eſt nudum miniſterium annunciandi Euangelium vel declarandi remiſſa eſſe peccata ex Conc. Trid.

Et contrarium errorem damnat can. 9. hiſce verbis: *Si quis dixerit, Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti; modò tantùm credat ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſeriò, ſed iocò abſolvat &c. anathema ſit.*

Quid clariùs dici poteſt ad refutationem ſententiæ Magiſtri, & confirmationem ſententiæ communis, quæ eſt noſtra concluſio? Quamquam exiſtimem præcipuum intentum Concilii fuiſſe, definire contra Hæreticos, ſolam fidem abſque Pœnitentia ſeu Contritione neutiquam ſufficere ad veram juſtificationem.

Cæteroquin ſatis apertè inſinuat veritatem, de qua 160.

Digitized by Google

Probatur Concluſ. ex Conc. Trid.

de qua hìc inquirimus; & quæ ulteriùs probatur ex eodem Concilio & ſeſſ. c. 1. ibi: *Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis* (puta: *Quorum remiſeritis peccata* &c.) *poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.*

Item c. 3. ibi: *Sanè verò res & effectus huius Sacramenti, quantùm ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo.* Præterea cap. 5. ait: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus* &c. *Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tamquam Præſides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur* &c. *quo pro poteſtate clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient.*

161. & Florentino.

Accedat Concilium Flor. in decreto Eug. §. *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia.* ibi: *effectus huius Sacramenti eſt Abſolutio à peccatis.* Quidni eſſet, cùm verba formæ illam directè ſignificent? *Forma huius Sacramenti eſt*, inquit Florentinum ibidem: *Ego te abſolvo à peccatis tuis* &c.

Nulla eſt ratio impropriè intelligendi ejus verba.

Et verò quæ ratio improprii intellectûs horum verborum? Nonne Pontifex diſpenſans aut excommunicans, ſolummodo declarat talem hominem eſſe diſpenſatum aut excommunicatum? Conſtat ex perpetuo uſu Eccleſiæ hoc eſſe falſum. Et Sacerdos imponens pœnitenti ſatisfactionem Sacramentalem, putas quòd ſolùm declaret obligationem pœnitentis? Cur non ſimiliter aſſeris Principem, dum fert legem, minimè obligare ſubditos, ſed tantùm declarare illos eſſe obligatos?

162. Ratio aliquorum.

Quia, inquis, conſtat ante legem nullam eſſe obligationem, ſimiliter ante impoſitionem ſatisfactionis; ſæpe autem, immo fortè ſemper, ùt aliqui videntur docuiſſe, ante Abſolutionem Sacerdotis, peccata ſunt remiſſa à Deo. Similiter ante latam excommunicationem planum eſt, talem hominem non eſſe excommunicatum, neque ante diſpenſationem conſtat, ipſum eſſe diſpenſatum.

Rejicitur.

Reſpondeo; neque ex Scriptura, neque ex SS. Patribus, neque ex Oecumenicis Conciliis, multò minùs ex ratione conſtat, ſemper à Deo remitti peccata ante Abſolutionem Sacerdotis. Fateor, Contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo, antequam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ſed quòd talis Contritio ſit neceſſaria ante ſuſceptionem Sacramenti, nuſpiam in Scriptura, Patribus, aut Conciliis legitur.

Non ſemper ante abſolutionem peccata ſunt remiſſa à Deo.

163. Probatur ex Conc. Trid.

Immo contrarium haud obſcurè declarat Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 4. quando dicit: *Etſi Contritionem hanc aliquando Charitate perfectam eſſe contingat, hominem* q; *Deo reconciliare* &c. Ergo non ſemper contingit, Contritionem, quæ eſt quaſi materia hujus Sacramenti (de illa enim Contritione loquitur Concilium, ùt patet ex contextu) Charitate perfectam eſſe; ergo non ſemper homo eſt reconciliatus Deo, antequam Sacramentum hoc actu ſuſcipiatur.

Quomodo autem forma poſſit eſſe vera, eſtò reconciliatio præceſſerit, dicetur infrà, ubì de ſenſu formæ hujus Sacramenti. Pro nunc ſufficit, ſaltem aliquando reconciliationem fieri per Sacramentum. Porrò reconciliatio quid aliud ſignificat, quàm remiſſionem peccatorum quoad culpam?

Quid ſ concil

164 Probatur etiam Bernar aliis S: tribus.

Alioquin ſi ſemper culpa remiſſa eſt à Deo, priuſquam remittatur per Abſolutionem ſeu ſententiam Sacerdotis, quomodo verum erit, quod ait S. Bernardus Serm. 1. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli de S. Petro *Qui claves regni tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri ſententiam Cæli.* Similiter loquuntur alii SS. Patres, ùt videre eſt apud Vaſquez hìc q. 84. a. 3. dub. 1. n. 8. Unde non dixit Chriſtus: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, fuit ſolutum & in Cælis*, ſed, *erit ſolutum & in Cælis.*

165 Object ſolvitu

Nec obſtat, quòd Joannis 20. dicat: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; quia etſi quodammodo ſententia Sacerdotis præcedat ſententiam Dei, nihilominus aliâ ratione, una & eadem eſt ſententia Sacerdotis & Dei; Dei quidem ùt cauſæ principalis, Sacerdotis autem ùt Iudicis ſecundarii ſeu commiſſarii, & hâc ratione, una & eadem eſt remiſſio Dei & Sacerdotis, quamvis Sacerdos ſit formale determinativum actionis communis; id eſt, Sacerdos ſeu determinatio Sacerdotis ad actum abſolvendi, eſt cauſa, quare etiam Deus determinet ſe, ad illam remiſſionem, quòd nullo modo dici poſſet, ſi remiſſio ſemper præcederet tempore Abſolutionem Sacerdotis.

Pœnitens cum imperfecta Contritione dignus Abſolutione gratiâ juſtificante

Enimvero tametſi veriſſimum ſit, neminem verè & coram Deo fore abſolutum, ubì nulla adeſt Contritio, quæ eſt vita inchoata pœnitentis, immo nec dignum Abſolutione, equidem pœnitentem cum imperfecta Contritione eſſe dignum Abſolutione, & illâ mediante dignum gratiâ juſtificante, quæ eſt perfecta vita, nullatenus dubito.

166 Sacramentum Pœnitentiæ Sacramentum mortuorum

Eſt ergo hoc Sacramentum (communiter appellatum Sacramentum mortuorum) medicina contra primam mortem, id eſt, mortem animæ in hac vita, adeò ut qui adhibuerit hanc medicinam non lædetur à morte ſecunda, quæ eſt æterna damnatio poſt hanc vitam.

Eccleſi.

Non demoreris in errore impiorum (inquit Eccleſiaſticus cap. 17. v. 26.) *ante mortem* (ſecundam) *confitere. A mortuo* (morte ſecunda) *quaſi nihil perit Confeſſio* (quia in damnatione nulla eſt vera Confeſſio) *Confiteberis vivens* (vitâ corporali) *vivus & ſanus confiteberis & laudabis Deum, & gloriaberis in miſerationibus illius*, id eſt, in remiſſione peccatorum, quæ tibi adveniet per virtutem & Sacramentum Pœnitentiæ, vivificaberis miniſterio Sacerdotis abſolventis, & non morieris in æternum.

Quare

Digitized by Google

Quare meritò proſcripta fuit à ſummis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. hæc propoſitio: *Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui Pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolus reatus tollitur.*

167. Per hoc Sacramentum non tantùm remittitur pœna æterna, ſed etiam culpa. Conc. Trid.

Et ecce pervenimus ad ſententiam eorum, qui dicunt, per Sacramentum Pœnitentiæ non culpam, ſed pœnam dumtaxat remitti. Equidem ſi agitur de pœna æterna, hæc ſententia opponitur Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 14. ibi: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur.* Ergo vel Sacramentum præter pœnam æternam remittit culpam, vel ſi culpa ante ſuſceptionem Sacramenti remiſſa fuit, etiam remiſſa fuit pœna æterna, adeòque non remittitur magìs per Sacramentum, quàm ipſa culpa; perinde autem eſt ſive accipias pœnam damni, ſive pœnam ſensûs, eadem enim utriuſque eſt ratio, nec Tridentinum diſtinguit inter illas, ergo nec nos diſtinguamus.

Eſt eadem ratio pœnæ damni & pœnæ ſensûs.

Quòd ſit eadem ratio patet, quia de facto non remittitur peccatum mortale abſque infuſione gratiæ juſtificantis, per quam homo ex inimico fit amicus & hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ; jus autem ad hæreditatem vitæ æternæ non ſtat cum reatu pœnæ æternæ, ſeu ſenſus ſeu damni, quoniam vita æterna incompoſſibilis eſt cum pœna æterna, maximè damni, quæ eſt privatio fruitionis beatificæ, cùm vita æterna ſit ipſa fruitio beatifica.

168. Ante legem novam per Contritionem remittebatur culpa & pœna æterna etiam damni.

Nonne per Contritionem charitate perfectam ante Legem novam remittebatur culpa & pœna æterna, etiam damni? Nam quòd detinebantur in Limbo, non erat propter reatum alicujus pœnæ, necdum abſolutè & perfectè remiſſum, ſed quia nondum erat ſolutum pretium Sanguinis Chriſti, & non erat omninò conveniens, quòd ipſi priùs intrarent ad gloriam, quàm Chriſtus, ex cujus meritis acceperant jus ad gloriam.

Innoc. 3. cap. Maiores de Bapt.

Etſi originalis culpa (inquit Innocentius III. cap. Maiores de Baptiſmo) *remittebatur per Circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum Cælorum, quod uſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum; ſed per Sacramentum Baptiſmi, Chriſti Sanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum Cælorum etiam pervenitur, cuius ianuam Chriſti Sanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſeravit.*

Reſeratâ itaque januâ, quidni per ſolam Contritionem charitate perfectam remittatur culpa, vitetur periculum damnationis, & perveniatur ad regnum Cælorum? Ergo Abſolutio Sacramentalis ſubſequens non remittit pœnam æternam damni magìs, quàm culpam, quæ meretur talem pœnam, neque reſerat januam regni Cælorum (ſi ità placeat loqui) cum illam juxta Innoc. ſuprà Chriſti Sanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſeraverit, non tantùm illis fidelibus, qui Sacramentaliter abſolvuntur, ſed etiam qui baptizantur, ùt patet ex textu citato; ut proinde non majori jure Sacerdos abſolvens, quàm Sacerdos baptizans poſſit aut debeat dici reſerare januam regni Cælorum.

Si dixeris; Contritio charitate perfecta aperit quidem januam regni Cælorum, ſed ſub conditione. 169. Objectio.

Reſpondeo, gratìs id aſſeritur, ſi intelligatur de conditione ſuſpenſiva, quaſi tunc ſolùm aperiatur janua, id eſt, ſecundùm Aliquos, remittatur pœna damni, quando jam ponitur Abſolutio; ubi enim hoc exprimitur vel in Scriptura, vel in SS. Patribus, aut Conciliis? Solvitur.

Et cur non eâdem facilitate dicam, ſub ſimili condititione remittere culpam & pœnam æternam ſensûs? Item non remittere culpam vel pœnam æternam ſensûs aut damni ante Baptiſmum, niſi ſub conditione, ſi baptizetur? Quid ſi ergo ante Baptiſmum, aut Abſolutionem pœnitens moriatur, num inveniet portam Cæli clauſam, & manebit clauſa, donec baptizetur aut abſolvatur?

Planè, inquis, ſi culpabiliter omiſit Baptiſmum, aut Abſolutionem. 170. Evaſio.

Sed contra; ergo Confeſſio futura non erat conditio ſuſpenſiva remiſſionis, de qua locutus fui, ſed culpabilis omiſſio Confeſſionis erat conditio, ſub qua reditus eorumdem peccatorum tam quoad culpam, quàm quoad pœnam ſensûs & damni, qui reditus caret ſufficienti fundamento, ùt oſtendimus diſp. 6. ſect. 7. concl. 3. Præcluditur.

Si ergo Sacramentum Pœnitentiæ remittat pœnam æternam, ſimul remittit culpam; cùm unius remiſſio, de facto (quidquid ſit de poſſibili) non ſeparetur à remiſſione alterius; ùt latiùs deduximus diſp. 6. ſect. 5. concl. 9. Remittere porrò peccata, nimis manifeſtè ſignificant verba Scripturæ, SS. Patrum, & Conciliorum, quæ propriè intelligenda ſunt, niſi aliquid obſtet; jam autem peccatum propriè ſignificat culpam, impropriè autem ſolam pœnam æternam vel temporalem.

Ex quo etiam reprobatur tertia ſententia, quæ docet, per Abſolutionem Sacerdotis remitti dumtaxat pœnam temporalem, quæ videtur eſſe S. Bonaventuræ 4. diſt. 18. p. 1. a. 2. q. 1. ubi n. 18. ſic ait: *Si quæratur, utrùm poteſtas Clavium ſe extendat ad delendam culpam. Dicendum, quòd bene poteſt ſe extendere per modum deprecantis & impetrantis, & illud ſignatum eſt in benedictione Sacerdotum: ſed per modum imperantis non. Quoniam ergo poteſtas ſonat per modum activi & imperantis ex ſe, hinc eſt, quòd poteſtas Clavium propriè loquendo non ſe extendit ſupra culpam.* Et nu. 19. ad primam objectionem deſum- 171. Videtur ſententia D. Bonavent. per abſolutionem ſolùm remitti pœnam, idque temporalem.

Digitized by Google

deſumptam ex Joan. 20. *Dicendum*, inquit, *quòd vel illud de remiſſione dicitur, quantùm ad oſtenſionem, vel ſolùm quantùm ad pœnam* Quo modo loquendi videtur negare Sacramento Pœnitentiæ efficaciam remiſſionis peccatorum quoad culpam.

Quòd autem remittat pœnam temporalem, docet ibidem q. 2. n. 24. hiſce verbis: *Et ideo eſt tertius modus dicendi, magìs conſonus rationi & fidei pietati, quòd Sacerdos aliquam partem pœnæ abſolvendo dimittit ex vi Clavium.* De hoc modo dicam Concl. 6.

172. Sed fortè nihil aliud voluit, quā à Sacerdote non remitti culpam phyſicè & principaliter.

Nunc quod attinet ad remiſſionem culpæ, quam Doctor Seraphicus videtur ſubtrahere poteſtati Clavium, Nota quod ait Doctor Subtilis 4. diſt. 14. q. 4. n. 3. *Pœnitentia eſt Abſolutio, id eſt, quadam ſententia diffinitiva abſolvens reum: non tamen ſententia Iudicis principalis, ſed Iudicis ſecundarii vel commiſſarii. Poteſt enim quis ex commiſſione cognoſcere in cauſa, & ità ex commiſſione ſententiare, vel pro condemnatione rei, ſi indignus eſt, vel pro eius Abſolutione, ſi dignus ſit.*

ùt oſtenditur ex ejus verbis.

Et fortaſſis nihil aliud voluit D. Bonaventura, ùt videtur colligi ex hac particula: *Imperantis ex ſe*, & illâ: *Propriè loquendo*, quaſi diceret, Poteſtas Clavium ex ſe, & propriè loquendo, non extenditur ſupra culpam, id eſt, per imperium ſive ſententiam Sacerdotis principaliter & phyſicè non remittitur culpa, ſed à ſolo Deo per infuſionem gratiæ ſanctificantis.

173. Objectio.

Hinc ad objectionem quartam ſequentis tenoris: Communiter conceditur, quòd Sacramentum Baptiſmi delet omnem culpam, ſed tamen in hoc non derogatur Divinæ potentiæ in aliquo. Sed majoris virtutis eſt ſuſceptivus ſpiritus rationalis, quàm aqua; ergo videtur, quòd ſinè aliquo inconvenienti poſſit dici, quòd Sacerdos virtute Clavium miniſterialiter abſolvat à culpa.

Reſponſio D. Bonaventuræ.

Ad hanc, inquam, objectionem, reſpondet Bonaventura ſuprà q. 1. n. 22. *Quòd Baptiſmus delet culpam per gratiam, ſed tamen non eſt illius cauſa ſufficiens* (ſcilicet principalis, nam à Trident. ſeſſ. 6. c. 7. vocatur cauſa inſtrumentalis juſtificationis) *ſed virtus divina. Et Baptiſmus dicitur peccata remittere ratione rei interioris, quam ſolus Deus infundit: ſimiliter & Pœnitentiæ Sacramentum* peccata remittit ratione rei interioris, quam ſolus Deus infundit, id eſt, gratiæ ſanctificantis, quam ſolus Deus phyſicè efficit; Sacramentum autem moraliter.

Sed poteſtas Clavis (proſequitur Seraphicus Doctor) *dicit poteſtatem creaturæ rationalis, nec concernit gratiam* (ſcilicet immediatè & phyſicè) *ſed quod exterius eſt* (puta ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt ſignum externum, & eſſentialiter requirit poteſtatem Clavium, tamquam cauſam efficientem) *quia Clavis eſt extrà in Sacerdote, & ideo non ſic ei attribuitur* (remiſſio culpæ, ſicuti gratiæ ſanctificanti) *ſi enim ſibi attribueretur mundatio, cùm hoc non poſſit intelligi per modum informandi, intelligeretur per modum efficiendi*, immediatè propriâ vel alterius virtute, quod non.

17 Quo. potei Clav. exter ſe ſu culp. Scot.

Rogas, quomodo ergo poteſtas Clavium extendat ſe ſupra culpam? Reſpon. cum Doctore Subtili 4. diſt. 19. q. 1. n. 24. *Non niſi inſtrumentaliter, non quidem attingendo illum effectum* (ſcilicet remiſſionem culpæ) *nec virtute propriâ, nec alterius: ſed attingendo aliquid prius, quod eſt diſpoſitio neceſſitans ad illum effectum, neceſſitans, inquam, ex divina pactione; & tale agens cauſans diſpoſitionem neceſſariam ad terminum, dicitur agens inſtrumentale, ùt eſt de alterante & generante. Proprium autem eſt Deo principaliter mundare, & remittere illud debitum, etiam* phyſicè *attingendo illum effectum; horum autem neutrum convenit Sacerdoti.* En qualis conſonantia inter Doctorem Seraphicum & Doctorem Subtilem.

1 Rep ſent quæ ſola nam pora relax

Cæterùm cujuſcumque illa ſententia ſit, quæ docet virtute Clavium ſolam pœnam temporalem relaxari, diſplicet omnino; tum quia peccatum impropriè uſurpat pro pœna temporali ſinè urgenti ratione; tum quia pœna temporalis aliis mediis ſinè infuſione gratiæ ſufficienter tollitur; ùt proinde propter illam ſolam relaxandam, non oportuerit inſtitui Sacramentum efficax gratiæ ſanctificantis ex opere operato.

Per tum ptur quat gnifi pœn. pora

Scio, peccatum in Scriptura aliquando ſignificare pœnam temporalem, ùt 2. Machab. 12. v. 43. *Et factâ collatione, duodecim millia drachmas miſit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium.* Et v. ultimo: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.*

Uti in C Trid

Nec tantùm Scriptura, ſed etiam Concilium Trident. ſubinde per cauſam intelligit effectum, id eſt, per peccatum pœnam temporalem, quæ eſt effectus peccati, ùt patet ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Et divinam clementiam decet, ne ità nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur*, id eſt, pœnæ temporales, debitæ peccato. Et infrà: *Accedit ad hac, quòd dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis*, id eſt, pro pœnis temporalibus.

1 Hoc non com ſent

Hæc, dico, non obſtant communi ſententiæ; quia ex adjunctis & aliis circumſtantiis, ſatìs colligitur illa metaphorica ſignificatio: nam poſt mortem non ſolvitur quiſpiam à peccatis quoad culpam per oblationem Sacrificii; & Concilium Trid. locis allegatis nimis manifeſtè ſupponit, Satisfactionem, de qua tractat, neutiquam reſpicere peccata quoad culpam, quam ſupponit remiſſam per Abſolutionem, ſed tantummodo peccata quoad pœnam temporalem.

Unde can. 13. *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita* Conc.

ſatisfieri

Digitized by Google

ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis &c. anathema ſit. Nunquid aliquando ſic explicavit verba illa Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata* quoad pœnam temporalem, *remittuntur eis*? Quære diligenter & nuſpiam invenies hujuſmodi interpretationē.

Cùm ergo nulla ſit ratio, verba Joan. 20. metaphoricè intelligendi de peccatis quoad pœnam æternam vel temporalem, quæ ſolùm eſt effectus peccati, intelligamus ea propriè de peccatis quoad culpam, juxta illud D. Auguſt. lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 11. in principio: *Quod perſpicuè ſonat, non eſt ad aliud referendum quaſi figuratè dictum ſit.*

177. Quo eodem fundamento evertitur ſententia illorum, qui per peccatum intelligunt obligationem confitendi, à qua ſola aſſerunt hominem liberari per Abſolutionem Sacerdotis; quaſi verò ſenſus horum verborum: *Ego te abſolvo à peccatis*, ſit: Ego te libero ab obligatione confitendi. Et ſenſus illorum verborum: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, id eſt, Quos liberaveritis ab obligatione confitendi, ipſi liberātur. Subtilis interpretatio! Ex qua

178. Sequitur primò, poteſtatem à Chriſto collatam Eccleſiæ, non eſſe niſi ad ceremoniam quamdam extrinſecam abſque infuſione gratiæ ſanctificantis; nam gratia ſanctificans ſolùm eſt neceſſaria ad remiſſionem peccati, quæ cenſetur facta ante exhibitionem illius ceremoniæ, per quam homo liberatur ab obligatione confitendi. Unde ergo probatur, quòd per illam ceremoniam confeꝛatur gratia ſanctificans ex opere operato, per conſequens, quod ſit verum Sacramentum?

179. Quia, inquis, conſtat ſæpiùs hoc Sacramentum non conferre primam gratiam, ſed ſolùm augmentum gratiæ inexiſtentis: ergo licèt nunquam conferret primam gratiam, propterea non amitteret rationem Sacramenti.

Sed contrà; hoc eſt quod quæritur: ſi hæc ceremonia non eſt neceſſaria ad remiſſionem peccati, ſed tantùm ut pœnitens liberetur ab obligatione confitendi, unde tibi conſtat, quòd ſit inſtituta ad cauſandam gratiam? Nam ex eo præcisè colligitur, quòd ſit efficax gratiæ, quia eſt inſtituta in remiſſionem peccatorum, quæ de facto non contingit abſque infuſione gratiæ.

180. Sequitur ſecundò ex illa ſententiā, Abſolutionem ſolius peccati venialis, non eſſe Sacramentalem, quia per illam non liberatur pœnitens ab obligatione confitendi, cùm nulla ſit obligatio confitendi peccatum veniale.

Sequitur tertiò, Sacramentum Pœnitentiæ non eſſe magìs neceſſarium ad ſalutem, quàm adimpletio cujuſcumque alterius præcepti; nam omnium præceptorum datur votum implicitum in Contritione, & Sacramentum Pœnitentiæ non magìs remittit peccata, quàm adimpletio cujuſcumque alterius præcepti, adeò-que ſolùm remanet prohibens ſalutem, id eſt, peccatum, quod aliàs committeret, qui ſuo tempore nollet Sacramentum illud ſuſcipere. Ergo malè à Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. dicitur *Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmū ad ſalutem neceſſarium, ut nondū regeneratis ipſe Baptiſmus.* Conc. Trid.

Fateor, per Abſolutionem Sacramentalem tollitur obligatio confitendi, ſed non aliter quàm per adminiſtrationem Baptiſmi tollitur obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum; nam Abſolutio Sacramentalis, ipſa eſt Sacramentum Pœnitentiæ, cujus ſuſceptio præcipitur: ergo per illam impletur præceptum, & conſequenter tollitur obligatio, ſicuti per Baptiſmum, cujus ſuſceptio præcipitur, tollitur obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum, id eſt, ſatisfit obligationi ſuſcipiendi Baptiſmum. 181. Non aliter tollitur obligatio confitendi per abſolutionem, quàm obligatio Baptiſmi per Baptiſmum.

Unde ſi Deus præcepiſſet ſolam Confeſſionem pœnitentis, æquè per illam ſinè Abſolutione ſublata fuiſſet obligatio confitendi, atque jam tollitur per Abſolutionem, Quid ergo opus erat inſtituere formam Abſolutionis?

Nunquid præter ipſum Baptiſmum inſtituta eſt forma aliqua verbalis, præcisè ad ſignificandam & tollendam obligationem ſuſcipiendi Baptiſmum? Clarum eſt quòd non. Ergo neque in Sacramento Pœnitentiæ inſtitui debuit, niſi propter effectum remiſſionis peccatorum quoad culpam. 182. Ad quid ſit inſtituta abſolutio in hoc Sacramento.

Non dico, ad declarandam aut oſtendendam remiſſionem anteà factam per Contritionem; quia Deus illam ſatìs novit ante Abſolutionem Sacerdotis: Eccleſia autem per Abſolutionem Sacerdotis non poteſt eam ſufficienter cognoſcere, ùt clarum eſt, cùm ſæpiſſimè contingat ut defectu diſpoſitionis confitentis, neque ante Abſolutionem peccata remiſſa ſint, neque per ipſam Abſolutionem remittantur: ergo illa oſtenſio fruſtranea & inutilis; immo ſæpè falſa. Non ad oſtendendam remiſſionem peccatorum anteà factam,

Ut proinde, eſtò Chriſtus illis verbis Luc. 7. v. 48. *Remittuntur tibi peccata*, ſolùm declaraſſet & affirmaſſet remiſſionem peccatorum anteà factam, utpote qui optimè noverat diſpoſitionem Mariæ Magdalenæ, id tamen affirmari non poſſit de nobis, quibus illa diſpoſitio tantū innoteſcit per ſigna externa frequenter ficta.

Ad quid ergo inſtituta Abſolutio? Reſpondeo ad cauſandam ſeu efficiendam moraliter remiſſionem peccatorum, ſuppoſitā legitimā diſpoſitione pœnitentis; ſicuti inſtitutus eſt Baptiſmus ad cauſandam, ſeu moraliter efficiendam remiſſionem peccatorum in ſubjecto ſufficienter diſpoſito. 183. ſed ad efficiendam remiſſionem peccatorum.

Unde Julius Papa ait, & refertur 26. q. 6. c. 12.) *Si Presbyter Pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum.* Et Cæleſtinus Papa Epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ (& ponitur eadem c. 13.) *Agnovimus*, inquit, *Pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſiderus annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus (fateor) tantæ impietatis aliquem* Probatur auctoritate Julii & Cæleſtini Pontif.

Digitized by Google

aliquem inveniri, ut de Dei bonitate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem redimere, quo ſe expediri deſiderat & liberari. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quàm morienti mortem addere, ejuſq; animam ſuâ crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? ..... Salutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore ſperatam Pœnitentiam denegarit. Quæ vera non ſunt (quod abſit) ſi Abſolutio Sacramentalis ſolummodo oſtendat remiſſionem peccatorùm jam factam; itemque, ſi tantùm ſe extendat ad remiſsionem pœnæ temporalis, aut certè liberationem ab obligatione confitendi.

184. **Item ex ſolicitudine fidelium in fine vitæ.** Profectò ipſa ſolicitudo fidelium in fine vitæ de ſuſcipiendo Sacramento Pœnitentiæ, ut ſic poſsint evitare periculum æternæ damnationis, non modicum ſignum eſt, per Sacramentum Pœnitentiæ amiſſam gratiam recuperari, per quam æternæ damnationis periculum evitetur.

Appoſitè Trident ſeſſ. 6. c. 14. in principio: *Qui verò ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, cùm, excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint.*

185. **Sacramentum Pœnit. remittit verè & propriè omnia peccata ſibi ritè ſubjecta.** Quibus omnibus maturè expenſis, duximus perſiſtendum, & perſiſtimus, neque ullatenus dubitamus, per Sacramentum Pœnitentiæ remitti verè & propriè peccata ritè ſibi ſubjecta quoad culpam, non tantùm hoc, vel illud peccatum, ſed prorſus omnia, cùm non ſit major ratio de uno, quàm de alio, ùt patet ex dictis diſp. 6. ſect. 5. concl. 1. idque ex integro, nullam ſcilicet relinquendo deordinationem moralem, vel ſaltem venialem.

Aut enim pœnitens eſt indiſpoſitus, & tunc peccatum quoad nihil dimittitur, vel eſt diſpoſitus, & remittitur tota culpa; nam miniſter operatur ex poteſtate Chriſti, qui dedit hominibus poteſtatem remittendi peccata totaliter hiſce verbis Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata* &c. Vide diſp. 6. ſect. 5. concl. 4.

186. **Differentia inter Sacramentum Pœnit. & virtutem quoad hunc effectum.** Quippe, quæ virtutis Pænitentiæ (de qua ibi egimus) eadem eſt ratio Sacramenti Pœnitentiæ, quoad hunc effectum, cum hac ſola differentia, quòd Sacramentum remittat peccata ex opere operato, virtus autem ex opere operantis, aut quaſi.

Quam particulam addo, quia opus operantis propriè videtur eſſe meritum condignum, quod ſuam vim & efficaciam accipit ex perſona operante; tale autem meritum non eſt virtus Pœnitentiæ reſpectu primæ gratiæ ſanctificantis, ſed meritum dumtaxat congruum, de quo diximus diſp. 6. ſect. 5. concl. 7. Vide etiam concluſionem 9. ubi probavimus, per virtutem Pœnitentiæ non remitti de facto peccatum mortale quoad culpam, abſque mutatione pœnæ æternæ: & ideo hìc conſequenter dicimus:

CONCLUSIO V.

Sacramentum Pœnitentiæ unà cum culpa remittit pœnam æternam, eamque in temporalem commutat.

Eſt expreſſa doctrina Concilii Trid. ſeſſ. 6. c. 14. ubi docet, *Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à Baptiſmali, eáq; contineri non modò ceſſationem à peccatis & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorumdem Sacramentalem Confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem Abſolutionem; itemq; Satisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali; quæ, ùt Sacræ litteræ docent, non tota ſemper, ùt in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati Spiritum ſanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti.* Ergo ſecundùm Tridentinum & Catholicam Eccleſiam, Sacramentum Pœnitentiæ unà cum culpa remittit pœnam æternam, ſic tamen ut remaneat exſolvenda pœna temporalis. 18 **Prob. Con. ex C. Trid.**

Et verò quantùm ad remiſſionem pœnæ æternæ, eam de facto ſemper conjungi remiſſioni culpæ mortalis omnes fatentur, quidquid ſit de poſſibili, de quo ſufficiant dicta diſp. 6. ſect. 5. concl. 9. quæ hìc nolo repetere ad vitandam nimiam prolixitatem. Porrò pœnæ temporali, quæ remanet exſolvenda, vel in hoc ſæculo, vel in futuro, contradicitur ab Hæreticis noſtri temporis. Vide Bellarm. lib. 4. de Pœnit. c. 2. 18 **Rem. pœn. temp. poſt ſion. æ. negat. reuc.**

Catholica veritas definita habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 30. ſub hoc tenore verborum: *Si quis poſt receptam juſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exſolvendæ, vel in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regnum Cælorum aditus patere poſſit; anathema ſit.* **Def. Con.**

Item ſeſſ. 14. can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti à Deo* &c. *anathema ſit.* Et can. 15. *Si quis dixerit ...... fictionem eſſe, quòd virtute Clavium, ſublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumque exſolvenda remaneat; anathema ſit.*

Nec deeſt probatio hujus veritatis ex Scriptura. Imprimìs Numer. 14. poſtquam Deus dimiſerat peccatum murmurationis filiis Iſraël, dicens v. 20. *Dimiſi juxta verbum tuum,* Moyſen intelligit qui rogaverat pro dimiſſione; nihilominus v. 29. & 30. ait: *Omnes qui numerati* 18 **& pr. ex Sc. Num.**

numerati eſtis à viginti annis & ſuprà, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun.

Sed & Moyſi & Aaroni ſimilis pœna impoſita fuit propter peccatum remiſſum, niſi dixeris eos in peccato mortali obiiſſe. Num. 20. v. 12. *Dixitq; Dominus ad Moyſen & Aaron: quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël non introducetis hos populos in terram, quam*
Deut. 32. *dabo eis.* Et Deuter. 32. v. 28. & ſequentibus: *Locutuſq; eſt Dominus in eadem die, dicens: Aſcende in montem iſtum Abarim &c. & morere in monte. Quem conſcendens iungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in monte Hor, & appoſitus populis ſuis; quia prævaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſraël ad aquas contradictionis &c.*

190. Omitto, quod ait Apoſtolus Hebr. 9. v. 27.
Hebr. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori,* in pœnam utique peccati primi Parentis, indubiè quoad culpam remiſſi. De qua pœna ſic Auguſtinus lib. 13. de Civit. c. 6. in fine: *Cùm ex hominis primi perpetuatâ propagine, procul dubio ſit mors pœna naſcentis; tamen ſi pro pietate iuſtitiaq; pendatur, fit gloria renaſcentis: & cùm ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.* Scilicet perſonali, cui poſt remiſſionem adhuc aliqua pœna debetur, ſed Martyrio tota deletur, ùt patet ex initio capitis 7. ſequentis tenoris: *Nam quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti Confeſſione moriuntur: tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis.*

191. Obvium etiam eſt exemplum Davidis 2. Reg. 13. v. 13. & 14. *Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitq; Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi morte morietur.*

Item exemplo Davidis 2. Reg. 13.

Ubi appoſitè Auguſt. lib. 21. contra Fauſtum c. 67. *Quid aliud quàm cordis eius profunda cernebat ſpiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit;* Peccavi: *continuoq; ad hoc unum verbum audire meruit, quòd acceperit veniam? Ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem? Neque enim prætermiſſa eſt in illo, ſecundùm Dei comminationem, flagelli paterni diſciplina, ut & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur.*

Haud verò mediocre fidei robur fuit, aut parvum mitis & obedientis animi inditium, cùm audiſſet à Propheta, quòd ſibi Deus ignoviſſet, & tamen quæ fuerat comminatus, conſequenter eveniſſent, non ſe dicere Prophetæ deceptum eſſe mendacio, nec murmurare adverſus Deum, quaſi falſam eius peccatorum indulgentiam pronuntiaverit. Intelligebat enim vir altè ſanctus, & non contra Deum, ſed ad Deum levans animam ſuam, niſi Dominus eſſet confitenti pœnitentiq; propitius, quantum pœnarum æternarum eius eſſent digna peccata: pro quibus cùm temporalibus emendationibus verberaretur (aliàs ureretur) *videbat erga ſe & manere veniam, & non negligi medicinã.*

Talem, inquam, medicinam, quæ ſimul foret punitio peccati præteriti. Nam ùt graphicè idem S. Doctor Enar. in Pſ. 50. ad illa verba: *Ecce enim veritatem dilexiſti. Id eſt, impunita peccata eorum, etiam quibus ignoſcis, non reliquiſti. Veritatem dilexiſti. ſic miſericordiam prærogaſti, ut ſervares & veritatem. Ignoſcis confitenti, ignoſcis; ſed ſeipſum punienti: ità ſervatur miſericordia & veritas. Miſericordia, quia homo liberatur, veritas, quia peccatum punitur.*

Sive ergo in hac vita, ubì ſæpè punitio 192.
peccati præteriti eſt medicina præſervativa futuri, ſive in altera vita, ubì punitio non habet rationem medicinæ; cùm abſit periculum peccati futuri, utì in Purgatorio, vel deeſt ſpes emendationis, veluti in Inferno, equidem juſtum & æquum eſt, ùt peccata præterita non maneant impunita, ne facilitas veniæ ſit hominibus occaſio faciliùs peccandi.

Iuſtum & æquum eſt ut peccata præterita non maneant impunita, & quare.

Sanè, inquit Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. Conc. Trid. *divinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerunt, aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono ſcientes templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ità nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione acceptâ peccata leviora putantes, velut iniurii & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ.*

Planè conveniens erat, quòd homo quan- 193.
tùm commodè fieri poteſt, ſatisfaceret Deo pro peccatis; cùm ergo per pœnam temporalem commodè poſſit ſatisfacere; hæc enim non repugnat præmio æterno, quidni juſtiſſimè Deus ordinaverit ut ſatisfaciat? Prorſus iuſtiſſimè ſic ordinavit; quamquam, ut oſtendat divitias bonitatis ſuæ in vaſa miſericordiæ; per gratiam Baptiſmi ità perfectè deleat omnia peccata, ut eorum non recordetur ampliùs, vel ſaltem ad leviſſimam pœnam in futuro ſæculo. Et procul dubio idem potuiſſet facere per gratiam Sacramenti Pœnitentiæ, ſed feciſſe nullum exſtat indicium, immo non feciſſe, videtur exigere ratio divinæ juſtitiæ; & decet divinam clementiam.

Conveniens fuit, quòd homo ſatisfaceret Deo pro peccatis.

Fatemur Chriſtum pro peccatis noſtris ſatiſ- 194.
feciſſe, juxta illud Trid. ſeſſ. 6. c. 7. *Meritoria* (cauſa juſtificationis) *dilectiſſimus Unigenitus ſuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus: qui cùm eſſemus inimici propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, ſuâ ſanctiſſimâ Paſſione in ligno Crucis nobis iuſtificationem meruit; & pro nobis Deo Patri ſatisfecit:* ſic tamen ut nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur, nemo cenſeri poſsit ſatisfeciſſe pro peccatis ſuis, niſi cui ſatisfactiones Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti applicantur, per bona opera, per Sacramenta, per Indulgentias; & ſuffragia.

Chriſtus ſatisfecit pro peccatis noſtris.

attamen noluit ſuas ſatisfactiones applicare per hoc Sacramentum ad remiſſionem omnis pœnæ, ùt patet ex uſu Eccleſiæ.

Noluit autem Chriſtus per Sacramentum Pœnitentiæ applicare ſuas ſatisfactiones, alioquin ſufficientes, ad remiſſionem omnis pœnæ etiam temporalis, ùt conſtat ex antiquiſſimo uſu Eccleſiæ, quæ licèt his qui baptizantur, nullam pro peccatis præteritis injungat Pœnitentiam ſeu Satisfactionem, equidem poſt Baptiſmum lapſos, non ſolet abſolvere à peccatis, niſi injunctâ Pœnitentiâ ſeu ſatisfactione pro pœnis temporalibus.

195. Objectio ſolvitur.

Nec valet dicere: Chriſtus remittens peccata Paralitico, ſimiliter Mariæ Magdalenæ, non injunxit Pœnitentiam: ergo nec Eccleſia debet injungere; non valet, inquam, hæc Conſequentia; quia Chriſtus non adminiſtravit ibi Sacramentum Pœnitentiæ, cùm nondum eſſet inſtitutum; ſed poteſtate Excellentiæ remiſit utrique peccata, & indubiè remittere potuit quoad culpam, & omnem pœnam etiam temporalem, & fortè videbat Mariam Magdalenam non indigere Pœnitentiâ præ magnitudine Contritionis. Tanta quippe poteſt eſſe Contritio, ùt deleat omnem pœnam, quamvis ordinariè tanta non ſit, & ideo regulariter Sacerdos debet injungere Pœnitentiam ſeu Satisfactionem: ſi tamen conſtaret de ſufficientia Contritionis; & ipſe ſinè Pœnitentia poſſet abſolvere ſeu remittere peccata. Interim nunquam revocavit Chriſtus, quod olim dixerat Dominus per Propheram Ioël c. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.*

Tanta poteſt eſſe Contritio, ut deleat omnem pœnam.

196. Alia objectio.

Si rurſum objicias: quælibet Contritio charitate perfectâ delet pœnam æternam; ergo etiam omnem pœnam temporalem, quia, qui poteſt quod majus eſt, etiam poteſt quod minus eſt, ſaltem quando minus eſt ſubordinatum majori, & ejuſdem cum ipſo rationis.

Reſponſio.

Reſpondetur rurſum Negan. Conſequent. Siquidem hujuſmodi Contritio non delet pœnam æternam ex natura rei, neque meretur illam remiſſionem de condigno, ſed tantùm de congruo; idque conſecutivè dumtaxat, & non directè. Patet, quia non remittit ex natura rei peccatum quoad culpam, neque meretur de condigno remiſſionem peccati quoad culpam, ſed tantùm de congruo; peccato autem ſublato quoad culpam, neceſſe eſt, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, quâ non remittitur culpa, abſque conceſſione juris ad vitam æternam, neceſſe, dico, eſt, ut auferatur pœna æterna, quæ repugnat vitæ æternæ; ergo etiam aufertur pœna temporalis, negatur Conſequentia: & diſparitas plana eſt, quia hæc pœna non repugnat vitæ æternæ.

Contritio non delet pœnam æternam ex natura rei, neque de condigno meretur illam remiſſionem.

197. Deus potuiſſet quamlibet acceptare ad remiſſionem pœnæ non c... id feci

Et quamvis Deus potuiſſet acceptare quamlibet Contritionem, ſicut ad remiſſionem culpæ, ità etiam ad remiſſionem omnis pœnę, tanquam meritum ejus congruum; attamen acceptaſſe, nullum indicium eſt. Nonne etiam potuiſſet acceptare ad bona temporalia, divitias, honores, &c? Et illa bona quis ambigit minora eſſe remiſſione peccatorum quoad culpam? Et tamen nemo propterea dicit, Contritionem infallibiliter promereri bona temporalia, uti promeretur remiſſionem peccatorum quoad culpam. Ergo licèt de congruo, etiam directè, promereretur remiſſionem pœnæ æternæ, non ideo tamen remiſſionem pœnæ temporalis, cùm utraque pendeat à libera voluntate Dei, & conſtet, Deum punire peccatum, remiſſum quoad culpam.

198. Explic. Scripi Ezech

Unde quod dicitur Ezech. 18. v. 21. & 22. *Si impius egerit Pœnitentiam &c. vitâ vivet & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor*, intellige ad mortem; nam ſequitur: *In iuſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet.* Jam autem pœnæ temporales non ſunt mors, de qua ibi loquitur Dominus per Prophetam, ſed perfectè conſiſtunt cum vita gratiæ & gloriæ.

& ad ... 8.

Eodem modo accipiendum, quod ait Apoſtolus Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*, id eſt, nihil quod eſt incompoſſibile cum vita æterna.

199. Plus ... mitte... ratio... ſubſt... pœna... quàm... durat... nem.

Non tango hìc, plus eſſe remittere durationem, & ſubſtantiam rei ſeu pœnarum, quàm ſolam durationem: ergo minus eſt remittere pœnam æternam, quàm pœnam æternam & temporalem ſimul: quia remittere pœnam æternam, idem eſt quòd remittere æternitatem pœnæ, ſeu æternam durationem; remittere autem pœnam æternam & temporalem ſimul, eſt remittere ipſam ſubſtantiam rei ſeu pœnæ: ergo non bene ſequitur, Contritio delet pœnam æternam, id eſt, æternam durationem pœnæ; ergo etiam delet omnem pœnam temporalem; id eſt, etiam delet ſubſtantiam pœnæ æternæ, quia non bene ſequitur; qui poteſt minus, poteſt etiam quod majus eſt.

200. Inſtan

Inſtas: ſaltem augmentum gratiæ & gloriæ, majus bonum eſt, quàm remiſſio pœnarum temporalium; ſed Contritio hominis juſti, meretur de condigno augmentum gratiæ & gloriæ: ergo etiam remiſſionem pœnarum temporalium.

Solvit... Merit... condig... compl... accept... ne div...

Reſpondeo Neg. Conſeq. quia, in ſententia Scoti, meritum condignum completur acceptatione divinâ; conſtat autem Deum acceptaſſe Contritionem hominis juſti, & aliud quodlibet opus bonum in Deo factum, ad præmium gratiæ & gloriæ, ſecùs ad præmium remiſſionis pœnarum temporalium. Quare ſic acceptaverit, ſtat pro ratione à priori ejus voluntas, quæ non poteſt eſſe injuſta, aut irrationabilis.

201. Ratio ... Deus n... accepta... quodlib... opus b... num h...

Rationem congruentiæ aſsignat Trident. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Procul dubio magnopere à peccato revocant, & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſq; & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque*

peccatorum

Digitized by Google

[illegible] *peccatorũ reliquiis, & vitioſos habitus, malè vivendo comparatos, contrarus virtutum actionibus tollunt.*

Et verò quod dixi de condignitate meriti, idem dico de condignitate ſatisfactionis, nimirum condignam Satisfactionem compleri acceptatione divinâ; adeòque Contritionem hominis juſti non eſſe condignam Satisfactionem pro omni pœna temporali; niſi oſtendatur, ubi Deus illam pro tali acceptaverit. Cùm ergo nimis manifeſtum ſit, non acceptaſſe pro omni pœna, quamvis bene pro aliqua parte, ſequitur non eſſe Satisfactionem condignam niſi pro iſta parte.

202. [illegible] Ex hactenus dictis facilè quivis Theologus intelliget, quid ſit, Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu Deum per gratiam Sacramenti Pœnitentiæ, commutare pœnam æternam in temporalem. Profectò nihil aliud eſt, quàm Deum remittere æternitatem, ſeu durationem æternam pœnæ ſenſûs, retentâ ejus ſubſtantiâ, in qua commutatione nullum omnino cernitur inconveniens; qui enim pro peccato præterito poterat punire in æternum, etiam juſtiſſimè eamdem pœnam quoad ſubſtantiam, poteſt infligere pro certo aliquo tempore majori vel minori, ùt ſibi videbitur expedire.

Atque ut pœna temporalis, v. g. Purgatorii, alterius foret ſubſtantiæ; equidem certum eſt, quòd inferioris rationis; adeòque qui promeruiſſet pœnam æternam, conqueri nullatenus poſſet, ſi cogeretur ſuſtinere pœnam temporalem, tametſi quoad ſubſtantiam diverſam. Nonne ſi reo læſæ Majeſtatis pro pœna capitis, quam promeruit, decernatur flagellatio, juſtam habet rationem querelæ? Patet quòd non, ſed gratias agere debet judici pro beneficio collato.

203. [illegible] Porrò veluti nullum eſt inconveniens, quòd Princeps ſupremus pœnam capitis à Lege ſtatutam, propter extraordinariam cauſam commutet hìc & nunc in pœnam flagellationis, ſic nullum video incommodum in eo, quòd Deus ab æterno ſtatuiſſet peccatum, v. g. fornicationis, punire pœnâ æternâ, ſi homo non pœniteat ſufficienter ad remiſſionẽ culpæ, ſin verò taliter pœniteat, punire pœnâ temporali Purgatorii; eſtò enim per remiſsionem peccati quoad culpam, deſtruatur eſſentia peccati, & aboleatur ejus malitia, adhuc tamen poteſt manere, de potentia abſoluta, tota dignitas ad pœnam, id eſt, reatus pœnæ æternæ; quidni de facto poſſit manere dignitas ad pœnam temporalem, ſeu reatus pœnæ temporalis, abſque eo, quòd reſultet nova alia malitia ſeu culpa?

Nonne in exemplo ſuprà poſito, quando reo læſæ Majeſtatis remittitur crimen, & pœna capitis, mutatur in pœnam flagellationis, nova debet reſultare malitia minor? Non puto; ſufficit quippe malitiam dignam tali pœnâ præexſtitiſſe. Ergo ſimiliter in noſtro caſu, ut maneat dignitas ad pœnam temporalem, ſufficit, quòd præceſſerit malitia, ſive culpa, digna tali pœnâ.

Unde non valet argumentum Aliquorum: Ceſſante causâ, ceſſat effectus; ſed peccatum eſt cauſa punitionis: ergo eo ablato, ceſſat dignitas pœnæ. Reſpondetur enim cauſam punitionis hìc non eſſe peccatum præſens, ſed merè præteritum. 204. Rejicitur argumentum aliquorum.

Cæterùm, ſi à me quæritur, an per Sacramentum Pœnitentiæ, ſi non tota pœna temporalis, ſaltem aliqua ejus pars remittatur; Reſpondeo:

CONCLUSIO VI.

In Sacramento ſemper dimittitur pars aliqua pœnæ temporalis, major vel minor ſecundùm diſpoſitionem pœnitentis.

HAnc Concluſionem colligo ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 14. ibi: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ùt ſacræ Litteræ docent, non tota ſemper, ùt in Baptiſmo fit, dimittitur illis* &c. Si non tota ſemper dimittitur; quidni ſemper remittatur aliqua pars? 205. Colligitur Concl. ex Conc. Trid.

Scio, hanc collectionem non eſſe omnino neceſſariam; nam ad intentum Concilii ſatis erat, quòd non ſemper tota pœna remitteretur, ùt volebant Hæretici, contra quos agit, quidquid ſit de remiſſione partis pœnæ. Interim videtur tacitùs noſtram Concluſionem inſinuare, dum agens de remiſſione pœnæ temporalis in Sacramento Pœnitentiæ, ne verbulo quidem contrarium indicat, quòd utique feciſſet hâc occaſione, ſi judicaſſet nihil omnino pœnæ temporalis per hoc Sacramentum remitti.

Saltem liberum relinquit ità opinari de virtute ſeu efficacia hujus Sacramenti, quod inſtitutum eſt ad remiſſionem peccatorum, non tantùm quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam temporalem, ùt patet, dum Satisfactio impoſita per Sacerdotem, vi Sacramenti ex opere operato cauſat remiſſionem pœnarum temporalium, etiam ex toto, ùt ſuo loco diffuſiùs explicabimus.

Sanè uſus univerſalis Eccleſiæ habet, quòd minores Pœnitentiæ ſeu Satisfactiones imponantur iis pœnitentibus, qui apparent meliùs diſpoſiti per Contritionem vel Attritionem internam; idque quia ſupponit Eccleſia, Sacramentum Pœnitentiæ ab initio, dum eſſentialiter perficitur, remittere partem aliquam pœnæ temporalis, majorem vel minorem 206. & probatur ex uſu Eccleſiæ, quæ imponit minores ſatisfactiones meliùs diſpoſitis,

Digitized by Google

ſecundùm diſpoſitionem pœnitentis. Equidem nulla eſt ſufficiens ratio, cur potiùs infuſio gratiæ fiat ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem, quàm remiſſio pœnæ temporalis.

207. Quid de hac re ſenſerit Doct. Seraphicus.

Allubeſcit audire Doctorem Seraphicum de hac controverſia 4. diſt. 18. p. 1. a. 2. q. 2. n. 24. ubì ſic ait: *Et ideo eſt tertius modus dicendi magìs conſonus rationi & fidei pietati, quòd Sacerdos aliquam partem pœnæ abſolvendo dimittit ex vi Clavium: & hoc poſſumus intelligere ſic; quia univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, ideo in iuſtificatione quæ eſt opus miſericordiæ, miſericordiâ ſic remittit culpam, ut iuſtitiæ regulam non prætereat. Propterea adhuc detinet obligatum ad pœnam; illa autem pœna ob rigorem divinæ iuſtitiæ eſt viribus noſtris improportionabilis, & noſtræ cogitationi ignota, & pro illa oportet quòd ſatisfaciat Deo. Providit ergo adhuc nobis viam miſericordia divina, & conſtituit arbitrum Sacerdotem, & illi dedit poteſtatem arbitrandi & taxandi pœnam, & manifeſtandi nobis; & partem pœnæ remittere ex virtute Paſſionis Chriſti, ut divina iuſtitia pro illa parte ſolutionem ab iſto non exigat, ſed ex Paſſionis Chriſti pœnâ ſit contenta. Quanta ſit illa pars noſtrum non eſt determinare, ſed Dei. Et tunc Sacramentum Pœnitentiæ non tantùm erit oneroſum, ſed etiam fructuoſum. Hanc ergo opinionem ſuſtinendo, concedendum eſt, quòd Sacerdos remittit aliquam partem pœnæ, ſicut oſtendunt rationes, non æternæ, ſicut oſtendunt aliæ, non purgatoriæ, ſed communiter illius pœnæ, quâ Deus obligat peccatorem poſt Abſolutionem à culpa; & pro illa nunquam punitur in Purgatorio, nec alibi, ſed pro illa parte, à qua non abſolvit, vel punietur hìc ſufficienter, vel Dominus exiget in Purgatorio.* Hæc ille.

Docet vi Clavium remitti aliquam partem pœnæ temporalis.

Ubì apertè docet, vi Clavium remitti aliquam partem pœnæ temporalis, præter illam quæ remittitur per pœnam taxatam à Sacerdote. Quod repetit in reſponſione ad 2. 3. & 4. objectionē ibi: *Ab æterna* pœna *nullo modo ſolvit Sacerdos, à purgatoria abſolvit, non per ſe, ſed per accidens: quia cùm in pœnitente virtute Clavium minuitur debitum pœnæ temporalis, non ità acriter punitur in Purgatorio, ſicut ſi non eſſet abſolutus:* Dum ergo in corpore dicit, Sacerdotem non remittere aliquam partem pœnæ purgatoriæ, intelligendus venit de remiſſione per ſe.

208. quæ remiſſio non præjudicat Divinæ juſtitiæ.

Si objicitur, quòd hæc remiſſio præjudicat divinæ juſtitiæ. Reſpondet: *Sicut in Baptiſmo per Paſſionis Chriſti meritum & ſolutionem, ſolvitur peccator à tota pœna, ità in Pœnitentia per eiuſdem Paſſionis Chriſti virtutem ſolvitur à parte pœnæ: ità quòd in nullo præiudicatur iuſtitiæ, immo verificatur illud Pſalmiſta:* Miſericordia & Veritas obviarunt ſibi: *Miſericordia autem ſupererogando pretium, iuſtitiæ ſatisfacit.*

Eſt autem æqualis in omnibus ſecundùm comparationem proportionalem.

Quæris à Doctore Seraphico, an majorem partem remittat ei, qui magìs debet? Reſpondet continuò: *Dicendum, quòd miſericordia non conſiderat meritum, ſed miſeriam, & ideo divina miſericordia quæ ſubvenit hìc miſeris, non conſiderando in eis meritum, ſed demeritum, ſubvenit per meritum Chriſti, & remittit partem æqualem omnibus, non, inquam, ſecundùm abſolutam comparationem, ſed proportionalem, ut ſi illi qui debet centum, remittit decem, & ei qui debet decem, remittit unum.*

209 Sed ho[c] ... timu... deru... conjec...

Sed hoc (ſalvâ ejus reverentiâ) videtur libera conjectura. An fortè dicemus illi qui debet centum, infundere gratiam ùt decem, & ei qui debet decem, gratiam ùt unum?

Conc. ...

Docet Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. unumquemque recipere gratiam, non ſecundùm debitum culpæ, ſed, *ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.*

Quidn[i] ſecund[ùm] proprii cujuſq[ue] diſpoſi[tio]nem?

Quidni idem dicamus de remiſſione pœnæ temporalis, videlicet unicuique remitti pœnam temporalem in Sacramento Pœnitentiæ, non ſecundùm debitum pœnæ, ſed ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem? Quam autem menſuram Spiritus ſanctus velit, quis conſiliarius ejus fuit, ut ediſſerat nobis? Res planè incerta eſt, & abſcondita à cordibus filiorum Adam, ut de propitiato peccato non ſint ſinè metu, neque ſpe facilioris veniæ adjiciant peccatum ſuper peccatum.

21[0] Objec.

Si inferas: ergo fieri poterit, ut Sacramentum Pœnitentiæ ab initio, dum eſſentialiter perficitur, dimittat totam pœnam temporalem, quemadmodum in Baptiſmo dimittitur.

Solvi[tur].

Reſpon. concedendo totum. Neque hoc improbat Tridentinum, ſed potiùs inſinuat ſeſſ. 6. c. 14. verbis ſuprà in principio concluſionis recitatis, *Non tota ſemper, ùt in Baptiſmo fit, dimittitur illis* &c. Non dicit, nunquam dimittitur, ſed, *non ſemper*. Quidni ergo aliquando dimittatur.

21[1] In tan[tum] poteſt [pec]cator c[on]teri, q[uòd] Deus t[otam] pœnan[m] mittat. D. Bo[na]vent.

Fatetur D. Bonaventura ſuprà n. 24. in tantum poſſe conteri peccatorem, quòd Deus totum remittat. Sic inquit Doctor Seraphicus: *Eſt ſecundus modus dicendi, quòd Sacerdos abſolvit non tantùm ab hoc vinculo* (intelligit obligationem confitendi) *ſed etiam à pœna purgatoria, ligando ad pœnam ſatisfactoriam, ſed non ſolvit aliquam partem pœnæ relaxando, ſed ſolùm commutando, & hoc ſub conditione, ſi explet Satisfactionem iniunctam. Sed ſi illa Satisfactio ſit condigna, abſolvit à tota, ſi non, abſolvit à tanta; & ideo ſi peccator moriatur ante complementum Satisfactionis condignæ, non oportet eum puniri in Purgatorio. Sed nec iſtud ſufficit adhuc, quia iſte peccator poſt Abſolutionem divinam non ligatur ad pœnam purgatoriam magìs quàm ad aliam: & hoc patet, quia tantùm poteſt conteri* (id eſt, adeò vehemens, acris & incenſa poteſt eſſe Contritio in Sacramento Pœnitentiæ) *quòd Deus totum remittit* (ab initio, dum eſſentialiter perfi-

perficitur Sacramentum) *& ſtatim evolabit; ergo non oportet quod illam commutet.* Interim, quia pauci admodum peccatores ad hunc gradum Contritionis perveniunt, neque facilè exteriùs cognoſcitur illa vehementia, acrimonia, & incenſio, ideo communiter oportet pœnam purgatoriam commutare.

212. [illegible] Cur autem ſufficiat quælibet Contritio, potiùs ad remiſſionem omnis culpæ, quàm omnis pœnæ: ratio eſt; quia in ordine ad remiſſionem culpæ, principaliter attenditur bonitas & ſupernaturalis honeſtas illius actûs, quæ licèt intenſivè major ſit in una Contritione quàm in alia; eſſentialiter tamen in omnibus eſt eadem, & remiſſio culpæ mortalis indiviſibilis eſt, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, ùt patet ex dictis diſp. præced. ſect. 5. concl. 5. At verò in ordine ad ſatisfaciendum pro pœna temporali, principaliter conſideratur Contritio ſecundùm pœnalitatem & afflictionem peccatoris; hæc autem pœnalitas ordinariè non eſt tanta, quanta neceſſaria eſt ad ſatisfaciendum ſecundùm æquitatem juſtitiæ pro tota pœna temporali, & remiſſio pœnæ diviſibilis eſt, ùt omnes fatentur.

213. [illegible] Reſtat difficultas, quomodo Contritio peccatoris, vel ſe ſolâ, vel in Sacramento, aliquam partem pœnæ temporalis, aut quandoque totam deleat, an prout naturâ præcedit infuſionem gratiæ, an verò prout coexiſtit gratiæ jam infuſæ. Poſteriorem modum eligit Suarius diſp. 10. de Pœnit. ſect. 3. n. 19.

[illegible] Sed contrà arguit Lugo de Pœnitentia diſp. 8. n. 56. quia ſic difficilè intelligitur, quomodo Deus taxaverit certam aliquam pœnam temporalem ſingulis peccatis mortalibus remiſſis, ùt ibi ſupponit Suarius, cùm nunquam illam infligat, ſed ſemper minuat ratione Contritionis.

214. [illegible] Reſpondet Arriaga diſp. 19. n. 12. verum quidem eſſe, nunquam eam totam pœnam infligendam, non tamen ideo inutilem eſſe eam taxationem; deſervit enim ad hoc, ut Deus poſſit ſcire, quæ pœna maneat hominem poſt juſtificationem luenda in Purgatorio. Si enim decrevit Deus aliquid remittere ratione Contritionis, & quidem plùs minuſve, juxta ipſius Contritionis majorem, aut minorem intenſionem, neceſſum omnino fuit, Deum ſcire, quanta eſſet ea ſumma, ex qua debebat demere, ut ſic ſciret, an ablatâ pœnâ æternâ, ſolvenda foret pœna duorum v. g. dierum ob furtum centum florenorum: ergo cùm ratione Contritionis deleantur tres horæ, manebunt duo dies abſque tribus horis. Hæc ille pro Suario.

Addit n. 14. ſecundùm principia Suarij dari caſum, in quo tota pœna taxata maneat, quando ſcilicet per Attritionem, non exiſtentem, dum datur gratia, remittitur peccatum. Non enim agnoſcit Suarez ullam Satisfactionem pro pœna temporali congruam tantùm, id eſt, ſinè ſtatu gratiæ, ſecùs meritum congruum gratiæ; nam pro hoc habemus fundamentum in Concilijs & Patribus, pro illa minimè.

Quo principio poſito facilè ſolvuntur duæ aliæ objectiones Lugonis. Prima, quòd Contritio perfectior, etiam antequam dignificetur per gratiam, exigat deletionem majorem illius pœnæ temporalis. Secunda, quòd non bene dicatur, Contritionem dignificari ad Satisfactionem, per gratiam, datam propter ipſam. 215. Duæ objectiones Lugonis.

Ad primam reſpondetur; Contritionem antequam dignificetur per gratiam, nullam omnino exigere deletionem pœnæ temporalis; ſed planè Deo liberum eſſe, eam acceptare pro ſolutione pœnæ debitæ, vel eam reſpuere; quòd autem acceptaverit eam, ſicut acceptavit ad infuſionem gratiæ, non conſtat. Reſponſio ad primam.

Ad ſecundam patet quid ſit reſpondendum; nimirum, illam gratiam omnino neceſſariam eſſe, ut Contritio ſit digna remiſſione pœnæ temporalis, vel potiùs ut habeat effectum remiſſionis pœnæ temporalis; ſecùs ut habeat effectum infuſionis gratiæ ſanctificantis; & ideo per illam gratiam non dignificatur ad alium effectum gratiæ, quia jam ſupponitur totum ſuum effectum habere; ſecùs ad effectum remiſſionis pœnæ, quem, ſecundùm Suarium, non poteſt habere, vel ſaltem non habet, niſi dignificata. Hæc ſummatim ex Arriaga; quamquam & ipſe ſententiæ Suarii non adhæreat. Reſponſio ad ſecund.

Si autem quæritur, quid ego ſentiam, dicam breviter. In primis, conſtat Deum aliquando remittere totam pœnam temporalem abſque condigna Satisfactione, puta per Sacramentum Baptiſmi cum ſola Attritione. 216. Sententia Auctoris.

Secundò, Satisfactio Sacramentalis, impleta in malo ſtatu, putatur à Scoto, cauſare ex opere operato remiſſionem pœnæ, vel totius, ſi eſt proportionata, vel partis ſecundùm ejus æquivalentiam. Unde non video, quomodo poſſim negare hunc effectum Contritioni in Sacramento, vel extra Sacramentum, etiam ùt naturâ præcedit infuſionem gratiæ. Similiter Sacramento Pœnitentiæ cum ſola Attritione, ſive adhuc phyſicè exiſtat Attritio, ſive ſolùm moraliter, quando gratia infunditur.

Qualiter autem hoc fiat, reſpondit Herincx diſp. 4. de Iuſtif. ſecundùm ſe n. 44. Deum unicâ remiſſione mutare pœnam æternam in temporalem inæqualem, juxta inæqualitatem Contritionis, ad quam quidem pœnæ temporalis diverſitatem, eodem modo diſponat Contritionis diverſitas, ſicut generaliter ad remiſſionem pœnæ æternæ, diſponit ſubſtantia Contritionis peccatoris juſtificandi. Similiter dum juſtificatur homo per Sacramentum, ſicut diſpoſitivè per Pœnitentiam, & moraliter 217. Deus unicâ remiſsione mutat pœnam æternam in temporalem inæqualem juxta inæqualitatem Contritionis, ex Herincx.

liter efficienter per Sacramentum tollitur reatus pœnæ æternæ ; ſic juxta inæqualem Sacramenti virtutem , & diſpoſitionis diſparitatem , videtur pœna æterna à Deo commutari in diſparem temporalem. Hucuſque Herincx ſatìs plauſibiliter in re incerta.

218. Objectio.

Si dixeris ; non placet hæc doctrina ; quia negat certam pœnam temporalem , quæ tamen videtur omnino neceſſaria , ut poſtea ſciat Deus, quantum reſtet cuilibet ſolvendum, ſi tali vel tali pœnalitate ſatisfaciat.

Solvitur 1.

Reſpondeo ; non negat certam pœnam , magìs quàm communis doctrina , quæ affirmat , gratiam infundi juxta diſpoſitionem ſubjecti, neget certam gratiam : neque determinatio pœnæ magìs eſt neceſſaria, ut Deus ſciat, quantum reſtet cuilibet ſolvendum , ſi tali vel tali pœnalitate ſatisfaciat , quàm determinatio gratiæ eſt neceſſaria , ut Deus ſciat , quantum cuilibet debeat dare , ſi tali vel tali diſpoſitione ſuſcipiat Sacramentum ; ſed ſicut unico actu determinavit infundere gratiam inæqualem , ſecundùm inæqualem diſpoſitionem ſubjecti, aut diſparem virtutem Sacramenti ; ità quoque unico actu determinavit remittere pœnam inæqualem , juxta inæqualitatem diſpoſitionis , aut diſparem virtutem Sacramenti.

219. Solvitur 2.

Aliter dici poſſet ; Deum per regulam generalem determinaſſe pœnam temporalem certam pro quolibet peccato , poſtquam eſt remiſſa æterna , quæ indubiè maneret , ſi pœna æterna remitteretur merè extrinſecè, aut per ſolam gratiam liberaliter infuſam. Attamen quia de facto ſemper remittitur vel per Contritionem charitate perfectam , vel per Sacramentum; hinc ſemper diminutio iſtius pœnæ per aliud decretum , diminutio , inquam , major vel minor , ſecundùm inæqualitatem Contritionis , aut Sacramenti.

Ex quo apparet nullatenus implicare, quòd pœna æterna commutetur per primum decretum in pœnam decennii v. g. & tamen eodem inſtanti remittatur pœna unius anni per ſecundum decretum ratione Contritionis , Sacramenti , aut etiam Indulgentiæ.

De cætero certum eſſe debet , debitum pœnæ æternæ nunquam commutari in pœnam temporalem ità diuturnam & gravem , quin poſſet commutari in aliam graviorem , ut proinde hâc conſideratione nunquam remittatur pœna æterna , quin ſimul remittatur aliquid de pœna temporali , in quam alioquin commutari potuiſſet. 220. Pœna æterna nunqu[am] commutatur in temporalem tam gravem, quin poſſet commutari in graviorem.

Atque hæc ſufficiant de re , ex ſe ſatìs dubia, cùm dependeat à libera voluntate Dei, de qua nihil ferè certi ex Scriptura , Conciliis , aut Patribus poſſumus deducere , ſed in multis per modum conjecturæ nobis diſcurrendum eſt. Tranſeamus itàque ad alias res , magìs certas , materiam dico ; & formam Sacramenti Pœnitentiæ. Pro materia inſtituitur

SECTIO SECVNDA.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Omnia Sacramenta novæ Legis rebus tanquam materiâ , & verbis tanquam formâ perficiuntur.

OMnia Sacramenta novæ Legis rebus tanquam materiâ , & verbis tamquam formâ perfici , docet Concilium Florentinum in Decreto Eugenii ibi : *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur , videlicet rebus tamquam materiâ , verbis tanquam formâ , & perſonâ Miniſtri , conferentis Sacramentum cum intentione faciendi , quod facit Eccleſia.* Duplex autem eſt materia , proxima videlicet , & remota , ut patet in Baptiſmo , cujus materia proxima eſt lotio ſeu ablutio , remota , aqua naturalis. Videamus ſi etiam Sacramenti Pœnitentiæ duplex ſit materia.

Materia duplex, proxima & remota,

Conc. Floren.

Concilium Florent. ſuprà ſic inquit : *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia , cujus quaſi materia ſunt actus Pœnitentis , qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis Contritio , ad quam pertinet , ut doleat de peccato commiſſo , cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris Confeſſio , ad quam pertinet , ut peccator omnia peccata quorum memoriam habet , ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia , Satisfactio pro peccatis ſecundùm arbitrium Sacerdotis: quæ quidem præcipuè fit per orationem , jejunium , & eleemoſynam.*

Conc. Trid.

Idem ſtatuit Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 3. ibi : *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus , nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti , ad plenamq; & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur , hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

2. Quaſi materia proxima Pœnit. Contritio, Confeſſio, & Satisfactio; remota materia, peccata.

Igitur quaſi materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ Contritio , Confeſſio , & Satisfactio : materia autem remota , peccata ; utpote circa quæ verſantur prædicti actus pœnitentis : nam, ut liquidò conſtat ex verbis Florentini , Contritio Sacramentalis eſt dolor de peccato, Confeſſio eſt accuſatio peccati, Satisfactio ejuſdem vindicta. Accedat Abſolutio

Digitized by Google

lutio à peccatis, quæ eſt forma hujus Sacramenti; adeóque nulli dubium eſſe poteſt, quin peccata ſint materia remota circa quam, ſicut vulnera ſunt materia remota circa quàm medicinæ, & ſubſtantia panis ac vini, quæ deſtruitur per verba Conſecrationis, ſunt materia remota Euchariſtiæ; nam & peccata per formam Abſolutionis deſtruuntur, & vulnerá per medicinam curantur.

Hoc ergo ſuppoſito pro indubitato, quæritur primò, an omnia peccata ſint materia hujus Sacramenti, vel ſi non omnia, quæ, & quæ non. Reſolutio erit

CONCLUSIO I.

Materia remota Sacramenti pœnitentiæ eſt omne & ſolum peccatum baptizati, id eſt, peccatum commiſſum in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum.

3. *Peccata commiſſa ante Baptiſmum non ſunt mater. in Abſolutionis, ſaltem directa.*

PEccata commiſſa ante Baptiſmum nullatenus eſſe materiam Abſolutionis, ſaltem directam, nimis manifeſtè conſtat ex diverſis locis Concilii Tridentini ſeſſ. 14. In primis cap. 1. ibi: *Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis* &c.

Probatur ex Conc. Trident.

Item cap. 2. ibi: *Conſtat Baptiſmi Miniſtrum Iudicem eſſe non oportere, cùm Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipſam, per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus.* Quid enim mihi, *inquit Apoſtolus*, de iis, qui foris ſunt, judicare? *Secùs eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lavacro Baptiſmi, ſui corporis membra ſemel effecit: nam hos, ſi ſe poſtea* (id eſt, poſt Baptiſmum) *crimine aliquo contaminaverint ...... ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit: ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari.* Et in fine capitis ait: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ùt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.*

Adde, quod habet c. 5. in principio: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis, iure divino neceſſariam exiſtere.*

Quid clarius, quàm peccata poſt Baptiſmum commiſſa eſſe materiam? Et ſiquidem peccata ante Baptiſmum eſſent materia, quæ ratio dubitandi, quin Concilium illud expreſſiſſet, alioquin doctrina ejus prorſus mutila foret. Hic ergo eſt totius Eccleſiæ ſenſus, & ſemper fuit.

Dicit quidem Arriaga (inquit Bonæ Spei hìc diſp. 4. n. 26.) omnes etiam ante Baptiſmum eſſe Chriſti ſubditos: ergo & Eccleſiæ, ac eorum, qui nomine Chriſti Sacramentaliter abſolvunt. Sed Conſequentia nulla eſt, quià (præterquam quòd impingat in Tridentinum, ſtatim citatum) Chriſtus Eccleſiæ non conceſſit omnem illam auctoritatem & juriſdictionem, quàm habuit, ùt v. g. prædeſtinandi, miracula patrandi &c. ſed limitatam dumtaxat ad hoc vel illud Sacramentum, ſic vel ſic conficiendum, vel miniſtrandum &c. Hucuſque Bonæ Spei. 4. *Arriaga videtur argui à Bonæ Spei.*

Sed (pace tanti viri) cupio doceri, quò loco Arriaga habeat illam Conſequentiam. Vel ſi nullibi habeat, ad quid nomen ejus? Anforte dubitabat Bonæ Spei, omnes ante Baptiſmum eſſe Chriſti ſubditos, ut hoc auctoritate illius Auctoris nobis vellet perſuadere? Et verò, quomodo Chriſtus potuiſſet eſſe Auctor novæ Legis, ſi non omnes ante Baptiſmum fuiſſent ſubditi Chriſti? Nonne Apoc. 1. v. 5. Ieſus Chriſtus vocatur *Princeps Regum terræ*? Et Apoc. 19. v. 16. *Rex Regum & Dominus Dominantium?* Ad quid ergo auctoritas Arriagæ. *Omnes ante Baptiſmum ſunt ſubditi Chriſti.* *Apoc. 1.* *Apoc. 19.*

Vis autem ſcire, an illa Conſequentia ſit Arriagæ? Audi quid dicat diſp. 31. n. 1. Obſervo, inquit ille, hanc rationem (deſumptam ex verbis Apoſtoli: *Quid mihi de iis qui foris ſunt iudicare*) habere vim ſuppoſitâ voluntate Chriſti: nam cùm ipſe habuerit juriſdictionem in omnes homines, etiam non baptizatos, potuit dare Eccleſiæ eamdem juriſdictionem, ut abſolveret à peccatis commiſſis, etiam ante Baptiſmum, quo caſu etiam non baptizati fuiſſent Eccleſiæ ſubjecti, ſaltem quoad hunc effectum. Quidquid de illo caſu ſit, de facto non voluit ea peccata eſſe materiam, aut neceſſariam, aut ſufficientem pro hoc Sacramento. Hactenus Arriaga. Amplius nil dico. *Arriaga.*

Liquet profectò, pro remiſſione peccatorum, Baptiſmum præcedentium, inſtitutum fuiſſe Sacramentum Baptiſmi; cujus *effectus*, teſte Florentino ſuprà, *eſt remiſſio omniu culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœna, quæ pro ipſa culpa debetur.* Ergo non eſt veriſimile, quòd pro eiſdem peccatis ſit inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ. 5. *Pro remiſſione peccatorum præcedentium Baptiſ. inſtitutus eſt Baptiſ.*

Unde neſcio, quo fundamento Angelus in Sum. v. Confeſſio 2. n. 2. dixerit: Non confitens peccatum mortale, commiſſum tam ante Baptiſmum, quàm pòſt, ſi habet copiam idonei Confeſſoris, memoriam peccati, & tempus, & loquelam ad confitendum, omnino damnabitur, cùm ſit de jure divino præcepta Confeſſio. *Ex quo reiicitur ſententia Angeli, peccatum commiſſum ante Baptiſ. eſſe confitendum.*

Citatur etiam pro hac opinione Scotus apud Medinam de Confeſſ. q. 5. credo, quia 4. diſt. 17. n. 10. ait: *Non videretur quòd infideles* 6. *Pro qua citatur etiam Scotus ex*

Digitized by Google

4. diſt. 17. n. 10. & 18.

tenerentur ad præceptum de confeſſione, ſi Confeſſio foret tantùm iuris Eccleſiaſtici. Et n. 18. *De ſecundo,* inquit, *articulo dico, quòd hoc præceptum includit quis debet confiteri; quia adultus, id eſt, habens uſum rationis, & cognoſcens peccatum quod commiſit.* Ubì nullam facit mentionem Baptiſmi, ſeu hominis baptizati: ergo videtur ſupponere etiam non baptizatum (qui poteſt eſſe adultus, id eſt, habens uſum rationis, & cognoſcens peccatum, quod commiſit) obligari; adeòque peccata ante Baptiſmum commiſſa eſſe materiam hujus Sacramenti, cùm non baptizatus non habeat alia peccata.

7. Explicantur verba Scoti, quæ habet n. 18.

Reſpondeo ad ultimum, non omnia ubique eſſe exprimenda. Suppoſuit Scotus ex communi Sententia, ſola peccatà poſt Baptiſmum commiſſa eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ, ùt priùs inſinuaverat diſt. 4 q. 5. n. 6. ibi: *Quandoque oportet omne peccatum, quod deletur, eſſe obiectum Pœnitentiæ, utpote ſi omnia illa peccata ſint commiſſa poſt Baptiſmum, quàndoque autem non oportet, ùt in propoſito* (loquitur de Baptiſmo fictè ſuſcepto, & quærit, an peccata ante Baptiſmum commiſſa, deleantur per Pœnitentiam, quâ tollitur fictio) *Non ergo per virtutem* (id eſt, efficaciam) *Pœnitentiæ; dimittuntur hìc omnia peccata, ſed in Pœnitentia dimittuntur, partim per Pœnitentiam, partim per aliam cauſam: & ſic non habetur ibi dimidia venià peccatorum, ſed tota à Deo: non tamen tota per Pœnitentiam; quia non oportet de omnibus, quæ inerant, peccatis pœnitere: & ſecundùm hoc eſſet dicendum, quòd illa ſex* (peccata commiſſa ante Baptiſmum) *delentur, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam: nec de eis oportet haberè Contritionem, nec Confeſſionem, nec Satisfactionem, ſed ſolùm de illo ſeptimò, quod fuit cauſa fictionis.*

Et n. 7. ſic ait: *Et tunc illa propoſitio; peccatum mortale poſt Baptiſmum non deletur, niſi per Pœnitentiàm, debet intelligi de peccato commiſſo poſt Baptiſmum, vel omnino inhærente, ſic ſcilicet, quòd de ipſo nec fuerit Contritio, nec Attritio in Baptiſmo, nec poſt Baptiſmum.* Utique quia illud, & non aliud eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ. Suppoſitâ itaque materiâ hujus Sacramenti, de qua Scotus ſuprà diſtinct. 17. non diſputabat, docet, omnem adultum rationis compotem, teneri ad Confeſſionem, ſi cætera adſint, id eſt, ſi cognoſcat peccatum, quod commiſit poſt Baptiſmum.

8. Explicantur verba Scoti, quæ habet n. 10.

Quantùm ad prima verba Scoti, certum eſt, quòd infideles non tenerentur ad præceptum de Confeſſione, niſi eſſet naturale vel divinum. An autem teneantur, ſuppoſito, quòd ſit præceptum divinum, Scotus ibi expreſsè non docet.

Richardus.

Atque ut doceret, prout in terminis docet Richardus 4. diſt. 17. quem citat Angelus ſuprà, adhuc non rectè inferretur: ergo peccata ante Baptiſmum commiſſa, ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: quia licèt obligarentur infideles illo præcepto, ſicut, ſecundùm multos Doctores, obligantur præcepto Eucharistiæ; haud equidem pro ſtatu infidelitatis retentæ, ſed ex hypotheſi, quòd ſuſcipiant Baptiſmum, & cognoſcant peccatum poſt Baptiſmum commiſſum, de quo plura ſuo loco, ubì de præcepto divino Confeſſionis

Præcipua difficultas, immo ferè ſola, quæ hìc movetur inter Doctores Catholicos, eſt hæc; an peccata, quæ fiunt ipſo inſtanti Baptiſmatis, ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ. Affirmat concluſio, quæ eſt communis, & videtur Scoti mox allegati 4. diſt. 4. q. 5. n. 6. in fine: *Nec de eis oportet habere Contritionem, nec Confeſſionem, nec Satisfactionem: ſed ſolùm de illo ſeptimo, quod fuit cauſa fictionis.* 9. An peccatum commiſſum ipſo inſtanti Baptiſmi, ſit materia hujus Sacramenti.

Similiter loquitur in Report. (Coloniæ impreſſis) 4. diſt. 4. q. 7. n. 3. *Dico,* inquit, *quòd fictus poteſt habere multa peccata, & non propter quodlibet eſt fictus, quia de multis poteſt haberè diſplicentiam, continuando tantùm unum: ſic, ſi eſt fictus tantùm de uno peccato, & habuit diſplicentiam de omnibus aliis; oportet illum habere diſplicentiam de illo uno peccato, ſicut de commiſſo poſt Baptiſmum* (id eſt, oportet illud confiteri; Confeſſio enim ſive Sacramentum Pœnitentiæ eſt illa Pœnitentia, quam oportet habere de peccato commiſſo poſt Baptiſmum) *& alia delentur per Baptiſmum.* Affirmat Scotus.

Addo, quæ de hac re ſcribit in Report. (ultimæ impreſſionis) eàdem diſt. q. 5. n. 3. *Si,* inquit, *ſit fictus reſpectu omnium peccatorum mortalium, quæ habet, quia de nullo atteritur, recedente fictione per Confeſſionem & Pœnitentiam, peccàta dimittuntur virtute præcedentis Baptiſmi; quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam; ſi autem ſit fictus propter unum peccatum, & de omnibus aliis attritus, recedente fictione iſtius unius per Confeſſionem, delentur omnia alia virtute Sacramenti, & gratiæ baptiſmalis; quæ tunc infunditur, quæ etiam infuſa fuiſſet in receptione Baptiſmi, niſi fictio infuiſſet; & ideo ſicut in principio expuliſſet omnia, & quantùm ad pœnam & culpam, eodem modo, eàdemq; virtute hoc facit, ceſſante fictione, de qua pœnitere oportet, & ſpecialiter confiteri.* 10. Quomodo ſe habeat fictio a Baptiſmo & ad Pœnitentiam ex Scoto.

Ubì per fictionem intelligo tam peccatum præcedens, quod actu placet, quando Baptiſmus ſuſcipitur (vel potiùs actualis complacentia peccati præteriti) quàm peccatum ſacrilegii, quod committitur ſuſcipiendo Baptiſmum, abſque debita diſpoſitione ad effectum gratiæ ſanctificantis. Et eadem eſt ratio de quocumque alio peccato, v. g. ſimonia, odio proximi &c. quod primò committeretur ipſo inſtanti vel tempore, quo imprimitur character baptiſmalis. Quid per fictionem intelligatur.

Rogas, quæ ſit iſta ratio? Reſpondeo, voluntas Chriſti, quam cognoſcimus ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Dominus noſter Ieſus* 11. Probatur ſententia Scoti ex

Ieſus Chriſtus è terris adſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſuipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint; quo, pro poteſtate Clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Hujuſmodi autem mortalia crimina, ſunt omnia illa, quæ committuntur ipſo inſtanti, vel tempore, quo imprimitur character Baptiſmi.

(In inſtanti vel tempore, quo homini imprimitur character, eſt Chriſtianus & fidelis.) Patet; quia illo inſtanti vel tempore homo eſt Chriſtianus & fidelis. Sicuti ipſo inſtanti vel tempore, quo homini infunditur gratia ſanctificans, eſt juſtus, amicus Dei, & hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ, non minùs, quàm in omnibus reliquis inſtantibus.

12. (Probatur à ſimili in formis phyſicis.) Quod etiam cernitur in formis phyſicis; quæ non minùs primo inſtanti, quàm cæteris ſubſequentibus communicant ſubjecto ſuum effectum formalem. Sic in primo inſtanti, quo mihi unitur albedo, ſum omnino albus, quò unitur calor, ſum omnino calidus &c.

Ergo ſimiliter in primo inſtanti vel tempore, quo communicatur mihi character Chriſti, ſum omnino Chriſtianus, ſive de familia Chriſti: ergo peccatum mortale, quod illo inſtanti vel tempore committitur, eſt peccatum hominis fidelis & Chriſtiani; quidni ergo deferri debeat ad Sacerdotes? Prorſus debet; quia jam eſt ſubditus Eccleſiæ, utpote per Baptiſmi januam in ipſam ingreſſus, in quem proinde Eccleſia judicium exercet ligando legibus, puniendo &c. ergò etiam abſolvendo.

13. (Religioſus eo inſtanti, quo emittit vota Religionis, poteſt contra peccare.) Putas, quia Religioſus, eo inſtanti, quo emittit vota Religionis, non poſſit contra illa peccare? Omnino peccaret, ſi v.g. haberet voluntatem aliquid accipiendi abſque licentia Prælati &c. Similiter conjux, eo inſtanti, quo contrahit Matrimonium, peccat contra fidem Matrimonii, ſi habeat animum fornicandi. Neque enim eſt neceſſe; quòd inter obligationem contractam per Profeſſionem, & ejus violationem, mediet nova notitia & advertentia; ſed abundè ſufficit, quòd prævideatur, emiſsâ Profeſſione non eſſe licitum talem actum; tunc quippe hoc ipſo quòd velim ſimul Profeſſionem, & actum proprietatis v. g. pecco contra obligationem Profeſſionis.

Ergo conſimiliter hoc ipſo, quòd aliquis vult ſuſcipere Baptiſmum, unàque v. g. non confiteri ſingulis annis, convincitur peccare contra legem Eccleſiæ, quæ obligat omnes baptizatos ad annuam Confeſſionem.

14. (Eccleſia fert leges ſuas etiam pro ſubditis futuris.) Eccleſia namque fert leges ſuas, non præcisè pro ſubditis præſentibus, ſed etiam futuris, ergo obligant in illo ipſo inſtanti, quo ſubditi fiunt; ergo in illo ipſo inſtanti poſſunt contra illas peccare, & peccabunt, dummodo adfuerit prævia notitia iſtarum legum, & ſufficiens advertentia.

Atque ut non poſſet præcipere Eccleſia pro illo inſtanti, cur non poſſet delictum commiſſum contra legem Dei cognoſcere & judicare, præſertim in foro Sacramentali, in quo judicat de merè internis, quæ tamen non poteſt præcipere? Non video quid obſtet: adeòque licèt forſitan non poſſet directè prohibere indignam ſuſceptionem Baptiſmi, poterit tamen illam punire, utpote peccatum hominis Chriſtiani.

Cæterùm probari etiam ſolet hæc communis ſententia, & ſatis efficaciter, inquit Arriaga diſp. 31. n.8. quia omnia peccata debent directè deleri, vel per Baptiſmum, vel per Pœnitentiam, ex Chriſti inſtitutione; atqui peccata commiſſa eo inſtanti Baptiſmi, non poſſunt per ſe deleri per illum: ergo debent deleri per Pœnitentiæ Sacramentum. 15. (Alia probatio communi Sententiæ ex Arriaga.)

Sed, dicet aliquis, non video tantam efficaciam hujus argumenti; nam in primis, ubi relevatum eſt, omnia peccata debere deleri directè & per ſe per aliquod Sacramentum? Deinde, ſi peccata commiſſa ante Baptiſmum delentur per Baptiſmum, quando tollitur impedimentum effectûs Baptiſmi; *quare non poteſt*, interrogat Scotus 4.diſt.4.q.5.n.5. *ità illa fictio, quæ fuit cauſa impedimenti, tolli, quando ceſſat impedimentum, per ipſum Baptiſmum?* (An ſit efficax?)

Dices; quia impoſſibile erat, quòd illa fictio tolleretur per Baptiſmum, dum re ipsâ ſuſcipiebatur; non videtur autem, Baptiſmus reviviſcens poſſe præſtare alium effectum, quàm illum, quē poterat præſtare & præſtitiſſet, dum re ipsâ ſuſcipiebatur, niſi fuiſſet impeditus. 16. (Objectio.)

Reſpondeo; indè tantùm probari, quòd peccatum fictionis non tollatur directè per Baptiſmum reviviſcentem; interim, quare non tollitur indirectè, ſicuti, ſecundùm Aliquos, tolluntur indirectè peccata commiſſa poſt Baptiſmum? Et quare illa indirecta remiſſio non ſufficit pro illo peccato, de quo non conſtat certò, quòd ſit materia Abſolutionis? (Reſponſio.)

Utcumque ergo ſit de hac ſecunda probatione, ſufficit nobis prima, præſertim accedente auctoritate D. Auguſtini lib. 1. de Baptiſmo contra Donat. c. 12. ibi: *Sicut enim in illo qui fictus acceſſerat* (ad Baptiſmum) *fit ut non denuò baptizetur, ſed ipsâ piâ correctione & verâ Confeſſione purgetur, quod non poſſet ſinè Baptiſmo, ſed ut, quod antè datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cùm illa fictio veraci Confeſſione receſſerit; ſic etiam iſte, qui Baptiſma Chriſti, quod non amiſerunt; qui ſe ſeparaverunt, inimicus Charitatis & pacis Chriſti in aliqua hæreſi aut ſchiſmate accepit, quo ſacrilego ſcelere peccata eius non dimittebantur, cùm ſe correxerit, & ad Eccleſiæ ſocietatem unitatemq; venerit, non iterum baptizandus eſt, quia ipsâ reconciliatione* (per Sacramentum Pœnitentiæ) *ac pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum eius* (ante Baptiſmum commiſſorum) *in unitate iam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat.* Hùcuſque Lumen Eccleſiæ S. Auguſtinus. 17. (Tertia probatio ex auctoritate D. Aug.)

18. Objectio ex S. Aug. Nec obſtat, quod ibidem in fine ait: *Sic non impeditur Baptiſmi gratia, quò minùs omnia peccata dimittat, etiamſi odium fraternum in eius, cui dimittuntur, animo perſeveraverit; ſolvitur heſternus dies, & quidquid ſupereſt ſolvitur, etiam ipſa hora, momentumq; ante Baptiſmum & in Baptiſmo.*

Solvitur dicendo, Auguſt. ibi non fuiſſe locutum ex propria ſententia, ſed Donatiſtarum. Non obſtat, inquam, quia Auguſtinus iſto loco potiſſimùm diſcurrit ad hominem, propoſito hoc dilemmate contra Donatiſtas: *Quid ſi ad ipſum Baptiſmum fictus acceſſit? Dimiſſa ſunt ei peccata, an non ſunt dimiſſa? Eligant quod volunt, utrumlibet elegerint, ſufficiet nobis. Si dimiſſa dixerint, quomodo ergo Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, ſi in iſto ficto remiſſionem operatus eſt peccatorum? Si dixerint, non eſſe dimiſſa; quæro, ſi poſtea fictionem ſuam corde concuſſo, & vero dolore fateretur, denuò baptizandus iudicaretur?*

Et continuò attexit veritatem Catholicam, juxta ultimam partem, dicens: *Quòd ſi dementiſſimum eſt dicere* (videlicet, hujuſmodi denuò baptizandum) *fateantur, vero Baptiſmo Chriſti baptizari poſſe hominem, & tamen cor eius in malitia vel ſacrilegio perſeverans, peccatorum abolitionem non ſinere fieri* &c.

Dein, ſuppoſitâ electione primæ partis Dilemmatis, ex ſententia Donatiſtarum ſic diſcurrit: *Si, inquit, dixerint, in illo, qui fictus acceſſit, per ſanctam vim tanti Sacramenti dimiſſa quidem illi eſſe peccata in ipſo temporis puncto, ſed per fictionem ipſius rediiſſe continuò, ut Spiritus ſanctus & affuerit baptizato, ut peccata recederent, & perſeverantiam fictionis fugerit, ut redirent, ut & illud verum ſit*: Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Et illud*: Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum..... *Qui ergo hoc dixerint, hoc etiam in eis intelligant fieri, qui extra Eccleſiæ communionem, ſed tamen Baptiſmate Eccleſiæ, baptizantur* &c.

Galat. 3. v. 27. Sap. 1. v. 5.

Sed nunquid hoc aliquando dixit Auguſtinus? Abſit à viro ſapientiſſimo ſtultiſſima doctrina, cui nec ratio, nec auctoritas in minimo ſuffragatur. Quomodo autem intelligendum ſit, quod ibi videtur dicere S. Doctor de reditu peccatorum, propter odium fraternum, ex Parabola Chriſti Matth. 18. de ſervo, cui Rex dimiſerat omne debitum, & rursùm illud imputavit ob duritiam in ſuum conſervum, diximus ex Scoto diſp. præced. ſect. ult. concl. 3.

19. Alia ſolutio Aliqui putant, mentem D. Auguſtini fuiſſe, quòd peccata, ſignificata per debitum decem millium talentorum, non fuerint coram Deo verè remiſſa, propter occultum perſeverans in corde odium, quod Deum utique non latebat, quamvis, quia latebat homines, coram ipſis eſſent remiſſa. Et ſic verum eſt, quòd *Baptiſmi gratia omnia peccata dimittat, etiamſi odium fraternum in eius, cui dimittuntur, animo perſeveret. Solvitur enim* coram hominibus, quos latet internum peccatum, *heſternus dies, & quidquid ſupereſt; ſolvitur etiam ipſa hora momentumq; ante Baptiſmum, & in Baptiſmo*; quia homines judicant baptizatum liberum ab omni prorſus debito culpæ & pœnæ.

An verò ille fuerit ſenſus D. Auguſtini, valde dubito: nam illico ſubjungit: *Deinceps autem reus eſſe continuò incipit, non ſolùm conſequentium, ſed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus, quæ dimiſſa ſunt, peccatis.* Num coram hominibus incipit eſſe reus, & redeunt peccata? Clarum eſt quòd non; quouſque hominibus innoteſcit peccatum fictionis. Ergo coram Deo; ergo antea coram Deo erant dimiſſa. quæ n placet ctori.

Hoc igitur firmiſſimè tene; & nullatenus dubites, Auguſtinum ibi non loqui ex propria ſententia, ſi loquitur de vera remiſſione; adeòque ex verbis allegatis nullum, nequidem probabile; argumentum deſumi poſſe pro oppoſita ſententia, quæ docet, peccatum fictionis, aut alia peccata; quæ committuntur ipſo inſtanti Baptiſmatis, per ipſum Baptiſma per ſe & directè remitti.

Et ſanè quomodo remitti poſſet pro illo inſtanti, in quo primò eſt? Si enim gratia Sacramenti (inquit Lugo diſp. 16. n. 37.) & Spiritûs ſancti præſentia effugat pro tunc tenebras peccati habitualis, multò magis effugaret tenebras peccati actualis; quod pejus eſt. Unde affert Auguſt. exemplum illius, qui à tenebris per lucem tranſit ad tenebras; quem quidem lux perfundit tranſeuntem; ſic eo caſu poſt illud, inquit, temporis punctum redeunt peccata, *tanquam redeunte obſcuritate, quam lux in tranſitu excuſſerat.* Non loquitur ergo de peccato, quod eodem puncto temporis fiat; illud enim non recedit: quomodo enim dicetur recedere, quando actu venit & fit? 2 Non remit catun inſtar quo p eſt ex gone.

Ità interrogat Eminentiſſimus, exiſtimans Auguſtinũ loqui non de peccatis, quæ fiunt in ipſo ultimo inſtanti, quo perficitur Baptiſmus, ſed cum majori quadam latitudine, de debito, quod homo habet, non ſolùm antea contractum, ſed etiam quamdiu miniſtratur Baptiſmus, quæ actio, cùm ſit ſucceſſiva, durat per aliquod tempus.

Sed interrogo & ego unum verbum: Quomodo fieri poteſt, ut Deus condonet peccatum, quando actu fit? Nonne peccatum per condonationem dicitur recedere? Et tamen hoc poſſibile eſſe, docet Lugo diſp. 7. n. 126. poſſibile, inquam, de potentia Dei abſoluta. Sed mittamus iſta, quia, ùt oſtendimus, Auguſtinus non loquitur ex propria ſententia. Lugo.

Progredior ad Concilium Trident. quod videtur contrarium concluſioni, dum ait ſeſſ. 14. c. 1. *Illis vita remedium contulit, qui ſeſe poſtea* (id eſt, poſt Baptiſmum) *in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur.* Et infrà: *Ad recon-* 21 Conci ni obji Conc.

reconciliandos peccatores, poſt Baptiſmum lapſos. Item cap. 2. *Nam hos, qui ſe poſtea* (id eſt, poſt Baptiſmum) *crimine aliquo contaminaverint*,... *ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit.* Et infrà: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium.*

Similiter loquitur cap. 4. & 5. item can. 1. qui modus loquendi, videtur excludere à materia hujus Sacramenti peccatum, commiſſum in ipſa ſuſceptione Baptiſmi. Cur enim toties meminiſſet peccatorum ſubſequentium Baptiſmum; nunquam autem expreſsè peccatorum concomitantium, ſed tantùm ſemel implicitè cap. 5. ibi: *Ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint?*

22. Reſponſio. Reſpondeo; ſicuti eſt rariſſimus caſus, immo fortè nunquam contigit, quòd peccatum aliquod præcisè duraverit eo tempore, quo confertur Baptiſmus, ſive illo inſtanti vel tempore, quo imprimitur Character, & non etiam aliquo inſtanti vel tempore poſt abſolutum Baptiſmum, ità non fuit operæ prætium, ut vel ſæpiùs, vel expreſsè Concilium mentionem faceret illius peccati; quod committitur in ipſo Baptiſmo, ſed omnia peccata diviſit in duo membra, videlicet in illa, quæ fiunt ante Baptiſmum, & quæ fiunt poſt Baptiſmum. Interim tamen, ne ex toto videretur peccatum iſtud medium derelictum; ſemel generaliter dixit; omnia mortalia crimina, in quæ Chriſti fideles ceciderint; ad Sacerdotes Vicarios Chriſti fore deferenda.

Et dato, quòd etiam illa generalis locutio poſſet, & deberet intelligi accommodatè de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, conformiter ad alias locutiones, ad ſummum indè ſequeretur, Concilium definiviſſe, quod certum erat, ſcilicet peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, eſſe materiam neceſſariam Confeſſionis; aliam autem quæſtionem, controverſam inter Doctores Catholicos, indeciſam reliquiſſe.

23. Quidam explicatio illorum verborum Trid. Conc. *Eccleſia* &c. Cæterùm, quòd attinet ad illa verba Tridentini ſeſſ. 14. c. 2. *Cùm Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus.* Reſpondent quidam Auctores, hæc veriſſima eſſe: nam Sacramentum Confeſſionis, quod ſignificatur per illud judicium, dari non poteſt; niſi poſt Baptiſmum. Nam ipſo inſtanti Baptiſmi homo nequit confiteri, nequit dolere de peccato, quod tunc committit; ergo nequit abſolvi; ùt omnes debent fateri. Igitur prioritas non requiritur reſpectu ipſius peccati, ſed judicii Sacramentalis. Hæc illi.

Refutatur ab Auctore. Sed non video ego, quomodo tunc ex illis verbis Conc. vel ex his verbis Apoſtoli: *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Quomodo, inquam, bene probetur, peccata commiſſa ante Baptiſmum, non eſſe materiam hujus Sacramenti. Enimverò Eccleſia abſolvendo homines baptizatos à peccatis, ante Baptiſmum commiſſis, non exercet judicium, ſive non judicat, ſecundùm illam explicationem, *de iis* (hominibus) *qui foris ſunt*, ſed qui intùs ſunt. Præterquam quòd prioritas Baptiſmi reſpectu ipſius peccati, ſatis inſinuari videatur verbis proximè ſubſequentibus, videlicet: *Secus eſt de domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lavacro Baptiſmi ſui Corporis membra ſemel effecit: nam hos ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint* &c.

Reſpondet Lugò diſp. 16. n. 32. Ly *Poſtea* non debet reſtringi ad ſolum tempus ſubſequens, ità ut poſitivè excludat ipſum inſtans quo Baptiſmus perficitur. Nam de ſe indifferens eſt ad utramque ſignificationem: ſic enim dicere ſolemus, *Ante ſolis ortum ſunt tenebræ; poſtea verò non ſunt:* item: *Ante uſum rationis non peccat homo; poſtea verò peccat*: ubi illud *poſtea*, non includit ſolùm tempus ſubſequens, ſed etiam ipſum primum inſtans, quo Sol eſt ortus, vel quo primùm datur uſus rationis. 24. Prima reſponſio Lugonis.

Reſpondet II. Concilium ibi non loqui de omnibus baptizatis; ſed de iis ſolis, qui dignè baptizantur, & lavacro Baptiſmi purgati & ſanctificati, membra Chriſti efficiuntur, quo certò nomine non intelliguntur, qui baptizantur indignè; ii enim non dicuntur propriè & ſimpliciter membra Chriſti; ſed imperfecta, dum ſunt in peccato mortali. Illi ergo, qui in Baptiſmo fiunt membra Chriſti, non indigent Sacramento Pœnitentiæ; niſi ad peccata, quibus tempore ſequenti ſeſe contaminaverint. Secùs de iis, qui non abluuntur in ipſo Baptiſmo, de quibus Concilium in illis verbis non egit. Hæc ille ſuprà n. 33. Secunda.

Sed contra hoc ultimum: ergo ex illo loco Concilii non poteſt probari, peccata commiſſa poſt indignum Baptiſmum eſſe materiam neceſſariam Abſolutionis; quod, an Lugo concederet, neſcio. 25. Contra 2. reſp. arguit Auctor.

Deinde indignè baptizatus, etſi non ſit perfectum ſeu vivum membrum Chriſti, quamdiu manet in ſtatu peccati mortalis; juxta illud Trid. ſeſſ. 6. c. 7. *Fides niſi ad eam ſpes accedat & Charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius vivum membrum efficit.* Equidem ſimpliciter, id eſt, abſolutè & ſinè addito dicitur membrum corporis Chriſti, id eſt, Eccleſiæ. Nam in corpore myſtico alia eſt forma, quæ dat eſſe, ſcilicet fides aut character Baptiſmatis, & alia quæ dat vivere, ſcilicet Charitas.

Contra primam reſponſionem facit, quòd, ùt illa admittit, ly *Poſtea* de ſe indifferens ſit ad utramque ſignificationem; & nihil adſit, ex quo poſſit colligi, quòd debeat ſe extendere ad ipſum inſtans Baptiſmi. Nam quod ait Eminent. n. 32. Concilium in illis verbis omnium hominum peccata dividit in duas 26. Arguitur contra 1. reſponſ.

Digitized by Google

claſſes, alteram eorum, quæ fiunt foris, hoc eſt, extra Eccleſiam, alteram eorum, quæ fiunt poſtquam homo baptizatus eſt, facilè admittent Adverſarii & dicent, peccata, quæ fiunt in inſtanti Baptiſmatis, pertinere ad primum membrum; aut certè ad nullum; & nihilominus diviſionem eſſe adæquatam; quia Concilium dividat ibi peccata mortalia, non omnia omnino, quæ contingere poſſunt, ſed quæ ùt plurimùm committuntur, quoniam regulæ generales non concernunt caſus extraordinarios, qualis eſt ille, in quo præcisè coincidunt punctum Baptiſmi, & peccatum mortale.

27. Objectio. Quin immo, reponit quiſpiam, ſemper peccatum fictionis coincidit præcisè cum puncto Baptiſmi; tunc enim, & non antea, aut poſtea, eſt ſacrilega ſuſceptio Baptiſmi.

Solvitur. Fateor, ſi intelligas peccatum merè externum; ſed cùm illud non ſit verè peccatum; ſed potiùs effectus peccati præteriti, v. g. voluntatis ſacrilegè ſuſcipiendi Baptiſmum, quæ, ùt hìc ſupponitur, nullo modo exiſtit in puncto Baptiſmi, nulla eſt quæſtio, an hoc peccatum ſit materia Confeſſionis, quando coincidit cum Baptiſmo; cùm licèt poſt Baptiſmum fieret, equidem talis materia non eſſet, v. g. ſi aliquis dediſſet cauſam culpabilem pollutioni ante Baptiſmum, & poſtea in ſomno validè, aut etiam licitè baptizaretur, & poſt Baptiſmum adhuc in ſomno contingeret pati pollutionem, illa certè pollutio non eſt materia Confeſſionis; quia licèt poſitum ſit opus externum poſt Baptiſmum, voluntas tamen & libertas tota poſita fuerat ante Baptiſmum.

28. Peccatum externum fictionis neceſſariò coincidit cum puncto Baptiſmi, ſecùs internum. Similiter ergo in caſu noſtro; tametſi ipſa ſuſceptio Baptiſmi ſit actio externa ſacrilega, adeòque peccatum externum fictionis, neceſſariò coincidat cum puncto Baptiſmi, ſi tamen pro tunc illa actio non foret ampliùs voluntaria & libera, ſed voluntas & libertas tota omnino deſiiſſet ante illud punctum, liquet profectò quòd & hæc ipſa, ſecundùm noſtram concluſionem, non eſſet materia Confeſſionis, cùm non foret niſi peccatum merè externum, ſeu potiùs effectus peccati, qui ſequitur cauſam ſuam, id eſt, malam voluntatem, quæ tota fuit abſoluta ante punctum Baptiſmi.

Vel ſi in illo duravit, neſcitur an cum ipſo præcisè ceſſaverit; adeòque confitenda erit etiam ſecundùm propriam malitiam, v. g. ſacrilegii, ſaltem tanquam peccatum dubium, ſi peccata dubia confitenda ſint, de quo infrà latiùs; proinde caſus metaphyſicus eſt, in quo certò conſtat, peccatum fictionis, vel quodcunque aliud, præcisè terminatum fuiſſe in ipſo inſtanti vel tempore, quo imprimitur character Baptiſmi: jam autem de caſibus extraordinariis non ità curant Concilia.

29. Quamvis, ùt verum fatear, in materiis & formis Sacramentorum ſoleant magìs præcisè loqui, in tantùm, ut eo ipſo, quòd à Concilio aſſignatur una, videatur excludi omnis alia, quæ non ſit illa, ſaltem æquivalenter. Nam eo ipſo, quòd in Florentino dicitur, materiam Baptiſmi eſſe aquam naturalem, excluditur aqua artificialis; & quando pro materia Euchariſtiæ aſſignatur vinum de vite, excluditur vinum ex pomis; & ſic de aliis. In mate & form Sacram torum ſ lent Co magìs cisè loq

Hinc, quia in caſu extraordinario ſimplex Sacerdos poteſt eſſe Miniſter Sacramenti Ordinis, Florentinum non dicit abſolutè: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſcopus*, ſed: *Ordinarius Miniſter*. Similiter aſſignans cauſam efficientem Matrimonii, inquit: *Cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus*, ut ſignificet extraordinariè poſſe contrahi Matrimonium per ſolos nutus, abſque verbis propriè dictis.

Cùm ergo Concilium Tridentinum toties aſſignet pro materia Sacramenti Pœnitentiæ peccata, poſt Baptiſmum commiſſa, ideo meliùs dicitur, peccata commiſſa in Baptiſmo, comprehendi ſub peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, quia & ipſa ſunt peccata fidelium, ùt ſuprà probavimus. Igitur auctoritas Tridentini magìs probat Concluſionem & communem ſententiam, quàm improbet.

Quantùm ad rationem ſententiæ oppoſitæ, illa nullius ponderis eſt, ùt jam oſtendo. Per Baptiſmum, inquiunt Adverſarii, applicatur Sanguis Chriſti ad ſolvendum debita omnia contracta, inter quæ ſinè dubio includitur illud ipſum debitum, quod tunc contrahitur; utì Sanguis Chriſti effundebatur ad ſatisfaciendum, etiam pro peccato, quod committebatur ab ipſis crucifixoribus. 30 Ratio ſ tentiæ cluſion poſita.

Reſpondeo; ſi hæc inſtantia de Sanguine Chriſti quidquam probaret, oſtenderet evidenter, per Baptiſmum poſſe remitti, etiam illa peccata, quæ tempore ſunt eo poſteriora, quia & pro his ſatisfecit Sanguis Chriſti, ſic tamen ut illa non deleat niſi applicatus per Sacramentum, ad iſtum effectum à Chriſto inſtitutum; porrò non conſtat, Baptiſmum eſſe inſtitutum ad effectum remiſſionis illius peccati, quod tunc committitur, quando Baptiſmus perficitur, vel quando Baptiſmus jam perfectus eſt. Reſpon

Enimverò Sanguis Chriſti eſt pretium univerſale, ex ſe abſtrahens ab omni applicatione, adeòque de ſe aptus, ut deleat omnia peccata, pro quibus modo debito fuerit applicatus: pretium autem ad aliquid ſolvendum, bene poteſt eſſe, etiam antequam contrahatur debitum, vel quando actualiter contrahitur. At verò Baptiſmus, & alia Sacramenta, ſunt applicatio ejus pretii, id eſt, Sanguinis Chriſti, ſeu eſt ipſa ſolutio actualis: implicat autem eo ipſo tempore, quo contrahitur & exiſtit debitū peccati, illud ſolvi, inquit Arriaga diſp. 31. n. 11. 31 Sangui Chriſti pretium niverſal Baptiſ. alia Sac menta applicat Arriaga.

Quod

Quod verum eſt, ſi ſolvi debitum peccati idem ſit, quod non exiſtere peccatum actuale; ſic enim ſimul exiſteret peccatum, & non exiſteret. Alioquin per potentiam abſolutam Dei, ùt diximus diſp. præced. ſect. 5. concl. 8. fieri poteſt, ut tranſacto peccàto actuali, non maneat peccatum habituale: ac proinde, ſi ſolvi debitum peccati; idem foret, quòd non manere peccatum habituale; fieri abſolutè poſſet, ut eo ipſo tempore quo contrahitur & exiſtit debitum peccati, id eſt, exiſtit peccatum actuale, illud ipſum ſolveretur, id eſt, non relinqueret poſt ſe maculam peccati, eò quòd Deus intuitu Baptiſmi, nollet ſequenti inſtanti propter illud peccatum tranſactum, ampliùs indignari. Interim quod fieri potuit, unde probatur factum eſſe? Loquimur autem hìc, non de poſſibili; ſed de eo, quod de facto contingit. Illa ergo ratio Adverſariorum nullius, ùt dixi, momenti eſt.

32. Aliud argumentum Adverſariorum rejicitur.

Neque hæc Conſequentia: ergo qui peccaret venialiter in ſuſceptione Baptiſmi, & ſtatim moreretur, deberet ire ad Purgatorium. Etenim quid hoc refert?

Multùm, inquis, per omnem modum; primò, quia repugnat communi ſenſui fidelium. Deinde opponitur Concilio Trid. ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali can. 5. ubì docet, per gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, tolli totum quod veram & propriam peccati rationem habet, *ità ut nihil prorſus eos* (id eſt, baptizatos) *ab ingreſſu Cæli remoretur.* [Marg.: Conc. Trid.]

Reſpondeo; communem ſenſum fidelium, ùti etiam Concilium Tridentinum ſupponere, quòd baptizatus non commiſerit ullum peccatum, vel in ſuſceptione Baptiſmi, vel poſt ſuſceptum Baptiſmum.

Audi Florentinum in Decreto Eugenii: *Huius*, inquit, *Sacramenti* (Baptiſmi) *effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur, propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda eſt Satisfactio, ſed morientes, antequam culpàm aliquam committant, ſtatim ad regnum Cælorum, & Dei viſionem perveniunt.* [Marg.: Conc. Florent.]

Sed nunquid qui peccat in ipſo Baptiſmo, baptizatus moritur, antequam culpam aliquam committat? Plus quàm meridianum eſt, quòd non; niſi velis ipſum mori, antequam ſit baptizatus, & per conſequens mori baptizatum, & non baptizatum; quæ ſunt maniſeſtè contradictoria. Quid ergo mirum, ſi non ſtatim ad regnum Cælorum, & Dei viſionem perveniat?

33. An eadem difficultas habeat locum in Martyre. Arriaga.

In Martyre poſſet etiam habere locum eadem difficultas; facilè tamen reſpondetur (inquit Arriaga ſuprà) Martyri ex opere operato dimitti reatum, dum moritur, non verò dum liberè ſe obtulit Martyrio, quia poſt eam oblationem poteſt peccare venialiter, quæ peccata ſaltem poſteriora eâ voluntate, non poſſunt per illam deleri, ergo debent deleri ex opere operato in ipſo mortis momento, quo jam non poteſt committere veniale; immo tunc conteritur de illis, ſi quæ habuit immediatè ante mortem. Hæc ille, juxta probabilem ſententiam, quæ docet, effectum Martyrii non conferri ante primum inſtans vitæ extrinſecum.

Sed quæro ego, quomodo tunc verum ſit, quòd in Martyre poſſit habere locum eadem difficultas; nam hæc ſententia ſupponit, quòd nunquam poſſit eſſe peccatum veniale in illo momento, in quo confertur gratia Martyrii. Porrò difficultas ſupponit, & oritur ex eo, quòd baptizatus poſſit peccare in illo momento, quo recipit gratiam Baptiſmi.

Hinc in ſententia, quæ docet, effectum Martyrii conferri, quando per vulnera aut cruciatum homo naturaliter certò ad mortem diſponitur, ſicuti eſt eadem difficultas in Martyre, ità eodem modo reſpondendum eſt, videlicet ſi Martyr in illo momento, quo accipit gratiam Martyrii, peccaret venialiter, deberet ire ad Purgatorium. 34. Martyr ſi in illo inſtanti, in quo accipit gratiam Martyrii, peccaret venialiter, deberet ire ad purgatorium.

Si inferas: ergo non faceret injuriam tali Martyri, qui pro ipſo oraret. Concedo totum. Et dico, commune dictum: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, intelligendum eſſe de caſu ordinario, quia ſupponit Eccleſia ab illo momento, in quo accipitur gratia Martyrii, longè abeſſe omnem affectum, vel ſaltem minimi peccati venialis.

Dico ergo generaliter, nullum eſſe à Chriſto inſtitutum remedium, quod remittat peccata, quæ committuntur eo ipſo tempore, vel inſtanti, quo illud remedium applicatur. An fortè exiſtimas, quòd Abſolutio Sacramentalis ſignificet remiſſionem peccati, quod committitur illo momento, quo Abſolutio debet cauſare ſuum effectum? Aut fortaſſis cogitas, Indulgentiam plenariam comprehendere illud peccatum, quod committitur illo inſtanti, quo quis lucratur illam Indulgentiam? Abſit à nobis talis cogitatio. Etenim Abſolutio Sacramentalis, utì etiam Indulgentia plenaria, exigunt dolorem de peccato, qui incompoſſibilis eſt cum actuali peccato. 35. Nihil remittit peccata, quæ committuntur eo tempore, quo applicatur.

Ergo conſimiliter argumentandum de Sacramento Baptiſmi, & de omnibus peccatis, quæ illo momento committuntur, quo confertur, vel debet conferri gratia Baptiſmi: dicantur priora naturâ, aut poſteriora, parùm refert, dummodo ſimul ſint tempore.

Nonnulli diſtinguunt inter peccata, & putant, peccatum fictionis minùs pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ, quàm alia peccata, quæ per accidens ſeu concomitanter ſe habent; idque quia peccatum fictionis, id eſt, voluntas indebitè ſuſcipiendi Baptiſmum, non poteſt prohiberi ab Eccleſia, cùm hæc voluntas ſit prior naturâ, quàm Baptiſmus, per quem homo 36. An peccatum fictionis minùs pertineat ad Pœniten. quàm alia peccata. Aliqui affirmant.

Digitized by Google

homo ſubjicitur Eccleſiæ, non poteſt autem Eccleſia directè præcipere, ut aliquis fiat ſubditus; ſed bene, ut ſi velit fieri ſubditus, pro illo inſtanti obſervet leges ejus.

Alii negant. Alii è contrario arbitrantur, peccatum fictionis magìs pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ; quia, inquiunt, aliquando peccatum fictionis eſt poſterius naturâ ſuſceptione Baptiſmi; quippe voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, poteſt eſſe cauſa voluntatis habendi diſpoſitionem debitam; ſi ergo tunc omittatur illa diſpoſitio, illa omiſſio erit poſt Baptiſmum.

37. Prima reſponſio Auctoris. Reſpondeo I. etiam ex conſideratione & voluntate Baptiſmi, homo poteſt moveri ad non furandum, fornicandum &c. ergo etiam illa peccata, ſi tunc committantur, ſunt poſteriora naturâ Baptiſmo ſuſcepto.

Secunda. Reſpondeo II. indè ſolùm ſequi, illud peccatum eſſe poſterius naturâ voluntate Baptiſmi, jam autem per ſolam voluntatem non conſtituitur quiſquam ſubditus Eccleſiæ, ſed per realem ſuſceptionem. Meliùs ergo dicitur, omnia peccata quæ poſitivè impediunt effectum Baptiſmi, æqualiter pertinere ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Quæris à me, an etiam æqualiter pertineant peccata mortalia & venialia? Reſpondeo & dico:

CONCLUSIO II.

Peccatum veniale ſe ſolo, etiam ſæpiùs virtute Clavium remiſſum, eſt materia ſufficiens Abſolutionis; non niſi mortale, nunquam per Abſolutionem directè remiſſum; materia neceſſaria.

38. Veniale ſe ſolo eſſe materiam abſolutionis probatur ex Concil. Trid. Prima pars, videlicet; *Peccatum veniale ſe ſolo eſt materia ſufficiens Abſolutionis*, haud obſcurè colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter, citraq; omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſq; aliis remediis expiari poſſunt.* Idem docet can. 7. *Si quis dixerit..... non licere confiteri venialia; anathema ſit.*

& Leone X. Concilio Trid. præluxerat Leo X. in Bulla *Exurge Domine* 40. apud Cherubinum, ubi inter cæteros articulos Lutheri, quos damnat, octavus eſt qui ſequitur: *Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt ut omnia mortalia cognoſcas. Unde in primitiva Eccleſia ſolùm manifeſta mortalia confitebantur.*

Et ſanè quid aliud ſignificant verba generalia Chriſti, quibus inſtituit Sacramentum Pænitentiæ: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata* &c? Quæ utique generaliter intelligenda ſunt, ubì nihil obſtat. Item verbis generali Chriſti Ioan.

Dices; obſtat hìc, quòd Concilium nullibi expreſsè definiat, peccatum veniale ſe ſolo, id eſt, ſeparatim ab omni peccato mortali, eſſe materiam ſufficientem, quod profectò feciſſet: ſi verba Chriſti tam generaliter intellexiſſet, prout nos intelligimus, aut debere intelligi prætendimus. Proinde licèt peccatum veniale poſſit ſubjici Clavibus Eccleſiæ, equidem non ſeparatim ab omni peccato mortali; ſed oportet ſemper adjungere peccatum aliquod mortale, vel novum, vel certè antiquum jam pridem confeſſum & abſolutum. 3 Objec

Hæc videtur Aliquorum imaginatio, quam tamen non vidi typis evulgatam ab aliquo Auctore Scholaſtico; &, ùt verum fatear, caret omni fundamento, ac opponitur communi praxi omnium timoratorum, quam indubiè Eccleſia prohiberet, ſi judicaret omnes illas Confeſſiones fore ſacrilegas.

Reſpondeo itáque ad Concilium Trident. nullibi quidem expreſſis verbis dicere, peccatum veniale ſe ſolo utiliter confiteri poſſe, ſed etiam nuſpiam vel minimo verbulo ſignificat, neceſſariò ſemper confitendum eſſe peccatum mortale, niſi in ſenſu infrà tradendo. 4 Reſp

Cùm ergo expreſsè definiat, peccatum veniale eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ, & reſpectu ipſius, etiam ſeparati ab omni peccato mortali, partes hujus Sacramenti, ſcilicet Contritio, Confeſſio & Satisfactio locum habere poſſint, uti etiam Abſolutio, cùm ſit vera offenſa Dei, digna pœnâ temporali Purgatorii, nullum omninò eſt fundamentum negandi, peccatum veniale ſe ſolo validè & licitè poſſe abſolvi; negandi, inquam, contra communem praxim pœnitentium & Confeſſariorum.

Quod probè intelligens Doctor Subtilis Scotus, 4. diſt 17. q. unicâ n. 32. in fine ſic ait: *Ad aliud dico, quòd ſimpliciter innocens à mortali & veniali, tenetur ſimpliciter non confiteri. Unde ſi B. Virgo fuiſſet confeſſa Petro poſt Aſcenſionem, peccaſſet confitendo. Sed ſi eſt tantùm innocens à mortali, poteſt confiteri venialia, & poteſt non confiteri..... Nec eſt incredibile, multos eſſe tales in Eccleſia, qui per annum vivant ſinè mortali, immo per Dei gratiam multi multo maiori tempore ſinè peccato mortali ſe cuſtodiunt, & multa opera perfectionis exercent, de quorum meritis theſaurus Eccleſiæ congregatur.* 4 Proba autoritate Scoti.

Si dixeris; Deus dedit æqualem poteſtatem remittendi peccata, & retinendi peccata; ſed non dedit poteſtatem retinendi peccata venialia; ergo nec remittendi. 42 Objectio

Reſpondeo; ex nullo verbo Scripturæ proba- Solvitur

Digitized by Google

probatur illa æqualitas reſpectu omnium peccatorum. Et verò ratio diſparitatis petenda eſt ex materia ſubjecta; cùm enim peccatum veniale non neceſſariò remittatur in hac vita, ſed aliquando poſt mortem, ſecùs peccatum mortale, quid mirùm ſi Sacerdos majorem habeat poteſtatem retinendi peccata mortalia, quàm venialia?

43. Sacerdos hic aliquam poteſtatem retinendi peccata venialia. Cæteroquin aliquam habere poteſtatem retinendi, etiam ſola venialia, patet inde; quia poteſt negare eorum Abſolutionem homini non ritè diſpoſito; poteſt quoque imponere pœnas ea ritè confitentibus.

Neque majorem habet poteſtatem retinendi peccata mortalia, ſemel virtute Clavium directè remiſſa; ſi ergò ſufficiat Confeſſio mortalis peccati, jam pridem Sacramentaliter ac directè abſoluti, etiam ſufficere debet Confeſſio peccati venialis ſeparatim ab omni mortali, tametſi ſæpius fuiſſet virtute Clavium directè remiſſum, quæ eſt ſecunda pars concluſionis.

Eam inſinuat Benedictus XI. in Extravag. *Inter cunctas* de Privileg. ibi: *Cæterùm licèt (ſicut prædicitur) de neceſſitate non ſit, eadem confiteri peccata; tamen quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confeſſio, reputamus ſalubre.*

44. Eadem peccata poſſunt ſæpius confiteri. Extravag. Inter cunctas à hinc. Et quamvis, ùt arbitror, loquatur de peccatis mortalibus, equidem par ratio eſt peccatorum venialium, ùt patebit ſectione ſequenti, ubi de ſenſu horum verborum: *Ego te abſolvo.* Etenim ſi aliquid obſtat iteratæ Abſolutioni peccatorum, ſeu mortalium, ſeu venialium, eſt ſignificatio formæ hujus Sacramenti, quæ apparet falſa reſpectu peccatorum, priùs virtute Clavium directè remiſſorum; ſed multa aliter primâ fronte apparent, quàm à parte rei ſint. Interim ſenſus & praxis communis timoratorum favet noſtræ concluſioni.

45. Hæc doctrina non repugnat Scoto. Neque repugnat Scotus 4. diſt. 19. q. unicâ num. 31. ubi ſic ait: *Videtur probabiliùs, quòd ſecunda Abſolutio, virtute Clavium nullam partem pœnæ remittat. Nam hìc fugere ad partes ejuſdem quantitatis, vel ejuſdem proportionis, nihil eſt: quia non eſt ratio, quare ſecunda Abſolutio non poteſt auferre partem ejuſdem quantitatis, ſi quam poſſet. Nec mirum ſi nullam poteſt, quia illud judicium, ſemel latum ſinè errore, Deus ratificat in Cœlo, quod eſt irrevocabile: ergo rationabile eſt, quòd ſic ratificetur, quòd ſit initerabile.*

Hæc, inquam, non repugnant communi ſententiæ de iterata remiſſione eorumdem peccatorum: nam continuò ſubjungit: *Non dico, quòd illicitum, vel impoſſibile ſit iterari* (Sacramentum Pœnitentiæ) *ſed tamen cum fructu iſto, quem nunc habet, non eſt iterabile.* Non diſputat hìc Scotus, an iterata Abſolutio eorumdem peccatorum ſit licita vel poſſibilis; quippe, ùt vides, in terminis id concedit; ſed tantùm quærit, an iterata illa Abſolutio, plus & plus de pœna remittat.

Supponit Doctor, poteſtatem Clavium ſe extendere ad pœnam temporalem; & cùm dicitur, quòd ergo poſſit totam pœnam remittere, negat Conſequentiam. *Quia*, inquit ſuprà n. 30. *aliquod eſt medium determinatum ſecundùm rectam rationem, in quo ſtando, remittit rectè, ſed non ultra.* 46. Poteſtas Clavium extendit ſe ad pœnam temporalem Scotus.

Et cùm dicitur (objicit ſibi ipſi) *quòd ſaltem per plures Abſolutiones remitteret, hoc tangit bonam difficultatem, an iterata Confeſſio eorumdem peccatorum vi Clavium plus & plus de pœna remittat.* An per plures abſolutiones remitteretur tota pœna?

Ad hanc difficultatem reſpondet primò: *Videtur probabile quod ſic: quia ejuſdem rationis eſt Abſolutio ſecunda cum prima: ergo poteſt eamdem virtutem habere reſpectu alicujus partis pœnæ remittendæ; & per conſequens per aliquot Abſolutiones finitas, cùm culpa illa habeat partitionem in partes finitas, poſſet totaliter remitti; ſiquidem omne finitum per ablationem partium finitarum, aliquoties ſumptarum, totaliter conſumitur.* 47. Probabile eſt quod ſic. Scotus.

Huic opinioni adhæret Suarius diſp. 18. Sect. 1. n. 10. dicens: Nullum inconveniens eſt, quòd per iteratam Confeſſionem ejuſdem peccati, tota pœna illi debita tandem remittatur: immo hìc fortaſſe eſt unus finis talis inſtitutionis; ideo enim conceſſum eſt, ut eadem peccata ſæpiùs poſſent eſſe materia Confeſſionis, ut perfectior eorum remiſſio comparari poſſet, & ut ità inducerentur homines ad eorum Pœnitentiam ſæpiùs agendam. Hæc ille. Huic opinioni adhæret Suarius.

Nihilominus Scoto probabiliùs videtur, quòd ſecunda Abſolutio nullam partem pœnæ remittat, eo ſemper ſalvo, quòd in primo Sacramento impoſita fuerit condigna Satisfactio pro remiſſione totius pœnæ temporalis. Quæ ſuppoſitio patet ex textu ibi: *Nec mirum, ſi nullam poteſt, quia illud judicium ſemel latum ſinè errore; Deus ratificat in Cœlis, quod eſt irrevocabile.* Ergo ſi commiſſus fuerit error, id eſt, non fuerit impoſita condigna Satisfactio, ſecunda Abſolutio ex mente Scoti poterit remittere aliquam partem pœnæ temporalis, quæ videlicet per primam Abſolutionem non fuerat remiſſa. 48. Probabiliùs videtur Scoto, quòd 2. abſolutio nullam partem pœnæ remittat.

Hoc videmus, inquit Doctor ſuprà n. 31. *in ſententiis definitivis in foro litigioſo, quibus abſolvuntur accuſati, quando inveniuntur innocentes: nec poſtea replicatur inquiſitio, ut ſit proceſſus in eadem cauſa, nec ſi replicaretur, per illam ſecundam ſententiam ille abſolveretur, ſed per primam: qui enim ſolutus eſt, ampliùs non abſolvitur, quia nullus ſolvitur niſi ligatus.* Ergo loquitur in caſu, quo per primam Abſolutionem, pœnitens ſolutus fuit ab omni pœna temporali. Argumentum à ſimili.

Quod non advertens Suarius ſuprà, reſpondet ad hoc ſimile: Neque oportet ſervari in omni- 49. Reſponſio Suarii.

Digitized by Google

omnibus ſimilitudinem inter hoc judicium, & judicium humanum in externo foro, in qua proportione & ſimilitudine fundatur Scotus: quia in humano judicio tantùm intenditur liberatio ab exteriori pœna, & expeditio litis juxta probationem externam: at verò in hoc judicio intenditur interior fructus animæ, & ſanitas ejus, quæ poteſt creſcere juxta diſpoſitionem pœnitentis. Hucuſque Suarez.

Scotus non negat omnem fructũ Sacramento iterato.

Sed nunquid id negat Scotus? Neutiquam. Alioquin quomodo rectè diceret, quòd non ſit illicitum tali caſu iterari Sacramentum? Non negat ergo omnem fructum Sacramento iterato, ſed fructum remiſsionis pœnæ temporalis, ex hypotheſi, quòd per primam Abſolutionem, & condignam Satisfactionem, tota pœna temporalis fuerit remiſſa.

50. Sententia Vaſquezii de hac re.

Interim placet audire Vaſquezium de eadem re. Hic Auctor 3. parte q. 91. a. 3. dub. 7. ſic ſcribit: Scotus in 4. diſt. 19. q. 1. §. *Ad quæſtionem motam d.* 18. verſiculo *Ad argumenta* in ſolutione primi, & Gabriel in 4. diſt. 18. q. 1. a. 3. dub. 3. qui Scoti ſententiam probabilem exiſtimat, huic ſententiæ (videlicet, utiliter poſſe nos eadem peccata ſæpiùs confiteri) contradicunt, concedentes licere repetere illa peccata, quæ quis ſemel confeſſus eſt, aſſerunt tamen nihil pœnæ temporalis, quæ illis debebatur remitti virtute Abſolutionis, & hoc probabiliùs exiſtimant.

Si 1. abſolutio nihil remittat pœnæ temporalis, ſimiliter nihil gratiæ conferet.

Sed, ùt jam dixi, ſi Claves in illa peccata nihil operantur remiſsionis pœnæ temporalis ex opere operato, ſignum eſt, illa non eſſe jam legitimam materiam Sacramenti; ſicut nec peccata commiſſa ante Baptiſmum; & ita nulla alia peccata, quàm illa confiteri, eſſet impedire omnem effectum Sacramenti; ſi enim ex opere operato Abſolutio nihil remittit temporalis pœnæ, ſimiliter nihil gratiæ conferet: uterque enim eſt effectus illius, & remittere aliquid pœnæ temporalis juxta menſuram diſpoſitionis, & juxta eamdem conferre gratiam, & hic præcipuus. Si ergo, cùm illa peccata ſint materia Confeſſionis per ſe, non ſequitur effectus minus principalis, non ſequetur principalior, & ità omnino Abſolutio evacuabitur. Unde, ùt dixi, conſequenter dicendum eſt, non licere, ſi ſinè fructu Clavium ea confiteremur.

Unde Scotus, cùm dicit, licere illa iterum confiteri, non ità planè conſtat, an dicat, illa ſolùm licere exhibere materiam Abſolutionis, vel cum aliis non abſolutis; ſic enim non dubium eſſet licere, etiamſi circa illa peccata non ſequatur effectus aliquis Clavium.

Quod Vaſquez intelligit, dummodo non omninò pœna remiſſa ſit.

Ego verò exiſtimo cum prædictis Doctoribus, illa ſola licitè poſſe nos confiteri, & eſſe ſufficientem materiam Confeſſionis, & Abſolutionis. Unde ſequitur primò ...... dicendum eſſe, Abſolutionem tunc remittere de pœna temporali juxta menſuram diſpoſitionis recipientis; ſi verò ſit omnino remiſſa pœna temporalis, nihil de illa remittit; ſicut nec culpam, quando jam dimiſſa eſt priori Confeſſione, aut Contritione; ſemper tamen infundit Abſolutio gratiam, aut gratiæ augmentum, quâ remitteretur culpa, ſi eſſet, quâ tamen magìs purgatur homo contra reliquias peccatorum, hoc eſt, fortior evadit. Hucuſque Vaſquez.

5
Scot
piam
vit,
tion
ſemp
fund
tiam

Aſt nunquid Scotus uſpiam negavit, Abſolutionem ſemper infundere gratiam, aut gratiæ augmentum? Nuſpiam certè: *Sicut Baptiſmus Fluminis*, inquit n. 32. *non habenti priùs gratiam confert, & habenti auget, & frequenter in adultis præcedit Baptiſmus Flaminis Baptiſmum Fluminis, ſi tamen non præcederet, ùt in parvulis, conferretur per Baptiſmum prima gratia: ità frequenter hìc adulti per Attritionem, tanquam per meritum de congruo, iuſtificantur, antequam confiteantur...... & tunc in ſuſceptione Sacramenti augetur eis gratia.*

Neq
ſolu
2. re
pœn
quan
non
ſerat

Nonne Scotus aliquando negavit, Abſolutionem ſecundam non remittere pœnam temporalem, quando prima Abſolutio propter errorem non remiſit totum, quod alioquin ex pœna temporali, ſecundùm ordinationem divinam, remiſiſſet? Nunquam profectò. Quid ergo?

5
Doce
tem

Docet primò, quòd Clave non errante, tota pœna temporalis remittitur per primam Abſolutionem, & ideo ſecunda Abſolutio nihil remittit, quamvis conferat augmentum gratiæ.

Doce
cund

Docet II. Clave errante, id eſt, non ſervante æqualitatem in Pœnitentia injuncta, pœnitentem poſſe abſolvi à pœna ab alio, cui ſe ſubmittit, idque virtute Clavium per impoſitionem Pœnitentiæ æqualis. *Si nolit* (inquit nu. 31.) *ſe ſubmittere Confeſſori alii* (ſupple, ad effectum Abſolutionis à pœna temporali) *nec per induſtriam ſuam ſufficit ad hoc, quòd iudicet de pœna hac, ſi ſit condigna culpæ, an non; ſervet pœnam ſibi impoſitam, maximè ſi ſibi videtur excedere pœnam condignam. Si autem videatur ſibi deficere, tutiùs eſt adire alium Confeſſorem prudentem, quàm exponere ſe Purgatorio.* Supponit ergo, in caſu, quo non injungeretur Pœnitentia ſufficiens eum poſſe abſolvi à pœna debita, per aliur Confeſſorem.

5
Quo
intell
dum,
ait ſe
per h
Abſol
nes
poſſe
mitti
pœna

Si autem à me quæritur, quor odo igitur intelligendum, quod Scotus ait num. 30. *Et cùm dicitur contra primum, quò tunc poſſet totam pœnam remittere; nego; uia aliquod eſt medium determinatum ſecundùm rectam rationem, in quo ſtando remittit rectè; ſed non ultrà.*

Reſpondeo; libentiùs diſco, uàm dico, ne audeam docere, quod neſcio. F rtè loquitur de remiſſione pœnæ, quam S: ramentum

cauſat

Digitized by Google

cauſat hoc ipſo, quo eſſentialiter perficitur, ſinè ordine ad Satisfactionem, & illam vult eſſe determinatam à Deo ad certam quantitatem, ultra quam Sacramentum, quantumcumq; iteratum circa eadem peccata, nihil remittat..

54. Sententia Doct. Seraphici de hoc.

Quæ videtur fuiſſe ſententia Doctoris Seraphici 4. diſt. 18. p. 1. a. 2. q. 2. in fine ubì ſic ait: *Ad illud, quod obiicitur, quòd ſi quodlibet* (Sacramentum Pœnitentiæ) *remittit partem* (pœnæ) *tunc videtur, quòd tota aliquando remittatur. Dicendum, quòd primus Sacerdos, cui confitetur, ſi paratus eſt, totum remittit de ipſis culpis, quod per vim Clavium debet remitti, & ideo alius non remittit. Bonum eſt tamen alteri confiteri, tum propter inſtructionem, tum propter maiorem certitudinem, tum propter eius interceſſionem, tum propter verecundiæ meritum & arctam Satisfactionem, & humiliationem*; tum denique propter effectum gratiæ ſanctificantis, quem non enumaravit D. Bonaventura, quia communis eſt omnibus Sacramentis, & de illo nulla erat inter Doctores Catholicos controverſia iſto loco.

Nota autem illam particulam, *Si paratus eſt*, ſcilicet pœnitens, qui confitetur; quâ inſinuat fieri poſſe, ut propter aliquam indiſpoſitionem, primus Sacerdos non totum remittat de ipſis culpis, id eſt, de pœnis temporalibus, quod per vim Clavium debet remitti, & ideo tunc alius remittit.

55. Reſponſio ad argumentum Vaſquezii ſuprà.

Cæterùm ad argumentum Vaſquezii ſuprà: Si non ſequitur effectus minùs principalis, ſcilicet remiſſio pœnæ temporalis, non ſequetur principalior, puta gratia ſanctificans. Reſpondeò negando Conſeq. Et inſtantia clariſſima eſt in Sacramento Extremæ Unctionis, cujus effectus principalior eſt mentis ſanatio, minùs principalis ſanatio corporis, nec tàmen valet hęc Cõſequentia: Non ſequitur ſanatio corporis; ergo non ſequitur ſanatio mẽtis.

Objectio ſolvitur.

Dices: diſparitas eſt, quòd ſanatio corporis non ſit effectus infallibilis. Reſpondeo; unde conſtat quòd remiſſio totius pœnæ temporalis ſit effectus infallibilis? Potuit ergo fieri (& fortè ſic factum eſt) ut Deus taxaverit certam quantitatem pœnæ, remittendam per Sacramentum Pœnitentiæ, independenter ab omni Satisfactione, quâ proinde remiſsâ per primam Abſolutionem, quid miraris, ſi ſecunda Abſolutio nihil remittat, cùm inveniat totum effectum minùs principalem jam productum? Ergo non conferet effectum principaliorem; quem non invenit productum per primum Sacramentum, negatur Conſequentia. Atque hæc ſatis de ſecunda parte Concluſionis.

56. Tertia pars duplicem habet propoſitionem exponentem. Prima: *Peccatum mortale, nunquam directè remiſſum, eſt materia neceſſaria.* Secunda: *Nullum aliud peccatum eſt materia neceſſaria.*

Incipio ab ultima. Et quidem veniale peccatum non eſſe materiam neceſſariam, expreſſiſſimis verbis docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur &c. taceri* (in Confeſſione) *citra culpam, multiſq; aliis remediis expiari poſſunt.* An per accidens aliquando poſſit eſſe obligatio confitendi peccata venialia, inferiùs examinabimus, ubì de præcepto Confeſsionis.

Veniale eſt materia neceſſaria. Patet ex Conc. Trid.

57. Eadem eſt ratio mortalium semel directè abſolutorum.

Quæ autem venialium, eadem eſt ratio mortalium, quæ aliquando directè remiſſa fuere per hoc Sacramentum; nimirum, quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſsione dicantur; quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam poſſe; quòd non minùs piorum hominum uſus demonſtrat.

Herculè non eſt aſſerenda neceſſitas materię abſque evidenti ſigno voluntatis divinæ, à qua ſola dependet neceſſitas hujus Sacramenti. Ubì autem ſignificavit Deus voluntatis ſuæ eſſe, ut fideles, jam pridem reconciliati virtute Clavium, idque directè & per ſe, rurſus reconcilientur, tametſi acceptam gratiam perpetuò conſervaverint?

Itaque definitio Concilii Tridentini ibidem can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia &c. anathema ſit.* Sufficienter verificatur, & verificari debet de ſolis peccatis mortalibus, nunquam antea directè remiſſis virtute Clavium. Et ſic patet prima propoſitio exponens.

Explicatur can. 7 ſeſſ. 14 Conc. Trid.

Rogat aliquis, quare addam ly *Directè*? Item ly *Virtute Clavium*? Reſpondeo ad primum; quia univerſalis Eccleſiæ conſenſus ſemper intellexit, peccata oblita, vel ex juſta cauſa non expreſſa in hac Confeſſione, & nihilominus in eadem incluſa, adeòque per Abſolutionem aliquo modo remiſſa, equidem exprimenda eſſe in alia Confeſſione, ſi occurrerint memoriæ, vel juſta cauſa non exprimendi ceſſaverit. De quo latiùs infrà, ubì de integritate Confeſſionis. Sufficiat hìc illum eſſe communem ſenſum Doctorum, & oppoſitum damnatum & prohibitum fuiſſe ab Alex. VII. 58.

58. Peccata oblita debent exprimi in alia Confeſſione.

Secundam particulam addidi; quia docet Trident. ſeſſ. 14. c. 4. *Etſi Contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq; Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem, ipſi Contritioni, ſinè Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non eſſe adſcribendam.*

59. Uti etiam peccata, remiſſa per Contritionem, poſtea exprimenda ſunt in Confeſſione.

Similiter ſeſſ. 6. c. 14. clarè pronunciat, *Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à Baptiſmali; eâq; contineri non modò ceſſationem à peccatis & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorumdem Sacramentalem Confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem Abſolutionem.* Itaque non ſufficit remiſſio peccati qualiſcumque; ſed requiritur remiſſio ſeu reconciliatio virtute Clavium, ut materia deſinat eſſe neceſſaria.

 Finlo

60. **Solum peccatum mortale eſt materia neceſſaria. Scotus.**

Finio verbis Doctoris Subtilis 4. diſt. 17. q. 1. n. 19. *Continet etiam hoc præceptum, Quid debet confiteri, quia peccatum mortale, & non continet aliud: nam per veniale nullus periclitatur extra navem Eccleſiæ: quia peccatum veniale ſtat cum perfecta Charitate, quæ eſt navis ſalvans, & ideo ex prima inſtitutione Pœnitentiæ ùt ſecundæ tabulæ, non oportet aliquem ad eam confugere pro remedio contra veniale, ſed tantùm contra mortale.*

Quâ ratione peccatum mortale dicatur materia neceſſaria.

Dicitur ergo peccatum mortale materia neceſſaria, non quia ſinè illo nequeat confici hoc Sacramentum, contrarium enim patet ex prima parte Concluſionis; ſed quia iſtud neceſſariò debeat ſubjici Clavibus Eccleſiæ, directè remittendum per Abſolutionem Sacramentalem, eſtò etiam priùs per Contritionem charitate perfectam, aut per Abſolutionem Sacramentalem indirectè foret remiſſum. Cætera huc pertinentia, alibi commodiùs explicabuntur, ubì de præcepto, & integritate Confeſſionis. Impræſentiarùm tranſeamus à materia remota uſque materiam ſeu quaſi materiam proximam hujus Sacramenti, pro qua inſtituo ſequentem Concluſionem.

CONCLUSIO III.

Quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Contritio quidem & Confeſſio partes quaſi eſſentiales, Satisfactio autem pars integralis.

61. **Quare actus Pœnitentis contritio &c. vocentur materia proxima Sacramenti.**

VOcantur illi actus materia proxima, quia immediatè applicant materiam remotam, & determinantur immediatè à forma. Nam, ùt ſuprà notavimus, Contritio Sacramentalis eſt dolor de peccato, Confeſſio accuſatio de peccato, & Satisfactio vindicta de peccato: neque peccatum determinatur à forma, niſi cum debito dolore accuſatum, & Pœnitentiâ per Sacerdotem impoſitâ vindicatum; veluti aqua in Baptiſmate non determinatur à forma Baptiſmatis, niſi ùt applicatâ per Miniſtrum. Hoc ſuppoſito,

Probatur Concl. ex Conc. Florent.

Patet Concluſio ex Florentino in Decreto Eugenii ibi: *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis Contritio* &c. Vide ſuprà in principio Sectionis. Et ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 3. ibi: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſi us pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.*

& Trident.

62. **Satisfactio non eſt pars intrinſeca & eſſe... lis:**

Quòd autem omnes hi actus non ſint materia intrinſeca & eſſentialis, nimis manifeſtum eſt, ut indigeat probatione; nam quotquot ſunt Theologi, velint nolint fateri debent, & Sacramentum Pœnitentiæ eſſentialiter perfici poſſe, & ſæpè ſæpiùs, immo ordinariè perfici priùs, non ſolùm naturâ, ſed etiam tempore, quàm impleatur Satisfactio. Quomodo ergo Satisfactio materia intrinſeca, & eſſentialiter componens Sacramentum Pœnitentiæ? Immo quomodo materia, cùm materia videatur debere præcedere formam, Satisfactio autem ordinariè ſit poſterior formâ Abſolutionis?

ſed tan... integra...

Reſpondeo; ſufficit hìc ad materiam, quòd à forma ſuo modo determinetur, & quòd ſuo modo Sacramentum ſaltem integraliter componat, prout facit Satisfactio, dum à forma accipit virtutem delendi pœnas temporales ex opere operato, & ab ea contrahit neceſſitatem ut impleatur.

Etiam aliis Sa... mentis ... teſt for... præced... materia.

Nonne etiam in aliis Sacramentis, v. g. Baptiſmo, Confirmatione &c. priùs poteſt proferri forma, quàm applicetur materia? Poteſt omninò; idque quia Sacramenta ſunt res quædam morales, vel quaſi artificiales, quæ diverſum modum habent compoſitionis à rebus phyſicis & naturalibus. Quamquam & in compoſito naturali, non ſemper omnes partes materiæ præcedant formam, ùt patet in homine v. g. qui poſt infuſionem animæ, per nutritionem accipit novas partes ſubſtantiæ.

63. **Verba alia ſig... quibus ... tisfacti... impon... potiùs ... materi... quàm f... ma.**

Fateor, præter verba Abſolutionis, requiri alia verba formalia, vel virtualia, v. g. nutus, aut alia ſigna; quibus Satisfactio imponatur; nego tamen illa verba eſſe formam, & dico, potiùs pertinere ad materiam, ac intelligi ſub nomine Satisfactionis, quo utique nomine non intelligitur opus pœnale ſecundùm ſe, ſed impoſitum à Confeſſario.

Determinatur porrò illud opus, & à verbis, quibus imponitur, & à forma Abſolutionis, ſed diverſo modo; nam per priora determinatur ſolùm in ratione obligationis, quia illa verba ſolùm ſignificant pœnitentem obligari à Confeſſario ad tale opus; non autem per tale opus liberari ex opere operato à pœna temporali; ſed hoc poſtremum ſignificatur per formam Abſolutionis; quippe per hanc ſignificat Sacerdos ſe liberare pœnitentem à peccatis quantum poteſt, id eſt, quoad culpam & pœnam temporalem reſtantem.

Verba itaque, quibus Pœnitentia imponitur, ſunt quaſi forma operis, impoſiti in ratione obligatorii, illud autem opus ità impoſitum, materia reſpectu formæ Abſolutionis, quæ eſt forma in ratione operis Satisfactorii ex opere operato, adeòque abſolutè forma Sacramenti.

64. **Objectio ſolvitur.**

Si dixeris, impoſitio pœnæ eſt ſententia. Reſpondeo, inchoata; completa autem & perfecta, ipſa Abſolutio, in tantum, ut ſi Pœnitentia nulla imponeretur, vel ex inadvertentia, vel quia ſubjectum non eſt capax, v. g. ſi pœ-

Digitized by Google

ſi pœnitens ſit privatus uſu rationis; nihilominus Abſolutio valeat in ordine ad remiſſionem culpæ, quæ non poteſt pendere à conditione futura, ùt infrà latiùs explicabimus. Igitur ſinè Satisfactione hoc Sacramentum eſſentialiter ſubſiſtit, non tamen omninò ſeu integraliter completè. Nam finis Sacramenti eſt plena & perfecta peccati remiſſio, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam omnem temporalem, ad quem finem ſeu effectum requiritur Satisfactio.

Qua ratione Contritio &c. dicantur partes hujus Sacramenti ex Trid. Hinc Tridentinum ſuprà: *Qui* (actus pœnitentis) *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq́, & perfectam peccatorum remiſſionem, ex Dei inſtitutione requiruntur, hâc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.*

Ad integritatem, inquam, Sacramenti: adeòque ex his verbis neutiquam probatur, Contritionem, & Confeſſionem eſſe partes intrinſecè componentes hoc Sacramentum, quemadmodum ablutio v. g. eſt pars intrinſecè componens Sacramentum Baptiſmi; nam eodem prorſus modo loquitur hìc Concilium de Satisfactione, quam tamen, ex omnium judicio, conſtat non eſſe talem partem.

65. Quare Concilii vocet illos actus quaſi materiam. Et fortè idcirco actus pœnitentis non ſimpliciter vocavit *materiam*, ſed cum addito: *Quaſi materiam*. Quamquam nonnulli putent, id factum fuiſſe; quia hi actus non ſunt ſubſtantia ſenſibilis, veluti materia Baptiſmi, v. g. aqua; materia Confirmationis, v. g. Chriſma &c.

Ex verbis Conc. non probatur Contritionem & Confeſſionem eſſe partes intrinſecè componentes. Quidquid ſit de hoc (nam peccata ipſa ſatis propriè, & vulgò vocantur ſimpliciter materia Confeſſionis, & non quaſi materia; tametſi non ſint ſubſtantia aliqua ſenſibilis) clariſſimum eſt ex verbis jam allegatis, ſive Concilii Florentini, ſive Tridentini, non dico non evidenter inferri, ſed ne obſcurè quidem colligi, Contritionem aut Confeſſionem eſſe materiam intrinſecè componentem hoc Sacramentum; quippe æqualiter reſpiciunt Satisfactionem; quæ tamen, communi calculo, non eſt talis pars.

66. Scotus non opponitur Conc. Unde his Conciliis non opponitur Scotus 4. diſt. 16. q. 1. n. 7. dicens: *De Pœnitentia Sacramento dico, quòd iſta tria* (Contritio, Confeſſio, & Satisfactio) *nullo modo ſunt partes ejus*. Intelligit quippe partes eſſentiales, & intrinſecè componentes; ùt patet ex probatione, quam ſubnectit: *Quia, ùt dictum eſt diſt. 14. Pœnitentia Sacramentum eſt illa Abſolutio Sacramentalis, facta certis verbis &c. Hujus autem nulla pars eſt Contritio, quæ eſt quoddam ſpirituale in anima: neque Confeſſio, quia nihil eſt ipſius ſententiæ; Sacerdotis, ſed actus rei accuſantis ſe; neque Satisfactio, ſed ſequitur illam Abſolutionem Sacramentalem.*

Et proſequitur: *Hæc tamen tria ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc ut digne recipiatur, requiruntur vel prævia, vel ſequentia. Simpliciter enim requiritur Confeſſio; quia Sacerdos non abſolvit reum arbitrariè, niſi priùs reus ſibi fuerit accuſatus in foro illo. Non eſt etiam utilis illa Abſolutio, niſi præcedat in confitente aliqua Contritio, vel Attritio. Partes iſtius diſtinctionis patent ex dictis ſuprà; ſufficit enim quòd aliqua diſplicentia, licèt informis, præcedat, & tunc ille capax eſt Abſolutionis Sacramentalis: & per illam fit Contritio.*

Satisfactio autem debet ſequi Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc ut habeat efficaciam, & hoc in re, vel in voto; niſi judex poſſet perpendere, illas pœnas alias præcedentes ſufficere ad totalis pœnæ ſolutionem. Iſta enim ſententia Sacerdotis ſic abſolvit, quòd tamen ligat. Abſolvit quidem à debito pœnæ æternæ, ſed ligat ad ſolutionem pœnæ temporalis, niſi ſit ſufficienter jam ſoluta: ipſa etiam vel nullo modo abſolvit, vel ſaltem non efficaciter, niſi ille reus ſit in ſe debito modo diſpoſitus, quia Sacramentum eſt ſignum Abſolutionis interioris, quæ interior non concomitatur, niſi ſit debita diſpoſitio in mente interiùs abſolvendi.

Doctrina planè conſona Concilio Tridentino, quod non ſimpliciter aſſerit, illa tria eſſe partes Sacramenti Pœnitentiæ (unde bene id negatur à Scoto) ſed cum hac limitatione: *Quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq́, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur.* Et verò quid aliud Scotus clamat quàm illa tria ex inſtitutione Dei requiri ad integritatem Sacramenti; ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem, tam quoad culpam, quàm quoad omnem pœnam temporalem? Verba ejus ſunt apertiſſima. 67. Sed planè eis conſonat.

Et quamvis non dicat, hâc ratione partes Pœnitentiæ appellari poſſe, etiam non negat, aut prohibet ſic appellari. Sed neque Concilium Florentinum ſic appellat; ſed inquit: *Cujus* (Sacramenti Pœnitentiæ) *quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes*: illas autem tres partes, eſſe partes, & maximè intrinſecas ipſius Sacramenti, nullum verbum vel remotè ſignificat præter illud, *Quaſi materia*.

Quantùm ergo ad rem ipſam attinet, communiter omnes Catholici in hoc conveniunt, quòd Sacramentum Pœnitentiæ non ſolùm illicitè, ſed prorſus invalidè miniſtretur, ubì nullus præceſſit dolor in pœnitente, aut certè nulla Confeſſio; validè autem, tametſi bonâ aut malâ fide nulla omnino injungatur Satisfactio. 68. Sacramentum Pœnit. abſque dolore & confeſſione eſt invalidum, ſecùs ſinè ſatisfactione.

An autem propterea Contritio & Confeſſio ſint, & vocari debeant partes intrinſecæ & eſſentiales, Satisfactio autem pars tantùm integralis, non convenit inter ipſos quantùm ad Contritionem & Confeſſionem, quos actus Nonnulli exiſtimant eſſe materiam intrinſecam & eſſentialiter componentem cum forma Abſolutionis hoc Sacramentum, Aliis aſſerentibus tantùm eſſe conditiones ſinè quibus non, ſive eſſentialiter prærequiſita, ut forma Sacramentaliter An ideo Contritio & Confeſſio debeant vocari partes intrinſecè componentes?

Digitized by Google

mentaliter ſignificet, veluti ad omnia Sacramenta requiritur intentio Miniſtri faciendi, quod facit Eccleſia, & alia plura, de quibus egimus diſp. 1. ſect. 1. concl. 1.

69. *Quæſtio pro maxima parte eſt de nomine.* Quæſtio ergo pro maxima parte eſt de nomine: in qua malumus loqui cum Scoto, & dicere, Pœnitentiam Sacramentum in recto ſolùm importare Abſolutionem Sacramentalem, connotando in obliquo cætera omnia per modum conditionum prærequiſitarum. *Probatur modus loquendi Doctor. Subt. qui negat.* Ratio eſt; quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum condonationis & remiſſionis; quando autem unus homo condonat offenſam aut debitum alteri, tota activitas & efficientia videtur eſſe in ipſa condonatione; & licèt ad ejus valorem prærequiratur debitum, vel offenſa condonanda, illud tamen prærequiſitum videtur ſe habere ex parte materiæ, non ex parte efficientis.

Unde concipiendo activitatem hujus Sacramenti per ſpecies illius remiſſionis humanæ, videmur concipere totam activitatem tenentem ſe ex parte Abſolutionis & remiſſionis: & licèt reverà Abſolutionis verba non habeant ex ſe efficaciam completam, quando non præcedit Confeſſio, & alia requiſita, concipimus tamen ex parte modi concipiendi illa omnia per ſpeciem diſpoſitionum; unde cùm in uſurpatione nominum ſequamur plerumq; modum concipiendi; & habeamus ſimilem modum ſignificandi, non mirum, ſi per hoc Sacramentum ſignificamus directè ſolam Abſolutionem, connotando in obliquo cætera omnia. Ita diſcurrit Lugo diſp. 12. n. 58. *Lugo.*

70. *Cenſuræ, quibus aliqui immeritò afficiunt modum loquendi Scoti;* Quapropter non poſſum ſatìs mirari, quod apud eundem Auctorem lego ibidem n. 20. Scoti ſententiam, negantem illas eſſe partes intrinſecas, ſed ſolùm requiri tanquam diſpoſitiones, non pauci Theologi graviori cenſurâ afficiunt. Cajet. infrà q. 90. art. 2. ait, eſſe erroneam: Alii dicunt eſſe temerariam: Alii plùs quàm temerariam.

quem alii in bonum ſenſum conantur trahere. Angles. Alii in bonum ſenſum conantur verba Scoti trahere, ùt Angles, qui dicit, Scotum non negaſſe illas eſſe partes intrinſecas; ſed ſolùm negaſſe eſſe propriè materiam, quod videtur juxta modum loquendi Florentini & Tridentini, ubì dicitur illa quaſi materia. Alii dicunt Scotum velle, quòd Sacramentum non ſupponat in recto pro illis, ſed ſolùm pro Abſolutione, connotando alias partes in obliquo. *Vega.* Alii ùt Vega 13. in Trident. cap. 15. quòd Scotus non negat illas eſſe partes integrales; ſed ſolùm negat eſſe partes eſſentiales. Hæ tamen explicationes difficilè aptantur Scoti verbis, ùt conſideranti patebit. Hucuſque Eminent. qui ſi bene conſideraſſet verba Scoti, facilè ipſis aptaſſet duas poſtremas explicationes.

71. *Longè di-* Præclarè Dicaſtillo hìc diſp. 4. n. 28. Scotus, inquit, in 4. diſt. 14. docet, totam eſſentiam illius (Sacramenti Pœnitentiæ) eſſe in Abſolutione à peccatis. *ſtat [...] tia S[...] Calv[...] alior[...] Hære[...] rum [...] Dica[...]* Probat; quia ſola Abſolutio totum effectum Sacramenti, nempe remiſſionem peccatorum ſignificat. Unde conſequenter diſt. 16. q. 1. docet, Contritionem, Confeſſionem, Satisfactionem eſſe quidem neceſſarias ad hoc Sacramentum; duas priores tanquam quid prævium, ultimam verò tamquam quid conſequens, ut pœnam ſolvendam (ſi quæ reſtat) abſumat. In quo longè diſtat Scotus à Calvino, Melanchtone, & aliis ejuſdem farinæ, ſeu furfuris hominibus, qui negant requiri prædictas partes. Hæc ille; quia expendit verba Scoti.

Nulla ergo conventio ſententiæ Scoti cum articulo 5. Lutheri, damnato à Leone X. *Leo.* Bulla *Exurge Domine*, qui ſic habet; *Tres eſſe partes Pœnitentiæ, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, non eſt fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis ſanctis Chriſtianis Doctoribus.* Non enim erat quæſtio Luthero de nomine partis, ſed de re ipſa; an videlicet illa tria eſſent requiſita ad veram pœnitentiam, qualem Chriſtus inſtituit in nova Lege, ùt patet ex articulis ſequentibus.

Et reverà, ſi, ùt Cardinalis ſuprà admittit, hæc tria concipiuntur per ſpeciem diſpoſitionum, & non partium (eſtò partes forent) quid reprehenſione dignum in Scoto, quòd partes negaverit, & diſpoſitiones ſive requiſita affirmaverit? Quippe locutus fuit ſecundùm id, quod concipiebat. An fortè mentiendum ipſi erat, & aliter loquendum, quàm mente concipiebat?

Sed dicet Aliquis cum Lugone ſuprà n. 59. *Obie[...] deſu[...] ex ju[...] hum[...] Lugo.* Hoc Sacramentum inſtitutum eſt à Chriſto per modum judicii: judicium autem humanum intrinſecè conſtat non ſolùm ex ſententiâ Judicis, ſed ex aliis actibus judicialibus, ſcilicet accuſatione, examine, confeſſione &c.

Retro[...] rur a[...] ment[...] Reſpondeo, & retorqueo argumentum: Sacramentum hoc inſtitutum eſt à Chriſto per modum judicii: judicium autem humanum eſſentialiter & in recto ſolùm dicit ſententiam Iudicis, per quam abſolvitur, vel condemnatur reus, reliqua in obliquo connotat, tanquam neceſſariò prærequiſita, ut poſſit juſta ferri ſententia.

Sola [...] tenti[...] dicio [...] no, [...] cat ab[...] tione [...] Sanè nemo dubitat, ſolam ſententiam in judicio humano ſignificare abſolutionem, vel condemnationem: ergo ſimiliter in judicio Sacramentali, ſola ſententia Sacerdotis ſignificat remiſſionem peccatorum, & per conſequens ipſa ſola cauſat remiſſionem peccatorum, quia proprium eſt Sacramentis cauſare, quod ſignificant; nam ſignificando cauſant, ùt patet ex definitione Sacramenti: *Signum practicum gratiæ.*

Sente[...] Sacerd[...] ſignifi[...] miſſio[...] peccat[...] Quòd autem ſententia Sacerdotis ſignificet remiſſionem peccatorum, omnes admittunt: *Quorum remiſeritis peccata*, inquit Chriſtus Joan.

Digitized by Google

Joan. 20. *remittuntur eis* &c. Et verò quid aliud ſignificant illa verba: *Ego te abſolvo à peccatis tuis? Docet Sancta Synodus* (Tridentina) *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo &c.* ſeſſ. 14. c. 3. Rogas quæ ſit illa vis? Infrà explicat dicens: *Sanè res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo.*

74. *...ratione ... ... Sacram. ſita ... in forma.*

Nec obſtat ly *præcipuè*, in quo fundant ſe Adverſarii, quaſi Concilium per illud voluiſſet ſignificare, vim Sacramenti etiam in aliquo alio, præter formam, ſitam eſſe, videlicet in Contritione, & Confeſſione. Non obſtat, inquam, nam duplex reſponſio adhiberi poteſt.

Prima reſponſio, quia vis Sacramenti præcipuè conſiſtit in remiſſione culpæ.

Prima: Vis Sacramenti Pœnitentiæ præcipuè conſiſtit in remiſſione culpæ, ſive in reconciliatione cum Deo, ùt patet ex verbis Tridentini mox allegatis; hæc autem conſiſtit in ſola abſolutione ſive ſententiâ Judicis, juxta illud Trident. eâdem ſeſſ. c. 2. *Ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari.* Non ait, per Contritionem, aut per Confeſſionem poſſent liberari, ſed, *per Sacerdotum ſententiam*; ergo ipſa ſola eſt, quæ liberat.

Eodem modo loquitur cap. 5. ibi: *Ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quò pro poteſtate Clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient.* Ubì rursùm ſoli ſententiæ adſcribit remiſſionem, aut retentionem peccatorum.

75. *Abſolutio à Conc. Trid. vocatur actus judicialis.*

Et cap. 6. in fine (quod bene notandum eſt) Abſolutionem vocat actum judicialem ibi: *Quamvis Abſolutio Sacerdotis, alieni beneficii ſit diſpenſatio; tamen non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actus iudicialis, quo ab ipſo velut iudice, ſententia pronunciatur.* Similiter can. 9. *Si quis dixerit, Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum iudicialem &c. anathema ſit.*

Secùs Contritio, aut Confeſſio.

Sed nunquid alicubi vocat Contritionem aut Confeſſionem actum judicialem, aut anathema dicit illis, qui contrarium docuerint? Nullibi profectò. Igitur in forma ſeu ſententia præcipuè ſita eſt vis hujus Sacramenti, id eſt, præcipua vis ſita eſt, puta remiſſio peccatorum quoad culpam. Interim vis ſecundaria, id eſt, remiſſio culpæ quoad pœnam temporalem reſtantem, etiam ſuo modo conſiſtit in Satisfactione, quatenus per Claves elevata.

76. *Secunda ratio, quia licet ſola forma ex opere operato remittat culpam, non tamen ſinè applicatione objecti per doloroſam Confeſſionem. Conc. Trid.*

Secunda reſponſio erit; vim hujus Sacramenti præcipuè ſitam eſſe in forma, quatenus, etſi ſola operetur, & ex opere operato conferat remiſſionem peccatorum quoad culpam, equidem operari nequit ſinè applicatione objecti per doloroſam Confeſſionem: veluti præcipua vis operandi, in cauſa dicitur conſiſtere, etſi non ſinè applicatione. *Conſtat*, inquit Trident. ſeſſ. 14. c. 5. *Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ cauſâ, exercere non potuiſſe.* Ubì clarè diſtinguit judicium à cognitione cauſæ, adeòque à Confeſſione, quæ tantùm eſt neceſſaria ad cognitionem cauſæ, eò quòd de facto homines non communicent, niſi ſignis ſenſibilibus.

Et licèt Sacerdos per revelationem, aut aliàs cognoſceret omnia peccata pœnitentis; equidem requiſivit Chriſtus Confeſſionem, tanquam medium ordinariè neceſſarium, nec voluit ut aliter Sacerdos poſſet judicium hoc exercere. Quamquam aliquando in judiciis humanis, quando crimen ſufficienter notum eſt judici, abſque Confeſſione rei ſententia Abſolutionis, vel condemnationis ſoleat pronunciari.

Interim regulariter etiam in his judiciis requiritur accuſatio, vel jure naturæ; quando cauſa alioquin eſt incognita, vel certè jure poſitivo; non quaſi in ipſa accuſatione ſita ſit formaliter aliqua vis Abſolutionis, aut condemnationis; ſed ut judex ritè judicium exerceat pronunciando ſententiam, in qua formaliter conſiſtit tota vis. 77. *Regulariter etiam in judiciis humanis requiritur accuſatio.*

Immo aliquando magìs neceſſariò concurrit prævia ſatisfactio partis læſæ; quæ tamen in hoc Sacramento, ſeu judicio Sacramentali, nunquam debet præcedere; nec ad eſſentiam requiritur, quòd ſequatur. Adeòque non in omnibus rectè argumentamur ab uno judicio ad aliud, ùt ex pluribus aliis in progreſſu clariùs apparebit.

Cæterùm fatetur Lugo ſuprà n. 60. argumentum ſuum, deſumptum ex judicio humano, non probare, quòd dolor importetur in recto per hoc Sacramentum; cùm ipſe, inquit, non ſit actus judicialis, nec pars aliorum judiciorum.

Proinde aliud argumentum ſubjungit dicens: Cùm hoc Sacramentum inſtitutum etiam ſit per modum reconciliationis, unde aliquando hoc nomine ſolet appellari, apprehendimus etiam illud per ſpecies reconciliationis humanæ, quæ procul dubio conſtat ex voluntariâ utriuſque quaſi revocatione, non ſolùm ex parte offenſi, ſed etiam ex parte offendentis, qui eo ipſo retractat offenſam: reconciliari enim, eſt utrumque redire illuc, unde voluntariè diſceſſerat. 78. *Aliud argumentum Lugonis.*

Reſpondeo; revocationem offendentis tantùm eſſe quid prævium ſeu diſpoſitivum ad revocationem offenſi, quæ eſt formaliſſimè reconciliatio ſeu remiſſio offenſæ, adeò ut, ſi Deus vellet, poſſet remittere peccatum, & hominem ſibi reconciliare, abſque ulla revocatione prævia offendentis. *Reſponſio, quòd revocatio offendentis tantùm ſit diſpoſitio ad reconciliationem.*

Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 4. *Contritio*, inquit, 79.

Probatio ex Trident. inquit, *quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius, & in homine, poſt Baptiſmum lapſo, ità demum præparat* (id eſt, diſponit) *ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.*

Et infrà: *Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq; Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem, ipſi Contritioni ſinè Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Quis non videt, interrogant Nonnulli, in iſtis verbis Concilium diſtinguere inter Sacramentum, & Contritionem? Quomodo ergo Contritio importatur in recto, & eſt pars eſſentialis Sacramenti?

80. Reſpondetur & explicantur ultima verba Concilii. Reſpondent Alii; loquitur Concilium de Contritione ſeorſim, id eſt ut non ſubeſt formæ ſeu Abſolutioni Sacramentali, & indubiè ſic non eſt pars eſſentialis Sacramenti, neque importatur in recto, & optimè diſtinguitur à Sacramento. quamvis ùt conjuncta formæ, id eſt, ùt ſubeſt formæ, poſſit & debeat dici pars eſſentialis.

Veluti ſi aliquis diceret; *Ablutio pueri, antequam Sacramentum Baptiſmi actu ſuſcipiatur, non cauſat remiſſionem peccati originalis*, ex illa locutione non bene infertur; ergo ablutio pueri non eſt pars eſſentialis Sacramenti Baptiſmi, neque importatur in recto.

Optima reſponſio ad poſtrema verba Concilii. Sed quid ad prima? Num aliquando legiſti in aliquo Concilio, Abſolutio ità demum præparat ad remiſſionem peccati originalis, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjuncta ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum Sacramentum Baptiſmi requiruntur?

81. Nuſpiam aliquod Conc. dixit ablutionem in Baptiſmo præparare ad remiſſionem peccati originalis,

Deinde Tridentinum cap. 4. citato: *Declarat* Contritionem imperfectam *non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam Dei donum eſſe* &c. *Et quamvis ſinè Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Nunquid & ibi loquitur de Contritione ſeorſim, id eſt, ùt non ſubeſt formæ? Num uſpiam aliquod Concilium dixit, ablutionem diſponere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Baptiſmi?

aut diſponere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Baptiſmi.

Reſponderi poſſet, ſi nullum Concilium, ſaltem Scotus 4. diſt. 1. q. 5. n. 17. ibi: *Ad primum dico, quòd aqua abluit cor, id eſt, animam, non quidem cauſando diſpoſitionem mediam inter ipſam, & gratiam abluentem, ſed abluit tanquam diſpoſitio proxima & immediata ad gratiam.* Et verò ubì abluit, tanquam diſpoſitio proxima, id eſt, ubì diſponit proximè ad gratiam, niſi in Sacramento Baptiſmi?

Utcumque ergo ſit de hoc argumento, quod laborat in nomine, de re ipſa docet Concilium Trident. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere can. 6. Sacramenta novæ Legis continere gratiam, quam ſignificant; & gratiam ipſam non ponentibus obicem conferre. Si ergo Contritio eſt Sacramentum, aut pars eſſentialis Sacramenti, oportet ut non ſolùm diſponat, ſed reverà ſignificet, & conferat gratiam remiſſivam peccatorum, idque ex opere operato. Et idem argumentum fieri poteſt de Confeſſione. Ubì autem Chriſtus inſtituerit Contritionem vel Confeſſionem, ad ſignificandam & cauſandam gratiam ex opere operato, planè ignoro.

Alioquin, dicet aliquis, ipſe pœnitens foret partialis miniſter hujus Sacramenti, ſicuti in Sacramento Baptiſmi, ſuppoſito quod ſic eſſet inſtitutum, quòd plures poſſent eundem baptizare, unus applicando materiam, alter proferendo formam, qui ablueret foret partialis miniſter Baptiſmi: & per conſequens, veluti ille, qui tunc ablueret, rectè diceretur baptizare, & conferre gratiam per Baptiſmum, ita de facto rectè diceretur, pœnitens ſeipſum abſolvere, & ſibiipſi conferre gratiam remiſſionis peccatorum.

Reſpondet Lugo ſuprà n. 29. non requiritur, quòd omnes Sacramenti partes cauſent gratiam; ſed ſufficit, quòd illam cauſet Sacramentum per aliquam ſui partem: hoc autem Sacramentum cauſat gratiam per ſolam Abſolutionem Sacerdotis, in quo eſt poteſtas Clavium ad abſolvendum, & ad deſtruenda peccata. Sicut, inquit Suarez diſp. 18. ſect. 2. n. 12. in naturalibus materia eſt de eſſentia ignis, quamvis tota activitas ſit in forma.

Impugnatur. Sed contrà; eſſentia Sacramenti non eſt aliud, quàm practica ſignificatio gratiæ, id eſt, ſignificatio & efficientia gratiæ, & ideo, quod non efficit gratiam, neque eſt Sacramentum, neque pars eſſentialis Sacramenti. Aſt verò eſſentia ignis non eſt activitas, & ideo materia poteſt eſſe de eſſentia ejus, etſi tota activitas ſit in forma.

Deinde ſi Sacramentum Pœnitentiæ per ſolam formam ſignificat & cauſat gratiam; quidni etiam Baptiſmus, Confirmatio &c. non eſt enim major ratio de uno Sacramento, quàm de alio, ſi omnia conſtant æqualiter materià & formâ, ùt partibus eſſentialibus intrinſecè componentibus. Si ergo ſola Abſolutio ſignificat, & cauſat gratiam ex opere operato, dico ego, illam ſolam formaliter & eſſentialiter eſſe Sacramentum, cùm ipſi ſoli conveniat eſſentialis & formalis ratio Sacramenti.

Illam autem ſolam ſignificare, & cauſare gratiam 84

Digitized by Google

[illegible] ... Andr. Vega.

gratiam ex opere operato, docet cum Scoto Andreas Vega (qui interfuit Concilio Trid.) de Juſtif. lib. 13. c. 15. dicens: Veriſſimum eſt, quidquid Alii ſentiant, quod Doctor Subtilis, & communis Nominalium Schola defendit, ſolius Abſolutionis virtute, peccatoribus conferri gratiam pœnitentibus. Nam Claves ſolis Sacerdotibus collatæ ſunt, & ſoli ipſi debent remittere peccata, & per eorum Abſolutionem confertur gratia confeſſis, abſentibus omnibus aliis actibus ipſorum pœnitentium. Et ſola Abſolutio eſt ſignum gratiæ, & gratia ratione aliorum actuum conceſſa, datur propter opus operantis. Hæc ille.

Idem Author docet, ſolam Abſolutionem & Confeſſionem eſſe partes eſſentiales.

Et poſt pauca: Neque ſic ponimus hæc (Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem) eſſe partes hujus Sacramenti, quaſi Deus illis omnibus utatur ùt ſignis & inſtrumentis efficacibus ad præſtandam remiſſionem peccatorum, aut quaſi omnia illa ſint eſſentiales ipſius partes, & ad eſſentiam ipſius requirantur; ſicut anima requiritur ad eſſentiam hominis. Nam ùt prius (ſcilicet eſſe ſignum & inſtrumentum efficax remiſſionis peccatorum) ſoli Abſolutioni; ità hoc poſterius (ſcilicet eſſe partes eſſentiales) ſolis profectò Confeſſioni & Abſolutioni convenit. Hucuſque Vega.

85\. Hæc doctrina quoad Confeſſionem rejicitur.

Sed (ſalvâ pace ipſius) ſi Deus non utitur Confeſſione ùt ſigno & inſtrumento efficaci ad præſtandam remiſſionem peccatorum, quomodo erit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, quod non eſt aliud quàm ſignum & inſtrumentum efficax ad præſtandam remiſſionem peccatorum? Nunquid applicato cauſæ eſt pars eſſentialis ipſius cauſæ, ſicut anima eſt pars eſſentialis hominis? Nemo ſic loquitur; quamvis ſit aliquid neceſſariò requiſitum, ut cauſa producat ſuum effectum. Ergo conſimiliter Confeſſio, quæ non eſt aliud quàm applicatio materiæ circa quam, nec debet, nec poteſt propriè dici pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ; ſed ſolummodo aliquid eſſentialiter prærequiſitum, id eſt, tale prærequiſitum, ſinè quo eſſentia Sacramenti non poteſt ſubſiſtere.

86\. Docet præterea idem Author, Contritionem tantum eſſe partem integralem.

Vega ſuprà ſic ait: Præter partes eſſentiales, ſunt etiam alicujus totius aliquæ tantùm integrales partes, ad perfectionem ipſius & integritatem concurrentes, ſicut oculus, lingua, digitus, integrales partes dicuntur hominis, quia ad integritatem ipſius & perfectionem concurrunt, licèt ſinè ipſis poſſit homo conſiſtere. Et tales partes hujus Sacramenti ſunt Satisfactio, ceſſatio à peccatis, & Contritio, etiamſi modo largè accipiatur, & comprehendat ſub ſe quemcumque, & qualemcumque dolorem de ipſis. Hactenus Vega.

Sed non placet Auctori.

Rectè quidem, quantùm ad Satisfactionem & ceſſationem à peccatis; perperàm autem, quantùm ad Contritionem, ſi intelligat, nullum omnino dolorem eſſe neceſſarium, ùt ſubſiſtat eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, cùm, teſte Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. quovis tempore fuerit neceſſarius motus Contritionis, ad impetrandam veniam peccatorum, etiam in ipſo Sacramento Pœnitentiæ; nam circa finem illius capitis ità legitur: *Quamobrem falsò Quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium* (per quem intelligitur Contritio, ùt patet ex contextu) *gratiam conferre: quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit.* Conc. Trid.

Fortè Vega fuit in ſententia quæ docet, dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, ùt videtur innuere verbis immediatè ſubſequentibus. Hæc, inquit, tria requiſita ſunt ad Sacramenti hujus perfectionem & integritatem, & ut plenè & perfectè habeatur effectus ipſius. Unde ſinè his non cenſetur quis perfectè pœnitere. 87.

Fortè Vega exiſtimavit dari poſſe Sacramentū validum, & informe.

Sed de hac opinione infrà, ubì de dolore ſacramentali. Ad præſens propoſitum ſufficit, Deum neque Contritione, neque Confeſſione uti, ùt ſignis & inſtrumentis efficacibus ad præſtandam remiſſionem peccatorum. Ex quo Antecedente puto ſatìs efficaciter inferri: ergo neque Contritio, neque Confeſſio ſunt partes eſſentiales Sacramenti Pœnitentiæ, eo modo, quo ablutio v. g. eſt pars eſſentialis Sacramenti Baptiſmatis.

Hinc Suarius ſuprà, utpote nobis Adverſarius, negat totam ſignificationem eſſe in forma; quia, inquit, licèt verba formæ diſtinctiùs ſignificent totum effectum, tamen etiam actus pœnitentis ſuam habent ſignificationem: nam ſigna Contritionis ſunt etiam ſigna interioris remiſsionis, & per Confeſsionem ſignificatur, quòd ſicut peccata exteriùs manifeſtantur, ità etiam ab anima ipſa excludantur. Satisfactio etiam apertè ſignificat remiſsionem pœnæ. 88.

Suarius putat, etiam Contritionem & Confeſſionē eſſe ſigna gratiæ.

Reſpondeo, per Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionem non magìs ſignificari remiſsionem peccatorum, quàm per orationem v. g. quâ homo petit auxilium ad bene ſuſcipiendum hoc Sacramentum.

Reſponſiō Auctoris.

Sola itaque Abſolutio eſt, quæ aſſumitur ad ſignificandam gratiam remiſſivam peccatorum. Veluti in judicio humano, accuſatio non aſſumitur ad ſignificandam remiſſionem, ſed ad informandum Iudicem de cauſa, quo pro poteſtate ſua, ſecundùm æquitatem, Abſolutionis, aut condemnationis ſententiam pronunciet; quæ proinde ſola ſignificat remiſsionem, aut condemnationem.

In judicio humano accuſatio non aſſumitur ad ſignificandam remiſſionem.

Aliud eſt de ablutione in Baptiſmo; quippe per illam ſordes corporis abſterguntur, ac proinde rectiſsimè aſſumitur, & aſſumpta cenſetur à Chriſto, ad ſignificandam abſterſionem ſordium animæ.

Digitized by Google

89. Præterea docet Suarez, omnes partes materiales hujus Sacramenti habere vim activam,

Atque gratis admiſſo, quòd Contritio, Confeſſio, & Satisfactio ſignificarent remiſſionem peccatorum, non ſufficit ad rationem Sacramenti novæ Legis ſignificare, ſed oportet efficere ex opere operato, quod ſignificatur. Quod probè intelligens Suarius ſuprà n. 13. affirmat, omnes partes materiales hujus Sacramenti, habere vim activam. Et ita, inquit, facilè ſolvitur argumentum Scoti, negando Aſſumptum.

Prorſus facilè ſolvitur, ſi affirmare efficaciam, idem eſt, quòd illam probare; ſed quia difficulter illa probatur, ideo difficilè ſolvitur argumentum Scoti, negando Aſſumptum. Vis autem videre, quàm difficulter Suarius probet hanc efficaciam?

90. quam explicat,

Supponit in primis, ante Abſolutionem perfectam hoc Sacramentum nullum habere effectum ex opere operato, quia nondum eſt Sacramentum, licèt fiat.

Ex quo infert; Confeſſionem, cùm priùs ſit omnino abſoluta, quàm perficiatur, immo quàm inchoëtur Abſolutio, per ſeipſam proximè & immediatè non efficere (loquitur in ſententia, quæ Sacramentis tribuit cauſalitatem phyſicam) quia cùm eſt effectus, jam ipſa non eſt; & ità ſolùm denominabitur efficere ipſum totum, quod conſtat Confeſſione, & Abſolutione, quamvis reverà efficacia procedat ab Abſolutione immediatè, ſicut etiam tota forma dicitur efficere, quamvis tantùm efficiat ſecundùm ultimam ſui partem.

Satisfactio etiam, quæ tempore eſt poſterior, quàm Abſolutio, non poteſt per ſe immediatè concurrere ad gratiam, quæ data eſt tempore Abſolutionis; efficit tamen remiſſionem pœnæ temporalis, quam ex opere operato confert: ſed illa tantùm poteſt eſſe moralis efficientia, non phyſica, quia hæc pœnæ remiſſio nihil phyſicum ponit in homine; ſed moraliter tantùm fit. Si autem ratione Satisfactionis datur aliqua gratia ex opere operato, illam poſſet hæc pars propriè & per ſe efficere, quid autem in hoc ſentiendum ſit, dicam infrà in materia de Satisfactione.

Solùm ergo poteſt eſſe quæſtio de Contritione, de qua, ſi tempore antecedat Abſolutionem, eadem ratio eſt, quæ de Confeſſione: ſi verò ſimul concurrat cum ipſa Abſolutione, probabile eſt habere Sacramentalem efficientiam ex opere operato: & de hac potiſſimè loquitur D. Thomas. Hucuſque Suarius n. 14. & 15.

91. & probat ex Conc. Trident.

& à paritate rationis ex aliis Sacramentis.

Sed quæro ego; quo fundamento id eſt probabile? Nonnihil favet, inquit n. 13. Concilium Trid. ſuprà, dicens, præcipuam vim hujus Sacramenti poſitam eſſe in forma; judicat ergo aliquam vim eſſe in materia. Et argumentum ſumi poteſt ex aliis Sacramentis à paritate rationis. Ecce tota probatio, exceptâ auctoritate D. Thomæ, & aliorum Doctorum, quos ibidem allegat.

Reſpo... tur a...

Quidquid ſit de auctoritate D. Thomæ, & aliorum Doctorum, cui opponimus auctoritatem Scoti, & omnium Scotiſtarum, bene dicit Suarez: *Nonnihil favet Tridentinum*; quia commodè explicari poteſt, ùt ſuprà vidimus, de vi aliqua ex opere operato, non reſpectu gratiæ ſeu remiſſionis culpæ, ſed reſpectu remiſſionis pœnæ reſtantis; vel de vi aliqua ex opere operantis, ſeu opere applicante, ſimili illi, quam habet applicatio cauſæ, v. g. ignis, reſpectu combuſtionis ligni. Adeòque locum hìc habere poſſet commune dictum: *Quod parum eſt, pro nihilo reputatur.*

9... Reſpo... ad par... tem ra... nis.

Venio ad argumentum, quod ſumi poteſt, ſecundùm Suarium, ex aliis Sacramentis à paritate rationis. Et quæro, remiſſio culpæ fit in Baptiſmo virtute ablutionis ſubſequentis formam? Nemo dubitat. Quæro rurſùm, Contritio aut Confeſſio, ſubſequens formam Abſolutionis, cauſat remiſſionem culpæ ex opere operato? Nemo audet aſſerere. Quare non, quandoquidem, ſecundùm Suarium, poſſit ſumi argumentum ex aliis Sacramentis à paritate rationis?

Diſpa... inter... rias al... Sacra... mater... hujus... cram.

Hoc igitur eſt ſignum manifeſtiſſimum diſparitatis rationis inter materias aliorum Sacramentorum, v. g. Baptiſmi, Confirmationis, Extremæ Unctionis, & Ordinationis, quæ intrinſecè & eſſentialiter componuntur ex materia & forma, & materiam Sacramenti Pœnitentiæ, quòd Contritio & Confeſſio neceſſariò præſupponantur formæ Abſolutionis; ablutio autem, unctio, traditio inſtrumentorum &c. ſive ſequantur, ſive præcedant formam, eamdem habeant vim ex opere operato in ordine ad remiſſionem peccati, aut collationem augmenti gratiæ ſanctificantis.

Itaque Contritio & Confeſſio, ſunt tantùm aliqua prærequiſita, veluti intentio miniſtri, aut ſuſcipientis Sacramentum, & alia plura, ut forma ſubſequens poſſit Sacramentaliter ſignificare. Materia autem propriè dicta, ſeu intrinſeca & eſſentialiter componens, perinde eſt ſive præcedat, ſive ſequatur formam, dummodo moralem aliquam inter ſe habeant connexionem.

9... Aliud... mentu... Adver... rum de... ptum e... Conc. ... rent.

Ex quo confeſtim ſolvitur aliud argumentum contra noſtram doctrinam, quod deſumitur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii ibi: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & perſonâ miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.*

& Tri...

Et Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. in principio: *Cæterùm hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *in multis à Baptiſmo differre dignoſcitur: nam præterquam quòd materiâ & formâ, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet* &c. Ergo, inferunt Adverſarii, Sacramentum Pœnitentiæ perficitur materiâ & formâ: Non aliâ materiâ, quàm Contritione, Confeſſione & Satis-

Digitized by Google

Satisfactione; ergo actus pœnitentis, jam enumerati, ſunt materia intrinſeca.

94. Inſtan. Reſpondeo neg. ultimam Conſeq. Nam, ùt liquidò conſtat ex verbis Florentini, etiam perſonâ Miniſtri perficitur Sacramentum, non ùt parte eſſentiali & intrinſecè componente; ſed ùt causâ extrinſecâ. Et quæ clarior inſtantia, quàm Satisfactio, quæ eſt materia ſeu quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ, ùt ambo Concilia docent, & requiritur ad plenam & perfectam peccatorum remiſſionem juxta Concilium Trid. & tamen non eſt materia eſſentialiter & intrinſecè conſtituens hoc Sacramentum? Vide quæ diximus de hoc argumento diſp. 1. ſect. 3. concl. 1.

95. Rurſum ab Adverſariis objicitur. Argumentaris rurſum: tres iſti actus ſunt partes Sacramenti Pœnitentiæ, ſed non ſunt partes Abſolutionis ſacramentalis; ergo ipſa ſola non eſt Sacramentum Pœnitentiæ; ſed compoſitum quoddam ex illis actibus, & Abſolutione.

Et ab Authore ſolvitur objectio. Reſpondeo; Concilium Florentinum non vocat illos actus partes Pœnitentiæ, ſed, inquit; *Quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres partes diſtinguuntur.* Unde ſunt partes non ipſius Sacramenti, ſed quaſi materiæ Sacramenti.

Quando autem Tridentinum vocat illos actus *partes Pœnitentiæ*, per Pœnitentiam non intelligit præciſè Sacramentum Pœnitentiæ; ſed totum judicium Sacramentale, quod præſuppoſitivè conſiſtit in Contritione, Confeſſione & voluntate ſatisfaciendi; formaliter in ſententia Iudicis, id eſt, Abſolutione; & conſecutivè in actuali Satisfactione. Et verò ſi placeat totum illud compoſitum morale vocare Sacramentum, eò quòd aliqua illius pars ſignificet, & cauſet gratiam in opere operato, per me licet, propterea nihil mutabitur in re.

Cæterùm ſi à me quæritur, an ergo Sacramentum Pœnitentiæ non conſtet aliquâ materiâ intrinſecâ? Reſpondeo, duplicem poſſe conſiderari compoſitionem in Sacramento. Prima eſt ex ſigno & ſignificatione; nam in omni Sacramento invenitur id, quod aſſumitur ad ſignificandam gratiam, & ipſa ſignificatio ſeu inſtitutio ac poteſtas ſignificativa, & in hoc ſenſu Sacramentum Pœnitentiæ habet materiam intrinſecam. Et quæ illa? Verba Abſolutionis, quæ à Chriſto aſſumpta ſunt & inſtituta ad ſignificandam, & efficiendam remiſſionem peccatorum. 96. An Sacramentum Pœnitentiæ non conſtet aliquâ materiâ intrinſecâ?

Alia compoſitio poteſt conſiderari in ipſa re, quæ aſſumitur ad ſignificandam gratiam, & efficiendam; v. g. in Baptiſmo, res ſignificans & efficiens, componitur ex ablutione tanquam materiâ, & verbis: *Ego te baptizo* &c. tanquam formâ. Et ſecundùm hunc conſiderationem, in ſententia Scoti, Sacramentum Pœnitentiæ non habet materiam intrinſecam, quandoquidem ſola forma Abſolutionis ſignificet, & efficiat remiſſionem peccatorum ex opere operato; quamvis ut efficiat, requirantur actus pœnitentis, qui idcirco dicuntur partes Pœnitentiæ, non intrinſecè componentes; ſed extrinſecè circumſtantes, ut ſic loquar.

Meminerunt autem Concilia materiæ extrinſecæ, quia notitia illius planè neceſſaria erat ad inſtructionem miniſtri, & pœnitentis, ſeu ſuſcipientis Sacramentum, cùm ſine his nec ſuſcipi poſſit, nec miniſtrari, ùt in progreſſu manifeſtiùs apparebit, quando de ſingulis actibus, Contritione videlicet, Confeſſione, & Satisfactione ſigillatim diſputabimus. Quod antequam aggredior, explico formam, quæ eſt præcipua pars, ſi non tota eſſentia, hujus Sacramenti. 97. Quare Concil. meminerint materiæ extrinſecæ.

SECTIO TERTIA.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Forma Sacramenti Pœnitentiæ ſaltem eſt pars eſſentialis. FOrma Sacramenti Pœnitentiæ, ſi non tota eſſentia (ùt exiſtimat Scotus, & nos cum illo docuimus ſect. præcedenti concl. 3.) ſaltem communi calculo eſt pars eſſentialis ejus, idque præcipua, quemadmodum forma phyſica, eſt pars eſſentialis, & præcipua compoſiti phyſici. Nec mirum, cùm, teſte Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 3. in forma præcipuè vis hujus Sacramenti ſita ſit.

Objectio ſolvitur. Si dixeris; hoc Sacramentum vocatur Pœnitentia. Reſpondeo, etiam appellatur Abſolutio & reconciliatio; Pœnitentia quidem à parte materiali, aut quaſi materiali, veluti Baptiſmus denominatur ab ablutione, & Confirmatio ſolet dici Chriſma; Abſolutio verò & reconciliatio à parte formali.

Arguis rurſum; Concilia tantùm enumerant tres partes Pœnitentiæ. Reſpondeo, materiales vel quaſi materiales: *Quaſi materia*, inquit Florentinum, *ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes.* Similiter Trident. poſtquam diviſit quaſi materiam hujus Sacramenti, in Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, docet quâ ratione illi actus dicantur partes Pœnitentiæ; quatenus videlicet *in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur.* 2. Alia objectio ſolvitur.

Hinc

Digitized by Google

Catech. Rom. Hinc Catechiſmus Rom. p. 2. c. 5. q. 20. *Eſt huius Sacramenti proprium, ut præter formam & materiam, quæ omnibus Sacramentis communia ſunt, partes etiam, ùt antea diximus, illas habeat, quæ tanquam totam integramq́; Pœnitentiam conſtituant Contritionem ſcilicet, Confeſſionem, & Satisfactionem.* Et infrà: *Iſtæ autem partes, ex earum partium genere eſſe dicuntur, quæ ad aliquod totum conſtituendum neceſſariæ ſunt: quoniam quemadmodum hominis corpus ex plurimis membris conſtat, manibus, pedibus, oculis, & aliis huiuſmodi partibus, quarum aliqua, ſi deſit, meritò imperfectum videatur, perfectum verò ſi nulla deſideretur: eodem etiam modo Pœnitentia ex hiſce tribus partibus ita conſtituitur,* &c.

3. *Anima rationalis eſt pars præcipua hominis.* Nunquid, quia manus, pedes oculi, vocantur partes hominis, aut corporis hominis, ideo anima rationalis non eſt pars hominis? Immo pars præcipua eſt. Ergo ſimiliter licèt Tridentinum doceat, actus Pœnitentiæ eſſe partes Pœnitentiæ, neutiquam negari poteſt aut debet, formam Abſolutionis eſſe partem Sacramenti Pœnitentiæ, idque præcipuam, utpote, ùt priùs dixerat Tridentinum, *in qua præcipue ipſius vis ſita eſt.*

Interim dum loquimur de partibus integrantibus hoc Sacramentum, communiter aſſignamus illas, quæ ſunt partes materiæ, quia partes integrales in rebus naturalibus ſequuntur extenſionem; radix autem extenſionis eſt materia. Sed hæc de nomine partis, quæ eſt quæſtio parvi momenti. De re autem erit

CONCLUSIO I.

Forma ordinaria Sacramenti Pœnitentiæ: *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.* Eſſentialiter conſtituitur his binis verbis: *Abſolvo te.* Peccaret tamen mortaliter qui omitteret ly *à peccatis.* Omiſſio ly *Ego*, non niſi venialis, prout etiam invocatio SS. Trinitatis.

4. *Probatur Concl. ex Conc. Florent. & Trident.* Concilium Florentinum in Decreto Eugenii ſic inquit: *Forma huius Sacramenti* (Pœnitentiæ) *ſunt verba Abſolutionis, quæ Sacerdos profert cùm dicit: Ego te abſolvo &c.* Tridentinum ſimiliter ſeſſ. 14. c. 2. in principio, *Docet, ... Sacramenti Pœnitentiæ formam ..... in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo &c.* Et continuò attexit: *Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur; ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.*

Preces illæ ſunt: *Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, Abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen. Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſolvat.* Et hæ quidem preces verbis eſſentialibus præmittuntur; poſtponuntur autem: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.* Ita Rituale Rom. Titulo de Sacram. Pœnitentiæ verb. *Abſolutionis forma*, ubì ſequentia ſtatuit: *Preces præcedentes ſubiectes formæ Abſolutionis ex Rit. Rom.*

5. *Modus abſolvendi ex Rit. Rom.* *Cum pœnitentem abſolvere voluerit, iniunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ ſalutari Pœnitentiâ, primò dicit:* Miſereatur tui *&c. Deinde dexterâ verſus pœnitentem elevatâ dicit:* Indulgentiam *&c.* Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius, te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantùm poſſum, & tu indiges. Deinde, ego te abſolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen. *Si pœnitens ſit laicus omittitur verbum* ſuſpenſionis. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti *&c.*

In Confeſſionibus autem frequentibus & brevioribus omitti poteſt: Miſereatur *&c. ſatìs erit dicere:* Dominus noſter Jeſus Chriſtus *&c. uſque ad illud,* Paſſio Domini *&c. urgente verò aliquâ gravi neceſſitate in periculo mortis breviter dicere poterit: Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.* Huc uſque Rituale.

6. *Quæ ſint non ſub obligatione quoad omnia nec quidem levi.* Et quidem ſi ita fiat, indubiè bene fit. Quamquam exiſtimem hæc omnia non eſſe neceſſaria, nequidem ſub levi obligatione; ſed ſufficere ad evitandùm omne peccatum hæc verba: *Ego te abſolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.* niſi fortè pœnitens indigeat abſolutione à Cenſuris, quæ tunc præmittenda foret verbis conſuetis, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

Propter contrariam praxim etiam maximè timoratorum. Nec obſtat Rituale mox allegatum; quia contraria praxis videtur præſcripſiſſe contra obligationem, cùm, etiam maximè timorati, varient, nec ſit uniformitas, niſi in illis verbis, *Ego te abſolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.*

7. *Omiſſio invocationis SS.Trinitatis ad ſummum eſt venialis.* Quin immo putant Aliqui, nullum eſſe peccatum, omittere invocationem SS. Trinitatis, ſecluſo ſcandalo & contemptu. Ad ſummum erit veniale, propter univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem. Sed hæc conſuetudo, inquit Dicaſtillo diſp. 5. n. 28. videtur libera, ùt nuper de verbis antecedentibus formam dicebamus. *Dicaſt.*

Digitized by Google

bamus. Ego malim dicere eſſe obligatoriam; quia licèt in verbis antecedentibus multi, etiam timorati, varient, equidem in illa invocatione omnes conveniunt. Cæterùm, quia materia levis, peccatum tantùm erit leve ſeu veniale.

8. Dices: exponitur Sacramentum periculo nullitatis, cùm ab Aliquibus dubitetur, an non ſpectet ad eſſentiam formæ; quemadmodum eadem invocatio ſpectat ad eſſentiam formæ Sacramenti Baptiſmatis; ergo eſt materia gravis.

Reſp. non eſt vera dubitatio; ſed ſcrupulus tantùm, id eſt, quædam animi anxietas ac timor, ortus ex levibus & ſolùm apparentibus cauſis; adeòque nullum hìc verum periculum nullitatis Sacramenti.

Et verò diſparitas inter Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ, patet ex verbis Chriſti Matth. 28. v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti*, quibus præcipit invocationem SS. Trinitatis, cujus tamen nullam mentionem facit Joan. 20. ubi inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, ſed ſimpliciter dicit v. 23. *Quorū remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Si dixiſſet: *Quorum remiſeritis peccata in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, remittuntur eis:* par fuiſſet ratio; jam autem diſpar ratio; quia diſpar voluntas Chriſti, qui utrumque Sacramentum inſtituit. Reverà mirabile foret, quòd neque Florent. neque Trident. expreſſiſſet formam Sacramenti Pœnitentiæ cum illis verbis, cùm ambo illa Concilia ſic expreſſerint formam Baptiſmi, ſi æqualiter forent neceſſaria ad utrumque Sacramentum.

9. Si aliquis replicet: utrumque Concilium addidit ly *&c.* ad ſignificandum illas voces: *A peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.* eſſe neceſſarias, utì iſta verba, quæ expreſſerat: *Ego te abſolvo.*

Reſpondet Dicaſtillo ſuprà nu. 27. illam particulam *&c.* non poſuiſſe Concilium Florentinum, unde, inquit, ſatis declarat integram hujus Sacramenti formam poſſe in illis ſolùm vocibus contineri.

Porrò n. 48. ut probet, ly *A peccatis tuis*, formaliter eſſe de eſſentia formæ, ſcribit in hæc verba: Idem argumentum ſumitur ex Florentino, in quo, ùt Aliqui notant (& mihi vidiſſe contigit in duabus diverſis impreſſionibus) licèt in verbis, quæ communiter circumferuntur in Summa Conciliorum, non habeatur illa particula, *&c.* in Concilio tamen integro expreſsè habetur.

Ecce ut probet, ly *A peccatis tuis*, formaliter eſſe de eſſentia, ſequitur integrum Concilium; ut autem probet, invocationem SS. Trinitatis non eſſe neceſſariam, ſequitur Summam Conciliorum, quaſi plus fidei eſſet tribuendum Summę Conciliorum, quàm integro Concilio, ex quo Summa deſumpta eſt, in qua per errorem facilè potuit omitti illa particula. Ut autem dicam, quid mihi contigerit, vidi Summam Conciliorum per F. Bartholomęum Caranzam Mirandem. & Summam Conciliorum Auctore F. Franciſco Longo, & in utraque Summa reperi illam particulam *&c.*

Aliter ergo reſpondeo ad propoſitum argumentum; Concilia addidiſſe ly *&c.* ut ſignificarent illas voces: *A peccatis tuis* &c. eſſe neceſſarias, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ. Immo quamvis omnes expreſſiſſet, ſicut expreſſit: *Ego te abſolvo*, adhuc non convinceretur, omnes eſſe de neceſſitate Sacramenti: nam Concilium Florentinum formam Sacramenti Confirmationis hâc formâ verborum expreſſit: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Similiter formam Sacerdotii: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Et tamen diſp. 3 ſect. 1. concl. 6. oſtendimus, invocationem explicitam SS. Trinitatis per nomina Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, non eſſe de eſſentia formæ Confirmationis, & ſuo loco oſtendemus, eamdem invocationem non eſſe de eſſentia formæ Sacerdotii. 10.

Sed audiamus Doctorem Subtilem 4. diſt. 14. q. 4. nu. 4. *Ex hoc* (quod Abſolutio ſit ſententia quædam diffinitiva abſolvens reum) *ſequitur corollarium, quòd doctrina de Sacramento Pœnitentiæ, ſubalternatur doctrinæ de judiciis, & etiam doctrinæ de ſententiis. Pro quanto enim eſt in Eccleſia duplex forus, ſcilicet publicus, & privatus, pro tanto eſt duplex judicium: & quantùm ad aliquas regulas juſtitiæ, oportet eſſe convenientiam hìc & ibi. Sicut utraque diffinitio hìc & ibi eſt actus juſtitiæ. Et pro tanto poteſt Sacramentum Pœnitentiæ dici Sacramentum judiciale, vel judicium Sacramentale: & ex hoc quòd Sacramentale eſt firmius, quia rationabilius, quàm aliquod judicium publicum.* 11.

Et ex hoc patet ratio, quare non eſt neceſſe eſſe ità præciſa verba in iſto Sacramento, ſicut in Baptiſmo, vel Euchariſtia; quia ſufficit quòd exprimatur actus ſententiæ abſolventis: ſicut & in judicio publico non oportet eſſe limitata verba. Ait enim unus de Theodoro Martyre: Jubeo ignibus tradi. *Alter de Cypriano ſancto:* Gladio animadverti placet. *Communiter tamen iſta verba ſunt apta:* Ego te abſolvo; *quæcumque alia præmittantur, vel conſequantur, ſecundùm diverſam conſuetudinem in diverſis Eccleſiis.* Hucuſque Scotus, apertiſſimis verbis docens noſtram concluſionem.

Nam ly *Ego*, communi omnium Doctorum ſententiâ, non pertinet ad eſſentiam, cùm per ejus omiſſionem nullatenus ſenſus à Chriſto intentus immutetur, & ſufficienter intelligatur in verbo, *Abſolvo*: ùt in ſimili diximus de eadem particula, quæ communiter ponitur in forma Baptiſmi. Vide diſput. 2. ſect. 2. concl. 2. Hinc omiſſio ejus ſolùm erit peccatum veniale, ſi aliquod ſit. 12.

Solutio. Diſparitas inter Sacram. & Baptiſm. Matth. 28. Joan. 20. Replica. Reſponſio Dicaſtillo. Rejicitur.

Reſponſio Auctoris. Doctrina de Pœnitentia ſubalternatur doctrinæ de judiciis & ſententiis ex Scoto. Quare in Pœnitentia non requiruntur verba ità præciſa, ſicut in Baptiſm. vel Euchariſtia. Ly Ego non pertinet ad eſſentiam formæ.

Digitized by Google

Verba eſſentialia: *Abſolvo te.*

Igitur eſſentialia verba, juxta Scotum ſuprà: *Abſolvo te*, & nulla alia; quia aliorum non meminit. Rationem accipio ex verbis Scoti, mox citatis: quippe in judicio humano ſufficit, quòd exprimatur actus ſententiæ abſolventis; nec oportet addere delictum, à quo reus abſolvitur, vel propter quod condemnatur; neque neceſſe eſt exprimi, quâ auctoritate judex abſolvat vel condemnet, ordinariâ an delegatâ, principali an ſecundariâ vel commiſſariâ: ergo conſimiliter ſufficiet in judicio Sacramentali, quòd exprimatur actus ſententię abſolventis; nec oportebit addere delictum, à quo pœnitens abſolvitur; neque neceſſe erit exprimere, quâ auctoritate id fiat.

Non conſtat Chriſtum requiſiviſſe expreſſionem peccatorum vel poteſtatis.

Et quamvis hæc ratio non ſit peremptoria; quia potuit Chriſtus aliquid requirere ad judicium Sacramentale, & de facto requiſivit ſententiam ore prolatam, quæ non requiritur ad judicium humanum; equidem requiſiviſſe expreſſionem peccatorum, vel poteſtatis, non ſatìs conſtat, ſive ex Scripturis, ſive ex Conciliis aut Traditione; ergo non eſt, cur in hoc puncto recedamus à communi lege judicii humani, præſertim accedente communi conſenſu Doctorum, quidquid Aliqui pauci contradicant, quoad iſta verba: *A peccatis tuis*, quos citat & ſequitut Wiggers in 3. parte D. Thomæ q. 84. a. 3.

Wiggers.

13. Primum fundamentum Adverſariorum.

Primò, quia abſque illis verbis, non videtur ſatìs completus ſenſus iſtius ſermonis: *Ego te abſolvo*; neq; ſatìs determinata ſignificatio verbi, *Abſolvo*, quod per ſe poſitum, eſt indifferens ad ſignificandam abſolutionem à cenſuris, à pœnis, & à reatibus culpæ. Unde nec ex eo, quòd præmittatur peccatorum Confeſſio, videtur ſatìs determinari, in quam materiam cadat Abſolutio, quandoquidem pœnitens pluribus vinculis poſſit eſſe conſtrictus, ùt puta, vinculo excommunicationis, aut alterius cenſuræ, & vinculo reatus culpæ, & pœnæ; & poſſit idem peccatum confiteri in ordine ad Abſolutionem à vinculo excommunicationis, & non à vinculo reatus culpæ, v. g. ſic confiteri poteſt notoriam percuſſionem Clerici. Hucuſque præfatus Doctor.

14. Secundum fundamentum.

Atque non contentus hoc fundamento, alterum ſtatuit, deſumptum ex ly *Etc.* de quo ſuprà meminimus, exiſtimans ideo additum à Conciliis poſt illa verba: *Ego te abſolvo*, ut ſignificarent ſe plenam & completam formam non exprimere, ſed aliud inſuper adjungendum, quod non poteſt eſſe aliud, quàm illud, *A peccatis*, quod conformiter in Eccleſia ſemper fuit additum.

Neque dici poteſt, Concilia addere illud *Etc.* propter preces; quæ ſolent adjungi; quia de illis ſubjicit Concilium Trid. *Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant.* Ubi dum has opponit, tanquam non pertinentes ad formæ eſſentiam, contra iſta; *Ego te abſolvo &c.* videtur innuere, quòd etiam illa, quæ includit in iſto *Etc.* pertineant ad formæ eſſentiam.

Sed ut ab ultimo exordiar; Reſpondeo; ad illam oppoſitionem ſufficit, quòd aliqua verba ex illis: *Ego te abſolvo &c.* pertineant ad formæ eſſentiam; nam certum eſt, non omnia pertinere, ùt ante oſtendimus de Ly *Ego*, & ly *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.* Niſi dixeris, illam invocationem addi per modum precum, adeòque non comprehendi ſub ly *Etc.* Deinde omnes admittere debent, ly *Tuis*, non pertinere ad formæ eſſentiam; cùm ſatìs maniſeſtè ſubintelligatur in ly *Te à peccatis*; nullus quippe abſolvitur à peccatis alienis.

Vis autem ſcire, de quibus precibus loquatur Concilium? Reſponſio plana eſt, de illis, quæ ad ipſius formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ; vel ſaltem ex præcepto Eccleſiæ. Unde dicit illas *laudabiliter* adjungi, non autem obligatoriè. Et verò rectiſſimè oppoſuit hujuſmodi preces, illis verbis; *Ego te abſolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.* quia licèt non omnia, ſaltem aliqua pertinent ad eſſentiam, & omnia neceſſaria ſunt ad licitam Sacramenti adminiſtrationem.

Itaque Concilia addendo ly *Etc.* indicant, ſe plenam & completam formam, neceſſariam, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ, non exprimere; ſed, juxta receptam & obligatoriam conſuetudinem Eccleſiæ, aliquid inſuper adjungendum, ſcilicet, *A peccatis tuis, in nomine Patris*, &c. Aliqui putant addidiſſe ly *Etc.* ut oſtenderent, ſe, præter dicta verba, nihil definire, eſſe de eſſentia, neque etiam contrarium determinare.

Accedat ad cumulum; omnia illa verba: *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, pertinere ad eſſentiam formæ, non quòd materialiter, & ſecundùm ſonum vocis, omnia debeant proferri, de qua prolatione hactenus locuti ſumus; ſed formaliter ſecundùm ſignificationem, ùt patebit ex reſponſione ad primum fundamentum Wiggers; quæ talis eſt.

Verbum, *Abſolvo*, per ſe poſitum eſt indifferens ad ſignificandam Abſolutionem à cenſuris; aut pœnis, & à reatibus culpæ; attamen videtur ſatìs determinari, in quam materiam cadat Abſolutio, ex eo quòd præmittatur peccatorum Confeſſio: nam licèt pœnitens pluribus vinculis poſſit eſſe conſtrictus, ùt puta vinculo excommunicationis, aut alterius cenſuræ, & vinculo reatus culpæ; equidem non poteſt confiteri peccatum ſacramentaliter, niſi in ordine ad obtinendam Abſolutionem à vinculo reatus culpæ, & pœnæ; neque Sacerdos poteſt ſacramentaliter proferre illa verba: *Abſolvo te*, niſi in ordine ad Abſolutionem

Digitized by Google

tionem à vinculo reatûs culpæ, & pœnæ; nam effectus hujus Sacramenti, non eſt Abſolutio à vinculo excommunicationis, aut alterius cenſuræ; ſed tantummodo à vinculo reatûs culpæ & pœnæ.

Ergo hoc ipſo quo Sacerdos, auditâ Confeſsione pœnitentis, vult adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ per iſta verba, *Abſolvo te*, perfectiſsimè atque ſinè ulla ambiguitate ſignificat Abſolutionem à peccatis quoad culpam, & pœnam; nullo autem modo Abſolutionem à vinculo excommunicationis, aut alterius cenſuræ.

Igitur ex prævia Confeſsione Sacramentali, & intentione Sacerdotis, faciendi quod facit Eccleſia, ſatìs determinatur ſignificatio verbi, *Abſolvo*, ad hoc ut cadat in vinculum ſolius reatûs culpæ, & pœnæ.

18. ...jectio. Solùm objici poteſt contra hanc reſponſionem: quia ex illa videtur ſequi, quòd ſola verba non ſint forma hujus Sacramenti, ſed etiam prævia Confeſſio, & intentio Sacerdotis; nam ex his duabus circumſtantiis, verbum, *Abſolvo*, habet vim ſignificandi Abſolutionem à vinculo reatûs culpæ, & pœnæ, aut certè actualem ſignificationem, per quam conſtituitur in ratione formæ.

...lvitur. Reſpondeo; verbum, *Abſolvo*, habere vim ſignificandi Abſolutionem à vinculo reatûs culpæ; ab inſtitutione hominum; quin etiam actualem ſignificationem, quamvis ambiguam, ùt multi exiſtimant; propterea quòd æqualiter inſtituta ſit, ad ſignificandam Abſolutionem ab aliis vinculis; ut autem illa ambiguitas tollatur, fateor, concurrit prævia Confeſſio peccatorum, immo & intentio abſolventis; ergo Confeſſio peccatorum eſt pars formæ, ſimiliter intentio abſolventis; negatur Conſequentia.

(Margin: *Ly Abſolvo* habet ... ſignificatio... ... ... quamvis ambiguam.)

19. Quid ergo ſunt? Aliquid prærequiſitum, aut concomitans, ut illa verba: *Abſolvo te*, ſacramentaliter ſignificent, adeòque ut ſint vera forma Sacramenti Pœnitentiæ; quæ utique forma ex ſolis verbis propriè dictis componitur. Quemadmodum forma conſecrationis Sanguinis Chriſti: *Hic eſt Sanguis meus*, componitur ex verbis propriè dictis, licèt particula, *Hic*, ſit ambiguæ ſignificationis, & determinari debeat per intentionem conſecrantis, ut pronomen ſit, & non tantùm adverbium loci.

(Margin: ...nfeſſio & ...ntio Sa...rdotis ...nt aliquid ...ærequiſi...tum, ut ſa...cramentali...ter ſignifi...cent.)

Et ſanè ly *Baptizo* in forma Baptiſmi, unde habet, quòd ſignificet ablutionem in aqua naturali, & non in vino, vel alio liquore, niſi ex aliqua determinatione materiæ, quæ eſt aqua naturalis? Et ly *Hoc* in forma conſecrationis Corporis Chriſti, unde habet, quòd ſignificet ſpecies panis, potiùs quàm alterius ſubſtantiæ, niſi ex aliqua determinatione materiæ? Quis propterea dicit, formam Baptiſmi, vel Euchariſtiæ, non conſtare ſolis verbis propriè dictis?

Ergo ſimiliter forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſola erunt verba propriè dicta, quamvis ly *Abſolvo*, per Confeſſionem peccatorum, quæ eſt quaſi materia, aut per intentionem Sacerdotis, aliquo modo determinari deberet ad ſignificandam Abſolutionem à peccatis.

(Margin: Forma Sacramenti Pœnit. conſtat ex ſolis verbis propriè dictis.)

20. Dico; *Quamvis determinari deberet*, quia putant Nonnulli, verbum, *Abſolvo*, abſolutè prolatum, quaſi per Antonomaſiam ſignificare Abſolutionem internam à reatu culpæ. Veluti ly *Baptizo*, videtur per Antonomaſiam ſignificare ablutionem in aqua, eò quòd ablutio communiter fiat in aqua.

(Margin: Putant aliqui, ly *Abſolvo*, per antonomaſiam ſignificare abſolutionem internam à peccatis.)

Si ergo negaveris formam Baptiſmi determinari à materia, negabo & ego, formam Sacramenti Pœnitentiæ determinari à quaſi materia, & dicam illa verba, *Abſolvo te*, per ſe ſignificare Abſolutionem à vinculo reatûs culpæ, niſi ex circumſtantiis, aut intentione proferentis, determinetur ad Abſolutionem à vinculo excommunicationis, aut alterius cenſuræ.

21. Fateor, potiùs ipſa forma determinat materiam, quàm vice versâ; hinc tamen non excluditur omnis omnino determinatio materiæ reſpectu formæ, quamquam principalis determinatio competat formæ reſpectu materiæ, ùt etiam cernitur in hoc Sacramento, in quo forma ſi non ſola, ſaltem præcipuè ſignificat, & cauſat remiſſionem peccatorum.

(Margin: Forma potiùs determinat materiam, quàm vicè versâ.)

Interim non ſemper materiam remotam debere exprimi in ipſa forma patet in forma Baptiſmatis, in forma Extremæ Unctionis, in forma Ordinationis, & fortè etiam in forma Confirmationis. Cur ergo deberent peccata exprimi in forma Sacramenti Pœnitentiæ?

(Margin: Non ſemper materia remota debet exprimi in forma.)

22. Quia, reponit Aliquis, Chriſtus ea expreſſit in illis verbis, quibus Joan. 20. inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, nimirum: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ubi expreſsè nominat peccata. Quare (inquit Averſa q. 12. ſect. 3 §. *Potiùs tamen videtur*) ſi forma ſumenda ſit ex verbis Chriſti, debebit Sacerdos neceſſariò dicere: *Remitto tibi peccata*, & non tantùm: *Remitto tibi.*

(Margin: Quod in hoc Sacram. debeant exprimi peccata, probat Averſa ex verbis inſtitutionis Joan. 20.)

Sicut, quia inſtituendo Baptiſmum, dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti*, ſumpta eſt forma Baptiſmi, in qua neceſſe eſt explicitè eo modo, & non ſatis eſſet, implicitè alio modo nominare divinas Perſonas.

Ac etiam quando dixit: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram*, licèt non ſpecificè nominaverit peccata, tamen dicendo: *Quæcunque*, utique ſub hoc nomine intellexit peccata. Uſuſque fuit eo termino generali, ut includeret omnia vincula, de quibus dedit Eccleſiæ poteſtatem ſolvendi atque ligandi. Ex quo eò magìs fit, ut dum Eccleſia, id eſt, ejus miniſter, vult ſolvere vincula peccatorum, determinatè

Digitized by Google

minatè dicere debeat: *Abſolvo te à peccatis.* Hucuſque Averſa.

23. *Contra hanc probationem arguitur.* Sed contrà; hoc argumentum probaret, quòd ſi aliquis diceret Pontifici Romano: *Sanctiſſime Pater diſpenſa mecum in voto caſtitatis, propter hanc & illam rationem*, & ipſe reſponderet: *Diſpenſo*, non eſſet valida diſpenſatio, niſi adderet, *in voto caſtitatis*. Similiter, ſi ad petitionem Abſolutionis ab excommunicatione, reſponderet, *Abſolvo*, non addendo *à vinculo excommunicationis*, non eſſet valida Abſolutio, quod non putem Averſam facilè conceſſurum.

Scio non valere in omnibus argumentum ab Abſolutione à cenſuris, ad Abſolutionem à peccatis; quia prior poteſt fieri ſcripto, & aliis ſignis, poſterior verò non niſi verbis propriè dictis, ùt infrà dicetur. Interim utrobique requiritur, quòd ſufficienter indicetur voluntas Superioris abſolvendi, vel diſpenſandi; ſi ergo in caſibus allegatis unicum illud verbum, *Diſpenſo*, vel *Abſolvo*, ſive ſcriptum, ſive ore prolatum, ſufficienter ad valorem ſignificat voluntatem Superioris diſpenſandi in voto, vel abſolvendi ab excommunicatione, non obſtante, quòd Chriſtus dixerit: *Quæcunque ſolveritis ſuper terram*, vellem audire rationem, quare ſimiliter unicum illud verbum, *Abſolvo*, non addendo, *A peccatis*, non ſufficiat ore prolatum ad valorem Abſolutionis ſacramentalis à peccatis.

24. *Forma Baptiſmatis ſumpta eſt ex verbis Chriſti: Baptizantes &c.* Haud inficior, formam Baptiſmatis ſumptam eſſe ex verbis Chriſti: *Baptizantes eos* &c. & ideo explicitam invocationem SS. Trinitatis per nomina Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, communiter à Doctoribus aſſeri neceſſariam ad eſſentiam Sacramenti. Sed nego hanc Conſequentiam; ergo ſimiliter, ſi forma Sacramenti Pœnitentiæ ſumenda eſt ex verbis Chriſti, debebit Sacerdos neceſſariò dicere: *Remitto tibi peccata*.

Diſparitas inter formam Bapt. & Pœnit. Ratio diſparitatis eſt; quia invocatio SS. Trinitatis neutiquam intelligitur ſub illo verbo, *Baptizo*. Cùm ergo aliqua diſtincta verba forent neceſſaria, aptiſſima viſa fuerunt, quæ Chriſtus uſurpavit. Porrò in Sacramento Pœnitentiæ, exiſtimant communiter Doctores, verbum, *Abſolvo*, prævià Confeſſione peccatorum prolatum, ſatìs determinatè & explicitè ſignificare peccata priùs confeſſa, ùt illorum non debeat fieri expreſſa mentio.

25. *Quare Chriſtus meminerit peccatorum, in ſtituendo hoc Sacramentum.* De cætero, Chriſtus inſtituendo Sacramentum, expreſsè meminit peccatorum, ùt Apoſtoli ſcirent, quæ eſſet remota materia illius, ne fortè ſi dixiſſet: *Quorum remiſeritis*, non addendo ly *peccata*, cogitarent, materiam Sacramenti eſſe quæcunque vincula, de quibus anteà dixerat: *Quæcunque ſolveritis ſuper terram* &c. Nulla autem erat ratio exprimendi nomina Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti in inſtitutione Baptiſmatis, ſeu potiùs in præcepto baptizandi omnes gentes, niſi quòd vellet ea exprimi in forma Sacramenti.

Si replicet quiſpiam: non eſt, unde colligatur neceſſitas illius particulæ, *Te*, quæ tamen communiter aſſeritur, niſi ex illis verbis Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata*, ſicuti in ſimili colligimus particulam, *Te*, in forma Baptiſmi eſſe eſſentialem ex illis verbis: *Baptizantes eos* Ergo pariformiter loquendũ de particula, *A peccatis*.

Probatur Conſequentia; quia ſicut ly *Abſolvo*, determinatur per præviam Confeſſionem, & intentionem Sacerdotis, ad ſignificandam Abſolutionem à peccatis, & non à cenſuris; ità quoque determinari poteſt ad hanc perſonam, quæ confeſſa fuit, eſtò de ſe ſit indifferens ad hanc, vel aliam ſignificandam: ergo vel peccata debent determinatè explicari in forma, per illa verba, *A peccatis*, vel non debet determinatè explicari perſona, quæ abſolvitur per ly *Te*, aut aliam particulam æquivalentem.

Aliqui, preſſi hoc argumento, admittunt probabile eſſe, quòd ſufficiat illud unicum verbum: *Abſolvo*. Ità Arriaga diſp. 49. n. 23. citans Sotum 4. diſt. 22. q. 1. a. 1. §. *Poſtremum tandem dubium eſt*, ubi in fine ſic ait: immo verbum *Abſolvo*, cum intentione abſolvendi ab utroque ſufficeret.

Loquitur de caſu, quo quis, dum confitetur, tam proximus eſſet morti, ut animam jam jam exhalaret, adeò ut præmitti nequiret Abſolutio ab excommunicatione, ſinè periculo, ut moreretur ſinè Abſolutione à peccatis, & quærit, an talis pœnitens poſsit priùs abſolvi à peccatis, antequam ab excommunicatione? Poſtquam autem recenſuit ſententiam Adriani q. 2. principali de Clavibus, abſolvendum illum eſſe à peccatis, antequam ab excommunicatione: ſubjungit: At verò quamquam hoc verum ſit, ſi caſus poſſet contingere, quia intentio Eccleſiæ non eſt, obſtaculum objicere ſaluti morientis, qui per Abſolutionem à peccatis poſſet fieri ex attrito contritus: eſt tamen caſus, qui nunquam contingere poteſt: cùm unico verbo poſsit finiri Abſolutio ab utroque: *Abſolvo te ab excommunicatione, & à peccatis*. Immo verbum, *Abſolvo*, cum intentione abſolvendi ab utroque ſufficeret. Hucuſque Sotus.

Ubì, cùm non agat particulariter de neceſſitate iſtius particulæ, *Te*, cujus pronuntiatio nullam moram requirit humanitus loquendo, quæ poſſet præjudicare hujuſmodi agonizanti, non credo intentum Soti fuiſſe, excludere illam particulam ab eſſentia formæ, ſed hanc ſolùm: *Ab excommunicatione, & à peccatis*, quæ longiorem tractum requirit.

Quidquid ſit de mente Soti, quæ non ſatìs patet ex illis verbis; cùm communis ſenſus Doctorum ſit in contrarium, & hæc res non pendeat à ratione, ſed à ſola voluntate divina 2[6]. *Com[munis] ſenſus [Do]ctorum in con[trar]ium.*

(quæ

(quæ potuit in uno Sacramento requirere determinatam expreſſionem perſonæ ſuſcipientis, per ly *Te*, aut ſimilem particulam,& non in alio; potuit velle expreſſionem determinatam peccatorum, per ly *A peccatis*, & potuit eam non velle) dico, argumentum in his à paritate rationis, neutiquam valere; cùm Deus potuerit habere juſtiſſimas rationes, quare hoc vel illud voluerit, aut noluerit, quæ nos latent. Et ideo, ubì res dubia eſt, non meliùs, quàm communi conſenſu erit decidenda.

Jam autem ſenſus communis Eccleſiæ eſt, paucis obſtrepentibus, Chriſtum illis verbis: *Baptizantes eos* &c. requiſiviſſe expreſſam determinationem perſonæ, ſuſcipientis Baptiſmum, per ly *Te*, aut particulam æquivalentem; ſimiliter per illa verba: *Quorum remiſeritis peccata*, expreſſam determinationem perſonæ confitentis; non ſic autem expeſſam determinationem peccatorum, per ly *A peccatis*.

Quod colligitur ex Catechiſmo Romano.

Hunc communem ſenſum Eccleſia ſatis videtur innuere,quando in Catechiſmo Romano, edito ex Decreto Concilii Tridentini, & Pii V. Pontificis Maximi juſſu, parte 2. c. 5. q. 13. ait: *Eſt autem forma* (Sacramenti Pœnitentiæ) *Ego te abſolvo* (omiſſo ly *Etc.*) *quam non ſolùm ex illis verbis licet colligere*: Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis: *ſed ex eadem Chriſti Domini doctrina ab Apoſtolis traditam accepimus. Ac quoniam Sacramenta id ſignificant, quod efficiunt; & illa*: Ego te abſolvo, *oſtendunt, peccatorum remiſſionem hujus Sacramenti adminiſtratione perfici, planum eſt, hanc eſſe Pœnitentiæ perfectam formam.* Quid ultrà debuit, aut potuit dicere pro communi ſententia?

29. Aſſignatur aliqua diſparitas rationis ex Arriaga.

Interim Arriaga ſuprà n. 24. aſſignat aliquam diſparitatem rationis, ùt puta, ly *Abſolvo*, ſignificat omnem liberationem ab omni debito, non tamen magìs unam, quàm alteram; at verò non videtur ſignificare hunc vel illum pœnitentem, non ſolùm unum magìs, quàm alterum, ſed nec omnes confuſè; ergo eſtò non dicatur: *Abſolvo à peccatis*, adhuc tamen ponitur verbum, id expreſsè ſignificans, licèt non ſpecialiter: àt, *Abſolvo*, nec ſpecialiter, nec expreſsè ſignificat perſonam pœnitentem; ſed id colligitur ab intellectu, & quaſi infertur per Conſequentiam ex regula generali Grammaticæ, quòd quodlibet verbum activum, debet habere accuſativum aliquem; hinc fit, quòd quando explicatur τὸ *Abſolvo* in Calepino, non dicitur, *Abſolvo* ſignificat hunc vel illum; dicitur tamen, Significat liberare & à culpa, & à pœna, & à debito pecuniario &c. hoc autem ſufficit, ut verè dicatur ſignificare hìc & nunc remiſſionem culpæ. Hæc ille.

Græci non exprimunt peccata ſua, in forma apud Jac. Goar, ſecùs pœnitentem.

Omitto formam, quâ (teſte Jacobo Goar in notis Euchologii in orationes ſuper pœnitentes) abſolvere conſueverunt Græci: *Habeo te condonatum*, in qua exprimitur pœnitens per ly *Te*, non autem exprimuntur peccata per ly *A peccatis tuis*, aut particulâ æquivalente.

30. Objectio deſumpta ab Extremâ Unctione ex Averſâ.

Sed contrà, ad valorem Sacramenti Extremæ Unctionis, neceſſe omnino eſt ſuo modo explicitè nominari peccata; nempe: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti* cum aliis verbis connexis: nec prorſus ſatis eſſet dicere, *Indulgeat tibi Dominus*: immo hoc magìs per ſe, ſinè alia explicatione, referretur ad peccata; quia non aliam indulgentiam à Domino expectamus vel petimus. Et tamen adhuc neceſſe eſt dicere, *Quidquid deliquiſti*. Idque omnes Theologi ſinè controverſia aſſerunt vel ſupponunt.

Neque id eſt neceſſarium ſolùm pro nominandis ſingulis ſenſibus, *Per viſum*, & ſic de ſingulis: ſed per ſe propter ipſa peccata: adeò ut etiamſi neceſſe non eſſet dicere diſtinctè per ſingulos ſenſus, adhuc neceſſarium eſſet dicere: *Quidquid deliquiſti*, ſive, *Quod deliquiſti*. Ita Averſa q. 12. ſect. 2. §. *Septimo*.

31. Reſponditur.

Reſpondeo; ſi non eſt neceſſarium neceſſitate Sacramenti nominare ſingulos ſenſus, neque neceſſarium erit neceſſitate Sacramenti dicere: *Quidquid deliquiſti*, ſive, *Quod deliquiſti*; ſed prorſus ſatis erit dicere, *Per iſtam ſanctam Unctionem* &c. *indulgeat tibi Dominus*. Idque omnes Theologi ſinè controverſia aſſerunt vel ſupponunt; qui admittunt formam Græcorum valere, videlicet: *Pater ſancte animarum & corporum medicè, qui Filium tuum unigenitum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem, miſiſti, ſana quoque ſervum tuum N. à detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Chriſti tui gratiam.* In qua forma non ſit expreſſa mentio delictorum. Ut nec in hac, quâ tempore S. Ambroſii uſa refertur Eccleſia Mediolanenſis: *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris* &c. *ut more militis uncti, præparatus ad certamen, aëreas poſſis ſuperare poteſtates.*

Forma Extr. Unctionis apud Græcos.

Forma Ambroſiana.

Et ſanè, cùm remiſſio peccatorum mortalium, tantùm ſit effectus ſecundarius Extremæ Unctionis; eſt enim Sacramentum vivorum, quod principaliter inſtitutum eſt ad augendam gratiam ſanctificantem; & valde dubium ſit, an remiſſio peccatorum venialium ſit effectus primarius; neſcio unde tanta poſſit provenire neceſſitas exprimendi peccata, ut ipſis non expreſſis, Sacramentum non valeat. Sed de hoc plura proprio loco.

32. Peccaret mortaliter, qui omitteret ly *A peccatis*.

De cætero, quamvis concluſio noſtra ſit longè probabilior, equidem doctrina oppoſita non caret omni probabilitate; & ideo, ùt habet altera pars Concluſionis: *Peccaret mortaliter, qui omitteret ly A peccatis*; intellige, abſque neceſſi-

neceſſitate; nam faceret contra præceptum Eccleſiæ in re gravi, id eſt, in tali re, quæ probabiliter requiritur ad valorem Sacramenti.

Rogas à me, an quando ly *A peccatis*, explicitè apponitur, concurrat ad effectum Sacramenti, Reſpondeo:

CONCLUSIO II.

Ly *A peccatis tuis*, concurrit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, ſi proferatur ante prolata iſta verba: *Abſolvo te*; non concurrit, ſi proferatur, poſtquam Sacerdos cum debita intentione protulit iſta verba: *Abſolvo te*.

33. Probatur 1. pars Concl. ex ratione. Ratio primæ partis eſt; quia cùm tunc nondum ſit effectus poſitus, quia nondum ſignificata remiſſio peccatorum; & ly *A peccatis*, implicitè contineatur in iſtis verbis; *Abſolvo te*, quæ ſignificant remiſſionem peccatorum; quid mirum, ſi quando explicitè præponitur, concurrat ad effectum nondum productum? Sanè explicitè poſitum, videtur habere eandem vim, quam habet, implicitè tantùm contentum in aliis verbis; niſi fortè inveniat totum effectum productum, prout invenit, quando ſequitur iſta verba; *Abſolvo te*, prolata cum debita intentione.

Probatio 2. partis. Ex quo patet probatio ſecundæ partis; cùm enim per illa verba, *Abſolvo te*, prolata cum intentione conficiendi Sacramentum, totus effectus ſit productus, ly *A peccatis tuis*, ſubſequens, nihil invenit producendum, vel, ùt meliùs loquar, comproducendum. Sicuti in forma ordinaria, indubiè concurrit ad effectum Sacramenti ly *Ego*, tanquam pars formæ, inveniens effectum necdum productum: ſi autem Sacerdos diceret, *Abſolvo te à peccatis tuis ego*, certum eſt, quòd ly *Ego* nihil omnino operaretur; quia totum effectum inveniret productum per verba præcedentia. Neque in poteſtate Sacerdotis eſt, ſuſpendere effectum Sacramenti tali caſu, uſque ad prolationem ly *Ego*.

34. Sacramentum hoc ipſo quo eſt, producit ſuum effectum. Ratio eſt; quia Sacramentum eſt inſtar cauſæ naturalis, quæ hoc ipſo quo eſt, producit ſuum effectum: cum ergo illa verba: *Abſolvo te à peccatis tuis*, per ſe ſint ſufficientia ad ſignificandam, & cauſandam remiſſionem peccatorum, non eſt in poteſtate miniſtri, ſuppoſitâ debitâ intentione, impedire eorum effectum, vel ſuſpendere uſque ad prolationem ly *Ego*. Ergo ſimiliter, ſi illa verba, *Abſolvo te*, per ſe ſint ſufficientia ad ſignificandam, & cauſandam remiſſionem peccatorum, non erit in poteſtate miniſtri, illis prolatis cum debita intentione conficiendi Sacramentum, impedire aut ſuſpendere earum ſignificationem, vel effectum, uſque ad prolationem ly *A peccatis tuis*.

An fortè exiſtimas, quòd ſi Sacerdos vellet, poſſet ſuſpendere effectum Abſolutionis, donec & uſque explicitè pronuntiaverit omnia, quæ implicitè continentur in verbis eſſentialibus, v.g. *Ego abſolvo à peccatis tuis te Petrum*: *Ego abſolvo te à peccatis tuis, duabus fornicationibus, tribus adulteriis* &c? Nonne ſi Sacerdos conſecrans vellet hoc modo dicere: *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Chriſti*, ſuſpenderetur effectus Conſecrationis uſque ad prolationem ly *Chriſti*, quod implicitè continetur in ly *Meum*? Non habet apparentiam veritatis.

Nihilominus contrarium ſecundæ partis Concluſionis ſuſtinet Vaſquez ad q. 84. a. 3. dub. 4. n. 4. ubi ſic ait: Ego exiſtimo illud verbum, *Ego*, & illa verba, *A peccatis tuis*, quæ communiter in forma apponuntur, primò, non eſſe de eſſentia ſimpliciter in illo primo ſenſu, quem diximus; non, inquam, eſſe, ut explicitè debeant proferri &c. 3[illegible] Opp[illegible] 2. par[illegible] cluſ. Vaſq[illegible]

Secundò, videtur mihi, cùm ea apponuntur, verè pertinere ad ſubſtantiam & eſſentiam formæ, & habere eandem cauſalitatem, ità ut effectus non ſequatur, donec illa perfecta ſint; non tamen ſic putarem de illis verbis, quæ deinde apponuntur: *In nomine Patris* &c. nec de illis, quæ apponuntur in forma Calicis à Latinis, *Novi & æterni teſtamenti* &c. nec de illis, quæ apponuntur à Græcis in forma Corporis: *Quod pro vobis tradetur*. Hactenus Vaſquez.

A quo ſi petas rationem diſparitatis, non aliam aſſignabit, quàm implicitam continentiam pronominis, *Ego*, & ſimiliter ly *A peccatis tuis*, in verbo, *Abſolvo*, ità ut nullâ ratione contineri non poſſint, & hoc modo, inquit, cùm explicantur, reddunt eundem ſenſum, & eandem præcisè ſignificationem, quæ ad effectum Sacramenti operatur, atque adeò ſequitur, ad illius efficaciam, & formam pertinere. Hæc ille. 3[illegible] Proba[illegible] ly *Ego* *A pecc*[illegible] implic[illegible] contin[illegible] in ly [illegible] vo.

Quòd autem ly *A peccatis tuis*, includatur neceſſariò in verbo, *Abſolvo*, & in ejus ſignificatione, non quidem ſecundùm quod iſtud verbum abſolutè ſumitur, ſed ſecundùm quod modificatur per Confeſſionem; probat ibidem; quia cùm in Confeſſione petatur Abſolutio, & non à vinculis corporalibus, ſed à vinculis peccatorum; ideo cùm dicit Sacerdos: *Ego te abſolvo*; cùm abſolutio debeat eſſe ab aliquo vinculo, intelligitur neceſſariò ex vi verborum, & judicii hujus aut ſententiæ, *A peccatis*; & ita tantùm refert apponantur hæc verba, aut non. Et ſi non apponantur, manet eadem ſubſtantia formæ; & ſi apponantur, manet ſimiliter, quia non ſignificatur aliquid de novo, ſed, quod implicitum erat ex vi verborum, exprimitur: quando verò

Digitized by Google

verò verba, quæ apponuntur, non erant in aliis neceſſariò implicita ex vi ſignificationis, etiamſi comitanter continerentur, ſi explicitè apponantur, non pertinent ad formam Sacramenti ſubſtantialiter. Sic ſe habent verba Conſecrationis Corporis apud Græcos, & Calicis apud Latinos. Hucuſque Vaſquez.

37. [illegible] Sed facilis eſt reſponſio; nimirum hæc omnia nihil aliud probare, quàm primam partem Concluſionis. Si enim (ùt vult Vaſquez) cùm ait Sacerdos, *Ego te abſolvo*, intelligatur neceſſariò ex vi verborum, & judicii hujus aut ſententiæ, *A peccatis*, ſive illa verba apponantur, ſive non; ergo ſive illa verba apponantur, ſive non, cauſabitur effectus Sacramenti, id eſt, remiſſio peccatorum; nam (ùt bene Vaſquez ibi n. 5.) non eſt in poteſtate Sacerdotis, ampliùs intentionem differre, quàm dum profertur ſignificatio verborum, ità ut perfectâ ſignificatione, ſit formæ operatio; nec intentio, ſi protendatur ulteriùs, operari poterit aliquid, cùm intentio debeat commenſurari activitati, & activitas formæ ſignificationi perfectæ ipſius effectus. Hæc ille.

Jam autem illa verba: *Ego te abſolvo*, perfectè ſignificant effectum, licèt non tam explicitè, ſicut dum apponuntur illa verba, *A peccatis*. Porrò quòd ſit in poteſtate Sacerdotis, differre intentionem & effectum uſque ad illam explicitam ſignificationem, unde probatur?

38. Objectio ex Herinc. Quia, inquis, Sacerdos poſſet aliquid apponere omnino repugnans formæ, & ſic nulla eſſet forma; ut ſi diceret: *Ego te abſolvo à peccatis alienis*, vel, *à peccatis, quæ tantùm coram Deo confeſſus es.* Immo de facto, inquit Herincx hìc diſp. 1. n. 27. in iiſdem circumſtantiis frequenter dicit: *Ego te abſolvo*, & addit, *ab omni vinculo excommunicationis*; tunc autem ly *Abſolvo*, tantùm ſignificat abſolutionem in genere, utì etiam, dum urgente neceſſitate, juxta præſcriptum Ritualis Romani, eâdem propoſitione à cenſuris, & à peccatis abſolvit dicens: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis*; tunc autem non perficitur Sacramentum ante ly *A peccatis*; & conſequenter ly *Abſolvo*, poteſt ex intentione miniſtri ſumi generaliter, volendo ut determinetur ad abſolutionem à peccatis, per verba expreſſa ad hoc inſtituta. Hæc ille.

39. Solutio. Reſpondeo breviter, me idcirco ſignanter in concluſione addidiſſe illam particulam: *Cum debita intentione.* Siquidem fateor cum Vaſquez ſuprà, vitiari poſſe formam, ſi ſtatim poſt illa verba, quæ dicuntur communiter eſſentialia, apponatur aliquid contrarium formæ; ſed hoc ideo eſt, quia Sacerdos proferens priora verba, cum intentione apponendi aliquid contrarium formæ, non habuit debitam intentionem; proinde nec verba, aliàs ſufficientia ad effectum Sacramenti, aliquid operabuntur, nec erunt verba formæ Sacramenti; v. g. ſi Sacerdos conſecrans dicat: *Hoc eſt corpus meum aëreum*; illa verba: *Hoc eſt corpus meum*, quæ aliàs ſufficientiſſima ſunt ad effectum Sacramenti, nihil operabuntur, nec erunt verba formæ Sacramenti, quia non habent ſignificationem, quam ex inſtitutione Chriſti debent habere, id eſt, non ſignificant Corpus Chriſti verum & reale, quale voluit Chriſtus ſignificari.

[illegible]

Unde ſi Sacerdos habuiſſet debitam intentionem ſignificandi, & conficiendi verum & reale Corpus Chriſti, quando protulit illa verba: *Hoc eſt Corpus meum*, Sacramentum valuiſſet, tametſi poſtea addidiſſet ly *Aëreum*. Ergo conſimiliter in caſu præſenti, ſi Sacerdos proferens illa verba: *Ego te abſolvo*, haberet debitam intentionem conficiendi Sacramentum Pœnitentiæ, per conſequens ſignificandi per illa verba, quod Chriſtus voluit ſignificari; valeret Abſolutio, tametſi poſtea adderet, *A peccatis alienis*, vel, *à peccatis, quæ tantùm coram Deo confeſſus es*; aut etiam ſi adderet, *A vinculo excommunicationis.* Secùs ſi adſit debita intentio.

Cæterùm quia non adeſt illa intentio, quando Sacerdos in iiſdem circumſtantiis frequenter dicit: *Ego te abſolvo*, & addit, *Ab omni vinculo excommunicationis*, ſcit enim Abſolutionem ab excommunicatione non eſſe Sacramentalem; hinc fit, ut tunc ly *Abſolvo*, non ſignificet Abſolutionem à peccatis (quam alioquin ſignificaret, ſi adeſſet debita intentio) ſed Abſolutionem, non in genere, ſed in ſpecie, Abſolutionem, inquam, ab excommunicatione, in tantùm, ùt ſi petita fuiſſet Abſolutio ab excommunicatione, & Sacerdos diceret: *Abſolvo te*, cum debita intentione abſolvendi ab excommunicatione, etſi per inadvertentiam, vel ſponte non adderet, *Ab excommunicatione*, Abſolutio foret valida. 40. Oſtenditur in forma hujus Sacramenti.

Et conſequenter, ſi pœnitens expoſuiſſet tum peccata ſua, tum excommunicationem, aut aliam cenſuram, & Sacerdos, intentione ab utroque vinculo abſolvendi, diceret: *Abſolvo te*, putamus cum Soto ſuprà citato, utrumque vinculum fore ſolutum, tametſi non adderet, *Ab omnibus peccatis, & cenſuris.* Non ergo vitiatur forma, quia ſuſpendi poteſt effectus pro voluntate Sacerdotis; ſed quia non fuit intentio debita, cùm proferebantur verba formæ; neque poterat eſſe, quandoquidem per verba apponenda, deſtruebatur ſenſus verborum formæ, à Chriſto intentus.

Dico ergo, non eſſe in poteſtate Sacerdotis, proferre illa verba: *Ego te abſolvo*, cum debita intentione conficiendi Sacramentum, & ſuſpen- 41. Non poteſt Sacerdos proferre illa

verba : *Ego te abſolvo* cū debita intentione, & ſuſpendere effectum.

ſuſpendere effectum Sacramenti, uſque ad prolationem verborum ſequentium, *A peccatis tuis.* Ratio mea eſt, quia non pendet à voluntate Sacerdotis, ut ly *Abſolvo*, contineat, vel non contineat implicitè illa verba, *A peccatis tuis*; ſed quòd implicitè contineat, hoc habet ab inſtitutione hominum, quam non poteſt quilibet particularis pro libitu ſuo immutare. Vel ergo illa implicita continentia ſufficit ad eſſentiam Sacramenti, vel non. Si non; ergò illa verba, *A peccatis tuis*, ſemper erunt neceſſaria ad valorem, quod Auctores, contra quos agimus, negant. Sin autem aliquando ſufficiat, nulla eſt ratio, quare non ſemper.

42. Objectio ex Herincx.

Si dixeris cum Herincx ſuprà: Ly *Abſolvo*, determinatè ſignificat Abſolutionem à peccatis, quando alia verba non exprimuntur, dum autem exprimuntur, videtur loquens velle per ſingula verba ſignificare, id, quod propriè per ſe ſignificant, adeòque ſumere tunc ly *Abſolvo*, in ſignificatione generali, determinanda per verba ſubſequentia, *A peccatis tuis.*

Reſponſio Auctoris.

Reſpondeo, & quæro; ly *Abſolvo*, in ſignificatione generali implicitè continet ly *A peccatis tuis*, vel non? Si primum, ergo ſufficit ad effectum. Sin autem poſtremum elegeris, rurſùm interrogo, quæ eſt illa ſignificatio generalis ly *Abſolvo*? Item, quid eſt hæc implicita continentia?

Quid implicita continentia unius verbi in alio.

Sanè hæc implicita continentia non videtur eſſe aliud, quàm generalis ſignificatio, ſecundùm quam ly *Abſolvo*, ſignificat omnem liberationem ab omni debito; hæc autem ſignificatio generalis ſufficienter determinatur ad liberationem à peccato, ex circumſtantia præviæ Confeſſionis; & ex intentione conficiendi Sacramentum, abſque eo quòd addantur illa verba; *A peccatis tuis*, quæ tantùm deſerviunt ad explicandum illud, quod alioquin implicitè in prioribus verbis continebatur.

Si ergo ſufficiat implicita continentia, effectus non poteſt ſuſpendi uſque ad prolationem ſequentium verborum, quæ ſupponunt implicitam continentiam, in tantum ut ſi Sacerdos non habuerit intentionem abſolvendi à peccatis, quando protulit ly *Abſolvo*, ſed à cenſuris tantùm, falsò addat, *A peccatis tuis.*

43. Replica.

Dices; ut Sacerdos habeat intentionem conficiendi Sacramentum, non requiritur, quòd velit ſignificare Abſolutionem à peccatis per illud ſolum verbum, *Abſolvo*; ſed ſatis eſt, quòd velit ſignificare Abſolutionem à peccatis per omnia iſta verba ſimul: *Abſolvo te à peccatis tuis.* Unde conſequenter; qui habuiſſet talem intentionem, & omitteret ly *A peccatis tuis*, non conficeret Sacramentum.

Reſponſio Aliquorum.

Reſpondeo, vel ex hac ipſa Conſequentia, Aliqui putant, Antecedens non eſſe admittendum; nam inconveniens dicunt, quòd in tali caſu Sacramentum non foret validum, ex hypotheſi, quòd poſtrema illa verba non ſint abſolutè eſſentialia.

Sed quidquid ſit de iſto inconvenienti: Reſpondeo ego; res & verba in Sacramentis intelliguntur determinata, in ſpecie vel in individuo, ex inſtitutione Chriſti: porrò Eccleſia intelligit, Chriſtum in hoc Sacramento determinaſſe in ſpecie aliqua verba, quibus per modum ſententiæ ſignificaretur remiſſio peccatorum; ipſa verò determinavit in individuo hæc verba: *Ego te abſolvo*, vel æquipollentia, non ſecundùm ſignificationem generalem & abſtractam, ſed ùt implicitè continent, &, præviâ Confeſſione, determinatè ſignificant Abſolutionem à peccatis; ergo qui vult miniſtrare hoc Sacramentum, debet ſic, & non aliter illa verba intelligere. Et ſi aliter intelligit, nihil efficit, quidquid Aliqui in contrarium aſſerant. Re[...] Au[...]

Inter quos etiam Dicaſtillo tract. 8. diſp. 5. n. 50. & 64. admonens interim miniſtrum hujus Sacramenti, quòd quantùm ad praxim attinet, non debeat ità reſtringere ſuam intentionem; ut ſolùm velit fieri Sacramentum poſt omnia illa verba, & non aliter; quia (inquit n. 68.) cùm hoc ipſum ſit poſitum in quæſtione inter Theologos; & multi negent id poſſe fieri, & valere Sacramentum, ità ut ante talia verba addita quidam Auctores putent, non valere Sacramentum, quando intentio eſt, ut nondum valeat uſque dum alia proferantur; Alii verò putent, non poſſe poſtea habere effectum; res tota eſt in quæſtione poſita, adeòque non eſt uſurpanda intentio & forma dubia, ſi poſſit miniſter certò & tutò operari; ideoque in praxi proferenda verba ſunt cum intentione, ut cùm primùm ritè poſſint, habeant verba ſuum effectum. Hæc ille. Qu[...] van[...] pra[...] caſ[...]

Ut igitur finem imponamus huic controverſiæ, magìs ſpeculativæ, quàm practicæ, putant Nonnulli, propterea Concilia pro forma hujus Sacramenti ſtatuiſſe hæc verba: *Ego te Abſolvo &c.* ut ſignificarent illa verba: *A peccatis tuis*, pertinere ad formam Sacramenti, quatenus videlicet, vel explicitè, vel ſaltem implicitè concurrunt ad ejus effectum: explicitè quidem, ſi dicatur: *Ego te à peccatis tuis abſolvo*, implicitè autem in forma ordinaria. Et quia agebant de forma ordinaria, noluerunt explicitè ponere illa verba. Qu[...] cil[...] pre[...] illa[...] A p[...] tuis.

Aliter ratiocinandum de iſtis verbis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.* Quæ, ſive præponantur, ſive poſtponantur, neque explicitè, neque implicitè concurrunt ad effectum; & ideo licèt miniſter poſſet ſuſpendere effectum Sacramenti uſque ad prolationem horum verborum: *A peccatis tuis*, minimè tamen uſque ad prolationem iſtorum verborum, *In nomine Patris* &c. ſive dixeris conſti- 4 Hæc [...] *In no[...]* &c. n[...] expli[...] nequ[...] plicit[...] curru[...] effect[...] jus S[...] ment[...]

Digitized by Google

conſtituere eandem propoſitionem cum verbis præcedentibus, ſive diverſam.

Ratio eſt; quia hoc ipſo quo ponuntur verba neceſſaria & ſufficientia pro effectu Sacramenti, ille cauſatur; jam autem ante invocationem SS. Trinitatis, ponuntur verba neceſſaria & ſufficientia ad effectum; adeòque habetur ſenſus perfectus, quatenus ad Sacramentum pertinet, eſtò adhuc ſequantur aliæ particulæ per modum ejuſdem orationis, dummodo non turbent, ſive immutent priorem ſenſum, à Chriſto intentum.

Confirmatur; quia etiam illa verba: *In nomine Patris* &c. juxta formam, præſcriptam in Rituali Romano, Tit. de Sacram. Pœnitentiæ ſequuntur Abſolutionem à cenſuris; omnes tamen cenſent, Abſolutionem à cenſuris eſſe completam & perfectam ante illa verba.

Nota me ſuperiùs dixiſſe: Eccleſiam in hoc Sacramento determinaſſe in individuo hæc verba: *Ego te abſolvo*, vel æquipollentia; nam ſi in Baptiſmo & Euchariſtia non ità Chriſtus determinavit certa verba, quin æquipollentia ſufficiant, multò minùs id fieri debuit ab Eccleſia in hoc Sacramento, *quia*, ùt dixi ex Scoto ſuprà concl. 1. *ſufficit quòd exprimatur actus ſententiæ abſolventis*, quod fieri poteſt diverſimodis formulis verborum, ùt patet in judicio publico. Quæritur ergo, quæ ſint iſtæ formulæ verborum, & reſpondetur:

CONCLUSIO III.

Hæ formulæ æquevalent formæ ordinariæ Sacramenti Pœnitentiæ: *Tu abſolveris à me. Petrus abſolvitur à me. Iubeo te abſolutum. Do tibi reconciliationem. Placet te eſſe abſolutum. Placet quòd tu abſolvaris*, vel, *quòd abſolvatur hic homo. Abſolvat te Deus*; ſeu, *Abſolvatur talis ſervus Chriſti*; in ſenſu imperativo, ſecùs deprecativo.

Scotus 4. diſt. 14. q. 4. n. 4. ſic ait: *Non eſt neceſſe eſſe ità præciſa verba in iſto Sacramento* (Pœnitentiæ) *ſicut in Baptiſmo, vel Euchariſtia; quia ſufficit quòd exprimatur actus ſententiæ abſolventis, ſicut & in iudicio publico non oportet eſſe limitata verba.*

Sed ſicut in multis aliis, ita & in hoc diſplicet Scotus Suario, qui diſp. 19. ſect. 1. n. 23. Meritò, inquit, reprehenditur Scotus, quòd differentiam conſtituerit inter formam hujus Sacramenti, & Baptiſmi vel Euchariſtiæ, acſi non ſint neceſſaria determinata verba in hac forma, ſicut in illis, vel magis in illis, quàm in hac; eſt enim hoc falſum, ùt conſtat ex generali doctrina de Sacramentis in genere. Hæc Suarius. Aſt non audiendus.

Conſtat quidem ex generali doctrina de Sacramentis in genere, in omnibus formis, quæ conſtituuntur ex verbis formalibus, neceſſaria eſſe determinata verba, ſaltem quoad ſenſum & ſignificationem, id eſt, non ſic determinata quoad illa materialia verba, quibus Eccleſia communiter utitur; quin ſynonima vel æquivalentia poſſint ſufficere; attamen in omnibus formis æqualiter eſſe determinata verba à Chriſto, potiùs repugnat generali doctrinæ de Sacramentis in genere, ùt patet ex dictis diſp. 1. ſect. 3. concl. 2. 50. Sed non eſt audiendus.

Clarum enim eſt, Chriſtum in individuo determinaſſe verba Conſecrationis: *Hoc eſt corpus meum.* Verba autem Ordinationis in individuo, reliquiſſe determinationi Eccleſiæ, & ideo unam formam majorem variationem admittere, quàm aliam: nam cùm utraque Eccleſia in Sacramento Euchariſtiæ utatur illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*; equidem diverſiſſimis verbis utitur in Sacramento Ordinationis, ùt videbimus proprio loco. Chriſtus in Euchariſtia determinavit verba in individuo.

Cùm ergo Chriſtus inſtituerit Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii, & formam abſolutionis per modum ſententiæ judiciariæ; neque determinaverit in individuo certam aliquam formam verborum, quibus Sacerdos in hoc judicio neceſſariò deberet uti, quid mirum, ſi non ſit neceſſe eſſe ità præciſa verba in hoc Sacramento, ſicut in Baptiſmo, vel Euchariſtia? Quippe formulæ judiciariæ, quibus utuntur Judices ad proferendam ſententiam in aliis materiis, diverſiſſimæ ſunt; cùm tamen verba, quibus volumus rem aliquam ſimpliciter enuntiare ſeu ſignificare nobis præſentem, communiter ſint eadem. 51. Secùs in Sacram. Pœnit.

Ex quo fit ut licèt hæ formulæ ſufficiant in Sacramento Pœnitentiæ: *Iubeo te abſolutum. Do tibi reconciliationem. Placet te eſſe abſolutum. Placet quòd tu abſolvaris*, vel, *quòd abſolvatur hic homo*; attamen non valeant hæ formæ Conſecrationis: *Iubeo hoc eſſe Corpus Chriſti. Do tibi Corpus Chriſti. Placet hoc eſſe Corpus Chriſti. Placet quòd hoc ſit Corpus Chriſti.* Aliud enim eſt ſimpliciter enuntiare, *Hoc eſt Corpus meum*, aliud imperare, ùt conſtat. Jam autem per imperium judices ſolent in judicio reos abſolvere. 52. Non valet hæc forma Conſecrationis: *Iubeo hoc eſſe Corpus Chriſti.*

Immeritò ergo Scotus reprehenditur, qui nunquam negavit Baptiſmum vel Euchariſtiam poſſe confici per verba æquivalentia ordinariæ formæ, ſed tantùm voluit magis eſſe determinatam formam Baptiſmi, vel Euchariſtiæ, quàm Pœnitentiæ, quod veriſſimum eſt.

Arriaga diſp. 50. n. 38. Mihi, inquit, videtur meliùs diſcurrendum, ſi conſequenter dicamus, ea verba etiam eſſe valida pro Euchariſtia, 53. Oppoſitum docet Arriaga, & probat 1.

Digitized by Google

riſtia. Quòd enim Chriſtus dixerit: *Hoc eſt Corpus meum*, non propterea probat, ipſum non voluiſſe fieri validè Conſecrationem per verba æquivalentia; alioquin non poſſemus validè conſecrare dicendo: *Hoc eſt Corpus Chriſti*, vel in Calice dicendo: *Hic eſt Sanguis Chriſti*, quia ipſe dixit: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; aut, ſi juxta Matthæum & Marcum Chriſtus dixit: *Hic eſt Sanguis meus*, non poſſemus nos conſecrare dicendo: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; id quod apertè falſum eſt.

Probat 2. Quod præterea dicebatur, aliud eſſe enuntiativè proferre: *Hoc eſt Corpus meum*, aliud vero jubere, ut ſit Corpus Chriſti, non urget nos; quia pro Conſecratione Sacerdos ita loquitur enuntiativè, ut ſimul efficiat, quod dicit, ac proinde etiam loquitur auctoritativè, ſeu tanquam poteſtatem habens efficiendi quod dicit; ac proinde poterit jure optimò imperare ſeu dicere. *Placet*: ſeu, *jubeo ut hoc ſit Corpus Chriſti*. Denique ſicuti enuntiativè illi propoſitioni, *Ego te abſolvo*, æquivalent illæ aliæ: *jubeo ut abſolvaris* &c. & ideo eas dicimus ſufficientes; ita longè cum majori Conſequentia illi enuntiativæ: *Hoc eſt Corpus meum*, dicemus æquivalere eas: *Hoc ſit Corpus Chriſti*, ſeu, *Volo, jubeo ut hoc ſit Corpus Chriſti*. Hucuſque Arriaga.

54. Reſponſio ad 1. probationem. Reſpondeo ad primum; Chriſtus voluit fieri validè Conſecrationem per verba æquivalentia, & ideo poſſumus conſecrare dicendo: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, eſtò Chriſtus dixiſſet: *Hic eſt Sanguis meus*, & vice verſâ dicendo: *Hic eſt Sanguis meus*, eſtò Chriſtus dixiſſet: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Ergo etiam dicendo: *Hic eſt Sanguis Chriſti*, negatur Conſequentia; quia probabiliùs hæc forma non æquivalet, ùt diximus diſp. 4. ſect. 3. concl. 7.

Reſponſio ad 2. Ad ſecundum: fateor, Sacerdos ita loquitur enuntiativè, ut ſimul efficiat, quod dicit; ergo poterit jure optimo imperare ſeu dicere: *Placet*, ſeu, *jubeo ut hoc ſit Corpus Chriſti*; Reſpondeo negando Conſeq. Primò: quia ly *Corpus Chriſti*, non æquivalet ly *Corpus meum*, ùt communiùs docetur. Secundò; quia ſcimus Chriſtum, in cujus perſona Sacerdos conficit hoc Sacramentum, uſum fuiſſe verbis enunciativis, & non conſtat Eccleſiam unquam attentaſſe aliis verbis conſecrare.

55. In judiciis humanis verba imperativa æquivalent enuntiativis. Præterea omnes fatentur, in judiciis humanis verba imperativa æquivalere enuntiativis; & Chriſtum, utì ſtatim dixi, non determinaſſe certam formam verborum, quibus Sacerdos in judicio Sacramentali neceſſariò deberet uti, neque certâ formâ uſum fuiſſe, cùm nec Scriptura, nec Traditio teſtentur ipſum aliquando adminiſtraſſe Sacramentum Pœnitentiæ. Quid ergo miramur, ſi illi enuntiativæ: *Hoc eſt Corpus meum*, non æquivaleat hæc imperativa: *Jubeo ut hoc ſit Corpus Chriſti*, eſtò illi propoſitioni: *Ego te abſolvo*, æquivaleant illæ aliæ: *Jubeo ut abſolvaris* &c?

Atque ut etiam priores propoſitiones æquivalerent, equidem quod longè cum majori Conſequentia dicemus, æquivalere eas, ùt loquitur Arriaga, non facilè crediderọ propter nudum aſſertum iſtius Auctoris.

His ſuppoſitis de mente Scoti, facilis eſt probatio Concluſionis; quia videlicet omnes illæ formulæ exprimunt actum ſententiæ abſolventis, & ipſis utuntur judices ad proferendam ſententiam in aliis materiis. Pr Co

Sola poſtrema formula aliquam patitur difficultatem, propterea quòd directè & explicitè non ſignificet Sacerdotem abſolventem, utì forma ordinaria, & aliæ formulæ æquivalentes, unde ſi illa ſignificatio eſt omnino neceſſaria; videtur quòd ultima illa formula: *Abſolvat te Deus*, ſeu, *Abſolvatur talis ſervus Chriſti*, etiam in ſenſu imperativo non ſufficiat.

Nihilominus perſiſtimus in Concluſione & dicimus, non eſſe neceſſitatem abſolutam aliter ſignificandi perſonam miniſtri in hoc Sacramento, quàm in Scaramento Baptiſmi. Si ergo valet hæc forma Baptiſmi: *Baptizet te Deus*, ſeu, *Baptizetur talis ſervus Chriſti* (prout valere probavimus diſp. 2. ſect. 2. concl. 2.) neſcio, quare non ſimiliter valeat hæc forma Sacramenti Pœnitentiæ: *Abſolvat te Deus*, ſeu, *Abſolvatur talis ſervus Chriſti*, in ſenſu imperativo. Ne hic ex pe nil in mo

Dices; diverſitas eſt, quòd idem ſit, qui profert verbà illà: *Baptizetur* &c. & qui baptizat re ipſâ. At in Abſolutione nulla penitus actio ponitur exterior, ratione cujus; quando dico: *Abſolvatur talis ſervus Chriſti*, poſſit conſtare, quòd ea Abſolutio veniat à me, magìs quàm ab aliquo alio. O

Reſpondeo I. ſecundùm Rituale Rom. allegatum concl. 1. etiam in Abſolutione ponitur aliqua actio exterior: ait enim Rituale: *Deinde dextera versùs pœnitentem elevata dicit: Indulgentiam &c.* Actio ergo exterior, elevatio dexteræ, in ſignum, quòd ipſe qui profert verba, ſit miniſter Abſolutionis, & non quilibet alius. Præterea ſignum externum poteſt eſſe impoſitio Satisfactionis ſeu Pœnitentiæ: vel etiam ſignum Crucis, quod ſolet Sacerdos efformare, quando dicit: *In nomine Patris* &c. R tt

Reſp. II. eſtò nulla actio exterior interveniret, ſicut poſſet contingere; quia actiones jam enumeratæ non ſunt de eſſentia Sacramenti, ſicut bene ablutio exterior eſt de eſſentia Baptiſmi; inde ad ſummum ſequitur, clariùs in caſu baptizandi intelligi illud ablativum, *A me*, quàm in caſu Abſolutionis, ſi expreſsè non addatur. Se R

Interim ſufficienter intelligi, probatur; quia ſenſus imperativus in judiciis humanis æquivalet indicativo, veluti ſi Princeps, vel alius, qui

Digitized by Google

qui habet ab illo poteſtatem liberandi à vinculis, imperet liberationem hâc formâ verborum: *Talis liberetur*, idem valet ac ſi diceret: *Talem libero à vinculis*: ita ut ſibi ipſi magis cenſeatur, quamvis impropriè, imperare, quàm alteri. Ergo ſimiliter, quando Sacerdos auditâ Confeſſione diceret: *Talis abſolvatur*, idem valeret ac ſi diceret: *Talem abſolvo*.

Si inſtes, ſaltem hæc forma: *Abſolvat te Deus*, vel, *Talis abſolvatur à Deo*, non æquivalet huic quoad ſenſum: *Abſolvo te*, vel, *Talem abſolvo*, non enim ſibi imperat, ſed Deo; adeòque ſignificat Abſolutionem provenire à Deo, & non à ſe.

Reſpondeo; imperat Deo (ſi ita placeat loqui) id eſt, poteſtate, à Deo ſibi communicatâ, ſignificat efficax ſuum deſiderium, quod habet, ut Deus tali homini remittat peccatum. Non vult ergo novam ſententiam abſolventem; ſed vult effectum ſuæ propriæ ſententiæ abſolventis, quem effectum ſolus Deus poteſt cauſare, & tenetur ex promiſſione ſua cauſare, quoties Sacerdos, prævià Confeſſione pœnitentis, hujuſmodi verbis ſuam volitionem ſignificat.

Sicuti ſi Princeps, auditis reſpectivè partibus, diceret: *Cuſtos carceris talem liberet à vinculis, quibus tenetur adſtrictus*, non cuſtos ſolvens vincula, cenſetur reum juridicè, & per ſententiam liberare; ſed ſolus Princeps mandans liberationem; quamquam & cuſtos liberet, tanquam executor ſententiæ Principis. Sic ergo in præſenti, non imperatur Abſolutio, id eſt, nova ſententià juridicè abſolvens à peccatis (nam ſententia Dei, & Sacerdotis eadem eſt) ſed effectus ſeu executio ſententiæ latæ, quæ eſt propria ſoli Deo, cùm de facto non remittantur peccata, niſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis, cujus cauſa efficiens phyſica, miſericors Deus, qui gratuitò abluit & ſanctificat.

Urges: ſi Papa, accedentem ad ſe pro abſolutione à cenſura aliqua, mitteret ad Pœnitentiarium ſuum dicens: *Abſolvat te Pœnitentiarius meus*, non cenſeretur Papa, illis verbis ipſum abſolvere; ſed dare commiſſionem Pœnitentiario abſolvendi. Et ratio à priori eſt, quòd aliud ſit, mandare ut abſolvatur, aliud verò, abſolvere; uti aliud etiam eſt, mandare ut talis conſecretur Epiſcopus aut Sacerdos, aliud verò, illum conſecrare.

Reſpondeo; planè aliud eſt, mandare conſecrationem Epiſcopi, & phyſicè ipſum conſecrare, ſicuti aliud planè eſt, mandare occiſionem Petri, & phyſicè Petrum occidere; mandare ædificationem templi, aut dare ſumptus neceſſarios ad ædificandum, & phyſicè templum ædificare; interim mandans conſecrationem, mandans homicidium, mandans ædificationem templi, moraliter dicuntur conſecraſſe; occidiſſe, ædificaſſe; niſi velis cum Arriaga diſp. 49. n. 12. vocem, *Conſecratio*, non accipi ordinariè, niſi pro eo, qui phyſicè conſecrat, ideòque non tribui ei, qui conſecrare mandavit.

Nec propterea, inquit ille, valet argumentum ad alias voces etiam ſynonymas; nam conſecrare in Epiſcopum, & facere Epiſcopum, idem omnino ſunt, & tamen de illo, qui alterum ad Epiſcopatum promovit, dicimus: *Ille fecit hunc Epiſcopum*, & tamen non dicimus: *Conſecravit hunc in Epiſcopum* Hæc ille. 61.

A voce *Conſecrare* ad alias voces ſynonymas non valet argumentum. *Arriaga*.

Sanè omnes ſic loquuntur; *Iſte Princeps ædificavit hoc Sacellum*, etſi ſolùm ædificaverit moraliter per ſuum mandatum. Et conſimiliter, omnes admittunt hanc locutionem; *Talis Iudex occidit talem reum*, etſi ſolùm occiderit moraliter per ſententiam. Et verò applicans ignem ſtuppæ, nonnè ab omnibus dicitur eam comburere? Si ergo Sacerdos tantam habet vim, ut ſignificatâ ſuâ voluntate abſolvendi, Deus ex prævio ſuo decreto neceſſitetur ad remittendum peccata; jure merito dicitur Sacerdos remittere & abſolvere, eſtò ipſe non ſit phyſica cauſa remiſſionis.

Procurans aut præcipiens aliquid fieri ſæpe dicitur cauſa effectûs.

Ad inſtantiam de Papa, reſpondet Arriaga ſuprà; Si ille obliget Pœnitentiarium ut abſolvat à cenſura, rectiſſimè etiam dici, ipſum Papam tunc abſolviſſe eum hominem. Hæc ille. Et ſi quæris à me rationem, ad manum eſt; quia tali caſu Pœnitentiarius tantùm conſtituitur cognitor cauſæ, & executor Abſolutionis, jam virtualiter illis verbis à Pontifice conceſſæ. Aliud eſt, quando manet nihilominus libera facultas Pœnitentiario abſolvendi, vel non abſolvendi; tunc enim per illam formulam verborum conceditur poteſtas abſolvendi Pœnitentiario, ſi fortè illam non habeat, vel ſi aliunde habet poteſtatem, ſignificat Pontifex, ſe pro nunc nolle uti ſuâ poteſtate; ſed illam Abſolutionem relinquere poteſtati ſui Pœnitentiarii. 62.

Reſponſio Arriagæ ad inſtantiam de Papa.

Sed nunquid manet liberum Deo remittere peccata, quando Sacerdos, auditâ Confeſſione, imperat quodammodo Deo dicens. *Abſolvat te Deus*, vel, *Abſolvatur talis ſervus Chriſti à Deo*? Minimè, ſed ſicut antea dixi, ſuppoſitâ inſtitutione Sacramenti neceſſitatur ad illam remiſſionem. Quidni ergo Sacerdos rectiſſimè dicatur talem hominem abſolvere, & remittere ejus peccata? Non clarè video quid obſtet.

Lugo diſp. 13. n. 106. exiſtimat hanc formam dubiam: *Abſolvat te Deus*; ſi addatur, *per me* omnino validam; quia tunc ſatis ſignificatur effectus, prout ab ipſo abſolvente procedit. Idem credit, ſi diceretur abſolutè, *Abſolvatur ſervus Chriſti*; quia ibi imperatur ipſe effectus, & per conſequens ſignificatur ſufficienter actio miniſtri. 63.

Sententia Lugonis de hac forma: *Abſolvat te Deus*.

Verùm puto jam ſatis clarè probatum, etiam ibi imperari effectum: *Abſolvat te Deus*, vel, *Abſolvatur ſervus Chriſti à Deo*, & per conſequens,

Digitized by Google

ſequens, ſufficienter ſignificari actionem miniſtri, cùm imperium dicat eſſentialem ordinem ad imperantem.

64. *Cur iſta forma non valeat in ſenſu deprecativo.* Cur autem non valeant illæ formulæ in ſenſu deprecativo; ratio ſumitur ex inſtitutione hujus Sacramenti per modum judicii: ergo forma debet proferri per modum ſententiæ, porrò ſententia in judiciis humanis, non profertur verbis deprecativis; ſed enuntiativis, vel imperativis.

Unde Chriſtus non dixit Joan. 20. pro quorum remiſſione peccatorum oraveritis, remittentur eis; quemadmodum Jacobus Apoſt. *Jac. 5.* c. 5. loquens de Sacramento Extremæ Unctionis, ait v. 14. & 15. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Non ſic, inquam, loquitur Chriſtus de Sacramento *Joan. 20.* Pœnitentiæ, ſed inquit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Non ergo promiſſa eſt remiſſio peccati in hoc Sacramento, utì in Sacramento Extremæ Unctionis, orationi; ſed remiſſioni Sacerdotis.

65. *Expenditur uſus Eccleſiæ Latinæ,* Confirmatur ex uſu Eccleſiæ Latinæ, ſecundùm quem *preces quædam*, ùt ait Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 2. *laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant.*

Nec àliud omnino convincunt exempla, quæ adducit Morinus lib. 8. cap. 10. ut probet Eccleſiam Latinam aliquando uſam fuiſſe in hoc Sacramento formâ deprecativâ.

Nonne in antiquo manuſcripto Abbatiæ S. Remigii litteris longobardicis ſcripto, reperitur hæc forma: *Ego divinitùs vos abſolvo à vinculis peccatorum veſtrorum?* Qui codex (inquit Morinus ſuprà) videtur ſexcentis annis antiquior. Item in egregio & antiquo S Gregorii Sacramentario (quod aſſervatur in Bibliotheca Eccleſię Metropolitanę Turonenſis) in fine ſic concluditur: *Cuius nos virtute freti, & clementiâ confiſi, humiliter imprecantes pietatem ſuam, abſolvimus te à vinculo tuorum omnium delictorum.* Has autem, & ſimiles formas, nunquam fuiſſe ſacramentales, ſed dumtaxat ceremoniales, dicit quidem Morinus, ſed non ſufficienter probat. Enimvero eadem forma in diverſis circumſtantiis poteſt eſſe ceremonialis & ſacramentalis; v. g. hæc forma, *Ego te abſolvo* &c. prolata à Sacerdote ſuper pœnitentem præviâ confeſſione peccatorum in ſpecie & numero, proculdubio eſt ſacramentalis: at verò prolata à Superiore ſuper ſubditos ſuos capitulariter congregatos (ſicut apud nos fieri ſolet quater in anno) præmiſsâ ſolùm generali Confeſſione, indubiè ſolùm eſt ceremonialis.

66. *& Græcæ.* Quantum ad uſum Eccleſiæ Græcæ, quamvis in Euchologio ſeu Rituali illius Eccleſiæ non appareat forma Abſolutionis niſi deprecatoria, quâ Sacerdos pro pœnitente Deum rogat, ut condonet peccata; nihilominus Græcos uti formâ abſolutâ & indicativâ, pro comperto habet Jacobus Goar in notis Euchologii in Orationes ſuper pœnitentes.

Acceptâ enim occaſione à verbis pœnitentis: *Precor ut veniam mihi eroges*, abſolvere conſueverunt dicendo: *Habeo te condonatum*, ſeu, *veniâ donatum*, aut, *ſis condonatus*. Quod perinde eſt ac ſi diceretur: *Facio te veniâ donatum.* Abſoluta enim locutio poteſt imperativè enuntiari, ſicut in ordinatione Sacerdotis, ly *Accipe poteſtatem*; idem eſt quod, *Do tibi poteſtatem.*

Abſtinent autem Græci ab indicativo activo, eò quòd id excellentiam quandam ſonet, ac ne miniſter ſibi auctoritatem arrogare videatur. Unde Epiſcopus apud illos dicit (ut refert Goar ſuprà) *Humilitas mea habet te condonatum*, Patriarcha verò, *Mediocritas mea habet te condonatum.* Potuitque ſimilis forma, etſi in Euchologiis non expreſſa, eſſe per Traditionem accepta, prout accepta eſt forma Latinorum, quæ ſimiliter in antiquioribus Ritualibus, vel Sacramentariis, vel Scriptoribus non reperitur expreſſa. Quare non fuit deſuper Græcis in Florentino mota quæſtio, nec eis, veluti rectè ſentientibus & practicantibus data inſtructio, qualis & quidem ampla fuit data Armenis. Ita Herincx diſp. 1. n. 29.

Utut ſit de expreſſione formæ Latinorum in antiquioribus Ritualibus vel Sacramentariis (de qua egimus n. præced.) certum eſſe debet apud omnes, hanc formam non fuiſſe primò inſtitutam à Conc. Trident. neque à Conc. Florent. Oſtendatur ergo à quo Pontifice vel Concilio fuerit primò inſtituta; vel dicatur per Traditionem accepta.

Fruſtrà porrò contendit Morinus ſuprà, illa exempla Eccleſiæ Græcæ intelligenda eſſe de abſolutione à cenſuris; ùt oſtendo in primis ex Gabriele Severo Philadelphiæ Metropolita, qui in tract. de Sacram. cap. de Pœnit. ſic ait: *Forma Pœnitentiæ eſt poteſtas à Servatore noſtro conceſſa ſolis ipſius ſanctis diſcipulis & Apoſtolis, quam tradentes univerſæ terræ Epiſcopis, mutuâ & ſibi ſuccedente traditione operari iuſſerunt; dicit enim Dominus, ùt in antecedentibus iam relatum eſt:* Quęcunq; ligaveritis &c. *ideo legitimi ſanctæ exomologeſis adminiſtri, peccatori ad eos venienti dicunt: Gratia ſanctiſſimi Spiritûs per meam humilitatem habet te veniâ donatum & abſolutum.* Præterea ex Simeone Archiepiſ. Theſſ. qui poſt abſolutionē ab excommunicatione in ſuo de ſeptem Sacramentis libello cap. de Pœnit. habet hanc formam: *Humilitas noſtra per gratiam & donum* &c. *condonatam habet filiam ſuam N. in omnibus in quibus ipſa ùt homo in Deum peccavit & prævaricata eſt verbo, opere, mente, & omnibus ſenſibus ſuis.* Plures formas indicativas, quibus modò utuntur aliqui Græci, vide apud Jac. Goar ſuprà.

Et reverà,

Digitized by Google

Et reverà ; ſi tempore Concilii Florentini Græci utebantur ſolâ formâ deprecatoriâ, cur illam non recenſuit Concilium, ſicuti recenſuit formam Baptiſmi, quâ tunc Græci utebantur, & adhuc de facto utuntur? Signum ergo eſt, quòd uſi fuerint formâ indicativâ, licèt, ad inſtar Eccleſiæ Latinæ, adjunxerint laudabiliter aliquas preces.

68. Dices; quidquid ſit de tempore Concilii Florentini, conſtat quòd tempore Clementis VIII. Græci utebantur ſolâ formâ deprecatoriâ; nam hic Pontifex Conſt 34. apud Cherubinum §. 3. ſic ſtatuit: *In caſu neceßitatis, Preſbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſolvere. Vtantur formâ Abſolutionis in Generali Concilio Florentino præſcriptâ, & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiuſmodi Abſolutionis dicere tantùm conſueverunt.*

Reſpondeo; vel ex illa ipſa Conſtitutione patet, Eccleſiam Romanam; quæ ſola eſt columna & firmamentum veritatis, illum uſum Græcorum, quiſcumque fuerit particularis, vel univerſalis, reprobaſſe & reprobare. Unde parùm curandum, quâ formâ Eccleſia ſchiſmatica vel de facto utatur, vel aliquando uſa fuerit; cùm ſicuti in aliis multis, ita & in hoc puncto poſſit & potuerit errare.

69. De cætero, occaſione precum tum præcedentium formam eſſentialem, tum ſubſequentium in Eccleſia Latina, non incongruè ipſa forma eſſentialis vocatur oratio; ſicuti totum quod dicitur in officio divino, dicitur oratio, licèt etiam legantur Hiſtoriæ, quæ ſecundùm ſe ſolùm ſunt narratio. Adde, verba eſſentialia implicitè continere orationem, quâ Sacerdos nomine Chriſti, cujus gerit vices, efficaciter petit remiſſionem peccati.

Et ita intelligo D. Hieronymum in Pſalm. 28. ubì circa illa verba: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, ſic ait: *Quotidie in unoquoque noſtrûm flammam libidinis per Confeßionem & gratiam Spiritus ſancti intercidit, id eſt, per orationem Sacerdotis* (quâ utique poſt Confeſſionem abſolvit à peccatis) *facit ceſſare.*

Item quod ſcribit S. Leo Epiſt. 91. aliàs 89. (& refertur de Pœnit. diſt. 1. c. 49.) *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ: ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenient; ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.*

Nimis manifeſtum eſt, formam eſſentialem, quâ Eccleſia Latina modò utitur, non eſſe explicitam & propriè dictam orationem; ergo illa verba SS. PP. & alia ſimilia, neceſſariò intelligenda ſunt, vel de oratione implicita & impropriè dicta, vel de propriis orationibus, quæ laudabiliter adjunguntur, quamvis non ſpectent ad eſſentiam.

Nonne & SS. Patres formam Conſecrationis Corporis & Sanguinis Chriſti, appellant orationem? S. Ambroſius lib. 4. de Fide ad Gratianum c. 5. inquit: *Nos autem quotieſcumque Sacramenta ſumimus, quæ per ſacræ orationis myſterium in Carnem transfigurantur & Sanguinem, mortem Domini annunciamus: Per ſacram orationem transfiguratur panis in Corpus Chriſti.* Et S. Auguſtinus lib. 3. de Civit. c. 4. ibi: *Nec linguam eius* (Apoſtoli Pauli) *nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos linguâ editos, nec ſigna litterarum conſcripta pelliculis, Corpus Chriſti & Sanguinem dicimus; ſed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſticâ conſecratum, ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ Paſſionis.* 70. SS. Patres aliquando vocant formam Conſecrationis orationem. S. Ambroſ. S. Auguſt.

Sed nunquid ideo forma Conſecrationis propriè dicta oratio? Putas quia hæc forma æquivalet ordinariæ: *Rogo ut hoc ſit Corpus Chriſti?* Nemo id docet. Ergo ſimiliter in caſu Abſolutionis; & ampliùs, quia Abſolutio eſt ſententia. 71. Diſparitas inter Baptiſmum & Pœnit.

Unde licèt Baptiſmus probabiliter valeat collatus ſub hac forma verborum: *Baptizet te Chriſtus*, in ſenſu deprecativo, ùt videre poteris diſp. 2. ſect. 2. concl. 2. equidem negatur Cõſequentia: ergo etiam valebit Sacramentum Pœnitentiæ collatum ſub hac forma verborum: *Abſolvat te Chriſtus*, in ſenſu deprecativo.

Ratio diſparitatis jamjam eſt aſſignata; quia unum Sacramentum inſtitutum eſt per modum judicii, aliud non: Judicis autem non eſt rogare vel deprecari; ſed auctoritativè propriâ, vel delegatâ poteſtate abſolvere, aut condemnare.

Atque eadem eſt ratio diverſitatis inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacramentum Extremæ Unctionis; ut non tangam rationes convenientiæ, quas Aliqui aſſignant pro Extr. Unctione, videlicet quòd aliquis ejus effectus, puta, ſanitas corporalis, non ſemper ſequatur. Denide quòd infirmus ſit quaſi jam extra Eccleſiam co[n]ſtitutus in manibus ſolius Dei, ut proinde no[n] immeritò pro illo, Deo preces offerantur. Item inter Extr. Unctionem & Pœnit.

Similis etiam differentia cernitur inter poteſtatem abſolvendi à peccatis, & poteſtatem curandi infirmos, conceſſam Apoſtolis Matth. 10. & Luc. 9. quam liquet non eſſe poteſtatem judicialem, & ideo non mirum, ſi Apoſtoli eam exercebant verbis deprecatoriis. poteſtatem abſolvendi & curandi infirmos.

Sed dicet aliquis; ſaltem Abſolutio à cenſuris eſt ſententia aliqua judicialis, & tamen exerceri poteſt verbis deprecatoriis. 72. Objectio.

Reſp. I. etiam exerceri poteſt per ſcripturam, nutum, aut aliud ſignum æquivalens, niſi obſtet jus poſitivum Eccleſiæ; ergo ſimiliter Abſolutio ſacramentalis à peccato, non valet Conſequentia; quia Sacramentum debet fieri ſecundùm inſtitutionem Chriſti; Abſolutio autem à cenſuris, utì etiam inflictio cenſuræ, pendet ab inſtitutione hominum. Solvitur 1.

Digitized by Google

Solvitur 2. Reſpon. II. neque Abſolutio à cenſuris fit per verba deprecatoria, ùt patet ex communi uſu, & præſcripto Ritualis Rom. Tit. de Sacramento Pœnitentiæ, ibi: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſolvat: & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis* &c. Et infrà pro foro externo: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius, & Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ* (vel *Reverendiſſimi Epiſcopi* N. vel talis *Superioris*) *mihi commiſſâ abſolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurriſti* (vel, *incurriſſe declaratus es*) *propter tale factum*, vel, *cauſam* &c. *& reſtituo te communioni & unitati fidelium, & ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.*

Rit. Rom.

Ubì manifeſtè præter deprecationem illam: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſolvat*, quæ alioquin deberet ſufficere, additur forma indicativa: *Ego te abſolvo* &c.

73. Alia objectio. Reſtat adhuc una objectio, quæ talis eſt: hæc verba, *Parcat tibi Deus*, ſecundùm communem uſum æquivalent his: *Ego parco tibi*: item qui dicit: *Deus ignoſce illi*, eo ipſo ex parte ſua ſignificat ſe ignoſcere; potiſſimùm quando idem eſt jus Dei & hominis, utì in caſu præſenti.

Reſponſio Lugonis. Reſpondet Lugo diſp 13. n. 103. licèt idem ſit jus Dei, quòd Deus & Sacerdos Dei nomine poſſunt remittere, adhuc non eſt idem, Sacerdotem illud velle remittere, aut velle, quòd Deus ipſe remittat. Explicari hoc poteſt in Confeſſario, potente diſpenſare v. g. ex facultate Pontificis in aliquo voto, qui tamen non cenſeretur diſpenſare, tametſi diceret: *Pete à Pontifice ut diſpenſet*; quia nimirùm, licèt objectum diſpenſationis eſſet idem reſpectu Pontificis & inferioris Confeſſarii; actualis tamen diſpenſatio vel Abſolutio eſſet diverſa; & poſſum ego deſiderare & petere, quòd tollatur hoc jus per diſpenſationem Pontificis, & nolle quòd tollatur per meam. Ergo ſimiliter poſſet Sacerdos petere, quòd Deus abſolvat pœnitentem, abſque eo quòd velit ipſemet Sacerdos eum abſolvere. Hæc Eminentiſſimus.

Et indubiè defectu intentionis fieri poteſt, ut illa verba non ſufficiant; ſed quod quæritur eſt, an ſi adſit debita intentio Sacerdotis, ſignificandi per iſta verba voluntatem eum abſolvendi, reverà ſacramentaliter abſolvat. Ad quam quæſtionem

74. Hæc verba: Deus ignoſce illi, non ſignificant formaliter voluntatem abſolvendi. Reſpondeo; non abſolvere ſacramentaliter, ſi verba iſta accipiantur in ſenſu deprecativo, de quo jam tractamus; quia reverà, quamvis ille, qui deprecatur ſeu petit ab alio, ut ignoſcat, haberet voluntatem ignoſcendi; tamen illis verbis formalibus, ſive formaliter hoc non ſignificat, ſed ad ſummum arguitivè, quatenus arguimus eum, qui deſiderat condonationem alterius, condonare etiam ex parte ſua; quæ tamen arguitio poteſt eſſe falſa, quia poſſet aliquis, habens poteſtatem v. g. diſpenſandi in voto, nolle diſpenſare propter ſcrupulum aliquem, vel etiam, quia verè dubitat de ſufficientia cauſæ, & tamen petere ab alio & deſiderare ut ipſe diſpenſet, ſuppoſitis ſupponendis, id eſt, ſi ipſe judicet cauſam ſufficientem.

Ergo præcisè illa verba: *Deus ignoſce illi*, non ſignificant formaliter voluntatem abſolvendi in communi uſu loquendi, cùm poſſint abſolutè eſſe vera, tametſi Sacerdos non haberet voluntatem ex parte ſua abſolvendi, ſed poſitivam nolitionem, eò quòd dubitet de ſufficienti diſpoſitione pœnitentis, aut certè ipſe judicet eum indiſpoſitum; interim quia cogitat ſe hominem fallibilem, deſiderat, & petit ut Deus illi ignoſcat, ſi verè diſpoſitus eſt ad remiſſionem peccatorum extra Sacramentum.

Quis enim neget, Confeſſarium pœnitenti indiſpoſito poſſe manus imponere, cum illa oratione: *Miſereatur tui* &c. *Indulgentiam abſolutionem* &c? Imò oportet ſic facere, quando periculum eſt, ne circumſtantes advertant ejus indiſpoſitionem. Igitur abſolvere non eſt idem, quod petere veniam alteri vel deſiderare; ſed ſignificat actum poteſtatis noſtræ, quo cedimus jure noſtro, vel alterius, cujus perſonâ gerimus. Co… rius indi… imp… mai… illa… ne… reat…

Ex quo patet diſcrimen inter verba Abſolutionis, & verba Benedictionis, v.g. *Benedicat te Deus*, quæ æquivalent his: *Benedico te*; nam Benedicere in ſenſu Eccleſiaſtico; & ſecundùm communem uſum hominum, nihil aliud ſignificat, quàm bonum precari: qui autem precatur alteri benedictionem Dei, magnum profectò bonum precatur. Dif… inte… abſ… & b… tio…

Cæterùm ſi à me quæritur; quare ergo D. Auguſtinus lib. 50. Homil. Homil. 23. reprehendat illos, qui dicunt: *Ego peccata dimitto: Ego iuſtifico: Ego ſanctifico*? Reſpondeo; reprehendit Hæreticos, volentes illis verbis ſignificare ſe principaliter, & propriis meritis remittere peccata. Qua… Aug… hen… qui… Ego… dimi…

Patet ex contextu: *Iudæi*, inquit, *dixerunt*: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? *Audet ſibi homo hoc uſurpare? Quid contra Hæreticus?* Ego dimitto, ego mundo, ego ſanctifico. *Reſpondeat illi; non ego, ſed Chriſtus*: O homo, quando ego à Judæis putatus ſum homo, dimiſſionem peccatorum fidei dedi. *Non ego, ſed reſpondet tibi Chriſtus. O Hæretice, ut cùm ſis homo, dicis*, Veni mulier, ego te ſalvam facio: *Ego cùm putarer homo, dixi*: Vade mulier, fides tua te ſalvam fecit. *Reſpondent neſcientes, ſicut ait Apoſtolus, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: Reſpondent & dicunt*: Si non dimittunt homines peccata, falſum eſt quod ait Chriſtus: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo. *Neſcis quare hoc dictum ſit, quomodo dictum ſit? Daturus erat Dominus hominibus Spiritum ſanctum, & ab ipſo Spiritu ſancto Fidelibus ſuis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata.*

Vis autem audire, quia non ſemper per ſe imme- Spiritu ſanctu…

Digitized by Google

immediatè Spiritus ſanctus dimittit peccata, ſed ſæpè per hominem? Paucis interjectis ſubjungitur: *Deus ergo habitat in templo ſuo, hoc eſt, in ſanctis ſuis fidelibus in Eccleſia ſua, per eos dimittit peccata, quia viva templa ſunt. Sed qui dimittit per hominem, poteſt dimittere & præter hominem.* Igitur de mente D. Auguſtini non eſt relictus dubitandi locus.

77. Dubitatur verò, an etiam hæc formula æquivaleat: *Abſolvitur talis ſervus Chriſti* Et quidem pro parte affirmativa facit, quòd cùm Chriſtus Luc. 5. v. 20. dixiſſet Paralitico: *Homo remittuntur tibi peccata tua*, à circumſtantibus ita fuerint accepta verba iſta, ac ſi dixiſſet: *Remitto tibi peccata tua* (quæ abſque dubio æquivalent formæ ordinariæ) dicebant enim: *Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Porrò Chriſtus approbavit illum intellectum; nam continuò attexitur: *Vt cognovit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula? Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico: Tibi dico, ſurge* &c.

Confirmatur ex forma Baptiſmi, & variis exemplis. Confirmatur tum ex forma Baptiſmi, quâ utuntur Græci: *Baptizatur talis ſervus Chriſti* &c. tum exemplo in humanis, ùt puta, ſi creditor diceret ſuo debitori: *Remittitur tibi tuum debitum*, videretur omnino illud condonaſſe. Item ſi Papa diceret: *Datur tibi talis præbenda*, aut, *diſpenſaris in tali impedimento*, omnes apprehenderent validam collationem beneficii, aut validam diſpenſationem. Et conſimiliter ſi judex, auditis partibus, ſedens pro tribunali, diceret: *Petrus damnatur ad mortem*, vel, *Petrus abſolvitur à tali crimine*, nemo dubitaret de valore ejuſmodi ſententiæ.

78. Ideo hanc formam Abſolutionis: *Remittuntur tibi peccata*, valere, docet Henriquez lib. 1. de Sacramento Pœnit. cap. 11. n. 4. & Joannes Poncius in Curſu Theologico diſp. 46. nu. 12. ibi: Fortaſſis Hiquæus voluit, quòd non debeat verbum indicativum expreſsè poni. In cujus diſcurſu adverto, per errorem Typographi mihi videri loco; *Dimittuntur tibi peccata*, quæ forma bona eſt, & etiam indicativa, irrepſiſſe; *Dimittantur tibi peccata*, quæ non ſufficit; quia non ſignificat abſolutum per ſententiam judicialem miniſtri magìs, quàm forma deprecativa; & propterea non poteſt ſufficere; nec poteſt dici, Hiquæum virum doctiſſimum, dum deprecativam rejecerat, hanc approbaſſe. Hæc ille.

Sed non eſt, quòd excuſes Magiſtrum tuum Ponci; neque enim propterea deſinet eſſe doctiſſimus; quia docuit, quod multi viri docti docent, videlicet, illa verba: *Dimittantur tibi peccata*, valere in ſenſu imperativo. Enimverò ipſa ratio naturalis approbat diſtinctionem modi imperandi, à modo deprecandi; imperium quippe ſignum ſuperioritatis eſt & auctoritatis, quo proinde utuntur judices humani in ferendis ſententiis; deprecatio verò ſignum eſt ſubjectionis & inferioritatis, quâ proinde nunquam utuntur judices humani.

Si dixeris; diſcrimen illud ſolùm eſt in intentione & mente loquentis, non in externa expreſſione & forma: at ipſa externa forma debet eſſe per ſe expreſſiva ſenſûs requiſiti. 79. Objectio.

Reſpondeo, hanc formam externam: *Dimittantur tibi peccata*, per ſe exprimere utrumque ſenſum, deprecativum videlicet, & imperativum, licèt ambiguè, & ideo per intentionem, aut alias circumſtantias, debet determinari ad alterum ipſorum. Sicuti hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, per ſe ſignificant corpus loquentis, id eſt, Sacerdotis, qui ea profert, interim per intentionem ipſius, & alias circumſtantias determinantur ad ſignificandum Corpus Chriſti. Si hæc determinatio non repugnat formæ Conſecrationis, cur determinatio ad ſenſum imperativum repugnabit formæ Abſolutionis? Solvitur.

Itaque doctiſsimè rejecit Hiquæus formam deprecativam, eſtò approbaſſet formam imperativam. An autem Poncius doctiſsimè approbet formam indicativam: *Dimittuntur tibi peccata*, poſſet dubitari; quia videlicet illud indicativum, *Dimittuntur*, videtur aliquibus non ſatìs denotare perſonam abſolventem. Nam illud idem (inquit Arriaga diſp. 49. n. 14.) veriſsimè in his ipſis circumſtantiis diceretur, etiamſi Sacerdos non abſolveret à peccatis, ſed declararet tantùm hominem ab eis eſſe abſolutum. 80. Non valere *Dimittuntur tibi peccata*, probatur ex Arriaga.

Quod autem in caſibus ſuprà allatis, homines ex verbis Chriſti intellexerint, eum ipſum fuiſſe, qui abſolvebat, provenit non tam ex verbis Chriſti præſentibus, quàm ex aliis miraculis, quæ de ipſo narrabantur & audiebantur, in quibus tanquam poteſtatem habens ſe ſemper gerebat. Id autem non ſufficit pro forma Sacramenti, in qua ejus ſignificatio debet ſaltem colligi ex his, quæ fiunt circa ipſum Sacramentum. Hæc Arriaga. Reſponſio ad factum Chriſti.

Ad inſtantiam de Creditore, Papa, & Iudice reſpondet; ibi cùm homines aliunde ſciant, Creditorem, Papam, & Iudicem habere vim; ut auctoritativè vel diſpenſet, vel abſolvat &c. intelligunt, dum illa verba audiunt eos loqui de nomine ſuo. At Sacerdos ſi ſolùm declararet Abſolutionem datam à Deo, poſſet uti eis verbis; ergo ea verba non habent, unde oſtendant Sacerdotem auctoritativè abſolvere. 81. Reſpondetur ad inſtantiam de Creditore, Papa & Iudice.

Ad inſtantiam de Baptiſmo, patet reſponſio ex dictis, ùt puta, in Baptiſmo verba immediatè ſignificant ablutionem ipſam phyſicam, cùm autem idem ſit, qui profert illa Item ad inſtantiam de Baptiſmo.

 verba

Digitized by Google

verba: *Baptizatur* &c. & qui phyſicè abluit, eſtò ſolùm dicatur, *Baptizatur*, ſinè illis verbis, *A me*, eo ipſo conſtat debere illa ità intelligi.

82. Sed contra arguitur ab Auctore.

Sed contrà; etiam homines aliunde ſciunt, Sacerdotem expoſitum audiendis Confeſſionibus, habere vim auctoritativè abſolvendi, ergo dum, præmiſsâ Confeſſione, audiunt illa verba: *Dimittuntur tibi peccata*, intelligunt eum loqui nomine ſuo, & non ſolùm declarare Abſolutionem datam à Deo.

Nec obſtat; quòd etiam illis verbis poſſet uti, ſi ſolùm declararet Abſolutionem datam à Deo; quia etiam his poſſet uti: *Abſolvo te*, in ſententia Magiſtri, qui putat Sacerdotem ſolùm declarare Abſolutionem datam à Deo, & non verè abſolvere à peccatis. Niſi ergo ex voluntate Chriſti requiratur expreſſior ſignificatio perſonæ abſolventis in judicio ſacramentali, quàm judicis in judicio humano, aut diſpenſantis in diſpenſatione, vel creditoris in remiſſione debiti humani, non omnino inconſequenter admittitur hæc forma valere: *Dimittuntur tibi peccata*.

83. Non licet uti illâ formâ ſinè gravi peccato, ſicut nec aliis ſimiliter dubiis.

Cæteroquin forma ſatìs dubia eſt, ut ſinè peccato mortali non liceat illâ uti, & ſimile judicium eſt de aliis formis ſimiliter dubiis. Sed & uſus illarum, quæ certò æquivalent, ad minùs erit peccatum veniale, quia contra præſcriptum Eccleſiæ, quod planè congruit ab omnibus obſervari, juxta illud Tridentini ſeſſ. 7. de Sacram. in genere can. 13. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſinè peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.* Si ritus planè accidentales ſinè peccato pro libito omitti, aut mutari nequeant, quantò minùs formæ eſſentiales Sacramentorum?

Conc. Trid.

Quamvis ergo hæ formæ certò ſufficiant: *Nos te abſolvimus à peccatis tuis*: *Ego abſolvo dominationem veſtram* &c. *Ego remitto, condono tibi peccata tua* &c. tu ſemper utere formâ communi: *Ego te abſolvo* &c. ſi non vis peccare, niſi adſit aliqua juſta cauſa mutandi.

84. Quid dicendum de hac forma, Ego auctoritate Papæ &c.

Minùs utendum ſequenti formulâ: *Ego auctoritate Papæ abſolvo te à peccatis; de quibus contritus & confeſſus es.* Nam ab aliquibus dubitatur de ejus valore, eò quòd Sacerdos non abſolvat auctoritate Papæ, ſed auctoritate Chriſti, qui Joan. 20 dixit Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c.

Joan. 20.

Malè (inquit Joannes Heſſelius in ſuo Catechiſmo cap. 6.) & falsò quidam dicunt: *Ego auctoritate Pontificis*, vel, *Epiſcopi te abſolvo*. Non enim auctoritate eorum remittunt peccata, ſed auctoritate Chriſti, qui dedit eis poteſtatem; quamquam verum ſit, Pontificem debere ſatagere, ut idoneos miniſtros habeat. Hæc ille.

Joan. Heſſelius.

Si tamen ſic abſolvens, nihil aliud vellet ſignificare illis verbis, quàm poteſtatem juriſdictionis, quam accepit à Pontifice, vel Epiſcopo, & neceſſaria eſt ad validam Abſolutionem, nihil falſi diceret, ſed ſolùm aliquid ſuperfluum; unde non videtur, quòd tunc illa verba vitiarent formam. Utì nec iſthæc: *De quibus contritus*, perfectè utique vel imperfectè, *& confeſſus es*; quia licèt etiam à non confeſſis pœnitens abſolvatur, attamen non niſi indirectè. Atque hæc ſatìs de formulis verborum.

Sequitur quæſtio non minùs intricata de ſenſu iſtorum verborum: *Ego te abſolvo* &c. cùm enim ſæpè proferantur, quando confitens vel propter indiſpoſitionem eſt incapax remiſſionis peccatorum, vel certè jam ſolutus eſt vinculis peccatorum per præcedentem Contritionem Charitate perfectam, aut Abſolutionem Sacramentalem: quæſtio gravis eſt, quomodo in his caſibus ſubſiſtat veritas illius formæ. Reſpondeo breviter:

Qu... ſici... ver... te a... &c

CONCLUSIO IV.

Ego te abſolvo &c. idem eſt quòd: Impendo tibi gratiam remiſſivam peccatorum, vel, Remitto tibi peccata tua.

NOn eſt quòd hìc diſputem cum Abulenſi, qui aliquando pro Concluſione poſuit, ùt ipſe refert 1. parte ſui defenſorii c. 1. *Licèt nullum peccatum cuiuſcunque conditionis, & pro quocunque ſtatu irremiſſibile ſit, à pœna tamen, aut à culpa Deus non abſolvit, nec aliquis abſolvere poteſt.* Nam hic Auctor per culpam intellexit privationem debitæ rectitudinis in actu, quæ per ſe ceſſat, ceſſante ſive tranſeunte actu poſitivo; ſicuti ergo nemo abſolvitur ab illo actu poſitivo, quia ille non manet, & nihil omnino eſt eo tempore, quo Deus per Contritionem dicitur nos abſolvere, vel Sacerdos abſolvit nos in Sacramento, ità neque à culpa, quæ eſt accidens ſuum privativum. Ità ſeipſum explicat cap. 5.

Pr... &... tui... Ab...

Et cap. 6. notat Scripturam ſacram nunquam uti iſto modo loquendi, ſcilicet quòd quis abſolvatur à culpa; utitur autem iſtis verbis circa peccatum, ſcilicet dimittere, & auferre, & remittere, & tollere, & delere, & relaxare, & donare.

Noi... tem... nun... dice... quis... vatu... pa...

Et ſi objiciatur, inquit, quod Matth. 16. dicitur: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*, ſeu, *in Cælo*. Dicendum, quòd non prædicatur ſolvere de peccato, ut aliquod peccatum dicatur ſolvi, ſed prædicatur de homine, ità ut homo dicatur ſolvi de pec-

§ Solv... ctio...

Digitized by Google

de peccato, vel de vinculo. Maximè quia illud quod ſolvitur, eſt quod ligatur vel ligari poteſt; & tamen peccatum non ligatur, ſed homo ligatur in peccato, vel per peccatum; ideo non eſt peccatum quod ſolvitur, ſed homo de peccato ſolvitur. Abſolvere autem quantum ad peccatum nunquam reperitur in ſacra Scriptura, ità quòd nec peccata abſolvuntur, nec aliquis ab eis. Hæc ille.

Sed amabo, quæ differentia inter abſolutionem à peccato, & ſolutionem de peccato? Si ergo homo ſolvitur de peccato, juxta illud Matth. 16. *Quodcumque ſolveris* &c. quomodo non etiam abſolvitur à peccato?

88. Deinde oſtendo, ipſam Scripturam ſacram aliquando uti iſto modo loquendi, videlicet, quòd peccatum dicat ſolvi; Iſa. 58. v. 6. *Diſſolve colligationes impietatis*. Et 52. v. 2. *Solve vincula colli tui* (id eſt peccata) *captiva filia Sion.* Unde Mater Eccleſia in Oratione S. Petri ad Vincula: *Deus qui beatum Petrum Apoſtolum à vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti; noſtrorum quæſumus abſolve vincula peccatorum* &c. Vincula, inquam, non phyſica, ſed moralia; de quibus Propheta Regius Pſalm. 118. v. 61. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Peccatorum, dico, habitualium, ſeu actualium moraliter permanentium, quibus homo ligatur coram Deo ad odium ipſius, aut ſaltem aliqualem indignationem, præter pœnam æternam, aut temporalem. Ab his vinculis abſolvit Sacerdos, quando dicit: *Ego te abſolvo* &c.

89. Utitur autem Eccleſia hoc verbo; *Abſolvo*, potiùs quàm, *Remitto*, quo uſus fuit Chriſtus Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata* &c. quia quælibet perſona, etiam privata, poteſt offenſam ſibi illatam remittere; ſolius autem judicis eſt abſolvere. Ut ergo denotetur actus judicialis, quem Sacerdos exercet, aptior eſt ea vox, *Abſolvo*.

Et ſi quæris à me, quare ergo Chriſtus non fuerit uſus illo verbo, *Abſolvo*, Joan. 20. ubi Apoſtolos conſtituebat judices. Reſpondeo; quia jam uſus fuerat illâ voce Matth. 16. ut autem oſtenderet, de qua ſolutione hoc foret intelligendum, utique non de ſolutione vinculi alicujus materialis ſeu phyſici, ſed ſpiritualis, Joan. 20. utitur verbo, *Remiſeritis*, quod propriiſſimè ſignificat ablationem alicujus obligationis ſeu vinculi ſpiritualis aut moralis, quale jam diximus eſſe peccatum.

90. Igitur, ut propiùs ad Concluſionem accedamus, Varii varios aſſignant ſenſus horum verborum: *Ego te abſolvo.* Aliqui: *Ego te declaro abſolutum.* Alii: *Ego te libero à reatu pœnæ æternæ.* Nonnulli: *Ego te libero à reatu pœnæ temporalis.* Inveniuntur etiam, qui ſic explicant: *Ego te libero ab obligatione confitendi.* Sed hos ſenſus ſufficienter rejecimus ac reprobavimus ſect. 1. concl. 4. ubi de effectu hujus Sacramenti.

Doctor Angelicus 3. parte q. 84. a. 3. ad 5. ſic ſcribit: *Dicendum, quòd iſta expoſitio*: Ego te abſolvo, *id eſt*, abſolutum oſtendo, *quantùm ad aliquid quidem vera eſt, non tamen eſt perfecta: Sacramenta enim novæ Legis non ſolum ſignificant, ſed etiam faciunt, quod ſignificant. Unde ſicut Sacerdos baptizando aliquem, oſtendit hominem interiùs ablutum per verba, & facta, & non ſolùm ſignificativè, ſed etiam effectivè; ità etiam cùm dicit*: Ego te abſolvo, *oſtendit hominem abſolutum non ſolùm ſignificativè, ſed etiam effectivè. Nec tamen loquitur quaſi de re incerta: quia ſicut alia Sacramenta novæ Legis habent de ſe, certum effectum ex virtute Paſſionis Chriſti (licèt poſſit impediri ex parte recipientis) ita etiam & in hoc Sacramento ..... Unde nec Sacerdos indiget ſpeciali revelatione ſibi factâ, ſed ſufficit generalis revelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Unde revelatio fidei dicitur Petro facta fuiſſe. Eſſet autem perfectior expoſitio*: Ego te abſolvo, *id eſt, Sacramentum Abſolutionis tibi impendo.* Hucuſque D. Thomas.

Verùm & hæc expoſitio prout ibi jacet, multis diſplicet; nam formæ aliorum Sacramentorum non ſignificant reflexè ſeipſas, ſed vel materiam, vel effectum, v. g. forma Baptiſmi: *Ego te baptizo* &c. non ſignificat, *Ego confero tibi Sacramentum Baptiſmi*; ſed, ùt clarum eſt, ſignificat ablutionem, ſeu applicationem aquæ ad corpus baptizandi, quæ eſt materia. Forma Ordinationis: *Accipe poteſtatem* &c. non ſignificat, *Ego confero tibi Sacramentum Ordinationis*; ſed, *Do tibi poteſtatem* &c. quæ poteſtas eſt ſpecialis effectus illius Sacramenti. Et ſic de cæteris. Ergo ſimiliter forma Sacramenti Pœnitentiæ non ſignificat collationem Sacramenti Pœnitentiæ; ſed vel materiam, vel ſpecialem aliquem effectum, quo diſtinguitur ab aliis Sacramentis, qui non videtur alius poſſe eſſe, quàm remiſſio ſeu relaxatio peccatorum. 91.

Perfectior ergo erit utraque expoſitio, quæ ponitur in Concluſione, nam utraque ſignificat ſpecialem effectum hujus Sacramenti, videlicet remiſſionem ſive relaxationem peccatorum. Nihilominus magna altercatio eſt inter Doctores, quæ ex iſtis duabus ſit præferenda. Prima eſt Suarii diſp. 19. ſect. 2. n. 19. quàm amplectitur Arriaga diſp. 49. n. 38. Dicendum, inquit, cenſeo cum Patre Suario, ſenſum horum verborum: *Ego te abſolvo*, eſſe, *Ego confero tibi gratiam ex ſe remiſſivam eius peccati, quod commiſiſti, ſi remiſſum autem non eſt, illud tibi remitto.* Per hanc enim explicationem clariſſimè ſalvatur, veritas eorum verborum. Colligitur etiam non poſſe dici, niſi reipsâ præceſſerit peccatum in eo homine; quia dico, *gratiam remiſſivam peccati, quod commiſiſti*, & illud tibi remitto, *ſi non fuit remiſſum*, quæ duo dici non poſſunt, quando nullum præceſſit peccatum. Hæc ille. 92.

Sententia Doct. Angelici.

91. quæ multis diſplicet, niſi commodè explicetur.

92. Expoſitio Suarii quam amplectitur Arriaga.

& quæ impugnatur à Lugone.

Sed contrà arguit Lugo diſp. 13 n. 71. Hæc verba: *Ego te abſolvo*, ex hominum inſtitutione non habent ſignificare gratiæ collationem; ſed remiſſionem debiti, & ſolutionem vinculi; ergo licèt in hoc Sacramento cauſent gratiam, ipſa tamen de ſe id non ſignificant.

93. *Prima reſponſio, ſufficere, quòd ly Abſolvo, ſignificet collationem gratiæ, ut ſubſtat inſtitutioni Chriſti,*

Reſpondeo; ſufficit quòd ſignificent gratiæ collationem, ut ſubſtant inſtitutioni Chriſti; ſic enim, & non aliter, ſunt forma hujus Sacramenti; neque hìc quæritur de ſignificatione iſtorum verborum, ùt ſunt verba humana, id eſt, ùt inſtituta ab hominibus, ſed ùt ſunt determinata à Chriſto, & elevata ad rationem Sacramenti, ſic enim, & non aliter, ſunt forma hujus Sacramenti.

Et quamvis Chriſtus, verba aliorum Sacramentorum reliquerit in ſua inſtitutione humana, ubì, & quando commodè poterat relinquere; equidem hìc non reliquiſſe, videtur ſatìs probari; quia difficulter intelliguntur vera in illa ſignificatione, quando peccata, à quibus pœnitens nunc abſolvitur, priùs fuerant remiſſa per Contritionem charitate perfectam, aut aliud Sacramentum Abſolutionis. Cùm ergo nulla fuerit neceſſitas relinquendi illa verba in ſua inſtitutione humana, nulla eſt ratio urgens, ut aſſeramus, Chriſtum id feciſſe, & non magìs voluiſſe, ut ſolùm verificarentur juxta ſignificationem ſacramentalem.

94. *Secunda reſponſio ex Arriaga, quòd etiam aliquando ſignificet gratiam juxta ſignificationem humanam.*

Reſpondet 2. Arriaga, ea verba ſignificare hìc & nunc gratiam juxta ſignificationem humanam. Nam homines dum dicunt: *Ego tibi parco*, planè ſignificant: *Ego te in gratiam recipio, utì antea eras*, ſeu, *Reſtituo te in ſtatum priſtinum.* Cùm ergo homines de facto apud Deum ante commiſſum peccatum in gratia fuerint, idem eſt dicere nomine Dei (utì loquitur ibi Sacerdos) *Ego tibi condono offenſam*, ac dicere, *Recipio te in ſtatum antiquum*, ſeu, *Ego te recipio in meam antiquam gratiam.*

Itaque illa verba: *Ego te abſolvo*, ſignificant remiſſionem ſecundùm ſubjectam materiam, & alias circumſtantias; adeòque etiam modum, quo ſolet talis remiſſio fieri; unde inter homines non ſignificant gratiam habitualem, ſed affectum ſeu amicitiam humanam; inter Deum autem & homines gratiam habitualem, cùm, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, Deus non aliter abſolvat ſeu remittat peccata ſive venialia, ſive mortalia, quàm infundendo gratiam habitualem, per quam peccator ex inimico fit amicus, & juſtus aſſumitur ad arctius vinculum amicitiæ.

95. *Probat exemplo formæ Euchariſticæ.*

Quòd autem hoc ſufficiat, probat Arriaga exemplo formæ Euchariſticæ: *Hoc eſt Corpus meum*: Si enim, inquit, Sacerdos, nihil prorſus præmittendo, unde determinet ſua verba ad Chriſtum loquentem, dicat ſupra debitam materiam, cum animo ſerio conſecrandi, *Hoc eſt Corpus meum*, conſecrabit validè in omnium omnino ſententia; & tamen tunc illa verba, ſi conſiderentur ſecundùm ſe, non ſignificant Corpus Chriſti, ſed potiùs corpus ipſius conſecrantis: nam *τò Meum* in ſua naturali ſignificatione, quando nihil aliud eſt præmiſſum, per quod determinatur ad ſignificandum pro alio, eſt vox reciproca ſupra ipſum loquentem; & tamen quia ille inducitur loquens nomine Chriſti, jam directa ſignificatio ejus vocis, *Meum*, non eſt ipſius loquentis, ſed Chriſti.

Dico ergo, cùm Sacerdos, dans Abſolutionem, inducatur eam dans nomine Chriſti ſeu Dei, licèt ea verba: *Ego te abſolvo*, ſi nudè conſiderarentur, nihil dicerent de gratia, abſolutè tamen hìc & nunc eam directè ſignificare: quia Deum dicere, *Ego te recipio in meam priorem gratiam* ſinè dubio eſt directè ſignificare gratiam habitualem, & deletionem præcedentium peccatorum. Hucuſque Arriaga.

Equidem diſparitas aliqua eſt, quòd ly *Meum*, directè ſignificet perſonam loquentem, cùm ergo Sacerdos loquatur in perſona Chriſti, non mirum quòd Chriſtum directè ſignificet; ly autem *Abſolvo*, vel, *Remitto*, videtur ſignificare directè & per ſe relaxationem peccati, abſtrahendo à modo; quo illa fit; per accidens autem & indirectè tantùm infuſionem gratiæ. Et quamvis Sacerdos abſolvat nomine Chriſti, ſeu ut gerens vicem Chriſti; non tamen, in perſona Chriſti, ſed in perſona propria; ſicuti judex delegatus in judiciis humanis abſolvit vel condemnat; non in perſona judicis ordinarii, licèt gerat ejus vices, ſed in propria perſona, auctoritate ab ipſo acceptâ.

Unde ly *Ego*, in forma Abſolutionis non ſignificat perſonam Chriſti, ſed perſonam Sacerdotis. *Ly* Ego (inquit Scotus 4. diſt. 21. q. 2. n. 5.) *ſtat hìc* (in forma Abſolutionis) *pro perſona miniſtri.* Et n. 7. *Sacerdos in Confeſſione nec audit, nec loquitur in perſona Dei, ſed in perſona propria, licèt auctoritate Dei, ùt ejus miniſter.*

Quidquid ergo ſit de directa ſignificatione, quare, dicet aliquis, non ſufficiat ſignificatio per accidens & indirecta? Enimverò ly *Baptizo*, quid aliud directè ſignificat, quàm ablutionem ſive abſterſionem ſordium? Quòd autem illa fiat aquâ, vel vino, per accidens eſt; ergo ly *Baptizo* in forma Baptiſmi, per accidens ſolùm ſignificat ablutionem in aqua naturali; quia per accidens eſt, quòd aquâ naturali fiat. Si illa ſignificatio ibi ſufficit, cur non ſimiliter indirecta ſignificatio gratiæ in Sacramento Pœnitentiæ?

Quia quamquam aliter fieri poſſet remiſſio, quàm per infuſionem gratiæ, ſicut aliter poſſet conferri Baptiſmus, quàm per ablutionem aquæ; equidem de facto à Deo ſic ordinatum eſt, ut remiſſio peccatorum non fiat, niſi per infuſionem gratiæ; ſicuti ordinatum eſt, ut Baptiſmus non fiat, niſi per ablutionem aquæ;

ſi tamen

Digitized by Google

ſi tamen ordinatus fuiſſet Baptiſmus, ut fieret per ablutionem vini, etiam tunc vera fuiſſet illa forma: *Ego te baptizo* &c. uti & vera foret forma ordinaria Abſolutionis, ſi Deus ordinaſſet remittere peccata abſque infuſione gratiæ, per meram extrinſecam condonationem.

98. Planè, inquis, foret vera, & ideo non ſubſiſtit ille ſenſus: *Impendo tibi gratiam remiſſivam*; licèt enim ly *Abſolvo*, ſignificet indirectè & per accidens infuſionem gratiæ, per quam remittuntur peccata; tamen nemo negare poteſt, quin directè & per ſe ſignificet ipſam remiſſionem peccatorum ſecundùm ſe; abſtrahendo à modo, quo peccata remittuntur. Sicuti nemo negare poteſt ly *Baptizo*; tametſi in forma Baptiſmi indirectè & per accidens ſignificet ablutionem in aqua, per ſe tamen & directè ſignificare ablutionem ſecundùm ſe.

Proinde veluti defectus ablutionis falſificat formam Baptiſmi, ità defectus remiſſionis falſificabit formam Abſolutionis, eſtò conferatur gratia remiſſiva, quia illa non ſignificatur, niſi in quantum neceſſaria ad remiſſionem peccati; ſi ergo remiſſio peccati non ſignificatur, neque illa gratiâ ſignificabitur ſecundùm inſtitutionem humanam. Iam autem fieri poteſt, ut nullum adſit peccatum remittendum; quia videlicet omnia antecedenter remiſſa ſunt; vel ſi adſit, per abſolutam Dei potentiam fieri poteſt, ut gratia, quæ infunditur, illud non remittat.

99. Accedit; quòd forma Baptiſmi habeat hunc ſenſum Sacramentalem: *Confero tibi gratiam remiſſivam peccati*; eundemque ſenſum haberet pariter alia forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſi Chriſtus illam inſtituiſſet, v. g. hæc: *Ampliùs noli peccare.* Quin immo, cùm omnia Sacramenta dent gratiam habitualem, quæ eſt remiſſiva peccati, nondum explicatur propria ſignificatio eorum verborum: *Ego te abſolvo*, prout pertinent ad formam Sacramenti Pœnitentiæ.

100. Reſpondetur ad ultimum; per alia Sacramenta non concedi gratiam eo fine, ut remittantur peccata, ſed ſupponi jam remiſſa, & potiùs dici: *Augeo tibi gratiam*, vel ſi etiam illo fine concedatur; ſaltem non principaliter, ut remittantur peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quod proprium eſt formæ Abſolutionis.

Quantum ad illam formam: *Ampliùs noli peccare*, & ſimiles, quas Chriſtus potuiſſet inſtituere, eſtò haberent eundem ſenſum Sacramentalem, quid tum? Et verò ſi Chriſtus potuit hanc formam inſtituere, *Ampliùs noli peccare*, & per illam remittere peccata, tametſi non ſignificet remiſſionem peccatorum humano modo, quid ni potuerit inſtituere formam ordinariam, *Abſolvo te*, ut ſenſus ſit, *Do tibi gratiam, per quam hæc peccata, de quibus te accuſas, ſi non ſunt remiſſa, remittuntur?*

Atque in hoc ſenſu Arriaga ſuprà n. 40. intelligit D. Thomam, dum ait, ea verba ſignificare idem quod, *Sacramentum Abſolutionis tibi impendo* hoc eſt, *Tibi do gratiam eo animo, ut ab his peccatis abſolvaris*: etenim cùm omnia noſtra Sacramenta ſint collativa gratiæ, D. Thomas per τὸ *Sacramentum*, quod ponit loco generis, idem intelligit quod, *Concedo tibi id, quod omnia Sacramenta concedunt*, id eſt, gratiam; per τὸ verò *Abſolutionis*, quæ eſt differentia, intelligit S. Doctor gratiam; ut abſolvaris ab his peccatis, quæ commiſiſti, intellectâ tamen conditione, Si adhuc non ſunt remiſſa. Hæc ille. — Explicatur mens S. Thomæ. Arriaga.

Itaque (quidquid ſit de mente D. Thomæ) ſatis probabiliter à Suario & aliis multis, qui ipſum ſequuntur, forma ordinaria, *Abſolvo te*, ſic exponitur: *Impendo tibi gratiam remiſſivam peccati quod commiſiſti, & remitto illud tibi, ſi nondum remiſſum eſt.* — 101. Expoſitio Suarii eſt ſatis probabilis.

Atque pro hac expoſitione allegari poſſet Scotus 4. diſt. 19. n. 31. ibi: *Hoc videmus in ſententiis definitivis in foro litigioſo, quibus abſolvuntur accuſati, quando inveniuntur innocentes; nec poſtea replicatur inquiſitio, ut ſit proceſſus in eadem cauſa, nec ſi replicaretur, per illam ſecundam ſententiam iſte abſolveretur, ſed per primam; qui enim ſolutus eſt, ampliùs non abſolvitur; quia nullus ſolvitur niſi ligatus.* — pro qua alligari poſſet Scotus,

Ubi videtur reprobare ſecundam expoſitionem, in Concluſione propoſitam, videlicet: *Remitto tibi peccata tua*; fieri quippe poteſt, ut nulla peccata remittantur per formam Abſolutionis, vel quia ſubjectum eſt indiſpoſitum defectu doloris v. g. vel quia per Contritionem Charitate perfectam, aut virtute Clavium omnia peccata, de quibus pœnitens hìc & nunc ſe accuſat, antecedenter ſunt remiſſa; quod autem remiſſum eſt ampliùs non remittitur; ſicuti qui ſolutus eſt, ampliùs non abſolvitur; quia nullus ſolvitur niſi ligatus. Loquitur Doctor de ſolutione à reatu pœnæ temporalis; videtur autem eadem ratio de reatu culpæ. — qui videtur reprobare ſecundam expoſitionem in Concluſ. propoſitam.

Sed hæc non cogunt recedere ab illa expoſitione; nam quantùm ad primum caſum, nullum inconveniens eſt, quòd verba non ſint vera, quando alioquin Sacramentum eſt invalidum; ſicuti in noſtra ſententia eſt, quando ob indiſpoſitionem Pœnitentis non confert gratiam ſanctificantem; non enim admitto Sacramentum validum & informe, de quo proprio loco. — 102. Defenditur 2. expoſitio, Remitto tibi peccata tua. Non eſt inconveniens, quòd forma ſit falſa quando pœnitens eſt indiſpoſitus,

Neque illud inconveniens, ſi aliquod eſſet, magìs adverſaretur ſecundæ expoſitioni, quàm primæ, ùt nimis manifeſtum eſt. Quòd autem non ſit inconveniens, patet in Sacramento Ordinis, dum Epiſcopus ordinat aliquem incapacem, tunc enim verba illa: *Accipe poteſtatem* &c. falſa ſunt, cùm nullam poteſtatem ordinatus accipiat.

Si

Digitized by Google

103. Exiſtimat Lugo formam eſſe veram in Sacramento valido, ſed informi.

Si verò inquit Lugo diſp. 13. n. 72. Sacramentum Pœnitentiæ cum ſententia probabili admittatur, aliquando eſſe validum, ſed informe, hoc eſt, non cauſans actu gratiam ex defectu diſpoſitionis ſufficientis, tunc verba erunt vera, ſicut ſunt vera verba Epiſcopi ordinantis eum, qui eſt in peccato. Dicit enim: *Accipe Spiritum ſanctum* &c. quæ verba ſunt vera, quia faciunt hunc ſenſum: *Quantum eſt ex me, do tibi Spiritum ſanctum*; ſic in præſenti verba ſunt vera, quia ſignificant: *Quantum eſt ex me, remitto tibi peccata*, cum quo ſtat, non poni remiſſionem, quamdiu non aufertur obex per debitam diſpoſitionem, quia verba hæc in ore Sacerdotis, qui non eſt dominus abſolutus, ſed miniſter cum poteſtate limitata, non habent ſenſum omnino abſolutum, ſed limitatum, ſcilicet, ſi adſint requiſita. Sicut Judex quando declarat aliquem eſſe innocentem vel delinquentem, verba illa non faciunt ſenſum omnino abſolutum, ſed limitatum, ſcilicet, ſecundùm allegata & probata. Hactenus Cardinalis.

104. Sed aliquibus id non placet.

Sed Aliquibus non placet; quia ſic etiam vera eſſet forma Abſolutionis, quando Sacramentum adminiſtratur invalidè defectu omnis omnino doloris; nam quantum eſt ex parte miniſtri remittitur peccatum, ſi adſint requiſita. Similiter vera foret hæc forma Ordinis: *Accipe poteſtatem* &c. tametſi nulla omnino daretur poteſtas propter incapacitatem ſubjecti; quia videlicet Epiſcopus, quantum eſt ex parte ſua, dat illam poteſtatem, ſi adſint requiſita.

Quantum ad illam formam: *Accipe Spiritum ſanctum*, Arriaga ſuprà n. 41. putat ſenſum illius non eſſe, *Accipe Spiritum ſanctum per gratiam habitualem*; ſed, *Accipe virtutem Spiritûs ſancti in ordine ad remittenda peccata*; hanc autem virtutem omnino recipit, qui validè ordinatur in malo ſtatu.

105. Proponitur difficultas contra 2. expoſitionem.

Utcumque ſit de hac controverſia, quæ minoris eſt momenti, major difficultas eſt, & valde laborat Cardinalis ut oſtendat, quomodo verificetur forma ſecundùm prædictum ſenſum, quando omnia peccata, de quibus ſe hìc & nunc accuſat pœnitens, antecedenter ſunt remiſſa: nam peccatum jam dimiſſum non magìs nunc ligat, ac ſi nunquam fuiſſet; ergo ſi nullus verè abſolvitur à peccatis non commiſſis, neque à peccatis ſemel dimiſſis verè poterit abſolvi.

Veluti de illo, qui jam ſolutus eſt à vinculis corporeis, non magìs verè dicitur: *Ego te ſolvo à vinculis corporeis*, quàm de illo, qui nunquam fuit adſtrictus vinculis corporeis, juxta illud Scoti ſuprà: *Qui ſolutus eſt, ampliùs non abſolvitur, quia nullus ſolvitur niſi ligatus.*

106. Satisfit difficultati propoſitæ.

Quod ad Scotum attinet, mentem ipſius, quæ ſatis dubia eſt, expoſuimus & explanavimus pro poſſe noſtro ſect. 2. concl. 2. vide ibi dicta.

Quantum ad rem ipſam: non mentitur, qui poſt dimiſſum ſemel debitum vel offenſam, iterum rogatus, dicit, ſe dimittere. Nam ſicut, qui ſemel ſe obligavit alicui ad aliquid præſtandum, poteſt iterum ſe ei obligare ad idem, & qui ſemel vovit, vovet iterum & iterum, & promittit ſæpiùs idem objectum, ſic qui remiſit debitum, poteſt iterum idem remittere; nam remittere in rigore eſt, obligare ſe per ceſſionem juris, ad non utendum jure acquiſito ratione offenſæ, in ordine ad talem vel talem effectum; quare ſicut poſſumus per obligationem repetitam dare idem jus, ſeu jus ad idem alicui, ita per remiſſionem repetitam, poſſumus renunciare eidem juri in favorem alicujus.

Qui ſe[mel] remiſi[t de]bitum [po]teſt it[erum] illud [remit]tere ſi[ne] menda[cio].

Sic per Profeſſionem Religioſam renunciamus ſæculo, divitiis &c. & tamen repetentes Profeſſionem vel vota Religioſa, repetimus abſque mendacio eandem renunciationem, id eſt, iteratò declaramus efficacem voluntatem noſtram, transferendi à nobis illud jus, quod ante Profeſſionem habebamus ad utendum ſæculo, divitiis &c.

107 Profeſſ[io] Religi[oſa] poteſt [itera]ri.

Ergo ſimiliter Sacerdos gerens vicem Dei, nomine ipſius, poſt ſemel declaratam efficacem voluntatem non utendi jure, quod ei competebat ratione offenſæ præteritæ, poteſt iteratò declarare eandem voluntatem verè & validè, ita ut ſi per impoſſibile prior voluntas irritaretur, adhuc maneret ſufficiens titulus, ratione cujus Deus non poſſet uti jure ſuo, quod aliquando habuit.

Et quidem hunc ſolùm eſſe ſenſum illius verbi, *Remitto*, conſtat ex uſu omnium hominum, qui eandem offenſam ſolent ſæpiùs remittere, nec tamen putant ſe mentiri, quando ſecundâ vice remittunt. Ita paucis immutatis Lugo ſuprà n. 73.

Ex quo patet reſponſio ad ſimile de vinculis corporeis; nam hæc propoſitio: *Ego ſolvo te à vinculis corporeis*, pro immediato objecto habet ipſam ſolutionem vinculi corporei, quæ indubiè repeti non poteſt, niſi repetatur ipſum vinculum corporeum. Porrò hæc Propoſitio: *Remitto tibi peccata tua*, non habet pro objecto immediato ablationem externam alicujus vinculi; ſed ſignificat actum meæ voluntatis, quo ego interiùs cedo jure priùs acquiſito ex offenſa, & obligo me ad non utendum illo jure ad id, ad quod aliquando potui eo uti.

108 Reſpo[nſio] ad ſim[ile de] vinculi[s] corpor[eis].

Dico; *Iure priùs acquiſito*; quia ſi nunquam fuit aliquod jus acquiſitum, deficiente utique objecto, neceſſariò deficit actus, id eſt, ceſſio ſeu remiſſio juris; ac proinde falsò & invalidè dicuntur illa verba, *Remitto tibi peccata tua*, de peccatis nunquam commiſſis.

Sed quid ad hæc Adverſarii? Bene capimus, inquit Arriaga ſuprà n. 34. eum qui ligatus eſt, poſſe 2. & 3. ligari, id quod probant inſtantiæ allatæ de voto repetito, de renovatione 109. Contra[]guit Ar[ria]ga.

Digitized by Google

tione Profeſſionis Religioſæ &c. at eum qui caret omni vinculo, ſolvi tamen à vinculo, eſt penitus imperceptibile, ſive id ſit intelligendum de vinculo corporali, ſive de ſpirituali; quia pro hoc puncto reverà ea differentia eſt planè materialis, cùm Abſolutio omnis in ſuo genere requirat vinculum; ſicut autem ſe habet Abſolutio materialis ad vinculum materiale, ita Abſolutio ſpiritualis ſe habet ad vinculum ſpirituale.

Intelligitur præterea optimè, eum qui eſt indutus, poſſe adhuc novas veſtes accipere, & ſecundò tertiòque indui, at eum qui omni omnino veſte caret, poſſe ſpoliari veſtibus, & poſſe ei auferri veſtes, eſt prorſus in intelligibile, ergo ab illo, qui caret peccato, non minùs, quàm ſi nunquam peccaſſet, nemo poteſt auferre peccata.

Ergo cùm ea verba, *Condono peccata*; *Abſolvo te à peccatis*, idem omnino ſint ac, *Auſero à te tua peccata*; *Deſtruo tua peccata*; *Libero te à tuis peccatis*; *Deleo tua peccata*, ſit autem tunc falſiſſimum, *Auſero à te peccata*, quia quod non eſt, non poteſt auferri; ſit etiam falſum, *Deſtruo tua peccata*, quia quod non eſt, non deſtruitur; ſit falſum; *Libero te à peccatis tuis*; quia nemo poteſt extrahi è carcere, ubì carcer eſt nullus; ſit etiam falſum; *Deleo tua peccata*, quia ex pagina albiſſima, ubì nihil eſt ſcriptum, deleri nihil poteſt; etiamſi anteà fuiſſet tota nigra, ego ſanè non capio, quomodo ea verba vera eſſe poſſint tunc ullo modo. Hùcuſque Arriaga. Et nondum ſtatim finis.

110. Reſpondetur, non ſemper valere argumentum à phyſicis ad moralia.

Sed lubet obſtare principio. Reſpondeo ergo unico verbo; non ſemper valere argumentum à phyſicis ad moralia, ùt ex ſexcentis exemplis, ſi opus eſſet, poſſemus demonſtrare, ſufficiat unicum de quo modò tractatur. Quæro enim abs te, hoc argumentum valet: Nullus corporaliter ligatur, niſi per actionem aliquam externam; neque ſolvitur à vinculis corporalibus, niſi per actionem aliquam externam; ergo nullus ligatur ſpiritualiter, aut ſolvitur ſpiritualiter, niſi per actionem aliquam externam? Clarum eſt, quòd peccatum internum liget ſpiritualiter, & Contritio merè interna ſolvat ſpiritualiter. Si in hoc eſt differentia inter vinculum corporale & ſpirituale, inter ſolutionem vinculi corporalis & ſpiritualis, cur non etiam in eo, quòd ſæpiùs poſſit ſolvi idem vinculum ſpirituale, idem autem vinculum corporale non niſi ſemel?

Peccata ſemel remiſſa per Contritionem, poſſunt eſſe objectum novæ Contritionis.

Nonne peccata ſemel remiſſa per Contritionem, poſſunt eſſe objectum novæ Contritionis, eodem planè modo, ac ſi antea non fuiſſent remiſſa? Ad hoc enim nihil aliud requiritur, quàm ut peccatum repræſentetur, quaſi de novo iteraretur, & quaſi nondum foret remiſſum, id eſt, ut repræſentetur peccatum ſecundùm ſe, ſicut aliquando fuit, id eſt, ut à me commiſſum, præſcindendo ab ejus remiſſione. Si ita conſideratum poteſt eſſe objectum novæ Contritionis, cur non etiam novæ Abſolutionis & remiſſionis? Quid ſimile reperitur in vinculis corporeis, & eorum ſolutione?

Neque hujuſmodi repræſentatio peccati eſt chymerica, ſicuti foret repræſentatio peccati nunquam commiſſi; repræſentatur enim id, quod verè à parte rei aliquando fuit, & ſicuti fuit, quamvis non ſicuti de facto eſt, ſed præſcindendo, ſicut dixi, à remiſſione præterita; peccatum autem nunquam commiſſum, ut eſſet materia hujus Sacramenti, repræſentari deberet ut commiſſum, quod liquet planè eſſe chymericum. 111.

111. Diſcrimen inter peccatum ſemel remiſſum, & nunquam cōmiſſum.

Sicuti ergo nemo iteratò conteritur de peccato ùt antea remiſſo, cùm remiſſio non ſit objectum diſplicens, ſed maximè placens; ſic etiam non abſolvitur iteratò à peccato ùt priùs commiſſo; ſed à peccato, quod priùs commiſſum fuit, & quod ùt tale proponitur abſolvendum, quod perſpicuè manifeſtum eſt non habere locum in peccato, nunquam antea commiſſo. Unde Abſolutio à peccato non commiſſo liquet; quòd ſit falſa, cùm careat ſuo objecto; ſecùs Abſolutio à peccato commiſſo, ſed remiſſo, cùm, ſecundùm omnes, peccatum remiſſum ſit vera materia & objectum Abſolutionis.

112. Secunda objectio Arriagæ. qui nullum habet jus, non poteſt cedere jure ſuo.

Ex his facilis eſt reſponſio ad id, quod ſecundo loco objicit Arriaga ſuprà: Qui, inquit ille, penitus nullum habet jus, non poteſt cedere juri, ùt ex terminis patet, ergo licèt poſſit dicere: *Ego me obligo ad non utendum iure antiquo*, non poteſt dicere: *Ego me nunc ad id obligo cedendo ſimul iure*. Confirmatur: Si mihi Petrus debuiſſet mille, poſtquam tamen ſolvit, non poſſum verè dicere illi: *Ego tibi remitto debitum*, licèt poſſim dicere: *Ego me obligo ad non petendum à te quidquam ratione debiti antiqui*.

Deinde poſtquam peccatum ex integro deletum eſt, Deo eſt omnino impoſſibilis repetitio juris; ſeu uſus juris antiqui in ordine ad odium, quomodo ergo poſſumus concipere, Deum ſe nunc obligare ad non faciendum id, quod eſt ipſi planè implicatorium? Poteſtne Deus nunc dicere: *Ego me obligo de novo, & cedo meo iure ad non peccandum? Obligo me, quòd non velim deſinere eſſe Deus*, aut, *quòd non velim meipſum annihilare*, aut, *producere chymeram*? Hæc ille.

113. Solvitur.

Interrogo & ego unum verbum. Potuitne Deus aliquando dicere: *Obligo me, quod non velim deſinere eſſe Deus* &c. Deinde potuitne Deus aliquando dicere: *Obligo me, quòd non velim uti iure meo, quod habeo ad odium propter peccatum præteritum?* Quia ergo aliquando hoc potuit dicere, ideo & nunc poteſt dicere, quando proponitur ipſi peccatum præteritum, præſcindendo à remiſſione ejus, quia ut ſic proponitur ipſi jus, quod aliquando verè habuit ad odium, nunquam autem habuit aliquod jus ad peccandum, vel ad ſui annihilationem,

Digitized by Google

aut productionem chymeræ, & ideo nunquam verè potuit dicere, & per conſequens, nec jam poteſt dicere: *Obligo me, quòd non velim peccare, quòd non velim meipſum annihilare, aut producere chymeram*; ſecùs, *quòd non velim uti iure, quod aliquando habui ad odium, & nunc mihi proponitur, ac ſi de facto adhuc haberem.*

Et idem dico de illo homine, cui debitum ſolutum proponeretur præſcindendo à ſolutione, & à quo rogaretur remiſſio illius, ùt patet ex communi apprehenſione & judicio omnium hominum, qui non putant ſe mentiri, tametſi ità interrogati, reſpondeant: *Ego remitto tibi debitum tuum.* Non eſt autem dubitandum, quin Chriſtus verba Abſolutionis accommodarit communi captui hominum, quantum commodè fieri potuit.

Omitto tertium argumentum Arriagæ, quod eſt de peccato nunquam commiſſo; utì etiam quartum de vinculis phyſicis; quia jam ſufficienter ſoluta ſunt, aut facilè ſolvi poſſunt ex dictis.

114. *Ultimum argumentum Arriagæ, nemo poteſt rem donatam ſecundò donare.*

Ultimò argumentatur; quia nemo poteſt rem, quam alteri vendidit, aut donavit, donare ſecundò; ergo nec poteſt condonare injuriam condonatam ante; quia condonatio eſt quædam ſpecies donationis. Et hinc obiter obſervo, inquit ille, non ſufficienter explicati ab hoc Auctore (intelligit Lugonem) cur non poſſit Matrimonium cum eadem ſecundò, & tertiò contrahi; quòd enim dicat, illud non conſtitui per promiſſionem quamcumque, ſed per illam, quæ eſt traditio & introductio conjugis in poſſeſſionem, non videtur omnino verum; etenim ad Matrimonium non requiritur phyſica ulla introductio aut traditio, diſtincta ab ea, quæ conſiſtit formaliter in donatione ipſa, ſeu in voluntate, quâ invicem ſe obligant (ùt clarè patet in Matrimonio contracto per Procuratorem) ergo ſi hæc obligatio ſeu donatio poteſt ſecundò & tertiò fieri, poterit etiam ſecundò & tertiò contrahi Matrimonium.

Debet ergo conſequenter dici, utì nemo donare poteſt id, quod non eſt ſuum, ità poſt ſemel donatum jus in corpus, non poſſe ſecundò donare, & inde oriri repugnantiam, ne ſecundò contrahatur Matrimonium; ergo (ut ad materiam noſtram redeamus) non poterit eſſe condonatio ejus juris, quod jam non eſt Dei; ac proinde nec poterit eſſe vera & propria condonatio peccati jam remiſſi. Hactenus Arriaga.

115. *Reſpondetur, remiſſionem peccatorum non eſſe ſpeciem donationis.*

Reſpondeo, condonationem ſeu remiſſionem peccatorum non eſſe ſpeciem donationis, ſed potiùs ſpeciem promiſſionis. Nam donatio eſt contractus, qui perficitur traditione, id eſt, qui non cenſetur celebratus, niſi re traditâ; adeòque niſi re acceptatâ: jam autem conſtat, remiſſionem peccatorum fieri poſſe, non ſolùm non acceptante, ſed etiam parte renuente. Neque per remiſſionem peccatorum transfertur dominium alicujus rei in alterum; ſed remittens ſolùm obligat ſe, ad non utendum jure ad odium, quod per peccatum accepit, reſtituens peccatorem in priſtinum ſtatum, in quo erat ante peccatum, nolens ampliùs uti jure ſuo.

Diſpar... inter r... ſionem ... catorum contra... Matrim... nii.

Ex quo patet diverſitas inter remiſſionem peccatorum, & contractum Matrimonii, qui communiter definitur: *Conſenſus reciprocus maris & fæminæ, ſigno externo expreſſus, quo ius perpetuum tradunt in mutua corpora ad uſum conjugalem.* Jam autem poſito primo Matrimonio, vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier; & mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir, atteſtante Apoſtolo 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Ergo vir non poteſt ſecundò aut tertiò tradere illam poteſtatem: ſimiliter nec mulier; quia non traditur, quod non habetur. *1. Co...*

Illa ergo renovatio fidei ſemel datæ, ſolùm eſt promiſſio ſervandæ fidei. Sicut quando aliquis Religioſus renovat vota profeſſionis, non dicitur rurſum profiteri, quia profeſſio ſignificat traditionem ſui in jus Ordinis; ſed ad ſummum illa renovatio habet rationem ſimplicis voti, vel promiſſionis reſpectu Dei, vel etiam reſpectu Ordinis, ſi fiat Prælato. Cui hæc diſparitas diſplicet, quærat meliorem.

116 *Poteſt ... mitti o... ſa alteri ... hil min... cogitan...*

Mihi certum eſt poſſe quempiam alteri remittere offenſam, etiam cum effectu, ipſo, cui remittitur, nihil minùs cogitante; ùt patet, quando pœnitentes, interrogati à Confeſſario, an remittant ex corde iis, à quibus paſſi ſunt aliquam injuriam, reſpondent ſe remittere, & deſuper abſolvuntur à peccatis ſuis, à quibus alioquin non abſolverentur; quis autem, niſi cæcus, non videat, talem remiſſionem potiùs eſſe promiſſionem non ſumendi vindictam, quàm veram aliquam donationem?

Atque hæc ſufficiant de ſenſu horum verborum: *Ego te abſolvo*, qui duplex eſt, unus quaſi grammaticalis, alter ſacramentalis; elige quem malueris, & non errabis in fide, aut bonis moribus; eandemque recipies gratiam Spiritûs ſancti: novam utique cum novo Sacramento, etſi de eiſdem peccatis.

Pluris intereſt, an eligantur pro forma hujus Sacramenti verba propriè dicta ſeu formalia, an verò alia ſigna æquivalentia; agitur enim de valore Sacramenti, qui non dependet à judicio humano, ſed à ſola voluntate Dei. Quæris autem à me, quæ in præſenti controverſia ſit voluntas Dei? Reſpondeo & erit

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO V.

Abſolutio ſacramentalis omnino neceſſariò debet ore proferri. Invalidè ad abſentem dirigitur.

117. Ratio à priori hujus Concl. voluntas Chriſti, quæ colligitur ex Traditione, cujus teſtes ſunt Florent. &c.

RAtio à priori voluntas Chriſti, quam colligimus ex Traditione & perpetua Eccleſiæ conſuetudine. Hujus Traditionis teſtes ſunt Concilium Florent. in Decreto Eugenii, & Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 3.

Concil. Florent. primò generaliter dicit: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ* &c. Cùm autem rarò ſit regula tam generalis, quin patiatur aliquam exceptionem, clariſſimis verbis excipit Sacramentum Matrimonii, dicens: *Cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus.* Addit, *Regulariter*; quia in hoc Sacramento ſufficiunt alia ſigna æquipollentia, de quibus proprio loco.

Igitur per verba intelligit Concilium verba propriè dicta, alioquin fruſtrà, immo vitioſè addidiſſet illam particulam, *Regulariter*, cùm Matrimonium non tantùm regulariter, ſed ſemper perficiatur per verba propria, vel ſigna æquivalentia. Jam autem exceptio, ut communiter dicitur, firmat regulam in contrarium.

Herculè Sacramentum Pœnitentiæ perfici debere verbis propriè dictis, non potuit clariùs hoc Concilium exprimere, quàm expreſſit tradens in ſpeciali formam hujus Sacramenti: ſic enim ait: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Abſolutionis.* Et ne dubitares ipſum loqui de verbis formalibus, continuò adjunxit: *Quæ Sacerdos profert cùm dicit: Ego te abſolvo &c.* Quid clariùs? Nam *proferre*, & *dicere* manifeſtè ſignificant oris prolationem.

118. Tridentinum. Licèt porrò Concil. Trid. non tam apertè loquatur, ſed ſolùm dicat: *Sacramenti Pœnitentiæ formam ..... in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo* &c. equidem nulla ſubeſt ratio, ipſum intelligendi impropriè.

Moguntinum. Accedat Concilium Moguntinum ſub Archiepiſcopo Sebaſtiano anno 1549. celebratum, in quo cap. 24. ſic habetur: *Sacerdotes verò qui Confeſſionibus audiendis dant operam, Abſolutionis formam non intricent pluribus membris aut conditionibus appoſitis, ſed planis & ſimplicibus verbis depromant: Ego abſolvo te &c.* Quis autem depromit verba, niſi qui ore pronunciat?

119. Cur Chriſtus potiùs ad hoc Sa- Cæterùm cur Chriſtus potiùs requiſiverit ad eſſentiam hujus Sacramenti (uti & aliorum) verba propriè dicta, quàm ad Sacramentum Matrimonii, penes ipſum eſt. Potuiſſet indubiè Chriſtus ad valorem contractûs matrimonialis requirere verba propriè dicta, ſi non ipſorum contrahentium, ne muti excluderentur ab illo ſtatu, ad quem ex conditione naturæ ordinati erant, ſaltem ipſius Parochi, aut alterius aſſiſtentis, v. g. hæc verba: *Ego vos conjungo* &c. quare autem non fecerit, Quis Conſiliarius ejus fuit? — mentum, quàm ad Matrimonium requiſierit verba propriè dicta.

Potuit etiam pro Sacramento Pœnitentiæ non requirere neceſſariò & eſſentialiter verba propriè dicta, ſed ſicut elevavit contractum Matrimonii prorſus invariatum ad dignitatem Sacramenti, ſic pariter elevare judicium humanum, in quo rei abſolvuntur à delictis impoſitâ pœnitentiâ, etiam ſcripto, nutu, aut aliis ſignis æquivalentibus abſque verbis propriè dictis; elevare, inquam, potuit ad rationem Sacramenti Abſolutionis peccatorum coram Deo, additis non nullis circumſtantiis: quamobrem non fecerit, ipſe novit, qui requiſivit verba propriè dicta.

Sanè quemadmodum Doctor Subtilis 4. diſt. 14. q. 4. n. 4. colligit, in hoc Sacramento non eſſe neceſſe ita præciſa verba, ſicut in Baptiſmo vel Euchariſtia, ex eo tantùm, quòd in judicio publico non oporteat eſſe limitata verba; cur ego ſimiliter non poſſem colligere, in hoc Sacramento non eſſe neceſſe verba propriè dicta, ſicut in Baptiſmo vel Euchariſtia, ex eo quòd in judicio publico non oporteat eſſe verba propriè dicta? Nullam video differentiam, niſi voluntatem divinam, de qua conſtat in uno caſu, & non in alio.

Hoc certum eſt, non in omnibus valere argumentum ab uno judicio ad aliud nam in judicio ſacramentali idem eſt accuſator, & reus; quia eſt judicium voluntarium. Item creditur ſoli reo pro ſe, & contra ſe; quia eſt judicium inſtitutum in favorem & medicinam ejuſdem rei. Quæ conditiones omnino non ſervantur in judicio humano. Et è contra, in judiciis humanis ſæpè requiritur certa aliqua ſolemnitas, v. g. quòd accuſatio vel ſententia ſcripto fiat, ſine qua ſolemnitate ſententia eſt invalida, quæ tamen non requiritur in judicio ſacramentali. — 120. Non valet in omnibus argumentum à judicio ſacramentali ad judicium humanum, & vice versa.

Potuit ergo Chriſtus in judicio ſacramentali requiſiviſſe hanc conditionem, v. g. ut ſententia proferretur verbis propriè dictis, tametſi in aliis judiciis non ſit neceſſariò adhibenda. Quòd autem factum ſit quod fieri potuit; ſicut dixi, efficaciſſimè probatur ex Traditione, & perpetua conſuetudine Eccleſiæ.

Alioquin expreſſa definitio non invenitur, &, ut ait Suarez diſp. 19. ſect. 1. n. 2. Nonnulli Doctores ſentire videntur, verba propriè dicta non eſſe de eſſentia hujus formæ; ſed ſufficere aliud ſignum, quo intentio Sacerdotis de abſolvendo pœnitente ſufficienter exprimatur. Ita ſentiunt Paludanus diſt. 17. q. 2. — Quòd Chriſtus requiſierit verba propriè dicta in hoc Sacramento non invenitur expreſsè definitum. Suarez. Paludanus.

Digitized by Google

Medina. Pet. Soto. Navarrus. a. 1. n. 7. Medina Cod. de Confeſſ. q. de modo confitendi. Pet. Soto Lect. 11. de Confeſſ. Navar. in Sum. c. 21. n. 36. & in cap. *Quem pœnitet*, de Pœnit. diſt. 1. n. 4. quatenus aiunt, in aliquo caſu valere formam ſcripto miſſam, quamvis expreſſè non negent, eſſe neceſſarium, formam verbo proferre. Hęc Suarius.

121. *Probatur 2. pars Concluſionis.* Et ecce pervenimus ad ſecundam partem Concluſionis, quæ videtur ſequi ex prima. Siquidem verbis propriè dictis non utimur, niſi ad præſentem, cùm abſens nullo modo poſſit illa intelligere.

Objectio. Sed dicet aliquis; verba Abſolutionis non adhibentur, ut ſuſcipiens Sacramentum illa percipiat (poteſt enim miniſtrari ſurdo, amenti &c. immo de facto miniſtratur in lingua, pleriſque pœnitentibus ignotâ) ſed magis ut Deus cognoſcat noſtram intentionem: ipſe autem ubique præſens eſt, & ubique eam cognoſcit.

Solvitur. Reſpondeo; etiam cognoſcit noſtram intentionem tametſi non exprimatur verbis propriè dictis, immo merè internam, & tamen requiruntur verba propriè dicta. Quare? Quia Deus ſic voluit. Interim ex ipſis verbis patet, quòd ſaltem minùs principaliter dirigantur ad ipſum pœnitentem, *Ego*, inquit Sacerdos, *te abſolvo*; ergo alloquitur pœnitentem, & non Deum, ſicuti ſi Deus ipſe diceret: *Ego te abſolvo*, non dubium quin verba illa dirigerentur ad ipſum pœnitentem, eſtò pœnitens ea non intelligeret.

122. *An valeret hæc forma: Abſolvo illum.* Alioquin cur perſona pœnitentis exprimi deberet per ly *Te*, aut particulam æquivalentem? Et quare non ſufficeret dicere: *Abſolvo illum*? Putas quòd valeret hæc forma Conſecrationis: *Illud eſt Corpus meum*? Noli putare, ſi non vis errare. Et certè non ob aliam cauſam eſt invalida, niſi quia ly *Hoc*, ſignificat materiam præſentem; ly *Illud*, materiam abſentem. Sicut ergo non valet Conſecratio, prolata ſuper materiam abſentem, ita nec Abſolutio ſacramentalis data abſenti, quia ly *Te*, ſignificat præſentem.

Unde non valet hæc forma: *Abſolvo Petrum*, niſi ſaltem implicitè ratione circumſtantiarum dirigatur ad præſentem, quaſi ejuſdem allocutio, prout dirigi videtur, quando Petrus eſt præſens, ut ſenſus ſit, *Abſolvo hunc, qui vocatur Petrus*.

123. *Objectio.* Sed contra, inquis; hoc eſt, quod quæritur, quare, ſi non requiritur expreſſa directio, requiratur ſaltem implicita. *Solvitur.* Reſpondeo; quia aliàs non erit æquivalentia inter illas formas: *Ego te abſolvo*, &: *Abſolvo Petrum*, quæ tamen omnino neceſſaria eſt; ſicut non eſt æquivalentia inter illas formas: *Hoc eſt Corpus meum*, &: *Illud eſt Corpus meum*.

Occurritur evaſioni. Nec valet dicere; Petrus exiſtens v. g. Lovanii, abſolvet Paulum exiſtentem Antuerpiæ per interpoſitam perſonam; quemadmodum per Procuratorem poteſt abſens contrahere Matrimonium: non valet, inquam; quia Abſolutio ſacramentalis eſt actio perſonalis; adeòque non delegabilis. Unde quod communiter dicitur: *Quod poteſt quis facere per ſe ordinariâ poteſtate, poteſt etiam per alterum*, intelligitur in his, quæ ſunt meræ juriſdictionis, & non requirunt induſtriam perſonæ. *Abſo[lutio] Sacra[men]talis [ac]tio p[erſona]lis.* Jam autem Abſolutio ſacramentalis non eſt actus meræ juriſdictionis, ſed actus etiam Ordinis. *Non [eſt ac]tus [meræ] juriſ[dictio]nis.* Quamvis ergo juriſdictio, neceſſaria ad abſolvendum, poſſit delegari, haud equidem ipſa Abſolutio.

12[4] *Chri[ſtus] non i[mmu]tavit tract[um] Matr[imo]nii.* Quantum ad contractum matrimonialem, non conſtat Chriſtum, dum inſtituit Sacramentum Matrimonii, eum in aliquo immutaſſe; ſicut ergo ante inſtitutionem Sacramenti, poterat celebrari, inſtar aliorum contractuum, abſque verbis propriè dictis, per nutus, litteras, aliaque ſigna æquipollentia, etiam inter abſentes per Procuratores; ita & nunc celebrari poteſt, & per conſequens Sacramentum Matrimonii, quod inhæret illi contractui.

Et gratis admiſſo: quòd poſſet Sacerdos validè proferre verba Abſolutionis per interpoſitam perſonam; num indè bene infertur; ergo Abſolutio ſacramentalis validè dirigitur ad abſentem? Patet quòd non; quia perſona interpoſita debet proferre illa verba præſente illo, qui abſolvitur; nec cenſetur pœnitens abſolutus hoc ipſo, quòd Sacerdos abſolvens dedit commiſſionem alteri proferendi illa verba; ſed tunc demum abſolvitur, quando verba illa proferuntur; illa autem non proferuntur validè, niſi ſuper præſentem.

125 *Non v[alet] Abſolu[tio]nem d[ata] abſent[i, pro]batur Conſti[tutione] Cleme[ntis].* Omitto congruentias varias, quas congerit Lugo diſp. 13. n. 149. quare Chriſtus ſic inſtituerit hoc Sacramentum. Sufficit nobis ejus voluntas, quæ non poteſt eſſe, niſi maximè rationabilis. Illam autem nobis ſignificavit per Vicarium ſuum Romanum Pontificem Clementem VIII. qui anno 1602. die 20. menſis Julii, in generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, habitâ in Palatio Apoſtolico in monte Quirinali; *Hanc propoſitionem*, *ſcilicet*, Licere per litteras ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente Abſolutionem obtinere, *ad minus uti falſam, temerariam, ac ſcandaloſam damnavit ac prohibuit. Prohibuitq; ne deinceps iſta propoſitio publicis privatiſve lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur; quòd ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam diſputativè tractaverit (niſi forſan impugnando) vel ad praxim directè ſeu indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, & à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quâcunque etiam dignitate fulgente,*

Digitized by Google

gente, etiam S. R. E. Maiori Pœnitentiario, niſi à pro tempore exiſtenti Romano Pontifice abſolvi, alus etiam pœnis arbitrio infligendis, ſubiaceat. Ita refert Cherubinus in Bullario magno Romano Conſt. 87.

Quamvis ergo olim multi præſertim ex familia Dominicanorum (inter quos D. Antoninus teſtatur, plurimos Doctores ita ſenſiſſe in Concilio Baſileenſi) affirmaverint validè, & ex juſta cauſa licitè, inter abſentes dari Abſolutionem, ſive per epiſtolam, ſive per internuntium, ſive ſaltem propriâ voce abſolvendo abſentem: equidem hodie poſt illam Declarationem, omnes unanimiter docent, id neque licitè, neque validè fieri poſſe.

Et ſanè ſi Pontifex judicaſſet, unquam fore validam hujuſmodi Abſolutionem, mirum quòd illam prohibuiſſet pro omni omnino caſu, etiam extremæ neceſſitatis ſpiritualis (nullum enim omninò excipit, ut patet ex verbis relatis) ſiquidem ceu Leges Eccleſiaſticæ non obligant cum graviſſimo damno temporali; aut periculò vitæ corporalis; ſic multò minùs obligare poſſunt cum graviſſimo detrimento ſpirituali; & periculo damnationis, æternæ v. g. ſi in periculo mortis nullo modo poſſit haberi præſentia Confeſſarii, & Contritio Charitate perfecta foret moraliter moribundo impoſſibilis.

127. Judicavit ergo Pontifex; ſiquidem in illis circumſtantiis hujuſmodi Abſolutionem valere; & ideo ſimpliciter pro omni caſu eam prohibuit. Et verò ſi in neceſſitate valeret, etiam extra illam; quia eſſentia Sacramenti ſemper eſt eadem. Quando ergo pœnitens procederet bonâ fide, neſciens Abſolutionem in abſentia prohibitam, validè abſolveretur extra neceſſitatem, ſicut in neceſſitate. Verumtamen quia in neceſſitate non validè abſolvitur, ideo nec extra illam.

Qualis autem & quanta præſentia requiratur, non poteſt phyſicè definiri; ſed moraliter requiritur tanta, quanta ſufficit inter eos qui humano modo invicem alloquuntur. Quamquam non ſit neceſſe, ut pœnitens verba Abſolutionis audiat; immo ùt audire poſſit, dummodo Sacerdos verè verba proferat.

128. Cæterùm quod ait Herincx diſp. 1. n. 36. Scotum ante Decretum Clementis VIII. docuiſſe, nec validè, nec licitè dari Abſolutionem inter abſentes, neſcio ubi legerit in Scoto; neque enim citat aliquem locum. Interim ſubſcribo verba Scoti, quæ aliquam poſſent habere apparentiam: *Ad aliud, videtur Confeſſio quandoque facienda per ſcriptum, ùt legitur de Thoma Epiſcopo Cantuarienſi, qui miſit ad Curiam pro Abſolutione. Sed hoc videtur eſſe contra rationem Confeſſionis, quia omnis ſcriptura ex ſui natura nata eſt eſſe publica; quantumcumque enim aliquis conſervet ſecretè apud ſe ſcriptum, ex quo mittit illud, vel propter nuntium, vel propter illum, ad quem mittitur, poteſt publicari; & ſemper ex ſui natura eſt patulum cuicunque legenti loquens, quod ibi continetur. Quilibet ergo ſcribens aliquid facit in hoc, quod eſt contra naturam ſigni idonei in Confeſſione: & in iſta ſcriptura tollitur verecundia, quæ eſt pœna magna in Confeſſione, & hoc niſi confitens ſit præſens, quando per ſcriptum confitetur. Et ideo quando dicitur* 30. q. 5. Qualis debeat, *quòd quis poteſt confiteri per ſcripturam, Ioannes exponit, quando confitens eſt præſens; quia abſens non poteſt licitè: igitur abſens expectet præſentiam, cum propoſito confitendi eâ habitâ.* Hucuſque Doctor Subtilis 4. diſt. 17. q. 1. n. 32.

Ubi explicitè non tractat præſentem controverſiam, an validè aut licitè poſſit dari Abſolutio abſenti; ſed an liceat abſenti confiteri per ſcriptum, ad quod reſpondet: *abſens non poteſt licitè*; quia videlicet, *facit in hoc, quod eſt contra naturam ſigni idonei in Confeſſione, & in iſta ſcriptura tollitur verecundia.* Ergo ſi præſens fuiſſet confeſſus, non poſſet abſens, nec licitè; nec validè abſolvi, quomodo hoc ſequitur ex illis verbis Scoti, cùm rationes allegatæ non militent in iſto caſu? Si Herincx ampliùs aliquid de hac materia repererit in Scoto, cupio doceri.

Interea reſpondeo ad factum S. Thomæ Epiſcopi Cantuarienſis cum Lugone diſp. 13. n. 156. non petiiſſe Abſolutionem Sacramentalem, ſed à ſuſpenſione; quâ ipſemet ſe puniverat, ſuſpendendo ſe à miſſa celebranda, propter quandam conniventiam, quâ bonâ fide, & ex bono fine Regi promiſerat conſenſum in re, ex qua periculum poterat imminere Eccleſiaſticæ libertati. Abſolutione verò ſummi Pontificis habitâ, celebravit deinceps ſinè ſcrupulo. Ita Cardinalis. 129. Reſpondetur ad factum S. Thomæ Cantuarienſis. Lugo.

Suarez autem diſp. 19. ſect. 3. n. 8. Quod, inquit, de Thoma Cantuarienſi Scotus refert, in primis neſcimus ex qua hiſtoria ſumptum ſit, neque enim ipſe refert, nec ego invenio. Hæc ille. Sed ſi bene quæſiviſſet, ſi legiſſet Surium in illius Sancti vita, factum illud inveniſſet, Suarez.

Atque ut miſiſſet S. Thomas ad curiam pro Abſolutione Sacramentali, quid tum? Ut ſuprà diximus ante Decretum Clementis VIII. multi Doctores affirmabant, validè, & ex cauſa licitè, inter abſentes dari Abſolutionem; porrò S. Thomas annis 400. & ampliùs præceſſit Clementem VIII. & quis ſcit, an ipſe non fuerit in illa ſententia?

Ad aliud, quod Scotus ſuprà inſinuat ex Leone Papa, & ponitur 30. q. 5. c. *Qualis debeat*, 4. in fine ibi: *Si fornicata fuerit* (uxor) *dimittenda; ſed illâ vivente, altera non ducenda; quia adulteri regnum Dei non poſſidebunt, & Pœnitentia illius per ſcripturam recipienda.* Reſpondeo I. ibi non agitur de Abſolutione danda in abſentia, ſed de Confeſſione facienda, de qua impræſentiarum non tractamus. 130. Ad cap. Qualis debeat 30. q. 5. Reſp. 1.

Digitized by Google

131. Secundò. Reſp. II. illa ſcriptura non erat Confeſſio ſacramentalis, ſed exigebatur, ut certiùs conſtaret de reſipiſcentia, & ſatisfieret ſcandalo fidelium. Sicuti etiam Inquiſitores non ſolent reconciliare Hæreticos, niſi in ſcriptis fateantur, & abjurent ſuam hæreſim, quæ abjuratio ſolùm ordinatur ad forum externum & judiciale.

Tertio. Reſp. III. *Hìc permittitur mulieri ſimplici, dum tamen præſens ſit, in ſcripto peccata offerre.* Ita Gloſſa verb. *Per ſcripturam*, & ſequitur Scotus ſuprà dicens; *Ioannes exponit, quando confitens eſt præſens.*

132. Objectio ex S. Cypriano. Objicitur etiam S. Cyprianus Epiſt. 13. ubì ſic ait: *Occurrendum puto fratribus noſtris* (lapſis à fide ob timorem tormentorum; nunc autem reſipiſcentibus & poſtulantibus admitti ad communionem cum aliis ſanctis) *ut qui libellos à Martyribus acceperunt* (quibus pax ipſis promittitur) *& prærogativa eorum apud Deum adiuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint; non expectatâ præſentiâ noſtrâ, apud Presbyterum quemcunque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque, exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in Pœnitentiam impoſitâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres, litteris ad nos factis, deſideraverunt.* Hæc ille. Sed nihil contra nos.

133. Solvitur. Enimverò apud omnes indubitatum eſſe debet, ſolis Presbyteris dictum eſſe à Chriſto Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; ergo per Exomologeſim non ſignificat hìc Cyprianus Confeſſionem ſacramentalem; neque per manûs impoſitionem, quam concedit Diacono, Abſolutionem ſacramentalem, ſed reconciliationem publicam cum Eccleſia, à qua ſeparati erant per apoſtaſiam à fide. Neque illam ipſe facit in abſentia, ſed committit aliis faciendam in præſentia.

Cyprianus loquitur de publica reconciliatione,

Pax ergo, de qua ibi Cyprianus, erat Abſolutio à pœnis ſatisfactoriis; hæc autem concedi poterat Diaconis, cùm etiam hodie uſitata ſit Archidiaconorum ab excommunicatione Abſolutio, tametſi in ſolo Diaconatûs Ordine conſtituti ſint. Nec mirum, cùm conſtet ex lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementis, auctoritatem excommunicandi habuiſſe Diaconos abſente Presbytero, cap 34. ibi: *Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, Diaconiſſam, ſi quid tale contingat, abſente ſcilicet Presbytero.* Habuerunt igitur illo abſente etiam poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione, nam ejuſdem eſt abſolvere, cujus eſt excommunicare.

& per pacem intelligit Abſolutionem à pœnis ſatisfactoriis.

134. Additio Jac. Pameli. Addit Jac. Pamelius in Annotationibus ad illam Epiſt. Cypr. Fortaſſis quùm Epiſcopus abſens, & Presbyteri multi carceribus incluſi eſſent, ex privilegio quodam Diaconis in neceſſitate permiſſa eſt pœnitentium reconciliatio, ſicuti à D. Gregorio Presbyteris aliquando conceſſam legimus Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem, quæ ſolis alioqui Epiſcopis competit. Ita Pamelius.

Qui ſi intelligat per pœnitentium reconciliationem, ſacramentalem Abſolutionem (ùt videtur intelligere: nam adducit ſimile de Sacramento Confirmationis) nullatenus audiendus eſt, quia contra torrentem Doctorum, abſque ullo veriſimili fundamento, ùt patebit proprio loco.

Impræſentiarum ſequitur agendum de Abſolutione conditionali; quæ duplex vel triplex eſt, ſicuti duplex eſt vel triplex conditio, ùt puta, conditio de præterito, de præſenti, & de futuro. Quæritur ergo, an liceat, vel ſaltem valeat Abſolutio conditionalis? Et juxta dicta diſp. 1. de Sacramentis in genere ſect. 7. concl. 9. reſponſio plana eſt, videlicet:

CONCLUSIO VI.

Sub conditione de præſenti & præterito, etiam hac, *Si Deus ſciat, quòd cras reſtitues*, valet Abſolutio; ſed non licet ſinè juſta cauſa: ſub conditione futura, ſuſpenſiva valoris uſque ad impletionem conditionis, ſemper eſt invalida.

REmitto Lectorem ad ea, quæ ſcripſimus de hac re diſp. 1. ſect. 7. concl. 9. & rurſum affirmo, nullam me videre rationem, quare Sacerdos, prudenter dubitans, an formam bene protulerit, non poſſit abſolvere ſub conditione: *Si non es abſolutus.* Similiter ſi prudenter dubitet de legitima diſpoſitione, ſub conditione; *Si es diſpoſitus.* 1 Ex cau Sac abſ ſub tion

Immo videtur Aliquibus non improbabile, Confeſſarium accedentem ad ſedem confeſſionalem, hinc generalem poſſe formare intentionem: *Volo omnes & ſolos abſolvere, qui erunt legitimè diſpoſiti*, ne videlicet Sacramentum exponatur periculo nullitatis, dum ſæpiùs abeſt interna diſpoſitio, tametſi exteriùs non appareat. Reliqua concernentia primam partem Concluſionis vide loco citato.

Quantum ad ſecundam partem, quæ præcipua eſt. Probant illam Aliqui per regulam juris 50. de Reg. Jur. in 6. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.* Et L. 77. ff. eodem titulo: *Actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem: veluti mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adiectionem.* 13 Prob part. ex R ris 5 L. 7 eod.

Sed,

Digitized by Google

Sed vel ex hac ipſa ſola lege ſatìs liquet, hanc probationem non ſubſiſtere, cùm inter actus,qui non recipiunt diem vel conditionem, non enumeretur Abſolutio ſacramentalis.

Nec obſtat, quòd Regula Juris loquatur generaliter, abſque ſpecificatione aliquorum actuum; quia certum eſt, quòd aliqui actus conditionem recipiunt, ùt patet ex l. 7. ff. de Contrah. empt. in principio: *Hæc venditio ſervi*, Si rationes domini computaſſet arbitrio, *conditionalis eſt; conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio*; ergo illa regula non eſt generaliter intelligenda, ſicut ſonat; ſed accommodanda juri civili, juxta illud cap. 1. de Novi operis nuntiatione: *Quia verò ſicuti leges non dedignantur ſacros Canones imitari; ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adiuvantur.*

Profectò ſi nullus omnino legitimus actus reciperet diem, vel conditionem, Concluſio noſtra eſſet nimis vera; nunc autem, quia, ſecundùm communiorem ſententiam, conſenſus matrimonialis admittit conditionem, contractus emptionis, & alii. Similiter ſententia judicialis fori publici, ſi non diffinitiva, ſaltem interlocutoria, immo & diffinitiva; nam quod ponitur cap. *Biduum* 29. 2. q. 5. *Sanè quidem non eſt ſub conditione ſententia dicenda*, prohibet quid fieri; quod tamen factum, tenet, inquit Gloſſa ibi verb. *Non eſt*. Cùm, inquam, hi actus conditionem recipiant; utì etiam particulares remiſſiones & condonationes debitorum; nec non Abſolutio à Cenſura, quæritur diſparitas, & laboratur à Doctoribus in eâ aſſignanda.

138. Ego meliorem non invenio, quàm voluntatem Chriſti, qui potuit nolle, & noluit judicium ſacramentale, & remiſſionem ſacramentalem pro libitu miniſtri ſuſpenſam à conditione de futuro; ſed voluit, ut poſitâ ſufficienti materiâ, & formâ; vel ſtatim valeret, vel nunquam. Illa autem voluntas conſtat ex communi ſenſu Eccleſiæ, quæ nunquam admiſit Abſolutionem ſacramentalem ſub conditione ſuſpenſiva valoris. Certum autem eſt, quòd Eccleſia admittat conſenſum matrimonialem ſub conditione de futuro: ſive valeat impletâ conditione abſque novo conſenſu,ſive non, de quo diſputabimus ſuo loco, quia ad præſens punctum impertinens eſt; quoniam in poſitivis non rectè argumentamur à paritate rationis, niſi ad evitandum abſurdum.

139. Et verò leges civiles, eſtò admittant ſententiam publicam ſuſpenſivam valoris, utì etiam particulares remiſſiones & condonationes debitorum; ſimiliter leges Canonicæ tametſi patiantur Abſolutionem à Cenſura ſub conditione de futuro; quis dicere audeat, Chriſtum illis legibus alligatum fuiſſe, ut non potuerit, aut voluerit ab illis excipere Abſolutionem ſacramentalem?

Voluit ſanè, ut proferretur hæc Abſolutio verbis formalibus & propriè dictis, non nutu, ſcripto; aut aliis ſignis, ut non dirigeretur, niſi ad præſentem, tametſi Matrimonium poſſit contrahi nutu & aliis ſignis, etiam in abſentia per Procuratorem; eſtò ſententiæ publicæ, particulares remiſſiones debitorum, Abſolutio à Cenſura non requirant verba propriè dicta, aut præſentiam. Planè ergo ſufficit voluntas Chriſti ad hoc, ut Abſolutio ſacramentalis ſit invalida, ſi feratur ſub conditione ſuſpenſiva.

Nihilominus fatigant intellectum ſuum aliqui Doctores in aſſignanda alia ratione. Et 140.
quidem Vaſquez q. 84. a. 3. dub. 5. duplicem aſſignat. Prima, quia voluntas conditionalis abſolvendi, magìs futura eſt, quàm præſens: qui enim dicit, *Ego te abſolvo, ſi feceris hoc*, idem eſt, ac ſi dicat: *Ego te abſolvo, quando hoc feceris*,quæ revera eſt actio futura, quamvis enim ſignificetur tempore præſenti, conditio tamen futura efficit eam eſſe de futuro, unde videtur æquivalere propoſitioni de futuro,*Ego te abſolvam*;aut ſaltem ſignificat, actionẽ illam internæ Abſolutionis futuram eo tempore, quo conditio ſubſiſtet, vi tamen prioris voluntatis quam habuit ſub conditione, & quæ ampliùs non exiſtit, niſi interpretativè & virtualiter; jam autem virtualis & interpretativa voluntas in Sacramentis nihil operatur, niſi ſit præſens voluntas aliqua ex priori derivata, in qua contineatur prior illa voluntas implicitè. Ita ferè Vaſquez.

Prima ratio Vaſquez quare abſolutio ſub conditione de futuro non valeat.

Verùm (inquit Arriaga diſp. 50. n. 5.) hoc non ſufficit; quia idem eſt in Matrimonio. Secundò, quia falſum eſt, quòd ea voluntas non ſit de præſenti; eſt enim præſentiſſima, & amat objectum, ſicut cùm dico: *Volo cras confiteri*, eſt voluntas de præſenti, circa objectum tamen futurum. Hæc ille.

Rejicitur ab Arriaga.

Sed quantum ad primum, fatetur Vaſquez 141.
idem eſſe in Matrimonio, & ideo requirit novum conſenſum impletâ conditione. Ad ſecundum, Vaſquez non negat illam voluntatem eſſe de præſenti, quaſi de præſenti non vellet effectum pro futuro: ſed ſolùm vult, quòd illa voluntas, quæ jam eſt actualis & de præſenti, tunc quando ponetur conditio, & per conſequens effectus, non erit actualis & de præſenti, ſed præterita & virtualis tantùm ſeu interpretativa: quam ipſe putat non ſufficere ad valorem Sacramenti; quamvis ego exiſtimem, hoc non poſſe ſatìs probari, attentâ præciſè naturâ rei, immo etiam inſtitutione Chriſti, ſi loquamur de omnibus Sacramentis; nam, ùt ſuo loco diffuſiùs declarabimus, de facto, ſecundùm communiorem ſententiam, talis voluntas ſufficit ad valorem Matrimonii, non tantùm in ratione contractûs, ſed etiam in ratione Sacramenti; quidquid Vaſquez, & Alii nonnulli in contrarium ſentiant. Et ſanè potuiſſe

Reſpondet Auctor pro Vaſquezio.

Digitized by Google

potuiſſe ſufficere, ſi Deus voluiſſet, nemini debet eſſe dubium.

142. Argumentum Lugonis contra rationem Vaſquez.

Aliâ viâ impugnat Vaſquezium Lugo diſp. 13. n. 117. dicens: idem argumentum fieri poteſt, etiam in eodem Matrimonio, quando abſolutè celebratur, prout communiter fit; nam voluntas primi conjugis non perſeverat phyſicè, ſed virtualiter ſolùm, quando conſentit ſecundus; & tamen tunc habet ſuum effectum prior voluntas, quia dum non revocatur manet virtualiter; ſi autem revocata fuiſſet, etiam interiùs, non valeret Matrimonium, quia jam non maneret virtualiter prior voluntas; ergo ſufficit voluntas manens virtualiter ad Sacramentum Matrimonii. Hæc ille.

Reſponſio Auctoris.

Reſpondeo; certum eſt, intentionem virtualem propriè dictam ſufficere, non tantùm ad Sacramentum Matrimonii; ſed ad aliud quodcunque, ùt videre poteris diſp. 1. ſect. 7. concl. 8. ſecùs intentionem habitualem, de qua ibidem concl. 7. niſi fortè ad Sacramentum Matrimonii in caſu præſenti, quando videlicet contrahitur ſub conditione ſuſpenſiva; nam putant Aliqui, voluntatem illam non revocatam, propriè non manere virtualiter, ſed tantùm habitualiter; at quæſtio eſt de nomine, de qua parùm curandum.

143. In Matrimonio idem eſt miniſter & ſuſcipiens, idque duplex.

De re autem, particulare eſt Sacramento Matrimonii, quòd idem ſit miniſter & recipiens; & non ſolùm unus miniſter, ſed duplex. Et ſanè non eſt ambigendum, quin in utroque conjuge ſeu miniſtro requiratur, pro aliquo tempore, intentio ad minus virtualis propriè dicta, ſicut in miniſtris aliorum Sacramentorum. Rogas, pro quo tempore? Reſpondeo, pro illo, quo ſigno externo exprimunt ſuum conſenſum, tametſi poſt plures annos Matrimonium perficeretur.

Valet Matrimonium, tametſi Conſenſus utriuſque conjugis non ſimul phyſicè exiſtat.

Nunc ad propoſitum; non diſputat Vaſquez, an conſenſus utriuſque conjugis debeat ſimul exiſtere phyſicè, ut valeat Sacramentum Matrimonii; clarum enim eſt quòd non. An fortè ut valeat Sacramentum Baptiſmi, oportet ut ſimul phyſicè exiſtant materia, & forma Baptiſmi? Certum eſt, ſufficere moralem coexiſtentiam. Quid ſi Chriſtus duplicem inſtituiſſet miniſtrum Baptiſmi, unum qui ablueret, alterum qui proferret formam, nonne valeret intentio actualis, aut virtualis abluentis pro tempore ablutionis, etiamſi quando profertur forma, & Sacramentum completur per alium miniſtrum, prior jam obiiſſet? Indubiè valeret. Ergo cùm in Sacramento Matrimonii ſit duplex miniſter partialis, procul dubio valet Matrimonium, etiamſi conſenſus prioris phyſicè non perſeveret, quando conſentit ſecundus.

144. Neque hoc unquam negavit Vaſquez.

Neque hoc unquam negavit Vaſquez, eſtque caſus planè diſtinctus; nam quamdiu non eſt poſitus conſenſus utriuſque partis, quid mirum ſi non ponatur effectus, cùm conſenſus utriuſque ſit ipſa eſſentia Sacramenti, adeòque nondum poſita ſit tota eſſentia Sacramenti? Unde accedente ſecundo conſenſû, jam operatur Sacramentum, non virtute ſolius voluntatis virtualis, ſed virtute etiam voluntatis actualis, ùt manifeſtum eſt.

Caſus autem Vaſquezii eſt, an ſufficiat ad valorem Sacramenti Matrimonii utriuſque voluntas, ſolùm virtualiter ſeu interpretativè præſens. Cùm enim tunc antecedenter ſit poſita tota eſſentia Sacramenti; ſicut quando abluitur infans, cum hac forma verborum: *Ego te baptizo* &c. videri poſſet alicui, quòd ſicut miniſter Baptiſmi non poteſt ſuſpendere effectum Baptiſmi per adjectionem alicujus conditionis pro tempore futuro; ita pari ratione non poſſit miniſter Matrimonii ſuſpendere effectum Matrimonii per ſimilem conditionem; ſed quòd poſito conſenſû actuali, vel virtuali utriuſque, ſtatim inducatur obligatio, vel nunquam. Atque hæc de prima ratione Vaſquezii, communi omnibus Sacramentis.

Secunda ratio eſt peculiaris Abſolutioni Sacramentali; quoniam (inquit ſuprà n. 8.) ſi ab aliqua conditione poſſet dependêre, maximè ab ea, quæ pertinet ad debitam diſpoſitionem ejus, qui abſolvendus eſt; nam ab alia voluntaria conditione, quæ ad Sacramentalem Abſolutionem nihil pertinet, ridiculum eſt aſſerere, dependentiam aliquam eſſe poſſe. Ad quid enim hanc poteſtatem Chriſtus contulit Sacerdotibus, ut poſſint ita abſolvere: *Ego te abſolvo, ſi Imperator cras venerit ex Germania?* Quid enim ad judicium pertinet expectare hanc conditionem? Vitiatur ergo Abſolutio, quæ ſic ſuſpendit actum.

Si verò pertinet ad pœnitentis cauſam & diſpoſitionem, etiam eſt contra ſubſtantiam formæ: Abſolutio enim, cùm ſit judicium de cauſa pœnitentis, ſupponit illam; ergo non relinquit aliquid pœnitenti faciendum pro ſua cauſa, de quo Sacerdos non judicet; aliàs ſi non noſcit ejus cauſam, peccata ſcilicet, & diſpoſitionem, quæ ſunt ſubſtantialia huic actui judiciali, ſequitur nullam eſſe ejus ſententiam. Hæc ille.

Sed contrà primò; quia ſi adjiciatur conditio impertinens præterita vel præſens, etiam in aliis Sacramentis, v. g. ſi dicatur: *Ego te baptizo, ſi pater tuus conſenſerit* vel, *conſentiat*, effectus dependet ab illa conditione, adeò ut Baptiſmus valeat, ſi reverà pater conſenſerit, vel conſentiat, aliàs non.

Et ſi quæris, ad quid poteſtatem hanc Chriſtus contulerit miniſtris Sacramentorum? Reſpondeo & interrogo, ad quid Chriſtus voluit, ut Sacramentum dependeret ab intentione miniſtri? Qui ergo dedit poteſtatem Sacerdotibus abſolvendi, & non abſolvendi, dependenter ab eorum libera & mera interna inten-

intentione, dedit etiam poteſtatem abſolvendi, dependenter à conditione impertinente præterita vel præſente. Ad quid? Ipſe novit, qui dedit. An autem dependenter à conditione futura, de hoc diſputamus.

Secundò, putamus nos, valere ſententiam illius, qui per inadvertentiam non judicavit de diſpoſitione pœnitentis; immo tametſi judicaſſet eam non adeſſe, ſi tamen velit abſolvere, & pœnitens à parte rei ſit diſpoſitus, ùt alibi latiùs dicetur.

Denique in illa ratione (inquit Lugo ſuprà n. 115.) non numerantur ſufficienter omnes conditiones, quæ poſſunt de futuro in Abſolutione apponi; poteſt enim apponi conditio aliqua, quæ nec ſit impertinens, nec etiam ſit de diſpoſitione prærequiſita ad Abſolutionem, ſed de obligatione conſequenti adimplenda, v. g. *Abſolvo te, ſi ieiunaveris cras in Pœnitentiam*, vel, *ſi reſtitueris* &c. quæ conditiones non ſunt de diſpoſitionibus prærequiſitis ex ſe ante Abſolutionem. Hæc ille. Cur ergo ab hujuſmodi conditionibus non poterit ſuſpendi abſolutio?

147. Reſpondet Lugo n. 119. quia verba realia non fuerunt abſoluta, ſed conditionalia, quæ licèt poſitâ conditione tranſeant in abſoluta; hoc tamen non fit per poſitionem realem verborum abſolutorum, ſed per poſitionem virtualem, quatenus priora verba non ſecutâ revocatione, & poſitâ conditione cenſentur moraliter ſeu virtualiter manere, & proferri abſolutè abſque conditione: hoc autem totum non eſt aliud, niſi prolatio virtualis verborum abſolutorum; cùm ergo in aliis Sacramentis, præter Matrimonium, non ſufficiant verba virtualia, ſed requirantur realia, ſicut non ſufficiunt nutus aut ſcriptura; conſequens eſt, ut neque ſufficiant illa verba abſoluta virtualia, quę dantur impletâ conditione, ſed requirantur verba abſoluta, realia, & formalia. Huc uſque Cardin.

Sed hæc ſolutio (quam amplexus fui diſp. 1. ſect. 7. concl. 9.) non placet Arriagæ diſp. 50. n. 6. tum quia totam diſparitatem videtur reducere in defectum verborum, & non in defectum voluntatis de præſenti ipſius Sacerdotis, cùm tamen voluntas miniſtri debeat maximè tunc exiſtere, quando fit Sacramentum; exiſtere, inquam, ità, ut faciat conjunctionem moralem: tum etiam, quia licèt Concil. Florentinum aſſignaverit differentiam inter Matrimonium, & alia Sacramenta, quoad punctum verborum & nutuum; non tamen in ordine ad eas extrinſecas conditiones de futuro, quæ nec verba, nec nutus ſunt, nec ſunt ſigna voluntatis; de his enim nihil dixit Concilium; ſi ergo nutus ſeu ſigna (quæ juxta Concilium ſunt in Matrimonio, ſicut verba in aliis Sacramentis) poſſunt pendêre à conditione futura, per quam omnino declaretur voluntas, cur quæſo verba non poterunt à ſimilibus conditionibus dependêre in aliis Sacramentis? Hæc ille.

Sed contrà; ſi voluntas miniſtri Matrimonii ſufficienter eſt præſens in conditione futura, cur non etiam voluntas miniſtri Abſolutionis, aut alterius Sacramenti? Ergo non debuit Eminentiſſimus rationem diſparitatis reducere in defectum voluntatis de præſenti; ſed optimè reduxit in defectum verborum, quia licèt in Sacramento Matrimonii perinde ſit, quo ſigno declaretur voluntas; in aliis tamen Sacramentis declarari debet per verba realia & formalia, jam autem illa conditio futura, eſt quidem aliquid, per quod omnino declaratur voluntas, non tamen verbum reale & formale; & ideo ſufficit in Matrimonio, non tamen in aliis Sacramentis. 148. Reſponſio Auctoris.

Dices; quid ſi ergo poneretur conditio verbalis v. g. *Ego te abſolvo, ſi Petrus cras dixerit: Ego te abſolvo?* Reſpondeo, illam conditionem non eſſe verbum reale & formale, ſed verbum materiale; quia non attenditur ſignificatio illorum verborum, ſed ſonus tantùm; quod indè probatur; quia quælibet verba poſſunt eſſe talis conditio: ergo ſi declarant voluntatem abſolventis, non declarant illam per modum alicujus ſigni vocalis, ſed realis; nam verba formalia determinatam habent ſignificationem. Objectio ſolvitur.

Quantum ad Concilium Florent. fateor, non aſſignavit expreſſam differentiam inter Matrimonium & alia Sacramenta in ordine ad eas extrinſecas conditiones de futuro; unde etiam ex iſto Concilio non probatur explicitè illa differentia (quæ, non obſtante Concilio, ab Aliquibus negatur) ſed ex differentia, quam aſſignavit quoad punctum verborum & nutuum, putamus probabiliter ſaltem colligi differentiam in ordine ad eas extrinſecas conditiones de futuro, æquè, ſi non magis, quàm ex Decreto Clementis VIII. quo declarat non poſſe dari Abſolutionem abſenti. 149. Ex Concil. Florent. colligitur differentia inter Matrimonium & alia Sacramenta quoad conditiones de futuro.

Ex quo utique Decreto à fortiori infert Arriaga ſuprà n. 7. ergo non poterit dari cum ea conditione de futuro, quia eo caſu licèt hodie eſſent prolata verba Abſolutionis, & hodie eſſet data Abſolutio phyſicè loquendo, moraliter tamen & propriè primò abſolveretur homo à peccato cras, quando conditio poneretur, hoc autem eſſet dare Abſolutionem & abſenti, & ſæpè etiam à Sacerdote mortuo. An etiam ex Decreto Clement. 8. *Arriaga*.

Addit idem Auctor duas rationes congruentiæ. Prima; quia ſic aliquando contingeret, ut ponerentur omnes partes Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen non ipſum Sacramentum; ſi v. g. quando completur conditio, homo priùs abſolutus, in iiſdem peccatis ſibi complaceat; in Matrimonio autem ceſſat hoc periculum, quia licèt per peccatum ſubſequens impediatur effectus gratiæ, valeret tamen matrimonium quoad conjunctionem &c. at in præſenti non poſſumus concipere validè abſolvi eum, qui in eiſdem peccatis ſibi complacet dum abſolvitur. 150. Prima ratio congruentiæ ex Arriaga.

 Secunda

Digitized by Google

Secunda congruentia.

Secunda congruentia eſt; quòd Matrimonium non ſit Sacramentum neceſſarium ad ſalutem, & ideo non eſt inconveniens quòd illud impediatur per defectum conditionis, aut mutationem voluntatis alterius partis; eſſet autem inconveniens, ſi Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt maximè neceſſarium ad ſalutem, ſic poſſet impediri.

Quòd ſi ideo dicatur, totum Sacramentum Pœnitentiæ completum eſſe per Abſolutionem & intentionem miniſtri hodie habitam, ideòque ſive deinde Sacerdos mutet voluntatem, ſive non, eam Abſolutionem manere validam; effectum tamen illius non ponendum, niſi primò, quando conditio ponetur; contra facit, quod licèt miniſter poſſit unam partem Sacramenti poſt aliam ponere, & hoc modo effectum differre; haud equidem poſitis omnibus partibus, facere eam dilationem effectûs, ùt patet in Euchariſtia, & aliis Sacramentis.

151. Etiam in Matrimonio poſitis omnibus partibus eſſentialibus ſtatim ponitur effectus. *Regius.*

Immo in ipſo Matrimonio, ùt bene advertit Regius diſp. 29. n. 13. ubi ſic ait: Impoſſibile eſt ut infuſio aquæ, vel pronunciatio formæ ita pendeat à re futura, ut hâc poſitâ, aut non poſitâ, illæ etiam fuerint poſitæ, aut non poſitæ. In Matrimonio verò conſenſus internus eſt pars eſſentialis, qui factus ſub conditione, ita ab ea pendet, ut eâ poſitâ, verè à parte rei completè ponatur, aliàs non. Similiter conſenſus externus in ratione ſigni ab eadem conditione pendet; nam verba, quibus internus conſenſus ita exprimitur, nihil determinatè ſponſis ſignificant, donec ſciant conditionem eſſe impletam. Pendet tunc itàque Matrimonium, non immediatè à conditione futura; ſed à parte ſui eſſentiali, quæ ante conditionem non ponitur in eſſe. Et ſic non mirum, ſi effectus uſque ad poſitionem conditionis differatur. Poſitâ autem conditione, & conſequenter totâ eſſentiâ Sacramenti Matrimonii, non poteſt effectus ampliùs differri; ſed vel ſtatim confertur, vel nunquam, prout contingit in aliis Sacramentis.

152. Objectio ex Lugone.

Verùm hæc doctrina Regii diſplicet Lugoni ſuprà n. 113. hâc ratione: non eſt, inquit, cur magìs conſenſus dicatur materia in Sacramento Matrimonii, quàm conſenſus abſolventis dicatur materia vel forma in Pœnitentia, cùm in utroque requiratur eſſentialiter, & eodem modo. Sive autem dicatur, vel non dicatur materia, aut forma, negari non poteſt, quin requiratur eſſentialiter in utroque Sacramento. Quare ſicut ex ejus defectu non ſubſiſtit Sacramentum Matrimonii ante expletam conditionem, eò quòd conſenſus ſit eſſentialiter requiſitus ad illud; ſic propter ejuſdem conſenſûs defectum non ſubſiſtet Sacramentum Pœnitentiæ ante expletam conditionem: poſt illam verò ſubſiſtet; quia ponitur pars illa eſſentialis, quæ deerat, ſicut in Matrimonio. Hucuſque Eminentiſſimus.

Sol... Au...

Sed videtur confundere conſenſum conjugum, per verba de præſenti expreſſum, qui eſt tota eſſentia contractûs matrimonialis, cum conſenſu miniſtrandi vel ſuſcipiendi Sacramentum Matrimonii; & per conſequens contractum Matrimonii cum Sacramento Matrimonii; cùm tamen certum ſit, de facto dari contractum matrimonialem, v. g. inter infideles, id eſt, non baptizatos, qui non ſit Sacramentum Matrimonii.

1... Eſt ... rati... ſens... trim... & i... nis ... endi... men...

Diverſa ergo ratio eſt conſenſûs illius ſive contractûs illius (de quo loquitur Regius) qui eſt tota eſſentia Sacramenti Matrimonii, ſicut ablutio in Baptiſmo, & illa verba: *Ego te baptizo* &c. ſunt tota eſſentia Baptiſmi, diverſa, inquam, eſt ratio inter illum conſenſum ab una parte, & intentionem conficiendi Sacramentum ab altera; quia videlicet conſenſus ſeu contractus matrimonialis ita eſſentialiter requiritur, ut ſinè illo nunquam reperiatur Sacramentum Matrimonii, utpote tota ejus eſſentia; ipſe autem contractus reperitur abſque intentione conficiendi Sacramentum, quia intentio illa eſt quid extrinſecum iſti contractui, licèt neceſſarium, ut ille contractus habeat rationem Sacramenti.

prop... quan... tiùs i... tota... tia ... quàn... pars... tialis... cum... tam...

Per conſequens eſt aliqua ratio, propter quam magìs conſenſus matrimonialis dicatur materia, vel potiùs tota eſſentia in Sacramento Matrimonii, quàm conſenſus abſolventis dicatur materia, vel forma in Pœnitentia. Ratio autem illa eſt, quòd nullibi Concilia pro forma Pœnitentiæ aſſignent conſenſum abſolventis, ſed illa verba: *Ego te abſolvo* &c. Porrò Concilium Florent. non aliam aſſignat materiam, vel formam Sacramenti Matrimonii, quàm mutuum conſenſum ſigno externo expreſſum, quem vocat cauſam efficientem, non Sacramenti Matrimonii, ſed Matrimonii, id eſt, vinculi ſeu obligationis matrimonialis.

Aſſignet mihi Cardinalis aliquem locum ſimilem, in quo dicitur: *Materia vel forma Pœnitentiæ eſt conſenſus abſolventis per hæc verba expreſſus: Ego te abſolvo &c.* & jungo dexteram. Et quamvis conſenſus abſolventis eſſentialiter requiratur, non tamen niſi extrinſecè, ſicut requiritur ipſe miniſter abſolvens; unde non eſt pars eſſentialis intrinſeca, ſicut contractus vel conſenſus conjugum eſt pars, immo tota eſſentia intrinſeca Sacramenti Matrimonii, ùt contra ipſum probavimus longè & latè diſp. 1. ſect. 3. concl. 1.

154 Matrim... nium ... gore nu... quam ... niſtratu... ſub con... tione de... turo.

Dico ergo, ſicut dixi diſp. 1. ſect. 7. concluſ. 9. in rigore loquendo ne quidem Sacramentum Matrimonii unquam miniſtratur ſub conditione de futuro; ſed contractus matrimonialis incipit; perficitur autem tam in ratione contractûs, quàm Sacramenti, impletâ conditione, adeò ut non ſit in poteſtate miniſtri

Digitized by Google

miniſtri Matrimonii perfectè contrahere, & nihilominus ſuſpendere effectum Sacramenti ab aliqua conditione in futurum.

Exempli gratiâ ſupponamus ſententiam, quam Aliqui putant eſſe veram, ùt ſuo loco videbimus, quòd Matrimonium inter fideles poſſit eſſe validum in ratione contractûs, & non Sacramenti; Dico; quòd non ſit in poteſtate contrahentium facere contractum validum, & ſuſpendere rationem Sacramenti ab aliqua conditione in futurum; ſed vel ſtatim valet contractus ille in ratione Sacramenti, vel nunquam valebit, eodem modo, quo in aliis Sacramentis, poſitâ materiâ & formâ Sacramenti, v. g. in Baptiſmo ablutione cum his verbis: *Ego te baptizo* &c. & in Sacramento Pœnitentiæ poſitâ hâc formâ verborum: *Ego te abſolvo &c.* præviâ Confeſſione, vel ſtatim valet Sacramentum, vel nunquam.

155. Differentia inter Matrimonium, & alia Sacramenta.
Ut proinde tota differentia inter Matrimonium, & alia Sacramenta, in eo conſiſtat, quòd contractus matrimonialis admittat conditiones de futuro inſtar aliorum contractuum, ita ut non ſit abſolutus & perfectus contractus, niſi impletâ conditione, ſed ſolùm quaſi initium; Ablutio autem æquè ſit perfecta & completa & abſoluta, ſive addatur conditio futura, ſive non. Et ſimiliter pronunciatio formæ, v. g. *Ego te baptizo* &c. cùm ſit actio aliqua externa, fieri non poteſt, ut ſemel poſita, poſtea, deficiente conditione aliquâ, non fuerit poſita. Vel ſi nunquam poſita adhuc fuit, nequit fieri, ut per ſolam conditionem ſupervenientem ponatur.

Objectio. Dices; fieri poteſt, ut adveniente conditione, abſolutè & perfectè ſignificet, quod antea tantùm ſignificabat conditionatè & imperfectè.

Solutio. Reſpondeo; ſignificationem non eſſe formam Sacramenti, ſed magis externam pronuntiationem, quamvis non abſque ſignificatione: cùm ergo quando ſignificatio ponitur, non ampliùs exiſtat externa pronuntiatio, quæ eſt forma, ſi antea non erat Sacramentum, neque jam fiet Sacramentum, defectu formæ. Hæc poſſent ſufficere pro doctrina communi.

156. Argumentum Bonæ Spei pro communi ſententia.
Perplacet tamen adjungere novum aliquod argumentum; noviter, ùt puto, inventum à Bonæ Spei, quia in aliis Auctoribus, quos perlegi, illud non invenio. Eſt autem hujuſmodi: Niſi Sacramentum operetur dum eſt, poſita poſtmodum conditio potiùs gratiam ex opere operato conferet, quàm ipſum Sacramentum; quod dici non poteſt; vide argumentum capitis *Ad hæc quoniam* De Appellat. ubi prohibetur Abſolutio in ſuſpenſo. Hæc ille diſp. 4. n. 35.

Vidi cap. *Ad hæc quoniam* 37. eſtque ſequentis tenoris: *Ad hæc quoniam ſub interdicto aliqui conſtituti appellant, & deinde illud ſervare contemnunt: quid in hoc caſu ſervandum ſit conſulere voluiſti. Noveris igitur, quòd ſicut poſt appellationem excommunicari non poſſunt: ſic interdictum nequeunt, cui ante appellationem eos conſtat ſuppoſitos, declinare.* Vidi, inquam, & maturiùs expendi ſingula verba illius capitis, ſed nondum vidi argumentum, id eſt, quomodo ex iſto capite poſſit probari, quòd non liceat aut valeat Abſolutio ſacramentalis ſub conditione de futuro.

Et verò, ubi prohibetur in iſto capite Abſolutio in ſuſpenſo? Neque de ſuſpenſione, neque de Abſolutione aliqua mentio, ſed de interdicto, & de appellatione, per quam clerici volebant declinare interdictum, cui ante appellationem ſuppoſiti erant. Sed quid hoc ad propoſitum Abſolutionis ſacramentalis ſub conditione de futuro? Iterum dico, non video.

Ut igitur finem imponamus huic Concluſioni, optima & efficaciſſima ejus probatio eſt 157. Optima probatio Concluſ. eſt voluntas divina.
voluntas divina, quæ ſtatuit, ut omnia Sacramenta operentur ſuum effectum ſtatim, atque tota eſſentia poſita eſt, niſi aliquid obſtet. Licèt ergo non repugnet, Abſolutionem ferri ſub conditione de futuro, præcisè quà eſt Abſolutio, equidem quia Sacramentum eſt, oportet ſequatur naturam ſeu inſtitutionem aliorum Sacramentorum; in tantùm, ut ſi ſatisfactio, quæ eſt pars integralis, poneretur ante Abſolutionem, ſtatim poſt Abſolutionem poneretur ejus effectus, id eſt, remiſſio pœnæ temporalis; hunc autem, quia ordinariè ſequitur Abſolutionem, hinc non mirum, ſi tantillum differatur effectus, ſicuti ſuſpenditur effectus Baptiſmi poſt ablutionem uſque ad prolationem formæ, quamvis alioquin, ſi prolatio formæ præceſſiſſet, illicò poſt ablutionem Sacramentum contuliſſet ſuum effectum. Proinde, uti ſuperiùs diximus, poteſt quidem miniſter ſuſpendere effectum, differendo aliquam partem Sacramenti, poſitâ tamen materiâ & formâ; cum intentione conficiendi Sacramentum, non poteſt ſuſpendere effectum; quia effectus ſequitur ipſum Sacramentum quaſi naturaliter, velit nolit miniſter. Et ideo dico:

CONCLUSIO VII.

Dimidiari non poteſt Abſolutio ſacramentalis circa peccata mortalia ritè confeſſa, nec licitè, nec validè.

Addo illam particulam: *Ritè confeſſa*, id 158. Quare addatur in Concluſ. *Ritè confeſſa*?
eſt, confeſſa legitimo Iudici; nam fieri poteſt, ut pœnitens confiteatur peccata reſervata cum non reſervatis illi, qui non habet poteſtatem abſolvendi à peccatis reſervatis, & in iſto caſu planum eſt, peccata reſervata tantùm abſolvi indirectè, tametſi peccata non reſervata abſolvantur directè, idque non defectû intentionis miniſtri, ſed defectû poteſtatis; de hac ergo dimidiata Abſolutione non loquitur Concluſio; ſed de illa, quæ præcisè

 oriretur

Digitized by Google

oriretur ex defectu voluntatis miniſtri, quia videlicet Sacerdos, quamvis poſſit ab omnibus peccatis confeſſis abſolvere, tamen non vult, niſi ab hoc vel illo particulari peccato.

Et quamvis certum ſit, non poſſe validè abſolvere ab uno peccato mortali directè, niſi ab omnibus abſolvat ſaltem indirectè; quia effectus Sacramenti, ut puta gratia ſanctificans, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, eſt incompoſſibilis cum quocumque vel minimo peccato mortali: equidem dubium eſt, an poſſit validè abſolvere directè ab uno peccato mortali, & non ab alio ritè confeſſo, præcisè quia non vult; ſicuti poteſt validè conſecrare unam vel plures hoſtias, ante ſe poſitas, aliis prætermiſſis, quas tamen, ſi vellet, unà conſecraret.

159. *Probatio Concluſ. Suarez.* Concluſio, quæ eſt Suarii diſp. 31. ſect. 1. n. 3. probatur; quia licèt valor Sacramenti pendeat ex intentione miniſtri, tamen poſito Sacramento, effectus ejus non pendet ex illius voluntate, quia Sacramentum jam agit per modum cauſæ naturalis juxta diſpoſitionem recipientis; hic autem ſuſcipiens diſpoſitus eſt, ùt ſupponitur, ut per ſe & directè remittantur illi omnia peccata per Sacramentum; ergo non tantùm illicitè, ſed etiam invalidè dimidiatur Abſolutio.

Differentia inter hoc Sacramentum & Euchar. Ad ſimile reſpondetur; materia vel quantitas ejus in Sacramento Euchariſtiæ non eſt jure divino determinata, ſed per intentionem miniſtri determinari debet: at verò materia Abſolutionis eſt determinata jure divino, ſcilicet omne peccatum non ritè confeſſum; mortale quidem materia neceſſaria, veniale autem libera; & ideo cùm miniſter intendit applicare formam, non poteſt excludere partem materiæ.

160. *Alia differentia ex Suario.* Deinde, inquit Suarez ſuprà n. 4. eſt alia differentia; quia in aliis Sacramentis materia applicatur ex intentione miniſtri; hìc autem ipſe ſuſcipiens eſt, qui applicat materiam, & ita hoc totum pendet ex intentione ejus; ad miniſtrum autem pertinet inducere formam. Neceſſariò ergo, ſi vult perficere Sacramentum, conficit illud ex tota illa Confeſſione peccatorum, & forma; ergo neceſſariò etiam remittit per ſe & directè omnia peccata. Hæc ille.

Eadem videtur ratio de mortalibus & venialibus. Et licèt potiſſimùm loquatur de peccatis mortalibus, equidem ratio aſſignata etiam militat pro venialibus; præſertim cùm gratia ſacramentalis, quæ datur in Abſolutione venialium, æquè, aut ſaltem ſufficienter, repugnet omnibus peccatis venialibus ritè confeſſis; ſicut gratia, quæ datur in Abſolutione mortalium, æqualiter repugnat omnibus peccatis mortalibus ritè confeſſis. Neque datur major vel minor gratia ſecundùm menſuram, quam abſolvens vult, ſed quam Spiritus ſanctus vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem. Sicut ergo omnia mortalia ſaltem indirectè remittuntur, quidni etiam omnia venialia?

Dices; quia nec hoc, nec illud peccatum veniale remittitur propter repugnantiam, quam habet cum gratia ſanctificante, cùm per nullum omnino gratia ſanctificans expellatur; ergo licèt aliqua remittantur per Abſolutionem & gratiam, quæ in Sacramento infunditur, non tamen propterea omnia, etiam indirectè. Cur autem magìs hæc, quàm iſta? Non videtur alia ratio, quàm voluntas miniſtri. O[...]

Fateor, hanc eſſe differentiam inter peccata mortalia, & venialia; & ideo majus dubium de his, quàm illis. Interim videtur hoc Sacramentum ita inſtitutum, ut non ſit in arbitrio Sacerdotis uti poteſtate Clavium, niſi juxta exigentiam materiæ, de qua judicialiter cognovit ex Confeſſione rei ſeu pœnitentis. Hanc autem inſtitutionem colligimus ex communi uſu & praxi Eccleſiæ, quæ nunquam ſolet aliter abſolvere. So[...]

Nihilominus oppoſitam ſententiam, teſte Suario ſuprà n. 2. ſequitur Medina q. 14. de Confeſſ. Et Card. Lugo diſp. 20. n. 77. ait: Hoc tamen difficultate non caret, nec facilè probabitur, non poſſe validè (quamvis non licitè) Sacerdotem velle abſolvere ab his (peccatis mortalibus ritè confeſſis) & non applicare directè Abſolutionem ad alia (ſimiliter ritè confeſſa) ſed habere ſe, ſicut ſi ea non audiviſſet. 1[...] *Op[...] Con[...] cer[...] Lug[...]*

Ego tamen (inquit Arriaga diſp. 40. n. 45.) omnino judico cum Patre Suario nullatenus id poſſe validè fieri; quia in primis ille homo tunc, ſi abſolvitur ab aliquibus mortalibus, neceſſariò, ſaltem indirectè, ab omnibus abſolvitur, hoc eſt, quoad Deum jam eſt abſolutus & gratiam accepit; ergo quoad hoc punctum dividi non poteſt Abſolutio: neque item dividi poteſt quoad Abſolutionem directam; quia illa Abſolutio directa coram Deo nihil aliud efficit, maximè in ſententia Card. Lugo, quàm tollere obligationem ea peccata confitendi ei, qui habet directam juriſdictionem ad abſolvendum ab illis; ergo non poterit dici, quòd maneat talis pœnitens obligatus aliqua ſecundò confiteri, cùm jam ſatisfecerit obligationi, ſe ſiſtendi coram habente legitimam juriſdictionem, & ille abſolvens indirectè, non potuerit privare ſe eâ juriſdictione; ac proinde non potuerit illum obligare ad hoc, ut ſecundò confiteatur. Hæc ille. *Arri[...] adhæ[...] Con[...]*

Atque, ut verùm fatear, cùm multa alia ſint in hoc Sacramento neceſſaria ad valorem, de quibus nobis non conſtat, niſi per continuum uſum & univerſalem praxim Eccleſiæ, ignoro planè, quare Eminent. reddat ſe difficilem in præſenti puncto, de quo ſatìs conſtat, ſi non ex verbo ſcripto, ſaltem tradito per continuum uſum & univerſalem praxim Eccleſiæ; nunquam enim legitur, vel auditum fuit, 163. *quæ o[...] probat[...] univer[...] praxi E[...] ſiæ.*

fuit, aliquem Confeſſarium poſt audita omnia peccata pœnitentis ſeu mortalia ſeu venialia, ab aliquibus voluiſſe abſolvere, ab aliquibus non, cùm tamen poſſet ab omnibus abſolvere ſi vellet: quidquid ſit de praxi Romana, quæ ab Aliquibus obtruditur, audiendi ſola peccata reſervata, ab eiſque ſacramentaliter abſolvendi, de qua infrà proprio loco.

Per ſe conſtat eſſe abſurdiſſimum, inquit Suarez ſuprà n. 5. quòd Parochus poſſet, auditâ integrâ Confeſſione ſui Parochiani, non illum integrè abſolvere, ſed tantùm de quibuſdam peccatis, & pro reliquis eum mittere ad doctiorem alium Sacerdotem, loquendo de Abſolutione Sacramentali; ſecùs ratione conſilii, aut alterius remedii.

164. [illegible] Ut ut ſit de valido; ſaltem non licere hujuſmodi dimidiatam Abſolutionem, pro comperto habetur apud omnes; quia aut pœnitens eſt diſpoſitus ad recipiendam Abſolutionem, vel non: ſi non, à nullo peccato debet abſolvi; ſi eſt, ab omnibus, ſaltem mortalibus, eſt abſolvendus, ſicut ipſe omnia mortalia tenetur confiteri. Siquidem integritas in Confeſſione requiritur propter integritatem in Abſolutione; ſi ergo in Confeſſione requiritur integritas, cur non magis in Abſolutione? Præſertim quia poſt factam integram Confeſſionem, nulla poteſt eſſe cauſa rationabilis ad dimidiandam Abſolutionem.

Cùm ergo conſtet in omni prorſus caſu id eſſe illicitum, hæc maneat reſolutio finalis: vel ille Confeſſarius habet intentionem conficiendi Sacramentum, vel non; ſi non habet, nullum peccatum remittit; ſi habet, velit nolit omnia peccata remittit, ſi pœnitens non ponit obicem. Quippe verba formæ generalia ſunt, & quamvis ab intentione miniſtri dependeat ut ſacramentaliter ſignificent, tamen ſuppoſitâ ſacramentali ſignificatione, non eſt cur potiùs ſignificent remiſſionem hujus, quàm illius peccati, quando omnium eſt eadem diſpoſitio pœnitentis, & juriſdictio abſolventis.

Sed nunquid, interrogat quiſpiam, forma Abſolutionis poteſt proferri à pluribus miniſtris, adeòque plures miniſtri eundem validè abſolvere ab eiſdem peccatis? Reſponſio erit

CONCLUSIO VIII.

Poſſunt plures miniſtri eundem ſimul validè abſolvere ab iiſdem peccatis; eruntque tali caſu plura Sacramenta, etiam aliquando formaliter.

Loquitur Concluſio de ſimultanea Abſolutione, nam de ſucceſſiva liquet profectò, quòd ſicuti pœnitens eadem peccata poteſt ſucceſſivè iterum & iterum ſubjicere Clavibus Eccleſiæ, ita ab eiſdem poſſit ſucceſſivè iterum & iterum abſolvi, ſive ab eodem, ſive à diverſis miniſtris, prout eidem, aut diverſis confitetur. 165. Plures miniſtri ſucceſſivè poſſunt eundem abſolvere ab iiſdem peccatis,

Præterea loquitur de eiſdem peccatis; nam ſi pœnitens velit dividere peccata venialia, & unam partem uni, alteram alteri confiteri, indubiè uterque miniſter poſſet ſimul illum abſolvere à peccatis ſibi confeſſis, & ſinguli conficerent diſtinctum Sacramentum, & conferrent diſtinctam gratiam; cùm ſit diſtinctus dolor, diſtincta Confeſſio, & diſtincta Abſolutio; per accidens autem eſt, quòd eodem tempore proferatur Abſolutio. & ſimul à diverſis,

Et verò quod dictum eſt de peccatis venialibus, etiam de mortalibus intelligendum, quando licitè dimidiatur eorum Confeſſio; v. g. in Aliquorum ſententia poteſt Prælatus velle ſolùm audire peccata reſervata, & ab iis directè abſolvere, mittendo pœnitentem ad alium, cui confiteatur non reſervata; ſuppoſitâ tali caſu Confeſſione utrique factâ, non eſt ratio, quare Prælatus, & inferior Confeſſarius, non poſſent ſimul validè, immo & licitè abſolvere à peccatis ſibi confeſſis. etiam mortalibus.

166. Præterea ſimul ab iiſdem, diverſo tempore confeſſis; Difficultas ergo eſt, quando eadem omnino peccata ſimul confitetur pluribus miniſtris, ut ab ipſis ſimul recipiat Abſolutionem ſacramentalem. Dico, *Simul confitetur*, quia ſi hodie uni confiteatur, craſtinâ die alteri, ſi uterque poſtea ſimul occurrat, cur non poterit ab utroque petere Abſolutionem? Cur non poterit ab utroque ſimul abſolvi, ſicut poterat ſucceſſivè? Cur non accipiet duplex Sacramentum, & duplicem gratiam, ſicut ſi ſucceſſivè abſolviſſent? Uterque enim jus habet judicandi, ac ſi ad ipſum ſolùm recurriſſet.

Cùm ergo in tali caſu ſit duplex dolor, duplex Confeſſio, duplex Abſolutio, nulla eſt ratio, quare non ſit duplex Sacramentum, etiam formaliter, id eſt, conferens diſtinctam gratiam, eodem modo ac ſi diverſa peccata pluribus fuiſſet confeſſus, & à pluribus ſimul abſolveretur. quo caſu erit duplex Sacramentum formaliter.

167. *Diſpar eſt ratio de Baptiſmo & c. quòd hæc Sacramenta non ſunt iterabilia, ſaltem pro eodem tempore;* Diſpar ratio eſt de Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, & Extrema Unctione; nam hæc Sacramenta ex ſua inſtitutione ordinantur ad quemdam finem determinatum, Baptiſmus ad generationem ſpiritualem, & characterem familiæ Chriſti; Confirmatio ad roborandum in fide, & characterem militiæ Chriſti; Ordo ad miniſtrum Eccleſiæ conſtituendum & characterem miniſterii; denique Extrema Unctio ad confortandum in ultimo agone; & ideo non ſunt iterabilia, ſaltem pro eodem tempore: quod addo; quia Extrema Unctio iteratur pro iteratione ultimi agonis. Non ſunt, inquam, iterabilia; quia non ordinantur ad augmentum ſui effectûs, ſed ad ponendum illum effectum ſemel, quo effectû ſemel poſito, non deſervit ampliùs illud Sacramentum ad iterum ponendum effectum, vel augendum. At verò Sacramentum Pœnitentiæ conſtat eſſe reiterabile, etiam ſuper eiſdem peccatis; utpote à Deo ordinatum, non ſolùm ad ſemel ponendum ſuum effectum, ſed etiam ad ejuſdem augmentum. *Secùs Sacram. Pœnitentiæ.*

168. *Confirmat diſparitatem Lugo exemplo Pontificis.* Confirmat hanc diſparitatem Lugo diſp 13. n. 168. exemplo Pontificis, qui dum concedit accipienti Bullam Cruciatæ, ut poſſit ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis lucrari Indulgentiam plenariam, vel ſemel abſolvi à reſervatis &c. non vult niſi ſemel poni ejuſmodi effectum, eſtò aliquis ſimul plures accipiat Bullas, niſi ſpecialiter id exprimatur in ſecunda Bulla. At verò quando habenti talem imaginem benedictam, & audienti Miſſam, concedit toties quoties pro ſingulis Miſſis 40. annos Indulgentiæ, vel Indulgentiam plenariam, ſi aliquis ſimul audiret duas Miſſas in duobus altaribus, duplicatam lucraretur portionem, ſicut ſi eas audiret ſucceſſivè inquit Eminent.

Sed hoc difficulter crediderim. Valeat quantum valere poteſt; ab illo exemplo non pendet veritas noſtræ Concluſionis. Illa ſola diſparitas ſufficiens eſt, quòd Baptiſmus ſit Sacramentum non iterabile, undecumque illud proveniat; Pœnitentia autem Sacramentum iterabile, ut exinde duplex Sacramentum Pœnitentiæ conferre debeat duplicem effectum; ſecùs duplex Sacramentum Baptiſmi.

169. *An foret duplex Sacramentum formaliter ſi pœnitens ſimul confiteretur utrique.* Sed nunquid, ut ſit duplex Sacramentum Pœnitentiæ; requiritur, ut ſucceſſivè utrique confiteatur, & non ſufficit, quòd ſimul eo fine, ut ab utroque recipiat diſtinctam Abſolutionem? Placet reſolutio, affirmans ſufficere, non ſolùm, ut ſit duplex Sacramentum materialiter; ſed etiam formaliter, id eſt, ut pœnitens recipiat duplicem effectum, ſi eſt diſpoſitus. Quod addo; quia Multi exiſtimant talem peccare ita confitendo, quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, & exponitur una Abſolutio periculo nullitatis.

Eſſe contra Eccleſiæ conſuetudinem, non abnuo; exponi autem unam Abſolutionem periculo nullitatis, ſi fortè non ſimul finiant prolationem verborum, nego; dummodo uterque in ſolidum velit abſolvere, & pœnitens ab utroque in ſolidum velit abſolvi. Cæterùm ſola conſuetudo Eccleſiæ ſatis eſt, ut talis Confeſſio ſit illicita: ſi tamen licitè fieret propter bonam fidem pœnitentis, haud ſatis claré video, quare utraque Abſolutio, ſive ſimul finiatur, ſive non, eundem deberet habere effectum, & non potiùs diverſum.

Ratio mea eſt; quia etiam in tali caſu eſt duplex Abſolutio in ſolidum, quæ, ſecundùm noſtra principia, eſt tota eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ; immo duplex etiam Confeſſio, non quidem phyſicè & materialiter, ſed moraliter & virtualiter. Idem quippe eſt dicere: *Confiteor vobis hoc peccatum*, atque, *Confiteor tibi Petre, & Confiteor tibi Paule*, quo caſu eſſet duplex realiter Confeſſio. Sicuti cùm plures ſimul abſolvo, dicendo: *Ego vos abſolvo*; quamvis hæc Abſolutio realiter & phyſicè ſit una; moraliter tamen & virtualiter eſt duplex; & confert duplicatum effectum; quia idem eſt, ac ſi dicerem: *Abſolvo te Petre, & Abſolvo te Paule.* Et eodem modo dici poſſet dolorem eſſe duplicem, ſcilicet moraliter & virtualiter; quia æquivalet duplici dolori, qui eſſet, ſi duobus ſucceſſivè novo elicito dolore confiteretur.

Dixi notanter: *Eo fine, ut ab utroque recipiat diſtinctam Abſolutionem*; quia ſi moribundus v. g. petat abſolutionem ſimpliciter, & ſtatim poſt ſenſibus deſtituatur, eſt contra receptiſſimam praxim Eccleſiæ, quòd à pluribus ſucceſſivè abſolvatur, niſi nova edat ſigna doloris vel Confeſſionis, quæ praxis tamen eſſet in maximum detrimentum animarum, ſi licitè & validè pluries poſſet abſolvi, & ſemper novam recipere gratiam.

Ratio autem diverſitatis eſt, quòd hìc non ſit duplex Confeſſio; jam autem unus proceſſus, & una accuſatio; ſolùm inchoat unum judicium; porrò unum judicium terminatur per unam ſententiam. Cùm ergo moribundus non intenderit recurrere ad plures Sacerdotes, tanquam ad Judices diſtinctos, ut à ſingulis ſeorſim Abſolutionem obtineret, ſed ſimpliciter petierit Abſolutionem, ſive ab uno, ſive à pluribus; inſtituit enim cauſam ſicuti potuit & debuit, id eſt, juxta conſuetudinem Eccleſiæ; hinc ſive ab uno abſolvatur, ſive à pluribus, ſicut unum fuit judicium, ſic una erit ſententia Abſolutionis. Unde ſi contingat à pluribus ſimul proferri verba Abſolutionis, qui primò finierit, ejus Abſolutio erit valida, ſi autem omnes ſimul finiant, omnes validè abſolvent, ſed per modum unius. *Seci do fuii tio end cem lutii*

17: *Prima ječtio.* Sed contrà I. quòd ſit una, vel duplex Abſolutio, non videtur pendêre ab intentione pœnitentis: veluti ſi quis velit duas hoſtias conſecratas accipere per modum duorum Sacra-

Digitized by Google

Sacramentorum, non ideo accipiet duplicem gratiam, & tamen illæ duæ hoſtiæ, ſunt duo numero Sacramenta, quæ ſi ſucceſſivè ſumerentur, indubiè cauſarent diverſum effectum; Sacramentum quippe Euchariſtiæ eſt iterabile non minùs, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, & ordinatur ad augendam gratiam; habetque multò minùs determinatum finem, quàm Pœnitentia; hæc enim directè habet pro fine extinctionem culpæ, quæ extinctio una videtur eſſe reſpectu ejuſdem culpæ. At Euchariſtia neque hanc habet limitationem, & tamen eſtò duæ treſve hoſtiæ ſumantur ſimul, quidquid etiam intendat accipiens, non erunt duo Sacramenta in ordine ad collationem diſtinctæ gratiæ, ſed per modum unius Sacramenti conferent eundem effectum, quem alioquin una hoſtia cæteris paribus contuliſſet.

173. Secundò; ſi multiplicatio effectûs pendet ab intentione confitentis, debet ſupponi, ſaltem habitualiter id velle infirmus ille, quia cùm id ſit in bonum ipſius maximum; nec hoc adferat illi ullum penitus nocumentum aut moleſtiam, nec phyſicam, nec moralem, ſed purum putum duplicatum augmentum gratiæ, quis erit tam ſimplex, qui non malit eas duas Abſolutiones per modum duarum, quàm per modum unius?

Ad ſimiles autem effectus non eſt neceſſaria formalis & expreſſa intentio; ſufficit enim interpretativa, ùt patet in ſuſceptione Extremæ Unctionis, quam, eò quòd non adferat ullam difficultatem, aut onus; ſed puram utilitatem; cenſentur omnes Catholici ſaltem habitualiter velle, ac proinde eo ipſo eſt illis ſufficienter voluntaria ejus ſuſceptio, quantumvis de ea fortè totâ vitâ ſuâ non cogitaverint, ergo idem dicendum erit quoad duplicem illam Abſolutionem. Ita Arriaga diſput. 50. n. 29.

174. Reſpondeo ad ultimum Neg. Conſeq. Ratio diſparitatis eſt tam manifeſta, ut mirum ſit virum doctum illam non vidiſſe. Quid enim clariùs, quàm Extremam Unctionem, juxta conſuetudinem Eccleſiæ, & Chriſti inſtitutionem; omnibus Catholicis extremè laborantibus adminiſtrari? Et quid manifeſtiùs, quàm Abſolutionem nullis Catholicis, etiam extremè infirmis, juxta conſuetudinem Eccleſiæ dari, niſi ab uno? Quidni ergo omnes Catholici habitualiter ſeu interpretativè velint ſuſcipere Extremam Unctionem, tametſi nolint habitualiter ſeu interpretativè Abſolutionem à pluribus miniſtris? Profectò quilibet Catholicus cenſetur habere voluntatem conformem voluntati Eccleſiæ univerſalis, niſi aliud expreſsè conſtet, præſertim ſi eſt voluntas Eccleſiæ obligans.

Cur Eccle. ſia nolit in extremis miniſtrari

Cur autem nolit Eccleſia, etiam in extremis, miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ à pluribus, ſimul vel ſucceſſivè, niſi de novo infirmus confiteatur, eſtò reciperet à pluribus ſimul vel ſucceſſivè diſtinctas gratias, ratio poteſt eſſe; quia una Abſolutio eſt planè ſufficiens ad ſalutem, & non omnino certum eſt, alias Abſolutiones valere, aut conferre novum effectum. Et ſanè Eccleſia nonne prohibet extremè laboranti ſæpiùs de die communicare, tametſi certò certiùs acciperet majorem gratiam? Pœniten. à pluribus miniſtris.

Accedit, quòd diverſo planè modo concurrat intentio pœnitentis ad Abſolutionem, quàm intentio infirmi ad Sacramentum Extremæ Unctionis; nam quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ, ſunt actus pœnitentis; at verò materia Extremæ Unctionis, actio miniſtri. Quid ergo miramur, ſi intentio pœnitentis poſſit conſtituere diverſas moraliter Abſolutiones, quæ alioquin tantùm eſſent una, ſi pœnitens vellet? Sanè judicium, tametſi formaliter conſiſtat in ſola Abſolutione, equidem præſuppoſitivè etiam in accuſatione. 175. Diverſo modo concurrit intentio pœnitentis ad Abſolutionem, quàm infirmi ad Extr. Unctionem.

Ubì ergo una accuſatio, una ſententia; ubì duplex accuſatio, duplex ſententia: jam autem ab intentione pœnitentis pendet, ut accuſatio, facta coram pluribus ſimul, ſit una, vel multiplex; una quidem erit, ſi non poſtulet ſententiam ab illis pluribus, niſi per modum unius; multiplex autem, ſi intendat ſententiam à ſingulis in ſolidum. Cùm enim in ſolidum non poſſint judicare, niſi ipſis in ſolidum res judicanda deferatur, tali caſu etſi accuſatio phyſicè ſit unica, moraliter tamen ſeu virtualiter erit multiplex. Etenim accuſatio pro fine ſuo habet tum informationem Judicis, tum ejus ſententiam; porrò accuſatio, facta coram pluribus ſimul, tam efficax eſt ad informandum omnes Judices præſentes, & ad obtinendam ab omnibus ſententiam, ac ſi ſeorſim unicuique in particulari fieret. Ab intentione pœnitentis pendet, ut accuſatio facta coram pluribus ſimul, ſit una aut multiplex accuſatio.

Ex quo evidenter colligitur reſponſio ad primam objectionem, quam valdè urget Arriaga ſuprà n. 27 & 28. Siquidem ſumptio ſeu manducatio Euchariſtiæ (quæ, ſi non ſit ipſum Sacramentum cauſans gratiam, certè eſt conditio, ſinè qua regulariter Euchariſtia non cauſat gratiam ſanctificantem) eſt actio aliqua phyſica, cujus unitas, vel multiplicatio phyſica, non dependet ab unitate, vel pluralitate hoſtiarum, ùt omnes admittunt, neque etiam ab intentione ſumentis. Et aliunde gratia ſanctificans promiſſa eſt manducanti, ſive Corpori Chriſti manducato, non moraliter ſeu intentionaliter, ſed phyſicè & realiter; ergo niſi actio phyſica phyſicè multiplicetur, non multiplicatur effectus. 176. Reſpondetur ad 1. objectionem.

Quin immo multiplicatio phyſica non ſemper ſufficit; ſed inſuper requiritur multiplicatio moralis, id eſt, ut non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter in communi æſtimatione hominum ſint manducationes diſtinctæ. Jam 177. Intentio communicantis non multiplicat nec phyſicè, nec mora-

autem

iter manducationes.

autem, ex eo quòd aliquis ſimul ſumat duas hoſtias, intentione ſumendi illas per modum duorum Sacramentorum, neque phyſicè, neque in morali æſtimatione hominum multiplicatur ſumptio; ergo neque effectus Sacramenti.

In caſu Concluſ. ſunt duæ Abſolutiones, tam Phyſicè, quàm moraliter.

178. Sed nunquid idem, aut ſimile reperitur in Sacramento Pœnitentiæ? In primis gratia remiſſionis peccatorum promiſſa eſt, non accuſationi, ſed Abſolutioni: *Quorum remiſeritis peccata* (quod fit per Abſolutionem) *remittuntur eis*. Deinde in caſu noſtro, ſeu duo ſimul, ſeu ſucceſſivè abſolvant, ſunt duæ Abſolutiones phyſicè diſtinctæ, ùt clarum eſt. An autem hìc & nunc ſint moraliter diſtinctæ, dubitari poſſet, quandoquidem aliquando accipiantur per modum unius.

Et verò quid obſtat, quin illa moralis diſtinctio fieri poſſit per intentionem pœnitentis, & intentionem abſolventis? Nihil omnino. Nam quod dicit Arriaga ſuprà n. 28. in humanis, ſi reum aliquem, auditâ causâ, duo Judices, inter ſe independentes, illum ſimul abſolvant, reputatur id per modum unius judicialis Abſolutionis; falſum eſt, quando conſtat, reum propoſuiſſe cauſam ſuam illis duobus Judicibus in ſolidum, & utrumque diſtinctè, & in ſolidum velle reum abſolvere.

Sicut ergo pendet ab intentione pœnitentis, & Confeſſarii, ut illa verba: *Ego te abſolvo*, ſint, vel non ſint vera ſententia Abſolutionis; ab intentione autem ſumentis hoſtias conſecratas, non dependet, ut ſit vera ſumptio Euchariſtiæ; ita pariter ab intentione pœnitentis & Confeſſarii pendet, ut duæ formæ verborum ſint moraliter duæ Abſolutiones, vel unica tantùm; tametſi non pendeat ab intentione ſumentis plures hoſtias, ut ſit moraliter una, vel duplex ſumptio Euchariſtiæ.

Objectio ex Scoto.

179. Reſtat parva difficultas ex Doctore Subtili 1. diſt. 17. q. 1. n. 31. ubi ſic ait: *Ex hoc patet, quòd pluribus Sacerdotibus ſimul non eſt confitendum, ut meliùs iudicent; quod ſi fiat, non eſt Sacramentalis Confeſſio.* Ergo videtur, quòd in caſu noſtro nequidem unicam remiſſionem accipiat pœnitens per duplicem Abſolutionem, cùm Abſolutio ſacramentalis non poſſit cadere, niſi ſuper Confeſſionem ſacramentalem; Confeſſio autem, quæ fit pluribus ſimul, ſecundùm Scotum, non ſit ſacramentalis.

Quid ſit Confeſſio ſacramentalis.

Reſpondeo; Confeſſionem ſacramentalem eſſe accuſationem ſuiipſius, in ordine ad Abſolutionem ſacramentalem; ac proinde requirere intentionem ſubmittendi ſe Abſolutioni Sacerdotis; quæ ſi deficiat, non erit Confeſſio materia proxima Abſolutionis; ſin autem adſit, poterit pœnitens abſolvi, & valebit Abſolutio, eſtò Confeſſio fuerit publica.

Explicatur mens Scoti.

180. Neque hoc negat Scotus; ſed tantùm intendit, actum illum ex natura actûs, ùt eſt accuſatio publica, ordinari ad forum publicum, ſicut ordinatur ad ſcientiam publicam, quâ regulatur per ſe tale forum; ac proinde non eſſe Confeſſionem ſacramentalem quantum ad modum; licèt in ſubſtantia poſſit eſſe, quà nimirum includit informationem Judicis, cum intentione recipiendi Abſolutionem. Intendit itaque, non obligari reum ad Confeſſionem publicam peccati ſecreti ex præcepto Confeſſionis; neque illam regulariter eſſe licitam, ùt docet conſuetudo Eccleſiaſtica, quod ſufficit, ut verè dixerit Scotus: *Quod ſi fiat, non eſt ſacramentalis Confeſſio*, ſcilicet quoad modum, id eſt, non eſt ſecreta Confeſſio, ad quam obligat præceptum, ſi non divinum, ſaltem Eccleſiaſticum, ùt ſuo loco videbimus.

Quòd illa ſit mens Scoti, patet ex verbis præcedentibus: *Sed primum* (ſcilicet quòd aliquis debeat confiteri per interpretem) *non videtur neceſſarium: quia forus iſte ex natura ſua eſt ſecretiſſimus, ergo non tenetur aliquis ad iſtum forum, ut aliquo modo publicus: ſed licèt interpres velit celare, & teneatur celare, ſicut Sacerdos, tamen ſi velint malignari, ipſe & Sacerdos poſſunt eſſe teſtes contra accuſatum, & ita ex natura huiuſmodi accuſationis, hæc accuſatio poteſt venire in publicum, & ita non eſt pœnitentialis*, ſcilicet quoad modum.

Sed de hac Confeſſione plura alibi. Impræſentiarum ſufficiat, Confeſſionem per interpretem, aut quæ fieret pluribus Sacerdotibus ſimul, cum debita intentione, licèt non foret neceſſaria, atque hoc ſenſu non ſacramentalis, equidem eſſe materiam proximã Abſolutionis.

An pro... pœ... det... bis... tus

An autem, quando duo ſimul in ſolidum abſolverent eundem pœnitentem de iiſdem peccatis, talis pœnitens deberet dici bis abſolutus, an verò ſemel duplici Abſolutione, quæſtio eſt de nomine. Et quidem, ſi bis abſolvi ſignificat ſucceſſionem unius Abſolutionis poſt aliam; liquet quòd non propriè diceretur bis abſolutus. Sin verò tantùm ſignificet duplicem Abſolutionem, cum duplici remiſſione peccatorum, ſic propriè diceretur bis abſolutus; eſtò qui validè baptizaretur à duobus, propriè non diceretur bis baptizatus; nec eadem hoſtia, quæ à multis Sacerdotibus conſecraretur, pluries conſecrata. Ratio diſparitatis eſt, quòd duplex Baptiſmus, & multiplex Conſecratio, non cauſent niſi unum & eundem effectum. Sed, ùt dixi, quæſtio eſt de nomine, quæ parvi momenti.

An p... mini... mul... vent... ſint ... uti h... mi... abſolv...

Alia quæſtio proponitur: An quando plures miniſtri ſimul eundem abſolvunt, poſſent ſinguli uti hâc formâ verborum: *Nos te abſolvimus à peccatis tuis*, non in eo ſenſu, quo ſolent Pontifices, Prælati, & Principes, immo & alii longè inferioris notæ, loquentes in propria ſingulari perſona, uſurpare vocem pluralis numeri pro ſingulari (id enim perinde eſt, atque in ſingulari loqui) ſed ita ut unuſquiſque illis verbis ſignificet ſeipſum, & etiam alium, qui tunc abſolvit? In hac re non conſentiunt Doctores; dico ego:

CON-

CONCLUSIO IX.

Quando plures ſimul eundem abſolvunt, poſſunt ſinguli validè uti hâc formâ: *Nos te abſolvimus* &c.

182. HIc primò videndum, an Chriſtus voluerit, quòd duo Sacerdotes, licèt ſinguli habeant totalem poteſtatem judicandi; poſſint tamen inter ſe convenire, ad dandam partialiter Abſolutionem, per modum unius adæquati principii, ſic ut valeat Abſolutio; non tantùm ſi ſimul finiant verba abſolutionis, verùm etiam ſi unus paulò ante alium. Veluti contingit in Matrimonio, quod indubiè valet, tametſi unus conjugum ante alium exprimat ſuum conſenſum; idque quia mutuus conſenſus eſt forma totalis & adæquata; adeò que non mirum ſi poſito conſenſu unius, differatur effectus uſque ad poſitionem conſenſûs alterius. Quæſtio ergo eſt, an ſimili modo poſſit validè adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ à duobus Sacerdotibus, ſic quòd ex duabus formis Abſolutionis, conflettur una forma totalis adæquata.

Si affirmaveris, conſequenter videtur dicendum, hanc formam valere: *Nos te abſolvimus à peccatis tuis*: ſicut in Matrimonio valet hæc forma: *Nos contrahimus Matrimonium.* Niſi fortè diſparitas ſit, quòd poſteriora verba determinatè ſignificent concurſum partialem cùm unus ſolus nequeat contrahere Matrimonium; priora autem verba poſſint ſignificare concurſum etiam totalem, pro libito Sacerdotis, ea proferentis. Pro quo

183. Videndum 2. an in communi modo loquendi, verba in prima perſona numeri pluralis, ex ſe ſignificent, duos ad eundem effectum partialiter concurrere, an verò ſint indifferentia, ut juxta materiam ſubjectam ſignificent vel partialem concurſum, vel ſimultaneum quidem, aſt totalem ex parte ſingulorum.

Et ſanè non videtur dubitandum, quin ſæpiùs ex materia ſubjecta, aut aliis circumſtantiis, ſignificent concurſum totalem, ùt patet in his locutionibus: *Nos hodie legimus Sacrum: Nos conſecravimus hanc hoſtiam: Nos teſtes ſumus, quòd hoc fuerit factum: Nos Epiſcopi ſtatuimus ut in noſtris Diœceſibus celebretur tale Feſtum.*

Adde, ſi Deus diſpenſaret, ut aliquis plures uxores ſimul acciperet, vir poſſet dicere: *Ego vos accipio in uxores*: & ipſæ poſſent reſpondere: *Nos te accipimus in virum*, & tamen abſque dubio ſignificarent concurſum totalem; quia ad Matrimonium cum hac fœmina, iſta nullo modo poteſt concurrere.

Similiter ſi quis haberet duos creditores diverſorum debitorum, & ſi illi dicant: *Nos tibi condonamus*, ſinguli ſignificant totalem condonationem ſui debiti, independenter à voluntate alterius; quia neuter poteſt concurrere ad condonationem debiti alieni.

Sin autem duo executores alicujus teſtamenti dicerent: *Nos Petrus & Ioannes donamus tibi hanc rem*, alterius conſenſu deficiente deficit donatio, quia illa verba in iſtis circumſtantiis ſignificant concurſum partialem: cùm enim illa res non pertineat ad ſingulos executores in ſolidum, nec ipſi ſinguli in ſolidum poſſunt eam donare. 184. *Exempla in quibus ſignificant concurſum partialem.*

Conſimiliter ſi duo dicant: *Nos emimus iſtam rem à te*, nullus intelligit unum ſolum velle illam emere, quia ſic quilibet deberet dare æquale pretium, & quilibet deberet eam facere ſuam adæquatè, quod repugnat.

Accedat exemplum ſuprà poſitum: ſi vir & uxor dicerent: *Nos contrahimus Matrimonium*, ex materia ſubjecta illa verba determinatè ſignificarent concurſum partialem, cùm alio modo non poſſint concurrere.

Hinc ad propoſitum noſtrum; ſi Chriſtus ita inſtituiſſet Sacramentum Pœnitentiæ, ut duo ſimul abſolventes, velint nolint, ut validè abſolvant, deberent abſolvere totaliter, ſive ùt cauſæ totales, certè non video, quare invalidè abſolverent hâc formâ verborum: *Nos te abſolvimus à peccatis tuis.* Nam licèt verba illa indifferentia ſint ad ſignificandam cauſam totalem vel partialem; tamen ex materia ſubjecta ſatis determinarentur, ad ſignificandum concurſum totalem, cùm tunc peccata in hoc foro non admitterent Abſolutionem partialem. 185. *Probatio Concluſ.*

Quòd autem Chriſtus ſic inſtituerit hoc Sacramentum, probatur; quia inſtitutio colligi debet, aut ex legitima auctoritate Scripturæ ſacræ, aut declarantis Pontificis, aut Concilii, aut legitima Eccleſiæ Traditione, cùm tota dependeat à voluntate Chriſti; jam verò nullum habemus indicium vel ſignum aliquod minimum, aut ſaltem aliquam convenientiam, vel utilitatem inſtitutionis plurium miniſtrorum partialium. Immo inutilitas oſtenditur; nam unus tantùm per ſe æquè potens eſt, atque plures ſimul juncti, & ut abſolvat, debet percipere totam materiam, de qua debet judicare; ita ut nihil ſit, quod debeant omnes percipere, quod non debeat unuſquiſque percipere integrè, fruſtra ergo inſtitueretur, ut fieret judicium hoc, aut poſſet fieri à pluribus, quod æquè bene poteſt fieri ab uno. *Chriſtus ſic videtur inſtituiſſe hoc Sacramentum, ut ſinguli in caſu propoſito debeant abſolvere totaliter.*

Omitto inconvenientia, v. g. diſcrepantiam judiciorum, tum in danda vel neganda Abſolutione, tum in imponenda hac vel illa Pœnitentia. Sufficere debet univerſalis

Digitized by Google

Eccleſiæ praxis (quæ eſt confitendi uni ſoli, & ab uno ſolo recipiendi Abſolutionem) ubi aliunde non ſuppetit ratio vel auctoritas in contrarium.

186. *Oppoſitum videtur valde probabile Arriagæ, ſi utraque forma ſimul finiatur.*

Nihilominus Arriaga diſp. 50. n. 34. ait, ſibi valde probabile eſſe, quòd ſi velint ipſi abſolventes concurſum tantùm partialem præbere, id poſſent validè obtinere, ſi tamen ſimul formam abſolverent. Cùm enim Chriſtus conſtituerit Sacerdotes ùt Judices, eſtò cuilibet dederit totalem judicandi poteſtatem, non tamen video, cur eos impedierit (ſicut quando duo ſimul audiunt reum) quò minùs poſſint inter ſe convenire ad dandam partialiter Abſolutionem: quòd ſi ex parte voluntatis partialis id non repugnat; verba etiam id non impedient, quandoquidem, ùt dixi, ſint apta ad utrumque ſenſum. Hæc ille.

Solvit objectionem.

Et ſi objicias, non eſſe bonum argumentum in hac materia ab aliis judiciis ad Sacramentale, Reſpondet: licèt in his, quæ ex conſenſu Eccleſiæ ſcimus à Chriſto limitata in hoc Sacramento, non liceat nobis argumentari ab aliis judiciis ad hoc; in his tamen, de quibus fides nihil dicit in contrarium, non video cur ea conſequentia non ſit bona.

187. *Sed contra ſolutionem arguit Auctor.*

Sed contrà; conſenſus Eccleſiæ, ùt ſtatim dixi, videtur etiam in hoc puncto contrarium dicere, cùm non permittat unquam Abſolutionem ſimultaneam plurium Sacerdotum, niſi fortè in neceſſitate, & quamvis non ita expreſsè declaret invaliditatem concursûs partialis; hoc ideo fit, quia nullus hactenus attentavit, quod ſcitur, partialiter tantùm abſolvere; ſicut bene abſolvere in abſentia, aut ſcripto &c. neque periculum eſt, quòd aliqui attentabunt, cùm ad nihil poſſit eſſe utile.

188. *Quid dicendum ſi in tali caſu unus citiùs altero finiat formam?*

Præterea hic auctor n. 36. interrogat; Sed quid ſi unus citiùs altero abſolvat? Reſpondet; Aliquis diceret, tunc nihil per priorem Abſolutionem efficiendum, quia illa non poteſt eſſe ſuſpenſa, donec alter finiat ſuam formam; nihilominus poſſet ſatis probabiliter dici, etiam tunc valere. Ratio eſt facilis; Nam licèt inter formam & materiam requiratur phyſica coëxiſtentia, ut inter ablutionem & verba in Baptiſmo; non eſt tamen neceſſum, ut illa coëxiſtentia ſit omnino metaphyſica, ſed talis, ut moraliter judicentur ſimul, & idem dico de partibus formæ.

Sacramentum valere probatur à ſimili in Baptiſmo.

Demus enim, quòd Chriſtus requiſiviſſet, ut duo abluerent, & duo proferrent formam Baptiſmi, ad hoc ut Baptiſmus eſſet validus; profectò non propterea ullus dixiſſet, debere eos omnino eodem inſtanti abluere, & abſolvere prolationem verborum; quia ſi non eſt neceſſum, ut ablutio & verba fiant in eodem inſtanti, neque etiam erit neceſſe ut ambo ſimul finiant; ſed ſufficiet, ſi habeant eam conjunctionem, quam habent materia & forma ipſius Sacramenti.

Cùm ergo in eo caſu duæ Abſolutiones, ſint duæ partes formæ, eſtò una finiatur paulò citiùs, quàm altera; adhuc erit validum Sacramentum; & quidem debebit etiam tunc dici collatum per verba de præſenti; immo ſi res prudenter conſideretur, de facto ita contingit in omnibus formis; nam dum baptizo; non ſolùm eſt pars formæ ultimum verbum, ſed omnia incipiendo ab, *Ego te* &c. & tamen non omnes partes ejus formæ proferuntur in eodem inſtanti, ſed ſucceſſivè; ergo ſi dicamus ex meis verbis, & verbis alterius Confeſſarii, fieri unam formam integram Abſolutionis, procul dubio, eſtò una pars poſt aliam proferatur, poteſt dici totum fieri per verba de præſenti.

Idem oſtendo ex Matrimonio; nam eſtò Chriſtus Dominus voluiſſet, ut illud non contraheretur niſi in præſentia, & per verba, aut actualia ſigna, nemo tamen ideo diceret, debuiſſe utrumque contrahentem ſimul loqui; ſed ſuffeciſſet etiam tunc, unum poſt alterum loqui, & dare ſignum; neque ideo diceremus, tunc magis eſſe formam de futuro, quàm nunc ſit, quando in Baptiſmo verba præeunt, & ſequitur ablutio, quo caſu etiam forma expectat aliquantulum. Videſne quàm facilè totum hoc defendatur? Hucuſque Arriaga.

Video profectò quàm facilè totum hoc dicatur. Sed aliud eſt dicere, & aliud defendere, quod dicitur. Et quæſo te, quid faciliùs, quàm dicere, valeret Sacramentum Abſolutionis, ſi unus partialis miniſter diceret; *Nos te*, & alius ſubjungeret, *abſolvimus à peccatis*? Nonne ſi in judiciis humanis unus Judex partialis diceret: *Nos te*, & alius adjungeret: *Abſolvimus à tali crimine*, ſententia foret valida?

Si Chriſtus inſtituiſſet trinam ablutionem pro materia Baptiſmi, putas quia non valeret Baptiſmus, ſi primus miniſter primam ablutionem poneret, ſecundus ſecundam, tertius tertiam? Sicut enim illæ tres ablutiones conſtituerent unam totalem materiam, ſic & illi tres miniſtri unum totalem miniſtrum; ſufficit autem, quòd totalis miniſter applicet totalem materiam. Ergo ſimiliter ſufficiet, quòd totalis miniſter Sacramenti Pœnitentiæ pronunciet totalem formam Sacramenti Pœnitentiæ.

Et ſi dixero ſufficere, quòd unus ex duobus miniſtris præſentibus proferat verba Abſolutionis, ut uterque intelligatur abſolvere, & verè abſolvat, vellem videre, ubi fides contrarium diſponat. Videſne quàm facilè totum hoc dicatur? Num ideo facilè totum hoc defenditur?

Atque ùt verum eſſet, quod Arriaga ibi docet, adhuc vera foret Concluſio, licèt enim tunc illa verba: *Nos te abſolvimus* &c. non ſatis determinarentur à ſubjecta materia, vel aliis circumſtantiis, ad ſignificandum concurſum partia-

Digitized by Google

partialem vel totalem, ſed merè ab intentione abſolventis, cùm tamen uterque concurſus ſit ſacramentalis, ùt ſupponitur, parùm refert, quis ſignificetur, dummodo ſignificetur Abſolutio procedens à tali miniſtro; quippe quòd forma Abſolutionis debeat ſignificare miniſtrum ùt cauſam totalem vel partialem, ubi fides docet? Sufficit planè, quòd ſignificet actum, qui per ipſum miniſtrum exercetur.

Adde, cùm ſit ambigua ſignificatio iſtorum verborum, fortè per ſolam intentionem miniſtri ſatis eam determinari ad hunc vel illum concurſum ſignificandum, veluti ly *Meum* in forma Conſecrationis determinatur ad ſignificandum corpus Christi, tametſi omnes circumſtantes apprehendant Sacerdotem loqui de proprio corpore.

Atque hìc ſit finis hujus controverſiæ, parùm reverà utilis; uti & aliæ nonnullæ, quæ hìc à Doctoribus tractantur, & ideo eis non immoror; ſed tranſeo ad illa, quæ ſunt ſcitu prorſus neceſſaria tam ipſis Confeſſariis, quàm pœnitentibus; ad actus, inquam, pœnitentis, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Et quoniam Contritio primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, hinc erit

SECTIO QVARTA.

De Dolore Sacramentali.

1. Definitio Contritionis ex Trid. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. in principio, *Contritio*, inquit, *quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.* Hanc definitionem diffuſiùs explicavimus diſp. 6. ſect. 2. concl. 2. & ibi dictis nihil habeo addendum. Porrò alia eſt Contritio charitate perfecta, alia Contritio imperfecta, quæ Attritio dicitur, ùt ibidem docet Concilium. Quæris à me, an etiam illa Attritio ſit dolor Sacramentalis, & quid ſit illa Attritio? Reſolutionem meam invenies diſp. 6. ſect. 3. per totam.

Tantùm addo, etſi primarium intentum Concilii fuiſſet, oſtendere contra Hæreticos, quòd Attritio non ſit actus malus, ſed bonus; & conſequenter, quòd falsò quidam calumnientur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre: equidem eâdem operâ, poſtquam declaravit, de qua Attritione loquantur Scriptores Catholici, ſcilicet de illa, quæ voluntatem peccandi excludit, cum ſpe veniæ; eâdem, inquam, operâ approbat eorum doctrinam, dicens: *Et quamvis ſinè Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* An remotè tantùm? Immo verò proximè ſecundùm Catholicos Scriptores, quos ibi Concilium defendit à falſa calumnia Hæreticorum.

2. Quomodo intelligendum quod ex Trident. adducitur. Unde quod ſubditur: *Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus Pœnitentiam egerunt; & miſericordiam à Deo impetrarunt*, videre poſſet, non eſſe probatio illius, quod immediatè præceſſerat, cùm tunc nondum eſſet Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum; ſed primarii quaſi intenti, ùt puta timorem pœnæ à Deo immiſſum non eſſe malum, neque etiam Pœnitentiam, quam ex illo concipimus, vel tantùm naturalem, quantò magìs ſupernaturalem? Hoc enim timore &c.

Aſt nunquid, interrogat quiſpiam, dolor ſacramentalis debet eſſe ſupernaturalis? Et alius: Nunquid formalis? Et tertius: Nunquid efficax? Reſpondeo unicâ Concluſione:

CONCLUSIO I.

Dolor Sacramentalis debet eſſe ſupernaturalis, formalis, & efficax, etiam de venialibus.

VOco dolorem ſacramentalem, qui requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ, non ùt quædam tantùm diſpoſitio ad effectum Sacramenti, ſed etiam ùt materia aut quaſi materia Sacramenti. Hanc autem debere eſſe ſupernaturalem, probatur communiter ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 3. ſequentis tenoris: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Poſſet autem pœnitere homo ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, ſinè præveniente Spiritûs ſancti inſpiratione, ſi dolor ſacramentalis poſſet eſſe omnino naturalis tam in modo, quàm in ſubſtantia; quippe non admittimus Sacramentum validum & informe, de quo infrà.

3. Quis ſit dolor ſacramentalis? Quòd debeat eſſe ſupernaturalis probatur ex Trident.

 Dico;

Digitized by Google

4. Ad aliqua opera in ſubſtantia naturalia requiritur ſpecialis gratia Dei.

Dico; *Tam in modo, quàm in ſubſtantia*; quoniam ad aliqua opera requiritur ſpecialis gratia Dei, quæ tamen non ſunt ſupernaturalia in ſubſtantia, ſed ſolùm in modo, ùt loquuntur Theologi, id eſt, quæ quidem abſolutè poſſent effici ſolis viribus naturæ, interim hìc & nunc nunquam efficiuntur abſque ſpeciali gratia Dei.

Talia opera ſunt illuminatio cæci, reſuſcitatio mortui &c. Quin immo ad omnes actus virtutum moralium, quatenus conducunt ad vitam æternam, requiritur actualis gratia Dei præveniens, excitans, adjuvans, cooperans, tametſi, in principiis Scoti, non ſint ſupernaturales in ſubſtantia, ſed tantùm in modo.

5. Ex quo colligatur quod actus fidei, ſpei, & charitatis ſint ſupernaturales in ſubſtantia.

Si dixeris; ex eo colligitur actus fidei, ſpei, & charitatis eſſe ſupernaturales in ſubſtantia, quia ad eos requiritur gratia. Reſpondeo; non ex eò præcisè, ſed quia ex Concilio Trid. conſtat, habitus illarum virtutum infundi in juſtificatione, ſeſſ. 6. c. 7. ibi: *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur; fidem, ſpem, & charitatem.*

Cùm ergo ex Tridentino non conſtet, dari habitum Pœnitentiæ per ſe infuſum, diſtinctum ab habitu fidei, ſpei, & charitatis, neſcio ex quo efficaciter probetur, dolorem ſacramentalem debere eſſe actum ſupernaturalem in ſubſtantia diſtinctum ab actu ſpei, & charitatis. Dico; *Diſtinctum ab actu ſpei & charitatis*; quia exiſtimo ſemper eſſe, immo debere eſſe actum ſpei vel charitatis, ſi non elicitum, ſaltem imperatum.

6. Cur Triden. Pœnitentiā adjungat cæteris actibus ſupernaturalibus in ſubſtantia.

Et ideo fortè, ùt alibi notavi, Concilium Trid. ſuprà can. 3. Pœnitentiam adjungit cæteris actibus ſupernaturalibus in ſubſtantia, ut ſignificet, eam nullatenus diſponere ad juſtificationem etiam in Sacramento (nam & de hac loquitur, ùt patet ex cap. 6. ibi: *Per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet*; & cap. 7. ibi: *Inſtrumentalis item* cauſa juſtificationis, *Sacramentum Baptiſmi*) niſi ſit actus ſupernaturalis ſpei vel charitatis, ſi non elicitus, ſaltem imperatus.

Hinc etiam idem Concilium ſeſſ. 14. c. 4. Attritionem ait, *donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat.*

S. Leo.

Appoſitè S. Leo Papa Epiſt. 91. *In diſpenſandis Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe lacrymas gemituſq; negligere, cùm ipſam Pœnitentiam* (loquitùr de Pœnitentia in Sacramento) *ex Dei inſpiratione credamus conceptam, dicente Apoſtolo: Ne quando Deus det illis Pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Plura de hac materia vide diſp. 6. ſect. 2. concl. 1. & ſect. 3. concl. 2.

7. Venio ad ſecundam & tertiam partem hujus Concluſionis, quæ ſatis efficaciter probantur tum ex Concilio Florent. in Decreto Eugenii ibi: *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis Contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*; tum ex Concilio Tridenr. ſeſſ. 14. c. 3. ibi: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus; nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.* Cap. autem 4. deſcribit Contritionem dicens: *Animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Pr & Co Co zen &

Porrò Concilia propriè intelligenda ſunt, niſi aliquid obſtet; ergo de dolore formali, id eſt, poſitivo actu voluntatis, quo pœnitens explicitè deteſtatur peccatum, & nollet ſe unquam illud commiſiſſe. Hic quippe ſolus actus propriè & in rigore ſermonis eſt dolor, & aliquibus impoſſibile videtur, continere hujuſmodi actum in præſentia peccatorum, & præſentia actûs ſupernaturalis ſpei vel amoris Dei propter ſe ſuper omnia, aut certè impoſſibile eſt continere, non dubium quin ſit maxima opportunitas eum eliciendi. Qu dol mal

Cùm ergo ad Confeſſionem neceſſaria ſit præſentia peccatorum, non mirum ſi Deus requiſiverit ad valorem hujus Sacramenti formalem dolorem, & noluerit ſufficere virtualem, id eſt, actum ſpei, aut dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia. Itaque ratio à priori, voluntas inſtituentis, quam colligimus ex Conciliis præallegatis.

Quocirca non valet hæc conſequentia: Amor Dei propter ſe ſuper omnia abſque formali dolore juſtificat extra Sacramentum; ergo ſufficit in Sacramento. Ratio diſparitatis plana eſt; videlicet voluntas Chriſti, qui inſtituit hoc Sacramentum, & pro quaſi materia requiſivit formalem deteſtationem, à qua hoc Sacramentum nomen Pœnitentiæ accepit, alioquin etiam appellandum Sacramentum ſpei aut charitatis, ſi actus ſpei & charitatis poſſent eſſe quaſi materia. Non ſolus Dei ju cat ex Sacra tum, etiam Sacra ro.

Atque hic eſt communis ſenſus Doctorum, à quo in re tanti momenti non eſt facilè recedendum; quidquid Nonnulli contradicant; inter quos numeratur Sylveſter verb. *Confeſſio*, 1. q. 21. allegans Doctorem Subtilem 4. diſt. 14. q. ultimâ art. 3. circa medium ubi n. 7. ſic ait: *Non ſolùm ergo attritus per aliquod tempus uſque ad certum inſtans, in ultimo inſtanti recipit gratiam delentem peccatum, tanquam per virtutem meriti de congruo, ùt declaratum eſt in Concluſione præcedente: ſed non habens talem actum, qui ſufficiat ad meritum de congruo* (id eſt, ad juſtificationem extra Sacramentum) *ſed tantùm habens voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum Eccleſiæ, & ſinè obice peccati mortalis actualiter ſibi facto, vel in voluntate inhærentis recipit non ex merito, ſed ex pacto divino effectum iſtius Sacramenti; ut ſit* 9. Scotu tatur oppoſ ſentet Sylvel

parùm

Digitized by Google

parùm attritus, etiam Attritione, quæ non habet rationem meriti ad remiſſionem peccati (extra Sacramentum) *volens tamen recipere Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut diſpenſatur in Eccleſia, & ſinè obice in voluntate peccati mortalis in actu, in ultimo inſtanti illius prolationis verborum, in quo ſcilicet eſt vis Sacramenti iſtius, recipiat effectum Sacramenti, ſcilicet gratiam pœnitentialem.*

10. [illegible] Quid vobis videtur de Scoto? Num hìc tenet, ùt Sylveſter ait, quòd ad conſequendam gratiam propter hoc Sacramentum, non requiritur Attritio, ſed ſufficit voluntas ſuſcipiendi hoc Sacramentum, ſinè obice peccati mortalis actualiter ſibi facto in ultimo inſtanti Abſolutionis, in qua eſt vis hujus Sacramenti? Quid ergo ſignificant hæc verba: *Vt ſit parum attritus?*

Et ne levis quidem dubitatio maneat de mente Scoti, audi quid dicat ibidem n. 9. *Concedo ergo, quòd ante perceptionem dignam Pœnitentiæ, oportet ſuſcitari vel ſimpliciter, & tunc per Pœnitèntia Sacramentum non deletur peccatum; ſed gratia, quæ infuſa, augetur; vel ſuſcitari ſecundùm quid, ſcilicet ut habeat aliqualem diſplicentiam de peccatis, & propoſitum cavendi de cetero, & velit ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio ſit Contritio.* Quomodo clariùs potuiſſet loqui, & evidentiùs requirere Attritionem diſtinctam à voluntate ſuſcipiendi hoc Sacramentum?

Eleganter Zeno: *Satiùs eſt labi pedibus, quàm linguâ ſeu calamo.* Si ergo aliquis dixerit vobis, Scotus hoc docet, Scotus illud aſſerit, nolite credere, niſi propriis oculis Scotum inſpexeritis, & ſingula verba, tanquam verba Doctoris Subtilis, maturè expenderitis. *Puriùs ex ipſo fonte bibuntur aqua.* Sepoſitâ ergo auctoritate Scoti, quæ omnino nulla eſt pro hac doctrina,

11. Objectio ex Conc. Trid. Objicitur Concilium Tridentinum, quod ſuprà verbis citatis continuò ſubjungit: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius*; & tamen ſufficit ad juſtificationem Contritio virtualis, id eſt, amor Dei propter ſe ſuper omnia.

Reſpondetur. Reſpondeo; aliunde ex Scriptura conſtat, amorem Dei propter ſe ſuper omnia ſe ſolo juſtificare, abſque formali dolore de peccatis, ùt diffusè oſtendimus diſp. 6. ſect. 2. concl. 5. & ideo dixi Concilia propriè intelligenda, niſi aliquid obſtet.

12. Alia objectio. Ex quo etiam ſolvitur alia objectio, videlicet; Concilia æqualiter videntur requirere dolorem & propoſitum; ſed ſufficit propoſitum virtuale, ùt diximus diſp. 6. ſect. 2. concl. 2. & infrà iterum dicetur; ergo ſimiliter dolor virtualis.

Solvitur. Reſpondeo; Concilium Trident. in eodem cap. ait, Attritionem diſponere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento, *ſi voluntatem peccandi excludat.* Ad hoc autem non requiritur formale propoſitum. Unde Concilia ſolùm videntur meminiſſe propoſiti de cetero non peccandi, ut ſignificent, dolorem debere eſſe efficacem; id eſt, debere excludere omnem voluntatem peccandi; in tantùm, ut cum dolore illo non poſſit ullo modo ſimul ſtare voluntas committendi aliquod peccatum, de quo talis dolor habetur; ideò que dicitur virtualiter continere propoſitum non peccandi, quia virtute ſuâ tantundem præſtat, avertendo animum à peccatis, dum adeſt, atque præſtaret explicitum propoſitum non peccandi, ſi adeſſet. Et ſic manet probata ſecunda, & tertia pars Concluſionis ex Conciliis Florentino & Tridentino. Quis ſit dolor efficax.

13. Probatur ultima pars Concl. ex Conc. Flor. & Trident. Quidni etiam quarta & ultima pars? Etenim ubi Concilia non diſtinguunt, nec nos, abſque urgenti ratione, debemus diſtinguere. Jam autem Concilia non diſtinguunt inter dolorem requiſitum ad Confeſſionem mortalium, & venialium, niſi ergo aliquid obſtet, idem dolor neceſſarius erit ad utramque Confeſſionem. Et verò non video quid obſtet, quò minùs ad Confeſſionem venialium requiratur dolor ſupernaturalis, formalis, & efficax.

14. Objectio. Solvitur. Dices; obſtat, quòd peccata venialia extra Sacramentum remittantur abſque dolore formali, & fortè etiam ſupernaturali. Reſpondeo; etiam peccata mortalia extra Sacramenta remitti poſſunt abſque formali dolore; deinde peccata venialia remitti poſſunt ſinè ablutione ſacramentali, & nihilominus ad accipiendam eorum remiſſionem per Sacramentum Baptiſmi; eſt neceſſaria ablutio, quoniam materia eſſentialis illius Sacramenti, ſinè qua validè non adminiſtratur.

Et idem argumentum fieri poſſet de forma; licèt ad remiſſionem venialium non ſint neceſſaria hæc verba: *Ego te baptizo* &c. omnimodè tamen requiruntur, ut per Sacramentum Baptiſmi remittantur, cùm ſinè illis non exiſtat Sacramentum Baptiſmi; ergo conſimiliter, tametſi ad remiſſionem venialium abſolutè & ſimpliciter non ſit neceſſarius dolor formalis, neque verba Abſolutionis: *Ego te abſolvo* &c. equidem omnino requiruntur, ut remittantur per Sacramentum Pœnitentiæ, cùm ſinè materia & forma Sacramentum Pœnitentiæ non exiſtat.

Enimvero Sacramentum hoc, eſt quaſi determinatio quædam propriæ ac formalis Pœnitentiæ, & primariò eſt inſtitutum propter tollenda peccata mortalia; ideòque ex parte materiæ inſtitutum eſt in formalibus actibus Pœnitentiæ, ſeu doloris ac deteſtationis: & quia una & generalis debuit eſſe inſtitutio, idcirco ſinè illis perfici nunquam poteſt. Hoc Sacramentum eſt quaſi determinatio formalis Pœnitentiæ.

Si inferas: ergo medium remiſſionis peccatorum in nova Lege eſt coarctatum. Reſpon. neg. 15. Objectio ſolvitur.

Digitized by Google

Medium remiſſionis peccatorum non eſt coarctatum in Lege nova.

neg. Conſ. ſed potiùs ampliatum, quia & extra Sacramentum poſſunt peccata remitti eiſdem mediis, quibus antea; & etiam in Sacramento, adhibendo partes ejus eſſentiales, aut quaſi eſſentiales; per quod utique Sacramentum ante Legem novam non poterant remitti, quia nondum erat inſtitutum.

Et ſanè cùm Confeſſio venialium non minùs ſit accuſatio, quàm Confeſſio mortalium; accuſatio autem fieri non poſſit ſinè recordatione peccatorum, quæ poteſt eſſe excuſatio deteſtationis formalis? Nulla omnino. Immo videtur quodammodo impoſſibile, ſeriò ſe accuſare de peccatis, abſque formali eorum deteſtatione; niſi enim peccata diſplicerent, non ſe de illis peccator accuſaret. Unde contigit, ut dum Sacerdos quiſpiam interrogaret pœnitentem, an etiam doleret de peccatis confeſſis, pro reſponſione acceperit, ſi non dolerem de peccatis meis, non fuiſſem ea tibi confeſſus.

16. Alia objectio. Solvitur.

Si rurſum inferas; ergo nunquam remittitur peccatum veniale per Sacramentum; quia dolor formalis ſufficit extra Sacramentum. Reſp. iterum neg. Conſ. nam idem peccatum veniale ſæpiùs remitti poteſt, de quo ſect. 2. concl. 2. Præterea peccatum veniale non remittitur exiſtenti in peccato mortali, hoc non remiſſo; de quo egimus diſp. præced. ſect. 6. concl. 1. fieri autem poteſt, & ſæpiùs contingit, quòd pœnitens accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ ſolùm attritus, cum multis mortalibus & venialibus peccatis; ergo ſaltem in illo caſu per Sacramentum remittentur peccata venialia.

17. Probabile putat Tambur. in Confeſſione venialium ſufficere dolorem virtualem.

Nihilominus probabile eſt, inquit Thomas Tamburinus Method. expeditæ Confeſſ. l. 1. c. 3. §. 4. n. 1. etiam ſufficere dolorem virtualem in Confeſſione venialium: in Confeſſione enim mortalium, de qua ſolùm agere videtur Concilium (Trid. ſeſſ. 14. c. 3. & c. 4.) quando requirit dolorem formalem, neceſſarius eſt omnino formalis. Quare ſi quis accedat ad confitenda venialia, ſinè actuali complacentiâ peccati venialis, cum deſiderio recipiendi Sacramentum, ejuſque effectum; cùm in hoc deſiderio ſufficienter deteſtationem virtualem habeat, bene erit diſpoſitus. Nam propterea Concilium (Tridentinum) alicubi (ſeſſ. 14. c. 4. in fine) dicit ad Sacramentum hoc requiri, tanquam partem, proprium motum pœnitentis: tunc enim videtur loqui de Confeſſione in univerſum, id quod verificatur in Confeſſione venialium, nam certè voluntas ſuſcipiendi Sacramentum, motus eſt proprius Pœnitentis. Huculque Tamburinus

18. Rejicitur ejus fundamentum.

Sed reverà, ſi non alio fundamento nititur hæc ſententia, prorſus improbabilis eſt; nam omnino gratìs dicitur, Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. & 4. quando requirit formalem dolorem, ſolùm agere de Confeſſione mortalium, quando autem cap. 4. requirit proprium motum pœnitentis, loqui de Confeſſione in univerſum.

Qui... dent 14. c... intel... per b... motu... pient...

Quippe quid evidentiùs, quàm Concilium per *bonum motum ſuſcipientium*, intelligere Attritionem, quam Catholici Scriptores tradebant ſufficere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ? *Illam*, inquir, *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur ..... declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat.*

Et poſt pauca ſubjungit: *Quamobrem* (id eſt, quoniam Attritio, quam Catholici Scriptores docent ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum mortalium, eſt donum Dei, & Spiritûs ſancti impulſus) *falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre.* Hoc eſt, juxta Tamburinum, abſque voluntate ſuſcipiendi Sacramentum.

Non intel... licos... tetic... volu... ſuſci... Sacr... tum... boni...

Gratìs conficta, ne dicam planè impertinens interpretatio, quaſi verò hoc inter Catholicos & Hæreticos diſputatum fuiſſet, an voluntas ſuſcipiendi Sacramentum, faceret hominem hypocritam, & magìs peccatorem.

Attende Tamburine Can. 5. ſeſſ. 14. qui correſpondet cap. 4. & niſi cæcus eſſe malueris, videbis quid Concilium intelligat per *bonum motum ſuſcipientium.*

Hæc ſunt verba Canonis: *Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, quâ quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ Beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema ſit.*

De hac Contritione controverſia erat, an bona & utilis, ac præparans ad remiſſionem peccatorum, neutiquam de voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, quam nullus umquam Hæreticus negavit eſſe bonam, aut ullus unquam aſſeruit, facere hominem hypocritam, & magìs peccatorem.

20. Tamb... citat S... tiom... ſua o... ne.

Neque in hoc ſolo erravit Tamburinus; verùm etiam erraſſe videtur in eo, quòd pro hac opinione citet Suarium, qui diſp. 20. ſect. 2. n. 2. ſic ait: Nihilominus dicendum eſt, etiam in hac Confeſſione (loquitur de Confeſſione venialium) neceſſariam eſſe Attritionem formalem. Quia Concilium Tridentinum abſolutè & ſimpliciter loquitur de hoc

hoc

Digitized by Google

hoc Sacramento, & de partibus ejus; ergo quotieſcumque fit, requirit eſſentiales partes, quarum una eſt Attritio, non virtualis tantùm, ſed formalis, ùt apertè conſtat ex doctrina Concilii. Hæc ille. Et diſp. 11. ſect. 3. n. 14. Probabiliùs, inquit, credimus non ſolùm ad effectum, ſed etiam ad ſubſtantiam Sacramenti Pœnitentiæ neceſſariam eſſe, ſaltem Attritionem ſupernaturalem.

Quando ergo idem Auctor diſp. 12. ſect. 2. n. 9. ait: Ut ergo homo ſuſcipiens Sacramentum non ponat obicem huic effectui (puta remiſſioni venialium) ſatis eſt (opinor) quòd accedat ſinè actuali complacentia peccati venialis, & cum voluntate ac deſiderio recipiendi Sacramentum & effectùm ejus; loquitur, aut ſaltem loqui debet, niſi ſibi ipſi contradicat (quod non eſt impoſſibile) de remiſſione venialium, quatenus eſt effectus Sacramenti in communi, abſtrahendo ab hoc vel illo Sacramento in particulari.

Unde n. 11. ſubdit: Jam verò deſcendendum eſt ad particularia. Et de Baptiſmo ſinè dubio eſt probabiliùs &c. Deinde n. 12. de Pœnitentia, inquit, exiſtimo auferre omnia peccata venialia, quæ vel homo confitetur, juxta aliquem probabilem modum ex ſuperiùs poſitis diſp. præced. vel ſi in illis peccatis hoc locum non habet, propter ſpecialem rationem hujus Sacramenti, requirentis formalem Pœnitentiam ad ſui conſtitutionem, ſaltem remittet alia peccata, de quibus homo non eſt attritus, maximè ſi ſint oblita, & non voluntariè omiſſa; quia quantum eſt ex ſe, omnia illa ſubjicit Clavibus, & quia illud Sacramentum habet vim tollendi peccata, etiam oblita, ſi non inveniat obicem. Hucuſque Suarius.

22. Itaque commune eſt Sacramento Pœnitentiæ cum cæteris Sacramentis, quòd præcisè ad effectum remiſſionis venialium non poſtulet Attritionem formalem, verùm illud in eo ſingulare reperitur, quòd Attritio formalis ſit pars ejus quaſi eſſentialis, adeòque ſinè illa non exiſtat; per conſequens non poſſit remittere peccata venialia, quia quod non eſt, non poteſt operari.

Si ergo confitearis ſola peccata venialia, neceſſaria erit formalis Attritio, ſaltem de uno peccato veniali; non præcisè propter effectum remiſſionis venialium (quia ſi adeſſet aliquod peccatum mortale, cum debito dolore, jam ſecundùm Suarium non requireretur formalis Attritio venialium) ſed ut Sacramentum valeat. Hoc autem non habet locum in cæteris Sacramentis, quæ abſolutè valent abſque ulla Attritione formali ſive mortalium, ſive venialium peccatorum. Igitur propter auctoritatem Suarii & Aliorum, qui malè ipſum intelligunt, non eſt probabile, quòd valeat Abſolutio peccatorum venialium abſque Attritione formali.

Quòd autem valeat abſque Attritione ſupernaturali, probabile exiſtimat Suarez diſp. 11. ſect. 3. n. 15. ubì ſic ſcribit: Video reſponderi poſſe, cum qui confitetur ſolum peccatum veniale, accedere in gratia, & ideo licèt ſolùm habeat Attritionem naturalem, eſſe ſatis diſpoſitum, ut per Sacramentum recipiat gratiæ augmentum, quia ad hunc effectum ſacramentalem non eſt ſemper neceſſaria actualis diſpoſitio ſupernaturalis, ſed habitualis ſufficit: & alioquin ad effectum quaſi ſecundarium ſufficiet diſpoſitio per naturalem Attritionem. Nam ſi Durandus, Gabriel, & Alii velint, hanc Attritionem ſufficere ad hunc effectum per ſe, & ſinè Sacramento, immo & ſinè gratia, quid mirum, quòd cum Sacramento valeat, præſuppoſito ſtatu gratiæ? Poſſet ergo hæc opinio ſic explicata probabiliter ſuſtineri. Hucuſque Suarius. 23. Suarez putat probabile, quod valeat Abſolutio venialium abſque Attritione ſupernaturali.

Quæ tamen opinio ipſi diſplicet; tum quia Attritio ſupernaturalis eſt de ſubſtantia Sacramenti, & non ſolùm neceſſaria ad effectum, ùt videtur ſatis probari ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 4. ubì docet, Attritionem *donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum.* Tum quia actus ſolius liberi arbitrii, per naturales vires ejus, nunquam eſt ſufficiens diſpoſitio ad ſupernaturale donum obtinendum, etiam in Sacramento: remiſſio autem peccati venialis eſt ſupernaturale donum; præſertim cùm de facto nunquam detur in Sacramento ſinè collatione gratiæ. 24. quæ tamen opinio ipſi diſplicet, propter varias rationes, quæ hic enumerantur.

Item, quia peccatum veniale ut nunc aliquam deordinationem includit à fine ſupernaturali, & ideo proportionata diſpoſitio ad remiſſionem ejus debet eſſe ſupernaturalis. Item, quia ex parte intellectùs ſemper requiritur diſpoſitio ſupernaturalis, debet enim totum hoc negotium in fide fundari; ergo etiam ex parte voluntatis aliquis motus ſupernaturalis eſt neceſſarius.

Tandem, inquit Suarez, ſpecialiter diſplicet illa ſententia in hoc Sacramento; quia illud per ſe tendit ad dandam gratiam primam, & accidentarium illi eſt, dare ſecundam; & ideo per ſe requirit ſupernaturalem diſpoſitionem circa illam materiam, in quam cadit Sacramentalis Abſolutio.

Sed ad hanc rationem facilè reſponderent Adverſarii, dicendo; quia per accidens eſt collatio ſecundæ gratiæ, ideo etiam per accidens ſufficit naturalis diſpoſitio, quamvis per ſe requiratur ſupernaturalis circa illam materiam, in quam per ſe cadit ſacramentalis Abſolutio, id eſt, circa peccata mortalia. 25. Reſponſio ad ultimam rationem.

Quidquid ſit de his probationibus, quæ fortaſſis non omnes efficaciter concludunt; ſufficiat nobis doctrina Concilii Arauſ. 2. c. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Euangelicæ prædicationi conſen-* Alia ratio deſumpta ex Conc. Arauſicano.

Digitized by Google

conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritûs ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio; Sine me nihil poteſtis facere. *Et illud Apoſtoli: Non quòd idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Ioan 15 v. 5. 2. Cor 3. v. 5.

26. Sinè gratia adjuvante nihil poſſumus habere veræ ſanctæque pietatis ex S. Proſpero.

Cui doctrinæ inhærens S. Proſper Reſp. 8. ad cap. Gall. *Cum ducentis*, inquit, *quatuordecim Sacerdotibus (quorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus eſt) veraci Confeſſione, quemadmodum ipſorum habet ſermo, dicamus, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum, non ſolùm ad cognoſcendam; verùm etiam ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvare: ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

Porrò quis ambigat, Attritionem, quæ diſponit in Sacramento ad augmentum gratiæ, & remiſſionem peccatorum venialium, eſſe opus veræ ſanctæque pietatis? Ergo ad minus debet eſſe ſupernaturalis in modo.

Diſpoſitio ad formam debet eſſe ejuſdem ordinis cum forma.

An etiam in ſubſtantia? Affirmo, quoniam gratia, ad quam diſponit, eſt ſupernaturalis in ſubſtantia; diſpoſitio autem ad formam debet eſſe proportionata, & ejuſdem ordinis cum forma, à quocumque agente introducatur, niſi aliquid obſtet.

27. Objectio ſolvitur.

Nec obſtat hic, quòd Attritio ſit tantùm diſpoſitio moralis, & à phyſicis non valeat ſemper argumentum ad moralia; nam inde tantùm ſequitur, quòd Deus, qui ſolus eſt cauſa phyſica gratiæ, poſſet, ſi vellet, eam introducere abſque diſpoſitione proportionata; veluti de facto, abſque ulla diſpoſitione, infundit gratiam per Sacramentum Baptiſmi animæ pueri, nondum capacis propriæ diſpoſitionis; ergo indubiè, ſi voluiſſet, potuiſſet per Sacramentum Pœnitentiæ infundere gratiam animæ, tantùm attritæ naturaliter. Interim quamdiu non conſtat de tali voluntate, præſumitur voluntas conformis rebus phyſicis & naturalibus.

Inſtantia.

Sed contrà inſtas; etiam diſpoſitio phyſica non ſemper eſt ejuſdem ordinis cum forma. Patet in diſpoſitione phyſica ad animam rationalem, quæ utique diſpoſitio eſt materialis, cùm tamen anima rationalis ſit ſpiritualis.

Solvitur.

Reſpondeo; diſparitas eſt, quòd anima, quæ diſponitur ad gratiam, ſit capax diſpoſitionis ſupernaturalis; corpus autem, quod diſponitur ad infuſionem animæ rationalis, incapax, ſaltem naturaliter, diſpoſitionis ſpiritualis, cùm accidentia ſpiritualia petant connaturaliter ſubjectum ſpirituale. Et ideo dixi: *Niſi aliquid obſtet.*

28. Quare poſiat hic re-

Ex quo etiam patet reſponſio ad ſequens argumentum: Chriſtus pro materia aliorum Sacramentorum inſtituit rem naturalem, ùt aquam naturalem pro materia Baptiſmi, panem naturalem pro materia Euchariſtiæ, oleum naturale pro materia Confirmationis, & Extremæ Unctionis, ergo etiam dolorem naturalem pro materia Sacramenti Pœnitentiæ.

pera lis. In al eran

Negatur Conſequentia. Diſparitas; quòd in aliis Sacramentis materia eſt ſubſtantia aliqua, & actio externa incapax ſupernaturalitatis; in Sacramento verò Pœnitentiæ dolor eſt actio interna, prorſus capax ſupernaturalitatis. Nec hoc tantùm; ſed dolor ita eſt materia, ut ſimul ſit diſpoſitio ad effectum gratiæ ſanctificantis. Cùm ergo in aliis Sacramentis, præter materiam naturalem, requiratur ad effectum gratiæ diſpoſitio ſupernaturalis, quid mirum, ſi dolor in Sacramento Pœnitentiæ debeat eſſe ſupernaturalis; præſertim cùm adſit alia materia naturalis, ſcilicet Confeſſio peccatorum? Hæc ſatis de ſupernaturalitate.

2. Dolo veni debe effic.

De efficacia autem perſpicuè manifeſtum eſt, quæ mortalium, eamdem eſſe rationem venialium, niſi velis admittere, quempiam poſſe abſolvi à venialibus præteritis, etſi ſimul proponat ea committere, immo de facto committat, quod abſurdiſſimum eſt. Quomodo autem poſſit elici efficax propoſitum vitandi de cætero venialia, cùm ſinè illis vivere ſit moraliter impoſſibile, ediſſero Concluſ. 9.

Coronidis loco nota quæ ſequuntur. A quibuſdam prædicatur in populis hos tres (Gratianum videlicet, Petrum Lombardum, & Petrum Comeſtorem) fuiſſe germanos ex adulterio natos. Quorum mater, cùm in extremis peccatum ſuum confiteretur, & Confeſſor redargueret crimen perpetrati adulterii, quia valde grave eſſet; & ideo multùm deberet dolere, & Pœnitentiam agere, reſpondit illa: *Pater ſcio, quòd adulterium peccatum magnum eſt; ſed conſiderans quantum bonum ſecutum eſt, cùm iſti filii mei ſint luminaria magna in Eccleſia, ego non valeo pœnitere.* Et Confeſſor ad eam: *Quòd tui filii ſint notabiles viri, & opera utilia fecerunt Eccleſiæ Dei, non ex te, ſed ex dono Dei eſt, ex te autem adulterium crimen magnum, & de hoc doleas, & quòd non habes tantum dolorem, quantum exigit tam horrendum ſcelus; de hoc tamen doleas, quod non potes dolere.* Ita refert Caramuel Theol. Fundam. (primæ editionis) pag. 31. n. 11. ex primo folio Decreti.

3. An ſu ciat d *Doleo* ... *ſere non*

Quæſtio jam eſt, an ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento, ſufficiat dicere: *Doleo me dolere non poſſe.* Caramuel ſuprà nu. 19. pag. 38. Reſpondeo, inquit, extra ſacramentalem Pœnitentiam Contritionem requirere; at in ſacramentali Attritionem ſat eſſe. Quo ipſæ differant modo, conantur explicare Theologi, nec umquam ita clarè poſſunt, ut animus ſcrupuloſus quieſcat. At noſter Hiſtoriographus liquidò, nam ejuſdem ſententiâ, ille habet Contritionem, qui dolet ſe patraſſe

Caram.

pecca-

Digitized by Google

peccatum, ille Attritionem ſeu Contritionem imperfectam, qui dolet ſe dolere non poſſe. Sit igitur hæc doctrina ſolamini fortis & duri ingenii viris, qui ſummam ſiccitatem in rebus divinis reperiunt; nam ſi lugere non poſſunt ob peccata commiſſa, & tamen illa deteſtantur omnino, & habent ſincerum ſingula evitandi propoſitum, doleant & lugeant ſe dolere & lugere non poſſe, & ut ad ſacramentalem Pœnitentiam accedant, optimè diſpoſiti ſunt. Huc uſque Caramuel proponendo, non definiendo.

Sed reverà, ſi hoc eſt liquidò explicare, quomodo differant Contritio & Attritio, neſcio quid ſit implicare & confundere Contritionem cum Attritione; quia ſecundùm Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Contritio in genere, ùt ſe extendit ad perfectam & imperfectam, *Animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Ergo omnis, qui verè atteritur, dolet ſe patraſſe peccatum, & non tantùm dolet ſe dolere non poſſe. Niſi fortè Hiſtoriographus ille, per dolorem intellexerit dolorem ſenſibilem, diſtinctum à deteſtatione peccati; ſed nec iſte requiritur ad Contritionem perfectam; ergo adhuc diſtinctio non ſubſiſtit. Unde miror, ſi animus Caramuelis, non admodum ſcrupuloſus, in iſto modo differentiæ potuerit quieſcere.

Quod ad rem principalem attinet, exiſtimo planè ſufficere ad ſacramentalem pœnitentiam, ſi doleas te dolere non poſſe, interim tamen deteſtando omnino peccata, cum ſincero propoſito ſingula evitandi. Sed quid ſi non adſit talis deteſtatio? Dico, plane non ſufficere ſolum dolorem de carentia doloris. Patet ex Tridentino mox allegato, ubì definitur Contritio in genere, *Animi dolor ac deteſtatio*, non de abſentia doloris; ſed, *de peccato commiſſo.*

Itaque ſpeculativè rem conſiderando, non videtur ſufficere ad Pœnitentiam ſacramentalem dolor reflexus de carentia ſeu abſentia doloris. Iſta tamen loquendi formula; *Doleo quòd non poſſum dolere*, in timoratis conſcientiis eſt veri doloris ſignum, indicans affectum ſeu deſiderium amplioris intenſioriſq; doloris, ſive deſiderium habendi majorem ſenſum doloris. Immo vix moraliter fieri poteſt, ut aliquis habeat verum dolorem de ea carentia, & ſimul non habeat aliquem dolorem de ipſis peccatis.

Et ratio eſt; quia vix fieri poteſt, ut aliquis habere velit dolorem de re aliqua, niſi illam apprehendat ùt malam, nam de re bona nemo dolet. Ergo vix morale eſt, ut ſi dolor ille reflexus ſit efficax (ùt ſuppono debere eſſe) non ſequatur tunc in tali homine aliqua diſplicentia de ipſis peccatis.

Si autem inferas; ergo qui hodie diceret: *Volo cras dolere de peccatis, & confiteri*, ex nunc eſt ſufficienter diſpoſitus ad Confeſſionem craſtinam, tametſi non habeat alium actum doloris. Reſpondetur neg. Conſeq. quia voluntas illa ſtare poteſt cum propoſito nunc peccandi; multi enim homines dum peccant, habent propoſitum ſerium (ſaltem habere poſſunt) deinde confitendi. Jam autem fieri non poteſt, ut peccet ille, qui ſeriò & efficaciter quantum eſt ex ſe diſplicet ſibi (ſaltem mediatè) in peccatis, & qui cupit efficaciter quantum eſt ex ſe pro tunc illa deteſtari.

Dico; *Efficaciter quantum eſt ex ſe*, nam quòd pro nunc non doleat, ſicut bene vellet dolere, non oritur ex defectu illius voluntatis; ſed quia ob aliquam ſpecialem diſpoſitionem (ut ſic dicam) corporis aut phantaſiæ, putat peccator, ſibi impoſſibile hìc & nunc elicere eum dolorem expreſſum, de cujus carentia dolet.

De cætero placeat conſilium meum, nimirum ut doleas ſupernaturaliter, formaliter, & efficaciter tam de peccatis mortalibus, quàm venialibus, & doleas quòd ampliùs dolere non poſſis. Nec tantùm de hoc vel illo peccato mortali; ſed univerſaliter de omnibus. Nunquid etiam de omnibus venialibus?

CONCLUSIO II.

Requiritur dolor univerſalis de peccatis mortalibus, non remiſſis, licèt non omnia in Confeſſione exponantur; ſecùs de venialibus.

Ratio primæ partis; quia de lege ordinata non remittitur unum peccatum mortale ſinè altero, ùt docuimus diſp. 6 ſect. 5. concl. 5. 33. Probatio primæ.
porrò nullum peccatū mortale, juxta eandem divinam Providentiam, remittitur ſinè Pœnitentia; ergo dolor ſufficiens ad remiſſionem unius, ſaltem virtualiter, debet ſe extendere ad omnia, id eſt, debet elici ex tali motivo, propter quod, ſi alia peccata memoriæ occurrerent, neceſſariò mihi diſplicerent expreſsè & formaliter, ſicut nunc diſplicet illud unicum, cujus reminiſcor. Vide diſp. 6. ſect. 2. concl. 6.

Ex quo confeſtim deducitur ratio ſecundæ partis, ſeu differentiæ inter peccata mortalia & venialia; ùt puta quia unum veniale remittitur ſinè altero; & nullum veniale eſt materia neceſſaria Sacramenti Penitentiæ, aut impediens ejus effectum; ſicut quodlibet mortale eſt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, & impedit ejus effectum; ergo non mirum, ſi confitens de omnibus mortalibus debeat dolere, ſaltem virtualiter; ſecùs de omnibus venialibus. & ſecundæ partis Concluſ.

Unam dumtaxat video difficultatem, videlicet quòd motivum doloris, neceſſarii ad valorem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ, 34. Objectio.

Digitized by Google

ſit univerſale tam reſpectu mortalium, quàm venialium; vel enim motivum eſt Deus ùt ſummum bonum in ſe, vel Deus ùt ſummum bonum noſtrum; atqui omnia peccata, etiam venialia repugnant illis motivis; ergo qui unum deteſtatur propter illa motiva, etiam virtualiter deteſtatur omnia alia; ergo dolor de venialibus æquè eſt univerſalis, ac de mortalibus; præſertim ſecundùm principia Scoti, qui non admittit actus ſupernaturales virtutum moralium, ſed tantùm virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis.

35. Reſponſio.

Unum peccatum veniale gravius offendit Deum, quam aliud

Reſpondeo; omnia quidem peccata venialia repugnare illis motivis, ſed inæqualiter, tam intenſivè, quàm extenſivè; quippe quo plura ſunt peccata venialia vel graviora, eò magìs offendunt Deum, & retardant noſtram Beatitudinem. Poſſum ergo velle minorem offenſam Dei, vel minorem excluſionem à Beatitudine, quamvis abſolutè velim aliquam, per conſequens dolere de uno peccato veniali, cum propoſito de cætero illud non committendi, ne graviùs offendam Deum, aut diutiùs excludar à Beatitudine, quamvis non doleam de omnibus, & actualiter velim aliqua committere; immo de facto committam, v. g. habendo vanam gloriam circa actum doloris.

Quodlibet peccatum mortale abſolutè offendit Deum.

Iac. 2.

Jam autem peccatum mortale vel unicum, quodcumque tandem, abſolutè offendit Deum, id eſt, totaliter frangit ejus amicitiam, & privat totaliter Beatitudine, juxta illud Jacobi Apoſt. c. 2 v. 10. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Nequeo ergo ex amore Dei vel amore Beatitudinis unum deteſtari, & non aliud, cùm vitatio unius peccati mortalis, ſuppoſito altero, neque reddat amicitiam Dei, neque conferat jus ad Beatitudinem: at verò evitatio unius peccati venialis facit, ut Deus ſit minùs offenſus, & ut citiùs quis conſequatur Beatitudinem.

36 Poteſt dari dolor ſufficiens de uno peccato veniali, qui non ſit virtualiter dolor de alio ejuſdem ſpeciei.

Hinc ſequitur, dari poſſe dolorem ſufficientem de uno peccato veniali, qui non ſit virtualiter dolor de aliis omnibus, ejuſdem licèt ſpeciei, adeòque unum poſſe remitti per Abſolutionem ſacramentalem, quamvis pœnitens velit aliud ſimile committere; v. g. dolet quis, quòd cum plena advertentia abſque ulla cauſa vel utilitate fuerit mentitus, & de illo mendacio ſe accuſat coram Sacerdote, interim complacens ſibi in mendacio officioſo, ùt vocant, ſi fuerit dolor ſupernaturalis, formalis, & efficax accipiet remiſſionem iſtius mendacii, de quo ſic dolet, & non alterius, de quo ſibi complacet, quamvis alioquin eſſent ejuſdem ſpeciei.

Vel ſi illa mendacia dixeris diverſæ ſpeciei, accipe duo mendacia officioſa, poterit quis de uno dolere, & non de alio, & velle remiſſionem unius, & non alterius; quia licèt ſingula offendant Deum, & impediant Beatitudinem; duo tamen magìs offendunt Deum, & amplius retardant Beatitudinem, quàm unum, & ideo de uno dolet, ut evitet majorem illam offenſam, & majorem retardationem; quidni ergo per Abſolutionem accipiat remiſſionem unius, & non alterius? Maximè ſi unum tantùm confiteatur. Nam ſi utrumque exprimat, & de uno tantùm doleat; gravis controverſia eſt, an peccet mortaliter, adeòque impediat effectum Sacramenti, de quo inferiùs tractabimus.

Nunc quæro, an qui haberet dolorem univerſalem, v. g. de omnibus mendaciis, & accuſaret ſe de mendaciis, non explicando eorum numerum, acciperet remiſſionem omnium?

Reſpondet Lugo diſp. 14. n. 142. de facto remitterentur omnia, vel ferè omnia, quia, inquit, ex circumſtantiis perſonæ, & temporis, Confeſſarius percipit multitudinem illam confuſè, juxta conſuetudinem ſimilium perſonarum. Quòd ſi nullo modo Confeſſarius id perciperet, remitterentur non omnia, ſed aliqua mendacia, v. g. ex illa multitudine, quot per illum confitendi modum poſſunt intelligi, ſaltem duo vel tria; nec ad hoc oportet, quòd pœnitens intendat determinatè hæc potiùs, quàm illa ſignificare, & dare pro materia, ſufficit quòd velit aliquot ex illis dare pro materia, quot & qualiter per illa verba poſſunt ſignificari.

Sicut ſi debes 100. nummos, & ſolvas 10. non oportet, quòd determines in debito 100. decem, pro quibus determinatè velis ſolvere: ſufficit velle pro decem; ſic qui decem Clericos occiderat, & petit Abſolutionem cenſuræ ob duos Clericos occiſos, non determinando quos; abſolutus manet à duabus excommunicationibus, & ſufficit, ſi poſtea petat Abſolutionem à cenſura ob octo Clericos occiſos, ut intelligatur jam à 10. cenſuris abſolutus.

Quæ autem ex illa multitudine remittantur, dici poteſt vel remitti duo vel tria priora, quia priora debita cenſentur primo loco extingui: vel certè graviora; quia pœnitens cenſetur velle liberare ſe quantum poteſt, & per conſequens à debito, quo magìs gravatur. Hæc ille.

Sed, meo judicio, meliùs dicitur, omnia omnino remitti, de quibus pœnitens ſe accuſat, quamvis in generali. Nam accuſatio in particulari ubì requiritur? Præſertim cùm ſæpè moraliter impoſſibile ſit, numerum peccatorum venialium, utpote nimis frequentium, explicare; ergo non eſt veriſimile, Chriſtum illam explicationem requiſiviſſe, ut omnia & ſingula per Abſolutionem remitterentur. Specificatio autem peccatorum venialium ſatìs facilis eſt, & ideo fortè non ſufficeret, ſe accuſare de multis peccatis venialibus in genere, nullum ſpecificando.

Quòd

Digitized by Google

Quòd autem ſpecificatio ſufficiat, probatur; quia ſi, ùt Aliqui volunt, per Sacramentum Pœnitentiæ remittuntur peccata venialia, etiam de quibus homo non eſt attritus, maximè ſi ſint oblita, & non voluntariè omiſſa, ùt ſuprà audivimus ex Suario; quantò magis peccata omnia, de quibus eſt attritus, quamvis non exprimantur in particulari, ſeu ſecundùm numerum, ſed tantùm ſecundùm ſpeciem? Quantùm enim eſt ex ſe, omnia illa ſubjicit Clavibus; & certum eſt, quòd hoc Sacramentum habeat vim tollendi peccata non expreſſa in particulari, etiam mortalia, de quo latiùs ſuo loco.

Interim res incerta eſt, & ideo non inconſultum; ut numerus peccatorum venialium exprimatur quantum fieri poteſt, quamvis praxis, etiam timoratorum, ſit in contrarium, qui, puto, ſi interrogarentur, reſponderent ſe nihilominus ab omnibus & ſingulis abſolvi.

Alia difficultas hic movetur, an v. g. qui elicuiſſet dolorem univerſalem de venialibus, aut etiam de mortalibus & venialibus ſimul, & ante Abſolutionem peccaret venialiter, validè & cum effectu abſolveretur; jam enim dolor ille videtur retractatus, cùm ampliùs non ſit univerſalis; veluti quando quis peccaret mortaliter ante Abſolutionem, indubiè non valeret cum effectu Abſolutio ſubſequens.

Reſpondet Cardinalis ſuprà n. 144. Optimum conſilium eſt ad majorem ſecuritatem, quòd pœnitens doleat ſeorſim de mortalibus, propter gravitatem offenſæ mortalis, qui dolor ex tali motivo, nullo modo revocatur per peccatum veniale ſubſequens: item quòd doleat ſeorſim de peccatis venialibus, quæ confitetur, vel de aliquibus eorum, propter ſpecialem eorum gravitatem, & ſpecialem offenſam divinam, quam continent, cui dolori non opponitur aliud peccatum veniale novum, quod non participat illam ſpecialem turpitudinem, quam per priorem dolorem pœnitens deteſtatus eſt. Hucuſque Eminentiſſimus.

40\. Addit; practicè non eſſe dubitandum de valore Sacramenti, etiamſi ejuſmodi cautela non adhibeatur; quia, inquit, injiceret innumeros ſcrupulos pœnitentibus; atque etiam Confeſſariis ipſis, propter obligationem admonendi pœnitentes de obligatione & neceſſitate habendi dolorem ſeorſim ex ſpeciali motivo, vel de illo renovando immediatè ante Abſolutionem. Unde ex communi praxi Confeſſariorum & pœnitentium, quæ eſt optima Legum interpres, deſumi poteſt argumentum à poſteriori.

Sed contrà; non conſtat de tali praxi, quis enim Confeſſariorum, ſciens pœnitentem commiſiſſe novum peccatum veniale, non admonet pœnitentem de renovando novo dolore? Immo ordinariè, quando dubitant de dolore debito, immediatè ante Abſolutionem ſolent pœnitentes excitare ad dolorem. Et verò quis revelavit Lugoni, pœnitentes, ſcientes & volentes, ſuſcipere Sacramentum cum novo peccato veniali? Ergo praxis, quæ in hac materia valde obſcura eſt, parùm probat.

41\. *Quæ ſit ratio à priori.* Sed quæ ratio à priori? Contritio, licèt ſit univerſalis de omnibus peccatis, terminatur tamen inæqualiter, ita ut magìs deteſtemur mortalia, quàm venialia, magìs graviora, quàm leviora, vel minùs gravia: ergo poteſt retineri deteſtatio peccatorum mortalium, deficiente deteſtatione venialium: & cum proportione, poteſt manere deteſtatio peccatorum venialium graviorum, deficiente deteſtatione venialium leviorum; quia deficiente, quod eſt minus, non oportet, ut deficiat, quod eſt majus. Et licèt illa deteſtatio (eadem eſt ratio propoſiti) fuerit unus indiviſibilis actus, eſt tamen virtualiter multiplex, propter objecta plura, ad quæ terminatur; & ideo poteſt moraliter perſeverare quoad aliqua, licèt videatur revocari quoad alia.

42\. *Prima objectio ſolvitur.* Si inferas: ergo poterit manere dolor ſufficiens, licèt pœnitens incidat in novum mortale, dummodo minus ſit. Reſp. neg. Conſ. quia licèt poſſit manere aliquis dolor, equidem non univerſalis, ùt patet, qui tamen requiritur ex antedictis.

Objectio 2a. Reſponſio Arriagæ. Infers rurſum, ergo ſaltem requiritur novus dolor ad Confeſſionem venialium, ſi novum peccatum veniale ſit majus vel æquale. Reſpondet Arriaga diſp. 38. n. 25. concedendo totùm. Si, inquit, homo eo caſu admittit maximè grave veniale inter ea omnia, quæ fuerat confeſſus, jam retractat ex integro illum dolorem univerſalem, nam ſi maximum peccatum ſub illo motivo contentum admittit, non poteſt profectò prudenter judicari odio habens ob illud motivum ea, quæ ei motivo ſunt minùs contraria, id quod ratio naturalis dictat.

Unde ſecundò dico, ſi venialia illa ſint omnino inter ſe æqualia, vel ſaltem talia reputentur à pœnitente, eo ipſo quòd poſt illud propoſitum ex motivo univerſali, admittat aliquod ex illis venialibus, eum jam videri omnino revocare totum illud propoſitum, ita ut planè jam ſit ineptus dolor ille ad Confeſſionem; quia non poteſt tunc, nec explicitè, nec implicitè, cenſeri ille odio habens, vi ejus motivi, reliqua peccata, cùm admittat aliquod, in quo reperitur æqualiter tota quanta ea ratio, quæ poterat in eo motivo apprehendi ad odio habenda reliqua. Hucuſque Arriaga.

43\. *quæ ab Auctore limitatur.* Sed non placet, niſi cum hac limitatione; ſi illud novum peccatum veniale, quod admittitur, magìs aut æquè diſpliceat Deo; magìs aut æquè impediat Beatitudinem, quàm reliqua ſimul ſumpta; cæteroquin ratio naturalis dictat, quòd poſſit homo deteſtari reliqua

Digitized by Google

ſimul ſumpta, etſi velit committere unum aliquod, quod ſit majus vel æquale ſingulis ſeorſim acceptis, quandoquidem in iſto uno non reperiatur magis vel æqualiter tota quanta ea ratio, quæ in illo motivo poterat apprehendi ad odio habenda reliqua.

Etenim ratio illa eſt, offenſa divina, quæ reperitur non in hoc vel illo peccato ſeorſim, ſed in omnibus peccatis ſimul; vel ratio eſt impedimentum Beatitudinis, quod præſtat non hoc vel illud peccatum ſeorſim, ſed omnia peccata ſimul; jam autem certum eſt, graviùs offendere omnia illa peccata ſimul, & majus præſtare impedimentum Beatitudinis, quàm ſingula ſeorſim. Ergo niſi illud peccatum novum fuerit majus, vel æquale omnibus ſimul ſumptis, planum eſt, quòd non contineat totam quantam eam rationem, quæ poterat in eo motivo apprehendi ad odio habenda reliqua.

44. *Sententia Suarii, non ſemper eſſe nullam Confeſſionem, quæ fieret cum Attritione particulari.*

De cætero exiſtimat Suarez diſput. 20. ſect. 4. n. 26. non ſemper eſſe nullam Confeſſionem, quæ fieret cum vera Attritione aliquorum peccatorum, non tamen omnium, etiam illorum, quæ in Confeſſione dicuntur; v. g. ſi pœnitens tantùm habeat ſingulares Attritiones peccatorum, prout ea ſigillatim confitetur, & de uno peccato doleat propter turpitudinem ejus, de alio verò propter infamiam, vel aliud temporale detrimentum; vel de uno efficaciter, & cum abſoluto propoſito emendæ, de alio verò minimè, ſed per diſplicentiam tantùm inefficacem.

Nam, inquit ille, ſi pœnitens ſciens & videns, vel ex ignorantia culpabili mortaliter, talem Attritionem omittat hujus peccati mortalis, quod eſt materia talis Confeſſionis, tunc Confeſſio erit nulla: ſi autem illa omiſſio contingat ex ignorantia, vel inadvertentia inculpabili, Confeſſio non erit ſimpliciter nulla, ſed ſolùm tenebitur aliquis peccatum illud iterum confiteri, cujus veram Attritionem non habuit, ſi defectum commiſſum poſtea recognoſcat.

45. *Ejus probatio.*

Probat: quia ita judicandum eſt de univerſitate Attritionis, & ejus defectu, ſicut de integritate Confeſſionis, ejuſque defectu. Nam Attritio, quatenus eſt pars hujus Sacramenti; Confeſſioni copulatur; quia & per illam ſenſibilis fit, & propter ejus veritatem requiritur. Sicut ergo Confeſſio illa, in qua peccatum aliquod omnino tacetur ob inculpabilem oblivionem, valida eſt, licèt materialiter non ſit integra, ita Confeſſio illa, in qua peccatum aliquod abſque vera Attritione aperitur, mutila quidem eſt quoad illam partem, quia ſecundùm illam non eſt vera & ſacramentalis Confeſſio; nihilominus mutilatio illa materialis tantùm eſt, quia inculpabiliter fit; ergo non reddit Confeſſionem nullam, quia eâ non obſtante, quoad cætera manet Confeſſio vera, quia ex vera Attritione facta eſt, & formaliter integra, quia nihil cum culpa tacetur, aut ſinè debito modo dicitur. Hactenus Suarius.

Sed diſplicet; quia ſi ita judicandum eſt de univerſitate Attritionis, & ejus defectu, ſicut de integritate Confeſſionis, ejuſque defectû, profectò conſtat apud omnes, Confeſſionem, in qua aliquod peccatum omnino tacetur ob inculpabilem oblivionem, ſufficere ad effectum Sacramenti; ergo ſimiliter judicandum foret de Confeſſione, cui inculpabiliter deeſt univerſitas Attritionis, cùm tamen Suarius ibidem n. 23. dicat: Atque ex hac ratione intelligi poteſt, ex vi materiæ hujus Sacramenti ſolùm eſſe neceſſariam univerſalem Attritionem de omnibus peccatis confeſſis, quamvis ad effectum Sacramenti requiratur Attritio univerſalis de omnibus peccatis mortalibus commiſſis, & nunquam per veram Pœnitentiam retractatis. Hæc ille.

Ratio autem diſparitatis eſt; quòd peccatum, ſecundùm ordinariam Dei providentiam, nunquam remittatur à Deo abſque Pœnitentia formali, aut virtuali; bene tamen ſinè Confeſſione. Confeſſio namque eſt juris omnino poſitivi, quod non obligabat ante Legem novam, at verò dolor ſeu Pœnitentia juris quodammodo naturalis, quod obligabat à principio naturæ. Quamvis ergo poſſit dari cauſa excuſans à Confeſſione alicujus peccati, etiam in ordine ad remiſſionem illius; haud equidem excuſans à dolore ſive Pœnitentia, maximè quando occurrit memoria peccati. Et licèt ignorantia invincibilis excuſet à novo peccato; attamen non ſupplet defectum medii neceſſarii, quale eſt Pœnitentia, ſaltem virtualis.

Quapropter cùm in Sacramento non remittatur unum peccatum mortale ſinè alio, liquet profectò, neceſſariam eſſe Pœnitentiam univerſalem de omnibus, ſi non per modum partis Sacramenti, ſaltem per modum legitimæ diſpoſitionis. Neceſſariam, inquam, ad effectum Sacramenti. Nunquid etiam ad valorem?

CONCLUSIO III.

Nunquam datur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris.

Vocatur à Theologis Sacramentum validum & informe, quod habet omnes ſuas partes eſſentiales aut quaſi eſſentiales; & tamen propter indiſpoſitionem ſubjecti non confert gratiam. Et quidem Sacramentum Baptiſmi poſſe eſſe validum & informe, nemo dubitat.

Digitized by Google

dubitat. Similiter Sacramentum Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis, & Matrimonii. Euchariſtiam quoque ſuſcipi poſſe ſinè effectu gratiæ omnes fatentur.

Solùm ergo reſtat Sacramentum Pœnitentiæ, de quo controvertitur inter Doctores Catholicos, an aliquando poſſit eſſe validum, & tamen non conferre gratiam. Affirmant multi, negant non pauci; ſed quoniam affirmantes oppidò inter ſe diviſi ſunt; nam unus exiſtimat Sacramentum validum abſque ullo prorſus dolore; alius putat ſufficere dolorem naturalem; tertius requirit dolorem ſupernaturalem, ſed negat debere eſſe efficacem; quartus affirmat neceſſarium dolorem ſupernaturalem efficacem, eſtò non univerſalem; hinc eſt, quòd elegerimus ſententiam negantem, memores verborum Chriſti Matth. 12. v. 25. *Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur: & omnis civitas vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit.*

Fundamentum autem domûs noſtræ ſive Concluſionis eſt, voluntas Chriſti, à qua pendet tota ſtructura Sacramenti. Et verò Chriſtum ſic potuiſſe inſtituere Sacramentum Pœnitentiæ, ut nunquam daretur validè abſque infuſione gratiæ, nimis manifeſtum eſt, quàm ut indigeat probatione; ſic autem inſtituiſſe, declaratur ex Concilio Tridentino, quod pro materia aut quaſi materia hujus Sacramenti ſtatuit Contritionem, eamque ſufficientem ad remiſſionem peccatorum; nec uſpiam alterius meminit: *Sunt*, inquit ſeſſ. 14. c. 3. *quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hâc ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.*

Et can. 4. *Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem &c. anathema ſit.* Ergo ex mente Concilii, actus pœnitentis non ſunt quaſi materia, aut partes Sacramenti Pœnitentiæ, niſi in quantum requiruntur ad remiſſionem peccatorum; ergo Contritio, quæ eſt inutilis ad illum effectum, non eſt pars aut quaſi materia; adeòque non conſtituit Sacramentum validum.

Præterea idem Concilium ſeſſ. 6. c. 14. docet, *Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum, multò aliam eſſe à baptiſmali; eâq; contineri non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorundem ſacramentalem Confeſſionem* &c. Ubi nullam ponit differentiam inter deteſtationem peccatorum, quæ eſt diſpoſitio neceſſaria ad effectum Baptiſmi, & deteſtationem peccatorum, quæ eſt quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ; atqui prima deteſtatio nunquam caret ſuo effectu; ergo nec ſecunda.

Vel certè aſſignetur aliquis locus Concilii, in quo requiritur aliquis dolor tanquam diſpoſitio ad effectum, diſtinctus ab illo, qui eſt quaſi materia. Aut ſi non poteſt aſſignari (ſicuti reverà non poteſt) quo fundamento aſſeritur, aliquid ampliùs requiri ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, quàm ad valorem? Nonne exemplo aliorum Sacramentorum? Diſparitas nimis magna eſt (præterquam quòd in hac materia non valeat argumentum à paritate, cùm tota ratio à priori ſit voluntas Chriſti) nimis, dico, manifeſta eſt differentia.

Enimvero remiſſio peccatorum eſt effectus hujus Sacramenti, qui expreſsè ſignificatur per formam Abſolutionis, & formaliter, aut ſaltem concomitanter perficitur per infuſionem gratiæ; ſi ergo non confertur effectus, id eſt, gratia ſeu remiſſio peccatorum, forma Abſolutionis redditur falſa; atque adeò irrita & invalida. Porrò formæ aliorum Sacramentorum non ſignificant expreſsè effectum gratiæ, ſed vel applicationem materiæ, ùt in Baptiſmo, & Confirmatione, dicendo: *Ego te baptizo: Signo te ſigno Crucis*; vel alium effectum inſeparabilem, ùt in Ordine poteſtatem miniſtrandi, dicendo: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium* &c. *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata* &c. id eſt, accipe poteſtatem abſolvendi à peccatis. Similiter in Matrimonio: *Ego te accipio in meum, vel, meam conjugem*, ſignificat vinculum conjugale. Denique in Extrema Unctione forma ſignificat effectum veniæ per modum deprecationis: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti* &c. deinde ſignificat applicationem materiæ: *Per iſtam ſanctam unctionem* &c. Quare per carentiam effectûs gratiæ non falſificatur forma, & ita poteſt adhuc eſſe rata & valida. 51.

Diſparitas inter hoc Sacramentum, & alia Sacramenta.

Ad hanc differentiam reſpondet Averſa q. 14. ſect. 5. verum ſenſum formæ Abſolutionis eſſe: *Abſolvo te à peccatis pro quando es diſpoſitus.* Hoc pacto, inquit, ſenſus eſt abſolutus, & non verè conditionatus. Non eſt limitatus, ſed amplus, immo & extenditur ad aliud quodcumque inſtans, quo pœnitens erit diſpoſitus, & habet vim conferendi pro illo inſtanti effectum. Solùm quoad ſui veritatem requirit, ut adſit tunc debita materia, quia alioquin non ſufficit, ſi hæc poſtea adhibeatur, & ut adſit omnis alia conditio ad validitatem Sacramenti requiſita. Sic etiam verificatur illa forma in Ordinatione: *Accipe Spiritum ſanctum*, dummodo ſit valida: alioquin ſi ea verba dicantur ſubjecto incapaci, vel à non legitimo miniſtro, quæ nullatenus valerent umquam conferre gratiam Spiritûs ſancti, eſſent ſimpliciter falſa. Hæc ille. 52.

Reſponſio Averſæ.

Sed contrà; illa forma in Ordinatione: *Accipe Spiritum ſanctum*, non ſignificat effectum gratiæ ſanctificantis, ùt alibi diximus, ſed 53.

 poteſta-

poteſtatem remittendi peccata; quæ poteſtas vocatur Spiritus ſanctus, quoniam in juſtificatione impii, per Spiritum ſanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur. Itaque illa forma vera eſt, tametſi nunquam per illam detur gratia ſanctificans, ut contingit, quando ſubjectum non eſt diſpoſitum in ipſa adminiſtratione Sacramenti; quia nulla ratio vel auctoritas probat, Sacramentum Ordinationis reviviſcere.

Forma Ordinationis: *Accipe Spiritum ſanctum.* eſt vera, tametſi nunquam detur gratia.

Non ideo ergo præciſè verificatur illa forma, quia valet aliquando conferre gratiam; ſed quia dum profertur, confert poteſtatem abſolvendi, eſtò ſubjectum indiſpoſitum ſit ad effectum gratiæ; ergo pro nullo tempore caret omni ſuo effectu, quem ſignificat, ſicuti caret Abſolutio ſacramentalis, ſi non ſtatim remittit peccata.

Nam quid aliud eſt dicere: *Abſolvo te à peccatis pro quando es diſpoſitus*, quàm, *Abſolvo te à peccatis pro tempore præſenti & futuro?* Ubi autem dedit Chriſtus poteſtatem hominibus, hodie abſolvendi pro tempore craſtino? Nunquid etiam hodie poteſt Sacerdos conſecrare hoſtiam pro die craſtina? Nunquid valet hæc forma: *Ego te abſolvo, ſi cras reſtitueris?*

54. Prorsùs, inquis, non valet; ſed diſparitas eſt, quòd in uno caſu dilatio effectûs ſacramentalis oritur à mera voluntate miniſtri, qui ſi vellet, de præſenti remitteret peccata; in alio autem caſu, tametſi vellet miniſter, non poteſt pro nunc remittere peccata ob indiſpoſitionem pœnitentis; unde una forma eſt abſoluta, alia autem conditionalis.

Diſparitas aliqua aſſignata ab Adverſariis.

Reſpondeo; qui non dedit poteſtatem miniſtro, differendi effectum Sacramenti; ſed voluit, ut Sacramentum, inſtar cauſæ naturalis, hoc ipſo quo eſt, cauſaret ſuum effectum; ex quo conſtat, quòd dederit ſuſcipienti Sacramentum illam poteſtatem, ut pro libito ſuo, vel nunc recipiat effectum, vel poſtea? Reliquit quidem in manu ejus diſpoſitionem neceſſariam ad effectum; adeòque liberum illi eſt, recipere effectum, vel non recipere, quando Sacramentum miniſtratur; at verò tranſacto Sacramento, adhuc in poteſtate ejus eſſe, recipere vel non recipere effectum, de nullo Sacramento legitur in Scriptura, Traditione, Conciliis, vel auctoritate Patrum, præterquàm de Baptiſmo. Gratis ergò hoc tribuitur Pœnitentiæ, ideo præciſè, ut ſic defendatur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, quod & ipſum caret fundamento in Scriptura, Traditione, Conciliis, & auctoritate Patrum.

Rejicitur.

Quæ autem ſit ratio valde probabilis, ex qua Dicaſtillo diſp. 6. n. 94. dicit, dolorem minorem quoad extenſionem ſufficere ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quàm ad illius effectum, hactenus non potui videre; ut omittam, effectus Sacramentorum, & eorum valorem, non dependere à noſtris rationibus & imaginationibus, ſed ex Deo, qui omnia quæcunque voluit fecit.

Dicaſtillo.

Licèt materia hujus Sacramenti, inquit Averſa ſuprà, conſiſtat in actibus pœnitentis, inter quos præcipuè eſt retractatio, & dolor de peccatis; tamen cùm hujuſmodi dolor habeat notabilem latitudinem ac diverſitatem, optimè poteſt eſſe, ut aliquis dolor ſit ſufficiens in ratione materiæ ad validitatem Sacramenti; ſed non per hoc ſit ſufficiens in ratione diſpoſitionis ad effectum gratiæ. Nam etiam in aliis Sacramentis requiritur hic dolor in homine, habente conſcientiam mortalium peccatorum, vel ſaltem Attritio in Baptiſmo, vel etiam Contritio in aliis non præmiſſâ Confeſſione; & tamen in iis non habet rationem materiæ, ſed tantummodo diſpoſitionis; ſic ergo & in hoc Pœnitentiæ Sacramento, poteſt requiri quædam doloris perfectio, ſolùm in ratione diſpoſitionis ad effectum, ultra illam qualitatem doloris, quæ ſit in ratione materiæ neceſſariâ ad valorem. Hucuſque Averſa.

Rectè quidem, ſi ſolùm quæritur de poſſibili. Interim factum eſſe in hoc Sacramento, quod poſſibile fuit fieri, unde conſtat? In aliis Sacramentis tota Eccleſia agnoſcit materiam ſufficientem ad valorem, diſtinctam à diſpoſitione requiſita ad effectum gratiæ; in Baptiſmo ablutionem per aquam; in Confirmatione unctionem, & ſic de aliis; at verò in Sacramento Pœnitentiæ pro materia ſtatuit Contritionem, quæ cùm poſſit eſſe ſufficiens diſpoſitio ad effectum gratiæ, nulla fuit neceſſitas alicujus diſpoſitionis ſuperadditæ.

Et ſanè, quòd aliquando eadem Contritio ſit materia, & diſpoſitio, etiam Adverſarii admittunt. Quòd autem nullus ſit dolor requiſitus ad effectum, qui non requiritur ad valorem Sacramenti, ſeu qui non ſit materia Sacramenti, pro viribus negant.

Quando (inquit Dicaſtillo ſuprà n. 90.) quis ex juſta cauſa, aut ex inculpabili oblivione, reticet aliquod mortale, cujus tamen verum habet dolorem, propter ſpecialem illius peccati turpitudinem, & ſimul habet dolorem de aliis peccatis, propter ſpeciales turpitudines ipſorum; in hoc caſu pœnitens recipit gratiam in ſententia Vaſquezii; habet enim dolorem requiſitum & ſufficientem ad eſſentiam Sacramenti, & ejus effectum; & omnia, quæ tenetur confiteri, confitetur; & tamen ille dolor, quem habet de illo peccato non dicto in Confeſſione, etiamſi ſit diſpoſitio requiſita ad gratiam, non eſt pars Sacramenti; quia dolor, qui eſt pars Sacramenti, debet eſſe ſenſibilis, explicatus ſcilicet per Confeſſionem, jam autem, ut ſupponitur, non confitetur illud peccatum; ergo ille dolor manet inſenſibilis.

Ex quo

Digitized by Google

Ex quo, inquit ille, patet, quòd ſi inculpabiliter deficeret dolor illius peccati, & cætera omnia remanerent, non minùs tunc eſſent omnia eſſentialiter requiſita ad Sacramentum, quàm erant anteà. Nam ille dolor, qui deficit, non eſt pars Sacramenti, ſed ſolùm diſpoſitio hîc & nunc requiſita ad effectum; ac proinde ſicut in Baptiſmo peccatoris adulti, etiamſi deficiat dolor omnis peccati, poteſt dari Sacramentum validum & informe; quia defectus doloris, non eſt defectus materiæ, eſſentialiter requiſitæ ad valorem; ita ſimiliter, ſi deficiat in Sacramento Pœnitentiæ dolor illius peccati, quod citra culpam reticetur; erit Sacramentum validum, licèt informe, quia non deficit aliquid eſſentiale Sacramento. Hæc Dicaſtillo ex Suario.

58. Ex ſe autem alium ponit caſum, ùt putat, evidentiorem; videlicet, quando quis adultus inculpabiliter ſuſceperat Baptiſmum informem, defectu Attritionis omnium peccatorum, quæ commiſerat ante Baptiſmum; poſtea verò confitetur mortalia aliqua commiſſa poſt Baptiſmum, cum vera Attritione eorum, atque etiam illorum, quæ commiſerat ante Baptiſmum: ita tamen, ut dolor ſit propter ſpeciales deformitates proprias cujuſque peccati; vel ob deformitatem, quæ eſt in peccato, quatenus eſt hominis Chriſtiani, quæ deformitas non erat ante Baptiſmum. In hoc caſu, dolor peccatorum, quæ fuerunt ante Baptiſmum, eſt diſpoſitio neceſſaria, ut gratia recipiatur, & tamen non eſt pars Sacramenti; immo nec eſſe poteſt, quia nec peccata ante Baptiſmum, quorum eſt ille dolor, poſſunt eſſe materia remota, nec illorum Confeſſio poteſt eſſe pars & materia proxima; atque adeò nec illorum dolor, qui per Confeſſionem eorundem deberet eſſe ſenſibilis, eſt pars Sacramenti, nec eſſe poteſt. Ita hic Auctor.

59. Verumtamen neque hic caſus, neque iſte, in minimo me urgent, ut recedam à Concluſione. Nam in primis, juxta principia Scoti, dolor non eſt propriè dicta materia, ſeu pars eſſentialis hujus Sacramenti; ſed aliqua tantùm conditio, prævìè requiſita ad veritatem formæ Abſolutionis, quæ ſola eſt tota propriè dicta eſſentia, ùt diffusè probavimus ſect. 2. concl. 3. ac proinde ſufficit ſenſibilitas Abſolutionis, utcunque ſit de ſenſibilitate, vel inſenſibilitate Attritionis.

Secundò; docet Scotus, & nos cum illo, non dari virtutes morales per ſe infuſas; adeòque ſi dolor debeat eſſe ſupernaturalis in ſubſtantia, conſequenter dico, in nullo caſu ſufficere ad effectum Sacramenti dolorem de peccatis propter ſpecialem illorum turpitudinem, niſi ſint peccata contra virtutes Theologicas. Atque ùt ſufficeret dolor ſupernaturalis in modo, equidem, ſecundùm Tridentinum, debet excludere voluntatem peccandi, quam non excludit dolor particularis ob ſpecialem turpitudinem, v. g. furti; nam compatitur voluntatem fornicandi, ùt clarum eſt, de quo ſtatim plura.

Manet ergo verum, quòd nullus dolor ſit pars hujus Sacramenti, quin idem ſit ſufficiens ad effectum, & quòd nullus dolor ſit diſpoſitio neceſſaria ad effectum, qui non ſit pars. Nam ad effectum requiritur dolor univerſalis, qui eſt unus & indiviſibilis actus, extendens ſe ad omnia peccata, tam ante, quàm poſt Baptiſmum commiſſa, adeòque eſt vera pars Sacramenti, licèt fortè non eatenus, quatenus extenditur ad peccata Baptiſmo anteriora. 60.

Nullus dolor eſt pars, qui non ſufficiat ad effectum; & nullus requiritur ad effectum, qui non ſit pars.

Dico, *Fortè*; quia quamquam hæc peccata non ſint materia remota, equidem dolor eſt aliquid neceſſariò prærequiſitum ad veritatem formæ Abſolutionis, in quantum unum peccatum non remittitur ſinè alio; & ut diſpoſitio dici deberet, potiùs diſpoſitio ad effectum Baptiſmi, quàm Pœnitentiæ. Ecce doctrinam Adverſariorum cardinibus ſuis luxatam. Nam quæ ſequuntur, nullam aut parvam habent difficultatem.

Si, inquiunt Adverſarii, ad valorem Sacramenti requiritur dolor perfectus ſufficiens ad effectum, redduntur pœnitentes nimiùm ſolliciti de repetendis Confeſſionibus, in quibus facilè eſt, defuiſſe talem dolorem. 61.

Prima objectio Adverſariorum.

Reſp. I. tam facilè eſt, juxta aliquorum principia, elicere dolorem ſeu deteſtationem peccatorum ex motivo univerſali charitatis aut ſpei, quàm ex motivo particulari hujus vel illius honeſtatis moralis. Deinde æquè difficilè eſt, elicere propoſitum univerſale de cætero non peccandi, quàm univerſaliter deteſtari peccata commiſſa; immo fortè difficiliùs; & tamen non obſtante hâc difficultate, multi admittunt, illud propoſitum eſſe neceſſarium, non tantùm ad effectum, ſed etiam ad valorem. Denique quid magìs abſconditum à cognitione humana, quàm ſupernaturalitas doloris, maximè in ſubſtantia? Et tamen illam admittunt plerique neceſſariam ad valorem.

Prima reſponſio.

Si ergo velimus omnem omnino anxietatem & ſollicitudinem de repetendis Confeſſionibus tollere, dicamus cum Aliquibus, nullum prorſus dolorem requiri; cum Aliis, ſufficere dolorem naturalem, aut ſupernaturalem inefficacem, propoſitum particulare &c.

Reſp. itaque II. ſi pœnitens bonâ fide proceſſerit, nullum eſt periculum, quamdiu manet illa bona fides; indirectè quippe abſolvuntur illa peccata per ſubſequentem Confeſſionem à parte rei validam; neque debent peccata repeti, niſi manifeſtè conſtet de invaliditate. Quod ſi conſtet, quid mirum quòd debeant repeti, ſicuti quando conſtat de defectu juriſdictionis in abſolvente?

Secunda reſponſio.

Dices; Eccleſia cenſetur ſupplere juriſdictionem. 62.

Evaſio. nem, quando aliquis habetur pro legitimo Confeſſario, quamvis alioquin non ſit; ergo ſimiliter Deus cenſebitur acceptare dolorem illum imperfectum, quando bonâ fide proceditur, propter inconvenientia, quæ aliàs orirentur.

Præcluditur. Reſpondeo neg. Conſeq. alioquin ſequitur, quòd, ſicut illa juriſdictio ſufficit etiam ad effectum, ita pariter hic dolor ſufficiat ad effectum, & non tantùm ad valorem, quod Adverſarii non admittunt.

Præterea, eſto Eccleſia ſuppleat juriſdictionem (utpote quæ ab ipſa ſola dependeat) non quidem ſemper, ſed quando aliquis communi errore putatur illam habere; nunquid etiam ſupplet defectum Sacerdotii, aut defectum intentionis in abſolvente? Vel ſi Eccleſia non ſupplet illos defectus, ùt clarum eſt non ſupplere, nunquid Deus debet illos ſupplere, ne detur Sacramentum invalidum? Nemo id aſſerit; & tamen ſequi poſſunt ex iſta invaliditate eadem inconvenientia.

Idemque apparet in Sacramento Baptiſmi, & aliis, quando bonâ fide adminiſtrantur ſinè legitima materia aut forma. Sicuti enim in illis bona fides non ſupplet defectum, neque Eccleſia, neque Deus, tametſi ex invaliditate multò graviora incommoda oriantur: ita neque in Sacramento Pœnitentiæ aut bona fides, aut Eccleſia, aut Deus ſupplent defectum quaſi materiæ, quantumvis ex invaliditate ſequantur aliqua inconvenientia.

Nec obſtat, quòd ſola forma, ùt ſuprà diximus, ſit tota eſſentia Sacramenti; ſiquidem forma non habet rationem Sacramenti, niſi applicetur debitæ materiæ; ſicuti ablutio cum hiſce verbis, *Ego te baptizo*, &c. quamvis ſit tota eſſentia Baptiſmi, tamen non habet rationem Sacramenti, niſi applicetur ſubjecto capaci. Atque hæc de prima objectione.

63. Secunda objectio Adverſariorũ. Secundò objiciunt Adverſarii; omittens inculpabiliter aliquod peccatum, validè abſolvitur; ergo etiam omittens inculpabiliter dolorem perfectum ſeu univerſalem.

Solvitur. Reſpondeo; omittens inculpabiliter aliquod peccatum, non tantùm validè, ſed etiam cum effectu gratiæ abſolvitur; ergo ſimiliter omittens inculpabiliter dolorem univerſalem; negatur Conſequentia. Rationem diſparitatis habes in fine Concluſionis præced. Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ſic ait: *Conſtat nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quam ut, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, ac conſcientiæ ſuæ ſinus omnes ac latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eâdem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.*

Ubi expreſsè ſupponit Concilium, Confeſſionem materialiter non integram, dummodo formaliter integra ſit, ſufficere, non ſolùm ad valorem; ſed etiam ad efficaciam hujus Sacramenti. Nunquid ſimile quidpiam dixit Concilium de Contritione particulari? Aut uſpiam docet, aliquam Confeſſionem ſufficere ad valorem, & non ad efficaciam? Dicaſtillo ſuprà n. 92. in fine ait: Utrum poſſit eſſe Attritio ſinè effectu, & cum valore Sacramenti, nec docet, nec definit Concilium. Cur ergo nos docebimus?

Tertia objectio. Propter hanc, inquis, rationem, & erit tertia objectio; idcirco requiritur dolor ad valorem hujus Sacramenti, & non ſolùm eſt diſpoſitio neceſſaria ad effectum, veluti in Baptiſmo, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum judicii; judicium autem requirit accuſationem, accuſatio verò non eſt nuda narratio peccatorum, ſed doloroſa, & ex odio delicti profecta, per quod odium conſtituitur in ratione accuſationis: ergo talis dolor ſufficit ad valorem hujus Sacramenti, qualis ſufficit ad rationem veræ accuſationis; ergo dolor imperfectus ſeu non univerſalis. Conſequentia eſt evidens, quia talis dolor ſufficit ad rationem veræ accuſationis.

Reſp. Reſpondeo cum diſtinctione; ad rationem veræ accuſationis in judicio humano, ubi unum delictum abſolvitur ſinè alio, transeat totum; in judicio ſacramentali, quod ex natura ſua eſt reconciliativum cum Deo, & in quo non remittitur unum peccatum ſinè alio, nego Aſſumptum; ſed requiritur talis dolor, qui ex ſe efficaciter tendat ad reconciliationem; adeòque dolor extendens ſe ad omnia peccata commiſſa, ſive memoriæ occurrant, ſive non, cùm ſinè illo impoſſibile ſit, ſecundùm præſentem Dei ordinationem, hominem Deo reconciliari.

Quid conci... Enimverò reconciliatio, eſt reductio duarum voluntatum diſcordantium ad concordiam, adeòque utramque voluntatem convenit redire ad priorem ſtatum. Sicuti ergo voluntas Dei non redit imperfectè remittendo unum peccatum mortale, & non aliud, ita etiam convenit planè & neceſſarium eſt, ſecundùm præſentem Dei legem, ut voluntas hominis redeat perfectè per Contritionem univerſalem de omnibus peccatis commiſſis, tametſi fortaſſe hìc & nunc alicujus non reminiſcatur.

6... Evaſio ... cladit... Dices; fieri poteſt, ut aliquis ex ignorantia putet, dolorem particularem ſufficere. Reſpondeo; etiam fieri poteſt, ut aliquis ex ignorantia putet, ſufficere voluntatem dandi eleëmoſynam, aut Confeſſionem abſque ullo prorſus dolore. Ergo adhibens hujuſmodi medium, efficaciter vult reconciliationem, nego Conſequentiam; neque enim voluntas efficax eſt, quæ adhibet media, quæ intellectus falsò judicat eſſe neceſſaria & ſufficientia; ſed quæ adhibet media, à parte rei neceſſaria

Quæ ſ... luntas ... cax.

&

Digitized by Google

& ſufficientia ad finem conſequendum; niſi efficacem voluntatem dixeris, quæ adhiberet media neceſſaria & ſufficientia, ſi ea ſciret; illam autem, quæ de facto hujuſmodi media adhibet, potiùs efficientem.

Et tunc dico, non ſufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ voluntatem efficacem, ſed requiri efficientem. Veluti ad valorem Baptiſmi non ſufficit efficax voluntas applicandi materiam & formam, id eſt, voluntas, quæ applicaret, ſi ſciret, quæ eſſet illa materia & forma; ſed requiritur voluntas efficiens ſeu applicans veram materiam & formam.

Nec te moveat, quod ſcribit Lugo diſp 14. n. 78. Quamvis amor efficax finis, ſit virtualiter amor mediorum, & dolor ſit medium neceſſarium ad reconciliationem cum Deo, non tamen ſemper amor finis continet æquivalenter & virtualiter actus illos, qui ſunt media neceſſaria ad finem; nam qui vult ſalvari, vult ſervare præcepta, quorum unum eſt dilectio Dei; & tamen ille amor ſalutis, non eſt æquivalenter dilectio Dei propter ſe ſuper omnia; quia ſi hoc eſſet, juſtificaret etiam extra Sacramentum. Continet ergo illos alios actus per modum imperii & cauſæ, non tamen continet in ſe perfectionem illorum æquivalenter, quia bene poteſt actus inferior imperare actum excellentiorem & ſuperiorem. Hæc ille.

Sed nihil contra nos, qui non aſſerimus iſtam æquivalentiam, neque unquam cogitavimus, ſufficere ad valorem aut efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ, voluntatem efficacem reconciliationis cum Deo, ut nata eſt imperare deteſtationem omnium peccatorum; cùm nec amor Dei propter ſe ſuper omnia ſufficiat, abſque formali dolore. Quid ergo? Intentio noſtra hæc eſt; veluti formalis dolor de uno peccato, quod memoriæ occurrit, ex motivo dilectionis Dei propter ſe ſuper omnia, virtualiter ſe extendit ad omnia alia peccata, quæ abſolutè repugnant eidem motivo; ſic itidem formalis dolor de uno peccato, procedens ex efficaci deſiderio reconciliationis cum Deo, virtualiter ſe extendit ad omnia alia peccata, quæ abſolutè repugnant iſti reconciliationi.

67. Cùm ergo dolor ſacramentalis debeat tendere ex ſe efficaciter ad reconciliationem, per Sacramentum obtinendam, conſequenter debet, ſaltem implicitè & virtualiter, deteſtari omne illud peccatum, quod poteſt illam reconciliationem impedire. Sicuti dolor, qui procedit ex efficaci deſiderio Beatitudinis, implicitè & virtualiter deteſtatur omne illud peccatum, quod poteſt Beatitudinem impedire, quamvis hic & nunc pœnitens ſolùm cogitet de uno aut altero peccato in particulari, bonâ fide exiſtimans, nullum aliud latere; idque quia ſi occurreret aliud peccatum, quod fortè à parte rei ſubeſt, ſtatim ex vi doloris præſentis, etiam illud formaliter diſpliceret.

Jam autem dolor præciſè propter turpitudinem furti, nequidem implicitè & virtualiter ſe extendit ad illa peccata, in quibus turpitudo furti non invenitur, v. g. ad peccatum luxuriæ; ergo iſte dolor non tendit ex ſe efficaciter ad reconciliationem; nam cum illo dolore poteſt ſtare actualis affectus peccandi contra caſtitatem. Ergo tametſi hìc & nunc non eſſet aliud peccatum commiſſum, præter furtum; equidem ille dolor non ſufficeret ad reconciliationem in Sacramento obtinendam; ùt ſignificat Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 4. docens Attritionem diſponere ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento, *Si*, inquit, *voluntatem peccandi excludat.* *Talis non eſt dolor præciſè propter turpitudinem furti.* *Conc. Trid.*

68. Reſpondet Quidam Adverſariorum neg. Conſeq. exiſtimans, Concilium Tridentinum non requirere majorem extenſionem ad valorem Sacramenti ex parte propoſiti de cætero non peccandi, quàm ex parte deteſtationis peccati præteriti; immo nec ad effectum gratiæ, niſi hic aliunde impediatur. Ita Dicaſtillo diſp. 6. n. 111. *Reſponſio Dicaſt. non requiri majorem extenſionem propoſiti quàm doloris.*

Et probat, quia Concilium illam tantùm excluſionem voluntatis peccandi requirit, quæ provenit ab ipſamet Attritione. Cùm ergo Attritio tantùm excludat voluntatem peccandi, quatenus eſt retractatio voluntatis peccandi: cùmque Attritio, de qua nunc agimus, non ſit univerſalis retractatio peccati, ſed ſpecialis cujuſdam peccati, tantùm vi ſuâ excludet peccatum, quod continetur ſub illa ratione. Excluſio verò voluntatis peccandi in aliis materiis diverſæ rationis, ſi reperiatur in pœnitente, non ex vi talis Attritionis proveniet, ſed aliunde: nulla enim cauſalitas exerceri poteſt ab ea Attritione extra latitudinem (ut ſic dicam) ſphæræ ſuæ activitatis; ergo propoſitum ſeu voluntas peccandi, quam debet excludere ea Attritio, non poteſt latiùs patere, quàm ipſa Attritio: ſi hæc ergo non eſt univerſalis, neque voluntas ſeu propoſitum non peccandi indè ortum, univerſale erit. Hæc ille.

Quòd ſi inferas; ergo aliquis validè poterit recipere hoc Sacramentum, cum affectu actuali ad aliquod peccatum mortale. Reſpondet neg. Conſ. nam requiritur, inquit, carentia propoſiti actualis peccandi, quam carentiam non habet, qui habet actualem affectum ad peccatum mortale; ille enim affectus peccatum quoddam eſt, adeòque non habet, quod requiritur ad valorem Sacramenti. *eſtò requiratur carentia actualis propoſiti peccandi;*

69. Sed hæc eſt petitio principii, quod non oportet ſuppoſitum, aſt probatum. Nam quæro ego, ſi non requiritur dolor univerſalis, neque propoſitum univerſale ad valorem Sacramenti; unde tibi conſtat, quòd requiratur carentia propoſiti actualis peccandi? An fortè, quia Trident. ſeſſ. 14. c. 5. docet, inſtitutam *ſed eſt petitio principii.*

eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem? Etiam docet cap. 3. quòd ad plenam & perfectam remiſſionem peccatorum ex Dei inſtitutione requiratur Contritio, id eſt, deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero; & cùm non ſit major ratio de uno peccato quàm de alio, ſequitur quòd de omnibus. Ergo ſicut tu dicis, nihilominus ſufficere ad valorem, licèt non ad effectum dolorem particularem de uno peccato, ita ego conſequenter dicam, ſufficere ad valorem, licèt non ad effectum Confeſſionem formaliter non integram; ſicut Aliqui docent, dolorè etiam formaliter non integrum ſufficere.

Gratis videtur requiri bona fides ut dolor particularis valeat.

Et ſanè gratìs videtur requiri bona fides, ut dolor particularis valeat, ſi alioquin ſit materia à Chriſto inſtituta. Patet in aliis Sacramentis, ubì propter bonam fidem miniſtri aut ſuſcipientis, non ſit materia aut forma, quod alioquin non eſſet materia, aut forma.

70. Objectio

Dices; contrarium hìc apparet in Confeſſione, quæ materialiter non integra eſt materia; ſecùs formaliter non integra.

Solvitur.

Reſpondeo; utramque Confeſſionem eſſe materiam ſufficientem, quantum eſt ex parte Confeſſionis; quòd autem Abſolutio ſit invalida, oritur ex defectu doloris, qui nequit eſſe univerſalis quando ſcienter & volenter abſque juſta cauſa tacetur aliquod peccatum mortale. Si ergo in aliquo caſu valet dolor particularis, etiam in eodem valebit Confeſſio non integra formaliter.

Deinde, ùt ſuprà vidimus ex Tridentino, conſtat, Chriſtum non inſtituiſſe pro materia neceſſaria niſi Confeſſionem formaliter integram, etiam ut Sacramentum conferat effectum, idque quia materialiter integra eſt ſæpè phyſicè impoſſibilis, quando videlicet peccatum commiſſum diligenter cogitanti non occurrit: ergo non erat conveniens eam inſtituere tanquam neceſſariam ſive ad valorem, ſive ad effectum Sacramenti; dolor autem univerſalis ſemper poſſibilis eſt, ſive peccatum occurrat, ſive non; & ideo jure merito Chriſtus ipſum requiſivit, non tantùm ad effectum, ſed etiam ad valorem.

71. Diſcrimen inter dolorem, & propoſitum quoad univerſalitatem ex Lugone.

Vidit Lugo hanc difficultatem, & ideo valde laborat in quærendo diſparitatem inter dolorem, & propoſitum, ut oſtendat hoc debere eſſe univerſale, etiam ad valorem, & non illum. Et primò quidem confugit ad Concilium Trid. quod de dolore ſolùm dixit, debere eſſe *deteſtationem de peccato commiſſo*, in quibus verbis non petit dolorem terminatum ad omnia peccata, ſed ſolùm ad commiſſa: de propoſito autem dixit univerſaliter, debere eſſe *propoſitum non peccandi de cætero*, & debere *excludere voluntatem peccandi*, quæ verba univerſalia ſunt, & comprehendunt omnia peccata; in quo etiam ſenſu Gregorius Papa Homil. 34. in Euangelia, & lib. 9. Regiſt. Epiſt. 39. dixit, Pœnitentiam eſſe *commiſſa plangere* (ecce dolorem de præteritis) *& plangenda non committere* (ecce propoſitum circa futura) in quibus etiam verbis majorem univerſalitatem habet propoſitum, quàm dolor; hic enim fertur ad ſola commiſſa, illud verò ad omnia, quæ committi poſſunt. Hucuſque Eminentiſſ. diſp. 14 n. 81.

Oppo- tur 1

Sed contrà primò; ſi in iſtis locutionibus non requiritur dolor univerſalis, cùm definiant veram Pœnitentiam ſufficientem ad effectum Sacramenti, jam etiam dolor particularis ſufficiet ad effectum; vel ſi aliquid ampliùs requiritur, mirum quòd Concilium Trident. nullam ejus faciat mentionem, ſicut facit mentionem diſpoſitionis, requiſitæ ad effectum Sacramenti Baptiſmi.

Sec

Secundò; jam oſtendimus Attritionem particularem non excludere poſitivè omnem voluntatem peccandi, eſtò Attritioni particulari poſſet conjungi univerſale propoſitum non peccandi.

Ter

Tertiò; quid obſtat quò minùs illa verba: *Cum propoſito non peccandi de cætero*, intelligantur de illo peccato, de quo præceſſit dolor ſeu deteſtatio? Non enim apparet major ratio, quare oporteat propoſitum eſſe univerſale, quàm dolorem univerſalem. Immo propoſitum univerſale videtur ſupponere dolorem univerſalem. Quomodo enim poteſt quis proponere, numquam ampliùs peccare, niſi, ſaltem implicitè, deteſtetur quodlibet peccatum commiſſum; ideo enim proponit, quia dolet; ſi ergo universè proponit, etiam universè debet dolere, vel ſi ſolùm dolet particulariter, etiam propoſitū tantùm erit particulare; quod probatur ex communi hominum apprehenſione, qui quando dolent de aliquo uno actu in particulari, non ſolent facere propoſitum, niſi de ſolo illo actu ampliùs non committendo.

Obj. Lug.

Dices cum Lugone ſuprà n. 82. dolor eſt talis actus, qui, juxta ſuum modum tendendi, fertur ſolùm ad ea peccata, quæ apprehenduntur commiſſa; neque enim retractari poteſt, niſi quod malè factum apprehenditur. At vero propoſitum ex natura ſua ferri poteſt æqualiter ad omnia peccata poſſibilia.

Solv

Reſpondeo; dolor eſt talis actus, qui ex natura ſua ferri poteſt, ſaltem implicitè, ad omne illud per quod aliquis fuit offenſus, ſive nunc memoriæ occurrat, ſive non. Ergo eſt eadem ratio de dolore, & propoſito; neque enim propoſitū ſemper formaliter ſe extendit ad omnia in futurū cavenda; ſed præcipuè ad cavenda illa, de quibus præceſſit explicitus dolor.

Alia diſpa ex 1

Aliam rationem diſparitatis adfert Cardinalis ſuprà n. 83. quia ad hoc, ut homo admittatur de novo in amicitiam & gratiam Dei, magìs per ſe exigitur propoſitum circa futura, quàm dolor de præteritis. Hinc qui baptizatur cum ſolo originali, non indiget dolore, ſed bene propoſito; quia nimirum, qui alteri ſe

de novo

Digitized by Google

de novo in ſervum vel domeſticum tradit, videtur hoc propoſitum adducere voluntatis ejus exequendæ; dolor autem ſolùm requiritur ſub conditione, ſi aliquid contra Deum commiſit.

Reſpondeo; planè requiritur ſub illa conditione, & ideo, ſaltem virtualiter & implicitè, debet ſe extendere ad omne illud, quod poſſet eſſe commiſſum, ſive ignoretur, ſive non; cùm enim talis dolor ſit poſſibilis etiam ignoranti, meritò ab eo exigitur, æquè ac univerſale propoſitum.

Deinde veluti non poteſt eſſe odium efficax peccati præteriti, quin ſit propoſitum implicitum vitandi futurum ſub eodem motivo; ſic pariter non poteſt eſſe propoſitum efficax vitandi peccatum futurum, quin ſit odium implicitum præteriti ſub eodem motivo.

Reſpondet Lugo ſuprà n. 87. negando paritatem; & rationem diſparitatis aſſignat n. 56. Nam qui proponit, ex vi propoſiti ſolùm dicit, *volo deinceps nullo modo peccare*: poteſt autem ſtare, quòd quis firmiſſimè velit non iterum peccare, licèt non diſpliceat ipſi peccaſſe olim: poſſum enim præſcindere peccata præterita à futuris, & complacere in præteritis, vel ſaltem de illis non curare; negando tamen mihi omnia futura. Sic ſenex impeditus facilè proponit caſtam ducere vitam in futurum, licèt non diſpliceat ipſi laſcivia ſuæ juventutis, nec contradicit ſibi dicendo; *placet mihi quod feci, ſed nullo modo volo iterum id facere, ſufficit ſemel feciſſe*. Hæc ille.

Sed contrà; ſenex ille proponit efficaciter caſtam ducere vitam in futurum, vel ex motivo offenſæ divinæ, vel ex motivo damnationis æternæ, aut ex motivo turpitudinis peccati, vel certè quia ampliùs non poteſt peccare. Si ex tribus primis motivis, cùm hæc comprehendant ſub ſe, tam peccata præterita, quàm futura (nam etiam præterita illis opponuntur) conſequens eſt, ut propoſitum illud explicitum caſtam ducendi vitam in futurum, ſit implicita deteſtatio præteritæ laſciviæ. Sin autem ex motivo quarto, cùm illud non comprehendat ſub ſe peccatum præteritum, ùt patet, quid mirum, ſi ex illo motivo poſſit velle ampliùs non peccare, licèt nequidem implicitè diſpliceat ſibi olim peccaſſe? Putas autem, quia propoſitum ex tali motivo ſufficeret ad valorem Sacramenti? Noli putare, quia motivum, quod requiritur ad dolorem, idem requiritur ad propoſitum.

Quæ cùm ita ſint, nemini puto dubia eſſe poteſt probabilitas noſtræ Concluſionis, quæ nobis ſufficit. Nam contrariæ opinioni ſuam probabilitatem nolumus auferre, quando pœnitens procedit bonâ fide, & aliquem affert dolorem ſupernaturalem, quamvis non univerſalem de omnibus peccatis commiſſis, eò quòd non occurrant memoriæ, vel quia putat particularem ſufficere, ut non tantùm validè, ſed etiam cum effectu abſolvatur. Quin immo docent Multi, Sacramentum hoc poſſe eſſe validum, & informe tum defectu doloris, tum etiam defectu integritatis, eſtò mortaliter culpabili.

Auctores pro hac opinione (quæ ſatìs favorabilis eſt, tum pœnitentibus, tum Confeſſariis, ne ſolliciti eſſe debeant de repetendis Confeſſionibus) videre poteris apud Dianam p. 1. tract. 3. Miſcel. reſol. 31. ubì, ſicuti & p. 3. tract. 4. reſol. 65. teſtatur, non de communi Theologorum (ùt ait Dicaſtillo diſp. 6. n. 86.) ſed de communiter recepta in ſchola Divi Thomæ. Sic enim ſcribit reſol. 31. *Diana.* *Dicaſtill.*

Ex hac doctrina, recepta, ùt dixi, communiter à Thomiſtis, poſſunt Confeſſarii non rarò excuſare pœnitentes ab onere reiterandi Confeſſiones. Regula verò ad cognoſcendum, quòd præparatio fuerit ſufficiens (loquitur de examine conſcientiæ) ad validitatem Confeſſionis iterandæ, vel non iterandæ, hæc eſt: Si poſt Confeſſionem plura peccata occurrant memoriæ, quàm in Confeſſione explicata ſunt, non fuit diligentia ſufficiens. Si autem occurrant aliqua peccata multò pauciora, quàm confeſſa, credendum eſt, quòd fuerit diligentia ſufficiens; & à fortiori fuit ſufficiens, ùt Confeſſio eſſet valida; unde in ſimilibus caſibus homo non eſt obligatus ad iterandam Confeſſionem; ſed debet ſe accuſare de illis peccatis non confeſſis, & de negligentia ſaltem ad cautelam. Hæc Nugnus ubì ſuprà (in 3. p. tom. 2. q. 9. a. 1.) quæ Confeſſariis ad tollendos ſcrupulos multùm plauſibilia futura eſſe confido, & eſt ſententia communis PP. Dominicanorum. Hucuſque Diana.

77. *An fuerit ſententia D. Thomæ?*

Videant PP. Dominicani an illa ſit ipſorum ſententia, & ſententia Doctoris Angelici, qui 4. diſt. 17. q. 3. a. 4. quæſtiuncula 2. ſic ait: *De neceſſitate Confeſſionis eſt, quòd homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet; quòd ſi non facit, non eſt Confeſſio, ſed Confeſſionis ſimulatio.* Et 4. diſt. 23. q. 1. a. 4. quæſt. 2. *Hoc*, inquit, *Sacramentum* (Extremæ Unctionis) *non habet aliquem effectum, qui ſemper ex operatione miniſtri conſequatur, omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, ritè peractis, ſicut Character in Baptiſmo & Confirmatione, & tranſubſtantiatio in Euchariſtia, & remiſſio peccati in Pœnitentia exiſtente Contritione, quæ eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.*

Si fuerit, videtur eam revocaſſe.

Ubì videtur revocare, quod priùs docuerat 4. diſt. 17. q. 3. a. 4. q. 1. ibi: *Confeſſio poteſt eſſe in eo, qui non eſt contritus; quia poteſt peccata ſua Sacerdoti innoteſcere, & Clavibus Eccleſiæ ſe ſubiicere; & quamvis tunc non percipiat Abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, ſicut etiam eſt in aliis Sacramentis, unde non tenetur iterare Confeſſionem, qui fictus accedit,*

ſed tenetur poſtmodum fictionem illam confiteri.

78. Reſponſio Dicaſt. Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 85. D. Thomam diſt. 23. nomine Contritionis intelligere perfectam, vel imperfectam, quæ dicitur Attritio, quarum quælibet, ſi aliud non obſtet, ſufficit etiam ad effectum, adeòque non revocare, quod priùs docuerat.

Rejicitur. Sed contrà; etiam diſt. 17. intelligit utramque Contritionem. Patet ex illis verbis: *Et quamvis tunc non percipiat Abſolutionis fructum*; ergo loquitur de abſentia illius Contritionis, quæ ſi adeſſet, pœnitens perciperet Abſolutionis fructum; ergo non de ſolà Contritione perfecta, quia ad fructum ſufficit imperfecta. Quidquid ſit de mente D. Thomæ, non video, quare una præparatio (de qua Diana ſuprà) ſit ſufficiens ad validitatem Confeſſionis, & non alia, ſi utraque eſt mortaliter culpabilis.

79. Sententia Henriquez. Hinc magìs conſequenter Henriquez in Sum. lib. 5. c. 11. n. 1. Eſt, inquit, verum Sacramentum, I. quando pœnitens integrè fatetur, cum aliquo formali dolore & propoſito, excludente voluntatem peccandi; & tamen non habet dignam diſpoſitionem primæ gratiæ, à Chriſto inſtitutam: puta dignum gradum Attritionis ſupernaturalis, ſed naturalis objecti, etiam ex auxilio Dei. Nec impeditur veritas Sacramenti ſi inſufficiens ſit dolor ex mortali negligentia aut ignorantia quadam culpabili, nam concurrunt omnia ad veritatem Sacramenti requiſita.

Secundò, ſi quis ex negligentia & ignorantia culpabili oblitus eſt quorumdam mortalium (ut ſi multis peccatis & variis negotiis irretitus, conſcientiæ ſuæ latebras accuratè non perquiſivit) & tamen in animo habuit facere integram Confeſſionem. Hæc ille.

Unde (inquit Diana ſuprà reſol. 65.) minimè dubitandum eſt, hanc ſententiam probabiliſſimam eſſe in praxi (ſi credere fas eſt) & ideo poſſunt Confeſſarii excuſare pœnitentes à reiteratione Confeſſionis, quando fuerit informis ex defectu doloris vel examinis.

80. Quid de hac re ſenſerit Scotus. Cæterùm ſi à me quæritur, quid de hac re ſenſerit Doctor Subtilis, Reſp. incertum eſſe; lego 4. diſt. 14. q. 4. n. 4. *Congruus ex parte ſuſceptivi, quòd ſit pœnitens, id eſt, habens aliquam diſplicentiam de peccato commiſſo; hoc enim videmus etiam in Iudicibus temporalibus, quòd protervum ſententialiter condemnant.* Jam autem qui accedit cum dolore imperfecto, potiſſimùm bonâ fide, non eſt protervus. Ergo ille dolor, ſecundùm Scotum, ſufficit ad valorem Sacramenti.

Nego Conſeq. alioquin Sacramentum etiam haberet ſuum effectum, quemadmodum ſententia Iudicis temporalis. Nimìs manifeſtum eſt, illa duo judicia in multis non convenire. Igitur Doctor hoc loco ſolùm vult oſtendere, aliquem dolorem eſſe neceſſarium; qualis autem debeat eſſe, non determinat.

Alioquin dubitaſſe de valore informi, videtur colligi ex his verbis 4. diſt. 16. q. 1. n. 7. *Satisfactio debet ſequi Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc ut habeat efficaciam; & hoc in re, vel in voto, niſi Iudex poſſet perpendere, illas pœnas aliàs præcedentes ſufficere ad totalem pœnæ ſolutionem. Iſta enim ſententia Sacerdotis ſic abſolvit, quòd tamen ligat. Abſolvit quidem à debito pœnæ æternæ, ſed ligat ad ſolutionem pœnæ temporalis, niſi ſit ſufficienter iam ſoluta. Ipſa etiam vel nullo modo abſolvit, vel ſaltem non efficaciter, niſi ille reus ſit in ſe debito modo diſpoſitus: quia Sacramentum eſt ſignum Abſolutionis interioris, quæ interior non concomitatur, niſi ſit debita diſpoſitio in mente interiùs abſolvendi.*

Ubi nota illa verba: *Ipſa etiam* (ſcilicet ſententia Sacerdotis ſeu Abſolutio, quæ, ſecundùm ipſum, eſt tota eſſentia Sacramenti) *vel nullo modo abſolvit, vel ſaltem non efficaciter* &c. quibus ſub dubio videtur inſinuare, ſententiam Sacerdotis aliquo modo abſolvere, licèt non efficaciter, reum in ſe indiſpoſitum.

Audiamus quid dicat in Report. (impreſſis Lugduni) eâdem diſt & q. n. 15. *Abſolutio,* inquit, *Sacramentalis ex quo ſignificat, effectum interiorem inviſibilem ineſſe pœnitenti, ſuſcipienti hoc Sacramentum, præſupponit & exigit in eo duas partes Pœnitentiæ, tertio & quarto modo dicta; ſcilicet Contritionem de peccato, cum eiuſdem diſplicentia, & Confeſſionem ſive propalationem eius, cum ſua pœna conſequente, ſcilicet verecundiâ & rubore, ad hoc quòd pœnitens ſit capax ſigni ſacramentalis Abſolutionis, quæ eſt Sacramentum Pœnitentiæ.*

Si enim Sacerdos invenerit non contriſtantem de peccato, nec deteſtantem peccatum, nec accuſantem ſe per Confeſſionem, non abſolveret eum, nec per conſequens reciperet Sacramentum Pœnitentiæ; quia hoc Sacramentum ex natura ſua eſt ſignum efficax Abſolutionis interioris, quæ non poteſt ineſſe animæ non pœnitenti per nolitionem peccati, & eius propalationem; nec tamen Abſolutio Sacramenti Pœnitentiæ eſt cauſa illarum partium in eſſe ſimpliciter, ſed in eſſe gratuito, præſupponens eas in ſuſcipiente de congruo ad ſuſceptionem Abſolutionis, ut eius neceſſariam & immediatam diſpoſitionem, ut dictum eſt ſuprà de aliis Sacramentis.

Suprà, inquam, diſt. 1. q. 4. n. 12. ubi ſic habet: *Ad primum Auguſtini de aqua, dico non diſcordando, vel gloſſando, quòd tinctio corporis ab aqua, cum verbis ſimul, verè cor abluit, non quòd actione ſua attingat gratiam, vel diſpoſitionem ad eam; ſed quòd ipſa ablutio exterior ſit immediata diſpoſitio ad gratiam, ut ſecum habens quod ſignat.*

Clariùs in primo ſcripto eâdem diſt. q. 5. n. 17: *Ad primum dico, quòd aqua abluit cor, id eſt, animam, non quidem cauſando diſpoſitionem mediam inter ipſam, & gratiam abluentem; ſed abluit tanquam diſpoſitio proxima & immediata ad gratiam, eo modo quo dicitur, quòd meritum inducit Beatitudinem, vel quòd ſectio, ſive alia huiuſmodi præparatio, inducat ſanitatem.* Jam autem aqua,

ſeu

Digitized by Google

ſeu tinctio corporalis ab aqua, talis eſt diſpoſitio, ut ſinè illa Sacramentum Baptiſmi non valeat, multò minùs cauſet effectum gratiæ.

Ergo ſimiliter, ſecundùm Scotum, licèt Contritio & Confeſſio non ſint reverà partes Sacramenti Pœnitentiæ ſtrictè loquendo, quemadmodum tinctio corporis ab aqua eſt pars Sacramenti Baptiſmatis; nihilominus ſunt neceſſaria & immediata diſpoſitio prævia, non tantùm ut Abſolutio ſacramentalis cauſet effectum gratiæ, ſed etiam ut valeat. Neque uſpiam diſtinguit inter Contritionem aut Confeſſionem requiſitam ad valorem, & requiſitam ad effectum gratiæ.

Immo eandem requiri, videtur ſignificare illis verbis ſuprà in Report. *Si Sacerdos inveniret non contriſtantem de peccato, nec deteſtantem peccatum, nec accuſantem ſe per Confeſſionem, non abſolveret eum, nec per conſequens reciperet Sacramentum Pœnitentiæ.* Cur hoc? *Quia*, inquit, *hoc Sacramentum eſt ſignum efficax Abſolutionis interioris, quæ non poteſt ineſſe animæ non pœnitenti per nolitionem peccati, & ejus propalationem.*

Ubì indubiè per *Abſolutionem interiorem* intelligit veram remiſſionem peccatorum per infuſionem gratiæ ſanctificantis; quæ quia non poteſt ineſſe animæ non pœnitenti per nolitionem peccati, & ejus propalationem, ideo non abſolveret eum Sacerdos, nec per conſequens reciperet Sacramentum Pœnitentiæ; ergo Contritio, quæ requiritur ad recipiendam interiorem Abſolutionem, eadem neceſſaria eſt ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ.

Quid miramur? Etenim, ùt dixi circa principium Concluſionis, cùm forma Abſolutionis ſignificet immediatè ſuum effectum, ſcilicet internam remiſſionem peccati, & non actionem aliquam externam, aut alium effectum infallibiliter conjunctum, ſi remiſſio interna non conferatur, ipſa forma erit falſa.

Sed hoc argumentum (dicet aliquis) non multùm convincit: quia forma Abſolutionis ſignificat confitentem abſolvi à peccato quatenus ligat vel ſecundùm culpam, vel ſecundùm pœnam æternam aut temporalem, vel ſecundùm obligationem confitendi; jam autem Abſolutio valida, & informis remittit obligationem confitendi.

Præterea remittit peccata ſecundùm culpam & pœnam ſaltem in jure.

Reſpondeo; hæc eſt petitio principii; nam æquè, (ſi non magis) incertum eſt, an Sacramentum Pœnitentiæ reviviſcat, quàm an detur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe. Si autem non reviviſcat, certum eſt, formam talem remiſſionem non ſignificare, ideòque nec conferre. Sicut ergo gratìs aſſeritur talis ſignificatio & remiſſio, ita optimo jure negatur; cùm ad negandum ſufficiat, quòd non adſit ulla ratio affirmandi.

Et conſimiliter negari poſſet hæc ſignificatio: *Remitto tibi peccata quoad obligationem confitendi*; quamvis enim tollatur illa obligatio per Sacramentum Pœnitentiæ, ſuſceptum cum effectu gratiæ; ſicuti tollitur obligatio Baptiſmi, per ipſam ſuſceptionem Baptiſmi; interim hoc ſignificari in actu ſignato per iſta verba: *Ego te abſolvo*, immo in actu exercito per Sacramentum informe, non probatur, niſi ex hypotheſi, quòd detur Sacramentum validum & informe. Vide quæ de hac re diximus diſp. 1. ſect. 6. concl. 5. & confeſtim intelliges, quàm incertis navigent undis, qui abſque auctoritate alicujus Scripturæ aut Concilii, ſinè Traditione, abſque communi conſenſu SS. Patrum, conantur inducere in Eccleſiam Dei, & ſtabilire Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, ut Confeſſarios & pœnitentes liberent à nimia, ùt vocant, ſollicitudine repetendi Confeſſiones. Non negamus quòd Chriſtus ſic potuerit inſtituere ſuum tribunal; ut autem dicamus ſic inſtituiſſe nihil cogit; immo probabiliùs nobis apparet, non ſic inſtituiſſe. 87.

Reſpondetur ad primam.

Alioquin vellem audire aliquem, qui efficaciter ex ſola ratione probaret, dolorem eſſe neceſſarium ad eſſentiam hujus Sacramenti. Nam communis probatio, quâ ſuprà uſi fuimus, deſumpta ex judicio humano, non convincit; quippe multa neceſſaria ſunt in judicio humano, quæ non ſunt neceſſaria in judicio ſacramentali, & vice verſâ, ùt patet ex ante dictis. 88.

An ſit dolor neceſſarius ad eſſentiam hujus Sacramenti.

Non ſatìs eſt in judicio humano, quòd reus confeſſus, doleat ſe feciſſe, & proponat ſe non ampliùs facturum, ut propterea omnino debeat abſolvi, & inſuper addantur illi magna nobilitas aut dignitas, & dona magni momenti: at verò ſi reus id præſtet in judicio ſacramentali, abundè ſufficit. In judicio humano non debet Iudex eſſe paratus ad abſolvendum quantumcumque & quotieſcumq; relapſum: at verò Iudex ſacramentalis debet eſſe paratus ſæpiùs abſolvere relapſum: toties quoties debitè fuerit diſpoſitus: hoc enim totum meruit nobis Chriſtus, & paſſioni ſuæ dandum eſſe cenſuit.

Non licet in omnibus argumentari à judicio humano ad Sacramentale, & à contra.

Eâdem ergo ratione potuit, ſi voluiſſet, ſolam explicationem peccatorum requirere ad valorem, immo & ad effectum hujus judicii; ſiquidem reconciliatio, quæ eſt effectus, non eſt aliud, quàm gratia ſanctificans, per quam homo conformatur Deo, factus divinæ conſors naturæ. Cur autem illam gratiam, ſi voluiſſet, non potuiſſet Chriſtus ex ſuis meritis conferre, poſitâ explicatione peccatorum abſque dolore, præſertim quando defectus ſeu carentia doloris proveniret ex inculpabili ignorantia vel inadvertentia? Abſolutè nihil obſtat. 89.

Potuit Chriſtus ſolam Confeſsionem requirere ad valorem hujus Sacramenti.

Adde, etiam Baptiſmum eſſe Sacramentum

reconciliationis (quamvis non eodem modo; nam Baptiſmus per modum regenerationis, Pœnitentia verò per modum Abſolutionis, qui ſunt modi valde diſtincti) & tamen ad valorem Baptiſmi non requiritur dolor. Unde ergo probatur neceſſitas alicujus doloris ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?

90. Neceſſitatem doloris probat Dicaſt. ex praxi Eccleſiæ.

Reſpondet Dicaſtillo diſp. 6. nu. 153. non ſolùm ex communi ſenſu Doctorum ſed ex ipſa quoque praxi totius Eccleſiæ. Si enim Confeſſio ſinè dolore facta, eſſet valida, & ſimul cum Abſolutione ſufficiens ad conſtituendam eſſentiam Sacramenti, licèt non contuliſſet effectum ob defectum diſpoſitionis; non eſſet obligatio eam iterum repetendi, cùm jam illa peccata fuiſſent validè ſubjecta Clavibus in Confeſſione valida, atque adeò ſolùm oporteret poſtea obicem auferre, ut cum effectu remitterentur. Conſequens autem hoc, eſt contra praxim totius Eccleſiæ; quamvis enim ſit in quæſtione poſitum, an ſit Samentum Pœnitentiæ validum & informe defectu ſufficientis doloris, qui ad gratiam ſufficienter diſponeret; in confeſſo tamen eſt apud omnes, repetendam eſſe tanquam invalidam eam Confeſſionem, quæ ſaltem ſcienter facta fuiſſet ſinè ullo prorſus dolore, & eam eſſe ſacrilegam. Hæc ille.

Objectio.

Contrà; Doctores, eſtò pauci, qui admittunt Sacramentum validum ſinè ullo prorſus dolore, conſequenter facilè admitterent, aut ſaltem admittere poſſent, Confeſſionem ſic factam non eſſe repetendam; idque eádem ratione, quâ alii admittunt non eſſe repetendam Confeſſionem validam & informem defectù doloris ſupernaturalis. Quòd autem ordinariè repetatur, fit ex ignorantia illius opinionis, aut ex eo, quòd ſit contraria communi ſenſui Doctorum, à quo in re tanti momenti non eſt facilè recedendum.

91. Neceſſaria eſt Contritio etiam ad valorem Sacramenti.

Dico itaque, Contritionem planè neceſſariam eſſe, non tantùm ad effectum hujus Sacramenti, ſed etiam ad valorem, Deo ita volente, & ſuam voluntatem ſignificante per Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 3. & Florentinum in Decreto Eugenii.

Quæro autem ulteriùs, an dolor ille ſeu Contritio, quatenus eſt materia, aut quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ præcedere debeat Abſolutionem, & Confeſſionem; an verò ſufficiat quòd ſequatur? Reſponſio erit

CONCLUSIO IV.

Dolor ſacramentalis Abſolutionem non ſequatur. Confeſſionem non neceſſario præcedit tempore.

PRima pars eſt communis, & à poſteriori ſufficienter probatur ex praxi fidelium, Confeſſiones aliter factas repetentium; quòd haud dubiè faciunt, quia exiſtimant hujuſmodi Confeſſiones fuiſſe invalidas. Confirmatur ex praxi Confeſſariorum, qui ſemper ante Abſolutionem ſunt ſolliciti de dolore pœnitentis; nullus autem curat de dolore poſt Abſolutionem. Supponunt ergo omnes, elici debere Contritionem ad minus ante Abſolutionem.

Ratio à priori voluntas Chriſti, quæ nobis ex illa praxi, & communi conſenſu Doctorum innoteſcit. Congruentia eſt; quia ſententia reconciliativa ſupponit accuſationem non ſimpliciter, ſed dolorificam, ùt patet ex dictis concl. præcedenti; atqui Abſolutio eſt talis ſententia; ergo &c.

Et licèt in foro externo ſubinde abſolvatur reus, tametſi conſtet non adeſſe dolorem, ùt patet in cenſuris, à quibus cenſuratus poteſt abſolvi ante emendationem, ob alias prudentes conſiderationes; equidem rariſſimè: in foro autem Sacramentali nunquam, volente ſic Deo, qui omnia quæcumque voluit fecit.

Et ratio aliqua diſparitatis eſt; quòd Abſolutio Sacramentalis pro fine primario habeat internam remiſſionem peccatorum per infuſionem gratiæ ſanctificantis, unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Planè autem conveniens fuit, non admittere quemquam ad hæreditatem vitæ æternæ, & amicitiam divinam, cui non priùs diſpliceret peccatum, per quod ex amico factus fuerat inimicus, & hæres ſecundùm timorem damnationis æternæ; quanquam abſolutè aliter potuiſſet fieri, ùt dixi concl. præcedenti. Vel ergo nullus dolor requiritur, vel requiritur dolor præcedens Abſolutionem; cùm & hoc ipſum appareat in judiciis humanis, in quibus nemo abſolvitur ſinè dolore prævio, cum obligatione doloris ſubſequentis.

Ex jam dictis facilè colligitur diverſitas inter Contritionem & Satisfactionem, quare potiùs (cùm utraque ſit utraque ſit pars materialis, quæ communiter ſolet præcedere partem formalem) Contritio debeat præcedere, quàm Satisfactio; quia videlicet Satisfactio non eſt neceſſaria ad remiſſionem peccatorum,

quæ

Digitized by Google

quæ principaliter ſignificatur per Abſolutionem. Unde non eſt etiam pars eſſentialis, aut quaſi, ſed tantùm integralis.

Confirmatur ex judiciis humanis, in quibus ſatisfactio partis ſæpiſſimè ſequitur ſententiam judicis, non ſic accuſatio doloroſa. Alioquin ſufficit ad hanc veritatem communis uſus & praxis totius Eccleſiæ, tam ipſorum pœnitentium, quàm Confeſſariorum. Quamvis enim Confeſſarii communiter imponant Satisfactionem ante Abſolutionem; attamen ſi obliti fuiſſent, indubiè poſt Abſolutionem imponerent; & pœnitentes ordinariè poſt Abſolutionem implent Satisfactionem, etiam impoſitam ante Abſolutionem.

Neque dixeris, in aliis Sacramentis, v. g. Baptiſmo, forma poteſt præcedere materiam, v.g. ablutionem; ergo etiam in hoc Sacramento; nam diſparitas eſt, quòd Sacramentum Pœnitentiæ ſit inſtitutum per modum judicii. Cæteroquin dici poſſet & deberet, etiam Confeſſionem, quæ eſt pars materialis, poſſe ſequi Abſolutionem, quod nullus unquam cogitavit; & expreſsè contradicit Trident. ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Conſtat Sacerdotes indicium hoc incognitâ causâ exercere non potuiſſe.*

Aliam diſparitatem inſinuavimus concl. præcedenti, videlicet, Contritionem non eſſe materiam intrinſecam & eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ, quemadmodum ablutio Sacramenti Baptiſmi, ſed tantùm conditionem aliquam ſinè qua non, ſive aliquid eſſentialiter prærequiſitum, ut forma ſacramentaliter ſignificet; quid ergo mirum, ſi neceſſariò formam debeat præcedere? Eſt enim inſtar cujuſdam diſpoſitionis præparantis ſubjectum, ut ſit capax Abſolutionis. Neque enim Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum, & dedit poteſtatem abſolvendi quoſcumque ſive diſpoſitos, ſive indiſpoſitos, ſed debitè diſpoſitos; ad illam autem diſpoſitionem requiritur Confeſſio doloroſa.

Igitur ultima & prima ratio, voluntas Chriſti; ut proinde quod in materia fidei veriſſimè doctiſſimèque dixit S. Chryſoſtomus in 2. Theſſ. 2. *Traditio eſt, nihil quæras ampliùs*, in hac materia dicere mihi liceat, *Voluntas Chriſti eſt, nihil quæras ampliùs*; quia nihil invenies, quod ex omni parte ſatisfaciet curioſo lectori, & ſtudioſo indagatori.

96. Sed nunquid voluntas Chriſti fuit, quòd dolor tempore præcederet Confeſſionem? Affirmat Regius diſp. 4. dub. 6. n. 45. negat Lugo diſp. 14. ſect. 2. n. 13. citans Suarium diſp. 20. ſect. 4. n. 31. & alios, qui exiſtimant, ne quidem debere concurrere cum illa; ſed omnino ſufficere, ſi tempore antecedat Abſolutionem, quæ eſt ſecunda pars Concluſionis.

Et probatur, ùt prior, ex communi praxi tum pœnitentium, tum Confeſſariorum; illi enim putant ſe ſatisfeciſſe, ſi abſolutâ Confeſſione excitent in ſe dolorem de peccatis confeſſis, etiam merè internum; hi autem ſolliciti ſunt, ut moveant pœnitentes poſt Confeſſionem ad dolorem; neque obligant eos poſt dolorem tunc conceptum ad repetendam Confeſſionem ne quidem ſub compendio, dicendo (ùt vult Regius ſuprà) ſe dolere de peccatis jam narratis, & cupere ab iis abſolvi. Ita Lugo ſuprà n. 14. *praxi pœnitentium, & Confeſſariorum.*

Sed quidquid ſit de his verbis; *Cupio ab iis abſolvi*, haud dubiè Confeſſarii excitant pœnitentes, non tantùm ad internum dolorem, ſed etiam ad exhibendum ſignum ejuſdem Contritionis; ùt rectè notavit Suarez ſuprà, probans ſuam opinionem; quia, inquit, juxta communem uſum fidelium, tam pœnitentium, quàm Confeſſariorum, poſt abſolutam Confeſſionem peccatorum omnium, ſolent excitari ad generalem contritionem peccatorum eorumdem, & ad exhibenda ſigna ejuſdem Contritionis ſeu doloris. 97. *Confeſſarii ſolent excitare pœnitentes ad exhibenda ſigna doloris poſt Confeſſionem Suarius.*

Quæris quid Suarez intelligat per iſta ſigna? Reſpondet Arriaga diſp. 37 n. 4. Ad argumentum oppoſitum ait (Suarez) ipſum pœnitentem expectare Abſolutionem poſt dicta peccata, eſſe oſtendere dolorem. De mente ergo Suarii non poteſt eſſe dubium. Hæc ille, contra Layman lib. 5. cap. 4. ubi vult probare, Suarium verbotenus eſſe contra illam ſententiam. Refero verba Suarii, ut quiſque judicet de ejus mente. *Quæ ſint iſta ſigna? Arriaga. Layman.*

Verbis itaque mox allegatis continuò attexit: Idque cenſetur ex hac parte ſufficiens, ut ritè & rectè detur Abſolutio, ſive dolor antea præceſſerit, ſive non. Dico ergo, hoc etiam ſatis eſſe ad veritatem Sacramenti. Ratio eſt; quia licèt tota prior narratio peccatorum, quatenus tempore anteceſſit Contritionem, nondum habuerit completam rationem accuſationis, ùt ratio priùs facta convincit; tamen quatenus poſtea informatur per conſequentem Contritionem, & ut ſic informata ſubjicitur Clavibus ab ipſomet pœnitente, poſtulante vel expectante Abſolutionem, ſufficienter conſummatur in ratione accuſationis ſacramentalis; hoc ergo ſatis eſt ad veritatem Sacramenti. Hucuſque Suarius. Adeòque de mente ipſius poteſt eſſe dubium. Pro quo *Suarius.*

Notandum duplex argumentum pro ſententia Regii. Primum eſt, Confeſſio ſacramentalis non eſt nuda narratio peccatorum, ſed vera accuſatio, id eſt, explicatio peccatorum, procedens ex odio ſeu deteſtatione eorum, in ordine ad obtinendam Abſolutionem, atqui Confeſſio tempore antecedens Contritionem, non eſt vera accuſatio; ergo &c. 98. *Primum argumentum pro ſententia Regii.*

Secundum argumentum: Dolor ſacramentalis, utpote pars materialis, debet eſſe ſenſibilis; atqui dolor ſubſequens Confeſſionem non *Secundum.*

non eſt ſenſibilis, ergo &c. Probatur Minor; quia dolor debet reddi ſenſibilis per Confeſſionem; porrò Confeſſio non poteſt reddere dolorem ſenſibilem, ex quo nullo modo tanquam effectus procedit.

Tertium argumentum Bonæ Spei. Adde tertium argumentum Bonæ Spei diſp. 5. n. 13. & 14. Contritio Abſolutionem ſacramentalem præcedere debet, eò quòd hæc ſit per modum judicii reconciliativi ..... ergo ſimiliter Contritio Confeſſionem ſacramentalem præcedere debet, eò quòd hæc ſit per modum accuſationis reconciliativæ, ut à pari ſequitur ..... Confirmatur; quia ſi Confeſſio ſit ſufficienter reconciliativa ratione doloris ſtatim ſubſequentis: Abſolutio erit ſimiliter ſufficienter reconciliativa ratione doloris ſtatim ſubſequentis; ſed conſequens eſt falſum, ùt omnes fatentur, ne alioquin abſolvatur & Deo reconcilietur reus actu impœnitens; ergo & illud unde ſequitur. Quid autem ad hæc reſpondeant Adverſarii noſtri nondum vidi. Hæc ille.

99. Reſpondetur ad 3 argumentum. Sed, pace tuâ Bonæ Spei, quis quæſo Adverſarius tuus? An fortè Cardinalis Lugo? Aſt ipſe fundat ſuam ſententiam in praxi recepta Confeſſariorum, quam tu admittis, ùt patet ex n. 16. ubi ſic ſcribis: Reſpondeo, Confeſſarium talem Confeſſionem, ſinè dolore factam, iteratò non imponere; quia adhuc virtualiter perſeverat, dum dolor elicitur, & hanc putat ſufficere; quidquid ſit de ipſa, quatenus omnem dolorem præceſſit: unde manifeſtum eſt ex noſtra reſolutione nil contra praxim ſequi. Hæc tu. Quis ergo tuus Adverſarius? Nondum aliquem vidi.

Vis autem videre, quid poſſit reſponderi ad tuum argumentum? Negatur Conſequentia; diſparitas; quia Abſolutio ſacramentalis ipſa eſt actualis reconciliatio cum Deo. Nunquid etiam Confeſſio ſacramentalis? Clarum eſt quòd non; ſed dicitur reconciliativa, quia prærequiritur ad reconciliationem; ergo ſufficit quòd tunc ſit doloroſa, quando profertur Abſolutio; ergo à pari hìc nihil ſequitur.

Ex quo patet reſponſio ad Confirmationem; nam etſi Confeſſio foret ſufficienter reconciliativa ratione doloris ſtatim ſubſequentis; haud equidem propterea abſolveretur aut Deo reconciliaretur reus actu impœnitens, cùm Confeſſio, ùt jam jam dixi, non ſit ipſa reconciliatio; ſed aliquid prævie requiſitum ad reconciliationem. Abſolutio autem cùm ipſa ſit reconciliatio, ſeu ſignum externum reconcilians hoc ipſo quo eſt; patet, quia reconciliaretur Deo reus actu impœnitens, niſi dolor ſaltem concomitaretur. Atque hæc de tertio argumento.

100. Reſponſio ad 1. argumentum ex Suario. Ad primum patet reſponſio ex verbis Suarez ſuprà allegatis: Licèt tota prior narratio &c. Nec video quid replicari poſſit, quando expreſſè pœnitens poſtulat Abſolutionem à peccatis confeſſis, dicens, *Doleo & cupio abſolvi.* Et illa eſt ipſiſſima doctrina Regii, qui non poſtulat iteratam explicationem ſingulorum peccatorum, ſed per viam compendii, hiſce verbis: *Doleo de peccatis narratis, & cupio ab iis abſolvi.* Quod videtur Suarez inſinuare dicens: Et ùt ſic informata, ſubjicitur Clavibus ab ipſomet pœnitente, poſtulante vel (id eſt, &) expectante Abſolutionem. Quomodo enim poteſt ſubjicere peccata ſua Clavibus, & poſtulare Abſolutionem, niſi iſtis aut ſimilibus verbis, vel ſignis æquipollentibus?

Atque indubiè hic modus confitendi in illis circumſtantiis maximè eſt conſulendus, & planè ſufficiens; cùm per illum præcedens narratio fiat vera accuſatio; & dolor internus fiat externus & ſenſibilis, ùt clarum eſt.

Sed quid ſi pœnitens, ſtatim poſt dolorem internum elicitum, privetur uſu rationis, numquid valebit ejus Abſolutio? Exiſtimo quòd Suarius de hoc caſu non egerit. Interim non videtur valor hujuſmodi Abſolutionis omnino improbabilis.

Et reſpondeo ad primum argumentum; vera accuſatio debet procedere ex perfecto & abſoluto odio delicti, nego; ex aliquo odio & deſiderio correctionis, concedo. Sed hoc odium in caſu noſtro invenitur, quando videlicet, quis ſeriò, & non omnino fictè confitetur, id eſt, cum animo obtinendi Abſolutionem, per conſequens cum animo poſtmodum eliciendi Contritionem.

Ad ſecundum argumentum dico in primis, ad veritatem hujus Sacramenti ſufficere ſenſibilitatem Abſolutionis; cùm ſola Abſolutio, juxta principia Scoti, ſit tota eſſentia Sacramenti. Secundò; Confeſſio in ordine ad Abſolutionem, ſignificat deſiderium efficax veniam obtinendi; ergo ſignificat quòd confitens vel antè doluerit, vel poſtea dolebit; cùm hic dolor ſit omnino neceſſarius ad veniam obtinendam.

Itàque dolor ſubſequens, ſenſibilis fit per Confeſſionem præcedentem, quæ illum ſignificabat, vel ùt præſentem, vel ùt præteritum, vel ùt futurum. Simili modo quo Satisfactio merè interna, ſubſequens Abſolutionem, redditur ſenſibilis per impoſitionem Sacerdotis, & acceptationem pœnitentis; non enim eſt minor obligatio habendi dolorem, quàm implendi Satisfactionem.

Si inferas; ergo pœnitens qui non cogitabat de dolore, quando confitebatur, fuit mentitus. Reſp. neg. Conſ. ad mendacium quippe propriè dictum requiritur, quòd ponatur ſignum aliquod per modum locutionis, ſignificans objectum, quod re ipſâ loquens non credit eſſe verum; jam autem Confeſſio non eſt locutio, quâ pœnitens dicit: *Ego doleo*, vel, *Ego dolebo*; ſed, *Ego peccavi*; quamquam alioquin ſit ſignum doloris propter connexionem,

Digitized by Google

nem, quam habet dolor cum valido Sacramento, quod confitens ſignificat ſe velle ſuſcipere; quæ utique voluntas validi Sacramenti, ſi non explicita, ſaltem eſt implicita voluntas Contritionis, neceſſaria ad valorem Sacramenti.

Negamus itaque dolorem non poſſe ſignificari per Confeſsionem, niſi ùt cauſa per ſuum effectum. Neque enim debet Confeſſio eſſe doloroſa per dolorem influentem, utpote qui ſibi diù antea potuit fuiſſe elicitus; ſed per concomitantem, prævium, aut ſubſequentem, dummodo aliquo modo ad eam referatur, ac moralem cum eo habeat connexionem; ut edisſero Concluſione ſequenti, his tamen prænotatis.

Primò, quòd in praxi valde ſit periculoſum, differre dolorem ad finem Confeſſionis; facilè enim poteſt vel oblivio, vel diſtractio aliqua accidere, ob quam negligetur ille dolor, & fiat irritum Sacramentum. Poteſt item contingere, ut Sacerdos, etiam diſtractus & oblitus hortandi hominem ad eum dolorem, aut fortè nequidem dans tempus pro illo, proferat ſtatim verba Abſolutionis; id quod maximè evenire poteſt, quando eſt magnus concurſus pœnitentium, & Confeſſarii volunt ſe citò expedire. Unde omnino ſuadendum eſt, ſemper dolorem premittere, quidquid ſit de valore Confeſſionis, quando tantùm ſequitur. Ita Arriaga ſuprà n. 7.

Secundò; in praxi eſt valde periculoſum, differre dolorem uſque ad finem Abſolutionis. Nam eſtò realis concomitantia ſufficeret ad valorem Sacramenti (ùt exiſtimat Petrus Marchantius tom. 1. Tribun. tract. 4. tit. 2. q. 8. concl. 2. quæ talis eſt: Omnis dolor & Contritio ſive Attritio, excitata uſque ad ultimum inſtans pronunciationis verborum, *Abſolvo te*, eſt ſufficiens ad elevandam Confeſſionem, prius Confeſſario in hoc tribunali actualiter factam, ut fiat ſacramentalis, & ut pœnitens effectum Sacramenti conſequatur) equidem cùm non ſit morale pœnitenti eam agnoſcere; dum enim attendit ad tempus, quo verba proferuntur, impeditur valde à dolore, qui requirit & attentionem & conatum magnum, facilè præcederet Abſolutio, fieretque irritum Sacramentum.

Porrò concomitantiam illam ſufficere probat Marchantius ſuprà; quia iſta Contritio ſive dolor moraliter retrotrahitur ad Confeſſionem jam factam, & illam quaſi repetit, & reproducit, ita ut virtualiter in genere cauſæ moralis illam præſentem faciat.

Sed contrà; accuſatio quà talis (inquit Arriaga ſuprà) debet omnino præcedere ſententiam; jam autem dixi, Confeſſionem conſtitui in ratione accuſationis per eum dolorem; debet etiam ea diſpoſitio movere Iudicem ad dandam Abſolutionem; ergo debet eſſe prior. Hæc ille. Confirmatur ex judiciis humanis, in quibus accuſatio ſemper tempore præcedit ſententiam, non ſolùm perfectam. ſed etiam inchoatam.

Accedat argumentum Bonæ Spei. Cùm (dolor) ſit pars materiæ, ad quam Abſolutio ſe habet per modum formæ, ſitque de ratione cauſæ materialis, ùt talis, formam ſuam præcedere, id in praxi tutum non puto; quia quod formam concomitatur, non habet rationem cauſæ materialis illius, ùt patet in viſione, quâ cum diſplicentia homicidium committi video, quæ hujus malitiâ non informatur, ùt omnes fatentur: unde Abſolutio illam ùt materiam non informaret, nec proinde eſſet reconciliativa, ùt patet, ergo &c. Hucuſque Bonæ Spei diſp. 5. n. 16. Item Bonæ Spei.

Sed nunquid, interrogat quiſpiam, hoc argumentum apodicticum aut palmare? Non puto. Nam in primis quæro; forma Baptiſmi ablutionem concomitantem informaret ùt materiam? Omnes fatentur formam Baptiſmi informare ablutionem etiam ſubſequentem. 107. Rejicitur argumentum Bonæ Spei.

Deinde: viſio, quâ cum complacentia homicidium committi video, informatur hujus malitiâ? Si non, ut quid apponitur illa particula: *Cum diſplicentia*? Si informatur, aut ſaltem ipſa complacentia informatur, nunquid & hæc concomitatur homicidium, quod committi video? Non eſt dubium. Quid ergo illa viſio ad propoſitum? Neque enim excuſatur à malitia homicidii, quia concomitans; ſed, quia cum diſplicentia.

Interim exiſtimo, ad minus dubium eſſe valorem Abſolutionis, quam non præcedit, ſed tantùm concomitatur dolor, & ideo in praxi omnino diſſuadendam dilationem doloris uſque ad finem Abſolutionis.

Nunc videamus, an ſit neceſſaria aliqua relatio doloris ad confeſſionem, & moralis ſaltem connexio cum illa, ad hoc ut Sacramentum valeat. Hæc eſt communis ſententia:

CONCLUSIO V.

Neceſſe eſt ut dolor ſacramentalis aliquo modo referatur ad Confeſſionem, ac moralem cum ea habeat connexionem.

Suarez diſp. 20. ſect. 4. n. 29. tres, vel (ùt aliis placet) duos aſſignat modos hujus relationis. Quoties, inquit, quis peccata recogitat, & de iis dolet, ut ea confiteatur; vel quoties quis præbet ſignum ſui doloris in ordine ad Confeſſionem faciendam, ſeu 108. Diverſi modi, quibus dolor poteſt referri ad Confeſſionem ex Suarezio.

Digitized by Google

Abſolutionem obtinendam; ac denique quoties quis dolet de peccatis, cum expreſſo propoſito illa confitendi, ex cujus virtute poſtea Confeſſionem facit. Et illicò ſubjungit: Quilibet ex his modis ſufficit ad veram accuſationem; aliqua verò hujuſmodi relatio neceſſaria eſt, quia intentio Sacramenti, & partium ejus in ordine ad conſtitutionem illius, neceſſaria eſt ad Sacramentum conficiendum. Hæc ille.

Primus & tertius ſufficiunt. Equidem ſufficere primum modum, nemo dubitat; uti & tertium, ſi verè diſtinctus eſt à primo, de quo dubitat Arriaga diſp. 37. n. 16. ſed res parvi eſt momenti, ideo non immoror.

109. *De ſecundo diſputatur.* De ſecundo modo eſt tota diſputatio inter Doctores. Ut autem res clariùs proponatur; certum eſſe debet, dolorem ſacramentalem poſſe tempore antecedere Confeſſionem, quamvis id non ſit neceſſarium ex Concluſione præced. Neque dubitandum eſt, ſæpè contingere, ut in actuali Confeſſione ita homo attendat ad explicationem peccatorum, ut nullum tunc internum dolorem actu exerceat. Item poteſt accidere, ut dum Abſolutio conceditur, nullus iteretur dolor, vel ob naturalem diſtractionem, vel ob aliam cauſam. Sed nunquid talis Abſolutio valida eſt?

Reſpondeo; indubiè valida eſt, ſi dolor præcedens moraliter conjungatur iſti Confeſſioni, & virtute ſuâ eam informet, ita ut ab illo dolore poſſit, & debeat dici Confeſſio doloroſa; alioquin non erit vera accuſatio, & per conſequens erit invalidum Sacramentum.

Quid requiratur ad moralem conjunctionem doloris prævii cum Confeſſione? Et amabo, inquis, quid requiritur ad moralem iſtam conjunctionem & informationem? An fortè neceſſarium eſt, ut ille dolor proceſſerit ex intentione formali vel virtuali confitendi, vel ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quemadmodum ablutio v. g. ut ſit vera materia Baptiſmi, debet procedere ex intentione formali vel virtuali conficiendi Sacramentum? *Bonacina.* Sic docet Bonacina de Pœnitentia diſput. 5. qu. 3. p. 2. nu. 17. & alii non pauci; eſtque in praxi ſecurius & conſulendum.

110. *Sufficere 2. modum putat Lugo, & probat 1. ex Conc. Trid.* Nihilominus oppoſitum placet Lugoni diſput. 14. n. 37. videlicet ſufficere ſecundum modum ſuprà à Suario aſſignatum. Et probat primò ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. c. 4. ubi de dolore in univerſum dicitur, præparare hominem, poſt Baptiſmum lapſum, ad recuperandam divinam gratiam, & remiſſionem peccati obtinendam, *ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Item additur: Attritionem, *ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ*, eſſe donum Dei, quo pœnitens, licèt non extra Sacramentum, in Sacramento tamen Pœnitentiæ ad Dei gratiam impetrandam diſponitur.

Quæ omnia verificantur in caſu noſtro; nam ſi Attritio habeatur ex metu gehennæ, vel ex alio ſufficienti motivo, & poſtea homo ad impetrandam Dei gratiam velit confiteri, & abſolvatur, concurrunt omnia, quæ à Concilio petuntur, ſcilicet dolor de peccatis, votum præſtandi omnia, quæ requiruntur ad Sacramentum Pœnitentiæ (hoc enim votum continetur implicitè in qualibet Attritione, quatenus in ea includitur propoſitum ſervandi omnia præcepta) rurſus adeſt actus excludens voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ; ergo &c. Hucuſque Eminentiſſimus n. 38.

Sed diſplicet Dicaſtilloni diſput. 6. n. 172. ubi ſic ait; Propoſitum ſervandi omnia præcepta, quod dicunt includi in Attritione, eſt actus ipſe excludens voluntatem peccandi; ergo non eſt aliquid, quod *rurſus adeſt.* 1 *Se pro dif cat tis gu* [illegible]

Mera profectò cavillatio, orta ex malo intellectu illius particulæ, *Rurſus.* Non diſputat hìc Cardinalis, an præter Attritionem requiratur formale propoſitum non peccandi de cætero; ſed an illa Attritio, quæ non procedit ex formali aut virtuali intentione confitendi, ſit, aut ſaltem eſſe poſſit actus excludens voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ. Unde ly *Rurſus*, non eſt idem, quòd ly *Præter*, ſed ponitur pro ly *Item*, ſeu, *Secundo*: nam duo aſſumpſerat ex Tridentino, & conatur oſtendere, utrumque competere iſti dolori, qui non procedit ex formali aut virtuali intentione confitendi.

Præterea arguit Dicaſtillo n. 173. Ex ipſo Tridentino conſtat, illam Attritionem debere eſſe in Sacramento, ait enim: *Ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Debet ergo Attritio eſſe in Sacramento, maximè cùm ſit pars intrinſecè componens, & pars debeat eſſe in toto. Adverſarii verò contendunt, Attritionem non poſſe eſſe talem partem, niſi proveniat ex formali aut virtuali intentione confitendi. Probandum ergo contra ipſos, quòd Attritio, non procedens ex tali intentione, poſſit eſſe pars: id tamen in verbis Tridentini non habetur. 2 *Arg cun* [illegible]

Reſpondeo: ubi Concilium Trid. docet, quòd Attritio ſit pars intrinſecè componens? Quando hoc probaverit nobis Dicaſtillo, tunc probabimus ei, quòd Attritio, non procedens ex formali aut virtuali intentione confitendi, poſſit eſſe talis pars. Deinde quæro; rectè diceremus: *Attritio ad Dei gratiam in Sacramento Baptiſmi impetrandam diſponit?* Nemo dubitat. Num indè bene infertur: ergo Attritio debet eſſe in Sacramento Baptiſmi? Conſtat quòd non. Ergo ex illo loco Tridentini non conſtat, illam Attritionem debere eſſe in Sacramento. Quidni ergo ſufficiat relatio conſequens? *Reſ Aut* [illegible]

Hic

Digitized by Google

Hic videtur eſſe communis ſenſus fidelium qui ſi moveantur ad dolorem v. g. ex concione, & poſtea ex deſiderio veniæ cogitent de Confeſſione, & confiteantur, putant ſe optimè eſſe diſpoſitos ad Abſolutionem, tunc tamen dolor non proceſſit ex deſiderio Confeſſionis, nec ordinatus fuit ad illam relatione aliquâ antecedente, ſed conſequente; quæ, inquit Lugo ſuprà n. 39. licèt fuerit paulò poſt ipſum dolorem, hoc parum intereſt. Idem enim eſſet, ſi tribus vel pluribus horis poſt dolorem homo recordaretur Confeſſionis, & eam procuraret; quia adhuc verum eſſet, Confeſſionem illam fieri à pœnitente, cum vero dolore, & dolorem ſignificari per ipſam Confeſſionem (quod ſolùm petebat Suarez) ergo licèt in ipſo dolore homo non recordaretur Confeſſionis; poterit poſtea uti illo dolore ad obtinendum Abſolutionem, ſicut ad Baptiſmum. Hæc ille.

Sed neque hæc probatio placet Dicaſtilloni; quamvis admittat n. 175. totum, quod aſſumit, eſſe verum, & totum, quod indè infert, eſſe veriſſimum. Nam, inquit, ſi dolor præcedens excitat deſiderium veniæ, & inde oritur voluntas procurandæ Confeſſionis ad deſtruendum peccatum, illa ipſa voluntas, & intentio deſtruendi peccatum per tale medium; involvit odium & deteſtationem peccati; ideo enim vult illud deſtruere, quia illud deteſtatur & odit, eique diſplicet. Et infrà: Sentiat ergo communis ſenſus fidelium valere Confeſſionem, certè id non fiet, quin adſit dolor ſeu diſplicentia, ùt tunc aliquo modo præſens, & ordinata, & non ſolùm ùt præcedens. Ita Dicaſtillo.

114 Vis autem ſcire, quid de hac re ſentiat Herincx? Sic ait diſp. 1. n. 20. Quod ad praxim attinet, non videtur ſollicitè ambigendum de hac relatione, dum conſtat de dolore: quia etſi is poſtquam cœpit elici, referatur ad Sacramentum; tamen dum refertur, ordinariè adhuc durat, aut renovatur, ſicque ipſe quà continuatus, aut innovatus, ſatis refertur antecedenter ad Sacramentum; ut taceam, in dolore de mortalibus non confeſſis, involvi neceſſariò propoſitum hujus Sacramenti. Hæc ille.

Verùm cùm dicat, *Ordinariè*, quæro ego, quid ſi extraordinariè nec duret, nec renovetur? Sufficere videtur (inquit idem Auctor n. 19.) quòd dolor hìc adhibeatur, quantùm ſatis eſt ad debitè inſtruendum Tribunal; quod ſufficienter inſtrui apparet, ſi dolor adſit, & Confeſſio ſequatur, exinde omnino futura doloroſa ſui accuſatio. Ita ipſe explicat ſententiam Lugonis, continuò ſubjungens: Et conſonare videtur ſenſus fidelium, qui omnino putant ſe ſufficienter diſpoſitos, ſi ex concione dolorem de peccatis concipiant, & indè incipiant ulterjùs cogitare de Confeſſione, ad quam tamen dolor iſte non videtur antecedenter fuiſſe relatus, ſed conſequenter. Nec credunt diſpoſitionem ſuam contineri in ſubſequenti voluntate confitendi, ſed potiùs in priori expreſſò dolore. Hucuſque Herincx.

Illa ergo probatio Lugonis non eſt omnino contemnenda; licèt exiſtimem, non eſſe omnimodam paritatem inter dolorem, qui requiritur ad effectum Baptiſmi, & dolorem, qui eſt quaſi materia Pœnitentiæ, & requiritur ad valorem Sacramenti. Dico, *Omnimodam paritatem*; quia in hoc conveniunt, quòd neuter ſit actio miniſtri, ſed ſuſcipientis Sacramentum; jam autem in miniſtro requiritur intentio actualis, aut ſaltem virtualis; in ſuſcipiente autem Sacramentum ſufficit intentio habitualis. 115. *Non eſt omnimoda paritas inter dolorem baptiſmalem & pœnitentialem.*

Et ideo non bene argumentantur Adverſarii dicentes: Ablutionem, factam ſinè intentione formali vel virtuali Sacramenti, non poſſet quis poſtea referre ad confectionem Baptiſmi, etiamſi formam legitimam, cum debita intentione proferret, & ſic de materiis aliorum Sacramentorum; ergo nec materiam Sacramenti Pœnitentiæ. *Rejicitur aliquod argumentum Adverſariorum.*

Non valet, inquam, hoc argumentum, præſertim in ſententia Scoti, quæ docet, ſolam formam eſſe totam eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ; nimis enim manifeſta eſt diſparitas; nam ablutio, & ſimiles materiæ, ſunt partes eſſentiales & intrinſecè componentes; quid ergo mirum, ſi debeant à miniſtro poni eâdem intentione, quâ totum Sacramentum? At verò dolor ſeu Contritio ſolummodo eſt materia extrinſeca, & non vera pars eſſentialis; ſed tantùm conditio ſinè qua non, ſeu quidpiam prærequiſitum ad valorem Sacramenti; nil ergo mirandum, ſi ex parte ſuſcipientis Sacramentum, ſufficiat intentio conſequens.

Ex quo corruit reſponſio Dicaſtillonis ſuprà n. 184. Quamvis, inquit, pœnitens non dicatur miniſter Chriſti, qui dicitur liberare & abſolvere nomine Chriſti à peccatis, operatur nihilominus aliquid eſſentiale Sacramenti, & talis operatio eſt ſacramentalis pars. Unde ſi Ordinatio Sacerdotis fiat more latino, per traditionem materiæ, & acceptationem ejuſdem, tunc ſicut traditio ab ordinante debet fieri ex intentione formali vel virtuali antecedente, ſic etiam acceptio ſeu acceptatio debet tali intentione fieri à ſuſcipiente, alioquin non fiet Sacramentum. Nec aſſignabis mihi aliquod aliud Sacramentum, in quo ad illius eſſentiam conſtituendam requiratur actio (ſive talis actio proveniat à miniſtro, ſive à ſuſcipiente) & non etiam requiratur intentio, ex qua talis actio procedat. Hucuſque Dicaſtillo. 116. *Evaſio Dicaſtillonis præcluditur.*

Sed, ſicut dixi, corruit hæc doctrina, ſi vera eſt ſententia Scoti, videlicet dolorem non eſſe partem ſacramentalem.

 Deinde

Digitized by Google

117. Non requiritur alia intentio in ſuſcipiente Ordinationem more Latino, quàm more Græco.

Deinde quod attinet ad Ordinationem Sacerdotis, arbitror, non aliam intentionem requiri in ſuſcipiente illud Sacramentum more Latino, *per porrectionem* (ùt ait Florent. in Decreto Eugenii) *calicis cum vino*, *& patena cum pane*, quàm dum confertur more Græco, per manuum impoſitionem, ùt puta intentionem ſaltem habitualem ſuſcipiendi Sacramentum, ſimilem illi, quæ requiritur in adulto ad validam ſuſceptionem Baptiſmi, Confirmationis, & aliorum Sacramentorum.

Sufficit habitualis.

Contrarium aſſerit Dicaſt.

Contrarium aſſerit Dicaſtillo ſuprà n. 185. ibi: Si quando quis ordinatur Sacerdos Latino more, tangendo & acceptando externâ actione materiam, ſi ille tactus & acceptio, quam ex parte ſua præſtat, fieret abſque ulla explicita vel implicita intentione, ordinandi illam actionem ad Sacramentum, quamvis alioquin haberet voluntatem accipiendi effectum gratiæ, poteſtatis, & characteris, non fieret Sacramentum, ex defectu intentionis requiſitæ in actione illa. Ita hic Auctor.

118. Contactus phyſicus inſtrumentorum probabiliter non eſt actio ſacramentalis.

Sed contrà; probabiliter, ùt dicemus proprio loco, contactus phyſicus inſtrumentorum non eſt actio ſacramentalis; quia ſinè illo valeret Sacramentum; nam Concilium Florentinum pro materia Ordinationis ſtatuit porrectionem calicis cum vino &c. Hæc autem quanta quanta eſt, tenet ſe ex parte ſolius Epiſcopi; ſi ergo requiritur contactus phyſicus rei porrectæ (ſicuti reverà requiritur, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ) non ob aliam cauſam, quàm ut ſuſcipiens aliquo ſigno externo ſignificet, ſe acceptare poteſtatem, quam Epiſcopus per illam porrectionem intendit ipſi conferre. Porrò quòd non ſufficiat acceptatio interna ad valorem Sacramenti, unde conſtat?

Infans poteſt validè ordinari.

Et verò infans nonne poteſt validè ordinari, eſtò ſit incapax acceptationis internæ? Putas autem, voluiſſe Chriſtum inſtituere in hoc Sacramento aliquam actionem ſacramentalem non humanam, utì eſſet contactus phyſicus pueri? Sanè in nullo alio Sacramento talis actio invenitur inſtituta.

Sacramentum habet eaſdem partes eſſentiales reſpectu pueri, & adulti.

Si autem in puero contactus phyſicus inſtrumentorum non eſt actio ſacramentalis, neque erit in adulto; quippe Sacramentum ſemper & ubique debet habere ſuas partes eſſentiales, cùm nihil aliud ſit, quàm ſuæ partes eſſentiales: nec uſpiam Eccleſia ſignificat, aliquod Sacramentum, quodcumque tandem ſit, habere alias partes eſſentiales, id eſt, habere aliam materiam & formam reſpectu pueri, quàm reſpectu adulti; ſola inter ipſos differentia eſt, quòd Sacramenta non valeant adultis, niſi ipſis conſentientibus, ſaltem implicitè & habitualiter; parvulis autem valeant abſque ullo conſenſu.

119. Potuiſſet Chriſtus

Neque hæc differentia fundatur in natura rei, ſed in ſola voluntate; in tantum, ut, ſi Deus voluiſſet, potuiſſet adultis non conſentientibus, immo poſitivè invitis, non tantùm conferre gratiam, ſed etiam omnem poteſtatem, quam de facto confert per Sacramenta conſentientibus.

Nonne poteſtas validè baptizandi confertur à Chriſto omni homini viatori? Et quis eſt, qui requirat conſenſum recipientis? An non validè confertur poteſtas juriſdictionis ad abſolvendum à peccatis invito Sacerdoti, ita ut eâ poſſit uti, ſi velit? Similiter poteſtas abſolvendi à cenſuris? Cur ergo Chriſtus, ſi voluiſſet, non potuiſſet invito conferre Poteſtatem Ordinis & Characteris? Potuiſſet omnino. Cur autem noluerit, penes ipſum eſt.

Quidquid ergo ſit de Sacramento Ordinationis, & gratis admiſſo, quòd contactus phyſicus ſit actio ſacramentalis, tanquam complementum actionis miniſtri Ordinantis (ſicuti ablutio paſſiva eſt complementum ablutionis activæ) adeòque fieri debeat ex intentione ordinandi talem actionem ad Sacramentum: nunquid evidenter indè ſequitur; ergo etiam dolor ſeu Contritio ſacramentalis debet antecedenter ordinari ad Sacramentum Pœnitentiæ?

Minimè; quoniam dolor non eſt complementum actionis miniſtri, ſed aliquid eſſentialiter prærequiſitum ad actionem miniſtri, ſicuti benedictio Chriſmatis eſt actio, eſſentialiter prærequiſita ad actionem Epiſcopi conficientis Sacramentum Confirmationis, & confectio panis actio eſſentialiter prærequiſita ad actionem Sacerdotis, conſecrantis Euchariſtiam; cum hac differentia, quòd duæ ultimæ actiones non neceſſariò proveniant ab ipſo ſuſcipiente, ſecùs dolor ſeu Contritio.

Veluti ergo benedictio Chriſmatis, aut confectio panis, non debet fieri ex intentione ordinandi talem actionem ad Sacramentum; ſed ſufficit, ut Unctio cum Chriſmate, aut Conſecratio panis fiat ex illa intentione; ſic pari ratione non requiritur, ut dolor fiat ex intentione Sacramenti; ſed ſufficit, ut ſic fiat Abſolutio.

Si inferas: ergo nulla requiritur relatio doloris ad Confeſſionem, nequidem ſubſequens, quia nulla talis relatio requiritur ad benedictionem Chriſmatis, aut confectionem panis, ut Chriſma, aut panis ſit materia eſſentialis Sacramenti.

Reſp. neg. Conſ. Rationem diſparitatis do; quia panis eſt res permanens, & exiſtens phyſicè tempore Conſecrationis, ſimiliter Chriſma benedictum; dolor autem eſt actus tranſiens, qui ſæpiſſimè non exiſtit phyſicè, quando fit Confeſſio, aut datur Abſolutio. Cùm autem ſit pars materialis proxima, idque neceſſaria, ut narratio peccatorum ſit vera & ſacramentalis Confeſſio, omninò oportet, ut ſaltem moraliter ſit præſens, ac moralem

cum

Digitized by Google

cum ea habeat connexionem; quod fieri non poteſt, niſi aliquo modo ad eam referatur, ſaltem relatione conſequente, id eſt, ut Confeſſio procedat ex ipſo dolore, in ordine ad Abſolutionem obtinendam.

Immo hic modus procedendi à dolore ad Confeſſionem, videtur Aliquibus magìs connaturalis, quàm è converſo: ſic enim in judicio humano, ex diſplicentia delicti oritur accuſatio, & non è contrà, ex accuſatione diſplicentia. Certum quoque eſt, quòd magìs moveat ad veniam impetrandam, dolor, qui procedit ex ſolo odio delicti, quàm qui oritur ex motivo veniæ: tantò quippe purior eſt dolor, quantò magìs ſpectat offenſam Dei; quæ puritas non habetur, quando imperatur ex deſiderio Sacramenti, cùm jam Sacramentum habeat pro motivo, ſaltem extrinſeco.

Sed quidquid ſit de hoc modo procedendi, ſive dixeris magìs connaturalem ſive minùs connaturalem, ab hoc non pendet veritas Concluſionis. Et reverà judico cum Dicaſtillone ſuprà n. 180. modum procedendi ex intentione finis, id eſt, Abſolutionis à peccatis, ad media neceſſaria, id eſt, ad dolorem & Confeſſionem, ſi non magìs, ſaltem non minùs eſſe connaturalem.

Neque concludit argumentum à judicio humano, in quo non eſt idem accuſator & reus; adeòque non mirum, ſi accuſatio non proveniat ex intentione Abſolutionis; ſed potiùs ex diſplicentia delicti, cujus punitionem intendit accuſator; præſertim cùm accuſatio vera foret, etſi procederet tantùm ex odio ipſius perſonæ, & non ipſius delicti. Sin autem diſplicentia delicti in judicio humano foret medium neceſſarium ad obtinendam ſententiam, utì eſt medium neceſſarium ad Abſolutionem ſacramentalem, dico, quòd tunc valde connaturaliter ex intentione ſententiæ, tanquam finis, procederetur ad diſplicentiam peccati, tanquam medium.

Igitur connaturalitas modi procedendi à dolore ad Confeſſionem, valde parùm probat; nam eâ non obſtante, potuit Chriſtus requirere dolorem, procedentem ab intentione Abſolutionis; an autem requiſiverit, hoc eſt, quod quæritur.

Porrò non requiſiviſſe, probant Aliqui exemplo Satisfactionis ſacramentalis, quæ talis eſt ſinè expreſſa ordinatione ad Sacramentum. Siquidem, ùt multi docent, non debet fieri opus impoſitum quà tale, id eſt, quà præceptum vel impoſitum à Confeſſario; ſed ſufficit libera impletio operis injuncti quoad ſubſtantiam, ſicut in aliis præceptis.

Et quamvis in ea requireretur expreſſa hujuſmodi intentio, ratio, inquit Herincx ſuprà, ſpecialis eſſet, quòd Satisfactio ſacramentalis habeat proprium & ſpecialem effectum ſacramentalem, ſcilicet deletionem pœnæ. Deinde dolor ſic elicitus, ſufficienter elevatur per miniſtrum, ut ſit pars Sacramenti; ex parte autem pœnitentis ſeu ſuſcipientis, ſufficere videtur intentio interpretativa, ſicut in ſuſcipiente alia Sacramenta, & in moribundo, qui abſolvitur obvitam Chriſtianè tranſactam, quę tantùm eſt interpretativa Confeſſio. Cenſetur autem in tali dolore eſſe interpretativa quædam relatio ad Abſolutionem ſacramentalem, quando non excluditur. Quare hæc doctrina videtur ſatis fundata. Hactenus Herincx.

Sed quantum ad Satisfactionem ſacramentalem, non eſt planè certum, quòd valeat abſque expreſſa intentione ſatisfaciendi. Atque ut omnino certum eſſet valere, diſparitas eſt, quòd Satisfactio ſit pars integralis ſubſequens, eſſentiam Sacramenti in facto eſſe; quæ proinde ſufficienter elevatur ad cauſandum effectum ſacramentalem, per præceptum Confeſſarii, & formam Abſolutionis, id eſt, per ipſam eſſentiam Sacramenti, quam ſequitur. Porrò Contritio eſt pars quaſi eſſentialis, præcedens eſſentiam in facto eſſe, adeòque non videtur ſufficienter poſſe elevari per miniſtrum, ut ſit pars Sacramenti; nam miniſter non agit, niſi per formam Abſolutionis, hæc autem præſupponit dolorem, tanquam partem Sacramenti, eo modo quo pars eſt; ſicuti præſupponit Confeſſionem in ratione partis, & non facit eam partem, niſi ſimili modo, quo forma Baptiſmi facit ſeu elevat ablutionem, ut ſit pars Sacramenti Baptiſmi. Putas autem, quia narratio peccatorum ſinè ordine ad Abſolutionem, ſufficienter elevatur per miniſtrum, ut ſit pars Sacramenti? 125. *Diſcrimen inter Satiſfactionem & dolorem,*

Quod additur de intentione interpretativa, incertum eſt, an hæc ſufficiat in ſuſcipiente alia Sacramenta, & probabiliùs non ſufficit, ùt videre poteris diſp. 1. ſect. 8. concl. 2, præſertim quando poteſt haberi intentio magìs expreſſa. Atque ut ſemper ſufficeret in illo, qui merè ſuſcipit Sacramentum, ſive merè paſſivè ſe habet in ſuſceptione Sacramenti; unde conſtat, quòd etiam ſufficiat in illo, qui ex parte ſua debet concurrere aliquo modo activè ad collationem Sacramenti? 126. *An intentio interpretativa ſufficiat in aliis Sacramentis?*

Quantum ad vitam Chriſtianè tranſactam, illa potiùs vocanda eſt Confeſſio explicita, quàm interpretativa; neque ſemper ſufficit, ſed tunc ſolùm, quando expreſſa Confeſſio eſt impoſſibilis; ergo ad ſummum indè ſequeretur, quòd ſufficeret dolor ſic elicitus, quando alius dolor eſt impoſſibilis, v. g. in moribundo. *Vita Chriſtianè tranſacta potiùs eſt vocanda Confeſſio explicita, quàm interpretativa.*

Deinde argumentor ſic: ut narratio peccatorum ſit vera Confeſſio, ſufficiens ad validam Abſolutionem, procedere debet ex intentione Abſolutionis, etiam cùm primùm incipit; alioquin, uno ſaltem verbo, circa finem Confeſſio eſt repetenda; ergo ſimiliter dolor. 127. *Objicit ſibi Auctor,*

Negatur, inquis, Conſequentia; & ratio diſparitatis aſſignatur, quòd Confeſſio debeat eſſe judiciaria. Sed contrà; eodem modo dicam, quòd dolor debeat eſſe judiciarius, cùm æquè eſſentialiter requiratur ad judicium Sacramentale, atque Confeſſio.

128. *& reſpondet, aſſignando diſparitatem inter narrationem peccatorum, & dolorem.* Hinc melior diſparitas eſt, quòd narratio peccatorum ex ſe nullum habeat ordinem ad remiſſionem obtinendam, adeòque indigeat relatione extrinſecâ ipſius pœnitentis. At verò dolor de peccatis, de ſe ſufficiens, ut ſit pars Sacramenti, excludere debet voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ; ac proinde ex natura ſua ordinatur ad remiſſionem peccatorum obtinendam, ſeu in judicio, ſeu extra judicium; cùm ergo in judicio non poſſit obtineri illa remiſſio abſque Confeſſione, & Abſolutione, omnis talis dolor implicitè includit propoſitum Confeſſionis, & Abſolutionis.

Quod maximè verum eſt, quando peccata ſunt mortalia, nondum per Confeſſionem remiſſa, reſpectu quorum Sacramentum Pœnitentiæ eſt omnino neceſſarium in re, aut ſaltem in voto. Sin autem fuerint peccata venialia, vel aliàs remiſſa per Abſolutionem, licèt reſpectu eorum Sacramentum non ſit omnino neceſſarium, eſt tamen valde utile, & remedium certius; quod proinde cenſetur pœnitens velle (ſicut ægrotus cenſetur velle medicinam tutiorem) niſi poſitivè illud excluđat. Nihil autem ſimile reperitur in nuda narratione peccatorum, quæ proindè, ùt ſuprà dixi, debet fieri ex intentione, ſaltem habituali, obtinendi Abſolutionem.

129. *Intentio obtinendi abſolutionem, ſaltem habitualis, debet durare à primo verbo eſſentiali abſolutionis, uſque ad ultimum.* Et eadem intentio neceſſaria eſt à primo verbo eſſentiali Abſolutionis, uſque ad ultimum; quemadmodum in Baptiſmo (& idem eſt de aliis Sacramentis, excepto Matrimonio) non ſufficit habere intentionem tempore ablutionis, vel tempore, quo proferuntur hæc verba: *Ego te baptizo*, ſed neceſſaria eſt pro toto tempore, quo durat materia eſſentialis, & forma eſſentialis, ſicut in miniſtro intentio faciendi, quod facit Eccleſia, ita in ſuſcipiente intentio ſuſcipiendi, quod miniſter vult conferre. Ratio eſt; quia qui conſecratur Deo, non debet invitus conſecrari; neque miniſter cenſetur invito velle conferre aliquam poteſtatem. Hæc autem ratio non militat pro illo tempore, quo elicitur, vel durat Contritio; quia per illam non conſecratur pœnitens à miniſtro, nec accipit aliquam poteſtatem, ſed diſponit ſe ad conſecrationem ſeu reconciliationem.

Excepi Matrimonium; quia in contractibus humanis, qualis eſt Matrimonium, ſufficit voluntas moraliter permanens; neque forma ipſius ſonat aliquam benedictionem vel conſecrationem; nec requirit verba realia, aut formalia, ſed ſufficiunt verba virtualia; unde ſignum externum conſenſûs, ſemel exhibitum, acceptari poteſt, tametſi phyſicè ampliùs non exiſtat.

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, aliquo ſaltem modo Contritionem referendam eſſe ad Confeſſionem, ut & ipſa, & Confeſſio, ſint quaſi materia hujus Sacramenti. Tali, inquam, modo, ut Confeſſio dici poſſit accuſatio doloroſa, ad quam denominationem videtur neceſſaria moralis quædam connexio.

Satis autem conjunguntur moraliter, juxta Lugonem diſp 14. n. 50. ſi intrà debitum tempus, dolor præcedens ſignificetur per ſubſequentem Confeſſionem; ſicut etiam in judicio humano, ſi aliquis ex odio præcedenti ſcelerum, & ex deſiderio remedii, moveatur poſtea ad accuſandos ſceleratos, ſufficienter conjungitur accuſatio cum odio præcedenti, in ordine ad accuſationem doloroſam. Hæc ille. Verùm quod ſit illud tempus debitum non ſpecificat, cùm tamen illa ſpecificatio ſit valdè neceſſaria pro praxi.

Petrus Marchantius Tract. 4. Tribun. Sacram. tit. 2. q. 8. concl. 3. ſic ſcribit: Non eſt neceſſe, quòd Contritio ſive dolor & deteſtatio peccatorum formaliter duret tempore Confeſſionis, & Abſolutionis; ſed ſufficit, ut virtualiter permanere & durare cenſeatur in ordine ad Confeſſionem, & Abſolutionem. Explicat: Joannes aliquo tempore, ùt puta unâ aut alterâ horâ antequam ad Confeſſionem accederet, ſe præparavit per examen conſcientiæ & dolorem, eâ intentione, ut ad hoc tribunal & Sacramentum accederet: non eſt neceſſe, ut iterum formaliter in ſe excitet iſtum dolorem dum accedit; ſed ſufficit, ut nullum contrarium actum exercuerit; qualis indubiè eſſet novum peccatum mortale; aut mutatio prioris intentionis.

Quantum autem temporis poſſit intercedere inter dolorem ſive deteſtationem peccatorum, & actualem Confeſſionem, ad hoc ut virtualiter cenſeatur permanere; prudenti, ait, judicio morali æſtimandum eſſe, & ex moralibus circumſtantiis. Explicat: Joannes ſub noctem, antequam ſe quieti tradat, examinat conſcientiam, & excitat in ſe debitum dolorem peccatorum eâ intentione, ut citò mediâ nocte, aut ſummo mane ſurgat, & occurrenti Sacerdoti confiteri poſſit: ubi manè confitetur, cenſetur (ſi nocte mentem non mutaverit) præcedens illa deteſtatio & Contritio virtualiter in Confeſſione permanere, quia in ordine ad illam eſt excitata, & aliàs ſupponitur voluntas integra permanſiſſe. Similiter manè quis ſe per examen, & deteſtationem peccatorum præparavit ad hoc Sacramentum, interim non poteſt habere locum, vel aliis occupationibus impeditur, ita ut non poſſit ante undecimam, ſive non niſi circa meridiem confiteri: ubi tunc confitetur (ſi interim, ùt ſuprà dixi, mentem non mutaverit,

verit, nec in alia mortalia eſt lapſus) cenſetur deteſtatio, & Contritio manè excitata virtute permanere eâdem ratione quâ ſuprà. Hucuſque Marchantius.

132. [illegible] Et paucis interjectis, alios duos caſus aſſignat dicens: Joannes ut Confeſſionem generalem faceret, examine conſcientiæ facto, elicit actum Contritionis ſive Attritionis ſupernaturalis, interim ob cauſas, plures dies inſumit de judicio Confeſſarii, ſingulis diebus Confeſſionem proſequendo; antequam illam compleat, & Abſolutio ei impendatur; etiamſi in iſta Confeſſione octo dies impenderet, prima Contritio cenſetur perdurare virtute, ſi illam non revocaverit. Ratio eſt; quia actus aliqui perſeverant.

Similiter Petrus volens Jubilæum lucrari, antequam opera & jejunia per hebdomadam perficiat, examinat conſcientiam, & Contritionem elicit, cum intentione ut in Sabbatho vel Dominica, quando communicaturus eſt, Confeſſionem faciat; interim per hebdomadam templa viſitat, jejunat, operibus requiſitis vacat: ratione horum operum, quæ ſunt prioris intentionis moralia ſigna, cenſetur deteſtatio peccati, in ordine ad propoſitam Confeſſionem in Sabbatho vel Dominica faciendam, perdurare. Hæc ille.

133. Quando cenſetur nimia intercapedo temporis ut videatur. Quæris autem, quando cenſeatur nimia intercapedo temporis, ut prior deteſtatio non videatur dicere ordinem ad Confeſſionem ſubſequentem? Reſpondet idem Auctor: Quando morali æſtimatione nil remanet prioris intentionis, in cujus virtute cenſeatur quis agere, utpote quando animus omninò à priori intentione fuit diſtractus, & aliis mancipatus, nec reverà ullum manſerit in eo ſignum ad Confeſſionem ſubſequentem.

Explicat: Joannes aliquo pio motu ductus, examinat conſcientiam ſuam, & deteſtatur peccata, proponens primâ opportunitate confiteri; interim communiter, abſque alio ſpeciali conatu, ad alia convertitur, & ei opportunitas contingit poſt plures dies; illa deteſtatio præcedens, non videtur ſufficiens fuiſſe ad ſequentem Confeſſionem poſt plures dies factam; quia nullus eſt virtualis motus, moraliter in Joanne in ordine ad illam Confeſſionem permanens, ſed tantùm per accidens; quia enim opportunitas in ſingulari propoſita non fuit, ſed tantùm in genere, illa ei contingere per accidens cenſetur, & non ex propoſito, ſicut contingere ſolet eis, qui in Contritione votum ſive propoſitum habuerunt, tempus autem non determinarunt; ſi poſt plures dies occaſio confitendi occurrat, Contritionem aliquo actu renovare tenentur. Hactenus Marchantius.

134. Objectio. Sed contrà; quid ſi eodem die occaſio confitendi occurrat? Quid ſi ſequenti die, dummodo interim communiter, abſque alio ſpeciali conatu ad alia convertantur, nonne Contritionem aliquo actu renovare tenentur? Cùm enim opportunitas in ſingulari propoſita non fuerit, ſed tantùm in genere, illa eis per accidens contingere cenſetur, & non ex propoſito.

Præterea ſi Joannes ſub noctem eâ intentione ſe quieti tradat, ut ſummo manè ſurgat, & offerat Sacrificium Miſſæ, num ubì manè celebrat Miſſam, cenſetur (ſi nocte mentem non mutaverit) præcedens illa intentio virtualiter in Sacrificio permanere, ita ut valeat Sacrificium abſque nova intentione?

Quidquid ergo ſit de illa permanentia virtuali doloris; dico, ſufficere ad moralem connexionem, de qua in Concluſione, permanentiam habitualem doloris, ſive dolorem habitualiter permanentem, id eſt, dolorem præteritum non retractatum vel expreſsè, vel ſaltem implicitè per novum peccatum mortale. Ita docet de Scildere in Synopſi Theologica de Sacramentis §. 54. ibi: Elici poteſt (dolor ſacramentalis) tempore quovis antecedente Abſolutionem, dummodo non retractetur: & ſic amens in morte abſolvendus eſt, ſi ante amentiam ſigna Contritionis adhibuit. Hæc ille. Reſolutio Auctoris, ſufficere habitualem permanentiam doloris. Scildere.

Si verò à me quæritur, cùr potiùs requiratur virtualis intentio conficiendi Sacramentum, quàm virtualis dolor: Reſpondeo; quia intentio miniſtri eſt quaſi cauſa efficiens Sacramenti, ſinè qua nec materia, nec forma ullum poſſunt habere effectum; adeòque ad minus virtualiter debet adeſſe, dum Sacramentum conficitur; at verò dolor, ùt dictum eſt, ſolùm requiritur ex parte ſuſcipientis, idque non per modum cauſæ efficientis, ſeu alicujus influentis, ſed tanquam quid prævium ad ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſſentialiter & propriè conſiſtit in ſola forma; ac proinde videtur ſufficere quòd dolor aliquando fuerit, & non ſit retractatus; ſic enim poteſt ſufficienter Confeſſionem reddere doloroſam; & aliunde ſufficit intentio habitualis ſuſcipiendi Sacramentum, & Confeſſio habitualis; quidni ſimiliter dolor habitualis? 135. Cur magis requiratur virtualis intentio, quàm virtualis dolor.

Planè ſufficere exiſtimat Arriaga diſp. 37. n. 15. ibi: Abſolutè ego judicarem, per accidens omnino ſe habere in hoc puncto morulam temporis; nam licèt in aliis Sacramentis requiratur conjunctio aliqua inter formam, & materiam; quia ipſa forma ſignificat quaſi de præſenti materiam: ùt cùm dico: *Ego te baptizo*: non enim id verè dicitur de præſenti, ſi baptizatio ipſa fuit heri: idem in Confirmatione, Ordine &c. At in Sacramento Pœnitentiæ Abſolutio nihil penitùs dicit de præſentia actuali Confeſſionis, & doloris, ſed ſolùm: *Abſolvo te à peccatis tuis*; ſubintelligitur autem, quæ confeſſus es: utrùm verò Confeſſio illa ſit præſens, nec ne, non dicit ullo modo ea forma. 136. Sententia Arriagæ.

Et

Digitized by Google

Et ſanè cùm in judiciis humanis ſæpè ſententia feratur diù poſt accuſationem, & poſt proceſſum factum, nec conſtet Chriſtum in hoc puncto quidquam mutaſſe in hoc Sacramento, non video, cur ea longa præceſſio impediat, niſi fortè quia poſſunt interponi peccata aliqua gravia, quæ moralem illam doloris durationem interrumpant. De hoc autem inconvenienti teſtis erit ipſe pœnitens, qui ſcire optimè poterit, an ea peccata commiſerit, nec ne: ſi enim commiſit, tenebitur ſinè dubio dolorem renovare, ſi non commiſit, habebit locum totus noſter diſcurſus. Hæc ille.

Si hæc ſententia cuipiam non placeat, rogo ut quiſquis ille eſt, aſſignet nobis certum tempus, aut certam morulam temporis, quæ abſolutè impediat connexionem materiæ & formæ in hoc Sacramento, & per conſequens validam Abſolutionem.

137. *Objectio.* Dices; ſi hæc ſententia foret vera, ſequeretur eundem dolorem, immo eandem Confeſſionem de iiſdem peccatis, poſſe ſubſervire pluribus Abſolutionibus. Reſpondeo:

CONCLUSIO VI.

Unus dolor ſubſervire poteſt duplici Confeſſioni, maximè de diverſis peccatis; probabiliter etiam de iiſdem.

138. *Eadem contritio, phyſicè perſeverans, poteſt ſubſervire duplici Confeſſioni.* Loquitur Concluſio de dolore moraliter tantùm perſeverante; nam ſi phyſicè perſeveret tempore utriuſque Confeſſionis, non videtur dubitandum de valore utriuſque Abſolutionis, cùm ille dolor æquivaleat pluribus actibus numero diſtinctis; ſicuti hæc forma Abſolutionis: *Egò vos abſolvo à peccatis veſtris*, æquivalet pluribus formis numero diſtinctis, ùt omnes habent pro indubitato. Si ergo plura Sacramenta Pœnitentiæ non requirunt pluralitatem phyſicam formarum, ex quo probatur, quòd requirant pluralitatem phyſicam materiarum ſeu Contritionum? Nonne ſi Deus reproduceret eandem numero ablutionem, ipſa eſſet valida materia novi Baptiſmi? Non eſt qui ambigat. Quare? Quia æquivalet diſtinctæ numero ablutioni.

Quid ſi ſolùm moraliter perſeveret; Caſus itaque primæ partis Concluſionis, & ſatìs frequens: ſi quis oblitus fuerit confiteri aliquod peccatum, de quo antea doluit, & datâ Abſolutione, meminit illius, quæritur, an debeat elicere novum dolorem, ut validè abſolvatur. Multi videntur ſupponere, neceſſarium eſſe novum dolorem; aiunt enim quamvis materia remota poſſit deſervire pluribus Sacramentis, non tamen proxima, qualis eſt Contritio. Sic namque ſuper Hoſtia jam conſecrata non licet repetere formam Conſecrationis, & ſuper eadem ablutione non licet repetere formam Baptiſmi; ergo nec ſuper eadem Contritione repetere formam Abſolutionis.

Contrarium, inquiunt Alii, ſuadet communis praxis Confeſſariorum, qui tali caſu non ſolent admonere pœnitentes de renovando dolore, quamvis unus vel alius fortè id faciat. Eadem praxis eſt in moribundo, qui propter inſtantis mortis periculum abſolvendus eſt, audito uno vel altero peccato, & deinde proſequenda eſt Confeſſio de alijs; tunc enim non ſolet poſtea cogi ad renovandum dolorem poſt primam Abſolutionem, ſed abſolvitur ſecundò ab alijs peccatis, ex vi prioris doloris moraliter permanentis. 139. *Senten... affirm... illam vera... ſuffic... probat comm... praxi ... bus ... bus.*

Rurſus in eo caſu, quo aliquis propter peccata reſervata dimidiare poteſt Confeſſionem, confitendo Superiori ſola reſervata, qui alia audire non vult, & deinde inferiori eadem cum alijs; tunc enim, juxta communiſſimam ſententiam, datur duplex Abſolutio Sacramentalis ſupra eamdem Confeſſionem, quæ partim fit cum Superiore, partim cum inferiore. In quo caſu nemo dicet, pœnitentem teneri ad habendos duos actus doloris, ſi prior dolor extendebatur ad peccata reſervata, & non reſervata. Ergo nec in caſu Concluſionis debet repeti dolor, cùm prior ſe extenderet ad peccatum, cujus oblitus fuit pœnitens in Confeſſione, & quod additur in ſecunda reconciliatione. Ita Lugo diſp. 14. n. 27. *Lugo.*

Sed contra ultimum caſum; perperam videtur aſſerere Eminentiſſimus, tunc eamdem Confeſſionem fieri Superiori & inferiori, cùm nulla omninò ſit obligatio confitendi peccata reſervata inferiori, quando antecedenter pœnitens ab illis ſacramentaliter eſt abſolutus à Superiore. Quidquid ſinè fundamento aſſerat Henriquez lib. 6. q. 15 §. 5. ubì ſic ait: A ſolis reſervatis per Superiorem abſolutus, tenetur certiſſimè confiteri cum cæteris ſimul prædicta reſervata; quia Chriſtus jubet, ut uni Sacerdoti manifeſtet ſimul omnia peccata, ex quorum concurſu cognito, pendet rectum judicium & remedium. Nec inconvenit, ſed neceſſe eſt ex Chriſti præcepto, ut reſervata interdum non uni tantùm, ſed duobus ſint manifeſtanda. Sic in judiciis cauſa quandoque eget ſententiâ inferioris & ſuperioris tribunalis; quare falsò Quidam putant, ſatìs eſſe confiteri poſtea inferiori non reſervata. Hucuſque Henriquez. 14 *An ... abſol... eam... ter ... ore, d... confi... ſenia* *Henr.*

Sed, ùt dixi, planè gratìs; immo falsò, ſi verum eſt, quod ipſe docet §. præced. Superiorem abſolvere Sacramentaliter à ſolis peccatis reſervatis. *Conſtat enim* (utor verbis Tridentini ſeſſ. 14. c. 5.) *nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut, poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes* *Sent... negat... bet ... Conc... dent.*

Digitized by Google

omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Talia autem eſſe peccata reſervata, à quibus pœnitens ſacramentaliter & directè eſt abſolutus à Superiore, in æternum non credam propter auctoritatem Henriquez, & frivolam rationem, quam miror virum tam doctum in illam ſententiam pertraxiſſe.

141. Fateor, jubet Chriſtus, ut pœnitens uni Sacerdoti manifeſtet ſimul omnia peccata, ex quorum concurſu cognito, pendet rectum judicium & remedium. Sed nunquid qui ſemel rectè judicatus eſt à Superiore, & ab ipſo remedium accepit, rurſus de eodem delicto judicandus eſt ab inferiore, ab illoque novum remedium accipere debet? An fortè peccata reſervata jam directè abſoluta, ſic immutant peccata non reſervata, ut de his inferior non poſſit rectè judicare, aut remedium providere pœnitenti, niſi illis cognitis?

Et verò ubi Chriſtus præcepit, ut reſervata interdum non uni, ſed duobus ſint manifeſtanda, ſuppoſito quòd ab uno ſint directè Sacramentaliter abſoluta? Noli quærere, quia nuſpiam invenies.

Quantum ad judicium humanum, cauſa in ſuperiori tribunali diſcuſſa & determinata, nunquam indiget ſententiâ inferioris; quare veriſſimè putant multi, & ego habeo pro re indubitata, ſatis eſſe, confiteri poſtea inferiori non reſervata; hoc ſemper ſalvo, quòd Superior ſacramentaliter & directè abſolverit à reſervatis; ſecùs ſi Superior ſolùm abſtuliſſet reſervationem peccati, mittendo Pœnitentem pro Abſolutione ad inferiorem.

An autem ſtylus Curiæ Romanæ habeat, ut vult idem Auctor ibidem §.4. quòd Prælatus à ſolis reſervatis, quæ audivit, ſacramentaliter abſolvat, quando commodè poſſet omnia audire, & ab omnibus abſolvere, multùm dubito; quia Chriſtus jubet, ut uni Sacerdoti manifeſtentur ſimul omnia peccata, ex quorum concurſu cognito, pendet rectum judicium, & remedium, niſi aliquid obſtet. Sed de hoc alibi.

Igitur planè diverſa accuſatio, quæ fit Superiori de peccatis reſervatis, ab illa, quæ fit inferiori de peccatis non reſervatis: ac proindè qui in caſu Concluſionis requirunt duos actus doloris, conſequenter dicent, quòd etiam in hoc caſu teneatur pœnitens elicere duos actus doloris.

142. Quod attinet ad primam & ſecundam praxim, utraque incerta eſt; nam ſi contrarium aliquando fiat, quis Lugoni revelavit, quòd tantùm ab uno vel alio? Præſertim cùm ſententia contraria magìs tuta ſit in praxi. Solent autem Confeſſarii, maximè in periculo mortis, eligere ſententiam tutiorem, id eſt, in qua minus eſt periculi invaliditatis Sacramenti.

Meliùs ergo probatur Concluſio ex ratione tum negativa; quia nihil eſt, quod ſufficienter probet neceſſitatem duplicis doloris; non ſunt autem multiplicandæ obligationes ſinè ſufficienti fundamento; tum poſitivâ, quia ad validam Abſolutionem non requiritur niſi Confeſſio doloroſa; ergo ubi duplex Confeſſio doloroſa, ibi duplex valida Abſolutio; atqui in caſu primæ partis Concluſionis, eſt duplex Confeſſio doloroſa, eſtò tantùm ſit unus dolor moraliter permanens; ergo duplex valida Abſolutio.

Probatur ſubſumptum; quia Pœnitens iteratò ſe accuſat de peccato, priùs per oblivionem omiſſo, & aliundè dolor præteritus phyſicè extendebat ſe ad hoc peccatum; ergo eſt iterata accuſatio doloroſa. Enimvero ſi ſufficiat dolor, ſolùm moraliter permanens (ſicut reverâ ſufficit) ut primam accuſationem conſtituat doloroſam, eamque elevet ut fiat ſacramentalis, quidni etiam ut ſic elevet ſecundam? Non video differentiam.

Differentia, inquis, eſt; quòd licèt eadem materia remota, idem v.g. peccatum, poſſit deſervire pro pluribus Abſolutionibus, & ab his informari, ſicut patet in materia remota Baptiſmi, v.g. aqua; ſecùs tamen materia proxima. 143. Objectio.

Reſpondeo; materia proxima totalis, concedo; materia proxima partialis, nego. Jam autem Contritio non eſt materia proxima totalis, ſed tantùm partialis; totalis verò Confeſſio doloroſa, quæ duplex erit ratione alterius partis, puta ipſius Confeſſionis. Sic in multorum ſententia, Corpus Chriſti eſt materia proxima partialis in Sacramento Euchariſtiæ, & tamen idem ſubſtat omnibus conſecrationibus, propter multiplicitatem ſpecierum, quæ ſunt altera pars. Reſponſio.

Nec obſtat, quòd Chriſtus ſit phyſicè actu præſens in ſecunda hoſtia, ſicut in prima; dolor autem ſolùm moraliter præſens in Confeſſione; non obſtat, inquam, quia neque in prima requiritur realis præſentia doloris, ſed ſecundùm omnes ſufficit moralis permanentia; ergo etiam in ſecunda. Replica ſolvitur.

Præterea eadem ſatisfactio, v. g. idem jejunium poteſt deſervire pro materia integrali duplicis Sacramenti Pœnitentiæ; poſſunt ſiquidem imponi in Pœnitentiam opera aliundè debita; ergo etiam opera debita ex alia Confeſſione. Cur ergo ſimiliter unicus dolor non poſſit deſervire pro materia quaſi eſſentiali duplicis Sacramenti Pœnitentiæ? 144. Idem jejunium poteſt deſervire pro materia integrali duplicis Sacramenti.

Dices; tale jejunium erit virtualiter duplex, ratione duplicis impoſitionis, & duplicis obligationis indè reſultantis. Reſpondeo; idem cum proportione dici poteſt de dolore; ſicut enim jejunium eſt unicum, & impoſitio eſt duplex, ita dolor eſt unicus, ſed ſignificatio duplex, quia duplex Confeſſio.

Si inferas; ergo etiam eadem Confeſſio poterit deſervire ad duplicem Abſolutionem, dummodo dolor ſit diverſus. Reſpondeo 145. Cur eadem Confeſſio

Sſſ neg.

non poſſit deſervire ad duplicem Abſolutionem.

neg. Conſ. Ratio diſparitatis petenda eſt ex natura judicii ſeu ſententiæ, quæ ſemel validè prolata, non iteratur abſque nova accuſatione, jam enim Iudex functus eſt ſuo munere; adeòque niſi de novo inſtituatur proceſſus, quod non fit per ſolum dolorem novum, non erit nova ſententia, ſed antiqua, ſi quæ eſt.

Deinde natura doloris talis eſt, ut per novam Confeſſionem denuò poſſit adhiberi, & conjungi cum nova Abſolutione; nam Confeſſio ſignum eſt doloris, & non è converſo dolor, qui eſt actus internus, ſignum Confeſſionis; ergo per dolorem novum non ſignificatur antiqua Confeſſio; adeòque non ſufficienter applicatur novæ Abſolutioni, ut novum conficiatur Sacramentum. Alioquin ſi novus dolor foret externus, poſſet per illum iteratò explicari Confeſſio antea facta, ſufficienter ad accipiendam iteratam Abſolutionem. Et quid miramur, cùm illa explicatio ſit verè nova Confeſſio?

146. Requiritur nova impoſitio, ut eadem Pœnitentia poſſit deſervire pluribus Sacramentis.

Quamvis ergo imponi poſſit eadem Pœnitentia materialiter in diverſis Confeſſionibus; attamen requiritur nova impoſitio, in tantùm, ut jam idem jejunium v. g. debeatur ex nova obligatione, idque quia ad novum judicium requiritur nova ſententia, cujus pars integralis, eſt nova impoſitio Pœnitentiæ, quamvis non novæ Pœnitentiæ. Conſimiliter ergo requiritur nova accuſatio, quamvis non novus dolor; nam veluti Satisfactio ſacramentalis ſignificatur per ſententiam præteritam, ſic dolor per Confeſſionem.

Ceu igitur eadem Satisfactio, poteſt ſignificari per duplicem ſententiam, in duplici Sacramento; ſic idem dolor per duplicem Confeſſionem; quia utrobique remanet integrum judicium, & completus proceſſus judicialis, conſtans ex accuſatione, teſtificatione, & ſententia.

147. Probatur 2. pars Concl. ex Joan. de la Cruz.

Atque hæc dicta videntur etiam probare ſecundam partem Concluſionis, quam docent Petrus Ledeſma in Sum. cap 4. de Sacramento Pœnitentiæ, & Joannes de la Cruz in Direct. Conſcien p.1. de Sacr. Pœnit. q 1. dub. 6. concl. 2. Nam (inquit hic Auctor) repetitâ ſolâ Confeſſione vocali, repetitur materia proxima, etſi non totaliter; & hoc ſat eſt, ut iterum repetatur forma. Et ſic patet reſponſio ad argumentum oppoſitum; præterquam quòd repetitâ Confeſſione vocali; repetitur ſaltem virtualiter dolor in ordine ad Confeſſionem vocalem.

Objectio.

Si arguas; nam etiam ſat erit repetere dolorem eorundem peccatorum ſinè nova Confeſſione vocali, cùm Contritio, ſicut & Confeſſio, ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Solvitur.

Ad hoc nego Antecedens; nam etſi Contritio ſit abſolutè principaliter neceſſaria in Confeſſione, tamen Confeſſio in ratione partis Sacramenti eſt præcipua; immo Contritio non eſt pars Sacramenti in ordine ad Confeſſionem vocalem, cùm non ſit ſignum ſenſibile, niſi in quantum per Confeſſionem manifeſtatur; & ſic ſi non repetitur Confeſſio, non repetitur materia proxima ſenſibilis. Ita Joannes de la Cruz apud Dianam p. 3. tr. 4. reſol. 116. Diana.

Porrò Ledeſma, teſte Dianâ ibidem, ſic aſſerit fol. 217. Dubium eſt, ſi ſufficiat repetere Confeſſionem vocalem de iiſdem peccatis, ut poſſit iterari forma; an verò ſit neceſſarium repetere etiam dolorem internum. Videtur eſſe neceſſarium, quia materia proxima hujus Sacramenti ſunt actus pœnitentis, Contritio & Confeſſio; ut igitur fiat nova materia proxima, neceſſarium eſt repetere non ſolùm Confeſſionem de peccatis, ſed etiam dolorem internum de illis. 148. Quid ſenſerit Petr. Ledeſma.

In iſta difficultate quidam homines docti diſcipuli S. Thomæ docent, quòd ut repetatur forma ſuper eadem peccata, non ſufficiat repepetere Confeſſionem, ſed quòd ſit neceſſarium repetere dolorem de illis, & non habere de novo, eſſet peccatum & ſacrilegium. Ponamus exemplū in aliquo, qui confeſſus eſt furtum, & abſolutus eſt ab illo, ut talis revertatur ad Abſolutionem ab eodem furto; non ſufficit quòd revertatur ad illius Confeſſionem, & novam faciat Confeſſionem, ſed neceſſarium eſt renovare dolorem, nec ſufficit perſeverare in antiquo dolore, quocum primò confeſſus eſt.

In hoc dubio mihi videtur; quòd etſi illa ſententia relata habeat aliquam probabilitatem; contrarium tamen eſt magis probabile, & magis commune inter Doctores, illudque ſequendum; ita ut ſi pœnitens revertatur ad Confeſſionem ejuſdem peccati, non renovando dolorem; ſed perſeverando in antiquo, quocum primâ vice confeſſus fuit, poſſint illum abſolvere de novo abſque ullo ſcrupulo. Probatur; quia habitâ novâ Confeſſione, etſi non varietur dolor interior, variatur materia proxima; ut clarum eſt. Igitur valde bene poterit abſolvi & proferri forma de novo ſuper tali materia proxima, quæ eſt diſtincta. 149. Conclusio noſtra vocatur probabilior & magis communem, quæ ſequitur.

Ex quo facilè reſpondetur ad rationem dubitandi de contraria ſententia, dicendo, quòd etſi materia proxima ſint illa opera pœnitentis, Contritio & Confeſſio, quando variatur una pars, quæ eſt Confeſſio, variatur materia proxima, etſi non totaliter, & ſecundùm omnes partes ſuas. Etiam dici poſſet, quòd etſi perſeveret idem dolor, repetendo aliquas Confeſſiones, eodem modo repetatur dolor, in ordine ad illas, ad minùs virtualiter, ùt dicunt Theologi. Hæc omnia Ledeſma. Reſpondetur ad rationem dubitandi.

Ex quibus, inquit Diana ſuprà, Confeſſarii ſedabunt multos ſcrupulos, & præſertim illorum, qui confitentur de peccatis venialibus ordinariis, & cum illis de aliquo peccato mortali aliàs confeſſo & abſoluto, nam in tali caſu, & in tali Confeſſione, ſecundùm ſententiam horum Doctorum, non tenentur elicere novum actum doloris & Contritionis; ego contrarium teneo 150. Diana ponit amplectendam opinionem cum limitatione, quæ vero ... probabilem.

teneo cum Henriquez lib. 4. c. 26. n. 7. & Filliucio tom. 1. tract. 6. c. 3. n. 77. debet enim ſemper adeſſe novum motivum erubeſcentiæ & doloris, quoties quis confitetur, quod videtur probabilius, & tutiùs. Hæc ille.

Enimvero tutius eſſe elicere novum dolorem, aut certè continuare phyſicè eundem, nemo eſt qui ambigat; at verò probabilius eſſe, quòd ſinè novo dolore non valeat ſecunda. Abſolutio cum antiquo dolore, moraliter ſolùm perſeverante, negat Ledeſma ſuprà. Exigit quidem hic Auctor, ùt notat Arriaga diſp. 37. n. 9. perſeverantiam antiqui doloris; ſed quòd loquatur de perſeverantia phyſica, ùt eum videtur velle intelligere Arriaga, unde conſtat? Quia, inquis, qui ab eo jam ceſſavit, eſtò non retractaverit illum, dici non poteſt propriè perſeverare in dolore. [illegible]

151. Reſpondeo; tam propriè, quàm ille, qui peccavit, dicitur perſeverare in peccato, quoadusque illud retractet; præterquam quòd non requiratur dolor phyſicè exiſtens ad primam Confeſſionem; ergo neque perſeverantia phyſica ad ſecundam, ex ſententia Ledeſmæ, qui ſolùm poſtulat perſeverantiam illius doloris, qui neceſſarius erat ad primam Confeſſionem; ergo perſeverantiam moralem, cùm dolor moraliter tantùm exiſtens, non poſſit niſi moraliter perſeverare. [illegible]

Quantum ad rationem Dianæ, eſt manifeſta petitio principii, ſi per novum motivum doloris intelligas novum dolorem. Alioquin novus dolor elici poteſt ex eodem motivo, ùt videre eſt in Contritione perfecta, quæ licèt centies prò totidem Sacramentis repetatur, ſemper eſt ex eodem motivo Dei ſummè dilecti propter ſe, & idem eſt de Attritione reſpectu ſui motivi. [illegible]

152. Quæris à me, quid doceat Henriquez? Loco citato ſic lego: Quandoque una Contritio ad duo Sacramenta pertinere poteſt, quorum eſt pars; ùt cùm Abſolutioni informi ſupervenit Contritio, quæ removet prohibens, cum ordine ſimul ad futuram Abſolutionem; vel cùm ſemel abſolutus, iteratâ mox novâ Confeſſione explicat præteritum dolorem, & peccatum oblitum; hic novum effectum gratiæ auctæ videtur recipere, dum abſque novo dolore recipit Abſolutionem; quia adſunt requiſita omnia; ſcilicet nova Confeſſio, ùt ſignum peccati, & doloris: nam dolor prior ùt in virtute extenſus eſt ad peccata oblita, perinde valet, ac ſi eſſet novus dolor de ſolis oblitis (Ecce prima pars noſtræ Concluſionis) At qui novâ Confeſſione repetit peccatum, de quo directè abſolutus eſt, habere debet novum ejuſdem peccati dolorem, qui ſubjiciatur formæ novæ Abſolutionis, ſicut & novam Confeſſionem peccati, ùt probat piorum hominum uſus & conſuetudo. Ecce contrarium ſecundæ partis noſtræ Concluſionis. [illegible]

Verùm de hoc uſu & conſuetudine piorum hominum non ſatis conſtat; quia fortè numquam confitentur ſola peccata, de quibus directè abſoluti ſunt, itaque antiquo dolore adhuc moraliter perſeverante. Nam ſcriptum eſt Prov. 24. v. 16. *Septies cadit iuſtus* (ita Biblia vulgata, vel, ùt legit Auctor Catenæ Græcorum, Caſſianus collat. 22. cap. 13. & nonnulli Codices manu ſcripti, *Septiès in die cadit iuſtus*) & quàm facilè in eadem peccata, nimis manifeſtè docet experientia; jam autem illa peccata interrumpunt moralem perſeverantiam præteriti doloris; cùr ergo non elicerent novum? Præſertim cùm via illa tutior ſit. Non tango, quòd conſuetudo ſæpè oriatur ex ignorantia. 153. Reſpondetur ad uſum piorum hominum.

De cætero, juxta noſtra principia, ad valorem hujus Sacramenti requiritur dolor univerſalis, id eſt, extendens ſe ad omnia peccata, etiam oblita; ergo quà talis fuit informatus Abſolutione, non ſolùm indirectâ, ſed etiam directâ, utpote directa pars Sacramenti, eſtò ipſa peccata oblita ſolùm ſint indirectè abſoluta; quia necdum exteriùs explicata: ergo ex hac parte nullâ diſtinctio inter peccata oblita, & peccata directè abſoluta, ùt minùs hæc, quàm illa, poſſint validè abſolvi ſinè novo dolore. Et ideo Concluſionem noſtram, præter Auctores ſuprà allegatos, docet Arriaga diſp. 37. ſect. 3. n. 11. & Dicaſtillo diſp. 6. dub. 12. nu. 160. Lugo diſput. 14. ſect. 3. in eandem propendet dum ſolvit argumenta adverſæ partis, & quamvis abſolutivè eam non doceat, tamen etiam non audet eam reprobare. *Arriaga. Dicaſtillo. Lugo.*

Reſtat unica objectio; videlicet hinc ſequi, quòd poſſet aliquis initio anni habere dolorem de aliquibus peccatis, & in virtute illius doloris non renovati, confiteri ſingulis diebus toto anno eadem peccata. 154. Objectio.

Reſpondeo; hoc non eſſe magis abſurdum, quàm ſi aliquis poſt Confeſſionem, hodie factam, incidens in amentiam, poſt unum annum deſuper abſolvatur. Differentia tantùm eſt, quòd in caſu amentiæ non ſit periculum retractionis præteriti doloris, per mutationem voluntatis, aut ſubſequens peccatum, quale periculum frequentiſſimum eſt in priori caſu; & ideo conſultiſſimum eſt, renovare dolorem, etiam tunc, quando adjungitur mortale aliàs confeſſum, aut gravius veniale: quia licèt id ſufficeret ad valorem Sacramenti, non tamen ad evitandum omne peccatum, caſu quo aliquod peccatum confitearis, etiam minimum, de quo ſufficienter non doles, ùt ediſſero Concluſione ſequenti, quæ talis eſt: Solutio.

CONCLUSIO VII.

Qui confitetur mortale peccatum, vel unicum veniale, ſinè debito dolore, peccat mortaliter; ſecùs qui plura venialia, etſi de uno ſolùm doleat.

155. *Probatur 1. pars Concluſ. quia peccat mortaliter, qui facit Sacramentum invalidum.* PRima pars, nempe: *Qui confitetur peccatum mortale, ſinè debito dolore, peccat mortaliter*, eſt communis propter hanc rationem; quia talis facit Sacramentum Pœnitentiæ eſſe invalidum; ſimili modo, quo id facit Sacerdos abſolvens à peccato mortali, ſinè debita juriſdictione, qui indubiè mortaliter peccat; ſicuti mortaliter peccat, qui adminiſtrat Sacramentum Ordinis fœminæ, aut profert verba Conſecrationis ſuper ſolam aquam, aut baptizat in vino &c.

Et quamvis pœnitens non ſit propriè miniſter Sacramenti, tamen ex parte ſuâ taliter concurrit, ut abſque ſuo concurſu, miniſter nequeat Sacramentum validè miniſtrare; ergo ſi non omnino eadem ratio, ſaltem ſimilis quoad præſens punctum; ut non tangam, quod docui diſp. 1. ſect. 8. concl. 3. ſequentis tenoris: *Ad licitam receptionem Sacramenti requiritur diſpoſitio ad effectum gratiæ, aliàs peccatur ſacrilegio mortali, niſi neceſſitas excuſet.* Si ille peccat mortaliter, qui tantùm impedit effectum Sacramenti, quantò magis qui impedit ejus valorem? Nam effectus præſupponit valorem, adeòque qui impedit valorem, conſequenter etiam impedit effectum; quamvis non vice versâ, qui impedit effectum, ſemper impediat valorem.

156. *Eadem eſt probatio 2. partis.* Atque hæc ratio videtur etiam convincere ſecundam partem Concluſionis; nimirum: *Qui confitetur unicum peccatum veniale, ſinè debito dolore, peccat mortaliter.* Quippe & hujuſmodi confitens facit Sacramentum Pœnitentiæ invalidum, & per conſequens impedit omnem prorſus effectum Sacramenti, ſicuti baptizatus, qui offert ſe iterum baptizandum, & fœmina, quæ ſub veſte virili offert ſe ordinandam ab Epiſcopo. Putas autem, quòd hi non peccarent mortaliter?

Planè, inquis, peccarent mortaliter; ſed diſparitas eſt, quòd hi faciant Sacramentum irritum in materia gravi, ut puta regeneratione ex aqua & Spiritu ſancto, per quam confertur remiſſio omnis culpæ & pœnæ, & imprimitur character; uti etiam imprimitur per Sacramentum Ordinis, quo confertur ſpecialis poteſtas in Eccleſia Dei. At verò remiſſio peccati venialis materia levis eſt, in qua fruſtrate Sacramentum Pœnitentiæ, non eſt culpa gravis.

Primò; quia cùm aliquis confitetur plura venialia, ſi non dolet de omnibus, ſed de aliquibus tantùm, non peccat mortaliter; & tamen fruſtrat Abſolutionem ſacramentalem ab aliquo effectu partiali. Secundò; quia Cajetanus & Alii cenſent, Sacramentum Euchariſtiæ non conferre gratiam, niſi cum actuali attentione accipiatur; & tamen non erit peccatum mortale carere illâ attentione actuali. Tertiò; quia non eſt culpa mortalis, non implere Pœnitentiam levem, impoſitam ob peccata venialia, licèt idcirco Sacramentum quoad illam partem maneat imperfectum, & fruſtretur effectu. Quartò; quia non eſt culpa mortalis contrahere invalidè Matrimonium ad vitandum aliquod grave damnum. Ita argumentatur quidam Theologus recentior apud Lugonem diſp. 14. n. 108. 15 *Oppo Probpum* *Secu* *Terti*

Sed ne Hercules quidem contra duos; quantò minùs hic recentior Theologus contra graviſſimos Doctores, non unum aut duos, ſed quotquot hactenus floruerunt, & ſcriptis ſuis Eccleſiam Dei illuſtrarunt, qui omnes uno ore & calamo teſtantur, irritationem cujuſque Sacramenti eſſe rem graviſſimam, ſicuti & ipſum Sacramentum res graviſſima eſt; ſignum utique à Deo inſtitutum, efficax gratiæ ſanctificantis ex opere operato.

Igitur materia, quæ in præſenti negotio conſideranda venit, non eſt peccatum veniale, aut remiſſio peccati venialis; ſed gratia ſanctificans, quæ tam abundans, immo ordinariè abundantior confertur juſto, dùm abſolvitur ab unico peccato veniali, quàm peccatori, dum abſolvitur à millenis & millenis peccatis mortalibus; ac proindè qui fruſtrat Sacramentum in remiſſione peccati venialis, & ſimul in collatione gratiæ ſanctificantis, non fruſtrat Sacramentum in re levi, ſed in re graviſſima. 15 *Quæ mate quæ l be c deſat*

Scio quòd non ſit peccatum mortale, ſeipſum fruſtrare effectu gratiæ ſanctificantis, omittendo ſinè juſta cauſa Sacramentum Pœnitentiæ, aliundè non præceptum; nihilominus fruſtrare ipſum Sacramentum, quod à Deo ad iſtum effectum ſpecialiter eſt inſtitutum, fruſtrare, inquam, omni effectu gratiæ, ſemper in Eccleſia Dei graviter fuit prohibitum.

Nonne aqua v. g. ſecundùm ſe eſt res leviſſima? Et tamen velle conſecrare ſolàm aquam, eſt materia graviſſima; quia verba conſecrationis proferuntur omnino fruſtra, & privantur effectu Sanguinis Chriſti, quem alioquin ex ſpeciali inſtitutione Chriſti cauſarent, ſi adeſſet vinum. Ergo conſimiliter, tametſi peccatum veniale ſecundùm ſe ſit res leviſſima, nihilominus dare illud pro materia totali Sacramenti, quando nequit eſſe talis materia, eſt res graviſſima, quia tunc verba Abſolutionis, quæ Sacerdos profert ùt miniſter Chriſti, omnino 15 *Velle ſecrai quam mate gravil*

Digitized by Google

omnino fruſtrantur ſuo effectu, quem alioquin ex ſpeciali inſtitutione Chriſti cauſarent.

Unde non attenditur hìc ad illud bonum, quo privatur recipiens Sacramentum; nam fœmina, quæ procurat ſuam Ordinationem ab Epiſcopo, non privatur ullo bono; cùm ſit incapax gratiæ illius Sacramenti; & tamen peccat mortaliter: ſed conſideratur irreverentia, quæ fit Sacramento, quando privatur totaliter ſuo effectu. Vide dicta diſp. 1. ſect. 8. concl. 3.

160. Atque ex his facilè reſpondetur ad rationes in contrarium ſuprà propoſitas. Ad primam patet diſparitas; quia in uno caſu privatur Sacramentum omni ſuo effectu, ſupponitur enim invalidum; in alio autem ſupponitur Sacramentum validum, & remittere aliqua peccata, cum infuſione gratiæ ſanctificantis, quamvis non omnia.

Quantum ad ſecundam rationem, vel ex hoc ſolo, quòd non ſit peccatum mortale, carere attentione actuali, cùm ſuſcipitur Euchariſtia, ſententia Cajetani notatur falſa à Vaſquez 3. parte diſp. 206. n. 11. Deinde ratio diſcriminis eſt, quòd in caſu Concluſionis etiam valor Sacramenti impediatur; hìc autem ſolus fructus.

Tertia ratio jam convulſa eſt; nam omittens Pœnitentiam non reddit Sacramentum irritum; neque fruſtrat Sacramentum totali fructu, ſed aliquâ levi parte, in quo non reperitur gravis irreverentia; neque enim quælibet minima integritas Sacramenti obligat graviter; nec debet homo procurare ſub culpa gravi, ùt habeat maximum effectum Sacramenti, ùt alibi diximus.

161. Ad ultimam rationem Reſpondeo; non eſſe in omnibus argumentandum à Matrimonio ad alia Sacramenta, ùt non ſemel oſtendimus agendo de forma hujus Sacramenti. Adde, quòd conjux poſſit indigno miniſtrare Sacramentum Matrimonii, eſtò alia Sacramenta non poſſint indigno miniſtrari; idque quia Chriſtus reliquit in illo rationem contractûs. Sicut ergo alii contractus poſſunt aliquando celebrari ſolùm in foro externo, ſinè conſenſu interno, ad evitandum grave malum; pari ratione contractus Matrimonialis, ne alioquin nimis difficilis foret hic contractus ratione Sacramenti, ſi occaſione illius, homines cogerentur præſtare ſuum conſenſum in proprium præjudicium, quando ex natura contractûs ad id non tenebantur.

At verò alia Sacramenta non ſunt ordinata, niſi ad ſanctificationem ſuſcipientis, & cultum Dei; adeoque nemo mirari debet, quòd exigant omnimodam reverentiam, cùm ſint actiones merè ſanctæ, quæ non niſi religioſo & pio animo tractandæ ſunt. Porrò Matrimonium, quamvis & ipſum actio ſacra ſit, in quantum eſt verum Sacramentum; ideoque requirat internam diſpoſitionem ad effectum gratiæ, qui non vergit niſi in bonum animæ; tamen quia etiam actio profana eſt, in quantum contractus aliquis humanus, hinc non requirit omnem omnino reverentiam, alioquin debitam aliis Sacramentis.

Deinde illa ratio ad ſummum probaret, licitum fore confiteri ſinè debito dolore, ad evitandum grave damnum, de quo caſu hìc non quæritur. Atque ut hoc eſſet verum de peccato veniali, etiam eſſet verum de peccato mortali. Meritò ergo doctrina illius recentioris Theologi (quem Dicaſtillo putat eſſe Philippum Fabrum Profeſſorem Patavinum in 4. ſent. tract. de Pœnitentia diſp. 17.) exploditur à ceteris Doctoribus, tamquam prorsùs infundata & omnino falſa.

Quin immo Multi, teſte Suario diſp. 20. 162. Sententia oppoſita 3. parti Concluſ.
ſect. 6. n. 7. exiſtimant, peccare mortaliter eum, qui confitetur plura peccata venialia, ſi non dolet de omnibus, ſed tantùm de aliquibus; dummodo ita confiteatur, ut Sacerdos poſſit putare, omnia illa dari pro materia Abſolutionis. Probant I. à ſimili; quia eſt gravis irreverentia contra Sacramentum, ſi quis Sacerdoti conſecraturo multas hoſtias, immiſceret aliquas hordeaceas. Secundo à pari; quia redditur forma Abſolutionis falſa; ſignificat enim hominem abſolvi ab omnibus peccatis, cùm tamen non abſolvatur niſi ab aliquibus. *Probatur 1. à ſimili. 2. à pari.*

Nihilominus contraria ſententia, quæ eſt tertia pars Concluſionis, eſt vera; quam tenet Suarez ſuprà, Henriquez lib. 1. de Sacram. Pœnit. c. 26. §. 7. Fagundez lib. 2. de 2. præcepto Eccleſiæ c. 1. n. 13. & Alii, quos ſequitur Lugo diſp. 14. n. 118. Arriaga diſp. 31. n. 53. & in eam magis inclinat Dicaſtillo diſp. 6. n. 286. Probatur autem; quia, ùt ſuprà diximus, Sacramentum in hoc caſu non caret totali ſuo effectu, ſed tantùm partiali, ſcilicet remiſſione aliquorum peccatorum venialium, de quibus pœnitens non ſufficienter dolet; interim confert gratiam remiſſivam omnium peccatorum, & illa remittit, de quibus pœnitens ſufficienter dolet. *Probatur 3. pars Concluſ. Suarez. Henriquez. Fagundez. Lugo. Arriaga. Dicaſtillo.*

Sed dicet aliquis; hoc eſt quod quæritur; nam ſi peccat mortaliter, qui non dolet ſufficienter de omnibus, jam nullum effectum habebit hujuſmodi Abſolutio, ùt patet, niſi excuſetur confitens per bonam fidem. 163. *Objectio.*

Reſpondeo I. vel indè probatur, quòd dolor univerſalis de omnibus venialibus confeſſis, non ſit materia neceſſaria ad valorem Sacramenti, ſicuti dolor univerſalis de mortalibus; quia etſi bonâ fide quis confiteretur de pluribus mortalibus, cum dolore particulari, juxta noſtra principia Abſolutio omnino eſſet irrita, & nullum prorſus haberet effectum. *Solvitur 1.*

Reſp. II. non ſunt multiplicanda peccata morta- 164.

Solvitur 1. mortalia abſque neceſſitate; nulla autem eſt neceſſitas aſſerendi hìc peccatum mortale, ùt probo, ſolvendo duplicem rationem, ſuprà adductam. Et à ſecunda incipiendo; gratìs admiſsâ partiali falſitate formæ Abſolutionis, quid tum? Ergo eſt peccatum mortale, procurare hujſmodi falſitatem, negatur conſequentia; hoc enim eſt quod inquirimus, an illa partialis falſitas ſit materia gravis, & multis viris doctis videtur non eſſe; porrò in dubio, ad æſtimandam materiæ quantitatem, attendi debet æſtimatio prudentum, & ſapientum virorum judicium; nec non communis hominum inſtinctus: communiter autem homines non apprehendunt gravem malitiam in illa partiali falſitate, cùm ſæpiſſimè natum ſit fieri, ut non doleant ſufficienter de omnibus peccatis venialibus, propter nimiam fragilitatem, & proclivitatem, quæ impediunt firmum propoſitum non peccandi de cætero ſimilibus peccatis. Unde non fuit conveniens, ita inſtitui hoc Sacramentum, ut defectu doloris circa unum veniale, forma totaliter eſſet falſa.

& reſpondetur ad 2. rationem oppoſitæ ſententiæ.

Partialis falſitas formæ non videtur materia gravis.

165. Et ſanè propter hanc rationem fortè non incongruè diceretur, Confeſſarium abſolventem à peccatis venialibus, limitare ſuam Abſolutionem ad illa peccata venialia, pro quibus apponitur débita diſpoſitio, adeòque formam nequidem partialiter eſſe falſam.

Fortè in caſu propoſito forma ne quidem partialiter eſt falſa.

Si inferas: ergo pendet à voluntate Confeſſarii, quòd talis pœnitens graviter peccet. Reſp. conc. totum; nam ſi Confeſſarius nolit abſolvere ab ullo peccato, niſi abſolvat ab omnibus, & pœnitens id ſciat, indubiè peccat mortaliter, qui vel unum veniale confitetur, abſque debito dolore, etſi de aliis ſufficienter doleat; quia reddit Abſolutionem omnino nullam. Interim communiter poteſt ſupponere pœnitens, habiturum Confeſſarium eam intentionem, quæ eſt per ſe annexa huic Sacramento, id eſt, ſic abſolvendi ab omnibus peccatis venialibus, ut ſi non abſolvat ab uno, defectu debiti doloris, abſolvat tamen ab aliis ritè confeſſis. Ita docet Arriaga diſp. 31. n. 58. quem perperam videtur intellexiſſe Bonæ Spei diſp. 5. n. 85. ubì ſic lego:

Objectio ſolvitur.

166. Adde tamen, eſſe mortale, id negare aut affirmare de mortali (ſcilicet, negare commiſſum, quod commiſſum eſt; aut affirmare commiſſum, quod commiſſum non eſt) quia tunc forma Abſolutionis falſificatur, & Confeſſarii judicium in re gravi & neceſſaria pervertitur. Ita omnes Doctores communiter; cùm conſtet, unum peccatum ſinè alio, ritè confeſſo, aut omiſſo, non remitti. Verumtamen cùm Lugo hìc diſp. 14. n. 119. velit hunc eſſe formæ Abſolutionis ſenſum: *Ego te abſolvo quantum ex me eſt*: Arriaga autem diſp. 31. n. 58. *Ego te abſolvo à peccatis, pro quibus apponitur ſufficiens diſpoſitio*; non video quomodo forma Abſolutionis in hoc caſu falſificetur, & cur mortalis ſit. Hucuſque Bonæ Spei.

Bonæ Spei malè intellexit Arriagam.

Sed contrà: Arriaga oppugnat ſententiam Lugonis, & docet n. 57. longè probabilius eſſe, verba: *Ego te abſolvo*, proferri abſolutè, utì in omnibus aliis Sacramentis. Quomodo ergo vellet n. 58. hunc eſſe formę Abſolutionis ſenſum: *Ego te abſolvo à peccatis, pro quibus apponitur ſufficiens diſpoſitio?* Nam hic non minùs videtur conditionalis, ſeu reflexivus, quam ille Lugonis; *Ego te abſolvo quantum eſt ex me*.

qui d verba profe ſolut

Deinde non loquitur de omnibus peccatis, ſed de ſolis peccatis venialibus, ùt inſpicientem verba textûs non poteſt latère. Fortè Bonæ Spei non inſpexit, aut certè non perſpexit, ob impedimenta & abſentiam, quare volo gratiam dare pro gratia, & benignè eum excuſare; hoc enim à me poſtulat hic Auctor in Concluſione ſui operis dicens: Gratiam dabis pro gratia amantiſſime Lector. Primò ſi quas præter Typothetæ errores, offenderis citationes, non ſatìs ob impedimenta & abſentiam examinatas & accuratas, benignè excuſes: debui enim, etiam nolens, in variis fidem deponere penes Auctores, quos legi aut citavi. Hæc Bonæ Spei. Equidem quòd in variis depoſuerit fidem tranſeat; quòd autem debuerit nolens deponere, mihi non conſtat.

Et li de ſo catis libus

Quidquid ſit, libenter do gratiam pro gratia, non dubitans, quin ſi verba Arriagæ accuratè examinaſſet, vidiſſet locutum de ſolis peccatis venialibus, ad quæ omnia, cùm facilè in illis enarrandis aliquis error poſſit admiſceri, nec ſint materia neceſſaria, & propoſitum univerſale ea evitandi, ſit valde difficile, intentio Confeſſarii non tam expreſsè extenditur, ſicut ad omnia peccata mortalia, quæ ſunt materia neceſſaria; quamvis verbà formæ ſecundùm ſe omnia abſolutè ſignificent.

Nec valet replica; Sacerdos non poteſt determinatè ſcire, quæ ſint iſta peccata; ergo tota Abſolutio redditur nulla. Unde enim conſtat illam determinatam notitiam eſſe neceſſariam? Nonne ſi pœnitens dicat: *Si fortè habeo aliquod aliud peccatum, de illo doleo, & peto Abſolutionem*, etiam ſupra illud cadit Abſolutio, ſaltem indirectè?

Rep ſolv

Idem à fortiori contingit, quando fit Confeſſio unius tantùm peccati expreſsè, reliquorum in communi; aut quando fit Confeſſio per ſola ſigna doloris, nullo dicto peccato, ùt in periculo vitæ; & cùm homo poſt petitam Confeſſionem amittit uſum rationis, aut loquelam, in quibus duobus caſibus Confeſſarius ne unum quidem peccatum poteſt determinare.

Præterea ſi Confeſſarius audiverit mea peccata, etiamſi poſtea in fine Confeſſionis, non recordetur priorum, nec poſſit illa determinatè demonſtrare; nihilominus validè me abſolvit.

Non ceſſi Con poſſi

Digitized by Google

ſolvit. Cujus ratio à priori eſt facilis; quia cùm Chriſtus dederit facultatem Sacerdotibus abſolvendi non ab uno aut duobus, ſed à millenis & millenis peccatis; & ſæpiùs moraliter impoſſibile ſit, propter multitudinem, & varietatem peccatorum, Confeſſarium omnium diſtinctè recordari, ut poſſit ea oſtendere, non potuit ab eo requiri determinata notitia.

Cùm item, ùt paulò ante dixi, circa venialia ſit difficile propoſitum, & dolor de omnibus; non fuit expediens, ut tantùm Chriſtus requireret rigorem in prolatione & verificatione formæ Abſolutionis. Denique cùm ea Abſolutio ab illis omnibus detur per modum unius, ita ut tantùm ſit una Abſolutio, ſufficit ut in illo complexo ſint, quæ poſſint abſolutè remitti, & ratione quorum poſſit abſolutè eſſe verum, quòd hic homo abſolvatur.

Nec eſt, quòd quiſpiam nobis objiciat determinationem materiæ Conſecrationis; nam illicò reſpondebimus ipſi: Non oportet, ut Sacerdos poſſit humano modo diſcernere materiam conſecrandam, ab omni alia; adeòque ſi una hoſtia conſecrata, pluribus non conſecratis admixta ſit, poſſet eâ exceptâ, quamvis neſciat quænam ea ſit, cæteras omnes validè & licitè conſecrare. Similiter unam ſolam non conſecratam, pluribus conſecratis immixtam. Ita docuimus diſp. 4.ſect.2.concl. 10. Quidni ergo Sacerdos validè & licitè poſſit abſolvere à peccatis legitimè confeſſis, etſi humano modo non poſſit hæc diſcernere ab aliis, confeſſis illegitimè? Non eſt ulla ratio dubitandi.

Aliud foret ſi ſolùm ab uno, ex duobus ritè confeſſis, vellet abſolvere, & non determinaret hoc potiùs, quàm illud; tunc enim à neutro abſolveret; ſicuti qui ex pluribus hoſtiis triticeis, unam ſolam vellet conſecrare, nec determinaret hanc potiùs, quam illam, nullam omnino conſecraret; quia non eſt ratio, quare potiùs hanc, quàm illam.

Contrà; ex dictis videtur ſequi, nullam eſſe culpam, unum aut alterum peccatum veniale confiteri abſque debito dolore; ſicuti non eſt peccatum veniale, ex præcepto Eccleſiæ admiſcere aquam vino conſecrando, tametſi conſtaret Sacerdoti eam non convertendam in vinum ante Conſecrationem, & conſequenter, juxta probabiliorem ſententiam, neque in Sanguinem; quia videlicet Sacerdos non intendit illam aquam conſecrare.

Similiter non eſſet ullum peccatum, pinſere hoſtias conſecrandas, etſi conſtet aliquid terræ vel alterius materiæ admixtum, quod moraliter non poteſt vitari; aut eas ex conſenſu Eccleſiæ aliquibus punctulis aureis ornare; quia nimirum Sacerdos, cùm videat illam materiam non conſecrabilem, aut certè ſupponat ordinariè adeſſe, non intendit eam conſecrare. Ergo ſimiliter ſi Sacerdos ſupponat communiter defectum doloris circa unum aut alterum peccatum veniale, & ideo non vult ab illo abſolvere, liquet profectò, quòd nullum erit peccatum ſic confiteri; niſi fortè peccatum otioſitatis, quia videlicet Confeſſio illius peccati ſine dolore, caret ſuo debito fine.

Reſpondeo; quid ſi totum concederem? 172. Reſponſio.
Non video quid poſſit obſtare, niſi communis ſenſus Doctorum, qui tamen non videntur de hoc caſu locuti; ſed de illo, in quo Sacerdos ſupponit omnia peccata legitimè confeſſa, & vult ab omnibus nullo excepto abſolvere; ſicuti qui habet plures hoſtias, ante ſe poſitas ad conſecrandum, quarum aliquæ hordeaceæ ſunt, & vult abſolutè omnes conſecrare; quia nullam habet rationem ſuſpicandi, aliquas non eſſe conſecrabiles.

Et tunc urget prima ratio Adverſariorum, ſuperiùs adducta; nimirum eſt gravis irreverentia, Sacerdoti conſecraturo multas hoſtias, proponere aliquas hordeaceas, dum putat omnes eſſe triticeas, & ideo omnes abſolutè vult conſecrare; ergo à ſimili, eſt gravis irreverentia, illegitimè confiteri aliqua peccata, dum Sacerdos putat omnia legitimè confeſſa, & ideo ab omnibus abſolutè vult abſolvere.

Nihilominus negatur Conſequentia; quamvis non parva ſit difficultas, in aſſignanda vera ratione diſparitatis. Suarez diſp. 22. ſect. 10. n. 8. Eſt, inquit, advertenda differentia inter formam Euchariſtiæ, & hujus Sacramenti: nam illa per ſe primò reſpicit materiam, & illam deſignat, & effectum circa illam ſignificat: unde quacumque ratione ſupponatur materia falſa, & falſificatur forma, & ſubſtantialis effectus impeditur: forma vero hujus Sacramenti, per ſe primò ſignificat perſonam, & effectum circa illam, ùt patet ex illis verbis: *Ego te abſolvo*; & principaliter ſignificat effectum gratiæ remiſſivæ peccati, qui non impeditur, etiamſi aliquod peccatum veniale remiſſibile non ſit, ex falſitate, vel indiſpoſitione pœnitentis; ergo non obſtante illo defectu, poteſt forma eſſe vera, & remittere omnia mortalia. Quod ſatis eſt, ut homo ſimpliciter abſolvi dicatur: ſicuti dicitur ſimpliciter juſtus, qui habet gratiam, etiamſi habeat venialia peccata. Hæc ille.

173. Differentia inter formam Euchariſtiæ, & hujus Sacramenti ex Suario.

Et declarat à ſimili: Nam ſi quis, inquit, in conficiendo Baptiſmate, miſceret aquæ naturali guttam aquæ roſaceæ, quæ eſt falſa materia, nihilominus conficeret verum Sacramentum, & formam in vero ſenſu proferret. Unde per ſe loquendo non peccaret mortaliter ſi abſque errore vel intentione falſi ritûs, indiſcretâ devotione id faceret; ergo ſimiliter in præſenti. Huculque Suarius.

quæ declaratur à ſimili.

Sed neque hoc ſimile, neque illa diſparitas 174.
placent Dicaſtilloni. Non ſimile, quia vel eſt Reſponſio.

eadem

Dicaſtill. ad ſimile. eadem difficultas, ſi miniſter intendat cum illa aqua roſacea baptizare; vel adhuc diſparitas eſt, quòd in caſu Baptiſmi ablutio, quæ ſimul fit cum vera aqua, ratione illius eſt ſufficiens ſignificare, & ſignificat plenam & veram omnium peccatorum ablutionem; remiſſio verò, quæ non per ſola verba, quæ tantùm ſunt forma, ſed etiam per materiam, ſcilicet per Confeſſionem peccatorum, per modum unius completi ſigni ſignificari debet, non eſt integrè vera ſignificatio remiſſionis peccatorum, ſed tantùm peccatorum verorum cum dolore; illius verò, de quo agimus, falſa ſignificatio eſt, atque adeo non eſt plenè tota vera Sacramentalis remiſſio, ſed ex parte apparens & falſa, cùm tamen ablutio, ſi adſit vera aqua, ſit æquè plena ablutio & Sacramentum, atque ſi non fuiſſet admixta roſacea. Ita hic Auctor diſp. 6. n. 268.

Reſponſio ejuſdem Auctoris ad differentiam. Similiter reſpondet ad diſparitatem ibidem n. 273. Forma Abſolutionis per ſe primò ſignificat perſonam non utcumque, ſed ùt abſolvendam; & non à quocumque vinculo, ſed peccatorum, & (directè) non quorumcumque, ſed illorum quæ dixit, & æquè de omnibus, & ſicut non intelligitur, aut verificatur de ea perſona talis propoſitio dicta in iis circumſtantiis, etiamſi abſolvatur ab aliis vinculis, quæ non ſunt peccata, ita ſub iiſdem circumſtantiis non verificabitur plenè ſi abſolvatur ab aliquibus, & non ab omnibus; ſemper ergo erit ex ea parte falſa propoſitio. Hæc ille.

175. Contrà arguitur. Contrà, dicet aliquis; hoc eſt quod quæritur, an talis propoſitio dicta in iis circumſtantiis ſignificet omnia peccata confeſſa, an verò ſola peccata confeſſa cum vero dolore, cùm & dolor ſit materia, aut quaſi materia, & peccata confeſſa ſinè dolore, non ſint materia Abſolutionis. Veluti forma Baptiſmi: *Ego te baptizo* &c. non ſignificat niſi ablutionem cum aqua naturali, & ideo tota vera eſt, etſi aquæ naturali immixta ſit gutta aquæ roſaceæ. Conſimiliter licèt vino conſecrando ſit immixtus aliquis alius liquor, equidem tota forma Conſecrationis vera eſt, quia ly *hic* non ſignificat niſi ſpecies vini.

176. Cur ſit peccatum conſecrare vinum mixtum alio liquore. Quæris, cur ergo ſit peccatum conſecrare vinum mixtum alio liquore, aut baptizare aquâ naturali, mixtâ aquâ roſaceâ? Reſpondetur; quia talis Baptiſmus eſt contra uſum Eccleſiæ, ſimiliter Conſecratio. Et particulare eſt in Conſecratione; quòd tali caſu res non conſecrata tangat Corpus & Sanguinem Chriſti, quod non poteſt ſinè cauſa fieri abſque irreverentia.

Objectio ſolvitur. Si inferas; ergo nullum erit peccatum confiteri aliqua peccata abſque dolore, etſi Confeſſarius putet omnia legitimè confeſſa. Reſpondetur, ex parte falſitatis formæ nullum eſſe. Interim eſt contra uſum Eccleſiæ, & aliqualis deceptio Confeſſarii, & actus otioſus per ſe loquendo, & ex hac parte poteſt eſſe peccatum, quamvis non mortale, quia non in re gravi.

1 An ... tale alia ... Ergo neque erit peccatum mortale inter alias hoſtias conſecrandas apponere aliquam hordeaceam. Reſpondetur; ex parte falſitatis formæ, conceditur totum, niſi Sacerdos expreſsè vellet ſingulas hoſtias conſecrare, quæcumque aut qualeſcumque tandem ſint. Sed illa intentio non debet præſumi; ſed è contrario intentio conſecrandi totum illud, quod conſecrabile eſt.

Ceteroquin poterit eſſe peccatum mortale propter periculum idololatriæ materialis, & ſumptionis hoſtiæ non conſecratæ loco conſecratæ; vel quia miſcetur non conſecratum conſecrato; vel quatenus infringitur ritus Eccleſiæ. Omnes enim in hac poſitione ſeu mixtione materiæ non conſecrabilis, apprehendunt gravem malitiam, quam plurimi non apprehendunt in Confeſſione peccati venialis abſque debito dolore; idque quia in Euchariſtia omnis materia æqualiter eſt gravis; cùm in qualibet hoſtia, & parte hoſtiæ, ſit verum Sacramentum, totus utique Chriſtus; in Confeſſione verò peccatum veniale cenſetur materia levis, quia leviter faciens ad judicium; adeòque levis defectus, qui in illa materia committitur, dummodo adſit alia materia ſufficiens pro valore Sacramenti.

1? Sed iſta ratio, inquit Bonæ Spei diſp. 5. n. 84 non placet; ſiquidem non probat, omnem non materiam eſſe gravem, quia omnis materia eſt gravis; non enim ſequitur: Omne peccatum mortale eſt grave; ergo omne non peccatum eſt grave. Omnis gigas eſt magnus; ergo omnis non gigas eſt magnus. Deinde per hoc, quòd quælibet materia ſub una Conſecratione ſit Sacramentum, non probat, quòd quælibet non materia ſub una Conſecratione ſit grave ſacrilegium; quia equidem quælibet materia ſub una Conſecratione tam ſit Sacramentum Euchariſtiæ, quàm omnis materia Sacramenti Pœnitentiæ cum ceteris ſub una Abſolutione fiat Sacramentum; ſicut igitur hæc, hoc non obſtante, ita ſit Sacramentum, ut ratione alicujus non materiæ fiat ſolùm leve ſacrilegium, ita & quælibet iſta materia. Hæc ille, ſatis obſcurè. Sed nunquid verè?

17 Reſpondeo; bene ſequitur: In Euchariſtia omnis vera materia eſt gravis æqualiter; ergo omnis defectus in vera materia Euchariſtiæ eſt gravis, ſive, ergo omnis falſa ſeu ficta materia Euchariſtiæ eſt gravis. Sicuti bene ſequitur: Omne peccatum mortale verum, eſt gravis materia Sacramenti Pœnitentiæ; ergo omnis defectus in illa materia eſt gravis, ſive; ergo omne peccatum mortale fictum eſt gravis materia. Et verò, quia non omne peccatum veniale verum, eſt materia grauis in Sacramento Pœnitentiæ, ideo neque omnis defe-

defectus in illa materia eſt gravis; vel, quod in idem recidit, ideo neque omne peccatum veniale fictum eſt materia gravis.

Deinde falſum eſt, quòd quælibet materia ſub una Conſecratione, tam fiat Sacramentum Euchariſtiæ, quàm omnis materia Sacramenti Pœnitentiæ cum ceteris ſub una Abſolutione fiat Sacramentum Pœnitentiæ, nam in Sacramento Pœnitentiæ tantùm eſt unica forma, & unicum conficitur Sacramentum; in Euchariſtia verò tot ſunt Sacramenta, quot ſunt hoſtiæ diſtinctæ; & licèt forma videatur, & ſit formaliter una; virtute tamen cenſetur multiplex. Unde ſi in unaquaque hoſtia non verificaretur, fieret irritum integrum aliquod Sacramentum.

Ib. Sed contrà; etiam forma Pœnitentiæ virtualiter multiplicatur; nam ſingula peccata venialia poſſent eſſe materia ſufficiens ſingularum Abſolutionum, cùm poſſit unum peccatum veniale remitti ſinè alio.

Reſpondeo; poteſt omnino remitti, equidem quando ſimul plura peccata venialia abſolvuntur, nullus dicit ibi eſſe plura Sacramenta; nam licèt ſint plures remiſſiones, nihilominus una eſt & eadem gratia remiſſiva; neque enim quia unum, vel plura confitetur peccata, ideo quis accipit majorem gratiam.

Caſus ergo ſimilis eſſet, ſi duo ſimul confiterentur, & unus eſſet omnino indiſpoſitus; quippe tunc indiſpoſitus peccaret mortaliter, quamvis adhuc forma haberet ſuum effectum reſpectu alterius; quia nimirum in tali caſu plura conficiuntur Sacramenta Pœnitentiæ, & unum Sacramentum totaliter fruſtratur ſuo effectu.

Sicuti ſi Epiſcopus conſecrans diceret pluribus, ***Accipite poteſtatem*** &c. tametſi forma diceretur omnibus ſimul, fieret tamen multiplex Sacramentum, & ipſa forma eſſet virtualiter multiplex, ac ſi diceret; *Accipe tu, &, Accipe tu*; ideòque non minùs peccaret, qui inter ipſos incapax foret Sacramenti, ac ſi ſolus ordinaretur.

181. Cæterùm quæ peccati venialis, eadem videtur ratio peccati mortalis, priùs directè remiſſi per aliam Abſolutionem. Item quæ venialis peccati non doloroſi, eadem apparet ratio peccati venialis ficti; cum hac tamen differentia, quòd peccatum veniale fictum ſit mendacium.

Neque puto eſſe peccatum mortale (quidquid Aliqui dixerint) falsò ſe accuſare de peccato mortali, tamquam ſemel directè remiſſo per Abſolutionem ſacramentalem; quamvis enim notabiliter varietur judicium Confeſſarii in ordine ad conceptum & æſtimationem de conſcientia pœnitentis, quod attinet ad culpam præteritam; attamen cùm illud judicium non pertineat ad Sacramentum præſens, & pœnitens ſæpiùs poſſit ſinè gravi peccato ſeipſum infamare, etiam de falſo crimine, ſi adſit juſta cauſa, non video quare hoc ſemper ſit peccatum mortale.

Secùs dicendum de illo, qui fictè confitetur peccatum mortale, ùt nunquam remiſſum; nam decipit judicem in re gravi & neceſſaria ad præſens judicium, eo modo quo deciperet per negationem criminis veri, neque minor datur occaſio variandi judicium ſacramentale, de quo infrà adhuc redibit occaſio loquendi. 182.

Peccat mortaliter, qui fictè confitetur peccatum mortale, ut nunquam remiſſum.

Hoc tantùm impræſentiarum noto, raro contingere, ut quis ſe accuſet de peccato mortali ficto; ſæpè autem fieri poſſe, ut quis confiteatur peccatum veniale, quod non fecit, aut certè quod fecit, cum indebito dolore; idque, ùt ſuprà inſinuavi, defectu propoſiti de cætero non peccandi, quod tamen propoſitum neceſſarium eſt, ùt nunc ampliùs declaro, & erit

CONCLUSIO VIII.

Ad efficaciam doloris requiritur propoſitum emendationis, extendens ſe ad omnia mortalia in particulari ſi proponerentur. Sufficiet propoſitum virtuale.

INcipio ab ultima parte, cui non immoror; quia eam longè & latè diſcuſſi diſp. 6. ſect. 2. concl. 2. Tantùm quæro, an poſſit quis ſecurâ conſcientiâ omittere voluntariè propoſitum explicitum ſeu formale, diſtinctum ab actu deteſtationis ſeu diſplicentiæ. Reſpondent plurimi negativè; quia ſaltem eſt de præcepto divino. Deinde; quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis. 183.

An quis voluntariè poſſit omittere formale propoſitum emendationis.

Sed ſi verum eſt, quòd in Sacramentis liceat materia probabilis (ubi non obſtat lex Eccleſiæ, vel charitatis, aut juſtitiæ) de quo egimus diſp. 1. ſect. 7. concl. ultimâ, cur hoc non liceat? Intelligo extra articulum mortis. Nam in articulo mortis ob damnum irreparabile, quod ſequi poſſet, non liceret ſequi ſententiam probabilem, quæ non tolleret talis damni periculum.

Deinde, propoſitum formale non aliter eſt de præcepto divino, quàm quatenus eſt neceſſarium ad ſubſtantiam Sacramenti, aut juſtificationem; ſimili modo, quo formalis dolor eſt de præcepto divino. Et quamvis ex Concilio Tridentino ſatis conſtet, ad ſubſtantiam Sacramenti neceſſarium eſſe formalem dolorem, ùt videre poteris concl. 1. equidem ſimilis neceſſitas formalis propoſiti emendationis nec ex hoc, nec ex aliis Conciliis evidenter probatur.

Neceſſitas propoſiti formalis non probatur evidenter ex Conciliis.

Quapropter ſi pœnitens, qui ſibi ipſi quodammodo miniſtrat materiam hujus Sacramenti, poſſet extra articulum mortis adhibere dolorem, qui aliundè, puta ex motivo ſuo, probabiliter tantùm ſufficeret ad ſubſtantiam & effectum Sacramenti; non video cur pari ratione non poſſet omittere voluntariè propoſitum explicitum ſeu formale, diſtinctum ab actu deteſtationis. Nihilominus contrarium in praxi ſuadendum; quia via tutior, quam convenit eligere, niſi aliquid obſtet.

184. Cur non ſufficiat propoſitum formale abſque dolore formali.

Non gravetur Lector, ſi adhuc unam propoſuero quæſtionem. Si dolor formalis, abſque propoſito formali, ſufficit ad valorem & effectum Sacramenti, cur non etiam propoſitum formale abſque dolore formali? Sicut enim dolor & deteſtatio ex efficaci & univerſali odio peccati & offenſæ divinæ, includit virtualiter propoſitum circa futura; ſic etiam propoſitum non peccandi ex ſimili odio, implicitè continet deteſtationem peccati præteriti. Unde qui diligit Deum propter ſe ſuper omnia actu efficaci, & ex hoc motivo proponit firmiſſimè, cuſtodire ejus mandata, eo ipſo dicitur communiter habere Contritionem virtualem; quia in eo actu continetur implicitè deteſtatio peccati præteriti, licèt homo non recordetur, nec putet ſe peccaſſe. Cur ergo talis actus non ſufficiat?

Ratio à priori voluntas Chriſti.

Reſpondeo ùt ſuprà Concluſ. 1. ſtat pro ratione à priori voluntas Chriſti, de qua conſtat ex Conciliis Florentino & Tridentino.

185. Ratio congruentiæ.

Ratio congruentiæ eſt; quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur Confeſſio peccati præteriti; illa autem moraliter nequit eſſe abſque formali deteſtatione; neque enim eſt nuda narratio peccatorum, ſed cum ordine ad Abſolutionem ſeu remiſſionem; voluntas autem Abſolutionis ſupponit formalem deteſtationem ſeu odium, ùt clarum eſt; ideo quippe pœnitens petit Abſolutionem à peccato præterito, quia illud ſibi diſplicet.

Aliunde autem ad Sacramentum Pœnitentiæ non eſt neceſſaria memoria peccati futuri; adeòque ſæpiùs contingit, ut pœnitens ita occupetur circa deteſtationem peccati præteriti, ut nulla animum ſubeat cogitatio peccati futuri, ac proindè frequens foret periculum invaliditatis, ſi expreſſum propoſitum non peccandi de cætero eſſet neceſſarium.

Potiùs ex deteſtatione oritur propoſitum, quàm è converſo.

Accedit, naturaliſſimum eſſe, ut potiùs ex vitæ præteritæ deteſtatione oriatur propoſitum in futurum, quàm vice versâ ex propoſito deteſtatio. Quin immo propoſitum poſſet eſſe in eo, qui nunquam peccavit; quo caſu non haberet ita propriè rationem Pœnitentiæ aut Contritionis, tametſi ex timore Dei, aut metu inferni conciperetur.

Interim notat Hiquæus in ſuo Comment. 4. diſt. 17. q. unicâ n. 69. Si præmiſerit quis examen ſuæ conſcientiæ, & orationem, quâ impetraret à Deo gratiam compunctionis & veræ Pœnitentiæ, modò ſentiat in ſe ipſo propoſitum firmum evitandi peccati, cum confidentia in Dei adjutorio ac meritis Chriſti, non in ſeipſo, argumentum erit à poſteriori quietandi animum, & ſe feciſſe veram Pœnitentiam; quia tale propoſitum oritur ex Pœnitentia tali tanquam cauſa, ſive Attritio ſit, ſive Contritio. Hæc ille.

Meritò igitur Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. docet, *Contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere*, præſertim cùm poſſit eſſe tale aliquod propoſitum, ut neque in virtute illius, neque formaliter ſimul cum illo ſit deteſtatio peccati præteriti, quin potiùs complacentia, quod propoſitum indubiè non ſufficit, contra hæreticos contrarium dogmatizantes, quos ibi damnat Concilium.

Quapropter, ut ad primam partem Concluſionis accedamus, certum eſt apud omnes Catholicos ad efficaciam doloris requiri propoſitum emendationis formale vel virtuale, non tale, quale Hæretici ſomniant, quod poteſt conſiſtere cum actuali complacentia in peccato præterito; ſed tale, quod poſitivè excludat voluntatem peccandi. Pro quo

Nota, efficaciam doloris poſſe conſiderari partim circa peccatum præteritum, partim circa futurum. Et quidem, cùm ad præteritum non detur potentia, ſtultus foret, qui abſolutè vellet facere, quòd non peccaſſet. Nam veriſſimè dixit D. Hieronymus Epiſt. 22. quæ eſt ad Euſtochium: *Cùm omnia poſſit Deus: ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam*, id eſt, Deus non poteſt facere, ut qui ſemel amiſit integritatem carnis, nunquam eam amiſerit. Hinc Philoſophus 6. Ethic. 2. approbat dictum Agathonis: *Hoc etiam ipſe Deus, ſoloq; carere videtur. Infectum ut faciat, quod factum eſt atque peractum.*

Et ratio eſt, inquit Scotus 4. diſtinct. 1. q. 6. n. 5 *quia nulla factio poteſt eſſe non entis, de aliquo non ente; quia maximè extendendo factionem, qualibet eſt vel entis de non ente, vel non entis, de ente, ſicut in annihilatione, vel entis de ente; præteritum autem non eſt ens: & ipſum non præteriiſſe eſt aliud non ens; ergo non poteſt ex præterito fieri, quòd non ſit præteritum.*

Sufficit ergo ad efficaciam doloris circa præteritum, talis diſplicentia, vel deteſtatio, quâ peccator ſic abominatur, peccatum, ut ſi res eſſet integra, faceret, peccatum tale vel tale non eſſe commiſſum, ſeu non fuiſſe committendum; & hic effectus explicatur per

has,

has, aut ſimiles propoſitiones : *Vellem non peccaſſe* ; *Vtinam non peccaſſem* ; *Heu mihi* ; *Diſplicet mihi* ; *Pænitet me* , *quòd Deum offenderim.* Eliciturque aliquando per modum fugæ , & averſionis à peccato ; aliquando per modum proſecutionis , quæ habet pro objecto non peccaſſe ; eſtque indifferens utrovis modo eliciatur; quamvis frequenter unus alterum concomitetur , & ex proſecutione naſcatur fuga. Ita Herincx diſp. 2. n. 21.

Porrò efficacia circa futurum , ipſa eſt abſoluta voluntas de cætero ſervandi mandata, & Deum non offendendi mortaliter. De hac voluntate , præter alibi dicta , quæ non judico repetenda , ſpecialis hìc movetur controverſia , an ſufficiat propoſitum generale cavendi peccata. Hiquæus ſuprà n. 70. reſpondet , ſi illud propoſitum ſit abſolutum & perfectum , ita ut ſecundùm affectum includat formaliter aut virtualiter propoſitum particulare , maximè circa peccata confeſſa, ſufficere.

Sed quid ſi propoſitum ſit confuſum & in genere , ita ut ex efficacia ſua non determinet voluntatem ad propoſitum particulare deſerendi hoc aut illud peccatum in ſpecie , tametſi ei applicetur per cogitationem ?

Reſpondent Quidam , inquit Hiquæus ſuprà, ſufficere tale propoſitum, neque debere Confeſſorem in ſpecie interrogare pœnitentem, an habeat propoſitum deſerendi hoc peccatum confeſſum, aut non committendi illud de cætero , ſi viderit periculum eſſe , ne ille complaceat magis in peccato , & dicat ſe non habere propoſitum , quia alioquin hoc eſſet tentare pœnitentem.

Hanc ſententiam (proſequitur dictus Auctor) audio à Quibuſdam practicari , neſcio certè, quibus Auctoribus, aut quo fundamento. Fortè occaſionem hujus praxis deſumpſerunt ex Sanchez lib. 3. Sum. cap. 7. n. 9. qui agens de reo, qui illegitimè negavit coram judice veritatem , dicit : Cautè ſe debet habere Confeſſarius circa hoc propoſitum reorum fatendæ veritatis , ſi iterum rogentur. Si enim credat fore ut iterum non rogentur, nil debet rogare de tali propoſito, ne pœnitentes tentet , & exponat periculo denuò peccandi, habendo propoſitum contrarium , cùm ſit difficillimum negotium fateri proprium crimen. Sed ſatis eſt , ut in genere proponant cavere impoſterum peccata.

Immo ſi credat fore , ut iterum rogentur, nec conjiciat Confeſſarius in pœnitente animum negandæ veritatis , non debet etiam ipſum tentare , interrogando de hac re ; cùm tunc non ſit in peccato mortali , id enim jam tranſiit. Et ſatis eſt in genere proponere emendam. Et quamvis prima opinio vera eſſet (puta, quòd ultrà debeat ſe offerre ad fatendam veritatem) ſi pœnitens ſit in bona fide, debet Confeſſarius non certiorem illum facere de hac obligatione , utpote quæ difficillima eſt , & ratò acquieſcet. Hactenus Sanchez.

190. Quidquid ſit de obligatione fatendæ veritatis ; quantum ſpectat ad propoſitum emendationis , exiſtimat Hiquæus ſuprà nu. 71. hanc ſententiam nec veram, nec tutam eſſe, neque ullo modo trahendam in praxim. Et nu. 78. cenſet illam doctrinam erroneam in in fide, & pernicioſam Eccleſiæ , & populo, & Reipublicæ , & ſaluti animarum ; ac proinde dignam , quæ auctoritate Prælatorum exſcinderetur ; alioquin , inquit , nullus eſt in mundo adeò perverſus Chriſtianus , quin ſic poſſet confiteri , & ſumere Sacramenta quotidie ; quod nihil aliud eſt ; quàm ea proſtituere & profanare , & favere improbitati. *Contrarium cenſet Hiquæus dicens, doctrinam illam eſſe erroneam in fide.*

Sed quæ ratio hujus cenſuræ ? De fide eſt, inquit præfatus Auctor nu. 71. odium veteris vitæ , & inchoationem novæ , requiri ad fructuoſam Pœnitentiam ; ſed neque talis habet odium vitæ prioris , neque inchoationem novæ ; neque dolet , neque emendatur de tali peccato ullo modo ſecundùm propoſitum abſolutum voluntatis : ergo &c. Minor , de qua ſola poteſt eſſe quæſtio , probatur ; quià nullus efficaciter dolet de peccato commiſſo, aut proponit emendam , aut vitam novam, qui affectu manet converſus ad peccatum ; ſed quicumque ita diſpoſitus eſt, ut in particulari interrogatus à Sacerdote , reſpondeat ſe non velle deſerere tale peccatum , verè ſecundùm affectum nec dolet de peccato , neque proponit emendam & vitam novam ; quæ neceſſariò requiruntur , ſaltem quoad affectum ſeu intentionem & propoſitum abſolutum: ergo is non verè pœnitet , ſed fictè tantùm & verbaliter. *Ratio hujus cenſuræ.*

191. Hæc ergo ſit probatio primæ partis noſtræ Concluſionis : licèt enim non requiratur propoſitum emendationis , actu ſe extendens ad ſingula peccata mortalia in particulari; nam neque talis dolor requiritur , ùt conſtat ex dictis diſput. 6. ſect. 2. concl. 6. equidem neceſſarium eſt tale propoſitum univerſale ſive in genere , quod virtualiter ſe extendat ad ſingula in particulari , prout ſimilis dolor neceſſarius eſt. Iam autem nullus actus voluntatis virtualiter extenditur ad aliquod objectum , qui non eſt natus inducere determinatè ſimilem actum circa illud objectum, vel certè ex efficacia ſua excludere actum contrarium. *Probatur 1a pars Concl.*

Sicut, inquit Scotus 4. diſt. 15. q. 1. n. 10. in fine, *non eſt neceſſe , intellectum ſimul conſiderare hoc peccatum & illud , & ita non eſt neceſſe, voluntatem ſimul pænitere* (id eſt dolere) *de hoc &* *illo*

Digitized by Google

illo …… ſed tamen dum conſiderat unum, & pœnitet de illo, ſaltem habitualiter, ſatisfacit de alio, hoc eſt, animo promptus eſt ſi cogitaret aliud, ad ſatisfaciendum de alio. Porrò quæ doloris, eadem eſt ratio propoſiti, cùm ipſe dolor ſit propoſitum virtuale.

Sicut ergo non ſufficeret dolor, qui ita verſaretur circa unum peccatum mortale, ut ſi pœnitens interrogaretur de alio, reſponderet ſe non dolere; pari quoque ratione non ſufficeret propoſitum, quod ita verſaretur circa unum peccatum mortale, aut circa omnia in genere, ut ſi pœnitens interrogaretur de alio, aut de aliquo in particulari, reſponderet ſe non proponere emendationem.

192. Objectio ex Conc. Trid.

Dices; Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. docet ſufficere Attritionem, *ſi voluntatem peccandi excludat*, id eſt, ſi non habeat actualem complacentiam in peccato præterito, ſeu voluntatem actualem peccandi de cætero.

Reſponſio.

Reſpondetur; illa expoſitio videtur eſſe contra ipſum Tridentinum eodem cap. ibi: *Declarat igitur ſancta Synodus hanc Contritionem, non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere.* Ubì expreſsè diſtinguit inter ceſſationem à peccato, id eſt, carentiam actualis propoſiti de cætero peccandi, & vitæ novæ propoſitum, id eſt, poſitivam aliquam voluntatem non peccandi de cætero.

Trident. requirit poſitivam excluſionem voluntatis peccandi.

Itaque excluſionem, de qua infrà agit, intelligit non tantùm negativè, ſed etiam poſitivè. Ergo ad veram Attritionem requiritur non ſolùm carentia actualis voluntatis peccandi, ſed ad minus etiam abſentia voluntatis habitualis, juxta dicta diſp. 6. ſect. 2. concl. 2. n. 84. id eſt, requiritur talis diſpoſitio ſeu conſtitutio voluntatis, ut pœnitens interrogatus, ut, inquam, vi talis diſpoſitionis, ſeu ſtante præſenti animæ conſtitutione reſponderet, ſe nolle ampliùs Deum mortaliter offendere.

193. Saltem requiritur libera carentia voluntatis peccandi.

Atque ut talis diſpoſitio non requireretur, ſed ſufficeret dolere de peccato commiſſo, & carere actuali propoſito peccandi de cætero, ſaltem hæc ipſa carentia requiritur humano modo per liberam ſuſpenſionem voluntatis peccandi de cætero; ſed quicumque eſt ita diſpoſitus, ut interrogatus de hoc vel illo peccato in particulari, reſponderet, ſe velle ampliùs peccare; tantùm excludit ſeu potiùs caret voluntate peccandi ex inadvertentia, non verò liberè & ex deliberatione; ergo &c.

Quæ ſit falſa Pœnitentia ex Innoc. 2. In Conc. Rom. cap. 22.

Hinc rectè Innocentius Papa II. in Concilio Roman. c. 22. & refertur de Pœnitentia diſt. 5. c. 8. *Fratres noſtros Epiſcopos & Presbyteros admonemus, ne falſis Pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem Pœnitentiam eſſe conſtat cùm ſpretis pluribus de uno ſolo Pœnitentia agitur, aut cùm ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio*: ſicut reverà non diſceditur, dum pœnitens interrogatus reſpondet, ſe velle adhuc peccare tali aut tali peccato. Addit Innocentius: *Falſa etiam fit Pœnitentia, cùm pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nullâ ratione prævalet.*

Quæro igitur; teneretur Confeſſarius interrogare pœnitentem, an velit relinquere occaſionem proximam peccati, quando videt, quòd interrogatus reſponderet, ſe nolle relinquere, etſi hic & nunc nihil cogitet de illa occaſione? Putas quòd poſſet talem tutâ conſcientiâ abſolvere? Exiſtimas, quòd poſſet abſolvere uſurarium non obligando, aut interrogando eum, an velit reſtituere, ſi prævideat ipſum eſſe in tali diſpoſitione, ut reſponderet, ſe non velle reſtituere, quamvis hic & nunc careat poſitivâ voluntate non reſtituendi? Quare ergo ſimiliter, tenendo reum debere dicere veritatem, quare, inquam, Confeſſarius, qui credit fore, ut iterum rogetur, & videt in pœnitente animum negandæ veritatis, id eſt, talem diſpoſitionem ſeu conſtitutionem animæ, ut pœnitens interrogatus, non obſtante propoſito generali, reſponderet, ſe nolle dicere veritatem; cur quæſo non deberet tali caſu Confeſſarius eum interrogare de hac re, & obligare ut reſpondeat veritatem?

Si dixeris; quia exponitur periculo denuò peccandi, habendo actualem voluntatem negandi, cùm difficillimum ſit negotium fatendi proprium crimen. Reſpondeo; etiam difficillimum eſt uſurario reſtituere, & homini lubrico deſerere proximam occaſionem peccandi. Et tamen hi admonendi ſunt & obligandi; alioquin non abſolvendi, ſi taliter ſint diſpoſiti, ut admoniti nollent reſtituere, aut deſerere proximam occaſionem.

Sed contrà; Alexander III. extra de Pœnit. & Remiſſ. c. 5. ſcribit in hæc verba Beluacen. Epiſcopo: *Quod quidam ad Confeſſionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, ſe tamen aſſerunt abſtinere non poſſe. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd eorum Confeſſionem recipere debes, & eis de criminibus conſilium exhibere.* Ergo multò magìs recipienda eſt Confeſſio eorum, qui carent actuali voluntate peccandi, etſi, juxta jam dicta, ita diſpoſiti ſint, ut interrogati reſponderent, ſe velle peccare.

Reſpondeo; planè recipienda eſt, ſed non ad Abſolutionem. Ad quid ergo? Ad Conſilium, non enim dicit Pontifex: *Recipere debes, & eis de criminibus Abſolutionem exhibere,* ſed, *Conſilium exhibere.* Unde continuò ſubjungitur: *Quia licèt non ſit vera hujuſmodi Pœnitentia*, id eſt, fructuoſa ſeu ſufficiens ad fructum Abſolutionis, *admittenda eſt tamen eorum Confeſſio, & crebris & ſalutaribus monitis Pœnitentia indicenda.* Id eſt, ad veram Pœnitentiam, ſeu verum dolorem, cum propoſito non peccandi de cætero inducendi.

Arguis

196. Arguis rurſùs: ſi conjuges v. g. ſint in bona fide, neque timetur aliquod inconveniens ex ſilentio impedimenti occulti; ſed contrà gravia prævidentur incommoda ex revelatione, tunc Confeſſarius rectè, & ſecundùm Charitatem, licèt optimè noverit nullitatem Matrimonii, permittit conjuges in bona illa fide, ne fortè qui jam ſolùm peccant materialiter, poſtea peccent formaliter. Ergo ſimiliter in caſu propoſito, ſi reus ſit in bona fide, non debet illum certiorem facere de obligatione fatendæ veritatis: & conſequenter, ſi pœnitens proponat generalem emendam, non oportet Confeſſarium interrogare de propoſito circa aliquod peccatum particulare; ſed poteſt eum abſolvere, tametſi prævideat, quòd ſi interrogaretur, reſponderet, ſe velle ampliùs peccare iſto peccato.

Reſpondet Hiquæus ſuprà n. 77. Si reus confitetur negationem veritatis ùt peccatum, ſcit & ſcivit eſſe peccatum; non poteſt ergo prætendi bona fides. Si autem confiteretur ſe negaſſe veritatem pro ſecuritate conſcientiæ ſuæ, ùt, quia dubitat ſi fuerit mentitus, quamvis ſe putet non teneri ad veritatem dicendam, licèt Confeſſarius teneat ſententiam oppoſitam, non debet tunc deſtruere bonam fidem ejus, ſi ſit ſaltem fundata. Hæc ille, credens Sanchium nihil aliud intendiſſe, quamvis ſatìs confusè loquatur.

197. Sed, ſalvo meliori, Sanchez non agit de illo reo, qui bonâ fide negavit veritatem; ſed qui, poſtquam malâ fide negavit veritatem, bonâ fide putat, ſe non teneri ultrò fateri veritatem; ſed ſufficere, ſi iterum rogatus fateatur; & indubiè talis relinquendus eſt in bona fide, tametſi Confeſſarius foret in contraria opinione.

Deinde dico; doctrinam Sanchez, intellectam de illo, qui malâ fide negavit veritatem, eſſe conformem praxi communi; neque enim ſolent Confeſſarii rogare pœnitentes de propoſito emendationis, niſi in generali, an doleant de peccatis confeſſis, & proponant ſeriam emendationem; excipe, ſi conjiciat Confeſſarius animum contrarium circa aliquod peccatum particulare, quem caſum etiam Sanchez excepit dicens: *Nec conjiciat Confeſſarius in pœnitente animum negandæ veritatis.*

Cæteroquin communiter præſumimus pœnitentes, qui generaliter proponunt emendationem, ita eſſe diſpoſitos, ut ſi in particulari peccata eis proponerentur, & interrogarentur, reſponderent, ſe ampliùs nolle peccare Si tamen taliter diſpoſiti non forent, dico, propoſitum generale non peccandi de cetero nequaquam tunc ſufficere ad effectum Sacramenti; quia inefficax, id eſt, ineptum inducere ad propoſitum ſingulare. Interim, ſicut jam jam dixi, communiter præſumimus, taliter eſſe diſpoſitos.

Et ideo meritò Confeſſarii per ſe ſeu regulariter abſtinent ab illa ſingulari interrogatione; prælertim quia qui hodie proponit non ampliùs fornicari ſive ex motivo offenſæ divinæ, ſive turpitudinis peccati, craſtinâ die interrogatus, & jam vivaciùs apprehendens præteritam delectationem, & ſatis tenuiter offenſam divinam, aut turpitudinem peccati, facilè reſponderet, mutato propoſito, ſe denuò velle fornicari. Cùmque non ſit neceſſarium propoſitum actuale tempore Confeſſionis aut Abſolutionis; ſed ſufficiat propoſitum virtuale, ſeu potiùs habituale; niſi moraliter conſtet de contrario, non judico extorquendum à pœnitentibus novum propoſitum, maximè circa ſingularia peccata, à quibus homines difficulter abſtinent, ne exponantur periculo denuò peccandi, habendo propoſitum contrarium. 198. Confeſſarii per ſe loquendo non tenentur ſingulariter interrogare.

Audiamus Doctorem Seraphicum 4. diſt. 16. a. 2. q. 1. *Dicendum, quòd in caſu, in quo oportet præeligere vel conſentire in peccatum ſive complacentiam peccati, vel tolerantiam pœnæ; quilibet tenetur præeligere, ſive magis eligere pœnam, quàm velle peccare vel peccaſſe. Præter caſum neceſſitatis dico, quòd præeligere omnem pœnam eſt perfectæ virtutis, dubitare verò eſt infirmitatis, quia timor naturalis facit valde dubitare, & iſta dubitatio ſimul poteſt ſtare cum Charitate: ſed præeligere culpam alicui pœnæ, hoc eſt iniquitatis, ſi eſt cum deliberatione & plena voluntate; quia omnis voluntas eſt iniqua, quæ peccatum vult vel abſolutè, vel conditionaliter. Unde periculum eſt & ſtultitia, quærere; hoc ab aliquo infirmo, vel etiam à ſe ipſo; quia hoc eſt hominem ponere in tentationem: unde nullus Confeſſor debet hoc ab aliquo, qui ſibi confitetur, quærere; ſed ſi pœnitens ſe offerat, & dicat*, ſe malle mortuum eſſe, quàm peccaſſe, *vel ſimile aliquid, gaudendum eſt; quia ſignum bonæ voluntatis eſt.* Videtur ſententia D. Bonaventuræ.

Dices; non obſtante periculo novæ complacentiæ, tenetur pœnitens ſingula peccata confiteri; ergo Confeſſor, non obſtante ſimili periculo, poteſt de ſingulis interrogare, an proponat emendationem. 199. Objectio.

Reſpondeo; *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ .... univerſa Eccleſia ſemper intellexit* (inquit Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 5.) *inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem*; peccatorum, inquam, non tantùm in genere, ſed potiùs in ſpecie ac ſigillatim. Porrò neceſſitatem propoſiti ſingularis nuſpiam reperio, & ideo non aſſero, maximè quando periculoſum foret, alioquin per ſe utile eſſe non dubito. Omitto, periculum novæ complacentiæ fortè etiam excuſare à Confeſſione ſingulorum peccatorum, de quo ſuo loco. Reſponſio.

Igitur, ut finem imponamus huic difficultati, veluti requiritur dolor univerſalis, formaliter aut virtualiter ſe extendens ad omnia mortalia; ſic itidem neceſſarium eſt propoſitum emendationis, formale, aut virtuale,

formaliter, aut virtualiter ſe extendens ad omnia mortalia; id eſt, talis diſpoſitio in voluntate, ut omnibus manentibus quæ nunc ſunt, ex vi illius actûs, quem nunc elicit, aut aliquando elicuit voluntas, & adhuc habitualiter permanet, omnia peccata in particulari deteſtaretur, & nollet voluntas ea de cætero committere, ſi in particulari proponerentur ùt talia.

Sed nunquid idem dicendum de peccatis venialibus?

CONCLUSIO IX.

Ad efficaciam doloris ſufficit propoſitum particulare, extendens ſe ad ſola venialia confeſſa. Poteſt dari univerſale, extendens ſe ad omnia.

200. *Probatur 1. pars Concluſ.* CUm nulla ſit neceſſitas confitendi omnia peccata venialia, immo confitendi aliqua; ſicuti non requiritur dolor univerſalis, ſed ſufficit particularis de illis peccatis venialibus, quæ pœnitens ſubjicit Clavibus Eccleſiæ; pari ratione non requiritur propoſitum univerſale, ſed ſufficit propoſitum particulare, extendens ſe ad illa tantùm venialia, quorum petitur Abſolutio ſacramentalis. Porrò neceſſitas hujus propoſiti eodem modo probatur, quo ſuprà Concluſione primâ probavimus neceſſitatem doloris.

201. *Eſt moraliter impoſſibile vitare omnia peccata venialia.* Neque de hoc puncto eſt ſpecialis controverſia inter Doctores; ſed diſputant, an & quomodo poſſit dari propoſitum efficax circa omnia peccata venialia, cùm moraliter impoſſibile ſit omnia vitare, juxta illud 1. Ioan. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* *Probatur ex Scrip. 1. Ioan. 1.* Quæ verba explicans Concilium Milevitanum cap. 6. ait: *Quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia veritas eſt; anathema ſit.* *Conc. Milevitano,*

Omitto cap. 78. & ubi iteratis vicibus hanc doctrinam definit, & ſolùm ſubſcribo verba Concilii Trid. ſeſſ. 6. can. 23. *Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit ..... poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit.* *& Trident.* Ratio ſumitur ex humana fragilitate; & continua impugnatione fomitis ac dæmonis, atque ex pluribus occaſionibus inducentibus ad venialia. *Ratio, humana fragilitas &c.*

202. *An hoc ſit intelligendum etiam de veniali.* Et quoniam hæc ratio etiam locum habet in peccatis venialibus perfectè deliberatis, putat Felix de Grat. c. 5. diffic. 8. n. 7. hominem non poſſe in tota vita peccata omnia venialia perfectè deliberata vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio. Sed, ut verum fatear, hoc non requiritur ad veritatem Scripturæ, aut Conciliorum.

Docet præterea idem Auctor n. 8. hominem per totam vitam ſinè ſpeciali privilegio poſſe abſtinere ab aliquo determinato peccato veniali, v. g. furto rei levis, ùt patet per experientiam; ſecùs à venialibus circa ſenſibilia guſtûs & tactûs, quoniam plures occaſiones & tentationes illorum occurrunt. De mendacio levi plures dubitant, & Aliqui dicunt, non poſſe vitari ſinè ſpeciali privilegio, tum propter fragilitatem humanam & innumerabiles occaſiones; tum quia in Pſalmo 115. v. 2. dicitur: *Omnis homo mendax.* Sed, inquit Felix, hoc non convincit; nam Auguſtinus & Hieronymus explicant de homine ſuæ naturæ relicto, id eſt, homo ex ſe eſt mendax.

Interrogas Felicem; poterit quis ſinè ſpeciali privilegio pro parvo tempore eſſe ſinè veniali peccato? Reſpondet n. 9. affirmativè, citans D. Auguſtinum lib. de Nat. & Grat. c. 62. Sed ibi nihil aliud invenio ad propoſitum, quàm hæc verba: *Beatus verò Hilarius .... quid dixerit contra id, quod dicimus; vel quòd iſtum* (Pelagium) *adiuvet, neſcio; niſi quia poſſe eſſe hominem mundo corde teſtatus eſt. Quod quis negat? Sed gratiâ Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolâ arbitrii libertate.* Et infrà: *Quiſquis non cedit Ioanni Apoſtolo, qui nec ipſe ait:* Si dixerimus quia peccatum non habuimus, *ſed*, non habemus, *Epiſcopo Hilario quomodo ceſſurus eſt? Pro gratia Chriſti clamo, ſinè qua nemo iuſtificatur, tamquam ſufficiente natura libero arbitrio.*

Sanè ſi de mente D. Auguſtini quæritur, non tantùm pro parvo tempore, ſed etiam pro tota vita hominem poſſe eſſe abſque ullo peccato cum gratia Dei, expreſſiſſimè docet lib. 2. de peccat. merit. c. 6. quod ſic incipit: *Nam qui dicunt, eſſe poſſe in hac vita hominem ſinè peccato, non eſt eis continuò incautâ temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel miſericordiæ, qui hoc adiuvando efficit, derogabimus. Sed alia quæſtio eſt, utrùm eſſe poſſit; alia utrùm ſit; alia ſi non eſt, cùm poſſit eſſe, cur non ſit; alia utrùm, qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non ſolum quiſquam ſit, verùm etiam poterit aliquando eſſe, vel poſſit. In hac quadripartita propoſitione quæſtionum, ſi à me quæratur, utrùm homo ſinè peccato poſſit eſſe in hac vita, confitebor poſſe per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium.*

Ad ſecundam quæſtionem, videlicet, *utrùm ſit*, Reſpondet cap. 7. in principio: *Eſſe non credo, magìs enim credo Scripturæ dicenti: Ne intres in iudicium cum ſervo tuo, quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Pſalm. 142. v. 2. Et cap. 15. in principio ſic objicit ſibi ipſi:

Digitized by Google

ipſi: *At enim Dominus ait:* Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt, *quod non præciperet*, *inquiunt* (Pelagiani) *ſi ſciret fieri non poſſe quod præcipit.* Reſpondet S. Doctor: *Non nunc quæritur, utrum fieri poßit; ſi iſtam perfectionem ad hoc accipiunt, ut ſine ullo ſit quiſque peccato, cùm hanc agit vitam: iam enim ſuprà reſpondimus poſſe fieri, ſed utrùm aliquis faciat, hoc nunc quærimus.*

Ad tertiam quæſtionem; *Cum voluntate humanâ, gratiâ adiuvante divinâ, ſinè peccato in hac vita poßit homo eſſe, cur non ſit, poſſem* (inquit Divus Aug. ſuprà c. 17. in principio) *facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt. Sed ſi ex me quæritur, quare nolunt, imus in longum. Verumtamen etiam hoc, ſine præiudicio diligentioris inquiſitionis, breviter dicam. Nolunt homines facere, quod iuſtum eſt; ſive quia latet an iuſtum ſit; ſive quia non delectat. Tantò enim quidquam vehementiùs volumus, quanto certiùs quàm bonum ſit novimus, eoq; delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adiuvat voluntates; quâ ut non adiuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo; ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ; ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam iudicandi, & erudiendi, ſi filii ſint miſericordiæ.*

Denique ad quæſtionem 4. *Utrùm qui omnino numquam ullum peccatum habuerit, habiturusve ſit, non ſolùm quiſquam natorum hominum ſit, verum etiam potuerit aliquando eſſe vel poßit?* Reſpondet S. Doctor c. 20. *Hunc prorſus, præter unum mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, nullum vel eſſe, vel fuiſſe, vel futurum eſſe, certiſſimum eſt.*

Quomodo autem hæc doctrina D. Auguſtini non repugnet Concilio Tridentino ſuprà allegato, ſtatim clariùs apparebit. Pro præſenti ſufficiat, D. Auguſtinum loco citato à Felice de Nat. & grat. c. 62. ſimiliter lib. 2. de Peccat. merit. c. 2. quem locum citat à Lapide in Prov. c. 24. v. 16. pro eadem opinione, nullatenus huic ſuffragari.

207. Meliùs ergo probatur ex ratione; quia videlicet brevi tempore non occurrunt tot occaſiones & tentationes, & Scripturæ commodè intelligi poſſunt de longo tempore ſeu de tempore totius vitæ, prout eas videtur intellexiſſe Tridentinum ſuprà can. 32.

Appoſitè S. Hieronymus lib. 3. adverſus Pelagium non longè à medio: *Hoc*, inquit, *eſt quod tibi in principio dixeram, in noſtra ſitum eſſe poteſtate vel peccare, vel non peccare; & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, ut liberum ſervetur arbitrium: ſed hoc pro modo, & tempore, & conditione fragilitatis humanæ: perpetuitatem autem impeccantiæ ſoli reſervari Deo, & ei, qui Verbum caro factus, carnis detrimenta & peccata non pertulit. Neque quia ad breve poſſum, coges me, ut poßim iugiter. Poſſum ieiunare, vigilare, ambulare, legere, pſallere, ſedere, dormire, nunquid in perpetuum?*

Si dixeris; ergo talis homo gloriari poterit, quòd habeat mundum cor; cùm tamen ſcriptum ſit Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Reſpondeo neg. Conſ. quia ſinè revelatione nemo poteſt ſcire ſe eſſe abſque omni peccato; & eo ipſo quo certò affirmaret, quod eſt dubium, mentiretur. 208. Obiectio ex Scrip. Prov. c. 20. ſolvitur.

Atque admiſſo, quòd aliquis verè & probabiliter idipſum de ſe affirmare poſſet, quòd tempore, v. g. unius horæ, non peccaſſet, adhuc verè poſſet, & deberet dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*, quia adhuc ignorat, an habuerit remiſſionem peccatorum præteritorum. Sed & illâ remiſſione cognitâ, adhuc verum diceret, quia eadem peccata ſæpiùs remitti poſſunt. Similiter ſubſiſteret dictum Joannis ſuprà: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus* &c. id eſt, quoniam non peccavimus, vel peccato obnoxii non fuimus, & plerumque ſumus. Ita exponit Vega lib. 14. de Juſtit. cap. 19.

Et hanc ſuam expoſitionem colligit ex verbis immediatè ſubſequentibus: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum* &c. Expendamus bene, inquit Vega, duo illa verba; *Et emundet nos ab omni iniquitate*; & : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*, vel, *quoniam non peccavimus*. Et ex prioribus conſtabit, non eſſe contra Dei veritatem, ſed conſonum potiùs ipſius veritati & juſtitiæ, ut credamus, nos aliquando Chriſti gratiâ & Sanguine liberos eſſe & mundos ab omni iniquitate. Ex poſterioribus verò colligere licebit, perinde eſſe, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus*, ac ſi apertiùs diceretur: *Si dixerimus, quoniam peccato obnoxii non fuimus, & plerumque ſumus.* Hæc ille. 209. Expoſitio illorum verborum: Si dixerimus &c. 1. Joan. 1. ex Vega.

Neque iſta expoſitio repugnat D. Auguſtino ſuprà de Nat. & Grat. c. 62. nam Ench. c. 64. ſic ait: *Neque enim quia peccatum eſt omne crimen, ideo crimen eſt etiam omne peccatum. Itaq; ſanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte vivitur, inveniri poſſe dicimus ſinè crimine* (id eſt, peccato mortali) *peccatum autem ſi dixerimus, quia non habemus* (ſcilicet quamdiu in hac morte vivitur) *ut ait S. Apoſtolus, noſmetipſos ſeducimus.* 210. quæ non repugnat D. Aug.

Conſimiliter ſcribit lib. de perfect. juſt. prope finem, ibi: *Quiſquis autem dicit, poſt acceptam remiſſionem peccatorum, ita quemquam hominem iuſtè vixiſſe in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum* (ſcilicet quamdiu vivit) *contradicit Apoſtolo Ioanni, qui ait:* Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. *Non enim habuimus, ſed*, habemus *dixit*,

non

non pro quolibet tempore, ſed pro tota ſtatione vitæ præſentis.

211. *Quanto tempore poſſit homo vivere ſine peccato ex Felice, & Suario.*

Quæris à me, quanto tempore homo poſſit vivere abſque omni peccato veniali? Reſpondeo cum Felice ſuprà n. 10. hoc tempus non poſſe omnino definiri; quia pendet ex variis circumſtantiis, ùt ex complexione & diſpoſitione hominis, ex conſuetudine, ex vitæ ſtatu, & ſimilibus. Interim Suarius lib. 9. de Grat. c. 8. n. 29. exiſtimat probabile, quòd per integrum diem.

Objectio ex Script. Proverb. 24.

Nec obſtat illud Proverb 24. v. 16. *Septies in die cadit iuſtus*; nam ly *In die*, non eſt in Hebræo, neque in Græco, & in Biblia vulgata Sixti V. eſt omiſſum, atque ità citatur ab Auguſtino lib. 11. de Civit. c. 31. ibi: *Ideo pro univerſo ſæpe ponitur, ſicuti eſt:* Septies cadet juſtus & reſurget, *id eſt quotieſcumque ceciderit non peribit.* Utut ſit, certum eſt, longiori tempore poſſe vitari venialia deliberata, quàm quæ fiunt ex ſubreptione.

212. *Secunda objectio ex Bull. Pontif. Innoc. 10. & Alex. 7.*

Sed dicet aliquis; Innocentius X. Bullâ quæ incipit: *Cum occaſione* A. 1653. pridie Kal. Junii An. Pontif. 9. Et poſt illum Alexander VII. Bullâ: *Ad ſacram B. Petri ſedem* A. 1656. 17. Kal. Novembris Pontif. A. 2. hanc propoſitionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant*, temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declarant, & ùt talem damnant; ergo ſinè ſpeciali auxilio, de quo ibi nulla fit mentio, poteſt quilibet juſtus vitare omnia venialia in tota vita ſua. Probatur Conſequentia: quia omnia præcepta ſunt poſſibilia; quodcumque autem peccatum veniale repugnat alicui præcepto.

Evaſio præcluditur.

Nec ſatiſfacis dicendo, poſſe vitare omnia diviſim, quamvis non conjunctim; & per conſequens poſſe obſervare omnia præcepta diviſim, tametſi non conjunctim; hæc, inquam, diſtinctio impertinens eſt: ſi enim non poteſt conjunctim omnia obſervare, jam neceſſariò verum eſt, aliquod eſſe non obſervabile; nam idcirco non poteſt omnia conjunctim, quia aliquod non poteſt. Enimvero vitare hoc, & iſtud, & illud, & ſic de ceteris in particulari, idem eſt quod vitare omnia collectivè; ſi ergo non poteſt vitare omnia collectivè, ſignum eſt quòd vel hoc, vel iſtud in particulari non poſſit: nam omnia nihil ſunt præter ſingula, neque omnia ſimul occurrunt vitanda, ſed nunc unum nunc aliud, adeòque ſi non poſſit omnia vitare, videtur quòd neque ſingula.

213. *Argumentum Scoti.*

Ita arguit Scotus 2. diſt. 28. q. 1. n. 2. contra Henr. Quod l. 6. q. 11. *Exemplum ponitur*, inquit Doctor n. 2. *de exiſtente in vaſe perforato, quòd licet poſſit quodlibet ſingulorum foraminum obſtruere, non tamen omnia, dum enim unum obſtruit, relinquitur aliud patens.*

Sed contrà; *Si in hoc tempore* (inquit n. 5.) *poteſt cavere ab hoc peccato mortali & illo, & dum cavet hoc, caret omne: & ſimiliter de tempore conſequente, & ſic de ſemper: ergo ſi poteſt ſemper cavere hoc, & illud, ſimul poteſt cavere omnia. Aſſumptum, quòd ſi poteſt cavere hoc peccatum mortale pro tunc, quod poteſt etiam cavere illud aliud, & ita omne pro tunc, patet; quia voluntas non poteſt habere ſimul diſtinctos conſenſus, qui requiruntur ad peccatum mortale, & ad reſiſtendum peccato mortali; & ita dum diſtinctè habet actum reſiſtendi huic peccato mortali, nullum aliud velle habet tunc, per quod aliud velle pro tunc peccet mortaliter, maximè cum præſervando ſe ab uno peccato mortali, fit fortior ad reſiſtendum aliis, ergo ſi nunc poteſt hoc peccatum cavere, de quo tentatur, multò magìs illud poteſt aliàs cavere, & ſic de aliis.* Huculque Scotus.

Reſpondet Felix de Grat. c. 4. diffic. 9. n. 7. Argumentum Scoti concludit, quòd voluntas poteſt phyſicè ſinè auxilio evitare omnia peccata, non tamen evitabit ſinè auxilio; nam voluntas habet quamdam impotentiam moralem propter occaſiones, & tentationes, quæ frequenter occurrunt, & quia ſenſus externi, à quibus voluntas dependet, fatigantur & laxantur aſſiduitate; quæ impotentia cùm moralis ſit, non eſt infallibilis; nam oppoſitum ſolet aliquando evenire cum tali impotentia; nihilominus quia tales tentationes valde alliciunt voluntatem, habet velut quamdam determinationem; ideo requiritur auxilium, ut voluntas non ſolum phyſicè, ſed moraliter poſſit proximè prorumpere in actum circa quodcumque præceptum, & circa omne collectivum; licèt ad hoc vel illud non requiratur gratia. Hæc ille.

Et ante ipſum Smiſing de Deo Uno Tract. 3. diſp. 6. n. 145. Reſpondeo (inquit hic Auctor) ad primam dubitationem, impotentiam vitandi omnia venialia non eſſe impotentiam phyſicam, ſed moralem; atque eam quidem tantam, ut nunquam contingat, abſque ſpeciali privilegio, omnia per totam vitam evitari; quod an debeat intelligi collectim, vel etiam de omnibus diviſim, quæſtio de nomine eſſe poteſt, in qua magìs probo eum loquendi modum, quòd tam de omnibus diviſim, quàm collectim intelligatur.

Prima pars, quòd impotentia vitandi omnia venialia non ſit phyſica, patet; quia aliàs homo non peccaret non vitando omnia venialia peccata, quæ eſt implicatio in adjecto. Sequela patet; quia nemo peccat in eo, quod abſolutè & phyſicè non poteſt evitare. Secunda pars, quòd nihilominus hæc impotentia ſit moralis, colligitur ex Patribus & Conciliis; quia dicunt, non poſſe hominem abſque ſpeciali privilegio omnia vitare; quod cùm non poſſit intelligi de impotentia phyſica, debet intelligi de morali Hæc ille.

Quid

Digitized by Google

216 Quid autem intelligat hic Auctor per impotentiam moralem, feſtinè cognoſcitur ex his, quæ ibidem ſubjicit. Volunt ergo (Doctores qui admittunt ſingula poſſe vitari, non autem totam collectionem venialium) quòd in tanta collectione tandem aliquod occurret veniale, quod licèt ſeorſim, ac ſecundùm ſe ſpectatum vitari poſſit (qùod vocant potentiam vitandi ſingula) tamen ſi ſpectetur, ùt eſt cum aliis conjunctum, non poterit moraliter evitari; quia dum uni vitando quiſpiam intendit, fortè aliud vitandum occurrit, nec eſt homini aliquando moraliter poſſibile, multis ita reſiſtere, quin quaſi fatigata voluntas, ab aliquo vinci ſe ſinat, & ratio negligentiùs ſingula conſideret, præſertim circa hæc minuta & venialia peccata, quæ penè in ſingulis negotiis ſubrepunt. Hucuſque Smiſing.

217 Igitur Innoc. X. & Alex. VII. in Bul. ſuprà allegatis intelligendi veniunt de poſſibilitate phyſica; at verò Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 23. de impoſſibilitate morali, & ita nulla contradictio: niſi velis Concilium ſibi ipſi contradixiſſe, quando ſeſſ. 6. cap. 11. ait: *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti (debet) Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave & onus leve.* Et can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia; anathema ſit.* Ergò homo totâ vitâ ſuâ, abſque ſpeciali auxilio, obſervabit omnia præcepta divina: negatur Conſequentia, ſed aliquando cadet in aliquod peccatum veniale.

Et ſanè nihil aliud voluiſſe Tridentinum, videtur ſatìs colligi ex c. 11. cui correſpondet iſte canon, ibi: *Licèt enim in hac mortali vita quantumvis Sancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti: nam juſtorum illa vox eſt & humilis, & verax: Dimitte nobis debita noſtra.* Ergo quando poſtmodum definit, hominem non poſſe omnia venialia evitare in tota vita ſinè ſpeciali auxilio, idem eſt ac ſi diceret; aliquando cadere in peccata venialia. Jam autem optimè conſiſtunt, hominem poſſe evitare peccatum, & poſſe obſervare præceptum toto tempore vitæ ſuæ, & tamen de facto non evitare peccatum, & non obſervare præceptum, ùt liquidò conſtat ex Auguſtino ſuprà allegato lib. 2. de peccatorum meritis.

218 Neque abſurdum alicui videatur dici, aliquid fieri poſſe, cujus deſit exemplum, *tùm ſicut credo* (inquit Divus Auguſtinus lib. de Spirit. & litt. cap. 1.) *non dubites nunquam eſſe factum, ut per foramen acûs camelus tranſiret, & tamen ille* (Chriſtus) *hoc quoque dixit* Deo eſſe poſſibile. *Legas etiam, duodecim millia legiones Angelorum pro Chriſto, ne pateretur, pugnare potuiſſe; nec tamen factum. Legas fieri potuiſſe, ut ſemel gentes exterminarentur à terra, quæ dabatur filiis Iſraël; Deum tamen id paulatim fieri voluiſſe. Et alia ſexcenta poſſunt occurrere, quæ fieri vel potuiſſe, vel poſſe fateamur; & eorum tamen exempla, quòd facta ſint, proferre nequeamus. Unde non ideo negare debemus, fieri poſſe, ut homo ſinè peccato ſit, quia nullus eſt hominum, præter illum, qui non tantùm homo, ſed etiam naturâ Deus eſt, in quo id perfectum eſſe demonſtrare poſſimus.*

absurdum ex S. Aug.
Matt. 19. v. 24.
Matth. 26. v. 51.
Deuter. 31. v. 3
Jud. 2. v. 3.

Perfectum, inquam, eſſe ſinè ſpeciali Dei privilegio; quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia. *Indè enim ſcimus*, inquit S. Auguſtinus lib. de Nat. & Grat. c. 36. *quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.*

Neque ideo negandum eſt, hoc Deum jubere, ita nos in facienda juſtitia eſſe debere perfectos, ut nullum omnino habeamus peccatum: *Nam* (utor verbis S. Auguſtini lib. 2. de peccatorum merit. & remiſſ. cap. 16.) *neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubeatur, ut non ſit.* 219.

Deus præcepit, ut nullum omnino habeamus peccatum.

Sin autem cum Pelagianis quæras à Doctore ſancto: cur ergo jubet, quod ſcit nullum hominem eſſe facturum? Reſpondet ibidem: *Hoc modo etiam dici poteſt, cur primis illis hominibus juſſerit, qui duo ſoli erant, quod ſciebat illos non eſſe facturos? Neque enim dicendum, ideo juſſiſſe, ut noſtrûm aliquis id faceret, ſi illi non facerent: hoc enim, ne de illa ſcilicet arbore cibum ſumerent, non niſi illis ſolis Deus juſſit; quia ſicut ſciebat, quid juſtitiæ facturi non erant, ita etiam ſciebat, quid juſtitiæ de illis ipſe erat facturus. Eo modo ergo jubet omnibus hominibus, ut non faciant ullum peccatum, quamvis ſit præſcius, neminem hoc impleturum, ut quicumque impiè ac damnabiliter ejus præcepta contempſerint, ipſe faciat in eorum damnatione, quod juſtum eſt: quicumque autem in ejus præceptis obedienter & piè proficientes, nec tamen omnia, quæ præcipit, implentes, ſi, ut ſibi dimitti volunt, ſic aliis peccata dimiſerint, ipſe faciat in eorum mundatione, quod bonum eſt.* Hæc ille.

Cæterequin ſicut Adam habuit gratiam proximè ſufficientem, cum qua ſi voluiſſet ab omni peccato abſtinuiſſet, quamvis de facto non abſtinuerit; ſic itidem alii homines habent gratiam, ſaltem remotè ſufficientem, cum qua, ſi vellent, ab omni peccato abſtinerent, tametſi de facto non abſtineant. Ergo nullum eſt præceptum, quod non eſt poſſibile ad obſervandum homini juſtificato, & ſub gratia conſtituto, volenti & conanti ſecundùm præſentes vires quas habet; vel ſaltem non deeſt gratia, quâ fiat poſſibile, id eſt 220.

Homines habent gratiam ſufficientem, cum qua ſi vellent abſtinerent ab omni peccato.

Digitized by Google

gratia orandi, juxta illud Concilii Tridentini ſuprà cap. 11. *Iubendo monet facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuvat, ut poſſis*; quantumvis in hac vita non ſit ſinè peccato, quia non vult.

221. Deus non deſerit juſtificatum, niſi deſeratur ex S. Auguſt.

Medicus homo, inquit Divus Auguſtinus lib. de Nat. & Grat. cap. 26. *cùm ſanaverit hominem, iam de cætero ſuſtentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat atque perſiſtat, Deo dimittit, qui præbet iſta in carne viventibus, cuius etiam erant illa, quæ dum curaret, adhibebat ..... Ipſe autem Deus, cùm per Mediatorem Dei & hominum hominem Ieſum Chriſtum ſpiritaliter ſanat ægrum, vel viviſicat mortuum, id eſt, iuſtificat impium, & cùm ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam iuſtitiamq; perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper iuſteq; vivatur; ſicut enim oculus corporis, etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adiutus non poteſt cernere, ſic homo, etiam pleniſſimè iuſtificatus, niſi æternâ luce iuſtitiæ divinitùs adiuvetur, rectè non poteſt vivere. Sanat ergo Deus, non ſolùm ut deleat, quod peccavimus; ſed etiam ut præſtet, ne peccemus.*

& Concil. Trident.

Quo loco Sancti Doctoris utitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. ibi: *Quò fit, ut iuſti ipſi eò magìs ſe obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debeant, quo liberati iam à peccato, ſervi autem facti Deo, ſobriè, iuſtè, & piè viventes proficere poſſint per Chriſtum Ieſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namq; ſuâ gratiâ ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.*

222. De qua deſertione loquantur.

Si dixeris, Deum non priùs deſerere per ſubtractionem gratiæ ſanctificantis; ſecùs per ſubtractionem gratiæ actualis. Contrà; Auguſtinus aſſerit medicum deſerere, non Deum; ſed medicus deſerit, non ſubſtrahendo ſanitatem, vel deſinendo eam immediatè conſervare; verùm ſubtrahendo conſilia ſua ac remedia; ergo Deus ſua conſilia ac remedia non ſubtrahit, id eſt, non ſubtrahit gratias actuales, utique ſufficientes ad ſobriè, juſtè, & piè vivendum.

In hoc namque conſiſtit non deſertio Dei, (ùt patet ex verbis Auguſtini) quòd piè ſemper juſtèque vivatur, quod fit per gratiam actualem, quæ eſt æterna lux juſtitiæ, per quam præſtat Deus, ne peccemus, cùm per gratiam juſtificantem deleat, quod peccavimus.

223. Deus nihil potuit impoſſibile præcipere ex S. Aug.

Eleganter idem S. Doctor eodem libro c. 69. *Valde bona ſunt præcepta, ſi legitimè his utamur; eo quippe ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Quomodo autem poteſt quis credere, Deum non præcipere impoſſibilia, ſi credere debeat, ùt quidam videntur velle, nullam eſſe niſi impoſſibilis præcepti tranſgreſſionem? Nam præter gratiam efficacem, quæ tunc non adeſt, nulla datur ſufficiens, ſecundùm illos Auctores, per quam homo impleret præceptum, ſi vellet. Quid etiam opus erat diſtinguere inter præcepta facilia & difficilia, cùm tranſgredienti, omnia ſint æquè impoſſibilia?

Quod ex vitiis naturæ (inquit Auguſtinus eodem lib. c. 66) *non ex conditione naturæ ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere:* De neceſſitatibus meis educ me; *quia & in huiuſmodi oratione certamen eſt adverſus tentatorem de ipſa contra nos neceſſitate pugnantem: ac per hoc, opitulante gratiâ per Ieſum Chriſtum Dominum, & mala neceſſitas removebitur, & libertas plena tribuetur.*

Rectè Sanctiſſime Præſul. Sed ſi eſt impoſſibile (ùt quidam videntur dicere) ut homo audiat, atque diſcat Deo dicere: *De neceſſitatibus meis* &c. quando id non dicit, ad quid, interrogat quiſpiam, hæc admonitio & exhortatio? Deinde falſa (quod abſit) videris promittere, ſi juſtis volentibus, conantibus, orantibus negetur gratia neceſſaria ad divina præcepta obſervanda.

Reſpondetur; juſtos illos, quibus negatur gratia neceſſaria, non velle, conari, & orare ùt oportet, quod tamen requiritur ex mente D. Auguſtini ſuprà c. 17. in fine: *Vnde admonemur à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter, utiq; his omnibus, qui ſic petunt, & tantùm petunt, quomodo & quantum res tanta petenda eſt.* Et Concilium Arauſ. can. 25. ait: *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati (Chriſto auxiliante & cooperante) quæ ad ſalutem pertinent poſſint & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere.*

Conſentio, inquis, ſed quid tum? Nonne quia juſtus non orat ùt oportet, ideò non poteſt orare ùt oportet? Hoc eſt quod quæritur, an homo poſſit aliquid facere potentiâ proximâ & antecedente, quod non facit, ſeu quod non poteſt facere poteſtate conſequente.

Fateor itaque, homines non ſemper velle & conari ſicut oportet, & ideo non ſemper obtinere gratiam efficacem obſervandi omnia præcepta divina; verùm tunc non conantur ſecundùm præſentes, quas habent vires; nam poſſent conari & velle ùt oportet, & ex defectu voluntatis provenit, quòd non faciant, juxta illud Arauſicani ſtatim citati: *Si fideliter laborare voluerint*: ergo habent potentiam laborandi fideliter; ergo gratiam ſufficientem, ſinè qua libenter concedimus, ſolum liberum arbitrium non poſſe fideliter laborare; quod unicum intendit Auguſtinus probare contra Pelagium in lib. de Nat. & Grat. jam ſæpiùs allegato.

Hinc cap. 44. in fine ſic ait: *Quid enim dici breviùs potuit, & veriùs, quàm poſſibilitatem non peccandi quantacumque eſt, vel erit in homine, niſi Deo debere reputari? Hoc & nos dicimus, iungamus dexteras.* Similia habet aliis capitibus illius libri.

Ex

226. Ex quibus manifeſtum eſt, S. Auguſtinum non impugnare, vel damnare Catholicos, qui creduot poſſibilia eſſe mandata, etiam his, quì illa tranſgrediuntur; ſed Pelagianos, qui aſſerebant, illam poſſibilitatem ex ſola provenire arbitrii libertate, ex ſufficiente naturæ libero arbitrio, ex eadem poteſtate, quâ potuit homo vitiari, quod procul dubio potuit ſinè gratia.

Qui ergo aſſerunt gratiam neceſſariam, non damnantur ab Auguſtino, neque deprimunt gratiam, & extollunt arbitrium, ſed magis amplificant gratiam, dicentes eam homines habere, etiam quando mandatum tranſgrediuntur; cùm tamen alii eam tunc negent.

227. Si inferas; ergo gratia neceſſaria eſt ad peccandum. Rèſpondetur, ſicut lex eſt neceſſaria ad peccandum; nam ſinè lege non eſt tranſgreſſio, ſinè gratia autem non eſt tranſgreſſio voluntaria ſeu libera; quia bonum oppoſitum eſt impoſſibile; non ergo datur gratia ad peccandum, neque lex poſita eſt, ut homo eam tranſgrediatur, ſed potiùs ut bonum operetur; quia tamen & lege, & gratiâ ſubinde abutitur, ideo imputatur ei & gratia, & lex in peccatum.

Appoſitè D. Bernardus Ser. 1. in Pent. *Multi ſiquidem moventur, ut bene faciant, ſed minimè ſciunt quid agendum ſit, niſi adſit denuò gratia Spiritûs ſancti, ut quam inſpirat cogitationem, ducat in opus proferre, ne vacua in nobis ſit gratia Dei. Sed quid? Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi gratia.* Ergo ſupponit Sanctus Bernardus quòd poſſint homines moveri ad bonum, & ſcire bonum per gratiam Spiritûs ſancti, nec tamen facere bonum, quod ſciunt, & ad quod moventur; quod non eſt aliud, quàm habere gratiam ſufficientem, & carere gratiâ efficaci.

228. Hinc quando S. Auguſtinus lib. de Nat. & Grat. cap. 43. dicit: *Neque de ipſa poſſibilitate contendo, cum ſanatâ & adiutâ hominis voluntate, poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in Sanctis proveniat.* Et lib. de Grat. Chriſti cap. 14. *Non eſt conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non ſolùm poteſt venire, ſed venit; ubi iam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.* Item cap. 13. *Qui novit quid eſt, quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem, non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm litteram. Quamvis multi, quod imperat lex, facere videantur timore pœnæ, non amore iuſtitiæ.*

His, dico, & ſimilibus locis, S. Auguſtinus minimè contradicit D. Bernardo; ſed ſolùm intendit probare, hominibus ſanctis & prædeſtinatis non tantùm dari gratiam ſufficientem, ſeu poſſibilitatem bene agendi; ſed etiam ipſam bonam voluntatem; ſeu gratiam efficacem, prout loquitur Apoſtolus ad Philippen. 1. v. 6. *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu.* Et 2. v. 13. *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* De quo plura vide diſp. 6. ſect. 5. concl. 2. & 3. Philip. 2.

Et verò quoniam gratia efficax propria eſt electorum, hinc Chriſtus Joan. 15. v. 16. ait Diſcipulis ſuis: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Adeòque Apoſtolus non perperàm erupit in has admirantis voces: *O altitudo divitiarum* &c. Rom. 11. v. 33. Et D. Auguſt. lib. de Spirit. & litt. c. 34. *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet: cur illi ità ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita: duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat:* O altitudo divitiarum! *&: Nunquid iniquitas apud Deum?* 229. Gratia efficax eſt propria electorum. Joan. 15. Rom. 11. S. Aug.

Mirantur ſiquidem, non quia putant liberum arbitrium minimè concurrere cum gratia Dei ad ſui diſcretionem ſeu electionem, aut quia judicant, arbitrium non poſſe reſiſtere gratiæ interiori Dei; ſed quòd omninò abſconditum ſit à cogitatione humana, cur Deus, cùm poſſet utrique dare gratiam efficacem, id eſt, talem quæ infallibiliter eſſet motura voluntatem, uni tamen det, & alteri neget. Unde (quod bene notandum eſt) non dicit Auguſtinus: *Cur illi ita ſuadeatur, ut poſſit credere, illi autem non ita*; ſed: *Cur illi ità ſuadeatur, ut perſuadeatur,* id eſt, ut credat, *illi autem non ità.*

His prælibatis de poſſibilitate & impoſſibilitate obſervandi præcepta divina, conſequenter de poſſibilitate & impoſſibilitate vitandi peccata venialia: Reſpondeo ad difficultatem propoſitam, puta an, & quomodo poſſit dari propoſitum efficax vitandi omnia peccata venialia? Reſpondeo, inquam, non obſtante morali impoſſibilitate vitandi omnia peccata venialia ſive collectivè, ſive diviſivè ſumptâ, prout hactenus explicuimus, tenetur quilibet omnia vitare, ſic ut peccet per contrarium propoſitum, ut omnes fatentur; ergo non dubium, quin poſſit habere propoſitum efficax vitandi omnia peccata venialia; alioquin contrarium propoſitum non foret liberum, & per conſequens non peccaminoſum; ergo peccatum, & non peccatum, quæ eſt manifeſta implicantia. 230. An poſſit dari propoſitum efficax vitandi omnia venialia.

Quæris quomodo id poſſit fieri; cùm pœnitens moraliter certus ſit, ſe aliquando peccaturum venialiter. Reſpondeo; eo modo quo fieri poteſt, quòd moraliter certus de reincidentia in peccatum mortale, efficaciter proponat illud evitare; quia videlicet, quantum in ſe eſt, pro nunc vult cum divina gratia non peccare; etſi aliunde certò ſciat, oblatâ occaſione propoſitum iſtud mutandum. Sic Petrus monitus à Chriſto, poterat pro tunc efficaciter proponere, quantum de ſe erat, 231. & quomodo?

 non

non negare Chriſtum; licèt certò ſciret, ſe poſtea defecturum à propoſito.

Sic aliquis poteſt dicere; *Prò nunc habeo animum non blaſphemandi Deum, quamvis ſciam, in inferno me animum illum mutaturum*: licèt enim non poſſit dari voluntas omnino abſoluta circa impoſſibile, bene tamen voluntas efficax, quantum eſt ex parte agentis, qui ita diſpoſitus eſt, ut ex vi illius actûs ſit paratus ad faciendum, quidquid apparet poſſibile ad conſequendum talem effectum.

Atque hoc modo, qui deteſtatur efficaciter peccatum præteritum, haud equidem omnino abſolutè vult non fuiſſe peccatum; ad præteritum enim non datur potentia, ùt ſuprà diximus; ſed, quantum eſt ex vi illius affectûs, paratus eſt adhibere omne medium ad impediendum iſtud peccatum, ſi foret poſſibile. Nonne fur, qui ducitur ad patibulum, poteſt efficaciter velle effugere, etſi nullum de facto adhibeat medium, quia nullum apparet poſſibile? Alioquin cui Deus revelaſſet ſuam æternam damnationem, propter peccatum mortale futurum, non poſſet efficaciter proponere nunquam peccare mortaliter; adeòque nunquam debitè ſuſciperet Sacramentum Pœnitentiæ, ad quod requiritur propoſitum de cætero non peccandi mortaliter. Quid autem eo abſurdius?

232. *Objectio.* Dices; diſparitas eſt, quòd evitatio omnis peccati mortalis, moraliter ſit poſſibilis, cum communi gratia Dei; evitatio verò omnis peccati venialis non niſi ex ſpeciali privilegio, quod non omnibus datur.

Reſponſio. Reſpondeo; in utroque caſu eſt certitudo peccati futuri, immo major in caſu revelationis, ſi eſt omnino abſoluta (ùt ſuppono) quia revelatio divina eſt abſolutè infallibilis; adeòque nec per ſpeciale privilegium talis poteſt ſalvari, id eſt, aliquando ſalvabitur; in alio caſu adhuc aliqua ſubeſt incertitudo, quia ſaltem per ſpeciale privilegium poſſet hujuſmodi pœnitens ampliùs non peccare venialiter.

Non obſtante revelatione damnationis, homo tenetur ſervare omnia præcepta divina. Sicuti ergo, non obſtante hujuſmodi revelatione, homo tenetur ſervare omnia præcepta divina; per conſequens poteſt & debet habere propoſitum efficax illa ſervandi, quia poteſt ſervare, ſi velit adhibere omnia neceſſaria; & obſervabit, ſi ex parte ſua non deſit; conſimiliter tametſi revelatum ſit, hominem in tota vita ſua non poſſe vitare, id eſt, non vitaturum omnia venialia abſque ſpeciali auxilio Dei; eſtò jam revelatum eſſet, iſtud ſpeciale privilegium mihi non concedendum; equidem teneor omnia peccata venialia evitare; per conſequens poſſum habere propoſitum efficax evitandi omnia peccata venialia in tota vita mea, quia poſſum evitare, ſi velim adhibere omnia neceſſaria; & evitabo, ſi ex parte mea nihil deſit. Ideoque qui contrarium propoſitum haberet, ſcilicet non vitandi illud peccatum veniale, quod moraliter non poteſt vitare, id eſt, quod infallibiliter eveniet, adhuc peccaret venialiter; quia licèt infallibiliter, equidem liberè; alioquin eſſet, & non eſſet peccatum; peccatum ùt ſupponitur; non peccatum, quia non liberum.

Non me latet, quod docet Coninck de Actibus ſupernat. diſp. 20. n. 135. Si Deus, inquit alicui clarè revelaret, ipſum determinato inſtanti, ſive certo tempore breviſſimo, quod inſtar inſtantis apprehendimus, certum peccatum commiſſurum, ita ut ipſe hoc, dum tempus illud adeſſet, perfectè apprehenderet, & graviter ad id committendum tentaretur, ita ut ſinè gravi labore non poſſet tentationi reſiſtere, etſi talis tunc liberè intenſiùs, aut minùs intensè peccaret, tamen non ſatis video, quomodo poſſit verè dici, abſolutè eſſe in ipſius poteſtate illud peccatum vitare. Cùm enim tali ſit impoſſibile, concipere ſeriam omninò voluntatem evitandi illud peccatum, & ad hoc ex parte ſua efficaciter conari, eò quòd ſciat, ſe fruſtra in eo vitando laboraturum, valde difficile eſt videre, quomodo tunc in ejus ſit poteſtate illi tentationi non ſuccumbere; præſertim cùm humano more aut vix, aut nullo modo fieri poſſit, ut talis concipiat ſibi eſſe verè poſſibile, tale peccatum hìc & nunc de facto evitare; ea autem quæ apprehendimus nobis impoſſibilia, non poſſumus feriò, & ex parte noſtra efficaciter velle. Unde ſequitur, iſtum non poſſe ſeriò, ac ex parte ſua efficaciter velle illud peccatum evitare, cùm tamen ſinè ejuſmodi voluntate ei ſit impoſſibile id evitare. Hucuſque Regius.

Sed hic non eſt caſus noſter; cùm Deus nulli clarè revelaverit, ipſum determinato inſtanti, ſive certo tempore breviſſimo, quod inſtar inſtantis apprehendimus, certum peccatum veniale commiſſurum; ſed peccatum incertum committendum, incerto tempore totius vitæ: tunc autem, ſecundùm Regium ſuprà n. 128. nullo modo neceſſitatur homo, ut apprehendat peccatum pro aliquo determinato tempore inevitabile; atque ita poteſt pro quocumque tempore determinato ſperare ipſius evitationem, & ad hanc ſeriò conari.

Deinde n. 139. ait Regius: Non ſtatui hìc quidquam hac de re definire; ſed propoſitis utrimquè argumentis, rem aliis definiendam relinquere. Ut autem dicam, quod ego ſentio; in primis, cùm remiſſio & intenſio actûs, non diſtinguantur realiter ab ipſo actu, ſi talis liberè intenſiùs, aut minùs intensè peccaret, non ſatis video, quomodo non poſſit verè dici, abſolutè eſſe in ipſius poteſtate illud peccatum vitare.

Immo ſi peccatum eſt, ùt ſupponitur, debet verè dici, abſolutè eſſe in ipſius poteſtate illud vitare: nam (teſte Auguſtino lib. 1. Retract.

Digitized by Google

tract. c. 15.) *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſumma iniquitatis & inſania eſt.* Et lib. 3. de Lib. Arbit. c. 18. interrogat: *Quis autem peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* Item c. 17. *Hoc*, inquit, *breviſſimum tene. Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur.* Ergo vel caſus Regii eſt impoſſibilis, vel debet dici, abſolutè eſſe in poteſtate talis hominis actum illum vitare.

Præterea, quando non urget tentatio, tunc, ſecundùm Regium, liberè peccat, & tenetur media adhibere ad peccatum vitandum, cùm tamen etiam tunc ſciat, ſe fruſtrà in eo vitando laboraturum.

Si reſpondeas; ipſam revelationem per ſe non imponere aliquam neceſſitatem voluntati, ùt patet in Chriſtò, qui præſcivit omnia opera ſua, & tamen non ideo minùs liberè ea exercuit; ſed ſolùm per accidens, quatenus homo apprehendit evitationem ſibi impoſſibilem, & conſequenter impedit, ne vehementi inclinationi in eum actum poſſit reſiſtere.

Contrà; Chriſtus etiam illos actus, ad quos ſummè erat inclinatus, & quos ſciebat certò à ſe eliciendos, nihilominus liberè elicuit; ergo & talis homo liberè peccabit, eſtò habeat ſummam inclinationem ad illud peccatum, & præſciat certò peccatum futurum. Ratio eſt; quia non eſt futurum, niſi dependenter ab ipſius libera voluntate; poſſet quippe abſolutè non facere, ſi vellet; ſicut Chriſtus poterat, abſolutè loquendo quantum eſt ex parte voluntatis creatæ, illos actus non elicere, ſi voluiſſet; ſicut ergo hoc ſufficit ad rationem meriti, ita quoque ſufficiet ad rationem demeriti.

237. Reſpondeo itaque ad argumentum Regii; talem hominem ſcire, illud peccatum certò committendum, equidem non niſi ex libera ſua voluntate; in tantum, ut etiam ſciat eâdem certitudine, quòd ſi adhiberet omnia media, quæ poſſet adhibere, ſi vellet, non peccaret. Igitur quòd peccet, vel non peccet, totum pendet ab ipſius libera voluntate; ac proinde quantumvis ſciat, quòd ex mala ſua voluntate commiſſurus ſit certò peccatum; indè tamen non videtur excuſari, quin omnia media neceſſaria debeat applicare ad non committendum peccatum.

238. Quamquam ergo in ſenſu compoſito peccatum certò eventurum ſit, non tamen in ſenſu diviſo, id eſt, ſuppoſito quòd Deus hoc revelaverit, certò eveniet; non vi revelationis, ſed voluntatis humanæ, quam Deus prævidit, ſe determinaturam liberè in tempore ad actum illum peccati. *Neque enim*, inquit D. Auguſt. lib 5. de Civit. cap. 10. *ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſcivit: immo ideo non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat; quia ille, cujus præſcientia falli non poteſt ..... ipſum peccaturum eſſe præſcivit, qui ſi noluit, omninò non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.* Quocirca media, quæ adhibet talis homo, prorsùs utilia ſunt, quantum eſt ex ipſis; interim impediuntur à ſuo fine, quia non omnia adhibentur ex libera ejus voluntate; liberè enim omittit aliquod, quod eſt neceſſarium.

Hinc ſi ex libera voluntate mea pendet, conſervare vitam meam, vel proximi, quamvis certò ſciam, me non conſervaturum, tamen teneor adhibere media, quæ hìc & nunc ſunt neceſſaria. Aliud foret, ſi penderet à voluntate tertii; tunc enim mors illa mihi imputari non poſſet, tametſi non adhiberem media, quæ judicantur hìc & nunc futura inutilia. Si ergo Deus revelaſſet, quòd ſubtraheret mihi auxilia ſufficientia ad peccatum evitandum, ſinè dubio non deberem illa petere, neque adhibere media ad evitandum peccatum materiale; quia jam ampliùs non pendet à mea voluntate, ut eveniat, vel non eveniat; atque ita quod evenit, vel non evenit, non poteſt mihi imputari.

Dices cum Regio; impoſſibile eſt, ut talis homo concipiat ſenſum diviſum poſſibilem; nam ſic deberet concipere, aut revelationem ſibi non eſſe factam, aut in ſua poteſtate eſſe efficere, ut facta non ſit, quorum utrumque ei eſt impoſſibile, cùm certò ſciat factam; quod autem factum eſt, infectum fieri nequit. 239. Objectio ex Regio,

Reſpondeo; in hoc ultimo manifeſtè involvitur ſenſus compoſitus. Concipere ergo poteſt & debet, pendere à ſua libera voluntate, quòd revelatio facta ſit; adeò quòd, ſi Deus prævidiſſet ipſum liberè non fuiſſe peccaturum, revelatio non fuiſſet facta, & ita poſſibile eſt concipere ſenſum diviſum. Solvitur.

Si inferas; ergo talis tenetur ſperare Beatitudinem. Reſp. conc. totum. Et ratio eſt; quia talis non deſtituitur auxiliis ſufficientibus ad obſervanda omnia præcepta, & conſequenter ad ſperandam Beatitudinem, quæ ei poſſibilis eſt, & etiam futura, ſi faciat omnia quæ poteſt; ergo & poteſt, & conſequenter tenetur ſperare. Cui foret revelatum peccatum finale deberet ſperare Beatitudinem.

Dices; talis non poteſt apprehendere Beatitudinem, tanquam probabiliter futuram, quod neceſſarium eſt ad Spem. Reſpondeo: eum poſſe apprehendere Beatitudinem futuram, ſi faciat quod poteſt facere; idque videtur ſufficere; nam ſufficit, ut teneatur alia omnia præcepta adimplere, quæ ſunt media ad Beatitudinem obtinendam, & ut talia præcipiuntur: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Matth. 19. v. 17. Si ergo ad media tenetur, & quidem ad omnia, quamvis ſciat unum futurum, quod non implebit; quidni etiam ſimiliter obligetur ad ſperandum finem, tametſi defectu unius medii ex libera voluntate illum non aſſequetur? 240. Objectio ſolvitur, *Matth. 19.*

Quia, inquis, alia præcepta non ſunt ob- 241.

Digitized by Google

Alia duplex objectio. ſervatu impoſſibilia, ſicut præceptum ſpei. Præterea, alia præcepta non tantùm obligant, in quantum ſunt media aſſequendi Beatitudinem; ſed etiam ſecundùm ſe; quoniam & habent finem proprium, qui obtinetur, ſcilicet honeſtas ipſius operis, & etiam habere poſſunt finem Charitatis, quamvis non Beatitudinis. Inſtantia manifeſta eſt in damnatis, qui peccant contra præcepta divina, tametſi Beatitudo ſit ipſis impoſſibilis.

Reſponſio ad primam. Reſpondeo ad primum; eſt manifeſta petitio principii; unde non ſuppoſitum, ſed probatum oportet, præceptum ſpei eſſe obſervatu impoſſibile; eſſe autem obſervatu poſſibile probatur; quia ipſa ſalus eſt poſſibilis; immo futura, ſi omnia fiant, quæ poſſibilia ſunt; adeòque damnatio pendet à libera voluntate operantis.

Reſponſio ad ſecundam. Ex quo patet reſponſio ad II. & diſparitas inter damnatos, & talem hominem adhuc vivum; quia damnatis Beatitudo abſolutè eſt impoſſibilis, quidquid ex parte ſua faciant, ita ut non poſſint ſalvi fieri tametſi velint; talis autem homo poteſt ſalvus fieri, ſi velit; ergo non mirum, ſi præceptum ſpei obliget talem hominem; ſecùs damnatos.

242. Inſtantia. Inſtas; talis homo, ſperando efficaciter Beatitudinem, ſaltem exteriùs & in actu exercito oſtendit, ſe credere revelationem Dei poſſe eſſe falſam, & conſequenter Deum fortè fuiſſe mentitum; ergo non licet. Probatur Conſequentia; quia illicitè quis orat pro ſalute damnatorum; quia impoſſibilis eſt, & quia ſic orans habet voluntatem contrariam voluntati divinæ; ergo ſimiliter in caſu præſenti.

Solvitur. Reſpondeo; diſparitas jam eſt aſſignata; videlicet, quòd in noſtro caſu ſalus ſit poſſibilis, & quòd Deus non velit damnationem, niſi dependenter à libera voluntate operantis; adeòque tali caſu efficaciter ſperans Beatitudinem, non oſtendit in actu exercito, ſe credere revelationem Dei poſſe eſſe falſam; ſed revelationem Dei dependêre à libera voluntate hominis, quod veriſſimum eſt. Siquidem ùt ait D. Hieronymus in cap. 26. Jerem. *Non ex eo, quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus novit.* Ac proinde, teſte D. Chryſoſtomo Homil. 60. in Matth. *Non quia futura prædixit, idcirco eveniunt; ſed quoniam omnia eventùra erant, idcirco prædixit.*

S. Hieronymus. S. Chryſoſt.

Joan. 12. *Propterea*, inquit Euangeliſta Ioannes cap. 12. v. 39. & 40. *non poterant credere* (Judæi) *quia iterum dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ùt non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Ad quæ verba D. Auguſt. tr. 53. in Joan. *Hoc autem Propheta prædixit, quia Deus futurum eſſe præſcivit. Quare autem non poterant ſi à me quæratur; citò reſpondeo, quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam revelavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt.* Putas autem, quia propterea Judæi non tenebantur credere, aut efficaciter ſperare Beatitudinem?

S. Aug.

Si dixeris; non licet nobis orare pro ſalute reproborum; ergo nec ipſis reprobis licet eam efficaciter ſperare. Antecedens probatur ex D. Auguſtino lib. 21. de Civit. c. 24 *Si de aliquibus Eccleſia ita certa eſſet, ut qui ſunt illi, etiam noſſet, qui licèt adhuc in vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipſo.* Ali[...]

Reſpondeo, D. Auguſtinum intelligendum de oratione, quæ oritur ex abſoluta voluntate ſalutis; cùm enim Deus non habeat abſolutam voluntatem eos ſalvandi, Eccleſia, quæ debet ſe conformare voluntati divinæ, non poteſt pro eis orare ex abſoluta voluntate ſalutis. Colligitur ex antecedentibus & conſequentibus; nam ibi agit Auguſtinus *Contra eorum ſenſum, qui in iudicio Deus omnibus reis propter Sanctorum preces putant eſſe parcendum*; ita ſonat titulus illius cap. Quem ſenſum indè refutat, quia *alioquin nulla cauſa eſt, cur non etiam nunc pro Diabolo, & Angelis eius oret Eccleſia, quam Magiſter Deus pro inimicis ſuis iuſſit orare.*

Et infrà ſic ait: *Si qui uſque ad mortem habebunt cor impænitens, nec ex inimicis convertentur in filios; nunquid iam pro eis; id eſt, pro talium defunctorum ſpiritibus orat Eccleſia? Cur ita, niſi quia iam* (ſcilicet poſt mortem) *in parte diaboli computantur, qui dum eſſent in corpore, non ſunt tranſlati ad Chriſtum?* Atque indubiè ſpiritibus talium defunctorum impoſſibilis eſt ſpes efficax Beatitudinis; cùm jam ampliùs non pendeat ſalus ab eorum libera voluntate, ſicuti pendebat, dum adhuc erant in corpore.

Cæteroquin ſi Eccleſia ſciret, infideles illos, qui poſt aliquot annos convertendi ſunt ad fidem, damnandos eſſe propter peccata, quæ poſt Baptiſmum committent, oraret nihilominus pro eorum converſione ad Deum, quod tamen pro Dæmone non facit; ergo locutio Auguſtini non eſt generaliter intelligenda. 2

Et aliunde, quemadmodum Deus, etiam poſitâ præſcientiâ damnationis Luciferi; voluit, quantum in ſe erat, ejus ſalutem, & ſufficientia auxilia contulit; ita pariter Eccleſia, cognitâ hominis adhuc viventis reprobatione, poteſt ejus ſalutem, quantum in ſe eſt, velle, & ex illa voluntate gratias ſufficientes pro eo poſtulare; & per conſequens homo reprobus adhuc vivens, cognitâ ſuâ reprobatione, adhuc poteſt, quantum in ſe eſt, efficaciter velle adhibere omnia media neceſſaria ad ſalutem, ad quæ adhibenda habet gratias ſufficientes; adeòque, quantum in ſe eſt, efficaciter deſiderare finem, id eſt, ipſam ſalutem æternam.

Ergo conſimiliter, ut tandem revertamur ad Concluſionem, licèt certò mihi conſtet 24
per-

per revelationem, quòd in tota vita mea non potero vitare, id eſt, non vitabo omnia peccata venialia, niſi ex ſpeciali privilegio; equidem poſſum efficaciter, quantum eſt ex me, proponere, nunquam aliquod peccatum veniale committere; quia poſſum ſaltem phyſicè omnia vitare, & à mea voluntate pendet, quòd non omnia vitentur, ita ut ſi facerem totum, quod poſſum facere, & debeo facere, nunquam venialiter peccarem.

Nec video quid difficultatis apprehendant quidam DD. in eliciendo ſufficienti propoſito omnium peccatorum venialium, quæ confeſſi ſumus, quaſi tantùm vellemus nos accuſare de frequentia ſeu collectione illorum; ſicut quando Religioſus accuſat ſe, quòd paſſim tranſgrediatur regularem obſervantiam, non accuſat ſe de ſingulis tranſgreſſionibus ſeorſim, ſed de collectione illa ſeu negligentia tali, & frequentia tranſgreſſionum, ad quod ſufficit proponere vitare illam frequentiam; & ita, inquiunt, poteſt quis ſolùm velle pro materia Confeſſionis dare frequentiam venialium, & non ſingula in particulari: hæc, inquam, ſpeculatio, quæ non caret ſuis difficultatibus, ut videre poteris apud alios Auctores, & ſimiles imaginationes, nullatenus ſunt neceſſariæ ad veritatem Confeſſionis peccatorum venialium communiter accidentium; quia communiter nullus commiſit, & per conſequens nullus confitetur omnia venialia, ſeu in omnibus ſpeciebus, quæ occurrere poſſunt.

Eſtò igitur non poſſit pœnitens omnia omnino venialia abſolutè vitare, quin in aliqua ſpecie ſubinde peccet; poterit tamen omnia ſimilia his, de quibus eſt confeſſus, proinde poteſt habere propoſitum efficax omnia illa vitandi, quod abſque dubio ſufficit ad veritatem Confeſſionis, & per conſequens, ut illa omnia remittantur.

246. Fateor, ſæpiſſimè homines relabuntur in eadem peccata venialia; ergo prius propoſitum non fuit efficax; negatur Conſequentia; nam relapſus ille oritur, non ex inefficacitate propoſiti, ſed ex fragilitate humana, & nimia frequentia occaſionum, quæ in cauſa ſunt, ut propoſitum de ſe efficax, id eſt, vi ſuâ excluſivum peccati, facilè evaneſcat, & expellatur per voluntatem contrariam.

Porrò ad hoc, ut propoſitum aliquod de ſe ſit efficax, & ſufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, non eſt neceſſarium, ut homo ſibi perſuadeat, quòd ſemper in tali propoſito ſit perſeveraturus, ita ut nunquam ſit habiturus contrarium; ſi enim hoc eſſet neceſſarium, multi carerent non ſolùm propoſito efficaci non peccandi venialiter; ſed etiam propoſito efficaci non peccandi mortaliter, dum vix ſibi poſſunt perſuadere talem perſeverantiam.

Unde communis ſententia eſt, quòd propoſitum efficax ſtare poſſit cum probabili, immo moraliter certo judicio de reincidentia omnibus conſideratis.

Sufficit ergo ad efficaciam propoſiti, quòd tamdiù quàm durat, non admittat voluntatem peccandi, etiamſi ſpectatâ fragilitate humanâ, non poſſit homo ſemper, & pro omni occaſione in propoſito perſeverare. Sed nunquid tale propoſitum habet, qui non vult deſerere proximam occaſionem peccati? Reſponſio erit *Quid ſufficiat ad efficaciam propoſiti.*

CONCLUSIO X.

Caret efficaci propoſito, qui non vult deſerere occaſionem proximam peccati; niſi fortè excuſet grave damnum ſpirituale vel corporale, alioquin verè imminens, nec alio modo impedibile.

Coninck diſp. 2. n. 130. Non videtur, inquit, requiri propoſitum ex ſe tam efficax vitandi omnia venialia, ſicut vitandi mortalia. Quia non ita tenemur vitare omnes occaſiones peccandi venialiter, ſicut occaſiones peccandi mortaliter. Quare non tam firmiter tenemur illud proponere, atque hoc. Idem eſt de propoſito adhibendi omnia media, quæ ad utramque vitationem judicantur aliquo modo neceſſaria. Teneor enim multò majorem operam dare, ut quæram media neceſſaria ad evitanda peccata mortalia, quàm ad venialia. Hæc ille. 247. *Sententia Regii, non requiri propoſitum ex ſe tam efficax vitandi omnia venialia, ſicuti mortalia.*

Et continuò infert: Unde ſequitur, nos faciliùs poſſe abſolvere relabentes in eadem peccata venialia, quàm relabentes in eadem mortalia; quia hic relapſus ſæpiùs eſt ſignum defectûs neceſſarii propoſiti peccata impoſterum vitandi; relapſus verò frequens in peccata venialia non tam facilè eſt ſignum defectûs talis propoſiti, ad eorum remiſſionem neceſſarii, cùm hoc poſſit contingere ratione frequentium occaſionum peccandi, quas non ita tenemur vitare in venialibus, atque in mortalibus; præſertim quando hoc cum notabili incommodo fieret. Huc uſque Coninck.

Quæ doctrina non caret difficultate, ut bene advertit Arriaga diſp. 38. n. 38. quia, inquit, ſicut mortalis occaſionem tenemur vitare ſub mortali, ita videmur obligari ſub veniali ad vitandas occaſiones veniales. Infero ego; ergo ſicuti non efficaciter proponit emendationem, qui non vult vitare occaſionem proximam peccati mortalis, niſi fortè juſta cauſa 248. *non caret difficultate.* *Arriaga.*

cauſa excuſet; ſic itidem non efficaciter proponit emendationem, qui non vult vitare occaſionem proximam ejuſdem peccati venialis, niſi juſta cauſa excuſet.

Differentia inter occaſionem proximam peccati mortalis, & venialis.

Interim differentia aliqua eſt, quòd ſæpiùs occurrat juſta cauſa non vitandi occaſionem proximam peccati venialis, quàm non vitandi occaſionem proximam peccati mortalis; eò quòd occaſiones peccatorum venialium frequentiſſimæ ſint, & maxima fragilitas hominis in committendis peccatis venialibus; adeòque moraliter impoſſibile, id eſt, non ſinè notabili incommodo poſſibile, eas occaſiones vitare. At verò occaſiones peccatorum mortalium rariores ſunt, & ideo faciliùs præcaventur, neque tanta eſt fragilitas hominum in committendis mortalibus.

249. Probatur Concluſ. ex Script. Eccli. 3.

Hâc ergo differentiâ ſuppoſitâ, Concluſio eſt communis DD. & probatio facillima, ùtputa: *Qui amat periculum, in illo peribit* Eccli. 3. v. 27. id eſt, qui ſinè juſta cauſa exponit ſe periculo proximo peccati, hoc ipſo peccat illo peccato, cujus periculo ſe exponit; ſed qui non vult deſerere occaſionem proximam peccati, ubì & quando commodè poteſt, exponit ſe periculo proximo peccati ſinè juſta cauſa; ergo hoc ipſo peccat illo peccato, cujus occaſionem proximam non vult deſerere; ergo non habet propoſitum efficax evitandi illud peccatum, ùt ſole meridiano clarius eſt.

Quæ ſit occaſio proxima & remota.

Prima explicatio Lugonis.

Quæris à me, quæ ſit occaſio proxima, & quæ remota? Proxima ab Aliquibus definitur, quæ talis eſt ex ſuo genere, ut frequenter homines ſimilis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experientiâ conſtat in hoc homine talem effectum habere. Remota, quæ talis non eſt ex ſuo genere, ut frequenter homines ſimilis conditionis ad peccatum mortale inducat, neque experientiâ conſtat, in hoc homine talem effectum habere. Cur autem illa appelletur proxima, & hæc remota; ratio videtur eſſe, quòd inter illam & peccatum nihil videtur mediare, propter quamdam conjunctionem neceſſariam moraliter, quam videtur habere cum peccato; hæc autem non ita videtur conjuncta, ſed remota, quatenus mediat major libertas hominis, per quam cônſequitur peccatum. Ita Lugo diſp. 14. n. 149.

250. Secunda explicatio, quæ videtur eſſe S. Gregorii de Pœnit. diſt. 5. c. 7.

Alii vocant occaſionem proximam, quod non poteſt abſoluiè, vel non ſinè magno periculo fieri, vel haberi ſinè peccato. Et hâc ratione putant loqui Gregorium Homil. 24. in Evang. & refertur de Pœnit. diſt. 5. c. 7. *Negotium*, inquit, *quod ante converſionem ſinè peccato exſtitit, hoc etiam poſt converſionem repetere culpa non fuit.* Et infrà: *Sunt enim pleraque negotia, quæ ſinè peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, ut poſt converſionem animus non recurrat.* Intelligit officium telonii, quod gerebat Matthæus ante converſionem.

Adde, quod refertur eâdem diſt. c. 6. ex Gregorio 7. in Synodo Romanâ celebratâ An. 1078. c. 6 *Falſas Pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm auctoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur; ideoq; quicumque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad Pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſtè detinent, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram Pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi negotium derelinquât, vel officium deſerat, vel odium ex corde dimittat, bona quæ injuſtè abſtulit reſtituat, arma deponat, niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia.*

Et cap. 2. eâdem ex Leone Papa Epiſt. 90. aliàs 92. ad Ruſticum Epiſc. c. 9. ſic ſcriptum habes: *Pœnitenti utilius eſt etiam diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi; quia difficile eſt, inter ementis, vendentiſque commercium, non intervenire peccatum.* Item cap. ſeq. *Contrarium eſt omnino Eccleſiaſticis regulis, poſt Pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem; cùm Apoſtolus dicat:* Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus. *Vnde non eſt liber à laqueis, qui ſe militia mundana voluerit implicare.*

Pi … qu … go … mi … eſt … do. … ipſi … occ … pec … tum … Lu

Nihilominus certum eſt, per ſe loquendo neque negotiationem, neque militiam deſerendam eſſe; etſi in ipſis plures occaſiones peccatorum occurrant, & difficile ſit aliquando non peccare, etiam graviter. Unde Ioannes Baptiſta interrogatus à militibus Luc. 3. v. 14. *Quid faciemus & nos?* Non ait illis: *Deſerite militiam:* ſed: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.*

Et verò nimis manifeſtum eſt, non in omni negotiatione eſſe periculum proximum peccati, ſaltem mortalis; quamvis hìc & nunc negotiatores ex mala voluntate, turpis quæſtûs gratiâ, peccent mortaliter: quòd bene advertit Leo Papa ſuprà c. 92. *Qualitas lucri negotiantem, aut excuſat, aut arguit; quia eſt & honeſtus quæſtus, & turpis.* Unde non dicit: *Pœnitenti neceſſarium eſt etiam diſpendia pati;* ſed inquit: *Pœnitenti utiliùs eſt etiam diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi.* Cæterùm fieri poſſet, ut talis eſſet negotiatio, & talis inclinatio ſeu propenſio negotiantis, v. g. ementis aut vendentis ad turpem quæſtum, ut, niſi alia cauſa excuſet, non deberet abſolvi ſinè propoſito negotiationem deſerendi. Et idem contingere poſſet in militia.

Quantum ad jura allegata, loquuntur de illis, quibus ob juſtas cauſas, in Pœnitentia publica vel privata prohibitum erat, redire ad militiam aut negotiationem, ùt notat Gloſſa in cap. *Contrarium.* verb. *Ad militiam*, ubì ſic ait: *Hoc eſt verum, cùm eſt ei injunctum &c. vel deliquit in ipſa militia ſuprà diſt.* 50. Si quis poſt.... 251.

251. Reſpo jur ad allegat contra

nam

nam cùm hoc eſt ei iniunctum nomine Pœnitentie, ne ad ſæcularia negotia unquam revertatur, tunc obſervare tenetur, aliàs excommunicatur infrà eadem cap. De his. *Sed ſi eſt ei iniunctum ſive privatam, ſive ſolemnem egerit Pœnitentiam, de cætero redire non poteſt ad ſæcularia negotia; quia quaſi perſona Eccleſiaſtica eſt, ut ſuprà diſt. 1. cap.* Aliud. *infrà cap.* De his. *niſi ſit negotium, quod ſinè peccato expediatur infrà cap.* Negotium. Hactenus Gloſſa.

Igitur fieri poteſt, ut negotiatio & militia, quamvis de per ſe non ſint occaſiones proximæ, quia cum gratia Dei ordinaria in iis officiis peccata omnia gravia evitari poſſunt, & à multis evitantur, licèt non ſinè aliqua difficultate; tamen hìc & nunc reſpectu hujus vel illius perſonæ moralem quamdam habeant connexionem cum peccato mortali; quibus proinde vel Abſolutio neganda eſt, vel deſerenda negotiatio aut militia, niſi aliunde ſubſit rationabilis cauſa, de qua infrà.

Unde non approbo, quod Aliqui docent apud Lugonem ſuprà nu. 150. prudenter abſolvi adoleſcentes, qui verſantur cum feminis laborando vel converſando, quæ in eadem domo non habitant, licèt ſæpè ex tali occaſione peccaverint mortaliter cogitatione, conſenſu, tactibus, vel copulâ; quia ea non cenſetur occaſio proxima, ſed remota; neque enim ex tali occaſione ſemper, aut ferè ſemper, ſolent homines peccare mortaliter, & aliunde ad tollendam illam occaſionem oporteret pœnitentem in eremum abire, ut omni commercio cum feminis liber eſſet.

Hanc, inquam, doctrinam generaliter intellectam, non poſſum recipere; neque Lugo poteſt recipere ſecundùm ſuam definitionem occaſionis proximæ, ſuperiùs relatam; quia experientiâ conſtare poteſt, in particulari adoleſcente talem converſationem frequenter talem effectum habere, id eſt, moraliter certò inducere ad peccatum mortale, ſive alii ejuſdem conditionis ſoleant frequenter peccare, ſive non.

254. Cur ergo illa converſatio, ſecundùm definitionem Lugonis, non erit occaſio proxima iſti particulari adoleſcenti? Erit planè; adeòque, niſi fortè excuſet grave damnum corporale vel ſpirituale alioquin incurrendum, tenetur deſerere illam converſationem, ſi velit debitè abſolvi; quomodo enim poteſt habere propoſitum efficax non peccandi, immo quomodo non vult peccare, qui illud vult, quod moraliter certò habet annexum peccatum?

Nonne qui vult caſum ex turri, cenſetur velle mortem corporalem, certò moraliter connexam? Nemo dubitat, niſi adſit juſta cauſa, quare cenſeatur velle iſtum caſum, & non mortem moraliter certò connexam. Sufficit ergo ad occaſionem proximam peccati, quòd in tali homine moraliter certò habeat adjunctum peccatum, ſive in aliis habeat talem effectum, ſive non.

Si inferas; ergo pecco mortaliter, exercendo actionem, quam in me comitatur moraliter ſemper pollutio, quamvis in aliis hominibus non ſoleat habere talem effectum. Probatur Conſequentia; quia eſt occaſio proxima. 255. *Objectio.*

Reſpondere poſſem cum Aliquibus, concedendo totum; ſi abſque ulla juſta cauſa hujuſmodi actionem exerceas, quia cenſeris interpretativè velle pollutionem, cùm ſcias illam ordinariè connexam hujuſmodi actioni; ſicuti prævidens homicidium in ebrietate, cenſetur illud interpretativè velle, & conſequenter peccat peccato homicidii, tametſi in aliis hominibus ebrietas non ſoleat illum effectum habere. *Solvitur primò.*

Alii reſpondent Neg. Conſ. quia non eſt occaſio proxima alicujus peccati; quia pollutio, quæ oritur viâ naturali ex miſeria corruptæ naturæ, non eſt ex objecto ſuo mala, ac proinde illam velle, non eſt peccaminoſum, ſaltem mortaliter; jam autem in caſu propoſito pollutio oritur viâ naturali ex miſeria corruptæ naturæ, & non ex aliqua cauſa extrinſeca per ſe influente, ùt ſuppono. 256. *Secunda ſolutio.*

Hinc non poſſes te inebriare ſinè peccato pollutionis, ſi ſcires, quod moraliter certò pollutio tunc tibi eveniat ex propria, vel aliena cooperatione; tametſi aliis hominibus in ebrietate id non ſoleat evenire. Et idem eſt, ſi ſcires ſubeſſe periculum conſenſûs.

Si rurſum inferas: ergo non pecco mortaliter, videndo mulierem ſpecioſam totam nudam, ſi per experientiam ſcio, me ex tali conſpectu nullatenus moveri ad libidinem; quamvis alioquin in aliis hominibus ſoleat habere talem effectum. 257. *Alia objectio.*

Reſpon. neg. Conſeq. quia, ſaltem ex natura ſuâ, talis aſpectus natus eſt in te cauſare talem libidinem, etſi hìc & nunc per accidens non cauſet: & idem eſt de tactu partium inhoneſtarum: unde ex illa parte aſpectus iſte (utì & ille tactus) eſt graviter illicitus; quia qui vult cauſam per ſe, vult etiam effectum, etſi hìc & nunc per accidens impediatur; & aliunde cauſa illa ratione effectûs, qui natus eſt ſequi, & regulariter ſequitur, quaſi objectivè mala eſt, & illicita, etiam tunc, quando certò ſcitur effectus non ſecuturus. *Solvitur.*

Quod etiam cernitur in lege poſitiva, v. g. in clauſura Monialium, quæ inducta eſt propter periculum incontinentiæ; quamvis enim in caſu particulari certò moraliter conſtet de ſumma continentia, equidem non ceſſat lex. Ergo ſimiliter quando ex jure naturæ *Ceſſante fine legis in caſu particulari non ceſſat lex.*

actio aliqua eſt illicita propter periculum libidinis, quæ per ſe nata eſt conſequi talem actionem, iſta actio manet illicita, eſtò hìc & nunc moraliter certò conſtet de ſumma continentia.

258. Cohabitatio quæ uni poteſt eſſe occaſio proxima, alteri ſolùm erit remota.

Cæterùm agitur hìc potiſſimùm de aliquo actu, qui ex ſe non eſt peccaminoſus, v. g. cohabitatione, vel converſatione mulieris cum viro, quamvis præbeat occaſionem ex mala voluntate cohabitantium peccandi, v. g. fornicandi; ut autem illa occaſio ſit proxima vel remota, attendi debet moralis conjunctio peccati hìc & nunc, conſideratâ qualitate perſonarum cohabitantium aut converſantium, & aliis circumſtantiis; unde cohabitatio aut converſatio, quæ uni poteſt eſſe occaſio proxima, alteri ſolùm erit remota, ùt omnes fateri debent.

Ut autem Confeſſarius rectum ferat judicium de illa morali conjunctione, multâ opus eſt prudentiâ; ſicut in aliis omnibus caſibus, qui pendent ex circumſtantiis rerum & perſonarum; neque certa omninò regula poteſt aſſignari.

259. Cohabitantes poſſunt abſolvi, ſi accedant cum extraordinario propoſito;

Hinc aliqui putant, ſimul cohabitantes, etſi frequenter ex illa cohabitatione peccent, poſſe nihilominus abſolvi, ſi cum propoſito extraordinario, aut ſingulari dolore confiteantur; hæc enim faciunt, ut illa cohabitatio jam non ſit occaſio proxima; quia tales homines jam fortiores ſunt, quàm antea, adeòque poſſumus ſperare victoriam tentationum; præſertim ſi non poſſint ſinè omni omninò incommodo ſeparari, & primæ vices ſint, quibus accedunt cum tali dolore & propoſito, v. g. ſi numquam velint eſſe ſolus cum ſola, nec longos miſcere ſermones, aut leviter jocari &c.

præſertim ſi ſinè incommodo non poſſint ſeparari, & ſint primæ vices.

Quid ſi ſæpiùs ſic fuerint confeſſi, & non poſſint ſeparari ſinè gravi incommodo?

Et dato, quòd adhuc foret occaſio proxima, ſi non poſſint ſeparari ſinè gravi damno, fortè poſſunt abſolvi, ùt habet ultima pars Concluſionis, dummodo reverà proponant ampliùs non peccare; tunc ſiquidem occaſio illa non eſt omnino voluntaria, vellent enim ſeparari, ſi commodè poſſent; & aliunde videtur adeſſe ſufficiens ratio, quare cenſeantur velle illam occaſionem, & non peccatum mortale moraliter annexum; veluti qui, ut evadat incendium, ſaltat per feneſtram, cum morali periculo mortis, non cenſetur intendere mortem, ſed ſolam evaſionem incendii.

Alioquin quid faceret filius-familias, qui ſolet peccare cum ancilla, quam ipſe non poteſt expellere; & à fortiori, ſi cum fratre vel ſorore? Nonne ipſi præcluſa eſt via obtinendi Abſolutionem à peccatis, eò quòd maneat invitus in illa occaſione, dummodo adhibeat remedia, quæ commodè poteſt adhibere?

Multorum ſententia eſt, poſſe abſolvi quæ tamen inefficaciter probatur, ùt rectè advertit Dicaſtillo diſp. 6. n. 340. ex cap *Conſultationi* 4. & cap. *Laudabilem* 5. de Frigidis & maleficiatis, ubi Lucius III. & Cæleſtinus III. permittunt, duos habitare ſimul, qui invalidè contraxerant Matrimonium propter impotentiam coëundi; hi, inquam, textus non ſatìs probant; quia illa cohabitatio non ſemper eſt occaſio proxima peccandi, ùt perſpicuum eſt in illis, qui mutuo conſenſu vovent caſtitatem, & tamen cohabitant ſicut frater & ſoror; porrò cohabitationem fratris cum ſorore, quis dixerit eſſe occaſionem proximam peccandi?

Et ſanè uterque Pontifex non ſolùm permittit, ſed manifeſtè ſupponit, licitam fore talem cohabitationem abſque alia juſta cauſa, Lucius III. cap. *Conſultationi* ibi: *Romana Eccleſia conſuevit in conſimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ùt ſorores.* Cæleſtinus III. cap. *Laudabilem* ibi: *Quod ſi ambo conſentiant ſimul eſſe, vir eam, etſi non ùt uxorem, ſaltem habeat ùt ſororem.*

Deinde in illis juribus nulla ſit mentio infamiæ vel ſcandali, ut propter illud vel illam evitandam concederetur cohabitatio, quæ aliàs eſſet occaſio proxima peccati. Patet inſpicienti.

Fortè Aliqui probarent hanc ſententiam exemplo Judith, & Æſther; quarum altera Holophernis nuptias licitas ſibi fore exiſtimavit, altera cum Aſſuero nuptias contraxit, utraque abſque ſpe converſionis viri, immo fortè cum periculo peccati: ùt de Judith fatetur Ambroſius lib. 3. de Officiis cap. 13. ibi: *Non expavit mortis periculum; ſed nec pudoris, quod eſt gravius bonis fœminis.* Et intrà: *Honeſtatis fuit ſe malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo.* Et idem poteſt dici de Æſther.

Adde dictum Sancti Baſilii de Conſtitutionibus Monaſticis cap. 4. *Qui urgente aliquâ causâ & neceſſitate ſe periculo objicit, vel permittit ſe eſſe in illo, cùm tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm invitus illud ſubire; & ideo magis providebit Deus, ne in illo peccat.*

Sed hæc verba non ſunt Baſilii. Quæ ergo? *Etenim bellum, quod præter voluntatem noſtram incidat nobis, excipere fortaſſe neceſſarium ſit; ipſum verò aliquem ſibi voluntariè creare, id verò ſumma ſtultitia eſt. Siquidem ignoſci et forſitan poßit, qui in priore illo victus ſit (nolim autem id Chriſti Athletis evenire) at qui in poſteriore hoc ſuperatus diſcedat, is, præterquam quòd rem admodum ridiculam facit, non meretur etiam, cur ſibi ignoſcatur. Quocirca fugiendæ in primis cum mulieribus nobis congreßiones ſunt, collocutioneſq́ue; neque ad eas umquam accedendum, niſi cùm graviſſima*

Digitized by Google

viſſima nos aliqua ad eas neceſſitas impellat, & aliter facere non poſſimus. Huculque Baſilius, docens Monachos ſuos, quòd nequaquam temerè cum mulieribus congredi, & colloquia texere conveniat; in quibus tamen colloquiis ordinariè non eſt periculum proximum peccati mortalis, de quo hic tractamus.

Similiter reſponderi poteſt ad exemplum Judith, & Æſther; videlicet non fuiſſe periculum proximum gravioris peccati; & indubiè licitum eſt, ſe exponere periculo remoto pro bono communi, immo & pro bono privato. Quidni etiam abſque ulla neceſſitate, cùm in humano conſortio foret difficillimum ac moraliter impoſſibile, ab iis periculis diſcedere? *Alioquin* (ùt dicebat Apoſtolus 1. Cor. 5. v. 10.) *debueratis de hoc mundo exiiſſe*, adeò nempe familiaria ſunt hæc pericula in ſingulis, ferè hominum ſtatibus, officiis & negotiis, etſi inæqualiter.

Atque ut fuiſſet periculum proximum, fortè id fecerunt ex ſpeciali inſtinctu divino: ſic quippe ait Judith Oziæ & Presbyteris: *Sicut quod potui loqui, Dei eſſe cognoſcitis, ita quod facere diſpoſui, probate ſi ex Deo eſt, & orate, ut firmum faciat Deus conſilium meum.* Judith 8. v. 30. & 31. Et cap. 10. v. 4. legitur: *Cui etiam* (ſcilicet Judith) *Dominus contulit ſplendorem, quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat.* Ex quo factum eſt, ut ſpecialiter Dominus illam cuſtodierit à peccato, ut ipſa fatetur cap. 13. v. 20. *Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis* &c.

Quidquid ſit de his exemplis, & aliis ſimilibus, quæ potiùs admiranda ſunt, quàm imitanda, ad ſummum probant, urgente extremâ neceſſitate; maximè boni communis, præſumi poſſe ſpeciale adjutorium Dei, uti præſumebat Judith, teſte Ambroſio ſuprà in fine cap. ibi: *Quanta honeſtatis auctoritas, ut Deum adjutorem præſumeret!* quâ præſumptione fit, ut jam ſit occaſio remota, quæ aliàs fuiſſet proxima, id eſt, ut jam non ſit moralis certitudo peccati, quæ aliàs fuiſſet.

Porrò unumquemque, etiam maximum peccatorem, probabiliter poſſe præſumere ſpeciale auxilium divinum, quandocumque commodè non poteſt occaſionem alioquin proximam deſerere; non facilè credidero. Et tunc quæſtio eſt, quomodo cum illa occaſione poſſit conjungi efficax propoſitum non peccandi de cætero.

Quòd autem conjungi non poſſit, oſtenditur hoc argumento: Si ſcires ex revelatione divina te damnandum, ſi talem domum intraveris, debes, etiam cum graviſſimo detrimento, non ſolùm privato, ſed etiam communi, ingreſſum illius domûs omnino fugere, ex obligatione ſaltem Charitatis erga teipſum, quâ debes velle, & procurare tibi bonum ſalutis æternæ, cum jactura cujuſcumque boni temporalis tam proprii, quàm alieni; immo etiam cum jactura æternæ ſalutis proximi; atqui majus malum eſt peccatum mortale, quàm infernus ipſe, & carentia æternæ Beatitudinis; ergo ex eadem obligatione debes omnino fugere occaſionem, ex qua moraliter certò ſequitur peccatum mortale, etiam cum graviſſimo proprio, vel alterius detrimento.

Reſpon. neg. Conſeq. ratio diſparitatis; quia æterna damnatio eſt phyſicè certa; peccatum autem mortale phyſicè contingens, utpote adhuc dependens à libera voluntate operantis. Deinde in inferno nulla eſt redemptio; at verò ſtatus peccati mortalis reparabilis eſt: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis* &c. *vitâ vivet, & non morietur.* Ezech. 18. v. 21. & alibi. *Reſponſio.* *Ezech.* 18.

266. Dices; pro ſalute totius mundi non licèt minimum mortale committere; neque ad evitandum infernum. Reſpondetur; neque minimum veniale; & tamen quis propterea dixerit, non poſſe quempiam manere in occaſione proxima peccati venialis, quando illam non poteſt deſerere, abſque gravi nocumento temporali, aut ſpirituali? Aliud ergo eſt peccare, quod nunquam licitum eſt; aliud permanere in occaſione proxima peccati, quando illam deſerere eſt moraliter impoſſibile. *Alia objectio ſoluta.*

Contrà; hoc eſt quod quæritur, an quando abſolutè eſt impoſſibile, deſerere occaſionem proximam, nolle deſerere non ſit actu peccare; qui enim non vult tollere cauſam per ſe, videtur hoc ipſo velle effectum à ſe ponendum; per conſequens velle peccare, cùm peccatum proprium, ùt ſupponitur, certò moraliter ſit committendum. *Sed ſolutio videtur eſſe petitio principii.*

267. Nec dixeris; ſolùm permittit peccatum proprium; quia videtur eſſe implicatio in terminis, ſi enim peccatum proprium eſt, propriâ voluntate committitur, & non tantùm permittitur alienâ voluntate committendum. Unde non ſatis intelligo, quomodo Doctores communiter in hac materia efficaciter argumententur à permiſſione peccati alieni; quæ indubiè licet ex juſta & rationabili cauſa, qualis eſt grave reſpectivè damnum corporale, aut ſpirituale, ad permiſſionem, ùt vocant, proprii peccati. *Non valet argumentum à permiſſione alieni peccati ad permiſſionem proprii peccati.*

Haud dubium quin Deus poſſit permittere peccata hominum, & de facto permittat: *Non fit aliquid*, inquit Auguſt. Enchir. cap. 95. & 96. *niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat,* *Deus permittit peccata hominum.*

fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum, Deum facere bene, etiam ſinendo fieri, quæcumque fiunt malè; non enim hoc niſi juſto judicio ſinit. Et profectò bonum eſt omne quod juſtum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, ut eſſent & mala, nullo modo ſinerentur eſſe ab Omnipotente bono.

268. *Permiſſio iſta peccati aliquando eſt effectus prædeſtinationis; Rom. 8. S. Aug.* Et hanc ipſam permiſſionem peccati, exiſtimo poſſe eſſe effectum prædeſtinationis: *Quoniam*, ùt ait Apoſtolus Rom. 8. v. 28. *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Vſque adeò prorſus omnia* (utor verbis D. Auguſtini lib. de Corrept. & Grat.) *ut etiam ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.* Ergo licet Deum orare pro permiſſione peccati tam proprii, quàm alieni.

non ideo tamen licet orare pro permiſſione proprii peccati. Negatur Conſeq: Ratio diſparitatis aſſignatur à Doctoribus; quia peccatum proprium non fit ſinè propria voluntate, adeòque petere permiſſionem proprii peccati eſſet petere proprium peccatum; non ſunt autem facienda mala, ut eveniant bona; velle autem permiſſionem alieni peccati, non eſt velle illud efficere; ſed eſt velle illud non impedire, quod licet ex juſta cauſa. Ergo ſimiliter velle occaſionem proximam proprii peccati, eſt velle proprium peccatum; velle autem occaſionem proximam alieni peccati, non eſt velle illud efficere; ſed eſt velle illud non impedire.

269. *Objectio.* Dices; in caſu Concluſionis non eſt voluntas occaſionis proximæ; nam ſi commodè poſſet fieri, non permaneret pœnitens in illa occaſione; ſed potiùs permiſſio occaſionis; ergo non eſt voluntas peccandi, ſed potiùs permiſſio peccati.

Solvitur. Reſpondeo; qui fornicatur ex metu mortis, nollet fornicari, ſi commodè poſſet; & tamen non ſolùm permittit fornicationem, ſed poſitivè illam vult; ſicut ergo illa fornicatio propterea non excuſatur à peccato, quia videlicet non fieret, ſi abeſſet metus; pari ratione videtur, quòd permanere ex metu mortis in occaſione proxima peccati, non debeat excuſari à peccato ex eo, quòd homo non permaneret, ſi metus abeſſet.

270. *Inſtantia.* Inſtas; illa permanentia non eſt mala, niſi ratione peccati; quod moraliter illi connectitur; ſed permanens non vult illud peccatum, neque expreſsè, ùt ſuppono, neque interpretativè; quia adeſt juſta cauſa, quare non cenſeatur velle peccatum conſequens; ſed meram v. g. cohabitationem, ex qua ſequitur peccatum.

Sicuti qui ex neceſſitate, v. g. chyrurgus, curandi causâ aſpicit, aut tangit partes inhoneſtas, non cenſetur velle motus inhoneſtos, naturaliter conſequentes; utì & ille, qui permittit ex eadem cauſa tales tactus. Idem eſt de Confeſſariis, qui ex auditu turpium patiuntur tales motus, aut etiam pollutionem.

Reſpondeo diſparitatem eſſe; quòd illi motus ſequantur naturaliter, contra expreſſam voluntatem patientis ejuſmodi motus, in noſtro autem caſu peccatum non ſequitur, niſi ex libera voluntate illud operantis; adeòque qui vult permiſſionem proprii peccati, ſicut indubiè vult, qui permanet in proxima occaſione, vult peccare; cùm illa permiſſio dicat intrinſecum ordinem ad proprium peccatum. Alioquin quare non poſſum petere à Deo permiſſionem proprii peccati, ſicut alieni?

Paritas eſſet in exemplis allegatis, ſi foret proximum periculum conſensûs; & tunc eſt præſens difficultas, an liceant illi aſpectus, vel tactus causâ curationis. Similiter an liceat audire Confeſſiones, cum periculo conſensûs in pollutionem. Et qui negaret eſſe licitum, neſcio quomodo efficaciter redargueretur; non enim ſunt facienda bona, ut eveniant mala; quod intelligo non tantùm quando illud malum eſt finis intentus actionis bonæ, tunc enim res plana eſt; ſed etiam, quando operi bono moraliter certò annectitur propria operatio mala; ſecùs operatio mala alterius, qui poſſet, ſi vellet, à malo abſtinere. Ratio diſparitatis; quia nunquam licet peccare, licet autem aliquando permittere peccatum alterius; per conſequens licet aliquando dare occaſionem proximam peccati alieni; ſecùs peccati proprii.

Hinc Rituale Rom. Tit. de Pœnitentia: *Videat*, inquit, *diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit Abſolutio; ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces: quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, aut vitam in melius emendare nolunt.* Non dicit: *Proximam peccandi occaſionem deſerere, ſi poſſunt*, ſicut dixerat de reſtitutione: *Aliena, ſi poſſunt, reſtituere*; ſed ſimpliciter: *Aut proximam peccandi occaſionem deſerere*, tacitùs innuens, nullam dari cauſam excuſantem; ſicut bene datur cauſa excuſans à reſtitutione.

Si inferas; ergo parvulo, certò morienti ſinè Baptiſmate in domo concubinæ, non licebit eam intrare, ſi eſt proximum periculum conſensûs in peccatum; tranſeat totum.

Sed contra: taliter conſtituto debet quis ſuccurrere jure divino. Reſpondeo; ſi poteſt abſque peccato; alioquin, ùt ſuprà dixi, pro ſalute totius mundi non licet peccare; non ſolùm, quando peccatum eſt medium neceſſarium; ſicuti v. g. ſi aliqua diceret: *Occidam me ipſam, niſi mecum fornicaris*; ſed etiam quando moraliter certò connectitur medio, alioqui bono, ad ſalutem neceſſario.

Reponis; eſt petitio principii; quæritur enim, an peccet conſtituendo ſeipſum in proxima occaſione peccati. Reſpondeo: quæritur, an illa neceſſitas excuſet actum connexum à mali-

à malitia peccati, quam aliàs haberet; ſi excuſas, manifeſtum eſt, quòd liceat ſe conſtituere in proxima occaſione illius actûs, ſicuti (utor exemplis Sancii in Select. diſp. 10.) qui dives eſt, & excercet officium fabri, ſive ferrarii, ſive lignarii, non tenetur die jejunii ceſſare ab opere, ut poſſit jejunare; neque ille, qui properat ad nundinas, tenetur, ut audiat Sacrum die Feſto iter interrumpere, ſi occaſio elabatur è manibus. Ratio; quia illa omiſſio Sacri deſinit eſſe mala, ſimiliter non obſervatio jejunii. Quid ergo mirum, ſi talis non peccet? Sed de hoc non quæritur in præſenti.

Suppoſito autem, quòd actus conſequens, & moraliter certò connexus, ſit & maneat verum peccatum (ût in caſu propoſito manet) & aliquis diceret, occaſionem proximam, in quantum talem, nullo caſu diſtingui moraliter ab ipſo peccato, nonne dilucidè ſequeretur, ſicuti, non obſtante graviſſimâ neceſſitate, illicitum eſt velle peccare; ita pari paſſu illicitum eſſe, velle illam occaſionem, quæ moraliter eſt ipſum peccatum?

Dices cum Herincx parte 2. diſp. 7. n. 72. Urgente neceſſitate poteſt, & debet pœnitens ſperare de divina bonitate & gratia, adhibitis cautelis ſuggerendis, ſe non lapſurum in occaſione, quam alioquin paratus eſſet dimittere; ſicut ſperare debet & abſolvi poteſt, cui vitare occaſionem eſt phyſicè impoſſibile, v. g. ob periculum in propria carne, ob inevitabilem concluſionem in eodem loco cum concubina, &c.

Sed contrà; ſi poteſt ſperare de divina bonitate ſe non lapſurum, jam non erit occaſio proxima, ſed tantùm remota, ſicuti quando adhibet media extraordinaria, quibus prudenter ſperat homo ſe præſervare à peccato, ût ipſe Herincx docet n. 70. ergo non eſt caſus, de quo quæritur.

Et ſanè ponamus aliquem, qui in iiſdem circumſtantiis ſæpiùs peccavit, quomodo poteſt ille hâc vice ſperare de bonitate divina ſe non lapſurum? Si enim bonitas divina, non obſtante extremâ neceſſitate proximi, non cuſtodivit ipſum à lapſu primâ vice, nec 2. nec 3. quo fundamento talis poteſt ſperare, quòd vigeſima vice eum cuſtodiet? Deinde ponamus, quòd Deus revelaſſet ipſi, quòd peccaret, ſaltem tunc non poteſt ſperare de ſpeciali bonitate divina. Et de illo caſu quæritur.

Nec valet argumentum ab impoſſibilitate phyſica, ad moralem; quia nec ipſa fornicatio erit peccatum, ſi eſt phyſicè impoſſibile eam vitare. Numquid indè rectè infertur, ergo etiam non erit peccatum, ſi eſt moraliter impoſſibile eam vitare, v. g. quia vel fornicandum eſt, vel moriendum? Liquet ſanè quòd illa Conſequentia non valeat; ergo ſimiliter, licèt impoſſibilitas phyſica excuſet à peccato occaſionem proximam, non ideo impoſſibilitas moralis; quia cum impoſſibilitate morali ſtat libertas ſufficiens & neceſſaria ad peccandum; ſecùs cum impoſſibilitate phyſica.

Inſtas cum Aliquibus; poſſum deſiderare amico, aut ſaltem permittere, ut incidat in aliquod peccatum, ad hoc ut caveat à multis aliis, in quæ caderet, ſi illud non committeret. 276. *Inſtantia*

Eſto, quid tum? Ergo poſſum mihi ipſi deſiderare, ut incidam in aliquod peccatum, ad hoc ut caveam à multis, in quæ caderem, ſi illud non committerem. Exiſtimas, quia Conſequentia iſta teneat? Conſequenter exiſtimare debes, quòd ſicut poſſum Deum orare, ut permittat peccatum proximi, quando illa permiſſio eſt effectus prædeſtinationis ipſius, ita quoque poſſim orare, ut Deus permittat me peccare, quando ſimiliter illa permiſſio eſt effectus meæ prædeſtinationis: quod an verum ſit, nolo diutiùs diſputare, diſparitatem ſuperiùs aſſignavi, cui hæc non placet, quærat meliorem; vel conſequenter totum admittat, & explicet nobis, quare potiùs poſſim deſiderare mala facere, ut eveniant bona, quàm facere mala, ut eveniant bona. *Solutio.*

Deinde perquiro; abſolutè parato committere peccatum mortale, poſſum perſuadere, ut potiùs committat peccatum veniale? Planè, inquis, quia hoc eſt non tam ſuadere peccatum minus, quàm abſtinentiam à peccato majori, quæ abſtinentia indubiè licita eſt. Quæro rurſum, ut aliquis evadat mortem temporalem, aut aliud damnum æquivalens, poſſum ei ſuadere ut peccet mortaliter, vel venialiter? Nemo audet affirmare. Cur hoc? Quia quodlibet peccatum eſt majus malum, quovis malo temporali, & non obſtante, quòd ſit neceſſarium ad evitandum iſtud malum, manet peccatum. 277. *Proponitur duplex quæſtio ab Auctore, & reſponſio ad primam.*

Prorſus, reponis; ſed permanentia in occaſione proxima peccati, quando eſt neceſſaria ad evitandum grave damnum corporale, non eſt peccatum: non enim intenditur peccatum moraliter connexum, ſed tantùm evitatio damni temporalis, ad quam impertinenter ſe habet peccatum; adeòque peccatum non eſt voluntarium neque in ſe, neque in cauſa. *Reſpondetur ad ſecundam.*

Veluti, ſecundùm Multos, Sampſoni non erat propria mors voluntaria, nequidem in ſua cauſa (ideòque excuſant ipſum à peccato) quia ruina domûs, quâ ſeipſum cum hoſtibus oppreſſit, duplicem habebat effectum, æquè immediatum; unum bonum, ſcilicet mortem hoſtium; alterum malum, nimirum propriam mortem; & bonus effectus, qui ſolùm expreſſè intendebatur, alterius malitiam elidebat.

Ergo ſimiliter in caſu Concluſionis; cùm

Digitized by Google

permanentia in occaſione proxima duplicem habeat effectum, aut quaſi effectum, æquè immediatum, & neceſſarium, videlicet evitationem mortis, & peccatum, v. g. fornicationis; evitatio mortis, quæ ſola expreſsè intenditur, alterius malitiam elidet; immo peccatum non eſt effectus, niſi merè per accidens, utpote conſequens ex libera voluntate peccantis, qui poſſet non peccare ſi vellet. Adde, fieri poſſe, ut evitatio damni ſit effectus magis immediatus.

278. *Rejicitur ab Auctore.* Reſpondeo; etiam fieri poteſt, ut peccatum ſit effectus magis immediatus, v. g. ut Confeſſarius priùs peccet audiendo Confeſſionem, quàm abſolvat pœnitentem in extrema neceſſitate; ut priùs peccet cum concubina, quàm baptizet parvulum, moriturum abſque Baptiſmo. Præterea evitatio damni non magis eſt effectus per ſe, quàm peccatum; nam, ut patet in exemplis mox allegatis, pendet à libera voluntate Confeſſarii auditâ Confeſſione abſolvere, vel non abſolvere, pendet à libera voluntate illius, qui intravit domum concubinæ, baptizare parvulum morientem, vel non baptizare.

Bonitas unius effectûs in caſu propoſito non elidit malitiam alterius. Denique perſpicuè manifeſtum eſt, bonitatem unius effectûs non elidere malitiam alterius; quia fornicatio cum concubina æquè mala eſt, ſive conjungatur Baptiſmo parvuli jam morientis, ſive non conjungatur. Ex quo apparet magna diſparitas inter hoc exemplum, & exemplum Sampſonis; nam propter conjunctionem mortis propriæ cum morte inimicorum, mors propria, quæ alioquin fuiſſet peccaminoſa, deſiit eſſe peccaminoſa ſecundùm illos Doctores; quia quæ aliàs fuiſſet mors directa, jam ſolùm erat indirecta, de quo alibi plura diximus, quæ non eſt opus hìc repetere. Vide diſp. 2. ſect. 1. conclu. 7. ubi de projectione parvuli in flumen, cum certa ejus ſubmerſione.

279. *Quare in Concluſ. addatur ly Forte. Suarez. Sanchez. Salas. Palao. Baſ. Pontius. Joan Sanchez. Lugo. Dicaſtillo. Arriaga. Diana. Herincx.* Meritò ergo in ultima parte Concluſionis addidi ly *Forte*, ut oſtenderem incertitudinem ſententiæ alioquin ſatis communis, pro qua videri poſſunt Suarius diſp. 32. ſect. 2. n. 4. Sanchez lib. 1. Sum. cap. 8. n. 3. Salas 1. 2. q. 6. a. 6. tr. 3. diſp. 3. ſect. 1. n. 31. Palao tom. 1. tr. 2. de peccat. eſſentia diſp. 2. puncto 9. §. 3. n. 8. Baſilius Pontius l. 5. de Matr. c. 35. n. 4. Joannes Sanchez in Select. diſp. 10. n. 8. Lugo diſp. 14. ſect. 10. Dicaſtillo diſp. 6. n. 19. Arriaga diſp. 38. ſect 5. Herincx ſuprà, Diana 3. parte tr. 4. reſol. 269. & alibi.

Hoc firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, multâ opus eſſe conſideratione & prudentiâ Confeſſarii, in diſcernenda & decernenda debita gravitate illius mali, ad quod evitandum, alioquin verè imminens, nec alio modo impedibile, pœnitens poteſt ſe exponere periculo proximo peccati; non enim ſufficit quodcumque malum, ſed oportet ſit reſpectivè grave, id eſt grave comparatione peccati, cujus periculo proximo pœnitens ſe exponit.

Joannes Sanchez in Select. diſp. 10. n. 20. ſic ait: Infero duodecimò & ultimò, negandam non eſſe Abſolutionem ei, qui ſuæ concubinæ, quam domi habet, mutuo dedit centum aureos, quorum recuperandorum ſpes nulla ſupererit, ſi domo illam ejiciat. Vel è contrà, ſi fœmina non recuperatura eſſet centum ſibi debita, ſi domum concubinarii deſereret; dictum eſt enim ſuprà; quòd nullus teneatur occaſionem proximam vitare cum magno ſuo detrimento; nec tunc dicetur velle occaſionem, ſed permittere; cùm non abigere occaſionem, non oriatur, quia velit pœnitens in illa permanere, ſed quia velit non incurrere damnum quod abjectâ occaſione obveniret. Unde nec tenebitur domo ejicere concubinam, ſi concubinario ſit nimis utilis ad lucrandum bona temporalia mediâ negotiatione. Sicut enim qui dives eſt, & officio laborioſo fungitur, ùt ferrarii vel lignarii; aſtrictus non eſt in die jejunii ab officio ceſſare, nec qui ad nundinas properat, tenetur, in die feſtivo audire miſſam, ſi ob id occaſio accedendi elabatur, quantumcumque intendat ad nundinas ire cauſâ augendi lucrum, ſic nec concubinam ejicere erit obnoxius concubinarius, ſi ex ejectione magnum emolumentum eſſet non acquiſiturus; ſufficit namque proponere deinceps non peccare. Immo etſi concubina nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò, *Regalo*, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula ad id nimis difficilè adinveniretur, ejicere illam non erit concubinarius obligandus; quia oblectamentum in dictis circumſtantiis eſt majoris æſtimationis, quàm quodcumque bonum temporale, ob quod fas erit cuique admittere fœminam ad ſui famulatum, quantumcumque metuat labendi periculum, ſi aliam non inveniat paris qualitatis illis in rebus, quæ ſibi ſunt maximè utiles. Hucuſque Sanchez.

Sed an hæc ſint probabilia (inquit Diana tom. 5. tract. 14. reſol. 108.) aliis judicandum relinquo; quilibet enim tenetur ſaluti propriæ conſulere, etiam cum aliquo corporali & temporali detrimento. Ita hic Auctor. Ego cum Arriaga ſuprà n. 35. judico illos caſus omnino eſſe improbabiles; quia ut gratiam faciant concubinario in uno puncto centum aureorum, aut ſapidiorum ciborum, vel alicujus lucri temporalis, reddunt illum totâ vitâ graviſſimè peccantem, & obnoxium mille periculis æternæ damnationis. Si aliquis detur caſus, in quo liceat ſe exponere periculo proximo peccandi mortaliter, erit caſus extremi periculi æternæ ſalutis, aut vitæ corporalis, 2 *Rej tan imp lis, part nat Sed ſoli*

vel

Digitized by Google

vel alterius boni, judicio prudentum æquivalentis.

Et verò poſt hæc ſcripta, prodiit decretum Sanctiſſimi Domini noſtri Alex. 7. de die 18. Martii a. 1666. in quo ad minùs tamquam ſcandaloſam damnat ac prohibet hanc propoſitionem: *Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo* Regalo, *dum deficiente illâ nimis ægrè ageret vitam & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Cæterum ſi à me quæritur, an hactenus dicta tantùm intelligenda ſint de occaſione proxima peccati determinati, v. g. fornicationis; an verò etiam intelligi poſſint & debeant, de occaſione proxima peccati indeterminati, v. g. ſi quis ex ſocietate alterius experiatur, ſe ordinariè induci ad peccandum mortaliter, ſive peccato furti, ſive fornicationis, ſive alicujus alterius ſpeciei.

Reſpondeo citiùs, me non videre rationem diſparitatis; quippe non minùs teneor vitare peccatum indeterminatum, quàm determinatum; immo fortè magìs, cùm tunc exponerem me periculo cujuſcumque peccati graviſſimi, v. g. blaſphemiæ; aliàs ſolùm periculo peccati minoris, v. g. fornicationis, ac proinde non minùs pecco, exponendo me periculo peccati indeterminati quàm determinati, quando æquè commodè utrumque periculum poſſum evitare.

Quod addo; quia fieri poteſt ut non ſinè maxima difficultate auferatur cauſa peccandi in communi, ſeu cauſa peccati indeterminati; cùm aliàs facillimè poſſit evitari cauſa peccati determinati. Exempli gratiâ, aliquis experimento didicit, ſe ex aſpectu fœminarum indifferenter ſæpiſſimè graviter ruere; ut autem hoc periculum declinaret, deberet ſe à communi hominum conſortio ſeparare, tantùmque ibi eſſe, ubì nulla ei fœmina occurreret, quod, ùt patet, difficillimum eſt.

Alius experimento didicit, tantùm ſe peccare mortaliter ex aſpectu hujus fæminæ in particulari; ut autem hoc periculum declinet, ſufficit v. g. ut tali hora maneat domi, ut non tranſeat per talem plateam &c. quæ liquet non adeò difficulter fieri poſſe.

Aliud exemplum, aliquis moraliter certus eſt, quòd, ſi maneat in mundo, aliquando peccabit mortaliter hoc vel illo peccato indeterminato; putas quia tenebitur intrare Religionem, ut illud periculum evitet? Non eſt credibile.

Loquimur ergo in caſu, quo æquè facilè declinatur periculum peccati indeterminati, atque determinati, v. g. ſcio quòd intrando iſtam domum peccabo peccato fornicationis determinatè, & intrando hanc domum peccabo peccato fornicationis, vel adulterii, vel furti &c. indeterminatè, & poſſum æquè commodè ingreſſum utriuſque domûs declinare, dico, quòd non minùs, ſed potiùs magìs peccet, intrando hanc domum, cum periculo peccati indeterminati, quàm intrando iſtam domum, cum periculo peccati determinati.

Si dixeris; inter ingreſſum hujus domûs, 284.
& peccatum, debet mediare proxima tentatio ad tale peccatum in particulari, nulla autem eſt tentatio proxima ad peccatum in communi; ergo ingreſſus hujus domûs non eſt occaſio proxima. Objectio;

Reſpondeo; occaſionem dici proximam, non quòd inter illam & peccatum nihil mediet; ſed quòd inter ipſam & certitudinem moralem peccati futuri nihil mediet. Alioquin non deberem vitare ludum, quamvis ſcirem, ejus occaſione ſæpiùs me blaſphemare; quia videlicet mediare debet tentatio, orta ex communiter accidentibus in ludo. Similiter non tenerer vitare tranſitum per plateam, quia mediare debet aſpectus fœminæ, ex quo oritur proxima occaſio ſeu tentatio, quæ abſurda ſunt, dummodo certò moraliter illa ponenda ſint, ex quibus oritur proxima tentatio ad tale peccatum in particulari. Ac proinde qui expertus eſt, jejunium hodiernum eſſe neceſſarium, ad vincendam tentationem craſtinam, non debet expectare in craſtinum; ſed hodie debet jejunare, vel aliud remedium adhibere; quamvis debeat mediare tentatio; quia nimirum ex carentia illius remedii, ſequitur moralis certitudo peccati futuri. Solvitur primò.

Deinde, ſicut poteſt dari peccatum in communi, id eſt, actus, quo quis in genere amplectitur objecta naturæ grata, nihil curans de offenſa divina, aut damnatione æternâ, cur ſimiliter non poſſit dari tentatio proxima ad peccatum in communi? Non videtur dubitandum. Putas qui vellet peccare mortaliter, non determinando certam ſpeciem peccati, nō peccaret mortaliter? Scio quia non putas, & ideo nobiſcum dic; caret ſufficienti propoſito, qui non vult deſerere occaſionem proximam peccati indeterminati, ubì & quando commodè poteſt eam deſerere. 285. Solvitur ſecundò.

Sed quid ſi manens in occaſione, ubì & quando commodè non poteſt eam deſerere, ſemper relabatur? Nonne ſemper abſolvendus eſt? Reſpondeo:

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO XI.

Licitè manens in occaſione proxima peccati, tametſi ſemper relabatur, poteſt abſolvi, quotieſcumque habet efficax propoſitum; non ſemper debet abſolvi.

286. *Probatur 1. pars Concluſ. Lugo. Sanchez. Dicaſtillo. Averſa. Arriaga. Herinckx.* Prima pars eſt Lugonis diſp. 14. n. 156. poſt Joannem Sancium in Selectis diſput. 10. n. 16. & alios Theologos. Lugonem ſequitur Dicaſtillo diſp. 6. n. 362. Averſa quæſt. 11. de Pœnit. ſect. 3. Arriaga diſp. 38. n. 38. Herincx parte 2. tr. 2. diſp. 7. n. 74 Probatur; quia nihil aliud requiritur, ut Confeſſarius poſſit abſolvere; quàm ut prudenter judicet, pœnitentem habere animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero: ſed poteſt Confeſſarius aliquando prudenter judicare, pœnitentem, de quo loquitur Concluſio, habere animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero; ergo &c.

Major eſt certa, & Conſequentia evidens; Minor probatur ab Aliquibus: quia vera Contritio ſtat cum morali certitudine relapsûs, ùt patet in iis, qui quotidie relabuntur in eadem peccata venialia; quibus tamen propterea non denegatur Abſolutio, quantumvis etiam occaſionem proximam illorum peccatorum non auferant, ubì & quando commodè poſſent auferre.

287. *quam probationem Lugo exiſtimat non eſſe efficacem.* Hoc argumentum deſumptum à peccatis venialibus (inquit Lugo ſuprà n. 157.) non eſt efficax; quia minùs requiritur ad propoſitum circa venialia, quàm circa mortalia: neque enim qui proponit circa venialia, tenetur adhibere tantam diligentiam in tollendis occaſionibus. Fatemur ergo, perſeverantiam in occaſione, non repugnare ſecundùm ſe, cum propoſito vitandi illud peccatum; neque ideo negatur Abſolutio perſeveranti in occaſione proxima, quia illa perſeverantia præcisè repugnat cum vero propoſito; ſed quia velle perſeverare ſcienter in tali occaſione proxima peccati mortalis, eſt novum peccatum mortale: obligatio enim non peccandi mortaliter affert obligationem vitandi periculum proximum peccandi mortaliter, cui obligationi non ſatisfacit, qui cùm poſſit non vult relinquere occaſionem proximam, & ideo non abſolvitur, quia conſtat illum non habere propoſitum non peccandi, cùm actu peccet non vitando illam occaſionem proximam, quam ſub peccato tenetur relinquere.

Hæc autem ratio non procedit in eo, qui confitetur venialia; nam propter levitatem materiæ non tenetur homo ſub novo peccato ad tollendas occaſiones proximas eorum; tum quia ſunt innumeræ; tum quia non tanti refert peccatum leve, ut ſub peccato ſit etiam obligatio vitandi ejus periculum. Hucuſque Eminentiſſimus.

Sed gratìs videtur ſupponere, quòd, propter levitatem materiæ, non teneatur homo ſub novo peccato, ad tollendas occaſiones proximas peccatorum venialium; licèt enim levitas materiæ excuſet à peccato mortali, unde conſtat quòd excuſet à novo peccato veniali? Numquid ipſa voluntas peccandi venialiter, excuſatur à peccato veniali, propter levitatem materiæ? Jam autem velle occaſionem proximam peccati venialis, ubì & quando commodè poteſt evitari, eſt velle interpretativè ipſum peccatum veniale; ergo novum peccatum veniale.

Unde exiſtimo non eſſe abſolvendum à peccato veniali, quod unicum confitetur, qui, ubì nulla eſt neceſſitas, equidem nollet vitare occaſionem ejus proximam; quia ſtare non poſſunt ſimul, voluntas de cætero non peccandi illo peccato veniali, & voluntas interpretativa ejuſdem peccati, eodem modo, quo non ſtant ſimul voluntas de cætero non peccándi mortaliter cum voluntate interpretativa peccandi mortaliter. 2

Igitur Confeſſarii, qui paſſim abſolvunt pœnitentes, relapſos in eadem venialia, vel ſupponunt, aut certè ſupponere debent, non adeſſe occaſionem proximam, vel ſi adſit commodè non poſſe eam evitari. Ergo ſicuti pœnitens, ſæpiùs relapſus in idem peccatum veniale, poteſt abſolvi, dummodo non adſit occaſio proxima, vel ſi adſit, commodè non poſſit eam evitare; ita etiam ſæpiùs relapſus in idem peccatum mortale poterit abſolvi, dummodo non adſit occaſio proxima, aut ſi adſit, non poſſit commodè, juxta dicta Concl. præcedenti, eam evitare.

Probatur ex Lugone ſuprà n. 158. Quia ſicut primâ vice potuit abſolvi, eò quòd cum tanto detrimento non tenebatur auferre occaſionem illam; ſic propter idem detrimentum, quod perſeverat, excuſatur tempore ſequenti ab auferenda occaſione, neque eſt unde orta fuerit gravis obligatio nunc auferendi occaſionem, quæ obligatio antea non eſſet: ergo ſi antea excuſabatur, excuſatur etiam nunc. Hæc ille. 29

Nec poteſt objici, niſi quòd frequens ille relapſus, ſit ſignum manifeſtum incorrigibilitatis, permanente occaſione proximâ. Sed ad hoc reſpondetur; hoc ipſo quo in prima Confeſſione Confeſſarius judicabat occaſionem proximam, judicabat etiam quamdam incorrigibilita- 291. *Objectio. Solvitur.*

gibilitatem, alioquin non fuiſſet occaſio proxima, hoc eſt, quâ ſtante homo moraliter loquendo ſemper ferè peccat; neque debuiſſet eam deſerere, tametſi potuiſſet ſinè gravi ſuo incommodo; ſi ergo primâ vice potuit eum abſolvere, etiam poterit ſecundâ & vigeſimâ; neque enim propoſitum efficax minùs opponitur per ſe loquendo certitudini de uno lapſu, quàm de pluribus; ſi ergo ſimul ſtat cum morali certitudine de uno peccato, etiam ſtabit cum certitudine de pluribus.

Quid ſi enim occaſio proxima ſit phyſicè inevitabilis, v.g. fragilitas fundata in propria carne & natura pœnitentis, quam non poteſt abjicere, tametſi velit? Vel ſi dixeris illam poſſe vinci orationibus, jejuniis &c. ponamus aliquem cum concubina inevitabiliter concluſum in eodem cubiculo; peccat ſemel, ſecundò, tertiò, numquid minùs abſolvendus tertiâ vice, quàm primâ, ſi ſemper habeat efficax propoſitum? Et verò cur tertiâ vice non poſſit habere efficax propoſitum, ſicut habuit primâ vice?

Fateor, ex illo frequenti lapſu ſæpiùs prudenter colligi propoſitum non fuiſſe, aut non eſſe efficax; etenim qui efficaciter & ſeriò proponit emendationem moraliter poſſibilem, non continuò obliviſcitur ſui propoſiti, ſed per aliquod ſaltem tempus perſeverat, & difficiliùs ac rariùs cadit. Atque idem dici poſſet de peccatis venialibus, quamquam quia illa minùs poſſunt caveri, non tam facilè ſuſpicandum, propoſitum non fuiſſe, vel non eſſe efficax.

Sed numquid ideo Concluſio noſtra falſa? Non puto; quia tantùm aſſerit hujuſmodi abſolvendum, quandocumque habet efficax propoſitum; an autem hìc & nunc habeat propoſitum efficax, relinquitur prudenti judicio Confeſſarii. Si Confeſſarius poſſet interiorem animum immediatè intueri, nulla foret difficultas; at cùm ille, tanquam prudens Judex, debeat ex his, quæ experitur, & quæ videt judicare, poteſt aliquando meritò timere defectū veri doloris & propoſiti, quidquid ſit de re ipſa interiùs.

Exiſtimat porrò Arriaga diſp. 38. n. 30. longè majorem eſſe cauſam ad negandam Abſolutionem homini manenti in occaſione, poſtquam promiſit eam deſerere, quàm homini, qui relabitur in peccata, poſtquam promiſit ſe ea ampliùs non commiſſurum. Primò, quia occaſionem tollere eſt longè faciliùs, v.g dicere ancillæ, ut exeat domo (ſecluſis extrinſecis incommodis) quàm reſiſtere tentationi poſitâ occaſione, v.g. viſâ ancillâ: qui ergo rem illam longè faciliorem non exequitur, valde oſtendit, ſe nullum verum animum habuiſſe, tùm ſinè ulla ferè tentatione ſuccubuerit. Licèt enim aliquando fieri poſſit, ut ex tentatione & conſenſu peccati, mutet animum, quem reverà antea habebat deſerendi occaſionem, frequentiùs tamen & per ſe oppoſito modo evenit, ut relinquat occaſionem domi, & poſtea vi illius trahatur ad conſenſum.

Secundò; in occaſione tollenda tantùm eſt difficultas pro una vice, ùt patet; at manente occaſione, ſunt ſingulis momentis novæ difficultates & tentationes. Certum eſt autem, longè faciliùs eſſe ſemel hominem ſe vincere, quàm ſingulis momentis. *Secunda probatio.*

Tertiò; quò homo eſt vicinior Confeſſioni factæ, cenſetur magìs durare in bono propoſito, & piis conſiderationibus, quas circa Confeſſionem habuit; ac proinde meliùs & faciliùs poſſe exequi, quod promiſit, quàm longo tempore poſt Confeſſionem, quando à ſupervenientibus variis occaſionibus & cogitationibus, etiam ſinè culpa ipſius, diſtrahitur ab antiquo propoſito. Cùm ergo ejicere occaſionem poſſit ſtatim poſt Confeſſionem, profectò ſi non facit, arguitur valde probabiliter, nullum ſerium animum habuiſſe. Quapropter abſolutè neganda eſt tali homini Abſolutio, donec reipsâ occaſionem deſeruerit, quam commodè poteſt, & conſequenter ſub novo peccato tenetur deſerere. Hæc eſt doctrina illius Auctoris magìs ſecura, & omnino practicanda, niſi prudentia Confeſſarii in caſu particulari, conſideratis & maturè expenſis omnibus circumſtantiis, contrarium judicet expedire. 294. *Tertia probatio.*

Atque hæc ſatìs pro prima parte Concluſionis; ex qua videtur inferri contrarium ſecundæ partis; ſcilicet, Confeſſarium debere abſolvere pœnitentem, quotieſcunque prudenter judicat, ipſum habere efficax propoſitum. Porrò indicia efficacis propoſiti ſunt, ſi particularia ſigna doloris oſtendat; ſi jam adhibuit curam aliquam ad conſuetudinem extirpandam, & ubì antea ſolebat quotidie peccare, jam ſolùm peccavit ſingulis ſeptimanis. Deinde ſi numquam admonitus fuit de mediis adhibendis ad tollendam conſuetudinem, nunc autem admonitus, libenter ea ſuſcipit, & proponit adhibere. Denique ſi adhuc maneat dubium, utile erit ad aliquot dies differre Abſolutionem, ut appareat obſervatio propoſiti. 295. *Indicia efficacis propoſiti.*

Tota ergo difficultas eſt, an quando Confeſſarius omnibus conſideratis judicat, pœnitentem eſſe debitè diſpoſitum, adhuc poſſit aliquando negare Abſolutionem, ſeu potiùs differre in aliud tempus. Communis ſententia affirmat. Vide Auctores pro ea apud Dianam tom. 1. tract. de Circumſt. reſol. 55. 296. *An poſſit differri Abſolutio, quando pœnitens eſt diſpoſitus. Diana.*

Et quidem ex conſenſu pœnitentis poſſe differri, à nemine dubitatur. Æquè certum eſt, non poſſe differri, quando ex dilatione timetur majus damnum ſpirituale, quàm bonum, ut putà, quia concipiet averſionem à Confeſſione, non ampliùs rediturus. Oportet ergo, ut adſit juſta & rationabilis cauſa, ut poſſit ſinè conſenſu pœnitentis differri; & quia illa non ſemper adeſt, & fieri poteſt, ut aliquando adſit, ideo dixi in Concluſione: *Non ſemper debet abſolvi*, id eſt, aliquando poteſt Abſolutio differri, ſcilicet ex juſta & rationabili cauſa. *Ex conſenſu ejus poteſt. Sinè conſenſu ejus non niſi ex juſta cauſa.*

Probatur, quia licèt pœnitens legitimè diſ- 297.

 poſitus

Poſſe differri ex cauſa probatur. poſitus habeat jus ad Abſolutionem, non tamen ad hoc, ut ſtatim proferatur; poteſt quippe judex arbitrari, quando & quomodo utiliùs debeat proferri ſententia. Hinc Abſolutioni poteſt præmittere ſpiritualem exhortationem; poteſt docere pœnitentem & inſtruere, quando advertit ignorantem; etiam differendo Abſolutionem, ſi jam non vacet inſtruere. Conſimiliter ergo, quando meritò timet pœnitentem nunc abſolutum, facilè relapſurum, niſi territus dilatione Abſolutionis, gravitatem peccati, & neceſſitatem emendationis agnoſcat, poterit Sacerdos differre Abſolutionem ad majorem pœnitentis utilitatem. Ego, inquit Arriaga ſuprà n. 39. dicere poſſum, me multoties cum aliquibus juvenibus hoc remedio uſum, & feliciter illud mihi ſucceſſiſſe.

Arriaga.

298. Confirmatur. Confirmatur; quia, ex communi doctrina, poteſt Confeſſarius obligare pœnitentem ad Satisfactionem ante Abſolutionem; non quidem per modum vindictę, ſed medicinæ, quando id judicat neceſſarium vel utile, v. g. quia aliàs ſæpè Satisfactionem omiſit. Ita poſt Suarium diſp. 38. ſect. 7. n. 7. Reginal. lib. 7. n. 83. Filliucium tr. 8. c. 2. n. 56. & alios docet Bonacina de Pœnit. Sacramento diſp. 5. q. 5. ſect. 3. p. 2. n. 20. Immo, inquit Lugo, diſp. 14. n. 170. apud Grecos ſic ſolitum fieri, ut nemo ante expletam Pœnitentiam abſolveretur, dicit Palatius in 4. diſt. 15. q. 1. ex Nicephoro lib. 11. c. 26. quod cum publicis peccatoribus olim ſervatum fuiſſe, colligitur ex Catechiſmo Pii V. de Sacramento Pœnitentiæ n. 68. Hæc ille.

Suarez. Reginaldus. Filliucius. Bonacina. Lugo. Palatius. Nicephorus.

Catechiſmus Roman. Verùm Catechiſmus Pii V. quo ego utor, non habet niſi numeros ſeu quæſtiones 63. & in his nihil reperio ad hoc propoſitum. Tantùm ait q. 63. *Quòd ſi interdum ob publicam offenſionem, publica Pœnitentia præſcribenda fuerit, quamvis eam pœnitens refugiat ac deprecetur, non erit facilè audiendus; verùm perſuadere ſibi oportebit, ut quæ tum ſibi, tum aliis ſalutaria futura ſunt, libenti atq; alacri animo ſuſcipiat.* An autem illa Pœnitentia ſit implenda ante Abſolutionem, vel poſt Abſolutionem, nulla ibi fit mentio. Palatium non potui videre. Nicephorum Caliſtum Hiſtoricum Græcum vidi, ſed lib. 11. c. 26. nullum veſtigium talis conſuetudinis apud Græcos. Fortè erit Nicephorus Gregoras.

299. Probatur ultima pars Concl. à priori. Utut ſit, ab hoc uſu Græcorum non pendet veritas noſtræ Concluſionis; cujus ratio à priori eſt; quia Sacerdos non ſolùm eſt judex, ſed etiam medicus; ſicut ergo in Satisfactione imponenda, præ oculis habere debet, ut non ſit tantùm ad præteritorum peccatorum vindictã & caſtigationem; ſed etiam ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ita quoque in danda Abſolutione; neque in iſto officio impediri poteſt à pœnitente. Jam autem fieri poteſt, ut Confeſſarius judicet, planè neceſſarium eſſe ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ut pœnitens ante Abſolutionem reſtituat rem ablatam, jejunet, vel audiat ſacrum &c.

Nihilominus Joannes Sancius in ſuis Pract. diſp. Antuerpiæ impreſſis a. 1644. diſp. 9. n. 6. contrariam ſententiam ſuſtinet dicens: Jus non habet Confeſſarius ad interrogandum de conſuetudine peccandi; cùm neque illud habeat, ut bis eadem peccata quis confiteatur, nec ad afficiendum pœnitentem pudore & dedecore, conſuetudine peccati cognitâ; ſed debet pœnitens ſtatim abſolvi, ſi verè dolorem habeat de præteritis, ac impoſterum vitæ emendationem firmiter proponat. Et quidem circa hoc fides pœnitenti habenda eſt, ſicut in aliis, quæ contrà, & pro ſe dicit. Hæc ille. 30 Oppo... docet Sanc...

Unde infert n. 7. quòd ſi pœnitens probabiliter credat, Confeſſarium non impenſurum illi Abſolutionem, ſi fateretur conſuetudinem peccandi, poſſe æquivocatione utendo negare conſuetudinem, ut fiat ſenſus, *conſuetudine careo peccandi non abſolutè, ſed ad eam confitendam* in præſenti. Et hoc quoque procedit (juxta eundem Auctorem ibidem n. 8.) etiamſi credat Abſolutionem ſe nacturum; cùm ad confitendum eadem peccata bis non ſit devinctus, nec ad patiendum pudorem & dedecus ex conſuetudine jam nota oriundum.

Deinde n. 9. idem exiſtimat dicendum de occaſione proxima inevitabili ſinè magno incommodo & ſcandalo. Qui, inquit Sancius, habet occaſionem proximam, inevitabilem ſinè magno incommodo & ſcandalo, poterit ęquivocatione utendo negare occaſionem, licèt interrogetur, ſi credat, non iri abſolvendum ſe, eâ cognitâ; nam poſito vero propoſito emendationis, habet pœnitens jus ad Abſolutionem, quæ ſinè errore à Confeſſario negari non poteſt; errorem verò Confeſſarii fovere, pœnitens non tenetur. Immo etſi certò credat, adepturum ſe abſolutionem, poterit negare occaſionem; cùm ad hoc, ut miniſter rectè ſuo fungatur officio, nihil conducat ſcire, ſitne pœnitens in occaſione, vel non, dato quòd illam vitare non poteſt, eò quòd ſive cognoſcat occaſionem, ſive non, teneatur tamen Abſolutionis beneficium impertiri. Hæc ille. Sed an hæc opinio (inquit Dia. part. 1. tract. de Circumſtantiis reſol. 55.) ſit tuta in praxi, remitto me judicio aliorum.

Cardinalis Lugo diſp. 14 n. 172 putat, illam eſſe contra omnes Theologos, contra praxim Eccleſiæ, & contra finem hujus Sacramenti. Nam, inquit, illi etiam, qui tenent non eſſe obligationem explicandi in Confeſſione circumſtantiam notabiliter aggravantem, quæ non mutat ſpeciem; fatentur tamen, debere pœnitentem illam circumſtantiam explicare, ſi à Confeſſario interrogetur; v. g. ſi accuſat ſe de furto, & Confeſſarius interroget, quam ſummam furatus fuerit? Non poteſt negare, aut dicere fuiſſe 10. Julios, ſi fuerint mille; eſſet enim hoc decipere Confeſſarium in re gravi. 30 An pœnitens interrogatus habeat d... conſuetudinem p... ritam. Lugo.

Reſpondeo; poteſt, ſecundùm illos Auctores,

res, reſpondere, ſe furatum ſummam notabilem; neque tenetur præciſè exprimere in individuo, quot Iulios fuerit furatus, ſuppoſito quòd abſque interrogatione non debeat dicere. An autem poſſit reſpondere, ſe furatum decem, ſi fuerint mille, alibi diſputabimus; pro nunc tranſeat quòd non poſſit; ſed quid tum? Nam neque ſinè interrogatione, ùt multi volunt, poteſt ſe accuſare de furto decem Iuliorum, ſi fuerint mille; ſic enim non accuſat ſe de peccato, quod fecit; ſed de eo, quod non fecit; nam qui dicit in Confeſſione, *Furatus ſum decem*, in communi modo loquendi & intelligendi videtur negare reliquos Iulios uſque ad mille.

302. [illegible] Neque plùs valet ratio Lugonis; videlicet, quia Confeſſarius, cùm ſit judex & medicus, habet jus ad interroganda illa, quorum notitia neceſſaria eſt ad utilem correctionem, vel Pœnitentiam imponendam.

Reſpondeo, ad utilem correctionem illorum peccatorum, quæ pœnitens jure divino tenetur confiteri; ſimiliter ad Pœnitentiam imponendam pro peccatis confeſſis, concedo totum; pro aliis quibuſcumque peccatis, nego Aſſumptum. Unde ſi Chriſtus non præcepiſſet Confeſſionem peccatorum in ſpecie, ac ſigillatim, ſed tantùm in genere, Confeſſarius nullum habuiſſet jus interrogandi de peccatis in ſpecie, vel de numero peccatorum; & per conſequens, pœnitens nullam habuiſſet obligationem reſpondendi de illis ad interrogationem Confeſſarii.

Ex hypotheſi ergo, quòd Chriſtus non præceperit explicari circumſtantias ſolùm aggravantes, dico, Confeſſarium nullum habere jus de illis interrogandi, niſi in quantum poſſunt eſſe neceſſariæ ad explicanda peccata in ſpecie & numero; ac per conſequens, pœnitentem nullam habere obligationem reſpondendi. Si ergo explicatio conſuetudinis, de qua Confeſſarius interrogat, non ſit neceſſaria pro Confeſſione omnium peccatorum in ſpecie & numero, nullam video obligationem pœnitentis eam explicandi.

303. Reſpondetur ad inſtantias Lugonis. Ex quo corruunt inſtantiæ, quas Lugo ſuprà n. 173. adducit: Monialis, inquit, vel alia exiſtimata virgo, cùm reverà non ſit, quando accuſat ſe de peccatis contra caſtitatem, debet explicare ſe jam non eſſe virginem, atque ideo declarare peccatum ſuum antiquum, quod jam confeſſa fuerat, ſuppoſito quòd circumſtantia virginitatis mutet ſpeciem peccati. Item conjugatus, qui cognovit conſanguineam ſuæ uxoris, toties peccat, quoties petit debitum ab uxore propria, & debet explicare ſuum inceſtum, antea confeſſum, ad declarandum præſens peccatum. Item Sacerdos, qui filium ſpurium vult inſtituere hæredem, debet explicare peccatum illud præteritum, quo genuit filium, ad declarandum peccatum præſens de inſtitutione ejus in hæredem & ſic in aliis multis caſibus, inquit Lugo.

Prorſus Eminentiſſime: ſed interrogo unum verbum, ut Confeſſarius cognoſcat peccatum meum fornicationis in ſpecie & numero, neceſſe eſt, ut ſciat me antea peccaſſe cum eadem perſona, quam nunc à me dimiſi, & cum qua ſtatui firmiter ampliùs non peccare? Planum eſt quòd non; adeoque manifeſta diſparitas inter exempla tua, & conſuetudinem peccandi, quando hæc non mutat ſpeciem, vel numerum peccati, alioquin ex conſuetudine commiſſi. Sin autem mutet ſpeciem, vel numerum, tunc, ſicut aliæ circumſtantiæ, quas ibi enumeraſti, debet manifeſtari non ſolùm poſt interrogationem, ſed etiam ante illam. Loquimur autem hìc de conſuetudine, quæ non debet explicari ante interrogationem.

Et reverà, ſi Confeſſarius habet jus interrogãdi de omnibus illis, quę aliquo modo poſſunt eſſe utilia ad inſtructionem pœnitentis, & conſequenter pœnitens obligationem reſpondendi; etiam interrogare poterit de diverſiſſimis peccatis antea legitimè abſolutis, v. g. ab illo, qui fuit fornicatus, an numquam fuerit furatus, non occiderit, non detraxerit &c. nam & illa cognitio aliquando magis poſſet eſſe utilis ad correctionem pœnitentis, quàm cognitio reincidentiæ in idem peccatum: quia qui non abhorret à multitudine aliorum peccatorum, etjam graviorum, non multùm curat unum peccatum fornicationis, adeòque ex cognitione iſtorum peccatorum, Confeſſarius poſſet judicare inſufficiens propoſitum emendationis hujus peccati. Equidem quis obligat pœnitentem ad reſpondendum de omnibus peccatis præteritis, & ritè confeſſis, ac directè abſolutis? 304. Confeſſarius non habet jus interrogandi de omnibus illis, quæ aliquò modo poſſunt eſſe utilia ad inſtructionem pœnitentis.

Quantùm ad praxim Eccleſiæ, non ſolent Confeſſarii interrogare de conſuetudine, cùm ſæpiùs diù laborare debeant, ut poſſint ſcire ſpeciem & numerum peccatorum. Si interrogant, hoc ideo faciunt, ut ſciant, an pœnitens ſit in proxima occaſione peccandi, de qua ſe non accuſat, & quam alioquin tenetur deſerere; adeòque ut ſciat ſpeciem, vel numerum peccatorum, & ut cognoſcat legitimam diſpoſitionem pœnitentis, id eſt, dolorem animi, cum ſincero propoſito non peccandi de cætero. 305. An ſententia negans conſuetudinem eſſe explicandam, ſit contra praxim Eccleſiæ,

De fine hujus Sacramenti quid dicam? Finis intrinſecus Confeſſionis eſt valida Abſolutio peccatorum, & ſi quidem hæc Abſolutio haberi non poſſit, niſi explicatâ conſuetudine, perſpicuum eſt, ſententiam Sancii eſſe contra finem hujus Sacramenti; ideoque falſam, & nullatenus practicandam, quoniam finis intrinſecus legis cadit ſub legem; ſin autem valida Abſolutio peccatorum obtineri poſſit, non explicatâ conſuetudine, tametſi explicatio conſuetudinis poſſit ſervire ad majorem utilitatem pœnitentis, exiſtimo quia non eſt obligatio; cùm finis extrinſecus legis, qualis eſt major illa utilitas non cadat ſub legem. aut finem Sacramenti.

 Si

Digitized by Google

306. Objectio. Si inferas; ergo propter majorem utilitatem non poteſt Confeſſarius differre Abſolutionem, quando alioquin pœnitens nunc eſt ſufficienter diſpoſitus ad remiſſionem peccatorum, & non conſentit in dilationem, quæ eſt altera pars ſententiæ Sancii, oppoſita noſtræ Concluſioni.

Solvitur. Reſpon. neg. Conſeq. quia licèt pœnitens non teneatur procurare illam majorem utilitatem, equidem nullum habet jus, obligans Confeſſarium, ut factâ Confeſſione, actutùm abſolvatur. Sicuti, tametſi fideles non habeant obligationem ſumendi Euchariſtiam cum majori utilitate; equidem Eccleſia poteſt differre diſtributionem pro majore ipſorum utilitate: ergo ſimiliter poterit differre Abſolutionem, etſi hîc & nunc abſolutè ſint diſpoſiti ad remiſſionem peccatorum.

307. Sententia Arriagæ de caſu propoſito. Arriaga diſp. 38. ſect. 6. quamvis nobiſcum ſentiat, non eſſe obligationem explicandi qualemcumque conſuetudinem peccandi, nihilominus (inquit n. 44.) quando conſuetudo talis eſt, quæ verè ipſa ſit quaſi maxima cauſa peccandi, neceſſum eſt eam manifeſtare; quia etiam tunc, illius præſentis peccati notitia perfecta, videtur exigere notitiam conſuetudinis; cùm ea conſuetudo reddat illud peccatum, ſi non gravius, certè longè periculoſius; ac proinde ex hoc capite alia requiritur non ſolùm Pœnitentia, ſed hortatio etiam, ſuſpenſio Abſolutionis ad tempus &c. Hactenus Arriaga.

Reſpondeo; peccatum illud longè periculoſius, vel eſt ſpecie, aut numero diſtinctum ab alio peccato minùs periculoſo, vel non. Si primum, haud dubium, quin debeat explicari, non tantùm poſt, ſed etiam ante interrogationem Confeſſarii, neque de hoc quæritur. Sin autem non eſt ſpecie, aut numero diſtinctum, ubì præceptum divinum illud explicandi, etiam poſt interrogationem Confeſſarii? Profectò nullum hujuſmodi præceptum exiſtere, patebit ex his, quæ jamjam ediſſero de Confeſſione oris; quæ eſt ſecundà pars quaſi materiæ hujus Sacramenti, adeòque ſecundo loco explicanda. Sit itaque Judici Auctio

SECTIO QVINTA.

De Præcepto Divino Confeſſionis.

1. Quas perſonas obliget præceptum Divinum Confeſſionis? DE neceſſitate Sacramenti Pœnitentiæ, & per conſequens Confeſſionis oris, quæ eſt pars ejus quaſi eſſentialis, diffusè tractavimus ſect. 1. concl. 5. Videantur ibi dicta: quibus ſuppoſitis, quæritur primò, quas perſonas obliget præceptum divinum Confeſſionis? Reſpondeo:

CONCLUSIO I.

Confeſſio Iure divino obligat ſub mortali omnes & ſolos, qui in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt.

2. Probatur Concluſ. HÆc Concluſio videtur propemodùm expedita ſect. 2. concl. 1. & 2. Si enim jure divino, ût ibi oſtendimus, omne & ſolum peccatum mortale commiſſum in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum eſt materia neceſſaria Confeſſionis; ergo videtur, quòd Confeſſio jure divino omnes & ſolos obliget, qui in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt; quare ad eas Concluſiones remitto Lectorem meum. Addo, quæ huic loco reſervavimus.

Atque in primis obligationem ſub mortali nemo inficiatur; gravitas enim materiæ per ſe patet, ei autem proportionatur obligatio, niſi aliud conſtet de voluntate Legiſlatoris. Deum autem voluiſſe obligare ad Confeſſionem tantùm ſub veniali, unde probatur? Nullum hujuſmodi voluntatis reperitur veſtigium vel in Scriptura, vel in SS. Patribus, vel in Conciliis. Hoc ergo ſit certum.

Prima autem difficultas eſt, quam inſinuavimus ſect. 2. concl. 1. ex Scoto 4. diſt. 17. n. 10. ubì ſic ait: *Non videretur, quòd infideles tenerentur ad præceptum de Confeſſione*, ſi videlicet Confeſſio ſolùm foret juris Eccleſiaſtici. Ergo, ſecundùm Scotum, infideles tenentur præcepto divino Confeſſionis; ergo non ſoli illi, qui in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt: nam per infideles Scotus ibi intelligit non baptizatos. An les tur to I Cor nis. Sen

Utut ſit de Scoto, qui, ût bene notat Dicaſtillo diſp. 7. n. 12. non admodum clarè loquitur, non deſunt Auctores probati, qui aſſertivè doceant, infideles obligari præcepto Confeſſionis. Ita Richardus in 4. diſt. 17. a. 2. Sylveſter verb. Confeſſio. 1. q. 5. Angelus eodem verbo, n. 2. & noviſſimè Hiquæus in ſuo Commentario ad illam diſtinctionem Scoti n. 17. Probat autem n. 18. quia lex Euangelica promulgata eſt tam fidelibus, Affi Ric Syl Ang Hiq Pro Hiq

quàm

Digitized by Google

quàm infidelibus; ſicut & remedia illius legis, qualia ſunt Sacramenta, & eorum præcepta; ergo comprehendit tam fideles, quàm infideles.

Antecedens eſt notum. Probatur Conſequentia; ad obligationem legis aut præcepti in genere, quòd ſpectat ad ſubſtantiam legis, non requiritur, quòd præceptum pro omni ſtatu, materia, & circumſtantia, loquendo de affirmativo, adimpleatur; ſed ſufficit quòd in ſtatu determinato, materiâ, tempore, & circumſtantiis determinatis; ſed hoc non tollit, quin aliquis obligetur lege, licet nunquam occurrat ei tempus, in quo præceptum legis affirmativum adimpleri debeat, aut materia, quam determinat; ergo poteſt ſtare obligatio legis & præcepti, quamvis ad exercitium actûs non obliget, niſi ex conditione prærequiſita, quam lex ipſa determinat.

4. Major patet; quia ipſa lex implicat illam conditionem determinatam, quæ poteſt non poni, aut non occurrere. Minor probatur; ex lege naturali quilibet tenetur ſuccurrere proximo extremè indigenti dum poteſt; quamvis autem non occurrat caſus adimplendi hoc præceptum, non indè ſequitur, quin quiſque teneatur lege. Similiter quiſque tenetur pro Republica vitam & bona exponere, quamvis neceſſitas determinata, in qua tenetur ad hęc, in exercitio non occurrat. Sic tenetur fidelis ad Confeſſionem fidei, & vitam commutandam pro ejus defenſione coram tyranno, ſi occurrat caſus, & ſic de ceteris: ergo obligatio legis non tollitur, neque confunditur cum exercitio operis præſcripti, quamvis circumſtantia particularis operis perficiendi non occurrat.

Sed eodem modo obligatur infidelis ad Legem Evangelicam, ejuſque præcepta, quamvis non pro ſtatu infidelitatis retentæ, quia ſic nequit aliquod ejus præceptum poſitivum, ùt eſt proprium hujus legis, adimplere (quia neque fidei, quæ eſt fundamentum ceterorum, neque Baptiſmi, qui eſt Sacramentum fidei) ſaltem fructuosè quantum ad ſalutem. Huc uſque Hiquæus. Et continuò adjungit: Quidquid ad hæc dicatur, præceptum Euchariſtiæ comprehendit infideles, quamvis hoc præceptum pro ſtatu infidelitatis nequeat adimpleri.

5. Si reſpondeas; infidelem, ſuſceptâ fide & Baptiſmo, poſſe ſumere Euchariſtiam, non ita Sacramentum Pœnitentiæ, niſi peccaverit poſt Baptiſmum; non tenetur autem peccare, ſicuti tenetur ſuſcipere fidem & Baptiſmum. Contrà facit; quòd ſic neque omnes fideles teneantur præcepto Confeſſionis, ſed ſolùm illi, qui baptizati mortaliter peccaverunt.

Immo, inquit Hiquæus, neque in ullo ſtatu unquam fuit obligatio Pœnitentiæ, niſi ratione peccati mortalis perſonalis, ùt ſupponit Tridentinum ſeſſ. 14. c. 1. & 4. cùm tamen præceptum Pœnitentiæ omnes obligabat, non in exercitio, niſi ex ſuppoſitione peccati, ſi fieret. Sicut ergo præceptum Euchariſtiæ obligat infideles, ut ita dicam, in actu ſignato, quamvis non in exercitio, niſi adimpleatur conditio prævia, nempe per ſuſceptionem fidei & Baptiſmi, & in ætate adulta; ſic etiam præceptum Pœnitentiæ obligat infideles, ſuppoſito Baptiſmo, & materia ipſius Pœnitentiæ, nempe peccato poſt Baptiſmum actuali mortali.

Pœnitentia non obligat niſi ex ſuppoſitione peccati.

Sed hoc etiam ſufficit; quia non aliter obligat fideles, quos tamen obligat ſecundùm omnes non in exercitio, niſi ſupponatur peccatum tale. Unde ſi hæc ratio eximat infideles ab obligatione præcepti, quia in eo ſtatu non poſſunt habere actum, per quem adimpletur præceptum; ſic etiam eximendi ſunt ab ejus obligatione fideles juſti pro ſtatu juſtitiæ. Hæc ille.

& tamen obligat fideles etiam juſtos præceptum Confeſſionis.

Reſpondeo; planè eximendi ſunt fideles juſti pro ſtatu juſtitiæ, & ab omnibus eximuntur, qui dicunt, præceptum divinum Confeſſionis obligare ſolos illos, qui baptizati mortaliter peccaverunt. Neque uſpiam Tridentinum inſinuat, Pœnitentiam eſſe omnibus fidelibus neceſſariam, ſed, ùt loquitur ſeſſ. 14. c. 1. *Univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent.* 6.

Sed hoc ab Auctore negatur.

Sed neque Scotus obligat omnes fideles ad confitendum, ait enim 4. diſt. 17. n. 18. *De ſecundo articulo dico, quòd hoc præceptum includit quis debet confiteri, quia adultus.* Numquid omnis? Sequitur: *Id eſt, habens uſum rationis, & cognoſcens peccatum, quod commiſit*, puta in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum; quia illud ſolum eſt materia Confeſſionis. Igitur Concluſio noſtra eſt conformis modo loquendi Scoti, & communi modo loquendi aliorum DD.

Neque argumentum Hiquæi nos urget, ut ab illo communi modo loquendi recedamus; quidquid ſit, an infideles teneantur ſuſcipere Euchariſtiam, quod plerique etiam negant; interim diſparitas ſemper manet, ſcilicet obligatio proxima ad applicanda media, neceſſaria ad ſuſceptionem Euchariſtiæ, ratione cujus obigationis remotè dici poſſunt obligati ad ipſam ſuſceptionem. 7.

Diſparitas inter Sacramentum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ.

Sicuti qui voviſſet ſuſcipere Ordines ſacros, majori jure diceretur obligatus ad continentiam, quàm qui non voviſſet; licèt enim uterque habeat obligationem (ſi ita velimus loqui) continentiæ, ſuppoſitò quòd ſuſcipiat Ordines Sacros; equidem prior habet obligationem ponendi medium, neceſſarium ad illam obligationem proximè contrahendam, quam non habet alius.

Probatur à ſimili.

Quod probè intelligens Hiquæus ſuprà n. 21. ſic inquit: Diſtinguendum eſt inter leges ipſas ſeu præcepta univerſalia: nam quædam obli- 8.

Modus obligandi leges diverſus.

Quædam obligant abſolutè ad actus ſingulos. *Hiquæus.*

obligant ad actum abſolutè omnes & ſingulos; licèt prærequirant media, ad quæ ponenda tenetur quis ex neceſſitate finis intrinſeci ipſius præcepti; talia ſunt præcepta fidei, & virtutum, & Baptiſmi, Euchariſtiæ, & ſimilia. Ad hæc omnes tenentur: unde infidelis etiam peccat contra præceptum Euchariſtiæ, quo tenetur apponere media, ut fidem & Baptiſma, præter peccata, quæ committit contra præceptum particulare fidei & Baptiſmatis. Alia verò ſunt præcepta, quæ comprehendunt omnes & ſingulos quantum eſt ex vi legis univerſalis, ſed ratione materiæ tantùm in particulari hunc vel illum, quantum ad actum præſcriptum; talia ſunt præcepta ſatisfactionis & juſtitiæ, quale eſt præceptum Pœnitentiæ, quæ ad ſatisfactionem & punitionem talis peccati, reſpicit particulariter hunc vel illum.

Aliæ obligant ex ſuppoſitione.

Hiquæus conatur utramque ſententiam concordare.

Secunda ergo ſententia talem obligationem rectè excludit ab infidelibus, in quibus non eſt materia Sacramenti; non tamen rectè obligationem, quæ ipſis competit ex natura legis univerſalis, licèt ex defectu materiæ ipſos in particulari non concernat obligatio exhibendi actus; ſicut neque etiam juſtos ſic concernit, & fideles, à quibus non removetur obligatio generalis legis. Sicut neque in Republica leges reſtitutionis rectè dicentur eſſe particularium tantùm, qui obnoxii ſunt rationibus, licèt illos particulariter concernant ratione debiti. Hactenus Hiquæus.

9. Pro magna parte eſt quæſtio de nomine.

Ex quibus profectò verbis liquet, pro magna parte eſſe quæſtionem de nomine. Cùmque, ut ipſemet fatetur n. 20. Concilia & Patres magis loquantur de hac particulari obligatione, quàm de univerſali; quidni & nos ita loquamur? Quòd autem addit, Concilia & Patres ſupponere obligationem univerſalem ipſius legis, & quà lex eſt, mihi non conſtat.

Lex non debet neceſſariò omnes omnino comprehendere, quando fertur pro certo ſtatu hominum.

Et reverà, eſtò lex ſit regula ſtabilis & univerſalis, haud equidem neceſſariò debet omnes omnino comprehendere, quando pro certo aliquo ſtatu hominum fertur; ſufficit namque, quòd ille ſtatus ſit communitas perfecta: ſic multæ ſunt leges poſitivæ in Eccleſia Dei, quæ non concernunt univerſaliter omnes fideles; ſed dumtaxat certum ſtatum, v. g. Eccleſiaſticos, vel ſæculares, aut Religioſos, vel plebeïos, aut Nobiles &c. & tamen dicuntur leges communes & univerſales, juxta. l. *Iura* 2. ff. de Leg. *Iura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.*

Quòd autem hujuſmodi leges non comprehendant omnes omnino fideles, non indiget probatione. Quis enim ſanæ mentis dixerit, homines plebeïos obligari legibus Nobilium, homines ſæculares legibus Eccleſiaſticorum aut Religioſorum, propter hoc præcisè, quia plebeï poſſunt elevari ad ſtatum Nobilium, & ſæculares ad ſtatum Eccleſiaſticorum aut Religioſorum?

Ergo conſimiliter præceptum divinum Confeſſionis, quod latum videtur pro certo ſtatu hominum, ſcilicet eorum, qui in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum mortaliter peccaverint, non propriè dicitur obligare infideles, neque fideles juſtos; tametſi fieri poſſit, ut, qui nunc infidelis eſt, aut fidelis juſtus, aliquando fiat fidelis peccator. Et ideo in Republica leges reſtitutionis rectè dicuntur eſſe particularium tantùm, qui obnoxii ſunt rationibus, uti & in univerſum, leges pœnales propriiſſimè dicuntur eſſe malefactorum tantùm, & non generaliter omnium tam bonorum, quàm malefactorum.

11 Præce Confeſ nis l vider certo homi

Alioquin dicamus, etiam pueros obligari præcepto divino Confeſſionis (quod eſt contra Scotum ſuprà) quia licèt nunc non occurrat circumſtantia particularis, in qua actus legis exerceri poſſit, tamen ex nunc ſunt membra Eccleſiæ, & procedente tempore occurret circumſtantia particularis exercendi actum legis. Et quamvis, ſecundùm multos Doctores, ex nunc obligentur legibus naturalibus (quod tamen Alii negant) haud equidem præceptis illis poſitivis. Et ratio diſparitatis aſſignari poſſet; quòd lex naturalis fundetur in natura rationali, ac proinde videatur obligare omnes illos, in quibus reperitur hæc natura: præcepta autem poſitiva, cùm merè pendeant à voluntate Legiſlatoris, non apparent lata, niſi illis, qui de facto utuntur ratione, & poſſunt humanitùs obedire, immo & actu tenentur, vel proximè, vel ſaltem remotè, puta tenentur adhibere media neceſſaria ad legem implendam.

Alia etia fore guer ptæ

Qu pot gen bus lib poſ

Ex quo patet reſponſio ad exempla ſuprà ab Hiquæo adducta, quæ vel ſunt leges naturales, vel ſaltem connaturales gratiæ, adeòque non mirum, ſi obligent unumquemque, etiamſi actu nunquam occurrat circumſtantia, in qua oporteat actum legis exercere; nam ſaltem poteſt occurrere velis nolis. Neque nos dicimus præceptum Confeſſionis non obligare, niſi præcisè in illa circumſtantia, in qua debet fieri Confeſſio; aut obligare pro ſemper, id eſt, pro omni circumſtantia, in qua poteſt fieri Confeſſio; eſt enim præceptum affirmativum, quod obligat ſemper, ſed non pro ſemper. Quid ergo aſſerimus?

Reſ tur emp quæ

Præceptum divinum Confeſſionis non obligare niſi illos; qui tenentur adhibere omnia neceſſaria ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum. Tales autem non ſunt infideles, aut qui baptizati non peccarunt mortaliter; nam unum ex requiſitis ſeu neceſſariis ad ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ eſt materia Sacramenti, utique peccatum hominis baptizati; peccandi autem nulla eſt obligatio, ſed plena libertas, in tantum ut nunquam occurrat circumſtantia, in qua debeat exerceri actus præceptus, niſi dependenter à libera voluntate hominis baptizati.

Interim

Digitized by Google

Interim pro majori parte videtur quæſtio de nomine; hoc unicum de re quæritur, an infidelis non ſuſcipiendo Baptiſmum, peccet contra præceptum Confeſſionis; ſicuti Hiquæus ſuprà admittit, ipſum peccare contra præceptum Euchariſtiæ. Sed cùm ibidem hic Auctor diſtinguat inter præceptum Euchariſtiæ, & præceptum Confeſſionis, ac inter obligationem unius, & obligationem alterius, de reſponſione negativa non dubito.

Dices; Sacramentum Pœnitentiæ eſt remedium univerſale & neceſſarium in communitate, quaſi pro omnibus ejus ſuppoſitis, cùm pauciores ſint, qui non peccent mortaliter poſt Baptiſmum ſuſceptum; & difficile ſit, per ſolam Contritionem charitate perfectam juſtificari; ergo quilibet obligatur ſe reddere capacem illius remedii.

Reſpondeo; ex hoc argumento ad ſummum ſequitur, quòd præceptum Charitatis propriæ obliget infideles, non ad Confeſſionem, ſed ad Baptiſmum; hìc autem quæritur de obligatione præcepti Confeſſionis. Deinde ipſe Baptiſmus eſt medium ſufficiens infideli, & ſatis facile ad accipiendam remiſſionem omnium peccatorum; ut omittam, Contritionem charitate perfectam non eſſe adeò difficilem, ùt multi apprehendunt, cùm ſola pro adultis fuerit remedium juſtificationis ante legem novam. Atque hæc ſatis de prima difficultate.

Secunda difficultas eſt; an Apoſtoli, poſt Baptiſmum lapſi in peccatum mortale, fuerint obligati ad Confeſſionem, vel ſi non obligati, ſaltem illa peccata fuerint materia ſufficiens Confeſſionis. De prima parte hujus dubii ſic inquit Scotus 4. diſt. 17. n. 29. *Poteſt dici, quòd tempore negationis Petri, Sacramentum Pœnitentiæ non fuit inſtitutum; ſed poſt Reſurrectionem, quando Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis:* Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata *&c. & ideo non tenebatur pro tunc ad Confeſſionem; nec poſt inſtitutionem Sacramenti adhuc tenebatur: quia iam ante Reſurrectionem per aliud remedium fuerat peccatum ſuum deletum*

Et conſimiliter reſponderi poteſt de infidelitate omnium Diſcipulorum in Paſſione Chriſti, quòd non tenebantur poſt ad Confeſſionem; quia poſt Reſurrectionem pœnituerunt ante inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc ille.

Cardinalis Lugo diſp. 15. n. 30. Si, inquit, Eccleſia Chriſti & lex nova incepit (ùt Aliqui volunt) à puncto mortis Chriſti, vel ab ejus Reſurrectione; probabile eſt, peccata commiſſa ab eo puncto, fuiſſe materiam ſufficientem, & neceſſariam (ſi eſſent mortalia) ad Confeſſionem ſacramentalem poſtea inſtituendam; atque adeò remitti debuiſſe priùs per Contritionem cum voto implicito hujus Sacramenti ſuſcipiendi; quia jam erant commiſſa ab homine baptizato exiſtente intra Eccleſiam Chriſti, quæ jam inceperat, quare pertinebant ad Judices Eccleſiæ poſtea deſignandos. Sicuti pertinet ad Principem, vel ad Pontificem de novo creatum, punire delinquentes, etiam pro delictis factis Sede vacante, vel ante eorum electionem.

Si verò Eccleſia Chriſti, & lex nova non incepit uſque ad diem Pentecoſtes, conſequenter dicendum videtur, peccata commiſſa ante illum diem, non fuiſſe materiam neceſſariam, immo neque ſufficientem. Ratio eſt; quia materia hujus Sacramenti debent eſſe peccata commiſſa ab homine exiſtente jam intra Eccleſiam; quod probat Concilium Tridentin. ſeſſ. 14. c. 2. ex illo Pauli 1. ad Cor. 5. v. 12. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Hæc ille

Sed quantum ad primum, communis ſententia eſt, Contritionem perfectam non includere votum Sacramenti, niſi in quantum includit votum obſervandi omnia præcepta divina; atqui ante inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ, eſtò Eccleſia Chriſti & lex nova jam incepta fuiſſet, nondum erat præceptum divinum Confeſſionis; ergo pro tunc remitti poterant peccata per Contritionem charitate perfectam, abſque voto implicito hujus Sacramenti ſuſcipiendi. 15. Rejicitur quantum ad primam partem.

Ad ſimile Reſpondeo: in nulla Republica cenſentur delicta ſubjacere pœnæ, per novam legem ferendæ, ſed ſi fertur lex, ut tales vel tales comburantur, tales vel tales ſuſpendantur, ſemper id intelligitur de delictis commiſſis à lata lege; quia cùm ea feratur ad deterrendos homines à ſimilibus delictis, non eſſet æquum, ut qui ante talem impoſitam pœnam peccaſſent, poſtea punirentur pœnâ novæ legis: ergo etiamſi Eccleſia jam à morte Chriſti fuiſſet inſtituta, quia tamen lex Confeſſionis nondum erat lata, non poterant peccata tunc commiſſa ſubjacere ei legi. Reſpondetur ad ſimile.

Proindè tametſi pertineat ad Principem, vel ad Pontificem, de novo creatum, punire delinquentes, etiam pro delictis factis Sede vacante, vel ante eorum electionem; non tamen pœnis per novam legem ferendis, ſed jam tunc conſtitutis, quando delicta committebantur. Cùm ergo in caſu noſtro, quando delicta committebantur, nondum eſſet lex lata de Confeſſione facienda, liquet profectò, judices poſtea deſignandos, non habuiſſe poteſtatem illa delicta retinendi ſeu puniendi, citra liberam voluntatem eorum, qui deliquerant. Alioquin ſicut novus Pontifex poteſt punire delicta, non ſolùm commiſſa Sede vacante; ſed etiam ſub præcedentibus Pontificibus, ſi nondum fuêre punita; dicamus etiam, Eccleſiam potuiſſe punire peccata commiſſa tempore Synagogæ, in cujus locum ſucceſſit, quod conſtat eſſe falſum. 16. Lex pœnalis reſpicit actum futurū non præteritum.

Itaque, ſalvo meliori, quia res eſt incerta, exiſtimo, 17.

Peccata commiſſa ante inſtitutionem Sacramenti non erant materia neceſſaria.

exiſtimo, peccata commiſſa ante inſtitutionem Sacramenti (quidquid ſit de inceptione legis in morte Chriſti) non fuiſſe materiam neceſſariam; ſed deleta fuiſſe per Contritionem Charitate perfectam, ſinè voto Sacramenti. Veluti ante inſtitutionem Baptiſmi remittebatur peccatum originale, & alia peccata actualia per Contritionem Charitate perfectam, abſque voto Baptiſmi.

Similiter commiſſa ante promulgationem novæ Legis.

Quod ſi verum eſt (ùt puto) Legem novam non obligaſſe, niſi poſt promulgationem factam in Pentecoſte; dico, peccata mortalia commiſſa ante promulgationem iſtam, etiam poſt inſtitutionem Sacramenti, non fuiſſe materiam neceſſariam; ſed deleta fuiſſe per Contritionem Charitate perfectam, ſinè voto Sacramenti; quemadmodum peccatum originale, & alia peccata actualia remittebantur per Contritionem Charitate perfectam, abſque voto Baptiſmi; adeò ut ſic juſtificati, ſalvandi fuiſſent, ſi ante promulgationem contigiſſet eos mori; tametſi noluiſſent ſuſcipere Baptiſmum, aut peccata ſua confiteri, etiam dum commodè poſſent, ſi vellent.

18. An fuerint materia ſufficiens? Negat Lugo.

Sed numquid illa peccata erant materia ſufficiens Confeſſionis, ita ut fideles poſſent ſuſcipere Sacramentum Confeſſionis jam inſtitutum, ſi vellent; ſicut poterant ſuſcipere Euchariſtiam, quamvis nulla eſſet neceſſitas ſuſcipiendi? Negat Card. Lugo, ùt ſuprà vidimus; quia videlicet illa peccata non fuerant commiſſa ab homine, exiſtente in Eccleſia.

& ſolvit objectionem.

Si objicias; erant peccata hominis baptizati, quod ſufficit. Reſpondet; de facto nunc id ſufficere, quia omnia ejuſmodi peccata fiunt intrà Eccleſiam; tunc autem quando baptizabantur homines extra Eccleſiam, hoc eſt, ante erectionem aut inſtitutionem Eccleſiæ, non omnia peccata hominis baptizati poterant pertinere ad judicium Eccleſiæ. Concilia autem loquuntur de Sacramento Pœnitentiæ & ejus materia prout nunc de facto eſt, non prout tunc fuiſſet. Sicut ſeſſ. 13. c. 3. definitur ſub ſingulis ſpeciebus eſſe in Sacramento Euchariſtiæ totum Chriſtum; quæ tamen definitio debet intelligi de Euchariſtia prout nunc de facto eſt, non prout erat in triduo mortis Chriſti; tunc enim ſub ſingulis ſpeciebus non fuiſſet totus Chriſtus. Hactenus Eminentiſſimus n. 32.

19. Aſſignat diſparitatem inter Sacramentum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ.

Et n. 33. aſſignat rationem diſparitatis inter Sacramentum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ; quòd Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum fuerit per modum judicii, adeòque exerceri non poterat, niſi à judice, vel Superiore; jam autem quamdiu non erat Eccleſia, neque poterant eſſe judices, aut Prælati Eccleſiæ. Quare illo tempore intermedio, Apoſtoli ſolam habebant poteſtatem Ordinis, qualem habet Sacerdos poſt ſuam Ordinationem; deerant tamen illis ſubditi, in quos exercerent talem poteſtatem. Sicuti ſi quis crearetur Epiſcopus alicujus civitatis nondum conditæ, ſed quam jam Imperator condere vult; tunc haberet poteſtatem Ordinis, & juriſdictionis, quantum eſt ex ſe; non tamen haberet uſum illius, nullis exiſtentibus ſubditis.

Nihilominus contraria opinio placet Dicaſtilloni diſp. 7. n. 55. & Arriagæ diſp. 51. n. 31. quæ etiam nobis videtur convenientior, utpote in re, quæ pendet à ſola voluntate Chriſti, & de qua nihil omnino certi conſtat. Cùm enim Baptiſmus ſit janua Eccleſiæ, ex eo tempore, quo Baptiſmus inſtitutus fuit, jam tunc Eccleſia incepta erat, paulatim perficienda per inſtitutionem aliorum Sacramentorum, & Prælatorum, omnino complenda per promulgationem, & conſequentem obligationem. Sicut ergo alia Sacramenta utilia erant poſt eorum inſtitutionem, antequam obligarent, quidni etiam Sacramentum Pœnitentiæ?

Nam quod ait Cardinalis, quamdiù non erat Eccleſia, neque poterant eſſe judices, aut Prælati Eccleſiæ, ſic diſtinguendum puto; quamdiu non erat Eccleſia obligans, neque poterant eſſe judices, aut Prælati Eccleſiæ neceſſarii, id eſt, ad quos baptizati deberent referre omnia mortalia crimina, in quæ cecidiſſent, concedo; neque poterant eſſe judices, aut Prælati voluntarii, ut ſic loquar, ad quos baptizati poſſent deferre omnia mortalia crimina, in quæ cecidiſſent, nego. Quid ſi enim Chriſtus reliquiſſet Sacramentum Pœnitentiæ liberum, ſicut reliquit Sacramentum Confirmationis, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii; num ideo non forent judices, qui poſſent abſolvere baptizatos, qui ſpontè ſe ſubmitterent ipſorum ſententiæ?

Et verò Apoſtoli, nonne poteſtatem Ordinis acceperant in ultima Cœna, in qua à Chriſto inſtituti ſunt Sacerdotes hiſce verbis: *Hoc facite in meam commemorationem?* Ergo Joan. 20. per illa verba: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, accipiebant poteſtatem juriſdictionis, quamvis adhuc ante promulgationem legis novæ voluntariam, &. non coactivam; quæ planè ſufficiens erat, ut illi, qui jam ita in Eccleſia erant, ut vellent nollent ejus legibus poſtmodum promulgandis obligarentur, abſolverentur à peccatis commiſſis illo tempore, quo ſic fuerant in Eccleſia; etſi nulla adhuc foret obligatio illa confitendi. Poſſibilitas ergo eſt oſtenſa; quid factum fuerit, Deus ſolus novit, qui fecit.

Planè conveniebat, quòd omnia peccata remitti poſſent, vel per Sacramentum Baptiſmi: vel per Sacramentum Pœnitentiæ; ne alioquin peccatores baptizati pejoris forent conditionis, quàm non baptizati; ſiquidem non baptizati poterant accipere remiſſionem omnium peccatorum per Baptiſmum; baptizati autem neque per Baptiſmum, qui non delet peccata ſubſequentia,

quentia,

Digitized by Google

quentia, neque per Sacramentum Pœnitentiæ, ùt Lugo contendit.

Hinc fortè factum, ut non anteà obligaverit Baptiſmus, quàm utile fuerit Sacramentum Pœnitentiæ; immo quàm obligatorium. Interim ſicut Baptiſmus priùs fuit utilis, quàm neceſſarius, juxta communiſſimam ſententiam, ſic non mirum, ſi etiam Sacramentum Pœnitentiæ fuerit utile ante promulgationem Legis novæ, eſtò non neceſſarium. Atque hìc ſit finis hujus quæſtionis, magìs curioſæ, quàm neceſſariæ aut utilis.

22. Numquid etiam finis Concluſionis? Prorsùs, ſi admonuero Lectorem meum, nullam certam ætatem requiri in perſonis, quæ obligantur hoc præcepto, ùt bene advertit Scotus 4. diſt. 17. n. 18. ubì ſcribit in hæc verba: *De ſecundo articulo dico, quòd hoc præceptum includit quis debet confiteri, quia adultus, id eſt, habens uſum rationis, & cognoſcens peccatum, quod commiſit; per quem adultum non intelligo tantæ vel tantæ ætatis; ſed quòd habeat ætatem ad cognoſcendum iuſtum vel iniuſtum contra legem Dei. In multis enim ante ætatem conſuetam, malitia ſupplet ætatem, & non tantùm in malis, ùt dicunt communia verba; quia fortè habet citiùs prudentiam ad malum: unde dicitur doli capax; ſed etiam in bonis, iuxta illud in Legenda S. Agnetis: Fides non in annis computatur.*

Quæris à Doctore Subtili regulam, ex qua poſſit cognoſci, quòd aliquis ſit adultus? *Regula*, inquit, *eſt, quando aliquis inſtructus, & interrogatus, ordinatè percipit diſtinctè, quod iuſtum, & quod iniuſtum in lege divina; quod poteſt faciliter videri, ſi ad ordinatas interrogationes ordinatè reſpondeat, ſicut alius adultus perfectè ex ſimilibus præmiſſis ſimiliter reſponderet.*

Igitur præceptum divinum obligat omnes baptizatos, in mortale lapſos, nullâ habitâ ratione tantæ vel tantæ ætatis; & ipſi ſoli mortaliter peccant non confitendo tempore præſcripto. Si autem à me quæritur, quod ſit illud tempus? Reſpondeo citiùs:

CONCLUSIO II.

Præceptum divinum Confeſſionis per ſe & immediatè non obligat, niſi ſemel in vita; adeòque ſatisfacit, qui confitetur in periculo mortis.

23. VOco obligationem per ſe & immediatam, quæ oritur ex vi talis præcepti, in propria natura, & virtute conſiderati, id eſt, ſecluſo omni alio præcepto tam divino, quàm humano; & probo Concluſionem; quia ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, ex qua *Univerſa Eccleſia*, inquit Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *ſemper intellexit inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure divino neceſſariam exiſtere*, non intelligitur aliud tempus præſcriptum huic præcepto adimplendo, quàm tempus præſentis vitæ, in quo Deus voluit ſibi ſatisfieri pro peccato mortali commiſſo, per ejuſdem mortalis peccati Confeſſionem; vel oſtendatur ubì aliud tempus præſcripſerit.

Oſtendo, inquis, ex ipſa inſtitutione; nam hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum judicii; porrò *Conſtat* (Trident. auditis ſuprà) *Sacerdotes iudicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent*: ergo tali tempore obligat Confeſſio, quo homines poſſunt, non in genere dumtaxat; ſed etiam in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declarare, ac Sacerdotes in pœnis injungendis ſervare æquitatem; atqui in periculo mortis, illi, qui per multos annos vixerunt in peccatis mortalibus, nequeunt in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declarare, neq; Sacerdotes poſſunt in pœnis injungendis ſervare æquitatẽ; ergo &c. 24. Primum argumentum Adverſariorum.

Oſtendo II. hoc Sacramentum non eſt inſtitutum, ut ultimò diſponat hominem jam tranſiturum ex hac vita; hic enim potiùs eſt finis Extremæ Unctionis; ſed ad curandos ſpirituales morbos, & præveniendum ne homo in ſimiles incidat. Eſt ergo incredibile, tantùm urgere hoc præceptum in articulo mortis. 25. Secundum argumentum.

Confirmo exemplo Euchariſtiæ; nam quia illud Sacramentum non eſt tantùm viaticum, ſed præcipuè eſt ſpirituale alimentum; ideo præceptum de illo ſumendo, non tantùm obligat in articulo mortis, ſed ſæpè aliàs. Confirmatur.

Oſtendo III. quia hoc Sacramentum eſt determinatio quædam Pœnitentiæ, & modi, quo ſatisfaciendum eſt Deo pro peccatis; ſatisfactio autem non tantùm obligat in articulo mortis. Tertium argumentum.

Reſpondeo; ex his ad ſummum probari, planè conveniens fuiſſe, ut Eccleſia determinaret certum aliquod tempus, præter articulum ſeu periculum mortis, in quo ſinguli deberent ſua peccata Sacerdotibus confiteri, ut ſic perfectiùs ſatisfacerent præcepto divino Confeſſionis, confitendo omnia & ſingula, & accipiendo Pœnitentias ſecundùm cujuſque gravitatem. 26. Reſponſio ad illa argumenta, & ſpecialiter ad primum.

Alioquin Concil. Trid. ſuprà, ex inſtitutione hujus Sacramenti nihil aliud colligit, quàm, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri.* Et infrà: *Conſtat nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit.* Quòd autem, ut omnium peccatorum mortalium reminiſcatur, debeat ſæpiùs confiteri, aut alio medio uti, ne aliquorum obliviſcatur, nuſpiam docet Concilium.

Conſimiliter quantum ad pœnas injungendas, *Debent* (inquit Conc. c. 8.) *Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes Pœnitentias injungere.* Quòd autem pœnitentes debeant confiteri quando meliùs poſſunt ſatisfacere, nullibi Concilium exprimit.

Igitur in periculo mortis, etiam illi, qui multo tempore in peccatis mortalibus vixerunt, poſſunt ſua ipſi peccata in ſpecie ac ſigillatim declarare juxta inſtitutionem Sacramenti, ſcilicet omnia, quorum poſt diligens examen meminerint, & Sacerdotes poſſunt ſervare æquitatem in pœnis injungendis pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate. Et ſic reſponſum eſt ad primum argumentum Adverſariorum.

27. Reſpondetur ad 2. argumentum. Ad ſecundum, fateor ſummam utilitatem hujus Sacramenti ad curandos ſpirituales morbos, & præveniendum, ne homo in ſimiles incidat; ergo eſt neceſſitas ſuſcipiendi hoc Sacramentum extra periculum mortis, negatur Conſeq. quia non obſtante illâ utilitate, potuiſſet Deus relinquere Sacramentum omnino liberum; ſicuti non obſtante ſummâ utilitate Sacramenti Confirmationis ad intrepidè confitendum Chriſtum coram tyranno, & ſummâ utilitate Extremæ Unctionis ad leviùs ferendum incommoda morbi, & tentationibus dæmonis reſiſtendum, reliquit Sacramenta iſta libera. Immo & ipſum Sacramentum Pœnitentiæ reſpectu peccatorum venialium, quibus tamen remittendis, & impoſterùm præcavendis, haùd parùm conducit. Quid ſi ergo reliquiſſet liberum reſpectu peccatorum mortalium? Conſtat, quia adhuc inſtitutum fuiſſet ad curandos morbos ſpirituales, & in cautelam futurorum peccatorum. Omitto, finem principalem eſſe, remiſſionem peccatorum præteritorum; illa autem obtinetur ad ſufficientiam in periculo mortis.

& ejus confirmationē. Ad confirmationem patet reſponſio ex diſp. 4. ſect.8. concl.7. quæ talis eſt: *Præceptum divinum Communionis videtur per ſe, & ratione ſui, tantùm ſemel in vita obligare, ita ut ei ſatisfiat quandocumque communicetur.* Adeòq; eſt eadem ratio utriuſque Sacramenti. Videantur ibi dicta.

28. Reſponſio ad 3. argumentum. Tertium argumentum nullam habet difficultatem. Admittimus libenter, hoc Sacramentum eſſe ſatisfactionem pro offenſa divina; ſed Chriſtum exegiſſe illam ſatisfactionem extra periculum mortis, gratis aſſeritur, cùm poſſit ſatisfieri per Contritionem Charitate perfectam; quamquam & incertum ſit, an hæc Contritio ſit neceſſaria ex præcepto divino per ſe & immediatè, ſub novo peccato mortali, extra articulum mortis, ùt videre poteris diſp. 6. ſect. 4. concl. ult.

29. Quartum argumentum. Quartum argumentum deſumitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Neque enim per Lateranenſe Concil. Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum (divinum) Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.* Ergo, inferunt Adverſarii, obligat præceptum divinum extra periculum mortis; alioquin præceptum annuæ Confeſſionis non eſſet illius determinatio, ſed novum planè quid.

Reſp. Reſpondeo neg. Conſ. ſed præceptum Eccleſiæ obligat me, ut quotannis impleam præceptum divinum Confeſſionis, cui alioquin ſatisfacerem tantùm confitendo in periculo mortis. Unde ſi quis annuè non confiteretur, non infringeret præceptum Chriſti; ſed Eccleſiæ; quæ præcipit, ut opus, quod aliàs poſſem differre uſque ad finem vitæ, cùm ex præcepto Chriſti immediatè non obliger, niſi ad ſemel in vita illud exhibendum, ut, inquam, illud opus ſingulis annis exhibeam, quo ſic meliùs præcaveatur omne periculum non adimplendi præceptum divinum. Quamvis enim pro tunc non urgeat hoc præceptum, cùm latum ſit pro tempore indeterminato, ſcilicet pro tempore vitæ, quod planè incertū, haud equidem dubiū, quin omni horâ confitendo perfectè adimpleatur. Qui conf. annu. infr. præc. Chri.

Veluti qui vovit ſingulis diebus recitare Horas Canonicas, perfectè adimplet votum, ſi primò manè eas recitet, etſi pro tunc non urgeat votum, ſed poſſit eam recitationem differre uſque in finem diei; ſic ſi pater in teſtamento mandet filio, ut tempore vitæ diſtribuat mille aureos pauperibus, indubiè ſatisfacit voluntati parentis, ſi hodie ſimul omnes diſtribuat, quamvis diſtributionem poſſit differre uſque ad finem vitæ, aut per partes ſingulis diebus diſtribuere. Neque ſi Superior præciperet recitare Horas primò manè, aut mille aureos primo anno in pauperes diſtribuere, propterea peccaret contra votum, aut contra voluntatem parentis, qui in aliud tempus diei differret lectionem Horarum, aut in aliud tempus vitæ diſtributionem mille aureorum; ſed dumtaxat contra præceptum Superioris. Prob. à ſim.

Atque ſic res ſe habet in propoſito caſu Confeſſionis, quidquid Aliqui reclament, exiſtimantes, præceptum divinum Confeſſionis etiam obligare extra articulum ſeu periculum mortis, tamen in tempore indeterminato, ita ut, ſi Eccleſia nullum tempus determinaſſet, nulla eſſet obligatio in actu ſecundo extra articulum ſeu periculum mortis. Sent. oppo.

Sed non ſunt multiplicandæ obligationes ſinè neceſſitate; ſufficit omnino, quòd per determinationem Eccleſiæ reſultet nova obligatio præcepti Eccleſiaſtici, quam nemo inficiatur, & de qua infrà latiùs. Nova, inquam, obligatio; ſed ad actum alioquin neceſſarium de jure divino, quamvis non pro hoc tempore; ac proinde præceptum annuæ Confeſſionis non eſt novum planè quid, ſed determinatio præcepti divini. Mult. oblig. ſinè n. tate.

Juvabit

Digitized by Google

Juvabit audire Doctorem Subtilem de hac controverſia. Igitur 4. diſt. 17. n. 21. lego ſequentia verba : *Continet quartò* (præceptum divinum Confeſſionis) Quando, *quia quandocumque eſt in periculo mortis; quilibet enim, quando imminet judicium damnationis vel miſericordiæ, debet ſe præparare ad miſericordiam quantum poteſt.*

Et ne dubitares, quid intelligat per periculum mortis, continuò attexit : *Iſtud autem non tantùm eſt in infirmitate mortali, ſed quando aggreditur actus arduos, in quibus ſit veriſimile, quòd mors immineat, ut in bello mortali, & in naufragio, & hujuſmodi; & etiam quando vult exercere actus aliquos, quibus debetur reverentia ſpecialis, ut quando vult communicare; quia ſicut dictum eſt ſuprà diſt. 9. habitâ opportunitate Confeſſoris, nullus debet ſinè Confeſſione communicare; & in ſimilibus ſimile eſt judicium.*

Ubì in primis docet cum communi ſententia, de cujus veritate nemo ambigit, præceptum divinum Confeſſionis obligare in periculo mortis.. Et ratio eſt manifeſta : quia obligat ſemel in vita; ergo ad minùs in periculo mortis : non quaſi illud ſit tempus à Deo ordinatum ad ſuſceptionem Sacramenti (ſufficit enim, quòd anteà aliquando fuerit ſuſceptum) ſed quia, niſi tunc recipiatur, non poterit recipi in vita, aut ſaltem homo exponit ſe manifeſto periculo non recipiendi in vita, cùm tamen teneatur in vita recipere.

Secundò docet, obligare præceptum divinum Confeſſionis, quando eſt ſumenda Euchariſtia, quod probabilius eſt, ùt patet ex dictis diſp. 4. ſect. 10. concl. 3. ſed non opponitur noſtræ Concluſioni, cùm ſit obligatio per accidens, orta ex magna reverentia & ſanctitate, debita per ſpeciale præceptum ſanctitati & divinitati cæleſtis hujus Sacramenti.

Addit Scotus : *Et in ſimilibus ſimile eſt judicium* : nempè (inquit Hiquæus in ſuo Commentario ad iſtum locum n. 37.) in miniſterio, aut receptione aliorum Sacramentorum, quæ ſpecialem hanc reverentiam exigunt, ut ſancta ſanctè tractentur. Et ibidem n. 57. docet Hiquæus; quoties certum eſt, obligari peccatorem ad Pœnitentiam, & opportunitas adeſt, teneri eum confiteri ſua peccata, & maximè in receptione Sacramentorum.

Probat; quia hoc medium eſt magìs certum, & divinâ inſtitutione ordinatum, tanquam medium neceſſarium in re, aut voto, ad recuperandam primam gratiam, in re verò ipſa, tanquam medium ordinarium ſatisfaciendi Deo, & Eccleſiæ, etiam jure divino, quo data eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi Eccleſiæ.

Patet ex Trid. ſeſſ. 6. c. 14. ibi : *Unde docendum eſt, Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali, eaq; continere non modo ceſſationem à peccatis* &c. *verumetiam eorumdem ſacramentalem Confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam* &c. Et ſeſſ. 14. c. 4. ibi : *Ipſam nihilominus reconciliationem, ipſi Contritioni, ſinè Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.*

Ergo quandocumque obligat præceptum divinum Pœnitentiæ, etiam obligat medium ordinarium, niſi aliquid obſtet. Etenim ſi obliget præceptum Pœnitentiæ ad Sacramentum in voto, cur non ad ipſum Sacramentum, quando commodè ſuſcipi poteſt? Numquid poſſum habere efficax propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum, & non ſuſcipere, quando nullum adeſt impedimentum ſuſcipiendi? Herculè perfecta converſio in Deum determinat voluntatem, ad integram ſatisfactionem præſtandam Deo, quam poſſum hic & nunc commodè præſtare, & ad quam obligor ex præcepto : ſimiliter ad præſtandam ſatisfactionem debitam Eccleſiæ, per judicium Sacerdotis abſolventis à peccato, & ligantis ad pœnam.

35. *ad quam reſpondet Auctor, eam nihil aliud convincere quàm maximam congruitatem.*

Reſpon. hæc omnia nihil aliud probare & convincere, quàm maximam congruitatem & convenientiam; ſecùs omnimodam & ſtrictam neceſſitatem tanti oneris, quantum ab aliquibus æſtimatur eſſe Confeſſio. Nam quod ait Hiquæus ſuprà n. 46. Confeſſionem magìs alleviare jugum, quia multò facilior eſt & ſecurior, repugnat multorum fidelium apprehenſioni, qui, non attendentes tot tantaque commoda & conſolationes, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per Abſolutionem certiſſimè conferuntur, reputant Confeſſionem unum ex graviſſimis oneribus novæ legis.

Onera ſunt reſtringenda.

Cùm ergo onera non ſint extendenda, ſed potiùs reſtringenda, & non appareat vel in Scriptura, vel in Traditione, aut in Conciliis, aut in SS. Patribus expreſſum mandatum confitendi ante perceptionem omnium Sacramentorum, non eſt illud onus fidelibus imponendũ.

36. *An Confeſſio ſtatim poſt peccatum obliget ex Scoto.*

Hinc Scotus ſuprà n. 28. loquens de præcepto Eccleſiaſtico confitendi ſemel in anno, inquit : *Et ſi dicas, quòd hæc ſpecificatio eſt laxatio, quia priùs tenebantur ſtatim confiteri habitâ opportunitate Confeſſoris; nunc autem non tenentur uſque ad quadrageſimam. Reſpon. utrumque eſt dubium aliquibus, quibuſdam dicentibus, quod tunc & nunc tenentur ſtatim habitâ opportunitate Confeſſoris confiteri; quibuſdam dicentibus, quòd nec tunc, ſed tantùm in voto confiteri pro aliquo tempore ante mortem; nec nunc, ſed pro voto confiteri ſemel in anno.*

Secundùm (proſequitur Doctor) *videtur eſſe mitius; quia præcepta pœnalia non ſunt ampliando, ſed reſtringenda : nec invenitur quando præceptum iſtud affirmativum liget vel obliget, niſi ad aliquando; & illud quando ante ſpecificationem Eccleſiæ fuit indeterminatum ad quodcunq; quando ante mortem: ſed poſt ſpecificationem eſt indeterminatum ad quodcumque quando unicum in anno; ſemper tamen oportet habere voluntatem confitendi tunc, pro quando præceptum obligat; hoc dico ſic, quòd pro numquam ſolutionem habeat.* Hæc ille.

37. Sententia negativa eſt communis.

Itaque ſecundùm Scotum (& eſt communis ſententia contra Guil. Pariſ. & quoſdam alios) nec nunc obligat, nec olim obligavit Confeſſio ſtatim poſt peccatum commiſſum, ſive ſæculares, ſive Religioſos. Contrarium de his docet D. Bona. 4. diſt. 17. p. 1. a. 2. q. 2. ibi: *Et ideo aliter cenſendum eſt hic de Religioſo, aliter de laico. Nam Religioſo totum tempus vitæ eſt tempus Pœnitentiæ, & ideo habitâ copiâ Sacerdotis, ſi peccaverit mortaliter, credo quòd tenetur ſinè mora confiteri, & ad ipſum recurrere. Et intelligitur ſinè mora, ſicut ratio recta determinat. Laicus verò rationabiliter poteſt expectare tempus quadrageſimale, quod eſt tempus Pœnitentiæ. Vnde cùm tempus ſit magìs opportunum in eis ad ſatisfaciendum & confitendum, ſi expectent, rationabile èſt iudicare, quòd non peccent, dum tamen proponant firmiter tunc temporis confiteri. De Clericis verò iudicare non audeo, conſilium tamen ſanum credo, quòd omnes qui cadunt per mortale, quàm citiùs poſſunt confiteantur; non enim videtur verè contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum.* Hactenus Doctor Seraphicus.

Contrarium docet D. Bona. de Religioſis.

38. Sed videtur quod ſinè ſufficienti ratione.

Sed (ſalvâ ejus reverentiâ) videtur ſinè ſufficienti ratione diſtinguere, ubì Deus & Eccleſia non diſtinguunt. Nam Deus generaliter dixit Apoſtolis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, Joan. 20. v. 23. Ex quibus verbis univerſa Eccleſia ſemper intellexit, integram peccatorum Confeſſionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere. Quòd autem neceſſaria exiſtat pro prima opportunitate, nuſpiam Eccleſia ſignificat; ſed potiùs contrarium, quando generaliter præcipit, ut omnis utriuſque ſexûs fidelis, nullâ factâ diſtinctione inter Religioſum, laicum, & Clericum, præceptum divinum ſaltem ſemel in anno impleat. Quam utique determinationem Eccleſiæ omnes fideles ſic intelligunt, ut extra periculum mortis, ſemel in anno confitendo, eſtò centies eſſet opportunitas, putent ſe ſatisfacere tam præcepto divino, quàm Eccleſiaſtico Confeſſionis. Neque ullus Confeſſarius aliud inquirit, quàm an ſemel in anno fuerint confeſſi; nullâ habitâ ratione opportunitatis ſæpiùs confitendi.

Ioan. 20.

39. Alioquin Eccleſia aliquando ſignificaſſet illam obligationem particularem Religioſorum.

Si ergo Eccleſia judicaſſet & judicaret, Religioſos debere confiteri ſinè mora, ſicut recta ratio determinat, id eſt, pro prima opportunitate, quidni uno verbo illam obligationem inſinuaſſet & inſinuaret? Nam tacendo, cùm ſciat ſuum præceptum ſic ab omnibus intelligi, dat occaſionem materialis ſaltem tranſgreſſionis præcepti divini Confeſſionis.

Nonne ſi Epiſcopus conderet ſtatutum, ut omnes audirent Sacrum, ſaltem ſemel in menſe, daret ſubditis occaſionem cogitandi, ſe liberos eſſe à frequentiori auditione Sacri? Et licèt aliter poſſet intelligi, ſi tamen ſciret ſubditos ſic intelligere, & taceret, cùm commodè poſſet mentem ſuam aperire; nonne tacendo daret occaſionem ſubditis materialiter ſaltem peccandi, contra præceptum univerſalis Eccleſiæ, audiendi Sacrum ſingulis diebus Dominicis & Feſtvis? Non eſt dubium. Ergo non eſt veriſimile, quòd Eccleſia unquam intellexerit, Confeſſionem neceſſariam jure divino exiſtere omnibus fidelibus poſt Baptiſmum lapſis, aut etiam ſolis Religioſis, ſtatim poſt peccatum commiſſum, aut pro prima opportunitate: præſertim, cùm nec ipſa pœnitentia ſic obliget, ùt patet ex dictis diſp. 6. ſect. 4. concl. 3.

Relictâ ergo ſententiâ D. Bona. quæ quìdem pia eſt, ſed multiplicat obligationes abſque ſolido fundamento, adhæreo ſententiæ Doctoris Subt. & dico cum ipſo ſuprà: *Præcepta pœnalia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda; nec invenitur, quando præceptum iſtud affirmativum liget vel obliget, niſi ad aliquando, & illud quando ante ſpecificationem Eccleſiæ, fuit indeterminatum ad quodcumque quando ante mortem.*

A… ha… te… Sc…

Ergo non eſt, quòd Hiquæus iſtud determinet ad quando ante receptionem omnium Sacramentorum, & ad quodcumque tempus, in quo obligat præceptum Pœnitentiæ, & adeſt opportunitas confitendi, niſi fortè Deus ſpecialiter ipſi commiſerit illam determinationem, quod non credo.

Ad rationem ejus ſuprà adductam; Reſpondeo; hanc determinationem non metiendam ratione, ſed voluntate divinâ, quæ potuit habere juſtiſſimas rationes non obligandi, niſi in periculo mortis; etſi multùm conveniens ſit, ut extra periculum fideles confiteantur, & ideo determinationem illius temporis reliquerit Eccleſiæ; quæ, omnibus conſideratis, nullibi determinavit tempus, in quo obligat præceptum Pœnitentiæ, aut tempus receptionis omnium Sacramentorum; ſed voluit, ut fideles ſingulis annis confiterentur, & ante perceptionem Euchariſtiæ, propter ſingularem ejus præ aliis ſanctitatem & dignitatem.

&… ad… Hiq…

Unde bene Scotus ſuprà: *Et in ſimilibus*, inquit, *ſimile eſt iudicium.* Cùm ergo alia Sacramenta, non ſint per omnia ſimilia, Sacramento Euchariſtiæ, ùt docet Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. in principio dicens: *Commune hoc quidem eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem: verùm illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Euchariſtiâ ipſe ſanctitatis Auctor ante uſum eſt*; quid miramur, ſi ſumptio Euchariſtiæ prærequirat Confeſſionem peccatorum, tanquam medium certius & ſecurius recuperandi primam gratiam; ad alia autem Sacramenta ſufficiat Contritio charitate perfecta? Potiùs miremur, Eccleſiam, ſi judicaſſet, eamdem eſſe rationem de omnibus Sacramentis, nuſpiam illam obligationem reſpectu aliorum

Alia… mem… ſunt… no ſi… Euch… ex T…

Digitized by Google

rum Sacramentorum vel verbulo inſinuaſſe.

Immo Aliquibus videtur contrarium ſignificare, quando ſeſſ. 24. de Reform. Matr. c. 1. circa finem ait: *Poſtremò ſancta Synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem ſua peccata diligenter confiteantur & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè accedant.* Porro ly *hortatur* ſignificat congruentiam, & non obligationem.

Reſpondet Hiquæus ſuprà n. 64. Concilium non ſupponit contrahentes Matrimonium eſſe in peccato mortali: adhortatur ergo ad Confeſſionem, & Communionem, ſaltem tribus diebus ante conſummationem Matrimonii, ad implorandum potiùs divinum auxilium ad onera Matrimonii ſupportanda.

Sed contrà; neque Concilium ſupponit, eos, qui accedunt ad Euchariſtiam, eſſe in peccato mortali; & tamen expreſsè declarat ſeſſ 13. c. 7. *eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Quod & hìc debuiſſet facere, ſi eſſet eadem obligatio. Jam autem neque hìc fecit, neque in aliquo alio Sacramento, præter Euchariſtiam; porrò, ſecundùm commune dictum, *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

Fateor, Confeſſio eſt medium à Deo ordinatum ad primam gratiam recuperandam; eſt medium certius & ſecurius; eſt medium ordinatum à Deo ad perfectè ipſi ſatisfaciendum, & etiam Eccleſiæ viſibili, quæ non judicat, niſi de externis & viſibilibus; attamen tale medium, quod ſufficiat in vita aliquando adhibere, hoc vel illo tempore, per ſe loquendo, & quantum eſt ex præcepto immediato Dei. Quamquam enim Deus potuiſſet ſæpiùs in vita requirere illud medium, etiam ſtatim poſt peccatum commiſſum; equidem feciſſe, quod potuit facere, nec conſtat ex Scriptura, nec ex Traditione, nec ex SS. PP. neque ex Oecumenicis Conciliis.

Dico; *Per ſe loquendo, & quantum eſt ex præcepto immediato Dei*; quia radicaliter & mediatè, aut per accidens ſæpiùs obligat, ùt dictum eſt, & infrà adhuc dicetur; noſtra Concluſio tantùm loquitur, ùt patet ex ejus verbis, de obligatione præcepti divini per ſe, & immediata.

Cæterùm quod Hiquæus ſuprà addebat; *Non poſſe quempiam habere votum Confeſſionis, niſi actu confiteatur, ſi adſit opportunitas*, falſum omnino eſt. Siquidem ubì ſcriptum aliquis legit: Contritio Charitate perfecta non reconciliat, ſinè voto ſtatim confitendi, aut confitendi primâ opportunitate? Non ſic loquitur Tridentinum, ſed inquit: *Ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni, ſinè Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non eſſe adſcribendam*, id eſt, ſinè ſacramentali Confeſſione ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendâ, juxta illud ejuſdem Concilii ſeſſ. 6. c. 14. *Docendum eſt, Chriſtiani hominis Pœnitentiam poſt lapſum, multò aliam eſſe à Baptiſmali; eâque contineri non modo ceſſationem à peccatis &c. verùm etiam eorundem ſacramentalem Confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam*, puta ex præcepto diuino in periculo mortis, aut alio caſu æquivalente, aut certè ſingulis annis ex determinatione Eccleſiæ.

45. Votum Confeſſionis ſolùm probat ſimplicem obligationem.

Igitur votum illud ſolùm probat ſimplicem obligationem Confeſſionis; non autem quòd ſit obligatio pro prima opportunitate, aut pro omni tempore, quo præcepta eſt vera Pœnitentia; cùm Pœnitentia poſſit eſſe vera, & per conſequens remiſſiva peccatorum ſinè actuali Confeſſione, etiam quando alioquin opportunum foret confiteri.

Objectio ſolvitur.

Si enim aliquid obſtaret, eſſet virtualis contemptus Sacramenti. Verum enimverò veluti non contemnit Sacrum, qui non audit illud, eſtò habeat opportunitatem audiendi, dummodo non ſit obligatio; ita etiam non contemnit Confeſſionem, nequidem virtualiter, qui eam non adhibet, eſtò commodè poſſit, dummodo prudenter exiſtimet hìc & nunc non eſſe obligationem.

46. Concluditur verbis Scoti.

Finio verbis Scoti deſumptis ex Reportatis (Lugduni impreſſis) 4. diſt. 17. n. 27. *Quantum ad Quando, ſemper omni tempore, quando imminet periculum mortis vel mors, ut quando vadit ad bellum, vel ultra mare, vel tempore gravis infirmitatis. Similiter quando vult communicare; & quoties talis neceſſitas vel periculum immerſerit, tenetur quilibet confiteri; & ad hoc non obligatur aliquis ex præcepto Eccleſiæ, ſuperaddito præcepto Dei de Confeſſione facienda; ſed ex præcepto Dei, quo omnem hominem obligat ad eligendum viam ſalutis, & ad ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, per quam recuperat gratiam, quam perdidit per peccatum: quia ſine gratia impoſſibile eſt placere Deo.*

Ubi ſolius meminit Euchariſtiæ; præterquam, quòd jus illud divinum, quando vult communicare, non ſit omnino certum, ùt diffusè probavimus diſp. 4. ſect. 10. concl. 3. quantò minùs quando vult ſuſcipere alia Sacramenta? Nemo autem dubitat de periculo mortis.

47. Præceptum Innoc. 3,

Unde factum eſt, quòd Innocentius III. in Concilio Generali Lateranenſi c. 22. & refertur de Pœnit. & Remiſſ. c. *Cùm infirmitas* 13. Medicis præceperit, *ut cùm eos ad ægrotos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, ut animarum medicos vocent, ne cùm eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis ſuadetur, in deſperationis articulum incidant*. Ita refert Pius V in Bulla: *Super gregem Dominicum* 3. apud Cherubinum §. 1.

& Pii 5. concernens Medicos.

Subjungit §. 2. & 3. *Nos igitur volentes hoc tam ſalutare præceptum, nullâ temporis præſcriptione aboleri; ſed ſemper obſervari, Conſtitutionem* pra-

præfatam auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium innovamus, & hâc noſtrâ in perpetuum valiturâ Conſtitutione ſtatuimus & decernimus, quòd Medici, cùm ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, hoc ante omnia moneant, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua iuxta ritum S. R. E. confiteantur; neque tertio die ulteriùs eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo eius conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quòd infirmi, ùt præmittitur, peccata ſua confeſſi fuerint.

Præterea §. 6. eâdem auctoritate præcipit & mandat, *Vt nullus poſt hac ubique locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quovis Collegio & Vniverſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra Conſtitutione contenta, medio eorum iuramento coram Notario publico & teſtibus obſervare in eorum manibus vel Ordinarii iuraverint, & de huiuſmodi iuramento in privilegio ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat.*

48. Circa hoc præceptum notat Dia. 1.

De hac Conſtitutione Pii V. & obligatione Medicorum tractat Diana parte 3. tr. 4. reſol. 93. & in primis ait: Quæ quidem Conſtitutio renovatur c. *Cùm infirmitas* De Pœnit. & Remiſſ. Fortè dicere voluit: *Renovat*, nam cap. *Cùm infirmitas* eſt Innoc. III. quem citat Pius V. in ſua Conſtitutione.

Notat 2. non obligare in quibuſcumque morbis.

Notat II. contra Cherubinum & alios, quos citat, dictas Conſtitutiones Pontificias non obligare in quibuſcumque morbis, ſed in morbo gravi, vel qui in principio prudenter judicatur à Medico periculoſus, ut gravis efficiatur. Ita multi DD. quos ibi refert Diana. Et meo judicio videtur ſatìs apertè colligi ex ratione legis: *Ne cùm eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis* (in qua utique eſt obligatio juris divini confitendi) *ſuadetur, in deſperationis articulum incidant.* Ita Pius V.

Hæc ſunt verba Innocentii: *Hoc quidem inter alia huic cauſam dedit edicto, quòd quidam in ægritudinis lecto iacentes, cùm eis à Medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, unde faciliùs mortis periculum incurrunt.* Ergo loquuntur Pontifices de illis morbis, qui à Medico judicantur graves futuri, ita ut prævideant neceſſitatem juris divini confitendi, quamvis fortè hìc & nunc nondum ſit neceſſitas; quia nondum periculum mortis. Atque ſic habet conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres.

49. Notat 3. ſatìs eſſe, ſi Medicus per alium admoneat.

Notat III. Diana cum Aliis, quos citat, ſatìs eſſe, ſi Medicus admoneat per alios, ita legem interpretante conſuetudine. Et ratio mea eſt, quoniam finis legis obtinetur, ſive infirmus inducatur ad Confeſſionem per Medicum, ſive per alium quempiam ex aſſiſtentibus.

Ex quo etiam deduco, non eſſe opus admonitione, quando aliunde infirmus promptus eſt ad confitendum, aut ſcitur non indigere Confeſſione; quia minimè obnoxius peccatis mortalibus non confeſſis. Quis enim Medicorum admonet Religioſos infirmos, ut confiteantur?

Ar mi co M del de

Sed quid ſi infirmus pertinax maneat in renuenda Confeſſione, quando tamen ſcitur eâ indigere ad ſalutem animæ ſuæ? Numquid Medicus vi Conſtitutionis Pianæ tenetur eum deſerere?

Se Di chi

Reſpondet Diana ſuprà; ſi æger in probabili mortis periculo conſtituatur, non eſſe deſerendum à Medico. Immo, inquit, idem dicendum eſt, quoties Medici abſentia eſſet graviter ægro nocitura. Rationem aſſignat Sanchez in Summa lib. 3. c. 16. n. 10. (ubì docet hanc ſententiam) quia contra Charitatis ordinem videtur, non ſubvenire ægro in ea neceſſitate corporis, & animæ; qui fortè deſperans obibit: & fortè Medico non deſerente, ad priſtinam ſanitatem reſtitutus, aut morbo ingraveſcente, ad meliorem frugem ſe recipiet. Hæc ille.

Co qu ga

Sed libenter ego ſcirem, quo ergo caſu Medicus, ſecundùm Conſtitutionem Pii V. teneatur deſerere infirmum; nam ſecundùm Sanchium ibidem n. 7. Diana ſuprà, Suarium diſput. 35. ſect. 3. nu. 4. & plures alios, Decretum Pii V. intelligitur de quocumque morbo gravi, vel quando Medicus prudenter judicat periculum motale eſſe, ut morbus gravis fiat: ſed in illis morbis abſentia Medici ſemper eſt graviter ægro nocitura: ergo nullus datur caſus, in quo Medicus tenetur infirmum monere, ut confiteatur; & ſi nolit confiteri, debeat eum deſerere. Quantum ad obligationem Charitatis; Medico deſerente, & morbo ingraveſcente, infirmus periculo mortis exterritus, fortè ad meliorem frugem ſe recipiet, alioquin permanſurus in peccatis, & fortè in illis moriturus.

5 Ad cus tur quar non fruſt Sanc

Docet ibidem Sanchez n. 12. Quòd quando creditur certò monitionem nil profuturam, ob ægri obſtinationem, nec Medicus tenetur eum admonere, nec eum deſerere; nam Pontificis mens fuit, ſpirituali ægri ſaluti conſulere, & nil fruſtraneum præcipit; at in hoc caſu fruſtranea eſſet admonitio, nec ad eum finem conducens. Item, quia urgentius eſt præceptum naturale divinum prædictæ admonitionis infirmi in mortis periculo conſtituti, quod tamen ceſſat in hoc eventu. Rariſſimè tamen aut numquam hoc accidet; quia Medicus debet eſſe certus de hoc, & in dubio, an proderit, tenetur admonere. Hæc ille.

5 Quæ ratio Conſti tionis.

Addo ego, & tenetur deſerere, ſi vel minima aſſulgeat ſpes, quòd occaſione deſertionis infirmus ad meliorem frugem ſe recipiet. Nam propterea Pontifex eam deſertionem ordinavit & præcepit; quia ſuppoſuit eſſe medium efficaciſſimum inducendi infirmum ad veram

Pœni-

Digitized by Google

Pœnitentiam, ex jure divino in periculo mortis obligantem. Quamquam hæc obligatio juris divini, non ſit tota ratio Conſtitutionis; ſed etiam quia nonnumquàm peccatum ſolet eſſe cauſa infirmitatis, ùt patet ex verbis Innocentii III. *Cùm infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem ſanaverat:* Vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; *præſenti decreto ſtatuimus, & diſtrictè præcipimus Medicis corporum, ut cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, ut Medicos advocent animarum, ut poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis Medicinæ remedium ſalubrius procedatur; cùm cauſâ ceſſante, ceſſet effectus.*

Verùm hanc non fuiſſe præcipuam cauſam; planè mihi perſuadeo ex gravitate pœnæ: *Si quis Medicorum,* inquit Innoc. *hujus noſtræ Conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit, tam diu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro tranſgreſſione hujuſmodi ſatisfecerit.* Hanc pœnam renovat Pius V. addens perpetuam infamiam, & privationem gradûs Medicinæ; nec non ejectionem à Collegio & Univerſitate Medicorum, ac pœnam pecuniariam arbitrio Ordinariorum. Hæ, inquam, pœnæ, cùm ſatis graves ſint, & per conſequens ſatis gravis obligatio præcepti, videntur Pontifices magìs attendiſſe ad periculum non implendi præceptum divinum Confeſſionis in articulo mortis, quàm ad ſalubrius remedium corporalis medicinæ.

Cæterùm quod dicitur in Conſtitutione Pii V. de fide Confeſſoris in ſcriptis facta, ita interpretatur communis praxis, ut ſufficiat teſtimonium eorum, qui infirmorum curam gerunt, ſi ſint fide digni; immo talis poteſt eſſe infirmus, ut ejus teſtimonium ſufficiat. Ita Diana ſuprà cum Aliis, quos citat. Enimverò cùm hoc decretum ſit humanum; & ideo conſuetudine aboleri poſſit in totum, vel in partem; hinc non aliter obligat, quàm uſu receptum eſt, videntibus & diſſimulantibus Prælatis, quibus incumbit curare, ut Medici illud exequantur.

Ac proinde juramentum, de quo meminimus, non obligat Medicos, niſi in quantum motus proprius Pii V. uſu receptus eſt, & prout ille obligat: nam ùt ait Reg. Juris 42. de Reg. Juris in 6. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Et ideo ſic docet Suarez ſuprà n. 5. Sanchez n. 15 Diana, & Alii. Quare, inquit Sanchez, cùm videamus illum minimè uſu receptum eſſe, idque videntibus & diſſimulantibus Prælatis, juramentum id non obligat, niſi in iis locis, ubi id decretum uſu receptum eſt. Quamobrem in aliis locis ſolùm tenentur Medici quoad hoc ſervare præceptum juris divini naturalis (puta præceptum Charitatis, quo quis tenetur procurare bonum proximi quantùm commodè poteſt.) nec tamen erunt perjuri illud tranſgrediendo; quia juramentum eſt tantùm de ſervando motu proprio Pii V. qui longè aliud diſponit, nec uſu eſt receptus. Hæc ille.

Sed quoniam conſuetudo non in omnibus locis ſemper eadē eſt; *Si fueris Romæ, Romano vivito more, & ſi ſis alibi, vivito ſicut ibi.* Ego autem revertor ad præceptum divinum confitendi in periculo mortis, quod nec in totum, nec in partem conſuetudine poteſt aboleri, ùt eſt communis Theologorum ſententia; & ideo ubique locorum obſervari debet eodem planè modo, quo jus naturale, de quo ſcriptum habes cap. Fin. de Conſuetudine: *Cum tantò ſint graviora peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo ſanæ mentis intelligit, naturali juri (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit) quacumque conſuetudine (quæ dicenda eſt veriùs in hac parte corruptela) poſſe aliquatenus derogari.* 54. Præceptum divinum confitendi in periculo mortis non poteſt aboleri conſuetudine,

Ratio eſt; quia conſuetudo ſuam vim habet ex voluntate humana, quæ, ùt clarum eſt, non poteſt præjudicare voluntati divinæ, ad quam ſpectat lex naturalis, & poſitiva divina; neque oſtendi poteſt jus divinum ullibi diſpoſuiſſe, aut conceſſiſſe conſuetudini vim abrogandi in totum, vel in partem jus naturale, aut poſitivum divinum; immo potiùs contrarium, ùt patet ex Matth. 15. v. 3. *Quare & vos tranſgredimini mandata Dei, propter traditionem veſtram?* Et v. 6. *Irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditionem veſtram.* Probatio.

Interim tamen, cùm lex divina poſitiva ſigno aliquo externo data ſit, quod utique ſignum ſæpè ambiguum eſt propter diverſa ſignificata; hinc planè conveniens erat, quòd Eccleſia poteſtatem haberet interpretandi legem divinam poſitivam; ejuſque genuinum ſenſum explicandi, ſicut videmus quotidie fieri. Cùm ergo dubium ſit, quid Chriſtus intellexerit per periculum mortis, in quo obligavit omnes fideles, qui mortaliter peccaſſent, ad Confeſſionem, ad Eccleſiam ſpectat mentem ejus interpretari. 55. Eccleſia poteſt interpretari præcepta divina.

Et quidem ſatìs convenit inter Doctores, non ſolùm intelligi phyſicum articulum mortis, quando jam nulla ſupereſt ſpes ulterioris vitæ; ſed etiam rationabilem timorem inſtantis mortis, eſtò cum aliqua ſpe eam evadendi, ut in navigatione periculoſa, & quando inſtat prælium, & quando delicata fœmina primùm parturit, vel quæ partus difficiles habere ſolet, & in ſimilibus caſibus æquivalentibus. Dubitatur verò ab Aliquibus, an ſit caſus æquivalens, quando quis jam habet copiam Confeſſarii, quam poſtea per totam vitam non habebit; item quando eſt periculum oblivionis peccatorum. Reſolutio dubii erit Quid Eccleſia hic intelligat per periculum mortis.

CON-

CONCLUSIO III.

Præceptum divinum Confeſſionis obligat per ſe & immediatè, quando quis habet copiam Confeſſarii, quam poſtea per totam vitam non habebit; ſecùs ſi ſolùm ſit periculum oblivionis.

56. *Prima pars Concluſ. ab aliquibus negatur.* PRima pars eſt communis paucis contradicentibus, quorum ſententiam, ùt refert Lugo diſp. 15. n. 57. probabilem dicit Joannes de la Cruz in Direct. p. 2. de Pœnit. q. 3. dub. 3. Fundamentum eſſe poteſt; quòd non teneamur prævenire tempus obligationis, quamvis prævideamus impedimentum, ùt de Communione Paſchali docuimus diſp. 4. ſect. 9. concl. 2. jam autem tempus in quo urget præceptum divinum Confeſſionis, eſt articulus ſeu periculum mortis, quod tunc nondum eſt.

Satisfit fundamento eorum, Reſpondeo, diſparitatem eſſe inter præceptum divinum Confeſſionis, & præceptum Eccleſiaſticum Communionis Paſchalis, quod hoc præceptum reſpiciat determinatum tempus Paſchæ; pro quo præcisè latum eſt; illo ergo nondum exiſtente, necdum exiſtit obligatio, adeò ut ſi quis præveniret, nihilominus non impleret præceptum, & rursùm deberet communicare tempore Paſchali, ſi impedimentum caſu ceſſaret; at verò præceptum divinum Confeſſionis abſolutè obligat ad ſemel in vita ſuſcipiendum hoc Sacramentum; adeòque ſemper adeſt tempus obligationis, & urget obligatio, quando prævidetur, quòd niſi hoc tempore ſuſcipiatur, poſtmodum in hac vita non poterit ſuſcipi.

& probatur communis doctrina. Neque enim obligat in articulo ſeu periculo mortis, quaſi illud ſit tempus à Deo ordinatum ad ſuſceptionem illius Sacramenti; ſufficit namque, ſecundùm omnes, quòd antea aliquando ſuſceperit, id eſt, quòd pro tunc nullum habeat peccatum mortale, quòd non fuerit aliquando directè remiſſum virtute Clavium; ſed quia niſi tunc confiteatur, ampliùs in tota vita non poterit confiteri. Idem autem cernitur in caſu Concluſionis, qui proinde æquivalet quoad hoc punctum articulo ſeu periculo mortis.

57. *Objectio. Solvitur.* Si inferas; ergo etiam periculum oblivionis æquivalet, quod eſt oppoſitum ſecundæ partis Concluſionis. Reſp. neg. Conſ. Do rationem diſcriminis; quòd oblivio aliquorum peccatorum non impediat omnino ſuſceptionem Sacramenti, quemadmodum impedit abſentia Confeſſarii.

Inſtas; impedit omnino directam Abſolutionem illorum peccatorum, quæ tamen videtur præcepta. Reſpondeo ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ubì poſt inſinuatum præceptum divinum Confeſſionis, actutùm ſubjungit: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri.* Et in[illegible]: *Conſtat nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eâdem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.* Ergo non præcipitur directa Abſolutio omnium omnino peccatorum; ſed illorum tantùm, quæ diligenter cogitanti occurrunt.

Planè inquis, & ideo eſt obligatio confitendi, quando memoriæ occurrunt; adeòque ſtatim, ſi eſt periculum oblivionis, cùm præceptum divinum quocumque tempore poſſit impleri.

Nec Satisfacis, ſi reponas; quia pauci ſunt, qui non exponunt ſe tali periculo, differendo Confeſſionem uſque in finem anni, quæ tamen dilatio ab omnibus admittitur licita (quamvis conſultiùs ſit ſæpiùs confiteri) propter caput: *Omnis utriuſque ſexûs* 12. de Pœnit. & Remiſſ. ibi: *Omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.*

Non, inquam, ſatisfacis; quia ibi non dicitur, quòd non debeat ſæpiùs confiteri; ſed ſolùm præcipitur, ut ſaltem ſemel in anno confiteatur, idque proprio Paſtori. Ergo Concilium Lateranenſe declaravit, non eſſe obligationem, niſi confitendi ſemel in anno, negatur Conſeq. Et inſtantia eſt manifeſta, quando intrà annum occurrit periculum mortis, in quo, ſecundùm omnes, tenetur confiteri, ſi inciderit in novum peccatum mortale, tametſi priùs eodem anno confeſſus fuiſſet.

Eſtò igitur talis, differens Confeſſionem, cum periculo oblivionis aliquorum peccatorum, uſque ad finem anni, ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico; haud equidem ſequitur, ſatisfacere præcepto divino, quod obligat ad Confeſſionem omnium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, ſive proprio Paſtori ſive alieno habenti eamdem juriſdictionem, quandocumque erit periculum, ne poſtea propter oblivionem talia peccata poſſit confiteri, & ab illis directè abſolvi.

Hanc ſententiam, ùt refert Diana p. 3. tr. 4. reſol. 155. docet Medina Complutenſis Cod. de Pœnit. tr. 2. q. 14. §. 2. ſub finem, & Didacus Nugnus in 3. p. to. 2. q. 6. a. 5. diff. 1. concl. 4. nec caret ſuâ probabilitate, quamvis contraria, quæ eſt ſecunda pars noſtræ Concluſionis, ſit magìs communis, & paſſim in ſcholis

Digitized by Google

Scholis recepta, & Neotericorum ſcriptis divulgata.

Optimè autem probatur ex cap. *Omnis utriuſque ſexûs* mox allegato, accedente communi ſenſu tum fidelium, qui non judicant ſe peccare, tametſi cum periculo oblivionis aliquorum peccatorum differant Confeſſionem uſque ad finem anni; tum Confeſſariorum, qui non judicant pœnitentes peccaſſe, quantumvis cum periculo oblivionis aliquorum peccatorum diſtulerint Confeſſionem uſque ad finem anni; & idcirco non ſolent in hac parte examinare pœnitentes, ut accuſent ſe de violatione præcepti divini, vel ſaltem ad cautelam, quamvis dicat Nugnus ſuprà, id debere fieri.

Libenter admitto, cap. *Omnis utriuſque ſexûs* non omnino convincere, ùt patet ex dictis; interim præbet ſolidum fundamentum ſuſpicandi & judicandi, non fuiſſe intentionem Chriſti, obligare fideles in tali caſu ad Confeſſionem; cùm enim caſus frequentiſſimus ſit, & ferè quotidianus, & præceptum Eccleſiaſticum ſit determinatio præcepti divini, mirum foret, quòd Eccleſia, illius caſûs nullâ factâ mentione, ſimpliciter præciperet ſemel in anno confiteri; cùm regulariter per ſe ex præcepto divino ſæpiùs foret confitendum.

Si reſpondeas; poſſet ſatisfacere huic obligationi ſcribendo nunc peccata. Poſſet omnino; ſed neque ad hoc tenetur, inquit Lugo diſp. 15. n. 41. quia præceptum eſt ſolùm confitendi peccata, quæ tunc occurrunt memoriæ, præmiſſo examine humano modo; non eſt autem humanus modus illa exquiſita & metaphyſica diligentia obſervandi, & notandi omnia peccata, & circumſtantias, prout ſucceſſivè fiunt, & ſcribendi eas, ne memoriâ decidant; ſed potiùs eſſet graviſſimum onus & inutile, immo noxius valde laqueus conſcientiæ ſuperadditus, quare non debuit præceptum cum eo rigore imponi. Hæc ille.

Et verò quamvis exiſtimem, non eſſe obligationem ſcribendi; equidem non rarò inveniuntur, qui ad juvandam memoriam, & ne aliquorum inter confitendum obliviſcantur, in charta deſcribunt peccata ſua, & ex illa confitentur; nec exiſtimant hoc graviſſimum onus & inutile, ſed maximum ſublevamen, & rem valde utilem, ne poſtmodum cum iterato rubore ſæpiùs debeant confiteri, peccatis tunc oblitis, hìc & nunc memoriæ occurrentibus. Interea ſenſus communis tum fidelium, tum Confeſſariorum non agnoſcit obligationem juris divini, quod evidens ſignum eſt, nullam talem ſubeſſe. Cùmque ſatis difficile ſit confiteri peccata, quæ pro tunc diligenter cogitanti occurrunt, ubì Dominus bonus eſt, oculus noſter non debet eſſe nequam, id eſt, imponere obligationem, ubì non conſtat, Dominum eam impoſuiſſe.

Unde miror doctrinam Lugonis ſuprà n. 37. ubì ait: Et idem eſt, ſi aliquis habet peccata reſervata, à quibus adeſt nunc, qui eum abſolvat; poſteà verò non habebit, à quo poſſit abſolvi; nam præceptum confitendi ea peccata obligat ad Confeſſionem nunc faciendam. Hæc ille, comparans hunc caſum primo caſui Concluſionis noſtræ, quando aliquis nunc habet copiam Confeſſoris, quam poſteà non habebit per totam vitam. 61. *An teneatur quis nunc confiteri peccata reſervata, ſi pòſt non ſit habiturus legitimum Confeſſarium. Lugo.*

Sed diſparitas eſt nimis manifeſta; nam, ùt ſuo loco videbimus, in articulo ſeu periculo mortis ceſſat omnis reſervatio, juxta illud Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. circa finem: *In eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis*; ergo qui jam poterit abſolvi à reſervatis, etiam poterit ab iiſdem abſolvi in articulo ſeu periculo mortis, in quo ſolo per ſe & immediatè obligat præceptum divinum Confeſſionis; ergo nulla obligatio nunc confitendi illa reſervata. *Negat Auctor.* *Conc. Trid.*

Dices; Cardinalis ſupponit, quòd poſtea non habebit, à quo poſſit abſolvi. Reſpondeo; perperàm hoc ſupponit, ùt patet ex jam dictis, niſi ſupponat defectum omnis Confeſſarii, atque tunc eſt primus caſus Concluſionis, in quo perinde eſt ſive habeat peccata reſervata, ſive non reſervata. Ad quid ergo fit expreſſa mentio reſervatorum? 62. *Objectio ſolvitur.*

Atque ut non poſſent reſervata directè abſolvi à quocumque Sacerdote in periculo mortis, non video majorem obligationem nunc confitendi reſervata, quàm confitendi non reſervata, quando eſt periculum oblivionis; quia confitendo peccata non reſervata in articulo mortis, ſatisfiet præcepto Confeſſionis, & peccata reſervata indirectè abſolventur; ſicuti ſatisfit præcepto Confeſſionis explicando peccata, quæ memoriæ occurrunt, & indirectè abſolvuntur peccata oblita.

Si autem ſupponas, pœnitentem nulla omnino habere peccata, præter reſervata, qui eſt caſus planè metaphyſicus, & nunc adeſſe Sacerdotem, qui poſſit ea abſolvere, poſteà numquam adfuturus; liquet ſanè, præceptum divinum obligare ad Confeſſionem nunc faciendam; quia æquivalet talis caſus articulo ſeu periculo mortis, in quo omni & ſolo, ùt ſatìs hactenus explicavimus, obligat per ſe & immediatè præceptum divinum Confeſſionis. Sequitur agendum de obligatione per accidens. Pro qua inſtituitur

CONCLUSIO IV.

Præceptum Divinum obligat per accidens, quando ſumenda eſt Euchariſtia, vel eſt medium neceſſarium ad ſuperandam gravem aliquam tentationem, v.g. ad evitandum peccatum fornicationis, aut ſimile: non tamen propterea tenentur communiter Chriſtiani plùs quàm ſemel in anno confiteri.

63. Quid ſit obligatio per accidens.

VOco obligationem per accidens & mediatam, quæ non oritur vi talis præcepti in propria natura, & virtute conſiderati, id eſt, ſecluſo quocumque alio præcepto tam divino, quàm humano. Hoc ſuppoſito, & remiſſo Lectore ad ea, quæ diximus de obligatione confitendi ante ſumptionem Euchariſtiæ diſp. 4. ſect. 10. concl. 3.

Probatur 2. pars Concl.

Probo ſecundam partem Concluſionis; quia qui præcipit finem, etiam præcipit media neceſſaria ad finem; ergo qui præcipit ſuperationem tentationis v.g. carnis, præcipit orationem, jejunium, & alia pia opera, quæ hìc & nunc ſunt neceſſaria ad illam ſuperandam; ergo etiam Confeſsionem, ſi hìc & nunc ſit neceſſaria.

Neque de hac obligatione, quam clarè conſtat eſſe per accidens, nemo dubitat; ſed cardo difficultatis eſt; an ergo teneantur Chriſtiani plùs quàm ſemel in anno confiteri, quandoquidem experientia doceat, frequentiorem Confeſſionem eſſe medium moraliter neceſſarium ad ſuperandas graves tentationes, & nova peccata mortalia evitanda.

64. Ultima pars Concluſ. probatur 1. Lugo.

Nihilominus Concluſionem noſtram eſſe communem Theologorum, affirmat Lugo diſp. 15. nu. 46. Probatur I. quia hucuſque nullus eſt, qui pœnitentibus ſcrupulum injecerit de hujuſmodi obligatione, vel qui in publicis concionibus populo tale præceptum propoſuerit, licèt ſæpiùs ſoleant Concionatores hortari populum ad frequentationem hujus Sacramenti; non eſt autem credibile, per tot ſæcula fuiſſe ignoratam, aut certè neglectam à tot ſanctis & doctis viris ejuſmodi obligationem.

Probatur 2.

Probatur II. ex præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis, per quod, quantumvis explicitè non tollatur præceptum divinum aut naturale, ſi quod intra annum occurrat, ut ſuprà notavi, valdè tamen inſinuatur, nullam eſſe talem obligationem, ſaltem communiter; ſi enim homines communiter tenerentur ad frequentiorem Confeſſionem, fruſtrà præciperetur annua; immo ſcandaloſè, cùm detur occaſio fidelibus cogitandi, non eſſe obligationem communiter ſæpiùs confitendi. Veluti ſi Epiſcopus præciperet, ut quiſque ſaltem ſemel ſingulis hebdomadibus Quadrageſimæ jejunaret, hæc lex non ſolùm eſſet inutilis, ſed etiam ſcandaloſa; quia ſubditi crederent, ſe ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, per illud unicum jejunium.

Confirmatur I. quia Eccleſia ſcit multos ſemel dumtaxat in anno confiteri, & tamen numquam reprehendit hunc abuſum.

Confirmatur II. quia Confeſsio annua ſolùm præcipitur illis, qui mortaliter peccaverunt: ergo Eccleſia ſupponit eos, qui mortaliter peccant non habere præceptum frequentiùs confitendi. Quid quòd Eccleſia approbet morem confitendi in Quadrageſima? *In univerſa Eccleſia*, inquit Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. in fine, *cum ingenti animarum fidelium fructu, obſervatur mos ille ſalutaris confitendi, ſacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat, & amplectitur tamquam pium, & meritò retinendum.* Et quamvis hìc non excludat frequentiorem Confeſſionem; equidem cum probè reſciat, plurimos ſolùm illo tempore confiteri, ſaltem admonuiſſet ſuæ obligationis frequentiùs confitendi.

Probatur III. quia non conſtat, frequentiorem Confeſſionem eſſe medium communiter neceſſarium ad evitanda peccata mortalia; nam Confeſſio frequens ideo potiſſimùm utilis eſt, & conducit ad impedienda peccata; quia qui confitetur, dolet efficaciter de peccato præterito, & proponit ſeriò & firmiter de cætero non peccare; quod autem paulò ante diſplicuit, & quod firmiter propoſuimus ampliùs non amplecti, non tam facilè amplectimur; ergo externa Confeſſio non eſt medium neceſſarium, ſed ſufficit interna Pœnitentia.

Alioquin quid facerent homines, ſi Chriſtus non inſtituiſſet Sacramentum Pœnitentiæ? Et quid fecerunt homines in veteri Lege, & in Lege Naturæ, quando nondum erat inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ? Nonne ipſis deerat medium communiter neceſſarium ad evitanda peccata mortalia? Aut continuò erant expoſiti periculo proximo peccandi mortaliter? Quis audeat affirmare?

Atqui per inſtitutionem Sacramenti non eſt abbreviata manus Domini, ſed magìs extenſa; non eſt ablatum medium neceſſarium ad evitanda peccata mortalia, quod erat ante inſtitutionem Sacramenti; ſed novum potiùs medium ſuperadditum; ergo licèt Confeſſio frequens ſit medium indubiè maximè utile, & ideo conſulendum; immo aliquando imponendum pœnitentibus in cautelam futurorum peccatorum; equidem eſſe omnino neceſſa-

Digitized by Google

neceſſarium, idque communiter, nihil eſt, quod cogit aſſerere.

67. Quin experientia docet, teſte Lugone ſuprà n. 53. quàm plures homines religioſos & pios, qui per annum integrum, immo per multos annos apud infideles verſantur, euangelizantes & prædicantes, tranſigere totum illud tempus abſque lapſu gravi ſinè Confeſſione, quia nimirum frequenter renovant propoſitum firmum non peccandi; ſicut è contra videmus alios, qui frequenter confitentur, & paſſim relabuntur in peccata mortalia. Quod quidem plerumque oritur ex infirmitate, & fortaſſe ex defectu veri propoſiti non peccandi; quæ (ni fallor) eſt potiſsima ratio, cur qui ſemel in anno tantùm confitentur, frequenter cadant in peccata gravia; quia ſcilicet, ne tunc quidem, quando in fine anni confitentur habent verum dolorem & propoſitum firmum, ſed velleitatem quamdam & propoſitum infirmum: ſi enim tunc firmiter proponerent, non ita facilè, & tam citò relaberentur. Hæc ille.

68. Ex quibus patet ſolutio ad argumentum contrariæ ſententiæ, id eſt, ad contrariam experientiam; quòd enim qui ſemel tantùm in anno confitentur, ſæpiùs peccent mortaliter, non oritur præcisè ex defectu Confeſſionis; ſed plerumque, quia raro vel numquam per totum annum verè & efficaciter interiùs dolent de peccatis commiſſis, & proponunt de cætero non peccare; ſed lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis; donec coacti metu excommunicationis, aut aliarum pœnarum, in fine anni confiteantur, an cum vero dolore, & propoſito, Deus novit, qui ſcrutatur renes & corda.

Quicumque ergo talis eſt, qui fingit nimium laborem in Confeſſione, & ideo quantum poteſt illam differt; conſulo ipſi, ut ſaltem ſæpiùs in corde verè pœniteat de peccatis commiſſis, & proponat ſeriam emendationem; ut oret Deum pro gratia, jejunet, aliaque opera veræ pietatis exerceat; & communiter non erit ipſi dilatio Confeſſionis in ruinam.

Sin autem experientiâ cognoſcat, niſi ſæpiùs confiteatur, ſeu peccata venialia, ſeu mortalia, certò moraliter ſe peccaturum mortaliter, ſive determinatè peccato fornicationis, ſive indeterminatè peccato fornicationis, adulterii, pollutionis &c. haud dubium quin ſub novo peccato mortali teneatur ſæpiùs confiteri, cùm non confitendo exponat ſe periculo proximo peccandi mortaliter, niſi fortè excuſet grave damnum corporale, vel ſpirituale, alioquin incurrendum, de quo egimus ſect. præc. concl. 10.

69. Dixi; *Seu peccata venialia, ſeu mortalia*; quia licèt confeſſio venialium jure divino per ſe non ſit præcepta, juxta illud Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *Venialia .... quamquam rectè & utiliter.... in Confeſſione dicantur... taceri tamen citra culpam.... poſſunt*; ſi tamen hìc & nunc eſſet alicui medium planè neceſſarium ad evitanda peccata mortalia, procul dubio obligaret, non ex vi præcepti Confeſſionis, ſed illius virtutis, v. g. caſtitatis, cui opponitur peccatum, aliàs moraliter certò committendum, v. g. fornicatio. Porrò Confeſſionem venialium non eſſe communiter medium neceſſarium, ex hoc mihi firmiter perſuadeo, quòd aliàs Deus non reliquiſſet illam liberam.

Confeſſio venialium aliquando per accidens obligat.

Non eſt communiter medium neceſſarium.

Et reverà ſi conſuetudo peccandi venialiter, vel multiplicatio peccatorum venialium, non eſt communiter occaſio proxima peccandi mortaliter, quo fundamento dicemus, omiſſionem vel dilationem Confeſsionis peccatorum venialium eſſe communiter occaſionem proximam peccandi mortaliter? Diſponit quidem veniale ad mortale, ſecundùm illud Eccleſiaſtici cap. 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*: haud equidem eſſe occaſionem proximam colligo ex ly *Paulatim*; nam occaſio proxima eſt, ex qua moraliter certò ſequitur peccatum mortale, ſive hoc proveniat ex natura ipſius occaſionis, ſive ex fragilitate ipſius peccantis: quamlibet autem negligentiam circa peccata venialia eſſe talem occaſionem, eſt contra ſenſum omnium fidelium, & contra experientiam, cùm plurimi ſint negligentes in evitandis, aut confitendis peccatis venialibus, qui tamen numquam, aut rariſſimè peccant mortaliter.

Eccli. 19.

Cæterùm ut probabilis eſſet communis obligatio ſæpiùs confitendi ſingulis annis, ad evitandum periculum peccati mortalis, nulla eſt neceſſitas illam obligationem proponendi pœnitentibus; cùm enim repugnet communi ſenſui fidelium, & contraria ſententia ſit probabiliſſima, rariſſimi erunt, qui propterea ſæpiùs confitebuntur; ac proinde illa admonitio, ſeu propoſitio magìs cederet in deſtructionem & ſcandalum, quàm in ædificationem. Nihilominus ſemper oportet conſulere frequentem Confeſſionem propter magnam ejus utilitatem, &, ſicut anteà dixi, poſſet aliquando injungi ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum. 70.

Non eſt proponenda pœnitentibus obligatio ſæpiùs communiter confitendi ſingulis annis.

Hucuſque de præcepto divino Confeſſionis. Qualis autem debeat eſſe Confeſsio jam dicerem, niſi opportunum magìs videretur, priùs declarare præceptum Eccleſiaſticum, cujus nunc ſæpiùs meminimus, & quod nihil eſt aliud; quàm determinatio præcepti divini. Erit igitur

Digitized by Google

SECTIO SEXTA.

De Præcepto Eccleſiaſtico Confeßionis.

1. In Eccleſia eſt poteſtas præcipiendi uſum Sacramentorum ex Conc. Trident.

CONcilium Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. *Declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ eorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magìs expedire iudicaret.*

Hâc poteſtate Eccleſia utitur, dum cap. *Omnis utriuſque ſexûs* 12. de Pœnit. & Remiſſ. præcipit, ut omnes & ſinguli Chriſti fideles utriuſque ſexûs, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, communicent; cùm alioquin præceptum divinum Communionis, per ſe & ratione ſui, ſemel tantùm in vita obliget.

Præterea hâc poteſtate utitur, dum loco mox citato ex Conc. Trident. approbat conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi, & pro lege habendam decernit, licèt ab Initio Chriſtianæ Religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet.

2. Hâc poteſtate utitur Eccleſia dum cap. *Omnis utriuſque ſexûs* præcipit annuam Confeſſionem.

Deniqùe, ut ad rem noſtram veniamus, hâc poteſtate utitur Eccleſia, dum cap. *Omnis utriuſque ſexûs* 12. de Pœnit. & Remiſſ. ſtatuit, ut omnes & ſinguli Chriſti fideles utriuſque ſexûs, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteantur; cùm alioquin præceptum divinum Confeſſionis, per ſe & ratione ſui, tantùm ſemel in vita obliget. Igitur de præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis non eſt relictus dubitandi locus. Nihilominus, ut veritas per ſe patens, magìs magìſque eluceat, Dico primò;

CONCLUSIO I.

Eccleſia ſtatuit, ut præceptum divinum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis fidelibus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, impleretur.

3. Probatio Concl. ex

PRobatur ex cap. 12. de Pœnit. & Remiſſ. quod deſumptum eſt ex Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. & ſic incipit: *Omnis utriuſque ſexûs fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & iniunctam ſibi Pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere.* Porrò verba illa continere præceptum, & non tantùm conſilium,

Oſtenditur I. ex gravi pœna, quæ ibidem infligitur tranſgreſſoribus hiſce verbis: *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ.* Et continuò attexitur: *Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat.*

Quia tamen aliquis reſpondere poſſet, illam pœnam non ita infligi his, qui non confitentur, quàm iis, qui non communicant in Paſchate; cùm præceptum communionis Paſchalis immediatè præcedat impoſitionem pœnæ, ùt patet ex textu ibi: *Suſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio; ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin* &c. Quia, inquam, ſic aliquis reſpondere poſſet; ideo

Oſtenditur II. mens præceptiva Eccleſiæ ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. can. 8. *Si quis dixerit, Confeßionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoßibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexûs Chriſti fideles; iuxta magni Concilii Lateranenſis Conſtitutionem, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.* Quid ampliùs & clariùs potuit dici?

Nihilominus Durandus 4. diſt. 17. q. 8. & 14. ſubdubitat, an ſit verum præceptum, inquit Arriaga diſp. 52. n. 1. Subſcribo verba Durandi: Quòd (Confeſſio) non ſit de jure purè humano patet; quia nulla lex poteſt præcipere actum, cujus tranſgreſſorem non poteſt juſtè punire ..... ſed nulla lex humana poſſet juſtè punire illum, qui non confiteretur peccatum ſibi ſoli notum &c. Quòd autem aliquis dicat peccatum ſuum occultum coram Sacerdote, qui illud habet celare, nulla lex purè humana poteſt præcipere, nec tranſgreſſorem juſtè punire. Propter quod relinquitur, quòd Confeſſio ſacramentalis, de qua loquimur, eſt ſolùm de jure divino.

Et infrà: Ad quartum dicendum, quòd Eccleſia non inſtituit Confeſſionem, ſed inſtitutam à Deo præcipit ſingulis annis fieri, maximè

Digitized by Google

maximè volentibus communicare. Hæc ille q. 8. Quæ non ſunt ſubdubitantis de præcepto Eccleſiæ, verùm affirmantis, Confeſſionem ſacramentalem non eſſe inſtitutam ab Eccleſia, ſed à ſolo Deo; quamvis jam inſtituta à Deo, ab Eccleſia præcipiatur ſingulis annis, maximè communicare volentibus.

Similiter loquitur q. 14. circa initium: Quantum, inquit, ad illud primum, reſpondendum eſt illud, quòd dictum fuit ſuprà, videlicet, quòd Confeſſio ſacramentalis non fuit inſtituta, nec potuit inſtitui jure purè humano; ſed inſtituta fuit per Chriſtum, qui fundavit Eccleſiam &c. Eccleſiam autem ſic inſtitutam commiſit regendam Petro, & Apoſtolis ſub ipſo, & eorum ſucceſſoribus. Unde ad eos pertinuit, & principaliter fidem docere, & Sacramenta miniſtrare, prout expedire viderint ſaluti hominum, propter quàm omnia prædicta ſunt ordinata & inſtituta per Chriſtum: & ideo ſi Rectoribus Eccleſiæ videatur expediens pro conſervatione, & multiplicatione fidei, & pro ſalute populi, quòd Sacramenta per Chriſtum inſtituta, maximè quæ ſunt omnibus communia, recipiantur à populo, vel tali tempore; ipſi non auctoritate purè humanâ, ſed auctoritate Chriſti, cujus ſunt Vicarii, ipſis commiſsâ, poſſunt de hoc ſtatutum facere, quod ligabit fideles, & ſic à principio Eccleſiæ factum eſt.

In fine autem quæſtionis ſic lego: Argumentum in oppoſitum bene procedit, quia Eccleſia non præcipit Confeſſionem condendo legem de confitendo; ſed Chriſtus illam legem condidit, Eccleſia, cui commiſſa eſt executio, mandat prædictam legem certo tempore impleri. Hucuſque Durandus cum communi ſententia. De quo ergo ſubdubitat? Attende & intende.

Circa medium quæſtionis ſcribit in hæc verba: Quamvis Confeſſio ſit quodammodo ſignum proteſtativum fidei; proficiat etiam ad ſalutem; tamen non poteſt conſtare Eccleſiæ de obedientia, vel inobedientia hominis reſpectu illius ſtatuti; quia per ſtatutum non obligantur, niſi illi, qui peccaverunt mortaliter; de quo non poteſt conſtare Eccleſiæ, quantum ad peccata interioris conſenſûs; nec quantum ad peccata occulta exterioris operis: propter quod, quantum ad iſta non poteſt conſtare Eccleſiæ, an talis teneatur ad confitendum ſecundùm prædictum ſtatutum.

Rurſus ſi aliquis ſit peccator manifeſtus, & confiteatur, non poteſt conſtare Eccleſiæ, ſi confeſſus ſit omnia peccata ſua, prout ſtatutum dicit: quia cùm Confeſſio fiat ſoli Sacerdoti, qui non debet quocumque modo prodere peccatum confitentis, & ſi proderet, nihil valeret, quia ad unius teſtimonium nemo debet condemnari; idcircò non poteſt conſtare Eccleſiæ (ùt videtur) ſi aliquis eſt tranſgreſſor prædicti ſtatuti: qualiter ergo poteſt hoc per Eccleſiam ſtatui, cujus tranſgreſſor non poteſt convinci, nec per conſequens juſtè puniri? Satìs eſt dubium.

Poſſet ergo de hoc fieri ſancta & ſalubris exhortatio, quæ poteſt prodeſſe, & non obeſſe: quia ad Sacramentum Euchariſtiæ, de cujus ſuſceptione ſubjungitur præceptum, nullus, qui mortaliter peccavit, debet accedere, etiam contritus, niſi priùs confiteatur, habitâ copiâ Sacerdotis: & fortè ſic factum eſt, & proviſum in illo ſtatuto: *Omnis utriuſque ſexus*, in quo præmittitur exhortatio ſancta & ſalubris de Confeſſione facienda, & ſubjungitur præceptum de perceptione Euchariſtiæ, vallatum pœnâ. 7. *& ideo ſubdubitat Durandus, an ſtatutũ illud Eccleſiæ ſit exhortatorium tantùm, an verò præceptivum.*

Et ſi non ſit ſola exhortatio, ſed præceptum; illud quidem poteſt ligare conſcientiam, quatenus fit ab Eccleſia auctoritate Chriſti; ſed pœnâ temporali illius ſtatuti tranſgreſſor puniri non poteſt; cùm non poſſit conſtare de tranſgreſſione, ùt probatum eſt. Unde talis dum vivit, poteſt abſtinere ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi vult; ſed per alterum non poteſt juſtè arceri, & moriens non poteſt juſtè privari Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Et propter hoc poſſet rationabiliter videri alicui, quòd prædicta pœna illius ſtatuti reſpicit ſolum præceptum de Communione, de cujus tranſgreſſione conſtare poteſt, & non præceptum de Confeſſione, niſi in caſu, in quo aliquis ſpontè fateretur, ſe non fuiſſe confeſſum omnia peccata ſua; tunc enim poſſet prædictâ pœnâ puniri, & aliter non. Hucuſque Durand.

Deinde circà finem ait: Ad primum dicendum, quòd ſtatutum de confitendo ſemel in anno, ſive ſit ſolùm exhortatorium, ſive ſit præceptorium, non debet à fidelibus, ſalutem ſuam quærentibus, reputari pœnale &c. Ecce hìc ſubdubitat Auctor iſte, an ſtatutum Concilii Later. de confitendis ſingulis annis, ſit præceptorium, an verò ſolùm exhortatorium; ſed ſatìs levi fundamento, præſertim poſt Tridentinum ſuprà citatum can. 8.

In quo utique Canone, quod bene notandum eſt, nulla fit mentio Communionis Paſchalis, ut ſignificet Concilium, Confeſſionem per ſe præcipi (prout ſonant verba Concilii Later.) & non tantùm, ùt eſt medium neceſſarium ad dignè communicandum: proinde neceſſarium eſſe etiam illis, qui aliunde excuſantur à præcepto Communionis; & per conſequens peccare duplici peccato, qui omittit Confeſſionem, & Communionem; cùm alioquin, ſi Confeſſio ſolùm eſſet præcepta propter Communionem, unicum dumtaxat committeret. Cæteroquin quomodo eſſent quinque Eccleſiæ præcepta, ùt communiter loquuntur fideles? 8. *Confeſſionem per ſe præcipi, & non ſolùm, ùt eſt neceſſaria ad dignè communicandum, probatur ex Conc. Trident.*

An autem qui ſolam Confeſſionem omitteret, incurreret pœnam, conſtitutam in Con- 9. *An incurre-*

ret pœnam, qui ommitteret ſolam Confeſſionem.

Concilio Later. cap. *Omnis utriuſque ſexûs*, ut verum fatear, ſatìs dubium eſt, cùm in Concilio Trident. nihil de illo dicatur; & aliunde ſic explicari poſſent illa verba: *Alioquin*, id eſt, ſi neque confeſſus fuerit, neque communicaverit, *& vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur*, *& moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ*. Maximè cùm vix poſſit Eccleſia ſcire tranſgreſſionem præcepti Confeſſionis, ùt patet ex dictis ſuprà à Durando; tunc ſolùm, quando eſſet peccator publicus, & publicè conſtaret, ipſum non fuiſſe, nequidem ſecundùm externam ſpeciem, confeſſum; per conſequens rariſſimè poſſit punire tranſgreſſorem illâ pœnâ, quæ ſolùm eſt ferendæ ſententiæ, adeoque requirit probationem criminis in foro externo.

Durandus.

Hinc Durandus ſuprà: De Confeſsione, inquit, facienda pro tempore, quo regulariter fideles debent communicare, ſanctum & ſalubre eſt, exhortationem fieri, ùt dictum fuit; poteſt nihilominus Eccleſia auctoritate Chriſti hoc facere præceptum, vallatum ſententiâ excommunicationis, quam incurrunt tranſgreſſores ipſo facto. Sed utrumque prædictorum ligat ſolùm conſcientiam tranſgreſſoris quoad culpam, & quoad talem pœnam; & ſic poteſt puniri talis tranſgreſſio per talem pœnam. Pœna autem illius ſtatuti: *Omnis utriuſque ſexûs*, aut non eſt adjecta pro trangreſſione ſtatuti de Confeſsione, aut eſt adjecta infructuosè & inutiliter, propter rationem priùs dictam. Hæc ille.

10. Oſtenditur nimis leviter dubitaſſe Durandum.

Ex quibus patet, quàm levi fundamento dubitaverit, an ſtatutum Concilii Later. de confitendo ſingulis annis, ſit præceptorium, an verò ſolùm exhortatorium (niſi per præceptorium intelligat pœnale) multa ſiquidem præcipiuntur ab Eccleſia ſinè adjectione alicujus pœnæ; ut audire Miſſam diebus Dominicis & Feſtivis, certis diebus jejunare &c. ergo ſimiliter potuit Concilium Later. præcipere annuam Confeſſionem, eſtò pœna non fuerit adjecta pro tranſgreſſione illius præcepti.

Deinde licèt rarò poſſit Eccleſia judicare de tranſgreſſione, ſaltem aliquando poteſt, ſcilicet ex propria Confeſſione peccatoris, inſuper ſi eſt peccator publicus, & publicè conſtat, non eſſe confeſſum, nequidem in ſpecie externa; ergo illa pœna non foret adjecta omnino inutiliter & infructuosè. An putas, quia Eccleſia ſemper poteſt judicare de tranſgreſſione præcepti Communionis? Pervium eſt quòd non; poteſt enim quis recipere Euchariſtiam ore, & non deglutire.

Eccleſia ſæpè præcipit ea, de quibus non facilè cognoſcit in foro externo.

Herculè Eccleſiam ſæpè præcipere ea, de quibus non poteſt facilè cognoſcere in foro externo, patet ex præcepto Horarum Canonicarum, auditionis Miſſæ, & ſimilium actuum, qui requirunt certam aliquam intentionem internam, quæ exteriùs non ſatìs ſe ipſam manifeſtat; item quando tales actus præcipiuntur, qui non requirunt publicum exercitium; nam ferè ſemper poſſum dicere, me in occulto legem impleviſſe, quamvis reverà non implevetim.

Itaque non valet hìc argumentum Durandi ſuprà q. 8. nulla lex poteſt præcipere actum, cujus tranſgreſſorem non poteſt juſtè punire; ſed nulla lex humana poteſt juſtè punire illum, qui non confiteretur peccatum ſibi ſoli notum; ergo &c. Nam ipſe Durandus ſuprà q. 14. admittit, Eccleſiam auctoritate Chriſti poſſe hoc (id eſt, confiteri) facere præceptum, vallatum ſententiâ excommunicationis, quam, inquit, incurrunt tranſgreſſores ipſo facto; ergo etiam poteſt hoc (id eſt, confiteri) facere præceptum, non vallatum ſententiâ excommunicationis.

Et ſic feciſſe, quamvis non conſtaret ex nudis verbis Conc. Lateranenſis, tamen accedente interpretatione Concilii Trid. nemini poteſt, aut debet eſſe dubium; quidquid ſit de pœna, quæ videtur potiùs afficere non communicantes (utpote de quibus Eccleſia meliùs poteſt judicare in foro externo) quàm non confitentes. Cæteroquin utroſque obligare, videtur ſignificare obvius magìs ſenſus illorum verborum: *Alioquin*, id eſt, ſi non fuerit confeſſus & communicaverit, *& vivens arceatur ab Eccleſia* &c. Atque ita docet Suarius diſp. 36. ſect. 8. n. 3. cum Aliis, quos citat.

Cæterùm quid Durandus intelligat per auctoritatem Chriſti, dum concedit, Eccleſiam poſſe præcipere Confeſſionem auctoritate Chriſti, haùd ſatìs capio. Nam Eccleſia totam ſuam auctoritatem habet à Chriſto, & tali conſideratione omnia, quæ præcipit circa ſuſceptionem, aut adminiſtrationem Sacramentorum, præcipit auctoritate Chriſti; cùm tamen Durandus diſtinguat in hoc puncto inter præceptum annuæ Communionis, & annuæ Confeſſionis.

Fortè nihil aliud voluit, quàm Eccleſiam ſolùm tempus determinaſſe, quo Confeſſio, alioquin jure divino præcepta, & aliquando in vita facienda, deberet fieri, id eſt, præcepiſſe tempus Confeſſionis faciendæ, non autem ipſam Confeſſionem; cùm tamen non ſolùm tempus Communionis, ſed etiam ipſam Communionem præceperit; nam præcepit ſingulis annis communicare, cùm tamen præceptum divinum Communionis per ſe, & ratione ſui ſemel tantùm obliget in vita; at verò ſolùm præcipit ſemel in vita confiteri ſingula peccata mortalia, quod de jure divino præceptum eſt, determinans certum tempus, in quo debeat præceptum divinum adimpleri, ùt docet Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. circa finem ibi: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod iure divino neceſſarium & inſtitutum*

inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum (divinum) *Confeſſionis ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.*

Conſonat Doctor Subtilis 4. diſt. 17 n. 24. *De tertio articulo dico, quod Eccleſia præceptum illud* (divinum Confeſſionis) *quantum ad aliqua prædictorum non ſpecificavit, & quantum ad aliqua ſpecificavit. Præcipua autem ſpecificatio hujus præcepti invenitur in illo capitulo extra de Pœnit. & Remiſſ. Omnis utriuſque ſexûs.* Et infrà n. 28. *Quod*, Quando, *Eccleſia determinavit præceptum* (divinum Confeſſionis) *ſcilicet ſemel in anno.* Non ait Scotus: *Eccleſia præcepit Confeſſionem*, ſed, *determinavit præceptum*, ſcilicet divinum.

Et ideò Durandus ſuprà q. 8. Quòd, inquit, aliquis dicat peccatum ſuum occultum coram Sacerdote, qui illud habet celare, nulla lex purè humana poteſt præcipere. Non negat Confeſſionem eſſe præceptam ſingulis annis; ſed negat eſſe præceptam per legem purè humanam, quia videlicet, & erit

CONCLUSIO II.

Secluſo præcepto Divino Confeſſionis, Eccleſia numquam attentaſſet imponere Confeſſionem, ad quam de facto fideles obligantur ſingulis annis. Fortè nec imponere potuiſſet.

Communiter & veriſſimè dicitur: Si Chriſtus non inſtituiſſet Sacramentum Pœnitentiæ, Eccleſia non potuiſſet præcipere Confeſſionem, qualis de facto præcipitur, id eſt, omnium peccatorum mortalium, etiamſi occultiſſima illa ſint; non ideo tantùm, quia Eccleſia caret poteſtate in actus internos; hoc enim fortè falſum eſt, ſed quia Eccleſia non poteſt præcipere rem nimis difficilem, qualis eſſet Confeſſio omnium peccatorum mortalium, abſque effectu remiſſionis peccatorum, & ſanctificationis, ac renovationis interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum. Unde tunc illud præceptum cederet in deſtructionem, & non in ædificationem; cùm tamen Eccleſiæ tantùm ſit data poteſtas legislativa in ædificationem: nam finis legis eſt bonum commune, cui opponitur communis tranſgreſſio legis, quæ nata eſt ſequi, quando actus eſt nimis difficilis, id eſt, ſuperans communiter fragilitatem humanam.

Profectò etiam nunc, non obſtante vi & efficaciâ hujus Sacramenti, quæ eſt *Reconciliatio cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax ac ſerenitas, cum vehementi ſpiritûs conſolatione conſequi ſolet* (inquit Trid. ſeſſ. 14. c. 3.) experientia comprobat, quàm multi (proh dolor) inveniantur, qui ex verecundia non adimpleant præceptum divinum Confeſſionis; quantò plures eſſent, qui verecundarentur dicere ſua peccata occulta, ſi non foret inſtitutum Sacramentum? Putas quia hodie fideles obedirent Eccleſiæ, ſi præciperet, ut omnes manifeſtarent ſua peccata, etiam occultiſſima, alicui ſæculari, non quidem ad vindictam ſed ſolùm ad emendationem? Non eſt credibile, quòd vel unus ex 100. illud præceptum obſervaret.

Ex quo confeſtim cognoſcitur ratio Concluſionis; nam licèt inſtitutio Sacramenti, per conſequens effectus gratiæ & remiſſionis peccatorum plurimùm allevient onus Confeſſionis; equidem plurimis tam grave adhuc permanet, ut niſi ſcirent, Deum præcepiſſe Confeſſionem, neque ſe aliter poſſe recipere remiſſionem peccatorum, nullatenus vellent explicare Sacerdotibus, eſtò ſtrictiſſimo ſigillo obligatis, omnia ſua peccata, etiam occultiſſima. 15. *Probatio Concluſionis.*

Quod probè intelligens Scotus 4. diſt. 17. n. 9. inquit: *Si tertium membrum teneatur, ſcilicet quod Confeſſio non cadit niſi ſub præcepto Eccleſiæ, non poteſt faciliter improbari, niſi quia vel Eccleſia non attentaſſet tam arduum præceptum imponere omnibus Chriſtianis, niſi eſſet præceptum divinum; vel quia non invenitur, ubi ab Eccleſia imponatur illud præceptum; quin ante hoc Sancti reputarent, hoc præceptum de Confeſſione obligare.* Ubi ſub disjunctione inſinuat nimiam difficultatem præcepti Eccleſiaſtici, ſecluſo præcepto divino, ut propterea Eccleſia non attentaſſet, quod jam attentavit; quidquid ſit de abſoluta potentia præcipiendi, quam ibi neque negat, neque affirmat. *quam inſinuat Scotus.*

Quæris à me, quid ego ſentiam? Reſp. cum Lugone diſp. 15. n. 91. Eccleſiam non potuiſſe præcipere Confeſſionem, qualis de facto præcipitur, videlicet omnium omnino mortalium, propter difficultatem, quam ſecum affert; ſicuti non potuit præcipere ſtatum Religioſum, quem Chriſtus voluit eſſe liberum, propter ſuam difficultatem, non obſtante maximâ utilitate illius ſtatûs. Lugonem ſequitur Arriaga diſp. 52. n. 3. ampliùs dicens, Eccleſiam non habere poteſtatem præcipiendi Confeſſionem, vel unius tantùm peccati mortalis. 16. *Sentit Auctor cum Lugone, Eccleſiam non potuiſſe præcipere Confeſſionem, qualis hodie præcipitur.* *Arriaga.*

Oppoſita ſententia eſt Suarii diſp. 35. ſect. 1. n. 18. Vaſquez q. 90. a. 1. dub. 4. n. 44. Ratio Suarii eſt; quia receptio hujus Sacramenti non eſt materia excedens facultatem Eccleſiæ; & alioquin ejus uſus eſt valde conveniens Eccleſiæ; ergo non eſt cur Eccleſia non poſſit ponere tale præceptum. 17. *Oppoſitum docent Suarius & Vaſquez.* *Ratio Suarii.*

Proba-

Probatur Antecedens; quia ſi excederet, vel id eſſet, quia Confeſſio verſatur circa actus internos, & hoc non; nam Confeſſio, quæ præcipitur, eſt actus externus; & quamvis requirat aliquem actum interiorem, nempe Contritionem vel Attritionem, non excedit Eccleſiæ poteſtatem, præcipere ſimul cum exteriote actu interiorẽ, ad illum neceſſarium.

Et eadem eſt ratio de peccatis merè internis, quæ ſunt materia circa quam Confeſſionis; quia illa non ratione ſui, ſed ratione alterius exterioris actûs pertinent aliquo modo ad tale præceptum. Sicut poſſet Eccleſia præcipere, publicâ oratione petere à Deo internam juſtitiam ſeu pœnitentiam fidelium. Itaque ex hoc capite non videtur præceptum hoc excedere poteſtatem Eccleſiaſticam.

Non etiam, quia homo ſe diffamat, quia talis infamia ferè nulla eſt, vel propter ſigillum, vel quia, ſi prudens ſit Confeſſor, per ipſammet Confeſſionem legitimam quodammodo tollitur. Ac denique, quia licèt hoc exiſtimetur aliquale detrimentum, comparatione fructûs quaſi nihil eſt.

Nec denique propter difficultatem; quia ſæpè Eccleſia præcipit res magis difficiles, ſi neceſſariæ ſint, vel valde utiles; in hoc autem præcepto ſemper eſſet magna utilitas, quâ poſſet difficultas ipſa compenſari.

Tandem ſi hæ rationes, vel ſimiles, validæ eſſent, ferè haberent locum in præcepto annuæ Confeſſionis, ratione cujus ſæpiùs obligatur homo ad Confeſſionem, quàm ſolo jure divino obligatur. Hæc ille.

18. Exordior ab ultimo, & noto ly *Ferè*, quod ſufficit ad hoc, ut non valeat argumentum à præcepto Confeſſionis annuæ ad præceptum Confeſſionis ſimpliciter: quòd enim obligationi præcepti divini jam contractæ, ſatisfiat paulò antea, vel ſæpiùs, quàm ex ipſo præcepto divino præcisè peccator teneatur, non adeò grave onus eſt; cùm ſolùm verſetur circa circumſtantiam temporis, & non circa ſubſtantiam illius oneris. Adde, quòd id fiat, ne forſitan præceptum divinum defraudetur per ſubitaneam & improviſam mortem.

Non valet argumentum à præcepto Confeſſionis annuæ ad præceptum Confeſſionis ſimpliciter.

Itaque quòd aliquando debeamus peccata noſtra revelare, hoc opus, hic labor eſt; quòd autem hoc vel illo tempore, minoris reputatur momenti. Nonne Eccleſia me obligat, ut pluries idem peccatum confitear? Minimè; ſed, ut quod ſemel debebam facere vi præcepti divini, & eram facturus in fine vitæ, omnia peccata totius vitæ dicendo uni Confeſſario, ea dicam diverſis vicibus, hoc anno peccata hujus anni, & ſequenti ſequentis; hoc autem, inquit Arriaga ſuprà n. 4. non habet majorem difficultatem; quàm illud primum; quia numquam manifeſto peccatum ullum, niſi ſemel.

Arriaga.

Sed ego vix dubito, quin peccatores majorem inveniant difficultatem in Confeſſione annua, quam in una Confeſſione facienda in fine vitæ; tum propter iteratum examen conſcientiæ, & iteratos actus Contritionis vel Attritionis; tum propter frequentiorem verecundiam, & præcocem infamiam (ſi verè infamia eſt, quæ oritur ex Confesſione) nam ſi expectarent uſque ad finem vitæ, toto tempore vitæ ab omnibus haberentur probi & juſti, cùm jam ſingulis annis à Confeſſario exiſtimentur peccatores. Interim illa major difficultas non eſt tanta, ut, attento periculo nunquam adimplendi præceptum divinum, & conſiderato fructu Sacramenti, extrahat annuam Confeſſionem è poteſtate Eccleſiæ.

Quod addit Suarez, Eccleſiam ſæpè præcipere res difficiliores; ſi affirmare, probare eſt; negare, reprobare eſt. Aſſignetur illa res difficilior, quam Eccleſia præcipit. An fortè continentia perpetua, quam præcipit initiandis Ordinibus ſacris? Aſt illa non præcipitur, niſi voluntariè initiandis.

Planè, inquis; ſed neque Confeſſio præciperetur, niſi voluntariè mortaliter peccantibus. Reſpondeo; diſparitatem eſſe nimiam frequentiam peccantium mortaliter: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malũ, prona ſunt ab adoleſcentia ſua* Gen. 8. v. 21. & ideo præceptum Confeſſionis voluntariè peccantibus potiùs in laqueum & ſcandalum cederet, quàm in ædificationem; ſecùs præceptum continentiæ iis, qui non niſi pauci, comparatione hominum ſæcularium, & non niſi maturâ deliberatione, initiantur Ordinibus ſacris. Et idem eſt de illis, qui profitentur aliquam Religionem, quæ ſtatuit, ſæpiùs eadem peccata confiteri.

Graphicè exprimit difficultatem Confeſſionis Coninck diſp. 5. de hoc Sacramento dub. 4. n. 42. Hæc, inquit, Confeſſio (puta omnium omnino peccatorum mortalium) in pluribus caſibus multis eſt valde difficilis, ita ut plurimi eam horreant tamquam mortem, & mallent ferè mori, quàm quædam peccata confiteri, atque vix ullâ arte, ac timore inferni propoſito, poſſunt ad Confeſſionem induci, & inter confitendum ſentiunt tales angustias, quales experiuntur capitis ſupplicio damnati; atqui, niſi ſit maxima quædam, ac ferè extrema neceſſitas, poteſtas humana non poteſt rem adeò difficilem præcipere; ergo cùm eo caſu (quo videlicet Sacramentum Confeſſionis eſſet liberum à præcepto divino) non eſſet hìc talis neceſſitas, non poſſet Eccleſia eam Confeſſionem præcipere. Hucuſque Coninck.

Interim fatemur multiplicem utilitatem Confeſsionis; in qua in primis plurimùm elucet miſericordia Dei, qui Confeſsionem non extorquet more judicum ſæculi, ut confeſſum damnet; ſed potiùs inſtar medici, ut vulnera

pate-

patefacta ſtatim ſanet. Deinde per eam Paſtores optimè agnoſcunt vultum, & morbos ovium, optimèque eis medentur. Immo redundat hæc utilitas in bonum etiam politicæ Reipublicæ. Multa ſiquidem, quæ per judicem in externo foro numquam emendari potuiſſent; putà, quia numquam potuiſſent ſufficienter probari, vel ob aliam cauſam; nullo negotio per Sacerdotes in foro conſcientiæ emendantur, dum reſtituuntur ablata, dimittuntur injuriæ, conciliantur paces, diſſociantur malè icta fœdera, aliaque id genus plurima privatim perficiuntur, ex quibus ſcandala publica removentur, & pax ac tranquillitas Reipublicæ redditur. Demùm utilitas maxima, ſcilicet reconciliatio cum Deo.

Fatemur inſuper, propter illas utilitates jure meritiſſimo Confeſſionem à Deo eſſe præceptam; attamen ab alia parte tantam ſecum adfert difficultatem Confeſſio omnium peccatorum, ut niſi à Deo fuiſſet præcepta, adeòque neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, credibile ſit, quòd major pars fidelium reſiſteret præcepto Eccleſiæ; quapropter Deus, qui *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*, Sap. c. 8. v. 1. inſtitutioni Sacramenti Pœnitentiæ ſuperaddidit præceptum, ſaltem ſemel in vita illud recipiendi, ut ſic fortiter & ſuaviter ad illud ſuſcipiendum fideles inducerentur, alioquin propter infamiam, quam apprehendunt, planè involuntarii.

2. Nam quòd ſuprà dicebat Suarius, talem infamiam ferè nullam eſſe, vel propter ſigillum, vel quia, ſi prudens ſit Confeſſor, per ipſammet Confeſsionem legitimam quodammodo tollitur; licèt à parte rei ita ſit, tamen certum eſt, in apprehenſione hominum rem aliter ſe habere, ùt docet quotidiana experientia.

Deinde, ſecundùm communem ſententiam; non obligat præceptum divinum Confeſſionis (inquit Arriaga ſuprà n. 4.) ſi ego ſciam, Confeſſariū vel uni tantùm alii revelaturum ea peccata; hinc meo judicio argumentor efficaciſſimè: Si ex hoc capite, quòd unus alius (quàm Chriſtus juſſit) ſciturus ſit mea peccata, liberor ego ab ipſo præcepto divino Chriſti; profectò multò minùs Eccleſia poterit me obligare ſuo ſolo præcepto, ut vel uni ſoli (ad quod me Chriſtus nō obligavit) ego cōfitear mea peccata. Hęc ille.

Reſpondeo; diſparitas eſt manifeſta; quia ſcientia unius præter Confeſſarium, planè inutilis eſt ad finem Sacramenti; ſcientia autem ipſius Confeſſarii prorsùs neceſſaria, & ideò quamvis Eccleſia, ſuppoſito præcepto divino, poſſit me obligare ad Confeſſionem annuam; equidem excuſor ab impletione præcepti, quando ſcirem, Confeſſarium vel uni tantùm alii revelaturum peccatum; non præcisè propter infamiam, quæ non videtur aliquibus tam gravis, quando ille unus eſt vir prudens; qui ejuſmodi notitiâ in nullius præjudicium utetur; ſed, ſicut dixi, quia illa notitia alterius à Confeſſario, planè impertinens eſt, ùt ſuppono, ad Confeſſionem.

Sin autem foret neceſſaria, v. g. notitia interpretis, putat Lugo; illam non excuſare à præcepto divino in articulo mortis, eſtò excuſet à præcepto Eccleſiaſtico. Sed de hoc infrà, ubi de Confeſſione per interpretem. Igitur meo judicio illud argumentum Arriagæ non eſt efficaciſſimum. **Lugo.**

Uti nec illud, quod ibidem ſubjungit n. 5. 24.
Eſt ferè omnium ſententia, Eccleſiam non poſſe obligare ad confitendum bis omnia peccata; quia jam ceſſat obligatio præcepti divini, & tamen tunc in ea ſecunda Confeſſione ſunt omnes illæ utilitates, & ratio Sacramenti, quæ eſſent eo tempore in prima Confeſſione; ergo ſi nunc ad ſecundam obligare non poteſt; nec tunc poſſet ad primam: & ſanè ſi nunc me obligaret, ut eidem Confeſſario, cui jam ſum confeſſus, confiterer ſecundò, non eſſet ulla occaſio infamiæ, cùm ille jam ſciat ea peccata; ergo &c. **Aliud argumentum Arriagæ.**

Reſpondeo; tunc in ea ſecunda Confeſſione non ſunt omnes illæ utilitates; quæ eſſent eo tempore in prima Confeſſione. Patet, quia eo tempore prima Confeſſio foret neceſſaria ad remiſſionem peccatorum ex opere operato; foret neceſſaria Paſtoribus ad intimè cognoſcendum vultûs & morbos ovium, eiſque remedium adhibendum &c. Numquid etiam ſecundà Confeſſio? Conſtat per primam Confeſſionem peccata fuiſſe remiſſa ex opere operato. Liquet Paſtorem ex prima Confeſſione potuiſſe agnoſcere vultûs & morbos ovium, eiſque remedium adhibere &c. Ergo major poteſtas Eccleſiæ præcipiendi primam Confeſſionem, non præceptam jure divino, quàm ſecundam. **Reſponſio Auctoris.**

Itaque; meo judicio, efficaciſſimum argumentum pro ſententia, negante poteſtatem Eccleſiæ, præcipiendi Confeſsionem (ſecluſo præcepto divino) eſt, difficultas explicandi hominibus occulta ſua peccata, ubi alioquin, ad eorum remiſſionem coram Deo, ſufficeret ſola Contritio charitate perfecta. **Efficaciſſimum argumentum judicio Auctoris.**

Dices cum Hiquæo 4. diſt. 17. n. 82. Eccleſia, ſuppoſitâ inſtitutione Sacramenti, quamvis nulla eſſet neceſſitas ejus ſuſcipiendi ex præcepto divino, haberet poteſtatem ordinariam remittendi peccata; ergo quando videret hoc eſſe in utilitatem fidelium, ut propriæ diſpoſitioni non permitterentur, aut reverentiæ Sacramenti, ac honori Dei magìs expedire judicaret, poſſet Confeſſionem præcipere. 25. **Objectio ex Hiquæo.**

Deinde, cujus eſt præcipere tempus ex poteſtate ordinaria non ſubordinata, ejuſdē eſt præcipere ſubſtantiam actûs; cùm tempus acceſſoriè ad actum precipiatur, tamquam ejus circumſtantia. Unde non video, inquit ille, cur Eccleſia non haberet hanc poteſtatem indirectè ſaltem; ſicut habet poteſtatem indirectam præcipiendi temporalia, quando ad finem ſpiritualem neceſſaria ſunt. **Alia.**

 Reſpon-

26. *Reſponſio ad ultimam.* Reſpondeo ad ultimum; cujus eſt præcipere tempus ex poteſtate ordinaria non ſubordinata, ejuſdem eſt præcipere ſubſtantiam actûs, quando hæc ſubſtantia, ſuâ difficultate non ſuperat communiter humanam fragilitatem, concedo totum; quando ſuperat, nego Aſſumptum, ſi agitur de poteſtate legiſlativa humana. Ex quo feſtinè cognoſcitur, quare Eccleſia poſſit præcipere circumſtantiam temporis, & non ſubſtantiam actûs; utputà, quia circumſtantia temporis non ſuperat communiter humanam fragilitatem, ſecùs ſubſtantia actûs. An putas, quia Eccleſia poſſit præcipere, vel ſaltem indirectè, quælibet temporalia, quando aliquo modo ſunt neceſſaria ad finem ſupernaturalem? Noli putare, ſi non vis errare; nam communis regula, de qua in tractatu de Legibus, docet, materiam legis humanæ eſſe, non quemcumque actum bonum, ſed talem, qui ſuâ difficultate communiter non ſuperat humanam fragilitatem.

27. *Reſpondetur ad 1. objectionem.* Vides nunc reſponſionem ad primum argumentum? Fateor, Eccleſia poteſt ſtatuere, vel mutare in Sacramentorum diſpenſatione, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi magìs expedire judicaverit; & ideò poſſet præcipere ſuſceptionem Sacramenti Confirmationis, & Extremæ Unctionis, tametſi à Deo non ſit præcepta, quia cùm illa Sacramenta nullam habeant difficultatem, & ſummam utilitatem, poſſet Eccleſia judicare, hìc & nunc expedire, ut præcipiantur; at verò Sacramentum Pœnitentiæ, eſtò habeat maximam utilitatem, cùm tamen etiam habeat ſuam difficultatem, & quidem graviſſimam in apprehenſione multorum fidelium, ejus præceptum humanum, ubì alioquin jure divino foret liberum, neque expedit utilitati fidelium, neque ipſius Sacramenti venerationi, cùm periculum ſit communis non obſervantiæ.

28. *Præceptum Confeſſionis annuæ tantùm eſt determinatio præcepti divini.* Maneat ergo probabile, ſecluſo præcepto divino, Eccleſiam non potuiſſe præcipere Confeſſionem, qualis hodie præcipitur annua, adeòque præceptum Confeſſionis annuæ tantùm eſſe determinationem præcepti divini, ſemel confitendi in vita; & per conſequens à Pontifice poſſe abrogari, vel immutari validè, quamvis illicitè, niſi exiſtente juſtâ causâ; an autem aliquando juſta cauſa futura ſit, novit Dominus, cujus oculi, multò plùs lucidiores ſuper ſolem, infallibili perſpicacitate ab æterno intuentur omnia futura contingentia.

Nos ſcimus, olim ter in anno obligaſſe præceptum Confeſſionis, non quidem per ſe, ſed per accidens, ratione Communionis, juxta illud Fabiani Papæ, & refertur de Conſec. diſt. 2. c. 16. *Etſi non frequentiùs, ſaltem in anno ter Laici homines communicent (niſi fortè quis maioribus quibuſlibet criminibus impediatur) in Paſcha, videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini.* Poſtmodùm autem frigeſcente mundo, Eccleſia judicavit magìs expedire, ut, etſi non frequentiùs, ſaltem ſemel in anno, omnis utriuſque ſexûs fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis perveniſſet, omnia ſua peccata proprio Sacerdoti confiteretur, & ſuſciperet reverenter ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum.

Dubitas quid illa verba ſignificent: *Omnis utriuſque ſexûs fidelis?* Jam ediſſero.

CONCLUSIO III.

Præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis obligat omnes & ſolos, quos obligat præceptum divinum Confeſſionis.

ITa prædicta verba interpretatur Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 5. circa finem ibi: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles* (id eſt baptizati) *confiterentur, quod iure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum Confeſſionis* (utique divinum) *ſaltem ſemel in Anno ab omnibus & ſingulis* (ſupple fidelibus ſeu baptizatis) *cùm ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.* Ergò illi omnes, & ſoli obligantur præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis, quibus Eccleſia intelligit jure divino neceſſarium eſſe confiteri, id eſt, illi omnes, & ſoli, qui in Baptiſmo, vel poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt, ſive hoc, ſive illo peccato, omnes, inquam, nullo prorsùs excepto.

Quod addo; quia ſunt Nonnulli, qui videntur dubitare, an baptizati à fide apoſtatæ, utputà Hæretici, obligentur præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis; idque quia in Concilio Lateranenſi ſpecificatur *fidelis*, ſimiliter in Concilio Trid. loco citato, & can. 8. Accedit quòd Hæretici non obſervent iſtam legem; adeòque illis potiùs ſit in deſtructionem, quàm in ædificationem.

Sed hæc parvi ſunt momenti; nam in primis Tridentinum, explicans neceſſitatem præcepti divini, etiam ſpecificat *fideles*, dicens eodem cap. in principio: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus è terris adſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſuiipſius vicarios reliquit, tamquam Præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint.* Et tamen nullus propterea dubitat, an hæretici teneantur jure divino Confeſſionis. Igitur per ly *Fidelis*, intelligit Concilium Lateranenſe hominem baptizatum, quoniam Baptiſmus eſt Sacramentum fidei.

Quapropter eximitur ab hoc præcepto homo non baptizatus, quamvis alioquin haberet veram fidem Chriſti; nec mirum, cùm etiam non comprehendatur præcepto divino, utpote carens materiâ neceſſariâ Confeſſionis, quæ eſt peccatum mortale hominis baptizati, ùt patet ex dictis ſect. 2. concl. 1. Et dato,

Digitized by Google

Et dato, quòd infideles, id eſt, non baptizati, (ſic enim paſſim in jure vocantur) aliquo modo tenerentur jure divino Confeſſionis (quem modum ſuprà improbavimus) adhuc minimè comprehenderentur lege Eccleſiaſticâ; quia de iis, qui foris ſunt, non judicat Eccleſia. De iis autem, qui per Baptiſmum intùs ſunt, licèt foris exiſtant per malam voluntatem, ſicut judicat Eccleſia per præceptum audiendi Miſſam, jejunandi, communicandi &c. ita etiam per præceptum annuum confitendi.

Enimvero (& erit reſponſio ad ſecundum argumentum) ut lex aliqua ſit rationalis & prudens, planè ſufficit, quòd ſit utilis communitati, id eſt, quòd obſervetur à majori, aut ſaltem ſaniori parte communitatis, quamvis hic & nunc aliqui ſint, qui ex malitia illam non obſervent. Cæteroquin daretur occaſio fidelibus ponendi ſe in tali ſtatu, in quo malitioſè non obſervarent leges Eccleſiaſticas, ut eo prætextu ab illis eſſent liberi.

Profectò primâ fronte abſurdum apparet, omnes peccatores obligari, exceptis iis, qui cecidiſſent in aliquod grave peccatum infidelitatis, quòd tantò pejus eſt, quantò magìs evertit fundamentum, & initium humanæ ſalutis, ac radicem omnis juſtificationis, ut proinde tantò citiùs per veram Confeſſionem oporteat illud expiare. Cùm ergo omnes baptizati, quantumcumque apoſtatæ à vera fide, quam in Baptiſmo profeſſi fuerunt, jure divino teneantur confiteri, & Eccleſia poſſit ipſos obligare, utpote ſubditos ratione characteris baptiſmalis, non dubium, quin etiam ipſis præſcripſerit tempus Confeſſionis faciendæ, ne morte præventi, haudquaquam ſatisfaciant præcepto divino.

Quantum ad, Quis (inquit Scotus 4. diſt. 17. q. unica n. 24.) *ſpecificavit* (Eccleſia præceptum divinum Confeſſionis) *quia peccator adultus, poſtquam ſcilicet ad annos diſcretionis attigerit &c. Et nihil aliud eſt quàm adultus ſecundùm intellectum prius aſſignatum*, puta n. 18. ibi: *Per quem adultum non intelligo tantæ vel tantæ ætatis; ſed quòd habeat ætatem ad cognoſcendum juſtum vel injuſtum contra legem Dei.* Ubì Scotus nullum adultum excipit à lege Eccleſiaſtica, quem priùs comprehenderat ſub lege divina. Ergo nec nos excipiamus.

Quapropter cum communi ſententia dico, etiam pueros ante annum duodecimum obligari præcepto annuæ Confeſſionis, ſi reliqua adſint. Cur enim minùs ad hanc legem teneantur, quàm ad alias leges Eccleſiaſticas, v. g. audiendi Sacrum, abſtinendi ab operibus ſervilibus diebus Dominicis & Feſtivis &c.? Immo cur non magìs, cùm præceptum annuæ Confeſſionis ſit ſolùm determinatio juris divini, quo indubiè obligantur? Nihilominus inveniuntur, qui generaliter pueros ante pubertatem excipiunt ab omnibus legibus Eccleſiaſticis; ſed non ſunt audiendi, quia carent ſolidò fundamento.

Dices; cap. *Omnis utriuſque ſexûs* æqualiter præcipitur Confeſſio & Communio; atqui Communio non obligat pueros ſtatim atque pervenerint ad annos diſcretionis; ergo nec Confeſſio. 34. Objectio.

Reſpondet Lugo diſp. 15. n. 151. ex ipſis verbis præcepti colligi diverſitatem; nam Communio præcipitur cum illa limitatione: *Niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Hæc autem rationabilis cauſa prudenter æſtimatur eſſe, quamdiu puer nondum plenè cognoſcit dignitatem hujus Sacramenti, ut cum debita reverentia accedat. Reſponſio Lugonis.

Quamquam non deſint Auctores, qui affirment, idem eſſe tempus diſcretionis ad Confeſſionem, & Communionem; ita ut quilibet puer, cùm ad annos diſcretionis venit, & obligatus eſt lege Confeſſionis, obligatus etiam ſit recipere Euchariſtiam, niſi expreſsè tempus à Confeſſario prorogetur. Ratio præcipua eſt; quia æqualiter imponitur omnibus fidelibus præceptum Confeſſionis annuæ, & Communionis Paſchalis. Additur autem illa limitatio: *Niſi forte* &c. quia poſſunt eſſe plures cauſæ prorogandi tempus Communionis, quàm Confeſſionis. 35. Aliqui docent, eſſe idem tempus diſcretionis ad Confeſſionem & Communionem.

Accedit; non minorem diſcretionem requiri ad recipiendam Abſolutionem ſacramentalem, quàm ad recipiendam reverenter Euchariſtiam; nam ad recipiendam Abſolutionem ſacramentalem, non ſolùm requiritur, quòd ſcias diſtinguere inter bonum & malum; ſed ut ſcias, te debere omnia peccata cum intimo dolore Confeſſori manifeſtare; at hoc non minùs difficile eſt, quàm ſcire, te non debere communicare, niſi purgatum à peccatis, & jejunum. Ita Caſtro Palao de de Leg. diſp. 1. puncto 24. §. 2. n. 7. cum Aliis, quos citat. Nec improbabiliter, niſi obſtet conſuetudo. Vide diſput. 4 ſect. 9. concl. 1. Caſtro Palao.

De cætero quo anno præcisè adveniat uſus rationis, ſufficiens ad hoc, ut puer teneatur confiteri ſingulis annis, non poteſt à nobis certò determinari: nam, ùt rectè Scotus ſuprà n. 18. *In multis ante ætatem conſuetam* (puta ante annum ſeptimum completum) *malitia ſupplet ætatem, & non tantùm in malis, ùt dicunt communia verba, quia fortè habet citiùs prudentiam ad malum, unde dicitur doli capax; ſed etiam in bonis, juxta illud in Legenda S. Agnetis: Fides non in annis computatur.* 36. In quo anno ætatis incipiat hæc obligatio.

Hinc diſp. 4. loco mox citato diximus, nobis diſplicere, quòd quidam Doctores præcisè ex numero annorum (ùt circa annum 12. 14. 15.) annum diſcretionis determinent pro ſuſceptione Euchariſtiæ; cùm aliqui anno decimo, ingenio maturiores ſint, & meliùs inſtructi in rebus fidei, quàm alii anno 16. Et

Bbbb 2 conſimi-

conſimiliter aliqui anno 7. meliùs cognoſcunt juſtum vel injuſtum contra legem Dei, quàm alii anno 9. aut 10.

37. *Conc. Later. nullum certum annum ſpecificavit.* Ex quo factum arbitror, quòd Concilium Lateran. nullum certum annum ſpecificaverit, ſed ſimpliciter dixerit: *Poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit*, relinquens uniuſcujuſque conſcientiæ annum determinandum, in quo incipit obligatio, prout quiſque tardiùs aut citiùs cognoſcit juſtum vel injuſtum contra legem Dei.

Appoſitè Catechiſmus Rom. p. 2. c. 5. q. 38. *Primùm ex Concilii Later. canone, cujus initium eſt*: Omnis utriuſque ſexûs, *perſpicitur, neminem Confeſſionis legi adſtrictum eſſe ante eam ætatem, quâ rationis uſum habere poteſt; neque tamen ea ætas certo aliquo annorum numero definita eſt: ſed illud universè ſtatuendum videtur, ab eo tempore Confeſſionem puero indictam eſſe, cùm inter bonum & malum diſcernendi vim habet, in ejuſq; mentem dolus cadere poteſt: nam cùm ad id vitæ tempus quiſque pervenerit, in quo de ſalute æterna deliberandum eſt, tum primùm Sacerdoti peccata confiteri debet, cùm aliter ſalutem ſperare nemini liceat, qui ſcelerum conſcientiâ premitur.*

38. *Quid ſi poſt ſeptennium dubitetur de uſu rationis? Negat obligationem Tambur.* Rogas, quid ſi poſt ſeptennium dubium ſit, an ſufficienti uſu rationis polleant? Reſpondet Thom. Tamburinus lib. unico Meth. expeditæ Communionis c. 4. §. 3. n. 19. non obligari, quia præceptum Eccleſiæ eſt de Confeſſione abſolutè facienda; at hi cùm non poſſint ferre materiam certam, id eſt, peccatum mortale certum, non poſſunt ab illo abſolvi, niſi ſub conditione. Quare in illos cadere non poteſt dicta abſoluta obligatio. Hæc ille.

Contrà arguitur. Sed contrà; cap. *Omnis utriuſque ſexûs* loquitur ſimpliciter de Confeſſione facienda, quam gratis hic Auctor interpretatur abſolutam, ſi verum eſt, quòd conditionata Confeſſio & Abſolutio obligent ex jure divino: eſt enim præceptum Eccleſiæ determinatio juris divini, ſive, ùt loquitur Tridentinum, *quòd Eccleſia jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat*, ſtatuit ùt *ſaltem ſemel in anno ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis pervenirent, impleretur*. Si ergo ex jure divino obligor confiteri peccatum dubium, non video, cur non ſimiliter ex jure Eccleſiaſtico. An autem obliger, dicam infrà ſuo loco.

39. *Sententia Caſtro Palao,* Aliter reſpondet ad hoc dubium Caſtro Palao infrà citandus. Quando, inquit, dubium eſt, an rationis uſum habuerint, præſumendi ſunt habere, ſi compleverint ſeptennium, ſecùs anteà; quia præſumptio deſumenda eſt ex communiter contingentibus. *& Joan. Sanchii.* Additque Joannes Sanchius in ſuis Selectis diſp. 51. n. 31. in fine: Et ſi conſtaret puerum ante ſeptennium habere uſum rationis, non obinde obligari legibus juris poſitivi; quia leges poſitivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt L. *Nam ad ea* ff. de Leg. Et cùm communiter non contingat uſus rationis ante ſeptennium, non debet ante illam ætatem, cui ex accidenti provenit, obligari. Ita refert, & approbare videtur Caſtro Palao diſput. 1. de Leg. punct. 24. §. 2. n. 3.

Hæc ſunt verba genuina Sanchii: Immò quamvis ante ſeptennium puer doli capax ſit, nullo præcepto poſitivo obligari reor: cùm leges poſitivi juris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri eſt ſolitum, non intendant obligare, & per accidens ſit in uno vel alio puero rationis uſum accelerari; in quo abſque diſcordia puto conſentire Doctores: nam ad ea, quæ frequenter accidunt leges adaptantur, leg. *Nam ad ea* ff. de Leg. Ita Sanc.

Sed hoc ego non facilè admiſero in lege Eccleſiaſtica ſingulis annis confitendi, & ad minùs in Paſcha communicandi, quæ non determinat ætatem ſeptennii, ſed propter incertitudinem, utpote, quia unus citiùs, alter tardiùs utitur ratione, abſque expreſſione alicujus certæ ætatis, requirit in genere annum diſcretionis.

Probatur à ſimili; impotentia perficiendi copulam carnalem cum vero fœmine, dirimit Matrimonium jure Eccleſiaſtico, donec maſculus annum 14. & puella 12. impleat: attamen malitia aliquando ſupplet ætatem, & valet Matrimonium initum ante illam ætatem cap. *De illis* 9. de Deſponſ. impub. ibi: *Reſpondemus, quòd ſi ita fuerint ætati proximi, quòd potuerint copulâ carnali conjungi, minoris ætatis intuitu ſeparari non debent, ſi unus in alium viſus fuerit conſenſiſſe, cùm in eis ætatem ſuppleviſſe malitia videatur.* Et ratio eſt, quia tunc ceſſat cauſa, propter quam jus irritat Matrimonium impuberum, ſcilicet impotentia generandi, quæ præſumitur ante præſcriptam ætatem.

Præterea jus poſitivum ad valorem Sponſalium exigit ſeptennium; nihilominus probabilius eſt, malitiam ſupplere ætatem propter eamdem rationem; quia videlicet ceſſat ratio juris, quæ eſt non uſus rationis ante illam ætatem, qui tamen uſus neceſſariùs eſt ad validum contractum.

Si ergo in his præceptis ſeu conſtitutionibus juris, in quibus exprimitur certa ætas, malitia ſupplet ætatem; quantò magìs in præcepto Confeſſionis & communionis annuæ, in quo nulla certa ætas exprimitur, ſed requiritur duntaxat annus diſcretionis, quantò, inquam, magìs malitia ſupplebit ætatem, communiter præfixam diſcretioni, id eſt, ſeptennium completum? Non poſſum dubitare, quin ſi ſufficienter conſtet de uſu rationis ante ſeptennium completum, & de peccato mortali commiſſo, talis puer teneatur tum præcepto divino, tum Eccleſiaſtico Confeſſionis.

Quan-

Digitized by Google

Quantum ad legem in contrarium allegatam, hæc ſunt ejus verba: *Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter & faciliè, quàm quæ perrarò eveniunt.* Ergo jus, conſtitutum ex his, quæ frequenter & facilè accidunt, non comprehendit ea, quæ perrarò eveniunt: negatur Conſ. Illa lex tantùm probat, non debere aptari jus ad ea ſola, quæ perrarò eveniunt, argumento leg. 4. eodem: *Ex his, quæ fortè uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur.* Ubì Gloſſa verb. *Ex his* circa finem: *Sed licèt dicat hic, quòd non conſtituuntur jura pro talibus, ſubaudi ſæpè; quandòque enim ſtatuuntur.*

Adde leg. 8. eodem: *Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Interim jura generaliter conſtituta, quis dubitat comprehendere ſingulas perſonas, etiam illas, in quibus perrarò militat ratio legis? Igitur jus Eccleſiaſticum Confeſſionis, quod generaliter conſtitutum eſt in omnibus perſonis baptizatis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, comprehendit etiam pueros ante ſeptennium, quamvis raro ante illud tempus perveniant ad annos diſcretionis, id eſt, utantur ſufficienter ratione, ut poſsint peccare mortaliter.

Sed nunquid etiam incurrunt pœnas, ſive generaliter à jure latas, ſive particulariter ab homine inflictas? Sanchez in Decalogum lib. 1. c. 12. n. 7. Fatendum, inquit, eſt, pueros, qui 12. annum nacti non ſunt, omittentes annuam Confeſſionem, non plectendos eſſe pœnis ſtatutis in cap. *Omnis utriuſque ſexûs.* Quia cùm alii tardiùs, alii citiùs rationis uſum attingant, noluit pia Mater Eccleſia, eos cenſuris ad ſua præcepta ſervanda cogere uſque ad eam ætatem.

Quod colligitur ex cap. 1. de Delictis puerorum; ſequentis tenoris: *Pueris grandiuſculis peccatum nolunt attribuere quidam, niſi ab annis 14. cùm pubeſcere cœperint. Quod meritò crederemus, ſi nulla eſſent peccata niſi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis verò audeat affirmare furta, mendacia, & perjuria non eſſe peccata? At his plena eſt puerilis ætas: quamvis in eis non ita, ut in majoribus, punienda videantur.* Igitur ſententia Sanchii eſt probabilis.

44. Cùmque jus non diſtinguat inter pœnas à lege conſtitutas, & ab homine latas, neque nos diſtinguamus, niſi in caſu particulari contrarium conſtet. In aliquibus locis, inquit Lugo diſp. 15 n. 150. ſolet excommunicatio ferri univerſaliter contra omnes, qui poſt octavum ætatis annum non confitentur, ùt in quadam Synodo Compoſtellana c. de Pœnit. refertur factum: in aliis tamen poſitivè excluduntur pueri ab incurrenda cenſura, ùt in quadam Synodo Abulenſi tit. 1. part. 2. Quando verò nihil dicitur, intelliguntur potiùs excepti, juxta uſum communem aliarum excommunicationum, licèt in aliquo caſu particulari poſſint illam incurrere, ùt notavit Vaſquez cum aliis q. 90. a. 2. dub. 4. n. 7. de puero doli capaci, ingrediente ſepta Monaſterii Monialium, & de excommunicatione ob percuſſionem Clerici ſolet communiter idem dici. Hucuſque Card.

Quamquam Nonnulli illos eximant, etiam ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici, de qua re alibi egimus, & ideo hìc ſuperſedeo ulteriori examini. Vide Tamburinum ſuprà §. 2. à n. 11. uſque ad finem. Satis eſt pro præſenti, quòd non incurrant pœnas ſtatutas in cap. *Omnis utriuſque ſexûs*, de quo hìc ſpecialiter tractamus.

Neque video ullam urgentem rationem, 45. *Non eſt ratio eximendi ab hac obligatione meretrices publicas, uſurarios, & ſimiles peccatores.*
eximendi ab hac obligatione confitendi, meretrices publicas, uſurarios, & ſimiles peccatores, quos Reſpublica permittit ob bonum commune. Siquidem, non obſtante illâ permiſsione, ex jure divino & naturali tenentur omni momento abſtinere ab hujuſmodi vita, & indubiè eodem jure peccata ſua confiteri; ergo nulla prorsùs eſt ratio, eximendi eos à præcepto Eccleſiaſtico, quod non eſt aliud, quàm determinatio juris divini, ne diutiùs differatur ejus adimpletio, & aliquando contingat numquam adimpleri; quæ ratio æqualiter militat, immò magìs in publicis peccatoribus, qui quoniam impunè permittuntur peccare, difficiliùs corriguntur, & ſæpiùs decedunt abſque vera Confeſſione, neceſſaria ex jure divino.

Quantum ad pœnas; ab his ab Aliquibus eximuntur ex benigna interpretatione voluntatis Prælatorum; ſed de hac voluntate Prælatorum nobis non ſatis conſtat, ſaltem quantum ad pœnas cap. *Omnis utriuſque ſexus*; cùm Eccleſia univerſalis nuſpiam hujuſmodi peccatores publicos permittat. Fortè particulares Epiſcopi habent contrariam intentionem ex eo, quòd illos permittant; porrò intentio ſeu voluntas legiſlatoris eſt anima legis. Alioquin ſi illa ſit voluntas generalis Prælatorum, miror, quòd hactenus nemo illorum eam expreſſerit. *An eximantur à pœnis.*

Hoc firmiſſimè teneas, & nullatenus dubites, Prælatos ipſos non incurrere pœnas, à ſe conſtitutas, argumento §. ultimi Inſtit. Quibus modis teſtamenta infirmentur. ibi: *Secundùm hoc divi Severus & Antoninus ſæpiſſimè reſcripſerunt. Licèt enim (inquiunt) legibus* (coactivis ſeu pœnalibus) *ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus*; quoad vim directivam in materia communi, id eſt, quæ non dedecet conditionem Principis, ſicuti maximè dedecet pœna, & externa coactio; pœnis quippe cogi, ſervilem conditionem involvit, cùm tamen conditio Principis ſit prorsùs libera. 46. *Prælati non incurrunt pœnas, à ſe conſtitutas.*

Et ſanè quæ poſſet eſſe auctoritas, aut reverentia illius Regis, qui publicè flagellaretur, cujus bona confiſcarentur &c.? Unde illa obligatio cederet non in ædificationem,

ſed magis in deſtructionem boni communis. Tametſi enim quâ parte ſervat pœnam legis, poſſet eſſe ſubditis ædificationi, equidem ex alia parte, quâ manifeſtat ſe violaſſe legem, eſſet ſcandalo communitati, juxta illud commune dictum: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Et aliud: *Qualis Rex, talis grex.* Quod his verbis exprimit Scriptura ſacra Eccleſiaſtici 10. v. 2. *Secundùm Iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis Rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea.*

Eccli. 10.

47. Summus Pontifex tenetur præcepto Confeſſionis annuæ quoad vim directivam,

Ex quo patet, cur ſummus Pontifex, etſi non obligetur pœnis ſtatutis in cap. *Omnis utriuſque ſexus*; nihilominus vi iſtius legis teneatur ſingulis annis confiteri; nam Confeſſio nullatenus dedecet Pontificem, cùm certò certiùs jure divino ad illam obligetur, & ſcriptum ſit cap. *Cùm omnes* 6. de Conſtit. *Cùm igitur quòd quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe debeat uti eo, & ſapientis* (Catonis in Diſtichis Moralibus) *dicat auctoritas*, Patere legem, quam tu ipſe tuleris, *mandamus quatenus* &c. Et leg. 4. Cod. de LL. *Digna vox eſt Maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri.*

Digna profectò vox, ne alioquin audire contingat, quod Chriſtus Matt. 23. locutus eſt ad turbas de Scribis & Phariſæis v. 3. & 4. *Omnia quæcumque dixerint vobis ſervate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere.* Quod eſt contra primum principium naturale: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et, ſecundùm Eccleſiaſticum ſuprà, non poteſt generare niſi ſcandalum; unde v. 3. ſubjungit: *Rex inſipiens*, qui non ſapit ea, quæ legibus communibus præcipiuntur, *perdet populum ſuum*; utique malo ſuo exemplo invitans ſubditos ad tranſgreſſionem legum, & contemptum Legiſlatoris.

48. idque directè & per ſe ſub eadem obligatione.

Exiſtimo ergo, Pontificem directè & per ſe, ſub eadem obligatione, quâ alii fideles, nempe ſub peccato mortali, cùm materia ſit gravis, & non conſtet de contraria voluntate Legiſlatoris, teneri ſingulis annis confiteri.

Ratio à priori.

Ratio à priori eſt; quia non habet poteſtatem à Deo in deſtructionem, ſed in ædificationem; jam autem poteſtas ferendi leges in materia morali & communi, cum exceptione ſuiipſius ſinè juſta cauſa, eſt in deſtructionem, ùt patet ex dictis, ergo &c. Sanè ratio naturalis, quæ dictat Superioribus eſſe obediendum, etiam dictat quòd caput debeat ſe conformare cæteris membris, ubì, & quando commodè poteſt. *Turpis enim* (inquit Auguſt. lib. 3. Confeſſ. c. 8.) *omnis pars eſt, ſuo univerſo non congruens.* Quis autem neſciat, Principem non tantùm eſſe caput, ſed etiam partem Reipublicæ? Numquid caput corporis phyſici, non eſt etiam pars corporis phyſici?

S. Aug.

Pe fe ra m D R.

Et verò licèt Pontifex (eadem eſt ratio aliorum Principum) immediatè legem conſtituerit, equidem tamquam miniſter Dei. *Non eſt enim*, inquit Apoſtolus Rom. 13. v. 1. *poteſtas, niſi à Deo; quæ autem* (poteſtates) *ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Porrò non eſt ordinata ſeu conceſſa poteſtas à Deo Pontifici, alligandi gravia onera & importabilia, & imponendi in humeros ſubditorum, ubì & quando Pontifex, tametſi commodè poſſit, non vult ea digito ſuo movere.

Itaque legiſlatio ut valeat, oportet ſit conformis intentioni ipſius Dei, quæ utique intentio eſt, ut feratur lex pro bono communi; huic autem bono repugnat legiſlatio, cum excluſione Legiſlatoris, tum propter difformitatem, tum propter ſcandalum, & alias rationes.

Q ſa on la

Cæterùm licèt difformitas & ſcandalum ſint aliqua occaſio & ratio, quare Deus ſub illa conditione dederit poteſtatem legiſlativam, non eſt tamen propriè cauſa obligationis Legiſlatoris; ſed proxima cauſa eſt propria lex, quæ ratione difformitatis & ſcandali, & aliorum inconvenientium, ita cenſetur lata, ut comprehendat Legiſlatorem, eo planè modo, quo lex territorii, in quo morantur peregrini, obligat peregrinos per ſe & directè, ſub eadem obligatione, quâ incolas; licèt difformitas & ſcandalum ſint occaſio, & ratio aliqua, quare Princeps territorii cenſeatur habere poteſtatem obligandi legibus ſuis tam incolas, quàm peregrinos, pro tempore ibi exiſtentes.

Radicaliter ergo hæc obligatio Legiſlatoris, ſicut quælibet alia, eſt naturalis & divina; fundatur enim in ratione naturali, ſcilicet in neceſſitate boni communis; attamen proximè & formaliter eſt poſitiva humana, ejuſdem rationis cum obligatione ſubditorum, niſi quòd ſubditi tranſgrediendo legem peccent contra obedientiam debitam Deo, & Superiori; Legiſlator autem propriè loquendo contra obedientiam debitam ſoli Deo.

Obie ſolvi

Si inferas; ergo non eſt obligatio poſitiva humana, ſed divina. Reſpondeo cum diſtinctione, ùt priùs; eſt obligatio divina radicaliter, concedo; formaliter, nego: quippe niſi Legiſlator communitatem ſuam obligaſſet, nec ipſe obligaretur. Quòd ergo debeat hìc & nunc obedire Deo, non oritur proximè & formaliter ex præcepto divino, ſed ex præcepto proprio, procul dubio poſitivo humano.

Dico; *Niſi communitatem ſuam obligaſſet*; quia Legiſlator non poteſt obligari lege propriâ, tamquam præcepto directè ſibi impoſito, interim poteſt directè obligari præcepto impoſito pro tota communitate, cujus ipſe eſt pars: etenim per tale præceptum conſtituitur certa regula virtutis, quam ipſe ex vi rationis

Digitized by Google

tionis naturalis ſequi tenetur; quia ita præſcriptum eſt ab auctore talis poteſtatis.

Præcipit ergo quodammodo ſibi, & (ſi ita velimus loqui) quodammodo ſibi ipſi obedit, ſed ſub diverſa conſideratione; præcipit in quantum caput ſuæ communitatis, & obedit quatenus pars ejuſdem communitatis. Præcipit ùt miniſter Dei, per poteſtatem aliquo modo divinam, id eſt, à Deo acceptam, & obedit propriæ legi tamquam homo, unus ex illis, pro quibus lex eſt generaliter conſtituta. Sicuti dum diſpenſat cum ſua communitate in aliqua lege, cenſetur etiam ſecum diſpenſare, tametſi diſpenſatio ſit actus aliquis ſuperioritatis; nemo autem ſit ſuperior ſui ipſius ſub eadem conſideratione, secùs ſub diverſa.

Hoc ſaltem, inquit Hetinex part. 2. tract. 3. de Leg. diſp. 3. n. 124. apud omnes certum eſt, Principem ſuppoſitâ ſuâ lege, taxante pretia rerum, debere ſequi eamdem taxam pari, & gravi obligatione, idque jure naturæ, quo cavetur, ne res pluris vendatur, aut minoris ematur, quàm communiter valeat; ſuppoſitâ autem taxâ, valet præciſè prout taxata eſt. Hæc ille.

Verùm enimverò cùm duplex ſit pretium rerum, aliud legitimum, aliud vulgare ſeu naturale, ſi Princeps non obligaretur immediatè ex vi & efficacia ſuæ legis, neſcio quare peccaret pari & gravi obligatione, ſi neglecto pretio legitimo, acciperet pretium vulgare ſeu naturale, quod ſecluſâ lege poſitivâ, taxante pretium, poteſt eſſe juſtum.

Igitur omnibus illis, quibus certum eſt, Principem, ſuppoſitâ ſuâ lege, taxante pretium rerum, debere ſequi eamdem taxam pari & gravi obligatione, etiam certum eſſe debet, Principem, ſuppoſitâ ſuâ lege audiendi Miſſam, jejunandi, celebrandi Feſta &c. debere audire Miſſam, jejunare, celebrare Feſta &c. pari & gravi obligatione. Sicuti enim per legem, taxantem pretia, hoc vel illud pretium conſtituitur medium juſtitiæ neceſſarium, quod ſecluſâ tali lege, non eſſet neceſſarium; ita quoque per legem jejunii conſtituitur abſtinentia à carnibus, & ſecundâ refectione, medium neceſſarium temperantiæ, quæ ſecluſâ tali lege, non eſſet medium neceſſarium. Cur autem Princeps magìs teneatur ſervare medium juſtitiæ, quod tale eſt ex propria lege, quàm medium temperantiæ, haud clarè video.

Quapropter permaneo in priori reſolutione; videlicet, Pontificem pari & gravi obligatione debere ſingulis annis confiteri, ex vi legis Eccleſiaſticæ cap. *Omnis utriuſque ſexûs*; quamquam contraria ſententia non ſit improbabilis.

Pro qua poſſet allegari quod ait Doctor Subtilis 4. diſt. 17. n. 10. *Si hæc opinio* (videlicet, Confeſſionem non cadere, niſi ſub præcepto Eccleſiæ) *vera eſſet, videretur, quòd Papa non teneretur confiteri; quia ſicut habetur extra de Verb. ſignif.* Exiit qui ſeminat, *non habet imperium par in parem.*

Reſp. 1. non loquitur Scotus aſſertivè, ùt patet ex ly *Videretur*, ſcilicet, ſecundùm probabilem Aliquorum ſententiam. *Prima reſponſio.*

Reſp. II. ex probatione Scoti ſolùm ſequitur, Pontificem non obligari ex lege Prædeceſſoris; secùs ex propria lege, qualis cenſetur, dum eſt jam Pontifex, & eam non revocat; quamvis enim poſſet illam abrogare, ſi tamen non faciat, cenſetur eo ipſo quaſi de novo eam conſtituere. *Secunda.*

Denique Doctor Subtilis loquitur ibi de Confeſſione; quæ nullo modo eſſet juris divini; ſed, etiam quoad ſubſtantiam, juris Eccleſiaſtici; nos autem de Confeſſione, quæ eſt juris divini quoad ſubſtantiam; juris autem Eccleſiaſtici quoad ſolam determinationem temporis. *Tertia.*

54\. *An Chriſtus præceperit Eccleſiæ, quod determinaret tempus Confeſſionis?*

Quæ ſanè differentia, licèt apud me parùm habeat momenti, interim Aliquibus tantum valet, ut exiſtiment, Pontificem graviter peccare, non obſervando Confeſſionem annuam, eſtò peccaret ſolùm leviter, non obſervando leges merè Eccleſiaſticas; quia, inquiunt, Chriſtus præcipiens Confeſſionem, videtur etiam præcepiſſe Eccleſiæ, quòd determinaret tempus lege aliquâ Eccleſiaſticâ. Sed de hoc præcepto Chriſti, mihi non ſatìs conſtat.

Cæterum, inquit Lugo diſp. 15. n. 143. negari adhuc non poteſt, probabile eſſe, quòd ſi hanc legem Eccleſiaſticam quoad ſe non omnino tolleret, ſed alteraret quoad tempus, volendo, quòd determinatio temporis quoad ſe, eſſet pro hac vice annus cum dimidio, non peccaret graviter; jam enim relinqueret aliquam determinationem temporis etiam pro ſe, & aliunde non videtur culpa gravis, non conformare ſe in omnibus cum ſuis ſubditis. Hæc ille. *Lugo*

Conſultiſſimum ego arbitror, ut, qui dici debet Sanctiſſimus ſecundùm officium, etiam ſit Sanctiſſimus ſecundùm vitam, vel ad minus ſanctus, qui, licèt in hac mortali vita in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadat, dicere tamen poſſit: *Quis ex vobis arguet me de peccato mortali?*

55\. *Eccleſia non præcepit confeſſionem peccatorum venialium.*

In quo utique caſu Eccleſia non ſpecificavit præceptum de Confeſſione, ùt eſt communis ſententia, quam docet Scotus 4. diſt. 17. n. 25. ſequentibus verbis: *Dico, quòd quantum capio ex ſtatutis Eccleſiæ generalibus, nullus tenetur ad Confeſſionem venialium in quocumque caſu: nec in hoc Eccleſia ſpecificavit præceptum de Confeſſione. Et hoc rationabiliter: quia ipſa utitur Sacramento Pœnitentiæ, tamquam tabulâ ſecundâ contra naufragium, quod non eſt in venialibus.* *Probatio 1a ex Scoto.*

Adjungit ſecundam probationem: *Nec aliquis,* *Secunda ex eodem.*

aliquis inquit, *tenetur ad aliquam Contritionem de venialibus: immò in actuali voluntate, vel actu venialis moriens, ſalvabitur, vapulabit tamen; non videtur autem, quòd aliquis teneatur ad ſecundam partem Pœnitentiæ, quæ eſt Confeſſio, de quo non teneatur habere Contritionem vel Attritionem.*

Tertia ejus probatio. Probat III. *Hoc etiam patet ex alio, quia (ſicut ſuprà dictum eſt) venialia delentur totaliter quantum ad culpam & pœnam, quandoque ſinè aliquo opere ſpeciali, ſicut per actum ferventem contemplationis in Deum, quemadmodum gutta conſumitur à flamma vehementi.*

56. Objectio. Si autem quæras à Scoto: Quomodo ergo Sacerdos cognoſcet vultum pecoris ſui, ſi ille, qui dixit ſe vixiſſe innocenter, non tenetur confiteri venialia ſua? Reſpondet Doctor: Reſponſio ex Scoto. *Si quis ſibi confiteretur, & ſolùm venialia, ex quo cognoſcet ipſum non feciſſe niſi ſola venialia? Ex nullo niſi ex Confeſſione ſua ..... Ergo ſibi eodem modo credat venienti & dicenti:* Domine regratior Deo, quia ex quo fui ultimò confeſſus, non habeo conſcientiam de peccato mortali: date mihi Euchariſtiam: *& in iſta Pœnitentia tantam habet cognitionem vultûs pecoris ſui, quantam ſi narraſſet venialia ſua per duos dies, nec aliam certitudinem poſſet habere de propriis venialibus, ſi confiteretur, quàm modò habet de innocentia eius, ſcilicet per proprium teſtimonium eius. Quantum igitur ad Quæ Eccleſia circa illud præceptum non ſpecificavit.* Hucuſque Scotus, contra Richardum 4. diſt. 17. a. 2. q. 4. aſſerentem, ex præcepto Eccleſiæ venialia eſſe confitenda, quando quis non habet mortalia; quod ante ipſum docuerat D. Bonaventura 4. diſt. 17. p. 2. a. 2. q. 1.

57. Sententiam Richardi, confitenda eſſe venialia in defectum mortalium, impugnat Scotus primò. *Hoc*, inquit Scotus ſuprà n. 24. *non intelligo; quia in illo capitulo dicitur:* Omnia peccata ſua; *aut fit ibi diſtributio de peccatis venialibus, aut non. Si ſic, ergo habens mortalia per virtutem illius præcepti tenetur ad Confeſſionem venialium; ſi non, ergo non habens mortalia, ſed tantùm venialia, non tenetur ad Confeſſionem illorum, quia ſimpliciter non cadunt ſub illo, quod dicitur ibi:* Omnia peccata ſua. *Vnde videtur contradictio ponendo eundem intellectum vocabulorum iſtorum:* Omnia peccata ſua, *dicere iſtum obligari ad Confeſſionem venialium, & non iſtum.*

Impugnat ſecundò. Impugnat ſecundò; *Eſto quod aliquis vixit ſinè peccato mortali uſque ad medium Quadrageſimæ, ſi tunc confiteretur ut impleret præceptum Eccleſiæ, per te, teneretur confiteri venialia, quia illa ſola habet; peccet illo die mortaliter, velut poſt implere præceptum Eccleſiæ de Confeſſione, per te, non tenetur confiteri venialia illa, quæ priùs habuit; ergo per commiſſionem mortalis abſolutus eſt ab aliqua obligatione, ſcilicet à Confeſſione venialium, quod videtur irrationabile.* Hæc Scotus.

Vaſquez non videtur Scotum hic inſpexiſſe. Quem proinde non videtur inſpexiſſe Vaſquez, quando q. 90. a. 2. dub. 3. n. 11. ait: Quod primò probat bene meo judicio Scotus, quia in ea Decretali jubemur confiteri quotannis omnia & ſingula noſtra peccata, unde non tantùm præcipitur quæcumque Confeſſio, ſed eorum peccatorum, quæ ſingula confiteri tenemur, hæc autem, ſecundùm omnium ſententiam, ſunt mortalia; ergo de iis tantùm intelligitur præceptum Concilii. Hæc ille.

Sed perſpicuè manifeſtum eſt, quòd in ea Decretali non legatur ly *Singula*, & ideo Scotus ſuprà: *In illo capitulo dicitur: Omnia peccata ſua.* Ubì Vaſquez legerit, *Et ſingula*, neſcio. Credo quòd in ſua phantaſia, cùm nec in Scoto, nec in ea Decretali reperiatur.

Præterea probatur communis ſententia; quia peccata venialia abſolvi poſſunt à ſimplici Sacerdote, cùm tamen Confeſſio annua, de qua in cap. *Omnis utriuſque ſexûs*, debeat fieri proprio Sacerdoti, ibi: *Omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.*

Nec obſtat; quòd in aliquibus Diœceſibus excommunicentur univerſaliter omnes, qui non confitentur ſemel in anno; quia ſupponunt Epiſcopi, rariſſimum eſſe caſum, in quo quis non peccat mortaliter, ſi intrà annum non confiteatur. Unde planè convenit, ut talis ſe præſentet proprio Paſtori, & dicat: *Domine regratior Deo, quia ex quo fui ultimò confeſſus, non habeo conſcientiam de peccato mortali, date mihi Euchariſtiam.*

Verbo igitur ut concludam, præceptum Eccleſiaſticum eſt determinatio juris divini, ùt jam ſæpiùs diximus, ad tempus annuum; atqui jus divinum non obligat ad Confeſſionem peccatorum venialium, etiam quando quis non habet mortalia; ergo neque præceptum Eccleſiaſticum: ac proinde, ùt habet Concluſio, omnes & ſoli illi tenentur præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis, qui obligantur præcepto divino; neque ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico, niſi per Confeſſionem jure divino neceſſariam, id eſt, per Confeſſionem validam alicujus peccati mortalis, numquam directè abſoluti. Quapropter erit

CONCLUSIO IV.

Confeſſio annua debet eſſe Confeſſio valida alicujus peccati mortalis, ſaltem dubii, numquam directè abſoluti.

Ratio eſt; quia illa ſola eſt jure divino neceſſaria, ac per illam ſolam ſatisfit præcepto divino: jam autem Concilium Later. ſtatuit, ut, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat, ſaltem ſemel in anno ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcre-

Digitized by Google

diſcretionis perveniſſent, impleretur; ergo ille, qui non implet, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſt, non implet præceptum Eccleſiæ; cùm non ponat materiam præcepti.

Equidem non ſufficere Confeſſionem venialium, facilè admittent, qui admittunt illam non eſſe neceſſariam; qui autem agnoſcunt ejus neceſſitatem, conſequenter negare non poſſunt, per eam ſatisfieri præcepto; adeòque ita confeſſum non teneri (ſecundùm probabilem ſententiam, de qua infrà) illo anno ampliùs confiteri; etſi de novo peccet venialiter, aut etiam mortaliter. Porrò ſecundùm communem ſententiam, tametſi quis centies confeſſus fuiſſet peccata venialia, ſi contingat ipſum peccare mortaliter, tenetur illo anno confiteri iſtud peccatum mortale, quia nondum ſatisfecit præcepto, & nunc poteſt ſatisfacere. Non ſatisfacit ergo præcepto, qui tantùm confitetur venialia; cùm non ponat, quod præceptum eſt.

Quamquam (inquit Ludovicus de Scildere in Synopſi de Sacramentis §. 73.) eam Confeſſionem autumet nonnemo (Ochagavia apud Dianam p. 3. tr. 4. reſol. 206.) ab Eccleſia in ſolutionem acceptari, ſicut lectio veſpertina Horarum matutinarum pro die ſequenti acceptatur, licèt tempus præcepti nondum inceperit. Non id omnino improbabile eſt, ſi Confeſſio facta ſit in Paſchate: nam fidelibus quomodocumque in Paſchate confeſſis, non videtur umquam poſtea moveri conſcientia de inſtituenda intrà annum novâ Confeſſione, licèt poſtea mortaliter peccent. Hæc præfatus Auctor.

Reſpondeo; ideo fidelibus iſtis non movetur conſcientia, quia à multis creditur annus finitus tempore Paſchæ. Interim omnes putant, ſe teneri ad Confeſſionem pro altero Paſchate. Nihil ergo video majoris probabilitatis in illa ſententia, ſi Confeſſio facta ſit in Paſchate, quàm ſi facta fuerit alio tempore.

Ad ſimile facilis eſt diſparitas; nam in noſtro caſu non ponitur res præcepta, ſcilicet Confeſſio peccati mortalis; in alio caſu ponitur res præcepta, puta lectio Matutinarum; quamvis non illo tempore, pro quo aliàs præcepta erat.

Quantum ad peccatum mortale dubium; vel illud confitendum eſt jure divino, tametſi nullum aliud adſit certum, vel non. Si confitendum eſt, cùm per Confeſſionem illius ſatisfiat præcepto divino, neſcio quare non ſimiliter ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico.

Dicet aliquis; quia fieri potuit, ut non fuerit peccatum mortale; per conſequens, quòd non receperit ne quidem validum Sacramentum.

Reſpondeo; etiam fieri potuit, ut fuerit peccatum mortale; per conſequens quòd receperit validam Abſolutionem peccati mortalis. Si ergo requiritur ex præcepto Chriſti Confeſſio peccati mortalis dubii, quamvis fieri poſſit, ut non fuerit peccatum mortale; cur non ſimiliter ſufficiat Abſolutio peccati mortalis dubii, quamvis fieri poſſit, ut non fuerit peccatum mortale? Enimvero Chriſtus præcepit Confeſſionem peccati mortalis, quam ſubſequeretur Abſolutio ſive ſententia Iudicis; abſoluta, ſi Confeſſio fuerit abſoluta; conditionata, ſi Confeſſio ſolùm fuerit conditionata. Aliud foret, ſi vel malitia Iudicis, vel ex defectu poteſtatis nulla ſequeretur ſententia.

Sin autem aliquis dixerit, peccatum mortale dubium non eſſe confitendum ex jure divino; dico ego conſequenter, per Confeſſionem peccati mortalis dubii, ſicut non ſatisfit præcepto divino Confeſſionis, ita nec ſatisfieri præcepto Eccleſiaſtico, quia non eſt actus præceptus; nam Eccleſia præcepit Confeſſionem, quam intellexerat jure divino neceſſariam, & inſtitutam eſſe.

Et ideo, ut progrediamur ad primam partem Concluſionis, nemo ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis per Confeſſionem certò invalidam; talis enim non eſt jure divino neceſſaria, nec inſtituta. 62. *Non ſatisfit præcepto per Confeſſionem certò invalidam,*

Ex quo conſectarium eſt, confitentem ſola peccata externa, dum interna habet conjuncta; aut confitentem abſque dolore interno, non ſatisfacere præcepto annuæ Confeſſionis, tametſi externam recipiat Abſolutionem, quidquid Aliqui totis viribus reclament, hoc ſolo argumento: Eccleſia non judicat de occultis, ergo non præcipit Confeſſionem peccati merè interni, neque dolorem merè internum. *etiam ex defectu ſolius doloris interni,*

Sed hanc doctrinam, cardinibus ſuis luxatam, vidimus diſp. 5. ſect. finali concl. 6. ubi de præcepto Eccleſiaſtico audiendi Sacrum cum intentione interna. Breviter hìc dico, Eccleſiam præcipere actum externum, ſcilicet ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, quod eſt ſignum ſenſibile, ad ſui veritatem exigens dolorem internum, & Confeſſionem externam omnium peccatorum, tametſi occultiſſima ſint; cur autem non poſſit Eccleſia præcipere, ſeu potiùs compræcipere ea, quæ neceſſaria ſunt ad conſtitutionem actûs in tali vel tali eſſe morali, v. g. Sacramenti, orationis, contractûs &c? Non video quid obſtet. 63. *Reſponſio ad argumentum Adverſariorum.*

Neque id eſt directè præcipere actum merè internum (quamvis fortè & hoc poſſit Eccleſia) ſed indirectè, ſive, ùt dixi, compræcipere, quod abſque fundamento negatur poteſtati legiſlativæ tam civili, quàm Eccle-

 ſiaſticæ;

ſiaſticæ; maximè quando actus internus, qui compræcipitur, neceſſarius eſt, ut actus externus, qui directè præcipitur, ſit utilis bono communi.

64. *Tenetur præcepto, qui habet ſola peccata merè interna.*

Itaque tenetur præcepto annuæ Confeſſionis, qui habet ſola peccata mortalia merè interna, & incurrit pœnas, præſertim latæ ſententiæ, ſi fortè in aliqua Diœceſi conſtitutæ ſint; nam ferendæ ſententiæ, quales ſunt pœnæ cap. *Omnis utriuſque ſexus*, cùm requirant probationem in foro externo, quæ hìc deficit; niſi ipſe reus ſponte ſuum delictum fateatur, quod rariſſimum eſt, quaſi pro nihilo reputantur.

Contrarium defendit Dicaſtillo poſt Margaritam Confeſſ.

Contrariam ſententiam defendit Dicaſtillo diſp. 7. dub. 5. poſt Margaritam Confeſſorum verb. *Confeſſio*; & oſtendit non eſſe plus quàm temerariam, ùt eam appellat Suarez diſp. 36. ſect. 2. n. 2. tum quia multi docent præceptum divinum non obligare extra periculum mortis; tum quia fundatur in ea doctrina generali, quod Eccleſia non poſſit præcipere actus merè internos, de quibus non poſſit judicare per aliquod ſignum externum, quam Multi docent, quos refert Diana 3. p. tr. 4. reſol. 120. & alii plures, quos refert 8. parte reſol. 50.

65. *Reſponſio ad 1. fundamentum Dicaſtillonis.*

Sed quantum ad primum; illi Doctores, qui docent, præceptum divinum per ſe non urgere extra periculum mortis; docent nihilominus, accedente præcepto Eccleſiæ illam Confeſſionem ſingulis annis eſſe neceſſariam, quæ alioquin in periculo mortis urgeret. Nam Scotus, quem inter alios citat Dicaſtillo, nuſpiam docet, Eccleſiam ſpecificaſſe præceptum divinum quoad peccata externa tantùm, cùm tamen diverſas ſpecificationes aſſignet. *De 3. articulo*, inquit Scotus 4. diſt. 17. n. 24. *Dico, quòd Eccleſia præceptum iſtud* (divinum Confeſſionis) *quantum ad aliqua prædictorum non ſpecificavit, & quantum ad aliqua ſpecificavit: præcipua autem ſpecificatio hujus præcepti invenitur in illo cap. extra de Pœnit. & Remiſſ. Omnis utriuſque ſexus.* *Scotus.*

Et poſt pauca agens de ſpecificatione quantum ad *Quæ* (peccata ſint confitenda) non diſputat, an mortalia interna confitenda ſint, an verò ſola externa; ſed ſupponens, quoad peccata mortalia Eccleſiam reliquiſſe præceptum divinum intactum, quærit tantùm; an peccata venialia ſint confitenda ex præcepto Eccleſiæ. Ergo ſententia illa Scoti nihil juvat cauſam Dicaſtillonis.

66. *Reſpondetur ad 2. fundamentum.*

Ad aliud fundamentum, ſcilicet doctrinam generalem; Reſpondeo: ſi hæc intelligatur de quocumque actu interno, etiam illo, qui neceſſarius eſt, ut actus externus ſpecialiter proficiat bono communi, ſaltem eſt minùs probabilis, & conſequenter minùs probabilis (quidquid ſit de aliis qualificationibus) ſententia, quæ in ea fundatur.

67. Cæterùm ſi objicias Dicaſtilloni uſum fidelium, qui ſolent confiteri peccata merè interna. Reſpondet, illum uſum ſolùm oſtendere obligationem confitendi; non verò quòd ea obligatio ſit ex vi præcepti Eccleſiaſtici; ſufficit enim, quòd tunc divinum obliget, & peccet quis contra divinum. Hæc ille ſuprà n. 90.

Et n. 91. ſic inquit: Quòd verò teneatur ex vi præcepti divini, non provenit ex eo, quòd Chriſtus propriè, & per ſe poſuerit illud præceptum in ea ſententia extra articulum mortis; ſed ex eo, quòd ſic teneat conſuetudo fidelium; ſicut enim conſuetudo poteſt habere locum ad inducendam obligationem circa materiam, quæ cadit ſub præcepto poſitivo humano, etiam poterit circa materiam præcepti poſitivi divini. Hucuſque Dicaſtillo.

Haud vilis profectò auctoritas conſuetudinis, quæ non tantùm leges humanas; ſed etiam divinas quodammodò inſtituit, id eſt, inducit obligationem circa materiam præcepti poſitivi divini, ſcilicet peccata merè interna, ſeu Confeſſionem illorum peccatorum, quam tamen Concilium Generale Lateranenſe ſub Innocentio III. nullatenus, ſecundùm eundem Auctorem, potuit præcipere. Credat qui volet.

Ego dico: cùm arripiunt homines defenſionem cujuſque opinionis, ab ea vel numquam, vel difficilè inflectuntur, non advertentes, quòd *ſicut laudabile eſt à vera ſententia non amoveri, ita culpabile perſiſtere in falſa, quam numquam tenuiſſe, prima laus eſt; ſecunda, mutare; ut aut ex initio vera permaneat, aut mutatâ falſâ, vera ſuccedat*, inquit Eximius Doctor Eccleſiæ Sanctus Auguſtinus l. 3. contra Creſconium c. 3.

Alioquin, ſi vera eſt ſententia Dicaſtillonis, quæro; an ſatiſfaciat præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis annuæ, qui confitetur peccata externa publica, tacitis his, quæ in foro externo non poſſunt probari. Enimverò Eccleſia, teſte Trid. ſeſſ. 24. in Decreto de Reform. Matrimonii, de occultis non judicat; non ſolùm de occultis merè internis, ſed etiam externis; nam loquitur de adulteriis occultis, quæ ortum habent ex clandeſtinis conjugiis, ùt patet inſpicienti textum. Et ſanè extra forum ſacramentale, Eccleſiam non habere poteſtatem præcipiendi revelationem hujuſmodi criminum, ita ut reus teneatur ea fateri, nimis manifeſtum eſt; cur ergo poſſit præcipere illam revelationem in foro Sacramenti Pœnitentiæ?

Quia, inquis, eſt forum internum, in quo agitur cauſa hominis ad Deum; unde juriſdictio fori interni potiſſimùm ſpectat actus interiores, & circa illos immediatè verſatur, ùt patet in Abſolutione ſacramentali, conceſſione Indulgentiarum, & ſimilium, quæ ſunt actus juriſdictionis voluntariæ, & reſpiciunt priva-

Digitized by Google

privatam cujuſque utilitatem & ſalutem; ut proinde juriſdictio ſacramentalis ſit alterius generis, excedens terminos gubernationis viſibilis, & pertinens ad forum Dei, qui judicat etiam de internis, & voluit conſtituere Prælatos tamquam Vicarios, ut exerceant in eo foro poteſtatem ipſius Dei.

Optima reſponſio! Ex qua utique non minùs ſequitur, Eccleſiam poſſe præcipere revelationem peccati merè interni, quàm peccati per accidens occulti; cùm Abſolutio ſacramentalis, ut proficiat fidelibus ad ſalutem, revelationem utriuſque peccati requirat, & utraque revelatio pertineat ad forum Dei, qui judicat etiam de meris internis, & punit merè interna, & voluit conſtituere Prælatos tamquam Vicarios, ut in illo foro judicent & puniant merè interna.

Cur ergo Eccleſia in ordine ad iſtud forum non poſſit præcipere, ut peccata merè interna dicantur coram Sacerdote, ſicut præcipit, ut dicantur peccata per accidens occulta? Non video diſparitatem ſufficientem; nam neque occulta per accidens poteſt puniri in foro externo, quamdiu manent occulta; & fieri poteſt, ut impoſſibile ſit ea publicari, niſi per confeſſionem ipſius rei, non aliter quàm peccata merè interna; ſi ergo iſtorum publicationem poteſt præcipere pro foro interno, cur non & horum?

Aliquibus non leve argumentum eſt, Eccleſiam habere poteſtatem in actus merè internos, quòd Concilium Toletanum I. in aſſertione fidei utatur hâc formâ verborum: *Si quis dixerit, vel crediderit* &c. idque non ſemel, ſed decies ſexies.

Scio Adverſarios reſpondere, particulam, *Vel*, ibi ſumi pro conjunctiva, *Et*; ſed quo fundamento? Quia, inquiunt, ſemel utitur his verbis: *Si quis dixerit atque crediderit*; non eſt autem veriſimile hunc anathematiſmum alio modo ſumi, quàm cæteri. Deinde hoc additum fuit, ut ſignificaretur, quòd etiam factis & ritibus illa cenſura incurratur.

Sed contra ultimum; numquid quia in anathematiſmis Concilii Tridentini non additur ly, *Vel crediderit*, ideo non eſt anathema, qui factis & ritibus contrarium aſſerit; ſed ſolùm qui propriè dictis verbis? Et verò fides, quid magis propriè ſignificat, quàm actum internum? *Corde creditur ad iuſtitiam*, inquit Apoſt. Rom. 10. v. 10. *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; ergo ly *Crediderit* propriiſſimè ſignificat actum internum fidei; & non externam confeſſionem per dicta, aut facta.

Omitto, quòd tunc ille unicus anathematiſmus, alio modo ſumi debuiſſet, quàm cæteri; vel ſi eodem modo, aut omnes copulativè, & tunc nullus foret anathema, niſi qui verbis & factis contrarium aſſereret; vel ſi disjunctivè, jam ly *Atque* in illo uno Canone (qui in ordine eſt ſecundus) debuiſſet ſumi disjunctivè pro ly *Vel*; quod magis veriſimile eſt, cùm ſic poſſit illa particula accipi, argumento l. *Sæpè* 53. ff. de Verbor. ſignificatione: *Sæpè ita comparatum eſt, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis.* Porrò convenientius eſt, unum conjunctum, mixtum ſexdecim disjunctis, accipere pro disjuncto, quàm ſexdecim disjuncta, propter unum conjunctum, accipere pro conjunctis.

Accipiatur ergo ly *Atque*, pro ly *Vel*, & per ly *Crediderit*, intelligatur actus internus fidei, & idem erit intellectus omnium Canonum, ſeu anathematiſmorum, clarè probans, Eccleſiam poſſe prohibere ſub pœna anathematis hæreſim merè internam; & ſic corruit prima reſponſio Adverſariorum.

73. *Eccleſia poteſt obligare ad id, quod neceſſarium eſt, ut validè ſuſcipiatur Abſolutio.*

Utcumque ſit de actibus merè internis pro foro externo, perſiſto in priori reſolutione, puta neminem ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis, qui non confitetur peccata ſua tam externa, quàm interna, ità ut mereatur accipere validam Abſolutionem, quâ liberetur ab obligatione juris divini. Licèt enim Abſolutio non ſit actio ipſorum pœnitentium; equidem non apparet, quare Eccleſia non poſſit obligare fideles ad faciendum id, quod eſt neceſſarium ad illam externam actionem validè ſuſcipiendam, ſicut poteſt obligare excommunicatos, ad faciendum illa, quæ ſunt neceſſaria ad obtinendam validam Abſolutionem ab excommunicatione.

Nonne Eccleſia, immo & Magiſtratus ſæcularis poteſt obligare reum, ut dicat veritatem quando legitimè interrogatur ab habente poteſtatem? Indubiè. Quis autem dicere audebit, Confeſſarium, nomine Chriſti in Confeſſionali ſedentem, non habere jus, ut interroget, quæ neceſſaria ſunt ad hoc, ut ipſe validè exerceat ſuam juriſdictionem? Igitur interrogare poterit de interna diſpoſitione; per conſequens, pœnitens interrogatus habebit obligationem dicendi veritatem, quam dicere non poterit, niſi interiùs ſe diſpoſuerit ſufficienter ad accipiendam validam Abſolutionem: ergo ſaltem indirectè Eccleſia obligat ad internam diſpoſitionem, neceſſariam ad accipiendam validam Abſolutionem.

74. *An ſufficiat Abſolutio valida, ſed informis.*

Non dico: *Fructuoſam Abſolutionem*; quia, ſi verum eſt, quod Aliqui docent, dari Abſolutionem validam, ſed informem (eo modo, quo datur Baptiſmus validus, ſed informis) non videtur dubitandum, per hujuſmodi Abſolutionem, ſeu Confeſſionem ſatisfieri utrique præcepto Confeſſionis, tam divino, quàm humano; ſicuti per Communionem ſacrilegam ſatisfit utrique præcepto Communionis, tam divino quàm humano, ùt doceo Diſput. 4.

Digitized by Google

ſect. 9. concl. 4. Videantur ibi dicta, quia eſt planè eadem ratio utriuſque præcepti; videlicet, quia utrobique ponitur ſubſtantia præcepti, ibi verum Sacramentum Euchariſtiæ, hîc verum Sacramentum Pœnitentiæ.

Et quamvis Deus & Eccleſia intendant fructum utriuſque Sacramenti, equidem fructus iſte ſolùm eſt finis extrinſecus legis, qui ſecundùm communem doctrinam non cadit ſub legem. Quis enim ambigit, Eccleſiam intendere fructum internum auditionis Miſſæ? Et tamen nemo etiam dubitat, ſatisfacere præcepto, qui aſſiſtit Miſſæ abſque tali fructu, v.g. quia incapax eſt propter ſtatum peccati mortalis, propter excommunicationem &c. An fortè quiſpiam dicere audebit, per Baptiſmum validum, ſed informem defectu debitæ diſpoſitionis ſubjecti, non ſatisfieri præcepto divino ſuſcipiendi Baptiſmum?

75. Objectio ſolvitur. Dices; diſparitas eſt, quòd Baptiſmus non ſit iterabilis; ſecùs Sacramentum Pœnitentiæ. Reſpondeo; ideo conſultò dixi; *Eo modo quo datur Baptiſmus validus, ſed informis*; ſic enim Baptiſmus validus eſt, ut ablato obice reviviſcat ad effectum remiſſionis peccatorum, quem à principio habuiſſet, ſi non fuiſſet poſitum obſtaculum. Si ergo verum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, ablato obicè reviviſcere ad effectum remiſſionis peccatorum, quem habuiſſet ab initio, ſi non fuiſſet poſitum obſtaculum; quamvis Sacramentum Pœnitentiæ ſit iterabile, equidem non ſatìs conſtat obligatio iterationis: immo etſi non reviviſceret; quia ſemper manet verum, fuiſſe poſitam ſubſtantiam præcepti, prout patet in Communione ſacrilega, quæ, ſecundùm probabiliſſimam ſententiam, non reviviſcit ablato obice.

76. Quid ſi Sacerdos ex malitia nolit pœnitentem diſpoſitum abſolvere? Sed quid, ſi Sacerdos ex malitia nolit abſolvere pœnitentem, legitimè confeſſum, & jam diſpoſitum ad accipiendam Abſolutionem, non tantùm validam, ſed etiam fructuoſam? Numquid pœnitens ſatisfecit præcepto Eccleſiæ, & excuſatur illo anno ab iterata Confeſſione?

Si affirmas; quomodo, quandoquidem non ſatisfecerit præcepto divino? Nam, inſtante periculo mortis, teneretur eadem peccata alteri Sacerdoti, vel eidem confiteri, ſi eſt ſpes accipiendi Abſolutionem; quia licèt primâ vice ex parte ſua fecerit, quod potuit & debuit; equidem non ſuſcepit Sacramentum Pœnitentiæ, cujus tamen ſuſceptio præcipitur; veluti ſi quiſpiam fidelis ſe diſponat legitimè ad ſuſcipiendum Baptiſmum, & roget Sacerdotem, ut ſe baptizet, niſi Baptiſmus ſubſequatur, reverà non ſatisfecit præcepto ſuſcipiendi Baptiſmum, & tenetur ab alio petere.

77. Non ſatisfeciſſe præcepto pro- Idemque dicendum videtur, ſi Sacerdos nolit adminiſtrare Euchariſtiam, videlicet non ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiaſtico Communionis ſeu annuæ, ſeu Paſchalis, cùm cap. *Omnis utriuſque ſexûs* dicatur: *Suſcipiens reverenter ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*, non tantùm ſpiritualiter ſeu voto, ſed etiam ſacramentaliter; ùt conſtat ex communi ſenſu fidelium. Ergo conſimiliter non videtur ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis, qui habuit votum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, & ex parte ſua fecit omnia, quæ ſunt neceſſaria ad ſuſcipiendum, niſi realiter ſuſceperit.

Unde ly *Confiteatur*, quo utitur Concilium Later. in cap. *Omnis utriuſque ſexûs*, ſignificat Confeſſionem cum effectu, ùt ſic loquar, id eſt, cum Abſolutione, ùt colligitur ex illis verbis: *Et injunctam ſibi Pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere*; non autem tenetur Pœnitentiam adimplere, niſi ſecutâ Abſolutione.

Alioquin etiam juri divino ſatisfieret per Confeſſionem, non ſecutâ Abſolutione; nam Trid. ſeſſ. 14. c. 5. explicans jus divinum, ſolo nomine Confeſſionis utitur, dicens: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicatâ, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis, jure divino neceſſariam exiſtere.*

Et reverà, niſi pœnitens in caſu propoſito accedat alium Confeſſarium, quem ſcit paratum ipſum abſolvere, & iteratò confiteatur peccata ſua, non facit omnia, quæ ſunt neceſſaria ad ſuſcipiendum Sacramentum; nam unum ex neceſſariis eſt, confiteri Sacerdoti parato ad abſolvendum; & quamvis bonâ fide exiſtimaverit priorem Sacerdotem paratum, adeòque bonâ fide fecerit omnia neceſſaria; interim cognitâ ejus renitentiâ, & negatione Abſolutionis, jam cognoſcit ſe non feciſſe omnia neceſſaria.

Itaque non video, quomodo poſſit talis excuſari ab iterata Confeſſione facienda eodem anno; niſi fortè ratione difficultatis, quæ non reperitur in præcepto Baptiſmi, aut Communionis. Interim, quoniam manet obligatio alio anno confitendi eadem peccata, cùm, ùt ſuppono, necdum ſatisfecerit præcepto divino; hæc difficultas, tametſi ſatìs magna ſit, ut Confeſſarius, qui noluit abſolvere, cùm commodè poſſet, peccaverit mortaliter; haud equidem ſatìs clarè videtur ſufficere, ad excuſandum pœnitentem ab iterata Confeſſione, faciendâ hoc anno; niſi fortè ſequenti anno poſſet accipere Abſolutionem ab eodem Confeſſario, etiam ſinè nova diſtincta explicatione peccatorum, & hoc anno non poſſet accipere, niſi alteri confiteretur.

Reſtat ultima pars Concluſionis, videlicet: *Peccati mortalis, numquam directè abſoluti*, quæ nullam patitur contradictionem; nam quemadmodum peccatum veniale non eſt materia neceſſaria Confeſſionis ex jure divino, ita neque peccatum mortale, ſemel directè abſolutum;

Digitized by Google

tum; ergo veluti Confeſſio peccati venialis non eſt neceſſaria ex præcepto Eccleſiaſtico, pariter neque neceſſaria erit Confeſſio peccati mortalis, aliquando directè abſoluti; & exinde, ceu per Confeſſionem peccati venialis non ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico, nec itidem ſatisfiet per Confeſſionem peccati mortalis, aliquando directè abſoluti. Quapropter:

CONCLUSIO V.

Si quæ in aliquo caſu ſit obligatio per ſe, confitendi peccata mortalia, ſemel directè abſoluta, hæc ipſa dependet à libera acceptatione pœnitentis.

Dico; *Obligatio per ſe*; quia fieri poteſt, ut Confeſſio iterata peccati mortalis, ſit neceſſaria ad debitè confitendum peccatum mortale, numquam directè abſolutum; quo caſu indubiè eſt obligatio confitendi peccatum mortale ſemel directè abſolutum, confitendi, inquam, vel, ut rectiùs loquar, narrandi; nam propriè dicta Confeſſio eſt narratio in ordine ad Abſolutionem à peccato narrato, qui ordo tunc non eſt neceſſarius. Sed de hac obligatione impræſentiarùm non tractamus; verùm de obligatione per ſe & directa, procurandi Abſolutionem à mortali, ſemel directè abſoluto; & negamus omnem hujuſmodi obligationem, independentem à libera acceptatione pœnitentis.

Quod addo, propter Statutum aliquod Ordinis Ciſtercienſis, approbatum à ſummis Pontificibus Pio 2. & Sixto 4. quo, ùt Aliqui volunt, præcipitur, ut omnes Religioſi ſua peccata, etiam alteri confeſſa, ſemel in anno Prælato confiteantur: cui Statuto Religioſus voluntariè & liberè ſe ſubjicit, quando voluntariè & liberè profitetur illam Religionem; ſicuti voluntariè & liberè ſe obligat ad paupertatem, obedientiam, & caſtitatem, ad quæ ab Eccleſia non obligatur, immo nec poteſt obligari.

Alii aliter reſpondent ad hoc Statutum. Vaſquez q. 93. art. 1. dub. 6. n. 17. ait primò, illam Conſtitutionem non aliter potuiſſe obligare, quàm ratione voti & juramenti, quod inferiores præſtarent; quod tamen, inquit, credo non fuiſſe, quia illius non fit mentio. Secundò, quia ordinariis Confeſſariis concederetur facultas injungendi illam pœnam, quod fieri potuit; aliâ verò ratione non video quomodo fieri potuerit; potiùs enim videretur zelus nimius, ſed non ſecundùm ſcientiam, quàm res digna præcepto. Sed Sixtus 4. eam confirmavit ſecundùm opinionem quorundam, repugnantibus verò multis viris doctis. Hæc ille.

Sed contra primum; non eſt opus alio voto, quàm voto ſolemnis profeſſionis illius Religionis; nam hoc ipſo profeſſus ſubjicit ſe omnibus Conſtitutionibus legitimis illius Religionis, & ſic non mirum, quòd nulla fiat mentio alicujus voti aut juramenti in illa Conſtitutione. 82. *quam impugnat Auctor primò.*

Contra ſecundum; in illa Conſtitutione nulla prorſus fit mentio Confeſſariorum, ut vel debeant, vel poſſint talem Pœnitentiam imponere. Et verò ſi res illa non eſt digna præcepto, ſed zelus nimius non ſecundùm ſcientiam, nùm erit res digna ſatisfactione ſacramentali, quæ & ipſa eſt præceptum particulare? *Secundò.*

Quantùm ad Sixtum IV. quòd Statutum illud confirmaverit repugnantibus multis viris doctis, mihi non conſtat. Et quamvis aliqui repugnaſſent propter difficultatem præcepti, indè non ſequitur, quin Religioſi, ſi velint, poſſint ſe ad illud opus obligare, quemadmodum ad alia opera conſilii, paupertatem, caſtitatem, obedientiam, quæ difficiliora ſunt. *Tertiò.*

An autem ſit Conſtitutio obligans, ipſi viderint. De facto ſic moderata dicitur, ut quamvis tertiò debeant confiteri Prælato, non tamen peccata priùs directè abſoluta. Atque ut priùs directè abſoluta, rursùm deberent confiteri; liquet, quia illa obligatio oritur ex libera acceptatione pœnitentis, dum liberè profitetur talem Regulam. Conſimiliter obligatio, ſi aliqua eſt in Societate Jeſu, faciendi Confeſſionem generalem, in ingreſſu quidem totius vitæ, deinde ſingulis ſemeſtribus aut annis ab ultima; patet, quia oritur ex libera acceptatione pœnitentis, dum liberè ingreditur Societatem. 83. *An ſit Conſtitutio obligans?*

Cardinalis Lugo diſp. 15. n. 98. Licèt, inquit, prò tota Eccleſia non poſſet fieri talis lex, obligans ad ſecundam Confeſſionem eorumdem peccatorum; non tamen video, cur non poſſit fieri in Religione aliqua obſervante, in qua poſſunt ea præcipi, quæ ſpectant ad perfectionem, quam finis illius Religionis intendit: & quidem, in noſtra Societate, una ex potiſſimis regulis (licèt non obliget ſub gravi peccato) eſt, quòd ſubditus manifeſtet totam ſuam conſcientiam bis aut ſemel in anno Superiori, ita ut nihil grave ipſum lateat; quod medium habetur tamquam unum ex magis ſubſtantialibus & neceſſariis ad finem noſtræ Religionis. Nec id ſolius noſtri Ordinis eſt, ſed commune ferè Ordinibus Religioſis antiquis. Cùm ergo hæc notitia, quam Prælatus habere debet de conſcientia ſubditorum, maximè neceſſaria ſit ad finem Religionis; non video, cur non poſsit fieri lex de illa notitia communicanda in Confeſsione de peccatis gravibus; hoc enim non auget, ſed minuit *Lugo.*

nuit potiùs onus. Hæc ille; quamvis fateatur obligationem ſub mortali fore periculoſam.

Iterata Confeſſio eorumdem peccatorum mortalium in aliqua Religione non poteſt præcipi ſub mortali.

Sed, meo judicio, illud periculum ſufficit, ut non poſſit ſic præcipi. Neque enim Superior Regularis poteſt præcipere quæcumque aliquatenus conducunt ad finem Religionis; ſed debent eſſe juxta Regulam, aut ſaltem non contra Regulam, aut animas ſubditorum, qualis eſt iterata Confeſſio peccatorum mortalium ſub mortali, propter periculum non obſervationis. Deinde cùm Superior non poſſit uti ſcientiâ confeſſionali in directione ſubditorum, ùt proprio loco explicabimus, non video, ex quo capite illa notitia poſſit eſſe maximè neceſſaria ad finem Religionis.

84. Reſpondetur ad Extravagant. Mart. 5.

Ex his facilè reſpondetur ad Extravagantem quamdam Martini V. quæ incipit: *Ad uberiorem fructum*, in qua præcipitur, ut hi, qui Religioſis Mendicantibus confitentur, teneantur nihilominus ſemel ſaltem in anno confiteri ſuis Parochis: *Volumus*, inquit Pontifex, *quòd ii, qui Fratribus confitentur, eiſdem ſuis Parochialibus Sacerdotibus ſemel ſaltem in anno confiteri, prout generale Concilium ſtatuit, nihilominus teneantur.*

Patet, inquam, reſponſio ad hanc Extravagantem: nam, præterquam quòd non fiat mentio eorumdem peccatorum, adeòque ſufficiat confiteri illa peccata, quæ pro tunc occurrunt abſolvenda, perſpicuè manifeſtum eſt, hanc obligationem, quanta quanta eſt, oriri proximè à libera acceptatione pœnitentis, qui nullatenus tenebatur confiteri Fratribus Mendicantibus. Si ergo ſponte ſuâ confeſſus fuerit, ſibi imputet, ſi eadem peccata rurſum debeat confiteri Parocho; an autem debeat rurſum confiteri, alibi diſputabimus.

85. Explicatur uſus quarumdam Religionum,

Eodem modo explico uſum quarumdam Religionum, in quibus eſt conceſſa facultas abſolvendi itinerantes à caſibus reſervatis, cum onere poſteà Superioribus ſe manifeſtandi. Cùm enim iſti itinerantes non teneantur caſus reſervatos in itinere confiteri niſi velint, ſed poſſint expectare præſentiam Superioris; ſi confiteantur in itinere, ſibi ipſis imputent, ſi ſecundò debeant eadem peccata manifeſtare Superiori. Quomodo autem illa facultas licita & honeſta ſit, longè & latè diſputant Auctores, Suarez diſp. 30. ſect. 5. Vaſquez q. 91. a. 3. Coninck. diſp. 8. n. 116. Lugo diſp. 5. à n. 100. Arriaga diſp. 52. à n. 12.

& oſtenditur quomodo ſit licitus.

Dico breviter; ſicuti licita & honeſta eſt reſervatio caſuum, pari ratione licita & honeſta eſt facultas abſolvendi à caſibus reſervatis itinerantes, ſub onere poſteà Superioribus ſe manifeſtandi. Cùm enim Superior abſolutè non teneatur dare poteſtatem abſolvendi à reſervatis inferiori, ſed poſſit velle, ut itinerantes, poſtquam reverſi fuerint, ſibi confiteantur; quidni poſſit concedere inferiori poteſtatem abſolvendi à reſervatis cum tali onere, acceptando à pœnitente? Non video quid obſtet; cùm illud onus pendeat à libera voluntate pœnitentis, qui non tenetur confiteri cum tali onere; ſed poteſt Confeſſionem ſuam aut totaliter differre, aut dimidiare, donec & uſque ad propria redierit, & confiteatur Superiori, vel alteri habenti poteſtatem Superioris ſinè aliquo onere.

Si autem à me quæritur, an illa obligatio comparendi coram Superiore ſit gravis? Reſpondeo affirmativè; quoniam valde conducit ad diſciplinam monaſticam & finem Religionis, eo modo quo conducit reſervatio caſuum. Quippe tametſi Superior tali caſu non poſſet imponere Pœnitentiam ſacramentalem, cùm ejuſdem videatur eſſe abſolvere, & per Abſolutionem elevare Pœnitentiam ad eſſe ſacramentale; quemadmodum in Sacramento Baptiſmi, ejuſdem eſt aquam infundere, & proferre formam: interim tamen poteſt ſalutaribus monitis ſubditum ſuum cautiorem & vigilantiorem in futurum efficere; atque illa comparitio non modicùm revocat ſubditum à peccato, fortè in itinere committendo, ſi abſque hujuſmodi onere poſſet abſolvi ab inferiori.

Dixi; *Tametſi tali caſu non poſſet imponere Pœnitentiam ſacramentalem*; quia ſi verum eſt, quod Aliqui docent tamquam probabile, alium Confeſſarium poſſe mutare Pœnitentiam ſacramentalem, etiam extra Sacramentum, de quo ſuo loco, cur etiam non ſit probabile, Superiorem tali caſu poſſe imponere Pœnitentiam ſacramentalem? Nonne quia impoſitio Pœnitentiæ ſequitur Abſolutionem, ideo non poteſt eſſe ſacramentalis? Quid ſi ergo Sacerdos per oblivionem jam abſolviſſet, antequam impoſuiſſet Pœnitentiam, putas quia Pœnitentia ſubſequens non foret ſacramentalis? Quid ſi ergo remittat pœnitentem, jam confeſſum & abſolutum, ad Superiorem, cum obligatione faciendi Pœnitentiam ab ipſo injungendam? Putas quia illa Pœnitentia non poſſet elevari ad eſſe ſacramentale per Abſolutionem præcedentem?

Nec ideo duplex erit miniſter hujus Sacramenti, quemadmodum duplex foret miniſter Baptiſmi, ſi unus ablueret, & alter proferret formam; quia ſatisfactio tantùm eſt pars integralis, & hoc ipſo quòd inferior remittit pœnitentem ad Superiorem pro Pœnitentia accipienda, cenſetur imponere Pœnitentiam, à Superiore poſtmodum imponendam.

Fateor, inquis; verùm tali caſu Superior non imponeret Pœnitentiam ſacramentalem, ſed impoſitam determinaret; quòd poſſet quilibet facere, etiam non Sacerdos; cùm tamen non niſi Sacerdos poſſit imponere Pœnitentiam ſacramentalem.

Unde etiam non valet hæc Conſequentia Suarii ſuprà n. 24. Superior poteſt taxare pœnam

pœnam imponendam ab inferiore pro certo aliquo peccato; ergo etiam ſibi reſervare ultimum judicium de pœna impoſita, ſi intelligas judicium ſacramentale per immutationem Pœnitentiæ, factam proprio nomine & propriâ auctoritate per ipſum Superiorem. Nam illa taxatio fieri poteſt per Superiorem non Sacerdotem, qui tamen per ſe ipſum non poteſt imponere, aut mutare Pœnitentiam ſacramentalem.

Utut ſit de hac controverſia; haud equidem dubitandum videtur, Superiorem ſic limitare poſſe poteſtatem inferioris abſolvendi à caſibus reſervatis, ut Abſolutio non valeat, niſi pœnitens voluntariè acceptet onus comparendi coram Superiore, ſi non ad imponendam Satisfactionem ſacramentalem, ſaltem ut tali comparitione revocet ſubditos à peccato, & quaſi fræno quodam coërceat, cautioreſque & vigilantiores in futurum efficiat.

Sed numquid hanc obligationem contraxit is, qui penitus eam ignoravit? Reſpondet Arriaga ſuprà n. 24. non eſſe morale, quòd ea reperiatur ignorantia in Religioſo illo iter faciente; cùm enim ille jam ſciat ſe habere caſus reſervatos, ſeque non poſſe ab illis abſolvi, niſi recurrendo ad Superiorem; cùmque in via hoc non poſſit, ſaltem apprehendit ſe debere poſteà recurrere; ac proinde ibi habet aliquam cognitionem ſaltem confuſam, quâ eam obligationem ſuſcipit. Hæc ille.

Quid ergo, ſi ille Religioſus iter faciens, invincibiliter ignoret ſe habere caſus reſervatos; aut ſi bonâ fide putet, ſocium ſuum habere poteſtatem abſolvendi à reſervatis, ſinè ulteriori onere comparendi coram Superiore, & ſi ſciret contrarium, nollet ei confiteri? Breviter, ponamus caſum (ſive phyſicus ſit, ſive moralis, parùm refert) omnimodæ ignorantiæ, quæro, quid juris in illo?

Reſp. Lugo ſuprà n. 119. Abſolutionem eſſe validam, & ſubditum manere obligatum ad comparendum, quia per ipſam Confeſſionem & petitionem Abſolutionis contraxit obligationem, propter pactum implicitum ibi contentum. Ratio autem eſſe poteſt; quia qui habet voluntatem alicujus actionis validæ exercendæ, vel ſuſcipiendæ, eo ipſo habet implicitè voluntatem eorum, quæ ad prædictum actum validè exercendum requiruntur.

Probat à ſimili: Homo baptizatus, qui efficaciter vult contrahere verum & validum Matrimonium, quamvis invincibiliter ignoret eſſe Sacramentum, aut eſſe indiſſolubile, verè tamen conficit Sacramentum, & contrahit vinculum indiſſolubile, propter voluntatem univerſalem & efficacem, quam habuit, contrahendi verum & validum Matrimonium.

Similiter qui ſuſcipit Ordinem ſacrum, licèt neſciat votum caſtitatis annexum, adhuc obligatur, propter voluntatem efficacem, quam habuit, faciendi actum illum, prout ab aliis communiter fit. Atque ut talis non contraheret obligationem caſtitatis, quia illa non requiritur ad valorem Sacramenti; equidem in noſtro caſu pœnitens contraheret obligationem comparendi, quia valor Abſolutionis pendet à voluntate acceptandi illam obligationem; quia Prælatus non aliter vult dare facultatem abſolvendi à reſervatis.

91. *Tertium ſimile.* Aliud exemplum eſſe poteſt in eo, qui ignorat pœnitentem obligari ad implendam Pœnitentiam, ſibi à Confeſſario impoſitam; hic enim, non obſtante illâ ignorantiâ, eo ipſo quòd vult recipere Sacramentum & Abſolutionem validam, vult etiam implicitè ſubire illud onus & obligationem, & per conſequens obligatur; etiam in caſu, quo ſi eam ſciret, nollet ſuſcipere Sacramentum cum tanto onere: nam quidquid ſit de eo, quod tunc vellet; nunc tamen verè vult ſubdi Sacerdoti, & facere hanc actionem validam. Sic ergo in caſu noſtro, pœnitens ignorans obligationem, quam ſubit comparendi coram Superiore, vult tamen ſubdi huic Sacerdoti in hoc foro; quæ ſubjectio affert ſecum neceſſariò illam obligationem; ſinè qua non eſſet valida, quod ſufficit, ut tacitè & implicitè velit illam obligationem.

Fatetur tamen Cardinalis ſuprà n. 120. ſi ipſe poſitivè nollet ſubire talem obligationem, & ita nollet, ut efficaciùs nollet talem obligationem, quàm vellet valorem Abſolutionis; tunc nec actum valere, nec manere obligatum ex pacto, ſed ex priori obligatione, quam priùs habebat confitendi peccata reſervata ſuo Superiori.

92. *Contra hanc doctrinam arguit Arriaga à ſimili.* Hæc doctrina non placet Arriagæ, & contra eam argumentatur à ſimili: Ego (inquit ſuprà n. 22.) qui ſum dominus pallii, habere poſſum voluntatem, ut quicumque eo pallio utatur, obligetur ad mihi dandum unum Julium; at ſi Petrus omnino ignorans petit à me, gratiam hanc ſibi fieri, ut dem illi commodatum pallium ad unam diem, ego illi do, nihil omnino de ea obligatione ſignificans; utitur ille pallio nihil ſciens; poſſumne ego ſecundâ die venire, & dicere illi: *Tu vi impliciti pacti teneris ad dandum Iulium?* Profectò nemo id dicere poteſt probabiliter: ergo cùm Religio potuerit itinerantibus hanc gratiam facere ſinè ullo onere comparendi, ut tolleret illis reſervationem, ne fortè ob viarum pericula contingeret eos mori ſinè Abſolutione; quòd autem illa voluerit hoc onus imponere, ſit in præſenti caſu (ùt ſupponimus) tali homini penitùs ignotum, quomodo quæſo, dum ille bonâ fide utitur eâ Abſolutione, poſſumus dicere, eum acceptaſſe implicitè hoc onus, & vi acceptationis ipſius eum eſſe obligatum?

Profectò hoc ego nullo modo capio; ſi obligatio

gatio eſſet annexa actioni non ex acceptatione utentis, ſed ex præcepto, aut ex natura rei, tunc facilè intelligerem, eum manere obligatum non à ſua acceptatione, ſed à mandato, quod cauſare poteſt obligationem independenter ab acceptatione; at ratione acceptationis in re contingenter connexa, & penitùs ab operante ignorata, eſt omnino inintelligibile. Hucuſque Arriaga. Qui conſequenter reſpondet ad inſtantias noſtras, vel eamdem habere difficultatem, vel obligationem oriri non ex libera acceptatione, ſed ex præcepto divino, aut humano.

93. Reſponſio Auctoris. Reſpondeo; etiam in noſtro caſu oritur aliquo modo obligatio ex præcepto humano, ſcilicet prohibitione Superioris, irritantis Abſolutionem dandam ſeu datam ſinè tali onere; neque enim illud onus pendet ab acceptatione pœnitentis, quaſi poſſit abſolvi ſinè tali onere ſi velit; ſed quia poteſt non velle abſolvi cum tali onere. Interim ſi velit abſolvi, quod præſumitur, etiam de illo, qui ignorans tale onus, confitetur; conſequenter debet velle, & implicitè cenſetur velle onus ex voluntate Superioris annexum, niſi velit graviter peccare ſuſcipiendo Sacramentum invalidè, quod non eſt præſumendum. Dicitur autem hæc obligatio oriri ex acceptatione pœnitentis potiùs, quàm ex præcepto humano, quia in actu ſecundo ſupponit liberam voluntatem confitendi inferiori, id eſt, Confeſſio liberè facta inferiori, eſt conditio ſinè qua non illius obligationis.

94. Reſpondetur ad ſimile Arriagæ. Ex quo reſpondeo ad exemplum Arriagæ; ſi antecedenter poſita fuiſſet lex, ut quicumque uteretur meo pallio, obligaretur ad mihi dandum unum Julium, etiam qui ignorans illam legem, uſus fuiſſet meo pallio, teneretur vi impliciti pacti ad mihi dandum unum Julium; cenſetur enim voluiſſe uti, ſicuti alii communiter utuntur, etſi fortè non voluiſſet uti, ſi ſciviſſet tale onus annexum. Sibi ergo imputet ſi deceptus ſit, quia potuit non uti tali re, ſi voluiſſet; adeòque illa obligatio proximè quaſi oritur ex libera acceptatione utentis, ſeu ex libero uſu talis rei.

Sin verò qui conceſſit uſum pallii, nullo ſigno externo neque in generali, neque in particulari manifeſtaſſet ſuam voluntatem, obligandi utentem ad dandum unum Julium, patet utique utentem neque ex vi pacti expliciti, neque impliciti ad quidpiam obligari; quoniam non niſi ſecundùm ſenſibilia ſigna poteſt eſſe civilis communicatio inter homines, & ex conſequenti obligatio.

Porrò in caſu noſtro ſupponimus, Superiorem voluntatem ſuam ſigno externo manifeſtaſſe, quamvis hîc & nunc aliquis ſubditus illam voluntatem ignoret: quidquid ſit de voluntate merè interna, quæ fortè etiam ſufficeret ad invalidandam Abſolutionem inferioris per ſubſtractionem juriſdictionis, quam non habet in caſus reſervatos, niſi dependenter (ùt eſt veriſimilius) ab interno conſenſu Prælati.

Igitur ſi quis bonâ fide confeſſus fuiſſet, & admonitus de obligatione comparendi coram Superiore, non vellet eam ſuſcipere, nullum haberet jus ad Abſolutionem; cùm Confeſſarius non habeat poteſtatem eum abſolvendi, neque Superior teneatur eam dare; ſed ſubditus imputet illud imprudentiæ ſuæ & ignorantiæ; veluti ſi bonâ fide confeſſus fuiſſet laico. Alioquin quandocumque eſſet confeſſus bonâ fide non habenti poteſtatem in reſervata, Superior deberet illi dare poteſtatem abſolvendi, quod conſtat eſſe falſum. Sed de his plura proprio loco.

Ex hactenus dictis patet quaſi ad oculum, obligationem per ſe confitendi peccata mortalia, aliquando directè abſoluta, ſi quæ in aliquo caſu eſt, nullatenus provenire ex ſolo præcepto humano, abſque interventu liberæ acceptationis pœnitentis. Immo nec videtur aliter poſſe præcipi illa confeſſio propter ſuam difficultatem, quæ communiter ſuperat fragilitatem humanam; præſertim cùm à Deo non inveniatur præcepta, ſed prorſus relicta libertati pœnitentium; ut de illis peccatis dici poſſit, quod Tridentinum dicit de peccatis venialibus ſeſſ. 14. c. 5. *Quamquam rectè & utiliter, citraq; omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam .... poſſunt.*

Hinc Benedictus XI. Extravag. *Inter cunctas.* de Privilegiis: *Nec confeſſi ipſis Fratribus* (Prædicatoribus & Minoribus) *peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pœnitentes, de illis teneantur Sacerdotibus propriis (ſicut & non tenentur) iterum confiteri: non obſtante Conſtitutione generalis Concilii* (Lateranenſis ſub Innocentio III. c. 21.) *quæ ſano intellectu (ne ſequatur abſurdum, quòd per Pœnitentiam dimiſſa peccata quis confiteri debeat, & quod liberatus debitor adhuc ad ſolvendum remaneat obligatus) intelligenda eſt (ùt ex ea patet) de illis, qui ſua peccata legitimè confiteri aliis neglexerunt.*

Ubi Pontifex vocat Conſtitutionem Generalis Concilii (in quo eſt poteſtas, ſi in aliquo eſt) abſurdam, ſi intelligatur de obligatione ad iteratam Confeſſionem eorumdem peccatorum. Et licèt, ùt notat Scholium præfixum, hæc Extravagans ſit revocata per Clementinam II. de Sepulturis, multa tamen notatu digna in ea reperiuntur, quæ non ſunt retractata.

Sed numquid quæ mortalium, eadem eſt ratio peccatorum venialium, ut nequidem horum confeſſionem poſſit Eccleſia præcipere? Non puto; quamvis enim nuſpiam reperiatur per ſe præcepta, equidem non apparet ſufficiens ratio, ſubtrahendi illam Confeſſionem pote-

poteſtati legiſlativæ Eccleſiæ univerſalis, Confeſſionem, inquam, peccatorum venialium, ſi non omnium, quod ferè moraliter eſt impoſſibile, & ſatìs difficile, ſaltem aliquorum. Pro cujus pleniori intellectu inſtituitur

CONCLUSIO VI.

Eccleſia poteſt præcipere Confeſſionem peccatorum venialium, ſi non omnium, ſaltem aliquorum, quæ pœnitens voluerit eligere. Quidni etiam ſub gravi obligatione?

PRima pars bene intellecta eſt communis: intelligitur autem de Confeſſione peccatorum venialium, in defectum peccatorum mortalium, id eſt, Eccleſia poteſt præcipere, ut omnis fidelis utriuſque ſexus ſingulis annis confiteatur ſive venialia, ſive mortalia.

Probatur à ſimili: Eccleſia poteſt præcipere alia Sacramenta, ùt Confirmationem, & Extremam Unctionem, eſtò non ſint præcepta à Deo; ergo ſimiliter poterit præcipere Confeſſionem, quæ eſt actus eximiæ virtutis, putà virtutis Religionis, & deſervire poteſt ad majorem puritatem conſcientiæ, ad Deum placandum, atque ad impetrandum aliquid pro bono communi Eccleſiæ. Quippe unum aut alterum peccatum confiteri eſt res ſatìs facilis, & paſſim homines nihil curant, quòd ſpargatur, ipſos unum verbum otioſum dixiſſe, aut levem aliquem motum choleræ paſſos &c. tametſi & huic infamationi, quantumvis levi, proviſum ſit per ſigillum Confeſſionis, quod obligat, etiam ſub mortali, non revelare quemcumque minimum defectum in particulari; non præcisè propter diffamationem, ſed quia ſi ea licentia generalis fieret, facilè homines à Confeſſione averterentur; cùm facilè fieri poſſet ex imprudentia Confeſſarii, ut revelaretur peccatum veniale, quòd pœnitens nollet revelari; immò ut revelaretur peccatum mortale, ſive ex inadvertentia, ſive ex ignorantia. Igitur non apparet, cur minùs poſſit Eccleſia præcipere Confeſſionem unius aut alterius peccati venialis, quàm auditionem Miſſæ; aut ſimilem aliquem actum Religionis, vel alterius virtutis.

Neque per tale præceptum peccatum veniale fit materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ; quia non teneor nequidem unum confiteri, ſi habeam mortalia; ſed ſolùm ex hypotheſi, quòd debeam confiteri, & non habeam aliam materiam ſufficientem, teneor confiteri peccatum veniale.

Si dixeris; Eccleſia non poteſt tali modo præcipere iteratam Confeſſionem peccatorum mortalium. Reſpondeo, diſparitatem eſſe; quòd ſemper adſit alia materia, ſcilicet peccatum veniale. Deinde majus onus eſt, iteratò confiteri peccatum mortale alteri Confeſſario, immo eidem Confeſſario, quàm primâ vice confiteri aliquod peccatum veniale. Objectio. Solvitur.

99. Sic ergo intellecta Concluſio, ſaltem probabilior eſt, & communior. Immo non eſt adeò improbabile, quòd poſſit Eccleſia ad Confeſſionem unius vel alterius venialis obligare directè, id eſt, ad confitendum illud, etiamſi cum aliis eſſet conjunctum, inquit Suarius diſp. 22. ſect. 8. n. 4. Nam interdum fert aliquam cenſuram pro veniali peccato, ſcilicet minorem excommunicationem, ad cujus cenſuræ abſolutionem, neceſſaria eſt manifeſtatio talis peccati. An Eccleſia poſſit directè obligare ad Confeſſionem peccati venialis?

Nihilominus tamen veriùs cenſeo (proſequitur hic Auctor) illud non poſſe præcipi per ſe propter ſacramentalem Confeſſionem, tamquam neceſſarium ad integritatem ejus; tum quia Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramenti; ergo nec facere materiam neceſſariam, quæ juxta Chriſti inſtitutionem neceſſaria non eſt; tum quia talis Confeſſio nec ad remiſſionem peccati venialis eſt neceſſaria, cùm aliis modis ſufficienter poſſit tolli; neque etiam poteſt præcipi propter correptionem vel emendationem talis peccati, quia eſt materia levis; & medicina adeò rigoroſa non eſt proportionata; ſaltem ut ponatur ſub præcepto. Denique neque ad decentiam vel reverentiam Sacramenti poteſt hoc eſſe neceſſarium, ùt per ſe patet. Nec obſtat illud de cenſura; quia ad tollendam cenſuram, non eſt neceſſaria ſacramentalis Confeſſio culpæ: quòd ſi quis eâ uti velit propter majus ſecretum, id eſt, accidentarium. Veriùs cenſetur quòd non.

100. Sed contrà; minùs rigoroſum eſt explicare peccatum veniale in Confeſſione, quàm extra, nam difficultas diſpoſitionis compenſatur fructu gratiæ, & obligatione ſigilli; ergo ſi explicatio poteſt præcipi, etiam explicatio in Confeſſione. Sed contra eum arguitur, & reſpondetur ejus argumentis.

Atque ut eſſet materia levis, indè ad ſummum ſequeretur, tale præceptum non obligare ſub peccato gravi. Deinde, ùt notat Lugo diſp. 15. n. 130. fortaſſe non parùm, ſed multùm conducit ad profectum ſpiritualem, habere curam & propoſitum efficax extirpandi aliquod peccatum veniale, in quod homo ſolet cadere, quod experientia oſtendit in iis, qui frequenter venialia peccata confitentur.

Neque propterea Eccleſia mutaret ſubſtantiam Sacramenti, à Chriſto inſtitutam; quoniam ſubſtantia eſt peccatum, non tantùm

Dddd mortale

mortale, ſed etiam veniale; quam utique ſubſtantiam mutaret Eccleſia, ſi illud quod eſt peccatum, declararet non eſſe materiam Confeſſionis, vel quod non eſt peccatum, declararet eſſe materiam; ſecùs in caſu propoſito, in quo ſuo præcepto facit materiam neceſſariam, quæ aliàs erat ſufficiens, ſed libera. Sicuti ſuo præcepto facit panem azymum materiam neceſſariam conſecrationis Corporis Chriſti pro Eccleſia Latina, quæ aliàs eſſet libera.

101. *Evaſio Suarii.* Reſpondetur, inquit Suarez ſuprà n. 3. diſſimilem eſſe rationem, quia in præſenti quædam materia eſt ſimpliciter neceſſaria de jure divino, ſcilicet peccatum mortale non confeſſum; & ideo quando talis materia reperitur, non poteſt Eccleſia aliam addere ùt neceſſariam.

Refutatur. Sed contrà; ex illo Antecedente ſolùm ſequitur, quòd Eccleſia non poſſit facere, ut quando talis materia reperitur, non debeat, aut non poſſit confiteri, eſtò poſſit facere, & de facto faciat, ut panis fermentatus non debeat, nec licitè poſſit conſecrari. Nonne aliqui docent, aquam vino miſcendam ex ſolo præcepto Eccleſiæ, & tamen mixtam immediatè converti in Sanguinem Chriſti? Illi conſequenter admittere debent, Eccleſiam poſſe facere aquam, materiam alioquin liberam ex inſtitutione Chriſti, poſſe, inquam, facere aquam materiam neceſſariam conſecrationis, tametſi ſit alia materia ſimpliciter neceſſaria de jure divino.

Eccleſia poteſt facere materiam liberam Sacramenti neceſſariā. Fateor, illa mixtio eſt aliqua ceremonia ſacra, ùt ſuo loco vidimus, quæ ratio non habet locum in Confeſſione venialium, ſed quid tum? Saltem indè colligitur, exiſtente aliâ rationabili causâ, Eccleſiam, materiam aliàs ex jure divino ſufficientem, poſſe ſuo præcepto facere neceſſariam ſalvâ ſubſtantiâ Sacramenti. Conſtat autem ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. peccata venialia eſſe materiam ſufficientem. An fortè exiſtimas, qui voviſſet Confeſſionem venialium, non teneri ſuo voto? Quòd ſi homo privatus poſſit materiam liberam efficere neceſſariam, quidni idem poſſit Eccleſia?

102. *Inſtantia.* Inſtas; in hoc Sacramento ex neceſſitate præcepti, ſequitur neceſſitas Sacramenti ſeclusâ ignorantiâ, quod non habet locum in Sacramento Euchariſtiæ, quod ſubſiſtit, etſi aqua non fuerit admixta vino: ergo non debet Eccleſia præcipere aliquid ùt neceſſarium ad integritatem hujus Sacramenti, quod per ſe neceſſarium non ſit.

Solvitur. Reſpondeo; ad ſummum indè ſequi, Eccleſiam non poſſe præcipere Confeſſionem venialium ſub peccato mortali; alioquin ſi tantùm præcepta ſit ſub peccato veniali, liquet, Sacramentum Pœnitentiæ eſſentialiter ſubſiſtere, eſtò pœnitens non cōfiteatur peccata venialia.

Et dato, quòd præciperet ſub mortali, haud equidem Confeſſio venialium erit de neceſſitate Sacramenti; quia adhuc pœnitens poteſt validè & licitè confiteri ſola peccata mortalia, cum propoſito confitendi ſuo tempore venialia; ſin autem careat tali propoſito, invalidè ſuſcipitur Sacramentum, defectu propoſiti de cætero non peccandi, quod ex jure divino requiritur; veluti dum quis confitetur, cum propoſito non audiendi Miſſam diebus Dominicis & Feſtivis; quamquam illa auditio non ſit niſi juris Eccleſiaſtici, nihilominus Sacramentum jure divino eſt invalidum, defectu propoſiti de cætero non peccandi.

Urges; hoc Sacramentum per ſe primò ordinatur ad remiſsionem culpæ: ergo illa culpa, ad cujus remiſsionem non eſt neceſſarium hoc Sacramentum, non poteſt fieri materia neceſſaria ejus.

Reſpon. diſtinguendo Conſequens; non poteſt fieri materia neceſſaria, ita ut ſinè illa non poſsit umquam miniſtrari hoc Sacramentum, concedo totum: non poteſt fieri materia neceſſaria, id eſt, quæ hìc & nunc debeat remitti virtute hujus Sacramenti, negatur Conſeq.

Inſtantia in Sacramento Extremæ Unctionis, quod ſaltem ſecundariò ordinatur ad remiſsionem culpæ venialis; & quamvis ex jure divino non ſit neceſſarium, equidem neceſſarium fieri poteſt ex præcepto Eccleſiæ. Ergo conſimiliter, licèt Confeſsio venialium non ſit neceſſaria ad remiſsionem venialium ex præcepto divino; nihilominus fieri poterit neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ.

Quidni etiam ſub gravi obligatione, ſi videlicet cauſa præcepti fuerit proportionata? An autem poſsit dari cauſa proportionata, fortè quòd ſic; ſi non pro univerſali Eccleſia, ſaltem pro aliqua particulari Religione, quia videlicet Confeſsio venialium poteſt eſſe exercitium, oppidò neceſſarium conſervandæ diſciplinæ Monaſticæ; ſi enim ex uſu Religonis nemo confiteretur, niſi conſcius peccati mortalis, nemo vellet confiteri, ne ſe proderet; ideo ne talis contemptus invaleſcat, ipſa Confeſsio facienda, in talibus circumſtantiis eſt materia gravis. Ita docet Hiquæus in ſuo Comment. 4. diſt. 17. n. 87.

Atque hàc poteſtate Eccleſiam de facto uſam fuiſſe Clement. *Ne in agro Dominico*, de Statu Monachorum, docet idem Auctor nu. 86. Subſcribo verba Clementinæ: *Ne in agro Dominico, ſacro videlicet Monachorum nigrorum* (id eſt, Benedictinorum) *Religione, indecorum aliquid obrepat, aut vitioſum quidquam perniciosè in ſegetem coaleſcat, ſed ut in illa potiùs flores honoris, & honeſtatis fructus in ubertate ſuccreſcant in eis* &c. En cauſa Conſtitutionis.

Sequitur Conſtitutio: *Sanè ſingulis menſibus tam*

Digitized by Google

tam in Monaſteriis, quàm extra (ſublatâ occaſione quâcumque) ad Confeſſionem ſemel accedant omnes & ſinguli Monachi. Et in prima Dominica menſis cujuſlibet in Monaſteriis ſemper communicent: niſi ex cauſa fortè, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis Monaſterii non differant intimare, eorumq; judicio vel abſtineant, vel accedant.

An hæc Conſtitutio ſit obligans, idque ſub mortali, plurimum dependet ab uſu, quem optimè norunt Benedictini. Hoc ſolùm noto, nullam fieri mentionem peccatorum venialium, & ideo Gloſſa verb. *Menſibus.* videtur intelligere Confeſsionem peccatorum mortalium, dicens: *Arctantur ergo Monachi ſingulis menſibus, ad quod fideles arctantur ſingulis annis de Pœnit. & Remiſſ.* Omnis. *propter Religionis eorum perfectionem aliquid debent ad penſum ſanctæ inſtitutionis adducere.* Sed fideles non arctantur ſingulis annis ad Confeſsionem peccatorum venialium; ergo nec Monachi ſingulis menſibus.

Reſpondet Dicaſtillo diſp. 7. n. 115. in ea Clementina non præcipitur Monachis confiteri omnia peccata, ſed quòd confiteantur, etiamſi non ſint mortalia, ac proinde ibi eſt ſermo etiam de venialibus. Accedit, quòd illud præceptum impoſitum fuit Religioſis viris, & quidem ſanctiſſimæ Religionis. Quapropter veriſimile non eſt, præſumpſiſſe Pontificem, illos ſingulis menſibus mortaliter peccaturos. Ulteriùs, ibi Pontifex intendit reformare Religionem illam, atque ad hoc maximè conducebat confiteri ſingulis menſibus, ut cautiùs & perfectiùs viverent Religioſi; non eſſet autem reformatio, ſed relaxatio potiùs, aut certè nimia indulgentia, ſi tantùm poſt commiſſum mortale ſingulis menſibus ad Confeſſionem obligarentur. Hæc ille.

Sed contra primum; eſt petitio principii, niſi in ea Clementina legantur illa verba: *Etiamſi non ſint mortalia*, quæ ibi legiſſe Dicaſtillonem non credo, quia non ſunt.

Ad ſecundum Reſp. Pontificem, quia Benedictini erant viri Religioſi, & quidem ſanctiſſimæ Religionis, ideo aliquid ipſis præcepiſſe ultra penſum ſanctæ inſtitutionis Conc. Generalis Lateranenſis. Nec propterea debuit præſumere illos ſingulis menſibus mortaliter peccaturos; ſed fieri poſſe, ut peccent.

Ex quo patet, illam Conſtitutionem non eſſe relaxationem, aut nimiam indulgentiam, cùm ante illam tantùm ſemel in anno obligarentur confiteri ſua peccata mortalia; & ſic reſponſum eſt ad tertium.

Interim perſuadeo mihi, intentum Pontificis fuiſſe, ut omnes & ſinguli Monachi ſemel confiterentur ſingulis menſibus ſive mortalia, ſive venialia, etſi unum tantùm veniale. An autem voluerit obligare ad illam Confeſſionem ſub mortali, ex verbis legis non conſtat; quia tamen etiam non conſtat contrarium, ſi materia gravis ſit (prout aliqui exiſtimant, & probant exemplo voti, quod in illa materia graviter obligaret, exemplo ſumptionis Euchariſtiæ, auditionis Miſſæ &c.) & ſuppoſito, quòd illa Conſtitutio, utpote contenta in Corpore Juris, non ſequatur regulas aliarum Conſtitutionum illius Religionis, quæ fortaſſis non obligant ſub peccato; liquet profectò obligatio ſub mortali. Sicut anteà dixi, maximè attendenda eſt conſuetudo, & communis intellectus illius Religionis.

Et ſanè non deſunt Auctores apud Dianam p.3.tr.4.reſol.125.qui docent, non obligari Religioſos ſub mortali, ſi habeant tantùm peccata venialia. Immo etiamſi haberēt mortalia. Inter cæteros Villalobos in Sum. to. 1.tr.9.diff.28. n. 5. ſic ait: Monachi Benedictini habent præceptum in una Clementina de confitendo ſingulis vicibus, quibus habent conſcientiam peccati mortalis, quod præceptum extendit ſe etiam ad alios, & ſolùm obligat ſub peccato veniali, ùt dicit Henriquez l. 1. c.4. n. 10. poſt alios; ſed mihi videtur quòd non eſt in uſu, niſi de confitendo ſuo tempore. Hæc ille.

Multi Auctores apud Dianam docent abſolutè non obligare ſub mortali. *Villalobos.* *Henriquez.*

108\. Sed fallitur in eo, quod dicit, eſſe confitendum ſingulis vicibus (niſi fortè ſit error typographi) nam ùt patet ex verbis Clementinæ ſuprà relatis, loquitur Pontifex de ſingulis menſibus, quæ ſunt valde diſtincta. Præterea; quòd illud præceptum ſe extendat etiam ad alios Monachos, non credo eſſe verum, quidquid dicat Henriquez ſuprà; cùm reliqua præcepta ferè omnia illius Clementinæ ſolos concernant Benedictinos, ùt nimis clarum eſt inſpicienti textum.

An extendi debeat ad alios Monachos.

Nec obſtat; quòd hoc præceptum poſſit eſſe commune omnibus Religioſis, & eadem in omnibus militet ratio, ſcilicet major perfectio ſtatûs Religioſi; quia à paritate rationis non valet argumentum in poſitivis, niſi ad evitandum abſurdum. Potuit autem Pontifex rationabiliter obligare ſolos Benedictinos ad Confeſſionem menſtrualē, ſicut ſoli Ciſtercienſes obligātur ad tertiò confitendū in anno ſuo Superiori.

Porrò quod ait Henriquez ſuprà, Regulares ex conſuetudine obligari, ut aliquod ex venialibus peccatis fateantur ſemel in menſe, aut ex aliis peccatis, à quibus iterum fuerunt abſoluti, manifeſtè falſum eſt; licèt enim etiam ſæpiùs in menſe confiteantur peccata venialia, equidem nullus apprehendit obligationem, etiam ſub veniali, vel ſemel confitendi, ùt uniuſcujuſque conſcientia poteſt teſtari.

109\. Illud quaſi pro coronide ad calcē hujus Concluſionis addiderim; Arriagam diſp.52. n. 36. valde probabile judicare, Eccleſiam non poſſe præcipere Confeſſionem peccatorū venialium purè internorum; quia, inquit, licèt Confeſſio illorum peccatorum eſſet actio exterior, penderet tamen neceſſariò & eſſentialiter ab exiſtētia illorum actuum internorum, de quibus Eccleſia non poteſt judicare; & quidem ita penderet, ut non

An Eccleſia poſſit præcipere Confeſſionem venialium purè internorum? *Negat Arriaga.*

ut non niſi factâ eâ ſuppoſitione poſſet habere locum Eccleſiæ præceptum. Non videtur autem, poſſe ſubjacere Eccleſiæ eam actionem, quæ nequit fieri niſi ſuppoſitâ aliâ actione, de qua judicare non valet ipſa Eccleſia; nam ſi de fundamento non poteſt judicare, profectò nec de ædificio ſuperimponendo. Hæc ille.

& ſolvit objectionem,

Cui ſi objicias; Eccleſia poteſt præcipere actus internos indirectè. Reſpondet; id ita intelligendum, ut internus præcipiatur tamquam connexus cum externo; hoc eſt, ut externus ad hoc ut ſit honeſtus ſeu licitus, nullam habeat dependentiam ab interiori; ſed potiùs è contrario, ex externo ſequatur obligatio ponendi interiorem; ùt cùm præcipit Eccleſia exteriorem auditionem Sacri v. g. & Officium divinum, præcipit conſequenter interiorem attentionem. Non ſe habet ſic Confeſſio venialium; quia ea non obligat ad venialia committenda; hoc enim repugnat; ſed ſupponit jam commiſſa; & niſi commiſſa ſint, non habet locum obligatio; ergo cùm Eccleſia non poſſit de ea ſuppoſitione quidquam ſcire juridicè, profectò nec poterit imperare juridicè eam Confeſſionem. Hactenus Arriaga.

110. Contra ſolutionem arguit Auctor.

Sed contrà primò; neque Eccleſia quidquam juridicè ſcire poteſt de peccatis per accidens occultis; ergo nec poterit imperare juridicè Confeſſionem illorum peccatorum. Secundò, Confeſſio mortalium non obligat ad mortalia committenda; ſed ſupponit jam commiſſa; & niſi jam commiſſa ſint, non habet locum obligatio; ergo cùm Eccleſia non poſſit quidquam juridicè ſcire de peccatis mortalibus merè internis, nec poterit imperare juridicè eorum Confeſſionem, quod an verum ſit, haud difficilè cognoſces ex dictis concl. 4.

Tertiò, etiam in caſu propoſito ex externo actu ſequitur obligatio ponendi interiorem, id eſt, explicandi interiorem, nam præſcribitur Sacramentum Pœnitentiæ, & per conſequens omnia neceſſaria ad illud Sacramentum ritè ſuſcipiendum, uti eſt neceſſaria explicatio actûs interioris, quando non adeſt actus exterior, qui poſſit eſſe materia ſufficiens Sacramenti. Sin autem adſit peccatum veniale externum, puto Confeſſionem venialis merè interni non poſſe præcipi ab Eccleſia; cùm tunc Sacramentum poſſit recipi validè & fructuosè, etiam voluntariè omiſsâ illâ Confeſſione.

111. Diverſitas inter Confeſſionem mortalis interni, & venialis interni.

Ex quo confeſtim apparet diverſitas inter Confeſſionem peccati mortalis interni, & venialis interni, quòd videlicet illa Confeſſio de jure divino ſit neceſſaria ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum; ideòque non mirum, ſi ab Eccleſia compræcipiatur; hæc autem cùm ſit omnino libera, potiùs directè præciperetur, quàm compræciperetur. Atque hæc ſufficiant de controverſia potiùs ſpeculativa, quàm practica, cùm peccata venialia externa numquam deſint.

Quæſtio magìs utilis eſt; an qui poſt Confeſſionem alicujus peccati mortalis, iterum peccat mortaliter, teneatur eodem anno rursùs confiteri. Similiter ſi recordetur mortalis obliti, aut ex juſta cauſa fecit Confeſſionem non integram materialiter. Reſpondeo:

CONCLUSIO VII.

Reincidens in mortale, aut inculpabiliter aliquod omittens, non tenetur eodem anno ad ſecundam Confeſſionem. Fortè excipiendus caſus, ſi tacuit reſervatum ob defectum poteſtatis in Confeſſario.

Suppono, præceptum Confeſſionis annuæ per ſe & ex vi ſua non obligare pro determinata parte anni; ſed illi ſatisfieri poſſe quocumque tempore anni; ſicuti ſatisfieri poteſt præcepto audiendi Miſſam diebus Dominicis & Feſtivis quâcumque horâ diei. Fundamentum deſumitur ex cap. *Omnis utriuſque ſexûs*, quod licèt præceptum Euchariſtiæ limitet ad tempus Paſchæ dicens: *Suſcipiens reverenter ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*; equidem tempus Confeſſionis indefinitè poſuit ſub hac forma verborum: *Semel in anno*.

Varias rationes congruentiæ aſſignat Suarius diſp. 36. ſect. 3. n. 3. unica ſufficiat; quia uſus Sacramenti Pœnitentiæ non præcipitur niſi ſuppoſitâ culpâ mortali, & in remedium ejus; expedit autem, ut illud remedium non differatur, ſed illicò poſt peccatum commiſſum applicetur; cùm ergo tempus peccati mortalis incertum ſit, planè conveniens erat, ut etiam tempus præcepti Confeſſionis incertum foret, ne fortè ſi obligaret præcisè pro tempore Paſchæ, daretur occaſio peccatoribus uſque ad illud differendi Confeſſionem. Præſertim cùm ratione præcepti Euchariſtiæ foret obligatio, eſtò per accidens, in Paſchate confitendi. Ergo præceptum per ſe confitendi non debebat ad illud, vel aliud tempus determinari.

Nec huic doctrinæ repugnat Scotus 4. diſt. 17. n. 28 ubi ſic ait: *Quoad*, Quando, *Eccleſia determinavit præceptum, ſcilicet ſemel in anno, & illud ſemel videtur ad minùs eſſe ſemel in Paſcha, quo tempore ſecundùm illud capitulum debet quilibet Chriſtianus communicare, niſi in caſu.* Ubì videtur Doctor ly *Semel in anno* reſtringere ad tempus Paſchæ.

Sed contrarium patet ex hoc, quod paulò poſt ſubjicit: *Illud*, Quando, *ante ſpecificationem Eccleſiæ fuit indeterminatum ad quodcumque*, Quando, *ante mortem, ſed poſt ſpecificationem eſt indeterminatum*

minatum ad quodcumque, Quando, *unicum in anno.* Quid clarius? Quando ergo ſuprà dicit: *Illud, Semel, videtur ad minùs eſſe in Paſcha*, ſolùm vult, Confeſſionem non poſſe differri ultra Paſcha, ex hypotheſi, quòd Paſcha ſit terminus anni, potiſſimum cùm tunc urgeat præceptum Communionis, ratione cujus per accidens tenetur confiteri, ſi habeat aliquod peccatum mortale.

Et hinc orta conſuetudo fidelium confitendi circa feſtum Paſchatis; tametſi etiam non habeant aliquod peccatum mortale, ſed dumtaxat venialia; ut tanto puriùs & digniùs ſuſcipiant ſanctiſſimum & digniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Quam conſuetudinem ſummoperè laudat Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 5. in fine dicens: *In universa Eccleſia, cum ingenti animarum fidelium fructu, obſervatur mos ille ſalutaris confitendi, ſacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ; quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat, & amplectitur.*

Numquid tamquam obligatorium? Minimè, ſed, *tamquam pium, & meritò retinendum* contra Hæreticos, qui ſuadebant Chriſti fidelibus, ut non confiterentur tempore Quadrageſimæ, cauſantes Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam.

Hunc eſſe genuinum ſenſum iſtorum verborum, liquet ex canone 8. ejuſdem ſeſſ. ſequentis tenoris: *Si quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexûs Chriſti fideles, juxta magni Concilii Lateran. conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.*

Hoc ergo ſuppoſito, nempe, quòd poſſit huic præcepto ſatisfieri quocumque anni tempore; quæſtio eſt, an qui in principio anni confeſſus eſt aliquod peccatum mortale illius anni, & reincidit in idem, vel aliud peccatum mortale, teneatur rurſùm illud peccatum, in quod reincidit, confiteri; non per accidens ratione Communionis; ſed per ſe, ratione præcepti Confeſſionis annuæ.

Negat prima pars Concluſionis, fundata in verbis legis, accedente communi Doctorum interpretatione, paucis contradicentibus. Verba autem legis ſunt hæc: *Omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur*, id eſt, omnia ſua peccata, commiſſa uſque ad horam Confeſſionis, quibus, poſt diligens examen, ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Quæ interpretatio, ſi vera eſt, veritas Concluſionis per ſe manifeſta eſt & evidens; nam in caſu propoſito pœnitens confitetur ſemel in anno omnia peccata, commiſſa uſque ad horam Confeſſionis, quibus poſt diligens examen, ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: ergo ſatisfacit per illam Confeſſionem præcepto annuæ Confeſſionis.

Quidni ſatisfaceret, cùm ſatisfaciat præcepto divino? *Conſtat*, inquit Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. *nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit.* Con. Trid.

Planè, inquis, conſtat; & quia conſtat, ideo ſi hodie confeſſus omnia ſua peccata mortalia, cras reincidat; vel hodie meminerit alicujus peccati mortalis, cujus heri, quando confitebatur, non meminerat; tenetur jure divino rurſùs confiteri illud peccatum mortale, à quo heri nullo modo, vel ſaltem non directè fuit abſolutus. Si jure divino, ergo etiam jure Eccleſiaſtico, quod non eſt niſi determinatio juris divini. 116. Objectio.

Diſtinguo ultimum Conſequens; ergo etiam jure Eccleſiaſtico hoc anno, nego Conſequentiam; anno ſequenti, concedo totum. Quamquam enim talis non ſatisfecerit præcepto Chriſti, in ordine ad illa peccata ſimpliciter & ex toto, id eſt, pro tota vita; tamen ſatisfecit pro illo tempore, quod ab Eccleſia determinatum eſt. Quippe cùm præceptum divinum Confeſſionis ſit affirmativum, non obligat pro ſemper; ſed vel tunc, quando poſtea non poſſet ampliùs impleri; vel ſemel pro ſingulis annis; jam autem pœnitens in utroque caſu Concluſionis, ſemel in hoc anno ſatisfecit præcepto divino Confeſſionis, ùt nemo poteſt negare. Solvitur.

Interim prima pars Concluſionis diſplicet Suario diſp. 36. ſect. 3. n. 9. ubi docet, etiamſi aliquis intrà annum ſæpiùs fuiſſet confeſſus, ſi tamen tempore Quadrageſimæ habet conſcientiam novi peccati mortalis, numquam confeſſi, teneri nihilominus ad confitendum illo anno pro eo tempore. Probat primò ex aliquo inconvenienti; puta, quòd alioquin fieri poſſet, quòd quis ferè per duos annos abſtineret à Confeſſione ſinè violatione hujus præcepti; de quo dicam Concluſione ſequenti. 117. Prima pars Concl. diſplicet Suario. Oppoſitum probat 1.

Probat II. ex textu cap. *Omnis utriuſque ſexûs*; præcipit enim confiteri in anno ſemel omnia peccata mortalia, illo anno commiſſa. Sed hoc eſt, quod quæritur, & tam facilè negatur, quàm affirmatur; quandoquidem illa verba: *Illo anno commiſſa*, in textu non exprimantur. Probat 2. ſed petit principium.

Probat III. ex conſuetudine Eccleſiæ; nullus enim contentus eſt Confeſſione priori tempore factâ, ſi in Paſchate habeat conſcientiam peccati mortalis: & Paſtores Eccleſiæ eo tempore cogunt ad Confeſſionem. Nec conſuetudo hæc videtur ſolùm oſtendere obligationem per accidens, ſed etiam per ſe; tum quia non tantùm qui communicaturi ſunt, ſed 118. Probat 3.

 cæteri

cæteri etiam homines cenſentur teneri hâc obligatione; tum etiam, quia ipſimet, qui ſunt communicaturi, timent violationem hujus præcepti; & non ſolùm ex obligatione communicandi, ſed etiam ex vi hujus præcepti putant ſe ad Confeſsionem teneri.

Reſponſio. Reſpondeo ùt priùs; hæc omnia gratìs aſſeri; neque enim puto quemquam horum, qui communicaturi erant, & eodem anno confeſsi fuerant peccatum aliquod mortale, ſuum timorem Suario ſignificaſſe. Deinde cùm pauci ſint præter pueros, qui excuſentur à Communione, unde ſciri poteſt, eos, qui communicant, præmittere Confeſſionem, tamquam per ſe debitam ex præcepto annuo Confeſſionis? Ut quid multiplicare obligationes ſinè neceſſitate? Omitto conſuetudinem ſæpè oriri ex ignorantia, & ideo raró per illam præcisè, fortè numquam induci legem; cùm ſi homines ſcirent, ſe aliunde non obligari, nollent per ſuam conſuetudinem obligationem inducere.

Quòd autem Paſtores eo tempore cogant ad Confeſſionem, ratio eſt; tum quia urget præceptum Communionis, tum quia non conſtat ipſis, quòd anteà impleverint præceptum Confeſsionis, aut poſteà impleturi ſint.

119. Probat 4. Minoris momenti eſt quarta ejus probatio: Si quis, inquit, per magnam partem anni non haberet conſcientiam peccati mortalis, & ſæpiùs eſſet confeſſus de venialibus & prope Quadrageſimam peccaret mortaliter, obligaretur ſinè dubio ad Confeſſionem faciendam intrà Quadrageſimam; quia numquam confeſſus eſt peccatà mortalia illo anno, cùm tamen illa habeat; cur ergo non eodem modo obligabitur, etiamſi anteà peccaſſet mortaliter, & confeſſus eſſet?

Reſpondetur. Reſpondeo; quia qui antea confeſſus eſt peccata mortalia, jam implevit illo anno præceptum divinum; ergo non eſt quòd iterum impleat, ſecùs qui ſolùm eſt confeſſus peccata venialia. Igitur propter has rationes Suarii non eſt recedendum à communi ſententia, quam & ipſe judicat probabilem n. 11. licèt contrariam exiſtimet ſecuriorem, ſicut indubiè eſt; utpote in qua nullum eſt periculum tranſgreſſionis alicujus præcepti. Atque hæc de prima parte Concluſionis.

120. Secundam partem Concl. tenet nobiſcum Suarius, & rationem diſpar. aſſignat conſuetudinem; Secundam partem tenet nobiſcum Suarius ſup. ſect 4. n. 6. ſive intelligas eam de peccatis oblitis, ſive de peccatis cognitis, ex juſta cauſa prætermiſſis. Et rationem diſparitatis aſſignat n. 8. in primis conſuetudinem, quæ, ùt ipſe putat, vires obtinuit reſpectu peccatorum, quæ poſt aliquam Confeſſionem intrà annum habitam commiſſa ſunt; non verò circa peccata oblita, vel ex juſta cauſa prætermiſſa. ſed gratis. Sed id gratìs dictum, cùm homines non minùs ſoliciti ſint de confitendis his peccatis in Paſchate, quàm de illis.

121 Deinde recurrit ad intentionem præcepti; Deinde recurrit ad intentionem præcepti; præcipit enim ut Confeſſio fiat de toto anni tempore quantum moraliter poſſit: ille verò qui per ſe & ex intentione ſua omnia confitetur, & ex occaſione vel oblivione aliquid omittit, reverà quantum eſt in ſe extendit Confeſſionem ſuam ad totum annum, & ideo totum præceptum implet. At verò qui per ſe & directè tantùm confitetur de actionibus, factis in una parte anni; ſi in alia parte habeat peccatum, nullo modo implevit totum præceptum; quia illa Confeſſio nullo modo relata eſt ad illam partem illius anni. Ita Suarez.

ſed ſ… Verùm de toto anni tempore nulla mentio in verbis præcepti; adeòque eâdem facilitate negatur illa intentio (quæ colligenda foret ex verbis) quâ aſſeritur. Neque ille, qui ex oblivione, vel alia occaſione aliquid omittit, quantum eſt in ſe extendit ſuam Confeſſionem ad totum annum; quia, ùt ſuppono, in alia parte anni poteſt confiteri peccata oblita, vel ex occaſione omiſſa; ergo tenetur confiteri, ſi verum eſt, quòd præcipiatur multiplex Confeſſio, quando neceſſaria eſt ad omnia peccata illius anni explicanda.

12[…] Denique aliam … Denique, inquit Suarez, eſt rationis diverſitas; quia peccata oblita (& eadem eſt ratio eorum, quæ ex occaſione omittuntur) aliquo modo continentur in illa Confeſſione, ſaltem in confuſo, & per illam tolluntur, ſaltem indirectè: at verò peccata poſtea commiſſa, nullo modo tolli poſſunt per præcedentem Confeſſionem, & ideo non eſt eadem ratio.

ſed i… tinet ad p…m. Fateor quoad hoc non eſſe eamdem rationem; ſed illa diverſitas impertinens eſt ad propoſitum, quandoquidem præcipiatur Confeſſio, cum Abſolutione directa peccatorum; alioquin nec anno ſequenti foret obligatio, illa peccata oblita, aut ex occaſione omiſſa confitendi, quod conſtat eſſe falſum.

12[…] Sotus diſting. inter p… oblit. occa… omiſ… Sotus diſt. 18. q. 2. a. 5. ante ſolutionem 4. argumenti diſtinguit inter peccata oblita, & inter peccata ex occaſione omiſſa; & hæc putat eodem anno debere confiteri, ſecùs illa. Rationem diſparitatis aſſignat; quoniam ille (qui oblitus fuit) legitimè confeſſus eſt omnia, quorum memoriam habet juxta tenorem Florentini Concilii; hic verò (qui aliqua ex occaſione omiſit) non eſt omnia confeſſus, quare, ſublato impedimento, tenetur, habitâ opportunitate, illa confiteri. Hæc Sotus.

Han… tent… Arriaga prob… rem Hanc ſententiam putat probabiliorem Arriaga diſp. 52. n. 57. quia, inquit, obligatio præcepti divini eſt de omnibus, quæ occurrunt memoriæ; de his enim quæ non occurrunt, non poteſt eſſe præceptum propriè, quia ad impoſſibile nemo tenetur, impoſſibile autem eſt confiteri ea, quæ quis ignorat; unde fit, ut qui dixit omnia, quæ occurrerunt, ſatisfecerit abſolutè & propriè præcepto, alter verò qui ex his, quæ occurrerunt, non eſt aliquod confeſſus,

Digitized by Google

feſſus, non ſatisfecit ex integro; licèt ergo excuſatus fuerit in ea Confeſsione ab eo dicendo, non tamen excuſabitur à dicendo illo intrà eumdem annum, ſi habeat commoditatem, uti qui nullum aliud mortale haberet præter illud, quod poteſt reticere, & non confiteretur, niſi de ſolis venialibus, non ſatisfaceret præcepto, excuſaretur tamen; ergo etſi confiteatur alia mortalia non ſatisfacit ex integro, licèt excuſetur; cùm primùm igitur ceſſat impedimentum, tenebitur ſatisfacere. Hucuſque Arriaga.

Reſpondeo; Regula 6. Juris de Reg. Juris
124. in 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, intelligitur non ſolùm de impoſſibili phyſicè, ſed etiam de impoſſibili moraliter, hoc eſt, valde difficili; igitur Chriſtus ſicut noluit obligare ad Confeſſionem eorum, quæ non occurrunt memoriæ, pro illo tempore, quo non occurrunt; quia phyſicè impoſſibile eſt confiteri ea, quæ quis ignorat: ita quoque noluit obligare ad Confeſſionem eorum, quæ ex juſta cauſa omittuntur, quia moraliter impoſſibile eſt ea confiteri; unde fit, ut qui dixit omnia, quæ moraliter poterat dicere, ſatisfecerit abſolutè & propriè præcepto.

Ex quo patet reſponſio ad ſimile; nam qui habens aliquod peccatum mortale, confeſſus fuit de ſolis venialibus, eò quòd poſſet iſtud mortale reticere, nullatenus ſatisfecit præcepto divino, quod, etiam tali caſu, non obligat ad Confeſſionem venialium; ſicuti in noſtro caſu obligat ad Confeſſionem illius mortalis, cujus reticendi nulla ſubeſt juſta cauſa.

Dices; ergo etiam non tenebitur ad iteratam Confeſſionem, qui confeſſus eſt peccatum mortale, eſtò tacuerit aliquod reſervatum defectu poteſtatis in Confeſſario, quod eſt contra ultimam partem Concluſionis.

Reſpondeo neg. Conſ. Ratio diſparitatis eſt, quòd hic non ſit confeſſus proprio Sacerdoti, quod tamen requiritur à Concilio Later. cap. *Omnis utriuſque ſexùs.* ibi: *Confiteatur proprio Sacerdoti.*

125. Pro quo ſciendum, quis, in ordine ad ſatisfaciendum huic præcepto, dici debeat proprius Sacerdos. Scotus 4. diſt. 17. n. 26. *Quantum*, inquit, *ad*, Cui, *videtur ſpecificare* (Eccleſia præceptum divinum Confeſſionis) *per hoc quod ait*: Proprio Sacerdoti: *nam ex prima inſtitutione Eccleſiæ non videntur fuiſſe diſtincti proprii Sacerdotes; quando enim Apoſtoli hinc & indè ibant prædicando verbum Dei, nec fuit iſte Sacerdos iſtius gentis, nec illius, & nec iſte, nec ille; ſed poſt ſunt Diœceſes diſtinctæ & Parochiæ, & Sacerdotes in Parochiis; & pro tunc tamen poſſunt & poterant dici proprii Sacerdotes, quicumque habentes juriſdictionem ordinariam, vel commiſſam; vel ſoli habentes juriſdictionem ordinariam contra commiſſarios; vel ſtrictiſſimè ſoli habentes immediatam juriſdictionem & proximam ordinariam. Et ſecundùm hos intellectus poſſunt fieri altercationes hodie inter ordinarios & commiſſarios de intellectu illius Capitis: ſiquidem Ordinarii, & proximi, & inferiores non altercantur contra Superiores, ut ipſi ſoli ſint proprii, & non alii; non enim ita faciliter audent Curati reſiſtere Epiſcopis, ſicut pauperibus privilegiatis.* Ecce ſtatus controverſiæ.

Si autem (proſequitur Doctor) *ponderetur virtus vocabuli*, Proprio Sacerdoti, *proprius qui ſolus & non alius, vel proprius iſti, quia iſti, & non alii; neutro modo obligatur aliquis ad confitendum proprio Sacerdoti: quia ſi multi ex æquo præſunt alicui parochiano, uterque ex æquo abſolvit; idem etiam ex æquo abſolvit multos parochianos. Igitur intelligitur pro habente juriſdictionem ad immediatè abſolvendum iſtum.* 127. *Proprius Sacerdos in rigore ſignificat ſolum Parochum. Sumitur tamen pro quocumque habente juriſdictionem ad immediatè abſolvendum.*

Nec in hoc tunc ſpecificatur præceptum, quia in generali erat de, Cui, *ſcilicet Sacerdoti habenti juriſdictionem. Et ſi aliquis poſſit committere illam immediatam juriſdictionem uni, quam alius habet ordinariè, quòd ipſi non negant Papam poſſe: igitur ſecundùm iſtum intellectum commiſſarius poteſt fieri proprius. Non itaq; illud* Proprio Sacerdoti *ſpecificat*, Cui, *ut includitur in præcepto primo* (id eſt divino) *niſi dicatur, quòd in primitiva Eccleſia quilibet Sacerdos habuit juriſdictionem ſupra quemlibet pœnitentem; & nunc ſingulis ſunt determinati ſinguli pœnitentes ut ſubditi, & tunc quilibet erat proprius cuilibet, hoc modo, ſcilicet quòd habens juriſdictionem ordinariam ſuper quemlibet; ſed non proprius, id eſt, determinatus ſibi, vel Parochiæ ſuæ, ſicut modo eſt proprius: ſed illa proprietas nullam poteſtatem ſpecialem tribuit proprio, quam non habuiſſet ille, ſed tantùm limitat aliquos aliquibus.* Hucuſque Doctor Subtilis.

Ubi ſatis innuit, proprium Sacerdotem eſſe omnem illum & ſolum, qui habet poteſtatem ordinariam vel delegatam ad abſolvendum directè pœnitentem ab omnibus ſuis peccatis, ſive is ſit Parochus, ſive Confeſſor alius Regularis, qui ex privilegio habet illam poteſtatem.

Igitur in caſu Concluſionis pœnitens nondum ſatisfecit præcepto Eccleſiæ, quia non eſt confeſſus proprio Sacerdoti, id eſt, illi Sacerdoti, qui habebat poteſtatem ipſum abſolvendi ab omnibus commiſſis. Quid ergo miramur, ſi eodem anno teneatur confiteri peccata reſervata Prælato, vel alii habenti legitimam juriſdictionem? 128. *Probatur 3. pars Concluſ.*

Reſpondet Herinx part. 4. tract. 4. diſp. 3. quæſt. 8. n. 105. (ubi tenet oppoſitum) ſufficit quòd Sacerdos ſit proprius reſpectu omnium, quæ hìc & nunc debent exprimi, ut impleatur præceptum juris divini determinativum. *Reſponſio Herinex, qui docet oppoſitum.*

Sed contrà; quod hìc & nunc non debeant exprimi peccata reſervata eſt, quia Confeſſio non fit proprio Sacerdoti; ergo talis pœnitens ſimpliciter & abſolutè non confitetur proprio Sacerdoti, quod tamen requiritur ab Eccleſia. *Rejicitur.*

Si

129. Objectio. Si inferas; ergo qui haberet peccatum reſervatum, & integro anno non haberet copiam Prælati, vel alterius habentis ejus juriſdictionem, non teneretur illo anno confiteri, tametſi haberet peccata mortalia non reſervata.

Solvitur. Reſpondeo Conc. totum, præciſè ex vi præcepti Eccleſiaſtici annuæ Confeſſionis. Ratio eſt manifeſta; quia tametſi velit non poteſt præceptum adimplere; quippe, ùt ſupponitur, non poteſt confiteri proprio Sacerdoti.

Addo; *Præciſè ex vi præcepti* &c. quia diſp. 4. ſect. 10. concl. 5. ùt certum ſuppoſui, habentem peccatum reſervatum, & aliud mortale non reſervatum, teneri ante Communionem confiteri inferiori, ex hypotheſi, quòd poſſit dimidiare Confeſſionem, confitendo ſolum peccatum non reſervatum. Cur autem teneatur confiteri non reſervatum vi præcepti præmittendi Confeſſionem Communioni, & non vi præcepti annuæ Confeſſionis, ratio à priori eſt voluntas legiſlatoris, quæ conſtat ex verbis utriuſque legis.

Conc. Trid. *Eccleſiaſtica conſuetudo*, inquit Trid. ſeſſ. 13. c. 7. *declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Non ait: præmiſsâ ſacramentali Confeſſione omnium peccatorum, factâ proprio Sacerdoti; ſed ſimpliciter: *Præmiſsâ ſacramentali Confeſſione*, nullâ factâ mentione *omnium peccatorum*, aut, *proprii Sacerdotis.* At verò cap. *Omnis utriuſque ſexûs*, non ſic loquitur Eccleſia, ſed: *Omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti,* id eſt, Sacerdoti, qui habet poteſtatem directè abſolvendi ab omnibus peccatis, pro tunc, quando confitetur, commiſſis, eſtò aliqua vel per oblivionem, vel aliâ occaſione non confiteatur.

130. Sententia Hetinex eſt probabilis, & videtur conformior Scoto. Interim oppoſitum, ſcilicet ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiæ, qui confeſſus fuiſſet peccatum mortale non reſervatum, omiſſo reſervato, ob defectum poteſtatis in Confeſſario, etiam eſt probabile, & videtur magìs conforme Scoto ſuprà; ubì videtur docere, Eccleſiam non ſpecificaſſe præceptum divinum quantùm ad Cui; ſpecificaſſet autem ſi in tali caſu pœnitens non poſſet ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, cùm reverà ſatisfaciat præcepto divino.

Et verò, quia non ſatisfacit præcepto divino, qui ſola confitetur venialia, ùt ſuprà diximus, hinc etiam non ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico, tametſi vel ignorantiâ vel aliâ occaſione omittat peccatum mortale, quod alioquin commiſit, & ratione cujus jure divino, & per conſequens jure Eccleſiaſtico, tenetur confiteri.

Haud inficior fieri poſſe, ut quis tali caſu teneatur confiteri peccata venialia, v. g. ſi urgeat præceptum Communionis, & non poſſit elicere Contritionem charitate perfectam; ſed dico, equidem non ſatisfacere præcepto annuo Confeſſionis; quia non ſatisfacit præcepto divino per ſe Confeſſionis, ſed tantùm præcepto divino dignè communicandi.

Nec valet hoc argumentum: Qui ignorans eſſe diem feſtum audit Sacrum, ita implet præceptum, ut cognitâ obligatione non teneatur audire aliud Sacrum; ergo ſimiliter, qui ignorans ſe habere peccatum mortale, adeòque ignorans obligationem confitendi, nihilominus confitetur peccata venialia, ita implet præceptum, ut cognitâ obligatione non teneatur illo anno rursùs confiteri. 13 Sol. obje

Non valet, inquam, hæc conſequentia; quia in priori caſu ponitur ſubſtantia præcepti, ſcilicet auditio Miſſæ; in poſteriori vero caſu non ponitur ſubſtantia præcepti, putà Confeſſio neceſſaria ex jure divino, id eſt, Confeſſio alicujus peccati mortalis, numquam directè abſoluti; quid ergo mirabile, ſi ille iteratò non debeat audire Sacrum, quod ſemel audivit; hic autem teneatur confiteri peccatum mortale, quod numquam confeſſus fuit?

Cæterùm pro clariori intelligentia eorum, quæ hâc Concluſione diſcuſſa ſunt, non abs re erit inveſtigare, quomodo debeat annus computari quoàd hoc præceptum. Mea ſententia eſt:

CONCLUSIO VIII.

Annus quoad præceptum Eccleſiaſticum confitendi, computandus eſt juxta communem ſignificationem, à prima die Januarii, uſque ad ultimam Decembris.

Ratio fundamentalis eſt; quia verba legis accipienda ſunt ſicuti ſonant, niſi aliquid obſtet; hìc autem nihil obſtat; ergo &c. 13 Prol Con

Arg Adv rum Reſpondent Adverſarii, illam computationem eſſe politicam, non Eccleſiaſticam, quod colligunt ex praxi Eccleſiæ, quæ ſolet in Paſchate Confeſſionem, & Communionem exigere ùt debitam. Item ex verbis legis: *Saltem*, &, *Ad minùs in Paſchate.* Ac ſi diceretur; legat Horas Canonicas, ſaltem horâ undecimâ noctis, quia tunc inſtat terminus temporis, quo currit obligatio.

Tertiò objiciunt; ex illa computatione ſequi maximum inconveniens, utputà poſſe Confeſſionem differri ferè per duos annos, ſi quis confiteatur v. g. primâ Januarii anni ſexageſimi tertii, & poſtea ultimâ Decembris anni ſexageſimi quarti. Ergo, inferunt, annus computandus eſt à Paſchate uſque ad Paſcha.

Sed

133. Sed contra primum ; gratìs aſſeritur Eccleſiam exigere Confeſſionem in Paſchate, ùt debitam præcisè ex vi præcepti annuæ Confeſſionis, ſed exigit illam ex vi præcepti dignè communicandi; vel certè non exigit ùt debitam, ſed tamquam omnino conſentaneam ſuſceptioni tanti Sacramenti, & præmittendam, etiam ab illis, qui alioquin ſatisfecerunt præcepto Confeſſionis annuæ, & nunc ſolùm habent peccata venialia ; àut, ſi mavis, exigit illam ùt debitam iſto tempore vi præcepti Confeſſionis ; quia ignorat, & ſcire non poteſt, an alio tempore fideles ſatisfecerint, aut ſatisfacient præcepto. Vide quæ de hac re diximus Concluſione præced. in principio.

Si ergo quandoque Parochi denuncient illos, qui tunc non confitentur ; haud equidem propter violationem præcepti Confeſſionis annuæ, ſed propter violationem præcepti Communionis Paſchalis ; vel oſtendatur, ubì aliquando fuerit denuntiatus, qui in Paſchate communicaverat, præcisè quia non fuerat confeſſus.

134. Atque de hac obligatione per accidens plures Auctores intelligunt, quod ait Sixtus IV. Extravag. de Treucha & pace cap. 2. *Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſint obligati ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti : quia de iure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti.*

Sed hic intellectus non eſt mihi adeò clarus, cùm Pontifex alleget jus commune, ſcilicet cap. *Omnis utriuſque ſexùs*, in quo non agitur de obligatione per accidens, quandò dicitur: *Confiteatur proprio Sacerdoti*, ſed de obligatione per ſe. Unde non poſſum negare quin hæc verba Sixti IV. multùm faveant contrariæ ſententiæ, quæ exiſtimat, eſſe obligationem confitendi tempore Paſchatis, eo modo, quo eſt obligatio communicandi; etſi alioquin alio tempore anni fideles ſatisfeciſſent præcepto annuæ Confeſſionis.

135. Et ideo dico, fortè tempore Sixti IV. fuiſſe talem obligationem, ipſo ita interpretante jus commune, citra proprietatem verborum, ad evitandas diſcordias, quæ tunc temporis erant inter Parochos, & Mendicantes, utrique parti aliquid concedendo ; nam ſequitur: *Per hoc tamen ipſi fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quò minùs ſecundùm iuris communis, & privilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, Confeſſiones audire, & Pœnitentias iniungere valeant.*

Porrò ſucceſſu temporis, pace jam compoſitâ, per uſum & praxim contrariam hæc obligatio videtur extincta; cùm paſſim omnes, etiam in Paſchate, confiteantur Mendicantibus, abſque ſcrupulo alicujus obligationis confitendi Parocho, de quo plura proprio loco.

Minoris ponderis eſt, quod Adverſarii allegant ex Concilio Agathenſi c. 15. & refertur diſt. 50. cap. 64. *In capite Quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt Pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis* &c. Quid enim clarius, quàm Concilium loqui de publicè pœnitentibus? Nos autem quærimus de Confeſſione ſecreta, quando præcisè obliget ex vi præcepti Eccleſiaſtici. *Concilium Agathenſe.*

Ad ſecundum argumentum Adverſariorum reſponſio eſt plana ; videlicet, in lege non dicitur : *Omnis utriuſque ſexùs* &c. *ad minus in Paſchate confiteatur*, ſed : *Saltem ſemel in anno confiteatur*, quæ ſunt valde diſtinctæ locutiones; & licèt prior locutio tempus Paſchæ pro termino obligationis poneret, equidem poſterior non niſi tempus anni; quem annum incipiendum eſſe à Paſchate, & terminandum in Paſchate, ne vel jota unum cogit aſſerere; ergo ex verbis legis nulla probatio. 136. Reſpondetur ad 2. argumentum Adverſariorum.

Neque à communi computatione, quam verba legis ſonant, recedendum propter inconveniens ſuprà allegatum ; quia idem ſequitur ex computatione Adverſariorum, niſi admiſerint duplicem obligationem confitendi, unam annuam, alteram Paſchalem ; prout admittit Suarius, qui nobis illud inconveniens (ſi tale dici debeat) objicit : ait enim diſp. 36. ſect. 3. n. 9. Etiamſi aliquis intrà annum ſæpiùs ſit confeſſus ; ſi tamen tempore Quadrageſimæ (id eſt, à Dominica Palmarum uſquè ad Dominicam in Albis) habet conſcientiam novi peccati mortalis numquam confeſſi, tenetur nihilominus ad confitendum illo anno pro eo tempore. 137. Reſponſio ad 1.

Sed hoc ſuprà rejecimus, & ideo conſequenter hìc aſſerimus, per accidens planè eſſe, quòd aliquis differat Confeſſionem ſuam per duos ferè annos, & ideò parùm curandum; præſertim cùm Eccleſia non fraudetur ſuâ intentione (quamquam & illa non cadat ſub præceptum) quia ordinariè adeſt obligatio confitendi in Paſchate propter dignam ſuſceptionem Euchariſtiæ.

Nonnè ſingulis diebus tenetur Sacerdos recitare Officium divinum ? Et tamen fieri poteſt, ut quis per biduum ferè nihil recitet, v. g. ſi totum Officium hodiernum ſtatim recitet poſt mediam noctem, & totum craſtinum differat recitandum proximè ante mediam noctem. Quis propterea alio modo computat diem, quàm vulgò computatur ? Ergo neque annus alio modo computandus venit, quàm vulgò computatur, eò quòd rariſſimè fieri poſſit, ut quis per duos annos abſtineat à Confeſſione ; neque multiplicandæ ſunt obligationes contra tenorem verborum legis. Fateor, optima legum Interpres eſt conſuetudo ; ſed nego omnem conſuetudinem eſſe ſignum ſtrictæ obligationis ; immò aſſero,

quantum fieri poteſt præſumendum eſſe, & ſtandum pro libertate.

138. *Aliud argumentum Adverſariorum ab Inconvenienti ex Suario.* Aliud inconveniens objicit nobis Suarius ſup. n. 7. dicens: Si quis à principio anni uſque ad Paſcha non peccavit mortaliter, & tunc communicavit, licèt poſteà peccet, non tenetur confiteri in reliqua parte anni uſque ad menſem Decembris, ſed poteſt differre uſque ad aliam Quadrageſimam, ùt conſtat ex communi uſu & ſententia omnium: ſi autem annus eſſet illo modo computandus, eſſet ſimpliciter obligandus homo ille ad Confeſſionem illo tempore.

Reſponſio. Reſpon. planè eſſet obligandus; ſed hoc non eſt majus inconveniens, quàm quòd ille, qui ſæpè fuit confeſſus peccata venialia, nihilominus ſi in Paſchate habeat conſcientiam peccati mortalis, teneatur tunc confiteri.

Quantum ad uſum communem, & ſententiam omnium; certum eſt, rariſſimè contingere, ut quis non peccaverit mortaliter à Januario uſque ad Paſcha, & poſteà peccet mortaliter, differatque Confeſſionem uſque ad aliam Quadrageſimam. Quòd ſi caſu contingat aliquem hujuſmodi inveniri, ſequitur ſententiam Suarii, quæ indubiè probabilis eſt, & communiter practicatur (abſque tamen animo inducendi obligationem) eò quòd in Paſchate urgeat præceptum Communionis; & aliunde, etiam in noſtra ſententia, in Paſchate poſſit ſatisfieri præcepto annuæ Confeſſionis.

139. *Rejiciuntur alii computus.* Omitto alios computus, quos Nonnulli excogitarunt; videlicet, à primo peccato mortali poſt Confeſſionem. Item ab ultima Confeſſione. Denique à principio uſûs rationis. Omitto, inquam, hos computus; quia neque fundantur in verbis legis, neque in recepta conſuetudine fidelium, præterquam quòd magnum inconveniens ſit, hunc annum non eſſe certum & fixum pro omnibus fidelibus; aliàs non poſſet Eccleſiæ conſtare, quando finiatur tempus, in quo omnes tenentur hoc præceptum implere; ſed de ſingulis oporteret inquiri, quando primùm peccaverint mortaliter, aut quando ultimò fuerint confeſſi, vel certè quando inceperint uti ratione.

Inconveniens quod ſequitur ex primo. Deinde ex primo computu ſequitur: ſi quis poſtquam in Quadrageſima confeſſus eſt, non peccavit mortaliter per ſex menſes, & poſteà peccavit, non teneri ad Confeſſionem in ſequenti Quadrageſima; ſed poſſe illam differre per alios ſex menſes; conſequens, inquit Suarius ſupra nu. 5. eſt planè abſurdum; & contra communem uſum & ſenſum Eccleſiæ.

Loquitur ſecundùm ſuam computationem; quamvis & ſecundùm noſtram idem abſurdum ſequatur; nam ſi quis, poſtquam confeſſus fuiſſet in fine Decembris anni ſexageſimi ſecundi (quo hæc ſcribo) non peccaret mortaliter per undecim menſes, & poſteà peccaret, non teneretur ad Confeſſionem anno ſexageſimo tertio, ſed ſolùm circa finem anni ſexageſimi quarti; adeòque duos ferè integros annos tranſegiſſet ſinè Confeſſione, eſtò in quolibet peccaſſet mortaliter; cùm tamen ſit obligatio confitendi, ſaltem ſemel in quolibet annô.

Ex ſecundo computu videtur conſequens, neutiquam obligari hoc præcepto, qui pervenit ad uſum rationis, & incipit peccare mortaliter antequam confeſſus ſit; quomodo enim in illo poterit computari annus ab ultima Confeſſione, cùm nulla præceſſerit? 140 *Inconveniens ſequit. 2.*

Denique cùm principium uſûs rationis valde incertum ſit, ſi ab illo computandus eſt annus, manet præceptum dubium, & incertum. His itaque tribus modis rejectis, tamquam minùs fundatis, ſive in ratione, ſive in verbis legis, aut conſuetudine fidelium, placeat Lectori vel computus vulgaris, juxta noſtram Concluſionem, vel computus Eccleſiaſticus, ſecundùm principia Suarii; elige, & non errabis in fide, aut bonis moribus. *& ter…*

Cæterum ſi à me quæritur, quid ergo faciendum illi, qui intrà annum non fuit confeſſus? An cum termino anni expiraverit obligatio, an verò ſtatim poſt elapſum annum teneatur confiteri? Reſponſio erit

CONCLUSIO IX.

Qui intrà annum non eſt confeſſus, ſtatim poſt confiteatur, & ſatisfaciet etiam obligationi præſentis anni; tametſi nullum ejus peccatum mortale exprimat.

PRima pars, etiam intellecta de obligatione confitendi, eſt communior Doctorum, & probabilior, atque procul dubio ſecurior, utpote excludens omne prorſus periculum peccandi, ùt clarum eſt; cùm tamen contrariæ ſententiæ ſubſit periculum peccandi, ſi fortè alia fuerit mens Eccleſiæ, ſicut potuit eſſe. 1… *An ſi… gatio… fitend… tim p… elapſu… num…*

Enimverò tota hæc controverſia pendet à voluntate Eccleſiæ, quæ potuit tempus unius anni conſtituere terminum executionis, hoc eſt, ultra quem non differatur Confeſſio; potuit etiam conſtituere terminum, in quo expiret obligatio confitendi.

Porrò conſtituiſſe terminum executionis, colligi- *Prob…*

colligimus ex fine præcepti, qui eſt, ne diutiùs, quàm par eſt, homines differant impletionem præcepti divini, ſæpè cum periculo nunquam illud adimplendi. Unde non tantùm eſt præceptum affirmativum, ſemel confitendi ſingulis annis (illius enim obligatio expirat cum anno) ſed etiam negativum, ſcilicet non differendi ulteriùs; quòd utique præceptum tranſgreditur, qui non ſtatim elapſo anno confitetur, cùm jam ulteriùs differat.

Itaque non deſignatur tempus anni, ad finiendam obligationem, ſed ad ſollicitandam executionem, & non differendam diutiùs; quemadmodum quando præcipitur ſolutio alicujus censûs, ſingulis annis facienda, non liberatur, qui iſto anno ſolutionem non præſtitit; ſed lex fortiùs illum urget.

142. Ex quo patet diverſitas inter præceptum ſemel confitendi ſingulis annis, & præceptum recitandi Horas Canonicas, audiendi Sacrum, jejunandi, &c. in quibus tempus non præſcribitur tamquam terminus executionis; ſed ùt terminus, cui annexum ſit iſtud pondus tamquam tributum illius diei.

Atque hâc ratione diſput. 4. ſect. 9. concluſ. 3. docuimus, eum, qui ob impedimentum, vel ex malitia, aut negligentia non communicavit in Paſchate, non teneri proximâ opportunitate communicare, præcisè ex præcepto Communionis Paſchalis; quia videlicet hoc præceptum, utpore ſpecialiter latum propter reverentiam illius temporis expirat cum ipſo tempore, ſicuti præceptum audiendi Miſſam expirat cum die Dominico, aut Feſto. Vide ibi dicta, quæ hìc pro magna parte poterunt applicari.

143. Nihilominus Aliqui (quos videre poteris apud Dianam parte 3. tr. 4. reſol. 130.) exiſtimant, hanc expoſitionem negativam, confitendi ſemel in anno, nimis rigoroſam; idque quia indè videretur ſequi, quòd ſingulis vicibus, quibus habent commoditatem confitendi, de novo peccarent mortaliter, quod tamen apparet eſſe contra communem ſenſum fidelium, qui tales commoditates non explicant in Confeſſione; neque Confeſſarius de illis ſolet interrogare.

Reſpondeo; Confeſſarium per ſe poſſe ſufficienter colligere illas commoditates, quando novit tempus elapſum ab ultima Confeſſione, & cognoſcit ſtatum pœnitentis; ùt omittam, ſæpiſſimè non eſſe plura peccata, ſed unum continuatum, ſicut neglectus reſtitutionis per multos annos.

144. Utcumque ſit de ſtricta obligatione, quam Concluſio non affirmat, neque ſatìs clarè patet ex verbis legis (nam ubì Concilium Lateranenſe dicit: *Saltem ſemel in anno confiteatur*, Concilium Trident. ſeſſ. 14. can. 8. legit: *Semel in anno*, omiſſo ly *Saltem*) procul dubio ſecuriùs eſt, ùt in principio Concluſionis notavi, & ideo omnibus conſulendum, ut elapſo anno, quantò citiùs poſſunt confiteantur, ne dum abſque cauſa diutiùs differunt Confeſſionem, abſque Confeſſione, Deo ſic permittente, contingat eos ex hac vita decedere. *Fronte capillatâ, poſt eſt occaſio calva.*

Quin immo ferè nullus negat, inquit Suarez diſput. 36. ſect. 4. nu. 4. ſi quis propter inopiam Confeſſoris, vel aliam rationabilem cauſam, non impleat debito tempore hoc præceptum, debere habere animum & propoſitum illud implendi quàm primùm commodè poſſit, in quo cernitur aperta differentia inter hoc præceptum, & præceptum jejunii, vel Miſſæ audiendæ. *Suarez.*

Et quamquam hic Auctor nobiſcum conveniat in prima parte Concluſionis; attamen n. 5. diſſentit à nobis in ſecunda parte, non abſolutè, ſed conditionatè; ſi poſt Confeſſionem jam factam, occurrat nova materia neceſſaria. Et rectè quidem, conſequenter ad ea, quæ ſuperiùs docuerat, ſcilicet eſſe obligationem ſemel in anno confitendi omnia peccata mortalia totius anni. 145. *Suarez à nobis diſſentit in 2. parte Concluſ.*

Nos autem, quia putamus ſufficere Confeſſionem alicujus peccati mortalis, ſeu omnium mortalium, concurrentium illo tempore, quo fit Confeſſio; conſequenter dicimus, per illam Confeſſionem, quæ fit ex obligatione anni præcedentis, ſatisfieri etiam obligationi anni currentis; quia videlicet ſolùm præcipitur Confeſſio ſemel facienda in eo.

Alioquin qui decies abſtinuiſſet à Confeſſione, undecies deberet confiteri uno & eodem anno, decies ex obligatione annorum præteritorum, & ſemel ex præcepto anni præſentis, quod eſt contra commuem ſenſum & praxim. *quæ probatur.*

Perinde autem eſt, ſive confiteatur peccatum mortale illo anno commiſſum, ſive alio anno commiſſum; quoniam non eſt præceptum confitendi hoc anno peccatum tunc commiſſum, ſed ſimpliciter confitendi peccatum mortale, ſive adimplendi præceptum divinum Confeſſionis. Quid enim ſi non peccaſſet mortaliter hoc anno, haberet autem peccata mortalia alterius anni oblita, vel ex juſta cauſa tunc non confeſſa? Putas quia illa confitendo, non ſatisfaceret obligationi præſentis anni? Procul dubio ſatisfaceret, & peccaret contra præceptum hujus anni non confitendo. 146. *Perinde eſt, quod peccatum mortale confiteatur, hujus vel alterius anni.*

Adde, ipſam omiſſionem culpabilem Confeſſionis in anno præterito, cùm compleatur in termino iſtius anni, neceſſariò ſpectare ad Confeſſionem anni præſentis.

Dices primò; talis niſi denuò illo anno confiteatur, excommunicabitur. Reſp. pro neglectu Communionis Paſchalis; vel etiam pro omiſſione Confeſſionis, ſi fortè in aliqua Diœceſi ſit lex particularis ſub pœna excommunica- 147. *Objectio ſolvitur.*

municationis confitendi in Paſchate. Dico, *Fortè*, quia exiſtimat Vaſquez q. 90. a. 3. dub. 1. n. 11. determinare jus divinum Confeſſionis ad hoc vel illud tempus, ad univerſalem Eccleſiam, aut ſummum Pontificem pertinere, non ad particularem, quando univerſalis modificata eſt præceptum hoc.

Vaſquez.

Hiquæus.

Sed hæc doctrina non placet Hiquæo in ſuo Comment. 4. diſt. 17. n. 96. neque videtur, inquit, quadrare antiquis Conciliis Provincialibus, quæ ex propria auctoritate procedebant ad ſtatuendum, quidquid ipſis videbatur populo congruum. Unde non video, quare etiam in præſenti id ſtatuere non poſſent, cùm nullibi id inveniatur reſervatum à Pontifice, vel ab Eccleſiâ univerſali. Quin immò ipſa conſuetudo, pro lege ſervata, illam obligationem inducere poteſt: ergo ubi tale ſtatutum eſt, eſſet ſervandum. Hæc ille.

148. *Secunda objectio, uno & eodem actu non poſſe ſatisfieri pluribus obligationibus.*

Dices II. uno & eodem actu non poteſt ſatisfieri pluribus obligationibus. Probatur; quia alioquin, qui ſingulis diebus deberet mihi ex juſtitia unum florenum, ultimo die anni ſatisfaceret obligationibus omnium præcedentium dierum, dando unicum florenum, quod eſt inauditum. Similiter, qui ex voto, non affixo tempori, ſingulis menſibus deberet ſemel jejunare, ultimo menſe anni ſemel jejunando, ſatisfaceret ſuo voto. Præterea unicâ lectione Matutinarum & Laudum, ſi fiat ſub veſperam, poſſem ſatisfacere obligationi duorum dierum, ſaltem ſinè peccato mortali, quæ ſunt contra communem ſenſum & praxim totius Eccleſiæ.

propter quam Caramuel rejicit noſtram Concluſ.

Propterea Caramuel Theolog. Fundament. parte 2. §. 79. (impreſſionis Francofurtenſis) docet rejiciendam illam ſententiam, quæ affirmat, unâ Confeſſione, aut Communione, poſſe hominem duorum annorum obligationi ſatisfacere. Ipſa enim, inquit, in materia graviſſima ita interpretatur legem, ut conſcientias deſtruat, multaſque animas periculo æternæ damnationis exponat.

Hinc etiam conſtat, præceptum menſtruæ Confeſſionis, & Communionis, quod imponitur Parochis, & Religoſis, non pati illorum interpretationem, qui dicunt unicâ Confeſſione, aut Communione, duorum menſium obligationi ſatisfieri: eſt enim Superiorum intentum, ut Sacramenta frequententur; nam etiam inter ſæculares ſuæ conſcientiæ diceretur negligens, qui menſibus ſingulis non confiteretur. Hucuſque Caramuel.

149. *Sed rejicitur ejus doctrina.*

Qui utique nimis multos facit ſuæ conſcientiæ negligentes; & advertere debuiſſet, intentum Superiorum non cadere ſub legem, dummodo fiat, quod in lege exprimitur. Ubi autem illud præceptum invenerit menſtruæ Confeſſionis, & Communionis, quod imponitur Parochis, & Religioſis neſcio; neque enim citat aliquem textum juris communis; neque alium videtur poſſe citare, præter Clementinam, *Ne in agro Dominico*, in qua non fit mentio Parochorum, aut aliorum Religioſorum, præter Monachos nigros, ùt expendimus Concluſ. 6. Credo intelligit jus particulare, quod poſſet imponi, aut fortè alicubi impoſitum eſt. Nunc ad principale.

Reſpondeo; certum eſt (eodem Caramuele teſte ibidem n. 77.) me poſſe uno & eodem actu duobus præceptis ſatisfacere; nam, inquit ille, qui die Reſurrectionis audit Sacrum, unâ & eâdem auditione ſatisfacit legi audiendi Sacrum die Feſto, & legi audiendi illud die Dominicâ. Et ſimilia plura exempla poſſent afferri. Quare ergo ſimiliter non poſſum ſatisfacere unâ Confeſſione duabus obligationibus confitendi, obligationi anni præteriti, & anni præſentis, obligationi menſis præteriti, & menſis præſentis, quando utraque obligatio incidit in eundem annum, aut menſem?

Reſp ad p[…] pale.

1[…] *Vari[…] emp[…] cont[…] ſtru[…] trin[…] ſem[…] Con[…]*

Antequam progredior, operæ precium judico, audire Caramuelem non definientem, ſed proponentem Theol. Fund. 1. p. n. D. Præcepit, inquit, Eccleſia, ut ſingulis annis confitearis, & ſanctam Euchariſtiam recipias; & determinat tempus, nimirùm, à Dominica Palmarum ad Dominicam *Quaſi modò*. Ergo his diebus poterit Petrus communicare, ut ſatisfaciat præcepto anni elapſi; ergo his etiam diebus poterit communicare, ut ſatisfaciat præcepto anni futuri: ergo ſi bis communicet, ſemel pro anno priori, & ſemel pro poſteriori, duobus præceptis, & pro duobus annis ſatisfaciet. Admittuntur iſtæ tres conſequentiæ communiter. Sed quid ſi ſemel tantùm communicet? An ne unicâ ille Communione pro duobus annis ſatisfaciet? Probabiliſſima eſt aſſertiva ſententia. Hucuſque Caramuel.

Et n. D1. ſic ſcribit: Sunt Regulares Ordines, in quibus præcipitur, ut Religioſi ſinguli, ut minimum ſemel in menſe, confiteantur. Poteſt Religioſus hos menſes à die quocumque computare; ergo incipit à decima Januarii, & ſic inquit, decimâ Februarii confitebor; ergo ſi faciat, ſatisfaciet pro elapſo menſe; ſed eadem dies, quæ eſt ultima antecedentis menſis, eſt ſubſequentis prima. Ergo ſi confiteatur illa die bis (iterum pro priori menſe, & iterum pro poſteriori) ſatisfaciet obligationi duorum menſium. Concedis. Sed quid ſi ſemel confiteatur? An non unicâ Confeſſione duorum menſium obligationi ſatisfiet?

Qui dicunt, Chriſtianum unicâ Confeſſione, aut Communione poſſe pro duobus annis ſatisfacere, aut debebunt inconſequenter loqui, aut tenere Religioſum unicâ Confeſſione poſſe ſatisfacere pro duobus menſibus. Ita proponit Caramuel; definit autem p. 2. (ùt vidimus) ſententiam affirmantem eſſe rejiciendam.

Sed, quæro ego, ubi ſcriptum eſt, ultimum diem

Digitized by Google

diem antecedentis menſis, eſſe primum ſubſequentis? Hactenus apud nullum Theologum id legi; neque puto eſſe verum; cùm ſicut menſes diſtincti ſunt, ita omnes dies unius, debeant eſſe diſtincti ab omnibus diebus alterius; quid enim aliud menſis eſt, quàm certus numerus dierum? Et idem eſt de anno ſive vulgari, ſive Eccleſiaſtico.

Scio, ex privilegio Matutinum, & Laudes hujus diei poſſe recitari ad veſperam diei præcedentis, & ideo quæſtionem illam moveri, an per unam recitationem poſſit ſatisfieri duplici obligationi. Sed quòd aliquis ex privilegio per Confeſſionem factam ultimo die hujus menſis, aut anni, poſſit ſatisfacere obligationi menſis, aut anni ſequentis, quis unquam ſcripſit, aut dixit? Unde tametſi ultimo die hujus menſis, aut anni, bis confiteretur, imò centies, neutiquam ſatisfaceret obligationi menſis, aut anni ſubſequentis, niſi ex ſpeciali privilegio, de quo mihi non conſtat.

Caſus ergo, de quo loquitur ſententia affirmativa, hic eſt: Petrus v. g. neglexit Confeſſionem hujus anni, pœnitet ipſum peccati commiſſi; & quia cùm tempore obligatio non expiravit, ùt communiùs docetur, ſequenti anno inſtituit Confeſſionem; quæritur, an per illam Confeſſionem ſatisfiat obligationi, quæ remanſerat ex anno præcedenti, & obligationi præſentis anni.

Et ſanè ſententiam affirmativam in materia graviſſima ità interpretari legem, ut conſcientias deſtruat, multaſque animas periculo æternæ damnationis exponat, non facilè admiſero; præſertim cùm plurimorum ſententia ſit, obligationem expirare cum tempore, ſicut expirat obligatio Horarum Canonicarum, & audiendi Miſſam diebus Dominicis & Feſtivis; quamvis indubiè Superiores intendant frequentiam iſtorum actuum. Itaque nullum eſt periculum æternæ damnationis majus in hac ſententia, quàm in aliis ſententiis verè probabilibus, quæ in magna veneratione ſunt apud iſtum Auctorem.

153. [illegible] Neque propterea cogimur aſſerere (ùt perperàm exiſtimat Caramuel ſupra p. 2.) unicâ lectione Matutinarum & Laudum poſſe ſatisfieri obligationi duorum dierum, ùt patebit ex dicendis. Enimverò unicâ lectione Matutinarum & Laudum, poſſe ſatisfieri obligationi duorum dierum, repugnat communi uſui Eccleſiæ, & inducit morum ſummam relaxationem, cùm ſic ſinè ullo ſcrupulo peccati mortalis, ferè quotidie poſſet quis ſatisfacere duplici obligationi, & fraudare Eccleſiam precibus ſibi debitis, idque per abuſum privilegii, ab ipſa Eccleſia conceſſi, cùm tamen privilegium deperdatur per abuſum, quo privilegiarius excedit, plùs faciendo, quàm ſibi conceſſum ſit, vel utendo privilegio contra finem ejus, aut ex privilegio occaſionem ſumendo delinquendi. *Privilegium meretur amittere, qui permiſsâ ſibi abutitur poteſtate*, ſcribit Simplicius Papa Joanni Epiſcopo Ravennati Epiſt. 2. & refertur diſt. 74 c. 7. Similiter loquitur Innocentius III. cap. *Licet* 18. extra de Regularibus.

Nonne ſi tibi Petrus teneretur ſolvere centum aureos feria 2. & alios 100. feria 3. ex eo, quòd tu permittas, quòd debito feriæ 3. ſatisfacere poſſit feriâ ſecundâ, ſequitur, illum ſolvendo centum aureos ſemel, poſſe duorum dierum obligationi ſatisfacere? Patet quòd non. Ergo eodem modo de Eccleſiaſtico debito Horarum philoſophare. Tenemur legere Officium divinum quotidie: & ut faciliùs poſſimus, permittit Eccleſia, ut hodie ad Veſperam poſſimus legere Matutinas & Laudes pro die craſtina: annè indè ſequetur, eamdem Eccleſiam unicâ Matutinarum & Laudum lectione pro duarum dierum debito eſſe contentam? Minimè. Tenebimur ergo bis legere, ut duorum dierum obligationi ſatisfaciamus.

Sed nunquid eodem modo philoſophandum de Eccleſiaſtico debito annuæ Confeſſionis? Nihil eſt quòd cogat. Nam in primis praxis eſt in contrarium, cùm alioquin, ſicut ſuprà dixi, qui decies omiſiſſet Confeſſionem annuam, unico anno deberet undecies confiteri, de qua tamen obligatione nullus Confeſſarius admonet ſuum pœnitentem. 154. Oſtenditur diſparitas inter debitum Horarum, & debitum annuæ Confeſſionis.

Deinde cùm Confeſſio ſolùm ſit præcepta in utilitatem pœnitentis, per hoc quod unicâ Confeſſione ſatisfaciat duplici obligationi, nullum Eccleſia patitur detrimentum, & ideo magis voluntaria eſt; at verò lectio Horarum principaliter ordinatur ad bonum commune Eccleſiæ, quo proinde defraudaretur, ſi unicâ lectione ſatisfieret duplici obligationi, & ideo meritò involuntaria eſt.

Deniq; finis præcepti Confeſſionis eſt, ne diutiùs Confeſſio differatur, quàm par eſt; ille autē, qui confitetur hoc anno ſemel & rurſum ſemel anno ſequenti, non diutiùs differt Confeſſionē, quàm par eſt; quamvis priùs vel culpabiliter, vel inculpabiliter diutiùs diſtulerit; quæ nimia dilatio per hoc, quòd anno ſequenti ſæpiùs quis confiteatur, non aufertur, vel diminuitur; ergo frequentior Confeſſio hujus anni, eſt extra intentum Eccleſiæ; & alioquin ponitur res præcepta, ſcilicet Confeſſio ſaltem ſemel in anno. At verò finis lectionis Horarum, eſt ſolutio debiti, quod habet Eccleſia ad Deum colendum, & adorandum vero cultu externo, & interno; cui debito intendit Eccleſia ſatisfacere, deputando præceptoriè certos miniſtros, qui ipſius & totius populi nomine per Officia à ſe inſtituta Deum certis temporibus colant, quis autem non videt illi cultui plurimùm detrahi, ſi per unicam recitationem divini Officii poſſit ſatisfieri duplici obli-

gationi? Ergo diſparitas ſatis magna, ut non valeat argumentum ab uno caſu ad alium.

155. *Diverſitas inter obligationem juſtitiæ, vel ex voto, & obligationem annuam confitendi.* Ex quo etiam patet diverſitas inter obligationem Juſtitiæ ſingulis diebus ſolvendi unum florenum, aut obligationem ex voto ſingulis menſibus ſemel jejunandi, & præceptum confitendi ſaltem ſemel in anno; etenim ſolutio debiti ſive ex juſtitia, ſive ex voto, reſpicit tertiã perſonam, quæ patitur detrimentum, idque notabile, ſi ultimo die anni, ſolutione unius floreni poſſit ſatisfieri obligationibus omnium præcedentium dierum, & unico jejunio ultimi menſis, obligationi omnium præcedentium menſium; quod non habet locum in caſu Concluſionis.

Alia diſparitas ex Herinex, Aliam diſparitatem aſſignat Herinx diſp. 3. de Confeſſione n. 107. nimirum, quòd votum iſtud cadat ſuper diverſas materias; præceptum autem confitendi anni præcedentis, & præſentis, coincidant in eandem materiam; nam præceptum hujus anni afficit non tam illos, qui hoc anno peccarunt, quàm qui hoc anno ſunt infecti peccato mortali, necdum confeſſo, perinde quando commiſſo: dum autem duplex præceptum coincidit in eandem materiam, unico actu utrique ſatisfit. Hæc ille.

156. *quam examinat Auctor.* Planè utrique ſatisfit, v. g. ſi hodie teneor jejunare ex voto, & unà ex præcepto Eccleſiæ, nimis clarum eſt, me unico actu ſatisfacere utrique obligationi; non enim poſſum ſæpiùs jejunare uno & eodem die. Verùm ſi teneor ex voto audire Sacrum, & ſimul ex præcepto Eccleſiæ, cùm poſsim audire uno & eodem die duo Sacra, unde conſtat, quòd ſatisfacio audiendo unum tantùm? Similiter aliquis obligatur recitare Horas Canonicas ex præcepto Eccleſiæ, accedat votum legendi, cùm poſsit iteratò legere, non probatur, ſatisfacere unicâ lectione, niſi ex conſuetudine & praxi communi, aut privata voluntate voventis, qui potuit ſe velle obligare ad eandem recitationem, ad quam alioquin ex præcepto Eccleſiæ tenebatur.

Ergo cùm dicit Herinex, præceptum confitendi anni præcedentis, & præſentis coincidunt in eandem materiam; diſtinguo, in eandem ſpecie materiam, concedo; in eandem numero, unde conſtat? Cùm enim uno & eodem anno poſsit pluries quis confiteri, poſsit pluries eſſe infectus peccato mortali, necdum confeſſo, nihil repugnat præceptum confitendi anni præcedentis, & præſentis, cadere ſuper diverſas numero materias, ſcilicet diverſas Confeſsiones diverſorum peccatorum mortalium; nam fieri poteſt, ut poſtquam pœnitens confeſſus fuit peccata mortalia præcedentis anni, incidat hoc anno in novum peccatum mortale; cùmque jure divino aliquando teneatur illud confiteri, & poſsit hoc anno confiteri, quæritur, an non teneatur vi præcepti Confeſsionis hujus anni: quia etſi prior Confeſsio facta fuerit in ſecundo anno, tamen ſecundùm æſtimationem moralem, non ad hunc, ſed ad præcedentem annum ſpectat; cùm fiat, ut obligationi hujus anni ſatisfiat. Ita argumentatur Regius diſp. 5. n. 65.

Addit: ſecùs fortè eſſet, ſi fieret medio anno jam elapſo; quia tunc nimia eſſet diſtantia, quàm ut poſſet ad priorem annum retrotrahi quoad hoc, ut in eo facta cenſeatur: quia aliàs qui confiteretur ſub finem ſecundi anni, per eam Confeſſionem non ſatisfaceret obligationi pro illo anno, quod eſt nimis durum. Hæc Regius. 15[7]. *Sententia Regii*

Reſpondeo; quia hoc eſt nimis durum, ideò conſequenter aſſerendum, quod qui confitetur ſub initium ſecundi anni, ſatisfaceret obligationi pro illo anno. Licèt enim utraque Confeſſio moraliter ſpectet ad præcedentem annum, cùm utraque fiat, ut obligationi hujus anni ſatisfiat (veluti ſolutio cenſûs anni præcedentis, ſive fiat ſub initium anni præſentis, ſive ſub finem, moraliter ſpectat ad annum præcedentem, cùm per illam ſatisfiat obligationi hujus anni) equidem phyſicè ſpectat ad præſentem annum, & nihil obſtat quò minùs, Eccleſiâ conſentiente, poſsit ſpectare etiam moraliter. *quæ placet Auctori.*

Natura hujus præcepti eſt, inquit Herincx ſuprà, ut etſi cum anno non expiraret, tamen videatur coaleſcere in unum quodammodo cum præcepto anni ſequentis, adeòque tantùm maneat quoad hoc, ut non poſſit ampliùs differri, ſive quoad iſtum modum; quoad ſubſtantiam autem ſuccedat præceptum anni ſequentis, quod ligat ad confitendum omnes, qui habent iſto anno peccata, eſtò iſto anno non commiſſa. *Herinx*

Quidquid ſit de iſta natura; certum eſt, quòd Eccleſia non poſſit obligare, aut ſaltem non intendat obligare ad iteratam Confeſſionem peccatorum mortalium; neque dubitandum, quin omnia peccata mortalia, commiſſa pluribus præcedentibus annis, & non confeſſa, unicâ Confeſſione hujus anni poſſint & debeant, niſi aliquid obſtet, exprimi, & directè unicâ Abſolutione remitti; ergò unicâ illa Confeſſione ſatisfactum eſt pluribus obligationibus præcedentium annorum. An autem ſit ſatisfactum obligationi præſentis anni, ſub judice lis eſt; eligo ſententiam affirmativam; quia licèt Eccleſia potuiſſet exigere ſecundam Confeſſionem, equidem exegiſſe, non ſatis conſtat; jam autem, ùt ait Scotus 4. diſt. 17. n. 28. *Præcepta pœnalia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda.* Et Reg. 15. Juris de Reg. Juris in 6. *Odia reſtringi & favores convenit ampliari.* Porrò præceptum Confeſſionis vulgò reputatur pœnale & oneroſum; ideoque non expedit ejus multiplicatio; quamvis ipſa Confeſſio ſummè ſit utilis ſaluti animarum, & ideò potiùs præceptum 1[58]. *Eccleſia non dicit ad iteratam Confeſſionem mortalium* *Scotus.* *Reg. Juris in 6.*

præceptum Confeſſionis favorabile cenſeri deberet.

Ceterùm quæ hactenus diximus de illo, qui culpabiliter omiſit Confeſſionem hujus anni, dicenda itidem videntur de eo, qui vel conſilio Confeſſarii, vel ex juſta alioquin cauſa, Confeſſionem ſuam diſtulit in ſequentem annum. Quæ enim ratio diſparitatis? Porrò dilatio Confeſſionis ex conſilio Confeſſarii, quamvis expreſſis verbis non concedatur in cap. *Omnis utriuſque ſexûs*, prout conceditur dilatio Communionis Paſchalis, equidem in hac facultate ſatis videtur illa contenta, cum dilatio Communionis potiſſimùm deſumatur ex defectu circa Confeſſionem.

Et aliunde cùm præceptum Confeſſionis annuæ, licèt determinatio juris divini, equidem verè ſit præceptum humanum, haud dubium quin ab illo liberet ſeu excuſet impotentia, non ſolùm phyſica, ſed etiam moralis, id eſt, gravis difficultas judicio prudentis, attentâ gravitate præcepti, & aliis circumſtantiis, juxta regulas communes aliorum præceptorum Eccleſiæ, putà audiendi Miſſam, jejunandi &c. cum hac tamen differentia, quod hæc obligatio confitendi non expiret cum tempore, ùt multi volunt; & ideo ceſſante impotentiâ redeat; obligatio autem audiendi Miſſam, jejunandi &c. expiret cum tempore, & ideò tempore tranſacto non redeat, etſi redeat potentia.

Sed numquid prævidens ſe impediendum reliquo tempore anni, tenetur nunc confiteri? Reſpondetur communiter:

CONCLUSIO X.

Prævidens ſe impediendum à Confeſſione reliquo tempore anni, tenetur nunc confiteri.

Ratio eſt obvia; quia, ùt patet ex dictis concluſ. 7. in principio, præceptum datum eſt pro toto anno, & pro qualibet parte anni; ergo in qualibet parte anni poteſt adimpleri, ergo teneor adimplere in hac parte anni, ſi in alia non poſſum. Veluti qui tenetur audire Sacrum die Dominica, ſi non poteſt audire horâ undecimâ, tenetur prævenire; quoniam totum tempus antemeridianum datum eſt pro adimpletione illius præcepti: ſuppono autem quod toto illo tempore maneat ſubjectus legi; alioquin ſi ante meridiem futurus eſt in loco, ubi præceptum audiendi Miſſam non obligat, Multi putant non debere prævenire, de qua controverſia alibi diſputavimus, & ideò hìc ſuperſedeo; maximè cum præceptum Confeſſionis non ſit locale, ſed perſonale, quod inhæret perſonæ ubicumque fuerit.

Si dixeris; qui prævidet ſe impediendum in die Dominica ab auditione Sacri, non tenetur audire ſacrum die Sabbathi, & qui prævidet ſe impediendum à jejunio die Sabbathi, non tenetur jejunare die Veneris. Diſparitas eſt manifeſta; quia obligatio audiendi Miſſam, aut jejunandi, non incipit uſque ad diem præfixum, adeò ut tametſi prævenirem, minimè ſatisfacerem meæ obligationi; at verò obligatio confitendi incipit à primo die anni, & durat uſque ad diem ultimum; non quòd urgeat pro primo die, ſi alio die poſſim & velim confiteri; ſed quòd poſſim primo die ſatisfacere ſi velim, ac proinde debeo, ſi video, quòd aliis diebus non potero. 161. Objectio. Solvitur.

Simile cernitur in præcepto annuæ Communionis ſi detur, & præcepto Communionis Paſchalis; nam, ut docuimus diſp. 4. ſect. 9. concl. 2. prævidens impedimentum, debet prævenire Communionem annuam, ſecùs Paſchalem; cùm enim poſterior obligatio non incipiat niſi tempore Paſchæ, non poſſum ſatisfacere alio tempore, ac proinde non teneor prævenire; at verò prior obligatio incipit à principio anni, & durat uſque in finem; & ideò teneor prævenire, cùm omni horâ poſſim illi ſatisfacere. Vide dicta loco citato, ubi etiam examinatur aliud ſimile, ſcilicet obligatio perſolvendi Horas Canonicas, ſub mortali quidem hac vel illa die, ſub veniali autem, ùt Multi volunt, diſtinctis horis diei.

Hoc ſolùm hìc noto, præceptum recitandi Officium divinum hâc vel illâ horâ diei, non eſſe omninò abſolutum, ſed quaſi conditionatum, niſi ſcilicet occurrat rationabilis cauſa aliter faciendi. Unde ſicut qui prævenit horam ſtatutam diei, ſatisfacit omnimodò ſuæ obligationi, ita etiam qui poſtponit, & ideò tenetur prævenire, & poſtponere. At verò præceptum recitandi Officium divinum hoc die, omninò abſolutum eſt, & ideò quacumque exiſtente cauſâ, nec tenetur prævenire, nec poſtponere. 162. Diſparitas inter præceptum recitandi Horas hîc horâ, & hoc die.

Quid dicam de præcepto Confeſſionis annuæ? Non teneor prævenire tempus anni, quia præveniendo non poſſum ſatisfacere; teneor autem Confeſſionem poſtponere, quia poſſum ſatisfacere præcepto negativo (ſi datur) ulteriùs non differendi Confeſſionem. Teneor etiam hoc die confiteri, ſi prævideam reliquis diebus impedimentum, quia hoc die poſſum ſatisfacere.

Perindè autem eſt ſive impedimentum prævisum ſit voluntarium, ſive non; nam eadem ratio utrobique militat. Hinc ſi prævideo abſentiam Prælati pro reliquo tempore, teneor hoc die confiteri, ſi habeo peccata reſervata, à quibus ipſe ſolus poteſt abſolvere. Etenim teneor confiteri omnia peccata commiſſa hoc anno uſque ad horam iſtam, quâ inſtituitur Confeſſio; ergo teneor peccata reſervata 163. Perinde eſt ſive impedimentum prævisum ſit voluntarium, ſive non.

ſervata commiſſa ante illam horam confiteri quantum commodè poſſum; ſed nunc commodè poſſum confiteri; ergo teneor.

164. Excuſatus à Communione, non hoc ipſo eſt liber à Confeſſione.

Atque hìc ſit finis hujus Concluſionis & Sectionis, eo ſemper ſalvo, quòd excuſatus à Communione, non hoc ipſo ſit liber à Confeſſione; quia nimirum præceptum Confeſſionis diſtinguitur à præcepto Communionis, ùt patet ex verbis legis ſuprà allegatis: *Omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Ecce præceptum Confeſſionis. Sequitur præceptum Communionis: *Suſcipiens reverenter ad minùs in Paſcha Eucharistiæ Sacramentum.*

Conc. Trident.

Et hinc Concilium Trident. ſeſſ. 13. can. 9. ſolius meminit præcepti Communionis dicens: *Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexûs, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, iuxtà præceptum S. Matris Eccleſiæ; anathema ſit.*

Porrò ſeſſ. 14. can. 8. tantùm meminit præcepti Confeſſionis dicens: *Si quis dixerit, Confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem . . . . . . aut ad eam non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexûs Chriſti fideles, iuxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno . . . . . anathema ſit.*

Enimverò hìc eſt ſenſus communis fidelium, qui putant ſe obligatos ad Confeſſionem, etiò propter impedimentum aliquod nequeant communicare. Finis quoque præcepti id non obſcurè indicat, finis, inquam, putà, ne diutiùs differatur Confeſſio, & ut impleatur præceptum divinum Confeſſionis, quod abſque dubio diſtinguitur à præcepto divino Communionis. Unde communior ſententia eſt, ùt ſuprà vidimus, pueros citiùs obligari ad Confeſſionem, quàm ad Communionem.

Sed dicet aliquis; video obligationem hujùs præcepti, video diſtinctionem; nihilominus adhuc ignoro, quid ſignificent hæc duo verba Concilii Lateran. *Solus*, &, *Fideliter*. Reſpondeo; ly *Solus* ſignificat Confeſſionem ſecretam; ly *Fideliter*, idem eſt, quòd abſque mendacio; vel etiam integrè, hoc eſt, omnia peccata, tametſi occultiſſima, & merè interna, quoad ſpeciem & numerum. Quæ duo ut melius intelligantur, & obſerventur, inſtituitur

SECTIO SEPTIMA.

De Qualitate Confeſſionis Sacramentalis.

1. Sexdecim qualitates Confeſſionis ſacramentalis.

NOnnulli enumerant ſexdecim conditiones ſeu qualitates Confeſſionis Sacramentalis, his verſibus contentas:

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parère parata.

Ex quibus conditionibus ſeu qualitatibus, quædam ſunt de neceſſitate Sacramenti; aliæ ſpectant, vel ad majorem reverentiam, vel ad majorem fructum ex Confeſſione percipiendum. Non eſt autem propoſiti noſtri, omnes ſigillatim hâc Sectione explicare; ſed illis relictis, de quibus nihil aut parùm notandum occurrit, quod vel in ſuperioribus non eſt dictum, vel infrà propriis locis non dicetur; quæro primò, an Confeſſio ſecreta ſit de neceſſitate Sacramenti, aut ſaltem præcepti divini, vel Eccleſiaſtici? Reſponſio erit

CONCLUSIO I.

Confeſſio ſit ſecreta, licèt publica, aut per interpretem ſufficiat ad valorem Sacramenti, & aliquando ſit licita.

SEcreta Confeſſio hìc vocatur, quæ fit ſinè ullo teſte à pœnitente coram ſolo Sacerdote: unde & auricularis dicta; de qua ſic ſcriptum habemus in Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *Cæterùm quo ad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publicâ eſſent Confeſſione aperienda. Vnde cùm à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus, magno unanimiq; conſenſu, ſecreta Confeſſio Sacramentalis, quâ ab initio Eccleſia ſancta uſa fuit, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata; manifeſtè refellitur inanis*

Digitized by Google

inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque à Patribus, in Concilio Lateranenſi congregatis, initium habuiſſe, docere non verentur.

Et eâdem ſeſſ. can. 6. *Si quis negaverit, Confeſſionem Sacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure divino; aut dixerit, modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.*

3 Nec huic doctrinæ obſtat; quod non reperiatur Confeſſio auricularis in Scriptura: nam teſte Apoſtolo, quem diligebat Jeſus, cap. 20. v. 30. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* Item c. 21. v. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Inſtitutionem ergo Sacramenti Pœnitentiæ quo ad ſubſtantiam, ſcriptam reperimus in libro hoc, ſcilicet Joan. 20. v. 22. & 23. modum verò ſecretè confitendi, habemus ex Traditione vel divina, vel ſaltem Apoſtolica; non enim poteſt oſtendi, quo tempore cœperit in Eccleſia Dei uſurpari ſecreta Confeſſio.

Licèt namque primitùs ſolerent pœnitentes publicè peccata ſua confiteri; hoc tamen neque erat generale pro omnibus peccatis (quippe potuiſſet Confeſſio aliquorum peccatorum generare ſcandalum fidelibus, utì contigit in quodam caſu tempore Nectarii, qui propterea Confeſſionem publicam abrogavit (ùt diximus ſect. 1. concl. 3.) neque conſtat, talem Confeſſionem fieri ſolitam ad finem Sacramentalis remiſſionis peccatorum, ad quem tamen debet fieri Confeſſio Sacramentalis; ſed ad fines ſuprà enumeratos à Concilio Tridentino.

4 Unde, quod bene notandum eſt, tametſi Concilium in illo capite agat de Confeſſione Sacramentali; haud equidem Confeſſionem publicam, quæ fieret in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, appellat Sacramentalem. Quam ergo? Secretam Confeſſionem dicens: *Secreta Confeſſio Sacramentalis* &c. Hæc igitur etiam tunc temporis debuit eſſe, & indubiè fuit, ùt Tridentinum ſuprà docet, tamquam maximè conveniens peccatis ſecretis, & quæ poſſent generare ſcandalum, ſi publicè propalarentur ſeu confiterentur.

Eleganter Origenes Homil. 2. in Pſal. 37. *Tantummodo*, inquit, *circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs Medicum, cui debeas cauſam languoris exponere* &c. *ut ita demum, ſi quid ille dixerit, qui ſe priùs et eruditum Medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilii dederit facias, & ſequaris: ſi intellexerit, & providerit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multâ hoc deliberatione & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt.*

Non ergo ex publica pœnitentia, ſecreta Confeſſio; ſed potiùs vice verſâ, ex ſecreta Confeſſione, publica pœnitentia proceſſit; ſiquidem non priùs publicè dicebantur peccata, & poſteà imponebatur fidelibus pœnitentia, ſeu Confeſſio ſecreta; ſed pœnitentiam impoſitam in ſecreta Confeſſione, publicè agebant fideles, ubì & quando Confeſſionario id videbatur expedire, tum ipſorum utilitati, tum ædificationi aliorum. *De pœnitentia verò peccatorum*, inquit Concilium Cabilonenſe can. 8. *quæ eſt medela animæ, utilem omnibus hominibus eſſe cenſemus, & ut pœnitentibus à Sacerdotibus factâ Confeſſione indicatur pœnitentia*, vel privata, vel publica. 5. Ex ſecretâ Confeſſione proceſſit olim publicâ pœnitentia. Conc. Cabil.

Sanè olim peractâ publicâ pœnitentiâ, non accedebat, niſi reconciliatio publica cum Eccleſia, & admiſſio ad communionem fidelium; cùm enim illa pœnitentia ſæpè per multos dies duraret, poterat pœnitens iterum de novo interiùs peccare mortaliter; à quo peccato indubiè non poterat ſacramentaliter abſolvi propter illam pœnitentiam, cùm eſſet peccatum ignotum abſolventi; non poteſt autem quis velle abſolvere ſacramentaliter causâ incognitâ.

Addò aliud teſtimonium Origenis ex Homil. 10. in Num. *Qui non ſunt ſancti, in peccatis ſuis moriuntur; qui verò ſancti ſunt, pro peccatis pœnitudinem gerunt, vulnera ſua ſentiunt, intelligunt lapſus, requirunt Sacerdotem, ſanitatem depoſcunt* &c. Plura ejuſmodi dicta habes ſuprà ſect. 1. concl. 3. & videri poſſunt apud Bellarminum lib. 3. de Pœnit. cap. 5. & ſeqq. 6. Aliud teſtimonium Origenis.

Hoc firmiſſimè teneas, quod *tota per orbem frequentat Eccleſia, hoc*, inquit S. Auguſtinus Epiſt. 118 *quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Et lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur.* Item lib. 5. de Baptiſmo c. 23. *Sunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia; & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.* Cùm ergo ab initio univerſa Eccleſia uſa fuerit Confeſſione ſecretâ, & modò etiam utatur, diſputare de prima parte Concluſionis, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. S. Aug.

Et verò ſi anathema eſt, qui dicit, *receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe*, ùt conſtat ex Tridentino ſeſſ. 7. de Sacram. in genere can. 13. putas, quia pro 7. Obligatio ſecretæ Confeſſionis probatur ex praxi Eccleſiæ. Conc. Trid.

pro libito miniſtri, aut pœnitentis, poterit ſinè peccato immutari antiquiſſimus modus ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia ab initio ſemper obſervavit in adminiſtratione hujus Sacramenti, & adhuc obſervat? Si aliqua praxis Eccleſiæ obligat, cur non & iſta? Rectè ergo Concilium Lateranenſe: *Solus*, inquit, *peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.*

Concil. Lateran.

Aut certè ideo dixit, *Solus*, ut ſignificaret obligationem confitendi ſingulis annis peccata (quæ fundatur in obligatione generali præcepti divini confitendi in vita ſemel omnia peccata mortalia) non eſſe obligationem dicendi illa peccata publicè & coram alio, ſed tantùm coram ſolo Sacerdote.

8. *Confeſſio publica, aut per interpretem ſufficit ad valorem Sacramenti.*

Alioquin Confeſſionem publicam, vel per interpretem, ſufficere ad valorem Sacramenti, quæ eſt ſecunda pars Concluſionis, ſicuti communior, ita verior eſt ſententia; à qua nullatenus diſſentit Scotus, quamvis paſſim ab Auctoribus, vel non inſpicientibus textum, aut certè eum ſiniſtrè interpretantibus, pro oppoſita citetur. Quod ne gratìs dicere videar, ſubſcribo omnia ejus verba. Itaque 4. diſt. 17. quærit Doctor: *Vtrum neceſſarium ſit ad ſalutem peccatori confiteri ſua peccata omnia ſuo Sacerdoti?* Et quod non, probat n. 2. *Nullus obligatur ad impoſſibile; ſed mutus non poteſt loqui. Item omnis extraneus, inter illos, quibus eſt barbarus, eſt mutus; ergo non tenetur confiteri.*

Oppoſitum nuſpiam docuit Scotus.

Reſpondet autem nu. 31. *Ad aliud dicitur, quòd talis debet confiteri per interpretem, vel per aliqua alia ſigna à verbis, quæ poſſunt eſſe nota Sacerdoti. Secundum eſt bene concedendum, ſi aliqua talia ſigna ſunt communia confitenti muto vel barbaro, & Sacerdoti. Sed primum non videtur neceſſarium; quia forus iſte ex natura ſua eſt ſecretiſſimus; ergo non tenetur aliquis ad iſtum forum, ùt aliquo modo publicum; ſed licèt interpres velit celare, & teneatur celare, ſicut Sacerdos; tamen ſi velit malignari, ipſe, & Sacerdos, poſſunt eſſe teſtes contra accuſatum, & ita ex natura hujuſmodi accuſationis, hæc accuſatio poteſt venire in publicum, & ita non eſt pœnitentialis.*

Ex hoc patet, quod pluribus Sacerdotibus ſimul non eſt confitendum neceſſariò, ut meliùs judicent; quod ſi fiat, non eſt Sacramentalis Confeſſio: maximè autem videtur, quòd non ſit confitendum per interpretem, quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum: & ſi in tali caſu ipſe habet impoſſibilitatem confitendi homini idoneo, confiteatur Deo, cum propoſito confitendi homini opportunitate oblatâ. Ergo, clamat Suarez, Vaſquez, & alii Recentiores, Doctor Subtilis aſſerit, Confeſſionem ſecretam eſſe neceſſariam ad valorem Sacramenti.

9. *Sed tantùm vult Confeſſionem per inter-*

Non ſic boni viri, non ſic; ſed Doctori Subtili *videtur* (ergo non loquitur omnino aſſertivè) Confeſſionem per interpretem non eſſe neceſſariam, maximè quando timetur interpretem non eſſe ſecretarium idoneum. Quid aliud ſignificant iſta verba: *Primum non videtur neceſſarium?* Item: *Ergo non tenetur aliquis ad iſtum forum, ùt aliquo modo publicum?* Item: *Non eſt confitendum neceſſario?* Item: *Maximè autem videtur, quòd non ſit confitendum per interpretem, quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum?*

prete eſſe tanu

An fortè apud vos idem ſunt: *Non tenetur aliquis confiteri per interpretem*, &, *Confeſſio non valet, quæ fit per interpretem?* Scio quòd apud vos non ſunt idem. Cur ergo apud Scotum erunt idem? Quia, reponitis, Scotus ait: *Quod ſi fiat, non eſt Sacramentalis Confeſſio.*

Planè non eſt Sacramentalis Confeſſio, de qua ibi erat quæſtio; putà neceſſaria peccatori ad ſalutem, ùt patet ex verbis ſuprà relatis; hoc eſt, non eſt talis Confeſſio, ad quam homo ex divino mandato, & inſtitutione hujus Sacramenti obligatur, quamvis hìc & nunc poſſit ſufficere ad validam Abſolutionem.

Profectò non eſt veriſimile, Deum illum modum confitendi inſtituiſſe, & præcepiſſe, qui ab Eccleſia, ùt ait Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. haud ſatìs conſultè præciperetur. Cur enim putas inconſultè præciperetur, niſi quia talis modus eſſet contra bonum hujus Sacramenti? Redderet quippe Sacramentum nimis difficile & oneroſum, & per conſequens odioſum; in tantum, ut fortè non unus ex centum illud ſuſciperet. Non eſt autem veriſimile Chriſtum, *Qui* (teſte Apoſtolo 1. ad Tim. 2. v. 4.) *omnes homines vult ſalvos fieri. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, v. 6. ita inſtituiſſe ſua Sacramenta (quibus meritum ſuæ paſſionis voluit nobis communicari) ut potiùs videretur eſſe in deſtructionem, quàm in ædificationem.

Prol Deu feſſi pub non piſſ cim

Unde & ab initio Eccleſia uſa eſt modo ſecretè confitendi, utpote maximè conformi juri naturali ſervandi propriam famam, quando commodè poteſt ſervari, ſicut hìc poteſt; nam Confeſſarius ſufficientem accipit notitiam peccatorum per ſecretam Confeſſionem, quoniam licèt illa notitia ſit futura judicialis, idque per accuſationem; equidem cùm hoc judicium ad forum animæ ſpectet, & planè voluntarium eſſe debeat, creditur reo pro ſe, & contra ſe; idemque eſt reus, accuſator, & teſtis, quandoquidem ad bonum animæ pœnitentis totum hoc judicium ordinetur.

Nulla ergo erat neceſſitas publicæ notitiæ, quæ non bene convenit cum jure naturali ſervandi propriam famam, ex hypotheſi certa, quòd in hoc judicio, non ſolùm debeant explicari peccata publica, ſed etiam ſecretiſſima; immo & merè interna, quæ aliquando non poſſent ſinè ſcandalo manifeſtari, & non ſinè maxima pœnitentis difficultate.

Nonne præceptum correptionis fraternæ obligat ad correptionem ſecretam? *Si peccaverit*, inquit Chriſtus Matth. 18. v. 15. *in te frater*

Tre coto

Digitized by Google

frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Quare? (interrogat Divus Auguſtinus ſerm. 16. de Verb. Domini) *Quia peccavit in te. Quid eſt, in te peccavit? Tu ſcis quia peccavit. Quia enim ſecretum fuit, quando in te peccavit, ſecretum quare cùm corrigis, quod in te peccavit. Nam ſi ſolus noſti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor.* Hæc ille.

Et verò qui præcepit correptionem ſecretam, exiſtimas quòd præceperit Confeſsionem publicam? Non habet apparentiam veritatis? Alioquin ad quid ſigillum Sacramentale? Prorſus inutile erit, quod cogitare de præcepto divino, nefas eſt. Scitè ergo Scotus ſuprà dixit: *Forus iſte ex natura ſua eſt ſecretiſſimus.*

Si dixeris; hæc ratio non militat contra Confeſsionem per interpretem, cùm ex illa tam in Confeſſario quàm in interprete oriatur obligatiò ſigilli. Reſpondet Scotus ſuprà: *Licet interpres velit celare, & teneatur celare, ſicut Sacerdos; tamen ſi velit malignari, ipſe & Sacerdos poſſunt eſſe teſtes contra accuſatum, & ita ex natura hujuſmodi accuſationis hæc accuſatio poteſt venire in publicum.* Eſtò enim in foro Eccleſiæ non adhiberetur fides hujuſmodi teſtibus; equidem in foro civili apud hæreticos, qui negant Sacramentum Pœnitentiæ, indubiè admitterentur hujuſmodi teſtimonia.

Hinc Scotus ſuprà: *Maximè autem videtur, quòd non ſit confitendum per interpretem, quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum.* Quid mirum, cùm etiam ſoli Sacerdoti non ſit confitendum, quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum? Sicut ergo ex hoc Antecedente non bene infertur; ergo Confeſsio, quæ fieret tali Sacerdoti, non eſſet valida: ita etiam ex doctrina Scoti non bene infertur; ergo Confeſsio quæ fieret per interpretem, non eſſet valida, ſeu ſufficiens ad validam Abſolutionem.

Quòd autem valeat Confeſsio per interpretem probatur; quia per ipſam ſufficienter manifeſtantur peccata Sacerdoti in ordine ad Abſolutionem: quod à fortiori conſtat (inquit Lugo diſp. 15. nu. 60.) ex Sacramento Matrimonii, quod omnes concedunt poſſe celebrari per interpretem coram Parocho, & teſtibus; ut cum aliis, quos congerit, tradit Thomas Sanchez lib. 3. de Matr. diſp. 39. & licèt ipſe id probet à fortiori, ex Sacramento Pœnitentiæ, in quo magis deſideratur, quòd Confeſſarius habeat notitiam peccatorum, & tamen ſufficit notitia, quam habet per interpretem, unde à fortiori ſufficiet, quod Parochus per interpretem habeat notitiam conſenſûs, quem præſtant conjuges.

Ego tamen exiſtimo, majorem notitiam requiri in Parocho, ut validè aſsiſtat Matrimonio, quàm in Confeſſario, ut abſolvat; quia in Matrimonio ideo requiritur præſentia Parochi & teſtium, ut poſsit legitimè Eccleſiæ conſtare de Matrimonio celebrato, ſi fortè conjux poſteà id negaret, vel ut conjuges id poſsint apud Eccleſiam probare: ad hoc autem poſſet apparere inſufficiens conſenſus præſtitus per interpretem; quia Parochus non poteſt teſtari de conſenſu, cùm ipſe non intelligat idioma contrahentium, ſed ſolùm poſſet dicere, interpretem dixiſſe illos conſentire: unde ſi poſteà conjuges negarent conſenſum, & dicerent interpretem fuiſſe mentitum, non poſſet aliquid plenè contra ipſos probari, cùm totum reduci deberet ad teſtimonium unius interpretis. quàm in Confeſſario.

Si ergo conceditur ſufficiens illa notitia per interpretem data, ut Parochus validè aſſiſtat, faciliùs concedi debet ſufficiens ſimilis notitia ad Confeſſionem Sacramentalem, in qua non requiritur notitia, quâ poſteà poſſit apud Eccleſiam probari illud peccatum, vel ejus Confeſſio; ſed quâ Confeſſarius in foro interno poſſit pœnitenti contra ſe loquenti credere, ad quod ſufficit modus ille loquendi per interpretem, ſicut in aliis rebus & negotiis humanis. Hucuſque Eminentiſſimus.

Sed hallucinatur in referenda ſententia Sanchii, cujus ipſiſſima verba ſubſcribo: Non minus exigitur in Sacramento Pœnitentiæ, ut Sacerdos intelligat pœnitentis peccata, cùm ſit judex: ſed in eo ſufficit intelligere per interpretem, ùt fatentur omnes, & teſtatur uſus Eccleſiæ, quando Sacerdos & pœnitens ſunt diſtincti idiomatis: ergo & in Matrimonio. Hæc eſt probatio Sanchii non à fortiori, ſed à ſimili. 14. Sed eandem requirit in Confeſſario docet Sanchez,

Atque hanc ſimilitudinem agnoſcit Arriaga diſp. 51. n. 45. ibi: Ego in hoc puncto dico, nec majorem, nec minorem eſſe quoad hoc difficultatem in uno, quàm in altero Sacramento. Et quidem quòd non ſit faciliùs in Sacramento Matrimonii, videtur bene probatum à Cardinali; quòd autem è contrario, nec difficiliùs in eo ſit, patet; quia ſicut Parochus ideo conſtituitur ut teſtetur, ac proinde videatur debere ipſe immediatè ipſos contrahentes audire, ut certò poſſit teſtari; ita Sacerdos, cùm debeat ipſe eſſe judex, & deſignare Pœnitentiam, deberet ipſe immediatè intelligere Pœnitentem: ibi enim ego eamdem faciam interrogationem; Quid ſi interpres unum peccatum pro alio ſuppoſuit, & pro reſervato dixit non reſervatum, vel è contrario, aut pro mortali veniale? Cur ergo hìc non deberet judicari magis periculoſa deceptio, quàm ibi circa Parochum? Aut ſaltem cur non æqualis? Hactenus Arriaga. & Arriaga.

Quæris quid ego ſentiam? Sufficit ad intentum meum ſimilitudo inter unum, & alterum Sacramentum; præſertim cùm totum pendeat à voluntate Chriſti, ſic inſtituentis Sacramentum Pœnitentiæ, ut valeat notitia peccatorum Judicium Authoris.

torum per interpretem. Hanc autem voluntatem optimè colligimus ex communi uſu & praxi fidelium.

15. *Probatur valor Confeſſionis publicæ;*

Cæterùm eadem ratio militat pro valore Confeſſionis publicæ; quia nimirum ad valorem Sacramenti nihil aliud requiritur, quàm ut peccata manifeſtentur Sacerdoti tamquam judici, in ordine ad obtinendam eorum remiſſionem: quòd autem hoc vel illo modo id fiat, parùm refert, inquit Lugo diſp. 15. n. 59. Intellige, quantum ad valorem; alioquin multùm referre, ad hoc, ut licitè fiat, patet ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Nec ſatis conſultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publicâ eſſent Confeſſione aperienda.*

quæ etiam aliquando licet, ut probat praxis fidelium.

Interim aliquando licere Confeſſionem publicam, probatur ſufficienter ex praxi fidelium, qui in naufragio, vel incendio, aut ſimili periculo mortis, quando tempus non permittit, ſecretam Confeſsionem, publicè fatentur ſua peccata, & petunt Abſolutionem. An autem tali caſu ſit obligatio confitendi ſpecialiter ſua peccata, puto quòd non, ſed ſufficeret generaliter ſe agnoſcere peccatorem, uti etiam communiter ſolùm fit: per quam Confeſsionem nulla irrogatur infamia pœnitenti; ſupponitur quippe, omnem, qui confitetur, eſſe peccatorem; unde nec peccatum veniale in genere cadit ſub ſigillum.

Alius caſus eſſe poteſt, quando pœnitens, quantum fieri poteſt, ſecretè confitetur, per accidens tamen aliqui audiunt; talis enim quamvis fortè non teneretur, tamen propter majorem ſecuritatem licitè poteſt confiteri, niſi ſpecialis ratio obſtet.

16. *Quam Scotus vocet Confeſſionem ſacramentalem.*

Itaque, ut ad Scotum revertamur, illam ipſe vocat Confeſsionem Sacramentalem, ad quam regulariter & per ſe obligantur fideles ex inſtitutione Chriſti. Talis autem eſt Confeſsio, quæ fit ſoli Sacerdoti; qui ſolus habet poteſtatem ligandi, atque ſolvendi; ex qua ſola poteſtate colligitur obligatio confitendi ùt liquidò conſtat ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tamquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo pro poteſtate clavium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuntient.* Ergo pœnitens in hoc foro ſoli Deo, & ejus Vicario ſubjicitur; ergo illis ſolis debet fieri accuſatio: & per conſequens ſi aliis fiat, illa notitia per accidens ſe habet ad Sacramentum, & planè impertinens eſt ad validam Abſolutionem.

Proindè meritò dixit Scotus, Confeſſionem publicam, aut per interpretem non eſſe Sacramentalem, ſcilicet quantum ad actum publicitatis, ut ſic loquar, quia talis modus ex natura ſua tantùm ordinatur ad forum publicum; licèt in ſubſtantia poſſit eſſe Sacramentalis, quà videlicet includit informationem judicis, cum intentione recipiendi Abſolutionem. Igitur ſententia Scoti in hac materia eſt ſententia communis, putà:

CONCLUSIO II.

Publica Confeſſio, aut per interpretem non videtur obligare, etiam in extrema neceſſitate.

Loquor de Confeſſione, quâ in ſpecie & ſigillatim omnia peccata mortalia, etiamſi occultiſſima illa ſint, declarantur. Et quidem publicam Confeſſionem non obligare nemo inficiatur, & probatur communiter ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Cæterum quo ad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publicâ eſſent Confeſſione aperienda.* Pub Con nem obli prot Trid

Si dixeris; Concilium non loquitur de publica Confeſſione Sacramentali; id eſt, in ordine ad Abſolutionem, non enim meminit remiſſionis peccatorum. Reſpondeo; ſaltem loquitur illo cap. de ſecretâ Confeſſione Sacramentali, eamque docet non alienam à divino mandato, ſed jure divino neceſſariam & inſtitutam eſſe, atque ab omnibus ſemel in anno, juxta magni Concilii Lateranenſis Conſtitutionem adimplendam; quo ſatis ſignificat, Confeſſionem publicam, Sacramentalis ſit (ſicut eſſe poteſt) vel non, neque jure divino, neque humano eſſe neceſſariam; niſi velimus, Conc. tradidiſſe doctrinam prorſùs mutilam, ne dicam perniciosam, cùm paſſim omnes Chriſti fideles judicent, ſe non teneri, nequidem jure divino, confiteri publicè, etiam in ordine ad Abſolutionem ſeu remiſſionem ſuorum delictorum. Atque hoc ſignificat ly *Solus*, quo utitur Concilium Later. dicens: *Omnia ſua ſolus peccata &c. confiteatur.* De prima ergo parte Concluſionis noli dubitare. Obj Sol

De ſecunda autem parte, ſcilicet de neceſſitate Confeſſionis per interpretem, diſputatur inter Doctores Catholicos, Nonnullis aſſerentibus, eam omnino obligare ex præcepto divino; ſecùs ex præcepto Eccleſiaſtico. Poſterius probant ex Cap. *Omnis utriuſque ſexûs,* ubi expreſſis verbis (inquit Lugo diſput. 15. n. 65.) præceptum Confeſſionis annuæ imponitur, ut omnis fidelis teneatur ſolus confiteri ſua peccata proprio Sacerdoti &c. Ubi particula, *Solus*, apertè excludit obligationem confitendi coram alio. Unde non video, quomodo Vaſquez q. 91. a. 4. dub. 3. n. 3. dicat, ex illo textu nihil colligi; quia in eo ſolùm dicitur; Alli cen feſſi per pret nec jure ſeci eccl

Digitized by Google

dicitur, quòd Confeſsio fiat proprio Sacerdoti; de modo verò, an per ſe, vel per alium pœnitens confiteri debeat, nihil dici. Hæc Emin.

Sed contrà, dicet aliquis; calumnia eſt, ſecretam Confeſsionem, id eſt, quæ fit ſoli Sacerdoti, inventum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Later. congregatis initium habuiſſe; *neque enim* (inquit Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 5.) *per Lateranenſe Conc. Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod iure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum divinum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.*

Vel ergo præceptum divinum non obligat ad confitendum per interpretem, vel etiam obligat præceptum Eccleſiaſticum; cùm hoc non ſit aliud, quàm determinatio illius; ergo ly *Solus*, æquè concernit præceptum divinum ac humanum, adeòque ſi excludat interpretem à præcepto humano, itidem excludet eum à præcepto divino. Alioquin præceptum annuæ Confeſſionis non obligat ad id, quod Eccleſia jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat.

Arriaga diſp. 51. n. 50. dubitat, utrùm illa particula, *Solus*, ſit ibi poſita à Concilio, animo excludendi interpretem; an verò juxta phraſim, quam Tridentinum poſteà tenuit, ad excludendam obligationem Confeſſionis publicæ, quæ olim ſolebat in aliquibus Eccleſiis eſſe.

Et poſt pauca ſubinfert: Unde P. Vaſquez licèt omiſerit illud verbum, *Solus* (in quo videtur eſſe aliqua difficultas, & ob quod eum reprehendit Lugo) re tamen ipsâ bene docuit eâ quæſt. 91. a. 4. dub. 3. n. 9. contra Sylveſtrum, ſi ſemel dicatur, obligari nos in articulo mortis ad Confeſſionem per interpretem, etiam fore obligationem ad ſatisfaciendum præcepto annuæ Confeſsionis per interpretem.

Reſpondet Cardinalis ſuprà n. 75. non potuit Eccleſia velle, quod jus divinum obligaret, quando pœnitens non poteſt ſolus confiteri; ſed coram alio; cùm expreſsè excluſerit à ſua obligatione vel modificatione caſum illum.

Sed hoc eſt, quod quæritur! & ſolùm excluſiſſe caſum illum publicæ Confeſsionis, qualis non eſt Confeſsio per interpretem, ùt fatetur Eminent. n. 73. videtur evidenter probari argumento ſuprà facto; nam Tridentinum non alterius meminit modificationis ſeu determinationis, quàm ut præceptum divinum Confeſsionis, quod alioquin ſolùm urgebat in articulo mortis, ſaltem ſemel in anno impleretur.

22. Quapropter ſentio cum Vaſquez, & aliis; vel Confeſsionem per interpretem non obligare ex præcepto divino, vel etiam obligare ex præcepto Eccleſiaſtico. Porrò quòd non obliget ex præcepto divino, & conſequenter, neque ex præcepto Eccleſiaſtico, ratio à priori eſt, voluntas Chriſti, quam colligimus ex communi ſenſu Doctorum, paucis ſeſe opponentibus, idque ſatis debili fundamento, ùt jam oſtendo. *per interpretem non obligare ex jure divino.*

Licèt, inquit Lugo (qui unus eſt ex illis paucis) præceptum divinum non obliget ad confitendum peccatum cum gravi detrimento extrinſeco; non tamen apparet ejuſmodi detrimentum ſequi ex Confeſſione facta per interpretem fidelem & prudentem, cui non minùs, quàm ipſi Confeſſario fidere poſſit pœnitens. Suppono enim interpretem etiam obligatum manere ſecreto, atque adeò totum detrimentum eſſe, quòd peccata, quæ aliàs nota eſſe deberent uni, manifeſtentur duobus. Hoc autem non eſſe tanti ponderis, ut excuſet ab obligatione divini præcepti, probari poteſt ex aliis caſibus, in quibus non obſtante hujuſmodi detrimento obligat Confeſſionis præceptum. Hucuſque Cardinalis ſuprà n. 66. *Fundamentum oppoſitæ ſententiæ ex Lugone.*

23. Reſpondeo ex Scoto 4. diſt. 17. n. 31. illam non eſſe præciſam rationem; ſed *quia forus iſte ex natura ſua*, id eſt, ex inſtitutione Chriſti, *eſt ſecretiſſimus*. Quamquam enim aliter potuiſſet Chriſtus Sacramentum inſtituere, equidem ſine fundamento aſſeritur inſtituiſſe. Conſtat nobis inſtituiſſe Confeſſionem ſecretam, quæ fieret ſoli Sacerdoti, ùt patet ex dictis Concluſ. præced. De Confeſſione autem per interpretem; neque Scriptura; neque ullum Concilium, neque Traditio meminit; quo ergo fundamento aſſeritur, eam inſtituiſſe & præcepiſſe? Herclè Confeſſio, quæ fit ſoli Sacerdoti, tam difficilis eſt, ut niſi eam Chriſtus præcepiſſet, Eccleſia non potuiſſet eam præcipere, ùt docuimus ſect. 6. concl. 2. *ad quod reſpondetur ex Scoto.*

Quam difficultatem agnoſcens Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ait: *Ipſa huiuſmodi Confeſſionis difficultas, ac peccata* (etiam ſecretiſſima) *detegendi* (vel uni homini) *verecundia, gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſq; commodis & conſolationibus levaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per Abſolutionem certiſſimè conferuntur.* Quantò difficilior erit Confeſſio, & gravior verecundia, non uni tantùm, ſed duobus (tametſi uterque teneatur celare) detegendi ſecretiſsima peccata! Quot hodie inveniuntur, qui nec uni audent detegere, quantò minùs detegere duobus? Ergo non eſt veriſimile (quidquid ſit de gravi detrimento famæ) Chriſtum actum tam difficilem inſtituiſſe & præcepiſſe, cujus mandata gravia non ſunt, & cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. *Difficultas Confeſſionis probatur teſtimonio Conc. Trident.*

Quamvis ergo Chriſtus potuiſſet obligare fideles ad illam verecundiam, tamen ex nullo ejus dicto aut facto conſtat, voluiſſe obligare. Nonne etiam potuit obligare ad Confeſsionem

Ffff 3 publi-

publicam? Potuit omninò, & tamen noluit. Verbo ut abſolvam; non ſunt multiplicandæ obligationes ſinè neceſsitate, qualis hìc nulla oſtenditur.

24. Reſpondetur ad caſus ſimiles.

Quantum ad alios caſus, quos ſuprà affert Cardinalis: putà quando Superior non poteſt audire Confeſsiones integras eorum, qui habent caſus reſervatos, & ideo cogitur pœnitens duobus manifeſtare ſuum peccatum ſub eodem ſigillo Confeſsionis. Item quando habens peccatum reſervatum, poteſt in aliquibus caſibus abſolvi directè ab inferiori, cum onere tamen poſteà comparendi coram Superiore.

Ad hos, inquam, caſus Reſpondeo; obligatio, ſi quæ in illis eſt, manifeſtandi ſuum peccatum Superiori, & inferiori, dependet ex libera voluntate pœnitentis; aut certè non oritur ex præcepto Confeſsionis, ſed ex particulari voluntate Eccleſiæ, quâ voluit, ut abſolutus à ſententia Canonis, vel hominis, propter periculum mortis, vel aliud impedimentum, ab eo, à quo aliàs non poterat abſolvi, ſi ceſſante impedimento ſe non præſentet (dum commodè poteſt) ei, à quo aliàs abſolvi debuerat, reincidat in eandem ſententiam, quod indubiè Eccleſia facere potuit; quia ſicut hæc ipſa inſtituit illas pœnas, ita etiam inſtituere potuit formam & modum ab illis abſolvendi; adeòque Superiori reſervare impoſitionem debitæ ſatisfactionis.

25. Objectio.

Dices cum Lugone ſuprà n. 69. Undecumque proveniat illa obligatio, certum tamen eſt, non poſſe hìc & nunc pœnitentem confiteri ſuum peccatum inferiori, quin eo ipſo cogatur illud manifeſtare duobus, & tamen hoc detrimento non obſtante, præceptum divinum Confeſsionis obligat ad confitendum hìc & nunc peccatum, & ad contemnendum illud incommodum.

Prima reſponſio.

Reſpondeo; eſtò ſit obligatio revelandi ſuum peccatum in ultimo caſu Superiori & inferiori, de hac obligatione nobis conſtat per expreſſam voluntatem Eccleſiæ; de obligatione autem confitendi per interpretem, quæ pendet à ſola voluntate Chriſti, minimè; immo contrarium ex communi ſenſu Theologorum; ergo non valet Conſequentia à Confeſsione reſervatorum, ad Confeſsionem per interpretem.

26. Secunda.

Deinde ſufficeret tali caſu, ſe præſentare per Confeſſarium; ſic enim obtinetur finis præcepti, qui eſt, mandatum Superioris humiliter recipere, & ſatisfacere prout juſtitia ſuadebit, quod totum fieri poteſt, etſi pœnitens in propria perſona non compareat.

Tertia.

Denique, quid ſi dixero, onus perſonaliter comparendi, eſſe cauſam ſufficientem dimidiandi Confeſsionem? Cùm enim onus illud ſit extrinſecum Confeſsioni; nam illa poſterior manifeſtatio, quæ fieri debet Superiori, non eſt ullo modo Confeſsio, ùt patet; neque ullo modo neceſſaria ad Confeſsionem juxta Chriſti inſtitutionem; cur non excuſet à materiali integritate, ſicut excuſat periculum, ne Confeſſarius alicui revelet peccatum contra obligationem ſigilli? Maximè, cùm Superior fortaſsis non teneatur illud peccatum celare; non enim manifeſtatur in ordine ad Abſolutionem Sacramentalem, ſed tantùm ne abſolutus reincidat in eandem cenſuram.

Si dixeris; conſtat Eccleſiam præcipere illam comparitionem. Reſpondeo; perſonalem, nego; realem, ut ſic loquar, id eſt, ut pœnitens compareat per ſe, vel per alium, tranſeat. Vel aliter diſtinguo; præcipit illam comparitionem, dependenter à voluntate pœnitentis; id eſt, ſi velit abſolvi ab inferiori, concedo totum; independenter, velit nolit, ita ut cogat ipſum confiteri inferiori, cum tali onere, nego. Hoc enim eſt, quod quæritur; an quando non adeſt Confeſſarius, qui poteſt me abſolvere ſinè tali onere, tenear confiteri ex jure divino; an verò poſſim Confeſsionem differre, aut dimidiare, donec habeam copiam Confeſſarii, qui poſsit me ſinè tali onere abſolvere. Ob... ſol...

Et ſanè ipſe Cardinalis eâdem diſp. n. 117. fatetur, Prælatum, qui concedit inferiori poteſtatem abſolvendi à reſervatis in itinere, cum onere poſtea coram ſe comparendi, nullatenus obligare ſubditum ad acceptandam facultatem ſub eo onere; ſed offert, inquit, facultatem, ut vel reſpuat, vel liberè eam ſub tali onere acceptet. Ergo, infero ego, poteſt reſpuere, etiam quando urget præceptum divinum Confeſsionis; adeòque celebrare, aut accipere Euchariſtiam ſinè prævia Confeſsione, prout poteſt, quando non habet copiam Confeſſarii.

Et idem dico in primo caſu Lugonis, quando Superior non poſſet, vel non vellet abſolvere ſacramentaliter à peccatis reſervatis; videlicet, tunc pœnitentem poſſe celebrare, & communicare, vel confitendo ſola peccata non reſervata inferiori, vel eliciendo Contritionem charitate perfectam ſinè prævia Confeſsione. Alioquin Prælatus reverà cogeret ad manifeſtandum ſua peccata duobus, quod videtur nimiùm difficile, cùm ſatis difficile ſit, vel uni tantùm manifeſtare. Vide quæ ad hoc propoſitum latiùs diximus ſect. 6. concl. 5. Ref... tur... ſum... nis.

Joannes Poncius diſp. 46. n. 46. reſpondet ad propoſitam difficultatem: eo ipſo quo voluntariè incidit in peccatum reſervatum, ipſemet liberè obligat ſe ad confitendum eo modo, quo neceſſarium eſt, ut abſolvatur à peccato, ſive id faciat uni, ſive duobus: ſed non liberè ſe ſubjecit ac culpabiliter impedimento illi, unde oritur quòd non poſsit confiteri, niſi per interpretem: ergo quamvis teneretur duobus in primo caſu, non ſequitur quòd teneatur id facere in ſecundo. Hucuſque Poncius. Sent... Joan... cii d... poſit... culti...

Sed non placet hæc diſparitas; nam argu- que...

mentor

Digitized by Google

mentor ſic: eo ipſo, quo quis voluntariè incidit in peccatum mortale, ipſemet liberè obligat ſe ad confitendum eo modo, quo neceſſarium eſt, ut abſolvatur à peccato, ſive id faciat per ſe, ſive per interpretem; ergo ſi in primo caſu tenetur duobus, etiam tenetur in ſecundo. Neque enim impedimentum reſervationis magìs ipſi liberum eſt, cùm pendeat à ſola voluntate reſervantis, quàm impedimentum linguæ ignotæ.

Cæterùm Eminentiſsimus ſuprà n. 72. libenter admittit, exemplum illud, habentis peccatum reſervatum, non eſſe omninò ſimile; ſed faciliùs poſſe differri Confeſsionem, propter incommodum adhibendi interpretem, quàm propter incommodum manifeſtandi idem peccatum Superiori, & inferiori; quia licèt utrumque ſit æquale incommodum, illud tamen prius videtur eſſe magìs extrinſecum Confeſsioni, quàm hoc poſterius; nam interpres videtur ſe habere ſolùm ùt medium ad Confeſsionem, ſeu ad manifeſtandum peccatum Confeſſario; difficultas autem, quæ provenit à medio, eſt magìs extrinſeca, & faciliùs excuſat, ut conſtat in difficultate itineris ad inveniendum, vel accerſendum Confeſſarium; at verò in poſteriori caſu difficultas eſt magìs intrinſeca, & quæ tota naſcitur ex Confeſsione ipſa: nam tota iſta manifeſtatio eſt Confeſsio, quæ fit utrique tam Superiori, quàm inferiori, licèt per accidens non poſsit compleri apud Superiorem. Hæc ille.

Sed contrà; ſi non eſt omnino ſimile, ad quid ergo affertur? Ad probandum, inquis, quòd manere notitiam peccati ſub ſecreto penes duos, non ſit detrimentum adeò grave, ut propter illud omnino excuſetur homo à præcepto divino Confeſſionis.

Optima reſponſio! Verùm ſi propter illud non excuſetur homo omnino à præcepto divino Confeſsionis, quis tibi revelavit, quòd excuſetur à præcepto divino (ſi tale eſt) confitendi per interpretem ante celebrationem Miſſæ, aut acceptionem Euchariſtiæ? Ubì ſcriptum inveniſti, quòd propter illud excuſetur homo ab annua Confeſsione per interpretem? Nùm fortè propter illud excuſatur homo habens peccatum reſervatum? Quòd ſi Eccleſia in uno caſu poſsit obligare, & cenſetur obligaſſe ad Confeſsionem annuam cum tali incommodo, cur non etiam in alio? Etenim quòd dicis, unum incommodum eſſe magìs extrinſecum, quàm aliud; eſto, quid tum? Nam indè ego inferam; ergo licèt incommodum manifeſtandi idem peccatum Superiori, & inferiori, non excuſet à Confeſsione in articulo mortis; equidem excuſabit incommodum adhibendi interpretem.

32. Sicuti, ſecundùm communem ſententiam (quidquid Eminentiſſimus n. 74. abſque fundamento reclamet) excuſat ab obligatione confitendi in articulo mortis, quòd ego ſciam, Confeſſarium revelaturum meum peccatum vel uni viro prudenti, qui illâ notitiâ in nullius præjudicium utetur. Non præcisè propter gravitatem infamiæ; quia Multi docent, non eſſe peccatum mortale, revelare crimen proximi occultum, uni viro prudenti, qui illud non eſt revelaturus (quamvis & alii hoc negent) ſed quia, ùt ſuprà dixi ex Scoto, *forus iſte ex natura ſua*, id eſt, ex inſtitutione Chriſti, *eſt ſecretiſſimus; ergo non tenetur aliquis ad iſtum forum, ut aliquo modo publicum*. Et quamvis vir ille prudens non ſit revelaturus peccatum, tamen ſi velit malignari, poteſt revelare; & ita hæc accuſatio poteſt venire in publicum.

Confeſſione revelatio Confeſſarii vel uni tantùm.

33. Ex quo patet differentia inter hunc caſum, & caſum peccati reſervati, quando pro abſolutione à cenſura oportet recurrere ad Superiorem; nam abſolutio à cenſura non eſt fori iſtius ſecretiſſimi, id eſt, fori Sacramenti Pœnitentiæ, quamvis aliquando in Sacramento detur; ſed per ſe ſpectat ad forum externum: quid ergo mirum, ſi aliquando peccatum, quod habet annexam cenſuram, debeat duobus manifeſtari, uni pro Sacramentali Abſolutione, alteri pro abſolutione à cenſura?

Differentia inter hunc caſum, & caſum peccati reſervati.

Præſertim cùm Marchantius to. 1. Tribunalis Sacram. tr. 2. tit. 4. q. 7. explicet cap. *Eos qui*, de Sent. Excommun. in 6. in quo præcipitur ille recurſus, explicet, inquam, de ſolis cenſuris deductis ad forum contentioſum; quod an verum ſit, ſuo loco examinabimus. *Marchant.*

34. Similiter reſpondeo ad aliud argumentum Lugonis n. 73. gravius incommodum, inquit ille, æſtimatur plerumque, ſex milliaria conficere, aut vocare Sacerdotem per ſex milliaria diſtantem, quàm confiteri bis, ſeu apud duos idem peccatum: hoc enim poſterius paſſim & abſque difficultate faciunt plures; & tamen iſtud prius incommodum non excuſat à Confeſſione in periculo mortis, quamvis excuſaret à Confeſſione annua, vel Confeſſione præmittendâ Communioni vel celebrationi. Ad hoc, inquam, argumentum Reſpondeo:

Aliud argumentum Lugonis.

Eſto, non excuſet; nunquid Incommodum iſtud repugnat foro iſti ſecretiſſimo, quemadmodum repugnat Confeſſio per interpretem? Liquet quòd non; cùm enim in periculo mortis omnes ſoleant confiteri, etiam illi, qui nullum de novo habent peccatum mortale, ſanè ſinè ulla ſpeciali ſuſpicione, etiam mortalis in genere, multò minùs omnium ſpecialium peccatorum, etiam merè internorum, poteſt adhiberi tanta diligentia vocandi Confeſſarium; ac proinde ne in minimo quidem puncto præjudicat tale incommodum ſecreto Confeſſionis, ſicuti præjudicat Confeſſio per interpretem de omnibus peccatis, etiam merè internis, in ſpecie & ſigillatim.

Solvitur ab Auctore.

Et

Et aliunde, quando Confeſſarius eſt præſens, evitari poteſt periculum damnationis, ſi moribundus det ſigna doloris, & petat Abſolutionem, eſtò nullum peccatum dicat in particulari; quia tunc omnia ſaltem indirectè remittentur, quod non habet locum, quando Confeſſarius abeſt; ergo major ratio eſt acceſſendi cum incommodo aliquo Confeſſarium abſentem, quàm confitendi Confeſſario præſenti omnia peccata in ſpecie, & ſigillatim per interpretem.

35. Præciſè ex vi præcepti divini Confeſſionis non eſt obligatio confitendi per interpretem in articulo mortis.

Perſiſto itaque in Concluſione, & dico, præciſè ex vi præcepti divini Confeſſionis nullam eſſe obligationem confitendi per interpretem omnia ſua peccata in ſpecie, & ſigillatim, etiam in periculo mortis; *maximè*, ſicut ait Scotus ſuprà, *quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum.* Ubì ly *Maximè* ſubindicat, etiam non eſſe obligationem, ſecluſo iſto timore: quamvis Scholiaſtes ex illa particula occaſionem ſumpſerit dicendi: Doctor videtur admittere, præceptum confitendi per interpretem obligare, quando non timetur revelatio Confeſſionis.

[illegible]

Quæ expoſitio confirmari poteſt ex Report. impreſſis Lugduni eâdem diſt. n. 33. ubì ſic ſcribit Doctor: *Ad tertium de muto, dico, quòd mutus, ſi aliter non poteſt loqui, debet confiteri per ſigna, ſi nota ſint illa Sacerdoti: quòd ſi non ſint ei nota, videtur quòd debet confiteri per interpretem, qui novit iſta ſigna. Et ſi hoc ſit verum* (ergo dubitat de veritate) *tunc dico, quòd quicumque interpres illius muti, noſcens ſua ſigna, tenetur ad ſigillum Confeſſionis obſervandum, ſicut Sacerdos, ſive ille interpres ſit laicus, ſive Clericus; & tunc non eſt periculum, facere Confeſſionem per interpretem ſive unum, ſive alium. Si verò ſit periculum, quòd nolit hoc celare, dico, quòd non oportet nec mutum, nec barbarum confiteri per interpretem; ſed mutus confiteatur Deo, & expectet proprium Sacerdotem, & hoc univerſaliter melius eſt, quàm confiteri per interpretem talem; quia nullus tenetur exponere ſe periculo infamiæ.* Hucuſque Scotus.

Et in Report. impreſſis Coloniæ eâdem diſt. n. 12. ita lego: *Ad aliud de barbaro dicitur, quòd debet confiteri per interpretem. Sed non audeo hoc aſſerere; ſed expectet, cum propoſito confitendi, tùm habebit Sacerdotem præſentem, cui poteſt loqui.*

36. An ſaltem ex præcepto Charitatis non ſit obligatio?

Quæris à me, an ſaltem ex præcepto Charitatis non ſit obligatio? Reſp. affirmativè, ſi moribundus probabiliter timeat vel dubius ſit de Contritione Charitate perfectâ; ſaltem ad Confeſſionem ſufficientem pro valida Abſolutione. Ratio in promptu eſt; quia in extremis eligendum eſt medium ſaluis magìs certum, ſaltem abſolutè certum, quale non eſt Contritio, quam probabiliter timeo non eſſe Charitate perfectam; ergo tunc eligenda Confeſſio, quæ eſt medium moraliter certum.

Quia autem ad validam Abſolutionem non ſemper requiritur Confeſſio materialiter integra, ſufficeret tali caſu confiteri aliqua peccata mortalia minoris infamiæ, vel ſolùm in genere ſe accuſare de peccatis mortalibus, & in particulari de aliquo ſolùm veniali. Vix equidem eſt natum fieri, ut quis, etſi idiomatis ignarus, non poſſet abſque interprete per ſcriptum vel nutus explicare Sacerdoti aliquod ſaltem peccatum in particulari, cùm etiam id facere poſſint muti. Deinde quando id fieri non poſſet, ſufficeret exprimere in genere deſiderium Abſolutionis, & ſtatum peccatoris in communi; quod utique poſſet facere per nutus, & ſinè incommodo, etiam per interpretem. Ita Herincx part. 4. tract. 4. diſp. 3. n. 91. He.

Sed numquid ſi omnia peccata ſua poſſet exprimere per ſcriptum, vel nutus, teneretur ſic exprimere? Deinde ſi voce poſſet exprimere, nunquid ſufficeret exprimere per ſcriptum, vel nutus? Reſpondeo ad utramque quæſtionem:

CONCLUSIO III.

Conſuetudo requirit Confeſſionem vocalem, quamvis ratio non oſtendat, quòd ſub mortali. Sufficit ad vocalem, quòd pœnitens, poſtquam Sacerdos legit peccata ſcripta, dicat, *Accuſo me de his omnibus.* Interim nutu, aut ſcripto, in defectum vocis, poteſt, & debet fieri, ſi abſit periculum infamiæ.

SUppono tanquam certum; Confeſſionem realem (ſi ita loqui placeat) id eſt, quæ fit ſcripto, aut nutibus, tametſi alioquin foret poſſibilis Confeſſio verbalis, id eſt, quæ fit verbis formalibus, & propriè dictis, nihilominus validam eſſe, eſtò aliqui in contrarium citentur. Co voc eſt nu- tex me

Et oſtendo manifeſtè ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ubì probat neceſſitatem Confeſſionis: *Quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad Cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo pro poteſtate Clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuncient: conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuiſſe* &c. Pre Cor

Atqui tam perfectè, ſi non perfectius, per ſcriptum deferuntur mortalia crimina ad Sacerdotes; & tam perfectè, ſi non perfectius, cognoſcitur

Digitized by Google

noſcitur cauſa per ſcriptum, quàm per voces; ergo &c.

Sanè ad judicium humanum, ſecluſo jure poſitivo, perinde eſt, an accuſatio fiat verbo, ſcripto, vel nutibus, immo ordinariè requiritur, quòd fiat ſcripto; cur ergo etiam id non ſufficiet in judicio ſacramentali? Scio Abſolutionem ſcriptam non valere, etſi ſententia in foro externo ſcripta ſufficiat, & in aliis multis eſſe differentiam inter unum, & aliud judicium; ſed ut idem credam de Confeſſione vocali, nullam talem habeo rationem, qualem habeo pro Abſolutione vocali, & aliis multis.

Quin immo, inquit aliquis, ratio eſt; quòd Conc. Florentinum in Decreto Eugenii vocet quaſi materiam hujus Sacramenti, oris Confeſſionem: ibi: *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima eſt cordis Contritio . . . . . Secunda eſt oris Confeſſio.*

Reſpondeo; aut ſignum æquivalens, ùt patet ex illis, quæ ſequuntur, *Ad quam*, inquit, *pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter.* Non dicit; *Confiteatur vocaliter*, ſive vocibus propriè dictis; ſed ſimpliciter, *Confiteatur*, id eſt, manifeſtet Sacerdoti ſua peccata, quod fieri poteſt, ùt jam oſtendimus; ſcripto, aut nutibus abſque verbis propriè dictis. Simili modo idem Concilium in eodem Decreto loquitur dicens: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ:* quod tamen intelligendum eſt etiam de verbis impropriè dictis, ſeu ſignis æquipollentibus, propter Matrimonium, quòd contrahi poteſt ſolis nutibus.

Quod probè intelligens Concilium Trid. ut omnem ambiguitatem tolleret, ſeſſ. 14. c. 3. ſecundam partem Pœnitentiæ, quam Florentinum vocaverat, *Oris Confeſſionem*, ſimpliciter appellat, *Confeſſionem* dicens: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti, ipſius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.*

Suppoſitâ ergo validitate Confeſſionis, alio modo factæ quàm verbis propriè dictis; nihilominus conſuetudinem confitendi vocaliter, nemo inficias ierit; in tantùm; ut licèt multi reperiantur, qui peccata ſua, memoriæ cauſâ, ſcripta ſecum habeant, equidem vocaliter confiteantur. An autem illa conſuetudo obliget ſub mortali, meritò ab Aliquibus dubitatur, eò quòd magìs videatur inducta propter communem modum agendi cum hominibus, quàm animo ſe obligandi.

Et verò quod tantum myſterium in illa explicatione vocali, ut debeat, aut poſſit cenſeri gravis materia? Ad nihil aliud deſervit, quàm ad majorem verecundiam pœnitentis, qui tamen exceſſus non eſt notabilis, ſuppoſito quòd pœnitens ſit præſens, quando confitetur, ùt graphicè expreſſit Doctor Subtilis 4. diſt. 17. n. 32. *Quilibet ſcribens aliquid, facit in hoc, quod eſt contra naturam ſigni idonei in Confeſſione: & in iſta ſcriptura tollitur verecundia, quæ eſt pœna magna in Confeſſione, & hoc niſi confitens ſit præſens, quando per ſcriptum confitetur: & ideò quod dicitur* 30. q. 5. Qualis debeat. *quòd quis poteſt confiteri per ſcripturam, Ioannes exponit, quando confitens eſt præſens; quia abſens non poteſt licitè*, id eſt, ſinè gravi peccato. Ergo præſens, ſecundùm Scotum, poteſt licitè, id eſt, ſinè gravi peccato; quia videlicet tunc non tollitur verecundia, quæ eſt pœna magna in Confeſſione; licèt paululùm minuatur, & ideò poſſit eſſe peccatum veniale. Scotus.

40. De Confeſſione per ſcripturam, quæ fieret abſenti, intelligo, quod refertur cap. *Quem pœnitet.* diſt. 1. de Pœnit. ex lib. de vera & falſa Pœnit. (apud D. Auguſtinum tom. 4.) c. 10. *Præcepit Dominus mundandis* (alias *mundatis*) *ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentiâ confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit enim, Ora monſtrate, & Omnes, non unus pro omnibus. Non alium ſtatuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus, à Moyſe ſtatutum. Sed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis. Ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quod per ſeipſum dicit* (verbis formalibus, aut æquipollentibus) *Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis; fit enim per Confeſſionem veniale, quod criminale erat in operatione.* Explicatur cap. Quem pœnitet. d. 1. de Pœnit.

Cùm ergo voces propriè dictæ neque ex jure divino, neque ex jure Eccleſiaſtico ſcripto probentur neceſſariæ; ratio quoque naturalis nulla adferatur alicujus notabilis conſiderationis; ignoro planè, quare Doctores communiter doceant, conſuetudinem illam graviter obligare; meo judicio, ſalvo meliori, magìs alleviandum eſt, quantum fieri poteſt, jugum Confeſsionis, quàm aggravandum.

41. Dices; videtur quidam contemptus & irreverentia, non velle duo vel tria ſolummodo verba proferre, ut putà; *De his me accuſo*, quando commodè fieri poteſt, maximè cùm hoc ſit ſecurius. Objectio.

Reſp. quantum ad ſecuritatem; nulla eſt ratio dubitandi de valore Confeſsionis aliter factæ ùt ſtatim videbimus. Contemptus autem, ùt ſuppono, non eſt formalis; porrò virtualis, qui non eſt aliud, quàm voluntaria transgreſsio præcepti, ubì & quando commodiſsimè poſſet ſervari, mortalis eſt, vel venialis, prout præceptum graviter aut leviter obligat. Solutio.

Interim omnibus auctor ſum, ut, quantum commodè fieri poteſt, voce confiteantur, non autem ſcripto, aut nutu; ſin verò obſtet nimia verecundia, aut prohibeat periculum revelationis peccatorum propter adſtantes, aut alia juſta cauſa occurrat, putà difficultas in loquendo, nimia ſcrupuloſitas in expli- Conſulitur Confeſſio vocalis.

canda ſpecie, aut numero peccatorum &c. conſulo, ut potiùs ſcripto confiteantur, quàm omnino abſtineant, aut formaliter non integrè confiteantur; nec ſoliciti ſint de peccàto, quia nullum erit. Quamquam exiſtimem, ſi vera eſt ſequens pars Concluſionis, vix poſſe occurrere cauſam juſtam, cùm facillimum ſit his, qui loqui poſſunt, dicere illa verba: *Accuſo me de his omnibus*, poſtquam Sacerdos legit peccata ſcripta.

42. Sufficit ad vocalem Confeſſionem quòd pœnitens dicat: *Accuſo me de his omnibus*, poſtquam Sacerdos legit peccata. *Lugo.* Probatur à ſimili. *Suarez.*

Quòd autem hoc ſufficiat ad vocalem Confeſſionem, ùt habet ſequens pars Concluſionis, docet Lugo diſp. 15. n. 80. quem alii Recentiores ſequuntur. Probatur à ſimili; ſi Sacerdos aliunde peccati notitiam haberet, v. g. ſi vidiſſet me peccantem, ſatìs eſſet, ſi pœnitens diceret; *Accuſo me de illo peccato, quod vidiſti.* Ita tenet Suarez diſp. 22. ſect. 6. n. 5. dicens: Si repetitio Confeſsionis (invalidæ) fit eidem Sacerdoti, qui adhuc retinet memoriam ſufficientem peccatorum, non erit neceſſarium ſingula dicere; ſed omnia uno verbo ſubjicere ſupplendo defectum. Ratio eſt; quia ſuppoſitâ priori narratione, illud unicum verbum æquivalet diſtinctæ Confeſſioni; quia ſufficienter faciet præſentia peccata omnia in notitia Confeſſoris. Sicut ſi Sacerdos novit extra Confeſſionem omnia peccata, uno verbo dici ei poſſunt in Confeſſione, ſcilicet ſe accuſando de omnibus, quæ alter novit. Et in his conveniunt Auctores. Hæc ille.

Quid autem intereſt, quâ viâ Sacerdos noverit peccata extra Confeſsionem, ſive oculis ſuis inſpiciendo, ſive legendo ex charta, ſive per relationem pœnitentis &c.? Eadem enim eſt ratio; quia videlicet per has voces: *Accuſo me de his omnibus, quæ noſti*, illa peccata, quæ antea ſolùm noverat extra Sacramentum, jam cognoſcit ſacramentaliter, ſeu in ordine ad Abſolutionem ſacramentalem: porrò confiteri ſacramentaliter; non eſt aliud quàm per voces cauſare notitiam ſacramentalem peccatorum.

43. An etiam ſufficiant hæc verba, antequam Sacerdos legit peccata? *Poncius.* *Herinx.* *Lugo.*

Rogas, an etiam ſufficiat dicere illa verba, antequam Sacerdos legerit, aut legat peccata ſcripta? Joannes Poncius in ſuo Curſ. Theol. diſp. 46. n. 48. nullam in hoc differentiam videt; neque Herinx part. 4. tract. 4. diſp. 3. n. 87. eò quòd talis accuſatio ſatìs maneat moraliter, etiam poſt lecta peccata, & ex eo quòd non retractet ſe, & maneat expectans Abſolutionem poſt lecta peccata, ſufficienter innoteſcit Confeſſario, quòd etiam poſt lecta peccata accuſet ſe de illis.

Cardinalis Lugo videt differentiam: Tunc enim (inquit n. 82.) accuſatio verbalis, quæ præcederet, non explicaret ſufficienter peccata; ſed compleretur accuſatio per ſcripturam poſtea legendam, cùm ante illam lectam, nondum ſciret Sacerdos peccata, in judicium adducta. At verò in priori caſu, cùm ſupponeretur notitia peccatorum in Sacerdote, ſufficienter ſe accuſaret verbaliter pœnitens, accuſando ſe de peccatis illis jam cognitis à Sacerdote; per illa enim verba ſatìs ſignificaret, quæ peccata afferret ad judicium. Ita Emin.

Probatur à ſimili: Si pœnitens Sacerdoti præſenti diceret: *Accuſo me de peccatis, quæ poſtea mittam ad te ſcripta*, Confeſſio illa cenſeretur facta abſenti, quia compleretur per ſcripturam, miſſam ad abſentem. Similiter ſi accuſaret ſe in præſentia de peccatis, quæ poſtea Sacerdoti per nuntium explicaret. Secùs ſi priùs per litteras, vel nuntium Sacerdoti abſenti manifeſtaret peccata, & poſteà præſente Sacerdote accuſaret ſe de illis peccatis, quæ ex ſcriptura, vel nuntio noverat. 4 Prob. quòd à ſimili.

Item ſi Sacerdos audiret peccata idiomate ignoto, & poſteà pœnitente abſente interrogaret alium de ſignificatione iſtarum vocum; talis Sacerdos virtute illius Confeſſionis non poſſet abſolvere pœnitentem, niſi repetentem Confeſſionem, vel approbantem, quam prius fecerat; quia nimirum illæ voces nihil tunc ſignificarent Confeſſario, & ideò iſta tunc non fuit accuſatio ſacramentalis. E contrà verò, ſi Sacerdos priùs ſenſum illarum vocum didiceſrat, poſtea illæ eædem voces veram continerent accuſationem ſacramentalem. Sic ergo in caſu noſtro eadem verba poſt lectam ſcripturam ſufficerent ad ſacramentalem Confeſſionem, quæ antea non ſufficerent, quia ob defectum notitiæ in Sacerdote non explicabant illi ea verba, de quibus peccatis pœnitens loqueretur. Hæc ſummatim ex Lugone. Aliud ſimile.

Ego, inquit Arriaga diſp. 51. n. 58. non putarem, ſi utrumque fit in uno momento quaſi moraliter, ut ſimul det ſcedam dicens: *De his me accuſo*, & expectet ibi donec Sacerdos legat, & tunc accipiat Abſolutionem, non, inquam, puto eſſe ullam prorſùs differentiam, & fortè in illo ipſo caſu, quo diceret præſenti; *Accuſo me de peccatis, quæ tibi poſteà mittam, & poſt quæ ego veniam pro Abſolutione*, putarem omnino ſufficere; quia ille adventus poſteà judicari deberet ſuppoſitis circumſtantiis loco Confeſſionis; & ſufficeret ſi diceret: *Peto Abſolutionem de illis.* Hactenus Arriaga. Opin. Arriagæ.

Interrogas quid ego ſentiam? In primis haud dubito, quin adventus ille, de quo Arriaga, eſſet valida Confeſſio, ſi non vocalis propriè dicta, ſaltem æquivalens in ordine ad valorem Sacramenti, immo & vocalis propriè dicta, ſi diceret: *Peto Abſolutionem de illis*; quæ enim differentia inter hæc verba poſt notitiam peccatorum, & illa: *Accuſo me de his peccatis!* Nulla omnino. 45 Sententia Auctoris.

Porrò ſolus adventus, & expectatio Abſolutionis, abſque aliis verbis, ſubſequentibus notitiam peccatorum, non video, quomodo ſit Confeſsio vocalis, de qua hic tractamus; quia per verba præcedentia non ita ſignificabantur peccata, ut pro tunc Sacerdos poſſet ea intelli-

Digitized by Google

intelligere, ergo pro tunc non erant Confeſsio vocalis; quia Confeſsio vocalis ſunt voces, manifeſtantes peccata Sacerdoti, in ordine ad Abſolutionem; pro tempore autem ſubſequenti jam ampliùs illa verba non exiſtunt, adeóque quà talia, id eſt, quà verba propriè dicta, non poſſunt eſſe Confeſsio, ſicuti hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, hodie prolata, non poſſunt cras eſſe forma Conſecrationis; quia forma debet conſtare verbis propriè dictis, ergo ſimiliter hæc verba: *Ego me accuſo de iſtis peccatis*, hodie prolata, antequam Sacerdos peccata noverit, non poſſunt cras eſſe Confeſsio vocalis, eſtò tunc Sacerdos cognoſcat peccata, de quibus pœnitens heri loquebatur.

Sed quid ſi utrumque fiat in uno momento quaſi moraliter, ut ſimul det ſchedam dicens: *De his me accuſo?* Reſpondeo; ſi Sacerdos in eodem momento quaſi moraliter ſimul legat peccata ſcripta, fortè id ſufficeret ad Confeſſionem vocalem; ſicuti ſufficit ad formam Baptiſmi, quòd verba quaſi moraliter proferantur cum ablutione; quamvis non ſufficeret, ſi hodie proferrentur verba, & cras fieret ablutio. Et ratio eſt; quia tunc verba illa formalia, licèt phyſicè ampliùs non exiſtant, equidem moraliter adhuc cenſentur perſeverare, & quaſi adhuc exiſtere pro parvo illo tempore; altero autem die nequidem moraliter, ſed ad ſummũ virtualiter aut habitualiter, quod non ſufficit ad locutionem formalem & propriè dictam; qualis tamen debet eſſe forma Sacramenti Baptiſmi, & Confeſsio vocalis, de qua quærimus.

Alioquin ipſe Cardinalis admittit n. 84. & nos cum illo, ad valorem Sacramenti ſufficere meram ſcripturam, Sacerdoti præſenti datam, tametſi Sacerdoti legenti peccata non annuat, & confirmet ſe id feciſſe, ſcilicet explicitè; nam implicitè ex eo, quòd nõ retractet ſe, & maneat expectans pœnitentiã, & Abſolutionem poſt peccata lecta, cenſetur ſe rurſùm de illis accuſare.

Ex quo patet reſponſio ad fundamentum Poncii, & Herincx; nimirum, accuſationem illam moraliter permanere poſt lecta peccata, quà accuſatio eſt; ſecùs quà accuſatio vocalis propriè dicta. Similiter ex eo, quòd non retractet ſe, & maneat expectans Abſolutionem poſt lecta peccata, ſufficienter innoteſcit Confeſſario, quòd etiam poſt lecta peccata accuſet ſe de illis; accuſet, inquam, realiter, non autem vocaliter.

Reſtat ultima pars Concluſionis, quæ cum communi DD. aſſerit, Confeſſionem realem in defectum Confeſſionis vocalis non ſolùm licitam eſſe; ſed etiam præceptam, ſi abſit periculum infamiæ: quamvis Scotus poſſet alicui videri ſubdubitaſſe; nam 4. diſt. 17. ad 8. argumentum, putà; *Item non habens Sacerdotem præſentem, non poteſt ei verbotenus confiteri, patet: nec tenetur per ſcriptum, quia ſuper hoc non invenitur præceptum divinum.* Reſpondet n. 32. *Ad aliud videtur Confeſſio quandoque facienda per ſcriptum, ut legitur de Thoma Cantuarienſi, qui miſit ad Curiam pro Abſolutione. Sed hoc videtur eſſe contra rationem Confeſſionis; quia omnis ſcriptura ex ſui natura nata eſt eſſe publica; quantumcumque enim aliquis conſervet ſecretè apud ſe ſcriptum, tamen ex quo mittit illud, vel propter nuncium, vel propter illum, ad quem mittitur, poteſt publicari, & ſemper ex ſui natura, eſt patulum cuicumque legenti loquens, quod ibi continetur.* Hæc Doctor Subtilis.

Sed liquet profectò, ipſum loqui de Confeſſione ſcripto facienda abſenti: *Ex quo mittit*, inquit, *illud, vel propter nuncium, vel propter illum, ad quem mittitur.* Et clariùs patet ex ſequentibus verbis: *Quilibet ergo ſcribens aliquid* &c. Vide ſuprà circa principium Concluſ. Explicatur Scotus.

Cæterùm ratio communis doctrinæ eſt; 49. Ratio communis doctrinæ.
quia talis modus confitendi per ſcriptum Confeſſario præſenti, per ſe non eſt publicus, immo aliquando magis ſecretus; nam voces à circumſtantibus faciliùs audiri poſſunt, quàm ſcriptum legi; & ſicut per accidens fieri poteſt, ut voces audiantur, ita etiam per accidens fieri poſſet, ut ſcriptum legeretur. Unde quod dicit Scotus ſuprà: *Omnis ſcriptura ex ſui natura nata eſt eſſe publica*, intelligendum videtur, quando mittitur ad abſentem, aut permanet apud Confeſſarium; ſecùs quando traditur Confeſſario præſenti, & perlecta redditur pœnitenti, mox comburenda, vel alio modo deſtruenda.

Hinc in Report. impreſſis Lugduni eâdem diſt. n. 34. ſic lego: *Ad quartum de illo, qui non habet Sacerdotem, dicitur, quòd tenetur ei confiteri per ſcriptum. Sed hoc non intelligo, quia ſicut forum & iudicium illius Sacramenti eſt ſecretiſſimum, ita & accuſatio debet eſſe maximè privata & ſecretiſſima, quia forma fori privati non eſt de publicè accuſando; ſed omnis accuſatio in ſcriptis, vel facta per ſcripturam, ex genere & natura talis actûs ſcriptura, fit publica ab illo tempore, quo emanat à manu mittentis, propter multa pericula, quæ poſſunt contingere, quibus ſe exponit ſic confitens; quia litteræ poſſunt in via, & in termino aperiri, perdi, & multipliciter diſtrahi; igitur contra naturam Confeſſionis Sacramentalis eſt, quòd fiat per ſcripturam; tenetur igitur expectare copiam Sacerdotis.* Scotus.

Similiter loquitur in Report. impreſſis Coloniæ eâdem diſt. n. 12. ibi: *Quod quidam dicunt* (de non habente Sacerdotem præſentem) *quòd debet confiteri per ſcripturam, hoc eſt contra naturam Sacramenti huius; quia iſte actus quantum eſt de natura ſua debet eſſe privatus. Sed actus ſcripturæ de natura ſua eſt publicus. Unde poſſet nuntius eum decipere aperiendo litteram, vel perdere litteram, & poſſet aperiens litteram eum probare infamem per propriam ſcripturam, ideo tenetur expectare cum bono propoſito.*

Dices, quòd mittatur, vel non mittatur ad 50. Objectio.
abſentem, per accidens eſt; interim ſemper

verum eſt dicere: *Littera ſcripta manet*; & ideò multa homines audent dicere verbis, quæ tamen ſcripto tradere recuſant; ergo ex ſui natura quælibet ſcriptura nata eſt eſſe publica; nam quòd ſtatim poſt Confeſſionem rumpatur, etiam per accidens eſt; immo communiter ab illis, qui ſic confitentur, non rumpitur; quamquam alioquin modus ſcripto confitendi inſolitus ſit, & à paucis frequentatus. Quocirca plures apud Dianam parte 3. tr. 4. reſol. 128. exiſtimant, legem Eccleſiaſticam in tali caſu non obligare, præſertim, quia plerumque talis modus non vacat omni periculo publicationis.

Solvitur. Sed contrarium verum videtur; nam quidquid ſit de natura ſcripturæ, quæ indubiè permanens eſt, in quo diſtinguitur à voce, quæ naturâ ſuâ tranſit; equidem quantum ad eſſe publicum, etiam vox nata eſt eſſe publica; ſic enim hodie multa publicantur in Republica, tam civili, quàm Eccleſiaſticâ ſolâ voce; & hujuſmodi publicatio ſufficit ad inducendam obligationem, quamvis ſcriptura ſæpè addatur, propter ejus permanentiam. Num ideo modus confitendi vocaliter apud ſolum Sacerdotem dicitur ex natura ſua publicus? Minimè; cur ergo modus ſcripto confitendi apud ſolum Sacerdotem præſentem, dici debeat publicus ex ſui natura?

51. Differentia inter modum confitendi per interpretem, & per ſcriptum. Aliud eſt de modo confitendi per interpretem, qui neceſſariò complectitur notitiam plurium, ùt patet; ſecùs modus confitendi per ſcriptum; tametſi hìc & nunc fieri poſſet, ut ex eo plures devenirent in notitiam peccatorum. Et quamvis propter ſcripturæ permanentiam ſæpiùs natum ſit fieri, ut plures deveniant in notitiam peccatorum ex Confeſſione ſcripta, præſertim quando mittitur ad abſentem, quàm ex Confeſſione vocali, quæ non permanet; equidem aliunde, ùt ſuprà notavi, voces faciliùs audiri poſſunt à circumſtantibus, quàm ſcriptura legi.

Quapropter in Concluſione additur illa particula: *Si abſit periculum infamiæ*. Enimvero quando adeſt periculum infamiæ, nequidem obligat Confeſſio vocalis apud ſolum Sacerdotem; niſi ex propria charitate in articulo mortis, quando alioquin infirmus prudenter timet æternam damnationem, juxta dicta Concl. præced. multò minùs Confeſſio per ſcriptum, utpote contra conſuetum modum confitendi, & propterea illicita, niſi adſit juſta cauſa.

52. An valeat Confeſſio per ſcriptum facta abſenti. Quin immo dubitatur de valore, quando fieret Sacerdoti abſenti, & plures reſolvunt non valere, propter Conſtitutionem quamdam Clementis VIII. quam ad longum retulimus ſect. 3. concl. 5. in qua damnat hanc propoſitionem: *Licere per litteras ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente Abſolutionem obtinere.* Nihilominus dico:

CONCLUSIO IV.

Confeſſio, abſenti facta, non ſemper eſt invalida; eſtò graviter peccaminoſa extra neceſſitatem.

ULtima pars eſt communis; tum, quia ille modus confitendi notabiliter deficit à communi modo, & à communi praxi Eccleſiæ; tum, quòd per illam Confeſſionem non ſatis diſtinctè & commodè explicentur peccata; tum denique, quia per illum modum diſpoſitio pœnitentis non poteſt ſufficienter Confeſſario innoteſcere; potuit enim interea temporis, quo Confeſſio delata fuit abſenti, & differtur Abſolutio, peccaſſe mortaliter, & per conſequens retractaſſe dolorem: ergo periculum invalidæ Abſolutionis; potiſſimùm cùm diſputetur de valore hujuſmodi Confeſſionis, quod eſt ſignum ſatìs manifeſtum gravitatis materiæ; ergo ſi prohibita eſt, quidni graviter? Interim cùm etiam probabile ſit, illam valere; ſaltem quando fit ex intentione obtinendi Abſolutionem à præſente, ùt patebit ex dicendis pro prima parte concluſ. non video, cur non liceat in neceſſitate, in qua utimur materiâ & formâ probabili Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum. Neque neceſſitas habet legem Eccleſiaſticam.

Itaque principaliter diſputatur & controvertitur hìc prima pars Concluſionis, cui à multis contradicitur, potiſſimùm propter Decretum Clementis VIII. nam quod ad rationem attinet, illa potiùs videtur nobis favere: ſiquidem ideò Chriſtus requiſivit Confeſſionem ante Abſolutionem; quia Abſolutio eſt ſententia remiſſionis peccatorum, quæ non poteſt pronuntiari incognitâ cauſâ; non poteſt autem cognoſci cauſa, niſi per ipſum reum crimina deferantur. Subſumo; atqui poſſunt deferri crimina ad abſentem, idque ſufficienter ad ſententiam validè ferendam ùt conſtat ex judiciis humanis; ergo &c.

Fateor non in omnibus argumentandum eſſe à judicio humano, ad judicium Sacramentale, ùt patet ex alibi dictis; & impræſentiarùm illi, qui admittunt validam Confeſſionem in abſentia Confeſſarii, negant validam Abſolutionem in abſentia pœnitentis, cùm tamen & hæc valeat in judicio humano; ſed dico, non eſſe recedendum à paritate, niſi vel ex Scriptura, vel ex communi ſenſu Eccleſiæ conſtet de diſparitate, id eſt, de contraria voluntate Chriſti. Jam autem neque ex Scriptura, neque ex communi ſenſu Eccleſiæ conſtat, Chriſtum requiſiviſſe ad valorem Sacramenti Confeſſionem in præſentia Confeſſarii; ſicuti conſtat

Digitized by Google

conſtat ex communi ſenſu Eccleſiæ poſt Clementem VIII. requiſiviſſe Abſolutionem in præſentia pœnitentis. De Scriptura eſt res indubitata: de ſenſu communi Eccleſiæ diſputari poteſt, propter Decretum Clementis, ad quod varii variè reſpondent.

55. Suarez diſp. 21. ſect. 4. n. 10. ſic ait: Exiſtimo non fuiſſe mentem Sanctiſsimi, de hac opinione (putà Abſolutione moribundi, qui dedit ſigna Pœnitentiæ in abſentia Confeſſarii) tractare; ſed ſolùm de illa, quæ dicit, Sacramentum Pœnitentiæ poſſe perfici ac conſummari inter abſentes. Atque ita illam particulam, *Et*, non eſſe diviſivè, ſed complexivè ſumendam; præcipuè illud damnaſſe propter eos, qui dicebant, Abſolutionem poſſe dari in abſentia.

Moveor tum ex circumſtantia litteræ, nam ſi aliud voluiſſet, potiùs id explicaſſet per particulam, *Vel.* Item hoc clarè indicat illud ſingulare ſignum demonſtrativum, *Hanc propoſitionem*: nam ex eo conſtat, ſolum hypotheticam propoſitionem per modum unius damnari. Tum propterea, quia illa erat controverſia, de quâ tractabatur; tum deniqúe, quia illa ſola opinio eſt aliena ab uſu Eccleſiæ; hæc autem eſt illi & Decretis conformis. Nihilominus declarationem hanc, ejuſdem Pontificis cenſuræ ſubjicio, ſicut cætera omnia, quæ tam in hoc, quàm in cæteris operibus meis continentur. Hactenus Suarius.

56. Si à me quæritur, an declarationem hanc Sedes Apoſtolica cenſuraverit? Reſponſio patebit ex Decretis, quæ ſubjicio: *Die 14. Iulii Anno* 1605. *Propoſitâ cauſâ P. Franciſci Suarii Ieſuitæ, & conſideratis his, quæ ſcripſit n. 4. in 3. partem S. Thomæ ſect. 4. diſp. 21. interpretando Decretum fel. record. Clement. Papæ VIII. factum die 20. Iunii Anno 1602. quo damnavit hanc propoſitionem videlicet*, Licere per litteras ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente Abſolutionem obtinere, *ac etiam maturè diſcuſſis his, quæ idem P. Suarez adduxit in defenſionem ſuæ interpretationis, auditis votis Illuſtriſſimorum Dominorum, Sanctiſſimus* (Paulus V.) *decrevit, dictam interpretationem Patris Suarez ad ſupradictum Decretum non ſubſiſtere, & ideò amovendam eſſe ab eius libris, iuxta Decreta aliàs facta à fel. record. Clem. Papa VIII. de quibus in actis ſancti Officii.*

Præterea eodem anno die 20. Julii Sacra Congregatio decrevit: *Ex libris Patris Franciſci Suarez Ieſuitæ diſp. 23. ſect. 1. n. 12. amoveantur infrà ſcripta verba, videlicet*: Atque ex hac reſolutione, *uſque ibi*, in abſentia Confeſſoris. *Idem P. Suarez corrigat ſuum librum, & antequam evulget, oſtendat huic Sacræ Congregationi.*

Tertium Decretum datum fuit eodem anno 18. Auguſti, & ſic ſonat: *Sanctiſſimus decrevit ex to. 4. Patris Suarez Ieſuitæ in 3. partem S. Tho. diſp. 21. de Confeſſione ſect. 4. cui titulus eſt*: Utrum de neceſſitate Confeſſionis ſit, ut pœnitens Sacerdoti præſenti immediatè, & per ſeipſum revelet peccata ſua, *totam eſſe amovendam, nec aliam eius loco ſubrogandam.*

57. *Reſpondetur ad 1. rationem Suarii.*

Propter hæc ergo Decreta Multis videtur, utramque propoſitionem diviſivè eſſe damnatam, qui ad primam rationem Suarii reſpondent; licèt ex natura ſua particula, *Et*, ſit copulativa, nihilominus accipi pro disjunctiva, *Vel*, quoties ex ſubjecta materia hoc colligitur. Impræſentiarùm autem colligitur; quia eodem modo loquitur Pontifex de utraque propoſitione. Aliàs enim neque eſſet illicitum dicere, Abſolutionem valere datam abſenti, dummodo Confeſſio fuerit facta præſenti, quod nequidem ipſe Suarius audet admittere.

Confirmatur reſponſio.

Confirmatur; quia propoſitio copulativa requirit, ut utraque pars ſit vera, ut in hac: *Chriſtus cœpit prædicare, & mortuus eſt anno decimo quinto Tiberii Cæſaris.*

58. *Rejicitur hæc reſponſio.*

Planè, inquis, hoc requirit, & ideo meritò hæc propoſitio damnaretur, quia licèt verum ſit Chriſtum cœpiſſe prædicare anno præfato, tamen cùm conſtet tribus annis prædicaſſe, apertè falſum eſt, eodem anno fuiſſe mortuum. Ergo ſi damnaretur, utraque propoſitio ſeorſim eſſet damnata, quomodo id ſequitur? Nam prior eſt de fide.

Si inferas; ergo utraque ſeorſim eſt probabilis, ſive neutra ſeorſim eſt damnata; negatur rursùm Conſequentia; quia poſterior eſt apertè contraria Sacræ Scripturæ.

Arriaga.

Rationem à priori aſſignat Arriaga diſp. 36. n. 48. quia inter hæc extrema, ſcilicet: *Copulativa tantùm propoſitio damnatur*, &, *Utrumque etiam diviſivè damnatur*, eſt medium, ſcilicet, unam tantùm determinatam ex illis eſſe damnatam.

59. *Quo ſenſu declaratio Suarii fuerit reprobata.*

Unde putat hic Auctor, Declarationem Suarii non fuiſſe reprobatam à Pontifice, niſi hoc ſenſu; utputà, propoſitionem copulativam ſic eſſe damnatam; ut tamen utraque diviſivà maneret probabilis, id eſt, ut poſſit tam Confeſſio fieri abſenti, ſi detur Abſolutio præſenti, quàm è contrario, poſſit dari Abſolutio abſenti, ſi facta eſt Confeſſio præſenti; qui utique ſenſus meritò reprobatus fuit, quia reverà Abſolutionem poſſe dari abſenti, tametſi Confeſſio facta foret præſenti, non eſt ampliùs probabile. Ergo non eſt ampliùs probabilè, Confeſſionem validè fieri abſenti, ſi detur Abſolutio præſenti; negatur Conſequentia.

Sive ergo propoſitio damnata dicatur una; quæ erat ſecunda probatio Suarii, ſive duplex, parùm refert; non enim ſic una eſt, ut non etiam ſit duplex, una videlicet copulativa, includens duas categoricas.

60. *Objectio.*

Si dixeris; ergo non eſt ratio, quare magìs una cenſeri debeat damnata, quàm altera; quia Ponti-

Digitized by Google

Pontifex nihil plùs dicit de una, quàm de alia. Reſponſio Arriaga. Reſpondet Arriaga ſuprà n. 49. Vi verborum damnationis nihil ſpeciale colligi, utì etiam de eo caſu in propoſitione illa: *Chriſtus caput prædicare* &c. vi illius damnationis nihil ſpeciale de una potiùs, quàm de altera inferri poſſet; per hoc tamen non excluditur, quò minùs aliunde habeamus fundamenta, unde id clarè poſſimus colligere. In præſenti ergo caſu noſtro dico, Abſolutionem poſſe dari abſenti, nunquam fuiſſe in Eccleſia auditum, nec probabile; ac proinde juxta eum ſenſum meritò dicimus, non admiſiſſe Pontificem, quòd utraque pars ejus copulativæ ſit permiſſa ſeorſim, non ſimul; per hoc tamen non debemus negare, unam ſaltem eſſe verâ. Hucuſq; Arriaga.

61. Rejicitur. Sed & de ipſo dici veriſſimè poteſt: *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Quid enim aliud clamant omnes libri, quàm ante Decretum Clementis VIII. non infimæ notæ Theologos aſſeruiſſe valorem Abſolutionis, datæ abſenti? Audiamus ipſum Arriagam diſp. 50. ſect. 4. *An Abſolutio dari poſſit abſenti.* In hac quæſtione, inquit, poſt deciſionem Clementis VIII. qui id ſpeciali decreto prohibuit, & doctrinam, aſſerentem id eſſe licitum, damnavit, non eſt cur multùm fatigemur. Vide Suarium diſp. 19. ſect. 3. ubì multos refert ex Dominicana Familia, & ex aliis, qui ante eam prohibitionem docuerunt id poſſe fieri. Hæc ille.

Et ſanè ſi nunquam fuiſſet auditum in Eccleſia, Abſolutionem poſſe dari abſenti, quid opus erat Decreto Clementis VIII.? Quin immo illa erat controverſia, ùt bene Suarez ſuprà notavit, quæ tractabatur in Eccleſia; & quia multi ſinè ſcrupulo conſcientiæ abſolvebant in abſentia, ideo Clemens VIII. edidit ſuum Decretum, ut iſti errori obviaret. Unde colligi poſſet, Clementem de ſola Confeſſione in abſentia nihil decreviſſe, ſed reliquiſſe illam in terminis antiquis; adeòque priorem propoſitionem categoricam addidiſſe explicationis gratiâ, & ad declarandam caſum, ùt in praxi tunc erat.

62. Reſponſio Hiquæi. Reſpondet Hiquæus in ſuo Comment. 4. diſt. 17. n. 143. In materia doctrinali, & definitionibus Eccleſiæ, illa ſuperfluitas non eſt admittenda; neque particulæ declarativæ ita adduntur, ut imperfectum ſenſum, & explicitum non faciant. Confirmatur; quia ſi intentio Pontificis eſſet tantùm damnare Abſolutionem datam in abſentia, & non Confeſſionem factam abſenti ſacramentaliter; ſolùm perſtringeret illam exprimendo ſeorſim, & in recto materiam cenſuræ, v. g. *Abſolvere abſentem, confitentem per litteras, aut internuntium*: quia ergo in recto comprehendit utramque propoſitionem directè, & ſub eodem tenore præmiſit cenſuræ, tamquam membra ejus copulativa diverſa, ſequitur utramque propoſitionem comprehendiſſe, & non unam ſolam. Hactenus Hiquæus.

Sed contra; ſi Pontifex ſic illam perſtrinxiſſet: *Abſolvere abſentem, confitentem per litteras, aut internuntium*, jam nullatenus comprehendiſſet caſum, quo aliquis vocaliter fuiſſet Confeſſus Sacerdoti præſenti, à quo abſente abſolveretur; qui tamen debebat comprehendi, & jam comprehenditur, ùt ſuprà oſtendimus: unde hìc nulla eſt ſuperfluitas, neque particula illa declarativa ita additur, ut imperfectum ſenſum faciat, ſed proponit caſum, de quo quærebatur, & qui erroneè practicabatur. Re[...]

Fateor, potuiſſet Pontifex abſolutè decernere & dicere: *Nullo omnino caſu valet Abſolutio data abſenti*, & tunc ceſſaſſet omnis quæſtio de Confeſſione facta abſenti; ſed quòd nunquam Pontifices aliquid decreverint, etiam in materia doctrinali, de quo poſteà acriter fuit diſputatum, & adhuc diſputatur, quomodo debeat intelligi, tametſi clariùs potuiſſent loqui; & ſic impedire omnem controverſiam, in æternum non credam. Pot[...] aliq[...] aliq[...] cre[...] in n[...] doct[...] de [...] mer[...] fuit [...] tum

Vultis unum exemplum ex mille? Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 3. docet, Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis miniſtri verbis poſitam eſſe; *Ego te abſolvo* &c. equidem diſputatur; an hæc omnia verba ſint eſſentialia; an præter illa: *Ego te abſolvo*, alia requirantur ad eſſentiam, propter ly *Etc.* Et putas, quia non potuiſſet clariùs proponere illam doctrinam? Non eſt dubium quin potuiſſet. Quare ergo non fecit? Reſpond. verbis Salomonis Eccle. 3. v. 11. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque in finem.* Pr[...] eat[...] Eccl[...]

Neque plus ponderis habet aliud argumentum ejuſdem Auctoris n. 144. Materia Sacramentalis, & forma requirunt ex communi inſtitutione Sacramenti determinatam præſentiam, cui non derogat ratio particularis hujus aut illius Sacramenti, v. g. Pœnitentiæ, ùt in materia judiciali ordinata eſt; ergo nulla Confeſsio eſt ſacramentalis, licèt aliàs poſsit eſſe ſacramentalis, ſi adeſſent requiſita, niſi illa, quæ proximè & immediatè quantum eſt ex natura actûs, eſt capax Abſolutionis; neque è contrà Abſolutio eſt ſacramentalis, niſi illa, quæ ſupponit Confeſsionem ſacramentalem, cui immediatè poſsit applicari per ſe Abſolutio ab habente juriſdictionem, & ſervatâ approximatione requiſitâ & determinatâ. 1[...] Alia[...] men[...] qua.

Sed Abſolutio in abſentia ex natura ſua, & inſtitutione divina non eſt ſacramentalis: ergo neque Confeſsio in abſentia per ſcriptum, aut internuncium facta, eſt ſacramentalis magìs, quàm Confeſsio facta laico, quæ aliàs eſſet ſacramentalis & valida ſi fieret Confeſſario; non

Digitized by Google

non eſt tamen ſacramentalis, quia nequit fieri in ordine ad Abſolutionem, quam ille nequit dare cùm non ſit judex; ideoque Confeſsio illa eſt extrajudicialis, non verò judicialis: ſed perinde nequit Sacerdos in abſentia abſolvere, ſicut nec laicus præſens; ergo Confeſsio facta in abſentia Sacerdoti eſt extrajudicialis, & nullo modo judicialis, neque conſequenter ſacramentalis. Hucuſque Hiquæus.

Reſpondeo unico verbo; ſi naturam actionis attendimus ſeclusâ inſtitutione Chriſti, neſcio ſanè, quare etiam Abſolutio in abſentia pœnitentis non ſit judicialis, & per conſequens ſacramentalis; nam abſolutio rei abſentis in foro externo eſt judicialis. Cur ergo ſimiliter Confeſſio in abſentia per ſcriptum, aut internuncium, non erit judicialis, & ſacramentalis? Etenim accuſatio rei abſentis in foro externo eſt judicialis. Quemadmodum autem accuſatio, facta non judici in foro externo ab omnibus dicitur, & reverà eſt extrajudicialis; ſic quoque Confeſſio facta laico, ab omnibus appellatur, & reverà ex natura ſua eſt extrajudicialis, & per conſequens non ſacramentalis.

Verùm enimverò ſi conſideremus inſtitutionem divinam, quæ potuit aliam accuſationem & Abſolutionem requirere in ſacramentali judicio, quàm neceſſaria, aut ſufficiens ſit in judicio humano, attentâ, inquam voluntate divinâ, eſtò ea requiſiverit Abſolutionem in præſentia, ùt jam conſtat ex communi ſenſu Doctorum; equidem non bene infertur, ergo etiam requiſivit accuſationem in præſentia. Quemadmodum non bene ſequitur, Sacerdos non poteſt abſolvere ſacramentaliter per alium; ergo pœnitens non poteſt ſacramentaliter confiteri per alium: Sacerdos non poteſt abſolvere ſacramentaliter ſcripto aut nutibus; ergo pœnitens non poteſt ſacramentaliter confiteri ſcripto aut nutibus.

Quæris à me, cur Chriſtus potiùs requiſiverit Abſolutionem in præſentia quàm Confeſſionem? Quæro ego à te, cur Chriſtus potiùs requiſiverit Abſolutionem verbalem, quàm verbalem Confeſſionem? Cur potiùs requiſiverit immediatam Abſolutionem Sacerdotis, quàm immediatam Confeſſionem pœnitentis? Stat pro ratione voluntas, quæ non poteſt eſſe niſi ſummè juſta, utpote *per quam*, teſte D. Damaſc. lib. 2. de fide c. 29. *res omnes aptè congruéq; gubernantur.* Ipſa eſt, quæ (ùt legitur Sap. 8. v. 1.) *attingit à fine uſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter.*

Si à me quæratur (inquit S. Auguſtinus lib. de Correp. & Grat. c. 8.) *cur eis Deus perſeverantiam non dederit, quibus eam, quâ chriſtianè viverent dilectionem dedit, me ignorare reſpondeo .... audio dicentem Apoſtolum:* O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? Et O altitudo divitiarum &c. *Quantum itaq; nobis judicia ſua maniſeſtare dignatur, gratias agamus; quantum verò abſcondere, non adverſus ejus concilium murmuremus, ſed hoc quoq; nobis ſaluberrimum eſſe credamus.*

Interim do rationem aliquam diſparitatis. Confeſſio ſecundùm nos ſolùm eſt conditio prævię requiſita, & non pars eſſentialis intrinſeca Sacramenti; ſicut ergo in aliis Sacramentis (Matrimonio excepto) requiritur ad valorem præſentia ſubjecti ſeu ſuſcipientis Sacramentum; non enim abluitur niſi præſens, nec confirmatur, nec ordinatur, nec inungitur niſi præſens, nec conſecratur panis, aut vinum niſi præſens, vel adminiſtratur Euchariſtia niſi præſenti, ita etiam conveniens fuit, ut non abſolveretur ſacramentaliter niſi præſens, eſtò abſens poſſet ſubminiſtrare materiam extrinſecam Sacramenti, id eſt, ponere conditionem prævìam, ſinè qua pœnitens præſens non poſſet ſacramentaliter abſolvi. Ratio aliqua diſparitatis.

67\. Objectio.

Dices; ſi valet argumentum ab aliis Sacramentis, lotio debet eſſe præſens, dum profertur forma Baptiſmi; ergo etiam Confeſſio, dum profertur forma Abſolutionis.

Solvitur.

Reſp. neg. Conſ. Ratio diſcriminis jam eſt aſſignata; quia Confeſſio non eſt materia intrinſecè componens Sacramentum Pœnitentiæ, quemadmodum ablutio eſt materia intrinſecè componens Sacramentum Baptiſmi; & eſtò intrinſecè componeret, ùt alii volunt, certum eſt apud omnes, non requiri talem præſentiam Confeſſionis, qualis requiritur ablutionis; ſed ſufficit Confeſſionem ſemel factam non fuiſſe retractatam, aut certè non adeò longo tempore præceſſiſſe; idque exemplo judicii humani, in quo accuſatio longiori tempore poteſt præcedere ſententiam, & nihilominus unum aliquod judicium cum illa conſtituere, quàm ablutio poſſit præcedere formam Baptiſmi.

Ratio eſt; quia quod abſolvitur per ſententiam, aut retinetur, non eſt ipſa accuſatio, ſed crimen accuſatum; illud autem ſemper eſt præſens in notitia judicis, ortâ ex præcedente accuſatione. Quamvis ergo non in omnibus liceat argumentari ab aliis Sacramentis, ad præſens Sacramentum Pœnitentiæ; equidem videtur Chriſtus voluiſſe, ut nullum ex omnibus (excepto Matrimonio) adminiſtraretur niſi præſenti.

68\. Confeſſionem poſſe fieri abſenti, probatur ex Rit. Roman.

Et quamvis potuiſſet velle, ut etiam Confeſſio non fieret validè niſi præſenti, ſanè id voluiſſe, nobis non ſatis conſtat. Immo potiùs contrarium ex praxi Eccleſiæ, quæ his verbis exprimitur in Rit. Roman. Tit. De Sacram. Pœnit. *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere; quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium vel per ſe, vel per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.*

Nota;

Nota; *Sive per ſe, ſive per alios*; ergo non debet illud deſiderium oſtendere in præſentia Confeſſarii, alioquin fruſtrà adderetur, *Sive per alios*, nam oſtendere deſiderium in præſentia Confeſſarii, eſt Confeſſarium per ſeipſum cognoſcere deſiderium, quando à pœnitente oſtenditur. An fortè putas, contractum Matrimonii fieri in præſentia Parochi, quando Parochus corporaliter præſens, ſed aliis intentus, non percipit per ſeipſum conſenſum contrahentium? Certum eſt quòd non. Ergo ſi ſufficiat oſtendere deſiderium per alios, ſufficiet illud oſtendere aliis in abſentia Sacerdotis, à quibus Sacerdoti manifeſtetur, ſive in præſentia infirmi, jam deſtituti ſenſibus, ſive in abſentia infirmi, cùm Rituale generaliter loquatur, nec minimo verbo ſignificet, illam manifeſtationem per alios debere fieri in præſentia infirmi.

69. *& aliis antiquis Ritualibus.*

Clariùs hunc caſum expreſſerunt antiqua Ritualia Romana (ex quibus novum fuit deſumptum) dum dicunt: *Adſtantibus autem infirmo debet credi, ſi perhibent teſtimonium, quòd petierit Confeſſionem, & oſtenderit ſigna Contritionis.*

Item ex S. Leone.

Clariſſimè autem S. Leo Epiſt. 91. ad Theod. ibi: *Verùm (ùt dixi) etiam talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut nec actio illius Pœnitentiæ, nec Communionis gratiâ denegetur, ſi eam, etiam amiſſo vocis officio, per indicium integri ſenſûs quærere comprobetur, quod ſi aliquâ vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt; ut ſimul & Pœnitentiæ* (ſacramentalis) *& reconciliationis* (publicæ) *beneficium conſequantur.*

Conc. Arauſ. 1.

His conſonat Concilium Arauſicanum I. cap. 11. (aliàs 12.) ſequentis tenoris: *Subitò obmuteſcens, prout ſtatutum eſt, baptizari, aut Pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Simili modo loquitur Carthag. III. *Carthag. 3.* cap. 34. *Ut ægrotantes*, inquit, *ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum eſt.*

& Carthag. 4.

Accedat Carthag. IV. c. 63. (aliàs 76.) & refertur cap. *Is qui* 26. q. 6. *Is qui Pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, ut accipiat Pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.*

70. *1. Reſponſ. Adverſ. ad Rit. Rom.*

Sed quid ad hæc Adverſarii? Nam nihil hodie tam apertè dici poteſt, quin obſcurari poſſit ab his, qui ſomnia ſua Apocalypſes arbitrantur. Itaque ad Rituale Roman. reſpondent I. errorem irrepſiſſe, & ponendum fuiſſe: *Abſolvendus non eſt.*

Rejicitur.

Subtilis profectò Apocalypſis, quæ non ſolùm deſtruit & invalidat Confeſſionem in abſentia, ſed etiam in præſentia Confeſſarii, ùt nimis manifeſtum eſt illis, qui non habent oculos fumo contrariæ opinionis excæcatos. Et neſcio, quomodo ſic aliquis poſſit habere oculos excæcatos, ut hoc non videat.

Reſpondent II. illud Rituale non habere auctoritatem, ſed ſolam approbationem Pontificis, ſicut alii libri; collectores autem ſeu reviſores, immo & Paulum V. tamquam hominem privatum erraſſe, ponendo ſententiam anteà à Clemente VIII. prohibitam. Ecce ſecunda Apocalypſis. [margin: 2. R... Eo.]

Sed quam vana, jam oſtendo ex Bulla præfixa Rituali, quæ ſic incipit: *Apoſtolicæ Sedi per abundantiam divinæ gratiæ, nullis ſuffragantibus meritis, præpoſiti, noſtræ ſolicitudinis eſſe intelligimus, ſuper univerſam domum Dei ita invigilandò intendere, ut opportunis indies magìs rationibus provideatur, quò ſicut admonet Apoſtolus, omnia in eâ honeſtè & ſecundùm ordinem fiant; præcipuè verò quæ pertinent ad Eccleſiæ Dei Sacramentorum adminiſtrationem, in qua religioſè obſervari Apoſtolicis Traditionibus & ſanctorum PP. Decretis conſtitutos ritus & ceremonias pro noſtri officii debito curare omnino tenemur.* [margin: Rej]

Et infrà: *His ita conſtitutis* (putà Breviario, & Miſſali Romano per Pium V. ac Pontificali Rom. per Clementem VIII.) *reſtabat, ut uno etiam volumine comprehenſi, ſacri & ſinceri Eccleſiæ Catholicæ ritus, qui in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus ſervari debent ab iis, qui curam animarum gerunt Apoſtolicæ Sedis auctoritate prodirent; ad cuius voluminis præſcriptum, in tanta Ritualium multitudine, ſua illi miniſteria, tamquam ad publicam & obſignatam normam peragerent, unoq; ac fideli ductu inoffenſò pede ambularent cum conſenſu.*

Ecce comparat Paulus V. ſuum Rituale; Breviario, Miſſali, & Pontificali Romano. Ac paucis interjectis: *In quo* (Rituali) *cùm receptos & approbatos Catholicæ Eccleſiæ ritus ſuo ordine digeſtos conſpexerimus, illud ſub nomine Ritualis Romani meritò edendum, publico Eccleſiæ Dei bono iudicavimus.* [margin: Rit. Ro. par. Bre. Mi. Pon. Ro.]

Tandem ſic concludit: *Quapropter hortamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos univerſos ubique locorum exiſtentes, & alios, ad quos ſpectat, ut impoſterùm, tamquam Eccleſiæ Romanæ filii, eiuſdem Eccleſiæ omnium Matris & Magiſtræ auctoritate conſtituto Rituali, in ſacris functionibus utantur; & in re tanti momenti, quæ Catholica Eccleſia, & ab ea probatus uſus antiquitatis ſtatuit, inviolatè obſervent.* Quid vobis videtur de hac approbatione? Nonne ſimilis approbationibus aliorum librorum? Totis Cælorum polis inter ſe differunt.

Et verò quomodo inoffenſo pede ambulabimus, miniſteria noſtra peragentes ad præſcriptum hujus voluminis, ſi continet errorem anteà damnatum à Clemente VIII? Sicut ergo [margin: Rit. non net. dam. à C.]

pro

pro temerario habetur, qui rejicit ritum, quo Sacerdotes, quando ordinantur, cum Epiſcopo conſecrant, quia ritus ille approbatus eſt in Pontificali Romano; quidni etiam temerarius ſit, qui rejicit Abſolutionem infirmi, qui dedit ſigna Contritionis in abſentia Confeſſarii? Ita eum appellat Joannes Poncius in ſuo curſu Theol. diſp. 46. n. 96.

Quod probè intelligens Congregatio Eminent. Card. S. Inquiſitionis Generalis, cùm Aliqui apud eam dixiſſent, Rituale debere corrigi, eò quòd adverſaretur Decreto Clementis VIII. die 2. Decemb. Anno 1621. coram Pontifice decretum fuit, obſervari Rituale, & nihil illud adverſari Decreto Clementis propter aliam; & aliam rationem. Et cùm paulò pòſt in eadem Congregatione interrogatum eſſet, quid in illo caſu eſſet agendum, reſpondit oretenus, ſervandum eſſe Rituale. Ita refert Lugo diſp. 17. n. 52. penes quem ſit fides. Quis adhuc audeat dubitare de auctoritate Ritualis?

Ad auctoritatem Leonis reſpondetur à Quibuſdam; Pontificem eò loco agere de infirmo, qui anteà confeſſus fuerat. Sed hæc reſponſio manifeſtè rejicitur ex verbis præcedentibus, quæ hìc ſubjicio: *Oportet unumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, ne cùm ſatisfactionis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ conſtituit, quia periculosè hâc ſe conditione fragilitas & ignorantia humana concludit, ad paucarum horarum ſe reſervet incertum; & cùm poſſit pleniore ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium vel Confeſſio pœnitentis, vel reconciliatio peccatoris. Verùm (ut dixi) etiam talium neceſſitati auxiliandum eſt* &c. ut ſuprà. Ergo loquitur Leo de illis, qui Confeſſionem differebant de die in diem, uſque ad ultimum vitæ, & non de his, qui antea confeſſi fuerant.

Et ſanè ſi priùs confeſſi fuerant, quorſùm requirebatur teſtimonium adſtantium de quæſitâ actione pœnitentiæ? An fortè, quia agit Pontifex de pœnitentibus publicis? Sic enim Aliqui ipſum interpretantur, utì & Decreta Conciliorum ſuperiùs allegata.

Verùm ſi pœnitentes publici, neque ipſis erat neceſſarium teſtimonium fidelium circumſtantium de poſtulata actione Pœnitentiæ, cùm ipſa Pœnitentia publica ſit tale teſtimonium, & talis poſtulatio; nam Pœnitentia publica vel conſequebatur Pœnitentiam privatam ſeu ſacramentalem, aut certè finis ejus, erat reconciliatio cum Deo, & Eccleſia. Hoc ipſo ergo quòd aliquis erat pœnitens publicus, ſatis exteriùs ſignificabat ſuam voluntatem conſequendi beneficium Pœnitentiæ, & reconciliationis; ut proinde non foret opus, alio indicio integri ſenſûs quærere actionem Pœnitentiæ, & Communionis gratiam, quod tamen indicium requirit ibi Pontifex.

Appoſitè Doctor Angelicus Opuſc. 65. §. de Sacramento Unct. in fine: *Si*, inquit, *infirmus, qui petit Unctionem, amiſit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum Sacerdos; quia in tali caſu debet etiam baptizari, & à peccatis abſolvi; extra de Baptiſmo & ejus effectu. Maiores.*

Verùm in hoc capite nulla fit mentio Abſolutionis à peccatis; & ideò fortè Nonnulli intelligunt D. Thomam de Abſolutione deprecatoria: *Miſereatur* &c. Sed hic intellectus repugnat proprietati verborum, & idcircò non admittendus, ubì proprietas commodè poteſt ſervari, ſicuti hìc poteſt.

Quæ cùm ita ſint, dico, talem infirmum non tantùm poſſe; ſed etiam debere abſolvi, & graviter peccare, qui non abſolveret, eſtò probabile foret, quòd Abſolutio non valeret; cùm enim longè probabiliùs ſit valere, extrema neceſſitas proximi obligat unumquemque ſub gravi peccato (cùm periclitetur æterna ſalus, quæ eſt res omnium maxima) ut, quantum commodè fieri poſſit, illi ſubveniatur, etiam medio incerto, quando certius haberi nequit; præſertim cùm hoc medium præſcribant citatæ auctoritates. Et quoniam nullam faciunt mentionem alicujus conditionis, Plures negant, eam adhibendam; niſi eſſet ſpeciale dubium de interna diſpoſitione pœnitentis. 76. *In caſu propoſito infirmus debet abſolvi ſub gravi peccato.*

Sed nunquid requiruntur teſtes fideles, teſtes immediati, teſtes, inquam, plures, & non ſufficeret unus fide dignus, mediatus, & infidelis? Reſpondeo; cùm illud teſtimonium non ordinetur ad conferendum Sacramentum teſtificanti, ſed ſolùm ad manifeſtandam voluntatem infirmi; parùm refert, an ſit homo fidelis, an infidelis, dummodo ſit fide dignus, ſicut infidelis poteſt eſſe in hoc caſu; cùm ſui nihil referat, an pœnitens abſolvatur, immo mallet quòd non abſolveretur. 77. *An ſufficeret unus teſtis, mediatus & infidelis?*

Deinde in hoc caſu non fit præjudicium tertio, & ideo ſufficit unus teſtis. Quamvis enim Rituale, & alia Decreta videantur requirere teſtimonia plurium, equidem intelligi poſſunt & debent in ſenſu diſtributivo, non copulativo; eo modo, quo Tridentinum poteſt & debet intelligi, quando ſeſſ. 23. de Reformat. c. 15. *Decernit, nullum, etiam Regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur.* Poteſt, inquam, & debet intelligi ly *Ab Epiſcopis*, in ſenſu diſtributivo, non copulativo, cùm certum ſit ſufficere approbationem unius Epiſcopi pro una diœceſi. *Conc. Trid.*

Dices; cap. *Licet.* 23. de Teſtibus, ſic ſcribit Alexander III. *Licèt quædam ſint cauſæ, quæ plures, quàm duos exigant teſtes, nulla eſt tamen cauſa, quæ unius teſtimonio (quamvis legitimo) terminetur.* 78. *Objectio ex cap. 23. de Teſti.*

Reſponſio.

Reſp. cum Gloſſa ibidem verb. *Vnius : Hoc verum eſt in alterius præiudicium.* Jam autem, ùt diximus, Abſolutio non eſt in alterius præjudicium, ſed in ſolum bonum pœnitentis. Porrò irreverentia Sacramenti, ſi fortè invalidè adminiſtretur, abſtergitur per extremam neceſſitatem, ùt in multis aliis caſibus, de quibus alibi egimus.

79. Non requiritur teſtimonium immediatum.

Hinc etiam non requiritur teſtimonium immediatum, id eſt, ab iis, qui immediatè audiverunt, vel viderunt ſignum Pœnitentiæ, ſed ſufficit mediatum. Quidni ſufficeret, ut aliquis poſſet abſolvi in extrema neceſſitate, cùm ſufficiat, ut quis cenſeatur baptizatus? Præſertim cùm neque Rituale, neque alia Decreta, immediatorum teſtium meminerint. Confirmatur; quia valet Confeſſio, facta per duplicem interpretem, uti & Matrimonium.

Neque quòd detur in præſentia infirmi.

Perinde autem eſt, prout ſuperiùs inſinuavi, ſive illud teſtimonium detur in præſentia infirmi, ſive in ejus abſentia; quoniam Rituale non aliud requirit quàm teſtimonium per alios. Nec obſtant verba Leonis: *Teſtimonia eis fidelium circumſtantium*; quia loquitur de eo, quod ordinariè contingit: ſolent enim circumſtantes dare illud teſtimonium. Et verò quia communiter circumſtantes ſunt fideles, ideo dixit: *Fidelium circumſtantium*; quamquam, ùt mox probavimus, ſufficerent teſtimonia infidelium.

Quid ergo ad Decretum Clementis? Numquid aliud Leo, & Paulus nuntiant, aliud Clemens clamat? An pœnitentem in abſentia confeſſum, ſimul poſſumus abſolvere, & non abſolvere?

80. Putant Aliqui in tali caſu non fieri Confeſſionem abſenti.

Reſpondent Nonnulli, in hoc caſu non fieri Confeſſionem abſenti; quia illa voluntas confitendi ante deſtitutionem ſenſuum indicata, moraliter perſeverat in, ſeu cum ipſa deſtitutione ſenſuum; adeoque Sacerdos jam præſens infirmo, cenſetur eum abſolvere, non præcisè propter ſignum datum in ejus abſentia; ſed propter voluntatem confitendi, quam præſens cognoſcit ex eo, quòd ſciverit voluntatem illam fuiſſe, & jam hominem inveniat in illo ſtatu, in quo illa voluntas moraliter perſeverat, id eſt, in tali ſtatu, in quo non poteſt, tametſi velit, novo ſigno præteritam voluntatem ratificare.

Unde exiſtimant hi Auctores, novum ſignum eſſe de neceſſitate Sacramenti in homine ſano, cui hoc poſſibile eſt, ſi velit. Per quod utique novum ſignum Confeſsio, quæ anteà erat facta abſenti per litteras, vel internuncium, jam fit præſenti, vel vocaliter, ſi ſignum eſt vocale, v. g. *Accuſo me de his, quæ cognoviſti per litteras, vel per internuncium*, vel certè realiter, ſi ſignum eſt reale, v. g. tunſio pectoris, lachrymæ &c. adeo ut ſi per litteras, vel internuncium omnia peccata in ſpecie, & ſigillatim fuiſſent explicata, directè ab illis abſolveretur, abſque obligatione iteratò illa confitendi.

Alii dicunt, ægrotum tunc confiteri in præſentia, quaſi per interpretem, ſcilicet circumſtantes, qui teſtimonium dant poſtulatæ Abſolutionis; qui autem confitetur per interpretem Confeſſario præſenti, ſecundùm omnes ſacramentaliter confitetur, & validè abſolvitur. Nec refert, quòd infirmus tunc non habeat præſentiam aliquam moralem & humanam, eò quòd ſit ſenſibus deſtitutus; quia illa præſentia non videtur requiri. Patet; quia poteſt infirmus abſolvi poſt Confeſsionem factam integris ſenſibus, eſtò quando abſolvitur ſit ſenſibus deſtitutus, & tamen non minùs requiritur præſentia ad Abſolutionem, quàm ad Confeſsionem. Sufficit igitur præſentia phyſica.

Contra hanc reſponſionem arguit Eminentiſ. n. 67. Primò; quia ex ea ſequitur, neceſſarium omnino eſſe ad valorem Abſolutionis, quòd teſtimonium detur in præſentia infirmi; Conſequens autem eſt falſum, & contra mentem Ritualis, & antiquorum Decretorum.

Secundò; quia ad hoc, ut Confeſsio, quæ fit per interpretem, dicatur propriè & in rigore fieri in præſentia Confeſſarii, debet Confeſſarius eſſe præſens, quando pœnitens loquitur interpreti, & manifeſtat ei ſua peccata; patet, quia Confeſsio eſt manifeſtatio, quâ pœnitens Confeſſario manifeſtat ſua peccata; hæc autem manifeſtatio conflatur ex locutione pœnitentis ad interpretem, & interpretis ad Confeſſarium; ac proinde in noſtro caſu Confeſsio non fieret in præſentia Confeſſarii niſi inadæquatè.

Confirmat exemplo Matrimonii, cui ut valeat, debet eſſe præſens Parochus, quando conjuges exprimunt ſuum conſenſum interpreti.

Reſpondeo ad ultimum; ut valeat Matrimonium initum per Procuratorem, non requiritur præſentia Parochi, & teſtium in confectione inſtrumenti, ſive quando datur mandatum contrahendi; ſed in ipſo contractu, ſive dum Procurator exprimit conſenſum Principalis ſeu mandantis, ùt habet recepta Multorum opinio. Cur ergo non ſimiliter ſufficiat ad valorem Matrimonii, quòd Parochus ſit præſens, quando interpres exprimit conſenſum conjugum? Nam in illa expreſsione ſolùm perficitur contractus, in tantm ùut ſi ante expreſsionem interiùs revocaſſent ſuum conſenſum, Matrimonium non valeret. Sed de hac controverſia in proprio tractatu.

Interim do rationem diſparitatis inter Confeſsionem, & Matrimonium; præſentia Parochi requiritur, ut Eccleſiæ poſſit conſtare de Matrimonio contracto; at verò præſentia Confeſſarii, ut cognitâ cauſâ, id eſt, peccatis pœni-

Digitized by Google

pœnitentis, & internâ ejus diſpoſitione, quantum commodè fieri poteſt, pœnitentem ſibi præſentem coram Deo abſolvat. Præſentia Parochi eſt neceſſaria ad evitanda gravia peccata, *quæ* (utor verbis Tridentini ſeſſ. 24. de Reform. Matr. c. 1.) *ex clandeſtinis Matrimoniis ortum habent; præſertim verò eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clàm contraxerant, relictâ, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt.* At verò præſentia Confeſſarii eſt neceſſaria, tum ut meliùs cognoſcat ſtatum pœnitentis, tum ne omnino tollatur verecundia, *Quæ*, ùt ait Scotus 4. diſt. 17. n. 32. *eſt pœna magna in Confeſſione.*

Porrò hæc verecundia non eſt major, aut minor ex eo præcisè, quòd Confeſſarius ſit præſens vel non præſens, quando pœnitens loquitur interpreti, dummodo pœnitens præſens ſit, quando interpres manifeſtat peccata Confeſſario; & æqualiter poteſt Confeſſarius cognoſcere ſtatum pœnitentis, præſertim, ſi pœnitens ſit præſens humano modo. At verò ut Eccleſiæ poſſit conſtare de Matrimonio contracto, & per conſequens, ut evitentur gravia peccata, quæ ex Matrimonio clandeſtino ortum habent; indubiè plurimùm conducit, quòd Parochus videat conjuges exprimentes ſuum conſenſum interpreti, ne fortè poſtea negent, ſe interpreti fuiſſe locutos.

Quin immo tametſi Parochus vidiſſet eos loquentes interpreti, adhuc putant Aliqui Matrimonium non valere, quià dicere poſſent, interpretem fuiſſe mentitum, & ipſi interpreti, contrarium aſſerenti, utpote qui non ſit teſtis in propria cauſa, non deberet credi. Unde Parochus tali caſu non poteſt teſtari, niſi de alieno auditu, quod non videtur ſufficere, maximè in teſte qualificato, qualis eſt Parochus.

In hanc ſententiam propendet Baſilius Pontius lib. 3. de Matr. c. 21. n. 10. quamvis contrarium doceat Sanchez lib. 3. de Matr. diſp. 39. n. 3. Primò; quia ceteri contractus ſic poſſunt celebrari. Secundò; quia ſic poteſt adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ. Ad fundamentum autem Pontii reſpondet, credendum eſſe teſtimonio ſolius interpretis, quia non eſt teſtis, ſed declarator electus communi contrahentium conſenſu. Et ſicut in Matrimonio admittuntur teſtes infames, & alii, qui in aliis cauſis non admitterentur; ita etiam admitti debet teſtis mediatus, qui in aliis cauſis fortè non admitteretur.

Sed quid Pontius ad fundamenta Sanchii? Reſpondet; ad exercendum officium judicis ſufficere, quòd judex cognoſcat cauſam per ſe, vel per alium. Similiter ad faciendum contractum, quòd partes cognoſcant mutuum conſenſum per ſe, vel per alium; repugnat tamen, ut quis ſit teſtis fidem faciens de his, quæ novit per interpretem, cùm debeat deponere de his, quæ novit per proprium ſenſum, & quibus præſens fuit.

Quidquid ſit de his duabus ſententiis, quæ ſit alteri præferenda, de quo proprio loco; ſaltem ex jam dictis patet, non duci efficax argumentum à Matrimonio per interpretem, ad Confeſſionem per interpretem. Et aliunde certum eſt, tali caſu Confeſſionem inadæquatè fieri in præſentia Confeſſarii. Unde autem conſtat, Clementem damnaſſe hujuſmodi Confeſſionem; & non potiùs illam, quæ adæquatè fieret in abſentia Confeſſarii? Potiſſimùm cùm accuſatio fiat, ùt fatetur Lugo ſuprà n. 70. quando interpres loquitur, tunc enim Confeſſarius percipit delicta; Confeſſio autem quid aliud eſt, quàm accuſatio? 85. **Non ducitur efficax argumentum à Matrimonio per interpretem, ad Confeſſionem per interpretem.** *Lugo.*

Dices; communi judicio teſtes illi non exiſtimant ſe, aut ab aliis exiſtimantur interpretes moribundi, quoad præſentem Confeſſionem, ſed ſolùm teſtes voluntatis præteritæ, ùt etiam colligitur ex Leone Papa, & Arauſicano. Unde ante Decretum Clementis cenſebatur in tali caſu à Doctoribus communiter Confeſſio fieri abſenti. Ipſeque Clemens declaravit Card. Bellarmino, nec non Petro Lombardo Archiepiſcopo Armachano, ſe non intendiſſe ſuo Decreto hunc caſum comprehendere; quæ declaratio fuiſſet utique impertinens, ſi Pontifex putaſſet Confeſſionem talem non fieri abſenti. Ita Herincx part. 4. tract. 4. diſp. 3. n. 73. 86. **Objectio ex Herincx.**

Reſpondetur; communi judicio teſtes illi exiſtimantur teſtes voluntatis præteritæ, ùt colligitur ex Leone Papa, & Arauſicano; ergo non ſunt quaſi interpretes moribundi quoad præſentem Confeſſionem, negatur Conſequentia; immo quia teſtes, ideo quaſi interpretes; nam teſtimonium illud eſt quaſi accuſatio pœnitentis, talis, qualis pro tunc haberi poteſt; teſtimonium, inquam, illud, non ſecundùm ſe ſpectatum; ſed quatenus conjunctum voluntati moraliter perſeveranti in præſentia Confeſſarii. **Reſponſio.**

Atque ut verum eſſet, quod dicit Herincx, nempe, ante Decretum Clementis cenſebatur in tali caſu à Doctoribus communiter Confeſſio fieri abſenti; liquet profectò, quòd, emergente novâ aliquâ difficultate, ſæpè ſæpiùs DD. aliter incipiant ſentire, & loqui, quàm anteà ſentiebant, & loquebantur. Igitur Confeſſionem, quam ante Decretum, quando nulla erat controverſia de ejus valore, cenſebant, & vocabant Confeſſionem abſenti factam, ùt diſtinguitur contra Confeſſionem, quæ communiter immediatè fit ab ipſo pœnitente Confeſſario præſenti, poſtmodùm occaſione Decreti Clementis Nonnulli incepetunt exiſtimare & vocare Confeſſionem præſenti factam per interpretem.

Nec ideo impertinens fuit declaratio Pontificis, immo maximè pertinens; quia cùm non

Digitized by Google

non ſatis ex verbis Decreti conſtaret, de qua Confeſſione abſenti facta Pontifex loqueretur, planè conveniens erat, ad tollendum omne dubium, ut declararet mentem ſuam, id eſt, quam Confeſſionem ipſe exiſtimaverit fieri abſenti, & non præſenti, quando dedit ſuum Decretum. Declaravit autem Pontifex, Confeſſionem in caſu noſtro non comprehendi ſuo Decreto; utique quia cenſebat eam non fieri abſenti, ſed præſenti.

87. Tertia reſponſio ad Decretum Clem. ex Lugone.

Si dixeris; equidem propter primum argumentum Lugonis non placet hæc reſponſio: per me licet, & ſubjicio tertiam reſponſionem, quam excogitavit Lugo ſuprà n. 72. dicens, Decretum Clementis loqui de Confeſſione ſtricta, id eſt, de accuſatione, quâ in actu ſecundo aliquis ſe judicialiter accuſat, ùt quando reus in judicio interrogatus, confitetur juridicè ſuum crimen coram Judice, & Notario. At verò Leo Papa, & Concilia ſuprà adducta, in magìs univerſali ſignificatione, quæ extenditur ad ea, quæ præcedunt, ùt cùm reus dicit: *Ego volo confiteri meum delictum, de quo ſum accuſatus*; vel quando ad hunc finem vocat Judicem, & Notarium, ut audiat ejus Confeſſionem, quo facto implicitè videtur jam reus confiteri ſuum delictum. Solet autem hęc Confeſſio generalis vocari propoſitum confitendi, eſtque quodammodo Confeſſio extrajudicialis, quia non coram judice; quamvis aliquo ſenſu poſſit dici judicialis, quia videlicet ordinatur ad judicem, & eſt pars judicii, & materia illius.

Probatur reſponſio.

Probat autem Cardinalis ſuam reſponſionem; quia cùm Decretum Clementis odioſum ſit, debet in ſenſu magìs ſtricto intelligi, & ratio, inquit, id ſuadet; ideo enim Confeſſio ſacramentalis requirit præſentiam Confeſſarii, quia per illam ſatisfacit pœnitens obligationi, quam ex Chriſti præcepto habet, ſiſtendi ſe coram legitimo judice, & confitendi ſua delicta: hæc autem obligatio non eſt niſi ad Confeſſionem ſtrictam & explicitam, quæ juxta leges etiam eſt actus perſonalis, qui debet fieri coram judice, comparendo perſonaliter in judicio. Hucuſque Cardinalis.

88. Impugnatur ab Herincx.

Sed hæc reſponſio non ſubſiſtit (inquit Herincx ſuprà n. 75.) nam poſſet pœnitens circumſtantibus explicare ſua peccata in ſpeciali, per eoſdem explicanda Sacerdoti adventuro, nec tamen ideo minùs, immo potiùs poterit abſolvi. Quod verò auctoritates aſſerunt ſufficere, quòd infirmus oſtenderit confitendi deſiderium, intelligitur dictum ampliativè, quaſi dicerent, etiamſi illud tantùm oſtenderit, eſt abſolvendus. Eſtque ipſum tunc Confeſſio ſeu accuſatio propriè dicta, ſed tacita ſeu implicita. Dicitur autem deſiderium ſeu petitio Confeſſionis; tum quia hoc modo ſolet vocari ab ipſis infirmis abſente Confeſſario; tum quia eſt deſiderium confitendi peccata in ſpecie, cujuſmodi Confeſſio per ſe eſt neceſſaria. Hæc ille.

Sed nunquid Lugo negat, infirmum, qui in ſpeciali explicaſſet ſua peccata circumſtantibus, per eoſdem explicanda Sacerdoti adventuro, non poſſe abſolvi? Aut negat, illud deſiderium ſeu votum Confeſſionis eſſe propriè dictam accuſationem? Neutiquam. Quid ergo? Negat Cardinalis, illud deſiderium confitendi ſeu votum Confeſſionis, eſſe ſtrictè dictam accuſationem, id eſt, talem accuſationem, per quam pœnitens poſſit ſatisfacere obligationi, quam ex Chriſti præcepto habet ſiſtendi ſe coram legitimo judice, & confitendi ſua delicta, & per conſequens videtur affirmare, infirmum, qui in ſpeciali explicaſſet ſua peccata circumſtantibus, per eoſdem explicanda Sacerdoti adventuro, quamvis poſſet abſolvi eâ ratione, quâ infirmus, qui ſolùm explicaſſet deſiderium confitendi; equidem non ſatisfeciſſe præcepto divino Confeſſionis, ſed, ſi ſupervixerit, iteratò debere explicare omnia ſua peccata in ſpecie ac ſigillatim Sacerdoti præſenti. Quod an verum ſit, quæſtio eſt realis; quæſtio autem de nomine magìs, quàm de re; an talis Confeſſio debeat dici facta præſenti, vel abſenti.

Ex me go

Hoc certum habemus, Clementem VIII. noluiſſe ſuo Decreto aut invalidare, aut prohibere Abſolutionem infirmi, ſi per ſe, vel per alios oſtenderit deſiderium confitendi; prout ipſemet declaravit Archiepiſcopo Armachano, qui in epiſtola quadam, & reſponſo, dato ad Coninck 6. Junii Anno 1624. in fine ſic ſcribit: *Sed quoad poſteriorem quæſtionem, cùm non tantùm ſit certiſſimum, Clementem Pontificem non intendiſſe damnare ſeu prohibere, quòd quiſpiam per litteras ſeu internuncium Confeſſario abſenti declaret ſe velle ei confiteri, ideoq; eum accerſat, ut ei confiteatur; ſed etiam mihi ſemper fuerit perſuaſiſſimum, quòd incidente caſu, qui in quæſtione illa exprimitur, Confeſſarius poſſit ac debeat ſacramentaliter abſolvere, juxta antiquos Canones, & nominatim juxta Doctrinam S. Leonis Papæ in ſua citata Decretali; in qua, quòd agat de ſacramentali Abſolutione, etiam intellexit S. Thomas 3. p. q 84. a. 3. ad 2. Hoc ipſum privatim communicavi Clementi Pontifici, idq; poſtquam in officio S. Inquiſitionis improbata eſſet interpretatio ſui Decreti, à Theologo quodam facta, tanquam non eſſet in eo damnata ac prohibita utraque diviſim pars propoſita quæſtionis; ac reſpondit mihi ſua Sanctitas, non fuiſſe ſibi propoſitum damnare ſeu prohibere, quod Abſolutio ſacramentalis impendatur incidente caſu, expreſſo in poſteriori illa quæſtione. Sic teſtor Anno 1624. 6. Junii, uti adhuc feci ante annos aliquot.*

Cle noli hibe ſola in c poſſ

PETRUS LOMBARDUS *Archiepiſcopus Armachanus, Primas Regni Hiberniæ.*

Quam-

Digitized by Google

Quamvis autem in eadem Epiſtola dicatur, Clementem VIII. meritò damnaſſe ac prohibuiſſe ſuo Decreto, licere per litteras ſeu internuncium Confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri, hoc nimirum ſenſu, ut ſic facta Confeſſio, cenſenda ſit ſacramentalis, id eſt; talis per quam ſatisfiat præcepto divino; equidem non refertur, illam doctrinam à Pontifice fuiſſe probatam, & ideo nos non ſtringir.

Enimverò ſententia, quæ affirmat, valere Confeſſionem factam abſenti, dummodo Abſolutio detur in præſentia, poſt Decretum Clementis VIII. defenſa fuit Lovanii Anno 1607. 22. Auguſti Præſide Eximio Domino M. N. Joanne Clario S. Theologiæ Doctore, ùt refert Præpoſitus q. 4. n. 73. Qui ibidem n. 78. aſſerit ex Decreto Clementis nihil concludi pro invaliditate Sacramenti; quia ſummus Pontifex ſolùm determinat, non licere ita confiteri, atque ita ſolùm damnat & prohibet praxim, nihil verò decernit de invaliditate Abſolutionis, quod ipſemet declaravit Cardinali Bellarmino; & Cardin. ſignificavit Leſſio 19. Aprilis Anno 1608. addens ſe idem ſentire; ſcilicet, in prædicto Decreto non agi de validitate, vel invaliditate Abſolutionis; quia ſolùm dicitur non licere.

Hæc omnia à prædicto P. Leſſio partim ad me ſcripta Lovanium, cùm ibi agerem; partim ſunt annotata occaſione Concluſionum, quibus Anno 1607. ibidem præſederam, contra quas, tamquam contrarias Decreto Pontificio, quidam inſurrexerat, & Theſes in Urbem miſerat; unde prædictum Patrem, qui diſputationi interfuerat, per litteras rogavi, ut inquireret, num Theſes quidquam contra Decretum Pontificium continerent, qui in Urbe disertè intellexit, Pontificem non voluiſſe quidquam in alterutram partem decernere quoad Abſolutionis validitatem. Hucuſque Præpoſitus.

Cui ſi objicias: ſi talis Confeſſio ſit illicita; ergo erit invalida, quia non poteſt quis inſtituere validam Confeſſionem, ſi in eadem mortaliter peccat. Reſpondet neg. Conſ. ſi conſequens intelligatur, quantum eſt ex natura & inſtitutione hujus Sacramenti, cùm fieri poſſit, ut aliquis, ignorans prædictum modum eſſe illicitum; ita confiteatur, & quidem integrè, qui de cetero ſit diſpoſitus; & proinde validè abſolvetur, ſive Sacerdos abſolvens, in eo peccet, ſive ratione ignorantiæ, vel inadvertentiæ inculpatæ excuſetur. Hæc ille.

Quidni ergo ita confitens, & quidem integrè, per talem Confeſſionem ſatisfecerit præcepto divino? Noli dubitare, ſi non dubites de illa Pontificis declaratione.

Si rurſum inferas: ergo ex illo Decreto non probatur invaliditas Abſolutionis datæ in abſentia. Tranſeat totum. Ex quo ergo? Reſpondet Præpoſitus q. 6. n. 16. ex forma: *Ego te abſolvo*; nam particula, *Te*, ex ſenſu, & ùſu omnium, atque adeò ex proprietate verbi, deſignat perſonam præſentem, ad quam ſermò & vox humana dirigitur; ergo ad veritatem formæ, atque adeò ad ejus valorem requiritur, ut perſona, quæ abſolvitur, ſit præſens; quemadmodum forma Conſecrationis Euchariſtiæ ad ſui valorem requirit materiam conſecrabilem præſentem, quia proprietas demonſtrativi, *Hoc*, id exigit.

Nec obſtat, quòd forma proferri poſſit more Græcorum: *Abſolvatur ſervus Chriſti*, quia cùm talis forma debeat æquivalere formæ conſuetæ, debet ſaltem confusè dirigi ad præſentem.

Non obſtat etiam; quòd ſcribentes ad aliquem abſentem, interdum utamur particulâ, *Te*, *Te ſalutant tui*, *Me tibi commendo* &c. quia id fit, quòd fictione quadam cenſeamur cum præſente agere. Cæterùm humanâ voce non utimur particulâ, *Te*, niſi perſona, cui loquimur, ſit verè præſens. Conſtat autem ex dictis, formam hujus Sacramenti humanâ voce proferendam, & nos per eam ſermonem dirigere ad pœnitentem, eique loqui. Hactenus Præpoſitus.

Sed ſi verum eſt; quod ibidem docet n. 15. 94.
videlicet, comprehendi Decreto Pontificis *Alia ſolutio.*
etiam articulum mortis; negari poteſt Conſequentia, quam ſuprà gratis admiſimus; non quod Pontifex ibi aliquid explicitè decernat de invaliditate Abſolutionis; ſed quia prohibendo illam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, etiam pro articulo mortis, nimis manifeſtè ſignificat, eam eſſe, aut ſaltem à ſe judicari invalidam, ùt argumentatus fui ſect. 3. concl. 5. Vide ibi dicta.

Interim invenio Theſes, defenſas Antuerpiæ in Collegio Societatis Jeſu Anno 1651. 11. Aug. Præſide R. P. Michaele van Trieſt, in quibus Theſi 6. de Pœnit. in fine ſic lego: *Confeſſionis uſus, quo abſenti Abſolutio impendatur, cùm Decreto Clementis VIII. damnetur, ut ſcandaloſus & temerarius, non videtur comprehendere caſum, quo in extrema neceſſitate id fieret ſub conditione.*

Alias habeo Theſes, defenſas Lovanii in Collegio Societatis Jeſu 24. Novemb. Anno 1655. Præſide R. P. Jacobo van Galloen, quarum Theſis 10. in medio loquitur ſub hac forma verborum: *Invalidè abſens abſolvitur. Non videtur tamen hæreticum, dicere, Abſolutionem abſenti impenſam, leviſſimè videri probabilem.* Qui ſic locuti ſunt de Abſolutione abſenti impenſa; quid putas dixiſſent de Confeſſione abſenti facta?

Dices; ſi ideo Abſolutio abſenti impenſa 95.
ſit invalida, quia eſt prohibita etiam in arti- *Inſtantia.*
culo mortis; erit ſimiliter invalida Confeſſio abſenti facta, quoniam eodem Decreto prohibita etiam in articulo mortis.

 Reſp.

Solvitur. Reſp. vel illa Confeſſio facta eſt abſenti, ex intentione obtinendi Abſolutionem ab abſente, vel ex intentione obtinendi Abſolutionem à præſente. Si primum; ſicut prohibetur in extremis talis Abſolutio, ita etiam talis Confeſſio; & per conſequens tam Abſolutio, quàm Confeſſio eſt invalida, quia Confeſſio valida debet fieri per ordinem ad Sacramentum validum. Sin autem ſecundum elegeris; ſicut Abſolutio in præſentia tali caſu non eſt prohibita in articulo mortis, quando alia Confeſſio eſt impoſſibilis, ita nec Confeſſio in abſentia. Et veluti Abſolutio in tali caſu eſt illicita extra neceſſitatem, ita quoque Confeſſio. An autem foret valida, ſi daretur; non video, quid efficaciter obſtet.

Manet ergo vera prima pars Concluſionis: *Confeſſio abſenti facta, non ſemper eſt invalida*; quia non in extrema neceſſitate, quando Confeſſio in præſentia Sacerdotis non eſt poſſibilis, ſi tali caſu debeat dici Confeſſio fieri abſenti, ùt communiùs loquuntur Theologi, & non potiùs fieri præſenti, ùt Nonnulli volunt. Concluſio itaque loquitur cum Multis. Nihil autem vetat ſentire cum paucis; etiam extra neceſſitatem, quando poſſet fieri Confeſſio præſenti, adhuc valere Confeſſionem factam abſenti, ex intentione obtinendi Abſolutionem à præſente.

96. Cæterum quæ hîc ab Aliquibus pertractantur, de Abſolutione moribundi, qui nulla dedit ſigna, ſaltem videntibus vel audientibus circumſtantibus, differo in commodiorem locum. Hæc impræſentiarùm ſufficiant de Confeſſione ſecreta & vocali. Pauca ſubjicio de Confeſſione pura & fideli, acturus de Confeſſione integra, quæ quæſtionem habet moleſtiſſimam, Sectione ſeq. Igitur pro Confeſſione pura, id eſt, quæ fit ex pura intentione placandi Deum, obediendi Eccleſiæ, fugiendi animæ periculum &c. ponitur

Quæ ſit pura Confeſſio.

CONCLUSIO V.

Confeſſio, quæ principaliter fieret propter vanam gloriam, aut alium finem venialiter malum, non eſſet invalida.

97. Finis mortalis invalidat Abſolutionem. Dico, *Venialiter malum*; quia intentio finis mortalis, v. g. fornicationis, eſt peccatum mortale, ùt patet; ergo neceſſariò impedit Contritionem, quæ eſt dolor de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, ſinè qua tamen Contritione Abſolutio eſt invalida, prout ſuppono ex alibi dictis.

Confiteri propter finem venia. Si inferas, ergo etiam intentio finis venialis impedit Contritionem, & per conſequens invalidat Abſolutionem, quoniam & illa intentio peccatum mortale eſt. Reſpondeo, de hoc quæritur, & quamvis Nonnulli id affirment; communis tamen ſententia inter Recentiores Theologos iſtud peccatum mortale non agnoſcit; & per conſequens agnoſcit validam Abſolutionem. Licèt enim aliqua ſit inordinatio, & aliquis abuſus rei ſacræ, velle illam facere propter vanam gloriam, aut alium finem venialiter malum, cùm principaliter ſit deſtinata & dicata cultui divino; equidem non ſatis probatur, quòd ſit inordinatio & abuſus gravis; & aliunde fieri poteſt, ut omnia neceſſaria ad Sacramentum adhibeantur; ergo nihil obſtat, quò minùs talis Confeſſio ſit valida, & exinde valida Abſolutio.

Contrarium aſſerit Sylveſter V. *Confeſſ.* 1. n. 7. ibi. Qui principaliter confitetur propter inanem gloriam, vel ne notetur in populo, aut alium malum finem, peccat mortaliter petendo Abſolutionem, propter injuriam, quam facit Sacramento, pervertendo finem ejus, & illud annullando; non enim valet talis Confeſſio, nec eſt ſacramentalis; quia de eſſentia ejus eſt, quòd fiat ſpe veniæ.

Reſp. inanis gloria non excludit ſpem veniæ, niſi aliunde probetur invaliditas hujuſmodi Confeſſionis; ſed eadem Confeſſio fieri poteſt principaliter propter inanem gloriam, ſecundariò autem ſpe veniæ; & quamvis perverſio illa finis ſit peccaminoſa, tamquam injurioſa Sacramento, cujus finis principalis debet eſſe ſpes veniæ; attamen quòd ſit injuria notabilis, unde conſtat?

Herculè non omnem abuſum rei ſacræ eſſe mortalem, nimis clarum eſt, quàm ut indigeat aliquâ probatione. Quæ enim res magìs ſacra, quàm Sacramentum Euchariſtiæ? Tamen certum eſt, non omnem abuſum Euchariſtiæ eſſe mortalem; & communis ſententia docet, non eſſe peccatum mortale ſumere Euchariſtiam ob finem venialem, de quo egimus diſp. 4. ſect. 10. conc. 9. quantò minùs erit peccatum mortale, ob finem venialem confiteri, quod eſt Sacramentum longè imperfectius?

Dices; conſentio non eſſe peccatum mortale, nihilominus impedit veram Attritionem; quia actus ſupernaturalis, qualis debet eſſe vera Attritio, non poteſt imperari ab actu malo, qualis eſt intentio vanæ gloriæ. Patet; quia actus ſupernaturalis debet eſſe bonus & honeſtus; Attritio autem, quæ imperatur, eſt mala, ſaltem extrinſecè & denominativè, ab illa intentione vanæ gloriæ.

Reſpondet Arriaga diſp. 38. n. 48. eo caſu non poſſe illam Attritionem oriri ab eo fine, quia ad illum eſt planè impertinens; ſed ab alio actu diſparato, quo homo non vult Deum graviter offendere; qui actus non habetur ullo modo ex intento vanæ gloriæ, ſed per

accidens

Digitized by Google

accidens conjungitur cum ea vana gloria; ergo hæc non vitiat illum actum Attritionis. Huc-uſque Arriaga. Sed numquid rem acu teti-git?

Hæc reſponſio, inquit Lugo diſp. 15. n. 227. & 228. impugnatur facilè; quia licèt Attritio non conducat immediatè & directè, conducit tamen mediatè ad eum finem vanæ gloriæ; ſcilicet, ùt medium requiſitum ad hoc, ut Confeſſio exterior ſit eligibilis hìc & nunc: ſi enim Confeſſio exterior eſſet ſacrilega, ego non eligerem eam, nec vellem cum tanto incommodo conſequi bonam exiſtimationem apud Confeſſarium; ergo illud quod conducit ut Confeſſio exterior non ſit ſacrilega, conducit etiam ut Confeſſio eligatur à me in ordine ad illum finem; & per conſequens conducit mediatè ad eum finem humanum, & eligitur ex eadem intentione.

Sicut qui vult ire Neapolim ad homicidium patrandum, & conducit equum, vel navim; hæc ipſa conductio oritur ex intentione homicidii, & eſt mala ab ejus malitia; quia licèt ad homicidium ſolùm conducat ire Neapolim, quod etiam ſinè equo fieri poſſet, & conductio equi ſolùm ordinetur immediatè ad vitandum incommoditatem itineris; ille tamen fortaſſe non vellet homicidium cum tanto incommodo, nec iret niſi poſſet navigare, vel equitare; quare conductio equi, vel navis, quæ facit illud medium eligibile, eligitur etiam ex eodem fine, quantum ſufficit, ut ipſa conductio ſit mala denominativè.

Item qui ex fine vanæ gloriæ celebrat Sacrum, non ſolùm ordinat in eum finem prolationem verborum, ſed etiam intentionem conſecrandi; nam licèt ad illum finem ſufficeret prolatio exterior; quia tamen ipſe nollet cum tanto ſacrilegii ſcelere comparare vanam gloriam, neceſſaria eſt etiam intentio conſecrandi, ut hoc medium ſit eligibile hìc & nunc ad eum finem. Similiter ergo in caſu noſtro, ipſe actus Attritionis, ſinè quo Confeſſio exterior non eligeretur, ordinatur in eum finem vanæ exiſtimationis humanæ. Hactenus Eminentiſſimus.

Idemque priùs docuerat Felix tract. de Bonit. & Malit. c. 5. diff. 5. n. 6. & quidem ſatis plauſibiliter, ſi poſſet ſufficienter probari, hanc ordinationem extrinſecam & mediatam ſufficere, ut illi actus ſint denominativè mali: equidem qui hoc negaret, neſcio quâ ratione convinceretur errare.

Utcumque ergo ſit de illa denominatione; dico, eam non deſtruere, aut impedire actum ſupernaturalem; ſed eundem actum poſſe eſſe bonum, honeſtum, ſupernaturalem, meritorium ex objecto; & tamen malum, & demeritorium ex circumſtantia finis extrinſeci, id eſt, eundem actum poſſe eſſe intrinſecè bonum, & extrinſecè malum.

Dices; bonum conſtat ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus; ergo talis actus non eſt ſimpliciter bonus; ergo Deus non poteſt ſpecialiter ad eum concurrere, ſicut debet concurrere ad actum ſupernaturalem. Objectio.

Reſpondet Felix ſuprà nu. 7. neg primam Conſequentiam; potiùs, inquit, talis actus appellandus eſt bonus ſimpliciter; cùm ſit bonus ex objecto, quod dat primam, & ſubſtantialem ſpeciem, & malus ſecundùm quid; ſcilicet, ex fine: nam aliud eſt eſſe omnino bonum, & aliud eſt eſſe ſimpliciter bonum; nam æthiops eſt ſimpliciter niger, & tamen non eſt omnino niger; nam eſt albus ſecundùm dentes. Hæc ille. Solvitur ex Felice.

102. Quomodo intelligendum commune dictum: Bonum ex integra cauſa, ex eodem.

Unde ad Antecedens reſpondet; illud commune dictum intelligendum de actu undique bono, ad quem requiritur integritas omnium; ſi tamen, inquit, ſolùm ſit bonus ex objecto, ſufficit quòd ex objecto ſit integer, & non habeat defectum, & objectum ſit rationi conſonum. Jam autem in caſu noſtro, ſuppoſitâ intentione vanæ gloriæ, bonum eſt exteriùs confiteri, cum vera & ſupernaturali Attritione, requiſitâ ad valorem Sacramenti; ne alioquin peccetur mortaliter per ſacrilegam Confeſſionem. Cur ergo Deus, ſuppoſitâ illâ malâ intentione, non poſſet ſpecialiter concurrere ad actum Attritionis, qui ex objecto ſuo eſt integer, & nullum habet defectum, cujusque objectum eſt maximè rationi conſonum?

Quia, inquis, Deo diſplicet talis actus. Eſto (quod non) nonne Deo diſplicet homo peccator? Et tamen concurrit propriè ad ejus conſervationem. Nonne Deo diſplicet anima infecta peccato, originali? Et tamen concurrit propriè ad productionem novæ animæ. Et ratio eſt; quia id quod tunc de novo producitur, eſt verè bonum; quòd verò habeat illam denominationem extrinſecam mali, non eſt à Deo, ſed à mala volitione, quæ præceſſit, & cujus Deus non fuit cauſa; nec per productionem novi illius ſubjecti denominationis, additur de novo quidquam, quod habeat propriam rationem malitiæ. Evaſio præcluditur.

Sed contrà; Deus non poteſt annuere malo hominis intento. Reſpondeo; ipſum non annuere, producendo talem actum; quoniam non attendit ad hoc, quòd ſit imperatus à malo actu, ſed ad hoc, quòd tametſi voluntas antea malè ſit operata, jam tamen ex ſua libertate, vult ſe determinare ad actum ſupernaturalem, ex quo capite digna eſt, ut à Deo juvetur; eſtque ille actus amabilior ob ſuam honeſtatem intrinſecam, quàm odibilis ob ſuam malitiam extrinſecam. 103. Objectio ſolvitur.

Si inſtes; concurſus ſupernaturalis non eſt debitus. Reſpondeo neg. Aſſumptum; quia, ſuppoſitâ elevatione hominis ad ſtatum ſupernaturalem, Deus hìc & nunc ſolùm ſe gerit, ùt Inſtantia ſolvitur.

ùt cauſa univerſalis. Veluti, poſtquam voluit, ut legitimus Sacerdos, adhibens omnia ex inſtitutione Chriſti requiſita, poneret Corpus, & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ipſe Deus ſupernaturaliter concurrit ad illam poſitionem, etſi fiat à Sacerdote malo fine; quippe ipſa poſitio in ſe bona eſt, & malæ illi intentioni Deus ſpecialiter non cooperatur.

104. *Evaſio præcluditur.* Dices; diſparitas eſt, quòd illa poſitio ſit actio ſolius Dei, quæ non poteſt infici, nec denominari mala ab intentione mala Sacerdotis; at verò Attritio in noſtro caſu eſt actus ipſius pœnitentis, relatus ab eo in finem malum, & per conſequens abſolutè malus, ut proinde ad illum non poſſit requiri gratia, qualis requiritur ad actum ſupernaturalem.

Reſp. eſtò ſit aliqua diſparitas, equidem in hoc conveniunt poſitio illa, & iſta Attritio; quòd intrinſecùs & ex objecto ſuo ſint actus boni, quod ſufficit, ut Deus ſpecialiter poſſit ad illos concurrere & conferre gratiam ſpecialem neceſſariam ad actum ſupernaturalem.

105. *Alia inſtantia.* Urges; ſi ex invidia peto à Deo, ut occidat Joannem, non poteſt Deus me exaudire, quamvis alioquin illa occiſio ex ſe non ſit mala.

Solvitur. Reſpondeo; occidere Joannem ratione injuſtæ petitionis, eſt formaliſſimè dare occaſionem, ut mala petantur à Deo, & oſtendere ipſum Deum eorum auctorem (quod eſt maximè indignum Deo) eſſet enim quaſi cauſa totalis & particularis illius actûs, utpote qui nullatenus debetur hujuſmodi precibus; ſicuti bene ex generali voluntate Chriſti, debetur poſitio Corporis, & Sanguinis Chriſti Conſecrationi Sacerdotis, ex quocumque tandem fine, ſive venialiter, ſive mortaliter peccaminoſo: & ſicut debetur concurſus in ordine ſupernaturali, quando voluntas ſe determinat ad actum ſupernaturalem.

Alioquin, ſi poſtquam iniquè petii mortem inimici, jam occurrente juſtâ cauſâ ipſum occidendi, velim novo actu meritorio, v. g. zelo juſtitiæ occidere, poterit Deus me ſpecialiter ad hoc juvare; non ratione prioris deſiderii mali, quamvis fortè ad iſtud ego attendam, ſed poſterioris boni & meritorii. Sic ergo in præſenti caſu, licèt Deus non poſſit ſpecialiter concurrere ad intentionem vanæ gloriæ; quia illa intentio ex objecto ſuo mala eſt, neque talis concurſus ullatenus debetur voluntati; equidem ſuppoſitâ iſtâ intentione, & voluntate jam ſe determinante ad Contritionem (quæ nullo modo èſt cauſa illius perverſæ intentionis) ac poſtulante auxilium ſpeciale, ſibi quodammodo debitum, neſcio quare Deus debeat, aut poſſit illud negare, cùm tota malitia antecedenter ſit poſita.

Sicuti, quia non eſt malum novâ malitiâ, quòd, poſitâ voluntate efficaci occidendi, ſequatur homicidium; idcirco Deus ad illud per ſe poſſet concurrere, quia ſic non concurreret, ad malitiam quæ tota antecedenter eſſet poſita.

Sed contrà, inquis; ego debeo procurare, ne mea actio ponatur ex fine malo, eſtò jam tota malitia antecedenter ſit poſita; ergo ſimiliter Deus. Ob

Reſp. diſt. Antec. ego debeo procurare, ne mea actio ponatur ex fine malo extrinſeco, tollendo intentionem mali finis extrinſeci, concedo; impediendo actum imperatum de ſe bonum, nego Antecedens. Tota ergo malitia conſiſtit in ponenda intentione mala, & non revocatione illius. Revocatio autem ad quem pertinet? Nonne ad Deum? Manifeſtum eſt, quòd ad ſolam voluntatem, quæ intentionem poſuit. Re

Arguis rurſum; motivum actûs mali eſt imperfectum; ergo non ſufficit ad eliciendum actum ſupernaturalem. Reſp. planè non ſufficit, quoniam objectum motivum actûs ſupernaturalis eſt Deus, & quidem ſolus Deus in Schola noſtra, quæ non admittit actus ſupernaturales niſi Fidei, Spei & Charitatis; quæ autem conventio Dei ad vanam gloriam? Interim vana gloria ſufficiens motivum eſt, ad imperandum actum ſupernaturalem, quem alioquin ſinè illo imperio poſſet voluntas liberè elicere, propter motivum ſibi proprium, ſcilicet Deum. Cur enim quod poterat ſinè illa determinatione ſeu imperio voluntatis, non poſſit etiam accedente illa determinatione ſeu imperio? Nonne ad petitionem amici poteſt voluntas elicere actum ſupernaturalem? Et ſi illa poteſt determinare voluntatem, cur non etiam intentio vanæ gloriæ, quando actus ſupernaturalis, ſi non proximè, ſaltem remotè ad illam conducit?

Ideo, reponit quiſpiam; quia imperium voluntatis poteſt eſſe efficax, & tollere libertatem actûs imperati; quâ ſublatâ, conſequenter tollitur formalis bonitas actûs; & aliunde talis actus eſſet malus extrinſecè, eo modo quo exterior actus blaſphemiæ eſt malus, licèt illa malitia proveniat ab actu interiori; ergo ſaltem tunc non poſſet Deus ſpecialiter ad eum concurrere, ſicut non poteſt ſpecialiter concurrere ad actum externum blaſphemiæ.

Reſpon. I. magnam eſſe diſparitatem inter actum externum blaſphemiæ, qui ex objecto ſuo eſt malus, & actum ſupernaturalem, v. g. Contritionem, qui ex objecto ſuo eſt bonus: ergo non bene ſequitur, Deus non poteſt tali caſu ſpecialiter concurrere ad actum externum blaſphemiæ, qui ex objecto ſuo eſt malus; ergo etiam non poteſt ſpecialiter concurrere ad Contritionem, quæ ex objecto ſuo eſt bona.

Reſp. II. imperium voluntatis etiam poteſt non tollere libertatem, immo ordinariè non tollit, ùt DD. communiter admittunt; ergo ſaltem

ſaltem ordinariè intentio vanæ gloriæ non impediet aut deſtruet ſupernaturalitatem Contritionis, & per conſequens validitatem Confeſſionis, & Abſolutionis; quod ſufficit ad veritatem Concluſionis, quæ intelligi debet de ordinario modo operandi.

Reſp. III. eſtò imperium voluntatis ſemper neceſſitaret, cùm voluntas non neceſſitetur ad ipſum imperium, adhuc actus imperatus erit liber, ſi non proximè & immediatè, ſaltem remotè & mediatè; quæ libertas ſufficit, non tantùm ad formalem bonitatem, ſed fortè etiam ad bonitatem meritoriam.

Et dato, quòd in aliquo caſu voluntas abſolutè neceſſitaretur tam proximè, quàm remotè ad Contritionem, putas quia ille actus non erit formaliter honeſtus? Sanè amor Dei ſuper omnia in Beatis eſt honeſtiſſimus formaliter, tametſi, ſecundùm communem ſententiam extra Scholam noſtram, non ſit formaliter liber, neque proximè, neque remotè; & ideo etiam nec formaliter meritorius.

Si inferas; ergo ſaltem illa Contritio neceſſaria non foret ſufficiens diſpoſitio ad gratiam juſtificantem in Sacramento, quia non diſponit, niſi ùt meritoria, juxta illud Tridentini ſeſſ. 14. c. 4. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demùm præparat ad remiſſionem peccatorum* &c. Et infrà: *Quamvis ſinè Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.*

Reſp. quidquid ſit de tali Contritione, quæ nec proximè, nec remotè foret libera, puto, ſalvò meliori, Contritionem, quæ ſaltem remotè foret libera, ſufficienter diſponere ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento Pœnitentiæ. Moveor; quia etiam reſpectu talis actûs verificatur Scriptura Eccleſiaſtici 31. v. 10, & 11. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Et de tali actu dici poteſt, quòd noſter ſit, & in noſtra poſitus poteſtate ac dominio; ita ut à nobis dari poſſit quaſi pretium pro præmio. Cur ergo non habeat meritum diſtinctum? Et per conſequens cur illa Contritio non ſufficienter diſponat ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento Pœnitentiæ?

Dices; quia ſic etiam actus externus habebit meritum diſtinctum, cùm & ipſe remotè liber ſit. Eſtò. Quid tum? Atqui hoc eſt abſurdum. Nego Subſumptum, & videtur ſententia Doctoris Subtilis Quodlib. 18. n. 20. ubi ſic ait: *De ſecundo in iſto articulo, ſcilicet de imputabilitate, patet ex diſtinctione poſita in ſecundo articulo; ſi ſtrictè accipiendo ſolùm illud dicatur imputabile, quod eſt immediatè in poteſtate voluntatis, patet, quòd ſolùm velle, vel nolle eſt imputabile. Si autem imputabile generaliter dicatur illud, quod eſt ſimpliciter in poteſtate voluntatis, ſic actus imperatus propriè eſt imputabilis: quia etſi non ſit immediatè in poteſtate voluntatis: eſt tamen mediante actu volendi,* Actus imperatus verè imputabilis.
qui actus non ſolùm ſecundùm ſe eſt in poteſtate voluntatis, ſed etiam ùt principium actûs exterioris; quia voluntas poteſt per interiorem ponere illum exteriorem. Exemplum: ſervus ex præcepto Domini occidit, illa occiſio imputatur Domino; quia in poteſtate ſua erat actus ſervi, licèt mediatè.

Quòd autem ſit imputabilitas diſtincta, probat ibidem Doctor dicens: *Idem non eſt medium, nec ratio mediandi reſpectu ſuipſius ..... quia quamquam terminus ſit idem, tamen in diverſis fundamentis ſunt diverſi reſpectus ad eundem terminum; actus ille & iſte ſunt diverſa fundamenta: igitur licèt imputabilitas conveniat iſtis in ordine ad eandem voluntatem, tamen illa erit alia, ſicut eſt alia cauſabilitas, vel aliud ſubjacēre poteſtati cauſæ, licèt cauſa ſit eadem.* 112. Imputabilitas alia interni, alia externi actûs.

Deinde n. 21. *Actus*, inquit, *exterior eſt voluntarius, ſicut actus interior ſimpliciter; non tamen eſt æquè primò, ſed illo præſuppoſito.* Et infrà: *Licèt actus exterior ſeparatus ab actu interiori, hoc eſt, ſinè illo poſitus in eſſe, non ſit voluntarius, & hoc, quia effectus remotior non dicitur voluntarius, niſi ponatur in eſſe per actum interiorem, qui eſt effectus propinquior; tamen quando actus exterior conjungitur cum interiori, & ex illo procedit, tunc ille exterior, ùt diſtinctus, habet rationem voluntarii, & diſtinctam; quia voluntarii mediatè; actus autem interior non ſic eſt voluntarius, ſed immediatè.*

Hæc Scotus; poſteaquam docuiſſet n. 12. in actu externo eſſe bonitatem diſtinctam à bonitate actûs interni: *De tertio principali, primò poteſt dici, quòd actus exterior, ſcilicet imperatus, habet bonitatem moralem propriam aliquam aliam, quàm actus interior elicitus.* Probationes tum ex auctoritate, tum ex ratione, vide ibi.

Si hoc poteſt dici de actu exteriori, videlicet ipſum habere diſtinctam bonitatem & diſtinctam imputabilitatem, ſeu diſtinctum meritum, quidni idem dici poſſit de Contritione interna, imperata ab alio actu voluntatis? Immo cur non poſſit dici, actum internum imperatum habere ſubinde majorem bonitatem, & conſequenter majus meritum, quàm actum imperantem? Nam actus inferioris virtutis, poteſt imperare actum ſuperioris virtutis; quin actus malus, actum bonum & ſupernaturalem, ùt hìc contendimus; ergo fieri poteſt, ut actus imperatus ſit meritorius, tametſi actus imperans ſit demeritorius, aut minus meritorius; neque enim per illud imperium, eſtò neceſſitaret voluntatem ad actum imperatum, minuitur honeſtas actûs imperati, quam non habet ex eo, quod ſit liber, ſed ex convenientia ad regulam juxta quàm debet elici. 113. Actus internus imperatus poteſt ſubinde habere majorem bonitatem, quàm actus imperans.

Quod ſubtiliter advertit Doctor Subtilis ſup. n. 10. dicens: *Ex hoc patet, quòd non ab eodem formaliter eſt actus bonus bonitate morali,* Scotus.

 & impu-

& imputabilis; ſed primum habet ex convenientia ad regulam, juxta quam debet elici. Secundum ex eo, quòd eſt in libera poteſtate agentis. Laudabile autem & vituperabile ambo iſta important; quia & licèt formaliter dicant hoc, quòd eſt imputabile, cum determinatione illius, ad quod eſt imputabile; tamen materialiter connotant illud, propter quod ipſum eſt ad hoc imputabile, ſcilicet bonitatem, vel malitiam, propter quæ ad pœnam, vel præmium imputandum eſt.

114. Per imperium neceſſitans non minuitur formalis bonitas Contritionis.

Igitur per imperium neceſſitans non minuitur formalis bonitas Contritionis; neque ratio voluntarii, ùt diſtinguitur à libero, cùm eliciatur immediatè ab ipſa voluntate, ùt ſuppono, perfectè cognoſcente ſingula in quibus eſt actio; ergo nec minuitur ratio meriti, quæ correſpondet bonitati operis, & non libertati, quæ tantùm eſt conditio aliqua ſinè qua honeſtas operis non foret præmio digna. Sufficit ergo, quòd actus ſit ſimpliciter in poteſtate voluntatis.

De imputabili, inquit Scotus ſuprà, *diſtingui poteſt, quòd uno modo propriè accipiendo, illud poteſt dici imputabile, quod eſt immediatè in poteſtate liberæ voluntatis. Alio modo imputabile poteſt dici, quidquid eſt ſimpliciter in poteſtate voluntatis, licèt non immediatè. Et ſic actus alterius potentiæ, quem voluntas, mediante actu ſuo volendi, poteſt imperare, ut eliciatur, vel impedire ne eliciatur, eſt imputabilis voluntati; quia tota coordinatio uſque ad illum actum, etiam includendo iſtum actum, eſt in poteſtate voluntatis.* Quid ergo deeſt iſti Contritioni, ut poſſit aut debeat dici meritoria ſimpliciter (eſtò non propriiſſimè) meritoria, inquam, de congruo gratiæ juſtificantis? Prorſus nihil in hac ſententia.

115. Quid dicendum, ſi Confeſſio externa & dolor internus, eodem actu, pro eodem inſtanti efficaciter imperaretur.

Ac proinde dico; etiam admiſſo caſu metaphyſico (ùt eum vocat Arriaga tom. 3. diſp. 4. n. 34.) quo tam Confeſſio externa, quàm dolor internus eodem actu, putà intentione vanæ gloriæ, efficaciter imperaretur, idque pro eodem inſtanti, adhuc non fieret Confeſſio invalida; quia adhuc poterit elici actus ſupernaturalis Attritionis, quidquid in contrarium exiſtimet hic Auctor loco citato ibi: Quòd ſi caſus metaphyſicus ita ponatur, ut utrumque eodem actu imperetur; reſpondeo, vel eum actum tunc non duraturum, quando eſt dolor de peccatis; non enim videtur credibile eo inſtanti, quo quis ſeriò dolet ſe offendiſſe Deum, ſimul tamen de novo eum venialiter offendere: vel ſi exiſtat; dico tunc, illud imperium eſſe ſolùm inefficax, & conſequenter non tollere libertatem, & bonitatem actûs imperati. Quòd ſi efficax ponatur in eodem inſtanti, tunc fiet Confeſſio invalida; quia tunc non elicietur actus ſupernaturalis nequidem Attritionis. Hæc ille.

116. Rejicitur ſententia Arriagæ.

Sed diſplicet in primis, quod ait, non videri credibile eo inſtanti, quo quis ſeriò dolet ſe offendiſſe Deum, ſimul tamen de novo eum venialiter offendere. Cur enim hoc incredibile? Nonne certa doctrina eſt, Contritionem, quæ eſt prima pars quaſi materiæ Sacramenti Pœnitentiæ non excludere niſi propoſitum peccandi de cætero mortaliter? Cur ergo erit incredibile, eo inſtanti, quo quis ſeriò dolet ſe offendiſſe Deum mortaliter, ſimul de novo Deum offendere venialiter? Optandum foret, numquam id fieri.

Secundò ait: Vel ſi exiſtat, dico tunc, illud imperium ſolùm eſſe inefficax, & conſequenter non tollere libertatem, & bonitatem actûs imperati. Sed unde conſtat hæc inefficacia, magìs quàm efficacia? Et dato, quòd eſſet efficax, num ideo tolleretur bonitas actûs imperati? Ipſe Arriaga docet contrarium eodem tomo diſp. 18. n. 3. Judico, inquit, probabiliùs, etiam tunc temporis actum illum (ſupernaturalem) poſſe imperari (efficaciter) ab alio, etiam mortaliter malo, ſi aliunde actus non habeant inter ſe oppoſitionem ullam (ſicuti habent peccatum mortale, & Contritio, de qua hìc tractamus) Rationem deſumo, invertendo oppoſitum fundamentum; nam tunc temporis (quando ſcilicet actus ſupernaturalis efficaciter imperatur ab actu mortaliter malo) actus ille retinet totam eam honeſtatem, quam antea habebat. Nam aliud eſt actum eſſe meritorium, aliud in ſe eſſe honeſtum. Hæc ille. Cur ergo non eliceretur actus ſupernaturalis Attritionis, quando utrumque, id eſt, Confeſſio externa, & internus dolor, imperaretur ab eodem actu, putà intentione vanæ gloriæ, efficaciter eodem inſtanti? Non video quid obſtet.

Obſtat, inquis, quòd actio externa virtutis, v. g. Eleëmoſyna exterior, licèt in ſe bona, Obj
equidem redditur ſimpliciter mala à fine extrinſeco malo; ergo ſimiliter illa Attritio.

Reſp. I. Actus externus, ſecundùm communiorem ſententiam, non habet bonitatem diſtinctam à bonitate actûs interni: ſecùs unus actus internus, imperatus ab alio actu interno. Pri ipo

Reſp. II. Etiam eleëmoſynam exteriorem retinere ſuam bonitatem objectivam & moralem, ſi quam habet diſtinctam à bonitate morali actûs interioris, cum denominatione externa à fine extrinſeco malo. Probatur; quia dans eleëmoſynam, nullo modo peccat contra miſericordiam; ſed potiùs operatur juxta illam; ergo tale objectum bonum non deſtruitur per inanem gloriam: ergo ſemper ex illo habebit bonitatem. Rurſùs poteſt iſte operari propter honeſtatem miſericordiæ, & ſimul extrinſecè propter vanam gloriam; ergo talis operatio ſimul erit bona & mala ex diverſis principiis: denique talis actus erit impletivus præcepti; ergo ex hac parte conformatur cum regula rationis: ergo ex hac parte eſt bonus, etiamſi ex alio principio ſit malus. Sec

Si idem actus non eſſet meritorius gloriæ ex objecto, Ider pote

Digitized by Google

objecto, & meritorius pœnæ temporalis ex circumſtantia, miſerrima eſſet, inquit Felix de Bonit. & Malit. c. 5. diff. 5. n. 8. humana conditio, cujus merita adeò facilè perirent, præcipuè in viris non ſpiritualibus, qui plura efficiunt ob bona temporalia.

Objicis illud Chriſti apud Matth. 6. v. 1. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt.* Et illud Greg. Hom. 12. in Euang. *Ne appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, intùs à mercede evacuetur.*

Reſpondet Felix cum Abulenſi q. 8. in Matth. Chriſtum loqui de hypocriſi mortali. Et ſimiliter intelligit Gregorium. Nec immeritò; cùm illicò ſubjungat Gregorius: *Ecce enim Redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intrà Beatitudinis ianuam non omnes receptæ ſunt.* Cur hoc? *Quia,* inquit, *earum quædam, dum de virginitate ſuà gloriam foris expetunt, in vaſis ſuis oleum habere noluerunt.* Ergo loquitur de illà gloria, quæ claudit Beatitudinis januam; conſequenter de gloria, quæ eſt peccatum mortale.

Neque dixeris; etiam peccatum veniale claudit Beatitudinis januam, licèt ſolùm pro aliquo tempore; quia Gregorius eâdem Homil. comparat virgines fatuas reprobis, ibi: *In qua* (ſcilicet Eccleſia) *quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti ſunt rectè ſimilis virginibus prudentibus, & fatuis eſſe perhibetur.*

Arguis rurſum; actus redditur ſimpliciter malus ex malo effectu, licèt extrinſeco, v. g. ſi quis videat ex actu ſuæ orationis ſequi mortem propriam, vel alienam, quam alioquin poteſt, & debet impedire, & ex affectu ad illam mortem imperat actum orationis, etiam internum, talis actus erit ſimpliciter malus, nec Deus poterit ad eum ſpecialiter concurrere; ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Reſp. neg. Conſ. Ratio diſparitatis; quia cauſare malum, abſolutè eſt malum, unde non tantùm prohibetur ipſum malum, ſed etiam cauſa mali; ex eo autem, quòd aliquid cauſetur ab actu malo, non ſequitur malum in re cauſata; immo ſuppoſito actu malo, optandus eſt bonus effectus, ut ita malitia cauſæ recompenſetur; unde humiliari de peccato, bonum, humiliari autem ad peccandum, malum.

Nonne fornicatio mala eſt? Et tamen eâ ſuppoſitâ, licet orare pro nativitate filii, quia hæc nullatenus ab ea inficitur. Nonne Deo diſplicet peccatum? Eo tamen poſito, optat humiliationem, etiam eam, quæ eſſentialiter ſupponit peccatum, v. g. Pœnitentiam. *Diligentibus Deum*, inquit Apoſt. Rom. 8. v. 28. *omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti. Vſque adeò prorsùs omnia* (utor verbis D. Auguſtini lib. de Corrept. & Grat. cap. 9.) *ut etiam, ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.*

Planè, inquis, humiliores redeunt, atque doctiores; ſed nunquid hæc humiliatio, aut doctrina eligitur, tamquam medium ad malum finem? At verò Contritio in caſu Concluſionis eligitur, tanquam medium ad malum finem: repugnat autem, ut quis ex affectu alicujus finis, eligat medium, niſi apprehendat, illud eſſe cauſativum finis; ergo illa Contritio eſt intrinſecè mala; quia cauſa rei malæ. 120. Evaſio.

Reſp. aliqua eſſe objecta, quorum intentio licèt ſit mala, conſecutio tamen non eſt mala; & ideo cooperatio ad illa, haud equidem illa intendendo, non eſt mala. Patet in obedientia ſubditi, procedente ex mala voluntate Prælati, præcipientis propter malum finem, quæ per conſequens refertur extrinſecè in malum finem, à Prælato intentum; & tamen eſt ſimpliciter bona, quia ſubditus non cooperatur formaliter, intendendo ſcilicet iſtum finem, ſed ſolùm materialiter. Præcluditur.

Atque ſic res ſe habet impræſentiarùm; per illam Contritionem non intendit voluntas illum finem malum; ſed per alium actum diſtinctum; & licèt ponat aliquid utile ad finem conſequendum, conſecutio tamen non eſt mala; ſed ſola intentio, quæ jam tota poſita eſt, & ad quam actus Contritionis non cooperatur formaliter, ſed materialiter ſolùm; id eſt, Contritio eſt materia remota (quia proxima eſt Confeſſio externa) cauſans bonam exiſtimationem apud Confeſſarium, quæ exiſtimatio nullum omnino eſt peccatum; ſed malitia tota conſiſtit in appetitu inordinato illius exiſtimationis. Quid ſimile reperitur in caſu objectionis? Nam finis malus eſt, & mala conſecutio finis; ſcilicet mors propria, vel aliena contra præceptum charitatis, aut juſtitiæ.

Cæterùm quod adhuc objici poſſet; videlicet, actum malum (qualis eſt intentio vanæ gloriæ) utpote ignobiliorem, non poſſe imperare actum ſupernaturalem (qualis debet eſſe Contritio ſacramentalis) longè perfectiorem, eâdem facilitate negatur, quâ aſſeritur; nam ipſa voluntas eſt, quæ imperat, & ipſa eſt, quæ obedit; actus autem ſe habent ſicut voces, quibus Dominus imperat ſervo, neque enim illæ qualitates capaces ſunt dominii vel obedientiæ; porrò vocibus, quæ ſunt qualitates naturales, poſſe imperari actum ſupernaturalem nemo ambigit. 121. Actus malus poteſt imperare actum ſupernaturalem.

Et virtutem imperfectiorem poſſe imperare actum virtutis perfectioris, docet Scotus 4. diſt. 14. qu. 2. nu. 10. in principio: *Ad illam inſtantiam de uſu virtutis, dico, quòd voluntas ſecundùm diverſos habitus poteſt uti ſe ipſâ quaſi circulariter hoc modo: ex dilectione Dei in ſe, quæ eſt*

actus Charitatis, poteſt imperare actum voluntatis vindicativum peccati, & è converſo ex actu imperativo vindicandi, poteſt imperare actum dilectionis Dei in ſe.

122. *Occurritur objectioni.* Nec obſtat; quòd volitio ſupernaturalis requirat cognitionem ſupernaturalem; nam licèt hoc verum eſſet, de quo Aliqui dubitant, adhuc negatur hæc Conſequentia; ergo actus ſupernaturalis imperatus, requirit actum ſupernaturalem imperantem. Diſparitas una jam eſt aſſignata; quia voluntas eſt, quæ imperat, & non ipſe actus; ſimiliter voluntas eſt, quæ obedit, & non ipſe actus: jam autem ipſa cognitio eſt, quæ immediatè proponit objectum ſupernaturaliter amandum; quid ergo mirum, ſi requiratur propoſitio ſupernaturalis? Putas quia amor materialis poteſt procedere à cognitione ſpirituali? Et tamen actus ſupernaturalis bene poteſt imperare actum naturalem, ùt omnes fatentur; ergo non requiritur illa proportio inter actum imperantem, & imperatum, quæ requiritur inter actum cognitionis, & actum volitionis.

123. *Cuilibet principio cognoſcitivo correſpondet appetitus elicitus ſui ordinis.* Ratio differentiæ (ſi fortè prior non ſufficiat) quia ſicut cuilibet naturæ reſpondet ſuus innatus appetitus; ita cuilibet principio cognoſcitivo, appetitus elicitus ſui ordinis. Unde principio cognoſcitivo ſpirituali, non poteſt correſpondere appetitus elicitus materialis, nec vice verſâ: hoc autem non habet locum in actu imperante, & imperato, ùt conſtat per experientiam, cùm voluntas imperet actus potentiæ materialis.

Ratio ulterior; quia datur viventi principium cognoſcitivum, ut quærat bonum ſibi conveniens, & fugiat malum ſibi diſconveniens; ubi ergo eſt duplex vita, ſpiritualis, & materialis, etiam duplex principium cognoſcitivum, ſpirituale, & materiale; conſequenter ubi tertia vita, ſcilicet ſupernaturalis, etiam tertium principium cognoſcitivum, putà ſupernaturale; ad quid, niſi ut ſit proportio inter cognitionem, & volitionem? Enimverò cognitio eſt quidpiam quaſi eſſentialiter prærequiſitum, & planè neceſſarium ad eliciendum actum voluntatis. Quid ergo miramur, ſi major proportio requiratur inter cognitionem, & volitionem, quàm inter actum imperantem, & imperatum? Quippe imperium iſtud eſt planè extrinſecum actui imperato.

124. *Objectio.* Dices; actus appetitûs ſenſitivi, non poteſt imperare actum intellectûs vel voluntatis, idq; quia illi actus ſpectant ad diverſas vitas; ergo ſimiliter, cùm actus naturalis, & ſupernaturalis ſpectent ad diverſas vitas, naturalis non poterit imperare ſupernaturalem, nec è converſo.

Solvitur. Reſp. rationem Antecedentis non eſſe illam, quæ aſſignatur; ſed quia nulla potentia poteſt imperare actus, quos non habet pro objecto; porrò actus ſpiritualis, ſicut non poteſt eſſe objectum ſenſuum externorum, ita nec appetitûs ſenſitivi. At verò uterque actus tam naturalis, quàm ſupernaturalis, ſicut eſt objectum intellectûs, ita etiam voluntatis; ergo nulla eſt ratio, quare voluntas per unum actum non poſſit imperare alium.

Quæ cùm ita ſint, judico, nullatenus recedendum à Concluſione, quæ ſicut communior, ita longè probabilior eſt; & nimis durum foret, omnes Confeſſiones, ex circumſtantia aliqua venialiter peccaminoſas, invalidare. Et ideo conſequenter exiſtimo, non omnem Confeſſionem infidelem eſſe invalidam. Rogas à me, ſi non omnis, an ſaltem aliqua ſit invalida? Et ſi aliqua, quæ, & quæ non? Reſponſio erit

CONCLUSIO VI.

Mortaliter peccat, qui confitetur peccatum mortale, quod non fecit. Qui confitetur veniale, quod non fecit, ſolùm peccat venialiter. Excipe caſum, quo illud foret tota materia Confeſſionis.

Ex hâc Concluſione liquet manifeſtè, quæ Confeſſio infidelis ſit invalida, & quæ valida. Confeſſionem fidelem hìc voco, quæ fit abſque mendacio; infidelem, quæ fit cum mendacio; & quamvis Aliqui exiſtiment, omne mendacium in Confeſſione eſſe mortale, & per conſequens omnem Confeſſionem infidelem per ſe loquendo eſſe invalidam; equidem non pauci, graves, prudentes, & ſapientes Viri nobiſcum ſentiunt, ùt patet ex dictis ſect. 4. concl. 7. ad quam remitto Lectorem. *Quæ Confeſſio valida, quæ invalida.*

Interim probatur prima pars Concluſionis; quia pervertitur judicium Confeſſarii in re gravi, id eſt, in materia neceſſaria Abſolutionis. Veluti cùm pœnitens negat peccatum mortale, quod hìc & nunc tenetur confiteri, qui ſecundùm omnes Doctores peccat mortaliter. Et alioquin ſinè multo examine poſſet quis confiteri ſpecies, & numerum peccatorum, quod eſt contra mentem & praxim omnium fidelium. An autem Sylveſter inſinuet hanc eſſe materiam levem, ac proinde peccatum veniale, ùt ſcribit Suarez diſput. 22. ſect. 10. nu. 10. unuſquiſque facilè colliget ex his quæ ſubjicio. *Probatur 1 pars concl.* *Suarez.*

Sylveſter verb. *Confeſſio* q. 8. inquit: Accuſans ſe de peccato, quod non fecit, in Confeſſione, ſecundùm Multos peccat mortaliter; quod verum eſt, ſi quis ſe accuſet in ſpeciali de mortali in certo caſu: quia ſe injuſtè infamat. *125. An co... tium ... ſi ... ſlet?*

Nec

Nec obſtat cap. *Ad eius.* diſt. 5. dicens: *Bonarum mentium eſt, ibi etiam culpas ſuas agnoſcere, ubi culpa non eſt*, quia intelligitur de agnitione dubitativa & formidoloſa. Non autem eſſet mortale, ſe accuſare peccatorem magnum in genere; nec, ſe accuſare de veniali non commiſſo in ſpecie, immò nec de mortali in caſu dubio ad conſulendum conſcientiæ, dummodo non aſſeratur certè, ſed dubiè vel probabiliter, etiamſi quis plùs juſto aliqualiter ſe aggravet ad tutamen conſcientiæ; quia illa præponenda eſt famæ. Hæc ille.

Et verb. *Mendacium* q. 3. lego ſequentia verba: Mortale eſt in judicio mentiri de ſpectantibus ad judicium, ùt ſi accuſatus neget veritatem, aut teſtis falſum deponat, niſi, debitâ deliberatione, & ſolicitudine adhibitâ, putaret ſe certum eſſe de eo, quod falſum eſt. Et generaliter, ſecundùm Durandum, omne mendacium, quod in judicio dicitur, præter jocoſum, de his, quæ ad judicium pertinent, eſt pernicioſum & mortale, quia pervertit veritatem judicii, quod cedit in perniciem univerſitatis; quod limita, quantum ad ea, de quibus, qui mentitur, tenetur dicere veritatem, non aliter. Hactenus Sylveſter, qui proindè meritò citatur à Suario ſuprà pro noſtra & communi ſententia.

Nihilominus pro contraria opinione poſſet quiſpiam argumentari; quia tale mendacium non eſt pernicioſum; quamvis enim pœnitens decipiat Confeſſorem, tamen decipit contra ſe; ideòque non facit illi gravem injuriam, ſibi autem non poteſt inferre injuriam; neque etiam infert ſibi grave nocumentum contra Charitatem propriam; quia vel eſt dominus famæ ſuæ, vel illa infamatio in Confeſſione reputatur levis reſpectu ejus, qui poteſt cedere juri ſuo: & ſæpè etiam poteſt eſſe levis ex materia; quia in aliqua perſona peccatum aliquod mortale non eſt gravis infamia, verbi gratiâ, ſi miles diceret; occidi hominem, qui me injuriâ affecerat. Neque etiam reſpectu Sacramenti videtur gravis injuria; quia confiteri ſic peccatum veniale, non eſt gravis injuria, ùt docet ſecunda pars Concluſionis.

Reſpondeo; confiteri peccatum mortale fictum, non ideo eſt peccatum mortale, quia pœnitenti fiat injuria ſive in fama, ſive in impoſitione gravioris pœnitentiæ; quàm aliàs mereatur; nam ſcienti & volenti non fit injuria, præſertim illi, qui poteſt cedere juri ſuo, ſicut hic poteſt, niſi per accidens infamatio, aut impoſitio gravioris Pœnitentiæ, vergeret in grave detrimentum tertii, à quo abſtrahit hæc difficultas.

Cur ergo eſt peccatum mortale? Reſp. quia pervertitur judicium Confeſſarii in materia gravi, id eſt, in materia neceſſaria Sacramenti. Vocetur hæc perverſio injuria reſpectu Confeſſarii, vel non vocetur, quæſtio eſt de nomine. Certùm eſt, Confeſſarium judicium hoc exercere non poſſe incognitâ causâ; ſi ergo habet jus exercendi hoc judicium, etiam habet jus cognoſcendi cauſam; ergo facit veram injuriam Confeſſario, qui pervertit cognitionem cauſæ, proinde ſicut peccat mortaliter, qui pervertit cognitionem fori externi in re ſubſtantiali, cur non itidem, qui pervertit cognitionem cauſæ fori ſacramentalis in re ſubſtantiali?

Et quamvis qui confitetur peccatum veniale fictum, etiam pervertat hanc cognitionem; equidem non in re ſubſtantiali ſeu neceſſaria, excepto caſu, quo illud foret tota materia. Sicut ergo in judicio humano non eſſet peccatum mortale mentiri circa aliquam levem circumſtantiam facti, ex quo mendacio non ſequeretur tertio aliquod grave damnum, ita nec in judicio ſacramentali. Neque enim apparet aliqua ratio, quare omnis perverſio judicii debeat eſſe mortalis, & non poſſit dari parvitas materiæ: nam etiam datur levis irreverentia ſeu injuria reſpectu Sacramenti, ùt ex aliis multis caſibus patet. Cur ergo non ſimiliter in hoc caſu. 128. *Qui confitetur veniale fictum, non pervertit judicium in re gravi.*

Si dixeris: quia ſemper falſificatur forma; ad hoc reſpondimus ſect. 4. concl. 7. Vide ibi dicta. Admiſſâ gratis falſificatione, quare una non poterit eſſe in materia levi, alia in materia gravi; per conſequens una mortalis, & altera venialis? 129. *Objectio ſolvitur.*

Dices; quia juramentum, cui deeſt veritas in dicendo, ſemper eſt mortale in quacumque demum materia. *Inſtantia.* Reſpondeo; per juramentum aſſertorium falſum, homo, quantum in ſe eſt, deſtruit & aufert à Deo primam veritatem; quippe ſignificat Deum poſſe teſtificari falſum tamquam verum, quod ſemper eſt graviſſima Dei injuria. *Solvitur.* At verò falſitas partialis formæ, nullum deſtruit attributum divinum. Quod enim illud eſſet? Non bonitas, ùt evidens eſt: non etiam veritas; nam licèt Sacerdos proferat formam ùt Miniſter & Vicarius Chriſti, equidem non nomine Chriſti, ſed nomine proprio, ùt patet ex particula, *Ego*; quæ non ſignificat Chriſtum, ſed Sacerdotem. Ipſe ergo Sacerdos eſt, qui falſum loquitur, non Chriſtus, aut Deus; neque enim illa verba: *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, ſignificant audientibus conceptum, quem Deus habet de remiſſione peccatorum; ſed quem habet Sacerdos. At verò dum quiſpiam jurat per Deum, inducit Deum tamquam loquentem & affirmantem, rem ſic; aut ſic ſe habere; niſi ergo res iſta ita ſe habeat, ſicuti per verba ſignificatur, jurans, quantum in ſe eſt, facit Deum loqui, ſeu affirmare falſum.

Tunc ergo levitas materiæ facit peccatum eſſe veniale, quando diminuit formalem deordinationem, inventam in tali materia reſpectu talis peccati; v. g. levitas materiæ diminuit furtum, quia diminuit nocumentum: jam autem 130. *Quando levitas materiæ facit peccatum eſſe veniale.*

autem leve mendacium repugnat veritati divinæ non minùs, quàm graviſſimum, quamquam minùs repugnet veritati judicii ſacramentalis, ac fori externi; & ideo hìc facit peccatum veniale, ſecùs ibi; nam hìc diminuit formalem deordinationem inventam in tali materia, ſcilicet perverſionem judicii, neutiquam ibi; quippe ablatio ſeu deſtructio veritatis divinæ ſemper eſt graviſſima, quoniam eſt deſtructio eſſentiæ divinæ; quæ an poſſit eſſe venialis ex parvitate materiæ, nolo hìc diſputare; quia nemo ambigit, ſemper eſſe mortalem.

161. *An peccet mortaliter qui confitetur peccatum mortale fictum, tamquam prius confeſſum?* Dubitant autem Aliqui; an peccet mortaliter, qui confitetur peccatum mortale fictum; tamquam antea confeſſum. Videtur enim quæ peccati venialis, eandem eſſe rationem hujuſmodi peccati mortalis; cùm non ſubjiciatur Clavibus Eccleſiæ, tamquam materia neceſſaria, ſed tamquam materia libera. Unde quamvis Sacerdos, hoc ipſo, quòd audit aliquod peccatum mortale, numquam confeſſum, ſupponat ùt omnino certum, illud dari, & quidem per ſe, pro materia, ac proinde ſuam intentionem & verba Abſolutionis abſque ulla hæſitatione dirigat ad illam materiam; equidem quando audit peccatum mortale antea confeſſum, non plùs curat de illo, quàm de peccato veniali, neque aliam pro iſto, quàm pro hoc imponit Pœnitentiam.

162. *Arguitur pro ſententia negativa ex Lugone.* Sed contrà; per peccatum veniale non decipitur graviter judex, ſicut per peccatum mortale, quod quamvis aſſeratur, ùt dictum jam in alia Confeſſione, adhuc tamen videtur ſubjici huic judicio, & variat notabiliter judicium Confeſſarii circa conſcientiam pœnitentis; non quidem in ordine ad imponendam graviorem Pœnitentiam (hanc enim prudenter omittit, eò quòd in alia Confeſſione ſit jam impoſita Pœnitentia condigna pro eodem peccato) ſed in ordine ad conceptum, & æſtimationem de conſcientia pœnitentis, quod attinet ad culpam præteritam. Ita diſcurrit Lugo diſp. 14. n. 125. Ac propterea docet, neminem poſſe abſque culpa gravi accuſare ſe in Confeſſione de aliquo mortali falſo, etiamſi diceret, ſe jam illud iterum confeſſum fuiſſe.

Reſicitur à Dicaſt. Et verò licèt hæc opinio non diſpliceat Dicaſtilloni, attamen probationem ejus rejicit diſp. 8. n. 56. dicens: Si ſermo ſit de æſtimatione & judicio conſcientiæ pœnitentis tantùm in exiſtimatione, quam habet Confeſſarius de tali homine, non ut ſervit ad Abſolutionis ſententiam, ſed qualem potuiſſet habere, ſi etiam extra Confeſſionem ſe infamaſſet apud ipſum; nihil prodeſt ad præſens negotium, & de hoc genere exiſtimationis aut infamiæ jam diximus ſuprà, eſſe ordinariè veniale peccatum. Si verò ſermo ſit de judicio in ordine ad exiſtimationem requiſitam ad Abſolutionem, petit principium, & aſſumit id ipſum, de quo diſputamus. Hactenus Dicaſtillo.

Quapropter meliorem quæſivit rationem, quam etiam putat ſe inveniſſe; eſt autem hæc: Supponere in Confeſſione peccatum mortale falſum, non dicendo illud jam eſſe dictum legitimè in alia Confeſſione, eſt materia gravis; & in materia gravi falſam reddere Abſolutionem, aut decipere in ea Confeſſarium, peccatum grave eſt; ſed addere novum mendacium, dicendo, quòd jam illud legitimè confeſſus fuerit priùs, non eſt materiam gravem convertere in levem, ſed accumulare mendacium alteri men cio; ergo eodem modo manet materia gravis, ſive illud addatur, ſive non. Ita Dicaſtillo ſuprà n. 58.

Et n. 61. conſequenter admittit, confiteri aliquod peccatum mortale, adhuc ſemel remiſſum per Abſolutionem, ſinè debitò dolore, eſſe peccatum mortale; quia videlicet ſemper manet peccatum mortale, adeòq; materia gravis.

Sed contrà; ergo etiam peccaret mortaliter, qui pro peccatis mortalibus graviſſimis, adhuc ſemel confeſſis, imponeret leviſſimam Pœnitentiam. Probatur Conſeq. quia peccaret mortaliter imponendo leviſſimam Pœnitentiam pro peccatis graviſſimis, nunquam antea confeſſis; ſed illa peccata per priorem Confeſſionem non fiunt materia leviſſima, ſed manent ſemper materia graviſſima; ergo &c. Sed hoc repugnat communi ſenſui tam pœnitentium, quàm Confeſſariorum; ergo non eſt admittendum. Sicuti ergo illa peccata graviſſima fiunt leviſſima, ùt ſic loquar, in ordine ad imponendam Pœnitentiam; quidni ſimiliter fiant materia levis aut leviſſima in ordine ad Abſolutionem? Nam impoſitio Pœnitentiæ ſubordinatur Abſolutioni; ſi ergo reſpectu Abſolutionis eſt materia gravis, etiam reſpectu Pœnitentiæ; vel ſi levis reſpectu Pœnitentiæ, cur non etiam levis reſpectu Abſolutionis?

Debent Sacerdotes Domini (inquit Trident. ſeſſ. 14. c. 8.) *quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere.* Si ergo prudenter Sacerdos pro graviſſimis criminibus, ſemel ritè abſolutis, imponit leviſſima quædam opera, idque quia peccata in ſe graviſſima apprehendit inſtar peccatorum venialium, ſive, quia judicat condignè punita in priori Confeſſione; dico conſequenter, etiam apprehendere illa peccata inſtar peccatorum venialium in ordine ad Abſolutionem; proinde licèt in ſe ſint graviſſima materia, equidem Confeſſarius non decipitur in materia gravi, ſed ſolùm in materia levi; quia prudenter materiam alioquin in ſe gravem, hìc & nunc apprehendit tanquam levem, id eſt, tanquam priùs diſcuſſam, & ſufficienter judicatam per directam Abſolutionem. Ergo quæ peccati venialis ficti, eadem

Digitized by Google

dem eſt ratio mortalis ficti, quando exprimitur tanquam adhuc ſemel ritè abſolutum; quia utrumque apprehenditur inſtar materiæ levis, id eſt, materiæ non neceſſariæ ex jure divino Confeſſionis.

Hinc exiſtimo, ſi Deus peccatum mortale reliquiſſet materiam liberam Confeſſionis, ſicut reliquit peccatum veniale, ita ut unum mortale poſſet remitti ſinè alio per Abſolutionem; exiſtimo, inquam, quòd non peccaret mortaliter, qui confiteretur peccatum mortale fictum, aut verum abſque ſufficienti dolore, excepto caſu, quo illud foret tota materia Confeſſionis. Et vice verſâ, ſi peccatum veniale eſſet materia neceſſaria ex jure divino Confeſſionis, ſicut modo eſt peccatum mortale, dicerem, eſſe peccatum mortale decipere Confeſſarium in uno tantum peccato veniali. Licèt enim tali caſu verbum otioſum v. g. foret materia levis in ordine ad prohibitionem, equidem gravis in ordine ad Abſolutionem; quia ejus Confeſſio neceſſaria ad valorem Sacramenti. Et è contrà, tametſi fornicatio v. g. foret materia gravis in ordine ad prohibitionem, equidem levis in ordine ad Abſolutionem, quia ejus Confeſſio minimè neceſſaria ad valorem Sacramenti.

Veluti, tametſi Ablutio aquæ in Baptiſmo, in ſe ſit materia leviſſima, nihilominus eſt materia graviſſima in ordine ad Baptiſmum; quoniam omnino neceſſaria ad valorem Sacramenti. Idem cernitur in peccato veniali, quod unicum datur pro materia Confeſſionis, in quo ſi Confeſſarius decipitur, utique decipitur in materia gravi, quamvis ipſum peccatum in ſe ſit leve; quia in ordine ad illam Confeſſionem eſt materia gravis, utpote neceſſaria ad valorem Abſolutionis.

Dices; in judicio humano gravitas materiæ non commenſuratur neceſſitati materiæ, ſed res, quæ voluntariè ſubjicitur deciſioni judicis, in ſe ipſa conſideratur, & ſecundùm ſeipſam exiſtimatur gravis aut levis: ergo ſimiliter in judicio ſacramentali.

Reſp. etiam in judicio humano res ſemel judicata & deciſa, quæ tantùm pro majori ſecuritate, planè voluntariè abſque ulla neceſſitate iterum ſujicitur decidenda, non exiſtimatur gravis, etſi alioquin primâ vice, quando nondum erat deciſa, gravis exiſtimaretur; ſicuti nec idem crimen ſemel juſtè punitum, etſi rurſùm liberè in judicio humano ad majorem ſatisfactionem exhibeatur puniendum, ſolet graviori pœnâ puniri.

Deinde in judicio humano non cenſetur materia gravis, quæ non eſt de ſubſtantia judicii hic & nunc, id eſt, quâ non conſideratâ juſtum profertur judicium; eſtò alioquin in ſe gravis ſit & gravis exiſtimaretur, ſi eâ prætermiſsâ judicium foret injuſtum. Ergo in judicio humano gravitas cauſæ, non ſolùm deſumitur ex gravitate rei ſecundùm ſe conſideratæ, ſed etiam ex hoc, quòd ſit neceſſaria hìc & nunc ad judicium.

Interim diſparitas aliqua eſt; quòd ex inſtitutione Chriſti omnia peccata mortalia ſint materia neceſſaria judicii ſacramentalis, ita ut velint nolint pœnitentes, debeant ea offerre judicanda; plures autem ſunt cauſæ, etiam graviſsimæ, quæ abſque judicio humano poſſent decidi, quæ tamen ſi voluntariè eidem ſubjiciantur, non propterea perdunt ſuam gravitatem; idque quia vergunt in detrimentum tertii, ad quod impertinens eſt, quòd neceſſariò, vel voluntariè ſubjiciantur.

Si autem à me quæritur, an ergo votum de confitendis peccatis mortalibus jam ritè confeſsis, obliget ſub mortali? Reſp. ſi votum de confitendis peccatis venialibus non obliget ſub mortali, neque obligabit votum de confitendis peccatis mortalibus jam ritè confeſsis; quòd autem non obliget ſub mortali votum de confitendis peccatis venialibus, unde conſtat? Scio Nonnullos ſolam obligationem ſub veniali agnoſcere, fundantes ſe in levitate ſeu parvitate materiæ; ſed, meo judicio, fundamentum iſtud non eſt ſolidum: licèt enim peccata ipſa in ſe parva ſint, attamen Confeſsio iſtorum peccatorum, quæ propriè eſt materia hujus voti, cur debeat cenſeri res parva, cùm ſit verum Sacramentum, æqualis dignitatis cum Abſolutione peccatorum mortalium? 167.

An votum de confitendis mortalibus ritè confeſſis, obliget ſub mortali?

An fortè exiſtimas, minùs peccare eum, qui in malo ſtatu abſolvit à venialibus, quàm eum, qui in malo ſtatu abſolvit à mortalibus? Aut mortaliter peccare, qui invalidè abſolvit à mortalibus, ſecùs qui à venialibus? Erras toto Cælo. Ergo Confeſſio venialium eſt materia capax gravis obligationis, ùt probavimus ſect. 6. concl. 6. & ſect. 4. concl. 7. cur ergo votum de confitendis venialibus non obliget ſub mortali?

Num quia Confirmatio Sacramentum liberum eſt, ideo votum ejus non obligaret ſub mortali? Et verò auditio Miſſæ, Ieiunium, Lectio Horarum Canonicarum, & ſimilia, quæ non ſunt ſigna practica gratiæ ſanctificantis, nihilominus materia ſunt ſufficiens, ut ſive ex præcepto, ſive ex voto obligent ſub mortali; cur ergo Confeſsio venialium, ſignum efficax gratiæ ſanctificantis, non erit materia capax gravis obligationis ſive ex præcepto, ſive ex voto? 168.

Votum Sacramenti Confirmationis obligat ſub mortali.

Igitur gravitas Confeſſionis non dependet à ſola gravitate peccatorum, ſed maximè ab inſtitutione Chriſti, qui eam elevavit ad eſſe Sacramenti, quod eſſe tam propriè invenitur in Confeſſione venialium, quàm mortalium. Proinde diverſa ſunt, Confeſſionem eſſe materiam gravem voti, aut præcepti, & peccata venialia, aut mortalia ſemel directè abſoluta, eſſe materiam gravem Confeſſionis.

A quo dependeat gravitas Confeſſionis.

Utcum-

Digitized by Google

169. Non omne mendacium in Confeſſione admiſſum eſt peccatum mortale.

Utcumque ergo ſit de hac controverſia, ſentio cum Tannero diſput. 6. de Pœnit. q. 7. n. 21. Non omne mendacium de rebus ad Confeſſionem ſpectantibus, in Confeſſione admiſſum, eſſe peccatum mortale; ſed, per ſe loquendo, ſolùm, quando eſt circa materiam neceſſariam Confeſſionis, peccatum ſcilicet mortale nunquam ritè confeſſum, aut talem circumſtantiam, quam ſub mortali neceſſariò in Confeſſione exprimendam eſſe conſtat. Ita Tannerus, qui teſtatur de Communi DD. contra Caietanum 2. 2. q. 69. a. 1. ad 3. qui docuit, inquit Tannerus, omne mendacium in Confeſſione, circa rem ad Confeſſionem pertinentem, eſſe mortale.

Ex his patet à fortiori, quid ſentiendum ſit de mendacio, circa rem impertinentem ad Confeſſionem; videlicet, per ſe loquendo, non eſſe peccatum mortale ſacrilegii. Ita communiter DD. quamvis enim indignum ſit peccare venialiter eo tempore, quo homo præparat ſe ad recipiendam remiſſionem peccatorum; equidem non oſtenditur notabilis irreverentia, ſicut non eſt notabilis irreverentia, accedere ad Sacramentum Euchariſtiæ cum affectu peccati venialis.

170. Aliquod poteſt eſſe peccatum mortale ſacrilegii.

Dico; *Per ſe loquendo*, quia aliunde fieri poteſt, quòd ſit peccatum mortale, putà quia graviter perniciosum, quo caſu Confeſſio erit invalida defectu debiti doloris, per conſequens peccatum mortale ſacrilegii; quemadmodum peccatum mortale ſacrilegii eſt, confiteri peccatum veniale fictum, quando illud foret tota materia Confeſſionis, quæ eſt ultima pars Concluſionis, de qua ſatis prolixè diſputavimus ſect. 4. concl. 7. & ibi dictis nihil hìc habeo addendum.

Progredior itaque, & has propono quæſtiones; utrùm ſinè peccato mortali poſsit quis diſsimulare, peccata, quæ nunc confitetur, priùs fuiſſe directè abſoluta, vel non fuiſſe directè abſoluta. Item uni Confeſſario ſola mortalia, alteri autem ſola venialia confiteri. Reſpondeo ad utramque quæſtionem:

CONCLUSIO VII.

Non peccat mortali ſacrilegio, qui diſſimulat peccata, quæ nunc confitetur, priùs fuiſſe directè abſoluta, vel non fuiſſe directè abſoluta. Item qui primo Confeſſario ſola mortalia; ſecundo autem ſola venialia confitetur.

171. Probatur ultima pars Concluſ.

Incipio ab ultima parte, quæ minorem, immo vix ullam habet difficultatem; quamvis enim ſecundus Confeſſarius decipiatur, putans ſuum pœnitentem illa ſola peccata venialia feciſſe ab ultima Confeſſione ſibi facta, & ideo bonam concipiat exiſtimationem de ipſo, quam non conciperet, ſi mortalia ſimul cum venialibus fuiſſet confeſſus; equidem pœnitens non mentitur, ſed conſulens ſuæ verecundiæ, & bonæ exiſtimationi, proponit illa peccata, quæ verè fecit; non negans ſe alia feciſſe.

Immo tametſi Confeſſario interroganti reſponderet, ſe nulla alia feciſſe, quamvis tunc mentiretur (niſi uteretur legitimâ reſtrictione, ſicut poſſet uti, cogitando, ſe nulla alia feciſſe, quæ hìc & nunc debeat confiteri; de talibus enim, & non de aliis cenſetur Confeſſarius interrogare) adhuc non peccaret graviter contra veritatem Confeſſionis, quia eſſet mendacium de re impertinente ad Confeſſionem, ùt patet, & non graviter perniciosum, ùt ſuppono; ergo Confeſſio valida ſi reliqua adſint; ergo non peccaret mortali ſacrilegio. Melius tamen eſt ſincerè totam conſcientiam ordinario Confeſſario aperire.

Dixi notanter: *Si primo Confeſſario* &c. quia ſi primo Confeſſario ſola venialia confiteatur, liquet profectò Confeſſionem eſſe invalidam defectu integritatis, niſi ſubſit juſta cauſa ita dimidiandi Confeſſionem. Ratio eſt; quia integritas poſtulat, ut omnia peccata mortalia ſpecificè, & ſigillatim declarentur, quod tunc non fieret; fit autem, quando ſola mortàlia peccata declarantur primo Confeſſario, & ſola venialia ſecundo.

Intellige, per ſe loquendo; ſi enim, quia pœnitens ſecundo Confeſſario non exprimit peccata mortalia, propterea permanet in proxima occaſione peccandi mortaliter; haùd dubito, quin violetur integritas Confeſſionis; nam velle manere in proxima occaſione peccandi mortaliter, eſt peccare mortaliter; niſi ergo hoc peccatum declaretur, Confeſſio non erit integra, per conſequens invalida, & peccatum mortale ſacrilegii. Concluſio ergo intelligenda eſt de per ſe, niſi aliquid aliud obſtet, quàm deceptio permiſſiva Confeſſarii circa bonam ac ſanctam vitam confitentis. Ita communiter DD. quos videre poteris apud Dianam p. 3. tr. 4. reſol. 132. quos ſequitur Lugo diſp. 16. n. 57. Arriaga, Dicaſtillo, & alii Recentiores.

1[illegible] Inte[illegible] per quos

Dian Lugo Arri Dica

Qui bene advertunt, Confeſſarios non debere conſcientias ordinariorum pœnitentium coarctare, ne ad alios accedant, cùm id ſit contra libertatem Confeſſionis, quæ etiam hâc occaſione interdum præ verecundia ſacrilegè inſtituitur.

Venio ad primam partem Concluſionis, quæ magìs diſputabilis eſt. Et primò notandum, aliud eſſe diſſimulare, aliud ſimulare; nam, ùt communiter docent Theologi, in perſecutionibus per ſe licet fugâ, pecuniâ, immo precibus exteriorem fidei Confeſſionem declinare,

1[illegible] Aliu diſſi aliud ſimu

declinare, ac veram fidem diſſimulare; ſecùs falſam ſimulare, quando præſentes id ſeriò fieri apprehendunt.

Si autem à me quæritur, quid ſit diſſimulare veram fidem, & quid ſit ſimulare falſam fidem? Reſpondeo; diſſimulare veram fidem eſt aliquid agere, vel omittere, ex quo circumſtantes non poſſunt prudenter judicare, an ſis Catholicus, an non.

Atque hoc liceret ex juſta cauſa, quamvis fortaſsè aliqui ſuſpicarentur, te eſſe hæreticum; quia eorum ſuſpicio interna non poteſt mutare naturam actionis meæ, & facere, ut actio hîc & nunc ſignificet negationem fidei, quam de ſe non ſignificat; v. g. eſtò aliqui, videntes me in concione hæretica, ſuſpicarentur, me eſſe hæreticum; haûd equidem propterea foret illicitum, intereſſe iſti concioni, dum adeſſet rationabilis cauſa; quia propter internam aliquorum ſuſpicionem, eamque temerariam, illa auditio vel præſentia, quæ de ſe non eſt profeſſio fidei hæreticæ, vel abnegatio fidei Catholicæ, non poteſt hîc & nunc accipere illam ſignificationem.

At verò ſimulare fidem falſam, eſt exteriùs ſignificare ſe habere fidem falſam, quam tamen interiùs non habet. Hoc autem ſemper eſſe illicitum, quando circumſtantes id ſeriò fieri apprehendunt, probatur; quia eſt contra præceptum negativum fidei, id eſt, præceptum non negandi fidem, quod non tantùm prohibet internè aliam fidem profiteri, vel externam negationem conjungere negationi internæ; ſed etiam ſolam negationem externam, juxta illud Apoſtoli Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem.* Hoc prænotato.

Probatur Concluſio; quia nullibi præcipitur pœnitenti explicatio prioris Confeſſionis, aut Abſolutionis; ergo dum ſimpliciter confitetur ſua peccata tacendo, quòd fuerint, vel non fuerint priùs directè abſoluta, non decipit Confeſſarium; ſed Confeſſarius à ſe ipſo decipitur, ſi judicet peccata, quæ nunc declarantur, priùs fuiſſe, vel non fuiſſe abſoluta; nam Confeſſio per ſe hoc non ſignificat, ſed abſtrahit; quandoquidem peccata ſemel abſoluta, licèt non ſint materia neceſſaria, equidem liberè poſſint ſubjici iterum judicanda.

Non ergo mentitur pœnitens, ût patet; neque aliquid facit, quo ſignificet, peccata priùs fuiſſe, vel non fuiſſe abſoluta; ſed proponit ea, ſicuti à parte rei ſunt integrè ſecundùm ſpeciem, & numerum, ût ſuppono; alioquin ſi notitia prioris Confeſſionis foret neceſſaria, ad explicandas ſpecies, aut numerum peccatorum, indubiè graviter peccaret, qui priorem Confeſſionem diſſimularet; quia fieret Sacramentum invalidum defectu integritatis.

175. Nihilominus contrariam ſententiam tamquam certam & omnino practicandam docet Ludovicus de Torres in Opuſc. Theol. centur. Theol. 4. dub. 7. Fundatur primò; quia fieri poteſt, quòd peccatum in Religione ſit reſervatum, quod commiſſum in ſæculo non fuit reſervatum. Secundò; fieri poteſt, quòd pœnitens nunc ſit in occaſione proxima peccandi. Tertiò; poteſt pœnitens hodie habere conſuetudinem peccandi, quam priùs non habuit.

docet Lud. de Torres, & probat primò. *Secundò.* *Tertiò.*

Reſp. fieri poteſt, quòd peccatum in Religione non ſit reſervatum; fieri poteſt, quòd pœnitens nunc non ſit in occaſione proxima peccandi; fieri poteſt, quòd pœnitens hodie non habeat conſuetudinem peccandi; ergo ſaltem tunc non erit opus explicare priorem Confeſſionem, aut tempus peccati commiſſi; adeòque illa argumenta ad ſummum probant, aliquando per accidens eſſe neceſſarium exprimere priorem Confeſſionem, aut tempus peccati commiſſi, quando videlicet; ſicut ſtatim dixi, aliter non poteſt declarari ſpecies, & numerus peccatorum, de quo caſu hîc non tractamus.

Reſpondetur.

Quartò argumentatur præfatus Auctor: Confeſſarius poteſt interrogare, utrùm ea peccata Confeſſus fuerit, & tenetur pœnitens reſpondere; ergo etiam tenetur à ſe id dicere. 176.

Quartum argumentum.

Reſp. quidquid ſit de Antecedente, negando Conſeq. quia etiam in judicio humano ad multa tenetur reus, legitimè interrogatus, reſpondere, quæ tamen à ſe ipſo non obligatur dicere.

Reſponſio.

Dixi: *Quidquid ſit de Antecedente*; quia fortaſſis pænitens eo caſu non tenetur reſpondere, ſed poſſet dicere: *Ego hoc feci; utrùm Confeſſus ſim nec ne, non teneor dicere. Si vult mihi imponere Pœnitentiam gravem perinde ac ſi non fuiſſem confeſſus, faciat, acceptabo.* Et Confeſſarius poteſt dicere. *Talem Pœnitentiam impono, ſi es confeſſus; talem, ſi non es confeſſus*; tali viâ evitatur inconveniens, quod quinto loco objicit Turrianus, ſcilicet inæqualitas ſatisfactionis.

Fatemur quippe, peccatum numquam confeſſum majorem mereri Pœnitentiam, quàm ſemel confeſſum, & ad æqualitatem fortè punitum. Interim ſicut idem peccatum ſemel abſolutum, ſecundò, tertiò, aut pluries directè abſolvitur, ita etiam poteſt ſecundò, tertiò, aut pluries ad æqualitatem puniri, ſi pœnitens conſentiat, quemadmodum cenſetur conſentire, quando priorem Confeſſionem non explicat; nam Confeſſarius, niſi aliunde conſtet contrarium, præſumit primam Confeſſionem; ſi tamen dubitet, poteſt interrogare, vel certè, ût mox diximus, duplicem imponere Pœnitentiam, & ſic evitabit omne periculum inæqualitatis.

Denique objicit hic Auctor: magìs diſtat peccatum deletum per Confeſſionem, à non deleto, quàm veniale, à mortali; ſed hæc diſtantia debet explicari; ergo & iſta. Probatur major; quia illa duo diſtant, ſicut ens, & non 177.

Quintum argumentum ejuſdem Auctoris.

ens; nam peccatum deletum per Confeſſionem, non eſt jam peccatum.

Reſponſio. Reſp. ſi illud argumentum aliquid probaret, probaret utique, peccatum remiſſum etiam per ſolam Contritionem charitate perfectam, non eſſe materiam validam Abſolutionis, quod eſt contra fidem. Patet; quia non niſi peccatum eſt materia Confeſſionis. Si ergo peccatum ſemel remiſſum, jam non eſt peccatum, jam etiam non eſt materia Confeſſionis.

Igitur non confitemur peccatum noſtrum ſecundùm præſentem ſtatum, nam ſic magìs diſtat peccatum deletum, à non deleto, quàm veniale, à mortali; ſed ſecundùm ſtatum præteritum, quem habebat, quando primò fuit commiſſum. Et ſic patet minùs differre peccatum mortale deletum, à ſe ipſo non deleto, quàm veniale, à mortali; quia ſive deletum, ſive non deletum, ſemper conſideratur ùt peccatum mortale, & ùt tale proponitur Confeſſario abſolvendum; cum hac ſola differentia, quòd deletum per directam Abſolutionem, ſit materia libera inſtar peccati venialis; cùm tamen ante directam Abſolutionem eſſet materia neceſſaria.

178. Peccatum de ſe idem eſt tam ante, quàm poſt Confeſſionem. Itaque peccatum de ſe idem eſt tam ante, quàm poſt Confeſſionem, adeòque explicare poſſum ſpeciem, & numerum, immo & circumſtantias omnes, quæ neceſſariò explicari debent, tacito, quòd ſim confeſſus antea, vel non confeſſus, cùm hoc non variet ſpeciem, vel numerum; neque ſit circumſtantia tenens ſe ex parte objecti, ſed ſolius ſubjecti per ſe loquendo. Quapropter non eſt audiendus Turrianus, quando communem ſententiam damnat ùt perniciofam, improbabilem & non tutam in praxi.

Immo, dicet aliquis, haud inconſultum videri poſſet, ſi graves peccatores ſæpiùs eadem peccata confiterentur, tacendo de priori Confeſſione, ut gravioribus injunctis pœnitentiis, pleniùs ſatisfacerent pro pœnis reſtantibus, ſi fortè prima pœnitentia non fuiſſet proportionata, ſicuti rariſſimè hodie pro gravioribus peccatis talis imponitur pœnitentia, per quam tota pœna temporalis deleatur.

Sed contra facit; quòd Confeſſarius, tametſi ſciat priorem Confeſſionem, facilè imponet graviorem pœnitentiam, ſi pœnitens id requirat. Et utinam plures tales pœnitentes invenirentur! Multò plures reperies, qui ideo explicent priorem Confeſſionem, ut minorem ſatisfactionem injungat Confeſſarius; & qui ideo diſſimulant, peccata nunquam anteà fuiſſe confeſſa, ne graviorem ſecundùm gravitatem peccatorum accipiant Pœnitentiam.

Verumtamen cùm non omnia declarari debeant, quæ poſſent Confeſſarium permovere ad imponendam graviorem Pœnitentiam; illam velle declinare, cum propoſito ſatisfaciendi in altera vita, unde probatur, graviter adverſari veracitati ſeu fidelitati Confeſſionis?

Ex quo infero, non peccare mortaliter, qui dicit, ſe velle facere Confeſſionem generalem, tametſi peccatis antiquis, ſemel directè abſolutis, adjungat nova peccata, nunquam antea confeſſa: nam illa verba: *Volo facere Confeſſionem generalem*, neque implicitè, neque explicitè ſignificant, pœnitentem velle confiteri ſola peccata antiqua, & aliàs per Abſolutionem remiſſa; ſed tantùm ſignificant, ipſum velle confiteri peccata totius vitæ, ſive heri, ſive hodie commiſſa, ſive priùs abſoluta, ſive non. Si plùs intelligit Confeſſarius, à ſeipſo decipitur, non à pœnitente, qui licèt non omnino diſtinctè & clarè explicet ſua peccata; equidem ſufficienter declarat, ùt ſuppono, ſpeciem, & numerum peccatorum; & ideo validè abſolvitur ab omnibus, quamvis Confeſſarius ex errore putet, aliqua adhuc eſſe confeſſa, quæ reverà nunquam confeſſa fuerunt. Eſt quippe error ſpeculativus. 17[illegible] Non mora[illegible] qui in [illegible] feſſior[illegible] nerali [illegible] ſiet u[illegible] pecca[illegible]

Sicuti ſi quis infantem ad Baptiſmum offerret, & diceret eſſe proprium filium, cùm eſſet alterius filius; nihilominus talis validè baptizaretur, quamvis Sacerdos putaret falsò eſſe filium offerentis; vult enim baptizare eum, quem habet præſentem.

Quid ergo, ſi aliqua peccata mortalia, antea confeſſa, ſpontè omitteret? Numquid ſaltem tunc peccaret mortaliter? Jam enim dixit Confeſſario ſe velle omnia peccata confiteri, adeòque ipſe decipit Confeſſarium, & non decipitur Confeſſarius à ſeipſo, ſicuti in priori caſu. 18[illegible] Simil[illegible] ſi aliq[illegible] antiq[illegible] omit[illegible]

Reſpondeo; equidem non peccare mortaliter contra veritatem Confeſſionis; licèt enim mentiatur, ſi quando hoc dicebat, non habebat intentionem omnia confitendi; attamen per hoc mendacium non decipit Confeſſarium in materia neceſſaria Confeſſionis, ac proinde non in re gravi pertinente ad ſuum tribunal; ſin verò aliunde peccatum illud mendacii ſive hypocriſis foret mortale, putà, quia graviter perniciofum, ex illa parte poſſet invalidare Confeſſionem, defectu debiti doloris, aut integritatis: alioquin de per ſe veniale tantùm eſt, ſicut ſi quis diceret mendaciter Confeſſario, ſe fuiſſe devotum, abſtinentem &c. ut tali via bonum nomen acquirat in nullius præjudicium.

Quin immo fieri poteſt, ut abſque ullo peccato in Confeſſione generali taceantur aliqua peccata; quia, poſtquam dixit bonâ fide, & rectâ intentione, ſe velle omnia explicare, poteſt occurrere aliqua juſta ratio non prævisa mutandi propoſitum; cùm enim Confeſſio illa generalis ſit libera, & tota poſſet omitti, occurrente rationabili causâ, cur non

etiam

Digitized by Google

etiam poſſet mutilari ? Nam deceptio Confeſſarii tali caſu potiùs permiſſa cenſetur, quàm à pœnitente intenta.

Sed nunquid etiam ſinè mortali ſacrilegio licet ſimulare ſeu affirmare peccatum mortale priùs confeſſum, quod reverà confeſſum non fuit, aut negare confeſſum, quod reverà confeſſum fuit? Hæc res non caret difficultate, quippe decipitur Confeſſarius non à ſe ipſo, ſed directiſſimè ab ipſo pœnitente, idque in materia neceſſaria Confeſſionis, dum loco materiæ neceſſariæ, qualis eſt peccatum mortale non confeſſum, exprimitur materia libera, v. g. peccatum mortale confeſſum; & è converſo pro materia libera ſubſtituitur materia neceſſaria; ſicut ergo qui ita exprimeret peccatum veniale, ut Confeſſarius prudenter judicaret eſſe mortale, vel vice verſâ, peccatum mortale ita coloraret, ut rationabiliter Confeſſarius judicaret ſolùm eſſe veniale, graviter delinqueret contra fidelitatem ſeu veracitatem Confeſſionis, quidni ſimiliter graviter peccet, qui pro peccato mortali confeſſo, ſubſtituit non confeſſum, & pro non confeſſo, confeſſum ?

Reſpondet Dicaſtillo diſp. 9. n. 147. Peccatum erit mendacii, quod mendacium, cùm non ſit de re neceſſaria ad materiam Confeſſionis, non eſt peccatum mortale, ùt ampliùs poſteà declarabo nu. 157. Nec refert, quòd Confeſſarius poſſit interrogare, & ille teneatur reſpondere. Nam Confeſſarius poteſt interrogare non ſolùm, quæ ſunt præcisè neceſſaria ad illud judicium peragendum; ſed quæ congruentia ſunt, & ad meliùs eſſe; ſic poteſt interrogare, an fecerit aliqua, quæ venialia ſunt, aut probabiliter non mortalia, ut meliùs dirigat pœnitentem; & ille tamen abſque mortali poteſt eadem non fateri, aut negare etiam interrogatus, licèt malè faciat. Hæc ille.

Quæ n. 157. declarat hoc ſimili: Qui dicit ſe hodie feciſſe, quod fecit heri, v. g. occidiſſe Petrum, duo dicit; alterum, quod eſt materia neceſſaria Confeſſionis, ſcilicet feciſſe homicidium, & in hoc dicit verum; alterum, quod materia Confeſſionis non eſt, ſcilicet, id quod fecit, fuiſſe hodie, & in hoc mentitur quidem, ſed cùm non ſit in materia neceſſaria Confeſſionis, non manet obligatio iterum confitendi; quòd autem ex eo, quòd dicat ſe feciſſe hodie, quod non fecit, cenſeatur negare ſe feciſſe heri, verum eſt quoad circumſtantiam temporis, ſed non quoad ſubſtantiam actûs; poteſt enim confiteri occiſionem neceſſariò confitendam, licèt ſit negator temporis, quod ad materiam neceſſariam non refert. Huçuſque Dicaſtillo.

Sed non ſatisfacit: nam quæro; variatio temporis ex materia neceſſaria facit non neceſſariam, vel è contra ex non neceſſaria neceſſariam ? Clarum eſt quòd non; adeòque non decipitur Confeſſarius circa materiam neceſſariam. At verò prior Confeſſio facit ex materia neceſſaria non neceſſariam, ùt apud omnes eſt in confeſſo; ergo licèt illa circumſtantia teneat ſe potiùs ex parte ſubjecti, quàm objecti, equidem reddit objectum materiam non neceſſariò hìc & nunc confitendam, quæ alioquin ex inſtitutione Chriſti foret neceſſariò confitenda. Similiter ex hoc, quòd pœnitens interrogatus legitimè de peccato aliquo veniali, illud neget ſe feciſſe, etſi alioquin illud fecerit; Confeſſarius non judicat peccatum mortale confeſſum eſſe materiam neceſſariam, quod aliàs non eſt materia neceſſaria, aut è contrà materiam non neceſſariam, quod aliàs eſt materia neceſſaria.

Dices ex præfato Auctore ibidem n. 160. de explicanda circumſtantia transferente actum de veniali in mortale, vel è contra, habemus præceptum Chriſti, declaratum in Eccleſia, accuſandi nos ſemel ritè de omni mortali, quod fecimus, & non accuſandi nos de mortali, quod non fecimus, dando falſam materiam Sacramenti; id autem non poteſt fieri, niſi explicando circumſtantias, ratione quarum actus ſit, vel non ſit culpa mortalis. Non habemus autem præceptum Chriſti, explicatum ab Eccleſia, confitendi, vel non confitendi peccatum jam ſemel ritè dictum; nec dicendi, an illud confeſsi fuerimus, vel non; quia de tali præcepto ex nullo principio aut capite nobis conſtat; ſed tantùm eſt præceptum ſemel ritè confitendi mortale habenti poteſtatem; hoc autem fieri poteſt, etiamſi non dicatur, quòd jam aliàs fuerit, vel non fuerit quis confeſſus tale peccatum; ſolùm enim dicendo nudè ſuum integrè peccatum, ſatisfacit præcepto confitendi ſemel. Hactenus Dicaſtillo. 184. Objectio ex Dicaſtillone.

Sed hoc argumentum ſolùm probat, non eſſe neceſſarium ſponte explicare, an peccatum fuerit, vel non fuerit confeſſum; ſicut ſponte explicanda eſt illa circumſtantia, quæ transfert peccatum veniale in mortale, & è contra: an autem poſſit pœnitens pro libitu ſuo negare, vel affirmare, quòd peccatum aliàs fuerit, vel non fuerit confeſſus, ex illo argumento minimè probatur; neque ad hoc probandum affertur ab illo Auctore. 185. Solvitur.

Dico ergo; quia tantùm eſt præceptum ſemel ritè confitendi mortale; ideò nequit pœnitens abſque gravi ſacrilegio pro libitu ſuo negare, vel affirmare, quòd peccatum mortale aliàs fuerit, vel non fuerit confeſſus; quia non poteſt pro libitu ſuo, abſque gravi ſacrilegio, materiam neceſſariam confiteri tanquam liberam, & liberam inſtar materiæ neceſſariæ; ſiquidem in re notabili pervertit judicium ſacramentale.

Perinde autem eſt, ſive dicat peccatum commiſſum hodie, ſive heri, ſive ante plures annos; cùm ſemper exprimatur tanquam materia neceſſaria. Utì etiam ſi diceret: *Occidi Petrum*, eſtò occidiſſet Paulum; quidquid 186. Perinde eſt in caſu propoſito ſive peccatum dicatur commiſſum

 Aliqui

hodie, ſive heri. Aliqui in contrarium aſſerant, eò quòd non confiteretur peccatum, quod fecit; ſed aliud, quod non fecit; nam, inquiunt, actus heſternus eſt phyſicè diſtinctus ab actu hodierno, & occiſio Petri phyſicè diſtincta ab occiſione Pauli.

Reſponſio ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Reſpondeo; quidquid ſit de diſtinctione phyſica actûs hodierni, & heſterni, quam negat, & meritò, communis ſententia, paucis contradicentibus ſinè ſolido fundamento; equidem in genere moris, ùt bene docet Arriaga (Arriaga.) diſp. 51. n. 22. ſunt planè iidem; alioquin ſemper tenerer dicere non ſolùm quòd ſim furatus; ſed quâ die, quâ horâ, quo quadrante, quâ parte quadrantis, quia alioquin non dicerem idem numero peccatum, quod feci; ad hoc autem obligare eſſet plùs quàm abſurdum. Hæc ille.

187. Objectio. Non obligo, inquis, ad hoc; quia dicendo; *Semel ſum furatus*, explicat pœnitens ſpeciem, & numerum peccati, quod ſufficit. Interim ſi adderet ly *Hoc anno*, & fuiſſet furatus anno præterito, jam exprimeret aliud numero peccatum; adeòque non ſatisfaceret, quia debet confiteri peccatum, quod fecit. Eodem modo ſicuti qui occidit Petrum, ſatisfacit confitendo præciſè homicidium; nihilominus ſi velit exprimere perſonam, quam occidit, oportet exprimat perſonam Petri; quia aliam nominando, jam non confitetur peccatum, quod fecit; ſed aliud, quod non fecit.

Solvitur. Reſp. aliud phyſicè, conc. aliud in genere moris, nego. Nonne diſtinctio numerica peccatorum, ut ſint duo, vel unum tantùm in ordine ad Confeſſionem, deſumitur ex phyſica actuum disjunctione? Patet quòd non, juxta Theologos communiter, ſed ex morali: ergo à ſimili, diſtinctio numerica peccatorum, ut ſit hoc, vel iſtud in ordine ad Confeſſionem, non eſt deſumenda ex diſtinctione phyſica peccatorum, ſed morali. Jam autem homicidium Petri, in eſſe moris non diſtinguitur ab homicidio Pauli; adeoque qui confitetur homicidium Petri, etſi fuerit Pauli, confitetur peccatum, quod fecit, ſufficienter ad integritatem Sacramenti, cùm exprimat ſpeciem, & numerum peccati; neque notabiliter decipit Confeſſarium, pervertendo ejus judicium circa materiam neceſſariam; quia quòd ſit Petri, vel Pauli, non facit homicidium eſſe, vel non eſſe materiam neceſſariam; neque impedit quò minùs Confeſſarius de gravitate criminis rectè poſſit cenſere, & pœnam, quam oportet, pro illo imponere.

188. Confeſſor non debet ferre judicium de ſpeciebus entis, ſed de moribus. Confeſſor, inquit Suarius diſp. 22. ſect. 2. n. 3. non debet ferre judicium de ſpeciebus entis ſeu naturæ, ſed de moribus; & ideo ad illud judicium impertinens eſt, naturales ſpecies diſtinguere, niſi fortè id neceſſarium ſit ad morales explicandas. Quæ pars adeò certa eſt, ut nulla ratio dubitandi circa eam appareat. Unde cùm Concilia & Patres, in hac materia de peccatis loquuntur, formaliter de eis loquuntur, ùt peccata ſunt, atque adeò ùt ad mores pertinent. Hæc ille. Ergo pari ratione, ſi non majori, impertinens eſt ad judicium ſacramentale, diſtinguere inter individuationes purè phyſicas peccati, quæ videlicet neque neceſſariæ ſunt ad explicandam ſpeciem, vel numerum peccati; neque augent, aut minuunt malitiam actûs.

Alioquin dicamus Confeſſionem invalidam, & per conſequens repetendam, ſi quis ex errore, pro homicidio Petri explicaſſet homicidium Pauli, pro fornicatione cum Catharina, fornicationem cum Joanna, & ſic in aliis, quod eſt contra ſenſum omnium fidelium. Quòd autem talis Confeſſio foret alioquin invalida, patet; quia, ùt ſuppono, illud unicum peccatum fuit materia Confeſſionis, illud autem pœnitens non fecit; ergo ab illo non abſolvitur; quia nullus abſolvitur ab eo, quod non fecit.

Sanè nihil manifeſtiùs eſt, quàm in rebus moralibus, quando individua ſunt omnino ſimilia, pro nihilo planè reputari, quòd ſit hoc individuum potiùs, quàm illud, ſi enim ſint duæ monetæ planè omnino ſimiles, nemo dicet eſſe furtum, ſi ego unam meam, loco alterius alienæ permutem: quòd ſi loco monetæ, quam furatus fueram, reſtituam aliam numero, planè omnino ſimilem, dicere jure merito poſſum; *Reſtitui illi ſuam monetam.*

Unde ſi famulo det Dominus unum ducatum, ut pauperi in eleëmoſynam illum donet, & ille loco illius ducati numero, donet alium omnino ſimilem, poteſt ille famulus jure dicere: *Feci quod juſſiſti, dedi eleëmoſynam, quam mandaſti.* Cur ergo ſimiliter, qui confeſſus fuit occiſionem Petri, cùm eſſet occiſio Pauli, non poterit dicere; *Confeſſus ſui peccatum quod feci?* Siquidem non eſt major diſtinctio inter illa duo homicidia, quàm inter illos duos ducatos.

Omitto, quòd, ex ſententia Adverſariorum, non ſit opus explicare ullam individuationem, ùt ſuprà vidimus; cur ergo error in illa individuatione, dummodo tota ſpecies dicatur, invalidabit Confeſſionem? Non eſt credibile.

Nonne qui diceret; *Occidi pugione*, cùm tamen id fecerit gladio, invalidè confiteretur? Quis audeat affirmare? Sed quæ ratio? Nulla alia, niſi quia inſtrumentum, quo occidit, non eſt materia Confeſſionis. Si ergo individuatio non eſt materia neceſſaria, dico, errorem in illa individuatione non impedire valorem Confeſſionis. Ita nobiſcum docet Arriaga diſp. 34. ſect. 3.

Dices; qui confitetur peccatum mortale, nunquam directè abſolutum, addens, priùs fuiſſe directè abſolutum, etiam confitetur ſpeciem

Digitized by Google

ſpeciem, & numerum peccati; ergo etiam talis Confeſſio non eſt invalida.

Reſp. confitetur ſpeciem phyſicam, & numerum phyſicum peccati, concedo; ſpeciem moralem, & numerum moralem, nego. Ratio patet ex dictis; quia peccatum mortale, directè abſolutum, in morali conſideratione in ordine ad Confeſſionem, habet ſe inſtar peccati venialis; unde ab illo abſolvit quilibet Sacerdos, eodem modo, quo abſolvit à peccatis venialibus; ergo illa circumſtantia in eſſe moris notabiliter alleviat peccatum; immo mutat ſpeciem, transferens ſeu auferens malitiam mortalem, & ſubſtituens malitiam venialem, non quidem phyſicè & à parte rei, ſed ſecundùm prudentem æſtimationem Confeſſarii. Jam autem, ùt ſuperiùs diximus ex Suario, Confeſſor non debet ferre judicium de ſpeciebus entis ſeu naturæ, ſed de moribus; & ideo ad illud judicium impertinens eſt, naturales ſpecies diſtinguere, niſi fortè id neceſſarium ſit ad morales explicandas.

Atque ut non eſſet circumſtantia mutans ſpeciem, adeoque ex hac parte non repugnaret integritati Confeſſionis; ſaltem notabiliter variat, & pervertit judicium Confeſſarii; ac proinde ex illa parte erit mendacium mortale, per conſequens invalidans Confeſſionem, in qua non exprimitur hoc mendacium, quod tamen, utpote nova ſpecies peccati mortalis, jure divino exprimi deberet.

Si autem à me quæritur, unde ſciam Deum id præcepiſſe, mox ediſſero; & quia quæſtio moleſtiſſima eſt, iſte ſit finis hujus Sectionis; eritque

SECTIO OCTAVA.

De Integritate Confeſſionis.

1\. Duplex eſt integritas Confeſſionis, ſeu integra Confeſſio, una materialis, altera formalis, & de utraque oportet hìc tractare. Materialem voco, quæ eſt de omnibus omnino peccatis mortalibus in ſpecie, ac ſigillatim. Formalem verò, quæ licèt non omnia omnino peccata mortalia in ſpecie, ac ſigillatim declaret; equidem nullum reticet abſque rationabili cauſa, aut inculpabili oblivione, ſeu ignorantia; & ideo adhuc verâ Abſolutione informatur, alioquin minimè informanda, ùt patebit ex ſequentibus Concluſionibus.

CONCLUSIO I.

Jure divino confitenda ſunt omnia peccata mortalia, quorum pœnitens, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habet, etiamſi occultiſſima illa ſint; non tantùm in genere, ſed potiùs in ſpecie, ac ſigillatim.

2\. *Probatur Concluſ. ex Conc. Trid.* ITa noviſſimè Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. quod ſic incipit: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, iam explicatâ, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus, poſt Baptiſmum lapſis, iure divino neceſſariam exiſtere.* Ut autem ſcires, quam Patres Concilii intellexerint Confeſſionem integram, continuò adjungitur pro ratione: *Quia Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, è terris adſcenſurus ad Cœlos, Sacerdotes ſui-ipſius Vicarios reliquit tanquam præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint; quò, pro poteſtate Clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuntient.* Ergo in primis requiritur ad integram Confeſſionem, quòd omnia mortalia crimina deferantur.

Et ne aliquis dubitare poſſet de modo, quò deferenda ſunt, an videlicet in genere dumtaxat, dicendo: *Accuſo me de multis peccatis mortalibus*; an verò etiam in ſpecie, & ſigillatim, dicendo: *Accuſo me de duabus fornicationibus, duobus homicidiis* &c. illicò attexitur: *Conſtat enim, Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuiſſe; neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſervare potuiſſe, ſi in generè dumtaxàt, & non potiùs in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.*

Interim quia difficillimum foret hujus Sacramenti remedium, & maximo periculo carendi effectu expoſitum, ſi omnia omnino peccata, à parte rei commiſſa, deberent re ipsâ exprimi, mox ſubjungitur: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri.*

Atque ad tollendum omnem ſcrupulum, de quibus peccatis Concilium loquatur, an

Kkkk 3 de

de externis tantùm, an verò etiam de merè internis: *Etiamſi*, inquit Concilium, *occultiſſima illa ſint, & tantùm adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam animum graviùs ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur.* Quis autem ambigit, peccata merè interna eſſe occultiſſima, & nonnunquam animum graviùs ſauciare, & periculoſiora eſſe iis, quæ in manifeſto admittuntur? Patet in peccatis merè internis odii, hæreſis, & ſimilibus.

3. Etiam peccata merè interna pertinent ad integritatem Confeſſionis.

Et verò duo ultima præcepta Decalogi, putas quia non prohibent concupiſcentiam merè internam, ſed ſolam concupiſcentiam per accidens occultam? Scio quia non putas. Ergo dic mecum, & cum Concilio Trid. etiam peccata merè interna pertinere ad integritatem Confeſſionis. Unde paucis interjectis ſic inquit Concilium: *Verùm, cùm univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis* (Quomodo clariùs potuiſſet exprimere peccata merè interna?) *homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; neceſſum eſt, omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda Confeſſione à Deo quærere.*

Hæc doctrina non eſt nova. Clemens I.

Neque hæc doctrina nova eſt: nam Clemens I. Epiſt. 1. circa finem de Petro loquens ait: *Inſtruebat actus vitæ ſuæ omni horâ cuſtodire, & in omni loco Deum reſpicere, firmiter ſcire cogitationes malas cordi ſuo advenientes mox ad Chriſtum allidere, & Sacerdotibus Domini manifeſtare.*

Cyprianus.

Accedat Cyprianus Serm. de Lapſis n. 11. circa finem ibi: *Quantò & fide maiores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Domini dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe: Deus non irridetur.*

4. Contrariam doctrinam Pet. de Oſma damnavit Sixtus IV.

Hinc meritò Sixtus IV. Bullâ: *Licet ea*, 17. apud Cherubinum damnat has propoſitiones Petri de Oſma: *Peccata mortalia quoad culpam, & pœnam alterius ſæculi, abſque Confeſſione, ſolâ cordis Contritione; prava verò cogitationes ſolâ diſplicentiâ delentur.* Item: *Quòd Confeſſio ſecreta ſit* (id eſt, ùt Aliqui volunt, de peccatis ſecretis) *neceſſariò non exigitur.* Meritò, inquam, damnat has propoſitiones tanquam falſas, ſanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas, & ſcandaloſas, ac à fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum Decretis & Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarias.

Conc. Trid.

Itaque (proſequitur Tridentinum ſuprà) *dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt; qui verò ſecùs faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.* Ecce Concilium loquitur generaliter ſinè exceptione alicujus peccati; prout etiam Scriptura Joan. 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Item Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis.*

Ioan. Matt.

Deus præc puni meri nos.

Quare ergo non credimus? Deus eſt qui præcipit, indubiè habens poteſtatem præcipiendi actus merè internos, utpote qui ſcrutatur renes & corda; & poteſtatem habet puniendi actus merè internos. Ipſe eſt Dominus famæ noſtræ, immo & vitæ. An fortè remittuntur peccata manifeſta, abſque peccatis occultis? Certa doctrina eſt, unum peccatum mortale non remitti ſinè alio; & ideo, qui ſcienter aliqua retinent ſive interna, ſive externa, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.

5 Non unum ... tale c... teri u... cerdo alteri ... tetti.

Ex quo deducitur, non ſufficere, unum peccatum mortale confiteri uni Sacerdoti, & alterum alteri; ſed omnia ſimul exponi debere uni Sacerdoti, ut ab omnibus ſimul abſolvat, vel omnia ſimul retineat. *Cautus ſit* (inquit Auctor lib. de vera & falſa Pœnit. c. 15.) *ne verecundiâ ductus, dividat apud ſe Confeſſionem, & diverſa diverſis Sacerdotibus velit manifeſtare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifeſtanda conſervant; quod eſt ſe laudare, & ad hypocriſim tendere, & ſemper veniâ carere, ad quam per fruſtra totam putat pervenire.*

Suarez.

Interim Nonnulli Catholici, inquit Suarez diſp. 22. ſect. 1. n. 3. dixerunt, hanc neceſſitatem integritatis non poſſe ſufficienti ratione colligi ex inſtitutione, ſed ſolâ Eccleſiæ traditione, & auctoritate haberi. Quod indicat Durandus 4. diſt. 17. q. 15, ubi ſolvit rationes Theologicas, quæ ad hoc oſtendendum afferri ſolent. Hæc Suarius.

6. Quid d... hac re ſent. Du... durſ.

Legi Durandum loco citato, & exſcribo ejus verba: Quantum ad primum, ſciendum eſt, quòd de Concluſione eſt omnium concors ſententia, videlicet, quòd neceſſarium eſt omnia peccata confiteri uni & eidem: modus autem probandi non eſt idem apud omnes. Uno enim modo probatur ſic: ſicut eſt in medicina corporali, ſic eſt in Pœnitentia, quæ eſt medicina ſpiritualis; ſed in medicina corporali ſic eſt, quòd medicus non ſolùm debet cognoſcere unum morbum, ſed totam diſpoſitionem corporis, pro eo quòd unus morbus gravatur ex alio, & quod prodeſt ad curationem unius morbi, aliquando nocet alii: ergo in Pœnitentia, quæ eſt medicina ſpiritualis, oportet quòd Sacerdos, qui eſt medicus ſpiritualis, cognoſcat non ſolùm unum peccatum, ſed omnia; quia ex quolibet aliud gravitatem recipit, & quia medicina, quæ valeret ad unum peccatum, poſſet eſſet incentiva alterius.

Probat ... mo co... munem ... ctrinam ſimili ... dicina ... poralis.

quam pr... bationem ſolvit.

Sed iſta ratio non videtur neceſſariò probare, quòd neceſſarium ſit, omnia peccata confiteri uni & eidem, ſed quòd eſt valdè congruum;

Digitized by Google

gruum; quia ſecundùm eam non eſt neceſſe omnia peccata confiteri uni & eidem, niſi ratione gravitatis, quam unum ſortitur ex alio, vel ratione medicinæ, quæ prodeſſet contra unum, & non contra aliud. Sed propter primum non oportet hoc ponere, quia circumſtantiæ aggravantes non ſunt de neceſſitate Confeſſionis; ſed ſolùm illæ, quæ addunt novam ſpeciem peccati: ſed unum peccatum, ſi recipiat gravitatem ex alio ſibi adjuncto, non tamen recipit novam ſpeciem; ergo ad Confeſſionem unius peccati, non requiritur neceſſariò, quòd fiat mentio de alio.

Nec propter ſecundum, ſcilicet propter medicinam; quia vel loquimur de medicina, quæ expellit morbum, vel de illâ, quæ præſervat à recidivo: medicina, quæ expellit morbum peccati, nunquam eſt contraria medicinæ alterius peccati; quia eadem medicina eſt expellens omne peccatum, ſcilicet gratia, & ideo ratione talis medicinæ non oportet omnia peccata confiteri ſimul; ne medicina, quæ curat unum peccatum, gravet vel augeat aliud; quia iſtud nunquam eſt. Nec ratione medicinæ præſervativæ, quia non eſt de ratione veræ Pœnitentiæ, quòd homo non poſſit ab ea excidere; non eſt ergo neceſſarium ad veram Pœnitentiam, quòd exhibeantur omnimoda remedia contra recidivum.

Alius eſt modus efficacior, probans eandem Concluſ. & eſt talis: Confeſſio correſpondet Contritioni, ſicut ſignum ſignato; quia & ea, quæ ſunt in voce, ſunt in anima paſſionum notæ, & etiam correſpondet per ſimile; quia per Contritionem fit mentalis Confeſſio coram Deo, ſicut per Confeſſionem vocalem fit manifeſtatio peccatorum coram Dei miniſtro; ſed Contritio non poteſt eſſe de uno peccato ſinè alio, ergo nec Confeſſio. Et ſic patet, quòd Confeſſio debet fieri integrè de omnibus peccatis uni & eidem. Quod eſt intelligendum de peccatis, quæ memoriæ occurrunt, præviâ diſcuſſione conſcientiæ, quæ debet Confeſſionem præcedere. Hucuſque Durandus. Nec ulteriùs progreditur ad ſolutionem hujus probationis.

Quomodo ergo verum eſt, quòd ſuprà ait Suarez: Solvit rationes Theologicas, quæ ad hoc oſtendendum afferri ſolent? Solvit unam, & ſatis feliciter meo judicio, ſalvo meliori; alteram inſolutam relinquit, neque mentionem ullam facit de traditione, vel auctoritate Eccleſiæ, niſi quòd dicat: De Concluſione eſt omnium concors ſententia, videlicet, quòd neceſſarium eſt, omnia peccata confiteri uni & eidem. Ergo negat, hanc neceſſitatem integritatis poſſe ſufficienti ratione colligi ex inſtitutione, qualis Conſequentia?

8. Immo de facto videtur colligere poſteriori ratione, quæ optima eſt. Ideo namque requiritur univerſalis Contritio, quia unum peccatum mortale, juxta legem Dei ordinatam, non remittitur ſinè alio, ùt patet ex dictis diſp. 6. ſect. 2. conclu. 6. ergo planè conveniebat, ut eâdem lege inſtitueretur Sacramentum Pœnitentiæ, id eſt, ut ſic inſtitueretur, quòd per illud non remitteretur unum peccatum ſinè alio. Ait autem S. Auguſt. lib. 3. de libero Arbitrio c. 5. *Quidquid tibi verâ ratione meliùs occurrerit, ſcias feciſſe Deum, tamquam bonorum omnium conditorem.* Igitur ſic inſtitutum fuit hoc Sacramentum; per conſequens neceſſaria eſt Confeſſio univerſalis; quandoquidem Sacramentum non remittat peccatum mortale niſi confeſſum. S. Aug.

Intellige, directè, & vi ſuâ: alioquin per concomitantiam, propter incompatibilitatem gratiæ cum quocumque peccato mortali; & indirectè, id eſt, per ordinem ad aliam Confeſſionem, ſuo tempore faciendam, remittuntur in Sacramento Pœnitentiæ omnia peccata, quæ inculpabiliter reticentur; ſed hoc per accidens eſt, ùt patet, & planè fuit neceſſarium, ne, ſicut ſuperiùs dixi, ſæpiſſimè Sacramentum fruſtraretur omni ſuo effectu; & ne foret jugum importabile. Cæterùm inſtitutio Sacramenti debuit reſpicere quod eſt per ſe, non verò quod per accidens.

Rogas; an ergo implicet contradictionem, hanc inſtitutionem aliter factam fuiſſe? Reſp. cum Suarez ſuprà n. 9. negativè; ſed hæc inſtitutio maximè conformis eſt naturis rerum, ſuppoſitâ ordinariâ providentiâ divinâ, quod ſufficit. Cùmque inſtitutio divina ſit de neceſſariis ad valorem Sacramenti, ſequitur hanc integritatem non ſolùm eſſe obligationem præcepti, ſed etiam neceſſitatem Sacramenti; quamquam in præſenti puncto hæ duæ neceſſitates nunquam ſeparentur; hoc ipſo enim quòd hæc integritas obligat ex præcepto, cùm, communi calculo, ſit res gravis, qui non integrè confitetur peccat mortaliter per ſe loquendo, ac proinde invalidè abſolvitur defectu debiti doloris. Sin autem per accidens excuſetur à peccato mortali, liquet quia Abſolutio valet, ùt jam non ſemel dictum eſt. 9. An implicet hoc Sacramentum aliter fuiſſe inſtitutum?

Atque hæc doctrina intelligitur non tantùm de peccatis, quæ aliunde ignorat Confeſſarius, ſed etiam de iis, quæ, utpote in loco patenti, & coram toto populo commiſſa, optimè novit; nam hæc notitia planè per accidens eſt, & impertinens ad hoc judicium, quoniam data, & accepta, ſinè ordine ad ſententiam; jam autem in omni judicio neceſſaria eſt notitia per propriam accuſationem, & teſtificationem, id eſt, per accuſationem, & teſtificationem in ordine ad obtinendam ſententiam, quam accuſationem, & teſtificationem hìc præbet pœnitens ſe accuſans. 10. Doctrina communis intelligitur etiam de peccatis publicis.

Addo cum Suario ſuprà nu. 11. per Confeſſionem non ſolùm dari Confeſſori notitiam peccati

Digitized by Google

peccati ſecundùm ſe, ſed prout eſt, vel fuit in conſcientia pœnitentis, id eſt, ſecundùm modum, & circumſtantias, quibus ab eo fuit commiſſum, & ſecundùm præſentem diſpoſitionem ſeu deteſtationem, quam circa illud habet.

Pro contrario errore citat Suarez ſup. n. 3. Petrum de Oſma. Qui error, inquit, cum aliis damnatus fuit à Sixto V. in Bulla, quam refert Caſtro V. Confeſſio. Hæc ille.

Perlegi Bullam (quæ eſt 17. apud Cherubinum) ſed nulla in ipſa mentio hujus erroris, niſi fortè in hac clauſula generali: *Et alias* (propoſitiones) *quas propter earum enormitatem* (*ut illi, qui de eis notitiam habent, obliviſcantur earum, & qui de eis notitiam non habent, ex præſentibus non inſtruantur in eis*) *ſilentio prætereundas ducimus.* Hic autem error, ad propoſitum noſtrum, exprimitur in illa Bulla: *Confeſſio peccatorum in ſpecie ex univerſalis Eccleſiæ ſtatuto, non divino iure comperta eſt.*

11. Circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt explicandæ ex Concil. Trident.

De cætero Concilium Trident. probè intelligens controverſiam, quæ erat inter DD. Catholicos circa Confeſſionem peccatorum in ſpecie, ſeſſ. 14. c. 5. circa medium proſequitur ſuam doctrinam hiſcè verbis: *Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant: quòd ſinè illis peccata ipſa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum à ratione eſt, docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe, aut unam tantùm circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem.*

Quia autem Hæretici calumniabantur hujuſmodi Confeſſionem impoſſibilem, illicò ſubjungit: *Sed & impium eſt, Confeſſionem, quæ hâc ratione præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare; conſtat enim nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eâdem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine.*

12. Compendium totius doctrinæ Catholicæ de integritate Confeſſionis.

Ecce tota doctrina Catholica de integritate Confeſſionis, quam hiſcè verbis perſtrinxit idem Concilium eâdem ſeſſ. can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; ſed eam Confeſſionem tantùm eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem Canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum . . . . . . anathema ſit.*

Ubì pariter damnat errorem Lutheri, qui reprehendebat integritatem Confeſſionis, quoniam qui omnia peccata diligenter confiteri ſtudent; nihil divinæ miſericordiæ dimittendum relinquunt.

Sed tu dic & intus dic cum Concil. Trid. ſuprà cap. 5. *Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, omnia divinæ miſericordiæ agnoſcenda* (id eſt, remittenda) *exponunt, qui verò ſecùs faciunt, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.*

Quid miraris? Nam totus fructus hujus Sacramenti ſperatur ex meritis, quæ nobis per Sacramentum, tanquam cauſam inſtrumentalem applicantur, ſeu communicantur; ergo per integram Confeſſionem, in nullo præjudicatur efficaciæ meritorum Chriſti, qui per ipſam voluit nobis applicare ſua merita, & non per Confeſſionem mutilam ſeu non integram.

Non tango, quòd ultra peccata, quæ fuerimus confeſſi, ſatis adhuc ſuperſit, quod dimittat Deus in peccatis oblitis. Ne igitur (inquit Joannes Eckius Homil. 43. de Conf.) obſequamur erroribus Lutheri; ſed potiùs Spiritui ſancto, qui per Prophetam aliud nos docuit dicentem: *Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini.* Thren. 2. v. 29.

Atque huius integritatis ante Concil. Trid. meminit Concil. Florentinum in Decreto Eugenii §. *Quartum Sacramentum* ibi: *Secunda* (pars quaſi materiæ Sacramenti Pœnitentiæ) *eſt oris Confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter.*

Quid hìc dicam de Scoto, cujus doctrinam ſequimur? Attende quibus verbis veritatem Catholicam præſcripſerit præfatis Conciliis: *Continet etiam hoc præceptum* (divinum Confeſſionis) *quid debet confiteri; quia peccatum mortale, & non continet aliud* &c. *Sed quod peccatum mortale? Reſpondeo, quòd omne, de quo habetur memoria: & hoc præmiſſâ inquiſitione diligenti ſecundùm poſſibilitatem fragilitatis humanæ.*

Dubitas, quæ ſit hæc diligens inquiſitio? *Intelligo*, inquit Doctor, *quantam inquiſitionem poſſet aliquis apponere circa aliquod multùm arduum, quod ſibi multùm eſſet cordi, tantam deberet apponere circa omnia peccata mortalia reducenda ad memoriam, & illa reducta ad memoriam, debet eidem confiteri, non dividendo Confeſſionem: quia dicit Auguſt. de vera & falſa Pœnitentia, & ponitur de Pœnitentia diſt. 5. cap.* Conſideret. *Quidam mi celant, quod alii manifeſtandum conſervant, quod eſt ſe laudare, & ad hypocriſim tendere, & ſemper veniâ carere, ad quam credunt per fruſta pervenire.*

Digitized by Google

14. [illegible] *Si contra hoc obiicitur; quia tunc videtur, quòd quilibet peccator tenetur cuilibet requirenti dicere omnia peccata ſua, alioquin tacendo ea, vel aliquid eorum, eſſet hypocrita, quia oſtendit ſe innocentiorem, quàm ſit. Reſpondeo, quòd tacendo, cui non debeo dicere, non oſtendo me innocentem in his, quæ taceo; ſed illi, cui dicere debeo, & quando dicere debeo, & quomodo, ſicut in Confeſſione tacendo aliquid, confitendo aliud, oſtendo me innocentem in hoc, quod taceo, & in hoc eſt hypocriſis, non in alio caſu.* Hucuſque Doctor Subtilis 4. diſt. 17. n. 19.

In quibus verbis accuratiſſimè meminit obligationis præmittendi diligentem inquiſitionem, quam non ſemel inculcat Concilium Trid. locis ſuprà allegatis. Nec mirum; quia qui tenetur ad finem, etiam tenetur ad media neceſſaria fini conſequendo; qui ergo obligatur integrè confiteri, obligatur ad diligens examen conſcientiæ, ſinè quo non poteſt integrè confiteri.

15. [illegible] Porrò non requiri exactiſſimam diligentiam & extraordinariam, videlicet anticipationem Confeſſionis, deſcriptionem peccatorum in charta, & ſimilia, etſi alioquin ſit periculum oblivionis plurium peccatorum, patet ex communi ſenſu & praxi fidelium. Sufficit ergo diligens inquiſitio ſecundùm poſſibilitatem fragilitatis humanæ, id eſt, talis inquiſitio, per quam Sacramentum Pœnitentiæ non reddatur nimis grave & oneroſum; vel, tanta inquiſitio, *quantam* (ùt loquitur Scotus) *poſſet aliquis apponere circa aliquid multùm arduum, quod ſibi multùm eſſet cordi*, quoniam Sacramentum res ardua eſt; & cùm ſit neceſſarium ad ſalutem, ſicut ipſa ſalus debet pœnitenti multùm eſſe cordi, ita & iſtud Sacramentum. Prudentiâ igitur opus eſt, ne pœnitens vel nimis leviter ſe examinet, vel nimium ſe vexet, etiam ſubinde cum periculo læſionis ſanitatis corporalis, aut turbationis cerebri.

Unde non ſequitur; ſi pœnitens adhuc unâ horâ examinaret ſeipſum, inveniret adhuc aliqua peccata; ergo tenetur adhuc unâ horâ ſe examinare; dummodo tamen præmiſerit moralem diligentiam majorem vel minorem, pro ratione temporis lapſi ab ultima Confeſſione, multitudine peccatorum; & ſui ipſius capacitate; nam minùs homo barbarus, & qui primùm converſus eſt ad fidem, ſeipſum poteſt examinare, quàm aliquis; qui ſemper Catholicè vixit; minùs ruſticus, quàm homo civilis; ægrotus, quàm ſanus; minùs qui habet plura peccata, quàm qui pauca; iſti enim eſſet difficillimum examen circa omnia in particulari, huic autem facillimum.

[illegible] Et hinc prætextu inſufficientis examinis non ſunt facilè remittendi ſimplices & rudes, ſed potiùs à Confeſſariis adjuvandi, dummodo aliquam ſaltem diligentiam juxta ſuam capacitatem præmiſerint; nam ſæpè ab illis non poteſt plus expectari, & quamvis remittantur, æquè imparati redibunt, eoſque ordinariè Confeſſarius mediocri labore meliùs juvabit, quàm ipſi ſeipſos longo examine; potiſſimùm quando indigent Confeſſione generali, aut multorum annorum, ob præcedentes Confeſſiones irritas, ùt experientia docet. Omitto periculum nunquam poſtea revertendi, non ſinè magno animarum damno.

His prænotatis de examine conſcientiæ, pergo ad illa, quæ Scotus docet de circumſtantiis peccatorum, neque enim earum dememinit, ſed quid de eis faciendum ſit, diſertis verbis explicavit ſuprà n. 26. dicens: *Nec ſolum peccatum, ſed circumſtantias peccatorum notabiliter aggravantes includit dictum præceptum, iuxta illud Auguſt. Priùs conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeverantia, in qualitate perſonæ &c.* 17. Quid Scotus ſenſerit de circumſtantiis peccatorum.

Quæris à me, quas Doctor Subtilis vocet circumſtantias notabiliter aggravantes? Audi quæ ſequuntur: *Saltem illas dico aggravantes, & neceſſariò confitendas, quæ ſpeciali prohibitione prohibentur; verbi gratiâ alienum accipere eſt illicitum, ſed ſpeciali prohibitione prohibetur accipi de loco ſancto, & ideo ſpeciale peccatum, ſcilicet ſacrilegii, per hanc circumſtantiam conſtituitur.* Quas Scotus vocet circumſtantias notabiliter aggravantes?

Similiter eſt illicitum non ſuam agnoſcere, ſed ſi quæ propinqua ſit, ſpeciali prohibitione prohibetur; & ideo ſpeciale peccatum ſcilicet inceſtus per hanc circumſtantiam conſtituitur. Frequentia etiam non eſt dubium, quòd eſt circumſtantia ſimpliciter ponens aliud peccatum, quia qualibet vice committitur novum peccatum, & de ſimilibus ſimile habeatur iudicium.

Ergo per circumſtantias notabiliter aggravantes; quæ neceſſariò confitendæ ſunt, intelligit Scotus circumſtantias mutantes ſpeciem, aut numerum peccatorum; breviter, docet confitenda eſſe peccata non in genere dumtaxat, ſed potiùs in ſpecie, & ſigillatim; id eſt, ſpeciem & numerum peccatorum. 18. Reſpondetur, mutantes ſpeciem, vel numerum peccatorum.

Multa autem (proſequitur Doctor) *ſunt circumſtantiæ, ex quibus peccatum eſt aliquo modo gravius, & hoc vel ex parte obiecti, vel ex parte perſonæ peccantis, de quibus non eſt ita certum, quòd oporteat illas confiteri tamen tutum & utile eſt hoc fieri. De aliis verò, quæ nihil ad B. putà ſinè quæ eſſet tanta gravitas, quanta cum illa circumſtantia impertinente, fatuum eſt confiteri, utpote ſi aliquis peccat cum aliqua, quæ vocatur Berta vel Lucia & huiuſmodi.* Sit itaque

CONCLUSIO II.

Iure divino confitendæ ſunt circumſtantiæ, peccatorum ſpeciem, aut munerum mutantes; non ita certum eſt, quòd opor-

 teat

teat confiteri circumſtantias ſolùm aggravantes.

19. Prima pars eſt certa inter Catholicos.

DE prima parte non eſt controverſia inter Doctores Catholicos, & eam ſatis ſuperque probatam arbitror, & confirmatam Concluſione præcedenti, adeò ut de veritate ejus non ſit relictus locus dubitandi, niſi illis, qui non credunt Definitionibus Eccleſiæ Catholicæ; & ideo quæcumque ignorant, blaſphemant; quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur: hæreticos intelligo, qui equidem ſpecies peccatorum optimè norunt, & proh dolor in his ſæpiſſimè corrumpuntur; ignorant autem, aut certè ignorare ſe fingunt, neceſſitatem integræ Confeſſionis, & ideo eam blaſphemant, tamquam impoſſibilem & carnificinam conſcientiarum.

Sed poſſibilem eſſe, & conſcientiarum maximam conſolationem, teſtatur perpetua praxis Eccleſiæ, & uniuſcujuſque pœnitentis conſcientia, quæ ſecura redditur per Abſolutionem de remiſſione ſuorum peccatorum; dicit autem Sapiens Proverb. 15. v. 15. *Secura mens quaſi iuge convivium.* *Proverb. 15.*

20. Integra Confeſſio quamvis difficilis, tamen poſſibilis eſt. Conc. Trident.

Hinc Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *Ipſa verò huiuſmodi Confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis, & conſolationibus levaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per Abſolutionem certiſſimè conferuntur.* Fatetur Concilium difficultatem, ſed negat impoſſibilitatem; quia videlicet ſolùm requiritur, ùt patet ex dictis concl. præcedenti, & ibidem docet, ut ea peccata, & illas circumſtantias confiteamur, quæ, poſt diligens ſecundùm fragilitatem humanam examen, memoriæ occurrunt.

Unde exiſtimo multos excuſari à Confeſſione circumſtantiarum defectu notitiæ; nam in praxi difficillimum eſt oſtendere in particulari, quæ ſint circumſtantiæ mutantes ſpeciem, & numerum peccatorum, ùt patet ex contrariis opinionibus DD. his aſſerentibus, illis negantibus hujuſmodi mutationem, de quo puncto infrà latiùs. In præſenti Sectione de circumſtantiis in communi tractabimus.

21. Quid ſit circumſtantia?

Eſt autem circumſtantia accidens quoddam, ſeu conditio actûs peccaminoſi, ad ejus ſubſtantiam ſeu eſſentiam ſpecificam non pertinens, aliquo modo tamen attingens ſeu immutans illam. Dicitur circumſtantia; quia circumſtat actum in ſuo eſſe ſpecifico conſtitutum. Accidens appellatur; quia actui peccaminoſo, conſiderato ſecundùm ſuum eſſe ſpecificum, eſt quaſi accidentarium, quòd actus in individuo habeat tantam vel talem malitiam; v. g. magna quantitas rei furtivæ pertinet quidem ad ſubſtantiam illius furti in individuo, non tamen ad ſubſtantiam ejus in ſpecie, & hâc ratione dicitur accidens & circumſtantia; veluti hæccæitas eſt extra eſſentiam ſpecificam, licèt intrà eſſentiam individualem.

Similiter contrectationi rei alienæ invito domino (in quo abſolvitur eſſe ſpecificum furti) accidere poteſt, quòd ea res ſit ſacra, vel ſacro loco ad tutelam commiſſa. Item copulæ carnali cum non ſua (quæ eſt totum eſſe ſpecificum fornicationis) accidere poteſt, quòd non ſua ſit etiam aliena, religioſa &c. Item magna intenſio actûs, longa duratio actûs &c.

Et quidem ſi illa accidentia ſint ſpecialiter prohibita, idque ſub peccato mortali, ſicuti prohibetur acceptio rei ſacræ, vel loco ſacro ad tutelam commiſſæ; item copula carnalis cum aliena, religioſa &c. vocantur circumſtantiæ mutantes ſpeciem peccati; id eſt, ſuperaddentes novam ſpeciem peccati mortalis, v. g. ſacrilegii, adulterii, &c. nulluſque Catholicorum ambigit, eas in Confeſſione fore explicandas. Eadem eſt ratio illarum circumſtantiarum, quæ variant ſpeciem, non ſuperaddendo, ſed auferendo aliquam ſpeciem; v. g. ſi quis occidit hominem Clericum, ſciens eſſe hominem, invincibiliter tamen ignorans eſſe Clericum; illa enim ignorantia excuſat ſeu tollit malitiam ſacrilegii, & ideo explicanda. 22. Quæ cir cumſta mutet ſ ciem pe cati.

Sin autem illa accidentia ſolùm ſint prohibita ſub peccato veniali, ſicuti certum eſt, peccata venialia non eſſe confitenda; eâdem profectò certitudine conſtat illas circumſtantias, tametſi mutent ſpeciem peccati, non eſſe neceſſariò confitendas; v. g. ſi Fornicationi, aut furto adveniat circumſtantia mendacii, aut vanæ gloriæ &c. Atque à fortiori non ſunt explicandæ circumſtantiæ, quæ licèt mutent ſpeciem peccati in eſſe phyſico, ſecùs tamen in eſſe morali; ut ſi quis furatus eſt dexterâ, vel ſiniſtrâ manu, ſi hominem occiderit lapide, vel jaculo &c.

Aliæ ſunt circumſtantiæ, quæ licèt non mutent ſpeciem, mutant tamen numerum, id eſt, ſuperaddunt novum peccatum ejuſdem ſpeciei, talis circumſtantia ſecundùm Scotum ſuprà eſt frequentia, quam alii appellant, circumſtantiam *Quoties*, quæ non minùs explicanda eſt in Confeſſione, quàm circumſtantia mutans ſpeciem, quando agitur de peccatis mortalibus. Patet ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Si in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Non declarat autem ſua peccata ſigillatim, qui tacet frequentiam, aut circumſtantiam *Quoties*. 23. Quæ c cumſt mutet n merum cati.

Felix de Actib. c. 3. diff. 2. n. 4. *Quoties*, inquit, non eſt circumſtantia, ſed dicit numerum peccatorum, qui neceſſariò eſt in Confeſſione manifeſtandus; nam circumſtantia eſt conditio uniùs actûs in ſingulari, & numerus non reperitur in illo actu. Hæc ille. 2. Felix Quoties eſſe ci cumſta tiam, quaſtio de nom

Sed quæſtio eſt de nomine, & Scotus expreſſiſſimè frequentiam vocat circumſtantiam;

nec

Digitized by Google

nec mirum; quia ſecundus actus accedit actui primo, in ſuo eſſe ſpecifico conſtituto, & tertius accedit primo & ſecundo, & ſic conſequenter: cur ergo non debeat dici circumſtantia? Nam ſecundùm illum Auctorem ſuprà n. 3. Circumſtantia eſt, quæ circumſtat actum humanum in ſuo eſſe ſpecifico conſtitutum, ſive hæc circumſtantia ſit actus, ſive non. Ergo unus actus poteſt eſſe circumſtantia alterius. Quidquid ſit de voce, rem teneo, ſcilicet obligationem confitendi numerum, & per conſequens omne illud, quod eſt neceſſarium ad numerum exprimendum.

Venio ad circumſtantias, peccatum minuentes, vel aggravantes intrà eandem ſpeciem; de quibus præcipua eſt difficultas, an debeant explicari in Confeſſione. Tales circumſtantiæ ſunt, intenſio aut remiſſio in actu interno odii, longa aut brevis duratio. Addi poſſet, magna aut parva quantitas rei furtivæ. Non loquor hìc de magna, aut parva quantitate, quæ ex veniali peccato conſtituit peccatum mortale, aut ex mortali veniale; illa enim potiùs eſt circumſtantia mutans ſpeciem, ſi non phyſicam, ſaltem moralem, id eſt, transferens peccatum veniale in mortale, vel vice verſâ, mortale in veniale. Loquor ergo de illa quantitate, illa intenſione, & duratione, quæ actum, alioquin mortaliter peccaminoſum, augent aut minuunt in ratione peccati mortalis ejuſdem ſpeciei, & numeri.

Et verò quantum ad circumſtantias minuentes, communior ſententiae ſt, eas non eſſe explicandas in Confeſſione, quidquid ſit de notabiliter aggravantibus. Ratio eſt; quia non invenitur illa explicatio præcepta, nec fortè conveniebat præcipi, cùm potiùs videatur ſervire ad excuſationem, quàm accuſationem. *Circumſtantias alleviantes confiteri* (inquit Doctor Seraphicus 4. diſt. 17. p. 3. a. 2. q. 3. in corp.) *non eſt bonum, niſi propter hoc, ut ſatisfiat alienæ inquiſitioni, vel ut provideatur ejus ſcandalo & perturbationi, utpotè ſi timeret Confeſſorem ex hoc accipere occaſionem ad malum, vel ſi etiam tantum diminuat, ut ſit in genere venialis; ſicut comedere carnes in Quadrageſima propter infirmitatem, ita tamen quòd à latere non ſit gulloſitas aliqua. Et ratio hujus eſt, quia in Confeſſione non debet peccator ſe excuſare, ſed accuſare.* Hæc ille.

Aliam rationem aſſignat Suarez diſp. 22. ſect. 3. n. 16. (ubi ſequitur ſententiam Divi Bonaventuræ) quia, inquit, ubi diminutio tanta non eſt, ut impediat malitiam mortalem in tali ſpecie, non exiſtimo eſſe circumſtantiam notabiliter minuentem, aut ſufficientem ad multùm variandum morale judicium. Quod ſic patet; quia actus peccati ſimpliciter dictus, indicat, quemdam ordinarium modum peccandi, in quo poteſt eſſe aliqua latitudo, in qua includitur omnis modus peccandi, cum quacumque ex his circumſtantiis, & ideo licitum eſt Sacerdoti totum illum modum apprehendere, & ſecundùm illum judicare.

Sed hæc ratio non placet Arriagæ, nam (inquit diſp. 32. n. 6.) ſi cogerer metu graviſſimorum ſuppliciorum, & mortis ad me inebriandum, eſtò non excuſarer à peccato, non eſſet tamen illa circumſtantia intrà ordinarium modum peccandi, nec de illa diminutione poſſet Sacerdoti, nullo alio dato fundamento, quidquam occurrere. 27. *quæ non placet Arriagæ.*

Unde hic Auctor, qui cum Suario docet, circumſtantias notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem eſſe neceſſariò confitendas, magis conſequenter aſſerit, etiam notabiliter minuentes (nam de illis, quæ paululùm minuunt vel aggravant, non eſt quæſtio inter DD. ſed omnes ſupponunt, eas non eſſe explicandas) eſſe neceſſariò confitendas; adeòque pœnitentem teneri dicere, ſe ob illam cauſam inebriatum; & idem, inquit, eſt, ſi ſimili tentatione ſuperatus, aliud quodcumque peccatum commiſiſſem. Interim exiſtimat illas circumſtantias notabiliter minuentes eſſe rariſſimas, & vix habere locum, niſi in uno aut altero caſu raro.

Ego autem, magis conſequenter ad oppoſitam ſententiam de circumſtantiis aggravantibus, ſtatim explicandam, judico, illam cauſam ebrietatis non eſſe neceſſariò confitendam, ex hypotheſi, quòd ebrietas cum illa circumſtantia fuerit peccatum mortale ejuſdem ſpeciei, cum ebrietate planè voluntaria. Quamvis enim judex majorem aliquam gravitatem concipiat, quàm à parte rei fuerit, nullum tamen indè grave incommodum ſequitur in hoc judicio; &, ſi quod eſt in impoſitione majoris Pœnitentiæ, totum hoc, ùt patet, cedit in præjudicium ſeu gravamen ipſius pœnitentis, qui poteſt cedere juri ſuo, & erit utile ad majorem ſatisfactionem; quemadmodum ſect. præced. concl. 7. argumentabamur de illo, qui non explicat, peccatum priùs directè fuiſſe abſolutum, quamvis videat, Confeſſarium illud apprehendere, tanquam priùs non directè abſolutum, & majorem imponere Pœnitentiam, quàm alioquin imponeret. 28. *Sententia Auctoris.*

Et ſanè, ſi circumſtantiæ, notabiliter aggravantes, non ſunt neceſſariò confitendæ; pari, immo majori, ratione non erunt confitendæ circumſtantiæ, notabiliter minuentes. An autem priores circumſtantiæ ſint neceſſariò confitendæ, incertum eſt, propter multitudinem, & gravitatem DD. pro utrâque parte, ut proinde veriſſimè dixerit Scotus 4. diſt. 17. n. 20. *Non eſt ita certum, quòd oporteat illas confiteri* (ſicut certum eſt, quòd oporteat confiteri circumſtantias mutantes ſpeciem) *tamen tutum, & utile eſt id fieri.* 29. *Incertum eſt, an circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſint confitendæ.* *Scotus.*

Sed nunquid ideo Scotus magis inclinat in partem affirmativam? Ita exiſtimat Suarez *Suarez.*

 ſuprà

Digitized by Google

ſuprà n. 5. Sed eſt mera conjectura. Quamvis enim fuiſſet magìs inclinatus in partem negativam, haùd equidem debuiſſet eam abſolutè aſſerere, ſed ſatìs erat eam inſinuaſſe; noluit autem abſolutè aſſerere, propter multitudinem DD. in contrarium, & quia, ùt addit, *tutum & utile eſt* hujuſmodi circumſtantias confiteri; eſtò probabiliùs foret; non eſſe obligationem.

30. Non eſſe confitendas videtur ſententia Divi Thomæ & D.Bonaven. Quidquid ſit de mente Scoti, aut ejus inclinatione, partem negativam, ſcilicet circumſtantias ſolùm notabiliter aggravantes non eſſe neceſſariò confitendas probabiliorem vocat Doctor Angelicus S. Thomas 4. diſt. 16. q. 3. a. 2. ibi: *Ad quintam quæſtionem dicendum, quod omnes circumſtantias confiteri eſt impoſſibile, quaſdam autem confiteri eſt neceſſitatis: ſed in hoc eſt differentia opinionis. Quidam enim dicunt, quod omnes circumſtantiæ, quæ aliquàm notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrant. Alii verò dicunt, quòd non ſint de neceſſitate confitendæ, niſi circumſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt: & hoc probabilius eſt; ſed addendum eſt, quæ ad aliam ſpeciem mortalis trahunt, cujus ratio eſt, quòd venialia non ſunt de neceſſitate Confeſſionis, ſed ſolùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent. Et quia circumſtantiæ aggravantes, quæ aliam ſpeciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem, ſed non mortalis peccati, non ſunt de neceſſitate Confeſſionis: tamen eadem confiteri perfectionis eſt, ſicut & de venialibus dictum eſt.*

Conſimili modo loquitur Doctor Seraphicus S. Bonaventura ſuprà, cujus verba hìc ſubſcribo: *De circumſtantiis autem quæ aggravant, ſi genus peccati non mutatum eſt, eſt inter DD. opinio diverſa. Quidam enim dicunt, quòd pœnitentes teneantur confiteri; ſed quia præceptum affirmativum eſt, ideo obligat non ad ſemper, ſed pro loco & tempore, ſcilicet quando eam cognoſcit ſive per ſe, ſive per inquiſitionem alienam. Unde ſapiens & intelligens tenetur eas confiteri abſque inquiſitione, ſimplex tenetur, ſi ab eo inquiratur. Alii dicunt, quòd non tenemur ad Confeſſionem harum circumſtantiarum ratione neceſſitatis, ſed de bono & æquo, & quantò ſunt magis ſapientes & perfecti, tantò magìs debent diſtinctiùs eas explicare; ſed non tenemur ad hoc, niſi fortè ex propria conſcientia obligemur.*

Hanc poſitionem credo probabiliorem. Unde dicendum, quòd Confeſſio circumſtantiarum, in aliud genus (id eſt, ſpeciem) trahentium, ſpectat ad Confeſſionem quantum ad neceſſitatem; Confeſſio verò aggravantium quantum ad congruitatem; Confeſſio verò alleviantium potiùs facit incongruitatem: & hoc intelligitur exceptis caſibus prædictis. Omnes igitur rationes, probantes circumſtantias eſſe confitendas, ſunt congruitatis quantum ad aggravantes: aliàs ſi velint probare neceſſitatem, ab inſufficienti procedunt, illâ exceptâ, quæ eſt de circumſtantia, trahente in aliud genus.

31. Doctorem Angelicum, & Seraphicum ſequuntur alii multi, tam Antiqui, quàm Recentiores apud Dianam par. 1. tr. 7. reſol. 1. Eſtque ſententia verè probabilis, ac tuta in praxi, quam libenter amplector, eò quòd alleviet onus Sacramenti Pœnitentiæ, alioquin adhuc ſatìs grave peccatoribus, qui ſæpè ſæpiùs nequidem declarant circumſtantias mutantes ſpeciem, & numerum peccatorum; non oportet autem jugum Chriſti, quod ipſe dixit *ſuave*, & onus Chriſti, quod ipſe pronuntiavit *leve* Matth. 11. v. 30. *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*, non oportet, inquam, ſuper illud aliquid addere, quod nec manifeſtè conſtat ex Scriptura ſacra, nec ex natura inſtitutionis Sacramenti, nec ex Definitione aliqua Pontificum, aut Conciliorum, nec ex recepta Traditione in Eccleſia: atqui neceſſitas confitendi circumſtantias ſolùm notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem, nec manifeſtè conſtat ex Scriptura ſacra, nec ex natura inſtitutionis Sacramenti &c. ergo non eſt ſuperaddenda.

Minor probatur diſcurrendo per ſingulas partes. In primis non conſtat ex Scriptura ſacra. Quæ enim illa eſſet? Adverſarii nullam allegant, nec allegare poſſunt, niſi illam Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata* &c. quæ ad ſummum manifeſtè probat, neceſſitatem confitendi peccata in ſpecie, ac ſigillatim; immo nec hanc manifeſtè probat; quia non video, cur Chriſtus non potuiſſet dare poteſtatem Apoſtolis abſolvendi à peccatis ſolùm in genere confeſſis; aut ſaltem in ſpecie, etſi non ſigillatim.

Nihilominus Eccleſia, edocta à Spiritu ſancto, ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, quæ facta eſt illis verbis, ſemper intellexit, inſtitutam, & præceptam fuiſſe à Chriſto Confeſſionem integram peccatorum in ſpecie, ac ſigillatim; ergo etiam ex eadem inſtitutione ſemper intellexit, inſtitutam & præceptam à Chriſto Confeſſionem circumſtantiarum, notabiliter aggravantium intrà eandem ſpeciem, negatur Conſeq. nam ſine illis pœnitens declarare poteſt omnia ſua peccata in ſpecie, & ſigillatim; ergo nec ex Scriptura ſacra, neque ex inſtitutione Sacramenti manifeſtè conſtat neceſſitas hujuſmodi Confeſſionis.

Sed nec ex Definitione aliqua Pontificum, vel Conciliorum: nulla quippe clarior, quàm Definitio Concilii Trid. ſeſſ 14. c.5. & can.7. quæ tamen potiùs nobis favet, quàm Adverſariis, ùt jam oſtendo. Siquidem tùm utrobique meminerit circumſtantiarum, quæ peccati ſpeciem mutant; equidem nuſpiam vel verbulo tangit circumſtantias, ſolùm notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem. Cur hoc, niſi quia judicavit, has circumſtantias non eſſe neceſſariò confitendas? Alioquin non ſatis inſtruxiſſet fideles in rebus neceſſariis ad

riis ad ſalutem, & tardidiſſet doctrinam planè mutilam & imperfectam; maximè cùm ſciret eſſe controverſiam inter DD. de hac obligatione.

Dices cum Suario diſp. 22. ſect. 3. nu. 7. Concilium expreſsit, quod certum erat, & quod erat adeò controverſum inter graves Doctores, noluit definire: ſi tamen verba, & ratio ejus ponderentur, virtute comprehendunt has circumſtantias. Priùs enim docuit, peccata occulta eſſe confitenda, ſubdit hanc rationem: *Quia plerumque graviùs ſauciant animum, & periculoſiora ſunt:* quod nos dicere poſſumus de his circumſtantiis, cum illis, quæ ſpeciem mutant, comparatis.

Præterea agens Concilium de peccatorum omnium Confeſsione, ait: *Cum aperta & verecunda eorum Confeſſione;* non poteſt autem dici aperta Confeſsio graviſsimi peccati, quando maxima ejus gravitas tacetur, & ſolùm ùt aliquid vulgare & commune dicitur. Quomodo poteſt etiam expendi verbum Concilii Florent. in Decreto Eugen. dicentis: *Pœnitentem debere omnia integraliter confiteri;* non poteſt autem dici aliquis integraliter confiteri aliquod peccatum, qui præcipuam ejus gravitatem non declarat. Hæc Suarius.

Sed contra primum; non dicitur à Concilio, *Quia plerumque*, ſed, *Quæ nonnunquam.* Quis autem non videt differentiam inter illa verba? Nam ly *Quia*, eſt particula cauſalis, ſecùs ly *Quæ.* Ergo Concilium ibi non ſubdit rationem, quare confitenda ſint peccata occulta; ſed, ſuppoſito præcepto confitendi omnia peccata in ſpecie, ac ſigillatim, oſtendit, nullam eſſe rationem excipiendi peccata occulta, & tantùm adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, *quæ nonnunquam animum graviùs ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur*, v. g. adulterium occultum furto, quod in manifeſto admittitur; interna concupiſcentia uxoris alienæ ſimplici fornicatione: cùm enim illa peccata ſpecie diſtinguantur, & internum atque occultum peccatum, graviùs ſit peccato manifeſto atque externo, nulla omnino eſt ratio, quare potiùs unum ſit declarandum in Confeſsione, quàm aliud. Jam autem circumſtantiæ, de quibus hìc diſputamus, eſtò aliquando graviùs animum ſauciarent, & periculoſiores eſſent iis circumſtantiis, quæ mutant ſpeciem; nihilominus ſinè ipſis declarari poſſunt omnia peccata mortalia in ſpecie, ac ſigillatim; cùm ergo ex inſtitutione Sacramenti tantùm colligatur, omnia peccata mortalia in ſpecie ac ſigillatim eſſe confitenda, liquet profectò, non oportere à pœnitentibus has circumſtantias in Confeſsione recenſeri; eſtò peccata occulta, & interna, ſpecie diſtincta à peccatis manifeſtis, & externis, debeant recenſeri.

Ex quo patet reſponſio ad alia verba Tridentini, uti etiam ad verba Florentini; etenim Confeſſio eſt aperta, & verecunda ac integra, quæ declarat omnia peccata mortalia in ſpecie, ac ſigillatim, id eſt, ſpeciem & numerum peccatorum. Et quamvis foret magis aperta & verecunda, atque integra, ſi ad amuſſim explicaret gravitatem ſingulorum peccatorum, equidem non conſtat, ſaltem manifeſtè, talem apertionem, verecundiam, ac integritatem fore neceſſariam. *Secunda reſponſio.*

36\. Tranſeat, inquis, quòd ex illis præcisè verbis hæc neceſſitas non ſatis manifeſtè conſtet, ſaltem ratio Tridentini, quâ probat declaranda eſſe peccata in ſpecie, ac ſigillatim non poteſt eludi. Ratio autem eſt hæc: *Conſtat Sacerdotes judicium hoc incognitâ cauſâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe.* Et infrà probat, circumſtantias ſpeciem mutantes eſſe confitendas; *quòd ſinè illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integre exponantur, neque judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Quis non videt, has rationes æqualiter probare neceſſitatem confitendi circumſtantias ſolùm notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem? *Objectio deſumpta ex ratione Trident.*

Reſpondeo; ille non videt, qui videt in poſitivis non eſſe argumentandum à paritate, immo identitate rationis, niſi ad evitandum abſurdum. Proinde eſtò Chriſtus potuiſſet, his rationibus permotus, præcipere Confeſſionem harum circumſtantiarum; equidem quod abſurdum ſequitur, ſi non præceperit? Nullum omnino. *Solvitur.*

37\. Quin immo, reponis, maximum ſequitur abſurdum, videlicet, Sacerdotes, incognitâ cauſâ, exercere hoc judicium, neque rectè cenſere de gravitate criminum, neque pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Et reverà quid magis abſurdum, quàm debere exprimi minimam gravitatem peccatorum, & maximam poſſe ſilentio tegi? *Objectio ab abſurdis, quæ ſequuntur ex noſtra ſententia.*

Reſp. ſicuti neceſſitas hujus judicii pendet à ſola voluntate Chriſti, ita quoque neceſſitas cognitionis cauſæ, & impoſitionis Pœnitentiæ; adeòque non alia requiritur cognitio cauſæ, aut alia æquitas in pœnis injungendis, quàm Chriſtus voluerit; voluit autem, ut cognoſcerentur ſpecies, & numerus peccatorum, per conſequens ut explicarentur circumſtantiæ mutantes ſpeciem, & numerum; voluit, ut ſervaretur æquitas in pœnis injungendis, ſecundùm gravitatem peccatorum, non qualemcumque, ſed ſpecificam & numericam; quæ non eſt minima, ſed prima in quocumque peccato, idque mortalis, ùt ſupponitur; quamvis aliunde fieri poſſit, ut unum peccatum hujus ſpeciei, v. g. furtum mille florenorum, plùs excedat in malitia alterum peccatum ejuſdem ſpeciei, v. g. furtum unius floreni, quàm *Reſponſio.*

hoc ſpecie peccatum, v. g. furtum, excedat peccatum alterius ſpeciei, v. g. fornicationem; & unum peccatum hujus ſpeciei, gravius ſit, quàm 100. peccata ejuſdem ſpeciei, v. g. unum furtum 1000. florenorum, quàm 100. furta unius floreni.

Ergo abſurdum eſt & inconveniens, quòd debeant exprimi centum furta unius floreni, & non unicum furtum mille florenorum; quòd debeat exprimi peccatum fornicationis, & non furtum mille florenorum; quòd imponatur æqualis Pœnitentia pro furto mille florenorum, & pro furto unius floreni, & major Pœnitentia pro 100. furtis unius floreni, quàm pro uno furto mille florenorum: negatur Conſeq. quia certum eſt, perfectam & quaſi mathematicam æqualitatem in pœnis injungendis non eſſe obſervandam; alioquin etiam circumſtantiæ minuentes, & leviter dumtaxat aggravantes, forent neceſſariò confitendæ, quod tamen omnes negant de circumſtantiis leviter aggravantibus, & plerique de circumſtantiis minuentibus.

38. Potuit Chriſtus abſque ullo inconvenienti velle, ut explicarentur ſpecies & numerus peccatorum, eſtò non circumſtantiæ aggravantes.

Cur ergo Chriſtus non potuit rationabiliter velle, ut explicaretur ſpecies, & numerus peccati, cum impoſitione proportionatæ pœnæ, eſtò, ne Sacramentum redderet nimis oneroſum, & propter aliàs rationes, ſibi ſoli cognitas, nollet obligare ad expreſſionem circumſtantiarum, notabiliter aggravantium intrà eandem ſpeciem?

Sanè differentiæ, quas Suarius ſuprà n. 16. aſſignat inter circumſtantias minuentes, & aggravantes, videlicet, quòd aggravantes extrahant actum ab ordinario modo peccandi, non autem minuentes; item quòd aggravantes, ſi à pœnitente non explicentur, non poſſint à judice licitè cogitari aut exiſtimari, quia faceret ei injuriam; minuentes autem, etiamſi non declarentur, poſſint à judice ſinè periculo cogitari, prout ex aliis conjecturis potuerit prudenter ſuſpicari; hæ, inquam, differentiæ non ſubſiſtunt.

39. Circumſtantiæ minuentes poſſunt extrahere actum ab ordinario modo peccandi.

Quod probo; quia etiam minuentes poſſunt extrahere actum ab ordinario modo peccandi, v. g. ſi quis ex metu mortis fornicetur; quis enim Confeſſarius prudenter poteſt ſuſpicari hanc circumſtantiam, quando aliquis ſimpliciter confitetur fornicationem, quæ rariſsimè ſolet committi ex tali metu, & ordinariè committitur ex concupiſcentia?

Similiter rariſsimum eſt, quòd quis furetur præcisè iſtam materiam, quæ neceſſaria eſt ad peccatum mortale; adeòque Sacerdos audiens peccatum mortale furti, non magis poteſt, aut debet ſuſpicari furtum unius floreni, quàm decem, vel viginti florenorum; & poteſt ſinè injuſtitia ſuſpicari furtum viginti florenorum, niſi pœnitens explicet ſuum peccatum; quod ſi non faciat, ſibi imputet, quòd Confeſſarius habeat hujuſmodi ſuſpicionem, & fortè majorem Pœnitentiam imponat, quàm furtum, quod à parte rei commiſit, mereatur.

Igitur ex ratione Tridentini non ſatis manifeſtè deducitur obligatio confitendi circumſtantias, notabiliter tantùm aggravantes intrà eandem ſpeciem. Alioquin cur Concilium non deduxit, ſicuti expreſsis verbis deduxit obligationem confitendi circumſtantiàs, quæ ſpeciem mutant? An forte quia ſuppoſuit illam ſatis omnibus notam? Profectò optimè noverat controverſiam graviſsimam inter DD. Catholicos de hoc puncto.

Dices cum Arriaga diſp. 32. n. 8. hinc ſolùm oſtenditur, eas rationes non urgere tam clarè, & tam certò in his circumſtantiis, quàm in aliis, quod ſufficit, ut Concilium in unis definierit obligationem, in aliis præſciderit. At per hoc nequaquam oſtenditur, quod infra limites ſummæ certitudinis (quæ ad fidem requiritur) non probent illæ rationes, ita ut reddant noſtram ſententiam probabilem, & probabiliorem contrariâ. Hæc ille. 4 Objectio Arriagæ

Reſpon. me non negare, ſententiam Arriagæ eſſe probabilem; at verò eſſe probabiliorem non video; immo noſtram eſſe probabiliorem, vel ex hoc ipſo videtur oſtendi, quòd rationes Tridentini non tam clarè, & tam certò urgeant in his circumſtantiis, quàm in illis. Etenim, ùt habet Reg. Jur. 15. de Reg. Juris in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Et Reg. 30. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* Accedat Reg. 65. *In pari delicto vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.* Et Reg. 57. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, eſt interpretatio facienda.* Atqui lex Confeſſionis vulgò exiſtimatur odioſa ſeu oneroſa; & obſcurum ac dubium eſt, an comprehendat circumſtantias, notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem; neque ullus ambigit, quin Chriſtus legem dicere potuerit apertiùs; ergo interpretatio eſt facienda in favorem libertatis, & reſtringenda lex Confeſſionis ad circumſtantias, quæ apertè comprehenduntur verbis legis, putà circumſtantias, quæ mutant ſpeciem, cùm ſinè notitia illarum non ſciatur peccatum in ſpecie. Reſp. Reg. 15. & 30. Reg. 6.

Dices cum Arriaga ſuprà n. 9. eodem modo, ſi non ſciam illum furatum eſſe millionem, non ſcio peccatum in individuo, non ſolùm in individio phyſico, ſed, ut ſic dicam, ſed nec morali. Nam nemo per illa verba: *Furatus ſum rem gravem*, ſuſpicatur, eam maximam pecuniæ ſummam ſignificari. 4 Alia Objectio ejusdem.

Reſpondeo; prorſùs non ſuſpicatur; ſed undè conſtat, quòd debeat ſuſpicari? Quippe Tridentinum non aliud colligit ex inſtitutione Sacramenti, quàm quòd debeat pœnitens declarare peccata ſua in ſpecie, ac ſigillatim, id eſt, ſpeciem, & numerum peccatorum, ſive omnia, & ſingula peccata mortalia. Hoc autem facit dicendo: *Secundò furatus ſum rem gravem.* Solutio.

Digitized by Google

rem. Porrò quòd Sacerdos debeat ſcire peccatum in individuo ſive phyſico, ſive etiam morali, ex quo clarè deducitur?

Ex eo, inquis, quòd pœnitens debeat confiteri peccatum, quod fecit, ſaltem in confuſo, jam autem dicendo: *Furatus ſum rem gravem,* ne quidem in confuſo confitetur furtum millionis, quod tamen fecit. Veluti, qui centum homines unico actu occidiſſet; v. g. accendendo pulveres, & omnes illos centum excutiendo in aëra, profectò non ſatisfaceret, nec ſatìs explicaret peccatum ſuum in ſpecie, & ſigillatim, dicendo: *Feci homicidium,* vel, *Feci homicidia,* vel, *Fui homicida;* idque, quia nequidem in confuſo explicat peccatum, quod fecit, ſed aliud etiam moraliter.

Reſp. qui dicit: *Furatus ſum rem gravem,* eſtò fuerit furatus millionem, equidem declarat peccatum, quod fecit, quia millio res gravis eſt; declarat, inquam, ſecundùm ſpeciem, & quidditatem, quamvis non ſecundùm omnem rationem individualem, & ita nullum peccatum manet, quod non explicetur, cùm ſit ſolùm unicum peccatum.

Ex quo patet reſponſio ad ſimile; nam illa accenſio pulveris; licet phyſicè & formaliter ſit unicus actus, virtualiter tamen eſt multiplex, & continet tot malitias numero diſtinctas, quot diſtincti homines illo unico actu occiduntur, adeòque non eſt unicum peccatum, ſed multiplex; illa autem multiplicitas non ſignificatur, nequidem in confuſo per ly *Feci homicidium.* Neque per ly *Feci homicidia,* aut, *Fui homicida*, ſignificatur certus numerus homicidiorum, cùm tamen numerus, ùt ſuppono, certus ſit, & de illo certò conſtet pœnitenti; ac proinde tanquam certus explicari debeat ſecundùm omnes.

Cur autem in hoc caſu ſint plura moraliter homicidia potiùs, quàm in caſu furti unius millionis plura moraliter furta, ratio eſt; quia in communi acceptione hominum (in qua ſumus, dum inveſtigamus, an dicatur unum, an duo peccata) unus homo cum altero non facit unum moraliter loquendo, ſed quilibet cenſetur diſparatus reſpectu alterius: at verò una pecunia cum altera facit unum quid, ſeu unam ſummam, argumento Legis 78. ff. de Solutionibus, quæ ſic habet: *Si alieni nummi inſcio, vel invito domino ſoluti ſunt, manent eius, cuius fuerunt; ſi mixti eſſent, ita ut diſcerni non poſſent, eius fieri, qui accepit, in libris Gaii ſcriptum eſt, ita ut actio domino, cum eo, qui dediſſet, furti competeret.*

Ergo ex nummis alienis & propriis, ſaltem dum mixti ſunt, ita ut diſcerni non poſſint, fit unica aliqua ſumma, ſpectans ad dominium ejus, qui accepit nummos alienos, & propriis miſcuit; nullo autem caſu ex pluribus hominibus, qui occiduntur, componitur unus homo; & ideo occiſio plurium hominum ſemper cenſetur multiplex occiſio, furtum autem unius millionis moraliter reputatur unum furtum, & unum peccatum.

Proinde ſi vel unum ampliùs hominem occidi, teneor id declarare: ſin autem furatus ſim duos florenos, quamvis Aliqui exiſtiment etiam illum exceſſum eſſe declarandum, ſi in furto materia gravis ſit unus florenus; Suario tamen videtur hoc valdè rigoroſum, de quo infrà latiùs. Quæ autem ratio diſparitatis, niſi quòd illa homicidia non faciant moraliter unum quid; furtum autem iſtud reputetur moraliter unum?

Si inferas; ergo ſi quis furaretur millionem, qui pertineret ad diverſos dominos, ſaltem tunc non ſatisfaceret dicendo: *Furatus ſum materiam gravem*, ſed deberet dicere, fuiſſe plurium dominorum, & explicare numerum eorum, quantum poſſibile eſt. 44. Quid ſi aliquis furaretur millionem, pertinentem ad diverſos Dominos?

Reſp. I. conc. totum, ſi reverà pertinebat ad plures dominos quà tales, id eſt, ſinè ulla connexione illorum in jure, ut ſi quilibet in eodem loco poſuiſſet 1000. florenos; alioquin ſi conſiderentur per modum unius, v. g. plures hæredes ad eandem hæreditatem, ſicut unicum eſt jus reſidens pro indiviſo in omnibus, ita erit unicum damnum, quod omnibus infertur, per conſequens unicum peccatum. Prima reſponſio.

Conſimiliter Capitulum, ſeu Civitas, aut ſimilis Communitas habet jus eligendi, nominandi, contrahendi &c. injuſtè impeditur; licèt tunc hæc injuria tangat quodammodo ſingula Capituli membra, quæ multa ſunt; damnum tamen eſt unicum, & unicum jus læſum propriè & per ſe loquendo, ſcilicet jus Communitatis, & ideo unicum peccatum.

Secunda reſponſio eſt Arriagæ diſp. 32. n. 14. Meliùs, inquit, dicitur, pro malitia furti non conſiderari, niſi quantitatem rei ablatæ; quòd autem ab hac, vel ab illa perſona, eſſe per accidens; niſi ſpeciale indè, & grave alicui ex illis nocumentum proveniat, de quo nunc non agimus; ac proinde in genere moris idem eſſe, ſive uni, ſive duobus auferatur, nec eſſe neceſſum dicere, unam aut duas aut tres fuiſſe eas perſonas, à quibus furatus ſum. Non ita in homicidio; quia hoc reſpectu ejuſdem perſonæ non habet propriè magìs & minùs; ideoque non poteſt in ipſo conſiderari major aut minor ſumma; ſed quod unum ſit moraliter diſtinctum ab altero; & ideo ùt tale explicandum in Confeſſione. Hæc ille. 45. Secunda reſponſio Arriagæ.

Conſequenter, Sacerdos, projiciens Breviarium in mare, explicare debet neceſſariò, quàm putaverat futuram diuturnam navigationem; quia recitationes diverſorum dierum non uniuntur inter ſe, ut faciant unum quid: etenim obligatio recitandi divinum Officium unâ die, eſt planè independens per ſe ab obligatione alterius diei. Item qui directè ſuadet,

aut

Digitized by Google

aut mandat diverſis, ut furentur, vel occidant, obligatur explicare numerum hominum, quibus ſuaſit, aut mandavit furtum, vel homicidium: ſiquidem illa furta, vel homicidia non uniuntur inter ſe, ut faciant unum quid, ſed manent ſemper moraliter diſtincta.

46. Quid dicendum de eo qui unico actu infamavit plures perſonas?

Numquid idem dicendum de illo, qui unico actu infamavit plures perſonas, quà plures ſunt? Videtur quòd non; quia detractio reſpectu ejuſdem perſonæ habet propriè magìs, & minùs, eo modo quo furtum; ergo ſi pro malitia furti non conſideratur, niſi quantitas rei ablatæ, non autem diverſitas perſonarum; quidni ſimiliter pro malitia detractionis conſiderari debeat ſola quantitas famæ ablatæ, & non diverſitas perſonarum? Vellem audire claram diſparitatem.

Diſparitas aliqua inter famam & pecuniam.

Interim aliqua diſparitas eſt; quòd in communi acceptione hominum, fama unius hominis, non faciat unam aliquam famam, cum fama alterius hominis quà talis; ſicut bene pecunia unius hominis, facit unam aliquam ſummam, cum pecunia alterius, etiam quà talis. Ratio; quia pecunia eſt res aliqua externa, cui planè accidentale eſt; quòd ſit hujus, vel illius perſonæ; at verò fama eſt bona exiſtimatio de moribus, & vita hujus, aut illius perſonæ; adeoque per ſe reſpicit determinatam perſonam, in tantùm, ut nunquam ab una perſona transferatur in aliam. Porrò pecuniæ, & alia bona externa, quæ ſunt materia furti, quis neſciat ab una perſona transferri in aliam? Ergo per accidens planè eſt, quòd hæc ſumma pecuniæ ad unum dominum, vel ad plures pertineat; fama autem plurium perſonarum, eſſentialiter & per ſe reſpicit plures perſonas.

Cui hæc diſparitas non ſatisfacit, dicat cum aliis Doctoribus, numerum perſonarum, quas aliquis uno actu infamavit, non eſſe explicandum, utì nec numerum perſonarum, quas aliqùis uno actu occidit, percuſſit, aut aliâ injuriâ affecit, vel afficere deſideravit; ſuppoſito, quòd unicus ille actus non contrahat plures numero malitias; ſed unam tantùm graviorem; ſicuti odium intenſum ad octo gradus, ex illa intenſione non contrahit octo numero malitias, ſed unam graviorem; & ideo in noſtra ſententia ſatisfacit, qui confitetur ſe habuiſſe odium mortale; hic enim explicat ſpeciem, & numerum peccati, quod fecit, eo modo, quo Chriſtus inſtituit.

47. An ſatisfaciat, qui confitetur odium ad ſex quando fuit ad 8.

Si inferas; ergo etiam ſatisfaceret, ſi confiteretur ſe habuiſſe odium mortale ad ſex, etſi fuiſſet ad octo, ſimiliter qui confiteretur ſe furatum 10. florenos, cùm fuerint 100. Reſpondent communiter DD. neg. Conſeq. quia in hoc caſu non declararet pœnitens peccatum, quod fecit; ſed aliud, etiam moraliter diſtinctum, quod non fecit.

Sed contrà; qui furatus eſt centum florenos, etiam furatus eſt 10. & qui habuit odium ad 8. etiam habuit odium ad 6; & quamvis unum peccatum, ſit gravius altero, illam tamen gravitatem, ùt ſuppono, non tenetur declarare, ergo in tali caſu pœnitens declararet totam malitiam, quam tenetur declarare ex inſtitutione Chriſti, id eſt, malitiam mortalem furti, & malitiam mortalem odii.

Planè, inquis, declararet, ſed non integrè; cùm odium ad 8. & furtum 100. ne confusè quidem ſignificentur per odium ad ſex, & furtum 10. Qui autem ſimpliciter exprimit odium, vel furtum grave, explicat individuum peccatum odii, vel furti, quod commiſit, ſaltem confusè, quatenus odium ad 8. vel furtum 100. continetur ſub latitudine odii, & furti gravis.

Contrà, qui explicat odium ad 6. & furtum 10. explicat odium & furtum grave, ſed qui explicat odium & furtum grave, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. ergo qui explicat odium ad 6. & furtum 10. confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. florenorum quatenus continentur ſub latitudine odii, & furti gravis.

Reſpondeo cum diſtinctione Majoris & Minoris: qui explicat odium ad 6. & furtum 10. explicat odium, & furtum grave in genere & indeterminatum, nego; in individuo & determinatum, concedo Majorem; ſed qui explicat odium & furtum grave in genere & indeterminatum, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. concedo Minorem; qui explicat odium, & furtum grave in individuo & determinatum, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100. nego Minorem: ergo qui explicat odium ad 6. & furtum 10. florenorum, confusè explicat odium ad 8. & furtum 100 florenorum, nego Conſequentiam. 5

Ratio eſt clara; quia dum dico; *Furatus ſum rem gravem*, non determinando aliquam quantitatem, vel, *Habui odium mortale*, non determinando aliquem gradum, liberum relinquitur Confeſſario judicium de quantitate rei, & numero graduum; & poteſt ſuſpicari ſinè injuria pœnitentis 100. florenos, & octo gradus, poteſt interrogare, ſi velit, de quantitate & numero graduum; & conſequenter poteſt imponere Pœnitentiam majorem, quàm fortè imponeret, ſi pœnitens ipſe quantitatem & numerum determinaret. At verò cùm dico, *Fui furatus* 10. *florenos*; *Habui odium ad* 6. non ſinè injuria pœnitentis poteſt ſuſpicari furtum 100. aut odium ad 8. nec poteſt imponere Pœnitentiam, niſi præcisè proportionatam furto 10. & odio ad 6. ergo nequidem confusè explicatur furtum 100. & odium ad 8.

4. Repl. vitur.

Nec valet replica: explicatur furtum 100. ſpecificativè, id eſt, iſtud furtum, quod fuit 100. florenórum, eſtò non reduplicativè, id eſt,

Digitized by Google

eſt, quatenus 100. florenorum; non valet, inquam, hæc replica; quia furtum commiſſum, quod debet declarari in Confeſſione, fuit furtum 100. florenorum, non tantùm ſpecificativè, ſed etiam reduplicativè, ſive quà tale; ergo niſi explicetur reduplicativè, ſive quà tale, non explicatur illud, quod commiſſum fuit, ſed aliud. Præſertim cùm illa verba: *Furatus ſui decem florenos*, à Multis intelligantur, ùt excluſiva ulterioris ſummæ, quidquid ſit de rigoroſa ſignificatione. Hoc adeo dicere; ſi illa verba: *Furatus ſui decem*, ſufficienter declarant furtum 100. florenorum, etiam hæc verba: *Furatus ſui* 100. ſufficienter declarant furtum 10. florenorum, ut Abſolutio ſacramentalis valeat.

Si ergo Confeſſarius te interrogaverit de circumſtantiis ſolùm aggravantibus, cavebis diligenter, ne unum peccatum determinatum exprimas pro alio, levius pro graviori, aut gravius pro leviori; ſed conſulo, ut exprimas illud, quod à parte rei commiſſum fuit, v. g. furtum 10. aut 100. aut certè indeterminatè loquaris, tantùm exprimendo materiam gravem in confuſo, abſque determinatione alicujus materiæ in particulari.

Exiſtimat Lugo diſp. 16. n. 120. pœnitentem interrogatum à Confeſſario de circumſtantiis aggravantibus, teneri eas fateri. Sed hæc opinio caret ſolido fundamento, cùm Tridentinum non aliam agnoſcat obligationem, quàm deferendi, declarandi, recenſendi peccata, etiam ſpontè; ergo ſi ſpontè non tenetur pœnitens deferre, declarare, recenſere circumſtantias ſolùm aggravantes, neque tenebitur interrogatus. Niſi fortè declaratio hujuſmodi circumſtantiæ, neceſſaria foret ad explicandam ſpeciem, aut numerum peccatorum, vel ad cognoſcendam diſpoſitionem pœnitentis, quod eſt per accidens. Unde, per ſe loquendo, pœnitens ſufficienter inſtructus, qui alioquin ſatìs ſit quæ, & qualiter confiteri debeat, Confeſſario interroganti circumſtantiam aggravantem, reſpondere poſſet, explicui totum, quod debui. Ita docet Herincx part 4. tract. 4. diſp. 3. n. 37. & ante ipſum Arriaga diſp. 32. n. 16.

Nec video quid poſſit objici, niſi quod ait Lugo ſuprà: Si aliquando oportet majorem æqualitatem (in imponenda Pœnitentia) ſervare, tunc poteſt, & debet Confeſſarius interrogare de circumſtantiis aggravantibus, ad quod habet jus, & pœnitens debet reſpondere & fateri, quod interrogatur. Hæc ille.

Sed eſt petitio principii; nam quæritur, an debeat imponi Pœnitentia proportionata gravitati peccatorum undecumque provenienti; an verò ſufficiat imponere proportionatam malitiæ ſpecificæ, & numericæ: Et ſanè quòd non ſemper debeat ſervari exacta æqualitas in imponenda Pœnitentia, ſed aliquando ſufficiat proportio ſpecifica & numerica, ut ſic loquar, ibidem concedit Eminent. Unde ergo conſtat; quòd non ſemper ſufficiat, ſed aliquando major debeat ſervari? Atque admiſſo, quòd aliquando oporteat majorem æqualitatem ſervare, cur Eccleſia non determinat illas circumſtantias aggravantes? Et dicam ego, quòd pœnitens debeat eas explicare, non ſolùm interrogatus, ſed etiam ſpontè.

Circumſtantiæ (inquit Cardinalis ſuprà) non mutantes ſpeciem, non ſemper deſerviunt ad variandum judicium circa Pœnitentiam imponendam, ſicut deſervit cognitio malitiæ ſpecificæ; rarò enim variabitur propter majorem intenſionem, aut durationem actûs; quando autem duratio fuiſſet diuturna, explicanda erit propter numerum peccatorum, quæ in illa diuturna duratione poſſent intervenire. Hæc ille. 52.

Circumſtantiæ, non mutantes ſpeciem, non ſemper deſerviunt ad variandum judicium circa pœnitentiam.

Et proſequitur n. 121. Quantitas verò furti, quæ poſſet variare illud judicium, poteſt inquiri à Confeſſario, quando oportuerit, nec propterea deberet fieri regula generalis explicandi omnes circumſtantias.

Quando deſerviunt putat Lugo Confeſſarium habere jus interrogandi.

Secundò, potuit hoc diſcrimen provenire ex difficultate maxima, quæ eſſet in explicandis his omnibus circumſtantiis. Nam licèt una, vel altera poſſet explicari, aliæ ferè omnes difficillimè explicarentur. Lex autem univerſalis debet attendere ad ea, quæ frequenter contingunt; non ad unum, vel alterum caſum.

Tertiò denique, quia in iis caſibus, in quibus circumſtantiæ ejuſmodi poſſunt facilè explicari, & eorum notitia neceſſaria eſt ad judicium debitè exercendum, poſſunt facilè inquiſitione Confeſſarii indagari, qui cognitâ jam ſpecie peccati, poteſt ſcire, an ſit talis ſpecies, in qua oporteat ulteriùs procedi ad cognoſcendam circumſtantiam individualem, prout ſæpè oportet facere in peccato furti, & tunc debet interrogare; quod jus, datum Confeſſario, ſufficit ad convenientem inſtitutionem hujus judicii, in quo id, quod ex ſe manifeſtat pœnitens, nempe ſpecies peccati, dat occaſionem Confeſſario interrogandi id, quod reſtat, quando in aliquo caſu oportet illud ſcire ad Pœnitentiam, vel ad reſtitutionem, vel ad medicinam, vel ad alios fines.

Si autem ſpecies non manifeſtaretur, non haberet unde ſciret Sacerdos, an in hoc caſu de circumſtantiis deberet interrogare. Immo ſemper deberet interrogare ſpeciem; id autem quod ſemper debet inquiri, debet etiam pœnitens per ſe manifeſtare. Hucuſque Lugo; volens reddere rationem, cur Chriſtus voluerit obligare pœnitentem ad explicandas ſpecies peccatorum immediatè & proximè; ad explicandas verò circumſtantias aggravantes mediatè ſolùm & remotè, ſcilicet dando jus Confeſſario interrogandi quando expedierit.

Sed probatum oportuit, non ſuppoſitum 53.

 illud

Sed hoc jus non ſufficienter probatur. illud jus Confeſſarii. Haùd renuo, Chriſtum potuiſſe concedere tale jus, ſed ex quo conſtat conceſſiſſe? Nam etiam potuit non concedere, ſed ſolùm velle pœnitentem obligare ad explicandas ſpecies peccatorum. Atque hoc ſolùm voluiſſe, nos colligimus ex Concilio Tridentino, quod meminit obligationis confitendi ſpecies peccatorum, ſecùs illius juris; ergo gratìs illud jus aſſeritur.

Igitur meo judicio (ſalvo meliori) vel ſpontè pœnitens tenetur explicare circumſtantias notabiliter aggravantes, ùt eſt probabilis Multorum opinio, vel non tenetur eas explicare ad interrogationem Confeſſarii.

54. Quæ ſit circumſtantia notabiliter aggravans. Dico, *Notabiliter aggravantes*; quia nullus docet, neque probabile eſt, quamlibet circumſtantiam aggravantem fore declarandam. Quæ autem ſit notabiliter aggravans, non eſt concors illorum Auctorum ſententia. Aliqui putant eam eſſe, quæ duplicat materiam; ſi v. g. materia ſufficiens ad peccatum mortale furti ſit florenus, qui furatur duos, tenetur id explicare; ſecùs, ſi tantùm unum cum medio. Ratio eſſe poteſt: quia jam tale peccatum æquivalet duobus mortalibus. Hæc regula, inquit Suarez diſp. 22. ſect. 3. n. 17. quantum ad partem negantem videtur mihi certa, quantum ad affirmantem videtur rigoroſa valde; & licèt in circumſtantia, pertinente ad quantitatem materiæ, poſſit facilè ad uſum applicari, in aliis vix poteſt, ùt patet in intenſione actûs.

Sententia Suarii. Hinc præfatus Auctor probabiliùs cenſet, non poſſe hoc certâ regulâ definiri, ſed prudenti arbitrio eſſe relinquendum, & præcipuum teſtem hujus gravitatis eſſe conſcientiam ipſius peccantis: nam quando hæc accuſat, quòd exceſſerit ordinarium modum peccandi, & recognoſcit in actu notabilem gravitatem, & deformitatem, tunc ſignum etiam eſt, talem circumſtantiam multum referre ad morale judicium, in quo etiam intervenire debet judicium Confeſſoris. Hæc ille.

55. Sententia Arriagæ. At verò Arriaga, eſtò pars affirmans, quæ Suario videbatur valde rigoroſa, ipſi potiùs videatur in praxi ſuavis; equidem diſput. 32. n. 18. dicit: Si materia furti gravis infima eſt florenus, videri ſatìs probabile, ſi quis furetur quinque, debere jam obligari ad id dicendum, & conſequenter à fortiori, ſi quinque & medium &c. quia licèt ille medius non aggravet notabiliter, aggravat tamen ſimul cum aliis reſpectu unius floreni, quem ſupponimus eſſe materiam, ſuper quam cadit aggravatio, & reſpectu cujus reliquæ omnes ſummæ ſuperiores ſemper ſunt aggravantes, & quò magìs eis ſummis additur, redduntur magìs aggravantes, ideoque ſemper omnes illæ debent explicari.

Nec video (proſequitur præfatus Auctor) cur Suarez dicat, totum hoc relinquendum conſcientiæ pœnitentis, ut quando ille judicet ſe notabiliter exceſſiſſe modum ordinarium peccandi, tunc teneatur id explicare; miror, inquam, hæc dici, cùm modus ordinarius peccandi pro præſenti materia ſit ille, qui præcisè ſufficit ad mortale, v. g. florenus in furto; ad ſciendum autem, quæ quantitas, addita floreno, notabiliter excedat florenum, non eſt neceſſaria ullo modo conſcientia pœnitentis, ùt per ſe patet; ſed hoc à non peccantibus poteſt decidi tam bene, quàm à peccantibus. Mihi ſanè valde probabile videtur, quod dixi, quinque florenos, alius fortè dicet ſolos quatuor, augere notabiliter eam materiam; & tunc jam habetur pro reliquo ſuperiori augmento regula generalis. Hucuſque Arriaga.

Quantum ad intenſionem actûs, reſpondet Arriaga ſuprà, vix unquam eſſe obligationé, illam manifeſtandi, quia nobis eſt valde incognita; illud tantùm, inquit, poſſumus aſſetere cum Suario, de ea vehementia affectûs, & valde extraordinaria, quæ debet judicari notabiliter aggravans, nemine meliùs poſſe decernere, quàm ipſum pœnitentem. In duratione facilior res eſt, quia clarè poteſt dignoſci; in ea autem, ſi quis uno quadrante perſeveraret in volitione peccaminoſa, non dubitarem illud debere explicari; à fortiori autem ſi diutiùs. Hæc ille.

Dico ego, cùm hæc res adeò ſit incerta, nam alius fortè dicet, ſolos tres florenos notabiliter augere, alius requiret 8. alius 10. alius forſitan dicet, ſufficere perſeverantiam medii quadrantis, alius requiret mediam horam &c. Cùmque ex Tridentino haùd certò conſtet, circumſtantias ſolùm aggravantes eſſe confitendas, dico ego, multùm probabile eſſe, nullas circumſtantias ſolùm aggravantes eſſe confitendas, ut tantò levius & certius ſit onus confitendi, quod adhuc ſatìs grave videtur multis hominibus, non ſatìs attendentibus commoda & conſolationes, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per Abſolutionem certiſſimè conferuntur, teſte Trident. ſeſſ. 14. c. 5. ſatìs, inquam, grave apparet hujuſmodi hominibus, & omnibus hominibus valde eſt incertum, etſi dicamus ſolas circumſtantias, ſpeciem, aut numerum mutantes, eſſe confitendas. Quòd ſatìs grave appareat multis hominibus, nemo eſt qui dubitet, & probat quotidiana experientia; quòd valde incertum ſit omnibus, patebit ex his, quæ ſuo loco dicentur de circumſtantiis mutantibus ſpeciem, & numerum. 5[6] Sent. Auct.

Dices; Canones pœnitentiales, qui habentur in fine Decreti, imponunt diverſas Pœnitentias pro gravitate majori, aut minori intrà eandem ſpeciem; ergo illa eſt exprimenda in Confeſſione. 5[7] Obje[ctio] deſu[mpta] ex C[anoni]bus p[œni]tent[ialibus]

Reſp. neg. Conſeq. nam olim hoc practicabatur, non quaſi eſſet de neceſſitate Sacramenti, ſed ut, fervente adhuc Charitate, perfectiùs ageretur Pœnitentia. Unde invenies in Decreto Burchardi Epiſcopi Vormatienſis lib. 19. Reſp.

Digitized by Google

lib. 19. c. 5. impoſitum jejunium 10. dierum in pane & aqua ei, qui acceſſerit ad propriam uxorem, poſtquam conſtat eam concepiſſe, quod ad ſummum eſt peccatum veniale, adeòque non neceſſariò confitendum.

Eodem modo reſpondeo ad locum D. Auguſtini (ſi ipſius eſt, quod Multi negant) l. 2. de Viſitat. Infirmorum c. 5. ibi: *Deſignanda ſunt, in quibus peccaſti, loca, ſi recordaris & tempora, cum quibus peccaſti perſonis, non nomina ipſarum, etiam ut à peccato deſiſtans ſecretò corrigenda familiaritas, in qua peccaſti labilis ætas, quo gradu iam Eccleſiæ inſerviebas, utrùm ſemel, an ex conſuetudine, utrùm neceſſitate, an ex voluntate cecidiſti. His enim omnibus ſua inſunt judicia: ſi enim in iudiciis ſæcularibus à locis loca diſcernuntur, aliâ cenſurâ vindicatur homicidium in Regis curia, aliâ in via publica; aliâ in agreſti villa: aliquando pro tempore temporibus ignoſcitur infantiæ, defertur aliquando ſenectuti; quæ media deſervet ætas, ſevera cohibetur habena. In ſolemnibus præcipue natalitiis perpetrata feroci plectuntur exterminio facinora, ſic & cætera quantò diſtrictioribus eliminanda ſunt animadverſionibus, in locis Deo ſacratis, in temporibus feſtis Deo dicatis, in ætate diſcretiori, in perſonis propriè Deo delegatis; in gradibus commiſſis ſublimioribus: nonne cui plus committitur, plus ab eo exigitur? Nonne minus eſt hominem occidiſſe, quàm homines? Nonne levius eſt ſemel deliquiſſe, quàm centies? Nonne celeriorem conſequitur veniam ex neceſſitate cecidiſſe, quàm ex voluntate? Et quamvis ubicumque peccetur, peccatum ſemper ſit peccatum, & nullum tempus, nulla ætas, nulla perſona, nullus locus muniat peccantem à peccato; tamen hæc omnia modo ſuo diſcutienda ſunt, quoniam hæc omnia corripienda & corrigenda ſunt. Hæc autem omnia ſi taceantur, vel dicta callidè pallientur, animam iugulant.* Hæc Auguſtinus, vel quiſquis eſt Auctor iſtius libri.

Exhortans utique fideles, tam ad id, quod neceſſarium eſt, quàm quod perfectiùs eſt. Nam aliqua enumerat, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti; alia autem, quæ ſolùm ſunt de conſilio; etiam ſecundùm illos, qui docent circumſtantias notabiliter aggravantes eſſe neceſſariò explicandas. Unde dicit: *Hæc omnia modo ſuo diſcutienda ſunt*, quædam videlicet tamquam omnino neceſſaria; alia autem tamquam conducentia ad perfectiorem Pœnitentiam. Deinde concludit: *Hæc omnia ſi taceantur*, omnia, inquam, collectivè, procul dubio *animam iugulant.*

Similiter loquitur, & conſimilem patitur interpretationem Auctor lib. de vera & falſa Pœnit. (apud Auguſt. tom. 4.) c. 14. *Conſideret*, inquit, *qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeverantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitii multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem, ſecundùm excellentiam ſui ſtatûs aut officii, & ſecundùm modum meretricis, & ſecundùm modum operis ſui, & qualiter turpitudinem ſuam peregit. Si in loco ſacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut ſunt domus Dominorum, & aliorum multorum. Si in tempore orationi conſtituto, aut in feſtivitate Sanctorum, & in tempore ieiunii. Conſideret quantum perſeveraverit, & defleat quod perſeveranter peccaverit, & quantâ victus fuerit impugnatione* &c. *Omnis iſta varietas confitenda eſt & deflenda, ut cùm cognoverit, quòd peccatum eſt multum, citò inveniat Deum propitium.*

Quis non videt, hic enumerari circumſtantias, quæ, ſecundùm omnes Auctores, non ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſcilicet, tempus orationis, tempus jejunii, domus Dominorum &c. Igitur exhortatio eſt ad perfectam Pœnitentiam, non ad illam, quæ omninò eſt neceſſaria ad ritè ſuſcipiendum Sacramentum.

Si inſtes; fieri poteſt, ut ratione circumſtantiæ, notabiliter aggravantis, ſit peccato annexa reſervatio, aut cenſura; ergo ſaltem tunc erit obligatio exprimendi eam in Confeſſione. 60. Inſtantia.

Reſp. I. Erit obligatio merè per accidens, de quâ non loquitur Concluſio. Patet; quia reſervatio, vel cenſura interdum apponitur peccato ratione circumſtantiæ, non notabiliter aggravantis; v. g. in Bulla Cœnæ ſub Urbano VIII. a. 1627. excommunicantur omnes & ſinguli, qui Chriſtianorum quorumcumque navibus tempeſtate, ſeu in transverſum (ùt dici ſolet) jactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem ejecta in mari, vel in littore inventa cujuſcumque generis bona ſurripuerint; etſi alioquin ex hoc capite non oriatur notabilis aggravatio peccati. Prima reſponſio.

Tunc autem (inquit Averſa q. 10. ſect. 8. §. *Quarto ergo.*) tenetur pœnitens explicare talem circumſtantiam, non ſolùm ut Confeſſarius videat, an eum abſolvere poſſit; ſed etiamſi confiteatur apud eundem Prælatum, vel quemcumque habentem facultatem abſolvendi; quia hanc ipſam vim habet reſervatio, & excommunicatio, ut debeat in Confeſſione manifeſtari. Hæc Ille. Sed abſque aliqua probatione, & ideo non audiendus. Hinc Averſa.

Reſp. II. etiam tunc ſufficeret confiteri: *Commiſi furtum mortale reſervatum cum cenſura*, non exprimendo circumſtantiam in particulari, propter quam reſervatio cum cenſura eſt impoſita. Immo, ſecundùm Aliquos, ſatiſfaceret confitendo habenti poteſtatem in reſervata, quem certò ſcit ſolere præmittere Abſolutionem à cenſuris, confitendo, inquam, ſimpliciter furtum tamquam grave, petendo ſaltem Abſolutionem ab omni cenſura. Ita Herincx ſuprà n. 38. Confiteretur namque habenti poteſtatem, quidquid jure divino debet: non enim debet dicere; *peccatum eſt reſervatum*, cum tali non ſit reſervatum. Idem docet Dicaſtillo diſp. 9. n. 203. 61. Secunda reſponſio. Herincx. Dicaſtillo.

62. Objectio.

Sed contrà, dicet Aliquis: poteſt fieri, quòd Prælatus præſcripſerit certam Pœnitentiam imponendam pro peccato reſervato.

Solvitur.

Reſpondeo; etiam fieri poteſt quòd non præſcripſerit, & dato caſu, quòd præſcripſiſſet, & ad illam limitaſſet poteſtatem abſolvendi, obligatio tunc exprimendi reſervationem foret merè per accidens, eodem modo, quo illa præſcriptio & limitatio, de qua obligatione, ſicut anteà dixi, non loquitur Concluſio.

Igitur, ut finem imponamus huic Concluſioni, veriſſimè ac doctiſſimè dixit Scotus 4. diſt. 17. nu. 26. *Multa ſunt circumſtantiæ, ex quibus peccatum eſt aliquo modo gravius & hoc vel ex parte objecti, vel ex parte perſonæ peccantis, de quibus non eſt ita certum, quòd oporteat illas confiteri*; ſicut certum eſt, quòd oporteat confiteri circumſtantias, mutantes ſpeciem & numerum, de quibus in particulari ſect. 10. & 11. Nunc pergo ad illa, quæ ſunt magis propria huic loco, & dico:

CONCLUSIO III.

Omnia & ſingula peccata mortalia dubia oportet confiteri. Stricta obligatio nec ex Tridentino, nec aliunde, niſi fortè ex praxi, convincitur.

63. Dubium aliud de ſubſtantia, aliud de qualitate: aliud negativum, aliud poſitivum.

Dubium aliud eſt de ſubſtantia actûs; aliud de ſola qualitate. Aliud poſitivum, aliud negativum. Dubitat de ſubſtantia actûs, qui dubitat v. g. an commiſerit homicidium; dubitat autem de ſola qualitate, qui ſciens ſe commiſiſſe homicidium, dubitat an deliberatè. Atque in hac explicatione omnes conveniunt. Diſſentiunt portò in ſpecificando, ſeu explicando dubio poſitivo, & negativo.

Quid ſit dubium poſitivum, & negativum ſecundùm Lugonem.

Secundùm Lugonem diſp. 16. n. 58. Dubium poſitivum eſt, quando aliquis habet rationes, vel motiva probabilia ad credendum, ſe feciſſe tale peccatum, & ad credendum etiam oppoſitum, vel certè habet ſaltem rationes probabiles ad credendum unam partem, licèt ad aliam non habeat. Dubium negativum contingit, quando non habet rationes ad probabilem aſſenſum hujus vel illius partis, prout ſe habet homo ad hanc propoſitionem: *Sidera ſunt paria*, ad quam concedendam, vel negandam non habet argumentum poſitivum. Ita Lugo.

& Præpoſitum.

Præpoſitus in 3. part. de Sacram. Pœnit. q. 5. n. 113. ſic ſcribit: Notandum hominem propriè dici dubitare, quando fluctuat, nec poteſt in alterutram partem determinatum judicium formare, quod interdum accidit, quia in neutram partem ſuppetit ratio, interdum verò contingit, quia utrimque apparent rationes probabiles.

Sed neutra explicatio placet Caramueli lib. 3. Theol. moralis diſp. 4. n. 1479. ubi ſic ait: Notandum eſt, bene dubium à probabilitate diſtingui à Sanchez lib. 1. in Præcepta c. 10. malè autem à Lugo de Pœnit. diſp. 16. ſect. 2. §. 3. dubium poſitivum cum probabilitate confundi. Et relatis verbis Præpoſiti ſubjungit: diſplicet illud verbum ultimum, quia ſi utrimque probabiles rationes ſuppetant, non eſt dicendus habere conſcientiam dubiam, ſed probabilem. 6 Quid Cara lem. Sent

Ipſe autem n. 1480. Dubiam, inquit, conſcientiam definimus, ratione gravi deſtitutam; & in dubiam poſitivè, & in dubiam negativè diſtinguimus. Conſcientia poſitivè dubia illa eſt, quæ caret gravi, habet tamen unam vel alteram rationem levem: at dubia negativè; illa, quæ non ſolùm caret ratione gravi, ſed & levi. Hæc Caramuel.

Verùm cùm inſtitutio vocum ſit auctoritatis humanæ, & ab Aliquibus hæc vox, *Dubium poſitivum*, uſurpetur ad ſignificandam probabilitatem, non eſt omnino rejicienda explicatio Lugonis & Præpoſiti; neque pluribus diſputandum de nomine, quando conſtat de re.

Quæſtio ergo prima eſt, an qui probabiliter judicat ſe commiſiſſe homicidium, & etiam probabiliter judicat ſe non commiſiſſe; ſimiliter qui certus ſe commiſiſſe, probabiliter judicat ſe deliberatè commiſiſſe, & etiam probabiliter judicat ſe non deliberatè commiſiſſe, teneatur confiteri ſe commiſiſſe homicidium? 6 An q babil dicat caſe, ſum p bilite tradi tenet conf.

Satis communis ſententia negat obligationem (etſi conſultum ſit confiteri) nam unuſquiſque poteſt ſequi judicium prudens. Stante autem utrimque æquali probabilitate peccati mortalis, & non peccati mortalis, unuſquiſque prudenter judicat, ſe non obligari ad Confeſſionem, argum. Reg. Juris 65. de Reg. Jur. in 6. *In pari delicto vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.* Reg. Reg. in 6.

Dubitas quis hîc ſit poſſidens? Reſp. tunc lex Confeſſionis poſſidet, quando certò conſtat, me aliquando fuiſſe obligatum iſtâ lege, & dubitatur, vel probabile eſt, quòd non ſatisfecerim legi; tunc autem ego poſſideo meam libertatem ab onere confitendi, quando dubitatur, aut probabiliter judicatur, me nunquam fuiſſe comprehenſum tali lege; jam autem quando dubitatur, an ego peccaverim mortaliter, vel probabiliter judicatur, me non peccaſſe mortaliter, dubitatur, vel probabiliter judicatur, me nunquam fuiſſe comprehenſum lege Confeſſionis, ergo ego ſum in poſſeſſione, & non lex Confeſſionis. Unde in tali caſu non tantùm eſt probabile, me non obligari ad Confeſſionem, ſed etiam moraliter certum; quamvis ſolùm probabile ſit, 6 Qui poſſi

me

Digitized by Google

me non peccaſſe mortaliter; per conſequens moraliter certum eſt, me non peccare omittendo Confeſſionem.

67. Dices; fieri poteſt ut verè peccaverim mortaliter, ergo exponitur Sacramentum periculo irreverentiæ. Reſpondeo; nullam eſſe irreverentiam Sacramenti, quòd in illis circumſtantiis Confeſſio non ſit materialiter integra; cùm in pluribus aliis caſibus abſque irreverentia abſolvatur pœnitens, non integrè materialiter confeſſus. Ratio patet; quia equidem Sacramentum valet, & pœnitens indirectè ab omnibus abſolvitur.

Quapropter nec lex Charitatis in periculo mortis obligat ad Confeſſionem hujuſmodi peccati, dummodo adſit alia materia ſufficiens Abſolutionis. Sin minùs, & non poſſit infirmus elicere actum Contritionis perfectæ, indubiè cùm poſſit illud peccatum probabile confiteri, tenebitur ex lege Charitatis confiteri, cùm alioquin exponat ſe periculo æternæ damnationis.

Rogas quid faciendum ſit, quando urget præceptum Communionis? *Certè*, inquit Conc. Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. *quo magis ſanctitas & divinitas cæleſtis hujus Sacramenti* (Euchariſtiæ) *viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavère ille debet, ne abſque magna reverentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat.* Itaque quicumque probabiliter judicat, ſe peccaſſe mortaliter, ad id percipiendum non accedet, niſi præmiſsâ Confeſſione alicujus peccati, aut certè Contritione charitate perfectâ.

68. Sed contrà; neceſſitati Contritionis in antiqua lege, certò ſuccedit neceſſitas Confeſſionis in lege gratiæ; ac proinde cùm illa fuerit tunc certò neceſſaria de mortali probabili, ita & nunc erit Confeſſio. Unde ſicut tunc erat favorabiliùs, præſumere pro illa neceſſitate, ita & nunc pro illa Confeſſione, quandoquidem Contritio nunc non remittat peccatum, niſi cum obligatione illud Clavibus ſubjiciendi.

Reſp. Contritio nunc non remittit peccatum, quod aliunde certò conſtat eſſe confitendum, niſi cum obligatione illud Clavibus ſubjiciendi, concedo totum; quòd aliunde non conſtat certò eſſe Clavibus ſubjiciendum, nego. Inſtantia clara in peccato veniali, quod nunc remittitur, ſicut olim remittebatur, per Contritionem charitate perfectam; ſine ulla obligatione illud Clavibus ſubjiciendi. Ergo ex alio capite probandum eſt, illud peccatum mortale probabile, eſſe ſubjiciendum Clavibus, quàm ex neceſſitate Contritionis in periculo mortis, aut ſimili caſu.

69. Probo, inquis, ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri*; atqui pœnitens habet conſcientiam illius peccati mortalis probabilis; ergo &c.

Diſtinguo Minorem: habet conſcientiam probabilem, concedo; conſcientiam certam, nego. Atqui ſufficit conſcientia probabilis. Diſtinguo Subſumptum; ſufficit conſcientia probabilis peccati mortalis commiſſi, quando non adeſt conſcientia probabilis peccati mortalis non commiſſi, concedo; quando adeſt, conſcientia probabilis peccati mortalis non commiſſi, nego Subſumptum. Et ratio eſt; quia tali caſu poteſt ſe pœnitens gerere, ac ſi non haberet conſcientiam peccati mortalis commiſſi, cùm poſſit prudenter judicare, ſe non peccaſſe mortaliter. Breviter, habet conſcientiam peccati mortalis, ùt neceſſariò confitendi, nego; ùt liberè confitendi, concedo; ſicuti ille, qui habet conſcientiam peccati mortalis priùs directè abſoluti. Solvitur.

Si replices; eſt petitio principii; nam quæritur, an tale peccatum probabile ſit neceſſariò confitendum. Fateor, hoc quæritur, & ideo aliunde hoc probandum eſt, quàm ex iſtis ſolis verbis, quæ ſicut patiuntur exceptionem in peccatis, priùs directè abſolutis, ita contendimus pati exceptionem in peccatis, probabiliter commiſſis, & probabiliter non commiſſis. Replica ſolvitur.

Urges; quando conſtat de ſubſtantia actûs, præſumptio eſt contra reum; & ipſi incumbit probare defectum qualitatis; v. g. quando conſtat de homicidio, præſumitur deliberatum, niſi reus probet contrarium; adeoque lex homicidii poſſidet, & non innocentia homicidæ; ergo quando utrimque erit æqualis probabilitas pro deliberatione, & indeliberatione, debet præſumi deliberatum juxta Regulam Juris ſuprà allegatam: *In pari delicto vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.* 70. Inſtantia.

Sicuti quando conſtat de voto externo, præſumitur deliberatio, niſi contrarium probetur, & votum cenſetur in poſſeſſione; adeòque in pari cauſa ſeu probabilitate præſumitur validum & obligans; argumento L. *Quotiens in Stipulationibus* ff. De Verbor. oblig. *Quotiens in Stipulationibus ambigua oratio eſt, commodiſſimum eſt id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto ſit.* Item L. *Quotiens in actionibus* ff. de Rebus dubiis: *Quotiens in Actionibus aut exceptionibus ambigua oratio eſt, commodiſſimum eſt id accipi, quo res, de qua agitur, magìs valeat, quàm pereat.* Conſonat cap. *Abbate.* de Verb. ſignif. ibi: *Profectò ſic intelligenda ſunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere poſſit potiùs, quàm perire.* Ergo quando conſtat de ſubſtantia homicidii, eſtò probabilis foret indeliberatio, equidem adhuc obligaret Confeſſio.

Reſp. neg. Conſeq. ſi omnibus conſideratis, verè probabile maneat, me non peccaſſe mortaliter per iſtud homicidium; quod tunc erit, quando ſigna indeliberationis tanta, & tam evidentia ſunt, ut vincant poſſeſſionem, ſi quæ ſit, ipſius ſubſtantiæ actûs; tanta ſiquidem poteſt eſſe probabilitas cauſæ non poſſidentis, ut 71. Reſponſio.

ut vincat probabilitatem cauſæ poſſidentis, & jam non potior, ſed pejor ſit conditio poſſidentis; ùt patet, cùm dubitatur, an diſpenſatio in impedimento Matrimonii valida ſit; nam licèt poſſeſſio ſtet pro impedimento, equidem illi præponderat præſumptio valoris actûs, qui in dubio, & quantum fieri poteſt, ùt conſtat ex juribus mox allegatis, præſumendus eſt. Ita docet Sanchez lib. 8. de Matrim. diſp. 21. n. 25.

Ergo conſimiliter, probabilitas indeliberationis in tantum poſſet ſuperare probabilitatem deliberationis, ut non obſtante poſſeſſione, jam non potior eſſet conditio ſubſtantiæ actûs, ſed æqualis, vel inferior, id eſt, ut verè, aut magìs probabile foret, hujuſmodi homicidium non fuiſſe peccatum mortale; quo caſu videtur homicida poſſidere libertatem ab onere confitendi, quod non imponitur illis, qui hoc, vel illud fecerint; ſed qui hoc, vel illud faciendo, peccaverint mortaliter; cùm ergo antequam illud faceret, foret liber ab iſta lege ſeu onere, etiam poſt factum, donec certò probetur, illud factum fuiſſe peccatum mortale, certò, inquam, moraliter, ita ut moraliter contrarium non ſit probabile, argumento Reg. 11. de Reg. Juris in 6. *Cùm ſunt partium iura obſcura, reo favendum eſt potiùs, quàm actori.*

Reg. 11. de Reg. Juris in 6.

72. quæ à Bonæ Spei adducitur pro parte oppoſita;

Planè, inquis, & ideo poſſeſſio adjudicanda legi, & præſumendum, peccatum eſſe commiſſum; nam Tribunal ſacramentale eſt in Rei favorem, cùm à Chriſto, ut abſolvatur & liberetur Reus omni eo caſu, quo ante legem gratiæ perfectè conteri debebat, inſtitutum ſit; è contrà forenſe in Rei odium, cùm à Principe, ut ligetur & puniatur Reus, ſit inſtitutum (de hoc foro proinde intelligitur hæc Regula Juris: *In dubio delictum non præſumitur*) Reum autem abſolvi & liberari favoris eſt; ligari & puniri è contrà odii, odia verò reſtringenda, favores verò ampliandi. Ita Bonæ Spei to. 4. tract. 2. de Act. Hum. diſp. 6. n. 181.

Sed perperam;

Sed (pace tanti viri) quis Theologus ignorat, à Chriſto dictum Apoſtolis Joan. 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*, adeoque Tribunal ſacramentale à Chriſto inſtitutum, non tantùm, ut Reus abſolvatur & liberetur; ſed etiam ut puniatur, & ligetur? Ergo etiam de hoc foro intelligitur hæc Regula Juris (prout eam vocat Bonæ Spei) *In dubio delictum non præſumitur*, ſcilicet, ut neceſſariò confitendum, ita ut à Sacerdote retineri poſſit.

73. Poteſtas confitendi favorabilis, obligatio autem videtur odioſa.

Non videtur hic Auctor agnoviſſe aliquam diſtinctionem inter poteſtatem confitendi, quæ indubiè favorabilis eſt, & obligationem confitendi, quæ vulgò habetur odioſa & onerosa. Et reverà eodem modo potuiſſent homines liberari & abſolvi à peccatis mortalibus, ſi Chriſtus reliquiſſet Sacramentum liberum. In quo ergo favorabilis obligatio? Non video, niſi in eo ad ſummum, quòd aliàs, vix aliqui graviores peccatores confiterentur, & quòd per illam obligationem aliqui à peccatis coërceantur. Quamvis ergo poteſtas abſolvendi, tanquam omnino favorabilis, extendenda foret, equidem poteſtas ligandi, tanquam odioſa, omnino reſtringenda videtur; porrò obligatio confitendi colligitur ex poteſtate ligandi.

Præter eà quod ait Bonæ Spei: *Tribunal ſacramentale inſtitutum, ut abſolvatur, & liberetur Reus omni eo caſu, quo ante legem gratiæ de peccato perfectè conteri debebat*, ſic generaliter intellectum, prout ſonat; falſum eſt; nam nemo ignorat, ante legem gratiæ neceſſariam fuiſſe Contritionem perfectam de omnibus peccatis mortalibus, etiam ante Baptiſmum commiſſis, & tamen certum eſt, Tribunal ſacramentale non fuiſſe inſtitutum, ut Reus abſolvatur & liberetur à peccatis ante Baptiſmum commiſſis. Igitur materia neceſſaria Confeſſionis non eſt præcisè illa, quæ ante legem gratiæ erat materia neceſſaria Contritionis; ſed omnia peccata mortalia, in quæ Chriſti fideles ceciderint.

Unde Concilium Tridentinum nuſpiam colligit materiam neceſſariam Confeſſionis, ex materia neceſſaria Contritionis, quamvis doceat, Contritionem Charitate perfectam in lege gratiæ non reconciliare hominem Deo, abſque Sacramenti voto, quod in illa includitur, ex hypotheſi; quòd homo, qui reconciliatur, habeat peccata mortalia, ex inſtitutione Chriſti neceſſariò confitenda.

Con... noſ... colli... teria... ceſſ... Con... nis... teria... ſaria... tritio...

Alioquin certum eſt, quòd in lege gratiæ Contritio Charitate perfecta poſſit hominem Deo reconciliare, abſque Sacramenti voto; v. g. ſi aliquis ſuſcepiſſet Baptiſmum ſinè novo peccato, & ſinè fructu Sacramenti; quia bona fide exiſtimavit ſe legitimè diſpoſitum, cùm tamen reverà non eſſet ſic diſpoſitus, talis utique juſtificaretur & liberaretur à peccatis, commiſſis ante Baptiſmum, per Contritionem Charitate perfectam, abſque voto Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo neceſſitas Contritionis, non probat ſufficienter neceſſitatem Sacramenti Pœnitentiæ.

Enimverò Sacramentum Pœnitentiæ haudquaquam ſucceſſit in locum Contritionis perfectæ; ſed Contritione perfectâ remanente in ſua priſtina vi & efficacia, remittendi omnia omninò peccata, tam mortalia, quàm venialia, Chriſtus aliud medium inſtituit, pro delendis omnibus peccatis, poſt Baptiſmum commiſſis; idque neceſſarium pro peccatis mortalibus, liberum autem pro venialibus.

7... Sacr... tum... tenti... ſucce... locu... tritio... perfec...

An autem peccatum, quod probabiliter eſt mortale, & etiam probabiliter ſolùm veniale, abſolutè debeat cenſeri mortale in ordine ad Confeſſionem; an verò poſſit reputari tanquam ſolùm veniale, de hoc diſputamus. Et

eligimus

Digitized by Google

eligimus partem poſteriorem, argumento l. 9. ff. de diverſ. Reg. Juris: *Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.* Item l. 20. *Quatiens dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundum libertatem reſpondendum erit.* Item l. 56. *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt.*

Cùm ergo obſcurum, & dubium ſit præceptum Confeſſionis tali caſu, conſequenter dubia interpretatio libertatis, minimum ſequimur, & ſecundùm libertatem reſpondemus, atque benigniora præferentes dicimus, tale peccatum eſſe materiam ſufficientem Abſolutionis, non tamen neceſſariam: & ideo deleri poſſe per Contritionem Charitate perfectam, caſu quo reverà commiſſum foret, abſque voto Sacramenti, eodem modo, quo peccata venialia.

Atque hæc à fortiori evidentiora fient ex illis, quæ mox ediſſero de peccato propriè dubio, ſive dubio negativè, quando, omnibus conſideratis, intellectus hæret ſuſpenſus, non determinans aſſenſum in alterutram partem, utpote carens rationibus gravioribus ad probabiliter judicandum, fuiſſe commiſſum peccatum mortale, aut non fuiſſe commiſſum.

Equidem ſi dubium ſit de ſubſtantia actûs, nullam eſſe obligationem confitendi, in terminis docet Petrus Marchant tom. 1. Trib. Sacram. tr. 4. tit. 6. q. 5. concl. 4. quæ talis eſt: *Qui ſimpliciter & verè dubitat de toto facto, ejuſq; ſubſtantia, ſive: An verè fecerit, vel factum fuerit id, de quo dubitat: etſi aliàs illud peccatum eſſet, non tenetur etiam ſub dubio confiteri.* Ratio eſt; quia in omni ſcientia reali & judicio, primò ſupponendum eſt: Quòd res ſit, & quòd factum ſit. Cùm igitur, ùt ſupponimus, dubitet pœnitens; An ſit factum? ſive, An à ſe factum? Sicut ipſe judicium aliquod formare non poteſt, ſic minùs Confeſſarius, qui non niſi ex relatis à pœnitente judicare poteſt. Hæc ille; exiſtimans, hujuſmodi peccatum dubium non eſſe materiam judicii.

Et in hoc, inquit, applicanda eſt certiſſima regula Juris: *In dubiis meliorem eſſe conditionem poſſidentis.* Nemo enim ſpoliandus eſt innocentiâ & juſtitiâ, quam poſſidet, quamdiu non probatur nocens. Nec lex aliquem virgâ ſuæ animadverſionis ferire cenſetur, niſi & factum ſit manifeſtum, & contra legem peccatum eſſe judicetur.

Et infrà ſic ſcribit: Ubì tamen in alteram partem contra me contingit dubium probabiliùs inclinare, tunc demum debeo & teneor illud ſupponere Clavibus; quia *Conditio poſſidentis tranſit in juſtitiam Legis.* Unde ſi quandoque DD. dicant, talia eſſe confitenda, intelligendi ſunt, non tam de Confeſſione ad judicium, & Abſolutionem, quàm ad conſilium à Confeſſario capiendum; quod & ipſum conſilii eſt, & non præcepti, nec neceſſitatis. Hucuſque Marchantius.

Paulò aliter Coninck diſp. 7. n. 69. dicens: 77.
Qui tertio modo dubitat, an aliquid fecerit, quod credit eſſe peccatum, non tenetur confiteri; quia ad hoc requiritur, ut ſaltem probabiliter poſſim judicare, me peccaſſe, quod talis nequit facere.

Quid ſentiat de hac re Coninck.

Quæris, quis ſit ille tertius modus? Reſp. Regius; quando pro neutra parte occurrunt ſufficientes rationes, quæ etiam per ſe, ſive, ſinè rationibus oppoſitis conſideratæ, poſſent inducere ad judicium aliquo modo probabile formandum. Dicimuſque, inquit ille, ita dubitantem, an aliquid commiſerit, quod ſcit eſſe peccatum, non teneri confiteri; quia tale dubium non eſt rationabile, ſive quòd prudentem in ordine ad praxim movere poſſit, & vix niſi in ſcrupuloſis reperitur.

Quid ergo ſi pro utraque parte aliquas habeat rationes ſuo judicio probabiles, quibus, ſi pro una ſola parte occurrerent, moveretur, ut eam crederet eſſe probabilē, ſed quia ſimiles pro alia parte occurrunt, quibus illarum vis eliditur, hæret dubius, nec poteſt pro hac, aut illa parte judicium ullum elicere? Exiſtimat Coninck, hunc teneri tale peccatū ùt dubium confiteri, & de tali caſu intelligit cōmuniter Auctores, qui docent, peccata dubia ùt dubia eſſe confitenda.

Sed contrà; hoc ipſo quo aliquis ita hæret 78.
dubius, jam habet rationem ſufficientem probabiliter judicandi ſe non peccaſſe; nam *In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis*; ipſe autem poſſidet ſuam innocentiam; ergo non tenetur confiteri ſecundùm eundem Auctorem ibidem nu. 68. ubì ſic ait: Qui ſecundo modo dubitat, an peccarit, non tenetur confiteri; quia cùm poſſit probabile formare judicium, ſe non peccaſſe, poteſt illud ſequi.

Objectio.

Igitur amplector ſententiam Marchantii, & 79.
dico, etiam in caſu, quo eſſent rationes probabiles pro utraque parte, quæ ſeorſim ſufficerent ad judicandum materiale peccati fuiſſe commiſſum, interim hic & nunc judicium manet ſuſpenſum, nullam eſſe obligationem confitendi hujuſmodi peccatum, etiam tamquam dubium, conſideratâ præcisè vi verborum legis, quæ ſic ſonant: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint* &c. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. Et can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta* &c. *anathema ſit.* Subſumo; atqui peccata, hoc modo negativè dubia, non debent dici ſimpliciter, peccata mortalia, quorum memoria habeatur, nequidem occulta; ergo jure divino non eſt neceſſarium illa confiteri.

Auctor amplectitur ſententiam Marchantii.

& probat eam ex verbis Trident.

Probatur Subſumptum; quia quæcumque 80.
alia

Digitized by Google

Peccatum ſic dubium non debet ſimpliciter dici peccatum.

alia rés tali modo negativè dubia, non debet dici ſimpliciter talis res, v. g. homo tali modo negativè dubius, non debet dici ſimpliciter homo, intellige in odioſis, nam in favorabilibus præſumi poteſt homo, juxta Reg. Juris 15. de Reg. Jur. in 6. *Odia reſtringi, & favores, convenit ampliari.* Ergo cùm obligatio confitendi vulgò cenſeatur odioſa, peccatum mortale eò modo dubium negativè, non debet dici ſimpliciter peccatum mortale in ordine ad iſtam obligationem, quamquam poſſet dici ſimpliciter peccatum in ordine ad poteſtatem confitendi, quæ favorabilis eſt.

Reg. 15. de Reg. Juris in 6.

Quamvis ergo latè intelligendo verba Concilii, hujuſmodi peccata dubia poſſent dici eſſe in memoria, ſeu conſcientia pœnitentis, id eſt, pœnitentem habere memoriam & conſcientiam, ſeu certam ſcientiam illorum peccatorum, non tamquam certò, ſed tamquam dubiè commiſſorũ, quod ſufficere videtur, ut illa peccata dubia poſſit quis confiteri, & ab illis tamquam dubiis abſolvi; equidem ſtrictè interpretando illa verba, poteſt & debet dici, pœnitentem non eſſe ſibi conſcium illorum peccatorum, ſcilicet, tamquam certò commiſſorum, & ideo non obligari ad eorum Confeſſionem, cùm illa obligatio vulgò reputetur odioſa ſeu oneroſa.

81. Confirmatur: in dubio, an caſus ſit reſervatus, non tenetur pœnitens adire Superiorem; idque, quia caſus delicti dubii, v. g. dubii homicidii, non eſt delicti ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Intellige, niſi eſſet præſumptio fori externi pro veritate delicti; quia ſtante hac præſumptione, eſt poſſeſſio pro certitudine delicti; v. g. reſervatur hæreſis externa, conjuncta hæreſi internæ, dubitas, an dum exteriùs protuliſti verba hæretica, id feceris animo ſignificandi errorem internum, vel animo jocandi; cenſetur caſus reſervatus, quia cùm naturaliter verba ſint ſigna mentis, præſumitur mens, non tantùm in foro externo, ſed etiam interno; quia hæc judicia non ſunt diverſa, niſi quando forum externum nititur falſæ præſumptioni; & in foro interno conſtat contraria veritas.

In dubio, an caſus ſit reſervatus, non tenetur pœnitens adire Superiorem.

82. Reſpondent Adverſarii; eſſe diverſam rationem reſervationis, & obligationis confitendi; quia, inquiunt, reſervatio peccati, cùm ſit lex pœnalis, & ablatio poteſtatis, intelligitur ſtrictè de iis ſolùm delictis, quæ ſunt ſimpliciter talia; homicidium autem dubium non eſt ſimpliciter homicidium, ſed ſecùndum quid. At verò lex Confeſſionis non eſt reſervatio, aut ablatio poteſtatis, ſed potiùs communicatio poteſtatis, quâ Chriſtus poteſtatem, quam ipſe habebat circa peccata communicavit Apoſtolis, tamquam ſuis Vicariis, ut loco ipſius in ejus Tribunali ſederent. Sicut ſi Epiſcopus relinqueret Vicarium, cum facultate & poteſtate eadem, quam ipſe habet, intelligeretur etiam relictus ad peccata dubia, & ſubditi deberent ad illum recurrere, ſicut ad Epiſcopum.

Adverſariorum diſparitas inter reſervationem & obligationem confitendi.

Cùm ergo homines antea deberent recurrere ad Chriſtum pro peccatis etiam dubiis, eodem modo debent recurrere ad ejus Vicarios: nam conceſſio juriſdictionis & poteſtatis eſt res favorabilis, & latè interpretanda. Quare Chriſtus communicans ſuam poteſtatem Apoſtolis circa peccata, intelligitur illam communicaſſe plenè, etiam circa peccata dubia, ſicut erat in Chriſto; per hoc enim nulli auferebat poteſtatem, ſicut aufertur per reſervationem, ſed potiùs communicabat ſuam de novo. Ita Lugo diſp. 16. n. 75.

Sed contrà; tametſi Chriſtus per legem Confeſſionis non abſtulerit poteſtatem Apoſtolis, ſed communicaverit; equidem abſtulit poteſtatem pœnitentibus, per quam ante legem Confeſſionis juſtificabantur ſolâ Contritione Charitate perfectâ, abſque voto Sacramenti; ergo ex hac parte illa lex eſt oneroſa, & non favorabilis reſpectu pœnitentium, qui, ſicut antea dixi, eodem modo potuiſſent liberari & abſolvi à peccatis ſuis, ſi Chriſtus hoc Sacramentum reliquiſſet omnino liberum: proinde licèt conceſſio poteſtatis & juriſdictionis favorabilis ſit, in quantum data eſt, ut reus liberetur & abſolvatur; attamen in ordine ad detentionem culpæ, ſive in quantum data eſt, ut reus ligetur & puniatur cenſenda erit odioſa; & per conſequens reſtringenda. Reji

Fateor, Chriſtum conceſſiſſe eandem poteſtatem ſacramentaliter abſolvendi Apoſtolis, quam ipſe habebat: ſed non clarè conſtat, quòd fideles debuerint ſacramentaliter recurrere ad Chriſtum pro peccatis dubiis; eſtò debuerint recurrere per Contritionem Charitate perfectam ad Chriſtum, tamquam ad Deum, qui eſt objectum formale Contritionis, qui recurſus non habet locum in Apoſtolis, ut patet.

Non abnuo, Chriſtum potuiſſe ſic inſtituere Sacramentum Pœnitentiæ, quòd recurſus ad ſe, & ad Apoſtolos ſuos pro peccatis dubiis fuiſſet neceſſarius; ſed etiam non ignoro, potuiſſe ſic inſtituere, quòd recurſus ille tantùm foret neceſſarius pro peccatis mortalibus certis. Cùmque verba legis ſatìs verificentur de ſolis peccatis mortalibus certis, neque ratio plùs poſtulet; niſi aliud ſignum accedat voluntatis divinæ, quâ voluit etiam comprehendere peccata mortalia dubia, dico, verba legis non eſſe ad hæc extendenda, ſed potiùs ad illa reſtringenda.

Dices cum Lugone ſuprà n. 76. In hoc Sacramento, ſi ſermo ſit de peccato capaci retentionis, non minùs extenditur poteſtas retinendi, quàm poteſtas remittendi; de eiſdem enim peccatis dixit Chriſtus: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta* Obi Luj

Digitized by Google

tenta ſunt. Nam licèt peccata venialia poſſint à Sacerdote remitti, & non poſſint retineri, hoc provenit ex incapacitate materiæ; quia ſcilicet peccatum veniale non poteſt retineri, cùm non ſit obligatio petendi veniam ipſius in hac vita. In hoc autem Sacramento non fuit impoſita obligatio circa novam materiam, ſed circa eandem, circa quam erat obligatio recurrendi ad Tribunal Dei in hac vita pro venia peccati, ſubſtitutum fuit Tribunal Sacerdotum, quibus ſicut per illa verba datur poteſtas remittendi plena extenſivè, qualis eſt in Chriſto, ſic datur poteſtas retinendi. Hactenus Cardinalis.

Reſpondeo; quòd non fuerit impoſita obligatio in hoc Sacramento circa omnem materiam, circa quam erat obligatio recurrendi ad Tribunal Dei in hac vita; quia non circa peccata commiſſa ante Baptiſmum; ſicut ergo hæc peccata excipiuntur ab illis verbis: *Quorum remiſeritis* &c. ita etiam excipi potuerunt, Deo ſic volente, peccata dubia; idque non immeritò, putà, quia incertum eſt, an ſint materia capax retentionis; nam ſi reverà peccata mortalia non ſint (ſicut natum eſt ſæpiùs fieri) liquet profectò, non eſſe materiam capacem retentionis magìs, quàm peccata venialia. Propter ergo illam incertitudinem, & quia aliunde retentio odioſa eſt, potuit rationabiliter Chriſtus nolle, illa peccata eſſe materiam retentionis, quamvis alioquin voluiſſet eſſe materiam Abſolutionis ſeu remiſſionis, tamquam actûs omnino favorabilis.

Deinde, quòd peccata venialia poſſint à Sacerdote remitti, & non poſſint retineri, id eſt, quòd non ſit obligatio illa confitendi, quamvis poſſint confiteri, non provenit præcisè ex incapacitate materiæ (quis enim dubitat, quin Chriſtus, ſi voluiſſet, potuiſſet præcipere Confeſſionem venialium?) ſed ex divina Clementia, quâ judicavit onus confitendi futurum ſatìs grave, & amarum peccatoribus, tametſi afficeret ſola peccata mortalia.

Ergo conſimiliter, ut onus Legis Euangelicæ, non diceretur onus importabile, inſtar veteris Legis, ſed eſſet omnibus magìs ſuave & leve, potuit rationabiliter nolle imponere onus confitendi peccata mortalia dubia & incerta, quæ frequentiſſima ſunt, ùt docet quotidiana experientia; cùm adhuc ſatìs grave videatur multis hominibus, maximè peccatoribus, onus confitendi peccata mortalia certa.

Igitur potuit nolle; noluiſſe præſumitur, niſi clarè oſtendatur voluntas contraria. Nam libertas eſt in poſſeſſione, quâ non debet quiſpiam ſpoliari; niſi moraliter certò conſtet de obligatione. Non conſtat autem ex verbis legis, utpote quæ commodè poſſint intelligi de peccatis mortalibus, quæ ſimpliciter talia ſunt, id eſt, moraliter certa.

86. Nequaquam, reponit quiſpiam, commodè poſſunt intelligi verba legis de ſolis peccatis mortalibus certis; neque enim ſimpliciter nominantur peccata mortalia, ſed cum addito: *Etiamſi occultiſſima illa ſint*, modò diligenter cogitanti occurrant. Jam autem peccata dubia diligenter cogitanti occurrunt, non tamquam manifeſta, ſed tamquam occulta, ſeu occultiſſima. Et ſanè Concilium illam particulam: *Etiamſi occultiſſima illa ſint*, expreſſiſſe, ut comprehenderet peccata dubia, patet; quia condemnat errorem Lutheri, qui (teſte Joanne Eckio Homil. 43. de Confeſſ. circa finem) docebat, peccata dubia non eſſe confitenda. Objectio ex verbis Concil. Trid.

Sequitur, inquit Eckius, quòd evaſio Lutheri, quâ nititur effugere, nulla ſit; primùm 87.
enim antequam rem totam in hunc deformem ſtatum perduceret, admodum lentè procedebat ſcribens, *Manifeſta tantummodo peccata eſſe confitenda*; quod cùm ei exprobraretur, gloſſam confinxit hujuſmodi, *quòd manifeſta peccata non ea non vocaret, quæ non eſſent occulta, ſed quæ certò conſtent eſſe peccata, & de quibus dubium non ſit*. Errorem hunc euſque perduxit, ut ſui jam ſectatores nec manifeſta confiteantur peccata, neque occulta. Ineptum autem, & falſum eſt hoc ipſum Lutheri propoſitum, etiamſi in eo perſtitiſſet, quamvis pro ſua inconſtantia non perſeveraverit. Nam cùm alicui non conſtat, feceritne hujuſmodi peccatum, aut non; & ſi fecit, veniale ſit, an mortale; adhuc tamen tenetur idipſum confiteri: tunc enim arripit Sacerdos Claves ſcientiæ, ut ſic pro poteſtate ſua dijudicare queat inter lepram, & non lepram: quoniam in veteri quoque Teſtamento, quando conſtabat de lepra alicujus, non magno opus erat arduo judicio, ſed in dubiis tantùm penes Sacerdotes erat judicium; ita quoque quum confitens dubitat de aliquo, ſitne peccatum, an non, debet idipſum confiteri, ut ex judicio Sacerdotis certior fiat; aliàs certò ſuccedit hæc regula Doctorum: *Quiſquis ſe exponit periculo peccati mortalis, peccatum facit mortale*: conſonat illud Sapientis: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Hucuſque Eckius. Lutherum docuiſſe peccata dubia non eſſe confitenda, teſtatur Eckius.

Et lib. 3. de Pœnit. c. 11. ponit hunc titulum: Oſtenditur contra Ludderum etiam dubia eſſe confitenda. Et infrà: Aſſero adhuc, Ludderum errare, & peccaſſe in veritatem Catholicam. Quod ſi Eraſmus in hoc ei conſenſiſſet, quod non credo, ſimili lapſu à veritatis tramite aberraſſet. Quoniam tenetur homo ad confitendum, non ſolùm peccata nota, ſed etiam dubia. Volo dicere, quando Titio non eſt manifeſtum, hoc eſſe peccatum mortale, quod fecit, ſed dubitat, adhuc tenetur confiteri illud. Et rursùm infrà: Omnes Catholici documentum hoc Ludderanum fugere debent, velut peſtem animarum, & toxicum Sacramenti pœnitentiæ.

Accedat teſtimonium Roffenſis, qui ad hunc 88.
Roffenſis

articulum Lutheri: *Nullo modo præſumas confiteri venialia peccata, ſed nec omnia mortalia; quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas. Unde in primitiva Eccleſia ſolùm manifeſta* (aliàs *manifeſtè*) *mortalia confitebantur.* Ita reſpondet: Opinor neminem uſque adeò cæcum, & inſanum, ut ob unius Lutheri ſententiam, velit tanto diſcrimini ſe exponere, quatenus ea peccata, quæ norit, vel quæ dubitat eſſe lethalia Sacerdoti non aperiat.

Et infrà, cùm Lutherus diceret, ſe locutum de his mortalibus, *quæ aut aliis, aut ſibi manifeſta ſunt.* Reſpondet Roffenſis: Si de iis intellexeris, quæ confeſſus norit, vel dubitat eſſe mortalia, tum profectò articulus meritiſſimè damnatur; cùm nullum horum in Confeſſione tegi poſſit, abſque manifeſta fictione.

Jacobus Latomus,

Ejuſdem opinionis videtur fuiſſe Jacobus Latomus S. Theol. Lovanii Profeſſor art. 5. contra Lutherum, ubì ſic ait: Qui dubitat an peccaverit, an non? Et an conſenſus ad illicita ſit mortalis, vel perfectus & plenus, an non? Nonne tutiùs erit confiteri? Et quis ſecundùm Martinum (Lutherum) aſſecurabit pœnitentem de remiſſione? Et nonne in tali caſu non confitens amat periculum; contra illud Eccli. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo?*

89. & Bellarminus.

Denique Bellarminus lib. 3. de Pœnit. c. 1. Dubitari, inquit, ſolet, quid per manifeſta peccata, quæ ſola ad Confeſſionem pertinere voluit Lutherus, intellexerit; non enim defuerunt olim, qui eum excuſare vellent. Aut igitur manifeſta peccata occultis oppoſuit, aut dubiis, aut omnino incognitis, etiam ipſi peccatori. De omnino incognitis non poteſt eſſe locutus, ea ſiquidem ne Catholici quidem volunt eſſe confitenda: neque carnificinam Lutherus appellaſſet ſententiam Catholicorum, ſi in eadem ſententia etiam ipſe fuiſſet. De occultis non ſe etiam locutum, teſtatur ipſe in aſſertione 8. Quare id ſolùm reſtat, ut de dubiis intellexerit, qui certè non parvus eſt error. Hucuſque Bellarminus.

Proinde videtur hæc doctrina damnata à Leone X.

Quis ergo non videt Lutherum docuiſſe, peccata mortalia dubia non eſſe in Confeſſione exprimenda, proinde doctrinam hanc damnatam fuiſſe à Leone X. Bullâ: *Exurge Domine* 40. apud Cherubinum, in qua inter alios articulos Lutheri proſcriptos, octavus eſt: *Nullo modo præſumas* &c. ùt ſuprà? Per conſequens de iiſdem peccatis videtur intelligendum Concilium Trid. quando ſeſſ. 14. c. 5. docet, *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.*

90. Reſpondetur

Reſpondeo mens Lutheri ex verbis ejus non poterat certò cognoſci, teſte Roffenſi ſuprà; ubì Luthero ſic dicenti: *Ego de his mortalibus locutus ſum, quæ aut aliis, aut ſibi manifeſta ſunt, ùt ſatis in propoſitionibus & dictis meis patet; Bulla autem* (Leonis X.) *inſidiosè loquitur, ac ſi de ſolis publicis, omnium ſenſu cognitis, fuerim locutus.* Reſpondet: *Tam involutè loqueris, ut nemini certò cognitum eſſe poſſet quid loquaris; ſic enim dicis & ſcribis, ut* (*quum tibi libitum ſit*) *omni poſſes anguillâ faciliùs elabi.*

Quidquid ergo ſit de mente illius Hæreſiarchæ, liquet profectò, Eccleſiam verba ipſius intellexiſſe de ſolis peccatis publicis omnium ſenſu cognitis, ſive de ſolis peccatis externis; nam cùm hoc *ei exprobraretur*, ait Eckius ſuprà, *gloſſam confinxit ejuſmodi, quòd manifeſta peccata non ea non vocaret, quæ non eſſent occulta, ſed quæ certò conſtent eſſe peccata, & de quibus dubium non ſit.*

Si hoc ei exprobratum fuit, ergo Catholici illius temporis, ſic intelligebant ejus verba, & ſecundùm iſtum ſenſum cenſebant Pontificem damnaſſe præfatum articulum, prout & ipſe Lutherus cenſebat, ùt patet ex verbis ejus ſuprà allegatis, adeoque non damnaſſe illum articulum intellectum de peccatis dubiis, qui utique intellectus non erat Lutheri; nam *confinxit* eum, inquit Eckius ſuprà, ut ſic evaderet exprobrationem Catholicorum. Unde errorem ſuum, quem à principio habuerat in mente, & verbis involutis expreſſerat, procedente tempore eò uſque perduxit, ut ſui jam ſectatores, nec manifeſta confiteantur peccata, id eſt, peccata externa omnium ſenſu cognita, nec occulta, id eſt, interna & ſoli peccatori cognita, nec dubia peccata, nec certa.

Profectò Concilium Tridentinum per peccata *occultiſſima*, non intelligere peccata dubia, mihi manifeſtiſſimum eſt ex verbis adjunctis: *Etiamſi*, inquit, *occultiſſima illa ſint, & tantùm adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam animum graviùs ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur.* Ecce *occultiſſima* opponit iis, *quæ in manifeſto admittuntur*, id eſt, peccatis externis. Ergo per *occultiſſima* non intelligit peccata dubia, cùm hæc etiam in manifeſto poſſint admitti; neque enim de ſolo actu interno, vel externo per accidens occulto, poteſt eſſe dubium, an ſit peccatum mortale, vel veniale; ſed etiam de actu externo & publico. Igitur ex verbis præcepti non ſufficienter probatur obligatio confitendi peccata dubia.

Co… per occ… non leſi… ts d…

Neque ex ratione, quam ſuprà allegat Eckius ibi: *Tunc arripit Sacerdos Claves ſcientiæ, ut ſic pro poteſtate ſua dijudicare poſſit inter lepram, & non lepram &c.*

Reſ… tur… nem…

Fateor, Sacerdos arripiendo Claves ſcientiæ pro poteſtate ſua poteſt, immo debet dijudicare inter lepram, & non lepram, id eſt, inter peccatum mortale & non mortale, antequam pro poteſtate Clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntiet, ùt ſuo loco diffuſiùs explicabimus;

interim

Digitized by Google

interim communiter docent Theologi, Confeſſarium debere ſequi opinionem pœnitentis, ſi verè eſt probabilis. Ergo etiam ipſius quodammodo eſt diſcernere ſeu dijudicare inter peccatum mortale, & non mortale.

Omitto, pœnitentes aliquando meliùs poſſe iſta peccata diſcernere, quàm ipſi Confeſſarii, quibus à Deo non eſt ſpecialiter promiſſa aliqua aſſiſtentia in diſcernendis peccatis, ſed ſtudio & ingenio opus eſt, quæ ſubinde ampliùs reperiuntur in pœnitente, quàm in Confeſſario; ſi ergo ipſe pœnitens, magis doctus & ingenioſus, non poſſit ſe reſolvere, & judicare, an actus commiſſus ſit peccatum mortale, vel veniale, neque Confeſſarius, minùs doctus & ingenioſus, id poterit. Ut quid ergo tunc ad illum recurritur pro tali diſcretione?

Alioquin ſi pœnitens ſtupidus eſt, & vincibiliter ignorans, ſeu dubitans de qualitate delicti, vel tenetur dubium ſuum aperire Confeſſario, vel alteri viro prudenti & docto, qui novit qualitates ſeu gravitates delictorum diſcernere; ſiquidem tenetur quiſque diligentiùs ſe excutere, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorare, vel per ſeipſum, ſi poteſt, vel per alium, ùt docet quotidiana praxis Confeſſariorum, qui homines rudes, accedentes ad Confeſſionem examinant de peccatis, ſi fortè aliqua commiſerint, quæ aliàs vincibiliter non exprimerent.

Et ſanè ſi de talibus hominibus loquuntur prællegati Auctores, qui cùm ſibi non ſufficiant ad diſcernendam gravitatem delicti, nolunt ſua dubia exponere Confeſſariis, ne fortè gravioris delicti arguantur, placet eorum doctrina; ſiquidem in talibus ſuccedit hæc Regula: *Quiſquis ſe exponit periculo peccati mortalis, peccatum facit mortale*; etenim culpabili eorum negligentiâ accidit, ut fortè non fiat Confeſſio integra, id eſt, ut non explicetur peccatum certum, quòd alioquin deberet explicari, & explicaretur, ſi dubium proponeretur Confeſſario.

Atque hinc fortè inducta eſt praxis confitendi peccata dubia, etiam à temporibus Apoſtolorum; cùm enim paſſim fideles non ſufficerent ſibi ipſis in diſcernenda qualitate delictorum, adeoque diligens diſcuſſio conſcientiæ poſtularet conſilium ſeu judicium tertii, ne pluribus ſuam conſcientiam aperirent, ipſos Confeſſarios conſulendos exiſtimarunt ſuper peccatis dubiis, & ideo paſſim hæc confitebantur tanquam dubia; quòd autem viri docti, qui ſibi ipſis ſufficiebant ad diſcretionem peccatorum, à temporibus Apoſtolorum confeſſi fuerint peccata dubia tanquam dubia, unde conſtat? Et dato quòd confeſſi fuiſſent, unde probatur, quòd hoc fecerint ex obligatione, & non tantùm, quia tutiùs?

Quia, inquis, ſi tutiùs eſt confiteri, ſicuti reverà eſt; ergo obligatorium, argumento cap. *Ad audientiam*, 12. de Homicid. ubì Clemens III. ſic ait: *Quia verò, utrùm occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium habetur: veſtra diſcretioni duximus reſpondendum, quòd cùm in dubiis, ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in ſacris Ordinibus non miniſtret.* Objectio ex cap *Ad audientiam* de Hom.

Simili modo reſpondet Innocentius III. Abbati S. Trinitatis de Meldemberch cap. *Significaſti*. 18. eodem tit. ibi: *Quòd ſi diſcerni non poſſit, ex cuius ictu percuſſus interiit, in hoc dubio, tanquam homicida debet haberi Sacerdos: & ſi fortè homicida non ſit, à Sacerdotali officio abſtinere debet, cùm in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temere celebrare: pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* & cap. *Significaſti* eod. Cùm ergo incertum ſit, an peccata dubia ſint confitenda, & certiùs ſit eſſe confitenda, atque tutiùs confiteri, quidni debeamus confiteri?

Reſpondent Aliqui; hìc imponitur ſpeciale mandatum in favorem Sacrificii Altaris, ut ab illo abſtineatur in dubio de homicidio, dummodo certò conſtet de vulnere. Aſſignant autem Pontifices pro ratione illud commune principium: *In dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem*, per modum congruentiæ (quippe hæc verba, & ſimilia, *tenetur*, *oportet*, *debet*, aliquando in jure ſignificant debitum decentiæ & honeſtatis, ùt videre poteris apud Gratianum Diſceptationum forenſium c. 146. n. 18. & alios Juriſconſultos) & ideo quamvis ratio ſit univerſalis, non tamen propterea deciſio. Atque dicendo hanc partem eſſe tutiorem, videntur ſignificare, aliam eſſe tutam, ſecluſo ſpeciali mandato. 96. Reſpondetur, in illis juribus imponi ſpeciale mandatum.

Et profectò periculum, ſi quod eſt in caſu dubio, putà ne quis celebret exiſtens re ipſâ homicida, idem omnino reperitur, quando probabiliter commiſſum eſt homicidium, & etiam probabiliter non eſt commiſſum, & tamen tunc non incurritur irregularitas ſecundùm communem ſententiam.

Quid dicam, quòd Innocentius cap. *Significaſti*. mandat imponi Pœnitentiam ad cautelam, quamvis medici probabiliter judicarent, vulnus non fuiſſe lethale? *Et quidem* (inquit) *ſi hoc ita ſe habet* (*quod forſan ex eo poſſet oſtendi, ſi certa apparuiſſet percuſſio ab eodem inflicta tam modica, & tam levis, in ea parte corporis, in qua quis de levi percuti non ſolet ad mortem, ut peritorum iudicio medicorum talis percuſſio aſſereretur non fuiſſe lethalis*) *cùm de ceteris credendum ſit ipſi, qui non accuſatur, vel denunciatur ab aliquo, ſed per ſe ipſum conſilium appetit ſalutare, poſt Pœnitentiam ad cautelam iniunctam, in Sacerdotali poterit officio miniſtrare.* Ergo hæc Conſtitutio eſt ſpecialis, & non extenda ad ſimiles caſus.

Ut omittam, caſum noſtrum fortè non eſſe ſimilem, præſertim quando dubitatur de ſub- 97. & forte

 ſtantia

caſum propoſitum non eſſe ſimilem

ſtantia actûs; nam tunc eſt dubium juris, in quo pars minùs tuta eligi poteſt, ſi reverà tuta ſit; quia tunc homo poſſidet ſuam libertatem. At verò in juribus præallegatis apparet Multis, eſſe dubium facti, propter certam percuſſionem, ratione cujus præſumptio eſt contra percuſſorem, & ipſi incumbit probare ex vulnere inflicto non fuiſſe ſubſecutam mortem, adeòque lex irregularitatis videtur eſſe in poſſeſſione.

98. Objectio ſolvitur.

Si dixeris; etiam hìc non dubitatur de lege, ſed ſolùm de peccato. Reſp. non dubitatur, an ſit lex Confeſſionis, ſed an comprehendat peccatum dubium; adeòque non negamus, legem Confeſſionis eſſe in poſſeſſione, ſed negamus eſſe in poſſeſſione hujus casûs; quia ad talem poſſeſſionem requiritur, quòd certò conſtet legem eſſe latam pro hoc caſu, eſtò dubitetur, an hìc & nunc eximatur; v. g. conſtat certò peccatum mortale homicidii fuiſſe commiſſum, & dubitatur an pœnitens habeat juſtam cauſâm hìc & nunc illud non confitendi, tali caſu lex Confeſſionis cenſetur eſſe in poſſeſſione; quia clarè conſtat ipſam eſſe latam pro peccato mortali certo. At verò dubitatur, an ſit lata pro peccato mortali dubio, & ideo quamdiu non eſt peccatum mortale certum, homo manet in poſſeſſione ſuæ libertatis, id eſt, ab illa poſſeſſione, quæ ante exortum dubium erat certa, non debet deturbari, propter illud dubium ſuperveniens.

99. Inſtantia.

Inſtas; per illud dubium redditur poſſeſſio mea dubia; nam dubitatur, an non perdiderim meam liberatem. Aliud eſt, quando poſſideo rem aliquam externam, & ſupervenit dubium, an ſit aliena; quia non obſtante hoc dubio, adhuc certa eſt mea poſſeſſio, nam fur verè poſſidet rem furtivam; ergo propter hoc dubium ſuperveniens, non debeo privari certâ poſſeſſione facti, quam vocant Theologi, eſtò poſſeſſio juris ſit incerta. At verò in caſu noſtro, cùm nulla ſit poſſeſſio facti, ſed ſolius juris, ut ſic loquar, & hæc dubia, quomodo erit melior conditio poſſidentis?

Reſponſio.

Reſpondeo; datur poſſeſſio facti non ſolùm rerum corporalium, ſed etiam incorporearum, putà, cenſûs, beneficii, ſervitutis, & ſimilium; ergo datur poſſeſſio libertatis à lege, poſſeſſio inquam, non ſolùm juris, ſed etiam facti, hæc autem certa fuit ante exortum dubium de lege lata; & quamvis per illud dubium reddatur incerta mea poſſeſſio juris, nam quæritur, an jure poſſim non ſervare legem, quam de facto non obſervo; equidem manet certa mea poſſeſſio facti, quamdiu illam non obſervo.

100. Alia objectio.

Arguis rursùm; etiam dum vulnus certum eſt, & incertum, an ex illo vulnere ſecuta fuerit mors, dubium eſt juris; nam quamdiu manet factum dubium, manet delictum non probatum; adeòque jus condemnans ad irregularitatem, non eſt in poſſeſſione; non enim homicidium eſt, quo ego ſatisfacio obligationi anteà contractæ, ſed potiùs quo primò incipit obligatio, aut quo ego primò illam incurro; proinde pertinet ad cauſam obligationis, ſive ad jus.

Reſpondeo; ſic fortè poſſet dici, ſi ſolùm eſſet inflicta irregularitas ad poſitionem homicidii; ſed cùm etiam infligatur ad poſitionem dubii homicidii, modò adſit certitudo dati vulneris, patet, quòd non ſit dubium juris, ſed facti. Eſſet autem dubium juris, ſi vulnus eſſet dubium; adeòque tunc Sacerdos poſſet in ſacris Ordinibus miniſtrare, non obſtantibus juribus præallegatis.

Atque ut Pontifices nihil novi in illis juribus præcepiſſent; quod Aliqui exiſtimant; equidem dici poſſet, ùt ſuprà inſinuavi, in caſu certæ percuſsionis, potiùs eſſe dubium facti, quàm juris; nam præſumptio eſt contra percuſſorem, adeòque habetur pro homicida, niſi contrarium probet; ergo in dubio judicandum pro lege, quæ per illud vulnus accepit poſſeſsionem contra vulnerantem.

Et conſequenter idem dici poſſet impræſentiarùm, quando conſtat de ſubſtantia actûs, v. g. de homicidio perpetrato, & ſolùm dubitatur de qualitate, v. g. an fuerit plenè deliberatum, conſequenter an fuerit peccatum mortale. Atque in tali dubio eſſe obligationem confitendi, docet Marchant ſuprà concl 5. ſequentis tenoris: *Quando pœnitens certus eſt de actu à ſe commiſſo quoad ſubſtantiam, dubitat verò tantùm de aliquo ejus modo, circumſtantia, obligatione, num inducant peccatum mortale? Quamdiu in aliquam partem probabiliter non inclinat, tenetur actum quidem confiteri abſolutè, exprimendo tamen dubium ſive cauſam dubii, in quo verſatur*

Rationem aſſignat; quia ipſum factum eſt reverà materia ſufficiens judicii, modus autem, circumſtantiæ, obligationes, cùm de illis verè pœnitens dubitet, an peccatum mortale inducant, neceſſitatem judicii inferunt, cùm Confeſſariorum in Sacramento Pœnitentiæ ſit judicare inter lepram & lepram, lepram & non lepram. Quamdiu igitur pœnitens dubius manet, illorum judicio dubium, & dubii cauſam ſubmittere debet, aliàs exponit ſe periculo invalidæ Confeſſionis, & ſacrilegii in Sacramento.

Nec illum juvare poteſt axioma juris, quo dicitur: *Melior eſt conditio poſſidentis.* Hoc ipſo enim, quo de actu peccaminoſo certus eſt, jam perdidit poſſeſſionem libertatis, & lex, & Judex jus, & auctoritatem accipiunt illum compellendi ad judicium, tum ratione actûs, ſive tranſgreſſionis legis, de qua peccator ſibi conſcius eſt; tum ad examinandos modos, circumſtantias, & obligationes actûs peccaminoſi, ut debitis pœnis ſeriatur. Hucuſque præfatus Auctor.

Verumtamen cùm pœnitens in hoc judicio ſit reus, advocatus, & teſtis, ad ipſum ſpectat

Digitized by Google

ſtat examinatio cauſæ, & examen à Tridentino committitur non Confeſſario, ſed pœnitenti; ergo non ſolius Confeſſarii eſt diſcernere inter lepram & lepram, lepram & non lepram; ſed etiam quodammodo ipſius pœnitentis, quando hic capax eſt illius diſcretionis, juxta ſuperiùs dicta. Ergo aliunde probandum eſt, quòd debeat lepram dubiam, quam Sacerdos non poteſt meliùs diſcernere, quàm ipſe pœnitens, debeat, inquam, judicio Sacerdotis ſubmittere.

Igitur propter hanc ſolam rationem non ſubſcriberem iſti Concluſioni; ſed potiùs; quia tunc lex Confeſſionis videtur eſſe in poſſeſſione, cùm tam in foro externo, quàm interno præſumi debeat peccatum mortale, niſi aliquid aliud obſtet; ergo manente illo dubio, ùt ſupponitur, melior eſt conditio poſſidentis, id eſt, legis.

103. Si inferat aliquis; ergo teneor, aut ſaltem poſſum tale peccatum confiteri tamquam certum, & non teneor confiteri tamquam dubium; veluti peccatum probabiliter mortale, poſſum confiteri ſimpliciter & abſolutè tamquam mortale.

Probatur Conſequentia; quia præſumptio juris, ſecundùm Juriſtas, eſt veriſimilitudo quædam ſufficiens ad rem dubiam credendam. Vel, eſt probabilis conjectura ex certo ſigno proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur, donec Adverſarius oppoſitum probet, in quem id probandi onus transfertur. Igitur quando conſtat de ſubſtantia actûs; tametſi de qualitate ſpeculativè dubitetur, equidem practicè eſt certa; ergo tamquam talis exprimenda in Confeſſione. Ergo in ordine ad Abſolutionem abſolutam hujuſmodi peccati dubii, non eſt neceſſarium addere peccatum aliquod certum.

104. Reſp. concedendo totum; ſi verum eſt, ſufficere ad Abſolutionem abſolutam, peccatum tantùm probabile; & aliunde concedatur in tali caſu præſumendum eſſe peccatum mortale. Alioquin communiter docent Theologi, in dubio de perfecta libertate ſeu deliberatione; timoratum ſequi poſſe partem benigniorem; hominem autem perditæ conſcientiæ, ſequi debere partem ſeveriorem.

Scio (inquit Bonæ Spei tract. 2. de Act. hum. diſp. 6. n. 294.) quòd ferè omnes peccato dubio velint in Confeſſione adjungi debere aliud certum: ſed cur hoc onus pœnitenti imponant, non ſatìs video, cùm materia dubia modo explicato videatur certa: *Odia verò reſtringenda, favores ampliandi; magis favendum Reo, quàm Actori.* Malo tamen propter Aliorum Auctoritatem id in ordine ad Abſolutionem abſolutam neceſſarium aſſerere (cùm ſit res valde notabilis) quàm meâ ſpeculatione Pœnitentiæ Sacramentum periculo exponere; quia non obſtante iſto onere adhuc pœnitenti eſt favorabiliùs obligari ad peccatum dubium confitendum, quàm non obligari. Hæc ille.

Ubi loquitur de omni peccato dubio, & perperam exiſtimat, in omni hujuſmodi dubio præſumendum eſſe delictum, idque quia favorabilius ſit pœnitenti obligari ad peccatum dubium confitendum, quàm non obligari; quod ego non credo, ſuppoſito ſaltem, quòd poſſit confiteri peccatum dubium, & ab illo abſolvi, etſi non teneatur illud confiteri.

Si autem quæritur, an poſſit ab illo abſolvi? Fortè aliquis reſponderet, poſſe abſolvi ſub conditione, ſive ſub dubio, ſicut poteſt abſolvi ab irregularitate dubia, excommunicatione dubia &c. quidquid ſit de foro civili, in quo fortaſſis hæ accuſationes non admitterentur: *Accuſo Petrum de furto; quia dubito an furatus ſit*; vel; *quia fortè furatus eſt*, vel; *quia eſt unum leve indicium.* 105.

An poſſit aliquis abſolvi à peccato dubio, etſi non teneatur illud confiteri?

Ratio diſparitatis eſt; quòd hæ accuſationes in foro civili fiant in ordine ad condemnationem, accuſatio autem in foro ſacramentali potiſsimùm in ordine ad Abſolutionem, & in favorem ſolius Rei; quidni ergo ſi ipſe velit judicari de peccato dubio, & pro eo Pœnitentiam acceptare, Judex poſſit ipſum abſolvere ſub dubio? Vocetur ſententia, vel non, quæſtio eſt de nomine. Eſt ſententia dubia, ſicuti accuſatio dubia.

Sed contrà; exponitur Sacramentum periculo nullitatis, quod non licet abſque neceſſitate: atqui hìc nulla eſt neceſſitas confitendi peccatum dubium, & per conſequens nulla neceſſitas proferendi dubiam ſententiam; ergo id non licet. Aliud foret, ſi ex præcepto divino, vel Eccleſiæ, pœnitens teneretur confiteri peccatum dubium. Sicuti quando dubitatur de Baptiſmo; quia tunc eſt obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum, ideo licitum eſt illum adminiſtrare ſub conditione. 106. **Objectio.**

Reſpondetur; Sacramentum Confirmationis, quamvis non ſit neceſſarium, quis negat in dubio poſſe conferri ſub hac forma verborum: *Si non es confirmatus, ego te confirmo?* Cur ergo ſimiliter in dubio furti, non poſſet pœnitens abſolvi ſub hac forma verborum: *Si verè furatus es, ego te abſolvo?* Porrò irreverentiam abſtergit conditio oppoſita, & utilitas Sacramenti, ſi fortè peccatum commiſſum fuerit. **Reſponſio.**

Cæterùm conſultiùs erit, adjungere aliquod peccatum moraliter certum, dum id commodè fieri poteſt, immo fortaſſis neceſſarium. Ratio videtur eſſe; quia oportet nullitatem Sacramenti evitare quantum commodè fieri poteſt; nullum autem, aut certè leviſſimum incommodum eſt, confiteri aliquod peccatum veniale certum, quando tale memoriæ occurrit; & aliunde non debent Sacramenta miniſtrari ſub conditione, quando commodè poſſunt miniſtrari abſolutè.

Digitized by Google

107. *Obiectio ex Conc. Trid.* Si dixeris; obligatio confitendi peccatum veniale opponitur Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Venialia ..... taceri* (in Confeſſione) *citra culpam, multiſq; aliis remediis expiari poſſunt*; à qua regula ſinè ſufficienti auctoritate, immo conſenſu quaſi totius Eccleſiæ, non poteſt fieri exceptio, niſi velimus, unumquemque pro libitu poſſe facere exceptiones à generalibus principiis fidei.

Reſpondeo; me non facere exceptionem à generali regula Tridentini, ſed cum Tridentino dico; illud peccatum veniale, quòd hìc & nunc neceſſariò eſt confitendum, ſuppoſito quòd velim confiteri, taceri poteſt in Confeſſione citra culpam, & aliis multis remediis expiari, id eſt, abſolutè non eſt confitendum, quemadmodum abſolutè teneor confiteri peccatum mortale.

Nonne qui vovet Confeſſionem peccatorum venialium, contradicit Tridentino? Minimè, tametſi peccata venialia citra culpam non poſſit tacere in Confeſſione. Et alibi oſtendimus, Eccleſiam poſſe præcipere Confeſſionem peccatorum venialium. De hac ergo obligatione per accidens non loquitur Tridentinum, ſed de obligatione per ſe, quæ præcisè oritur ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.

108. *Voluntas Legiſlatoris præferenda cortici verborum.* Itaque præcisè ex verbis legis non convincitur obligatio confitendi omnia & ſingula peccata mortalia dubia. Attamen quia voluntas Legiſlatoris eſt anima legis, adeòque præferenda cortici verborum, ubì de illa conſtat ex verbis, aut circumſtantiis legis; argumento *Reg. ult. de Reg. Juris in 6.* Reg. ultimæ de Reg. Juris in 6. *Certum eſt, quòd is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* Item *Lex 13. ff. de Excuſ.* leg. *Scire oportet* 13. ff. de Excuſ. ibi: *Sed etſi maximè verba legis hunc habeant ſenſum, tamen mens Legiſlatoris aliud vult.* Et leg *Lex 5. Cod. de LL.* *Non dubium* 5. Cod. de LL. *Non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Nec pœnas inſertas legibus evitabit, qui ſe contra iuris ſententiam, ſævâ prærogativâ verborum fraudulenter excuſat.* *Obligatio confitendi peccata dubia probatur ex praxi.* Hinc communiùs DD. imponunt hanc obligationem; exiſtimant ſiquidem, voluntatem Legiſlatoris moraliter certò, aut ſaltem longè probabiliùs conſtare ex continua praxi fidelium à tempore Apoſtolorum: praxis autem eſt optima legum interpres, & evidens ſignum voluntatis Legiſlatoris.

109. *Reſponſio Caramuelis.* Reſpondet Caramuel Theol. Moral. lib. 3. n. 1508. Primò, non conſtare, illam praxim & uſum eſſe in Eccleſia tamquam obligatorium. Secundò, licèt id conſtaret, id ortum habere, ex eo quòd omnes hucuſque Auctores ita docuerint, & pauci à parvo tempore inceperint id reducere ad dubium: prout ſæpiùs contigit, & nunc & olim in ſententiis antiquari incipientibus.

Videtur itaque mihi hoc argumentum tantundem valere, atque contra feſtum Immaculatæ Conceptionis valeret hoc: Fuit praxis & uſus Eccleſiæ non celebrare Feſtum Immaculatæ Conceptionis, & ejus praxis non agnoſcitur initium; ergo credendum eſt ab ipſis Apoſtolis promanaſſe, qui difficultatem Immaculatæ Conceptionis meliùs potuerunt intelligere. Hæc ille.

Reſpondetur; hoc ipſum quod hæc obligatio ſit tradita ab omnibus hucuſque Auctoribus, & pertineat maximè ad mores, ſignum eſt, eam fuiſſe traditam à Chriſto Domino, qui in rebus tam neceſſariis, & uſum Sacramentorum concernentibus, non patitur invaleſcere ferè per totam Eccleſiam aliquid falſum. A

Deinde quando Doctores Scholaſtici inceperunt tradere eam obligationem, id fecerunt, quia vel ipſi ita confitebantur, vel alios audierant hoc modo confitentes, vel quia notaverunt hunc eſſe ſenſum omnium fidelium. Porrò in aliis materiis vel ſenſus poſitivus contrarius non fuit communis, ſed præcisè de eis non fuit actum, v. g. an deberet celebrari feſtum Immaculatæ Conceptionis; adeòque non celebratio non potuit præjudicare celebrationi poſtmodum inductæ, ſicuti præjudicaſſet, ſi tempore Apoſtolorum fuiſſet prohibitum celebrare Immaculatam Conceptionem; vel certè non in materia morali & circa inſtitutionem Sacramentorum (quæ pendet à ſola voluntate Chriſti, cujus voluntatis revelatio eſt ſenſus communis Doctorum & fidelium, quando aliunde ex Scriptura non conſtat) ſed in alia materia, rationibus & principiis naturalibus decidenda, licèt concernente mores; in qua utique materia, auctoritas non habet tantum locum, ac proinde ſenſus præcedentium Doctorum non impedit, quò minùs contra illos aliquid dicatur, ob ſolidam aliquam rationem, de novo inventam.

Sed contrà, dicet aliquis; quia Chriſtus Dominus in rebus tam neceſſariis, & uſum Sacramentorum concernentibus, non patitur invaleſcere ferè per totam Eccleſiam aliquid falſum, ideo hiſce noſtris temporibus excitavit ſpiritum aliquorum Doctorum, qui contradicerent huic falſitati, quam tanto tempore permiſit, quia non erat perniciosa fidelibus, cùm ſinè dubio expediat ad majorem ſecuritatem, hujuſmodi peccata confiteri, immo ſæpè neceſſarium ſit, ùt anteà notavi, pro diligenti examine conſcientiæ, ad quam pœnitentes vi inſtitutionis hujus Sacramenti obligantur. Ob

Quamquam ad hoc ſufficeret, quòd peccata dubia explicarent Confeſſario, non per modum Confeſſionis, ſed inquiſitionis veritatis, diſſimulando ſe hæc ipſa commiſiſſe. Cognitâ autem veritate tunc confiterentur, ſi Confeſſarius judicaret eſſe peccata mortalia, ſecùs ſi ſolùm venialia; ſin autem & ipſe maneret dubius,

Digitized by Google

dubius, neſcio ex quo alio fundamento (ſi tamen ex illo) efficaciter probetur obligatio confitendi, quàm ex communi praxi & ſenſu Doctorum.

Dico; *Si tamen ex illo*: quia, ùt notat Herincx part. 4. tract. 4. diſp. 3. nu. 48. inter Scholaſticos antiquos pauci ſunt, qui de hac quæſtione agunt. Alenſis verò, & D. Thomas, qui obiter eam attingunt, & dubia confitenda dicunt, non ſe fundant in auctoritate, aut traditione, ſed in nuda ratione, eâque infirmâ (quâ etiam utuntur Summiſtæ, qui indè eam hauſerunt, ùt Tabiena, Sylveſter, & alii, quorum unus ſequitur alium plerumque inſtar ovium gregis) quòd ſic dubitans non confitendo exponat ſe diſcrimini; quaſi nempe debeat agere, quod tutiùs eſt: hoc autem plurimas habet exceptiones in dubio de lege, de voto, de re an ſit aliena, ſuppoſitâ poſſeſſione &c.

Fideles quoque non omnes idem cenſent; quin immo ſcio interdum fuiſſe, qui putarent contrarium hoc titulo, quòd non poterant recordari ſe feciſſe, ſed tantùm dubitarent. Pii præterea plerumque practicant, quod ſecuriùs eſt. Et ſanè fideles idem apprehendunt de peccatis probabiliter vel probabiliùs mortalibus. Nec tamen ob hoc cenſentur illa debere in Confeſſione exprimi.

Fit inſuper interdum, quòd aliqua non ſatis examinata, communiter apprehendantur obligatoria, ideòque practicentur tamquam talia (in quorum ſanè praxi non poterat eſse error aut abuſus) quæ tamen poſt diligentiorem diſcuſsionem apparent non ſatis fundata, adeòque uſus contrarius obtinere incipiat. Hucuſque præfatus Auctor.

Appoſitè Layman Theol. Mor. l. 1. tr. 1. c. 4. §. 4. n. 37. Si, inquit, in decurſu vitæ alia peccata ſua, quorum conſcientiam habet, confiteatur, tacito illo peccato, de quo poſt diligentem excuſſionem dubitat an commiſerit, vel an fuerit mortale, tunc probabile apparet, non incumbere ejus confitendi obligationem; non enim ex lege poſitiva Chriſti, vel Eccleſiæ habetur, quia eſſet nimis ſevera obligatio accuſandi ſe de iis, quæ commiſiſſe ſe ignorat; neque ex lege naturali Charitatis propter periculum animæ, quandoquidem confitendo bonâ fide peccata reliqua, per accidens remittuntur ea, quæ ignorantur; verùm in hac re nihil determino, ſed aliorum judicio committo. Ita hic Auctor, & Ego.

Quidquid ergo ſit de univerſali & ſtricta obligatione, quæ ſanè probabilis eſt, conſulo omnibus (exceptis ſcrupuloſis) ut confiteantur peccata dubia, tamquam dubia, præſertim dubia negativè, ſeu propriè dicta, quando conſtat de ſubſtantia actûs per ſe mortalis, & ſolùm dubitatur, an hìc & nunc propter aliquam circumſtantiam excuſetur à gravi culpa.

Sed quid ſi certò conſtet de peccato mortali commiſſo, & dubitetur de Confeſſione? Reſpondeo:

CONCLUSIO IV.

Qui certus eſt de peccato mortali, & dubitat negativè de Confeſſione, per ſe loquendo tenetur confiteri. Scrupuloſus, niſi ſit moraliter certus tam de peccato mortali, quàm non Confeſſione, taceat.

Incipio ab ultima parte, & ſcrupulum appello quamdam animi anxietatem ac timorem, ortum ex levibus & ſolùm apparentibus cauſis; adeòque ſcrupuloſus erit, qui anxius eſt, & timet ſe mortaliter peccaſſe, aut peccatum mortale non fuiſſe confeſſum, ubì & quando non deberet timere, id eſt, timet ex levibus & ſolùm apparentibus cauſis; qui utique timor, cùm non tollat moralem certitudinem oppoſitæ veritatis, perſpicuè manifeſtum eſt, non inducere obligationem confitendi. 114. *Quid ſit ſcrupulus.*

Atque hic eſt communis ſenſus DD. ex quibus aliqui non improbabiliter docent, dubitationem, quæ in aliis fortaſſis eſt rationabilis, in ſcrupuloſo pro nihilo æſtimari poſſe; unde tametſi tale dubium contemnendo, contingat ſcrupuloſum ſpeculativè aliquando decipi, tamen practicè non errabit. Sed cave ſecundùm hanc regulam agere, niſi moraliter certus ſis, te omnino ſcrupuloſum eſſe, ne fortè temerarius evadas. *Probatur ultima pars Concluſ. ex communi ſenſu DD.*

Quæris à me, unde ſcire poteris, te eſſe ſcrupuloſum? Reſpondeo; vel ex facilitate timoris & inquietudine in judicando de agendis, & facili mutatione judicii in quacumque levi conjectura aut apparentia; vel etiam ex nimia quadam reflexione circa res atque eventus, qui vix in aliorum cogitationes aſcendunt; vel denique certiùs id ſcies ex teſtimonio prudentum & proborum Theologorum, maximè Confeſſarii. Ipſius ergo judicio habito, nemo eſt qui te poterit arguere de temeritate, ſi hìc & nunc judices hoc vel illud non eſſe peccatum, aut non eſſe confitendum, eſtò alioquin à parte rei foret peccatum confitendum; nemo, inquam, abſque temeritate poterit te arguere de temeritate; quia hoc ipſo quo Confeſſarius prudens & probus judicat te eſſe ſcrupuloſum, moraliter loquendo habes ſatis ſolidum fundamentum ſic judicandi, quando moraliter certò non conſtat de oppoſito. 115. *Unde ſciri poſſit, aliquem eſſe ſcrupuloſum.*

Enimverò hominis ſcrupuloſi ex mille dubitationibus non eſt una fundata, & quando

ſubeſt

ſubeſt aliquod verum periculum mali, tunc ſolet nimis certò ſibi perſuadere hoc eſſe peccatum, vel eſſe confitendum. Ideóque licèt fieri poſſit, ut hìc & nunc ſemel aut iterum rationabiliter dubitet, equidem non tenetur fundamentum ſuæ dubitationis ulteriùs examinare; ſed poteſt abſque temeritate judicare, eo ipſo quòd aliquid eſt dubium, tantùm eſſe ſcrupulum.

Profectò ſi teneretur fundamenta ſingularum dubitationum ulteriùs examinare, totâ die diſtraheret intellectum ſuum, & facilè ſibi perſuaderet, omne dubium eſſe rationabile, non abſque manifeſto periculo dementiæ, aut alterius gravis damni corporis vel animæ, quod periculum excuſat ab integritate materiali Confeſſionis, ùt inferiùs ſuo loco latiùs explicabimus. Atque hæc ſatìs de ultima parte Concluſionis.

116. Probatur 1. pars Concluſ. Prima pars probatur; quia tunc lex Confeſſionis, ſecundùm omnes Doctores, eſt in poſſeſſione; adeòque pro illa judicandum in dubio, ſeu pari cauſa, & non pro libertate, quam conſtat fuiſſe amiſſam per peccatum mortale certum, & nequidem probabiliter reſolvi poteſt, fuiſſe recuperatam per Confeſſionem, ad quam certa erat obligatio ante exortum dubium. Nonne certus de emiſſo voto, ſed dubius negativè de impletione voti, tenetur votum implere, quamdiu manet ſic dubius? Nemo ambigit. Ergo conſimiliter in noſtro caſu.

Quando judicandum pro libertate, & quando pro lege. Et generaliter, quandocumque dubium eſt circa actionem, quâ primò quaſi incurritur obligatio, tunc ſtandum eſt pro libertate hominis per ſe loquendo; quando verò dubium eſt de ea re, quâ ab obligatione priùs contracta, eximi debemus, aut quâ exire poſſumus ex obligatione, tunc ſtandum pro lege. Vel ſic; quando per dubium primò intrat obligatio, tunc ſta pro libertate; quando autem obligatio eſt antiquior dubio, tunc ſtabis pro obligatione. Cùm igitur in caſu Concluſionis obligatio ſit antiquor dubio, pro illa judicandum erit.

117. Caramuel putat vix eſſe poſſibilem caſum Concluſ. Interim Caramuel Theol. Mor. n. 1517. exiſtimat vix eſſe poſſibilem caſum propoſitum; nam qui certò ſcit ſe peccatum illud commiſiſſe, debet neceſſariò ſcire certò, aut probabiliter, an ſit illud confeſſus. Ratio eſt; quia dubia conſcientia definitur ambigua & anceps, quæ pro neutra contradictionis parte habet rationem, aut ſaltem pro neutra habet gravem. Atqui talis conſcientia non eſt in præſenti poſſibilis; ergo &c. Probatur Minor; nam vel ille, qui dubitare, an fuerit talem culpam confeſſus, aſſeritur, eſt perſona, quæ ſoleat bonas Confeſſiones ſemper facere, aut quæ non ſoleat; ſi primum dicatur, cenſendus eſt, etiam tunc adhibuiſſe diligentem animi diſcuſſionem, cùmque poſt diligentem diſcuſſionem vix unquam peccata gravia non occurrant (ſuâ enim mole ſeſe produnt, ni affectatâ aliquâ negligentiâ impediantur) cenſendum eſt certò eum hujuſmodi peccatum fuiſſe confeſſum; vita enim præcedens gravem rationem ſuppeditat, & ubi gravis eſt ratio, omne dubium tam negativum, quàm poſitivum exulat.

Si autem ſoleat malas Confeſſiones facere; aut defectu examinis, aut affectatâ aliquâ ignorantiâ, jam etiam habes rationem gravem credendi, illud peccatum non fuiſſe confeſſum; vita enim præcedens rationem gravem miniſtrat, quæ, quia nullâ ratione forti impetitur, non tam probabilitatem, quàm moralem certitudinem infert.

Tandem ſi non habeat experientiam (putà ſi ſit puer, & incipit Confeſſionis Sacramentum frequentare, tunc enim, quia non eſt ſæpè confeſſus, videtur non poſſe ex vita præterita judicium ferre) ſi habuerit propoſitum bene confitendi, cenſendus eſt feciſſe diligentias ſufficientes, ut conſcientiam diſcuteret, atque ideo fuiſſe illud etiam peccatum confeſſus; non enim eſt veriſimile, quòd non examinaverit conſcientiam, nec eſt veriſimile, quòd illud peccatum poſt debitum examen non occurrerit, cùm & alia communiter occurrant; nec eſt veriſimile, quòd ipſe ſciens & volens peccatum occurrens ſubticuerit; ergo veriſimile non eſt, quòd debeat iterum confiteri. Hucuſque Caramuel.

Sed hæc doctrina videtur Arriagæ diſp. 31. n. 36. valde mirabilis; nec capio, inquit ille, cur magìs poſſit homo dubitare vero dubio, an conſenſerit, nec ne in talem delectationem illicitam, quàm utrùm poſteà eam ſit confeſſus, cùm in utroque caſu res ſit facti, circa quod ex defectu memoriæ paſſim dubia ſimilia oriuntur, etiam in his, qui habent optimam memoriam. Ego ſanè puto, me illam habere utcumque bonam, & aliunde non ſoleo valde arripi cogitationibus aut diſtractionibus, & tamen ſæpè habui proprium dubium, an oraverim nec ne, Tertiam, Sextam v. g. &c. cur ergo non potero habere dubium, an dixerim in Confeſſione hoc aut illud. Hactenus Arriga. 11 Sed c nam Arri

Reſpondetur, quòd homo ſæpiùs dubitet, an conſenſerit in talem vel talem delectationem, non provenit præcisè ex defectu memoriæ; ſed potiùs, quia difficile eſt agnoſcere actus internos, eóſque inter ſe diſtinguere, v. g. conſenſum voluntatis, ab actu appetitûs ſenſitivi, conſenſum perfectum voluntatis, ab imperfecto. 11 Eius ni ei natur

Deinde quando homo dubitat de conſenſu perfectè deliberato in talem vel talem delectationem, ſi eſt homo timoratæ conſcientiæ, ſecundùm communem ſententiam, habet rationem probabilem & tutam præſumendi partem

Digitized by Google

partem benigniorem; ſin autem ſit homo perditæ conſcientiæ, habet rationem gravem præſumendi partem ſeveriorem. Cur ergo ſimiliter homo timoratæ conſcientiæ, qui ſemper ſolet facere bonas Confeſſiones, in dubio de Confeſſione peccati mortalis certò commiſſi, non poterit prudenter præſumere Confeſſionem; homo autem perditæ conſcientiæ, qui ſæpiùs non integrè confitetur, non debebit præſumere non Confeſſionem?

Sanè ratio prioris differentiæ eſt; quia cùm homo timoratæ conſcientiæ, mortale peccatum ingenti odio proſequatur, ſi idipſum admiſiſſet, facilè diſcerneret; at verò homo perditæ conſcientiæ, cùm parvipendat peccatum mortale, ſi non conſenſiſſet, nullum in eo dubium ſuboriretur. Ita Sanchez in Decal. lib. 1. c. 1. n. 20. Eadem autem ratio invenitur in caſu noſtro; nam qui ſemper ſolet facere Confeſſiones bonas, cùm ingenti odio proſequatur Confeſſionem non integram, ſi illam admiſiſſet, facilè diſcerneret: at verò homo, qui non ſolet facere bonas Confeſſiones, cùm parvipendat Confeſſionem integram, ſi non omiſiſſet aliquod peccatum, nullum in eo dubium ſuboriretur.

Dices; eſtò homo diligenter ſe examinet; nihilominus fieri poteſt, ut non recordetur alicujus peccati; & dato quòd in examine recordatus fuiſſet, non rarò contingit illius oblivisci in ipſa Confeſſione, ùt docet communis experientia; nam paſſim ob ſimiles obliviones ſecundò & tertiò acceditur ad Confeſſionem.

Fateor, non recordatio alicujus peccati in examine eſt poſſibilis, & oblivio alicujus peccati in Confeſſione non eſt adeò rara; ſed quid tum? Nunquid homo timoratæ conſcientiæ poteſt conſentire in delectationem, & ſubinde conſentit? Numquid homo perditæ conſcientiæ poteſt non conſentire, & ſubinde non conſentit? Equidem quando dubitant, unus præſumit conſenſum, alter non conſenſum; quia ſi hic conſenſiſſet non dubitaret, &, niſi ille conſenſiſſet, non dubitaret. Ergo conſimiliter, qui diligenter ſe examinavit, nec facilè ſolet oblivisci alicujus peccati in Confeſſione, ſi omiſiſſet aliquod peccatum mortale, non dubitaret ſe omiſiſſe, ſed certò id ſciret; & qui negligenter ſe examinavit, ac parùm curat de omiſſione alicujus peccati mortalis in Confeſſione, niſi aliquod omiſiſſet, non dubitaret ſe omiſiſſe.

121. Sed nunquid hinc ſequitur; ergo caſus Concluſionis impoſſibilis? Quid enim ſi aliquis inveniatur, qui nec ſemper ſolet facere bonas Confeſſiones, nec ſemper ſolet facere malas Confeſſiones; ſed ſubinde diligenter ſe examinat, & bonas facit Confeſſiones; ſubinde autem negligens eſt in examine, & ideo facit malas Confeſſiones. Profectò ſi talis dubitet, an confeſſus fuerit aliquod peccatum mortale; nec habet ſufficiens fundamentum reſolvendi pro Confeſſione, nec contra eam: & ecce caſus Concluſionis, in quo omnes unanimiter docent obligationem confitendi, quidquid ſit de illo, qui ſolet facere bonas Confeſſiones, *Præpoſitus.* quem Præpoſitus in 3. part. de Sacram. Pœnit. q. 5. n. 115. excuſat, ſi dubium, inquit, ſuboriatur diu poſt perpetratum peccatum.

Probatur; quia moraliter eſt impoſſibile, poſt diuturnum aliquod tempus poſitivè recordari omnium, quæ quis confeſſus eſt, & proinde eſſet onus intolerabile, ſi quis in ea circumſtantia teneretur in Confeſſione recenſere ea, de quibus dubitat, num aliquando confeſſus fuerit, & præſertim quando dubium eſt negativum, in quo homo pro neutra parte habet rationes. Videtur ergo, quòd quando quis bonâ fide procedit in Confeſſione, ſi, poſt diuturnum tempus de aliquo peccato ſolùm dubitet, num illud confeſſus fuerit, non teneatur illud in Confeſſione explicare propter rationem dictam. Hæc ille.

Et continuò ſubjungit: multò minùs tenetur 122. quis peccatum Clavibus ſubjicere, quando format probabile judicium, quòd illud in Confeſſione explicuerit, licèt non ſinè aliqua formidine de oppoſito; quia ad hoc ut aliquis cenſeatur legi ſatisfeciſſe, ſufficit judicium probabile de ejus adimpletione; & contrarium eſſet nimis grave. Nam cùm mens non poſſit ſemper formare certum judicium de adimpletione legis, eſſet graviſſimum onus, ſi quandocumque occurrit aliqua formido, homo teneretur rurſum legi ſatisfacere, quantumvis probabiliter judicaret ſe ſatisfeciſſe. Hæc autem intelliguntur, quando perſona juxta ſuam conditionem præmiſit diligens examen ad rei veritatem cognoſcendam. Hactenus Præpoſitus.

An ſufficiat probabilis confeſſio? Affirmat Præpoſitus.

Eſtque ſatis communis ſententia, quamvis 123. Nonnulli contradicant, inter quos Coninck diſp. 7. n. 68. Credo probabiliùs, inquit, talem teneri confiteri: ſicut is, qui ſcit, ſe debuiſſe homini centum, & ita dubitat an ſolverit, non eſt liber à ſolutione ſaltem partiali; quia per ſolutionem incertam non poteſt ſatisfacere certo debito. Ita Coninck.

Negat Coninck.

Adde Regulam Juris 65. de Reg. Jur. in 6. *In pari delicto vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.* Cùm ergo, ùt ſuppono, æquè probabilis ſit non Confeſſio, quàm Confeſſio, cur non erit potior conditio legis confitendi, quæ eſt in poſſeſſione? Ponamus caſum, quòd ego poſſideam rem aliquam externam, ſupervenit dubium, an ſit res mea, vel alterius; & poſt diligens examen æquè probabile invenitur, quòd ſit res alterius, quàm quòd ſit res mea, putas quia alter, propter illam probabilitatem, poteſt me ſpoliare illâ re? Certum eſt quòd non; quia obſtat Regula juris mox allegata. Ergo ſimiliter in caſu noſtro, quamvis probabile ſit te fuiſſe confeſſum illud peccatum,

Reg. 65. de Reg. Juris in 6.

cùm oppoſitum æquè probabile ſit, obligaris iterum confiteri, ne alioquin pejor ſit conditio poſſidentis, cùm tamen debeat eſſe potior.

124. *Auctor tenet ſententiam communem, & reſpondet ad argumentum Coninck.*

Nihilominus teneo ſententiam communem, & ad argumentum Coninck reſpondeo, ſi iſta 100. erant debita ex liberali promiſſione, qui ita dubitat an ſolverit, id eſt, qui probabiliter judicat ſe ſolviſſe, eſſe liberum à ſolutione etiam partiali; ſicuti qui debet jejunium ex voto, cenſetur ſatisfeciſſe, & ad nihil ampliùs obligari, ſi jejunaverit juxta probabilem opinionem. Sin autem debita erant ex contractu oneroſo, v. g. ex venditione mercium, fortè tunc non eſſet liber à ſolutione ſaltem partiali; quoniam non ſervatur æqualitas, dando pro certis mercibus, pretium incertum, quod eo ipſo minùs valet; unde videtur fuiſſe intentio contrahentium, ut daretur pecunia certa, pro mercibus certis.

At verò Deus, cujus natura bonitas, cujus miſericordia ſuperexaltat judicium, unde probatur eſſe tam rigoroſus exactor, ut regulariter nolit eſſe contentus probabili adimpletione voti, aliarumque legum, tam naturalium, quàm poſitivarum? Præſertim cùm ſcriptum ſit Eccle. 3. v. 11. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus, ab initio uſque ad finem.* (*Eccle. 3.*)

Cùm ergo difficillimum ſit, in tanta opinionum varietate diſcernere; quæ probabilior ſit, quæ minùs probabilis, aut æquè probabilis; & illa, quæ nobis probabilior apparet, aliquando ſit abſolutè falſa, benignè præſumimus de bonitate Dei, ipſum optimè contentari probabili adimpletione ſuæ legis (quamvis de rigore juris plùs poſſet exigere) ne alioquin mandata ejus gravia ſint; cùm tamen ſcriptum ſit prima Joannis 5. v. 3. *Mandata eius gravia non ſunt.* Et Matth. 11. v. 30. Chriſtus, qui nec fallere, nec falli poteſt, *Iugum*, inquit, *meum ſuave eſt; & onus meum leve.* Eſſet autem ſatis grave, ſi non ſatisfieret legibus divinis probabili adimpletione, verè, inquam, probabili; ſed Deus requireret certiſſimam adimpletionem.

125. *Reſp. ad 2. argumentum.*

Ex quo patet reſponſio ad ſecundum argumentum; quamvis enim abſolutè in omni rigore juris Deus tali caſu poſſet exigere Confeſſionem, cùm ſit in poſſeſſione; equidem non cenſetur exigere, ſed cedere jure ſuo, ne homo putet ſe habere juſtam contra illum quærelam; quam tamen non haberet, tametſi exigeret adimpletionem maximè probabilem.

Deinde in caſu noſtro, cùm Confeſsio ſit aliquid indiviſibile, ſi adhuc ad aliquid obligaretur pœnitens, obligaretur ad totum, quod nequidem admittitur in debito humano, cui per probabilem ſolutionem, ſi non ex toto, ſaltem ex parte ſatisfactum eſt; ergo melius dicitur, quòd ad nihil obligetur.

Dices; non obligatur ad totum, quia poteſt confiteri tale peccatum, tamquam probabiliter adhuc ſemel confeſſum. 1[illegible] *Obj.*

Reſpondeo; vel illa probabilis Confeſsio facit illud peccatum eſſe materiam liberam Sacramenti, vel relinquit materiam neceſſariam; non primum, alioquin jam eſſet obligatio, & non obligatio confitendi, quæ eſt implicantia. Sin autem relinquat materiam neceſſariam, ergo impertinens eſt ad judicium ſacramentale illa probabilitas; ergo pœnitens obligatur ad totum illud, ad quod anteà obligabatur, ſcilicet ad exprimendum illud peccatum, tamquam materiam neceſſariam Abſolutionis; eandemque videtur mereri illud peccatum Satisfactionem, ac ſi abſolutè numquam fuiſſet dictum in Confeſſione. Atque ut minorem Confeſſarius poſſet imponere, equidem præcipuum onus permanet, ſcilicet neceſsitas explicandi peccatum. *Sol.*

12[illegible] *Non hic a* [illegible] *hom. Deu[m] que j[ustitia] virtu[tum]. Arri[aga]*

Itaque non valet hìc argumentum ab homine, ad Deum; neque à materia juſtitiæ, in qua agitur de extrinſeco nocumento tertii, ad materiam aliarum virtutum, quæ ſolùm redundant in bonum Dei, & in quibus tantùm agitur de obſervatione alicujus præcepti. Nam Deus (inquit Arriaga de Act. Hum diſp. 24. n. 33.) à nobis ea, quæ imperat, non petit, niſi ut ea iniquè operando non omittamus; unde fit, ut ſi bonâ conſcientiâ ea omiſimus, non teneamur ea poſteà, quando advertimus, offerre: ſic qui Sacrum omiſit die Dominico inculpabiliter, non tenetur die Lunæ ejus loco aliud audire ..... Non ita inter homines in materia juſtitiæ; illi enim volunt rem ſuam, ſive eam illis abſtulerim invincibiliter, ſive vincibiliter. Unde cùm primùm eam alienam novero, debeo eam reddere: hinc fit, ut nolint eam ſibi negari, & dari aliis, quando æquale in eam jus habent, quidquid ſit de conſcientia invincibili donatoris; ex quo ulteriùs fit, ut ſtante æquali jure debeat dividi. Hæc ille.

12[illegible] *Fieri ut qu[æ bo]nâ co[n]ſcientiâ [omi]ſimus ei ten[eamur] ea Deo d[are].*

Sed quidquid ſit de obligatione Judicis æqualiter dividendi rem inter partes, quæ æquale habent jus, quam obligationem Aliqui negant, Alii affirmant; certum eſt, fieri poſſe, ut quæ bonâ conſcientiâ omiſimus Deo dare, teneamur ea poſteà, quando advertimus, offerre, v. g. promiſit quis Deo, ſingulis diebus audire Sacrum, non annectendo obligationem diei, ſed quaſi ambulatoriè, indubitatum eſt ſive bonâ, ſive malâ conſcientiâ omiſerit hoc die audire Sacrum promiſſum, teneri alterâ die defectum ſupplere, offerendo Deo Sacrum, quod omiſerat.

Quòd ergo ille, qui Sacrum omiſit die Dominico, non teneatur die Lunæ ejus loco aliud audire, non provenit ex eo, quòd omiſerit bonâ conſcientiâ, nam etſi malâ conſcientiâ omiſiſſet, non teneretur; ſed quia illa obligatio eſt annexa diei, & cum ipſa die expirat;

non

Digitized by Google

non enim eſt præceptum Sacrum pro quacumque die, ſed pro die Dominica; proinde die Lunæ non eſt ampliùs materia præcepti, & per conſequens neque præceptum.

In caſu itaque, quo conſtaret de voto emiſſo, & utrimque eſſet æqualis probabilitas impletionis, & non impletionis, cùm Deus ſit in poſſeſſione, cur non debeat pro ipſo judicari, & res promiſſa rurſùs offerri, ſi fortè priùs non fuerit oblata? Cur ſufficiat probabilis tantùm ſatisfactio? Nam non ſatisfaciendo, Deum fraudo aliquâ re ſibi debitâ. Vel certè ponamus rem promiſſam diviſibilem eſſe, cur ſaltem non debeat pars rei promiſſæ offerri, v. g. vovi audire duo Sacra ſingulis diebus, probabile tantùm eſt, me audiviſſe duo Sacra, cur ſaltem non teneor adhuc audire unum?

Scio, Multorum doctrinam eſſe, quòd homo ſatisfaciat voto, aliiſque præceptis divinis, etiam obſervando juxta probabilem opinionem, etiam relictâ probabiliori & magis tutâ. Sed quod fundamentum hujus doctrinæ? An fortè, quia ſic ſolent homines operari? Exiſtimo magis ſolidum fundamentum eſſe, præſumptam voluntatem divinam, quæ ex innata ſua Bonitate non ampliùs exigit (tametſi juſtè poſſet exigere obſervationem probabiliorem, præſertim quando commodè haberi poteſt) quia judicat divina Sapientia minùs expediens, ut leges ibi obligent paucos, ubi communis obſervantia vel ob ignorantiam, vel ob difficultatem prævidetur non inducenda; uti eſt obſervantia legum juxta probabiliorem ſententiam, cùm pauci ſint, qui illam noverint, & ſæpiſſimè ſit moraliter impoſſibilis. Jam autem Deus ſemper cenſetur velle, quod meliùs eſt; ſecùs homines, qui attendunt ad id, quod ſibi utiliùs eſt.

Unde licet commutare votum ſuum in id, quod omnibus conſideratis meliùs eſt, ſecùs promiſſionem factam homini; ùt patet in illo, qui promiſit votum ſimplex caſtitatis poſt ſponſalia; nam, ùt communiùs docent Theologi, illud votum, quamvis de re meliori, non dirimit iſta ſponſalia; quia in his non attenditur bonitas, ſed ſola utilitas, & commoditas ſponſi aut ſponſæ, ad quem finem impertinens eſt, quòd caſtitas ſit melior. Igitur dum certò conſtat de peccato mortali, & nullo modo probabiliter de Confeſſione, jus divinum obligat ad Confeſſionem; ſecùs ſi verè probabiliter conſtet de Confeſſione.

Si dixeris; qui tantùm probabiliter eſt baptizatus, debet iterum baptizari. Reſp. diſparitatem eſſe, majora inconvenientia, quæ oriuntur ex defectu Baptiſmi (cùm ille ſit janua Eccleſiæ, & per conſequens eſſentialiter prærequiſitus ad ſuſceptionem aliorum Sacramentorum) quàm ex defectu Confeſſionis alicujus peccati mortalis, quod indirectè remittitur, quando bonâ fide confiteor alia peccata, & ab illis abſolvor; nihil autem eſt, quod ſuppleat defectum Baptiſmi in ordine ad ſuſceptionem aliorum Sacramentorum.

Illud pro fine hujus Concluſionis addiderim, exempla, quæ ab aliis adferuntur, v. g. Confeſsionis probabiliter tantùm informis; item Confeſsionis factæ Sacerdoti, qui tantùm habet probabilem juriſdictionem, & ſimilia, non ſatis efficaciter probare; quia æquè incerta ſunt, & pari ratione ab Adverſariis negantur.

131. *Doctrina particularis Caramuel.* Parvæ quoque conſiderationis eſt, quod ait Caramuel Theol. Mor. lib. 3. n. 1531. Tametſi certum ſit, debere peccata verè commiſſa, & dubiè abſoluta, Clavibus Eccleſiæ ſubjici, non tamen ſcio, an ſubjici debeant ſtatim; ſcio enim debitorem dubium non ſtatim debere debitum illud dubium ſolvere, maximè ſi deſit ſpes recuperandi, ſi fortè poſtea jam fuiſſe aliàs ſolutum conſtiterit, & in Confeſsione omnis ſpes recuperandi deeſt, quia dicta reddi nequeunt, non enim indicta fieri poſſunt. Hæc ille.

Rejicitur ab Auctore. Ego autem mihi perſuadeo, debitorem dubium, factâ omni poſsibili inquiſitione veritatis, vel ſtatim tenere debitum illud dubium ſolvere, vel nunquam; quia non eſt ratio, quare potiùs hoc tempore, quàm illo; vel dicat nobis Caramuel, quo die, aut quâ horâ teneatur ſolvere.

Et conſimiliter firmiter credo, peccata dubiè abſoluta, factâ omni poſsibili inquiſitione, vel ſtatim, id eſt, urgente præcepto confitendi peccata certa, vel nunquam eſſe ſubjicienda Clavibus Eccleſiæ, aut certè aſsignet nobis Caramuel determinatum tempus, in quo ſubjici debeant.

132. *Objectio.* Dices; ergo pejor eſt conditio ejus, qui habet peccata dubiè abſoluta, quàm illius, qui habet peccata certò non abſoluta; nam hic ſatisfacit ſemel confitendo iſta peccata, fieri autem poteſt, ut prior ſecundò debeat eadem peccata confiteri, v. g. ſi jam confeſſus fuit ea tanquam dubiè abſoluta, & poſtea reperiat certò non fuiſſe abſoluta, tenetur rurſum tanquam certò non abſoluta confiteri; veluti qui confeſſus eſt peccatum ùt dubium, ſi poſtea reperiat eſſe certum, tenetur iterum confiteri tanquam certum.

Reſponſio. Reſpondeo; qui habet peccata dubiè abſoluta, poteſt abſolutè & ſimpliciter confiteri illa peccata, eodem modo quo confiteretur, ſi certò non eſſent abſoluta, vel certò eſſent abſoluta; neque enim oportet pœnitentem explicare, quòd peccata illa ſint, vel non ſint abſoluta, ùt patet ex dictis ſect. 7. concl. 7.

Et dato, quòd confeſſus fuiſſet tanquam dubiè abſoluta, ut abſque peccato facere poterat, & ideo minorem accepiſſet pœnitentiam; equidem occurrente poſtea rei veritate, id eſt, certitudine non Abſolutionis, ad nihil

 ampliùs

Digitized by Google

amplius tenebitur; quia declaravit ſua peccata in ſpecie ac ſigillatim, prout tunc erant in conſcientia, quod ſolùm requiritur à Concilio Trid. porrò error Confeſſarii in imponenda Pœnitentia invincibilis fuit, ùt ſuppono, qui proinde non poteſt obligare ad iteratam Confeſſionem; immo etiamſi fuiſſet vincibilis, dummodo pœnitens non fuerit cauſa graviter culpabilis.

133. Defectus ſatisfactionis non inducit obligationem iteratæ Confeſſionis eorundem peccatorum.

Quid enim ſi per oblivionem Confeſſarius non impoſuiſſet ullam Pœnitentiam, nonne pœnitens propterea iteratò deberet confiteri eadem peccata? Liquet quòd non; quia ſatisfactio tantùm eſt pars integralis, nullatenus requiſita ad validam & directam Abſolutionem peccatorum, quæ ſola ex jure divino Confeſſionis eſt neceſſaria; alioquin qui oblitus fuiſſet Satisfactionis, ſive culpabiliter, ſive abſque culpa, teneretur iteratò confiteri eadem peccata, quod caret ſolido fundamento, ùt proprio loco videbimus; multò minùs, ſi ſolùm fuit defectus condignæ Satisfactionis.

Quantum ad illum, qui confeſſus eſt peccatum ùt dubium, & poſteà reperit eſſe certum, an teneatur iterum confiteri tamquam certum, ſub judice lis eſt, ùt patebit ex Concluſione ſequenti, quæ ſic ſonat:

CONCLUSIO V.

Dixiſti peccatum ùt dubium, ſi poſteà reperias certum, conſulitur iterata Confeſſio, obligatio non convincitur.

134. Peccatum confeſſum ùt certum, non debet iterum confiteri ùt dubium, etſi tale poſteà deprehendatur.

Suppono peccatum confeſſum ùt certum, non debere iterum confiteri ùt dubium, quamvis poſteà ùt tale deprehendatur: immo, quamvis nullum fuiſſe, certiſſimum foret, nihil propterea iterandum aut renovandum arbitror; quia quod factum eſt, infectum fieri nequit; niſi fortè Pœnitens obligaretur per accidens recuperare famam ſuam, quam apud Confeſſarium amiſerat. Similiter, qui bonâ fide confeſſus fuit certum numerum peccatorum, quamvis poſteà indubitanter conſtet de minori numero, non obligatur rurſùm confiteri numerum minorem. Ratio eſt: quia in majori numero continetur minor. Proinde qui abſolvitur à decem fornicationibus, etiam abſolvitur ab octo.

135. Peccata explicanda prout ſunt in conſcientia tempore Confeſſionis.

Suppono ſecundò cum communi DD. peccata explicanda eſſe, prout ſunt in conſcientia tempore Confeſſionis: adeoque dubia explicanda eſſe ùt dubia, certa ùt certa. Idem eſt cum proportione, quando pœnitens eſt certus de mortali commiſſo; dubitat tamen de ſpecie, aut de certa circumſtantia ſpeciem mutante; v. g. certus eſt de peccato mortali in genere, dubitat de furto, homicidio, fornicatione &c. certus eſt de peccato mortali furti, dubitat an fuerit res ſacra vel profana: certus eſt de peccato fornicationis, dubitat an fuerit perſona conjugata, ſacra, conſanguinea &c. debet explicare ſicut novit, dicendo v. g. *Fui fornicatus, & dubito utrùm fuerit perſona conjugata*, & ſic de aliis: nulla enim eſt ratio eum excuſandi à Confeſſione illius malitiæ ſive genericæ, ſive ſpecificæ, quam habet certam in conſcientia: ſimiliter à malitia ſpecifica dubia, ſi verum eſt, quòd peccata dubia neceſſariò ſint confitenda.

Sed dicet aliquis: Hæc verba: *Prout ſunt in conſcientia*, non lego in Conc. Trident. Ob
Quæ ergo? *Quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent.* Quæro igitur: peccatum certum & dubium, v. g. fornicatio certa & dubia, ſunt peccata ſpecie aut numero diſtincta, vel non? Eſſe diſtincta, nemo aſſerit. Infero; ergo qui confitetur fornicationem dubiam, dicendo: *Fui fornicatus*, recenſet in Confeſſione peccatum mortale, cujus poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habet.

Quòd autem debeat in Confeſſione recenſere ſuam conſcientiam & declarare Confeſſario, quòd fuerit propriè dicta conſcientia, id eſt, cordis ſcientia, ſeu certa conſcientia (ùt Aliqui eam explicant) vel certè impropriè dicta, id eſt, dubia conſcientia, ſuppoſito quòd certitudo & incertitudo non diverſificent peccatum ſpecie vel numero, ubi ſcriptum habetur? Cur ergo imponitur illa obligatio? An fortè, quia aliàs Sacerdotes non poterunt ſervare æquitatem in pœnitentiis injungendis? Verùm omnimoda æquitas non requiritur, ùt dictum fuit ſuprà, ubi de circumſtantiis ſolùm aggravantibus.

Et ſanè ſi peccatum dubium eſt ejuſdem Con
ſpeciei cum peccato certo, & materia neceſſaria, ùt jam ſuppono, cur non meretur eandem pœnitentiam? Aut ſaltem cur Sacerdos non poſſit imponere eandem pœnitentiam pro uno, & altero peccato, ſicut poteſt imponere pro peccato ſemel confeſſo, & non confeſſo? Si ergo prior Confeſſio tametſi ſit in conſcientia pœnitentis, non debet neceſſariò explicari, quia non eſt circumſtantia tenens ſe ex parte objecti & peccati, id eſt, immutans ſpeciem objecti & peccati; cur debeat explicari certitudo vel incertitudo, quæ ſimiliter non eſt circumſtantia ſe tenens ex parte objecti & peccati, ſed ex parte cognitionis? Si ergo prior Confeſſio non debet explicari in Confeſſione, tametſi ex materia neceſſaria faciat liberam; quantò minùs incertitudo, quæ non impedit, quò minùs totum peccatum ſit integrè in Confeſſione manifeſtatum, & inſuper relinquit materiam neceſſariam?

Si

137. Si dixeris: peccatum ſemel confeſſum eſt certò materia Abſolutionis, ſecùs peccatum dubium; cùm poſſit fieri, ut non fuerit à parte rei peccatum. Contrà; ſi peccatum dubium non eſt certò materia Abſolutionis, quomodò ergo poteſt eſſe materia neceſſaria? An aliquid poteſt eſſe materia neceſſaria, & non materia? Immò, poteſt eſſe aliquid materia libera, & non materia? Eſt implicantia in terminis: ſic enim eſſet materia, & non materia.

Si ergo Chriſtus voluit, ut peccata dubia explicarentur in Confeſſione, etiam voluit, ut abſolverentur. Ergo voluit, ut forma eſſet dubia vel certa, ſecundùm certitudinem vel incertitudinem peccatorum, quæ pœnitens recenſet in Confeſſione, ſive Confeſſarius id ſciat, ſive non; cùm ab his conditionibus non dependeat ſpecifica aut numerica malitia, quas ſolas voluit Chriſtus recenſeri.

Quinimmò, reponit quiſpiam, etiam malitia generica, dependet ab his conditionibus; nam peccatum dubium poteſt eſſe non peccatum. Contrà etiam peccatum tantùm probabile poteſt eſſe non peccatum; ergo teneor illam probabilitatem explicare in Confeſſione, negatur Conſequentia. Nam etiam poteſt eſſe peccatum, & prudenter judicatur eſſe peccatum, & ideo ſimpliciter ùt tale poteſt confiteri. Et licèt peccatum dubium non poſſit prudenter judicari eſſe peccatum à parte rei, tamen poteſt prudenter judicari eſſe peccatum in ordine ad Confeſſionem. Hæc dicta ſint inquiſitionis ergò, non reſolutionis.

138. Nunc ad Concluſionem, cujus prima pars nullam habet difficultatem: cùm enim iterata Confeſſio licita ſit, & honeſta, maximeque proficua, immò ſecundùm communiorem opinionem DD. obligatoria; quidni jure meritiſſimo conſulatur, & practicetur? Ita planè eſt.

Quantùm ad ſecundam partem, præcipuum fundamentum, cui innititur obligatio iteratæ Confeſſionis, eſt: Oportet à pœnitentibus in Confeſſione recenſeri omnia peccata mortalia, prout ſunt in conſcientia. Ergo ſi ab initio illud peccatum fuiſſet certum, ùt tale debuiſſet recenſeri: ergo poſteà quando jam ſcio eſſe certum, debeo illud confiteri ùt certum.

Reſpondeo negando poſteriorem Conſequentiam. Diſparitatem do; quòd ab initio peccatum illud non erat directè abſolutum; ſecùs poſteà, quando jam ſcio eſſe certum. Oportet igitur à pœnitentibus in Confeſſione recenſeri omnia peccata mortalia prout ſunt in conſcientia tempore directæ Abſolutionis, ſive, omnia peccata mortalia non directè abſoluta. Jam autem peccatum iſtud priùs ùt dubium recenſitum, prout tunc erat in conſcientia, pro tunc directè fuit abſolutum; ergo licèt poſteà appareat certum, non eſt iteratò confitendum. Atque hoc ſit fundamentum contrariæ opinionis, quam abſolutè docet Arriaga diſput. 31. n. 46. ſolutè docet Arriaga.

Quòd autem iſtud peccatum fuerit directè abſolutum, probatur: quia directa Abſolutio nil aliud eſt, quàm Abſolutio alicujus peccati in ſpecie ac ſigillatim declarati; atqui tale peccatum dubium fuit in ſpecie ac ſigillatim declaratum; ergo &c. Major eſt evidens. Minor probatur: quia, ùt ſuperiùs inſinuavi, certitudo & incertitudo non ſe tenent ex parte objecti, ſed ex parte cognoſcentis: ergo non mutant malitiam ſpecificam, aut numericam alicujus actûs; ergo ſive illud peccatum declaretur ùt certum, ſive ùt dubium, equidem declaratur in ſpecie & ſigillatim: ergo abſolvitur directè. Quid ſit directa Abſolutio.

Quid igitur, ſi quis ex inadvertentia, aut ex ignorantia invincibili, bonâ fide putans id eſſe licitum, peccatum alioquin certum, declaraſſet ùt dubium; nonne cognito ſuo errore teneretur iteratò confiteri idem peccatum ùt certum? Nec convincitur hujuſmodi obligatio: jam enim directè ab illo peccato fuit abſolutus. 139. An qui bonâ fide peccatum ſibi certum declaraſſet ùt dubium, teneretur cognito errore iteratò illud confiteri.

Dico: *Ex inadvertentia* &c. aliàs, ſecundùm DD. communiter, peccaſſet mendacio graviter pernicioſo, decipiens Confeſſarium in materia gravi hujus tribunalis, adeòque Abſolutio fuiſſet invalida defectu debiti doloris; & integritatis formalis.

Dices cum Dicaſtillone diſp. 9. nu. 135. Hinc ſequitur, ſi quis eſſet memor ſe peccaſſe mortaliter, & quidem aliquoties, ſed non memor ſit in qua ſpecie & numero, atque ſic confeſſus illa, abſolveretur; etiamſi poſteà clarè ſpecierum, & numeri meminerit, non teneri ampliùs ea peccata confiteri. Probatur ſequela: quia illa Abſolutio fuit directa illorum peccatorum. 140. Objectio ex Dicaſtillone.

Sequeretur ulteriùs, quòd qui confiteretur dicendo: *Accuſo me de peccatis commiſſis in totâ mea vita, de quibus non recordor, ſi forſè non illa confeſſus ſum, petoq; de illis omnibus Abſolutionem.* Vel: *Accuſo me ad cautelam de omnibus perjuriis, adulteriis, furtis totius vitæ meæ, quæ omnia, ſi meminiſſem, explicarem; & peto ab illis abſolvi*, non teneretur, etiamſi poſteà videret ſe feciſſe multa talia, illa confiteri, ob eandem rationem Abſolutionis directè datæ. Hæc ille.

Reſpondeo; non eſſe eandem rationem, ſed planè diverſam: quia in noſtro caſu declaratur peccatum in ſpecie & ſigillatim; ſecùs in his caſibus; & ideo in noſtro caſu eſt Abſolutio directa; in his autem caſibus ſolùm Abſolutio indirecta. Sive (quod in idem redit) in noſtro caſu declaratur peccatum in ordine ad Abſolutionem, ſicut Chriſtus voluit illud declarari, ſcilicet in ſpecie & ſigillatim: nam de certitudine & incertitudine nihil expreſsè dixit Conc. Trident. Atque ut deberet alterutram conditionem explicare, explicat incertitudinem, ùt ſup- Reſponſio.

ùt ſuppono. In aliis autem caſibus ſolùm declaratur peccatum in genere, & non in ſpecie ac ſigillatim; ergo per priorem Confeſſionem ſatisfit præcepto Chriſti; ſecùs per Confeſſiones poſteriores. Quid ergo mirum, ſi in poſterioribus caſibus ſit obligatio rursùs confitendi, non autem in caſu priori?

141. *Objectio ſolvitur.* Si inferas: ergo datur Sacramentum Pœnitentiæ validum, in quo non abſolvitur directè ullum peccatum; Concedo totum. Ubi enim eſt definitum, quod ſemper debeat abſolvi aliquod peccatum directè? Vel diſtinguo Conſequens: in quo non abſolvitur aliquod peccatum directè coram Deo, ſeu in foro Dei, nego; in foro Eccleſiæ, concedo totum.

Inſtantia. Sed contrà (inquis) praxis Eccleſiæ, & ſenſus DD. oſtendunt, Chriſtum voluiſſe explicationem certitudinis peccati, quandocumque illa occurreret memoriæ.

Solvitur. Reſpondeo; multa practicari in Eccleſia, quæ non ſunt obligatoria. Porrò ſenſus Doctorum ſolùm eſt, quòd fideles confiteantur peccata dubia, ùt dubia, & certa ùt certa. Quòd autem ſemel confeſſa ùt dubia, poſteà debeant confiteri ùt certa, quamvis Multi id doceant, & ideo tutiùs ſit id fieri; Alii tamen docent contrarium: immò omnes illi debent docere contrarium, qui aſſerunt hanc Confeſſionem non iterandam: *Accuſo me fornicatum tertiò plùs minùs*, quamvis poſteà pœnitens recordetur ſe 4. vel 2. tantùm fuiſſe fornicatum. Hæc autem eſt communiſſima ſententia DD. quamvis aliqui Recentiores, inter quos Dicaſtillo, *Dicaſtillo.* quia non inveniunt rationem diſparitatis, communiter affirment obligationem etiam hoc caſu iterandi Confeſſionem. Quòd autem ſit eadem ratio utriuſque casûs patet: quia qui confitetur ſe fornicatum tertiò plùs minùs, ſub dubio confitetur quartam fornicationem, immò & tertiam, eodem modo ac ſi diceret: *Accuſo me de duabus fornicationibus certis, & de duabus dubiis.*

142. *Praxi communi opponitur alia praxis communis.* Prætereà, praxi communi aliam praxim communem opponimus, videlicet: Nemo obligat pueros vel ruſticos ad repetendas Confeſſiones, quamvis aliquando ex ignorantia vel inadvertentia confusè ſatìs fuerint confeſſi, non ita diſtinctè exprimentes ſpecies & numerum peccatorum, veluti de facto meliùs instructi poſſent exprimere: quia nimirùm Confeſſarius tunc cognovit confuſam ſpeciem & numerum peccatorum, quantùm ex illorum conditione & capacitate poterat cognoſcere.

Reſponſio Dicaſtillonis. Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 129. quòd prædicti non cogantur repetere Confeſſiones, provenire poteſt vel ex eo, quòd vix poſſit etiam poſteà ſperari, quòd ſe ita poſſint, vel quoad numerum, pueri jam facti grandiores, vel quoad ſpeciem, illi ruſtici ſapientiores facti, explicare, ut notabiliter varietur conceptus, quem Confeſſarius debuiſſet habere de ſtatu conſcientiæ; vel certè quòd licèt nunc poſſent diſtinguere ſpecies peccatorum fortaſsè ſapientiùs & accuratiùs, tamen nunc non habenda ratio eſt cognitionis, quam nunc habent, ſed ejus, quam habuerunt quando peccarunt; quia peccatum factum ſinè ulla notitia alicujus ſpecificæ malitiæ, quam reverà habuiſſet tunc, ſi ea cognoſceretur, non habet talem malitiam, nec debet explicari ſub ea malitia. Hæc ille.

Sed contrà: DD. communiter non aſſignant illas rationes, ſed quam nos ſuperiùs aſſignavimus; quia videlicet Confeſſarius habuit confuſam notitiam ſpeciei & numeri, quæ pro tunc erat poſſibilis. Cæteroquin dato caſu, quòd jam diſtinctè omninò poſſent explicari ſpecies & numerus, non dubito quin hic Auctor conſequenter deberet aſſerere obligationem iteratò confitendi: cùm ſit planè eadem ratio, ne dicam major; nam abſolutè conſtat ex Tridentino præceptum Chriſti obligare ad exprimenda peccata in ſpecie & ſigillatim, non ita ad exprimendam certitudinem vel incertitudinem. Re

Aliter probatur ſeu confirmatur ſententia Arriagæ: quia ſi quis dubius de voto, aut irregularitate, cenſurâve, petat Abſolutionem cum hac conditione, ſi fortè obſtrictus ſit, eaque ipſi detur; non debet (eſtò deinde deprehendat ſe certò obſtrictum) petere novam Abſolutionem: quia prior ideo eſt data, ut ſi fortè re ipsâ poſita ſit ea conditio, ſeu ſi re ipsâ ſit votum &c. maneat homo liber. Ergo quando deprehendit certò re ipsâ fuiſſe votum, jam deprehendit certò fuiſſe Abſolutionem validam, ac proinde non eſt, cur cogatur petere ſecundam. Ergo ſimiliter ratiocinandum de peccato dubio, & ejus Abſolutione. 1 Alit tio l tia

Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 131. N. C. eſtò illa Abſolutio peccati dubii foret valida & directa. Rationem diſparitatis aſſignat præceptum Chriſti, confitendi peccatum certò commiſſum, quando jam certò conſtat. Reſp Dicaſ nis.

Sed hoc eſt, quod quæritur, & probatum oportet, non ſuppoſitum. Porrò non aliter probat, quàm dicendo: id declarat uſus & praxis Eccleſiæ, in qua omnes fatemur, Sacerdotem Confeſſarium eſſe Judicem, Medicum, Magiſtrum, & Inſtructorem pœnitentis. Aliter verò judicandum eſt, & imponenda Satisfactio ſacramentalis, remedia etiam præcautiva aliter præſcribenda, aliter inſtruendus & dirigendus pœnitens, qui plura & certa, & graviorum quarumdam ſpecierum habet peccata, quàm qui ſolùm dubia, pauca, & talium ſpecierum, quæ ſint minoris gravitatis, & periculi minùs frequentis. Hæc ille n. 138.

Reſpondeo: prorſus aliter inſtruendus & dirigendus pœnitens, qui plura & graviorum quarumdam ſpecierum peccata habet, quàm qui ſolùm pauca, & talium ſpecierum, quæ ſunt minoris gravitatis; & aliter imponenda Satisfactio: ergo etiam aliter inſtruendus & dirigendus 14[?] Rejicit

Digitized by Google

gendus pœnitens, qui habet peccata certa, quàm qui ſolùm habet dubia; negatur Conſequentia: & dico, eodem modo debere inſtrui & dirigi: cùm enim incertum ſit, an v. g. commiſerit adulterium, niſi inſtruatur & dirigatur, ſicut ille qui certus eſt, jam dubitatur de ſufficienti inſtructione & directione, cùm fieri poſſit, ut verè commiſerit adulterium. Veluti ergo pœnitens obligatur, ſecundùm communem ſententiam, confiteri peccatum dubium, & in dubio peccati adhibere certum remedium, id eſt, certam Confeſſionem; quidni etiam Confeſſarius teneatur adhibere certam inſtructionem & directionem, quæ non poteſt non eſſe utilis, neque expoſita eſſe periculo alicujus irreverentiæ, ſicuti expoſita eſt certa Abſolutio?

Quantum ad Satisfactionem; cùm etiam hæc non poſſit nocere, tametſi fortè major imponatur, quàm peccatum ſecundùm ſe requirat; & aliundè ſi non tanta imponatur, ſicuti pro peccato certo, jam pœnitens exponitur periculo non perfectè ſatisfaciendi pro peccato commiſſo, adeoque carendi plenâ remiſſione pœnarum temporalium, quam aliàs acciperet; quidni ſaltem poſſit Confeſſarius eandem Satisfactionem imponere, ſi non abſolutè, ſaltem conditionatè, dicendo: *Si poſtea reperias peccatum certum, facies talem pœnitentiam?* Non video, quid obſtet.

Dices: ſi valet argumentum ab Abſolutione à cenſura dubia, ad Abſolutionem à peccato dubio; ergo etiam valebit argumentum ab Abſolutione à cenſura poſſibili, ad Abſolutionem à peccato poſſibili. Ergo ſicuti iſta valet, tametſi poſteà aliqua reperiatur, nec opus eſt novâ petitione Abſolutionis; pari ratione non erit opus novâ Abſolutione, ſi quis confeſſus fuerit peccatum poſſibile, v. g. *Accuſo me quòd peccaverim cum fœmina, quæ potuit eſſe conjugata*, tametſi poſteà ſciat reverà fuiſſe conjugatam.

Reſpondeo N. C. Do diſparitatem, nimirum: Pontifex poteſt tollere ſub conditione ſimilia vincula poſſibilia, ſine præcedenti accuſatione, ùt patet ex communi praxi Eccleſiæ: hic autem requiritur accuſatio, qualis non eſt propoſitio peccati ùt poſſibilis.

Nec obſtat huic doctrinæ, quod diximus Concluſione præcedenti, purà, peccatum dubium non eſſe ſimpliciter peccatum, ſed tantùm ſecundùm quid: nam id verum eſt in odioſis; v. g. dum reſervatur aliquod peccatum, per illud intelligitur peccatum certum, & in ordine ad illam reſervationem, peccatum dubium non cenſetur ſimpliciter peccatum, ſed tantùm ſecundùm quid. Et conſimiliter reſpectu obligationis confitendi, quæ juxta communem apprehenſionem eſt odioſa, non cenſetur peccatum dubium peccatum ſimpliciter, ſed ſecundùm quid.

Hoc autem non obſtat, quin in favorabilibus ſimpliciter veniat nomine peccati; favorabile autem eſt, peccatum dubium ſemel abſolutum, non debere iteratò confiteri, eſtò poſteà occurrat certum. Igitur in ordine ad Abſolutionem, peccatum dubium eſt ſimpliciter peccatum, ejuſdem gravitatis ſpecificæ & numericæ cum peccato certo; quemadmodum peccatum confeſſum, & non confeſſum; eſtò dubietas illa accidentaliter minuat illam gravitatem, uti etiam præcedens Confeſſio.

Quæ cùm ita ſint, aliqui viri docti (inquit Lugo diſp. 16. n. 92.) probabile judicarunt, non teneri poſteà pœnitentem confiteri ùt certum, quod priùs ùt dubium confeſſus fuerat, prout tunc reverà ſibi erat. In quibus erat Reverendiſſimus Pater Nicolaus Richardius ſacri Palatii Magiſter, cum quo privatim hanc rem contuli; & ipſe privatim etiam reſpondit, valde probabile ſibi videri, non adeſſe talem obligationem, id quod alii etiam judicarunt. 147.

Aliqui Recentiores cenſent non eſſe iteratò confitendum in caſu Concluſ.

Cæterum, quia in re morali non eſt facilè recedendum à communi ſenſu, & quia nullum invenio Scriptorem pro ea parte; eos autem paucos, qui hoc attigerunt, video in contrarium inclinare; nolo ego in hoc puncto aliquid definire, ſed ſecuriorem partem conſulere. Hæc ille.

Lugo nihil in hoc puncto vult definire.

Sed quod ipſe non invenit, ego reperi, & non unum tantùm Scriptorem, videlicet Arriagam, quem ſuperiùs allegavi; ſed etiam Caramuelem, qui Theol. Moralis lib. 3. n. 1539. ſic ait: Confeſſus peccatum dubium ùt dubium, ſi deprehendat deinde certum, non tenetur id ùt certum confiteri. Idem docet Thomas Tamburinus de Confeſſione lib. 2. c. 1. §. 4. n. 24. dicens: Quoad ſubſtantiam actûs, in quo eſt major controverſia, adhuc dico, probabiliſſimum etiam eſſe, pœnitentem non obligari ad iteratam Confeſſionem. Quamobrem ſi quis ſub dubio bonâ fide dixit ſe pejeraſſe v. g. & deinde comperit ſe pejeraſſe certò, non tenebitur iterum illud perjurium tamquam certum confiteri. Hactenus Tamburinus. Quapropter veriſſimè dixi in Concluſione: *Obligatio* (iteratæ Confeſſionis) *non convincitur.*

Arriaga, Caramuel, & Tamburinus definiunt non eſſe obligationem.

Hoc unicum pro complemento adjicio: qui integrè confeſſus fuit peccatum ſecundùm omnes ſuas circumſtantias, eſtò ipſe non diſtinxerit, utrùm fuerit veniale vel mortale; immò etiamſi id Confeſſarius ipſe non cognoverit, non tamen obligatur, ſecundùm DD. communiter, ſi poſteà certò deprehendat fuiſſe mortale, illud ſecundò confiteri. 148.

An ſufficiat confiteri peccatum ſecundùm omnes ſuas circumſtantias, non diſtinguendo utrùm fuerit mortale vel veniale.

Rationem aſſignat Sanchez lib. 1. in Decal. c. 10. n. 69. quia jam plenè in Confeſſione ſuum peccatum detexit, nec nova circumſtantia explicanda occurrit, nec ad Confeſſionis valorem eſt neceſſarium, ut Pœnitens aut Confeſſarius ſciat determinare peccatum

Sanchez.

catum

Digitized by Google

catum detectum eſſe mortale. Quippe in omnibus id ſcire, eſt impoſſibile. Hæc ille.

149. Objectio contra ſententiam affirmantem. Sed contrà: pono caſum, quòd aliquis peccaverit cum fœmina, quam, dum confitetur, nec ipſe, nec Confeſſarius poteſt ſcire determinatè qualis fuerit, ſoluta an conjugata; ſi poſteà ſciat fuiſſe conjugatam, quæro an non teneatur iteratò confiteri?

Si in hoc caſu ſit obligatio; cur non etiam in caſu Sanchii? Vel ſi in caſu Sanchii non eſt obligatio; cur erit obligatio in hoc caſu? Numquid veniale & mortale minùs differunt inter ſe, quàm ſimplex fornicatio & adulterium? Profectò peccatum veniale à mortali non ſolùm ſpecie, ſed genere morali differt. Si ergo Confeſſarius non debet determinatè ſcire differentiam genericam, quæ conſtituit unum peccatum materiam neceſſariam Confeſſionis, & aliud relinquit materiam liberam, cur debeat determinatè ſcire differentiam ſpecificam? Vel ſi hæc debet poſtmodùm explicari in nova Confeſſione; cur non & illa? Nam ſæpè tam impoſſibile eſt explicare differentiam ſpecificam, quàm genericam. Neque plenè in Confeſſione ſuum peccatum detegit, qui non detegit malitiam mortalem aut venialem: nec minùs explicandum eſt genus in Confeſſione, quàm ſpecies aut circumſtantia. Hæc maturè expendantur.

150. Auctor amplectitur ſententiam affirmantem. Ego, quia laboro non in aggravando onere Confeſſionis, ſed in alleviando, libenter amplector ſententiam communem; quia eſſet nimis grave onus, obligare pœnitentem ad hoc, ut Confeſſarius formet judicium de qualitate venialis aut mortalis, poſtquam jam ipſe ex parte ſua rem totam cum omnibus ſuis circumſtantiis declaravit. Unde non creditur Chriſtus ad ampliùs obligaſſe. Voluntas ergo Chriſti eſt ratio à priori. *Ratio à priori voluntas Chriſti.*

Congruentia aliqua ex Arriaga. Congruentiam aliquam aſſignat Arriaga ſuprà n. 50. Nam (inquit) quòd circumſtantiis omnibus jam enarratis Confeſſarius judicet eſſe mortale aut veniale, pendet ex doctrina & ingenio; aut è contrario ex ſtoliditate ejuſdem Confeſſarii, quam pœnitens non tenetur examinare: nec deceret id facere, uti etiam non expediret eundem interrogare, an intellexerit quale illud peccatum ſit; debet enim ſupponere pœnitens in Confeſſario eſſe ſufficientem pro hac diſtinctione ſcientiam. Et licèt ipſi conſtet, quòd fortaſſe Confeſſarius aliter judicaverit, non eſt cur cogatur iterum redire, & illum informare aliter; ſicut ſi ipſe ſincerè determinatè numerum peccatorum expoſuiſſet, eſtò fortaſſe Confeſſarius ex aliqua inadvertentia putaſſet, alium numerum fuiſſe, & hoc poſt Confeſſionem ſincerè factam deprehendiſſet, nequaquam teneretur ideo ſecundò confiteri ad eam ignorantiam depellendam; quia hoc eſſet onus expoſitum graviſſimis, ſcrupulis & afflictionibus confitentium. Hucuſque Arriaga.

Addit tamen; ſi pœnitens (licèt bonâ fide) tali modo narraſſet ſuum peccatum, ut quaſi neceſſariò ea narratio induceret in quocumque Confeſſario, etiam prudenti, judicium, quòd non fuiſſet niſi veniale, & deprehendiſſet poſteà idem pœnitens fuiſſe mortale; tunc (inquit) omnino judicarem illum teneri ad declarandum fuiſſe mortale: quia tunc ex parte ſua non feciſſet id, quod erat neceſſarium ad hoc, ut Sacerdos ferret judicium de qualitate ejus peccati.

Idem & ego judicarem, niſi & hoc eſſet opus expoſitum gravioribus ſcrupulis & afflictionibus pœnitentium, qui continuè erunt anxii, an tali modo narraverint ſuum peccatum, ut prudens Confeſſarius poſſet judicare, fuiſſe mortale. Cur ergo etiam in hoc caſu, onus iſtud non poteſt excuſare pœnitentes ab iterata Confeſſione, ſicuti excuſat ruſticos, mulierculas & pueros, qui bonâ fide ſuas Confeſſiones coram Parocho groſſiori modo exhibuerunt, licèt peritiores vel grandiores effecti, videant in multis ſe defeciſſe? Non video ſufficientem diſparitatem; cùm & illi ruſtici, mulierculæ & pueri non fecerint ex ſua parte, quod erat neceſſarium, ad hoc ut Sacerdos ferret judicium de ſpecie & numero peccatorum, & tamen non coguntur repetere Confeſſiones.

Nihilominus tutius erit, habitâ perfectâ & certâ cognitione defectûs, iterum declarare eadem peccata eo modo, ut Sacerdos poſſit, niſi obſtet ejus ignorantia & ſtoliditas, ferre judicium de genere, ſpecie & numero peccatorum. Similiter tutius erit, peccatum ùt dubium declaratum, ſi poſteà reperiatur certum, iteratò ùt certum exprimere, immò fortè neceſſarium. Quid enim tam eſſentiale peccato, quàm exiſtentia? Adeoque certitudo exiſtentiæ videri poſſet eſſe circumſtantia ſeu conditio, tenens ſe ex parte objecti & peccati, non minùs quàm ipſa exiſtentia, quæ indubiè tenet ſe ex parte objecti & peccati, & primo loco explicanda eſt in Confeſſione; cùm peccatum exiſtens, & non exiſtens, plùs differant, quàm peccata ſpecie, aut numero diſtincta.

Occaſione hujus difficultatis, quæſtio movetur, ad quid ſe extendant illa verba, quibus non rarò utuntur fideles in Confeſſione: *Plùs, minùſve?* Reſponſio erit

CONCLUSIO VI.

Qui dixit ſe decies peccaſſe plùs minùſve, ſufficienter explicavit numerum peccatorum, quamvis poſteà comperiat ſe duode-

Digitized by Google

duodecies peccaſſe: inſufficienter, ſi vigeſies. Tacuiſti peccatum certum ex oblivione, vel aliàs ſinè culpa, manet obligatio confitendi.

153. QUoniam frequenter præciſa notitia numeri peccatorum eſt moraliter impoſſibilis, ſufficit tunc exprimere numerum, qui creditur magìs veriſimilis, dicendo v. g. *Decies fornicatus ſum plus minùſve.* Fit enim quod eſt moraliter poſſibile, quodque ſatìs eſt ad judicium humano modo ferendum. Nec eſt permittendum, quod Aliqui dicunt: *Malo excedere in numero, quàm deficere.* Item: *Malo confiteri peccàtum dubium ùt certum, quàm ùt dubium*; cùm Confeſſio debeat eſſe fidelis & verax. Quamquam (ùt notat Sanchez in Decal. lib. 1. c. 10. n. 68.) ſæpè pœnitens excuſetur à peccato, eò quòd bonâ fide & quadam ſimplicitate id faciat, exiſtimans conſultiùs eſſe ſe gravare, quàm exonerare.

Hinc Sylveſter verb. Confeſſio. quæſt. 8. Non eſſet mortale ſe accuſare peccatorem magnum in genere, nec ſe accuſare de veniali non commiſſo in ſpecie; immò nec de mortali in caſu dubio ad conſulendum conſcientiæ; dummodo non aſſeratur certè, ſed dubiè vel probabiliter, etiamſi quis plus juſto aliqualiter ſe aggravet ad tutamen conſcientiæ. Hæc ille. Ego autem cum Eccle. c. 7. v. 17. dico: *Noli eſſe iuſtus multùm: neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.* Confitere peccata tua non tantùm humiliter, ſed etiam fideliter & veraciter, nec nimiùm aggravando, neque plus juſto extenuando eorum malitiam; & in pace erit conſcientia tua.

Quòd ſi exceſſeris præter intentionem tuam, noli eſſe ſolicitus de iterata Confeſſione, ùt dixi in principio Concluſionis præcedentis. Sin autem defectus aliquis commiſſus fuerit ſive in genere, ſive in ſpecie peccatorum, v. g. dicendo peccatum veniale pro mortali, ſimplicem fornicationem pro adulterio, ſupplebis defectum in ſequenti Confeſſione. Si dixiſti ùt dubium, quod erat certum, conſtat quid agendum ſit ex Concluſione præcedenti. Hìc reſtat dicendum de defectu commiſſo circa numerum, v. g. dixiſti: *Decies fui fornicatus plus minùs*; & poſteà reperis te duodecies, vel vigeſies id feciſſe; putas quia ſufficienter expreſsiſti numerum peccatorum? Concluſio noſtra eſt communis DD. ſententia, quam practicando non peccabis.

154. Atque in primis inſufficienter fuiſſe expreſſum, ſi poſteà reperias te vigeſies fuiſſe fornicatum, non eſt dubium: exceſſus quippe iſte nimis notabilis eſt, ut poſsit intelligi ſub his verbis: *Plus minùſve*, quando adduntur numero denario. Quod addo; quia ſi adderentur numero millenario, poſſet ſubintelligi: quò enim numerus certus, qui exprimitur, major eſt, etiam major numerus incertus ſub illis verbis poteſt intelligi: ſic tamen, ut ſemper interveniat aliqua parvitas in numero, qui ſubintelligitur vel ſimpliciter, vel reſpectivè ad numerum certum. Ut ſi dicas: *Tertiò plus minùſve peccavi*, verum dicis, etſi quartò vel ſecundò peccaveris: quia licèt unum ſit tertia pars numeri ternarii; eſt tamen in ſe ſatìs parvum. Si autem dixeris: *Peccavi centies plus minùſve*: non verificantur iſthæc verba, ſi centum triginta vicibus peccaveris: quia triginta licèt non ſit tertia pars numeri centenarii, tamen neque in ſe, neque reſpectivè ad centum, ſunt aliquid parvum, ſicuti reſpectivè ſunt aliquid parvum ad numerum millenarium.

Appoſitè Ulpianus in leg. 192. ff. de V. S. *Hæc adiectio pluriſve, non infinitam pecuniam continet, ſed modicam; ùt taxatio hæc:* ſolidos decem pluriſve, *ad minutulam ſummam refetatur.* Ubi Gloſſa verb. *Modicum: Id eſt* (inquit) *duos aureos, ùt ſuprà de dolo* l. Idem. *ſecundùm quoſdam.* 2. *Alii uſque ad* 4. *eius quod principaliter dicitur, id eſt, de quo agitur: arg. Cod. de inoffic. teſt. L.* Si quis ſuo, *ubì quartam appellat minuſculam* 3. *Tu dic arbitrio iudicis; ùt ſuprà de iure delib. L.* 1. §. *Ait prætor.* Hæc Gloſſa. Ergo conſimiliter in noſtro caſu, quamvis Nonnulli dicant, eſſe debere quartam partem aſſignati numeri, Alii tertiam, Alii quintam, Tu dic arbitrio prudentis viri, quam ipſe omnibus conſideratis æſtimat parvam. *Lex* 192. *ff. de Verb. ſigni.*

Fateor (inquit Arriaga diſp. 31. nu. 51.) 155.
me non videre ullam regulam generalem: *Arriaga putat non poſſe aſſignari aliquam regulam generalem.*
optimum tamen conſilium eſſet pro Confeſſariis ipſis, ſi, quando pœnitens dicit: *Iuravi v. g. centies plus minùs*, interrogent illum: *Putaſne te decies ſuprà centum probabiliter, nec ne?* Et ſic ſuo modo in ſimilibus numeris: tunc enim, ſi pœnitens ipſe ſcit ſe in hoc determinare, reſpondebit ſtatim, & ceſſabit dubium. Si non ſcit, non eſt ampliùs quærendum, ſive jam Confeſſarius dubitet, an illud plus denotet 30. ſive 20. ſive 50, quia non tenebitur pœnitens tunc plus dicere.

Planè: ſed quæſtio eſt, utrùm poſteà occurrente majori numero, non teneatur plus dicere. Equidem Aliqui affirmant: & (ut verum fatear) ſatìs conſequenter ad illam ſententiam, quæ aſſerit, peccatum dubiè expreſſum debere exprimi certò, quandocumque ùt tale occurrerit memoriæ.

Nihilominùs communis ſententia eſt in 156.
contrarium, non obligans pœnitentem ad exprimendum majorem numerum poſteà occurrentem, niſi notabiliter excederet judicio prudentis numerum anteà confeſſum; idque quia quod parum eſt, pro nihilo reputatur, & *Non eſt exprimendus major numerus poſteà occurrens niſi notabiliter excederet.*

Digitized by Google

& ſufficienter cenſetur cognoſci à Confeſſario ad imponendam proportionatam pœnitentiam, & pronuntiandam debitè ſententiam Abſolutionis, ut non jam ſub dubio, ſed potiùs certò fuerit expreſſus numerus peccatorum juxta inſtitutionem Chriſti. Cùm enim difficillimum ſit, propter labilem memoriam, præcisè reminiſci determinatum numerum peccatorum, ſenſus & praxis communis ſatìs indicant, Chriſtum non voluiſſe certiorem expreſſionem numeri, eſtò voluiſſet certiorem expreſſionem ſpeciei, quæ faciliùs & communiùs diligenter cogitanti occurrit, nec à Confeſſario poteſt cum fundamento ſuſpicari, utì communiter ſuſpicari poteſt parvus exceſſus in numero peccatorum ſignificatus per illa verba: *Plus minùſve.*

Herincx. Ordinariè (inquit Herincx 4. part. tract. 4. diſp. 3. n. 23.) pœnitens, qui taliter expreſſit (numerum peccatorum) ſicut ſcivit, poteſt eſſe ſecurus, cùm non ſit natum contingere, ut poſtmodùm accipiat certam notitiam numeri magìs determinati, qui hunc certò deprehendere non potuit ante Confeſſionem, inſtituto diligenti examine.

157. *Quid faciendum ſi pœnitens nullum prorſus veriſimilem numerum poſſit exprimere?* Sed, quid ſi pœnitens, etiam poſt diligentiſſimum examen, nequidem aliquem veriſimilem numerum poſſit exprimere, ùt frequenter contingit in hominibus rudibus paſſim peccantibus, & rarò confitentibus? Reſpondeo: debet Confeſſarius eum colligere meliori modo, quo poteſt ex lapſu temporis ab ultima Confeſſione, ordinariâ conditione vivendi, & communi frequentiâ in ſingulis diebus aut hebdomadibus.

Quòd ſi nec hoc modo frequentiam peccati exprimere quis poſſit, ùt contingere ſolet in meretricibus, per annum vel annos ad cujuſlibet libidinem proſtitutis, (idem eſt de uſurariis & ſimilibus) confiteatur pœnitens animi præparationem ad peccatum, & tempus, quo in eo vitæ inſtituto permanſit. Teneretur tamen quantùm poteſt confiteri ſpecies & numerum peccatorum, quæ in tali genere ſunt extraordinaria v.g. quoties peccaverit cum Sacerdotibus, cum propinquis, cum conjugatis &c. Item quoties peccaverit peccato contra naturam. Sæpè etiam neceſſarium erit explicare circumſtantiam loci: quia contingere poteſt, quòd una meretrix in uno loco, putà frequentiſſimo hoſpitio, decies fornicetur, dum alia in domo privata tantùm ſemel. Igitur quæ meretrix fuit in loco frequentiſſimo, omnium libidini obedire parata, niſi id explicet, non cenſetur adhuc in communi & in confuſo ſatìs explicuiſſe numerum peccatorum ſuorum. Ita Dicaſtillo diſp. 9. n. 57. *Dicaſtillo.*

158. *Notabile pro Confeſſariis ex Herincx.* Experientia docet (inquit Herincx part. 2. tr. 2. diſp. 5. n. 58.) homines rudes præſertim rariùs confitentes, determinatum numerum peccatorum haud ſcire, minùs exprimere poſſet vel ſi rogati exprimant, ſæpè merè conjectando illum exprimere, ſive quia tacere erubeſcunt, ſive ut à moleſta Confeſſarii interrogatione ſe eximant. Proinde circa tales præcipuè adlaborandum eſt, ut adſit ſeria contritio ac deteſtatio peccatorum, cum propoſito ipſa & occaſiones peccatorum vitandi. De cetero autem ex notitia temporis elapſi ab ultima Confeſſione, durationis peccati, ſtatûs & conſuetudinis vivendi, frequentiæ occaſionum &c. formare ſtudeat Confeſſarius quale poterit de numero peccatorum judicium, dum magìs determinatum fruſtrà ſe ſperare, prudenter exiſtimabit. Hactenus præfatus Auctor.

Itaque in his & ſimilibus caſibus attendat Confeſſarius, ut magìs ſit ſolicitus de ſerio confitentium dolore, ac propoſito emendationis, quàm de materiali integritate, quæ frequentiſſimè eſt impoſsibilis, & conſequenter non neceſſaria ad valorem ac fructum Sacramenti.

Attendat quoque pœnitens, qui propter peccatorum inveteratam conſuetudinem non potuit numerum diſtinctè explicare, & ideò dixit tempus, locum &c. ſe fortaſsis excuſari ab iterata Confeſsione particularium peccatorum, quæ ſibi poſtmodum in memoriam occurrunt, licèt hìc & nunc poſſet ea magìs diſtinctè aperire. Ratio eſt; quia in illa confuſa narratione fuerunt comprehenſa, & directè abſoluta, ùt docet communis ſenſus, & praxis Eccleſiæ. 15 *Nota pro pœnitentibus.*

Verumtamen conſulitur iterata Confeſſio, tamquam tutior & ſummè utilis hujuſmodi hominibus tum ad perfectiùs ſatisfaciendum pro peccatis præteritis, quæ propter nimiam multitudinem in prima Confeſſione non potuerunt condignè puniri, tum ad faciliùs abſtinendum à futuris. Qui etiam efficaciter proponit emendationem alicujus particularis peccati, occurrente poſtmodùm occaſione peccandi, tenaciùs obſervabit propoſitum, quàm ſi tantùm in genere propoſuiſſet non peccare. Omitto ſpecialia auxilia gratiæ, quæ ex opere operato conferuntur per hoc Sacramentum. Hinc Confeſſarii peccatoribus, ſæpè reincidentibus in eadem peccata mortalia, injungere ſolent ad novæ vitæ cuſtodiam, & medicamentum infirmitatis frequentiorem Confeſſionem.

Sed dicet aliquis: ex hac Concluſione & præcedenti, videtur conſectarium, eum, qui tacuit peccatum certum ex oblivione, vel aliàs ſinè culpa, non manere obligatum ad iteratam illius peccati Confeſſionem; quoniam ſecundùm Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. *Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eâdem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.* Ergo etiam eâdem Abſolutione directè abſoluta: ergo non manet obligatio alterius Abſolutionis. 1 *Obj. Co*

Atque

Atque hâc permotus ratione quidam Lector Sacræ Theologiæ, in publicis Aſſertionibus, defenſis Mechliniæ in Conventu noſtro an. 1649. 12. Aprilis, aſſertione 16. in fine ſic ſtatuit: *Confeßio peccati dubii ac certi, citra culpam anteà non expreßi, eſt in praxi apud fideles ſecurior ac utilißima; eius tamen obligatio fortè communiùs aſſeritur, quàm claré oſtendatur.* Et cùm ab Oppugnantibus urgeretur his Conſequentiis: Ergo qui oppreſſi infirmitate nequeunt ſe accuſare, niſi de peccatis in genere, non tenentur poſtmodùm in particulari ampliùs confiteri. Ergo milites, qui inſtante pugnâ abſolvuntur factâ generali tantùm Confeſſione, non tenentur poſtmodùm in particulari ampliùs confiteri. Itemque navigantes qui in periculo naufragii ſic abſolvuntur; omnes hujuſmodi Conſequentias admiſit, contra univerſalem praxim Eccleſiæ, & unanimem conſenſum DD. qui hactenus de hac materia ſcripſerunt: à quo utique conſenſu, & à qua praxi non eſt recedendum, propter auctoritatem illius Theologi, non bene fundati, ùt jam oſtendo.

Concilium Trident. in verbis præallegatis non loquitur expreſsè de omnibus peccatis citra culpam anteà non expreſſis, ſed de ſolis peccatis oblitis, ſive quæ diligenter cogitanti non occurrunt; de quibus poſſet eſſe alia ratio: quià phyſicè impoſſibile eſt confiteri, quod cogitanti non occurrit. Unde, tametſi Chriſtus voluiſſet, non potuiſſet eorum Confeſſionem præcipere; ſecùs illorum, quæ quidem cogitanti occurrunt, tamen non abſque magna difficultate hìc & nunc poſſunt explicari in Confeſsione. Et ideo Chriſtus meritò voluit, ut ceſſante illâ difficultate, in particulari exprimerentur, quamvis anteà indirectè forent remiſſa per Abſolutionem, ratione gratiæ ſanctificantis, quæ non datur ſinè remiſſione omnium peccatorum, eo modo, quo deleta fuiſſent per Contritionem Charitate perfectam ſinè Sacramento, eſtò ſolùm fuiſſet Contritio formalis unius peccati. Sicut ergo peccata deleta per Contritionem oportet confiteri; ita & iſta indirectè remiſſa per Abſolutionem.

Et ſanè de hac indirecta remiſſione tota Eccleſia ſemper intellexit præfata verba Tridentini; & ideo etiam conſequenter intellexit, peccata oblita, dum poſteà cogitanti occurrunt, in particulari eſſe exprimenda, & directè abſolvenda.

Quæris à me, quid ſit directa remiſſio per Abſolutionem, ſeu directa Abſolutio? Jam ſuperiùs ad hoc reſpondi, agendo de peccatis dubiis; & iterùm dico: Eſt Abſolutio alicujus peccati directè confeſſi, id eſt, declarati non in genere dumtaxat, ſed potiùs in ſpecie & ſigillatim; porrò peccata oblita, utì & alia citra culpam omiſſa, nunquam fuerunt declarata in ſpecie & ſigillatim, etiam in confuſo, ita ut Confeſſarius aliquam habuerit notitiam ſpeciei & numeri; ergo nunquam fuerunt directè abſoluta. Quid ergo miramur, ſi debeant poſtmodùm declarari in ſpecie & ſigillatim?

Deus eſt, qui præcepit pœnitentibus declarare ſua peccata non in genere dumtaxat, ſed potiùs in ſpecie ac ſigillatim, ſive alioquin ſint remiſſa, ſive non, ùt patet ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 3. ibi: *Conſtat Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Et infrà: *Colligitur prætereà etiam eas circumſtantias in Confeßione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati immutant; quòd ſinè illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſeri poßint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.*

Itaque per Confeſſionem peccati in genere, aut unius in ſpecie, minimè ſatisfit præcepto divino confitendi omnia peccata mortalia in ſpecie & ſigillatim; quamvis alioquin in certis caſibus, quando phyſicè vel moraliter alia Confeſſio non eſt poſsibilis, ſufficiat ad validam Abſolutionem, & remiſsionem omnium peccatorum accipiendam, ne alioquin Confeſsio; quæ hâc ratione fieri præcipitur, meritò impoſsibilis dicatur, aut carnificina conſcientiarum appelletur; & ne paſsim Sacramentum fruſtretur ſuo effectu, cùm frequentiſsimè homines obliviſcantur alicujus peccati. 163. **Per Confeſſionem peccati in genere, aut unius in ſpecie non ſatisfit præcepto divino.**

Unde (quod bene advertendum eſt) non dicit Trident. *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in ſpeciali, eâdem Confeßione incluſa eſſe intelliguntur*, ſed, *in univerſum*, ut ſignificet illa peccata non ſpecialiter abſolvi ſeu remitti per illam Abſolutionem, ſed ſolùm in univerſum, ſeu generaliter. Cùm ergo Chriſtus requiſiverit Confeſsionem & Abſolutionem in ſpeciali, non ſolùm ſecurior ac utiliſsima eſt Confeſsio peccati, citra culpam anteà non expreſsi, ſed prorsùs obligatoria; ſicut obligatoria eſt Confeſsio peccati anteà deleti per Contritionem Charitate perfectam; adeoque judico contrariam opinionem omnino improbabilem, & nullatenus in ſcholis admittendam aut practicandam. Præſertim cùm poſt hæc ſcripta Alex. 7. die 24. Sept. an. 1665. damnaverit & prohibuerit, ùt minimum tanquam ſcandaloſam, hanc propoſitionem: *Peccata in Confeßione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeßione exprimere.*

Hinc oritur quæſtio; utrùm qui oblitus fuit alicujus circumſtantiæ mutantis ſpeciem, teneatur poſteà, dum eam circumſtantiam confitetur, repetere etiam ipſum peccatum, an verò ſatisfaciat declarando ſolam circumſtantiã v.g. injuſti-

injuſtitiæ, non dicendo, utrùm in materia luxuriæ, an honoris &c. Reſponſio erit

CONCLUSIO VII.

Oblitus alicujus circumſtantiæ mutantis ſpeciem, ſi eam poſſis declarare, non declarato peccato, non teneris illud repetere; ſin minùs, repetendum erit.

164. Exemplum 1. part. Concluſ. Exemplum primæ partis eſt de eo, qui habens votum caſtitatis fornicatus eſt, & confeſſus eſt fornicationem; ſed propter oblivionem, vel aliam juſtam cauſam omiſit circumſtantiam voti violati; communis ſententia docet, ſatisfacere pœnitentem, ſi explicet circumſtantiam omiſſam, non explicato iterum peccato, quod jam eſt confeſſus, dicendo v. g. *Violavi votum in re gravi.* Ratio eſt: quia per illa verba declarat peccatum ſuum in ſpecie ac

Probatio. ſigillatim: etenim violatio voti perfidia eſt ad Deum, ejuſdem ſpeciei circa quodlibet objectum, veluti obſervatio voti eſt fidelitas ad Deum, ejuſdem ſpeciei circa quodlibet objectum.

Diverſitas votorum ex parte materiæ non eſt explicanda, niſi materia aliunde ſit præcepta. Tota ergo diverſitas votorum ex parte materiæ prorsùs materialis eſt, adeoque minimè explicanda (quidquid Aliqui in contrarium velint) in Confeſsione, niſi materia aliunde præcepta ſit, ùt in caſu propoſito, in quo violatio voti conjungitur peccato fornicationis planè diverſæ ſpeciei, utique contra virtutem caſtitatis, quæ ſecluſo voto prohibet copulam cum non ſua. Unde malitiæ illæ manent prorsùs impermixtæ: poteſt enim quis peccare contra votum in materia caſtitatis, & non contra virtutem caſtitatis, v. g. ſi habens votum caſtitatis petat debitum ab uxore. Et vice versâ poteſt quis peccare contra virtutem caſtitatis, & non contra votum caſtitatis, v. g. ſi non habens votum caſtitatis fornicetur? Quid ergo mirum, ſi una malitia poſſit in ſpecie & ſigillatim declarari ſinè altera, etiam quando in eodem actu per accidens conjunguntur? Non video rationem dubitandi.

165. Ratio dubitandi de. Exemplo 1. part. Concluſ. Ratio (inquis) dubitandi eſt; quòd ille, qui confitetur ſe violaſſe votum in re gravi, non explicando materiam, hoc ipſo ſignificet, materiam aliunde non fuiſſe prohibitam: ergo non confitetur peccatum, quod fecit, ſed quod non fecit; ſicuti qui dicit, ſe furatum eſſe quinquaginta, cùm furatus ſit centum, ſignificat ſe ſolùm quinquaginta furatum: quod cùm ſit falſum, jam non confitetur furtum, quod fecit, ſed aliud, quod non fecit; adeòque Confeſſio hujuſmodi eſt invalida.

Propter hanc objectionem (inquit Arriaga diſp. 35. n. 35. in fine) putat Lugo diſp. 16. n. 657. ſtando in ratione, probabiliorem eſſe contrariam ſententiam, quam ita tenet Silveſter verb. *Confeſſio.* 1. q. 10. ut dicat, contrariam magnum errorem continere. Hæc ille.

Sed hallucinatur: nam in primis hæc ſunt verba Cardinalis: Ex hoc exemplo & argumento (ut verum fatear) licèt ſententia illa, quam huculque explicuimus, quòd poſſit ſeorsùm explicare in ſecunda Confeſſione circumſtantiam omiſſam, non explicato denuò peccato, probabiliſſima ſit, & tuta in praxi, propter auctoritatem tot & tantorum Doctorum, ſtando tamen in ratione, ſemper mihi difficilis viſa eſt. Et ſuprà n. 660. Videtur ergo ſatis probabilis, ſtando in ratione, ſententia Silveſtri. Hæc Eminentiſſimus. Tu vide, an propterea putet, probabiliorem eſſe contrariam ſententiam. Sed Lugo ma ab.

Quantum ad Silveſtrum, non ſatìs conſtat, an loquatur de præſenti controveſia. Subſcribo ejus verba: Eſto quòd eſſet vera iſta opinio (putà, circumſtantiam ſacri temporis eſſe neceſſariò confitendam) adhuc Summa Angelica dicit magnum errorem, in Tit. *Interrogatio.* §. 6. in fine, ubi vult, quòd circumſtantiam Feſti ſufficit confiteri, non ſpecificando ſpeciem peccati; ſed dicendo, quòd in Feſto totiens peccavit, falſum eſt: & infert contradictionem in dictis ejus; quia ſi iſta circumſtantia eſt neceſſaria, aggravat infinitè: ergo dat ſpeciem peccato. Ergo illud peccatum ſinè tali circumſtantia non eſt dictum quantum ad ſuam ſpeciem; ergo non eſt ſufficienter confeſſum, cujus oppoſitum iſte dicit, Ita Silveſter.

Summa autem Angelica ſic inquit: Quia difficile eſt ſcire dicere, quæ peccata commiſit in Feſtis; & interrogare in quolibet peccato, ſi illud commiſit in Feſto, eſt difficile; potes ſinè alio ſcrupulo peccatorem interrogare ſic: *Peccaſti mortaliter in Feſtis?* Et ſi dicit, quòd ſic, interroga ſecundò: *In quot Feſtivitatibus?* Et ſi neſcit, interroga eum: *Si quaſi in omnibus, vel in majori parte ipſarum, vel in minori.* Et tertiò interroga: *Si in eodem Feſto aliquando bis vel ſexties & ſæpiùs.* Et ſic ſufficit quoad iſtam circumſtantiam, abſque hoc quòd exprimat ſpeciem peccati, quod commiſit; vel abſque hoc, quòd in quolibet peccato, quod confitetur, interroges, *ſi fecit in Feſto.* Hactenus Angelus de Clavaſio Ordinis Minorum Vicarius Generalis Ciſmontanorum FF. Obſervantiæ.

Qui (ùt liquidò conſtat ex verbis mox recitatis) non loquitur de caſu noſtræ Concluſionis, v. g. an, ſi aliquis fuiſſet confeſſus peccatum, quod fecerat in die Feſto, putà fornicationem, oblitus illius circumſtantiæ in ſe-

Digitized by Google

in ſequenti Confeſſione ſufficienter confiteretur, dicendo: *Opus ſervile feci in die feſto* (exiſtimat quippe hic Auctor verb. *Feria* §. 36. opus peccati mortalis eſſe opus ſervile) ſed univerſaliter reſolvit, etiam in eadem Confeſſione poſſe ſeparatim declarari circumſtantiam diei feſtivæ, & ſeparatim ſpeciem peccati, quia (inquit) difficile eſt ſcire, quæ peccata commiſit in Feſto. Cum quo benè ſtat, quòd pœnitens debeat ſimul illa explicare, quando commodè poteſt.

Cæterùm Summa Angelica non dicit magnum errorem in Tit. *Interrogatio* §. 6. in fine; eſtò etiam intelligeretur de eadem Confeſſione, & quando commodè poſſent ſubſtantia & circumſtantia peccati ſimul explicari, ut patebit ex dicendis. Igitur Silveſter loco citato non docet, noſtram opinionem, de qua ipſe ibi non tractat, eſſe magnum errorem.

168. His præmiſſis, reſpondeo ad rationem dubitandi, hanc propoſitionem: *Violavi votum in re gravi*, non ſpecificando materiam, eſſe veriſſimam in toto rigore, non ſolùm morali, ſed etiam philoſophico, eſtò Confeſſarius erret, intelligendo materiam aliunde non prohibitam, cùm tamen reverà aliunde prohibita fuerit. Quamvis enim ſoleant pœnitentes declarare materiam ſpecialiter prohibitam, immò tametſi id foret neceſſarium per ſe loquendo; equidem Confeſſarius ſcire debet, & ſupponitur ſcire, ex juſta cauſa contrarium licere, v. g. ſi pœnitens non poſſet confiteri violationem voti caſtitatis ſpecificando materiam, niſi revelando complicem cum periculo gravis damni extrinſeci; poteſt & debet nihilominus, ſecundùm communem ſententiam, explicare violationem voti in materia gravi, ſi poſſit ſinè gravi incommodo. Ergo Confeſſarius, ſi erret in caſu noſtro, intelligendo materiam aliunde non prohibitam, ſibi ipſi debet imputare: nam reverà illa verba, neque in ſe, neque etiam in ipſa Confeſſione illud ſignificant, ſed abſtrahunt à materia aliunde prohibita, & non prohibita.

Et ſicut qui ex juſta cauſa, v. g. ne revelet complicem, non ſpecificat materiam, nihilominùs confitetur peccatum, quod fecit (nemo enim poteſt aut debet confiteri peccatum, quod non fecit, ne alioquin cogatur mentiri) pari profectò ratione ille, qui heri confeſſus fuit ſubſtantiam peccati, v. g. fornicationem, & hodie declarat ſolam circumſtantiam, v. g. violationem voti in re gravi, quidni confiteatur peccatum, quod fecit? Haud dubito, quidquid perperàm concipiat, vel non concipiat ſuâ imprudentiâ Confeſſarius: ab ipſius enim imprudenti errore non dependet veritas meæ Confeſſionis.

169. Numquid debeo dicere, me peccaſſe cum Catharina, quia ipſe fortaſsè concipiet Agnetem? Aut oportet me declarare, adhuc reſtare aliquod peccatum confitendum, quod ex juſta cauſa taceo, quia aliàs ipſe intelliget, nullum ampliùs ſupereſſe confitendum? Abſona ſunt ſimilia commenta, & contra communem praxim. Ergo quòd Confeſſarius auditis his verbis: *Violavi votum in re gravi*, concipiet materiam aliàs non prohibitam, etſi à parte rei prohibita fuerit, parum aut nihil refert ad veritatem Confeſſionis, & valorem Abſolutionis; niſi dixeris, pœnitentem invalidè fuiſſe confeſſum, & conſequenter invalidè abſolutum, qui ſolam fornicationem fuiſſet confeſſus, & per oblivionem circumſtantiam voti omiſiſſet: hic enim fuiſſet confeſſus peccatum, quod non fecit; ſi verum eſt, quòd ex duplici illa malitia, videlicet contra caſtitatem, & contra religionem, exurgat una tertia malitia, ſpecie diſtincta ab utraque, quæ non poſſit explicari, niſi utraque malitia ſit explicata. Patet: quia talis pœnitens ſolùm explicavit peccatum fornicationis, quod non fecit ſecundùm te, ſed fecit aliud ſpecie peccatum, compoſitum ſeu conflatum ex duplici peccato, nimirum fornicationis, & violationis voti; quod (puto) nemo facilè admiſerit.

Quid ergo ad inſtantiam de eo, qui cùm fuerit furatus centum, ex oblivione dicit: *Furatus ſum quinquaginta?* Reſpondeo; omninò ſatisfacere, ſi in ſecunda Confeſſione explicet alia quinquaginta; quia prorsùs declaravit ſuum peccatum; ſicuti qui ex oblivione dixiſſet: *Tertiò fui fornicatus*, cùm tamen ſexies peccaſſet, plenè ſatisfacit, confitendo iteratò, ſe tertiò fuiſſe fornicatum. 170.

Dices: diſparitas eſt, quòd fur non explicet peccatum quod fecit, ſed aliud, quod non fecit: ſignificat enim ſe ſolùm furatum quinquaginta, cùm tamen furatus fuerit centum. Secundò, ſignificat ſe commiſiſſe duo peccata, cùm tamen fuerit unicum. At verò fornicator iſte adæquatè explicat peccatum, quod fecit, & numerum, etſi in diverſis Confeſſionibus.

Reſpondent Aliqui ad primum, & quærunt; an ergo qui nihil aliud fuiſſet confeſſus, quàm: *Furatus ſum quinquaginta*, oblitus inculpabiliter aliorum quinquaginta, invalidè fuiſſet confeſſus, & conſequenter invalidè abſolutus? Quippe, ſecundùm te, non fuit confeſſus peccatum, quod fecit, ſed aliud, quod non fecit. Quis autem dixerit talem Confeſſionem invalidam? Ergo quando primò confeſſus eſt quinquaginta, & rursùs confitetur alia quinquaginta, confitetur peccatum, quod fecit, etiam ſigillatim, id eſt, ſecundùm numerum; quia illud unicum furtum centum æquivalet moraliter duobus furtis quinquaginta; veluti qui unico actu occidit duos, ſi unâ vice dixit: *Occidi unum*, alterâ vice ſimiliter poteſt dicere: *Occidi unum*. Alioquin ſi Concilium Trident. ſeſſ. 14. c. 5. per ly *Sigillatim*, ſolùm intellexerit numerum phyſicum & formalem, malè colli-

Marginal notes: Varii non dependet veritas Confeſſionis. — Reſpondetur ad inſtantiam de fure. — Objectio. — Solvitur.

Digitized by Google

colligunt aliqui DD. quantitatem pecuniæ eſſe explicandam propter virtualem multiplicationem numeri.

171. *Alia objectio ſolvitur.*

Si dixeris; differentiam in eo eſſe, quòd in homicidio violentur duo jura, at verò in furto unicum tantùm; Reſpondent; eſtò in eodem homine fuerint jura illa, in ſe tamen ſunt duo: nam jus ad quinquaginta priora, eſt diſtinctum realiter à jure ad alia quinquaginta, eodem planè modo, ac ſi illa centum pertinuiſſent ad duos diverſos dominos: neque enim jura diſtinguuntur ſolùm per ordinem ad perſonas, quæ dicuntur habere jus, ſed etiam in ordine ad ipſas res. Sic jus quod ego habeo ad vitam meam, diſtinguitur realiter à jure, quod habeó ad famam, aut ad alia bona externa: ergo ſimiliter jus, quod habeo ad hos quinquaginta florenos, à jure, quod habeo ad illos quinquaginta. Ergo ad præſentem quæſtionem nihil refert, ſive illa centum fuerint diverſorum hominum, ſive unius. Unde illud non ſolet in Confeſſione explicari. Hæc illi ſecundùm ſuam ſententiam, quæ docet, illam quantitatem furti eſſe explicandam in Confeſſione, ſive quia eſt circumſtantia notabiliter aggravans, aut mutans moralem ſpeciem, ſive quia virtualiter multiplicat numerum.

172. *Alia reſponſio ad illam inſtantiam.*

Alioquin juxta oppoſitam ſententiam, reſponderi poſſet ad illam inſtantiam: etſi ex certa ſcientia confiteretur, ſe quinquaginta fuiſſe furatum, equidem Confeſſio foret valida; quia adhuc confiteretur peccatum, quod fecit: nam qui furatus eſt centum, ſinè dubio furatus eſt quinquaginta. Vel ſi tunc non confiteretur peccatum quod fecit, & ideo confiteretur invalidè; etiam confiteretur invalidè, etſi ſic confiteretur ex ignorantia inculpabili. Porrò ſi valeat talis Confeſſio, non obligatur pœnitens alia 50. declarare in ſecunda Confeſſione, ùt patet; poterit tamen, quia poteſt idem peccatum ſæpiùs confiteri.

Cæterùm putant Multi, talem Confeſſionem non valere; quia illa vox: *Quinquaginta*, addita furto, videtur negativa quantitatis majoris, juxta communem ſenſum; adeóque pœnitens confiteretur peccatum, quod non fecit, quia non eſt furatus tantùm quinquaginta. At verò in noſtro caſu, dum dico: *Violavi votum in materia gravi*, vox hæc: *In materia gravi*, non additur ad diminuendum; ſed ad oſtendendum, quòd fuerit materia capax peccati mortalis. Utrùm autem aliundè habuerit ea ipſa materia rationem peccati, nullo modo, nequidem juxta communem acceptionem, aut negat, aut affirmat illa Confeſſio. Ita Arriaga diſp. 35. n. 41. *Arriaga.*

Atque hâc ratione Concl. 2. dixi, conſultum eſſe non determinare certam quantitatem furti; ſed optimum fore indeterminatè confiteri: *Furatus ſum materiam gravem*; quia hæ voces: *Materiam gravem*, confusè ſignificant quamcumque materiam gravem, tam unum florenum, quàm unum millionem.

Sic explicata prima pars Concluſionis, non poteſt alio medio oppugnari, quàm hâc Conſequentiâ: Ergo etiamſi ego ex propoſito in eadem Confeſſione dividam peccatum meum, ac dicam: *Fui fornicatus*; & paulò poſt: *Violavi votum in re gravi*; faciam validam ac licitam Confeſſionem. Hoc autem videtur eſſe contra communem ſenſum: non enim communiter admittunt DD. eam diviſionem, niſi ex oblivione, aut ratione alicujus imminentis periculi. 1 *At de ſeſ po. de pec*

Juvabit audire Suarium diſp. 22. ſect. 2. n. 9. Si (inquit) duæ illæ malitiæ ſufficienter explicari poſſint, non explicando connexionem earum in uno actu, ſatìs erit illas dicere per modum plurium peccatorum; quia Multi exiſtimant illa reverà eſſe plura peccata, & illa conjunctio non variat judicium, neque addit ſpecialem gravitatem. At verò, ſi propria malitia circumſtantiæ non poſſit declarari, niſi ùt conjuncta & addita alteri peccato; tunc neceſſarium erit illam per modum circumſtantiæ confiteri: & quia moraliter loquendo ita frequentiùs accidit, ideo in uſu ita ſervandum eſt. Hæc ille. Quam ſententiam Arriaga ſuprà exiſtimat ſatìs probabilem. *Sua*

Et ſi objicias: ille modus confitendi ſignificat ibi fuiſſe duo peccata, cùm tamen ſolùm fuerit unum; reſpondet: Quòd Confeſſarius, quando fuit unum peccatum æquivalens moraliter duobus, illud concipiat perinde, ac ſi fuiſſent duo illa diſtincta, quibus æquivalet, non obeſt Confeſſioni. Ut, ſi unâ volitione, uno ictu occidi duos homines, poſſum abſolutè dicere: *Occidi duos*; licèt hæc vox ſic dicta planè ſignificet duo peccata, quia rarò unâ volitione & ùnâ actione occiduntur duo. Hæc ille. 17. *Objec ſolvi*

Quæ reſponſio colligitur ex Suario, dum dicit: *Multi exiſtimant illa reverà eſſe plura peccata; & illa conjunctio non variat judicium, neque addit ſpecialem gravitatem*, ſaltem alicujus conſiderationis in ordine ad præceptum Confeſſionis; neque enim, etiam in ſententia Suarii, quælibet circumſtantia aggravans eſt confitenda neceſſariò, ſed dumtaxat notabiliter aggravans. Itaque talis explicat peccatum, quod fecit, id eſt, malitiam peccati, quod fecit, quæ ſola variat judicium Confeſſarii in ordine ad ſervandam æquitatem moralem in pœnitentiis injungendis.

175. *Non p ſieri ſe tionem cet Au*

Sed quid dicam? Quod uni placet, alteri diſplicet. Unde nonnulli reſpondent negando illam Conſequent. quia, quando ſeparatio illa fit in eadem Confeſſione, videtur planè denotare, illud peccatum non habuiſſe talem circumſtantiam. Quando autem non eſt ulla ratio faciendi eam diſtinctionem, ſinceritas Confeſſionis exigit, ut non ſeparetur circum-

ſtantia

Digitized by Google

ſtantia à peccato, cujus fuit; neque peccatum à ſuis circumſtantiis. Ita Arriaga ſuprà.

Confirmatur ex Lugone ſuprà nu. 654. Quando intrà eandem Confeſſionem ſeparo illas malitias, ſignifico eſſe duo peccata: quando verò in duplici Confeſſione id facio, non ſignifico eſſe aliud peccatum, quia poſſum in duplici Confeſſione accuſare me bis de eodem peccato, non in eadem; niſi explicem.

Reſpondeo: Quando intrà eandem Confeſſionem ſeparo illas malitias, ſignifico eſſe duo peccata in omni rigore philoſophico, id eſt, duos actus phyſicos, nego: duos actus morales, concedo totum. Sed hoc eſt contra ſinceritatem Confeſſionis, nego Subſumptum: nam ſinceritas Confeſſionis ſolùm exigit, ut ita explicentur peccata in ſpecie & ſigillatim, quòd Confeſſarius poſſit cognoſcere cauſam, & ſervare æquitatem in pœnis injungendis; ad id autem non requiritur exacta cognitio actuum phyſicorum, ſed potiùs ipſarum malitiarum, ſeu actuum moralium. Porrò fornicatio ſacrilega, quamvis ſit phyſicè unicus actus, tamen moraliter duplex eſt, id eſt, fornicatio iſta quatenus peccatum luxuriæ, diſtinguitur moraliter à ſe ipſa quatenus ſacrilegium; nec aliam diſtinctionem oportet Confeſſarium apprehendere: alioquin à ſe ipſo decipietur, & non à pœnitente. Deinde, ſi aliquid probat argumentum Lugonis, etiam probat, ex juſta ratione non poſſe ſeparari illas malitias in eadem Confeſſione, v. g. ad occultandum complicem, quod mihi non eſt credibile.

176. Atque hæc ſufficiant pro prima parte Concluſionis; quæ licèt non verificaretur in exemplo propoſito, de eo, qui habens votum caſtitatis, fornicatus fuit (nam putant Aliqui, inter quos Arriaga tom. 3. diſp. 41. ſect. 5. materiam voti declarandam eſſe in Confeſſione) equidem inveniuntur alii caſus, in quibus eſtò explicetur materia circumſtantiæ, non tamen, ideo detegitur peccatum in priori Confeſſione expreſſum: v. g. ſi ego feci votum audiendi Sacrum die Dominicâ, & poſteà illud non audio, ac in Confeſſione oblitus circumſtantiæ voti, dixi, me neglexiſſe Sacrum die Dominicâ; tametſi in ſecunda Confeſſione deberem dicere: *Omiſi Sacrum, ad quod ex voto tenebar,* non tamen neceſſe eſt dicere, illud fuiſſe die Dominicâ: ac proinde non eſt neceſſe, ut alteram malitiam tranſgreſſionis præcepti audiendi Sacrum die Dominicâ, iteratò declarem. Plures ſimiles caſus vide apud Arriagam hìc diſ. 35. n. 42. & 45. Ego illis non immoror, quia mihi primum exemplum ſufficientiſſimum eſt.

177. Cæterùm ſi quæritur, quare potiùs ſufficiat dicere: *Violavi votum in materia gravi,* quàm: *Offendi Deum in materia gravi*; aut: *Violavi præceptum Dei vel Eccleſiæ in materia gravi*? Reſpondeo breviter: quia per priora verba explicatur ſpecies peccati; ſecùs per poſteriora. Ratio eſt: quia præcepta non extrahunt actum ſeu materiam à propria ratione virtutis & honeſtatis, quam ex ſe habet; ſed intrà illam imponunt neceſſitatem: lex enim in materia temperantiæ præcipit actum temperantiæ, & ſic de aliis. At verò votum addit materiæ ſpecialem honeſtatem divini cultûs, ordinando talem materiam, v. g. jejunium, ad hunc cultum, ad quem ex natura ſua non eſt ordinatum, & ſub illa ratione addit neceſſitatem. Igitur neceſſitatem ejuſdem ſpeciei in omnibus materiis, ſicuti eſt eadem honeſtas. Ergo niſi materia voti præter honeſtatem & neceſſitatem fidelitatis ad Deum, aliam habeat ſpecialem honeſtatem & neceſſitatem ex præcepto divino vel humano; liquet profectò, illam materiam non eſſe explicandam in Confeſſione: v. g. ego voveo jejunium, ad quod non teneor ex jure naturali temperantiæ (quia comedendo carnes non facio contra temperantiam) neque obligor ex aliqua lege poſitiva divina aut humana; ſi comedo carnes, pecco dumtaxat peccato perfidiæ: adeòque iſtud explicando, declaro totam ſpeciem mei peccati.

Ratio ulterior eſt: quia homo privatus non poteſt ſibi imponere obligationem temperantiæ; hæc enim eſt obligatio legis propriè dictæ: lex autem eſt actus juriſdictionis, qui pertinet ad Superiorem. Hinc frangens jejunium in caſu propoſito, non peccat contra temperantiam, etſi ex hujus virtutis motivo voviſſet. Nam indè ſolùm ſequitur, honeſtatem jejunii fuiſſe motivum aliquod extrinſecum, propter quod aſſequendum homo voluit formalem honeſtatem Religionis, ſive voluit id, quod formaliter eſt cultus Dei.

Si inferas: ergo conſimiliter honeſtas jejunii tantùm erit motivum aliquod extrinſecum 178.
legis propriè dictæ, propter quod aſſequendum, Objectio.
legiſlator vult formalem honeſtatem obedientiæ, ſive vult id, quod formaliter eſt obedientia; adeòque frangens jejunium præceptum ab Eccleſia, ſolùm peccabit contra obedientiam.

Reſpondeo N. C. Diſparitatem do; quòd Solvitur.
obedientia ſit virtus generalis, cujus honeſtas reperitur in omni præcepto tam naturali, quàm poſitivo; tam divino, quàm humano: proinde neceſſariò contrahenda ad diverſas ſpecies virtutum. Per quid? Per nihil aliud, quàm per diverſas materias. Conſimiliter inobedientia eſt peccatum generale, quod invenitur in tranſgreſſione cujuſcumque legis tam naturalis, quàm poſitivæ; tam divinæ, quàm humanæ: proinde neceſſariò contrahendum ad diverſa ſpecie peccata. Per quid? Per nihil aliud, quàm per diverſas materias; niſi velimus dicere, omnes virtutes, & omnia peccata eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ, quod eſt inauditum. Igitur quemadmodùm peccatum contra legem naturalem temperantiæ, non

ſolius

ſolius inobedientiæ peccatum eſt, ſed etiam peccatum intemperantiæ: pariformiter dico, peccatum contra legem poſitivam divinam vel humanam in materia temperantiæ, non ſolius inobedientiæ eſſe peccatum, ſed etiam peccatum intemperantiæ.

179. *Alia objectio ex Arriaga.*

Dices cum Arriaga to. 3. diſp. 41. n. 38. Etiam irreligio multis peccatis ſpecie diverſis cõvenire poteſt; ut quando de multis materiis facimus votum, v. g. de jejunio, de oratione, de eleëmoſyna: ergo in hoc nulla eſt diſparitas: quòd enim ad viginti v. g. peccata ſe extendat inobedientia, irreligio verò ad ſedecim, per accidens omnino eſt pro præſenti difficultate: nam ratio, quæ eſt verè ſpecifica atoma, non ſolùm non poteſt eſſe communis centum v. g. ſpeciebus diſtinctis, ſed nec ſolis duabus: nam jam eo ipſo non eſſet ſpecies, ſed genus. Ergo cùm oſtenderim irreligionem eſſe multis illis peccatis communem, eſtò non tot, quot eſt inobedientia, non poterit abſolutè eſſe ſpecies atoma, ùt argumentum dicebat de inobedientia. Hæc ille.

180. *Solvitur.*

Sed quæro ego: quis Theologorum docet irreligionem eſſe ſpeciem atomam? Nonne ſecundùm omnes Votum, Juramentum, Oratio, Sacrificium &c. ſunt cultus ſpecie diſtincti? Et per conſequens, falſum juramentum peccatum ſpecie diſtinctum à violatione voti? Nemo dubitat, quamvis utrumque ſit peccatum irreligionis.

Irreligio non eſt ſpecies atoma.

Deinde ſupponit Arriaga, quod deberet probare, & communiter à Theologis negatur, nimirum vota ſpecificari ſeu diverſificari ſpecie, ex diverſitate materiarum; quod mihi tam falſum eſt, quàm omnibus falſum eſſe debet, furta ſpecificari ſeu diverſificari ſpecie ex diverſitate materiarum. Sicut ergo non teneor explicare in Confeſsione, an aurum, an argentum, an ferrum, an veſtes furatus fuerim; ſed ſatisfacio dicendo: *Furatus fui materiam gravem*, ſecundùm unam ſententiam; ſecundùm alteram; *Furatus fui materiam tanti pretii, v. g. centum florenorum*; pari ratione non teneor explicare in Confeſsione materiam voti, v. g. jejunium, orationem, &c. ſed ſatisfacio ſecundùm unam ſententiam dicendo: *Violavi votum in materia gravi*; ſecundùm alteram deberem explicare materiam, quando notabiliter aggravaret, id eſt, quando notabiliter res promiſſa eſſet gratior Deo, eo modo, quo deberem explicare materiam promiſſionis humanæ.

Vota non diverſificantur ſpecie ex diverſitate materiarum.

Itaque irreligio eſt genus ſecundùm omnes Theologos: at verò violatio voti, ſeu irreligioſa perfidia, ſecundùm pleroſque eſt ſpecies atoma, quamvis una perfidia ſit gravior alterâ; veluti injuſtitia eſt genus; at verò furtum ſpecies atoma, quamvis unum furtum ſit gravius altero. Ergo tanta diſparitas inter inobedientiam & irreligioſam perfidiam, quanta inter genus & ſpeciem atomam.

Violatio voti eſt ſpecies atoma.

Quæris à me; cur non orare, & non dare eleëmoſynam, quando ad utrumque teneor ex voto, ſint ejuſdem ſpeciei infimæ; & non quando ad ea obligor ex præcepto? Reſponſio patet ex antedictis: quia per votum ſuperadditur ipſis ſpecialis honeſtas cultûs divini, & conſtituuntur actus religioſæ fidelitatis, quæ eſt ſpecies infima: per præceptum autem non ſuperadditur illis actibus, niſi honeſtas obedientiæ, quæ eſt genus generaliſſimum, ut ſic loquar, adeòque minimè extrahuntur à propria ratione virtutis & honeſtatis ſpecificæ, quam ex ſeſe habent, ne alioquin omnes illi actus ſint ejuſdem ſpeciei, & per conſequens non explicandi in Confeſſione ſecundùm ſententiam, quæ aſſerit, ſolam ſpeciem eſſe explicandam; quod tamen nec Arriaga, nec ullus alius audet admittere.

Sed contrà: poſſet Deus prohibere actum amoris; & tamen omiſſio illius actûs non eſſet in ſpecie alicujus virtutis, niſi obedientiæ. Similiter oratio, ſi Deus illam prohiberet, nullam haberet malitiam contra naturam rationalem, niſi quam acciperet per mandatum.

Reſpondeo I. quamvis amor Dei, ſimiliter oratio, ex objecto ſuo nullam habeant contrarietatem ad naturam rationalem; tamen ex circumſtantia poſſunt habere; v. g. ſi lædant ſanitatem corporalem: & in tali caſu poteſt Deus illos actus prohibere; immo ex natura rei prohibiti ſunt.

Reſpondeo II. Si nulla ex ſe aut circumſtantia foret malitia in actu prohibito, ſecluſo mandato, per conſequens nulla bonitas in omiſſione actûs præter bonitatem obedientiæ; Reſpondeo (inquam) me non videre, quare illi actus magìs deberent exprimi in Confeſſione, quàm materia voti; & cur non ſufficeret dicere: *Fui inobediens Deo in materia gravi*; nam ſic exprimitur ſpecies illius peccati, non ſolùm ſubalterna, ſed etiam infima, cùm (ùt ſupponitur) ſola in eo ſit malitia inobedientiæ: quippe ex ſolo motivo obedientiæ ille actus fuit prohibitus. Quod non habet locum, quando Legiſlator ex motivo temperantiæ præcipit v. g. jejunium; cùm enim jejunium ſit materia temperantiæ, licèt non neceſſaria; nulla omninò ratio eſt, quare vel Legiſlator divinus, vel etiam humanus, qui omnem ſuam poteſtatem radicaliter habet à Deo, & eâ utitur tamquam miniſter Dei, quare (dico) non poſſit illam materiam temperantiæ liberam, reddere neceſſariam; ita ut tranſgrediens præceptum non ſolùm peccet contra obedientiam, ſed etiam contra temperantiam.

Enimverò lex naturalis non omnia prohibuit vel præcepit in quacumque materia; ſed illa ſolùm, quæ manifeſtam cum natura rationali habent repugnantiam: non tamen propterea poteſtatem abſtulit hominibus, quâ poſſent conſtituere aliquam materiam neceſſariam

hujus

hujus vel iſtius virtutis, quæ ex jure naturali talis non erat. Et verò ſi quilibet privatus per votum poteſt facere materiam neceſſariam Religionis, etiam illum actum, qui ex ſe non eſt materia Religionis; cur Legiſlator non poterit facere materiam neceſſariam temperantiæ illum actum, qui alioquin ex ſe eſt materia temperantiæ? Cur autem unuſquiſque hoc non poſſit, ratio eſt; quia poteſtas præceptiva non competit niſi Superiori; hæc autem eſt neceſſaria, ut locum habeat obedientia, ſinè qua materia temperantiæ ex ſe libera, manet libera.

Dices: poteſt fieri neceſſaria per votum. Reſpondeo: neceſſaria materia voti, concedo; neceſſaria materia temperantiæ, nego. Ratio diſparitatis eſt; quia votum intrinſecè & per ſe non reſpicit v. g. jejunium, quatenus eſt materia temperantiæ, ſed quatenus eſt cultus aliquis divinus, ſeu materia apta cultui divino: ad rationem autem cultûs divini per accidens planè eſt, quòd ſit materia temperantiæ, vel juſtitiæ, vel alterius virtutis. Quid ergo mirum, ſi votum conſtituat jejunium materiam neceſſariam Religionis, & non temperantiæ?

At verò præceptum jejunii pro motivo ſuo intrinſeco & per ſe habet honeſtatem temperantiæ: ideo enim Legiſlator præcipit jejunium, & non orationem, quia vult ſubditos ſuos temperatè vivere, ad quem finem ex ſe ordinatur jejunium, & non oratio; & ideo non poteſt præcipere orationem ad iſtum finem, tametſi velit, ſed debet neceſſariò præcipere actum temperantiæ.

Hinc fieri poteſt, ut lex jejunii hodie me obliget, ſecùs die craſtinâ; quia hodie jejunium eſt materia temperantiæ, ſecùs die craſtinâ: quia hodie ad vitæ atque officiorum neceſſitatem ſatìs eſt ſemel comedere; craſtinâ autem die minimè ſufficit, ſed requiritur duplex refectio.

Dices: certum eſt, materiam, quæ reperitur in hauſtu vini moderato ſeu temperato ad extinguendam ſitim contra legem Superioris, longè eſſe diverſam ab illa malitia, quæ reperitur in hauſtu vini, qui ebrietatem cauſat: nam malitia & turpitudo ebrietatis conſiſtit in eo, quòd privet uſu rationis, quæ privatio non reperitur in alio hauſtu. Itemque malitia fornicationis, ex periculo prolis deſumpta, non reperitur in acceſſu ad ſuam, licèt ob votum vel præceptum illicito.

Confirmatur: Si lex aliqua prohiberet ſub mortali in Religioſa domo, ne quis per feneſtram ad plateas proſpiceret ex motivo ſervandæ caſtitatis; aut ne quis cellam alterius ingrederetur, ne ad bibendum & ſe inebriandum ſimul convenirent; quis (quæſo) diceret eum Religioſum peccaſſe contra caſtitatem, qui aſpexerit per feneſtram, quando certò ſciebat, neminem ſe viſurum in platea? Aut illum, qui intravit cubiculum alterius, quando neminem intùs eſſe noverat, peccaſſe contra ſobrietatem? Et tamen hic peccavit contra legem, quæ habuit pro motivo honeſtatem ſobrietatis; ille verò contra legem, cujus motivum erat obſervatio caſtitatis.

Reſpondeo ad primum, Primò: hauſtus vini ad extinguendam ſitim contra legem Superioris, perperam dicitur moderatus ſeu temperatus: nam moderatio in potu importat omnes circumſtantias requiſitas ad actum virtutis temperantiæ, inter quas una eſt, illum hauſtum non eſſe prohibitum ex motivo temperantiæ: licèt enim abſtinentia ab illo hauſtu ſecundùm ſe non ſit neceſſaria ad temperatè vivendum; equidem poteſt eſſe neceſſaria ex præcepto, cùm poſsit eſſe actus temperantiæ; niſi dixeris, nunquam exerceri poſſe actum temperantiæ, niſi quando faciendo contrarium, committeretur actus intemperantiæ, quod clarè conſtat eſſe falſum. Etenim qui jejunat abſque præcepto ſui Superioris, dicitur ab omnibus vivere temperanter, quamvis comedendo non ageret intemperanter. 186. **Reſponſio ad objectionem.**

Reſpondeo II. Non omnem malitiam oppoſitam temperantiæ, conſiſtere in privatione uſûs rationis; id eſt, plura peccata opponi temperantiæ, quàm ebrietatem. Similiter non omne peccatum contra caſtitatem, eſſe fornicationem; neque omnem fornicationem præcisè malam eſſe propter periculum prolis, ſeu malæ educationis prolis: quia fieri poteſt, ut nullum ſit periculum prolis, propter notam ſterilitatem; immò fieri poteſt, quòd meliùs provideatur de educatione proli fornicariæ, quàm legitimæ: non tamen ideo deſinit fornicatio eſſe contra caſtitatem. Ergo licèt in acceſſu illo ad ſuam, illicito ex præcepto, non ſit periculum prolis, aut malæ educationis prolis; per hoc non impeditur, quin poſſet eſſe contra caſtitatem. **Alia reſponſio.**

Conſimiliter, qui bibit uſque ad vomitum, ſecluſo omni periculo privationis uſûs rationis, peccat nihilominùs contra temperantiam: immò etiam ſecluſo periculo vomitûs, & aliorum inconvenientium, in quibus conſiſtit turpitudo ebrietatis, poteſt aliquis intemperanter bibere; ùt colligitur ex regula temperantiæ, quæ eſt bona corporis valetudo, & idonea diſpoſitio mentis ad ſuas functiones. Quàm facilè autem lædatur bona corporis valetudo, & mens indiſponatur, quamvis non notabiliter (& ideo non ſemper erit peccatum mortale) experientia omnibus teſtatur. 187. **Poteſt aliquis intemperanter bibere ſinè privatione uſûs rationis.**

Cùm ergo abſtinentia à potu, etiam neceſſario ad ſitim extinguendam, poſſit ſubinde deſervire ad meliorem diſpoſitionem mentis, quamvis, ſi ſumeretur, non læderet diſpoſitionem illam; hinc fit, ut Superior, poſsit illam abſtinentiam præcipere ex motivo tem-

perantiæ: quia reverà eſt materia temperantiæ, quamvis per ſe ex jure naturæ minimè neceſſaria. Quemadmodùm virginitas eſt materia caſtitatis, licèt ex jure naturæ non neceſſaria; ſi tamen Deus eam præciperet ex motivo caſtitatis, quis dubitat, quin tranſgrediens illud præceptum, peccaret contra caſtitatem?

188. **Reſpondetur ad confirmationem.** Ex quo reſpondeo ad confirmationem: vel non proſpectus per feneſtram, & non ingreſſus in cellam alterius, conducunt, ſaltem remotè, ad meliùs obſervandam caſtitatem, & ſobrietatem, vel non. Si non, cùm non ſint materia caſtitatis, & ſobrietatis, non poſſunt ex motivo iſtarum virtutum præcipi; quia Superior non poteſt pro libitu ſuo quidlibet ex motivo cujuſlibet virtutis præcipere, v. g. orare ex motivo temperantiæ. Sin autem vel remotè ſaltem conducant ad meliùs obſervandam caſtitatem, & ſobrietatem; neſcio, quare proſpectus & ingreſſus, etiam quando hic & nunc non eſt periculum proximum peccandi contra caſtitatem, & ſobrietatem, jure naturali obligantem, quare (inquam) accedente præcepto Superioris ex motivo illarum virtutum, non ſint peccata contra caſtitatem, & ſobrietatem: quæ licèt non obligent, tamen inclinant ad perfectiſſimam obſervantiam; & per conſequens ad fugiendum quodcumque vel minimum periculum peccati oppoſiti. Jam autem licèt hìc & nunc ceſſet periculum proximum; equidem ordinariè adeſt timor aliquis generalis, & opinio periculi, planè ſufficiens ad obligandum, etiam in illo caſu, in quo certò conſtat non futurum peccatum.

189. **Eccleſia poteſt imperare temperantiam; nec diceretur abſtinens, qui non ſervaret præceptum. *Arriaga.*** Arriaga ſuprà n. 44. tandem aliquando, poſt multas altercationes, admittit, Eccleſiam poſſe imperare temperantiam; & non poſſe dici abſolutè abſtinentem, qui non jejunaret ullâ die Quadrageſimæ, ſed ſemper comederet carnes, eſtò ſervaret illam temperantiam, ad quam extra Quadrageſimam obligatur. Probat: quia abſtinentia eſt duplex virtus. Una, quæ dicitur temperantia naturalis, eſtque ſub præcepto naturali: alia verò, quæ eſt ſub conſilio, & quæ poteſt ab Eccleſia imperari. Ibidem docet, eandem eſſe difficultatem in eo, qui voviſſet jejunium, & tamen ſemper comederet carnes.

An ſit duplex virtus abſtinentiæ? Ego autem (ſalvo meliori) judico, eum, qui voviſſet jejunium, debere dici perfidum & infidelem Deo, poſſe tamen abſolutè dici abſtinentem. Quantum ad primum, fateor, abſtinentiam, quam Eccleſia præcipit in jejunio, non eſſe eam, quam natura præcipit, quod ſolùm videtur velle Arriaga.

Sed quid hoc ad propoſitum? Nemo enim aſſerit, eum, qui frangit jejunium ab Eccleſia præceptum ex motivo temperantiæ, id eſt, ideo præceptum, quia meliùs diſponit ad functiones mentis & corporis, peccare contra temperantiam debitam ex jure naturali: nam omnes ſupponunt, quòd, ſecluſo præcepto Eccleſiæ, temperatè comedat; ſed communis ſententia docet, talem non ſolùm peccare contra obedientiam, ſed etiam contra virtutem temperantiæ: eadem ſit, ſive diſtincta, parùm refert, dummodò ſit vera virtus temperantiæ, quæ debeat explicari in Confeſſione.

Itaque (ut redeamus ad primum propoſitum, à quo paululum defleximus) dico cum communiori ſententia, eum, qui habens votum caſtitatis fornicatus eſt, & confeſſus eſt fornicationem, ſed ex oblivione vel propter aliam juſtam cauſam omiſit circumſtantiam voti violati, ſatisfacere ſi explicet in Confeſſione ſequenti circumſtantiam omiſſam, non explicato iterum peccato, quod jam eſt confeſſus, dicendo: *Violavi votum in re gravi.*

Sed numquid eadem reſolutio de eo, qui oblitus fuit circumſtantiæ ſacrilegii, quæ reperitur in furto rei ſacræ? Numquid ſatisfaciet, dicendo in ſecunda Confeſſione: *Commiſi grave ſacrilegium?* Communis ſententia negat, idque quia hæc verba non declarant ſpeciem illius circumſtantiæ, etiam intrà ſacrilegii conceptum: aliud enim ſacrilegium eſt occidere Sacerdotem, aliud rem ſacram furari. Similiter violentia eſſe poteſt circumſtantia peccati: at diverſa ſpecie violentia eſt, quâ aufertur vita, & quâ aufertur honor vel fama; ſicut diverſum jus eſt, quod quis habet in vitam, ab eo quod habet in honorem & famam &c. Unde ſicut non ſufficit dicere: *Læſi graviter proximum meum*; ſed oportet dicere, in qua ſpecie: ita non ſufficit pro explicatione illius circumſtantiæ, dicere: *Intuli violentiam gravem proximo*; ſed debet dici, in qua materia. Hæc ergo erunt exempla ſecundæ partis Concluſionis. 19 **An t cine, poſte lum i tent t gium**

Sed contrà opponit Arriaga hìc diſp 35. n 42. Sacrilegii circumſtantia reduci videtur ad ſpeciem irreligionis, ſicut tranſgreſſio voti; nec videtur magis minùſve in ſuo conceptu diverſificari per materiæ diverſitatem, quàm tranſgreſſio voti. Pone judicem, qui habeat jus occidendi aliquem, & illum curat occidi in templo; hæc occiſio non habet niſi puram malitiam ſacrilegii; ſicut tranſgreſſio voti in re alioquin licita, gravi tamen. Ergo ſicut, quia poterat eſſe voti tranſgreſſio ſinè fornicatione, & è contrario fornicatio ſinè tranſgreſſione voti, ſuprà inferebamus, eam circumſtantiam voti eſſe quaſi diſparatam cum ea materia, & poſſe explicari unam malitiam ſinè altera in ea fornicatione; profectò cùm idem contingat in ea occiſione hominis in templo; debemus dicere, eam rationem ſacrilegii eſſe diſparatam. Idem poſſumus concipere in occiſione Sacerdotis: nam ſi judex habeat jus occidendi Sacerdotem, reum gravis criminis & adjudicatum morti, non poſſit tamen illum occide- 19 **Obiect Arriag contra tentia gatura**

Digitized by Google

occidere, antequam degradetur; certè ſi eum ante degradationem occideret, eſſet ſacrilegus, non eſſet homicida.

Quòd vèrò dicebatur; illud ſacrilegium ex ſpecifica materia accipere gravitatem, habet etiam locum in voto: nam longè aliud eſt non dare Deo unum ſimplex jejunium, quod voviſti, quàm ei non dare decem millia, quæ voviſti in Dei honorem dare pauperibus. Unde ſatìs mihi eſt probabile, non eſſe etiam tunc ſpecialem obligationem declarandi ſubſtantiam illam peccati in ſacrilegio magìs, quàm in voto: & idem poteſt cum proportione dici de violentia, & de injuſtitia. Hucuſque Arriaga.

Uerùm hæ rationes mihi non ſufficiunt, ut recedam à communi ſententia. Unde reſpondeo, in exemplis allegatis non ſeparari malitiam ſacrilegii ab injuſtitia. Quod probo: quia homo exiſtens in Eccleſia, quamvis alioquin commiſerit crimen, propter quod juſtè poſſet occidi, ſi eſſet extra Eccleſiam, equidem quamdiu gaudet immunitate Eccleſiaſticâ, jus habet ut non occidatur: unde ſeipſum poſſet defendere etiam cum occiſione invaſoris. Ergò invaſor non facit actum jurisdictionis, ſed injuriæ; quia non poteſt dari bellum utrimque juſtum, ſeclusâ ignorantiâ.

Quinimmò etſi non gauderet immunitate Eccleſiaſticâ, quia commiſit crimen exceptum à Gregorio XIV. Bullâ: *Cùm aliàs nonnulli*; & ideo juſtè poſſet extrahi; tamèn quamdiu manet in Eccleſia, jus habet ratione Eccleſiæ, ne ibi occidatur, ſicut habebat ante illam Conſtitutionem. Nam expreſsè ibi dicitur: *Tuncq́, reverentia Eccleſiaſtica & locis ſacris debita memores, prædictos delinquentes minori quo id fieri poterit ſcandalo & tumultu extrahere curent.* Licentiam ergò dat Gregorius extrahendi, non occidendi: adeoque occidendo faciunt injuriam, ſicut facerent extrahendo, ſeclusâ illâ Conſtitutione. Nonne ſacrilegus eſt, qui in Eccleſia occidit injuſtum invaſorem? Minimè. Et cur hoc, niſi quia utitur jure ſuo? Ergo ſi judex occidendo reum in templo utitur jure ſuo, nec illa occiſio erit ſacrilega.

Conſimiliter dico; fieri veram injuriam Sacerdoti illi, qui ante degradationem occideretur, cùm judex ſæcularis nullum habeat jus occidendi ante degradationem, quamvis alioquin poſt degradationem poſſit juſtè occidi. Quapropter & hic juſtè poſſet ſe defendere, etiam cum occiſione judicis ipſum invadentis. Ergo in his exemplis non ſeparatur malitia ſacrilegii à malitia injuſtitiæ.

193. Neque ſententia communis dicit, illud ſacrilegium ex ſpecifica materia accipere gravitatem qualemcumque ſive accidentalem, ſive eſſentialem; ſed accipere gravitatem eſſentialem ſeu ſpecificam, ſicut ipſum furtum accipit ſuam gravitatem ſpecificam ex jure illo, quod læditur, id eſt, jure, quod quiſpiam habet ad bona externa: hoc autem non habet locum in voto, cùm per violationem voti non niſi unicum jus Dei lædatur; ſcilicet jus, quod habet ad cultum ſibi promiſſum, qui major vel minor ſit, ſolùm aggravat aut minuit intrà eandem ſpeciem. At verò occiſio Sacerdotis ſacrilegium eſt, ſpecie diſtinctum à furto rei ſacræ, ſicut jus, quod læditur per occiſionem, diſtinctum eſt à jure, quod læditur per furtum. Ergo, qui confitetur ſe commiſiſſe grave ſacrilegium, non confitetur magìs ſacrilegium commiſſum per occiſionem Sacerdotis, quàm per furtum rei ſacræ: ergo non declarat peccatum ſuum in ſpecie, ſicut tenetur jure divino (juxta doctrinam Concilii Trident. ſeſſ. 14. c. 5.) ſed potiùs in genere. Et idem poteſt & debet cum proportione dici de violentia, & injuſtitia.

Nemo itaque dubitat, quin dentur ſacrilegia ſpecie diſtincta, v. g. furtum rei ſacræ, occiſio Sacerdotis, violatio voti &c. juxta diverſitatem materiarum & modum, quibus res ſacræ indignè tractantur. Porrò violationem voti eſſe ſpeciem infimam, communior & verior eſt ſententia Theologorum, ſicut furtum ſacrilegum eſt ſpecies infima, & ſimiliter occiſio ſacrilega: quia omnes violationes votorum, & omnia furta ſacrilega, & omnes occiſiones ſacrilegæ eodem modo reſpectivè privant eâdem honeſtate & eodem jure. Violationes quidem votorum non tribuendo honorem debitum Deo; furta verò auferendo bona externa Deo conſecrata; & occiſiones auferendo vitam eorum, qui ſpecialiter cultui ac ſervitio divino ſunt dedicati. 194. Dantur ſacrilegia ſpecie diſtin.

Sicut ergo fornicator, qui omiſiſſet circumſtantiam voti, non ſatisfaceret præcepto divino Confeſſionis, dicendo in ſecunda Confeſſione: *Commiſi grave ſacrilegium*; ſed deberet explicare violationem voti; pariformiter non ſatisfaceret fur aut homicida, qui omiſiſſet circumſtantiam rei ſacræ, aut perſonæ ſacræ, dicendo in ſecunda Confeſſione: *Commiſi ſacrilegium grave*; ſed deberet explicare furtum ſacrilegum, aut homicidium ſacrilegum, eſtò in priori Confeſſione furtum aut homicidium declaraſſet.

De cetero firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, multis ex cauſis licitum eſſe peccata aliqua hìc & nunc non exprimere in Confeſſione, tametſi diligenter cogitanti occurrant. Pro quibus cauſis inſtituitur

SECTIO NONA.

De Cauſis excuſantibus ab integritate Confeſſionis.

1. *Integra Confeſſio non obligat, quando phyſicè vel moraliter eſt impoſſibilis.*

COmmune eſt præcepto integræ Confeſſionis cum aliis præceptis poſitivis tam divinis, quàm humanis, non obligare, quando ejus obſervantia eſt phyſicè, aut moraliter impoſſibilis. Quamvis enim Deus ad plura poſſit obligare, & ad difficiliora, quàm homines, ùt patet in ipſo præcepto Confeſſionis integræ omnium peccatorum etiam occultiſſimorum; equidem tamquam bonus Dominus, ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ, fragilitati humanæ voluit ſe accommodare, nolens quemquam perire, qui vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Diverſæ circumſtantiæ, in quibus integra Confeſſio eſt phyſicè impoſſibilis.

Et verò Confeſſionem materialiter integram frequenter impoſſibilem eſſe, non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè, nemo poteſt dubitare, qui novit, quàm ſæpè homines ſubitò obmuteſcant, & ita morte præoccupentur, ut neque vocibus, neque ullis aliis ſignis poſſint aliquod peccatum in ſpecie & ſigillatim declarare; immò vix in genere ſe accuſare.

Quid ſi Confeſſarius ſit ſurdus, aut diverſi idiomatis, nec poſſit nutibus pœnitentis peccata in ſpecie & ſigillatim percipere? Quid ſi nolit Confeſſarius omnia peccata audire, aut non poſſit defectu temporis, v. g. ſi ſint plurimi in naufragio aut incendio, aliove imminenti exitio? Tranſeo peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me Domine*, Pſal. 18. v. 13. quoniam illa declarare, hominibus phyſicè impoſſibile eſt.

Quando integra Confeſſio ſit moraliter impoſſibilis.

Alii ſunt, qui licèt abſolutè poſſent omnia peccata ſua in ſpecie & ſigillatim declarare, attamen non ſinè maximo damno proprio aut alieno: atque his integra Confeſſio moraliter eſt impoſſibilis.

Sed neque hos neque illos Deus voluit excluſos à ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ, quod pro omnibus erat inſtitutum, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis ad ſalutem neceſſarium, ùt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus. Dico itaque primò:

CONCLUSIO. I.

Excuſat ab integritate materiali Confeſſionis impotentia phyſica, immò & moralis, id eſt, grave damnum proprium vel alienum, Confeſſioni extrinſecum.

EST communis ſenſus Eccleſiæ, qui non poteſt eſſe erroneus propter multa inconvenientia, quæ indè ſequerentur, nempè infinita propemodum ſacrilegia, dum paſſim abſolvuntur illi, quos conſtat non integrè confiteri. 2

Prob. Conc. comm[…] ſenſu[…] Ec[…]

Et quidem de peccatis oblitis, expreſſis verbis id definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Conſtat nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe, meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.* Ratio eſt: quia alioquin Confeſſio à Chriſto præcepta foret phyſicè impoſſibilis; cùm phyſicè impoſſibile ſit illa peccata confiteri: Deus autem impoſſibilia non præcipit.

De pe[…] oblit[…] betur[…] preſſè[…] Conc[…]

De aliis peccatis, quæ memoriæ occurrunt, argumentamur à paritate rationis, quando phyſicè impoſſibile eſt ea exprimere, ſive illa impoſſibilitas oriatur ex parte confitentis, ſive ex parte Confeſſarii, ſive ex parte aliorum; ùt patet in exemplis ſuprà allegatis, quæ ab omnibus admittuntur.

De al[…] gume[…] mur[…] ſtate[…] nis, q[…] confe[…] feſſio[…] phyſi[…] poſſi[…]

Notant tamen Aliqui, pœnitentem in iſtis caſibus debere incipere à materia neceſſaria, id eſt, à peccato mortali non confeſſo; quòd autem à graviori non ſatìs conſtat, cùm omnia æqualiter ſint materia neceſſaria, & ſæpè de majori gravitate pœnitentes nequeant prudenter judicare. 3

Prim[…] notal[…] pro[…] tenti[…]

Præterea advertendum, poſt Abſolutionem datam, ſi rurſùs poſſibilitas adveniat, pergendum omnino in Confeſſione incepta; v. g. in periculo mortis Sacerdos audito uno peccato abſolvit pœnitentem, ne fortè ſi permitteret integram Confeſſionem, abſque Sacramen-

Secun[…] notat[…]

Digitized by Google

cramento pœnitentiæ decederet : datâ Abſolutione , moribundus perficiet Confeſſionem inceptam , quantùm poſſibile erit ; & ſic in aliis caſibus. Probatur : quia obligat Confeſsio integra , quantùm poſsibilis eſt. Quod tamen ſic intelligas velim , non quaſi ſtatim debeat illam perficere, ſi periculum mortis omnino tranſierit ; ſed ſuo tempore , id eſt, illo tempore quo rursùm obligabit præceptum Confeſsionis divinum vel Eccleſiaſticum.

Unde, ſi perſeveret periculum mortis, cùm in illo ex jure divino teneatur quiſque integrè confiteri , tenetur ſtatim perficere : alioquin ſufficienter perficiet , iſto vel alio anno reliqua peccata confitendo ; v. g. in periculo naufragii omnes ſimul confitentur aliquod peccatum in ſpecie ac ſigillatim , & omnes ſimul à Confeſſario abſolvuntur, hâc formâ : *Ego vos abſolvo* &c. (quæ eſt praxis communis , & ab omnibus tanquam tuta recepta) ceſſat periculum naufragii, nullatenus requiritur, quòd ſinguli ſtatim eidem Confeſſario integram faciant Confeſſionem reliquorum peccatorum ; ſed ſufficit, quòd ſuo tempore illi vel alteri.

Sed dicet aliquis : Eſtò in aliquo caſu phyſicè impoſſibilis ſit materia Baptiſmi , v. g. aqua naturalis , non tamen indè rectè infertur: ergo licèt tali caſu baptizare in vino aut alio liquore, & valet Baptiſmus ſic collatus. Ergo ſimiliter non rectè ſequitur : In hoc caſu eſt impoſſibilis integra Confeſſio ; ergo in hoc caſu licèt abſolvere non integrè confeſſum & Abſolutio eſt valida : potuit enim Chriſtus pro materia eſſentiali requiſiviſſe Confeſſionem integram , ſicuti requiſivit pro materia eſſentiali Baptiſmi aquam naturalem. Undè ergo conſtat, quòd non requiſiverit ?

Si reſpondeas : quia hoc congruebat ſuavi Dei providentiæ , noſtræque imbecillitati, ac ipſius remedii commoditati ; dicam ego ſimiliter : congruebat ſuavi Dei providentiæ, noſtræque imbecillitati, ac ipſius remedii commoditati , quòd Baptiſmus in periculo æternæ damnationis poſſet validè conferri in alio liquore, quando aqua naturalis eſt phyſicè impoſſibilis.

Reſpondeo ; quidquid ſit de illa congruentia, quæ non obligat Deum , conſtat nobis ex ſenſu communi Eccleſiæ, aquam eſſe materiam eſſentialem Baptiſmi , ſecùs integram peccatorum Confeſſionem eſſe materiam eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ , eſtò iiſdem ferè verbis Conc. Florent. in Decreto Eugenii doceat, aquam eſſe materiam Baptiſmi , & integram Confeſſionem materiam Sacramenti Pœnitentiæ, ibi : *Materia hujus Sacramenti* (Baptiſmi) *eſt aqua vera & naturalis.* Et infrà : *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia , cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt &c. Secunda eſt oris Confeſſio , ad quam pertinet , ut peccator omnia peccata , quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter.* Solùm differentia eſt, quòd Confeſſionem vocet *quaſi materiam* , & non dicat ſimpliciter : *Materia Sacramenti Pœnitentiæ eſt integra Confeſſio* ; ſed : *Eſt oris Confeſſio , ad quam pertinet* (ſcilicet ex jure divino ſuperaddito) *ut peccator omnia peccata* &c.

Hinc Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. in principio : *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata , univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem* , &c. Ubì nota ly *Etiam*, quo utitur , ut ſignificet, integram peccatorum Confeſſionem non eſſe partem eſſentialem Sacramenti, ſed aliquid ſuperadditum ipſi Sacramento in ſuo eſſe conſtituto. Quid ergo miramur, ſi valeat Sacramentum Pœnitentiæ, quando phyſicè vel moraliter illa integritas eſt impoſſibilis ; ſecùs Sacramentum Baptiſmi, quando aqua naturalis phyſicè vel moraliter eſt impoſſibilis ? Deus eſt qui fecit : quare ſic fecerit , penes ipſum eſt. & Trident.

Certum eſt, quòd ſæpiùs ſit neceſſitas non integræ Confeſſionis , & per conſequens non integræ (ut ſic loquar) Abſolutionis , quàm neceſſitas baptizandi abſque aqua naturali, quæ planè obvia eſt, & facillimè ab omnibus haberi poteſt , rariſsimis caſibus exceptis. Deinde, Baptiſmus non reiteratur ; Confeſsio autem ſingulis annis eſt neceſſaria , & ſingulis diebus , immò ſingulis horis inſtitui poteſt : eſtque res difficilis , omnia ſua peccata , etiam occultiſſima , declarare. Ne ergo homines nimium averterentur ab hoc Sacramento , & quod ad ſalutem omnium inſtitutum eſt, paucis ad ſalutem prodeſſet ; planè conveniens fuit,ut validè & ſanctè poſſet miniſtrari,quando ex rationabili cauſa aliqua peccata reticentur. 6. Rationes congruentiæ.

Eleganter D. Bernardus lib. de Præcepto & diſpenſatione c. 4. *Nonne juſtiſſimum eſſe liquet , ut quæ pro charitate inventa fuerunt , pro charitate quoque , ubì expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur , vel in aliud fortè commodius demutentur ? Sicut è regione iniquum procul dubio foret , ſi ſtatuta pro ſola charitate, contra charitatem tenerentur.* Fateor , loquitur de præceptis humanis : nihilominùs quid vetat , eadem verba præceptis divinis accommodare ? Si enim homines non velint , ut quod pro charitate ordinatum eſt, contra charitatem militet ; multò minùs Deus,de quo ſcriptum habes 1. Joan. 4. v. 16. *Deus Charitas eſt , & qui manet in Charitate , in Deo manet, & Deus in eo.* D. Bernardus.

Cùm ergo præceptum integræ Confeſſionis pro Charitate inſtitutum ſit à Deo ; non eſt veriſimile , quòd Deus voluerit illud obligare contra Charitatem propriam vel alienam , id eſt, quando non poteſt obſervari abſque gravi detrimento ſeu damno corporali aut ſpirituali proprio vel alieno , quod lex Charitatis propriæ vel alienæ præcipit evitare. 7. Non eſt veriſimile, quòd Deus voluerit obligare præceptum integræ Confeſſionis contra Charitatem.

Interim non modicâ prudentiâ opus eſt, ad diſcernendam & decernendam quantitatem damni, quæ ſufficiat ad mutilandam Confeſſionem. Indubitatum quippe eſt, non quodlibet minimum damnum ſufficere; ſicuti etiam non ſufficit ad excuſandum ab obligatione præcepti humani, ne alioquin omnes leges ſint quaſi inutiles, cùm facillimè homines ſibi perſuadeant aliquod damnum, vel periculum remotum alicujus damni emergentis ex obligatione præceptorum. Et ideo dixi in Concluſione: *Grave damnum.* Quod autem illud ſit, variant DD. & quamvis in aliquibus conveniant, de aliis tamen non modicè diſputant, ùt patebit ex progreſſu.

Non eadem gravitas damni excuſat ab omnibus præceptis.

Ante omnia ſciendum, gravitatem damni non eandem eſſe reſpectu omnium præceptorum, ſed cum proportione, ſeu quodam reſpectu gravitatis præcepti, ut quò præceptum minoris importantiæ eſt, ſeu conſiderationis, eò ſufficiat minus damnum emergens, ut quis licitè illud non obſervet: quò autem præceptum gravius eſt, eò requiratur gravius damnum.

Secundò notandum, in concurrentia præceptorum, quæ ſimul obſervari nequeunt, quòd eorum majus ſit, ut alteri præferri debeat vel cedere, id eſt, ut obſervari debeat, vel non obſervari. His prænotatis,

8\. Grave damnum hîc eſt I. mors corporalis, aut aliud malum æquivalens.

Grave damnum reſpectivè ad bonum integræ Confeſsionis communiter exiſtimatur, & reverà eſt, Primò, probabile periculum mortis corporalis, aut alterius mali æquivalentis, utputà mutilationis membrorum, perpetui carceris, exilii &c. ex. gr. tempore peſtis, ſi Confeſſarius probabiliter timeat infectionem peſtiferam, ſi diu perſeveret cum pœnitente, poteſt paucis peccatis auditis eum abſolvere. Si tamen ipſe velit ſe exponere periculo propter conſolationem ægroti, tenetur ægrotus integrè confiteri, ùt clarum eſt.

Secundò, mors ſpiritualis.

Secundò, probabile periculum mortis ſpiritualis; v. g. pœnitens prudenter timet, ſe iterum conſenſurum in peccatum carnis, ſi diutiùs examini ejus inhæreat: ob quam cauſam poteſt & pœnitens illud ſolùm obiter examinare, & Confeſſarius obiter de eo interrogare, tum ne pœnitentem doceat, quod non novit, tum ne illi ſit occaſio novi conſensûs, eſtò penitiùs examinando, poſſet perfectiùs cognoſcere ſpecies & numerum peccatorum.

9\. An etiam peccatum Confeſſarii?

Sed, quid ſi fœmina v. g. ſciat, Confeſſarium audito tali peccato, eam ſollicitaturum, vel interiùs peccaturum turpi deſiderio? Reſpondent Aliqui, quando ſcandalum eſt acceptum, hoc eſt, non ex fragilitate, ſed ex mera malitia Confeſſarii, non eſſe curandum.

Lugo.

Cardinalis Lugo diſp. 16. n. 534. diſtinguendum putat: Nam (inquit) ſi fœmina timeat ſibi ex illa ſollicitatione periculum conſentiendi, vel certè importunas preces aut inſtantias Confeſſarii, quod non leve incommodum fœminæ affert; poteſt illud tacere: ſi nihil horum timeat, non eſt quod curet de malitia Confeſſarii. Debet tamen obſervari regula communis, quæ tradi ſolet in materia ſcandali, ut ſi commodè poſſit vitari damnum proximi ſinè damno noſtro, vitari debeat ex obligatione Charitatis. Quare, ſicut ad petendum Sacramentum ab illo, qui eſt in peccato mortali, requiritur aliqua ſpecialis utilitas ejus, qui petit; ſic debet in præſenti intervenire ſpecialis cauſa excuſans ad confitendum huic, & non alteri. Hæc ille.

Addo ego hanc regulam univerſalem: Non tenetur quis omittere utilia ſibi aut neceſſaria, etiam ad vitam corporalem, multò minùs bona opera (niſi ad tempus) ob evitandum ſcandalum. Nec licet omittere impletionem præcepti naturalis, quando impletio eſt majus bonum, quàm ſit malum ruina proximi: quæ proportio etiam attendenda eſt in omiſsione præcepti humani aut poſitivi divini.

Re ne hic tei

Igitur pœnitens diligenter attendat, an hîc & nunc ſit majus bonum integra Confeſsio, quàm ſit malum ruina Sacerdotis. Maturè conſideret neceſsitatem hîc & nunc confitendi ex præcepto divino vel humano, & damnum quod patitur, ſi Confeſsionem omittat, & differat in aliud tempus, vel alteri confiteatur.

Enimverò, ſi nulla occurrat neceſſitas confitendi, ſed ſola devotio, & aliqua major ſecuritas de ſtatu gratiæ; neſcio, quare non debeat pœnitens ad aliquod tempus differre ſuam Confeſſionem, ad evitandum peccatum mortale Confeſſarii: aut cur poſſit huic Confeſſario non integrè confiteri. Sin autem urgeat præceptum divinum, v. g. in periculo mortis, aut præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis, vel certè divinum ſeu Eccleſiaſticum præmittendi Confeſſionem ſuſceptioni Euchariſtiæ, quæſtio eſt, an debeat aut poſſit non integrè confiteri ad evitandum ſcandalum acceptum Confeſſarii? Similiter, ſi ex omiſſione vel dilatione ſuæ Confeſſionis, timeat probabiliter ſcandalum aut infamiam.

Qui met ſcan etiat omil Con nis?

Equidem ſi ſcandalum, quod timetur ex omiſſione, majus ſit, quàm quod timetur ex integra Confeſſione, indubiè teneris integrè confiteri: ſin autem minus fuerit, Charitas dictat oppoſitum, cæteris paribus. Deinde ſi urgeat præceptum divinum, ita ut niſi jam integrè confitearis, nunquam poteris integrè confiteri; unde probatur, quòd poſſis, aut debeas mutilare Confeſſionem, præcisè ad evitandum ſcandalum acceptum Confeſſarii? Videtur quippe eo caſu adimpletio præcepti divini majus bonum, quàm ſit malum illa ruina Confeſſarii. At verò, ſi ſolùm urgeat præceptum

Digitized by Google

ceptum divinum præmittendi Confeſſionem ſuſceptioni Euchariſtiæ, aut præceptum annuæ Confeſſionis, ſatis probabile videtur, quòd poſſis dimidiare Confeſſionem cum propoſito ſuo tempore alteri Confeſſario integrè confitendi: quia tunc ruina illa Confeſſarii videtur eſſe majus malum, quàm ſit bonum adimpletio præcepti divini integrè confitendi, pro iſto præcisè tempore.

An autem tenearis dimidiare, eſt alia quæſtio: quia cùm debeas confiteri, & poſſes unicâ Confeſſione ſatisfacere tuæ obligationi; ipſius pura malitia in cauſa eſt, quòd remaneat obligatio confitendi peccatum in hac Confeſſione omiſſum. Quæ obligatio, an ſit ſufficiens incommodum, ut propter illud evitandum poſſis permittere peccatum Confeſſarii ex mera malitia, tu diligenter perpende; & ſolicitè caveas, ne ſimilia de tuo Confeſſario ſuſpiceris ſinè gravi fundamento; quale utique eſſet, ſi aliàs expertus fueris ſollicitationem Confeſſarii ad turpia, ob ſimilia peccata in Confeſſione declarata, aut ſcires Confeſſarium tam proclivem ad ea vitia, ut obvias quaſq; ſibi familiares facilè ad turpia ſollicitet.

Tertius caſus, in quo ob grave incommodum licet dimidiare Confeſſionem, eſt, ſi pœnitens prudenter timeat revelationem peccati, à Confeſſario faciendam, niſi fortè obligetur in conſcientia dare facultatem Confeſſario peccatum revelandi: tunc enim cenſetur damnum intrinſecum Confeſſioni, id eſt, damnum per ſe tali Confeſſioni annexum, utpote neceſſariò conſequens ex obligatione ipſius pœnitentis, quod damnum non excuſat, ùt infrà videbimus.

Quartum caſum colligimus ex Scoto 4. diſt. 21. q. 2. n. 21. ubì ſic ait: *Ad aliud dico, quòd Confeſſor indiſcreté miniſtrans Sacramentum Pœnitentiæ, tenetur non ſtatim confiteri de facto ſuo indiſcreto, quando ſcilicet Confeſſor ſuus poterit ſtatim devenire in notitiam perſonæ, circa quam indiſcretè exercuit uſum Clavium: & hoc ad minus tenetur non in ſpeciali exprimere culpam circa quam, & modum quo indiſcretè exercuit; ſed vel præcisè in univerſali, dicendo ſic:* Meâ culpâ indiſcretè & indebitè miniſtravi Sacramentum Pœnitentiæ. *Vel ſi urget eum conſcientia de Confeſſione facienda ſuper hoc in ſpeciali, ut dicit argumentum; quia eſt peccatum mortale ſpeciale, & circumſtantiæ ſpecialiter aggravantes; tenetur expectare opportunitatem confitendi alicui, qui ex tali Confeſſione peccati & circumſtantiarum, non poſſit devenire in notitiam perſonæ huic confeſſæ. Quòd ſi numquam poſſit haberi talis Confeſſor, quin ex explicatione peccati, & circumſtantiarum, poſſet devenire in culpam & perſonam iſti confeſſam, iſte eſt in caſu impoſſibilitatis ad confitendum homini; quia plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam ſibi confeſſam, quàm ad confitendum explicitè culpam ſuam; quia ad primum multipliciter ex lege naturæ, ùt probant rationes ad primam Concluſionem, & multipliciter ex lege poſitiva divina, ùt probant rationes ad ſecundam Concluſionem: ad ſecundum verò ad plus* (id eſt, ad ſummum) *de lege poſitiva divina, ùt dictum eſt diſt. 17. Ergo iſte confiteatur Deo.* Hucuſque Doctor Subtilis.

Et ideo ſuprà dixi, notandum in concurrentia præceptorum, quæ ſimul obſervari nequeunt, quod eorum majus aut minus ſit, ut alteri præferri debeat vel cedere, id eſt, ut obſervari debeat, vel non obſervari. Siquidem duo hìc concurrunt præcepta, unum juris naturalis divini poſitivi non prodendi culpam ſibi confeſſam, aliud juris divini poſitivi integrè confitendi ſua peccata. Procùl dubio autem ſigillum graviùs obligat, quàm integritas Confeſſionis. Quando ergo utrumque ſimul non poteſt obſervari, liquet profectò ſigillum eſſe obſervandum.

Sed antequam progredior ad alios caſus, magìs dubios & diſputabiles, non eſt mens noſtra, generaliter dicere, in præallegatis caſibus ſemper licitum fore dimidiare ſuam Confeſſionem; ſed tunc ſolùm, quando aliunde adeſt aliqua neceſſitas, aut extraordinaria utilitas confitendi, v. g. quando urget præceptum Confeſſionis divinum vel Eccleſiaſticum, per ſe vel per accidens; vel ſi alioquin diutiùs deberet differre Confeſſionem cum notabili detrimento profectûs ſpiritualis, & incertitudine magna ſtatûs gratiæ, eò quòd nequeat elicere Contritionem Charitate perfectam. 14. Limitatio præcedentis doctrinæ.

Immò ſecundùm Multos tenetur pœnitens ſic dimidiatè confiteri (niſi poſſit & velit cedere juri ſuo, eligens ſubire incommodum, quod timet ex integra Confeſſione) quando urget præceptum Confeſſionis: quia hoc videtur eſſe majoris conſiderationis, quàm præceptum integrè confitendi.

15. An pœnitens teneatur in caſibus prædictis dimidiatè confiteri, ſi urgeat præceptum Confeſſionis.

Nonne, qui credit, ſe non poſſe, etiam facto diligenti examine, revocare in memoriam, & dicere omnia peccata propter oblivionem, tenetur nihilominùs confiteri ea, quorum recordatur, ut impleat præceptum? Ita ergo, qui propter juſtam cauſam non poteſt omnia dicere, tenebitur confiteri ea, quæ poteſt, tacito illo peccato, ex quo oriretur periculum notabilis damni. Patet; quia talimodo confitendi implet præceptum Confeſſionis; quia confitetur omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt practicè, id eſt, tanquam poſsibilia moraliter explicari, atque adeò tanquam hìc & nunc ex debito declaranda. Sic Quidam interpretantur verba Conc. Florent. & Trident.

Unde exiſtimant, eum, qui hoc modo confeſſus fuiſſet, ut ſatisfaceret præcepto Confeſſionis annuæ, non teneri quàm primùm poſſit confiteri peccatum omiſſum; ſed poſſe differre Confeſſionem illius uſque in annum ſequentem, niſi citiùs urgeat præceptum divinum:

tanquàm moraliter impoſsibilia, ſivè tanquàm practicè non confitenda.

20\. Cæterùm, ſi à me quæritur, quare in Concluſione addiderim illam particulam: *Confeſsioni extrinſecum?* Reſponſio in promptu eſt: quia, qui præcipit Confeſsionem, cenſetur compræcipere (ut ſic loquar) omnia damna, quæ ipſi intrinſecè connexa ſunt; alioquin inutiliter præciperet: ſicuti lex humana, eſtò per ſe non obliget cum periculo vitæ, aut alterius gravis nocumenti extrinſeci, ſeu per accidens conjuncti; equidem, ſecundùm Theologos communiter, obligat cum periculo vitæ, aut alterius gravis nocumenti, quando actus juſtè præceptus, per ſe habet hujuſmodi periculum annexum.

Hinc peccat miles, qui metu mortis ſtationem ſuam deſerit; ſecùs, qui metu mortis non ſervat jejunium Eccleſiæ: quia jejunio planè extrinſecum eſt periculum mortis; ſtationi autem per ſe connexum. Ergo ſicuti qui præcipit ſtationem, conſequenter præcipit periculum mortis; alioquin fruſtrà præciperet: pari ratione, qui præcipit integram Confeſsionem, præcipit omnia damna per ſe connexa, ne alioquin inutiliter præcipiat. Ex quo infero, & erit

CONCLUSIO II.

Propria infamia vel complicis apud ſolum Confeſſarium, non excuſat ab integritate materiali Confeſſionis.

21\. PRima pars, videlicet propriam infamiam non excuſare, eſt communis DD. Ratio à priori voluntas Chriſti, qui præcepit integram Confeſſionem, cui per ſe annectitur propria infamia; quamvis hìc & nunc per accidens fieri poſſit, ut pœnitens non infamet ſe: quia vel peccata non ſunt infamatoria reſpectu ſui, v. g. duellum reſpectu militis; vel quia ignotus Confeſſario, vel quia aliunde publica ſunt.

Profectò ſi pœnitens excuſaretur à Confeſſione, ne ſe infamaret, & ſolùm teneretur confiteri, quando peccata non eſſent infamatoria, aut quando nanciſceretur Confeſſarium, qui illum non noſſet, vel certè quando peccata forent publica; frequentiſſimè excuſaretur vel à Confeſſione, vel ab integritate illius, ita ut non teneretur dicere peccata, niſi vel levia & communia; vel certè differre poſſet Confeſſionem uſque ad prædictam occaſionem Confeſſarii, qui illum non noſſet, quæ licèt in aliquibus locis ſatis frequens ſit, ubì nimirum abundant Confeſſarij; attamen in aliis locis, ubi vix unus aut alter Confeſſarius reperitur, rariſſimè talis occaſio ſeſe offert.

Planè ergo conveniens erat inſtitutioni hujus Sacramenti, & præcepto integræ Confeſſionis, ut pœnitens teneretur confiteri integrè cum propria infamia, quando aliter non poſſet confiteri: præſertim, cùm hoc Sacramentum quantum quantum eſt, ſit inſtitutum in bonum & utilitatem ipſius pœnitentis.

Sed numquid rectè indè infertur: ergo obliget præceptum integræ Confeſſionis cum infamia complicis? Ita argumentatur Cardinalis Lugo diſp. 16. nu. 398. ibi: Ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem, ut ſe ipſum infamet, quàm ad permittendum vel obligandum, ut alienum crimen manifeſtet. Conſtat etiam, aliquando poſſe me manifeſtare crimen alienum, ad vitandum aliquod malum meum, vel propter aliquod bonum meum, licèt illud idem bonum non me obliget, ad manifeſtandum crimen meum. Cùm ergo bonum Confeſſionis integræ tale ac tantum ſit, ut propter illud Chriſtus obliget pœnitentem ad manifeſtanda ſua crimina, & ſubeundam infamiam; conſequens eſt, ut propter illud idem bonum permiſerit neceſſariam manifeſtationem criminis alieni, quæ certè tunc non erit mala, cùm non fiat, abſque rationabili cauſa. Hæc ille. 22. *An obliget integra Confeſſio cum infamia complicis? Affirmat Lugo.*

Sed contrà opponit Dicaſtillo diſp. 9. n. 898. Poſſum integrè confiteri cum propria infamia, etiam ubì nulla eſt neceſsitas; quia v. g. adeſt alius Confeſſarius, cui ſum ignotus; & tamen non bene indè concluditur: ergo poſſum integrè confiteri cum infamia complicis, etiam ubì nulla eſt neceſsitas; quia v. g. adeſt Confeſſarius, cui complex eſt incognitus. 23. *Contra quem arguit Dicaſtillo.*

Reſpondeo; diſparitas eſt, quòd homo ſit dominus propriæ famæ, & poſsit cedere jurì ſuo: non eſt autem dominus famæ complicis, nec poteſt cedere juri, quod complex habet ad famam ſuam. Ergo licèt abſque neceſsitate integræ Confeſsionis poſsit ſe ipſum infamare ad majorem ſui humiliationem, & per conſequens ad majorem fructum Sacramenti; non ſequitur: ergo etiam abſque neceſsitate integræ Confeſsionis poteſt infamare complicem; quia ſola ratio, excuſans infamiam complicis à peccato formali detractionis, eſt neceſsitas integræ Confeſsionis. Unde valde diverſa ſunt: Teneor meipſum infamare ad accipiendum tale bonum; ergo poſſum infamare alterum ad accipiendum idem bonum; &: Poſſum meipſum infamare ad accipiendum tale bonum; ergo etiam poſſum infamare alterum ad accipiendum idem bonum. *Reſponſio.*

Nonne bene ſequitur: teneor in judicio humano confiteri peccatum cum propria infamia ad evitandam mortem; ergo etiam ob eandem rationem poſſum confiteri peccatum cum infamia complicis? Nullus eſt qui dubitat de boni- 24. *Non valet ſemper argumentum à propria infamia ad infamiam complicis.*

de bonitate iſtius Conſequentiæ. Et tamen non bene infertur : poſſum in judicio humano confiteri peccatum cum propria infamia ad majorem mei humiliationem; ergo ad eundem finem poſſum confiteri peccatum cum infamia complicis: quia illa major mei humiliatio, quæ tantùm conſilii eſt, quamvis ſit ſufficiens cauſa abjiciendi propriam famam, cujus ſum dominus; non tamen auferendi famam proximi, cujus non ſum dominus.

Herclè non eſt dubium, quin aliquando poſsim manifeſtare verum crimen proximi mei cum ejus infamia, ad evitandum aliquod malum, rametſi illud malum evitandum non me obliget, ad manifeſtandum proprium crimen: cùm enim notitia, quam habeo de crimine alterius, mea ſit; non eſt tam ſtricta obligatio eâ non utendi, ſed ex communi ſententia licitè eâ utor ad neceſſarium conſilium petendum de re alicujus momenti. Item, ad gravem dolorem leniendum, & ad ſimiles multos fines (qui tamen me non obligant ad manifeſtandum proprium crimen) cur non etiam ad obtinendum bonum integræ Confeſſionis, quod tantum eſt, ut propter illud debeam meipſum infamare?

25. Diſcrimen inter impoſitionem criminis falſi, & revelationem veri.

Pro quo adverte differentiam, quæ eſt inter impoſitionem criminis falſi, & revelationem criminis veri : nam revelando crimen verum, utor re meâ, ſcilicet notitiâ, quam habeo de alterius crimine : ſecùs imponendo falſum crimen; ac proinde rariſsimè licet imponere falſum crimen, ſæpiùs autem revelare crimen verum, eſtò ille, cujus crimen revelatur, nullum indè ſentiat commodum : nec juſtè conqueri poteſt, cùm illi periculo ſe expoſuerit committendo crimen.

Et admiſſo (de quo infrà adhuc redibit mentio) quòd bonum integræ Confeſsionis cedat totaliter in utilitatem pœnitentis, & nullatenus in utilitatem complicis : ergo non ſufficit, ut rationabiliter poſsim revelare ejus peccatum, quando hoc eſt omninò neceſſarium ad obtinendum bonum integræ Confeſſionis, neg. Conſeq. Patet, quando revelatur ad petendum conſilium, ad mitigationem doloris &c. Equidem ſi pro conſilio vel ſolatio licet, idque extra Confeſsionem, ubi ſigillum non obligat; neſcio, quam difficultatem ſibi aliqui imaginentur in revelatione veri criminis, quæ fit in Confeſsione, ex qua oritur ſigillum, etiam reſpectu illius criminis, quando aliter pœnitens non poteſt habere bonum integræ Confeſsionis.

26. Objectio.

Dices: Chriſtus potuiſſet velle infamiam pœnitentis propter utilitatem pœnitentis; & non infamiam complicis, qui nullam indè habet utilitatem.

Solvitur.

Reſpondeo : etiam Chriſtus potuiſſet non velle infamiam pœnitentis, non obſtante ſui utilitate; & potuiſſet velle infamiam complicis, eſtò nullam indè accipiat utilitatem. Quid factum ſit, quæritur : conſtat voluiſſe & obligaſſe pœnitentem propter utilitatem propriam, quam accipit ex integra Confeſſione, ad revelanda omnia peccata cum propria infamia : non conſtat, poſitivè noluiſſe infamiam complicis; & jus naturale dictat, quòd poſſim revelare verum crimen proximi mei cum ejus infamia, quando hoc eſt neceſſarium pro evitando aliquo notabili malo, & accipiendo notabili bono : ergo jus naturale dictat eſſe licitum revelare complicem in Confeſſione, quando aliter non poſſum accipere bonum integræ Confeſſionis; quod utique notabile apparet ex eo, quòd Chriſtus obligaverit pœnitentem ad illud acquirendum cum propria infamia.

27. Quod bonum integræ Confeſſio[nis]

Quæris à me, quod ſit illud bonum? Reſpondeo : perfectum judicium Confeſſarii de ſtatu pœnitentis, æquitas in pœnitentiis injungendis, tam ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, quàm ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Verbo ut abſolvam; Deus talem ſatiſfactionem exigit pro peccato.

Et quamvis integra Confeſſio rariùs afferret (ſicut reverà rariùs affert) infamiam complicis, quàm pœnitentis; equidem quando abſolutè affert, unde probatur, voluntatem divinam, exigentem pro ſatisfactione integram Confeſſionem, non prævalere præcepto naturali conſervandi famam proximi? Etiam rarò evenit, ut revelatio alieni peccati ſit neceſſaria ad conſilium aut ſolatium : attamen quando eſt neceſſaria, licet; quia præceptum naturale conſervandi famam proximi non eſt abſolutum & generale pro quocumque tempore ac loco, & quibuſcumque circumſtantiis, ſed pro tunc, quando non occurrit cauſa rationabilis in contrarium.

28. Illud valen[tibus] comp[robatur] ſimili[bus]

Sicuti præceptum naturale : *Non occides*, non obligat ſimpliciter & abſolutè (nam licet occidere malefactores auctoritate publicâ, licet occidere auctoritate privatâ injuſtum invaſorem vitæ &c.) ſed cum hac limitatione : *Inſontem & juſtum non occides*, Exod. 23. v. 7. Item, ſcandalum acceptum vitare juris naturalis eſt, ſed non cum gravi detrimento proprio.

Et hinc præceptum poſitivum audiendi Sacrum die Dominicâ, efficere poteſt, ut mulier, quæ alioquin ad vitandum ſcandalum acceptum juvenis alicujus, illam inordinatè diligentis, deberet ſe continere domi; nihilominùs ut impleat iſtud præceptum, poſſit ire ad templum; quia non tenetur ſe privare Sacro & impletione præcepti, ut cum illo detrimento proſpiciat alteri, ex malitia peccaturo.

Similiter, eſt præceptum naturale defendendi Rempublicam : ſi tamen id nequeo facere

Digitized by Google

facere abſque revelatione ſigilli ſacramentalis (cujus obſervatio eſt juris quodammodo poſitivi) nulla eſt obligatio : quia tunc ſolùm teneor defendere Rempublicam, quando poſſum ſinè majori incommodo, quàm ſit commodum illud, quod Reſpublica accipiet ex mea defenſione : jam autem incommodum quod oriretur ex revelatione ſigilli, longè majus eſt, quàm quodcumque commodum Reipublicæ.

Igitur ad propoſitum noſtrum, jus naturale prohibens revelationem complicis cum ejus infamia, intelligitur, niſi adſit rationabilis cauſa, qualis in præſenti eſt integritas Confeſſionis, quæ licèt Aliquibus videatur minoris momenti, quàm fama complicis; & ideo probabiliter aſſerant, potiùs dimidiandam Confeſſionem, quàm infamandum complicem apud ſolum Confeſſarium; aliis tamen multis & doctis ac ſanctis viris contrarium apparet, videlicet bonum integræ Confeſſionis longè præſtare infamationi complicis apud ſolum Confeſſarium : & ideo probabiliùs nobiſcum docent, infamiam complicis apud ſolum Confeſſarium non excuſare ab integritate materiali Confeſſionis.

Ita planè ſentit Doctor Angelicus S.Thom. 4. diſt. 16. qu. 3. art. 2. quæſtiunculâ 5. *Ad quintum dicendum, quòd homo in Confeſſione debet famam alterius cuſtodire quantum poteſt, ſed ſuam conſcientiam magis purgare debet : & ideo ſi circumſtantia, quæ ducit in cognitionem perſonæ, ſit ex neceſſitate Confeſſionis, ſecundùm regulam datam, tunc debet confiteri occultando perſonam quantùm poteſt; ſi autem non ſit de neceſſitate Confeſſionis, debet dimittere ne peccatum alterius prodat.*

Ejuſdem ſententiæ eſt Doctor Seraphicus S. Bonaventura 4. diſt. 21. p. 2. art. 1. q. 3. nu. 54. ubi ſic ſcribit : *Dicendum, quòd aliena peccata aut ſunt impertinentia ad peccati noſtri accuſationem, ſed ex quadam aſſociatione refert ea, & ad quandam excuſationem ille, qui confitetur; quia ſolatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum; & malè facit, qui ſic confitetur : ſicut multi ſimplices accuſant aliquando omnes vicinos ſuos, ut minùs confundantur; ut ſi dicant : ſumus latrones, uſurarii, periuri, & conſimilia; & tales à Confeſſoribus corripiendi ſunt, quia rectam formam Confeſſionis non ſervant. Aut peccata aliena ſunt noſtris coniuncta & admixta; ita quòd ſinè illis non poteſt bene culpa propria explicari : & tunc licitum eſt confiteri eatenus, quatenus non poteſt ſinè alieno peccato culpa propria explicari. Vnde ſufficit aliquando in generali; ùt ſi mulier cognita eſt ab Epiſcopo (quòd abſit) ſufficit dicere, quòd aliquis magnus Prælatus eam cognovit. Si à perſona Religioſa, ſufficit, quòd in generalitate ſua ſtet, quia ſatis apparet genus culpæ. Si verò deſcendat ad perſonam ſingularem, increpanda eſt perſona confitens* &c.

Si verò peccatum non poteſt explicari ſinè explicatione perſonæ determinatæ : utpote, ſi mulier inordinatè à viro cognita eſt; tunc ſi dicat de marito, non peccat, pro eo quòd non poteſt aliter confiteri propriam culpam. Et tunc non debet attendi accuſatio aliena, ſed accuſatio propria. Et ſic generaliter verum eſt, quòd peccata aliena non ſunt dicenda in Confeſſione, niſi eatenus, quatenus ſunt propria; nec Confeſſores debent inquirere. Vnde illi Confeſſores, qui ramuſculos in Confeſſionibus inquirunt, & audiunt de aliis malum, & ſuſtinent, vix aut nunquam à peccato detractionis excuſari poſſunt : & neſciunt mederi animabus, dum patiuntur eos, qui veniunt ad medicinam, alios accuſando, ſibi infligere vulnus grave. Huculque Sanctus Bonaventura.

Accedat S. Bernardus in Formula honeſtæ vitæ, in quodam documento, quod proximè poſt illam habetur, ibi : *De nullo prorſus ſiniſtrè loquaris (quantumcumq; ſit verum vel manifeſtum) niſi in Confeſſione; & hoc ubì non potes aliter manifeſtare peccatum tuum.* & Doctoris Melliflui.

Omitto alios Auctores tam veteres, quàm recentiores, qui magno numero (ùt videre poteris apud Suarium diſp. 34 ſect. 2.) ſecuti ſunt præfatos ſanctiſſimos ac doctiſſimos viros. Solùm ſubſcribo verba Doctoris Subtilis, quæ reperio 4. diſt. 21. q. 2. n. 16. *De Quid dico, quòd non tantùm peccatum principale Confitentis, & circumſtantias peccati; quia circumſtantiæ non poſſunt bene revelari ſinè revelatione facti, ſed & perſona ſecunda, cum qua peccatur . . . . . quia etiam confitens vult famam perſonæ, cum qua peccavit, ſalvare, id eſt, deberet velle, ſicut ſui : immò eò magis, quòd perſona illa ſibi fuit coniuncta in crimine; tantùm enim magis tenetur ei ad boni reſtitutionem, quod per illam amiſit; & ad cuſtodiam illius boni, quod poteſt cuſtodiri, non obſtante illo malo commiſſo.* 30. quibus non contradicit Doctor Subtilis.

Ubi licèt expreſsè ſolùm doceat, perſonam complicis cadere ſub ſigillum; equidem ſatis apertè ſupponit noſtram ſententiam, dum peccato principali, & circumſtantiis peccati, adjungit perſonam ſecundam, cum qua peccatur. Conſtat autem, peccatum principale & circumſtantias peccati poſſe & debere explicari in Confeſſione. Saltem Scotus nuſpiam docet aut inſinuat ſententiam oppoſitam : ergo electio libera. Malo autem eligere ſententiam ſanctiſſimorum juxta ac doctiſſimorum virorum, quàm ſententiam aliquorum DD. de quorum ſanctitate & excellenti doctrina nobis non ita conſtat, cùm totum pendeat à prudenti judicio de notabili bono integræ Confeſſionis, factâ comparatione ad infamiam, quam patitur complex apud ſolum Confeſſarium.

Licèt autem bonum notabile integræ Confeſſionis ſuprà paucis verbis inſinuaverim; equidem non abs re erit, paulò fuſiùs illud declarare ex Suario ſuprà num. 8. & 9. ubi in primis conatur probare integritatem Con- 31. Declaratur bonum notabile Confeſſionis integræ ex

Digitized by Google

Suario; & primò quidem bonum ipſius Sacramenti.

feſſionis pertinere ad bonum ipſius Sacramenti; quia (inquit) hæc integritas neceſſaria per ſe eſt ad perfectionem hujus judicii.

Et moraliter declaratur: quia aliàs frequenter, & ex occaſionibus ſæpè occurrentibus, & veluti per ſe conjunctis cum modo peccandi hominum, oporteret dimidiare Confeſſionem, & multa peccata tacere; ut v. g. non poſſent vir & uxor confiteri peccata, quæ inter ſe committunt, moraliter & regulariter loquendo, quia cognoſcuntur à Confeſſore, & unus confiteretur lapſum alterius, & ſimilia; quòd certè maximum incommodum eſt.

Item, quia indè poſſent pravi homines occaſionem ſumere graviſſima peccata committendi, eâ occaſione, quòd uterque ratione alterius mutuò excuſabuntur ab obligatione confitendi. Conſiderato ergo bono ipſius Sacramenti, ex illo ſumitur ſufficiens cauſa, ut illa cenſeatur detractio materialis & non formalis. Hæc ille.

32. Deinde ſpiritualis utilitas ipſius pœnitentis.

Deinde explicat ſpiritualem utilitatem ipſius pœnitentis, dicens: Moraliter loquendo, indè (id eſt, ex integra Confeſſione) creſcit pudor & dolor de tali peccato. Unde moraliter etiam ſperari poteſt, ut creſcat fructus ex opere operato, qui certè eſt majoris momenti, quàm fama complicis circa unum Confeſſorem ſub tanto ſecreto. Accedit prætereà, quòd cum hac integritate conjuncta eſt Satisfactio ſacramentalis pro tali delicto impoſita, cujus fructus etiam eſt maximi momenti. Deníque accedit ipſa realis executio ſeu obſervantia divini præcepti abſque excuſatione, quæ per ſeſe etiam eſt magnum bonum, tum propter honeſtatem ipſius actionis, tum etiam propter pacem conſcientiæ, quam affert, dum liberatur homo ab illo onere & obligatione iterum confitendi.

Unde etiam eſt magnâ conſideratione dignum, quòd ſi obligetur pœnitens ad occultandam perſonam complicis in Confeſſione; moraliter loquendo obligabitur ſæpè ad bis confitendum peccatum ſuum, ſemel ſub aliqua ratione generali, & iterum ſub aliqua ſpeciali; ùt v. g. ſi quis cum matre deliquit, priùs quando Confeſſor matrem agnoſcit, tenetur ſaltem confiteri illicitum concubitum, ùt etiam alterius ſententiæ Auctores fatentur; poſteà verò nactâ occaſione tenebitur iterum confiteri impium inceſtum, quod profectò magnum gravamen eſt. Hoc igitur ſenſu optimè etiam hîc applicatur principium illud, quòd unuſquiſque magìs tenetur ſibi providere, quàm alteri ceteris paribus, nedum ubi eſt tanta diſparitas: nam pœnitens ſic confitendo & animæ ſuæ providet vel in neceſſariis, vel certè in rebus maximè utilibus; atque etiam ſuo pudori & ſuæ famæ aliquo modo ſubvenit, ne ſæpiùs & multis ſe prodere cogatur.

Hucuſque Suarius; totus intentus in extollendo bono integræ Confeſſionis.

Addo pauca pro diminutione infamiæ, quam patitur complex ex revelatione peccati apud ſolum Confeſſarium. Fama in genere rectè deſcribitur: Multorum exiſtimatio, communi & publico ſermone expreſſa, de vita & moribus alicujus. Porrò bona fama definitur: leg. *Cognitionum* 5. ff. de Extraord. cognit. *Dignitatis illæſa ſtatus, legibus ac moribus comprobatus.* Hinc aliqui probabiliter exiſtimant, non eſſe peccatum mortale in genere detractionis, uni aut alteri viro prudenti & ſecreto revelare defectus graves ſinè rationabili cauſa; quia videlicet adhuc permanet *dignitatis illæſa ſtatus, legibus ac moribus comprobatus:* non enim ex tali revelatione oritur multorum (moraliter loquendo) exiſtimatio mala, communi & publico (ſaltem moraliter) ſermone expreſſa. Addo ly *Moraliter:* quia duo aut tres licèt phyſicè plures ſint, tamen reſpectu totius Communitatis pro nihilo quaſi reputantur. Unde crimen commiſſum coram duobus aut tribus non dicitur publicum facto, ut propterea poſſit ſinè peccato ulteriùs propalari.

[Oſt … ex … vel … no … ver … mi …]

Enimverò veluti non dicitur quis bonæ famæ, eò quòd unus aut alter inter ſe dicant, & exiſtiment ipſum eſſe bonum, ſi tamen vulgus æſtimet ipſum eſſe malum; ita vice verſâ non videtur eſſe infamis ex eò præcisè, quòd unus, duo aut tres inter ſe dicant, ipſum eſſe malum, & illud interiùs ſentiant, dummodò promiſcuum vulgus ipſum prædicet juſtum & ſanctum. Vel ſi eſt aliqua infamia, aut meliùs aliqua diminutio æſtimationis, ſaltem non gravis ſeu mortalis. An fortè exiſtimas, ſi quis eſſet publicè ſeu propriè infamatus, & duo vel tres adhuc ignorarent crimen commiſſum, graviter peccaturum contra Charitatem, qui illud crimen ipſis revelaret? Noli exiſtimare.

[3. Prud… non deſpi… hom… ex pe…to, q… impr…tes.]

Omitto; prudentes non adeò deſpicere hominem ex peccato, quàm imprudentes: conſiderant enim magìs humanæ naturæ fragilitatem. Quòd autem homines aliquando malint ſua peccata revelari multis plebæis hominibus, quàm uni viro prudenti, v. g. Superiori; oritur ex eo, quòd timeant ab eo privari aliis bonis, ſuſtentatione v. g. promotione ad officia &c. Tunc autem foret peccatum mortale non in genere detractionis, ſeu quatenus fama læditur; ſed in genere alterius injuſtæ damnificationis, quatenus aliis bonis per iniquam delationem fraudantur.

[Ex qu… ſpond… ad aliq… argum…ſum.]

Ex quo patet, quid reſpondendum ad hoc argumentum: Opinio bona apud prudentes & probos eſt majus bonum, quàm apud imprudentes & improbos. Reſpondetur enim primò, opinionem apud prudentes non ita facilè tolli ex revelatione unius aut alterius defectûs.

Deinde

Digitized by Google

Deinde poſſet dici, non eſſe in ſe majus bonum; ſed quia ſperantur indè alia commoda, ut promotio ad officia, externus honor &c.

Dices: Sicut materia, quæ ſufficit ad mortalem rapinam, ſufficit ad mortale furtum; pari ratione materia, quæ conſtituit mortalem contumeliam, conſtituet itidem mortalem detractionem: atqui ſufficit ad contumeliam mortalem, etiam uno ſolo præſente, grave crimen alteri exprobrare; ergo &c.

Reſpondeo I. neg. Majorem. Ratio diſparitatis eſt; quòd furtum & rapina habeant idem objectum, ſcilicet bona fortunæ; detractio autem & contumelia diſtinctum. Detractio quippe pro objecto habet famam; at verò contumelia honorem. Jam autem honor cùm ſit teſtimonium vel unius tantùm, prorſus læditur, quamvis nullus ſit præſens, niſi ille, cui contumelia infertur: fama verò, utpote æſtimatio plurium, non læditur, niſi pluribus crimen manifeſtetur.

Nec hinc conſectarium eſt, eum qui imponit crimen falſum, etiam coram uno ſolo, non peccare mortaliter; quia tametſi fortaſsis damnum non ſit grave in genere detractionis, cùm non ſit vera infamia, nihilominus æſtimatio, quâ aliquis, cùm ſit probus, æſtimatur improbus, grave malum cenſetur.

Deinde modo magìs injurioſo aufertur ipſi illa bona æſtimatio, quam habebat, eo planè modo, quo per judicium temerarium, quod conſtat eſſe peccatum mortale. Sanè majus jus videtur habere, ut æſtimetur bonus, quando talis eſt; quàm ut æſtimetur bonus, quando malus eſt. Unde longè majorem infert injuriam, qui imponit crimen falſum, quàm qui revelat verum: & prorſus major ratio requiritur ad imponendum crimen falſum, quàm ad revelandum crimen verum.

Reſpondeo II. ad principale argumentum; fieri poſſe, ut parva materia in ordine ad furtum, ſit gravis materia rapinæ, ſi videlicet magnâ violentiâ auferatur. Siquidem rapina, præter malitiam furti, videtur in ſe includere implicitum quemdam contemptum domini, à quo per violentiam res accipitur. Poſſet ergo contemptus iſte in tantùm excreſcere, ut quamvis materia, quæ aufertur, in ſe ſit levis, tamen propter contemptum adjunctum fiat materia gravis peccati, v. g. ſi dominus in terram dejiciatur, pedibus conculcetur &c. Hâc ratione, ſi quis magnâ vi à Clerico auferat rem levem, poteſt peccare mortaliter, quamvis ſi occultè acciperet, ſolùm peccaret venialiter. Quid ergo miramur, ſi contumelia (in quâ intercedit contemptus) poſsit eſſe peccatum mortale, eſtò detractio (à qua abeſt contemptus) de eadem materia, ſolùm ſit venialis?

Quidquid ſit de veritate hujus opinionis (quæ diſputabilis eſt, & communiùs negatur) ſaltem ex dictis apparet, longè minorem eſſe infamiam (ſi ita placeat eam appellare) quæ infertur complici per revelationem peccati in Confeſsione apud ſolum Confeſſarium, quàm ſi pluribus revelaretur idem peccatum extra Confeſsionem; immò, quàm ſi uni revelaretur: idque propter ſigillum Confeſsionis, quod adeò ſtrictè obligat Confeſſarium, ut nullatenus poſsit uti illâ ſcientiâ in præjudicium complicis, magìs quàm in præjuditium pœnitentis.

relationem in Confeſſione, quàm extra.

Sin autem (quod abſit) pœnitens prudenter timeret abuſum ſcientiæ confeſsionalis reſpectu complicis, indubiè non teneretur complicem revelare; magìs quàm, ſi eundem abuſum timeret reſpectu ſui, teneretur ſe ipſum revelare: quia ille abuſus eſt planè extrinſecus integritati Confeſſionis, ſecùs ſcientia Confeſſarii; & ideo iſte excuſat ab integritate, hæc autem non; per conſequens nec infamia tam pœnitentis, quàm complicis, quæ præcisè oritur ex illa ſcientia.

Dices, eſſe diſcrimen: magìs enim per ſe connectitur cum Confeſſione infamia ipſius pœnitentis, quàm alterius, quæ per accidens ſolùm videtur aliquando reperiri. Ita ſibi objicit Lugo diſp. 16. nu. 400. ſequenti autem numero ait: Hoc Sacramentum per ſe loquendo, & ex ſua inſtitutione utramque infamiam videtur æquè afferre.

38. Objectio ſolvitur ex Lugone.

Sed quid ad hæc Dicaſtillo? Non poſſum (inquit) non videre, Eminentiſſimum n. 400. loquendo de utraque infamatione, oppoſitum docuiſſe. Dixerat enim: *Magìs per ſe connectitur cum Confeſsione infamia ipſius pœnitentis, quàm alterius.* Quæ verba non ſcio componere, cum verbis ſequentis numeri, dum loquens de eodem Confeſſionis Sacramento, ait: *Ex ſua inſtitutione utramq́; infamiam videtur æquè afferre.* Et rurſus ibidem paulò poſt: *Non minùs* (inquit) *affert ſecum infamiam complicis, quàm pœnitentis.* Sola iſtorum verborum collatio inter ſe, non tantùm collatio, ſed colliſio eſt. Nam (ùt de quibuſdam Legibus dixit Quintil. l. 7.) *Confligunt inter ſe, & colliduntur.*

Perperàm ait Dicaſtillo, eum oppoſita docuiſſe.

Clarius videtur hoc, quàm ut à me pluribus probari debeat. Si enim utramque infamiam æquè affert, quomodò (quæſo) magìs per ſe connectitur cum Confeſſione infamia ipſius Pœnitentis? Et quomodò non minùs affert ſecum infamiam complicis, quàm pœnitentis, ſi magìs per ſe connectitur cum Confeſſione infamia pœnitentis, quàm alterius? Hæc ille; excæcatus (ùt videtur) fumo contradictionis.

Quid namque manifeſtius, quàm Eminent. n. 400. loquendo de utraque infamatione, non docuiſſe oppoſitum? Neque enim *dixerat* (ùt perperàm ait dicaſtillo) ſed ſibi ipſi objecerat: *Magìs per ſe connectitur cum Confeſſione infamia ipſius pœnitentis, quàm alteriùs*, ùt patet ex iſtis verbis: *Dices, eſſe diſcrimen.* Quæ ſi Dicaſtillo

39. ùt hic oſtendit Auctor.

caſtillo rectis oculis legiſſet, ſciviſſet utique componere hæc verba: *Magìs per ſe* &c. cum verbis ſequentis numeri: *Ex ſua inſtitutione* &c. componere (inquam) eo modo quo componenda ſunt, id eſt, eo modo, quo verba objectionis componenda ſunt cum verbis reſponſionis.

Sed, quid dicam? Patitur hoc loco Eminent. ab impugnatore ſuo Dicaſtillone, quod frequenter (ùt refert Dicaſtillo ibidem n. 934.) Plato ab Ariſtotele impugnante, dum hic aut in alio ſenſu, quàm ab illo dicta fuerant, aut paulò aliter propoſita refert, ut impugnet. Ita planè Dicaſtillo, ut impugnet Lugonem, objectionem refert tanquam ejus doctrinam, quod eſt vitium capitale.

Igitur Eminent. docuit oppoſitum, non illius quod anteà docuerat, ſed quod ſibi ipſi objecerat. Docuit (inquam) cum Suario ſuprà, & aliis, hoc Sacramentum per ſe loquendo, & ex ſua inſtitutione utramque infamiam, ſcilicet pœnitentis & complicis æquè afferre, eſtò Aliquibus videatur, magìs per ſe connecti cum Confeſsione infamia ipſius pœnitentis, quàm alterius, prout videtur Dicaſtilloni ſuprà n. 904.

40. *Sententia Authoris.* Mihi certum eſt I. Neutram infamiam univerſaliter connecti. II. Frequentiùs connecti infamiam pœnitentis, quàm complicis: quia plurima peccata non habent complicem; & quia ſæpiùs contingit complicem eſſe ignotum Confeſſario, quàm pœnitentem. Interim utraque infamia velut per ſe, & æquè intrinſecè ſequitur ex integritate Confeſſionis, id eſt, integritas Confeſſionis eſt præciſa ratio, quare pœnitens debeat ſeipſum vel complicem manifeſtare; ita ut ſi poſſet integrè confiteri, abſque tali manifeſtatione, per conſequens abſque propria, vel complicis infamia, quæ ſequitur ex illa manifeſtatione, non teneretur ſeipſum vel complicem manifeſtare.

Quòd autem frequentiùs poſſit integrè confiteri abſque manifeſtatione complicis, quàm ſui ipſius, per accidens eſt; adeòque impertinens ad excuſandum pœnitentem ab integra Confeſſione, quando hìc & nunc non poteſt fieri abſque manifeſtatione complicis. Itaque qui præcepit manifeſtationem pœnitentis, quando illa eſt neceſſaria ad integram Confeſſionem, etiam præcepit manifeſtationem complicis, quando æquè eſt neceſſaria.

41. *Argumentum de Scildere.* Audio argumentantem de Scildere in Synopſi de Sacramentis §. 60. Revelatio complicis facit Confeſſionem pœnitentis complici odioſiſſimam, & per conſequens obnoxiam periculo, ne ab ea pænitentem complex avertat: ergo non poteſt tantùm, ſed etiam tenetur pœnitens peccatum complicis infamativum ſilere.

Reſponſio. Reſpondeo: Propria infamia facit Confeſſionem odioſiſſimam ipſi pœnitenti, & nata eſt magìs avertere à Confeſſione, quàm complex; & tamen propter illam non eſt Confeſſio mutilanda; ergo nec propter infamiam complicis.

Si dixeris: illa averſio, quæ fit à complice, eſt aliquod malum extrinſecum Confeſſioni. Reſpondeo: non magìs extrinſecum, quàm averſio, quam cauſat propria infamia: ergo ſi hæc non excuſat, nec illa. *Inſt. ſolvi[tur]*

Quin immo (reponis) eſt magìs extrinſecum, quia ſequitur ex malitia complicis. Reſpondeo: etiam alia averſio ſequitur ex malitia pœnitentis. Ergo ſi Chriſtus non obſtante periculo hujus averſionis, præcepit pœnitenti integram Confeſſionem cum propria infamia; nulla eſt ratio, quare non etiam cenſeatur præcepiſſe integram Confeſſionem cum infamia complicis, eſtò indè complex ſumat occaſionem pœnitentem avertendi à Confeſſione.

Atque, ut in aliquo caſu ex illa averſione ſeu moleſtatione complicis, notabile damnum extrinſecum ſequeretur pœnitenti; equidem iſtud non eſt generale, ut propterea generaliter omnes excuſentur à revelatione complicis. Igitur propter hoc argumentum de Scildere non eſt recedendum à communi ſententia.

Nec propter iſtud Arriagæ diſp. 33. n. 14. Obligatio, quæ eſt ex natura rei, non cenſetur ablata etiam ab eo, qui poteſt eam auferre per legem poſitivam, niſi expreſsè eam revocet, aut niſi lex illa poſitiva petat neceſſariò eam ablationem: id autem in præſenti non petere, patet ex aliis ſimilibus caſibus, quos dixi excipi ab omnibus; v. g. quando ego timeo meum peccatum à Confeſſario revelandum vel uni tantùm, etiamſi timeatur ſolùm in Confeſſione id faciendum, tunc non obligor meum peccatum tali Confeſſario dicere; & tamen ibi non eſt major manifeſtatio, quàm ſi ego revelem complicem hìc enim peccatum complicis revelatur uni, cui ille non confitetur, ſed ego, qui illud revelo. In eo item caſu eſt hoc idem: nam meum peccatum tunc revelaretur à meo Confeſſario uni, cui ego non confiteor; ſed confitetur ille, qui illud revelat. Ergo ſi ego excuſor dicere meum, ne alius, quàm meus Confeſſarius illud ſciat; etiam excuſabor dicere peccatum Petri, ne alius, cui Petrus non confitetur, illud ſciat: quia jam dixi, cùm hoc Sacramentum in pœnitentis bonum ſummum ordinetur, faciliùs fuiſſe illum obligare ad ſe in eo diffamandum aliquo modo, quàm ut diffamet proximum, qui ex eo Sacramento nihil prorſus utilitatis accipit. Hucuſque præfatus Author. *Arg[umen]tum [Arria]gæ.*

Et continuò ſubjungit: Ex his conſtat ſtando ratione, probabiliorem eſſe primam ſententiam: quia cùm non conſtet, à Chriſto illam obligationem naturalem non prodendi compli- *Propter quod p[ræ]ſententi[am] oppoſit[am] Concl[udit] eſſe pro[ba]biliorem.*

complicem eſſe ablatam per hoc Sacramentum, non poſſumus nos dicere, ablatam eſſe: obligat ergo etiam in eo caſu. Secunda autem ſententia habet pro ſe Scholaſticos plures. Quidquid de re ipſa ſit, utraque in praxi poteſt commodè teneri. Hæc ille.

Reſponſio patet ex dictis: conſtat, Chriſtum præcepiſſe integram Confeſſionem cum propria infamia, propter utilitatem, quam accipit pœnitens ex eo Sacramento. Conſtat, præceptum naturale conſervandi famam non obligare cum notabili incommodo illius, qui novit peccatum occultum alterius, eſtò ille, cujus peccatum revelatur, nullam indè accipiat utilitatem: ergo conſtat, pœnitentem poſſe revelare peccatum complicis; ne careat utilitate integræ Confeſſionis, eſtò complex nihil utilitatis ex eo Sacramento accipiat.

Nec eſt ſimilis caſus Arriagæ; quia revelatio, quæ fit à Confeſſario vel uni tantùm, etiam in Confeſſione, non eſt neceſſaria ad integritatem meæ Confeſſionis, ſicuti eſt neceſſaria revelatio complicis. Dato autem caſu (de quo ſuprà egimus) quòd revelatio, quæ fieret à Confeſſario, foret neceſſaria; ita ut, niſi pœnitens velit dare licentiam revelandi, indiſpoſitus ſit ad ſuſcipiendum Sacramentum, dico (ſicut ſuperiùs dixi) propter timorem illius revelationis nullatenus mutilandam Confeſſionem.

Præterquam quòd, ſi pœnitens non poſſet revelare peccatum complicis, & per conſequens deberet carere fructu integræ Confeſſionis, etiam complex eâdem ratione non poſſet integrè confiteri, & per conſequens deberet carere utilitate, quam alioquin acciperet ex integra Confeſſione: ergo præceptum integrè confitendi cum infamia complicis, æqualiter cedit in utilitatem utriuſque.

45. Ex his conſtat, etiam ſtando ratione, probabiliorem eſſe noſtram Concluſionem: quia conſtat, obligationem naturalem non prodendi complicem, eſſe ablatam, ſeu potiùs ceſſare in hoc caſu; propter præceptum & utilitatem integræ Confeſſionis; non quòd hoc præceptum poſitivum, per ſe deroget iſti præcepto naturali; ſed quia immutat circumſtantias, quæ in præcepto naturali includuntur, & ſub quibus præceptum naturale tantùm obligat, ùt patet ex ſuprà dictis. Itaque pœnitens non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur complicem peccati explicare, quando peccatum non poteſt aliter integrè confiteri. Ratio eſt manifeſta: quia jam urget præceptum integrè confitendi, ceſſante utique præcepto naturali conſervandi famam complicis, quod ſolùm poterat eſſe obſtaculum.

46. Haud inficior, in multis caſibus pœnitentem poſſe integrè confiteri ſi velit, tametſi non teneatur: v. g. poteſt explicare aliquam circumſtantiam cum notabili damno extrinſeco propriæ famæ, vel aliorum bonorum quorum eſt dominus; quia poteſt cedere juri ſuo, quod habet ad illa bona; nec tamen propterea tenetur eam confiteri. Poteſt ſi velit cum magno labore quærere Confeſſarium, qui habet poteſtatem in reſervata, ut ſic integrè confiteatur; & tamen non tenetur. Igitur non valet hæc argumentatio: Poſſum explicare complicem peccati, quando non poſſum aliter peccatum integrè confiteri; ergo teneor explicare. Reſpondeo neg. Conſequentiam.

Integrè confiteri, etſi non teneatur.

Ratio diſparitatis eſt; quòd in aliis caſibus maneat præceptum integræ Confeſſionis, quoad vim ſuam obligandi, in actu ſecundo impeditum; nec poſſit expediri, niſi dependenter à voluntate ipſius pœnitentis, qui poteſt, ſi velit, tollere impedimentum, & non tollere. In hoc autem caſu impedimentum tollitur per ipſam legem & utilitatem integrè Confeſſionis, independenter à voluntate pœnitentis. Quidni ergo lex illa obliget, velit nolit pœnitens?

Quare tenetur pœnitens explicare complicem quando poteſt.

Siquidem ceſſante præcepto conſervandi famam complicis, quod unicum poterat eſſe impedimentum, jam lex integræ Confeſſionis, quoad vim ſuam obligandi, in actu ſecundo eſt planè expedita, & nullatenus impedita. Ergo nulla eſt ratio, quare non obliget; ſicuti, ex hypotheſi, quòd pœnitens jam ſubiverit laborem, quem non tenebatur ſubire in quærendo Confeſſario, ex hypotheſi (inquam) quòd aliquem invenerit, qui poſſit abſolvere à reſervatis, jam non ſolùm poteſt, ſed tenetur integrè confiteri; quia impedimentum quod antea erat, ſcilicet abſentia Confeſſarii, jam ablatum eſt per ipſum pœnitentem; & per conſequens manet præceptum integræ Confeſſionis, quoad vim ſuam obligandi, in actu ſecundo expeditum.

47. Itaque in occurrentia duorum præceptorum, quando unum fortius eſt alio, ſi licet unius materiam præſtare, non obſtante materiâ alterius, quod in præſentia fortioris non obligat, tunc materia fortioris non ſolùm licet, ſed debet præſtari; quia manet præceptum fortius expeditum in ſuo vigore, ut urgeat. Hinc ſi quis non poſſit integrè confiteri, niſi revelando ſigillum Confeſſionis, jam ſuprà cum Scoto diximus, non teneri integrè confiteri, quia fortius eſt præceptum ſigilli: & ideo non ſolùm licet omittere integritatem; ſed debet omitti, ut ſervetur ſigillum: quia videlicet in conſpectu ſigilli ceſſat, independenter à voluntate pænitentis, integritatis obligatio; quâ ceſſante manet præceptum ſigilli.

Quando licet obſervare præceptum fortius, debet obſervari.

Ergo conſimiliter in caſu noſtro, cùm in conſpectu integritatis Confeſſionis ceſſet obligatio conſervandi famam complicis, liquet profectò,

profectò, illam non ſolùm eſſe licitam, ſed etiam obligatoriam; & non ſolùm poſſe revelari peccatum complicis, ſed etiam debere: non tantùm in articulo mortis, verùm etiam quandocumque obligat præceptum ſuſcipiendi Sacramentum: non quòd diſtinctio hæc, quâ Aliqui utuntur, nullatenus ſit fundata (ùt putat Herincx part. 4. tract. 4. diſp. 3. n. 58. ſecutus Suarium diſp. 34. ſect. 2. num. 12. & alios Recentiores) ſed quia reverà bonum integræ Confeſsionis, etiam extra articulum mortis, prævalet malo, quod ſequitur complici ex revelatione ſui peccati.

Herincx. Suarez.

48. *Major eſt ratio revelandi complicem in articulo mortis, quàm extra.*

Cæterùm puto ego majorem eſſe rationem revelandi complicem in articulo mortis, quàm extra: quia in articulo mortis occurrit peculiare incommodum, nimirum periculum nunquam ampliùs confitendi illud peccatum, adeoque periculum non exhibendi ſatisfactionem, quam Chriſtus requiſivit pro peccato quolibet mortali.

Reſponſio Suarii,

Reſpondet Suarez ſuprà, hoc non afferre novum aliquod detrimentum ſpirituale, nec novam præcepti divini tranſgreſſionem: quia totum illud per accidens eſt, quatenus ex futuro eventu pendet; ſed ſolùm (inquit) eſt attendenda præſens excuſatio. Quapropter, ſi rationes aliæ per ſe non ſufficerent ad excuſandum à detractione formali, & ad obligandum ad ſervandam integritatem; illa circumſtantia articuli mortis parùm profectò ad utrumque conferret. Hæc ille.

49. *Rejicitur ab Auctore.*

Quinimmò, multùm profectò ad utrumque conferret, quemadmodum multùm conferret ad excuſandum à ſolutione hodierna debiti pecuniarii, quòd, etſi hodie illud non ſolvam, poſt octo dies potero ſolvere, & ſolvam; eſtò rationes aliæ per ſe non ſufficerent ad excuſandum, ex hypotheſi, quòd niſi hodie ſolvam, in perpetuum non potero illud ſolvere, nec ſolvam. An putas, quia juſta ratio differendi ſolutionem debiti ad tempus, eadem ſemper ſit juſta ratio nunquam ſolvendi debitum? Clarum eſt quòd non.

Leſſius.

Quando (inquit Leſſius de Juſtitia & Jure lib. 2. cap. 16. nu. 23.) is eſt rerum mearum ſtatus, ut non poſſim debitum præſtare ſtatim ſinè magna aliarum rerum mearum jactura, licitum eſt mihi ex quadam æquitate Juris naturalis differre, niſi fortè creditor ſimile detrimentum accepturus putetur. Secùs eſt, quando tales ſunt circumſtantiæ, ut niſi modò reſtitutio fiat, nunquam ſit futura; tunc enim ſi res injuſtè ablata eſt, ſtatim reſtitui debet, etiamſi magni ſumptus eſſent faciendi. Hæc ille.

Cur ergò Deus non poſſet rationabiliùs exigere integram Confeſſionem cum infamia complicis in articulo mortis, quando eſt periculum nunquam ampliùs integrè confitendi, quàm extra articulum mortis, quando poſt unum annum v. g. potero integrè confiteri, & integrè confitebor?

Nec verum eſt, quod ſuprà dicebat Suarius; hoc non adferre novum aliquod detrimentum ſpirituale: nam impedit, quò minùs pœnitens unquam poſſit ſacramentaliter ſatisfacere pro illo peccato, per conſequens accipere remiſſionem pœnarum temporalium ex opere operato. Affert etiam novam præcepti divini tranſgreſſionem; quia præceptum divinum eſt, ſemel confitendi in vita quodlibet peccatum mortale: illud autem tranſgreditur, qui in articulo mortis non confitetur aliquod peccatum mortale; ſecùs qui hodie non confitetur, ſi craſtinâ die confiteatur. Et licèt totum illud pendeat ex futuro eventu, ſcilicet morte nondum phyſicè exiſtente & præſente; equidem cùm mors moraliter certa ſit, & moraliter præſens, totum illud per ſe cenſeri debet, & non per accidens; neque ita attenditur excuſatio futura, quàm bene excuſatio præſens.

Intereà exiſtimamus, illam diſtinctionem de Confeſſione facta in articulo mortis, vel extra illum, non eſſe neceſſariam; ſed teneri pœnitentem etiam extra articulum mortis manifeſtare complicem, quandocumque urget præceptum Confeſſionis, & non poteſt aliter peccatum ſuum integrè confiteri; immò etſi non urgeat præceptum Confeſſionis, ſi tamen notabilis aliqua utilitas hìc & nunc ſuadeat Confeſſionem. Alioquin,

CONCLUSIO III.

Qui revelat peccatum complicis ſinè ulla neceſſitatè vel utilitate, peccat contra juſtitiam; adeoque tenetur ad reſtitutionem tum famæ, tum aliorum damnorum, quæ ex tali infamia oriuntur.

Suppono, formalem detractionem, id eſt, violationem alienæ famæ abſque rationabili cauſa, eſſe peccatum ad minùs contra Charitatem; quinimmò contra juſtitiam, non tantùm quando imponitur crimen falſum; ſed etiam dum revelatur crimen occultum, tametſi quilibet ſit dominus ſuæ ſcientiæ, ſicut aliarum rerum externarum. Quippe nec aliis rebus externis poteſt uti cum damno tertii; v. g. non poteſt incendere domum propriam, ſi indè immineat periculum, ne domus vicini comburatur; ergo pari ratione non poterit uti ſuâ ſcientiâ, revelando crimen occultum, quando exinde imminet periculum, ne fama alterius violetur.

Et

Digitized by Google

Et ideo dominium communiter definitur: Jus in re extendens ſe ad omnem ejus uſum ſeu diſpoſitionem, niſi lege prohibeatur. Lege (inquam) naturali, vel poſitivâ. Porrò impræſentiarùm obſtat lex naturalis conſervandi famam proximi, quantum commodè fieri poteſt: nam ſicut tu habes dominium tuæ ſcientiæ, quæ in te eſt tanquam in ſubjecto; ſic alter habet ſaltem poſſeſſionem ſuæ famæ: immò etiam dominium, donec crimen occultum juſtè vel injuſtè fuerit publicatum; quo proinde non poteſt privari ſinè juſta cauſa: ſicuti is, cujus bona omnia ſunt addicta fiſco, ante ſententiam retinet eorum poſſeſſionem, adminiſtrationem & dominium; adeoque ante ſententiam injuſtè illis privaretur, ſecùs poſt latam ſententiam.

Hoc ſuppoſito, Concluſio non habet difficultatem: nam quæ infamationis extra Confeſſionem, eadem eſt ratio infamationis in Confeſſione. Si ergo illa eſt injuſta, quando fit ſinè ulla neceſſitate vel utilitate, & obligat per ſe ad reſtitutionem famæ talem, qualis poſſibilis eſt, nec non aliorum damnorum ſubſequentium; pari ratione hæc erit injuſta & obligabit ad eandem reſtitutionem.

An ſub peccato mortali? Pendet ab illa controverſia, de qua ſuprà paucis egimus; utrùm revelare peccatum uni prudenti & ſecreto viro, ſit peccatum mortale? Si negativam partem elegeris (quæ minùs communis eſt) cùm ſupponere debeamus, Confeſſarium eſſe virum prudentem & ſecretum, conſtat quia revelatio complicis in Confeſſione, non erit niſi peccatum veniale, & per conſequens non niſi obligatio reſtituendi famam, ſub veniali. Sin autem partem affirmativam tanquam communiorem, & fortè veriorem, ſequi malueris, in propatulo eſt, quid ſit reſpondendum, ſcilicet revelationem hujuſmodi eſſe peccatum mortale, & per conſequens ſic revelantem, ſub mortali obligari ad reſtitutionem famæ, & aliorum damnorum ſubſequentium.

Quinimmò, quod bene advertendum eſt, fieri poſſet, ut ſecundùm priorem ſententiam eſſet leve peccatum detractionis, mortale tamen peccatum injuſtæ damnificationis in bonis externis majoris momenti, quibus complex à Confeſſario privaretur; quo caſu licèt eſſet ſola obligatio venialis reſtituendi famam; equidem gravis obligatio reſtituendi iſta bona externa.

Et verò modus reſtituendi bona externa ſatis facilis eſt; porrò reſtituendi ipſam famam, nimis difficilis. Et ideo ſignanter dixi: *Qualis poſſibilis eſt.* Erit autem aptior modus (inquit Lugo diſp. 16. n. 418.) ſi non in eadem Confeſſione retractetur, ſed poſteà extra Confeſſionem dicatur Confeſſario ſub eodem ſigillo: *Erravi, dum tibi unum complicem pro alio dixi.* Quem errorem ſi potuerit Confeſſario apparentibus rationibus perſuadere, non mentitur; cùm reverà erraverit, illum complicem, quem non debebat, manifeſtando. Hæc ille.

54. Sed (præterquàm, quòd nemo poſſit Confeſſario imponere obligationem ſigilli extra Confeſſionem) ſi non mentiatur, cur non poterit id dicere in eadem Confeſſione? Quia (inquis) confiteretur peccatum quoddam falſum, quod non fecit, loco illius veri, quod fecit: quod videtur eſſe graviter contra reverentiam Sacramenti.

Impugnatur ab Auctore.

Contrà: Quomodò ergo non mentitur, quando ſic loquitur extra Confeſſionem? Nam ſi ly *Erravi*, tunc ſignificet errorem practicum, quem reverà commiſit, etiam in Confeſſione eundem errorem ſignificabit, ùt ſenſus ſit: Malè feci, dicendo illum complicem; adeòque non confitebitur peccatum falſum, quod non fecit, ſed peccatum verum, quod fecit, ſcilicet injuſtam revelationem complicis. Vel ſi ly *Erravi*, in Confeſſione ſignificet errorem ſpeculativum, qui reverà non fuit, & ideo tunc pœnitens mentitur, & confitetur peccatum, quod non fecit; dico conſequenter, extra Confeſſionem eundem errorem ſignificare, & pœnitentem fateri peccatum, quod non fecit, adeòque mentiri; numquam autem licitum eſt mentiri. Itaque difficillima eſt, ſi non impoſſibilis, reſtitutio famæ: nam ſi Confeſſarius ſciat hanc doctrinam, nihil credit indè, & eſtò millies diceres: *Erravi*, propterea non deponet malam exiſtimationem, quam ſemel concepit de illo complice.

55. Unde Alii putant, optimum modum reſtituendi eſſe, ſi diffamatum de crimine vero, ſive in Confeſſione, ſive extra illam (perinde enim eſt) laudemus, & honorificè de ipſo loquamur, ubi datur occaſio, quantùm poſſibile eſt, ut ſic infamia anteà illata in hac materia, recompenſetur excellentiori famâ acquiſitâ in alia materia. Siquidem fama diviſibilis eſt; ut proinde qui amiſerit famam in uno genere virtutis, non propterea amiſerit eam in omni genere virtutis. Et ideo infamatus de vitio injuſtitiæ, cenſet ſibi fieri injuriam, & reverà ipſi fit injuria, ſi infametur de hæreſi.

Alius modus reſtituendi famam.

Itaque dum nulla omninò eſt neceſſitas vel utilitas revelationis complicis, ſeu pro integritate Confeſſionis, ſeu pro conſilio aut ſolatio pœnitentis, ſeu pro avertendo damno tertii, omnes admittunt, eſſe peccatum contra juſtitiam, complicem revelare: v. g. fœmina cognita eſt à perſona religioſa; deſcendit ad perſonam ſingularem abſque ulla neceſſitate vel utilitate; certum eſt apud omnes, eam peccare non tantùm contra Charitatem, ſed etiam contra juſtitiam.

56. Sed nunquid hinc efficaciter concluditur; ergo ſi commodè poſſim differre Confeſſionem, aut alteri confiteri, qui complicem non novit,

An pœnitens ex juſtitia teneat.

tur differre Confeſſionem, ne complicem infamet ?

novit, teneor ex juſtitia differre, aut alteri confiteri ? Docet Suarius diſp. 34. ſect. 2. n. 13. quando revelatio neceſſaria eſt ad integram Confeſſionem, juſtitiam non obligare ad differendam Confeſſionem : tametſi commodè differri poſsit; ſed ſolam Charitatem; adeòque ſecundùm hujus regulas prudenti judicio decernendum eſſe, quanto tempore peccator debeat differre ſuam Confeſsionem, ne hìc & nunc confiteatur cum infamia complicis. Et idem dici poſſet de illo, qui confitetur ordinario Confeſſario, cui notus eſt complex, cùm poſſet alteri, cui ignotus eſt complex, confiteri, ſi vellet.

Probatur ſententia negativa Suarii.

Probatur : qui habet jus accuſandi alterum in foro externo, poteſt id facere apud judicem ordinarium, quamvis ſequatur infamia complicis, quæ non ſequeretur, ſi vellet quærere judicem extraordinarium. Ergo ſimiliter, qui habet jus accuſandi ſeipſum in foro ſacramentali, poteſt id facere apud Confeſſarium ordinarium cum infamia complicis, quam poſſet evitare, confitendo alteri Confeſſario. Et conſequenter, ſicut non teneor ex juſtitia differre accuſationem fori externi, ut evitem infamiam complicis; ita neque accuſationem fori ſacramentalis.

57. Reſponſio pro ſententia affirmativa.

Reſpondeo : totum judicium fori ſacramentalis ordinatur ad bonum ſolius pœnitentis. Quando ergo ad hunc finem non eſt neceſſaria manifeſtatio complicis, quia pœnitens æquè bene confiteri poteſt alteri Confeſſario, qui complicem non novit; & æquè bene craſtinâ die, quàm hodiernâ; immeritò aſſumitur hic Confeſſarius, & dies hodierna. Et quamvis pœnitens habeat jus confitendi integrè, non tamen cum præjudicio tertii, qui habet jus ad ſuam famam, & conſequenter injuſtè illâ privatur, niſi majus bonum ſit hìc & nunc integra Confeſsio, quàm malum ejus infamia. Semper autem eſſe majus bonum, unde probatur ? Itaque præter jus confitendi integrè, oportet adeſſe aliquam neceſsitatem, vel extraordinariam utilitatem, ratione cujus hoc jus, vincat jus, quod alter habet ad ſuam famam.

Quantùm ad forum externum, in quo non attenditur ſolùm ad bonum accuſati, ſed principaliter ad bonum Reipublicæ ſeu bonum commune; dico ſimiliter, ſi ad illos fines obtinendos æquè conducit accuſatio apud judicem extraordinarium, aut accuſatio craſtina, ſinè infamia complicis, quàm accuſatio apud judicem ordinarium, aut accuſatio hodierna, cum infamia complicis; peccare non tantùm contra Charitatem, ſed etiam contra juſtitiam, qui accuſat cum infamia complicis: quia jus naturale accuſandi intelligitur ſalvo jure, quod proximus habet ad ſuam famam, niſi aliunde jus accuſandi prævaleat, id eſt, niſi adſit aliqua neceſsitas, vel utilitas, ratione cujus accuſatio hìc & nunc cenſeatur majus bonum, quàm malum infamia proximi.

Dices : Hæc ſententia repugnat praxi communi, nam paſſim homines accuſant ſe mutuò coram judice ſæculari de peccatis occultis; nec ullus eſt, qui apprehendat ſe peccare contra juſtitiam.

Reſpondeo I. neque apprehendunt ſe peccare contra Charitatem : ergo non peccant contra Charitatem, negatur Conſequentia.

Reſpondeo II. Quando homines accuſationem faciunt criminum occultorum, abſque conſcientiæ remorſu, hoc plerumque contingit, quia apprehendunt aliquod malum publicum, vel aliquod malum alterius, diſtincti à criminoſo; quod aliâ ratione commodè non poſſunt impedire. Sive ergo denunties paternè Prælato, ſolùm intendendo bonum denuntiati, ſive accuſes juridicè, intendendo bonum publicum, ſi æquè commodè facere id poſſis abſque infamia proximi, dico, te peccare non ſolùm contra Charitatem, ſed etiam contra juſtitiam: neque enim aliquod jus habes infamandi, niſi in quantùm illa infamatio eſt neceſſaria, vel utilis ad bonum privatum, aut publicum, ſive ad obtinendum finem denuntiationis, aut accuſationis.

Non ignoro Aliquorum doctrinam, nempè, infamem in uno loco, ratiùs infamari in alio loco cum injuria, eſto ſæpiùs contra Charitatem; ſed dico diſparem eſſe rationem in noſtro caſu, quoniam infamis in uno loco ſive facto, ſive jure, abſolutè amiſit jus ad famam ſuam ſecundùm illam ſententiam; & ideo non fit ipſi injuria, ſi in alio loco crimen ejus narretur, maximè ſi locus ita vicinus ſit, ut moraliter loquendo crimen ibi ſit divulgandum : at verò in noſtro caſu complex criminis retinet dominium & poſſeſſionem famæ ſuæ, cùm neque facto, neque jure (ùt ſuppono) crimen ejus ſit publicum. Ergo per revelationem peccatur non tantùm contra Charitatem, ſed etiam contra juſtitiam, niſi oſtendatur ſufficiens titulus, ratione cujus poſsit privari jure, quod de facto habet ad ſuam famam.

Di in m no co in cal

Si dixeris : Ille titulus eſt jus integræ Confeſſionis. Reſpondeo : Hoc eſt quod quæritur, an quando integra Confeſſio æquè commodè fieri poteſt abſque infamia complicis, jus integræ Confeſſionis prævaleat juri, quod quiſque habet ad famam ſuam, quando crimen ejus nec jure, nec facto eſt publicum.

Nec obſtat Regula Juris 55. ff. de Reg. Juris: *Nullus videtur dolo facere, qui ſuo iure utitur.* Item Reg. 151. aliàs 193. eodem : *Nemo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere ius non habet.* Nam quæritur, an pœnitens habeat jus integrè confitendi, cum infamia complicis, quando ſinè illa æquè commodè poteſt integrè confiteri ? Vide Gloſſ. in Reg. 55. *Opponitur* (inquit) *nonne qui alienat in fraudem creditorum,* 6

Occu objecti deſum ex Re de Reg

Digitized by Google

terum, iure ſuo utitur? Reſpon. utiq; : nam transfert dominium, ùt ſuprà de contrab. empt. l. Si ſciens; *& tamen dolo malo videtur alienare, cùm ſciat ſe habere creditores, ùt ſuprà, Quæ in fraudem credit. l.* Omnes. §.Lucius 2. *Item opponitur, ſi primò rem meam tibi vendidero; deinde alii & tradidi, iure id facio: nam transfero dominium; ùt Cod. de rei vind. l.* Quotiens. *Prætereà, cùm poſſum rem alienam vendere, ùt ſuprà de contrab. empt. l.* Rem alienam: *ergo multò magis meam; & licèt id iure meo faciam, incido in Corneliam ut ſuprà de Fal. L.* Qui duobus. *Et ſic punior; ergò dolum commiſi: nam aliter Cornelia non puniret; ùt Cod. de Fal. L.* Nec exemplum. *Et ſuprà de Fal.* l.Impuberē *in principio. Reſpondeat, qui poteſt Azo.*

Sed poteſt reſponderi: niſi noceat alicui, cui tenetur iure contractùs. 2. vel dic, quòd eo ipſo, quòd pœna imponitur, videtur probiberi, ſumpto argum. ab effectu; ùt C. de Sum. Trinit. l. 3. §. Igitur ſi Clericus &c. *Et ſic non iure ſuo, cùm ſit prohibitum; ùt Cod. de Relig. l. Statuas.* Hucuſque Gloſſ. Licèt ergo quiſque habeat jus integrè confitendi; tamen dolo facere videtur, qui illo jure utitur cum infamia complicis, quando abſque infamia æquè commodè poſſet integrè confiteri; nocet enim alicui, cui tenetur jure naturalis ſecreti.

Quanto autem tempore debeat peccator differre ſuam Confeſsionem ne revelet peccatum complicis; aut quantum laborem debeat præſtare, ut inveniat Confeſſarium, cui complex eſt ignotus; breviter: incommodum, quod poſſet excuſare pœnitentem ab omni peccato; relinquitur prudenti arbitrio judicandum. Suarius ſuprà ſic ait: ſi uno die vel altero differendo Confeſsionem, ſperaretur Confeſſor, cui ſinè notitia complicis poſſet fieri integra Confeſsio; Charitas (ſecundùm nos, etiam juſtitia) obligabit ad expectandum illum. Tamen; ſi neceſſaria eſſet dilatio longi temporis, aut nimia intermiſsio utilis frequentiæ conſuetæ, non cenſeo eſſe obligandos pœnitentes, ut cum tanto incommodo ſpirituali præveniant, & vitent illud incommodum proximi de ſola infamia, non admodum gravi. Hæc ille.

Alii dicunt; neque obligari ob hanc cauſam pœnitentem ad differendam Confeſsionem, ſi ideo privatur Jubilæo, aut indulgentiâ, quæ inſtat. Ita Fagundez l. 5. de 2. præcepto Eccleſ. c. 1. n. 2.

Lugo autem diſtinguendum putat: nam (inquit) vel poſt illud peccatum non eſt confeſſus pœnitens, vel confeſſus eſt poſteà bene & debito modo, & propter oblivionem, vel aliam cauſam juſtam reliquit illud peccatum. Si primo modo res ſe habeat, puto minùs obligari ad differendam Confeſſionem: quia gravis res eſt, per triduum eſſe in ſtatu peccati, quod meritò timere poteſt, cùm ſit difficile habere verum actum Contritionis; quare non parum faciet, ſi propter famam proximi per biduum differat Confeſſionem. Si verò res ſe habeat ſecundo modo, & jam per Confeſſionem procuraverat ſtatum gratiæ, faciliùs poterit obligari ad expectandum; niſi id cum nota aliqua fiat, quæ ex omiſſione Miſſæ vel Communionis conſuetæ poſſet oriri, vel niſi interruptio ipſa gravis ſit, prout Sacerdoti, ſolito quotidie celebrare, grave certè eſſet per triduum à Sacrificio abſtinere. Hactenus Eminentiſſ. addens in fine illius numeri: ſemper tamen circumſtantiæ particulares conſiderandæ erunt, ad prudenter judicandum de hac obligatione.

Prorsùs conſiderandæ erunt tam circumſtantiæ particulares, quàm generales: & inter generales; an revelare crimen occultum abſque juſta cauſa uni prudenti & ſecreto, ſit peccatum mortale, an tantùm veniale: nam indubiè major cauſa requiritur, ſi dixeris peccatum mortale, quàm ſi dixeris peccatum tantùm veniale.

Hæc igitur ſit regula generalis talis, qualis haberi poteſt in hac materia: Quando omnibus conſideratis, abſtinere hìc & nunc à Confeſſione, apparet majus malum, quàm confiteri cum tali infamia complicis; elige Confeſſionem, & non peccabis. Sin autem abſtinere hìc & nunc à Confeſſione, videatur minus malum; noli confiteri, ſi non vis peccare. Regula generalis.

63. An liceat confiteri peccatum veniale; quod non poteſt explicari ſinè gravi peccato complicis.

Si ergo à me quæratur, an liceat confiteri peccatum veniale, quod non poteſt explicari ſinè graviſſimo peccato complicis, v. g. an liceat fœminæ accuſare ſeipſam de negligentia veniali, quâ reſtitit fratri aut patri ad turpia ſollicitanti? Similiter, an liceat ſecundò confiteri peccatum mortale cum nova infamia complicis?

Reſpondeo confeſtim: ſi omnibus conſideratis, appareat illa Confeſſio peccati venialis, aut iterata Confeſſio peccati mortalis, cum tali infamia complicis, majus bonum, quàm abſtinentia à Confeſſione, licet: ſin verò minus bonum, adeòque Confeſſio majus malum, quàm abſtinentia, non licet.

64. Videtur Lugoni id regulariter non licere.

Habeo quidem jus confitendi peccata venialia (cùm etiam pro his inſtitutum ſit Sacramentum Pœnitentiæ) & iteratò confitendi mortalia; non tamen cum tanto damno proximi, niſi ex illa Confeſſione notabile commodum mihi ſequeretur, quod prævaleret damno proximi, juxta leges Charitatis. Et quia hoc rariſſimum eſt, tum quia hìc non urget lex integræ Confeſsionis; tum quia nulla remanet obligatio iteratò confitendi, ſi minùs perfectè explicetur peccatum iſtud veniale, aut mortale ſemel remiſſum, cùm nulla ſit obligatio confitendi hujuſmodi peccata; tum quia totam, aut ſaltem præcipuam utilitatem Sacramenti poteſt obtinere pœnitens alia venialia confitendo, aut illud ipſum confitendo,

 non

non declarando illam circumſtantiam, v. g. ſi fœmina in caſu propoſito dicat: *Negligenter reſtiti alicui viro, me ſollicitanti ad turpia*; ideo docet Lugo diſp. 16. nu. 411. regulariter id non licere, niſi fortè quando ex Confeſſione talis peccati, aliquod aliud magnum bonum pœnitenti obveniret, vel ob petendum conſilium, aut quid ſimile.

Sententia Dicaſtillonis.

Dicaſtillo diſp. 9. n. 926. cenſet, non minoris momenti, liberari à peccato veniali, tutiori viâ, & ampliori gratiâ ex opere operato donari, ut non minùs propter hoc, quàm propter conſilium, cenſeri poſſit complex non poſſe eſſe rationabiliter invitus: præſertim, ſi eâ gratiâ multo tempore deberet carere, donec conſiteretur Confeſſario non agnituro complicem.

Deinde numero ſequenti, potiori ratione & faciliùs putat licere iterum confiteri peccatum mortale: quia (inquit) peccatum mortale cùm ex ſe tale ſit, ut excludat à gratia & gloria, & nemo (etiam poſt Confeſsionem ritè ſuo judicio peractam) debeat juxta divinum conſilium de propitiato peccato eſſe ſinè metu; & neſciat homo, utrùm odio, an amore dignus ſit; atque juxta Conc. Trid. nemo poſsit eſſe certus de ſua juſtificatione; major & urgentior cauſa eſſe poteſt non omittendi, ſed repetendi Confeſsionem, ita ut minùs rationabiliter invitus ſit complex, ſi ad majorem ſecuritatem non multùm differat Confeſsionem, etiamſi revelandus ſit in tam ſecreto foro. Hactenus Dicaſtillo.

65. Improbatur ab Auctore.

Sed contrà: In caſu propoſito, ſi fœmina confiteatur: *Negligenter reſtiti alicui viro, me ſollicitanti ad turpia*, non exprimendo qualitatem patris aut fratris; tutiſſimâ viâ liberabitur ab illo peccato veniali; ſcilicet per Abſolutionem ſacramentalem; nec minori donabitur gratiâ ex opere operato, quàm ſi qualitatem patris aut fratris exprimeret: unde enim probatur, peccata venialia non poſſe dimitti per Abſolutionem, niſi in ſpecie & ſigillatim declarentur? Nonne ipſe Dicaſtillo, diſp. 9. n. 753. docet, cùm quis confitetur ſe feciſſe unum veniale, & non recordatur cujus ſpeciei, totum etiam ſecundùm rationem ſpecificam remitti, non ſolùm de facto, ſed ita ut non poſſit aliter fieri?

Deinde repetendo Confeſſionem peccati mortalis, v. g. fornicationis, non exprimendo malitiam ſacrilegii, quam ſemel bonâ fide pœnitens expreſſit, æquali certitudine iteratò abſolvitur, quamvis indirectè, ab illo ſacrilegio, ac ſi rursùs malitiam ſacrilegii exprimeret, nec magis certus erit de ſua juſtificatione, aut magis ſecurus, ſi directè abſolvatur, quàm ſi indirectè.

66. Quid dicendum de revelatione

Reſtat hic alia quæſtio: utrùm quæ hactenus diximus de revelatione complicis, & ejus peccati, etiam conſequenter dicenda ſint de revelatione tertiæ perſonæ, quæ non eſt complex peccati? V. g. ſi per vim defloraſti ſororem tuam, an poſſis aut debeas integrè confiteri, cum revelatione occulti vitii, ſeu defectûs inculpabilis tuæ ſororis? Item: vulneraſti Religioſum fugitivum, qui apud omnes pro ſæculari habetur, an debeas explicare ſtatum Religioſum vulnerati, ad explicandam ſpeciem tui peccati?

Exiſtimat Suarez ſuprà n. 14. non eſſe obligationem: Quia hìc (inquit) ceſſant cauſæ illæ, quæ reddebant detractionem illam materialem. Nam in primis ceſſat hìc ratio ſumpta ex natura judicii; quia talis perſona nullo modo voluntate ſuâ ſe immiſcuit peccato alterius, & conſequenter nec ex vi ſui peccati ſe ſubjecit judicio vel cognitioni alterius; & ideo ex hac parte nullum jus, nullamve juriſdictionem directè vel indirectè habet judex ad cognoſcendum tale peccatum, vel pœnitens ad accuſandum peccatum ſuum, implicando vel potiùs explicando peccatum alterius.

Ceſſat etiam alia ratio; ſumpta ex reverentia Sacramenti: tum quia hic caſus eſt rariſſimus, & ex illo non poteſt ſumi occaſio moralis occultandi peccata: tum etiam, quia major reverentia eſt, ut integritas ſervetur rationabili modo; nulla autem ratio patitur, ut is, qui invitus recepit unam injuriam, poſteà novum detrimentum accipiat ex Confeſſione ejuſdem, qui injuriam intulit, ſolùm propter integritatem Confeſſionis illius.

Unde etiam ceſſat tertia ratio, ſumpta ex utilitate pœnitentis: ipſe enim debet ſuſtinere onus & reportare incommodum, ne alius incurrat detrimentum, cùm ipſe ſolus voluntate ſuâ, & ſinè alterius cooperatione totum illud delictum commiſerit. Hucuſque Suarius, quem ſequitur Fagundez ſuprà c. 2. n. 12. & aliqui Recentiores. Fag

Alii, quos citat, & ſequitur Lugo diſp. 16. n. 420. contrarium ſuſtinent: nam in judicio fori externi, ſi quæritur de violentia illata Moniali, vel uxori alienæ, de raptu puellæ, aut ſimilibus; qui jus habet accuſandi, ſolet inquirere de his perſonis, quantùm neceſſarium eſt ad manifeſtandum delictum. Similiter judex, quantùm neceſſarium eſt ad cognoſcendum delictum. Con um Lug aliis

Quod attinet ad reverentiam Sacramenti, licèt hic caſus non ſit adeò frequens; equidem in hoc caſu integritas Confeſſionis non minùs exigit manifeſtationem non complicis, quàm in alio caſu manifeſtationem complicis, cùm (ùt ſupponitur) in neutro caſu aliter queat peccatum in ſpecie ac ſigillatim declarari; ac proinde in utroque caſu impoſſibile eſt, Sacerdotem perfectè judicare de ſtatu pœnitentis, æquitatemque ſervare in pœnis injungendis tam ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, quàm ad præteritorum pecca- Reſp ad a nem

Digitized by Google

peccatorum vindictam & caſtigationem. Ergo ſi propter hoc bonum integræ Confeſſionis liceat revelare peccatum complicis, etiam propter idem bonum licitum erit revelare peccatum, ſeu potiùs defectum naturalem non complicis. Nonne pœnitens proprios defectus naturales tenetur explicare, quando id eſt neceſſarium ad integram Confeſſionem? Si quis v. g. eſt illegitimus, & obtinuit beneficium, vel ſuſcepit Ordines ſacros, omnino tenetur illum defectum, quamvis inculpabilem, in Confeſſione aperire, quantùm neceſſe eſt ad integrè confitendum ſuum peccatum.

Et quamvis durum ſit, ut is, qui invitus recepit unam injuriam, poſteà novum detrimentum accipiat ex Confeſſione ejuſdem, qui injuriam intulit, ſolùm propter integritatem Confeſſionis illius; equidem non irrationabile; cùm bonum integræ Confeſſionis videatur præſtare illi malo: ut omittam, poſſe dari caſum, in quo non intercesserit ulla injuria, v. g. ſi ego peccavi cum ea, cum qua antea peccaverat frater meus; tali caſu ego per meum peccatum non feci injuriam fratri, & tamen meum peccatum indè habet gravitatem ſpecificam, quæ non poteſt declarari in Confeſſione, non explicato peccato fratris.

Deinde fieri poteſt, ut, quamvis interceſſerit injuria, v. g. Petrus metu mortis adigit ſororem ſuam ad inceſtum ſecum, ipſa tamen reverà conſentiat in peccatum, adeoque fiat complex peccati: putas autem, quòd propter præviam illam injuriam, non poſſit tali caſu Petrus, qui injuriam intulit, confiteri integrè ſuum peccatum, cum revelatione ſororis complicis? Profectò poteſtas manifeſtandi peccatum aliquod in Confeſſione, non oritur præcisè ex eo, quòd ſit peccatum complicis; ſed ex eo, quòd illa manifeſtatio ſit neceſſaria ad integrè declarandum & cognoſcendum peccatum, quod defertur ad Sacerdotem, quò pro poteſtate Clavium remiſſionis, aut retentionis ejus ſententiam pronuntiet. Conſimiliter poteſtas manifeſtandi defectum aliquem in Confeſſione, non oritur præcisè ex eo, quòd ſit culpabilis; ſed ex eo quòd illa manifeſtatio ſit neceſſaria ad declarandum integrè peccatum; cujus petitur Abſolutio, & quod Chriſtus noluit abſolvi niſi integrè declaratum.

Hinc ad tertiam rationem Suarii, Reſpondeo: Ipſe pœnitens debet ſuſtinere onus & reportare incommodum, ne alius incurrat detrimentum, ſalvâ tamen ſemper integritate Sacramenti. Unde tenetur diutiùs differre ſuam Confeſſionem, aut aliâ viâ procurare Confeſſarium, cui poſſit ſinè proximi infamia ſuum peccatum integrè confiteri; procurare (inquam) etiam cum aliquo incommodo ſeu detrimento tam bonorum temporalium, quàm propriæ famæ: quia tota illa infamia ſive complicis, ſive non complicis, oritur ex ſua injuſta actione, ùt Suarius ſupponit; ergo tenetur illam impedire cum æquali infamia, aut alio incommodo; immo & reſarcire damna ſi quæ ex ea manifeſtatione ille alius patiETur, juxta regulas communes, quæ dantur in materia de reſtitutione.

Ecce fundamenta utriuſque ſententiæ appenſa in ſtatera: eligat prudens Lector, & non errabit in fide, aut bonis moribus. Si in aliquo caſu excuſet infamia, ſaltem in caſu de injuria. Quando (inquit Arriaga diſp. 33. n. 18.) eſt ea duplex injuria; poteſt illud ipſum reputari grave malum ejus perſonæ; & habet majorem vim, ſi ea ſit innocens: unde non erit tunc obligatio eam prodendi Hæc ille. 70. *Sententia Arriagæ.*

In aliis caſibus putat magis conſequenter diſcurri, ſi dicatur eſſe obligationem manifeſtandi illud peccatum; cùm ratio complicis videatur ſe habere per accidens, & aliunde nihil ſit quod excuſet. Sed quod uni ſic videtur, alii aliter videtur; & ideo tot diverſæ ſententiæ, quando res pendet à prudenti judicio, prout hæc res pendet; uti etiam reſolutio quæſtionis, quâ quæritur: Utrùm ſubinde debeat revelari complex in Confeſſione, quando illa revelatio non eſt neceſſaria, niſi ad correctionem ipſius, vel ad præcavendum damnum tertii? Hæc eſt communis, & noſtra reſolutio:

CONCLUSIO IV.

Non facilè revelandus eſt complex in Confeſſione, quando illa revelatio non eſt neceſſaria, niſi ad correctionem ipſius, vel ad præcavendum damnum tertii.

Dominus Ferdinandus Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis pietate non minùs, quàm doctrinâ illuſtris, contendit (ùt refert Lugo diſp. 16. n. 424.) Confeſſarium debere in aliquibus caſibus pœnitentem obligare, ut ei complicem manifeſtet; quòd ſi renuat, negare Abſolutionem. Primò, ſi ſciret aliquem occultè dogmatizare & ſeminare errores contra Fidem, quem ipſe pœnitens denuntiare non poſſet. Secundò; ſi ſciat, Sacerdotem aliquem abuti Sacramento Confeſſionis, revelando Confeſſionis notitiam, ſollicitando pœnitentes ad turpia &c. Tertiò, ſi ſciret, aliquem Sacerdotem fictum miniſtrare publicè Sacramenta. Quartò, ſi eſſet medicus aut pharmacopola, qui medicinis mortiferis intendit occidere infirmos. Quintò, ſi fœmina ſollicitata ab amico mariti, ſit in proximo periculo conſenſûs, quia eſt in eadem domo, nec poteſt 71. *Aliqui caſus in quibus putat Guerrerus Confeſſarium poſſe obligare pœnitentem ad revelationem complicis.*

Digitized by Google

marito revelari, quia occidet illum; & eſt ſpes emendationis, ſi Confeſſarius alloquatur adulterum.

In his & ſimilibus caſibus, in quibus revelatio complicis non eſt neceſſaria ad integrè confitendum, interim ſperatur futura utilis; immò quodammodò eſt neceſſaria ad correctionem complicis, vel ad præcavendum damnum tertii ſive Reipublicæ, ſive alterius privatæ perſonæ, videtur Aliquibus, Confeſſarium poſſe obligare, aut veriùs, oſtendere obligationem, quam ex jure naturæ habet pœnitens revelandi complicem; & ſi nolit revelare, tamquam indiſpoſitum repellere.

72. Pro hac ſententia citatur D. Bonav. — Pro hac ſententia inter cæteros, quos videre poteris apud Lugonem ſuprà n. 425. citatur D. Bonaventura 4. diſt. 21. p. 2. a. 1. q. 3. Subſcribo ejus verba, quæ aliquo modo poſſunt facere ad propoſitum: *Similiter nec debet Confeſſor curioſè inquirere de perſona* (complicis) *ſed ſi ſuſpicatur, quòd ſit perſona, cui poſſit prodeſſe, & competens & utile ſit illum ſcire, poteſt extra forum Confeſſionis illam inquirere.*

Et infrà: *Ad illud, quod obiicitur, quòd facit* (notitia complicis) *ad propriu peccati curam & cautelam, dicendum, quòd in tali caſu licet: multùm tamen eſt obſervandum, ne quis alium accuſet in illo actu; ſed ſi quis videret expedire, ſcire peccatum alienum propter utilitatem eius vel commune bonum, tutiùs eſt extra forum Confeſſionis perquirere & audire.* Planè tutiùs eſt, ſi non omninò neceſſarium.

73. Quid ſentiat Doct. Subtilis. — Audio Doctorem Subtilem 4. diſt. 21. q. 2. n. 18. ſic diſcurrentem: *Ad primum dico, quòd peccatum confeſſum debere celari, non eſt tantùm ius confitentis, ſed ius Communitatis: quia ex oppoſito, ſcilicet ex revelatione, ſequeretur continua perturbatio in Communitate; quia paſſim quilibet reputaret alium abominabilem: & non licet ipſi renunciare iuri Communitatis, licèt ſuo. Aliter poteſt dici; eſtò etiam, quòd tantùm eſſet ius iſtius, id eſt, in favorem iſtius indulti, non licet iſti renuntiare quoad hoc, quòd Confeſſor ſit liber ad revelandum: quia Confeſſor tunc tenetur multiplici iure, natura ſcilicet & poſitivo, quorum nullius revocatio eſt in poteſtate confitentis.*

Quid igitur (interrogat Scotus) *faciet Confeſſor, confeſſo volente peccatum ſuum prodi?* Reſpondet: *Dico, quòd confitens poteſt poſteà peccatum ſuum extra Confeſſionem dicere: & ſi ut ſecretum, adhuc licentia ſequens non abſolvit Confeſſorem à lege naturæ, quin teneatur celare. Sed ſi dicit, ut non habeatur ſecretum, & maximè apud aliam perſonam, vel apud alias certas, quibus fortè licet propter aliquem bonum finem, qui poteſt ſequi ex revelatione iſtis facta, vel illi; tunc Confeſſor poteſt dicere illud tamquam ſibi publicè dictum extra omne ſecretum.*

Et rursùm interrogans ait Doctor: *Sed numquid poteſt tunc dicere: Audivi hoc in Confeſſione?* Reſpondet: *Dicitur, quòd hæc ſola verba:* Audivi hoc peccatum, & hujus perſonæ in Confeſſione, *includunt peccatum mortale; quia includunt revelationem huius, ut cogniti eo modo, quo non licet revelari. Vnde, cui poſt Confeſſionem revelatur extra omne ſecretum, caveat in modo narrandi, ne hoc narret tamquam ſibi dictum modo, quo non licet revelari.* Hæc Scotus de revelatione peccati ipſius pœnitentis: par autem eſt ratio, ſi non major, de revelatione peccati complicis.

De hac controverſia longè & latè diſputat Bannez 2.2. q. 33. a. 8. dub. 8. oſtendens primò, notitiam confeſſionalem non eſſe medium conveniens ad correctionem. Secundò enumerat inconvenientia maxima & plurima, quæ ex uſu notitiæ confeſſionalis ad eum finem conſequuntur & conſequi poſſunt. Tertiò conatur probare ſententiam, quæ docet hunc uſum eſſe licitum, Pœnitentiæ Sacramento injurioſè adverſari.

Porrò hanc ſententiam approbare videtur Suarez diſp. 34. ſect. 4. n. 5. quia (inquit) uti notitiâ Confeſſionis ex licentia pœnitentis ad corrigendum complicem, non eſt actio mala, quia prohibita; neque etiam eſt prohibita, quia mala: & ideò nihil obſtat, quò minùs aliquando honeſtè poſſit fieri. Hæc ille. Et cùm dixiſſet priorem partem eſſe certam, quia nulla poteſt de hoc oſtendi lex poſitiva; poſteriorem partem probat diſcurrendo per tres virtutes, ad quas pertinere poſſet honeſtas vel malitia hujus actionis, putà virtutes Religionis, Juſtitiæ & Charitatis.

Quòd illa actio non ſit contra Juſtitiam aut Charitatem, probat: quia ſi pœnitens in eo caſu poſt finitam Confeſſionem det notitiam Cōfeſſori extra Confeſſionem de peccato complicis, ut eum corrigat & emendet, ſervato debito ordine correctionis fraternæ; & aliis circumſtantiis debitis, id non eſt contra Juſtitiam, & maximè conſentaneum Charitati: immò aliquando poteſt eſſe debitum, ſi tale medium moraliter cenſeatur neceſſarium ad emendationem proximi; quia ſpiritualis ſalus ejus præferri debet illi qualicumque infamiæ vel pudori. Neque id negat Scotus, ut patet ex verbis ejus ſuprà allegatis, & expreſsè affirmat D. Bonaventura, omneſque in eo conveniunt.

Interrogo ergo (inquit Suarez) quando pœnitens dat licentiam Confeſſori loquendi de rebus Confeſſionis, an illa licentia æquivaleat manifeſtationi extra Confeſſionem, vel ſit ſolùm quædam extenſio vel facultas intrà latitudinem ſigilli, relictâ obligatione ejus quoad alia? Si primum dicatur, ut non pauci exiſtimant; ergo ſicut licitum eſt extra Confeſſionem dicere, ita & dare licentiam, & ſimiliter licitum erit Confeſſori utroque modo corripere complicem, cùm dicantur illa duo æquivalere. Si quis autem contendat, neceſſariam nihilominùs eſſe iteratam narrationem totius facti, & non ſatìs eſſe vnico verbo dare licentiam,

Digitized by Google

tiam, referendo illud ad ea, quæ in Confeſſione narrata ſunt, hoc profectò ſuperſtitioſum eſt: quæ enim eſt ratio, cur illa ceremonia ſit neceſſaria, cùm verbum illud virtualiter contineat totam narrationem præteritam?

Unde non eſt dubium, quin ſi intentio pœnitentis ſit, abſolutè auferre ſigillum, & illa omnia extra notitiam Confeſſionis relinquere, ille modus unico expreſſo verbo ſufficiat, ut etiam habet uſus apud quoſcumque pios & doctos Confeſſores. Si verò ſentiamus, licentiam hanc non omninò tollere ſigillum, ſed relinquere illud integrum in omnibus aliis, præter id, quod per talem facultatem conceditur, ſic profectò manifeſtè conſtat, minùs, hoc modo lædi juſtitiam, aut Charitatem: quia magìs conſulitur famæ proximi. Ergo ſi aliunde Religio illæſa manet, nihil mali eſt in tali actu. Huc uſque Suarius ſuprà n. 10.

Et ſanè eodem argumento potuiſſet probare, Religionem manere illæſam: nam omnes admittunt, manere illæſam, ſi pœnitens poſt finitam Confeſſionem det notitiam Confeſſori extra Confeſſionem de peccato complicis. Immò ſi nihil aliud velit hic Auctor, jam convenit cum Scoto, & ceteris Doctoribus, qui ſolùm negant Confeſſarium poſſe uti ſcientiâ confeſſionali, id eſt, ſcientiâ ſeu notitiâ acceptâ in Confeſſione, eo modo, quo uteretur eâ notitiâ, ſi ipſi data fuiſſet extra Confeſſionem, ita quòd ille cui Confeſſarius revelat peccatum pœnitentis, ut complicis, cognitum in Confeſſione, poſſit ulteriùs uti illâ ſcientiâ, ac ſi non fuiſſet primitùs acceptâ in Confeſſione, id eſt, ſinè obligatione ſigilli: certum quippe eſt apud omnes, causâ conſilii poſſe Confeſſarium de licentia pœnitentis revelare ejus peccata, ſed ſigillata; ita quòd conſiliarius non poſſit ulteriùs uti illâ ſcientiâ, niſi velit peccare contra obligationem ſigilli ſacramentalis. Unde tunc non tollitur obligatio ſigilli, ſed extenditur potiùs, ſicut cùm quis per interpretem confitetur.

Et de tali extenſione non loquitur Scotus ſuprà, ùt patet ex his verbis: *Quia ex oppoſito, ſcilicet ex revelatione, ſequeretur continua perturbatio in Communitate.* Quando ergo in Reportatis impreſsis Lugduni 4. diſt. 21. q. 2. n. 13. dicit: *Non poteſt Confeſſus dare licentiam Confeſſori ad revelandum aliquid extra Confeſsionem, quod ſibi dixit in Confeſsione*; ly *Extra Confeſsionem*, idem eſt, quod extra obligationem à Confeſsione ortam, ſive extra obligationem ſigilli.

Addit: *Et dato, quòd poſſet dare licentiam, quantùm ad ſe attinet, Confeſſor tamen non poſſet revelare propter ius naturæ contrarium, ius divinum & Eccleſiæ. Illud verò idem, quod dixit in Confeſsione, poteſt ſibi dicere extra Confeſsionem, & tunc vel dicit hoc idem illi per modum ſecreti conſilii, & neque ſic poteſt ille alii revelare propter ſupradictam rationem, niſi petendo conſilium de illo: vel non dixit per modum ſecreti, & tunc poteſt revelare illud, ſicut ſi alius dixiſſet hoc coram decem, dummodò ſciat alium non eſſe offendendum, nec ſcandalizandum ex hoc.*

Si ergo apud Suarium idem ſunt, dare licentiam Confeſſori loquendi de rebus Confeſsionis, & manifeſtare ſua peccata extra Confeſsionem; ſi (inquam) licentia data Confeſsori loquendi de rebus Confeſsionis, æquivaleat manifeſtationi extra Confeſsionem, optimè conveniunt Suarius, & Scotus, Suarius, & Bannez, & cæteri omnes DD.

78\. Sed hanc æquivalentiam nemo aſſerit, niſi in hoc ſenſu, videlicet quando peractâ Confeſsione his aut ſimilibus verbis daretur licentia: *Ea, quæ in Confeſsione dixi, extra Confeſsionem ſint dicta.* Nec aliud habet uſus apud quoſcumque pios & doctos Confeſſores. *Quando æquivaleant licentia loquendi de rebus confeſſis, & manifeſtatio extra Confeſſionem.*

Qui utique uſus non eſt contra Religionem, neque contra juſtitiam aut Charitatem; quia non eſt uſus ſcientiæ confeſsionalis, ſed ſcientiæ extra Confeſsionem acceptæ, quâ proinde poteſt uti Confeſſarius eodem modo, ac ſi pœnitens non fuiſſet ipſi confeſſus; in tantùm, ut ſinè fractione ſigilli poſſet illâ ſcientiâ uti, non ſolùm ad correctionem complicis, vel ad præcavendum damnum tertii, ſed etiam in præjudicium complicis, vel ad inferendum damnum tertiò, quamvis tunc peccacaret contra juſtitiam, vel contra Charitatem.

79\. Quæſtio ergo principalis eſt, an caſu quo pœnitens in conſcientia debeat corrigere complicem, aut avertere damnum tertii, & non poſſit per ſe commodè id præſtare, neque per alium, quàm per Confeſſarium, poſſit & debeat uti operâ ipſius, non communicando aliam ſcientiam peccati complicis, quàm confeſſionalem, id eſt, talem, quâ Confeſſarius abſque fractione ſigilli nequeat uti ad alium finem; ipſe autem complex, qui corrigendus eſt, aut tertius, cujus damnum avertendum eſt, poſſit uti ad quemcumque finem abſque fractione ſigilli. *Proponitur ſtatus quæſtionis.*

Et verò, quòd non debeat uti operâ Confeſſarii, communicando hujuſmodi notitiam Confeſsionalem, nimis clarum eſt: quia ſcientia extra Confeſsionem, indubiè aptior & utilior eſt ad iſtum finem; ergo ſatisfacit pœnitens communicando notitiam extra Confeſsionem. Quod autem poſsit dare notitiam Confeſsionalem jam deſcriptam, de hoc diſputatur, ùt dixi. Et quamvis Suarius communiter allegetur pro ſententia affirmativa; equidem indiſtinctè loquitur, & videtur confundere ſcientiam confeſsionalem cum illa, quæ datur extra Confeſsionem, ùt ſuperiùs oſtendi. *Scientia extra Confeſſionem aptior eſt ad finem correctionis.*

80\. Clariùs & diſtinctiùs pro ea ſententia loquitur Lugo diſp. 16. nu. 429. quam & probat: *Pœnitentem poſſe*

date ſcientiam confeſſionalem aſſerit Lugo, & probat.

bat: quia hoc pacto pœnitens magis conſulit famæ complicis, cùm maneat Confeſſarius magis ſtrictè obligatus arctiori vinculo ſigilli ſacramentalis, ad non manifeſtandum illud complicis crimen. Aliunde autem certum mihi eſt, ſigillum Confeſsionis, licèt comprehendat etiam peccata complicis, non tamen reſpicere ipſum complicem, ſed pœnitentem, cujus ſolius licentia ſufficit ad utendum illâ notitiâ. Denique non eſt contra reverentiam Sacramenti, quòd aſſumatur ſecundariò ùt medium ad alios effectus extrinſecos præter juſtificationem pœnitentis. Hæc ille.

Confirmatur ex eodem.

Confirmari poteſt (proſequitur numero ſequenti) quia non eſt dubium, quòd poſſit Confeſſarius ex licentia pœnitentis uti notitiâ illâ ad aliquod damnum temporale complicis impediendum, ut ſi uxor adultera, ſciens virum ſuum velle interficere adulterum, moneat illum per Confeſſarium, ut ſibi conſulat. Item, ſi aliquis in mortis articulo reſtituat damnum, quod ſimul cum alio ſocio intulit, poterit Confeſſarius ex licentia pœnitentis admonere illum complicem de reſtitutione facta, & quomodò ſocius moriens condonavit ei ſuam partem. Huculque Eminentiſſimus.

81. Reſpondetur confirmationem eſſe æquè dubiam,

Sed contrà, & incipio ab ultimo, quod æquè dubium eſt & obſcurum, atque illud, in cujus confirmationem adfertur, nec puto ab Auctoribus contrariæ opinionis admittendum, loquendo de notitia confeſſionali. Contrà (inquam) ſic argumentor ad hominem: Quod liceat uti, vel non uti notitiâ confeſſionali, non dependet ex conſenſu complicis, juxta Lugonem ſuprà. Licèt ergo in his poſtremis caſibus complex præſumeretur omninò voluntarius, ut Confeſſarius uteretur illâ notitiâ (cùm ille uſus cedat totaliter in ipſius commodum) quid tum? Nam etſi eſſet involuntarius, adhuc in ſententia Lugonis liceret uti illâ notitiâ. Ergo non eſt major ratio, quare liceat uti illâ ſcientiâ in his caſibus, quàm dum neceſſaria eſt ad corrigendum complicem, aut avertendum damnum tertii, quod ipſe complex alioquin inferret, & ſummoperè deſiderat inferre.

82. et incertum eſſe, an ſigillum non reſpiciat etiam complicem.

Deinde, quod Cardinali certum eſt, ſcilicet ſigillum Confeſſionis, licèt comprehendat peccata complicis, non tamen reſpicere ipſum complicem, hoc aliis valde incertum eſt; immò falſum: quia (inquit Vaſquez qu. 93. art. 4. dub. 5. n. 6.) voluit Deus judicium hoc eſſe ſecretum, ne indè alicui incommodum ſequeretur, aut ſequi poſſet: ergo exiſtimandum eſt, voluiſſe eo ſecreto conſulere non tantùm pœnitentibus, ſed etiam omnibus, qui aliquo modo explicantur in peccato pœnitentis. Obligat ergo ſigillum in favorem etiam complicis. Unde non ſatis erit licentia ipſius pœnitentis, ſed requiritur etiam illius complicis, & tamdiu manebit ſub Confeſſionis ſigillo, quamdiu aut extra Confeſſionem non dicitur, aut illius licentia non obtinetur. Ita Vaſquez.

Sicut ergo non licet revelare peccatum pœnitentis, tametſi illa revelatio eſſet neceſſaria ad correctionem pœnitentis, aut ad avertendum damnum pœnitentis (v. g. ſi aliàs eſſet occidendus vel privandus bonis ſuis externis) ſinè expreſſa ejus licentia; ita neque peccatum complicis in ſententia Vaſquezii ſinè expreſſa complicis licentia, eſtò alioquin illa revelatio eſſet neceſſaria ad avertendum grave ipſius damnum.

Quantùm ad reverentiam Sacramenti, video, rem altioris ordinis poſſe ordinari ad bonum inferioris ordinis: quia per hoc, id quod ſuperius eſt, in ſe non minuitur, & juvat inferius, augetque bonum ipſum ſaltem extenſivè, & omnia tandem in gloriam Dei ordinantur; quomodò Deus gratiam unionis ordinavit ad gratiam noſtræ ſanctificationis, & gratiam hanc, quæ ſupernaturalis eſt, ordinavit ad bonum naturæ, & obſervantiam etiam legis naturalis. Ac proinde lubens admitto, Confeſſionem poſſe ordinari ad obtinendam ſanitatem corporis, ad promovendam ſeu procurandam correctionem Confeſſarii, & ſimiles fines honeſtos, non excludendo finem principalem, qui eſt juſtificatio pœnitentis. Ergo etiam ad correctionem complicis, vel ad avertendum damnum temporale complicis aut alterius tertii;

Reſpondeo concedendo totum, quando fines illi ſecundarii poſſunt obtineri, abſque revelatione peccati pœnitentis, aut complicis extra Confeſſionem, id eſt, extra obligationem ſigilli: ſecùs, ſi eſt neceſſaria notitia non ſigillata; nam, ſecundùm Scotum ſuprà, materia ſemel ſigillata, ſemper manet talis, etiam accedente licentiâ pœnitentis, immò & complicis: quia ſigillum à Deo, & ab Eccleſia ordinatum eſt, non tantùm in favorem pœnitentis, & complicis; ſed etiam ipſius Sacramenti, cui favori nec pœnitens, nec complex poteſt renuntiare; ſicut etſi Clericus poſſit renuntiare privilegio, in ſui favorem ſpecialem conceſſo, non tamen conceſſo in favorem ſtatûs Clericalis, cum ejuſdem præjudicio.

Dices: Nullum fit præjudicium Sacramento per talem uſum ſcientiæ Confeſſionalis; ergo non eſt paritas. Antecedens probatur: quia ſcandala deceptiones & ſimilia reverà non ſunt per ſe nec frequentiùs conjuncta cum illo uſu, ùt experientia ipſa ſæpè oſtendit. Si ergo inconvenientia aliquando ſequantur, id erit per accidens. Ex accidenti autem (inquit Suarez ſuprà nu. 8.) non negamus hanc actionem aliquando poſſe eſſe malam; tunc autem malitia per ſe primò non erit contra Religionem, ſed aut contra Charitatem, aut contra aliam ſimilem virtutem: contra Religionem

Digitized by Google

gionem autem erit per quandam redundantiam, in quantùm Religioni derogat, uti actione factâ cum detrimento alterius virtutis. Hæc ille.

Et num. 11. ſic ait: Neque ex hoc uſu fit onerosa Confeſſio. Cui enim fiet onerosa? An pœnitenti? Minimè: quia ſupponimus, ipſum ſuâ liberâ voluntate velle uti induſtriâ Confeſſoris ad illum finem. Aut eſt hoc oneroſum ei, qui corripitur; at verò neque hoc dici poteſt, ſi ſecundùm rectam rationem æſtimetur. Nam, ſi ille irrationabiliter ſit invitus, aut gravamen ſentiat, id curandum non eſt: alioquin nullus erit corrigendus, ne Charitas fiat oneroſa proximo. Quòd verò ſecundùm rectam rationem nullum onus ſentire poſſit, conſtat: quia intenditur bonum ejus, & per optimum medium, quo ejus fama, quoad fieri poteſt, conſervatur. Hactenus Suarius.

Reſpondeo: ſcandala, deceptiones & ſimilia inconvenientia, quæ videri poſſunt apud Bannez ſuprà, ſunt per ſe, id eſt, frequentiùs conjuncta, aut nata conjungi cum illo uſu, ſi foret licitus, conſideratâ malitiâ hominum & imprudentiâ; & ideò omnes DD. agentes de hac materia ſollicitè monent præcavendum ſcandalum, quod non ita facerent, ſi merè per accidens & raro conjungeretur.

Dicendum (inquit Doctor Seraphicus 4.diſt. 21. p. 2. art. 2. q. 2.) *quòd, ſicut dictum eſt, Sacerdos non debet* (revelare peccata pœnitentis) *propter duo; ſcilicèt, quia novit ſolùm ùt Deus, & iterum, ne populum ſcandalizet, vel etiam ipſum confitentem. Et quia confitens poteſt facere, quod ipſe novit ùt homo, quando facit eum nuntium, poteſt eum licentiare in caſu, in quo non timetur periculum ſcandali. Vbì autem periculum ſcandali formidatur, quantumcumq; pœnitens licentiat Sacerdotem, non debet Sacerdos aſſumere. Tunc autem poteſt timeri periculum ſcandali, quando probabiliter poſſit conjici, quòd Sacerdos Confeſſionem ſuam revelavit. Vnde ſi dicat, quòd alii referat peccatum, debet ipſe Sacerdos pœnitentem ſuum conſtituere, non ſe nuntium facere; & ſic vitatur ſcandalum, & non rumpitur ſigillum Confeſſionis.*

Et intelligatur hoc cum illa generali ſuppoſitione, quòd peccatum alicuius nulli eſt manifeſtandum, niſi ei, qui poſſit prodeſſe, nec velit obeſſe. Intellige etiam hoc de peccatis propriis, non de alienis: nam aliena peccata dicere non poteſt, neque debet pœnitens alicui committere, niſi forte in caſu, in quo ipſe deberet dicere; & meliùs per alium, quàm per ſe poteſt bonam illius procurare, ſemper adhibitâ cautelâ, ut ex hoc non ſcandalizetur Eccleſia.

Similiter loquuntur alii DD. & unanimiter docent, conſultius eſſe ad vitandum periculum irreverentiæ in Sacramentum, & incommodis obviandum, ut ſi monendus ſit complex, negotium aperiatur extra Confeſſionem. Immò Aliqui exiſtimant, utile fore, ſi Confeſſarius, qui vult uti ſcientiâ confeſſionali, petat ſibì licentiam dari à pœnitente in ſcriptis, ne fortè pœnitens poſteà id neget. Ad quid omnia iſta, ſi ſcandala, deceptiones & ſimilia non ſint frequentiùs conjuncta, ut putat Suarius ſuprà? Frequentiſſimum ergo eſt periculum, quod complex ſuſpicabitur, Confeſſarium abſque licentia uti ſcientiâ Confeſſionis; ac propterea oneroſa fiet ei & odioſa Confeſſio, & ab ea avertetur, cogitans, ne fortè etiam ſua peccata, ſinè licentia aliquando revelentur.

Et ſi dixeris: Hoc ſcandalum potiùs eſt acceptum, quàm datum, propter quod vitandum, non ſemper ſunt opera Charitatis omittenda, & præſertim correctio, quando tamen ſperatur fructus. 86. *Evaſio præcluditur.*

Reſpondeo; eundem fructum poſſe ſperari ex correctione, quæ fieret à Confeſſario, cui extra Confeſſionem peccata fuiſſent dicta. Ergo nulla neceſſitas utendi ſcientiâ confeſſionali cum ſcandalo accepto. Deinde cur illud ſcandalum non debeat dici potiùs datum, quàm acceptum? Neque enim ex mera malitia contingit, ſed potiùs ex ignorantia vel infirmitate, verè occaſione tui operis, cùm pœnitentes non ſoleant dare talem licentiam, immò, ſecundùm Multorum ſententiam, nec licitè, nec validè poſſint dare.

Nec obſtat; quòd Confeſſarius non debeat ſponte explicare modum, quo id ſciat; nam fieri poſſet, quòd complex interrogaret de modo, probè ſciens, neminem potuiſſe revelare ſuum peccatum, niſi talem pœnitentem. Quid tunc Confeſſarius reſponderet? Scire extra Confeſſionem? Mentiretur Scire ex Confeſſione? Verum diceret, ſed cum ſcandalo complicis. Quando autem reverà ſcit extra Confeſſionem; ſi interrogetur, reſpondeat audacter, ſe ſcire extra Confeſſionem; & nullum eſt periculum ſcandali, niſi accepti; cùm tunc planè ſinè ullo fundamento complex judicet, Confeſſarium uti ſcientiâ confeſſionali contra obligationem ſigilli. 87. *Alia evaſio præcluditur.*

Igitur fit præjudicium Sacramento per talem uſum ſcientiæ confeſſionalis, ſaltem propter ſcandalum acceptum, quod evitari debet, quando commodè evitari poteſt, dando notitiam extra Confeſſionem, quæ indubiè magìs apta eſt ad correctionem fraternam; & ad avertendum damnum Communitatis aut privatæ perſonæ: utpote etiam ſufficiens ad denuntiationem publicam & externam gubernationem ſubditorum. Quapropter meritò talis uſus ſcientiæ confeſſionalis generaliter cenſetur prohibitus, tametſi hìc & nunc foret utilis ad præfatos fines obtinendos, ùt declaro in ſimili.

Excommunicatione primâ Bullæ Cœnæ juſtè excommunicantur omnes etiam docti & firmi 88. *Ceſſante fine legis*

negativè ſolùm in caſu particulari, non ceſſat ipſa lex.

firmi in fide, hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſinè auctoritate Sedis Apoſtolicæ legentes, etſi hìc & nunc nullum ſubſit periculum perverſionis, & poſſit illa lectio eſſe utilis, v. g. ad defendendam Fidem. Ratio eſt: quia ceſſante fine legis ſolùm negativè in caſu particulari, non ceſſat ipſa lex; hoc enim expedit bono communi, ne alioquin lex ut plurimùm careat ſuo effectu; v. g. in caſu propoſito, ſi prohibitio ceſſaret, quando non ſubeſt periculum perverſionis, cùm facilè de nobis ipſis magna præſumamus, maxima pars fidelium judicaret, ſe longè diſtare à tali periculo, quamvis plurimi eorum eſſent valde propinqui; adeóque non vitaretur periculum perverſionis, quod tamen lex intendit vitare; & multi perverterentur, pauci verò Fidem defenderent. Illa ergo particularis utilitas, nulla cenſetur reſpectu damni communis, quod ſequeretur, ſi generaliter eſſet licitum legere libros prohibitos quando non ſubeſt periculum perverſionis.

89. Aliud foret ſi finis legis ceſſaret adæquatè & in univerſali, vel contrariè in caſu particulari.

Aliud foret, ſi finis legis ceſſaret adæquatè & in univerſali, v. g. ſi magìs expediret pro bono Fidei, quòd omnes poſſent legere libros hæreticorum, quàm quòd debeant abſtinere; vel etiam, ſi in caſu particulari ceſſaret contrariè, id eſt, ſi Fides periclitaretur, niſi hìc & nunc aliquis legeret libros hæreticorum: tunc enim magìs expedit pro bono communi, ut lex non obliget; nam obſervando legem incurritur periculum perverſionis, quod tamen lex intendit evitare. Tali ergo caſu ex obſervatione legis ſequeretur malum; in priori autem caſu, quamvis hìc & nunc ex non obſervatione legis ſequeretur majus bonum particulare, equidem ex obſervatione non ſequitur aliquod malum particulare, & ſequitur majus bonum commune, ût oſtenſum eſt.

Nonne majus bonum poteſt ſequi in caſu particulari ex mendacio v.g. officioſo, quàm ex veritate? Et tamen iſtud non licet; quia majus damnum commune ſequeretur, ſi in hoc caſu eſſet licitum: nam illa licentia pro hoc caſu, tolleret fidem humanam pro aliis multis, cùm ſemper homines poſſent formidare, an loquens non apprehendat, in illo caſu majus bonum, quàm damnum ſequi ex ſuo mendacio.

Similiter, licèt ex matrimonio contracto ſinè Parocho, in caſu particulari poſſet majus bonum commune ſequi, quàm damnum hìc & nunc; tamen lex illa etiam illo caſu obligat; quia licèt ex illo particulari matrimonio magnum bonum commune, & nullum damnum ſequeretur; maximum tamen damnum commune ſequeretur ex eo, quòd in caſu illo particulari poſſet matrimonium ſinè Parocho validè contrahi, quia fingerent ſibi homines facilè neceſſitatem, & ſic multa matrimonia manerent dubia & litigioſa. Idem cernitur in caſu, quo ſecundum matrimonium, vivente primâ, eſſet omninò neceſſarium pro conſervanda Fide Catholica alicujus integri regni; in quo tamen non licet propter eandem rationem.

Atque (ut ad propoſitum noſtrum revertamur) ponamus, violationem ſigilli planè neceſſariam eſſe, pro conſervanda Fide Catholica alicujus integri regni, neque hìc & nunc eſſe periculum alicujus ſcandali; quia illis, qui norunt ſigillum violatum, propterea non erit Confeſſio odioſa aut oneroſa; putas, quia tali caſu liceret violatio ſigilli? Nullus hactenus auſus fuit id docere.

Ergo conſimiliter, licèt uſus ſcientiæ Confeſſionalis de licentia pœnitentis, hìc & nunc poſſet eſſe utilis ad correctionem fraternam, aut ad impediendum damnum tertii; equidem ſi tali caſu liceret, maximum damnum commune ſequeretur; quia paſſim Confeſſarii & pœnitentes vellent tali viâ corrigere, & damnum avertere, ut ſic effugerent onus probandi, & alia incommoda, quæ poſſent oriri ex notitia data extra Confeſſionem: vellent (inquam) tali viâ corrigere & damnum avertere, illuſi falsâ imaginatione utilitatis, cum ſummo ſcandalo complicis, & aliis quam plurimis inconvenientiis.

Dices: Pœnitens non tenetur corripere, aut avertere damnum tertii, cum onere probandi, aut aliis incommodis. Reſpondeo: Etiam non tenetur cum incommodis, quæ plerumque nata ſunt ſequi ex uſu ſcientiæ confeſſionalis: igitur placeat conſilium meum, ut taceat. Sanè juſtus timor ſcandali, & aliarum inconvenientiarum, qui communiter ſubeſt, videtur ratio ſufficiens, generaliter prohibendi uſum ſcientiæ confeſſionalis ad prædictos fines, etiam pro caſu particulari, in quo omnibus conſideratis ceſſaret ſcandalum, & aliæ inconvenientiæ. Atque hæc ſatìs impræſentiarùm; quæ autem ſuperſunt, examinabimus proprio loco, ubì de ſigillo Confeſſionis.

Progredior ad alios caſus, in quibus licita eſt Confeſſio non integra materialiter; & in principio occurrit caſus ſatìs practicus, quando habens peccata reſervata, in neceſſitate confitetur ei, qui non poteſt directè à reſervatis abſolvere; ſed de hoc egimus diſp. 4. ſect. 10. concl. 5. ad quam remitto Lectorem. Alius caſus eſt extrema neceſſitas, quando pœnitens mortali infirmitate præoccupatus, vel nullum in ſpeciali peccatum poteſt declarare, tametſi velit; vel ſaltem non omnia, prout requirit materialis integritas Confeſſionis.

Certè nemo prudenter poteſt dubitare, quin valeat Abſolutio, quando infirmus vel unicum peccatum in ſpecie declaravit: ſin autem nullum peccatum in particulari, nequidem

dem in genere aliquo ſubalterno dixerit, ſed ſolùm in communi: *Peccavi, & peto Abſolutionem*; negant Aliqui Abſolutionem valere: ego cum communi ſententia dico:

CONCLUSIO V.

In extrema neceſſitate ſufficit Confeſſio unici peccati venialis in particulari, immò peccati ſolùm in communi, his aut ſimilibus verbis: *Peccavi & peto Abſolutionem*. Quidni poſſit, & debeat abſolvi ad quodcumque ſignum externum Contritionis?

EXcuſant Aliqui infirmum ab integritate materiali Confeſsionis, quando ob gravitatem morbi, indiſpoſitionem capitis &c. non fert longum examen, nec ſinè magna difficultate & notabili defatigatione poteſt omnia explicare, tametſi à Confeſſario adjutus! quantò magis; ſi phyſicè impotens eſt, & jam jam creditur moriturus? Et verò, nulla eſt ratio prudenter dubitandi de prima parte Concluſionis, cùm unicum peccatum veniale ſit materia ſufficiens & certa (ſecundùm communem ſententiam) validæ & licitæ Abſolutionis.

Perinde autem eſt, ſive neceſsitas proveniat ex parte infirmi, ſive ex parte Confeſſarii; v. g. ſi Confeſſarius creditur moriturus ante finem integræ Confeſsionis, & non adſit alius, cui infirmus ante mortem poſsit integrè confiteri, tametſi velit. Sin autem adſit alius, cui commodè poſsit integrè confiteri; dubitatur, an tunc prior Sacerdos poſsit abſolvere à peccatis auditis? Aliis affirmantibus, Quibuſdam negantibus.

94. Affirmantes pro fundamento allegant difficultatem iteratæ Confeſsionis eorumdem peccatorum, quæ ipſis videtur ſufficiens cauſa dimidiandi Confeſsionem. Sed contrarium videtur Negantibus, & probant à ſimili: quia (inquiunt) Illi, qui aſſerunt Superiorem poſſe audire ſola reſervata, & abſolvere ab illis, addunt tamen, debere poſteà Confeſsionem integram fieri de omnibus apud alium Confeſſarium. Reſpondeo; illam additionem apud me eſſe falſiſsimam, ſuppoſito quòd Superior ſacramentaliter abſolverit, & validè à peccatis reſervatis, de quo alibi tractavimus.

Probant ſecundò ab alio ſimili: ſi accedat ad me pœnitens, & dicto uno atque altero peccato advertam, me illius idioma capere non poſſe, non debeo illum à peccatis jam dictis abſolvere; ſed, juxta communem uſum, debeo illum remittere ad alium Confeſſarium, illius linguę gnarum, niſi aliquid aliud obſtet. Item, ſi pœnitens dictis multis peccatis non reſervatis, dicat poſteà unum reſervatum, non debeo, aut poſſum ipſum abſolvere à non reſervatis, præcisè ne iterùm cogatur ea confiteri; quia pœnitens exponit ſe illi periculo, dùm incipit confiteri. Eam docet Lugo.

Ideò hanc ſententiam docet Lugo diſp. 17. n. 4. Quæ indubiè probabilis eſt, immò videtur probabilior propter ſecundùm ſimile; ad quòd contrariæ partis Auctores non reſpondent; nec video quid reſponderi queat, niſi abſolutè negando talem uſum.

Ad tertium ſimile reſpondet Arriaga diſput. 36. n. 9. Eo caſu Sacerdos ratione reſervatorum agnoſcet, ſe non habere poteſtatem abſolvendi validè: quid ergo mirum, ſi non abſolvat? In noſtro autem caſu non eſt earatio, cùm ſupponamus eum habere integram juriſdictionem. Confirmo: quia in caſu quæſtionis videntur Auctores docere, eſtò illicitè, validè tamen dari poſſe tunc Abſolutionem; at in caſu de reſervatis, ſi audito reſervato daret Sacerdos Abſolutionem, profectò ea eſſet invalida: eſt ergo diſparitas inter utrumque. Hæc ille. 95. Reſponſio Arriagæ.

Sed contrà: qui compulſus neceſsitate, v. g. communicandi, confitetur reſervata & non reſervata inferiori, validè abſolvitur, à non reſervatis. Si ergo aliquando invalidè abſolvitur, eſt propter indiſpoſitionem, quia non habet juſtam cauſam dimidiandi Confeſsionem; & ideo mortaliter peccat, petendo Abſolutionem à ſolis non reſervatis, quando commodè poteſt accipere Abſolutionem ab omnibus. Unde invaliditas in hoc caſu non oritur ex defectu juriſdictionis (niſi reſpectu peccati reſervati, quod indubiè tenetur rurſùm confiteri) ſed ex defectu diſpoſitionis (ſicut dixi) adeòque ſi pœnitens procedat bonâ fide, & Confeſſarius bonâ vel malâ fide abſolvat à peccatis non reſervatis quantùm poteſt abſolvere, Abſolutio erit valida à peccatis non reſervatis: per conſequens non erit obligatio iteratæ Confeſsionis illorum peccatorum. Refutatur.

Et conſimiliter, ſi infirmus in caſu quæſtionis non habeat juſtam cauſam dimidiandi ſuam Confeſsionem (ùt Cardinalis exiſtimat) neque ipſe validè abſolveretur, non defectu juriſdictionis, ſed diſpoſitionis, utpote peccans mortaliter, dum petit Abſolutionem dimidiatam, ubì ſinè notabili incommodo poteſt habere integram. 96.

Sin autem juſtam habeat cauſam dimidiandi (ùt probabile putat Arriaga ſuprà n. 10.) nil mirum ſi validè, immò & licitè abſolvatur. Porrò quòd ſit juſta cauſa, probatur à ſimili: quia occupationes Superiorum ſunt juſta cauſa, ſecun- Arriaga putat ſententiam affirmativam probabilem, & probat eam à ſimilibus.

Digitized by Google

ſecundùm Aliquos, abſolvendi à ſolis reſervatis, remiſſo pœnitente pro Abſolutione aliorum peccatorum ad inferiorem; uti etiam magnus concurſus prementium ſe pro Confeſſione, apud Nonnullos, eſt juſta cauſa dimidiandi Confeſsionem: ergo ſimiliter difficultas iteratò confitendi eadem peccata.

97. *ſed quæ æquè incerta ſunt.*

Verùm, ſicut hæc ſimilia ſunt valde incerta, & à pleriſque negantur; & præcipuè illud ultimum de magno concurſu: ita valde incertum, an illa difficultas ſit cauſa ſufficiens; & ideo non facilè dimidianda Confeſsio, quando ſinè alio incommodo, quàm iteratæ Confeſſionis, poteſt infirmus integrè confiteri. Sinè alio (inquam) incommodo: nam ſi diutiùs, quàm par eſt, deberet carere hoc Sacramento; Sacerdos moriturus poſſet validè & licitè ab auditis abſolvere; nam illa eſt cauſa legitima faciendi Confeſsionem non materialiter integram, inquit Lugo ſuprà.

Reſolutio alicujus caſûs.

Si autem à me quæritur, quid conſilii, aut quid facto opus, quando Sacerdos cœpit audire Confeſsionem ægroti, vel etiam ſani, & diſtulit perficiendam alterâ die, ſi eum tunc inveniat ſenſibus deſtitutum? Reſpondeo: ſinè ſcrupulo eum abſolvat, dummodò non conſtet eum mutaſſe voluntatem; quæ mutatio haùd facilè poteſt præſumi in illo articulo. Ità

Lugo. Dicaſtill. Arriaga.

Lugo ſuprà n. 6. cum Aliis, quos citat. Conſonat Dicaſtillo diſp. 9. n. 741. & Arriaga ſuprà n. 11. Ratio à fortiori patebit ex dicendis infrà de Abſolutione moribundi qui ſolùm Catholicè vixit.

98. *Probatur oppoſitum 2. part. Concluſ.*

Venio ad ſecundum partem Concluſionis, quando infirmus non poteſt ullum determinatum peccatum exprimere, nequidem in genere aliquo ſubalterno, v. g. luxuriem, injuſtitiam &c. immò non poteſt dicere, ſe mortaliter peccaſſe; ſed ſolummodò, ſe peccaſſe. Atque in hoc caſu Multi, quos refert

Lugo

Lugo ſuprà. n. 7. negant infirmum poſſe abſolvi. Fundamentum eſt, quòd illa non ſit Confeſſio (quæ tamen eſt quaſi materia eſſentialis hujus Sacramenti) quia non dat notitiam Confeſſario, quam antea non habuit; ſciebat enim ipſum eſſe peccatorem, cùm

1. Joan. 1.

ſcriptum ſit 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et Jacob. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.*

Conc. Trid.

Hinc Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. *Conſtat Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuiſſe; neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Igitur rectum judicium (quale debet eſſe Abſolutio) poſtulat cognitionem cauſæ in particulari: actiones quippe verſari debent circa particularia. Jam autem Abſolutio in caſu quæſtionis non verſatur circa aliquod particulare peccatum; & ideo nullum directè remittitur, ſed omnia rursùs ſubjicienda ſunt Clavibus Eccleſiæ in ſpecie ac ſigillatim, ut ſic directè remittantur. Ergo prior Abſolutio invalida; nam ſemper debet homo abſolvi ab aliquo peccato directè, ut indirectè abſolvatur à reliquis, quæ non dicit. Ex quo patet diſparitas inter Confeſſionem unius tantùm peccati in particulari, cæteris ex juſta cauſa tacitis; & Confeſsionem peccati in communi.

E[...] el[...]

Si dixeris: Abſolvitur directè ratio peccati in communi, ſeu ratio generica peccati. Contrà: vel illa ratio eſt aggregatum ex omnibus rationibus particularibus; & hoc non; quia ſic omnia peccata eſſent directè remiſſa, nec eſſet obligatio illa iterum confitendi: vel eſt aliqua pars metaphyſica illius peccati; aſt neque hoc dici poteſt, quia Deus ſi remitteret directè adulterium ſub ratione tantùm generali, retineret adhuc totam averſionem ab illo peccato ſub ratione ſpecifica, adeóque tantum jus, quantum anteà: nam gravitas ſpecifica adulterii includit rationem communem offenſæ divinæ; niſi dixeris poſſe manere ſpeciem deſtructo genere, hominem deſtructo animali, quod eſt manifeſtè impoſſibile. Putas, quia qui confitetur rationem ſpecificam adulterii, non confitetur rationem peccati in communi? Non eſt ſapientis hoc putare. Quomodò ergo ratio in communi directè fuit abſoluta? Nam quod ſemel directè abſolutum eſt, non oportet ampliùs confiteri.

1[...] Hæ[c] hod[ie] eſt [...] lis Rit.

Hæc ſunt præcipua fundamenta iſtius opinionis, quæ hodie, meo judicio, vix eſt probabilis, tum propter auctoritatem Ritualis Romani Titi de Sacramento Pœnitentiæ, ubi ſic dicitur: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægro deficiat, nutibus & ſignis conetur Sacerdos quoad fieri poteſt peccata pœnitentis cognoſcere; quibus utcumq; vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam, ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt*; tum propter alias auctoritâtes, quas videre poteris ſect. 7. concl. 4. ubì de Confeſſione facta abſenti.

Prob[...] 2. pa[rt.] Conc[l.]

Ratio ergo Concluſionis noſtræ eſt voluntas Chriſti, ita inſtituentis Sacramentum Pœnitentiæ, ut poſſit validè illis adminiſtrari, qui eo modo, quo poſſunt, confitentur ſua peccata, ſive in genere dumtaxat, quando declaratio in ſpecie & ſigillatim eſt phyſicè aut moraliter impoſſibilis; ſive potiùs in ſpecie & ſigillatim, quando nihil obſtat. Hanc voluntatem colligimus ex communi praxi Eccleſiæ, & unanimi conſenſu DD. paucis exceptis; quos citat Diana p. 3. tract. 3. reſol. 1.

101 & ſolid[...] funda[m.] oppo[...] ſentent[...]

Nec difficilè erit ſatisfacere eorum fundamentis ſuprà allegatis. Nam ad primum Reſpondeo unico verbo: talis Confeſſio eſt vera materia, aut quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ; eſt enim doloroſa ſuiipſius accuſatio de pec-

de peccatis commiſſis, ex qua Sacerdoti innoteſcit ſtatus pœnitentis eo modo, quo pro tunc poteſt innoteſcere. Non quia antea non ſciverit ipſum eſſe peccatorem; ſed quòd hoc non ſciverit viâ accuſationis, prout de facto ſcit. Nonne ſæpiùs in judiciis humanis accuſatur aliquis de crimine, anteà judici noto? Indubiè.

Et ſi quæras, quem effectum habeat illa accuſatio? Reſpondeo: tunc tenetur judex illud punire, cùm anteà non teneretur defectu accuſationis. Ergo ſimiliter in judicio ſacramentali, eſtò Confeſſarius optimè ſciat, me eſſe peccatorem; immò omnia peccata mea in ſpecie ac ſigillatim; non poteſt me ſacramentaliter abſolvere, niſi eadem peccata cognoſcat viâ accuſationis. Nonne omnes admittunt, Confeſſarium poſſe abſolvere peccata in ſpecie confeſſa, quæ tamen anteà noverat extra Confeſſionem? Cur non ſimiliter peccatum in genere?

Quid ſi aliquis meminerit ſe peccaſſe, ignorat tamen genus & ſpeciem; exiſtimas quia talis etiam in articulo mortis privandus erit gratiâ Abſolutionis, idque cum periculo æternæ damnationis, ſi fortè ſolùm ſit attritus, & peccaverit mortaliter? Non eſt credibile, Chriſtum ita inſtituiſſe hoc Sacramentum, lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium ad ſalutem, ùt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus; ſic (inquam) limitatè inſtituiſſe, ut in multis caſibus, etiam maximè neceſſariis, non poſſet ſuſcipi. Cùm ergo ſæpiùs contingat, ut in articulo mortis homo non poſſit confiteri niſi generaliter, id eſt, de peccatis in genere; planè conveniens erat, ut illa Confeſſio ſufficeret.

Aſſentior, Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ non poſſe exercere: & ideo de per ſe requiritur declaratio peccatorum in ſpecie & ſigillatim, ùt bene Trident. ſuprà. Ergo non ſufficit Confeſſio peccati in genere, quando alia magìs particularis haberi nequit, negatur Conſequentia. Alioquin non valeret Abſolutio, quando unum ſolùm peccatum in particulari explicaretur, cæteris omiſſis propter impotentiam phyſicam vel moralem, quod Adverſarii non audent admittere.

Dices: Diſparitas eſt, quòd in ultimo caſu ſaltem aliquid certum explicetur, aptum terminare directam Abſolutionem; at verò in caſu Concluſionis nihil omninò, ùt ſuprà probavimus.

Reſpondeo; quæſtionem eſſe pro magna parte de nomine: unde Aliqui admittunt, in caſu Concluſionis omnia peccata directè remitti coram Deo, nullum autem in foro Eccleſiæ; & ideo omnia rurſùm eſſe confitenda in ſpecie & ſigillatim; id eſt, omnia remitti cum obligatione iteratæ Confeſſionis in ſpecie & ſigillatim. Porrò Abſolutionem ſacramentalem ſemper debere remittere aliquod peccatum directè in foro Eccleſiæ, unde probatur?

Si ergo per Abſolutionem directam intelligas Abſolutionem ſinè obligatione prædicta, fateor ſic in caſu noſtro nullum peccatum directè remittitur: ſin autem per directam Abſolutionem intellexeris veram & abſolutam remiſſionem peccatorum coram Deo, in tantum, ut Deus propter illa peccata ſic remiſſa, nullum deinceps habeat jus averſionis à tali pœnitente, dico omnia eſſe directè remiſſa eodem modo, quo remittuntur per Contritionem Charitate perfectam. Cui non placet iſta ſolutio; quærat meliorem, ſi fortè poſſit aliquam invenire, quod vix credo.

104. Et ideo pergo ad tertiam partem Concluſionis; quæ non habet difficultatem, quando ſigna Contritionis exhibentur cum ordine ad Confeſſionem vel Claves; v. g. ſi pœnitens dicat Confeſſario: *Volo confiteri, doleo de peccatis, peto à Deo veniam peccatorum*; ſiquidem his aut ſimilibus verbis manifeſtat Confeſſario ſe peccaſſe, & velle ſententiam in hoc foro obtinere, adeòque confitetur peccata ſua ſaltem in genere; quod jam diximus ſufficere ad validam Abſolutionem, quando perfectior explicatio peccatorum non eſt poſſibilis.

Tertia pars Concl. eſt certa, quando ſigna Contritionis exhibentur cum ordine ad Confeſſionem.

Enimverò in humanis judiciis, quamvis nequeat eſſe juſta & delictis proportionata ſententia, quâ reus damnetur ad aliquam pœnam, niſi cognoſcatur culpa; tamen ſententia Abſolutionis & remiſſionis Rei, ſe præſentantis, & deferentis, & petentis veniam, eſſe poteſt remittendo quidquid illud fuerit, in quo non eſt ſervanda proportio, qualis eſſe debet inter culpam & pœnam, ut judicium ſit verum & juſtum. Cùm ergo judicium ſacramentale potiùs ſit Abſolutionis, ſeu remiſſionis, quàm condemnationis, potuit rationabiliter ſic inſtitui, quòd ſubinde ſufficeret Confeſſio peccati in genere; & tunc ſicut accuſatio eſt confuſa & incompleta, & per conſequens confuſa & incompleta cognitio cauſæ; ita pariter imperfecta ſententia ſeu Abſolutio; non coram Deo, qui ſtatum pœnitentis perfectiſſimè novit, ſed coram Eccleſia, quæ non judicat, niſi de externis; & ideo remanet obligatio perfectè explicandi peccata omnia in ſpecie & ſigillatim, ut Eccleſia poſſit perfectè & completè de illis judicare.

Probatur ex judiciis humanis.

Perinde autem eſt, ſive pœnitens ore & verbis expreſsè dicat: *Confiteor me peccaſſe: Accuſo me de peccatis: Volo confiteri* &c. ſive nutibus id ſignificet; utpote ſi rogatus à Sacerdote, an ſe accuſet de ſuis peccatis, & ut ſignum præbeat, inclinatione capitis, vel tunſione pectoris, vel compreſſione manûs, vel alio ſimili, ipſe tale ſignum præſtet.

105. Solùm poſſet objici; quòd Confeſſio ſit pars diſtincta à Contritione, ergo ſignum externum Contritionis non eſt Confeſſio.

Objectio.

 Reſpon-

Digitized by Google

Solvitur. Reſpondeo N. C. Cur enim, ſicuti Confeſſio peccatorum in ſpecie & ſigillatim, eſt ſignum externum Contritionis; quæ per ſe inſenſibilis eſt; ita ſignum externum Contritionis non poterit eſſe vera Confeſſio peccatorum in genere, ſalvâ diſtinctione Confeſsionis à Contritione? Siquidem entitas Contritionis planè diſtinguitur ab illo ſigno externo, quod habet rationem Confeſsionis, adeòque quamvis ſenſibilitas unica ſit, ſervit tamen ad reddendam ſenſibilem utramque partem, ſcilicet Contritionem internam, & Confeſſionem externam.

Patet: quia Contritio, quæ eſt quaſi materia hujus Sacramenti, principaliter ſignificat internum animi dolorem, ut colligitur ex Trident. ſeſſ. 14. c. 4. ubi definitur: *Animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*; nullâ factâ mentione alicujus ſigni externi. Ergo licèt quodlibet ſignum externum Contritionis foret vera Confeſſio peccati in genere, adhuc manebit Confeſſio, ſcilicet ſignum illud externum, diſtincta pars à Contritione, quæ per ſe eſt actus internus.

106. Quid ſi ſignum externum Contritionis ponatur ſinè ordine explicito ad Confeſſionem? Negat Suarez infirmum abſolvendum.

Majorem difficultatem habet hæc doctrina, quando ſignum externum Contritionis ponitur ſinè ordine explicito ad Claves vel ad Confeſſionem: tunc enim negat Suarez poſſe conferri Abſolutionem. Subſcribo ejus verba: Eſt attentè obſervandum, non ſatìs eſſe adhibere ſigna Contritionis (quod fortè voluit Abulenſis ſuprà) ſed neceſſarium eſſe illa adhibere in ordine ad Claves: quia Contritio vel manifeſtatio ejus per ſe non eſt ſufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ; ſed quatenus informat Confeſſionem aliquam, cum qua perficit accuſationem ſacramentalem: & hoc eſt exhibere ſigna in ordine ad Claves. Unde quantumvis infirmus ſe oſtendat devotum & contritum, ſi nullam fecit mentionem Confeſſionis, & in eo ſtatu ſenſum amittat, non poteſt ſacramentaliter abſolvi, quia illa Contritio non eſt relata ad Claves, neque ibi intervenit aliqua Confeſſio etiam generalis & in abſentia. At verò cùm exhibet illa ſigna petendo Confeſſionem, ſeu vocando Sacerdotem, jam eſt materia ſufficiens. Hæc ille.

Oppoſitum cenſent Layman & Chapeavilla.

Quæ licèt vera eſſent, quando quis ſano corpore, nihil de mortis periculo ſuſpicans, talia ſigna adhiberet, putà pugno pectus ſuum pulſaret, aut ſuſpirans oculos in cælum tolleret, vel reſpiceret aliquam imaginem crucifixi &c. immò Confeſſionem generalem faceret, v. g. Sacerdos in Miſſa, aut miniſter Miſſæ; equidem in caſu Concluſionis, id eſt, in extrema neceſſitate ſeu articulo mortis, non eſt ratio dubitandi, quin ſimilia ſigna à moribundo ordinentur ad ſacramentalem Abſolutionem: nam unuſquiſque præſumitur in tali ſtatu deſiderare certiſſimum remedium ſalutis animæ ſuæ, quale eſt Abſolutio ſacramentalis. Ita cenſet Layman Theol. Mor. l. 5. tract. 6. c. 8. n. 4. Et ante ipſum (teſte Dianâ, p. 3. tract. 3. reſol. 2.) docuerat Joannes Chapeavilla tract. de Sacramentis miniſtrandis tempore peſtis, c. 3. q. 11. Dia-

Quærit hic Auctor, an Parochi teneantur abſolvere infirmos ſigna Contritionis oſtendentes? Et reſpondet, teneri abſolvere ſub conditione; quia (ait ille) in caſu extremæ neceſſitatis, in quo verſantur, non requiritur expreſſa, ſed ſufficit tacita petitio Confeſſionis. Et probatur primò auctoritate D. Auguſtini ſerm. 44. *Tunditur* (inquit) *pectus, ut arguatur quod latet in pectore, ut evidenti pulſu occultum caſtigetur peccatum*; reddit enim rationem, quare, qui audiunt, *Confiteor*, tundunt pectus, ſcilicet ut manifeſtent peccatum, & ſic illud caſtigent. At hujuſmodi manifeſtatio peccati eſt Confeſſio, ſaltem tacita, ad ejus remiſſionem: ergo in illis ſignis reperitur Confeſſio. 1 Ref- verb- pec- qui- bus ſen-

Secundò: ſigna Contritionis manifeſtant Contritionem de peccato, quia aliter non eſſent ejus ſigna: ergo manifeſtant peccatum ut remittatur; Contritio enim eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo.

Tertiò: quia in illo articulo ſigna illa fieri non ſolent, niſi ad manifeſtationem peccatorum quæ pungunt conſcientiam, & quorum remedium quæritur medicinâ Pœnitentiæ: vult enim exiſtens in illa neceſſitate declarare ſignis illis Contritionis, quod non poteſt voce, quâ libenter (ſi poſſet) Confeſſionem peteret: nam videmus etiam maximos peccatores, ſi vel unicum verbum proferre poſſint, ardentiſſimè illo tempore efflagitare Confeſſionem.

Nec valet dicere; quòd in illis ſignis Contritionis ſit incluſa aliqua peccatorum Confeſſio, ſed non illa, quæ fit Sacerdoti, quæ ſola eſt ſacramentalis. Reſpondeo, etiam Sacerdoti faciendam contineri; qui enim petit Abſolutionem verbis expreſſis vel ſignis Contritionis, non petit illam à laico, ſed ab Eccleſia & ejus miniſtro, qui habet poteſtatem abſolvendi peccata; atque adeò à Sacerdote: & ita idem eſt petere Confeſſionem vel Abſolutionem verbis vel ſignis Contritionis, ac dicere: *Aliquis Sacerdos abſolvat me à peccatis, quæ his verbis vel ſignis Contritionis manifeſto in genere, meliori modo, quo nunc poſſum.* Hæc omnia Chapeavilla (inquit Diana ſuprà) quæ pii Confeſſarii in mente teneant, & illa in praxim me conſulente & impellente deducant, abſolvendo ſupradictos infirmos ſub conditione. Occ- obj-

Ego idem conſulo, & ideo examino, & explico prædictas probationes. Atque incipiendo à prima, non potui invenire ſermonem 44. quem citat Chapeavilla; ſed ſimilia verba 108 Exami- tur & e- ctæ ra- tiones

a verba lego ſerm. 8. de verbis Domini in principio. Hæc ſunt genuina: *Mox ut hoc verbum ſonuit lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris veſtri, audito ſcilicet, quod Dominus ait:* Confiteor tibi Pater. *In hoc ipſo quod ſonuit* Confiteor, *pectora veſtra tutudiſtis. Tundere autem pectus quid eſt, niſi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum?* Ergo, ſecundùm Divum Auguſtinum, tunſio pectoris eſt ſignum æquivalens illis verbis: *Confiteor peccatum meum*; ergo tunſio pectoris eſt vera Confeſſio realis. Cur ergo non ſufficiat, cùm perinde ſit ad validam Abſolutionem, ſivè verbis propriè dictis, ſivè ſignis æquivalentibus pœnitens confiteatur, ùt patet ex alibi dictis?

Quia (inquis) fieri poteſt, ut illud ſignum adhibeat ad accipiendam remiſſionem à ſolo Deo; ſicut, qui nullo Sacerdote præſente tundit pectus ſuum; immò verbis confitetur Deo ſe eſſe maximum peccatorem, ut ſic, excitando in ſe Contritionem Charitate perfectam, accipiat remiſsionem peccatorum. Jam autem fieri poteſt, ut quando infirmus exhibet illa ſigna, nullus adſit Sacerdos, aut certè infirmus non ſciat ipſum adeſſe; ergo videtur tunc ſigna illa adhibere, non ut accipiat Abſolutionem ſacramentalem, quam pro tunc exiſtimat impoſſibilem, ſed ut recipiat remiſsionem peccatorum à Deo. Ergo non valet reſponſio Chapeavillæ, neque ſecunda & tertia probatio.

Reſpondeo: Contritio animi dolor eſt, & deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero; proinde obſervandi omnia præcepta divina. Cùm ergo ſit præceptum divinum confitendi in articulo mortis peccata, antea numquam confeſſa, qui in tali articulo adhibet ſigna Contritionis, implicitè ſignificat, immò ſatìs expreſsè, ſe velle ſeu deſiderare Abſolutionem ſacramentalem, caſu quo poſsibilis ſit, eſtò ipſe putet hìc & nunc eam eſſe impoſsibilem. Cùm ergo incertum ſit, an infirmus non habeat aliqua peccata mortalia, anteà numquam confeſſa; & certum ſit ſufficere ad Abſolutionem, ſi deſiderium confitendi oſtenderit, quidni poſsit, & debeat ſub conditione abſolvi? Non dubito. Quippe in illo periculo, etiam Baptiſmus conferri poteſt, & debet, quocumque dubio exiſtente circa ſufficientiam materiæ, aut formæ, vel etiam capacitatem ſubjecti.

Nec ſit contra reverentiam Sacramenti: quia irreverentia materialis (ſi quæ aliàs committeretur) abſtergitur per conditionem appoſitam & extremam neceſsitatem: quòd enim pro ſalute animarum inſtitutum eſt, contra eam haùdquaquam militare debet. Hinc ſi dubium eſt, an ſigna doloris oriantur ex anguſtia morbi, an ex vera interiori pœnitentia, danda nihilominùs erit Abſolutio ſub conditione. Ita communiter Recentiores Lugo, Averſa, Dicaſtillo, Arriaga, Herincx.

Lugo. Averſa. Dicaſtillo. Arriaga. Herincx.

Immò Dicaſtillo diſp. 9. n. 768. exiſtimat in caſu præcedenti, quando videlicet conſtat 110.
illa ſigna oriri ex vera interiori pœnitentia, non eſſe neceſſarium verbis vel mente apponere conditionem, magìs quàm dum infirmus accuſat ſe de peccato in communi. Si enim (inquit) ſemel adſtruamus, illud eſſe ſignum ſufficienter ſignificans pœnitentiam ordinatam ad Claves; non video, cur in ea Confeſsione potiùs, quàm in quibuſcumque ordinariis Confeſsionibus debeat apponi aut exprimi conditio: *Si poſſum*; aut: *Si es capax, ego te abſolvo.* Tota enim ratio, quæ eſt in aliis Confeſsionibus ordinariis, ut non impendatur Abſolutio ſub conditione, eſt: quia Confeſſarius abſolutè judicat Confeſsionem & dolorem ſignificatum per illam, eſſe ex parte pœnitentis materiam ſufficientem ad Abſolutionem. Ergo ſuppoſito, quòd tantumdem judicet prudenter abſolutè in noſtro caſu; non eſt, cur ſit ſollicitus de adhibenda conditione. Hæc ille.

Dicaſtillo exiſtimat non eſſe apponendam conditionem.

Et in fine ejuſdem numeri addit: ſive hæc dicat, ſive non, ea conditio (ſi talis appellanda eſt) ſemper ineſt. Conditio autem quæ ſemper ineſt, nil plus operatur expreſſa, quàm ſi non apponatur & exprimatur.

Sed contrà, inquis: Ergo neque apponenda erit talis conditio; etſi dubitetur, an 111.
illa ſigna oriantur ex vera interiori pœnitentia; etſi dubitetur de vita infirmi &c. Conſequenter, quando dubitatur, an quis fuerit baptizatus, poterit abſolutè rebaptizari hâc formâ: *Ego te baptizo* &c. quia hæc conditio ſemper ineſt: *Si es capax Baptiſmi*; ſive: *Si nondum baptizatus es.* Cur ergo Alexander III. cap. 2. de Baptiſmo ſtatuit: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizantur (*aliàs *baptizentur) bis verbis præmiſſis: ſi baptizatus es, non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te Baptizo* &c? Ergo ex mente illius Pontificis non ineſt illa conditio: *Si es capax Baptiſmi*, quando quis ſimpliciter baptizatur per hæc verba: *Ego te baptizo.* Ergo ſimiliter, quando quis ſimpliciter abſolvitur his verbis: *Ego te abſolvo*; non ineſt illa conditio: *Si poſſum*, vel: *Si es capax.*

Objectio.

Cap. 2. de Baptiſmo.

Si reſpondeas cum Arriaga diſp. 31. n. 39. 112.
Eo ipſo, quòd pœnitens unum tantùm peccatum, & illud ſub dubio confitetur, intelligitur Sacerdos dando Abſolutionem, reſpondere illi eo ſenſu, quo eſt confeſſus, hoc eſt, ſub dubio dare Abſolutionem, etiamſi exteriùs id non explicet verbis. Ergo ſimiliter quando peccatum certum pœnitens dubiè confitetur, id eſt, quando Confeſsio eſt dubia, intelligitur Sacerdos ſub dubio dare Abſolutionem, etiamſi exteriùs id non explicet verbis;

Reſponſio.

verbis; per conſequens, quando probabiliter ſolùm confitetur, probabilem tantùm dare Abſolutionem.

Impugnatur. Contrà; eodem modo poſſum argumentari in caſu Alexandri III. de Baptiſmo; quando offertur puer baptizandus, de quo dubitatur, an baptizatus fuerit, intelligi debet Sacerdos baptizare ſub dubio, etiamſi exteriùs id non explicet verbis; & tamen Pontifex præſcribit verba exteriora; fruſtrà, ùt videtur, ſi conditio illa nil plus operatur expreſſa, quàm non expreſſa.

113. Alia reſponſio. Reſpondeo; quidquid ſit de Baptiſmo, qui in dubio hodie non ſolet conferri niſi ſub conditione verbis expreſſa (ùt conſtat ex Rit. Rom. Tit. de Sacramento Baptiſmi, ubì de forma Baptiſmi) Multorum ſententia eſt, Sacramentum Pœnitentiæ in dubio poſſe conferri ſub conditione mente tantùm concepta, per quam ſatìs excuſatur miniſter à peccato irreverentiæ, quod indubiè committeret, ſi cum materia aut forma dubia vellet abſolutè Sacramentum miniſtrare.

Dico: *Cum materia aut forma dubia*; quia (ùt Plurimi docent) cum materia aut forma verè probabili, licet Sacramenta miniſtrare abſolutè & ſinè aliqua conditione, eodem modo, quo cum materia & forma certa. Et ſecundùm hanc ſententiam loquitur Dicaſtillo ſuprà, ubì affirmat, non eſſe neceſſarium, verbis vel mente apponere conditionem, videlicet in tali caſu, in quo verè probabile eſt Abſolutionem valere.

114. Confeſſio peccati venialis in genere, per ſe, eſt ſufficiens materia Abſolutionis, etiam extra neceſſitatem. Illud quaſi pro coronide ad calcem hujus Concluſionis addiderim, quòd Confeſſio peccati venialis in genere, eſt per ſe ſufficiens materia Abſolutionis, etiam extra neceſſitatem, in eo, qui ſolùm habet venialia: quia peccata venialia in ſua ſpecie non ſunt materia neceſſaria Confeſsionis, & aliunde talis Confeſsio poteſt eſſe doloroſa accuſatio de peccatis. Dico: *In eo qui ſolùm habet venialia*; quippe qui habet peccata mortalia, debet ea exprimere in ſpecie & ſigillatim, ùt patet ex Trident. ſeſſ. 14. c. 5. de quo alibi latiùs egimus.

Non eſt tamen hoc facilè practicandum. Herinx. Non eſt tamen hoc facilè practicandum (inquit Herinex part. 4. tract. 4. diſp. 3. n. 67.) tum quia obſtat uſus communis, tum quia diverſi cenſent id non licere, etſi ego non videam ullum ſolidum fundamentum. Poteſt proinde generalis clauſula, quâ pœnitentes ſub finem Confeſsionis ſe accuſant de omnibus peccatis, ad hoc ſervire, ut ſi fortè ſerius dolor ſe non extendat ad levia & quotidiana, quæ pœnitens jugiter ac velut ex quadam conſuetudine confitetur, nihilominùs valida ſit Abſolutio, ſi adſit dolor alicujus de peccatis ſe extendens ſaltem ad gravia aliquando commiſſa, in quibus etiam verificatur iſta clauſula. Hæc ille.

Ego autem (quidquid ſit de illa clauſula, quam approbat uſus communis) video ſatìs ſolidum fundamentum aſſerendi talem Confeſsionem non licere, ſcilicet uſum contrarium Eccleſiæ; ſicuti ex ſolo uſu contrario Eccleſiæ non licet confiteri ſcripto, quamvis alioquin per ſe illa Confeſsio ſit ſufficiens. Deinde aliud ſolidum fundamentum video, ſcilicet incertitudinem iſtius materiæ; non enim deſunt, qui cenſent illam materiam non eſſe ſufficientem, etiam in neceſsitate. Et quamvis (ùt ſuprà dixi) illa ſententia hodie vix ſit probabilis, equidem aliquam cauſat incertitudinem, præſertim quando facilè poteſt exprimi aliquod peccatum in particulari: nam Abſolutio inſtituta eſt per modum ſententiæ, & Confeſsio per modum accuſationis; porrò ſententia & accuſatio per ſe requirunt fieri ſpecificè ac determinatè de certa materia, quando ſic fieri poſſunt. Jam autem (ùt Multi ſatìs ſolidè docent) oportet eligere partem tutiorem in adminiſtratione Sacramentorum præſertim accedente communi uſu Eccleſiæ. Igitur ſententia Suarii non caret ſolido fundamento.

Quæris, quæ ſit illa ſententia? Licèt homo abſolutè non teneatur ſpecies peccatorum venialium confiteri, tamen ſuppoſito, quòd vult confiteri, tenetur ad exhibendam materiam omninò certam, ſi poteſt; & ideo debet aliquod peccatum veniale in particulari ſuo arbitrio confiteri. Ita Suarez diſp. 23. ſect. 1. n. 10. quem ſequitur Averſa q. 10. ſect. 16. §. *Quartò denique dubitari poteſt.*

Dicaſtillo verò diſp. 9. n. 761. Eo ipſo (inquit) quòd probabile ſit, eam eſſe materiam ſufficientem, & ex alio capite non eſſe neceſſariam materiam; non video cur non poſſit licitè eam adhibere tantùm. In Sacramentis enim, quæ nullo modo ſunt de neceſsitate ſalutis, quale eſt de ſolis venialibus in tali caſu, non videtur ita neceſſarium adhibere materiam omninò certam, ut obligetur quis ſub culpa, maximè mortali. Nam ad hoc, ùt quis prudenter operetur, ſatìs eſt, quòd adhibeat materiam probabilem: hæc autem eſt valdè probabilis. Hactenus Dicaſtillo.

Et numero ſequenti addit: ſi hoc ſpeculativè verum eſt, etiam practicè erit verum. Tunc enim tantùm ex re morali dicitur aliquid ſpeculativè quidem verum, ſed non practicè, quando id, quod in ſpeculatione conſideratur, non poteſt exhiberi in praxi, quin aliqua contingat variatio. Quando verò omninò invariatum poteſt reduci ad praxim eâ ratione, quâ conſideratur in ſpeculatione, ſi ſpeculativè verum eſt, practicè quoque verum cenſeri debet. Quapropter, cùm Confeſsio venialis in genere poſsit in praxi exhiberi eo modo, quo ſpeculativè cenſetur ſufficiens, erit quoque practicè cenſenda talis. Hæc ille.

Sed

Digitized by Google

17. Sed contrà : hoc eſt quod quæritur, an Confeſsio venialis in genere poſsit in praxi exhiberi eo, modo quo ſpeculativè cenſetur ſufficiens ? Et quòd non poſsit, probatur: quia repugnat in primis praxi communi Eccleſiæ, cujus non habetur ratio in ſpeculatione; ſicuti hæc forma Baptiſmi : *Baptizetur ſervus Chriſti* &c. ſpeculativè ſufficit in Eccleſia Latina ; non tamen practicè, id eſt, non licet eâ uti, quia repugnat praxi communi Eccleſiæ Latinæ. Similiter ſpeculativè ſufficit Confeſsio ſcripto exhibita ; non tamen practicè, id eſt, non licèt eâ uti extra neceſsitatem ; quia obſtat praxis Eccleſiæ. Ergo ſimiliter eſtò Confeſsio venialis in genere ſpeculativè cenſeatur ſufficiens (ùt docet Suarez ſuprà) non ideo tamen debet practicè talis cenſeri, id eſt, non ideo licet eâ uti, propter contrariam praxim.

Deinde, quia ſecundùm multos DD. (inter quos Suarez in 3. p. diſp. 16. ſect. 2. & alibi) oportet in Sacramentorum omnium adminiſtratione ſententiam tutiorem eligere, niſi aliquid obſtet. Omnium (inquam) Sacramentorum : nam æqualis irreverentia eſt, invalidè miniſtrare Sacramentum liberum, atque neceſſarium. Unde ſi propter periculum irreverentiæ ſit culpa mortalis, non adhibere materiam omninò certam in Sacramentis neceſſariis; dico, æqualem eſſe culpam ex hac parte, non adhibere materiam omninò certam in Sacramentis liberis, quamvis ex aliâ parte poſſit eſſe diſparitas, putà ex parte virtutis charitatis aut juſtitiæ.

Sed mittamus iſta, & examinemus punctum principale hujus loci, ſcilicet Abſolutionem moribundi, qui præter vitam Catholicam nullum aliud dedit ſignum externum Contritionis, ſive in præſentia Confeſſarii, ſive in abſentia. Quod addo; quia ſi dederit ſaltem in abſentia, poſſe tutò abſolvi, non obſtante decreto Clementis VIII. diffuſè probavimus ſect. 7. concl. 4. Sin autem nequidem in abſentia Confeſſarii dederit aliquod ſignum externum Contritionis, præter vitam Catholicam, quæritur quid practicandum? Reſponſio erit

CONCLUSIO VI.

Conditionatè poteris abſolvere moribundum, ſenſibus deſtitutum, de quo aliud non conſtat, niſi quòd Catholicè vixerit; maximè per frequentationem Sacramentorum poſt peccatum admiſſum : immò etiam ante peccatum admiſſum, v. g. moribundum in duello vel fornicatione.

INcipio ab ultima parte, videlicèt : *Immò etiam ante peccatum admiſſum* &c. quam, admiſsâ primá parte, negat de Schildere in Synopſi de Sacramentis § 59. ibi : Primò, non ſufficit vita Chriſtianè acta ante peccatum admiſſum, qualis eſt moribundi in duello vel fornicatione. 119. Oppoſitum ultimæ partis Concluſ. docet de Scildere.

Ratio eſt : quòd ſolum commiſſum peccatum ſit Confeſſionis materia, non committendum : duelliſta enim invalidè confiteretur, licèt fateretur etiam explicitè, duellum à ſe commitendum, adderetque poſt vulnus acceptum, ſe Contritionem eliciturum. Ejus probatio.

Nec refert, quod peccatori, ſi præſumatur attritus, conferri poſſit Extrema Unctio, quam per vitam Chriſtianam ante peccatum peractam ſe deſiderare indicavit; nam Sacramentum Pœnitentiæ ex parte ſuſcipientis non ſolùm deſiderium Abſolutionis præteritum, & præſentem Contritionem requirit, ſed etiam Confeſſionem materiæ ſacramentalis, qualis ſola eſt peccatum præteritum. Hucuſque de Schildere.

Sed non eſt audiendus; niſi fortè loquatur de tali duelliſta, qui nullum admiſit peccatum ante vitam Chriſtianè actam : nam ſi aliquod admiſit, cur ſaltem iſtud in articulo mortis non cenſetur confiteri, veluti ſi non moreretur in duello ? Proinde cur non poſſit abſolvi, ſuppoſitâ verâ Contritione ? Jam enim materia Confeſſionis non erit peccatum committendum; ſed commiſſum : & aliunde impoſſibilis eſt Confeſſio iſtius duelli : adeoque ex hac parte non peccat omittendo illam Confeſſionem. Atque hæc ſit prima reſponſio. 120. Prima reſponſio.

Reſpondeo II. Vita Chriſtianè acta non habet rationem Confeſſionis, niſi in articulo mortis : ergo duelliſta moribundus non confitetur duellum committendum, ſed commiſſum. Antecedens patet : quia non ſignificat deſiderium Abſolutionis niſi pro articulo mortis, quando particularis Confeſſio cenſetur impoſsibilis; jam autem non habet rationem Confeſsionis, niſi in quantum eſt ſignum voluntatis confitendi, ùt patebit ex dicendis pro prima parte Concluſionis: ergo vita Chriſtianè acta non eſt Confeſſio, niſi in articulo mortis de peccatis antea commiſſis. Secunda reſponſio.

Reſpondeo III. Licèt nullus poſsit confiteri peccatum antequam ſit commiſſum, ùt pro tunc abſolvatur; quidni tamen poſsit confiteri peccatum futurum, ut pro tempore futuro abſolvatur ? 121. Tertia reſponſio.

Quia (inquis) non datur in Eccleſia aliquod remedium, inſtitutum pro delendis peccatis futuris. Reſpondeo : probabiliter tale remedium eſt Baptiſmus; quia (teſte Paludano

dano 4. diſt. 4. q. 5. n. 24. & Suario in 3. part. diſp. 28. ſect. 5. poſt 2. concluſ.) probabilis eſt ſententia, quæ docet, ſufficere ſolam Attritionem ad tollendum obicem poſitivum, id eſt, ut Baptiſmus reviviſcat ad remiſsionem peccati, quod in ipſa ſuſceptione, vel poſt ſuſceptionem Baptiſmi commiſſum fuit.

122. *An Confeſſio poſſit ſubſervire peccatis futuris tollendis?* Quid ergo miramur, ſi Confeſsio, quæ non eſt Sacramentum, ſed tantùm aliquid prærequiſitum, in ſententia Scoti, ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſſentialiter conſiſtit in ſola Abſolutione, ſi (inquam) Confeſsio, apud Scotiſtas, poſsit ſubſervire peccatis futuris tollendis? Nonne ſi baptizandus peccaret mortaliter poſt applicationem materiæ, & ante prolationem formæ attereretur, acciperet remiſsionem illius peccati per Baptiſmum ſubſequentem?

Obiectio diluitur. Si inferas: ergo etiam ſufficiet Contritio, quæ fuit ante duellum. Reſpondeo N. C. quia Contritio deſtruitur per peccatum ſubſequens; ſecùs Confeſsio. Quid ſi enim pecco poſtquam declaravi aliqua peccata, eſtò debeam elicere novum dolorem; putas quia etiam teneor peccata jam expreſſa iteratò confiteri? Noli putare: nam (ùt fuſiùs declaravimus ſect. 4. concl. 4.) dolor ſacramentalis non neceſſariò præcedit tempore Confeſsionem.

123. *Alia objectio ex Arriaga.* Dices cum Arriaga diſp. 36. nu. 38. Confeſsio valida debet eſſe ſaltem implicitè de omnibus peccatis. Deinde dolor, qui per eam Confeſsionem declaratur, debet etiam ſe extendere ad omnia peccata: ergo ea prior accuſatio, quia jam revocata per ſubſequens peccatum, non ſufficit ad dandam validè nunc Abſolutionem.

Reſponſio. Reſpondeo: veluti ad valorem Confeſsionis, juxta probabilem ſententiam, quam ſequitur præfatus Auctor diſp. 37 n. 5. non eſt neceſſarium, quòd dolor præcedat Confeſsionem, id eſt, quòd Confeſsio ſit doloroſa eo tempore, quo fit; ſed ſatis eſt, ſi exiſtat dolor ante Abſolutionem, id eſt, quòd Confeſsio ſit doloroſa ante Abſolutionem: ita quoque ad valorem Confeſsionis ſufficit, quòd ſit, ſaltem implicitè, de omnibus peccatis ante Abſolutionem; & quòd dolor, qui per eam Confeſsionem declaratur, id eſt, dolor qui nunc eſt, vel erit tempore Abſolutionis, extendat ſe ad omnia peccata.

Jam autem in caſu propoſito prior accuſatio eſt, ſaltem implicitè, de omnibus peccatis ante Abſolutionem: quia à Confeſſione duelli excuſatur pœnitens propter impoſſibilitatem, ùt ſuppono; & ſimiliter dolor, qui per eam Confeſſionem declaratur, putà dolor, qui eſt tempore Abſolutionis, extendit ſe ad omnia peccata: nam ante Abſolutionem moribundus dolet de duello; cur ergo non valeat Abſolutio?

Igitur de hac parte Concluſionis vix eſt dubitandum, ſuppoſitâ veritate prioris partis, quam Aliqui exiſtimant improbabilem; quia (inquit Arriaga diſp. 36. nu. 30.) illius Auctores non adducunt ſolutionem probabilem ad loca Conciliorum, quibus clarè noſtra (id eſt, contraria ſententia) probatur. Hæc ille. 1[:] *Aliqui [e]ſtima[nt] parte[m] impr[obabi]lem.*

Sed (amabò) quæ ſunt illa Concilia, & quæ iſta loca, quæ tam clarè probant contrariam ſententiam? Concilium (inquis) Tridentinum ſeſſ. 14. c. 3. ibi: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio.* Prætereà Arauſic. I. c. 11. aliàs 12. Carthaginenſe III. c. 34. & Carthaginenſe IV. cap. 63. aliàs 76. in quibus hæc habentur: *Subitò obmuteſcens baptizari, aut Pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium, aliorum verbis habet.* Quo eodem modo loquitur Rituale Romanum auctoritate Pii V. editum, non dans licentiam abſolvendi, niſi ſub ea conditione. Ita Arriaga ſuprà. *quod dit[…] ex ra[…] Conc[…]*

Et proſequitur dicens: Circa Arauſicani locum, & conſequenter circa Rituale Rom. vix non nugatur hic Auctor (intelligit Caramuelem Theol. Fundam. 1. edition. n. 1320.) aitque conſequentiam à nobis ex hoc loco illatam tam eſſe lepidam, ac ſi quis diceret: *Homo eſt animal; ergo equus non eſt animal.* Indè addit: Niſi corrumpamus textum addendo particulam, *tantùm*, nihil nos effecturos. Ego tamen cum majori veneratione accipio licentias datas à meis Superioribus, maximè autem ab Spiritu S. Nam ſi Pater Rector mihi dicat: *Si abſolviſti id, quod tibi commendavi, potes ire ſpatiatum*; non nugabor, nec dicam: *Qui dat licentiam, ſi hoc feci, non negat, ſi non feci; ſicut qui dicit hominem eſſe animal, non negat equum eſſe animal:* hoc enim modo interpretari dicta Conciliorum, eſt planè ea reddere ridicula.

Ratio à priori eſt manifeſta: quia quando illa conditio additur, ponitur ùt requiſita; ùt cùm dicitur: *Poteſt celebrare, ſi ſit Sacerdos; poteſt licitè, ſi non ſit irregularis.* Denique in omnibus omninò materiis hujuſmodi conditiones appoſitæ, ponuntur ùt neceſſariæ, non ùt otioſæ & inutiles. Hucuſque Arriaga.

Sed interrogo unum verbum: Si Concil. Trident. ſic loqueretur: *Circumſtantiæ in Confeſſione explicandæ ſunt, ſi ſpeciem peccati mutent*; rectè inferrem: Ergo contradicit Tridentino, qui aſſerit, circumſtantias tantùm aggravantes eſſe confitendas? Minimè (inquis) alioquin de facto plurima pars DD. contradiceret Trident. dicenti ſeſſ. 14. c. 5. *Colligitur prætereà etiam eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem mutant*; nam idem eſt dicere: *Eas circumſtantias, quæ ſpeciem mutant*, ac: *Circumſtantias, ſi ſpeciem mutent.* 12[…] *Reſpon[ſio] Auctor[is].*

Quid ergo reſpondent illi DD. qui cenſent, etiam

etiam circumſtantias ſolùm aggravantes eſſe confitendas? Conc. (inquiunt) ſtatuit, quod certum eſt, præſcindens à dubio; ſive (prout loquitur Arriaga diſp. 32. nu. 8.) Concilium in unis definivit obligationem, in aliis præſcidit. Cur ergo ſimiliter non poteſt dici, Arauſicanum definiviſſe in unis, id eſt, in illis moribundis, qui voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habent, Abſolutionem, & in aliis præſcidiſſe? Statuiſſe quod certum eſt, præſcindendo ab illo, quod dubium erat?

Nec feceris vim in illa conditionali particula: *Si*; nam illâ non utitur Conc. Carthagin. IV. ſed ait: *Dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam.* Ergo hujuſmodi conditio appoſita, ponitur ùt otioſa & inutilis; negatur Conſequentia: quia ponitur, ut ſignificet illud, quod certum eſt, tametſi non neceſſarium.

Profectò ſi P. Guardianus mihi dicat: *Si abſolviſti id, quod tibi commendavi, potes ire ſpatiatum*; non nugabor, ſi dicam: *Qui dat licentiam, ſi hoc feci, non negat, ſi non feci.* Unde ſi priùs abſolutam dediſſet licentiam, exiſtimo me poſſe ire ſpatiatum, eſtò non abſolviſſem id, quod mihi commendaverat.

Ad quid ergo valent iſta verba: *Si abſolviſti &c.*? Reſpondeo: Ex vi iſtius licentiæ non poſſum ire ſpatiatum ante abſolutionem operis commendati. Ergo ſimiliter illa verba Arauſicani: *Si voluntatis præterita &c.* quamvis non reſtringant Abſolutionem moribundi ad illam conditionem tamquam omninò neceſſariam, tamen ſignificant exiſtente illâ conditione certò poſſe moribundum abſolvi, & & ex vi iſtius Conſtitutionis non poſſe abſolvi, niſi illa conditio ponatur.

Quando autem dicitur: *Poteſt celebrare ſi ſit Sacerdos*; *poteſt licitè, ſi non ſit irregularis*; aliunde ſupponitur Sacerdotium neceſſarium ad celebrandum, & negationem irregularitatis ad licitè celebrandum: alioquin præcisè ex illis verbis hoc non colligitur: patet; quia irregularis aliquando poteſt licitè celebrare.

127. Denique ut conditio expreſſa in Concil. Arauſicano foret neceſſaria, equidem non ad omnem Abſolutionem, ſed tantùm ad Abſolutionem abſolutam, de qua ibi agitur; jam autem noſtra Concluſio loquitur de Abſolutione conditionata: ergo ex Conc. Arauſicano minimè arguitur improbabilitas noſtræ doctrinæ; ut omittam, vitam Chriſtianè actam per frequentationem Sacramentorum, ſi non omninò certum, ſaltem probabile, vel (ſi mavis) dubium teſtimonium eſſe voluntatis præteritæ, ùt infrà latiùs expendemus.

Igitur nullum hìc periculum hæreſis, ùt perperàm exiſtimat Bonæ Spei diſp. 8. n. 28. ibi: Quæ (auctoritates ſuperiùs allegatæ) licèt caſum illum (moribundi, qui nullum aliud dedit ſignum Pœnitentiæ, quàm vitam Chriſtianam) expreſsè non excludant; dum tamen talem implicitam ſaltem Confeſſionem requirunt, ſatìs ſignificant aliam non ſufficere: alioqui ſimiliter, quia ſic formam & materiam Sacramentorum determinatam requirunt, ut aliam expreſsè non excludant; alia poſſet ad placitum ut ſufficiens in omnibus adhiberi, quod eſt omninò hæreticum. Unde dum Caramuel reſpondet, ibi Confeſſionem, in bona vita moribundi præcisè contentam, non excludi expreſsè, & id neceſſarium eſſe, per legitimam Sequelam hæreſis periculo ſe exponit. Hæc ille. *exiſtimat Bonæ Spei.*

Prorsùs hæreticum eſt, unumquemque pro placito ſuo poſſe adhibere materiam & formam ùt ſufficientem in omnibus Sacramentis. Sed numquid, quia Conc. Trident. determinat pro materia Sacramenti Pœnitentiæ Confeſſionem, eamque docet debere eſſe omnium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt in ſpecie & ſigillatim, ideo hæreticum eſt, poſſe adhiberi in aliquo caſu Confeſſionem tantùm unius peccati? Non credo, niſi Bonæ Spei velit eſſe hæreticus. Et cur hoc? Quia licèt Concilium pro materia determinet Confeſſionem, eamque doceat debere eſſe omnium peccatorum, tamen non excludit Confeſſionem unius tantùm peccati, quando explicatio aliorum eſt phyſicè vel moraliter impoſſibilis.

Itaque (ùt reſpondeamus ad Conc. Trid.) fatentur Omnes, Confeſſionem eſſe quaſi materiam hujus Sacramenti; nec Confeſſionem tantùm, ſed etiam Contritionem & Satisfactionem. Sed numquid indè rectè concluditur: ergo Confeſſio eſt materia eſſentialis, ſicuti aqua eſt materia eſſentialis Baptiſmi? Clarum eſt quòd non: alioquin & Satisfactio eſſet materia eſſentialis, quod conſtat eſſe falſum. Unde nemini dubium eſſe poteſt, quin Concilium loco citato ſeſſ. 14. c. 3. obſcuriùs fuerit locutum de materia aut quaſi materia Confeſſionis, cùm nullo verbo explicet majorem neceſſitatem Confeſſionis, quàm Satisfactionis, adeòque non exiſtimarem hæreticum, qui attentis præcisè iſtis verbis: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio*; negaret Confeſſionem eſſe partem eſſentialem, niſi etiam foret hæreticus, qui negaret Satisfactionem eſſe partem eſſentialem. Ergo malè argumentatur Bonæ-Spei ſuprà à materiis aliorum Sacramentorum, ad materiam hujus Sacramenti. 128. *Reſpondetur ad Concil. Trident.*

Et nimis manifeſtum eſt, formam hujus Sacramenti magìs fuiſſe ibi determinatam à Concilio Tridentino, quàm materiam, quamquàm & de verbis formæ diſputetur, an omnia ſint eſſentialia, quæ à Concilio exprimuntur, ùt patet ex dictis ſuo loco. Quid ergo mirum, ſi etiam diſputetur de materia? Nonne contro- 129. *Forma magis fuit determinata à Conc. Trident. quam materia hujus Sacramenti.*

vertitur, an requiratur ad eſſentiam Sacramenti Contritio ſupernaturalis, an Contritio univerſalis, an Contritio perfecta?

Vega. Immò Vega lib. 13. de Juſtificatione c. 15. ſic ait: Neque negari poteſt, quin poſſit Sacramentum hoc aliquando inveniri ſinè Satiſfactione; immò & ſinè ceſſatione à peccatis, & ſinè Contritione, etiam largè accipiendo Contritionem, pro quocumque dolore de peccatis. Quis propterea cenſet ipſum hæreticum? Si autem tam obſcurè loquitur Tridentinum de Contritione; cur reprehenſione dignus eſt, qui dicit, Concilium obſcurè loquutum fuiſſe de Confeſſione?

Scio, Concilium expreſsè diſtinxiſſe inter Contritionem perfectam & imperfectam: ſed, quid tum? Numquid etiam expreſsè diſtinxit inter Confeſſionem univerſalem omnium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, & parparticularem unius tantùm ex pluribus, quæ memoriæ occurrunt? Et tamen nos facimus illam diſtinctionem & docemus, particularem Confeſſionem ſufficere; neque conſequenter dicere debemus, ſufficere formam particularem, id eſt, non integram, putà, *Ego te.* Ergo tametſi dicamus, ſufficere Confeſſionem imperfectam, putà vitam Chriſtianè actam per frequentationem Sacramentorum; non ideo (quidquid clamet Bonæ-Spei ſuprà) conſequenter dicere debemus, ſufficere Abſolutionem imperfectam in verbis Confeſſarii, ſenſibus deſtituti, v. g. *Deus ſit tecum*, nullo ſigno Abſolutionem poſt Confeſſionem deſignantis.

130. Objectio. Dices: verba Conciliorum eodem modo, quo verba Scripturæ, propriè ſunt intelligenda, niſi aliquid obſtet; atqui hìc nihil obſtat: ergo Confeſſio propriè eſt intelligenda, & accipienda pro externâ accuſatione, ſeu manifeſtatione peccatorum, ſaltem in generali.

Solvitur. Reſpondeo: Conſtat ex Concilio Arauſicano & Carthag. ſuprà allegatis, item ex Rituali Romano, Confeſsionem nec poſſe, nec debere omninò propriè & ſtrictè intelligi: nam ſic intellecta ſignificat Confeſsionem peccatorum in ſpecie & ſigillatim, ùt patet ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Conſtat, Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuiſſe, neq; æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.*

Confeſſio latè accipiatur pro quolibet externo deſiderio Confeſſionis. Cùm ergo liceat ab illa ſignificatione recedere, ne contingat peccatorem ſæpiùs fraudari Sacramento tam utili & neceſſario ad ſalutem; cur non liceat ob eandem rationem vitam Chriſtianè actam cum frequentatione Sacramentorum, aut aliis ſignis converſionis ad Deum, v. g. attentâ auditione Sacri, examine conſcientiæ, oratione devotâ &c. appellare Confeſsionem, latiùs accipiendo illam vocem, pro quolibet externo deſiderio Abſolutionis?

Porrò vitam ſic Chriſtianè actam eſſe externum deſiderium Abſolutionis, probatur: quia per iſta ſigna, ſicut quilibet indicat ſe velle Chriſtianè vivere; ita etiam veriſimiliter ſe cupere, vitam Chriſtianâ morte concludere; adeòque deſiderare in fine vitæ Abſolutionem à peccatis tum peractis, quam peccator tenetur, & juſti accipere ſolent. Hoc ipſo autem, quo deſiderium Abſolutionis confusè ſignificat, indicat veriſimiliter, ſe vel de facto Contritionem elicere; vel certè, quando erit in mortis periculo, eliciturum. Proinde ſubitò obmuteſcens, voluntatis præteritæ teſtimonium habet aliorum verbis, qui teſtantur Confeſſario, ipſum Chriſtianè hoc modo vixiſſe. Quidni ergo poſsit abſolvi? 131. Tale de[...]tiam eſ[...] ta Chri[...]nè acta

Hæc videtur fuiſſe opinio D. Auguſtini lib. 1. de Adult. Conjug. c. ultimo, ubì ſic ait: *Ego non ſolùm alios Catechumenos* (qui juſtè vivunt) *verùm etiam ipſos qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina conſortia, cùm ſalvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptiſmum, tamen ſi deſperati & intrà ſe pœnitentes iacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrùm fortaſsis adulterinæ carnis illecebrâ uſq; ad Baptiſmum ſtatuerant detineri? ...... Quæ autem Baptiſmatis eadem Reconciliationis eſt cauſa ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſinè arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.* Loquitur S. Doctor de Catechumenis adulteris, qui pro ſe non poſſunt reſpondere, per conſequens non poſſunt oſtendere ſigna Pœnitentiæ, quamvis intrà ſe pœnitentes jaceant. Vide eſſe [...]tia D[...]

Ex quo refellitur reſponſio Bonæ-Spei diſput. 8. n. 46. ibi: Sub ly *Si intrà ſe pœnitentes iacuerint*, audiri debet, quoad nos, & quantum colligimus ex ſignis, à reſponſo verbali de ſua ſufficienti diſpoſitione diſtinctis: nam verba illa ad baptizantes diriguntur, quaſi tum illos baptizare debeant, ſi videant illos eſſe intrà ſe pœnitentes, alioquin minimè. Unde Auguſtinus à nobis ſtat, & juxta communem Eccleſiæ ſenſum (à quo ipſum alienant Adverſarii) loquitur. Hæc ille. 132. Refu[...] reſpo[...] Bon[...]

Sed quis illi revelavit S. Auguſt. per hæc verba: *Nec pro ſe reſpondere potuerint*; intellexiſſe reſponſum verbale? An fortè uſpiam docet hic S Pater Catechumenum mutum non poſſe pro ſe reſpondere? Igitur manifeſtiſſimè hæc reſponſio adverſatur D. Auguſtino, ut nemo videtur poſſe ignorare, qui Auguſtinum legit eâ attentione & intentione, quâ par eſt legere ſanctiſſimũ juxta ac doctiſſimũ Præſulem.

Quod ne gratìs dicere videar, attendite & intendite his, quæ ibidem ſcribit c. 26. *Catechumenis ergo in huius vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbo ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſint, ut quamvis adhuc vivant, petere ſibi tamen Baptiſmum, vel ad interro-* 133. Oſtend[...] clarè A[...] non ſol[...] locutum reſpon[...] verbali

interrogata reſpondere non poſſint, proſit eis quorum in fide Chriſtiana iam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.

Quid tibi videtur Bonæ-Spei? Num Auguſtinus hìc per reſponſionem ad interrogata, intelligit reſponſum verbale? An fortè is, qui reſpondet ſcripto aut nutu, eo modo baptizatur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit? Putas, quia ſcripto aut nutu ſinè verbis non patet voluntas hominis? Scio quia non putas; quippe homo rationalis es.

Sed audi, quod ſequitur: *Non tamen propterèa damnare debemus eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conſervo creditâ, improbiùs, quàm cautiùs iudicavoluiſſe iudicemur. Satìs quippe in talibus reſpiciendum eſt illud Apoſtoli, ubì dicit:* Unuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo: *Non ergo [illegible] invicem iudicemus. Sunt enim, qui vel in [illegible], vel etiam in aliis obſervandum putant, quod dixiſſe Dominum legimus*: Noli te ſanctum dare canibus, neque projeceritis margaritas veſtras ante porcos. *Et iſta Salvatoris verba referentes (aliàs reverentes) baptizare non audent eos, qui pro ſe reſpondere nequiverint, ne fortè contrarium habeant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non poteſt, in quibus adhuc rationis nullus eſt uſus.*

Numquid majus periculum eſt dandi Sacramentum canibus, quando ille baptizatur, qui pro ſe nequit reſpondere verbis, reſpondet autem ſcripto vel nutu, quàm ſi baptizetur ille, qui reſpondet verbis? An fortè verbis non tam bene poſſet mentiri, quàm ſcripto vel nutu? Quid dicit Conc. Araus. ſuprà? Si (inquit) *voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Ubì manifeſtè æquiparat teſtimonium voluntatis præſentis in nutu infirmi, cum teſtimonio voluntatis præteritæ aliorum verbis.

Proſequitur Auguſtinus: *Sed non ſolùm incredibile eſt, nec in fine vitæ huius baptizare Catechumenum velle; verùm etiam ſi voluntas eius incerta eſt, multò ſatiùs eſt nolenti dare, quàm volenti negare; ubì velit, an nolit, ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit eum ſi poſſet, velle ſe potiùs fuiſſe dicturum* (verbis aut aliis ſignis æquipollentibus) *ea Sacramenta percipere, ſinè quibus iam credidit non ſe oportere de corpore exire.* Et quomodò voluntas ejus poteſt eſſe incerta, ſi ex aliis ſignis, à reſponſione verbali diſtinctis, videam eum velle Baptiſmum? Si, ut Catechumenos adulteros poſſim baptizare, debeam videre ex aliis ſignis, illos eſſe intrà ſe pœnitentes (ùt vult Bonæ-Spei) quomodò rectè dicit Auguſtinus: *Quis novit, utrùm fortaſſis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad Baptiſmum ſtatuerant detineri?* Numquid qui videt, non novit? Itaque Auguſtinus pro nobis ſtat, & juxta noſtrum ſenſum (à quo ipſum fruſtrà conatur alienare Bonæ-Spei) loquitur.

Interim adjungo aliam explicationem Marchantii Tom. 1. Trib. tract. 4. tit. 4. qu. 3. 134. Explicatio Marchantii, ibi: Superaddit verò (Auguſtinus) non tantùm Catechumenos, ſed etiam pœnitentes (utique qui pœnitentias Canonum exercebant, vel in numero pœnitentium erant) ſi contingat illos tempore pœnitentiæ ſimiliter opprimi, debere reconciliari, ſive abſolvi: nimirum, quia eo ipſo quo pœnitentias exercebant, cenſebantur reconciliationem petere, & Abſolutionem à peccatis. Et in hoc verum eſt, quod dicit S. Auguſtinus: *Quæ enim Baptiſmatis, eadem & Reconciliationis eſt cauſa*; nimirum in Catechumeno reſpectu Baptiſmi, quem cenſetur petere; & in pœnitentiam agente reſpectu Reconciliationis ſive Abſolutionis à peccatis; ita ut utrique reſpectivè, ſi morbo opprimantur (quamvis nec voce, nec ſignis Baptiſmum, aut Abſolutionem petere poſſint) nec Baptiſmus Catechumeno, nec Abſolutio pœnitentiam agenti deneganda ſit. Hucuſque Marchantius.

Conſonat Hauzeur Tom. 2. Anatomiæ in lib. 1. de Adult. Conjug. diff. 8. ibi: Hæc & Hauzeur. comparatio Reconciliationis cum Baptiſmo, non eſt inter omnes peccatores baptizatos & baptizandos; ſed inter peccatores pœnitentes abſolvendos & baptizandos: pœnitentes quidem pœnitentiâ internâ tanquàm ſufficiente ad Baptiſmum; pœnitentes autem pœnitentiâ externâ tamquàm neceſſariâ & relativâ ad Abſolutionem ſacramentalem. Quales non videntur eſſe omnes Chriſtiani quamvìs ſe ſignis communibus orationis Dominicæ, tunſionis pectoris & ſimilibus, peccatores eſſe coram Deo fateantur. Sed fortè tales erant publicè in Eccleſia pœnitentes, & ad Abſolutionem etiam ſacramentalem prætendentes. Circa quos poteſt intelligi eandem eſſe cauſam Reconciliationis, quæ Baptiſmatis. Quamquàm nec hæc comparatio ſit neceſſariò intelligenda ad æqualitatem, ſed ſufficiat aliqua ſimilitudo. Hæc ille.

Sed uterque perperàm (ſalvo meliori judicio) reſtringit verba D. Auguſtini ad pœ- 135. Rejicitur. nitentem publicum, cùm loquatur Auguſtinus de Catechumeno ſeu baptizando, vivente in continuo ac publico adulterio; & per conſequens de baptizato ſimiliter vivente in continuo ac publico adulterio. Egregia profectò pœnitentia publica, & diſpoſitio ſeu prætenſio ad Abſolutionem ſacramentalem. Quis credat, olim publicum adulterum, retinentem adulterina conſortia, pœnitentias Canonum exercuiſſe, vel in numero pœnitentium admiſſum fuiſſe?

Ego firmiter mihi perſuadeo, verba Auguſtini ſic omninò eſſe intelligenda: *Quæ autem Baptiſmatis* Catechumeni adulteri, non tantùm ſimilis, ſed *eadem* prorsùs *Reconciliationis* *eſt*

Digitized by Google

eſt cauſa, ſi adulterum baptizatum fortè intrà ſe pœnitentem, finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; adeò (inquam) præoccupaverit, ut non poſſit pro ſe reſpondere, id eſt, verbis aut aliis ſignis Abſolutionem petere; tunc proſit ei, cujus in vita Chriſtianè acta nota voluntas eſt, ut eo modo abſolvatur, quo Catechumenus (cujus in Fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt) baptizatur.

Arauſic. & Cartha. III. eodem modo loquuntur de Baptiſmo & Pœnitentia. Enimverò Arauſicanum & Carthaginenſe III. pariformiter requirunt teſtimonium voluntatis præteritæ vel præſentis ad Baptiſmum & Pœnitentiam. Verba Arauſicani habes ſuprà; verba Carthaginenſis ſunt: *Ut ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſint, cùm voluntatis eorum teſtimonium ſui dixerint, baptizentur. Similiter & de pœnitentibus agendum.* Si ergo, ſecundùm D. Auguſtinum, in Fide Chriſtiana ſufficienter nota eſt voluntas Catechumeni, ut baptizetur; quidni etiam in vita Chriſtianè acta ſufficienter ſit nota voluntas baptizati, ut abſolvatur?

136. Ad Extremam-Unctionem ſufficit vita Chriſtianè acta. Profectò ut accipiat Extremam-Unctionem, ſatis nota cenſetur, ùt patet ex Rituali Romano Tit. de Sacramento Extremæ-Unctionis, ibi: *Infirmis autem, qui dum ſanâ mente & integris ſenſibus eſſent, illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna Contritionis; etiamſi deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent aut non ſentiant, nihilominùs præbeatur.*

Rit. Rom.

Paſtorale Mechlinienſe. Conſonat Paſtorale Mechlinienſe antiquum, eodem titulo §. 5. *Licèt Sacramentum Extremæ-Unctionis regulariter poſt Pœnitentiam & Euchariſtiam miniſtrari debeat; ei tamen, qui ob inſaniam, furorem vel alium morbum, hæc Sacramenta recipere non poteſt, conferenda eſt Extrema-Unctio, ſinè prævia Confeſſione, vel Euchariſtiæ ſumptione; quamvìs antequam inſaniret aut loquelam amitteret, non petierit, ſi tamen erat bona vita: quia non præſumitur immemor ſuæ ſalutis in morte, pluſquàm in vita. Unde præſumitur, quòd petat; vel quòd petiviſſet, ſi advertiſſet; & quòd petere voluit, ſed non potuit.* Ergo bona vita eſt pii animi ſignificatio, & petitio Extremæ-Unctionis; nam ſinè tali ſignificatione & petitione docet Catechiſmus Romanus p. 2. c. 6. q. 9. in fin. non eſſe Sacramentum miniſtrandum, ibi: *Omnes prætereà, qui rationis uſu carent, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum apti non ſunt . . . . . Amentes item & furioſi, niſi interdum rationis uſum haberent, & eo potiſſimùm tempore pii animi ſignificationem darent, peterentq; ut ſacro Oleo ungerentur.*

137. Reſponſio Adverſariorum. Reſpondent communiter Adverſarii: Ad Extremam-Unctionem, utì etiam ad Euchariſtiam, ſufficit petitio ſeu voluntas interpretativa aut generalis, quam quilibet Chriſtianus habet, dum profitetur Religionem Chriſtianam, ſuſcipiendi remedia, quæ ſunt inſtituta pro omnibus Chriſtianis in illo articulo neceſſitatis. At verò Sacramentum Pœnitentiæ, cùm ex ſua inſtitutione ſit judicium; miniſter non poteſt illud conferre, niſi ut judex. Judex autem non poteſt procedere, niſi accuſator præcedat, qui vel in ſpecie accuſet de delicto in particulari, vel certè imploret ejus officium; alioquin proferretur ſententia ſinè ullo proceſſu. Debet autem illa imploratio eſſe poſt peccatum commiſſum; ridiculum enim eſſet, quòd hodie vellet ſe aliquis accuſare de peccato cras committendo, ut cras ab eo abſolvatur in virtute hujus accuſationis.

Cùm ergo hoc Sacramentum ſit judicium externum ſeu ſenſibile, debet includere ſententiam ſenſibilem, & accuſationem ſeu implorationem officii judicis externam ſenſibilem, & quæ reddat ſenſibilem dolorem internum de peccatis: quarè debet eſſe accuſatio ſenſibilis poſt commiſſum peccatum. Ita Lugo diſp. 17. n. 39. Lugo.

Reſp. Sed contrà: moribundus in caſu quæſtionis per vitam Chriſtianè actam, quæ indubiè ſenſibilis eſt, ſenſibiliter implorat officium judicis poſt peccatum commiſſum (id eſt, pro articulo mortis) ut abſolvat; ſicut per eandem ſenſibiliter implorat officium Paſtoris, ut paſcat Viatico; & officium Ducis, ut ungat Oleo ſancto; ſicut per Fidem Chriſtianam Catechumenus ſenſibiliter implorat officium Patris, ut regeneret per aquam. Cur ergo non poſſit Judex ipſum abſolvere, ſicut Paſtor poteſt paſcere, Dux poteſt inungere, & Pater regenerare?

Quia (reponit Bonæ Spei ſuprà n. 47.) Rituale Romanum & Concilia ſupponunt, danda eſſe hujus petitionis, doloris &c. ſigna externa: loquuntur enim de ſimilibus moribundis (utì loca citata legenti patebit) non de ſanis in peccato obſtinatis, ùt malè vult P. Herincx ibidem n. 82. nec de ſola Abſolutione abſoluta; quaſi intactum relinquant, an Abſolutione conditionatâ abſolvi poſſint, ùt docet ibidem: nam ideo præciſè ibi inter conditionatam & abſolutam non diſtinguunt, quia ſupponunt ad utramvis Abſolutionem requiri, petitionem Abſolutionis, doloris &c. eſſe prudenter præſumptam, & hanc ad utramvis ſufficere: illa autem non eſt talis in vita Chriſtiana præciſè, utì hucuſque probavimus. Reſp. Bon.

Si autem quæras, cur potiùs ad hanc, quàm ad Extremam Unctionem ſigna diſtincta à vita Chriſtiana requirantur? Reſpondeo; ideo eſſe; quia cùm Sacramentum Pœnitentiæ pro materia eſſentiali plures actus pœnitentis requirat, & maximè ipſam Confeſſionem, ſaltem in voto, & variis valde difficilem; non eſt ita facilè præſumendum peti, ac ipſam Extremam-Unctionem, quæ ex parte pœnitentis ſolam diſpoſitionem petit valde facilem. Unde ex una parte non eſt pericu-

Digitized by Google

periculum, ne hoc Sacramentum fiat eſſentialiter mancum, utì ne illud; & ex altera potior eſt ratio, ad illud petendi ſigna externa, præter vitam Chriſtianam, quàm ad hoc. Unde corruit totum fundamentum P. Herincx ab Auguſtino & ratione. Hucuſque Bonæ-Spei, falsò ſibi perſuadens deſtructionem totius fundamenti P. Herincx.

Nam in primis, auctoritas D. Auguſtini (niſi Bonæ Spei alios arietes adferat ad eam convellendam) ſtat & in æternum ſtabit pro P. Herincx, & pro nobis, ùt patet ex ſuprà dictis. Quantùm ad rationem, & hæc ipſa immobilis permanet, & jugiter permanebit, niſi aliis rationibus oppugnetur, quàm hactenus à Bonæ-Spei fuit oppugnata.

Haùd abnuo, Confeſſionem valde difficilem eſſe, maximè illis, qui licèt Chriſtiani ſint, Chriſtianè tamen non vivunt; & quamvìs, etiam iis, qui Chriſtianè vivunt, difficilior ſit, quàm Euchariſtia vel Extrema-Unctio; equidem magìs neceſſaria eſt ad ſalutem, & ideo ita facilè præſumendum peti, ac ipſam Extremam-Unctionem. Unde ex hac parte non eſt periculum, ne hoc Sacramentum fiat mancum; neque eſt potior ratio, ad illud petendi ſigna externa, præter vitam Chriſtianam, quàm ad hoc.

Quid ergo ad Rituale Romanum, & Concilia? Reſpondeo: Jam vidimus Concilia idem per omnia teſtimonium requirere ad Baptiſmum & Pœnitentiam; ſed ad Baptiſmum ſufficit teſtimonium Fidei Chriſtianæ: ergo ad Pœnitentiam ſufficit teſtimonium vitæ Chriſtianæ. Si enim qui inſtituitur in Fide Chriſtiana, in ordine ad ſuſcipiendum ritè Baptiſmum, hoc ipſo cenſetur implicitè velle ſuo tempore Baptiſmum ſuſcipere; pari certè ratione, qui jam baptizatus eſt, & Chriſtianus effectus, vivendo conformiter ſuo ſtatui, cenſetur hoc ipſo implicitè velle congruo tempore ſuſcipere Sacramenta, maximè neceſſaria ad ſalutem: ergo Pœnitentiam in articulo mortis. Vide quæ ad idem propoſitum diximus diſp. 1. ſect. 8. concl. 2.

Venio ad Rituale Romanum, quod Bonæ Spei videtur inſpexiſſe, ſed non perſpexiſſe. Rituale Romanum loquitur tum de ſanis obſtinatis, tum etiam de infirmis ſeu moribundis non obſtinatis, ſed diverſimodè, ùt feſtinè cognoſces ex ipſis verbis Ritualis, quæ mox ſubſcribo. Et primò quidem tractat de ſanis obſtinatis, dicens: *Videat autem diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit Abſolutio, ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces; quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia & inimicitias deponere aut aliena (ſi poſſunt) reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publicè ſatisfaciant, & ſcandalum tollant: neque etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt Superioribus reſervata.*

Adhuc dubitas, an Rituale ibi loquatur de ſanis & obſtinatis, qui poſſunt dare expreſſa ſigna, ſi velint? Noli dubitare, ſi non vis errare. Et de his verbis loquitur P. Herincx, quod Bonæ Spei non potuiſſet ignorare, ſi voluiſſet aperire oculos & cernere, quę aperta ſunt.

Si verò (proſequitur Rituale) *quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus peccatis & Cenſuris quantumvis reſervatis (ceſſat enim tunc omnis reſervatio) ſed priùs ſi poteſt, cui debêt ſatisfaciat: ac, ſi periculum evaſerit, & aliquâ ratione Superiori, à quo aliàs eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur; cùm primum poterit, coram eo ſe ſiſtat, quidquid debet præſtiturus. Quòd ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & ſignis conetur, quoad eius fieri poteſt, peccata pœnitentis cognoſcere; quibus utcumque vel in genere vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.*

Neque hæc verba ignoravit P. Herincx, ſed ſibi ipſi objecit, dicens: Inſtabis; Requirit ſaltem, agens poſteà de infirmis, ſignum doloris (utique diſtinctum à vita Chriſtianè acta) de quo teſtentur qui adſtabant: quod & requirunt aliæ auctoritates. Et Reſpondet I. negand. Aſſumptum: nam ſolùm dicunt, tunc dandam Abſolutionem, & quidem abſolutè; non negant, quod poſſit dari, ſaltem ſub conditione, in caſu noſtro: exprimunt enim tantùm id, quod eſt certum. Sicut Rit. Rom. tit. de Sacramento Pœnitentiæ, tradens, in periculo mortis quemlibet Sacerdotem poſſe à quibuſcumque Cenſuris & peccatis abſolvere, ſi approbatus deſit Confeſſarius; tradit hoc, quod certum eſt, abſtrahens ab eo, quod eſt controverſum, an ſcilicet, etiam ſinè hac conditione, poſſit id quilibet Sacerdos. Hæc ille. 142.

Objectio & ſolutio ex Herincx.

Et quidem exiſtimo (quidquid Bonæ Spei dicat) Rituale nil minùs, quàm de conditionata Abſolutione agere, cùm in toto Tit. de Sacramento Pœnitentiæ, ne ſemel quidem ejus meminerit; non quòd ſupponat eadem omninò requiri ad utramvis Abſolutionem (quamquàm & eadem requirantur, ſed non eâdem certitudine) ſed quia agit de illa Abſolutione, quæ regulariter & per ſe tam ſanis, quàm infirmis miniſtrari debet, quæ indubiè eſt Abſolutio abſoluta, cùm non ſoleant Sacramenta miniſtrari ſub conditione, niſi quando occurrit aliqua dubitatio de legitima materia, forma, miniſtro aut diſpoſitione ſuſcipientis, prout in præſenti caſu occurrit dubitatio de legitima materia. 143.

Rituale non videtur loqui de Abſolutione conditionata.

Quantum ad ſimile, quod ſuprà affert P. Herincx, notandum, quod in toto illo Tit. 144.

Expenditur ſimile, quod

affert Henincx.

Tit. de Sacram. Pœnitentię nihil habeatur ad propoſitum præter verba mox allegata : in his autem nulla ſit particularis mentio Confeſſarii approbati , aut ejus abſentiæ ; niſi fortè per Confeſſarium approbatum intelligas Superiorem, inter quos tamen non parva eſt differentia , ùt ſuo loco patebit.

Deinde, eſtò Superior foret præſens, quando inferior abſolvit à reſervatis in periculo mortis ; equidem *Si periculum evaſerit , & aliquâ ratione Superiori , à quo aliàs eſſet abſolvendus , ſe ſiſtere teneatur ; cùm primùm poterit coram eo ſe ſiſtat ,* non iteratò abſolvendus , ſed , *quidquid debet, præſtiturus.* Ergo ex his verbis non clarè videtur colligi , Rituale intelligendum eſſe de Abſolutione in abſentia Superioris. Quidquid ſit de hoc (de quo plura proprio loco) liquidò conſtat , Concilia ſæpiſſimè decernere ac definire, quæ certa ſunt, præſcindendo ab his, quæ ſunt dubia ; quod ſufficit ad præſentem quæſtionem.

145. Rituali Romano opponitur Sacerdotale Romanum.

Atque ut Rituale Romanum faveret Adverſariis noſtris, illi opponimus Sacerdotale Romanum, quod in Tract. de Sacramento Pœnitentiæ c. 26. ex S. Antonino adfert ſequentia verba : *Talis infirmus , qui amiſit loquelam vel uſum rationis , ſi bene vivebat ùt bonus fidelis, & frequentabat Confeſſionem & Communionem, quamvis non petierit Sacramenta , quia ex inſperato talia acciderunt : vel etiamſi malus & obſtinatus diu perſeverans in peccatis eſt , & diu non confeſſus ; ſi petiit Sacerdotem ut confiteretur , oſtendit ſe velle facere omnia , quæ debet ; & intereà factus eſt mutus, vel phreneticus , & periculum eſt in mora, debet præſupponi contritus , & faciente aliquo Confeſſionem generalem prò eo , ſicut fit in populo , Sacerdos faciat Abſolutionem ab omni ſententia & peccato. Deinde debet dari ei Euchariſtia à proprio Sacerdote ſæculari , quamvìs non ſit confeſſus , quia non potuit.* Ita refert Lugo diſp. 17. n.36.

146. Lugo conatur ejus auctoritatem enervare.

Sed continuò adjungit : In quibus (verbis) non ſatìs conſtat , an ſermo ſit de Abſolutione ſacramentali , cùm dicat , præmittendam eſſe Confeſſionem generalem ab alio; & poſteà ſubjungit eſſe communicandum, quamvìs non ſit confeſſus. Denique ibi etiam dicitur , in periculo quando non eſt Sacerdos, bonum eſſe confiteri laico , licèt non ſit neceſſarium , quod jam communiter non conſulitur. Hæc ille ; ut enervet auctoritatem hujus Sacerdotalis.

Et ad eundem finem diſp. 20. de Sacramento Euchariſtiæ n. 82. ſic ait: Solùm afferri poteſt (contra celebrationem Miſſæ in mari) quoddam Rituale antiquum approbatum à Leone X. cujus meminit Navarrus in Miſcellan. de Oratione Miſcel. 90. ubì 1.p. tract. 4. c. 35. dicitur : *In loco fluctuanti , ut in mari & fluminibus , celebrare non licet alicui.* Hoc tamen parùm probat : primò , quia de approbatione Leonis non conſtat , nec de auctoritate illius Sacerdotalis, de quo ſolùm Navarrus dicit: Liber Sacerdotalis à Leone X. (ùt ajunt) probatus , quem nobis monſtravit R. in Chriſto P. &c.

Cæterùm in ipſo Sacerdotali , quem in noſtra Bibliotheca habemus , non invenitur illa Leonis approbatio : ſolùm dicitur in fronte libri , fuiſſe multoties approbatum auctoritate Pontificum. Poſteà verò , cùm iterum impreſſus ſit Venetiis anno 1568. dempta fuerunt verba prædicta de approbatione ſummorum Pontificum. Secundò , quia illa approbatio Leonis , ſi quæ fuit , non videtur ſonare plus quàm licentiam , non verò præceptum aut legem.

Tertiò , quia aliqua ibi continentur in ordine dicendi Miſſam ſiccam , quæ correctione indigerent , quale eſt, quòd dicuntur orationes poſt Communionem , quæ tamen cùm mentionem ut plurimùm faciant Sacramenti percepti , certum eſt non poſſe tunc dici, quando conſecratio aut ſumptio non præceſſit. Ad ſummum ergo habetur , quòd ille Auctor locutus ſit ſicut alii Auctores, qui hoc ipſum dixerunt , non licere celebrare in mari ; & ideo illa doctrina meritò fuerit approbata. Hucuſque Eminentiſſimus.

His tamen non obſtantibus , dico ego primò : in verbis ſuprà relatis ſatìs conſtat, quòd ſit ſermo de Abſolutione ſacramentali. Siquidem certum eſt, juxta Rituale Romanum Pauli V. & alias auctoritates non ſemel allegatas hìc & alibi , ſacramentaliter abſolvi poſſe & debere peccatorem , quantumvis graviſſimum , ſi petiit Sacerdotem ut confiteretur, & oſtendit ſe velle facere omnia quæ debet, tametſi in particulari nihil fuerit confeſſus. Perſpicuè autem manifeſtum eſt, Sacerdotale Romanum loqui de tali peccatore. Verba ſunt clariſſima. Ergo de Abſolutione ſacramentali. Cumque æquiparet illi peccatori infirmum , qui bene vivebat ùt bonus fidelis, & frequentabat Confeſſionem & Communionem , quamvis non petierit Sacramenta; liquet profectò , & hunc infirmum , juxta Sacerdotale Romanum , ſacramentaliter poſſe & debere abſolvi.

1. Oſt. Sac. loq. Abſ. ne...

Quòd autem dicit , præmittendam eſſe Confeſſionem generalem ab alio , intelligit ſicut ſolet fieri in populo , videlicet ceremonialiter ; non quaſi illa eſſet neceſſaria ad Abſolutionem ſubſequentem ; ſed eo modo, quo ſolet præmitti adminiſtrationi Viatici (quæ ibidem præſcribitur) quamvìs non ſit confeſſus peccata ſua in ſpecie & ſigillatim, ſicut fieri aſſolet.

Nec errat in eo , quod dicat , in periculo, quando non eſt Sacerdos, bonum eſſe confiteri laico ; nam ita docet Magiſter Sent. 4. diſt. 17. ibi : *Si tamen defuerit Sacerdos , proximo vel ſocio eſt facienda Confeſſio.* Et infrà : *Tanta itaque vis*

II. Non in eo dicat ... laico

Digitized by Google

ris Confeſſionis eſt, ut ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proximo: ſæpè enim contingit, quòd pœnitens non poteſt verecundari coram Sacerdote, quem deſideranti nec tempus, nec locus offert. Et ſi ille, cui confitebitur, poteſtatem non habeat ſolvendi, fit tamen dignus veniâ Sacerdotis deſiderio, qui crimen confitetur ſocio.

Fateor, talis Confeſſio jam communiter non conſulitur; ſed quid tum? Nam etiam Confeſſio publica communiter non conſulitur; num ideo mala? Num ideo errat, qui dicit, eam eſſe bonam? *Caterùm* (inquit Trident. ſeſſ. 14. c. 5.) *quoad modum confitendi ſecretò apud Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit* &c. Sed de hac re plura ſuo loco. Sufficiat impræſentiarùm, quòd propter hoc dictum, Sacerdotali Romano nihil omninò auctoritatis decedere debeat.

Utì nec propter illud, quod continetur in ordine dicendi Miſſam, putà quòd dicantur Orationes poſt Communionem; ſiquidem hæ Orationes, ſi aliquæ vel plures ſint, quæ faciant mentionem Sacramenti percepti, intelligi poſſunt de ſumptione ſpirituali; ſicuti Eccleſia dicit, uno ſolùm Sacerdote ſacramentaliter communicante: *Satiaſti Domine familiam tuam muneribus ſacris* &c. cùm tamen tota familia ejus non ſit ſacramentaliter ſatiata. Similiter etiam dicitur: *Orate, ut meum ac veſtrum Sacrificium* &c. cùm tamen ſolus Sacerdos realiter conſecret corpus & Sanguinem Chriſti, in qua conſecratione conſiſtit eſſentialiter Sacrificium.

Accedit; quòd tota Miſſa ſicca non ſit, niſi veræ Miſſæ adumbratio. Ergo nihil hìc corrigendum, quidquid doceat Navarrus ſuprà, ibi: Et ita qui eas diceret, mentiri videretur, quod nulla de cauſa facere licet.

Reſpondeo: Non videtur mentiri, qui ita eas dicit, ut adſtantes ex circumſtantiis clarè cognoſcant mentem contrariam. Non tango ſic intelligi poſſe Sacerdotale, quòd dicuntur Orationes poſt Communionem, niſi aliquid aliud obſtet.

Ceterùm, quod Eminentiſſ. ſuprà addit: *Poſteà verò, cùm iterum impreſſus ſit Venetiis anno* 1568. *dempta fuerunt verba prædicta de approbatione Summorum Pontificum*, nihil me terret: nam potuit factum fuiſſe ſtudio partium (prout in ſimilibus caſibus ſubinde contingit) quæ tanta cum contentione oppugnant noſtram doctrinam, ùt (quemadmodùm communiter dicitur) Herculi clavam è manibus extorquere velle videantur. Sed in ventum pulverem portant. Niſi ergo oſtendatur nobis, quâ auctoritate verba prædicta, de approbatione Summorum Pontificum, fuerint omiſſa, credimus priori editioni; & ſufficit doctrinæ noſtræ, quòd illæ approbationes ſonent licentiam, ut ſecurè poſſit practicari.

Appoſitè quidam dixit: *Veritas premitur,* 150.
ſed non opprimitur. Italicè: *Verità non può ſtar ſepolta.* Flandricè:

Auctores aliqui, qui noſtram ſententiam cenſuerunt probabilem.

Al leyt de waerheyt in het graff /
Al wat haer drucht / dat motter af.

Hinc poſtquam in Concluſionem noſtram graviter fuiſſet invectus Joannes Malderus Epiſcopus Antuerpienſis, ſignanter Tract. de ſigillo Confeſſionis c. 15. poſteà tamen, omnibus maturè perpenſis, ipſam verè probabilem cenſuit, ùt in publica Diſputatione, habita Antuerpiæ in noſtro Conventu an. 1652. 5. Februarii, cui ego interſui, teſtatus fuit immediatus illius ſucceſſor, Illuſtriſſimus D. Gaſpar Nemius, poſteà Archiepiſcopus Cameracenſis; declarans ſimiliter coram toto Auditorio, eam eſſe verè probabilem, & in praxi ſecuram. *Malderus.*

Eandem tenuit Jacobus Janſonius (teſte Leſſio q. 9. Supplem. n. 20.) & apertiſſimè Joannes Heſſelius in explicatione Sacramenti Pœnitentiæ c. 55. in fine, ubi ſic ait: Hactenus de illis, qui petiverunt Sacerdotem Confeſſarium; ſed quid, ſi quis fidelis ſic opprimatur aliquo morbo, ut nec conſtet eum petiviſſe Abſolutionem? Reſpondeo, tali etiam impendendum eſſe Reconciliationis beneficium, ſi vixerit ſicuti Chriſtiani communiter ſolent vivere; quia de tali præſumere debemus, quòd pœnituerit. Et ſi non proſit; ſatiùs attamen eſt hìc in aliquo abundare, quàm deficere. Et ille eſt caſus Auguſtini in loco jam citato in cap. ult. lib. 1. de Adult. Conjug. Quòd ſi conſtaret talem eſſe hæreticum, non deberet fieri. Hucuſque præfatus Auctor. *Janſonius. Joan. Heſſelius.*

Eandem ſententiam docuerunt P. Smiſing, & multi alii Theologi doctiſſimi ex Seraphica Familia; & ſæpiùs defenderunt publicè in hac Academia PP. Societatis Jeſu, me præſente; & cùm unâ vice interrogaſſem Præſidem Diſputationis, num etiam liceret abſolvere eum, qui ſolùm ante peccata Chriſtianè vixiſſet, noluit reſpondere: *Ita*, vel: *Non*; ſed dixit, ſe ab hoc caſu abſtrahere, timens utique, ubi non erat timendum. *Smiſing.*

Eandem opinionem docuit Homobonus in 151.
Exam. Eccl. p. 1. tract. 7. c. 18. q. 84. ubi ſic aſſerit (ùt refert Diana p. 3. tract. 3. reſol. 8.) Prudenter aget Parochus, ſi favorabiliori illi opinioni adhæreat, quæ ſentit Abſolutionis beneficium moribundo impendi poſſe, etiamſi nullum confeſſus ſit peccatum, nec Confeſſarium petierit, nec indicia adhibuerit, ex quibus actus Contritionis vel Attritionis argui poſſit, modo talis in mortis articulo conſtitutus, Chriſtiano more vivere ſoleret, & bonus ac fidelis homo æſtimaretur.

Quam etiam practicaſſe dicitur Clem. VIII. Homobonus. Diana.

Quòd quidem placitum in praxi referunt amplexum fuiſſe Clementem VIII. Pontif.

Max. ac prudentiſſimum virum: cùm enim quidam ex Fabrica D. Petri præceps ruiſſet, & illum cadentem vidiſſet, Abſolutionem ei dedit dicens: *Si es capax, abſolvo te à peccatis tuis.* Quæ ſententia illâ ſanè ratione confirmatur, quòd in neceſſariis ad ſalutem tutior pars eſt amplectenda, & certiori periculo occurrendum eſt; & irreverentia Sacramenti, vel ſacrilegii periculum, tum conditione appoſitâ, tum auctoritate DD. hanc opinionem tuentium ceſſare dicitur. Ita ille.

152. Reſponſio Lugonis. Reſpondet Lugo de Pœnit. diſp. 17. n. 34. hanc narrationem nullum habere fundamentum: diligenter enim petii (inquit ille) à multis doctis & prudentibus viris, qui jam à multis annis in hac Romæ Urbe commorantur, & ipſius Clementis tempore aderant, qui rem omninò fabuloſam putant.

& Arriagæ. Addit Arriaga diſp. 36. n. 15. Neque omninò eſſe eam hiſtoriam ad propoſitum caſum; quia potuit prudenter cogitare Pontifex, illum hominem adhuc in caſu ipſo habuiſſe judicium plenum, & agnoviſſe ſuum periculum, & deſideraſſe Abſolutionem: hoc autem non ſufficit ad loquendum univerſaliter de omnibus moribundis, qui frequentiſſimè ita repentino morbo obruuntur, ut nullo modo poſſint agnoſcere ſe eſſe in eo periculo; ideoque nec nos poſſumus præſumere in eis eſſe ſufficientem diſpoſitionem pro Abſolutione. Adde, neque eam totam interiorem diſpoſitionem tunc de novo habitam, eſſe ſufficientem, ſinè exteriori petitione Abſolutionis. Hactenus Arriaga.

153. Contra arguit Auctor. Utut ſit de veritate illius hiſtoriæ (quia non dubito multas falſas hiſtorias circumferri, & pro veris vendi) ab ea non pendet probabilitas noſtræ Concluſionis. Interim ſi vera eſt, & ſi Pontifex potuit prudenter cogitare, illum hominem in ipſo caſu deſideraſſe Abſolutionem; dico, hoc ſufficere ad loquendum univerſaliter de omnibus, ſaltem Chriſtianè viventibus, qui repentino morbo obruuntur; quia repentinus caſus non minùs fortè natus eſt turbare rationem & uſum rationis, adeòque impedire debitam diſpoſitionem, quàm repentinus morbus.

Arriaga. Audiamus ipſum Arriagam n. 28. Ex his (inquit) qui vel aquis, ubi vix non ſunt ſubmerſi, vel cadendo &c. incurrêre talia pericula (intelligit pericula mortis) & ad ſe poſteà rediêre, aliquos audivi, & ſemel dum exirem ex navi cadens in aquam ſat profundam, expertus ſum ipſe, vix quidquam de altera vita, aut de dolore de peccatis eis occurrere; ſed totam attentionem ad ſe trahi ab ipſo periculo. Hæc ille. Si ergo Pontifex potuit prudenter cogitare, illum hominem in ipſo caſu deſideraſſe Abſolutionem, non obſtante illâ experientiâ; cur ego non poſſum idem cogitare de omnibus, ſaltem Chriſtianè viventibus, qui repentino morbo obruuntur?

Etſi namque in tali peccatore ſic oppreſſo (inquit Marchantius ſuprà) nullum mihi ſignum appareat, quod materiam Confeſſionis faciat mihi ſenſibiliter præſentem, in ordine ad Abſolutionem; nec mihi proinde certò conſtet, peccatorem ſic obmuteſcentem de peccatis aut ſalute cogitare; immò nec appareat eum ratione uti: poteſt tamen fieri, ut non tantùm intùs de peccatis doleat, confiterique deſideret, ſed etiam aliqua ſigna edat per ſe ſenſibilia, etſi mihi incognita, ut ſunt ſuſpiria, gemitus, aſpirationes, oculorum fixi intuitus, aut alii in corpore motus, qui etſi doloris corporalis aut naturæ patientis ſint ordinariè ſigna; nihilominùs ab ipſo peccatore quandoque ordinantur, ut internæ pœnitentiæ nutus. Unde abſolvendo cum ſub conditione, & muneri ac Charitati in hac extrema neceſſitate ſatisfacio; & conditio omnem irreverentiam & defectum, qui ſubeſſe poſſet, tollit; & in anxietate tanta animam Deo commendo intentione communi Miniſtris Eccleſiæ, quæ (ùt ſuprà dicebat S. Auguſtinus) Nullum ex hac vita ſinè arrha ſuæ pacis exire velle debet.

15[illegible] Foret[illegible] ut me oppre[illegible] aliqu[illegible] eum [illegible] eſſo [illegible] obmu[illegible] feſſar[illegible] Mar.[illegible]

Confirmor in hac ignotorum ſignorum declaratione, eò, quòd mihi ſemel extremo periculo poſt Extremam Unctionem laboranti, & per omnia ſenſuum operatione deſtituto contigit. Senſibus omnibus deſtitutus eram, excepto auditu, ratione autem & judicio firmo & recto intùs utebar; ita ut cùm me deficere, & ex Medico foris loquente, & ipſius naturæ debilitate perciperem, firmiter me Dei miſericordiæ commendabam, & pium affectum aliquem foris conabar præſtare: unde mirum eſt, ſi fortè gemitu aliquo vel reſpiratione, vel doloris nutu illud non oſtenderim, quamvis adſtantes illa non notarent, niſi fortè ùt erant ſigna naturæ patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quòd ſi quovis modo aliquem Catholicum ſic oppreſſum reperirem, nec ſignum aliquod mihi intelligibile Pœnitentiæ dare poſſet, nihilominùs ſub conditione abſolverem, eò quòd fortè aliquod ſignum Pœnitentiæ edat, etſi mihi incognitum. Hucuſque Marchantius; in eo dumtaxat recedens à noſtra ſententia, quòd requirat aliquod ſignum externum Pœnitentiæ, etſi incognitum Confeſſario.

Ejuſdem opinionis eſt Averſa q. 10. ſect. 18. § Sed ita hæc res conciliari & reſolvi poſſe videtur: non valere prorsùs Abſolutionem ei, qui nullo ſigno externo actum aliquem Confeſſionis fecerit, quamvìs in ſua mente attritus & contritus exiſtat; atque adeò Sacerdotem non debere nec poſſe ei Abſolutionem impendere, de quo ſibi conſtet, nullum Confeſſionis actum externum effeciſſe. At ex alia parte fortè valere Abſolutionem datam ei, qui aliquod ſignum externum Confeſſionis fecerit, quam- 155 Averſ[illegible] quirit ſignu[illegible]

quamvis non ad Confeſſarii notitiam deduxerit: atque adeò, ſi ſaltem dubitari poſſit, ſi ſic fecerit, poſſe ei ſub conditione Abſolutionem impendi. Hæc ille.

Sed quæ neceſſitas, aut utilitas alicujus ſigni, quod quà tale nec oculus vidit, nec auris audivit, adeoque non aſcendit in cor Confeſſarii nec mediatè, nec immediatè? Ideo Averſa requirit ſignum externum potiùs ad Abſolutionem, quàm ad Extremam Unctionem, quia externa petitio eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ, ſecùs Extremæ Unctionis. Eſto; cur talis petitio non eſt vita Chriſtianè acta? Deinde externa petitio, incognita Confeſſario, parùm aut nihil diſtat ab interna petitione in ordine ad Abſolutionem; ſiquidem per illam externam petitionem non magìs peccata pœnitentis innoteſcunt Confeſſario, quàm per merum internum deſiderium. Numquid ille confitetur, qui in cubiculo ſuo nemine præſente, vidente vel audiente recitat peccata ſua, aut alia ſigna doloris efficit? Ad Confeſſionem pertinet, *Ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter*, inquit Florent. in Decret. Eugenii. Quis autem dixerit, talem confiteri Sacerdoti?

Omnes (inquis) dixerint, talem confiteri Sacerdoti abſenti: quid enim aliud eſt Confiteri Sacerdoti abſenti, quàm exteriùs exprimere ſua peccata in generali vel in ſpeciali, ubi & quando Confeſſarius per ſe non poteſt illa peccata percipere?

Planè hoc eſt confiteri Sacerdoti abſenti, ſi tamen alii adſint, per quos Confeſſarius illa peccata poteſt cognoſcere. Hinc Rituale Rom. ſuprà: *Si*, inquit, *confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios, oſtenderit*. Non oſtendit autem, qui illa ſigna exhibet nullo omninò præſente, vidente vel audiente ea ùt talia ſunt.

Quin immò (reponis) oſtendit; quia ſaltem prudenter dubitari poteſt, an non exhibuerit aliqua ſigna, idque quandocumque non conſtat de oppoſito, ùt exiſtimat Averſa ſuprà §. *At in caſu extremæ neceſſitatis*.

Sed interrogo: Quod fundamentum hujus prudentis dubii? Nonne vita Chriſtianè acta? Qui enim Chriſtianè vixit, ſolet in tali periculo exteriùs edere aliquod Confeſſionis ſignum. Si ergo vita Chriſtianè acta pro illo articulo eſt ſignum, & quidem externum, ſigni externi voluntatis internæ confitendi; cur non etiam ſit ſignum externum voluntatis internæ confitendi, idque quandocumque non conſtat oppoſitum, id eſt, quandocumque non exhibuit contrarium ſignum externum, id eſt, ſignum nolitionis confitendi? Non video, quid obſtet. Jam autem ſignum externum interni deſiderii Abſolutionis ſeu Confeſſionis, ſecundùm communem ſententiam, eſt ſufficiens Confeſſio pro iſto articulo.

157. Et ideo ante Homobonum propugnavit Concluſionem noſtram Molfeſius in Summa tom. 1. tr. 7. c. 5. n. 48. & 49. Quia (inquit) in tali caſu poteſt eſſe (prout in dubio præſumitur) ut quis ſit memor ſalutis æternæ, & interiùs habeat aliquam efficacem Attritionem, quâ rectè diſpoſitus ſit recipere ſacramentalem Abſolutionem, & de attrito fieri contritus. Nec urget dicere; quòd multoties, qui ex inſperato loquelam amittunt, non ſolent habere peccatorum Attritionem; quia præoccupati timore mortis ad alia non advertunt: nam reſpondetur, in his frequentiùs accidere, ut cogitent de peccatis ſuis, ut experientia docet; & leges adaptantur ad ea, quæ frequentiùs, non autem quæ raro accidunt. Sic Molfeſius, ùt refert Diana ſuprà.

Ante Homobonum docuit noſtram ſententiam Molfeſius.

Hanc etiam ſententiam (teſte Diana ibidem) docet Antonius de Litaretis in Sum. edita Romæ cum approbatione Magiſtri S. Palatii anno 1611. p. 1. c. 35. n. 7. Et obſervari præcepit Alexander Ludoviſius Archiepiſcopus Bonohienſis (qui poſteà fuit Summus Pontifex dictus Gregorius XV.) in Memoriali Confeſſariorum c. 1. de Forma Sacramenti Pœnitentiæ nu. 16. fol. 215. edito Bononiæ apud Joannem Baptiſtam Bidellum anno 1623.

Eandem docet Anton de Litaretis, & obſervari præcepit Alex Ludoviſius Archi. Bononienſis.

158. Reſpondet Lugo ſuprà n. 35. In ejuſmodi inſtructionibus, quæ in privato aliquo Epiſcopatu eduntur pro Confeſſariis, proponi ſolet reſolutio juxta opinionem illorum Theologorum, quibus cura demandata eſt. Unde in Conſtitutione Compoſtellana ita in contrariam partem inclinatum fuit, ut præciperetur, pœnâ etiam ſtatutâ, ne ullus abſolveret eum, qui aliquod peccatum in particulari non fuiſſet confeſſus, quia Abſolutio defectu materiæ valida non eſſet, ſed ſacrilega. Hæc ille.

Reſponſio Lugonis.

Addere potuiſſet Paſtorale Mechlinienſe ſuprà allegatum, ibi: *Licèt Sacramentum Extremæ Unctionis regulariter poſt Pœnitentiam & Euchariſtiam miniſtrari debeat; ei tamen, qui ob inſaniam, furorem vel alium morbum hæc Sacramenta recipere non poteſt, conferenda eſt Extrema Unctio ſine prævia Confeſſione*. Ergo aliquid ampliùs requiritur ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ, quàm ad conferendam Extremam Unctionem.

Paſtorale Mechlinienſe.

Tranſeat, Memoriale iſtud Alexandri non aliam auctoritatem habere, quàm privati hominis ita ſentientis, hoc nobis ſufficit, ut dicamus illam ſententiam probabilem: non enim eſt veriſimile, quod Gregorius XV. permiſiſſet practicari in ſuo quondam Archiepiſcopatu opinionem improbabilem, præſertim in materia Sacramentorum.

159. Quæ cùm ita ſint, neſcio qua fronte aliquis audeat negare, primam partem Concluſionis eſſe probabilem, ſaltem ex principio extrinſeco, id eſt, auctoritate doctiſſimorum Viro-

Non videtur poſſe negari probabilitas noſtræ ſententiæ.

rum, qui eam propugnarunt, & quotidie propugnant ac practicant.

Caramuel. Quòd ſi fortè alicui non ſufficiant auctoritates à nobis jam allegatæ, videat Caramuelem Theol. Fundamt. 1. edit. à n. 1305. uſquè ad n. 1321. ubì plures inveniet; nec non rationes, eſtò minimè convincentes, ſaltem probabiliter (ſalvo meliori) perſuadentes hanc veritatem, nemini nocivam, & fortè pluribus neceſſariam ad æternam ſalutem.

160. Vita Chriſtianè acta ſaltem eſt dubia Confeſſio.

Et dato, quòd vita Chriſtianè acta nequidem probabiliter eſſet Confeſſio; quis præſumat affirmare, tot Virorum non infimæ notæ teſtimonia nequaquam ſufficere, ut prudenter poſſim dubitare & dicere: *Fortè vita Chriſtianè acta eſt Confeſſio externa peccatorum pro articulo mortis, quando alia Confeſſio eſt impoſſibilis?* Si autem prudenter id poſſum dicere; cur prudenter non poſſum abſolvere, ſaltem ſub conditione?

Nonne in extrema neceſſitate licet ſub conditione baptizare in aliquo liquore, de quo negativè dubitatur, an ſit aqua naturalis, quando certior aqua haberi non poteſt? Planè licet. Cur ergo in extrema neceſſitate non liceat ſub conditione abſolvere, quando negativè dubitatur de legitima Confeſſione? Fortè pœnitens ex parte ſua adhibuit materiam neceſſariam, cur igitur, quando certior materia eſt impoſſibilis, non poterit adhiberi Abſolutionis forma, ſaltem ſub conditione? Nonne adhibetur, quando dubitatur, an ſigna doloris oriantur ex vera pœnitentia, vel potiùs ex anguſtia & mærore ipſius morbi? Quando dubitatur, an ſigna doloris exhibeantur in ordine ad Claves? Quando dubitatur, an confitens habeat uſum rationis? Quandò materia Confeſſionis eſt peccatum negativè dubium?

161. Probatur noſtra ſententia ex praxi Confeſſariorum Caſtrenſium.

Accedat praxis Confeſſariorum Caſtrenſium, qui paſſim abſolvunt milites, cùm eos in pugna vident cadentes, non expectato ullo ſigno doloris.

Reſpondet Arriaga diſp. 36. n. 15. Manifeſtum vitæ periculum prævisum poteſt præſumi, aliquem dolorem de peccatis & deſiderium Abſolutionis extorſiſſe: & verò communiter de hoc ipſo præmoneri ſolent ante; immo interrogari, an non petant Abſolutionem, ſi fuerint læſi periculosè? Hoc autem non poteſt præſumi de aliis, qui inopinatè extra ſe facti ſunt.

Reſponſio Arriagæ rejicitur.

Verùm de illa interrogatione mihi non conſtat; nec credibilis eſt; alioquin, cùm inſtanti pugnâ poſſint milites abſolvi, etiam omnes ſimul, hiſce verbis: *Ego vos abſolvo*; cur non potiùs tunc confiterentur?

Reſpondet Arriaga: quia cùm pauci ſint ordinariè Confeſſarii, & milites multi, non facilè poſſunt confiteri.

Sed contrà: tali caſu ſufficit Confeſſio generalis, vel ſaltem particularis unius tantùm peccati, quæ facillima eſt. Hinc admiſſâ praxi, Reſpondet, ex ea ſolùm ſequi, Aliquos eſſe in ſententia horum Auctorum; non tamen propterea veram illam eſſe. Optima reſponſio. Sufficit nobis, quòd ſit probabilis, aut ſaltem dubia, ut poſſit & debeat practicari.

Et ſanè cùm homines ſciant mille periculis ſe expoſitos, quotidie ſubitaneè moriendi; cur illa pericula non poſſunt præſumi, aliquem dolorem de peccatis & deſiderium Abſolutionis extorſiſſe ab hominibus, qui Chriſtianè vivunt, & per conſequens Chriſtianè mori volunt? Qui quotidie recitant Orationem Dominicam, in qua confitentur debita ſua, & petunt eorum remiſſionem, mediis utique à Deo inſtitutis? Pia & prudens eſt præſumptio, ac ſufficiens ad Sacramentum miniſtrandum, ſaltem ſub conditione.

Dices: Non ſufficit, quòd ſit petita Abſolutio in prudentum præſumptione; ſed requiritur primò, ut ſaltem in prudentum præſumptione adhuc petatur dum abſolvitur, ne Abſolutio ſit ſacrilega: hoc autem de tali moribundo nullus prudenter præſumere poteſt; quia ſignum ab eo petitæ Confeſſionis, videlicet antea bene acta vita, idem perſeverat in amentia & ſapientia, poſt primam & millies repetitas Abſolutiones, quas non peteret; eſtque potiùs ſignum ſecuritatis gratiæ, & animæ boni ſtatûs, quam Confeſſionis petitæ: unde allata præſumptio eſt valde imprudens, & nata cauſare tot ſacrilegia, quot Sacerdotes ad talem moribundum ſucceſſivè accedent, ſi priùs datas Abſolutiones ignorent; cùm ex tali ſigno, nequidem probabiliter, præſumi poſſit, quòd moribundus de præſenti Abſolutionem petat.

Secundò requiritur, ut illud ſignum ad petendam Confeſſionem ſpecialiter, ſaltem ab infirmo, ordinetur; alioquin hanc non ſignificaret. Jam autem infirmus vitam Chriſtianam non direxit tanquam ſignum petitionis, ſeu deſiderii Abſolutionis.

Reſpondeo ad ultimum; hominem baptizatum ideo Chriſtianè vivere, ut poſſit Chriſtianè mori; adeòque ſi non explicitè, ſaltem tacitè & interpretativè ordinare vitam Chriſtianam ad ſuſcipienda illa Sacramenta, quæ Chriſtianè morientibus ſolent conferri; & idcirco abſque alia petitione confertur ipſis Extrema Unctio & Euchariſtia. Sicut ergo in ordine ad iſta Sacramenta, expreſſa & tacita petitio æquiparantur; cur non ſimiliter in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ? Eſtò enim petitio iſta ſit pars eſſentialis, aut quaſi eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ (quod etiam Nonnulli negant) quæritur, cur illa petitio debeat eſſe expreſſa, & non ſufficiat tacita ſeu interpretativa?

Planè (inquis) quæritur, & probatur non ſufficere; quia, ſecundùm DD. communiter, non

Digitized by Google

non ſufficit tacita ſeu interpretativa Contritio, putà amor Dei ſuper omnia; ſed requiritur formalis Contritio.

54. Reſpondeo, Contritio, juxta Tridentinum ſeſſ. 14. c. 4. *Animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo* &c. nec eſt ulla ratio intelligendi illa verba de dolore virtuali, cùm illi, qui amat Deum ſuper omnia, in præſentia peccatorum facillimum ſit elicere formalem dolorem; immò moraliter impoſſibile, non elicere, ùt patet ex alibi dictis. At verò Confeſſio explicata à Conc. Trident. eâdem ſeſſ. c. 5. ſæpè moraliter eſt impoſſibilis, & ideo non eſt veriſimile, Chriſtum illam requiſiviſſe. Adde multos expreſsè petiiſſe in vita, ſive tali modo ſibi ſuccurri in extremis, ſive ſuccurri omni modo poſſibili.

Porrò illa petitio (ut reſpondeam ad primum) tamdiu permanet in prudentûm æſtimatione, quamdiu res petita non eſt conceſſa; adeòque præſens eſt, quando infirmus in articulo mortis abſolvitur: immò propriè vita Chriſtiana non eſt petitio, niſi in iſto articulo, quando magìs explicita petitio ſeu Confeſſio eſt impoſſibilis, idque ſolùm pro prima Abſolutione, eo modo, quo particularis Confeſſio omnium peccatorum: neque enim pluries abſolvitur infirmus ſive ab eodem, ſive à diverſis Confeſſariis, niſi pluries confiteatur, ùt alibi docuimus. Quamvìs ergo maneat vita Chriſtiana etiam poſt primam & mille Abſolutiones, tamen non eſt petitio, niſi primæ Abſolutionis: quia illa ſola ſolet Chriſtianè morientibus impendi, niſi nova ſigna Contritionis acceſſerint.

Hinc imprudenter facerent Sacerdotes, qui talem infirmum abſolverent, ante diligentem inquiſitionem de priori Abſolutione, quando ſubeſt ratio de ea dubitandi. Si autem Aliqui ex imprudentia ſacrilegè abſolvant, ipſi viderint; proptereà non debet infirmus privari medio ſalutis, quod, omnibus conſideratis, poteſt illi prudenter miniſtrari.

6. Urges: Nulla eſt neceſſitas illius medii in iſto caſu; quia vel eſt juſtus, & ſic non indiget Abſolutione; vel eſt peccator, & indebitè diſpoſitus, adeòque nullum reportat fructum ex Sacramento; vel eſt debitè diſpoſitus, & accipiet eumdem fructum per Sacramentum Extremæ Unctionis.

Reſpondeo: Non eſt certum, Extremam Unctionem conferre primam gratiam ſanctificantem, cùm ſit Sacramentum vivorum: ergo ad majorem certitudinem accedat Sacramentum Pœnitentiæ. Atque ut certum eſſet, Extremam Unctionem per accidens ſeu ſecundariò conferre primam gratiam, ſaltem per ſe loquendo non debet ſuſcipi, niſi ab infirmo conſtituto in ſtatu gratiæ. Ergo, niſi aliunde certò conſtet de ſtatu gratiæ, debet (ſi fieri poteſt) peccator in illum ſtatum priùs reſtitui per Sacramentum mortuorum.

Sin autem de juſtitiâ certò conſtiterit, 167.
quamvìs tunc ex illo capite non ſit abſoluta neceſſitas præviæ Abſolutionis; equidem ſicut adhuc in tali caſu cenſetur deſiderare & petere Extremam Unctionem (quamvìs non ſit neceſſaria) propter magnam ejus utilitatem: pari ratione cenſetur etiam deſiderare & petere Abſolutionem, adeòque ſi probabile eſt, quòd validè dari poſſit, per conſequens dari debet, ſicut dari debet Extrema Unctio; habet enim quiſque jus petendi hæc Sacramenta pro iſtò articulo, etſi non ſint omninò neceſſaria ad ſalutem. Si timeas periculum irreverentiæ, quoniam valor Sacramenti Pœnitentiæ non eſt omnino certus, appone conditionem. Interim ſemper adeſt aliqua incertitudo (ſecluſâ revelatione divinâ) primæ gratiæ: neſcit enim homo, an odio an amore dignus ſit.

Quid dicendum ſi certò conſtet infirmum eſſe in ſtatu gratiæ?

Et verò, quia æquè, immò ordinariè magìs incertum eſt, an peccator ſubitò obmuteſcens, etſi priùs Catholicè vixerit, verè ſufficienter doleat de peccatis commiſſis; & fortaſſis ſæpiùs contingit, ut reverà non cogitet de ſalute animæ ſuæ, ſed magìs de ſalute corporis; vel ex hoc ſolo, oportet conditionatè abſolvere, ne alioquin ſinè ratione Sacramentum exponatur periculo irreverentiæ.

Ceterùm Catholicam vitam eſſe ſufficiens 168.
fundamentum prudenter cogitandi, fortè peccatorem ſic obmuteſcentem eſſe legitimè diſpoſitum, ſatìs oſtendit D. Auguſtinus ſuprà. Alioquin nec tali peccatori poſſet miniſtrari Extrema Unctio, cùm & hæc ipſa in peccatore requirat ad minus Attritionem, ſi non Contritionem Charitate perfectam. Sicut ergo Eccleſia præſumit in tali caſu legitimam diſpoſitionem in ordine ad Extremam Unctionem; quidni ſimiliter eadem diſpoſitio præſumi poſſit in ordine ad Abſolutionem?

Vita Catholica eſt ſufficiens fundamentum præſumendi legitimam diſpoſitionem.

Profectò non præſumitur immemor ſuæ ſalutis in morte, plus quàm in vita. Unde ſicuti in vita, urgente præcepto Confeſſionis, talis peccator ſolebat ſe debitè diſponere, ita etiam in articulo mortis, quando ſimiliter urget præceptum Confeſſionis, prudenter præſumitur, & debitè diſpoſuiſſe.

Quid ergo ad uſum contrarium veteris Ec- 169.
cleſiæ? Reſpondeo, olim hanc controverſiam non fuiſſe ita diſcuſſam; & ideo fortè opinionem noſtram rariùs practicatam. Unde etiam Auguſtinus ſuprà c. 26. *Non tamen* (inquit) *proptereà damnare debemus eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur agi oportere:* quia videlicet tunc illa opinio, quam ipſe tenebat, non erat ita communis; & auctoritate Eccleſiæ firmata, ut alii deberent ſe accommodare ad ipſius judicium. Jam autem pleniùs diſcuſsâ hâc veritate, & accedente ſatìs communi praxi etiam timoratorum, & plurium doctiſſimorum virorum conſenſu; neſcio, quomodò excuſari

Reſpondetur ad uſum contrarium veteris Eccleſiæ.

 poſſint,

poſſint, qui illam in extrema neceſſitate praςticare detrectant, ſolo illo argumento; quia ipſis non videtur ſatis probabile, hujuſmodi Abſolutionem eſſe validam.

Sanè communi calculo non eſt probabile, in tali articulo poſſe negari Sacramentum Baptiſmi, vel ſaltem dubium negativè. Neque veriſimile eſt, totius Eccleſiæ hucuſque praxim in contrarium fuiſſe, ùt colligitur ex D. Auguſtino ſuprà, ex Sacerdotali Romano, ex Clemente VIII. Alexandro Ludoviſio, & aliis tam hujus, quàm ſuperioris ſæculi Auctoribus, & viris omni exceptione majoribus.

170. **Quid dicendum de Sacerdote, qui, dictâ Confeſſione generali in Miſſa, ſtatim obmuteſcit?** *Lugo. Layman. Marchinus.*

Ex dictis patet, quid ſit dicendum de Sacerdote, qui dictâ confeſſione generali in principio Miſſæ, ſtatim loquelam amittit & ſenſuum uſum; an virtute illius Confeſſionis generalis, quâ ſe peccatorem confeſſus eſt, poſſit ſacramentaliter abſolvi? Reſpondet Lugo diſp. 17. nu. 23. negativè cum Layman lib. 5. tract. 6. c. 8. contra Philibertum Marchinum in tract. de Peſte part. 3. c. 13. n. 15. Quia (inquit Cardinalis) Confeſſio illa non fuit ſacramentalis, neque in ordine ad Claves, prout requiritur ad Abſolutionem; ſed fuit oratio quædam ad alium finem prolata: alioquin Sacerdotes, qui quotidie celebrant, vel miniſtri, qui eis in Miſſa reſpondent, poſſent in quâcumque neceſſitate abſolvi, cùm hodie vel heri Confeſſionem generalem dixerint. Hæc ille.

Poteſt abſolvi.

Ego autem, conſequenter ad mea principia, dico, talem Sacerdotem poſſe abſolvi, & debere abſolvi, non præcisè propter illam Confeſſionem, ſed propter vitam Chriſtianè actam cum frequentatione Sacramentorum: immò etiam propter illam Confeſſionem; quamvis enim expreſsè non fuerit relata ad Claves pro tempore, quo Confeſſio particularis erat poſſibilis; equidem pro articulo mortis, quando Confeſſio particularis eſt impoſſibilis, haùd dubito, quin implicitè ad illam fuerit ordinata; id eſt, ſi Sacerdos interrogatus fuiſſet, an in caſu ſubitaneæ mortis deſuper vellet ſacramentaliter abſolvi, indubiè reſpondiſſet, ſe omnibus modis illud optare.

171. **Abſolutio Sacramentalis eſt actus juriſdictionis voluntariæ.**

Illud pro fine addiderim; Abſolutionem ſacramentalem eſſe actum juriſdictionis voluntariæ, & ſententiam omninò in favorem pœnitentis abſque alicujus præjudicio. Sicut igitur Superior poteſt diſpenſare, abſque prævia petitione ſubditi; poteſt ipſum abſolvere à Cenſuris, ab Irregularitate, & aliis pœnis Eccleſiaſticis, ſi quibus fortè innodatus ſit; cur ſimiliter, ſi Deus voluiſſet, non potuiſſet Sacerdos abſolvere, abſque ulla omninò Confeſſione à peccatis, præſertim quando Confeſſio eſt impoſſibilis? Non dubito quin potuiſſet, ſi Deus voluiſſet. Deum autem non voluiſſe, ſatis apertè docet Concil. Trident. ſeſſ. 14. can. 9. in fine, hiſce verbis: *Aut dixerit, non requiri Confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit, anathema ſit.* Conc.

Interim Concil. non ſatis explicat, de qua Confeſſione loquatur, an de expreſſa & formali, an verò etiam de implicita ſeu tacita & interpretativa: cumque in obſcuris minimum ſequendum ſit, & reſolvendum in favorem animarum, præſertim quando non agitur de præjudicio tertii; hinc dico rurſum: *Conditionatè poteris abſolvere moribundum ſenſibus deſtitutum, de quo aliud non conſtat, quàm quòd Catholicè vixerit, maximè per frequentationem Sacramentorum*, niſi poſitivè conſtet de ejus indiſpoſitione.

17 An po condi tè abſ qui ac ſceler vixiſſ Ponci

Si inferas: Ergo etiam poſſet abſolvi conditionatè, qui ante ſceleratè vixiſſet; quia tales ſolent dolere de peccatis & petere Confeſſionem, quando ſunt in periculo vitæ. Reſpondet Poncius in Curſu Theol. diſp. 46. nu. 95. ſe non videre, cur non poſſet; Cùm (inquit) nihil mali ſit in cõnferenda tali Abſolutione; & non ſit evidens, nec certum de Fide, quòd non poſſit prodeſſe.

Ego autem reſpondeo N. C. ſi per vitam ſceleratam intelligas vitam tranſactam cum quotidianis peccatis mortalibus abſque frequentatione Sacramentorum, aut aliquibus aliis ſignis converſionis ad Deum: nam tales non ſolent dolere de peccatis, & petere Confeſſionem, quando ſunt in periculo vitæ; ſed ſicut ſceleratè vixerunt, ſic ſceleratè communiter moriuntur. Et licèt hìc & nunc aliquis eorum in fine vitæ doleret de peccatis ſuis, & vellet confiteri, ſi poſſet; equidem iſtius voluntatis nullum habeo ſignum ſenſibile ſeu externum, adeòque nullam habeo Confeſſionem, ne tacitam quidem & interpretativam, qualem ad minùs requirit Conc. Trident. loco jam jam allegato; adeòque ſatis evidens eſt, talem Abſolutionem nihil poſſe prodeſſe.

17 Moribundus in Conci pericu evaſer tenet rò con

Hìc ergo ſit finis hujus controverſiæ; eo ſemper ſalvo, ut moribundus ſic abſolutus, ſi periculum evaſerit, teneatur jure divino iteratò confiteri, ac ſi numquam abſolutus fuiſſet; tum quia Abſolutio dubia fuit, tum quia, etſi fuiſſet certa moraliter, veluti ſi expreſſis verbis petiiſſet Abſolutionem, aut confeſſus fuiſſet peccatum in communi; equidem juri divino confitendi omnia peccata in ſpecie & ſigillatim, liquidò conſtat non ſatisfeciſſe. Igitur ſuo tempore ſatisfaciat; quod in omni alio ſimili caſu obſervandum eſt, quando vel ex oblivione, vel ex alia juſta cauſa, Confeſſio hìc & nunc non fuit materialiter integra. Ne autem defectu ſcientiæ, contingat ſæpiùs fieri Confeſſionem non integram, duas inſtituo Sectiones, unam de Diſtinctione ſpecifica peccatorum, alteram de Diſtinctione numerica. Erit igitur

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO DECIMA.

De Diſtinctione ſpecifica Peccatorum.

EX hactenus dictis perſpicuè manifeſtum eſt, jure divino neceſſariam exiſtere omnibus poſt Baptiſmum lapſis Confeſſionem peccatorum, non in genere dumtaxat, ſed potiùs in ſpecie ac ſigillatim. Sed quia difficillima eſt cognitio peccatorum in ſpecie ac ſigillatim; hinc frequens Confeſſio non integra, ſaltem materialiter. Et quamvìs accurata explicatio diſtinctionis ſpecificæ & numericæ peccatorum, propriè pertineat ad Tractatum de Actibus humanis, aut de Virtutibus & Vitiis in communi; equidem cedendo Multorum praxi, placuit hìc eas diſtinctiones ſub brevitate tranſcurrere, in quantùm ipſarum notitia neceſſaria eſt ad integrè confitendum. Incipiendo igitur à diſtinctione ſpecifica, Dico primò:

CONCLUSIO I.

Peccata ſpecie & eſſentialiter diſtinguuntur ex rectitudinibus, quibus privant. Accidentaliter ex circumſtantiis, quà tales ſunt.

PEccatum (inquit D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 27) *eſt, factum vel dictum vel concupitum aliquid contra æternam legem. Lex verò æterna eſt, ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari iubens; perturbari vetans.*

Hanc definitionem peccati ſic explicat Scotus 2. diſt. 37. n. 11. ibi: *Ad primum dico, quòd* dictum, factum, concupitum *accipitur tamquam materiale; ſed* dictum *&* factum, *ut materiale remotum; ſed* concupitum *dicit materiale proximum.* Contra Legem Dei *dicit formale in peccato.*

Igitur peccatum conſiſtit formaliter in privatione ſeu negatione conformitatis ad legem: ſi enim peccatum eſt actus vel omiſſio contra legem; ergo non ſecundùm legem: ergo habet negationem ejus, quod eſt eſſe ſecundùm legem. Ergo per illam negationem conſtituitur actus vel omiſſio in ratione formali peccati: hac quippe negatione ſeclusâ, numquam habetur peccatum; illâ autem poſitâ, & quocumque alio ſecluſo, ſemper habetur peccatum. Ergo illa negatio eſt ratio formalis, ſive eſt id, à quo actus vel omiſſio formaliter denominatur peccatum: non quaſi intrinſecè componat illum actum vel omiſſionem, quæ denominatur peccatum (conſtat enim, quia privativum non poteſt eſſe de eſſentia alicujus entis poſitivi) ſed quia actus ille poſitivus in ſe bonus, & fortè etiam conveniens naturæ rationali, non intelligitur peccaminoſus, niſi conſideratus ſub negatione conformitatis ad legem.

An autem illa negatio, ſit pura negatio, an verò privatio, verborum potiùs certamini, quàm rerum examini deputandum eſt: utrumque videtur poſſe dici reſpectu diverſorum; nam reſpectu ipſius actûs vel omiſſionis culpabilis, non eſt privatio, ſaltem phyſica, ſed pura negatio, quandoquidem talis actus vel omiſſio non poſſit habere conformitatem ad illam legem, cui contrariatur: attamen reſpectu potentiæ eſt vera privatio; illa enim poteſt & debet habere conformitatem ad legem, cui actus vel omiſſio contrariatur, quâ utique conformitate caret, ratione hujus actûs vel omiſſionis. 3. An illa negatio debeat vocari privatio.

Poſſem hìc fuſiùs diſcurrere de hac controverſia, ſed ſuperſedeo, quia non eſt præſentis loci: tantùm ſubſcribo verba clariſſima Scoti, quæ habet 2. diſt. 37. q. 1. nu. 3. *Loquendo de peccato ſive contra legem divinam, ſive contra legem humanam, aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordare legi ſuperioris agentis, & diſcordavit. Iſte igitur actus, qui eſt in poteſtate diſcordantis, & per hoc voluntarius, non eſt formaliter peccatum; quia ſi ille eſſet concors regulæ ſuperiori, non eſſet peccatum: ergo in illo actu præciſa ratio peccati eſt privatio illius concordiæ.* Scotus.

Et ibidem n. 6. ſic ait: *Concedo igitur, iuxta ſolutionem quæſtionis præmiſſam, quòd peccatum eſt corruptio rectitudinis in actu ſecundo, non autem naturalis, nec cuiuſcumque habitualis: ſed non intelligo de corruptione, quæ eſt mutatio de eſſe ad non eſſe (poteſt enim peccatum manere poſt talem mutationem iuſtitiæ ab eſſe in non eſſe) ſed intelligo corruptionem formaliter, ſicut privatio dicitur formaliter corruptio ſui habitûs: hoc enim modo peccatum eſt formaliter corruptio rectitudinis in actu ſecundo, quæ opponitur illi rectitudini, ut privatio habitui; non quidem rectitudini, quæ ineſt, quia tunc duo oppoſita ſimul ineſſent; nec quæ priùs infuit illi actui, quia actus non manet, ut poſſit alterari ab oppoſito in oppoſitum; ſed quæ deberet ineſſe. Voluntas enim libera debitrix eſt, ut omnem actum ſuum eliciat conformiter*

conformiter regulæ ſuperiori, ſcilicet ſecundùm divinum præceptum: & ideo quando agit diſcorditer ab illa regula, caret iuſtitiâ actuali debitâ. Hæc eſt iuſtitia, quæ deberet ineſſe actui, & non ineſt; & hæc carentia in quantùm eſt actus voluntatis deficientis, ſicuti dicetur in alia ſolutione; eſt formaliter peccatum actuale. Hoc ſuppoſito:

4 Probatur Concluſ. ex Scoto.

Concluſio eſt Scoti ibidem nu. 9. in principio: *Ex hoc patet ſecundum; quia cùm privationes diſtinguantur ſpecie ex diſtinctione habituum ſpecifica, & numero ex diſtinctione habituum numerali; peccata, quæ ſunt privationes quædam, ſcilicet rectitudinum, quæ deberent ineſſe actibus, diſtinguuntur formaliter ex diſtinctione talium rectitudinum: ùt quando debent haberi diverſæ rectitudines ſpecie, ſunt carentiæ diverſæ ſpecie: & ita non per converſiones ad obiecta, quæ non ſunt mala niſi materialiter, diſtinguuntur ipſa peccata; ſed formalis ratio in eis diſtinguitur in comparatione ad rectitudinem aliam & aliam ſpecie, quæ deberet ineſſe.*

Idem docet Quodlib. 18. n. 17. ibi: *Malitiæ eo modo differunt, quo bonitates, quæ deberent ineſſe, ſi ſpecie, ſpecie; ſi numero, numero. Privationes enim diſtinguuntur, ſicut habitus nati eſſent diſtingui; putà ſurditas & cæcitas ſuo modo differunt ſpecie privativâ, ſicut auditus & viſus ſpecie poſitivâ; & hæc cæcitas & illa numero privativè; ſicut hic viſus & ille differunt numero poſitivè.*

Et hinc patet, quòd non ſolùm diſtinctio vitiorum phyſicè loquendo, ſed etiam peccatorum Theologicè loquendo, & hoc ſpecie, & numero, & etiam genere accipi poteſt, non tantùm per diſtinctionem converſionis; quia illa nec per ſe conſtituit, nec etiam diſtinguit peccatum ùt peccatum; ſed accipitur ſecundùm rationem propriam huius privationis, quæ eſt formalis ratio diſtinguendi privativè, ſicut habitus (eſt formalis ratio diſtinguendi) *poſitivè.* Hactenus Doct. Subt.

5. An Scotus ſit ſibi ipſi contrarius?

Sed numquid ſibi ipſi contrarius 2. diſt. 7. n. 12. ubì docet malitiam ex genere deſumi ex objecto diſſono naturæ rationali? *Huic triplici bonitati* (inquit Scotus) *opponitur triplex malitia. Prima quidem malitia ex genere, quando ſcilicet actus, qui tantùm habet bonitatem naturæ, ex quo deberet conſtitui in genere moris, habet malitiam; quia tranſit ſuper obiectum diſconveniens, putà ſi odire tranſit ſuper Deum. Secunda eſt malitia ex aliqua circumſtantia deordinante actum, licèt tranſeat ſuper obiectum conveniens ſecundùm rectam rationem actui* (putà audire Miſſam, vel dare eleëmoſynam ex vana gloria) *Tertia eſt malitia in demerito.*

Quid Scotus intelligat per malitiam ex genere?

Hìc (inquam) Scotus non eſt ſibi ipſi contrarius, eſtò per malitiam ex genere intelligat, non aliquam confuſam & abſtractam malitiam, ſed ſpecificam; ùt patet in exemplo allato, *putà, ſi odire tranſit ſuper Deum.* Nam odium Dei nemo dubitat eſſe peccatum ſpecificum (ut ſic loquar) & habere malitiam ſpecificam. Equidem non eſt ſibi ipſi contrarius, quia diſt. 37. loquitur de formali ratione peccati; ſimiliter Quodlibet. 18. hìc autem de materiali peccati, ſive actu, cui ineſt ſuo modo privatio rectitudinis, qui indubiè ſpecificatur à ſuo objecto, ſicut in eſſe naturæ, ita etiam in eſſe moris. A quo enim alio ſpecificaretur?

Ab efficiente (inquis) juxta illud Scoti 2. diſt. 40. n. 3. *De ſecundo dico, quòd bonitas actûs moralis eſt ex aggregatione omnium convenientium actui; non abſolutè ex natura actûs, ſed quæ conveniunt ei ſecundùm rectam rationem. Quia igitur actui ratio recta dictat determinatum obiectum convenire, & determinatum modum, & alias circumſtantias; non eſt completa bonitas ex ſolo fine: ſed prima ratio bonitatis eius eſt ex convenientia actûs ad efficiens, à quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitus; & hoc eſt commune actui bono & malo: neque enim actus eſt laudabilis nec vituperabilis, niſi ſit à voluntate.* Ergo prima ratio malitiæ ſumitur ab efficiente. An ſpeci ab e te? Scot

Reſpondeo: Loquitur Scotus de moralitate actûs, ùt patet ex illis verbis: *A quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitur* &c. illamque vocat primam rationem bonitatis & malitiæ; quia neque actus eſt laudabilis, neque vituperabilis, niſi ſit à voluntate liberè operante. Ergo ratio ſpecifica bonitatis & malitiæ ſumitur ab efficiente, qualis Conſequentia? Enimverò voluntas indifferens eſt ad actus bonos & malos, & ſolùm tribuit actui libertatem. A quo ergo ſpecificatur actus bonus & malus?

Secunda conditio (proſequitur Doctor) *eſt ex obiecto; quod ſi ſit conveniens, tunc eſt actus bonus ex genere:* ſi diſconveniens, actus malus ex genere: non quia ſit genus propriè dictum: ſed, *quia eſt indifferens ad bonitates* & *malitias ulteriores, quæ ſumuntur ex circumſtantiis ſpecialibus; ſicut genus eſt indifferens ad multas differentias.* Vel (ùt loquitur Doctor Angelicus 1. 2. q. 18. a. 2. in corp.) *genere pro ſpecie accepto, eo modo loquendi, quo dicimus humanum genus totam humanam ſpeciem.* A cib à à

Aliis verbis id ipſum explicat Doctor Subtilis 2. diſt. 7. q. 1. n. 11. *Prima* (bonitas) *competit volitioni ex hoc, quòd ipſa tranſit ſuper obiectum conveniens tali actui ſecundùm dictamen rectæ rationis; & non ſolùm, quia eſt conveniens tali actui naturaliter, ùt ſol viſioni. Et hæc eſt prima bonitas moralis, quæ ideo poteſt dici ex genere, quia eſt quaſi materialis reſpectu omnis boni ulterioris in genere moris: nam actus tranſiens ſuper obiectum, eſt quaſi formalis per quamcumque aliam circumſtantiam moralem; & ita quaſi potentiale non omninò extra genus moris (ſicut fuit ipſe actus in genere naturæ) ſed in genere moris; quia iam habet aliquid de illo genere, putà obiectum conveniens actui.*

Itaque actus peccaminoſus, materialiter ſumptus, ſpecificam malitiam, id eſt, quaſi eſſentialem & quidditativam, ſumit ab objecto, juxta illud Oſeæ 9. v. 10. *Facti ſunt abomina-* Pecc ſump accip

Digitized by Google

abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt. Atque ſub tali conſideratione diſtinctio ſpecifica peccatorum rectè dicitur deſumi ab objecto; nam in rebus phyſicis ab illo deſumitur diſtinctio ſpecifica, à quo deſumitur ſpecies, quia idem eſt principium ſpecificativum & diſtinctivum, ùt patet in homine: ergo etiam in rebus moralibus.

Hinc quando Doctor 2. diſt. 37. n. 9. negat peccata ſpecie diſtingui per converſiones ad objecta, quæ non ſunt mala niſi materialiter, continuò ſignificat, quid intelligat per ly *Peccata*, dicens: *Sed formalis ratio in eis* (id eſt peccatis) *diſtinguitur in comparatione ad rectitudinem* &c. Negat ergo formale peccati, id eſt, privationem rectitudinis diſtingui ſpecie per objecta.

Similiter Quodlib. 18. non negat ſimpliciter diſtinctionem peccatorum poſſe accipi per diſtinctionem converſionis ad objecta: ſed (inquit) *Accipi poteſt non tantùm per diſtinctionem converſionis*; ergo etiam per hanc accipi poteſt diſtinctio peccatorum, ſed non ùt peccata ſunt, id eſt, ſecundùm eſſe ſuum formale; *quia illa* converſio *nec per ſe conſtituit, nec etiam diſtinguit peccatum ùt peccatum; ſed accipitur ſecundùm rationem propriam huius privationis, quæ eſt formalis ratio diſtinguendi privativè, ſicut habitus*, id eſt, rectitudo virtutis, eſt formalis ratio diſtinguendi *poſitivè*. Hæc latiùs pro explicanda mente Scoti, à qua ne ad latum unguem recedendum exiſtimo, ubì nihil melius apparet. Igitur Concluſio noſtra intelligenda eſt de peccato ùt peccatum, id eſt, ſecundùm formalem rationem, quæ ſicut in phyſicis, ita & in moralibus potiſſimùm conſideranda venit.

Sed contrà arguunt Thomiſtæ: Diſtinctio deſumi debet ex illo, quod in peccato ſe habet per ſe, quod eſt actus; hic enim à peccante intenditur: privatio ſolùm eſt per accidens intenta.

Reſpondet Felix Tentat. Complut. tomo poſteriori tract. de Peccatis cap. 2. diff. 1. n. 3. illud ſe habet per ſe in quacunque re, quod eſt formale illius; ſed privatio eſt formale peccati: ergo in ratione peccati privatio ſe habet per ſe; actus verò poſitivus eſt quid materiale, & ſic ſe habet per accidens. Ergo ex rectitudine ſumenda eſt ſpecificatio & diſtinctio, non verò ex objectis. Neque illud, quod peccans per ſe intendit, eſt ſpecificativum peccati; nam peccans ſolùm per ſe intendit delectabilitatem, non peccatum; immò vellet tale delectabile non eſſe peccatum. Hæc ille.

Et tamen delectabilitas non ſpecificat peccatum; nam ex ſe poteſt eſſe bona (v. g. delectabilitas copulæ carnalis) aut ſaltem non graviter peccaminoſa; & tamen copula carnalis cum non ſua eſt peccatum mortale fornicationis: ergo ab illa delectabilitate non ſpecificatur peccatum, etſi per ſe intendatur. Ergo licèt actus ſit illud, quod intendit peccans; non indè rectè ſequitur, quòd ab actu debeat deſumi diſtinctio peccatorum: nam certum eſt, eumdem ſpecie & numero actum phyſicum, poſſe habere plures malitias ſpecie diſtinctas, putà furtum rei ſacræ malitiam injuſtitiæ & ſacrilegii; & plures ſpecie actus phyſicos, poſſe habere eandem ſpecie malitiam, v. g. furtum auri & furtum argenti malitiam injuſtitiæ.

Prætereà argumentantur Adverſarii ex D. Aug. lib. 83. qq. q. 6. dicente: *Summum malum nullum modum habet; caret enim omni bono. Non eſt igitur, quia nulla ſpecie continetur, totumq́; hoc nomen mali de ſpeciei privatione repertum eſt.* Ergo peccatum in quantum peccatum, non habet ſpeciem neque modum: ergo per privationem, quam peccatum dicit, non diſtinguitur ſpecie, ſed per objecta, quæ actus poſitivi reſpiciunt. 10. *Alia objectio ex D. Auguſt.*

Reſpondet Felix ſuprà n. 4. quòd hoc ſolùm probat, privationes per ſe non diſtinguere peccata, ſed ratione rectitudinum, quarum ſunt privationes. Propter quod optimè S. Thomas 1. 2. q. 72. a. 1. dicit, quòd peccata magìs propriè differunt ſecundùm objecta, non quia per privationes, & iſtæ per rectitudines non diſtinguantur (nam hoc fatetur ad ſecundum) ſed quia ſpecies magìs accipiuntur ab entibus poſitivis, quàm à privationibus: & ita docet, quòd ab objectis; quod verum eſt, ſi intelligatur quaſi radicaliter & remotè (ùt ipſe docet ad ſecundum) nam ex objectis cognoſcimus diſtinctionem & ſpecificationem virtutum, ùt ab extrinſeco, in quo ſenſu venit intelligendus S. Thomas. Hucuſque Felix. *Reſponſio Felicis.*

Sed audiamus D. Thomam, qui rem clariùs explicat: *Ad ſecundum dicendum, quòd peccatum non eſt pura privatio; ſed eſt actus debito ordine privatus: & ideo peccata magìs diſtinguuntur ſpecie ſecundùm obiecta actuum, quàm ſecundùm oppoſita; quamvis etiamſi diſtinguantur ſecundùm oppoſitas virtutes, in idem redeunt; virtutes enim diſtinguuntur ſpecie ſecundùm obiecta.* Si in idem redeunt diſtinctio ſpecifica peccatorum ſecundùm object a actuum, & diſtinctio ſpecifica peccatorum ſecundùm oppoſitas virtutes; ergo etiam in idem redeunt Doctor Angelicus, & Doctor Subtilis. *S. Thomas.*

Et quidem ſi quæritur de peccato, ùt eſt actus aliquis humanus, indubiè ſpecificatio & diſtinctio ejus magìs ex objecto ſumenda eſt, quàm ex virtute oppoſita, ùt clarum eſt: ſin autem de peccato, ùt peccatum eſt, quemadmodùm conſideratur in ordine ad Confeſſionem, de qua hìc tractamus; liquet profectò, primariam ejus ſpecificationem & diſtinctionem deſumendam fore à rectitudine virtutis oppoſitæ; nam peccatum ùt peccatum, 11. *Peccatum ùt eſt actus humanus ſpecificatur ab objecto: ut autem peccatum eſt, à rectitudine virtutis oppoſitæ.*

 eſt

eſt privatio rectitudinis debitæ : privatio autem primariò ſpecificatur & diſtinguitur per formam oppoſitam, ùt patet in cæcitate & & ſurditate, quæ primariò ſpecificantur & diſtinguuntur per viſum & auditum.

Ultimum probatur.

Probatur: quia totum eſſe privationis eſt carentia alicujus eſſe; ergo talis erit, quale fuerit illud eſſe, quo privat. Ex quo infert Scotus, actum malum formaliter, ſive peccatum ùt peccatum eſt, proximè ſumere ſpeciem à privatione, quâ formaliter conſtituitur; radicaliter verò ab honeſtate oppoſita. Nec repugnat hæc aſſertio cum illa, quæ dicit, malitiæ ſpeciem ſumi ab objecto, v. g. ideo velle mentiri eſſe malum formaliter, quia mentiri eſt malum objectivè: nam ſemper manet illud, quòd privatio proximè & immediatè reſpiciat poſitivum, quo privat. Et quia illud poſitivum dicit ordinem ad objectum, etiam hæc privatio ſuo modo reſpicit objectum, quod eſt prima radix bonitatis, & privationis talis bonitatis in actu.

12. Quomodo eidem virtuti poſſint opponi diverſa ſpecie peccata?

Reſtat unica difficultas, & non modica; videlicet, ſi peccata ſpecie diſtinguantur ſecundùm oppoſitas virtutes; quomodò fieri poſſit, ut eidem virtuti opponantur diverſa ſpecie peccata, v. g. liberalitati avaritia & prodigalitas; juſtitiæ furtum, homicidium, detractio.

Reſponſio Felicis.

Reſpondet Felix ſuprà n.5. ſufficere ad multiplicandas malitias, quòd diverſo modo recedatur ab eadem virtute. Cùm ergo à rectitudine liberalitatis recedat avarus per defectum, ex nimio amore divitiarum fugiens ſumptus neceſſarios; & prodigus, ex nimio contemptu pecuniarum, non ſolùm amplectatur ſumptus neceſſarios, ſed etiam ſuperfluos; uterque non attingit liberalitatem, quæ in medio conſiſtit (ſicut aliæ virtutes morales) iſte per exceſſum, ille per defectum peccat: & ſic avaritia & prodigalitas ſunt vitia ſpecie diſtincta, quia diverſo modo recedunt ab eadem virtute; ſicut extremi colores, ùt album & nigrum, ſi comparentur ad colorem medium, habent privationes ſpecie diſtinctas: in nigro enim eſt privatio viridis, quia eſt carentia, non opacitatis, quâ viride accedit ad nigrum, ſed illius quo viride vergit in album: & ſimiliter in albo eſt privatio viridis, cùm ſit carentia, non ejus quo viride accedit ad album, ſed illius opacitatis, quâ viride vergit in nigrum. Unde quæcumque virtus, ſaltem moralis, ſpecificare poteſt duo peccata ſpecie diverſa, ex diverſo modo recedendi ab illa. Ex quo patet, quòd in eodem numero actu phyſico, poſſunt eſſe plures malitiæ ſpecie diverſæ, v. g. in adulterio: nam ſunt diverſæ privationes ſpecie, una oppoſita temperantiæ, altera oppoſita juſtitiæ. Hactenus Felix.

13. Non vide-

Sed non videtur ſatisfacere: licèt enim avaritia & prodigalitas, iſta per defectum, hæc per exceſſum recedant à medio virtutis liberalitatis; equidem furtum, homicidium, detractio per ſolum defectum recedunt à medio juſtitiæ; & tamen ſunt peccata ſpecie diſtincta. Per quid? Non per rectitudinem oppoſitam; nam virtus juſtitiæ particularis eſt ſpecies infima: non etiam per diverſum modum recedendi, nam (ùt liquidò conſtat) omnia recedunt à medio juſtitiæ per defectum, non tribuendo ſeu auferendo cuique jus ſuum. Per quid ergo? Numquid per objecta materialia? Certum eſt, diverſitatem objecti materialis non ſemper ſufficere ad ſpecificam diſtinctionem peccatorum, ùt manifeſtè patet in exemplo ſuprà allegato, putà in furto auri & furto argenti. Quando tamen (inquit Herincx part. 2. diſp. 5. n. 44.) in diverſis objectis materialibus apparet diverſa & diſſimilis indecentia, ſunt peccata ſpecie diſtincta; ùt patet in ablatione vitæ, honoris & bonorum fortunæ, in quibus relucet valde diverſa indecentia.

Sed hoc eſt, quod quæritur; cùm enim non privent niſi eâdem decentiâ, ſcilicet honeſtate juſtitiæ; & privent eodem modo, ſcilicet per receſſum à medio; & diſtinctio objecti materialis non ſemper ſufficiat; unde oritur illa diverſa indecentia? Sive ergo diſtinxeris peccata ſpecie per virtutes oppoſitas, ſive per objecta, æqualis eſt difficultas in aſſignando principio diſtinctionis ſpecificæ horum peccatorum. Quid ergo dicendum?

Reſpondeo: Per rectitudinem, quam Concluſio noſtra aſſignat pro principio ſpecificativo peccatorum, non intelligitur rectitudo ſeu virtus habitualis; ſed rectitudo actualis: nam peccatum ſecundùm formalem rationem peccati, eſt privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui; ergo privatio rectitudinis actualis. Jam autem furtum, detractio & homicidium tametſi opponantur eidem rectitudini habituali, ſcilicet virtuti juſtitiæ particularis, quam putamus eſſe ſpeciem infimam; attamen diverſæ rectitudini actuali: poteſt namque eadem virtus inclinare in actus ſpecie diſtinctos, ùt patet in habitu Charitatis, qui inclinat ad amorem Dei, & proximi propter Deum, qui ſunt actus ſpecie diſtincti, non tantùm in eſſe naturæ; ſed etiam (ſecundùm Aliquos) in eſſe moris, id eſt, habent diſtinctas ſpecie bonitates, propter diverſam participationem ſeu applicationem objecti primarii & formalis: nam bonitas divina intrinſecè competit Deo, extrinſecè ſolùm proximo.

Cur ergo ſimiliter juſtitia, eſtò ſit ſpecies infima, non poſſit inclinare voluntatem ad conſervationem vitæ, ad conſervationem famæ, & bonorum fortunæ? Quæ utique res, cùm ſint planè diſtinctæ rationis, & diſtincti ordinis, videntur tribuere ſpecialem honeſtatem & non ſolùm diſtinguere illos actus ſpecie in eſſe

Digitized by Google

eſſe phyſico, ſed etiam in eſſe morali, quidquid ſit de amore Dei, & proximi propter Deum, qui apud Multos habent eandem ſpecie bonitatem moralem.

15. Profectò longè aliter conſervatur aut donatur (ſaltem in morali æſtimatione) vita, quàm fama vel pecuniæ: quod ſi verum eſt, & à nemine negatur, etiam negari non poteſt, & veriſſimum eſt, homicidium, detractionem & furtum eſſe peccata ſpecie diſtincta, non quia unum recedat à medio juſtitiæ per exceſſum, & aliud per defectum, ſed quia privant diverſâ ſpecie rectitudine actuali; vel etiam quia privant eâdem rectitudine habituali, diverſimodè deficiendo à medio juſtitiæ: ſicuti enim alio modo conſervatur vita, alio modo fama, & alio modo pecunia; ſic etiam alio modo per homicidium quis privatur vitâ, & alio modo per detractionem famâ, & alio modo per furtum bonis fortunæ. Ita docet communis hominum inſtinctus, ac præſertim conſenſus DD.

Atque hæc doctrina applicari poteſt omnibus vitiis extremè oppoſitis; quia videlicet non quælibet malitia alicujus actûs, contrarii alicui virtuti, privat totaliter honeſtate illius virtutis, neque ſecundùm omnem rationem ejus, ſed ſecundùm diverſos actus, ad quos illa virtus inclinat, v. g. liberalitas inclinat ad dandum & retinendum cum mediocritate; prodigalitas ergo deſtruit illam, quatenus inclinat ad dandum, quia nimium dat; avaritia autem deſtruit illam, quatenùs inclinat ad retinendum, quia nimium retinet: ac proinde malitia prodigalitatis, diverſa eſt à malitia avaritiæ, quia privat actu, habente honeſtatem diverſæ rationis, vel abſolutè & ſimpliciter, vel ſecundùm inadæquatos conceptus.

16. Idem eſt de ſobrietate, quæ quatenus inclinat ad comedendum mediocriter, habet oppoſitam guloſitatem; quatenus autem inclinat ad abſtinendum moderatè, habet oppoſitam inſenſibilitatem. Cæterùm ipſa eſt idem ſpecie habitus, quia elicit illos actus propter idem motivum principale; quod eſt honeſtas, quæ reperitur in mediocri uſu cibi & potûs; hæc autem honeſtas per ſe & intrinſecè invenitur in ſumptione cibi & potûs moderata: at verò in abſtinentia, quæ eſt mera ſubtractio alimentorum, non reperitur ita perfectè, ſed tantùm quatenus illa eſt neceſſaria, ne excedatur in ſumptione cibi & potûs; alioquin per ſe non eſt decens, tametſi propter honeſtatem extrinſecam poſſit appeti, v.g. pœnitentiæ, vel ſimilium virtutum.

Itaque ratione hujus diverſæ participationis ejuſdem honeſtatis, honeſtas materialis & objectiva moderatæ ſumptionis cibi & potûs, diſtinguitur ab honeſtate abſtinentiæ; ſiquidem objectum alicujus actûs virtuoſi non ſolùm eſt ipſa honeſtas ſecundùm ſe, ſed etiam participatio ejuſdem: nam propter talem honeſtatem non poſſet res appeti, niſi participaret illam. Cùm igitur hîc ſit diverſa participatio ejuſdem motivi principalis, erit quoque motivum totale diverſum, etſi non totaliter, ſed tantùm ſecundùm modum aliquem participationis; quæ diverſitas objecti formalis, ſicut indubiè ſufficit ad ſpecificam diſtinctionem actuum, ita etiam videtur ſufficere ad ſpecificam diſtinctionem bonitatum formalium; per conſequens ad diſtinctionem ſpecificam peccatorum oppoſitorum.

Si inferas: Ergo datur tantùm unus habitus virtutis, inclinans in omnes actus virtuoſos propter eandem honeſtatem, alio & alio modo participatam. 17. Objectio.

Reſpondeo N. C. quia in aliquibus virtutibus apparet manifeſta differentia, ex omnimoda diſtinctione objectorum formalium, quæ etiam ſufficienter patet ex intrinſeca natura objectorum materialium. Porrò in caſu propoſito reperitur eâdem ſpecie honeſtas, quæ movet, videlicet honeſtas temperantiæ; cujus ſolummodò participatio mutatur, quæ cùm etiam aliquo modo attingatur ab actu, jam erit objectum diſtinctum. Diſſolvitur.

Addunt Aliqui; quòd ſicut temperantia, prout eſt ſpecialis virtus, comprehendit caſtitatem & ſobrietatem, qui ſunt diſtincti habitus; ſic fortè etiam abſtinentiam & moderatam comeſtionem procedere à diverſis habitibus. Nec Philoſophi oppidò ſoliciti fuerunt de hac accurata diſtinctione virtutum, cùm ſit parvi momenti. At verò de diſtinctione peccatorum magìs curaverunt Theologi, eò quòd ſit præceptum confitendi peccata mortalia in ſpecie ac ſigillatim.

Ex dictis patet, quare gula & ebrietas ſint peccata ſpecie indiſtincta: ſiquidem privant eâdem rectitudine ſobrietatis eodem modo, ſcilicet per exceſſum in ſumendo nutrimento, quod præjudicat corporis valetudini ac functionibus mentis. Unde vulgaris uſus habet, ut tam in cibo, quàm in potu dicatur quis ſobrius; & honeſtas utrobique eſt eadem, videlicet, quæ reſultat ex menſura ſervata in nutritione, ſeu nutrimento, quod corpori aut rationi non præjudicet. 18. Quare gula & ebrietas ſint peccata ſpecie indiſtincta.

Admitto, exceſſum in potu, maximè qui ſolet inebriare, magìs præjudicare rationi, quàm exceſſum in cibo: ſed hinc tantùm ſequitur diſtinctio penes magìs & minus; ſicuti magìs difficile eſt ſolvere 100. florenos, quàm 10. tamen propterea non eſt virtus ſpecie diſtincta, quæ inclinat ad reddendum 100. ab illa, quæ inclinat ad reddendum 10. Quin immò poſſet dari cibus, qui propter varia ingredientia æquè, fortè etiam magìs, perturbaret rationem, quàm vinum. Cùm ergo utrumque nutriat, & utrumque impediat rationem, eſtò unum magìs, quàm aliud, nulla eſt neceſſitas diverſitatis eſſentialis plurium

Digitized by Google

rium virtutum, ſed eadem ſpecie eſſentialiter virtus poteſt verſari circa utriuſque moderationem: alioquin tot debebunt eſſe virtutes diſtinctæ, quot ſunt cibi diſtincti, qui magìs vel minùs nutriunt; aut potus diſtincti, qui magìs vel minùs impediunt rationem.

19. Objectio ſolvitur.

Nec valet, quod communiter objicitur: aliquis poteſt eſſe ſobrius in cibo, & non in potu; non valet (inquam) quia talis abſolutè & ſimpliciter non eſt ſobrius; veluti qui vult reddere 10. & non 100. abſolutè & ſimpliciter non eſt juſtus.

Si autem à me quæras; unde ergo proveniat difficultas, quæ ſentitur in abſtinentia à potu, & non à cibo; vel vice verſâ, à cibo, & non à potu; ab uno cibo aut potu, & non ab alio? Reſpondeo; provenire ab extrinſeco, vel ex prava conſuetudine, vel ex eo quòd palatum ſit infectum, vel ex alia ſimili cauſa, quæ non ſufficit ad diverſificandum habitum; vel honeſtatem virtutis ſpecie ſeu eſſentialiter; ſed tantùm accidentaliter ſecundùm magìs & minùs.

20. Alia objectio.

Si inferas: Ergo etiam fornicatio, & triplex peccatum contra naturam non diſtinguuntur ſpecie; privant quippe eâdem caſtitate, eodem modo, ſcilicet per exceſſum in re venerea.

Reſponſio. Alio modo privat caſtitate peccatum contra naturam, alio fornicatio.

Reſpondeo N. C. Ad probationem dico: Alio modo peccatum contra naturam privat caſtitate, alio modo fornicatio; licèt enim utrumque opponatur per exceſſum, equidem unum peccatum eſt contra generationem prolis; aliud autem ſolùm contra bonam educationem: adeoque videntur privare non tantùm alio modo eâdem rectitudine, ſed etiam diverſis rectitudinibus, quæ deberent ineſſe actibus oppoſitis; fornicatio nimirum bonâ educatione, peccatum verò contra naturam bono generationis humanæ. Siquidem qui vult copulam carnalem, debet ſic eam velle, ut ſequatur bona educatio; & qui vult ſeminationem, debet ſic eam velle, ut poſſit ſequi generatio humana. Unde non incongruè poſſent poni plures caſtitates, ſaltem actuales, ſpecie diſtinctæ.

21. An omnia peccata contra naturam ſint ejuſdem ſpeciei.

Dices: Ergo ſaltem peccata contra naturam omnia erunt ejuſdem ſpeciei. Reſpondent Aliqui concedendo totum: Quia (inquiunt) malitia horum peccatorum in hoc formaliter conſiſtit, quòd ſemen extra vas naturale effundatur; quòd autem hoc fiat manibus, vel contactu alterius corporis hominis vel beſtiæ, non videtur importare niſi diſtinctionem accidentalem; ſimili modo quo pollutio, quæ procuratur tactibus manuum, eſt eadem ſpecie cum illa, quæ procuratur tactibus veſtium.

Hæc ſententia adſcribitur D. Thomæ 2. 2. q. 154. a. 11. ubi poſtquam docuiſſet vitium contra naturam eſſe determinatam ſpeciem luxuriæ, illicò ſubjungit: *Quod quidem poteſt pluribus modis contingere. Uno quidem modo, ſi abſque omni concubitu causâ delectationis venereæ pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Alio modo, ſi fiat per concubitum ad rem non ejuſdem ſpeciei, quod vocatur beſtialitas. Tertiò, ſi fiat per concubitum ad non debitum ſexum, puta maſculi ad maſculum, vel feminæ ad feminam (ùt Apoſtolus dicit ad Rom. 1.) quod dicitur ſodomiticum vitium. Quartò, ſi non ſervetur naturalis modus concumbendi, aut quantùm ad inſtrumentum non debitum, aut quantùm ad alios monſtruoſos & beſtiales concumbendi modos.* Ecce (inquit Caramuel Theol. Fundament. 1. editionis n. 1192.) in modos & non in ſpecies ſubdividit Doctor Angelicus contranaturale peccatum. Plures Auctores pro hac opinione refert ſequentibus numeris, quos vide ſi placet. Ipſe autem part. 2. Theol. Fundam. n. 111. ſic ait: Quidquid de ſchola ſit & probabilitate, hanc practicam Concluſionem ſubſcribo: Diſtinguuntur ſpecie; quam unicam doceo & propugno. Hæc ille, & ego.

Sed, dicet aliquis, quo fundamento? Nam Caramuel nullum aſſignat. Reſpondeo; non alio, quam communi prudentum ſenſu & apprehenſione. Hæc ſiquidem Aliquorum eſt doctrina, peccata oppoſita eidem virtuti, ſi non phyſicâ, ſaltem morali ſpecie diverſificari à communi prudentum judicio & apprehenſione. Porrò communiter prudentes longè aliam, & quaſi eſſentialiter diverſam deformitatem apprehendunt in peccato ſodomitico, aut peccato beſtialitatis, quàm in peccato mollitiei, propter longè alium, & quaſi eſſentialiter diverſum modum, quo illa peccata committuntur. Ex quo patet reſponſio ad rationem Adverſariorum, & auctoritatem Divi Thomæ.

Et verò Alex. VII. anno 1665. 24. Sept. damnavit & prohibuit, ad minùs tanquam ſcandaloſam, hanc Propoſitionem: *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoq; ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.* Maneat ergo hæc peccata eſſe ſpecie morali diſtincta, ideoque explicanda eſſe in Confeſſione.

Idem communiter dicitur de inceſtu cum parentibus (itemque cum fratre, vel ſorore) videlicet, cum ſpecie morali eſſe diſtinctum, ab inceſtu cum aliis conſanguineis vel affinibus; quia prudentes longè aliam in eo apprehendunt deformitatem; quamquàm non deſint, qui putent omnes inceſtus eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ; quia videlicet privant eâdem honeſtate eodem modo, putà reverentiâ debitâ conſanguineis vel affinibus in actu venereo. 23

Quòd enim (inquiunt) illa reverentia inter aliquos conſanguineos ſit debita jure naturali vel divino, inter alios autem jure tantùm humano,

mano, parùm refert ad diſtinctionem ſpecificam, cùm lex humana ex eodem motivo prohibeat talem actum; ex motivo (inquam) ejuſdem reverentiæ: quia quamquàm lex naturalis non dictet hanc reverentiam eſſe neceſſariam inter aliquos conſanguineos vel affines; haùd equidem impedit eam induci per legem humanam, tanquam congruam & convenientem bono communi.

Sanè hæc reverentia, ſeu debitum ejus, oritur ex eo, quòd aliqui communicent in carne & ſanguine. Porrò omnes conſanguinei & affines communicant in carne & ſanguine, eſtò hi magìs immediatè, quàm illi. Num ideo diſtinctio ſpecifica?

Putas, ſimonia juris divini, diſtinguitur ſpecie à ſimonia juris humani? Quamvìs enim in una re ſit immediatior participatio & conjunctio cum Deo, quàm in alia re; attamen quia irreverentia utrobique eſt eadem, etiam conſequenter eadem eſt irreverentia, quamvìs in uno caſu ſit major, quàm in alio. Ergo conſimiliter, licèt inter patrem & filiam immediatior ſit communicatio carnis & ſanguinis, quàm inter fratrem & ſororem aut neptem; attamen quia reverentia utrobique eſt eadem, etiam conſequenter eſt eadem irreverentia, quamvìs in uno caſu major, quàm in alio. Auctores pro hac opinione videre poteris apud Diana p. 1. tract. 7. reſol. 31.

24. Itaque, ut progrediamur ad ſecundam partem Concluſionis, omnes Theologi maximè curaverunt, & ſummoperè ſoliciti fuerunt de diſtinctione peccatorum, eò quòd ſit præceptum confitendi omnia peccatà mortalia in ſpecie ac ſigillatim. Et quia non ſufficit declarare peccata ſua in ſpecie & ſigillatim, ſed inſuper requiritur declaratio earum circumſtantiarum, quæ ſpeciem peccati mutant; hinc non minori ſolicitudine inveſtigant & explicant hujuſmodi circumſtantias. Interim diſtinctio, quæ ex ipſis petitur, accidentalis eſt; ùt habet Concluſio, eò quod ſint accidentia, ſivè adjuncta extra ſubſtantiam iſtorum actuum, quos circumſtant, ſi eos conſideres ſecundùm eſſe ſpecificum & primarium, quod habent in genere moris.

Ex quo patet I. non eſſe circumſtantiam actûs moralis, quòd ſit liber; itemque quòd ſit ex conſideratione bonitatis, malitiæ, aut indifferentiæ objectivæ; per hæc enim conſtituitur eſſentialiter prima moralitas: ſunt tamen circumſtantiæ actûs in genere naturæ, ùt clarum eſt.

Patet II. per malitiam ſacrilegii furtum rei ſacræ non diſtingui eſſentialiter & ſpecificè à ſimplici furto: quamvìs enim habeat malitiam ſpecie diſtinctam; equidem cùm hæc malitia ſit furto in ſua ſpecie (id eſt, in ſpecie injuſtitiæ conſtituto) accidentalis (quia per accidens eſt, quòd res ſit ſacra) ſolùm diſtinguit illud accidentaliter; eodem modo, ſicut homo albus diſtinguitur dumtaxat accidentaliter ab homine nigro, tametſi homo albus habeat aliquod accidens, eſſentialiter diſtinctum ab homine nigro.

Dices: Circumſtantia illa eſt objectum; 25. *Objectio diluitur.*
atqui ex objecto ſumitur diſtinctio ſpecifica: ergo &c. Reſpondeo diſt. Majorem; Circumſtantia illa, v.g. quòd res ſit ſacra, eſt objectum ſpeciei, quam conſtituit, putà ſacrilegii, concedo: eſt objectum ſpeciei, quam ſupponit conſtitutam, v. g. injuſtitiæ, nego.

Et ideo ſignanter dixi in Concluſione: *Ex circumſtantiis quà tales ſunt*, id eſt, quatenus afficiunt aliquem actum, jam in prima ſpecie moris conſtitutum. Nam quando circumſtantia dat primam ſpeciem in eſſe moris, tunc non manet in ratione circumſtantiæ actus in eſſe moris (quamvis bene actus in eſſe phyſico) ſed tranſit in rationem objecti; v.g. quod res, quam accipio, ſit aliena, per accidens eſt; adeoque eſſe alienam, eſt circumſtantia illius actûs in eſſe phyſico, vel etiam in eſſe moris medii, id eſt, nec boni nec mali, nihilominùs tranſit in rationem objecti, & dat primam & eſſentialem ſpeciem in eſſe moris extremi, id eſt moris mali, putà injuſtitiæ. Simile cernitur in copula conjugali, exercita in loco ſacro; tametſi enim ſpecies ſacrilegii, ſit accidens reſpectu entitatis phyſicæ, immò etiam moralis indifferentis aut bonæ; nihilominùs eſt prima ſpecies in eſſe moris mali; adeoq; ſub tali conſideratione non eſt circumſtantia, ſed objectum.

Cur autem in furto rei ſacræ, potiùs ſacrilegium ſit accidens, quàm furtum; ratio eſt: 26. *Cur in furto rei ſacræ potiùs ſacrilegium ſit accidens, quàm furtum.*
quia poteſt eſſe furtum ſinè ſacrilegio, non è contra ſacrilegium ſinè furto; id eſt, ablatio rei ſacræ poteſt eſſe furtum, & non ſacrilegium, v. g. ſi res non eſſet ſacra: non poteſt autem eſſe ſacrilegium, & non furtum; quia in eo conſiſtit eſſentialis ratio iſtius ſacrilegii, quòd res aliena ſacra auferatur; ita ut ſi eſſet res propria quamvis eſſet ſacra, ejus ablatio non eſſet ſacrilegium: ſi autem non eſſet ſacra, dummodò foret aliena, ejus ablatio eſſet furtum. Ergo potiùs malitia ſacrilegii circumſtat malitiam furti, quàm vice verſâ malitia furti malitiam ſacrilegii.

Plura hìc examinanda occurrerent, niſi ac- 27. *Recenſentur ſeptem circumſtantiæ.*
curata explicatio hujus materiæ (ùt ſuperiùs inſinuavi) pertineret ad Tractatum de Actibus humanis, ubì communiter à Theologis recenſentur ſeptem circumſtantiæ, comprehenſæ hoc verſiculo:

Quis, Quid, Vbì, Quibus auxiliis, Cur,
Quomodò, Quando.

Quæ quoniam frequenter mutant ſpeciem vel numerum peccati, adeoque explicandæ ſunt in Confeſſione, placuit ſingulas perſtringere, obiter reſolvendo aliqua dubia practica, quæ circa illas ſolent occurrere.

Et primò quidem circa primam circumſtantiam, id eſt, circa perſonam pœnitentis, ſolet dubitari; utrùm qui violarit votum ſolemne caſtitatis, teneatur id explicare in Confeſſione; an verò ſatisfaciat, dicendo: *Violavi votum caſtitatis?* Reſpondeo & dico 2.

CONCLUSIO II.

Qui violavit votum ſolemne caſtitatis, ſatisfacit dicendo in Confeſſione: *Violavi votum Caſtitatis.*

28. *Probatio Concl quia votum ſolemne eſt ſpecie indiſtinctum à ſimplici. Sanchez. Diana. Lugo. Arriaga Dicaſtillo.*

ITa docet Sanchez lib. 7. de Matrimonio diſp. 27. n. 27. & lib. 5. Sum. c. 6. n. 14. & Alii, quos citat Diana p. 1. tract. de Circumſt. reſol. 4. Atque hanc ſententiam probabiliſſimam vocat Lugo diſp. 16. n. 147. eamque amplectitur Arriaga diſp. 32. n. 19. & Dicaſtillo diſp. 9. n. 315. Ratio fundamentalis eſt: quia votum ſolemne caſtitatis eſt ſpecie indiſtinctum à voto ſimplici, argumento cap. *Rurſus* 6. Qui Clerici vel voventes. ubì Cæleſtinus III. ſic ait: *Unde à Fraternitate tua requiſiti, arbitramur, quòd cùm ſimplex votum apud Deum non minùs obliget, quàm ſolemne, pro eo quòd juravit temerè, Pœnitentiam agat, & votum quod Deo fecit, ſtudeat obſervare.* Item cap. Unico de Voto & Voti redempt. in 6. ibi: *Nos igitur attendentes, quòd voti ſolemnitas ex ſola Conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa* &c. Ita Bonifacius VIII. Biterenſ. Epiſcop. Ergo in ratione præciſa voti, id eſt, promiſſionis factæ Deo, ſunt ejuſdem ſpeciei, & ſolùm differunt accidentaliter per efficaciam ſeu vim perpetuam irritandi matrimonium ſubſequens, quæ ſicut inducta eſt per Eccleſiam, ita per eandem tolli poſſet; adeòque votum ſolemne fieri poſſet ſimplex, ſinè ulla intrinſeca mutatione: ergo non differunt eſſentialiter.

Cap 6. Qui Clerici vel voventes.

Cap un. de Voto in 6.

29. *Objectio.* Dices: ſufficit mihi, quòd differant accidentaliter: nam etiam furtum ſimplex, & furtum ſacrilegum ſolùm differunt accidentaliter (ùt dictum eſt in præcedenti Concluſione) & tamen neceſſariò ſpecificanda ſunt in Confeſſione.

Solvitur. Reſpondeo; planè ad hanc neceſſitatem ſufficere diſtinctionem accidentalem, quando accidens tribuit malitiam ſpecie diſtinctam actui ſubſtantiali, id eſt, quando ſpecialiter prohibetur, ſeu opponitur ſpeciali virtuti, prout fit in furto ſacrilego: at verò in caſu præſenti, efficacia irritandi matrimonium non tribuit ſpecialem malitiam cuicumque actui oppoſito caſtitati; ſed tantùm contractui matrimoniali, qui ſpecialiter prohibitus eſt illis, qui validè nequeunt contrahere.

Unde indubiè, qui habens votum ſolemne caſtitatis contraxiſſet Matrimonium, non ſatisfaceret dicendo: *Contraxi Matrimonium contra votum caſtitatis*; quia ſpecialiter peccavit contra virtutem Religionis, conficiendo Sacramentum invalidum; & contra virtutem juſtitiæ, dans conjugi corpus ſuum, quod dare non poterat, nec licitè nec validè; ac proinde potiùs corpus alienum, quàm ſuum. Neque de tali actu loquitur Concluſio, ſed de præciſa violatione caſtitatis per pollutionem v. g. fornicationem, aut ſimiles actus diſtinctos à contractu Matrimonii, quos exiſtimamus, ex illo impedimento dirimente Matrimonium, nullam ſpecialem contrahere malitiàm, ſaltem ſpecie diſtinctam à violatione voti ſimplicis.

Nec contrarium probat hoc argumentum: ideo copula cum conſanguinea intrà 4. gradum habet malitiam inceſtûs, explicandam in Confeſſione, quia Eccleſia prohibuit & irritavit Matrimonium inter illos; & ablatâ Eccleſiæ prohibitione, fornicatio cum conſanguinea in ſecundo gradu tranſverſo, non habet malitiam inceſtûs: ergo impedimentum irritans Matrimonium Religioſi ſufficit, ut fornicatio Religioſi habeat malitiam ſpecie diverſam explicandam.

Reſpondeo N. C. Si intelligas malitiam ſpecie diverſam à violatione voti ſive ſacrilegio: nam tota malitia, quæ reſultat ex illo impedimento, eſt contra Religionem & obſervantiam voti; ideò enim Eccleſia irritat matrimonium Religioſi, ut obſervet votum caſtitatis: quare explicatâ violatione voti caſtitatis, explicata videtur tota malitia ſpecifica.

Non ergò negamus; ex illo impedimento dirimente reſultare malitiam ſacrilegii, ſicuti in Antecedente ex impedimento irritante Matrimonium inter conſanguineos, reſultat malitia inceſtûs; ſed dicimus, malitiam inceſtûs eſſe ſpecie diſtinctam à malitia ſimplicis fornicationis, cùm habeat motivum ſpecie diſtinctum, ſcilicet reverentiam debitam conſanguineis. Quid ergo mirum ſi debeat diſtinctè explicari, cùm nullatenus explicetur explicatâ ſolâ malitiâ fornicationis? At verò in noſtro caſu cùm tam matrimonium, quàm fornicatio prohibeatur ob idem prorsùs motivum, ſcilicet, ut Religioſus obſervet votum caſtitatis; dum explicatur votum caſtitatis, explicatur tota ſpecifica malitia, quæ in fornicatione Religioſi reperitur.

Si inſtes: ſaltem illud impedimentum eſt circumſtantia notabiliter aggravans, aut etiam virtualiter multiplicans numerum malitiarum; etenim Religioſus diſpenſatus ad Matrimonium, adhuc committeret ſacrilegium fornicando. Reſpondeo: Eſtò notabiliter aggravaret (ùt Sanchez ſuprà docet) Concluſio loquitur ſecundùm illam ſententiam, quæ negat

negat illas circumſtantias eſſe explicandas.

Et (ut verum fatear) ſecluſo ſcandalo, non video ob quam rationem circumſtantia ſtatûs Religioſi, notabiliſſimè aggravet (ùt loquitur Sanchez ſuprà) fornicationem Religioſi. Fateor, perſona dignior eſt; ſed quid tum? Communis ſententia eſt, dignitatem perſonæ per ſe loquendo non niſi venialiter aggravare. Quantùm ad multiplicationem numeri, infrà oſtendemus, meram multiplicationem præceptorum in eadem materia, ex eodem motivo, nihil facere ad ſpecificam vel numericam diſtinctionem peccatorum.

His tamen non obſtantibus, contraria ſententia eſt multorum DD. quos citat Diana ſuprà; & Lugo ſuprà, ſtando in ratione, putat verius, quòd Religioſus non ſatisfaciat, niſi explicet ſtatum Religioſum. Probat nu. 148. quia Religioſus per vota non ſolùm ſe obligavit Deo, ſed etiam ipſi Religioni, cui ſe dicavit & donavit. Sicut ergo conjux fornicarius peccat non ſolùm contra caſtitatem, ſed etiam contra conjugem, cui per Matrimonium dedit dominium ſui corporis, quæ eſt malitia ſpecifica adulterii neceſſariò explicanda; ſic Religioſus, qui dedit dominium non ſolùm ſuæ voluntatis & fortunarum, ſed etiam corporis, Religioni, cui ſe per vota mancipavit, peccat non ſolùm contra votum caſtitatis, ſed etiam contra Religionem, cui ſui corporis dominium tradiderat, atque ideo videtur aliqualem adulterii maculam contrahere, violando fidem datam Religioni; atque adeò deberet hanc circumſtantiam Religioſi ſtatûs explicare. Hæc ille.

Sed non aſſentior: quia exiſtimo in aſſumptione ſtatûs Religioſi ſive per vota ſolemnia, ſive per vota ſimplicia (ùt contingit in Societate Jeſu ex Bulla Gregorii XIII. *Quantò fructuoſiùs* 26. apud Rodriguez ibi: *Sed etiam alios omnes & quoſcumque, qui in ipſa Societate admiſſi, biennio probationis à quoque peracto, tria vota prædicta, tametſi ſimplicia, emiſerint, emittentq́ in futurum, verè & propriè Religioſos fuiſſe & eſſe, & ubique ſemper & ab omnibus cenſeri & nominari debere, ac ſi in profeſſorum dictorum numerum adſcripti fuiſſent*) exiſtimo (inquam) in aſſumptione ſtatûs Religioſi, nullatenus intervenire traditionem ſimilem illi, quæ fit in contractu matrimoniali. Quis enim Religioſorum apprehendit, ſe peccare contra juſtitiam, merè internè peccando contra caſtitatem moroſis delectationibus; immò etiam externè tactibus aut aſpectibus inhoneſtis?

Et quod plus eſt; planè perſuadeo mihi, ſi omnes Religioſi interrogarentur de hac injuſtitia, ſive in internis, ſive in externis quibuſcumque actibus, pleroſque reſponſuros, ſe nihil de ea umquam cogitaſſe. Cur ergo inſcios, & quodammodò involuntarios obligabimus ex juſtitia? Enimverò actus agentium non operantur ultra intentionem eorum: & aliunde non eſt neceſſaria talis obligatio juſtitiæ obſervandi caſtitatem, ut aliquis ſit verus Religioſus; cùm ea à pleriſque DD. negetur, & ab aliis abſque ſolido fundamento imponatur; adeòque profitens non cenſetur, nequidem implicitè & interpretativè, in eam conſentire.

Ceterùm conſentio, Profeſſionem Religioſam aliquam includere traditionem profitentis in jus Ordinis, non ita ratione voti caſtitatis, quàm voti obedientiæ; ſed nego, proptereà omnia peccata Religioſi contra caſtitatem, paupertatem vel obedientiam, contrahere ſpecialem malitiam injuſtitiæ in Confeſſione explicandam: immò nequidem peccata contra obedientiam; quidquid dicat Suarius de Virtute & ſtatu Religionis tom. 3. lib. 10. cap. 6. Ratio mea eſt: quod illa promiſſio, quæ in Profeſſione fit hiſce verbis: *Promitto Deo & tibi Pater*, non dirigatur ad Prælatum, ut immediatum terminum obligationis, quæ ex ipſa oritur; ſed dumtaxat, ut proximum terminum obedientiæ exhibendæ. Si autem à me quæras, quis ergo ſit proximus terminus obligationis? Reſpondeo: ſolus Deus. 34. **Profeſſio Religioſa aliquam includit traditionem.**

Quando ergo profitens dicit: *Promitto Deo & tibi*, tantùm ſignificat, ſe promittere Prælato, tanquàm, qui vice Dei & nomine Dei, hìc promiſſionem & traditionem acceptet. Ex quo tamen non bene infertur, quòd ſe velit immediatè & proximè ipſi Prælato obligare, ſed ſolùm remotè, tanquàm termino obedientiæ explendæ; quaſi diceret: *Promitto Deo, quòd tibi ero obediens.* Quarè tametſi traditio ſive tranſlatio propriæ voluntatis immediatè fiat Prælato, ſive Religioni; non tamen proptereà fit ipſis propriè dicta injuria per peccatum inobedientiæ (multò minùs per peccatum luxuriæ, de quo hìc tractamus) ſed potiùs Deo, cujus vicem ipſe gerit, & ex parte cujus talem traditionem vel abnegationem recipit. Sicut Chriſtianus non incurrit ſpecialem obligationem per traditionem, quâ ſe tradit Eccleſiæ in Baptiſmate. Et ſicut non committit duplex peccatum furti, qui furatur bona ab adminiſtratore; ſed unicum, quod principaliter concernit verum dominum, ſecundariò autem adminiſtratorem. 35. **Quid ſignificent illa verba: *Promitto Deo & tibi.***

Igitur per illa verba: *Promitto Deo & tibi*, ſolùm ſignificatur & fit incorporatio Religioſi, id eſt, conſtituitur membrum illius corporis politici, id eſt, talis Religionis, ratione cujus traditionis ſeu incorporationis tenetur obedire Superioribus, præcipientibus per poteſtatem dominativam & juriſdictionis. Ergo fornicando committit triplex peccatum, unum contra virtutem caſtitatis, alterum contra virtutem Religionis, & tertium contra juſtitiam, negatur conſequentia. An fortè

exiſti-

exiſtimas, filium vel filiam-familias, ſervos vel ancillas fornicantes, aut voluntariè ſe polluentes, peccare peccato injuſtitiæ? Noli exiſtimare, ſi non vis errare, multiplicando peccata abſque ſufficienti fundamento.

36. Objectio ſolvitur. Nec obſtat; quòd ſubinde ex peccato Religioſi ſequatur ignominia Religioni; hoc enim per accidens eſt ratione publicationis, non præcisè ratione voti. Unde non habet locum in peccatis occultis, quæ tamen non minùs opponuntur, & prohibentur voto caſtitatis Religioſæ, quàm peccata publica; & de utriſque loquitur Cardinalis ſuprà, ùt patet ex ejus verbis. Quapropter non poſſum ei aſſentiri in hac re, ſed permaneo in priori reſolutione, & ex ea deduco ſequentem:

CONCLUSIO III.

Sacerdos Religioſus, confitens peccatum luxuriæ, poteſt per ſe loquendo alterutram circumſtantiam ſubticere, ſi verum eſt, quòd Sacerdos obligetur ad caſtitatem ex voto.

37. Probatio Concl. *Sanchez. Diana.* Eſt ſententia Sanchez lib. 7. de Matrimonio diſp. 27. n. 30. & Aliorum, quos citat & ſequitur Diana p. 1. tract. 7. reſol. 3. Probatur: quia tota malitia ſacrilegii in hoc caſu conſiſtit in tranſgreſſione voti ſolemnis caſtitatis, quod votum eſt ejuſdem rationis in Sacerdote & Religioſo; quia in moralibus tacitum & expreſſum æquiparantur, ùt patet in tacita profeſſione, ex qua non minor aut alia ſpecie oritur obligatio, quàm ex profeſſione explicita; per conſequens non minor aut alia ſpecie obligatio oritur ex voto caſtitatis, ex conſtitutione Eccleſiæ annexo Ordinibus ſacris, quàm ex profeſſione Religionis, eſtò prius votum ſit implicitum, poſterius autem explicitum.

38. Objectio. Sed dicet aliquis: Unde conſtat Sacerdotem obligari ex voto, & non potiùs ex præcepto Eccleſiæ? Nam fieri poteſt, ut initiandus Sacerdotio poſitivè nolit vovere caſtitatem, & tamen obligabitur ad ejus obſervantiam; unde, niſi ex præcepto Eccleſiæ? Et hoc præceptum ex quo motivo impoſitum? Nonne propter reverentiam miniſterii? Ergo tali caſu duplex eſt obligatio in Sacerdote Religioſo, una ex voto, altera ex præcepto Eccleſiæ, ſpecie diſtincta; quia ex motivo ſpecie diſtincto: nam votum obligat propter fidem Deo datam, iſtud autem præceptum propter reverentiam miniſterii, qui ſunt fines ſpecie diſtincti ejuſdem virtutis Religionis; ſicut ſpecie diſtinguitur finis voti à fine juramenti, qui eſt, ne Deus adducatur in teſtem falſi.

Proinde ſicut duplex eſt peccatum ſpecie diſtinctum, & neceſſariò in Confeſſione explicandum, violatio voti & juramenti de eadem re; pari ratione in caſu propoſito fornicatio Sacerdotis Religioſi erit duplex ſpecie peccatum, in Confeſſione explicandum, unum contra præceptum caſtitatis propter reverentiam miniſterii, alterum contra votum caſtitatis ex motivo cultûs divini.

Reſpondeo concedendo totum; & ideo in Concluſione dixi: *Per ſe loquendo*; nam prorsùs per accidens eſt, & caſus metaphyſicus, quòd initiandus ſacris Ordinibus nolit poſitivè vovere caſtitatem.

Ex quo etiam feſtinè cognoſcitur, quare adjecerim illam conditionem: *Si verum eſt, quòd Sacerdos obligetur ad caſtitatem ex voto*; quia cum in caſu jam allegato obligetur ex ſolo præcepto Eccleſiæ (alioquin non obligaretur) putant Aliqui, in omni caſu obligationem continentiæ annexam eſſe Ordinibus ſacris ex ſola lege Eccleſiaſtica, & non ex voto explicito vel implicito.

Pro hac ſententia citatur Doctor Subtilis 4. diſt. 37. q. 1. n. 2. ubi interrogans, quæ ſit ratio, quare ſacer Ordo illegitimet ſimpliciter ad matrimonium? *Videtur* (inquit) *Aliquibus quòd propter votum annexum ſacro Ordini ...... Sed contrà: aut votum illud eſt ſic annexum, quòd ſuſcipiens vovet; aut eſt tantùm ex præcepto Eccleſiæ quaſi annexum, quia tenetur ita ſervare ac ſi voveret. Primò non, quia nullus vovens vovet nolitum; ſed iſte ſuſcipiens Ordinem ſacrum explicitè habet in voluntate non continere: ergo poſſibile eſt, quòd ipſe non vovet continentiam. Si dicas; quòd vovet facto, quod facit in ſuſcipiendo Ordinem ſacrum, quia antiqui Patres Latini voverunt, & iſte ſuſcipit ſimile ſignum. Contrà: Nullus tenetur ex voto ad votum factum ab alio, maximè ſi habet votum contrarium. Prætereà, Orientales ſuſcipiunt idem ſignum, & tamen ſinè voluntate caſtitatis.* Hæc ille.

Reſpondeo: Eſt objectio, ex qua non colligitur mens Auctoris: neque ibi diſputat expreſſè Scotus, an obligatio continentiæ oriatur ex voto, an verò ex ſola lege Eccleſiæ; ſed quærit, quæ ſit ratio, quare illa obligatio continentiæ (ſive ſit voti, ſive ſit præcepti Eccleſiaſtici) irritet matrimonium ſubſequens, cùm certum ſit, non omne votum caſtitatis dirimere Matrimonium ſubſequens, uti nec omne præceptum Eccleſiæ: *Univerſaliter enim* (inquit Doctor) *in jure ſtatutum prohibens hoc fieri, non illegitimat, ſed oportet, quòd contineat talem ſententiam, quòd ſi contractum fuerit, dirimatur, vel ſi copulati fuerint, non ſunt aliqualiter tolerandi.* Itaque mens Scoti incerta quantùm ad præſens punctum, quamvis judicem non improbabile (ùt proprio loco videbi-

videbimus) obligationem continentiæ ex ſolò præcepto Eccleſiæ eſſe annexam ſacris Ordinibus. Interim communior ſententia agnoſcit obligationem voti, niſi initiandus poſitivè nolit vovere.

Hinc Bonifacius VIII. cap. unico de Voto & voti redemp. in 6. *Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantùm ad poſt contractum Matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per Profeſſionem expreſſam vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua verò vota* &c. Ubi Pontifex æquiparat votum ſolemnizatum per ſuſceptionem ſacri Ordinis, & votum ſolemnizatum per Profeſſionem explicitam vel tacitam, & diſtinguit à reliquis votis: ergo videtur ſignificare, obligationem continentiæ eſſe annexam Ordinibus ſacris ex voto, & non ex ſola lege Eccleſiaſtica, niſi fortè in caſu ſuprà poſito, quando initiandus poſitivè nollet vovere.

Dico: *Et non ex ſola lege Eccleſiaſtica*; quia videtur ſemper intervenire aliqua lex Eccleſiaſtica, non quaſi Eccleſia novum continentiæ præceptum ſtatuat; ſed quia Eccleſia præcipit illud votum emitti propter reverentiam miniſterii: adeòque qui nollet emittere, hoc ipſo peccaret contra illud præceptum, ſpecie diſtinctum à voto, propter ſpecie diſtinctum motivum, & teneretur illud peccatum in Confeſſione ſpecialiter explicare. At verò voto jam emiſſo, Sacerdos aut alius initiatus ſacris Ordinibus, fornicando tantùm peccat contra fidelitatem debitam Deo ex voto caſtitatis, & non contra præceptum Eccleſiæ, quod totaliter implevit; de quo plura ſuo loco.

Tantùm hic objicio, quod præcedenti Concluſione objeci: Sicut ex eo, quòd Eccleſia prohibet matrimonium inter conſanguineos, variatur ſpecies peccati fornicationis; ſic etiam ex eo, quòd Eccleſia prohibeat matrimonium Sacerdotibus, ob reverentiam Ordinis ſacri, & Religioſis, ob reverentiam ſtatûs Religioſi, ſequitur in utroque circumſtantia diſtincta mutans ſpeciem.

Reſpondeo: Ob eundem finem, ſcilicet, propter fidelitatem Deo ſervandam, prohibetur matrimonium Sacerdotibus & Religioſis; &, ſi contractum fuerit, dirimitur, ut ſic inviolabiliter prorſus votum caſtitatis obſervent. Quare illud impedimentum non debuit inducere ſpecialem obligationem ad continentiam ſervandam, cùm jam anteà ex voto ad illam tenerentur. Si tamen in caſu ſuprà poſito Sacerdos non voviſſet, tunc equidem teneretur ad continentiam ex vi iſtius impedimenti, cujus finis quidem principalis deeſt, ſcilicet obſervatio voti; finis tamen minùs principalis adeſt, ſcilicet eminentia illius ſtatûs, propter quam ſolam (etiam ſecluſo omni voto) potuiſſet Eccleſia talem prohibitionem facere, ſicut patet in aliis impedimentis.

Quia tamen quando votum adeſt, finis principalis illius voti & præcepti idem eſt; ideo non cenſentur inducere diſtinctam obligationem, in ordine ad vitandos actus venereos; eſtò præceptum inducat novam obligationem non contrahendi matrimonium, ùt notavi Concluſione præcedenti; quæ obligatio non eſt in materia caſtitatis, ſed eſt obligatio reverentiæ debitæ Sacramentis, & fortè etiam obligatio juſtitiæ.

Fateor igitur, eminentiam Ordinis ſacri, & eminentiam ſtatûs Religioſi, fuiſſe cauſam aliquam impulſivam, & quaſi allicientem voluntatem Eccleſiæ ad conſtituendum impedimentum dirimens: ceterùm dico, cauſam finalem & principalem fuiſſe, perpetuam & ſtabilem obſervantiam voti; quæ maximè decet homines in eminentiori ſtatu conſtitutos; ut ſicut præcellunt ceteros dignitate, ita etiam præcellant obſervantiâ caſtitatis & fidelitatis Deo debitæ. Quod autem hâc vel illâ dignitate præcellant, materiale eſt; & ideo illæ dignitates non diverſificant moralem ſpeciem actûs ſive boni, ſive mali. Sicut ergo obſervantia caſtitatis in Religioſo, non habet moralem bonitatem, ſpecie diſtinctam à bonitate obſervantiæ caſtitatis in Sacerdote; ita nec tranſgreſſio caſtitatis in Religioſo, habet moralem malitiam, ſpecie diſtinctam à malitia tranſgreſſionis caſtitatis in Sacerdote. 43. *Quare Eccleſia voluerit, ut Ordo ſacer & Profeſſio Religioſa dirimerent matrimonium.*

Quantùm ad impedimentum Eccleſiaſticum conſanguinitatis, ideo illud ſtatuit Eccleſia, ut oſtendat ibi eſſe ſpecialem deformitatem contra reverentiam debitam conſanguineis: quod motivum etiam invenitur in copula fornicaria. Unde diſpenſatus, ut contrahat matrimonium, non peccat duplici peccato, ſi anteà fornicetur; quia tota malitia deducitur ex prohibitione matrimonii: hâc ergo ſublatâ per diſpenſationem, etiam illa tollitur. Secùs in noſtro caſu, ubi fornicatio cenſetur ſacrilega ante omnem prohibitionem Eccleſiæ (ùt patet) quia eſt contra votum. Quare diſpenſatus ad matrimonium, adhuc peccaret peccato ſacrilegii, ſi anteà fornicaretur. Sed de his plura alibi. *Ratio impedimenti conſanguinitatis.* *Sacerdos diſpenſatus ad Matrimonium, adhuc peccaret peccato ſacrilegii, ſi fornicaretur.*

Impræſentiarùm hoc unicum notaverim: votorum in eadem materia multiplicatio impertinens eſt ad multiplicationem peccatorum, ùt patet in illis, qui ſingulis annis renovant ſuam Profeſſionem, quos nemo propterea arguit de pluribus ſacrilegiis, ſi contingat ipſos (quod abſit) fornicari. Ergo ſimiliter eſtò Religioſus ſuſcipiens Ordinem ſacrum, iteratò voveat caſtitatem & quaſi renovet votum ſolemne caſtitatis, non indè debet judicari reus plurium ſacrilegiorum, ſed unius tantùm mortalis ſacrilegii, ſi contingat (quod abſit) ipſum fornicari. 44. *Votorum multiplicatio in eadem materia non multiplicat peccata.*

Nec obſtat; quòd in hoc caſu fiat contra reve- *Objectio diluitur.*

Digitized by Google

reverentiam duplicis ſtatûs, ſcilicet ſtatûs Sacerdotalis & Religioſi; quia illa reverentia ſecluſo voto caſtitatis, non eſt mortalis, uti patet ex aliis peccatis, quæ etiam ſunt contra reverentiam illorum ſtatuum, & tamen indè non contrahunt novam ſpeciem malitiæ mortalis.

45. Satisfacit Sacerdos dicendo ſe habere Ordinem ſacrum.

Ex quo ſequitur; ſatisfacere Sacerdotem non explicando Sacerdotium, ſed dicendo, ſe habere Ordinem ſacrum: quia votum annexum cuilibet Ordini ſacro ejuſdem rationis eſt; major autem conſecratio ſeu dignitas perſonæ, & per conſequens major reverentia ipſi debita; non addunt circumſtantiam ſpecie diverſam; ſed ad ſummum aliquam malitiam majorem (etſi non notabiliter) intrà eandem ſpeciem, aut certè malitiam tantùm venialem.

Et verò quis Confeſſariorum apprehendit, Sacerdotem, confitentem peccatum fornicationis, commiſiſſe triplex ſacrilegium, unum contra votum annexum Subdiaconatui, ſecundum contra votum annexum Diaconatui, & tertium contra votum annexum Sacerdotio? Et tamen illa vota tam diſtincta ſunt, quàm votum Ordinis ſacri, & votum Profeſſionis Religioſæ.

46. Faciliùs diſpenſatur cum Subdiacono, quàm cum Sacerdote.

Neque dubium eſt, quin faciliùs diſpenſetur cum Subdiacono vel Diacono, quàm cum Sacerdote: ergo licèt faciliùs diſpenſaretur cum ſimplici Sacerdote; vel cum ſimplici Religioſo, quàm cum Sacerdote Religioſo; indè tamen non arguitur duplex ſacrilegium ſpecie aut numero, in fornicatione Sacerdotis Religioſi; ſicuti non arguitur in fornicatione Sacerdotis triplex ſacrilegium, eò quòd ſingulis Ordinibus ſit annexum votum caſtitatis.

De cetero (ut finem imponamus huic caſui) quod hactenus dictum eſt de ipſo pœnitente, habente votum vel Profeſſionis Religioſæ, vel Ordinis ſacri, idem dicendum eſt de pœnitente; qui peccavit cum perſona ſacra; v. g. femina, quæ peccavit cum Sacerdote Religioſo, ſatisfacit dicendo: *Peccavi cum habente votum caſtitatis.*

Sed dicet aliquis: Petro habenti votum caſtitatis, ego Paulus conſului fornicationem; numquid teneor votum Petri explicare in Confeſſione? Reſponſio erit

CONCLUSIO IV.

Qui ſuo conſilio cauſa fuit, ut Petrus, habens votum caſtitatis, peccaret contra caſtitatem, tenetur votum iſtud explicare: ſecùs, ſi tantùm indirectè illud peccatum voluerit; v. g. ſi Paulus prævideríit, quòd ex ſua actione Petrus acciperet occaſionem peccandi contra caſtitatem, ipſe tamen id non intenderit.

Scandalum aliud eſt directum, quando directè intenditur ruina proximi: aliud indirectum, dum quidem ruina non intenditur; cognoſcitur tamen probabiliter conſequenda. Aliqui ſubdividunt ſcandalum directum in illud, quod committitur intendendo peccatum alterius, quatenus hoc ipſi malum eſt: & in illud, quod committitur intendendo peccatum alterius, non quatenus hoc ipſi malum eſt, ſed quatenus habet rationem aliquam delectabilis aut utilis. Sed prius videtur potiùs eſſe peccatum odii proximi, quàm ſcandali. Hoc ſuppoſito, & omiſſis aliis difficultatibus, de quibus hìc non eſt locus diſputandi:

Quæritur; an peccatum ſcandali contrahat malitiam illius peccati, ad quod proximus inducitur; & per conſequens, utrùm in Confeſſione ſpecies illius peccati ſit explicanda? Nonnulli exiſtimant tam ſcandalum directum, quàm indirectum, contrahere malitiam illius peccati, ad quod proximus inducitur, & per conſequens, in Confeſſione ſpeciem illius peccati eſſe explicandam, noſtra Concluſio diſtinguit.

Ut autem incipiamus ab eo, quod communius & verius eſt, id eſt, à prima parte; Ratio ejus à priori eſt: quia affectus efficax contrahit omnem malitiam, quæ eſt in objecto: ergo conſilium ſeu perſuaſio fornicationis ſacrilegæ contrahit malitiam ſacrilegii: ergo qui conſilio vel perſuaſione cauſa fuit, ut alius, habens votum caſtitatis, peccaret contra caſtitatem, tenetur votum iſtud in Confeſſione explicare, dicendo: *Conſilio fui cauſa fornicationis ſacrilegæ*; & non ſatisfacit, ſi tantùm dicat: *Fui cauſa fornicationis*; vel: *Fui cauſa peccati mortalis*, non exprimendo, nequidem malitiam ſpecificam fornicationis.

Antecedens ab omnibus admittitur: vel enim affectus efficax nullam malitiam contrahit (quod liquidò conſtat eſſe falſum) vel omnem contrahit; quia non eſt ratio, cur potiùs hanc contrahat, quàm illam: ſiquidem affectus efficax, quantùm eſt in ſe, ponit opus à parte rei; ergo neceſſariò vult virtualiter & interpretativè omnes circumſtantias illius, & omnem malitiam quam hìc & nunc habet objectum, ſive aliqua per mentem præſcindatur, ſive non. E contrà verò, cùm ſimplex complacentia, ſeu delectatio moroſa, non verſetur circa opus externum, ùt finem & terminum ejus, ſed ſolùm circa opus externum, ùt proponitur

ponitur per intellectum; ſi non proponatur in objecto ulla malitia, vel ſola malitia fornicationis, & non ſacrilegii, delectatio vel nullam, vel ſolam malitiam fornicationis contrahet. Quòd ſi omnes proponantur, & de omnibus ſit delectatio, contrahet omnes malitias illas; per conſequens oportebit omnes illas explicare in Confeſſione.

Ergo conſilium ſeu perſuaſio fornicationis ſacrilegæ contrahit malitiam ſacrilegii, ſive objectum motivum ſit malitia ſacrilegii, ſive non. Conſequentia eſt evidens; cùm evidens ſit, conſilium eſſe affectum efficacem, à quo non magìs poteſt ſeparari illa malitia, quàm ab ipſo actu externo, qui eſt finis & terminus ejus. Et idem eſt de quacumque alia malitia, quæ reperitur in actu externo, ùt patet.

Igitur hoc ipſo, quòd aliquis actus, ſive per præceptum naturale, ſive per præceptum poſitivum conſtituitur in ratione peccati hujus vel illius ſpeciei; ex conſequenti etiam conſtituitur in ratione peccati ejuſdem ſpeciei, affectus efficax illius actûs. Licèt enim præcipiens v.g. jejunium, non ſit meus Superior, & ideo non poſſit me obligare directè vel indirectè ad jejunandum; tamen ex conſequenti obligat me, ne habeam affectum efficacem violationis ſui præcepti: id eſt, ex ipſius præcepto, quo obligat ſuos ſubditos ad jejunandum, reſultat etiam in non ſubditis obligatio non habendi affectum efficacem violationis ſui præcepti; ſive obligatio non procurandi poſitivè conſilio, mandato vel ſimili aliquo modo violationem ſui præcepti.

Si inferas: Ergo qui petit mutuum ab uſurario ſinè cauſa, & ex directa intentione uſuræ, peccat contra juſtitiam. Reſpondeo concedendo totum; non quaſi ſibiipſi faciat injuriam, ſed quia eſt cauſa, ut alius ſibi injuriam faciat. Quod verò dicit Ariſtoteles 5. Ethic. c. 6. ejuſdem ad ſe ipſum non eſſe juſtitiam, quia nemo ſe lædere poteſt; ita intelligendum eſt, ut nemo in ſeipſum peccet contra juſtitiam, inferendo ſibi damnum per ſeipſum: non tamen repugnat aliquem peccare contra juſtitiam in ſeipſum, & criminis injuſtitiæ reum eſſe, complacendo ſibi, vel efficaciter volendo, ut alter ſibi inferat injuriam; ſicuti quando quis conſulit alteri, ut ſibi reſtituat debitum, facit actum juſtitiæ.

Dicet fortè aliquis: Suadendo uſuram videtur uſurario condonare injuriam, juxta illud: *Scienti & volenti non fit iniuria*; adeoque tali caſu uſurarius non peccaret contra juſtitiam; conſequenter nec inducens ad uſuram quià revera non eſſet uſura, ſed acceptatio liberalis donationis.

Reſpondeo; eſtò à parte rei non foret uſura, adhuc poſſet manere injuria ex parte conſcientiæ uſurarii, qui ignorat illam liberalem donationem; & ideo accipit aliquid ſupra ſortem tamquam ex juſtitia ſibi debitum: & in hoc caſu quæritur, an petens mutuum peccet contra juſtitiam propter affectum efficacem injuſtitiæ? Nec dubito quin peccet, idque eâdem ſpecie peccati, quâ uſurarius.

Ergo ſimiliter qui ſuadet alteri fornicationem, peccat contra caſtitatem; eâdem ſpecie peccati, quâ ipſe fornicator: nam caſtitas non tantùm prohibet actum externum fornicationis, ſed etiam omnem affectum internum; de quo plura Concluſione ſequenti. Itaque de prima parte præſentis Concluſionis non video ſolidum fundamentum dubitandi.

Quantùm ad ſecundam partem; exiſtimant Multi, ſcandalum indirectum; præter 52.
malitiam ſpecialem ſcandali, id eſt, malitiam contra charitatem proximi, contrahere malitiam peccati, quod ſcandalizatus committit; adeoque illam in Confeſſione eſſe explicandam eodem modo, quo explicanda eſt ſpecies peccati, ad quod proximus directè inducitur.

Contrarium nobiſcum docet Lugo diſp. 16. n. 159. Ratio eſt: quia licèt quælibet virtus poſſit me obligare ne in aliis eam poſitivè impediam, conſulendo v. g. aut mandando peccatum oppoſitum; non tamen obligat me ad procurandum, quòd alii eam amplectantur. Juſtitia v. g. obligat me, ne procurem, ut alius furetur: non tamen me obligat, ut procurem ne alii furentur, niſi fortè ex peculiari officio ad id tenear. Caſtitas obligat me ne alios inducam ad luxuriam; non tamen ut procurem, quòd alii ſint caſti: nam licèt affectus erga caſtitatem poſſit ad id etiam inclinare, non tamen obligare (ùt notat Coninck de Actib. Supernat. diſp. 28. n. 13.) præſertim obligatione ſtrictè dictâ ſive gravi: ſicut etiam eadem virtus ſemper me inclinat ad heroïcos ejus actus exercendos, tamen ad hoc me non obligat, niſi quandoque per accidens, eò quòd illud ſit neceſſarium, ne in vitium ei contrarium incidam. Hæc ille.

Lugo. — *Probatur 2. pars Concl.* — *Coninck.*

Licèt ergo hujuſmodi virtutes nos graviter 53.
obligent, ut vitia ipſis contraria nullo modo per nos, vel per alios, ipſis ſuadendo vel mandando, committamus; equidem ad ſummum ex decentia vel certè non niſi leviter nos obligant, ut ea in aliis impediamus, poſitivè diſſuadendo, aut ne ſimus præter intentionem occaſio aliis ea committendi.

Virtus nōn videtur obligare, ſaltem graviter, ut oppoſitum vitium in aliis impediamus.

Hinc Apoſtolus ſcandalizantem fratrem ſuum tantùm reprehendit de læſa Charitate, dicens Rom. 14. v. 13. *Non ergo ampliùs invicem iudicemus; ſed hoc iudicate magìs, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum.* Et v. 15. *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundùm Charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.*

Probatur ex Apoſt. Roman. 14.

Sed hæc doctrina non placet Dicaſtilloni. Sanè (inquit ille diſp. 1. n. 337.) non poſſum ſatìs capere, quòd quis teneatur hìc & nunc ſub certis circumſtantiis non facere ali- quid

Hanc doctrinam non poteſt ſatìs capere Dicaſtillo.

Digitized by Google

quid, unde alius inducatur ad peccatum furti vel fornicationis, & quòd ſolùm teneatur ex vi Charitatis erga proximum, quatenus tenemur non inducere vel facere id, unde proximus inducatur ad peccatum, ut ſic in communi, etiam ſinè directa intentione ut peccet ſic in communi; non verò quatenus tenemur non facere, unde inducatur ad peccatum in particulari ſpecie, v. g. furti vel fornicationis, etiam ſinè directa intentione. Hucuſque Dicaſtillo, ſatis obſcurè.

54. *Explicatur à Suario.* Miror ſanè, virum doctum non potuiſſe hoc capere, quod tam clarè explicat Suarez de Charit. diſp. 10. ſect. 2. n. 9. hiſce verbis: Advertendum ex 1. 2. q. 6. tunc aliquem dici cauſam moralem alicujus peccati, quando poteſt tenetur que illud vitare, & non facit. Unde eo modo erit cauſa, quo tenetur: intelligi autem poteſt me teneri ad vitandum opus, ne proximus ad peccandum inducatur, ex obligatione Charitatis, non juſtitiæ vel alterius ſimilis virtutis: quia Charitas eſt univerſalior & excellentior virtus. Unde magìs obligat & in pluribus caſibus; & ideo ille in eo caſu cenſetur eſſe cauſa moralis ruinæ proximi, ùt eſt contra Charitatem, non verò ùt eſt contra alias virtutes.

Neque eſt ſimile de illo, qui per conſilium directè inducit; nam hoc apertè eſt contra obligationem cujusvis virtutis, habet enim adjunctam voluntatem contrariam directè illi virtuti. Hucuſque Suarius.

55. *Quare Charitas magis obliget ad evitandam occaſionem peccati, quàm virtus aliqua particularis, v. g. caſtitas.* Charitas itaque eſt univerſalior & excellentior virtus, quæ obligat unumquemque ad evitandum incommodum ſeu damnum proximi, quantùm commodè poteſt: ergo obligat unumquenque ad evitandam occaſionem, etiam remotiſſimam, peccati ſeu ruinæ proximi, ubì & quando & quantùm fieri commodè poteſt. Quid ergo miramur, ſi aliquis teneatur hìc & nunc ſub certis circumſtantiis aliquid facere ex vi Charitatis erga proximum, ut caveat damnum proximi; etſi non teneatur id facere ex vi virtutis minùs univerſalis, v. g. caſtitatis aut juſtitiæ?

Omittens correptionem fraternam, non debet in Confeſſione explicare ſpeciem peccati. Nonne ex Charitate tenetur proximum fraternè corripere ad emendationem fornicationis v. g. aut injuſtitiæ, etſi ad illam correptionem non obligetur ex virtute caſtitatis aut juſtitiæ? Putas, quia omittens correptionem fraternam debeat in Confeſſione explicare ſpeciem peccati, vel ſpecies peccatorum, quas potuit & debuit emendare, & non emendavit ſuâ correptione? Eccleſia Dei non habet talem conſuetudinem.

Dicaſtillo. Et cùm in hoc caſu Dicaſtillo potuerit ſatìs capere obligationem Charitatis abſque obligatione particularium virtutum, v. g. caſtitatis, juſtitiæ &c. (ait enim n. 340. Peccare quidem ſæpè poſſum contra Charitatem proximi, quando alioquin ex Charirate deberem curare, ut ille non peccet juxta regulas generales in materia de Charitate & Correctione fraterna, ſed non contra illam aliam virtutem) quid cauſæ fuit, quòd in caſu Concluſionis noſtræ non potuerit capere ſeparationem iſtarum obligationum?

Ego quidem capio aliquam differentiam inter illum, qui merè negativè ſe habet, non procurando, ne frater ſuus peccet, omittendo v. g. correptionem; & illum, qui ponit occaſionem per accidens peccati, ſinè directa intentione peccati; v. g. qui cum alio quotidie potitat, prævidens eum poſteà furaturum, ut habeat unde ſolvat. Sed tamen non video ſufficientem diſparitatem, ut aſſeram, omiſſionem illam eſſe contra ſolam Charitatem, compotationem autem inſuper contra juſtitiam: non quòd exiſtimem, talem alioquin obligandum ad reſtitutionem (quia non ex omni peccato injuſtitiæ oritur obligatio reſtitutionis, ſed ex eo ſolo, quod eſt cauſa per ſe efficax damni, quale peccatum non eſt talis compotatio, eſtò etiam accederet intentio damnificandi) ſed quia illa compotatio eſt cauſa planè per accidens, & occaſio nimis remota illius furti, ut participet ejus malitiam.

An fortè exiſtimas, mulierem peccare contra caſtitatem, quia non deturpat faciem ſuam, aut quia incedit per plateas non velatâ facie, ſciens ex pulchritudine faciei ſuæ alios excitandos ad libidinem? Noli exiſtimare: alioquin ſi eadem foret ratio ſcandali directi & indirecti, & eadem virtus, v. g. caſtitatis, obligaret ad evitandum ſcandalum directum & indirectum; ſicut nullo caſu licet ſcandalum directum, v. g. mandare àut conſulere fornicationem ex intentione abſoluta fornicationis; ita etiam nullo caſu liceret ſcandalum indirectum, id eſt, liceret tali mulieri incedere per plateas non velatâ facie, quod conſtat apud omnes eſſe falſiſſimum.

Ratio autem cur hoc aliquando liceat, eſt: quia Charitas (cui ſoli opponitur, ſecundùm noſtra principia, ſcandalum indirectum) prohibet dumtaxat dare occaſionem remotam peccato proximi, quando commodè illa occaſio poteſt evitari. Unde neque fraterna correctio obligat cum gravi meo incommodo; ſed tunc ſolùm, quando proximus eſt in neceſſitate, & ego eum facilè poſſum juvare. Enimverò Charitas proximi, ſicut per ſe amat bonum proximi, ita nequit in me conſervari, niſi bonum iſtud procurem, quoties ille eſt in neceſſitate, & ego eum facilè juvare poſſum. Et cùm aliundè Charitas incipiat à ſeipſo, id eſt, cùm poſt Deum Charitas inclinet ad amandos noſipſos, præ quovis proximo, liquet profectò, cum gravi reſpectivè malo proprio non eſſe procurandum bonum proximi.

Itaque

Digitized by Google

Itaque præciſa malitia ſcandali indirecti in hoc conſiſtit, quòd non impediatur ruina ſpiritualis proximi, ubi & quando commodè poſſet impediri: quòd autem illa ruina ſpiritualis ſit peccatum talis vel talis ſpeciei, planè materiale eſt, nec conſideratur ullatenus à virtute Charitatis; adeòque non facio contra Charitatem non impediendo peccatum, præcisè quatenus eſt contra caſtitatem, aut contra juſtitiam, ſed quatenus eſt malum ſpirituale proximi.

Quarè exiſtimo, puram omiſſionem correptionis fraternæ, & ſcandalum indirectum, quando v. g. prævideo, quòd ex mea actione proximus accipiet occaſionem peccandi, ego tamen hoc non intendo, eſſe peccata ejuſdem ſpeciei contra Charitatem proximi, quamvìs unum fortè ſit gravius altero; quia apparet gravius, ponere actionem poſitivam, ex qua (licèt per accidens) ſequitur peccatum proximi, quàm merè negativè ſe habere non impediendo peccatum proximi, poſitivè illud diſſuadendo, vel aliis mediis.

Dices cum Dicaſtillone ſuprà: Non poſſum capere, quod ex vi legis, quâ alius tenetur non peccare in tali aut tali ſpecie, tantùm reſultet ex natura rei in me obligatio ſecundaria talis ſpeciei; ut ego ex directa intentione non faciam aliquid, quo ille alius inducatur ad peccatum; non verò reſultet obligatio, ut id non faciam, etiam ſinè directa intentione explicita, prævidendo id futurum, vel eſſe periculum futuri. Quia (ut rectè dixit Cajetanus, & ex illo Sanchez lib. 1. Sum. c. 6. n. 4.) implicitum & explicitum ad eamdem ſpeciem pertinent: quod ſaltem verum eſt (quiquid ſit in aliis materiis) in eo genere peccatorum, quæ non requirunt voluntarium directum, ſed poſſunt conſummari indirectè volita. Hucuſque præfatus Auctor.

Sed quod ipſe non poteſt capere, ego ſic capio, & explico illud dictum: *Implicitum & explicitum ad eandem ſpeciem pertinent*, quando videlicet verſantur circa idem objectum; utpùtà, facio actum de ſe inductivum ad peccatum ſinè explicita intentione inducendi, & facio eundem actum cum intentione explicitâ inducendi, v. g. provoco aliquem ad æquales hauſtus, prævidens moraliter certò ipſius ebrietatem, æqualiter pecco, ſive id faciam explicitâ intentione ipſum inebriandi, ſive implicitâ tantùm & interpretativâ in ſua cauſa per ſe: qui enim vult cauſam per ſe, implicitè vult effectum. Unde illa provocatio ſive fiat expreſsâ intentione ebrietatis, ſive implicitâ; eſt intrinſecè mala malitiâ ebrietatis, quæ prævidetur ſecutura.

Similiter exteriùs mando vel conſulo fornicationem, abſque tamen expreſſa voluntate vel intentione peccati; immò cum expreſſa intentione contraria; pecco eâdem ſpecie peccati, quâ peccarem, ſi haberem expreſſam intentionem peccati: quia expreſſum & implicitum ad eandem ſpeciem pertinent, quando verſantur circa idem objectum. Porrò implicitè intendit peccatum, qui explicitè vult cauſam per ſe inductivam, niſi aliquid obſtet. At verò, quando expreſſum & implicitum verſantur circa diverſa objecta, nil mirum, ſi pertineant ad diverſas ſpecies, cùm actus ſpecie diſtinguantur per objecta, ſaltem extrinſecè.

Igitur explicitâ inductio ad peccatum, cùm habeat adjunctum affectum efficacem (quantùm eſt de ſe) peccati, ad quod proximus inducitur; illud ipſum peccatum habet pro objecto: adeòque contrahit malitiam omnem, quæ in hoc objecto reperitur: implicita autem inductio, id eſt, occaſio, ſeu potiùs permiſſio peccati, cùm non habeat adjunctum illum affectum (ut ſuppono) per conſequens non habet pro objecto peccatum, quod permittitur; ac proinde non contrahit malitiam ejuſdem ſpeciei.

Intelligendum ergo eſt commune illud dictum: *Implicitum & explicitum ad eandem ſpeciem pertinent*, ceteris paribus; hìc autem cætera non ſunt paria, cùm expreſſa inductio expreſsè prohibeatur per præceptum, cui opponitur peccatum proximi, ſecùs implicita inductio, ſed ſolùm per præceptum Charitatis. Quod utique præceptum non ſolùm obligat, ut me amem, ſed etiam ut amem proximum; per conſequens obligat, ut directè procurem bonum proximi mei: non ſic aliæ virtutes, v. g. caſtitas, ut procurem poſitivè (conſulendo, monendo &c.) aut negativè (removendo occaſionem luxuriæ) caſtitatem proximi. 60. *Quomodo intelligendum commune dictum: Implicitum & explicitum &c.*

Etenim caſtitas eſt virtus ad ſeipſum, & non ſpectat bonum alterius, ſed bonum tantùm proprii ſuppoſiti: aſt Charitas virtus eſt ad alterum; adeòque non poſſum illam in me conſervare, niſi poſitivè procurando bonum alterius, quando eſt neceſſitas: at verò alias virtutes poſſum in me conſervare, non procurando aut conſervando eas in aliis.

Nihilominùs etiam ſcandalum directum & indirectum pertinent ad aliquam eandem ſpeciem, ſcilicet ad ſpeciem ſcandali præcisè, id eſt, ad peccatum oppoſitum Charitati proximi vel correctioni fraternæ, quamvìs ſcandalum directum propter affectum efficacem explicitum vel implicitum illius peccati, quod ſcandalizatus committit, inſuper aliam ſpeciem malitiæ contrahat, putà luxuriæ, injuſtitiæ &c. *Scandalum directum & indirectum pertinent ad aliquam eandem ſpeciem.*

Ex his patet ſolutio alterius objectionis, videlicet: In omni alia materia morali, in qua peccatum ex damno illato ſortitur ſpeciem, non eſt opus intentione directâ illud inferendi, v. g. in furto, homicidio &c. ſed ſufficit intentio indirecta, id eſt, prævïſio 61. *Altera objectio.*

damni

Digitized by Google

damni inferendi. Item pollutio prævisa, licèt non intenta, eſt ejuſdem ſpeciei cum intenta: ergo &c.

Solvitur. Reſpondeo: Pollutio prævisa, licèt non intenta expreſsè, ſed ſolùm implicitè, ponendo cauſam per ſe, eſt ejuſdem ſpeciei: nam habet planè eandem phyſicam malitiam, quia idem prorsùs objectum; & ſola eſt differentia, quòd una ſit voluntaria explicitè, alia implicitè in cauſa per ſe, quæ explicitè eſt volita: & in tali caſu procul dubio voluntarium expreſſum, & implicitum ſeu interpretativum ſunt ejuſdem ſpeciei, quia opponuntur eidem prorsùs virtuti.

Idem eſt de furto, homicidio & ſimilibus, quando prævidentur in ſua cauſa per ſe: ſivè enim ego intendam damnum inferre, ſive non; reverà tamen infertur non minùs, ac ſi expreſsè intenderem. Et idcirco illi actus habent idem planè objectum, & eodem præcepto prohibentur, cùm ratio prohibitionis æqualiter militet in utroque caſu.

Sed numquid eadem eſt ratio prohibendi poſitivam procurationem fornicationis, & prohibendi occaſionem ſeu cauſam per accidens? Patet ex dictis, quòd non: alioquin pollutio, prævisa in cauſa per accidens, eſſet etiam peccatum mortale contra caſtitatem, cujus oppoſitum communiùs docetur.

62. Tertia objectio. Diluitur. Si dixeris: Ebrietas, in qua prævidetur homicidium, eſt contra juſtitiam, etſi ebrietas ſolùm ſit cauſa per accidens. Reſpondeo: Ebrietas cenſetur cauſa per ſe, quando ut plurimùm ei conjungitur homicidium; ſin autem rariſſimè & planè extraordinariè conjungeretur, fortè talis ebrietas non eſſet contra juſtitiam, ſeclusâ explicitâ intentione. Sic enim ſi ego occidi Paulum, & caſu capiatur alius homo, quod ego prævidi; eſtò talis occidatur, ego non cenſeor reus illius homicidii, quia illud merè per accidens conjungitur meo homicidio.

Deinde diſparitas eſt; quòd ipſe ebrius ſit cauſa illius homicidii per propriam cooperationem (ùt ſuppono) quæ ſemper eſt injuſta, quando eſt prævisa, licèt non intenta. Ratio: quia præceptum: *Non occides*, prohibet ponere omne illud, quo poſito neceſſariò ſequitur ex tua operatione, quamvìs pro tunc non liberâ, homicidium: quippe per homicidium iſtud non minor fit injuria proximo, & non minus damnum infertur, quàm ſi fieret omnino voluntariè in ſe. Aliud eſt in caſu noſtro, ubì peccatum proximi non ſequitur ex aliqua mea operatione ſive libera, ſive neceſſaria, ſed ex libera voluntate, & ex malitia proximi; quam licèt Charitas dictet me debere impedire, quando commodè poſſum, non ponendo cauſam per accidens; immò etiam poſitivè monendo & ſuadendo virtutem oppoſitam; non tamen ad hoc me obligat virtus v. g. caſtitatis, contra quam proximus prævidetur peccaturus, ùt ex dictis ſatis conſtat.

Atque hæc ſufficiant pro veritate hujus doctrinæ, quam Dicaſtillo ſuprà n. 351. vocat probabilem (quamquàm contrariam exiſtimet probabiliorem) adeò ut, qui illam ſequitur, tutùs ſit in conſcientia. Proinde quando Diana part. 3. tract. 4. reſol. 114. arguit ignorantiæ, & vocat cæcos & duces cæcorum Confeſſarios, qui, cùm pœnitentes ſe accuſant dediſſe ſcandalum, non faciunt illos accuſare neque de ſpecie peccati, neque de numero perſonarum, quibus etiam unico peccato ſcandalum datum eſt; intelligendus venit de ſcandalo directo, cujus exemplum propoſuerat in principio reſolutionis, dicens: Quis v. g. induxit mulierem non paratam ad fornicandum, non directa intentione expetendo ruinam ipſius, & eo affectu, ut ipſa peccet; ſed propter propriam delectationem & utilitatem: quæritur, an dicta circumſtantia ſcandali ſit in Confeſſione explicanda?

Et indubiè in hoc caſu, ſi quis unico actu plures mulieres induxiſſet ad fornicandum, quarum una foret ſoluta, altera conjugata aut Religioſa, teneretur explicare qualitates illarum mulierum, ſeu, quod in idem redit, ſpecies iſtorum peccatorum, ad quæ illas mulieres conſilio ſuo induxit, eſtò tantùm propter ſuam delectationem: neque hoc eſt contra Concluſionem noſtram, ùt patet ex dictis. Sin autem Diana intelligatur de ſcandalo indirecto, quando non ponitur cauſa per ſe inductiva, ſed ſolùm occaſio aliqua, ſeu cauſa merè per accidens abſque intentione peccati; nullatenus placet: nam tali caſu ſpeciem peccati non eſſe explicandam; per conſequens nec qualitatem perſonæ vel perſonarum, quibus ſcandalum datum eſt, probabiliter Multi docent, & nos cum illis.

Si ergo à me quæritur; utrùm pœnitens, qui ſe accuſat locutionis de rebus turpibus, quarum auditu induci & moveri poterant auditores ad delectationes moroſas vel deſideria illicita, an (inquam) talis pœnitens debeat explicare, vel interrogari de qualitate perſonarum; quæ aderant, an eſſent conjugatæ, Sacerdotes &c.

Reſpondeo: vel illa locutio erat per ſe, ſeu ut plurimùm inductiva ad delectationes moroſas, vel ſolùm merè per accidens. Si primum, dico, debere explicare qualitates perſonarum, eſtò non habuerit explicitam intentionem aliquam inducendi ad moroſam delectationem. Probatur: quia eſt ſcandalum directum, quod contrahit malitiam peccati, ad quod proximus inducitur. Sin autem illa locutio ſolùm per accidens erat inductiva, quia de rebus non adeò turpibus; vel quia nimis confuſa & indiſtincta, ac quaſi per tranſennam; liquet, ſecundùm Concluſionem

noſtram,

Digitized by Google

noſtram, qualitates perſonarum non eſſe explicandas, quia talis locutio non imbibit malitiam peccati, ad quod proximus per accidens inducitur; ſed eſt dumtaxat peccatum contra Charitatem, ejuſdem ſpeciei ſive proximus, qui peccat, ſit conjugatus, ſive Sacerdos &c.

Quantùm ad numerum perſonarum, eadem eſt reſolutio de utroque ſcandalo, directo & indirecto: pendet autem hæc reſolutio ex illâ quæſtione; utrùm in eodem actu poſſint dari plures malitiæ, ſolo numero diſtinctæ? Si affirmaveris, neſcio quare in peccato ſcandali non deberet exprimi numerus perſonarum, quæ unico actu ſcandalizantur, ſicuti debet explicari numerus perſonarum, quæ unico actu occiduntur. Quid ènim refert ad multiplicationem numericam peccatorum, quòd in uno caſu damnum ſit corporale, in altero ſpirituale; in uno contrà Charitatem; in altero contra juſtitiam? Sin autem negaveris, in eodem actu poſſe dari plures malitias ſolo numero diſtinctas, & affirmaveris, circumſtantias tantùm aggravantes non eſſe explicandas; manifeſtè ſequitur, in peccato ſcandali non eſſe explicandum numerum perſonarum, quas unico actu ſcandalizaſti.

Sed progrediamur ad alium caſum, magìs difficilem & intricatum, propter aliquorum Neotericorum ſpeculationes. Eſt autem hujuſmodi: Ego Paulus habens votum caſtitatis conſului Petro fornicationem; numquid teneor meum votum explicare in Confeſſione? Reſpondeo:

CONCLUSIO V.

Qui habet votum caſtitatis, debet votum ſuum explicare in Confeſſione, quando conſilio ſuo fuit cauſa, ut Petrus peccaret contra caſtitatem.

MUltos video (inquit Caramuel Theol. Regularis diſp. 66. nu. 980.) in hujus virtutis (intelligit caſtitatem) obligationibus recenſendis & exponendis diffidere, quòd non percalluerint, quid caſtitatis nomine deſignetur. Eſt igitur caſtitas virtus ſpecialis circa venerea, ùt conſtat ex D. Thom. q. 151. a. 2. Et juxta eumdem Angelicum Doctorem q. 143. differt à pudicitia, quòd pudicitia ſit præcipuè circa ſigna venereorum (ùt ſunt tactus, oſcula & hujuſmodi) caſtitas verò circa veneream commixtionem. Quæ eſt diſtinctio valde notanda: erit enim utilis ad plurium difficultatum ſolutionem.

Diſtinguitur etiam (proſequitur idem Auctor n. 981.) caſtitas à pudicitia, quòd illa ſit corporis, hæc animæ. Unde Auguſtinus contra Julianum lib. 4. *Pudicitia res eſt animæ, virginitas corporis. Denique illâ integrâ in anima permanente, poteſt iſta de corpore ſibi violenter auferri: & cùm iſta integra manet corpori, poteſt illa in animo laſcivâ voluntate corrumpi.* Ut philoſopharis de virginitate, ita de caſtitate agere debes; quia Monaſtica caſtitas eſt virginalis: & in hoc differimus à Religioſis militibus, quoniam ipſi vovent conjugalem. Et in libris de Civitate docet, Pudicitiam virtutem eſſe animæ, cui comes ſemper ſit fortitudo. Et Epiſt. 22. ait: *Pudicitia vi nec in carne, nec in animo violari poteſt.* Non violatur in carne, in qua non conſiſtit: non in animo, qui cùm ſit liber, violentiâ non poteſt gubernari. Hæc ille. S. Auguſt.

Et nu. 982. ſic ait: Voto ſolemni Monachus promittit (expreſsè ſeu implicitè, de quo non ago) caſtitatem; pudicitiam non vovet directè. Prætereà vovet ſe futurum eſſe caſtum; non vovet ſe facturum eſſe, quòd alii eſſent caſti. Nota hanc ultimam diſtinctionem, quæ eſt veriſſima, & ante noſtrum Llamas à nemine obſervata, & hodie à multis nondum bene intellecta. Ratio eſt: quia ſicut qui vovet obedientiam, non promittit ſe facturum eſſe alios obedientes, ſed promittit ſolùm ſe obediturum eſſe Abbati: & ſicut qui vovet paupertatem, non pollicetur ſe depauperaturum eſſe alios, ſed ſolùm ſe proprium non habiturum eſſe; ſic ſimiliter qui vovet caſtitatem, nunquam vovet ſe facturum eſſe, quòd alii non ducant uxores, ſed ſe non ducturum: nunquam vovet ſe curaturum eſſe, ne alii habeant pellices, ſed ſe non habiturum; non enim Deo alienam, ſed propriam libavit caſtitatem. Hucuſque Caramuel. 67. Quid Monachus voto ſolemni promittat, juxta Caramuelem. Llamas.

Ex quibus nu. 986. hanc deducit Concluſionem: *Monachus, qui perſuaſione vel cooperatione concurrit ad hoc, ut alius ſeu Monachus, ſeu ſæcularis, vadat ad concubinam, peccavit quidem mortaliter, ſed non contra ſuum votum caſtitatis.* Demonſtratur: quia ipſe non habuit rem cum tali pellice, ſed fecit ut alius haberet. Unde tenetur in Confeſſione dicere: *Feci, quòd alius ſæcularis vel Religioſus iret ad ſæcularem vel Religioſam.* Tenetur explicare ſtatum peccantium (ità tamen ut poſſit omittere circumſtantias non mutantes ſpeciem) non verò ſuum. Ratio eſt: quia ipſe non peccavit formaliter contra votum, immò neque contra 6. præceptum Decalogi, ſed contra 5. formaliter, & contra 6. objectivè: fuit enim illis ſcandalo & occaſioni, ut peccarent contra 6. Prætereà in hoc ſcandalo ſeu perſuaſione nulla voluptas ſenſualis reperitur, nulla venerea delectatio, neque in hanc aſſenſus; ſed ſolùm reperitur malitia voluntatis animam alterius occidentis; & hoc eſt contra 5. Ita diſcurrit præfatus Auctor pro ſententia oppoſita noſtræ Concluſioni. Sed examinemus ſingula, & videamus, ſi Concluſio Caramuelis oppoſita noſtræ.

ſi ipſe percalluerit, quid nomine caſtitatis, quam Monachi vovent, deſignetur.

68. *Quid reverâ ſignificetur nomine caſtitatis, quam Monachi vovent.* Equidem ſignificationem hujus nominis attendendam eſſe exiſtimo, & eam accipiendam; quam Monachi, qui vovent, ſolent attendere & accipere: hæc autem non diſtinguit inter commixtionem veneream & ſigna venereorum, ùt ſunt tactus, oſcula & ſimilia. Teſtor conſcientias omnium Monachorum, qui planè exiſtimant ſe peccare contra votum caſtitatis per aſpectus inhoneſtos, tactus & oſcula; eſtò nullum ſit periculum commixtionis.

Si vera eſſet (inquit Caramuel ſup. n. 996.) ſententia, diſtinguentium inter caſtitatem & pudicitiam, ita ut illa actum venereum, iſta oſcula & tactus reſpiciat, dicendum eſſet per oſcula, amplexus & tactus non perdi caſtitatem, ſed pudicitiam. Hæc voto non eſt firmata, ſed illa. Unde ſi in illis tactibus eſſet periculum commixtionis, eſſet periculum violandæ caſtitatis, non violatio: quòd ſi ſequeretur commixtio, tunc de facto violaretur ipſamet caſtitas. Hæc ille. Ubi videtur dubitare de hac diſtinctione inter caſtitatem & pudicitiam. Unde continuò ſubjungit: Citant D. Thom. q. 151. art. 2. quem videntur non intellexiſſe.

69. Sed, pace veſtrâ; qui ſunt iſti, qui ſic diſtinguunt inter caſtitatem & pudicitiam? An fortè tu unus ex illis es, qui n. 980. doces, juxta Angelicum doctorem q. 143. caſtitatem differre à pudicitia, quòd pudicitia ſit præcipuè circa ſigna venereorum (ùt ſunt tactus, oſcula & hujuſmodi) caſtitas verò circa veneream commixtionem? Sanè hactenus neminem reperi, qui diceret, caſtitatem reſpicere ſolam commixtionem veneream, nullatenus autem oſcula, amplexus &c.

Referuntur verba S. Thomæ, Ut autem clarior fiat mens Doctoris Angelici, ſubſcribo ejus verba: *Quædam verò ordinantur ad vim generativam. Et in his quantùm ad delectationem principalem ipſius coitûs eſt caſtitas; quantùm ad delectationes circumſtantes, putà quæ ſunt in oſculis, tactibus & amplexibus, attenditur pudicitia.* Ita D. Thom. 2. 2. q. 143. a. 1. in corp. Et q. 151. a. 4. in corp. ait: *Pudicitia attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa ſigna venereorum: ſicut ſunt aſpectus impudici, oſcula & tactus. Et quia hæc magis ſolent deprehendi, ideo pudicitia magis reſpicit hujuſmodi exteriora ſigna: caſtitas autem magis ipſam veneream commixtionem. Et ideo pudicitia ad caſtitatem ordinatur, non quaſi virtus ab ipſa diſtincta, ſed ſicut exprimens caſtitatis circumſtantiam quandam. Interdum tamen unum pro alio ponitur.*

& explicatur ejus mens, ſcilicet eandem eſſe virtutem caſtitatem Quæ ergo mens Doctoris Angelici? Reſpondeo: quæ communis aliorum Theologorum, videlicet eandem eſſe virtutem caſtitatem & pudicitiam, licèt pudicitia ad caſtitatem ordinetur, velut medium ad finem, ſive tanquam quid prævium ad actum principalem. Unde etiam impudicitia, ſecundùm communem ſententiam, ejuſdem eſt ſpeciei cum actu principali, ad quem diſponit. Ratio: quia habent idem objectum moraliter, ſeu idem motivum; & eodem modo privant eâdem rectitudine. Quod probatur: quia impudicitia (quæ præcipuè conſiſtit in tactibus, amplexibus, aſpectibus & oſculis libidinoſis) eſt quaſi pars ſive initium ipſius actûs principalis: ergo habent idem objectum, & privant eâdem rectitudine eodem modo. Nonnè medium imbibit bonitatem & malitiam finis? Planè. Et quis hic finis, niſi actus principalis? Et quod medium, niſi impudicitia, id eſt, tactus, amplexus &c.?

Nec obſtat, quòd impudicus non ſemper referat tactus illos vel aſpectus ad actum principalem, tanquam finem; immò expreſsè velit contrarium: non obſtat (inquam) quia actus non accipit ſemper ſpeciem ſuam ex fine operantis (ùt patet, dum furtum ordinatur ad eleëmoſynam) ſed magìs ex fine, ad quem ex natura ſua ordinatur. Jam autem impudicitia ordinatur ad delectationem concubitûs: ergo illius ſpeciei peccatum erit impudicitia, cujus ſpeciei peccatum eſt delectatio concubitûs.

Porrò, quòd impudicitia ordinetur ad delectationem concubitûs, liquidò conſtat ex communi hominum judicio: ſunt enim tactus, aſpectus &c. media ordinata à natura ad ſeminationem procurandam, in qua conſiſtit tota delectatio concubitûs. Unde etiam ordinariè à libidinoſis ad iſtum finem adhibentur.

Venio ad verba D. Auguſtini ex lib. 4. contra Julianum c. 8. *Pudicitia eſt res animi, virginitas corporis;* & dico, Doctorem Sanctum nullatenus per illa diſtinguere pudicitam à caſtitate, quam voto ſolemni promittunt Monachi (alioquin falſam, non veram caſtitatem promitterent) ſed diſtinguere veram pudicitiam ſeu caſtitatem à falſa pudicitia ſeu caſtitate, ùt patet ex contextu. Reſpondet enim Auguſtinus Juliano dicenti, in impiis inveniri veram pudicitiam. *Quid eſt* (inquit S. Doctor) *quod loqueris,* Nihil pertinere ad laudem gratiæ, ſi id donet ſuis, quod peccata impiis largiuntur? *Propter pudicitiam, ſcilicet conjugalem, quam tibi habere videntur impii. Homo contentiosè, virtus donatur vera per gratiam, non quæ vocatur; & non eſt. Ut quid autem pudicitiam & virginitatem quaſi ejuſdem generis, jungis? Pudicitia* (vera) *eſt res animi, virginitas corporis ..... Propter quod ego non dixi verum conjugium, ſive viduitas, ſive virginitas; ſed vera pudicitia* (ſeu caſtitas) *ſive conjugalis, ſive vidualis, ſive virginalis dicenda non eſt, niſi quæ vera fidei mancipatur. Conjuges enim & viduæ & virgines poſſunt eſſe, & pudicæ non eſſe, ſi contaminatâ voluntate mœchantur, ſi ſpiritu impuro ſtupra perpetranda decernunt:* in

Digitized by Google

in quibus tamen veram pudicitiam dicis eſſe, etiamſi animo fornicentur.

Et infrà ſic ait: *Nec in impiis invenitur pudicitia* (ſeu caſtitas) *virginalis, quamvis inveniatur virginitas carnis, quia vera pudicitia non poteſt haberi in animo fornicante. Ac per hoc non anteponitur virginale bonum impiorum bono coniugali fidelium. Sed coniuges, bene utentes malo, anteponuntur virginibus, malè utentibus bono. Et ideo cùm fideles coniugati bene utuntur malo libidinis, non apud eos* (*ùt calumniaris*) propter fidem exercetur impunitas criminis, *ſed in eis, propter fidem vera, non falſa virtus eſt caſtitatis.*

Ex his patet, quid reſpondendum ſit ad alia verba D. Auguſtini (ſi ipſius ſunt; quia loco citato à Caramuele, videlicet Epiſt. 22. non reperiuntur, interim veriſſima ſunt, etiam intellecta de caſtitate) Reſpondetur, inquam; pudicitia ſeu caſtitas vi nec in carne, nec in animo violari poteſt: non quia in carne nullo modo conſiſtat, ſed quia caſtitas in carne violata, abſque conſenſu voluntatis, duplicabitur ad coronam, ùt legitur dixiſſe Lucia Paſchaſio judici: *Si invitam* (inquit) *iuſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Audiamus ipſum Auguſtinum Epiſt. 122. non procul à fine: *Hæc illis dicentibus, & ad Deum ingemiſcentibus, omninò ſuis aderit, qui ſuis adeſſe conſuevit. Et aut nihil in earum caſtiſſimis membris libidine hoſtili perpetrari permittet; aut ſi permittit, cùm earum animus nullâ conſenſionis turpitudine maculatur, etiam carnem ſuam defendet à crimine. Et quidquid in ea nec commiſit, nec permiſit libido patientis, ſolius erit culpa facientis, omniſq; illa violentia non pro corruptionis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere deputabitur. Tantùm enim in mente valet integritas caſtitatis, ut illâ inviolatâ, nec in corpore poſſit pudicitia violari, cuius membra potuerint ſuperari.*

Quid vobis videtur de Auguſtino? Numquid caſtitatem ponit in corpore, & pudicitiam in mente; vel caſtitatem à pudicitia diſtinguit, quòd illa ſit corporis, hæc animæ? Et quare putamus Auguſtinum conſtituiſſe pudicitiam in animo? Ipſe pro ſe reſpondeat lib. 1. de lib. Arbitrio cap. 5. *De pudicitia* (inquit) *quis dubitaverit, quin ea ſit in ipſo animo conſtituta, quandoquidem virtus eſt? Unde à violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt.* Et caſtitas, nonne virtus eſt? Quis ergo dubitaverit, quin ea ſit in ipſo animo conſtituta? Unde à violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt.

73. Quæ cùm ita ſint; aſſero, voto ſolemni Monachum promittere veram caſtitatem, ſeu veram virtutem caſtitatis & pudicitiæ; adeòque directè peccare contra votum ſuum non ſolùm per commixtionem veneream, ſed etiam per aſpectus inhoneſtos, tactus & oſcula; immò per interna inhoneſta deſideria non ſolùm efficacia, ſed etiam inefficacia, quæ ſolent dici ſimplices complacentiæ, ſeu delectationes moroſæ: nemo enim verè caſtus eſt, qui, licèt abſtineat ab actibus externis; tamen ex imaginatione operis venerei percipit delectationem ſimilem illi, quæ ex rei præſentia & actuali fruitione perciperetur.

Eleganter & appoſitè D. Auguſtinus l. 12. de Trinitate c. 12. *Nec ſanè cùm ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ ſtatim, ùt attigerunt animum, reſpui debuerunt, negandum eſt eſſe peccatum, ſed longè minus, quàm etſi opere ſtatuatur implendum. Et ideo de talibus quoq; cogitationibus venia petenda eſt, pectuſq; percutiendum atque dicendum:* Dimitte nobis debita noſtra. *Faciendum quoque quod ſequitur, atque in oratione iungendum:* Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Neque enim ſicut in illis duobus primis hominibus perſonam ſuam quiſque portabat, & ideo ſi ſola mulier cibum ediſſet illicitum, ſola utique mortis ſupplicio plecteretur; ita dici poteſt in homine uno, ſi delectationibus illicitis* (*à quibus ſe continuò deberet avertere*) *cogitatio libenter ſola paſcatur, nec facienda decernantur mala, ſed tantùm ſuaviter in recordatione teneantur, quaſi mulierem ſinè viro poſſe damnari; abſit hoc credere. Hæc quippe una perſona eſt, unus homo eſt, totuſq; damnabitur, niſi hæc, quæ ſinè voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.*

Et quamvis hæc verba ab aliquibus explicentur de peccato ſolùm veniali, & de damnatione temporali Purgatorii (ùt videre poteris apud Cordubam in ſuo Quæſtionario lib. 1. q. 23. dub. 11.) equidem communiter intelliguntur de peccato mortali, & de damnatione æterna, prout ea intellexit Doctor Subtilis 2. diſt. 42. q. 4. nu. 13. ibi: *Quando voluntas imperat cogitationem alicuius illiciti, quia vult quòd obiectum ſit ſibi præſens ad continuandum delectationem & complacentiam in illo; ſi illud cogitatum ſit* (mortaliter) *illicitum, in complacentia plena illo modo prædicto eſt peccatum mortale: & hoc non ſolùm de carnalibus, ùt cogitare luxuriam; ſed etiam in actibus intellectûs reſpectu aliorum obiectorum, ùt imaginari & morari cum delectatione in cogitatione mortis inimicorum. Et ſic patet, quòd cogitatio de obiecto illicito procedens ex complacentia voluntatis in illo, poſt deliberationem eſt peccatum mortale. Sicut enim eſt peccatum mortale voluntati concupiſcere ſibi delectationem de obiecto illicito, & illam etiam vel aliam concupiſcere potentiæ inferiori; ſic etiam peccatum eſt ad hoc velle cogitationem de iſto obiecto.*

Hæc eſt ſententia (proſequitur Scotus n. 14.) *Auguſt. l. 12. de Trinitate c. 12. . . . . . . Et quòd Auguſtinus ibi intelligat, quòd delectatio ſinè conſenſu in opus ſit peccatum mortale, patet per illud quod dicit:* Si ſola mulier cogitat de re illicita, totus homo damnabitur, niſi Mediatoris

S. Aug.

74. Delectatio moroſa eſt peccatum mortale.

Corduba.

Scotus.

gratiâ interveniente liberetur. *Quod ſi eſſet veniale, poſſet ſinè gratia oppoſita liberari.* Hæc ille.

75. Delectatio moroſa prohibetur in Decalogo.

Quæ ſi vera ſint (quod puto) haûd dubitandum, quin moroſa delectatio prohibeatur in Decalogo, ſaltem reductivè. Quæris, quo præcepto? Reſpondeo, illo: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Quo prohibetur omnis illicita concupiſcentia carnis, qualis eſt delectatio moroſa de carnalibus, quæ non tantùm ipſam mentem afficit, veluti cùm quis delectatur de cogitatione rei turpis; ſed ipſam quoque materiam prohibitam: hæc enim eſt objectum delectationis moroſæ, ùt graphicè depingit Scotus ſuprà hiſce verbis:

Scotus.

Ex quo patet, quòd in eadem cogitatione poteſt eſſe peccatum & non eſſe; quia quantumcumque cogitatio ſit delectabilis, cùm tamen obiectum non ſit delectabile, non eſt peccatum. Vnde vir ſanctus poteſt delectari in cogitatione alicuius peccati, quod deteſtatur. Delectari tamen in cogitatione alicuius peccati, quatenus obiectum ſit ſibi præſens, & delectetur in illo, ùt in obiecto, eſt peccatum. Et hoc per Auguſtinum 9. *Trinit. c.* 10.

S. Aug.

Definire intemperantiam, verbumque ejus dicere, pertinet ad artem morum. Eſſe autem intemperantem ad id pertinet, quod illâ arte culpatur: ſicut noſſe ac definire quid ſit ſolœciſmus, pertinet ad artem loquendi; facere autem vitium eſt, quod eâdem arte reprehenditur. *Sic ergo, ſi cogitatio placet & continuatur, non propter cogitatum, ſed ut per eam quis ad finem debitum deducatur, non eſt peccatum; ſed ſi propter obiectum illicitum ut in ipſo delectetur, ſic eſt peccatum: & iſto modo ſancti viri deteſtantur cogitationes illicitas.*

76. Religioſi vovent abſtinentiam à delectationibus moroſis.

Quidni ergo viri Religioſi, qui profitentur viam perfectionis, velint vovere, & de facto voveant deteſtationem omnium cogitationum carnalium, quæ ſecluſo voto caſtitatis eſſent peccata mortalia contra caſtitatem? Non dubito de tali voluntate, quidquid in contrarium videatur ſentire Franciſcus à S. Clara in ſuo Manuali Miſſionariorum Regularium c. 23. propter frivolas rationes, quas hìc ſubjicio:

Rationes in oppoſitum Franc. à S. Clara.

Non vovetur (inquit ille) finis voti: ergo nec abſtinere ab omni affectu interno. Deinde ſic, quando vovetur caſtitas, non vovetur perfectio caſtitatis; nam hoc eſſet ridiculum vovere, ſe ſtatim fore perfectum; nec eſſet in voventis poteſtate: vovetur ergo ſolùm applicare ſe ad media, quibus tandem acquiri poſſit perfectio. Perfectio verò caſtitatis eſt, non omninò habere cogitationes delectabiles in re turpi: ergo hoc non vovetur; ſed media neceſſaria, quibus gradatim tenditur ad perfectionem. Vovetur igitur non ſolùm abſtinere ab actu, ſed ab aliis illicitis geſtibus tendentibus ad actum, ùt oſcula, amplexus & hujuſmodi, qui multùm diſponunt; & etiam affectus efficaces, qui non ſunt ſimplices complacentiæ; nam & illa ſunt mortalia in cælibe.

Denique hoc confirmatur ex obligationibus aliarum legum (votum enim eſt lex, quam vovens ſibi imponit) in aliis verò legibus ſeu præceptis non obligat finis legis in quantum talis: ergo nec hìc. Sic etiam quoad paupertatem, vovens vovet, quod in ſua eſt poteſtate, ùt relinquere ſua bona. Numquam verò delectari, non videtur immediata voti materia, ſed eſt quotidianus Religioſorum labor. Examinent doctiores: nam certè ratio, cui innititur, videtur urgere; & adhuc fortiùs in ſententia eorum, qui tenent apud Cordubam, non eſſe peccatum mortale delectari, ſeu conſentire in delectationem objecti mortaliter prohibiti, tantùm ſinè conſenſu in ipſum opus vel actum exteriorem. Hucuſque Franciſcus à S. Clara.

Sed credo, ſi S. Franciſcus & S. Clara cùm hìc viverent interrogari potuiſſent, unâ voce clamaſſent: *Vovimus Deo abſtinere non tantùm ab actibus externis luxuriæ, ſed etiam ab actibus internis tam efficacibus, quàm moroſis delectationibus perfectè deliberatis.* Atque hæc eſt communis Religioſorum apprehenſio, qui judicant ſe peccare contra votum caſtitatis, quando aliquid agunt, quod ſecluſo voto mortaliter repugnat illi virtuti: jam autem delectatio moroſa in re turpi (ùt ſuprà ex Auguſtino & Scoto probavimus) ſi plena fuerit & perfectè deliberata, mortalis eſt, etiam in eo, qui non habet votum caſtitatis.

Et verò, quis dixerit, abſtinentiam ab hujuſmodi delectationibus, ad quam omnes obligantur ante votum, eſſe finem voti? Niſi finem confundas cum materia; & tunc prima ratio illius Auctoris petit principium: nam quæritur, an delectatio moroſa, ſeu potiùs abſtinentia ab illa, ſit materia voti? Et poſſe eſſe, non dubito: nam in voventis poteſtate eſt eodem modo, quo abſtinentia ab aliis peccatis mortalibus. Dicere autem evitationem peccati mortalis non eſſe in poteſtate hominis, eſt contradicere Concilio Trident: ſeſſ. 6. c. 11. ibi: *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti* (debet) *Dei præcepta homini iuſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuvat ut poſſis.* Et can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iuſtificato & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia; anathema ſit.*

Fateor: materia voti debet eſſe res phyſicè & moraliter poſſibilis: & ideo non valeret votum de numquam peccando, cum Trident. ſuprà can. 23. definiat, hominem non *poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio.* Similiter non valeret 7[illegible] Abſtin[illegible] à mort[illegible] delectat[illegible] nibus e[illegible] mortalit[illegible] poſſibil[illegible]

votum

Digitized by Google

votum de numquam mentiendo etiam indeliberatè; quia non videtur eſſe moraliter in hominis poteſtate, non peccare ex indeliberatione, cùm nihil propriè & moraliter ſit in hominis poteſtate, niſi de quo poteſt perfectè deliberare. Nihilominus ignoro planè, quare non eſſet validum votum de numquam deliberatè mentiendo: nam quod humanam & moralem requirit deliberationem, includit etiam moralem poteſtatem faciendi & non faciendi. Quantò magìs validum erit votum de numquam deliberatè conſentiendo cogitationibus delectabilibus in re turpi, qui conſenſus eſt peccatum mortale?

Neque tunc Religioſus perfectus eſt, quando non conſentit deliberatè hujuſmodi cogitationibus (nam plurimi ſæcularium id faciunt) ſed quando vel non ſentit ullos motus turpes ſive in animo, ſive in corpore; vel etſi ſentiat, nequidem indeliberatè conſentit. Hæc eſt perfectio caſtitatis & finis voti, ſi ita velimus loqui (nam propriè finis voti eſt honor divinus) ad quam perfectionem & finem non obligat votum, cùm ſit phyſicè aut moraliter impoſſibilis. At verò abſtinere à deliberato conſenſu, cùm ſit phyſicè & moraliter poſſibile, atque Deo honorificum; neſcio, quare Religioſus, abſolutè & ſimpliciter abſque aliqua reſtrictione vovens caſtitatem, non teneatur ex voto ſuo abſtinere ab hujuſmodi deliberato conſenſu, eſtò abſtinere foret quotidianus Religioſorum labor; quod tamen falſum eſt, cùm plurimi ſint, qui rariùs ſentiunt motus inhoneſtos; & dum ſentiunt, gratiâ divinâ adſpirante, abſque aliquo particulari labore abſtinent à perfecto & deliberato conſenſu.

Et dato quòd aliqui eſſent, qui laborarent quotidie; fortè etiam ſunt, qui laborant ut abſtineant ab opere turpi externo: num ideo dicam, eos noluiſſe vovere illam abſtinentiam? Sanè, quia difficile eſt abſtinere ab omni delectatione turpi tam animi, quàm corporis; ideo votum cenſetur actus conſilii & perfectionis: immò ad illam difficultatem ſuperandam emittitur votum, quatenus voluntas firmiori vinculo conſtricta, ex conſideratione illius vinculi firmiùs & inviolabiliùs obſervet id, quod alioquin ex virtute ſola caſtitatis obſervare deberet.

Nec valet argumentum ab obligatione aliarum legum. Primò: quia etiam in aliis legibus obligat finis intrinſecus legis. Ad finem extrinſecum ſicut non eſt obligatio in aliis legibus; ita nec in voto. Porrò abſtinere ab omni affectu interno plenè deliberato contra caſtitatem, eſſe finem extrinſecum voti, & non magìs materiam eſſentialem; ex quo probatur?

Secundò: diſparitas aliqua eſt, quòd votum non ſit lex propriè dicta; & ideo obligare poteſt ad actus merè internos, eſtò lex propriè dicta Superioris humani non poſſet ad illos obligare. Quamvis ergo lex humana non prohiberet directè delectationem moroſam; equidem votum poteſt prohibere, & cenſetur prohibere, niſi obſtet contraria voluntas voventis implicita vel explicita, quæ impræſentiarùm non obſtat. Non implicita: nam virtus caſtitatis, quam Religioſus vovet, prohibet delectationem moroſam, idque ſub culpa mortali in materia gravi, ùt ſuppono, & ulteriùs poſſem probare, niſi eſſet alterius loci: ergo ſimiliter votum caſtitatis, niſi obſtet explicita voluntas voventis, de quâ nobis non conſtat.

81. Docet Caramuel velle fornicari in Religioſo non eſſe formaliter ſacrilegium.

His ita conſtitutis, feſtinè cognoſcitur, quid ſit ſentiendum de eo, quod docet Caramuel ſuprà n. 984. Intentio fornicandi v. g. formaliter eſt contra pudicitiam; objectivè verò contra caſtitatem. Unde qui habet talem intentionem, ſicut de facto non fornicatur, ſed vult fornicari; ita de facto non perdit caſtitatem, ſed vult perdere: ac proinde ille actus non eſt ſacrilegium formaliter, ſed materialiter, hoc eſt, non eſt intrinſecùs ſacrilegium ſed extrinſecùs & objectivè; nimirum intentio committendi ſacrilegium. Hæc ille.

S. Aug.

Hinc (proſequitur) intelligendus venit Auguſtinus in Regulæ c. 5. (in libro quo ego utor eſt c. 21.) *Cùm ſe invicem ſibimet, etiam tacente linguâ, conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur amore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas de moribus.* Fugit quidem caſtitas non formaliter ſed objectivè: illi enim, qui ſe ſignis ſollicitant, non commiſcentur formaliter, ſed objectivè, hoc eſt, volunt commiſceri. Ex dictis conſtat æqualiter peccare Novitium qui habet intentionem fornicandi poſt profeſſionem, ac profeſſum: quia ille actus totam malitiam deſumit ab objecto, & ratio ſacrilegii non eſt ipſi forma, ſed terminus. Huc uſque Caramuel.

82. Contra arguit Auctor.

Sed interrogo ego: qui ſe invicem mutuis tactibus ſollicitant ad commixtionem; commiſcentur formaliter an objectivè tantùm? Fugit caſtitas de moribus non formaliter, ſed objectivè tantum? Et quid refert conſpectibus an tactibus ſe ſollicitent ad commixtionem? Quæro ulteriùs; qui conſpectibus ſe ſollicitant, peccantne contra votum caſtitatis? Tenenturne votum ſuum in Confeſſione explicare? Si ſic (de quo ego non dubito) quid refert ſive formaliter peccent contra caſtitatem, ſive objectivè; ſive contra caſtitatem, ſive contra pudicitiam? Et ſi contra pudicitiam; cur non etiam contra caſtitatem, quæ eſt eadem virtus ſecundùm Doctorem Angelicum, & quæ ſinè pudicitia ſecundùm Divum Auguſtinum non eſt vera virtus caſtitatis?

Appoſitè S. Doctor lib. de bono Viduitatis c. 9. *In coniugali (inquit) vinculo ſi pudicitia conſervatur, damnatio non timetur. Sed in viduali & virginali continentia excellentia muneris amplioris expetitur. Quâ petitâ & electâ, & voto debiti oblatâ, iam non ſolùm capeſcere nuptias, ſed etiam ſi non nubatur, nubere velle, damnabile eſt. Nam, ut hoc demonſtraret Apoſtolus, non ait: cùm in deliciis egerint, in Chriſto nubunt; ſed:* nubere volunt: Habentes (*inquit*) damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt; *etſi non nubendo, ſed tamen volendo: non quia ipſæ nuptiæ vel talium damnandæ iudicantur; ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur fracta voti fides* &c. Ergo talis voluntas, ſecundùm Auguſtinum, eſt ſacrilegium formaliter & intrinſecùs; alioquin dicere debuiſſet: *Damnatur voluntas frangendi fidem*; & non: *Damnatur fracta voti fides.* Et verò, ſi non nubendo, ſed tantùm volendo nubere, frangitur formaliter votum virginitatis; quis prudenter ambigat, etſi non fornicando, ſed tamen volendo fornicari, formaliter frangi votum caſtitatis Religioſæ?

1. Timoth. 5. v. 11. & 12.

83. Diverſitas quò ad hoc inter Novitium & Profeſſum.

Ex quo patet diverſitas inter Novitium, qui habet intentionem fornicandi poſt profeſſionem, & Profeſſum, qui vult fornicari: nam Novitius, cùm nondum fidem Deo dederit, non poteſt formaliter illam frangere; adeoque in ipſo non damnatur fracta voti fides, ſed voluntas frangendi fidem, poſtquam data fuerit: in Profeſſo autem, qui actualiter dedit fidem Deo, non tantùm damnatur voluntas frangendi fidem per actum externum fornicationis, ſed etiam damnatur ipſa fides fracta (prout loquitur D. Auguſtinus) ita ut ratio ſacrilegii ſit illi actui non ſolùm terminus, ſed etiam forma, ſicuti eſt forma actui fornicationis. Hæc eſt communiſſima ſententia, à qua nullatenus judico recedendum propter argumenta Caramuelis, quibus (ùt puto) ſatisfactum eſt.

84. Probatio Concluſionis.

Sed dicet aliquis: Quid hæc omnia ad propoſitam Concluſionem? Expecta paululùm & videbis, ſi tamen oculos habeas apertos ad videndum. Dicit Concluſio; Religioſum, qui alterum conſilió ſuo induxit ad fornicandum, peccaſſe contra proprium votum, & ideo illud debere in Confeſſione explicare. Quod probo ex dictis: nam Religioſus vovet abſtinere ab omni actu interno & externo perfectè deliberato, qui ſecluſo voto eſt peccatum luxuriæ, ſive oppoſitum virtuti caſtitatis, niſi conſtet de contraria voluntate; atqui conſilio ſuo inducere alterum ad fornicandum, eſt peccatum luxuriæ, ſive oppoſitum virtuti caſtitatis: ergo Religioſus vovet abſtinere ab illo conſilio, niſi conſtet de contraria voluntate. Subſumò: atqui de contraria voluntate ordinariè non conſtat; ergo Religioſus, qui alterum ſuo conſilio induxit ad fornicandum, per ſe loquendo peccavit contra proprium votum; & ideo illud debet explicare in Confeſſione.

Major patet: quia votum ſuperadditur præcepto caſtitatis, idque verbis generalibus, ex. gr. *Voveo ſervare Regulam FF. Minorum vivendo in caſtitate*; ergo afficit omnes actus, quos afficit præceptum naturale caſtitatis, illis ſuperaddendo novam obligationem virtutis Religionis, gravem vel levem, ſecundùm capacitatem materiæ. Minor probatur: quia tale conſilium eſt ſcandalum directum: atqui ſcandalum directum (ùt oſtendimus Concluſione 4.) contrahit omnem malitiam illius peccati, ad quod proximus inducitur: ergo conſilium Religioſi, quo inducit proximum ad fornicandum, contrahit malitiam oppoſitam virtuti caſtitatis, eandem ſpecie, quam habet ipſa fornicatio proximi: ergo illud conſilium eſt peccatum luxuriæ ſeu oppoſitum virtuti caſtitatis.

Infero rurſum: ergo Religioſus vovet abſtinentiam ab illo conſilio, niſi conſtet de contraria voluntate; atqui de contraria voluntate ordinariè non conſtat. Quod probo: quia ſi ſinguli Religioſi interrogarentur, fortè nullus inveniretur, qui diceret ſe illud conſilium excepiſſe à materia voti caſtitatis. Quo ergo jure, ratione vel auctoritate illud excipiunt Caramuel ſuprà, Dicaſtillo diſp. 9. n. 316. & alii quidam Neoterici? Et quod magis mireris, Dicaſtillo ſuam reſolutionem audet appellare claram, & doctam, & receptam à multis, immò pleriſque.

Sed ſi illa clara eſt, & docta, & recepta à multis; neſcio quæ ſit obſcura & indocta, & recepta à paucis. Obſcura quidem & indocta, quia obſcuro & indocto nititur fundamento: à paucis verò recepta, quia ipſe Dicaſtillo non citat alios, quàm Sanchez lib. 5. Sum. c. 6. n. 10. Caramuelem & Lugonem. Subſcribo verba Dicaſtillonis: Prædictum caſum tangit Diana 7. parte, tract. 11. reſol. 27. ſed homo prudenter cautus de ſuo nihil addit, contentus referre Caramuelem, & ex parte Sanchez & Lugonem. Hæc ille.

Verùm enimverò ſi tua reſolutio, mi Dicaſtillo, eſt tam clara, & docta, & à pleriſque recepta, ùt jactas; cur laudas Dianam à prudentia? Homo (inquis) prudenter cautus de ſuo nihil addit. An imprudens fuiſſet, ſi de ſuo aliquid voluiſſet addere? An imprudens, ſi aſſertivè illam reſolutionem docuiſſet, ſicut alias plures docet? An imprudens, ſi pleroſque illos Auctores in medium produxiſſet, ſicut ſolet producere pro aliis opinionibus, quando reverà pleriquè eas docent? Nunc autem prudenter cautus fuit Diana, quia ſententiam obſcuram & indoctam noluit videri docuiſſe, & noluit ſubſcribere ſententiæ, quam vidit à pauciſſimis doceri.

Quod probè intelligens Card. Lugo ſic ait: diſp. 16.

diſp. 16. n. 152. Hæc doctrina nec difficultate caret, nec videtur ſatìs cohærere cum iis, quæ idem Sanchez docuerat lib. 1. in Decal. c. 6. n. 3. & 8. ubì dixit, peccatum ſcandali pertinere ad eandem ſpeciem, ad quam inducitur ille, qui ſcandalizatur: quare ſcandalum ad fornicationem, pertinebit ad ſpeciem fornicationis. Unde qui abſolutè promiſit caſtitatem, videtur peccare contra hujuſmodi promiſſionem, quoties contra virtutem caſtitatis ſpecificè peccat graviter; atque ideo ſi verè contrahit malitiam ejuſdem ſpeciei, quando alium inducit ad fornicationem, ac quando ipſe fornicatur, debebit in utroque caſu circumſtantiam proprii voti explicare. Ita Eminent. Loquitur de reſolutione Sanchii & Dicaſtillonis clara & docta, & à pleriſque recepta, ſi credere fas eſt.

Reſpondet Dicaſtillo n. 329. Sanchez eo loco non docet, peccatum illud generalis ſcandali, eſſe ejuſdem ſpeciei cum peccato ejus, qui ſcandalizatur, ſed tantùm reductivè. Nam n. 3. cùm dixiſſet: *Sive conſilio, ſive ſuaſione, ſive exemplo quis alium ad peccatum inducat, non eo fine, ut in peccatum incidat, ſed alio quocumq; non eſt ſpeciale ſcandali peccatum, ſed ſcandalum generaliter acceptum*; ſtatim ſubjungit: *Et reducitur ad eam peccati ſpeciem, ad quod inducit* ..... Et n. 4. affert ex Cajetano rationem (qualiscumque ea ſit) *hujus reductionis ad eandem ſpeciem*: idemque explicat ex Vaſquio, diſtinguens inter actus per ſe contrarios alicujus virtutis, qui ab illa prohibentur; & inter actus non per ſe contrarios, qui etiam ſecundariò prohibentur, v. g. *ne occaſio in ea materia peccandi detur*. Et poſtea n. 5. ponens exemplum in particulari materia injuſtitiæ, ait: *Et ideo nemo hanc ruinæ in furtum occaſionem, injuſtitiæ crimen directè & perfectè appellat; ſed imperfectè & reductivè*. Et n. 6. *Pertinet reductivè ad eam peccati ſpeciem* &c. Ideo n. 8. quando docet, debere in Confeſſione explicari *ſpeciem peccati, ad quam incitavit*, & reddit rationem: *quia omnia* (dicta vel facta) *pertinent ad eam peccati ſpeciem, ad quam inducunt*; ne quis fortè de propria & primaria ſpecie id exiſtimaret, ſtatim ſe retulit ad id, quod dixerat n. 4. ubì non de propria, ſed de reductiva ſpecie locutus fuerat. Hactenus Dicaſtillo.

Sed nunquid rem acu tetigit? In rebus claris ſubtilizare, eſt errorem quærere; & nimium ſapere, eſt minimum ſapere. Quid clariùs, quàm illum, qui alteri conſulit furtum, directiſſimè peccare contra juſtitiam, & obligari ad reſtitutionem in defectum furis? Ergo exemplum in particulari materia injuſtitiæ potiùs eſt contra ipſum, quàm pro ipſo. Neque Sanchez loquitur de conſulente furtum, ſed de illo, qui pravo ſuo exemplo alteri fuit cauſa per accidens furti, quem excuſat à reſtitutione, eò quòd directè & perfectè non violaverit juſtitiam. Igitur quod Sanchez ait n. 5. nihil ad propoſitum.

Utì nec illud, quod habet n. 4. ubì ſimiliter loquitur de eo, qui pravo ſuo exemplo inducit ad furandum; magna autem differentia eſt inter Joannem, qui poſitivè conſulit aut mandat furtum, & Franciſcum, qui alium ſuo exemplo inducit ad furtum, ùt patet ex dictis Concl. præcedenti: & Sanchez (velit, nolit) debet concedere, Joannem teneri ad reſtitutionem, quod tamen negat de Franciſco, ùt mox vidimus. Proinde licèt admitteremus hunc non peccare directè & per ſe contra juſtitiam; nihilominùs omnino concedendum eſt, illum directè & per ſe peccare contra juſtitiam. Jam autem Concluſio noſtra non loquitur de Religioſo, qui ſuo pravo exemplo inducit alium ad fornicandum (v. g. ſæcularis videns Religioſum fornicantem, & ipſe fornicatur, eſtò Religioſus poſitivè contradicat) ſed de Religioſo, qui poſitivè conſulit, & per conſequens vult, ſaltem implicitè, fornicationem alienam.

Deinde interrogo: actus, qui ſecundariò prohibetur per aliquam virtutem, v. g. caſtitatem, & ideo reductivè ſpectat ad peccatum oppoſitum iſti virtuti; eſt aliquo modo peccatum contra iſtam virtutem, vel non? Indubiè (inquis) eſt aliquo modo peccatum contra iſtam virtutem: quia (ùt ſupponitur) ſecundariò per ipſam prohibetur. Infero ego: ergo actus ſecundariò prohibitus per virtutem caſtitatis, eſt in habente votum caſtitatis ſacrilegium contra id votum. 88. *Actus, qui ſecundario prohibetur per aliquam virtutem, eſt aliquo modo contra illam.*

Probatur Conſequentia ex Sanchez Sum. lib. 5. c. 6. n. 9. ubi ſic ait: Quidquid in ſæcularibus extra conjugium eſt aliquo modo peccatum contra caſtitatem, eſt in habente votum ſimplex aut ſolemne caſtitatis ſacrilegium contra id votum. *Sanchez.*

Dices: Non loquitur de modo primario & ſecundario, ſed de aliis modis, quos priùs enumeraverat eodem loco, ibi: Circa priorem difficultatem breviter dicendum eſt, ſolemne caſtitatis votum ad duo obligare. Prius eſt, ad abſtinendum à conjugio &c. Poſterius eſt, ad abſtinendum ab omni actu venereo ſive interno, ſive externo caſtitati adverſo; ùt à turpibus cogitationibus, delectatione moroſa, à pollutione, à turpi contactu, impudico aſpectu & à quocumque coitu &c. De illis loquitur Sanchez; non autem de modo primario vel ſecundario. 89. *Objectio.*

Sed contra; Sanchez non ait: Aliquo modo ex enumeratis; ſed ſimpliciter: Aliquo modo. Deinde quæro abs te; cogitatio alienæ fornicationis in caſu propoſito honeſta cenſeri debet, an turpis? Delectatio moroſa de fornicatione aliena, ibi enumeratur inter cæteros modos ſeu actus venereos, qui prohibentur per votum caſtitatis, an non? Sanè *Solutio.*

verba ſunt generalia : *A turpibus*, inquit, *cogitationibus*, *delectatione moroſa* &c. Cur ergo nos ea reſtringemus ad delectationem moroſam & turpes cogitationes de propria fornicatione? Quòd ſi delectatio moroſa de fornicatione aliena prohibetur per votum caſtitatis, ſecundùm Sanchez, cur non magìs affectus efficax fornicationis alienæ? Nonne affectus efficax propriæ fornicationis magìs opponitur virtuti caſtitatis, & per conſequens voto caſtitatis, quàm ſola delectatio moroſa? Non eſt dubium.

Sive ergo conſilium fornicationis alienæ directè adverſetur virtuti caſtitatis (ùt docet Suarez de Charit. diſp. 10. ſect. 2. n. 9. in fine dicens: Neque eſt ſimile de illo, qui per conſilium directè inducit; nam hoc apertè eſt contra obligationem cujuſvis virtutis, habet enim adjunctam voluntatem contrariam directè illi virtuti) ſive indirectè tantùm & ſecundariò; dico, eo modo prohiberi per votum caſtitatis, quo modo caſtitati opponitur: ſi primariò & directè opponitur, prohibetur per votum primariò & directè: ſi ſolùm indirectè & ſecundariò, etiam ſolùm indirectè & ſecundariò prohibetur per votum; adeoque quemadmodùm virtus illa exprimenda eſt in Confeſſione, licèt iſtud peccatum ſolùm indirectè ei opponatur, pari quoque ratione exprimendum erit votum, eſtò iſtud peccatum ſolùm indirectè per illud prohibeatur.

90. Proponitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ ex Sanches.

Quod ergo fundamentum oppoſitæ ſententiæ claræ & doctæ, & à pleriſque receptæ, ſi credimus Dicaſtilloni? Ducor (inquit Sanchez ſuprà n. 11. ubì putatur docere hanc opinionem) quia quamvìs ſcandalum illud ſæcularibus datum, reducatur ad peccatum contra caſtitatem, & datum Religioſis ad ſacrilegium; at non eſt peccatum contra propriam caſtitatem, quam in ſe tenetur ſervare Religioſus, quæ ſola cadit ſub hujuſmodi voto, & hujus violatio tantùm reſervatur, & ideo nullam prorſùs circumſtantiam peculiarem habet ex parte voti hujus Religioſi, dantis ſcandalum; ſed ſolam malitiam contra caſtitatem, ad quam ſuo pravo exemplo inducit ſæculares, vel ſacrilegii, ad quod inducit Religioſos, non aliter, quam ſi ſæcularis id ſcandalum daret. Hæc ille. Sed non loquitur de conſulente, de quo, ſecundùm noſtra principia, eſt diſpar ratio.

91. Conſulens alteri fornicationem, peccat contra propriam caſtitatem.

Dico igitur, conſulentem alteri fornicationem, peccare contra propriam caſtitatem. Probatur manifeſtè: Caſtitas eſt virtus univerſalis, obligans unumquemque ad abſtinendum ab omni actu venereo interno & externo extra conjugium; inſuper inclinans, tametſi non obligans, ad procurandam illam abſtinentiam in altero: ergo etiam inclinans ad non procurandum poſitivè actum contrarium in altero; quidni etiam obligans? Eodem præcepto (inquit Coninck de Act. Supernat. diſp. 32. n. 49.) quo vetamur aliquid facere, etiam prohibemur velle id fieri: atquî hoc ipſo, quo aliquis intendit alterum inducere ad aliquod peccatum, ipſe vult hoc ab ipſo fieri; ergo peccat contra idem præceptum, contra quod peccat hoc faciens. Coninck

Ergo, infero ego: conſulens alteri fornicationem, peccat contra caſtitatem propriam, eandem utique contra quam peccat ipſe fornicator: neque enim eſt alia virtus caſtitatis, quæ me obligat, & quæ obligat alterùm; ſed una & invariata ſpecie virtus, quæ ſuum ſubjectum inclinat ad amandam honeſtatem caſtitatis tam in ſe, quàm in alio, & obligat ad non amandam oppoſitam malitiam ſive in ſe, ſive in alio.

An fortè eſt alia virtus, quâ deteſtor fornicationem propriam, & alia, quâ deteſtor fornicationem alienam? Ergo ſimiliter non eſt alia & alia virtus, quæ prohibet procurare propriam fornicationem, & procurare fornicationem alienam. *Voluntas Angeli* (inquit Scotus 3. diſt. 35. q. 1. n. 16.) *poteſt velle mihi bonum temperantiæ, in quantùm eſt tale bonum, quod velle eſt proprius actus temperantiæ: igitur ex habitu temperantiæ poteſt illud velle ſicut argutum eſt; & ita erit in eo temperantia.* 9 Eadem ſtatus ſtatu prian alien forn nem Scot

Ergo ſimiliter voluntas mea poteſt alteri velle bonũ caſtitatis, in quantùm eſt tale bonũ, quod velle eſt proprius actus caſtitatis; igitur ex habitu caſtitatis poteſt illud velle; & ita erit in me caſtitas. Ergo caſtitas, quæ in me eſt, inclinat meam voluntatem ad deſiderandum alteri bonum caſtitatis: & per deſiderium iſtud voluntas mea acquirit ſibi virtutem caſtitatis, ejuſdem ſpeciei cum illa virtute caſtitatis, per quam ſibiipſi deſiderat bonum caſtitatis; quia (ùt dicit Scotus ſuprà) *Per mihi & tibi non variatur ratio formalis habitûs*. Ergo etiam per mihi & tibi non variatur ratio formalis peccati: ergo veluti pecco contra propriam caſtitatem, mihi ipſi deſiderando malitiam oppoſitam; ita etiam pecco contra propriam caſtitatem, deſiderando alteri malitiam oppoſitam.

Et ſanè quis dixerit, voluntatem ſimpliciter & abſolutè caſtam, quæ alteri deſiderat luxuriam? Bonum ex integra cauſa; malum autem ex ſingulis defectibus: ergo qui abſolutè & ſimpliciter vovet caſtitatem, vovet abſtinentiam ab omni deſiderio luxuriæ, ſive propriæ, ſive alienæ: quia deſiderium luxuriæ alienæ, & hoc ipſum propria luxuria eſt, id eſt, peccatum deſtruens habitum propriæ caſtitatis. 9 Non ſimp caſt alte dera tam

Atque ut deſiderium propriæ fornicationis, eſſet peccatum ſpecie diſtinctum à deſiderio fornicationis alienæ, quid tum? Nonnè etiam pollutio eſt peccatum ſpecie diſtinctum à fornicatione? Et tamen, quia utrumque opponitur caſtitati, opponitur etiam voto caſtitatis: ergo ſimiliter illa deſideria, tametſi forent pec-

cata

Digitized by Google

cta ſpecie diſtincta, tamen quia opponuntur eidem virtuti caſtitatis, etiam opponuntur, eidem voto caſtitatis.

Dices: Ergo peccat Religioſus contra votum caſtitatis, quando conſulit alteri matrimonium, vel petitionem debiti conjugalis. Probatur Conſequentia: quia Religioſus vovet abſtinere à matrimonio, & à petitione debiti conjugalis. Si ergo peccat contra votum caſtitatis, quando conſulit alteri fornicationem, idcirco, quia propria fornicatio eſt contra votum caſtitatis; etiam peccabit contra votum caſtitatis, quando alteri conſulit matrimonium, quoniam proprium matrimonium eſt contra votum caſtitatis.

Reſpondeo N. C. Ratio diſparitatis, voluntas voventis: ſi enim omnes Religioſi interrogarentur, nemo inveniretur, qui diceret: *Volui me obligare ad abſtinendum ab huiuſmodi conſilio; ſed tantùm ad abſtinendum à proprio matrimonio.* Ratio ulterior: quia tale conſilium poteſt ſæpè eſſe obligatorium, adeoque melius ejus oppoſito; ùt patet in Confeſſariis: ergo non eſt veriſimile, Eccleſiam vel Religioſos illud voluiſſe comprehendere ſub voto caſtitatis. Porrò conſilium fornicationis intrinſecè malum eſt; & ideo meritò cenſetur per votum caſtitatis prohibitum.

Sed contrà, inquis: Etiam intrinſecè malum eſt, alteri conſulere peccatum inobedientiæ, aut violationem voti paupertatis; & tamen Religioſus conſulens alteri inobedientiam, aut violationem voti paupertatis, non putat ſe peccare contra proprium votum obedientiæ, vel paupertatis.

Reſpondeo, ùt priùs, diſparitatem petendam eſſe ex ſenſu communi Religioſorum, & totius Eccleſiæ. Ratio ulterior eſt: quia caſtitas Religioſa eſt abſoluta & illimitata quantùm ad obligationem abſtinendi ab omnibus venereis internis & externis, tam in matrimonio, quàm extra: nec conſtat, aliquando ab Eccleſia exceptum fuiſſe deſiderium alienæ luxuriæ; neque eſt ulla ratio iſtud excipiendi. At verò obedientia Religioſa conſtat, quia limitata eſt & determinata ad certum Superiorem, & ad certam materiam, putà ad illa ſola, quæ continentur in Regula, vel quæ ad illius obſervationem ſunt neceſſaria, aut valde utilia.

Similiter paupertas Religioſa accipit ſuam determinationem ab Eccleſia, nec extendit ſe ad alios actus, quàm ab Eccleſia determinatos; utputà, privat ipſo facto dominio, uſu, uſufructu & poſſeſſione omnium bonorum temporalium (ſecùs ſpiritualium, ùt beneficio, jure alimentorum &c.) & ad illa reddit inhabilem: prohibet autem acceptionem, detentionem, alienationem & uſum cujuſcumque rei temporalis ſinè licentia Superioris. Quid ergo miramur, ſi non extendat ſe ad conſilium præfatum, quod inter illa non numeratur ab Eccleſia?

Porro caſtitas, cùm ſit virtus abſoluta & illimitata, obligans ex natura rei, & ſecluſo voto, ad abſtinendum ab omnibus actibus venereis internis & externis extra matrimonium (inter quos actus reperitur conſilium alienæ fornicationis) nil mirum, ſi etiam caſtitas Religioſa ad omnes illos actus ſe extendat.

96. *Violans votum obedientiæ non peccat contra obedientiam.*

Præterea, Religioſus violans votum obedientiæ vel paupertatis, non peccat contra obedientiam vel paupertatem; ſed tantùm contra fidelitatem debitam Deo. Unde (ùt alibi diximus) ſufficienter confitetur, dicendo: *Violavi votum in re gravi*; adeoque conſulens illam violationem, non facit quidpiam contra obedientiam vel paupertatem; ſed contra fidelitatem Religioſam: ergo non peccat contra proprium votum; quia (ùt ſuppono) non vovit fidelitatem Religioſam, ſed obedientiam & paupertatem. Jam autem qui conſulit fornicationem alteri Religioſo vel ſæculari; non tantùm peccat contra fidelitatem Religioſam, ſed etiam contra virtutem caſtitatis, quam tamen vovit obſervare; ergo peccat contra proprium votum. Hinc ſi Religioſus ſuaderet alteri Religioſo conjugato actum matrimonialem, ſicut Religioſus conjugatus exercens talem actum, non peccaret contra caſtitatem, ſed tantùm contra fidelitatem Religioſam, pariter nec Religioſus conſulens peccaret contra proprium votum caſtitatis.

Ecce reſolutionem Dicaſtillonis claram & doctam, & à pleriſque receptam, ùt ipſe eam perperàm vocat, cardinibus ſuis luxatam: quam proinde non judico tutam in praxi, nec puto ab aliquo practicari.

97. *Rejicitur aliaquædam ſententia Caramuelis.*

Magìs extirpanda ſententia Caramuelis ſuprà n. 988. ſcilicet: Monialis, quæ tactibus, ſinè delectatione propria, ſæcularem pollueret, non operaretur contra votum caſtitatis. Tactus hujuſmodi ex natura ſua initiũ ſunt copulæ, quos proinde omnes viri caſti, quaſi peſtem animæ caſtæ execrantur; etſi hìc & nunc nulla ex illis oriatur delectatio aut pollutio propter infirmitatem naturæ, vel aliam cauſam extrinſecam, quæ nullatenus poteſt immutare naturam illorum tactuum, à qua deſumenda eſt malitia, & non ab accidentali diſpoſitione tangentis. Hinc Diana part. 1. tract. 7. reſol. 53. meritò remittit viris doctis examinandum, utrùm hæc opinio (pro qua citaverat Llamas in Sum. part. 3. c. 8. §. 16.) ſit probabilis.

Et quamvìs Caramuel ſuprà exiſtimet, eam non ſolùm probabilem eſſe, ſed etiam evidentem, conſervatis ſuis principiis, de quibus in principio Concluſionis egimus; ego ſanè, quia principia illa judico falſiſſima, etiam falſiſſimam arbitror hanc opinionem, ac omninò extirpandam. Quapropter abſque ulteriori ejus examine (quo indigna eſt) procedo

ad

ad alios caſus; & quæro, an dignitas perſonæ operantis ſit circumſtantia explicanda in Confeſſione? Ex. gr. ſi Epiſcopus (quod abſit) ſeipſum polluat vel fornicetur. Si Generalis alicujus Religionis, vel alius Prælatus inferior. Si Judex furetur, qui ex officio ſuo tenetur alios fures punire. Reſpondeo:

CONCLUSIO VI.

Dignitas perſonæ peccantis, per ſe loquendo, & in univerſum, non eſt circumſtantia mutans ſpeciem, aut notabiliter aggravans, in Confeſſione ſpecialiter explicanda.

98. *Sententia Doct. Angelici.* Doctor Angelicus 1. 2. q. 73. art. 10. quærens; utrùm dignitas perſonæ peccantis aggravet peccatum? Reſpondet, *quòd duplex eſt peccatum. Quoddam enim ex ſurreptione proveniens, propter infirmitatem humanæ naturæ; & tale peccatum minùs imputatur ei, qui eſt maior in virtute, eò quòd minùs negliget huiuſmodi peccata reprimere; quæ tamen omnino ſubterfugere infirmitas humana non ſinit: alia verò peccata ſunt ex deliberatione procedentia; & iſta peccata tantò magìs alicui imputantur, quantò maior eſt.*

Probat quadrupliciter. I. *quia faciliùs poſſunt reſiſtere peccato Maiores, putà; quia excedunt in ſcientia & virtute. Vnde Dominus dicit Luc.* 12. *Luc. 12.* Quòd ſervus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, plagis vapulabit multis. *II. propter ingratitudinem: quia omne bonum quo aliquis magnificatur, eſt Dei beneficium, cui homo ſit ingratus peccando. Et quantùm ad hoc, qualibet maioritas, etiam in temporalibus bonis, peccatum aggravat, ſecundùm illud Sap.* 6. *Sap. 6.* Potentes potenter tormenta patientur. *III. propter ſpecialem repugnantiam actûs peccati ad magnitudinem perſonæ: ſicut ſi Princeps iuſtitiam violet, qui ponitur iuſtitiæ cuſtos; & ſi Sacerdos fornicetur, qui caſtitatem vovit. IIII. propter exemplum ſeu ſcandalum: Quia (ùt Gregorius dicit in Paſtorali) in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradûs peccator honoratur. Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata Magnorum, & magìs homines ea indignè ferunt.* Hucuſque S. Thomas.

99. *quæ diſplicet Arriagæ.* Sed diſplicet hæc doctrina Arriagæ Tract. de Vitiis diſp. 42. n. 22. eò quòd omnes illæ probationes etiam in peccatis factis ex ſubreptione locum habeant. Prima: quia negari non poteſt, quin homo habens majorem gratiam, faciliùs etiam poſſit vitare ea peccata ex ſubreptione; immo ad hæc vitanda maximè juvat ſanctitas. Secunda: quia etiam in illis datur ingratitudo erga Deum. Tertia: quia etiam illa magìs repugnant ei altiori ſtatui. Quarta denique: quia etiam ex illis ſcandalizantur faciliùs alii.

Nec ſufficit reſpondere; eò quòd non fuerit tunc perfecta libertas, quæ ponderaret ea omnia motiva, non reddi tunc majora ea peccata: hoc (inquam) non ſufficit; nam licèt non ſit integra libertas, eſt tamen ſufficiens ad peccandum: eo autem ipſo eſt ſufficiens, ut juſtus poſſit aliquo modo ponderare eas quatuor rationes; quæ etiam ſic imperfectè ponderatæ, licèt non tantùm aggravent, quàm ſi omninò exactè ponderarentur; efficiunt tamen ſinè dubio plus, quàm ſi non eſſent ullo modo cogitatæ. Ergo aggravabunt aliquo modo, & plùs quàm ſi non eſſent. Hactenus Arriaga.

Quidquid ſit de hac doctrina D. Thomæ, ut vera eſſet (quod examinare non eſt hujus loci, & ideo ſuperſedeo) equidem non repugnat noſtræ Concluſioni; quæ ſolùm negat, dignitatem perſonæ peccantis notabiliter aggravare, ita ut, per ſe loquendo, debeat explicari in Confeſſione.

Dico; *Per ſe loquendo*, propter exemplum ſive ſcandalum, de quo D. Thom. ſuprà in quarta probatione: nam indubiè magìs movent exempla Superiorum, quàm inferiorum, juxta commune dictum: *Qualis Rex, talis grex.* Verùm ratio ſcandali per accidens conjungitur peccatis Superiorum, cùm plura eorum peccata poſſint eſſe occulta. Ergo, per ſe loquendo & univerſim, non videtur neceſſe, explicare dignitatem perſonæ peccantis, v. g. ſi ſit Epiſcopus aut Prælatus Religionis, ſi ſit Judex aut alia perſona publica &c. Præterquam, quòd peccatum ſcandali communiter ſatìs poſſit explicari, non explicatâ dignitate perſonæ, dicendo: *Dedi ſcandalum pluribus vel paucioribus in tali vel tali materia.* Quòd ergo propter ſcandalum dignitas debeat explicari, planè per accidens eſt.

Nec obſtat; quòd Prælatus debeat procurare perfectionem: nam etiam quilibet Religioſus, ratione ſui ſtatûs magìs debet procurare perfectionem; & tamen non ideo in quolibet peccato mortali debet explicare circumſtantiam ſtatûs Religioſi. Ita Lugo diſp. 16. n. 179. ubì docet hanc ſententiam. Deinde, nego debitum ſtrictè dictum ſecluſo voto, quod explicandum eſſe nemo dubitat. Et hujus caſûs meminit D. Tho. ſuprà in 3. probatione: *Si Sacerdos* (inquit) *fornicetur, qui caſtitatem vovit.*

Sed quid, ſi Princeps juſtitiam violet, qui ponitur juſtitiæ cuſtos? Reſpondent Nonnulli; Gubernatorem, vel alium gerentem publicum Magiſtratum, ſi ipſe furetur, qui alios impedire & punire debuerat, non debere explicare circumſtantiam ſui officii. Ita Diana cum

Digitized by Google

cum Aliis quos citat p. 1. tract. 7. reſol. 36. Conſonat Card. Lugo diſp. 16. n. 180. qui teſtatur de communi Recentiorum; & probat: quia licèt Gubernator ex juſtitia teneretur ad impediendum furtum ſuum pro debito ſui muneris; illa tamen circumſtantia non adderet novam ſpeciem, cùm jam ipſum peccatum furti conſtitutum ſit in ſpecie injuſtitiæ. Hæc ille.

Sed cùm plures ſint ſpecies injuſtitiæ; cur furtum conſtitutum in una ſpecie injuſtitiæ, non poterit accipere aliam ſpeciem injuſtitiæ? Vel ſi non aliam ſpeciem, cur non poterit accipere aliam numero malitiam injuſtitiæ? Etenim talis Gubernator non ſolùm peccat contra jus illius, cujus bona furatur; ſed etiam videtur peccare contra jus, quod habet Reſpublica, ut debitè fungatur officio ſuo, ideſt, ut impediat furta, quantùm commodè fieri poteſt.

Reſpondet Lugo ſuprà n. 181. Licèt Gubernator conſtituatur ad hoc, ut impediat furta & delicta aliorum; non tamen ut impediat ſua. Sicut Fiſcalis debet ex munere ſuo denuntiare delicta contra bonum publicum; non tamen ſua, ſed aliorum: & cuſtos vineæ debet manifeſtare fures, non tamen ſeipſum. Quia hi omnes conſtituuntur in ordine ad alios in officio continendos, non in ordine ad ipſummet delicta impedienda.

Dices: Hoc eſt quod quæritur; & probatum, non ſuppoſitum oportuit. Porrò nec à Lugone ſuprà, nec à Dicaſtillone (qui ſequitur Lugonem in hoc puncto diſp. 9. n. 381.) probatur.

Reſpondet aliquis: Non oportuit probatum, ſed potiùs ſuppoſitum, quod clamat experientia, & communis ſenſus Fiſcalium & Cuſtodum ac ſimilium Officialium. Quis enim umquam eorum ſeipſum accuſavit aut denuntiavit? Superat communiter talis denuntiatio humanam fragilitatem, ac propterea non cenſetur Reſpublica aut ſupremus Princeps ad illam voluiſſe hujuſmodi Officiales obligare.

Rogas, quid ego ſentiam de hac controverſia? Reſpondeo: Fieri poteſt, ut Officiales peccent contra juſtitiam, ubi privati ſolùm peccarent contra Charitatem; & tunc ſi illam injuſtitiam non poſſint explicare, niſi explicent ſuam dignitatem, indubiè obligantur eam explicare: v. g. Prælatus Regularis non corripit ſubditos ſuos, quando hìc & nunc commodè poſſet ipſos corripere & emendare, non ſatisfacit dicendo in Confeſſione: *Peccavi graviter contra præceptum fraternæ correptionis* (quia hoc peccatum regulariter tantùm opponitur virtuti Charitatis) ſed tenetur inſuper explicare ſuam dignitatem, aut aliâ viâ explicare peccatum injuſtitiæ, quod ratione ſui officii commiſit non corripiendo.

Enimverò Prælatus ratione officii ſui acquirit quoddam jus gubernandi ſubditos iiſque imperandi; & viciſſim ſubditi acquirunt jus in eum; primò, ut procuret bonum commune, deinde, ut procuret bonum particulare uniuſcujuſque: ad hoc quippe ejuſmodi officia ſunt inſtituta, & cum hac conditione conferuntur & acceptantur; adeóque hæc obligatio naſcitur ex quodam mutuo contractu: igitur eſt obligatio juſtitiæ, ſaltem erga ipſam Communitatem. Quod addo; quia putat Coninck de Act. Supernat. diſp. 28. n. 75. valde probabile eſſe, eum (ſaltem communiter) non obligari ex juſtitia ipſis peccantibus, ut eos corripiat; quia hi hoc communiter non cupiunt fieri: nemo autem mihi obligatur ex juſtitia aliquid præſtare, quamdiu non cupio ipſum hoc mihi præſtare; ſicut non teneor meo creditori ſolvere, quamdiu non cupit me hoc facere. ...etur corripere ſuos ſubditos. Coninck.

Quandoque tamen contingit, ut ipſi ſubditi cupiant ſibi ejuſmodi officia impendi, ut ita juventur ac emendentur; quando ſcilicet ſunt bonæ voluntatis & cupiunt emendari, & ad hoc juvari; præſertim, quando peccant ex aliqua ignorantia, etiam culpabili, quæ tamen ſit cauſa ipſius actûs mali. Et hoc caſu credo Superiorem, etiam his in particulari, obligari ex juſtitia eos corripere, & in eorum vitam inquirere. Hæc ille.

Quæ ſi vera ſunt, neſcio, quare Gubernator, dum furatur bona ſubditorum, non peccet duplici peccato injuſtitiæ, uno communi ceteris furibus, altero contra ſpeciale jus, quod habet Reſpublica quaſi ex contractu, ut Superior procuret tum bonum commune, tum bonum particulare uniuſcujuſque. Unde, ſecundùm communem ſententiam, non ſolùm peccat contra Charitatem, ſi non impediat furta aliorum, quando commodè poteſt ea impedire, ſicut peccat homo quilibet privatus; ſed etiam contra juſtitiam; ac proinde non ſatisfaceret, dicendo in Confeſſione: *Non impedivi furtum, etſi commodè potuiſſem illud impedire*; ſed inſuper debet explicare ſuum officium, aut aliâ viâ declarare injuſtitiam. 104. Gubernator, qui furatur bona ſubditorum, videtur peccare duplici peccato injuſtitiæ.

Et licèt non teneatur vi muneris ſui ſeipſum punire; quia hoc dedecet ſtatum ſuum, & ſuperat communiter humanam fragilitatem, adeóque non cenſetur ſe voluiſſe ad hoc obligare; cur ſaltem vi muneris ſui non teneatur abſtinere à furto, cùm hoc non dedeceat, ſed maximè congruat ſtatui ſuo, nec ſuperet communiter humanam fragilitatem? Non video, cur non poſſit cenſeri ſe ad hoc voluiſſe obligare, quando officium acceptavit. Reverà omnes ſubditi graviſſimè ſentiunt, ſi Superior ipſe, qui ex pacto implicito obligatur eorum bona defendere ab injuria aliorum, injuriam inferat: immò magis ſentiunt, quàm ſi alios non impediret, & indignum planè judicant ſuo officio; ergo communis ſenſus præter malitiam furti apprehendit in furto Superioris aliam

aliam malitiam injuſtitiæ, ſi non ſpecie, ſaltem numero diſtinctam, contra obligationem Officii.

Nihilominùs manet vera Concluſio, quæ (ùt patet ex illa particula: *Per ſe loquendo, & in univerſum*) tantùm negat, in omni peccato mortali tam interno, quàm externo, explicandam eſſe cicrunſtantiam dignitatis, eſtò hìc & nunc in aliquo particulari peccato debeat explicari.

105. An Sacerdos occidens aliquem vel mutilans peccet duplici peccato? Nugnus.

Si autem à me quærirur, an in hoc particulari peccato, v. g. Petrus Sacerdos percutit Joannem ſæcularem, cum effuſione ſanguinis, immò uſque ad mortem ipſam, debeat explicari dignitas Sacerdotalis? Quando (inquit Nugnus in Addit. ad 3. tom. 1. q. 9. a. 2. dub. 3. concl. 5.) initiatus ſacris Ordinibus occidit vel abſcindit membrum alterius vel notabiliter percutit uſque ad effuſionem ſanguinis, tenetur explicare, ſe eſſe initiatum Sacris; quia hoc maximè repugnat proprio ſtatui propter Irregularitatem annexam: & credo etiam probabiliter, quòd Sacerdos teneatur explicare ſe eſſe Sacerdotem; quia effuſio ſanguinis maximè repugnat Sacerdotio. Ita ille apud Dianam p. 1. tract. 7. reſol. 8. qui oppoſitum docet hiſce verbis: Sed ſi aliquis dictam circumſtantiam taceret, non illum damnarem; quia eſt ſolùm circumſtantia aggravans.

106. Negant Diana & Dicaſtillo.

Dianæ adhæret Dicaſtillo diſp. 19. n. 382. dicens: Quod addit Nugnus de incurſu Irregularitatis, non probat aliquam ſpecialem malitiam ex eo præcisè capite propter ejuſmodi inhabilitatem; aut (ſi velis) appella pœnam, quam etiam laicus & Clericus in Minoribus incurrit. Quamvìs ergo ſit major indecentia in Sacerdote, non video mortalem ſpecificam ex eo capite, ultra malitiam ipſius percuſſionis. Hæc ille.

Potuiſſet quidem Eccleſia, propter reverentiam Ordinis ſacri, ſpecialiter prohibere hujuſmodi percuſſionem, veluti prohibuit ſententiam ſanguinis & exercitium artis Chirurgiæ, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit, cap. 9. Ne Clerici vel Monachi, in principio: *Sententiam ſanguinis nullus Clericus dictet aut proferat; ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, interſit.* Et infrà: *Nec ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceat, quæ aduſtionem vel inciſionem inducit.* Equidem ſpecialiter prohibuiſſe hujuſmodi percuſſionem, ex nullo jure conſtat, quamvis ipſa indubiè magìs dedeceat Sacerdotem, quàm laicum; & quamvis magìs dedeceat Sacerdotem, ſic percutere, quàm dictare aut proferre ſententiam ſanguinis.

Cap. 9. Ne Clerici vel Monachi.

Unde non videtur audienda Gloſſa in præfatum Cap. dicens: *Clericis prohibentur omnia illa, ex quibus ſequitur vel ſequi poteſt vita amiſſio vel ſanguinis effuſio*, ſi intelligatur etiam de iis, quæ jure naturæ aut divino illicitia ſunt, prout illicita eſt percuſſio in caſu propoſito; adeòque nulla erat neceſſitas eam prohibendi ſpecialiter per legem Eccleſiæ, veluti illa, quæ enumerantur in præfato jure; alioquin Clericis licita.

Notandum quoque; quòd non reperiatur in jure ſpecialiter inflicta Irregularitas Sacerdoti aut alteri cuicumque Clerico, propter mutilationem aut homicidium; ſed generaliter tam laico, quàm Clerico. Sicut ergo laicus non contrahit malitiam ſpecificam præcisè ex eo capite, putà propter pœnam Irregularitatis, homicidio aut mutilationi annexam; pari ratione neque Sacerdos aut alius inferior Clericus.

10[7] Lex, gens nam gulari propte micid eſt pu pœnal

Igitur lex Eccleſiaſtica infligens pœnam Irregularitatis, propter injuſtum homicidium vel mutilationem, purè pœnalis eſt, non obligans ad omiſſionem actûs; ſed ſupponens obligationem juris divini, quæ ſufficiens erat pro conſtitutione talis pœnæ, utpote ad quam non ſit neceſſaria ſpecialis inobedientia aut contumacia contra præceptum Eccleſiaſticum, prout requiritur (ſecundùm communem ſententiam) ad pœnam Excommunicationis, argumento cap. *Sacro.* 48. de Sententia Excommunic. ibi: *Prohibemus, ne quis in aliquem Excommunicationis ſententiam, niſi competenti admonitione præmiſſâ, & perſonis præſentibus idoneis, per quas (ſi neceſſe fuerit) poſſit probari monitio, promulgare præſumat.*

Hujuſmodi præviam admonitionem neceſſariam eſſe ad incurrendam pœnam Irregularitatis, nuſpiam jus loquitur; adeòque quando aliunde per jus divinum, naturale vel poſitivum actus, propter quem infligitur pœna Irregularitatis, prohibitus eſt, abſque ratione ſuperadditur obligatio legis Eccleſiaſticæ. Itaque præcisè propter pœnam Irregularitatis, Sacerdos mutilans vel occidens, non committit aliud ſpecie peccatum, quàm laicus mutilans vel occidens; vel etiam aliud ſpecie peccatum, quàm committeret, ſi pœna iſta non fuiſſet appoſita.

10[8] Aliquo per acc dens S dos in propoſ debet plicare ſuam d tatem.

Dico: *Præcisè propter pœnam Irregularitatis*; quia cùm per illam pœnam fiat inhabilis ad celebrandùm, ſi aliunde, v. g. ex officio vel contractu habeat obligationem celebrandi, fieri poteſt, ut mutilatio vel homicidium, præter communem malitiam injuſtitiæ, indè contrahat aliquam ſpecialem malitiam mortalem in Confeſſione neceſſariò declarandam, ùt per ſe patet; quam proinde malitiam ſi non poſſit declarare, niſi explicando ſuam dignitatem Sacerdotalem, procul dubio tenetur eam explicare.

Nihilominùs manet vera Concluſio generalis, ſcilicet, dignitatem perſonæ peccantis, per ſe loquendo & in univerſum, non eſſe explicandam in Confeſſione, quamvis per accidens & in caſu particulari poſſet eſſe obligatio. Veluti per accidens, & in caſu particulari

lari

Digitized by Google

lari poſſet eſſe obligatio explicandi circumſtantiam virginitatis amiſſæ per peccatum carnis, etſi per ſe loquendo & in univerſum non teneatur pœnitens eam declarare, ùt ediſſero Concluſione ſequenti, quæ talis eſt:

CONCLUSIO VII.

Per ſe loquendo & in univerſum non debet explicari in omni peccato carnis circumſtantia virginitatis, etiam ex parte fœminæ, etſi interveniat fractio clauſtri virginalis.

109. RAtio fundamentalis: quia per ſe loquendo, & in univerſum talis circumſtantia non transfert peccatum carnis ad aliam ſpeciem, neque notabiliter aggravat. Probatur: quia virginitas, per ſe loquendo, non eſt virtus obligans: ergo amiſsio virginitatis, per ſe loquendo, non eſt peccatum: ergo fornicatio virginis, per ſe loquendo, non habet malitiam, ſpecie diſtinctam à malitia ſimplicis fornicationis. Antecedens eſt Apoſtoli 1. Corinth. 7. v. 25. *De Virginibus præceptum Domini non habeo.*

Prima conſequentia eſt evidens: *Vbì enim non eſt lèx, nec prævaricatio* (inquit Apoſt. Rom. 4. v. 15.) omne autem peccatum eſt prævaricatio legis, teſte D. Ambroſio lib. de Paradiſo c. 8. ibi: *Non conſiſteret peccatum, ſi interdictio non fuiſſet.* Et infrà: *Quid enim peccatum, niſi legis divinæ prævaricatio, & cæleſtium inobedientia præceptorum?* Conſonat D. Auguſt. lib. 2. de Peccat. merit. c. 16. *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubeatur, ut non ſit.* Et infrà: *Quomodò enim dimittenti dimittitur per Dei miſericordiam, ſi peccatum non eſt? Aut quomodo non vetatur per Dei juſtitiam, ſi peccatum eſt?*

110. Secunda conſequentia probatur: quia illa fornicatio non prohibetur, niſi per præceptum caſtitatis; quod oſtendo diſcurrendo per alia præcepta, quibus putant Nonnulli hanc fornicationem opponi. Atque in primis non opponitur præcepto juſtitiæ: quia unuſquiſque eſt dominus corporis ſui ad actum copulæ carnalis, non obſtante integritate carnis ſeu virginitate, ùt patet in matrimonio, quod etiam invitis parentibus poteſt contrahere, abſque peccato injuſtitiæ: ergo etiam extra matrimonium poteſt alteri tradere corpus ſuum ad illum actum, abſque peccato injuſtitiæ, eſtò non abſquè peccato luxuriæ.

Sicuti prodigus, quamvis peccet contra liberalitatem, abjiciendo ſuas pecunias, ubì & quando non deberet abjicere; equidem non contra juſtitiam, quia verè eſt dominus illarum pecuniarum. Validè ergo facit, tametſi illicitè. Ergo ſimiliter in caſu propoſito, quamvis virgo illicitè faciat copiam ſui corporis extra matrimonium, illicitè (inquam) id eſt, contra virtutem caſtitatis, attamen validè, id eſt, ſinè cujuſque injuria. Cui enim faceret injuriam? Non ſibiipſi: quia volenti & ſcienti non fit injuria, ſaltem quando validè cedit juri ſuo. Alioquin ſi voluntas talis ſit, ut non poſſit validè habere talem effectum, remanet ratio injuriæ, etiam formalis ac propriè dictæ, ſecundùm Aliquorum opinionem.

Exemplum ſit in illo, qui ſciens & volens occiditur; qui cùm non ſit dominus vitæ ſuæ, nam Deus ſpecialiter ſibi illud dominium reſervavit, invalidè cedit juri ſuo. Aliud exemplum, pupilli, qui ex lege poſitiva nequit validè rem ſuam alienare abſque auctoritate judicis: talis quippe volens & ſciens patitur veram injuriam ab eo, qui re donatâ vel emptâ utitur tamquam ſuâ; caret ſiquidem donans aut vendens voluntate validâ ad cedendum juri ſuo: & licèt non ſit contra voluntatem ejus naturalem, eſt tamen contra voluntatem ejus civilem, quatenus lex vel Superior præcipit, quòd, etiam dum vult, moraliter reputetur non volens & invitus. Tertium exemplum erit, conjugis, cedentis jure matrimonii in ordine ad adulterium, quam ceſſionem Multi putant invalidam; ideoque docent, etiam tali caſu fieri veram injuriam ſcienti & volenti. 111. Exempla in quibus aliqui invalidè cedunt juri ſuo.

Quidquid ſit de his exemplis (de quibus hìc non eſt locus diſputandi) dico, ab illis non rectè argumentari ad præſentem caſum: quia certum eſt, in aliquo caſu virginem poſſe cedere jure ſuo ad virginitatem, ſcilicet per contractum matrimonii. Et quamvìs extra matrimonium illicitè cedat, quia illa ceſſio ipſi prohibetur per virtutem caſtitatis; equidem ex nullo capite probatur, quòd invalidè, id eſt, quòd per virtutem juſtitiæ illa ceſſio ipſi ſit prohibita. Veluti ſi conjuges pari conſenſu voviſſent caſtitatem; cedentibus illis jure ſuo, quamvìs illicitè contra votum, quia tamen validè (cùm illa ceſſio non prohibeatur, niſi ex virtute Religionis) copula ſubſequens, quamvìs foret ſacrilega, non tamen injuſta. Ergo ſimiliter copula carnalis, per quam virgo ſciens & volens extra matrimonium amittit virginitatem, etſi ſit luxurioſa, non tamen injuſta; quia non prohibetur ipſi ex virtute juſtitiæ, ſed ſolùm ex virtute caſtitatis. à quibus non rectè argumentatur ad caſum Concluſ.

Dices: Scriptum eſt Eccli. 7. v. 26. *Filiæ tibi ſunt? Serva corpus illarum.* Et v. 29. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris.* Ergo parentes habent ſtrictè dictum jus juſtitiæ tum cuſtodiendi corpus virginis ſuæ, tum ut virgo ſua per bonos mores ipſos honoret. Ergo licèt per talem 112. Objectio ex Scriptura Eccli. 7.

 copulam

Digitized by Google

copulam non fiat injuria ipſi virgini, fit tamen injuria ejus parentibus.

Confirmatur.

Confirmatur: Qui aufert bona caſtrenſia filio, etiam illo conſentiente, infert parentibus injuriam: ergo ſimiliter, qui filiæ aufert virginitatem, etiam ipsâ conſentiente. Probatur ſequela: quia ſicut pater habebat jus alendi filium ex bonis caſtrenſibus, quo invitus ſpoliatur; ita etiam habebat jus honeſtè elocandi filiam, quo invitus privatur per ablationem virginitatis, ſeu violationem integritatis carnis: nam corrupta difficiliùs poteſt invenire honeſtas nuptias, quàm integra.

113. Reſpondetur ad confirmationem.

Reſpondeo ad confirmationem negando Aſſumptum: ſiquidem pater non tenetur alere filium, prodigum ſuorum bonorum, ſed poteſt ipſum ejicere domo: quòd ſi velit ulteriùs alere, id liberalitatis eſt, non debiti. Pari autem ratione non tenetur filiam meretricem honeſtè elocare, neque propterea ampliùs dotare: ſibi imputet, quòd non poſſit honeſtas nuptias adipiſci (præterquam, quòd ipſa poſſit velle non nubere, vel nubere marito inferioris conditionis) ergo ex hac parte nulla fit injuria parentibus.

Reſponſio ad principalem objectionem.

Neque etiam propter jus cuſtodiendi corpus virginis: ſuppono enim, quòd vi vel fraude non impediverit hanc cuſtodiam: & tantum jus habent parentes ad cuſtodiendum corpus filiæ corruptæ, ne iteratò corpore ſuo abutatur, quantum ad cuſtodiendum corpus filiæ adhuc integræ. Enimverò eandem patientur parentes ignominiam ex peccato filiæ priùs corruptæ, ſi prior corruptio manſerat occulta; poſterior autem fornicatio ſit publica, quàm ex peccato filiæ adhuc virginis. Neque majus jus habent parentes, ut honorentur per bonos mores filiæ virginis, quàm filiæ corruptæ, aut per bonos mores filii, quàm filiæ.

114. Parentes habent æquale jus cuſtodiendi corpus filiorum ac filiarum.

Et quamvìs Scriptura ſuperiùs allegata tantùm loquatur de corpore filiarum; equidem exiſtimo parentes habere æquale jus cuſtodiendi corpus filiorum. Quis autem propterea dixerit filium (etiam virginem) fornicantem, peccare ſpeciali peccato injuſtitiæ? Confiteor: non tam infamis eſt fornicatio filii, quàm filiæ; ſed quid tum, dummodò reverà ſit infamis? Quia tamen parentes non habent ſtrictum jus, ut vel filius, vel filia, ſuis bonis moribus poſitivè honorent familiam ſuam; ſed tantùm, ne per ſe & eſſentialiter eam dehoneſtent ſuis malis moribus; ideo fornicatio filii vel filiæ, virginis aut non virginis, ex hoc capite non contrahit ſpecialem malitiam injuſtitiæ, in Confeſsione explicandam. Etenim infamia filii vel filiæ de per ſe & eſſentialiter non redundat in infamiam parentum vel familiæ; ſed tantùm accidentaliter. Unde non eſt tam cauſa, quàm occaſio aliqua talis infamiæ, quam filius vel filia non tenetur ex juſtitia evitare.

Infamia filii aut filiæ non redundat eſſentialiter in infamiam familiæ;

Aliud eſt, quando Pater-familias permittit ſibi imponi aliquod crimen, v. g. hæreſeos, ob quod omnes de tali familia jure habentur incapaces ad officia & beneficia: quia talis infamia redundat eſſentialiter & per ſe in totam familiam, ùt nimìs manifeſtum eſt. At verò propter fornicationem filii aut filiæ-familias contra voluntatem parentum, quis umquam parentes viles exiſtimavit, vel incapaces alicujus officii vel beneficii? Dicuntur quidem dehoneſtare ſuam familiam, & indubiè aliquod dedecus eſt; attamen ſolùm per accidens conjunctum; & magìs proveniens ex evulgatione fornicationis, quàm ex ipſa fornicatione: nullus enim minùs æſtimavit aliquam familiam ex hoc, quòd ſolus ſciat filiam fuiſſe corruptam; & aliundè per accidens eſt, quòd fornicatio illa publicetur. Finio, & dico: nemo tenetur ex juſtitia impedire ignominiam, quæ aliis ſolùm indirectè, & conſequenter provenit ex ſuo dedecore, v. g. quia amici ejus ſunt, cognati &c.

ſecus ... tria, f... lius ... quo

Atque ut totum concederemus, adhuc vera foret Concluſio: quia fieri poteſt, ut virgo ſit orbata parentibus, immò omninò libera & ſui juris, exempta ab omni poteſtate tutorum aut curatorum: ergo ſaltem illius virginis fornicatio nemini erit injurioſa; adeòque in univerſum non debet explicari circumſtantia virginitatis. Deinde illa malitia injuſtitiæ non provenit præcisè ex circumſtantia virginitatis; quia eandem habet (ùt oſtendimus) fornicatio filiæ corruptæ, quando prior fornicatio fuit occulta, & planè per accidens conjungitur illa infamia propter publicationem. Ergo per ſe loquendo (ùt habet Concluſio) non eſt explicanda in Confeſſione circumſtantia virginitatis, quaſi ſemper ſuperaddat ſpecificam malitiam injuſtitiæ. 1

Caſu quo nulla... tur in... ex for... tione... ginis.

Si dixeris: Saltem ſuperaddit gravem malitiam contra obedientiam patri debitam, vel contra Charitatem, propter grave malum parentum, quod potuit & debuit virgo impedire. 11

Neque vis ma... contra... dienti... patri... tam.

Reſpondeo: poteſt fieri, ùt mox diximus, quòd nullos habeat parentes; & tametſi haberet, malitia inobedientiæ contra parentes non reperitur, quandiu expreſſo præcepto non prohibent fornicationem: ſicut nec Religioſus peccans contra caſtitatem, ſemper etiam peccat contra obedientiam (licèt invito Prælato id faciat) quamdiu non acceſſerit ſpeciale præceptum in ea materia.

Quantùm ad obligationem Charitatis & pietatis erga parentes, ſi virgo prævidit gravem infamiam, aut aliud grave malum parentum, quamvis ſolùm accidentale; indubiè graviter peccavit contra pietatem & amorem parentibus debitum. Sicut etiam Religioſus ex hoc capite videtur graviter peccare contra pietatem & amorem, quem ſuo Ordini debet; immò fortè contra juſtitiam, quia infamia 11

An vi... peccet... tra Ch... tem &... torem... parent...

Reli-

Digitized by Google

Religioſi videtur per ſe & eſſentialiter redundare in infamiam totius Ordinis: omnes enim Religioſi habentur viles & abjecti. Interim hæc malitia non provenit præcisè ex circumſtantia virginitatis aut Religioſæ Profeſſionis, ut clarum eſt. Et ideo tam virgo, quàm Religioſus, ſæpiùs excuſantur, quia bonâ fide putarunt peccatum occultandum.

His non obſtantibus, plures Auctores (quos videre poteris apud Dianam p. 1. tract. 7. reſol. 11.) tenent oppoſitum Concluſionis; videlicet, per ſe loquendo, & in omni peccato carnis explicandam eſſe circumſtantiam virginitatis, propter damnum irreparabile, videlicet jacturam virginitatis & aureolæ correſpondentis. Hi ergo Auctores agnoſcunt in illo peccato ſpecialem & mortalem deformitatem contra propriam Charitatem, quæ non reperitur in peccato carnis corruptæ ſeu non virginis.

Alii ſunt, qui licèt non agnoſcant ſpecialem deformitatem in peccato interno (per quod tamen etiam amittitur virtus virginitatis, & aureola correſpondens) equidem in peccato externo, quo amittitur integritas carnis per fractionem clauſtri virginalis, inveniunt ſpecificam turpitudinem, procedentem tum ex jactura ſignaculi, quod natura dedit fœminæ, ut placeret viro; tum ex abſciſſione ſignaculi, quod licitè non poteſt fieri, niſi in caſu à natura intento; ſicut nec abſciſſio membri licitè permitti poteſt, niſi ob bonum aliquod à natura intentum: neque mulier magis videtur domina ſignaculi, quàm aliorum membrorum.

Sed contra primum: Illa jactura non eſt tanti ponderis, ut ſuperaddat aliam ſpecificam malitiam mortalem; tum quia ſinè ullo peccato amittitur virginitas, & aureola in matrimonio; tum quia majus bonum eſt, aliquod magnum augmentum gloriæ eſſentialis, quod homo poſſet acquirere per bona opera, & tamen non eſt peccatum mortale contra propriam Charitatem, illius jacturam incurrere, omiſſione bonorum operum.

Scio eſſe aliquam diſparitatem inter damnum emergens, id eſt, boni jam poſſeſſi aut certò debiti privationem, & inter lucrum ceſſans, id eſt, non acquiſitionem alicujus boni indebiti; equidem non eſt tanta, ut Charitas mortaliter obliget ad evitandum damnum virginitatis & aureolæ; nullo autem modo, aut certè non niſi venialiter, ad lucrandum magnum augmentum gloriæ eſſentialis per bona opera.

Ratio patet ex dictis: quia virginitas & aureola non ſunt bonum neceſſarium ad ſalutem, ſed tale bonum, quod abſque ullo peccato virgo poteſt velle amittere. Ergo quamvis Charitas inclinet ad illud retinendum, ſicuti inclinat ad acquirendum augmentum gloriæ eſſentialis; equidem non videtur, ſaltem graviter, obligare.

Contra ſecundam ſententiam opponitur primò; quòd fœmina non teneatur conſervare omnia, quibus poteſt magis placere viro: non enim pulchritudinem, non divitias &c. eſtò etiam vellet nubere; quantò minùs, ſi nolit? deinde integritas corporis non eſt medium neceſſarium ad illum finem: nam etiam vidua poteſt viro ſuo placere; & ſibi imputare debet vir, quòd exiſtimans ſe ducere virginem, corruptam duxerit, cùm ſcire poſſit & debeat; plures eſſe, quæ exiſtimantur virgines, & tamen non ſunt. Niſi ergo interrogata, ſe virginem mentita fuerit, non habet juſtam cauſam querelæ; nec propterea minùs debet placere viro, præſertim ſi illum defectum dote, pulchritudine, aliiſque virtutibus compenſet. 120. *Arguitur contra ſecundum primò.*

Secundò. Accedit, naturam (ùt Aliqui volunt) ità providiſſe fœminis, ut ſæpè viri non poſſint cognoſcere fractionem clauſtri; vel ſi natura non providerit, multæ norunt artem, medicamentis vitium illud occultandi; ergo ex hoc capite nulla malitia ſpecifica mortalis contra bonum matrimonii aut bonum prolis, quæ non invenitur in ſimplici fornicatione.

Quod attinet ad obligationem conſervandi vitam & membra, teſtantur peritiſſimi Medici, clauſtrum ſeu ſignaculum virgineum non eſſe partem aliquam carnis ſeu membranam, ſed quandam quaſi complicationem partium ipſius orificii vaſis fœminei, quæ per viri acceſſum dilatantur, & ſic aperitur & patefit vas. Ita Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 14. n. 1. 121. *Tertiò.*

Atque ut eſſet ruptio tenuiſſimæ pelliculæ, profectò non ſufficeret ad peccatum mortale contra obligationem conſervandi vitam & membra; ſicuti mortaliter non peccat abſcindens minimam particulam carnis. Et ideo Concluſionem noſtram Multi docent apud Dianam ſuprà, & ipſe eam judicat probabiliorem, & probabilem vocat Lugo diſp. 16. n. 218. Dicaſtillo diſp. 9. n. 433. & alii Recentiores, quos vide diffuſiùs hanc controverſiam pertractantes. Hæc dicta nobis ſufficiant ad praxim, in qua (ùt etiam fatentur Auctores contrariæ ſententiæ) difficillimum eſt obligare puellam vel nobilem fœminam, quæ confitetur internum peccatum copulæ carnalis, ut explicet, an ſit virgo vel corrupta. *Diana. Lugo. Dicaſtillo.*

Cùm igitur peccatum carnis nimis verecundum ſit, adeoque Confeſſionis ejus difficultas non modica, præſertim fœminis; elegimus ſententiam mitiorem, quam in praxi exiſtimo planè tutam, ita generaliter intellectam, prout eam in Concluſione expreſſimus. Nam ſi violenter virgo opprimatur, conſtat, præter malitiam fornicationis, explicandam eſſe ſpeciem injuſtitiæ. 122. *Concluſio noſtra eſt in praxi tuta.*

Nec ſufficienter confiteretur ſecundùm com- *Qui violenter*

ter opprimit virginem, tenetur virginitatem exprimere.

communem ſententiam, qui diceret: *Commiſi ſimplicem fornicationem per violentiam*; ſed deberet exprimere circumſtantiam virginitatis, propter ſpeciale jus, quod natura tribuit conſervandi integritatem carnis: quod jus non læditur, quando violenter opprimitur corrupta. Atque hoc peccatum propriiſſimè vocatur ſtuprum, & ponitur inter ſpecies aut quaſi ſpecies luxuriæ. Per violentiam autem intelligo externam vim, aut aliquid æquivalens, ùt ſunt fraus, dolus vel gravis metus.

Quid per violentiam intelligatur.

123. *An virgo conſentiens ex gravi metu teneatur virginitatem explicare?*

Si autem quæritur; an virgo, conſentiens ex metu mortis ſuæ deflorationi, debeat explicare virginitatem in Confeſſione? Reſpondet Sanchez ſuprà n. 13. minimè teneri; nam ſtupri ratio conſiſtit in violenta ablatione virginitatis: at virgo nullam virginitatem violenter aufert, ſed patitur violenter ſibi auferri. Nec ratione concursûs ſeu cooperationis poteſt ea fœmina peccare ſtupri peccato; quia ubì timor cogit, non tribuitur culpæ concurſus; nec cenſetur cooperatio, niſi ubì res eſt intrinſecè mala, nec pendet à voluntate concurrentis rectè fieri, vel ſaltem abſque circumſtantia illa ſuperaddita.

Negat Sanchez.

Et ideo fœmina illa virgo, timore compulſa, eſt rea fornicationis, & ſi eſſet conjugata, vel cum conjugato, adulterii; quia nec malitia fornicationis, nec circumſtantia adulterii pendet ex fœminæ voluntate, ita ut illâ concurrente tollatur: at cùm malitia circumſtantiæ raptûs & ſtupri pendeat ex fœminæ voluntate (ſi enim ipſa conſentiret, non eſſet raptus nec ſtuprum) indè eſt, ut in ipſa non inveniatur malitia hujus circumſtantiæ, ſed potiùs fornicationis: at in ſtuprante utraque inveniatur, eò quòd non habeat voluntatem ſpontaneam virginis, ſed metu extortam; ſicut cogens me mortis metu incuſſo, ut manum ſibi abſcindendam tradam, peccat abſcindens; at ego offerens minimè delinquo; quia non ſpontaneè concurro ad alterius peccatum, ac poſſum liberè manûs abſciſſionem velle & intendere ad vitam tuendam. Hactenus Sanchez.

124. *Improbatur ratio Sanchez.*

Sed quamvis Aliquibus ipſa reſolutio non diſpliceat, equidem improbant rationem, exemplo illius, qui ſinè juſta cauſa inducit uſurarium, ad ſibi mutuandum cum uſura, qui peccat peccato ſecundario injuſtitiæ ratione ſcandali, tametſi in poteſtate ejus ſit, malitiam iſtam tollere; ſi nimirum gratìs ac ſpontè velit donare lucrum. Et plura ſimilia adferunt exempla, ex quibus omnibus concludunt: licèt virgo in caſu noſtro poſſet non eſſe invita, ſed ſpontaneè conſentire; interim tamen, dum non ſpontè, ſed metu coacta conſentit, manet tota malitia ſtupri ſeu deflorationis violentæ; & per conſequens virgo cooperatur illi actui, qui habet talem malitiam objectivam.

Neque ideo excuſatur à peccato cooperationis, qui metu mortis tradit manum abſcindendam, quia propriâ voluntate poteſt auferre malitiam illius actionis (hoc enim falſum eſt, cùm non ſit dominus ſuæ manûs) ſed quia ſimpliciter non cooperatur peccato; non enim conſulit abſolutè peccatum, ſed conditionatè tantùm, ac ſi diceret: *Si peccandum tibi eſt, conſulo ut potiùs mutiles me, quàm occidas.*

Similiter ergo (inquit Lugo diſp. 16. n. 235.) in caſu noſtro virgo excuſatur à malitia cooperationis, quia volenti eam occidere vel violare, offert violationem, ne occidat, quod eſt cooperari ad minus malum. Eſt quidem differentia in hoc, quòd offerens manum abſcindendam nullam prorſus contrahit malitiam, quia illa abſciſſio reſpectu abſcindentis eſt minus peccatum, & reſpectu ipſius patientis nullum eſt peccatum. At verò virgo conſentiens violationi, ne occidatur, peccat quidem; quia ille conſenſus in copulam illicitam, eſt intrinſecè malus, & reſpectu ipſius virginis non eſt minus malum, ſed majus, quàm mors tolerata ob defenſionem pudicitiæ: atque ideo reſpectu ſui non excuſatur, ſed contrahit totam malitiam fornicationis.

Ceterùm conſiderando illam actionem, prout eſt cooperatio ad peccatum alterius, nullam habet malitiam, quia prout ſic eſt cooperatio ad minus malum alterius, cui non abſolutè, ſed conditionatè exhibet ſe violandam, quaſi dicat: *Si vis vel occidere, vel violare, me viola potiùs, quàm occidas.* Quod quidem neque in ratione conſilii, neque in ratione cooperationis contrahit malitiam à peccato illius, cui cooperari videtur. Hucuſque Cardinalis.

Sed nec iſta ratio placet Dicaſtilloni, qui diſp. 9. n. 453. ſic ait: Sicut ſub nullis circumſtantiis licet præbere materiam fornicationis, quæ eſt corpus aptum ad fornicationem, etiamſi per poſſibile vel impoſſibile ipſa fœmina primariâ & directâ malitiâ fornicationis non peccaret; quia maneret adhuc alia ſecundaria contra jus etiam naturale, prohibens præbere materiam alteri, ut fornicetur; ita in noſtro caſu, licèt in veriori ſententia virgo non peccet ipſa per ſe malitiâ primariâ & directâ peccati ſtupri contra ſeipſam, ſub nullis circumſtantiis licebit præbere alteri materiam ſtuprationis, quia manet adhuc ſecundaria malitia contra jus naturale prohibens præbere materiam alteri, ut ſtupret.

Ideo hic Auctor n. 454. per principia intrinſeca putat probabiliùs, hanc circumſtantiam dare ſuam malitiam, & eſſe explicandam in Confeſſione. Addit: Non auſim tamen improbare oppoſitam ſententiam; tum quia non caret fundamento probabili, tum quia Multorum eſt & Sapientiſſimorum.

Ego autem ſic diſcurro de hac controverſia. 125.
Suppono in primis, virginem ex metu mortis
poſſe

poſſe permittere ſui corporis violationem per copulam carnalem, dummodò abſit periculum conſensûs in delectationem, etiam ſinè ullo peccato luxuriæ. Ita de tactibus inhoneſtis (quorum eadem eſt ratio) docet Leſſius de Juſtitia & Jure lib. 4. c. 3. n. 64. Adeóque tali caſu poſſet conſulere alteri, ut potiùs ſe invitam violet, quàm occidat: hoc enim non eſt conſulere peccatum, ſed abſtinentiam à majori peccato, ſi reverà ſtuprum minus peccatum ſit, quàm homicidium; de quo aliquis poſſet dubitare, cùm homicidium tantùm opponatur juſtitiæ; ſtuprum autem juſtitiæ & caſtitati.

Suppono ſecundò, ſpecialem malitiam ſtupri in caſu propoſito oriri ex injuſto metu, quo virgo cogitur ad conſentiendum: illum autem metum injuſtum ſimpliciter eſſe involuntarium virgini conſentienti, nec ad illum ullatenus cooperari, præbendo alteri materiam fornicationis ſeu ſtuprationis; utpote qui præceſſit conſenſum virginis, & oblationem corporis ad fornicandum: adeò ut, antequam virgo conſentiat, jam poſita ſit malitia externa ſtupri, quâ diſtinguitur à ſimplici fornicatione; id eſt, violentia ſeu illatio metûs ad copulam extorquendam, à qua violentia copula ſubſequens denominatur ſtuprum; alioquin appellanda ſimplex fornicatio.

Itaque virgo ex metu mortis poſitivè conſentiens in copulam & delectationem ejus non cooperatur ſtupro quà tali, ſed tantùm ſimplici fornicationi: id eſt, non cooperatur malitiæ ſtupri, nec illam intendit, aut in eam conſentit, ſed poſitivè diſſentit, nolendo injuſtum metum ſeu violentiam priùs poſitam; ſed tantùm cooperatur malitiæ ſimplicis fornicationis, quæ, antequam ipſa præbebat corpus ſuum violandum, nondum exteriùs erat poſita, nec poſita fuiſſet, ipſa non præbente ſuum corpus.

Et ideo ſi ſtuprator eſt conjugatus, committit adulterium; quia ipsâ non præbente corpus ſuum, malitia externa adulterii, per quam diſtinguitur à ſimplici fornicatione, nondum erat completa & perfecta, ſed ſolùm inchoata; adeóque ipſa meritò dicitur ad eam cooperari, quamvis ex metu. Porrò malitia ſtupri, id eſt, injuſtitia, per quam diſtinguitur hoc peccatum à ſimplici fornicatione, completa erat & perfecta ante copulam, quæ non dicitur violenta vel injuſta, niſi ex metu priùs injuſtè incuſſo ad copulam extorquendam. Licèt ergo cooperetur talis virgo ad peccatum, quod denominatur ſtuprum, non tamen ad malitiam ſtupri; & idcirco non debet illam explicare in Confeſſione. Ita ſentio, ſalvo meliori; & tranſeo ad circumſtantiam Conſuetudinis, de qua inſtituitur

CONCLUSIO VIII.

Conſuetudo peccandi, v. g. fornicandi, per ſe loquendo, non eſt explicanda in Confeſſione. Conſuetudo planè inadvertenter jurandi & pejerandi, ordinariè explicanda eſt, eò quòd ſæpè advertentia, aut ſcandalum interveniat.

Conſuetudo formaliter, eſt quædam frequentia operandi vel omittendi eodem modo, & non diſtinguitur ab ipſis actibus vel omiſſionibus frequenter repetitis. Dico, *Formaliter*; quia cauſaliter dici poteſt, effectus conſuetudine introductus: quo modo ſumitur conſuetudo, quando ab Iſidoro lib. 5. Etymol. c. 3. deſcribitur (& refertur diſt. 1. c. 5.) *Conſuetudo eſt ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex.* Hic enim ipſa lex, conſuetudine introducta, conſuetudo nominatur. Sic etiam cauſaliter habitus animi, per conſuetudinem introductus, conſuetudo ſolet nominari: & ratione habitûs acquiſiti, inclinantis per modum naturæ ad ſimiles actus, conſuetudo ſolet dici altera natura. 129. *Quid ſit conſuetudo.*

Impræſentiarùm loquimur de conſuetudine formaliter, quam Aliqui apud Dianam p. 1. tract. 7. reſol. 15. affirmant explicandam in Confeſſione; ſic ut hodie fornicans ex inveterata conſuetudine, id eſt, poſtquam iteratis vicibus pluries fuerat fornicatus, non ſatisfaciat confitendo ſolùm peccatum hodiernum; ſed iteratò debeat præcedentes fornicationes explicare. Fundant ſe illi Auctores, quia frequentia fornicandi eſt occaſio proxima novæ fornicationis: ponere autem vel retinere occaſionem proximam peccandi mortaliter, eſt peccatum mortale, quod debet explicari. *Aliqui docent conſuetudinem eſſe explicandam in Confeſſione. Diana.*

Dicendum (inquit Fagundez præcept. 2. l. 4. c. 4. n. 7.) conſuetudinem atque reincidentiam ſæpè conſtituere hominem in quodam morali periculo & facilitate peccandi: & ideo moraliter loquendo ſemper hujuſmodi circumſtantia neceſſariò erit confitenda, ſi Confeſſor de illa pœnitentem interroget. Quòd ſi non interroget, tenetur pœnitens eam declarare, quantùm neceſſe eſt, ut Confeſſarius intelligat ſtatum ſuæ conſcientiæ. Quamobrem, ſi hujuſmodi ſtatum explicare non poſſit, niſi explicando conſuetudinem relabendi 130. *Probatio ex Fagundez.*

Digitized by Google

bendi frequenter in id peccatum, tenetur eam conſuetudinem declarare. Unde illi, qui peccatum mollitiei patiuntur propriis ſeſe manibus polluentes, tenentur hujuſmodi conſuetudinem & reincidentiam explicare, cùm aliter non poſſint ſtatum ſuæ conſcientiæ aperire, quàm hujuſmodi conſuetudinem declarando: eiſque vix aliud remedium efficacius ac præſentius invenies, quàm ſi frequentes Confeſſiones cum uno eodemque Confeſſario, bis aut ter in hebdomada, ſi opus fuerit, injungas. Hæc ille.

131. Contrà arguit Auctor primò. Sed quæro ego; quot fornicationes requiruntur, ut conſuetudo fornicandi conſtituat hominem in periculo proximo (nam periculum remotum non eſt peccatum mortale) rurſùs fornicandi? Num ſufficiunt duæ? Num quatuor requiruntur? An fortè ſufficiunt octo, aut requiruntur decem? Difficillimum ſanè eſt diſcernere & determinare, quando conſuetudo perveniat ad eum gradum, ut inducat jam occaſionem proximam aliorum ſequentium peccatorum: & ex 100. hominibus non eſt unus, qui attendat periculum iſtud proximum peccati ſequentis; ergo moraliter loquendo hujuſmodì circumſtantia (ſi ita placeat eam appellare) non erit neceſſariò confitenda, eſtò etiam Confeſſor de illa pœnitentem interroget; quia hodierna fornicatio, quam confitetur, nec ſpecificam, nec numericam accipit malitiam ex fornicationibus præcedentibus aut ſubſequentibus, per ſe loquendo: ergo explicando hodiernam fornicationem, explicat totam malitiam ſpecificam & numericam illius peccati.

132. Secundò. Et dato, quòd aliquis adverteret, per hodiernam fornicationem ſe exponi periculo proximo fornicationis craſtinæ (quod planè per accidens eſt) ſufficienter confiteretur, dicendo: *Fornicatus ſui, & expoſui me periculo proximo iterum fornicandi*; abſque eò, quòd præcedentes fornicationes explicaret, quæ (ùt ſuppono) ſemel explicatæ fuerunt, & directè abſolutæ. Et aliunde fieri poteſt, ut ſemel fornicando, exponat ſe periculo proximo iterum fornicandi, & per decimam fornicationem non exponat ſe periculo undecimæ fornicationis; ergo conſuetudo per ſe non eſt explicanda.

Lubens admitto; illis, qui peccatum mollitiei patiuntur, propriis manibus ſeſe polluentes, efficaciſſimum remedium eſſe, ſi frequentes Confeſſiones cum uno & eodem Confeſſario faciant; ſed nunquid ideo remedium neceſſarium? Pervium eſt, quòd non. Et gratis conceſſo, quòd eſſet neceſſarium; ſi ego illud ſciam, & velim adhibere, quid opus eſt, ut Confeſſarius illud injungat? Ergo illa reincidentia non eſt neceſſariò explicanda in Confeſſione, tametſi Confeſſarius de illa interroget, præcisè ad illum finem, ut ipſe injungat frequentem Confeſſionem cum uno & eodem Confeſſario.

Igitur manet vera prima pars Concluſionis, quam tenent Suarez, Vaſquez, Reginaldus, Bonacina & Alii apud Dianam ſuprà; & claram vocat Lugo diſp. 16. n. 202. niſi Confeſſarius interroget: Quia (inquit) peccata illa, quibus comparata eſt conſuetudo, jam ſunt explicata in præcedenti Confeſſione: peccatum autem præſens non aggravatur; immò videtur minùs grave propter conſuetudinem & habitum præcedentem.

Sed tamen hoc ipſum non caret difficultate; quia conſuetudo videtur eſſe ſpeciale peccatum diſtinctum à peccato, quod ex ipſa conſequitur: quod non declaratur, niſi ſeorsìm explicetur; nam ponere vel retinere occaſionem proximam peccandi mortaliter, eſt peccatum mortale, quod debet explicari in Confeſſione. Hæc ille.

Verùm huic difficultati jam eſt ſatisfactum. Tantùm addo, conſuetudinem formaliter nihil eſſe diſtinctum ab ipſis peccatis: adeoque qui dolet efficaciter de peccatis, hoc ipſo tollit conſuetudinem; neque aliter tollere poteſt, niſi ſeriò proponendo emendationem.

In quo apparet diverſitas inter hunc caſum, & alias occaſiones proximas peccandi, v. g. quòd pœnitens maneat in eadem domo cum fœmina &c. cùm enim hæc occaſio ſit aliquid diſtinctum ab ipſa fornicatione; explicando fornicationem, non dicit ſe dolere, aut ſe velle deſerere occaſionem peccandi, id eſt, exire ex ea domo, aut certè meretricem ex illa ejicere; ſicut in noſtro caſu, ubì occaſio eſt ipſum peccatum, de quo doleo, & quod propono ſeriò ampliùs non committere.

Quod attinet ad interrogationem Confeſſarii, de hac egimus ſect. 4. concl. 11. ubì oſtendimus vel eſſe obligationem confitendi conſuetudinem ante interrogationem, vel non eſſe obligationem confitendi, tametſi Confeſſarius interroget. Videantur ibi dicta; & nota particulam illam: *Per ſe loquendo*, quam idcirco poſui in Concluſione, quia per accidens poteſt eſſe neceſſaria explicatio conſuetudinis, maximè rogante Confeſſario; ut nimirum homines imperiti & paſſione excæcati doceantur de cavenda occaſione proxima peccati quam ignorant, & remedium, quod ſibiipſis dare non poſſunt, à Confeſſario accipiant.

Major difficultas eſſe poteſt de conſuetudine, quæ eſt cauſa faciendi poſteà ſimiles actus, abſque ſufficienti deliberatione vel advertentia, de qua loquitur ſecunda pars Concluſionis. Et ratio difficultatis eſt; quòd ſimiles illi actus contingant abſque novo peccato, veluti dum ebrius profert verba contumelioſa. Sicuti ergo non eſt obligatio vitandi ebrietatem ob hujuſmodì contumelias prævifas; ita non videtur eſſe obligatio vel non inducendi conſuetudinem inadvertenter planè pejerandi, vel inductam conſuetudinem expellendi.

Econtrà

Econtrà verò apparet eſſe obligatio, ſicuti eſt obligatio vitandi ebrietatem, quando ex ea & in ea prævidentur ſecutura homicidium, fornicatio & ſimilia peccata, eſtò pro tunc, quando fiunt, non ſint formaliter peccata, defectu libertatis. Probatur: quia ſicuti hujuſmodi actiones retinent malitiam ſeu indecentiam objectivam, æqualis enim eſt injuria, & æquale damnum infertur per homicidium non liberum, atque per liberum: & fornicatio in ebrietate tam eſſentialiter repugnat virtuti caſtitatis, atque fornicatio plenè & perfectè deliberata, ùt omnibus eſt manifeſtum; ſimili profectò ratione verba juramenti falſi vel blaſphemiæ, etſi inadvertenter ex mala conſuetudine, etiam abſque animo pejerandi aut blaſphemandi exteriùs prolata, dum tamen exteriùs ſonent blaſphemiam aut perjurium, & eum ſenſum generent apud audientes, continent turpitudinem & indecentiam objectivam. Ergo quilibet tenetur tollere illam conſuetudinem, ſi inducta eſt: aut non inducere, ſi nondum inducta eſt; ſicut quilibet tenetur ſpeciali obligatione non ſe inebriare, ſi prævideat in ea ſecutura homicidium, fornicationem & ſimilia peccata.

136. Proinde ſicuti talis ſe inebriando peccat graviter, non tantùm contra temperantiam, ſed etiam contra juſtitiam aut caſtitatem; quidni ſimiliter inducens conſuetudinem, aut non tollens conſuetudinem ſic inadvertenter pejerandi, peccet graviter, ſi non peccato perjurii propriè dicto (quia illud videtur requirere intentionem jurandi) certè peccato ſacrilegii, uſurpando ea verba, quæ exteriùs ſonant, & audientibus ſignificant juramentum rei falſæ?

Etenim illa ipſa fictio perjurii eſt gravis injuria Dei, & valde pernicioſa ſocietati humanæ; quippe ad tollendum commercium humanum perinde eſt proferre verba externa juramenti falſi abſque animo jurandi, & proferre cum vero animo jurandi, ſi ille defectus animi ex modo loquendi nullatenus colligi poſſit.

Unde audientes tam graviter ſcandalizantur, auditis illis verbis prolatis ex inadvertentia, quæ exteriùs non apparet, ac ſi audirent ea proferri ex perfecta deliberatione. Ergo talis, retinendo illam conſuetudinem, exponit ſe periculo proximo aſſumendi nomen Dei in vanum, ſaltem exteriùs, quod ſufficit ad malitiam objectivam. Ita Nonnulli pro hac opinione.

137. Nec contradicit Scotus 3. diſt. 39. q. 1. n. 4. ibi: *Si fiat periurium indeliberatè, quantumcumque frequenter fiat, cùm actus meritorius requirat, quod ſit plenè humanus (& hoc eſt eſſe ex plena deliberatione) & actus demeritorius non minùs requirat illud (non enim eſt Deus pronior ad condemnandum, quàm ad parcendum) poteſt dici, quòd illud periurium indeliberatum, etiam quotieſcumque iteratum, non eſt peccatum mortale.* Etenim non loquitur de malitia objectiva, ſed formali, ùt ſenſus ſit: Perjurium indeliberatum, etiam quotieſcumque iteratum, non eſt peccatum mortale formaliter & in ſe; bene in ſua cauſa: ſicut homicidium, in ebrietate commiſſum, non eſt formaliter & in ſe peccatum mortale; quia formaliter & in ſe non eſt liberum: nihilominùs eſt peccatum mortale in ſua cauſa, ſcilicet in ebrietate; quia in ſua cauſa eſt liberum, ùt ſuppono.

Notandum autem, quod ibidem attexit Doctor Subtilis: *Sicut dictum eſt ſuprà (diſt. 33.) de virtuoſo, quòd habet brevem deliberationem, quæ non videtur deliberatio; quia habet prudentiam magnam, quâ promptus eſt ad deliberandum, quaſi in tempore imperceptibili: ita poſſet aliquis ex habitu oppoſito acquirere facilitatem deliberandi promptè de oppoſito, & quaſi in tempore imperceptibili. Et talis deliberatio eſſet ſufficiens ad rationem peccati, ſicut eſt ſufficiens ad rationem meriti. Non igitur diſtinguo quantùm ad rationem peccati mortalis inter raritatem & frequentiam periurii, ſed inter deliberationem & indeliberationem: ita quòd deliberatio concurrens reddit peccatum mortale; & hoc ſive ſemel, ſive quotieſcumque: & indeliberatio excuſat etiam, ſive ſemel, ſive quotieſcumque.* Scotus.

Ex quibus verbis patet, quare dicatur in Concluſione: *Eò quòd ſæpè advertentia interveniat.* 138. Explicantur verba Concluſ. Nam illi, qui aſſueti ſunt pejerare ſeu blaſphemare, ſæpiùs advertenter pejerant aut blaſphemant; & per conſequens, etiam formaliter peccant, tametſi ipſimet non percipiant ſe advertenter & deliberatè id facere: adeòq; inducendo conſuetudinem, aut non amovendo inductam, exponunt ſe periculo non ſolùm peccandi materialiter, ſed etiam formaliter (quod indubiè peccatum mortale eſt in Confeſſione explicandum) eſtò hìc & nunc deliberatio deſit, & per conſequens hìc & nunc non peccent formali peccato perjurii.

Cæterùm ad argumentum pro contraria opinione, deſumptum ex verbis contumelioſis, in ebrietate prolatis, quæ nec in ſe, nec in ſua cauſa cenſentur peccaminoſa; Reſpondet Lugo diſp. 16. n. 207. 139. Reſpondetur ad argumentum pro contraria opinione ex Lugone. Contumelia ſi ab ebrio proferatur abſque uſu rationis, non eſt contumelia, nec habet malitiam objectivam contumeliæ: quia non ſunt verba humana, ſed perinde, ac ſi à pſittaco proferrentur. Quod idem eſt de juramento, in ebrietate, ſomno vel amentia prolato, quod propter eandem rationem non retinet malitiam objectivam: & ideo nec contumelia, nec perjurium, in ebrietate aut ſomno proferenda, etiamſi prævidenrentur, eſſent peccata in ſe vel in cauſa. Aliter tamen dicendum eſt de juramento, quod non in ebrietate aut ſomno profertur, ſed ab habente rationis uſum, ſinè advertentia tamen actuali. Hæc Cardinalis.

Sed ſi audiviſſet (inquit quidam Auctor)

Cccc c nostros

Digitized by Google

noſtros nautas & aurigas, fortè aliter loqueretur. Sanè ipſorum juramenta & blaſphemiæ (quæ apud aliquos ſatis frequentes ſunt) non tam graviter ab audientibus accipiuntur, ſed ferè ſicut voces pſittacorum. Et quis dixerit, illos omnes eſſe in ſtatu peccati mortalis ob conſuetudinem, in qua etiam moniti permanent?

140. *Sententia Joan. Sancii,*

Joannes Sancius in Selectis diſp. 20. n. 6. docet, Juramenta omninò indeliberata, orta ex conſuetudine jurandi, nec in ſeipſis eſſe peccata; nec in ſua cauſa; ſicut contumelia præviſa ab ebrio dicenda in ebrietate, nec in ſe, nec in ſua cauſa peccatum contumeliæ eſt, utpote ex ſua natura requirens, quòd à ratione utente proferatur.

& Layman.

Layman autem Theol. Moral. l. 1. tract. 2. c. 3. n. 6. in fine ſic ait: Poſteaquam verò pœnitens, pravam conſuetudinem efficaci propoſito retractavit, tunc conſequentia falſa juramenta, & verba blaſphemiæ ex eadem conſuetudine, quaſi naturali & neceſſario impetu provenientia, non imputabuntur ad peccatum; cùm neque ſint voluntaria in ſe (ſicut ſuppono) neque in ſua cauſa, putà conſuetudine; quippe quæ ab ipſo per propoſitum retractata, non ampliùs voluntaria cenſeri debet. Hæc ille.

141. *Sententia Dianæ,*

Ex his (inquit Diana part. 3. tract. 5. Miſcel. reſol. 62.) deduxit Sancius ubi ſuprà n. 7. quòd Doctores, aſſerentes negandam eſſe Abſolutionem habenti conſuetudinem jurandi, intelligendi ſunt de habente conſuetudinem jurandi ex advertentia; non autem quando proferuntur juramenta inadvertenter, cùm tunc (ùt diximus) non ſint peccata, quantumcumque ex peſſima conſuetudine naſcantur. Et hæc omnia (proſequitur Diana) providus Confeſſor in mente habeat: nam per illa à multis interrogationibus & ſcrupulis immunis erit. Faciant tamen Confeſſarii in caſu accuſare pœnitentem de negligentia in extirpanda prava conſuetudine jurandi, & de reliquo aliud non curent. Ita Diana.

& Auctoris.

Hoc ipſum & ego ſentio, & eſt communiſſima ſententia: ſed Sancius aliquid plus videtur velle; nam ſi illa juramenta indeliberata, nec in ſeipſis (ùt plerique docent) ſint peccata, nec in ſua cauſa (quod plurimi negant) non oportet Confeſſarium eſſe ſollicitum, ut pœnitens accuſet ſe de negligentia in extirpanda conſuetudine jurandi; ſicuti non debet eſſe ſollicitus, ùt pœnitens accuſet ſe de ebrietate, ratione contumeliæ præviſæ in ebrietate.

142. *Diſparitas inter juramentum falſum in ebrietate, & ex inadvertentia.*

An ergo ſentiendum cum Sancio? Dico, me non videre aliam diſparitatem inter juramentum falſum, prolatum in ebrietate, & juramentum falſum, prolatum ab habente uſum rationis, abſque ulla omninò actuali advertentia, quàm, quòd homines ebrietatem noverint (ùt ſuppono) & ideo non ſcandalizentur; ignorent autem actualem inadvertentiam, & ideo ſcandalizentur. Deinde, quòd homo ebrius numquam juret cum advertentia: at verò juramentum ex conſuetudine ſæpiùs ſit deliberatum deliberatione ſufficienti ad peccatum mortale, etſi jurans minùs advertat ſuam deliberationem, ùt patet ex Scoto ſupra allegato.

Secluſo ergo periculo advertenter pejerandi, & ſecluſo periculo ſcandali, id eſt, ſuppoſito, quòd audientes cognoſcant inadvertentiam & indeliberationem pejerantis, dico, nullam eſſe differentiam inter perjurium, prolatum in ebrietate, ſomno vel amentia, & inter perjurium, prolatum ab habente uſum rationis planè inadvertenter ex inveterata conſuetudine: adeòque tali caſu non magìs explicandam eſſe illam conſuetudinem, quàm ebrietatem, cùm unum perjurium non ſit magìs voluntarium in ſua cauſa, quàm aliud; neque unum præ alio habeat malitiam objectivam.

Quin immò, audio contradicentem, unum præ alio habet malitiam objectivam; nam prolatio formæ ſacramentalis, ſi fiat ab ebrio, planè invalida eſt: ſin autem ab homine, utente ratione, actualiter diſtracto, cum attentione & intentione virtuali, valet. Ergo ſicut in hoc caſu, una prolatio formæ ſacramentalis, præ alia habet bonitatem objectivam; ita in noſtro caſu, unum perjurium præ alio habebit malitiam objectivam. 1, *Obj*

Reſpondeo: Si hoc argumentum aliquid probaret, utique probaret etiam malitiam formalem, à qua non abhorret Scotus ſuprà; immò quaſi ſupponit illam, quamvìs neget eſſe malitiam mortalem, defectu plenæ deliberationis: *Si fiat* (inquit) *perjurium indeliberatè* &c. Vide ſuprà. Admiſſâ itaque attentione virtuali in eo, qui pejerat ex conſuetudine, quamvìs hoc perjurium foret actus humanus ſufficiens ad peccatum veniale; equidem quia non planè humanus, id eſt, ex plena deliberatione, non foret peccatum mortale: & per conſequens, nec conſuetudo foret peccatum mortale, etſi foret occaſio proxima illius perjurii; cùm occaſio peccati non poſſit habere majorem malitiam, quàm ipſum peccatum, à quo (ùt ſuppono) accipit totam ſuam malitiam, in quantùm occaſio eſt. *Solu pun*

Deinde Reſpondeo; conſuetudinem ſe ſolâ non arguere virtualem attentionem vel intentionem in pejerante, quantumcumque enim Sacerdos eſſet aſſuetus proferre formam ſacramentalem, niſi præceſſiſſet expreſſa & actualis attentio & intentio conficiendi Sacramentum nullatenus ratione conſuetudinis virtualiter attendere vel intendere diceretur; ac proinde nullatenus conficeret Sacramentum, ſi pronuntiaret verba formæ planè actualiter diſtractus. 14 *Secur solut*

Et quamvìs verba illa ſint aliquo modo humana, quia prolata ab homine, habente uſum

Digitized by Google

uſum rationis, quam humanitatem (ut ſic loquar) non haberent, prolata ab ebrio; equidem in morali æſtimatione, niſi præceſſerit actualis attentio & intentio, cenſentur potiùs non humana, & ideo non conficiunt Sacramentum. Ergo conſimiliter in caſu noſtro, conſuetudo pejerandi planè inadvertenter, non poteſt facere, ut verba illa, quæ, ſecluſâ conſuetudine, in morali æſtimatione forent non humana, & per conſequens nullam haberent malitiam objectivam, eodem planè modo; quo verba prolata ab ebrio: ut (inquam) propter conſuetudinem, ſecluſâ aliâ attentione vel intentione, in morali æſtimatione cenſeantur verè humana, & per conſequens habere malitiam aliquam objectivam.

Putas, ſi homo, utens ratione, materialiter proferret verba blaſphemiæ vel perjurii, legendo ex libro, vel repræſentando aliquem blaſphemum aut perjurum in Tragœdia ſeu Comœdia, illa verba haberent malitiam objectivam blaſphemiæ vel perjurii? Scio, quia non putas. Sed cur hoc, niſi quia homines ſciunt illa verba non proferri animo blaſphemandi vel pejerandi? Ergo pari ratione, ſi homines ſcirent, me nullatenus attendere nec actualiter nec virtualiter ad verba perjurii vel blaſphemiæ, quando ea ex conſuetudine profero, nullam haberent malitiam objectivam perjurii vel blaſphemiæ; quia acciperent illa perinde, ac ſi à pſittaco proferrentur.

Et idem eſt de homine, qui invincibiliter ignorat ſubſtantiam juramenti, v. g. ſub hac forma verborum: *Per Deum*, vel: *Per animam meam*, contineri verum juramentum, & ideo aſſuefactus prolationi iſtorum verborum, ſinè ſcrupulo paſſim ea profert; nam audientibus, ex hypotheſi, quòd ſciant invincibilem ignorantiam proferentis, non plus ſignificant illa verba in ratione juramenti, quàm ſi à pſittaco proferrentur; & ideo nullam habent malitiam objectivam.

Dico: *Qui invincibiliter ignorat*; quia ignorantia vincibilis relinquit malitiam objectivam; immò & formalem: & licèt per ſe minuat peccatum; numquam tamen ita, ut ex mortali faciat veniale, ſi ipſa ſit mortalis, ut patebit ex dicendis Concluſione ſequenti, quæ erit de circumſtantia ignorantiæ.

CONCLUSIO IX.

Peccatum ex ignorantia mortaliter culpabili, eſt ejuſdem ſpeciei cum peccato ſcienter commiſſo in eadem materia. Ignorantia venialiter culpabilis, facit ex peccato mortali veniale.

INcipio ab ultima parte & caſus ſit iſte: 147.
Aliquis ex ignorantia venialiter culpabili omittit audire Miſſam die Dominicâ vel feſtivâ, peccat tantùm venialiter, eſtò peccaret mortaliter, ſi ſcienter omitteret, vel etiam ex ignorantia mortaliter culpabili.

Caſus ultimæ partis Concluſ.

Voco ignorantiam venialiter culpabilem, quando adhibita fuit mediocris diligentia ad cognoſcendam veritatem; haùd equidem plenè ſufficiens pro qualitate negotii. Ignorantia mortaliter culpabilis eſt; quando nequidem mediocris diligentia adhibita fuit; ſed vel nulla, vel ferè nulla.

Quæ ſit ignorantia venialiter culpabilis, quæ mortaliter?

Dico: *Pro qualitate negotii*; quia Sanchez 148.
lib. 1. in Decal. c. 17. n. 20. exiſtimat peculiare eſſe in jure humano, ut ignorantia, quæ eſſet mortaliter culpabilis reſpectu juris divini & naturalis, ac proinde non excuſaret à mortali ejus tranſgreſſionem; non cenſeatur talis reſpectu juris humani, ac proinde excuſet à mortali ejus violationem; duplici conditione concurrente. Prior eſt, ut violans ſit in ea animi præparatione, ut ſi noſſet, eam cauſam non eſſe juſtam, minimè id jus violaret. Poſterior, ut illa ignorantia non ſit craſſa aut ſupina; qualis eſſet, quando adeò modica diligentia in ea cauſa examinanda eſt adhibita, ut ferè nulla reputetur, & dolo æquiparetur.

Datur mortalis reſpectu juris divini, quæ non eſt talis reſpectu juris humani ex Sanchez.

Et ratio eſt, ſuavitas obligationis juris humani non nimio rigore obligantis, nec tantam diligentiam in cauſis excuſantibus poſcentis, quantam jus naturale exigit: ſed benigniorem in animæ favorem admittit interpretationem, deficiente tranſgreſſorum fraude, utpote qui aliquali bonâ fide ſe excuſatos exiſtimant. Hactenus Sanchez. Itaque diligentia, quæ reſpectu legis humanæ cenſeri poſſet mediocris, reſpectu legis divinæ aut naturalis foret ferè nulla.

His ſuppoſitis, ultima pars Concluſionis eſt 149.
communis. Ratio communiter aſſignatur: quia tunc peccatum perpetratum non eſt niſi imperfectè & venialiter volitum, quandoquidem non ſit aliter volitum, quàm ſit volita ignorantia. Sicut ergo, ſi quis invincibiliter prorsùs putaret, fornicationem eſſe licitam ad tuendam vitam, nullatenus peccaret fornicando ob eam cauſam: pari ratione, ſi venialiter ignoraret, eſſe illicitam, ſolùm peccaret venialiter propter imperfectam cognitionem, & per conſequens imperfectam voluntatem illius peccati.

Probatur ultima pars Concluſ.

Proinde hæc ignorantia neceſſariò explicanda foret in Confeſſione, tanquam circumſtantia faciens peccatum veniale ex mortali; adeoque ex materia neceſſaria materiam liberam. Igitur peccatum proveniens ex tali ignorantia, vel non eſt confitendum, vel eſt con-

 fitendum

fitendum cum circumſtantia ignorantiæ venialis.

150. *Ignorantia mortalis non eſt ſpecialiter explicanda.*

Sed quid, ſi ignorantia fuerit mortalis? Reſpondeo cum Sanchez ſuprà n. 23. non eſſe explicandam, quandoquidem (ùt habet 1. pars Concluſionis) peccatum ex ignorantia mortaliter culpabili, ſit ejuſdem ſpeciei cum peccato ſcienter commiſſo in eadem materia. Et quamvìs ſcientia aggravet; non tamen ita notabiliter, ut neceſſariam in Confeſſione explicationem petat, niſi aliquando propter Cenſuras Eccleſiaſticas, à quibus ignorantia excuſat. Ubì etiam per accidens explicanda eſt ignorantia, quando ignorans exponitur periculo admittendi alia peccata; v. g. aliquis affectat ignorare, qualis ſit mulier, quam vult cognoſcere, vel ut liberiùs peccet, vel ne ejus culpa ita gravis ſit; talis exponit ſe periculo inceſtûs & adulterii & ſacrilegii &c. adeoque tenetur illam ignorantiam affectatam explicare, poſitâ ſufficienti advertentiâ periculi, tametſi poſteà inveniat, peccatum ejus à parte rei non fuiſſe niſi ſimplicem fornicationem. Unde non ſufficeret dicere: *Fui fornicatus*; ſed oporteret addere: *Expoſui me periculo inceſtûs, adulterii* &c.

151. *An ſit explicanda ignorantia affectata? Sanchez,*

An autem per ſe ſit explicanda ignorantia affectata ad finem liberiùs peccandi? Reſpondet Sanchez ſuprà affirmativè, ſi verum eſt, quòd circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſint confitendæ (putat enim hanc circumſtantiam notabiliter aggravare) ſecùs, ſi eſſet ignorantia affectata ob alios bonos fines: ut ſi quis affectet ignorare dies jejunii, ut ejus culpa levior ſit, nec ita præceptum tranſgrediendum contemnat.

Ceterùm, qui cenſent, circumſtantias ſolùm notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem non eſſe confitendas, conſequenter dicere debent, ignorantiam, etiam affectatam ad liberiùs peccandum, per ſe non eſſe ſpecialiter explicandam in Confeſſione, cûm non mutet ſpeciem peccati, ùt ſtatim ampliùs declarabo.

152. *Probatur 1. pars Concluſ.*

Venio itaque ad 1. partem Concluſionis, quæ univerſaliter aſſerit, peccatum ex ignorantia mortaliter culpabili, eſſe ejuſdem ſpeciei cum peccato ſcienter commiſſo in eadem materia. Fundamentum: quia nulla eſt ratio illa peccata ſpecie diſtinguendi, cùm privent eâdem honeſtate eodem modo; v. g. fornicatio ex ignorantia mortaliter culpabili ſive malitiæ, ſive perſonæ, hoc eſt, ſeu juris, ſeu facti, & fornicatio ex ſcientia malitiæ ac ſcientia perſonæ, privant eâdem honeſtate caſtitatis eodem modo; utraque enim fornicatio eodem modo opponitur bonæ educationi prolis. Similiter homicidium ex ignorantia mortaliter culpabili ſive juris, ſive facti, non aliam infert injuriam, nec aliud cauſat damnum, quàm homicidium cum plena ſcientia juris & facti. Et verò qui ex ignorantia mortaliter culpabili comedit carnes in die jejunii, putas; quia violat aliam virtutem, quàm qui ex ſcientia juris & facti? Prorsùs eandem virtutem violat, ſcilicet virtutem obedientiæ in materia temperantiæ.

Quæ ergo differentia inter illa peccata? 15
Diff. inter tum non pecc. ſcienter com.
Quòd unum ſit directè voluntarium; quia directè cognitum; aliud ſolùm indirectè voluntarium, quia indirectè cognitum: quæ utique differentia non eſt ſpecifica (ùt patet) ſed dumtaxat ſecundùm majus & minus intrà eandem ſpeciem. Ita Felix de Peccat. cap. 6. diffic. 12. n. 6. *Felix*

Et n. 7. exiſtimat, regulariter loquendo, in his, qui peccant ex ignorantia, idem eſſe objectum directè volitum, ac in his, qui peccant ex certa ſcientia: Omnes enim (inquit ille) volunt objectum prohibitum, quamvis non ſub ratione prohibiti, ſed ſub ratione utilis vel delectabilis. Quando ergo Auctores dicunt, peccantem ex ignorantia vincibili, indirectè velle objectum; ſolùm volunt, quòd qui ſcienter peccat, directè cognoſcit objectum eſſe prohibitum; qui verò ex ignorantia peccat, hoc cognoſcit indirectè & interpretativè: cum quo ſtat, quòd directè velit tale objectum; v. g. qui frangit jejunium ſive ſcienter, ſive vincibiliter ignorans, directè vult non jejunare. Hæc ille.

Cui ſi objicias: Qui vult fornicari cum illa, quam novit alienam, directè vult circumſtantiam adulterii: qui autem vult fornicari cum illa, quam vincibiliter ignorat alienam, indirectè ſolùm vult hanc circumſtantiam; ergo qui peccat ex ſcientia, habet diverſum objectum ab eo, qui ignoranter peccat. 15 *Obje.*

Reſpondet; quòd uterque vult indirectè adulterium; nam directè ſolùm volunt delectabilitatem: nam hæc volitio indirecta ſufficit ad dandam novam ſpeciem malitiæ; ſecùs eſt de bonitate. Neque nego poſſe hominem, qui ſcientiam habet, velle directè adulterium & injuſtitiam, quod ita explicitè & directè nequit ignorans velle: poterit tamen ignorans disjunctivè directè velle injuſtitiam, v. g. ſi huic proponeretur ſub dubio, mulierem, quam vult, eſſe nuptam; & nihilominùs cum hac ignorantia vincibili habeat rem cum ea, dicens: *Etiamſi ſit nupta, volo fornicari*; in quo caſu directè vult injuſtitiam, etiamſi ignorantiam vincibilem habeat. Hucuſque Felix, parum obſcurè. *Solut. Felic.*

Dicam clariùs: ut circumſtantia tribuat actui malitiam, ſufficit quòd ſit cognita; adeoque expreſſa ejus volitio non tribuit actui malitiam ſpecie diſtinctam. Ergo gratìs admiſſo, quòd adulterans ex ſcientia, ſemper poſitivè & expreſsè vellet malitiam adulterii; adulterans autem ex ignorantia vincibili, nunquam vellet: non ideo adulterium ex ſcientia,

ſcientia, haberet malitiam, ſpecie diſtinctam à malitia adulterii ex ignorantia vincibili.

155. Si rurſùm arguas: Amor Dei in via & in patria ſpecie diſtinguuntur, ſolùm propter diverſas cognitiones, in via obſcuram, in patria claram: ergo ſimiliter peccatum ex ignorantia vincibili, & ſcienter commiſſum, propter diverſas cognitiones, unam claram, alteram obſcuram.

Reſpondeo; gratìs admiſſo Antecedente (quod à Multis rejicitur) negando Conſequentiam. Ratio diſparitatis: quòd cognitio objecti & ignorantia vincibilis ſolùm diſtinguantur ſicut magìs & minùs; quæ non variant ſpeciem: nam eo ipſo, quòd ignorantia eſt vincibilis, aliqua cognitio objecti imperfecta præcedit; at verò Fides & viſio ſpecie diſtinguuntur propter motivum formale ſpecie diſtinctum: nam motivum formale Fidei, eſt veracitas divina applicata intellectui per revelationem; porrò motivum formale viſionis, eſt ipſa eſſentia divina ſecundùm ſe. Quid ſimile reperitur in ſcientia, & ignorantia vincibili?

Atque ut ſcientia, & ignorantia vincibilis ſpecie phyſicâ diſtinguerentur, & per conſequens peccatum ſcienter commiſſum, & peccatum commiſſum ex ignorantia vincibili; non quæritur hìc de diſtinctione phyſica, ſed in genere moris; ſive de diſtinctione ſpecifica malitiarum, quæ non deſumitur ab entitate phyſica actûs, ſed ab entitate morali; cùm malitia tantùm ſit aliquid morale, ſcilicet privatio rectitudinis debitæ. Jam autem peccatum ſcienter commiſſum non privat aliâ rectitudine, aut eâdem rectitudine alio modo, quàm peccatum commiſſum ex ignorantia vincibili, quidquid ſit de diſtinctione phyſica ſcientiæ, & ignorantiæ.

156. Nec eſt neceſſaria diſtinctio, quam Aliqui ponunt, inter peccatum internum & externum, v. g. inter odium Dei, quod interiùs conſummatur; & homicidium, quod requirit pro ſuo complemento actum externum. Nam quòd odium Dei ſit ſpeciale peccatum, non pendet ex ſcientia vel ignorantia; ſed ex voluntatis intentione, v. g. quia procedit ex diſplicentia Dei: Si enim quis (inquit Sanchez ſuprà n. 15. ubì cum Aliis, quos citat, tenet noſtram Concluſionem) certiſſimè norit eſſe ſpecialia peccata odium Dei vel proximi, ſcandalum, inobedientiam, quando ex ſpeciali intentione committuntur; & ex alia intentione ea committat; non erit reus ſpecialis eorum malitiæ. E contrà verò ſi quis culpabiliter ignoraret eorum malitiam in ea prava intentione conſiſtere; & ideo eâ pravâ intentione illa committeret; haberent utique malitiam ejuſdem ſpeciei, cum eiſdem peccatis, ſcienter ex mala illa intentione commiſſis. Hæc ille. Ratio eſt manifeſta: quia (ſicut dictum eſt de peccatis externis) habent idem objectum, & privant eâdem honeſtate virtutis eodem modo.

Nonnulli diſtinguunt inter ignorantiam juris, & facti; juris poſitivi, & juris naturalis: Si eſt (inquiunt) ignorantia juris naturalis, erit peccatum ejuſdem rationis: v. g. fornicari ſub dubio an ſit malum, eſt peccatum ejuſdem rationis, ac ſi certò ſciret eſſe peccatum. Sin autem fuerit ignorantia juris poſitivi: v. g. dubitans de jejunio comedit carnes; reducitur quidem ad eandem ſpeciem; in qua foret illa comeſtio cum perfecta cognitione; non tamen directè ad eam pertinet; quia tunc ignoratur ratio formalis, tribuens ſpeciem malitiæ. Si denique ignorantia ſit facti; v. g. dubito utrùm ſit homo, quem puto feram; ille actus, v. g. ſagittatio, quâ occido hominem, putans eſſe feram, non eſt homicidium; ſed in ſpecie incautæ ſagittationis. 157. *An ſit neceſſaria diſtinctio inter ignorantiam juris & facti, juris poſitivi & naturalis.*

Verùm nec hæ diſtinctiones admittendæ ſunt; quia ſinè fundamento excogitatæ: nam, ſicut dubitans de jejunio, ignorat rationem formalem, quæ illi actui tribuit malitiam, id eſt, ignorat præceptum Superioris, ſic itidem dubitans de malitia fornicationis, ignorat rationem formalem, id eſt, jus naturale, à quo fornicatio eſt peccaminoſa: vel etiam ignorat ipſam naturam fornicationis, id eſt, defectum ordinis ad bonam educationem prolis, à quo defectu copula cum non ſua eſt mala, ſeu oppoſita virtuti caſtitatis, ſicuti comeſtio carnium opponitur virtuti ſobrietatis, ex defectu conformitatis ad legem Superioris. 158. *Videtur quòd non.*

Quid enim refert, quòd fornicatio ſit mala ex natura ſua, & peccatum ex lege divina; carnes autem comedere ex lege humana; ſi æqualis ſit ignorantia naturæ fornicationis, ac utriuſque legis? Deinde dubitans de jejunio, ſeu vincibiliter ignorans præceptum Superioris, imperfectam ſaltem habet cognitionem rationis formalis, quæ illi actui tribuit malitiam. Quæritur autem, cur illa imperfecta cognitio non ſufficiat, ut peccatum iſtud directè pertineat ad eamdem ſpeciem, eodem modo, quo ſufficit imperfecta cognitio peccati ſeu malitiæ fornicationis vel adulterii, ut fornicatio vel adulterium ex ignorantia culpabili, pertineat directè ad eamdem ſpeciem?

Quantum ad ignorantiam facti, neſcio quare potiùs tale homicidium ſit in ſpecie incautæ ſagittationis; quàm talis comeſtio carnium in ſpecie incautæ comeſtionis: ſicut enim ideo incauta eſt ſagittatio, quia exponit ſagittarium periculo homicidii; ita incauta eſt comeſtio, quia exponit comedentem periculo fractionis jejunii. Sicut ergo, ſecundùm illos Auctores, talis comeſtio reductivè pertinet ad eandem ſpeciem; ita quoque tale homicidium reductivè pertinebit ad eandem ſpeciem. Et conſequenter, ſi talis comeſtio eſt peccatum 159. *Oſtenditur eſſe eandem rationem ignorantiæ juris & facti.*

 ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem ſpeciei (ùt nos putamus) cum comeſtione ex perfectâ ſcientia ſeu cognitione jejunii; etiam tale homicidium erit peccatum ejuſdem ſpeciei cum homicidio ex perfecta ſcientia ſeu cognitione, quamvis minoris gravitatis; ùt patet ex hactenus dictis. Dicatur pertinere directè vel reductivè ad eamdem ſpeciem, parùm curamus, quia quæſtio eſt de nomine.

Felix. Solùm ponitur reductivè in ſpecie alterius (inquit Felix ſuprà n. 4.) quod eſt pars incompleta illius, ùt anima in Prædicamento ſubſtantiæ; vel quia eſt via ad alterum, ùt motus in Prædicamento ſui termini: ſed peccatum ex ignorantia nihil horum habet; ergo non reducitur ad talem ſpeciem peccati. Hæc ille. Rectè, ſi valeat ſemper argumentatio à Logicis ad moralia. Quidquid ſit de vocibus, de re certum eſt, quòd talis incauta ſagittatio obliget ad reſtitutionem, eo modo, quo obligat homicidium ſcienter commiſſum.

160. *Qualiter ſit confitendum peccatum ex ignorantia.* Deinde exiſtimo certum, quòd non ſufficienter exprimeret ſuum peccatum, qui ſolùm declararet incautam ſagittationem dicendo: *Incautè ſagittavi*; ſed deberet dicere: *Incautè ſagittando occidi hominem.* Rogas; an ſufficienter confiteretur, dicendo: *Occidi hominem*, tacitâ circumſtantiâ ignorantię mortaliter culpabilis? Puto quòd ſic; quia illa circumſtantia non notabiliter diminuit malitiam. Et dato, quòd notabiliter diminueret, ſi non mutet ſpeciem, ſecundùm plurimos DD. non eſt neceſſariò exprimenda.

161. *An ignorantia ſit ſpeciale peccatum oppoſitum ſtudioſitati.* Reſtat unica objectio, utputà: Ignorantia mortaliter culpabilis eſt ſpeciale peccatum oppoſitum virtuti ſtudioſitatis, quæ inclinat voluntatem ad ſciendum ſeu addiſcendum juxta rectæ rationis normam: ergo ſpecialiter eſt explicanda in Confeſſione.

Reſpondetur negando Antecedens, quando ignorantia verſatur circa res operabiles; ſed eſt idem numero & ſpecie cum peccato, cujus eſt cauſa. Probatur: quia ſcientia, quæ ordinatur ad operationem, non requiritur niſi ad operandum: ergo ſolùm eſt propter operationem. Ergo ſolùm eſt peccatum illius operationis; nam ubi unum eſt propter aliud, ibi non ſunt duo ſed unum, ùt eſt axioma. Ita Felix ſuprà dif. 11. n. 3. cum Vaſquez diſp. 119. n. 3. Sanchez lib. 1. Summ. c. 17. n. 11. & Aliis, quos citat. (Felix. Vaſquez. Sanchez.)

162. *Sententia negans, quando ignorantia verſatur circa res operabiles, confirmatur,* Confirmatur: nam alioquin graviùs peccaret, qui ex ignorantia, quàm qui ſcienter peccaret; hic enim unico ſimplici peccato peccaret, v. g. injuſto homicidio, ille autem duplici, putà injuſto homicidio, & inſuper alio peccato mortalis ignorantiæ contra virtutem ſtudioſitatis, eſſentque hæc duo in Confeſſione explicanda ùt diſtincta peccata: quod videtur abſurdum, cùm ignorantia (niſi fortè fuerit affectata ad finem liberiùs peccandi) potiùs minuat malitiam injuſti homicidii, quàm augeat, quantò minùs ſuperaddet novam ſpecie malitiam?

Atque hæc argumenta ſunt efficacia etiam de ignorantia juris, v. g. non tenetur quis ſcire pretium taxatum pro menſura tritici, niſi velit triticum vendere: ſi ex ignorantia legis excedat pretium, peccabit contra legem; non tamen committet duo peccata, ſed unum contra juſtitiam, vendendo plus quàm juſto pretio.

Nec fortè contrarium docuit Valentia 1. 2. diſp. 6. q. 6. punct. 2. quidquid dicat Felix ſuprà nu. 4. nam loquitur de ignorantia juris, quam quis abſolutè ſcire tenetur. Hæc ſunt ejus verba. Quando vincibilis ignorantia eſt juris vel facti, quam quis abſolutè ſcire tenetur; ipſa per ſe ſinè ullo alio facto peccatum eſt, tum, cùm aliquis habet occaſionem acquirendi ſcientiam, & negligit: item, quando aliquis deberet uti ejuſmodi ſcientiâ: quamquam ſi ad factum ſive officium aliquod deberet eâ uti (ſicut debet Juriſperitus interdum uti ſcientiâ juris) ignorantia illo tempore non eſſet aliud diſtinctum peccatum à peccato, quod ex illa committitur in facto. Hactenus Valentia, ſatis obſcurè.

Sed parùm refert quid ipſe ſenſerit, cùm ab ipſius mente non pendeat veritas noſtræ doctrinæ: rationem autem nullam video, quæ probet diſtinguendum eſſe inter ignorantiam juris & facti, dummodò utraque ſit ignorantia operabilium. Et ideo dico univerſaliter, neque ignorantiam, neque negligentiam, ex qua oritur ignorantia operabilium, ſpecialiter opponi virtuti ſtudioſitatis, ſed illi virtuti, cui opponitur opus peccaminoſum, quod ex ignorantia committitur; v. g. negligentia & ignorantia in homicidio virtuti juſtitiæ, in fornicatione virtuti caſtitatis, & ſic in cæteris.

At verò negligentia vel ignorantia, quæ eſt privatio ſcientiæ ſpeculativæ, & non eſt propter operationem, ipſa eſt quæ opponitur ſpeciali virtuti ſtudioſitatis: & ſpeciale peccatum eſt, quando talis ſcientia præcipitur, non ratione operationis, ſed ratione ſui. Auctores communiter pro exemplo ponunt ignorantiam Myſteriorum Fidei, quæ communiter tenentur omnes fideles ſcire. Et ratio eſt: quia antequam ſit occaſio operandi, eſt obligatio habendi ſcientiam Myſteriorum Fidei. Sed de hoc exemplo dubitat Felix ſup. n. 7. quia dubitat, an hæc ſcientia præcipiatur per ſe, an verò ratione actûs credendi, qui eſt neceſſarius ad ſalutem: Nam (inquit ille) non invenio, ubi per ſe præcipiatur. (Felix.)

Rogas ab ipſo: Quis ergo caſus, in quo verificatur hæc doctrina? Reſpondet nu. 8. Quòd optimè poterit Eccleſia jubere, ut fideles habeant ſcientiam horum Myſteriorum ſinè ordine ad operationem: in quo caſu ignorantia erit ſpeciale peccatum.

Si objicias: Quilibet tenetur ſcire, quæ pertinent ad ſuum ſtatum; ergo fideles tenentur ſcire 163.

Digitized by Google

tur ſcire Myſteria Fidei. Reſpondet hic Auctor, verum eſſe, ſed non præciſè propter ſcire; ſed ne ignorantia ſtatûs ſit cauſa, ut præcepta ad ſtatum pertinentia frangantur: nam qui ad ſuum ſtatum pertinentia ignorat, eſt in periculo manifeſto peccandi contra ſuum ſtatum.

Hanc ſententiam (teſte Dianâ par. 3. tract. 4. reſol. 165.) tuetur ex multis rationibus Merolla diſp. 1. c. 2. diff. 3. n. 697. ubi tamen n. 699. notavit, ignorantiam vincibilem Myſteriorum Fidei, quamvis de facto nihil contra ſentiat; neque adſit tempus, quo quis tenetur ea credere, teneri hanc ignorantiam confiteri: quia non curando eorum ſcientiam acquirere, ad quod tenebatur, expoſuit ſe periculo ſentiendi aliquid contra Fidem, aut omittendi aſſentiri illis occurrente tempore, quo ad id obligatur; & conſequenter mortaliter peccavit: hoc autem peccatum non eſt diſtinctum ab eo, quod committitur ſentiendo actu ignoranter aliquid contra hæc Myſteria. Ita refert Diana, addens de ſuo: Prima opinio (ſcilicet, ignorantiam vincibilem Myſteriorum Fidei eſſe ſpeciale peccatum contra virtutem ſtudioſitatis) videtur probabilior, & omninò tenenda. Pro qua

166. Objicies II. Si ſcientia Myſteriorum Fidei non præcipitur per ſe, ſed ratione actûs credendi, ad quem ordinatur: ergo qui vincibiliter ignorat Myſteria Fidei, eſt hæreticus; non enim peccat contra ſtudioſitatem, ſed contra Fidem.

Reſpondet Felix ſuprà, concedendo peccare contra Fidem: non verò (inquit) erit hæreticus, nam ad hoc requiritur pertinacia & ſcientia.

Si autem à me quæritur, quid ſit illa pertinacia? Reſpondeo: eſt diſpoſitio voluntatis, cum qua nequit conſiſtere plus affectus credendi. Igitur malitia hæreſis non ſumitur præciſè ex eo, quòd aliquis offendat auctoritatem Dei, non credendo, quod dicit (nam etiam, qui ex ignorantia culpabili non credit Deo dicenti, aliquo modo offendit ejus auctoritatem; ſicuti, qui ex ignorantia culpabili occidit perſonam ſacram, aliquo modo violat ejus dignitatem & reverentiam debitam perſonæ ſacræ) ſed inſuper ex ſpeciali quadam averſione voluntatis à rebus Fidei, quæ non compatitur actum credendi. Jam autem, qui ex ignorantia culpabili diſſentit Deo loquenti, & Eccleſiæ proponenti, poteſt habere voluntatem, ita affectam, ut ſi ſciret ſermones Dei, & propoſitionem Eccleſiæ, nullatenus vellet illis diſſentire: quod ſufficit, ut non ſit formaliter & denominativè hæreticus.

167. Colligitur ex D. Auguſtino Epiſt. 162. in principio: *Dixit quidem Apoſtolus Paulus:* Hæreticum hominem poſt unam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt ejuſmodi & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. *Sed qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atq; perverſam, nullâ pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audaciâ præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis atq; in errorem lapſis parentibus acceperunt; quærunt autem cautâ ſollicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint; nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.*

Ubì quidem loquitur de illis, qui cautâ ſollicitudine veritatem quærunt; de quibus magis certum eſt, non eſſe inter hæreticos deputandos: equidem ex ratione, quam adjungit: *Corrigi parati cùm invenerint*; quaſi diceret: Quia tales parati ſunt corrigi cùm invenerint; colligunt DD. idem dicendum eſſe de illis, qui laborant ignorantiâ culpabili; quia & hi poſſunt parati eſſe corrigi, ſive credere Myſteria Fidei, cùm invenerint, id eſt, cùm ipſis ſufficienter tamquàm credibilia fuerint propoſita, quamvis non quærant propoſitionem illam, ſed potiùs culpabiliter negligant.

Generaliùs loquitur idem S. Doctor lib. 18. de Civit. Dei c. 51. (& refertur 24. q. 3. c. 31.) *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid pravumq; ſapiunt, ſi correpti ut ſanum rectumq; ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaq; peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt; hæretici fiunt.* Ergo à contrario ſenſu, ſi correpti mortifera dogmata emendare volunt, nec defenſare perſiſtunt; hæretici non fiunt, tametſi illam correptionem culpabiliter negligant. 168. Secunda auctoritas ejuſdem S. Doct.

Accedat auctoritas ex lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 16. *Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtatâ ſibi doctrinâ Catholicæ Fidei, reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit.* Ubì nulla mentio inquiſitionis veritatis. Tertia.

Hinc generaliter definitur Clem. 1. de ſumma Trinit. Quòd *quiſquis deinceps aſſerere, defendere ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tamquam hæreticus ſit cenſendus.* Ergo qui non pertinaciter præſumpſerit, non eſt cenſendus hæreticus. Pertinax autem præſumptio procul dubio excludit quamcumque ignorantiam. Clem. 1. de Sum. Trinit.

An autem propterea hæreſis ſit infidelitas, ſpecie diſtincta ab errore contra Fidem ex ignorantia culpabili, diſputatur inter Doctores. Indubiè majus peccatum eſt & major irreverentia, ſcienter negare, quæ Fides docet, quàm ex ignorantia: ſicuti major irreverentia eſt, Principem vel Pontificem cognitum dehonorare, quàm culpabiliter incognitum: & ſicuti major injuſtitia, hominem ſcienter occidere, quàm ex culpabili ignorantia. 169. An ſit differentia ſpecifica inter hæreſim, & errorem ex culpabili ignorantia?

Interim ſicuti in his & ſimilibus caſibus non ponitur differentia ſpecifica inter illam majorem & minorem malitiam; ita videtur Multis non eſſe ponendam differentiam ſpecificàm inter hæreſim, & errorem ex culpabili ignorantia. Si in-

Digitized by Google

170. Objicitur contra ſententiam negantem. Si inferas: Ergo qui ex ignorantia culpabili negat res Fidei, peccat vero peccato infidelitatis, ſicut qui ſcienter eas negat; ac proinde perdit habitum Fidei infuſæ, juxta illud Trident. ſeſſ. 6. cap. 15. *Aſſerendum eſt, non modò infidelitate, per quam & ipſa Fides amittitur* &c.

Reſponſio Lugonis. Reſpondet Lugo diſp. 16. nu. 193. Fidem deperdi peccato infidelitatis conſummato & perfecto: hoc autem peccatum, ex ignorantia culpabili commiſſum, licèt participet eandem ſpecie malitiam; non tamen habet denominationem infidelitatis ſimpliciter & propriè. Sicut ille etiam, qui culpabiliter exponit ſe morali periculo incidendi in hæreſim, contrahit malitiam hæreſis; & tamen nondum eſt hæreticus, nec perdidit habitum Fidei infuſæ: quia denominatio hæretici & infidelis ultra malitiam ſpecificam requirit alias conditiones, quæ licèt non afferant differentiam eſſentialem, ſunt tamen neceſſariæ ad tale peccatum in individuo. Hæc ille.

Quis ſit hæreticus ex D. Bonaventura. *Hæreticus eſt* (inquit Doctor Seraphicus 4. diſt. 13. in expoſitione litteræ nu. 7.) *qui divinæ legis ignorantiâ vel contemptu pertinax inventor proprii erroris, aut alien ſectator, Catholicæ veritati mavult adverſari, quàm ſubiici.* Propter hæc verba citatur D. Bonaventura pro ſententia, quæ tenet, ignorantiam craſſam non excuſare à peccato hæreſis. Sed malè: quia ignorantia craſſa compatitur pium affectum voluntatis, quo ignorans mavult ſubjici veritati Catholicæ, quàm adverſari, quandocumque illa ſufficienter fuerit propoſita.

171. Error ex craſſa ignorantia non expellit habitum Fidei. Atque hæc eſt ratio, quare error ex tali ignorantia non expellat habitum Fidei; quia videlicet cum tali errore poteſt ſtare verus actus Fidei ſupernaturalis circa illa, quæ ſufficienter proponuntur intellectui tanquam à Deo revelata; immò affectus pius credendi ea, circa quæ ex ignorantia hujuſmodi erratur, adveniente ſcilicet ſcientiâ revelationis divinæ: non enim ita errans negat veracitatem divinam, neque locutionem ſeu revelationem divinam ſufficienter propoſitam; ſed ne debeat credere, & ne credat, negligit ſcire revelationem divinam, alioquin crediturus, ſi ſciret: ideoque habitus Fidei non erit in ipſo inutilis & otioſus, ſed utilis ad credendum prout de facto credit, quæ non ignorat.

Secùs error ex ſcientia, etiam circa unum tantùm articulum. At verò, qui ſcienter reijcit teſtimonium Dei, ſufficienter propoſitum, etſi non neget veracitatem Dei, nec neget vera eſſe, quæ à Deo revelata ſunt; quia tamen negat teſtimonium Dei, ſufficienter propoſitum, idcirco facit omnimodò contra reverentiam debitam auctoritati & veracitati divinæ; ſicuti facit omnimodò contra reverentiam Regis, non ſolùm qui fatendo ipſum Regem, eum ſpernit; ſed etiam, qui irrationabiliter negat ipſum eſſe Regem, & idcirco eum contemnit: quippe ad cultum Regis omnino pertinet eum colere, quoties ſufficienter proponitur ùt Rex. Ergo conſimiliter ad cultum & reverentiam auctoritatis divinæ omnino pertinet non diſſentire teſtimonio divino, quoties ùt tale ſufficienter proponitur.

Ac propterea cum errore ſcientifico (ut ſic loquar) circa unum articulum Fidei, non conſiſtit aſſenſus Fidei circa alium articulum: quoniam Fides ſupernaturalis credit ſuper omnia, & ex toto corde, juxta illud Act. 8. v. 37. *Si credis ex toto corde.* Porrò velle credere ſuper omnia, & ex toto corde, eſt velle exhibere ſummam reverentiam intellectualem divino teſtimonio, quod repugnat cum eo, quòd quis teſtimonium Dei circa aliquem articulum, ſufficienter propoſitum, rejiciat; cùm ſemper per illam rejectionem committatur formalis aliqua & expreſſa irreverentia; ac proinde habitus Fidei foret in ipſo inutilis & otioſus. Quid ergo miramur, ſi Deus, qui ipſum ſe ſolo infundit in ordine ad operandum ſeu eliciendum actum Fidei, ſe ſolo ipſum deſtruat? Sic enim deſtruit habitum Charitatis, quando voluntas per peccatum mortale conſtituitur in tali ſtatu, quo perſeverante, non poteſt Deum amare ſuper omnia.

Et dato, quòd non eſſet repugnantia ex natura rei inter actum Fidei ſupernaturalis circa unum articulum, & errorem ſcientificum circa alium; meritò propter gravitatem illius erroris, Deus decrevit non concurrere ad actum Fidei ſupernaturalis cum hæretico; quia videlicet ſpecialiter ſe facit indignum tali concurſu, per peccatum graviſſimum in tali materia. Jam autem error ex ignorantia craſſa, quamvis etiam ſit peccatum in materia Fidei, idque ejuſdem ſpeciei; equidem minoris gravitatis: & ideo non meretur illam ſubtractionem ſeu deſtructionem habitûs; ſicut etiam propter ipſum in foro externo non incurruntur pœnæ, hæreticis conſtitutæ, putà Excommunicatio latæ ſententiæ, & aliæ.

Si inferas: Ergo ſunt peccata ſpecie diſtincta; Nego Conſequentiam: quia etiam propter peccatum hæreſis merè internum non incurruntur iſtæ pœnæ, quod tamen eſt ejuſdem ſpeciei (ſecundùm omnes) cum peccato externo. Ergo etiam fieri potuit, ut propter exceſſum malitiæ, tam in foro Dei, quàm in foro Eccleſiæ, aliqui effectus orirentur, ſeu pœnæ conſequerentur peccatum infidelitatis, quod committitur ſcienter; ſecùs autem peccatum ex ignorantia craſſa, eſtò utrumque ſit ejuſdem ſpeciei: veluti homicidium voluntarium & caſuale habent in jure diverſos effectus, tametſi ſint ejuſdem ſpeciei. Et quid clarius, quàm ignorantiam in aliis peccatis excuſare à cenſura, quæ tamen communiter admittuntur eſſe ejuſdem ſpeciei? 17

Igitur D. Bonaventura ſuprà intelligendus venit, non de quacumque ignorantia, etiam mortaliter culpabili; ſed de illa, quæ eſt in-

compoſſibilis

Digitized by Google

compoſſibilis cum pio affectu credendi ſuper omnia, id eſt, de ignorantia affectata non ſolùm ex fine liberiùs peccandi contra Fidem (nam hæc inveniri poteſt in illo, qui paratus eſt credere, factâ ſufficienti propoſitione) ſed de ignorantia affectata, quâ ignorans vult abſolutè adhærere ſuo errori, etſi ſciret contrarium ab Eccleſia doceri. Hæc quippe ignorantia æquivalet contemptui, ſi non eſt expreſſus contemptus auctoritatis Eccleſiæ, cujus infallibilitatem eo ipſo videtur negare. Adeoque de ipſo verificari poteſt quod ait Doctor Seraphicus ſuprà: *Qui divinæ legis ignorantiâ vel contemptu, pertinax inventor proprii erroris, vel alieni ſectator, Catholicæ veritati mavult adverſari, quàm ſubnci.*

Quæ cùm ita ſint, concludimus probabiliter, circumſtantiam ignorantiæ culpabilis aut ſcientiæ, etiam in peccatis contra Fidem, non afferre differentiam ſpecificam, nec per conſequens debere explicari in Confeſſione, juxta Aliquorum probabilem ſententiam, niſi in ordine ad cenſuras vel reſervationem, ùt contingit in peccato hæreſis. Ita docet noviſſimè Lugo diſp. 16. n. 198.

174. Dices cum Vaſquezio 1. 2. diſp. 127. n. 6. Scientia ſeu cognitio in peccato homicidii non eſt circumſtantia ex parte objecti, ſed conditio requiſita, ut actus ſit liber & humanus. Cùm igitur ignorantia, quam vocant vincibilem ſeu affectatam, non tollat voluntarium (quia ad voluntarium ſufficit cognitio, quam quis poſſet habere, etiamſi illam non habeat) ideo manente voluntario (adde etiam: manente ſubſtantiâ homicidii exterioris, in qua primò conſummatur malitia hujus peccati) erit peccatum ejuſdem ſpeciei, ac ſi directè volitum eſſet homicidium, ſcienter factum. At verò cùm cognitio illa, quam diximus, ſit circumſtantia ſubſtantialiter requiſita ex parte objecti in peccato hæreſis, ſicut locus ſacer in ſacrilegio; eâ ablatâ quovis modo, etiamſi maneat voluntarium ſufficiens, ut actus erroris ſit humanus; non tamen manet ſubſtantia erroris cum ſuis circumſtantiis requiſitis, ut ſit infidelitatis & hæreſis peccatum. Hæc ille.

Propter hoc argumentum etiam contraria ſententia probabilis eſt, quam docet ibi Vazquez, & ſequitur Dicaſtillo diſp. 9. à n. 396. citans pro ea præter Vaſquezium alios multos Auctores; quibus adde Arriagam diſp. 32. n. 26. Neque adverſatur noſtræ Concluſioni, quæ loquitur de peccato ex ignorantia & ſcienter commiſſo in eadem materia: jam autem hæreſis, ſecundùm hanc ſententiam, & error ex ignorantia culpabili, diſtinctas habent materias, ſicuti furtum ſimplex, & furtum ſacrilegum.

175. Intereà non acquieſco argumento Vaſquezii; & dico, ſcientiam, quâ ille, qui errat, ſcit ſuâ opinione ſe adverſari Eccleſiæ teſtimonio, non magìs eſſe circumſtantiam ſubſtantialiter requiſitam ex parte objecti in peccato hæreſis, quàm ſcientia, quâ ille, qui occidit, ſcit eſſe hominem, quem occidit, eſt circumſtantia ſubſtantialiter requiſita ex parte objecti in peccato homicidii. Nam ſicuti per homicidium ex ignorantia læditur vita hominis; ita per peccatum infidelitatis ex ignorantia læditur aliquo modo auctoritas Eccleſiæ, proponentis motiva credibilitatis: ad hoc quippe ſufficit, quod cognoſcatur periculum repugnandi authoritati Eccleſiæ, & obligatio adhibendi majorem diligentiam; ſicuti ad iſtud ſatìs eſt, quòd cognoſcatur periculum occidendi hominem, & obligatio adhibendi majorem diligentiam.

Igitur quemadmodum perfecta ſcientia ſeu cognitio in peccato homicidii, non eſt conditio requiſita, ut actus ſit ſimpliciter liber & humanus (nam homicidium ex ignorantia culpabili eſt liberum & humanum; alioquin non eſſet culpabile) ſed requiritur, ut homicidium ſit magìs liberum & voluntarium; & ideò auget malitiam, intrà eamdem ſpeciem; ſic itidem perfecta ſcientia ſeu cognitio in peccato infidelitatis, non eſt conditio requiſita, ut error ſit ſimpliciter liber & voluntarius (nam error ex ignorantia culpabili eſt liber & humanus; alioquin non eſſet culpabilis) ſed ut ſit magìs liber & voluntarius: & ideo auget malitiam intrà eamdem ſpeciem.

Ex quo manifeſtiſſimum evadit, perfectam cognitionem motivorum credibilitatis ſeu auctoritatis Eccleſiæ, proponentis aliquem articulum Fidei, non eſſe circumſtantiam, ſubſtantialiter requiſitam ex parte objecti in peccato hæreſis; quemadmodùm locus ſacer eſt circumſtantia, ſubſtantialiter requiſita ex parte objecti in peccato ſacrilegii; in ſacrilegio quippe locus ſacer non requiritur, ut actus ſit magìs vel minùs liber aut voluntarius; ſed eſt ipſum ſubſtantiale objectum ſacrilegii, per quod hoc peccatum à cæteris diſtinguitur. 176. Perfecta cognitio non eſt circumſtantia ſubſtantialiter requiſita ex parte objecti in peccato hæreſis.

At verò ſubſtantiale objectum infidelitatis, per quod diſtinguitur à cæteris peccatis, eſt articulus Fidei, ſufficienter ab Eccleſia propoſitus tamquam credibilis: quòd autem illa propoſitio perfectè vel imperfectè cognoſcatur, planè accidentale eſt; ſicut accidentale eſt, quòd perfectè vel imperfectè cognoſcatur homo, qui occiditur. Veluti ergo illa cognitio perfecta hominis, non eſt circumſtantia, ſubſtantialiter requiſita ex parte objecti in peccato homicidii; ita neque perfecta cognitio propoſitionis Eccleſiæ, eſt circumſtantia, ſubſtantialiter requiſita ex parte objecti in peccato infidelitatis.

Nihilominùs eſt conditio ſeu circumſtantia ſufficiens, ut individuo peccato certæ ſpeciei, tribuat diſtinctam denominationem, putà denominationem hæreſis; ſicut tribuit diſtinctam

malitiam eam augendo intrà eandem ſpeciem. Atque hæc latìs de peccato infidelitatis pro hoc loco: nam ejus exacta explicatio pertinet ad Tract. de Virtutibus Theolog.

177. Ignorantia præceptorum Decalogi non eſt ſpeciale peccatum.

Cæterùm quæ ignorantiæ culpabilis Myſteriorum Fidei, eadem & major eſt ratio ignorantiæ præceptorum Decalogi: nam magìs certum eſt, ſcientiam horum præceptorum præcipi propter operationem; & ideo magìs certum eſt, hanc ignorantiam non eſſe ſpeciale peccatum oppoſitum virtuti ſtudioſitatis, ſed reducitur ad ſpeciem illius peccati, quod occaſione ejus natum eſt committi; v. g. ignorans culpabiliter furtum eſſe peccatum, committit peccatum furti, ſaltem reductivè, ſi per eam ignorantiam exponatur periculo proximo furandi.

178. Prima objectio.

Dices: qui habet hunc errorem: *Fornicatio non eſt peccatum*, peccat, quamvis non ſit fornicaturus: & ſi illum proferat, punietur à judicibus Fidei. Ergo illa ignorantia eſt diſtinctum peccatum à fornicatione.

Diluitur.

Reſpondeo: Vel error ille eſt vincibilis vel invincibilis. Si invincibilis, dico, talem non peccare, ſecluſo periculo fornicandi: punietur tamen à judicibus Fidei, ſi illum proferret, niſi poſſet probare illam invincibilitatem. Et meritò; quia eſt propoſitio hæretica: & idcirco, ſi error internus eſt vincibilis, non dubito quin ſit diſtinctum peccatum à fornicatione; quia eſt peccatum contra Fidem, quæ docet fornicationem eſſe peccatum. Ergo eſt ſpeciale peccatum contra virtutem ſtudioſitatis, negatur Conſequentia.

Profectò valde diſtincta ſunt, ignorare fornicationem eſſe peccatum, & errare ac dicere: *Fornicatio non eſt peccatum*. De ignorantia hìc loquimur puræ privationis, quæ ſcilicet non eſt cum errore aliquo poſitivo; ſed eſt ſola privatio ſcientiæ, quam aliquis habere debet, ut poſſit debitè operari: non autem de ignorantia pravæ diſpoſitionis, quæ error appellatur, cùm nimirum ſimul cum ignorantia habet quis errorem contrarium.

179. Secunda objectio.

Dices II. Multi Epiſcopi præcipiunt Parochis, ut doceant fideles Decalogum, ſicut Orationem Dominicam; ſed ignorare hanc Orationem eſt ſpeciale peccatum: ergo & ignorare Decalogum. Minor probatur ex Serm. S. Aug. poſt Paſcha, qui ſic incipit: *Hodiernus dies* (& refertur de Conſecratione diſt. 4. c. 105.) ubì ſic ſcriptum habes: *Ante omnia Symbolum, & Orationem Dominicam, & vos ipſi tenete; & illis, quos ſuſcipitis de ſacro fonte, oſtendite.*

S. Auguſt.

Confirmatur primo.

Confirmatur I. ex conſuetudine fidelium, qui in ignorantia ejuſmodi turpitudinem aliquam, ſaltem venialem, agnoſcunt. Confirmatur II. quia debent fideles ſcire Deùm eſſe orandum, ab eoque petenda eſſe bona corporis & animæ: ergo ſcienda eſt ſubſtantia hujus

Secundò.

Orationis, id eſt, ſcire debent, pro acquirendis ſingulis bonis in ea contentis, & pro ſingulis malis vitandis, eſſe Deum orandum. Ergo conſimiliter ſcienda venit ſubſtantia præceptorum Decalogi.

Reſpo[ndetur.]

Reſpondeo: Planè ſcienda venit, ſed propter operationem; ſicut & ipſa Oratio Dominica ſciri non debet, niſi propter operationem, id eſt, propter orationem ſeu petitionem bonorum, ad quam tenemur pro aliquo tempore: & ideo nec una, nec altera ignorantia ſeu neſcientia eſt peccatum diſtinctum, ſed reducitur ad ſpeciem peccati, quod occaſione illius committitur, vel cujus periculo proximo committendi ignorans exponitur.

18[0] Tertia [ob]jectio.

Arguis III. Saltem Majores Eccleſiæ tenentur ſcire hujuſmodi præcepta ſinè ordine ad operationem; & ſic in illis ignorantia erit ſpecialè peccatum.

Solvi[tur.]

Reſpondeo: Si Antecedens eſſet verum, conſequentia eſſet legitima; ſed dubito de Antecedente. Nam ſi Superioribus præcipitur ſcientia, non eſt ut præcisè ſciant, ſed ut poſſint alios docere; & ſic ſcientia eſt propter operationem, & eſt peccatum non oppoſitum ſpeciali virtuti ſtudioſitatis, ſed contra obligationem ſui officii, ex quo tenentur alios inſtruere in his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem.

Ex dictis hucuſque colligo neceſſarium eſſe, explicare in Confeſſione, cujus præcepti Decalogi fuerit ignorantia: ſecùs erit in ignorantia myſteriorum Fidei, nam non credere diverſa myſteria, non ſunt peccata diverſæ ſpeciei, cùm opponantur uni & eidem virtuti: at verò non obſervare diverſa præcepta Decalogi, ſunt peccata diverſæ ſpeciei; igitur ſimiliter ignorantiæ, per quas homo exponitur periculo committendi illa peccata.

18[1] An ig[noran]te plur[es] articul[os Fi]dei ſin[t plu]ra pecc[ata] numer[o].

Si autem quæritur, an ignorare culpabiliter plures articulos Fidei, ſint plura peccata, ſaltem numero diſtincta? Reſpondet Suarius de Fide diſp. 15. ſect. 1. n. 7. negativè, ſi illud peccatum conſideretur præcisè ùt eſt contra præceptum Fidei: Quia (inquit) præceptum eſt unum, & tota illa materia per modum unius præcipitur; & ideo omiſſio etiam eſt una, quæ poteſt eſſe gravior vel minùs gravis juxta extenſionem materiæ. Eſt optimum exemplum in præcepto recitandi 7. Horas Canonicas: nam omiſſio illarum unum eſt peccatum, juxta communem ſententiam, propter rationem dictam. Ita ergo eſt in præſenti. Hæc ille.

Aliis placet oppoſitum, propter oppoſitam rationem; quia videlicet præceptum Fidei eſt virtualiter multiplex, eo modo, quo eſt virtualiter multiplex præceptum recitandi 7. Horas Canonicas. Et ſecundùm hanc ſententiam, ignorans plures articulos Fidei, tenetur in Confeſſione numerum articulorum explicare, ſecùs in ſententia Suarii.

Uſque

Digitized by Google

Uſque adhuc de Circumſtantia, *Quis*, omnium prima. Sequitur Circumſtantia, *Quid*, de qua quæritur primò; An in peccatis carnis debeat explicari circumſtantia copulæ conſummatæ; an verò ſufficiat dicere: *Commiſi peccatum grave contra caſtitatem cum ſoluta?* Reſpondeo:

CONCLUSIO X.

In peccatis carnis debet explicari circumſtantia copulæ conſummatæ; nec ſufficit dicere: *Commiſi peccatum grave contra caſtitatem cum ſoluta.*

ITa communiter DD. quamvis non conſentiant in probatione. Lugo diſp. 16. n. 238. Ratio (inquit) eſt: quia licèt tactus etiam & oſcula habeant ſuam malitiam in ordine ad copulam, ad quam ordinantur; diverſo tamen modo opponuntur virtuti caſtitatis: nam copula opponitur tanquam actus conſummatus, per quem cum effectu infertur nocumentum proli: at verò tactus libidinoſi opponuntur ſolùm ùt diſpoſitiones, propter periculum, quòd afferunt, & quia ex ſe ordinantur & diſponunt ad copulam; quod non ſufficit ad participandam eandem ſpecie malitiam, ùt conſtat manifeſtè in delectatione moroſa; quæ quidem accipit ſuam malitiam per ordinem ad pollutionem, vel actum conſummatum, ad quem ex ſe diſponit voluptas illa delectationis: & tamen nemo dicet, non differre ſpecie à pollutione conſummata & intenta; nec id ullus conceſſit.

Adde, hujuſmodi tactus non ſolùm prohiberi propter diſpoſitionem ad copulam; ſed etiam propter delectationem turpem, quam in ſe habent; quia omnem ejuſmodi delectationem natura voluit prohibitam eſſe extra matrimonium; quia alioquin homines minùs de matrimonio curarent. Hæc ille.

Sed veriùs videtur, tactus, oſcula & copulam non habere malitiam ſpecie diſtinctam; quia habent idem objectum; & privant eodem modo eâdem rectitudine: nam (ùt alibi diximus) impudicitia (quæ conſiſtit in tactibus, amplexibus, aſpectibus & oſculis libidinoſis) ex natura ſua eſt quaſi pars, ſive initium ipſius actûs principalis: ergo participat eandem ſpecie malitiam, ſicuti periculum proximum participat eandem ſpecie malitiam illius peccati, cujus eſt periculum.

Unde non ſufficienter confitetur, qui dicit: *Expoſui me periculo proximo peccati mortalis*; ſed debet explicare ſpeciem illius peccati mortalis, cujus periculo proximo ſe expoſuit. Et conſequenter non ſatisfacis, confitendo oſcula & tactus; niſi ſimul explices actum principalem, ad quem hìc & nunc illa impudicitia erat proxima diſpoſitio, ſive proximum periculum, eſtò de facto actus principalis per accidens fuerit impeditus.

Si inferas: Ergo qui exercuit actum principalem, v. g. habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confitendo ſolos tactus & oſcula inhoneſta; ſic enim explicat totam malitiam ſpecificam copulæ. 184. *Hinc tamen non ſequitur, eum, qui habuit copulam, ſatisfacere confitendo ſolos tactus.*

Reſpondeo N. C. quippe Concilium Trident. docet, non ſolam malitiam ſpecificam eſſe explicandam, ſed omnia peccata in ſpecie & ſigillatim: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure divinò, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia* &c. *anathema ſit*, ſeſſ. 14. can. 7. Jam autem clarum eſt, copulam eſſe peccatum, ſaltem numero, diſtinctum à ſolis tactibus & oſculis.

Non ſufficit ergo explicare malitiam; ſed oportet etiam explicare ſubjecta malitiæ: alioquin cùm actus efficax internus, ſecundùm omnes, participet eandem ſpecie malitiam cum actu externo, neutiquam deberet exprimi in Confeſſione actus externus, ſed ſufficienter confiteretur fur, dicendo: *Habui efficacem voluntatem furandi*; & adulter: *Habui efficacem voluntatem adulterandi*; & ſic de ceteris, quod eſt contra univerſalem praxim Eccleſiæ, & ſenſum communem pœnitentium & Confeſſariorum. *ſicuti non ſufficit explicare ſolum actum internum.*

Dices: Non eſt obligatio explicandi omnia & ſingula ſubjecta malitiæ; ſed ſufficit explicare malitiam, & aliquod ſubjectum ejus, v. g. qui ſimul tria vulnera inflixit, ſatisfacit ſi dicat: *Vulneravi*. Item qui oſcula, amplexus & copulam habuit, ſatis eſt ſi confiteatur copulam. Ergò conſimiliter ſatis erit confiteri actum internum efficacem, utpote qui cum actu externo unum conſtituit peccatum, in quo non eſt neceſſe explicare ſingulas ejus partes, ut verè illud peccatum dici poſſit manifeſtatum; ſicut nec ille, qui furatus eſt 100. debet illa 100. manifeſtare. 185. *Objectio.*

Reſpondeo: quidquid ſit de furto 100. (de quo alibi egimus) N. C. & paritatem. Conſentio, actum internum & externum integrare unum peccatum, in quo, licèt non ſit neceſſe explicare diſtinctè omnia ſubjecta malitiæ; oportet tamen declarare illa ſubjecta, quæ differunt ſpecie in modo participandi illam malitiam. Sicut ergo in uno peccato, conſtante duabus malitiis partialibus, ſpecie diverſis, oportet utramque declarare; ſic pariter, quando unum peccatum conſtat ex duobus ſubjectis partialibus, quæ in modo participandi malitiam differunt ſpecie, oportet utrumque ſubjectum explicare: alioquin non explicabitur tota ſpecies peccati. *Reſponſio.*

 Porrò

Digitized by Google

186. **Diverſo modo participant malitiam actus internus & externus.**

Porrò negari non poteſt, diverſum eſſe ſpecie modum, quo actus externus participat malitiam, à modo, quo eam participat actus internus: in hoc quippe reperitur formaliter & immediatè, in illo ſolùm mediatè & denominativè. Si ergo ſolùm explices actum internum; nondum explicaſti peccatum iſtud, quatenus participat malitiam mediatè & denominativè; ex quo capite peccatum externum eſt ſpecie partiali diverſum ab interno, componens tamen cum eo unam ſpeciem integram peccati.

Hinc ad exempla adducta, admitto, non oportere in peccato explicari diſtinctè omnia & ſingula ſubjecta malitiæ, & partes peccati, quando inter illa ſubjecta, & inter has partes non datur differentia ſpecifica, ſaltem inadæquata; quæ utique non datur inter tria vulnera inflicta unico ictu; & inter centum florenos unico actu ſublatos, cùm eamdem malitiam eodem modo participent, ſcilicet mediatè & denominativè; utì nec inter oſcula, amplexus & copulam: datur autem inter actum internum & externum, ùt jam oſtendimus.

187. **Sufficit confeſſio copulæ, uti etiam confeſſio actûs externi.**

Deinde retorqueo hoc exemplum: nam qui habuit oſcula, amplexus & copulam, non ſatisfacit confitendo oſcula & amplexus; ſed debet explicare copulam, quæ eſt pars conſummativa, continens implicitè partes inchoativam & proſecutivam (ùt ſic loquar) & ideo copulâ explicatâ, nihil aliud ſupereſt explicandum. Ergo ſimiliter cùm actus externus peccati ſit pars conſummativa, quæ neceſſariò includit actum internum tamquam partem inchoativam; explicato actu externo, nihil ſupereſt explicandum: at verò explicato ſolo actu interno, cùm hic non contineat implicitè actum externum, ſed ſæpè ſæpiùs ſinè actu externo inveniatur, non mirum, ſi actus externus debeat neceſſariò explicari, quando cum actu interno conſtituit unum peccatum.

188. **Objectio.**

Sed dicet aliquis: Hoc eſt quod quæritur, quare non ſufficiat dicere: *Expoſui me periculo proximo fornicationis per oſcula, amplexus* &c. cùm per illa verba explicetur tota malitia ſpecifica & numerica fornicationis, non minùs quàm dum exprimitur fornicatio, tacitis oſculis & amplexibus: neque enim alio modo fornicatio participat illam malitiam, quàm illud periculum proximum.

Nec obſtat; quòd fornicatio ſit pars conſummativa, implicitè includens partem inchoativam: quæro enim, unde conſtet potiùs eſſe confitendam partem conſummativam, quàm inchoativam, ſi utraque habeat eamdem planè numero & ſpecie malitiam, ita quòd etiam ſint unum & idem numero peccatum? Nam ſi dixeris: pars conſummativa eſt peccatum numero diſtinctum; dico, etiam partes inchoativas, quæ aliquando plures ſunt, peccata eſſe numero diſtincta: cumque pars conſummativa non includat neceſſariò diſtinctum numerum partium inchoativarum, & hic numerus exprimi debebit. Cur ergo non ſufficit dicere: *Peccavi peccato externo fornicationis*, tametſi non fuerit ſecuta fornicatio, dummodò quis ſe expoſuerit proximo ejus periculo?

Reſpondeo: quia peccatum externum fornicationis ſignificat actum conſummatum, qui (ùt ſupponitur) non fuit; ergo ad minùs talis mentitur. Deinde actus conſummatus eſt aliud numero peccatum ab actu inchoato tantùm; adeoque non exprimitur peccatum commiſſum, ſed aliud. Atque pari ratione, ſi dicat: *Expoſui me periculo proximo*, quando actus fuit conſummatus, non exprimit peccatum commiſſum: quia periculum, actu non ſecuto, eſt peccatum numero diſtinctum à periculo, actu ſecuto, tametſi dum actus ſequitur, periculum & actus ſint idem numero peccatum.

Nec eſt ſimilis ratio partis inchoativæ: licèt enim aliquando plures, aliquando pauciores ſint; equidem omnes idem numero moraliter conſtituunt peccatum, & eodem modo participant eandem numero malitiam: ſive enim plures ſint, ſive pauciores tactus aut aſpectus inhoneſti; omnes diſponunt ad eandem turpitudinem ſeu actum conſummatum; & in quantum talis diſpoſitio, ex natura rei mali ſunt: proinde quòd phyſicè plures ſint vel pauciores, non variat numerum moralem peccati, dummodò ad unum & eundem actum diſponant.

Nam quod ſuprà addebat Eminentiſſimus; tactus non ſolùm prohiberi propter diſpoſitionem ad copulam, ſed etiam propter delectationem turpem, quam in ſe habent, unde probatur, quandoquidem his, quibus actus conſummatus ſeu copula eſt licita, etiam liciti ſint hujuſmodi tactus ſeu diſpoſitiones? Voluit ergo natura prohibitam omnem hujuſmodi delectationem extra matrimonium; quia voluit prohibitam omnem ulteriorem turpitudinem, ad quam hujuſmodi delectatio diſponit: quia ſi talis turpitudo liceret extra matrimonium, homines minùs de matrimonio curarent.

Sed nunquid valet argumentum Lugonis à delectatione moroſa ad tactus inhoneſtos? Planè, ſi delectatio moroſa ſumat ſuam malitiam ab actu principali, ad quem diſponit, & non potiùs ex objecto formali motivo, de quo infrà tractabimus. Et tunc conſequenter dicimus, delectationem moroſam, quæ diſponit ad pollutionem, non differre ſpecie, ſaltem adæquatâ, à pollutione conſummata; ſed habere eandem ſpecie malitiam: ſic tamen, quòd pollutio conſummata debeat in Confeſſione explicari, & non ſufficiat dicere: *Habui delectationem moroſam*, quando pollutio ſubſecuta fuit; quia illa pollutio ſubſequens eſt peccatum, ſaltem numero, diſtinctum à moroſa delecta-

Digitized by Google

delectatione, ſeparatim à pollutione, ùt patet ex dictis.

Quæ ergo ratio noſtræ Concluſionis? Reſpondeo: quia per illum modum confitendi non explicatur peccatum commiſſum in ſpecie & ſigillatim. Quod ſic oſtendo: Cum ſoluta poteſt quis peccare graviter contra caſtitatem peccatis diſtinctæ ſpeciei, v. g. fornicatione & pollutione: ergo illa verba de quovis peccato ex illis verificari poſſunt: ergo neutrum determinatè declarant; ergo per illa pœnitens non declarat peccata ſua in ſpecie & ſigillatim, quod tamen neceſſarium eſſe docet Trident, ſeſſ. 14. c. 5. ùt non ſemel vidimus.

Ex quo etiam conſtat, hæc verba non ſufficere: *Habui tactus inhoneſtos cum perſona ſoluta*; nam illi tactus habent malitiam fornicationis, ſi diſponant ad fornicationem; malitiam pollutionis, ſi ad pollutionem &c. Ergo illa verba non explicant peccatum in ſpecie & ſigillatim; ergo non ſufficiunt.

Nihilominùs non defuerunt Recentiores, qui (teſte Turriano de Pœnit. q. 9. a. 2. diſp. 29. dub. 2. ad 5. arg.) dicerent, non neceſſariò eſſe explicandam copulam. Fundamentum: quia non apparet ſpecifica diſtinctio tactuum à copula; tactus quippe conjugatæ pertinent ad adulterium, conſanguineæ ad inceſtum, eodem modo, quo copula. Confirmatur: quia ſi differrent ſpecie, non ſatisfaceret pœnitens confitendo copulam; ſed deberet etiam explicare tactus antecedentes & conſequentes, quod tamen communiter à Theologis negatur, ùt ſuo loco videbimus.

Sed hæc fundamenta minùs alta ſunt ad imponendam molem tanti ædificii, contra communem DD. ſententiam, & ſenſum communem pœnitentium, qui non putant ſe ſatisfeciſſe, niſi declaraverint copulam.

Adeòque nec valeret hæc Confeſſio: *Commiſi grave peccatum in materia ſimplicis fornicationis*; etenim verificari poteſt de ſolis tactibus, uti etiam de affectu efficaci vel inefficaci fornicationis, ſeparatim ab actu externo, cùm tamen conſtet actum externum eſſe explicandum. Niſi ergo per materiam ſimplicis fornicationis intellexeris ipſam copulam externam; exiſtimo, per illa verba fornicatorem haùd ſufficienter exprimere ſuum peccatum in ſpecie ac ſigillatim, eſtò tactus & copula haberent eandem ſpecie malitiam; quia ſunt peccata ſaltem numero diſtincta.

Et quamvis explicatâ malitiâ copulæ ſatis intelligatur malitia tactuum, qui ordinariè præcedunt & ſubſequuntur; attamen explicatâ malitiâ tactuum, non ſufficienter intelligitur peccatum copulæ, quod ſæpiſſimè ſolet abeſſe: & ideo oportet illud expreſsè declarare.

Poſt hæc ſcripta, prodiit Decretum Alex. VII. de quo alibi fecimus mentionem, in quo ad minus tamquam ſcandaloſa, damnatur & prohibetur hæc propoſitio: *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra Caſtitatem, non explicando copulam.* Igitur oportet expreſsè declarare copulam

Si autem à me quæritur; An etiam debeant expreſsè declarari in Confeſſione diverſa præcepta, quæ unico actu pœnitens violavit, v. g. non jejunavit vigiliam S. Matthæi, incidentem in Quatuor tempora; Non audivit Miſſam die Dominicâ, in qua erat Feſtum S. Joannis Baptiſtæ &c. An verò ſufficiat dicere: *Violavi præceptum ieiunii: Non audivi Miſſam die Dominicâ* &c. Pro reſponſione inſtituitur

CONCLUSIO XI.

Præceptorum in eadem materiâ, ex eodem motivo proximo multiplicatio, nihil facit ad diſtinctionem ſpecificam, vel numericam peccatorum.

Exordiar ab eo; quod facilius eſt & magis certum. Quando præcepta multiplicantur purè putè ratione multiplicis temporis, v.g. hodie Provincialis præcipit ſingulis menſibus confiteri; cras ipſe idem, vel ſucceſſor ejus in Provincialatu, repetit idem præceptum ex eodem motivo; hæc multiplicatio præceptorum, ſeu repetitio ejuſdem præcepti, nihil omnino facit ad diſtinctionem ſpecificam, vel numericam peccatorum; adeòque non eſt explicanda in Confeſſione, exemplo voti, cujus repetitio non inducit novam obligationem ſpecie, aut numero diſtinctam. 194. **Multiplicatio præceptorum purè ratione temporis non multiplicat peccata.**

Ratio à priori eſt: quia illa repetitio præcepti non tam eſt novum præceptum, quàm intimatio antiqui præcepti, ſeu renovatio memoriæ, quæ ſicut fit à Legiſlatore, ita à quocumque alio privato homine poſſet fieri. Sicut ergo non induceret novam obligationem, ſi fieret à privato homine; pari ratione non inducit novam obligationem, etſi fiat à Legiſlatore, defectu ſcilicet voluntatis, vel etiam poteſtatis: non enim omnia poteſt, quæ vult, ſed illa ſolùm, quæ ſunt in ædificationem ſubditorum; ſecùs, quæ in deſtructionem. Porrò multiplicatio illa obligationum ad eandem rem, ex eodem motivo, potiùs eſt in deſtructionem boni communis, quàm in ædificationem, ùt patebit ex dicendis. Cùm ergo in hoc caſu non ſint verè multa præcepta ſive ſpecie, ſive numero; quid mirum, ſi illa **Ratio à priori.**

Digitized by Google

apparens multiplicatio non multiplicet malitiam, vel ſaltem numericam?

195. *An augeat malitiam?* Quinimmò, nec per ſe loquendo auget illam; veluti ex continuatione ſeu duratione ejuſdem præcepti, quæ iſti repetitioni æquivalet, non creſcit obligatio per ſe loquendo, & per conſequens nec malitia. Interim per accidens fieri poſſet, quòd creſceret malitia ex repetitione mandati, ſi negligatur: quia licèt non fiat contra plures volitiones Legiſlatoris vel monentis, tamen ipſæmet monitiones magìs intendunt cognitionem ſubditi de ea prohibitione, & ſunt quaſi quædam fræna contra peccatum. Jam autem quò quis plures habet rationes fugiendi aliquod peccatum, & perfectiùs cognoſcit ejus malitiam, eò graviùs eſt iſtud non fugere. Hinc ſæpè objici ſolet peccatoribus ad ponderandam gravitatem peccati, quòd toties fuerint moniti, ne illud committerent. Utcumque ſit de hac gravitate, certum eſt, eam non mutare ſpeciem, aut numerum peccati, neque notabiliter aggravare intrà eamdem ſpeciem; ideòque non neceſſariò explicandam eſſe in Confeſſione.

Major difficultas eſt, quando Superiores ſeu Legiſlatores ſunt diverſi tam materialiter, quàm formaliter, hoc eſt, ipſa dignitas ſeu poteſtas legiſlativa eſt diverſa, v. g. Deus & homo; Rex, Epiſcopus, Papa &c. Item, quando præcepta ſunt de eadem re materialiter; ſed ratio præcipiendi eſt diverſa; ut quando præcipitur jejunium in Quadrageſima, aut Quatuor Temporibus, & ſimul ob honorem alicujus Sancti, cujus eſt Vigilia.

196. *Sola diverſitas præcipientium non variat præceptum in ſpecie, neque in numero.* Noſtra & communis ſententia eſt, diverſitatem ſolam præcipientium non variare præceptum in ſpecie, ſi ex eodem motivo proximo omnes præcipiant; neque in numero, quando omnes præcipiunt eundem planè individuum actum cum eiſdem circumſtantiis.

Probatio Lugonis, Rationem primæ partis aſſignat Lugo diſp. 16. n. 245. quia ſemper remanet res præcepta in eadem ſpecie honeſtatis, v. g. furtum prohibitum à Deo & homine, ſemper erit in ſpecie injuſtitiæ, quia motivum proximum prohibendi ſemper eſt eadem honeſtas juſtitiæ.

& Salas. Utramque partem probat Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 13. diſp. 3. n. 9. quia talia præcepta non afferunt novam obligationem: alioquin repetendo illa, multiplicaretur obligatio in infinitum. Probat II. Nam moraliter loquendo omnia illa præcepta idem cenſentur, ob identitatem materialem, & formalem objecti & circumſtantiarum, & unum tantùm eſt veluti explicatio & confirmatio alterius: ergo non afferunt novam obligationem, ſpecie vel numero diſtinctam; aliàs concurſus illorum præceptorum eſſet in Confeſſione explicandus (quod falſum eſt, & contra piorum & ſapientium uſum) ac proinde inveſtigare quis deberet illam diverſitatem præceptorum, ut eam in Confeſſione explicaret, quod eſſet duriſſimum. Hæc ille.

Quapropter tametſi fortè poſſent Superiores velle novam obligationem inducere; equidem non cenſentur velle, ita interpretante eorum voluntatem communi ſenſu fidelium, ipſis non contradicentibus, cùm tamen commodè poſſent contradicere.

Aliter ab Aliquibus probatur Concluſio, argumento deſumpto à rebus phyſicis; videlicet, quia diſtinctio ſpecifica vel numerica effectuum non attenditur penes cauſam efficientem, nam plures cauſæ efficientes poſſunt concurrere ad eundem numero effectum: jam autem præceptum ſe habet inſtar cauſæ efficientis; ergo præceptorum multiplicatio in eadem materia, ex eodem motivo proximo, nihil facit ad diſtinctionem ſpecificam, vel numericam peccatorum. 19[7] *Alia [...] tio.*

Quinimmò (reponit Aliquis) multùm facit: nam per ordinem ad legem definitur, & per conſequens intrinſecè conſtituitur peccatum. Ergo per legem diſtinguitur: ergo ubì ſunt plures leges, ſunt plures malitiæ, ſaltem numero.

Reſpondeo diſt. 1. Conſequens: Per legem diſtinguitur peccatum ab omni illo, quod non eſt peccatum, concedo totum: per legem diſtinguitur unum peccatum ſpecie vel numero ab alio, nego Conſequentiam. Sicut enim non conſtituitur per legem in eſſe ſpecifico vel numerico, ſed tantùm in eſſe generico peccati; ita nec per eandem diſtinguitur ſpecie aut numero unum peccatum ab alio, ſed genericè tantùm ab omni alio, quod non eſt peccatum. 19[8] *Reſp[...] ad ob[...] nem.*

Ergo ubì ſunt plures leges, ſunt plures malitiæ, ſaltem numero, negatur Conſequentia: quia malitiæ diſtinguuntur per objecta, vel per rectitudines, quibus privant. Cùm igitur in caſu propoſito ſit unum & idem objectum plurium legum, & eædem prorsùs circumſtantiæ; cenſetur etiam eadem malitia peccaminoſa, cùm ſit eadem rectitudo, quâ privat: neque enim ex diverſis legibus oritur diverſa in actu rectitudo; ſed hæc ſumitur ex principiis intrinſecis, quæ (ùt ſupponitur) ſunt eadem ſive unâ, ſive pluribus legibus talis actus præcipiatur.

Audiamus Felicem de Peccatis c. 2. diff. 2. n. 9. Cùm (inquit) peccata conſiſtant in privatione, & privationes diſtinguantur penes formas, quibus privant; hinc eſt, ut non à præceptis ſumant ſpecificationem, ſed à rectitudinibus, quarum ſunt privationes. Ex quo patet, quòd quamvis furtum prohibeatur lege naturali, divinâ & humanâ, ſit unum in ſpecie; nam eſt privatio unius tantùm virtutis, nempe juſtitiæ. Unde furtum rei ſacræ, vel rei profanæ in loco ſacro, eſt duplex peccatum, 19[9] *Felix [...] noſtra Concl[...] & pro citat S[...] tum.*

Digitized by Google

tum, nempè contra juſtitiam, & contra Religionem; nam opponitur his duabus virtutibus. Hæc ille, citans pro ſe Scotum 2. diſt. 37. §. *Ex iſta ſolutione*. Et Quodlib. 18. §. *Ex iſto*.

Vel ergo Felix errat (quod non, ùt liquidò conſtat ex Concl. 1. hujus Sect.) vel Arriaga, qui Tract. de Peccatis diſp. 41. n. 17. ſic ait: Si legiſlator intendat per ſuum præceptum novam obligationem inducere, ùt non dubito eum ſæpè intendere, etiamſi non extrahat rem præceptam ad aliam virtutem, ſeu etiamſi non habeat aliud objectum formale intrinſecum, quod amet, quàm honeſtatem ipſam virtutis, quæ ante erat; velit tamen præcepto ſuo magìs homines ad eam quaſi cogere: ſi (inquam) ita præceptum imponatur; judico omnino, conſtitui eam rem præceptam in duplici ſpecie, eoque caſu tranſgreſſionem illius futuram duplex peccatum, unum contra naturale præceptum, alterum contra legiſlatorem poſitivum. In hac Concluſione diſſentio à P. Vazquez, & convenio cum Scoto, in 2. diſt. 37. q. 1. & Aliis, qui abſolutè affirmant, diverſitatem præceptorum cauſare diverſitatem peccatorum. Hucuſque Arriaga.

Sed planè non convenit cum Scoto, niſi probaveris ex illis diverſis præceptis reſultare diverſam rectitudinem in actu præcepto. Nam Scotus loco citato n. 9. manifeſtiſſimè diſtinguit peccata ſpecie & numero ex diſtinctione rectitudinum, ùt latiùs deduximus Concl. 1. præſentis Sect. vide ibi dicta.

Probo (inquis) ex illis diverſis præceptis reſultare diverſas rectitudines, & per conſequens diverſas malitias: lex divina & humana ſaltem ſpecie diſtinguuntur; ergo etiam objectum harum legum: ſed objectum eſt furtum v. g. quod his legibus prohibetur; ergo tale furtum continet duas malitias ſpecie diverſas.

Reſpondeo: Etſi Legiſlatores, eorumque ſuperioritates ſpecie, immò toto genere diſtinguantur, ac ſimiliter eorum præcepta ſubjectivè ſpectata (nam divinum conſiſtit in actu voluntatis divinæ; humanum autem in actu voluntatis humanæ, qui actus plus quàm genere diſtinguuntur) equidem objectivè ſunt præceptum omnino idem, quatenus prohibent actum oppoſitum uni tantùm virtuti, id eſt, quatenus ſingula verſantur circa idem objectum & motivum intrinſecum.

201. Inſtabis: Legiſlator divinus habet diverſum motivum, ac Legiſlator humanus, & reſpicit diverſum finem ſpecie: nam divinus intendit rectitudinem voluntatis ſubditorum, humanus ſolam pacem Reipublicæ: ſed rectitudo voluntatis, & pax ſpecie diſtinguuntur, ergo & leges iſtæ non ſolùm ſubjectivè, ſed etiam objectivè.

Reſpondet Felix ſuprà n. 10. hos fines eſſe extrinſecos, & ſpecificationem ſolùm ex fine intrinſeco & proprio objecto ſumi; qui finis in utroque Legiſlatore eſt idem, ſcilicet ſervare juſtitiam & non efficere injuſtitiam: & ſic furtum contra utrumque præceptum eſt ejuſdem ſpeciei, quia eidem virtuti opponitur.

Si inferas: Ergo cùm una virtus non habeat niſi unicum finem & motivum; omnia peccata contra talem virtutem erunt ejuſdem ſpeciei, etiamſi ſint contra diverſos fines extrinſecos legis; quod patet eſſe falſum: nam occiſio Clerici non ſolùm eſt contra juſtitiam, ſed etiam contra Religionem; & tamen Religio eſt quid extrinſecum occiſioni & objecto ejus, & per conſequens eſt finis extrinſecus legis Eccleſiaſticæ prohibentis occiſionem Sacerdotis. 202. Secunda Inſtantia.

Reſpondet Felix ſuprà n. 11. quòd licèt Religio ſit in hoc caſu circumſtantia reſpectu juſtitiæ; tamen lex Eccleſiaſtica intuitu Religionis prohibet occiſionem Sacerdotis; & ita motivum intrinſecum & finis reſpectu illius prohibitionis eſt Religio. Solvitur à Felice.

Sed contrà: Etiam obſervatio pacis erit finis intrinſecus & motivum legis humanæ prohibentis furtum; & ita furtum habebit duplicem malitiam, alteram contra juſtitiam, alteram contra concordiam & pacem; quod falſum eſt. 203. Tertia inſtantia.

Reſpondeo; diſcrimen eſſe: nam lex Eccleſiaſtica reſpicit homicidium Sacerdotis, quà Sacerdotis, ùt objectum, & per conſequens, ùt motivum intrinſecum, & finem talis operis: etiamſi ſit circumſtantia & accidens homicidii ùt ſic: at verò lex humana reſpicit, ùt objectum & motivum intrinſecum, furtum, non quà opponitur concordiæ ſeu paci, ſed quatenus eſt contra juſtitiam. Reſponſio.

Patet: quia omnis lex humana ordinatur à Legiſlatore ad bonum commune ſive ad pacem Reipublicæ. Ergo hæc pax non eſt finis particularis & intrinſecus legis humanæ, prohibentis furtum, veluti legis Eccleſiaſticæ, prohibentis homicidium Sacerdotis, finis particularis & intrinſecus eſt Religio, quæ ſpectatur in hac lege, & non in omnibus aliis legibus Eccleſiaſticis. Igitur hæc probatio oppoſitæ ſententiæ, minoris eſt conſiderationis.

Nec multò majoris momenti ſunt fundamenta Arriagæ, quorum primum eſt: quia eo ipſo, quòd per votum homo intendat ſe magìs obligare; licèt id non efficiat ex motivo novæ honeſtatis repertæ in Religione, ſed ſolùm antiquam amet; verè tamen obligatur, ideoque dum efficit contra illud, novam malitiam contrahit. Videtur autem idem omnino dicendum de præcepto. Hæc ille ſuprà. 204. Primum fundamentum Arriagæ.

Sed non eſſe in omnibus idem dicendum de præcepto & voto, ſuperiùs luculenter oſtendimus. Atque ut in caſu præſenti idem dicendum foret; liquet profectò, homines, renovan- Rejicitur.

Digitized by Google

novantes vota ſua, communiter non intendere novam obligationem; & per conſequens dum efficiunt contra illa, novam malitiam non contrahere. Ergo ſimiliter Legiſlatores præcipientes eandem materiam, ex eodem motivo intrinſeco, communiter non intendunt novam obligationem inducere, ſed memoriam antiquæ obligationis renovare: & ideo qui contra illam efficit, non contrahit communiter duplicem malitiam ſive ſpecie, ſive numero, quidquid ſit de poſſibili.

205. An Legiſlator in caſu propoſito poſſit velle inducere novam obligationem.

De quo ſi à me quæritur, haùd equidem clarè video ſufficientem rationem, iteratò præcipiendi eandem materiam, ex eodem motivo intrinſeco, cum animo inducendi novam obligationem: & ideo, velit nolit Legiſlator, non inducitur nova obligatio, argumento cap. 2. diſt. 4. ubì ex Iſid. lib. 5. Etymolog. hæc verba referuntur: *Erit autem lex honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundùm naturam, ſecundùm patria conſuetudinem, loco temporiq́ conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta quoq́, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat; nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta.* (cap. 2. diſt. 4.)

Alioquin non erit vera lex, ſed potiùs iniquum hominis conſtitutum, juxta illud Divi Auguſtini lib. 19. de Civit. c. 21. *Quod iure fit, profectò iuſtè fit: quod autem fit iniuſtè: nec iure fieri poteſt. Non enim iura dicenda ſunt vel putanda iniqua hominum conſtituta, cùm illud etiam ipſi ius eſſe dicant, quod de iuſtitiæ fonte manaverit: falſumq́ eſſe, quòd à quibuſdam non rectè ſentientibus dici ſolet: id eſſe ius, quod ei, qui plus poteſt utile eſt.* (S. Aug.)

206. Secundum fundamentum Arriagæ.

Dices cum Arriaga ſuprà n. 18. (& eſt ſecundum ejus fundamentum) Legiſlator eo ipſo quòd rem aliquam præcipiat, eſtò ea res non eſſet in aliqua materia virtutis, poteſt obligare ad illam, dummodò res ſit alioqui licita: vel enim ad oſtendendam ſuam vim legiſlativam id poteſt imperare. Quod clariùs intelligitur in prohibitione: poteſt enim Deus (ſi velit) etiam ſub peccato mandare mihi omiſſionem actûs amoris, licèt ea omiſſio non ſit ex ſe in ulla ſpecie virtutis, quin potiùs videatur virtuti quodammodò contraria. Si ergo rem, alioquin in ſe optimam, poteſt ſolum præceptum reddere malam; cur rem jam ex ſe malam, non poterit novo titulo reddere malam?

Certè malitia præcedens non impedit novam hanc; potiùs enim eſt illi valde conformis, quàm contraria: neque dici poteſt, eſſe eamdem omnino; quia ſicut non obedire Deo imperanti rem licitam, habet malitiam, & quæ non eſt contra præceptum aliquod naturale; ita malitia ea non eſt eadem cum illa, quam opus habet ex ſe contra eandem naturam rationalem: ergo ſunt ibi duæ malitiæ.

Explico: Orare v. g. nullam habet ex ſe malitiam contra naturam rationalem; ſi Deus orationem prohibeat, jam acquirit malitiam, non quidem contra rationem immediatè, ſed contra mandatum Dei: hujus autem conditionis non eſt illa malitia, quam habent aliæ res, quæ naturâ ſuâ ſunt malæ. Si ergo oratio ex ſe habuiſſet aliquam malitiam naturalem, certè altera, adveniens ex prohibitione accidentali Legiſlatoris, non eſſet ejuſdem rationis cum priori, ut propterea deberet unicam tantùm cum illa conſtituere: aliunde autem non eſt illi repugnans (ùt oſtendi) ergo & advenire poterit, & ſecundam conſtituere. Hucuſque præfatus Auctor.

Reſpondeo; oſtenſionem poteſtatis legiſlativæ nequaquam ſufficere ad juſtitiam, honeſtatem, & utilitatem legis: alioquin quidlibet poſſet Superior pro libitu ſuo præcipere, cùm illa ratio ſemper poſſit ſubeſſe. Igitur præter illam oſtenſionem neceſſaria eſt alia juſtitia, honeſtas & utilitas: quæ autem alia juſtitia, honeſtas & utilitas in multiplicatione illarum obligationum circa eandem materiam, ex eodem intrinſeco motivo?

Immo maxima ex ea oritur inutilitas, ſcilicet multiplicatio peccatorum ſeu demeritorium, abſque multiplicatione meritorum. Nam ſubditi non multùm curant illam multiplicationem, & vix aliquos reperies, qui non tam facilè tranſgrediantur plura iſta præcepta, quàm unicum; ac aliunde exercendo actum præceptum, non plus merentur (niſi fortè formaliter intenderent obedientiam) nam obedientia habet ſuam bonitatem à re præcepta; non enim honeſtum eſt obedire Superiori præcipienti rem malam, ſed rem bonam. Cùm ergo res præcepta in noſtro caſu una ſit tàm materialiter, quàm formaliter; tam ſpecie, quàm numero; etiam talis erit honeſtas obedientiæ, & per conſequens meritum obedientiæ. Cur ergo erit duplex ſpecie aut numero inhoneſtas; & per conſequens demeritum? Non eſt juſtum.

Nihilominùs lubens admitto, Deum rem ex ſe alioqui bonam, ob cauſam rationabilem ſuo præcepto poſſe facere malam, v. g. prohibere actum amoris aut orationem; ſed dico, non eſſe cauſam rationabilem multiplicandi obligationes circa eandem rem materialiter & formaliter.

Quando igitur nulla ex ſe eſt malitia in actu prohibito, neque ex natura rei poteſt ineſſe, cenſetur Legiſlator velle aliquam inducere: ergo ad minùs malitiam inobedientiæ, oppoſitam bonitati obedientiæ, quæ ex illa lege reperitur in abſtinentia ab illo actu. Sin autem actus eſt capax alterius malitiæ contra naturam rationalem, & antecedenter per legem prohibitus propter illam malitiam; cenſetur Legiſlator (idem, vel alius) prohibens eundem

Digitized by Google

eundem actum, ex eodem intrinſeco motivo, id eſt, propter eandem malitiam, eandem malitiam velle inducere, eandem (inquam) ſpecie & numero; cùm hæc ſit ſufficientiſſima ad communem civium utilitatem, & alia potiùs nociva bono communi civium, ùt anteà oſtendimus.

209. Quid igitur, ſi actus quidem in ſe malus, nondum tamen prohibitus; numquid per legem accipiet novam malitiam? Reſpondeo: planè accipiet malitiam inobedientiæ, ſinè qua ille actus non eſſet declarandus in Confeſſione; quia non eſſet peccatum, quod ſolum confitendum docet Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 5. Ergo plures malitiæ inobedientiæ, ubì ſunt plura præcepta de eadem re ex eodem intrinſeco motivo; negatur Conſequentia.

Ratio eſt, quia inobedientiæ non multiplicantur penes præcepta materialiter tantùm diſtincta; ſed ſicut plura illa præcepta, quamvis phyſicè diſtincta, moraliter unum & idem cenſentur, ita & plures malitiæ inobedientiæ, quæ poſſent oriri ex illis pluribus præceptis disjunctivè ſumptis, unam aliquam & eandẽ inobedientiam conſtituunt ſive (ùt clariùs dicam) præcepta ſubſequentia, etſi poſſent inducere malitiam inobedientiæ, ſi non invenirent illam inductam; equidem quia jam inveniunt inductam, non inducunt novam, ſed antiquam ſuo modo confirmant, & aliquo modo augent; ſicuti, ſecundùm Aliquos, ſpecies vini, quando ſumuntur à Sacerdote, ſi non inveniunt gratiam productam, eam producunt; ſecùs, ſi per ſpecies panis eam inveniant productam.

210. Contrà (inquis) præceptum humanum ſuperadditum divino, numquam reperit ſuam malitiam inobedientiæ inductam, cùm inobedientia contra Deum, ſpecie differat ab inobedientia contra hominem; ſicuti irreverentia contra Deum, ſpecie differt ab irreverentia contra hominem.

Hinc Arriaga ſuprà n. 19. (& eſt tertium ejus fundamentum) quò quis pluribus reſiſtit, & plurium tranſgreditur mandata, plures videtur virtualiter contemnere, ſive dicenda ſit in eo peccato reperiri particularis inobedientia, ſive ſolùm communis (hoc enim pro præſenti quæſtione per accidens eſt, & fortè ad quæſtionem de nomine ſpectat) ergo duos contemnere, duas dicet malitias, & quidem diverſas, juxta diverſitatem præcipientium: ergo cùm in hac Concluſione ponamus præcipientes ſpecie diverſos, & intendentes diverſam ſeu majorem obligationem; debebimus diverſas malitias admittere in tranſgreſſione ejus præcepti. Hæc ille.

211. Sed in primis, non omnis major obligatio eſt ſpecie diverſa, ùt patet in furto: nam major obligatio eſt non furandi 100. florenos quàm 1. & tamen non idcirco obligatio ſpecie diverſa. Et verò, cur præcipientes ſpecie diverſi, non poſſint intendere obligationem ſpecie eandem; immo numero eandem? Siquidem (ùt priùs probavimus) obligatio non ſumit ſpeciem à cauſa efficiente ſeu à præcipiente, ſed à termino, id eſt, re præcepta. Quis namque ſpecie diſtinguit contractus vel obligationes contractuum penes contrahentes ſpecie diſtinctos? Nonne Rex, vovens quidpiam Deo, aliam ſpecie contrahit obligationem, quàm homo privatus, vovens eandem rem? *Obligatio non ſumit ſpeciem ab efficiente, ſed à termino.*

Scio diſparitatem eſſe, quòd Regia poteſtas ſit impertinens ad obligationem voti, ſecùs ad obligationem præcepti: ſed quid tum? Omnis ſimilitudo claudicat: hæc ſimilia ſolùm afferuntur, ut oſtendatur actus agentium, quamvis non operentur ultra intentionem eorum, equidem ab agentibus non accipere ſpeciem; ſed à terminis ſeu objectis; & modo attingendi objecta.

Jam autem præceptum humanum, prohibens, v. g. furtum, idem objectum, eodem modo attingit, quo præceptum divinum: ergo præcisè ex eo, quòd unus Legiſlator ſit divinus, & habeat poteſtatem legiſlativam omninò independenter, alius autem Legiſlator ſit homo, qui non habet poteſtatem legiſlativam, niſi dependentem à Deo, & ſubordinatam poteſtati legiſlativæ divinæ, non rectè infertur diverſitas ſpecifica præceptorum, ſeu potiùs obligationum. Neceſſaria quidem eſt poteſtas legiſlativa, ut valeat lex & obliget; adeoque vim obligandi habet à præcipiente; ſed quòd ſit obligatio talis vel talis ſpeciei, objectum efficit, minimè Legiſlator.

Enimverò finis principaliter intentus per legem, eſt bonum ſubditorum; non autem Legiſlator, vel ejus bonum. Ergo ad diverſitatem ſpecificam præceptorum ſeu obligationum perparùm facit diverſitas ſpecifica præcipientium: ideo enim in phyſicis actiones non ſpecificantur ab agente, ſed à termino; quia actio non reſpicit agens, niſi propter terminum, & in bonum termini; ipſum verò terminum reſpicit propter ſe. Suppoſito igitur, quòd bonum ſubditi reſultans ex præcepto ſit idem; nihil facit ad diſtinctionem ſpecificam, quòd præcipientes ſint diſtincti. 212. *Finis principalis legis eſt bonum ſubditorum non Legiſlatoris.*

Ex quo etiam probatur unitas numerica: quia ſcilicet bonum, quod intenditur per illa duo præcepta, eſt unum & idem numero: eſt quippe idem numero actus qui per utramque legem præcipitur; qui ſicut non habet niſi unam numero honeſtatem, ita quoque nonniſi unam numero malitiam oppoſitam (ùt ſuperiùs inſinuavi) niſi accedat formalis contemptus Legiſlatoris, qui indubiè diſtinctum peccatum eſt non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie; adeòque in Confeſſione explicandum.

Digitized by Google

213. *Contemptus virtualis non eſt peccatum diſtinctum à ſimplici tranſgreſſione.*

Quantùm ad contemptum virtualem (de quo ſuprà Arriaga) ille non eſt peccatum diſtinctum à ſimplici tranſgreſſione præcepti: adeòque duos virtualiter contemnere, non magìs dicit duas malitias, quàm tranſgredi duorum præcepta. Si ergo tranſgreſſio illa non eſt duplex peccatum, quando eadem formaliter & materialiter res præcipitur; neque contemptus virtualis erit duplex peccatum. Unde argumentum illud Arriagæ videtur petere principium; hoc enim eſt, quod quæritur, an virtualiter contemnere plures, ſive (quod idem eſt) an tranſgredi præcepta plurium de eadem materia, ex eodem intrinſeco motivo, dicat unicam, vel plures malitias? Igitur probatum oportuit, quod duos virtualiter contemnere, duas dicat malitias.

214. *Objectio.*

Probatur (inquis) quia duos formaliter contemnere, dicit duas malitias numero vel ſpecie, prout duo iſti numero vel ſpecie differunt: hinc irreverentia contra Deum ſpecie differt ab irreverentia contra hominem; quia excellentia divina ſpecie differt ab excellentia hominis.

Reſponſio Lugonis,

Reſpondent Aliqui; diſcrimen eſſe inter obedientiam ex una parte, & Religionem ac juſtitiam ex altera, quòd Religio & juſtitia reſpiciant directè bonum alienum: diverſum autem quid eſt lædere Deum, ab hoc quod eſt lædere Sanctos. At obedientia reſpicit bonum proprium ſubditi. Indè fit, ut ſi res mandata eſt eadem, non debeat conſiderari diverſitas imperantis, niſi illa ſit infinita, ùt eſt divina; quia ex infinita illa excellentia Dei præcipientis, reſultat diverſitas etiam ex parte ipſius termini: eſt enim multò magìs conforme naturæ rationali, ſinere ſe regi à Deo, infinitè ſapiente, ſancto &c. quàm à Superiore creato: ergo quando abeſt contemptus Superioris creati, nulla eſt ibi ſpecialis, ſaltem gravis, malitia præter inobedientiam in Deum.

quæ multis videtur ſatìs difficilis.

Hæc eſt doctrina Lugonis diſp. 16. ſect. 5. §. 2. quæ multis videtur ſatìs difficilis; tum quia obedientia etiam eſt bonum Superioris (adeòque qui non obedit, aliquid aufert Superiori, moraliter illi debitum) tum quia non eſt ſemper neceſſarium, ut res illa, quæ præcipitur (exceptâ moralitate obediendi) ſit in bonum ſubditi (ùt patet, quando præcipitur res indifferens, vel res bona, alioquin moleſtiſſima ſubditis) tum quia omnes virtutes (etiam quæ ſunt ad alium) intendunt formaliter bonum ejus, qui operatur, non ejus, ad quem ſunt.

215. *Alia reſponſio Dicaſtillonis.*

Hinc Dicaſtillo diſp. 9. n. 486. aliam excogitavit diſparitatem, dicens: Eſt ſufficiens diſparitas inter reverentiam & irreverentiam ex una parte, & obedientiam & inobedientiam ex altera, quod titulus, cui proximè conſonat reverentia, & cui diſſonat irreverentia, eſt excellentia, quæ relucet in perſona excellente, cui exhibetur reverentia aut irrogatur irreverentia: & cum excellentia divina & humana, quæ immediatè & proximè reſpiciuntur ab ea virtute & vitio, ſint adeò diverſi ordinis, non mirum, quòd utraque reverentia aut irreverentia differant eſſentialiter; quia ſpecificantur per ordinem ad tam diverſa objecta, & proximè reſpondent tam diverſis titulis.

Titulus verò & ratio, cui proximè conſonat aut diſſonat inobedientia, non eſt immediatè ſuperioritas, ſed præceptum aut prohibitio, emanans ex ea ſuperioritate; neque enim ex eo titulo, quòd Deus vel homo ſit meus Superior, pecco & ſum inobediens, ſi comedo carnes in die Veneris, aut omitto Sacrum in die Dominico (hìc enim titulus remotus ſuperioritatis, etiam perſeverat in die Jovis, in quo non pecco) ſed pecco & ſum inobediens, ſi die Veneris non abſtineo, aut non audio Sacrum die Dominico, ex titulo præcepti, eò quòd ille, qui eſt meus Superior, præcepto ſuo prohibuit unum actum, & præcepit alium: quando autem actus præceptus aut prohibitus eſt idem, & finis præcepti vel prohibitionis, cæteræque circumſtantiæ, ſub quibus præcipitur, aut prohibetur, ſunt eædem etiamſi à pluribus Superioribus præcipiatur, & Superiores ſint tam diverſi, & titulus ſuperioritatis diverſæ ſpeciei aut generis, adhuc præceptum ex illis proveniens eſt ejuſdem ſpeciei: & cùm in ordine ad præceptum debeat regulari obedientia & inobedientia, parùm aut nihil refert diverſus titulus ſuperioritatis, tenentis ſe ex parte præcipientium. Hucuſque Dicaſtillo.

Sed interrogo: cùm præceptum eſſentialiter reſpiciat titulum ſuperioritatis, ita ut hoc deficiente, & ipſum deficiat; & titulus ſuperioritatis ſit diverſæ ſpeciei aut generis; cur non itidem præceptum erit diverſæ ſpeciei aut generis? Sanè (ùt ſuperiùs notavi) haùd dubium, quin præceptum divinum ſubjectivè ſpectatum, ſit diverſæ ſpeciei aut generis: eſt enim actus divinæ voluntatis, cùm præceptum humanum ſit actus voluntatis humanæ, qui actus procul dubio ſpecie aut genere diſtinguuntur. Ergo cùm in ordine ad præceptum debeat regulari obedientia & inobedientia, & præceptum divinum ſit ſpecie aut genere diſtinctum; etiam obedientia & inobedientia erit ſpecie aut genere diſtincta. 21 *Inter… tio q… Aucto…*

Reſpondeo; obedientia & inobedientia regulari debet in ordine ad præceptum, non in eſſe phyſico conſideratum, ſed in eſſe morali, id eſt, ſecundùm ſuam obligationem: porrò obligatio (ùt ſuperiùs declaravimus) non diſtinguitur genere vel ſpecie penes cauſam obligantem, ſed penes terminum ſeu objectum. Hæc igitur diſparitas Dicaſtillonis non eſt rejicienda. *& ej… reſpo…*

Forè

217. Fortè nec differentia Lugonis; nam ad primam rationem in oppoſitum Reſpondeo: Inobedientia non cenſetur poſitiva inhonoratio Superioris, ſi deſit formalis contemptus; adeòque qui non obedit, non aufert poſitivè Superiori honorem illi debitum; alioquin omne peccatum eſſet injuria perſonalis ſtrictè dicta, & obligaret ad reſtituendum debitum honorem, ſicuti obligat contumelia; quod non facilè credidero, cùm nemo ſolicitus ſit de tali reſtitutione facienda Legiſlatori humano.

Ad ſecundam rationem patet reſponſio ex ipſis verbis: ſufficit quippe moralitas obediendi, quæ ſemper adeſt, quando præcipitur res ex ſe indifferens; ratione namque illius moralitatis res illa cedit in bonum ſubditi. Nec obſtat, quòd res præcepta aliquando ſit moleſtiſſima: nam rem moleſtiſſimam, ex ſe bonam, facere, v. g. ſervare caſtitatem, tantò magìs cedit in bonum ſubditi, ſeu potiùs cedit in majus bonum ſubditi.

Tertia ratio (quam valde urget Dicaſtillo ſuprà n. 485.) facilè ſolvitur dicendo; virtutes, quæ ſunt ad alterum (ùt juſtitia cum annexis) eſtò intendant formaliter bonum honeſtum ejus, qui operatur (nam ſecundùm D. Auguſtinum lib. 2. de lib. Arbit. c. 18. *Virtus eſt bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur &c.*) equidem reſpicere bonum commodum alienum; ùt patet in juſtitia, quæ unicuique tribuit jus ſuum; in Religione, quæ tribuit cultum debitum Deo ob infinitam excellentiam; in obſervantia, quę intendit reverentiam debitam proximo ob excellentiam creatam; in gratitudine, quæ remunerat beneficium acceptum; & ſic de aliis virtutibus, quæ ad hoc tendunt, ut proximũ tueantur & conſervent in bonis ſuis, vel etiam augeant ejus bonum commodum.

Objicit Dicaſtillo ſuprà: Juſtitia punitiva, quâ quis à Deo punitur æternâ damnatione, non eſt peccatori bona, utilis, jucunda vel honeſta: ergo honeſtas virtutis, quæ eſt ad alium, non ſemper intendit bonum illius.

Reſpondeo: Juſtitia punitiva aliquando reſpicit emendationem tum illius, quem punit, tum aliorum, qui ejus exemplo ab injuria coërcentur: quis autem dubitet, illam emendationem eſſe aliquod bonum? Aliquando verò intendit reparationem injuriæ & ſatisfactionem; dum enim ille punitur propter injuriam illatam, reſtituitur ex parte honor parti læſæ, eique aliqua ſatisfactio adhibetur: quæ utique ſatisfactio eſt bonum aliquod partis læſæ, ùt omnes admittere debent.

Itaque juſtitia punitiva, quâ quis à Deo punitur æternâ damnatione, etſi peccatori non ſit bona, utilis, jucunda vel honeſta; eſt tamen Deo, cui per illam ſatisfit, & cujus honor tali medio moraliter reparatur, utilis: etiam eſt utilis peccatoribus, adhuc in hac vita degentibus, qui ex conſideratione æternæ damnationis ſæpiſſimè emendantur. Igitur etiam juſtitia punitiva reſpicit bonum commodum alienum, ſimili modo, quo juſtitia commutativa, Religio, obſervantia, gratitudo & ſimiles virtutes.

Obedientia verò (inquit Lugo ſuprà n. 252.) licèt etiam ſit virtus ad alium, ſcilicet ad Superiorem; ſic tamen, ut magìs intendat bonum ſubditi, quàm ipſius præcipientis; ſicut enim præceptum ipſum debet ordinari ad bonum ſubditorum; ita & obedientia: datur quippe, ut homo juxta Superioris præſcriptum bene & utiliter dirigatur, & ſe dirigi ſinat. Cùm ergo finis principaliter & formaliter intentus non ſit Superior aut ejus bonum, ſed bonum ſubditi; hinc eſt, quòd ad diverſitatem ſpecificam præceptorum, parùm interſit diverſitas præcipientium. 219. Obedientia magis intendit bonum ſubditi quàm Præcipientis. Lugo.

Idem ante Eminentiſſimum docuit Leſſius de Juſtitia & Jure l. 2. c. 46. n. 26. ibi: Verius videtur, virtutem obediendi, quâ obeditur præcepto divino, & quâ humano, non eſſe ſpecie diſtinctam, ſed ejuſdem rationis. Quod indicat D. Bernardus tract. de Præcept. & Diſpenſ. circa principium: *Sive Deus* (inquit) *ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt curâ, pari reverentiâ deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Ratio eſt: quia obedientiæ non eſt operari in commodum aut honorem Superioris, ſicut facit Religio (tunc enim deberet conſiderare diverſitatem auctoritatis, & cuique congrua deferre) ſed operatur in commodum proprium propter obligationem præcepti, ſufficienti auctoritate impoſitam. Itaque reſpicit auctoritatem Superioris, non ùt eſt tanta vel tanta, ſed ùt eſt ſufficiens ad obligandum per præceptum: gravitas enim præcepti & obligationis in obedientiæ functionibus non ſequitur magnitudinem poteſtatis, ſed materiæ præceptæ. Leſſius.

Cujus ratio ulterior eſt; quòd in omni poteſtate imperandi quodammodò includatur poteſtas divina, à qua illa deſcendit, & omnem vim obligandi accipit: & in omni præcepto humano (loquor de juſto & legitimâ auctoritate facto) includitur præceptum divinum, quo præcipit Deus, ut ſubditi ſuis legitimis Superioribus obtemperent; quod præceptum eſt juris divini naturalis. Etſi enim non teneamur jure divino ad ea, quæ ſunt juris humani, ſi per ſe conſiderentur, ſeu in ſenſu diviſo; tamen ſuppoſito præcepto vel jure humano, tenemur ad ea jure divino in ſenſu compoſito, hoc eſt, ſi conſiderentur, ùt præcepto humano ſubſtant: quia jure divino jubemur implere juſtum Superioris præceptum, & conſequenter ipſum opus materiale, quod ipſe præcepit. 220. Poteſtas divina in omni Superiori quodammodò reperitur.

Itaque numquam obedimus præcepto humano, quin ſimul implicitè obediamus præ-

Digitized by Google

cepto divino; & numquam violamus præceptum humanum, quin ſimul violemus præceptum divinum. Unde non minùs violatur auctoritas divina in tranſgreſſione præcepti humani, quàm in tranſgreſſione divini, cùm in humano divinum ſit incluſum. Confirmatur: quia omnis poteſtas obligandi in præcepto humano eſt ex vi præcepti divini. Quare non eſt, quod diverſas obedientiæ ſpecies pro diverſitate poteſtatum conſtituamus. Hactenus Leſſius.

diverſitas poteſtatis habet ſe per accidens ad obedientiam. Et poſt pauca: Illa diverſitas poteſtatis habet ſe per accidens ad obedientiam, eſtque rationi illius extrinſeca; quia obedientia in opere ſuo non ſpectat, ut cuique poteſtati pro ſua dignitate ſatisfaciat, quaſi honorem deferendo (hoc enim pertinet ad obſervantiam & Religionem) ſed ut præceptum Superioris impleat, etiam in ſuum commodum, præſcindendo à magnitudine poteſtatis, à qua hoc præceptum eſt impoſitum. Hæc ille, planè conformiter iis, quæ hactenus diximus pro veritate noſtræ Concluſionis.

221. Ex divina excellentia reſultat ſpecialis malitia in actu lege divinâ prohibito. Itaque propter rationes ſuprà allegatas, non eſt rejicienda diſparitas Lugonis inter reverentiam & irreverentiam ex una parte, & obedientiam & inobedientiam ex altera. Neque adeò diſplicet; immo omnibus placere debet, ex divina excellentia reſultare ſpecialem quamdam malitiam in actu, Lege divinâ prohibito, quæ non invenitur in actu ſolùm prohibito per legem humanam, ſi talis actus dari poſſit; nam de facto ſaltem, omnis actus prohibitus per legem humanam, remotè & radicaliter etiam eſt prohibitus per legem divinam, ùt ſuprà docet Leſſius, & luculenter conſtat ex illis verbis Apoſtoli Rom. 13. v. 1. & 2. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Rom. 13.

Quæris, quæ ſit iſta malitia, quæ reſultat ex excellentia divina ſeu præcepto divino? Reſpondeo: malitia peccati mortalis Theologici. Et quæ illa? Dignitas odii Dei & æternæ damnationis. Ideoque multò magis conforme eſt naturæ rationali, ſinere ſe regi à Deo infinitè ſapiente, ſancto &c. qui ſolus poteſt animam & corpus perdere in gehennam, quàm à Superiore creato, qui niſi eſſet miniſter Dei, & poteſtatem haberet à Deo; quantumcumque præciperet, tranſgreſſio præcepti ejus non haberet illam malitiam, quam de facto habet ex præcepto divino, quo voluit ut omnis anima ſubdita ſit poteſtatibus ſublimioribus.

222. Sententia Scilderii. Hinc non aſſentior Scilderio in Synopſ. de Sacramentis §. 62. ubi in principio docet: Præceptum duplex naturale & poſitivum, uno actu violatum, licèt utrumque actionem eandem, v. g. furtivam, ex eodem motivo, v. g. juſtitiæ prohibeat; à fure diſtinctè exponendum eſt. Et in progreſſu ejuſdem §. ſic ait: Una tantùm eſt malitia, ſi præcepta plura data ſint à pluribus, quorum unus jus imperandi ab altero accipit, ùt Rege & Prætore, Papâ & Epiſcopo: ſicut enim Rex duplici ſuo rei unius mandato duplicem obligationem non inducit; ſic nec inducit uno per ſe, & altero per Prætorem dato. Hæc ille.

Huic (inquam) doctrinæ non aſſentior, ſed ſic argumentor: ſicut Deus duplici ſuo rei unius mandato, v. g. *Non furtum facies*, duplicem obligationem non inducit; ſic nec inducit uno per ſe, & altero per Eccleſiam vel Rempubl. civilem dato, cùm Eccleſia vel Reſp. civilis non minùs habeat ſuam poteſtatem à Deo, quàm Prætor à Rege: ſicut enim Prætor miniſter eſt Regis, vindex in iram ei, qui malum agit; ita quoque Eccleſia vel Reſpubl. civilis, *Dei miniſter eſt*, teſte Apoſtolo ſuprà v. 4. *Vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo* (attexit v. 5.) *neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Ergo & in his, quæ conſcientiam ſpectant, id eſt, in legibus moralibus, quæ obligant conſcientiam ſubditorum ſub peccato mortali vel veniali, poteſtates ſublimiores, id eſt, Reges & Principes tam Eccleſiaſtici, quàm civiles, ſunt miniſtri ſeu Prætores Dei.

Dices: Furto v. g. aliquando annectitur Excommunicatio, quæ non incurritur propter violationem ſolius præcepti divini; requiritur namque contumacia & inobedientia contra Eccleſiam: ergo per præceptum Eccleſiæ inducitur nova obligatio.

Reſpondeo primò N. C. quia illa contumacia & inobedientia contra Eccleſiam in hoc præciſè conſiſtit, quòd quis, ſciens pœnam illam annexam tali peccato contra legem naturalem, velit nihilominùs illam tranſgredi. Igitur non vult Eccleſia per ſuam legem multiplicare obligationes ad actum, cùm una obligatio plenè ſufficiat ad bonum ſubditorum, & ad incurrendam talem pœnam; ſed ſolùm vult imponere novam obligationem ad hujuſmodi pœnam, quæ priùs non erat impoſita. Unico verbo, eſt lex ſolùm pœnalis.

Reſpondeo ſecundò; ad ſummum indè probari majorem aliquam obligationem, non autem ſpecie vel numero diſtinctam; ſiquidem poteſt augeri gravitas peccati, licèt nec ſpecies mutetur, nec numerus augeatur, ùt patet in circumſtantiis ſolùm aggravantibus.

An autem hæc circumſtantia ſit notabiliter aggravans, ſi à me quæratur. Reſpondeo: Probabilis videtur Aliquorum doctrina, non teneri Pœnitentem explicare in Confeſſione circumſtantiam Excommunicationis annexæ peccato, niſi propter Abſolutionem à cenſura, quæ præcedere debet Abſolutionem à peccatis: alioquin ſi pœnitens jam abſolutus eſt extra Sacramentum, non apparet ratio, quare debeat

debeat illius meminiſſe in Confeſſione; quia nihil apparet, unde prohibeatur, per ſe loquendo, incurſus Excommunicationis.

Dico: *Per ſe loquendo*; quia fieri poteſt, ut quis per accidens teneatur ad illam præcavendam, v. g. ſi ſit Parochus obligatus celebrare, miniſtrare Sacramenta &c. à quibus officiis impeditur per Excommunicationem: ergo ratione hujuſmodi obligationis tenetur Excommunicationem præcavere, niſi aliter poſſit gregi ſuo providere.

Ut igitur finem imponamus huic controverſiæ, & ad alios caſus procedamus; cùm obligationes non ſint multiplicandæ ſinè neceſſitate, & in dubio juris ſtandum ſit pro libertate conſcientiæ; iterum aſſero, præceptorum multiplicationem in eadem materia; ex eodem motivo proximo & intrinſeco, nec ſpecie nec numero multiplicare peccata; ſecùs in diverſa materia, vel ex diverſo motivo proximo & intrinſeco. Ex quo infero:

CONCLUSIO XII.

Non committit duplex peccatum, qui violat duo jejunia ab Eccleſia indicta, v. g. jejunium Vigiliæ & Quatuor Temporum vel Quadrageſimæ, in unum diem incidentia: neque frangens jejunium debitum ex voto, eſtò voviſſet ex motivo temperantiæ. Franciſcanus tamen, frangens jejunium in Quadrageſima, peccat dupliciter. Sed & quilibet Religioſus poteſt peccare duplici peccato contra præceptum ſui Prælati.

HÆc Concluſio plures habet partes, quæ ſingulæ indigent ſingulari explicatione. Incipio autem à prima, quæ, etiam ſuppoſitâ veritate præcedentis Concluſionis, hanc patitur difficultatem: Iejunium Vigiliæ præcipitur ab Eccleſia ex motivo Religionis, v. g. ut per illud colatur Sanctus, cujus eſt Vigilia; jejunium autem Quatuor Temporum vel Quadrageſimæ ex motivo temperantiæ: ergo committit duplex peccatum, qui violat illa duo jejunia, incidentia in eundem diem. Et idem argumentum fieri poteſt de duobus præceptis audiendi Miſſam, quando Feſtum aliquod incidit in diem Dominicam: nam præcipitur auditio Miſſæ die Dominicâ in honorem Dei, adeòque ex motivo Religionis; præcipitur autem in die Feſto ex motivo Duliæ, id eſt, in honorem Sancti: ergò ex diverſis virtutibus. Ergò omiſſio Miſſæ habet duplicem malitiam, ſicuti auditio duplicem bonitatem.

Deinde objicitur: Præcepta illa inducunt diſtinctas obligationes, ſi incidant in tempora diſtincta; ergo etiam ſi incidant in unum & idem tempus. Probatur Conſequentia: quia tempus videtur eſſe impertinens ad inducendam, vel non inducendam diſtinctam obligationem. Secunda difficultas.

Reſpondeò ad ultimum N. C. & ejus probationem: nam dum incidunt illa præcepta in diverſum tempus, præcipiunt diverſos actus; & per conſequens, omittens illos plures actus, peccat ſaltem peccatis numero diſtinctis; veluti ſi hodie & cras tranſgredior præceptum, prohibens homicidium. At verò quando incidunt in eandem diem, non præcipiunt niſi unum actum; ac proinde non videtur, omittens illum actum dupliciter peccare. 226. Reſpondetur ad 2.

Quemadmodum ſi aliquis voverit legere Roſarium, quod habet in manibus, tribus diſtinctis diebus; ſi omittat legere, peccat triplici peccato: ſin autem tertiò voveat iſtud Roſarium legere hoc die, non peccat niſi ſemel, quamvis ſit triplex votum; quia ſcilicet eſt tantùm unica omiſſio voti, quæ non videtur conſtituere niſi unicum peccatum.

Dices: Eſtò hoc verum ſit, quando duplex jejunium incidit in eandem diem, quia non poteſt niſi ſemel uno die jejunare; equidem quando duplex præceptum audiendi Miſſam, incidit in eandem diem, poſſet duas audire Miſſas: cur ergo non obligatur? 227. Inſtantia.

Reſpondeo: quia ſenſus communis fidelium, ſciente & non contradicente Eccleſiâ, ſic interpretatur illa duo præcepta, ut unicâ auditione Miſſæ poſſit ipſis ſatisfieri: quæ unica auditio ſicut non habet meritum, niſi unius actûs virtutis; ita omiſſio ejus non debet habere demeritum, niſi unius actûs peccati. Solvitur.

Hinc ad primum argumentum, Reſpondeo: Jejunium vigiliæ alicujus Sancti non præcipitur, ut immediatè per illud aut Deum aut Sanctum colamus ſed ut per iſtud animum præparemus, & aptiorem ad cultum Dei aut Sancti reddamus. Cultus igitur Dei aut Sancti, eſt finis ſeu motivum planè extrinſecum & remotum, à quo non deſumitur diverſitas ſpecifica vel numerica alicujus actûs: eſt quippe finis Legiſlatoris, qui non cadit ſub legem (ùt habet commune dictum) ergo per illum lex non diverſificatur ſpecie vel numero. 228. Reſponſio ad 1. arg. 1. diffic.

Quæris, quis ſit finis ſeu motivum intrinſecum & proximum utriuſque jejunii? Reſpondeo: exercitium temperantiæ, tanquam

Digitized by Google

congruæ diſpoſitionis ad cultum Dei aut Sancti.

229. *Reſpondetur ad 2. argumentum.* Similiter reſpondeo ad argumentum ſecundum: auditio Miſſæ in Feſto non præcipitur intrinſecè & proximè ex motivo cultûs, proprii illi Sancto, cujus Feſtum celebratur, ſed ex motivo cultûs divini: quia decens eſt, ut illo die magìs colamus Deum, quàm alio die; vel certè, ut in ipſis Sanctis colamus Deum, qui ſpeciali modo illis aſſiſtit. Et ſic patet, quòd auditio Miſſæ in die Feſto pertinet ad eandem virtutem Religionis, ad quam pertinet Miſſæ auditio in die Dominica; eodem modo, quo ipſa Miſſa, quæ celebratur in die Feſto, non eſt dubium, quin pertineat ad eandem virtutem Religionis, ad quam pertinet Miſſa, quæ celebratur die Dominicâ: utraque enim eſt ſupremus cultus latriæ, quia Sacrificium, quod ſoli Deo convenit.

Videtur ergo Eccleſia ſolùm determinaſſe tempora colendi Deum, quæ ipſe Deus reliquerat indeterminata: & meritò ſic determinavit, ut quoniam aliquando homo obligatur colere Deum, eo potiſſimùm tempore coleret, quo ſpecialia ab eo accepit beneficia. Atque hæc ſatìs de prima parte, quæ communis eſt.

230. *Oppugnatur 2. pars Concluſ.* Contra ſecundam partem opponitur: Frangens jejunium ab Eccleſia præceptum ex motivo temperantiæ, peccat contra temperantiam; ergo ſimiliter frangens jejunium, quod vovit ex motivo temperantiæ: ergo peccat duplici peccato, uno contra votum ſeu fidelitatem Deo debitam, altero contra temperantiam. Immo videtur, quòd talis non peccet contra votum, ſed ſolùm contra temperantiam ex cujus motivo vovit, quod tamen eſt contra communem ſententiam, quæ agnoſcit in violatione illius jejunii ſacrilegium; ſicuti qui ex motivo juſtitiæ vovit à furto abſtinere, furando non injuſtus tantùm, ſed & ſacrilegus eſt. Ergo malè dicimus ex motivo ſpecificari peccatum.

Reſponſio. Reſpondeo N. C. ſi per motivum intelligas proximum & intrinſecum. Dico itaque in caſu Concluſionis eſſe unicum peccatum contra Religionem: nam votum intrinſecè & formaliter ac proximè tendit ad cultum ſeu honorem Dei. *Qui intendit votum, neceſſariò intendit cultum Dei.* Proinde qui intendit votum, non poteſt non intendere cultum Dei; conſequenter non poteſt non intendere honeſtatem Religionis, id eſt, qui vult efficaciter votum, neceſſariò vult id, quod formaliter eſt cultus Dei; adeòque obligationem virtutis Religionis infallibiliter connexam.

Motivum temperantiæ eſt extrinſecum. Nec obſtat; quod expreſsè voveat ex motivo temperantiæ, aut alterius virtutis; hoc enim motivum ſolùm eſt extrinſecum & remotum, adeòque non ſpecificat: neque privati hominis eſt, materiam liberam temperantiæ reddere materiam neceſſariam temperantiæ, ſed ſolius Superioris ſeu Legiſlatoris, ùt latiùs deduximus Sect. 8. Concl. 7. Vide ibi dicta.

Hinc ſi ad votum jejunandi acceſſerit præceptum Superioris; admitto libenter duplex peccatum, unum contra virtutem Religionis, alterum contra temperantiam; non præcisè propter duplex præceptum, ſed propter duplex præceptum, ex duplici motivo proximo & intrinſeco, ſcilicet motivo Religionis, & motivo temperantiæ; & per conſequens, propter duplicatam materiam: quamvis enim actus præceptus phyſicè & materialiter ſit unus; equidem formaliter duplex eſt, quia ſpectans ad duas virtutes ſpecie diſtinctas, nimirum temperantiam & Religionem, ex quarum motivo præcipitur. Sicut ergo illud jejunium, quamvis moraliter unicum, nihilominùs duplicem habet honeſtatem, & duplex meritum; ita quoque violatio oppoſita, licèt materialiter unica, attamen duplicem habet malitiam, & demeritum; & utraque malitia in Confeſſione eſt explicanda, ùt communiter Omnes docent. 231

Sent. Felic. Non gravetur Lector, ſi hìc ſubſcripſero ſententiam Felicis de Peccatis c. 2. diff. 2. n. 22. quæ aſſerit, præceptum Confeſſarii imperantis, ut pœnitens jejunet in vigilia, non eſſe exprimendum in Confeſſione. Neque obſtat (inquit ille) dicere; quòd ex præcepto Confeſſarii tenetur quis jejunare ſub motivo Satisfactionis ſacramentalis; nam Reſp. negando: nam tale motivum eſt extrinſecum, & non cadit ſub præcepto: immo etiamſi jejunaret pœnitens ex motivo vanæ gloriæ, adimpleret præceptum Confeſſarii, ſicut & præceptum Eccleſiæ. Hæc Felix. 232

Rejic. Prorsùs adimpleret: ſed nunquid ideo non tenetur explicare præceptum Eccleſiæ, quando vovit in vigilia jejunare? Aut ideo non tenetur explicare votum, quia tametſi jejunaret ex motivo vanæ gloriæ, adimpleret ſuum votum? Igitur per præceptum Confeſſarii conſtituitur illud jejunium pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ; adeòque non jejunans peccat duplici peccato, uno contra præceptum Eccleſiæ, ex motivo intrinſeco temperantiæ, & per conſequens contra virtutem temperantiæ; alterò contra præceptum Confeſſarii, ex motivo intrinſeco integritatis Sacramenti, & per conſequens contra virtutem Religionis.

Franciſcanus, frangens jejunium in Quadrageſima, peccat dupliciter. Sed numquid ex his rectè infertur: Ergo Franciſcanus frangens jejunium in Quadrageſima, peccat dupliciter? Exiſtimo, quòd ſic; quidquid in contrarium doceat Emmanuel Rodriguez tom. 1. qq. Regul. q. 26. a. 4. & Alii, qui cenſent, præcepta Regulæ FF. Minorum tantùm eſſe præcepta. Ego autem (ſalvo meliori) cenſeo; inſuper eſſe vota; & ideo Franciſcanum, qui frangit jejunium in Quadrageſima, dupliciter peccare, nimirum contra 233

præ-

præceptum Eccleſiæ, ex motivo intrinſeco temperantiæ, adeòque contra virtutem temperantiæ; & præltereà contra votum; ac proinde, contra virtutem Religionis.

Quod antequam probo, ſpecialis difficultas occurrit circa jejunium Quadrageſimæ, quod Clemens V. in ſua Declaratione, quæ incipit: *Exivi de Paradiſo* de verb. ſignif. non enumerat inter æquipollentia præceptis Regulæ, ſed ſolùm jejunium à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Natalem Domini, & jejunium Feriæ 6. ibi: *Item quòd ieiunare à Feſto omnium SS. uſque ad Natalem Domini, & in ſextis feriis teneantur*; ubì nulla mentio Quadrageſimæ, ut proinde non videatur Quadrageſima per Regulam præcepta.

34. Reſpondeo breviter; Regulam FF. Minorum eodem modo loqui de omnibus jejuniis cap. 3. ibi: *Et ieiunent à Feſto omnium SS. uſque ad Nativitatem Domini.* Et infrà: *Sed aliam* (Quadrageſimam) *uſque ad Reſurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur niſi ſextâ feriâ ieiunare.* Unde quantùm poteſt colligi ex verbis Regulæ, æqualis eſt omnium obligatio. Fateor, Clementem Quadrageſimam non enumeraſſe, fortè quia ſatìs conſtabat Fratres ad hanc obligari, ſaltem ex jure communi.

Deinde licèt illo loco diminutè illud præceptum expoſuerit; attamen in eadem Decretali ſufficienter indicat Fratres ex Profeſſione ſua ad illud jejunium teneri, ibi: *Deinde cùm duobus temporibus annotatis in Regula, ſcilicet à Feſto omnium SS. uſque ad Nativitatem Domini, & maximè Quadrageſima, in quibus ieiunare tenentur* &c. Atque ita docent Statuta Generalia Barchinonenſia c. 4. §. 1. (aliàs c. 2. §. 5.) in principio: *Cùm ſecundùm Regulam teneamur duas Quadrageſimas ieiunare, & intermedia ſuadeatur cum benedictione Dei* &c. Conſonat Doctor Seraphicus cap. 3. in Exp. Reg. ibi: *Duas Quadrageſimas præceptoriè imponens.* Igitur de obligatione præcepti non eſt relictus dubitandi locus.

35. Tota diſputatio eſt de obligatione voti, quam pro viribus negat Emmanuel Rodriguez ſuprà, ſpondens, ſe tamquam veriſſimum & certiſſimum id eſſe oſtenſurum, argumentis luce meridianâ clarioribus. Sed nullum ejuſmodi argumentum ſe potuiſſe deprehendere, teſtatur Herincx part. 2. tract. 2. diſp. 5. de Peccato in communi n. 47. Nec ego potui deprehendere. Quod ne gratìs dici videatur, exſcribo ejus argumenta & refuto.

Primum accipit ex his verbis Conc. Vienn. Clem. Exivi. de verb. ſignificatione: *Declaramus & dicimus, quòd dicti Fratres non ſolùm ad illa tria vota, nudè & abſolutè accepta, ex profeſſione ſua Regulæ obligantur, ſed etiam tenentur ad ea omnia implenda quæ ſunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ Regula ipſa ponit.* Et paulò inferiùs: *Neque tamen putandum eſt, quòd B. Franciſcus Profeſſores huius Regulæ, quantùm ad omnia contenta in Regula, modificantia tria vota, ſeu ad alia in ipſa expreſſa, intenderit æqualiter eſſe obligatos; quin potiùs apertè diſcrevit, quòd quoad quædam ipſorum ex vi verbi tranſgreſſio eſt mortalis, & quoad quædam alia non; cùm ad quædam ipſorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem; & quoad aliqua verbis aliis ſit contentus.*

Ex his & ſimilibus verbis ſic argumentatur prædictus Auctor: Concilium Viennenſe decernit & dividit vota ſolemnia à præceptis, in Regula Minorum Fratrum contentis: igitur præcepta & vota longè ſibi invicem diſtant, ſicut Cælum & terra. Si enim cuncta, quæ Minoribus præcipiuntur, eſſent ſolemnia vota; erroneum profectò in Philoſophia, & prorſus ab omni Dialectica eſſet alienum, inter vota & præcepta diſcrimen aliquod conſtituere. Quis enim umquam Dialecticorum diſtinxit inter hominem & rationalem, petram & lapidem, gladium & enſem, cujuſmodi ſunt vota ſolemnia & præcepta? Supereſt igitur, Univerſale Concilium diſcernens inter vota & præcepta, apertiſſimè noſtram inſinuaſſe propoſitionem. Hæc ille.

Ego autem dico, quantùm abeſt Cælum à terra, tantùm abeſt, Conc. Vienn. apertiſſimè inſinuaſſe doctrinam Rodriguez; quin potiùs noſtram apertiſſimè inſinuaverit his verbis intermediis: *Nam ſi ad hæc tria prædicta tantùm praciſè & nudè promittentes ſe ſervare Regulam, vivendo in obedientia, caſtitate & ſinè proprio, & non etiam ad omnia contenta in Regula; quæ hæc tria modificant, arctarentur; pro nihilo & vanè proferrentur hæc verba:* Promitto ſemper hanc Regulam obſervare; *ex quo ex his verbis nulla obligatio naſceretur.* 236. Reſponſio ex aliis verbis ejuſdem Conc.

Quid vobis videtur, benigne Lector? Num modus tantùm diſtat à modificato, quantùm Cælum à terra? Si ergo præcepta Regulæ modificant vota (ùt hìc dicit Pontifex) quomodò longè ſibi invicem diſtant, ſicut Cælum & terra? An fortè Cælum modificat terram, vel vice verſâ terra modificat Cælum? Et verò ſi ex his verbis: *Promitto ſemper hanc Regulam obſervare*, naſcitur obligatio ſervandi præcepta Regulæ; quomodo illa obligatio, non eſt obligatio voti? Quid enim aliud eſt votum, quàm promiſſio facta Deo?

Atque ſi hìc valeat argumentum à contrario ſenſu, Pontifex paulò ſuperiùs ſic ait: *Nos circa hunc articulum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ipſumq́; articulum quoad aliquid clariùs proſequentes, dictæ hæſitationi duximus reſpondendum; quòd cùm votum determinatum cuiuſlibet habeat cadere ſub certo, vovens Regulam non poteſt dici teneri ex vi voti huiuſmodi ad ea conſilia Euangelica, quæ in Regula non ponuntur.* Ergo ad ea Conſilia Euangelica, quæ ponuntur ſub verbis præceptivis vel æquipollentibus, vovens

Digitized by Google

vovens Regulam poteſt & debet dici teneri ex vi voti. Ecce quàm apertè Pontifex noſtram inſinuet doctrinam.

237. *Evaſio Rodriguez, dicentis Concil. ibi nihil definire.* Hanc difficultatem prævidit Emanuel, & intrepidè reſpondet, Viennenſem Synodum præfatis verbis nihil prorsùs definire, ſed ſolùm rationem definiti reddere. Prædixerat namque ſic auctoritativè loquens: *Declaramus & dicimus Minores ex Profeſſione ſuæ Regulæ obligari non ſolùm ad tria vota, verùm etiam ad alia, quæ in regula continentur, pertinentia ad hæc tria.* Hactenùs præfata Synodus definiens loquitur: mox autem definiti rationem ſubdit, dicens: *Nam ſi ad hæc tria vota tantùm obligarentur, pro nihilo & vanè proferrentur hæc verba: Promitto ſervare Regulam.* His verbis profectò nihil definit; ſolummodò quod definitum erat, confirmat: ideo non tamquam Legiſlator ſententiam profert, ſed tamquam Doctor opinionem ſuam exprimit. Supereſt igitur, nullam injuriam Concilio irrogari, ſi quis prædicta verba juxta D. Thomæ ſententiam interpretetur. Ita Rodriguez. *& ideò explicat illa verba juxta ſententiam D.Thomæ.*

S. Thomas. Quæris, quæ ſit illa ſententia D. Thomæ? Reſpondeo: D. Thomas 2. 2. q. 186. a. 9. ad Primum ſic ait: *Ille qui profitetur Regulam, non vovet ſervare omnia, quæ ſunt in Regula; ſed vovet Regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus prædictis, putà, paupertate, continentia & obedientia.*

238. *Auctor oſtendit S. Thomam docuiſſe ſuam ſententiam.* Miror ſummoperè, quomodo vir alioquin doctiſſimus, voluerit ſuam ſententiam firmare auctoritate D. Thomæ; cùm in corpore ejuſdem articuli expreſſis verbis noſtram doceat opinionem: *Votum profeſſionis* (inquit ille) *reſpicit principaliter tria prædicta, ſcilicet paupertatem, continentiam & obedientiam; alia verò omnia ad hæc ordinantur. Et ideo tranſgreſſio horum trium obligat ad mortale: aliorum autem tranſgreſſio non obligat ad mortale, niſi propter contemptum Regulæ; quia hoc directè contrariaretur profeſſioni, per quam aliquis vovit Regularem vitam: vel propter præceptum ſive oretenus à Prælato factum, ſive in Regula expreſſum; quia hoc eſſet facere contra obedientiæ votum.*

Ergo qui tranſgreditur præceptum expreſſum in Regula FF. Minorum, facit ſecundùm D. Thomam contra obedientiæ votum: ergo præcepta Regulæ FF. Minorum ſunt vota, ſaltem mediatè & indirectè, id eſt, ſunt materia voti obedientiæ, quod ſufficit ad veritatem noſtræ Concluſionis: nam hoc ipſo qui tranſgreditur, peccat contra Religionem (ùt clarum eſt) & inſuper contra virtutem, in cujus materia præcipitur, v. g. contra temperantiam, cujus materia eſt jejunium Quadrageſimæ. Ergo &c.

& rejicit reſponſionem ad verba Conc. Videamus nunc quàm ſit frivola hæc reſponſio ad verba Concilii, quæ videntur probare præcepta Regulæ noſtræ eſſe vota, etiam proximè & directè: *His verbis* (inquit Emanuel) *nihil profectò definit.* Et quis dicit ſententiam noſtram eſſe definitam? Sufficit nobis, quòd Clemens, tamquam Doctor particularis, eam his verbis expreſſerit.

Sed proſequamur verba Rodriguez ſuprà: Eſto (inquit ille) Concilii Viennenſis Decretum inſinuaſſet, Minores omnes profiteri non ſolùm informe illud ſolemne Religionis votum, verùm & univerſa præcepta Minoribus ipſis per Regulam obſervanda, perperàm tamen indè colligitur, præcepta ipſa quoquo pacto eſſe ſolemnia vota: voventes namque Minorum Regularem vitam, promittunt ſervare cuncta, quæ in eorum Regula traduntur; non tamen ad univerſa eodem obligationis genere tenentur; ſed ad vota prout ſunt, quatenus Monachatûs ſubſtantiam exprimunt; ad præcepta autem, ùt præcepta ſunt, & ſolùm prout Minorum ſtatui connectuntur. 2[...] *Ali[...] mec[...] Rod[...]*

Audi Nicolaum Pont. Max. ſimilem contentioſam dirimentem quæſtionem: *Dato* (inquit) *quòd abſolutè diceretur*: Omnino promitto S. Euangelium obſervare ..... *clarè videtur, promiſſionem huiuſmodi ad alium intellectum abſque intentione promittentis non debere perſtringi, niſi ut obſervantia Euangelii ſit, ſicut tradita reperitur à Chriſto; videlicet, quòd præcepta ùt præcepta, & conſilia ùt conſilia, à promittentibus obſerventur.* Hactenus Nicolaus Pont. Max. *ex N[...] Pap[...]*

Vides, quonam pacto quando plura in univerſum promittuntur, non tamen omnia æquè devincire voventes? Quid plura? Audi Dominicanis ipſis præſcriptam profitendi normam: *Promitto* (inquiunt) *obedientiam ſecundùm Regulam B. Auguſtini Epiſcopi, & ſecundùm Inſtitutiones FF. Prædicatorum.* Idem prorsùs apud illos ſignificat: *Promitto obedientiam ſecundùm Regulam, & Inſtitutiones huius Ordinis*; quod apud nos: *Promitto ſervare Regulam.* Hucuſque Rodriguez. *& ex [...] profiſ[...] Dom[...] noſtr[...]*

Sed in primis petit principium: nam hoc eſt, quod quæritur; an prorsùs idem ſignificet apud Dominicanos: *Promitto obedientiam ſecundùm Regulam*; quod apud nos: *Promitto Regulam?* Et non prorsùs idem ſignificare, probo ex D. Thoma ſuprà ad Primum, ubi ſic ait: *Unde & in quibuſdam Religionibus cautiùs aliqui profitentur, non quidem Regulam, ſed vivere ſecundùm Regulam, id eſt, tendere ad hoc, ut aliquis mores ſuos informet ſecundùm Regulam, ſicut ſecundùm quoddam exemplar. Et hoc tollitur per contemptum. In quibuſdam autem Religionibus adhuc cautiùs profitentur obedientiam ſecundùm Regulam, ita quòd profeſſioni non contrariatur, niſi id, quod eſt contra præceptum Regulæ: tranſgreſſio verò vel omiſſio aliorum obligat ſolùm ad peccatum veniale ..... In aliqua tamen Religione, ſcilicet Ordinis Prædicatorum, tranſgreſſio talis vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam &c.* 24[...] *Reſp[...] tur a[...] mum* *S. Tho[...]*

Si

Digitized by Google

Si prorsùs idem ſignificant: *Promitto obedientiam ſecundùm Regulam*, &: *Promitto Regulam*; quomodo *in quibuſdam Religionibus cautiùs aliqui profitentur, non quidem Regulam, ſed, vivere ſecundùm Regulam*; & *in quibuſdam Religionibus adhuc cautiùs profitentur obedientiam ſecundùm Regulam?* Quæ, amabo, iſta cautela, & major cautela? Illa particula adverſativa, *ſed*, quid ad rem pertinet, ſi idem prorsùs ſignificant; *Profiteri Regulam*, &; *Profiteri vivere ſecundùm Regulam*, vel; *Profiteri obedientiam ſecundùm Regulam?*

241. [...]me[...] [...]ca[...] [...]m [...]lh. Quantùm ad Pont. Max. neque Nicolaus, neque Clemens, ſolicitus fuit de diſtinctione votorum ſolemnium à præceptis Regulæ, cùm nulla deſuper foret hæſitatio, ſed de diſtinctione inter Conſilia & præcepta Regulæ: ſic enim lego apud Nicolaum: *In primis quia (ſicut intelleximus) ab aliquibus hæſitatur, an FF. eiuſdem Ordinis tam ad conſilia, quàm ad præcepta Euangelii teneantur* &c. Hinc illa verba ſuprà allegata: *Quòd præcepta, ùt præcepta; & conſilia, ùt conſilia à promittentibus obſerventur.* Quæ veriſſima ſunt, nec repugnant noſtræ doctrinæ; quia non agunt de diſtinctione præceptorum à votis ſolemnibus; ſed de diſtinctione præceptorum à conſiliis, ùt nemo non videt, qui habet oculos apertos ad videndum.

Conſimiliter loquitur Clemens in Conc. Vienn. *In primis* (inquit) *ex eo, quòd in dicta Regula principio habetur:* Regula & vita FF. Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti Sanctum Euangelium obſervare, in obedientia vivendo &c. *Fuit hæſitatum, an Fratres eiuſdem Ordinis ad omnia tam præcepta, quàm conſilia Euangelii ex profeſſione ſua Regulæ teneantur* &c. Et ſic verum eſt, quòd voventes Minorum Regularem vitam, non ad univerſa, quæ in eorum Regula traduntur, eodem obligationis genere teneantur; ſed (ſicut loquitur Nicolaus) *Quod præcepta, ùt præcepta; & conſilia, ùt conſilia à promittentibus obſerventur.*

242. [...] Mi- [...] tenetur [...]præcepta, [...]ſilia & [...] eo [...]do, quo [...] Reg. tra- [...]tur, & [...]. Et infrà: *Ad omnia autem, quæ in ipſa Regula continentur, tam præcepta, quàm conſilia, quàm cætera ex voto profeſſionis huiuſmodi non aliter teneantur, quàm eo modo, quo in Regula ipſa traduntur, ùt ſcilicet teneantur ad eorum obſervantiam, quæ in eadem Regula ipſis ſub verbis obligatoriis indicuntur. Cæterorum verò obſervantiam, quæ ſub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis & inſtructoriis; ſeu quibuſcumque aliis continentur, eatenus magis condecet de bono & æquo eos proſequi, quò imitatores tanti Patris effecti, Chriſti ſemitas elegerunt.* In quibus verbis Pontifex expreſsè non meminit votorum ſolemnium, ſed præceptorum; (ad quorum obſervantiam tenentur FF. Minores ſub peccato mortali ex voto profeſſionis) & conſiliorum, ac cæterorum, quorum obſervantiam condecet de bono & æquo eos proſequi.

Oſtendat nunc Rodriguez, ubì vel Nicolaus vel Clemens aſſerat, vota ſolemnia obſervanda eſſe, ùt vota, & præcepta ſolùm ùt præcepta. Si autem hoc oſtendere non poſſit (ſicut reverà non poteſt) fateatur, præcepta aliquo modo eſſe vota ſolemnia; quia videlicet præcepta modificant vota ſolemnia (ùt loquitur Clemens ſuprà) adeòque F. Minor vovet obedientiam, caſtitatem & paupertatem, non nudè & abſolutè accepta; ſed ùt modificata per præcepta Regulæ: ergo & ipſa præcepta directè vovet, non ùt eſſentialia ſtatui Religioſo ſecundùm ſe, ſed ùt pertinentia ad ſtatum Religioſum Franciſcanum.

Igitur quæſtio eſt de nomine, an præcepta ſint vota ſolemnia; per quæ ordinariè intelliguntur tria vota eſſentialia ſtatui Religioſo ſecundùm ſe: & indubiè præcepta noſtra non ſunt talia vota ſolemnia, ſed modificationes iſtorum votorum. Sin autem per vota ſolemnia intelligas illa vota, quæ in ſolemni profeſſione emittuntur; dico tali ratione præcepta Regulæ noſtræ eſſe vota ſolemnia. 243. Præcepta Reg. noſtræ ſunt aliquo modo vota ſolemnia.

Atque in his diſpenſare poteſt Pontifex; immò etiam in illis, cùm ſæpiùs Pontifices diſpenſaverint cum Monachis, ut ducerent uxores; ùt videre eſt apud Suarium tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 16. n. 6. Non eſt autem credendum, Pontifices tam ſæpè illâ poteſtate eſſe uſos (præſertim cùm non tantùm ſit quæſtio, an liceat; ſed etiam; an factum teneat) niſi putaſſent probabiliùs, ſe illam poteſtatem à Chriſto accepiſſe. Ergo non mirum, ſi aliquando diſpenſaverint in præceptis noſtræ Regulæ, eſtò dicamus, ipſa eſſe aliquo pacto vota ſolemnia. In ipſis diſpenſare poteſt Pontifex, immò etiam in votis eſſentialibus. Suarez.

Planè (inquis) poteſt Papa diſpenſare in votis ſolemnibus; ſed non manente Monachatu, ſeu Monacho: nam (ùt habetur cap. *Cùm ad Monaſterium*. 6. de ſtatu Monachorum) *Abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeò eſt annexa Regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.* Jam autem in præceptis noſtræ Regulæ ita diſpenſat Pontifex, ut etiam maneat Monachus. 244. Objectio.

Reſpondeo; quidquid ſit de iſto jure (nam conſtat ex Bullis Pontificum, PP. Societatis conſtitui veros Religioſos per vota ſimplicia, poſt biennium emiſſa, quamvis retineant veram proprietatem & dominium ſuorum bonorum) exinde tantùm ſequi, præcepta Regulæ noſtræ non eſſe vota primaria ſeu ſubſtantialia, à quibus dependeat ſubſtantia ſeu eſſentia ſtatûs Religioſi, eo ſemper ſalvo, quòd ſint vota ſecundaria (ùt ſic dicam) ſeu modificantia vota illa primaria & eſſentialia omni ſtatui Religioſo. Solutio.

Ex quo patet; quare obedientia, paupertas & caſtitas ſpecialiter exprimantur in profeſſione, his verbis: *Vivendo in obedientia, ſine proprio & in caſtitate*; quamvis enim in ipſa Regula contineantur, ac proinde promittens abſolutè 245. Quare in profeſſione ſpecialiter exprimantur Obedientia, Pau-

 Regulæ

pertas & Caſtitas. Regulæ obſervantiam, etiam hoc ipſo promittat paupertatem, caſtitatem & obedientiam; attamen quia ſtrictior eſt obligatio horum votorum, & particulares quoſdam habent effectus, à quibus appellantur vota ſolemnia, v. g. inhabilitatem ad dominium, uſum, uſumfructum & poſſeſſionem bonorum temporalium; item inhabilitatem ad contrahendum matrimonium, item inhabilitatem ad contrahendam irrevocabilem obligationem civilem vel naturalem, per contractum vel quemcumque alium modum, abſque conſenſu Prælati: quos effectus (ùt patet) non habent alia præcepta Regulæ; hinc (ſicut dixi) ſpecialiter exprimuntur hiſce verbis: *Vivendo in obedientia, ſinè proprio, & in caſtitate.*

246. *Præter vota eſſentialia poſſe eſſe alia vota & præcepta, alicujus Reg. probatur ex Trident.* Profectò præter vota eſſentialia, alia eſſe alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, haùd obſcurè ſignificat Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Reg. c. 1. ibi: *Atque in primis, quæ ad ſuæ Profeſſionis perfectionem, ùt obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt, alicuius Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpectivè eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum & veſtitum conſervanda pertinentia, fideliter obſervent.* Ubì indubiè notat præcepta noſtræ Regulæ, cùm aliæ Regulæ non habeant præcepta obligantia ad mortale.

Nec obſtat; quòd videatur diſtinguere inter vota & præcepta; quia reverà diſtinctio eſt: non tamen hujuſmodi, quin præcepta ſimul poſſint eſſe vota, hoc eſt, quin unus & idem actus poſſit eſſe debitus ex voto, & ex præcepto. Quidni ergo peccaret duplici peccato, qui talem actum omitteret?

247. Sed redeamus ad Concil. Trident: *Omnis* (inquit) *cura & diligentia à Superioribus adhibeatur tam in Capitulis Generalibus & Provincialibus, quàm in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis* (ſcilicet votis eſſentialibus, & aliis peculiaribus votis & præceptis) *non recedatur; cùm compertum ſit, ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari: ſi enim ea, quæ baſes ſunt & fundamenta totius Regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.* Loquitur de baſibus & fundamentis Religionis non genericè, ſed ſpecificè; qualia fundamenta & baſes Seraphicæ Religionis indubiè ſunt præcepta formalia: quæ proinde putamus à Superioribus non poſſe relaxari, ſalvo primævo ſtatu Religionis Seraphicæ.

Præcepta formalia Reg. noſtræ non poſſunt à Superioribus relaxari.

Marchant. Hinc FF. Minores Conventuales (ùt notat Petrus Marchantius Expoſ. Litteral. in c. 1. Regulæ FF. Min. dub. 1. incident.) unum corpus ſeparatum faciunt inſtitutione Apoſtolicâ. Unde (inquit) & alia eis profeſſio eſt aſſignata, & aliud Caput ſub nomine Magiſtri Generalis. Et quamvis Magiſtri Generales teneantur, vi juris communis ſeu mandati Pontificii, petere confirmationem à Miniſtro Generali totius Ordinis; illam tamen jam à Summo Pontifice per præventionem inferioris poteſtatis poſtulant, velut totaliter à communi corpore ſeparati. Hæc ille.

Appoſitè D. Bonaventura Expoſ. Reg. FF. Minor. c. 12. *Quæritur* (inquit) *de præceptis Regulæ, quæ ſcilicet univerſaliter intelligenda ſunt præceptoriè imponi, & in quibus poſſunt Prælati Ordinis diſpenſare. Ad hoc reſpondeo, quòd regula iſta præceptis eſt plena, & (ùt puto) penè omnia in ea poſita, ſunt præcepta, ubi aliquod expreſſè additum ut monitionis vel exhortationis vocabulum vel conſimile aliud non declarat. Præceptorum autem iſtorum tria ſunt genera. In quibuſdam enim ponitur expreſſè præcipiendi verbum, ut præ cæteris commendentur; & illa ſic tranſeunt in votum, ut in nullo eorum ordo valeat diſpenſare.* Ergo etiam alia præcepta tranſeunt in votum, quamvis non ſic, quin in aliquibus Ordo valeat in caſu particulari diſpenſare. Dico; *In caſu particulari;* quia (ùt notat ibidem Doctor Seraphicus) *Nihil horum poteſt Ordo generaliter immutare.*

Dices cum Rodriguez ſuprà: Si Romanus Pontifex Moniali S. Claræ clauſuram remitteret, quam Moniales hujus inſtituti ſolemniter profitentur; eſſet procul dubio Monialis, non tamen inſtituti S. Claræ. At verò frequentiſſimè hactenus contigit Romanum Pontificem peculiari ac piâ quâdam diſpenſatione, quibuſdam Minorum Fratrum conceſſiſſe, ne ad aliqua ſuæ Regulæ præcepta, præterquam ad tria ſolemnia vota, teneantur. Nec tamen ob hanc conceſſionem ab inſtituto liberantur, & à Minorum obſervantia. Igitur hujuſmodi præcepta nequaquam ſolemnia vota ſunt nuncupanda.

Reſpondeo: Quidquid ſit de illis frequentiſſimis diſpenſationibus in omnibus præceptis Regulæ (exceptis tribus votis ſolemnibus) de quibus mihi non conſtat; dico, tales diſpenſatos procul dubio fuiſſe Religioſos, non tamen inſtituti S. Franciſci, magìs quàm S. Claræ Monialis, cum qua Pontifex diſpenſaret in clauſura, foret Monialis inſtituti S. Claræ. Et (ſicut anteà dixi) non laboro de ſolemnitate voti, quæ tantùm eſt aliquid accidentale; ſed de ſubſtantia voti, ex qua oritur obligatio Religionis: quam ſi Rodriguez mihi concesſerit, habeo quod intendo, quamquàm ab ipſius conceſſione veritas rei non dependeat.

Et ſanè habere poſſum illam obligationem, eſtò F. Minor directè & immediatè non voveat illos actus, qui præcipiuntur in Regula; quia ſaltem mediatè & indirectè eos vovet, quatenus ſunt materia obedientiæ, quam ſolemniter profitetur. Si enim actus, qui in Regula præcipiuntur, non ſunt materia obedientiæ; qui alii erunt? Num ampliùs obligor obedire Superiori præcipienti extra Regulam, quàm in Regula, vel per ipſam

Regu-

Regulam? Communis ſententia Theologorum eſt, obedientiam Religioſam obligare ad omnia, quæ continentur in Regula, vel quæ ad illius obſervationem neceſſaria aut valdè utilia ſunt.

Planè (inquis) quando per obedientiam præcipiuntur. Nihil (inquit Rodriguez ſuprà) tam certum in hac re apud Catholicos & omnes Sapientes, quàm neminem eſſe reum voti ſolemnis obedientiæ, niſi ea ſolùm quis prætermittat, quæ virtute obedientiæ, aut ſub Excommunicatione latæ ſententiæ ſibi à Prælato aut verbotenus, aut ſcripto præcipiuntur. Perlege (obſecro) univerſa Minorum Fratrum præcepta, & (uno dempto de Protectore Cardinali creando) nullum per obedientiam nobis traditum reperies in Regula. Hucuſque præfatus Auctor.

251. Sed quis crediderit, unicum & ultimum præceptum Regulæ de Protectore Cardinali creando, per obedientiam nobis traditum; reliqua autem 24. per poteſtatem tantùm juriſdictionis? Et (quæſo te) quæ ratio hujus diverſitatis? Nonne utriuſque juris argumenta nos docent, *Ea quæ in principio, ad medium & ad finem; illa verò quæ in medio, ad finem atque principium; & ea quæ in fine, ad utrumque, vel eorum alterum ſæpè referri?* Ita profectò Nicolaus III. in Declar. Reg. FF. Minorum Cap. *Exiit, qui ſeminat* 3. de Verb. ſig. in 6.

Quidni ergo obedientiam, quæ in fine ponitur, referre poſſim & debeam ad principium & medium? Quaſi diceret S. Franciſcus: *Omnia præcedentia mandavi vobis per obedientiam, & inſuper per obedientiam præcipio Miniſtris, ut petant à Domino Papa unum de S. R. E. Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector & Corrector iſtius Fraternitatis.*

252. Ut autem hoc bene intelligatur, Notandum, Prælatos alicujus Religionis duplici gaudere poteſtate; unâ juriſdictionis, alterâ dominativâ. Illa eſt poteſtas ſpiritualis pertinens ad Claves Eccleſiæ, quâ poteſt conſtituere leges propriè dictas, excommunicare & aliis pœnis Eccleſiaſticis cogere ſubditos ad obſervantiam Legum, & earum tranſgreſſores punire; qualem poteſtatem non habet Dominus in ſervum, aut Paterfamilias in Filiumfamilias: quamquam enim Dominus poſſit præcipere ſervo, & Paterfamilias Filiofamilias; haud equidem leges propriè dictas, id eſt, præcepta perpetua conſtituere, ſed tantùm præcepta perſonalia; neque poſſunt cogere ad obſervantiam ſuorum præceptorum, aut eorum tranſgreſſores punire pœnis extraordinariis, ſed moderatis dumtaxat, ſcilicet, quæ neceſſariæ ſunt, ut præcepta ſua obſerventur. Ampliùs aliquid facit Prælatus Religionis, ùt patet ex continuo uſu & praxi omnium Religionum.

253. Et ſi quæras, à quo accipiat illam ampliorem poteſtatem? Reſpondeo: à Pontifice, hoc ipſo, quò legitimè eſt electus & confirmatus. Quapropter Sixtus IV. memor illius communis dicti: *Per quas cauſas res aliqua naſcitur, per eaſdem etiam diſſolvitur*; limitavit hanc poteſtatem Prælatorum, Bullâ: *Circumſpecta Apoſtolicæ Sedis benignitas.* 26. apud Rodriguez, ibi: *Nos igitur, qui Fidelium animarum, diſpendiis libenter obviamus, eorumq́; ſalutem ſinceris deſideriis exoptamus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium ſtatuimus atque decernimus, quòd Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani & Fratres dicti Ordinis præſentes, & qui pro tempore fuerint, ex ſtatutis ſeu conſuetudinibus vel declarationibus dicti Ordinis præter Regulam quomodolibet & à quibuſcumque editis, etiam confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, illis contrafaciendo, nullâ Eccleſiaſticâ cenſurâ, nulloq́; mortalis peccati vinculo ligari valeant; nec cenſuras, nec pœnas, ſeu mortale peccatum huiuſmodi incurrant, niſi tales eſſent caſus vel exceſſus, qui divinâ lege ſeu præcepto Romanæ Eccleſiæ meritò inducerent ad mortale; cenſuras & pœnas taliter latas harum ſerie revocantes & annullantes, illaſq́; ad vim comminationis, pœnarum comminatoriarum & ferendarum, ſeu corporales & temporales, pœnas prædictas per Generalem Miniſtrum, Cuſtodes, Guardianos &. alios Prælatos ipſius Ordinis ferendas & infligendas, reducentes. Quòdq́; Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani & alii ipſius Ordinis Prælati prædicti, temporales ſeu alias pœnas pro non obſervatione dictorum ſtatutorum, ſecundùm qualitatem perſonarum, locorum & temporum, & alias, prout videbitur ſaluti animarum Fratrum eorumdem in Domino expedire, ferre & promulgare, ac delinquentes ab illis abſolvere valeant.* Juriſdictionis accipit à Pontifice. Hanc poteſtatem limitavit Sixtus IV.

Præter hanc poteſtatem juriſdictionis; alia competit poteſtas Prælatis Religionis, quam Theologi appellant poteſtatem dominativam; quæ eſt jus quoddam acquiſitum Religioni & Prælatis ejus, mediante voto, ad imperandum Religioſis, & utendum operibus eorum, prout conveniens judicaverint; ſicut eſt jus, quod habet Dominus in ſervum, & Paterfamilias in Filiumfamilias, & alios domeſticos. Atque per iſtam poteſtatem applicat ſubdito certam materiam, quâ applicatâ reſultat in Religioſo obligatio reſpectu Dei, implendi ſeu ponendi talem materiam: veluti ſi quis voveret omni pauperi petenti eleemoſynam dare, paupere petente reſultat obligatio ex voto priùs emiſſo. Enimverò promittit Religioſus Deo, obedire Prælato: unde illa promiſſio habet Deum pro immediato termino promiſſionis; Prælatum verò pro proximo termino obedientiæ exhibendæ. Hoc prænotato: 254. Quid ſit poteſtas dominativa.

Aſſero I. omnia præcepta Regulæ noſtræ in primis eſſe leges propriè dictas: quid enim illis deeſt? Non communitas, non perpetuitas, non obligatio, non intimatio; quæ omnia clariora ſunt & certiora, quàm ut indigeant pro- 255. Omnia præcepta Reg. noſtræ ſunt leges propriè dictæ.

probatione. Solùm ſubſcribo verba Doctoris Seraphici ſuprà: *Nec in ſpeciali ampliùs diffinio, niſi ut omnia Regulæ verba cum reverentia recipiantur, & ipſorum tranſgreſſio penitus devitetur, cùm certum ſit Regulam pro lege dari. Nec aliquis à lege avertitur, quin ad tenebras convertatur.*

Igitur tranſgrediens præceptum Regulæ peccat contra virtutem, in cujus materia, & ex cujus motivo præcipitur, eodem modo, quo peccat, qui tranſgreditur leges Pontificias aut Epiſcopales.

256. F. Minor peccat ſpeciali peccato contra virtutem paupertatis.

Hinc F. Minor proprietarius, etiam ſeclusâ malitiâ furti, peccat ſpeciali peccato contra virtutem paupertatis, in cujus materia, & ex cujus motivo præcipitur omnibus per Regulam cap. 6. in principio, ut *Nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Quòd hæc prohibitio ſive inhibitio appropriationis alicujus rei, ſit in materia paupertatis, nimis manifeſtum eſt: quòd etiam procedat ex motivo paupertatis, conſtat ex hiſce verbis ejuſdem capitis: *Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos hæredes & reges regni cœlorum inſtituit; pauperes rebus fecit, virtutibus autem ſublimavit.*

Hanc præ cæteris virtutibus S. P. N. Franciſcus ſemper dilexit, & ſuos imitatores diligere voluit; ùt patet ex verbis ſequentibus: *Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui dilectiſſimi Fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine D. N. Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cœlo habere velitis.* Quis ergo adhuc dubitet, iſtam inhibitionem factam fuiſſe ex motivo paupertatis? Cur ergo proprietarius non peccet contra paupertatem, non ſolùm promiſſam, ſed etiam per poteſtatem juriſdictionis ſibi præceptam; ſicuti non jejunans feriâ 6. peccat contra temperantiam; & ſicuti peccaret contra paupertatem, ſi Deus ipſi prohiberet illam appropriationem?

257. Omnia præcepta Reg. noſtræ tradita ſunt per obedientiam. Sanchez.

Aſſero II. omnia præcepta Regulæ noſtræ tradita eſſe per obedientiam; & ideo tranſgreſſionem eſſe peccatum contra votum obedientiæ. Pro quo nota ex Sanchez in Decal. l. 4. c. 11. n. 25. Superiorem utrâque ſuâ poteſtate uti, quando aliquid præcipit in virtute obedientiæ, & ſub pœna Excommunicationis: quia tunc per virtutem obedientiæ exigit obedientiam ſibi voto debitam; per pœnam autem (quam ùt ſolus Prælatus Eccleſiaſticus imponere poteſt) exigit obedientiam ùt Prælatis talibus debitam. Si autem ſolùm præcipiat in virtute obedientiæ, vel abſolutè præceptum imponat; videtur ſolùm uti poteſtate dominativâ, id eſt, ortâ ex voto: quia cùm non conſtet intentionem Superioris eſſe utroque modo præcipere; non ſtrictiùs, ſed favorabiliùs in dubio judicandum eſt: & cùm exigat in virtute obedientiæ, denotat clarè, obedientiam ex voto debitam ſe exigere. Atque idem, quando abſolutè præcipit, dicendum eſt: quia cùm obedientia potiſſimè ipſi debita, conſurgat ex voto; dum abſolutè præcipit, eam cenſetur exigere. Si autem ſolùm præcipiat ſub pœna Excommunicationis; dicendum eſt à ſola poteſtate Eccleſiaſtica id præceptum conſurgere, ut benignior interpretatio capiatur. Hæc ille.

Quæ ſi vera ſunt (ùt puto) probant luculenter meam Aſſertionem: nam præcepta Regulæ vel expreſsè per obedientiam traduntur, vel abſolutè & ſimpliciter. Et cùm aliunde ſint præcepta perpetua; illa autem, quæ per ſolam obedientiam præcipiuntur, tantùm obligent ad vitam præcipientis, vel aliud tempus; neceſſe eſt, condita fuiſſe per poteſtatem legiſlativam ſive juriſdictionis. Prol

Ex quo evidenter infertur, F. Minorem, quoties præceptum Regulæ transgreditur, committere duplex peccatum, unum contra votum, alterum contra obedientiam in tali materia (ùt Aliqui volunt) vel contra virtutem, in cujus materia, & ex cujus motivo præcipitur. Ergo *Franciſcanus frangens ieiunium in Quadrageſima, peccat dupliciter*; quæ eſt tertia pars noſtræ Concluſionis.

Sed nunquid ex ea bene infertur quarta pars Concluſionis, videlicet: *Quilibet Religioſus poteſt peccare duplici peccato contra præceptum ſui Prælati?* Reſpondeo affirmativè. Non dico, quòd ſemper peccet, ſed quòd poſſit peccare; quia poteſt Prælatus in præcipiendo uti tam poteſtate juriſdictionis, quàm dominativâ: quòd ſi utatur, exiſtimo Religioſum inobedientem peccare duplici peccato; ſecùs, ſi tantùm alterutrâ poteſtate. Ita docet Sanchez ſup. 25[8]. Proba[tur] ultim[a] Concl[uſio]. Sanch[ez].

At verò Arriaga tom. 3. tract. de Vitiis & Peccatis diſp. 41. poſtquam n. 28. docuiſſet, eum, qui votum fecit parendi Pontifici, Epiſcopo, Imperatori &c. ſi non obediat, dupliciter peccare & contra votum, & contra vim quam habebat Superior ad imperandum; n. 29. reſpondet, Religioſum non obedientem ſuo Superiori, unum tantùm committere peccatum, ſcilicet contra votum: Nam (inquit) ſolo Religioſi voto eſt Superior, quicumque in Religione Superior eſt: etenim voto ceſſante, non ſunt jam ampliùs Superiores. At Pontifex, Epiſcopus, Imperator, Rex &c. ſunt Superiores independenter à voto; ideoque habent diverſum jus imperandi ab eo, quod poſtea ex voto acquirunt. Oppoſ[itum] docet [Ar]riaga.

Verùm non placet hæc doctrina: nam reverâ Superior Religionis habet juriſdictionem diſtinctam à voto, eamque conceſſam à Summo Pontifice, per quam poteſt ferre leges propriè dictas, excommunicare &c. ùt patet ex dictis: per accidens autem ſe habet, quòd ea juriſdictio non priùs intret, quàm votum emittatur; quemadmodùm habitatio in tali vel tali loco, per accidens ſe habet ad juriſdictionem Epiſcopalem, quæ immediatè confertur 259. Rejicitur ab Auct[ore].

Digitized by Google

fertur Epiſcopo à Pontifice in omnes ibi habitantes; quamvis ceſſante illâ habitatione, ceſſet juriſdictio. Alioquin ille, cui extra Religionem voveo obedientiam, haberet eandem poteſtatem in me, quam habet Superior Religionis; quod conſtat perſpicuè eſſe falſum.

Nonne ab omnibus Theologis affirmatur, Superiorem Religionis in ſuos ſubditos, exemptos à juriſdictione Epiſcopi, habere poteſtatem quaſi Epiſcopalem? Ergo non ſolam poteſtatem ortam ex voto, cùm nullus dicat, illum, cui extra Religionem voveo obedientiam, habere in me poteſtatem quaſi Epiſcopalem; qui tamen habet poteſtatem ortam ex voto. Ergo Superior, præter hanc poteſtatem, habet à Pontifice veram juriſdictionem in omnes ſibi ſubditos per ſolemnem profeſſionem; ſicut Epiſcopus habet à Pontifice veram juriſdictionem in omnes ſibi ſubditos per habitationem in tali loco.

Adhuc dubitas? Sanè ſi votum eſt cauſa per ſe illius juriſdictionis; ergo eo ipſo quò eſt votum, eſt talis juriſdictio, & manente voto ſemper manet juriſdictio in illo, qui ſemel eam habuit. Jam autem ſole meridiano clarius eſt, eum, qui habuit juriſdictionem tempore emiſſi voti, voto permanente poſſe privari ſuâ juriſdictione, & ſæpiſſimè privari, hoc ipſo videlicet, quo deſinit eſſe Superior. Similiter poteſt quis vovere in manibus ſolius Pontificis, qui pro tunc non habet Superiorem in Religione, ſuppoſito quòd nullus ſit conſtitutus à Pontifice; & tamen votum eſt validum, & ipſe eſt verus Religioſus: ergo votum per ſe non dat juriſdictionem Superiori, ſed illam accipit à Pontifice, quamvis ſolùm in illos, qui tale votum emiſerunt; adeoque votum eſt conditio ſinè qua non, minimè cauſa per ſe.

260. Objicit ſibiipſi Arriaga n. 15. Si Religioſus accipiat ſinè licentia rem alicujus valoris, peccat contra juſtitiam, & contra votum; & tamen tunc ea incapacitas recipiendi ſolùm oritur à voto. Idem faciliùs urgebitur in caſtitate, ſi Religioſus accipiat uxorem, & ad eam accedat; duo peccata committit: ergo idem erit in obedientia.

Reſpondet Neg. Antec. in puncto juſtitiæ; ſolùm enim peccabit contra votum: quòd ſi donet rem alteri, tunc fatetur fore duplex peccatum, quia non erat dominus ejus rei; quæ carentia dominii eſt quid moraliter diſtinctum à voto. Eodem modo, quia Religioſus non eſt capax verum contrahendi matrimonium, duplex ibi peccatum committeret: hoc autem non reperitur in obedientia; ſolùm enim contra votum tunc agitur. Ita ille.

261. Sed hoc eſt, quod quæritur: nam ſecundùm hunc Auctorem, ſicuti ex voto caſtitatis ſolemni oritur inhabilitas ad matrimonium, & ex voto ſolemni paupertatis incapacitas dominii; ita ex voto ſolemni obedientiæ oritur juriſdictio Prælati, & per conſequens ſubjectio Religioſi, hæc autem ſubjectio cur non erit moraliter diſtincta à voto, veluti carentia ſeu incapacitas dominii, & impotentia ad matrimonium moraliter ſunt diſtincta à voto, licèt ab eo dependeant?

Reſpondet Arriaga; carentiam dominii, & impotentiam contrahendi matrimonium, eſſe ſolemnitates diſtinctas, annexas ab Eccleſia voto ſolemni Religioſo: unde per accidens inducere poſſunt diſtinctam obligationem à voto; at in puncto obedientiæ (inquit ille) nihil video diſtinctum, quod me obliget ad obediendum, niſi ipſum votum. Reſponſio Arriagæ.

Sed quid mirum, ſi non videas, qui in hoc habes oculos clauſos. Aperi oculos, & videbis juriſdictionem, à Pontifice ſpecialiter conceſſam Superioribus Religionum, quâ paſſim utuntur condendo leges, excommunicando, &c. Et verò ceſſante voto caſtitatis, nonne ceſſit impedimentum dirimens matrimonium contractum, & ceſſante voto paupertatis, ceſſat incapacitas dominii? Eo tamen non obſtante intelligitur per votum caſtitatis, & per votum paupertatis inducta nova obligatio, diſtincta ab ipſis votis; pari ergo ratione, tametſi ſublato voto obedientiæ, ſimul auferatur poteſtas juriſdictionis à Superiore; nihilominùs intelligitur per votum obedientiæ inducta nova obligatio, ab ipſo voto diſtincta: non quòd illa vota ſint cauſa per ſe iſtarum obligationum; ſed quia Eccleſia illis votis annexuit tales obligationes. Rejicitur.

Dices cum Arriaga n. 16. Quamvis fortè in rebus, quas Papa omnibus non Religioſis mandare poteſt, & Ordinarius loci cuilibet Chriſtiano ſæculari, poſſit etiam Superior obligare Religioſum titulo voti & juriſdictionis: at univerſaliter in omnibus aliis rebus, quæ ſolam Religionem concernunt, non crediderim duas eſſe obligationes graves obediendi, ſed unam tantùm ex voto; quia nec Pontifex, nec ullus alius dedit illi juriſdictionem, niſi eam, quam in cæteros habent Epiſcopi: hæc autem non extenditur ad omnia, quæ in Religione mandari poſſunt. Ergo univerſaliter non erit duplex malitia in ea inobedientia. Hæc ille; aperiens unum oculum, quo vidit poteſtatem juriſdictionis reſpectu aliquarum rerum, quam anteà generaliter negaverat. 262. Objectio ex Arriaga.

Nec dubito, quin ſi utrumque aperuiſſet, vidiſſet eam in omnibus rebus, quæ ſpectant ad bonum Religioſorum, niſi aliunde ſint reſervatæ Pontifici, aut alteri Superiori.

Fateor: nec Pontifex, nec ullus alius dedit Superiori Religionis juriſdictionem, niſi eam, quam in cæteros habent Epiſcopi: quid tum? Nonne Epiſcopus habet poteſtatem univerſalem in omnibus, quæ ſpectant ad bonum 263. Solvitur.

Digitized by Google

ſuorum ſubditorum, niſi per Pontificem fuerit reſtricta? Prorsùs habet: ergo ſimiliter Superior Religionis reſpectu ſuorum Religioſorum.

Interim quia non ſemper expedit bono communi, quòd Superior Religionis utatur duplici poteſtate; hinc ſæpè Religioſus peccat ſolùm unico peccato contra præceptum ſui Prælati: poſſet tamen peccare duplici peccato (ùt habet ultima pars Concluſionis) ſi videlicet Superior rationabiliter utatur duplici poteſtate, præcipiendo v.g. per obedientiam, & ſub pœna Excommunicationis. Atque hìc limes erit præſentis Concluſionis.

264. Aliæ differentiæ objectivæ. Subjicio alias differentias objectivas, & quæro, an ſint ſpecificæ & exprimendæ in Confeſſione; an verò ſolùm materiales, adeoque non exprimendæ. Et primò quidem dubitari ſolet de peccato odii, an in eo ſit declarandum malum proximo deſideratum; an verò ſufficiat dicere: *Ex odio deſideravi proximo grave malum*, non ſpecificando an mortem, infamiam vel paupertatem &c. Dubitatur ſecundò de contumeliis & detractionibus, an earum materiæ in particulari debeant explicari, v. g. quòd appellaſti eum furem vel hæreticum &c. Dubitatur tertiò de peccato jactantiæ, an explicari debeat peccatum, de quo aliquis ſe jactavit. Dubitatur quartò, an oporteat declarare qualitatem blaſphemiæ. Denique dubitatur de peccato hæreſis, an ſufficiat ſimpliciter confiteri hæreſim, non explicando articulum negatum; nec an fuerit Calviniana vel Ariana &c. Reſpondeo ad duo priora dubia:

CONCLUSIO XIII.

In Confeſſione non ſemper debet explicari malum proximo deſideratum ex odio: neque qualitas contumeliæ aut detractionis.

265. Quid ſit odium inimicitiæ. ODium inimicitiæ (de quo loquitur Concluſio) eſt actus inefficax voluntatis, quo alicui malum præcisè quà tale appetitur. Quæris, quid importet ly *præcisè?* Reſpondeo: carentiam ulterioris finis boni. Quippe de Deo ſcriptum reperimus Sap. 11. v. 25. (Sap. 11.) *Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti.* Et tamen peccatoribus vult æternam damnationem, niſi reſipiſcant & agant pœnitentiam de viis ſuis peſſimis. Porrò æternam damnationem quis ambigit eſſe malum?

Similiter Judex humanus infligit juſtam pœnam malefactoribus, etiam quatenus malum eſt: & tamen fieri poteſt, ut eos intimè diligat, & propterea doleat, quòd ipſis debeat pœnam infligere. Sic pater caſtigat filium, volens ei verbera quatenus dolorifera: & tamen eodem actu eum amat; quia hâc ratione intendit majus bonum ipſius, quàm ſit malum, quod ei infligit. Hinc Apoſt. Hebr. 12. v. 6. *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Heb

Igitur odium inimicitiæ opponitur directè amori amicitiæ: ſicuti enim per hunc amorem volumus alteri bonum, quatenus præcisè illi bonum eſt, ſinè reſpectu ad aliud commodum indè proveniens; ita per odium inimicitiæ opto alteri malum, præcisè quà tale eſt; ſinè reſpectu ad aliquod commodum indè proveniens; ſolùm quatenus hoc, quod eſt proximo malum, apprehendimus tanquam immediatum noſtrum bonum. Quapropter objectum formale odii, non eſt malum materialiter & formaliter, ſive ſub ratione mali; ſed malum materialiter, ſub ratione formali boni, non proximo, ſed odienti. Ita communiter DD. (Opp. directè amori amicitiæ.)

Sed paulò aliter noſter Felix de Beatitud. c. 4. diff. 1. nu. 18. Licèt (inquit) verum eſſet, me non poſſe velle alicui malum, niſi quia eſt mihi bonum & commodum, tamen non ſequitur, quòd ratio proxima & immediata volendi malum alteri, ſit propria convenientia; ſed tantùm ſequitur, quòd ſit origo & radicalis cauſa: nam proximè volo malum reduplicativè & formaliter, ùt malum illius eſt; & talis actus volitionis, terminatur & ſpecificatur ex illo malo ùt tali, non verò ex meo commodo: ergo talis actus proximè & formaliter ad malum terminatur. (26. Expl. Felic.)

Quod ſic explico: ego volo meam famam, & quia Petrus me læſit in fama, odio inimicitiæ nolo Petrum, & volo illi malum; & quamvis odium oriatur ex amore propriæ famæ, inveniuntur tres actus diverſi. Primus eſt: Volo meam famam. Secundus: Nolo Petrum. Tertius: Volo illi malum. Et patet eſſe diverſos, quia objecta ſunt diverſa. Ergo hic actus concupiſcentiæ: Volo Petro malum, formaliter & immediatè terminatur ad malum, licèt originativè oriatur ab amore meæ famæ, & à nolitione Petri. Hucuſque Felix; non adeò infeliciter.

Cui ſi objicias ex Ariſtotele: *Bonum eſt, quod omnia appetunt.* Et ex Dionyſio c. 4. de Div. Nom. *Nemo intendens ad malum, operatur.* Diſtinguit: affectione commodi & voluntate rectâ, concedit; affectione juſtitiæ & voluntate depravatâ, negat. (26. cui ob. tus A. teles. Diony.)

De hac duplici affectione ita diſcurrit Doctor Subtilis 3. diſt. 26. q. 1. n. 17. *Secundùm Anſelmum de Caſu diabol. 14. & de Concord. c. 19. in voluntate ſunt duæ affectiones, ſcilicet juſtitiæ & commodi: nobilior autem eſt affectio juſtitiæ, non ſolùm* (Duplex affectio voluntatis juſtitiæ & commodi ſecundum Scotum & D. Anſ.)

Digitized by Google

ſolùm intelligendo de acquiſita & de infuſa; ſed etiam de innata, quæ eſt libertas ingenita, ſecundùm quam aliquis poteſt velle aliquod bonum, non in ordine ad ſe. Secundùm autem affectionem commodi non poteſt velle, niſi in ordine ad ſe; & hanc haberet, ſi eſſet præcisè appetitus intellectivus ſinè libertate ſequente cognitionem intellectivam, ſicut appetitus ſenſitivus ſequitur cognitionem ſenſitivam.

268. Hæc ſatis de natura ſeu eſſentia peccati odii. Quâ ſuppoſitâ; Probatur prima Pars Concluſionis: quia odium non deſumit ſuam ſpeciem ab aliquo determinato malo, ſed à malo in genere: ergo affectus inefficax voluntatis, quo deſidero proximo mortem, quà præcisè eſt malum ipſius, non diſtinguitur ſpecie morali ab illo actu, quo eidem vel alteri appeto inefficaciter infamiam, quà præcisè eſt malum ipſius: ergo illa mala ſpecifica non ſunt declaranda in Confeſſione; ſed ſufficit dicere: *Ex odio deſideravi grave malum proximo*; ſic enim ſufficienter explicatur ſpecies & numerus peccati. Ita probabiliter docet Lugo diſp. 16. nu. 260. cum Aliis, quos citat.

269. Oppoſitum docet Suarius diſp. 6. de Charitate, ſect. 2. Coninck ibidem diſput. 29. dub. 3. n. 61. & Alii, quorum ſententia etiam eſt probabilis, & à Multis practicatur: neque immeritò; quia ſæpiùs peccato odii conjungitur affectus efficax illorum malorum, aut ſaltem moroſa in illis (etiam ſecundùm ſpeciem conſideratis) delectatio. Noſtra Concluſio loquitur de peccato odii ſecundùm ſe, ùt diſtinguitur ab injuſtitia & aliis peccatis, quæ per accidens ſubinde connectuntur.

Appoſitè Doctor Angelicus 2. 2. q. 30. a. 4. *Ad ſecundum dicendum, quòd ſicut omnia beneficia proximo exhibita, in quantum conſiderantur ſub communi ratione boni, reducuntur ad amorem; ita omnia nocumenta, in quantùm conſiderantur ſecundùm communem rationem mali, reducuntur ad odium. Prout autem conſiderantur ſecundùm aliquas ſpeciales rationes boni vel mali, reducuntur ad aliquas ſpeciales virtutes vel vitia: & ſecundùm hoc etiam ſunt diverſa beneficiorum ſpecies. Per conſequens etiam diverſa nocumentorum ſpecies.*

270. Si inferas: Ergo etiam diverſæ ſpecies odiorum, ſecundùm diverſitatem ſpecificam nocumentorum, negatur Conſequentia; alioquin etiam deberent eſſe diverſæ ſpecies amorum, ſecundùm diverſitatem ſpecificam beneficiorum; quas tamen diverſas ſpecies amorum nemo aſſignat: idque quia amor non vult proximo bonum ſecundùm aliquam ſpecialem rationem boni, ſed ſecundùm communem rationem boni; & in illa communi ratione ſiſtit, relinquens ſpeciales rationes boni aliis virtutibus inferioribus.

Scio D. Thomam hìc agere de virtutibus ſive habitibus virtuoſis; & ſcio, quòd eidem virtuti ſeu habitui virtuoſo opponantur diverſa ſpecie peccata (ùt alibi in hac Sectione diffuſiùs demonſtravimus) ſed etiam non ignoro, illam diverſitatem ſpecificam peccatorum, deſumendam eſſe ex diverſa rectitudine actuali, aut diverſo modo privandi eâdem rectitudine habituali. Sicut ergo non eſt alius ſpecie morali actus amoris, quo ſimpliciter deſidero proximo meo vitam corporalem, ab actu amoris, quo ſimpliciter eidem deſidero bonam famam & æſtimationem; ita quoque non eſt alius ſpecie morali actus odii, quo ſimpliciter deſidero proximo meo mortem corporalem, ab actu odii, quo ſimpliciter deſidero ejus infamiam.

Et ratio eſt: quia ſicut amor, quatenus eſt virtus ſpecialis, non conſiderat illa bona particularia, ſecundùm ſuam ſpeciem; ſed illam conſiderationem relinquit aliis virtutibus inferioribus: conſimiliter odium, quatenus eſt vitium aliquod ſpeciale, non conſiderat illa mala particularia, ſecundùm ſuam ſpeciem, ſed illam conſiderationem relinquit aliis vitiis inferioribus. 271. *Amor quatenus eſt virtus ſpecialis non conſiderat bona particularia ſecundùm ſuam ſpeciem.*

Rogas, quomodo ergo conſideret illa mala particularia? Reſponſio patet ex dictis, ſcilicet, ea conſiderare ſub communi ratione mali, quemadmodum amor conſiderat illa bona particularia, ſub communi ratione boni.

Rogas iterum, quo pacto odium proximi ſit ſpeciale vitium, ſi ejus objectum eſt malum in genere, & non aliquod malum ſpeciale, cùm genus non ſit præter ſuas ſpecies, nec poſſit inveniri odium proximi, ſeparatum ab aliis vitiis; nam quicumque deſiderat alicui malum, deſiderat ei aliquod malum?

Reſpondeo: Quamvis non poſſit reperiri in rerum natura ratio generis præter ſuas ſpecies; poteſt tamen inveniri in rerum natura actus animæ, terminatus ad rationem generis, & non terminatus ad aliquam ſpeciem; ùt patet in intellectu, cùm intelligitur animal in communi: & ſimiliter in voluntate, quæ tendit in bonum vel malum intellectum. Poteſt ſiquidem terminare actum ſuum ad rationem communem, non terminando eum ad ſpeciales. Et hoc modo voluntas vult malum alicui. 272. *Quo pacto odium ſit ſpeciale vitium.*

Nec eſt verum, quòd non poſſit ſeparatum hoc vitium ab aliis inveniri: cùm enim quis proximo ſuo deſiderat, ut habeat malum; vel cùm deſiderat, ut habeat omne malum, non deſcendendo ad tale vel tale; ſolo odii peccato inquinatur. Conſtat autem hæc poſſe accidere. Ita Cajetanus 2. 2. q. 34. a. 6. *Caietanus.*

Qui tamen ibidem admittit, interiora deſideria diverſorum malorum, eſſe ſpecie diſtincta. Sic enim ait: Tertium autem conſentaneum eſt, ut ſcilicet vitium odii imperet actus interioris deſiderii reſpectu talium malorum; ſicut imperat quandoque actus exteriores reſpectu eorumdem malorum; ita quòd, ſicut aliquis ex odio detrahit, vel contumeliatur, vel occidit, vel rapit, vel aliquid hujuſmodi 273. *Sententia Caietani.*

Digitized by Google

hujuſmodi facit; ita aliquis ex odio deſiderat proximi infamiam, vel dehonorationem, vel mortem, vel perditionem bonorum &c. Et ſicut odium cum opere unum conſtituit peccatum multarum deformitatum; ita & odium cum deſiderio talis mali unum conſtituit plurium deformitatum peccatum.

Ut ſcias autem aſſignare unicuique deſiderio ſuam ſpeciem; non vageris per novas ſpecies vitiorum, ſed memento illius Regulæ: *Eiuſdem virtutis vel vitii eſt, velle aliquid, & facere illud.* Et ratio eſt: quia actus exterior & interior reſpectu ejuſdem objecti, non requirunt diverſas virtutes aut vitia. Et propterea ad illud vitium ſpectat velle mortem, ad quod ſpectat facere mortem; quod conſtat eſſe homicidium. Et ſimiliter ad illud, velle infamiam, ad quod ſpectat facere eandem; quod conſtat eſſe detractionem: & ſic de aliis. Hactenus Cajetanus.

274. *quam Auctor approbat, ſi per deſiderium intelligat voluntatem efficacem.*

Rectè quidem, ſi per deſiderium intelligat voluntatem efficacem, quæ ſubinde, immo fortè ſæpiùs, imperatur (ùt ſuprà notavi) ab odio; & indubiè in Confeſſione explicanda eſt. Sin autem per deſiderium accipiat quamcumque voluntatem, etiam inefficacem & ſimplicem complacentiam; haùd equidem aſſentior iſti Regulæ: *Eiuſdem virtutis vel vitii eſt, velle aliquid, & facere illud.* Exiſtimo quippe, com-

Voluntas efficax contrahit omnem malitiam objecti,

placentiam, ſeu voluntatem efficacem contrahere omnem malitiam, quæ eſt in objecto; at verò ſimplicem complacentiam ſeu voluntatem inefficacem contrahere malitiam ſolius objecti formalis.

Ratio eſt: quia cùm voluntas efficax ponat opus à parte rei, neceſſariò vult virtualiter & interpretativè omnes circumſtantias illius operis, & omnem malitiam, quam hìc & nunc habet illud opus, ſive per mentem aliqua præſcindatur, ſive non: illa ſiquidem præſciſſio impertinens eſt, ut opus externum habeat vel

Simplex complacentia illam ſolam, quæ proponitur per intellectum.

non habeat aliquam malitiam. At verò ſimplex complacentia, cùm non verſetur circa opus externum, ùt finem & terminum ejus, id eſt, ùt per ipſam efficiendum; ſed ſolùm circa opus externum, ùt proponitur per intellectum; ſi in objecto nulla proponatur malitia, nullam contrahet: ſi una proponatur, & non alia; illam contrahet, hanc verò minimè. V. g. aliquis complacet ſibi inefficaciter in copula carnali cum perſona conjugata, conſanguinea, Religioſa; ſi per intellectum proponatur ſola malitia fornicationis, hanc dumtaxat contrahet illa complacentia: ſi etiam proponatur malitia injuſtitiæ, & iſtam habebit; & ſic de cæteris malitiis, quæ in illo actu externo inveniuntur, ùt latiùs dicam infrà, ubi de delectatione moroſa.

Peccatum odii pro objecto formali non

Cùm ergo peccatum odii quà tale, pro objecto formali, non reſpiciat hanc vel illam malitiam in particulari, v. g. malitiam homicidii vel detractionis &c. ſed velit mortem, quà præcisè malum aliquod eſt: ſimiliter infamiam, & ſic de aliis; conſtat, quia non opponitur juſtitiæ, ſed ſoli Charitati: neque contrahit malitiam homicidii aut detractionis, à qua non movetur voluntas; ſed ſolam malitiam odii, quæ ſola proponitur voluntati, & à qua ſola voluntas movetur.

reſpi[...] litiam [...]iculi[...]

27[...] *Rati[...] oi op[...] ſente[...] ex A[...]*

Ex quo corruit ratio à priori oppoſitæ ſententiæ, quam adfert Arriaga de Pœnit. diſp. 32. nu. 33. hiſce verbis: Quia illud deſiderium ſuo modo participat rationem malitiæ, quæ eſt in objecto, ſicut voluntas efficax: atqui efficax diverſificatur; ergo etiam deſiderium. Et urgeo (inquit) ad hominem ex Cardin. Lug. nam expreſsè paulò inferiùs n. 376. agens de delectationibus moroſis, habet hæc formalia verba: *Dico itaq; breviter, delectationem, ſicut & deſiderium, malitiam accipere ex malitia ſui objecti.* Rationem à priori reddit n. 378. quia quando per delectationem & gaudium & deſiderium non ſeparat voluntas rationem mali ab objecto, approbat & amplectitur illud per affectum; & hinc ſequentibus numeris colligit, diverſa peccata eſſe, & debere in Confeſſione explicari delectationem de copula cum conjugata, à delectatione in copula ſimplici &c. niſi mente ſeparentur illæ circumſtantiæ ab illo actu. Hinc autem evidenter infertur, idem in præſenti de deſiderio diverſorum malorum proximi dicendum eſſe: jam enim ſupponimus in eo deſiderio non ſeparari eas malitias ſpeciales. Hactenus Arriaga.

27[...] *Reſ[...]*

Sed ille bonus Pater ſupponit manifeſtè falſum: & ideo non mirum, ſi falsò urgeat ad hominem ex Card. Lug. Enimverò fatetur Eminent. n. 261. illos affectus, quibus deſideratur proximo infamia vel mors, quatenus talia mala ſunt, differre ſpecie phyſicâ inter ſe, propter diverſitatem objecti formalis partialis, nempe mali voliti: cum hoc tamen (inquit) ſtare poteſt, quòd de facto affectus odii, quibus deſiderantur ea mala, non differant ſpecie morali: quia licèt mala illa ſint valde diverſa, & ſufficerent, ad ſpecificandas diverſas virtutes & vitia, ſi deſiderarentur ùt talia ſunt; in noſtro tamen caſu non ſufficiunt, quia non deſiderantur nec attenduntur quatenus talia ſunt, ſed quatenus ſunt malum proximi, cui deſideratur paupertas ex odio, quà malum ejus eſt; ſub qua etiam ratione deſideratur infamia, ægritudo, mors &c. Cùm ergo differentia talis mali materialiter ſe habeat in ordine ad odium; non mirum, quòd in ratione peccati non ſpecificetur à differentia ſpecifica talis mali, ſed à ratione communi mali, quam formaliter intendit. Hucuſque Lugo; luculenter & expreſſis verbis docens, in eo deſiderio ſeparari eas malitias ſpeciales.

Et ideo nihil ſibiipſi contrarium docet, quando

quando agens de delectationibus moroſis, habet hæc formalia verba: *Dico itaque breviter, delectationem, ſicut & deſiderium, malitiam accipere ex malitia ſui objecti.* Intellige, objecti formalis; quæ eſt doctrina ſatis communis, & probat Concluſionem noſtram (ùt patet ex dictis) quia videlicet objectum formale odii idem eſt ſpecie, tametſi mala, quæ ex odio deſiderantur, ſint ſpecie diverſiſſima.

Igitur odium diſtinguitur ſpecie ab injuſtitia interiore; quia odium dicit affectum inefficacem, ſive abſtrahentem ùt ſic ab omni actione injurioſa, quam reſpicit voluntas injuſta ſive injuſtitia interior. V. g. volo mortem proximi, non ùt à me inferendam, vel quatenus mors injuſta eſt, ſed præciſè & abſolutè ùt eſt malum ejus; en odium: volo mortem injuſtè à me inferendam, non præciſè quatenus hoc eſt alteri malum, ſed quatenus eſt tale malum in particulari, vel etiam quà eſt mihi commoda &c. ecce injuſtitia interior.

Sed dicet aliquis: Si odium non deſumat ſpeciem ſuam ex malis, quæ alteri optat, quomodo verum poteſt eſſe, quod Nonnulli probabiliter docent, parvitatem materiæ excuſare odium à peccato mortali?

Reſpondent illi Auctores: ſicut furtum non deſumit ſuam ſpeciem ex rebus furto ablatis (quia videlicet ſolùm ſunt objecta materialia) deſumit tamen indè ſuam gravitatem intrà eandem ſpeciem; conſimiliter tametſi odium non ſumat ſpeciem à malo, quod optat; ſi tamen malum ſimpliciter grave ſit; cenſetur odium grave; & quò malum gravius, eò odium gravius intrà eandem ſpeciem: ſin autem malum ſit ſimpliciter leve tam in ſe, quàm in affectu ſeu diſplicentia proximi, ex qua deſideratur, erit odium ſimpliciter leve. Hæc illi.

Dubitas, quæ ſit levis vel gravis diſplicentia? Accipe illorum Auctorum reſolutionem: levis diſplicentia cenſetur, quando ſic optatur leve aliquod malum, quatenus alteri malum eſt, ut tamen animus non ſit paratus ad alia mala optanda vel inferenda, tametſi foret poſſibile. Tunc autem erit gravis diſplicentia, eſtò malum, quod hìc & nunc opto ſit leve, quando ita ſum conſtitutus, ut vellem quæcumque mala optare & inferre, ſi poſſibilitas adforet. Cui hæc reſolutio non placet, quærat meliorem.

Cæterùm quamvis odia non diſtinguantur ſpecie penes diverſitatem ſpecificam malorum, quæ ex odio deſiderantur; equidem dantur odia ſpecie diſtincta; v. g. odium proximi propter Deum, ſeu, quà eſt imago Dei, vel participat bonitatem divinam; & odium proximi propter ſe, vel aliquam cauſam particularem inter me & illum, v. g. quia fecit mihi injuriam. Nec ambigo, hanc diverſitatem eſſe in Confeſſione explicandam.

Quid miraris? Etenim odium proximi propter Deum, magìs videtur repugnare Charitati Dei, quæ inclinat ad amandum proximum propter Deum: odium autem Dei, quis dubitet, ſpecie eſſe diſtinctum ab odio proximi, & in Confeſſione explicandum? Sicut ergo ſunt actus ſpecie diſtincti amor proximi propter ſe, vel particularem aliquam rationem, & amor proximi propter Deum, non tantùm diſtincti ſpecie phyſicâ, ſed etiam morali, id eſt, habent diſtinctam bonitatem moralem, propter diſtinctum objectum formale motivum; ita quoque actus contrarii diſtinctam ſpecie malitiam moralem, propter motiva ſpecie diſtincta. Hucuſque de prima parte Concluſionis, id eſt, de odio, quod naturam ſuam non ſumit ab objecto externo, ùt ſunt ea, quæ conſummantur in opere externo, ſed ſiſtit intùs in affectu, & ideo non ſpecificatur ab objecto materiali, ſed à ratione formali.

Pergo ad ſecundam partem Concluſionis, quam ùt veriorem docet Lugo ſuprà nu. 265. & Alii plures apud Dianam tom. 1. tract. 7. reſol. 28. tanquam probabilem amplectuntur. Ratio autem probabilitatis eſt, unitas ſpecifica omnium contumeliarum; quoniam omnes conveniunt in ratione formali, quæ eſt, intentio auferendi alteri ſuum honorem; ſicut omnia furta, tametſi rerum diverſiſſimarum, ſunt ejuſdem ſpeciei, quia omnia conveniunt in ratione formali, quæ eſt, intentio auferendi alteri bona fortunæ. Et eadem eſt ratio detractionum: omnes ſiquidem conveniunt in ratione formali, quæ eſt, intentio auferendi alteri ſuam famam; fama autem ſemper eſt ejuſdem ſpeciei in genere moris, uti etiam honor & bona fortunæ. 280. Probatur 2a pars Concl. Lugo. Diana.

Pro contraria ſententia inter cæteros Auctores, apud Dianam ſuprà, citatur Joannes Sancius in Select. diſp. 6. n. 1. & 2. Sed potiùs citari debuiſſet pro noſtra opinione, ſic enim ait n. 2. Sic unum tantùm peccatum erit, diverſas contumelias in aliquem jacere; veluti appellare aliquem decies Hebræum vel furem in eodem intervallo temporis unum tantùm crimen committi ſciendum eſt..... At diverſa erunt, ſi in eodem ſpatio temporis aliquem quis nominaverit Hebræum & furem. Unde cùm diverſæ injuriæ in ſpecie ſint, diverſum omnino damnum inferentes, erunt diverſa peccata..... Quod etſi probabile arbitrer, veroſimiliùs judico, omnes contumelias eſſe ejuſdem ſpeciei: nam omnes reſpiciunt unicam rationem formalem, videlicet auferendi honorem ab aliquo, materialiterque ſe habet ipſum auferri, vocando Judæum vel furem. Hæc ille. 281. Pro oppoſita ſententia perperàm citatur Joan. Sancius.

Et diſp. 5. nu. 10. ſequentia ſcribit: Nec opus eſt pœnitentibus quale judicium fuerit, contra quam perſonam, fueritne Eccleſiaſtica vel ſæcularis, ſeu circa quam rem, explicare,

Digitized by Google

dicendo ſcilicet: *Iudicavi Ioannem eſſe furem, vel fornicarium, aut hæreticum* &c. In eſſe ſolùm phyſico judicia hæc diverſitatem habent, utpote circa diverſa crimina; non verò in morali, cùm contra juſtitiam commutativam ſint, prohibentem ſub una ſpecifica ratione & atoma famam alienam non lædi tam internè per judicium, quàm externè per detractionem, aut contumeliam; ſicut ſpecies divinationis per aëromantiam, per ſomnia, per nigromantiam, per pythones, per geomantiam, hydromantiam, pyromantiam, augurium, auſpicium, per chiromantiam, ſolùm phyſicâ ſpecie differunt, non morali, ùt tradunt DD. cum Divo Thoma 2. 2. q. 95. a. 3. ad 2. non enim diverſum crimen eſt divinare per aërem, atque per aquam &c. Hucuſque Sancius.

282. Oppoſitæ ſententiæ favet praxis fidelium. Quidquid ſit de ipſius mente, de qua parùm curandum; certè non deſunt Auctores probati, qui exiſtiment, qualitatem contumeliæ, & detractionis in Confeſſione eſſe explicandam; quibus non modicùm favet praxis fidelium, qui dum commodè poſſunt, explicant materias detractionum, & contumeliarum. Et indubiè conſultum eſt explicare; quia licèt fortè omnes detractiones, & contumeliæ ſint ejuſdem ſpeciei (ùt nos putamus) tamen omnes fateri debent, unam eſſe alterâ graviorem intrà eandem ſpeciem, etiam notabiliter; & per conſequens, ſecundùm Aliquorum ſententiam, neceſſariò tali caſu eſſe materiam declarandam, ſicuti declaranda eſt materia furti, quando notabiliter aggravat.

283. Reſponſio Arriaga ad fundamentum noſtræ Concluſ. Sed videamus, quid hi DD. reſpondeant ad fundamentum noſtræ Concluſionis. Arriaga diſp. 32. n. 36. Reſpondeo (inquit) in materia fortunarum omnia eſſe ejuſdem ſpeciei; quia omnia reducuntur ad pecuniam, & per eam omnia haberi poſſunt. Unde ibi meritò non judicatur eſſe moraliter ulla differentia ſpecifica. Non ſic in honore, qui moraliter loquendo eſt quoddam genus, ſub ſe habens honores, ſummè in ordine ad æſtimationem moralem differentes, neque unum alteri æquivalentem in prudentum æſtimatione; neque unus per alterum poteſt emi ſeu compenſari: alia enim infamia eſt, eſſe filium carnificis, alia eſſe mendacem in dictis, alia eſſe ſuperbum, durum, luxurioſum, alia eſſe ſpurium, eſſe athæum &c. Et (ut verum fatear) non video, quomodò abſolutè dicant, honorem ſemper eſſe ejuſdem ſpeciei moraliter, cùm contrarium planè dicat moralis æſtimatio hominum: quàm enim differt honor ex nobilitate regia, ab honore ex doctrina!

Et licèt honor ſit idem; oppoſitio tamen eſt valdè diverſa; ſicut eidem virtuti poſſunt eſſe oppoſita vitia duo extrema. Et ſanè in infamiis apparet: nam eſtò diceremus, eundem eſſe honorem, ex eo, quòd ſit natus nobili genere, & ex eo quòd ſit ſanctus, & ex eo, quòd ſit doctus; quis dubitat, ſi ego filium legitimum Regis dicam eſſe ſpurium & ſuppoſititium, ac re ipſâ filium carnificis, longè diverſâ ſpecie infamiâ me eum læſurum, quàm ſi de homine doctiſſimo dicerem, eum eſſe ſimplicem & nihil ſcire? Debet ergo ibi ſpecifica moralis agnoſci differentia. Hactenus Arriaga.

Reſpondeo: ſufficit ibi agnoſcere differentiam ſpecificam phyſicam, & differentiam moralem individualem, ſeu majorem gravitatem intrà eandem ſpeciem, ſicuti in furtis. Eſtò enim in materia fortunarum omnia reducantur ad pecuniam, non ſic autem in honore, aut fama; indè tantùm ſequitur differentia ſpecifica moralis inter bona fortunæ, quæ pecuniâ compenſantur, & bona honoris, aut famæ, quæ non compenſantur pecuniâ; non autem inter diverſa bona honoris, aut famæ. Deinde Multi non improbabiliter docent, etiam famam, & honorem pecuniâ compenſari poſſe, & debere, quando alia reſtitutio eſt impoſſibilis. Denique unus ex modis reſtituendi famam eſt, laudare infamatum, & honorificè de eo loqui, ubi datur occaſio; ſic enim ſenſim ex una parte tantumdem fama ejus illuſtrari poterit, quantùm ex altera fuerit obſcurata. Ita cùm Aliis, quos citat, docet Leſſius de Juſtitia & Jure, l. 2. c. 11. n. 116. Ergo etiam unus honor per alterum poterit compenſari, & una fama per aliam.

Tota ergo differentia moralis, ſicut in furtis, ita & in contumeliis ac detractionibus, eſt intrà eandem ſpeciem, & ideo non explicanda in Confeſſione, ſecundùm ſententiam, quæ aſſerit, ſolam ſpeciem peccati eſſe declarandam, & non circumſtantiam notabiliter aggravantem intrà eandem ſpeciem. Interim fieri poſſet, ut materia alicujus contumeliæ, aut detractionis deberet exprimi, ratione alterius damnificationis per accidens conjunctæ; v. g. ſi iniquè detraxeris famæ alicujus operarii, putà ſartoris, dicendo, ipſum eſſe furem, & proptereà nemo velit uti illius operâ, præter detrimentum æſtimationis, aliud damnum ſequitur, quod indubiè explicandum eſt in Confeſſione, quia ſpecie morali diſtinctum.

His ita conſtitutis de peccatis odii, contumeliæ, & detractionis; tranſeo ad peccata jactantiæ, blaſphemiæ, & hæreſis; eritque

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO XIV.

In Confeſſione non ſemper debet explicari ſpecies peccati mortalis, de quo quis ſe jactavit; neque qualitas blaſphemiæ; ſed nec qualitas hæreſis.

PRo prima parte citatur Navarrus in Sum. Latina in priori editione, prælud. 9. n. 4. quem ſequitur Diana part. 3. tract. 4. reſol. 161. Et ratio (inquit) eſt: quia deformitas mortalis in hoc peccato jactantiæ, ſumitur ex eo, quòd, tamquam medium ad humanam gloriam comparandam, aſſumitur offenſa Dei mortalis: ſed hæc ratio offenſæ mortalis ejuſdem rationis eſt in omnibus mortalibus; quòd verò ſit hoc vel illud peccatum mortale, materialiter ſe habet: ergo &c. Et ideo licèt verba contumelioſa ſint diverſæ ſpeciei, eò quòd per illa objiciantur proximo defectus ſpeciei diverſæ; non tamen ſunt peccata mortalia contumeliæ ſpecie diſtincta: quia in tantùm contumelia eſt peccatum mortale, in quantùm aſſumitur ùt inſtrumentum ſeu medium ad honorem proximi lædendum; quòd verò ſint hæc vel illa verba contumelioſa, materialiter ſe habet. Hæc ille.

Eandem ſententiam amplectitur Caſtro Palao tom. 1. tract. 2. diſp. 2. punct. 11. nu. 5. & probabilem ſentit Lugo diſp. 16. n. 268. Intelligenda autem eſt de ſola jactantia, abſque complacentia ſeu delectatione moroſa ipſius peccati commiſſi, quatenus talis vel talis ſpeciei: v. g. jacto me de peccato fornicationis, & interiùs moroſam admitto de eodem peccato quà tali delectationem; non dubium, quin illud peccatum explicandum ſit in Confeſſione, ſi verum eſt, quòd delectatio moroſa contrahat malitiam ſui objecti.

Sed hic non eſt caſus Concluſionis, quæ loquitur de ſolo & nudo peccato jactantiæ, quale non eſt iſta jactantia, quæ adjunctam habet delectationem moroſam. Et quia ſæpè illa delectatio adjuncta eſt in hujuſmodi hominibus, aut certè periculum proximum delectationis; hinc fortè ſæpiùs erit obligatio explicandi ſpeciem peccati mortalis, de quo quis ſe jactavit. Si tamen omnis delectatio abeſſet, & omne periculum, aut ſaltem periculum proximum delectationis, non video ſatìs ſolidum fundamentum, injiciendi hominibus talem obligationem.

288. Quin immò (inquis) ſolidum fundamentum eſt, quod objicio: Sicut virtus in communi obligat, non ſolùm ad ſui obſervationem, ſed etiam ad nihil faciendum, quod contineat contemptum aut irreverentiam illius; atque adeò ad hoc, ut quis non ſe jactet de actu contrario virtuti; ita quælibet virtus in particulari ſpecie obligat, non ſolùm ad ſui obſervationem, ſed etiam ad nihil faciendum, quod contineat contemptum aut irreverentiam talis virtutis; atque adeò ad hoc, ut quis non ſe jactet de actu contrario tali virtuti.

Unde gloriari aut jactare ſe de actu, qui ſit homicidium, cenſeri debet diſtinctæ ſpeciei, ab actu gloriandi aut jactandi ſe de actu, qui ſit fornicatio, & ſic de reliquis; quia opponitur obligationi aut reverentiæ diſtinctæ virtutis. Ita Dicaſtillo diſp. 9. n. 519. & addit: Propter hunc diſcurſum mihi videtur probabilior prima ſententia, putà, in peccato jactantiæ explicandam eſſe ſpeciem peccati. *Dicaſtill.*

Sed ego propter hunc diſcurſum nolo recedere à Concluſione; & ideo Reſpondeo: Eſtò Charitas me obliget, ad non dandam occaſionem proximo præter intentionem peccandi contra caſtitatem; haud equidem me obligat virtus caſtitatis, utì diximus Concl. 4. præſentis Sectionis. Ergo conſimiliter, eſtò virtus in communi obliget, ne quis ſe jactet de actu contrario virtuti, ſive, de peccato mortali; haud equidem propterea virtus in particulari ſpecie obligat, ne quis ſe jactet de actu contrario tali virtuti. 289. *Reſponſio.*

Ratio diſparitatis; quòd objectum jactantiæ quà talis (id eſt, ùt diſtinguitur à moroſa delectatione ſeu complacentia hujus vel illius peccati in particulari) non ſit hæc aut illa malitia in particulari, ſed malitia mortalis in genere, ex qua quæritur & accipitur laus & gloria apud homines: ad hoc autem per accidens ſe habet, quòd ſit tale vel tale peccatum, de quo peccator ſe jactat.

Dices: ſi homo ſolùm gloriaretur: *Ego peccavi mortaliter*, non conſiderando ſpecialem rationem malitiæ; haberet locum illa ratio diſparitatis; at fieri poteſt, ut etiam glorietur, quòd fuerit fornicator, quòd fuerit fur, quòd fuerit athæus &c. cur illæ gloriationes non erunt peccata ſpecie diſtincta, eodem modo, quo ipſa peccata, quæ ſunt earum objecta? 290. *Objectio.*

Reſpondeo: quia omnes illæ gloriationes opponuntur eidem virtuti eodem modo, utputà virtuti humilitatis (ùt placet Caſtro Palao ſuprà) eſt enim jactantia (inquit ille) filia ſuperbiæ ſeu inanis gloriæ, ùt dixit Gregor. lib. 31. Moral. c. 31. & D. Thom. communiter receptus 2. 2. q. 132. a. 4. ac proinde humilitati contraria. Vel (ùt Alii volunt) reverentiæ debitæ Deo: irreverentia enim contra Deum eſt, velle laudem & gloriam conſequi ex ejus gravi offenſa; quæ reddit hominem dignum æternâ confuſione & ignominiâ, & conſtituit capitalem Dei inimicum. *Solutio.* *S. Gregor.* *S. Thomas.* *Jactantia opponitur vel humilitati vel reverentiæ Deo debitæ.*

Hinc ſicut omnia peccata, quæ fiunt violando votum, ſemper ſunt ejuſdem ſpeciei,

Digitized by Google

quia ſolùm attenditur ad irreverentiam contra Deum, quæ irrogatur violando votum; ſic pariter omnes gloriationes de offenſa Dei, ſemper erunt ejuſdem ſpeciei, quia ſolùm attenditur ad irreverentiam, quæ fit contra Deum, quatenus ex ejus gravi offenſa volumus gloriam & laudem conſequi: veluti ſi ſubditus gloriaretur de proditione, aut de contumelia Principi illata, videretur Principi inſultare & eandem contumeliam, iterum inferre.

291. Contra argumentatur Arriaga. Sed contrà argumentatur Arriaga ſuprà n. 37. Ea gloriatio eſt quaſi ſecunda illatio illius injuriæ ac contumeliæ: ergo habet ſuo modo malitias primæ illationis; ac proinde ſicut initio fuêre diverſæ contumeliæ, ſic ſecundæ hæ illationes erunt diverſæ. Secundò; quòd dicitur, eam malitiam conſiſtere in hoc, quòd homo aſſumat offenſam Dei, ùt materiam gloriationis, admittimus quidem; indè tamen argumentamur pro ſententia prima: quia ſi aſſumere offenſam Dei pro materia gloriationis, eſt offenſa Dei; ergo aſſumere graviorem offenſam, erit major offenſa: ſicut enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita ſe habet magìs ad magìs. Hucuſque Arriaga.

Reſpondetur. Ergo erunt offenſæ diverſæ ſpeciei; negatur Conſequentia: quia datur majus & minus intrà eandem ſpeciem. Ergo ſecundum argumentum nihil contra noſtram doctrinam. Ad primum Reſpondeo, omnes contumelias eſſe ejuſdem ſpeciei (ùt patet ex dictis Concluſione præcedenti) unde fornicatio & furtum, ſi reverà ſunt injuriæ perſonales reſpectu Dei, in quantùm tales, ſunt ejuſdem ſpeciei; ac proinde ſicut omnia peccata mortalia initio fuêre eædem contumeliæ, ſic ſecundæ hæ illationes erunt eædem.

292. Reſponſio Dicaſtillonis ad argumentum noſtrum à paritate voti. Cæterùm ad argumentum noſtrum, à paritate voti; reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 522. nullam eſſe paritatem, ſed manifeſtam diſparitatem: nam obligatio voti non oritur ex virtute promiſſa, ſed ex promiſſione illius; ſicut cujuſcumque alterius promiſſionis obligatio non oritur ex actu promiſſo, ſed ex promiſſione illius: obligatio verò, de qua agimus, oritur ex ipſa virtute, etiam quatenus habet rationem talis virtutis in ſpecie; ipſa enim virtus adſtringit naturam rationalem ad prædictam obſervantiam, & quia diſſonat rationi agere contra illam virtutem, non ſolùm quatenus habet rationem virtutis in communi, ſed etiam quatenus habet rationem talis virtutis in ſpecie, non mirum, quòd ſicut virtutes ipſæ ſecundùm ſe ſunt ſpecie diverſæ, & ſecundùm illas ſpeciales rationes obligant ad non contemnendum illas; ipſæ quoque actiones; quibus contemnuntur aut irreverenter tractantur, cenſeantur diverſæ ſpecie in ratione contemptûs & irreverentiæ; quod totum non reperitur in obligatione voti. Hæc ille.

Reſpondeo; jactantiam non eſſe formalem contemptum virtutis; qui tunc ſolùm datur, quando aliquis ideo peccat, quia non vult ſubjici præcepto, ſive, quando peccat ex vilipenſione poteſtatis legiſlativæ. Deinde contemptus formalis non opponitur illi virtuti, quæ ex contemptu violatur; ſed (ſicut ait D. Bernardus lib. 1. de Præcept. & Diſpenſ.) *Contemptus tumor ſuperbiæ eſt.* Alii dicunt, eſſe formalem inobedientiam. Plures exiſtimant, eſſe ſpeciem injuſtitiæ; eſt enim æſtimatio Legiſlatoris minùs juſto. Atque hæc de prima parte Concluſionis.

29[illegible] Pro ſecunda; Notandum, quod ait D. Auguſtinus lib. 2. de Moribus Manichæorum c. 11. *Ad oris ſignaculum dicitis pertinere, ab omni continere blaſphemia. Eſt autem blaſphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque iam vulgò blaſphemia non accipitur, niſi mala verba de Deo dicere: de hominibus namq; dubitari poteſt; Deus verò ſinè controverſia bonus eſt.*

Porrò alia ſunt verba enuntiativa, alia imprecativa, alia dehoneſtativa; & ideò dividitur blaſphemia in enuntiativam, imprecativam, & dehoneſtativam. Item dividitur in hæreticalem, & non hæreticalem; quia aliqua verba continent hæreſim, aliqua non. Et quoniam aliqua verba dicuntur de Deo immediatè in ſeipſo; aliqua autem de Deo, ùt ſpecialiter relucente in Sanctis; hinc tertiò dividi poſſet blaſphemia in eam, quæ eſt contra Deum immediatè in ſeipſo, & in eam, quæ eſt contra Sanctos, ſive contra Deum, ùt ſpecialiter relucentem in Sanctis.

29[illegible] Quæritur ergo, an illæ qualitates ſint in Confeſſione explicandæ; an verò ſufficiat dicere: *Blaſphemavi Deum?* Cajetanus in Sum. V. *Blaſphemia*: ſcias (inquit) quòd licèt blaſphemia mulos habeat gradus; dum gravior eſt contra Deum, quàm contra B. Virginem, & hæc gravior, quàm contra Sanctos: & rurſùs gravior eſt, quæ ex affectu deteſtativo Dei aut Sanctorum, quàm quæ ex paſſione extranea, aut mala conſuetudine, quaſi non ſit virilis animi, qui loquitur ſinè blaſphemia, ùt videtur apud multos inoleviſſe: omnes tamen ſunt ejuſdem ſpeciei. Hæc ille. Et propterea citatur pro noſtra Concluſione: nec immeritò, ùt patet.

Verumtamen ejus doctrinæ non per omnia aſſentior: nam ſi per blaſphemiam contra B. Virginem, aut Sanctos, intelligat injurioſam locutionem de B. Virgine, aut Sanctis ſecundùm ſe conſideratis, & non ùt ſpecialiter in ipſis relucet Deus; exiſtimo, talem locutionem non eſſe propriè blaſphemiam, ſed contumeliam ſeu convitium in hominem ſanctum; quod peccatum exiſtimo ſpecie diſtinctum à propriè dicta blaſphemia, id eſt, contumelia in Deum; & ideo in Confeſſione explicandum, eâdem ratione, quâ explicari debet contu-

contumelia in hominem non ſanctum, vel in hominem ſanctum, adhuc in hac vita degentem.

295. Sin autem per blaſphemiam in B. Virginem, & Sanctos, intelligat injurioſam locutionem contra B. Virginem, & Sanctos, prout Deus ſpecialiter in ipſis relucet per donum maternitatis, & gratiam ſanctificantem atque beatificantem; neſcio quare blaſphemia contra Deum ſit, ſaltem notabiliter, gravior, quàm blaſphemia contra B. Virginem, cùm & hæc ſit contra Deum (ùt ſupponitur) licèt ſolùm mediatè; quà videlicet relucet in Sanctis; quod meo judicio, ſicut non facit notabilem diverſitatem in honore, qui exhibetur Deo in ſe, & in Sanctis; ita nec in dehonoratione.

Unde exiſtimo; non ſolùm non eſſe diverſam in ſpecie injuriam, dare alapam Regi, ab ea, quæ foret, ſi ejus Legato quà tali daretur alapa; ſed ne quidem notabiliter eſſe graviorem: quod enim Legato quà tali fit, in morali æſtimatione cenſetur fieri ipſi Regi in propria perſona, cùm Legatus quà talis repræſentet, & ſuſtineat perſonam Regis.

296. Nonne votum, quod fit Deo immediatè, ſpecie diſtinguitur, aut notabiliter excedit votum, quod fit Deo in Sanctis? Minimè. Nonne juramenta omnia ſunt ejuſdem ſpeciei & æqualis bonitatis, ſive juretur per Deum in ſe, ſive per Deum in Sanctis relucentem? Ergo ſimiliter æqualis bonitatis eſt honor, qui defertur Deo in ſe, & Deo prout relucet in Sanctis: per conſequens æqualis malitiæ inhonoratio; ſicut æqualis malitiæ eſt violatio voti ſive factum fuerit Deo immediatè, ſive Deo in Sanctis; & æqualis malitiæ jurare falſum per Deum immediatè, & jurare falſum per Deum in Sanctis; ſi non majoris: quia, præter malitiam irreligioſitatis, apparet aliquando diſtincta malitia ſpecie contra virtutem duliæ, quæ inclinat ad exhibendum debitum cultum Sanctis. v. g. ſi ipſum Sanctum conſtituas promiſſarium, ita ut non ſolùm velis te obligare Deo ad hoc vel illud faciendum, ſed etiam ipſi Sancto; quis dubitet, quin violans votum, ſpecialiter pecces in Sanctum, ſicut peccares in hominem viventem, quem cum Deo ſimul conſtituiſſes promiſſarium?

Immo etſi non conſtituas Sanctum promiſſarium, ſi tamen ipſum advoces in teſtem promiſſionis, aut quaſi fidejuſſorem illius implendæ; in hoc caſu (inquit Dicaſtillo ſuprà n. 543.) ſi quis non ſervet promiſſionem, non ſolùm irreverentiam committit contra Deum, ſed etiam contra Sanctum: quam ſecundam irreverentiam non haberet, ſi non advocaret prædicto modo Sanctum; atque adeò debebit hæc irreverentia (quam ſuppono gravem) explicari in Confeſſione. Hæc ille. Et eadem eſt ratio juramenti, quando non ſolùm advocatur auctoritas infallibilis Dei, ſed etiam creata auctoritas Sancti in teſtimonium.

Interim fatetur idem Auctor cum Aliis (quos citat n. 544.) homines ita ſolere vovere Sanctis, aut jurare per Sanctos, ut eorum intentio dirigatur ad Deum, non ſiſtendo in ipſa creata excellentia & auctoritate Sancti. Et ideo non ſolent confiteri niſi ſimplicem violationem voti, aut nudum peccatum perjurii. 297. *Quando homines jurant per Sanctos eorum intentio ſolet dirigi in Deum.*

Cumque de votis & juramentis, quæ communiter fiunt, & propriè ſunt vota & juramenta, DD. paſſim pronuntient, omnia eſſe ejuſdem ſpeciei: cur non idem liceat affirmare de blaſphemiis, quæ communiter fiunt, & propriè ſunt blaſphemiæ? Nam etiam blaſphemia propriè non eſt, quæ non dirigitur ad Deum, ſed ſiſtit in ipſa excellentia creata Sancti. Et dicam ſimiliter, homines quando blaſphemant contra Sanctos, communiter non ſiſtere in excellentia creata, ſed ſuam intentionem dirigere in Deum, & ideo non debere illam qualitatem in Confeſſione explicare.

Quantum ad diviſionem blaſphemiæ in hæreticalem, & non hæreticalem; dico, & illas blaſphemias in ratione blaſphemiæ eſſe ejuſdem ſpeciei: nihilominus hæreticalis explicanda eſt in Confeſſione propter malitiam infidelitatis, quæ indubiè ſpecie diſtinguitur à malitia blaſphemiæ. Hinc etiam ſi blaſphemia proveniat ex odio Dei, aut deſperatione; nemo ambigit, quin illi affectus declarandi ſint in Confeſſione, cùm ſint peccata ſpecie diſtincta à malitia blaſphemiæ, quæ præciſè conſiſtit in eo, quòd Deus directè inhonoretur: quòd autem hoc fiat ex odio aut deſperatione, vel cum errore in Fide, per accidens eſt, & materialiter ſe habet ad præciſam malitiam blaſphemiæ, cùm Deus poſſit directè inhonorari abſque errore in Fide, deſperatione aut odio, ùt ſuppono cum communi ſententia alibi pertractanda. 298. *Blaſphemia hæreticalis & non hæreticalis ſunt ejuſdem ſpeciei in ratione blaſphemiæ.*

Similiter quòd Deus inhonoretur verbis enuntiativis, aut imprecativis, vel certè dehoneſtativis, planè materiale eſt, ùt patet ex dictis Concluſione præcedenti de contumeliis & detractionibus reſpectu hominis. Si ergo contumeliæ humanæ (ut ſic loquar) non diſtinguuntur ſpecie, propter diverſitatem verborum; immò diverſitatem criminum, quæ improperantur; neque detractiones humanæ, propter diverſitatem criminum, quæ revelantur; non eſt ratio diſtinguendi ſpecie contumelias divinas ſeu blaſphemias, propter diverſitatem verborum, aut etiam criminum, quæ Deo improperantur, eſtò una blaſphemia ſit gravior alterâ, intrà eandem ſpeciem. 299. *Itemque enuntiativa, imprecativa, & dehoneſtativa.*

Proinde, in ſententia, negante eſſe neceſſarium, in Confeſſione declarare circumſtantias, non dantes ſpeciem diverſam, non erit neceſſarium dicere, qualis fuerit blaſphemia,

enuntiativa, imprecativa aut dehoneſtativa: neque neceſſe erit explicare diverſa ſpecie mala, quæ blaſphemus Deo appinxit; aut diverſa ſpecie bona, quæ ei abſtulit. Porrò in ſententia, quæ affirmat, circumſtantias notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem eſſe declarandas in Confeſſione, patet quid ſit dicendum.

300. Objectio. Dices: Contra eandem virtutem poſſunt eſſe peccata ſpecie diſtincta, ùt fornicatio, & mollities contra virtutem caſtitatis.

Diluitur. Reſpondeo, me non aſſerere, ideo omnes blaſphemias eſſe ejuſdem ſpeciei, quia opponuntur eidem virtuti; ſed quia omnes eodem modo opponuntur eidem virtuti, ſcilicet quia omnes directè auferunt honorem divinum; veluti omnia perjuria ſunt ejuſdem ſpeciei, quia eodem modo privant rectitudine Religionis, auferendo à Deo, quantùm in ipſis eſt, infallibilem veracitatem in dicendo: perjurium autem, & violatio voti ſunt diverſæ ſpeciei, quia diverſo modo privant eâdem rectitudine Religionis, perjurium auferendo (ùt jam jam dixi) infallibilem veracitatem in dicendo; violatio autem voti non tribuendo cultum debitum Deo ex fidelitate. Quid ergo mirum, ſi fornicatio & mollities ſint peccata ſpecie diſtincta, cùm diverſo modo (ùt nimis clarum eſt) privent eâdem honeſtate caſtitatis? Fornicatio quippe ſolùm contrariatur bonæ educationi prolis; mollities autem ipſi generationi prolis. Jam verò omnes blaſphemiæ (ùt dixi) eodem modo opponuntur eidem virtuti.

301. Inſtantia. Contrà (inquis) longè aliter videtur Deo injurioſum & contumelioſum, blaſphemare contra Spiritûs ſancti vel Chriſti divinitatem, quàm ejus membra inhoneſtè & indecorè nominare. Item diverſa ſpecie contumelia eſt, dicere, *Deum eſſe capacem peccati*, ac dicere, *eum eſſe capacem erroris*.

Herincx. Unde (inquit Herincx part. 3. tract. 4. diſp. 8. de Irreligioſ. n. 22.) quoties blaſphemiæ ſive hæreticales, ſive non hæreticales, notabiliter diverſimodè honori & laudi divinæ adverſantur, in Confeſſione ſunt determinatè in particulari non tantùm quoad numerum, ſed etiam quoad ſpeciem explicandæ. Sic qui per blaſphemiam negaret Chriſto divinitatem, noſtramque redemptionem; utramque blaſphemiam in particulari quoad ſpeciem & numerum exprimere teneretur. Hæc ille.

Solvitur. Sed non conſentio: quia illa dicta ſunt tantùm quid materiale reſpectu illius peccati; formale autem eſt idem, putà quòd omnia iſta dicta directè tendant ad inhonorandum Deum. Omnia ergo eodem modo ſunt Deo injurioſa, quamvìs unum dictum poſſit eſſe magìs injurioſum, quàm aliud.

302. Rejicitur. Unde non valet ſimile, quod adfert Arriaga diſp. 24. de Fide n. 43. dicens: Ut auferre proximo divitias, diverſum eſt ab ablatione honoris, & vitæ; ita eodem modo debet de Deo dici: tunc enim ſolùm ablatio cenſetur eſſe ejuſdem ſpeciei, & ſolùm addere intrà eandem ſpeciem circumſtantiam aggravantem, quando aufert idem bonum, plus tamen de illo accipit, ùt plus de pecunia, plus de honore intrà eandem materiam, v. g. dicendo illum pluries fuiſſe blaſphemum, pluries ſodomiticum. At ſi materiæ ſint diverſæ, quare non erit ea detractio etiam ſpecie diverſa? Hucuſque Arriaga. Simile Arriagæ.

Reſpondeo, & interrogo: Si materiæ furti ſint diverſæ, aurum v. g. argentum, veſtes &c. quare non erit id furtum ſpecie diverſum? Quia (inquis) omnia hæc conveniunt in una ratione formali, ſub qua ſunt objectum furti, putà, quia omnia ſunt bona fortunæ. Infero ego: Ergo ſimiliter detractio non erit ſpecie diverſa; per conſequens nec blaſphemia: quia omnia dicta de Deo, conveniunt in una ratione formali, ſub qua ſunt objectum blaſphemiæ, putà, quia lædunt honorem Dei; ſicut diverſæ materiæ detractationum, conveniunt in una ratione formali, ſub qua ſunt objectum detractionis, ſcilicet, quia lædunt famam proximi. Ergò ùt auferre proximo divitias, diverſum eſt ab ablatione honoris & vitæ; non ita eodem modo, ſed planè diverſo debet de Deo dici: quia per omnes blaſphemias aufertur idem bonum, ſcilicet honor divinus; plus tamen per unam, quàm per aliam.

Atque hæc erit probatio tertiæ partis Concluſionis, videlicet: *Sed nec qualitas hæreſis ſemper debet explicari in Confeſſione*; nam omnes hæreſes, Calviniana, Lutherana, Arriana &c. ſunt ejuſdem ſpeciei, quia privant eâdem honeſtate Fidei eodem modo, negando ſummam Dei veracitatem. Et idem aſſero de Paganiſmo, Judaiſmo, & Hæreſi. 30[illegible] Probatur pars [illegible]

Intelligo autem ſpeciem moralem, ſeu in genere moris: ſicut enim actus Fidei diſtinguuntur ſpecie phyſicâ, ratione objecti materialis ſpecie diſtincti; ita etiam illæ infidelitates & hæreſes poſſunt ſpecie phyſicâ diſtingui, & diſtinguuntur de facto, ratione diverſorum objectorum materialium. Verumtamen ſicut omnes actus Fidei, etſi ſpecie phyſicâ diſtincti, participant eandem ſpecie honeſtatem moralem, propter idem ſpecie objectum formale, ſcilicet auctoritatem ſeu veracitatem divinam, quæ infallibilis tam in una, quàm in alia materia; tam in magna, quàm in parva, in naturali & ſupernaturali, neceſſaria & contingente, divina & humana; ita quoque omnes actus infidelitatis & hæreſis quà tales, eſtò ſpecie phyſicâ diſtincti, participant eandem ſpecie morali inhoneſtatem ſeu malitiam: quia nimirùm (ùt ſtatim dixi) privant eâdem honeſtate morali, ſcilicet cultu debito ſummæ aucto-

auctoritati & veracitati divinæ (quæ eſt unica ſpecie) & eodem modo, putà non ſubjiciendo intellectum creatum Deo loquenti.

324. Dixi: *Quà tales*; quia infidelitatibus iſtis poteſt adjungi alia ſpecie malitia, oppoſita alteri virtuti, v. g. Religioni, obedientiæ, &c. utputà malitia blaſphemiæ aut fractio propriè dictæ promiſſionis vel Deo, vel Eccleſiæ factæ, idololatria, ſuſceptio invalidi Sacramenti &c. Singulæ quippe Sectæ amplectuntur aliquas cęremonias vel ritus, involventes has aut ſimiles malitias. Qui ergo eas Sectas amplectitur, eo ipſo expreſsè vel implicitè prædicta peccata perpetrandi voluntatem habet; adeòque ratione illius voluntatis iſthæc diverſitas foret explicanda in Confeſſione, quod non repugnat Concluſioni, quæ tantùm loquitur de peccato hæreſis, ſecluſis malitiis contra alias virtutes.

305. Porrò Concluſionem ſic intellectam, videlicet dę particularibus erroribus ſpeculativis, in quos quis incidit, non amplectendo determinatam aliquam Sectam, v. g. ſi quis neget Myſterium Incarnationis aut Trinitatis &c. amplectitur Lugo diſp. 16. n. 293. Dicaſtillo diſp. 9. nu. 558. & Alii contra Valentiam tom. 3. diſp. 1. q. 10. punct. 3. & Alios, quos ſequitur Arriaga de Pœnit. diſp. 32. n. 40. dicens: Suppono diverſum ſpecie peccatum eſſe, negare Deum exiſtere, quàm negare Incarnationem: item diverſum eſſe, negare Incarnationem, ab hoc, quod eſt negare, canem Tobiæ occurriſſe ſuo Domino, non ſolùm eâ ratione, quatenus hæ diverſæ hæreſes inferunt diverſos ritus; ſed quatenus negant etiam diverſas veritates majoris aut minoris momenti.

Deinde qui negat Deum eſſe, negat ejus veracitatem directè, & ipſi magìs immediatè facit injuriam, quàm qui admiſsâ totâ Dei exiſtentiâ veraci, negat hoc aut illud Myſterium eſſe ſufficienter propoſitum, ad hoc ut credatur: nam licèt per aliquot conſequentias oſtendatur talis homo non credere Deo; id tamen eſt valdè remotè & implicitè; ac proinde non poteſt habere eam malitiam, quæ reperitur in diſſenſu illo immediato ejus veracitatis divinæ. Hæc ille.

306. Sed in primis neſcio planè, qui ſint iſti diverſi ritus, quos inferunt hæ diverſæ hæreſes, putà negare Incarnationem, & negare canem Tobiæ occurriſſe Domino ſuo. Et ſanè de talibus hæreſibus non loquitur Lugo aut Caſtro Palao, quos citat Arriaga; ſed de hæreſi Lutherana, Calviniana &c.

Deinde quòd una injuria ſit directa, alia indirecta, non diverſificat ſpecie peccata, quando verſantur circa idem objectum, ſicut impræſentiarùm verſantur circa veracitatem divinam, licèt una immediatiùs, quàm alia. Nonne qui per quartam aut quintam perſonam occidit, diverſæ injuſtitiæ reus eſt, quàm qui occidit per ſeipſum, aut per ſecundam aut tertiam perſonam? Ergo ejuſdem injuriæ, & ejuſdem infidelitatis reus eſt, qui immediatè negat veracitatem divinam, & qui per aliquot conſequentias oſtenditur eam negare. Ad ſummum ergo arguit aliquam diverſitatem ſeu exceſſum malitiæ intrà eandem ſpeciem, quem Multorum probabilis ſententia exiſtimat, non eſſe neceſſariò in Confeſſione explicandum.

Hinc conſequenter aſſero contra Leſſium de Juſtitia & Jure lib. 2. cap. 45. n. 33. non eſſe explicandum in Confeſſione, utrùm blaſphemia fuerit directè volita, ùt cùm ſit animo faciendi contumeliam Deo; an indirectè ſolùm, ùt cùm ſit ex ira ergà hominem, ad oſtendendam animi indignationem, vel ex impatientia abſque pravo motu in Deum: nam, ſecundùm communem ſententiam, directum & indirectum in moralibus ſunt ejuſdem ſpeciei, quando verſantur circa idem objectum, prout illæ blaſphemiæ verſantur; ſive enim intendas inhonorationem Dei, ſive non, equidem verè Deum inhonoras, & eundem aufers honorem: quidni ergo ſint peccata ejuſdem ſpeciei, licèt unum gravius altero intrà eandem ſpeciem? 307.

An in Confeſſione debeat explicari quòd blaſphemia fuerit directè volita? Negat Auctor contrà Leſſium.

Quia (inquis) etſi indirectè volitum cenſeatur abſolutè voluntarium, & eſſe ejuſdem ſpeciei ac volitum directè; tamen id non habet locum, quando objectum volitum eſt aliqua injuria vel deformitas, honeſtati virtutis contraria; ùt patet, cùm inobedientia vel ingratitudo eſt volita directè: longè enim alterius rationis peccatum eſt, cùm facis aliquid directâ intentione, ut legem vel præceptum Superioris violes, aliud cùm ſolùm indirectè id velle cenſeris; ùt dum aliâ intentione vis & facis opus, quod contra legem eſſe noſti: Idem patet in violatione voti, juramenti, & aliarum virtutum. Quare idem dicendum, cùm quis directâ intentione blaſphemat, Dei contumeliam intendens: hæc enim eſt formaliſſima blaſphemia. Ita Leſſius. 308.

Fundamentum Leſſii.

Rationem continuò attexit: Quia cùm aliquid directè eſt volitum, eſt peculiaris & poſitivus affectus erga illud objectum, qui ab illo ſpeciem accipit; qui affectus non eſt in eo, qui ſolùm indirectè & interpretativè illud vult. Unde ſi illud objectum ſit aliquâ malitiâ, affectus ille incomparabiliter pejor eſt, quàm is, quò ſolùm intenditur aliqua voluptas, vel aliud non per ſe malum; habet enim poſitivam tendentiam in malum, tamquam in ſuum proprium objectum; cumque in illud tendat, tamquam in finem, reſpicit illud ſub ratione illimitata; & non ſolùm ùt eſt in hoc vel illo actu.

Itaque altiori modo eſt malitia in actu, cùm eſt directè volita, quàm cùm indirectè ſolùm. Sic incomparabiliter pejus eſt, violare legem odio legis, quàm affectu voluptatis vel com-

Digitized by Google

commodi ; & facere alicui injuriam affectu ipſi nocendi ; quàm tibi conſulendi. Pari itaque modo, multò pejus eſt, blaſphemare Deum, ut ipſi contumeliam irroges, quàm ut iram tuam in hominem declares. Unde non dubium eſt, quin hoc in Confeſſione tamquam peculiaris ſpecies, in qua ipſa malitia eſt directè volita, ſit aperiendum. Hactenus Leſſius.

309. Reſponſio Auctoris.

Ego autem dico: ſi hoc in Confeſſione eſt aperiendum; certè non tanquam peculiaris ſpecies, ſed ſólummodò tamquam circumſtantia notabiliter aggravans intrà eandem ſpeciem: nam voluntas directa, & indirecta ejuſdem malitiæ, neſcio quare debeant ſpecie diſtingui, cùm ipſa malitia directè & indirectè volita non diſtinguatur ſpecie, à qua tamen malitia, tamquam ab objecto, actus voluntatis, non ſolùm quo poſitivè appeto malitiam, ſed etiam quo intendo aliquam voluptatem, cui malitia illa connectitur, accipit ſuam ſpeciem. Gratìs autem dicitur, quòd objectum directè volitum aliam ſpeciem malitiæ tribuat, quàm volitum indirectè, niſi fuerit malitia tranſcendentalis, quæ reperitur in omni omninò peccato, ùt malitia inobedientiæ, ingratitudinis &c.

Diſparitas inter malitiam inobedientiæ, & malitiam intemperantiæ.

Ratio diſparitatis: quòd malitia inobedientiæ directè volita, non tantùm ſit contra præceptum, quod violatur, v. g. contra præceptum jejunii; ſed etiam contra præceptum: *Non contemnes præceptum Superioris*; *non violabis ex contemptu*. Similiter ingratitudo directè volita involvit, præter communem malitiam, id eſt, omiſſionem debiti officii gratitudinis, contemptum beneficii ſeu animi benefactoris: aſt verò quæcumque blaſphemia, ſive ex poſitivo affectu inhonorandi Deum, ſive ad oſtendendam animi indignationem, eſt formalis contumelia ſeu inhonoratio Dei, quæ eſt eſſentia blaſphemiæ.

310. Quòd blaſphemia ordinetur ad alium finem non poteſt mutare ejus ſpeciem.

Quin immo ſinè animo poſitivo inhonorandi Deum, verba exteriora non ſunt vera blaſphemia: quòd autem blaſphemia tamquam medium ordinetur ad alium finem, non poteſt mutare ejus ſpeciem (niſi fortè ipſe finis aliam ſpecie malitiam habeat) quamvis aliquo modo minuat ejus malitiam intrà eandem ſpeciem; quia una eſt formaliſſima blaſphemia (ſi ita placeat eam appellare cum Leſſio) utpote nullum alium habens finem præter inhonorationem Dei; alia autem tantùm formalis, quia, præter inhonorationem Dei, alium habet finem, ad quem illa inhonoratio ordinatur, adeòque arguit minorem affectum ad malitiam blaſphemiæ, quamvis reverà ei afficiatur voluntas, utpote illam aſſumens tamquam medium ad ulteriorem finem.

Idemque patet in violatione voti, juramenti & aliarum virtutum: quòd enim illæ violationes ordinentur ad alium finem, non diverſificat ſpecie earum malitiam, niſi fortè ipſe finis aliam ſpecie malitiam habeat, ſicut habet finis inobedientiæ formalis, & ingratitudinis formalis, putà contemptum Legiſlatoris, & benefactoris.

Cæterùm (ut ad propoſitum noſtrum redeamus) fatetur Arriaga ſuprà, in aliquibus articulis, eſtò inveniatur diverſitas phyſica inter eos diſſenſus; in ordine tamen ad Fidem eſſe planè materialem differentiam; ùt qui diceret, *Tobiam non habuiſſe Angelum ſecum*, & qui diceret, *Ionathan non fuiſſe iunctum amicitiâ Davidi*, non haberent diverſitatem moralem peccati; quia neque in ordine ad motiva ipſa credibilitatis, neque in ordine ad injurias tertiæ perſonæ aut Dei, eſt ulla diverſitas inter eos diſſenſus. Hæc ille. 31[1] Fate[tur Ar]riaga [in ali]quibu[s arti]culis eſſe pl[anè] mater[ialem] differe[n]tiam.

Quæ doctrina ſi vera eſt (ùt puto) vera etiam erit noſtra Concluſio, quæ loquitur de præciſa malitia infidelitatis ſeu hæreſis. Eſt autem hæreſis, error pertinax circa articulum Fidei ſufficienter propoſitum in homine, qui ſe Chriſtianum eſſe profitetur. Malitia itaque præciſa hæreſis, eſt pertinax & immediata averſio hominis Chriſtiani, vel qui ſe Chriſtianum eſſe profitetur, à Deo ejuſque veracitate; quæ ſanè veracitas cùm in omnibus articulis Fidei æqualis ſit, & ſimiliter motiva credibilitatis ſint formaliter eadem in omnibus articulis, utputà quòd Eccleſia, per quam ordinariè Myſterium credendum proponitur, ſit Una, Sancta, Catholica & Apoſtolica; liquet profectò, diverſitatem ſpecificam hæreſum non eſſe deſumendam in ordine ad veracitatem divinam, neque in ordine ad motiva credibilitatis; ſed neque in ordine ad injurias tertiæ perſonæ aut Dei: quia ſi quæ aliæ ſunt, præter negationem veracitatis divinæ in dicendo, ſunt extra conceptum præciſum malitiæ hæreſis; & ideo non ſpectant ad præſentem controverſiam. Hæc d[octri]na pr[obat] noſtra[m] Conc[luſionem].

Itaque omnes hæreſes & infidelitates quà tales ſunt, habent eandem diſconvenientiam cum natura rationali, quæ conſiſtit in eo, quòd ſive in hac, ſive in illa materia (quod tantùm eſt diſcrimen aliquod materiale) homo non ſubjiciat intellectum ſuum Deo loquenti, ſive veracitati divinæ; quod æqualiter habet locum in omni materia revelata.

Porrò ſi à me quæritur; an ſaltem apoſtaſia non ſit explicanda in Confeſſione? Reſpondeo; non eſſe explicandam ratione malitiæ, ſpecie diſtinctæ in genere infidelitatis. Sicut enim non eſt alia ſpecies intemperantiæ, quæ committitur ab illo, qui anteà fuit temperans, ab ea, quæ committitur ab illo, qui anteà non fuit temperans; nec primum furtum eſt ſpecie diverſum in ratione injuſtitiæ, ex eo, quòd priùs juſtitiam obſervaveris; ſic neque infidelitas eſt ſpecie diverſa in genere infidelitatis, ex eo, quòd priùs Fidem amplexus fueris, 312. An Apo[ſta]ſia ſit ex[plican]da in Confeſſ[io]ne?

tis, ſed ad ſummum erit circumſtantia aggravans. Jam autem apoſtaſia, ultra infidelitatem, non importat, niſi Fidem anteà habitam, à qua per apoſtaſiam receditur ſive ad Paganiſmum, ſive ad Judaïſmum, ſive ad Hæreſim.

Confirmatur: quia vel non magìs opponitur veracitati divinæ deſerere Fidem, quàm eam non recipere; vel certè non eſt oppoſitio ſpecie diſtincta, quamvis poſſit aliquando eſſe gravior, propter majus lumen, quod habet Catholicus ad non negandam Fidem, quàm infidelis ad eam recipiendam.

313. Perinde autem eſt, Fides ſuſcepta fuerit in Baptiſmo, ſeu extra Baptiſmum: nam in Baptiſmo nullum fit votum, aut promiſſum propriè dictum. Renuntiatur quidem diabolo, & omnibus actibus ejus; ſed abſque intentione novæ obligationis; alioquin omnia peccata baptizati, ex baptiſmo contraherent ſpecialem malitiam, quod non eſt credibile, præſertim cùm certum ſit parvulos in Baptiſmo nullum emittere votum, vel promiſſum alicujus Fidei ſeu Religionis, vel alterius virtutis.

Nec obligari poſſunt per votum eorum, qui eos offerunt baptizandos; quia obligatio voti eſt omninò perſonalis, nec quemquam afficere poteſt, ſinè proprio ejus conſenſu, cujus utique incapaces ſunt iſti pueri, ſicuti & cognitionis: nihil autem volitum, niſi cognitum. Nec etiam poſtea ordinariè, quando adoleverunt, emittunt ejuſmodi votum, aut promiſſum; cùm frequenter hoc eis non veniat in mentem; ùt patet in iis, qui à prima pueritia imbuuntur infidelitate, poſt Baptiſmum ſuſceptum.

314. Quantùm ad obedientiam, ex Baptiſmo debitam Eccleſiæ & Pontifici, ſi eſſet aliqua hæreſis (quæ de facto non eſt) quæ non negaret obedientiam Pontifici; conſtat, quòd tali caſu non foret apoſtaſia ſpecialiter explicanda in Confeſſione: neque modò in ordine ad praxim eſt neceſſe, ut explicetur; nam hoc ipſo, quo quis confitetur peccatum infidelitatis, ſufficienter ſignificat ſe à Fide priùs habita receſſiſſe; & peccaſſe contra debitum obedientiæ & ſubjectionis reſpectu Eccleſiæ, quandoquidem ſola peccata hominis baptizati ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Hactenus de circumſtantia, *Quid*, prout ſe tenet ex parte rei volitæ. Addo unum caſum de eadem circumſtantia, prout ſe tenet ex parte perſonæ, ad quam terminatur peccatum; & quæro: Utrùm in delectatione interna debeant explicari circumſtantiæ perſonæ, quæ peccanti objicitur; v. g. delectatur quis turpiter de copula cogitata cum perſona conjugata: quæritur an debeat in Confeſſione explicare circumſtantiam Matrimonii? Reſpondeo:

CONCLUSIO XV.

Delectatio moroſa probabiliùs contrahit omnem malitiam, quæ eſt in objecto: v. g. ſi eſt de copula cùm nupta, Deo obſtricta &c. induit præter malitiam fornicationis, malitiam adulterii, ſacrilegii &c. niſi una ratio malitiæ ab alia præſcindatur, ſaltem negativè, & de una præcisè ſit delectatio.

Delectationem voco ſimplicem complacentiam ſeu affectum inefficacem: moroſam appello non à mora temporis (poteſt quippe temporis momento committi, ſicut & alia peccata) verùm quia; poſitâ jam plenâ advertentiâ ex parte intellectûs, tenetur voluntas in illo affectu non immorari, ſed illum continuò reſpuere. Patet ex D. Auguſtino lib. 12. de Trinit. cap. 12. ibi: *Nec ſanè cùm ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ ſtatim, ùt attigerunt animum, reſpui debuerunt, negandum eſt eſſe peccatum.* 315. Quid ſit delectatio moroſa. S. Auguſt.

An autem per peccatum S. Doctor intelligat peccatum mortale, nolim hìc diſputare; ſed cum communi ſententiâ (quidquid ſit de mente D. Auguſtini, quæ non eſt ſatis clara) ſuppono, delectationem moroſam de opere mortaliter peccaminoſo (etiam ſecluſo periculo proximo conſenſûs in ipſum opus externum, quod ſæpiùs adeſt) eſſe peccatum mortale. Eſt peccatum mortale de opere mortali.

Dico: *De opere mortaliter peccaminoſo*; quia cogitatione rei malæ delectari per ſe non eſt malum, ſicut & hæc ipſa cogitatio per ſe mala non eſt. Sic quippe Deus delectatur non de exiſtentia peccatorum, aut de ipſis peccatis, ſed de ſua cognitione, quam de peccatis habet: gaudet ſiquidem ſe eſſe cognoſcitivum peccatorum, caſu quo illa exiſtant. Veluti Superior licitè gaudet, non quòd ſubditus peccaverit, ſed quòd deprehenderit peccatum, ut ſic puniat. 316. Delectari cogitatione rei malæ per ſe non eſt malum.

Igitur in qualibet rei apprehenſione ſive per ſenſum, ſive per intellectum, duo poſſunt conſiderari, videlicet ipſa apprehenſio, & objectum ejus; & ex utroque naſci poteſt delectatio; primò ex apprehenſione, quatenùs eſt cognitio veritatis, aut rei admirandæ, raræ vel novæ: talis quippe cognitio delectat, & magni apud homines æſtimatur; eſtò ſit

illarum rerum, in quarum uſu nihil eſt voluptatis: unde curritur ad videnda ſpectacula, etiam rerum triſtiſſimarum. Secundò ex re apprehenſa.

317. Differentia inter delectationem de cognitione, & de re cognita. Porrò differentia inter illas delectationes eſt, quòd prima pro objecto habeat notitiam rei, quæ apprehenditur tamquam bonum delectabile; quia voluptuoſum eſt audire, videre aut intelligere ipſam rem, quamvis eam deteſtemur; v.g. quando narramus miſerias præteritas. Secunda delectatio habet pro objecto rem apprehenſam, & cognitio ſolùm ſe habet per modum cauſæ applicantis objectum delectabile.

Ex quo fit, quòd hæc delectatio ſit ſimilis illi, quæ perciperetur ex ipſa re, ſi foret præſens. Et quid mirum? Sequitur quippe ex affectu & amore erga eam. Enimverò imaginationem parere delectationem ſimilem, quam cauſat ipſa res, patet in ſomniis; quoniam phantaſia habet vim ſenſuum exteriorum. At verò delectatio, quæ oritur ex ſola cogitatione objecti, magìs ſpiritualis eſt, & planè diverſæ rationis, utì & ipſa notitia ſpiritualis eſt, & planè diverſæ rationis ab ipſa re cogitata.

Quare una ſit mala & alia non ex Felice. Itaque ſi à me quæritur, quare cogitare fornicationem de ſe non ſit malum; & velle illam ſeu efficaciter, ſeu inefficaciter, de ſe ſit malum? Reſpondeo cum Felice de Peccatis cap. 15. diff. 1. n. 6. quia in fornicatione eſt veritas, quam apprehendit intellectus per cognitionem: neque ex hoc coïnquinatur intellectus: nam Deus cognoſcit eandem veritatem: neque eſt defectus in illo, quia nec decipitur intellectus, neque errat, ſed cognoſcit ſuum objectum: at verò voluntas inquinatur; nam habet affectum ad rem malam, quod eſt malum & prohibitum.

318. Objectio. Sed contrà: qui delectatur cogitatione, etiam delectatur re turpi; nam ſi eſſet aliud objectum cogitationis, non caperet ullam delectationem: ergo talis delectatio aliquo modo coïnquinat, ſi non intellectùm, ſaltem voluntatem.

Solvitur. Reſpondeo Neg. Antecedens: nam res turpis ſolùm ſe habet ùt conditio, ſinè qua non foret delectatio, & talis conditio non inficit delectationem; per conſequens nec voluntatem, ſicut delectatio de Contritione peccati, non inficitur à peccato; neque voluntas Dei, permittens peccatum, inquinatur à peccato.

Objectum delectationis moroſæ eſt ipſa res mala. Itaque objectum delectationis moroſæ, de qua hìc tractamus, non eſt cogitatio ſeu cognitio rei malæ, ſed ipſa res mala; quæ malitia, ſi ſolùm fuerit venialis, etiam malitia delectationis moroſæ non erit niſi venialis. Et ideo ſignanter dixi: *De opere mortaliter peccaminoſo*, v. g. de fornicatione, duello, furto &c. quà talia ſunt, id eſt, de ipſo opere ſecundùm ſe, & non tantùm de modo operis, qui ſæpè indifferens eſt, & ideò tunc non inficit delectationem.

Hinc ſinè ſcrupulo gravioris peccati, viri etiam ſancti ſæpè delectantur & rident, videndo & audiendo contentiones, maximè mulierum, bella, duella, furta &c. aliquando etiam delectantur audiendo fornicationem, non de actu illo malo; ſed propter aliquam circumſtantiam indifferentem, v. g. ingenioſum modum fallendi virginem, non cogitando de copula. 31[illegible] Licet ... ſtatio ... do ... tenti ... jus m ... aſtio

Nec obſtat, quod ille aut ſimilis modus, v. g. dexteritas in pugnando vel furando, non ſit diſtinctus ab opere; quia quamvis realiter non ſit diſtinctus tamen modaliter, aut ratione diſtinguitur, quod ſatìs eſt, ut ſecundum ſe apprehendatur, & de eo ſic apprehenſo voluntas delectetur. Et ratio ulterior eſt: quia licèt modus hic in individuo, non poſſit ſeorſim exiſtere ab hoc opere, tamen ſimilis in ſpecie, poteſt inveniri in alio opere licito, v. g. quod unus adhibuit in occiſione injuſta, poteſt alter adhibere in occiſione juſta. Ergò nil vetat, quin poſſit aliquis ſic delectari de modo, ut non delectetur de ipſo opere malo. Eapropter licèt non poſſit efficaciter velle hunc modum in individuo (quia tunc convincitur ſimul velle ipſum opus, cùm abſque opere non poſſit poni iſte modus) equidem poterit efficaciter velle ſimilem modum in materia licita. Occu... object...

Suppoſitâ ergo malitiâ delectationis moroſæ, quæritur hìc, ex quo deſumat ſuam ſpeciem, & an omnes ſint ejuſdem ſpeciei; adeoque ſufficiat in Confeſſione dicere: *Habui delectationem moroſam de opere mortaliter peccaminoſo*; an verò neceſſarium ſit explicare illud opus, & omnes ejus circumſtantias, eodem modo, quo explicari debent, quando confiteor voluntatem efficacem. 3[illegible] Et q... lectati... moroſ... ſumat... ſpecie...

Concluſio noſtra eſt communis, &, ſi vera eſt (quod puto) patet, aliquando neceſſarium eſſe, explicare in Confeſſione opus, & omnes ejus circumſtantias, aliquando verò non; ſed illam ſolam circumſtantiam, quam intellectus voluntati propoſuit, & voluntati placuit. In hoc quippe conſiſtit malitia delectationis moroſæ, quòd homo habeat affectum conformem ijs, quæ ſunt peccata. Ergo delectatio moroſa omnem illam & ſolam malitiam contrahit, quæ proponitur voluntati, & poſitivè voluntati placet. Summa ſummarum, delectatio moroſa ſumit ſuam ſpeciem, & per conſequens diſtinctionem ſpecificam ex objecto formali; voluntas autem efficax etiam ex objecto materiali. Probat... Concl...

Explico: ſi delectatio ſit de copula cum conjugata, quatenus eſt conjugata ita ut objectum non ſolum delectet, quatenus femina eſt pulchra & grata, ſed etiam quatenus eſt conjugata, talis delectatio non ſolùm eſt contra temperantiam, ſed etiam contra juſtitiam; & utraque

Digitized by Google

utraque malitia eſt explicanda in Confeſſione. Sin autem non placeat voluntati mulier, quatenus conjugata eſt, ſed tantùm quæ conjugata eſt, quatenus pulchra & grata, ita quòd actus tuæ delectationis tantùm feratur directè in fœminam non tuam, præſcindendo ab alijs circumſtantijs, dico, in eo actu eſſe ſolam malitiam contra caſtitatem, & illam unicam eſſe explicandam in Confeſſione.

321. Nunquid eadem ratio voluntatis efficacis? patet quòd non: cùm enim hæc tendat in objectum non quatenus per intellectum proponitur, ſed ùt à parte rei eſt (verſatur quippe circà actum externum, ùt finem & terminum, ſeu effectum ſuum) ſicut impoſſibile eſt, ut copula externa cum tali perſona, non ſit copula cum perſona aliena; ita impoſſibile eſt, ut voluntas velit efficaciter illam copulam, & non velit indirectè & interpretativè copulam cum aliena. Quid ergo mirum, ſi voluntas iſta contrahat totam malitiam, quæ reperitur in objecto, etiam ſolùm materiali? At verò affectus inefficax, cùm non reſpiciat opus externum ùt finem & terminum, ſeu effectum ſuum, ſed purè putè ùt objectum, vel nullo modo tendit in illas circumſtantias, vel tendit formaliter & directè. Nam quòd voluntas efficax tendat indirectè, ratio eſt (ùt jam jam dixi) quia tendit in objectum ſeu actum externum, ùt à ſe faciendum, utique cum illis circumſtantijs: ergo qui vult efficaciter talem actum, neceſſariò etiam vult, ſaltem interpretativè, illas circumſtantias, eſtò explicitè & formaliter deſideraret earum abſentiam.

322. Neque hæc doctrina repugnat primæ Concluſioni præſentis ſectionis, quæ ſic ſe habet: *Peccata ſpecie & eſſentialiter diſtinguuntur ex rectitudinibus, quibus privant*; quia (ùt ibi oſtendimus) illæ rectitudines diſtinguuntur per objecta, ergo etiam peccata, quæ iſtis rectitudinibus privant. Proinde delectatio moroſa ſpeciem ſumit, & ſpecie diſtinguitur, tum ex oppoſitione cum virtute, tum etiam ex objecto, quod formaliter & directè reſpicit, quoniam tale objectum ſic reſpicere, opponitur tali virtuti: v. g. in exemplo antea poſito reſpicere fœminam conjugatam, non quà conjugatam, ſed dumtaxat quà fœminam, opponitur virtuti caſtitatis, quæ copulam cum fœmina, taliter per intellectum voluntati propoſita, prohibet, & per conſequens delectationem moroſam, ſeu affectum voluntatis, tali copulæ conformem. Et verò quia juſtitia non prohibet, niſi copulam cum aliena, hinc reſpicere fœminam conjugatam, non quà talem, ſed dumtaxat quà fœminam, non opponitur virtuti juſtitiæ; & per conſequens talis delectatio moroſa non contrahit malitiam injuſtitiæ, quoniam objectum ejus non eſt injuſtum ſeu injuſtitia.

323. Objectio. Sed contrà: ſi hodie gaudeas de adulterio heſterno, gaudium iſtud contrahit malitiam adulterij, eſtò non ſit cauſa ipſius, nec influat in illud: ergo tametſi delectatio moroſa non ſit cauſa operis, poterit nihilominùs contrahere totam malitiam operis.

Reſpondeo concedendo totùm; ſi de tota malitia ſit delectatio moroſa; eſtque expreſſa noſtra Concluſio. Et idem dico de gaudio adulterij heſterni, videlicet contrahere malitiam adulterii, ſi directè & formaliter reſpiciat injuſtitiam, quæ fuit in illo opere: ſin minus, & ſolùm reſpiciat malitiam luxuriæ, dico, nequàquam côtrahere malitiã adulterij ſeu injuſtitię. Solvitur.

Difficiliùs objicies: Sicut aliquis non delectatur formaliter de adulterio, ſed tantùm de libidine, & ideo non contrahit malitiam injuſtitiæ, ſed tantùm fornicationis; ſic non delectatur de malitia fornicationis (illa enim potiùs eſt objectum odij, quàm amoris, cùm nemo intendens in malum operetur) ſed de voluptate, quam omnibus modis optat non eſſe prohibitam & malam, & quæ ſecundùm ſe præſcindit à licita & illicita: nam ſicut illa fœmina poterat non eſſe conjugata, & ideo libido, de qua delectaris, ſecundùm ſe præſcindit ab adulterio; ſic poterat eſſe uxor tua, & per conſequens copula, de qua delectaris, præſcindit à fornicatione, immo licita eſt ſub illà conſideratione: ergo etiam licita eſt delectatio moroſa de tali copula. Et ſanè quis audeat negare, Ioannem licitè deſiderare Agnetem in uxorem, ut eâ frui poſſit? Et quis ambigit viduã poſſe delectari de pręterito actu conjugali? 324. Alia objectio.

Reſpondeo: nemo ambigit, viduæ licitum eſſe delectari de præterito actu conjugali, quà præterito, & ſponſæ de futuro actu conjugali quà futuro; ſed dico ego cum communi ſententia: neque viduæ de præterito actu conjugali, neque ſponſæ de futuro licèt libidinosè delectari, id eſt, admittere delectationem libidinoſam de copula carnali ùt præſenti, quibuſcumque conditionibus vel circumſtantiis honeſtis voluntas ſe muniat, ſi conditiones & circumſtantiæ in re actu non ponantur. Reſponſio. Non licet viduæ de præterita copula, nec ſponſæ de futura venereè delectari.

Ratio: quia copula carnalis ùt præſens, abſolutè hìc & nunc illicita eſt, niſi conditiones iſtæ & circumſtantiæ honeſtæ in re actu ponantur, id eſt, niſi actu ſit proprius vir, aut actu Deus diſpenſaverit in præcepto fornicationis. Cùm ergo delectatio talis ſit, quale eſt ejus objectum formale; hæc autem delectatio verſetur circa objectum delectabile carni præſens, putà copulam carnalem, ùt eſt actus tactui conveniens, & hæc ipſa ſub illa ratione ſit mortaliter peccaminoſa; neceſſe eſt, etiam ipſam delectationem eſſe mortaliter illicitam.

Nec obſtat; quòd per mentem una malitia poſſit ab alia præſcindi, & objectum proponi tamquam malum unâ malitiâ, & non aliâ; immò objectum materialiter malum proponi tamquam bonum; quia in noſtro caſu proponitur objectum quod illicitum eſt, ſub ea 325. Occurritur objectioni.

Digitized by Google

ratione quâ illicitum eſt, ſcilicet copula ut carni delectabilis, tamquam ſi præſentialiter adeſſet.

Cùm ergo à parte rei illa copula, ſic propoſita, mala ſit, non poteſt non delectatio circa illam, ſeu affectus voluntatis ei conformis, quâcumque aliâ conditione per mentem poſitâ, eſſe malus. Aliud foret, ſi proponeretur tamquam utilis ad generandam prolem, tamquam opus debitum conjugi ex juſtitia &c. ſed tunc non erit delectatio libidinoſa, de qua hic agimus.

326. *Quid ſit delectatio libidinoſa.* Rogas, quid ſit delectatio libidinoſa? Tabiena V. *Cogitatio moroſa* q. 8. ſic ait: Ex quibus dictis patet expreſsè, quòd omnis conſenſus in delectationem libidinoſam; & omne id, quod fit ad hanc nutriendam, vel fit propter eam, ſive oſculum, ſive tactus, ſive aſpectus, omnia ſunt peccata mortalia: Ex quo expreſsè ſequitur, quòd non ſolùm delectatio, quæ eſt propter illum actum nefarium, eſt peccatum mortale (ùt Iſti dicunt) ſed etiam delectatio, quæ eſt in cogitatione cum conſenſu, etiam ſinè actu, eſt peccatum mortale. Si igitur iſta fierent ſinè delectatione libidinoſa, id eſt, ſinè motione ſpirituum circa libidinoſas partes, quæ motio non fit ſinè delectatione &c. Huc uſque præfatus Auctor.

Ergo, ſecundùm iſtum Auctorem, delectatio libidinoſa, eſt motio ſpirituum circa libidinoſas partes, ſeu delectatio quæ fit cum tali motione. Porrò hujuſmodi motionem malam eſſe his, quibus non eſt licitus actus, ad quem diſponit, nemo eſt qui dubitat. Cùm ergo neque viduæ, neque ſponſæ licitus ſit actus copulæ, ad quem diſponit ejuſmodi motio; pari paſſu illicita erit illa motio, & omnis ille affectus, ſive in voluntate, ſive in appetitu, quem ex natura ſua talis motio ſubſequitur.

327. *Eſt illicita illi, cui non eſt licitus actus ad quem diſponit.* Quidni ergo illicitus ſit ſimplex affectus voluntatis circa copulam, ùt carni delectabilem, tamquam ſi præſentialiter adeſſet? Hunc quippe affectum ex natura ſua talis motio ſubſequitur, aut certè concomitatur, ſive cogites te eſſe conjugatum, ſive non, ſive apprehendas Deum diſpenſaſſe in fornicatione, ſive non. Niſi ergo à parte rei ſit conjux tua, de qua cogitas, & niſi reverà Deus diſpenſaverit in fornicatione, per conſequens in iſta motione, quæ eſt diſpoſitio ad illam, delectatio veneria erit tibi mortaliter peccaminoſa, utpote prohibita per virtutem caſtitatis.

Et quamvis affectus iſte ſit inefficax reſpectu illius objecti, circa quod verſatur, v. g. circa copulam carnalem; equidem eſt efficax comparatione motionis ſpirituum circa libidinoſas partes, quæ opponitur virtuti caſtitatis. At verò planè inefficax eſt, & nullatenus cauſa alicujus injuſtitiæ contra maritum uxoratæ, ex cujus cogitatione ea voluptas ſuſcipitur; adeòque per talem actum caſtitas ſola læditur, non juſtitia: niſi injuſtitia poſitivè placeat.

Poſitivè, inquam: quia arbitror cum Dicaſtillone diſp. 9. n. 633. non eſſe neceſſariam poſitivam quamdam repulſam aut rejectionem injuſtitiæ, conſideratione apponendo hanc conditionem: *Si non eſſet conjugata*, quæ conditio non videtur habere locum pro actu delectationis, quæ de facto & abſolutè habetur, ùt oſtendit idem Auctor n. 631. ſed dico, ſatis eſſe ad evitandam malitiam injuſtitiæ, quòd tantùm delecteris de objecto carnali, ita ut nullo modo actu tuo feraris in rationem conjugatæ, etiamſi videas eſſe conjugatam. 3..

Et ideò addidi in Concluſione, *ly Saltem negativè*. Ratio eſt: quia quando malitia injuſtitiæ præſcinditur negativè, tunc delectatio illa nec directè, nec indirectè, fertur in adulterium: non directè, quia non delectatur de damno alterius, ſed de voluptate carnali, quam concipit in ea copula, quam cogitat: non indirectè, quia cùm ſit inefficax actus, non eſt cauſa alicujus injuſtitiæ ſeu actûs injuſti.

Si inferas: Ergo rariſſimè delectationes moroſæ de copula cum conjugata aut Religioſa &c. contrahent totam malitiam, quæ eſt in objecto: quis enim ex mille directè intendit injuſtitiam aut ſacrilegium? Immo videtur, quòd numquam: quia nemo intendens in malum operatur. 31

Reſpondeo; bonum eſſet, quòd numquam delectationes moroſæ contraherent malitiam adulterii aut ſacrilegii, & puto quòd rarò contrahant: interim poſſe contrahere, non dubito; ſi enim aliquis poteſt efficaciter velle adulterium, non ſolùm quà eſt actus carni delectabilis, ſed etiam quà eſt actus alteri injurioſus; quidni etiam de ipſa injuria poſſit ſimpliciter delectari? Non quaſi iſta malitia ſit ultimatum motivum delectationis; ſed quia in ea apprehendit aliquam rationem boni, v. g. bonum vindictæ & ſatisfactionis injuriæ, ſibi priùs illatæ. Ut ergo illa injuſtitia tribuat ſuam malitiam delectationi moroſæ, ſufficit quòd formaliter & directè in eam tendat, tametſi ibi non ſiſtat; ſed rurſus in ea apprehendat, & eam ordinet ad aliquam rationem boni veri vel apparentis.

Ex dictis facilè reſolvitur hæc quæſtio: Utrùm omnes delectationes moroſæ ſint ejuſdem ſpeciei? Nam ſi dantur delectationes moroſæ non ſolùm in materiâ luxuriæ (ùt Aliqui exiſtimant) ſed in quacumque materia (ùt communior & verior docet ſententia) nihil manifeſtiùs eſt, quàm delectationes moroſas ſpecie diverſificari, ſimili ratione, quâ actus efficaces, in diverſis materiis: proinde ſicut actus efficax fornicationis diſtinguitur ſpecie ab actu efficaci homicidii; conſimiliter actus inefficax ſeu delectatio moroſa fornicationis diſtinguitur ſpecie ab actu inefficaci ſeu de- 33.

delecta-

lectatione moroſa homicidii. Sin autem non dentur delectationes moroſæ, niſi in materia luxuriæ, tunc major dubitatio eſt, an inter illas delectationes ſit invenibilis diſtinctio ſpecifica, an verò omnes ſint ejuſdem ſpeciei?

Et ratio dubitandi eſt: quia eſt idem effectus corporalis motionis & excitationis ſpirituum, ſubſervientium generationi, ratione cujus effectûs, & quidem ſolius, videtur delectatio moroſa eſſe mortaliter peccaminoſa. Sive ergo delecteris venereè de copula fornicaria ſeu de copula ſodomitica, vel de pollutione aut beſtialitate, non apparet aliqua diverſa ſpecie malitia contra caſtitatem. Ita docet Arriaga de Peccatis diſp. 47. n. 25.

Cùm (inquit) ùt ſuprà diximus, delectationum malitia non deſumatur ex malitia objecti; probavimus enim de objecto bono poſſe eſſe malas, ſed præcisè ex eo, quòd cauſant pollutionem & motus, ùt in hac concluſione ſupponimus: hi autem motus & pollutio eadem ſint, ſivè ex ſodomia cogitata, ſive ex fornicatione proveniant, non video cur debeat indè deſumi ulla diverſitas ſpecifica peccati: ſicut in ſententia illorum, qui dicunt, peccare contra caſtitatem eum, qui dat cauſas pollutionis in cibis vel equitatione. Certè ſi eodem modo ſequatur pollutiò ex cibis, quo ex equitatione; idem omnino erit peccatum equitare, quod comedere. Hæc ille.

Porrò Dicaſtillo diſp. 9. n. 624. Quamvis (reponit) ea commotio, ſecluſo reſpectu ad actum delectationis, ex quo procedit, ſit ejuſdem ſpeciei phyſicè loquendo; non tamen eſt ejuſdem ſpeciei moraliter: quia ſi procedat ex actu delectationis cogitatæ copulæ naturalis, eſt inchoatio illius, ſi verò ex delectatione cogitatæ copulæ ſodomiticæ, eſt inchoatio ſodomiæ; & ſic de reliquis: proveniunt enim ab actibus, directè reſpicientibus diverſam in genere moris voluptatem, ſicuti actus ipſi conſummati, licèt eodem genere ſubminiſtrationis phyſicè ſeminis perficiantur, in genere tamen moris diverſi ſunt.

Ideo meritò Vaſquez 1. 2. diſp. 112. n. 4. Salas 1. 2. tom. 2. tract. 13. diſp. 16. ſect. 6. n. 60. Caſtrus Palao tom. 1. tract. 2. diſp. 2. punct. 10. §. 4. n. 4. & Alij noſtræ ſententiæ docent, explicandum in Confeſſione, ſi delectatio oriatur ex cogitata copula ſodomitica vel beſtiali; quia omninò ſunt diſtincta à copula fornicaria, & ſpecialem cum virtute caſtitatis oppoſitionem habent. Hucuſque Dicaſtillo.

Rogas, quid ego ſentiam? Reſpondeo I. commotionem illam eſſe ejuſdem ſpeciei tam phyſicè, quàm moraliter loquendo, etiam facto reſpectu ad actum delectationis, ex quo procedit, niſi ſit periculum proximum copulæ cogitatæ: tunc enim, ſicut copula naturalis diſtinguitur ſpecie à copula contra naturam; indubiè etiam commotio, quæ eſt inchoatio & proxima diſpoſitio ad copulam naturalem, ſpecie diſtinguitur à commotione, quæ eſt inchoatio & proxima diſpoſitio ad copulam contra naturam. Ratio quia periculum proximum imbibit malitiam peccati, cujus eſt periculum. Hoc autem periculo ſecluſo, neſcio cur hæc commotio debeat dici inchoatio copulæ naturalis, iſta autem copulæ contra naturam; & non potiùs tam hæc, quam illa commotio, inchoatio pollutionis ſeu molitiei, cujus ſemper eſt periculum, quando deëſt occaſio copulæ, ſicut ſæpiſſimè deëſt.

Reſpondeo II. nihilominùs illas delectationes venereas diſtingui ſpecie, ſi directè & formaliter reſpiciant diverſam voluptatem ſeu diverſam malitiam, quæ eſt in copula naturali & copula contra naturam, eodem modo, quo illæ malitiæ & voluptates diſtinguuntur: putamus quippe, delectationes venereas ſpecie diſtingui penes objectum formale, ſicut delectationes moroſę in aliis materiis, adeoque explicandas eſſe in Confeſſione. Sentit ſecundo.

Cæterùm exiſtimat Felix de Peccatis cap. 15. diff. 7. n. 4. delectationem veneream in voluntate viduæ de copula præterita, & in voluntate ſponſæ de copula futura, non eſſe mortalem. Probat: nam objectum non eſt malum mortaliter, nempe copula conjugalis. Et confirmatur: nam plus eſt, approbare, cupere & deſiderare, quàm delectari; ſed in vidua non eſt mortale, approbare copulam præteritam, & in ſponſis cupere aut deſiderare copulam futuram; ergo nec delectari de illa. 333. Sententia Felicis, delectationem veneream in voluntate viduæ de copula præterita non eſſe peccatum mortale.

Et contra Vaſquez probatur: quia ipſe ait, quòd ſi vidua delectetur ex motivo honeſto, non peccat mortaliter: ergo neque peccabit mortaliter, ſi delectetur ex libidine. Patet: nam talis libido in actu conjugali non eſt mortalis: ergo nec delectatio ex libidine erit mortalis. Denique ſi delectatio de ſe eſt mala, numquam ex fine honeſto bonificabitur: ſi ergo ex fine honeſto eſt bona, ex fine malo venialiter ſolùm, erit mala venialiter, non mortaliter. Ita præfatus Auctor.

Et quod magis fortè mireris, docet ibidem n. 6. delectationem veneream etiam in appetitu ſenſitivo non eſſe mortalem. Probat: Quandocumque voluntas eſt bona circa aliquod objectum, appetitus ſenſitivus illam ſequens, neceſſariò eſt bonus; immo faciliùs excuſatur actus appetitûs, quàm voluntatis: ſed delectatio voluntatis in vidua non eſt peccatum mortale; ergo nec delectatio appetitûs ſenſitivi. 334. Sed neque in appetitu ſenſitivo.

Et confirmatur: nam vel talis delectatio appetitûs eſt ante conſenſum voluntatis, vel non. Si ante, ergo non eſt peccaminoſa: ſi poſt; ergo cùm conſenſus voluntatis non ſit peccatum; ergo neque delectatio appetitûs ſenſitivi; quippe habent idem objectum. Hæc ille.

Si objicias ex Sanchio lib. 1. Sum. cap. 2. 335.

Objectio ex Sanchez. n. 33. Delectatio voluntatis poteſt eſſe de objecto conditionali; nam intellectus, ex cujus cognitione voluntas movetur, poteſt apprehendere & proponere voluntati objectum conditione veſtitum, ac à malitia præciſum: ſecùs verò delectatio appetitûs; nam imaginativa ſeu æſtimativa, ex cujus apprehenſione movetur appetitus ſenſitivus, nullam conditionem apponere poteſt: quia in conditionalibus eſt affirmatio & negatio, & in copula conditionali eſt quædam illatio; æquivalet enim cuidam Antecedenti & Conſequenti, ùt: *Si homo eſt animal, eſt ſenſibilis*, æquivalet huic: *Eſt animal, ergo ſenſibilis*. Inſuper in conditionalibus eſt quædam collatio & præciſio unius rationis ab alia. Quæ omnia ſolius intellectûs ſunt.

Reſponſio Felicis. Reſpondet Felix ſuprà n. 7. Quòd imaginativa poteſt repræſentare objectum, abſtrahens ab uſu licito vel illicito, & in illud poteſt ferri appetitus, ſicut fertur voluntas. Sicut ſecundùm Sanchez n. 35. licitè delectatur appetitus laici apprehendentis ſe Sacerdotem, ac audiendarum Confeſſionum juriſdictionem habentem, magnoque fervore Confeſſiones excipientem; aut ſe ex domini licentia numeroſam pecuniam expendentem; aut ſe judicem rectè munus ſuum obeuntem, ac de malefactoribus juſtiſſimas pœnas ſumentem: nam hæc omnia conditione deſtitutâ mala ſunt; & appetitus ſenſitivus fertur in ea abſolutè, & conditione deſtitutâ. Hucuſque Felix.

336. Inſtantia ex Sanchez. Et proſequitur dicens: ſed inſtat Sanchez, quòd actus venereus, & actus vindictæ, furandi &c. habent in ſe intrinſecam malitiam imbibitam, & ita niſi apponatur conditio malitiam auferens, delectatio de illis eſt mala, at verò audire Confeſſiones &c. ſunt de ſe bona, & non habent malitiam imbibitam, quamvis ut rectè fiant, indigeant conditione. Unde niſi quis delectetur de abſentia conditionis, non delectatur de re illicita.

Reſponſio Felicis. Reſpondeo; Quòd ſicut in delectatione venerea, ut non ſit mala, neceſſarium eſt ſimul conditionem apprehendi: ita ſimiliter in delectatione vindicandi de malefactoribus oportet apprehendere conditionem, nempe eſſe judicem: nam non apprehenſâ conditione, talis actus eſt malus, ac per conſequens & delectatio circa illum; nam audire Confeſſiones non Sacerdotem, malum eſt; & ut bonum ſit, debet ad minùs apprehendi Sacerdotium. Hactenus Felix.

337. Judicium Auctoris. Ego autem ſuſtineo, delectationem veneream non ſolùm in appetitu ſenſitivo, ſed etiam in voluntate eſſe mortalem, quibuſcumque circumſtantijs honeſtis voluntas ſe muniat (ùt patet ex dictis) idque quia objectum ejus mortale eſt, ſcilicet copula carnalis præſens, quæ tum viduæ, tum ſponſæ, mortaliter illicita eſt defectu matrimonij præſentis.

Pro quo adverte differentiam inter deſiderium & delectationem, quòd deſiderium pro objecto ſuo habeat rem futuram (eſt quippe proſecutio alicujus boni abſentis) delectatio autem rem præſentem; eſt quippe propenſio in bonum præſens. Deſiderium (inquit Felix de voluntate Dei cap. 6. diff. unicâ n. 13.) eſt de bono non habito: ergo de bono cognito vel futuro vel poſſibili. Et n. 16. Delectatio (inquit) eſt affectus & propenſio in bonum præſens & poſſeſſum. Diffe[rentia] inter de[ſi]d[erium] & delect[atio]nem. Felix

Igitur delectatio venerea eſt affectus & propenſio in copulam carnalem præſentem: ergo perperàm dicit Felix ſuprà de Peccatis c. 15. diff. 7. n. 4. Talis delectatio in voluntate viduæ de copula præterita, & in ſponſæ voluntate de copula futura, non eſt mortale. 33[8] Reji[ci]tur Felix

Similiter falſum eſt, quod ibidem ait: Plus eſt cupere & deſiderare, quàm delectari; cùm (ſecundùm omnes DD.) plus ſit frui Deo & delectari de Deo jam præſenti & poſſeſſo, quàm ipſum abſentem deſiderare ſeu ſperare. Proinde non ſequitur: licet ſponſæ deſiderium copulæ conjugalis, ergo etiam delectatio de copula conjugali; quia copula conjugalis futura eſt licita ſponſæ, ſecùs autem copula conjugalis præſens.

Reſpondet Felix ſuprà n. 5. concedendo delectationem, non ferri niſi in objectum præſens: matrimonia iſta viduæ & ſponſæ licèt non ſint præſentia in re, ſunt tamen cogitatione, & ita delectationes ſunt licitæ; nam actus circa objectum malum, apprehenſum ùt honeſtum, ſunt honeſti: ſunt tamen conſulendæ viduæ & ſponſæ, ut abſtineant à talibus delectationibus, ne exponant ſe periculo conſentiendi directè aut indirectè in præſentem libidinem, & frequenter inducunt periculum peccati mortalis. Hæc ille. Reſ[ponſio] Feli[cis]

Sed contrà: Illa præſens libido vel eſt mala, vel non: ſi mala, quomodò ergo delectationes libidinoſæ ſunt licitæ? Si non eſt mala, cur malus erit conſenſus in eam directus vel indirectus? Cùr ergo conſulendæ viduæ & ſponſæ, ut abſtineant à talibus delectationibus propter periculum conſentiendi directè aut indirectè in præſentem libidinem? Et verò ſi tales delectationes frequenter inducunt periculum peccati mortalis, vel ex hoc ſolo convincitur, eas non eſſe honeſtas ſeu licitas; cùm frequens periculum peccati mortalis, cenſeatur meritò periculum proximum. 33[9] Opp[ugnatur] ...

Deinde interrogo: quid eſt illa libido præſens? Numquid motio ſpirituum circa partes libidinoſas? Et putas, quia vidua vel ſponſa poteſt voluntariè illam motionem in ſe excitare abſque gravi peccato? Minimè (inquis) ſed bene poteſt illam permittere ex juſta & rationabili cauſa. Eſto: ſed numquid ſolùm permittit, qui ponit cauſam, ex qua de per ſe ſequitur talis motio? Clarum eſt quòd non. Jam Oppu[gnatur] ...

autem

autem delectatio ex libidine de copula matrimoniali, ex natura ſua nata eſt cauſare talem motionem. Ergo qui conſentit in illam delectationem, etiam conſentit in illam motionem, ſaltem indirectè. Ergo talis delectatio moroſa, id eſt, perfectè voluntaria, eſt peccatum mortale.

340. Nec refert; quòd illa matrimonia viduæ & ſponſæ ſint præſentia cogitatione, quia etiam matrimonium ſponſæ poſſet eſſe præſens cogitatione, dum ſponſus in re copularetur ſponſæ: numquid ideo copula foret licita? Sicut ergo præſentia illa non excuſat copulam iſtam à peccato fornicationis; ita neque motionem ſpirituum circa partes libidinoſas, quæ eſt diſpoſitio ad fornicationem; neque conſequenter delectationem ex libidine, quæ nata eſt cauſare hujuſmodi motionem.

Ex quo patet manifeſta diſparitas inter delectationem veneream de copula conjugali, & delectationem voluntatis vel appetitûs Laici, apprehendentis ſe Sacerdotem, ac audiendarum Confeſſionum juriſdictionem habentem, magnoque fervore Confeſſiones excipientem. Nam objectum formale hujus delectationis eſt per ſe honeſtum, & ùt tale apprehenditur, neque aliunde inficitur aliquâ malitiâ: at verò objectum formale delectationis venereæ, eſtò ſit copula conjugalis, quæ per ſe honeſta eſt; equidem aliunde inficitur malitiâ, propter conjunctionem ſeu effectum motionis ſpirituum ſubſervientium generationi, quæ motio non licet niſi conjugatis, communi calculo DD. à quo nullatenus eſt recedendum.

341. Itaque, ut finem imponamus huic controverſiæ; Primò, poſſum illicita (quæ non ſunt contra jus naturale ſtrictum) deſiderare ſub conditione: *Si mihi licerent*, vel: *Si non eſſent prohibita:* nam licèt hæc conditio nihil ponat ex parte objecti, ponit tamen aliquid ex parte affectûs, qui fertur in objectum præciſum à malitia, & nudatum à prohibitione.

Secundò, non poſſum de abſentibus, hìc & nunc illicitis, præſentem delectationem veneream admittere, quibuſcumque conditionibus vel circumſtantiis honeſtis voluntas ſe muniat, ſi conditiones & circumſtantiæ in re actu non ponantur. Patet ex dictis. Tertiò, poſſum ob finem honeſtum (aliàs non) inefficaciter delectari de actibus, ex ſe mortalibus, à culpa excuſatis, ratione ſomni, ebrietatis, amentiæ aut ignorantiæ.

342. Neque bene ſequitur: ſi liceat gaudere de pollutione inculpabiliter habita, licebit eam quandoque procurare. Siquidem Sacerdos licitè delectatur de morte malefactoris, eſtò nequeat eam procurare. Numquid licet gaudere de Paſſione Chriſti propter bonum effectum? Nullo tamen modo licebat eam procurare. Item poteſt quis deſiderare, ut pœnitens moriatur in bono ſtatu, ne fortè redeat ad peccata præterita; quis propterea dixerit, me illam mortem poſſe procurare?

Ratio eſt: quia procurare pollutionem, procurare Paſſionem Chriſti, procurare mortem pœnitentis, ſunt ex objecto ſuo mala, & à Deo prohibita; ſecùs naturalis pollutio, paſſio Chriſti, & naturalis mors pœnitentis: neque enim Deus prohibuit pollutionem, aut mortem naturalem, vel violentam malefactoris, ſed occiſionem innocentis, ſed ſeminationem, quæ ſubeſt gubernationi noſtræ, qualis non eſt illa, quæ naturaliter contingit abſque propria aut alterius cooperatione. Quidni ergo liceat eam deſiderare, & de illa habita ſpeculativè gaudere, propter bonum effectum? *Si* (inquit Doctor Angel. 4 diſt. 9. q. 1. a. 4. ad 5.) *placeat* (pollutio) *ut naturæ exoneratio aut alleviatio, peccatum non creditur.* Item 3. Part. q. 80. a. 7. in corp. *Sicut contingit ſanguinem fluere abſque peccato, ita & ſemen, quod eſt ſuperfluitas ſanguinis, ſecundùm Philoſophum.* Probatur.

Quid dicam de Paſſione Chriſti? Certùm eſt, quòd hæc ipſa ex objecto ſuo bona ſit, quamvis actio peſſima fuerit. Audiamus S. Leonem ſerm. 16. de Paſſione: *Numquid iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei eſt orta conſilio? & illud facinus, quod omni maius eſt crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc planè de ſumma iuſtitia ſentiendum eſt: quia multum diverſum eſt, quod in malignitate Iudæorum eſt præcognitum, & quod in Chriſti eſt Paſſione diſpoſitum. Non indè proceſſit voluntas interficiendi, unde moriendi, nec de uno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris.* Quid ergo miramur, ſi de tolerantia Redemptoris liceat gaudere, & non de atrocitate ſceleris? Si liceat gaudere de Paſſione Chriſti, eſtò illicitè eam procuraverint Judæi?

Si inferas: Ergo etiam licet deſiderare & gaudere de venerea delectatione, quæ per ſe concomitatur pollutionem naturalem ſeu inculpabilem. 343. Objectio.

Reſpondeo N. C. Rationem diſparitatis do: quia illa delectatio nullum alium habet finem à natura, niſi diſponere & incitare ad actum conjugalem. Cùm ergo hic actus ſit illicitus omnibus non conjugatis, etiam illa delectatio illicita erit. At verò pollutio ſecundùm ſe eſt utilis ad alleviationem naturæ immo aliquando ad conſequendam ſanitatem; ad quos effectus nihil juvat illa delectatio. Sicut ergo illi effectus ſecundùm ſe in quocumque ſtatu ſunt liciti, pari ratione licitum erit deſiderare & gaudere de cauſa illorum effectuum; ſecùs eam procurare propter illos effectus: quia procuratio intrinſecè mala eſt, & à Deo prohibita, utpote peccatum contra naturam generationis, cùm tamen pollutio naturaliter proveniens potiùs ſit ſecundùm naturam, cum vi ipſius naturæ ſemen expellatur. Porrò non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Solutio.

Sed

344. Inſtantia. Sed contrà, inquis: etiam ebrietas eſt intrinſecè mala, & tamen licet ſe inebriare cauſâ ſanitatis.

Solvitur. Reſpondeo: Numquam licet ſe inebriare: quia ly *Inebriare* ſignificat ſumptionem potûs inebriantis ex inordinata appetitione uſque ad violentam privationem uſûs rationis. Potiùs autem licet ſumere potum inebriantem uſque ad violentam privationem uſûs rationis cauſâ ſanitatis (ùt Aliqui volunt) quam ſe polluere ad eumdem finem; quia non obſtante tali fine adhuc pollutio repugnat caſtitati, quia eſt contra generationem; at verò privatio violenta uſûs rationis tali caſu (ſecundùm illos Auctores) non eſt contra ſobrietatem, quia non repugnat regulæ ejus, quæ eſt bona corporis valetudo & diſpoſitio ad mentis functiones.

345. Objectio. Contrà: etiam pollutio tali caſu non repugnat caſtitati; quia per ipſam homo, alioquin certò moriturus, fit magis aptus ad generandum: & quamvis generatio pro una vice impediatur; equidem non tam impedimentum, quàm adjumentum cenſeri debet, ſicut licèt pro parvo tempore impediatur uſus rationis, illud tamen pro nihilo moraliter reputari debet.

Diluitur. Reſpondetur diſparitatem eſſe; quòd regula caſtitatis non ſit bona diſpoſitio ad generandum; ſed vel abſtinere omnimodè à venereis, vel illis moderatè uti; porrò non eſt uſus moderatus, ex quo nequit immediatè ſequi generatio. Quamvis ergo per talem actum homo reddatur aptior ad generandum per alium actum ſubſequentem; nihilominus ex actu præcedente non poteſt immediatè ſequi generatio. Aliud eſt in ſumptione largioris potûs inebriantis; quia quando is potus ſumitur cauſâ ſanitatis, proximè & immediatè quaſi ex eo ſequitur bona corporis valetudo, & diſpoſitio congrua ad mentis functiones.

Bona diſpoſitio ad generandum non eſt regula Caſtitatis.

346. Quare non liceat procurare pollutionem cauſâ ſanitatis. Ratio ultimata & maximè efficax, quare non liceat procurare pollutionem cauſâ ſanitatis, eſt voluntas Dei, quæ nobis conſtat ex communi ſenſu Eccleſiæ, à quo in re tanti momenti non licet recedere, ſinè periculo graviter errandi.

Profectò ſi tali caſu liceret procurare pollutionem, frequenter homines ſibi fingerent ejuſmodi cauſam, propter nimiam propenſionem in delectationem carnalem per ſe connexam; adeóque parum curarent de Matrimonio contrahendo, cum manifeſto detrimento boni communis, id eſt, conſervationis ſpeciei. Ita Aliqui argumentantur: ſed malè; nam licèt pollutio poſſet eſſe utilis ſanitati, haùd equidem illa delectatio; adeóque adhuc illicitum foret intendere illam delectationem, in eamque conſentire. Ergò per hoc non impediretur Matrimonium, utpote neceſſarium, ut quis abſque peccato conſentiat in delectationem carnalem ſeminationis. Sed hæc ſatìs de controverſia; quæ non eſt propria huic loco.

Supereſt ut reſpondeamus his, qui docent non eſſe licitum delectari de actibus ex ſe mortalibus, v. g. homicidio, fornicatione &c. à culpa excuſatis ratione ſomni, ebrietatis &c. non eſſe (inquam) licitum delectari, etiam ob finem honeſtum. Ita Felix de Peccatis c. 15. diff. 9. n. 4. cum Aliis, quos citat. Ratio (inquit ille) eſt: nam (ùt ſæpè dixi.) delectatio ſeu complacentia, ex qua oritur, mutuatur malitiam ab objecto; ſed tale objectum eſt malum: ergò & delectatio. 3[47] An li[ceat] delect[ari] ſibi ſe mi[...] bus e[...] tis à c[...] rationi ſomn[...] Ratio [...] tentia [...] Felici[s] Prima

Si reſpondeas; objectum non eſſe malum, quia factum eſt abſque libertate. Contrà (inquit Felix) libertas non requiritur ad malitiam objectivam, ſed ad formalem: nam (ùt docet Scotus Quodl. 18. §. *De ſecundo*) ab alio ſumitur malitia, nempe à difformitate actûs cum natura rationali; & ab alio capite imputabilitas, nempe à libertate contingentiæ. Cùm ergò delectatio libera ſit, & circa objectum difforme; difformis & mala erit.

Secundò probatur: nam deſiderare hos actus, eſt peccatum; ergò delectari de illis. Patet Conſequentia: nam habent idem objectum. Ex quibus ſequitur, quòd ex nullo motivo poſſit honeſtari talis delectatio, cùm ſit de objecto malo. Hucuſque Felix. Secu[ndo]

34[8] Reſp[onſio] ad ſe[cun]dum. Reſpondeo ad ultimum; deſiderare inefficaciter hos actus propter bonum finem, non eſt peccatum: ergò ſimiliter inefficaciter de illis delectari propter bonum finem.

Ad p[rimam] Ad primam rationem dico, delectationem ſeu complacentiam inefficacem mutuari quidem malitiam ex objecto; non tamen ex omni objecto, ſed ex ſolo objecto formali: hîc autem objectum formale eſt finis bonus: ergò & bona delectatio. Proinde ſi ipſe actus malus, licèt hîc & nunc excuſatus à formali peccato, foret objectum formale meæ delectationis, utique talis delectatio foret mala, immò peccaminoſa, ſicuti peccaminoſa eſt delectatio circa fornicationem vel homicidium præcisè conſideratum ſinè ordine ad actum externum.

Qui v[ult] efficaci[ter] fornic[ari in] ebriet[ate] peccat. Nonne qui vult efficaciter fornicari in ebrietate, peccat? Planè: non quia vult objectum formaliter malum ſeu peccaminoſum (cùm fornicatio in ebrietate non ſit formaliter mala ſeu peccaminoſa defectu libertatis) ſed quia illa fornicatio eſt materialiter mala, ſeu peccatum materiale, utpote objectum à Deo prohibitum. Ergò etiam delectatio moroſa talis objecti erit formaliter peccatum; eſt enim affectus voluntarius ſeu liber conformis objecto, à Deo prohibito.

349 Objecti[o] ſolvitu[r]. Dices: Lex non prohibet aut præcipit actum niſi voluntarium & liberum. Reſpondeo cum diſtinctione: non prohibet aut præcipit formaliter, concedo; materialiter, nego. Hinc diſtinctio inter peccatum materiale & formale. Lex (inquit Felix ſuprà n. 5.) omne homicidium, factum ab homine privato, prohibet

Digitized by Google

hibet, & ita ſemper eſt malum, licèt aliquando non imputetur, defectu libertatis.

Sed contrà; ſi aliquando non imputetur, defectu libertatis; ergò nec tunc imputabitur delectatio moroſa; cur enim delectatio ſit formaliter peccaminoſa, cùm objectum ejus non ſit formaliter peccaminoſum? Reſpondeo: quia libertas, quæ deëſt objecto, non deeſt delectationi; ac proinde licèt objectum excuſetur à formali malitia, defectu libertatis, non ideo excuſatur delectatio quæ libera eſt (ùt ſupponitur) de objecto materialiter malo.

Dices: Delectari de omiſſione Miſſæ, jejunii &c. excuſatis ex juſta cauſa, ùt ex morbo, non eſt malum: ergò etiam non eſt malum delectari de homicidio commiſſo ex ignorantia vel ebrietate. Reſpondeo N. C. Ratio diſparitatis: quia illa omiſſio Miſſæ nequidem materialiter eſt mala, cùm non ſit prohibita; ſecùs illud homicidium.

Contrà: Lex prohibet omnem omiſſionem Miſſæ, ſicut prohibet omne homicidium factum ab homine privato, abſque moderamine juſtæ tutelæ. Reſpondeo: N. A. nam talis omiſſio Miſſæ eſt libera infirmo, & tamen non eſt peccatum formale: at verò homicidium liberum, factum ab homine privato, abſque moderamine juſtæ tutelæ, foret peccatum: ergò omiſſio Miſſæ tali caſu non eſt mala, neque prohibita, eſtò homicidium ſit malum & prohibitum. Hinc quia præceptum non furandi, non obligat extremè indigentem, nec præceptum homicidii, juſtè ſe defendentem; licitum eſt delectari de acceptione rei alienæ in extrema neceſſitate, & de occiſione injuſti invaſoris: ergò ſimiliter de omiſſione Miſſæ ex juſta cauſa, cùm illa non prohibeatur præcepto audiendi Miſſam.

Ex quo patet, quare potius liceat deſiderare aut gaudere de pollutione naturaliter habita in ſomno, quàm de fornicatione facta ſinè peccato formali in ebrietate: quia videlicet illa fornicatio objectivè mala eſt & prohibita; ſecùs pollutio, quæ tunc ſolùm eſt evacuatio naturalis; ſicut ſudor vel fluxus ſanguinis.

Atque ex his ſit impoſitus finis huic Concluſioni, & illis caſibus, qui pertinent ad circumſtantiam *Quid*; ne particulatim omnes & ſingulos expendendo ac trutinando, opus in immenſum excreſcat, dum falcem mittimus in totam Theologiam Moralem. Progrediar itaque ad circumſtantiam, *Vbi*, de qua hæc unica erit Concluſio.

CONCLUSIO XVI.

Peccatum externum in Eccleſia commiſſum contrahit indè aliquam malitiam ſacrilegii, ad minùs venialem, ſubinde etiam mortalem, ubì vel notabilis irreverentia in ipſo actu apparuerit, vel ſpecialis prohibitio intervenerit: propter quam placita ſæcularia, mercatus & alia, quæ referuntur in cap: *Decet*, de Immun. Eccleſ. in 6. ſacrilegia ſunt mortalia vel venialia pro ratione materiæ; ſicut & furtum, etiam rei ſolùm per accidens ibì exiſtentis.

Quid hoc loco intelligatur per Eccleſiam, facilè colliges ex dictis diſp. 5. ſect. 5. Concl. 18. ubì diffuſè egimus de aliquibus actibus quibus Eccleſia polluitur, Iure Canonico ita ſtatuente in pœnam peccati ſacrilegii ſeu irreverentiæ: neque enim illi actus ſacrilegi ſunt, quia polluunt; ſed vice versâ ideo polluunt, quia ſacrilegi ſunt; id eſt, quia ſpecialiter repugnant ſanctitati Eccleſiæ ſive ex jure naturali, ſive ex jure tantùm poſitivo; ideo Jus Canonicum annexuit illis hujuſmodi pœnam. 352. *Aliqui actus polluunt Eccleſiam, quia ſacrilegi ſunt.*

Sicuti in furto annecteretur Excommunicatio, non ideo furtum erit peccatum, quia Excommunicatio annexa eſt; ſed ideo Excommunicatio annexa eſt, quia furtum eſt tam grave peccatum. Et idem eſt, ſi furtum prohibeatur in loco ſacro ſub Excommunicatione; non ideo furtum illud erit ſacrilegium, quia annectitur Excommunicatio, ſed è contra ideo annectitur Excommunicatio, quia eſt peccatum ſacrilegii.

Quapropter non valet hæc Conſequentia: Occulta fornicatio, aut pollutio non polluit Eccleſiam; ergo non eſt ſacrilegium ſpecialiter in Confeſſione explicandum. Potuit quippe Pontifex velle prohibere quamcumque fornicationem aut pollutionem in Eccleſia (immò jure naturæ videtur prohibita ùt patebit ex dicendis) etſi noluerit annectere pœnam violationis, niſi fornicationi aut pollutioni notoriæ. Licèt ergo ad effectum ſeu pœnam violandi Eccleſiam, neceſſaria ſit conditio publicitatis ſeu notoreïtatis (ut ſic loquar) tamen 353. *Non valet: Occulta fornicatio non polluit, ergo non eſt ſacrilega.*

priùs committitur culpa, quàm talis effectus ſequatur: ſiquidem culpa non pendet ex futuro eventu, putà quia actus ſit futurus publicus vel non, ſed ex prohibitione Eccleſiæ, vel etiam ex natura rei. Jam autem Eccleſia ſuo præcepto non prohibet tantùm publicam emiſſionem ſeminis in loco ſacro, ſed ſimpliciter voluntariam, præſertim illicitam: neque ratio naturalis dictat ſolam fornicationem publicam eſſe contra reverentiam loci ſacri, ſed etiam quamlibet occultam.

Nonne vulneratio lethalis habet eandem malitiam ante effectum mortis, quam habet poſt effectum mortis? Planè: & tamen vulnerans, ante effectum mortis non fit irregularis, ſed tantùm poſt effectum mortis. Ergò conſimiliter fornicatio occulta poteſt habere, & cenſetur habere eandem malitiam ſacrilegii, quam habet fornicatio publica in Eccleſia, etſi quando occulta permanet, non habeat effectum violationis.

354. Objectio. Dices: Jura, quæ ſtatuunt Eccleſiam violari ſanguinis aut ſeminis effuſione (& idem eſt de aliis actibus) non faciunt mentionem prohibitionis; ac proindè tota ratio ſpecialis malitiæ ſacrilegii eſt, quòd Eccleſiam violent; atqui occulta fornicatio non violat; ergò &c.

Confirmatur. Confirmatur: Reverentia loco ſacro debita pendet ex hominum exiſtimatione; non poteſt autem ea exiſtimatio lædi, niſi hominibus innoteſcat, perindè atque homines non fiunt per crimina, aut per illatam ipſis ignominiam aut contumeliam contemptibiles, niſi aliis innoteſcat.

355. Solvitur objectio. Reſpondeo ad primum; expreſſam prohibitionem non habemus in illis juribus, neque etiam expreſſam impoſitionem pœnæ, ſed ſupponunt illa jura ante fuiſſe factam prohibitionem & pœnam impoſitam, ùt patet ex cap. fin. de Conſecr. Eccl. ibi: *Si Eccleſia non conſecrata cuiuſcumque fuerit ſemine aut ſanguinis effuſione polluta* &c. Et c. unico, eodem tit. in 6. ibi: *Si Eccleſiam pollui ſanguinis aut ſeminis effuſione contingat.* Igitur & prohibitio talis actûs, & annexio pœnæ, ante illa cap. ſupponitur facta. (*Cap. fin. de Conſec. Eccl.*)

Rogas, ubì facta ſit? Reſpondeo: expreſſum textum non habemus; ſed eſt communis ſenſus DD. & colligitur ex juribus jam allegatis: quæ licèt non meminerint prohibitionis, ſed ſolius pœnæ; equidem cùm pœna non infligatur ſinè culpa, aut certè ſinè juſta cauſa; eo ipſo, quo mentionem faciunt pœnæ, etiam implicitè ſignificant prohibitionem, ſi non juris Eccleſiaſtici, ſaltem juris naturalis; cùm omnes admittant, illos actus verè eſſe culpabiles.

356. Reſponſio ad confirmationem. Ad confirmationem dico; reverentiam loco ſacro debitam non magìs pendere ex hominum exiſtimatione, quàm reverentiam debitam aliis rebus ſacris. Sicut ergò perſonæ ſacræ irreverenter tractantur in occulto, ſimiliter vaſa ſacra; cur non etiam loca ſacra? An putas, qui Regi daret alapam in occulto, non peccaret contra reverentiam debitam Regi, etſi ex illa alapa Rex non fiat contemptibilis, niſi aliis id innoteſcat? Noli putare, ſi non vis errare. Ergò fornicatio occulta eſt contra reverentiam debitam loco ſacro, etſi per illam locus ſacer non fiat contemptibilis, niſi aliis id innoteſcat.

Deinde aliud eſt fieri contemptibilem, aliud in actu exercito contemni, ſicuti aliud eſt eſſe honorabilem, aliud in actu exercito honorari, ùt patet in eo, qui Regi dat alapam: nam in actu exercito Regem contemnit & inhonorat, cùm tamen Rex ſit maximè honorabilis. Ergò licèt Eccleſia per occultam fornicationem non contemnatur ab aliis, qui hanc ignorant; equidem verè contemptibilis eſt, id eſt, poterit contemni, & contemnetur, quando fornicatio fuerit publicata, quod ſufficit, ſecundùm probabiliorem ſententiam, ad malitiam ſacrilegii, ſeu indignè tractationis rei ſacræ. Hanc ſententiam docet Suarez de Relig. tom. 1. l. 3. c. 7. n. 4. quem ſequitur Sanchez & Bonacina apud Dianam p. 1. tract. 7. reſol. 26. & Alii plures. (*Aliud fieri contemptibilem, aliud actu contemni.* — *Suarez.* *Sanch.* *Bonac. Dian.*)

Et ſanè non ſolùm illos actus, qui Eccleſiam polluunt, eſſe ſacrilegos, ſed etiam omnia peccata externa, in Eccleſia commiſſa, docet prima pars Concluſionis. Ratio eſt: quia magìs repugnat rectæ rationi, quòd peccatum fiat in loco ſacro; quàm in loco profano: quippe ſuppoſitâ conſecratione, benedictione aut deputatione (quæ eſt inſtar conſecrationis) jus naturale dictat, illis locis majorem deberi reverentiam, quàm aliis locis; veluti ſuppoſitâ conſecratione calicis, jus naturale dictat, calici conſecrato deberi majorem reverentiam, quàm non conſecrato, ſecluſo quocumque jure poſitivo. Unde qui calice conſecrato uteretur in communi menſa, ſecundùm Omnes, peccaret peccato ſacrilegii; de quo egimus diſp. 5. ſect. 5. Concl. 29. (*35... Prob. I. p. Concl.*)

Ergò pari ratione in communi uſu loci ſacri inſtar aliorum, liquet ex natura rei dari ſacrilegium: v. g. ſi quis faciat ſordes ſuas in loco ſacro vel fornicetur, aut habeat copulam etiam maritalem extra neceſſitatem. In neceſſitate ceſſat hujuſmodi obligatio, ùt patet ex innumeris aliis caſibus, in quibus propter mutationem circumſtantiarum, moraliter mutatur ipſa materia, in tantum ut quod alioquin eſſet irreverentia & virtualis contemptus rei ſacræ, jam communi hominum apprehenſione non cenſeatur ampliùs irreverentia vel contemptus, ſed etiam ſubinde reverentia. Sic Davidi licitum fuit comedere panes propoſitionis in neceſſitate, quod extra illam non fuiſſet licitum, etiam ex natura rei, ſuppoſitâ tali ſanctificatione panum. Sic in neceſſitate licet ſuſcipere Euchariſtiam cum conſcientia peccati

Digitized by Google

peccati mortalis, quòd extra neceſſitatem ex natura rei foret illicitum &c.

Igitur dantur aliqui actus, qui ex natura rei, ſecluſo quocumque præcepto poſitivo, habent quamdam difformitatem ſeu repugnantiam cùm Sanctitate Eccleſiæ, ùt patet ex communi hominum apprehenſione, fundata in facto Chriſti, Joan. 2. v. 13. 14. 15. & 16. *Et prope erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam; & invenit in templo vendentes boves & oves & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo; oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit.*

Et cur hoc? Quia factum iſtud, eo modo quo tunc fiebat, reputavit ſacrilegium, & contrarium templi Sanctitati. Unde continuò attexitur: *Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Et Matth. 21. v. 13. rationem reddit his verbis. *Scriptum eſt: Domus mea Domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.*

Quid (putatis) feciſſet & dixiſſet Chriſtus, ſi inveniſſet in templo fornicarios, molles &c? Audi quid dicat Apoſtolus 1. Corint. 11. v. 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.* Si illi contemnunt Eccleſiam Dei, qui manducant & bibunt in Eccleſia ſinè neceſſitate, quæ tamen actio ex ſe eſt indifferens; quantò magìs qui fornicantur, occidunt, vel alia peccata externa committunt?

Appoſitè Gregorius X. in generali Conc. Lugdun. & refertur cap. 2. de Immun. Eccleſ. in 6. *Decet domum Domini Sanctitudo: decet, ut cujus in pace factus eſt locus, ejus cultus ſit cum debita veneratione pacificus.* Et infrà: *Sint poſtremò quæcumque alia, quæ divinum poſſunt turbare officium, aut oculos divinæ Majeſtatis offendere, ab ipſis prorsùs extranea, ne ubì peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi.* Nam in his peccatis (id eſt peccatis, quæ committuntur in loco ſacro) homines communiter apprehendunt aliquid ſpecialis malitiæ: undè & magìs ſcandalizantur. Non apprehendunt autem aliam malitiam, niſi irreverentiam in locum ſacrum.

Dices: Nullum peccatum commiſſum in die feſto ex natura rei indè contrahit malitiam mortalem ſacrilegii: ergò neque commiſſum in loco ſacro.

Reſpondeo diſparitatem eſſe; quòd locus ſacer, utpotè res permanens, propriè conſecretur & ſanctificetur; tempus autem, utpotè res tranſiens, ſolùm impropriè, & non aliter, quàm per determinationem aliquarum actionum, quæ in illo fieri debent aut omitti. Igitur peccata facta in loco ſacro ſunt graviora, quàm facta in die feſto; quia verſantur circa rem magìs ſacram, & per conſequens continent majorem irreverentiam.

361. *Aliqui actus ex natura rei graviter repugnant ſanctitati loci.*

Quidquid ergò ſit de peccatis, quæ committuntur in die feſto (de quo infrà ſpecialiter tractabimus) non videtur negandum, quin aliqui actus contrahant malitiam gravem ſacrilegii ratione loci ſacri, etiam ſecluſâ Eccleſiæ prohibitione; ùt ſi aliquis publicè ibi haberet copulam cum meretrice; ſi equos & jumenta induceret ùt in ſtabulum; ſi in ipſo ſacro altari idolis offerret ſacrificia; ſi tactibus impudicis ſe vel alium pollueret; hæc & ſimilia, etiam ſecluſâ prohibitione Eccleſiæ graviſſimè repugnant reverentiæ debitæ loco ſacro, ùt patet ex communi ſenſu fidelium, qui graviſſimè ſcandalizantur ſeu offenduntur, dum talia vel audiunt vel vident. Si populus offenditur graviter, quidni magìs Deus, cujus templum ſit ſpelunca latronum?

Eſtò per omnes illos non polluatur locus ſacer.

Nec refert; quòd non per omnia hujuſmodi peccata Eccleſia polluatur: nam (ùt antè diximus) non ideo ſacrilegium eſt mortale quia polluit Eccleſiam; ſed ideo polluit Eccleſiam; quia eſt mortale, & quia huic ſacrilegio mortali, & non illi, Eccleſia annexuit talem pœnam. Cur autem potiùs uni, quàm alteri, annexuerit talem pœnam, ſtat pro ratione prudens voluntas: fortè, quia unum ſacrilegium eſt gravius altero, & ne nimium multiplicarentur pollutiones Eccleſiarum.

362. *Regulariter ſolùm eſt malitia venialis ſecluſâ prohibitione Eccleſiæ.*

De cætero, regulariter malitia ſacrilegii, quæ ſuperadditur peccatis externis, ex circumſtantia loci ſacri, non niſi venialis eſt, ſecluſâ prohibitione Eccleſiæ: idque quia prudens ratio, etſi judicet aliquam eſſe irreverentiam ibi peccare, ubì peccatorum eſt venia poſtulanda; raró tamen judicat eſſe irreverentiam gravem. Immò nullam judicat eſſe irreverentiam, ibi peccare peccatum merè internum; quia cùm non ſit actus ſenſibilis, per ſe non fit in loco ſenſibili, adeoque non infert ſpecialem injuriam loco ſacro, quia moraliter non fit in illo. At verò actus externus per ſe & ex natura ſua dicit ordinem ad ſenſibilem locum; ac proinde ſi pravus eſt, ſemper infert aliquam injuriam loco ſacro; ſive eſt aliqua irreverentia; plerumque levis, ſecluſâ prohibitione Eccleſiæ: eâ accedente, gravis vel levis pro capacitate materiæ, ùt habet alia pars Concluſionis. Pro qua

363. *Notandum circa cap. Decet de Immunit. Eccl. in 6.*

Notandum; cap. *Decet* de Immunit. Eccl. in 6. dividi in duas partes. Prima ſuadet & & docet, quid in Eccleſia ſit agendum: altera docet illa, à quibus homines debeant abſtinere in Eccleſia. Nec tantùm docet; ſed etiam prohibet. Prior pars continetur à principio textûs uſque ad verſiculum: *Nullus in locis eiſdem* &c. Poſterior ab illo verſu uſque ad finem. Et quoniam textus ſatìs notabilis eſt & apprimè utilis, ipſum ſubſcribo.

Prima pars illius cap. *Decet domum Domini ſanctitudo: decet ut cuius in pace factus eſt locus, eius cultus ſit cum debita veneratione pacificus.* Ecce cauſa hujus Conſtitutionis. Sequitur ipſa Conſtitutio: *Sit itaque ad Eccleſias humilis & devotus ingreſſus: ſit in eis quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus placita, quæ conſiderantes non ſolùm inſtruat, ſed & reficiat. Convenientes ibidem, nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen (à quo aliud ſub cælo non eſt datum hominibus, in quo ſalvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Ieſu Chriſti, qui ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum) exhibitione reverentiæ ſpecialis attollant: & quod generaliter ſcribitur, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, ſinguli ſingulariter in ſe ipſis implentes (præcipuè dum aguntur Miſſarum ſacra miniſteria) glorioſum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur. Attendantur in locis eiſdem intentis præcordiis ſacra ſolemnia: devotis orationibus inſiſtatur.*

quæ non prohibet aut præcipit. Hæc eſt prima pars Conſtitutionis, quæ quidem ſuadet & docet, rigoroſè tamen non præcipit aut prohibet, ùt ex ipſa materia ſatis conſtat. Sequitur poſterior pars:

364. Pars poſterior, *Nullus in locis eiſdem (in quibus cum pace ac quiete vota convenit celebrari) ſeditionem excitet, conclamationem moveat impetumve committat. Ceſſent in locis illis Vniverſitatum & ſocietatum quarumlibet* Concilia, *Conciones & publica Parlamenta. Ceſſent vana & multò fortiùs, fœda & profana colloquia. Ceſſent confabulationes qualibet. Sint poſtremò quæcumque alia, quæ divinum poſſent turbare officium, aut oculos divinæ Maieſtatis offendere, ab ipſis prorſus extranea; ne, ubì peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. Ceſſent in Eccleſiis earumq; cœmiteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum ac fori cuiuſcumque tumultus: omnis in eis ſæcularium iudiciorum ſtrepitus conquieſcat: nulla inibi cauſa per laicos, criminalis maximè, agitetur: ſint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena.*

quæ eſt præceptiva. Hanc autem partem eſſe præceptivam, oſtenditur tum ex verbis imperativi modi, quæ per ſe æquipollent verbis præceptivis, ùt patet ex multis legibus, quæ pro talibus habentur ab omnibus; & tamen non utuntur niſi verbis imperativi modi; de quibus videri poteſt Conſtitutio Clementis V. in Concil. Viennenſi: *Exivi de Paradiſo*; quæ eſt declaratio Regulæ FF. Minorum, & relata eſt in jus commune. Tum, quia verbis jam recitatis actu tùm ſubjungitur: *Ordinarii locorum hoc faciant obſervari: ſuadenda ſuadeant* (ubì Gloſſ. *quæ ſcilicet dicta ſunt uſque ad ver.* Nullus) *interdicta huius Canonis* (quæ ſcilicet dicta ſunt à ver. *Nullus*) *auctoritate compeſcant* (*per cenſuram Eccleſiaſticam*, inquit Gloſſ. ibidem, *vel aliam arbitrariam pœnam*) *ad hoc alios etiam in Eccleſiis ipſis magìs aſſiduos, & ad præmiſſa idoneos deputando.* Quomodo autem Epiſcopi poſſent hoc facere, ſi tota Conſtitutio eſſet ſuaſoria, & non ex parte ſaltem præceptiva?

Deinde illa vox, *Interdicta*, ſignificat in rigore prohibitionem obligantem. Ac denique materia pro magna parte, eſt graviſſima & poſtulat prohibitionem. Cùm ergo tota hæc Conſtitutio ſit favorabilis Eccleſiæ, adeòque latè interpretanda, oportet eam ita intelligere, ut ſi non omnia, ſaltem aliqua rigoroſè præcipiat, quò meliùs obſervetur.

Nec obſtat, quod in fine dicitur: *Qui præmiſſas inhibitiones animo petulanti contempſerint, præter proceſſum Ordinariorum & deputandorum ab ipſis, divinæ ultionis & noſtra poterunt acrimoniam formidare, donec ſuum confeſſi reatum, à ſimilibus firmato propoſito deliberaverint abſtinere.* Hæc (inquam) verba non obſtant: quia non imponitur cenſura (de qua ibi imponenda agitur, juxta Gloſſ. V. *Acrimoniam*; *id eſt, acrem pœnam, & dicitur quaſi acris monitio. Vel, id eſt, pœnam Excommunicationis, quaſi à gremio Eccleſiæ expellentem*) niſi propter tranſgreſſionem contumacem, in qua involvitur contemptus legis. Igitur non ſolus contemptus in iſta Conſtitutione prohibetur, quamvis ſolus contemnens formidare debeat excommunicationem. 36 Occurr. objecti

Si dixeris: ergo omnia peccata ſpecialiter prohibentur per hanc Conſtitutionem fieri in Eccleſia, ibi: *Sint poſtremò quæcumque alia* &c. Alia objectio.

Reſpondeo N. C. quippe ſi per hæc verba voluiſſet Eccleſia ſpecialiter prohibere omnia omnino, *quæ divinum poſſent turbare officium* &c. non poſuiſſet aliqua particularia ante illa verba, nec alia poſtmodum ſubtexuiſſet. Itaque de actibus ante & poſt expreſſis loquitur, & per verba ſubſequentia: *Ne ubì* &c. reddit rationem tam ſtrictæ prohibitionis. Solutio

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, placita ſæcularia, mercatus & alia in ſecunda parte illius cap. enumerata, ſacrilegia eſſe mortalia vel venialia pro capacitate materiæ. Sacrilegia quidem, quia in materia & ex motivo Religionis: mortalia autem vel venialia pro capacitate materiæ, juxta regulas communes aliarum legum, quæ in materia levi non obligant niſi ſub veniali; in materia verò gravi obligant ſub mortali: niſi Legiſlator aliud declaret. 36 Placita ſæcularia alia enumerata in Decret. ſacrilegia

Dices primò: Præcipitur Epiſcopis ſeu Ordinariis, ut ibi enumerata prohibeant: ergo quamdiu non prohibent, non eſt obligatio. Veluti non eſt obligatio obſervandi illa, quæ enumerat Concil. Trident. ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ, donec & uſque ab Epiſcopis præcipiantur, eò quòd Decretum alloquatur Epiſcopos; dicens: *Hæc igitur omnia, quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non ſolùm ea ipſa, ſed quæcumque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à ſacro-* 36 Objicies Concil.

Digitized by Google

à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam ut Delegati Sedis Apoſtolicæ prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inviolatè ſervanda Cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſq́; pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant.

Reſpondeo: Vel ex his ipſis verbis patet manifeſta diſparitas; nam antequam quidquam eſſet prohibitum, imponitur Ordinariis, ut enumerata prohibeant. Porrò in cap. *Decet*, imponitur Ordinariis, non ut enumerata prohibeant, ſed ut interdicta hujus Canonis faciant obſervari, & auctoritate compeſcant, quæ toto cœlo ſunt diverſa.

Dices ſecundò: ante prohibitionem Eccleſiæ, enumerata in iſto Canone non ſunt ſacrilegia mortalia, ergo nec poſt prohibitionem. Probatur Conſequentia: quia materia eſt levis; ſi enim gravis eſſet, etiam ante prohibitionem Eccleſiæ, forent ſacrilegia mortalia.

Reſpondeo N. C. Ad probationem dico; materiam eſſe levem in ordine ad legem naturalem; at verò gravem reſpectu legis poſitivæ. Ratio diſparitatis: quia ſeclusâ lege poſitivâ, irreverentia, quæ infertur loco ſacro per hujuſmodi actiones, ſolùm eſt indirecta, & ex generali principio: *Sancta ſanctè ſunt tractanda.* Quando autem additur prohibitio humana, jam committitur directa irreverentia; quia lex humana determinat abſtinentiam à tali actu in loco ſacro in cultum ejus, & in ſignum reverentiæ illi debitæ.

Herculè ad hoc data eſt hominibus poteſtas legiſlativa, ut quod lex naturalis per ſe non præcipit, vel non ita graviter præcipit, ipſi vel abſolutè præcipiant, vel etiam graviter præcipiant. Neque enim lex naturalis omnia præcipit, ſed illa tantùm, quæ ſunt omnino neceſſaria ad honeſtatem rationalis creaturæ, vel tantam habent cum ea conformitatem, ut propterea à Deo tamquam auctore naturæ fuerint Angelis hominibuſque ab initio naturæ inſpirata. Et verò ſi lex humana poſſit obligare ſub mortali ad actum planè liberum ex jure naturæ, quidni poſſit obligare ſub mortali ad actum, quem jus naturæ præcipit ſub veniali? Non video rationem dubitandi.

Ideoque accelero ad ultimam partem Concluſionis, quæ deſumpta eſt ex cap. *Quiſquis inventus.* 17. qu. 4. ubi Joannes Papa VIII. inter cætera ſcribit omnibus Epiſcopis: *Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro.* Quæ lex cùm ſit lata in favorem Eccleſiæ, admittit latam interpretationem: & quoniam non diſtinguit inter non ſacrum exiſtens per ſe in loco ſacro, & non ſacrum exiſtens ibidem per accidens; neque nos diſtinguere debemus, niſi alia lex obſtet, vel ratio cogat; ſed generaliter ſicut ſonat, intelligenda eſt, argum. leg.8. ff. de Publiciana in rem actione: *De pretio verò ſoluto nihil exprimitur. Unde poteſt conjecturâ capi, quaſi nec ſententia Prætoris ea ſit, ut requiratur an ſolutum ſit pretium.* Conſimiliter dico, cùm in noſtra lege nihil exprimatur de exiſtentia per ſe in loco ſacro; poteſt conjecturâ capi, quaſi illa exiſtentia non requiratur, ſed quæcumque ſufficiat. *Lex 8. ff. de Publ. in rem actione.*

Sed contrà: Obſtat lex 5. ff. ad legem Juliam peculatus: *Divi Severus & Antoninus Caſſio Feſto reſcripſerunt, res privatorum, ſi in ædem ſacram depoſita, ſubreptæ fuerint, furti actionem, non ſacrilegii eſſe.* 370. *Objicitur Lex 5. ff. ad Leg. Jul.*

Reſpondeo: ſi illa lex aliquid probat, etiam probat non eſſe ſacrilegium, auferre rem ſpecialiter depoſitam in loco ſacro, quod Adverſarii non admittunt: & meritò; quia talis res eſt ſub ſpeciali patrocinio & cuſtodia divina. Unde divinitus flagellatus Heliodorus 2. Machab. 3. qui miſſus fuerat à Rege, ut pecuniam depoſitam in loco ſacro, tranſportaret. Enimverò ſicut promiſſio jurata, licèt temporalis ſit ſecundùm ſe, tamen ut eſt ſub teſtimonio divino, ſacra cenſetur, & pertinet ad forum Eccleſiaſticum; pari ratione res aliqua ſecundùm ſe temporalis, depoſita in loco ſacro ſub ſpeciali patrocinio & cuſtodia divina, quaſi ſacra cenſeri poteſt & debet. Quid ergò mirum, ſi committatur ſacrilegium eam auferendo? *Reſpondetur.* *2. Machab 3.*

Sed numquid ideo eſt actio ſacrilegii? Negat lex citata. Et ratio eſt: quia licèt tale furtum ſit ſacrilegium; quia tamen directè, & quaſi per ſe injuria & nocumentum fit domino rei, furto ſublatæ, indirectè autem & quaſi per accidens loco ſacro; ideo domino, & & non loco ſacro datur actio: domino autem non competit actio ſacrilegii, ſed furti, ùt patet. 371. *Ex furto rei in ædem ſacram depoſitæ non eſt actio ſacrilegii.*

Igitur jus civile loco citato nihil ſtatuit de peccato, ſed ſolùm de actione, quæ in criminali foro datur contra ejuſmodi furem. Alio autem loco malitiam ſacrilegii explicat, dicens Leg. *Aut facta.* 16. §. 4. ff. de Pœnis: *Locus facit, ut idem vel furtum, vel ſacrilegium ſit*, id eſt, vel ſolùm furtum, vel etiam ſacrilegium. *Lex 16. ff. de Pœnis.*

Nec dixeris: Loquitur de ablatione rei ſacræ; quia non eſt ratio, quare propter locum ablatio rei ſacræ magìs ſit ſacrilegium, quàm ablatio rei non ſacræ. Si ergo eſt ſacrilegium auferre rem ſacram de loco ſacro, præciſè propter locum ſacrum, etiam erit ſacrilegium auferre rem non ſacram de loco ſacro. Quòd autem ſit ſacrilegium auferre rem ſacram de loco ſacro, præciſè propter locum, videtur ſatìs manifeſtè colligi ex verbis Joannis Papæ VIII. ſuprà relatis. Eſt quippe diviſio illa Pontificis, trimembris, qualis non eſſet, niſi foret ſacrilegium, rem ſacram de loco ſacro auferre, præciſè propter locum ſacrum; quod ſic oſtendo. 372. *Auferre rem ſacram ex loco ſacro eſt ſacrilegium præciſè propter locum.*

Primum membrum præfatæ diviſionis eſt, *Probatur.*

Digitized by Google

auferre *ſacrum de ſacro*; tertium autem *ſacrum de non ſacro*. Ergo agnoſcit aliquam malitiam ſacrilegii in ablatione rei ſacræ de ſacro, quæ non invenitur in ablatione rei ſacræ de non ſacro; alioquin ſufficientiſſimè dixiſſet: *Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, & non ſacrum de ſacro*; & ſuperflua foret tertia pars: *Sacrum de non ſacro*, aut certè prima: *Sacrum de ſacro*, perinde enim eſſet ad rationem ſacrilegii, accipere ſacrum de ſacro, atque de non ſacro. Si ergo ſacrilegium eſt accipere *Sacrum de ſacro* præcisè ratione loci, etſi ſacrum nullo modo ad ſacrum pertineat; quidni etiam ſit ſacrilegium accipere *non ſacrum de ſacro*, tametſi non ſacrum nullâ ratione pertineat ad ſacrum?

373. *Res commodata Eccleſiæ quaſi ſacra reputatur.* Et ſanè (ùt paulò ſuperiùs diximus) res commodata Eccleſiæ, aut in ea depoſita ad cuſtodiam ſeu ſecuritatem, quaſi ſacra reputatur; adeòque ejus ablatio non ſpectat ad ſecundum membrum diviſionis, ſed potiùs ad primum. Ut ergo ſecundum membrum ſubſiſtat, intelligendum erit de re non ſacra, exiſtente in loco ſacro; nullâ tamen ratione ad eum pertinente.

Atque hic intellectus non obſcurè ſignificatur in eodem cap. *Quiſquis inventus*, circa finem: *Si qui Monaſteria & loca Deo dicata & Eccleſias infringunt, & depoſita vel alia qualibet exinde abſtrahunt, damnum noviès componant, & immunitatem tripliciter, & velut ſacrilegi canonica ſententia ſubigantur.*

374. *Fundamentum oppoſitæ ſententiæ.* Reſpondent Adverſarii; per ly, *Alia qualibet*, Pontificem intelligere res Eccleſiæ commodatas vel in pignus datas, vel ſimili modo ad Eccleſiam pertinentes; non autem, quæ merè materialiter & per accidens ibi exiſtunt. Unde (inquiunt) non dicit *Indè*, ſed, *Exinde*. Et eodem modo intelligunt illa verba: *Non ſacrum de ſacro*, ſcilicet in ſenſu formali, hoc eſt, quòd res non ſacræ accipiantur non ſolùm in loco ſacro, ſed etiam de loco ſacro: qui autem furatur crumenam divitis in Eccleſia, accipit quidem illam rem in loco ſacro materialiter, ſed non de loco ſacro; cùm ad illum nullo modo pertineat.

Quapropter diſtinguunt hi Auctores inter tapetes, baldachinum aut ſellam, quæ aliquis nobilis præmiſit ad Eccleſiam pro ſui commoditate, vel quæ Sacriſta feciſſet ſibi commodari pro Eccleſiæ ornatu: & in ſecundo caſu dicunt fore ſacrilegium eorum furtum, non verò in primo; quia tunc non fit irreverentia gravis ipſi Eccleſiæ, cui per accidens videtur eſſe, quòd ex illo loco accipiantur.

375. *pro qua Multos citat Diana, & quam Lugo vocat probabiliorem. Dicaſtillo.* Pro hac ſententia Multos citat Diana p. 1. tract. 7. reſol. 27. quam & ipſe practicè probabilem exiſtimat; & Card. Lugo de Pœnitentia diſp. 16. n. 470. vocat probabiliorem, quod non audet facere Dicaſtillo de Pœnitentia diſp. 9. n. 663. Videtur enim mihi (inquit ille) præcedens (ſententia) valde conformis textui citato (Joannis Papæ VIII.) ſi ſpectemus jus commune; & rationi magìs conſona, ſi ſpectemus jus naturale.

Interim in fine ejuſdem numeri ſic ſcribit: Practicè facilè me conformabo ſecundæ ſententiæ, tum propter auctoritatem eorum, qui eam ſequuntur; tum propter probabile eorum fundamentum. Quapropter ſi ſit lata Cenſura contra ejuſmodi ſacrilegos fures, qui aliquid furantur de loco ſacro, tutâ conſcientiâ ſe poteſt gerere pro non excommunicato, qui accepit ex templo rem profanam, non pertinentem ad Eccleſiam, juxta ſecundam ſententiam. Hæc ille.

Sed ego, ut dicam quod ſentio, non adeò magnam probabilitatem invenio in fundamento ſecundæ ſententiæ: nam planè gratìs per ly *Alia qualibet*, intelligit res ad Eccleſiam alio modo pertinentes, quàm quòd in Eccleſia inveniantur; & nulla differentia eſt inter ly *Indè*, & ly *Exindè*. Nec video, quomodò non abſtrahatur ex Eccleſia, quod in ea per accidens exiſtit, ſi grammaticalem nominis ſignificationem attendimus. 376 *Judicium Auctoris reſpon. ad fundamentum*

Similiter fictio eſt, diſtinguere inter ablationem *in loco*, &, *de loco*: alioquin ſecundùm textum Joannis VIII. Non eſſet ſacrilegus, qui furaretur rem ſacram, exiſtentem per accidens in loco non ſacro, vel etiam ſacro; quia non auferret *Sacrum de ſacro*, vel, *Sacrum de non ſacro*, ſed ſolùm *Sacrum in ſacro*, vel, *Sacrum in non ſacro*. Vel ſi ille furatur *Sacrum de ſacro*, vel, *de non ſacro*; quidni ſimiliter furetur *non ſacrum de ſacro*, etſi non ſacrum per accidens exiſtat in loco ſacro?

Deinde quæro: ſi homicida per accidens exiſteret in loco ſacro, id eſt, non eo fine, ut gaudeat privilegio immunitatis; qui eum violenter extraheret, putas quia non peccaret contra immunitatem Eccleſiaſticam? Et tamen non extraheret ipſum, ſecundùm te, de Eccleſia, vel ab Eccleſia, ſed in Eccleſia.

Dices: Hoc ipſo, quo homicida eſt in tali loco, accipit jus ſpeciale per præceptum Eccleſiæ, ne aliquis poſſit eum indè extrahere: ergo eſt diſparitas. 377 *Evaſio*

Reſpondeo N. C. nam ſimiliter dicam: hoc ipſo, quo res aliqua eſt in tali loco; ipſe locus per præceptum Eccleſiæ, nobis inſinuatum textu ſuprà allegato, accipit quaſi ſpeciale jus, ut ſit veluti inviolabilis illius rei cuſtodia. Et certè major ratio eſt prohibendi tale furtum, quàm mercatum: hic enim prohibetur, quia obnoxius eſt injuſtitiis & fraudulentiis; ergò multò magìs furtum, quod ſinè injuſtitia fieri non poteſt; immò eſt formaliſſima injuſtitia. *Præcluditur.*

Hinc non approbo, quod ait Leſſius de Juſtitia & jure lib. 2. c. 45. n. 14. Non cenſetur loco (ſacro) per tale furtum (rei per accidens ibi exiſtentis) major injuria irrogari, quàm per confabulationes, riſus, detractiones, con- 378. *Rejicitur doctrina Leſſii.*

contractus ſæculares, & ſimilia; in quibus tamen, ſi ſcandalum abſit, & cultus divinus non impediatur, non videtur malitia ſacrilegii mortifera: non enim habent iſta peculiarem repugnantiam cum loci Sanctitate, ſed ſolùm generalem, ſicut omnia peccata externa: nec Eccleſia peculiariter ſtatuit horum abſtinentiâ locum ſacrum honorari, ſicut conſtituit ibi non fieri actum Matrimonii, effuſionem ſanguinis, homicidium &c. Hæc ille.

Sed perperàm, ùt patet ex dictis ſuprà n. 363. & ſequent. ubì probavimus placita ſæcularia, mercatus, & alia, quæ referuntur in cap. *Decet.* de Immun. Eccleſ. in 6. ſpecialiter eſſe prohibita ab Eccleſia, ut eorum abſtinentiâ locus ſacer honoretur; ſicuti prohibita ſunt opera ſervilia in diebus dominicis & feſtivis, ut eorum abſtinentiâ dies dominicus & feſtivus honoretur; & ſicut prohibuit Eccleſia in loco ſacro actum matrimonii, effuſionem ſanguinis, homicidium &c. cum ſola hac differentia, quòd his actibus annexuit pœnam pollutionis Eccleſiæ; illis autem non.

379. [illegible]

Diſputant hìc Aliqui; an furtum materiæ levis, accipiat malitiam mortalem ex eo, quòd in Confeſſione contra Confeſſarium committatur? Et quamvis Nonnullis placeat ſententia affirmans; nobis magìs probatur ſententia negans. Cur enim magìs peccet mortaliter, qui tempore Confeſſionis furatur rem levem, quàm qui tempore Confeſſionis leviter mentitur? Hunc autem non peccare mortaliter, diximus ſect. 7. Concluſione 6. ad quam Lectorem remitto.

Limitant Nonnulli hanc ſententiam, niſi ipſa Confeſſio tamquam medium aſſumeretur ad furandum; tunc enim putant fieri gravem irreverentiam Sacramento. Sed ſi verum eſt, quod cum Aliis docuimus ſect. 7. concl. 5. videlicet non peccare mortaliter, qui confitetur propter vanam gloriam; neſcio quare peccet mortaliter, qui confitetur ad furandam modicam pecuniam à Confeſſario, non excludendo finem principalem Sacramenti, qui eſt reconciliatio cum Deo. Vide dicta loco citato. Eſt quidem abuſus rei ſacræ, aſſumere illam tamquam medium ad malum finem conſequendum; attamen non videtur irreverentia gravis niſi ipſe finis ſit graviter malus.

Atque ut verum eſſet, quod hi DD. ſentiunt; ſanè in illo caſu malitia gravis ſacrilegij, adjuncta levi injuſtitiæ, cenſenda foret non tam circumſtantia in ordine ad Confeſſionem (de qua hìc tractamus) quàm primaria materia: vel ſi circumſtantiam malueris appellare; eam reduxeris non ad circumſtantiam, *Vbi*, de qua hac Concluſione egimus; ſed potiùs ad circumſtantiam, *Quibus auxiliis*. Interim (ſicut dixi) non exiſtimo, illa auxilia ſuperaddere novam malitiam gravem; & ideò non eſſe explicanda in Confeſſione, quando finis ſolùm fuit venialiter malus: ſecùs ſi mortaliter; tunc enim præter malitiam finis, Sacramenta, quæ adhiberentur ad illum finem obtinendum, ſpecialem haberent malitiam contra Religionem, idque mortalem, quia valde indecens eſt, uti rebus tam ſacris, ad finem mortaliter malum conſequendum.

Et generaliter (ut breviter expediamus circumſtantiam, *Quibus auxiliis*) media non addunt actui ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam, niſi ipſa contineant ſpecialem malitiam mortalem contra aliam virtutem; ùt ſi quis furetur ad fornicandum; ſi expreſsè vel tacitè invocet dæmonem ad occidendum; ſi utatur altero homine tanquam inſtrumento, ipſum inducendo ad occidendum, furandum &c. Aliàs media ſolùm participant eandem malitiam finis. 380. Media non addunt actui ſpecialem malitiam mortalem, niſi ipſa contineant talem malitiam;

Quare (inquit Herincx part. 2. tr. 2. diſp. 3. de Bonit. & Mal. n. 80.) non eſt opus dicere in Confeſſione: *Paravi arma, aſſumpſi equum, perrexi ad certum locum, ibiq; occidi inimicum*; ſed ſufficit dicere: *Occidi inimicum*; niſi quatenus occaſione diverſorum actuum irrepſerit aliqua interruptio, quæ peccata numero diſtinguat. Immo etſi quis cœperit exercere actus externos de ſe non malos; ſed ductus pœnitentiâ non perficiat, ſeu non conſummet opus malum, non tenebitur illos actus confiteri, ſed ſufficit dicere: *Habui animum fornicandi; occidendi* &c. Aliud eſſet, ſi actus externi etiam ſint mali, v. g. tactus impudici: quamvis enim ſimiles, ſubſecuto actu conſummato, ſufficienter in illo explicentur, ad quem ex natura ſuâ tendunt, & cum quo moraliter ſunt unus actus; ſi tamen illud non ſubſequatur, oportet exprimere actus inchoatos de ſe malos, aut certè naturâ ſuâ ultimum inter illos. Hucuſque præfatus Auctor. & ideò non niſi tali caſu explicanda in Confeſſione. *Herincx.*

381. Niſi actus conſummatus fuerit impeditus.

Planè oportet exprimere actus inchoatos de ſe malos; ſed cur etiam non oportet exprimere actus inchoatos de ſe non malos, ſaltem in genere, dicendo: *Habui animum fornicandi, & adhibui media?* Nam reverà illa media, ſeu adhibitio mediorum, mala fuit, quamvìs ſolâ malitiâ finis: neque ſufficit exprimere malitiam, ſed oportet exprimere actum malum non tantùm internum, ſed etiam externum; alioquin qui fuiſſet fornicatus, ſufficienter confiteretur, dicendo: *Habui voluntatem efficacem fornicandi*, ſaltem in illa ſententia, quæ docet, actum externum non habere malitiam diſtinctam ab actu interiori. Omitto, quòd illa verba: *Habui animum fornicandi*, non ſatìs determinatè ſignificent voluntatem efficacem, quia & his ipſis poteſt ſignificari ſimplex complacentia. Ergo qui cœpit exercere actus externos, non videtur ſatìs explicare iſtis verbis peccatum quod fecit, id eſt, voluntatem efficacem fornicandi.

Hanc difficultatem prævidit Suarius de Pœni- *Suarez.*

Pœnitentia diſp. 22. ſect. 4. & ideo nu. 9. ſic inquit: Secundò fieri poteſt, ut finis ipſe habeat malitiam mortalem; medium autem minimè illam ex ſe habeat, ſed ſolùm quia ordinatur ad talem finem; ùt ſi quis eat in agrum ad occidendum inimicum &c. & tunc per ſe neceſſarium eſt confiteri intentionem cum ea gravitate, quæ eſt in executione ejus integra vel partiali, quamvis in particulari non explicetur medium, quia ejus effectio non habet aliam ſpecialem malitiam. Hæc ille, cui conſentio. Fortè etiam Herincx ſuprà nihil aliud intendit, quamvìs plus videatur dicere.

382. Quid intelligatur per Circumſtantiam Cur. Et ecce pervenimus ad circumſtantiam, *Cur*, ſive, *Propter quid*; pro qua Noto cum Suario ſuprà nu. 10. fieri poſſe, ut objectum electionis, ſeu medium quod aſſumitur ad aliquem finem extrinſecum (hic enim intelligitur per circumſtantiam, *Cur*; nam finis intrinſecus potiùs eſt objectum) ut, inquam, medium ſit ſufficiens ad peccatum mortale, finis autem minimè; ùt ſi quis omittat Sacrum propter ſtudendum: & tunc quæritur, an ſit neceſſarium explicare hunc finem? Reſpondeo:

CONCLUSIO XVII.

Quando medium, quod aſſumitur ad aliquem finem, eſt ſufficiens ad peccatum mortale, finis autem minimè, v. g. ſi quis omittat Sacrum propter ſtudium; non eſt neceſſarium in Confeſſione explicare hunc finem, ſed ſufficit confiteri omiſſionem Sacri.

383. Quando ſtudium eſt cauſa omiſſionis Sacri participat ejus malitiam. Lugo. Dicaſtillo. FUsè diſputat pro hac Concluſione Cardin. Lugo de Pœnit. diſp. 16. ſect. 11. quem ſequitur Dicaſtillo diſp. 9. dub. 8. cap. 4. Ego, volens conſulere brevitati, in primis admitto, ſtudium, quando eſt cauſa motiva ſeu finalis omiſſionis Sacri, participare ejus malitiam: nam ille actus virtute eſt contra præceptum affirmativum audiendi Sacrum; qui enim præcipit hìc & nunc aliquid fieri, virtute prohibet poſitionem cauſæ impeditivæ, ſeu potiùs impedientis obſervantiam præcepti.

Probatur. Hinc voluntas ſtudendi in caſu Concluſionis, eſt virtualiter voluntas omittendi Sacrum, ſicuti voluntas efficax finis, eſt virtualiter voluntas medii neceſſarii ad finem conſequendum: ergo idem objectum utriuſque voluntatis; ergo eadem malitia ſtudii & omiſſionis Sacri, etiam numerica, quia appetuntur per modum unius, quia unum propter alterum.

Sicuti ergo non peccat duplici peccato ſpecie aut numero, qui accipit gladium ut alterum occidat, uno homicidii, altero acceptionis gladii, quia tota malitia acceptionis gladii eſt denominativa à malitia homicidii; pari ratione non peccat duplici peccato, qui omittit Sacrum propter ſtudium; quia tota malitia ſtudii eſt denominativa à malitia omiſſionis Sacri: ideo enim ſtudium malum eſt, quia cauſat omiſſionem Sacri, quæ mala eſt; ſive quia impedit impletionem præcepti affirmativi audiendi Sacrum.

Itaque habent eandem malitiam, eodem modo, quo voluntas interna non audiendi Sacrum, & externa omiſſio auditionis, quæ licèt ſint peccata phyſicè plura; in morali tamen æſtimatione unicum, ùt latiùs dicam ſect. ſequenti. Ergo non eſt neceſſarium in Confeſſione explicare ſtudium, ſed ſufficit confiteri omiſſionem Sacri; ſicuti non eſt neceſſarium in Confeſſione explicare actum internum, ſed ſufficit confiteri actum externum; & ſicuti non eſt neceſſarium in Confeſſione explicare acceptionem gladii, ſed ſufficit confiteri homicidium.

Dices: Studium tali caſu non ſolùm opponitur virtuti Religionis, ſed etiam virtuti ſtudioſitatis; quæ inclinat voluntatem ad ſtudendum debito modo; ſicuti indebiti ſumptus repugnant liberalitati, & exceſſus in cibo temperantiæ. 38[4]. Objec[tio].

Reſpondeo I. ſtudioſitatem ex genere ſuo non obligare ſub mortali, adeoque illum exceſſum, ſi quis eſt, non eſſe ex ſe mortalem; ac proinde non neceſſariò explicandum in Confeſſione. Prim[a re]ſpon[ſio].

Reſpondeo II. cum Lugone ſuprà n. 482. illud ſtudium non habere malitiam contra virtutem ſtudioſitatis; quia hæc ſecundùm ſe ſolùm petit ſtudium ſufficiens ad ſciendum, quæ oportèt ſcire, & excludit exceſſum, quo volumus ſcire ſuperflua & noxia. Unde retorquetur exemplum temperantiæ: quia ſi aliquis comedat aliena, peccat quidem contra juſtitiam, non tamen contra temperantiam, ſi non plus vel minus comedat ex alienis, quàm exigat bona corporis valetudo, quæ eſt regula virtutis temperantiæ. Similiter qui facit ſumptus moderatos, ſed cum ſcandalo proximi quod tenebatur vitare, peccat quidem contra Charitatem, ſed non contra liberalitatem, quæ ex ſe ſolùm excludit prodigalitatem & avaritiam. Secu[nda]. Lugo.

Fateor, liberalitas reſpicit ſumptus honeſtos, ſicut & temperantia comeſtionem honeſtam, & ſtudioſitas ſtudium honeſtum; ſed non quacumque honeſtate, verùm honeſtate propriâ illi virtuti, id eſt, ſecundùm regulam præſcriptam à tali virtute, v. g. à virtute ſtudioſitatis, ut neceſſaria ſciantur, & ſuperflua ac noxia ignorentur: jam autem ſtudium in caſu 38[5]. Libe[ralitas] reſpi[cit] ſum[ptus] hone[ſtos] ſed quâ hone[ſtate].

caſu propoſito (ùt ſuppono) non eſt contra illam regulam, quia non adhibetur niſi ad ſciendum neceſſaria, v. g. articulos Fidei; ſed eſt contra regulam virtutis Religionis, quæ præcipit cultum divinum auditionis Miſſæ pro iſto tempore. Quamvis ergò abſolutè illud ſtudium non ſit honeſtum, quia malum ex ſingulis defectibus, & bonum ex integra cauſa; equidem non eſt inhoneſtum inhoneſtate oppoſitâ virtuti ſtudioſitatis.

Sicut ergo actus ex objecto ſuo bonus, utputà ſtudium rei neceſſariæ, manens bonus ex objecto, poteſt vitiari extrinſecè, v. g. ex fine vanæ gloriæ; cur non ſimiliter poſſit vitiari ex effectu omiſſionis Sacri graviter obligantis? Non video diſparitatem: adeòque ſicut in priori caſu ſtudium non habet malitiam niſi vanæ gloriæ; ita in poſteriori caſu non habet malitiam, niſi omiſſionis Sacri.

386. Nec obſtat; quod ſtudium contra prohibitionem Prælati, habeat malitiam oppoſitam ſtudioſitati, eſtò per ſe loquendo ſecluſâ hâc prohibitione foret actus ſtudioſitatis: nam diſparitas eſt, quòd Prælatus (ùt ſuppono) ex motivo ſtudioſitatis prohibeat hìc & nunc ſtudium; at verò Prælatus præcipiens auditionem Miſſæ, & per conſequens prohibens ſtudium, ut Miſſa audiatur, non intendit honeſtatem ſtudioſitatis, ſed honeſtatem Religionis; adeòque contraveniens huic prohibitioni, non peccat contra ſtudioſitatem, ſed contra ſolam Religionem.

Inſtat aliquis: Quomodò fieri poteſt, ut Superior prohibeat ſtudium ex motivo ſtudioſitatis, ſi alioquin eſt actus ſtudioſitatis? Reſpondeo: quomodò fieri poteſt, ut Superior prohibeat actum temperantiæ, v. g. comeſtionem carnium, quæ hìc & nunc conduceret ad bonam corporis valetudinem, ex motivo temperantiæ? Sicut ergo hoc fieri poteſt, & de facto fit per præceptum jejunii; eodem modo & iſtud fieri poſſet, & fieret, ſi Superior vellet.

387. Veluti medium juſtitiæ commutativæ non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet magnam latitudinem: ùt docet Scotus (& Alii communiter) 4. diſt. 15. q. 2. n. 15. ibi: *In iſto medio, quod juſtitia commutativa reſpicit, eſt magna latitudo, & intrà illam latitudinem non attingendo indiviſibilem punctum æquivalentiæ rei & rei; quia quoad hoc quaſi impoſſibile eſſet commutantem attingere: & in quocumque gradu circa extrema fiat, juſtè fit.*

Pari ratione medium temperantiæ ſuam patitur latitudinem, & intrà illam latitudinem non attingendo indiviſibilem punctum cibi; quia quoad hoc quaſi impoſſibile eſſet comedentem attingere: & in quocumque gradu circa extrema fiat, temperanter fit, ſic ut & comedendo temperanter agas, & etiam non comedendo ſive abſtinendo: imò aliquando magìs temperanter non comedendo, quàm comedendo; quia aliquando per abſtinentiam à cibo mens fit magìs idonea ad ſuas functiones, quàm per comeſtionem; quamvis alioquin per comeſtionem non fiat poſitivè inidonea, ſed etiam poſitivè apta.

Tali ergo caſu ſive elegeris comeſtionem, ſive abſtinentiam, temperanter fiet. Sicuti contingit in pretio naturali rerum venalium, ſive vendideris rem tuam pretio infimo ſeu medio, vel ſummo, juſtè fiet per ſe loquendo, id eſt, niſi lege certum pretium fuerit taxatum: per hanc quippe legem fit, ut quod anteà erat pretium, ſed non neceſſarium, jam ſit pretium neceſſarium, ita quòd minus pretium dando aut majus accipiendo, injuſtè fiat, quod ſecluſâ illâ lege juſtè fieret; adeòque Superior prohibet actum juſtitiæ ex motivo juſtitiæ, & per conſequens facit, ut actus, qui per ſe loquendo foret juſtus, poſito præcepto ſit injuſtus. 388. Fieri poteſt ut ſive comedas, ſive abſtineas à comeſtione, temperanter agas.

Ad hunc modum dico, Prælatum poſſe prohibere actum temperantiæ vel actum ſtudioſitatis ex motivo ejuſdem virtutis; & ſuo præcepto facere, ut quod per ſe loquendo foret actus temperantiæ vel ſtudioſitatis, jam ſit actus oppoſitus iſtis virtutibus. Et ſic de facto Eccleſia, præcipiens diebus Dominicis & Feſtivis auditionem Sacri ex motivo Religionis, facit, ut ſtudium, impeditivum illius auditionis, ſit peccatum contra Religionem, quod ſecluſo præcepto non eſſet peccatum contra Religionem, ùt patet, quando propter ſtudium diebus feriatis omitto Sacrum. Hoc autem caſu poteſt Superior prohibere actum temperantiæ.

Dices: Si eſt peccatum contra Religionem; ergo explicandum in Confeſſione; non enim ſola malitia (ùt dictum eſt Concl. præcedenti circa finem) eſt explicanda, ſed etiam peccatum, ſeu ſubjectum illius malitiæ: atqui ſtudium in caſu propoſito eſt ſubjectum malitiæ; ergo explicandum. 389. Objectio.

Reſpondeo; non omnia ſubjecta malitiæ eſſe explicanda, ùt patet, quando quis paravit arma, aſſumpſit equum, perrexit ad certum locum, ut occideret inimicum, qui ſufficienter confitetur, ſecundùm communem ſententiam, dicendo: *Occidi inimicum*; & tamen ſunt plura ſubjecta malitiæ: putà, præparatio armorum, aſſumptio equi &c. quæ diſtinctè non exprimuntur, ſed ſolùm in confuſo, quatenus in morali æſtimatione unum peccatum conſtituunt cum ipſa occiſione. Ergo ſimiliter in caſu præſenti, ùt conſtat ex ſuprà dictis: nam ſicuti præparatio armorum, aſſumptio equi &c. ſunt media occiſionis, & ideo cum occiſione unum moraliter peccatum conſtituunt, & confusè explicantur, explicatâ occiſione; ita omiſſio Sacri eſt medium reſpectu ſtudii, & ideo cum ſtudio unum moraliter peccatum conſtituit. Reſponſio.

Si inferas: Ergo ſicuti ſufficit in priori caſu expli- 390. Inſtantia.

Inſtantia. explicare occiſionem quæ erat finis præparationis armorum; ita ſufficiet in hoc caſu explicare ſtudium; Negatur Conſequentia. Ratio diſparitatis eſt; quòd in priori caſu ſolus finis ſit per ſe malus, media autem per ſe bona, vel ſaltem indifferentia; in poſteriori autem caſu finis ſit per ſe bonus, aut ſaltem indifferens, medium autem malum.

Solvitur. Igitur in priori caſu explicandus venit finis, cujus malitiam media participant, & in quo media confusè intelliguntur, cùm finis non poſſit obtineri ſinè mediis; in poſteriori autem caſu oportet explicare medium, cujus malitiam finis participat, & in quo ipſe finis confusè intelligitur; cùm medium non ſoleat adhiberi, niſi propter aliquem finem; quòd autem ille finis ſit ſtudium, vel ambulatio, planè materiale eſt, & impertinens ad malitiam ſeu rationem peccati, quæ prorsùs eadem eſt in ſtudio & ambulatione. Sicuti quòd occideris manu dexterâ vel ſiniſtrâ, gladio vel haſtâ, manè aut veſperi, &c. planè materiale eſt & impertinens ad malitiam homicidii, quæ in omnibus iſtis mediis omninò eadem eſt; & ideo ſufficit confiteri ipſam occiſionem.

391. Quomodo ſtudium poſſit eſſe idem peccatum cum omiſſione Sacri. Si autem à me quæritur, quomodò ſtudium, quod eſt actus poſitivus, poſſit eſſe idem peccatum cum omiſſione Sacri; quæ eſt aliquid negativum? Reſpondeo, & quæro; quomodò voluntas omittendi, quæ eſt actus poſitivus, non minùs quàm ſtudium, aut voluntas ſtudendi, poſſit eſſe, ſicuti reverà eſt, idem peccatum cum externa omiſſione, quæ eſt aliquid negativum?

Peccatum omiſſionis & commiſſionis aliquando habent eandem ſpecie & numero malitiam. Dico ergo; peccatum commiſſionis, & omiſſionis, nonnumquam habere eandem ſpecie malitiam, ſive non differre ſpecie in genere moris; ac proinde, qui confitetur ipſam omiſſionem, etiam ſufficienter explicare malitiam volitionis, aut alterius actûs poſitivi, qui eſt cauſa omiſſionis: malitiam (inquam) ſaltem ſpecificam, immo etiam numericam; ùt patet in volitione furandi, quæ non eſt peccatum numero diſtinctum ab ipſo furto, nec ſpecialiter eſt explicanda in Confeſſione (niſi fortè fuerit contrariis actibus interrupta) eſtò phyſicè non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie ab ipſo furto differat. Ergo ſimiliter voluntas omittendi Sacrum, & ipſa exterior omiſſio; item ſtudium, propter quod omittitur Sacrum, & omiſſio exterior, eſtò phyſicè non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie differant, unum numero peccatum conſtituent.

392. Objectio diluitur. Nec obſtat diverſitas præceptorum; puta præcepti negativi, quod vetat habere affectum conformem actui malo, vel quod prohibet ponere obſtaculum adimpletioni legis affirmativæ; & præcepti affirmativi, quod præcipit audire Sacrum: non obſtat (inquam) hæc diverſitas, eſtò admittatur; quia numerica diſtinctio peccatorum non deſumitur ex multiplicatione præceptorum in eadem materia (ùt alibi oſtendimus) ſed ex morali actuum disjunctione, ùt ſequenti ſectione explicabimus. Jam autem in caſu noſtro eſt eadem materia, & idem objectum in genere moris: ſicuti eſt idem objectum, & eadem materia volitionis furandi, furti actualis, &. medii adhibiti ad furandum. Neque eſt moralis disjunctio actuum, cùm omiſſio immediatè & proximè ex illis ſequatur, vel ſaltem nata ſit ſequi.

Hinc, ſi omiſſio non ſequatur, ſicut poteſt non ſequi (quia qui voluit omittere Sacrum, poteſt mutare hanc voluntatem, & jam velle audire, & de facto audire) tunc ſinè dubio volitio omittendi; aut volitio ſtudendi, eſt neceſſariò explicanda in Confeſſione.

Itaque in præcepto affirmativo, virtualiter includitur præceptum negativum, prohibens aliquid ponere, quod eſt contrarium adimpletioni illius præcepti; item prohibens habere affectum conformem non adimpletioni præcepti affirmativi. Quapropter in omni peccato omiſſionis, niſi ſit pura omiſſio, ſemper interveniet aliquod peccatum commiſſionis. 393 In præ[cepto] affirma[tivo] virtuali[ter] include[tur] præcept[um] negativ[um].

Et conſimiliter dici poſſet; in omni præcepto negativo, virtualiter includi aliquod affirmativum, ſcilicet abſtinendi ab illis, quæ poſſent eſſe cauſa tranſgreſſionis illius præcepti: quia tamen illa præcepta moraliter ſunt eadem, utpote ſpectantia eundem finem, ſive eamdem honeſtatem; ideo etiam tranſgreſſiones ſunt ejuſdem rationis moralis, ac proinde non ſpecialiter explicandæ in Confeſſione, quando ſimul conjunguntur: ſecùs, ſi à ſe mutuò ſeparentur: ſaltem volitio, ſi ſeparetur ab omiſſione externa. & in ne[ga]tivo affi[r]mativu[m].

Sin autem ponatur omiſſio voluntaria ſinè volitione; quamvis omiſſio ſit confitenda, tamen iſta ſeparatio non eſt explicanda: nam dato, quòd volitio augeat malitiam (ùt Aliqui volunt) equidem non mutat ſpeciem vel multiplicat numerum, cùm ſemper maneat idem objectum, & idem moraliter actus: quòd enim una omiſſio ſit magis voluntaria, quàm altera, ſive una voluntaria poſitivè, altera ſolùm voluntaria negativè; non aliam ſpecie aut numero arguit malitiam, cùm privent illæ omiſſiones eâdem ſpecie & numero bonitate, ùt patet. Si ponat[ur] omiſſio [vo]luntaria [ſinè] volition[e], illa ſepara[tio] non [eſt] explican[da] in Conf[eſ]ſione.

Sed contrà: voluntas amandi Deum, eſt diverſæ ſpeciei in genere moris, ab ipſo amore Dei; hic enim juſtificat, non illa. Ergo ſimiliter volitio omiſſionis, ab ipſa omiſſione. 394. Objectio

Reſpondeo; quando objectum fit per ipſum actum, pro eodem reputari in genere moris volitionem & actum. Sic efficax volitio occidendi, & ipſa actualis occiſio reputantur pro eodem peccato in genere moris, quamvis phyſicè loquendo magis noceat actualis occiſio, Solvitur.

quàm

quàm voluntas occidendi. Iam autem omiſſio formaliſſimè fit, volendo non efficere actum: at verò velle amare Deum, non eſt amare; ſed per ſequentem determinationem voluntatis debet fieri ille amor.

Igitur eo inſtanti, quo teneor elicere amorem Dei, & dico: *Nolo elicere*; ac eo ipſo ceſſo, ea nolitio eſt virtualiter ipſa omiſſio: in ea enim ita includitur omiſſio, ut nullâ aliâ intellectâ determinatione voluntatis intelligam omiſſionem amoris, cùm implicet ſimul eſſe illam nolitionem & amorem: ergo illa nolitio habet totam malitiam omiſſionis; quia hæc in tantùm eſt mala, in quantum moraliter cenſetur æquivalere actui poſitivo, qui diceret: *Nolo amare*; & eo modo cenſetur illa pura omiſſio eſſe libera. Aliud eſt de voluntate amandi; illa enim habet ſuam bonitatem ex propria entitate; non autem quia æquivalet amori, cùm amor ſit actus poſitivus omninò diſtinctus, utpote habens objectum omninò diſtinctum: nam objectum voluntatis amandi, eſt amor; objectum autem amoris, Deus.

395. Si hæc ſolutio non placeat, tunc aliter Reſpondeo ad principalem objectionem: tametſi voluntas omittendi, vel alia cauſa impeditiva actûs præcepti, ſit materialiter quid poſitivum; attamen quà peccatum, etiam materialiter, eſt privatio ſeu omiſſio; eatenus enim tantùm eſt contrà præceptum, adeòque etiam materialiter mala; per conſequens quà peccatum non differt ab omiſſione. Sive ergò dixeris peccatum commiſſionis, ſive omiſſionis, perinde eſt in ordine ad Confeſſionem niſi habeat ſpecialem repugnantiam cum alia virtute. Porrò ſtudium, de quo loquitur Concluſio, talem repugnantiam non habere, arbitror ſatis luculenter oſtenſum: nam ſi haberet talem repugnantiam, eſſet cum virtute ſtudioſitatis; illam non habet: ergò &c.

396. Nam quod quidam objiciunt, omittentem Sacrum propter ſtudium, conſtituere finem ultimum in ſtudio, ſi intelligant de ultimo fine ſimpliciter, falſum eſt: quia propter multa alia vellet tali tempore relinquere ſtudium. Sin autem de fine ultimo ſecundùm quid, ſcilicet reſpectu illius omiſſionis; dico, eodem modo ſtudium eſſe finem ultimum, quando propter illud omittit Sacrum non præceptum: hoc non eſt peccaminoſum, niſi quatenus adjungitur violatio alicujus præcepti; ergò nec illud. Undè (ut ſuperius dixi) non magìs explicandum eſt ſtudium, quàm quilibet alius finis, qui ſufficienter explicatur per omiſſionem, quæ ſupponitur habuiſſe aliquem finem: quòd autem ille fuerit ſtudium, vel aliquid aliud, indifferens eſt ad illam malitiam, & gravitatem ejus cognoſcendam.

Adde inconveniens, quod ſequitur ex oppoſita ſententia; videlicet, graviùs peccare, qui propter ſtudium omittit Sacrum, quàm qui purè ex negligentia; cùm tamen ille finis videatur aliqualiter omiſſionem excuſare. Probatur: quia in primo caſu foret duplex peccatum, unum contra ſtudioſitatem, alterum contra Religionem, cùm in ſecundo caſu ſolùm ſit unicum peccatum contra Religionem. *oppoſitæ ſententiæ.*

Cæterum ſi hæc vera ſunt (quod puto) quando expreſſè propter ſtudium omittitur Sacrum; indubiè etiam vera erunt, quando ſtudium ſolùm ſe habet concomitanter, id eſt, quando ſuppoſitâ expreſsâ voluntate non audiendi Sacrum, eligo potiùs ſtudere, quàm manere otioſus: immò hæc electio potiùs videtur eſſe bona, quàm mala; cùm non ſit cauſa omiſſionis, ſed potiùs vice versâ omiſſio ſit cauſa electionis ſtudii. Quòd autem ſit effectus omiſſionis malæ, parùm refert, cùm etiam pœnitentia ſit effectus occaſionalis peccati, & tamen propterea non eſt mala; & alii plures effectus boni ſequuntur ex ſuppoſitione peccati, juxta illud Apoſtoli Roman. 8. v. 28. *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* 397. *Concluſio vera eſt, etiam quando ſtudium ſolùm ſe habet concomitanter.*

Ad quæ verba D. Auguſtinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 9. *Vſque adeò prorsùs omnia, ut etiam ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Sic David, quia filius erat promiſſionis, non perditionis, expertus, Deo paululum deſerente, quid eſſet ipſe.......... Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior, tenuit viam, iam videns & confitens in voluntate ſua, Deum decori eius præſtitiſſe virtutem; quod ſibi ipſi tribuens, & de ſe præſumens in tali abundantia, quam præſtiterat Deus, non de illo, qui eam præſtiterat, dicebat: Non movebor in æternum.*

Scio non eſſe omnimodam paritatem inter ſtudium in caſu noſtro, & pœnitentiam alioſque effectus bonos, qui ſequuntur peccatum; quia hi non ſunt incompatibiles cum adimpletione præcepti alicujus affirmativi, ſicuti eſt ſtudium cum auditione Miſſæ præceptæ: in hoc tamen eſt paritas, quod tam pœnitentia, quàm ſtudium, ſint effectus cauſæ malæ. Sicut ergò Pœnitentia non propterea mala eſt; ita neque ſtudium, præcisè quà effectus illius omiſſionis malæ, ſatis probatur, eſſe malum. 398. *Studium præcisè quatenus eſt effectus omiſſionis Sacri non videtur eſſe malum.*

Immò putant Multi, tali caſu ſtudium poſſe eſſe debitum ex voto, v. g. ſi quis voviſſet numquam eſſe otioſum; vel ex præcepto divino, ſi Deus præciperet, ut qui non audit Sacrum, ſaltem ſtudeat. Præterea poſſet eſſe opus conſilii: quidni enim liceat conſulere alicui ut potiùs ſtudeat, quàm ſit otioſus?

Planè (inquis) licet conſulere, ſicut licet conſulere, ut potius furetur, quàm occidat: ergò 399. *Vazquez docet oppoſitum.*

ergo furtum non eſt peccatum; negatur Conſequentia; ſed eſt minus peccatum quàm homicidium: igitur hoc argumentum ſolùm probat eſſe minus peccatum ſtudere, quàm eſſe otioſum. Ita Vaſquez 1. 2. diſp. 92. n. 8. exiſtimans ſtudium tali caſu verè eſſe peccaminoſum, niſi priùs voluntas elegiſſet aliam actionem incompatibilem cum auditione Miſſæ, v. g. manere domi. Et tunc conſequenter negandum foret illud ſtudium poſſe eſſe debitum ex voto aut præcepto.

Probat. Ratio Vaſquez eſt; quia reverà illud ſtudium eſt cauſa externæ omiſſionis: non enim omittere poteſt, quis, niſi efficiendo aliquod opus externum incompoſſibile cum ipſa auditione Sacri. Veluti cùm quis propoſuit occidere alterum, non poteſt id mandare executioni, niſi per hoc vel illud inſtrumentum; & tamen accipere hoc in particulari, peccatum eſt.

Reſponſio. Reſpondetur: volitio occidendi, non eſt occiſio; ac proinde inſtrumentum, tamquàm medium & cauſa, intrat in occiſionem. At verò volitio non audiendi Sacrum, immò omiſſio volitionis audiendi, eſt adæquata cauſa externa omiſſionis: quamdiu enim illa perſeverat, ſive ſim domi, ſive in templo, ſive alibi, habetur omiſſio auditionis Sacri, quæ non eſt aliud, quàm vera negatio voluntariæ auditionis: occiſio autem, præter voluntatem occidendi, requirit poſitivam meam actionem.

400. Objectio ſolvitur. Si objicias: Teneor tali caſu relinquere ſtudium; ergo non eſt opus bonum. Reſpondetur cum diſtinctione Antecedentis: teneor immediatè, id eſt, etiam ſuppoſito, quòd non velim audire Sacrum; negatur Antecedens: mediatè, quia ſcilicet teneor habere voluntatem audiendi Sacrum; admittitur Antecedens, ſed negatur Conſequentia. Solùm indè ſequitur, tale opus bonum ſupponere voluntatem peccaminoſam.

Prima inſtantia. Inſtabis: Ergò Sacerdos navigans, ſi decrevit toto tempore navigationis non recitare Horas Canonicas, minimè peccat projiciendo Breviarium in mare: neque fur, qui firmiter propoſuit non reſtituere rem furtivam, ſi reddat reſtitutionem ſibi impoſſibilem: utì nec iſte, qui poſtquam firmiter decrevit non obſervare votum caſtitatis, ducit uxorem.

Reſpondetur. Reſpondetur N. C. diſparitas: quia in his caſibus ponitur aliquid, quod eſt incompoſſibile cum obſervatione præcepti, etiam pro tempore futuro; adeòque illa actio reſpectu illius temporis non eſt conſequens aut concomitans, ſed antecedens, & ùt vera cauſa influit in omiſſiones futuri temporis, & antecedenter ad illas neceſſitat: at verò in noſtro caſu ſtudium minimè neceſſitat ad non auditionem Sacri; ſed poſitâ voluntate audiendi, ſtatim ceſſabit ſtudium.

Urges: Ergò ſaltem, qui die Dominicâ poſt voluntatem non audiendi Sacrum, ſe ſomno traderet, aut aliam actionem faceret, per quam reddit ſibi omninò impoſſibilem auditionem Sacri, de novo peccaret. 4[illegible] Secu[illegible] ſtant[illegible]

Reſpondetur; ſinè dubio illam actionem eſſe malam, haùd equidem neceſſariò explicandam in Confeſſione, quia moraliter unum conſtituit peccatum cum ipſa omiſſione, ùt ſuprà diximus. At verò qui Breviarium projeciſſet in mare, hoc neceſſariò dicere deberet, ſpecificando tempus navigationis. Neque ſatisfaceret, ſi ſe accuſaret, quòd per totum annum non recitaſſet Horas; ſic quippe conſiteretur non peccatum, quod fecit, ſed alia quæ non fecit: ſemel enim tantùm peccavit, ponendo cauſam neceſſariam omiſſionis Horarum totius anni; & ſignificat ſe toties diſtinctis vicibus peccaſſe, quoties omiſit, quod falſum eſt; cùm ſingulæ iſtæ omiſſiones fuerint omninò neceſſariæ, adeoque inculpabiles in ſe, quamvis in cauſa fuerint culpabiles. Cauſa itaque explicanda eſt, non ipſæ omiſſiones ſecundùm ſe. Hæc ſufficiant pro præſenti difficultate. Solv[illegible]

Solùm addo; plus eſſe, aliquam actionem impedire Miſſam, quàm eſſe incompatibilem cum illa: nam impedire importat, quòd hæc actio ſit ratio abſentiæ Miſſæ; ſtudium autem in caſu noſtro non eſt ratio abſentiæ Miſſæ, ſed potiùs è contra non auditio Miſſæ eſt ratio ſtudii; ideo enim ſtudet, quia non vult audire Miſſam. Itaque ſtudium non habet prioritatem & independentiam neceſſariam, ut influat in negationem Miſſæ: neceſſarium quidem eſt omittere Miſſam poſito ſtudio, tamen hoc neutiquam ſufficit, ut ſit cauſa; ſed neceſſe eſt, ut hìc & nunc ſequatur negatio auditionis ideo, quia ille actus exercetur. Non ergò ſufficit quòd ſtudium poſſet cauſare talem effectum, ſi aliundè ſupponatur effectus jam productus, ſicut in caſu ſupponitur; nam poſitâ voluntate omittendi, moraliter cenſetur eſſe omiſſio. 4[illegible] Plus quam [illegible] dire [illegible] eſſe [illegible] cum

Sicuti ergò non teneor (ſaltem probabiliter) ad reſtitutionem damni, quòd jam moraliter ab altero erat illatum, idque quia tunc non ſum moraliter cauſa efficax damni; ita probabiliter illud ſtudium non eſt peccaminoſum, quia moraliter non eſt cauſa efficax omiſſionis Sacri.

Confirmatur ab alio ſimili: ſi lumen ſemel impediatur per occluſionem feneſtræ, reliqua impedimenta, quæ potuiſſent idem lumen impedire, nullo modo impediunt; quia prior occluſio feneſtræ lumen integrè impedivit. Ergò conſimiliter, quando Sacrum ſemel impeditum eſt per propoſitum efficax non audiendi Sacrum, tametſi ſtudium poſſet impedire, moraliter tamen non cenſetur impedire.

Utcumque ſit de hac controverſia, quæ non

non eſt hujus loci, ſive elegeris unam, ſive alteram partem, certum eſt, quòd illud ſtudium non debeat explicari in Confeſſione; ſed abundè ſatisfacit pœnitens, accuſando ſe de omiſſione Sacri.

Major difficultas eſt de hoc caſu (qui ſpectat ad circumſtantiam, *Quomodo*) Joannes exiſtimans hodie eſſe diem jejunii comedit carnes, poſtea deprehendit non fuiſſe diem jejunii; quæritur, an ſatisfaciat dicendo in Confeſſione: *Fregi jejunium*; an verò debeat adjungere, ſe peccaſſe ex conſcientia erronea? Reſolutio erit

CONCLVSIO XVIII.

Regulariter loquendo non eſt obligatio explicandi conſcientiam erroneam, maximè quoad Confeſſiones præteritas, in quibus non fuit explicata: quoad Confeſſiones verò præſentes, quando pœnitens ipſe advertit vel dubitat, an peccaverit ſolùm ex conſcientia erronea, tunc optimè faciet accuſando ſe hâc formulâ: *Feci hoc, putans me facere contra obligationem gravem.*

404 Ratio dubitandi de veritate hujus Concluſionis eſt; quia licèt detractio v.g. cum nocumento gravi vero, & cum nocumento tantùm exiſtimato gravi, non differant ſpecie, immò ſint æquales in malitia; differunt tamen numero, & una non eſt alia: nam detractio levis, exiſtimata gravis, non eſt detractio gravis, ſeu in materia gravi. Si ergo confeſſus es detractionem cum nocumento gravi, non es confeſſus eam, quam commiſiſti, ſed aliam diſtinctam circa materiam diverſam, quam numquam commiſeras.

Conſimiliter, ſi projeciſti in flumen vas plumbeum, putans eſſe argenteum; vel vas tuum, putans eſſe alienum; & confitearis te projeciſſe argenteum & alienum; non dixiſti peccatum quod reverà feciſti, ſed quod putaſtas te feciſſe; cùm illud non feceris, ſed aliud, quod non es confeſſus. Ergo non confiteris peccatum verum, ſed æſtimatum, atque ideo ut confitearis peccatum verum, debes dicere: *Proieci in flumen vas meum, putans alienum*, &c.

Salas. Ob hanc fortè rationem, Salas Tom. 1. in 1. 2. tract. 8. diſp. unicâ, ſect. 3. n. 28. in fine addidit hæc verba: Cùm verò quis rem licitam egit, putans eſſe illicitam, ùt ſi occidat feram, putans eſſe hominem, debet errorem exprimere; alioquin enim non intelligitur malitia actûs externi, quia occiſio feræ mala non eſt.

Verùm difficilis eſt ea doctrina ob onus, quod imponitur pœnitenti, iteratò confitendi eadem peccata cum illa circumſtantia, quam in prima Confeſſione non cognoverat: v. g. aliquis ſæpiùs confeſſus fuit violationem voti; ſi poſtea doctior factus cognoſcat, ſe verè non fuiſſe obligatum, deberet iterum confiteri ea peccata, explicando non fuiſſe tranſgreſſiones voti veri, ſed æſtimati. Ideo dicendum exiſtimo cum Sanchez lib. 1. Sum. c. 11. n. 5. & Aliis, quos citat & ſequitur Lugo hìc diſp. 16. n. 503. & Dicaſtillo diſp. 9. n. 710. agere contra conſcientiam errantem, non eſſe ſpeciale peccatum; & ideo ſat eſſe fateri præcepti violationem, quam conſcientia errans dictabat, non declarando fuiſſe contra conſcientiam errantem. 405. Agere contra conſcientiam erraniem non eſt ſpeciale peccatum. Sanchez. Lugo. Dicaſtillo.

Dixi autem conſultò in principio Concluſionis: *Regulariter loquendo*: quia aliquando erit hæc circumſtantia explicanda, v. g. ob Cenſuram, quæ tunc non incurritur: v. g. qui ſuadente diabolo percuteret laicum, putans eſſe Clericum, propter illam percuſſionem, eſtò ex conſcientia erronea ſacrilegam, non incurreret pœnam Excommunicationis, quam alioquin incurreret, ſi percuſſus verè fuiſſet Clericus. Præterea quando materia eſt talis, quæ, ſeclusâ erroneâ conſcientiâ, non eſſet peccatum, ùt ſi puer accuſet ſe de violatione jejunii, Confeſſarius non intelliget fuiſſe peccatum, niſi dicat conſcientiam erroneam. Sed hoc per accidens eſt, ùt patet.

Quòd verò per ſe loquendo hoc non ſit omninò neceſſarium tam quoad Confeſſiones præteritas, quàm præſentes, probatur ex Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 5. ubi nihil aliud requirit ad integram Confeſſionem, quàm ut pœnitentes declarent omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, omnia (inquam) in ſpecie & ſigillatim: atqui hoc facit, qui explicat peccatum commiſſum ex conſcientia erronea, hâc minimè declaratâ; ergò &c. 406. adeòque per ſe loquendo illa conſcientia non eſt explicanda in Confeſſione. Concil. Trid.

Minor (quæ ſola habet difficultatem) probatur (& erit reſponſio ad rationem dubitandi) quia comeſtionem carnium eſſe malam malitiâ formali, non eſt eſſe prohibitam, ſed repræſentari prohibitam, & tamen imperari à voluntate. Patet: quia tametſi comeſtio à parte rei foret prohibita, ſi tamen non repræſentetur prohibita, numquam formaliter erit mala, ſed tantùm objectivè ſeu materialiter.

Digitized by Google

Actus comeſtionis accipit malitiam formalem à cognitione præcepti, & voluntate comedendi.

Igitur actus comeſtionis accipit malitiam formalem non præcisè à præcepto, ſed magìs à cognitione præcepti, & à voluntate comedendi cum illa cognitione. Cùm ergo in caſu erroneæ conſcientiæ fuerit voluntas comedendi carnes cum cognitione præcepti jejunii, jam fuit tota malitia formalis, eadem ſpecie & numero, quæ eſſet, præcepto verè à parte rei exiſtente. Ergo qui explicat illam malitiam, explicat peccatum ſuum in ſpecie ac ſigillatim: ergo ſatisfacit præcepto integræ Confeſſionis; explicat quippe actum comeſtionis (qui ſolus eſt ſubjectum denominationis) & formam denominantem ſeu conſtituentem illum actum in ratione talis peccati, id eſt, malitiam formalem: ergo explicat idem ſpecie & numero peccatum, quod fecit; & non aliud, quod non fecit.

407. **Malitia detractionis conſiſtit in voluntate proferendi illa verba cum cognitione gravis nocumenti.**

Idem apparet in exemplo detractionis: nam ejus malitia formalis conſiſtit in voluntate proferendi illa verba cum cognitione gravis nocumenti; quæ voluntas eadem eſt ſpecie & numero cum ea, quæ eſſet, ſi conſcientia non erraret: materiale peccati eſt illa prolatio verborum, quæ ſimiliter eadem eſt ſpecie & numero cum illa, quæ adferret reipsâ grave nocumentum proximo; porrò ipſum nocumentum (quod ſolùm diſtinguitur) nec eſt peccatum, nec intrat ad componendum hoc peccatum in ratione talis peccati, ſed eſt effectus peccati, qui non debet diſtinctè explicari in Confeſſione per ſe loquendo; nam verbis infamatoriis prolatis, ipſa infamatio ſeu nocumentum famæ ſequitur omninò independenter à voluntate detractoris, ſicuti inflicto vulnere lethali mors ſequitur omninò independenter à voluntate ejus, qui vulnus inflixit: ergo talis effectus non eſt in ſe peccaminoſus; nam teſte D. Auguſtino lib. de Vera Relig. cap. 14. *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Jam autem Concilium Tridentinum non requirit niſi Confeſſionem peccatorum. Sicut ergo illi effectus in ſe non ſunt peccata propriè dicta, ſed ſolùm in cauſa; ita in ſe non ſunt explicandi in Confeſſione, ſed ſolùm in ſua cauſa.

408. **Eſt eadem moraliter actio furti quà auſertur verum aurum & quà auſertur plumbum quod putatur aurum.**

Idem diſcurſus applicari poteſt furto rei tuæ, quam putabas alienam; & copulæ cum ea, quam putabas falsò conſanguineam, vel habere votum caſtitatis. Numquid etiam furto plumbi, quod putabas aurum? Ibi quippe non videtur eſſe eadem actio furti; nam actio illa eſt motus localis, quo aurum vel plumbum de uno loco transfertur ad alium: ille autem motus variatur pro diverſitate termini; adeòque confeſſus furtum auri, cùm eſſet plumbum, non eſt confeſſus peccatum quod fecit, ſed aliud quod non fecit; ſicut qui confitetur ſe occidiſſe Petrum, cùm fuerit Paulus, non confitetur peccatum, quod fecit, ſed aliud quod non fecit.

Reſpondeo: confitetur aliud phyſicè, concedo; aliud moraliter, nego. Sufficit autem, quòd confiteatur idem moraliter (ùt alibi diximus) & rursùm dico cum Dicaſtillone diſp. 9. n. 715. Si fortè quando confitebatur homicida dixit: *Occidi Paulum*, ſufficere eam Confeſſionem, nec poſtea deprehendentem fuiſſe Petrum, debere iterum confiteri, quia reverà confeſſus eſt peccatum morale, quòd fecit: quotieſcumque enim quis confitetur peccatum, confitetur illud prout erat in conſcientia ſua probabili; tunc autem quando occidit, erat in ſua conſcientia probabili (ùt ſupponimus) quòd ea actio eſſet occiſio Pauli, & non Petri: & in morali æſtimatione idem eſt dicere: *Occidi Paulum*, atque dicere: *Occidi, quem putabam eſſe Paulum*; ſeu, *eum, qui meo judicio tunc erat Paulus*; ſive enim reverà fuiſſet, ſive non fuiſſet Paulus, pro malitia morali, & materia Confeſſionis (etiam comparatione actionis externæ, ùt provenientis à voluntate interna) nihil refert. Hæc ille.

Addo: tametſi quando occidit, probè ſciviſſet, quòd ea actio eſſet occiſio Petri, & non Pauli, adhuc ſatisfaceret, per ſe loquendo, confitendo occiſionem Pauli, eſto venialiter mentiretur. Ratio jam aſſignata eſt: quia illæ occiſiones moraliter ſunt eædem; adeòque confitetur peccatum morale quod fecit, neque per illud mendacium notabiliter pervertit judicium Confeſſarii, cùm una occiſio tantam mereatur pœnitentiam (ùt ſuppono) quàm alia.

De cætero, licèt quæ hactenus dicta ſunt, exiſtimem veriſſima; equidem placeat formula confitendi in Concluſione præſcripta, videlicet: *Feci hoc, putans me facere contra obligationem gravem*; hoc enim modo explicas verum peccatum, quod feciſti, neque exponis te ulli periculo dicendi, quod non feciſti. 40 Conſi- forma Coed expedi

Quòd verò ad Confeſſarium attinet, quando hic advertit, pœnitentem in aliqua materia peccaſſe aliquando ſolùm ex conſcientia erronea, & aliquando ex vera; interroget univerſaliter: *Quoties v. g. reliquiſti Miſſam, ad laboraſti, &c. putans te peccare graviter contra præceptum?* Hoc enim modo comprehendet omnia illa peccata, & ſimul poterit illi afferre pro futuro conſcientiam erroneam. Ita Lugo ſuprà n. 503. Lug.

Finem huic Concluſioni imponet ſequens reſolutio: Qui in actu venereo geſtavit Reliquias Sanctorum, non debet hanc circumſtantiam in Confeſſione explicare, multò minùs ſi geſtando Reliquias pejeraverit, furatus fuerit, detraxerit &c. hæc enim peccata nequidem levem irreverentiam videntur afferre; iſtud autem, etſi aliquam afferat (ùt placet Lugoni diſp. 16. n. 513. & Di- 410 Relcis cuſtod. cauſa. Lugo.

Digitized by Google

& Dicaſtilloni diſp. 9. n. 719.) equidem non mortalem, idque quia nullo jure ſpecialiter id prohibetur, nec directè cultui Reliquiis debito opponitur, cùm non ſit turpis earum contrectatio. Ita Sanchez in Sum. lib. 2. c. 40. n. 28. quem ſequitur Lugo & Dicaſtillo ſuprà.

Poſſet tamen (addit Card.) irreverentia illa adeò creſcere, ut fieret mortalis: quid enim, ſi Sacerdos portans ſecum ſacram Euchariſtiam, illud peccatum committeret? Ego ſanè non excuſarem à peccato gravi contra Religionem. Hæc ille; exiſtimans non eſſe eamdem rationem de quolibet alio peccato mortali, v. g. detractione, contumelia &c. quia non omnia continent æqualem irreverentiam & turpitudinem contra præſentiam corporis Chriſti.

At verò Dicaſtillo non poteſt non videre magnam irreverentiam, ſi quis Sacerdos, portans ſecum pro ægroto Venerabile (etiam ſecretò, ùt in aliquibus locis juſtis de cauſis fit) interim diverteret, & in converſatione effutiret detractiones, contumelias, perjuria, aut etiam minùs honeſtis & decentibus ludis aleæ, chartifoliorum, & ſimilibus vacaret. Verùm hæc omnia prudentis æſtimationis judicio videntur relinquenda; in quo nulla nobis occurrit Regula generalis ad id diſcernendum. Hæc ille.

Reſtat ultima circumſtantia, *Quando*; circa quam ſolet quæri, àn tempus ſacrum neceſſariò debeat explicari? Breviter dico:

CONCLUSIO XIX.

Peccata, quæ non ſunt in materia ſervili, ex die Feſto non contrahunt ſpecialem malitiam, ſaltem mortalem.

11. atio taſ. bita. PRo oppoſita ſententia multos citat Auctores Dicaſtillo ſuprà n. 721. ſed plures pro hac noſtra Concluſione n. 722. Quamvis Aliqui ex his excipiant diem Paraſceves, ſi in eo peccatum enorme committatur, aut ſi quo die communicavit, poſt Communionem committat fornicationem. Probatur autem Concluſio: quia nuſpiam ſpecialiter in honorem diei Feſti prohibentur peccata, quæ non ſunt in materia ſervili; quamvis enim impediant cultum divinum, qui eſt finis præcepti, equidem non omnia, quæ conducunt ad finem alicujus præcepti, illo præcepto prohibentur, ſed ſolùm illa, quæ verbis præcepti comprehenduntur.

Sic quippe ad finem jejunii, qui eſt mortificatio carnis, conducit caſtitas; quis ideo aſſerit, fornicationem prohibitam præcepto jejunii? Finis jejunii eſt honeſtas temperantiæ; quis proptereà docet, ebrietatem eſſe prohibitam præcepto jejunii? Ergò ſive cultus divinus dicatur finis intrinſecus, ſive finis extrinſecus, liquet profectò, quòd non omnia, quæ repugnant cultui divino, ſpecialiter prohibeantur in honorem diei Feſti. Alioquin nimis diu dormire, ſtudere, ambulare, ludere, & ſimilia opera indifferentia, quæ non parùm impediunt cultum divinum, eſſent ſpecialiter prohibita, & peccata mortalia vel venialia contra virtutem Religionis; quod conſtat eſſe falſum.

Quia ergò multa peccata non ſunt opera ſervilia propriè, ſed ſolùm metaphoricè (juxta illud Chriſti apud Ioannem c. 8. v. 34. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*) ideo non cenſentur prohibita illo præcepto, quia verba propriè ſunt intelligenda; alioquin nihil certi haberetur. Et quamvis ſint contra finem præcepti; non tamen in materia præcepti, quæ eſt abſtinentia ab operibus ſervilibus. 412. Multa peccata non ſunt opera ſervilia propriè Joan. 8.

Satisfacit ergo præcepto ſanctificandi Sabbathum (prout in lege nova determinatum eſt) qui audit Miſſam & abſtinet ab operibus ſervilibus; quippe hæc duo ſunt tota materia hujus præcepti, id eſt, totus cultus, qui eo die præcipitur.

Si autem à me quæritur; quare Eccleſia potiùs præcipiat abſtinentiam ab operibus ſervilibus, quàm à peccatis, quibus aliquando magìs impeditur cultus divinus? 413. Quare Eccleſia potiùs prohibuerit in die feſto opera ſervilia, quàm peccata.

Reſpondeo: ſtat pro ratione voluntas, quæ prudenter potuit prohibere unum, & non aliud, ad evitandam nimiam multiplicationem peccatorum: cùm enim peccata aliunde prohibita ſint, ſi non curent hanc prohibitionem, facilè etiam contemnent iſtam, adeoque ſecunda prohibitio potiùs eſſet in laqueum & deſtructionem animarum, quàm in ædificationem. At verò opera ſervilia, cùm de ſe ſint licita, homines faciliùs ſe illis occuparent, maximè cùm ſint valde obvia, & plurimum impediant cultum divinum.

De his operibus intelligo cap. 1. de Feriis, ubì ſic lego: *Omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere abſtinere.* Gloſſa verb. *Omnes dies*, per opus illicitum intelligit opus ſervile: *Dicitur* (inquit) *hìc, quòd omnes dies Dominici ſunt à veſpera in veſperam feriandi, & ab omni opere ſervili obſervandi.* De operibus ſervilibus explicatur cap. de Feriis.

Nec huic doctrinæ repugnat Divus Auguſtinus, aut veriùs Auctor libri de Vera & falſa Pœnitentia, apud D. Auguſtinum, c. 14. (& refertur de Pœnit. diſt. 5. cap. 1.) ibi: *Conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeverantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitii multiplici executione* 414. Objicitur Auctor lib. de vera & falſa Pœnit.

cutione. Oportet enim pœnitere fornicantem ſecundùm excellentiam ſui ſtatûs aut officii, & ſecundùm modum meretricis, & in modo operis ſui, & qualiter turpitudinem ſuam peregit, ſi in loco ſacro; aut cui debuit excellentiam fidei (ùt ſunt domus dominorum & aliorum multorum) ſi in tempore orationi conſtituto, aut in feſtivitate Sanctorum, & in tempore ieiunii.

Reſpondetur. Non obſtant (inquam) hæc verba noſtræ Concluſioni; nam continent aliquas qualitates criminis, quas certò conſtat non eſſe neceſſariò explicandas in Confeſſione; quia nec mutantes ſpeciem aut numerum, neque notabiliter aggravantes, v. g. *Quali hoc fecerit tentatione, ſi in domibus dominorum, ſi in tempore orationi conſtituto, vel in tempore ieiunii.* Ergo idem dici poteſt de hac qualitate: *Si in feſtivitate Sanctorum.* Interim bene monet hic Auctor, ut pœnitens conſideret omnes illas qualitates; quia licèt aliquæ ex ſe non ſint neceſſariæ, fieri tamen poteſt per accidens, ut vel mutent ſpeciem, vel notabiliter aggravent ratione ſcandali aut contemptûs; v. g. ſi aliquis fornicaretur ex induſtria, ut ſic profanaret diem ſacrum.

Objici ſolet alius locus D. Auguſtini ex
415. Objectio ex S. Auguſt. lib. de Decem chordis cap. 3. ibi: *Dicitur tibi, ut ſpiritaliter obſerves Sabbatum, non quomodo Iudæi obſervant Sabbatum carnali otio; vacare enim volunt ad nugas atque luxurias ſuas. Meliùs enim faceret Iudæus in agro ſuo aliquid utile, quàm in theatro ſeditioſus exiſteret. Et meliùs fœminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quàm totâ die in Neomeniis ſuis impudicè ſaltarent.*

Solvitur. Prorsùs meliùs facerent: quia peccata contra juſtitiam, & caſtitatem, quamvis ex genere ſuo ſint minora, quàm violatio Sabbati per opus ſervile (quia Religio, cui opponitur hæc violatio, eſt perfectior virtus; *Illud* autem *peccatum*, inquit Scotus 2. diſt. 27. n. 9. *eſt gravius ex genere, quod opponitur rectitudini meliori*) equidem ex circumſtantiis poſſunt eſſe peccata graviora; vel etiam quia ſtrictior eſt obligatio præcepti naturalis juſtitiæ, & caſtitatis, quàm præcepti poſitivi Religionis: ergo graviùs peccat, qui in theatro ſeditioſus exiſtit, aut qui totâ die impudicè ſaltat, quàm qui omittit auditionem Miſſæ in die feſto, aut ſerviliter laborat. Patet: quia ſi vel fornicandum foret, vel omittendum Sacrum; indubiè omittendum eſſet Sacrum: ergo meliùs eſt omittere Sacrum, per conſequens meliùs laborare ſerviliter in die feſto, quàm impudicè ſaltare.

Si inferas: Ergo impudicè ſaltare habet duplicem malitiam mortalem, unam ex objecto ſuo contra caſtitatem, alteram ex die feſto contra Religionem; negatur Conſequentia: nam impudicè ſaltare, etiam in die non feſto, pejus eſt, quàm in die feſto ſerviliter laborare.

Præterea (quod bene notandum eſt) Auguſtinus illo loco agit de obſervatione ſpirituali Sabbati, ùt patet ex illis verbis: *Dicitur tibi, ut ſpiritaliter obſerves Sabbatum.* Et infrà: *Tibi autem dicitur, ut obſerves ſpiritaliter Sabbatum in ſpe futuræ quietis, quam tibi promittit Dominus. Quiſquis autem propter illam quietem futuram agit quidquid poteſt, quamvis laborioſum videatur quod agit, tamen ſi ad fidem promiſſæ quietis id refert; nondum quidem Sabbatum habet in re, ſed habet in ſpe.*

Atque de hac ſpirituali obſervatione, ſeu vacatione à peccatis loquitur Divus Ambroſius in cap. 13. Luc. ibi: *Sicut Deus quievit ab operibus mundi, non ab operibus ſanctis &c. Hoc autem non intelligens Archi-Synagogus, prohibebat quemquam curari Sabbato, cùm Sabbatum futurarum typis ſit feriarum: & ideo non operis boni, ſed mali feriæ ſunt; eóq; præſcriptum ſit; ut nullam ferentes ſarcinam delictorum, nec bonorum ieiuni operum, Sabbata futura poſt mortem celebremus.* Quibus verbis explicat, non ſenſum litteralem præcepti de obſervatione Sabbati, ſed myſticum & ſpiritualem: ergo nec hic Doctor Eccleſiæ opponitur Concluſioni noſtræ, quæ negat, præceptum de obſervatione Sabbati ſecundùm ſenſum litteralem prohibere ſpecialiter illa peccata, quæ non ſunt in materia ſervili.

Quantùm ad Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. quod (teſte Lugóne ſuprà n. 515.) favere videtur Adverſariis tract. de Exteriori Pœnitentia fol. 180. dicens, quòd bis peccat, qui diem Dominicum ſcortis, rixis & pugnis, & aliis obſcœnis agit; adverte, illum tractatum non reperiri in Tom. 4. Conciliorum, eſtò ibi inveniatur Concilium Colonienſe celebratum anno 1536. Ubì Card. eum legerit, neſcio.

Si autem curioſiùs quiſpiam interroget, an & quid Concilium Colonienſe, ùt habetur in tomo 4. Conciliorum, diſponat circa obſervationem diei Dominicæ? Reſpondeo; parte 9. cap. 9. ſic ſcriptum reperio: *Diligenter quoque populus admonendus eſt, cur feriæ, & potiſſimùm dies Dominicus, qui à temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Dei ſemper celebris fuit, inſtitutæ ſint. Nempe, ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque Sacrum, & communicandum: breviter, ad vacandum Deo ſoli, ut dies illa tantùm orationibus, hymnis, pſalmis & canticis ſpiritualibus tranſigatur. Hoc enim eſt ſanctificare Sabbatum.*

Et cap. 10. *Quamobrem cupimus hiſce diebus prohiberi nundinas, claudi cauponas, vitari commeſſationes, ebrietates, ſumptus, lites, luſus improbos, choreas plenas inſaniis, colloquia prava, cantilenas turpes: breviter, omnem luxum. Nam hiſce & (quæ hæc ferè ſemper conſequuntur) blaſphemiis ac periuriis nomen Domini profanatur, ac Sabbatum (quod nos admonet ut quieſcamus perversè agere, & bene facere diſcamus) contaminatur.*

Nota,

Digitized by Google

Nota; *Quod nos admonet*: ergo generaliter prohibet perverſè agere, & præcipit bene facere; Conſequentia non valet. Et dato, quòd prohiberet omnem actionem peccaminoſam, adhuc non ſequitur, illam circumſtantiam eſſe explicandam in omni peccato: quia poteſt prohibere aliqua peccata ſolùm ſub veniali, ſicuti reverentia debita loco ſacro, quamvis prohibeat omne peccatum externum, haùd equidem ſub peccato mortali, ùt probavimus Concluſ. 16. Ergo minùs reverentia debita diei Dominicæ vel feſtivæ, quæ minùs ſacra & ſancta eſt (ùt etiam ibidem diximus) quàm locus ſacer, aut perſona ſacra.

418. Audiamus Dicaſtillonem diſput. 9. n. 725: Perſona ſacra, vel locus ſacer non ideo cenſetur ſacra res, quia in eo ſpatio, aut ab ea perſona fiat aliquid in obſequium Dei, aut quia præcipiatur ita fieri; ſed ideo cenſetur res ſacra quia ſpeciali quodam ritu, initiatione & inſtitutione, tendente directè in talem perſonam, vel locum, ſacrantur, initiantur, deputantur. Conſecratio verò diei nihil cenſetur aliud, quàm quòd in illa die præcipiatur aliquid faciendum vel omittendum in honorem Dei, aut Sancti alicujus, abſque eo, quòd ipſa dies per ſe ſpeciali quâdam ratione cenſeatur ſacrari, & per non obſervantiam ejus, quod mandatur, dies ipſa violari putetur.

Sicut quando quis vovet, aliquo die ſe facturum aliquid, v. g. jejunium, eleëmoſynam, & ſimilia, non cenſetur dies ipſa oblata & conſecrata Deo, ſed opus aut res, quæ eâ die exhiberi debet. Neque dies in communi æſtimatione habere cenſetur ſibi inhærens aliquod morale accidens & denominationem oblatæ & promiſſæ Deo; ùt videre eſt in voto Caſtitatis, & ſimilibus, quæ offeruntur præſtanda ſemper & ſingulis diebus: neque enim cenſentur ideo ſinguli dies conſecrati; vel ſi per quamdam ſive catachreſin, ſive alium tropum aut figuram appelles dies illos omnes conſecratos, propter votum perpetuum in illis ſemper ſervandum; non cenſenda eſt alia ſanctitas pro tali die, quàm illa puritas, quæ exhiberi debet pro caſtitate: cæteræ actiones malæ non violabunt illud ſanctitatis genus. Hucuſque Dicaſtillo; qui propterea exiſtimat, non ſatìs probari ex illa impropriè dicta ſanctitate temporis, quodcumque peccatum contrahere malitiam vel ſaltem venialem.

419. Reſponderi poſſet: Sicuti Oratorium auctoritate Epiſcopi erectum, & ad divinum cultum deputatum, antequam ſpeciali quodam ritu fuerit conſecratum, cenſetur communiter locus ſacer; violatur etiam illis actibus, quibus violatur Eccleſia, ſpeciali ritu conſecrata; & gaudet immunitate Eccleſiaſticâ eodem modo, quo Eccleſia verè conſecrata, argumento cap. 9. de Immun. Eccleſ. *Eccleſia, in qua divina myſteria celebrantur, licèt adhuc non extiterit conſecrata, nullo iure privilegium immunitatis admittit; quia obſequiis divinis dedicata, nullius eſt temerariis auſibus profananda.* Et c. 10. de Conſecratione Eccleſ. *Si Eccleſia non conſecrata cuiuſcumque fuerit ſeminis aut ſanguinis effuſione polluta &c.* Quidni ſimiliter dies Dominica vel feſtiva, ab Eccleſia ſpecialiter deputata ad cultum divinum, & obſequiis divinis dedicata, ſacra cenſeri poſſit & debeat, ita ut nullius temerariis auſibus ſit profananda? Non apparet alia diſparitas, quàm quòd locus ſit res permanens, dies autem res tranſiens.

Ad ſimile Dicaſtillonis, Reſpondetur; Non ideo præcisè diem aliquam dici ſacram, quia in illa debeat aliquid fieri vel omitti in honorem Dei, aut alicujus Sancti; ſed quia ab Eccleſia ſpecialiter talis dies deputata eſt ad colendum Deum per auditionem Miſſæ, & abſtinentiam ab operibus ſervilibus. Veluti non omnis locus, in quo celebrantur divina officia, eſt ſpecialiter ſacer; ſed ille ſolus locus, qui ſpecialiter ab Epiſcopo eſt deputatus, ſeu dedicatus divinis obſequiis. Reſponſio ad exemplum Dicaſtillonis.

Quidquid ergo ſit de malitia veniali contra Religionem, ſanè non video ſufficiens fundamentum, aſſerendi malitiam mortalem ſeu contra Religionem, ſeu contra aliam virtutem, ſecluſo contemptu & ſcandalo, niſi fortè in caſu aliquo particulari, de quo infrà. 420.

An ſanctitas diei augeat notabiliter malitiam intrà eandem ſpeciem?

Quantùm ad augmentum malitiæ intrà eamdem ſpeciem, quamvis gravioris culpæ ſit (teſte Divo Gregorio lib. 1. Moral. c. 1.) *inter bonos bonum non eſſe*; & conſequenter malum eſſe in eo die, in quo ſunt plura motiva, quæ à malo avocare poſſunt: ſignum quippe eſt, quod faciat majori firmitudine in malo, & majori affectu; *illud* autem, ſecundùm Doctorem Subtilem 2. diſt. 37. n. 9. *eſt graviùs, in quo voluntas maiori libidine peccat: quia quantò magìs conatur, tantò perfectiorem actum cauſaret, & tenetur illi dare rectitudinem proportionalem, ſi eſt capax rectitudinis; vel magìs ſe cavere ab illo, ſi non ſit capax rectitudinis, quàm ab alio actu minùs repugnante; & ita illud omittendo magìs peccat*: equidem non oſtenditur illud augmentum malitiæ eſſe notabile, aut tale, quod debeat in Confeſſione ſpecialiter explicari.

Unde ſi credimus Lugoni ſuprà nu. 520. neque pœnitentes, neque Confeſſarii curant de illa circumſtantia explicanda, vel interroganda. Et verò ſi circumſtantia loci ſacri non eſt explicanda in omni peccato; quantò minùs circumſtantia temporis ſacri? Ut enim ſuprà diximus, minor eſt ſanctitas temporis, quàm loci ſpecialiter conſecrati.

421\. *Proponuntur duo caſus, in quibus Lugo putat ratione temporis ſacri contrahi novam gravem malitiam.*

Addit tamen Eminentiſſimus ſuprà n. 524. aliquod peccatum ratione temporis ſacri contrahere malitiam gravem novam neceſſariò explicandam; v. g. ſi die Veneris ſancti aliquis vellet ludos publicos, comœdias & ludicra ſpectacula exhibere, ſicut in diebus Bacchanaliorum. Item, ſi aliquis ab ipſo Altari, in quo celebravit, iret immediatè ad peccandum cum concubina.

Reſponſio Dicaſt. ad primum caſum.

Reſpondet Dicaſtillo nu. 732. in primo exemplo illam irreverentiam non eſſe circumſtantiam alterius peccati (niſi illi actus per ſe eſſent prohibiti) ſed eſſe primarium peccatum, non ratione alicujus ſpecialis prohibitionis, ſed ex natura rei, quemadmodum quædam peccata in loco ſacro ex natura rei, ſeclusâ omni prohibitione Eccleſiæ, graviter diſſonant rationi, & cenſentur gravis irreverentia. Potuiſſet quidem (inquit ille) Eccleſia tunc non colere Paſſionem eo modo; ſuppoſito verò quòd colat eo modo, non poteſt apud prudentem æſtimationem, non cenſeri res illa gravis irreverentia: ſed hoc non eſt propriè loquendo contra aliquam diei ſacrationem, quæ nulla eſt. Hæc Dicaſtillo.

Rejicitur ab Auctore.

Ego autem dico: ſi non poteſt apud prudentem æſtimationem, non cenſeri res illa gravis irreverentia; hoc eſt propriè loquendo contra aliquam diei ſacrationem; ſicuti quòd Eccleſia non conſecrata, ſeminis aut ſanguinis effuſione polluatur, propriè loquendo eſt contra aliquam loci ſacrationem.

422\. *Reſponſio Dicaſt. ad 2. caſum.*

Ad ſecundum exemplum reſpondet Dicaſtillo nu. 733. irreverentiam quidem graviſſimam eſſe in tali actu, ſed non propriè contra aliquam ſanctitatem diei; ſed quia ex natura rei prudenti æſtimatione videtur gravis irreverentia tanti Sacrificii & Sacramenti. Quod ſatìs (inquit) declarat exemplum, quod affert (Lugo) de ſollicitante Sacerdote pœnitentem ad turpia proximè poſt Confeſſionem, quem Sacerdotem cogit legitimus Judex abjurare vel de vehementi, vel de levi (prout res & circumſtantiæ poſtulant) propter ſuſpicionem, quam ſecum affert ejuſmodi ſcelus; ſed hoc non pertinet ad ſanctitatem temporis aut diei, ſed ad honorem Sancti, & ad præcavendum damnum, quod provenire poſſet, ſi ejuſmodi malum impunè ſerpat; ſolumque propinquitas aut ſimultas temporis (ſicuti etiam loci deputati ad Confeſſionem, vel ſimulationis, quâ ſimulat quis ſe audire Confeſſionem) ſervit ad notandam & ſuſpicandam irreverentiam, vel minùs ſinceram fidem ſic peccantis, abſque ulla irreverentia illata tempori aut loco, tamquam rebus ſacratis, cùm poſſit eſſe locus ſine ulla conſecratione, ſicut & tempus. Hactenus Dicaſtillo.

423\. Reverà non intelligo, quomodò tempus ſpecialiter ſanctificetur per ſuſceptionem alicujus Sacramenti, vel oblationem Sacrificii: alioquin pro Sacerdotibus, quotidie celebrantibus, quævis dies cenſebitur ſacra, & per conſequens, quodlibet eorum peccatum externum, præſertim mortale, erit ſacrilegium (ſecundùm aliquam ſententiam) ſaltem veniale, quod non puto eſſe admittendum. *Auct... inte... quo... tem... cial... ſtifi... per... tion... cuju... mer...*

Dices: Pro Sacerdotibus & aliis perſonis Eccleſiaſticis, quævis dies eſt deputata ad cultum divini officii; ob quam cauſam voluit ſanctus Sylveſter Papa, ùt Sabbathi & Dominici diei nomine retento, reliqui hebdomadæ dies appellarentur Feriæ, quo ſignificaretur quotidie Clericos abjectâ cæterarum rerum curâ, uni Deo prorsùs vacare debere. Ergo abſolutè dicendum, quamlibet diem pro Clericis eſſe ſacram, ſicut dies Dominicus pro omnibus fidelibus. *Obj...*

Reſpondeo Neg. Conſ. licèt enim planè conveniat, ſingulis diebus totius anni Clericos abjectâ cæterarum rerum curâ, uni Deo prorsùs vacare; tamen non omnes dies ſpecialiter ad hoc deputati ſunt ab Eccleſia, ita ut peccent Clerici, ſi aliis rebus vacaverint; ſicuti peccant omnes fideles, ſi diebus Dominicis aut feſtivis vacaverint operibus ſervilibus. *Solvi...*

Deinde cultus divinus, qui ſingulis diebus præcipitur aliquibus Clericis, v. g. lectio Horarum, non præcipitur ſpecialiter in honorem hujus vel illius diei (ùt patet) ſed potiùs in honorem (ut ſic loquar) ſtatûs Eccleſiaſtici, id eſt, ratio motiva illius præcepti eſt dignitas perſonæ, non diei: at verò omnibus fidelibus præcipitur die Dominico auditio Miſſæ, & abſtinentia ab operibus ſervilibus, ſpecialiter in honorem illius diei, quia dies Reſurrectionis Domini eſt, & quia ſeptimo die requievit Deus ab omni opere, quod patrarat. *42... Diſp... inter... tum... non... ſingu... bus p... pitur... cis, & omni... fideli... præcip... diebu... vis.*

Et idem dicendum de aliis diebus feſtivis, in quibus recolitur ſpeciale aliquod Myſterium Fidei, ùt Trinitatis, Corporis Chriſti, Nativitatis Chriſti &c. aut certè ſpeciale beneficium gratiæ & gloriæ, propter quod cenſentur digni ſpeciali honore & cultu, quem Eccleſia præcipit deferri auditione Miſſæ, & abſtinentiâ ab operibus ſervilibus: & ideo ſpecialiter ſancti ſunt præ illis, quibus Eccleſia talem cultum non præſcripſit; ſpecialiter (inquam) ſancti ſunt, non ex natura rei, ſed ex voluntate Eccleſiæ, quæ præceptum naturale & divinum ſanctificandi Sabbathum, ad hos dies potiùs determinavit, quàm ad alios, propter vitandam nimiam multitudinem, & periculum animarum.

Itaque ut finiam hanc Concluſionem & Sectionem, utut ſit de malitia veniali, quam peccata ex die feſto ſecundùm multos DD. contrahunt; mortalem vix umquam contrahere

Digitized by Google

here (niſi ſint in materia ſervili, v. g. ſi quis in die feſto ſcindat ligna aliena, ut illa furetur) communior hodię eſt ſententia, & conformior communi ſenſui fidelium, qui non apprehendunt duplicem malitiam mortalem in furto, in ebrietate, in fornicatione & ſimilibus peccatis; tametſi ea committant in die Dominica vel feſtiva; neque graviter ſcandalizantur, etſi ſciant talia peccata paſſim frequentari ab aliis in diebus Dominicis vel feſtivis.

Et hactenus quidem de Diſtinctione ſpecifica Peccatorum, paucis ex pluribus caſibus (ne longiores ſimus, quàm oportet, in hac materia, alibi diffuſiùs pertractari ſolita) propoſitis & reſolutis. Sequitur Diſtinctio numerica, de qua inſtituitur

SECTIO XI.

De Diſtinctione numerica Peccatorum.

1. ...ga de... ...e di... ...ca pe... ...& ...erca ...entium ...deum.

CVm privationes (inquit Doctor Subtilis 2. diſt. 37. q. 1. n. 9.) *diſtinguantur ſpecie ex diſtinctione habituum ſpecifica, & numero ex diſtinctione habituum numerali; peccata, quæ ſunt privationes quædam, ſcilicet rectitudinum, quæ deberent ineſſe actibus, diſtinguuntur formaliter ex diſtinctione talium rectitudinum: ùt quando debent haberi diverſæ rectitudines ſpecie, ſunt carentiæ diverſæ ſpecie*; & quando debent haberi diverſæ rectitudines numero, ſunt carentiæ diverſæ numero. *Et ita non per converſiones ad obiecta, quæ non ſunt mala niſi materialiter, diſtinguuntur ipſa peccata ſpecie* vel numero; *ſed formalis ratio in eis diſtinguitur in comparatione ad rectitudinem aliam & aliam ſpecie*, vel aliam & aliam numero.

Eodem modo loquitur Quodl. 18. n. 17. ibi: *Malitiæ eo modo differunt, quo bonitates quæ deberent ineſſe. Si ſpecie, ſpecie: ſi numero, numero. Privationes enim diſtinguuntur, ſicut habitus nati eſſent diſtingui; putà ſurditas & cæcitas ſuo modo differunt ſpecie privativâ, ſicut auditus & viſus ſpecie poſitivâ; & hæc cæcitas & illa numero privativè, ſicut hic viſus & ille differunt numero poſitivè.* In quibus locis aſſignat Scotus diſcrimen eſſentiale, & à priori.

Quæris à me ſignum aliquod, ex quo colligere poſſis, quæ ſint peccata numero diſtincta in ordine ad Confeſſionem, id eſt, quæ ùt numero diſtincta debeant explicari in Confeſſione? Reſpondeo citiùs, eritque

CONCLVSIO I.

Diſtinctio numerica peccatorum deſumitur ex morali actuum disjunctione, quam in actibus mere internis cauſat interruptio, ſaltem per contrariam voluntatem; quidni etiam per voluntariam ceſſationem à priori actu?

PRæcipua controverſia hujus loci eſt, quandonam cenſeatur eſſe moralis actuum disjunctio; ſive, quandonam cenſeantur eſſe plures actus moraliter diſtincti, quos ùt tales oporteat explicare in Confeſſione. Et quidem quod attinet ad actus merè internos, ſeu ad peccata, quæ in voluntate conſummantur abſque ordine ad aliquem actum externum, exiſtimant Nonnulli ſufficere quamcumque minimam interruptionem, ſive hæc interruptio fiat per contrariam voluntatem (de quo conſtat apud Omnes) ſive per ſolam ceſſationem à priori voluntate, ſeu voluntaria fuerit, ſeu ex diſtractione naturali vel ſomno. Ita Suarius de Pœnit. diſp. 22. ſect. 5. n. 17. Vaſquez 1. 2. diſp. 75. c. 2. n. 9. 2. *Ad numericam diſtinctionem actuum merè internorum ſufficit ſecundùm Suarez & Vaſq. quælibet minima interruptio.*

Ratio eſt: quia peccatum illud non poteſt eſſe unum niſi continuatione aliquâ; ſed tunc nihil eſt, in quo illi duo actus continuentur ad conſtituendum unum peccatum: ergo ſunt plura. Minor patet: quia ibi non eſt aliquis actus internus, in quo continuentur; quia aliqua intercedit ceſſatio, ùt ſupponimus: neque etiam continuantur in aliquo actu externo; quia agimus de peccatis, quæ interiùs conſummantur & non prodeunt in actum exteriorem. *Probatur.*

Nihil ergo ſupereſt, in quo illa peccata continuentur & fiant unum: ſunt ergo plura in re ipſa, ergo etiam ùt plura confitenda ſunt; quia ſicut eſt declaranda in Confeſſione ſpecifica multitudo, ita & numerica: ſed omnis diſtinctio ſpecifica ſive magna, ſive parva ſit, per ſe loquendo aperienda eſt, quamvis poſſit ignorantia vel impotentia excuſare; idem ergo eſt in numerica diſtinctione.

3. Objectio. Dices: Poſſent ſaltem illi duo actus continuari in eodem affectu imperante, v. g. ſi quis unico actu imperaret tres moroſas delectationes.

Reſponſio Vaſquez. Reſpondet Vaſquez ſuprà: Actus imperans reflexus & imperatus non conſtituunt eundem actum in genere etiam moris; ac proinde hoc pacto non poteſt fieri continuatio. Atque ut actus imperans & imperatus eſſet unum peccatum in genere moris, dicere tamen non poſſemus, actum reflexum imperantem tres delectationes moroſas, & ipſas delectationes moroſas imperatas eſſe unum peccatum: nam quoties voluntas fertur (inquit Vaſquez) in duo peccata diſtincta, ùt quando eodem affectu deſideramus duo homicidia, moraliter cenſetur duplex peccatum numero diverſum; eſt enim in eodem actu duplex reſpectus ad duo peccata diſtincta; ac proinde duplex malitia numero diverſa. Hæc ille.

4. Reſponſio Auctoris. Reſpondeo ego; magnam eſſe diſparitatem inter hunc caſum, & quando plures voluntates continuantur in eodem opere exteriori; quippe actus imperans habet ſe per modum actûs interioris, actus verò imperatus per modum actûs exterioris: jam autem non ſemper quando eſt eadem voluntas interna, peccata externa ex ea procedentia, ſi nullam aliam habeant inter ſe connexionem, conſtituunt unum peccatum; alioquin qui haberet unam voluntatem tertiò fornicandi, & poſtmodùm tertiò fornicaretur, ſatisfaceret dicendo in Confeſſione: *Fui fornicatus*; quod liquidò conſtat eſſe falſum.

Quando fiat continuatio moralis ex Vaſquez. Continuatio igitur moralis (proſequitur Vaſquez ſup. n. 10.) ſolùm fit aut quando perſeverat eadem operatio exterior, & repetitur voluntas, ex qua ortum habuit; aut quando ex eadem voluntate finis varia applicantur media, quæ non habent aliam malitiam niſi malitiam finis, ùt quando ad homicidium paratur enſis, equus & alia neceſſaria; tunc enim hæc varia opera non ſolùm habent eamdem malitiam finis, & non aliam, ſed etiam unum tantùm peccatum cenſentur cum voluntate ipſa finis. Aut certè tunc continuatur peccatum, quando manet idem opus, profectum ex voluntate finis, & ceſſat expreſſa voluntas talis finis, iterùm tamen eadem repetitur & renovatur. Ita Vaſquez.

Equidem quantùm ad diſtinctionem phyſicam, nullus eſt qui neget, actus internos, quocumque minimo tempore interruptos, eſſe phyſicè numero diſtinctos; per conſequens habere diſtinctas bonitates & malitias, diſtinctum meritum & demeritum, ſi adſit nova libertas: negant tamen Aliqui, quamcumque minimam interruptionem eſſe moralem; ac proinde aſſerunt eam non ſufficere ad numericam diſtinctionem, in Confeſſione neceſſariò explicandam; quia videlicet humano modo non poteſt cognoſci aut explicari, nec variat morale judicium Confeſſarii. Unde potiùs eſt moralis continuatio, quia interruptio non eſt moraliter voluntaria; & reditus ad ſimilem actum quaſi naturaliter fit ſinè nova deliberatione. Exemplum ſit in eo, qui per horam manet in delectatione moroſa circa idem objectum; numquam enim id ita fit continuè, quin interim cogitatio ad alia rapiatur, licèt ſtatim redeat. 5 Sente[...] negan[...] quam[...] que n[...] inam[...] ruptio[...] eſſe m[...] lem. Prob[...] & en[...] ficatu[...]

Dico; *Circa idem objectum*; nam ſi ſit circa diverſum objectum, quamvis nulla foret interruptio, eſſent actus numero diſtincti, ſaltem moraliter, immò & phyſicè: nihil etenim repugnat unum actum numero diſtinctum immediatè ſuccedere alteri; neque per ſolam interruptionem numero diſtinguuntur peccata, ſed etiam per objecta, quamvis hæc diſtinctio poſſet dici per interruptionem moralem.

6 Oppug[...] tur à [...]rio. Sed hæc doctrina difficilis apparet Suario ſuprà nu. 14. Quia (inquit) nec ſufficienter explicari poſſe videtur, nec fundari: eſt enim quoad hoc magnum diſcrimen inter diſtinctionem ſpecificam & numericam; tunc enim dicuntur peccata differre ſpecie phyſicâ & non morali, quando, licèt habeant motus aut entitates ſpecie diverſas, non tamen habent malitias morales eſſentialiter diſtinctas. In præſenti autem illi actus voluntatis, qui dicuntur phyſicè diſtingui numero propter brevem temporis interruptionem, verè habent malitias morales diſtinctas numero, quia diſtinguuntur in ſubjectis, quibus inſunt; inſunt autem in actibus numero diſtinctis: ergo diſtinguuntur illa peccata numero non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter. Probatur Conſequentia: quia diſtingui moraliter, non eſt diſtingui brevi vel longo tempore, ſed eſt diſtingui in ipſo eſſe morali, ſeu in malitia & bonitate morali, ſicut diſtinctio ſpecifica ut moralis ſit, requirit ut ſit in ipſa malitia morali, ſive ſit magna, ſive parva, brevis aut diuturna.

7. Reſpon[...] Aliquo[...] Si reſpondeas; diſtinctionem moralem in præſenti ſumi in ordine ad Confeſſionem, ſive in ordine ad æſtimationem hominum; ita ut illa peccata, licèt in ſe ſint diſtincta moraliter, id eſt, quoad conditiones morales, putà libertatem, meritum & demeritum &c. in or-

Digitized by Google

in ordine ad Confeſſionem non dicantur diſtingui moraliter, quia eorum diſtinctio nec moraliter poteſt ab homine explicari, neque etiam percipi; unde ab hominibus non cenſentur peccata diſtincta.

Contrà (inquit Suarius nu. 15.) præceptum Confeſſionis obligat ad confitenda ùt diſtincta ea peccata, quæ numero diſtinguuntur: non poteſt autem dici obligare hoc modo circa ea peccata, quæ diſtinguuntur numero in ordine ad Confeſſionem, eſſet enim hic intolerabilis circulus & petitio principii.

Confirmatur primò: quia præceptum Confeſſionis non induxit novum modum diſtinguendi numero peccata, ſed ſuppoſitâ diſtinctione, quam in ſe habent, obligat ad illam declarandam; quòd autem hæc ab homine cognoſcatur vel interdum ignoretur, accidentarium eſt, & ideo non conſideratur in ipſa lege, ſed excuſari poterit aliquis propter ignorantiam, ipſa tamen lex per ſe in univerſum obligat.

Confirmatur ſecundò: nam ob ſimilem rationem omnia peccata, quæ in eſſe peccatorum diſtinguuntur ſpecie, in ordine etiam ad Confeſſionem diſtinguuntur, eaque diſtinctio ex vi legis eſt in Confeſſione declaranda in univerſum, ſive illa diſtinctio ſit magna, ſive parva, vel cognitu difficilis. Hæc ille.

8. Reſpondeo diſparitatem eſſe; quòd ſpecifica diſtinctio ſolùm ex accidenti, & ab aliquibus ignoretur, & ideo illa ignorantia non conſideretur à lege: at verò numerica diſtinctio (de qua agimus) per ſe & ex quadam intrinſeca impotentia omnibus hominibus eſt ignota & moraliter explicatu impoſſibilis; & ideo hæc ignorantia conſideratur in ipſa lege, quæ non videtur obligare ad illud, quod ſuâ difficultate communiter ſuperat humanam fragilitatem.

Unde in hac ſententia non committitur aliquis circulus, nec petitur principium, ſed explicatur materia præcepti Confeſſionis, quæ non eſt quælibet diſtinctio numerica, ſed quæ talis eſt ſecundùm communem hominum æſtimationem, ſive talis, quæ per ſe cadit ſub notitiam hominum. Ac proinde præceptum Confeſſionis non induxit novum modum diſtinguendi numero peccata, quia etſi non eſſet tale præceptum, adhuc illa peccata non diſtinguerentur numero moraliter, id eſt, ſecundùm moralem æſtimationem hominum, qui non judicant de illis, quæ per ſe incognita ſunt. Hinc ſi per revelationem divinam aliquis cognoſceret illam minimam interruptionem actuum internorum, exiſtimo quòd non teneretur illam declarare in Confeſſione, ſi vera ſit hæc ſententia, & conſequenter loqui velimus.

Quæ autem ſit illa minima interruptio, & quæ major ſufficiens ad inducendum peccatum numero diſtinctum in ordine ad Confeſſionem; quis nobis ediſſeret? Aliqui dicunt, explicandam eſſe continuationem in conſenſu turpi per integrum diem aut hebdomadam; Alii continuationem per totum menſem: Nonnulli negant, explicandam eſſe continuationem per horam; Alii nec ſi dimidio die continuetur; Aliqui ponunt, continuationem per decem horas eſſe explicandam. Sed quorſum hæc? Non enim quæritur, an ſit explicanda major vel minor duratio (hæc enim eſt circumſtantia aggravans intrà eandem ſpeciem, quæ an ſit explicanda, conſtat ex ante dictis) ſed quæritur, quæ diſtantia unius actûs phyſici ab altero ſufficiat, ut cenſeantur moraliter actus numero diſtincti, neceſſariò ùt tales in Confeſſione explicandi. 9. Quæ ſit interruptio ſufficiens ad multiplicandum numerum in ordine ad Confeſſionem.

Verum eſt, majorem vel minorem diuturnitatem ſeu durationem poſſe deſervire, ut indè ſumatur aliqua conjectura pro frequentiori aut minùs frequenti interruptione, ſed quòd illæ interruptiones frequentiores vel minùs frequentes, fuerint ſufficientes aut non ſufficientes, ad hoc ut morali æſtimatione illi actus cenſeantur peccata numero diſtincta in ordine ad Confeſſionem, non ſatis probatur ex majori vel minori duratione actûs: nam fieri poteſt, ut integro die nulla fuerit interruptio notabilis; & è contra, unâ horâ fuerint plures interruptiones notabiles.

Mihi in hac re videtur (inquit Dicaſtillo diſput. 9. nu. 107.) non poſſe certam regulam generalem aſſignari, ſed id judicio prudentum virorum diſcernendum eſſe. Conſentit Lugo diſput. 16. n. 569. dicens: Ego exiſtimo regulam moralem deſumendam eſſe arbitrio prudentis ex proportione ad peccata externa. Nam ſicut in peccato externo contumeliæ & injuriæ perſeverat unitas peccati, quando in eodem congreſſu ſucceſſivè multiplicantur contumeliæ & injuriæ, etiam occaſione acceptâ ex reſponſione illius, cui injuriam infers: multiplicantur autem numero ea peccata, quando poſtquam ille deceſſit, poſteà denuo tibi occurrit, & iterum ei contumelias infers aut injurias, quia illa prior actio jam cenſebatur moraliter finita & completa; ita cum proportione videtur in peccatis internis dicendum: quando enim objectum perſeverat nobis præſens moraliter, quia non habuimus animum diſcedendi ab ea cogitatione, ſed caſu & naturali aliquâ diſtractione interrumpitur, cenſetur adhuc moraliter idem congreſſus (ut ita dicam) cum objecto, quod numquam diſceſſit; ſed habet ſe ſicut ille, quem contumeliâ afficis, qui non diſcedit, licèt parùm avertat faciem ad loquendum aliquid breve cum alio ibi præſente. 10. Sententia Dicaſt. & Lug. non poſſe certam regulam aſſignari.

ſente. Quando verò diſceſſimus jam voluntariè ab ea cogitatione, licèt non per revocationem voluntatis præteritæ, jam cenſetur congreſſus ille cum objecto finitus & completus, datâ nimirum objecto licentiâ diſcedendi & abeundi. Quòd ſi poſtea redeat, cenſebitur novus congreſſus; & aliâ jam occaſione peccari, non primâ, quæ jam ceſſaſſe videbatur. Hucuſque Eminent.

11. **Perinde eſt quanto tempore duraverit actus.**

Itaque perinde eſt ad hanc interruptionem ſive actus voluntatis duraverit per horam, ſive ſemihoram, aut duas horas, dummodò conſtet de illa voluntaria ceſſatione ab actu, quæ ſæpiùs contingere poteſt ſpatio unius horæ aut mediæ horæ. Si ergo pœnitens cognoſcit certum numerum moralium interruptionum, illum explicabit in Confeſſione, nec ſollicitus erit de explicanda duratione, niſi fortè exiſtimet, circumſtantias notabiliter aggravantes intrà eamdem ſpeciem eſſe declarandas, & illam durationem pro tali circumſtantia agnoſcat.

12. **Lugo putat tandem voluntatem internam non perſeverare communiter ultra duas vel tres horas.**

Addit Lugo ſuprà nu. 570. non poſſe eamdem menſuram aut regulam tradi pro omnibus actibus malis: aliqui enim faciliùs interrumpuntur & breviùs durant, v. g. blaſphemia interior, & alii actus ſimiles, qui non tendunt ad objectum externum. Alii verò longiùs durare ſolent, ùt deſiderium turpe, odium proximi & ſimiles. Et in iis longiùs durant, qui ex majori & vehementiori paſſione aut concupiſcentia procedunt. Regulariter ultra duas vel tres horas non videtur perſeverare moraliter eadem voluntas merè interna; quia difficile eſt, quòd homo velit longiùs perſeverare in eadem cogitatione aut amore, & non attendere ad alia. Ideo quando duratio eſt longior, ſolet explicari, quia regulariter habebit interruptiones aliquas morales. Hæc ille.

Dicaſtill.

Dicaſtillo ſuprà nu. 109. relatâ hâc doctrinâ Lugonis, ſubjungit: Verùm abſolutè neque in hoc poteſt aliqua certa regula aſſignari, ùt videre eſt in ira, quæ vehementiſſima paſſio eſſe ſolet; tamen aliqui ſunt ejus ingenii homines, aut ita à natura quaſi comparati, ut quâ ratione vehementer, facilè & ſubitò iraſcuntur, ita facilè mutent animum, nec diu perſtent in eo affectu.

13. **Aliquàndo poteſt accidere, ut qui ex majori paſſione iraſcitur, faciliùs mutet animum**

Reſpondeo: Cardinalem non aſſignare illam regulam abſolutè, quaſi contrarium numquam accidat; ſed loquitur de communiter accidentibus, quia communiter homines, qui ex majori & vehementiori paſſione iraſcuntur, difficiliùs mutant animum, & diutiùs perſtant in eo affectu: ſin autem contrarium nonnumquam eveniat, pœnitentis erit naturam ſuam conſiderare, & ſecundùm illam interruptiones declarare, ſive confusè explicando durationem, ſive diſtinctè, ſi ſingularum meminerit.

Quapropter ſi pœnitens vel ex ſe, vel interrogatus, explicat numerum peccatorum, v. g. dicit ſe decies deſideraſſe turpiter aliquam fœminam; non oportet petere, an illis vicibus diu perſtiterit in tali deſiderio; quia credibile eſt, quòd ipſe accuſet ſe de vicibus moraliter diſtinctis, niſi ex circumſtantiis aliud appareat: nam aliqui ita craſsè diſtinguunt (inquit Dicaſtilio nu. 110.) ut interrogati de vicibus, reſpondeant v. g. decies, intelligendo diverſas fœminas, cùm tamen illarum aliquam plus quàm decies concupierint.

14 **An ſit ceſſati[o] tem v[olun]taria c[eſſa]tio a [priori] actu.**

Ex his patet veritas Concluſionis. Tantùm quæri poſſet, an ſit neceſſaria contraria voluntas, aut ſaltem voluntaria ceſſatio à priori actu? Reſpondeo; etiam ſufficere ceſſationem per ſomnum aut naturalem diſtractionem, ſi tamen per longam moram duravit, & poſtea homo cum ſufficienti deliberatione ad peccandum, ſimilem actum inchoet: eſtò enim tali caſu ceſſatio à priori actu non fuerit ſpeciali modo voluntaria, equidem in re ipſa fuit, etiam ſecundùm communem æſtimationem hominum; quod ſufficit, ut prius peccatum omninò fuerit finitum, & ut aliud novâ voluntate & deliberatione committatur, cùm illa duo peccata in nulla re uniantur aut phyſicè, aut moraliter.

Cæteroquin dicamus, eum, qui in pravo conſenſu vel delectatione moroſa ſomno correptus eſt, & poſt unam horam evigilans, ad ſimilem actum revertitur, nihil cogitans de priori actu, non teneri aliud in Confeſſione explicare, niſi quòd talem conſenſum, vel delectationem moroſam habuerit, quod eſt valde abſurdum, & contra uſum omnium timoratorum.

1 **Quid quis ſomn[o] cogit[at de] priori [actu] & ide[o eum] renovi[t]**

Sed quid, ſi cogitet de priori actu, & ideo eum renovet? Exiſtimat Lugo diſput. 16. nu. 565. ſi aliquis hodie cogitans de fœmina aliena, decernat illam procurare; & cras iterum de illa cogitans, & memor decreti hodierni, decernat iterum eam procurare; exiſtimat (inquam) tali caſu poſteriorem voluntatem habere dependentiam à prima; quia abſque nova deliberatione aut conſultatione, ex vi primæ voluntatis ponitur iſta ſecunda, ſicut ex vi intentionis ponitur electio medii ad finem. Et conſequenter docet, niſi influxus ille interrumpatur per voluntatem contrariam, continuari moraliter idem peccatum.

Sentet[ia] Lugo[nis]

Proba[t] à poſte[riori]

Probat à poſteriori: quia ſi prima voluntas perveniſſet ad aſſecutionem ſui objecti, v. g. copulam cum fœmina aliena; totum illud à principio uſque ad finem computaretur pro uno peccato, & ſatisfieret confitendo illud tamquàm unum peccatum conſummatum, non explicando quoties habuerit decretum procu-

Digitized by Google

procurandi illam fœminam: ergo etiam ante conſummationem operis illæ voluntates habebant jam connexionem inter ſe ſufficientem ad conſtituendum unum peccatum; nam ſi ante conſummationem operis fuiſſent duo, non poſſent poſtea reduci ad unum per adventum operis conſummati.

16. Hinc ſumitur ratio à priori: quia illæ duæ voluntates in caſu poſito habent inter ſe ordinem, quatenus utraque tendit ad idem opus ponendum, & una dependet ab alia in ordine ad idem. Nam ſicut voluntas heſterna occidendi Petrum excitat hoc manè poſt ſomnum voluntatem proſequendi iter ad homicidium perpetrandum; ita excitat hoc manè ad habendam novam voluntatem occidendi Petrum, ſinè qua voluntate non proſequereris iter. Ergo ſicut voluntas proſequendi iter, facit unum peccatum cum voluntate heſterna occidendi, propter concatenationem & dependentiam unius ab alia; ſic voluntas hodierna homicidii, facit unum peccatum cum voluntate heſterna, propter illam dependentiam unius ab alia. Hæc autem dependentia non eſt major, quando opus non fuit conſummatum; ſiquidem ſupponimus primam voluntatem fuiſſe de ſe efficacem, & propter ſuam efficaciam intuliſſe poſtea ſecundam: ergo illæ voluntates, quoties intervenit talis dependentia, faciunt unum & idem peccatum. Huc uſque Eminent.

17. Sed non eſt caſus hujus Concluſionis, quæ loquitur de actibus merè internis, ſeu de peccatis, quæ in voluntate conſummantur, abſque ordine ad aliquem actum externum. Interim doctrina iſthæc difficilis eſt, ſuppoſito, quòd prior volitio nec in ſe, nec in aliquo ſuo effectu exiſtat, quando elicitur ſecunda volitio: quomodò enim, quod nullo modo eſt, neque actualiter, neque virtualiter, poteſt connecti cum alio jam præſente & exiſtente? Putas, electionem medii provenire ex vi intentionis finis, quando jam intentio nullo modo exiſtit? Erras. A quo ergo? Ab ipſo fine, iterum repræſentato, vel à nova intentione finis.

Pari igitur ratione in caſu propoſito ſecunda illa voluntas non provenit à prima, ſi hæc ampliùs non exiſtat nec in ſe, nec in ſuo effectu, ùt ſupponitur (alioquin non eſſet interruptio) ſed ab objecto prioris voluntatis rurſum repræſentato, ſicut prima voluntas ab illo objecto primò repræſentato proveniebat. Enimverò nemo vult iteratò procurare copulam cum fœmina aliena, quia priùs voluit; ſed quia iteratò placet illa copula. Sicuti non volo hodie occidere Petrum, quia heri volui; ſed quia hodie proponitur mihi idem objectum, cum eodem motivo, quod heri proponebatur. Quæ igitur dependentia poſterioris voluntatis à priori voluntate? Nam etſi prior voluntas non fuiſſet, adhuc foret poſterior voluntas.

Hinc ad primam probationem Lugonis, 18. Reſpondeo: tantam poſſe eſſe interruptionem inter illas voluntates, ut tametſi perveniretur ad copulam cum fœmina aliena, neutiquam computarentur pro uno peccato, nec ſatisfieret confitendo illud tamquam unum peccatum conſummatum. Quid enim ſi hoc anno velim procurare illam copulam, rurſumque anno ſequenti, & ſic per decem aut viginti annos ſubſequentes; numquid ſi anno vigeſimo perveniatur ad copulam, ſatisfacio dicendo: *Fornicatus ſum ſemel*, nihil dicendo de illis præcedentibus deſideriis, aut de tempore, quo duravit illa mala voluntas? Non eſt credibile.

Reſpondet ad 1. probationem,

Si (inquit Lugo ibidem n. 545.) ex intentione Petrum occidendi, eum quæras, & ſcias fuiſſe aliò profectum, & reverſurum poſt menſem, & tu decernas tum occidere, cùm redierit: tunc certè, licèt non renoves intentionem, adhuc occiſio poſt menſem, non faciet unum peccatum cum voluntate præterita. Hæc ille.

Lugo.

Et faciet (interrogo ego) voluntas hujus anni, unum peccatum cum voluntate anni præcedentis, ex eo præcisè, quia hoc anno recordor voluntatis præteritæ, & eam approbo? Aut faciet voluntas hujus anni, unum peccatum cum copula, ad quam pervenitur poſt decem annos, quia anno decimo recordor illius voluntatis, & eam approbo? Quòd ergo voluntas præcedens, aliquando faciat unum peccatum cum voluntate ſubſequente, & cum ipſa copula, non provenit ex dependentia unius actûs voluntatis ab alio, qui præceſſit & planè ceſſavit; ſed fit propter parvam diſtantiam eorum actuum inter ſe, & cum illa copula, ad quam pervenitur, adhuc exiſtente aliquo ex illis actibus.

Quæ cùm ita ſint, planè mihi perſuadeo, 19. neque in hoc caſu Lugonis veram eſſe ſententiam Cani in Relect. de Pœnitentia part. 5. ubi (teſte Diana ſtatim citando) docet, dupliciter interrumpi poſſe aliquam voluntatem: primò contrariâ voluntate; & tunc neceſſe eſt confiteri, quoties pravam voluntatem quis renovavit: ſi verò interruptio fiat naturali oblivione aut inconſideratione, non oportebit numerum exprimere: ſed dicere; *Toto menſe* v. g. *amavi Mariam*, etiamſi poſſit numerus exprimi.

Sententia Cani de hac re.

Hanc ſententiam (teſte Dianâ part 3. tract. 4. reſol. 95.) ſequitur Joannes de la Cruz in Direct. Conſc. part. 2. de Sacramento Pœnitentiæ qu. 3. dub. 6. Petrus Fay diſput. de Sacramento Pœnit. in Addit. ad 3. partem D. Thomæ q. 9. a. 2. diſp. 5. ad 4. Pitigianus in 4. Sententiarum tom. 2. diſt. 17. q. unicâ, a. 5. Circum. *Quantum*, & Homobonus de Exam. Eccleſ. p. 1. tract. 5. c. 13. q. 83.

quam Alii plurés docent apud Dianam,

Accedat

Digitized by Google

20. Felix eam limitat, Accedat Felix tract. de Bonit. & Malit. cap. 7. difficul. 4. n. 4. cum hac tamen limitatione (quam non invenio apud Dianam) dummodo homo ita ſit diſpoſitus, ut interrogatus de objecto talis intentionis, reſpondeat ſe habere tale propoſitum. Hoc mihi ſuadet (inquit hic Auctor) quia ita redditur Confeſſio hominibus facilior & amabilis, & jugum Dei ſuave.

& probat ratione,

Et ratione probo (proſequitur nu. 5.) nam in exemplo adducto de iter agente, ut inimicum occidat, etiamſi repetat actus voluntatis ſæpiùs in itinere, reputatur unum peccatum ſecundùm æſtimationem moralem; quia eo ipſo quòd iter agit, judicatur continuare eandem voluntatem: ſed eodem modo debet judicari, etiamſi ad alia negotia per multum temporis divertatur, dummodo interrogatus dicat ſe in eadem voluntate permanere; ergo quamvis repetat actum voluntatis, erit unum tantùm peccatum.

21. confirmatque inſtantiâ Matrimonii invalidi defectu conſenſûs alterius conjugis, Et confirmatur inſtantiâ Matrimonii invalidi defectu conſenſûs alterius conjugis: nam ad valorem talis Matrimonii ſufficit, ut qui non habuit conſenſum, eliciat nunc ſuum conſenſum, qui conjungitur cum alterius conſenſu; quia eo ipſo quòd non eſt retractatus, cenſetur moraliter permanere in diſpoſitione voluntatis: ergo ſimiliter in noſtro caſu cenſetur moraliter permanere eadem voluntas; & ita etiamſi iteretur, erit tantùm unicum peccatum. Hactenus Felix.

Et nu. 7. idem aſſerit de pluribus affectibus internis peccaminoſis, qui interiùs conſummantur: Si (inquit) contrariâ voluntate non interrumpantur, efficiunt unum tantùm peccatum ſecundùm prudentem æſtimationem; quia eſt una voluntas moraliter permanens. Qui verò uno actu vult habere tres moroſas delectationes venereas, vel occidere tres homines, tria committit peccata: nam ille actus voluntatis ſumit malitiam ex objecto, & illa objecta ſunt omninò diſtincta, & unum ad alterum non ordinatur. Hæc ille.

22. Judicium Auctoris, Reſpondeo ad ultimum: quandoquidem moralis æſtimatio pendeat, ſeu potiùs ſit communis ſenſus fidelium & Doctorum, & hi communiter ſentiant oppoſitum de pluribus affectibus internis peccaminoſis, qui interiùs conſummantur; liquet ſanè, illos actus, etiam ſecundùm prudentem æſtimationem, non efficere unum tantùm peccatum, ſed eſſe plura peccata numero diſtincta, in tantùm ut ſententia Cani appareat Suario ſuprà n. 9. incredibilis, & Vaſquez de Pœnit. q. 91. a. 1. dub. 5. n. 10. eam appellet falſiſſimam.

qui non videt ſufficiens fundamentum Quidquid ſit de iſtis cenſuris, nullatenus auſim huic ſententiæ ſubſcribere; quia non video ſufficiens fundamentum. Nam quòd ita reddatur Confeſſio hominibus facilior & amabilis, & jugum Dei ſuave (ùt ſuprà loquitur Felix) eſto, quid tum? Illius ſ... tentia.

Nonne ſi dixero, circumſtantias, notabiliter tantùm aggravantes intrà eandem ſpeciem, non eſſe confitendas, reddo Confeſſionem hominibus faciliorem? Et tamen Felix non audet illud dicere, ſed eodem loco nu. 6. aſſerit, illas eſſe neceſſariò explicandas, ne alioquin cogatur conſequenter dicere, eum, qui per plures annos habuit voluntatem occidendi inimicum, ſi illam non retractaverit, quamvis millies iteraſſet, ſatisfacere confitendo, ſe habuiſſe voluntatem occidendi, quod videtur (inquit Felix) inconveniens.

Et ſanè quæ major facilitas confitendi durationem turpis affectûs, quàm certum numerum interruptionum, quando de illo conſtat?

Ad rationem Felicis dico: in exemplo adducto de iter agente, ut inimicum occidat, efficacitas prioris voluntatis permanet in aliquo libero effectu, utputà libero itinere; & ideo etiamſi repetat actus voluntatis ſæpiùs in itinere, reputatur unum peccatum ſecundùm æſtimationem moralem. Ergo eodem modo debet judicari, etiamſi ad alia negotia per multum temporis divertatur, dummodò interrogatus dicat, ſe in eadem voluntate permanere; negatur Conſequentia, de qua latiùs Concluſione ſequenti. 23. Reſponſio ad rationem Felicis.

Similiter reſpondeo ad inſtantiam de Matrimonio. Nam conſenſus alterius partis moraliter manet in ſuo effectu, v. g. cohabitatione aut ſimili; ac proinde non tantùm habitualiter manet, ſed etiam virtualiter, ſi ita placeat loqui: at verò in noſtro caſu prior voluntas merè interna totaliter & omninò deſiit eſſe, ita ut neque in ſe, neque in aliquo ſuo effectu ampliùs exiſtat; adeòque non cenſetur moraliter perſeverare ſeu permanere, quaſi homo continuè peccet, eam non retractando, quod tamen foret neceſſarium; ſed ſolùm poteſt dici manere habitualiter, quod nullatenus ſufficit, niſi (ſicut anteà dixi) ex voluntate hujus anni, & ex voluntate elicita poſt decem aut viginti annos, admiſeris conflari unum peccatum, quod puto non facilè admittendum. Reſponſio ad inſtantiam.

Nec obſtat; quòd interrogatus reſponderet, ſe in eadem voluntate permanere; hæc enim tantùm eſt diſpoſitio quædam habitualis, quæ niſi exeat in actum, non eſt peccatum actuale: & quamvis ab ea homo dicatur peccator ſeu permanere in ſtatu peccati; non tamen dicitur actualiter peccans, ne quidem moraliter. Atque ut talis diſpoſitio habitualis non eſſet, equidem diceretur permanere in ſtatu peccati: ergo illa diſpoſitio videtur impertinens, ad conjungendum peccatum hujus diei, cùm peccato diei ſequentis, & ad conſtituendum ex illis unum, vel plura peccata. 24 Limitatio rejicitur.

Vel

Digitized by Google

Vel ſi eſt neceſſaria talis diſpoſitio, ad componendum unum peccatum; dico, contrariam diſpoſitionem eſſe ſufficientem, ad faciendum plura peccata, abſque explicita & formali retractatione, præſertim (ùt notat Dicaſtillo diſp. 9. num. 95.) ſi illa diſpoſitio proveniat ex aliqua mutatione, quæ contigerit decurſu temporis, ut ſi interim aliqua communicatio aut familiaritas, aut beneficia ultro citroque facta interceſſerint cum eo, quem priùs odiſſet; ita ut ſpectato communi hominum more, non ſoleat aliquid ſimile eſſe inter inimicos. Vel è contra, ſi amaſius, qui amabat feminam, animum ad aliam adjecerit cum talibus circumſtantiis, ut meritò cenſeatur moraliter non manere antiquum amorem, ſuccedente alio novo: tunc enim licèt non fuerit expreſsè & directè retractata prior voluntas, cenſeri poteſt virtute & indirectè rejecta. Si verò nihil tale repugnans præcedenti voluntati interveniat; non video, quo modo poſſit cenſeri virtualis retractatio. Hæc ille.

Eo (inquis) modo, quo, ſecundùm Adverſarios, contraria diſpoſitio eſt virtualis perſeverantia in priori voluntate. Rectè judicaſti. Proinde veluti contraria diſpoſitio non eſt virtualis perſeverantia, ſed habitualis tantùm, niſi adſit aliquis effectus prioris voluntatis; pari ratione neque hæc diſpoſitio erit virtualis retractatio, ſed ſolùm habitualis, niſi adſit aliquis effectus aut ſignum illius diſpoſitionis.

Cæteroqui, ſecundùm Concluſionem noſtram, & communiorem ſententiam, neque talis virtualis retractatio requiritur, ſed ſufficit libera ceſſatio à priori voluntate; immo naturalis, cum tanta diſtantia unius actûs ab alio, ut in æſtimatione morali prudentum virorum cenſeantur plures actus. Atque hæc ſatis de morali disjunctione actuum merè internorum.

Quantùm ad actus exteriores, ſive ad peccata, quæ prodeunt in actum exteriorem, paucis Reſpondeo:

CONCLUSIO II.

Actiones externæ non cenſentur multiplicari, in ordine ad Confeſſionem, per repetitionem actûs interni, quamdiu prioris efficacitas permanet in aliquo libero effectu.

Suppono, quando actus externus ſimul cum interno ceſſat, maximè per revocationem formalem aut virtualem, & alius poſtea ſimilis repetitur, eſſe plura numero peccata, in Confeſſione ùt talia declaranda; v. g. hâc horâ concupiſco feminam & obtineo copulam; ſequenti hora rurſum concupiſco eandem feminam & obtineo copulam, indubiè duo peccata committo, in Confeſſione ùt talia explicanda. Item nunc concupiſco feminam, & invito eam ad copulam; ſtatim pœnitet, & abſtineo ab invitatione: rurſus incipio concupiſcere & invitare; eſtò ſecundâ vice copula ſubſequatur, teneor illás concupiſcentias & invitationes explicare, tanquam diſtincta numero peccata. Ratio eſt; quia in his caſibus nihil manet, in quo illi actus externi vel interni continuentur ſeu uniantur; eſtò etiam immediatè una copula alteri ſuccederet, manente eadem interna concupiſcentia; quia nulla eſt inter illas copulas ſubordinatio, ob quam poſſint dici complere unam actionem, cùm una ad aliam non ordinetur, neque ſit pars ejus; ſicut plures nativitates hominum, ſibi mutuò immediatè ſuccedentium. *cum interno ceſſat, & alius poſtea ſimilis repetitur, ſunt plura numero peccata.*

27\. *Non juvat unitas internæ concupiſcentiæ, ubi actus externi peccaminoſi ſunt plures.*

Nec juvat unitas internæ concupiſcentiæ, ubì actus externi ſunt plures, & per ſe peccaminoſi. Quid ſi enim quiſpiam occidat, furetur, pejeret ex eadem interna concupiſcentia alicujus feminæ? Nonne tres illi actus, ſpecie diſtincti, conſtituent unum aliquod peccatum ſpecie vel numero & ſatisfaciet homicida, fur, perjurus, dicendo in Confeſſione: *Concupivi feminam, & adhibui media?* Clarum eſt quod non. Ergo ſimiliter qui ex eadem concupiſcentia trinam habuit copulam cum eadem femina, non ſatisfaciet, dicendo: *Fui fornicatus*; vel etiam ſatisfaciet ſic confitendo, etſi habuiſſet copulam cum tribus diverſis feminis: nam quòd fornicationes illæ tres ſint cum una, vel cum tribus, eſt per accidens ad Confeſſionem Sacramentalem.

Sanè non video, cur ſola unitas interioris voluntatis magìs ſufficiat, ad conſtituendum unum numero peccatum, ex pluribus peccatis externis tam phyſicè, quàm moraliter numero diſtinctis, quàm ad conſtituendum unum ſpecie peccatum, ex pluribus peccatis externis tam phyſicè, quàm moraliter ſpecie diſtinctis. Ergo veluti in Confeſſione oportet declarare peccata externa, ſpecie diſtincta, non obſtante unitate voluntatis interioris; pariformiter etiam peccata externa, numero diſtincta: nam eâdem lege præcipitur declaratio peccati in ſpecie & ſigillatim, ſeu Confeſſio omnium & ſingulorum peccatorum; de quo ſtatim plura.

28\. *Tres fornicationes ſucceſſivæ, uti etiam tria homicidia, debent explicari in Confeſſione.*

Solùm præmitto; quæ trium fornicationum, eandem eſſe rationem trium homicidiorum, ſibi mutuò immediatè ſuccedentium, idque tam in eodem congreſſu ſeu conflictu, quàm in diverſo. Quæ enim ratio diſparitatis? Si enim una pugna ſeu unus conflictus, ex

tribus homicidiis poteſt facere unum tantùm, ita ut ſufficiat dicere in Confeſſione: *Pugnavi & occidi*; cur ſimili modo unus congreſſus cum femina, id eſt, una cubatio cum ipſa per totam noctem, non poſſit facere, ut plures fornicationes, eo tempore commiſſæ, unam tantùm conſtituant fornicationem, adeò ut ſufficiat dicere: *Cubavi totâ nocte cum muliere, & fui fornicatus?*

Immò cur non debeat hoc dici, ſi verum eſt, quod Aliqui docent; Sacerdotem, qui ſucceſſivè audit plures Confeſſiones in peccato mortali, ſolùm peccare unico peccato, & ſatisfacere dicendo: *Audivi Confeſſionem in peccato mortali?* An fortè diſparitas eſt; quòd omnes hæ actiones contineant irreverentiam contra eundem Deum & Chriſtum, cujus Sacramentum indignè tractatur? Vel fortaſsis actus audiendi Confeſsiones, accipiunt majorem unitatem ex fine & intentione agentis, qui ſedet in eo loco ad audiendas Confeſsiones ſubditorum?

29. An ſit eadem ratio trium Abſolutionum in ſtatu peccati. Sanè etiam tres illæ fornicationes ſunt unitæ ex fine & intentione agentis, qui ſe poſuit in lecto, ut totâ nocte exerceret turpia. Et per illas non læditur (ſi tamen lædatur) niſi jus unius feminæ. Et quamvis cum tribus conſentientibus peccaret & ſic ter peccaret contra virtutem caſtitatis, adhuc in rigore illæ tres fornicationes ſolùm eſſent contra jus unius perſonæ, nempe Dei. Porrò cur fornicator iſte magìs ter peccet contra caſtitatem, quàm Sacerdos in caſu propoſito ter contra virtutem Religionis, quæ exigit dignam tractationem Sacramenti? Quod ergo de tali fornicatore dixeris, etiam dicito de tali Sacerdote, niſi aliam inveneris diſparitatem.

Et quia ego aliam ſufficientem non invenio, dico, in utroque caſu committi multiplex peccatum, ùt tale in Confeſsione explicandum. Profectò non ſunt magìs diſparatæ tres fornicationes, quæ immediatè ſibi mutuò ſuccedunt in eodem loco ad hoc præparato cum eadem vel diverſa perſona, quàm tres Abſolutiones, quæ immediatè impenduntur in eodem loco tribus diverſis perſonis.

30. An etiam plurium diſtributionum Eucharistiæ? Forſan nec magìs diſparatæ, quàm plures diſtributiones Euchariſtiæ in eodem loco & tempore, quidquid Aliqui in contrarium clament, aſſignantes diſparitatem; quoniam omnes Communiones judicantur per modum unius convivii aut prandii, utì quando multi aſſident eidem menſæ, dicuntur facere unum prandium: ideo qui eis miniſtraret carnes die prohibito, ſufficienter explicaret ſuum peccatum, ſi diceret: *Dedi ad menſam convivis carnes.* Ita Arriaga hìc diſp. 34. n. 22. (Arriaga.)

Reſpondeo: ſicuti omnes Communiones judicantur per modum unius convivii aut prandii; ita omnes illæ fornicationes judicantur per modum unius generationis, quando ſunt inter eaſdem perſonas; & tamen non propterea habent ſufficientem unitatem in ordine ad Confeſſionem.

Reſpondeo II. & quæro, ſi caupo poſtquam ſemel appoſuit carnes ſuis hoſpitibus, his recedentibus, & aliis adventantibus rurſùs alias carnes apponeret, cùm poſſet & deberet non apponere, ſatisfaceret dicendo: *Dedi ad menſam hoſpitibus carnes?* Quis non videat ibi eſſe diverſa convivia ſeu prandia? Quid ſi in primo cubiculo ſit primum convivium, in ſecundo cubiculo ſecundum, in tertio cubiculo tertium, putas quia caupo, apponens in ſingulis conviviis carnes, tantùm peccet unico peccato? Ergò ſimiliter Sacerdos peccator diſtribuens huic Communionem, & hoc recedente, alteri accedenti, videtur committere non unum, ſed plura peccata; quia ſingulæ Communiones ſunt quaſi ſingula convivia (ut ſic dicam) id eſt, diſtinctæ appoſitiones Corporis Chriſti, quæ poſſent & deberent omitti.

31. Objectio. Dices: ſi quis in eodem colloquio, uno iracundiæ calore aut obſtinatione, eamdem rem pluribus falſis juramentis confirmet, vel plures blaſphemias dicat, ſufficit in Confeſſione ſe accuſare, quòd juraverit falsò & blaſphemaverit, non dicendo quoties, ergò &c.

Reſponſio Arriagæ. Reſpondet Arriaga ſuprà n. 23. ſibi non videri adeò facilè explicatu, cur tres copulæ ordine cum una femina, etiam in eodem luxuriæ calore, debeant cenſeri tria peccata; & tamen tria juramenta falſa non debeant dici tria peccata, eſtò facta fuerint in eodem calore iracundiæ. Debet tamen (inquit ille) reſponderi, juramenta illa, eò quòd cadant ſupra eandem virtutem, & ordinentur ad unum quid, ad ſuadendam ſcilicet præſentibus eam aſſertionem, non cenſeri moraliter diſtincta: copulæ autem ex ſe ſunt planè diſparatæ, nec ad unum quid ordinantur.

Oppugnatur. Sed contra: Etiam copulæ poſſunt ad unum quid ordinari, ſcilicet ad unam prolem generandam; ergò nulla diſparitas. Et dato, quòd eſſet aliqua leviſſima diſparitas inter illos caſus, valde dubium eſt (inquit prædictus Auctor) utrùm Chriſtus Dominus fuerit contentus eâ tam levi diſparitate, ut in uno caſu non petierit in Confeſſione dici ea tria juramenta; petierit autem dici eas tres copulas. Certè (proſequitur) niſi ob extrinſecam auctoritatem Doctorum, ego in multis ex præcedentibus caſibus, in quibus diximus non eſſe neceſſarium explicare eum phyſicum numerum actuum, omninò dicerem eſſe obligationem. Hæc ille. Quæris, qui ſint iſti caſus præcedentes? Conſule præfatum Auctorem diſp. 34. ſect. 4. & feſtinè cognoſces.

32. Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, ad continua-

continuationem ſeu unionem actionum externarum, ſufficere immediatam ſucceſſionem unius actionis poſt aliam, dummodò omnes illæ actiones ad unum aliquem finem ordinentur, neque ex ſe ſpecialem habeant malitiam, ſed ſolùm ex illo fine; v. g. aliquis ex intentione occidendi inimicum ſurgit è lecto, præparat enſem, domo egreditur &c. juxta communem & veriſſimam ſententiam, eſtò internæ volitiones aliquando interrumpantur; equidem unum cenſentur peccatum, neque omnes illæ actiones externæ particulatim in Confeſſione ſunt explicandæ.

Ratio eſt: quia prior voluntas virtualiter manet in aliquo libero effectu, ſcilicet in actu aliquo exteriori, qui ab illa prima voluntate liberè procedit vel immediatè, vel mediante alio actu. Sicut ergò in illa prima voluntate eſt unica malitia; ita pariter in omnibus illis actibus exterioribus, qui ſunt effectus liberi illius voluntatis, & in ſe non habent malitiam, niſi quatenus ad finem malum per talem voluntatem ordinantur.

Enimverò actus interior cum exteriori facit unum peccatum, ſive componit unum actum humanum quaſi ex materia & forma: & quamvis formalis voluntas aliquando ceſſet, equidem virtualis ſemper permanet, quæ ſufficit, ut homo dicatur pro tunc actualiter peccare; & conſequenter ſufficit ad unitatem actuum internorum, qui in exteriori actu conſummantur. Etenim actus exterior non tantùm durat tunc in ratione actionis phyſicæ, ſed etiam moralis; per conſequens in ratione actualis peccati. Atque hæc ſit probatio Concluſionis, quæ ſic intellecta nullam habet difficultatem.

33. Controvertitur autem primò, quid ſentiendum, quando illæ actiones externæ per alias actiones, nullo modo dependentes à priori voluntate, interrumpuntur: v. g. ſi in caſu ſuprà poſito quærens inimicum, ut eum occidat, incidat in amicum, & cum eo de aliis rebus diſparatis loquatur; nonnihil quieſcat, ſi ad aliquam aliam rem curiosè conſiderandam deflectat &c. & poſtmodùm repetat voluntatem, & pergat in quærendo: tunc quippe Multi ſentiunt eſſe plura peccata in Confeſſione declaranda; quod indubiè tutius eſt.

Alii cenſent, illas actiones intermedias pro nihilo reputari in ordine ad diſcontinuanda illa peccata: quòd maximè (inquit Arriaga, cui placet hæc ſententia diſp. 43. de Vitiis n. 28.) in ſomno locum habet; ipſum enim quieſcere judicatur deſervire, ut meliùs poſſit deinde exequi intentum, id eſt, quærere hoſtem &c. ut in eo, qui peregrinatur: eo enim ipſo, quòd poſt ſomnum iter arripiat, cenſetur moraliter manere in priori voluntate. Et ſanè Sacerdos non interrumpit ſuam volitionem celebrandi, eſtò in via nonnihil detineatur, interrogando obvium amicum, quomodò valeat, & quid novi audiatur. Hæc ille.

Verùm cum hac limitatione: ſi mora intermedia ſeu interruptio non ſit nimis magna. 34. V. g. diſceſſit ut hoſtem quæreret, detinetur in via in aliqua civitate curioſitatis gratiâ per duos, tres dies, ut quæ ibi digna ſunt viſu intueatur, quo tempore vix recordatur inimici: certè (inquit) moraliter ille jam cenſetur diſcontinuaſſe eam priorem volitionem. Unde quando deinde voluntatem occidendi reſumit, cenſetur jam ſecundùm peccatum admittere.

ſi interruptio non ſit nimis magna.

Sed & hoc Aliqui negant: nam (inquiunt) ſaltem habitualiter in ea voluntate priori manet tunc homo ille. Hæc tamen extenſiò (inquit Arriaga n. 29.) nimis magna videtur moraliter loquendo; & fieret indè, ſi homo ſemel decerneret inimicum occidere, cùm primùm eum inveniret, & per annum aut annos repeteret aliquoties eam voluntatem, unicum tantùm reputandum peccatum, eò quòd habitualiter ſemper in ea volitione permanſerit; quod haud dubiè abſurdum eſt & contra communem modum loquendi. Ita præfatus Auctor.

Sed & hoc Aliqui negant,

Rogas, quid ego ſentiam? Planè conſentio, ſolam habitualem voluntatem non ſufficere, ut opera externa quantumcumque interrupta uniantur & continuent unum aliquod peccatum in Confeſſione explicandum. Fundo me cum Arriaga in communi modo loquendi: quis enim dixerit unum peccatum, invitationem hodiernam fœminæ ad copulam carnalem, & invitationem poſt 10. aut 20. annos ad eandem copulam, eſtò talis homo numquam intereà revocaverit animum internum? 35.

Auctor negat ſemper ſufficere ſolam habitualem voluntatem,

Dico ſecundò: Non requiritur actualis voluntas, ſed ſufficit voluntas virtualis, ùt patet ex probatione Concluſionis; ſiquidem tunc manet voluntas virtualiter, quando exiſtit aliquis liber effectus prioris voluntatis, non jam ampliùs actualiter exiſtentis. Sicuti autem voluntas virtualis ſufficit ad conficiendum Sacramentum, ad celebrandum contractum, ad merendum & demerendum; quidni itidem ſufficiat, ad continuandum unum peccatum, ſeu ex pluribus actionibus phyſicè diſtinctis unum moraliter conſtituendum peccatum?

Affirmat non eſſe neceſſariam voluntatem actualem.

Sed numquid ſaltem voluntas virtualis requiritur? Affirmationi videri poſſet obſtare communis ſenſus fidelium, & communis modus loquendi. Sic appellamus (inquit Diceſtillo diſp. 9. n. 65) unam converſationem & confabulationem, etiamſi dormiat quis parùm inter confabulandum cum amaſia; & non debet eam confiteri ùt duas. Sic unum actum eleëmoſynæ paſcendi captivos in carcere, licèt quis interrumpat miniſterium, ibi colloquendo cum amico, & paulò pòſt redeat. Sic una comeſtio dicitur aut prandium, licèt ſurgat mercator ex menſa, ad expediendum 36.

An requiritur voluntas virtualis.

Mmmmm 2 empto-

emptorem, qui tunc fortè acceſſit, nec cùm redit, cenſetur bis comedere, ùt frequenter docent Theologi, agentes de jejunio, docentes id licere in die jejunii. Sic Miſſa eſt una actio, licèt ſub Euangelium concione interrumpatur, & fortè dormiat celebrans inter audiendam concionem; immò intret Sacriſtiam, & etiam exutus veſtibus oret officium diurnum, interim dum durat concio, ambulans in ambulacro, ùt vidi ſæpè fieri in Civitate Græcenſi Archiepiſcopatûs Salisburgenſis, & aliis in locis; nec ideo non erit unica actio moraliter. Sic unica officii recitatio eſt, licèt inter recitandum paululùm quis vel dormitaverit, vel collocutus fuerit. Poteſt ergo in noſtro negotio cenſeri unicum peccatum, licèt modica interceſſerit abruptio actionum. Hucuſque Dicaſtillo.

37. *Videtur aliquando ſufficere voluntas habitualis.* Igitur videri poſſet aliquando ſufficere ſolam voluntatem habitualem, id eſt, voluntatem non revocatam. Quippe in ſomno non videtur manere prior voluntas virtualiter, neque poſt ſomnum: alioquin Sacerdos, qui ideo dormiret, ut meliùs poſſet poſt ſomnum celebrare, quia modò non eſt bene diſpoſitus, abſque nova actuali intentione validè conſecraret; quod tamen communiter negatur.

Unde puto, Sacerdotem qui per integram horam, quâ duravit concio, dormiviſſet, vi prioris intentionis haùd validè conſecraturum, eſtò Miſſa maneat una actio moraliter; quia hoc pendet ab æſtimatione morali hominum, illud autem ab inſtitutione Chriſti, qui confectionem Sacramenti voluit eſſe actum humanum, qualis non foret illa conſecratio, ſinè nova intentione actuali vel virtuali; cùm ſola habitualis voluntas non ſufficiat ad actum humanum; ùt patet in dormiente, qui non exercet ullos actus humanos, tametſi velit habitualiter, id eſt, habeat voluntatem operandi non retractatam.

Igitur ad propoſitum noſtrum, exiſtimo non eſſe neceſſariam phyſicam continuationem ejuſdem actionis exterioris, ſed plures actiones, phyſicè diſtinctas, poſſe componere unam moraliter actionem peccaminoſam, eò quòd omnes participent eandem malitiam finis, ad quem vel ex natura ſua, vel ex voluntate operantis ordinantur, tametſi aliqua minima interruptio fiat per actionem, nullo modo dependentem ab illa voluntate operantis. Quod maximè verum eſt, quando illæ actiones diſcontinuæ, ex ſe non habent malitiam mortalem, ſinè ordine ad illum finem.

38. *Quid ſi illæ actiones per ſe ſint peccata mortalia?* Sed quid, ſi illæ actiones per ſe ſint peccata mortalia, ſinè ordine ad talem finem? V. g. plura vulnera, quæ præcedunt homicidium; tactus impudici, qui præcedunt copulam &c. Hæc eſt ſecunda controverſia hujus loci, ad quam Reſpondetur à Multis; hujuſmodi actiones eſſe peccata numero diſtincta ab actu principali. Patet: quia actu principali non ſubſequente, ſpecialiter in Confeſſione explicandæ veniunt, juxta communem DD. ſententiam, ſimili modo, ac ſi ad talem finem non fuiſſent ordinatæ; quo caſu ab omnibus admittitur, illas actiones eſſe declarandas in Confeſſione, eſtò etiam actus principalis præter intentionem ſubſequeretur, ùt vult Lugo diſput. 16. n. 556. Dicaſtillo diſp. 9. n. 76. & Alii. Vide Dianam part. 4. tract. 4. Miſcell. reſol. 205. ubì tacito nomine refert Aliquem pro oppoſita opinione. *Lugo. Dicaſti. Diana.*

Probat eſſe p numero diſtincti. Probat autem Dicaſtillo ſuam ſententiam; quia hi tactus in eo caſu non habent illam unitatem moralem cum copula, ad quam non ordinantur ex intentione expreſſa vel interpretativa ſeu indirecta operantis; & ipſi actus per ſe ſunt peccatum: ergo ſive ſpecie differat eorum malitia ab ipſa malitia copulæ, ſive non, erunt diſtinctum peccatum ſaltem numero, atque adeò exprimendum. Hæc ille.

3. *Argui pro ſi ta o ta.* Sed contrà: hi tactus in omni caſu ex natura ſua ordinantur ad copulam, vel ad extraordinariam pollutionem; ideo enim peccatum ſunt, quia ex natura ſua tendunt ſeu diſponunt ad ulteriorem turpitudinem. Ergo qui vult illos tactus, etiam interpretativè ſeu indirectè vult ulteriorem turpitudinem: ergo quandocumque hæc turpitudo ſequitur, tametſi contra expreſſam voluntatem tangentis, unum conſtituet peccatum cum illis tactibus præviis, eodem modo ac ſi expreſsè & formaliter ad illum finem fuiſſent adhibiti.

Oviedo. Hæc ſententia videretur alicui (inquit Oviedo de Vitiis & Peccat. tract. 6. contr. 5. n. 63.) non omnino ratione deſtituta. Neque ego (ait Herincx part. 2. tract. 2. diſp. 5. de Peccat. in communi n. 54.) auſim damnare; cùm meritò ſuſpicer, ne fortè non ſit adeò à praxi aliena: in qua non videtur eſſe cura inquirendi de actibus præviis, ſaltem in materia luxuriæ, an fuerint aliqui adhibiti (quod videtur tamen non rarum) non præviſo, nec intento actu principali; quaſi nimirum in eo ſatìs intelligantur, ad quem ex natura ſua ordinantur, & ſunt ordinariè prævii. Hæc ille. *Herin.*

4. *Object.* Sed dicet aliquis: Diſparitas eſt, quòd in uno caſu ſint duæ diſtinctæ omninò voluntates, una terminata ad tactus impudicos ſecundùm ſe, altera terminata ad ipſum actum principalem: in alio autem caſu ſolùm ſit una voluntas terminata ad media propter finem ſive ad finem, ùt per talia media conſequendum.

Reſpo. Reſpondetur: tactus impudici per hoc, quòd ordinentur formaliter & expreſsè ad copulam, non perdunt ſuam malitiam, quam habent ex natura ſua, ſeclusâ illâ ſpeciali ordinatione; ſicuti perjurium non perdit ſuam malitiam, quam habet ex natura ſua, per hoc quòd aſſumitur tamquam medium ad obtinendam

Digitized by Google

dam copulam. Ergò ſi tactus illi ſint peccatum numero diſtinctum, quando non aſſumuntur formaliter tamquam medium ad copulam; etiam erunt peccatum numero diſtinctum, dum aſſumuntur formaliter tamquam medium ad copulam: nam ſola unitas internæ voluntatis, non poteſt dare unitatem malitiæ actibus externis, alioquin ſpecie aut numero diſtinctis.

Cur ergò tactus impudici, qui ſunt actiones phyſicè à copula diſtinctæ, eſtò ad hanc referantur, & propter illam relationem inficiantur malitiâ copulæ, ſicuti alii actus indifferentes, v. g. ire ad talem vel talem locum; cur (inquam) non retineant vel habeant malitiam propriam, quam haberent, ſi ad talem finem formaliter & expreſsè non aſſumerentur?

Si inferas: Ergò tactus iſti qui aſſumuntur tamquam medium, ſecutâ copulâ exprimendi ſunt in Confeſſione, eodem modo ſicuti ſi copula non fuiſſet ſecuta. Reſpondeo N. C. quia dum copula ſecuta fuit, & hæc exprimitur (quam ſuppono neceſſariò eſſe exprimendam, tamquam actum conſummativum peccati) etiam hoc ipſo exprimuntur opera intermedia, quæ ordinariè ſunt conjuncta, ùt ſunt verba turpia, oſcula, tactus & ſimilia.

Hinc ſi aliquæ adſint extraordinariæ circumſtantiæ, v. g. ſi induco alium, ut ſit ſocius criminis, vel cùm ex intentione adulterij mitto nuntium, qui fœminam inducat ad peccatum, &c. hæ (inquam) circumſtantiæ ſeu peccata ſpecie diſtincta, particulariter in Confeſſione forent declaranda, quia ex notitia actûs principalis nullatenus devenitur in notitiam horum actuum, qui merè per accidens conjunguntur.

Dices: fieri poteſt, ut copulam non præceſſerint oſcula, tactus & ſimilia: item, quòd plura vel pauciora præceſſerint. Ergò ſi ſint peccata numero diſtincta ab actu principali, oportet illa ſpecialiter declarare in Confeſſione, ne Confeſſarius graviter erret, plura vel pauciora numero apprehendendo peccata mortalia, quàm à parte rei fuerint.

Reſpondeo: ſufficit quòd Confeſſarius non erret in opere conſummativo ſeu completivo; illud enim ſolùm voluit Chriſtus explicari; non autem opera ex natura ſua, & ex intentione operantis præambula (ùt patet ex communi ſenſu DD.) ſive hæc opera appellaveris peccata numero diſtincta, ſicut in re ipſa & coràm Deo ſunt; ſive dixeris ex illis omnibus componi unum conſummatum peccatum; quia omnes illi actus multi vel pauci, ordinantur ad unum opus conſummandum, & ex illius intentione procedunt; quæ eſt conſideratio magis ad rem moralem pertinens, ac proinde propria Sacramento Confeſſionis, quod, utpote ab hominibus adminiſtrandum & ſuſcipiendum, hominum exiſtimationi fuit accommodandum, ne alioquin, ſi apices phyſicos ſequi oporteat, onus fiat importabile, & meritò vocari poſſit (quod abſit) carnificina conſcientiarum.

Igitur (ùt benè notat Suarez hìc diſp. 22. ſect. 5. n. 24.) ſicut unitas numerica etiam in actionibus vel qualitatibus non eſt ſemper ejuſdem rationis vel æqualis: nam aliquando eſt ex ſimplici entitate, aliquando ex collectione plurium cum aliqua artificioſa compoſitione: ad hunc itidem modum in præſenti omnes illæ actiones cenſentur eſſe partiales, & componere unum moraliter peccatum, quia omnes ordinantur ad unum conſummatum opus; ordinantur (inquam) ordinatione morali abſque oppoſita interruptione, ùt ſuppono. 43. Unitas numerica etiam in actionibus vel qualitatibus non eſt ſemper ejuſdem rationis.

Hinc etiam plures tactus inhoneſti, etſi non ordinentur ad copulam, tamen ſi fiant ſucceſſivè abſque notabili interruptione, in morali æſtimatione cenſentur unum peccatum; & ſufficit dicere: *Habui tactus inhoneſtos.* Idem eſt de oſculis & turpibus verbis. Item de pluribus ictibus ſeu verberibus, pluribus verbis contumelioſis &c. ita communiter DD.

Sed numquid etiam tactus conſequentes copulam, unum ſunt peccatum cum ipſa copula, ut hâc expreſsâ in Confeſſione, illi non debeant ſpecialiter declarari? Reſpondeo: ſi tactus ejuſmodi ſint, ut diſponant ad ſecundam copulam vel mollitiem (ſicuti fieri poteſt, maximè ſi ad iſtum finem aſſumantur) indubiè erunt diſtinctum peccatum vel numero, ſi diſponant ad ſecundam copulam; vel ſpecie, ſi ad mollitiem. Hinc ſi per accidens ſecunda copula vel extraordinaria pollutio non ſequeretur, tactus hujuſmodi diſtinctè forent declarandi in Confeſſione, ùt patet ex dictis. 44. An tactus conſequentes copulam debeant exprimi in Confeſſione.

Atque ut ad iſtum finem non aſſumerentur, equidem exiſtimat Suarez ſuprà n. 26. non componere unum peccatum cum copula præcedente: quia neque ſunt partes prioris actûs conſummati, neque ex natura rei ex illo ſequuntur, ut propterea cenſeri poſſint quaſi proprietates conſequentes, & in illa virtute incluſæ: ſed reverà (inquit) adjunguntur ex malitia ipſius operantis; & ideo neque ſufficienter explicantur, confitendo ſimpliciter unum fornicationis actum; nec reverà ſunt una & eadem fornicatio cum præcedenti, ſed potiùs ſunt nova fornicatio inchoata. Hæc ille. Affirmat Suarez.

Contrarium docet Lugo diſp. 16. n. 553. cum Aliis, quos citat; & omiſſis aliis rationibus, probat n. 554. quia tactus illi non afferunt malitiam ſpecie diverſam, & aliunde habent connexionem talem & tantam cum præcedenti peccato, ut poſſint facere unum actum completum: ſunt enim quaſi complementum copulæ & delectationis præcedentis. 45. Negat Lugo.

Nec obſtat (inquit) quod dicebat Suarez; quia neque ex intentione agentis, neque ex natura ſua ordinantur ſemper ad copulam ſequentem;

 ſed

Digitized by Google

ſed ſunt mali & turpes, quatenus in ſe continent approbationem & delectationem de copula præcedenti, & quatenus afferunt talem delectationem veneream, quæ in ſeipſa prohibita eſt: quia ſicut prohibetur delectatio pollutionis propter bonum prolis (ſi enim licita eſſet illa delectatio, non curarent homines de Matrimonio) ſic prohibetur à natura ipſa delectatio tactûs laſcivi: quia ſi ea ſaltem licita eſſet, minùs curarent homines de Matrimonio & de prole generanda. Hactenus Eminentiſſimus.

Sed diſplicet nobis hæc doctrina; quia (ùt ex alibi dictis conſtat) omnes tactus inhoneſti ex natura ſua ſemper ordinantur proximè vel remotè ad copulam ſequentem, vel extraordinariam pollutionem; & ideo præcisè prohibiti ſunt.

46. *Conſentit Arriaga,* Meliùs dicimus (inquit Arriaga diſp. 34. nu. 26.) eos tactus ſive ante copulam ſint, ſive poſt illam, facere unum quid cum ipſa, ſeu unam ſpeciem integram, ſicut ex diſpoſitionibus, eſſentia & paſſionibus fit unum quid in genere phyſico; ac proinde non eſſe neceſſariò declarandos. Addo, moraliter illos ſemper intervenire, ac proinde ex hoc ipſo capite non eſſe neceſſarium illos declarare: quia idipſum ſupponitur à Confeſſario.

cum aliqua limitatione. Addiderim tamen, ſi notabili interpoſitâ morulâ haberentur, vix poſſe negari obligationem illos declarandi, quia reverà jam non faciunt unum quid cum copula. Hoc ipſum dico de delectatione purè intrinſeca, quæ de copula immediatè præcedente aut futura haberi poſſet, illam ſcilicet per modum paſſionis aut diſpoſitionis facere unum quid cum ipſa copula. Hucuſque Arriaga.

47. *Judicium Authoris.* Placet, quod ait, illos tactus proximè conſequentes copulam (dummodò tamen leviores ſint, & non diſponant proximè ad novam copulam, aut extraordinariam pollutionem) ordinariè intervenire, ac proinde ex hoc capite, eſtò forent peccata ſpecie vel numero diſtincta, non eſſe neceſſarium illos declarare, quia idipſum ſupponitur à Confeſſario. Quare non ſolent Confeſſarii de hoc eſſe ſolliciti, nec pœnitentes ſe de hoc accuſare.

Et idem eſt de delectatione purè intrinſeca. Dico; *Purè intrinſeca*: nàm ſi laudaret ſeipſum de copula præterita apud alios, non dubito quin de novo peccaret, & in Confeſſione hoc peccatum deberet declarare: quia talis laus non eſt ordinariè conjuncta; adeòque nullatenus à Confeſſario ſupponitur tamquam paſſio copulæ præteritæ.

48. *An qui non reſtituit rem per integrum ann.* Sed pergamus ad alia, & videamus, ſi ex dictis bene ſequatur: ergo qui non reſtituit rem alienam per integrum annum, non peccat niſi unico peccato, eſtò in eo anno ſæpiùs repetat, & multiplicet voluntates non reſtituendi; quod eſt planè abſurdum. Sequela autem probatur: quia illud peccatum ſemper continuatur in illa exteriori omiſſione debitæ reſtitutionis. *num, peccet unico ... voluntas non reſtituendi plùs ... tat.*

Probatur ſententia negat. Reſpondetur: quamvis omiſſio illa externa ſemper duraverit, equidem non ſemper fuit peccatum actuale; ſed tunc ſolùm, quando fuit actualiter, vel ſaltem virtualiter libera. Jam autem non ſufficit ad continuationem ſeu unionem plurium voluntatum, quòd maneat aliquis effectus prioris voluntatis, ſed oportet permaneat aliquis liber effectus, qui à priori voluntate non tantùm ſit peccatum habituale, ſed etiam actuale. Ita docet Suarez ſuprà n. 31. *Suarez*

Patet (inquit) in communi exemplo de illo, qui dedit venenum alteri ad interficiendum illum: non enim actu peccat, quamdiu venenum actu operatur; nam interim poteſt omnino ceſſare à tali voluntate, immò & veram pœnitentiam talis peccati agere. Non ergo ſatis eſt, quòd effectus denominetur voluntarius, quia ex libera voluntate proceſſit; ſed oportet, ut ex libera voluntate procedat.

Unde quoad hoc eadem ferè proportionalis eſt ratio de actione, & de omiſſione: ſolùm eſt aliquale diſcrimen; quòd quia omiſſio per ſe non requirit poſitivum influxum, faciliùs durat ſinè ullo actu vel attentione interiori: interdum verò poteſt etiam actus exterior continuari cum tanta diſtractione & inadvertentia naturali, ut actus reverà jam hìc & nunc non fiat liberè & humano modo; & tunc illud ſatìs non erit ad continuitatem vel unitatem peccati. Hæc ille.

Conſequenter docet; voluntatem non reſtituendi interrumpi omnibus modis, quibus interrumpitur quælibet alia voluntas peccaminoſa, putà per actualem ceſſationem à voluntate retinendi rem alienam, ſive per ſomnum, ſive per diſtractionem naturalem, aut occupationem circa alia, ſive per contrarium propoſitum reſtituendi. Unde cùm poſtea occurrente memoriâ reſtitutionis, homo repetit voluntatem non reſtituendi, peccatum multiplicat. 49 *Quibus modis interrumpitur voluntas non reſtituendi.*

Secundò multiplicatur hoc peccatum per externum uſum rei reſtituendæ, repugnantem reſtitutioni ſeu dominio alterius, utpûtà per conſumptionem aut deteriorationem, quâ fur redditur impotens ad reſtituendum.

Tertiò, quando per aliquod tempus ceſſat debitum reſtituendi, vel intercedit excuſatio ſufficiens, & poſtea iterum urget obligatio, & reſumitur voluntas non reſtituendi.

Verùm enimverò hæc doctrina quamvis tutiſſima ſit, equidem non recipitur ab omnibus, & quoad omnia tamquam neceſſaria, ùt videre 50. *Sententia Petri à ... varia &*

videre poteris apud Dianam p. 1. tract. 7. reſol. 58. ubi ſupponit probabilem eſſe ſententiam Petri à Navarra de Reſtitut. lib. 4. cap. 4. nu. 9. & Aliorum aſſerentium, plura non committi peccata, ſed tantùm continuari antiquum, quamvis uno anno vel pluribus injuſtè retineatur res aliena, etiamſi fortè ſæpiùs interim offeratur occaſio reſtituendi, aut etiam ſæpiùs renovetur propoſitum non reſtituendi, dummodò tamen pœnitentiâ ductus proponat reſtituere, & poſtea mutato propoſito habeat animum non reſtituendi.

Hanc ſententiam amplectitur Lugo diſput. 16. nu. 549. quantumvis etiam per impotentiam interrumpatur facultas reſtituendi: nam (inquit) etiam quando dormis, aut quando diſtraheris, habes verè impotentiam reſtituendi pro tunc; ergo impotentia non magìs interrumpit peccatum, quàm ſomnus vel diſtractio: hæc autem non interrumpit in effectu poſitivo; ergo nec in negativo, cùm eadem ſit ratio: ſiquidem redeunte advertentiâ, jam verè pendet actu negatio reſtitutionis à voluntate, ſicut continuatio incendii. Hæc ille.

Sed facilè reſponderet Suarius, Primò, ſomnum & diſtractionem interrumpere peccatum tam in effectu poſitivo, quàm negativo. Secundò, impotentiam reſtituendi magìs interrumpere peccatum, quàm ſomnum & diſtractionem, quia tempore ſomni & diſtractionis adhuc manet illa externa omiſſio materialiter mala, immò ſecundùm Aliquos ſufficienter libera, ut imputetur in peccatum, quamvis pro illo tempore non augeatur malitia. At verò quando in vigilia & cum plena advertentia reſtitutio eſt furi impoſſibilis, idque inculpabiliter, jam ampliùs illa omiſſio reſtitutionis nequidem materialiter eſt mala; neque ullo modo imputari poteſt in peccatum: ergo per talem impotentiam magìs interrumpitur prior voluntas mala, quàm per ſomnum aut diſtractionem.

Concedo itaque, eandem eſſe rationem effectûs poſitivi & negativi; ſed nego, ſomnum aut diſtractionem non interrumpere voluntatem malam in effectu poſitivo, niſi fortè tam parva ſit diſtractio, aut tam modicus ſomnus, ut in moralibus pro nihilo reputetur. Enimverò ſi veſperi accendo ſegetem inimici mei, & manè poſt ſomnum rediens augeo incendium, & ita proſequor uſque ad finem; exiſtimas, quia tota illa actio erit unicum peccatum?

Neque Cardinalis id aſſerit; ſed ut ſit unicum peccatum, requirit ut interruptio facta fuerit per aliquas breves diſtractiones vel impotentias. Si accendas (inquit ille) ſegetem tui inimici, & applicato igne paululùm divertas ad loquendum cum famulo, quo brevi tempore damnum ſequitur neceſſariò, cùm propter diſtractionem illud non poſſes actu impedire; immò neque etiam non diſtractus poſſes omninò jam impedire: deinde verò redis ad opus & auges incendium, & ita proſequeris uſque ad finem; tota illa actio erit unicum peccatum, licèt ſæpiùs interrupta fuerit per aliquas breves diſtractiones vel impotentias. Hæc ille.

Addit ibidem Eminentiſſimus n. 551. nec ipſam revocationem ſeu interruptionem per voluntatem contrariam fortaſſe impedire aliquando unitatem moralem actionis & peccati. Exemplum ponit in eo, qui die jejunii ceſſat in fine prandii cum propoſito non comedendi plus; ſed ſtatim antequam è menſa ſurgat, affertur aliud ferculum, de quo poteſt adhuc comedere; quia continuatio illa ratione loci & temporis ſufficit, ad continuandum illud prandium, non obſtante brevi illâ voluntate contrariâ. Cùr ergo non poterit idem contingere in unitate peccati? Si aliquis v. g. die jejunii comedat carnes in prandio, & in fine prandii, cum animo nihil plus comedendi videat afferri novum ferculum carnium, & comedat ex illo, tunc certè ſicut continuatur moraliter prandium; ſic continuatur moraliter idem peccatum; nec neceſſe erit in Confeſſione dicere, ſe bis comediſſe carnes, non obſtante illâ brevi voluntate, quæ interceſſerat non plus comedendi. Hæc ille. Quæ ſimiliter applicat ad injuſtam læſionem & ad peccatum retentionis ſeu omiſſionis reſtitutionis. 53. Docet fortè nec interruptionem per voluntatem contrariam impedire aliquando unitatem peccati.

Ex quo apparet manifeſtè; quàm ambigua ſint, quæ pendent à noſtra æſtimatione; quia unus æſtimat hoc, alius aliud, unuſquiſque prout affectus eſt. Malumus ſtare judicio & æſtimationi communi, quàm unius particularis. Commune autem judicium eſt, eum, qui comedit carnes die jejunii, & pœnitentiâ ductus mutat ſuam voluntatem, ſi ſtatim reſumat priorem voluntatem, & iteratò comedat carnes, in Confeſſione debere dicere, ſe bis comediſſe carnes, ſi verum eſt (quod puto) quamcumque comeſtionem eſſe prohibitam. 54. Oppoſita ſententia eſt communis.

Dicatur prandium unum vel multiplex, parùm refert, cùm ab unitate prandii non dependeat unitas peccati, niſi velis omnia peccata, quæ fiunt in uno prandio, eſſe unum peccatum, quod plus quàm abſurdum eſt. Quòd ergo prandium illud ſit unum, provenit ex voluntate Eccleſiæ, quæ indubiè potuit talem interruptionem ſeu diſcontinuationem pro nihilo reputare, propter moralem propinquitatem: de hac autem voluntate reſpectu peccati comeſtionis carnium, ſic interruptæ per contrariam voluntatem, nobis non ſatis conſtat.

Deinde quòd prandium ſit unum vel multiplex, non pendet ab intentione unius ex comedentibus, ſed potiùs ex unitate loci & tempo- 55. Poteſt quis in uno prandio bis

comedere carnes. temporis. Unde ex hoc, quòd unus ſurgat è menſa & nolit ampliùs comedere,aliis manentibus in menſa & comedentibus: non ſolvitur unitas illius prandii; ac proinde rediens ad menſam qui diſceſſerat, redit ad idem prandium, quod per ipſius receſſum non fuerat diſſolutum. Quid ergo mirum, ſi moraliter non cenſeatur bis prandere?Et per conſequens non cenſeatur frangere jejunium, quod non prohibet niſi duplex prandium? At verò prohibet ſingulas comeſtiones carnium, quæ utique ſingularitas non pendet ex ſingularitate prandii, quaſi in uno prandio non poſſit aliquis bis comedere carnes.

Quid ſi enim aliquis in principio prandii comediſſet carnes, & correptus à convivis mutatâ voluntate carnes curaſſet auferri; putas, ſi poſt unam aut alteram horam in fine prandii rursùm præciperet carnes apponi, & iteratò comederet; exiſtimas (inquam) talem ſemel tantùm comediſſe carnes, eò quòd comederit in uno prandio? Non potes prudenter exiſtimare. Ergo prandium poteſt eſſe unum, eſtò comeſtio carnium non ſit una.

Sed quid immoror rei tam claræ? Libet proponere quæſtionem magìs controverſam. Utrùm in eodem actu poſſint eſſe plures malitiæ ſolo numero diſtinctæ? Reſponſio erit

CONCLUSIO III.

In eodem actu phyſico poſſunt eſſe plures malitiæ, ſolo numero diſtinctæ,ùt tales in Confeſſione explicandæ.

56. Sententia Lugonis non eſſe explicandas plures malitias numero in eodem actu.

ADdo ultimam particulam: *Vt tales in Confeſſione explicandæ*, contra Lugonem diſp. 16. n. 134. ubì ſic ait: licèt in peccato, habente plures malitias ſpecie diverſas,debeant omnes explicari, non ſequitur idem in peccato, habente plures numero diſtinctas. Ratio differentiæ eſt: quòd in primo caſu non explicaretur diſtinctè tota ſpecies illius peccati, ſi aliqua malitia ſpecifica illius taceretur. Cùm autem debeant explicari diſtinctè omnia peccata quoad ſuam ſpeciem, conſequens eſt,quòd debeant explicari diſtinctè omnes illæ malitiæ ſpecie diverſæ.

At verò in ſecundo caſu, etiam non explicatâ diſtinctè totâ malitiâ individuali illius peccati, explicatur illud numero peccatum, quoad ſuam ſpeciem diſtinctè, & confusè quoad differentiam numericam: quod ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto Confeſſionis, cùm nullum peccatum maneat non explicatum quoad ſuam ſpeciem,& aliundè dicatur totus numerus peccatorum, licèt non totus numerus malitiarum, de quo explicando non invenimus aliquod præceptum. Hucuſque Eminentiſſimus.

Sed abſque ſolido fundamento contra torrentem Doctorum, & ideo non audiendus. Inveniuntur quidem Aliqui, qui docent, præciſum reſpectum unius actûs, v. g. unius occiſionis ad perſonas diverſas, v.g. tres homines occiſos, non debere neceſſariò explicari; ſed hi conſequenter tenent, illum præciſum reſpectum unius actûs ad diverſas perſonas, non multiplicare malitias numero in illo uno actu, deinde circumſtantias notabiliter aggravantes non eſſe neceſſariò declarandas in Confeſſione: nemo autem invenitur, quod ſciam, præter Lugonem, qui admittit multiplicationem numericam malitiarum in eodem actu, & negat obligationem eas declarandi in Confeſſione. 57 Oppoſ eſt co nis,

Reverà ſi Tridentinum probat malitias ſpecificas, quæ plures inveniuntur (ſecundùm Omnes) in eodem actu phyſico, eſſe diſtinctè explicandas; neſcio quare non idem probet de malitiis numericis, cùm iiſdem planè verbis præcipiat explicationem ſpecificæ & numericæ malitiæ ſeſſ. 14. c. 5. ibi: *Conſtat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Et can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia* &c. *anathema ſit.* & pro ex Tri

Si Eminent. illa verba expendiſſet, ſicut in ipſis invenit præceptum diſtinctè explicandi omnes malitias ſpecie diverſas, quæ ſunt in eodem actu phyſico, pariter inveniſſet præceptum, explicandi diſtinctè omnes malitias numero diſtinctas, quæ ſunt in eodem actu phyſico. Vel ſi illa verba intelligi poſſint de confuſa explicatione ſingulorum peccatorum ſeu malitiarum ſolo numero diſtinctarum; cur non etiam de confuſa explicatione omnium peccatorum ſeu malitiarum ſpecie diſtinctarum? 58 quod dem loqui explic ne ma ſpecif nume

Et verò ſi poſſit explicari totus numerus peccatorum, licèt non totus numerus malitiarum; cur itidem non poſſit explicari tota ſpecies peccati, licèt non tota malitia ſpecifica? Vel ſi non explicatur diſtinctè tota, id eſt, omnis ſpecies illius peccati, ſi aliqua malitia ſpecifica illius taceatur; dico ſimiliter, non explicari diſtinctè totum, id eſt, omnem numerum peccatorum, ſi aliqua malitia numerica illius taceatur.

Nonne plures malitiæ ſpecificæ repertæ in eodem actu phyſico conſtituunt plura ſpecie peccata, formaliter ſeu moraliter loquendo? Quarè ergo conſimiliter plures malitiæ numericæ repertæ in eodem actu phyſico non conſtituent plura numero peccata formaliter ſeu morali- 5 Plure litiæ ſticæ dem repert conſti plura

Digitized by Google

moraliter loquendo? Numquid una numero malitia reperta in pluribus actibus phyſicis conſtituet formaliter ſeu moraliter loquendo unicum numero peccatum? Planè, ùt vidimus Concluſionibus præcedentibus.

Sicut ergo in hoc caſu non eſt neceſſe explicare diverſos actus phyſicos, qui participant eandem numero malitiam, ſed ſufficit explicatio ipſius malitiæ; ita in caſu propoſito non ſufficit explicare unum actum phyſicum, qui participat plures numero malitias, ſed oportet diſtinctè declarare ipſas malitias, quę ſunt ipſum peccatum formale, & pro quibus ſolis oportet Sacerdotes convenientes ſatisfactiones injungere. Igitur Tridentinum ſuprà non numerum actuum phyſicorum intelligit, ſed peccatorum quà talium, ſive formalium. Patet manifeſtè: quia peccatum materiale tantùm, neque quoad ſpeciem, neque quoad numerum, eſt explicandum in Confeſſione, ùt ab Omnibus admittitur.

Quantùm ad praxim, quam pro ſe allegat Lugo ſuprà n. 136. & ſequentibus, ſi vera eſt, fundatur in ſententia eorum, qui negant in eodem actu multiplicari numero malitias, & aſſerunt circumſtantias ſolùm notabiliter aggravantes, non eſſe explicandas.

60. Hâc itaque ſingulari opinione Lugonis rejectâ, diligenter conſideremus, an reverà in eodem actu phyſico poſſint eſſe plures malitiæ ſolo numero diſtinctæ. Concluſio noſtra affirmat: & ſi quæris exempla, in promptu ſunt; v. g. ſi quis unico phyſico ictu occidat plures homines; unicâ narratione detrahat pluribus perſonis, aut eas unico actu contumeliâ afficiat; efficaciter concupiſcat plures feminas, aut fornicari pluries cum eadem; unico verbo aut opere plures ſcandalizet, pertrahendo ad hæreſim, aliudve delictum; ſi ſemel habuerit animum efficacem non jejunandi per totam Quadrageſimam; non legendi Officium divinum per integrum annum &c. Dico in his & ſimilibus caſibus, in eodem actu phyſico eſſe plures malitias ſolo numero diſtinctas, juxta diſtinctionem numericam objectorum, ſeu potiùs effectuum; id eſt, tot ſunt malitiæ numero diſtinctæ in illo unico ictu, quot ſunt homines occiſi, ſeu quot ſunt occiſiones hominum.

61. Ratio: quia malitia actûs efficacis, quæ non conſummatur interiùs, qualis eſt malitia occiſionis, ſumitur in ordine ad effectum volitum & voluntarium, quatenus privat honeſtate virtutis oppoſitæ: ergo tot ſunt malitiæ numero diſtinctæ in illo unico ictu, quot ſunt numero occiſiones hominum, ſicuti tot ſunt malitiæ ſpecificæ, quot ſunt ſpecie occiſiones hominum; v. g. ſi unico ictu occidas patrem tuum & Sacerdotem, ſecundùm Omnes in illo unico ictu reperitur malitia parricidii & ſacrilegii, & utraque exprimenda eſt in Confeſſione: ergo ſimiliter ſi unico ictu occidas Joannem & Joſephum, in illo unico ictu erit duplex malitia homicidii numero diſtincta, & utraque in Confeſſione erit explicanda.

Probatur Conſequentia: quia ſicut ex diverſis effectibus ſpecie ejuſdem actûs phyſici, non coaleſcit unus effectus ſpecificus adæquatus quaſi conflatus ex illis ſpeciebus, ſed uterque per ſe ſufficit ad propriam ſuam ſpeciem peccati & malitiæ, & debet explicari in Confeſſione ea diverſitas effectuum ſpecificorum, quantumvis voliti fuerint eodem actu phyſico, quia moraliter cenſentur plura ſpecie peccata; ita ex diverſis effectibus in individuo ejuſdem actûs phyſici, non coaleſcit unicus effectus individualis adæquatus quaſi conflatus ex illis individuis; ſed uterque per ſe ſufficit ad proprium ſuum individuum peccati & malitiæ, & debet explicari in Confeſſione ea diverſitas effectuum individualium, quantumvis voliti fuerint eodem actu phyſico, quia moraliter cenſentur individualiter plura peccata; & ſicut eſt præceptum explicandi diverſa peccata in ſpecie, ita eſt præceptum explicandi diverſa peccata in individuo, ùt ſuperiùs oſtendimus.

Breviter: unuſquiſque effectus poteſt dare malitiam actui independenter ab alio: ergo nulla eſt ratio, quare unuſquiſque non det ſuam malitiam diſtinctam, ſicut unuſquiſque diſtinctus eſt, & manet diſtinctus, etſi ſint effectus unius phyſici actûs. Atque hæc eſt communior opinio, quam Suarez hìc diſp. 22. ſect. 5. n. 34. vocat probabilem, quamvis oppoſita appareat ſibi probabilior, propter ſequentes rationes. Suarez.

Quia (inquit) bona voluntas dandi eleëmoſynam 10. hominibus non habet plures bonitates: ergo neque è contrario voluntas interficiendi illos habet plures malitias. Patet Conſequentia: quia privatio eſt proportionata habitui; & ideo ſi habitus eſt unus, etiam privatio ejus una eſt; malitia autem eſt privatio debitæ bonitatis. 62. Prima ratio pro oppoſita ſententia.

Probat II. Si quis uno indiviſibili actu Charitatis amet 10. proximos, una eſt indiviſibilis bonitas illius actûs: ergo ſimiliter odium eorumdem hominum unicam habet malitiam, quamvis non reſpiciat aliam materiam propinquiorem, ſed immediatè tendat in tales perſonas: ergo idem erit de voluntate occidendi tot homines, eò vel maximè, quòd poteſt quis velle uno ictu eos occidere; & ita videtur habere proximam materiam magìs unam, quàm ſit quantitas pecuniæ in voluntate eleëmoſynæ, vel quantitas furti, ſi à multis perſonis accipienda eſſet. Secunda.

Probat III. Si quis habeat deſiderium occidendi multitudinem hominum, cujus numerum ignorat; vel ſi tentet comburere domum cum tota ſua familia quantacumque illa ſit, Tertia.

 tale

tale peccatum non poteſt habere plures malitias: quot enim illæ erunt?

63. **Reſponſio ad tertiam rationem de incerto numero occidendorum.**

Reſpondeo: Tot erunt, quot à parte rei fuiſſent occiſiones hominum, ſi voluntas efficax habuiſſet ſuum effectum. Quòd autem peccans illum numerum ignoret, per accidens eſt: ſufficit, quòd velit omnes occidere, qui in tali domo ſunt. Hinc ſi poſtea numerus innoteſcat, tenetur eum in Confeſſione explicare; alioquin quamdiu manet ignotus, excuſatur à diſtincta explicatione propter impoſſibilitatem.

Dico; *A diſtincta explicatione*; quia tenetur eum explicare juxta confuſam, quam tunc habebat, notitiam, explicando numerum, quem veroſimiliter plùs minùs exiſtimabat: vel ſi dubitabat, an eſſet magnus vel parvus, & hoc dubium tenetur explicare, ſicut in reliquis obligatur meliori modo, quo poteſt, explicare numerum peccatorum.

64. **Qui vult occidere multitudinem hominum concipit confusè aliquem numerum.**

Dicaſtillo.

Dicimus (inquit Dicaſtillo diſp. 9. n. 253.) fieri non poſſe, quin ſi quis velit occidere multitudinem hominum, concipiat moraliter loquendo, ſaltem confusè aliquem numerum, ita ut apprehenſio illius multitudinis, quam vult occidere, talis ſit, quæ ad aliquem numerum poſſit revocari, licèt non determinatè & certò, ſed ſaltem ſit timor aut exiſtimatio, quâ quis videat poſſe fortaſſe veniri uſque ad eum numerum; ita ut de illa multitudine occidendorum poſſit verè dici, tantum quidem numerum non exceſſiſſe, ad illum tamen aliumve aliquem paulò minorem, periculum fuiſſe ut perveniret: quod ſufficit, ut aſſignemus numerum malitiarum uſque ad numerum, in quo concipitur tale periculum. Hæc ille.

Nonne, ſi volo occidere hunc hominem, quem dubito an ſit Sacerdos, an ſit pater meus &c. proculdubio pecco illâ ſpecie peccati, ſive omni ſpecie peccati, quam ſub dubio apprehendo? Ergo ſimiliter in caſu noſtro tot numero peccata committo, quot ſaltem ſub dubio apprehendo.

Immo etiamſi nullam malitiam ſpecificam diſtinctè apprehenderem in aliquo actu, ſi tamen dicerem: *Volo omnem illam, quæ ibi eſt*; haùd ambigo, quin peccarem tot peccatis ſpecie diſtinctis, quot à parte rei malitiæ ſpecificæ in illo actu inveniuntur; ac proinde deberem eas explicare diſtinctè in Confeſſione, caſu quo poſtea diſtinctè eas cognoſcerem: ergo ſimiliter dicendum de malitiis numericis.

Et ſanè eandem difficultatem patitur Suarius in ſua ſententia (ùt advertit Dicaſtillo ſuprà nu. 254.) nam ipſe concedit, quò numerus occidendorum major eſt, eò majorem eſſe malitiam in gravitate: non eſt autem minùs impoſſibile, eſſe de facto malitiam, quæ non habeat determinatam gravitatem, quàm eſſe de facto multitudinem malitiarum, quæ non habeat determinatum numerum. Igitur corruit tertia probatio Suarii?

Ad primam & ſecundam reſpondet Dicaſtillo n. 248. non improbabiliter etiam in virtutibus & bonitatibus eſſe illam multiplicationem, ſicut & in vitiis; atque adeò parem eſſe utrobique rationem. Ita aliqui Recentiores cum Navarro in cap. *Conſideret*. Hæc ille. 6[illegible] Reſpo[illegible]

Interrogo ego unum verbum: idem actus virtutis poteſt habere plures ſpecie bonitates ex proximo objecto deſumptas? Negant multi Theologi: quia (inquiunt) ex proximo objecto formali ſpecificantur actus. Si ergo aliquis actus haberet duas ſpecie bonitates, deberet habere duo objecta formalia; & conſequenter non eſſet idem actus, ſed duo ſpecie diſtincti, proinde & numero diſtincti: nam quòd conjungantur in eodem objecto materiali, nihil refert ad unitatem actûs, quia ex objecto materiali ùt ſic non ſumitur entitas actûs, in tantùm, ut diverſi ſpecie actus in idem objectum materiale tendant per diverſa objecta formalia: alioquin amor amicitiæ Dei & concupiſcentiæ eſſent realiter unus actus, quia motiva illa diligendi in eodem indiviſibili objecto conjunguntur. Hæc illi.

Attamen cum hac limitatione: ſi iſta diverſa motiva ſumantur omninò ùt diverſa & integra in ſua ſpecie: nam interdum poteſt voluntas moveri uno actu ad unum objectum materiale, ùt affectum pluribus bonitatibus in eo conſideratis, ſi ex omnibus illis intellectus conficiat quaſi unam rationem boni, ab omnibus diſtinctam, & quaſi ab omnibus compoſitam, quod videtur poſſe facere per modum confuſæ cognitionis, utpútà ſi, poſt diſtinctam conſiderationem ſingularum bonitatum, abſolutè judicet hanc rem eſſe optimam & honeſtiſſimam, ſumendo veluti rationem communem omnibus illis bonitatibus, & pluris æſtimando illam, quæ eſt ex aggregatione plurium: in hoc quippe non apparet ulla repugnantia; immò videtur valde accommodatus modus communi modo operandi hominum. Ita multi Theologi (ùt dixi) opinantur; & ſecundùm hanc opinionem patet quid ſit reſpondendum ad duo priora argumenta Suarii. 6[illegible]

Numquid ex hoc Antecedente: Idem actus voluntatis non poteſt habere plures ſpecie bonitates ex proximo & formali objecto; bene infertur: Ergo idem actus voluntatis non poteſt habere plures ſpecie malitias? Clarum eſt quòd poſſit habere, & (ſecundùm omnes Theologos) de facto ſæpiùs habeat. Ergo etiam hæc Conſequentia non valet: idem actus voluntatis non poteſt habere plures numero bonitates; ergo ſimiliter non poteſt habere plures numero malitias. 6[illegible]

Ratio

Digitized by Google

Ratio diſparitatis eſt evidens : quia ut actus ſit malus, non requiritur quòd iſta malitia ſit volita ſive tamquam objectum, ſive tamquam ratio movendi. Ita paſſim Theologi, & videtur manifeſtum ab experientia; immò multi peccant, qui vellent abeſſe malitiam ab actu. At verò ut actus ſit bonus, non tantùm requiritur, ut objecti bonitas cognoſcatur, ſed præterea ut ipſa objectiva bonitas moveat voluntatem ad actum, juxta illud Ariſtotelis 2. Ethic. cap. 4. communiter receptum: *Ea, quæ à virtutibus fiunt, non juſtè aut temperatè aguntur, ſi ſint juſta aut temperata; ſed ſi & agens ſic ſe habens agat: primò quidem ſi ſciens; deinde ſi eligens propter ipſa; tertiò ſi firmo animo ac immutabili agat.*

68. Quid ergo miramur, ſi bona voluntas dandi eleëmoſynam 10. hominibus non habeat plures bonitates, quamvis è contrariò voluntas interficiendi illos habeat plures malitias? Aut ſi unus indiviſibilis actus Charitatis, quo amo 10. proximos, unam & indiviſibilem habeat bonitatem; odium autem eorumdem non unicam, ſed multiplicem habeat malitiam? Sicut enim unus ſpecie actus bonus, non poteſt habere niſi unum ſpecie objectum primum & formale motivum; ita quoque unus numero actus bonus, non poteſt habere niſi unum numero objectum primum & formale motivum: ergo unus numero actus bonus, non poteſt habere niſi unam numero bonitatem, deſumptam ab illo objecto primo & formali motivo. At verò malitia non deſumitur ab objecto primo & formali motivo, ſed ab effectu malo volito & voluntario: eodem autem actu poſſum velle plures effectus malos; plures (inquam) tam ſpecie, quàm numero, ùt manifeſtum eſt.

Hinc quemadmodùm illi effectus numero diſtincti in caſu propoſito non coaleſcunt in unum numero effectum, ſed manent numero diſtincti, mors v. g. Joannis & mors Joſephi, fornicatio cum Catharina & fornicatio cum Barbara; pariter manent diſtinctæ malitiæ in una voluntate, quâ volo efficaciter duplicem iſtam mortem, aut duplicem illam fornicationem. Quid poteſt clariùs dici?

69. Itaque per odium 10. hominum, quod ſecundùm nos habet multiplicem malitiam, non intelligo odium merè internum, ſed ex quo proceditur ad actus externos. V. g. ſi quis uno actu odii efficaci odiſſet 10. homines per modum unius objecti, volens efficaciter illos occidere, tunc actus ille, quamvis in ratione odii non habeat niſi unicam malitiam ex unico adæquato objecto illius multitudinis hominum per modum unius conſideratæ, in ratione tamen homicidii tot habet malitias, quot ſunt homines, quos intendit occidere; quia multiplicatur malitia ex multiplicitate effectûs, & non tantùm ex multiplicitate objecti primi formalis motivi, quod in tali caſu ſuppono eſſe unicum.

Et idem dico de ſimplici complacentia in pluribus fornicationibus, homicidiis &c. poteſt enim voluntas ferri in omnes illas fornicationes per modum unius adæquati objecti; quo caſu tantùm erit in illa complacentia una adæquata numero malitia, ac proinde non erit neceſſarium explicare multitudinem perſonarum in Confeſſione. Quapropter etiam gratìs admiſſo, quòd eadem voluntas non poſſit habere plures bonitates numero diſtinctas, negamus equidem hanc Conſequentiam: Ergo eadem voluntas non poteſt habere plures malitias numero diſtinctas.

Dico, *Gratìs admiſſo*; quia (ùt ſuprà inſinuavi) ſunt Nonnulli, qui exiſtimant, etiam eamdem voluntatem poſſe habere plures numero bonitates. Et ſanè ſi poſſit habere plures bonitates ſpecie diverſas, cur non etiam numero diverſas? Porrò eumdem numero actum poſſe reſpicere duo objecta formalia ſpecie diverſa & adæquata, ac per conſequens habere duas bonitates ſpecie diverſas, docet Felix de Bonitate & Malitia c. 3. diff. 4. n. 5. cum Aliis quos citat; & putat colligi ex Scoto Quodlib. 14. n. 5. ibi: *Comparando Fidem infuſam & Fidem acquiſitam ad actum credendi in hoc conveniunt, quòd, quando inſunt eidem animæ, actus unus & idem credendi elicitur ſecundùm inclinationem utriuſque: quia quando ſunt duæ formæ, quæ naturaliter inclinant ad actum in eodem operante, utraque quantùm eſt de ſe neceſſariò & ſemper inclinat ad actum: & ideo quandocumque actus elicitur, elicitur ſecundùm inclinationem utriuſque.* Et Quodlib. 17. n. 10. ibi: *Simul poteſt quis uno & eodem actu credere ex teſtimonio aſſerentis, & credere ſecundùm inclinationem Fidei infuſæ.* 70. Sententia Felicis, eumdem actum poſſe habere plures ſpecie bonitates. Probatur ex Scoto.

Probat ratione: quando unum medium habet plures honeſtates ad aliquos fines conſequendos, nulla eſt ratio, quare non eligatur ad tales fines: v. g. Chriſtus elegit mortem, quia in illa eſt honeſtas Religionis in quantùm eſt Sacrificium & honeſtas miſericordię redimens homines, & honeſtas obedientiæ adimplens præceptum Patris &c. ergo talis electio habet plures bonitates. Ita Felix n. 6. Et n. 8. ſic ait: Neque obeſt, quòd voluntas reſpiciat bonum propter honeſtatem ejus, ut det actui bonitatem: nam plura poteſt eodem actu appetere propter honeſtates proprias. Probatur ratione.

Quidquid ſit de hac ſententia (de qua nolo hìc diſputare, quia planè alterius loci) ſi vera eſt, conſequenter affirmatur, eumdem actum poſſe habere plures bonitates numero diverſas: ſi enim voluntas poſſit plura appetere eodem actu propter honeſtates ſpecie diſtinctas; quidni etiam propter honeſtates numero diſtinctas? 71. Idem actus poteſt habere plures bonitates numero.

Deinde Aliquorum ſententia eſt, ad actum bonum nullatenus requiri, ut eligatur propter

Digitized by Google

ipſam bonitatem, ſed omninò ſufficere, quòd objecti bonitas cognoſcatur, & non videatur aliqua circumſtantia mala. Quod ſi verum eſt, neſcio quare una & eadem voluntas dandi eleëmoſynam 10. pauperibus, non habeat 10. bonitates, cùm intellectus cognoſcat 10. bonitates, & non videat aliquam circumſtantiam malam, ùt ſuppono.

Cæterùm ſicut intellectus cognoſcit decem bonitates in decem eleëmoſynis, ita etiam cognoſcit decem malitias in non eleëmoſynis, caſu quo eleëmoſynæ iſtæ ſint obligatoriæ, quia v. g. decem perſonæ extremè indigent. Quippe malitia eſt privatio rectitudinis debitæ: ergo ſi 10. rectitudines debitæ, quia debitæ 10. eleëmoſynæ; etiam 10. malitiæ oppoſitæ, id eſt, 10. privationes eleëmoſynarum debitarum. Quidni ergo unus actus, quo volo illas 10. privationes, habeat 10. malitias? Non enim requiritur intentio malitiæ, ſecundùm DD. communiter; ſed ſufficit cognitio.

72. Objectio diluitur.

Nec obſtat; quòd velim 10. homines occidere unico ictu; quia ille ictus non eſt malus, niſi ratione occiſionis ſeu mortis conſequentis: jam autem occiſiones ſunt 10. ergo 10. malitiæ, eodem modo, ac ſi ſingulis ictibus ſinguli homines occiderentur. Hinc ſi talis bonâ fide confeſſus fuerit, ſe habuiſſe voluntatem occidendi 8. ſufficiet poſtea confiteri, ſe habuiſſe voluntatem occidendi 2.

Et rectè confiteretur, dicendo: *Volui 10. homines occidere*; omittendo ly *unico ictu*. Similiter, ſi reverà unico ictu occidit, dicendo: *Occidi 10. homines*; quamvis fortè Confeſſarius apprehendat, occidiſſe diverſis ictibus; quia æquè graviter peccavit, & æquè multa peccata moraliter ſeu formaliter commiſit, ſive uno, ſive diverſis ictibus occiderit: igitur materialis illa diverſitas per accidens eſt ad Confeſſionem ſacramentalem.

E contra autem inſufficienter confiteretur, qui diceret: *Feci homicidium*; aut: *Habui voluntatem homicidii*; quia ly *homicidium* ex communi acceptione ſignificat occiſionem hominis, non hominum: quare Confeſſarius tunc conciperet occiſionem unius hominis, & conſequenter unam malitiam homicidii, cùm tamen reverà ſint plures. Idem eſt, ſi diceret: *ſemel volui occidere*; vel: *ſemel occidi*; quia ſimiliter in communi modo loquendi unica tantùm occiſio ſub illis verbis intelligitur, cùm tamen fuerit multiplex.

73. Adulterium ex parte utriuſque debet diſtinctè explicari.

Ex dictis facilis eſt reſolutio hujus quæſtionis: utrùm adulterium ex parte utriuſque debeat diſtinctè declarari in Confeſſione; an verò ſufficiat dicere: *Commiſi adulterium?* Facilis (inquam) eſt reſolutio pro parte affirmativa, eſto partes in illud conſenſiſſent.

Probatur.

Patet: quia tametſi actus ille phyſicus unus & idem ſit, equidem multiplicatur virtualiter, eò quòd contineat duplicem difformitatem numero diſtinctam, quarum una non præſupponit alteram, ſed utraque ſeorſim poteſt exiſtere: poſſum enim violare fidem proprii matrimonii, & non alterius, ſi mulier non ſit conjugata; & poſſum violare fidem alieni matrimonii, & non proprii, ſi ego non ſim conjugatus, ſed ſola mulier: ergo quando & ego & ipſa obſtringimur fide conjugali, adulterium duplicem contrahit malitiam; quia privat duplici rectitudine, quoniam violât duplicem fidem conjugalem.

Et quamvis propriè non fiat injuria partibus (ùt Aliqui volunt) ſi partes conſenſerint; fit tamen injuria (ut ita loquar) ipſi matrimonio ſeu fidei conjugali, quæ injuria duplex eſt in unico actu, utpote qui habeat duplex objectum, ſcilicet fidem hujus matrimonii & illius, quæ utique duplex fides per ipſum violatur.

Diſp[aritas] inter caſu[m] illu[m] aliq[uid] [du]plic[i] [præce]pto [ex ea]dem vo[...] [prohibe]tur.

Quocirca magna diſparitas eſt inter hunc caſum, & illum, quo aliquid duplici præcepto ex eodem motivo prohibetur, de quo alibi egimus. Etenim cùm præceptum ſit planè extrinſecum actui, non poteſt huic addere novam aliquam malitiam, niſi ratione alicujus circumſtantiæ diſtinctæ, vel novæ materiæ, &c.

Ratio: quia alioquin illæ malitiæ videntur continuari in eodem actu, & in eandem recidere, ſicut in eodem ſubjecto continuatione fit idem calor, qui aliàs multiplex eſſet, niſi in ſubjecto continuaretur. Jam autem in caſu propoſito quando conjugatus cum conjugata adulteratur, & quando ſolutus cum conjugata, non tantùm eſt diſtinctio præceptorum, ſed variatio objectorum, quæ inducit novam malitiam, ſaltem numero diſtinctam.

7[4]. An adul[terium] dupl[ex] [spe]cie.

Dico; *Saltem numero diſtinctam*; quia Aliqui exiſtimant, in peccato adulterii conjugati cum conjugata eſſe duplicem malitiam ſpecie diverſam: quia (inquiunt) diverſa virtus eſſe videtur, quæ inclinat hunc conjugem ad ſervandum ſuum matrimonium, ab ea, quæ inclinat ad ſervandum alienum matrimonium; ſicut diverſa virtus eſt, quæ me inclinat ad ſervandum jejunium meum, ab illa, quæ inclinat ad non violandum jejunium, quod alii debent: illa enim prior eſt propriè virtus temperantiæ, hæc verò poſterior non eſt propriè temperantiæ, ſed reductivè. Hæc illi.

Quæ doctrina (de qua alibi egimus) ſi vera eſt, probat nullam eſſe cooperationem poſitivam, in qua non reperiatur illa malitia, reductivè, ſeu ſecundariò pertinens ad peccatum alterius (quæ proinde, utpote diverſæ ſpeciei, ſemper deberet explicari in Confeſſione) etiamſi fortè ſimul contrahat malitiam primariam, ùt contingit in materia juſtitiæ. V.g. Petrus hortatur Paulum, ut furetur pecuniam Joannis: illa exhortatio contrahit malitiam

Digitized by Google

litiam ſecundariam; quatenus diſſonat rationi, Paulum obligatum ad non furandum, hortari ad furandum: præterea contrahit malitiam primariam injuſtitiæ, quatenus Ioannes habet jus non ſolùm ut tu non fureris bona ipſius, ſed etiam ut nemo cooperetur alteri poſitivè ad furtum ſuorum bonorum.

76. ... thilo. Illas autem malitias eſſe diſtinctas, probatur: quia ſi Petrus hortaretur Paulum ad furandum bona Joannis, ſciens certò, furtum aliundè impediendum, contraheret malitiam ſecundariam (ùt patet) quia eſſet cauſa quare Paulus vellet furari bona Ioannis; abſque tamen malitia primaria, quia (ùt ſupponitur) Ioannes nihil patitur damni. Et vice verſâ, Petrus v.g. hortatur Paulum ad uſurpandam rem Ioannis, quam Paulus bonâ fide putat eſſe ſuam, Petrus autem certò ſcit eſſe Ioannis; hortatio illa Petri contrahit malitiam primariam, quia Ioannes habet jus, ne Petrus cooperetur iſti actioni à parte rei injuſtæ; abſque tamen malitia ſecundaria, quoniam Paulus non peccat, bonâ fide uſurpando illam rem. Ita docet Dicaſtillo diſp. 9. n. 271.

...pn. Sed contrà: Ergo qui hortaretur hominem amentem ad fornicandum, vel hominem ſanæ mentis ad copulam cum perſona, quam putat bonâ fide eſſe ſuam, ipſe autem ſcit eſſe non ſuam; nullam omninò contraheret malitiam: non primariam, quia, ſecundùm illum Auctorem, etiam qui ſcientem & volentem induceret ad fornicandum, non contraheret primariam malitiam: non etiam ſecundariam, quia alius fornicando excuſatur propter bonam fidem à formali peccato fornicationis; eodem modo, quo Paulus, uſurpans bonâ fide rem Ioannis, excuſatur à formali peccato injuſtitiæ. An autem hanc conſequentiam Dicaſtillo admitteret, neſcio: ſaltem ego non auſim talem cooperationem ad peccatum materiale fornicationis ab omni peccato excuſare.

77. ...dulterio ...parte u... ...que eſt ...ex pri... ...ia ma... ...i injuſ... ...æ. Deinde (ut revertamur ad caſum noſtrum) non dubito, quin in adulterio ex parte utriuſque ſit duplex primaria malitia injuſtitiæ: nam (ùt ait Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 4.) *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Ergò vir invitâ propriâ uxore tradens ſuum corpus uxori alterius, formaliter peccat contra jus, quod habet propria uxor in corpus ſui viri: ergo ex hac parte contrahit malitiam primariam injuſtitiæ; ſicuti ſi bona propria uxoris, quorum ipſa habet dominium & liberam adminiſtrationem, daret uxori alterius. Præterea peccat contra jus, quòd habet vir in corpus uxoris propriæ, quo corpore ipſe utitur contrà voluntatem veri domini: ergo etiam ex hac parte contrahit malitiam primariam injuſtitiæ, diſtinctam utique, ſicut jus, quòd mulier habet in corpus ſui viri, eſt diſtinctum à jure, quod vir habet in corpus ſuæ uxoris.

Itaque in caſu adulterii ex parte utriuſque, adulter peccat contra jus propriæ uxoris, & contra jus viri adulteræ, quæ jura indubiè diſtincta ſunt. Conſimiliter adultera peccat contra jus proprii viri & contra jus uxoris adulteri. At verò in adulterio ex parte unius tantùm, læditur jus unius dumtaxat vel viri adulteræ, vel uxoris adulteri. Quid ergo mirùm, ſi debeat adulterium ex parte utriuſque diſtinctè explicari in Confeſſione, quidquid ſit de malitia ſecundaria ſpecie diſtincta, nuper ab Aliquibus inventa? Hic ergò ſit finis præſentis Concluſionis. Finem autem Sectioni imponet reſolutio hujus quæſtionis: utrùm actus internus & externus circa idem objectum ſint plura peccata?

CONCLUSIO IV.

Actus internus & externus liber circa idem objectum, phyſicè ſunt plura peccata, in morali æſtimatione unicum. Actus externus vel eventus neceſſarius ſufficit, ut incurratur cenſura tam in foro interno, quàm externo, eſtò præceſſerit retractatio actûs liberi. Solet etiam in Confeſſione explicari, quamvis per ſe non ſit obligatio, veluti eſt obligatio declarandi actum externum liberum.

Pro clariori intellectu hujus Concluſionis, præmittò quæſtionem magìs ſpeculativam, quàm practicam: An actus exterior liber per ſe loquendo ſuperaddat actui interno efficaci formalem bonitatem vel malitiam? Dico; *Per ſe loquendo*, quia certum eſt apud Omnes, actum externum ſæpè eſſe occaſionem majoris aut extenſioris bonitatis vel malitiæ, tum ratione diuturnioris moræ; nam actus externus diutiùs durans, diuturniorem actûs interni durationem exigit, & aliundè experimur faciliùs continuari voluntatem, quæ exteriùs occupatur: tum ratione majoris intenſionis; ob delectationem enim vel difficultatem, quæ in actûs externi exercitio reperitur, voluntas frequenter magìs accenditur, & intenſiùs in objectum fertur: tum ratione multiplicationis actûs interioris, ut putà cùm aliquis vult aliquid boni facere, & 78. Actus externus ſæpè eſt occaſio majoris aut extenſioris bonitatis vel malitiæ in actu interiori.

 tunc

tunc quidem non facit, poſtmodum autem vult & facit.

Itaque regulariter plus meretur, qui v. g. martyrium patitur, quàm qui tantùm illud interiùs efficaciter deſiderat: hâc enim occaſione frequenter ac ferventer actus internos repetit, & quidem neceſſariò; nam actus pœnoſi ſolent paulatim remittere voluntatem, adeoque fortior voluntas requiritur ad ſuſtinenda patienter tormenta, quæ re ipsâ inferuntur, quàm dum ſolùm mente proponuntur.

79. *Præſtantior eſt voluntas efficax, quàm inefficax.*

Dixi ſecundò: *Actui interno efficaci*; nam indubiè præſtantior eſt voluntas efficax, & quæ de facto habet adjunctum actum exteriorem, quàm inefficax, quæ non eſt nata habere adjunctum actum exteriorem.

Actus exterior ſuperaddit interiori bonitatem vel malitiam objectivam.

Dixi tertiò: *Formalem bonitatem vel malitiam*; quia in primis Omnes admittunt, actum exteriorem ſuperaddere bonitatem vel malitiam objectivam. Præterea certum eſt, actum exteriorem habere aliquem fructum ſeu effectum, quo actus interior caret: v. g. Sacramenta novæ legis dant gratiam ex opere operato, quam non tribuit voluntas efficax ea ſuſcipiendi: prout etiam evexit Deus martyrium externum & completum ad ſimilem effectum, eique aureolam tanquam præmium aliquod accidentale annexuit. His prænotatis:

80. *Multi docent actum exteriorem non ſuperaddere formalem bonitatem vel malitiam actui interiori.*

Ad quæſtionem propoſitam reſpondent multi DD. negativè cùm D. Th. 1. 2. q. 20. art. 4. Et conſonat Scotus (inquit Herincx part. 2. tract. 2. diſp. 3. de Bonit. & malit. n. 36.) 2. diſt. 42. q. 4. n. 2. 16. 17. & 20. conſtituens in ſolo actu voluntatis malitiam ſeu peccatum formaliter: hoc ſenſu nimirùm, quòd actus exterior diſtinctam formalem malitiam non ſuperaddat. Dum autem Quodlib. 18. a. 3. oppoſitum reſponſionis indicat (quòd proindè docent plures Scotiſtæ) partim loquitur non reſolutivè, utens ſuo ſolito: *Poteſt dici*; partim explicari poteſt de bonitate & malitia objectiva, quam ſpecialem addit actus exterior interiori. Hæc ille. Quæ lubet parùm profundiùs inveſtigare, ne ultrò & ſinè neceſſitate deſciſcamus à mente Doctoris Subtilis, quòd abſit à nobis ejus diſcipulis.

D. Thomas. Scotus. Herincx.

81. *Examinatur mens Scoti.*

Itaque quantum ad primum locum Scoti, ſcilicet 2. diſt. 42. q. 4. ùt probè intelligamus, quis ſit ſenſus ejus, operæ pretium erit, verba Scoti ſubſcribere: *Secundò dico, quòd licèt peccatum non poſſit eſſe formaliter niſi in voluntate vel in actu ejus; materialiter tamen poteſt eſſe in iſtis actibus dictis, ſcilicet cogitatione, ſermone & opere: quia ſecundùm Anſelmum ubi ſuprà* (de peccato originali cap. 4.) *voluntas eſt motor in toto regno animæ, & omnia obediunt ſibi. Sicut ergò voluntas tenetur habere in actu ſuo rectitudinem, ſic tenetur habere illam in aliis actibus exterioribus, ad quos cooperatur ùt motor. Sicut igitur movendo rectè potentias inferiores, actus earum ſunt recti rectitudine participatâ; ita etiam per oppoſitum movendo non rectè, ſunt actus earum non recti, quam rectitudinem debet voluntas illis dare; & ita movendo eas non rectè, privat eas illâ rectitudine.* Ita Scotus ſuprà n. 2.

Peccatum non poteſt eſſe formaliter niſi in voluntate.

Porrò n. 16. ſic inquit: *Quantum ad ſecundum, dico, quòd malitia vel peccatum eſt in ſermone materialiter, formaliter verò in voluntate: nam recta ratio iudicat omnes actus humanos debere eſſe rectè circumſtantionatos rectitudine ſibi debitâ, ſcilicet participatâ, loquendo de actibus potentiarum inferiorum; ſed actus potentiæ motiva ſubeſt voluntati: ergò debet eſſe circumſtantionatus & rectus rectitudine ſibi debitâ, ùt quòd tranſeat ſuper materiam debitam, ut ordinetur ad debitum finem, ut ſcilicet ædificet proximum, & quòd notificet illud, quod eſt in conceptu mentis; aliter enim eſſet mendacium. Ex defectu igitur alicuius circumſtantiæ, quam debet imperare voluntas, eſt peccatum & malitia formaliter in voluntate, & materialiter in ſermone.*

Quo mali in ſer & in lunta

Et proſequitur n. 17. *Ad primum argumentum dico, quòd uſus inſtrumenti ad finem ſuum, licèt in ſe non ſit formaliter malus, poteſt tamen eſſe malus materialiter, in quantum imperatur à voluntate, in qua eſt malitia formaliter* &c. 8

Uſus ſtrum ad fi ſuum eſſe mate ter.

Adde quòd habet n. 20. *Ad quæſtionem quartam dicendum, quòd Hieronymus non dividit hìc peccatum actuale formaliter, nec ſubiectum peccati formalis, quia hìc eſt actus voluntatis, & non cogitatio, nec ſermo, nec opus exterius; nec etiam originale peccatum, quia illud eſt ſolùm in anima; ſed diſtinguit hìc tantùm ſubiectum materiale peccati.* Ecce verba Doctoris Subtilis, quorum ſenſus eſt (ùt placet Herincx ſuprà) quòd actus exterior diſtinctam formalem malitiam non ſuperaddat actui interiori.

Ego autem dico, ſenſum illorum verborum eſſe, quòd malitia primò & formaliter non ſit niſi in aliquo actu voluntatis: ergò actus exterior diſtinctam formalem malitiam non ſuperaddit actui interiori, nego Conſequentiam: quippe qui affirmat malitiam primò & formaliter non eſſe niſi in aliquo actu voluntatis, non ideo negat aliquam malitiam ſecundò & formaliter eſſe in actu exteriori. 8

Quis ſenſu borum Scoti.

Hunc eſſe ſenſum Scoti, colligo ex verbis ejus eâdem quæſtione nu. 1. *Ad quæſtiones iſtas præmitto quoddam generale, ſcilicet quòd malitia primò & formaliter non eſt, niſi in aliquo actu voluntatis. Probatio: quia iuſtitia habitualis, ùt diſtinguitur contra peccatum originale, & actualis iuſtitia, ùt diſtinguitur contra peccatum actuale, eſt in voluntate: ergo peccatum originale & actuale eſt in voluntate. Hoc ſatis patet per Anſelmum de Peccato originali cap. 4. Item Auguſtin. 3. de lib. arb.* Cauſa prima peccandi eſt voluntas: *nihil enim eſt*

In to tate eſt catum matio.

Anſelm.

Digitized by Google

eſt peccatum, niſi quod eſt in poteſtate facientis; & nihil eſt in poteſtate facientis, niſi quod eſt in poteſtate voluntatis eius; quia nihil præter hoc eſt imputabile; & ideo dicit 12. de Civit. cap. 8. *quòd defectus voluntarios ſequitur debita pœna, ex quo ſequitur, quòd in ſolo velle eſt peccatum primò, & in aliis non niſi mediante velle.*

Præterea omnis cauſa activa in univerſo, præter voluntatem, eſt naturaliter activa: ergo nulla præter voluntatem eſt vituperabilis propter ſuam actionem; hoc enim patet per Auguſtinum 3. de lib. arbit. *cauſa enim naturalis ſecundùm eum non agit, niſi ſecundùm quod accipit, ut agat, ab alio: & ideo in nulla ſua propria actione eſt vituperabilis; & ideo in nulla actione ſua eſt peccatum. Ex quo ſequitur, quòd in cogitatione, ſermone & opere non eſt peccatum formaliter & primò, ſed hoc eſt in ſolo actu voluntatis.* Hactenus Scotus.

Itaque non negat omnem malitiam, etiam formalem, actui exteriori, putà cogitationi, ſermoni & operi, ſed ſolam malitiam formalem primariam: aſſerit autem (inquit Scholium præfixum nu. 1.) malitiam diſtinctam eſſe in actibus externis, ſed minùs principaliter, quod expreſſiùs tractat Quodl. 18. a. 3. ùt ſtatim videbimus.

Nec obſtat (inquit idem Scholium) quòd hîc dicat Scotus, peccatum eſſe tantùm materialiter extra voluntatem; quia intendit non habere malitiam, niſi dependenter à voluntate, quâ tamen non rectificante potentias ſubjectas, in ipſis etiam poteſt eſſe diſtincta malitia, ſed major in voluntate. Sic ſuprà diſt. 37. qu. 2. §. *Concedo igitur*, explicando definitionem peccati, dicit, velle eſſe ejus materiale, ſcilicet in ordine ad privationem, quæ eſt ejus formale: non tamen negat velle habere malitiam intrinſecam. Hîc autem explicat ideo peccatum materialiter competere aliis potentiis, quia libertati voluntatis ſubſunt. Huçuſque Scholium: verè an falsò, clariùs apparebit ex his, quæ do-
86. cet Scotus Quodl. 18. a. 3. ſub hac forma verborum:

De tertio principali, primò poteſt dici, quòd actus exterior, ſcilicet imperatus, habet bonitatem moralem propriam aliquam aliam, quàm actus interior elicitus. Probat primò ex auctoritate Divi Auguſt. 13. de Trinit. cap. 5. ibi: *Quis namque ita ſit mente cæcus, & ab omni luce decoris alienus, ac tenebris dedecoris involutus, ut eum qui nequiter vivit ac turpiter, & nullo prohibente, nullo ulciſcente, & nullo ſaltem reprehendere audente, inſuper & laudantibus plurimis; quoniam ſicut ait Scriptura divina*: Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur; *implet omnes ſuas facinoroſiſſimas & flagitioſiſſimas voluntates, ideo beatum dicat, quia vivit ùt vult: cùm profectò quamvis & ſic miſer eſſet, minùs tamen eſſet, ſi nihil eorum, quæ perperàm voluiſſet, habere potuiſſet, malâ enim voluntate vel ſolâ quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ deſiderium malæ voluntatis impletur.*

Ad hunc locum Adverſarii variè reſpondent; Aliqui, Auguſt. non loqui de miſeria peccati apud Deum, ſed apud homines, id eſt, de miſeria pœnæ, ſeu incommodis; quæ ſequuntur ex actu exteriori, v. g. ex furto, ex adulterio &c. 87. Reſponſio I Adverſariorum.

Sed contrà primò: *Patens eſt* (inquit Scotus ſuprà) *quòd hoc non poteſt intelligi de miſeria pœnæ; quia deſiderans, & non potens habere, quod deſiderat, plus habet de pœna, quàm ille, cuius deſideria implentur* (juxta illud Proverb. 13. v. 12. *Spes quæ differtur, affligit animam*) *Intelligitur igitur de miſeria culpæ: actus igitur malus exterior addit ad miſeriam culpæ, quæ præfuit in actu interiori malo.* Oppugnatur primò ex Scoto.

Siquidem Auguſtinus loquitur de neceſſariis ad beatitudinem. *Omnes* (inquit) *Beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuò ſint beati. Continuò autem miſeri, qui vel non habent, quod volunt, vel id habent, quod non rectè volunt. Beatus igitur non eſt, niſi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè;* Ergo loquitur de miſeria oppoſita veræ beatitudini, quæ eſt peccatum apud Deum. S. Auguſt.

Porrò tali ſenſu miſeriorem eſſe, qui habet quod concupiſcit, docet cap. ſequenti hiſce verbis: *Longiùs ab illa* (ſcilicet beatitudine) *eſt, quicumque adipiſcitur malè concupita, quàm qui non adipiſcitur concupita, cùm potiùs eligi debuerit voluntas bona atque præponi, etiam non adepta, quæ appetit: propinquat enim beato, qui bene vult quæcumque vult, & quæ adeptus cùm fuerit, beatus erit.*

Præterea opponitur huic interpretationi; quòd plures ſint actus exteriores, ex quibus non ſequuntur mala vel incommoda, v. g. actus imperati intellectûs & appetitûs ſenſitivi. Et verò quod malum vel incommodum ſequitur ex pollutione voluntaria, ut proptereà per hanc cenſeatur homo fieri miſerior, quàm per internum actum efficacem? Sanè interdum ſequi poteſt bonum & commodum; putà ſanitas corporalis; & tamen Auguſtinus generaliter loquitur de omni actu exteriori. Hæc igitur expoſitio verborum Divi Auguſtini: quam inſinuat Herincx ſuprà n. 42. non ſatisfacit. 88. Oppugnatur ſecundò. Herincx.

Neque illa, quam ibidem primo loco affert, dicens: Malum verè reddi miſeriorem poteſtate occaſionaliter, eò quòd operis exercendi facultas occaſionem tribuat, ut illud velit frequentiùs, intenſiùs & efficaciùs; cùm alioquin advertens ſibi deeſſe vires complendi, ab efficaci illius deſiderio, immò & à cogitatione ejuſdem, deſiſtere ſoleat. Hæc ille. 89. Secunda reſponſio Adverſariorum.

Sed contrà (inquit Felix de Bonit. & mal. cap. 7. diff. 2. nu. 5.) doctrina Auguſtini eſt uni- Oppugnatur ex Felice.

Digitized by Google

univerſalis, & ſæpè actus exterior non eſt cauſa, ut interior intendatur, vel magìs perſeveret, ſed potiùs ut totaliter ceſſet. Secundò: quia deſiderium malæ voluntatis non impletur actu interiori intenſiori, ſed actu exteriori. Hæc Felix.

Profectò experientia docet, ſæpè per multos dies, imò & menſes & annos, permanere deſiderium efficax copulæ carnalis, quod deſiderium hodie ceſſaret, ſi hodie deſiderium malæ voluntatis impleretur. Similiter deſiderium efficax occidendi inimicum ſi hodie impleretur, hodie ceſſaret: ſed quia non impletur, ideo extenditur aliquando ad multos annos. Ergo per talem actum externum malus verè non redditur miſerior, ſi actus externus nullam ſuperaddat malitiam formalem actui interiori.

90. Tertia reſponſio rejicitur. Quod Alii reſpondent, hominem eſſe miſerum per voluntatem inefficacem malam, & miſeriorem per voluntatem efficacem, verum quidem eſt, ſed non eſt mens D. Auguſtini illo loco: nam deſiderium malæ voluntatis non adimpletur ſolâ voluntate efficaci, ſed ultimatè opere exteriori; ergo & de hoc opere loquitur D. Auguſtinus, & non de ſola voluntate efficaci.

91. Quarta reſponſ. Oppugnatur à Felice. Aliqui exiſtimant Auguſtinum tantùm velle, quòd malitia actûs interioris magìs extendatur opere exteriori. Sed contrà: vel eadem numero malitia, quæ eſt in actu interiori, eſt per extenſionem in exteriori; vel alia malitia numero diverſa. Non primum: nam idem accidens numero non eſt in diverſis ſubjectis diſcretis. Si ſecundum, habetur intentum. Ita Felix ſuprà n. 6.

Replica Adverſariorum. Sed facilè reſponderent Adverſarii, eamdem numero malitiam, quæ eſt in actu interiori, eſſe per extenſionem in exteriori, id eſt, extrinſecè denominare actum exteriorem malum, ſicuti eadem numero libertas actûs interioris eſt per extenſionem in actu exteriori, id eſt, extrinſecè denominat actum exteriorem liberum.

Fundamentum eorum. Atque hoc ſit fundamentum contrariæ ſententiæ (quidquid ſit de mente D. Auguſtini, quæ non eſt clara, ùt patebit ex aliis locis infrà allegandis) videlicet eamdem eſſe malitiam actûs interioris & exterioris, ſicuti eadem eſt libertas, intrinſeca quidem & formalis in actu interiori, ſolùm autem participata & extrinſeca in actu exteriori. Etenim bonitas & malitia fundantur in libertate.

92. Reſponſio Felicis, qui pro ſe citat Scotum. Reſpondet Felix ſuprà num. 11. Cùm libertas ſolùm ſit conditio ad bonitatem vel malitiam, illâ non multiplicatâ multiplicantur iſtæ. Unde diſſ. 1. n. 9. docet bonitatem & malitiam formaliter & intrinſecè eſſe tam in actu interiori, quàm in exteriori. Citat Scotum Quodl. 18. art. 3. ubì ſic lego: *Bonitas moralis eſt integritas eorum, quæ ſecundùm rectam rationem operantis dicuntur debere convenire ipſi actui. Eſt autem alia integritas eorum, quæ ſecundùm dictamen rectæ rationis debent convenire actui interiori, & eorum, quæ actui exteriori; igitur & alia bonitas moralis, & per conſequens alia malitia moralis; & hoc ſive privativa tantùm, quia alia carentia eorum, quæ debent convenire; ſive contraria, quia alia diſconvenientia repugnans illis, quæ debent convenire.*

Probatio Minoris: Recta ratio non dictat actui convenire debere, quod impoſſibile eſt ſibi convenire: nunc autem actui exteriori impoſſibile eſt convenire illud, quod convenit actui interiori, vel convenire poteſt; & hoc intelligendo de utroque actu ùt in eſſe reali, & de eo quod ſibi convenit ùt in tali eſſe; licèt enim actui exteriori in quantùm eſt obiectum volitum, & non ùt actu elicito, poſſet aliquo modo competere denominativè, denominatione quâdam exteriori illud, quod convenit actui interiori realiter; non tamen idem eodem modo convenit illi & iſti; quia etiam potentiæ operativæ non ſunt capaces eiuſdem actûs, immò nec eiuſdem rationis; nec per conſequens actus illi eſſent capaces convenientiæ eiuſdem rationis; vel ad minùs (quod ſufficit ad propoſitum) poterunt habere convenientiam aliam & aliam, Hactenus Doctor Subtilis.

Sed ab Aliquibus intelligitur de bonitate & malitia objectiva, non autem de formali & intrinſeca. Mirum ſanè, quòd tantùm laboraverit Doctor ad probandam bonitatem & malitiam objectivam, quæ ab omnibus admittitur: laboraverit (inquam) objiciendo ſibiipſi argumenta difficiliora, eaque diſſolvendo. Quen qui i gunt boni mali jectiv

Primum eſt: *Eadem eſt veritas actûs intelligendi, & ipſius obiecti intellecti: igitur pari ratione eadem eſt bonitas actûs volendi, & obiecti voliti. Antecedens videtur manifeſtum in exemplis: quia ſicut veritas principii eſt immediata, ſic notitia eius poteſt dici immediata, & concluſionis mediata. Similiter notitia principii eſt ex terminis, & concluſionis ex principiis; ſic iſtis competit veritas.* 9 Obje Scoti

Reſpondet Scotus num. 14. *Eſto, quòd eadem veritas, quæ eſt ipſius actûs intelligendi formaliter, ſit quodam alio modo, ſcilicet obiectivè ipſius obiecti intellecti, & hoc in quantum obiectum habet eſſe in ipſo intellectu; & conſimiliter bonitas, quæ eſt formaliter actus volendi, ſit quodammodò denominativè ipſius obiecti voliti in quantum volitum eſt; tamen actus ille bene poteſt habere aliquam bonitatem propriam, in quantùm poſitus in eſſe reali extra voluntatem, ſicut in eſſe ſuo reali habet propriam convenientiam debitam, vel diſconvenientiam.* Reſp.

Ex quibus verbis ſumpſerunt Quidam occaſionem, explicandi Scotum de bonitate & malitia objectiva: ſed perperàm; cùm præter bonitatem & malitiam objectivam agnoſcat aliquam bonitatem & malitiam propriam, utique 94 ex qua perim ligitur Ipſum l de bon objecti

Digitized by Google

utique formalem, eſtò ſecundariam, ùt loquitur n. 16. ibi. *Quando igitur dicitur, quòd iuſtitia non eſt niſi in voluntate* (hoc fuerat tertium argumentum in oppoſitum) *verum eſt de Iuſtitia habituali, quæ eſt rectitudo propter ſe ſervata, ùt diffinit Anſelmus* (de lib. arb. c. 8.) *ſervatum enim propriè convenit habitui; vel magìs extendendo, verùm eſt de Iuſtitia actuali primaria, quia voluntas illam propter ſe ſervat, hoc eſt, tenet in actu, ſuo quem illa Iuſtitia rectum elicit. Si autem ſit ſermo de Iuſtitia actuali ſecundaria, illam oportet dicere eſſe voluntatis non ſubiectivè, ſed cauſaliter tantùm; & ita adhuc de iſta poteſt aliqualiter ſalvari diffinitio illa Iuſtitiæ; quia illa eſt rectitudo voluntatis, non ùt voluntati formaliter inhærens, ſed voluntatis, ùt cauſa, vel imperantis. Eſt etiam propter ſe ſervata tamquàm effectus voluntariè poſitus.* Omitto alia argumenta Scoti, ne longior ſim.

95. Solùm adverto, ipſum, præter propriam bonitatem & malitiam actûs exterioris, etiam admittere propriam imputabilitatem; ſic enim ſcribit n. 20. *De ſecundo in iſto articulo, ſcilicet de imputabilitate, patet ex diſtinctione poſita in ſecundo articulo, ſi ſtrictè accipiendo ſolùm illud dicatur imputabile, quod eſt immediatè in poteſtate voluntatis, patet, quòd ſolùm velle & nòlle eſt imputabile. Si autem imputabile generàliter dicatur illud, quod eſt ſimpliciter in poteſtate voluntatis, ſic actus imperatus propriè eſt imputabilis; quià etſi non ſit immediatè in poteſtate voluntatis, eſt tamen mediante actu volendi, qui actus non ſolùm ſecundùm ſe eſt in poteſtate voluntatis, ſed etiam ùt principium actûs exterioris; quia voluntas poteſt per interiorem ponere illum exteriorem.*

Si arguas; quòd ille non eſt imputabilis niſi mediante illo. Reſpondet Doctor: *Ex hoc ſequitur propoſitum, quòd illiùs & iſtius eſt alia imputabilitas: idem enim non eſt medium, nec ratio mediandi reſpectu ſuipſius, & poteſt idem declarari, ſicut prius de propria bonitate; quia quamquàm terminus ſit idem, tamen in diverſis fundamentis ſunt diverſi reſpectus ad eundem terminum: actus ille & iſte ſunt diverſa fundamenta; igitur licèt imputabilitas conveniat iſtis* (id eſt, actibus exterioribus) *in ordine ad eamdem voluntatem, tamen illa erit alia, ſicut eſt alia cauſabilitas, vel aliud ſubiacere poteſtati cauſæ, licèt cauſa ſit eadem.*

96. Cæterùm ùtì diſtinctam imputabilitatem, ita etiam diſtinctam rationem voluntarii agnoſcit Scotus n. 21. dicens: *Licèt actus exterior ſeparatus ab actu interiori, hoc eſt ſinè illo poſitus in eſſe, non ſit voluntarius, & hoc quia effectus remotior non dicitur voluntarius, niſi ponatur in eſſe per actum interiorem, qui eſt effectus propinquior: tamen quando actus exterior coniungitur cum interiori, & ex illo procedit, tunc ille exterior, ùt diſtinctus habet rationem voluntarii, & diſtinctam, quia voluntarii mediatè; actus autem interior non ſic eſt voluntarius, ſed immediatè.*

Si igitur ſecundùm Scotum actus exterior, qui conjungitur cum interiori, habet propriam & diſtinctam bonitatem vel malitiam objectivam, habet propriam & diſtinctam imputabilitatem, habet propriam & diſtinctam rationem voluntarii; quidni etiam habeat propriam & diſtinctam bonitatem vel malitiam formalem? Profectò etiam actus exterior, qui non conjungitur cum interiori, habet propriam & diſtinctam bonitatem vel malitiam objectivam; ſed quia non habet propriam imputabilitatem, neque propriam rationem voluntarii, nequit habere propriam bonitatem vel malitiam formalem. 97. Ergò etiam diſtinctam bonitatem vel malitiam formalem,

Itaque ut actus ſit formaliter bonus vel malus, non videtur aliud requiri, quàm ut ſit conformis vel difformis naturæ rationali, & quòd ſit liber, ſaltem participativè ſeu mediatè: hoc autem competit actui exteriori libero; ergò hic actus habet propriam & diſtinctam formalem bonitatem vel malitiam: ergò illam ſuperaddit actui interiori.

Quod non repugnat Scripturæ Gen. 22. v. 16. *Quia feciſti* (id eſt, facere paratus fuiſti) *hanc rem, & non pepercìſti Vnigenito Filio tuo propter me, benedicam tibi* &c. ubì Deus voluntatem Abrahæ pro facto reputat, nec minùs gratam habet, quàm ſi opere (quod Deus impediebat) compleſſet. Idem habetur Matth. 5. v. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* 98. Contra arguitur ex Script. Gen. 22. Matth. 5.

Similiter loquuntur SS. PP. D. Auguſt. l. 1. de lib. arb. c. 3. ibi: *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit, id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minùs reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Et ex Divo Auguſt.

Et Epiſt. 49. q. 4. explicans illud Matth. 7. *In qua menſura menſi fueritis*, ſic ait: *In voluntate quippe propria metitur bonus homo bona facta, & in ea metietur ei beatitudo. Itemque in mala voluntate propria metitur malus homo mala opera, & in ea metietur ei miſeria; quoniam ibi quiſque bonus eſt, cùm benè vult; ibi etiam malus, cùm malè vult. Ac per hoc ibi etiam fit vel beatus, vel miſer, hoc eſt, in ipſo ſua voluntatis affectu, quæ omnium factorum meritorumque menſura eſt.*

Item Enarr. in Pſal. 57. ad illa verba: *Etenim in corde iniquitates operamini in terra*, interrogat: *Iniquitatem fortè in corde ſolo?* Et reſpondet: *Audi, quid ſequitur: Et cor ſuum ſequuntur manus, & cordi ſuo famulantur manus. Cogitatur, & fit; aut ideo non fit, non quia nolumus, ſed quia non poſſumus. Quidquid vis & non potes, factum Deus computat.*

Conſonat D. Bernardus Epiſt. 77. *Quid planiùs, quàm quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas?* Accedat D. Gregorius Homil. 5. in Euang. explicans qualiter Item ex D. Bernardo & D. Gregorio

Apoſtoli reliquerint omnia propter Chriſtum: *Cor* (inquit) *& non ſubſtantiam penſat Deus.*

99. *Reſponſio.* His (inquam) & ſimilibus auctoritatibus ſive Scripturæ, ſive SS. PP. non repugnat doctrina Scoti: nam facilè reſpondetur, Scripturam & Patres non negare actibus exterioribus bonitatem aut malitiam formalem, meritum vel demeritum; ſed ſolùm velle, actum interiorem ſecluſo exteriori eſſe perfectè malum & dignum pœnâ æternâ, vel bonum & dignum gloriâ æternâ, contra illos, qui falsò exiſtimabant, ſolum actum exteriorem eſſe malum vel bonum; nam & hodie tales multi inveniuntur, qui putant ſe non peccaſſe, niſi opere exteriori malam voluntatem compleverint.

Opus externum & internum prohibentur diverſis præceptis. Atque hinc opus externum & internum prohibentur diverſis præceptis, ùt patet in his: *Non furtum facies*; &: *Non concupiſces rem proximi tui. Non mœchaberis*, &: *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Igitur, dicet aliquis, ſignum eſt, quòd habeant diſtinctas malitias.

100. *Reſponſio Herincx. & Auguſt.* Reſpondet Herincx ſuprà N. C. Nam (inquit) juxta Auguſtinum loco cit. de lib. arb. hoc factum eſt, ut populus rudis Judæorum intelligeret, non ſolùm opus exteriùs perpetratum, ſed etiam intùs latentem voluntatem eſſe peccatum: unde ſemel prohibetur voluntas interior ſimul cum exteriore opere, ſemel ſeorſim. Quòd ſi ponatur aliquis adeò rudis, ut ignoret actum internum eſſe peccatum, ſciat tamen actum externum eſſe malum, id erit per accidens. Quamquam etiam iſte non ignoret malitiam actûs interni quomodolibet, ſed tantùm quòd internus ſolus non habeat malitiam, adeòque ut ſit malus, requirat conjunctionem actûs externi. Hæc ille.

Sed ego hanc explicationem non invenio apud Divum Auguſtinum loc. cit. de lib. arbit. ubì nulla fit mentio vel populi Judæorum, vel ruditatis hujus populi, vel diſtinctionis illorum præceptorum. Et verò quis populus adeò rudis, ut ſciat actum internum prohibitum, & non externum? Ergo planè ſufficeret prohibitio actûs interni, niſi actus externus ſuperadderet aliquam malitiam diſtinctam.

Interim nolo uti hoc argumento, dummodo concedatur, Scripturam & SS. Patres non fuiſſe ſollicitos de diſtinctione malitiarum actûs interioris & exterioris, ſed ſolummodò voluiſſe populo perſuadere & inculcare malitiam & bonitatem actûs interioris tamquam principalioris, & ſinè qua nulla eſt malitia vel bonitas formalis in actu exteriori.

101. *Cur SS PP. minùs frequenter meminerint* Ratio autem, cur minùs frequenter meminerint bonitatis aut malitiæ ſecundariæ actûs exterioris: quia ſatis nota erat hominibus, ut propterea non indigeret ſpeciali recommendatione aut reprehenſione, quamvis & ſubinde eam inſinuaverint, ùt patet ex D. Auguſtino à Scoto ſuprà allegato, & ex Divo Bernardo Epiſt. 77. ubì de voluntate Martyrii, & de ipſo opere Martyrii ſic loquitur: *Pro certo cùm non aliundè Martyrium, niſi ex Fidei merito, illam obtinuerit prærogativam, ut ſingulariter vice Baptiſmi securè ſuſcipiatur; non video, cur non ipſa æquè & ſinè Martyrio apud eum tantumdem proſit, cui & ſinè Martyrii probamento procul dubio innoteſcit. Proſit ſanè tantumdem dixerim, quantùm ad ſalutis ſpectat obtentum, non autem ad meriti cumulum, quo indubitanter Martyrium antecellit.*

Quibus verbis planè dicit, æquale non eſſe meritum voluntatis perferrendi tormenta Martyrii, & ipſius operis Martyrii, ſed multò majoris meriti eſſe voluntatem cum opere, quàm ſinè illo, undecumque id proveniat, ſive quia occaſione operis præſentis creſcit affectus, & magìs perſeverat (ùt Adverſarii reſpondent, & nos in principio Concluſ. inſinuavimus) ſive quia reverà opus externum ſuperaddit actui interiori diſtinctam bonitatem formalem, quod Alii contendunt: loquitur quippe Bernardus univerſaliter, neque eſt ratio reſtringendi ad modum per accidens. Itaque verba ſuprà citata ex eadem Epiſt. D. Bernardi, quæ paulò inferiùs habentur, parùm aut nihil favent Adverſariis, cùm eodem modo (ùt notat Vaſquez 1. 2. diſp. 76. n. 8.) debeant intelligi.

Quantùm ad verba Divi Auguſtini ex Epiſt. 49. hæc putat Vaſquez ſuprà adeò manifeſta eſſe pro iſta ſententia, ut ea ampliùs expendere non ſit neceſſe. Ego autem dico: Auguſtinum illo loco non comparare actum internum cum exteriori; ſed ad hoc laborare, ut oſtendat, peccata breviſſimi temporis, juſtiſſimè puniri æternâ damnatione. Nam continuò verbis prææallegatis ſubtexit: *Ex qualitatibus quippe voluntatum, non ex temporum ſpatiis, ſive rectè facta, ſive peccata metimur. Alioquin majus peccatum haberetur, arborem deiicere, quàm hominem occidere: illud enim fit longâ morâ, ictibus multis, hoc uno ictu breviſſimo tempore; pro quo tamen exigui temporis tam grandi peccato, ſi perpetuâ deportatione homo puniretur, etiam mitiùs cum illo actum, quàm dignus fuerat, diceretur, quamvis in ſpatio temporali, longitudo pœnæ cum brevitate facinoris nullo modo ſit comparanda. Quid ergo contrarium eſt, ſi erunt pariter longa, vel etiam pariter æterna ſupplicia, ſed aliis alia mitiora vel acriora, ut quibus tempus æquale, non ſit æqualis aſperitas propter menſuram etiam peccatorum, non in productione temporum, ſed in voluntate peccantium? Voluntas quippe ipſa punitur ſive animi ſupplicio, ſive corporis, ut quæ delectatur in peccatis, ipſa plectatur in pœnis, ut & qui iudicat ſinè miſericordia, ſinè miſericordia iudicetur.*

Magìs urget alius locus ex lib. 1. de lib. Arb.

Arb. ubi diſputat Auguſtinus cum Evodio de adulterii malitia; & cùm Evodius eam quæreret in actu exteriori, D. Auguſtinus oſtendit primariò inveniri in actu interno. *Fortaſſis ergò* (inquit Aug.) *libido*, id eſt, interna cupiditas, *in adulterio malum eſt; ſed dum tamen foris in ipſo facto, quod iam videri poteſt, malum quæris, pateris anguſtias. Nam ut intelligas libidinem in adulterio malum eſſe, ſi cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, probatum tamen aliquo modo ſit, id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minùs reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur:* immò quodammodò magìs, juxta illud commune dictum: *Propter quod unumquodque eſt tale, & ipſum magìs*; ſiquidem propter internam libidinem factum externum malum eſt formaliter & moraliter, cùm aliàs ſolùm eſſet malum objectivè.

Solùm ergò vult S. Doctor, malitiam adulterii exterioris præcipuè attendendam eſſe & deſumendam ab actu interiori: an autem actus exterior aliquid ſuperaddat malitiæ, ibi non diſputat. Et cùm aliunde Adverſarii admittant, ſemper aut ferè ſemper augeri malitiam actûs interioris occaſione operis exterioris, quia ſemper aut ferè ſemper accidit, ut voluntas ipſa operi conjuncta intenſior fiat, haùd ſatis accuratè inſtruxiſſet Evodium de malitia libidinis internæ in adulterio, dicens: *Non minùs reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur*; cùm ſemper aut ferè ſemper minùs reus ſit.

Sed quid diutiùs inhæreo huic quæſtioni, quæ (ſicut in principio notavi) magìs ſpeculativa eſt, quàm practica? Arbitror planè, hactenus dicta ſufficienter oſtendere probabilitatem ſententiæ, quæ communiter Scoto adſcribitur, & à plurimis Scotiſtis defenditur. Quibus proindè facillima eſt probatio ultimæ partis Concluſionis. Quippe ſi actus externus liber ſuperaddat malitiam actui interno, & ipſe ſit ſubjectum malitiæ, diſtinctum ab actu interno, minimè in eo incluſum aut intellectum; quid mirum ſi debeat explicitè declarari in Confeſſione?

Sanè (ùt habet prima pars Concluſionis) *Actus internus & externus liber circa idem objectum phyſicè ſunt plura peccata*; quia ſunt duo actus phyſici contra legem Dei, & ſinguli habent malitiam formalem propriam; nihilominùs *in morali æſtimatione unicum.* Quòd probatur: quia in phyſicis dantur plura entia componentia unum ens, ùt Omnes fatentur: ergò idem in moralibus contingere poteſt; immò de facto (ùt patet ex alibi dictis) tactus, impudici & oſcula antecedentia (ſecundùm Omnes) & ſubſequentia (ſecundùm Aliquos) actum fornicationis, etſi ſecundùm ſe & ſeorſim ſint entia moralia & peccata phyſicè diſtincta, equidem juxta æſtimationem moralem non plura entia moralia, nec plura peccata reputantur, ſed unum: nam ſunt vel incitamentum ad carnalem copulam, vel ejuſdem complementum.

Conſimiliter ergò actus exterior, tametſi ſit ens morale & phyſicè diſtinctum, equidem ſecundùm æſtimationem moralem eſt unum peccatum cum actu interiori, quia eſt complementum illius. Et ita viri docti & timorati utrumque actum ùt unum tantùm peccatum confitentur; & putant ſe ſatisfeciſſe, ſi actum externum expreſſerint, quia in ipſo includitur ſeu intelligitur ſufficienter actus internus.

Ex quo (inquit Felix de bonit. & malit. cap. 7. diff. 3. n. 4.) maximè diſplicet Piloſus tom. 2. part. 2. diſp. 74. a. 3. dicens, actum exteriorem diſtingui ſpecie ab interiori theologicè, quamvis non phyſicè; ex eo (ait) quia ſunt contra diverſa præcepta, & actus ſpecie diſtinguuntur per præcepta, ex Scoto 2. diſt. 6. q. 2. lit. Q. & in 4. diſt. 21. q. 1. §. *Ad argumenta*, lit. H. Sed falsò citat Scotum, ex eo, quòd non calluit ejus mentem, ùt intuenti præclarè patebit. Hucuſque Felix. 105. Sententia Piloſi actum exteriorem diſtingui ſpecie ab interiori theologicè. Felix.

Placet ſubſcribere verba textûs, ut Lector videat, quis meliùs ex illis duobus callueris mentem Scoti. Igitur 2. diſt. 6. q. 2. lit. Q. alias n. 16. ſcriptum reperio: *Reſpondeo, ſive peccata mortalia diſtinguantur per habitus malos oppoſitos bonis, quales ſunt ſeptem habitus boni, quatuor ſcilicet morales & tres Theologici; ſive (quod magìs videtur) per actus bonos, quales ſunt actus decem præceptorum* &c. Porrò 4. diſt. 21. q. 1. §. *Ad argumenta*, lit. H. aliàs n. 12. *Ad probationem dico, quòd etſi mortale & veniale ſint eiuſdem rationis in genere naturæ, vel fortè in malitia moris, ut genus virtutis diſtinguitur contra gratuitum & peccatum (non enim idem eſt eſſe virtuoſum vel vitioſum moraliter, & iuſtum & peccatorem theologicè: immò quandoque vitioſus eſt iuſtior, & magìs virtuoſus magìs peccator, ùt aliàs eſt dictum) ſed tamen non ſunt iſta eiuſdem generis vel rationis in ratione offenſæ divinæ; & ideo nec uniformiter remittuntur.* Scotus.

Certè in his verbis nihil eſt ad propoſitum. Priora verba aliquam habent apparentiam, ſed non probant efficaciter diſtinctionem Theologicam, maximè ſpecificam; quia ad diverſitatem præceptorum ſufficit diſtinctio phyſica actuum, quæ indubiè reperitur inter actum interiorem & exteriorem, non tantùm numerica, ſed etiam ſpecifica: quis enim ambigat, voluntatem fornicandi diſtingui ſpecie phyſicâ ab externa fornicatione? Immo idem actus numero tam phyſicè, quàm theologicè, poteſt præcipi diſtinctis phyſicè præceptis; ùt patet ex dictis Sect. 10. Concl. 11. 106. Reiicitur.

Neque Scotus loco citato ex profeſſo agit de diſtinctione ſpecifica peccatorum mortalium, ſed ſolùm intendit, diviſionem ſeptenariam peccatorum capitalium non eſſe ſufficientem. Unde præallegatis verbis ſtatim

Digitized by Google

ſubjungit: *Sive ſic, ſive ſic, non eſſet illa diviſio ſeptenaria peccatorum capitalium ſufficiens; quia primo modo deberent eſſe ſeptem peccata capitalia, alia ab iſtis: ſiquidem infidelitas & deſperatio ſunt propriè oppoſita illi ſeptenario, & non ſunt contenta ſub aliquo iſtorum ſeptem. Secundo modo deberent eſſe decem capitalia ſecundùm tranſgreſſionem Decalogi. Hæc ergo diviſio non oportet quòd teneatur ſufficiens in omnibus malis actibus, ſive quoad omnes malos actus, quia iſta non ſunt primæ radices; nec fortè principalia peccata, ſed fortè multùm communes ad alia peccata, ſicut occaſiones peccandi.*

Atque ut actus exterior diſtingueretur ſpecie ab interiori theologicè, adhuc meritò reputarentur unum & non plura peccata, quandoquidem actus exterior non ſit formale peccatum abſque actu interiori, à quo participat libertatem, quæ eſt conditio ſinè qua non formalis malitiæ.

107. Omnes admittunt actum internum & externum eſſe phyſicè duo peccata.

De cætero, eſtò Auctores illi, qui docent, actum exteriorem non ſuperaddere malitiam actui interiori, non parùm laborent, ut oſtendant neceſſitatem explicandi actum externum in Confeſſione, ita ut tandem recurrant ad conſuetudinem fidelium, & communem ſenſum DD. ſignum (ùt aiunt) voluntatis Chriſti: equidem admittunt primam partem Concluſionis, videlicet actum internum & externum eſſe duo peccata phyſicè, quoniam ad multiplicationem concreti ſignificantis formam per modum alteri adjacentis, ſufficit multiplicatio ſubjectorum, & non requiritur, quòd multiplicetur forma; ſed peccatum eſt tale concretum; ergo ad multiplicationem peccati ſufficit, quòd actus, qui ſunt ſubjecta, multiplicentur, etiamſi malitia, quæ eſt forma, ſit una & non multiplicetur.

Probatio à ſimili.

Nonne, ſi eadem albedo extaret in pluribus parietibus, dicerentur plura alba, id eſt, plura, quæ habent albedinem? Ergo ſimiliter cùm ſecùndùm illos Auctores eadem malitia extet in pluribus actibus phyſicis, in actu interno formaliter, in actu exteriori denominativè; quidni actus illi rectè dicantur phyſicè plura peccata? Nihilominùs quia in moralibus moraliter loquendum eſt, & ambæ actiones in genere moris cenſentur eſſe unus integer actus, meritò cenſentur moraliter unum peccatum, cùm ſint unum integrum aggregatum habens in ſe eamdem numero malitiam. Aliud eſt in pluribus parietibus, eò quòd ſinguli ſint diſtincta ſubjecta, neque integrent unicum ſubjectum. Itaque de prima & ùltima parte Concluſionis noli dubitare, ſive affirmaveris actum externum liberum ſuperaddere formalem malitiam actui interiori, ſive negaveris.

108. An homicidium commiſſum in ebrietate ſit diſtinctè explicandum in Confeſſione.

Sed numquid eadem eſt ratio actûs externi vel eventûs neceſſarii? v. g. prævideo homicidium in ebrietate, inebrio me, & inebriatus occido inimicum; putas, quia illud homicidium eſt verum peccatum, diſtinctè explicandum in Confeſſione? An verò ſatisfacio, dicendo: *Prævidi homicidium in ebrietate, & nihilominùs me inebriavi?* Item, dedi venenum inimico, ex quo poſt aliquot dies obiit, ſatisfacione, dicendo: *Dedi venenum inimico, ex quo prævidebam ipſum certò moriturum?* An verò teneor explicare mortem à parte rei ſubſecutam, tamquam unum peccatum cum porrectione veneni? Hìc invenio varietatem ſententiarum.

109. Caſtro Palao affirmat, eventum ortum ex cauſa voluntariè non revocata eſſe peccatum.

Caſtro Palao tom. 1. tract. 2. diſp. 1. punct. 3. nu. 6. cum Aliis multis, quos citat, affirmat eventum ortum ex cauſa, voluntariè appoſita & non revocata, etiamſi tunc impediri non poſſit, peccatum eſſe & demeritum, non in ſe, ſed in cauſa; hoc eſt, denominatione extrinſecâ à cauſa. Ratio (inquit) eſt: quia ut peccare quis dicatur denominatione aliquâ extrinſecâ, non eſt neceſſaria actu libertas; ſufficit eſſe moraliter & in virtute, ſicuti ad conſecrandum & adminiſtrandum quodlibet aliud Sacramentum, & ſatisfaciendum præcepto recitandi, non requiritur actualis intentio, ſed ſufficit in virtute.

Confirmat multis exemplis.

Confirmat multis exemplis; ſervi, qui contra mandatum Domini dormitet. Item procurantis pollutionem & cauſam apponentis, quâ appoſitâ non poteſt pollutio impediri. Prætereà mandantis homicidium, ſi mandatarius illud exequatur, quando mandans dormit. Et à fortiori emittentis ſagittam, vel propinantis venenum; qui verè dicitur peccare cùm occidit, eſtò projectâ ſagittâ & propinato veneno, non ſit in voluntate ejus impedire occiſionem.

110. Contrà exiſtimat, ſi prior voluntas ſit retractata.

Sin autem prior voluntas fuerit revocata ſeu retractata per pœnitentiam, exiſtimat idem Auctor ibidem nu. 4. cum Aliis, quos citat, effectum ſecutum naturaliter non eſſe imputandum culpæ. Ratio (inquit) eſt: quia tunc cauſa appoſita voluntaria non eſt, cùm jam ſit revocata. Ergo licèt effectus oriatur ex cauſa appoſitâ, non oritur ex illa, tamquam ex cauſa voluntaria, ac proinde voluntarius non eſt.

Declarat exemplo.

Exemplo rem declaro: Dediſti mandatum alicui, ùt nomine tuo Matrimonium contraheret; pœnitet mandati, illudque revocas; at intimare non potes mandatario revocationem, ſed potiùs ille virtute prioris mandati contractum celebrat: ille contractus etſi à cauſa voluntaria ortum habuerit, ubi voluntarius non eſt. Ergo optimè poteſt cauſa in ratione voluntarii revocari, etiamſi effectus eodem modo naturaliter ſequatur, ac ſi revocata non eſſet. Hæc ille.

111. Contrà arguitur aliis exemplis.

Sed contrà: Dediſti conſilium Petro occidendi Joannem, oſtendendo medium occiſionis; eſtò revoces conſilium, diſſuadendo occiſionem; nihilominùs occiſio ſecuta cenſetur

ſetur tibi voluntaria, & obligat te ad reſtitutionem eodem modo, ac ſi numquam diſſuaſiſſes occiſionem; ſicuti qui ignem domui adhibuit, eſtò ſtatim pœniteat, cenſetur cauſa voluntaria incendii, & tenetur ad reſtitutionem, niſi actu incendium reſtinguat. Vel ſi non eſt voluntaria talis occiſio aut combuſtio, cur obligor ad reſtitutionem? Numquid damnum involuntarium obligat ad reſtitutionem?

Si dixeris: ſufficit, quòd ſit voluntarium in cauſa, ſive quòd cauſa voluntariè fuerit poſita. Reſpondetur: ſi hoc ſufficit ad obligationem reſtituendi; cur non etiam ad rationem peccati? Nec enim magìs voluntarium debet eſſe peccatum, quàm damnum illatum, ex quo oritur obligatio reſtituendi; vel aſſignetur diſparitas.

112. Quantùm ad contractum Matrimonii, quòd non valeat factâ revocatione mandati, etiamſi illam ignoret Mandatarius ſeu Procurator, id ſpecialiter conſtitutum eſt jure poſitivo cap. fin. de Procur. in 6. propter difficultatem & gravitatem hujus contractûs: alioquin alii contractus valent, adeoque voluntarii cenſentur à jure in ordine ad obligationem civilem & naturalem inducendam, cur non etiam ad peccatum, ſuppoſito quòd talis contractus foret peccaminoſus?

Quia (inquis) in contractibus jus poteſt ſupplere conſenſum contrahentium; non ſic in peccatis: unde quamvis talis contractus ſit voluntarius fictione juris, non tamen à parte rei.

Eſto: ſed unde probas contractum illum debere eſſe voluntarium à parte rei, ut ſit peccatum? Numquid à parte rei voluntarius eſt, quando ante retractationem Mandatarius contrahit, mandante dormiente? Planè (inquis) eſt Voluntarius à parte rei habitualiter, ſicut ipſum mandatum eſt voluntarium habitualiter.

113. Fateor: ſed quis tibi renuntiavit, voluntarium habituale ſufficere ad peccatum? Numquid continuè peccat, qui ſemel habuit concupiſcentiam alicujus perſonæ, uſque ad ejus retractationem, eſtò amplius nihil minùs cogitet, quàm de illa perſona?

Et tamen illa concupiſcentia manet voluntaria habitualiter uſque ad revocationem. Si ergò voluntarium habituale non ſufficit, ut illa concupiſcentia ſit peccatum actuale; ex quo probatur ſufficere, ut effectus naturaliter conſequens cauſam voluntariè poſitam, & habitualiter tantùm permanentem, ſit reverà peccatum?

Admitto ſufficere ad peccatum actuale libertatem virtualem, qualis ſufficit ad conſecrandum, & adminiſtrandum aliud quodlibet Sacramentum: ſed quòd talis libertas maneat in ſomno, & tamdiu, quàm prior voluntas expreſsè non retractatur, nemo mihi perſuadebit. Alioquin cur non valeat conſecratio, aut adminiſtratio alterius cujuſlibet Sacramenti in ſomno? Perperàm igitur Caſtro Palao ſuprà probat ſuam ſententiam exemplo conſecrationis, aut adminiſtrationis alterius cujuſlibet Sacramenti.

Ad alia exempla ibidem allata facilè reſpondebunt Adverſarii, illas actiones ſeu effectus neceſſarios, reverà non eſſe, nec debere dici peccata, niſi in ſua cauſa; hoc eſt, ſolam poſitionem cauſæ eſſe à parte rei peccaminoſam, & per conſequens illam ſolam in Confeſſione eſſe declarandam per ſe loquendo. 114. *Reſponſio ad alia exempla.*

Quæ eſt ſententia Vaſquez 1. 2. diſp. 94. c. 3. ubi ſic ait: Altera pars noſtræ ſententiæ eſt, privationem illam actûs, qui præcipitur, quæ ab Adverſariis dicitur formalis omiſſio, quoties contingit in ſomno aut ebrietate, non eſſe peccatum formaliter, eo modo, quo actus exterior, qui manet ſub poteſtate noſtra; idem de omni actu prohibito, ùt pollutione, homicidio &c. quamdiu in ſomnis vel ebrietate contingit, dicendum eſt. Ita Vaſquez. *Sententia Vaſquez, homicidium in ebrietate non eſſe paccatum formaliter.*

Hanc ſententiam Dicaſtillo diſp. 9. de Sacramento Pœnitentiæ n. 19. vocat probabiliorem, multis pro ea citatis Auctoribus, quos vide apud ipſum. Ratio unica eſt, defectus libertatis tum actualis, tum virtualis, tum primariæ tum participatæ ſeu ſecundariæ, derivatæ ab actu libero: nam actus liber non poteſt derivare ſuam libertatem, niſi dum actualiter aut virtualiter exiſtit. Cùm ergò in ſomnis vel ebrietate nullus actus liber exiſtat actualiter vel virtualiter, nulla etiam exiſtet libertas participata ſeu derivata ab actu libero: ergò in ſomnis vel ebrietate nullum reverà committitur peccatum formale. 115. *Probatur. Dicaſtillo.*

Probatur Conſequentia: quia libertas, ſaltem participata, eſt ad minùs eſſentialis conditio malitiæ moralis & formalis, juxta illud D. Aug. lib. 1. Retract. c. 15. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſamæ eſt.* Et lib. de vera Relig. c. 14. *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum* (propriè dictum) *ſi non ſit voluntarium.* *Libertas ſaltem participata eſt conditio eſſentialis formalis malitiæ. Aug.*

Planè (reponit Aliquis) ſi non ſit voluntarium in ſe vel in ſua cauſa: porrò homicidium, quod contingit in ebrietate, quamvis non ſit voluntarium in ſe, tamen eſt voluntarium in ſua cauſa, ſcilicet in voluntate ſe inebriandi. 116. *Evaſio.*

Reſpondeo: ſicuti non eſt voluntarium in ſe, ſic neque eſt peccatum in ſe: ergò ſimpliciter non eſt peccatum, ſed ſolùm cum illo addito: *In ſua cauſà*, id eſt, ipſa cauſa liberè poſita eſt peccaminoſa & mala malitiâ illius effectûs vel actionis neceſſariæ, quæ ſequitur in ſomno vel ebrietate: ergò ipſe effectus vel actio neceſſaria eſt peccatum, negatur Conſequentia; ſed ſolùm eſt effectus peccati. *Præcluditur.*

Digitized by Google

Negant itaque illi Auctores, voluntatem liberam præteritam, id eſt, nequidem virtualiter ampliùs exiſtentem, poſſe communicare alicui actioni externæ libertatem, neceſſariam ad formalem malitiam: quamquam enim ex jam præteritis poſſit ſumi denominatio extrinſeca, v. g. domini, ſervi, conjugis &c. haùd equidem denominatio actûs liberi à libertate omninò præterita.

117. *Quare actus non poſſit denominari liber à libertate omninò præterita.* Rationem diſparitatis dant; quòd forma à qua aliquis denominatur dominus, ſervus, conjux &c. non denominet primariò aliquod aliud ſubjectum, à quo derivetur denominatio ſecundaria in aliud; ſicuti forma, à qua actus externus denominatur liber, primariò denominat actum interiorem, à quo actu denominatio liberi derivatur in actum externum.

Niſi ergò illa forma denominet actum internum, neque denominare poterit actum externum, cùm ſecundaria denominatio in conceptu ſuo connotet primariam: atqui in ſomno aut ebrietate non denominat illa forma actum internum liberum; ergò neque externum. Si enim poſſit denominare actum externum liberum; cur non ſimiliter, immò potiùs, actum internum? Siquidem non minùs potens eſſe debet libertas jam præterita ad denominandum ſecundariè liberum actum externum, quàm ad denominandum primariè liberum actum internum.

118. *Aliud argumentum pro ſententia Vaſquezii.* Prætereà argumentatur Vaſquez & Alii poſt ipſum ex abſurdo, quod ſequitur ex prima ſententia, videlicet poſſe hominem jam juſtificatum & ſanctum abſque nova libertate peccare mortaliter; v. g. ſi poſt venenum propinatum homo pœniteat, antequam mors ſequatur.

Reſponſio Adverſariorum. Ad hoc reſpondent Adverſarii (ùt ſuprà vidimus) per illam pœnitentiam, priorem voluntatem omninò deſtrui, ita ut mors ſubſequens nullo modo ampliùs ſit voluntaria, nequidem in ſua cauſa.

119. *Contrà arguit Dicaſtillo.* Sed contrà (inquit Dicaſtillo ſuprà n. 27.) indè ſequeretur, eum, qui dedit venenum hodie, ſi ſtatim haberet actum Contritionis, etiamſi poſteà antequam confiteatur, ſequeretur mors ejus, qui accepit, non debere confiteri talem effectum; quod Auctores illius ſententiæ non facilè admittent, cùm pro virili contendant, univerſim loquendo effectum ſecutum eſſe etiam peccatum, & confitendum. Hæc ille.

Sed fallitur. Aſt fallitur, ùt patet ex Caſtro Palao ſuprà ubi n. 7. ex ſua doctrina infert, obligationem eſſe confitendi hujuſmodi eventus, ortos ex cauſa voluntaria non retractata. Aliàs (inquit) ferè numquam quis teneretur confiteri pollutionem & occiſionem alterius, ſed ſolùm dediſſe cauſam pollutioni vel occiſioni, quia datâ causâ pollutio vel occiſio impediri non poteſt; quod eſt contra communem ſenſum. Si tamen (adjungit) revocata fuerit voluntas, quando homicidium vel pollutio ſequitur, exiſtimo non eſſe obligationem confitendi, ùt docet Azor. lib. 1. cap. 7. in fine, & ùt probabile & ſecurum reputant ſuprà dicti DD.

An autem poſſet confiteri tali caſu, quòd hominem veneno ſuſtuliſſet, non tangit hic Auctor. Dicaſtillo putat ſequi ex illa ſententia, quòd non poſſet, quia accuſaret ſe de peccato non commiſſo, quod malum eſt.

Deinde Caſtro Palao non explicat, an illa retractatio debeat eſſe ſupernaturalis, an verò ſufficiat naturalis; an debeat eſſe Contritio Charitate perfecta, an verò ſufficiat Attritio. Interim ex ratione & exemplo, quibus probat ſuam ſententiam nu. 4. videtur ſufficere quæcumque retractatio ſive naturalis, ſive ſupernaturalis; ſive juſtificativa, ſive non juſtificativa: nulla enim eſt ratio, cur potiùs una retractatio faciat effectum involuntarium, quàm alia.

Verùm nullam ſufficere, exiſtimat Vaſquez ſuprà nu. 10. quem ſequitur Lugo diſp. 16. n. 443. & ſequentibus; quia effectus ille in tantùm eſt voluntarius & liber denominativè, in quantùm ortum habuit à voluntate præterita libera, non in quantùm pendet nunc à voluntate non retractata. Et ratio eſt clara: quia negatio retractationis non facit voluntatem magis nunc influere in effectum, nec retractatio facit voluntatem minùs influere; totus enim influxus ex parte voluntatis eſt, poſuiſſe cauſam, quam jam nunc tollere non poteſt. Cùm ergo retractatio non minuat poſitionem cauſæ, nec carentia retractationis addat vires cauſæ jam poſitæ; conſequens eſt, ut voluntas eodem modo influat in effectum ſequentem, ſive retractet, ſive non retractet, quia non influit ullo modo ſecundùm ſtatum præſentem, ſed ſolùm ſecundùm ſtatum præteritum, ùt præteritus eſt. Ita Lugo n. 446.

Sed hoc eſt, quod negant Adverſarii: exiſtimant quippe influere, non ſolùm ſecundùm ſtatum præteritum, ùt præteritus eſt; ſed etiam ſecundùm ſtatum præſentem, id eſt, ùt habitualiter permanet: jam autem poſt retractationem qualemcumque efficacem, non permanet (ùt ſuppono) voluntas habitualiter.

Quid ergo (dicet Aliquis) ſi Deus dormienti infunderet gratiam abſque præcedente retractatione? Saltem tunc exiſtens in gratia poſſet peccare mortaliter abſque nova libertate.

Reſponderi poſſet; eo ipſo, quòd peccatum à Deo condonatum eſt, quod fuit in prima volitione ſeu poſitione cauſæ, etiam per conſequens malitiam actionis externæ eſſe ablatam ſeu condonatam, cùm actio externa non habeat malitiam diſtinctam; vel ſi habeat aliquam

aliquam diſtinctam, ſecundaria eſt, quæ non poteſt manere abſque malitia primaria internæ volitionis. Sive ergo per Deum extraordinariè abſque retractatione peccatoris, ſive per ordinariam pœnitentiam, Attritionem cum Sacramento, vel Contritionem Charitate perfectam, peccatum internæ volitionis fuerit deletum, ſufficit prorsùs, ut externus effectus malus non imputetur in peccatum.

Si rursùs Alius inferat: Ergo ſi tempore audiendi v. g. Miſſam, homo, qui vivens poſuit cauſam omiſſionis, foret mortuus, adhuc peccaret.

Reſpondetur N. C. Ratio diſparitatis: quia homo mortuus non eſt ampliùs homo, ſicut homo ebrius aut dormiens. Deinde homo mortuus nec proximè, nec remotè, eſt ſubjectum capax; ebrius autem vel dormiens ſaltem remotè. Denique lex obligat aliquo modo hominem ebrium aut dormientem, licèt pro illo ſtatu excuſetur; nullo autem modo obligat hominem mortuum.

Urges: ſaltem ſequitur ex illa ſententia, hominem actualiter peccare toto tempore, quo venenum operatur ad mortem ejus, cui illud propinavit. Similiter illum, qui dedit cauſam ægritudini propriæ vel alienæ, toto tempore ægritudinis.

Reſpondent Aliqui concedendo totum. Alii negant ſequelam: nam effectus (inquiunt) veneni non eſt actio hominis, ſed merè naturalis; & quamvis homicidium in ebrietate vel ſomno ſit effectus naturalis, eſt tamen actio hominis, facta à potentia apta ſubdi voluntati; quod ſufficit, ut dicatur tunc hominem peccare à libertate in cauſa.

Sed contrà primò: nam licèt tales potentiæ poſſint ſubdi voluntati, tamen hìc & nunc talis effectus fit ab illis potentiis, ac ſi fieret à veneno: ergo ſicut quod à veneno fit, non eſt peccatum; ſic neque quod fit ab ebrio. Secundò: quomodo ultimus effectus actionis, v. g. mors, quæ oritur ex veneno propinato, eſt voluntaria, ſi continuatio actionis non eſt voluntaria? Aut ſi continuatio actionis eſt voluntaria in ſua cauſa, ſicuti ipſa mors; cur non eſt peccatum, ſicuti ipſa mors eſt peccatum? Hæ ſunt præcipuæ difficultates contra primam ſententiam.

124. Neque ſecunda ſuis caret. In primis ex ea ſequi videtur, in nullo caſu homicidium eſſe peccatum: nam etiam quando homo confodit actu alium, qui ſtatim ibi moritur, in eo tamen inſtanti, quo diſſolvitur unio inter animam & corpus, non eſt in poteſtate confodientis ea diſſolutio; non enim ſequitur in eo inſtanti, quo voluit movere manum, aut quo læſit; quia in inſtanti non poteſt diſſolvi omnis diſpoſitio humana.

Et in carnifice idem apparet clariùs: nam licèt potuerit non vibrare ictum, certè quando jam fortiſſimè gladium excuſſit, non eſt in poteſtate ipſius detinere ictum in eo puncto cervicis, quâ ſectâ primùm homo moritur. Quis autem dicet, carnificem non eſſe voluntariè cauſam illius necis? Ergo non eſt neceſſaria ea immediata & formalis libertas, ad hoc ut actio exterior dicatur homini voluntaria. Ita Arriaga de vitiis & peccatis diſp. 45. n. 13. *Arriaga.*

125. *Reſponſio.* Reſpondeo: Nemo negat carnificem eſſe voluntariè cauſam illius necis, & ideo peccare quando fortiſſimè gladium excutit, ſi mors eſt injuſta; ſed negat ſecunda ſententia, ipſam mortem eſſe voluntariam; quæ neceſſariò ſequitur cauſam voluntariè poſitam; eſſe (inquam) voluntariam ſufficienter ad denominationem peccati ſimpliciter; & ideò affirmat illam mortem per ſe loquendo non eſſe explicandam in Confeſſione, cùm ſolùm ea, quæ ſimpliciter ſunt peccata, debeant explicari.

Audiamus Vaſquez 1. 2. diſp. 94. n. 16. *Vaſquez.* Reſpondeo, ſecundùm eos DD. quorum ſententiam ſecuti ſumus, non eſſe exprimenda (opera externa neceſſaria) in Confeſſione; fideles autem plurimi ea explicant, quia neſciunt, ea non eſſe peccata, vel etiam quia eo facto rectè explicant culpam, quam commiſerunt, præbendo cauſam & occaſionem: ideo prohiberi non debent à talium eventuum confeſſione, præſertim cùm ipsâ explicatione eventûs optimè explicetur, quidquid peccati in cauſa præceſſit, & parum unum ab alio diſtet. At ſi quis præcisè ea exprimere vellet, quæ debet, non eſt cogendus, eventus explicare ratione Confeſſionis, ſed aliquando ratione reſtitutionis vel irregularitatis; ſed ſatisfaceret præcepto, ſi diceret, ſe dediſſe proximam cauſam tali omiſſioni vel pollutioni. Hactenus Vaſquez.

126. *Objectio ſolvitur.* Si inferas: Ergo neque actus externus liber per ſe debet explicari in Confeſſione. Reſpondetur N. C. quia hic probabiliter habet formalem malitiam diſtinctam, aut certè abſolutè & ſimpliciter appellatur peccatum, cùm actus externus neceſſarius ſolùm vocetur peccatum in ſua cauſa.

Inſtantia. Inſtabis: quando is, qui venenum accepit, moritur, tunc ille, qui venenum porrexit, incipit denominari homicida: ergo tunc occidit; nemo enim appellatur homicida, niſi qui aliquando occidit hominem: ergo tunc peccat peccato homicidii.

Solvitur. Reſpondeo Neg. utramque C. ſed tunc occidit, & tunc peccat peccato homicidii, quando liberè ponit cauſam mortis, & facit totum ex parte ſua, quod eſt neceſſarium, ut mors ſuo tempore ſequatur, ſecundùm D. Auguſt. in Pſalm. 63. ad illa verba: *Quia exacuerunt tamquam gladium linguas ſuas*, ibi: *Sed ille* (Pilatus) *dixit in eum ſententiam, & juſſit eum crucifigi, & quaſi ipſe occidit, & vos ô Iudæi occidiſtis. Vnde occidiſtis? Gladio linguæ: acuiſtis enim linguas veſtras*

ſtras. Et quando percuſſiſtis, niſi quando clamaſtis: Crucifige, crucifige? Et infrà: *Ergo veriùs illi tunc occiderunt, quando clamaverunt.*

127. **Denominatio homicidæ, eſt valde impropria.** Interim non denominatur quis homicida, niſi poſito ultimo termino, qui eſt mors. Unde fieri poteſt quòd aliquis denominetur primùm homicida, quando mortuus eſt. Num indè bene infertur: Ergo mortuus occidit? Ergo mortuus peccat peccato homicidii. Itaque denominatio homicidæ valde impropria eſt, ſimilis denominationi patris: nemo enim denominatur pater, niſi quando poſt ſemen à ſe deciſum, & matris utero ſuſceptum, animatur fœtus, quod fieri poteſt poſt ejus mortem. Itaque denominatio homicidæ impertinens eſt ad rationem peccati, ùt patet in mortuo, qui denominatur homicida, etſi tunc nullatenus peccet.

Quòd ergo homo vivens tunc dicatur occidere & peccare peccato homicidii, impropria locutio eſt, quæ tantùm ſignificat tunc poni ultimum terminum occiſionis, & peccati anteà commiſſi. Unde veriùs dicitur, & communiter ſic loquimur: *Petrus ante* 8. *dies lethaliter vulneratus, hodie mortuus eſt*; nemo autem dicit: *Hodie occiſus eſt.* Proinde homicida eſt, prout illa vox communiùs uſurpatur, ex cujus actione injuſtà homo moritur; includit ergò peccatum vel præſens vel præteritum, & addit effectum mortis ſecutum, ex cujus defectu non dicebaris antea homicida, dicebaris tamen jam peccator, ex actione illativa mortis jam poſita.

128. **Objectio.** Rursùm objicitur: Quando ponitur effectus, v. g. mors, incurritur cenſura, ſi quæ lata ſit ob homicidium; hæc autem non incurritur niſi ob peccatum: ergo tunc ponitur etiam peccatum.

Diluitur. Reſpondetur N. C. nam cenſura incurritur nunc, propter peccatum præteritum, quod Eccleſia non vult punire, niſi poſitâ conditione effectûs ſecuti. Undè (inquit Lugo diſp. 16. n. 353.) contingere etiam poteſt, quòd incurratur cenſura ab eo, qui jam per Contritionem vel per Attritionem cum Sacramento eſt juſtificatus à peccato præterito: quia cenſura eſt pœna, quâ Eccleſia juſtè punire poteſt hominem, propter peccatum præteritum. Et ſicut excommunicatus, licèt per Contritionem juſtificetur, adhuc manet excommunicatus, donec abſolvatur; ita poteſt, quando jam eſt contritus, incurrere de novo excommunicationem, propter peccatum præteritum. Hæc Cardinalis.

Poteſt contingere, ſecundùm Lugonem, quod juſtificatus à peccato incurrat excommunicationem.

129. **Contrarium placet Caſtro Palao ſaltem pro foro interno.** Sed non placent Caſtro Palao ſuprà, ubì n. 2. exiſtimat ſatìs probabile contrarium, ſaltem pro foro interno; quia talis contumax non eſt, neque inobediens Eccleſiæ mandatis: non igitur debet excommunicari; excommunicatio enim ſolùm ob contumaciam & inobedientiam imponitur. Et confirmo (inquit ille) exiſtens in excommunicatione, ſi pœniteres, ſtatim deberes abſolvi, quia excommunicatio ſolùm imponitur ad reprimendam contumaciam, quâ ceſſante, tollenda eſt. Si ergo antequam contrahatur jam non es contumax; ut quid medicinalis pœna tibi eſt applicanda, cùm medicinâ non indigeas?

Pro hac ſententia citatur Gloſſa in cap. *Cùm quis* 23. de ſentent. Excom. in 6. verb. *Mandato*, ubì ſic legitur: *Quid ſi quis mandavit Clericum verberari, & poſtea ante manuum iniectionem revocavit mandatum, demùm mandatarius percuſſit antequam revocatio perveniret ad eum? In hac quæſtione videtur tenere Bern. ſup. eodem* Mulieres, *talem eſſe excommunicatum: ad quod bene faciunt iura ibi per eum allegata; & idem per eadem iura ibi tenet Hoſt. Eſt tamen arg. contra ff. de Acquir. hæred.* Si quis mihi bona, *ad fin. & ſuprà eod. lib. de Procur. cap. ult. in fine. Inn. ibi dixit talem excommunicatum non eſſe; tenetur tamen de culpa, de qua aliàs punni poſſit: Canon enim dolum requirit. Bart. Brix. in fin. quæſtionum ſuarum Venerialium in quæſtione quæ incipit:* Aliquis mandavit (*& eſt* 89.) *dixit, quòd talis quoad Deum non tenetur, tamen quoad Eccleſiam excommunicatus eſt, quod verum videtur.* Huculque Gloſſa.

Pro ſente... citat... ſſa i... de Se... com.

Conſentit Wiggers 1. 2. q. 72. a. 6. n. 18. & plures Alios citat Diana part. 8. tract. 7. reſol. 85. Sed neſcio, an fide dignus; quia eâdem reſolutione citat Palaum pro opinione oppoſitâ, ſed perperam, ùt patet ex verbis Palao mox recitatis: ſignum, quòd Auctorem non inſpexerit.

Conſ... Wigg... plures apud

Si autem quæritur, quid ego ſentiam. Reſpondeo verbis Concluſionis: *Actus externus vel eventus neceſſarius ſufficit, ut incurratur cenſura tam in foro interno, quàm externo, eſto præceſſerit retractatio actûs liberi.* Et verò ſufficere, quando non præceſſit retractatio, Omnes admittunt, neque eſt ulla ratio dubitandi. Enimverò potuit Eccleſia rationabiliter velle non punire homicidium pœnâ Irregularitatis, Excommunicationis vel alterius cenſuræ, niſi eventus, v. g. mors, adſit. Quippe Eccleſia non meliùs cognoſcit internæ voluntatis efficatiam & gravitatem, quàm ex opere externo vel effectu, ratione cujus etiam potiſſimùm obeſt bono politico, quod Reſpublica ſenſibilis reſpicit. Voluiſſe autem Eccleſiam ſic & non aliter punire, ùt certum ſuppono, etſi etiam longo tempore poſt eventus ſequeretur. 13...

Auctor... cet ſu... actum... ternu... ceſſat ſi non ceſſeri... tracta...

Cùm ergo in caſu poſito, qui lethaliter vulneravit, maneat inobediens & contumax, nolens retractare delictum, quod commiſit; haùd dubium quin effectu mortis poſito, protinus incurrat Irregularitatem, Excommunicationem, aut aliam quamlibet cenſuram vel pœnam, fortè pro homicidio ab Eccleſia inflictam.

Immò etſi peccatum retractaſſet, etiam per veram pœnitentiam, v. g. Attritionem cum Sacramento aut Contritionem Charitate perfectam, certò certiùs incurret Irregularitatem &

Immo præced... ad ter... tendi... tem in... latitud...

Digitized by Google

& alias pœnas extra cenſuras: ad has etenim non requiritur inobedientia aut contumacia, quæ requiritur ad cenſuras, neque ſunt medicinales, ſed purè putè vindicativæ peccati præteriti. Cùm ergo peccatum commiſſum fuerit, &, quod factum fuit, infectum fieri nequeat per pœnitentiam ſubſequentem: nulla eſt ratio, quare non incurrantur, poſito termino ſeu ultimo effectu actionis, omnes illæ pœnæ.

131. De cenſuris Aliqui dubitant, & contrarium putant probabile, ſaltem pro foro interiori (ùt ſuprà vidimus) idque quia tunc talis eventus neceſſarius non habet adjunctam contumaciam. Probabile eſt (inquit Wiggers ſuprà) incurri (cenſuram) ſaltem in foro fori; quia non tantùm incurritur in illo foro propter actum, qui peccatum mortale eſt, tunc quando fit, ſed etiam propter illum; qui per ſe quidem culpabilis eſt ex genere ſuo, & originem habet ex mala voluntate, quamvis per accidens contingat eum non eſſe formaliter peccatum: hoc enim Eccleſiæ diſciplina & finis cenſurarum videntur exigere. Quare exteriùs ſe pro excommunicato deberet gerere, donec Abſolutionem, ſaltem ad cautelam, obtinuiſſet; in foro tamen conſcientiæ non videtur talis in cenſuram incidiſſe, quia omiſſio, ùt tunc fit, verè non eſt peccatum mortale, neque culpabilis, nec habet adjunctam contumaciam. Hæc ille. Loquitur de aliquo, qui voluntariè poſuit ſibiipſi tale impedimentum operis præcepti, ut illud auferre non ſit in ejus poteſtate, quandò debet opus fieri: interim antequam tempus operis venit, dolet, de poſito impedimento.

132. Sed contrà: Non requiritur alia contumacia ad cenſuram in foro interiori ſeu conſcientiæ, quàm in foro fori; vel afferatur aliquod jus; in quo illa differentia explicatur. Si ergò eſt contumacia ſufficiens; nón obſtante pœnitentiâ ſeu dolore de poſito impedimento, ut in foro fori incurratur cenſura; etiam erit ſufficiens contumacia; ut incurratur cenſura in foro conſcientiæ: vel ſi non ſufficiat pro foro conſcientiæ, neque ſufficiet pro foro exteriori.

Sanè quæ communiter allegantur, & ex quibus DD. probant neceſſitatem contumaciæ ſeu inobedientiæ contra Eccleſiam, nullam faciunt diſtinctionem inter forum fori, & forum conſcientiæ, ùt inſpicienti jura erit maniſeſtiſſimum. Ergo illa pœnitentia ſeu dolor vel excuſat in utroque foro; vel in neutro. Neque enim video, cur Eccleſiæ diſciplina, & finis cenſurarum magis exigant, ut in tali caſu incurrantur cenſuræ in foro fori, quàm in foro conſcientiæ. Nonne hæc judicia diverſa ſunt? Minimè, niſi quando forum fori præſumptione ducitur, & forum conſcientiæ contrariam veritatem novit.

Ponamus itaque; quòd aliquis publicè pœnitentiam egerit de lethali vulnere inflicto, & obtulerit omnem ſatisfactionem neceſſariam, neſcio herculè, quare hic poſitâ morte potiùs incurreret Excommunicationem in foro fori, quàm in foro conſcientiæ. Si ergò in foro conſcientiæ non incurrat, quia jam non eſt contumax neque inobediens Eccleſiæ; dico etiam non incurrere Excommunicationem vel aliam cenſuram, quatenus talis eſt, in foro fori: vel ſi incurrat in foro fori, dico, etiam incurrere in foro conſcientiæ, quia non video ſufficientem diſparitatem.

An autem incurrat in aliquo foro, & conſequenter in omni; ſub judice lis eſt. Pro parte affirmativa facit, quòd reverà fuerit contumax & inobediens Eccleſiæ; tali utique inobedientiâ & contumaciâ, quæ ab Eccleſia punitur pœnâ Excommunicationis, neque enim punit Eccleſia mortem, quæ neceſſariò ſequitur ex vulnere inflicto; ſed punit poſitionem cauſæ mortis, ſeu inflictionem vulneris lethalis, non ùt merè præteritam; ſed ùt præſentem in ſuo effectu. Et quàmvis ùt præſens non ſit ampliùs formaliter peccaminoſa, certè ùt præterita fuit formaliter peccaminoſa; quod ſufficere videtur, ut nunc puniatur, quando non eſt formaliter peccatum, immò nec habitualiter. 133. Probatur ſententia, quæ docet in omni foro incurri excommunicationem.

Breviter: Non punit inflictionem vulneris lethalis, niſi adſit mors; & punit inflictionem vulneris lethalis, ſi adſit mors: ac proinde hoc ipſo, quò quis infligit vulnus lethale, incurrit debitum illius pœnæ, ſicuti qui committit crimen, cui annexa eſt Excommunicatio ferendæ ſententiæ, vel etiam latæ ſententiæ, quamvis hîc & nunc nondum ſit excommunicatus, donec ſententia vel feratur, vel crimen declaretur, certè ex nunc habet debitum illius pœnæ; à quo non videtur poſſe liberari per ſolam internam vel externam pœnitentiam; ſeu retractationem peccati commiſſi.

Nec obſtat; quòd cenſura ſit pœna medicinalis: hoc enim intelligitur de per ſe & principaliter; id eſt, cenſura magis imponitur propter emendationem delicti; quàm punitionem. Interim certum eſt, aliquandò imponi ſinè ſpe emendationis; ſed hoc per accidens eſt propter obſtinationem peccatoris. Et licèt tali caſu non conducat ad emendationem hujus particularis; conducere poteſt ad aliorum emendationem. 134. Solvitur objectio.

Dices cum Suario de Cenſuris diſp. Sect. 5. n. 10. Hoc modo eſſe medicinam, commune eſt omni pœnæ: at jura aliquid ſingulare intendunt attribuere cenſuræ; nimirum quòd aliæ pœnæ ita ſunt medicinæ ad præcavenda futura peccata vel ejuſdem hominis, vel aliorum; ut tamen præcisè non intendant educere hominem peccatorem ab 4. Impugnatur ſolutio ex Suario.

Digitized by Google

ſtatu peccati, in quó permanet, ex quo peccavit. Neque etiam in eis conſideratur præſens ſtatus ſeu voluntas peccatoris, ut infligatur pœna, ſed ſolùm quòd peccaverit: hæc enim eſt ratio ſufficiens pœnæ, etiamſi peccator ex parte ſuæ voluntatis correctus vel emendatus ſit.

135. Quomodo cenſura ſit pœna medicinalis.

At verò cenſura longè alio modo eſt medicinalis pœna: nam per ſe intendit non ſolùm præcavere futura peccata, ſed potiùs per ſe primò curare peccatorem à peccato commiſſo, & liberare illum ab ſtatu, in quo permanet ratione talis peccati. Cujus ſignum eſt: quia ſi peccatum ſemel commiſſum tale eſt, ut omninò tranſeat, nec relinquat vel obligationem aliquam ſatisfaciendi, vel quaſi continuationem moralem ipſius peccati (qualis eſt in concubinatu, vel furto non reſtituto &c.) numquam Eccleſia ratione illius fert cenſuram; quia peccatum illud per ſolam pœnitentiam curatur, quam Eccleſia non aliter exigit per cenſuras, niſi præcipiendo ſuo tempore debitam Confeſſionem peccatorum.

Et huc etiam ſpectat, quòd in peccatis, quorum obligatio, vel moralis continuatio durare poteſt, ſi ex parte peccatoris jàm eſt facta ſufficiens ſatisfactio, vel ablata continuitas ſeu ſtatus peccati, Eccleſia non conſuevit hujuſmodi peccatorem propriâ cenſurâ ſigere, præſertim Excommunicatione: ſignum eſt ergò numquam ferri cenſuram in puram vindictam peccati commiſſi. Hucuſque Suarez.

1. Reſp. ad argum.

Sed nihil contra nos: loquitur enim de cenſura, quæ in particulari fertur per ſententiam à Judice; nos autem de cenſura lata per legem, v. g. contra homicidas, quæ procul dubio medicinalis eſt, id eſt, per ſe intendit non ſolùm præcavere futura peccata, ſed potiùs per ſe primò curare peccatorem à peccato commiſſo, & liberare illum ab ſtatu, in quò permanet ratione talis peccati; quia per ſe loquendo ante eventum mortis non eſt facta ſufficiens ſatisfactio, & ablatum peccatum. Sin autem per accidens aliquando foret facta ſufficiens ſatisfactio, & ablatum peccatum per pœnitentiam; ſufficit ad hoc, ut tali caſu cenſura verè ſit medicinalis, quòd ſtatim poſt eventum mortis homicida poſſit & debeat abſolvi. Igitur hæc ſententia videtur mihi probabilior, & cum ea finio hanc Concluſionem ac Sectionem, nec non ſecundam partem quaſi materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt oris Confeſſio.

Sequitur tertia pars, putà Satisfactio pro peccatis; de qua tractat Doctor Subtilis 4. diſt. 15. Porrò q. 1, n. 3. ſic ait: *Satisfactio uno modo accipitur generaliter; alio modo ſtrictè & propriè.* De ſatisfactione generaliter accepta inſtituitur

SECTIO XII.

De Satisfactione ſecundùm ſe.

1. Deſcriptio ſatisfactionis generaliter acceptæ ex Scoto.

Satisfactionem ſecundùm ſe, ſeu generaliter acceptam, deſcribit Scotus ſuprà hiſce verbis: *Satisfactio eſt redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti.* Et continuò pro explicatione ſingularum partium attexit: *Primùm, ſcilicet,* redditio *patet: quia non eſt abſoluta datio; nam hoc, quod eſt ſatis, dicit commenſurationem ad aliquid præcedens correſpondentem. Quod dicitur,* voluntaria, *patet: quia ſi eſſet involuntaria, non eſſet ſatisfactio, ſed ſatiſpaſſio; & hoc modo ille, à quo exigitur in inferno pœna, debita culpæ commiſſæ, ſatiſpatitur, & non ſatisfacit. Quòd etiam ſit* æquivalentis, *patet: quia hoc importat illa particula* ſatìs; *hoc etiam requirit Iuſtitia reddens ſatisfactionem pro illo, cui correſpondet. Quartum ſcilicet,* aliàs indebiti, *patet: quia ſi eſſet aliàs debitum, non ſatisfaceret pro iſto; nam non eſſet correſpondens iſti ſecundùm Iuſtitiam, ſed alii.*

Nota: *Aliàs indebiti,* videlicet ſecundùm titulum Iuſtitiæ vindicativæ, ratione cujus jam propter peccatum commiſſum talis actio deberetur, quæ aliàs ex tali titulo non deberetur: Cæteroquin nulla foret noſtri ſatisfactio reſpectu Dei, cùm omnia noſtra opera multis titulis ipſi debita ſint: & tamen non dubito, Scotum hanc quoque ſatisfactionem voluiſſe comprehendere ſuâ definitione ſeu deſcriptione.

2. Iſta ratio ſatisfactionis communis ad contractus & obligationes quaſcumque.

Hinc proſequitur, dicens: *Et iſta ratio ſatisfactionis communis eſt ad contractus & obligationes quaſcumque; hoc enim modo recipiens beneficium, poteſt beneficianti benefacere; & hoc modo dilectus diligenti, recompenſando dilectionem æqualem: & ita tam in actibus liberalibus voluntatis, quàm in actibus quodammodò neceſſariis, ſcilicet contractibus, ubi eſt quædam obligatio quaſi neceſſitans ad reddendum, poteſt inveniri iſta ratio. Conſimiliter cùm culpa faciat delinquentem debitorem ei, in quem peccat, poteſt ibi iſta ratio ſatisfactionis inveniri, ut ſcilicet reddat ſibi æquivalens & aliàs indebitum, quantum ſibi abſtulit per peccatum.*

Sed numquid poſſibile eſt homini ſatisfacere de peccato Deo, quem offendit? Hæc eſt

prima

Digitized by Google

prima quæſtio hujus Sectionis, ejuſque reſolutio erit

CONCLUSIO I.

Poteſt homo, exiſtens in gratia, Deo in hac vita de condigno ſatisfacere ex opere operantis pro pœna temporali Purgatorii, remiſſis peccatis debita.

3\. SUppono cum Eccleſia Catholica, *Falſum omnino eſſe; & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur: perſpicua enim, & illuſtria in ſacris literis exempla reperiuntur, quibus, præter divinam Traditionem, hic error quàm manifeſtiſſimè revincitur.* Ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap 8. Exempla iſta propoſuimus ſect. 1. præſentis diſp. concl. 5 ad quam Lectorem remitto.

Suppono II. Satisfactionem pro pœna temporali, de qua hìc tractamus, ſubinde appellari ſatisfactionem pro peccato 2. Machab. 12. v. 46. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*, id eſt, à pœnis temporalibus exſolvendis in Purgatorio. Nonne regius Propheta, poſt peccatum ſeu culpam dimiſſam, Pſalm. 50. v. 4. orat, dicens: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meò munda me?* Similiter loquitur Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ibi: *Accedit ad hæc, quòd dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis.* Et poſt pauca: *Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus* &c. Vide Andream Vegam de Juſtificatione lib. 13. c. 36. ubi diſputat contra Lutherum & ejus ſequaces, qui nequidem nomen ſatisfactionis volebant admittere, quoniam (inquiunt) in Scripturis illud non legitur.

4\. Subſcribo verba Lutheri, ùt ea refert præfatus Auctor: *Quare verum dixi, arbitrariam iſtam ſatisfactionem neque in Scripturis, neque in Patribus inveniri; inveniri autem pœnam irremiſſibilem à Deo impoſitam pro peccatis.* Et poſt pauca: *Vehementer autem odi & ſublatum vellem hoc vocabulum,* Satisfactio: *quod non modo in Scripturis non invenitur, ſed & periculoſum habet ſenſum, quaſi Deo quiſquam poſſit pro ullo peccato ſatisfacere, tùm ille gratìs ignoſcat omnia. Deinde occaſio fuit, ut è ſalutari pœnitentiæ remedio nundinas facerent.* Hæc ille in impugnatione Bullæ Leonis X. in art. 5.

5\. Reſpondeo cum Vega: Sufficit, quòd res ipſa inveniatur in Scriptura. Nonne legitur Ninivitas, Achab, Manaſſen, Davidem per opera externa pœnitentiæ, jejunium, eleëmoſynam, aliaſque afflictiones Deo ſatisfeciſſe pro pœnis aliàs infligendis, id eſt, effeciſſe ut Deus non infligeret illas pœnas? Et verò quid aliud eſt ſatisfacere parti læſæ, quàm exſolvere, quod debetur pro damno aut injuria ei illata? Ita ſentiunt omnes homines.

Omitto, olim SS. Patres in Concilio Generali Nicæno recepiſſe nomen *Homouſion*, quo neque Scriptura, neque Antiquiores fuerant uſi. Quod ergo periculum in uſu hujus vocabuli *Satisfactio?* Nullum prorsùs. Quòd ſi aliqui ſint, qui ſalutari hoc pœnitentiæ remedio ad nundinas abutantur, uſus certè vocabuli hujus (inquit Vega ſuprà cap. 36.) non eſt in cauſa, ſed avaritia vel impietas, vel certè ſupina eorum ignorantia.

Unde ſi vera foret (alioqui falſiſſima) doctrina Lutheri, per ſolam Fidem deleri totam culpam, & pœnam, debitam pro peccatis, ſinè ullo periculo talis Fides appellari poſſet ſatisfactio; quia videlicet illâ exhibitâ, Deus nihil ampliùs requirit pro peccatis. Sed hæc ſatìs de nomine; videamus de re, id eſt, de poteſtate ſatisfaciendi Deo pro pœna temporali, peccatis remiſſis debita.

Hæc poteſtas certa eſt inter Catholicos, definita in Conc. Florentino, decreto 3. hiſce verbis: *Item, ſi verè pœnitentes in Dei Charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis Purgatorii purgari. Et ut à pœnis huiuſmodi releventur, prodeſſe eis vivorum fidelium ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes & eleëmoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus fieri conſueverunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta. Illorum etiam animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt: illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi* &c. Ergo verè pœnitentes poſſunt dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis & omiſſis ita ſatisfacere, ut eorum animæ non indigeant pœnis purgatoriis, ſed exutæ corporibus in cœlum mox recipiantur. 6. *Poteſtas ſatisfaciendi Deo pro peccatis definita eſt in Conc. Florent.*

Eandem veritatem noviſſimè definivit Concil. Trident. ſeſſ. 17 cap. 9. ſequentis tenoris: *Docet præterea, tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis; ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.* 7. *Et Tridentino.*

Et eâdem ſeſſ. can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis; ſed neque ſponte ſuſceptis, ùt ieiuniis, orationibus, eleëmoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque adeò optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam; anathema ſit.*

Item can. 14. *Si quis dixerit, ſatisfactiones,*

quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes; anathema ſit.

8\. Putat Arriaga nullum eſſe locum Script. aut SS. PP. qui clarè loquatur de ſatiſfactione.

Igitur de hac veritate non eſt relictus ambigendi locus, eſtò (ùt exiſtimat Arriaga hìc diſp. 20. n. 10.) nullus adduci poſſet locus ſacræ Scripturæ, aut SS. Patrum, qui clarè de ſatisfactione loqueretur, ſed omnia loca poſſent explicari vel de pœnitentia pro culpa, vel de aliqua compenſatione, quæ ad gratitudinem potiùs reducatur. Sufficere debet omnibus auctoritas S. Matris Eccleſiæ, cujus eſt de vero ſenſu, & interpretatione SS. Scripturarum judicare: procul dubio autem judicavit & judicat, plures Scripturas ſanctas non tantùm loqui de pœnitentia pro culpa, ſed etiam de ſatisfactione pro pœna; & non ſolùm de aliqua compenſatione, quæ ad gratitudinem reducatur, ſed etiam de ſatisfactione debita ex rigore juſtitiæ.

Et de eadem ſatisfactione Eccleſiam intellexiſſe SS. Patres, nimis manifeſtum eſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8 quod ſic incipit: *Demum quoad ſatisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodùm à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita unâ maximè noſtrâ ætate ſummo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt.* Porrò Tridentinum ibi loqui de ſatiſfactione propriè dicta ſeu rigoroſa, nulli poteſt eſſe dubium.

9\. De illis videtur intelligenda Script. Matthæi 3.

Proinde de eadem intelligendam eſſe hanc Scripturam Matth. 3. v. 8. *Facite fructum dignum pœnitentiæ*, patet ex illis verbis Concilii ibidem: *Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo movemur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ.* Alia Scripturæ loca ad hoc propoſitum, ubi etiam teſtimonia SS. Patrum, videri poſſunt apud Bellarm. lib. 4. de Pœnit. cap. 8. & 9. Vegam ſuprà cap. 37. & 38. & paſſim apud Scholaſticos, ubì diſputant de hac controverſia cum hæreticis: nam inter Catholicos res eſt certa, quamvis diſputent, an poſſit homo ſatisfacere de condigno, an verò ſolùm de congruo.

10\. Homo poteſt de condigno ſatisfacere, ùt patet ex Trident.

Concluſio noſtra eſt communis, & probatur ex Trid. locis ſuprà allegatis, in quibus homo dicitur ſimpliciter ſatisfacere per bona opera: qui autem non ſolvit æquale, non ſatisfacit ſimpliciter, cùm ſatisfactio ſecundùm Scotum ſuprà ſit, *Redditio æquivalentis:* qui verò ſolvit æquale, ſatisfacit de condigno. Alioquin eodem modo, quo homo poteſt ſatisfacere pro pœna temporali, etiam poſſet ſatisfacere, & de facto ſatisfaceret pro pœna æterna: nam (ùt conſtat ex alibi dictis) Contritio eſt meritum congruum primæ gratiæ juſtificantis; ergo etiam remiſſionis pœnæ æternæ infallibiliter conjunctæ: quidni autem illud meritum poſſit vocari ſatisfactio congrua?

Porrò Trid. ſeſſ. 6. c. 14. ſic ait: *Vnde docendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multò aliam eſſe à baptiſmali, eáque contineri non modò ceſſationem à peccatis* &c. *verùm etiam eorumdem ſacramentalem Confeſſionem* &c. *itemq; Satisfactionem per ieiunia, eleëmoſynas, orationes & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali.* Vbì expreſsè diſtinguit inter remiſſionem pœnæ æternæ, & ſatisfactionem pro pœna temporali: ergo per hanc ſatisfactionem intelligit ſatisfactionem condignam.

Quod probè intelligentes ſummi Pontifices Pius V. Gregor. XIII. & Urbanus VIII. damnarunt has propoſitiones. *Cùm per eleëmoſynas, aliaq; pietatis opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant: nam alioquin eſſemus aliqua ſaltem ex parte redemptores; ſed aliquid facimus, cuius intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur. Satisfactiones laborioſæ iuſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, reſtantem poſt culpam condonatam.* 1 Conti tium tur da tum à Greg. & U VIII.

Dum hæ duæ propoſitiones damnatæ fuerunt (inquit Arriaga ſuprà n. 11.) reddita eſt certa contradictoria illarum; nempe, noſtra opera eſſe condignam ſatisfactionem pro ea pœna: nam licèt ad priorem propoſitionem fortaſſe applicari poſſet quorumdam ſolutio, ſcilicet, eam magìs damnari propter cenſuram, quam inurit contrariæ (in ea enim dicit Baius, errare eos, qui contrarium ſentiunt: quæ reflexa cenſura eſt abſurda, quidquid ſit de veritate doctrinæ) hæc tamen, quæcumque ea ſit evaſio, ſecundæ propoſitioni, omni carenti cenſurâ, non poteſt applicari. Neceſſariò ergo debuit à Pontifice damnari propter ipſam directam doctrinam. Hæc ille.

Ego autem dico, ſi Baius (vel quiſquis eſt Auctor) nihil aliud voluerit per ſecundam propoſitionem, quàm requiri acceptationem Dei propter merita Chriſti (ſicut fortè voluit, aut certè potuit velle) nihil falſi aſſeruit, ùt patebit ex Concluſione ſequenti. Interim verba aliquid ampliùs videntur indicare; ſcilicet, opera hominis juſti tantùm eſſe puram conditionem, ad cujus præſentiam ex ſolis meritis Chriſti nobis liberaliter condonetur pœna temporalis. Et ideo jure meritò hæ propoſitiones proſcriptæ fuerunt; veluti juſtiſſimè proſcriberentur propoſitiones, quæ negarent meritum condignum gratiæ & gloriæ, & dicerent, opera hominis juſti tantùm eſſe puram conditionem, ad cujus præſentiam ex ſolis meritis Chriſti nobis liberaliter donetur gratia & gloria.

Ratio eſt; quia non apparet major proportio aut major æqualitas ſeu condignitas operum noſtrorum in ratione meriti gratiæ & gloriæ 12 Comm doctrina Cathol rum p

Digitized by Google

gloriæ, quæ ſunt entia ſupernaturalia in ſubſtantia, quam in ratione ſatisfactionis pro pœna temporali, quæ eſt naturalis in ſubſtantia.

Et verò cur major debeat eſſe æquitas & gratitudo Dei in remunerando opus hominis juſti, præmio gratiæ & gloriæ, quàm æquitas & manſuetudo Dei in acceptanda voluntaria punitione hominis juſti in hac vita, pro pœna temporali, exolvenda poſt hanc vitam in Purgatorio? Quia (inquis) totus valor operis exhauritur in merendo gratiam & gloriam.

13. Reſpondetur (inquit Lugo hìc diſput. 24. n. 11.) opera hominis juſti non extinguere debitum pœnæ per modum meriti, ſed per modum ſatisfactionis; quod eſt valde diverſum genus: nam meritum eſt in ordine ad gratitudinem, vel aliam virtutem ſimilem, quæ inclinat ad præmiandum; ſatisfactio verò eſt in ordine ad juſtitiam punitivam, vel manſuetudinem, quâ placatur judex, ne puniat cum tanto rigore.

Finge (proſequitur Eminentiſſimus) eſſe in Republica duosSuperiores, ad quorum alterum pertineat remunerare & præmiare pro bonis operibus, ad alterum punire ſcelera. Planè ſi aliquis reus pœnæ, ſubiret ſponte ſuâ ingentes labores pro Republica tuenda, æquum eſſet, ut ſecundus Superior temperaret, vel revocaret pœnam, quam ille reus debebat; & tamen hic Superior non poteſt remunerare, aut præmiare, ùt ſuppono: ergo hæc temperantia pœnæ non eſt præmium propriè dictum; ſed ceſſatio à punitione, & acceptatio unius pœnæ pro alia: quia æquum eſt, ut juſtitia placetur, quando reus ſponte ſuâ ſe laudabiliter afflixit.

Differunt ergo meritum & ſatisfactio, quòd meritum reddit hominem dignum præmio; ſatisfactio non reddit dignum, ſed tollit ſaltem remotè dignitatem pœnæ, quam habebat. Non habet itaque majus præmium in ratione præmii illud opus, quo ſimul homo meretur gloriam & ſatisfacit pro pœna, quàm ſi non ſatisfaceret. Nec è contra, qui non habet debitum pœnæ, pro quo ſatisfaciat, meretur plures gradus gloriæ, eò quòd habeat activitatem totam operis magìs liberam. Sicuti opus bonum impetratorium non meretur minus præmii ex eo, quòd ſimul impetret alteri aliquod beneficium; nec meretur plus ex eo, quòd nihil impetret, quia ſunt activitates diſparatæ in eodem opere. Hucuſque Cardinalis.

14. Sed quæſtio videtur eſſe de nomine: cùm enim illa ceſſatio à punitione ſit aliquod bonum hominis, ſaltem privativum; immò etiam quodammodò poſitivum, quia acceleratur viſio beatifica; cur non poſſit vocari præmium, quemadmodum deletio venialium à Scoto dicitur quoddam præmium 4. diſt. 21. q. 1. n. 10. ibi: *Et eodem modo de iſta deletione venialium, quæ eſt quoddam præmium non principale iſtorum meritorum, ſicut & augmentum Charitatis in tali vel tali gradu?* Vide quæ in ſimili caſu diximus diſp. 6 ſect. 6. concluſ. 3.

Hinc reſpondeo ad argumentum; totum valorem operis non exhauriri ſeu expendi in promerendo augmentum gratiæ & gloriæ, ſed inſuper opus hominis juſti acceptari à Deo ad remiſſionem ſeu ſatisfactionem pro pœna peccatis remiſſis debita, ùt conſtat ex Conc. ſuprà allegatis. Dico; *Hominis juſti*, ſive exiſtentis in gratia; quia non eſt ratio, quare potiùs requiratur ſtatus gratiæ (ſicut reverà requiritur) ad merendum de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, quàm ad condignè ſatisfaciendum ex opere operantis, pro pœna temporali. Totus valor operis non exhauritur in promerendo augmento gratiæ & gloriæ.

15. Audiamus Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Accedit ad hæc, quòd, dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu (qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt) conformes efficimur; certiſſimam quoque indè arrham habentes, quòd ſi compatimur & conglorificabimur. Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non ſit per Chriſtum Ieſum: nam qui ex nobis tamquàm ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia poſſumus; ita non habet homo unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Jam autem ſolus homo juſtus in Chriſto vivit: ergo etiam ſolus homo juſtus, ſeu exiſtens in gratia, meretur in Chriſto, & ſatisfacit in Chriſto condignè ex opere operantis. Solus homo juſtus poteſt ſatisfacere de condigno ex Trid.

16. Si inferas: Ergo homo juſtus, ſaltem ex parte, eſt redemptor; negatur Conſequentia: ſed ſolus Chriſtus eſt redemptor, qui tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſinè qua nullo pacto Deo grata & meritoria, atque ſatisfactoria ex opere operantis eſſe poſſunt. Objectio diluitur.

17. Huic doctrinæ non repugnat Scotus, quamquàm Multi id perperàm exiſtiment, vel quia non legunt Scotum propriis oculis, vel quia legunt limis oculis. Legite rectis oculis, quæ ſubjicio, & perſpicietis, Doctorem Subtilem ne ad latum unguem recedere à doctrina Catholica. Ita ſcribit 4. diſt. 15. q. 1. n. 16. *Dico ergo ſinè præjudicio, quòd qui ſemel verè pœnitet, & recipit Satisfactionem vel pœnitentiam condignam ſibi impoſitam ab Eccleſia, Clave non errante, quantumcumque poſtea recidivet, numquam tenebitur niſi ad illam unicam ſatisfactionem adimplendam. Et ſi eam impleat in Charitate, meliùs eſt: quia non tantùm ſolvit pœnam, ſed meretur. Sed ſi adimpleat eam voluntariè extra Charitatem, ſolvit quidem pœnam, ſed non meretur gratiam. Si autem ipſa ab eo extra Charitatem exigitur, ſolvitur pœna, licèt ipſe non ſolvat. Et in primo eſt ſatisfactio* Huic doctrinæ non repugnat Scotus.

 ſimpli-

Digitized by Google

ſimpliciter, quia reconcilians & placans: in ſecundo eſt quidem ſatisfactio, quia voluntaria redditio &c. ſed nec reconcilians nec placans: in tertio autem eſt ſatiſpaſſio, ultra quam non exigetur pœna ulterior.

Quid vobis videtur de Scoto? Num hìc docet, hominem extra ſtatum gratiæ ſimpliciter poſſe ſatisfacere pro pœna temporali? Sole meridiano clarius eſt, oppoſitum ſentire. *In primo* (inquit) id eſt, in eo, qui implet in Charitate, *eſt ſatisfactio ſimpliciter* id eſt, condigna ex opere operantis, quia reconcilians & placans.

18. Ubi falsò ei imponit Lugo.

Nunc attendite verba Lugonis diſp. 24. n. 24. Non defuerunt (inquit) qui dicerent etiam in ſtatu peccati poſſe hominem ſatisfacere pro pœna temporali, debita pro peccatis, jam priùs quoad culpam remiſſis. Scotus, Major Gabriel, Medina & Navarrus apud Suarez in præſenti diſp. 37. ſect. 2. n. 1. Quòd Scotus probat: quia qui propter delictum meretur abſciſſionem manûs, ſi manus ei abſcindatur, etiamſi non ſit in gratia Regis, ſatisfecit debito pœnæ. Ex hoc tamen argumento colligi videtur, quòd Scotus confundat ſatisfactionem cum ſatiſpaſſione: ille enim propriè non ſatisfacit, ſed ſatiſpatitur; nunc autem loquimur de ſatisfactione propriè dicta. Hæc ille.

Et n. 25. probans ex ratione communem ſententiam, ſic ait: Satisfactio licèt non ſit meritum formaliter, imitatur tamen rationem meriti. Quarè ſicut peccator & inimicus Dei, dum manet inimicus, non poteſt mereri condignè, quia non placet Deo, & ideò non poſſunt ejus opera eſſe Deo accepta ad præmium; ſic nec poſſunt eſſe accepta ad placandum Deum pro pœna debita, quæ placatio eſt quaſi quædam retributio pro caſtigatione voluntaria, quam homo exhibet & offert Deo: qui enim non poteſt eſſe dignus retributione & præmio propter inimicitiam permanentem, non poteſt etiam eſſe dignus ut acceptetur ejus caſtigatio voluntaria ad compenſandam pœnam aliundè debitam. Undè conſtat reſponſio ad fundamentum & exemplum Scoti, in quo non agitur de acceptatione & compenſatione, ſed ponitur ipſa pœna inflicta à Principe. An verò poſſit in eo ſtatu peccator ſatiſpati & ſolvere pœnam debitam eamque extinguere, diximus latè ſuprà diſp. 10. ſect. 2. Huc uſque Eminentiſſimus.

19. Hanc falſitatem oſtendit hic Auctor.

Sed quaſi unus ex illis, qui falſas ſententias imponunt Subtiliſſimo Theologorum Principi, quem numquam vel à primo limine ſalutarunt, vel oculis inſpexerunt, vel ſaltè in manus aſſumpſerunt. Vultis videre, quàm vera loquar? Quod Scotus probat (inquit Lugo) quia qui propter delictum meretur abſciſſionem manûs, ſi manus ei abſcindatur, etiamſi non ſit in gratia Regis, ſatisfecit debito pœnæ. Hæc ille. Sed clauſis oculis aberrat à ſcopo.

Scotus. Hæc ſunt verba Scoti ſuprà n. 17. *Et ſi arguas: mortua eſt: ergo non eſt ſatisfactio; non ſequitur, niſi quòd non eſt ſatisfactio placans, nec reconcilians in amicitiam. Et ſi dicitur: ergo non eſt ſatisfactio; non ſequitur: quia ſufficit Deo, quòd quis voluntariè ſolvat pœnam debitam ad punitionem peccati commiſſi; quia etiam quod minùs apparet, ſufficit ſatiſpaſſio. Patet in actibus humanis: ſi enim alicui offenſo in Regem correſpondeat præcisè ſecundùm legem abſciſſio manûs; ſi ipſi etiam invito abſcinditur manus, ſatiſpatitur, & in tantùm ſufficit Regi, quòd ſecundùm legem & Iuſtitiam non debet ab eo pœnam ulteriorem exigere; & tamen non recipit eum in gratiam vel amicitiam. Multò magis ergo poſſet ſufficere pro punitione culpæ, ſi aliquis ſibipſi pœnam debitam infligeret, licèt non eſſet in gratia vel amicitia ipſius Iudicis offenſi.* Ita Doctor Subtilis.

Satiſpatitur (inquit) *& in tantùm ſufficit Regi.* 2
Scotus diſtinguit inter ſatisfactionem & ſatiſpaſſionem.

Lugo autem legit: *Satisfecit debito pœnæ.* Legit (inquam) ſed clauſis oculis. Et ideo bene dixit: Ex hoc argumento colligi videtur, quòd Scotus confundat ſatisfactionem cum ſatiſpaſſione. Planè videtur, ſed illis, qui habent clauſos oculos, & loco ly *ſatiſpatitur*, legunt ly *ſatisfecit*.

Alioquin Scotum hìc diſtinguere inter ſatisfactionem & ſatiſpaſſionem, & à ſatiſpaſſione tamquam à minori, argumentari ad ſatisfactionem tamquam ad majus, & diſtinguere inter ſatisfactionem ſimpliciter, id eſt, reconciliantem, & ſatisfactionem non reconciliantem, ſive inter ſatisfactionem ex opere operantis, & ſatisfactionem ex opere operato, quòd illa debeat impleri in Charitate, id eſt, in ſtatu gratiæ; hæc autem poſſit adimpleri extra Charitatem ſeu extra ſtatum gratiæ, nemo non videt, qui habet oculos apertos ad videndum. Itaque Doctor Subtilis nuſpiam dixit, hominem in ſtatu peccati poſſe ſatisfacere ſimpliciter, ſeu de condigno ex opere operantis. An autem poſſit ſatisfacere ex opere operato, videbimus ſect. ſequenti.

Item ſatisfactionem reconciliantem & non reconciliantem.

Hoc impræſentiarùm addo; opera bona hominis peccatoris, in quantum ſatisfactoria de condigno ex opere operantis, ſi fierent ab homine juſto, non magìs reviviſcere ad effectum ſatisfactionis ſeu remiſſionis pœnæ temporalis, quàm eadem opera, in quantùm meritoria de condigno, reviviſcunt ad effectum meriti, id eſt, ad augmentum gratiæ & gloriæ. Si tamen ex illis operibus permanſerit aliquis effectus, v. g. ex eleëmoſyna carentia pecuniæ, poterit per novam voluntatem, adveniente gratiâ, ille effectus acceptari, & ita prodeſſe ex opere operantis tam in ratione meriti, quàm ſatisfactionis; non quà antea poſitus fuit in ſtatu peccati mortalis, ſed quà nunc in ſtatu gratiæ de novo acceptatur, & quaſi de novo ponitur.

21. Opera bona hominis peccatoris non reviviſcunt in effectum ſatisfactionis ex opere operantis.

De cætero præter ſtatum gratiæ, de quo jam egimus, requiritur ſtatus viatoris, qui ſignificatur in Concluſione his verbis: *In hac vita.*

21. Ad ſatisfactionem de condigno

...editur ...ten vita...

vita. Nam in Purgatorio non ſatisfaciunt animæ, ſed ſatiſpatiuntur juxta DD. communiter. Et meritò ſic ordinatum fuit à Deo, ne alioquin homines acciperent occaſionem vilipendendi peccata venialia, & omnes ſuas ſatisfactiones in alteram vitam remittendi, utpote in qua actus Contritionis erit facillimus.

Eſtò igitur hic actus, ex natura rei tantam habeat proportionem & condignitatem ad ſatisfaciendum pro pœna temporali, elicitus extra viam, ſive in altera vita, quantam elicitus ab homine viatore, adeòque in actu primo ſit ſatisfactorius, ùt Multi volunt; equidem non in actu ſecundo, id eſt, non ſatisfacit, defectu acceptationis divinæ; eodem modo, ſicuti non meretur de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, non defectu proportionis aut condignitatis intrinſecæ, cùm ſemper ſit ejuſdem bonitatis ſpecificæ, & indubiè intenſior ſæpè in altera vita; ſed defectu acceptationis divinæ. Hinc ponitur

CONCLUSIO II.

Satisfactio condigna ex opere operantis requirit liberam acceptationem Dei propter merita Chriſti.

23. Probatur Concil. ex Trident.

QUidni requireret? *Docet* quippe Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 9. *tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis, ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.* Si autem opus noſtrum eſt condigna ſatisfactio pro pœna temporali ante omnem acceptationem Dei, ita ut Deus, velit nolit, debeat remittere pœnam, nec poſſit tametſi velit peccata noſtra aliter punire, quæ illa tanta divinæ munificentiæ largitas? Aut quod illud maximum amoris argumentum?

Herclè ſicut opus meritorium de condigno, tametſi antecedenter ad promiſſionem & acceptationem Dei, habeat aliquam proportionem cum vita æterna; attamen non completam & perfectam, quæ obliget Deum ad tale præmium largiendum: pari modo opera ſatisfactoria de condigno, eſtò ex ſe habeant aliquam proportionem & condignitatem ad redimendam pœnam Purgatorii; haud equidem completam & perfectam, quæ obliget Deum ad remittendam pœnam iſtam, ſive ad non infligendam, niſi acceſſerit promiſſio & acceptatio ejus ad talem effectum.

Unde niſi Deus acceptaſſet noſtras ſatisfactiones, poſſet adhuc peccata noſtra punire in Purgatorio, eodem modo, ac ſi non eſſet ſatisfactum; quia reverà non eſſet ſatisfactum, cùm ex natura rei opera noſtra, quantumcumque pœnalia, neutiquam æquivaleant pœnis Purgatorii; ſed hanc æquivalentiam completè & ultimatè recipere debent ab ordinatione ſeu promiſſione divina, quâ ex mera liberalitate illa opera acceptat tamquam æquivalentia, quæ aliàs ex ſe non æquivalent. Et quamvis (ùt Aliqui putant) æquivalerent ex ſe, & ante omnem acceptationem Dei; equidem non obligarent Deum ad remittendam pœnam Purgatorii, ſicuti non obligant Deum ad retribuendam vitam æternam. Ità docet Lugo hìc diſp. 24 n. 16 & probat à ſimili. 24. Opera noſtra pœnalia ex natura rei non æquivalent pœnis purgatorii. Lugo.

Judex (inquit) ſemper habet jus ad exigendam pœnam illam, quam ipſe imponere velit, & non tenetur ad acceptandam illam, quam reus imponere ſibi voluerit, etiamſi ſit æqualis, & fortaſsè major; quia judicis, & non delinquentis eſt, taxare & determinare pœnam. Poterit ergo Princeps commutare unam pœnam in aliam; quæ ſi fuerit æqualis, per illam dicetur reus ſatisfeciſſe æqualiter debito prioris pœnæ: deficiente tamen judicis voluntate vel acceptatione, quantumvis reus ſe aliis ſuppliciis voluntariè caſtiget, non manet liber à debito pœnæ, per judicem taxatæ. Sicut ſi quis debeat triticum, & ſolvat oleum valoris æqualis; non tenetur creditor illud acceptare. Probatur à ſimili.

Confirmarique poteſt: quia nec Adamus, nec nos per opera pœnalia, qualiacumque ſint, ſatisfacere poſſumus pro debito carendi juſtitiâ originali, vel moriendi, quæ eſt pœna debita ex peccato originali; quia nimirum Deus non vult acceptare ullam ſatisfactionem pro illa pœna. Sic etiam noluit acceptare ullam ſatisfactionem vel pœnitentiam Davidis pro pœna, quam ei ſtatuerat pro ſuo peccato, quòd moreretur ejus filius ex adulterio natus. Non ergo extinguitur formaliter reatus pœnæ temporalis per ſolam ſatisfactionem, ex parte noſtra exhibitam, ſinè libera Dei acceptatione. Hæc ille. Confirmatur.

Contrarium docet Vaſquez hìc q. 94. art. 1. dub. 3. n. 6. dicens: Quamvis neceſſaria ſit promiſſio, ut Deus teneatur conferre præmium; tamen ut remittat debitum pœnæ, non requiritur: qui enim condignam ex ſe offert compenſationem pro pœna debita, eo ipſo redditur dignus, ut non puniatur: qui autem dignus eſt, ut non puniatur, non debet puniri: qui autem non debet puniri, non poteſt pro illo debito præterito puniri. Quare ſi Deus illum torqueret, non dignè pro peccato præterito puniret, ſed voluntate ſuâ torqueret. Ita Vaſquez. 25. Oppoſitum docet Vaſquez, & probat.

Sed petit principium: hoc enim eſt quod quæ- Sed petit principium

Digitized by Google

quæritur; an condignam ex ſe offerat compenſationem pro pœna debita, qui offert compenſationem, à Deo non ordinatam. Hoc ergo probandum erat, & non ſupponendum. Et dato, quòd condignam ex ſe offerret compenſationem, id eſt, quæ poſſet à Deo acceptari pro pœnis Purgatorii; unde probatur, quòd debeat acceptari? Nonne judex humanus habet jus exigendi pœnam lege ſtatutam, eſto reus offerat aliam compenſationem, quam, ſi vellet, poſſet judex humanus acceptare, & remittere pœnam à lege ſtatutam? Non dubito. Tamdiu ergo manet reus dignus punitione, quamdiu non ſolvit pœnam à lege ſtatutam, vel aliquid æquivalens ex voluntate judicis. Quæ autem judicis humani, eadem eſt ratio judicis divini, vel aſſignetur diſparitas.

26. *An qui minimam pœnam ſolveret, accedente promiſſione Dei, ſatisfaceret ex æqualitate? Lugo.*

Quid ſi ergo Deus aliquam minimam pœnam acceptaſſet pro ſatisfactione pœnarum Purgatorii, numquid homo ex æqualitate ſatisfaceret ſolvendo illam pœnam? Damnatus ad triremes (inquit Lugo ſuprà n. 15.) non ſatisfaceret condignè pro pœna jejunando uno die, licèt accederet promiſſio & acceptatio judicis. Ergo ſimiliter in Deo.

Contrà, dicet aliquis: Nonne æqualitas pœnæ, & culpæ, pendet à lege infligente pœnam? Poteſt autem Deus pro gravi culpa velle infligere levem pœnam. Quare ergo non ſatisfaceret ex æqualitate, qui pœnam iſtam levem ſolveret, cùm ſatisfaceret ex æquo legi juſtitiæ vindicativæ, ſolvendo pœnam per ipſam conſtitutam? Ad exemplum Lugonis reſpondetur: hujuſmodi reum non ſolvere ſeu ſatisfacere ad æqualitatem, ſi attendatur æqualitas inter unam & alteram pœnam; ſecùs, ſi attendatur æqualitas ad legem, mutantem unam pœnam in aliam.

27. *Reſponſio Vaſquez ad Conc. Trid.*

Sed mittamus hanc controverſiam; & audiamus, quid Vaſquez reſpondeat ad Concil. Tridentin. ſuprà allegatum. Reſpondeo (inquit ille) amoris argumentum non eſſe, quia opera facta liberè acceptentur novâ applicatione meritorum Chriſti; ſed quia dedit nobis Chriſtus gratiam & auxilium, quo flagella patienter toleremus, & ita ſatisfaciamus; quod eſt maximum amoris argumentum.

Similiter reſpondet ad alium locum ejuſdem ſeſſ. cap. 8. ibi: *Sed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Reſpondeo (inquit Vaſquez) hanc acceptationem & oblationem non eſſe per novam imputationem meritorum Chriſti, factam poſt opera noſtra (ùt Adverſarii contendunt) hanc enim ego ſuperfluam exiſtimo (ùt etiam de meritis dixi 1. 2. diſp. 214. cap. 11.) ſed intelligitur de oblatione & acceptatione, quæ provenit ex ipſa bonitate & dignitate operum, quâ Deo placent; & eo ipſo offeruntur & acceptantur: cùm enim Chriſtus det nobis virtutem, ut faciamus fructus dignos pœnitentiæ; ſequitur, dare nobis unde offerantur & acceptentur. Rectè ergo dixit Concil. per illum offerri & acceptari. Hactenus Vaſquez.

Contrà: Idem Auctor 1. 2. diſp. 215. n. 3. ſic ait: Reſtat, ut ad remunerationem præmii æternæ gloriæ Deus ſolùm ſit obligatus ex verbo ſuo, ſub conditione tamen operum & meritorum noſtrorum, quibus ex gratitudine reddere promiſit. Quæro igitur ego, potuit Deus operibus & meritis noſtris, id eſt, operibus ùt fiunt ex gratia Chriſti, non promittere æternam gloriam? Prorsùs (inquis) potuit. Quæro rurſum; ſi Deus non promiſiſſet æternam gloriam operibus & meritis noſtris, aliam habuiſſent bonitatem & dignitatem, an eamdem, quam modò habent? Eandem reponis. 28. *Oppugnatur.*

Infero: ergo acceptatio, quâ modò acceptantur ad æternam gloriam, non provenit præcisè ex ipſa bonitate & dignitate operum, quâ Deo placent: nam ſeclusâ illâ promiſſione placuiſſent Deo propter eandem bonitatem & dignitatem, & tamen non fuiſſent acceptata ad præmium æternæ gloriæ. Ergo aliud eſt opera noſtra fieri ex gratia Chriſti, ſive per gratiam Chriſti, aliud verò ea acceptari ad præmium æternæ gloriæ; quia potuiſſent fieri per gratiam Chriſti, & non acceptari.

Infero ulteriùs: ergo aliud eſt mereri in Chriſto gloriam æternam, aliud operari ex gratia & per gratiam Chriſti. Quidni ſimiliter diverſa ſint, patienter tolerare flagella per gratiam Chriſti, & ſatisfacere pro pœna temporali in Chriſto? Ergo Concilium locis allegatis intelligit ſpecialem aliquam oblationem & acceptationem, per quam opera noſtra, alioquin per gratiam facta offeruntur à Chriſto, & per Chriſtum acceptantur à Patre ad præmium æternæ gloriæ; & remiſſionem pœnarum temporalium. 29. *Aliud ſatisfacere in Chr... aliud per gratiam ejus patienter tolerare flagella.*

Et verò Contritio hominis peccatoris putas, quia non fit ex gratia, quam Chriſtus dedit nobis? *Declarat* utique Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. *ipſius juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab eius vocatione.* Quantò magis ipſa juſtificatio, & ipſa Contritio Charitate perfecta, per quam peccator Deo reconciliatur, priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur? Et tamen non ideo hæc Contritio à Chriſto offertur Patri, & per illum acceptatur à Patre ad præmium condignum vitæ æternæ, & condignam remiſſionem pœnæ temporalis. *Conc. Tr...*

Itaque cum communiori ſententia dico, ad meritum condignum & condignam ſatisfactio- *Ad ſatisfactionem condignam*

factionem neceſſariam eſſe ſpecialem promiſſionem ſeu acceptationem divinam, quam planè convenit factam fuiſſe propter merita & ſatisfactiones Chriſti, ut qui eſt cauſa meritoria juſtificationis noſtræ ſeu remiſſionis peccatorum, etiam ſit cauſa glorificationis & remiſſionis pœnarum temporalium, quæ, culpâ remiſſâ, remanent exolvendæ in hoc ſæculo, vel in futuro.

30\. Si inferas: ergo ſatisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem, reſtantem poſt culpam condonatam, quæ eſt una ex propoſitionibus damnatis, de quibus Concl. præcedenti.

Reſpondeo N. C. quia ſenſus iſtius propoſitionis eſt: Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum, quatenùs oblatæ à Chriſto, & per ipſum acceptatæ à Patre, non valent expiare; id eſt, non expiant de condigno pœnam temporalem, reſtantem poſt culpam condonatam. Alioquin (ùt Concluſ. præcedenti annotavi) immeritò fuiſſet damnata.

31\. Si rursùm inferas: ergo hæc ſatisfactio non eſt de rigore juſtitiæ commutativæ, neque vindicativæ; requiritur enim favor ex parte judicis acceptantis opera noſtra in ſatisfactionem, cùm poſſet exigere pœnam à ſeipſo infligendam.

Reſpondeo, quantùm ad juſtitiam commutativam: eſtò non foret neceſſaria promiſſio aut acceptatio judicis, haùd equidem hæc ſatisfactio eſſet de rigore juſtitiæ commutativæ; neque enim pœna debetur ex juſtitia commutativâ, ùt patet in humanis, ubi pœna pro peccato ſolùm debetur ex juſtitia vindicativa ſeu punitiva; tametſi reus poſſet peccare contra juſtitiam commutativam, lædendo jus judicis, quod habet ad pœnam infligendam, ſi ipſi inferat injuriam, diſtinctam à non ſuſceptione pœnæ, in bonis propriis famæ vel fortunæ, ùt traditur in materia de Juſtitia & Jure. Unde ſi ſolùm fugiat, non facit contra juſtitiam commutativam: ſin autem vi ſe defendat, & defendendo occidat vel mutilet judicem, aut miniſtros juſtitiæ, planum eſt, quòd peccet contra juſtitiam commutativam; ſed hæc non habent locum apud Deum.

32\. Reſtat ergo, quòd in foro Dei pœna tantùm debeatur ex juſtitia vindicativa: ac proinde ſatisfacit juſtus de rigore juſtitiæ vindicativæ quoad æqualitatem ſolutionis, tametſi non quoad modum. Primum patet: quia quod ſolvit, moraliter æquivalet pœnæ alioquin debitæ. Sicut ergo ſi ipſam pœnam debitam ſolveret, ſatisfaceret ex rigore juſtitiæ vindicativæ quoad æqualitatem ſolutionis; quidni etiam ſatisfaciat dum ſolvit, quod moraliter illi pœnæ æquivalet? Interim quia neceſſarius eſt favor judicis; hinc quoad modum ſolutionis non ſatiſfacit de rigore juſtitiæ vindicativæ. Poterit itaque ſimpliciter dici, quòd, ſuppoſitâ ordinatione Dei, homo juſtus per bona opera ſatisfaciat de rigore juſtitiæ vindicativæ.

Sed numquid repugnat, quempiam liberari à pœnis debitis per impetrationem, vel merita congrua abſque ſolutione æquivalenti? Reſpondeo:

CONCLUSIO III.

Non repugnat, quempiam liberari à pœnis debitis per impetrationem, vel merita congrua: immò probabile eſt, de facto ſuffragia vivorum ita prodeſſe defunctis per modum impetrationis, ut nulla ſolutio æquivalens intercedat.

Exordior ab ultima parte, pro qua citatur Cajet. tom. 1. Opuſc. tract. 16. qu. 5. Navar. in Comm. de Jubilæo, notab. 22. n. 15. & Alii apud Suarez hîc diſp. 48. ſect. 5. n. 4. ubi n. 5. eam ſententiam fatetur piam & probabilem, & fortaſſe (inquit) eſt vera. Pro fundamento autem ſtatui poteſt generalis promiſſio Chriſti Matt. 21. v. 22. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* 33. *Probatur ultima pars Concl. ex Scrip Matt. 21. Cajet. Navar. Suarez.*

Nonne Eccleſia ſæpè orat, ut defuncti per interceſſionem B. Virginis, & aliorum SS. veniam ſuorum peccatorum conſequantur? Quid clarius, quàm in officio Defunctorum ſæpiùs petere, ut Deus condonet pœnas animabus Purgatorii?

Accedat praxis Confeſſariorum, qui pœnitentibus præcipiunt, ut orent pro defunctis, cùm tamen non intendant his ſatisfactionem applicare? Hoc autem eſſe licitum, docet Catechiſmus Romanus part. 2. c. p. 5. q. 63. ibi: *Sed ex omni ſatisfactionum genere maximè convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot & definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, & præſertim pro iis, qui ex hac vita in Domino deceſſerunt, preces Deo faciant.* 34. *& praxi Confeſſariorum. Catechiſmus Roman.*

Denique Chriſtus, quando deſcendit ad limbum, putas, quia indè ſolùm liberaverit animas, quæ jam perſolverant debitam pœnam? Sanè de S. P. N. Franciſco piè & probabiliter creditur, quotannis in die ſibi ſacra ad Purgatorium deſcendere, ut animas Fratrum ſuorum & Sororum indè educat, quas omnes non eſt veriſimile debitam pœnam perſolviſſe, cùm fieri poſſit, & ſubinde contingat, ut aliqui moriantur in ipſa vigilia diei.

Quæris, unde ſciam hoc privilegium? Reſpondeo: eſt continua Ordinis Seraphici Traditio, quam accepit Ordo à Sociis Sanctiſſimi Patriarchæ, quorum utique Sociorum ſancti- 35. *Privilegium S. Franc. liberandi animas FF.*

Digitized by Google

ſuorum ex pœnis Purgatorii. tatem ac ſimplicitatem Eccleſia veneratur. Non eſt ergo veriſimile ipſos finxiſſe hujuſmodi privilegium; ſed piè creditur, ab ipſo Franciſco de eo inſtructos fuiſſe.

Bartholomæus Piſanus lib. 3. Conf. Fructu 31. ſic refert verba Chriſti ad Franciſcum: *Sicut ego in die obitûs mei ad limbum acceſſi, & meritis ac virtute Stigmatum Paſſionis meæ omnes animas, quas inveni, extraxi; ſic volo, quòd & tu, ut ſis mihi conformis in morte, ſicut es in vita, in die Natalitii tui vadas quolibet anno ad Purgatorium, & omnes animas trium Ordinum, ſcilicet Minorum, Sororum S. Claræ, & Pœnitentium Tertii Ordinis, quos ibidem invenies, in virtute & efficacia tuorum Stigmatum eruas, & ad gloriam Paradiſi perducas.*

Confirmatur ex Revelationibus B. Joannæ de S. Cruce, quæ multùm auctoritatis habent. In iis autem legitur, quòd B. Joannæ, in Feſto S. Franciſci per 6. horas in extaſim raptæ, Dominus apparuerit, eique indicaverit, quomodo miſerat S. Franciſcum ad Purgatorium, ut indè animas ſibi devotorum, virtute ſuorum Stigmatum liberaret. Et ulteriùs ei revelavit, hoc fuiſſe B. Franciſco conceſſum ſingulis annis uſque in finem mundi. Profectò ipſa mirabilis impreſſio Stigmatum, mirabilis Indulgentia Portiunculæ, mirabilis ſtatio corporis poſt mortem, & ſimilia plura extraordinaria & mirabilia, haùd parùm credibile reddunt præfatum privilegium.

36. Conſimile privilegium conceſſum ſacro Scapulari. Omitto conſimile privilegium (ùt refertur) ſacro Carmelitarum Scapulari conceſſum; de quo, præter Joannem XXII. Gregorium XIII. Sixtum IV. Gregorium XIV. & Clementem VIII. ita expreſsè loquitur Clemens VII. in Bulla, quæ incipit: *Dilecti Filii*, data in Urbe veteri 18. Maii 1528. *Die quo à ſæculo hujuſmodi Purgatorium acceſſerint, ipſa glorioſa Virgo Maria Sabbato ſequenti poſt illorum Confratrum ſeu Religioſorum & Sororum obitus ...... hujuſmodi eorum animas à Purgatorio liberabit.*

Huic Bullæ Sabbatinæ Academia Salmantina ſubſcripſit, teſte celeberrimo Theologo Joanne de Cartagena, qui ejus ſubſcriptionem ac approbationem vidit. Ita Angelus à Sancto Franciſco in Appendice Sacrarii Privilegiorum §. 2. Fides ſit penes ipſum. Ego nullam Bullarum, quas hic Auctor citat pro hoc privilegio, invenio vel apud Cherubinum in Bullario Romano, vel apud Rodriguez: ſed apud utrumque invenio Bullam Clementis VII. quæ incipit apud Rodriguez: *Noverint univerſi*; & eſt in ordine undecima; apud Cherubinum autem eſt trigeſima prima, & incipit: *Ex Clementi Sedis Apoſtolicæ*; in qua lego hæc verba: *Ac ipſa glorioſiſſima Dei Genitrix ſemper Virgo Maria ipſorum Confratrum ſeu Religioſorum ac Sororum animas poſt eorum tranſitum ſuis interceſſionibus continuis, piis ſuffragiis & ſpeciali protectione adjuvabit.*

Angelus à S. Franciſco. Clement VII. Rodriguez.

In Summario autem iſtius Bullæ apud Rodriguez nu. 2. ſic ſcriptum habes: *Prædictis Confratribus Indulgentia plenaria conceditur. Et hæc eſt Indulgentia ſabbatina, communiter ſic nuncupata*; cùm tamen in tota Bulla non fiat mentio ſabbati. Interim ſtudioſus Lector videat de hoc privilegio Auguſtinum à Virgine Maria Ord. Carmelitarum in ſuo libello: *Privilegia omnium Religioſorum*, verb. *Indulgentiæ pro extraneis, Carmelitarum intuitu*, n. 2. & 14. Si verum eſt (ùt piè creditur) liquet profectò, privilegium Sancti Franciſci non eſſe impoſſibile. Aug. à Maria.

37. Prima objectio contra privilegium S. Franciſci ſolvitur. Si dixeris: Nequidem Chriſto tribuitur, ut ſingulis annis in aliquo ſuorum Feſtorum id faciat. Reſpondeo: Omnis liberatio, etiam per Sanctos facta, redundat in merita Chriſti: ſemper enim verum eſt illud Chriſti Joan. 15. v. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Intrinſeca igitur virtus omnium miraculorum eſt à Chriſto: de externa verò exhibitione intelligo, quod ipſe dixit Joan. 14. v. 12. *Majora horum* (per me factotum) *faciet* Sanctus, qui credit in me.

Secunda diluitur. Nec obſtat; quòd omnia teſtimonia ſumantur ex Ordine Franciſcano: nam quæro, undè credis Indulgentiam Portiunculæ, impreſſionem SS. ſtigmatum & ſimilia? Nonne ex teſtimoniis Ordinis Franciſcani? Sanè totum aliquem ſanctiſſimum Ordinem, unà cum Sanctiſſimis Sociis Seraphici Patris ſuſpectare de impoſtura in tali re, temerarium eſt. Alioquin ſimili argumento detrahes fidem omnibus miraculis ac vitis Sanctorum, nec non revelationibus, factis perſonis devotis.

38. Tertia. Sed dicet aliquis: S. Franciſcus non poteſt illis animabus applicare theſaurum Eccleſiæ, nec communicare ſua propria merita. Et dato quòd poſſet mereri de congruo, ac impetrare hanc gratiam à Chriſto, ſicut quilibet viator (*Nec enim eſt inconveniens*, inquit Scotus 4. diſt. 45. q. 4. n. 8. *aliquem, qui jam eſt in termino quoad ſe, per orationem mereri alteri; ſicut videmus in politiis, ubi Rex illud quod vult dare, vult tamen per interceſſionem alicuius dare alicui, qui non eſſet dignus ſtatim exaudiri; & maximè vult, ſi aliquis apud eum maximè acceptus intercedat, qui tamen acceptus, nullum gradum ulteriorem amicitiæ, ſibi meretur*) hoc, inquam, gratìs admiſſo, non videtur quomodò merita S. Franciſci ſufficiant pro tot millionibus animarum. Scotus.

Reſpon. Reſpondeo: Non ſufficiunt quidem ad ſolutionem in ratione pretii condigni; interim tamen mediante oratione poteſt illis impetrare applicationem meritorum & ſatisfactionum Chriſti, quæ indubiè ſufficiunt. Fateor, omnibus eodem modo convenit hoc privilegium ſive plura, ſive pauciora habuerint peccata; ſive moriantur in vigilia feſti B. Patris, ſive diu ante mortui fuerint; ſed quid tum? Num ideo irrationabile, & derogans divinæ juſtitiæ?

Digitized by Google

tiæ? Minimè: nam (ùt bene notat Scotus 4. diſt. 46. q. 4. n. 17.) *dare bonum indebitum non eſt contra iuſtitiam, quia eſt liberalitatis, & actus unius virtutis non repugnat alteri.* Chriſtus latronem bonum ſtatim eduxit in cælum, & tamen non fecit injuſtitiam Abrahamo, Moyſi & aliis antiquis Patribus, diu in limbo relictis.

39. Si objicias: Hoc privilegium obſcurat doctrinam Catholicam de operibus pœnitentiæ, tollit pietatem, minuit timorem Purgatorii, retrahit mentes fidelium ab eleëmoſynis faciendis vel Miſſis &c.

Reſpondeo I. idem objici poſſe contra Indulgentias. Reſpondeo II. Piè quidem credimus, attamen non conſtat certò de hac gratia; & ideo non dimittenda ſeu negligenda media ordinaria, juxta illud communiter receptum: *Propter incertum non ſunt dimittenda certa.*

Inſtas: Eymericus Inquiſitor damnavit de hæreſi Arnoldum Montaneſium, qui hoc privilegium defenderat. Reſpondeo: ſi verè & juſtè eum damnavit (quod relinquimus Aliis inquirendum) vel hoc fuit ob hæreſim Fratricellorum, in qua erat ille Montaneſius; vel quia illud & alia privilegia tamquam infallibilia & de Fide divina pertinaciter affirmare auſus eſt. Hæc latiùs de prædicto privilegio ob certas rationes.

40. Redeo ad principalem difficultatem, & dico, ſi hoc privilegium verum eſt (ùt putamus) ex illo non modicum confirmari noſtram Concluſionem: non enim veriſimile eſt, in liberatione omnium illarum animarum intercedere ſolutionem æquivalentem.

Si inferas: Ergo illa peccata manebunt impunita. Reſpondeo N.C. ſed ſatisfit plenè juſtitiæ divinæ per applicationem ſatisfactionum Chriſti pro pœna, quam homines debebant alioquin ſolvere; quæ applicatio obtineri poteſt, quamvis fallibiliter, per orationes; ſicut non manent peccata impunita, quando pœna remittitur per Indulgentias, per Sacramenta vel Sacrificia, quibus infallibiliter applicantur ſatisfactiones Chriſti, & pleniſſimè ſolvitur totum debitum.

41. Nec repugnat D. Auguſtinus Serm. 50. de Temp. in fine, ubì ad illa verba Eccleſiaſtici 21. v. 1. *Fili peccaſti? Non adiicias iterum; ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur,* ſic ait: *Sed quid proderit deprecari, ſi te non dignum feceris exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ, ut tamquam ſterilis arbor excidatis, & in ignem mittaris? Si ergo exaudiri vultis cum deprecamini pro peccatis veſtris, dimittite & dimittetur vobis.* Loquitur quippe de remiſſione culpæ, quæ non habetur immediatè per impetrationem ſinè pœnitentia, & aliis requiſitis.

Reſpondet Suarez diſp. 37. ſect. 10. n. 4. Licèt etiam loquatur de remiſſione peccati quoad culpam, non tamen de illa ſolùm, ſed de omni remiſſione. Eſt autem eadem proportionalis ratio: nam etiam à Deo petimus remiſſionem culpæ; non tamen petimus, ut remittatur propter ſolam orationem, ſinè debita diſpoſitione; & ideo petendo hanc remiſſionem, ipſam etiam diſpoſitionem poſtulamus. Ergo idem proportionaliter dicendum eſt de remiſſione pœnæ, & petitione ejus.

Sed contrà I. Auguſtinus loquitur de ſola remiſſione culpæ, ùt colligo ex his verbis immediatè præcedentibus: *Quid ergo aliud ſonat, quod ſuperiùs ait:* Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur; *niſi quod ſiniſtri audituri ſunt:* Ite in ignem æternum; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare? *Parum eſt itaque recedere à peccatis, ſi præterita curare neglexeris.* Ergo non loquitur de pœnis temporalibus, ſed de pœna æterna, per conſequens de ſola remiſſione culpæ & pœnæ æternæ; non autem de remiſſione pœnæ temporalis Purgatorii. 42. *Sed non expugnat.*

Deinde diſparitas eſt inter remiſſionem culpæ, & pœnæ temporalis, quòd Scriptura ubique inculcet neceſſitatem pœnitentiæ: & quamvis etiam ſæpiſſimè ſignificet neceſſitatem ſatisfactionis, tamen aliundè conſtat per Indulgentias & Sacrificium Miſſæ remitti pœnas temporales, eſtò numquam obtineatur remiſſio culpæ. Ergo major neceſſitas Pœnitentiæ ad remiſſionem culpæ, quàm ſatisfactionis ad remiſſionem pœnæ temporalis. *Diſparitas inter remiſſionem culpæ & pœnæ temporalis.*

Conſimiliter communior & verior ſententia eſt, Sacrificium Miſſæ non cauſare immediatè augumentum gratiæ ſanctificantis, tametſi tollat immediatè pœnas temporales. Ergo non bene ſequitur: poſſum impetrare remiſſionem pœnarum temporalium abſque ſolutione æquivalenti, ſeu condigna ſatisfactione; ergo etiam augmentum gratiæ ſanctificantis abſque merito condigno. 43. *Non valet, poſſum accipere remiſſionem pœnæ abſque ſolutione æquivalenti, ergo etiam augmentum gratiæ abſque merito condigno.*

Ratio à priori voluntas Dei, quæ faciliùs inclinatur ad unum effectum, quàm ad alium, ùt patet ex jam dictis. Rationem congruentiæ aſſignat Lugo diſp. 24. n. 23. quòd cùm gratia ſit immediata menſura gloriæ, oportuit hanc menſuram certam eſſe, & communem omnibus regulam præfiniri obtinendi gratiam, ne aliqua querelæ ſpecies poſſet ſuboriri, ſi haberet majorem gloriam, qui minorem meruiſſet.

Dices: Ergo etiam ipſæmet animæ in Purgatorio poterunt ſibiipſis tali viâ remiſſionem obtinere. Eſto; quid tum? Nam (ùt docet Suarez Tom. 2. de Religione, lib. 1. de Orat. cap. 11. v. 14.) oratio illarum animarum habet vim impetrandi, quoniam juſtæ ſunt & gratæ Deo; & poſſunt orare pro remiſſione pœnarum, ùt docet ibidem n. 15. dicens: cur non poterunt humiliter à Deo petere, ut quàm citiſſimè indè liberentur juxta ordi- 44. *Objectio ſolvitur.* *Suarez.*

ordinem ſuæ divinæ providentiæ, ſive hoc ſit immediatè condonando ſibi aliquam partem pœnæ propter Chriſtum; ſive (quod facilius eſt) excitando fideles juſtos, qui pro eis ſatisfaciant, & ſuffragia vel indulgentias pro eis applicent. Ita enim refert Gregorius in lib. Dialogorum interdum viſas eſſe animas Purgatorii petere à viventibus ſuffragia: ergo etiam poterunt orare Deum, ut aliquo modo eis provideat, quo citò indè liberentur. Hæc ille. Si ergo poſſint orare Deum, ut eis provideat, immediatè condonando ſibi aliquam partem pœnæ propter Chriſtum; quidni aliquando Deus eas exaudiat? Interim quia ſunt in ſtatu punitionis, rarò videntur exaudiri.

Quidni frequentiùs exaudiantur, qui nondum ſunt in ſtatu punitionis & ſatispaſſionis, ſed adhuc in ſtatu pleniſſimæ ſatisfactionis, id eſt, homines viatores pro ſeipſis Deum obſecrantes, ut immediatè ſibi condonet aliquam partem pœnæ propter Chriſtum? Quamquam enim aliâ viâ poſſint cum gratia Dei totum debitum ſolvere ad æqualitatem per opera ſatisfactoria de condigno ex opere operantis; numquid ideo præcludenda via impetrationis magìs, quàm via ſatisfaciendi per Indulgentias aut Sacrificia, vel Sacramenta ex opere operato? Et hanc ultimam viam omnes Catholici admittere debent: quidni etiam viam impetrationis poſſint admittere? Nihil repugnat, ùt habet prima pars Concluſionis, quæ ſuppoſitâ veritate ſecundæ partis, nullam ſpecialem habet difficultatem.

45. Contra ſecundam part. Concluſ. opponitur Script. Matth. 5. Cæterùm contra ſecundam partem opponitur Scriptura Matth. 5. v. 26. *Non exies indè donec reddas noviſſimum quadrantem*, per te ſcilicet, vel per alium: ergo ſinè cauſa petitur à Deo, ut gratìs remittat debitum pœnæ; nec talis oratio in hoc ſenſu mereretur exaudiri. Ac proinde quando Eccleſia orat pro fidelibus defunctis, ut Deus remittat ipſis pœnas Purgatorii, non cenſetur rogare, ut id fiat ſinè ſufficienti ſatisfactione; ſed ut Deus miſericorditer provideat modum, quo juſtitiæ ſatisfiat, excitando fideles juſtos, qui pro eis ſatisfaciant. Similiter quando Beati orant pro animabus defunctorum, non intendunt, ut omninò gratis liberentur à pœnis Purgatorii; ſed I. ut Deus det viventibus gratiam ad ſatisfaciendum pro illis. II. ut ſatisfactiones ſuæ ſuperfluæ illis applicentur. III. ut acceleretur liberatio mediante intenſione pœnæ, ùt Aliqui volunt.

Pari ergo modo dici poteſt, quando fideles in hac vita pro ſeipſis petunt à Deo remiſſionem pœnarum temporalium, primò recognoſcere opera ſua de ſe talia non eſſe, ut ex rigore juſtitiæ ſufficerent ad pœnam peccatis debitam perſolvendam: & ideo petunt à Deo benignè acceptari. Secundò petunt auxilium & devotionem ad ita orandum, ut ſatisfacere poſſint; atque adeò illâmet oratione, quâ ſe debitores recognoſcunt, ſatisfactionem aliquam exhibere intendunt. Ita Adverſarii.

Reſpondeo: ſatìs capio, talem poſſe eſſe ſenſum illarum orationum; ſed non ſatìs video repugnantiam ſeu inconvenientiam ſenſûs noſtri, id eſt, non intelligo, quare non poſſim orare, ſeu petere à Deo mihi, vel aliis, immediatam remiſſionem alicujus partis pœnæ propter Chriſtum: ſic enim non gratìs omninò remittitur pœna; ſed propter ſatisfactiones Chriſti, quas aliquo modo ex opere operantis per illas orationes mihi, vel aliis applico. 4 Reſpo

Ex quo patet; quid reſpondendum ad illam Scripturam, quæ parabolica eſt; & ideo non in omnibus neceſſariò adaptanda. Sufficit meliùs eſſe in hac vita ſatisfacere; quàm expectare poſt hanc vitam: quia (ſicut antea inſinuavi) faciliùs exaudiuntur illi, qui ſunt in ſtatu ſatisfactionis, quàm illi, qui ſunt in ſtatu punitionis ſeu ſtatu ſatispaſſionis. An autem ſubinde non exaudiantur etiam illi, qui ſunt in ſtatu punitionis, ſed ſemper debeant reddere noviſſimum quadrantem per ſe, vel per alios, impertinens eſt ad veritatem illius parabolæ. Sufficit incertitudo hujuſmodi exauditionis, ne propterea homines procliviores ſint ad peccandum; & ut ſolliciti ſint de operibus ſatisfactoriis de condigno ex opere operantis, vel opere operato. Scrip objec parabol & ide in or neceſ adapt

Unde non valet argumentum Suarii diſp. 37. ſect. 10. n. 6. numquam in ſacra Scriptura legimus eſſe promiſſam remiſſionem pœnæ noſtris operibus, niſi quatenus ſatisfactoria ſunt, atque adeò ùt pœnalia: ergo ex præciſa ratione meriti de condigno, ſecluſâ ratione ſatisfactionis, non reſpondet noſtris operibus aliqua remiſſio temporalis pœnæ. 4 Argu mum

Confirmatur: quia hâc ratione non meretur homo de condigno bona temporalia, niſi quatenus neceſſaria ſunt, & aliter obtineri non poſſunt. Unde ſi homo indiget re temporali, quam emere v. g. poteſt, non eſt cur per ſua merita velit extraordinariè illam à Deo obtinere. Sic ergo cùm poſſit homo hanc proprio & ſtatuto pretio redimere, non eſt cur aliâ viâ de condigno illam mereatur, nec cenſeri debet facere, quod in ſe eſt, ad hanc remiſſionem obtinendam; donec proportionalem pœnam ſolvat. Hæc ille.

Sed non valet argumentum: nam in primis promiſſionem generalem ſuprà aſſignavimus ex Matth. 21. *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Deinde Concluſio noſtra non docet orationem eſſe meritum condignum, ſed meritum congruum, & ideo fallibile ſeu incertum, ſicut eſt fallibile & incertum meritum bonorum temporalium. Quantùm ad ſimile, claudicat nimis; quia ſinè cauſa non eſt exigendum miraculum: qui autem per orationem petit remiſſionem pœnarum, non 4 Oſten non Matt

Digitized by Google

non petit miraculum, ſed illud quod non rarò à Deo præſtatur, aut ſaltem natum eſt præſtari, quamvis etiam frequenter, & fortè frequentiùs, contrarium accidat.

Ex quo feſtinè cognoſcitur, neque per orationes fidelium in hac vita, neque per orationes SS. qui cum Chriſto regnant in cælo, brevi Purgatorium evacuandum fore; hæ namque proſunt animabus juxta modum divinæ providentiæ, ſic impetrando aliquam pœnarum relaxationem, ut ſuus quoque locus relinquatur juſtitiæ; ſic impetrando liberationem aliquarum animarum, ut aliæ noviſſimum quadrantem reddere debeant. Itaque preces eorum ſubordinatæ ſunt divinæ providentiæ, adeòque contra voluntatem Dei abſolutam non orant, ſed ſaltem ſub tacita quadam conditione: *Si Deus ita diſpoſuerit*. Et quamvis aliter orarent, indubiè nihil impetrarent.

49. ...men ...n pœnæ ...torii ...tatur ...e ſo... ...ite ...alitate

Itaque (ut concludam hunc diſcurſum) non video ullam repugnantiam in eo, quòd homo juſtus vel ſibi vel alteri, vivo vel defuncto, poſſit impetrare remiſſionem pœnarum temporalium ſive hujus, ſive alterius ſæculi; eſtò aliunde poſſet Deo ſatisfieri ad æqualitatem ſive ex opere operantis, ſive ex opere operato. Quid de facto fiat, ſatìs incertum eſt quantùm ad pœnas Purgatorii: nam de pœna extraordinaria & quaſi accidentali, quâ Deus ſpecialiter voluit punire peccatum in hac vita, ſicuti pro hac homo juſtus non poteſt ſatisfacere de condigno, immò neque aliquid facere, quo infallibiliter talis pœnæ remiſſionem conſequatur; ita ſatìs certum eſt, ejus remiſſionem fallibiliter impetrare poſſe, ſeu mereri de congruo per orationes.

...babile quòd ...ando ...mit. ...

Quin probabile exiſtimo, eâdem viâ obtinere poſſe remiſſionem pœnarum Purgatorii, cùm etiam ab homine non rarò petatur & obtineatur remiſſio pœnarum, ſinè oblatione ſatisfactionis condignæ, etſi talis abſolutè poſſet exhiberi: quidni igitur & à Deo, utique munificentiſſimo, quantumvis condigna ſatisfactio ſit poſſibilis? Interim placeat conſilium meum, ut quiſque ſtudeat ſatisfacere Deo ad æqualitatem, ſive ex opere operantis, aut certè ex opere operato: neque enim ſecurior ulla via in Eccleſia Dei umquam exiſtimata fuit, ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera, putà jejunia, eleëmoſynas, orationes & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, homines cum vero animi dolore frequentent. Pia (inquam) nam, ùt communiter docent Theologi:

CONCLUSIO IV.

Opus ſatisfactorium debet eſſe opus honeſtum ac liberum.

De prima parte non eſt ratio dubitandi, intellecta (ſicut intelligi debet) de ſatisfactione condigna ex opere operantis, & opere honeſto ſaltem ex objecto. Patet ex dictis: nam eodem modo loquitur Trid. de opere ſatisfactorio, & meritorio. Et dicit utrumque ex Chriſto vim habere, à Chriſto offerri Patri, & per Chriſtum acceptari à Patre, ſeſſ. 14 cap. 8. Et can 14. definit, ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, eſſe cultus Dei. Jam autem opus malum vel indifferens liquet profectò, non eſſe cultum Dei, neque à Chriſto offerri Patri, neque per Chriſtum acceptari à Patre, neque ex Chriſto vim habere. Putas, quia Deus Pater poterit acceptare & condignè placari per opera, quæ ipſi diſplicent, aut ſaltem non placent? 50.

Concluſ. loquitur de ſatisfactione condigna ex opere operantis & honeſtate objectiva.

Conc. Trid

Noli putare, quia ſcriptum eſt: *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*, Sap. 14. v. 9. Et quamvis actus indifferens (ſi dari poſſit, de quo Aliqui dubitant) odio non ſit Deo, & ideo ipſum non puniat, nec pro eo exigat ſatisfactionem; equidem non placere ſive ad meritum, ſive ad ſatisfactionem de condigno, probatur: quia opus meritorium debet fieri in obſequium alterius, à quo expectatur retributio: ſimiliter opus ſatisfactorium in obſequium ejus, à quo expectatur remiſſio pœnæ. Hoc ipſo autem, quò opus aliquod fit in obſequium Dei, jam bonum eſt, quòd aliàs foret indifferens. Itaque non minùs inconveniens eſt, Deum remittere pœnam propter opus inhoneſtum, vel ſaltem non honeſtum, quàm propter tale opus retribuere aliquod aliud præmium.

Opus indifferens non placet Deo.

Sap. 14.

Ex quo inferunt Aliqui; opus ſatisfactorium debere eſſe honeſtum honeſtate aliquâ ſupernaturali, non intrinſecè, ſed extrinſecè, id eſt, imperari debere ab aliqua virtute ſupernaturali, eo modo, quo id requiritur ad opus meritorium: nam (inquiunt) ſatisfactio noſtra ex opere operantis de condigno, eſt per modum cujuſdam meriti; quia non eſt per exactam pœnæ inflictionem, ſed per quandam recompenſationem proportionatam ſecundùm moralem valorem & exiſtimationem. Ita Suariùs diſp. 37. ſect. 3. n. 3. 51.

An opus ſatisfactorium debeat ſaltem imperari ab aliqua virtute ſupernaturali.

Affirmat Suarez.

Si objicias: Ad meritum condignum rei temporalis non requiritur ulla ſupernaturalitas. Reſpondet I. probabile eſſe, nullum meritum de condigno, cujuſcumque præmii ſit, poſſe ex omni parte eſſe naturale. Reſpondet II.

Et ad objectionem reſpondet I.

Digitized by Google

Reſpondet 2. det II. remiſſionem pœnæ, licèt ſit præmium temporale, ùt diſtinguitur ab æterno (pœna enim, quæ remittitur, eſt temporalis) attamen non eſſe præmium temporale, ùt opponitur ſpirituali: nam diminutio pœnæ Purgatorii magnum ſpirituale bonum eſt, & ad ordinem ſupernaturalem ſpectans; cùm indè acceleretur æterna Dei viſio.

52\. Secunda reſponſio impugnatur. Sed contrà: Ea viſio non ſequitur propriè ex ceſſatione pœnæ, ſed planè per accidens; per ſe autem ſequitur ex meritis antiquis & gratia habituali. Undè ſi hæc non fuiſſent in homine, etiamſi ſatisfaceret pro ea pœna debita (ut poſſemus ſatisfacere in pura natura) non tamen ſequeretur tunc viſio beata: bene autem poteſt aliquid naturale promereri eo ſenſu anticipationem gloriæ per accidens, aut auferendo impedimentum.

Pono hominem ſtultum à nativitate baptizatum, incapacem planè naturaliter impoſterum rationis; hic quò citiùs moritur, eò citiùs videt Deũ, & mors in illo eſt eodem planè modo anticipatio beatitudinis, ſicut in anima Purgatorii, ſatisfactio pro pœna eſt anticipatio gloriæ, utrobique ſcilicet per accidens. At quis quæſo, dicet, occidere illum ſtultum tribus diebus antequam alioquin erat moriturus, eſſe aliquid ſupernaturale, & non eſſe vires naturales in nobis ad eum occidendum; aut ex hoc capite non poſſe nos per actum naturalem promereri à Deo, ut ei anticipet mortem, ad hoc ut à moleſtia, quam propter illum patimur, liberemur, etiamſi ſecutura ſit indè ſalus ratione gratiæ, quam habebat? Ita Arriaga hìc diſp. 20. n. 19.

53\. Arriaga exiſtimat improbabile, negare actui naturali rationem meriti de condigno. Et n. 17. exiſtimat planè improbabile, negare actui naturali bono omnem omninò capacitatem aliquid merendi de condigno. Quis enim (inquit) dicet, in ſtatu puræ naturæ hominem naturaliter amantem Deum, & alios bonos actus naturales morales exercentem, non habiturum condignitatem cum illo præmio, v. g. cum ſanitate, cum dilatione mortis, cum pluvia obtinenda &c? Profectò hanc condignitatem Multi ponunt de facto in talibus actibus, à gratia dignificatis, cum viſione æterna: quod licèt aliunde ex Conciliis & PP. rejici poſſit; ut tamen id non habeat locum reſpectu præmiorum tam levium, qualia ſunt multa temporalia, non video quâ probabilitate id aſſeratur. Hucuſque præfatus Auctor.

54\. Nihilominus ſubſcribit ſententiæ Suarii. Qui proptereà n. 21. exiſtimat ſatis probabile eſſe, actum honeſtum naturalem hominis juſti valere de condigno pro ea ſatisfactione, quamvis probabiliorem dicat ſententiam Suarii: Nam (inquit) quidquid ſit de naturalitate earum pœnarum, ſeu de naturalitate carentiæ illarum, certè adeò illi dolores phyſici Purgatorii (ſumpto etiam ſimul dolore, quem tunc habent ex dilatione viſionis beatæ) ſunt in longè altiori ordine reſpectu noſtrarum paſſionum, ut planè non videantur hæ ullam condignitatem cum illis habere.

Et verò etiam quando dignificantur actiones noſtræ pœnales per actus ſupernaturales, eſt difficilè explicare, quomodò una moleſtia jejunii, vel gemitus aliqui æquare poſſint in valore intenſiſſimas illas pœnas Purgatorii: multò ergo minùs id poterimus dicere, quando ſolùm dignificantur per actum naturalem. Neque ſufficit, quòd ea ceſſatio pœnæ ſit aliquid naturale: non enim omnia naturalia cadunt ſub meritum condignum actuum naturalium; alioquin quilibet actus naturalis mereretur qualiacumque præmia naturalia, quod manifeſtè eſt falſum. Hucuſque Arriaga.

Itaque ſi non omninò neceſſarium, ſaltem ſecuriùs eſt, opera ſatisfactoria referre in Deum per actum aliquem ſupernaturalem; & ideo prorſùs omnibus conſulendum, & ab omnibus practicandum, quantùm commodè fieri poteſt, ne fortè fruſtrentur effectu remiſſionis pœnarum cum magno ſuo incommodo. Quod probè intelligens Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. ſic ait: *Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei umquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hac pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Et amabò, quis verus animi dolor, niſi actus ſupernaturalis Spei vel Charitatis? 5[illegible] Secu[illegible] eſt op[illegible] ſatisfact[illegible] referre[illegible] Deum

Ex quo videtur ſequi, majorem bonitatem voluntatis, ex qua procedit caſtigatio corporis, augere valorem ſatisfactionis, ita ut plus ſatisfaciat flagellatio vel eleëmoſyna procedens ex actu Charitatis, quàm procedens ſolùm ex actu Spei; procedens ex actu voluntatis honeſto ùt 8. quàm idem opus procedens ex voluntate honeſta tantùm ad 4. Ita cum Suario ſup. ſect. 6. n. 9. docet Lugo diſp. 24. n. 33. Probatur, quia opus non ſatisfacit ſolùm ùt pœnale, ſed etiam ùt honeſtum, ita ut deficiente honeſtate, non ſit ſatisfactorium: ergo creſcente honeſtate, creſcere etiam debet efficacia ad ſatisfaciendum, eſtò creſcente pœnalitate, ſimiliter creſcat ſatisfactio. Majo[illegible] tas ad[illegible] get v[illegible] ſatisfa[illegible] nem. Suare. Lugo.

Nonne Profeſſio Religioſa (teſte Doctore Angelico 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3. affert ſecum expiationem totius pœnæ temporalis debitæ? *Rationabiliter* (inquit S. Thomas) *dici poteſt, quòd etiam per ingreſſum Religionis aliquis conſequatur remiſſionem omnium peccatorum. Si enim aliquibus eleëmoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere de peccatis ſuis, ſecundùm illud Dan.* 4. Peccata tua eleëmoſynis redime; *Multò magis in ſatisfactione pro omnibus peccatis ſufficit, quòd aliquis ſe totaliter divinis obſequiis mancipet per Religionis ingreſſum, quæ excedit omne genus ſatisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ùt habetur in Decretis* 33. q. 2. Admonere. *Sicut etiam Holocauſtum excedit Sacrificium, ùt Greg. dicit* (Homilia 20. 56 Profeſſ[illegible] Religi[illegible] adfert[illegible] cum e[illegible] tionem[illegible] tius p[illegible] tempo[illegible] ex S. T[illegible]

à me-

à medio) *ſuper Ezechielem. Vnde legitur in vitis Patrum, quòd eandem gratiam conſequuntur Religionem intrantes, quam conſequuntur baptizati. Si tamen non abſolverentur per hoc ab omni reatu pœnæ, nihilominùs ingreſſus Religionis utilior eſt, quàm peregrinatio terræ ſanctæ, quantùm ad promotionem in bonum, quæ præponderat Abſolutioni à pœna.* Hæc ille.

Et verò unde tanta efficacia Profeſſioni Religioſæ? Non ex opere operato; nullibi enim legitur à Deo illud opus elevatum ſpecialiter ad cauſandum talem effectum. Ergo ex opere operantis (ùt docet idem Sanctus 4. diſt. 4. q. 3. ad finem) nempe propter excellentiam actionis; & tamen non habet ille actus multum pœnalitatis formaliter. Dico, *Formaliter*; quia materialiter ſeu objectivè multum habet pœnalitatis; id eſt, proferre verba Profeſſionis, vix aut ne vix quidem pœnale; at verò obſervare Profeſſionem & reddere vota ſua, hoc opus, hic labor eſt.

Quidquid ſit de hoc exemplo, quod non eſt omninò certum, ùt patet ex D. Thom. ſuprà; item de exemplo eleëmoſynæ, quæ communiter dicitur magìs ſatisfactoria, quàm jejunium, licèt hoc majorem afferat pœnalitatem; ſufficiat nobis quod certum eſt, ſcilicèt caſtigationem non placere Deo, niſi ut eſt informata pio affectu, quo peccator vult ſe laudabiliter caſtigare ac placare Deum, cujus auctoritatem læſit per ſuum peccatum: ergo quò laudabiliùs vult, eò magìs placat.

Cumque nihil laudabile ſit, quod non eſt poſitum in noſtra poteſtate, ùt docet Scotus Quodlib. 18. n. 9. ubi ſic ait: *De ſecundo principali dico, quòd laudabile & vituperabile, immò generaliùs præmiabile & punibile, continentur ſub hoc communi, quod eſt imputabile; & illius communis eſt una ratio, hæc ſcilicet, actum eſſe in libera poteſtate agentis.* Sequitur, inquam, actum ſatisfactorium debere eſſe liberum, ſaltem denominativè ab illo pio affectu ſeu vero animi dolore, à quo elicitur vel imperatur.

Dico; *Saltem denominativè*; quia exiſtimant Multi, ſatisfactionem augeri per opus, aut paſſionem externam; v. g. actu jejunantem, plus ſatisfacere, quàm volentem jejunare, quamvis in actu interno forent pares. Ratio eſt: quia valor ſatisfactionis in hoc fundatur, quòd æquum ſit non puniri ampliùs eum, qui ſeipſum voluntariè caſtigavit: jam autem qui actu jejunat, plus ſe caſtigat, quia plus mali patitur, quàm qui habet ſolam voluntatem jejunandi, & interim optimis carnibus reficitur integrè in prandio, & in cœna. Sanè caſtigatio magìs propriè & principaliùs videtur ſignificare externam corporis afflictionem, quàm internam voluntatem, quamvis & hæc ſit aliqua caſtigatio, & ſinè illa externa corporis afflictio non proſit.

59. Sed hæc ſententia non placet Dicaſtilloni: ſi enim (inquit diſp. 13. n. 79.) qui ſe non punivit, ideo id non fecit, quia non potuit vel phyſicâ potentiâ, vel morali; non video cur non etiam æquitas poſtulet, ut non puniatur, qui quantum eſt ex ſe; æquè punivit ſe, aut ſe punit, quàm alter. Hæc ſententia non placet Dicaſt. & arguit contra illam.

Deinde quærit ab iis Theologis, qui cum Lugone ſuprà n. 74. agnoſcunt in eo, qui acceptat flagellum, à Deo immiſſum, eſſe æquivalenter cauſam moralem illius flagelli in conſpectu Dei; quia æquitati conſonum eſt, ut qui judici punienti conſentit, nec ullo modo repugnat, mitiùs puniatur: quærit (inquam) cur non etiam in hoc caſu agnoſcant punitionem æquivalentem, eodem modo atque ibi: immò potiori ratione, cùm hæc voluntas ex ſeipſa nata ſit cauſare caſtigationem, potiùs quàm illa conformitas cum voluntate judicis punientis; quæ voluntas tantùm abeſt, ut omninò cauſaret punitionem illam Dei aut judicis, cui ſe humiliter conformat, ut ſæpè ſimul adſit voluntas avertendi flagella, & piè deprecetur, dicens cum tota Eccleſia: *Flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.* Quæ oratio non tollit patientiam, nec abſolutam conformitatem cum divina voluntate; alioquin non eſſet pia oratio, cùm tamen ille, qui ſe flagellare vult aut jejunare, potiùs petat auxilium ad ſe puniendum, ut petimus in ea oratione hebdomadæ ſecundæ Quadrageſimæ, feriæ 5. ubì poſtulamus, ut ſimus *ieiuniis & orationibus convenienter intenti.* Cur ergo, licèt non re ipsâ jejunet, non cenſebitur æquivalenter in conſpectu Dei jejunans: ſicùt ille alius, qui licèt (ùt ait Eminent.) re ipsâ non ſit cauſa flagelli, eſt æquivalenter cauſa in conſpectu Dei? Hucuſque Dicaſtillo.

Reſpondeo: Non minus patitur malum, nec minùs punitur, qui patienter tolerat flagella à Deo inflicta, quàm qui eaſdem pœnas ſpontè ſuſcipit: minus autem malum patitur, qui ſolùm efficaciter vult jejunare, quàm qui actu jejunat. Porrò in ordine ad ſatisfactionem pro pœna temporali magìs attenditur, ſicut dicunt illi Theologi cum Lugone, exterior afflictio ſeu pœna, quàm interior voluntas. Licèt ergo illa patientia æquivaleat in conſpectu Dei, propriè dictæ cauſæ, non ſequitur, quòd voluntas merè interna æquivaleat externæ afflictioni; quia videlicet propriè dicta cauſa, nihil addit pœnalitatis, ſecùs externa afflictio. 60. Reſponſio.

Quamquam exiſtimem (ùt infrà videbimus) illam patientiam non omninò æquivalere cauſæ propriè dictæ, id eſt, pœnas voluntariè ſuſceptas plus ſatisfacere, quàm flagella à Deo immiſſa patienter tolerata, cæteris paribus.

Et verò in ſententia, quam probabilem diximus Sect. præced. Concl. 4. videlicet actum externum ſuperaddere actui interiori efficaci aliquam bonitatem, non ſolùm objectivam, 61. Cur potiùs Satisfactio creſcat per actum ex-

ternum, quàm meritum ex Lugone. ctivam, ſed etiam formalem, adeoque meritoriam, non eſt ulla ratio dubitandi, quin etiam ſuperaddat aliquam ſatisfactionem. Immò tametſi meritum non creſceret per actum externum (ùt habet communior opinio) equidem (ùt dixi) Multi putant creſcere ſatisfactionem: & rationem diſparitatis aſſignat Lugo ſuprà n. 65. nam ſatisfactionis condignitas deſumitur ex æquitate exigente, ut qui ſe voluntariè caſtigavit, & paſſus eſt laudabiliter pœnam, non cogatur iterum pati & torqueri, ne afflicto afflictio ſuperaddatur, ad quòd multùm facit afflictio & pœna re ipsâ poſita & tolerata. At verò meritum, & ejus condignitas, fundatur in æquitate poſtulante, quòd bonitas operis præmietur, ut homines alliciantur ad amorem boni. Si autem ex defectu eventûs conſecuti bonitas operis minùs præmiaretur, homines minùs allicerentur à præmio propoſito ad ſtudium virtutis, timentes, quòd abſque ſua culpa poſſent conatus boni fraudari præmio, ob effectum non conſecutum. Hæc ille.

62. Contra arguit Auctor. Sed contrà: Conatus boni tametſi fraudentur præmio, quod correſpondet actui exteriori, haùd equidem omni præmio; ſed majori remunerantur, quàm affectus inefficaces. Ergo etſi bonitas operis minùs præmiaretur defectu actûs exterioris, non ideò minùs deberent homines allici à præmio propoſito ad ſtudium virtutis, id eſt, ad eliciendum actum efficacem; ſed magìs, ut ſic poſſent aliquando conſequi utrumque præmium, tam illud, quod eſt conſtitutum actui interiori, quàm illud, quod ſuperaddit actus exterior: quippe ſinè actu interiori efficaci numquam accipient præmium actûs exterioris, qui (ùt clarum eſt) poſtulat actum internum efficacem. Igitur præmium actûs exterioris eſt incitamentum, ut ſi primâ vice fuerit impedita efficax voluntas, & ideo caruit illo præmio, iterùm reſumatur, ſi fortè ſecundâ aut tertiâ vice prodeat in actum exteriorem, & accipiat majus præmium.

Putas, quia Deus ſpeciale præmium conſtituit actui externo martyrii, & ſpecialem effectum externæ ſuſceptioni Sacramentorum, ideò minùs homines allici ad voluntatem efficacem martyrii, vel ad voluntatem efficacem ſuſcipiendi Sacramenta? Immò potiùs magìs alliciuntur, ut tandem aliquando illud ſpeciale præmium, & ſpecialem effectum conſequantur.

63. Objectio. Si dixeris: meritum unicè deſumitur ex libertate & honeſtate operantis; nam præmium ordinatur directè ad remunerandam ingenuitatem (ut ſic dicam) hominis bene operantis, & ad mores illius præmiandos. At verò ſatisfactio pro pœna, præciſè extinguit dolores nobis inferendos, quod fieri poteſt abſque ulla libertate, ùt patet à ſimili in fure, qui contra ſuam voluntatem flagellatur aut ſuſpenditur.

Reſpondeo: Fur, qui contra ſuam voluntatem flagellatur aut ſuſpenditur, non ſatisfacit, ſed ſatiſpatitur: ſimiliter animæ in Purgatorio, etſi alioquin patienter tolerent illas pœnas, non ſatisfaciunt, ſed ſatiſpatiuntur; ac proinde ſatisfactio pro pœna non extinguit dolores nobis inferendos eo præciſè modo, quo ſatiſpaſſio extinguit illum reatum, ſed per modum meriti; & ideo requirit aliquam libertatem, quam non requirit ſatiſpaſſio. Sol.

Ergo non valet, quod ait Arriaga diſp. 21. n. 26. ſi dolor eſſet in ſe tam gravis, quàm pœna, quæ debebat infligi in Purgatorio, poſſet ſatisfacere ad æqualitatem ſinè ulla omninò libertate, non valet, inquam, nam (ùt ait Scotus 4. diſt. 15. q. 1. n. 3.) *Satisfactio eſt redditio voluntaria æquivalentis.* Alioquin cur non ſatisfacio per flagella, à Deo inflicta, impatienter tolerata? Nam & hæc ex parte poſſunt eſſe tam gravia, quàm pœnæ Purgatorii: ergo ſaltem ex parte ſatisfacio, quod tamen communiter à Theologis negatur, quamvis admittant ſatiſpaſſionem; de quo plura infrà. Arr.

Quantum ad honeſtatem operantis, quæ conſideratur in merito, veluti major eſt honeſtas, ſaltem extenſivè & objectivè, operis interni & externi, quàm ſolius operis interni; pariformiter major eſt honeſtas operantis bonum internum & externum, quàm ſolum bonum internum. Quidni igitur ſit etiam majus meritum operis interni & externi, quàm ſolius operis interni? Loquor de opere externo libero, & non de actu vel eventu neceſſario, qui non dependet à mea voluntate, ut fiat vel non fiat. 6[4]. Major bonitas operis boni interni & externi, quàm boni interni.

Et ideo impertinens eſt ad hoc propoſitum, quod ait Lugo ſuprà n. 64. in fine: Deus non deberet plus præmii illi, qui ex deſiderio divinæ gloriæ prædicavit, ut multos converteret, quos de facto convertit, cum incremento magno gloriæ divinæ, quàm alteri, qui ex æquali affectu, eodem modo prædicavit, ſinè auditorum fructu: ſed tamen quia plus emolumenti ab hujus prædicatione accepit, plus ei deberet debito gratitudinis. Hoc, inquam, exemplum me non impugnat, multò minùs expugnat: quia non aſſero meritum novum pro quocumque emolumento, quod Deus accipit ex eventu externo qualicumque, ſed ex eventu ſeu actu externo libero, etſi tantùm libertate participatâ: ille autem fructus concionis non eſt mihi liber, nequidem libertate participatâ.

Sanè ſi in Deo oritur majus debitum ad gratitudinem ex opere externo, etiam non libero; cur non poterit oriri, immò cur non oriatur majus debitum ad præmium ex opere externo, accedente ejus libertate? Non video ſatìs magnam diſparitatem. Nimìs clarum eſt, apud 6[5]. Poteſt majus meritum ex opere non libero.

apud homines non ita fore puniendum, qui habuiſſet meram internam voluntatem aliquem occidendi, quàm ſi actu externo tentaſſet occidere, eſtò mors non fuiſſet ſecuta. Cur ergo non idem fiet apud Deum? Quæ ergo diſparitas inter ſatisfactionem, & meritum?

Reſpondeo; quòd ſatisfactio principaliter conſideret pœnalitatem operis, meritum autem honeſtatem. Hinc ſi actus externus augeret bonitatem ſeu honeſtatem, ſicuti actus externus auget pœnalitatem, dicerem per actum externum non minùs creſcere meritum, quàm per actum externum creſcat ſatisfactio. An autem actus externus augeat bonitatem actûs interni, diſputavimus Sect. præcedenti Concluſ. 4.

66. Quæris à me; an ergo actus externus neceſſarius, ſicut non auget meritum defectu libertatis, & per conſequens formalis bonitatis; ita etiam non augeat ſatisfactionem? Reſpondeo affirmativè: licèt enim creſcat pœnalitas, tamen non ſola pœnalitas eſt ſatisfactoria de condigno, ſed pœnalitas formaliter honeſta, per conſequens libera, niſi aliud conſtet de voluntate Dei; prout (ſecundùm Aliquorum ſententiam, de qua infrà proprio loco latiùs) conſtat nos ſatisfacere poſſe per flagella à Deo inflicta patienter tolerata: quæ quidem flagella non ſunt libera, ùt patet, quia nullatenùs procedunt à voluntate ejus, cui à Deo infliguntur; interim Deus in ſignum ſui maximi amoris voluit ea acceptare, ùt condignam ſatisfactionem pro pœnis Purgatorii, non tamen abſque omni libertate, ſed ùt conjuncta cum patienti, proinde libera, tolerantia.

67. Dico itaque: ut opus externum augeat ſatisfactionem, non ſufficit, quòd ipſum procedat ex voluntate bona omninò præterita, ſed neceſſe eſt ut voluntas illa bona, actu, aut ſaltem virtute perſeveret.

Probatur à ſimili: quia ut actus externus ſit meritorius de condigno, requiritur talis voluntas perſeverans; ergo etiam ut ſit ſatisfactorius de condignò. Probatur Conſequentia: quia ſatisfactio de condigno eſt per modum meriti; unde requirit ſtatum gratiæ, ſtatum viatoris, honeſtatem, fortè etiam ſupernaturalem; & aliunde, nulla eſt ratio recedendi ab hac conditione. Porrò talem perſeverantiam voluntatis requiri ad meritum, ab omnibus admittitur, licèt Plurimi negent, eam requiri ad ſatisfactionem.

68. Inter hos videtur eſſe Suarez diſp. 37. ſect. 6. n. 7. ibi: Advertendum verò eſt....... accidere poſſe, ut externa actio fiat ex vi præcedentis voluntatis, licèt actus interior non duret; & tunc poteſt durare ſatisfactio, licèt non duret actuale meritum: neceſſarium tamen eſt, ut talis ſatisfactio procedat aliquo modo ex voluntate meritoria. Exemplum facilè eſſe poteſt in eleëmoſyna, quæ fit per famulum, vel per legatum. Hæc ille. Ubi videtur agnoſcere actualem ſatisfactionem ſinè actuali merito.

Et eâdem diſp. ſect. 7. n. 13. Sed quæres (inquit) ſi neceſſaria eſt voluntas, ut hæc paſſio exterior ſit fructuoſa; quamdiu durabit hic fructus? An ſolùm quamdiu durat actus interior voluntatis? Videtur enim hoc ſequi ex dictis, quia ſolùm eo tempore illa paſſio eſt voluntaria & libera; quia cùm non procedat ab actu voluntatis, ſed ſolùm ſit veluti objectum ejus; ceſſante actu illa paſſio non erit voluntaria. Et confirmatur: quia aliàs etiam dormiens ſatisfaceret per injuriam extrinſecùs illatam, ſi habuit priùs animum & voluntatem ſuſtinendi totam illam injuriam; hoc autem non videtur veriſimile. In contrarium verò eſt, quia durum eſt affirmare eum, qui graves pœnas patitur, non ſatisfacere, niſi dum actu acceptat illas pœnas.

Reſpondetur, vix poſſe hoc à nobis dijudicari, ſed divinæ providentiæ & ordinationi eſſe committendum. Videtur tamen veriſimile non eſſe neceſſarium, ut interior actus continenter duret phyſicè; ſed ſatis eſſe, ut moraliter durare cenſeatur: judicabitur verò durare moraliter, quando & actus cecidit in totam illam paſſionem, quam homo humano modo ſentit & patitur, quamque ex vi illius actûs patienter ſuſtinet, nec repugnat aut obmurmurat. Denique quando prior voluntas non eſt per contrarium actum retractata, & ejus virtus adhuc moraliter durat, ùt ex dictis effectibus colligitur. Hucuſque Suarius.

Qui, ſi per virtutem, adhuc moraliter durantem, intelligat voluntatem, virtualiter perſeverantem, planè ſtat pro noſtra ſententia: & libenter ſcirem, quare etiam talis voluntas non ſufficiat ad continuationem actualis meriti. Iſtud veriſſimè dicit, vix poſſe hoc à nobis dijudicari, ſed divinæ providentiæ & ordinationi eſſe committendum, de qua utique providentia & ordinatione pro una vel altera ſententia non ſatìs conſtat ſive ex Scriptura, ſive ex Concil. aut SS. PP. 69. Reſpondetur.

Sanè haùd ſufficere quemcumque effectum, quovis modo procedentem ex præcedente voluntate, docet idem Auctor diſp. 48. ſect. 8. n. 12. ibi: Satisfactio requirit opus humanum, per quod fiat, & non ſufficit quilibet effectus reſultans & procedens quovis modo ex præcedente voluntate. Nam ſi quis v. g. ſumpſit potionem amaram voluntariè in pœnitentiam vel mortificationem, quamvis poſteà ob eam cauſam patiatur graviſſimos dolores, ſi circa illos nullam poſteà habeat voluntatem, vel ſi fingamus jam tunc non habere uſum rationis, nihil de novo ſatisfaceret per illos dolores, quia non ſunt humani, & quia tunc non eſt in ſtatu ſatisfaciendi .... Et ſimiliter ſi

Non ſufficit quilibet effectus quovis modo procedens ex præcedente voluntate ex Suario.

Digitized by Google

quis vivens præcipit famulo facere eleëmoſynam ex ſuis bonis, ſi poſteà, quando famulus illam elargitur, ipſe dormit, vel nihil de illa cogitat, nullam novam ſatisfactionem habebit propter externam largitionem, quia reſpectu illius jam non eſt humana actio. Hæc ille.

70. *An Suarez hic revocet quod priùs dixerat. Lugo.*

Quæ verba (inquit Lugo diſp. 24. n. 47) videntur retractare id, quod ſuperiùs dixerat. Alii conantur utramque doctrinam conciliare, & dicunt, Suarium hìc loqui de illo, qui ſumpſit potionem amaram, nullo modo prævidens, & per conſequens nullo modo acceptans illos graviſſimos dolores, quos poſteà naturaliter patitur. Alioquin ſi prævidiſſet & acceptaſſet, de novo ſatisfaceret. Similiter ſi quis vivens præcipit famulo facere eleëmoſynam ex ſuis bonis, nihil determinando, neque occaſionem, neque perſonam, neque quantitatem &c. ſed totum relinquendo determinationi famuli; ſi poſteà, quando famulus illam elargitur, ipſe dormit, nullam novam ſatisfactionem habebit; ſecùs, ſi ipſe dominus determinaſſet occaſionem, perſonam, quantitatem &c. Et de priori (inquiunt) caſu loquitur Suarius hìc, ſuperiùs autem de caſu poſteriori.

71. *Lugo docet non requiri permanentiam voluntatis.*

Quidquid ſit de mente Suarii, quæ obſcura eſt, clariſſimè docet Lugo ſuprà n. 48. non requiri permanentiam voluntatis ad augmentum novum ſatisfactionis, quamdiu homo ex voluntate laudabili præcedente patitur de novo. Et probat: quia actus externus quamvis non addat novam libertatem, addit tamen novam ſatisfactionem ex hoc præcisè, quòd ſit effectus voluntatis liberæ. Ergo ſimiliter tempore ſequenti ob eandem rationem addet novam ſatisfactionem: quòd enim ſit effectus voluntatis liberæ præſentis vel præteritæ, quid refert? *& probat.*

Reſpondetur ad probationem.

Reſpondeo: Effectus voluntatis liberæ præſentis, & ipſe liber eſt denominativè, ſive libertate participatâ, ſecùs effectus voluntatis omninò præteritæ. Nonne multùm refert ad actionem ſacramentalem, quòd ſit effectus voluntatis liberæ præſentis? Nemo dubitat: quippe ablutio, quæ eſt effectus voluntatis præteritæ, non eſt ſacramentalis, quia non eſt actio humana. Ergo ſimiliter caſtigatio, quæ eſt effectus voluntatis præteritæ, non eſt ſatisfactoria de novo, quia non eſt caſtigatio humana, quidquid dicat Eminent. ſuprà n. 50. ubi probat eſſe caſtigationem humanam: nam (inquit) actus dicitur humanus, qui ùt procedit ab homine, procedit ab illo cum advertentia & ratione, licèt ipſius paſſionis tempore non ſit fortaſſis talis advertentia; procedit enim ab homine, prout priùs operans cum advertentia applicuit cauſas, ex quibus tunc conſequitur paſſio: ergo eſt verè caſtigatio humana.

72. *Quid requiratur ut actus aliquis dicatur humanus.*

Reſpondeo: ille ſolus actus dicitur humanus, qui procedit ab homine cum advertentia & ratione; ſed caſtigatio, v. g. in ſomno, non procedit ab homine cum advertentia & ratione, quia in ſomno non eſt advertentia & ratio: ergo non eſt verè caſtigatio humana; ſicuti non eſt verè ablutio humana, quæ prævisa fuit in ſomno, & intenta; ſed effectus actionis humanæ; veluti mors, quæ ſequitur ex lethali vulnere, non eſt actio humana, ſed effectus actionis humanæ.

Fateor (inquit Card. ſuprà n. 52.) paſſionem tempore ſomni non eſſe humanam, ſed terminum ſeu effectum actionis humanæ præcedentis: dico tamen non ſolùm ſatisfieri per actionem humanam, ſed etiam per effectum illius; quia ex actione humana præterita, & hoc effectu non humano, poſtea conſequente, conflatur caſtigatio humana. *Lugo.*

Reſpondeo: eſt manifeſta petitio principii; hoc enim eſt quod quæritur, an ſatisfiat per effectum actionis humanæ, & an ex actione humana præterita, ſolùm habitualiter exiſtente, & effectu neceſſario ſeu non humano, conſletur una caſtigatio humana. Hoc ergo probandum eſt, & non ſupponendum.

7[3]. *An re[quiratur vo]luntas actualis, [si] effectu [ne]ceſſario ſat[isfi]at actio h[umana?]*

Probo, inquis: quia ferè numquam caſtigatio externa procedit à voluntate præſenti; prout præſenti nunc, ſed prout præceſſit ante: nam manus elevata & flagellum vibratum accepto impetu percutit independenter in ipſo ictu à voluntate præſenti, ſed dependenter à voluntate præterita, à qua accepit illum impetum; & tamen homo ſatisfacit non ſolùm per elevationem brachii & flagellum vibratum, ſed etiam per dolorem ejuſque ſenſum, qui poſteà conſequitur; alioquin ſi carnem non percuteret, ſed pavimentum ex errore, non minùs ſatisfaceret.

Reſpondeo: ſatisfacit per dolorem, ejuſque ſenſum, qui poſteà conſequitur, ſi patienter toleret; aliàs non: adeòque, ſeclusâ illâ tolerantiâ, ex errore percutiens pavimentum non minùs ſatisfaceret. Nec dixeris: ſufficit, quòd voluerit antea patienter tolerare, eſtò quando dolorem ſentit, nullum actum voluntatis eliciat; hoc enim eſt quod quæritur, & tanto fundamento negatur, quanto aſſeritur.

Obj[ici]tur.

Dices cum Arriaga diſp. 21. n. 33. Illi dolores tunc ſunt pœnales, & ſimul informantur moraliter eâ volitione honeſtâ, quâ fuêre acceptati: hæc enim dignificatio non exigit actualem influxum, uti manifeſtè patet in pœnis immiſſis à Deo, de quibus ex Conc. eſt certum, eſſe ſatisfactorias; & tamen ibi nullus eſt verus & proprius influxus alicujus volitionis acceptantis in eas pœnalitates: & ex hoc capite rejicitur efficaciter Suarez, quia illa perſeverantia actûs non videtur neceſſaria alia de cauſa, quàm ad influendum; ad hoc autem (ùt oſtenſum eſt) non requiritur: ergo &c.

Solv[itur].

Reſpondeo: Ut hæc dignificatio non exigeret actualem influxum per modum cauſæ, equidem

equidem ad minùs poſtulat actualem coexiſtentiam per modum actûs & objecti; nam (ùt conſtat ex Concil.) pœnæ inflictæ à Deo nullatenus ſunt ſatisfactoriæ, niſi patienter toleratæ; ergo non niſi actu volitæ per modum objecti, dum immittuntur: hoc enim ſonat patiens tolerantia, quæ eſt actus virtutis patientiæ, adeòque poſtulat actualem advertentiam & rationem. Quis enim dixerit hominem patientem, quia non obmurmurat tempore ſomni, quando obmurmurationis eſt incapax? Eſtò enim ante ſomnum voluerit patienter tolerare, quando nondum dolores ſentiebat; quis ſcit, an illa voluntas permanſiſſet, ſi in vigilia illos dolores ſenſiſſet?

Nonne multi facilè reſiliunt à bono propoſito? Nimis multi, & nimis facilè. Teſtis eſt Chriſtus Luc. 8. v. 13. *Nam qui ſupra petram, hi ſunt, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Et v. 15. ait: *Quod autem in terram bonam; hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*

Meritò ergo Deus exigit non ſolùm bonum propoſitum ſeu voluntatem patienter tolerandi flagella infligenda, ſed patientem tolerantiam in ipſa inflictione flagellorum; qualis tolerantia non eſt in ſomno, aut aliàs quando homo non eſt compos rationis, ùt omnes fateri debent: non eſt (inquam) patientia virtus, qualem Deus meritò requirit, ut homo peccator, per flagella inflicta à Deo, valeat ſatisfacere pro pœnis Purgatorii; ſatisfacere, dico, de condigno ex opere operantis.

Ex quo infero; ſi quis velit dormire cum cilicio aut veſtitus, dum dormit, etſi patiatur aliquod incommodum vel dolorem, non ſatisfacere per illud incommodum vel dolorem de condigno ex opere operantis; quia tunc illa paſſio ſeu dolor non eſt ſufficienter voluntarius à voluntate illa præcedente, ut homo dicatur ſe voluntariè & laudabiliter caſtigaſſe.

6. Dices: Qui venenum tribuit Petro, licèt dormiat, quando Petrus illud bibit, adhuc dicetur verè homicida, & illa occiſio erit actio humana. Ita Lugo ſuprà n. 50.

Reſpondeo ex eod. Auctore diſp. 16. n. 451. eum, qui moritur, nunc occidi à veneno, à cujus actione denominatur etiam aliquo modo agere, qui venenum dedit: ſicut pater dicitur generare, quando à ſemine fœtûs animatur in utero; illa tamen eſt denominatio quædam agentis valde impropria, & quæ competere poteſt cauſæ jam non exiſtenti, ùt conſtat; cùm poſſit jam eſſe mortuus antea, qui venenum dedit; & tamen diceretur nunc agere per venenum, quod dedit; non verò diceretur nunc actu peccare; quia denominatio peccantis eſt perſonalis, nec poteſt fieri per alium. Quare licèt aliquo modo dicatur cauſa præterita agere nunc per alium, non tamen dicetur peccare nunc; quia peccare eſt fundare in ſe vituperabilitatem, ſicut honeſtè agere eſt fundare in ſe laudabilitatem: repugnat autem fundare propriam laudabilitatem, aut vituperabilitatem nunc propter id, quod alius facit; nam tota laudabilitas, & vituperabilitas, fundata jam eſt in mea actione præterita. Hucuſque Cardinalis. *Lugo.*

Actio humana fundat propriam laudabilitatem.

Quomodò ergo illa occiſio eſt actio humana? Nonnè actio humana fundat propriam laudabilitatem, vel vituperabilitatem? Non eſt dubium. Igitur talis occiſio non eſt actio humana, ſed effectus actionis humanæ præteritæ. Ergo ſimiliter paſſio incommodi vel doloris tempore ſomni, procedens ex voluntate libera & honeſta præcedente, omninò præterita, non eſt ſufficienter voluntaria & humana, ut homo dicatur voluntariè & laudabiliter ſe caſtigare pro tali tempore.

Si inferas: Ergo cui à Confeſſario imponitur, quòd unâ nocte humi cubet, etſi ita dormiens ſtatim ab aliis ſuper lectulo molli collocetur, verè ſatisfecit præcepto Confeſſarii, nec tenetur aliâ nocte humi cubare, quoniam illa ſecunda cubatio ad nihil proderit ex opere operato; non poteſt enim elevari ad ſatisfaciendum ex opere operato, quod ex ſe non eſt aptum ad ſatisfaciendum ex opere operantis. 77. *Objectio.*

Diluitur primò.

Reſponderi poſſet concedendo totum; quia materia præcepti eſt actus humanus, cubatio autem tempore ſomni non eſt humana; ergo illa non præcipitur: proinde ſufficit, quòd pœnitens ſe voluntariè humi collocet; ille quippe actus ſatisfactorius eſt & meritorius. Unde ſi collocatus ab aliis ſuper lectulo molli, mediâ nocte expergefieret, teneretur rurſum ſe collocare humi, quia hæc iterata collocatio eſt libera, adeoque materia præcepti.

Repondetur II. Teneatur aliâ nocte humi cubare, haùd equidem ut illo tempore, quo dormit & ſopitus humi cubat, ſatisfaciat, ſed ut maceret & affligat corpus, & minùs rebelle reddat ſpiritui; id enim poteſt intendere Confeſſarius, ut affligatur per talem macerationem quæ poſtea in vigilia manet & durat, adeoque ſervit ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, nec non ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Ad hanc autem macerationem non eſt medium (ſaltem tale ac tantum, quantum intendebat Confeſſarius) ſolùm ſe poſuiſſe humi, & ſtatim in molli lectulo dormiviſſe; ſed medium eſt, de facto ibi jacuiſſe. 78. *Diluitur ſecundò.*

Indè enim manet, aut poſſet pro toto die manere corpus afflictum (ùt experientia docet) etiamſi quando dormit nihil moleſtiæ ſenſiſſet. Sicut cui præcipitur jejunare, & interim per multas horas dormit, illud jejunium, etiamſi

interim pro tempore quo dormit, non ſit afflictio ſenſibilis, nec moleſta abſtinentia, manet poſtea caro macerata & aptior ut ſerviat ſpiritui, & non tam facilè rebellet. Ita Dicaſtillo diſp. 13. n. 95.

79. Dormiens non poteſt ſatisfacere de condigno ex opere operantis. Itaque propter hoc argumentum Lugonis nequaquam recedendum arbitror à ſententia ſuprà relata, videlicet: Ad hoc ut opus externum ſuperaddat ſatisfactionem condignam ex opere operantis, requiritur permanentia voluntatis liberæ, ſaltem virtualis, ſeu talis, quæ requiritur, ut opus externum verè ſit honeſtum, & meritorium de condigno. Ideóque aſſero, nec dormientem, nec amentem poſſe ſatisfacere de condigno ex opere operantis: ac proindè dominum, qui præcipit famulo facere eleëmoſynam, etiam determinando perſonam, quantitatem &c. ſi poſtea, quando famulus eam elargitur, ipſe dormiat, nullam novam ſatisfactionem habere propter externam largitionem, niſi de novo eam acceptet; quia alioquin reſpectu ipſius non eſt humana actio; per conſequens non eſt actio verè honeſta, aut meritoria de condigno, ergo nec ſatisfactoria de condigno.

80. Objectio. Dices: Poſſum contrahere Matrimonium per Procuratorem, eſtò ego dormiam; cur ergo ſimiliter non poſſum ſatisfacere per famulum largientem eleëmoſynam?

Reſpondeo, & quæro; cur ſimiliter non poſſum mereri de condigno per famulum? Quam tu aſſignaveris rationem diſparitatis inter contractum Matrimonii, & meritum de condigno, eandem ego aſſigno inter contractum Matrimonii, & ſatisfactionem de condigno. Et, amabò, quæ illa? Quia (inquis) meritum eſt actio perſonalis; ſecùs contractus, qui ſecundùm omnia jura poteſt fieri per ſe, vel per alium. Optima reſponſio & diſparitas; ſed quæ pariter militat pro ſatisfactione de condigno, utpote quæ non minùs ſit actio perſonalis, quàm meritum de condigno.

81. An defunctus ſatisfaciat per eleëmoſynam, quam in vita præcepit? Lugo negat, Arriaga affirmat. Alioquin etſi dominus, qui mandavit dari eleëmoſynam, moreretur antequam famulus eam det, in Purgatorio ſatisfaceret de condigno; quòd licèt neget Lugo ſuprà n. 52. quia (inquit) in Purgatorio non habet jam ſtatum viatoris, qui requiritur ad merendum & ſatisfaciendum; equidem Arriaga totum admittit: quia (inquit ſuprà n. 39.) licèt anima in Purgatorio exiſtens, ſit incapax ſatisfactionis, per novum actum tunc elicitum; non tamen ullo modo oſtenditur, cur non ſatisfaciat per actum jam antea mandatum, & qui oriatur ab ea voluntate, non minùs quàm oriretur ſi dormiret idem dominus: aliunde autem ſtatus dormientis in ſe eſt tam incapax ſatisfactionis, quàm ſtatus Purgatorii, quia ſatisfactio includit actionem liberam; hujus autem tam non eſt capax ille qui dormit, quàm Purgatorii animæ ſint incapaces propriæ ac rigoroſæ ſatisfactionis. Cur ergo eo modo, quo dormiens ſatisfecit, non dicemus poſſe ſatisfacere Purgatorii animas? Et verò videtur id eſſe maximè juxta ſenſum fidelium, qui docet per iſtam elargitionem actualem eleëmoſynæ, quam defunctus præcepit, illum ſatisfacere. Ita Arriaga.

Reſpondeo: Gratìs id dicitur; ubì enim extat ille ſenſus fidelium, ubì illa doctrina? 82. Reſpontur admentu Arriag An fortè colligitur ex ipſo præcepto? Herclè mens præcipientis poteſt eſſe, & communiter eſt, ſatisfacere per bonam illam voluntatem, & invitare pauperes ad orandum pro anima defuncti, ut illis orationibus, imò & ipsâ elargitione eleëmoſynæ, in ſtatu, in quo non poteſt ipſe ſatisfacere, per modum ſuffragii adjuvetur, & à pœnis Purgatorii liberetur.

Curent Epiſcopi (inquit Trident. ſeſſ. 25. in Decreto de Purgatorio) *ut fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, eleëmoſynæ, aliaq; pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueverunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta piè & devotè fiant, & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel aliâ ratione debentur, non perfunctoriè, ſed à Sacerdotibus & Eccleſiæ miniſtris, & aliis qui hoc præſtare tenentur, diligenter & accuratè perſolvantur.* Conc. T Ubì nulla mentio propriè dictæ ac rigoroſæ ſatisfactionis de condigno ex opere operantis; mirum profectò, ſi ille eſt ſenſus fidelium, & vera doctrina.

Itaque probabiliſſimum exiſtimo cum Suario diſp. 48. ſect. 8. n. 18. in hujuſmodi actibus totam ſatisfactionem eſſe poſitam in actu volendi ac præcipiendi tale opus; poſtea verò ex vi ſolius externi effectûs nihil ſatisfactionis addi per ſe loquendo & ex opere operantis, reſpectu mandantis. Poſſunt autem talia opera prodeſſe primò per accidens ſeu remotè; quatenus is, qui eleëmoſynam recipit, excitatur ad orandum vel ſatisfaciendum pro defuncto, qui dare præcepit; ad quod etiam ex gratitudine tenetur: & interdum poſſet eſſe major obligatio, ſi ſub ea conditione & quaſi pacto eleëmoſynam reciperet; quamquam illa obligatio numquam eſſe videatur ad modum operis, ſcilicet ut fiat in gratia, ſed tantùm ad ſubſtantiam talis operis, orationis, vel ſimilis; quod eſt ſignum hæc opera non præcipi, ùt ſatisfactoria formaliter, ſed tantùm, ùt impetratoria. 83. Probabiliſſimum eleëmoſynam in propoſito nihil addere ſatisfactionis ex opere per ſe loquendo Suarez.

Unde etiam veriſimile eſt, talia opera facta ex præcepto alterius, conferre aliquid ad impetrationem; quia non tantùm bona opera, ſed etiam effectus bonorum operum poſſunt movere Deum ad exaudiendas faciliùs orationes, & aliquod beneficium ex miſericordia præſtandum, quamvis ad præmium juſtitiæ valere non poſſint. Atque ob has cauſas nocumentum inferunt defuncto; qui eorum pia legata implere omittunt aut differunt. Hucuſque Suarius.

Meritò

Digitized by Google

84. Meritò igitur ùt infideles ejiciuntur ab Eccleſiis, qui defunctorum oblationes retinent, prout decernitur in Conc. Vaſenſi 1. c. 4. (& refertur 13. q. 2. c. 10.) hiſce verbis: *Qui oblationes defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, ùt infideles ſunt ab Eccleſia abiiciendi: quia uſque ad inanitionem Fidei pervenire certum eſt hanc pietatis divinæ exacerbationem; quia & fideles de corpore recedentes votorum ſuorum plenitudine, & pauperes conſolatu alimoniæ, & neceſſariâ ſuſtentatione fraudantur.* Porrò hanc plenitudinem votorum eſſe ſatisfactionem condignam ex opere operantis, nec hoc Concilium, nec ullum aliud uſpiam docuit, aut verbulo inſinuavit.

ciuntur Eccleſiis, qui defun- rum ob- nes de- ent ex Conc. Va- ſi.

Quapropter ſeu famulus retineat pecuniam, quam ex mandato domini jam defuncti debet dare in eleëmoſynam, ſeu actu det, vel ipſimet pauperes inſcio famulo furentur; æqualem ſatisfactionem ex opere operantis de condigno habebit dominus ſecundùm hanc ſententiam. Numquid etiam in ſententia Arriagæ?

85. Exiſtimat hic Auctor, ſi dominus mandet famulo dare pecuniam in eleëmoſynam, & famulus apud ſe eam retineat, aut illam ipſimet pauperes inſcio famulo furentur, non habiturum eum hominem ſatisfactionem illam, quæ eſſet reſponſura actuali eleëmoſynæ. Probat: quia ille re ipsâ non fecit eleëmoſynam, nec amiſit adhuc dominium rei: ſi enim deprehendat quid factum ſit, poteſt jure repetere eam pecuniam; & licèt paſſus ſit damnum, utì patiuntur illi, à quibus fur accipit pecuniam non deſtinatam in eleëmoſynam; haùd equidem illud libenter acceptavit, quia prior volitio non fuit de tolerando patienter tali furto, ſed de danda eleëmoſyna. Ergò ille nondum ſatisfecit; ſed perinde ſe habet, ac ſi antequam voluiſſet dare eleëmoſynam, aliquis ei furatus fuiſſet pecuniam, ipſe verò inſcius vellet eam dare, & non inveniret unde daret: quo caſu certum eſt, eum non habiturum ſatisfactionem, quæ provenire poſſit ab actione illa dandi eleëmoſynam. Ita Arriaga ſuprà n. 42. & 43.

ſi pe- dan- in elee- ſynam n aufe-

Verùm enimverò cùm in utroque caſu carentia pecuniæ quoad ſubſtantiam eadem ſit, æquè pœnalis, ſive per furtum, ſive per eleëmoſynam procurata, & in utroque caſu carentia illa ſit voluntaria, ſeu potiùs volita quoad ſubſtantiam; quidni in utroque caſu dominus ſit habiturus ſatisfactionem?

86. Quidquid ſit de hac re, quam relinquimus Aliis ulteriùs diſputandam, pro fine hujus Concl. quæro ab Arriaga, quomodo eleëmoſyna, quæ fit poſt mortem ab hæredibus defuncti, ſit defuncto pœnalis, cùm jam ex integro ceſſaverit dominium illarum pecuniarum? Reſpondet hic Auctor, quatenus ea tunc aufertur hæredibus, quibus animæ defunctorum ſpecialiter etiam tunc afficiuntur, maximè ſi filii & conſanguinei illi ſint; utì etiam cenſentur in filiis vivere, ita quæcumque ab hæredibus auferuntur, poſſunt judicari pœnalia illis. Et verò ea de cauſa laudantur illi, qui in morte præcipiunt fieri has eleëmoſynas; quia quidquid in cauſas pias legant, auferunt à ſuis, ideoque quodammodò cenſentur eas auferre à ſeipſis. Hæc ille n. 41.

modo moſyna fit poſt tem ſit lis de- to ex iaga.

Sed contrà: Quid ſi ergo pater obligaſſet filios ad jejunium; putas, quia pater defunctus per jejunium filii ſatisfaceret ex opere operantis de condigno? Etenim illud jejunium eodem modo eſt voluntarium ſeu volitum, quo modo eſt voluntaria ſeu volita eleëmoſyna; & eodem modo eſt pœnale ac difficile. Quod probo: nam ideo pœnalis ac difficilis eſt illa eleëmoſyna patri poſt mortem, quia (inquit Arriaga ſuprà) poſt mortem ſe privat illis bonis, dum filios, in quibus ipſe moraliter manet, illis privat. Ergo ſimiliter illud jejunium erit difficile patri poſt mortem, dum filios, in quibus ipſe moraliter manet, privat comeſtione carnium & ſecundâ refectione. Quæ enim ratiò diſparitatis? Eam expectabo à Doctioribus; intereà dico:

CONCLUSIO V.

Opus ſatisfactorium regulariter debet eſſe pœnale. Poteſt eſſe merè internum.

ITa expreſſis verbis docet Scotus 4. diſt. 15. q. 1. n. 8. *De tertio dico, quòd ſatisfactio in iſto intellectu magìs conſiſtit in actibus pœnalibus, vel paſſionibus voluntariis, quàm in aliis actibus bonis non pœnalibus, licet quandoque poſſet per aliquem actum bonum non pœnalem ſatisfieri; quia bene poteſt Deus actum magnum Charitatis acceptare pro punitione debita uni culpæ: licèt enim non ſit propria punitio, eſt tamen maius bonum, & magìs Deo reddens honorem, quàm illa, quæ eſſet propria illius punitio. Sed regulariter ſicut culpa ordinatur per pœnam, & non per aliquod aliud magìs bonum, quàm ſit culpa; ita ſatisfactio iſto modo dicta conſiſtit in actionibus vel paſſionibus habentibus rationem pœnæ.* 87. Concluſ. eſt Scoti.

Probat ex D. Auguſtino (vel quicumque eſt Auctor) lib. de vera & falſa Pœnit. c. 15. in fine: *Sunt digni fructus virtutum, qui non ſufficiunt Pœnitentibus: pœnitentia enim graviores expoſtulat, ut ſic pacetur Eccleſia, ut pacata dolore & gemitibus, mortuis impetret vitam.* Probatur ex D. Auguſt.

Quæris à Doctore ſubtili, quæ ſint illa opera pœnalia ſtrictè dicta, quæ regulariter requiruntur? Reſpondet: *Iſti actus pœnales, vel paſſiones voluntariæ in genere, reducuntur ad actum interiorem diſplicentiæ vel paſſionem triſtitiæ, & ad actum exteriorem confitendi proprium peccatum, quod eſt valde pœnale; vel paſſionem concomitantem,* 88. Quæ ſint opera pœnalia regulariter requiſita ex Scoto.

Digitized by Google

ſcilicet verecundiam, & ad actum ſimpliciter exteriorem vel paſſionem, ſcilicet macerando carnem: & omnis talis maceratio dicitur contineri vel reduci ad ieiunium; vel elevando mentem in Deum, & hoc fit per orationem; vel ſua temporalia erogando, quod fit per eleëmoſynam. Quid clariùs? Interim notandum, quòd non tantùm loquatur de ſatisfactione pro pœna, ſed etiam de ſatisfactione pro culpa, ùt patet ex contextu.

89. Confirmatur ſententia Scoti ex Script. Joël. 2. Confirmatur ſententia Scoti ex Scriptura, quæ paſſim inculcat pœnitentiam per opera ſtrictè pœnalia, Joël. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & in fletu, & in planctu*; & alibi. Similiter loquuntur omnes SS. Patres, quibus recenſendis ſuperſedeo, quia nimis obvii ſunt. Accedant Canones pœnitentiales antiqui, in quibus ſemper imponuntur hujuſmodi opera. SS. Patribus, Canonibus pœnitentialibus,

& Concil. Triden. Conſonat Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 2. ibi: *Ad quam novitatem & integritatem* (id eſt, remiſſionem omnis culpæ & pœnæ) *per Sacramentum Pœnitentiæ ſinè magnis noſtris fletibus & laboribus, divinâ id exigente iuſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à SS. Patribus dictus fuerit.* Eâdem ſeſſ. c. 14. ibi: *Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ.* Ecce ſatisfactionem appellat pœnam. Et poſt pauca: *Dum* (inquit) *ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu (qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt) conformes efficimur, certiſſimam quoque indè arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur.* Chriſtum autem ſatisfeciſſe per opera ſtrictè pœnalia, nemo eſt qui dubitet.

Ibidem docet, Sacerdotes debere imponere ſatisfactionem *ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Unde can. 15. ſatisfactiones à Confeſſario impoſitas vocat pœnas: *Si quis dixerit, Claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum; & proptereà Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus* &c. Conſimiliter can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis; ſed neque ſpontè ſuſceptis, ùt ieiuniis, orationibus, eleëmoſynis* &c.

90. Item ex Catechiſmo Romano. Hinc Catechiſmus Romanus parte 2. c. 5. q. 58. *Duo præcipuè in ſatisfactione requiruntur. Primum eſt, ut is, qui ſatisfacit, iuſtus ſit ac Dei amicus: opera enim quæ ſinè Fide & Charitate fiunt, nullo modo Deo grata eſſe poſſunt. Alterum, ut eiuſmodi opera ſuſcipiantur, quæ naturâ ſuâ moleſtiam & dolorem afferant: cùm enim præteritorum ſcelerum compenſationes ſint, atque ùt Sanctus Cyprianus Martyr* (lib. 1. epiſt. 3. poſt medium) *ait,* redemptrices peccatorum; *omninò neceſſe eſt, ut aliquid acerbitatis habeant, quamquam non ſemper illud conſequatur, ut qui ſe in illis moleſtis actionibus exercent, doloris ſenſum habeant. Sæpè enim vel patiendi conſuetudo, vel accenſa in Deum Charitas efficit, ut quæ perpeſſu graviſſima ſunt, ne ſentiantur quidem. Nec tamen idcirco fit, quò minùs ea ipſa opera ſatisfaciendi vim habeant: ſiquidem hoc proprium eſt filiorum Dei, ita eius amore & pietate inflammari, ut acerbiſſimis laboribus cruciati, aut nihil ferè incommodi ſentiant, aut omnia latiſſimo animo perferant.*

Quid omnia hæc teſtimonia clamant, niſi ſententiam Scoti, videlicet: Regulariter ſatisfactio conſiſtit in actionibus vel paſſionibus habentibus rationem pœnæ? Quæris à me, quid ſit pœna? Reſpondeo: privatio alicujus boni utilis vel delectabilis. Quid ſit pœna.

91 Ratio à [priori] ſent[en]tiæ Scoti volunta[s] Dei. Sed quæ ratio hujus doctrinæ? Ratio à priori voluntas Dei, quæ ſicut pro remiſſione culpæ regulariter exigit pœnam, v. g. Contritionem ſeu expreſſam & formalem pœnitentiam, tametſi ſubinde eam remittat per formalem actum dilectionis, abſque expreſſa & formali pœnitentia ſeu pœna; ita jure merito pro ſatisfactione ſeu remiſſione pœnæ temporalis Purgatorii, poſtulat pœnam temporalem hujus vitæ, eſtò alioquin ſubindè eam remittat abſque tali pœna, per actum magìs bonum, v. g. actum dilectionis.

Atque hæc eſt mens Scoti ſuprà, quando ait: *Regulariter ſicut culpa ordinatur per pœnam, & non per aliquod aliud magìs bonum quàm ſit culpa; ita ſatisfactio iſto modo dicta conſiſtit in actionibus & paſſionibus habentibus rationem pœnæ,* Deo ſcilicet ſic volente & ordinante. Quare? Arbitror, quia ſatisfactio eſt præteritorum ſcelerum compenſatio, & redemptrix peccatorum ſeu pœnarum Purgatorii; ex Catech. & Cypriano ſuprà; adeòque eſt opus juſtitiæ: juſtitia autem cùm tendat ad æqualitatem, quidni poſtulet pœnas hujus vitæ, tamquam maximè proportionatas pœnis Purgatorii?

9[2] In qu[o con]ſiſtat [ſa]tisfactio [pro] pœna. Enimverò ſatisfactio pro pœna (de quâ hìc loquimur) in hoc conſiſtit, quòd quis præveniat officium judicis, & ſponte ſuâ ſeipſum caſtiget, ut non iterum à judice puniatur, cùm jam punitum inveniat. Cùm ergo judex puniret infligendo pœnam, & ipſe ſibi pœnam infligere debet; aliàs non eſt æqualitas vel condignitas culpæ ad pœnam, & unius pœnæ ad alteram.

S. Bo[na]ven[tura]. *Dicendum* (inquit Doctor Seraphicus S. Bonaventura 4 diſt. 15. p. 2. a. 1. q. 3.) *quòd eſt ſatisfactio per opera pœnalia: & huius ratio eſt quadruplex. Prima eſt: quia ibi eſt honoris ablati redditio; unde honorem iſtum debet homo reddere ampliùs, quàm ſi non abſtuliſſet: & ideò requiritur, ut non tantùm Deo famuletur per operationem bonam, verùm etiam ſeipſum deiiciat per pœnam aſſumptam. Secunda ratio eſt: quia eſt primò deordinati reordinatio; & quia deordinatum per culpam optimè ordinatur in pœna; ideo* &c. *Tertia ratio eſt: quia ibi eſt infirmati curatio; quia infirmatus per de-*

Digitized by Google

per delectationis calorem, curatur per pœnalitatis algorem; & ideo &c. Quarta ratio eſt: quia ibi eſt debiti abſolutio; & quia peccator eſt debitor pœnæ, ideo debet per pœnam ſatisfacere. Hæc ille.

93. Si objicias per Anſelmum in lib. Cur Deus homo? Satisfacere eſt honorem debitum Deo impendere: ſed hoc fit omni opere bono; ergo non ſolùm per opera pœnalia, ſed per omnia alia poteſt fieri ſatisfactio.

Reſpondet præfatus Doctor: *Quoniam eſt debitum honoris, veniens ex bono collato; & hunc debemus per gratiarum actionem. Et veniens ex mandato iniuncto; & hunc debemus per obedientiam & ſubiectionem. Et veniens ex maieſtatis imperio; & hunc debemus per latriæ adorationem. Et veniens etiam ex peccato commiſſo; & iſte honor redditur Deo per ſuiipſius punitionem: & hoc eſt in ſatisfactione.*

94. Si rursùm arguas: Non delectatur Deus in pœnis noſtris: ergo non magìs placent opera pœnalia Deo, quàm alia; ſed per illud quod magìs placet ei, cui debetur ſatisfactio, meliùs ſatisfit: ergo &c.

Reſpondet D. Bonaventura: *Ad illud, quod obiicitur; quòd non delectatur in pœnis Deus, dicendum, quòd verum eſt eâ ratione, quà pœna; ſed eâ ratione, quà curantes culpam noſtram & honorantes divinam iuſtitiam, bene delectatur in eis.*

95. Objicis III. Quædam ſunt peccata, quæ perpetrantur cum triſtitia, utputà invidia & acedia &c. ſed ſatisfactio debet eſſe per contrarium; ergo ſinè pœna debet de his peccatis ſatisfactio fieri.

Reſpondet Doctor Seraphicus, *Quòd etſi in quibusdam peccatis comitetur triſtitia, radix tamen eſt ex delectatione libidinoſa.*

96. Objicis IV. Si ſatisfactorium eſt pœnale per ſe loquendo; ergo magìs pœnale, magìs ſatisfactorium: ſed avaro eſt magìs pœnale dare obolum, quàm largo marcam; ergo magìs ſatisfacit per obolum, quàm ille per marcam. Similiter poteſt dici in jejunio & oratione: & hoc eſt inconveniens, quòd mali de malitia ſua commodum reportarent.

Reſpondet idem Doctor: *Quòd aliquid eſt pœnale natura, quia natura eſt, utputà, ieiunii abſtinentia, & erogatio bonorum, in quibus ſuſtentatur humana infirmitas. Aliquid ratione culpæ & inordinationis voluntatis. Prima pœnalitas reſpicitur per ſe in ſatisfactione: ſecunda verò non; & de iſta ſecunda opponit.*

97. His non obſtantibus contraria ſententia, videlicet omne opus meritorium eſſe etiam ſatisfactorium, etiamſi pœnam non afferat, placet Vaſquez q. 94. a. 1. dub. 5. n. 3. Quam (inquit ille) Scotus docuit in 4 diſt. 15. q. 1. §. *De tertio dico.* Et infrà ſic ait: Hoc non intelligerem, ùt intelligit Scotus & Gabriel, quaſi Deus acceptet voluntate ſuâ omne meritum ad ſatisfactionem pœnæ temporalis, ſicut etiam de merito ad gloriam opinantur. Hæc ille.

Sed graviter hallucinatur. Nonnè bonæ ſunt hæ Conſequentiæ? Poteſt Deus actum magnum Charitatis acceptare pro punitione debita uni culpæ; ergo Deus acceptat voluntate ſuâ omne meritum ad ſatisfactionem pœnæ temporalis. Ergo omne opus meritorium eſt ſatisfactorium. Non habent apparentiam bonitatis. Antecedens docet Scotus, fateor; neutrum Conſequens Vaſquez poterit in Scoto oſtendere. *Qui malè pro ſe citat Scotum.*

Rogas, quæ ſit ratio ſententiæ Vaſquezii? 98. *Ratio ſententiæ Vaſquez.* Si (inquit ille) in operibus meritoriis concedimus condignitatem ad vitam æternam, & ad augmentum ſanctitatis; cur non etiam ad pœnæ remiſſionem? Non quia minùs ſit remiſſio pœnæ, quàm gloria & augmentum ſanctitatis; quia reverà aliquod meritum poteſt eſſe majoris præmii, quod tamen non ſit minoris meritorium, quia ſunt diverſæ rationis præmia; ſicut juſtus meretur de condigno vitam æternam, cùm tamen eisdem operibus non mereatur evadere damnum aliquod temporale: ſed quia remiſſio pœnæ temporalis ordinatur ad conſecutionem gloriæ. Qui ergo ſuis operibus condignè meretur conſequi gloriam, etiamſi aliundè reus ſit temporalis pœnæ ſolvendæ, quò plura congerit opera, non tantùm plus gloriæ meretur, ſed magìs appropinquat conſecutioni gloriæ: ergo magìs ſe expedit à debito pœnæ temporalis: ſatisfacit ergo pro illa. Hucuſque Vaſquez.

At non valet hæc ratio, maximè in principiis Scoti, qui requirit acceptationem Dei, ut opera noſtra bona habeant ultimam condignitatem ad vitam æternam, & augmentum ſanctitatis; cur non etiam, ut habeant perfectam condignitatem ad remiſſionem pœnæ? Noli dubitare. Jam autem conſtat nobis ex Scriptura, Conc. & PP. Deum acceptaſſe opera bona, etiam non pœnalia, ad præmium vitæ æternæ, & ad augmentum ſanctitatis, & non conſtat nobis, ea acceptaſſe ad remiſſionem pœnæ temporalis. 99. *Non valet.*

Certè acceptationem neceſſariam eſſe, probo ex præfata doctrina Vaſquezii: nam alioquin nulla eſt ratio, quare eiſdem operibus non mereamur evadere damnum aliquod temporale, cùm ex natura rei tanta ſit proportio inter actum noſtrum meritorium, & damnum temporale ſeu evaſionem damni temporalis, quanta eſt inter eumdem actum, & remiſſionem pœnæ temporalis Purgatorii.

Nec obſtat, quòd hæc remiſſio ordinetur ad conſecutionem gloriæ; quippe merita non dant jus ad gloriam, niſi conſequendam poſt purgatam animam à debito pœnæ Purgatorii; adeoque pœna Purgatorii non minuit illud, ad quod merita dant jus. Ergo hæc Conſequentia non valet: Opus bonum meretur vitam æternam; ergo meretur ablationem ejus, quod poteſt impedire conſecutionem vitæ æternæ. 100. *Objectioni occurritur.*

Digitized by Google

An fortè exiſtimas, opus bonum de condigno meritorium vitæ æternæ, etiam eſſe meritorium de condigno finalis perſeverantiæ in gratia? Et tamen hæc ordinatur ad conſecutionem gloriæ, non minùs quàm remiſſio pœnæ temporalis Purgatorii: ergo licèt in operibus meritoriis concedamus condignitatem ad vitam æternam, & ad augmentum gratiæ, non ideo cogimur concedere condignitatem ad omne illud, quod ordinatur ad conſecutionem gloriæ: ergo non cogimur concedere condignitatem ad remiſſionem pœnæ temporalis Purgatorii, eò quòd hæc ordinetur ad conſecutionem gloriæ.

101. Alia objectio ex Conc. Trid. Dices: Conſtat ex Concil. Trident. Deum acceptaſſe omnia pietatis opera ad effectum ſatisfactionis, ſeſſ. 6. c. 14. ibi: *Itemq́, ſatisfactionem per ieiunia, eleemoſynas, orationes & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia*, ſcilicet diſtincta ab illis tribus, in quibus tamen continentur alia opera ſtrictè pœnalia. Ergo omne opus meritorium eſt etiam ſatisfactorium, ex hypotheſi, quòd adſit debitum alicujus pœnæ. Alioquin ſi non reſtat pœna perſoluenda, clarum eſt quòd opus poſſit eſſe meritorium, id eſt, actualiter mereri gratiam & gloriam, eſtò non ſit ſatisfactorium, id eſt, tametſi de facto non ſatisfaciat pro aliqua pœna temporali. Ex quo manifeſtè perſpicuum eſt, rationem meriti in eodem actu eſſe diſtinctam à ratione ſatisfactionis.

102. Reſponſio Arriagæ. Ad hoc argumentum reſpondet Arriaga diſp. 21. n. 6. Ea particula: *Et alia* &c. non includit omnia opera bona; alioquin ſinè tot ambagibus & limitationibus dixiſſet ab initio: *Per omnia bona opera*. Includit ergo alia, ſimilia tamen in pœnalitate his, quæ ante poſuerat; dixerat enim id fieri per jejunia, orationes, eleëmoſynas: nihil ampliùs ibi poſuit. Reſtabant profectò illi multa enumeranda, in omnium judicio & extra controverſiam pœnalia, v. g. diſciplinæ, cilicia, cubationes in terra, peregrinationes, ſervire infirmis in hoſpitalibus, vigilias agere &c. Ad omnia hæc alluſit Concilium, non autem univerſaliter ad omne omninò opus bonum, quale eſt comedere ob vitandam famem, quando comeſtio homini eſt gratiſſima; hoc enim non eſt propriè opus pietatis, de quo ibi Conc. agebat; ac proinde potiùs ex ipſa Concilii additione conſtat, illud non intellexiſſe talia opera: quomodo enim, quæſo, de talibus dici poteſt, quòd reddamur ſimiles Chriſto patienti, qui per ſuam Paſſionem pro nobis ſatisfecit? Conſtat ergo minùs conſequenter requiri opus pœnale, & ſimul dici, omne opus bonum eſſe pœnale & ſatisfactorium. Hactenus præfatus Auctor, contra illos, qui docent, ſolùm opus pœnale eſſe ſatisfactorium, & nihilominus omne opus bonum eſſe ſatisfactorium, quia omne eſt de facto aliquo modo pœnale.

Hæc eſt ſententia Suarii diſp. 37. ſect. 6. n. 5 & 8. quem ſequitur Lugo diſp. 24. n. 37. & 41. Probat autem Card. omne opus honeſtum, eſſe aliquo modo pœnale; quia nullum eſt opus honeſtum, quod non adverſetur alicui bono vel delectabili vel utili, vel affert aliquod malum ſecum; alioquin non eſſet liberum, ſi eſſet merum bonum ex parte objecti, & in exercitio ipſius actûs: affert ergo ſemper aliquid difficultatis vincendæ; quod quidem etiam in iis operibus, quæ maximè videntur eſſe juxta propenſionem naturæ, locum habet: nam licèt in manducatione aut potu non ſit difficultas homini famelico aut ſitibundo; in ipſa tamen rectificatione intentionis difficultas maxima eſt. Unde Auguſtinus ita univerſaliter auſus eſt dicere, infideles nullum prorsùs opus bonum feciſſe, quia nimirum vel ex parte objecti, vel ſaltem ex parte intentionis, erat aliquis defectus; quod ſaltem regulariter verum erat. Hucuſque Card. 103 Senten Suarii Lugon omne bonum aliquo do pœi adeòq; ſatisfacti nium.

Quamvis autem hæc difficultas minor ſit in homine ſpirituali, immò ferè nulla, id tamen non tollit pœnalitatem operis, ſed indicat fervorem patiendi. Quocirca eſtò aliquis cum gaudio ſeipſum verberaret, vel ex ferventi amore Dei lætus & hilaris diſtribueret opes ſuas pauperibus, non propterea minùs ſatisfaceret; quippe ratio & natura actûs per ſe conſideranda ſunt.

Atque hâc ratione, etiam ipſe amor Dei ſuper omnia, videtur habere aliquam difficultatem, propter inclinationem corruptæ naturæ ad amorem proprium; ad quam ſuperandam indiget ſpeciali auxilio Dei. Si ergo omnis difficultas eſt aliqua pœnalitas, & hæc talis qualis pœnalitas ſufficit ad ſatisfactionem; indubiè etiam ille amor erit ſatisfactorius, immò magìs quàm actus aliarum virtutum, non ſolùm quia melior, ſed etiam quia difficilior, & quaſi virtute continens & complectens aliarum virtutum laborem. Ita Suarez ſuprà n. 9. Amor D ſuper om habet al quam di cultatem Suarez.

Si ei objicias: Ad meritum conſideratur difficultas, ad ſatisfactionem verò pœnalitas. Reſpondet ibidem: Difficultatem dupliciter poſſe conſiderari, uno modo quatenùs confert ad bonitatem actûs, & ſic pertinet ad meritum; alio modo ùt infert laborem & pœnam operanti, & ſic confert ad ſatisfactionem. Unde hæc duo quodammodò ſe mutuò juvant bonitas & pœna, quia ipſa voluntas ſuſtinendi pœnam propter Deum meritoria eſt; & è contrario bona voluntas neceſſaria etiam eſt, ut actus ſit ſatisfactorius. Quamvis enim actus veluti formaliter habeat rationem ſatisfaciendi ex pœnalitate; illa tamen pœnalitas poteſt eſſe objectum meriti ſeu voluntatis meritoriæ: & è contrà, quamvis actus bonus formaliter ſit meritorius, eſt tamen quaſi principium conſtituens ipſam pœnam in eſſe morali, ut poſſit habere rationem ſatisfactionis. 104 Objectio ſoluitur

Et hinc

Digitized by Google

Et hinc etiam fieri poteſt, ut cæteris paribus actus melior magìs poſſit conferre ad ſatiſfactionem, in quantum pœna voluntaria per talem actum, eſt moraliter majoris valoris & dignitatis. Sic etiam pœna magìs voluntaria, eſt magìs ſatiſfactiva; & ſimiliter quæ eſt à digniori perſona, vel quæ habet alias circumſtantias morales meliores: quamquam enim ſatiſfactio fiat per pœnam, non eſt tamen ſolùm illa phyſicè conſideranda, ſed moraliter. Huc uſque Suarius.

105. ...n omne ...bonum ...ur eſſe ...a ſtrictè

Haùd adeò malè, ſi modò probaverit, omne opus bonum eſſe pœnam ſtrictè dictam, id eſt, talem pœnam, de qua loquitur Conc. Trident. quando agit de operibus ſatiſfactoriis. Sed cùm hoc non probet, immò ex Conc. potiùs contrarium colligatur; nam generaliter decernit, bona opera hominis juſtificati eſſe meritoria vitæ æternæ, ſeſſ. 6. c. 16. & can. 32. nuſpiam autem docet univerſaliter, bona opera hominis juſtificati eſſe ſatiſfactoria pro pœna temporali, ſed ſpecificat *jejunium, orationem & eleëmoſynam, ac alia pietatis opera*, ſubintellige: his ſimilia; ſicut antea diximus ex Arriaga; hinc maneo in priori reſolutione, & ſubſcribo ſententiæ Doctoris Subtilis ac Doctoris Seraphici, quamvis ex corde optem, ut omnia opera bona ſint ſatiſfactoria pro pœna temporali: interim quia non habeo ſufficientem auctoritatem ſive Scripturæ, ſive Concil. aut SS. PP. & res pendet ex voluntate Dei, non audeo id aſſerere.

106. Opus merè internum poteſt eſſe ſatiſfactorium.

Sicut audeò dicere: *Opus ſatiſfactorium poteſt eſſe merè internum*, quæ eſt ſecunda pars Concluſionis, & communis DD. Neque contradicit Scoto, ùt patet ex ejus verbis in principio Concluſionis relatis, ubì inter actus pœnales expreſsè ponit *actum interiorem diſplicentiæ, vel paſſionem triſtitiæ.* Et eâdem q. n. 11. ſic ait: *De primo dico, quòd ſatiſfactio eſt operatio exterior laborioſa vel pœnalis, voluntariè aſſumpta ad puniendum peccatum commiſſum à ſe, & hoc ad placandam divinam offenſam; vel eſt paſſio ſeu pœna voluntariè tolerata in ordine prædicto. Iſto modo accipitur ſatiſfactio multò ſtrictiùs & particulariùs, quàm ſatiſfactio primo modo; quia illa potuit conſiſtere in actu pœnalis paſſionis voluntariæ interiori vel exteriori.*

107. ...otus non ...gat acti... ...s interio... ...bus om... ...em vim ſa... ...tiſfaciendi.

Non ergo negat actibus interioribus omnem ſatiſfactionem ſeu vim ſatiſfaciendi; ſed ſi aliquam negat, ea eſt ſatiſfactio ſtrictè dicta, & condiſtincta ab aliis Pœnitentiæ partibus, putà Contritione & Confeſſione; nam continuò ſubjungit: *Secundum* (ſcilicet, in quibus conſiſtat illa ſatiſfactio) *patet: quia ut opus exterius vel paſſio diſtinguitur contra actum vel paſſionem interiorem mentis* (id eſt, Contritionem) *& contra actum oris* (id eſt, Confeſſionem) *vel paſſionem concomitantem, non conſiſtit ſatiſfactio niſi in illis tribus operibus difficilibus, ſcilicet jejunio, oratione & eleëmoſyna, de quibus dictum eſt tertio articulo præcedente; vel in paſſionibus voluntariis concomitantibus iſta tria opera difficillima.*

Ex quibus verbis colligit Suarez diſp. 37. ſect. 5. n. 1. Scotum ponere totum valorem ad ſatiſfaciendum in actu exteriori, ita ut ſi duo æqualem externum dolorem aſſumant, quamvis inæquales internos actus habeant in intenſione vel alia perfectione, æquè ſatiſfaciant. Sed contrarium colligere debuiſſet hoc modo: Scotus loco citato ad ſatiſfactionem ſtrictè dictam requirit voluntariam aſſumptionem, vel voluntariam tolerantiam pœnæ: ergo tametſi duo æqualem dolorem externum aſſumant, ſi illæ voluntates ſint inæquales in intenſione vel alia perfectione, inæqualiter ſatiſfacient. Ut perperàm ei adſcribit Suar.

108. Itemque cum ſecutus Arriagâ.

Nec magìs ſolidè Arriaga diſp. 21. n. 19. exiſtimat, Scotum conſentire in hanc propoſitionem: Actus interior, qui formaliter eſt meritorius, non eſt ſatiſfactorius, niſi ipſi adjungatur actio aliqua pœnalis ab eo diſtincta, & quæ non occupetur in merito condigno gratiæ & gloriæ. Probat illam eſſe ſententiam Scoti; quia ipſe requirit actionem externam pro ſatiſfactione, in qua totam illam conſtituit; qui fortaſsè ideò à Suario & Aliis rejicitur, quia planè videtur neceſſariò exigere opus omninò externum.

Planè videtur; ſed iis, qui legunt Scotum alienis oculis, nec multùm curant, verè an falsò Scoto adſcribant aliquam ſententiam. Si Arriaga legiſſet Scotum propriis oculis, non potuiſſet ignorare, Contritionem merè internam, abſque alia actione exteriori, eſſe ſatiſfactionem generaliter ſumptam; & quis dubitet, eam in homine juſto meritoriam de condigno? Si legiſſet Scotum Quodlib. 18. intelligere potuiſſet, actum exteriorem ſuperaddere diſtinctam bonitatem formalem, & per conſequens diſtinctum meritum; ac proinde mecum dixiſſet, ſecundùm Scotum eumdem actum tam internum, quàm externum poſſe eſſe meritorium & ſatiſfactorium.

109. Sententia Arriagæ opera interiora nullam habere vim ſatiſfaciendi.

Contendit hic Auctor contra communem ſententiam, opera interiora, formaliter libera, tota quanta occupari in condigno merito augmenti gratiæ & gloriæ, adeòque nullam eis relinqui vim, ut ſimul de condigno ſatiſfaciant pro debito pœnæ: quia (inquit) hæc ſatiſfactio eſt moraliter novum condignum meritum; eſt ergo aliud quærendum, quod ſinè detrimento illius meriti poſſit eſſe ſatiſfactorium: hoc autem putat eſſe opus externum, vel aliud internum pœnale non meritorium, dignificatum tamen & elevatum tum à gratia ſubjecti, tum ab operatione libera & meritoria, quæ toleratur.

110. Rejicitur.

Verùm in ſententia Scoti, qui requirit ad meritum condignum acceptationem diuinam, hæc res nullam habet difficultatem: nam oportet oſtendere, ita Deum acceptaſſe opera interiora formaliter libera tota quanta ad præ-

SſſſſS mium

Digitized by Google

mium gratiæ & gloriæ, ut ſimul non potuerit ea acceptare & de facto acceptaverit pro debito pœnæ temporalis, quod ille Auctor non oſtendit, nec umquam oſtendet.

Deus potuiſſet merita noſtra ad majorem gratiam & gloriam acceptare. Putas, quia Deus non potuiſſet merita noſtra acceptare ad majorem gloriam aut gratiam, quàm de facto acceptarit? Erras toto cælo. Ergo non obſtante, quòd ea acceptarit ad certum gradum gratiæ & gloriæ, etiam potuit ea acceptare pro aliquo debito pœnæ temporalis. Quæ enim repugnantia? Ergo opera interiora, eſtò ſint meritoria gratiæ & gloriæ, unà poſſunt ſatisfacere pro aliquo debito pœnæ temporalis, etiam per modum meriti: ego enim non dubito, quin ſi Deus voluiſſet, homo juſtus per bona opera meritoria gratiæ & gloriæ, etiam potuiſſet mereri bona temporalia. Cur autem Deus non voluerit, penes ipſum eſt. Quis conſiliarius ejus fuit?

111. **Duplex objectio ſolvitur.** Si inferas: Ergo opus bonum perinde ſatisfacit, ac ſi nihil aliud mereretur. Reſpondeo concedendo totum.

Ergo ſi non mereretur, ſed purè ſatisfaceret, quodlibet opus quantumvis minimum eſſet ſatisfactorium de condigno pro tota pœna temporali. Ergo etiam de facto licèt ſimul mereatur, ſatisfacit quodlibet opus pro qualibet pœna.

Reſpondeo negando has Conſequentias: quia (ſicut dixi) quantitas ſatisfactionis, uti etiam meriti, pendet ex acceptatione Dei, qui ſicut potuit non velle opera noſtra acceptare ad præmium gratiæ & gloriæ, potuit non velle acceptare ad ſatisfactionem pro pœna temporali: quo caſu, non obſtante proportione inchoatâ cum dictis effectibus, nullum hujuſmodi effectum habuiſſent: ita etiam potuit velle acceptare ad determinatum effectum, quamvis ad majorem vel minorem potuiſſet acceptare; & creditur de facto acceptaſſe, ſic tamen ut opus magìs honeſtum & magìs pœnale acceptaverit ad majorem effectum, quàm opus minùs honeſtum & minùs pœnale, ne alioquin homines averterentur ab operibus perfectioribus.

112. **Deus non acceptat quodlibet opus ad ſatisfactionem pro tota pœna.** Conſtat ergo ex communi conſenſu totius Eccleſiæ, Deum non acceptaſſe quodlibet opus quantumvis minimum ad ſatisfactionem pro tota pœna temporali, ſed pro determinata pœna majori, vel minori, ſecundùm majorem vel minorem perfectionem & pœnalitatem operis (eſtò pro tota pœna potuiſſet acceptare, ſicuti acceptavit Baptiſmum) ne, occaſione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur.

Diverſo reſpectu opus eſt meritorium & ſatisfactorium. Enimverò diverſo reſpectu opus eſt meritorium & ſatisfactorium. Meritorium quidem, quatenùs eſt opus filii factum in honorem & obſequium munificentiſſimi patris; ſatisfactorium autem, quatenùs eſt pœnale, & pœnam ſuſtinendo ipſe operans ſe Deo ſubjicit ad reparationem auctoritatis læſæ per ſuum peccatum: ideoque Deus pœnam remittit, punitione voluntariâ hominis contentus; nec majorem remitteret, eſtò opus illud nihil mereretur: propterea enim non eſſet magìs honeſtum aut magìs pœnale.

Planè (inquis) ſed honeſtas, quæ nunc occupatur in præmio gratiæ & gloriæ, tunc occuparetur in extinguenda ſola pœna. Cùm ergo extinctio totius pœnæ temporalis minus bonum ſit, quàm augmentum gratiæ & gloriæ, deberet ex integro ſufficere ad extinguendam totam pœnam. 11 **Objectio**

Reſpondeo: eſtò extinctio totius pœnæ temporalis minus bonum ſit, quàm augmentum gratiæ & gloriæ, equidem diverſi generis, ſicuti bona temporalia. Ponamus ergo caſum, quòd Deus promiſiſſet bonis operibus hominis juſti, præter gratiam & gloriam etiam bona temporalia (de qua promiſſione non conſtat, ſed potiùs vice versâ conſtat, Deum non promiſiſſe, cùm videamus, magìs meritos ſæpiùs minùs gaudere temporali proſperitate) ponamus, inquam, quòd promiſiſſet; num propterea debuiſſet minuere præmium gratiæ & gloriæ; aut ſi nullum promiſiſſet præmium gratiæ & gloriæ, num ideo illa opera promererentur quæcumque bona temporalia? Non eſt credibile. **Solvitur**

Deinde diſparitas eſt; quòd in opere bono, quà ſatisfactorium ſeu extinctivum pœnæ temporalis, principaliùs ſpectetur pœnalitas, quæ cùm utrobique foret eadem, tametſi tali caſu plus fortè pœnæ remitteretur, quàm ſi honeſtas occuparetur in præmio gratiæ & gloriæ, non ideo tamen tota pœna. Dico; *Fortè*; quia reverà exiſtimo, quòd non plus remitteretur; quia honeſtas eſt eadem ſive occupetur in præmio gratiæ & gloriæ, ſive non. Ergo æqualiter dignificat pœnalitatem, quæ (ſicut dixi) principaliter hìc conſideratur, & cui ſic dignificatæ correſpondet extinctio pœnæ.

Itaque veluti idem opus poteſt eſſe honeſtum, & pœnale, ita etiam idem opus poteſt eſſe meritorium, & ſatisfactorium; meritorium quà honeſtum, ſatisfactorium quà pœnale. Et quoniam honeſtas, & pœnalitas in eodem actu merè interno inveniuntur, v.g. in Contritione hominis juſti; nulla eſt ratio, quare opus illud merè internum non ſit ſatisfactorium de condigno ex opere operantis. Et ecce ratio ſecundæ partis Concluſionis. 114 **Idem opus poteſt eſſe meritorium & ſatisfactorium.**

Profectò ſicuti per actum merè internum homo poteſt peccare, etiam conveniens fuit, ut per actum merè internum poſſet ſatisfacere pro peccato. Nonne oratio communiter enumeratur inter opera ſatisfactoria? Et verò orationem purè mentalem quis dubitat eſſe veram orationem? Cur ergo non erit ſatisfactoria?

Audia-

Digitized by Google

115. Audiamus Scotum ſuprà nu. 12. *Peccatis* (inquit) *in genere, diſtinctis in tria membra, ſcilicet in peccatum carnis, in peccatum concupiſcentiæ oculorum, & ſuperbiam vitæ* 1. *Ioan.* 2. *correſpondent de congruo propria ſatisfactiones in genere; ſcilicet peccato carnis ieiunium, vel univerſaliter quæcumque maceratio carnis, magìs ordinata ad reprimendum tale peccatum carnis; & ſub iſto comprehendo vigilias, peregrinationes, aſperitates veſtium, nuditatem vel diſcalceationem, immò generaliter quemcumque laborem fatigantem. Peccato autem ſuperbiæ, & cæteris ſpiritualibus magìs appropriatè correſpondet oratio, quæ & humiliat ſpiritum Deo, & roborat contra peccata ſpiritualia. Peccatis autem circa temporalia, ùt avaritiæ, vel cupiditati cuicumque, ùt rapinæ, furti vel ablationis iniuſtæ, magìs appropriatè correſpondet erogatio eleëmoſynarum. Et ratio iſtorum eſt, propter maiorem correſpondentiam pœnæ ad culpam; quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

116. Nunc quæro à Doctore ſubtili, peccata ſpiritualia poſſunt eſſe merè interna? Nemo dubitat. Cur ergo oratio correſpondens, ſimiliter non poſſet eſſe merè interna? Nonne oratio purè mentalis humiliat ſpiritum Deo, & roborat contra peccata ſpiritualia? Non eſt ratio dubitandi. Et cùm aliunde ſit difficilis ac pœnalis, cur non ſufficiat ad ſatisfaciendum Deo pro peccato?

Si quæratur (inquit D. Bonaventura 4. diſt. 15. p. 2. a. 2. q. 3.) *quæ oratio ſit ſatisfactoria, credo quòd omnis; quia nulla eſt, in qua non laborent virtutes animales; & quantùm delectatur ſpiritus, tantùm caro frequenter tabeſcit, & virtutes animales minùs ſunt intentæ regimini corporis. Credo tamen, quòd illa inter cæteras eſt ſatisfactoria magìs, in qua accenditur homo ad gemitum, quia hæc eſt, in qua Deus maximè delectatur. Vnde quia illud eſt gratia ſpecialis, ideo non imponitur à Sacerdote, ſed præambulum ad illud, ſcilicet oratio vocalis.* Hæc ille.

Et infrà ſic ait: *Sit ergo hæc ſumma dictorum, quòd omnis oratio ex Charitate facta, ſi rectè fiat, pœnalis eſt, & ſatisfactoria poteſt eſſe; quia numquam eſt tantæ delectationis, quin ſit pœnalis antecedenter, vel conſequenter, vel concomitanter. Illa tamen inter omnes præcipuè ſatisfacit, quæ eſt magìs gemebunda, & in qua maior clamor cordis eſt ad Deum pro venia peccatorum: hæc autem in aliquibus eſt mentalis, in aliquibus vocalis.*

117. Dum ergo Scotus n. 11. definit ſatisfactionem eſſe actionem exteriorem laborioſam, non excludit omnem actum interiorem, ſed illum tantùm (ſicut ſuperiùs diximus) qui ſpectat ad primam, & ſecundam partem Sacramenti Pœnitentiæ, id eſt, ad Contritionem, & Confeſſionem. Deinde patet, quomodo intelligendum ſit, quod ibidem ait: *Non conſiſtit ſatisfactio, niſi in illis tribus operibus difficilibus, ſcilicet ieiunio, oratione & eleëmoſyna*; quia nimirum cætera opera pœnalia reduci poſſunt ad unum ex illis tribus.

Quòd ſatis clarè ſignificat Concil. Triden. ſeſſ. 6. c. 14. quando illis tribus adjungit alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, ibi: *Itemq́; ſatisfactionem per ieiunia, eleëmoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia.* Similiter loquitur ſeſſ. 14. can. 13. ibi: *Vt ieiuniis, orationibus, eleëmoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus*; ſpecificat autem illa tria, quoniam aptiſſima ſunt ad ſatisfaciendum, utpote maximè pœnalia, & quæ facilè veniunt in uſum hominum. *Conc. Trid.*

Doctor Seraphicus 4. diſt. 15. p. 2. a. 1. q. 4. per orationem intelligit omnem actum, contemplativè ad Deum relatum: per jejunium omnem carnis afflictionem, quæ conſiſtit in vigiliis & flagellis, & jejuniis propriè dictis: per eleëmoſynam autem omne opus pietatis proximo impenſum, ſive ſpirituale, ſive corporale. Et probat ſufficientiam, ac diſtinctionem harum partium, primò ſecundùm appropriationem: *Cùm enim* (inquit) *triplex ſit radix peccati, ſicut dicitur in Ioanne: aut concupiſcentia carnis, & contra hanc eſt ieiunium, aut concupiſcentia oculorum, & contra hanc eſt eleëmoſyna; aut ſuperbia vitæ, & contra hanc eſt oratio; hoc dico ſecundùm appropriationem, quia unumquodque horum valet contra omnes, appropriatè tamen magìs opponuntur.* 118. Quid intelligatur per orationem, jejunium, & eleëmoſynam ex D. Bonavent.

Secundò per proprietatem: *Opus* (inquit) *pœnale aut ordinat nos ad Deum, & ſic eſt oratio; aut ad nos, & ſic eſt ieiunium, quod macerat carnem noſtram; aut ad proximum, & ſic eſt eleëmoſyna.*

Tertiò ſecundùm reconciliationem: *Quia* (inquit) *per orationem Deo reconciliamur. Sed, ſicut dicit Auguſtinus in Serm. Domini in monte: Si vis orationem tuam volare in cælum, fac duas alas, ſcilicet ieiunium, & eleëmoſynam Tobiæ* 12. *bona eſt oratio cum ieiunio & eleëmoſyna.*

Quarta ſufficientia accipitur: *Quia* (inquit) *duplex eſt vita, ſcilicet activa & contemplativa; quantum ad contemplativam, oratio; quantùm ad activam, eleëmoſyna: ut autem homo ſit diſpoſitus ad utramque ſic eſt ieiunium.*

Itaque rectiſſimè & ſufficientiſſimè hæc tria ſpecificat Concilium Trident. & communiter Theologi, primò, quia per eleëmoſynam offeruntur Deo omnia bona externa & fortunæ, per jejunium bona corporis, per orationem bona ſpiritûs. Secundò, quia per eleëmoſynam privatur peccator bono utili corpori, per jejunium bono delectabili, per orationem autem acquirit bonum honeſtum. Tertiò, quia per eleëmoſynam homo ſubvenit proximo, per jejunium caſtigat ſeipſum, & per orationem honorat Deum. Quidni igitur omnia bona opera ſatisfactoria ad unum ex his tribus reduxeris? Bene feceris reducendo, & meliùs ea exercendo.

Dubitas autem, quod ex illis ſit magìs ſatisfactorium? Reſpondet D. Bonaventura ſuprà: *Quod unumquodque horum ſecundùm appro-* 119. Quod ex illis ſit magis ſatisfactori-

um ex eod. Doct Seraphico.

priationem ſuam. Tamen ſi generaliter loquamur, dicendum, quòd in ſatisfactione tria ſunt, ſcilicet vitatio culpæ, & contra hanc valet maximè oratio. Secundum eſt augmentum gratiæ, & ad hanc maximè valet eleëmoſyna; quia homo facit ſibi amicos, qui impetrant gratiam. Tertium eſt ſolutio pœnæ, & hoc maximè eſt in ieiunio: & hoc eſt infimum in ſatisfactione; alia duo præponderant. Hæc Doctor Seraphicus.

Quibus non immoror, quia nihil certi: licèt enim jejunium ſit magìs pœnale, quàm oratio vel eleëmoſyna, & ideo ex hac parte magìs aptum ad ſolutionem pœnæ, equidem oratio & eleëmoſyna, quia iſta actus Religionis, & hæc actus Charitatis, quæ ſunt præſtantiores virtutes, excedunt in bonitate ſeu honeſtate jejunium, utpote actum inferioris virtutis, ſcilicet temperantiæ. Jam autem (ùt ſuprà diximus) ad effectum extinctionis pœnæ non ſolùm attenditur pœnalitas, ſed etiam honeſtas ſeu bonitas, id eſt, pœnalitas non nuda, ſed ùt dignificata per honeſtatem & bonitatem actûs.

120. Lugo exiſtimat eleëmoſynam eſſe magìs ſatisfactoriam, quàm jejunium. Luc. 11.

Et ideo juxta communem Theologorum doctrinam (ùt vult Lugo diſp. 24. n. 33.) eleëmoſyna eſt magìs ſatisfactoria, quàm jejunium. De illa ſcriptum eſt Luc. 11. v. 41. *Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis,* non præciſè propter impetrationem gratiæ, quia ſæpiùs illi, quibus datur eleëmoſyna, non impetrant gratiam danti eleëmoſynam; ſed magìs arbitror propter extinctionem pœnæ temporalis, quæ reſtabat in altera vita ſolvenda.

D. Aug.

Quidquid ſit de hac comparatione, optimum conſilium eſt D. Auguſtini Serm 59. de temp. circa finem: *Qui vult orationem ſuam volare ad Deum, faciat illi duas alas, id eſt, eleëmoſynam & ieiunium, & aſcendat celeriter, & exaudietur.* Idem iiſdem penè verbis conſulit Enarr. in Pſal. 42 in fine: *Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium & eleëmoſynam.* Nam (teſte Raphaële Angelo, uno ex ſeptem, qui adſtant ante Dominum)

Tob. 12. v. 8. & 9.

Bona eſt oratio cum ieiunio & eleëmoſyna, magìs quàm theſauros auri recondere: quoniam eleëmoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam.

Si autem à me quæritur, Primò; An hæc opera ſint ſatisfactoria, etiam dum præcepta ſunt jure naturali ſeu poſitivo? Secundò; An procedere debeant ex intentione ſatisfaciendi? Reſponſio erit

CONCLUSIO VI.

Satisfactio fieri poteſt per opus præceptum: neque requiritur intentio ſatisfaciendi.

COntra primam partem Suarius diſp. 37. ſect. 4. nu. 1. citat Scotum 4. diſt. 15. q. 1. ubì (inquit) ſatisfactionem definit debere eſſe ex indebitis; quod exponit de debito præcepti, ùt videre etiam licet in q. 2. arg. 1. cum ſolutione. 12 Cont part. Suare Scoti

Fateor: Scotus q. 1. ſatisfactionem definit debere eſſe ex indebitis, ſed quòd exponat de debito præcepti, non reperio in tota illa quæſtione. Sed p ſtam ostent Autio

Quantum ad qu. 2. n. 35. ſic ait Doctor: *Ad argumenta. Ad primum, patet in prima particula art. ultimi, propter quam rationem quis non tenetur ad reſtitutionem, ùt ad ſatisfactionem propriè dictam, quæ eſt 3. pars Pœnitentiæ: ſed tenetur ad eam, ùt ad ceſſationem à peccato, & hoc actu & effectu cum circumſtantiis debitis vel opportunis.* Ubi tantùm loquitur de reſtitutione, non autem de omni alio præcepto, v. g. de jejunio, auditione Miſſæ &c. Deinde non de omni ſatisfactione, ſed loquitur de ſola ſatisfactione ſacramentali, quæ regulariter (niſi aliud Confeſſarius declaret) intelligitur de opere aliàs indebito ex præcepto, ùt conſtabit ex dicendis Sectione ſequenti.

Porrò de reſtitutione ſic diſcurrit Scotus in prima particula articuli ultimi q. 2. n. 28. *Sicut auferre alienum eſt peccatum mortale contra præceptum divinum negativum:* Non furtum facies; *ita & tenere alienum: & ideo ſicut neceſſarium eſt ſervare præcepta negativa, ita neceſſarium eſt non tenere alienum domino invito; & per conſequens vel actu ſtatim reddere, vel ſaltem velle reddere, cùm fuerit opportunitas. Vnde non eſt reſtitutio facienda neceſſariò ùt pars quædam ſatisfactionis, neque generaliter accipiendo ſatisfactionem, neque ſpecialiter. Generaliter enim accepta reddit pro peccato æquivalens ei, in quem peccatur: non ſic iſta reſtitutio; quia abſque omni redditione pro peccato, poſſet reddi proximo, quod ſuum eſt, ſicuti in mutuis redditur creditori abſque omni ſatisfactione, pertinente ad reconciliationem peccatoris.* 122 Reſtitu non eſt ſtatiò factio ſalis, ſpecial Scoto.

Conſimiliter non eſt ſatisfactio ſpecialis, quæ eſt 3. pars Pœnitentiæ; quia de congruo requiritur reſtitutio in re, vel in voto, ante omnem partem Pœnitentiæ, ſicut ceſſatio voluntate vel facto à peccato: ſed ſatisfactio, quæ eſt 3. pars Pœnitentiæ, non requiritur ante alias duas partes Pœnitentiæ, immò ſequitur Contritionem & Confeſſionem ùt iniuncta à Sacerdote. Reſtitutio autem non iniungitur à Sacerdote, Reſti requi ante p Pœnit

Digitized by Google

Sacerdote, ſed à lege divina. Et eſt ſimile in aliis peccatis: ſi quis teneret fornicariam, vel magìs adulteram, reſtituere eam viro ſuo, non eſt niſi ceſſare à peccato, vel à tranſgreſſione huius præcepti: Non mœchaberis; *& iſtud præcedit omnem partem Pœnitentiæ acceptæ: & ideo ſicut tenens adulteram non eſt capax Pœnitentiæ, ſed irriſor, & ſi talis veniat ad Pœnitentiam, addit peccatum peccato; ita detinens alienum & voluntate & facto, dum talis eſt, non eſt capax alicuius partis Pœnitentiæ.* Huc uſque Scotus.

123. Videamus, ſi ex his colligi poſſit, quòd exponat ly *Indebitis*, de debito præcepti, quaſi ſecundùm ipſum ad omnem ſatisfactionem ſint neceſſaria opera non præcepta. Et dico, nullatenùs id colligi ex iſtis verbis: ſed hoc dumtaxat, quòd reſtitutio in re vel voto ſit neceſſaria, etiam abſque omni ſatisfactione, pertinente ad reconciliationem peccatoris cum Deo, non quaſi ſit incapax hujuſmodi ſatisfactionis, ſive generaliter accipiendo ſatisfactionem, ſive ſpecialiter; ſed quòd reſtitutio foret facienda, eſtò nullam haberet rationem ſatisfactionis. *Non eſt* (inquit Scotus) *reſtitutio facienda neceſſariò, ùt pars quædam ſatisfactionis.* Non ait: Non poteſt fieri reſtitutio, ùt pars quædam ſatisfactionis; ſed: *Non eſt facienda neceſſariò, ùt pars quædam ſatisfactionis.* Non negat poſſibilitatem, ſed neceſſitatem, affirmans eam neceſſariam ex præcepto divino, abſque omni ſatisfactione pro pœna temporali Purgatorii, & independenter ab injunctione Sacerdotis.

An autem per impoſitionem Sacerdotis poſſit etiam eſſe ſatisfactoria, vel per voluntariam aſſumptionem peccatoris ex amore Dei, aut alio motivo honeſto ſupernaturali, non diſputat ibi Doctor, adeòque nec affirmat, nec negat. Malè ergo à Suario citatur pro ſententia negante, quæ minùs communis eſt, & minùs ſolidis nititur fundamentis. Ideòque elegimus ſententiam affirmantem, ſcilicet per opera, alioquin præcepta ex jure naturali vel poſitivo, poſſe ſatisfieri, ſaltem generaliter; de qua ſatisfactione hìc tractamus.

124. Ratio à priori, eſt voluntas Dei, quæ opera illa honeſta & pœnalia acceptat in ſatisfactionem pro pœna temporali alterius vitæ, ùt colligitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. ibi: *Per obſervationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam acceptá, cooperante Fide bonis operibus, creſcunt atque magìs iuſtificantur.* Et cap. 16. ibi: *Nihil ipſis iuſtificatis ampliùs deëſſe credendum eſt, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, verè promeruiſſe cenſeantur.* Quidni etiam cenſeri poſſint verè ſatisfeciſſe pro pœna temporali? Poſſunt planè, ſi fuerint opera pœnalia.

Nonne gratia & vita æterna præſtant extinctioni pœnæ temporalis? Si ergo opera bona ex hoc præcisè, quia debita ex præcepto, non perdunt vim merendi gratiam & gloriam; cur opera bona & pœnalia perderent vim ſatisfaciendi, quæ minor eſt? Non apparet ratio diſparitatis, ùt patebit magìs ex infrà dicendis.

125. Præterea, nonne Eccleſia præcipit jejunium etiam propter ſatisfactionem? *Da quæſumus Domine noſtris effectum ieiuniis ſalutarem, ut caſtigatio carnis aſſumpta ad noſtrarum vegetationem tranſeat animarum.* Ita orat Sabbato ante Dominicam 3. Quadrageſimæ. Et S. Leo Papa Serm. 4. de Quadrag. ſic ait: *Magna divinæ inſtitutionis ſalubritate proviſum eſt, ut ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & ieiunia caſta decoquerent* per extinctionem pœnæ temporalis.

Item ex ſenſu Eccleſiæ.

S. Leo Papa.

Et verò quid clariùs, quàm jejunia impoſita per Confeſſarium ſatisfacere pro peccatis ex opere operato? Si obligatio, quæ oritur ex illa impoſitione, non tollit ab illis jejuniis aut aliis operibus vim ſatisfaciendi ex opere operato; cur obligatio, quæ oritur ex præcepto Eccleſiæ aut alterius Superioris, auferet vim ſatisfaciendi ex opere operantis? Nimis certum eſt, eum, qui ratione confeſſionis Fidei, ad quam hìc & nunc obligatur ex præcepto divino, patitur graviſſima tormenta, non propterea minùs ſatisfacere, quàm ſi illam confeſſionem abſque peccato hìc & nunc poſſet declinare.

& præcepto Confeſſarii.

Non poſſum negare, quod affirmat Apoſtolus 2. Corinth. 9. v. 7. *Vnuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus*; ſed puto id intelligendum de neceſſitate coacta ſeu invita, non autem de neceſſitate amata, vel neceſſitate obligationis ad actum virtutis, quæ ſtat cum voluntate æquè prompta, & æquè, immò magìs, virtutem amante.

Explicatur quod ait Apoſt. 2. Corin. 9. *Vnuſquiſque* &c.

126. Enimverò cæteris paribus magìs honeſtum & laudabile videtur, facere aliquid ex præcepto, quàm abſque illo: quoniam hujuſmodi opus præter propriam honeſtatem v. g. temperantiæ, habet fructum ſeu honeſtatem obedientiæ. Quidni ergo cæteris paribus ſit magìs gratum Deo? Quippe non ſpectat Deus utilitatem, nec quærit lucrum ex operibus noſtris (veluti homines, quibus propterea magìs grata eſt liberalis oblatio ſeu donatio pecuniæ, quàm ſolutio debiti pecuniarii) ſed conſiderat dumtaxat honorem, & quærit ſolùm honorem ex operibus noſtris; ac proinde hoc ſemper illi gratius eſt, quod melius.

Magìs honeſtum videtur facere aliquid ex præcepto, quàm ſinè illo.

Ex quo ſic argumentatur Lugo diſp. 24. n. 35. Tota condignitas ſatisfactionis fundatur in eo, quòd homo laudabiliter ſe caſtigans, eo ipſo

Ex quo infert Lugo etiam eſſe magìs ſatisfactorium.

eo ipſo placet iram Iudicis, ne illum iterum puniat: ille autem, qui ex præcepto ſe caſtigat, non minùs, ſed magìs laudabiliter ſe caſtigat; non enim minùs, ſed potiùs magìs honeſtum & laudabile eſt, cæteris paribus, facere aliquid ex præcepto, quàm abſque illo: ergo magìs placet Deo, & per conſequens magìs placat illum ejuſmodi caſtigatio per opera præcepta, quàm per ſpontanea.

127. Objectio. Sed contrà: magìs placet Deo, & per conſequens magìs placat illum duplex jejunium, quàm unicum; ergo magìs placet Deo, & per conſequens magìs placat illum caſtigatio per opera ſpontanea, quàm per præcepta. Probatur Conſequentia: quia caſtigans ſe per jejunium ſpontaneum, inſuper caſtigabit ſe per jejunium præceptum; ſuppono quippe, eſſe præceptum independenter à priori caſtigatione per jejunium ſpontaneum: at verò dum aſſumitur jejunium aliunde præceptum, patet quia unicum remanebit; ideo enim aſſumitur, quia pœnitens non vult ſecundò jejunare, ſed ſemel tantùm.

Solvitur. Reſpondeo; ideo dictum eſſe in argumento: *Cæteris paribus*; hìc autem non ſunt cætera paria, ùt patet. Caſus ergo eſt & quæſtio, quis magìs ſatisfaciat ex opere operantis, ego qui jejuno abſque præcepto, v. g. Confeſſarii, aut alterius Superioris, an alius qui jejunat ex tali præcepto? Et in hoc caſu videtur argumentum Lugonis concludere; ſi adhuc cætera ſint paria, v. g. intenſio actûs interioris, & ſimilia: nam tanta poſſet eſſe intenſio, & conſequenter bonitas voluntatis jejunandi ſpontaneè, & tanta remiſſio voluntatis jejunandi ex præcepto, ut Deo longè acceptior foret ſola bonitas temperantiæ prioris voluntatis, quàm bonitas temperantiæ & obedientiæ poſterioris voluntatis; ac proinde gratior & magìs placans Deum prior caſtigatio, quàm poſterior.

128. Probatur Concluſ. ex ratione. Quidquid ſit de hoc exceſſu (de quo Concluſio nihil decernit) ſufficit nobis, quòd opus præceptum ſit verè ſatisfactorium, ſi non de omni rigore juſtitiæ, equidem ſimpliciter eo modo, quo purus homo poteſt Deo ſatisfacere. Hoc autem modo eſſe ſatisfactorium, probo tribus verbis: Præceptum nec tollit libertatem indifferentiæ, nec bonitatem, nec pœnam; ergo nec ſatisfactionem, puro homini poſſibilem, id eſt, moraliter æqualem juxta leges juſtitiæ vindicativæ, & communem providentiam divinam, quæ omne opus liberum, bonum & pœnale acceptat in ſatisfactionem pro pœna temporali, tametſi, ſi rigore juſtitiæ uti voluiſſet, potuiſſet ſola ſupererogationis opera in ſatisfactionem exigere & acceptare.

Fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Atque nihil aliud probat fundamentum contrariæ ſententiæ, quod hìc ſubjicio: Non poteſt quis ſatisfacere duplici debito eâdem ſolutione; quia jam non eſſet æqualitas: ergo ſi opus eſt debitum ex præcepto, non poteſt eodem ſolvi debitum ex peccato; ratione enim commiſſi peccati tenetur quis ſpecialem pœnam ſubire.

Reſpondeo concedendo totum; ſi verum eſt, quòd purus homo poſſit & debeat de omni rigore juſtitiæ ſatisfacere: ſed quia hoc falſum eſt, ideò admiſſo Antecedente, quando utrumque debitum eſt propriæ juſtitiæ reſpectu ejuſdem, & ordinatur ex peculiari ſua conditione ad res diverſas, Neg. Conſequentiam: nam in primis debitum præcepti, ſolùm videtur eſſe debitum obedientiæ vel temperantiæ, aut alterius ſimilis virtutis; non autem juſtitiæ propriè dictæ (ùt Multi docent) de quo alibi diſputavimus. Huic autem debito ſatisfacere, nihil aliud eſt, quàm facere id, quod juſtum eſt; quod quidem per ſe dignum eſt laude & gratum Deo, & ideo meritorium: cur ergo ſi etiam pœnale ſit, non poterit eſſe ſatisfactorium? Præſertim cùm præcepto ſatisfiat per actionem bonam ùt talis eſt, præſcindendo à pœnalitate; præceptum enim per ſe ad actum virtutis obligat: ergo pœna accidentaria eſt: ergo per hanc pœnam ſolvi poteſt illa, quæ peccato debetur. 12 Reſpondetur.

Sin autem & ipſum præceptum, ſeu potiùs præcipiens, pœnam intendat, quod per accidens eſt, v. g. quando actum pœnalem præcipit ad finem ſatisfactionis, eſtò etiam ad finem illum legiſlatoris, lex illa obligaret, equidem haud dubium quin tali pœnâ ſatisfaciat tam præcepto pœnali, quàm pœnæ debitæ in Purgatorio, cùm hanc ſatisfactionem intendat præcipiens, adeòque, niſi poſſit habere illum effectum, inutiliter præcipiat; ac proinde præceptum non obliget, tamquam irrationabile: quippe irrationabile eſt, præcipere v. g. jejunium ad finem ſatisfaciendi, ſi tale jejunium non ſit ſatisfactorium.

Et verò qui ex voto debet calicem Eccleſiæ, ſi accedat præceptum de eodem calice dando, nonne ſatisfaciet utrique obligationi, dando unum calicem? Ergo ſi debeo jejunium pro pœna peccati commiſſi, etſi accedat præceptum Superioris de eodem jejunio, ſatisfaciam utrique obligationi per unum & idem jejunium.

Planè (reponit quiſpiam) ſatisfacies: ſed de hoc caſu non quæritur. De quo ergo? 1 Obj. Quando ex præcepto Superioris debetur unum jejunium, eſtò nullum præceſſiſſet peccatum, & ex commiſſo peccato debetur alterum ſecluſo quocumque præcepto Superioris: ergo ſaltem tunc non poterit utrique debito ſatisfieri per unicum actum jejunii. Quemadmodùm ſi debeas unum calicem Eccleſiæ ex voto, & alterum ex teſtamento, non ſatisfacis dando unicum, quod enim ex voto donas, non ſolvis: & vice verſâ, quòd ſolvis ex vi teſtamenti, non donas. Similiter ſi debeas

Digitized by Google

beas 100. Petro ex contractu, & inſuper fureris ab eo alia 100. non ſatisfacis dando ſemel 100.

ſponſio. Reſpondeo; diſparitatem petendam eſſe ex ſubjecta materia: nam materia juſtitiæ commutativæ conſiſtit in omnimoda æqualitate ſolutionis, cum debitis aut juribus, quæ non ſalvatur in unica ſolutione, quando debita aut jura ſunt diverſa & plura. At verò in debitis legalibus, ùt voti, legis, pœnitentiæ injunctæ, attenditur mens & intentio legiſlatoris: poteſt autem intentio legiſlatoris in unum & idem opus tendere, ita quòd unico actu ſatisfiat legi, voto & pœnitentiæ. V. g. teneor ex voto jejunare diebus Veneris per totum annum, teneor ex præcepto Eccleſiæ jejunare Vigiliam alicujus Sancti, quæ hoc anno incidit in diem Veneris; ſi Confeſſarius pro pœnitentia imponat jejunium ejuſdem diei, ſciens me aliunde obligatum tam ex voto, quàm ex præcepto Eccleſiæ, ſatisfacio voto, legi & pœnitentiæ unico jejunio.

131. Confeſ- ... poſſit ... ponere ... præ- ... Dices: Hoc eſt quod quæritur, an Confeſſarius poſſit imponere opus præceptum? Reſpondeo, praxim Confeſſariorum illam poſſibilitatem ſatis probare (de qua Sect. ſequenti) quamvis communiter pœnitentia ſacramentalis intelligatur de opere aliàs indebito ex voto vel præcepto, ùt ibi latiùs explicabitur. Pro nunc ſufficit, quòd poſſit Confeſſarius ſi velit, & expedire judicaverit, imponere opus debitum ex voto vel præcepto.

... eſt ... æqua- ... inter ... pœ- ... hujus ... & pœ- ... Purga- ... Cùm igitur non ſit ſtricta æqualitas inter opera pœnalia hujus vitæ, & pœnas temporales Purgatorii, ſed moralis tantùm, quæ plurimum pendet ab acceptatione ſeu lege divina, liquidò conſtat, quòd, ſi voluiſſet Deus ſupremus Legiſlator, nullatenùs ſatisfieret per opera pœnalia, alioquin debita ex præcepto vel voto. Nihilominùs quia miſericordia ſuperexaltat judicium, piè creditur tantàm fuiſſe bonitatem Dei noſtri, tantam munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis alioquin indebitis ex præcepto aut voto; ſed etiam debitis ex præcepto aut voto ſatisfacere valeamus.

Si enim teſte Cæleſtino Epiſt. pro Proſperò cap. 12. *Tanta eſt erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona*, & multis aliis titulis ipſi debita; quidni etiam tanta ſit erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtras velit eſſe ſatisfactiones, quæ ſunt ipſius dona, & multis aliis titulis, etiam titulo præcepti aut voti, ipſi debita? Neque enim Concil. Trident. proponens nobis & commendans opera ſatisfactoria, jejunia, eleëmoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, diſtinguit ullatenus inter illa opera præcepta, & non præcepta: ergo nec nos diſtinguere debemus abſque urgenti ratione, qualis non eſt ratio, ſuprà propoſita ab Adverſariis.

Sanè non eſſe eamdem regulam obſervandam in hoc genere ſatisfactionis, quæ ſervatur in ſolutione debiti ex juſtitia, probat Lugo ſup. n. 34. Quia (inquit) ſi aliquis debeat alteri tres menſuras terræ v. g. non ſatisfacit huic debito, ſi caſu vel fluminis alluvione creditoris fundo accreverint totidem terræ menſuræ ex ſuo fundo; ſed debet dare alias tres; quia quod neceſſitate perdit, non cedit in ſolutionem debiti: & tamen flagellis & infirmitatibus, neceſſitate naturæ provenientibus, homo ſatisfacit pro debito pœnæ, ſi patienter toleret. Hæc ille. 132. Non eſt hic eadem regula obſervanda, quæ in ſolutione debiti ex juſtitia.

Itaque ſatisfactio noſtra pro pœna temporali Purgatorii non tam eſt ſolutio debiti, quàm placatio condigna, vel per voluntariam caſtigationem, aut certè per caſtigationem neceſſariam, patienter, adeòque liberè toleratam.

Atque hæc erit probatio ſecundæ partis Concluſionis, videlicet: *Neque requiritur intentio ſatisfaciendi*; quæ uti communior, ita verior apparet, quandoquidem Concil. Trident. agens de operibus ſatisfactoriis tam ſeſſ. 6. cap. 14. quàm ſeſſ. 14. cap. 9. nullam faciat mentionem ejuſmodi intentionis; exiſtimo, quia licèt illa intentio aliquando poſſit eſſe neceſſaria in ſolutione debiti ex juſtitia (qui enim debet 100. ex contractu v. g. emptionis, ſi gratis omninò det 100. non liberat ſe ab illo debito) attamen ad placandum judicem parum aut nihil videtur conducens ejuſmodi intentio; quia pœnalitas operis propterea non minuitur vel augetur, neque honeſtas: hæc autem ſola ſunt, quæ placant judicem, & quæ movent ipſum, ne iteratò hominem puniat. 133. Probatur 2. pars Concl.

Confirmatur exemplo meriti, ad quod non requiritur intentio merendi: uti etiam præcepta tam divina, quàm humana, impleri poſſunt (ùt communiter docetur) ſinè intentione ſatisfaciendi ſive implendi præceptum, immò cum intentione non ſatisfaciendi, dummodò fiat id, quod præceptum eſt. Enimverò quemadmodùm non pendet à voluntate uniuſcujuſque extendere obligationem legis non pœnalis, ita neque extendere obligationem legis pœnalis: eadem quippe eſt ratio utriuſque legis, videlicet; quia ſicut ſolius Superioris eſt condere legem, conſimiliter ſolius Superioris eſt eam extendere, & quaſi de novo obligare ad alium actum. Confirmatur exemplo meriti, ad quod non requiritur intentio merendi.

Cùm ergo pœna Purgatorii debeatur peccato commiſſo ex lege divina juſtitiæ vindicative, non poteſt homo facere, ut lex illa extendatur ad novam pœnam, ſemel pœnâ perſolutâ. Ergo conſimiliter non poteſt facere ut lex ſatisfactionis (ſi ita placeat loqui) vel potiùs acceptatio divina, quâ acceptantur certæ pœnæ hujus vitæ, pro pœnis Purgatorii, ut (inquam) illa acceptatio extendatur 134. Non poteſt homo extendere legem divinam juſtitiæ vindicativæ.

ad no-

Digitized by Google

ad novas pœnas, ſemel pœnis perſolutis. Sicut namque ſolius Dei fuit, illas pœnas determinare; ita etiam ſolius Dei eſt, illam determinationem extendere. Oſtendendum ergo foret, Deum determinaſſe ſatisfactiones noſtras ſeu pœnas hujus vitæ, non ſolùm ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed etiam ſecundùm modum intentionis ſatisfaciendi; quod Adverſarii numquam oſtendent.

Nonnè ad veram pœnitentiam remiſſivam peccati ſeu culpæ requiritur, ut dolor eliciatur ex motivo juſtitiæ vindicativæ? Quin immò melius eſt, quòd eliciatur ex amore Dei ſuper omnia, ùt Omnes fateri debent. Pari igitur ratione meliùs erit ſibiipſi infligere voluntariè pœnam, aut inflictam à Deo patienter tolerare ex motivo dilectionis Dei ſuper omnia, quàm ex motivo juſtitiæ vindicativæ, ſeu ſatisfaciendi pro pœna Purgatorii. Sufficit ergo, quòd materialiter ſit actus juſtitiæ vindicativæ.

135. *Diſparitas inter ſatisfactionem, & ſolutionē debiti ex ſtricta juſtitia.* Ex quò feſtinè cognoſcitur diſparitas inter ſatisfactionem, & ſolutionem debiti ex ſtricta juſtitia: nam qui omninò liberaliter dat 100. florenos, nequidem materialem exercet actum juſtitiæ commutativæ: quid ergo mirum, ſi non ſatisfaciat iſti debitò? Quippe res, quæ liberaliter datur, non eſt illa, quæ debetur: hæc enim cùm ſit aliquo modo alterius, non poteſt cadere ſub liberalem donationem; unde non cenſetur rem debitam dare, ſed aliam; ac proinde manet debitum. Non ſic res agitur cum Deo in caſu præſenti; ipſi enim ſemper magìs placet, quod melius eſt. Cùm ergo ſubire pœnam ex amore Dei, meliùs ſit & perfectiùs quàm eamdem pœnam ſuſtinere ex motivo juſtitiæ vindicativæ; quidni etiam magìs placeat? Porrò quod magìs placet Deo, etiam magìs placat Deum, ùt ſuperiùs diximus: ergo magìs ſatisfacit qui ſuſtinet pœnam ex amore Dei, quàm ex timore pœnarum Purgatorii, aut ex motivo juſtitiæ vindicativæ.

An fortè exiſtimas, militem alioquin reum capitis, qui ex puro amore pro Rege ſe expoſuiſſet periculo mortis, ceſſante illo periculo nihilominus capite plectendum ideo, quia hoc non fecit ex motivo juſtitiæ vindicativæ, ſive ad ſatisfaciendum pro pœna, quam ſuo delicto meruerat? Repugnat æquitati naturali: potiſſimùm, cùm præſumendum ſit, unumquemque id velle ſaltem implicitè & interpretativè, id eſt; ſi interrogaretur, reſponderet ſe velle omnem effectum ſui actûs, quem poteſt habere, maximè in favorabilibus.

De cætero, veluti non requiritur (ùt hactenus probatum eſt) intentio ſatisfaciendi ex parte pœnitentis; ita exiſtimo non eſſe neceſſarium eumdem finem ex parte Dei, ſed poſſe ſatisfieri per flagella patienter tolerata, quæDeus permittit ob alios fines, ùt ediſſero Concluſione ſequenti, quæ ſic ſe habet:

CONCLUSIO VII.

Ad ſatisfaciendum ſufficiunt mala quæcumque temporalia, à Deo, vel à cauſis ſecundis provenientia, patienter tolerata.

Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 9. docet, *Tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.* Item can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis,* &c. *anathema ſit.* Cumque hìc non fiat diſtinctio inter flagella, quæ à Deo infliguntur, ſpecialiter propter finem ſatisfactionis, & inter illa, quæ Deus permittit naturaliter evenire ob alios fines, videtur idem de utriſque dicendum. 1 Prob. Con.

Atque hic eſt communis ſenſus fidelium, qui dum ſentiunt mala temporalia, ſtatim ad Dei providentiam confugiunt, & conformantes ſe divinæ voluntati, omninò indifferenter illa accipiunt tamquàm à paterna ejus manu provenientia, ſcientes quod ſcriptum eſt Amos 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Et planè ſic conveniebat ad alleviandas calamitates hujus ſæculi. Cumque non minùs pœnalia ſint mala, quæ naturaliter proveniunt à cauſis ſecundis, quàm quæ ſpecialiter à Deo infliguntur ad finem ſatisfactionis; tolerantia quoque cum patientia eadem ſit, eademque dignitas (ùt ſuppono) ejus, qui patienter tolerat; cur minùs ſatisfacerent?

Quia (inquis) Deus noluit acceptare, niſi flagella à ſe inflicta pro vindicando peccato; ſicuti non acceptat, niſi pœnas ſponte ſuſceptas pro vindicando peccato: ita enim loquitur Trident. ſuprà cap. 9. Obj.

Reſpondeo: omnia mala pœnæ, quæ proveniunt naturaliter à cauſis ſecundis, vel liberè ab iiſdem infliguntur, etiam ſuo modo infliguntur à Deo juxta Scripturam præallegatam: *Si erit malum* (ſcilicet pœnæ) *in civitate, quod Dominus non fecerit?* Quaſi Propheta diceret: Omne malum pœnæ, quod eſt in civitate, fecit Dominus; adeoque homo laudabiliter Sol.

Digitized by Google

dabiliter facit, ea omnia acceptando, tamquàm à manu Dei.

Quantùm ad ly *Pro vindicando peccato*, illud non additur à Concilio *flagellis à Deo inflictis*, ſed tantùm *pœnis à nobis ſponte ſuſceptis.* Sufficeret itaque ſi homo pro vindicando peccato patienter illa flagella toleraret.

Deinde illa particula omninò non exprimitur in can. præcitato; arbitror, quia expreſſa intentio ſatisfaciendi (ùt patet ex Concl. præcedenti) non eſt neceſſaria: virtualis autem ſeu implicita & interpetativa ſemper adeſt, quando homo, vel ſponte ſuſcipit illas pœnas, vel patienter tolerat mala, à Deo immediatè, vel mediantibus cauſis ſecundis; naturalibus ſeu liberis, inflicta. Nam (ſicùt dixi Concl. præcedenti) ſi interrogarentur homines, an vellent per illa mala ſatisfacere pro peccatis ſeu pœnis temporalibus, indubiè reſponderent ſe velle: immò frequentiùs habent expreſſam illam intentionem. Et fortè propterea Conc. cap. 9. addiderit ly *Pro vindicando peccato*; aliis autem locis, quoniam illa expreſſa intentio non eſt abſolutè neceſſaria, omiſerit.

Ratio à priori totius Concl. voluntas Christi. Ratio ergo à priori totius Concluſionis, eſt voluntas Chriſti, quæ colligitur ex Concilio Trident. locis jam allegatis, præſertim quoad flagella; quæ à Deo ſpecialiter infliguntur ob finem ſatisfactionis; quamquàm & de aliis ſatìs conveniant inter ſe DD. Catholici.

138\. *An per ipſa mala extrinſeca propriè ſatisfaciamus?* Diſputant verò, an tota ratio ſatisfactionis teneat ſe ex parte internæ voluntatis, quâ illa flagella acceptantur, ſeu patienter tolerantur; an verò etiam per ipſa mala extrinſeca propriè ſatisfaciamus. Dico; *Propriè ſatisfaciamus*; quia Aliqui docent, per flagella exteriora remitti pœnam, tamquam per vindictam & punitionem immiſſam à judice, id eſt, tamquam per ſatiſpaſſionem.

Sententia negans. Sed omiſsâ hac ſatiſpaſſione (de qua in progreſſu redibit ſermo) prima ſententia negat exterioribus malis omnem vim propriæ ſatisfactionis, eamque tribuit ſoli internæ voluntati. Fundamentum ejus eſt; quia homo per illa mala, quæ ſponte non ſuſcipit, ſed velit nolit patitur, neutiquam laudabiliter ſeipſum caſtigat: nam (ùt rectè Scotus Quodlib. 18. num. 9.) *Laudabile & vituperabile, immò generaliùs præmiabile & punibile continentur ſub hoc communi, quod eſt imputabile, & illius communis eſt una ratio, hac ſcilicet, actum eſſe in libera poteſtate agentis.* Jam autem illa mala (ùt ſuppono) non ſunt in libera poteſtate agentis, ſed omninò neceſſaria, inflicta homini prorsùs independenter ab ejus voluntate. Unde propriè non ſunt voluntaria, quia non proveniunt ab intrinſeco cum cognitione, ſed ad ſummum volita per modum objecti: ergo quamvìs per illa homo caſtigetur ſeu puniatur, ipſe tamen ſe non laudabiliter caſtigat, quod videtur requiri ad propriam ſatisfactionem per modum meriti.

Scotus.

Igitur tota ratio propriæ ſatisfactionis videtur conſiſtere in actu interno voluntatis, quo liberè acceptat illa mala & patienter tolerat, nolens admittere illicitum ſolatium; quod fortè poſſet accipere ex impatientia. Unde & illa externa carentia ſolatii (ſi reverà aliqua ſit) quia libera, ſaltem per participationem ab actu libero voluntatis, ſecundùm hanc ſententiam erit propriè ſatisfactoria, eo modo, quo aliæ pœnæ ſponte ſuſceptæ, pro vindicando peccato. Loquitur ergo hæc ſententia de illis malis, quæ nullatenùs pendent à voluntate hominis, ſed velit nolit ea patitur, in tantùm ut non ſint ſolùm neceſſaria, id eſt, non libera libertate indifferentiæ, ſed etiam nullatenùs voluntaria, adeoque potiùs coacta. Pro hac ſententia citat Suarius diſp. 37. ſect. 7. num. 2. Richardum diſt 15. art. 1. qu. 4. Gabr. diſt. 16. q. 2. a. 3. dub. 7. quibus conſentit Vaſquez q. 94. a. 1. dub. 7. n. 6. & Dicaſtillo diſp. 13. n. 75.

Richardus. Gabriel. Vaſquez. Dicaſtillo.

Contrariam ſententiam ſuſtinet Suarius ſuprà num. 5. dicens, eum, qui voluntariè ſuſcipit pœnam ab extrinſeco illatam propter Deum, ſatisfacere pro peccatis, non ſolùm ratione actûs interioris, ſed etiam per ſe ac formaliter per ipſam exteriorem paſſionem ſeu pœnam. Suarium ſequitur Lugo diſp. 24. num. 71. Et probatur primò ex Concil. Trident. ſuprà adducto, quòd eodem modo loquitur de flagellis à Deo inflictis, & patienter à nobis toleratis, & de pœnis ſponte à nobis ſuſceptis: ſed per has propriè ſatisfacimus, & non per ſolam voluntatem internam; ergo ſimiliter per illa. 139.

Sententia affirmans probatur ex Concil. Trident.

Suarez. Lugo.

Reſpondetur: etiam eodem modo loquitur de pœnis Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis; & tamen non valet argumentum ab his pœnis ad illa flagella, vel etiam ad pœnas ſponte ſuſceptas: nam pœnæ impoſitæ Sacerdotis arbitrio ſunt ſatisfactoriæ ex opere operato; quod tamen conſtat non convenire pœnis ſponte ſuſceptis, aut flagellis à Deo inflictis.

Reſpondetur.

Igitur tametſi modus loquendi idem ſit, attamen ex materia ſubjecta colligitur diverſitas in modo remittendi pœnas, ſeu ſatisfaciendi pro pœnis. Porrò materiam ſubjectam eſſe diverſam, nemo rationabiliter poteſt dubitare: nam pœnæ ſponte ſuſceptæ ſunt externi actus liberi & humani, per conſequens laudabiles; flagella autem à Deo inflicta nec actus liberi, nec humani; ac proinde nec laudabiles. Quid ergo mirum, ſi iſtæ pœnæ ſint per ſe & formaliter ſatisfactoriæ; hæc autem flagella ſolùm ſatisfactoria objectivè (ut ſic loquar) quatenùs nimirum ſunt objectum voluntariæ patientiæ, & acceptationis ſeu patientis tolerantiæ?

140. Objectio. Si dixeris: Ergo non alio modo ſunt ſatisfactoria, quàm beneficia divina, v. g. creatio, beatitudo &c. utpote quæ etiam poſſunt eſſe objecta actuum virtutis, quorum exercitio ſatisfacimus.

Diluitur. Reſpondetur; ideo Concil. potiùs exprimere flagella à Deo inflicta, quàm beneficia, v. g. creationem, beatitudinem & ſimilia; quia Concil. volebat contra Hæreticos adſtruere opera ſatisfactoria, quæ ipſi negabant, ſcilicet pœnas ſponte ſuſceptas, pœnas impoſitas à Confeſſario, & pœnas à Deo inflictas: dicebant quippe optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam, ùt patet ex can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis* &c. *atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam; anathema ſit.* Conc. Trid.

Commendare igitur voluit opera pœnalia, & patientiam in tolerandis pœnis à Deo inflictis, à quibus operibus & patientia maximè Hæretici abhorrebant: de modo autem ſatisfaciendi, videlicet ex opere operantis, vel ex opere operato, formaliter, vel objectivè, ibi Concil. nihil decernit, quia de eo non erat controverſia cum Hæreticis; utì nec de beneficiis Dei, creatione, beatitudine & ſimilibus, quæ vix vel ne vix quidem ſunt materia tolerantiæ ſeu patientiæ, quia ferè nullam; aut veriùs nullam habent pœnalitatem; unde & ipſis hæreticis acceptiſſima ſunt. Si tamen aliqua forent beneficia, quæ hìc & nunc ſuam haberent pœnalitatem & moleſtiam, & per conſequens forent materia patientiæ, etiam de illis concedendum erit, quod Concilium docet de flagellis à Deo inflictis, & patienter toleratis, ſcilicet per illa patienter tolerata, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfieri pro pœna temporali Purgatorii.

141. Inſtantia ex Trident. Ergo (infert quiſpiam) ſinè fundamento Trid. dixit: *Maximum amoris argumentum eſt*, quòd flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfacere valeamus; fruſtraque commendat ſingularem benignitatem & munificentiam Dei in illo modo ſatisfactionis. Nam ſatisfacere per ſolum actum internum patientiæ, ſecundùm menſuram ipſius actûs, nihil habet ſpeciale & diverſum ab alia ſatisfactione, quâ ſatisfacimus amore inimicorum, vel voluntate obſervantiæ divinæ legis &c.

Solvitur. Reſpondetur: *Maximum amoris argumentum eſt*, quod Deus, cùm potuiſſet temporalia flagella non infligere, nec dare hanc occaſionem ſatisfaciendi ſimul & merendi, ſed reſervare pœnam pro altera vita, ubì & pœna major eſt, & ſinè ullo merito; voluit nihilominùs commutare hanc pœnam majorem in illam minorem, & cum magno merito. Unde dicebat D. Auguſtinus: *Hìc ure, hìc ſeca, hìc mihi non parcas, ut in æternum parcas.* Et Proverb. 3. v. 12. ſcriptum habes: *Quem diligit Dominus, corripit.* Similiter Hebr. 12. v. 6. *Quem diligit Dominus, caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quia nimirum hujuſmodi caſtigationibus & flagellis patienter toleratis ſatisfaciunt. S. Auguſt. Prover. Hebr.

Nonne Chriſtus dixit: *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparaverint vos, & exprobraverint* &c. Luc. 6. v. 22? Et tamen exprobratio & odium aliorum non eſt ipſa beatitudo, ſed ſolùm materia ſerviens ad acquirendam illam. Quis autem neſciat, illam materiam eo fine offerre, eſſe magnum beneficium? Luc. 6

Præterea cùm hæ pœnæ ſæpè proveniant ex concurſu naturali cauſarum, immò aliquando ex noſtris exceſſibus, ac proinde minùs, aut fortè ex ſe nullo modo ad ſatisfaciendum ordinentur, maximum amoris argumentum eſt, quòd Deus patientem earum tolerantiam acceptet in ſatisfactionem, qui non tenebatur eam acceptare, ùt patet in animabus Purgatorii, quæ licèt patientiſſimè tolerent pœnas à Deo inflictas, nihilominus per illam patientiam minimè ſatisfaciunt. Quòd igitur in hac vita peccator per illam patientiam ſatisfaciat, commendat ſingularem benignitatem & munificentiam Dei.

Atque de hac patientia intelligo D. Auguſt. alioſque SS. Patres, quos citat Suarius ſuprà n. 6. pro ſe, quando dicunt, Deum non punire in futura vita, quem punit in hac vita: intelligo (inquam) de patienti tolerantia, ſi loquantur de formali ſatisfactione; alioquin de ipſis pœnis externis, ſi de ſatisfactione objectiva, vel etiam de ſatiſpaſſione loquantur. 142 Explica D. Aug alii SS

Solùm exſcribo verba D. Auguſtini Enchirid. cap. 68. quem locum allegat Suarius: *Ligna* (inquit) *& fœnum, & ſtipula, non abſurdè accipi poſſunt rerum ſæcularium, quamvìs licitè conceſſarum, tales cupiditates, ut amitti ſinè animi dolore non poſſint. Cùm autem iſte dolor urit, ſi Chriſtus in corde fundamenti locum habet, id eſt, ut ei nihil anteponatur, & malit homo, qui tali dolore uritur, rebus, quas ita diligit, magìs carere, quàm Chriſto; per ignem fit ſalvus. Si autem res hujuſmodi temporales ac ſæculares tempore tentationis maluerit tenere, quàm Chriſtum, cum in fundamento non habuit; quia has priore loco habuit, cùm in ædificio priùs non ſit aliquid fundamento.* Hæc ille.

Sed non ad propoſitum noſtrum: loquitur enim de illis doloribus, qui ſunt in libera poteſtate patientis, qui poſſet (ſi vellet) cupiditates, ex quarum amiſſione uritur dolore, anteponere Chriſto, ùt patet ex illis verbis: *Si autem res hujuſmodi* &c. Ergo dolor ille non ſolùm volitus eſt, ſed etiam voluntarius in cauſa; ſic, ut ſi homo vellet, non ureretur illo 143 Loquitur D. Aug. de dolo(r)ib(us) qui ſunt in libera poteſtate patientis.

Digitized by Google

illo dolore: quia ſi vellet, jam non amitteret cupiditates, ex quarum amiſſione uritur illo dolore. Quid ergo mirum, ſi per illum formaliter ſatisfaciat?

Caſus, de quo quæritur, eſt, an dolores planè neceſſarii tam in ſe, quàm in ſua cauſa, ſic ut dum illos homo patitur, non ſit in poteſtate ejus proximè vel remotè eos non pati, ſint formaliter ſatisfactorii, eſtò non ſint formaliter meritorii, nequidem in eorum ſententia, qui putant, actum externum liberum eſſe formaliter meritorium?

144. [...]ponde[...] ad ex[...]plum [...]ſti. Hinc facilè reſpondetur ad exemplum Chriſti Domini & Paſſionum ejus, quo Suarius ſup. num. 7. confirmat ſuam ſententiam, dicens: Chriſtus per Paſſiones ſuas extrinſecùs illatas ita ſatisfecit, ut non ſolùm interior actus, quo illas acceptabat & offerebat Patri; ſed etiam ipſi dolores & pœnæ corporales eſſent ſatisfactoriæ, etiamſi Chriſtus non illas in ſe efficeret, ſed ab aliis illatas ſuſtineret: ergo ſimili modo nos ſatisfacimus per flagella.

Reſpondeo: planè ſimili modo per ſimilia flagella, id eſt, flagella, quæ dependent à noſtra voluntate, ſicut paſſiones Chriſti dependebant ab ipſius voluntate. Nam (ùt appoſitè D. Aug. lib. de Fide contra Manichæos c. 26.) *Dominus ſecundùm carnem, quod eſt, formam ſervi, quam ſuſcipere dignatus eſt, & contumelias paſſus, & vincula & flagella, & mortuus eſſe manifeſtatur, ut omnia veridicè, & nihil falsò feciſſe credatur, quia poteſtate ac voluntate Verbum caro factum eſt; & natus & paſſus & mortuus & reſurrexit nullâ ſuâ neceſſitate, ſed voluntate & poteſtate.* Et 4. de Trinit. c. 13. *Demonſtravit ſpiritus Mediatoris, quàm nulla pœna peccati uſque ad mortem carnis acceſſerit; quia non eam deſeruit invitus, ſed quia voluit, quando voluit, quomodò voluit. Quippe Dei Verbo ad unitatem commixtus eſt homo. Hinc ait* (Joan. 10. v. 18.) *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me, & iterum ſumo eam.*

Numquid idem dici poteſt de flagellis, quæ Deus infligit homini, aut de malis extrinſecis, quæ inferuntur à cauſis naturalibus vel liberis? Certè de omnibus dici non poteſt, ùt nimis clarum eſt. De aliquibus admitto dici poſſe, v. g. de tormentis Martyrum, quæ evadere poſſent, ſi Fidem Chriſti vellent, ſicut poſſent velle, negare; & ideo de iiſdem aſſero, quod Suarius de Paſſionibus Chriſti, videlicet Martyres non ſolùm ſatisfacere per internum actum patientiæ ſeu acceptationis illorum tormentorum, ſed etiam per ipſa tormenta, quæ, ſi vellent, ſicut poſſent velle, non paterentur. Igitur exemplum Chriſti ac Paſſionis ejus non eſt ad propoſitam quæſtionem, ùt patet.

145. [...]tio Sua- Sed neque ratio Suarii efficaciter probat intentum. Eſt autem hæc: Licèt ab extrinſeco patiatur homo hanc pœnam, dum tamen eam voluntariè ſuſcipit & offert Deo, moraliter facit eam ſuam: ergo ſatis eſt, ut per illam ſatisfaciat; ſicut qui ab alio ſuſcipit pecuniam, & illam Deo offert in cultum Religioſum, per illam ſatisfacit. Probatur Conſequentia: quia valor ſatisfactionis non Conſiſtit in hoc, quòd ipſe dolor ſeu pœna à nobis, veluti actione phyſicâ, fiat; ſed multò magis in hoc, quòd propter Deum ſuſtineatur, & voluntariè illi offeratur. Ergo idem fiet in his flagellis, ut per illa ſatisfaciamus: quia moraliter non minùs grave eſt ſuſtinere flagella extrinſecùs illata, quàm à ſe. Hucuſque Suarius. rii non probat intentum.

Mihi (inquit Lugo diſp. 24. n. 73.) placet illud primum, nempe hominem facere illam pœnam moraliter ſuam: diſplicet tamen exemplum offerentis Deo pecuniam, quam ab alio accepit; quia hic reverà accepit dominium illius pecuniæ, & ita propriè offert quod ſuum eſt, & cujus dominium habet: qui verò patitur & acceptat ægritudinem, nullo modo fit dominus illius. Unde retorqueri poteſt exemplum: quia ſi aliquis me impediat ab acquirendo lucro, poſſum quidem ego patienter ferre illud damnum; per hoc tamen non potero offerre illam pecuniam Deo, ita ut tali oblatione ſatisfaciam voto offerendi tantam pecuniam in Dei cultum. Hæc ille. In ea diſplicet Lugoni exemplum offerentis Deo pecuniam.

Sed rejicitur à Dicaſtillone diſp. 13. n. 70. exemplo S. Laurentii, qui dicebat Xiſto Pontifici: *Theſauros tuos iam expendi, quos tradidiſti mihi.* Quo caſu (inquit) ipſa largitio, & non ſola pia voluntas diſtributoria, meritoria eſſe poterat & ſatisfactoria; quia illa executio pendebat ab ipſo, tamquam à liberè & moraliter laudabiliter operante. Ita hic Auctor. 146. Impugnatur Lugo à Dicaſtil. exemplo S. Laurentii.

Aſt (quæro ego) ſi S. Laurentius habuiſſet votum offerendi Deo certam ſummam pecuniæ; quæro (inquam) an ſatisfeciſſet diſtribuendo theſauros Xiſti Pontificis, ſuppoſito quòd Xiſtus Pontifex non tranſtuliſſet dominium, ſed ſolam diſtributionem commiſiſſet Laurentio? Quis auſit dicere, famulum diſtribuentem pecunias domini ſui in pauperes, per hoc ſatisfacere voto ſuo, ſi fortè aliquod habeat, dandi eleëmoſynam pauperibus? Hoc enim votum communiter intelligitur de bonis propriis, non alienis. Et de hoc caſu Eminent. intellexit Suarium, ùt patet ex ultimis ejus verbis: *Ita ut tali oblatione ſatisfaciam voto offerendi tantam pecuniam in Dei cultum.* Contra eum arguit Auctor.

Utcumque ſit de hoc exemplo, ſatisfaciat talis, vel non ſatisfaciat; dico, non eſſe ad rem noſtram, nec probare intentum: nam talis liberè accipit illam pecuniam, & liberè illam offert, ita ut poſſit non accipere, & non offerre. Quid ergo mirum, ſi ſatisfaciat non ſolùm per piam voluntatem, ſed etiam per externam oblationem: at verò in caſu propoſito,

Digitized by Google

velit nolit, flagella debet tolerare ſive patienter, ſive impatienter. Sola ergo patientia eſt libera, & non externa tolerantia; & ideo ſola patientia meritoria & ſatisfactoria, non autem externa tolerantia.

147. Explicatur ratio Suarii. Unde quod ait Suarez ſuprà in ſua ratione: *Licèt ab extrinſeco patiatur homo hanc pœnam, dum tamen eam voluntariè ſuſcipit*, intelligo de interna ſuſceptione propter Deum; nam poſſet non ſuſcipere propter Deum, & poſſet non offerre Deo; & ideo ille affectus internus eſt ſatisfactorius, ſecùs externa ſuſceptio, ſeu perpeſſio vel tolerantia pœnæ.

Reſpondetur ad probationem Conſequentiæ. Hinc ad probationem Conſequentiæ ſuprà ex Suario, Reſpondeo: Valor ſatisfactionis non conſiſtit in hoc præcisè & ſolitariè, quòd ipſe dolor ſeu pœna à nobis, veluti actione phyſicâ, fiat; ſed in hoc, & inſuper in eo, quòd propter Deum ſuſtineatur, & voluntariè illi offeratur. Et quia primum deëſt his flagellis, ideo per illa non ſatisfacimus, eſto magìs grave foret ſuſtinere flagella extrinſecùs illata, quàm à ſe. Similiter non ſatisfacimus per flagella ſponte ſuſcepta, ſi non propter Deum ſuſtineantur, defectu ſcilicet ſecundæ conditionis.

Interim quia major patientia requiritur, ad ſuſtinenda propter Deum graviora tormenta, quàm leviora, fieri poteſt, ut plus ſatisfaciat, qui neceſſariò ſuſtinet mortem extrinſecùs illatam, quàm qui ſolùm ſuſtinet levem aliquam flagellationem; immò magìs, quàm qui ſponte ſeipſum leviter flagellat, quamquàm exterior illa flagellatio ſit ſatisfactoria, ſecùs externa tolerantia mortis. Prætereà poteſt cenſeri major interna patientia, quando quis flagella patitur ſinè culpa: quo caſu poteſt cenſeri majus flagellum, etiamſi moleſtia & acerbitas ſecundùm ſe ſpectata eſſet æqualis. Quapropter (ùt Aliqui notant) magìs movet ad clementiam, adeoque magìs ſatisfacit tolerantia ejus, qui ſinè culpa patitur, & patienter ſuſtinet flagellum, quàm ejus qui patienter quidem, ſed ex culpa ſua patitur: ipſa enim notitia delicti pœnam lenit, & utcumque obſtat, quò minùs quis audeat aut velit conqueri.

148. Reſpondetur ad ea, quæ Lugo affert pro ſententia Suarii. Ex his facilè reſpondetur ad ea, quæ pro ſententia Suarii adfert Lugo ſuprà num. 74. & 75. Qui (inquit) patienter acceptat Dei flagella, eo ipſo conſentit Deo in illa punitione; & quantùm eſt de ſe, vult Deo cooperari ad illam. Quare licèt re ipsâ non ſit cauſa flagelli, eſt tamen æquivalenter cauſa in conſpectu Dei; quia æquitati conſonum eſt, ut qui judici punienti conſentit, nec ullo modo repugnat, mitiùs puniatur. Hæc ille. Quæ utique nihil aliud probant, quàm liberam acceptationem flagellorum eſſe ſatisfactoriam, quod nemo negat, qui admittit doctrinam Concilii Trident.

Defin. Patie... ex S... Et nihil aliud ſignificant illa verba D. Auguſtini lib. 83. qq. q. 31. *Patientia eſt honeſtatis aut utilitatis causâ rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio.* Ergo per patientiam homo facit paſſionem neceſſariam æquivalenter ſuam; diſtinguo Conſequens. Facit paſſionem neceſſariam æquivalenter ſuam, id eſt, propriè voluntariam, nego Conſequentiam: facit paſſionem neceſſariam æquivalenter ſuam, id eſt, volitam, concedo totum. Hoc autem ſufficit, non ut ipſa perpeſſio ſeu paſſio neceſſaria ſit formaliter ſatisfactoria; ſed ut ipſa patientia æquè, vel aliquando magìs, aut etiam minùs, juxta ſuam perfectionem aut imperfectionem, ſatisfaciat, quàm paſſio ſeu perpeſſio propriè voluntaria earumdem vel diverſarum pœnarum.

Certum eſt, ly *Voluntaria* in definitione 14
Quid ſicet l... imari illa d... tione. Auguſt. non poſſe accipi in omni rigore; nam Adverſarii admittunt, flagella à Deo inflicta non eſſe propriè voluntaria, cùm tamen ſint objectum patientiæ, ùt clarè ſignificatur in alia definitione ejuſdem ſanctiſſimi Præſulis, lib. de Patientia cap. 2. *Patientia* (inquit) *hominis, quæ recta eſt atque laudabilis, & vocabulo digna virtutis, ea perhibetur, quâ æquo animo mala toleramus, nec animo iniquo bona deſideramus, per quæ ad meliora perveniamus. Quapropter impatientes, dum mala pati nolunt, non efficiunt ut à malis eruantur, ſed ut mala graviora patiantur. Patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quàm non ferendo committere, & leviora faciunt, quàm quæ per patientiam patiuntur, & pejora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur.* Alia d... tio P... tiæ ex... guſt.

Et verò flagella à Deo inflicta quis dubitat eſſe mala? Aut æquo animo poſſe tolerari? Igitur quod hìc dicit S. Doctor *Æquo animo*, in priori definitione explicat per ly *Voluntaria ac diuturna perpeſſio*. Æquus autem animus quid aliud eſt, quàm affectus internus, quo homo præeligit pati potiùs illud malum, quàm admittere ſolatium illicitum, quale eſſet indignatio, querela & impatientia ad leniendum dolorem?

Planè (inquis) talis affectus eſt; & ideo 15
Evaſio ...gonis illa paſſio non ſolùm eſt volita, ſed etiam voluntaria, ſaltem indirectè. Ita Lugo ſuprà num. 75. Quia tamen (ſubjungit) hæc etiam dependentia indirecta eſt nimis imperfecta, ideo minùs conducit, quàm illud aliud, quando homo ipſe ſponte aſſumit ipſas paſſiones.

Hinc infero (proſequitur idem Auctor n. 76.) cur Trident. dixerit, in hoc genere ſatisfactionis elucere magìs bonitatem Dei, & ejus munificentiæ largitatem. Neque enim iis verbis negare voluit, hanc etiam eſſe ſatisfactionem de condigno: ſed quia ex parte modi multùm deficit à rigore juſtitiæ vindicativæ, ideò major benignitas Dei eſt, acceptare etiam hujuſmodi

Digitized by Google

hujuſmodi ſatisfactionem, in qua eſt minor condignitas; eſt tamen aliqua, quia condignitas non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet latitudinem, ſicut habet fundamentum, quod eſt in tali vel tali modo patiendi, ad hoc ut Judex illam paſſionem acceptet in partem pœnæ debitæ, licèt poſſet eam non acceptare. Hactenus Eminentiſſimus.

151. [..]ncludi[..] Reſpondeo: ſicuti condignitas meriti conſiſtit in indiviſibili, id eſt, omne meritum condignum præmii, quantumcumque minimi, requirit eaſdem conditiones cum merito condigno maximi præmii, v. g. ex parte operantis ſtatum gratiæ, ſtatum viatoris; ex parte operis libertatem à neceſſitate, honeſtatem & ſupernaturalitatem; ex parte Dei, ejus promiſſionem ſeu ordinationem: ita quoque condignitas ſatisfactionis conſiſtit in indiviſibili, id eſt, omnis ſatisfactio condigna, etiam pro minima pœna temporali, requirit ex parte operantis ſtatum gratiæ (ſaltem ſi eſt ſatisfactio ex opere operantis, ſeu reconcilians) ſtatum viatoris; ex parte operis libertatem à neceſſitate, honeſtatem, & fortè ſupernaturalitatem; ex parte Dei, ejus promiſſionem ſeu ordinationem. Et quoniam flagellis à Deo inflictis deëſt libertas à neceſſitate, ideò formaliter non ſunt ſatisfactoria, ne quidem pro minima pœna temporali. Cur autem Trident. dixerit; in hoc genere ſatisfactionis elucere magìs bonitatem Dei & ejus munificentiæ largitatem, ſuprà declaravimus, nec opus eſt ampliùs declarare.

152. [Q]uid Au[..]tor conce[dat] [..] Lugoni. Cæterùm hoc libenter concedimus Lugoni (utì ſuprà conceſſimus) actum poſitivum voluntatis, quo propter Deum nolumus indignationem, querelam & impatientiam ad leniendum dolorem, & per conſequens augmentum illud doloris, quod præcisè ſequitur ex omiſſione illius indignationis, querelæ & impatientiæ, utpote propriè voluntarium ſeu liberum, ſaltem indirectè; quia poſſet illud impedire ſi vellet, & non impedit: libenter (inquam) concedimus, illud augmentum eſſe formaliter ſatisfactorium; ergo totus dolor, etiam ille, quem velit nolit patitur talis homo, negatur Conſequentia; ſed ſolus æquus animus, quo ille dolor toleratur.

Hæc dicta ſint diſputationis ergò; abſit enim ut oculus meus nequam ſit, ubi Dominus bonus eſt: ſi Dominus voluit illam externam pœnam neceſſariam acceptare in ſatisfactionem pro pœna temporali, per me licet; nulli invideo fructum ſatisfactionis, neque nego probabilitatem ſententiæ Suarii, quamvis exiſtimem contrariam non minùs probabilem.

153. [A]n ſufficiat [pu]ra omiſ[ſio] impa[tien]tiæ. Si autem à me quæritur, an ſufficiat pura omiſſio impatientiæ? Reſpondeo: ſi pura omiſſio poſſit eſſe libera, honeſta & ſupernaturalis, nulla eſt ratio, quare etiam non poſſit eſſe ſatisfactoria. An autem poſſit eſſe libera, honeſta & ſupernaturalis, non eſt quæſtio hujus loci, neque multùm utilis, cùm regulariter non detur pura omiſſio, id eſt, omiſſio abſque omni actu poſitivo voluntatis, juxta illud Scoti 2. diſt. 7. q. unicâ n. 24. *Non videtur, quòd poſſit ſe ſuſpendere* (voluntas) *ab omni actu ſinè volitione.*

Et Quodlib. 16. num. 4. explicans illud D. Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 9. *Nihil tam in noſtra poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt*; ſic in quit: *Quod non intelligitur quantùm ad eſſe illius voluntatis, ſed quantùm ad agere eius: nunc autem in poteſtate voluntatis eſt, quòd per eius imperium alia potentia habeat actum vel non habeat; ſicut quòd intellectus non conſiderat ſaltem illud obiectum, ſinè cuius conſideratione poteſt voluntas habere actum imperandi. Igitur in poteſtate voluntatis eſt, quòd ipſa net non habeat actum circa illud obiectum determinatum. Hoc non intelligo ſic, quòd ipſa poſſit voluntariè ſuſpendere omnem actum ſuum, ſeu voluntariè poteſt non velle illud obiectum; ſed habet tunc aliud velle, ſcilicet reflexum ſuper ſuum actum, iſtud ſcilicet:* Volo modò non elicere actum circa illud objectum. *Et hoc bene poteſt ex ſe; alioquin non poſſet omnem actum ſuſpendere, poſt deliberationem: & eſt ſimile de actu intellectûs & voluntatis quoad hoc, quòd non poteſt ſuſpendere illam intellectionem, quæ neceſſaria eſt ad volitionem illam, per quam ſuſpendit illam intellectionem; ſed poteſt quamcumque aliam ſuſpendere. Sic non poteſt pro nunc ſuſpendere omnem volitionem; quia non illam, quâ voluntariè ſuſpendit; ſed poteſt ſuſpendere quamcumque aliam, ad hoc non neceſſariò requiſitam.* Hæc ille. Regulariter non datur pura omiſſio ex Scoto.

Quæ verba ſi non negant abſolutè poſſibilem puram omiſſionem voluntariam ſeu liberam (ùt Aliqui volunt) ſaltem probant, communiter voluntatem non ſuſpendere voluntariè omnem volitionem; quia non illam, quâ voluntariè ſuſpendit; quidquid ſit de poſſibili, quod Scoto dubium fuit, ùt patet ex primo loco, quem integrum exſcribo, ut melius intelligatur mens Doctoris Subtilis: *De indeterminato* (inquit) *ſive vago* (actu) *probatur idem, vel quòd poſſit ſe ſuſpendere ab omni volitione, ſicut proceſſit una ratio, quæ tamen aſſumit dubium, quia non videtur, quòd poſſit ſe ſuſpendere ab omni actu, ſinè volitione.* Ubi expreſſis verbis illam ſententiam vocat dubiam. 154. Dubium eſt an poſſit dari ex eodem.

Unde contrarium videtur Aliquibus aſſerere 4. diſt. 49. q. 10. nu. 10. ibi: *Voluntas reſpectu cuiuſcumque actûs eſt libera, & à nullo obiecto neceſſitatur.* Et poſt pauca: *Dico, quòd in pluribus habet actum volendi; ſed non neceſſariò aliquem actum. Sed poteſt ſe ſuſpendere ab omni actu oſtensâ beatitudine.*

Sed (ut verum fatear) ego hoc non poſſum videre in illis verbis; nam continuò attexitur: *Aliter enim ſimplices, quando apprehendunt aliquid, quod pertinet ad finem ultimum, de*

quo neſciunt, an ſit de ratione finis ultimi, tenerentur ad volendum illud. Vnde unumquodque objectum poteſt voluntas velle & nolle, & à quolibet actu in particulari poteſt ſe ſuſpendere hoc vel illo. Et hoc poteſt quilibet experiri in ſeipſo; cùm quis offert ſibi aliquod bonum, & etiam oſtendit bonum ut bonum conſiderandum & volendum, poteſt ſe ab hoc avertere, & nullum actum voluntatis circa hoc elicere; id eſt, neque actum amoris, neque actum odii. Quòd autem hoc poſſit facere abſque omni actu voluntatis, etiam illo, quo voluntariè ſuſpendit actum odii & amoris, non video (ùt dixi) quomodò ex illis verbis rectè colligatur.

155. **Regulariter conjuncta eſt omiſſioni poſitiva voluntas.** Cùm ergo dubium ſit, an poſſit dari omiſſio libera abſque omni omninò actu voluntatis; & majus dubium ſit, an poſſit dari omiſſio pura honeſta & ſupernaturalis; non videtur dubitandum, & experientia docet, regulariter omiſſioni conjunctam eſſe poſitivam voluntatem omittendi: & illam poſſe eſſe liberam, honeſtam & ſupernaturalem, nemo eſt qui neſciat; per conſequens talis voluntas poterit eſſe ſatisfactoria, quidquid ſit de pura omiſſione, quæ fortè numquam datur, eſto foret poſſibilis: & ideo non immoror huic quæſtioni, ulteriùs reſolvendo, an poſſit dari omiſſio pura honeſta & ſupernaturalis, & per conſequens ſatisfactoria; ſed illam reſolutionem relinquo tractatui de Virtutibus & vitiis in communi.

156. **An creſcat ſatisfactio per paſſionem flagelli externi.** Subjungo autem reſolutionem hujus quæſtionis, quæ propria eſt præſenti tractatui: Utrùm creſcat ſatisfactio per paſſionem flagelli externi, quamdiu durat actus internus patientiæ, an etiam poſtquam præteriit? Reſpondeo: ſi quæſtio loquatur de paſſione propriè voluntaria ſeu ſponte ſuſcepta, indubiè creſcit quamdiu durat, ſaltem virtualiter, actus internus patientiæ, à quo habet paſſio iſta, quòd ſit voluntaria, honeſta & quodammodò ſupernaturalis, eodem modo, quo creſcit ſatisfactio iſtius actûs interni patientiæ. Nec video rationem dubitandi, ſuppoſito (de quo ſuprà diſputavimus) quòd actus externus liber ſuperaddat ſatisfactionem actui interiori.

Sin autem quæratur de paſſione neceſſaria, patet reſponſio ex dictis: nam ſecundùm ſententiam Richardi, cùm ſolus actus internus patientiæ ſit formaliter ſatisfactorius, perſpicuè manifeſtum eſt, hoc actu prorsùs ceſſante, tam actualiter, quàm virtualiter, ipſam quoque formalem ſatisfactionem ceſſare; ac proinde nullatenus creſcere ex duratione ſolius flagelli externi. Quin immò admiſsâ ſententiâ Suarii & Lugonis, Arriagæ & Aliorum, videlicet paſſionem neceſſariam patienter toleratam ſecundùm ſe eſſe formaliter ſatisfactoriam, adhuc dico; ceſſante prorsùs actu interno patientiæ tam actualiter, quàm virtualiter, ipſam quoque formalem ſatisfactionem paſſionis neceſſariæ ceſſare, juxta doctrinam traditam Concl. 4. ad quam remitto Lectorem.

Intereà propono novam quæſtionem: Quid ſi Deus infligat pœnas homini amenti, vel dormienti, vel diſtracto & aliis occupato, ita quòd ſit incapax voluntariæ acceptationis; numquid per illas pœnas ſatisfaciet? Quid ſi poſitivè reluctetur & impatienter toleret, peccando mortaliter vel venialiter? 15 **Quid Deus ... gat ... homi... amen... dormi...**

Reſpondet Lugo diſp. 24. num. 85. hæc flagella poſſe prodeſſe per modum ſatiſpaſsionis, cum his tamen conditionibus, ut non extinguant majoris pœnæ debitum, quàm ab ipſis afferatur omnibus penſatis; alioquin jam aliquid miſereretur de condonatione vel ſatisfactione, cujus eſt incapax. Deinde ut à Deo infligantur in pœnam peccati: nam de rigore juſtitiæ Judex habet jus puniendi delinquentem pœnâ, ab ipſo Judice imponendâ, ſinè eo quòd attendat ad mala, quæ aliunde delinquens ſponte, vel neceſsitate paſſus eſt. Tertia conditio eſt, ut ille homo non patiatur illas pœnas cùm impatientia, quæ ſit mortalis. **Reſpo... Lugo...**

Verumtamen, ſi credimus Scoto, hæc ultima conditio nullatenus eſt neceſſaria: nam docet hic Auctor, & nos cum ipſo docuimus diſp. 6. ſect. 6. concluſ. 2. pœnam debitam peccato veniali, finiri in inferno. Si in inferno datur ſatiſpaſsio; ergo non requiritur ſtatus gratiæ: ergo tametſi in hac vita impatientia foret mortalis, hæc ipſa non impediret ſatiſpaſsionem magis, quàm in inferno; cum hac tamen differentia, quòd homo per impatientiam hujus vitæ, etiam ſolùm venialem, mereatur novas pœnas, ſecùs per impatientiam in inferno. 15 **Adīt... ſionet hac non ... itur gratia**

Et ideo (ùt advertit Lugo ſuprà num. 86.) non debet ſimpliciter dici, quòd homo per paſsionem illam extinguat debitum pœnæ, etiam quoad partem; quia ferè ſemper potiùs augebitur reatus pœnæ, eò quod plus pœnæ debebit de novo propter illud peccatum impatientiæ, quàm ſit illud, quod extinguitur per paſsionem materialem illius mali. Hoc non habet locum in inferno, ubi animæ ſunt extra ſtatum merendi & demerendi, & per conſequens ſatisfaciendi ex opere operantis de condigno per modum meriti; non tamen extra ſtatum ſatiſpatiendi, quia ſatiſpaſsio non extinguit pœnas debitas per dignitatem aliquam moralem, ſed per identitatem cum pœna determinata à Judice: ergo cùm hæc toleratur ſive in inferno, ſive in Purgatorio, ſive in hac vita, ſive cum peccato mortali, ſive veniali, ex integro fit ſatiſpaſsio. Nonne fur, qui ſuſpenditur, ex integro ſatiſpatitur, tametſi ex impatientia Deum blaſphemet, & Judici maledicat? Non eſt dubium.

Sed quid ſi ebrius ſuſpenderetur? Dicaſtillo diſp. 13. 1

Digitized by Google

diſp. 13. n. 96. Quamvis (inquit) concedamus quibusdam DD. ad ſatiſpaſſionem non eſſe neceſſariam voluntatem influentem vel acceptantem pœnas inflictas à puniente, videtur tamen requiri ut habeant rationem pœnæ, quòd patienti innoteſcant modo rationali, & & non ſicut beſtiæ. Hinc eſt, ut quæ videntur pœnæ, & exercentur in cadavere delinquentis, tantùm habeant propriè rationem pœnæ pro tempore, quo ipſi notificantur ante mortem, torquendo illum eâ notitiâ; de cætero tantùm poſteà ſerviant ad vivorum exemplum, & deterrendos alios, videntes cadaver dilaniari, comburi &c. Debet itaque eſſe ſenſus, & ſenſus rationalis; alioquin non punitur rationalis, niſi valde materialiter, dum amens verberatur, aut dormiens vexatur vel ebrius, ſicut poſſet beſtia vexari. Hucuſque Dicaſtillo.

160. At verò Arriaga diſp. 22. n. 12. ubì admittit ſatisfactionem in dormiente; non dubito quin pariter admitteret ſatiſpaſſionem. Subſcribo ejus verba: Vel homo dormiens, eſtò morali careat libertate, ſentit tamen phyſicos dolores, ita ut verè patiatur; vel non: ſi non ſentit eos dolores, non puto poſſe probabiliter dici, quòd tunc ſatisfaciat, quia reverà & in rigore loquendo tunc non ſunt dolores; quia dolor eſt actus ſenſationis, quem ſupponimus tunc non eſſe. Poterit quidem eſſe humor in pede aut calor febrilis, etiam in dormiente: at dolor & pœnalitas nulla erit, ſi non ſit ſenſatio; id quod maximè locum habet, ſi tunc temporis natura ipſa non debilitetur magìs, nec reddatur per hoc minùs potens ad tolerandos deinde dolores in vigilia, quia tunc ille ſomnus potiùs debet reputari quies à labore. Si verò (ùt ſæpè contingit) etiam dormiens aut ſemidormiens ſentiat eos dolores, eſtò moralem libertatem non habeat, omninò judico, fore tunc ſatisfactionem veram. Hæc ille. Loquitur de homine, qui ante ſomnum acceptavit eos dolores.

Quidquid ſit de vera ſatisfactione, quam ſuprà rejecimus; cur ſaltem tali caſu non poſſet admitti vera ſatiſpaſſio? Credo planè, quòd fur ſuſpenſus in ebrietate vel ſomno, ſi reviviſceret, amplius non ſuſpenderetur.

161. Si inferas: Ergo illi dolores ex ſe & quaſi ex opere operato, ſicut Sacramentum, remittunt pœnas Purgatorii. Reſpondetur N. C. quia Sacramentum remittere pœnam ex opere operato; eſt aliquid plus remittere, quàm ipſæ actiones in ſe valeant: at in præſenti illa paſſio ſolùm formaliter extinguit pœnam ſibi æqualem; ſicut qui dat creditori 4. nummos quos debebat, extinguit debitum eorum 4. nummorum, ubì nec veſtigium eſt de opere operato. Ubì etiam in Purgatorio animæ ſatiſpatiuntur; neque tamen eſt ibi quidquam de eodem opere operato.

Interim res eſt incerta. Si talis ſatiſpaſſio non proſit, ſaltem non oberit. Neque multùm prodeſſe poteſt per ſe loquendo ad evadendas pœnas Purgatorii; quia valde exigua æquivalentia eſt inter pœnas hujus vitæ, & pœnas Purgatorii, quamvis non omnis videatur poſſe negari: cùm enim non ſit exceſſus in infinitum, contingere poſſet, quòd pœna quæ deberet eſſe intenſa ùt 100. fieret ùt 90. propter 30. aut plures annos exactos in maxima miſeria. Deinde poſſet æquivalere ſi non pœnæ eſſentiali, ſaltem accidentali, v. g. graviſſima infamia, quam homo hìc patitur, alicui infamiæ accidentali, quam in Purgatorio deberet pati.

Dixi, *Per ſe loquendo*; quia ſi Deus, ad quem ſpectat determinare pœnas, ex liberalitate determinaret homini loco pœnæ Purgatorii dolores graviſſimos hujus vitæ, homo eos dolores tolerans, ex toto rigore ſatiſpateretur (utì ſuperiùs adhuc annotavi) & ibi perfectiſſimè haberet locum hæc doctrina. Sicuti ſi judex humanus potens reum damnare ad mortem, commutaret ex ſingulari gratia mortem in flagellationem, eo favore ſuppoſito; dum flagellaretur, perfectiſſimè ſatiſpateretur.

162. *An Deus determinaverit certas pœnas hujus vitæ loco pœnarum Purgatorii? Sententia Victoriæ.*

An autem Deus determinaverit certas pœnas hujus vitæ loco pœnarum Purgatorii, quis conſiliarius ejus fuit? Victoria in Sum. q. 207. ſic ait: Infirmus qui vellet ſanari ſi poſſet, ſed quia non poteſt, fert bono animo, in nomine Domini ſatisfacit, non ſolùm per patientiam, quam habet; ſed quia ipſæ pœnæ à Deo inflictæ, ſunt ſatisfactoriæ de ſe, ſicut etiam pœnæ Purgatorii, & multò meliùs.

Dico prætereà (& hoc eſt multùm probabile & veriſimile) quòd quicumque in gratia punitur à Deo in iſto mundo, ſufficienter punitur; & non punietur in alio ſæculo: & maximè, ſi morte eum puniat; tunc enim non dubito, quin mors inflicta à Chriſto (non loquor de morte naturali) omnem pœnam deleat. Probatur: quia nulla eſt ratio jam quòd Deus punit aliquem in vita, cur puniat partem & non totum. Hæc ille.

163. *Rejicitur.*

Sanè debilis probatio, ad excludendum omne dubium. Ratio quippe eſt voluntas divina, quæ rationabiliter poteſt velle punire partem in hac vita, & non totum, cùm poſſet velle totum punire in futura vita. Unde magnam gratiam facit puniendo partem in hac vita, pœnâ utique mitiori & ſuaviori, quam puniret in Purgatorio. *Poteſt* (inquit Scotus 4. diſt. 21. q. 1. n. 13.) *bene concedi, quòd mors voluntariè accepta, ſit pœna ſufficiens pro pœna cujuſcumque peccati venialis, & fortè pro magna parte pœna debita pro mortalibus dimiſſis. Nec obſtat, quòd eſt pœna neceſſaria: quia aliquis poteſt neceſſarium voluntariè acceptare.* Ubì (ùt patet) requirit voluntariam acceptationem; adeoque non tam loquitur de ſatiſpaſſione (quæ non requirit volunta-

Scotus.

voluntariam acceptationem, ùt manifeſtum eſt in fure, qui contra voluntatem ſuam ſuſpenditur) quàm de ſatisfactione.

Prout etiam Victoria poſſet explicari, qui licèt comparet pœnas inflictas à Deo pœnis Purgatorii, quas conſtat ſolùm eſſe ſatiſpaſſiones, tamen addit illam particulam: *Et multò meliùs*, ſcilicet ſunt ſatisfactoriæ: ergo videtur in ipſis cum Suario & Lugone agnoſcere formalem & propriè dictam ſatisfactionem, quæ ſententia probabilis eſt, ſicut dixi.

164. Sententia Medinæ, quæ concedit flagellis à Deo inflictis ſatiſpaſſionem, negat ſatiſfactionem. Suarez.

Quid ſi & illam diceremus probabilem, quæ flagellis à Deo inflictis concedit ſatiſpaſſionem, negat autem ſatisfactionem propriè dictam? Hanc (teſte Suario ſup n. 3.) tuetur Medina tract. 3. q. 5. in fine primi dubii: Unde (inquit Suarez) ut hæc pœna cadat in ſolutum (ita enim ipſe ſuprà loquitur) non videtur requirere hic Auctor aliquem internum voluntatis actum, ſeu liberam cooperationem aliquam patientiæ; ſed ſolùm, ut quis exteriùs etiam invitus patiatur; quia de ratione pœnæ vindicativæ, à Judice inflictæ, non eſt actio, ſed paſſio. Ita Suarius. Et ſanè haùd dubito, quin ſi Deus voluiſſet, ſic factum fuiſſet. An autem voluerit, libentiùs diſco, quàm dico, ne audeam docere, quod neſcio.

165. Mirabile verbum D. Hieronymi.

Tantùm ſubſcribo mirabile verbum (ſic illud vocat Victoria ſuprà) D. Hieronymi in Nahum Prophetam ad cap. 1. & refertur 23. q. 5. cap. 6. *Quid ergo (ait) contra Dominum cogitatis? Ipſe qui creavit mundum, & conſummationem eius faciet. Quòd ſi vobis videtur crudelis, rigidus & cruentus, quòd in diluvio genus delevit humanum, ſuper Sodomam & Gomorrham ignem & ſulphur pluit, Ægyptios ſubmerſit fluctibus, Iſraëlitarum cadavera proſtravit in eremo; ſcitote eum ideo ad præſens reddidiſſe ſupplicia, ne in æternum puniret. Certè aut vera ſunt, quæ Propheta loquuntur, aut falſa. Si vera ſunt, quæ de ſeveritate eius videntur dicere, ipſi dixerunt:* Non vindicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione. *Sin autem falſa ſunt, & falſum eſt, quod dicitur:* Non conſurget duplex tribulatio; *falſa eſt ergo & crudelitas, quæ in lege deſcripta eſt. Quòd ſi verum eſt, ùt negare non poterunt, dicente Prophetâ:* Non vindicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione; *ergo qui puniti ſunt, poſteà non punientur. Si autem illi poſteà punientur, Scriptura mentitur, quod dicere nefas eſt. Receperunt ergo & qui in diluvio perierunt; & Sodomitæ, & Ægyptii, & Iſraëlitæ in ſolitudine mala ſua in vita ſua.*

Quærat hìc aliquis, ſi fidelis deprehenſus in adulterio decolletur, quid de eo poſteà fiat. Aut enim punietur, & falſum eſt hoc, quod dicitur: Non vindicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione, *aut non punietur; & optandùm eſt de adulteris, ut in præſentiarùm brevi & citâ pœnâ cruciatus fruſtrentur æternos. Ad quod reſpondebimus, Deum ut omnium rerum, ita & ſuppliciorum quoque ſcire menſuras, & non præveniri ſententiâ Iudicis: nec illi in peccatorum exercenda dehinc pœna auferri poteſtatem: & magnum peccatum magnis diuturniſq; lui cruciatibus. Si quis autem punitus ſit, ut ille in lege, qui Iſraëliticis maledixerat, & qui in Sabbato ligna collegerat, tales poſteà non puniri; quia culpa levis præſenti ſupplicio compenſata ſit.* Hactenus S. Hieronymus, cum quo finio hanc materiam ſatis incertam, & pergo ad ſatisfactionem ſacramentalem, quæ propriè pertinet ad præſentem diſputationem de Sacramento Pœnitentiæ.

SECTIO XIII.

De Satisfactione ſacramentali.

1. Satisfactio eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ.

HUjus ſatisfactionis meminit Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. ibi: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti* (Pœnitentiæ) *ipſius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remiſſionem* (quoad culpam & pœnam) *ex Dei inſtitutione requiruntur, hâc ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Ergo ſatisfactio eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, ſaltem integralis. Numquid etiam eſſentialis? Reſpondeo & dico 1.

CONCLUSIO I.

Satisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ.

SAtisfactio (inquit Palud. 4. diſt. 16. q. 4. §. *Circa tertium ſciendum*) ita eſt de eſſentia Pœnitentiæ, ſicuti Confeſſio.

Sentent. Paludi eſſe p… eſſenti… ſicuti … feſſio.

Si arguas: Deficiente illo, quod eſt de eſſentia, deficit res; ſed de ſatisfactione non eſt ſic: ergo &c. Reſpondet, quòd hujuſmodi partes non ſunt partes integrales eſſentiales totius permanentis, quia illæ ſunt ſimul; ſed totius ſucceſſivi, cujus partes non ſunt ſimul. Unde videtur, quòd ſatisfactio ſit magis pars

pars

Digitized by Google

pars eſſentialis, quàm Confeſsio & Abſolutio: quia cùm Pœnitentia fuerit verum Sacramentum in omni lege & naturæ, & ſcriptâ, & gratiæ, maximè ſecundùm illud, quod in ea eſt ſenſibile, de tota Pœnitentia in lege naturæ nihil erat ſenſibile, niſi ſola ſatisfactio, quia tunc non erat Confeſsio nec Abſolutio. Neque in veteri lege erat Abſolutio. Ergo vel Pœnitentia non erat Sacramentum in lege naturæ, vel Sacramentum erat aliquid non ſenſibile, vel ſatisfactio erat de ejus eſſentia. Cùm igitur ſatisfactio nunc non ſit minùs neceſſaria, quàm tunc, videtur quòd nunc ſit de eſſentia, ſicut tunc, licèt aliquid ſit additum; quia Sacramentis communibus ſi legi remanſit aliquid eſſentiale commune, ſicut matrimonio conſenſus, & verba, & alia ſigna, ſicut olim, ita & nunc ſunt de eſſentia. Ita diſcurrit hic Auctor.

3. Sed falſo nititur fundamento, videlicet Pœnitentiam fuiſſe verum Sacramentum in omni lege & naturæ, & ſcriptâ, & gratiæ; & ideo totus diſcurſus non valet. *Fuit quidem* (ait Trident. ſeſſ. 14. c. 1.) *Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria.* Verumtamen quòd illa Pœnitentia fuerit quovis tempore verum Sacramentum, id eſt, ſignum ſenſibile efficax gratiæ ex opere operato, nuſpiam meminit Trident.

Immò contrarium in eodem Concil. non obſcurè ſignificatur, quando hæc Pœnitentia eâdem ſeſſ. cap. 4. definitur: *Animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* In quibus verbis nulla fit mentio ſigni ſenſibilis, nulla mentio ſatisfactionis, diſtinctæ ab ipſo dolore & propoſito de cætero non peccandi; de qua ſatisfactione hìc tractamus, & à Scoto 4. diſt. 15. quæſt. 1. num. 11. deſcribitur: *Eſt operatio exterior laborioſa vel pœnalis, voluntariè aſſumpta, ad puniendum peccatum commiſſum à ſe, & hoc ad placandam divinam offenſam: vel eſt paſſio ſeu pœna, voluntariè tolerata in ordine prædicto.* Talem autem operationem vel paſsionem fuiſſe neceſſariam in omni lege, ad gratiam & juſtitiam aſſequendam, & non fuiſſe ſufficientem actum merè internum Contritionis Charitate perfectæ, numquam Paludanus, aut alius quiſpiam probabiliter aſſeruit, aut aſſerere poterit. Igitur hic diſcurſus Paludani non probat intentum.

4. Nec ille, qui ſequitur: Præterea (inquit idem Auctor) ſi argumentum valeret, Confeſsio & Abſolutio, quæ non ſunt ſimul, non eſſent partes integrales. Similiter ante Conſecrationem Sanguinis & Unctionem pedum eſt verum Sacramentum, ſed non completum; & tamen illæ ſunt partes eſſentiales & Sacramenti Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis: ergo & hìc. Ita Palud.

Reſpondeo: quia ante Conſecrationem Sanguinis eſt verum Sacramentum Euchariſtiæ, & ante Unctionem pedum (ùt Multi docent) eſt verum Sacramentum Extremæ Unctionis, ideo Conſecratio Sanguinis non eſt pars eſſentialis propriè dicta Sacramenti Euchariſtiæ, neque Unctio pedum pars eſſentialis Sacramenti Extremæ Unctionis: ergo & hìc, quia ante ſatisfactionem eſt verum Sacramentum Pœnitentiæ, non autem ante Confeſsionem & Abſolutionem, ideo ſatisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ; nequit enim abſolutè haberi eſſentia alicujus rei ſive permanentis ſive ſucceſsivæ, ſinè omnibus partibus eſſentialibus permanentibus, vel ſucceſsivis reſpectivè. Solvitur.

Unde exiſtente ſolo corpore humano, non dicitur exiſtere homo, neque ſolâ animâ exiſtente; ſed ita ſi utrumque ſimul exiſtat, eſtò poſtmodum per nutritionem poſsint accedere aliæ partes, quæ etiam erunt eſſentiales, quando informabuntur animâ: interim abſolutè non ſunt niſi partes integrales, cùm tota eſſentia hominis priùs extiterit; tota, inquam, totalitate eſſentiæ, quamvìs non totalitate integritatis.

Ergo ſimiliter hìc, eſtò ſatisfactio foret pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, quandò præcederet Abſolutionem, quia tùnc, cùm nondum ſit verum Sacramentum, informaretur animâ Sacramenti (ut ſic loquar) id eſt, formâ Abſolutionis eodem modo, quo Contritio & Confeſsio, ùt Aliqui docent: quia tamen non neceſſariò præcedit Abſolutionem, ſicuti neceſſariò præcedunt, aut certè concomitantur, ſecundùm communem ſententiam, Contritio & Confeſsio; ideo quidquid ſit de Contritione & Confeſsione, Satisfactio abſolutè & ſimpliciter nequit dici pars eſſentialis, ſed debet dici pars integralis.

Nec poteſt appellari Sacramentum partiale Pœnitentiæ, quemadmodùm Conſecratio Sanguinis appellatur partiale Sacramentum Euchariſtiæ, & Unctio pedum partiale Sacramentum Extremæ Unctionis; quia ſatisfactio non habet diſtinctam materiam & formam Sacramenti Pœnitentiæ, quemadmodùm Conſecratio Sanguinis habet diſtinctam materiam & formam Euchariſtiæ, & Unctio pedum diſtinctam materiam & formam Extremæ Unctionis. 5. Satisfactio non poteſt appellari Sacramentum partiale Pœnit.

De materia res plana eſt, uti etiam de forma Conſecrationis Sanguinis; de forma autem Unctionis pedum aliquis dubitare poſſet, eò quòd ſi aliquis ungendo infirmum, diceret unicâ formâ: *Per iſtam ſanctam Unctionem* &c. *indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per omnes ſenſus*, & poſtea ſucceſsivè ungeret ſenſus, conficeret plura partialia Sacramenta juxta illam ſententiam.

Reſpondeo: tali caſu eſtò phyſicè ſit una

Digitized by Google

tantùm forma, moraliter tamen eſt multiplex pro multiplicitate Unctionum; veluti dum plures ſimul abſolvuntur hâc formâ: *Ego vos abſolvo*; vel baptizantur ſimili formâ: *Ego vos baptizo.* Signum autem hujus moralis multiplicitatis eſt, quòd forma poſſet repeti ad ſingulas Unctiones, ſicuti de facto communiter repetitur. At verò nequit Sacerdos dicere, quando pœnitens implet ſatisfactionem: *Ego te abſolvo à pœna*, cum intentione conficiendi partiale Sacramentum. Magna ergo diſparitas inter illas Unctiones & ſatisfactionem: ac proinde tametſi iſtæ Unctiones cauſarent diſtinctas gratias ſanctificantes ex opere operato (de quo ſuo loco latiùs tractabimus) equidem Dico ſecundò:

CONCLUSIO II.

Satisfactio ſacramentalis non cauſat ex opere operato gratiam ſanctificantem, neque gratias actuales; ſed remiſſionem pœnæ temporalis, vel totius, ſi eſt verè proportionata, vel alicujus partis, majoris aut minoris, ſecundùm ejus æquivalentiam, & diſpoſitionem pœnitentis.

6. *Ratio primæ partis, quia non conſtat Deum voluiſſe ſatisfactioni dare talem effectum.*

VEritas primæ partis, quanta quanta eſt, dependet à voluntate Dei, qui indubiè potuit ſatisfactioni dare vim ſignificandi & cauſandi gratiam ex opere operato, eſtò ſolum ſit pars integralis, neque habeat diſtinctam materiam & formam Sacramenti; quia ſaltem habet diſtinctam materiam; & ſicuti hæc materia ratione Abſolutionis præteritæ ſignificat & cauſat ex opere operato remiſſionem pœnæ, cur etiam non potuiſſet ſignificare & cauſare, ſi Deus voluiſſet, gratiam ſanctificantem? Non video ullam repugnantiam. Tota ergo quæſtio eſt, an Deus voluerit, & per conſequens dederit ſatisfactioni vim cauſandi gratiam ex opere operato?

Concluſio noſtra negat dediſſe illam vim; quia non valet argumentum à potentia ad actum: ſcriptum quidem eſt de Deo Pſal. 113. v. 11. *Omnia quæcumque voluit, fecit*; ſed nuſpiam in Scriptura ſacra lego: *Omnia quæcumque potuit, fecit*, vel: *Omnia quæcumque potuit, voluit.* Voluiſſe autem Deum dare ſatisfactioni vim ſanctificandi ex opere operato, neque Scriptura ſacra loquitur, neque exaratum invenitur in Patribus aut Conciliis. Igitur non eſt aſſerendum, quantumvis id videatur aſſerere D. Thom. 3. part. q. 90. a. 2. ad 2. *Dicendum* (inquit) *quòd ſatisfactio confert gratiam prout eſt in propoſito, & auget eam prout eſt in executione, ſicut etiam Baptiſmus in adultis.*

Pſalm. 113.

Dico: *Videatur aſſerere*; quia Lugo diſp. 25. n. 2. exiſtimat, hæc verba non debere explicari de augmento gratiæ ſanctificantis propriè & in omni rigore, prout Baptiſmus in executione confert augmentum gratiæ ſanctificantis; ſed intelligi poſſe de perfecto effectu gratiæ, peccatum abolentis, non tantùm quoad culpam, ſed etiam quoad pœnam. Ita enim loquitur Doctor Angelicus 4. diſt. 16. q. 1. a. 1. quæſtiunculâ 2. ad 3. *Dicendum* (inquit) *quòd ex propoſito ſatisfaciendi gratia confertur, quamvis ſatisfactio actualis gratiam præſupponat. Vel dicendum, quòd per ſatisfactionem conſequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis; quia liberatur totaliter à reatu peccati*, per remiſſionem ſcilicet pœnæ temporalis, quæ, poſt acceptam juſtificationem per Contritionem vel Abſolutionem, remanet exolvenda in Purgatorio.

Expli. Doct. qui vi contr docet Lugo

Hinc Concil. Trident. ſeſſ. 14. c. 3. explicans quâ ratione Contritio, Confeſſio & Satisfactio ſint partes Pœnitentiæ non ait: *Quatenùs in pœnitente ad juſtificationem ſeu remiſſionem culpæ requiruntur*; ſed: *Quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq́; & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur.* Quid autem Conc. intelligat per remiſſionem plenam & perfectam, patet ex cap. 2. ibi: *Per Baptiſmum Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes*, id eſt, remiſſionem omnis culpæ & pœnæ: *ad quam novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſinè magnis noſtris fletibus & laboribus*, id eſt, ſinè ſatisfactione, *divinâ id exigente juſtitiâ, pervenire nequaquam poſſumus.*

Conc.

Igitur ut ſatisfactio ſit pars Pœnitentiæ, & unam aliquam quaſi materiam conſtituat cum Contritione & Confeſſione, & unum aliquod integrum Sacramentum cum Abſolutione, non requiritur, quòd cauſet gratiam ſanctificantem; hæc enim ſola non eſt effectus Sacramenti Pœnitentiæ; ſed ſufficit, quòd cauſet remiſſionem pœnæ, quæ eſt altera pars effectûs hujus Sacramenti, ſicuti remiſſio pœnæ eſt altera pars effectûs Sacramenti Baptiſmatis. 8

Ut ſatisfactio ſit pars ... cauſet remiſſio pœnæ

Et ideo bene comparat D. Tho. ſuprà ſatisfactionem in executione Baptiſmo in executione; comparat, inquam, non quoad omnem effectum, ſed quoad effectum remiſſionis pœnæ temporalis, ùt ſicut Baptiſmus in executione remittit pœnam, quam non remiſerat in propoſito tantùm; ita quoque ſatisfactio. Quòd autem Baptiſmus ſimul conferat gratiam ſanctificantem, non ideo fit, quaſi ad remiſſio-

Digitized by Google

remiſſionem pœnæ foret neceſſaria infuſio gratiæ; ſed quia eſt integrum & totale Sacramentum, quod eſſentialiter definitur: Signum efficax gratiæ ſanctificantis ex opere operato.

Porrò ſatisfactio non eſt integrum & totale Sacramentum, immò nec pars eſſentialis, ſed ſolùm pars integralis (ùt probavimus Concluſ. præcedenti) ergo ex hac parte non eſt neceſſarium, quòd cauſet gratiam ſanctificantem; ſed ſufficit, quod ipſum Sacramentum Pœnitentiæ (quod ſecundùm nos eſſentialiter conſiſtit in ſola Abſolutione) illam cauſet. Hinc etiam ipſi Contritioni & Confeſſioni alibi negavimus effectum gratiæ ſanctificantis ex opere operato; quantò magis eum negare oportet, in ſententia Scoti, ſatisfactioni?

9. ...i Abſo- ...oni ...mpetit ...nitio ...cramenti. Itaque definitio Sacramenti, ſecundùm Scoti & noſtra principia, ſoli competit Abſolutioni, quæ ſicut remittit culpam, & ad illam remittendam eſt ſpecialiter à Chriſto inſtituta; ita etiam debuit cauſare gratiam ſanctificantem, ſinè qua ſecundùm legem ordinatam Dei non remittitur peccatum mortale, ùt patet ex alibi dictis: pœnam autem temporalem poſſe remitti abſque infuſione gratiæ, liquet profectò ex Indulgentiis & Sacrificio Miſſæ, per quæ deletur pœna, eſtò non infundatur gratia ſanctificans: ergo idem fieri poterit per ſatisfactionem ſacramentalem, quæ talis dicitur, quia per Sacramentum, id eſt, Abſolutionem, elevatur ad remiſſionem pœnæ ex opere operato, quæ eſt aliquod complementum gratiæ ſanctificantis & remiſſionis culpæ; per conſequens ſatisfactio aliquod complementum Sacramenti Pœnitentiæ ſeu Abſolutionis, requiſitum ad remiſſionem pœnæ, ſicuti Contritio & Confeſſio ſunt aliquid requiſitum ad remiſſionem culpæ.

10. ...biectio. Si dixeris: Abſolutio unà cum culpa remittit pœnam; ergo ſatisfactio unà cum remiſſione pœnæ cauſat gratiam ſanctificantem.

...ditur. Reſpondeo N. C. Ratio diſparitatis: quia collatio primæ gratiæ, quæ neceſſaria eſt ad remiſſionem culpæ mortalis, neceſſariò ſecum adfert ablationem pœnæ æternæ, ſeu commutationem pœnæ æternæ in pœnam temporalem: at verò remiſſio pœnæ temporalis poteſt fieri ſinè infuſione gratiæ, ùt ſtatim dictum fuit.

Atque ut in remiſſione venialium, etiam extra Sacramentum, reperiretur remiſſio alicujus pœnæ, quia congruum videtur, quòd minùs puniatur ille, qui non retinet culpam, quàm ille, qui eam retinet; equidem negatur Conſequentia: ergo in ſatisfactione cum remiſſione pœnæ invenitur aliqua infuſio gratiæ; quia conſtat nobis, per Indulgentias remitti pœnas abſque ulla infuſione gratiæ.

11. ...ia obje- ...o. Prætereà objicitur Concluſioni: Si ſatisfactio præcederet Abſolutionem, pœnitens acciperet majorem effectum gratiæ ex opere operato, ergo etiam quando ſequitur.

Reſpondeo N. C. quia quando præcedit, meliùs diſponit pœnitentem ad ſuſceptionem Sacramenti: porrò Sacramentum cauſat gratiam ſanctificantem ex opere operato, juxta diſpoſitionem ſubjecti, ùt patet ex dictis diſp. 1. ſect. 5. concl. 1. Numquid bene ſequitur: Si opera bona non ſatisfactoria præcederent Abſolutionem, pœnitens majorem acciperet effectum gratiæ ex opere operato: ergo etiam quando Abſolutionem ſequuntur? Liquidò conſtat, quòd non. Diluitur.

12. Etſi ſatisfactio præcedens Abſolutionem conferret gratiam, non ideo ſubſequens.

Deinde gratis admiſſo, quòd ſatisfactio præcedens cum Contritione, Confeſſione & Abſolutione cauſaret gratiam ſanctificantem ex opere operato (quod tamen falſum eſt, quia cum Scoto exiſtimo, ſolam Abſolutionem cauſare ex opere operato gratiam ſanctificantem; quoniam hæc ſola ſenſibiliter ſignificat remiſſionem peccatorum; de quo alibi latiùs egimus) adhuc non ſequeretur, ſatisfactionem concurrere ad effectum gratiæ, quando Abſolutio præceſſit, quia jam tunc invenit effectum poſitum; ſicuti Multi docent, illa verba formæ Abſolutionis: *A peccatis tuis,* concurrere ad effectum gratiæ, quando præcedunt ly *Te abſolvo*; ſecùs, quando ſequuntur.

Quin immò non pauci inveniuntur, qui negant, ſpecies ſanguinis, ſumptas poſt ſpecies corporis Chriſti cauſare effectum gratiæ, quia jam inveniunt eum cauſatum; tametſi, ſi antecedenter ſumerentur, eum indubiè cauſarent. Pari ratione docent Aliqui, per primam Unctionem conferri totum effectum gratiæ in Sacramento Extremæ Unctionis, tametſi aliæ Unctiones ſint partes integrales, immò partiales Sacramenta, eodem modo quo Conſecratio ſanguinis. Quid ergò mirùm, ſi ſatisfactio non cauſet effectum gratiæ, quando invenit eum cauſatum à prævia Abſolutione, eſtò ſit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ? Quippe adhuc aliquem effectum cauſat, ſcilicet remiſſionem pœnæ temporalis, ſaltem communiter; quia raro evenit, ut nihil reſtet pœnæ temporalis exolvendum.

13. Tertia objectio ex Suario. Dices cum Suario diſp. 38. ſect. 2. n. 3. ubi tenet oppoſitum Concluſionis: Satisfactio non ſolùm eſt in vindictam & remiſſionem pœnæ, ſed etiam ac præcipuè in curationem & medicinam; ſed ad hunc effectum maximè neceſſaria eſt gratia: ergo &c.

Reſponſio. Reſpondeo ex Suario ibidem n. 2. Satiſfactio potiſſimùm inſtituta eſt ad remiſſionem pœnæ temporalis. Et infrà: Hæc pars hunc maximè effectum ſignificat; nam eſt quædam punitio peccati, & commutatio pœnæ vitæ futuræ in talem pœnitentiam: ergo maximè ſignificat remiſſionem illius pœnæ. Hæc ille. Ad hanc autem remiſſionem non eſt neceſſaria gratia habitualis.

Digitized by Google

Planè, inquis; ſed eſt neceſſaria ad curationem & medicinam, quæ etiam eſt effectus ſatisfactionis. Reſpondeo: Eſt effectus maximè fallibilis, quo ſæpiſſimè ſatisfactio fruſtratur, ùt experientiâ patet: ad hunc autem effectum videtur ſufficere gratia habitualis collata per Abſolutionem ſacramentalem.

14. *Satisfactio non cauſat gratias actuales.* Putant Nonnulli, ſatisfactionem, etſi non augeat gratiam habitualem, conferre tamen gratias actuales; ſed & hoc negat noſtra Concluſio; quia, ùt probabile docuimus diſp. 1. ſect. 4. concl. 4. Sacramenta cauſare gratias actuales cum eadem proportione æqualitatis vel inæqualitatis, quâ gratiam habitualem; & concl. 10. Sacramenta conferre auxilia ſpecialia tempore opportuno, dummodò gratia habitualis non ſit amiſſa: ergo ſi ſatisfactio non cauſat ex opere operato ullam gratiam habitualem; per conſequens etiam non cauſat ullas gratias actuales. Si ergo aliquæ gratiæ actuales forent neceſſariæ ad effectum ſatisfactionis, ad illas ſufficeret ipſum Sacramentum Pœnitentiæ ſeu Abſolutio, tamquam cauſa gratiæ habitualis, & ex conſequenti ſpecialium auxiliorum pro tempore opportuno, ſi quæ neceſſaria ſint ad effectum illius Sacramenti. Vide diſp. 1. locis allegatis.

15. *Quâ ratione ſatisfactio ordinetur ad medicinam.* Itaque ſatisfactio non aliter dicitur ordinari ad medicinam & curationem, niſi quatenus debet eſſe talis, quæ aliquo modo poſſit frenare peccatorem timore ſui ad recidivam fugiendam, ùt clarè ſignificat Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Procul dubiò enim magnoperè à peccato revocant & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt.* Quòd autem hoc faciant ex opere operato, vel quòd ad illud faciendum ſit neceſſaria alia gratia habitualis, vel alia auxilia actualia, quàm illa, quæ ex opere operato cauſat Abſolutio, nuſpiam meminit, vel verbulo indicat Conc.

16. *Quis ſit ſenſus horum verborum: Paſſio Domini noſtri &c.* Ex dictis feſtinè cognoſcitur, quis ſit ſenſus horum verborum, quæ ab aliquibus Confeſſariis immediatè ſubjunguntur verbis eſſentialibus: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, merita B. Mariæ Virginis & omnium SS. quidquid boni feceris & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.* His (inquam) verbis non imponuntur omnia illa pœnitenti in ſatisfactionem ſacramentalem (ùt nimis manifeſtum eſt) ſed precatur Sacerdos, ut ea omnia conducant eo modo, quo ſolent bona opera conducere; aliqua immediatè, alia mediatè; aliqua per modum meriti ex opere operantis, alia per modum impetrationis tantùm. Precatur, dico, Sacerdos, ut Deus dignetur illis operibus induci ad concedenda majora auxilia efficacia, quibus pœnitens bene operetur, augeatque gratiam habitualem, ac ratione illius præmium vitæ æternæ. Proinde ex iſtis verbis nulla infertur cauſalitas gratiæ habitualis vel actualis ex opere operato.

Si autem à me quæritur, quid ergo ſatisfactio cauſet ex opere operato? Reſpondeo cum DD. communiter remiſſionem pœnæ temporalis. Probatur (inquit Herincx hîc diſp. 4. n. 20.) quia ſicut Sacramentum integrum, ita quælibet ejus pars debet habere vim efficiendi ex opere operato id, ad quod directè eſt inſtituta: atqui ſatisfactio ſacramentalis eſt inſtituta ad delendas pœnas (ùt conſtat ex Trident. ſeſſ. 14. c. 3. & communi ſenſu fidelium) ergo &c. Confirmatur: quia cætera Sacramenta & Sacramentorum partes habent ſuos proprios effectus ex opere operato, & ſpecialiter ipſa Abſolutio in præſenti Sacramento ſic habet pro effectu remiſſionem peccati quoad reatum culpæ; ergo ſimiliter ſatiſfactio habet ſuum proprium effectum (qui eſt juxta Trident. ſuprà, plena & perfecta, etiam quoad reatum pœnæ, remiſſio peccati) ex opere operato. Hæc ille. Quæ, meo judicio, ſalvo meliori, indigent aliquâ explicatione. *Sati[sfactio] cau[ſat ex] ope[re ope]rato [re]miſſ[ionem] pœ[næ tem]pora[lis.] Heri[ncx]*

Alioquin Scotiſta aliquis ſimili modo poſſet argumentari & dicere: ſicut Sacramentum integrum, ita quælibet ejus pars debet habere vim efficiendi ex opere operato id, ad quod directè eſt inſtituta: atqui Confeſſio ſacramentalis eſt inſtituta ad delenda peccata, ùt conſtat ex Trident. ſeſſ. 14. c. 3. & communi ſenſu fidelium; ergo &c. Minor probatur: quia Trident. eodem modo loquitur de Contritione, Confeſſione & Satisfactione, dicens eatenus eſſe partes Pœnitentiæ, *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur.* Ergo ſi ſatisfactio propterea debet habere effectum aliquem ex opere operato, etiam Contritio & Confeſſio: non remiſſionem pœnæ; quia hæc eſt effectus ſatisfactionis; igitur remiſſionem culpæ; cùm tamen Scotiſtæ cum ſuo Magiſtro communiter doceant, ſolam Abſolutionem cauſare remiſſionem culpæ ex opere operato, ùt patet ex dictis ſect. 2. concl 3. Quæ ergo ratio diſparitatis?

Reſpondeo: quia ſola Abſolutio ſignificat remiſſionem culpæ, per conſequens gratiam ſanctificantem tamquam neceſſariam ad hanc remiſſionem; ergo illa ſola ex opere operato cauſat hanc remiſſionem & gratiam: Sacramenta quippe non cauſant ex opere operato, niſi quod ſignificant. At verò remiſſionem pœnæ non ſola Abſolutio ſignificat, ſed etiam ipſa ſatisfactio, utpote opus aliquod pœnale, æquivalens phyſicè, vel moraliter, pœnis temporalibus Purgatorii. Quid ergo mirum, ſi eam ex opere operato cauſet? *17. Quare [ſatisfac]tius ſ[atisfa]ctio [cauſet] aliqu[em e]ffectum [ex] opere [ope]rato [quàm] Conf[eſſio] aut Co[ntri]tio.*

Alioquin

Alioquin nihil amplius haberet ratione Sacramenti, quàm quæcumque opera bona pœnalia, quæ poſt Abſolutionem fiunt in ſtatu gratiæ. Cur igitur tam ſollicitè Eccleſia monet Sacerdotes, ut, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungant? Signum profectò, ex præcepto Sacerdotis ſatisfactionem accipere ſpecialem vim remittendi pœnam temporalem: ipſe quippe eſt, qui Nomine Chriſti commutat pœnam Purgatorii in pœnam præſentis ſæculi; quod non eſt aliud, quàm, ex inſtitutione Chriſti, pœnam hujus vitæ moraliter æquivalere, ſeu ſatisfacere pro pœna futuri ſæculi.

Nec video quâ aliâ ratione opus pœnale impoſitum à Confeſſario poſſit dici pars hujus Sacramenti, magìs quàm opus pœnale impoſitum à Superiore extra Sacramentum: hoc enim æqualem prorsùs habebit effectum remiſſionis pœnæ, ſive conſideres ſubſtantiam operis (nam ſuppono utrumque eſſe, v. g. jejunium) ſive honeſtatem obedientiæ, quæ etiam eadem eſt in utroque opere (ùt patet) quia utrumque eſt præceptum. Niſi ergo opus impoſitum à Confeſſario aliquid pœnæ remittat ex opere operato, id eſt, aliquid plùs, quàm remitteret impoſitum à Superiore extra Sacramentum; neſcio quare unum ſit potiùs pars Sacramenti, quàm aliud, cùm utrumque concurrat ad plenam ac perfectam remiſſionem peccatorum, cum hac ſola differentia, quòd unum ex inſtitutione Chriſti, aliud non. Quidni ergo illa inſtitutio tribuat ei ſpecialem vim ſatisfaciendi? Noli dubitare.

19. Objectio.

Dices: Etiam Contritio & Confeſſio concurrunt ex ſpeciali inſtitutione Chriſti ad remiſſionem culpæ in Sacramento Pœnitentiæ, & tamen non habent propterea aliquem ſpecialem effectum ex opere operato: quâ ergo ratione ſunt partes Pœnitentiæ potiùs, quàm Contritio & Confeſſio extra Sacramentum? Nam etiam Contritio extra Sacramentum poteſt remittere peccata.

Solvitur.

Reſpondeo: Eatenus ſunt partes & ſpecialiter concurrunt; quatenus ſunt aliquid neceſſariò ex inſtitutione Chriſti prærequiſitum, ut Abſolutio ſacramentaliter ſignificet & cauſet remiſſionem peccatorum. Ergo cauſant aliquam gratiam ex opere operato, negatur Conſequentia; quia gratia eſt immediatus effectus Abſolutionis, utpote quæ ſola (ſicut dixi) illam ſignificat, & quâ poſitâ ſtatim confertur gratia ex opere operato, & quâ non poſitâ numquam confertur. Secùs contingit in remiſsione pœnæ temporalis: licèt enim (ùt Multi volunt) per Abſolutionem ſtatim aliquid pœnæ remittatur, tamen ad remiſsionem totius pœnæ requiritur ſatisfactio, quâ poſitâ ſtatim abſque ulteriori Abſolutione confertur remiſsio totius pœnæ, *ſi verè eſt proportionata* (ùt habet ſequens pars Concluſionis) *vel alicujus partis, majoris aut minoris, ſecundùm ejus æquivalentiam & diſpoſitionem pœnitentis.*

20. Satisfactio ſi eſt proportionata tollit totam pœnam.

Enimverò (prout ſuprà indicavimus) Sacerdos imponens ſatisfactionem, commutat pœnam Purgatorii in pœnam præſentis vitæ: cumque id faciat auctoritate ejus, qui poteſt commutare, id eſt, auctoritate Chriſti, cujus vices gerit in Sacramento Pœnitentiæ, niſi Clavis erret, quidni conſequatur ſuum effectum? Si ergo pœna eſt à parte rei proportionatâ, hoc eſt, talis, quam Deus exigit ad ſatisfaciendum pro tali reatu pœnæ, v.g. pœna ùt 4. hujus vitæ pro reatu pœnæ ùt 4. Purgatorii, procul dubio totum illum reatum delebit: ſi fuerit minor, minorem partem; v. g. Confeſſarius propter infirmitatem vel impotentiam pœnitentis, aut ne exponatur periculo non implendi pœnitentiam, imponit modicam aliquam ſatisfactionem, nullo modo culpæ proportionatam, v.g. pœnam ùt 2. cùm reſtet ſolvenda in Purgatorio pœna ùt 8. certum eſt, ſecundùm Omnes, ſatisfactionem illam ùt 2. non delere pœnam Purgatorii ùt 8. ſed duos tantùm gradus, quibus æquivalet, niſi fortè diſpoſitio ſubjecti ſuppleat illum defectũ.

Meliùs diſpoſitis confertur remiſſio majoris pœnæ.

Etenim ſicut meliùs diſpoſitis confertur major gratia per Sacramentum, ex ſe minùs efficax; ſic non eſt ulla ratio, quare etiam meliùs diſpoſitis non conferatur remiſſio majoris pœnæ per ſatisfactionem, ex ſe minùs efficacem. Quippe tam efficax eſt ſatisfactio in ordine ad remiſſionem pœnæ, quàm Sacramentum in ordine ad collationem gratiæ. Per conſequens quæ ſit melior diſpoſitio in ordine ad remiſſionem pœnæ, facilè colliges ex iis, quæ diximus diſp. 1. ſect. 5. in principio, de meliori diſpoſitione in ordine ad gratiam.

21. Magis certum eſt gratiam conferri juxta diſpoſitionem ſubjecti, quàm remiſſionem pœnæ.

Solùm hîc addo, magìs certum eſſe, gratiam conferri juxta diſpoſitionem ſubjecti, quàm remiſſionem pœnæ: nam de gratia expreſsè id docet Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ibi: *Juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem.* De remiſſione autem pœnæ in hoc vel alio Concilio nihil ſimile reperitur, ſed ſimpliciter decernitur hominem poſſe ſatisfacere pœnis, Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis. Interim DD. communiter, quod de gratia docet Trid. extendunt ob ſimilitudinem ſeu identitatem rationis ad remiſſionem pœnæ.

Sicut enim Sacramentum cauſat gratiam inſtar cauſæ naturalis, quæ ſanè eò perfectiorem producit effectum, quò ſubjectum invenit perfectiùs diſpoſitum; ita etiam ſatisfactio, ſeu Sacramentum per ſatisfactionem cauſat remiſſionem pœnæ inſtar cauſæ naturalis; ergo perfectiorem remiſſionem in ſubjecto perfe-

Digitized by Google

ctiùs diſpoſito. Et ſicut homo quò magìs ſanctus eſt, eò dignior eſt, ut magìs ſanctificetur; cur non etiam ſit eò dignior, ut accipiat perfectiorem remiſſionem pœnæ?

22. *Major devotio, etiam tempore quo ſatisfactio impletur, auget effectum.*

Et veluti planè conveniens fuit, ut accedens cum maximo fervore & devotione ad Sacramenta, plus gratiæ acciperet ex opere operato, quàm accedens cum remiſſa diſpoſitione ſeu parva devotione; ſic quoque planè conveniens fuit, ut ſatisfaciens cum maximo fervore & devotione, plus remiſſionis pœnæ acciperet ex opere operato, quàm ſatisfaciens cum parva aut nulla devotione. Ita ut major devotio, non tantùm quæ adeſt tempore Abſolutionis, quando Sacramentum eſſentialiter conſtituitur; ſed etiam tempore, quo ſatisfactio adimpletur, augeat effectum remiſſionis pœnæ, ùt exiſtimat Lugo diſp. 25. n. 27. & Alii cum ipſo.

Lugo.

Probatur ex ratione.

Ratio eſt: quia tunc perficitur Sacramentum integraliter, ſive in ordine ad illum effectum: ergo ſicuti attenditur diſpoſitio præſens, quando infunditur gratia (nam Baptiſmus reviviſcit ad effectum gratiæ juxta præſentem ſubjecti diſpoſitionem, ùt latiùs deduximus diſp. 1. ſect. 6. concl. 2.) conſimiliter attendi debet diſpoſitio præſens, quando remittitur pœna, id eſt, quando impletur ſatisfactio; tunc enim, & non antea fit remiſſio pœnæ, ùt Omnes docent.

23. *Probatio à ſimili.*

Nonne ſi quis haberet diſpoſitionem ùt 2. quando incipit ordinari vel baptizari, & intenderet eam uſque ad 4. ante completam miniſtrationem Sacramenti; acciperet effectum gratiæ ſecundùm diſpoſitionem ùt 4.? Ergo ſimiliter hic: quamvis enim ſententia priùs fuerit prolata, tamen nunc applicatur materia ſeu quaſi materia, & illa ſententia ſolùm obligabat ad applicandam talem materiam, elevans illam ad totum effectum, quem poſſet habere; ergo ad effectum ſecundùm diſpoſitionem, quæ erat tempore ſententiæ; nam in virtute ſententiæ operatur; & quæ nunc eſt tempore, quo ſatisfactio præcepta & elevata exhibetur, id eſt, quo illa pars quaſi materiæ Sacramenti Pœnitentiæ applicatur.

Cæterùm qui mordicùs negaret effectum remiſſionis pœnæ conferri juxta diſpoſitionem, diſtinctam ab ipſis operibus ſatisfactoriis, arbitror quia difficulter convinceretur, & de errore argueretur: quia (ſicut dixi) nihil in Scriptura vel Conciliis de hoc puncto reperitur definitum, & à paritate rationis non efficaciter argumentamur in his, quæ pendent à beneplacito divino.

24. *Certum videtur unum opus magìs ſatisfacere ex opere operato, quàm aliud.*

Dico; *Diſtinctam* &c. quia certum videtur, unum opus ſatisfactorium ſicuti magìs ſatisfacit ex opere operantis, quàm aliud; ita etiam magìs ſatisfacere ex opere operato. Hinc Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. *Debent* (inquit) *Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere, ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Ergo pro graviſſimis delictis graviſſima opera injungenda ſunt, tum ut per illa plenè ſatisfiat pro pœnis debitis in Purgatorio, tum ne homines faciliùs in eadem graviſſima delicta recidant. Ergo graviſſima opera magìs ſatisfaciunt tum ex opere operantis, tum ex opere operato; quàm leviſſima.

Sed cùm hæc ſatis conſtent, quæſtio ſatìs controverſa eſt: An ſi Sacerdos imponat pœnitentiam, quam omnibus conſideratis bonâ fide putat eſſe proportionatam; id eſt, talem, qualem Deus exigit ad ſatisfaciendum pro reatu pœnæ reſtantis, an, inquam, per hanc pœnitentiam, eſtò à parte rei non ſit proportionata, extinguatur tamen totus reatus pœnæ debitæ? Ad quam Reſpondeo, & Dico tertiò:

CONCLUSIO III.

Satisfactio, quæ, omnibus ritè conſideratis, à Confeſſario judicatur æquivalens pœnæ reſtanti, totam delet, eſtò non attingat punctum ejus indiviſibile.

HÆc eſt ſententia Doctoris Subtilis 4. diſt. 19. q. unicâ n. 26. ubì ſic lego: *Dico ergo, quòd ſicut in aliis commutationibus juſtitia commutativa habet aliquam latitudinem, ita quòd non reſpicit in commutationibus indiviſibile, ſed medium rectæ rationis; ita iuſtitia punitiva, quæ eſt commutativa pœna pro culpa, non reſpicit neceſſariò gradum indiviſibilem pœnæ correſpondentem huic culpæ; ſed eſt ibi aliqua latitudo, infra quam pœna minor non ſufficit; & ultra quam pœna maior non eſt imponenda; & extra totam iſtam latitudinem clavis citra vel ultra ligant, errat: & tunc non immeritò, quæ ſolvitur in terris, non ſolvitur in cælis, id eſt, non ratificatur: ſed intrà latitudinem non errat, & ideo arbitrium ratificatur in tantùm, quòd quidquid imponitur intrà illam latitudinem, hic oportet implere; & ſi hìc non impletur, reſiduum in Purgatorio exigetur; & ſi minùs imponatur & expleatur, nihil maius exigitur in Purgatorio.* 25.

Juſtitia punitiva non reſpicit gradum indiviſibilem pœnæ correſpondentem culpæ. Scotus.

Iſtud autem medium (proſequitur Scotus) *in iſta latitudine, poſſibile eſt eſſe homini notum per legem Dei, cum adiutorio rationis naturalis: & ideo obligatio ad hoc medium latum, eſt ad poſſibile homini ſinè miraculo ſpeciali, & ſinè caſu & fortuna.*

Ex quibus verbis deſumitur primum argumentum contra oppoſitam ſententiam pro noſtra 26.

Primum

ſtra Concluſione: Confeſſarius habet auctoritatem ligandi & ſolvendi: *Nam* (teſte Trident. ſeſſ. 14. c. 8.) *Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent*; adeóque habet poteſtatem arbitrandi inter Deum & peccatorem, juxta Florent. in Decreto Eugenii §. *Quartum Sacramentum*, ibi: *Tertià* (pars Pœnitentiæ) *Satisfactio pro peccatis ſecundùm arbitrium Sacerdotis*. Ergo Sacerdos eſt arbiter inter Deum & peccatorem: atqui nulli committitur poteſtas arbitrandi in cauſa aliqua civili vel Eccleſiaſtica, cujus arbitrium nunquàm erit ratum ex quacumque adhibita diligentia, ſed tantùm à caſu, id eſt, præter ſcientiam & intentionem judicis; aut certè per miraculum, id eſt, per ſpecialem revelationem Dei: ergo vel Sacerdos non poteſt judicare ſeu arbitrari de ſatisfactione correſpondente peccato, vel non requiritur ut ſatisfactio correſpondeat indiviſibili puncto ſecundùm medium rei; id quippe nequit attingere, niſi ex caſu aut miraculo.

Hoc argumentum proponit Scotus ſuprà num. 25. hiſce verbis: *Nulli* (inquit) *committitur poteſtas arbitrandi in cauſa aliqua, cujus arbitrium numquàm erit ratum propter quamcumque diligentiam poſſibilem adhiberi ab ipſo, ſed tantùm à caſu vel per miraculum: ſed per quamcumque diligentiam, poſſibilem adhiberi à Sacerdote, non poteſt pertingere ad illud indiviſibile pœnæ, quo Deus judicat peccatorem eſſe dignum. Si ergo attingat, hoc erit à caſu, vel per miraculum ſpeciale, nec erit ratum per te, niſi ad illud attingat: ergo non habet auctoritatem aliquam arbitrandi.*

27. *Confirmatur: quia nec eſt veriſimile, quòd Deus dederit poteſtatem Eccleſiæ arbitrandi, ſic quòd ipſe voluerit arbitrium Eccleſiæ ratificare; & tamen quòd impoſſibile ſit eam rectè arbitrari, ſic nihil ratificatur niſi à caſu, vel per miraculum ſpeciale.*

Item; nullus conſtituitur arbiter inter partes ſub hac conditione, quòd præcisè arbitretur ad voluntatem unius partis; & hoc maximè, quando non poſſet noſſe determinatè voluntatem illius partis: ſed in judicio Pœnitentiæ partes ſunt Deus & peccator, inter quos eſt Sacerdos arbiter: ergo non obligatur præcisè ad arbitrandum illam pœnam, quam Deus infligeret; maximè cùm non poſſit ſibi conſtare de voluntate Dei, quoad hoc præcisè, ùt eſt membrum Eccleſiæ.

Item; ſi Sacerdos imponat pœnitentiam aliquantulum majorem, quàm reſpondeat peccatis, non eſt probabile, quin pœnitens teneatur eam implere: ergo ſi aliquantulùm minus pœnâ condignâ, illa videtur ſufficere; nam ſi non ſufficeret aliqua citra illam punctualem, quam dictat divina juſtitia; ergo non oporteret explere aliam ultra illud punctuale divinæ juſtitiæ. Hucuſque Doctor Subtilis pro noſtra Concluſione. Quam propterea docet Hiquæus in ſuo Commentario ad quæſtionem præfatam Scoti num. 67. & ſequentibus; & eam amplectitur Bonæ Spei hìc num. 35. cum Aliis contra Suarium diſp. 38. ſect. 5. nu. 2. Vaſquez q. 94. art. 2. dub. 6. & Alios, quos ſequitur Lugo diſp. 25. n. 19. Arriaga diſp 47. n. 14. & Alii. *Bonæ Spei. Suarez. Vaſquez. Lugo. Arriaga.*

Dicaſtillo diſp. 14. n. 175. utramque ſententiam vocat probabilem: probabilior tamen (inquit) apparet prima (id eſt, ſententia Suarii) ſaltem non eſt fundamentum ſufficiens ad affirmandum, quod vult ſecunda ſententia (id eſt, ſententia Scoti) Immo ſemper judicium Confeſſarii eâ tantùm ratione prudens cenſeri aut eſſe poteſt; ut numquam, niſi temerè, judicet pœnitentiam eſſe ſatìs commenſuratam gravitati peccatorum, & pœnæ relictæ poſt remiſſionem culpam: omnia enim capita ad id certò judicandum ſunt valde ignota Confeſſario, immò ſæpiſſimè etiam ipſi pœnitenti. 28. *Oppoſita ſententia probatur ex Dicaſt.*

Nam; ut omittam gravitatem individualem peccatorum, quæ ex multis capitibus creſcere aut decreſcere poteſt, ùt ex majori vel minori deliberatione & advertentia, & majore vel minore intenſione aut remiſſione actûs, ex vehementiore vel minùs vehementi tentatione &c. ut hæc (inquam) omittam; adhuc pœnitens pro iiſdem omninò peccatis; majori vel minori, vel nullâ pœnâ poſt remiſſionem culpæ dignus eſt, quò major eſt aut minor diſpoſitio doloris & propoſiti, ſub quo accedit ad Confeſſionem: hæc autem diſpoſitio non omninò exactè nota eſſe poteſt tam ipſi, quàm Confeſſario.

Hinc eſt, ut numquam Confeſſarius poſſit judicare, niſi leviſſimâ conjecturâ, pœnitentiam eſſe proportionatam. Vnde judicium prudens ipſius ſolùm eſt, quòd hìc & nunc omnibus penſatis ſufficiat talem aut talem pœnitentiam imponere; non autem, quòd hìc & nunc talis aut talis pœnitentia ſit bene commenſurata cum pœna & dignitate illius, relicta poſt remiſſionem culpæ. Hactenus Dicaſtillo.

Interim n. 176. fatetur, Chriſtum, ſi voluiſſet, ita ſtatuere potuiſſe, ut eo ipſo, quò Confeſſarius, quantum humano modo poſſet, judicaret penſatis circumſtantiis talem vel talem pœnitentiam imponendam, ea, quanta quanta eſſet ſufficeret, ut ex opere operato tota pœna remitteretur illam ritè implenti: quòd autem ita fecerit, ex nullo (inquit) idoneo principio nobis conſtat; ſed ſolùm piâ quâdam credulitate creditur; ſi credatur, nec ego repugno credenti; non tamen affirmo. Hæc ille.

Sed neque Scotus ita generaliter affirmat, ſed cum hac limitatione: *Si pœnitentia ſic impoſita ſit intrà illam latitudinem.* Alioquin ſi minor fuerit totâ illâ latitudine, ſicut eſſe poterit, etiam cum bona fide Confeſſarii; quia fieri poteſt 29. *Explicatur ſententia Scoti.*

poteſt, ut pœnitens bonâ fide non explicet omnes circumſtantias, vel ut Confeſſarius invincibiliter ignoret iſtam latitudinem ſeu medium in iſta latitudine: ſi, inquam, minor fuerit, tunc (ùt ait Scotus ſuprà) non ſufficit ad delendam totam pœnam; ſin autem fuerit intrà iſtam latitudinem, eſtò non attingat gradum indiviſibilem pœnæ, correſpondentem huic culpæ, equidem ſufficere ad delendam totam pœnam, convenit bonitati, clementiæ, immò & juſtitiæ divinæ.

Sanè (inquit Trident. ſeſſ. 14. c. 8.) *& divinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritûs ſancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut, occaſione acceptâ, peccata leviora putantes, velut iniurii & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur.* Ergo ſatisfit juſtitiæ divinæ & clementiæ, eſtò tota pœna per illam ſatisfactionem remittatur; quia taliter ſatisfacientes aliter recipiuntur in gratiam, quàm qui ante Baptiſmum per ignorantiam peccaverunt: neque illis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittuntur, ut, occaſione acceptâ, peccata leviora putantes, in graviora labantur.

30. **Probatur exemplo Baptiſmi.** Nonne Baptiſmus delet totam pœnam, idque ſemper, quando ſuſcipitur cum debita diſpoſitione, de qua poteſt moraliter certò conſtare ſuſcipienti? Non eſt dubium. Ergo conſimiliter, cùm ſatisfactio data ſit Sacramento Pœnitentiæ, ut per eam habeat eumdem effectum, quem habet Baptiſmus, oportuit omninò, ut ſatisfactio, impoſita ſecundùm prudens judicium Confeſſarii omnibus conſideratis intrà iſtam latitudinem certò deleret totam pœnam: & præterea neceſſarium fuit, ut iſtud medium in iſta latitudine poſſibile eſſet Confeſſario cognoſcere per legem Dei, cum adjutorio rationis naturalis (ùt ſuprà loquitur Scotus) alioquin deletio omnis pœnæ per Sacramentum Pœnitentiæ, erit res planè incerta; cùm tamen deletio omnis pœnæ per Sacramentum Baptiſmi, ſit res moraliter certa.

31. **Et confirmatur à ſimili in humanis judiciis.** Confirmatur à ſimili in humanis: ſi Judex ſupremus delegaſſet ſuam poteſtatem Judici inferiori ad puniendum talem vel talem malefactorem juxta qualitatem delicti; quamvis hic fortè minorem pœnam imponeret, quàm Judex ſupremus impoſuiſſet, nihilominus reus liber foret ab omni pœna, nec Judex ſupremus aliam pœnam poſſet infligere; quia nimirum Judici inferiori commiſerat totum judicium de æqualitate pœnæ cum culpa, quam (ùt ſuppono) ipſe ſecundùm prudens judicium conſtituit.

Cùm ergo Deus tamquam Judex ſupremus Sacerdotibus tamquam Judicibus inferioribus delegaverit ſuam poteſtatem, & commiſerit totum judicium de æqualitate pœnæ cum culpa, non tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem; quidni ratificare debeat ſententiam Sacerdotum, ſecundùm leges & prudentiam humanam pronuntiatam, relaxando totam pœnam Purgatorii? Alioquin bis puniet in idipſum ſemel ad æqualitatem per Sacerdotes in hac vita, & rursùs per ſeipſum in futuro ſeculo, cùm tamen ſcriptum ſit: *Non iudicat Dominus bis in idipſum*; ſive, ùt habet vulgatus textus: *Non conſurget duplex tribulatio.* Nahum 1. v. 9. Nah. Igitur Deum feciſſe, quod potuit facere, conſtat nobis ex aliquo idoneo principio.

Hinc in primitiva Eccleſia homines non erant ſolliciti, ut poſt expletam pœnitentiam, per Canones præſcriptam, ſatisfacerent Indulgentiis aut aliis piis operibus, pro peccatis præteritis: jam autem id eſt neceſſarium, quia rariſſimè propter fragilitatem hominum imponitur pœnitentia æqualis, etiam intrà latitudinem à Scoto aſſertam; quo caſu (ùt ſuprà diximus) ſive Confeſſarius putet æqualem, ſive non, minimè deletur tota pœna, ſed tantùm pro rata; atque ita modò conſultum eſt, per Indulgentias, Sacrificia, & alia pia opera ſupplere, quod defuit ex ſatisfactione minùs proportionata.

Denique probari ſolet hæc ſententia à ſimili, deſumpto ex diſpenſatione in voto aut juramento, in quibus diſpenſatio facta à Papa vel alio Superiore potente diſpenſare, valet, quando diſpenſans prudenter judicat eſſe ſufficientem cauſam ad diſpenſandum, quantumvis re ipſâ ſufficiens non ſit. Similiter Indulgentia licèt poſtulet ad ſui valorem proportionatam cauſam, ſi tamen prudenter putetur adeſſe ea cauſa, eſtò reverà non adſit, exiſtimant Multi eam valere: ergo ſimiliter in præſenti caſu valebit prudenter exiſtimata proportio ſatisfactionis cum culpa. 32. **Item à ſimili ſumpto ex diſpenſatione in ...**

Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 178. Non habet, nec poteſt habere Confeſſarius idoneum fundamentum ad prudenter judicandum, hanc vel illam pœnitentiam eſſe proportionatam: non eſt ergo poſſibilis caſus, qui in oppoſita ſententia ſupponitur. Hæc ille. **Reſponſio Dicaſtillonis.**

Sed contrà: Ut quid ergo Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. revocat in memoriam Confeſſariis præceptum divinum imponendi ſatisfactiones pro qualitate criminum, idque in eorum vindictam? *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones iniungere.* Ergo poſſunt prudenter judicare, talem vel talem pœnitentiam 33. **Contra ... Conc.**

eſſe

eſſe convenientem ſeu proportionatam tali vel tali crimini, idque ad vindictam & caſtigationem, ùt ibidem clariſſimis verbis docet Concilium, dicens: *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.* Si eſſe debeat ad vindictam, & caſtigationem; ergo non tantùm petit eam proportionem ſeu convenientiam, in ordine ad frænandum ipſum hominem, ne relabatur, ſed etiam ut extinguatur debitū pœnæ Purgatorii.

34. Prorſùs (inquis) cum hac proportione, ut pro graviori peccato gravior ſit, ſive quælibet extinguat totum debitum Purgatorii, ſive non: nam ex variis capitibus eſt incertiſſimum, quanta deberet eſſe in ordine ad extinguendum totum debitum; in tantùm, ut fortaſſe nec ab ipſo Chriſto, Confeſſiones immediatè audiente, ea æqualitas pœnitentiæ hujus vitæ cum pœna reſtante Purgatorii foret imponenda. Ita Arriaga diſp. 47. n. 16.

Reſpondeo: non debet Confeſſarius judicare de æqualitate inter pœnam Purgatorii, & ſuam ſatisfactionem; ſed inter peccata, & ſuam ſatisfactionem: peccata autem, ſeu gravitas peccatorum poteſt & debet eſſe nota Confeſſario ad hoc, ut prudenter injungat convenientes ſeu proportionatas ſatisfactiones, uti injungere debet ex munere ſuo, juxta Trident. mox allegatum.

35. Divina juſtitia (inquit Hiquæus ſuprà in ſuo Comment. n. 79) non determinavit pœnam temporalem debitam peccato, determinatè obligando ad pœnam alterius vitæ, ſed vel pœnam condignam in hac vita per ſatisfactionem convenientem exhibendam, vel certè in altera vita. Quin etiam pœnam hujus vitæ per condignam ſatisfactionem magìs intendit ſeu primariò, ùt patet ex inſtitutione Sacramenti & poteſtate data Sacerdotibus ùt arbitris, & præcepto, etiam ex natura fori, quo tenentur metiri ſatisfactiones imponendas juxta qualitatem delicti, ad quam reſpicere debent; præſcribendo opus ſatisfactorium; non verò ad pœnam alteriùs vitæ, quæ non ſpectat ad forum ipſorum, & de qua non habent jus aut poteſtatem cognoſcendi, eſtque alterius rationis à pœna ſatisfactoria hujus vitæ, quæ ſpectat ad Clavē poteſtatis & ſcientiæ ſacerdotalis, & æquivalet in divina acceptatione.

Unde ſi Sacerdos ſequens regulam Canonum & prudentiæ, ex quibus percipere poteſt qualitatem delicti, imponat ſatisfactionem dignam & æqualem in prudenti æſtimatione ſecundùm medium rectæ rationis, ratificatur judicium ejus; quia perfectè applicat merita Chriſti per opus tale injunctum, & vindicat peccatum ſecundùm regulam præſcriptam; neq; aliud ultra Deus exigit. Hucuſque Hiquæus.

36. Et num. 80. ſic ait: Si qualitatem peccati rectè judicat Eccleſia, & gradum oppoſitionis ejus ad virtutem & legem, poteſt etiam diſcernere illa opera, quæ æquivalent in ratione boni & pœnæ ipſi peccato; quæ ſi præſcribantur, erunt ſufficiens & æqualis ſatisfactio, ut innititur meritis Chriſti & efficaciæ Clavium: v.g. ponamus aliquem violaſſe jejunium in Vigilia, ſufficiens ſatisfactio erit, ſi præſcribatur jejunium unius aut plurium dierum cum oratione & eleëmoſyna, & hujuſmodi. Quòd ſi jejunare non poſſit, compenſetur jejunium per alia opera mortificationis, & aliarum virtutum, vel frequentationem Sacramentorum, opera Indulgentiarum, quæ æquivalent ſatisfactioni pœnitentiali: neque enim ita in hoc puncto Spiritus ſanctus aſſiſtens Eccleſiæ & Doctoribus ejus, ipſos deſeruit, ut regulæ eorum receptæ, praxi & rationi innitentes, ſint omninò frivolæ aut humanæ inventionis, nec certo fundamento adhærentes.

Scimus enim ſatisfactionem eſſe ex genere ſuo redditionem æquivalentis pro æquivalente, aliàs indebiti. Scimus ulteriùs, præſcriptum eſſe Sacerdotibus ex regula hujus fori, ut ſervent æqualitatem inter ſatisfactionem & peccatum commiſſum, ſpectatâ facultate pœnitentis. Scimus tertiò, Deum non exigere ultra ſatisfactionem æqualem delicto: judicium autem Eccleſiæ & DD. de oppoſitione peccati ad legem Dei, ejuſque ſpecie & gravitate, eſt fundatum ex cognitione legis. Et idem dicendum eſt de judicio eorum, quantùm ad naturam & valorem boni operis, per quod ordinari debet peccatum, tamquàm per ſatisfactionem æqualem; quâ Deo reſtituitur debitum. Ex quibus omnibus poteſt ſtare ſufficiens regula determinandi ſatisfactionem æqualem ſecundùm medium prudentiæ ſeu rectæ rationis, & aſſiſtentiam ſpecialem, quam habent arbitri ex ſuo munere (ſi agant, quod in ſe eſt) ad profectum pœnitentium. Hactenus præfatus Auctor. Satis utique conſequenter pro ſua, & noſtra opinione.

Unicus dumtaxat reſtat mihi ſcrupulus, videlicet: 37. ſi in imponenda ſatisfactione Confeſſarius reſpicere debeat ad qualitatem delicti, non verò ad pœnam alterius vitæ, ùt ſuprà dicit Hiquæus; igitur tametſi Confeſſarius ſciret, pœnam omnem alterius vitæ jam eſſe deletam per præcedentem Contritionem, poſſet nihilominùs & deberet imponere eandem pœnitentiam, cùm ſemper qualitas delicti ſit eadem.

Si dixeris: Per Contritionem numquam deletur pœna alterius vitæ, niſi fuerit priùs remiſſum peccatum quoad culpam. Eſto: ſed quid tum? Num ideo mutata qualitas delicti? Num ideo imponi debet vel poteſt minor ſatisfactio? Vel non poteſt imponi eadem ſatisfactio, quæ imponeretur peccato nondum remiſſo quoad culpam? Nonnè adhuc manet materia neceſſaria Confeſſionis?

Margin notes: Regula diſcernendi peccatum & ſatisfactionem ex Hiquæo. — Exemplum. — Modus præſcribendi ſatisfactionem. — Objectio. — Evaſio. — Præcluditur. — [left margin, partly cut off:] ...Ar... — ...Evidi... — ...ſatisfactio ... — ...feſſarii ... cognoſ... de qualit... vitæ ...

38. Alia objectio ex Scoto.

Et verò nonne Scotus docet, ſatisfactionem minimè eſſe neceſſariam, quando aliunde conſtat de totalis pœnæ ſolutione? *Satisfactio* (inquit) *debet ſequi Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc ut habeat efficaciam, & hoc in re vel in voto, niſi Iudex poſſet perpendere, illas pœnas alias præcedentes ſufficere ad totalis pœnæ ſolutionem.* Ergo Confeſſarius in imponenda ſatisfactione potiùs reſpicere debet ad pœnas alterius vitæ, quàm ad qualitatem delicti.

Reſponſio, & explicatio Scoti.

Negatur (inquis) Conſequentia: quia Scotus loquitur de ſolutione totalis pœnæ hujus vitæ, quaſi diceret: quando conſtat pœnitentem ante Confeſſionem voluntariè eas pœnas ſuſcepiſſe, quas alioquin Confeſſarius attentâ qualitate delicti impoſuiſſet, nullatenùs debet eaſdem pœnas rursùs imponere.

Et dato, quòd Scotus fuiſſet locutus de pœnis alterius vitæ juxta communem ſententiam, quæ non imponit neceſſitatem ſatisfactionis, quando certò conſtat, omnem pœnam alterius vitæ jam eſſe deletam per præcedentem Contritionem, aut alios actus bonos ex opere operantis, vel per Indulgentiam aut Sacrificia ex opere operato; equidem adhuc verum manet, in imponenda ſatisfactione, ubi & quando imponenda eſt, & ſicut regulariter imponenda eſt, primariò & per ſe attendendam eſſe qualitatem delicti, de qua poteſt conſtare Confeſſario; non autem pœnam alterius vitæ, de cujus quantitate & qualitate nihil certi habemus, niſi quòd majori pœnâ puniatur major culpa, minori pœnâ minor culpa, juxta illud Deut. 25. n. 2. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Et ideo etiam per ſe loquendo pro majori culpa imponi debet major pœna hujus vitæ, & pro minori culpa minor pœna hujus vitæ.

Deut. 25.

39. Reſponſio ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

Hæc ſi vera ſint (quod puto) corruit reſponſio Dicaſtillonis ſuprà (quæ eſt præcipuum fundamentum oppoſitæ ſententiæ) probabile, inquam, eſt, Confeſſarium habere idoneum fundamentum, ad prudenter judicandum, hanc vel illam pœnitentiam eſſe proportionatam, etiam pœnis alterius vitæ; quia habet idoneum fundamentum judicandi hanc vel illam pœnam eſſe proportionatam qualitati delicti; omnis autem illa pœna hujus vitæ, quæ eſt proportionata qualitati delicti, etiam eſt proportionata pœnis alterius vitæ, pro illo peccato debitis.

Diſtinctio inter ſatisfactionem & voti diſpenſationem ex Dicaſtil.

Quapropter idem Auctor n. 179. Sed quamvis (inquit) daremus id eſſe probabile, adhuc eſt latum diſcrimen inter eam ſatisfactionem, & voti diſpenſationem, & Indulgentias. Nam Sacerdos imponens Pœnitentiam non remittit per ſe pœnam debitam, ſed applicat illam partem Sacramenti, quæ ex ſe habet virtutem ad cauſandam ablationem pœnæ debitæ, ad eum modum, quo Sacerdos offerens Sacrificium pro aliquo, non remittit ipſe pœnam, ſed applicat illi valorem Sacrificii, quod, juxta Dei inſtitutionem, talem virtutem habet. Item, quando quis baptizat, non eſt ipſe miniſter, qui pœnam debitam condonat, ſed tantùm Sacramentum confert baptizato, quod Sacramentum ex Chriſti inſtitutione habet & culpam tollere, & pœnam.

Hinc eſt, ut non ſit in arbitrio & poteſtate miniſtri augere vel temperare prædictorum mediorum applicatorum activitatem, quam ipſa per ſe exercent juxtà menſuram Chriſti, & diſpoſitionem ſuſcipientis independenter à voluntate applicantis illa; quia ab illo tantùm pendent quoad collationem, intentionem applicandi, & applicationem illorum; quo poſito unumquodque operatur juxta naturam ſuam. At verò Pontifex non applicat aliam cauſam, quæ ex ſe ſit remiſſiva voti vel pœnæ: ſed ipſemet immediatè remittit. Quamvis enim aliquando ad effectum Indulgentiæ exigat opus aliquod pium; illud tantùm eſt conditio, quâ poſitâ ille remittit totam pœnam, vel aliquam partem. Hæc ille ex Lugone diſp. 25. n. 24. Lug.

Reſpondeo: Sacerdos, eſtò non remittat immediatè pœnam Purgatorii; equidem conſtitutus eſt arbiter inter Deum & peccatorem, id eſt, accepit à Deo poteſtatem commutandi pœnam Purgatorii, in pœnam hujus vitæ. Et quamvis non ſit in arbitrio & poteſtate miniſtri, augere vel temperare activitatem pœnæ hujus ſæculi jam applicatæ; ſanè in ejus arbitrio & poteſtate eſt, applicare pœnam hujus ſæculi, remiſſivam totius pœnæ Purgatorii, vel applicare pœnam hujus ſæculi, remiſſivam dumtaxat alicujus partis pœnæ Purgatorii, id eſt, habet poteſtatem imponendi ſatisfactionem pro menſura delicti, quæ eſt remiſſiva totius pœnæ Purgatorii: *Non enim iudicat Dominus bis in idipſum*, neque ultra menſuram peccati; ſed *pro menſura peccati erit & plagarum modus.* 40 Reſpon. Auctor.

Et alia Scriptura dicit: *Quantùm glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantùm* (& non ultra) *date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18. v. 7. Ergo peccator, cui Sacerdos dedit tantum tormentum & luctum, quantùm glorificavit ſe & in deliciis fuit, non ultra à Deo punietur in futuro ſæculo, eſtò fortè non attingat punctum illud indiviſibile pœnæ, quod Deus dediſſet. Apoc.

Nonne commutatio voti valet, etſi fortè commutans non attingat punctum indiviſibile illius rei, in quam Deus illud commutaſſet? Valet omninò, in tantùm, ut etſi per revelationem conſtaret de iſto errore, nihilominùs plenè & perfectè ſatisfaceret, qui redderet Deo votum ſic commutatum. Ergo conſimiliter plenè & perfectè ſatisfacit pro peccato ſuo, qui illam pœnam reddit Deo; in quam pœna Purgatorii commutata fuit à Confeſſario, eſtò fortaſſis non attingat punctum indiviſibile 4 Probl. Conc. exempl. mutati. nis vo.

Digitized by Google

viſibile pœnæ, in quam Deus illam commutaſſet, dummodò non ſit omninò improportionata delicto, ſeu extra totam illam latitudinem medii rationis, quod reſpicit juſtitia punitiva, ùt loquitur Scotus: tunc enim non eſt pro menſura delicti; & ideo tunc Deus poſt hanc vitam implet menſuram, niſi homo aliis bonis operibus ſatisfactoriis, Indulgentiis vel Sacrificiis ipſum prævenerit.

Atque in hoc caſu, quando ſatisfactio non eſt impoſita pro menſura delicti, ſicut ordinariè hoc tempore non imponitur (ùt ſuprà notavi) optimum conſilium eſt, magnâ devotione & fervore implere opus impoſitum, ut ratione melioris diſpoſitionis plus pœnæ Purgatorii, etiam ex opere operato, remittatur. Alioquin quando pœna eſt impoſita pro menſura delicti intrà latitudinem medii juſtitiæ vindicativæ, non attenditur diſpoſitio ſatisfacientis, ſed ſola quantitas ſatisfactionis: hæc enim ſola ſufficiens eſt ad delendam totam pœnam Purgatorii, ſecundùm jam dicta. Vel ſi velis, Deum etiam tunc attendere diſpoſitionem ſatisfacientis, per me licet, & dico, quòd tali caſu, uti etiam quando ſatisfactio ſecundùm ſe ſuperaret totam latitudinem medii, remitteretur pœna debita aliis peccatis, ſi non ex opere operato, ſaltem ex opere operantis.

42. [...]æ ſit la[ti]tudo me[dii] juſtitiæ commuta[tivæ ju]xta Sco[tum].

Quæris à me, quæ ſit iſta latitudo, & ad quantum ſe extendat? Audi diſcurſum Doctoris Subtilis de latitudine medii juſtitiæ commutativæ: *Quæ* (inquit) *ſit iſta latitudo, & ad quantum ſe extendat, quandoque ex lege poſitiva, quandoque ex conſuetudine innoteſcit. Lex enim reſcindit contractum, ubi contrahens decipitur ultra medietatem juſti pretii: tamen infra illud, ſi ex alio apparet injuſtitia, debet reſtitutio fieri correſpondens. Quandoque autem relinquitur ipſis commutantibus, ut penſatâ mutuâ neceſſitate reputent ſibi mutuò dare æquivalens hinc inde, & accipere: durum eſt enim inter homines eſſe contractus, in quibus contrahentes non intendant aliquid de illa indiviſibili juſtitia remittere ſibi mutuò, ut pro tanto omnem contractum concomitetur aliqua donatio. Et ſi iſte eſt modus commutantium, quaſi fundatus ſuper illud legis naturæ:* Hoc facias alii, quod tibi vis fieri; *ſatis probabile eſt, quòd quando ſunt mutuò contenti, mutuò volunt ſibi remittere, ſi ſecundùm aliquid deficiunt ab illa juſtitia requiſita.* Hæc Scotus 4. diſt. 15. q. 2. n. 15.

43. [Qu]æ ſit la[ti]tudo me[dii] juſtitiæ [vin]dicativæ?

Conſimiliter diſcurro ego de latitudine medii juſtitiæ vindicativæ ſeu punitivæ inter Deum & peccatorem. Quæ ſit hæc latitudo, & ad quantum ſe extendat, innoteſcit ex lege poſitiva, quâ debent Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum (gravitate utique & levitate ſecundùm ſpeciem, numerum & circumſtantias mutantes ſpeciem aut numerum) & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere.

Præterea ex Canonibus Pœnitentialibus, in quibus pœnitentia & tempus ejus perficiendæ pro quibuſdam culpis præſcriptum eſt; ita tamen, ut non excludatur prudens judicium Confeſſarii: ſic enim ſcribit D. Hieronymus (& refertur de Pœnit. diſt. 1. c. 86.) *Menſuram autem temporis in agenda Pœnitentia idcirco non ſatis apertè præfigunt Canones pro unoquoque crimine, ut de ſingulis dicant, qualiter unumquodque emendandum ſit; ſed magìs in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt: quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris; nec abſtinentia tantùm ciborum, quàm mortificatio vitiorum. Propter quod ipſa tempora pœnitentiæ pro fide & converſatione pœnitentium abbrevianda præcipiunt, & pro negligentia protelanda. Extant tamen pro quibuſdam culpis pœnitentiæ modi impoſiti, juxta quos cætera perpendenda ſunt culpæ, cùm ſit facilè per eoſdem modos vindictam & cenſuram Canonum æſtimare.* D. Hieron.

44. Doctrina ejuſdem Gloſſæ

Ubì Gloſſa verb. *Sacerdotis*, ſic interrogat: *Quid ſi iniquè arbitratus eſt, & minorem pœnam imponat quàm debeat?* Reſpondet: *Si eſt ordinarius ejus judex, ſive Sacerdos curatus, & diſpenſandi animo hoc facit; ſufficit illa, licèt modica, ad delendum peccatum. Si per errorem, & ab iſto pœnitente credebatur peritus, ſufficit illa minor pœnitentia ad delendum peccatum & omnem pœnam alterius vitæ, dummodò pœnitens, qui eam recipit, majorem ſuſcipere paratus eſſet, ſi ſibi imponeretur.*

ab Auctore non approbatur.

Quidquid ſit de hac doctrina, quam non approbo, ſaltem ex his legibus innoteſcit, Deum non requirere proportionem quoad punctum mathematicum inter opera ſatisfactoria vitæ præſentis, & pœnam Purgatorii ſecundùm intenſionem & extenſionem; immò nec inter opera ſatisfactoria, & qualitatem delicti; cùm illud præcisè punctum ſpiritus & prudentia fortè numquam ſuggerat Sacerdotibus: ac proinde voluntariè remittit, ſi ſecundùm aliquid deficiunt iſta opera ab illa juſtitia requiſita. Per conſequens, qui dat illa opera, dat totum quod Deus requirit, adeòque prudens judicium Confeſſarii propriè non ſupplet defectum, quia à parte rei nullus defectus eſt, ſed ponit medium juſtitiæ vindicativæ.

45. Diverſitas inter remiſſionem pœnæ per ſatisfactionem, & culpæ per Abſolutionem.

Ex quo patet diverſitas inter remiſſionem pœnæ per opera ſatisfactoria, & remiſſionem culpæ per ipſum Sacramentum; ad quam utique remiſſionem culpæ non ſufficit prudens judicium Confeſſarii de legitima diſpoſitione pœnitentis, de legitima materia vel forma &c. Quare? Quia Chriſtus non reliquit determinationi ſeu prudenti judicio diſpoſitionem pœnitentis, materiam vel formam Sacramenti; ſed ipſe per ſe hæc determinavit: at verò opera ſatisfactoria (ùt ex dictis ſatis ſuperque demonſtratur) reliquit prudenti judicio ſeu arbitrio Confeſſarii, attentâ qualitate criminum, & pœnitentium facultate.

Digitized by Google

Igitur, ut finem imponamus huic Concluſioni, quam libenter fateor eſſe incertam & ſolùm probabilem, iterum dico: ſi ſatisfactio impoſita excedat totam latitudinem medii, ſive ſecundùm ſe ſumpta, ſive cum diſpoſitione pœnitentis, exceſſus ille compenſabitur per remiſſionem pœnæ debitæ aliis peccatis: aut certè ſi nihil pœnæ reſtet remittendum, & ſatisfaciens juſtus eſt, gratiam & gloriam dabit Dominus; quia liberalis eſt in donis ſuis, nec opera juſti relinquit ſinè præmio. Sin autem homo peccator eſt, ſibi imputet, quòd ſolâ remiſſione pœnæ debeat eſſe contentus, qui fortè nec hâc remiſſione dignus eſt, ùt communiter docent Theologi: ego autem cum Doctore Subtili, ſinè præjudicio communis ſententiæ, Dico quartò:

CONCLUSIO IV.

Per ſatisfactionem impletam in malo ſtatu ſatisfit obligationi, & obtinetur effectus.

46. Ultima pars Concluſ. eſt Scoti,

EXordiar ab ultima parte, videlicet: *Per ſatisfactionem impletam in malo ſtatu obtinetur effectus*, id eſt, deletur pœna Purgatorii, debita peccato, per Abſolutionem ſacramentalem remiſſo. Ita docet Scotus 4. diſt. 15. q. 1. n. 16. hiſce verbis: *Dico ergo ſinè præjudicio, quòd, qui ſemel verè pœnitet, & recipit ſatisfactionem vel pœnitentiam condignam ſibi impoſitam ab Eccleſia, Clave non errante, quantumcumque poſteà recidivet, numquam tenebitur, niſi ad illam unicam ſatisfactionem adimplendam: & ſi eam impleat in Charitate* (id eſt, in ſtatu gratiæ) *meliùs eſt; quia non tantùm ſolvit pœnam, ſed meretur. Sed ſi adimpleat eam voluntariè extra Charitatem* (id eſt, extra ſtatum gratiæ) *ſolvit quidem pœnam, ſed non meretur gratiam. Si autem ipſa ab eo extra Charitatem exigitur, ſolvitur pœna, licèt ipſe non ſolvat. Et in primo eſt ſatisfactio ſimpliciter, quia reconcilians & placans: in ſecundo eſt quidem ſatisfactio, quia voluntaria redditio &c. ſed nec reconcilians nec placans: in tertio autem eſt ſatisfactio* (aliàs ſatiſpaſſio) *ultra quam non exigetur pœna ulterior.* Hæc ille probabiliter.

47. & Aliorum, quos citat Hugo Cavellus in Scholio. *Gabriel. Medina. Navarrus. Major Adrianus. Almain. Gerſon. Rubion. Angel.*

Eamdem ſententiam præter Scoti diſcipulos (ùt ait Hugo Cavellus in Scholio præfixo num. 15.) tenent Gabriel 4. diſt. 16. qu. 2. a. 3. dub. 3. Medina tract. 3. qu. 5. dub. ult. Navarrus cap. 1. de Pœnit. d. 6. n. 47. Major hìc, Adrianus 4. qu. An unum peccatum ſinè alio &c. Almain. hìc qu. 1. Gerſon de Regul. moral. tit. de Pœnit. & de Orat. p. 2. Rubion. hìc qu. 3. art. 2. Corduba lib. 5. q. 23. Ang. v. Pœnit. § 14. Hinc patet, quàm audax in falſo Sotus diſt. 19. q. 1. a. 4. dum ait, ſolum Gabrielem ſequi Scotum in hoc; & Valent. d. 7. qu. 14. de Satisfact. p. 3. dum ait, hanc opinionem ab Omnibus exploſam. Hucuſque Cavellus.

Legi Sotum loco citato, ubi non ſimpliciter dicit, ſolum Gabrielem ſequi Scotum; ſed ait: Scotum ſolus Gabriel ſequitur, & rariſſimi eo recentiores. Interim præter citatos docet hanc ſententiam Vaſquez qu. 94. *Vaſquez.* art. 2. dub. 5. citans Marſilium in 4. qu. 11. *Marſilius.* art. 3. Itaque non dubitandum, quin etiam poſt Trident. ſit probabilis (ſaltem ab auctoritate extrinſeca) intellecta, ùt intelligi debet, de effectu ex opere operato, quem habet illa ſatisfactio præciſè intuitu Sacramenti ſeu Abſolutionis ſacramentalis.

Probatur à Scoto ſup. num. 15. quia contraria ſententia videtur nimis dura contra peccatores, & occaſio majoris obſtinationis: 48. Probatio Scoti. *Si enim* (inquit) *iſte hodie verè pœnitens, & humiliter recipiens ſatisfactionem, eſto ieiunium trium dierum, cras recidivat in peccatum mortale, & de illo non pœnitens ſecundo die ieiunat, quia ſibi fuit impoſitum: ſi dicas, quòd illud ieiunium ſecundâ diei non eſt aliqua ſatisfactio exterior, magis occaſio eſt inducendi iſtum iam lapſum, ut tertio die non ieiunet, & per conſequens ad novum peccatum mortale: quia tranſgrediendo iſtam pœnam iniunctam à Sacerdote & receptam, videtur eſſe peccatum mortale, cùm ſit tranſgreſſio præcepti Eccleſiæ & Vicarii Dei in illo actu.*

Ex iſto (proſequitur) *poteſt formari talis ratio: Si poſt lapſum & ante pœnitentiam novam non exequatur quis ſatisfactionem priſtinam ſibi impoſitam, peccat mortaliter novo peccato. Ergo ſi exequatur, bene facit; quia actum obedientiæ facit: ſed non facit actum obedientiæ, niſi in quantùm illud eſt ſibi impoſitum tamquàm pars ſatisfactionis.*

Sed hæc ratio, dicet aliquis, parum videtur probare: nam Adverſarii admittunt, exe- 49. quæ videtur poſſe ... quentem ſatisfactionem in ſtatu peccati mortalis, bene facere; quia actum obedientiæ facit, in quantum illud eſt ſibi impoſitum, tamquam pars ſatisfactionis. Unde admittunt per talem ſatisfactionem ſatisfieri præcepto Confeſſarii (ùt habet prima pars Concl.) ſed negant Conſequentiam: ergo ſtatim confert ſuum effectum; ſed ſufficit (inquiunt) quòd reviviſcat adveniente ſtatu gratiæ.

Atque ut non reviviſceret, equidem poteſt eſſe pars ſatisfactionis ſacramentalis, ſeu tota ſatisfactio ſacramentalis; quia ſæpiùs Sacramenta fruſtrantur omni ſuo effectu, ſecundùm ſententiam, quæ non agnoſcit niſi reviviſcentiam Baptiſmi. Sicut ergo Extrema Unctio ſuſcepta cum obice peccati mortalis eſt verum Sacramentum, eſtò nullum conferat effectum ſacramentalem; pari quoque ratione ſatisfactio in ſtatu peccati mortalis erit reverà pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, eſtò nullum

Digitized by Google

lum conferat effectum ſacramentalem, defectu debitæ diſpoſitionis ſubjecti ſeu ſatisfacientis: ſufficit quippe, quòd per ſe nata ſit delere pœnam Purgatorii, tametſi de facto nullam deleat.

Nec per hoc datur occaſio majoris obſtinationis; ſed utilis valde eſt (inquiunt) ad excitandos ignavos homines, ut reſipiſcant, & fructum ſuæ ſatisfactionis recipiant, ad quam alioquin ex præcepto Confeſſarii obligantur. Quòd ſi aliqui malint omittere ſatisfactionem, quàm reſipiſcere, per accidens eſt: veluti ſi aliquis mallet non ſuſcipere Euchariſtiam, quando ex præcepto obligatur, quàm ſe diſponere per præviam Confeſſionem; non ideo ſequitur, Euchariſtiam conferre ſuum effectum indiſpoſito ſeu non confeſſo, vel exiſtenti in ſtatu peccati mortalis.

Reſpondeo: quidquid ſit de illa ratione Scoti, quæ fortè ſolùm eſt aliqua congruentia, ùt patet ex his verbis Scoti: *Sed iſta ſententia videtur nimis dura contra peccatores, & occaſio majoris obſtinationis.* Ubì ly *Videtur* ſignificat aſſenſum infirmum, minimè verò firmum & ſufficiens fundamentum aſſertionis, quam num. 16. Doctor ſubjungit verbis ſuprà relatis: *Dico ergo* &c. Eſtò, inquam, hæc ratio parùm aut nihil probaret; num ideo recedendum à doctrina principali? Nequaquam.

50. [Ratio à priori Concl. ... Chriſti.] Quæ ergo ratio à priori Concluſionis? Reſpondeo: voluntas Chriſti, à qua ſatisfactio ſacramentalis habet vim ex opere operato delendi pœnam Purgatorii: & aliunde ex nullo capite ſatis conſtat, Chriſtum requiſiviſſe ad hunc effectum ſtatum gratiæ. Non ex eo, quòd ſit effectus ſacramentalis: nam etiam impreſſio Characteris eſt effectus ſacramentalis Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, ad quam tamen non requiritur ſtatus gratiæ. Non ex eo, quòd ſit ſingulare aliquod & extraordinarium beneficium Dei, quo peccator indignus eſt: nam etiam impreſſio Characteris eſt tale beneficium, quod tamen confertur peccatori. Non ex eo, quòd ſatisfactio noſtra *ſit per Chriſtum Ieſum* (ùt loquitur Trident. ſeſſ. 14. cap. 8.) id eſt, ex meritis & ſatisfactione Chriſti: nam etiam impreſſio Characteris eſt *per Chriſtum*, id eſt, ex meritis Chriſti; & tamen Character imprimitur peccatori, & peccator *per Chriſtum*, id eſt, virtute Sacramenti, per quod merita Chriſti applicantur ſeu communicantur fidelibus, accipit Characterem impreſſum. Ergo conſimiliter peccator poterit ſatisfacere, & ſatisfaciet, ex opere operato *per Chriſtum*, id eſt, per virtutem Sacramenti Pœnitentiæ, per quod fidelibus applicantur ſeu communicantur merita & ſatisfactiones Chriſti.

51. [Objectio ex ...] Nec obſtat, quòd Trident. ſuprà dicat: *In quo* (Chriſto) *vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* [Tridentinū ſolvitur.] Loquitur quippe de ſatisfactione ſimpliciter, id eſt, reconciliativa & meritoria de condigno, ad quam indubiè requiritur vita in Chriſto ſeu ſtatus gratiæ, ùt patet ex dictis Sect. præced. Concl. 1.

[Catech. Rom.] De qua etiam loquitur Catech. Romanus part. 2. cap. 5. qu. 58. ibi: *Duo præcipuè in ſatisfactione requiruntur: primum eſt ut is, qui ſatisfacit, juſtus ſit ac Dei amicus.* Colligo ex quæſt. præcedenti, ibi: *Atque ita fit, ut juſtis nihil deeſſe videatur, cùm operibus, quæ Dei virtute efficiunt, & divinæ legi pro humana mortaliq; conditione ſatisfacere, & vitam æternam, quam ſcilicet, ſi Dei gratiâ ornati è vita deceſſerint, conſequentur, mereri poſſint.* Ergo intelligit ſatisfactionem ſimpliciter, ſeu reconciliativam & meritoriam de condigno vitæ æternæ.

52. [Satisfactio ſacramentalis hominis peccatoris, non eſt ſimpliciter ſatisfactio.] Porro ſatisfactio ſacramentalis ex opere operato, quam nos cum Scoto admittimus in homine peccatore, non eſt ſatisfactio ſimpliciter (ùt patet ex verbis Scoti ſuprà) ſed tantùm ſecundùm quid, id eſt, ſecundùm unam partem. *Ita enim* (ùt ait Catech. ſuprà q. 53.) *Nonnulli definierunt:* Satisfacere, eſt Deo debitum honorem impendere. [Catech. Rom.] *Quòd autem nemo debitum honorem Deo poſſit tribuere, niſi qui peccata omninò vitare conſtituat, ſatis apparet. Et ſatisfacere eſt peccatorum cauſas excidere, & eorum ſuggeſtioni aditum non indulgere. In quam ſententiam Alii aſſenſerunt, ſatisfactionem eſſe purgationem, quâ eluitur quidquid ſordium propter peccati maculam in anima reſedit; atque à pœnis tempore definitis, quibus tenebamur, abſolvimur.*

[Duæ partes ſatisfactionis, purgatio ſordium, & abſolutio à pœnis.] Ecce duæ partes ſatisfactionis, purgatio ſordium, & abſolutio à pœnis; quarum prima non convenit ſatisfactioni peccatoris: quia (ùt ait Scotus ſuprà) *nec reconcilians, nec placans.* Altera autem competit: quia eſt voluntaria redditio debiti, ſive eſt rei debitæ integra ſolutio. Cùm enim virtute Clavium pœna temporalis Purgatorii mutata ſit in pœnam temporalem hujus vitæ; qui hanc voluntariè reddit, integrè ſolvit rem debitam: amicus ejus ſit vel inimicus, cui ſolvit, quid intereſt? Nonne inimicus poteſt ſatisfacere debito juſtitiæ commutativæ, ſolvendo pretium rei emptæ? Nemo dubitat. Cur non ſimiliter poſſit ſatisfacere debito juſtitiæ vindicativæ ſeu punitivæ?

53. [Explenti magnam pœnitentiam in peccato, reſurgenti non eſt imponenda nova pœnitentia ex Scoto.] Audiamus Scotum ſuprà n. 16. *Ex ſecundo* (inquit) *membro* (id eſt, ex eo quòd homo peccator poſſit ſatisfacere) *ſequitur, quòd ſi magnam partem ſatisfactionis ſibi impoſita explevit in peccato mortali, & poſt iterùm pœnitet de peccato novo, non eſt ſibi iteratò pœnitentia imponenda pro peccato, de quo ſatisfecit, licèt extra Charitatem; ſed tantùm de novis peccatis, quæ fuerunt cauſa, quare illa ſatisfactio fuit mortua.*

Et ſi arguas (proſequitur n. 17.) *mortua eſt: ergo*

Digitized by Google

ergo non eſt ſatisfactio. Non ſequitur, niſi quòd non eſt ſatisfactio placans nec reconcilians in amicitiam. Et ſi dicitur: ergo non eſt ſatisfactio. Non ſequitur; quia ſufficit Deo, quòd quis voluntariè ſolvat pœnam debitam, ad punitionem peccati commiſſi: quia etiam, quod minus apparet, ſufficit ſatiſpaſſio. Patet in actibus humanis: ſi enim alicui offenſa in Regem correſpondeat præcisè ſecundùm legem abſciſſio manûs; ſi iſti etiam invito abſcinditur manus, ſatiſpatitur, & in tantùm ſufficit Regi, quòd ſecundùm legem & iuſtitiam non debet ab eo pœnam ulteriorem exigere; & tamen non recipit eum in gratiam vel amicitiam. Multò magìs ergo poſſet ſufficere pro punitione culpæ, ſi aliquis ſibi pœnam debitam infligeret, licèt non eſſet in gratia vel amicitia ipſius iudicis offenſi.

Sufficit ſatiſpaſſio ad ſolutionem pœnæ.

54\. An valeat in hac materia argumentum ab homine ad Deum? Negat Suarez.

Et verò cur non valeat argumentum in hac materia ab homine ad Deum? Quia (reponit Suarius diſp. 36. ſect. 2. n. 5.) pœnæ hujus vitæ per ſe ac nudè ſumptæ non ſunt comparabiles, nec proportionem habent cum pœna vitæ futuræ: ergo per ſe non habent valorem, ut remittant illam pœnam: ergo neceſſaria eſt gratia, à qua hunc valorem accipiant. Hæc autem gratia non ſolùm eſt auxilians, ſed præcipuè debet eſſe ſanctificans, ut conferat dignitatem perſonæ, à qua ſatisfactio ipſa habet valorem & moralem proportionem ad debitum perſolvendum.

Et confirmatur: quia vel peccator poſſet ſatisfacere de condigno, vel de congruo. Non primum; quia peccator quamdiu in peccato mortali eſt, dignus eſt, ut omni bono privetur; & ideo incapax eſt, ut de condigno mereatur, vel ſatisfaciat: & ideo gratia eſt principium omnis juſtitiæ apud Deum; præterquàm quòd promiſſio divina, in qua juſtitia tam ſatisfactionis, quàm meriti fundatur, non fit hominibus in peccato mortali manentibus, ſed juſtis. Secundum dici non poteſt, niſi merè gratìs: ubì enim revelatum eſt, aut unde conſtat, Deum hac liberalitate uti cum inimicis ſuis, ut eis remittat pœnas, pro quibus ipſi verè non ſatisfaciunt, cùm lex generalis ſit, *Vt quantùm quis glorificavit ſe in deliciis, tantùm detur ei tormentorum*; & è contra generalis etiam lex ſit, *Vt quod ſinè Charitate fit, nihil proſit?* Hæc Suarius.

55\. Pœnæ peccati venialis & temporalis pro mortali remiſſo, finiuntur in inferno.

Quæ ſi vera forent, eſtò admitteretur ſatiſpaſſio in inferno pro pœnis temporalibus, debitis peccatis remiſſis, haùd equidem valeret argumentum Scoti ſuprà: *Ex tertio membro* (ſcilicet ſatiſpaſſione) *poteſt elici, quòd talis ſi propter novum peccatum, in quod recidivat, damnaretur antequàm compleſſet totam pœnam ſibi impoſitam, puniretur in inferno temporaliter pœnâ correſpondente illi, quæ non fuit hìc ſoluta; & illâ ſolutâ poſt tempus aliquod non puniretur amplius illâ pœnâ, ſicut & de veniali, quia moriens in peccato veniali ſimul cum mortali, non puniretur æternaliter pro veniali. Et eodem modo in propoſito: ex quo enim ſecundùm plenam iuſtitiam punitivam ſemel impoſita eſt pœna temporalis iſti pro peccato, de quo verè pœnituit, numquam iſti pro illo debebitur niſi pœna temporalis, & illâ ſolutâ, nulla alia.*

Hoc (inquam) argumentum Scoti non valeret, ſi vera forent quæ Suarius ſuprà docet: nam pœna temporalis in inferno eſt planè eadem cum pœna temporali Purgatorii: ergo non eſt mirum, ſi ſatiſpatiatur in inferno, ſicuti ſatiſpateretur in Purgatorio. At verò pœna temporalis hujus ſæculi neque eſt eadem cum pœna Purgatorii, neque ullatenus ei proportionata (ùt vult Suarez) abſque conſortio gratiæ ſanctificantis.

5 An p... hujus ſunt p... tionata nis P... torii

Reſpondeo cum diſtinctione: nullatenùs eſt proportionata, niſi fortè exiguæ ejus parti, abſque conſortio gratiæ ſanctificantis, quæ de facto ineſt ſubjecto, vel aliquando infuit per Sacramentum Pœnitentiæ, cujus hæc pœna eſt pars integralis, concedo totum; abſque conſortio gratiæ ſanctificantis, quæ de facto ineſt ſubjecto; hoc eſt quod quæritur, & à nobis negatur, neque ſufficienter à Suario probatur.

Dico itaque: pœnæ hujus vitæ per ſe ac nudè ſumptæ non ſunt comparabiles, nec proportionem habent cum pœna futuræ vitæ, niſi fortè cum valde modica ſeu exigua ejus parte, juxta alibi dicta; ſed accipiunt hanc proportionem, & per conſequens valorem remittendi illam pœnam, vel ex gratia ſanctificante præſente, ſi eſt ſatisfactio condigna ex opere operantis; vel, ſi eſt ſatisfactio ex opere operato, ex gratia ſanctificante aliquando infuſa vi Sacramenti, ſeu ex virtute Sacramenti Pœnitentiæ, per quod commutata fuit pœna temporalis Purgatorii, in pœnam temporalem hujus ſæculi; adeoque ex applicatione meritorum & ſatisfactionum Chriſti, quæ fit per iſtud Sacramentum; quâ utique applicatione dignus erat pœnitens, quando ſuſcipiebat Sacramentum.

Unde ... piant ... proport... nem?

Breviter: ſatisfactio de condigno ex opere operantis, valorem ſuum & moralem proportionem, ad debitum perſolvendùm, habet ex dignitate perſonæ; at verò ſatisfactio ſacramentalis, ſeu ex opere operato, ſuum valorem & moralem proportionem, ad debitum perſolvendum, accipit ex dignitate operis, ſeu dignitate Sacramenti, per quod opus iſtud elevatur, & conſtituitur pars integralis Sacramenti.

Et quo patet reſponſio ad Confirmationem Suarii. Enimverò lubens fateor, peccatorem non poſſe ſatisfacere de condigno ex opere operantis; ſicuti non poteſt quidquam de condigno mereri: ſed unde probat Suarius, quòd ſatisfactio ſacramentalis, de qua hìc agimus, debeat eſſe ſatisfactio de condigno ex opere operantis? Quantùm ad meritum de congruo, ad iſtud, ex communi ſententia 57

Ad me... tum co... gruum ...

Theo-

Theologorum, non requiritur ſtatus gratiæ: ſicuti ergo homo peccator per Contritionem v. g. meretur de congruo remiſſionem peccatorum (ùt alibi diffuſiùs probavimus) quidni poſsit etiam de congruo mereri remiſsionem pœnarum Purgatorii? An minus præmium remiſsio culpæ, quàm pœnæ? Immò de facto meretur remiſsionem pœnæ æternæ hoc ipſo, quò meretur remiſsionem peccati mortalis: quidni etiam pœnæ temporalis? Vide Sect. 1. Concl. 6.

Quare non dubito, quin opus ſatisfactorium hominis peccatoris, dummodò habeat alias conditiones requiſitas ad meritum de congruo, putà libertatem, honeſtatem, relationem in Deum &c. quas poteſt habere; nam homo peccator poteſt elicere actus ſupernaturales Fidei & Spei, & per actum Spei imperare actus aliarum virtutum: non dubito, inquam, nec video rationem dubitandi, quin per ea poſsit peccator mereri de congruo remiſsionem pœnarum Purgatorii, quæ debentur peccatis quoad culpam remiſsis. Nec Suarius hoc negaret. Sed tota difficultas eſt, unde illa ſatisfactio habeat effectum iſtum infallibiliter.

58. Et ſanè non apparet mihi multùm efficax argumentum, quod deſumitur ab infallibili remiſsione peccatorum per Contritionem, quamvis hoc oppidò urgeat Hiquæus in ſuo Comment. ad locum Scoti ſuprà citatum n. 110. & ſeqq. nam facilè reſponderi poſſet, veræ pœnitentiæ à Deo promiſſam eſſe veniam peccati: quia aliter fieri non poteſt, niſi Deus omninò gratìs ſinè ulla pœnitentia velit peccata remittere, quod minùs conveniens eſt; quia ſaltem per pœnitentiam habetur aliqua ſatisfactio, & exercetur aliquis actus juſtitiæ vindicativæ: jam autem ubì promittitur ſatisfactioni in ſtatu peccati deletio pœnæ Purgatorii, cùm fieri poſſit in ſtatu gratiæ?

Ubì (inquit Suarius ſuprà) revelatum eſt, aut unde conſtat, Deum hâc liberalitate uti cum inimicis ſuis, ut eis remittat pœnas, pro quibus ipſi verè non ſatisfaciunt? Conſtat ex Scripturis Deum acceptare Contritionem hominis peccatoris ad remiſsionem peccatorum, & velle inimicis ſuis remittere peccata, de quibus verè dolent. Et meritò: quia licèt de facto inimici ſint, tamen omnibus modis conantur fieri amici Dei, & recuperare ejus gratiam. Sed quòd Deus infallibiliter remittat pœnas non ſolùm iis, qui de facto inimici ejus ſunt, ſed etiam inimici volunt manere; ubì revelatum eſt?

59. Reſpondeo: Ubì revelatum eſt, Sacerdotes poſſe commutare pœnam temporalem Purgatorii in pœnam temporalem hujus vitæ. Quippe factâ hâc mutatione, jam pœna temporalis hujus vitæ moraliter æquivalet pœnæ temporali Purgatorii; non ex ſeſe, aut propter ſtatum gratiæ, qui erit tempore ſatisfactionis; ſed ex virtute Sacramenti, & propter ſatisfactionem Chriſti, quæ per Sacramentum applicatur verè pro nunc pœnitenti. Quid enim, ſi pœnitens ſatisfaciat ante Abſolutionem? Num illa ſatisfactio, quia facta extra ſtatum gratiæ, carebit ſuo effectu, accedente Abſolutione? Etiam Adverſarii contrarium aſſerunt. Si igitur hæc ſatisfactio virtute Abſolutionis ſubſequentis poteſt habere, & reverà habet effectum ex opere operato, eſtò impleta fuerit extra ſtatum gratiæ; quidni etiam ſatisfactio hominis peccatoris poſsit habere eumdem effectum virtute Abſolutionis præcedentis?

Dices: Diſparitas eſt, quòd in uno caſu effectus remiſsionis pœnæ ponitur in ſtatu gratiæ; in alio autem extra ſtatum gratiæ. Deinde, in uno caſu homo vult eſſe amicus Dei, in alio autem vult permanere inimicus. 60. Objectio.

Reſpondeo: In inferno homo vult permanere inimicus; & tamen ibi accipit, in ſententia Scoti & plurium Aliorum, etiam Adverſariorum, effectum deletionis pœnæ per ſatiſpaſsionem. Si ergo ſatiſpaſsio in inferno delet pœnas ſinè Charitate, non obſtante illâ lege generali: *Ut quòd ſinè Charitate fit, nihil prodeſt*; & iſta: *Ut quantum quis glorificavit ſe in deliciis, tantùm detur ei tormentum*; quidni etiam ſatisfactio hominis peccatoris in hac vita deleat pœnas ſuppoſitâ proportione morali inter pœnas hujus vitæ, & pœnam Purgatorii? Non video ſufficientem diſparitatem. Solvitur.

Igitur probandum manet Suario, quòd illa moralis proportio requirat ſtatum gratiæ præſentem, quando ſatisfactio impletur. Si autem hoc non poſsit probare, ſicut reverà non poteſt, perſiſto in Concluſione, & dico, Satisfactionem impletam in ſtatu peccati mortalis, non ſolùm reviviſcere adveniente ſtatu gratiæ, ſed etiam ſtatim obtinere effectum deletionis pœnæ Purgatorii. Immò ſi non ſtatim obtinet effectum, nullum apparet efficax fundamentum aſſerendi ejus reviviſcentiam.

Nam quòd Quidam dicunt: Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe reviviſcit eodem modo, quo Baptiſmus validus & informis; ergo ſimiliter ſatisfactio: hoc, inquam, argumentum apud me nullius eſt momenti, qui diſp. 1. ſect. 6. concl. 4. docui ſolùm Baptiſmum reviviſcere; & diſp. 7. ſect. 4. concl. 3. numquam dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe. Et eo gratìs admiſſo, adhuc nobis non conſtat de reviviſcentia magis, quàm de effectu ſatisfactionis, ſtatim conferendo, in ſtatu peccati mortalis. Interim admiſsâ reviviſcentiâ Sacramenti Pœnitentiæ quoad remiſsionem culpæ, nulla eſt ratio, quare etiam non poſsit admitti reviviſcentia quoad remiſsionem pœnæ; per conſequens reviviſcentia ſatisfactionis, quæ operatur per ipſum 61. Satisfactio non reviviſcit.

ipſum Sacramentum, ſeu virtute acceptâ per Abſolutionem.

62. *Quare magis debeat reviviſcere Pœnitentia, quàm Euchariſtia ex Lugone.*

Fatetur Lugo diſp. 25. n. 42. non omnia Sacramenta, aut omnia media, quæ impediuntur peccato præſenti, operari poſtea ſuum effectum, quando auſertur obex; & inter illa enumerat ſuſceptionem Euchariſtiæ, & Sacrificium Miſſæ, eò quòd ex ſua inſtitutione ſint remedia quotidiana. At verò Sacramentum Pœnitentiæ, licèt iterari poſſit ſuper eiſdem peccatis ad majorem ſecuritatem, & magìs perfectam remiſſionem; per ſe tamen & ex ſua inſtitutione non affert hanc obligationem, nec poſtulat reïterationem. Quare ſi hoc Sacramentum poſtea non haberet ſuum effectum, ſequeretur inconveniens, quòd peccata illa non remitterentur per ſe per Sacramentum Pœnitentiæ, ſed per Contritionem, aut aliud Sacramentum, per accidens. Oportuit ergo, quòd efficacia etiam hujus Sacramenti maneret ſuſpenſa: quòd ſi hoc de efficacia conceditur ad tollendam culpam; concedendum etiam videtur de efficacia ad tollendam pœnam, quæ connexa eſt cum illa alia: nec enim magìs per ſe eſt reïterabile hoc Sacramentum in ordine ad pœnam, quàm in ordine ad culpam; atque adeò careret bono illo effectu in ordine ad hæc peccata per medium hujus Sacramenti. Hæc ille.

63. *Reſponſio Auctoris.*

Sed nihil contra nos. Et unico verbo reſpondeo; nullum eſſe omninò inconveniens, quòd homo ex ſua culpa careat effectu alicujus Sacramenti, etiam in perpetuum: ſibi quippe imputare debet, non Deo vel Sacramento. Quòd autem Deus ſic debuerit inſtituere ſua Sacramenta, ut homo, qui ſemel neglexiſſet gratiam Sacramentorum, ſeu alium quemlibet effectum, poſſet quando vellet illam gratiam accipere, ex nullo capite probatur. Nec propterea intentio Chriſti, quam habuit ſubveniendi infirmitati humanæ per hæc media, defraudatur: ſic enim voluit ſubvenire infirmitati humanæ, ut tamen excluderet malitiam humanam. Sufficit ergo, quòd homo non fraudetur effectu alicujus Sacramenti pro perpetuo, niſi ex propria culpa.

Quare Deus voluerit Baptiſmum reviviſcere.

Quare autem voluerit Baptiſmum potiùs reviviſcere, quàm alia Sacramenta, etiam non iterabilia, penes ipſum eſt. Fortè, ut homo ſemel ſaltem in vita frueretur illo Iubilæo pleniſſimo, id eſt, remiſſione omnis pœnæ & culpæ. Sicut ſolet Papa aliquando concedere Jubilæum pleniſſimum omnibus fidelibus, ita ut ſi quis itinere vel alio impedimento nunc detineatur, ſuſpendatur gratia in tempus futurum, ut ſic ablato illo obice poſſit frui ſemel illâ Indulgentiâ Pontificis. Hæc autem ratio non habet locum in aliis Sacramentis, etiam Confirmationis & Ordinis, multò minùs in Sacramento Euchariſtiæ vel Pœnitentiæ.

64. *Diſparitas Lugonis inter Pœnitentiam & Euchar. pugnatur ab Arriaga.*

Quantùm ad diſparitatem inter Sacramentum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, illam Arriaga diſp. 47. n. 33 judicat valde inſufficientem: quia (inquit) ſicut dicit hic Auctor, quòd Chriſtus ex inſtitutione hujus Sacramenti non obligaverit ad illud ſupra eadem peccata iterandum, ſed id reliquerit homini liberum; ita eodem modo dicam ego de Euchariſtia: eam enim vocare panem quotidianum, ad rem præſentem ſunt pura verba, quæ non multùm urgent: quia non eſt quotidianus panis ex mandato & obligatione Chriſti, qui ad eam frequentiam nullo modo obligavit. Eſt ergo ex devotione, quatenus poteſt, qui vult, eam frequentare: atqui in hoc ſenſu eodem omninò modo ea Confeſſio, etiam de peccatis jam ſemel in Confeſſione dimiſſis, dicetur à me quòd ſit medicina quotidiana, non quidem ex obligatione, ſicuti neque Euchariſtia eſt panis quotidianus ex obligatione; ſed ex devotione. Adde; longè majori titulo hanc dici quotidianam medicinam, quàm illa dicatur panis quotidianus; quia longè faciliùs poteſt quis accedere ſingulis diebus ad Confeſſionem, quàm ad Euchariſtiam, etiam repetendo eadem peccata Hæc ille contra Lugonē.

65. *Impugnatio rejicitur.*

Ego autem, ſi Confeſſio eorumdem peccatorum tam facilis eſt, immò facilior ſingulis diebus, quàm ſuſceptio Euchariſtiæ (ùt vult Arriaga hìc) miror ſummoperè, cur eodem tomo diſp. 52. n. 6. cenſeat idem Auctor, omninò veram illam ſententiam, quæ abſolutè negat, Eccleſiam poſſe præcipere ſecundam Confeſſionem eorumdem peccatorum; tum (inquit) propter auctoritatem majorem, tum propter ea, quæ diximus ſuprà, ſcilicet Eccleſiam non poſſe obligare ad Confeſſionem, ſi eam Chriſtus ſub præcepto non poſuiſſet. Ita Arriaga.

Quæris ab eo, quare Eccleſia hoc non poſſet? Reſpondet n. 3. ob difficultatem maximam; ſicut non poteſt Eccleſia nunc præcipere, ut homo fiat Religioſus vel Sacerdos. Bene optimè! Sed numquid, quia maxima difficultas primæ Confeſſionis, ideo maxima difficultas ſecundæ Confeſſiones? Immò, ſecundum Arriagam, major facilitas, quàm ſuſcipiendi Euchariſtiam. Et verò Euchariſtia nonne obligat ſingulis annis, ſaltem ex præcepto Eccleſiaſtico? Quid ſi Chriſtus Euchariſtiam non poſuiſſet ſub præcepto, putas quòd, propter maximam ejus difficultatem, Eccleſia non potuiſſet eam præcipere? Hæc ſi perpendiſſet Arriaga, fortè non dixiſſet, Confeſſionem eorumdem peccatorum medicinam eſſe quotidianam, eodem omninò modo, quo Euchariſtia dicitur à Lugone panis quotidianus; neque fortè dixiſſet, faciliùs eſſe accedere ſingulis diebus ad Confeſſionem, repetendo eadem peccata, quàm accedere ad Euchariſtiam.

Digitized by Google

Sed revertamur ad Concluſionem principalem, contra quam argumentantur Adverſarii à ſimili, hoc modo: Sacrificium non confert remiſſionem pœnæ Purgatorii ex opere operato homini, exiſtenti in ſtatu peccati mortalis; neque Indulgentia: ergo nec ſatisfactio ſacramentalis.

Aliqui reſpondent neg. Ant. quantùm ad Sacrificium, immò & Indulgentiam, niſi aliud conſtet de mente cōcedentis, ſicut videtur conſtare ex forma concedendi Indulgentias plenarias, omnibus ſcilicet ritè confeſſis & communicatis, adeòque exiſtentibus in ſtatu gratiæ, ſaltem in fine operis aut operum, quæ requiruntur ad effectum Indulgentiæ. Ergo à contrario ſenſu (inquit Hiquæus ſuprà n. 129.) quando in aliis Indulgentiis non exprimitur Confeſſio, habetur pro non requiſita ad effectum Indulgentiarum: ergo ſupponit Eccleſia valere Indulgentias, etiam per modum ſatisfactionis, in peccato exiſtentibus. Hæc ille. Interim communis ſententia requirit ſtatum gratiæ.

Hinc meliùs reſpondetur ad objectionem N. C. Diſparitas reddi poteſt: quia in tantùm ſatisfactio ſacramentalis prodeſſe poteſt, in quantum in eam commutata erat pœna debita culpæ in futuro ſæculo, commutata, inquam, per Abſolutionem (ſicut ante diximus) eo tempore, quo erat pœnitens in gratia, ſaltem in fieri: ideoque eam poſteà adimplens ſe habet, ac ſi pateretur illam pœnam nullâ interveniente novâ gratiâ, ſeu novo favore præſtando homini peccatori & inimico Dei.

Quæ utique ratio non procedit in Sacrificio vel Indulgentia: nam ante oblationem Sacrificii vel lucrationem Indulgentiæ, id eſt, impletionem operum, peccator nullum habet jus in re ad remiſſionem pœnæ; ac proinde fieret ei nova gratia ſeu novus favor, ſi Deus acceptaret illud Sacrificium, vel iſtam Indulgentiam ad hunc effectum, quo favore cenſetur à DD. communiter indignus. At verò pœnitens ante exhibitionem ſatisfactionis, per Abſolutionem ſacramentalem accipit jus in re ad remiſſionem pœnæ: nam commutatur pœna Purgatorii in pœnam hujus vitæ; adeòque jam quaſi remiſſa eſt, etſi ſub conditione.

8. Sicut: ſi creditor diceret ſuo debitori mille florenorum: *Condono tibi hoc debitum, dummodò ſolvas mihi centum florenos*; eſtò fiat magna gratia illi debitori per iſtam commutationem, equidem nulla fit gratia, dum poſtmodum creditor acceptat illos centum florenos; quia jam tunc ſolvit quod debet. Ergo ſimiliter in præſenti caſu quamvis magna fiat gratia peccatori, quando Sacerdos tamquam Vicarius Dei in illo actu, per Abſolutionem ſacramentalem commutat pœnam Purgatorii in pœnam hujus vitæ, haud equidem fit ipſi nova gratia, dum ſolvit pœnam hujus vitæ, quam debet ex præcepto Confeſſarii, cùm jam Deus obligaverit ſe antecedenter ad eam acceptandam pro integra ſolutione.

Hinc perperàm Sotus 4 diſt. 19. q. 1. a. 4. Et quamvis (inquit) exemplum non ponat (loquitur de Scoto) niſi de ſatisfactione injuncta ex vi Clavium in Sacramento; profectò rationes ejus pariter militant de ea, quæ non eſſet injuncta, ſed liberè fieret. Hæc ille. Sed minùs verè, ùt jam oſtendo. Sotus.

Ratio Scoti hæc erat: *Si poſt lapſum, & ante pœnitentiam novam, non exequatur quis ſatisfactionem priſtinam ſibi impoſitam, peccat mortaliter novo peccato: ergo ſi exequatur, bene facit; quia actum obedientiæ facit.* Quid tibi videtur benigne Lector? Num illa ratio pariter militat de ea ſatisfactione, quæ non eſſet injuncta, ſed liberè fieret? Cæcus eſſe debet, qui non videt oppoſitum. 69. Ratio ſententiæ Scoti.

Deinde ratio Scoti melior erat: *Si adimpleat eam voluntariè extra Charitatem, ſolvit quidem pœnam, ſed non meretur gratiam.* Sed neque hæc ratio convenit ſatisfactioni liberæ: quia per illam non ſolvitur pœna hujus vitæ, in quam pœna Purgatorii fuerat priùs per Confeſſarium commutata; de illa enim pœna loquitur Scotus, ùt patet inſpicienti textum. Poſſum quidem ſatisfacere per pœnas ſponte ſuſceptas, ſed ſolvere, quod debeo, non poſſum: quia non debeo pœnas hujus ſæculi, niſi pœnæ Purgatorii fuerint priùs in eas commutatæ. Alia ratio.

Quando igitur Deus acceptat in ſolutum (ùt Aliqui loquuntur) pœnas, à nobis voluntariè ſuſceptas, omninò gratuitò & liberaliter id facit; & ideo requirit in tali ſatisfaciente ſtatum gratiæ, ſine quo non videtur dignus illâ liberali acceptatione. At verò quando acceptat pœnas debitas ex præcepto Confeſſarii, quaſi obligatio eſt acceptandi; & ideo tunc propriè ſolvitur, quod debetur. Niſi ergo Confeſſarius injunxerit pœnitentiam adimplendam in ſtatu gratiæ; vel oſtendi poſſit, Deum non dediſſe poteſtatem Confeſſario commutandi pœnas Purgatorii in pœnam hujus ſæculi, niſi ſub conditione ſtatûs gratiæ in ſatisfaciente; non video, quare ſatisfactio ſacramentalis extra ſtatum gratiæ non ſtatim habeat ſuum effectum. Nec aliud Scotus docuit. Satisfactio libera requirit ſtatum gratiæ

Unde non poſſum ſatis mirari, quod lego apud Hiquæum Commentatorem Scoti ſup. n. 152. Tertia (inquit) Concluſio: Pœna temporalis inflicta à Deo, & patienter tolerata in finem remiſſionis pœnæ debitæ, ſatisfacit pro pœna temporali, etiam in peccato. Concluſio quoad primam partem eſt communis: quoad ſecundam eſt Doctoris, ùt patet in textu, & ſequitur ex dictis; eſtque (ùt videtur) Tridentini ſeſſ. 4. cap. 9. & can. 13. Hæc ille. 70. Contrarium nec Scotus, nec Conc. Trid. docet. Hiquæus.

Yyyyy Sed

Digitized by Google

Sed ego in Trident. locis citatis nihil invenio de ſecunda parte illius Concluſionis, id eſt, de pœnis patienter toleratis in peccato; neque in textu Scoti. Lege verba Tridentini, & videbis in iis nullam fieri mentionem peccati, ſeu ſtatûs peccati mortalis. De textu Scoti poſſet quis dubitare; quia dicit: *Si autem ipſa* (Satisfactio) *ab eo extra Charitatem exigitur, ſolvitur pœna; licèt ipſe non ſolvat.* Ubì tamen non meminit alicujus patientiæ. Unde tametſi impatienter toleraret (prout damnati impatienter tolerant pœnas, debitas peccatis venialibus, vel mortalibus remiſſis) adhuc ſatisfaceret, vel potiùs ſatiſpateretur. Ergo Scotus generaliter docet, pœnam temporalem inflictam à Deo, & patienter toleratam in finem remiſſionis pœnæ debitæ, ſatisfacere pro pœna temporali, etiam in peccato; qualis Conſequentia?

71. Non valet hic argumentum à ſatisfactione ſacramentali ad non ſacramentalem.

Optima, inquis: ſi enim per pœnam impatienter toleratam, ſecundùm Scotum, poteſt peccator ſatisfacere, vel potiùs ſatiſpati; cur non etiam per pœnam patienter toleratam? Reſpondeo; me id numquam negaſſe, neque velle negare. Ponamus caſum quòd Confeſſarius pœnitenti, graviſſimâ & moleſtiſſimâ laboranti infirmitate, dicat: *Pro ſalutari pœnitentia patienter tolerabis hanc infirmitatem*; non dubito quin patienter tolerando non ſolùm ſatiſpatiatur, ſed verè ſatisfaciat, etiam in peccato: quia tunc non ipſa infirmitas, ſed patiens tolerantia eſt ſatisfactio ſacramentalis; quæ cùm ſit voluntaria, quidni etiam ſatisfactoria; ſeu ſolutio pœnæ non tantùm paſſiva, ſed etiam activa?

Ergo eadem tolerantia erit ſatisfactoria, etiam extra Sacramentum, negatur Conſequentia: quia extra Sacramentum non ſatisfacit niſi ex opere operantis, in qua ſatisfactione attenditur dignitas perſonæ, ſaltem quando eſt ſatisfactio de condigno. Et ideo ad illam requiritur ſtatus gratiæ, ùt cum ſententia communi diximùs ſect. præc. concl. 1. Neque contradicit Scotus, cùm ſolùm loquatur (ùt clarum eſt ex contextu) de ſatisfactione ex opere operato, id eſt, de pœna impoſita ab Eccleſia, Clave non errante. Igitur in hac materia non valet argumentum à ſatisfactione ex opere operato ſeu ſacramentali ad ſatisfactionem ex opere operantis.

72. Nec valet argumentum ab aliis Sacramentis contra Suarium.

Neque valet argumentum ab aliis Sacramentis, v. g. Baptiſmo, Euchariſtia & ſimilibus, ad hoc Sacramentum. Si homo (inquit Suarius diſp. 38. ſect. 8. num. 3.) in peccato mortali illa ſuſcipiat, non conſequetur remiſſionem alicujus pœnæ temporalis, etiamſi reatum aliquem ex peccatis priùs remiſſis habeat. Ratio verò reddi poteſt: quia cùm remiſſio pœnæ temporalis ſit effectus ſupernaturalis, aliquo modo præparans hominem, ſeu removens impedimentum gloriæ; non eſt cur conferatur, niſi ei, qui eſt proportionatus ad gloriam, & amicus Dei. Confirmatur: quia Sacramentum non confert ſpecialem effectum ſinè generali, neque ſecundarium ſinè primario, ùt in aliis videre eſt: ergo idem dicendum eſt de hac parte; præſertim cùm ſuprà dixerimus, hanc partem etiam conferre augmentum gratiæ. Hæc ille.

Reſpondeo ad ultimum; me ſuprà dixiſſe, hanc partem non conferre augmentum gratiæ ex opere operato. Ad confirmationem dico, Sacramentum Pœnitentiæ non conferre effectum ſpecialem ſinè generali, neque ſecundarium ſinè primario. Patet: quia ſuppono, non dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe; per conſequens ſatisfactio ſacramentalis non conferet remiſſionem pœnarum, niſi priùs Abſolutio ſacramentalis contulerit remiſſionem peccatorum, ſeu gratiam ſanctificantem.

Et ſic patet diſparitas inter Baptiſmum, Euchariſtiam, & ſimilia ex una parte, & Sacramentum Pœnitentiæ ex altera: nam Baptiſmus, Euchariſtia, & ſimilia, in peccato mortali ſuſcepta, conferrent remiſſionem pœnæ temporalis abſque effectu primario; id eſt, gratia ſanctificante; utpote incompoſſibili de facto cum peccato mortali: at verò Abſolutio ſacramentalis poteſt conferre gratiam ſanctificantem, eſto ſatisfactio conferat remiſſionem pœnæ in peccato mortali; quia ſatisfactio ſequitur ordinariè Abſolutionem. 73 Oſtend diſparit

Omitto, Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem imprimere Characterem, qui eſt effectus ſpecialis, abſque collatione effectûs generalis, ſcilicet gratiæ ſanctificantis, ùt Omnes fatentur.

Ad rationem Suarii Reſpondeo: eſtò remiſſio pœnæ temporalis foret effectus ſupernaturalis (de quo meritò dubitatur, ùt patet ex alibi dictis) removens impedimentum gloriæ; equidem aliquid eſt, cur conferatur ei, qui eſt inimicus Dei, utputà æqualitas inter culpam & pœnam: qui enim in hac vita ſolvit, quod debet pro culpa, iniquum & injuſtum eſt, ut rursùm pro eadem culpa puniatur in futura vita: jam autem peccator poteſt in hac vita ſolvere, quod debet pro culpa; ergo tametſi ſit improportionatus ad gloriam, non ideo debet rurſus pro eadem culpa ſolvere in futura vita. 74 Reſpon tur ad ra tionem

Profectò ſi vera foret ſententia Suarii & Aliorum, deberet Eccleſia curare, ut pœnitentes ſolverent ſuas pœnitentias in ſtatu gratiæ; nec deberet permittere Confeſſariis, quòd imponant pœnitentias diuturniores, cùm in multis ſubſit evidens periculum, quòd ſaltem ex toto non implebuntur in gratia. Ad minus Confeſſarii deberent hoc inculcare hujuſmodi pœnitentibus; quod tamen non ſolent facere.

Ex hacte-

Digitized by Google

75. Ex hactenus dictis pro ſecunda parte Concluſionis haud difficile erit probare primam partem, videlicet: *Per ſatisfactionem impletam in malo ſtatu ſatisfit obligationi.* Nam ſi aliquid obſtaret, maximè, immò unicè, quia per eam non obtinetur effectus: atqui per eam obtinetur effectus; ergo nihil obſtat, quò minùs per eam ſatisfiat obligationi. Quin etiam illi, qui negant, ſatisfactionem impletam in malo ſtatu ſtatim conferre ſuum effectum, equidem admittunt, per eam ſatisfieri obligationi; pari ratione, quâ ab omnibus affirmatur, ad ſatisfaciendum aliis præceptis, v. g. præcepto audiendi Miſſam, jejunandi, dandi eleēmoſynam, & ſimilibus, non requiri ſtatum gratiæ; ſed planè ſufficere, ut ponatur ſubſtantia præcepti. Aliàs qui ſingulis diebus totius anni deberet pro pœnitentia ſua legere, v. g. Roſarium, deberet ſe ſingulis diebus ponere in ſtatu gratiæ; quod eſt contra ſenſum omnium fidelium.

Nec obſtat; quòd ſit pars Sacramenti: nam etiam integrum Sacramentum validè recipitur in peccato, v. g. Baptiſmus; quin etiam Extrema Unctio, eſtò probabiliùs non reviviſcat. Sufficit ergo, quòd ſit punitio voluntaria, impoſita à Judice, non tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem, per ſe remiſſiva pœnæ temporalis, niſi ponatur obex.

76. An autem ſit peccatum, ponere obicem iſti effectui ſecundario Sacramenti Pœnitentiæ, eſt alia quæſtio. Non eſſe peccatum mortale, eſt communis ſententia; quia adhuc manet vera ſignificatio Sacramenti Pœnitentiæ, quâ principaliter ſignificat remiſſionem peccatorum quoad culpam, & pœnam æternam: immò etiam ſalva manet ſignificatio remiſſionis alicujus pœnæ temporalis, quamvis non omnis, quam poſſet ſignificare & cauſare, ſi ſatisfactio impleretur in ſtatu gratiæ.

Eſtò ergo aliquod eſſet peccatum, ſaltem non peccatum mortale, propter levitatem materiæ. Alioquin (inquit Arriaga diſp. 47. num. 22.) qui orat, jejunat, dat eleēmoſynas, & facit alia bona opera in peccato, peccaret graviter: nam cùm illa opera ex ſe ſint cauſativa gratiæ ex opere operantis, & eo ipſo impediatur hic illorum effectus per peccatum, eſſet etiam peccatum ea ſic facere; hoc autem improbabiliter dicitur. Ratio à priori eſt: quia nos uti non tenemur ad procuranda ea, quæ augere nobis poſſunt gratiam; ita neque ad removenda ea, quæ illud augmentum poſſunt impedire, niſi aliunde oſtendatur obligatio. Hæc ille.

77. Sed hoc eſt, quod quæritur, an aliunde ſit obligatio removendi ea, quæ impediunt illud augmentum gratiæ ex opere operato; ſicuti aliunde eſt obligatio removendi ſtatum peccati mortalis, qui impedit augmentum gratiæ, alioquin conferendum ex opere operato per ſuſceptionem Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, aut alterius ſimilis Sacramenti.

Melior ergo ratio à priori aſſignari poteſt: quia remiſſio pœnarum temporalium non eſt effectus proprius & primarius Sacramenti Pœnitentiæ, uti nec illud augmentum gratiæ, quod Aliqui exiſtimant conferri per ſatisfactionem impletam in bono ſtatu. Sufficit autem ad veritatem Sacramenti, & per conſequens ad evitandum peccatum mortale, quòd conferat proprium & primarium effectum, id eſt, aliquam gratiam ſanctificantem, ùt patet ex dictis diſp. 1. ſect. 8. concl. 3. — *& melior aſſignatur ratio à priori.*

Sed numquid erit peccatum veniale? Affirmat Suarius diſput. 38. ſect. 8. num. 7. qui[a] recipitur pars Sacramenti indignè, & ponitur obex effectui Sacramenti. Nec excuſat reviviſcentia, ſicut reviviſcentia Baptiſmi non excuſat, quò minùs peccet ſuſcipiens Baptiſmum cum obice. Ut omittam, reviviſcentiam ſatisfactionis valde eſſe incertam. Igitur difficile eſt in opinione Adverſariorum (nam in noſtra ceſſat tota hæc quæſtio) excuſare implentes pœnitentiam in malo ſtatu à peccato veniali. — 78. *... peccatum veniale affirmat Suarius.*

Quamquàm Lugo diſp. 25. num. 32. eos excuſet: Nam (inquit) illa pars Sacramenti non eſt collativa gratiæ: ponere autem obicem effectui remiſſionis pœnæ, non arguit culpam venialem; alioquin etiam eſſet peccatum veniale audire Sacrum in ſtatu peccati, aut adeſſe in peccato Benedictioni Pontificis, quando conceduntur Indulgentiæ; quia ponitur obex ſimili effectui; quod tamen nemo concedet. Praxis etiam fidelium hæc eſt: nam ſi alicui pro pœnitentia detur recitare ſingulis diebus Coronam, nemo dicet eſſe peccatum veniale non conſtituere ſe in ſtatu gratiæ, quoties dicit Coronam. Hæc ille. — *Negant Lugo,*

Conſonat Arriaga ſuprà n. 23. eſtò etiam ſatisfactio cauſaret gratiam ſanctificantem, ſi non impediretur. Et probat à ſimili: nemo enim dixit eſſe peccatum, etiam veniale, non ſe conſtituere in ſtatu gratiæ ad efficienda opera bona, jejunia, eleēmoſynas &c. eò quòd hæc ſint ex ſe cauſativa gratiæ, & per peccatum id impediatur. — *& Arriaga.*

Sed ad hæc ſuprà reſponſum fuit. Ad praxim fidelium dico, de ea non ſatis conſtare; cùm plurimi fidelium parùm curent peccata venialia. Prætereà illa praxis poteſt fundari in noſtra opinione, quæ aſſerit talem ſatisfactionem ſtatim obtinere effectum. Porrò audire Sacrum, & adeſſe Benedictioni Pontificis, non ſunt actiones ſacramentales, veluti ſatisfacere ex præcepto Confeſſarii eſt actio ſeu pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, & ex illo habet vim cauſandi ex opere operato, ſaltem remiſſionem pœnæ temporalis. — 79. *Auctor reſpondet ad eorum argumenta.*

Yyyyy 2 Dices:

Digitized by Google

80. *Objectio.* Dices: Confeſſio ſacramentalis eſt pars eſſentialis, & tamen illa perfici poteſt in peccato abſque peccato veniali; ergo magìs ſatisfactio, quæ ſolùm eſt pars integralis. Ita argumentatur Arriaga ſuprà n. 24.

Solvitur. Reſpondeo, gratis admiſſo Antecedente, ſi intelligatur de parte eſſentiali ſtrictè dicta ſeu intrinſecè componente, Negando Conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt manifeſta: nam Confeſſio non propterea caret ſuo effectu, qui (ſi aliquis) eſt remiſſio peccatorum ſeu gratia juſtificans, quæ infunditur, dum Sacerdos profert formam Abſolutionis: ſecùs ſatisfactio ſacramentalis, ùt ſupponitur. Hinc ſi ſatisfactio præcederet Abſolutionem, eſtò tunc poneretur in peccato, equidem abſque peccato veniali; quia non ideo careret ſuo effectu, ùt clarum eſt.

Alia objectio. Nec approbo, quod ibidem ſubjungit Arriaga: Si ratio (inquit) P. Suarez aliquid probaret ex hoc capite, etiam ſuaderet eſſe mortale; quia Sacramenta indignè & in peccato mortali tractare, non veniale, ſed mortale eſt.

Solvitur. Reſpondeo: Sacramenta ſic indignè & in peccato mortali tractare, ut nullum habeant effectum gratiæ, non veniale, ſed mortale eſt, concedo totum: ſic indignè & in peccato mortali tractare, ut pars aliqua integralis careat effectu remiſſionis pœnæ, vel etiam augmento gratiæ, nego.

81. *Ratio à priori Arriagæ,* Ex quo corruit ratio à priori ejuſdem Auctoris, eodem numero: Nam ſanctitas (inquit) requiritur ratione ipſius Sacramenti eſſentialis, quod perficitur Chriſti nomine, & ut ipſius actio, cui dedit valorem cauſandi gratiam. Unde diſpoſitio ad gratiam ex parte pœnitentis requiritur, dum eſſentialiter Sacramentum eſt perficiendum. Cùm ergo ſatisfactio præcisè ſit per modum cujuſdam oneris impoſiti per Sacramentum præcedens, licèt in bonum ipſius hominis, & eo fine, ut extinguat partem pœnæ, ſub qua ratione vocatur pars Sacramenti, non eſt, cur exigat eum ſtatum gratiæ ſub obligatione, etiam veniali. Hæc ille.

ad quam reſpondet Auctor. Sed facilè reſpondetur: Sicuti requiritur diſpoſitio ad gratiam ex parte pœnitentis, dum eſſentialiter Sacramentum eſt perficiendum, idque ſub gravi obligatione, ne alioquin totum Sacramentum ſuo modo falſificetur, quod eſt gravis irreverentia; non abſimili ratione requiritur, tametſi ſolùm ſub veniali, diſpoſitio ad augmentum gratiæ, vel potiùs ad remiſſionem pœnæ temporalis, quando integraliter Sacramentum eſt perficiendum; alioquin falſa erit pars iſta integralis: ſignificabit quippe ex divina inſtitutione jam tunc conferri remiſſionem pœnæ, quæ reverà non confertur.

82. *An opus* Ecce quàm difficile ſit in opinione Adverſariorum excuſare, implentes pœnitentiam in malo ſtatu; à peccato veniali, facillimum autem in noſtra ſententia. Et quia aliud notabile non occurrit, hic erit finis præſentis Concluſionis. Pro ſequenti autem inquiro: Utrùm non ſolùm opus illud in peccato factum ſit ſatisfactio ſacramentalis, & ſtatim obtineat effectum; ſed etiam, ſi ipſum in ſe fiat peccaminosè venialiter vel mortaliter, ſufficiat ad obligationem impoſitæ pœnitentiæ extinguendam, & ſtatim obtinendum effectum? *pecc. ſors lite mort. poſſi ſatiſf. ſacra lis?*

CONCLUSIO V.

Satisfactio ſacramentalis debet eſſe opus honeſtum ex objecto, & regulariter ſupererogatorium, ac externum. In aliquo caſu ſufficeret opus merè internum, & aliàs præceptum. Opus ſimpliciter impoſitum intelligitur de aliàs indebito.

Pleraque concernentia hanc Concluſionem videri poſſunt Sect. præced. Concl. 4. 5. & 6. Quia tamen non eſt eadem omninò ratio ſatisfactionis condignæ ex opere operantis, & ſatisfactionis ſacramentalis, ùt patet ex Concl. præcedenti; hinc circa primam partem præſentis Concl. quæritur: Utrùm ſatisfactio ſacramentalis poſſit eſſe peccaminoſa ex aliqua circumſtantia? 83

Quòd ſatisfactio de condigno ex opere operantis non poſſit eſſe, mortaliter ſaltem, peccaminoſa, nimis clarum eſt, ſuppoſito quòd ad eam requiratur ſtatus gratiæ. Adeòque conſimiliter, ſi ſtatus gratiæ fuerit neceſſarius ad effectum ſatisfactionis ſacramentalis, liquet ſanè, nec ipſam poſſe eſſe mortaliter peccaminoſam, & habere effectum ex opere operato. Alioquin ſufficere ad obligationem impoſitæ pœnitentiæ extinguendam, eâ ratione probatur, quâ communiter aſſeritur in tract. de Legibus, aliis præceptis poſſe ſatisfieri per actus mortaliter peccaminoſos, v. g. præcepto audiendi Miſſam per auditionem ex fine mortaliter peccaminoſo. *Non po eſſe ope mortali peccam nolum requirat ſtatum gratiæ.*

Quamvis enim finis legis, maximè Eccleſiaſticæ, ſit honeſtas virtutis, & ſalus animarum; attamen nonniſi procuranda per opus externum, illi fini ex ſe proportionatum; atque adeò ſolùm opus externum ſic proportionatum præcipit, jam autem opus ex fine aut alia circumſtantia extrinſeca peccaminoſum, etiam mortaliter, poteſt illi fini eſſe proportionatum ex ſe, & ex objecto ſuo; ergo &c.

Nihilo-

84. Nihilominùs contrarium de ſatisfactione ſacramentali docet Arriaga diſp. 47. num. 25. Quia (inquit) licèt opus factum ex voluntate peccaminoſa, etiam mortaliter, poſſit eſſe pars Sacramenti, utì patet in voluntate peccaminoſa ob malum finem ſuſcipiendi Baptiſmum, quæ omninò ſufficit ad illius valorem; ideoq; ex hoc capite debeamus concedere pœnitentiam peccaminoſè expletam eſſe poſſe partem Sacramenti; nihilominùs cùm Concilia, dum loquuntur de hac parte Sacramenti, vocent eam abſolutè ſatisfactionem, dicant eam ante in Scripturis valde commendatam, illamque conſiſtere in operibus ſatisfactoriis, & moventibus Deum ad avertendam iram ſuam à nobis (unde Trident. ſeſſ. 14. c. 8. præcipit Sacerdotibus, ut valde attendant ad injungendas ſalutares & convenientes ſatisfactiones) hæc autem omnia non videantur ullo modo cadere in opus, quod eſt peccatum; probabiliùs videtur, tale opus non eſſe illud, quod exigit Concilium pro parte Sacramenti. Hæc ille.

85. Sed quæro ego: Baptiſmus ſuſceptus ob malum finem, abſolutè vocari poteſt Baptiſmus? Baptiſmus in Scripturis valde commendatur? Baptiſmus conſiſtit in opere movente Deum ad avertendam iram ſuam à nobis? Quis audeat hæc negare? Si ergo per Baptiſmum, ſuſceptum ex fine mortaliter peccaminoſo, ſatisfit præcepto divino; quidni ſatisfiat præcepto Confeſſarii per ſatisfactionem impletam ex fine mortaliter peccaminoſo? Nam hæc ſatisfactio ex ſe bona & laudabilis eſt, ſalutaris & conveniens tam ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, quàm ad præteritorum peccatorũ vindictam & caſtigationem: inſuper ex ſe nata movere Deum ad avertendam iram ſuam à nobis; veluti Baptiſmus, ex malo fine ſuſceptus, per ſe bonus eſt & laudabilis, ac natus movere Deum ad avertendam iram ſuam à nobis, quamvis per accidens propter adjunctum malum affectum Deum minimè moveat.

86. Quid ſi dixero, talem ſatisfactionem etiam actu movere ad avertendam iram ſuam à nobis? Prorſùs movet, ſi vera eſt præcedens Concluſio; quod puto. Eſto enim fuerit actus peccaminoſus, habuit tamen annexam Chriſti ſatisfactionem, quæ in ordine ad ſuum valorem non impeditur per noſtra peccata. Si ergo aliunde ſubjectum ſit capax, ſicuti reverà eſt (etiam ſecundùm Adverſarios) quando ſatisfactio ſolùm eſt venialiter peccaminoſa; ſecundùm nos autem, tametſi foret mortaliter peccaminoſa: non eſt ratio, quare non ſtatim conferat ſuum effectum; aut ſaltem, ſecundùm Adverſarios, reviviſcat adveniente ſtatu gratiæ, ſi ipſum Sacramentum Pœnitentiæ ſic reviviſcat, juxta dicta Concl. præcedente.

Quinimmò ſi opus ſupernaturale poſſit vitiari extrinſecè, neſcio quare etiam ſatisfactio condigna ex opere operantis non poſſit eſſe peccaminoſa venialiter, non ex objecto ſuo, ſed ex fine extrinſeco. Cumque ſecundùm DD. communiter, & communem ſenſum fidelium, ſatisfactio ſacramentalis non debeat eſſe opus ſupernaturale; multò magis hæc poterit eſſe valida, & de facto ex opere operato cauſare ſolutionem pœnæ temporalis, tametſi ex fine extrinſeco ſit venialiter, aut etiam mortaliter peccaminoſa.

Dices: In jejunio v. g. ſola præcipitur exterior omiſſio ciborum, in auditione Sacri ſola præſentia exterior & attentio ad Sacrum; at verò in ſatisfactione Sacerdos præcipit opus bonum, quia quod præcipit, præcipit ùt ſatisfactorium, ſeu præcipit veram ſatisfactionem in quo eſt maxima diverſitas inter Sacerdotes & inter Eccleſiam præcipientem aliquid; nam, juxta communem ſententiam, Eccleſia non poteſt præcipere actus internos directè, niſi qui neceſſarii ſunt ad exequendam actionem externam imperatam. Unde non poteſt præcipere, ut per actum undequaque bonum ego audiam Sacrum. At Sacerdos in foro Pœnitentiæ habet poteſtatem imponendi in pœnitentiam directè actus ipſos internos, etiam bonos, actus Attritionis, Contritionis, humilitatis &c. A fortiori ergo habet poteſtatem imponendi pœnitentiam, quæ non ſit peccaminoſa. Et ſanè eo modo videntur omnes imponere, quia imponunt orationes, jejunia &c. ad obtinenda auxilia pro vitandis peccatis in futurum; hæc autem ſi peccaminoſè ſiant, ſunt ad id planè inutilia. Ita diſcurrit Arriaga ſuprà num. 29. 87. Objectio ex Arriaga.

Sed ex dictis facilis eſt reſponſio: nam in primis incertum eſt, an ſatisfactio ex opere operato cauſet auxilia pro vitandis peccatis in futurum; & probabilius non cauſat. Deinde ſi Baptiſmus cum peccato veniali ſuſceptus poſſit cauſare gratiam ſanctificantem, & per conſequens auxilia actualia gratiæ; quidni etiam ſatisfactio venialiter peccaminoſa? Reſponſio.

Denique non eſt veriſimile, Sacerdotem alio modo præcipere jejunium, orationem, eleemoſynam & ſimilia opera, quàm ea præcipiat Eccleſia, niſi contrarium expreſsè ſignificet. Patet ex communi ſenſu fidelium, qui non putant ſe alio modo obligatos ad jejunium impoſitum per Confeſſarium, quàm ad jejunium impoſitum per Eccleſiam. Sicut ergo Eccleſia non imponit jejunium undequaque bonum, quia hoc nimis difficile eſt, & ſuperans communiter fragilitatem humanam; ſic etiam non cenſetur Sacerdos imponere ſatisfactionem undequaque bonam ne (quod abſit) magìs cedat in deſtructionem, quàm in ædificationem; magìs illaqueët animas pœnitentium, quàm ſolvat à vinculis peccatorum ſeu pœnarum temporalium. 88. Sacerdos non alio modo præcipit jejunium, quàm Eccleſia.

Digitized by Google

Nonne Sacerdos poſſet imponere pœnitentiam adimplendam in ſtatu gratiæ? Non dubito: & tamen non cenſetur facere (etiam ſecundùm Arriagam) niſi expreſsè id ſignificet. Ergo impræſentiarùm, eſtò poſſet præcipere actum undequaque bonum; equidem non cenſetur præcipere, niſi expreſsè id ſignificet. Omitto, ſatisfactionem extrinſecùs vitiatam non ideo minùs coërcere pœnitentes à peccato ſimili, in futurum committendo; neque ideo minùs vindicare aut caſtigare peccatum præteritum. Ad quid ergo imponere illam obligationem pœnitentibus?

89. *Objectio ex Script. Iſa. 58.* Nec obſtat Scriptura, quæ multis locis reprobat opera in ſe bona, extrinſecùs vitiata, v. g. Iſaiæ 58. v. 3. & 4. *Ecce in die ieiunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter.* Et Proverb. 15. v. 8. *Victimæ impiorum abominabiles.* *Proverb. 15.*

Solvitur, explicando Script. de operibus meritoriis gratiæ & gloriæ. Reſpondeo: quia non acceptabiles ad præmium gratiæ & gloriæ, ſeu amicitiam divinam; & ideo ſubditur: *Vota iuſtorum placabilia*, id eſt, reconciliativa ſeu meritoria gratiæ & gloriæ. Et eodem modo intelligi debet præcedens Scriptura, ſcilicet de jejunio meritorio gratiæ & gloriæ.

Patet ex contextu; nam ſequitur: *Numquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum; & ſaccum & cinerem ſternere? Numquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum &c. Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.* Loquitur ergo Propheta de jejunio, ùt diſponit ad remiſſionem peccati, & habet adjuncta opera legis & Charitatis. Nos autem loquimur de jejunio, prout ex opere operato, tamquam pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ ſolvit pœnas temporales Purgatorii.

90. *Eandem interpretationem recipit dictum Apoſt. 1. ad Cor. 13.* Eandem interpretationem recipit dictum Apoſtoli 1. Cor. 13. v. 3. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt*, ſcilicet ad meritum gratiæ & gloriæ; agit enim ibi Apoſtolus contra Corinthios, qui gloriabantur de illis externis auſteritatibus & gratiis gratìs datis, & interea negligebant Charitatem. Alioquin certum eſt de Fide, Baptiſmum prodeſſe ſinè Charitate, quia ſuſceptum cum obice peccati mortalis imprimit Characterem, per conſequens reddit hominem capacem cæterorum Sacramentorum, conſtituens eum de familia Chriſti; cur ergo ſatisfactio ſinè Charitate non poterit remittere ſeu ſolvere pœnas temporales Purgatorii; remittere, inquam, ex opere operato, ſicut Baptiſmus imprimit Characterem ex opere operato? Non video quid obſtet. Atque hæc ſufficiant de prima parte Concluſionis.

Quantùm ad ſecundam partem Sect. præc. Concl. 6. diffusè probavimus, opera præcepta poſſe eſſe ſatisfactoria de condigno ex opere operantis; nulla ergo apparet ratio, quare abſolutè loquendo non poſſent etiam eſſe ſatisfactoria ex opere operato, ſi per Confeſſarium imponerentur, & præciperentur; nihil quippe vetat eandem rem, ſeu eundem actum à diverſis præcipi, idque eidem homini ſub diverſis obligationibus, non tantùm numero, ſed etiam ſpecie. Patet in caſtitate, ad quam obligantur Religioſi, tum ex præcepto naturali omnibus communi, tum ex ſpeciali voto caſtitatis, ita ut peccent duplici ſpecie peccatò, ſi eam non obſervent. 91. *Probatur pars C[...]*

Porrò quid obſtat, quin poſſit accedere tertia obligatio ex præcepto Confeſſarii, quo obſervantia caſtitatis conſtituatur pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ? Sanè jus naturale, aut veriùs connaturale gratiæ dictat, Sacramentum quodlibet eſſe perficiendum, non ſolùm eſſentialiter, ſed etiam integraliter, quantùm commodè fieri poteſt, de quo infrà plura. Cur igitur accedente præcepto Confeſſarii pœnitens per obſervantiam caſtitatis, per auditionem Miſſæ, per jejunium, & alia opera aliunde præcepta jure naturali, vel poſitivo, non poterit ſatisfacere ex opere operato, ſeu ſacramentaliter? Non videtur dubitandum, attentâ communi praxi Confeſſariorum, ſciente, & non contradicente Eccleſiâ, cùm tamen facilè poſſet contradicere.

Communis itaque ſententia eſt, aliquando Confeſſarium licitè imponere pro Pœnitentia ſacramentali opus aliàs præceptum v. g. jejunium, auditionem Miſſæ &c. Quam ſententiam haud obſcurè ſignificat Doct. Subtilis 4. diſt. 15. q. 1. n. 13. & 14. ibi: *Pauper nec eleemoſynas poteſt dare, nec orare, ſed oportet eum continuè laborare pro victu ſuo neceſſario: nec ieiunare, quia tunc non ſufficeret ad laborem neceſſarium pro victu neceſſario continuè acquirendo. Quia ergo ipſe labor continuus eſt ſibi ieiunium continuum, quia continua maceratio carnis, tantummodo inducendus eſt, ut illum laborem ſubeat in remiſſionem peccatorum, intendens illum ad hunc finem referre, ſaltem quouſque occurrat ſibi opportunitas ſolvendi aliquam aliam ſatisfactionem, & aliqua alia poſſunt ei ita temperatè & diminutè imponi, ut ſint ſibi poſſibilia.* Hæc ille. Ergo etiam imponi poſſent jejunium, auditio Miſſæ, & ſimilia aliàs præcepta, quando ſupererogatoria vix forent pœnitenti poſſibilia. 92. *Confeſſarius pœnitenti licitè imponit opus præceptum. Scotus.*

Cæterùm, ùt habet ultima pars Concluſionis, 93.

Digitized by Google

nis: *Opus ſimpliciter impoſitum intelligitur de aliàs indebito.* Dico; *Simpliciter impoſitum*, id eſt, quando ex verbis Confeſſarii, vel rei circumſtantiis contrarium nequit colligi: putà ſi Confeſſarius præcipiat, ut diebus feſtis duæ Miſſæ audiantur, intelligendus eſt, Miſſam, quæ in præcepto eſt, etiam comprehendere velle: ſecùs ſi præcipiat ſimpliciter, ut audiatur Miſſa; tunc enim venit intelligendus de Miſſa aliàs indebita ex præcepto.

Item ſi ſimpliciter præcipiat jejunium, cenſetur velle jejunium aliàs liberum; unde non ſatisfaceret qui jejunaret die veneris, quando abſtinentia à carnibus non eſt libera; ſin autem expreſsè imponeret jejunium alicujus determinatæ diei, in qua ex præcepto Eccleſiæ obligat jejunium, cùm pœnitens tantùm ſemel poſſit unâ die jejunare; liquet profectò ex ſubjecta materia, per illud unicum jejunium ſatisfieri utrique præcepto.

94 Præterea ſi cui injunctum eſt, ut det certam eleëmoſynam, ſatisfacit dando eam etiam extremè indigenti; cùm enim obligatio hæc ſit quaſi ex caſu & extraordinaria, Confeſſarius non cenſetur eam eleëmoſynam velle excludere ab operibus injunctis: quia aliàs fortè pœnitens nimis gravaretur dando tot eleëmoſynas; idque præter intentionem Sacerdotis, qui non potuit eum caſum prævidere. Ita Coninck de Sacramentis diſp. 10. dub. 8. n. 69. & Alii, quos citat & ſequitur Diana part. 3. tract. 4. reſol. 84. Quidquid (inquit) in contrarium afferat Sotus 4. diſt. 19. q. 2. art. 1. in fine ubi ſic diſtinguit: Si obligatio faciendi eleëmoſynam ſupervenit poſt Confeſſionem, ſufficiet illa eleëmoſyna ad implendam obligationem pœnitentis, ſecùs ſi anteceſſit. Ita Diana.

95. Hæc ſunt verba Soti ſuprà: Cùm imponitur eleëmoſyna vel jejunium, ſi nihil ampliùs addatur, non intelligitur de illo, quod eſt aliàs debitum. Quocirca dum cõfitenti in Quadrageſima imponuntur dies jejunii, ſi ille non habet excuſationem legitimam non jejunandi totam Quadrageſimam, intelliguntur dies illi poſt Paſcha. Et ratio eſt, quia nomine Pœnitentiæ ſemper intelligitur opus ſupererogationis. Dico, non eſſe imponendum opus, ad quod ille tunc aliàs tenetur, quando imponitur pœnitentia. Nam ſi imponitur abſolutè eleëmoſyna, & poſtea occurrit pauper in extrema neceſſitate, tunc, quidquid Palud. dicat, optimè implebitur pœnitentia; ſi eleëmoſyna erogetur illi, quia fortè accidit, ut cùm teneretur eleëmoſynam dare, occurreret illa neceſſitas. Hucuſque Sotus.

Et proſequitur dicens: Sed tertiò adjicimus, quòd quandoque erit ſalutare conſilium imponere pœnitentiam de rebus aliàs debitis: nempe quando Presbyter videt pœnitentem non adimplere jura communia, ut per acceſſionem novæ obligationis arctiùs cogatur illa implere. Eſt fortè quiſpiam non ſervans jejunium quadrageſimale, cùm poſſit, optimè tunc imponetur ei, ut illud ſervet vel in totum, vel in partem. Item ſi eſt homo dives, qui tenetur facere eleëmoſynas in gravi neceſſitate, & præ avaritia non facit, ſalubriter per ſacramentalem pœnitentiam cogetur id facere. Hactenus præfatus Auctor.

Sed, meo judicio, ſi Confeſſarius confitenti in Quadrageſima imponeret diem jejunii, niſi aliud declararet, intelligerem diem Quadrageſimæ, maximè ſi ſit in principio vel medio Quadrageſimæ, quia Sacerdos non cenſetur communiter intendere tantam dilationem pœnitentiæ. Quantum ad eleëmoſynam, non video ſufficientem rationem illius diſtinctionis, ſive enim præcedat, ſive ſubſequatur alia obligatio, dummodò adſit quando impletur pœnitentia; patet, quia impletur per opus aliàs debitum. 96. Judicium Auctoris.

Si ergo Confeſſarius abſolutè voluerit eam eleëmoſynam excludere ab operibus injunctis, dico, in neutro caſu ſatisfieri; ſin autem noluerit eam excludere, conſequenter aſſero, in utroque caſu ſatisfieri. Porrò non velle eam excludere, docet Coninck, ùt ſuprà vidimus.

Sed fortè quiſpiam ſic ejus rationem ad oppoſitum adduceret: Cùm obligatio dandi eleëmoſynam extremè indigenti ſit extraordinaria & raro contingens, potuit Confeſſarius, non obſtante gravamine pœnitentis, rationabiliter velle, ut tali caſu occurrente daretur duplex eleëmoſyna.

Rogas à me, quid ſit faciendum; quando dubitatur de mente Confeſſarii? Reſpondeo cum Coninck ſuprà, ipſe quantum fieri poteſt, conſulendus eſt: quando hoc fieri nequit, res ex æquo & bono prudenter dijudicanda eſt. Eo tamen ſemper ſalvo, ut, ſicut dictum eſt, ſatisfactio regulariter ſit opus ſupererogationis. 97. Quid ſi dubitetur de mente Confeſſarii?

Colligitur ex Trident. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quaſi freno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſq́; & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Et infrà: *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem; nam Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent.* Jam autem opera præcepta tantùm pertinent ad novam vitam inchoandam & cuſtodiendam. Ut igitur auctoritas Clavis ligantis, debitè & conformiter ad voluntatem Chriſti exerceatur, oportet imponere opera ſupererogationis ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Satisfactio regulariter debet eſſe opus ſupererogationis ex Trid.

Confirmatur; quia propoſitum internum obſervandi præcepta ſpectat ad ſatisfactionem 98. Confirmatur.

pro

pro culpa, ſive ad dolorem & Contritionem; cùm ergo præter Contritionem requiratur ſatisfactio pro vindicta, ſeu ſecundùm juſtitiam vindicativam, planè convenit, ùt imponantur opera aliàs indebita; hæc quippè ſunt, quæ magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: at verò opera præcepta haùd magis coërcent, quàm ipſa comminatio pœnæ æternæ, & ſupplicii, ac pœnæ temporalis acrioris in hoc mundo, quam Deus ſuâ lege ſancivit: Multa enim flagella peccatoris: ergo ut pœna temporalis pro peccato habeat aliquam rationem impedimenti lapsûs diverſam & efficacem, non in opere præcepti ſtatuenda eſt, ſed in opere ſupererogationis & pœnali. Ita Hiquæus in ſuo Comment. 4. diſt. 15. qu. 1. n. 94.

Hiquæus.

99. Objectio ſolvitur. Si dixeris; opera præcepta poſſunt eſſe laborioſa & pœnalia. Reſpondet num. 95. non habent laborem diverſum, aut pœnam diſtinctam ab iis, quæ requiruntur ad novam vitam, & ad ſatisfactionem de ipſo peccato, requiſitam ex divina juſtitia intrà & extra Sacramentum ad remiſſionem & ſatisfactionem peccati, quà peccatum eſt, & inducit debitum pœnæ æternæ: ſed labor & pœna, quæ eſt pro ſatisfactione temporalis pœnæ, in quam commutatur æterna, præſcripta, exigit aliud genus laboris & pœnæ novæ ſuperadditæ, etiam in ratione operis pœnalis, ut ſit caſtigatio diverſa & ſatisfactio: ergo nequit conſiſtere in priori.

100. Objicitur ſecundò. Dices; per præceptum Confeſſarii ſemper inducitur aliquid ſupererogatorium, ſcilicet nova obligatio, idque virtute Clavium, quæ ſufficienter poteſt hominem retardare à peccato, & non eſt neceſſaria ad novæ vitæ cuſtodiam.

Reſpondetur. Reſpondet Hiquæus ibidem: Claves applicari debent ad materiam præſcriptam lege, ad hoc ut validè ligent & ſolvant; talis autem materia non eſt opus præceptum; ergo &c. Addo ego illam novam obligationem, eſtò induceretur, utì reverà inducitur, parum eſſe pœnalem his, qui terrena ſapiunt, & pœnis æternis vix aut ne vix quidem à peccatis coërcentur, ſed magis curant jejunium non præceptum unius diei, quàm 100. diverſas obligationes ad jejunium aliunde præceptum.

101. Tertia objectio. Si rurſum objicias Hiquæo; opus præceptum propterea non eſſe minùs meritorium; jejunium Quadrageſimale eſſe ſatisfactorium, ùt patet ex præfatione: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia.* Item Martyrium, Dilectionem Dei, Contritionem Charitate perfectam licèt ſint in præcepto, equidem habere vim ſatisfaciendi.

Reſponſio ad primum. Reſpondet ad primum nu. 96. diverſa ſunt ſecundùm juſtitiam meritum, & ſatisfactio in nobis, ſicut diverſi ſunt fructus Pœnitentiæ, & fructus juſtitiæ: quamvis ergo opera pietatis habeant rationem æquivalentis ſatisfactionis, tamen intelligitur id de operibus, quæ non ſunt aliàs in præcepto.

Ad ſecundum, ſcilicet jejunium Quadrageſimale, reſpondetur, jejunium & alia opera ex ſe habere vim ſatisfaciendi, quæ ipſis non aufertur per hoc, quòd præcipiantur in ordine ad ſatisfaciendum, immo ideo præcipiuntur, quia ex ſe ſunt ſatisfactoria; ſed quæritur hìc, an quando ſemel ad illum finem præcepta ſunt, & ex ea parte ſatisfaciunt pro pœnis temporalibus, an per novum præceptum Confeſſarii poſſint elevari ad novum fructum ſatisfactionis ſacramentalis. Ad ſecundum.

102 Ad tertium. Similiter reſpondetur ad tertium; videlicèt Martyrium, & alia ibi enumerata, quamvis ſint in præcepto, nihilominus verè eſſe ſatisfactoria, immò Martyrium ex ſpeciali privilegio delere quaſi ex opere operato omnem culpam & pœnam: ſimiliter Dilectionem Dei aut Contritionem tam perfectam eſſe poſſe, ut eundem effectum habeat ex opere operantis; ergo ſecundùm legem ordinariam poſſunt virtute Clavium elevari, ut tamquam pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ ex opere operato, virtute Abſolutionis cauſent remiſſionem pœnæ temporalis, ex hypotheſi, quòd antecedenter ſint præcepta; negat Hiquæus hanc Conſequentiam.

Lex communis de ſatisfactione determinat medium juſtitiæ vindicativæ. Nam, inquit, lex communis de ſatisfactione imponenda pro peccato, determinat, ut ſervetur medium juſtitiæ vindicativæ, ne peccator ex indulgentia & facilitate veniæ tranſeat in contemptum, adeòque determinat novum opus pœnale, aliàs indebitum. Igitur opus pœnale aliàs debitum non eſt materia capax elevationis: ſicuti ſi lex præcipiat furem ſuſpendi, licèt hæc pœna alioquin redimi poſſit per alia obſequia gratuita exhibita Legiſlatori, equidem Judex inferior nequit illa præſcribere, aut in ea commutare pœnam lege inductam; ſic neque Confeſſarius poteſt aliam pœnam præſcribere, præter eam, quam inſtitutio Sacramenti & Deus præſcripſit. Confeſſarius præceptum ſequi tenetur.

Si quæras, unde id colligatur. Reſpondet Hiquæus n. 105. ex Trident. & Patribus, à quibus culpatur facilitas veniæ, & remiſſio Judicis in caſtigando reos. Admittit itaque hic Auctor, & nos cum illo, ſatisfactionem fieri poſſe in operibus præceptis; ſed negat, talia imponi poſſe regulariter à Sacerdote, per modum Pœnitentiæ in hoc foro.

103. Per accidens aliquando poteſt imponi opus aliàs debitum. Dico; *Regulariter*; quippe nu. 106. ait: Quando pœnitens eſt talis, ut non ſubſit facultas implendi aliam pœnitentiam; vel etiam quando eſt tam fragilis, ut veriſimiliter non ſit adimpleturus pœnitentiam, delicto proportionatam, & quæ aliàs imponi deberet, non eſſe injiciendum ei laqueum, & occludendam viam

Digitized by Google

viam ſalutis, ideoque rectè imponi vel ipſa opera præcepti, vel pœnitentiam præſervativam, vel aliud, quod magìs expedire videbitur juxta diſcretionem Confeſſarii prudentis.

Probatur. Ratio, inquit, petenda eſt ex eo, quòd Deus non dereliquit peccatorem in ſtatu viæ ſinè remedio ſalutis; ergo per pœnitentiam poteſt ſalvari, etiam in caſu, quo non eſſet ei poſſibilis alia ſatisfactio, vel certè quò judicaretur eſſe periculoſa; hæc enim pars pœnitentiæ cùm ordinetur ad remiſſionem pœnæ temporalis, & non peccati, non exigitur eſſentialiter ad remiſſionem peccati, ſicut Confeſſio, & Contritio, ideo ſinè illa contingit Sacramentum miniſtrari in certis caſibus, in quibus nequit adimpleri; aut non expedit eam imponi. Unde Deus acceptat ſatisfactionem, quam præſtare poteſt peccator, ſive ſit opus præcepti, aut aliud in ſimili caſu. Reliquum ipſe ſuppleat, ùt poteſt, vel per Indulgentias, vel aliâ viâ per tolerantiam laborum, vel paſſionum. Hucuſque Hiquæus. Nec eſt, qui contradicat.

104. An opus præceptum, etiam ex malitia Confeſſarii impoſitum conferat effectum ex opere operato? Sed quæſtio mea eſt; an in illis caſibus opus præcepti elevetur virtute Clavium ad cauſandam remiſſionem pœnæ temporalis ex opere operato? Si affirmaveris, quæro ulteriùs, quid ſi Sacerdos ex malitia vel ignorantia imponat opus præcepti, ubì & quando omnibus conſideratis poſſet, & deberet imponere opus non præceptum, nonne etiam in tali caſu elevabitur opus præcepti virtute Clavium ad effectum ex opere operato? Si rursùm affirmaveris, quomodo ergo opus præcepti eſt materia incapax elevationis? Si negaveris, quò fundamento? Numquid materia eſſentialis Baptiſmi eadem eſt in neceſſitate, & extra neceſſitatem? Cur non ſimiliter eadem ſit materia ſatisfactionis ſacramentalis?

Imaginatio. Quamvis ergo Sacerdos debeat regulariter imponere opus aliàs indebitum, equidem ſi imponeret opus præcepti, vel ex malitia, vel ex ignorantia, vel ex neceſſitate, exiſtimo, quòd virtute Clavium elevaretur ad effectum ex opere operato. *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint obtinent roboris firmitatem.* Cap. *Ad Apoſt.* 16. de Regul.

105. Idemque dicendum de opere merè interno. Et idem aſſero, ut progrediamur ad tertiam partem Concluſionis, de opere merè interno, quod licèt regulariter non debeat imponi, ùt ſtatim ediſſero, & probo; equidem ſi imponeretur ſive ex neceſſitate, ſive ex malitia, vel ignorantia, cauſaret effectum remiſſionis ex opere operato eo modo, quo opus externum. Sanè cùm hoc forum magìs immediatè reſpiciat bonum animæ, nec non peccata occultiſſima, quæ ad forum externum non pertinent, non eſt ratio, quare etiam non extendatur ad præcipienda ea, quæ forum externum non poteſt præcipere.

Interim regulariter eſſe præcipiendum opus externum ſatis docet communis praxis Eccleſiæ, innixa auctoritati SS. Patrum, qui ubique prædicant & inculcant pœnitentiam externam. Quod regulariter non eſt imponendum. *Audi* (inquit Chryſoſt. Homil. 42. in Matth.) *Paulum dicentem, quoniam ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur .... Et quonam modo, inquies, à me ipſo rationes vivendi, & ſupplicium exigam? Largos lacrymarum effunde fluvios, ingentes compunctionis gemitus redde, humillimus ſis, laboribus ac vigiliis teipſum affl ige* &c. Probatur ex D. Chryſoſt.

Divus Hieron. in cap. 1. Joëlis, ubì explicans illa verba: *Accingite vos & plangite*, ſic ait: *Qui peccator eſt, & quem remordet conſcientia, cilicio accingatur, & plangat, vel propria delicta, vel populi; & ingrediatur Eccleſiam, de qua propter peccata fuerat egreſſus: & cubet vel dormiat in ſacco, ut præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vita auſteritate compenſet.* Idem in Epiſt. ad Euſtochium de obitu Paulæ Matris, ita Paulam loquentem inducit: *Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo & ceruſſâ & ſtibio ſæpè depinxi: affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis: longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu: mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicii commutanda.* 106. D. Hieron.

Accedat D. Aug. Enchir. c. 70. *In melius eſt vita mutanda, & per eleëmoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus.* Item lib. 50. Homil. Homil. 50. cap. 11. *Veniat* (peccator) *ad Antiſtites, per quos in Eccleſia Claves miniſtrantur, & tamquam bonus incipiens jam eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, a Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo Sacrificio cordis contribulati devotus & ſupplex, id tamen agat, quòd non ſolùm illi proſit ad ſuſcipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum.* & D. Aug.

Omitto alios Patres, quos videre licet apud Bellarm. l. 4. de Pœnit. cap 9. Tranſeo etiam Canones pœnitentiales, quos habes in fine Decreti, & præſcribunt Pœnitentiam ſeu ſatisfactionem per opera externa, jejunia & ſimilia: ſufficiat nobis Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. quod ſic incipit: *Demum quoad ſatisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus quemadmodum à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita unâ maximè noſtrâ ætate ſummo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt.* Jam autem, ùt vidimus, à Patribus noſtris perpetuo tempore fuit nobis commendata ſatisfactio per opera externa; atque hæc eſt ſatisfactio, quæ noſtrâ ætate maximè impugnatur ab hæreticis, ſatisfactio, inquam, per jejunia, eleëmoſynas, cilicia, diſciplinas, & ſimilia opera pœnalia; de actibus autem internis Fidei, Spei, Charitatis & ſimilibus parum ſunt ſoliciti. 107. Item ex Conc. Trid.

Et verò ſatisfactio Chriſti, nonne per externam & exemplo

Digitized by Google

ſatisfactioni Christi. ternam paſſionem? Dicit autem Trident. ſuprà: *Accedit ad hæc, quòd dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur.* Ergo Trident. per ſatisfactionem, quæ eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ, intelligit opera externa. Unde ibidem diſtinguit illa à dolore interno, dicens: *Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

108. Opera externa magis à peccato revocant, quàm merè interna. Profectò jejunia, eleëmoſynæ, & ſimilia opera pœnalia externa, magìs à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent pœnitentes, quàm opera merè interna, ſuntque magìs proportionata pœnis Purgatorii, utique externis, pro quibus homo in hac vita ſatisfacit, & à quibus ſolvitur; quidni ergo regulariter hujuſmodi opera debeant imponi? Ita poſtulat debitus ordo juſtitiæ vindicativæ. Rom. 6. *Sicut*, inquit Apoſt. Rom. 6. v. 19. *exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Audiamus Chryſoſt. Homil. 10. in Matth. *Facite*, inquit, *fructus dignos Pœnitentiæ: quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adverſa faciamus, v. g. aliena rapuiſti? Incipe donare iam propria. Longo tempore es fornicatus? A legitimo quoque uſu ſuſpendere coniugii, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel ſermone feciſti? Refer benedictionis verba convitiis, & percutientes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende: neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem tantummodo ſpicula de corpore evellere, ſed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis ante & temulentiâ diffluebas? Ieiunio & aquæ potu utrumque compenſa.*

109. Solvitur objectio deſumpta ex Trid. Nec obſtat Trident. ſeſſ. 6. c. 14 ibi: *Itemq; ſatisfactionem per ieiunia, eleëmoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia.* Nam intelligit alia exercitia ſimilia enumeratis; vel ſi loquitur etiam de exercitiis merè internis, ſolùm vult per hæc poſſe abſolutè ſatisfieri Deo, ut latiùs probavimus Sect. præc. Concl. 5. non autem ea communiter poſſe à Sacerdotibus imponi pro ſatisfactione ſacramentali, ut ſatìs ſuperque probat communis & perpetua praxis Eccleſiæ, à qua nullatenus eſt recedendum.

Si autem à me quæritur, quæ in particulari ſint *Alia pia ſpiritualis vitæ exercitia*, quæ regulariter imponi poſſunt, & an inter illa veniant Confeſſio peccatorum, Communio, Abſtinentia à Communione, Oratio pro Defunctis &c. Reſpondeo & Dico ſexto:

CONCLUSIO VI.

Rectè imponi poteſt pro Pœnitentiâ ſacramentali Confeſſio ſacramentalis, Communio, Abſtinentia à Communione, Oratio pro Defunctis vel aliis vivis.

QUærit Scotus 4. diſt. 15. q. 1. n. 11. *Si cuilibet peccato reſpondet propria ſatisfactio?* Et reſpondet n. 12. *Peccatis in genere diſtinctis in tria membra, ſcilicet in peccatum carnis, in peccatum concupiſcentiæ oculorum, & ſuperbiam vitæ 1. Ioan. 2. correſpondent de congruo propriæ ſatisfactiones in genere, ſcilicet peccato carnis ieiunium* &c. de qua correſpondentiâ in generali vide dicta Sect. præced. Concl. 5. 110. An cuilibet peccato reſpondeat propria ſatisfactio e Scoto.

Sic dictum eſt (proſequitur Doctor n. 13.) *de correſpondentia iſta in generali, & de congruo. Sed de neceſſario, vel congruo in caſibus ſpecialibus non ſic: nam alicui poteſt non competere unum iſtorum operum pœnalium, qui tamen peccavit peccato, cui de congruo correſpondet talis pœna vel ſatisfactio, ut pauperi, qui furatus eſt, non competit dare eleëmoſynas, & ſic in aliis caſibus, & tunc ſi Contritio non ſufficiat, non debet peccatum omninò manere inultum. Et poſſibile eſt ergo, & congruum pro tunc, imponere pro ſatisfactione propria huic peccato aliquid, quod tamen non eſt ſibi proprium ſecundùm univerſalem correſpondentiam de congruo, & ſic requiritur diſcretio Sacerdotis, ut non imponat alicui pœnam nimis ſibi diſconvenientem, sed aliam, quæ magis ipſi convenit, & quàm fortè meliùs adimplebit.* Confeſſionis debere eam pœnitentiæ, quæ omnibus circumſtantiis magis congruit.

Specificat n. 14 in divite; *Dives*, inquit, *qui lapſus eſt ad peccatum carnis, ſi eſt adeò delicatus, quòd non velit ieiunare, nec aliam macerationem notabilem ſubire, vel præſumitur, quòd ſi ſibi imponeretur, citò abiiceret, & ſic peccaret novo peccato, inducendus eſt ad orationem & eleëmoſynam, & illud ſibi imponendum eſt, quod libentiùs recipit, & quod creditur perſeverantiùs adimplere.* Hæc ille.

Igitur diſcretioni Sacerdotis relinquitur impoſitio pœnitentiæ, ut expreſsè docet Trident. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Debent ergò Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones iniungere.* Conc. Trid. Et ideò propoſiti noſtri non eſt, in ſpeciali examinare, aut decernere, quæ opera hìc & nunc poſſint, aut debeant imponi; ſed tantùm breviter diſputare de aliquibus operibus, quæ videri poſſent numquàm rectè imponi pro pœnitentia ſacramentali.

Et primò

111. Et primò quidem dubitatur de Confeſſione ſacramentali; nam vel imponitur iterata Confeſſio eorumdem peccatorum, & hoc fieri non poteſt, propter nimiam ejus difficultatem, vel imponitur Confeſſio peccatorum nondum commiſſorum, ſi fortè poſtea committantur; & iſtud non valet, quia abſolutæ Confeſſioni eſt injungenda abſoluta ſatisfactio, ne alioquin contingat dari Sacramentum mutilum, ſeu abſque parte ſatisfactoria, caſu quò pœnitens ampliùs non peccet. Et licet in caſu ægritudinis pœnitentis, imponatur pœnitentia ſub conditione revaleſcentiæ, equidem pœnitentia ex natura ſua eſt abſoluta, & ſolùm per accidens conditionalis, id eſt, per ſe obligat, niſi per accidens excuſetur pœnitens ob impotentiam: at verò nova Confeſſio, ſi fortè pœnitens nova committat peccata, eſſentialiter eſt conditionalis, cùm planè per accidens ſit, quòd pœnitens committat nova peccata.

112. Hinc Sancius in Select. diſp. 13. n. 8. exiſtimat, Confeſſarium minimè imperare poſſe ſub pœnitentia Confeſſionem fieri, ſi iterùm in hujuſmodi crimen inciderit pœnitens, dicendo illi: *Te adſtringo pœnitentiæ vinculo intrà unum, vel duos dies, ſimul ac commiſeris hoc peccatum, ſtatim confiteri.* Citat Sanchez in Sum. lib. 5. cap. 5. n. 17. ubi ſic ait: Quòd ſi ſæpè propoſuit emendam (loquitur de eo, qui habet conſuetudinem jurandi) nec id fecit, dubium eſt, an teneatur pœnitens ad aliquam pœnam, vel remedium acceptanda judicio Confeſſoris, qualia ſunt frequentiùs confiteri, aliquam brevem orationem recitare, aliquam eleëmoſynam largiri pro ſingulis juramentis temerariis, aut alia hujuſmodi.

Affirmat Suarez tom. 2. de Relig. tract. de Juram. lib. 3 cap. 8. n. 7. nullamque rationem adfert. At meliùs Sotus de Juram. abuſu. cap. 12. abſolutè & indiſtinctè ait, non teneri in rigore pœnam aliquam acceptare, ſi in ea temeraria juramenta reinciderit, quamvis id conſilium ſaluberrimum ſit. Quia aliis peccatis id imponi nequit, nec jure aliquo probatur ſpeciale eſſe in hac conſuetudine. Hæc ille.

Et par ratio procedit, inquit Sancius, non teneri acceptare injunctam Confeſſionem: tradit Toletus in Sum. lib. 3 c. 18. n. 3. (aliàs 7.) qui addit debere Confeſſarium dicere pœnitenti, quando frequentem Confeſſionem injungit: *Ego non te obligo, ſed ſolùm doceo, quod tu aliàs facere teneris.* Ita Sancius. Ex quo deducit, quòd ſi pœnitens ad deſerendam pravam conſuetudinem peccandi judicaret, fore omninò neceſſarium medium frequentiùs confiteri, teneretur acceptare non diſtincto præcepto, ſed ratione virtutis contrariæ ad vitium, cujus habet conſuetudinem. Hæc ille.

113. Ego autem dico, cùm Sacerdos habeat poteſtatem imponendi ſatisfactionem tam ad novæ vitæ cuſtodiam, quàm ad præteritorum peccatorum vindictam, ſi injuncta Confeſſio eſt planè neceſſaria ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, quidni Confeſſarius poſſit illam præcipere ſub conditione relapsûs? Neque enim propterea daretur Sacramentum Pœnitentiæ abſque parte ſatisfactoria, quia præter illam Confeſſionem, neceſſariam ad novæ vitæ cuſtodiam, imponeret ei aliam ſatisfactionem abſolutam ad præteritorum peccatorum vindictam. Quod enim hoc non poſſit facere, unde probatur? Faciat ergo, & habemus integrum Sacramentum Pœnitentiæ, non obſtante illâ conditionali ſatisfactione, neceſſariâ ad novæ vitæ cuſtodiam; atque hæc eſt communis praxis Confeſſariorum. *Sententia Auctoris.*

114. Quantùm ad Confeſſionem abſolutè impoſitam, ſi intelligatur de eiſdem peccatis venialibus, aut novis mortalibus, non eſt ratio, quare pœnitens non teneatur eam acceptare, ſi velit abſolvi, quando omnibus conſideratis Confeſſarius judicat ipſam eſſe ſalutarem & convenientem. *Confeſſio ejuſdem venialis aut novi mortalis abſolutè poteſt imponi.*

De Confeſſione eorumdem peccatorum mortalium, ſemel directè per Abſolutionem remiſſorum, ratio dubitandi eſt, nimia ejus difficultas, propter quam Sect. 6. Concl. 5. cum communi ſententia docui, Eccleſiam non poſſe præcipere hujuſmodi Confeſſionem, neque quempiam ad eam obligari independenter à libera propria acceptatione. Igitur Confeſſarius poterit eam imponere, ſed liberum erit pœnitenti eam acceptare; quòd ſi acceptaverit, indubiè obligabitur, ſicuti ſi eam voviſſet; ſin minus, non poterit propterea negari Abſolutio, niſi omninò foret neceſſaria ad evitandum peccatum in futurum, tunc enim Confeſſarius non poterit eum abſolvere; haùd ideo præcisè, quia non vult acceptare, ſeu ſubjici præcepto Confeſſarii, ſed quia non habet efficax propoſitum emendationis: tali ergo caſu tenetur pœnitens eam acceptare, ſi non vi præcepti Confeſſarii, ſaltem ratione virtutis contrariæ ad vitium ſeu peccatum, quod alioquin non deteſtatur, cum propoſito de cætero non peccandi, ſed potiùs iteratò vult committere, cùm nolit acceptare remedium, omninò neceſſarium ad illud evitandum. *An etiam ejuſdem peccati mortalis?*

115. Sancius in Selectis ſuprà n. 4. exiſtimat, poſſe Confeſſarium obligare pœnitentem, ad acceptandam pœnitentiam injunctæ Confeſſionis eorumdem peccatorum, & negare Abſolutionem; fatetur tamen n. 5. tale præceptum rigidum fore, quando pœnitens libenter acceptaret pœnitentiam Confeſſionis frequentandæ de quibuſcumque criminibus ipſe vellet confiteri; nam (inquit) Confeſſio ſacramentalis horum vel illorum criminum medici- *Sententia Joan. Sanches.*

medicinalis eſt, & ad comparandam bonam conſuetudinem frequentandæ Confeſſionis eſt apta; & nulla fortè ratio inveniri poterit, quâ ſit meliùs pœnitenti, eum aſtringi ad repetendum peccata jam confeſſa, quàm indifferenter obligari, ſive illa, ſive alia peccata velit aperire. Et piè agendum eſt cum pœnitente, neque pudore confundendus.

Planè non eſt pudore confundendus, & ideo non debet, nec poteſt unquam obligari ad iteratam Confeſſionem peccatorum mortalium, quia talis confuſio non eſt tolerabilis, niſi accedat libera acceptatio pœnitentis.

116. Fundamentum ejus. Ex quo patet reſponſio ad fundamentum Sancii ſuprà n. 4. Quotieſcumque (inquit) pœnitentia medicinalis eſt, & tolerabilis, jus habet Confeſſarius ad compellendum pœnitentem acceptare, & negare Abſolutionem; aliàs in nullo caſu potiretur jure coactionis Confeſſarius in ordine ad imponendam pœnitentiam....... At obligari pœnitentem iterùm & ſæpè eadem peccata confiteri, vel indifferenter Confeſſionem ſibi præcipi, ſive venialium, ſive mortalium, medicinale eſt ipſi, tam ob pudorem, quàm ob bonam conſuetudinem gignendam ex crebra Confeſſione, nec intolerabilis lex erit.

Sicut enim intolerabilis non eſt lex, quâ ſe ex voto aſtringit pœnitens ad iterum eadem crimina detegenda Confeſſario: eodem ſanè modo intolerabile neutiquam judicari debebit, quod à Confeſſario ſub pœnitentia præcipiatur. Quòd enim à ſe, vel ab alio oriatur obligatio, nihil refert, ſi aliàs circa materiam tolerabilem lex ferretur ad hoc quòd vim obligandi contineret. Hucuſque Sancius. Parùm doctè pro viro docto.

117. Rejicitur. Nam quis umquam vir doctus ſic argumentatus fuit: pœnitens poteſt ſe aſtringere ex voto ad perpetuam Caſtitatem; ergo Confeſſarius poteſt pœnitenti præcipere perpetuam Caſtitatem, & compellere pœnitentem acceptare? Inepta eſt talis Conſequentia. Ideoque alio argumento probandum eſſet, iteratam Confeſſionem eorumdem peccatorum non eſſe intolerabilem.

Probatur, inquis, quia Confeſſarius judicat, id expedire pœnitenti, & neceſſarium eſſe. Reſpondeo; quid ſi idem judicaret de voto Religionis, de voto perpetuæ Caſtitatis &c. num ideo poſſet pœnitentem involuntarium ad ea omnia obligare? Non puto, niſi ſit extrema neceſſitas, ſic ut pœnitens jure naturali teneatur talem medicinam aſſumere. Sic enim non quælibet neceſſitas boni communis, tribuit poteſtatem Legiſlatori humano, obligandi ſubditos ad aliquem actum cum periculo vitæ, aut alterius gravis nocumenti, ſed neceſſitas extrema.

118. Objectio. Sed dicet aliquis; Summum Pontificem poſſe vota Caſtitatis, Religionis, & alia commutare in menſtruas Confeſſiones, nemo dubitat. At non exiſtentibus novis criminibus, ùt commutatio voti implenda ſit, neceſſarium utique erit peccata antea confeſſa iterum aperire; vel aliqua crimina Abſolutioni ſubjicere ſive ſint mortalia, ſive venialia. Fit ergo poſſe imponi fideli obligationem rurſus coram Confeſſario ſacramentaliter denudare peccata. Intereſtne quidquam obligationem oriri jure commutationis, aut pœnitentiæ? Ita interrogat Sancius n. 5.

Reſpondeo; multùm intereſt, quia commutatio voti fit dependenter à voluntate voventis; pœnitentia autem injungitur independenter à voluntate pœnitentis, ùt in caſu ſupponitur. Alioquin dico, nec ipſum Pontificem poſſe commutare votum meum contra meam voluntatem in iteratam Confeſſionem peccati mortalis, ſemel directè abſoluti. Atque hæc ſatìs de prima parte Concluſionis. Solvitur.

Secunda pars eſt communis, quidquid ex parte contradicat Joannes Sancius in Selec. diſp. 33. n. 8. ubi ſic ait: Fateor, quòd pœnitens non teneatur acceptare illam pœnitentiam (putà ſumptionem Euchariſtiæ abſolutè impoſitam) eò quòd adimpletio ipſius ſinè peccato, mundam conſcientiam præſupponat; juſque habet (niſi libenter cedat) ut non gravetur ſub vinculo pœnitentiæ acceptare opus, quod adimplendum ſit in ſtatu gratiæ, niſi velit de novo peccare, ùt docet expreſsè Palat. in 4 diſt. 15. diſp. 4. colum. 7. ſicut non poſſet conſtringi ſub pœnitentia non recitare Horarium injunctum, niſi in ſtatu gratiæ: nam ſtatus pœnitentis non eſt aliquid materiale & ſenſibile, & ſic non poterit rationem pœnitentiæ intrare. Nec tenetur acceptare opus, quod perplexitatem ei adducere poſſit, ſive adimpleat, ſive non; nam ſi non adimpleverit pœnitentiam injunctam, præceptum frangere perſpicuum eſt: ſin autem in peccato adimpleat, licèt non frangat præceptum pœnitentiæ, reverentiæ tamen mandatum, debitæ Sacramento Euchariſtiæ, diſſolvit. Hactenus Sancius. 119 Joan. ... pœnitentem ... ſumptionem Euchariſtiæ

Interim n. 7. admittit eam poſſe à Confeſſario imponi; cùm, inquit, illa ſumptio ſit actus Religioſus, medicinalis, ſeu præſervativus futurorum peccatorum, ùt patet ex Trident. ſeſſ. 13. c. 2. ibi: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo aluntur & confortantur viventes vitâ illius, qui dixit:* Qui manducat me, & ipſe vivet propter me. *& tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur.* 120 Docet Confeſſarium poſſe eam injungere, & ... eſt ... medicinalis ... Tridentinum

Vindicativus etiam præteritorum peccatorum; nam, ùt idem Auctor ait n. 3. etſi facilis ſit pœnitenti, tamen quod ex obligatione fiat, difficilis redditur, & corporis paſſionibus auſcultanti laborioſa: præſertim cùm ad ſuſcipiendam Euchariſtiam aliqualis labor antecedens & vindicativus.

Digitized by Google

recedens & ſubſequens ſit interponendus, ut adire Eccleſiam, miniſtrum diſpenſantem quærere, & fortè rogare, & poſt ſuſceptam ſacram buccellam aliquantulum orationi vacare, quod expoſcit reverentia tanti Sacramenti: unde quando ſuſceptio Euchariſtiæ ſub pœnitentia præcipitur, etiam quæ attinent ad reverentialem ſumptionem videntur eſſe mandata. Hæc ille.

121. ...ries do... ...nas San... ...m rejici... Igitur in hac parte Sancius convenit cum communi ſententia, recedit autem ex parte illa, quâ negat, pœnitentem debere eam pœnitentiam acceptare eo modo, quò tenetur acceptare jejunium, & alia pia exercitia.

Sed, ut verum fatear, recedit abſque ſolido fundamento. Nam quòd ait; *Status pœnitentis non eſt aliquid materiale & ſenſibile, & ſic non poterit rationem pœnitentiæ intrare*; ut eſſet verum (quod non puto) nihil facit ad propoſitum, quia non debet intrare; quippe, ſecundùm communiorem ſententiam, nullum opus ſatisfactorium confert ſuum effectum extra ſtatum gratiæ, & tamen indè non ſequitur, ſtatum gratiæ intrare rationem pœnitentiæ; ergo licèt Euchariſtia non conferat effectum, ſuſcepta extra ſtatum gratiæ, non indè rectè infertur; ergo ſtatus gratiæ habet rationem pœnitentiæ.

122. ...bjectio. Dices; diſparitas eſt, quòd alia opera poſſint fieri ſinè peccato extra ſtatum gratiæ; ſecùs Euchariſtia.

...lvitur. Reſpondeo; etiam Confeſſio non poteſt fieri ſinè peccato, niſi cum ſufficienti diſpoſitione ad ſtatum gratiæ, quis ideo dicit, illum ſtatum gratiæ ſubſequentem intrare rationem pœnitentiæ ſacramentalis, quando Confeſſio eſt impoſita per Confeſſarium; vel ſi ſtatus ille ſubſequens intret, cur non etiam poſſet intrare ſtatus gratiæ antecedens? Enimverò quòd in uno caſu ſtatus gratiæ præcedat, vel concomitetur opus impoſitum; in alio autem ſubſequatur, quid refert? Non enim imponitur ſtatus gratiæ, ſed opus, quod vel præſupponit talem ſtatum, vel cauſat talem ſtatum; & verò ſi Confeſſarius poſſit imponere, & pœnitens teneatur acceptare tale opus, quod neceſſariò cauſat ſtatum gratiæ, cur non etiam poterit imponere, & obligare pœnitentem ad acceptandum tale opus, quod præſupponit ſtatum gratiæ?

123. Status ...te poſſit ...are ra... ...nem pœ... ...tiæ? Deinde, ſtatus gratiæ quidni poſſit intrare rationem pœnitentiæ? Nonne Contritio intrat rationem pœnitentiæ quando Confeſſarius præcipit Confeſſionem? Et hæc ipſa nonne aliquid materiale eſt & ſenſibile? Liquet profectò, eſſe aliquid immateriale & inſenſibile per ſe loquendo. Fit autem ſenſibile per Confeſſionem, ſicuti ſtatus gratiæ per impoſitionem pœnitentiæ, & ejus acceptationem. Si ergo Contritio, eſtò ſolùm per accidens ſenſibilis, poteſt eſſe pars quaſi eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, cur ſtatus gratiæ, per accidens ſenſibilis, non poterit eſſe pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ?

Porrò ſtatus gratiæ fit ſenſibilis, non ſolùm per impoſitionem pœnitentiæ, & ejus acceptationem, ſed etiam per ipſam executionem, id eſt, ſumptionem Euchariſtiæ, hæc enim ſignificat augmentum gratiæ ſanctificantis, ſicut quælibet cauſa ſignificat ſuum effectum, per conſequens ſtatum gratiæ, qui præſupponitur augmento gratiæ. Si ergo ipſa Euchariſtia poſſit eſſe pars ſatisfactoria, quidni etiam ſtatus gratiæ, eſtò ſolùm per accidens ſenſibilis? Quomodo ſtatus gratiæ fiat ſenſibilis?

Quin immo Concl. præced. cum communi ſententia dixi, actum merè internum poſſe præcipi à Confeſſario; nam poteſtas ejus non limitatur ad forum externum, ſed eſt poteſtas fori interni, in quo agitur cauſa inter Deum & hominem. Ergo propter immaterialitatem aut inſenſibilitatem non eſt rejiciendus ſtatus gratiæ ab operibus ſatisfactoriis. Ecce doctrinam Sancii à fundamentis ſuis avulſam. Propter immaterialitatem non eſt rejiciendus ſtatus gratiæ ab operibus ſatisfactoriis.

Ut omittam, Communione ſacrilegâ, id eſt, per Euchariſtiam ſuſceptam in malo ſtatu ſatisfieri poſſe præcepto Confeſſarii, veluti ſatisfit præcepto divino & Eccleſiaſtico, juxta dicta diſp. 4. ſect. 9. concl. 4. Atque hæc ſufficiant de 2. parte Concluſionis.

Propero ad tertiam, cui ſimpliciter, & abſolutè contradicit idem Auctor ibidem n. 15. & ſequentibus. Quòd, inquit, ſecundo loco in titulo quæſtionis quæritur, an negari poſſit Euchariſtiæ ſuſceptio; difficultate apud Aliquos non laborat; Marcillam videlicet in Addit. ad Memor. fol. 148. ſed negari non poſſe Euchariſtiæ ſuſceptionem ſub pœnitentiæ vinculo, mihi manifeſtum eſt. Cùm ceſſatio operis virtutis, nullius ſit entitatis, & conſequenter neque meriti, neque ſatisfactionis, cuinam quæſo pœnale erit ab opere virtutis vacare? 124. Docet Joan Sanchez abſtinentiam à Communione non poſſe imponi pro pœnitentia.

Non entitas ſanè pars nequaquam eſſe poteſt Sacramenti, nec elevabilis à Deo ad cauſandam gratiam nec remiſſionem pœnæ, cùm non entis nullæ ſint qualitates leg. *Eius qui.* 41. ff. de rebus creditis. At Euchariſtiam non recipere, otium ſanè, & nullo modo exercitium virtutis importat, vel entitatem. Nec velle Euchariſtiâ carere de ſe eſt actus bonus, niſi aliquando per accidens, ratione timoris & reverentiæ erga Sacramentum, qualiter ſe habuit bonus actus ille Centurionis, nolentis ſive recuſantis in domum ſuam Chriſti Salvatoris ingreſſum, dum dixit: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum* &c. Solùm enim ratione reverentiæ erga Chriſtum, virtutis ornatu induta fuit talis recuſatio. Hucuſque Sancius n. 15.

Sed contrà primò: ſi velle carere Euchariſtiâ, hìc & nunc poteſt eſſe actus reverentiæ 125. Reprobatur primò.

 erga

erga Chriſtum; ergò hîc & nunc eſt pium vitæ ſpiritualis exercitium, cur ergo non poteſt eſſe ſatisfactorium, non ſolùm ex opere operantis, quòd nimis clarum eſt, ſed etiam ex opere operato? Ubì quæſo definitum eſt, vel inſinuatum ab aliquo Concilio, quòd opus ſatisfactorium ex opere operato, debeat eſſe magis pium, quàm opus ſatisfactorium ex opere operantis? Et ſi tale opus poteſt eſſe meritorium, ſicut reverà eſſe poteſt, cur non etiam ſatisfactorium ex opere operantis & ex opere operato? Si ſufficiat ad meritum opus per accidens bonum, cur non etiam ad ſatisfactionem?

Opus per accidens bonum poteſt eſſe meritorium & ſatisfactorium.

An fortè, quia illa voluntas inſenſibilis eſt? Jam ſtatim oſtendimus & quaſi digito demonſtravimus, non requiri ad partem integralem Sacramenti, niſi ſenſibilitatem per accidens (ſi tamen & hæc requiratur, quia videtur ſufficere ſenſibilitas partium eſſentialium & quaſi eſſentialium) & putas illam voluntatem non eſſe ſenſibilem per accidens, ſcilicet per externam abſtinentiam? Cur minùs quàm Contritio per Confeſſionem? Nonne cauſa redditur ſenſibilis per effectum? Et illa externa abſtinentia, nonne effectus eſt internæ voluntatis?

126. Præterea quod ait interrogando: *Cuinam quæſo pœnale erit ab opere virtutis vacare?* Ipſemet infirmat n. 22. allegans multa jura, in quibus, ob punienda aliqua delicta, aſſignatur tamquam pœna ceſſatio à Communione pro aliquo tempore: utputà cap. 15. 33. q. 2. per hæc verba: *Latorem præſentium matricidam eſſe cognovimus. Cui præcipimus, ut ſub pœnitentia jugo permaneat, ita ut per annum integrum Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ, orans & deprecans Deum, perſeveret, qualiter tanto expiatur piaculo. Completo verò anni circulo introeundi in Eccleſiam licentiam habeat; tum inter audientes ſtet, ſed nondum communicet. Completis autem trium annorum circulis, ſacra Communionis ei gratia concedatur..... Si autem ante annorum trium curſum finis vitæ illius appropinquaverit, Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti particeps fiat.*

Reprobatur ſecundò.

Cap. 15. 33. q. 2.

Ibid. c. 8. Et eâdem Cauſâ & q. c. 8. Stephanus Papa V. Haſtulpho, qui uxorem interfecerat, inter cætera hæc ſcribit: *Communione Corporis & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te exiſtimes; in ultimo tamen exitûs vitæ tuæ die, ſi merueris, pro Viatico ſi ſit, qui tribuat tantummodò venialiter* (id eſt, ex miſericordia) *ut accipias tibi concedimus.* Ubì Gloſſa verb. *Venialiter* ait: *Argumentum quòd Eccleſia poteſt Corpus & Sanguinem Domini quibuſdam etiam in fine prohibere.* Et citat alia jura in quibus imponitur tamquam pœna ceſſatio à Communione, ut nulli dubium ſit, alicui pœnale eſſe, ab opere virtutis vacare.

Ceſſatio à Communione poteſt eſſe pœna.

Ratio Sufficiat nobis pœna excommunicationis, cujus unus effectus eſt privatio paſſiva Sacramentorum cap. *Si quem* 59. de ſent. Excom. ubi ſic lego: *Si quem ſub hac forma verborum: Illum excommunico, vel ſimili, à iudice ſuo excommunicari contingat, dicendum eſt, cum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, ſed etiam maiori excommunicatione (quæ à communione fidelium ſeparat) eſſe ligatum.*

paſſiva Sacram. eſt effectus excom

Cap. 59. de Sent. Excom.

127. Sed quid ad hæc Sancius? Forum, inquit, exterius, dum pœnas infligit delinquentibus, non eo fine inducit illas, ut delinquentes ex earum tolerantia Deo ſatisfaciant, & pœna debita peccatis remittatur; ſed tantùm illo fine punit, ut debita ſatisfactio detur Reipublicæ, quæ læſa fuit ob delicta à delinquentibus commiſſa, vel quòd reddatur perſonæ offenſæ. Unde etiamſi Judex certò ſciret delinquentem reddendum impatientem ob punitionem, tamen non tenetur ceſſare: & ſic ceſſationem à perceptione Euchariſtiæ poteſt imponere tamquam pœnam pro delicto, quamvis ceſſatio illa ſatisfactoria non ſit Deo, ſed ſolùm Reipublicæ.

Reſponſio Sanchez.

Unde forum exterius, ut puniat delicta, non attendit, an punitio fiat obligando ad actiones poſitivas exercendas à delinquentibus, vel an per privationem, prohibendo videlicet aliquas actiones ab illo exerceri..... At Judex fori interni, videlicet Sacramenti Pœnitentiæ, ex intentione directa debet injungere pœnam, ut ex illius tolerantia Deo ſatisfaciat, & pœna debita remittatur. Ut ergo puniat peccata confeſſa, debet injungere partem ſatisfactoriam, quæ punitiva erit peccatorum: pars autem ſatisfactoria, ut poſſit elevari à Deo, debet eſſe aliqua entitas: nam id quod non eſt, elevari non poteſt. Unde cùm ceſſatio à perceptione Euchariſtiæ ſit mera negatio, & non entitas, injungi non poterit ſub pœnitentia à Confeſſario. Hucuſque præfatus Auctor.

128. Aſt ſibiipſi, ùt apparet, contrarius. Enimverò jam fatetur alicui pœnale eſſe, ab opere virtutis vacare, quod antea negaverat; *Ceſſationem*, inquit, *à perceptione Euchariſtiæ poteſt imponere* (Iudex in foro externo) *tamquam pœnam pro delicto.* Ergo pœnale eſt ab opere virtutis vacare. Ad quid ergo illa interrogatio: *Cuinam quæſo pœnale erit ab opere virtutis vacare?*

Rejicitur.

Et verò ſi hæc vacatio poteſt eſſe ſatisfactoria Reipublicæ, ùt ibidem admittit, cur non etiam ſatisfactoria Deo? Si hæc vacatio poteſt remittere pœnam fori externi, placando Iudicem, & cohibendo ipſum ab inflictione alterius pœnæ poſitivæ, quâ alioquin dignus eſt reus; cur ſimiliter non poterit placare Deum, & ipſum cohibere ab inflictione pœnarum temporalium Pugatorii, per conſequens remittere pœnas Purgatorii?

129. Dicere; *Non poteſt*, eſt manifeſta petitio prin-

Digitized by Google

principii. Et hoc probare, *Quia non eſt entitas*, nihil infirmius eſt, ſi tamen aliquid eſt. Nam ſi non entitas poteſt ſatisfacere Reipublicæ, & perſonæ offenſæ in foro externo, cur non etiam Deo offenſo in foro interno? An fortè quia ùt ait Sanchez, *Non entis nulla ſunt qualitates* Leg. *Eius qui* 41. ff. de rebus creditis? Nihil tale invenio in illa lege, ſpectando ſonum verborum. Deinde ſi non entis nullæ ſunt qualitates, cur ergo vacatio ab opere virtutis ſatisfacit Reipublicæ? Vel ſi ſatisfactio in foro externo non eſt aliqua qualitas entis, dico, etiam ſatisfactionem in foro interno non eſſe aliquam qualitatem entis, & per conſequens nihil ad propoſitum illa lex, & quidquid ex illa Juriſconſulti colligunt aut inferunt.

130. Denique ut pura omiſſio non poſſet eſſe ſatiſfactoria, cur non ſaltem omiſſio voluntaria poſitivè ſeu patienter tolerata? Sanè hæc eſt poſitiva entitas in quantum voluntaria; ergo elevari poterit ad cauſandam remiſſionem pœnæ; quæ nihil eſt phyſicum, aut poſitivum; ſed ſola carentia pœnæ: cur ergo carentia Euchariſtiæ, maximè poſitivè voluntaria, non poterit elevari ad cauſandam carentiam pœnarum Purgatorii. Si dixeris; illam voluntatem eſſe internam, habes reſponſionem ſuprà. Et quàmvis Judex externus non debeat attendere ad illam patientem tolerantiam, tamen Confeſſarius poteſt, & debet attendere, ne potiùs pœnitens novæ culpæ reatum incurrat, quàm ſatisfactionem Deo reddat de delicto commiſſo.

Cum igitur ſumptio Euchariſtiæ non ſit res ita determinatè bona, quin aliquando poſſit expedire ejus oppoſitum, id eſt, abſtinentia à Communione, vel propter indiſpoſitionem corporis vel propter indiſpoſitionem animæ, de quo puncto diffuſè tractavimus Diſp. 4. Sect. 10. Concl. 10. liquet profectò, hanc abſtinentiam hìc & nunc poſſe eſſe, tam ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, quàm ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Quidni ergo ſit ſatisfactoria?

131. Et gratis admiſſo, quòd eſſet purè præſervativa, adhuc nihil obſtat, quin rectè poſſit imponi, dummodo aliquod aliud opus vindicativum ſeu punitivum adjungatur: quidquid dicat Sancius ſuprà n. 17. ibi: Nec proderit injungi aliquod opus, quod merè præſervativum ſit; & aliud quod ſit ſatisfactorium; nam illud quod purè præſervativum eſt, pars Sacramenti neutiquam eſſe poterit, quantumcumque illud ſub pœnitentia à Confeſſario injungatur; quamvis hanc eſſe Concilii mentem non fateantur quidem moderni nobis Adverſarii, ſed id nullo fundamento probant. Immo principalis & primaria ratio in pœnitentia injungenda attendi debet, quòd ſit præteritorum peccatorum punitiva, ſecundaria verò à futuris præſervativa: Hæc ille.

Sed abſque ſufficienti fundamento. Quod enim illud eſſet? Nullum aliud allegat præter verba Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Ergo principalis ratio eſt vindicta. Negatur Conſequentia. Et quare non potiùs novæ vitæ cuſtodia, quæ ponitur primo loco; & cui ſuperadditur per ly *Etiam*, ratio vindictæ? Ergo præciſè ex illis verbis non colligitur, quòd principalis ratio ſit vindicta.

132. Sed ſine ſufficienti fundamento. — Conc. Trid.

Deinde quomodò ex illis verbis probatur, quòd Sacerdos non poſſit imponere duplex opus, unum præſervativum; & aliud vindicativum? Nonne omne opus vindicativum eſt etiam præſervativum? Si eſt, cur non ſufficiebat dicere: *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio ſit ad præteritorum peccatorum vindictam?* Si non eſt; vel illud, quod ſolùm eſt vindicativum, poteſt imponi, vel non. Si poteſt imponi, dummodo addatur aliud opus præſervativum, cur etiam non poterit imponi opus ſolùm præſervativum, dummodo addatur aliud opus vindicativum? Si non poteſt imponi; unde hoc probatur? Ex illis verbis Tridentini? Eſt probatio contra communem praxim Confeſſariorum, qui ſolent ſæpiſſimè diſtincta opera imponere, unum pro remedio, alterum pro vindicta, & tamen non putant ſe ideò peccare contra ſuam obligationem per illa verba Trid. ſignificatam, ſed appròbè illi ſatisfacere.

Sacerdos poteſt imponere unum opus vindicativum & aliud præſervativum.

133. Dices cùm Sancio ſuprà: quòd pœnitens metu negandæ Communionis, peccatorum emendationi incumbat, non convincit, poſſe negari ſub vinculo pœnitentiæ Communionem; tum quia illa negatio ſolùm eſſet præſervativa, & non punitiva peccatorum, cùm ex otio & ceſſatione à virtute, peccata non puniantur: ſi verò contingeret inducere mortificationem pœnitenti non ſuſceptionem Euchariſtiæ, & eâ ratione eſſe negationem Euchariſtiæ punitivam, tunc non jam privatio Euchariſtiæ punit, ſed mortificatio indè exorta, & ſic ipſamet privatio non habebit rationem partis Sacramenti. Tum aliâ ratione non poſſet imponi ſub pœnitentia negatio Euchariſtiæ, quia ſcilicet illa negatio, præſervativa per ſe non eſt peccatorum, immo impeditiva eſt majoris boni, cùm potiùs ſumptio ipſius, antidotum ſit, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervamur; teſte Trident. ſeſſ. 13. c. 2.

Objectio eſt Sancio.

Neque ex eo quòd aliquibus proſit Euchariſtiæ negatio ad emendationem peccatorum, erat illâ negatione utendum, cùm id fiat per accidens, & dici queat tunc, *Rectum ab errore*, Marcill. in Addit. ad Memor. Compoſtell. fol. 108. Sicut non rectè ageret Medicus, qui medi-

Marcill.

medicinam ineptam & contrariam infirmo applicaret, etiamſi crederet probabiliter profuturam. At repugnat inſtitutioni Sacramenti Pœnitentiæ, imponi ſub pœnitentia id, quod ex natura ſua nequaquam juvare poteſt ad peccatorum deſtructionem, ſed potiùs ad lapſum in ea: non ſumptio autem Euchariſtiæ via potiùs eſt peccatorum, quàm eorum evitatio, cùm hæc ex ſumptione ipſius per ſe comparetur, ùt ex Conc. ſuprà conſtat. Ex quo ſequitur ad hujuſmodi pœnitentiam acceptandam non teneri pœnitentem. Hucuſque Sancius.

134. *Prima reſponſio.* A quo quæro primò; an Eccleſia poſſit præcipere illud, quod ex natura ſua nequaquam juvare poteſt ad peccatorum deſtructionem, ſed potiùs ad lapſum in ea? Si non poteſt, quâ ergo auctoritate præcipit abſtinentiam à ſecunda, tertia, quarta &c. ſumptione Euchariſtiæ unâ & eâdem die? Quippe hæc abſtinentia potiùs via eſt peccatorum, quàm eorum evitatio, cùm hæc ex ſumptione ipſius per ſe comparetur, ut ex Conc. ſuprà conſtat. Sin autem, hoc non obſtante, Eccleſia juſtè præcipit hanc abſtinentiam, neſcio ſanè, quare Sacerdos non poſſit præcipere pœnitenti abſtinentiam à quotidiana Communione, quando per accidens hìc & nunc eſt præſervativa à peccato, quamvìs ipſa ſumptio ex natura ſua ſit præſervativa.

Medicus rectè agit applicando medicinam per accidens tantùm profuturam. Putas quòd Medicus rectè ageret, qui medicinam ex natura ſua aptam applicaret, quam crederet per accidens nocituram, quando poſſet applicare æquè commodè medicinam per accidens profuturam, etſi ex natura ſua contrariam? Profectò ſi non ex officio, ſaltem ex Charitate tenetur infirmo ſubvenire certiori medio quo poteſt; adeòque rectè ageret Medicus, qui medicinam ex natura ſua ineptam & contrariam applicaret, dummodo crederet eam per accidens profuturam, & medicinam ex natura ſua aptam non applicaret, quando crederet eam per accidens nocituram. Ergo conſimiliter Confeſſarius, qui eſt Medicus ſpiritualis, rectè fungetur ſuo officio, ſi relinquat medicinam ex natura ſua aptam, per accidens tamen nocituram pœnitenti, & applicet medicinam per accidens ſolùm profuturam.

135. *Excommunicatio eſt pœna medicinalis, eſtò ſeparet à perceptione Sacramentorum.* Nonne excommunicatio eſt pœna medicinalis? Et tamen hæc ſeparat, ſicut ſuperiùs diximus, à perceptione Sacramentorum. Si ergo Eccleſia in foro externo poteſt illam pœnam medicinalem præſcribere infirmo ſpirituali, cur idem non poterit Sacerdos in foro interno? Nam ſicuti Sacerdos in Confeſſione per impoſitionem pœnitentiæ intendit procurare bonum ſpirituale pœnitentis, putà emendationem ſeu præſervationem à peccatis, ita etiam Eccleſia, imponendo pœnam excommunicationis, intendit bonum ſpirituale excommunicati, utputà emendationem ejus à peccato commiſſo, & præſervationem à peccato impoſterum committendo. Itaque quòd ſumptio Euchariſtiæ ex inſtitutione ſua ſit præſervativa, nihil obſtat, quin hìc & nunc non ſumptio poſſit eſſe magìs præſervativa, quod ſufficit, ut ſicut in foro externo, ita etiam in foro ſacramentali poſſit imponi ſub pœnitentia.

Enimverò quid clariùs, quàm Canones pœnitentiales, qui habentur in fine Decreti, præſcribere abſtinentiam à Communione? Can. 1. ibi: *Finito ſit primo anno, & dimidio, particeps ſit Corporis Domini* &c. Et tamen hi Canones à Gratiano appellantur, *Quædam regula directiva ad pœnitentias delinquentibus imponendas*, utique in Sacramento Pœnitentiæ. 136. *Can. pœnitentiales præſcribu[nt] abſtinenti[am] à Co[m]munione.*

Ac propterea notitia horum Canonum dicitur viris Eccleſiaſticis valde neceſſaria. *Canones*, inquit Gratianus in præfatione, *inſtruunt in generali, quomodo eſt pœnitentia imponenda, ſed deſcenſum ad ſingularia, Presbyteris diſcretis relinquunt, qui conſiderant circumſtantias perſonarum, attendentes ad Canones, ſicut ad regulas directivas: quia ſi contra Canones imponant, non rectè imponunt.* Ergo ſi ſecundùm Canones imponant, rectè imponunt; ergo ſi imponant abſtinentiam à Communione, rectè imponunt, quia ſecundùm Canones.

Quæro ſecundò à Sancio: Jejunium imponi poteſt ſub pœnitentia? Quomodo, cùm illius natura conſiſtat in ceſſatione à comeſtione? Reſpondet n. 18. jejunium non imponi ſub pœnitentia, ſecundùm quod dicit puram negationem, & ceſſationem actûs comedendi, ſed ſecundùm quod includit macerationem carnis, quæ quid poſitivum eſt, & elevabile à Deo, quâ ratione quid poſitivum eſt jejunium, & elevabile ad cauſandam gratiam. 137. *Secunda [re]ſolutio objectionis Sancii.*

Infero ego; ergo ceſſatio comeſtionis non habet rationem partis Sacramenti, ſed ſola maceratio indè exorta. Ergo ſi ex jejunio non ſequeretur per accidens maceratio carnis, pœnitens non ſatisfaceret, nec acciperet remiſſionem pœnæ temporalis.

Infero ſecundò; ergo etiam abſtinentia à Communione ratione mortificationis, quæ ſequitur, eſt quid poſitivum & elevabile ad cauſandam gratiam.

Reſpondet Sancius; ceſſatio à ſumptione Euchariſtiæ non eſt per ſe inductiva mortificationis, ſed aliquando per accidens evenit; è contra ceſſatio comeſtionis eſt per ſe cauſativa macerationis. Deinde mortificatio ſpiritûs eſt effectus ſpiritualis, qui pars Sacramenti ſenſibilis eſſe non poterit. 138. *Evaſio Sancii.*

Sed contrà; Contritio eſt ſpiritualis, & tamen eſt pars Sacramenti ſenſibilis; ergo illa mortificatio ſpiritûs, tametſi ſit effectus ſpiritualis, poterit eſſe pars Sacramenti ſenſibilis; nam redditur ſenſibilis per externam abſtinentiam à Communione, ſicuti Contritio redditur *Præcluditu[r].*

Digitized by Google

redditur ſenſibilis per Confeſſionem: neque enim magis per ſe Contritio conjungitur Confeſſioni, quàm illa mortificatio ſpiritûs abſtinentiæ à Communione. Et verò cur abſtinentia à cibo corporali, magis per ſe eſt cauſativa mortificationis ſeu macerationis corporalis, quàm abſtinentia à cibo ſpirituali, mortificationis ſeu macerationis ſpiritualis?

139. Objectio. Si dixeris; illa maceratio ſpiritualis non eſt per ſe deſtructiva peccati, ſicut deſtructivum eſt ipſum Sacramentum; ergo non eſt pars Sacramenti: nam partes alicujus totius juvare debent totum in ordine ad cauſandam actionem convenientem naturæ totius.

Solvitur. Reſpondeo; effectus ſatisfactionis ex opere operato, id eſt, effectus, ad quem ſatisfactio elevatur per Sacramentum, non eſt deſtructio peccati præteriti quoad culpam, ſed in primis deſtructio peccati præteriti quoad pœnam temporalem Purgatorii; item, ſecundùm Aliquos, augmentum gratiæ habitualis, & auxilia actualia præſervativa à peccato futuro: hos autem effectus cauſat abſtinentia à Communione, ſeu mortificatio eam conſequens, quando imponitur à Confeſſario, non minùs, aut magis per ſe, quàm jejunium ſeu maceratio corporalis conſequens jejunium. Sed quorſum hæc omnia? Nam ſola praxis Eccleſiæ debet nobis ſufficere, quæ indubiè reformanda & reprobanda foret, ſi ſententia Sancii ſubſiſteret.

140. Probatur ultima pars Concl. ex praxi Eccleſiæ. Atque conſimilis praxis debet unicuique eſſe ſufficiens probatio ultimæ partis Concluſionis; ſolent enim non infrequenter Confeſſarii pro ſatisfactione ſacramentali imponere orationem pro defunctis, juxta illud Catech. Catech. Rom. Rom. part. 2. c. 5. qu. 63. *Sed ex omni ſatisfactionum genere maximè convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot & definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, & præſertim pro iis, qui ex hac vita in Domino deceſſerunt, preces Deo faciant.*

Hanc praxim non negat Joannes Sancius, ſed expreſſiſſimis verbis fatetur diſp. 16. n. 1. dicens: Mos eſt plurimis Confeſſariis injungere ſub pœnitentia Nocturnum defunctorum, Pſalmos, vel Reſponſoria recitanda à pœnitentibus pro animabus in Purgatorio exiſtentibus. Ita Sancius.

141. Sed attende, quod immediatè attexit: Rectè tamen non procedunt: nam Sacramentum Pœnitentiæ ad remiſſionem culpæ, & pœnæ pœnitentis eſt inſtitutum, & ut ſatisfaciat pro pœnis debitis pars illa integralis (ſatisfactio videlicet) eſt ordinata. Contra naturam igitur hujus inſtitutionis erit, partem ſatisfactoriam injungere, quæ pro pœnis debitis à pœnitente non proſit, ſed pro alienis. Et idem eſt partem ſatisfactoriam pro alienis pœnis injungere, atque nullam ſatisfactionem imponere.

Unde pœnitens, cui onus ſatisfaciendi pro aliis eſſet injunctum, quàmvis teneatur opus deſignatum exequi, nequaquam erit conſtrictus illud applicare aliis, nam in hac parte irrationabilis fuit pœnitentia... Omitto, actum internum præcipi non poſſe ſub pœnitentia, eò quòd pars Sacramenti, viſibilis debeat eſſe, ſicut Sacramentum.... vel quia pœnitentia ſacramentalis per modum humani præcepti imponitur, quod non ſolet cadere in actum internum... At applicationem ſatisfactionis ſic, vel aliter fieri, quid internum eſt. Non igitur ſub præcepto Confeſſarii cadere poteſt opus ab illo injunctum ad pœnitentiam applicandam aliis, quamvis id non eſſet contra inſtitutionem Sacramenti, quod probatum eſt. Hucuſque Sancius contra communem ſententiam & praxim.

Ejuſdem opinionis ante ipſum fuit Vega Sum. tom. 2. c. 64. caſ. 4. & poſt ipſum Bordonus in Concl. Regul. tom. 2. reſol. 70. quæſt. 4 num. 16. & Pauci alii, propter quos tamen non judico recedendum à communi praxi conformi Catech. Roman. ſuprà allegato. Vega. Bordonus.

Conabor itaque ſatisfacere argumentis propoſitis à Sancio quæ præcipua ſunt, immo ſola. Ut autem incipiam à faciliori, exiſtimo me ſuprà ſatis demonſtraſſe; actum internum, maximè qui per accidens redditur ſenſibilis, videlicet per impoſitionem Confeſſarii, & acceptationem pœnitentis, poſſe præcipi ſub pœnitentia, eò quòd ſatisfactio tantùm ſit pars integralis, & poteſtas Clavium, quæ eſt fori interni, extendens ſe ad ſolutionem actûs interni; etiam videatur ſe extendere ad præcipiendum actum internum: nec eſt ulla ratio, quare Deus actum internum non potuerit elevare ad effectum ſacramentalem remiſſionis pœnæ temporalis, eſtò etiam quòd ad hunc effectum requireretur ſignum aliquod ſenſibile; nam hoc ſignum in præſenti eſt Abſolutio ſacramentalis, quæ ſola apud nos eſt eſſentia ſtrictè dicta Sacramenti Pœnitentiæ, & per quam ſatisfactio, ſive interna, ſive externa, elevatur, & fit pars integralis Sacramenti. 142. Auctor conatur ſatisfacere argumentis Sancii. Deus potuit elevare actum internum ad effectum ſacramentalem.

Si ergo aliquid obſtat, eſt inſtitutio Sacramenti pro delendis pœnis ipſius pœnitentis, & non alienis, ſive defunctorum, ſive vivorum; ſed hæc inſtitutio non obſtat; ergo nihil obſtat. Minor, quæ ſola habet difficultatem, probatur; quia in caſu propoſito oratio pro defunctis, quà ſatisfactio ſacramentalis, non prodeſt defunctis, ſed delet pœnas Purgatorii, debitas pœnitenti pro peccatis remiſſis, eaſdem quas deleret, ſi pœnitens illam orationem legeret pro ſeipſo, id eſt, illa oratio habet eundem effectum ſacramentalem, ſive legatur pro pœnitente, ſive pro alio vivo vel defuncto. 143. Oratio pro defunctis in caſu propoſito habet eundem effectum ſacramentalem, ac ſi legeretur pro pœnitente.

Digitized by Google

Ad quid ergo legitur pro defuncto? Reſpondeo, ut hic habeat effectum ex opere operantis, quem alioquin haberet ipſe pœnitens, ſi pro ſeipſo legeret. Et cùm hoc ipſum pœnale ſit pœnitenti, quòd nimirum, velit nolit, debeat fructum ſeu effectum ex opere operantis dare alteri, & hoc ei imponatur ſub pœnitentia, fortè majorem fructum ex opere operato recipiet, id eſt, remiſſionem majoris pœnæ, quàm ſi legeret pro ſeipſo.

144. Sicut Conf. poteſt præcipere eleëmoſynam corporalem, ita & ſpiritualem.

Nonne Confeſſarius poteſt præcipere pœnitenti, ùt largiatur eleëmoſynam corporalem indigenti pauperi hujus ſæculi? Cur non etiam poterit præcipere, ut largiatur eleëmoſynam ſpiritualem indigenti pauperi alterius ſæculi? Et verò quæ acceptior eleëmoſyna defuncto, quàm liberatio à pœnis Purgatorii? Sanè & ipſe defunctus ſic liberatus, indubiè pro ſuo liberatore exorabit, ut à peccatis, & pœnis, pro ipſis debitis, ſolvatur. Ergo nulla fit tali pœnitenti injuria, ſed potiùs magna gratia.

Reſponſio Sancii.

Reſpondet Sancius n. 11. In temporali eleëmoſyna diſtinguitur ſatisfactio à materia eleëmoſynæ, quæ erogatur. Unde diſpenſans eam, tribuendo pauperibus nummos v. g. ſibi poteſt reſervare valorem ſatisfactionis eleëmoſynæ correſpondentem. At eleëmoſyna ſpiritualis animabus diſpenſanda, non eſt aliud, quàm ſpiritualia aliqua bona in illarum ſatisfactionem erogari; pecunia enim (ut ita dicam) quæ ipſis tribuitur in eleëmoſynam, eſt ſatisfactionem aliquam pro ipſis applicare. Unde idem eſt præcipi pœnitentem ob eleëmoſynam aliquos Pſalmos recitare pro animabus, atque juberi ſuam ſatisfactionem aliis applicare. Rectè tamen præcipi poterit, aliquam eleëmoſynam temporalem offerri pro animabus, ut ſcilicet ſtipendia pro Miſſarum Sacrificiis habeantur, quæ offerri poſſint pro ipſis: tunc enim eleëmoſyna illis oblata, eſt quid diſtinctum ab applicatione ſatisfactionis offerentis & erogantis eleëmoſynam. Hæc ille.

145. Rejicitur.

Ego autem dico; etiam in ſpirituali eleëmoſyna, impoſita à Confeſſario, diſtinguitur ſatisfactio à materia eleëmoſynæ, ſatisfactio, inquam, ex opere operato; nam materia eſt ſatisfactio ex opere operantis; hanc autem applicare alteri eſt ſatisfactorium ex opere operato; immo etiam ex opere operantis ratione voluntatis, quâ poſtea ſuum actum, v. g. orationem, applicat defuncto; quia hæc non applicat ſeipſam, & Confeſſarius ſolùm præcipit applicare ipſam orationem, non autem voluntatem illam reflexam. Suppoſito ergo, quòd oratio v. g. vel jejunium, aut aliud opus pium, præter remiſſionem pœnarum, quàm cauſaret ex opere operantis, ſi extra Sacramentum poneretur, cauſet diſtinctam remiſſionem pœnarum, dum imponitur vi Clavium à Confeſſario, & ex ejus præcepto ſacramentali mandatur executioni à pœnitente; ac aliunde admiſſo, quòd fructus ex opere operantis extra Sacramentum poſſit applicari defuncto, vel alii vivo, nullam omnino vel in ſpecie video rationem dubitandi de ultima parte noſtræ Concluſionis.

146. Satisfactionem ſacramentalem conferre diſtinctum effectum ex opere operato probatur à ſimili.

Scio Aliquos eſſe, qui negant diſtinctum effectum ex opere operato, & docent unum & eumdem effectum conferri duplici titulo, qui alioquin ſolùm fuiſſet collatus unico titulo; ſed hi facilè redarguuntur argumento à ſimili, videlicet, Sacramentum Pœnitentiæ confert diſtinctos gradus gratiæ ex opere operato, ab illis, qui cauſantur ex opere operantis; ergo ſimiliter diſtinctos gradus remiſſionis pœnæ temporalis.

Nec dixeris; Chriſtus nuſpiam promiſit ſuſcipientibus Sacramenta remiſſionem pœnæ, ſed tantùm gratiam; ne, inquam, id dixeris; quia ſcriptum eſt Joan. 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Remiſſio autem peccatorum duplex eſt, ſcilicet quoad culpam, & quoad pœnam. Nec eſt ulla ratio verba Chriſti intelligendi de ſola remiſſione peccatorum quoad culpam; præſertim cùm ex illis verbis, & aliis ſimilibus Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, Conc. Trident. cum antiquis Patribus doceat, Claves Sacerdotum conceſſas eſſe etiam ad ligandum, id eſt, ad præcipiendum pœnas hujus ſæculi; ergo conſequenter ad ſolvendum pœnas, non hujus ſæculi; ergo alterius.

Joan. 20. — Matt. 16. — Claves Sacerdotum, conceſſæ ſunt ad ligandum.

Si quis dixerit; Claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum; & proptereà Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra inſtitutionem Chriſti; & fictionem eſſe, quòd, virtute Clavium, ſublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumque exſolvenda permaneat; anathema ſit. Ita Trident. ſeſſ. 14. can. 15. Igitur virtute Clavium, veluti confitens obligatur ad pœnam à Confeſſario impoſitam, ita non dubium, quin eâdem virtute auferatur pœna temporalis, quæ plerumque, ſublatâ pœnâ æternâ, permanet exſolvenda; hic eſt enim finis iſtius obligationis.

Liquet ergo, Sacramento pœnitentiæ non tantùm promiſſam eſſe gratiam habitualem, ſed etiam remiſſionem pœnæ temporalis; ergo ſi diſtinctos gradus gratiæ conferat ex opere operato, etiam diſtinctos conferet gradus remiſſionis pœnæ.

Sacram. Pœnit. promiſſa eſt remiſſio pœnæ.

147. Aliud ſimile.

Addo aliud ſimile: Summus Pontifex concedit, mediis Indulgentiis, remiſſionem pœnæ, danti eleëmoſynam vel oranti, & diſtincti gradus remittuntur ex applicatione Indulgentiæ, ab illis, qui correſpondent eleëmoſynæ vel orationi; ergo concedendum eſt,

Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum ex ſuis meritis per Sacramentum Pœnitentiæ applicare diſtinctum gradum remiſsionis pœnæ, ab illis, qui correſpondent ipſi Sacramento, aut operi ſatisfactorio ex opere operantis: cur enim Dominus parcus ſit, ubì ſervus largus eſt?

…ifex …ſt con… …dere In… …gentiam …i ora… …it pro …functis. Et verò manendo in eodem ſimili, Pontifex poteſt exigere aliquod opus pro defunctis, v. g. orationem, & concedere Indulgentiam illi, qui oraverit pro defunctis; quo caſu procul dubio ſatisfactio ſeu fructus illius orationis ex opere operantis applicatur defuncto, ſalvo manente fructu Indulgentiæ, ſeu ex opere operato ei, qui oraverit. Ergo conſimiliter in noſtro caſu. Putas, quia Martyr non poſsit applicare ſatisfactionem ſui Martyrii ex opere operantis alteri vivo vel defuncto, & tamen ſibiipſi retinere effectum ex opere operato? Noli putare.

148. …jectio. Sed dicet aliquis: quid ergo ſi pœnitens ſit in ſtatu peccati mortalis, quando orat pro defuncto? ſaltem tunc illa oratio non prodeſt defuncto, cùm ſatisfactio ex opere operantis requirat ſtatum gratiæ. Conſentio: ſed quid tum? Ergo non ſatisfacit ſuæ obligationi.

…lvitur. Reſpondeo Neg. Conſeq. quia probabiliter nec ipſe habet effectum ex opere operato, & tamen ſatisfacit ſuæ obligationi. Sufficit, ùt ſuprà diximus, quòd ponat ſubſtantiam operis præcepti. Deinde tali caſu adhuc poſſet illa oratio prodeſſe defuncto per modum impetrationis, quidquid Aliqui reclament, ſed ſinè ſufficienti fundamento, ùt patet ex dictis Sect. præced. Concl. 3. Omnibus ergo perlectis & ſcrutatis ſit hæc reſolutio finalis.

…cluſio. Quandoquidem ſatisfactio impoſita pro defunctis poſſit eſſe tum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, tum ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem; non enim minùs punitur pœnitens, immò potiùs magis, cùm jejunat pro defuncto, vel alio vivo, quoniam non ſolùm ſe privat cibo corporali, ſed etiam fructu remiſsionis pœnæ ex opere operantis; & aliundè Conc. Trid. nihil aliud requirat, quàm quòd Sacerdos habeat præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponit, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem; ſit, inquam, reſolutio finalis, propter Paucorum opinionem non eſſe recedendum à communi praxi Confeſſariorum, ab Eccleſia cognita, & nuſpiam reprobata, immò in Catech. Rom. quodammodo approbata.

…c. Trid. Cùmque in eodem Conc. ſeſſ. 14. c. 8. ſcriptum ſit: *Debent ergò Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere; ne, ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*, cùm, inquam, ſic ſcriptum ſit, & nefas ſit dubitare de veritate: hinc Dico ſeptimò:

CONCLUSIO VII.

Confeſſarius regulariter, & per ſe loquendo, debet imponere pœnitenti ſatisfactionem per modum præcepti. Conſulta tantùm non eſt ſacramentalis.

Quidni debeat imponere? Eſt namque miniſter Sacramenti, cujus eſt procurare ſeu adminiſtrare integrum Sacramentum quantum commodè poteſt. Eſt præterea Iudex, ad quem ſpectat delicta non ſolùm cognoſcere, ſed etiam vindicare & caſtigare. Eſt denique Medicus, qui ex officio tenetur applicare infirmo medicamentum ſanitatis. Et ideo ſubjungit Trident. ſuprà: *Habeant autem præ oculis, (Sacerdotes) ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* 149. Probatur Concluſ.

Ut autem unuſquiſque ſciret, non ſufficere conſilium, ſed neceſſarium eſſe præceptum, pro ratione ſui dicti addit: *Nam Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent.* Igitur impoſitio ſatisfactionis, ad quam obligatur Sacerdos eſt actus juriſdictionis, actus, inquam, ligaminis, qui neceſſariò includit præceptum; ſecùs actus ſolutionis, qualis eſt conceſſio Indulgentiæ, quæ non includit præceptum.

Dices; Sacerdos conſulendo pœnitentiam, etiam ligat, quatenus videlicet neceſſitatem hujus pœnitentiæ imponit, non ſimpliciter, ſed ad hunc finem conſequendi ex opere operato remiſſionem pœnæ per hoc Sacramentum. Ita Suarius diſp. 38. ſect. 3. ubi tenet oppoſitum ultimæ partis noſtræ Concluſionis; nimirum docet, quamvis regulariter Sacerdos debeat abſolutè præcipere pœnitentiam, equidem ſi ſolùm conſulat, eam eſſe ſacramentalem, id eſt, cauſare remiſſionem pœnæ ex opere operato, non minus, quàm ſi abſolutè fuiſſet præcepta. 150. Objectio ex Suario; qui tenet oppoſitum ultimæ partis Concluſ.

Pro hac opinione citatur D. Tho. Quodlib. 3. a. 28. & Alii plurimi apud Dianam 3. parte tract. 4. Reſol. 82. & parte 4. tract. 4. Reſol. 241. propter quorum auctoritatem probabilis meritò cenſetur, & in neceſſitate practicanda, quando non expedit, ùt opus injun- Citatur etiam D. Tho. & Alii apud Dianam.

injungatur per modum præcepti. Valeat pœnitentia conſulta quantum valere poteſt, ſaltem non oberit, & probabiliter Sacramentum erit integrum, & etiam proderit ex opere operato, ad minus ex opere operantis, ſi impleatur in ſtatu gratiæ.

Noſtram Concl. docent Vaſq. Turr. Nug. Coninck. Lugo, & Arriaga.

Interim Concluſio noſtra videtur probabilior, quam tenet Vaſquez q. 94. a. 2. dub. 1. n. 9. Turrianus de Pœnit. diſp. 35. dub. 2. Nugnus in Addit. q. 13. a. 2. diffic. 1. Coninck diſp. 10. dub. 8. Lugo diſp. 25. n. 54. Arriaga diſp. 47. n. 43. Præcipuum ejus fundamentum jam aſſignavimus ex Concil. Trident.

151. Reſponſio ad objectionem.

Nec valet reſponſio ſuprà ex Suario allegata; quia verba Conc. propriè intelligenda ſunt, niſi aliquid obſtet; jam autem ligare propriè ſonat abſolutam obligationem; quippè Pontifex concedens Indulgentias non dicitur ſimpliciter ligare fideles, ſed magis ſolvere; quamvis nequeant accipere effectum ſolutionis, niſi impleant opera præſcripta. Sic etiam Chriſtus neminem dicitur ligare ad paupertatem Euangelicam, dum ait: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus:* &c. Matth. 19. v. 21. Ergo neque Sacerdos ſimpliciter ligat pœnitentem, dum ait: *Si tale opus feceris, ſerviat tibi in ſatisfactionem;* vel, *conſulo, ut facias hoc opus, quod ſi feceris, ego admitto illud in ſatisfactionem.*

Matth. 19.

Sacerdos eſt ſimul Medicus & judex.

Non abnuo, Sacerdotem eſſe Medicum; ſed dico, eſſe Medicum & Judicem ſimul, & ideo, quemadmodum alii Judices abſolutè ligant ad executionem ſententiæ, ita oportet & Sacerdotem abſolutè ligare ad pœnitentiam ſeu ſatisfactionem, ſic tamen ut illa ſatisfactio ſimul ſit medicina.

152. Præcipuum munus ejus eſt judicare.

Sanè præcipuum munus Sacerdotis eſt, judicare ſeu proferre ſententiam, ùt ſatis manifeſtè indicat Trident. ſeſſ. 14. c. 5 ibi: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus è terris adſcenſurus ad cælos Sacerdotes ſui-ipſius Vicarios reliquit,* non ait, *tanquam Medicos,* ſed, *tanquam Præſides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo, pro poteſtate Clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum,* tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, *ſententiam pronuntient.* Quid clariùs? Sententia autem Judicis non conſulit, ſed præcipit. Differentia tamen eſt inter Judicem ſæcularem, & Sacerdotem Confeſſarium, quòd Judex ſæcularis non debeat attendere, an ſententia ſua ſit medicinalis, an non; ſecùs Sacerdos Confeſſarius.

Nonne quilibet privatus, etiam non Sacerdos, aut Confeſſarius, poteſt eſſe Medicus, & Conſiliarius pœnitentis? Nemo dubitat. In quo ergo diſtinguitur Confeſſarius, à non Confeſſario? In eo ſolo quòd Confeſſarius ita ſit Medicus, ut ſimul ſit Judex, adeòque niſi ita præſcribat medicinam, ut ſimul ad eam obliget, non exercet officium Confeſſarii quà talis, ſed officium commune Confeſſario, & non Confeſſario; adeòque ejus medicina conſulta non majorem habet vim, quàm medicina conſulta cujuſque privati non Confeſſarii; ſicut ergo hæc non eſt ſacramentalis, ita nec illa.

153. Conc. Trid. nuſpiam meminit ſatisfactionis tantùm conſultæ.

Mirum profectò, ſi pœnitentia ſolùm conſulta foret ſacramentalis, quòd Concilium Trident. nunquam verbulo illud conſilium vel leviter inſinuaſſet, ſed ubique uteretur verbo, *Iniunctionis,* ſeu, *Impoſitionis: Salutares,* inquit, *& convenientes ſatisfactiones iniungere; Pro graviſſimis delictis iniungendo; Vt ſatisfactio quam imponunt; Vel à Sacerdote iniunctis; Aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis.*

Diverſa ſunt injungere & conſulere ex Rit. Rom.

Porrò diverſa eſſe injungere & conſulere, ſignificat Rituale Rom. Tit. de Sacramento Pœnit. ibi: *Quare curet (Sacerdos) quantum fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias iniungat: veluti avaris eleemoſynas, libidinoſis ieiunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia. Rariùs autem, vel ſeriùs confitentibus, vel in peccatis facilè recidentibus, utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſæpè, putà ſemel in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & , ſi expediat, communicent.* Ubì expreſsè diſtinguit *Conſilium* ab *Iniunctione.* Cùm ergo nuſpiam Concil. Trident. utatur verbo *Conſilii,* ſed tantùm verbo, *Iniunctionis,* vel, *Impoſitionis;* ſignum eſt, quòd non agnoſcat pœnitentiam tantùm conſultam pro Pœnitentia ſacramentali.

Itaque pœnitentia impoſita per modum conſilii, non ligat propriè & ſimpliciter loquendo, neque eſt punitio orta à poteſtate coërcitiva Judicis, quæ eſt propriè poteſtas Confeſſarii quà talis; immo non dicitur propriè pœnitentia impoſita ſeu injuncta à Sacerdote; nam qui pollicetur præmium aliquod facientibus hoc vel illud opus, non dicitur opus illud ſimpliciter injungere. Quâ ergo ratione hæc pœnitentia foret ſacramentalis?

154. Objectio.

Dices; praxis Eccleſiæ poſt Abſolutionem adjungit hæc verba: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, merita B. Mariæ Virginis, & omnium SS. quidquid boni feceris & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

Solvitur.

Reſpondeo, vel hanc ipſam praxim militare contra Adverſarios. Quis enim crediderit his verbis omnia merita B. Mariæ Virginis, omniumque Sanctorum, ac Sanctarum Dei, elevari ad effectum remiſſionis pœnarum, atque ad effectum gratiæ, & gloriæ ex opere operato? Nemo eſt, qui id hactenus ſomniaverit; ergo neque omnia bona, quæ fecerit pœnitens, & mala quæ ſuſtinuerit, ſic elevantur vi iſtorum verborum: ſed illa verba tantùm proferuntur deprecatoriè, ſicuti & præcedentia: *Miſereatur tui* &c.

Neque hoc negat Suarius ſuprà nu. 3. ſed potiùs

potiùs affirmat, dicens: Quod attinet ad poteſtatem (elevandi omnia illa opera ad effectum remiſſionis pœnæ ex opere operato) non dubito quin illam habeant Confeſſores, incertum autem eſt, an per illa verba generalia hoc intendant, quia ſolùm videntur eſſe verba quædam deprecativa, quæ non indicant actum judicialem, ſed ſolùm orationem ad impetrandum auxilium, quò talia opera dignè fiant ad talem effectum obtinendum. Hæc ille.

155. An Confeſſarius poſſit omnia opera bona pœnitentis elevare ad ſatisfactionem ſacramentalem?

Ego autem valde dubito, an habeant illam poteſtatem; & gratis admiſſo, quòd haberent, ubi prohibetur ipſis eâ poteſtate uti? Quare ergo non uterentur cum tanto fructu pœnitentium? Quamobrem (interrogant Aliqui) Concilium Trident. tam graviter, & tam ſeriò monet Sacerdotes, ut injungant ſalutares & convenientes ſatisfactiones, *Ne, ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur?* Ad quid, inquam, hæc admonitio, cùm alioquin elevando ſic omnia opera bona, & tolerantiam omnium malorum, vix ullæ pœnitentiæ poſſint eſſe leviſſimæ? Quippe paſſim omnes fideles habent occaſiones gravia patiendi, & multa bona opera frequenter faciunt, per quæ poſſint judicari agere proportionatam pœnitentiam. Putas autem, quia Tridentinum ignoraverit illam praxim ſeu conſuetudinem adjungendi ſupradicta verba poſt Abſolutionem? Putas, quia Chriſtus voluit, ut Sacramentum Pœnitentiæ maneret integraliter imperfectum uſque ad finem vitæ cujuſque pœnitentis? Maneret autem, ſi per prædicta verba omnia bona opera elevarentur ad effectum ſacramentalem. Hæc illi. Bene, an malè, intelliges ex infrà dicendis.

Omitto, Confeſſarios ordinariè imponere pœnitentiam ante Abſolutionem: porrò prædicta verba præſcribuntur à Rit. Rom. ſuprà poſt Abſolutionem proferenda; ſignum ergo eſt manifeſtum, per illa non injungi Pœnitentiam ſacramentalem, de qua ſic loquitur ibidem Rit. *Cùm igitur pœnitentem abſolvere voluerit* (Sacerdos) *injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ ſalutari pœnitentiâ; primò dicit: Miſereatur tui* &c.

156. Male faciunt Confeſſarii, qui non injungunt aliquod opus in particulari. Diana.

Ex his infero, malè facere Confeſſarios, qui non injungunt aliquod opus in particulari, ſed in generali dicunt: *Impono tibi pro pœnitentia quidquid hodie, vel hâc hebdomadâ, vel hoc menſe boni feceris.* Quoniam nulla ex tali pœnitentia oritur obligatio.

Neque approbo, quod lego apud Dianam part. 3. tract. 4. Reſol. 97. dicendum ad eorum (Confeſſariorum) ſolatium, quòd ſi poſt peccatorum Abſolutionem apponant clauſulam illam: *Quidquid boni feceris* &c. excuſantur à peccato, ſi fortè parvas pœnitentias impoſuiſſent. Et ita docet Beia in Reſp. p. 3. caſ. 1. (Beia.) in fine, ubi ſic aſſerit. Hinc fortè poſſunt excuſari à peccatis Confeſſores imponendo parvas pœnitentias, quia omnes hâc clauſulâ jam utantur: *Quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum* &c. homines autem ut plurimùm bona multa faciunt, & mala plurima ſuſtinent, quæ ſic applicata rationem habent ſatisfactionis ſacramentalis. Et Homobonus in Exam. Eccl. p. 1. tract. 5. (Homobonus.) c. 15. q. 94. ſic ait: admonent DD. Confeſſarium debere pœnitenti injungere, ùt *quidquid boni fecerit, & mali ſuſtinuerit in ſuam ſatisfactionem cedat.* Quâ clauſulâ excuſari videntur Confeſſarii, ſi vel pro magnis peccatis parvas pœnitentias injungant; ſic Homobonus. Vide etiam Reginaldum in praxi tom. 1. lib. 7. (Reginaldus. Filiucius. Bonacina.) c. 3. ſect. 1. n. 26. Filiucium tom. 1. tract. 8. c. 2. n. 47. & Bonacinam de Pœnit. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. n. 13.

Sed ſupradicta opinio non eſt intelligenda, ſi pœnitens egeat pœnitentiâ aliquâ præſervativâ; quia illa opera bona, ab ipſo poſtea facienda, non erunt forſitan proportionata ad neceſſariam peccatorum medelam, & verba dictæ clauſulæ erunt pœnitenti declaranda, ut ſciat levem pœnitentiam ſibi ideo imponi, quia omnia bona opera totius ſuæ vitæ in ſatisfactionem pœnæ peccatis ſuis debitæ injunguntur, & acceptantur. Hucuſque Diana.

157. An illa verba *Quidquid* &c. excuſent Confeſſarium qui pro magnis peccatis imponit parvam pœnitentiam.

Verùm, ſicut dixi, non approbo hanc doctrinam, quantum ad excuſationem Confeſſarii à peccato, qui poſſet alioquin proportionatam pœnitentiam in particulari imponere, ſi vellet. Sin autem non poſſit, non poterit nocere, ſi verba illa pronunciet, cum intentione faciendi totum quod poteſt; & quia ſæpiſſimè non poteſt proportionatam in particulari imponere magnis peccatoribus, conſulo, ut tunc ſequatur illam opinionem.

Cæteroquin per ſe hæc verba ſufficere, neſcio quomodo ſuſtineri poſſit poſt Trident. quod tam graviter, & tam ſeriò monet Sacerdotes, ùt ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungant, *ne, ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, pro graviſſimis delictis injungendo leviſſima quædam opera, alienorum peccatorum participes efficiantur. Procul dubio*, inquit Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.*

Vide nunc, an illa ſatisfactio, quæ imponitur prædictis verbis: *Quidquid boni egeris* &c. magnoperè à peccato revocet, & quaſi fræno quodam pœnitentem coërceat à peccato. Credo quòd magis frænum laxet ad impoſterum eadem peccata perpetranda, ex quo talis ſatisfactio nullam ei moleſtiam infert. Itaque praxis Eccleſiæ proferendi illa verba: *Quidquid feceris* &c. nihil omnino contra Concluſionem noſtram, immo potiùs eam confirmat.

Digitized by Google

158. Objectio. Si rurſum arguas; Pontifex per Indulgentias, opera, quæ præſcribit, elevat ad ſatisfactionem ſinè ulla tamen obligatione eadem opera faciendi; ergo ſimiliter Sacerdos.

Solvitur. Reſpondeo neg. Conſeq. Diſparitas eſt obvia; quia Pontifex in Indulgentiis utitur poteſtate Clavium præciſè ad aperiendum, prudenter diſpenſando theſaurum Eccleſiæ, ſibi commiſſum à Chriſto: unde poteſt facere hoc beneficium, non obligando ad illud acceptandum, ſicuti dum diſpenſat in voto, & aliis obligationibus, non propterea cogit fideles ad illa beneficia acceptanda. At verò Sacerdos, ùt patet ex dictis, utitur poteſtate Clavium, non præciſè ad ſolvendum, ſed etiam ad ligandum; quia non poteſt ſolvere, niſi ex vi judicii ſacramentalis, ſeu per actum judicialem. Porrò actus conſilii, quo liberum relinquitur reo, velit facere, nec ne illam pœnitentiam, non eſt actus judicialis.

Alioquin dicamus; quòd ſicut Pontifex poteſt per Indulgentias remittere pœnas Purgatorii, ſinè aliquo opere bono præſtando, aut præſtito; ita etiam Confeſſarius poſſit remittere pœnas Purgatorii per ſolam Abſolutionem, ſinè opere aliquo præſtando, vel præſtito, pœnas, inquam, quæ aliàs correſpondent operi ſatisfactorio, quod imponitur, vel imponeretur, ſi pœnitens eſſet capax: quod nullus hactenus docuit, nec habet apparentiam veritatis.

159. Objicitur lex purè pœnalis. Prætereà objicitur lex purè pœnalis, quæ non obligat ad actum ſub peccato, etiam veniali: cur ergo debeat præceptum Confeſſarii obligare ad actum ſub peccato?

Solvitur. Reſpondeo; quia ſi non obligat ad actum, ad nihil obligat, & per conſequens non eſt præceptum, cùm de ratione eſſentiali præcepti ſit obligatio, ſi non ad actum, ſaltem ad pœnam. Hinc ſi Confeſſarius diceret pœnitenti: *Pro ſalutari pœnitentia cras iejunabis ſub pœna eleëmoſyna unius floreni*, non dubito quin foret Pœnitentia ſacramentalis, non tantùm eleëmoſyna floreni, ſed etiam ipſum jejunium, etſi pœnitens non obligetur ſub peccato ad jejunium, ſi velit dare eleëmoſynam; hoc quippe nihil eſt aliud, quàm disjunctivè obligare ad jejunium, aut eleëmoſynam: nulla autem eſt ratio, quare hoc non ſufficiat, ſicut ad ſententiam fori externi, ita etiam ad ſententiam fori ſacramentalis.

160. Inſtantia. Dices; ſemper obligat ſatisfactio ad pœnam Purgatorii ſub disjunctione operis impoſiti per Confeſſarium, id eſt, Confeſſarius ſemper obligat ſub disjunctione, tametſi ſolùm conſulat jejunium, quaſi diceret, vel jejuna, vel ſolves ad plenum in Purgatorio.

Reſponſio. Reſpondeo; hæc obligatio ſolvendi in Purgatorio non oritur ex præcepto Confeſſarii, ſed ſupponitur præcepto ſeu conſilio Confeſſarii, ita ut ſublato ſeu non poſito præcepto ſeu conſilio Confeſſarii, ipſa nihilominus ſit & permaneat: at verò in priori caſu, ſublato, ſeu non poſito præcepto disjunctivo, nulla prorſùs obligatio eſt, aut permanet ad jejunium, vel eleëmoſynam: ergo non eſt paritas, ſed maxima diſparitas.

Quæ cùm ita ſint, conſulo omnibus Confeſſariis, ut, regulariter & per ſe loquendo, imponant ſuis pœnitentibus ſatisfactionem per modum præcepti. Dico; *Regulariter & per ſe loquendo*, quia datur aliquis caſus, in quo licet abſolvere pœnitentem nullâ impoſitâ pœnitentiâ, nequidem per modum conſilii, multò minùs per modum præcepti. Talis caſus eſt impotentia phyſica, quando abſolvitur moribundus ſenſibus deſtitutus. 161. Caſus, in quo nulla pœnitentia eſt imponenda.

Alioquin ſi poſſit pœnitentiam percipere, putant Nonnulli imponendam eſſe pœnitentiam proportionatam pro tempore convaleſcentiæ, juxta cap. 1. 26. q. 7. (quod deſumptum eſt ex Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi) ſequentis tenoris: *Ab infirmis, in periculo mortis poſitis, per Presbyteros pura inquirenda eſt Confeſſio peccatorum, non tamen illis imponenda* (ſcilicet pro tempore infirmitatis) *quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda* (ſeu notificanda) *& cum amicorum orationibus, & eleëmoſynarum ſtudiis pondus pœnitentiæ ſublevandum, & ſi fortè migraverint, ne obligati à Communione, & conſortio veniæ fiant alieni. A quo periculo, ſi divinitùs ereptus, convaluerit, pœnitentiæ modum à Sacerdote ſibi impoſitum diligenter obſervet* &c. Cap. 1. 26. quæſt. 7.

His conſonat Rit. Rom. Tit. de Sacramento Pœnit. ibi: *Meminerit porrò Sacerdos ægris non eſſe iniungendam gravem, aut laborioſam pœnitentiam, ſed indicendam tantùm illam, quam ſi convaluerint opportuno tempore peragant. Interim iuxta gravitatem morbi aliquâ oratione, aut levi ſatisfactione impoſitâ, & acceptatâ, abſolvantur prout opus fuerit.* Sed quid ſi infirmus condignè poſſit ſatisfacere per eleëmoſynas? Non dubito quin forent injungendæ. Rit. Rom.

Sunt & alii caſus, in quibus DD communiter excuſant Confeſſarium ab imponenda pœnitentia, ſaltem vindicativa. In primis, quando Confeſſarius ex Confeſſione, & aliis circumſtantiis moraliter certò colligit, pœnitentem integrè ſatisfeciſſe pro pœna debita. Deinde quando abſque ſatisfactione inſtat moraliter certò aliud remedium perfectæ remiſſionis omnium pœnarum, putà Martyrium vel Indulgentia. 161. Alii caſus in quibus excuſatur Confeſſarius ab imponenda pœnitentia vindicativa.

Ratio autem, quare in his caſibus non ſit imponenda pœnitentia vindicativa, eſt; quia ùt docet Trident. ſeſſ. 14. c. 3. eatenus ſatiſfactio eſt pars pœnitentiæ, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiritur. Sed in iſtis caſibus Concil. T

non

Digitized by Google

non requiritur ſatisfactio ad plenam & perfectam peccatorum remiſſionem; ergo &c.

163. Dices; requiritur ſaltem ad integritatem Sacramenti. Reſpondeo; poſſet dici tunc Sacramentum eſſe formaliter integrum, quando confertur remiſſio peccatorum plena & perfecta, id eſt, ſecundùm culpam & omnem pœnam temporalem. Porrò materialem integritatem neceſſariam eſſe, unde probatur? Quin immo impoſſibilis eſt, ſaltem in primo caſu; quoniam tunc ſaltem impoſſibilis eſt ſatisfactio. Patet, quia ſatisfactio eſt redditio voluntaria æquivalentis, aliàs indebiti: redditio autem æquivalentis ſupponit quamdam obligationem, ſeu quoddam debitum reddendi; in hoc autem caſu nullum ſupponitur debitum reddendi, quia omne debitum ſupponitur jam remiſſum.

Dixi ſignanter: *Pœnitentia vindicativa*, id eſt, quæ imponitur ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem, ſeu ad remiſſionem pœnarum Purgatorii: quia ſi aliqua eſſet neceſſaria ad infirmitatis medicamentum, & novæ vitæ cuſtodiam, dubitatur an non foret imponenda: de quo dubio ad calcem hujus Sectionis.

Major difficultas eſt; an in illis caſibus, in quibus Sacerdos obligatur imponere ſatisfactionem pœnitenti, peccet ſemper mortaliter, ſi omittat imponere. Reſpondeo & Dico octavò:

CONCLUSIO VIII.

Sacerdos, regulariter & per ſe loquendo, peccat mortaliter, quoties ſinè juſta cauſa non imponit ullam ſatisfactionem pro peccatis mortalibus numquam confeſſis, alias ſolùm peccat venialiter.

164. *Confeſſ. à peccato mortali tenetur imponere pœnitentiam?* LUgo diſp. 25. n. 49. de hac obligatione ſic ait: Extra hos caſus (intelligit enumeratos Concluſ. præced.) dicunt Aliqui, ſemper teneri ſub culpa gravi Confeſſarium ad imponendam pœnitentiam, ne relinquat Sacramentum mutilum & imperfectum abſque hac ejus parte, quod videtur ſupponi in Trident. ſeſſ. 14. c. 8. Ita indicare videtur Suarez diſput. 38. ſect. 3. in principio. Et clariùs Reginaldus in Praxi tom. 1. lib. 7. n. 12. Hactenus Eminent.

Legi Suarium, qui ſic ait: Dico primò, per ſe loquendo tenetur Confeſſor ſatisfactionem imponere. Ita colligitur ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 8. & ex cap. *Omnis utriuſque*. Et ratio eſt primò, quia tenetur integrum facere Sacramentum. Secundò, quia ùt Medicus tenetur curare vulnera pœnitentis, & ùt Judex æquitatem ſervare; unde cùm judicet inter Deum & hominem, ſicuti debet abſolvere hominem diſpoſitum, ita curare debet, ut homo ſatisfaciat Deo. Unde colligitur hanc obligationem ex genere ſuo gravem eſſe; cùm ad integritatem Sacramenti & Religionem Deo debitam pertineat. Hæc ille. Ergo indicare videtur, ſemper teneri ſub culpa gravi Confeſſarium ad imponendum pœnitentiam. Conſequentia non valet; quia furtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale; & tamen indè non ſequitur; ergo ſemper qui furatur, peccat mortaliter.

165. *Obligatio imponendi ſatisfactionem ex genere ſuo eſt gravis.* Nonne ipſe Eminent. ſuprà docet, hanc obligationem ex genere ſuo eſſe gravem? Sed veriùs, inquit, exiſtimo, licèt hæc obligatio ſit ex genere ſuo gravis, poſſet aliquando tamen ex parvitate materiæ peccari ſolùm venialiter contra ipſam, ùt ſi pœnitentia levis deberet imponi ob peccata aliqua venialia, vel ſæpè jam confeſſa; tunc enim non credo Sacerdotem peccare mortaliter, ſi ſecluſo contemptu non imponat ullam pœnitentiam. Ita Lugo. Malè ergo citat Suarium pro contraria opinione, licèt enim expreſsè non dicat, aliquando ex parvitate materiæ peccari ſolùm venialiter, tamen hoc ſatis implicitè inſinuat, quando dicit, hanc obligationem ex genere ſuo eſſe gravem; ſic enim loquimur paſſim de illis obligationibus, quæ ratione parvitatis materiæ poſſunt eſſe ſolùm veniales.

Reginaldus. Tannerus. Joannes Sanchez. Quantùm ad Reginaldum, hic non utitur ly *Ex genere ſuo*, ſed ſimpliciter aſſerit eſſe peccatum mortale, & ideo clariùs loquitur pro illa ſententia; prout etiam Tannerus diſp. 6. qu. 8. dub. 14. Et pro eadem citari poſſet Joannes Sancius in Selec. diſp. 15. n. 14. ùt ſtatim videbimus.

166. *Ex parvitate materiæ poteſt ſolùm peccari venialiter. Henriquez.* Nobis magìs placet ſententia Lugonis, quam indicat Henriquez lib. 5. de Sacram. cap. 20. n. 6. dum ait: Extra hos caſus ſub mortali tenetur Confeſſarius in re gravi injungere aliquam pœnitentiam de præcepto. Nam illa particula, *In re gravi*, excludit ſimilem obligationem, quando res eſt levis. Clariùs eam tenet Petrus de Ockagavia de Sacram. tract. ultimo de Sacram. Pœnit. q. 8. n. 7. Ita Lugo ſuprà. *Ockagavia. Lugo.*

Probatur Et probat primò: quia ſi hæc obligatio gravis eſſet propter integritatem Sacramenti, ſequeretur ipſum pœnitentem teneri etiam ſub peccato mortali ad implendam pœnitentiam; etiam leviſſimam ſibi impoſitam. Conſequens autem eſt falſum, & ab Omnibus negatur.

167. *Reſponſio ex Sancio, omittentem parvam pœ-* Sed, pace veſtrâ Eminent. iſtud Conſequens clariſſimè aſſeritur à Joanne Sancio ſuprà: Infertur, inquit, ex dictis, implentem majorem partem pœnitentiæ, & omittentem modicam

nitentiam peccare mortaliter.

modicam in ſe, ſolùm delinquere venialiter. At ſi modica eſſet tantùm injuncta, & illam culpabiliter non impleret, lethaliter peccare judico, cùm truncum & defectibile reddat Sacramentum, quod grave quid eſt: ſicut enim ille, cui impoſitum eſſet ſub pœnitentia unam tantùm Salutationem Angelicam recitare, & nollet acceptare abſque cauſa, abſolvendus non eſſet, ùt indiſpoſitus, renuens integrare Sacramentum: eodem modo non volens implere injunctam orationem Angelicam, mortaliter peccabit, cùm nolit implere illam obligationem, quam ſub mortali acceptavit.

Et quàmvis oratio Angelica, ſecundùm naturam orationis modica ſit, ſecundùm quod materia & pars conſtituitur Sacramenti Pœnitentiæ, gravis eſt reputanda: ſicut deglutire guttam aquæ, ſecundùm ſe quid modicum eſt; at poſt illius ſumptionem, Euchariſtiam ſumere quid grave eſt; eò quòd præceptum pronuntietur de non ſumendo Euchariſtiam poſt ſumptionem cibi aut potûs, quantumvis exigui, & grave ſemper præceptum violatur, & in re gravi videlicet irreligioſitatis Sacramenti. Sicut Simoniæ crimen mortale erit, rem ſpiritualem vendere, etiam exiguo pretio. Hucuſque Sancius. Non ergo iſtud conſequens ab Omnibus negatur, quidquid ſit de ejus veritate, de qua latiùs in progreſſu.

168. Probatur 2. Probat ſecundò; quia inter caſus, quibus Confeſſarius excuſatur ab imponenda pœnitentia, numerari ſolet, quando ſcrupuloſus ſæpè intrà horam redit cum novis peccatis, ut ſæpè abſolvatur: quem caſum admittit etiam Henriquez, ubì ſuprà: tunc autem etiam maneret Sacramentum imperfectum abſque illa parte integrante. Hæc ille.

Reſpondetur. Sed neque hæc probatio eſt efficax contra Adverſarios, qui reſpondent, illum caſum perperàm numerari inter caſus, quibus excuſatur Confeſſarius ab imponenda omni pœnitentia. Et ita docet apud Dianam p. 6. tract. 7. reſol. 6. Stephanus Bauny in Theol. moral. p. 1. tract. 4. q. 25.

(Henriquez. Diana. Bauny.)

169. Tertia probatio. Probat tertiò; quia Bonifacius VIII. ùt refert Gloſſa in Extravag. *Antiquorum* de Pœnit. & Remiſſ. reprehendebat Confeſſarios, qui anno Jubilæi imponebant alias pœnitentias; ergo non curabat quòd Sacramento deeſſet illa pars integralis. Eodem modo ſi infirmo moribundo imponatur pœnitentia, ſolùm implenda, ſi convaluerit, non videtur Sacerdos peccare mortaliter, & tamen tunc exponitur periculo evidenti Sacramentum, ne compleatur; nam per pœnitentiam ſolùm impoſitam, & non exhibitam, non completur Sacramentum; ergo deberet ſub mortali imponere aliquam pœnitentiam præſentem propter integritatem Sacramenti. Hactenus Eminentiſſ.

Reſponſio. Sed quid ſi illa Conſequentia concederetur ab Adverſariis, dummodò infirmus moribundus commodè poſſet aliquam pœnitentiam præſentem exhibere? Sanè, dicere, hoc eſt abſurdum, eſt petitio principii. Deinde diſparitas eſt; quòd tali caſu, ſaltem ex parte Confeſſarii, Sacramentum integrè fuerit adminiſtratum; per accidens autem eſt, quòd ex parte pœnitentis maneat mutilum; quia ſi convaleſceret, poſſet etiam ex parte ejus fieri integrum: in priori autem caſu, quando Sacerdos nullam omnino pœnitentiam imponit, etſi velit pœnitens, non poteſt Sacramentum reddere integrum & perfectum, ſed neceſſariò manet imperfectum.

Quantùm ad Bonifacium, ad ſummum ex hac reprehenſione ſequitur, quòd aliquando ex juſta cauſa poſſit abeſſe illa pars integralis, etiam abſque ullo peccato. Ergo omittere impoſitionem pœnitentiæ abſque omni juſta cauſa, poteſt aliquando eſſe ſolùm peccatum veniale, negarent Adverſarii Conſequentiam.

His igitur probationibus omiſſis, ratio quare Confeſſarius non peccet mortaliter, ſed ſolùm venialiter, quando etiam abſque omni alia cauſa, ſecluſo ſemper contemptu, negligit imponere ſatisfactionem pro peccatis venialibus, aut mortalibus aliàs legitimè confeſſis, & directè abſolutis, ratio, inquam, à priori eſt, parvitas materiæ. 170 Ratio à priori alterius partis Conclusionis

Lugo. Hæc pars, inquit Lugo ſuprà n. 52. ſolùm requiritur ad integritatem Sacramenti, eo modo, quo punitio requiritur ad complementum judicii humani: hinc autem fit, quòd ſicut in judicio humano non manet judicium imperfectum ex defectu punitionis, quandò reus non judicatur pœnâ dignus, ſic neque hoc judicium & Sacramentum maneat imperfectum ex defectu punitionis & ſatisfactionis, quando pœnitens non judicatur pœnâ dignus.

Ex hoc autem rursùs ſequitur, quòd ſicut in judicio humano non peccat graviter Judex, non imponendo aliquam pœnam parvi momenti, quâ reus erat dignus; ſic nec in hoc Sacramento Judex graviter peccet, nòn imponendo pœnitentiam levem, quam poſſet imponere: nam per hoc non deeſt muneri ſuo in re gravi, ſed in complemento quodam levis momenti, quod deeſt Sacramento ob ejus culpam. Hucuſque Cardin.

Quæris à me, unde ſciam hoc complementum aliquando eſſe levis momenti magìs, quàm pars aliqua eſſentialis, aut quaſi eſſentialis? Reſpondeo; quia, ùt jam vidimus, ſæpiùs etiam abſque peccato poteſt illud complementum deeſſe; nunquam autem abſque peccato mortali poteſt deeſſe pars aliqua eſſentialis, aut quaſi eſſentialis. Unde etiam omiſſio minimi verbi formæ eſſentialis ſemper eſt res graviſſima, quia deſtruit totam eſſentiam Sacramenti. 171. Diſparitas inter ſatisfactionem & partes eſſentiales.

At

Digitized by Google

At verò omiſſio ſatisfactionis, relinquit totam eſſentiam Sacramenti, relinquit effectum principalem, ſcilicet infuſionem gratiæ, & remiſſionem culpæ, nullumque aliud malum cauſat, quàm carentiam ſui, & carentiam remiſſionis pœnæ temporalis ex opere operato; has autem carentias non eſſe ſemper gravioris momenti, videtur convincere commune judicium DD. quod maximè attendi debet ad æſtimandam materiæ quantitatem.

Quid ſi enim aliquis confiteatur unicum leviſſimum veniale, v. g. verbum otioſum, vel mendacium jocoſum, durum certè videtur Confeſſarium peccare mortaliter, ſi omittat impoſitionem unius Salutationis Angelicæ; ſimiliter pœnitentem peccare mortaliter, ſi illam Salutationem non recitet: quidquid ſuprà in contrarium aſſerat Joannes Sancius, cujus argumenta videntur nobis parvi momenti.

172. Nam quod ait, pœnitentem, qui abſque cauſa recuſaret talem pœnitentiam, tanquam indiſpoſitum non eſſe abſolvendum, à me negatur, & ab Omnibus, qui nobiſcum docent, Confeſſarium tantùm venialiter peccare non imponendo pœnitentiam, negari debet; cùm non videatur eſſe major obligatio pœnitentis ad acceptandam pœnitentiam, quàm Confeſſarii ad imponendam; ergo ſi tali caſu eſt obligatio levis imponendi, etiam erit obligatio levis acceptandi & adimplendi; per conſequens propter recuſationem, quæ ſolùm eſt venialis, non eſt dimittendus pœnitens ſinè Abſolutione, quaſi propter indiſpoſitionem eſſet incapax Abſolutionis.

Quod addo; quia ſi Sacerdos non poſſet eum abſolvere ſinè peccato, ſaltem veniali, ex ſua parte, quia videlicet nullam omnino habet cauſam juſtam adminiſtrandi Sacramentum mutilum ſeu imperfectum, recuſare poterit Abſolutionem, quoniam non poteſt, aut debet peccare venialiter; ſic enim peccaret, & non peccaret, ùt patet, quæ eſt contradictio in terminis. Igitur illa probatio Sancii prorſùs corruit.

173. Ad primum ſimile, de ſumptione Euchariſtiæ poſt ſumptum minimum cibum vel potum, Reſpondeo; hanc ſumptionem eſſe mortalem, non ùt vult Sancius, eò præcisè, quòd violetur præceptum in materia irreligioſitatis Sacramenti; alioquin omnia ſacrilegia in materia Sacramentorum eſſent peccata mortalia; & nemo poſſet peccare tantùm venialiter ſumendo Euchariſtiam, quæ ſunt falſiſſima, ùt patet ex communi ſenſu fidelium; ſed, quia lege poſitivâ prohibetur tali caſu ſumptio Euchariſtiæ, propter ſpecialem reverentiam & cultum debitum diviniſſimo huic Sacramento. Vide Diſp. 4. Sect. 11. Concl. 2. At verò in caſu præſenti, nullam habemus poſitivam legem Eccleſiæ, quæ ſpecialiter ob reverentiam debitam Sacramento Pœnitentiæ, præcipiat impoſitionem levis ſatisfactionis, aut abſque ea prohibeat adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ; ſimiliter quæ prohibeat ſuſcipere Sacramentum ſine acceptatione levis pœnitentiæ.

Quamvis ergo ipſum Sacramentum Pœnitentiæ ſit res indubiè gravis, & ideò poſſet ſub peccato mortali prohiberi ejus adminiſtratio, aut ſuſceptio abſque impoſitione, aut acceptatione levis ſatisfactionis, equidem ex nullo jure conſtat ſic eſſe prohibitam. Nam jus poſitivum nullum eſt, jus autem naturale tametſi dictet aliquam eſſe irreverentiam ſic adminiſtrare, vel ſuſcipere imperfectum Sacramentum, non tamen dictat eſſe irreverentiam gravem.

Ad aliud ſimile, de crimine Simoniæ, quod numquam eſt veniale propter parvitatem pretii, quo venditur res ſpiritualis, Reſpondeo; tota malitia Simoniæ conſiſtit in eo præcisè, quòd res ſpiritualis comparetur rei temporali, cùm tamen inter illas res nulla prorſùs ſit proportio; jam autem illa malitia, quanta quanta eſt, perfectiſſimè & totaliter reperitur in venditione rei ſpiritualis, pro exiguo pretio; immo quò pretium minùs eſt, eò major videtur eſſe irreverentia, quia tantò minùs juſto æſtimatur res ſpiritualis. Si ergo aliquando Simonia eſt peccatum mortale, tunc eſſe debebit. 174. *Item inter peccatum ſimoniæ & illam recuſationem.*

At verò in caſu præſenti, malitia conſiſtit in eo, quod reus non debitè puniatur, & per conſequens judicium maneat imperfectum; jam autem ratio naturalis dictat, multò pejùs eſſe, furem mille florenorum, qui juſtè deberet ſuſpendi, abſolvere à ſuo furto, nullâ impoſitâ pœna, quàm furem unius floreni; ergo licèt unum ſit peccatum mortale, non propterea aliud, cùm utrumque non participet totam malitiam; ergo non videtur, quare ſemper malitia debeat eſſe mortalis, & non poſſet aliquando ex parvitate materiæ eſſe venialis, quando nimirum crimen puniendum in ſe leve eſt, ita ut non mereatur niſi lévem pœnam.

Sanè non dubito, quin pro foro externo facilè id omnes admitterent. Sed cur non etiam pro foro ſacramentali? Quippe licèt judicium hujus fori ſanctum ſit, & ideo ſanctè tractandum, tamen non adeò ſanctum eſt, ut non poſſit aliquando minùs ſanctè tractari abſque peccato mortali, cum ſolo peccato veniali, ùt nimis clarum eſt. 175. *Eadem eſt ratio in caſu propoſito fori externi, & ſacramentalis.*

Sicut ergo peccat ſolùm venialiter contra ſanctitatem hujus Sacramenti, qui confitetur veniale, quod non fecit, quia ſolùm pervertit judicium in materia non neceſſaria Sacramenti; peccat autem mortaliter, qui confitetur peccatum mortale, quod non fecit, quia pervertit judicium in materia neceſſaria; pari ratione peccabit ſolùm venialiter, qui omittit imponere

nere pœnitentiam pro peccatis venialibus, aut mortalibus aliquando confeſſis; quia pervertit judicium in materia non neceſſaria Sacramenti; peccabit autem mortaliter, qui omittit imponere pœnitentiam pro mortali numquam antea confeſſo, quia pervertit judicium in materia neceſſaria. Hæc eſt Concluſio noſtra, & ſententia communis.

176. Probatur peccare mortaliter, qui non imponit ſatisfactionem pro peccatis mortalibus.

Enimverò cùm præceptum imponendi pœnitentiam ex genere ſuo graviter obliget, imponendi, inquam, ſatisfactionem pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutarem & convenientem, Ne (utor verbis Trident. ſeſſ. 14. c. 8.) *ſi fortè* (Confeſſarii) *peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*, liquidò conſtat, ſaltem tunc eſſe obligationem ſub mortali imponendi ſatisfactionem, quando eſt Confeſſio peccati mortalis, numquam antea confeſſi, & directè abſoluti.

Limitatio Aliquorum.

Quod tamen Aliqui limitant, dummodo foret imponenda gravis pœnitentia omnibus conſideratis; cùm enim tunc pœnitens ſub mortali teneatur illam adimplere, videtur etiam Confeſſarius ſub mortali debere eam imponere. Si autem, omnibus conſideratis, non teneatur Confeſſarius imponere gravem pœnitentiam, videtur tunc probabiliter poſſe excuſari à gravi obligatione, illam levem pœnitentiam imponendi, cùm etiam pœnitens excuſetur à gravi obligatione eam exequendi.

177. quæ Aliis non placet.

Aliis placet, etiam eſſe obligationem gravem imponendi illam levem pœnitentiam, & ſimiliter gravem obligationem eam exequendi. Quia, inquiunt, res ex ſe levis, ſeu levis materialiter, ratione finis & circumſtantiarum poteſt eſſe formaliter gravis, ùt communiter docetur in Tract. de Virtutibus & Vitiis in communi. Porrò impræſentiarùm licèt, omnibus conſideratis, Confeſſarius poſſit imponere rem materialiter levem, attamen ratione finis & circumſtantiarum erit formaliter gravis; nam finis eſt, integritas Sacramenti omnino neceſſarii, ſive complementum Abſolutionis peccati mortalis, aut ſatisfactio pro peccato mortali. Itaque attendenda eſt non præcisè gravitas pœnæ, quæ imponitur, ſed maximè gravitas culpæ, pro qua imponitur.

Accedit; quòd nulla videatur poſſe eſſe juſta ratio, non imponendi parvam pœnitentiam ſub gravi obligatione, cùm non ſit difficiliùs implere illam parvam pœnitentiam, quando obligat ſub mortali, quàm dum ſolùm obligat ſub veniali; cùm ergo ſecundùm Omnes debeat Confeſſarius imponere gravem pœnitentiam ſub gravi obligatione, quando non ſubeſt juſta cauſa imponendi levem, videtur ſaltem debere ſemper imponere gravem obligationem.

178. Objectio.

Si objicias; illa pœnitentia levis non eſt capax gravis obligationis, neque Legiſlator humanus in re levi poteſt obligare ſub mortali.

Solvitur.

Reſpondent hi DD. cum diſtinctione; in re levi abſolutè, concedunt; in re ex ſe levi, tamen gravi ex fine, negant. Et conſequenter affirmant pœnitentiam ex ſe gravem, impoſitam pro venialibus, non obligare pœnitentem graviter ad ejus executionem, quia videlicet ex fine ſit levis. Hæc Illi.

179. Arbitrarium videtur imponere ſatisfactionem ante vel poſt Abſolutionem.

Rogas, quid ego de hac re ſentiam? Legatur Concluſio 9. & 10. in quibus explico obligationem, quam habet pœnitens acceptandi, & adimplendi pœnitentiam acceptatam. Illud pro fine hujus Concluſionis addiderim, arbitrarium eſſe imponere ſatisfactionem ante, vel poſt Abſolutionem, dummodo moraliter conjungantur, & veluti in eodem judicio fiant.

Probatur ex cap. ult. de Cenſ. in 6.

Colligitur ex cap. ult. de Cenſibus in 6. ibi: *Poteſt etiam idem Archiepiſcopus, dum viſitat, Confeſſiones ſubditorum ſuffraganeorum audire, ac abſolvere confitentes, & ipſis pœnitentias injungere ſalutares.* Ubì injunctio pœnitentiæ poſtponitur Abſolutioni. Et ex Clement. *Dudum* de Sepulturis, ubì præponitur Abſolutioni ibi: *Ut fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum civitatibus & diœceſibus Confeſſiones ſubditorum ſuorum, confiteri ſibi volentium, audire liberè valeant, & hujuſmodi confitentibus (prout ſecundùm Deum expedire cognoverint) pœnitentias imponere ſalutares, atque eiſdem Abſolutionis beneficium impendere &c.*

Item ex Clement. Dudum de Sepultur.

Unde non audienda Gloſſa hìc verb. *Audire*, ubi ſic ait: *Nota hunc ordinem, ut primò audiatur Confeſſio, ſecundò injungatur pœnitentia, tertiò fiat Abſolutio. Non ergo præcedat Abſolutio impoſitionem pœnitentiæ, ut ſic abſolutionem præcedat cordis Contritio, oris Confeſſio, operis ſatisfactio, ſaltem affectu.* Non, inquam, audienda hæc Gloſſa, ſi loquatur de ſtricta obligatione; benè, ſi de conſilio, ſeu de eo, quod meliùs eſt, & communiter practicatur, juxta præſcriptum Rit. Rom. Tit. de Sacrament. Pœnit. ibi: *Cùm igitur pœnitentem abſolvere voluerit, injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ ſalutari pœnitentiâ &c.*

18 Convenientiùs ut imponatur ante Abſolutionem.

Itaque conſuetudo imponendi ſatisfactionem ante Abſolutionem per ſe loquendo non obligat; quia non conſtat eſſe introductam, aut à Confeſſariis frequentari animo ſe obligandi: quamvis convenientiùs ſit, ut ſic fiat, tum ut ex ipſa pœnitentiæ humili acceptatione, creſcat diſpoſitio pœnitentis ad effectum principalem; tum quia ſatisfactio eſt quaſi, materia Sacramenti Pœnitentiæ; tum ut pœnitens, maximè in Confeſſione gravium peccatorum, quando gravis eſt imponenda pœnitentia, ſpe Abſolutionis faciliùs acquieſcat impoſitæ pœnitentiæ; & ut, ſi nolit pœnitentiam

Digitized by Google

nitentiam acceptare, Confeſſarius poſſit Abſolutionem negare, & ipſe poſſit licitè ad alium Confeſſarium accedere non recipiendo Abſolutionem; cùm tamen ſi ſemel admiſiſſet Abſolutionem, maneret abſolutus, quia quod factum eſt, infectum fieri nequit; & ſecundùm Multos teneretur pœnitentiam, alioquin juſtam & prudentem, acceptare, & adimplere, ùt patebit ex dicendis Concluſione ſequenti, quæ talis eſt:

CONCLUSIO IX.

Pœnitens regulariter & per ſe loquendo tenetur pœnitentiam juſtam, & prudentem acceptare (ſi velit abſolvi) & acceptatam adimplere.

181. TAmetſi nulla ſit certa ſatisfactionis menſura lege Eccеſiaſticâ hodie taxata, quam Confeſſor imponere teneatur, ſed tam quantitas, quàm modus pœnitentiæ ſit relictus ejus arbitrio, ùt noviſſimè patet ex Conc. Florent. in decreto Eugenii ibi: *Tertia* (pars pœnitentiæ) *Satisfactio pro peccatis ſecundùm arbitrium Sacerdotis*; equidem hoc arbitrium non eſt ejus voluntati relictum abſolutè, ſed conſideratâ gravitate peccatorum & diſpoſitione pœnitentis, ùt clariſſimis verbis docet Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere.*

Et meritò; quia Sacerdos eſt Judex; ergo debet ſervare æquitatem in pœnis injungendis juxta qualitatem delicti, quam ut meliùs ſervare poſſet, voluit Chriſtus declarationem omnium peccatorum mortalium, non in genere dumtaxat, ſed potiùs in ſpecie ac ſigillatim, ùt patet ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Quia tamen Sacerdos non ſolùm Iudex eſt, ſed etiam Medicus; & quoniam in hoc Sacramento non attenditur ſola ſatisfactio pro pœna Purgatorii, ſed etiam ſalus pœnitentis, & ejus emendatio; ideo ſic debet ſervare æquitatem in pœnis injungendis, ut pœna, quæ injungitur, magis cedat in ædificationem pœnitentis, quàm in deſtructionem.

182. Quapropter ex rationabili cauſa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis, poteſt Sacerdos, immo debet diſſimulare, & leviorem ſatisfactionem imponere, quam alioquin peccata per ſe loquendo mereantur.

Eleganter & appoſitè Chryſoſt. (ſive Auctor operis imperfecti) Homil. 43. ad c. 23. Matth. ad hæc verba; *Alligant autem onera gravia & importabilia &c. Tales*, inquit, *ſunt nunc etiam Sacerdotes, qui omnem iuſtitiam populo mandant, & ipſi nec modicè ſervant: videlicet non ut facientes ſint iuſti, ſed ut dicentes appareant iuſti. Tales ſunt & qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt; qui dicunt, & non faciunt: & ſic dum pœna præſentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur pœna peccati futura. Sicut enim ſi faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quem non poteſt baiulare, poſueris; neceſſe habet, ut aut faſcem reiiciat, aut ſub pondere confringatur: ſic & homo, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, neceſſe eſt, ut aut pœnitentiam tuam reiiciat, aut ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus ampliùs peccet. Deinde etſi erramus, modicam pœnitentiam imponentes, nonne meliùs eſt propter miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Vbi enim Paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, ut quid Sacerdos eius auſterus? Vis apparere ſanctus? Circa vitam tuam eſto auſterus, circa alienam benignus.*

Conſimiliter loquitur Nazian. Orat. 26. circa finem: *Hanc*, inquit, *rationem tene, ut partim illum corrigas, idq; leniter & humanè, non ùt hoſtis, neque ùt durus & rigidus Medicus.* Et infrà: *Habes medicinæ regulam, Chriſti diſcipulus es mitis & benignus, qui noſtras infirmitates portavit.* & Nazian.

Profectò experientia quotidiana docet, plerumque lenitate conciliari animos pœnitentium, & allici ad frequentiam Confeſſionis, quæ frequentia eſt efficaciſſimum remedium pro pœnitentibus, cùm è converſo nimiâ ſeveritate, ſive in reprehendendo, ſive in imponendis gravioribus pœnitentiis retrahantur à frequentia Confeſſionis, immo etiam ab ipſa Confeſſione, & ſæpè ſæpiùs pœnitentias ex toto, vel ex parte non impleant.

Quod adeò verum exiſtimavit Doctor Subtilis, ut non dubitaverit dicere 4. diſt. 15. q. 1. n. 14. *Vel ſi omnino nullam pœnitentiam velit* (pœnitens) *recipere à Sacerdote impoſitam, dicit tamen ſe habere diſplicentiam de peccato commiſſo, & firmum propoſitum non recidivandi, abſolvendus eſt, & non eſt reſpuendus, ne cadat in deſperationem: & nuntianda eſt ſibi pœna, quæ eſſet pro peccatis facienda, & quod eam in ſe, vel in æquivalenti ſtudeat adimplere, alioquin ſolvet ad plenum in Purgatorio.* 183. Nolens recipere ullam Pœnit. an abſolvendus ex Scoto.

Et proſequitur: *Hæc miſericordia ſatìs conſonat illi prophetiæ Iſaiæ 42. de Chriſto, quam Matth. 12. c. recitat:* Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. *Arundo quaſſata eſt peccator quaſſatus tentationibus & peccatis, linum fumigans, eſt linum nimis humidum ex peccatis, tamen aliquid habens de igne Charitatis: & hic extinguitur, ſi per duritiam Sacerdotis ad nimis difficile obligetur: ſed non extinguitur, ſi prædicatur ſibi, quòd oportet eum hic vel alibi pœnam ſolvere, & quòd ſtudeat hic tantam pœnam ſolvere, quanta peccatis debetur, ne alibi acrior exigatur.* Huculque Scotus. Matth. 12.

184. qui communiter citatur contra primam part. Concl. Qui propterea citatur, quaſi docuiſſet contrarium primæ partis noſtræ Concluſionis; videlicet, pœnitentem per ſe & regulariter neutiquam teneri acceptare pœnitentiam à Confeſſario impoſitam, ſed eſſe omnino ei liberum acceptare, vel non acceptare; adeòque Confeſſarium non habere poteſtatem ligandi pœnitentem ad opus ſatisfactorium.

Atque ad idem propoſitum adfertur iſtud 4. diſt. 17. q. un. n. 22. *Continet* (præceptum Confeſſionis) *etiam* Qualiter, *quia cum diſplicentia peccati commiſſi, & cum propoſito abſtinendi à peccato, & obediendi Eccleſiæ in ſatisfactionem pro iſto peccato. Intelligo, non quòd oporteat eum velle pœnam vel pœnitentiam ſuſcipere à Sacerdote, quia etſi nullam ſibi oblatam à Sacerdote vellet recipere, tamen duas idoneitates, vel conditiones haberet prepoſitas hìc, & propoſitum recipiendi pœnam infligendam ſibi à Deo hìc, vel in Purgatorio; talis, inquam, citiùs eſſet abſolvendus, quam repellendus, ùt dictum eſt ſuprà diſt. 15. q. 1.*

Conſimiliter loquitur 4. diſt. 19. qu. un. n. 27. *Sed numquid pœnam, à Clave non errante impoſitam, tenetur pœnitens adimplere? Reſpondeo, quòd ſic, ſi velit ſe ſubmittere Sacerdoti huic, & quantùm ad Abſolutionem culpæ, & quantùm ad ſuſceptionem pœnæ totalis correſpondentis; quia tunc obligatur præcepto Eccleſiæ, cui ſe voluntariè ſubmiſit.*

Si autem tantummodo ſe velit ſubmittere huic quantùm ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem, & non quantùm ad taxationem pœnæ totalis, ſed tantùm quantùm ad illam (pœnam totalem) *& illius taxationem, vult ſe ſubdere manui Dei, vel hìc, vel in Purgatorio: non expediret talem ſinè Abſolutione repellere: tunc enim recederet deſperatus. Nec videtur propter iſtam voluntatem eſſe in peccato mortali, cùm conteratur de peccato, & velit puniri pœnâ condignâ pro eo, & ab eo, cuius eſt iuſtè eam infligere, licèt nolit eam ſibi infligi ab iſto Sacerdote, nec ipſemet velit eam recipere, ut ſit miniſter ipſius infligendæ.*

Nec poteſt dici, hunc inobedientem Eccleſiæ eſſe, quia poteſt ſe ſubmittere arbitrio Eccleſiæ, quantùm ad iudicium illud pœnitentiale, ad quod neceſſariò ſe tenetur ſubmittere, licèt nolit ſe ſubmittere illi ſequenti. Et patet, quòd illud non includitur neceſſariò in primo; quia Sacerdotes primo exiſtente quantumcumque uniformiter, valde variant ſequens: unde & frequenter, propter voluntatem confitentis ad ſubeundum pœnam non magnam, dant aliquam modicam, prædicendo ſibi quòd oportet reſiduum ſolvere in Purgatorio, & cùm illa parvà ſit manifeſtè improportionata culpæ, & omnino extra illam latitudinem (medii juſtitiæ vindicativæ) *non propter hoc non recipit talis Sacramentum Pœnitentiæ.*

Eodem modo videtur, quòd poteſt omnino pœnam nullam ſibi imponere, propter reſiſtentiam eius ad ſuſtinendum, prædicendo ſibi, quòd totam illam pœnam oportet ſolvere in Purgatorio, & Auguſt. hoc innuit, quòd ſi tali vix inclinabili imponatur pœnitentia aliqua diſplicens, timendum eſt, ne indè accipiat occaſionem recidivandi in peccatum mortale: quia proiiciendi illam pœnitentiam, in quo peccabit mortaliter, poſtquam voluit ſe ſubmittere Sacerdoti in eius ſuſceptione. Hactenus Doctor Subtilis.

Sed quid luculentiùs, quàm ipſum ferè ubique loqui de ſatisfactione totali & condigna? Diſt. 19. ibi: *Et non quantùm ad taxationem pœnæ totalis.* Et infrà: *Et velit puniri pœnâ condignâ, pro eo & ab eo, cuius eſt iuſtè eam infligere, licèt nolit eam* (ſcilicet pœnam condignam) *ſibi infligi ab iſto Sacerdote.* Diſt. 17. ibi: *Et propoſitum recipiendi pœnam infligendam ſibi à Deo hìc, vel in Purgatorio.* Quis autem dubitet, Deum in Purgatorio infligere pœnam totalem & condignam? Diſt. 15. ibi: *Si per duritiam Sacerdotis ad nimis difficile obligetur*; ergo loquitur de pœna condigna & totali, & nimis difficili pœnitenti in hac vita, & non de quacumque pœna modica juxta diſpoſitionem & facultatem pœnitentis. 185 Sed fere ubique quitur d ſatisfacti de cond gna.

Quod clariſſimis verbis docet in Reportatis Coloniæ impreſſis 4. diſt. 19. q. unicâ n. 14. ibi: *Si dicat aliquis, non poſſum iſtam pœnitentiam facere, ùt ieiunare, nec ullam de quacumque impoſita, quæ eſſet condigna, non debet Sacerdos eum repellere, quia tunc poſſet eum ponere in deſperationem: ſed debet dicere, tantam teneris facere, & ampliorem pro delicto. Si tamen iſtam nolueris acceptare, non eam tibi impono: quia tunc poſſet accedere, quòd eam non faceret. Sed debet dicere, impono tibi aliam pœnam, & alius Iudex, petet à te reſiduum in Purgatorio. Et ideo magìs deberent pœnæ leviores imponi, quàm æquales vel graviores. Nec credo quod talis, qui nollet aliam condignam accipere, peccaret mortaliter, & eſſet repellendus ab Abſolutione. Ideo quantumcumque infligerem pœnitentiam, quam crederem eſſe condignam, dicerem; neſcio ſi hoc ſufficit, ſed bona, quæ feciſti, & facies, ſint ſibi remedium peccatorum; & ſic non decipietur aliquis.*

186. Emendi locus ei Report impreſſi Lugdun. Et quamvis in impreſſione Lugdunenſi omiſſum ſit ly *Condigna*, res tamen ſignificata aliis verbis ſatìs clarè exprimitur: nam in primis Scholium præfixum n. 30. ſic incipit: *Ait nolentem acceptare pœnitentiam æqualem, non eſſe repellendum ab Abſolutione.* Textus autem ſic ſe habet: *Si ſubditus ſe ſubmittat arbitrio Sacerdotis quantùm ad Abſolutionem ſacramentalem tantùm, non ponens obicem, ſed contritus de peccatis, & non ſe ſubmittat ei, quantùm ad pœnam ei infligendam pro peccatis: quia non poteſt talem pœnam explere, ieiunare, vigilare, & huiuſmodi; quia talis præeligit immediatè ſe ſubmittere Deo, & pœnæ Purgatorii; Dico, quòd Sacerdos poteſt, & debet talem abſolvere, licèt non habeat auctoritatem ei pœnam imponere, quia alius quantùm ad pœnam, non vult eſſe eius ſubditus, ſed tantùm Dei; nec poteſt, nec debet eum cogere ad recipiendam talem pœnam* (putà æqualem peccatis, ùt jejunare &c.) *niſi per*

Digitized by Google

per pulchras & mites inductiones, dicendo ei, quòd dimittat duritiam voluntatis ſuæ, & accipiat hujuſmodi pœnam pro peccatis ſuis; quia aliter neceſſe eſt eum ſolvere incomparabiliter duriorem poſt mortem in Purgatorio, ubi exigetur ab eo ſinè miſericordia ſecundùm rigorem ſtrictæ juſtitiæ commutativæ.

Et ſi nolit aliquo modo acquieſcere, non propter hoc eſt damnandus, vel non abſolvendus, quia aliàs vult voluntariè ſatisfacere per pœnam duriorem, ſed non modò, & non contemnit, vel negat omnem ſatisfactionem pro peccato voluntariè, ſed modò ſe obligat ad pœnam futuram ſolvendam, & non præſentem. Si enim Sacerdos daret ſibi pœnitentiam, & ipſe licèt invitè reciperet eam, tenetur implere eam, & ideo imponendo ei violenter aliquam pœnam gravem, quam non poſſet ſinè magno tædio ſuſtinere, datur ei occaſio peccandi mortaliter, ſcilicet non ſervandi eam; & tales pœnæ non eſſent medicina curativa, ſed mortifera, quod eſt contra naturam pœnitentiæ, & ſatisfactionis ſacramentalis. Unde talibus habentibus duras, & malas, & indiſciplinabiles voluntates, propter deſperationem cavendam in eis, iniungendæ eſſent leves pœnitentiæ in principio, & deinde duriores, vel nulla in præſenti, ſed in futuro in Purgatorio ſolvenda.

187. Scotus non negat Confeſſario omnem poteſtatem ligandi.

Hæc latiùs ex Scoto, ut oſtendam eum non auferre vel negare Confeſſario omnem poteſtatem ligandi ad aliquod opus ſatisfactorium, ſed dumtaxat velle, Confeſſarium debere uti illâ poteſtate ad bonum ipſius pœnitentis, ùt ſatìs patet ex Trident. ſuprà allegato ibi: *Et pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones iniungere.* Igitur Confeſſarius non poteſt, multò minùs debet imponere talem pœnitentiam, ex qua videt imminere periculum damnationis, vel deſperationis, vel aliud æquivalens, neque pœnitens tenetur eam acceptare. Siquidem neque juſtitia vindicativa, neque integritas ſeu natura Sacramenti ullatenus poſtulant, vel ſaltem de congruo, ut obligatio aliqua imponatur, & acceptetur contra naturam & bonum Sacramenti, nec non contra bonum & ſalutem pœnitentis, pro qua utique ſalute præcipuè tam ipſum Sacramentum, quàm omnes ejus partes inſtitutæ ſunt.

Cùm ergo in aliquibus caſibus, ùt vidimus Concluſione 7. videlicet quando eſt impotentia phyſica, vel quando inſtat lucranda Indulgentia plenaria moraliter certa, poſſit Sacerdos abſolvere nullâ omnino impoſitâ pœnitentiâ, cur non ſimiliter in caſu Scoti, id eſt, quando pœnitens non poteſt implere pœnitentiam, ſaltem condignam ſeu gravem, abſque periculo damnationis ſeu deſperationis, quare, inquam, in tali caſu non poſſet, immo deberet Confeſſarius abſolvere ſinè impoſitione talis pœnitentiæ? Quidni etiam ſinè impoſitione ullius pœnitentiæ etiam minimæ, ſi caſus daretur (qui non videtur facilè dabilis) in quo ex obligatione minimæ pœnitentiæ, pœnitens incurreret prædictum periculum? v. g. ſi eſſet homo tam extremè melancholicus, ùt non poſſet ſibi perſuadere, ſe ſatisfeciſſe vel minimæ obligationi?

188. Poteſt dari caſus, in quo non expedit imponere pœnitentiam condignam etſi pœnitens velit eam acceptare.

Plus dico; dari poſſet caſus, quo expediret nullam condignam pœnitentiam imponere, tametſi pœnitens eam vellet acceptare: ùtputà ſi Confeſſarius probè noverit per longam experientiam, eſtò nunc pœnitens bonæ voluntatis ſit, equidem illam bonam voluntatem citiùs mutandam in malam voluntatem non adimplendi pœnitentiam acceptatam. Sanè peccatum iſtud pœnitentis ex fragilitate proveniens, videtur incommodum ſatis grave, ut excuſet omnimodam integritatem Sacramenti.

Objectio ſolvitur.

Si dixeris; tali caſu Confeſſarius communicat peccatis pœnitentis. Reſpondeo; potiùs communicaret imponendo pœnitentiam condignam: eſſet quippe occaſio novi peccati pœnitentis, mutilationis utique Sacramenti, quod alioquin, ſi levem impoſuiſſet pœnitentiam, ſaltem aliquam haberet integritatem, quamvis non omnino perfectam, quæ non obligat, niſi quando commodè poteſt haberi, eodem modo, quo integritas Confeſſionis. Cur enim magìs obliget pars integralis, quàm pars quaſi eſſentialis? Igitur Scotus non opponitur primæ parti noſtræ Concluſionis, quæ loquitur de pœnitentia omnibus conſideratis, etiam fragilitate pœnitentis, juſta & prudente.

189. Probatur 1. pars Concluſ. ex Conc. Trid.

Atque ſic intellecta, probatur potiſſimum ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Nam Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas etiam antiqui PP. & credunt, & docent: nec propterea exiſtimarunt Sacramentum Pœnitentiæ eſſe forum iræ vel pœnarum.* Ergo loquitur de poteſtate ligandi ad pœnitentiam ſeu ſatisfactionem, de qua eo loci tractat; id eſt, ad ſatisfactionem non tantùm præſervativam, ùt perperam intelligit Joannes Poncius in ſuo curſu Theologico diſp. 46. n. 172. ſed etiam vindicativam: nam de utraque loquitur eodem modo, & eiſdem verbis. Joan. Poncius.

Addit autem: *Nec propterea exiſtimarunt Sacramentum Pœnitentiæ eſſe forum iræ vel pœnarum*, quia debent Sacerdotes injungere ſatisfactiones ſalutares pro pœnitentium facultate, ùt ibidem docet; forum autem iræ & pœnarum non attendit facultatem aut ſalutem Rei, ſed ſolummodò qualitatem delicti, & bonum publicum, quod ex punitione proportionata delicto ſperatur.

Idem clariſſimè ſignificat Trident. eâdem ſeſſ. can. 15. *Si quis dixerit, Claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra inſtitutionem Chriſti &c. anathema ſit.* Si Sacerdotes Conc. Trid.

cerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, non agunt contra finem Clavium, aut contra inſtitutionem Chriſti; ergo agunt ſecundùm finem Clavium, & ſecundùm inſtitutionem Chriſti; ergo pœnitens acceptando agit ſecundùm finem Clavium, & ſecundùm inſtitutionem Chriſti; ergo ſicut Sacerdos tenetur imponere, ita & ipſe acceptare, quia tam miniſtrans, quàm ſuſcipiens Sacramentum, debent agere ſecundùm inſtitutionem Chriſti.

190. *Chriſtus voluit, ut Sacerdos imponeret pœnas vindicativas.*

Igitur inſtituit ſeu voluit Chriſtus, ut Sacerdos imponeret pœnas, non tantùm medicinales, ſed etiam vindicativas, ùt eodem cap. 8. docet Conc. dicens: *Habeant*, inquit, *præ oculis ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem; nam Claves* &c ùt ſup.

& per conſequens, ut pœnitens eas acceptaret. Poncius.

Ac proinde inſtituit ſeu voluit Chriſtus, ut pœnitens acceptaret pœnas impoſitas à Sacerdote, non tantùm medicinales, ùt perperàm Poncius ſuprà n. 171. ſed etiam vindicativas; eſtò alioquin poſſint peccata in Purgatorio ſufficienter vindicari. Unde ſæpiùs licet ex juſta cauſa omittere vindictam, ſaltem condignam, & proportionatam, in hoc ſæculo, quia ſemper cauſa Dei manet integra; quippe ſi hìc peccator non plenè ſatisfecerit, in Purgatorio ſolvet uſque ad noviſſimum quadrantem.

191. *Fundamentum oppoſitæ ſententiæ.*

Planè, inquis, ſolvet uſque ad noviſſimum quadrantē; & ideo non eſt obligatio ſolvendi in hoc ſæculo, per conſequens obligatio acceptandi pœnitentiam vindicativam à Confeſſario impoſitam; ſed poteſt pœnitens velle ſolvere in Purgatorio uſque ad noviſſimum quadrantem. Ad argumentum autem Concilii reſpondetur, poſſe Sacerdotem ligare ad pœnam, ſicut poteſt abſolvere à culpa, ſed conſtat apud omnes, non poſſe abſolvere nolentem, ſed tantùm volentem; ergo ſimiliter concedendum eſt, poſſe ligare pœnitentem volentem, & pœnitentiam acceptantem, ſecùs nolentem.

Diana.

Et ecce fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quam licèt Aliqui graviùs cenſuraverint, equidem Plures adfert Diana p. 2. tract. 1. Miſcell. Reſol. 52. quibus adde Poncium ſuprà, qui eam docent adhuc eſſe probabilem, quamvis alia ſit magìs communis, & indubiè probabilior, à qua non judico recedendum propter rationem in oppoſitum jam allegatam, ad quam proinde

192. *Reſponſio.*

Reſpondeo; ſicuti liberum eſt confiteri, vel non confiteri peccata venialia, ita etiam liberum pro illis peccatis ſolvere in hoc ſæculo, vel in futuro in Purgatorio; ſed veluti non eſt liberum confiteri, vel non confiteri peccata mortalia, pariformiter non eſt liberum, pro peccatis mortalibus hìc ſolvere, vel in Purgatorio. Immo nec pro venialibus, ſuppoſito quòd velit ab illis pœnitens ſacramentaliter abſolvi: qui enim vel debet ſe ſubmittere, vel ſaltem vult ſe ſubmittere Iudici, debet velle obedire juſtæ ejus ſententiæ; ſed juſta ſententia Iudicis in foro ſacramentali non tantùm abſolvit à culpa, ſed etiam ligat ad pœnam, ùt patet ex Trident. ſuprà: ergo qui debet confiteri, vel vult confiteri, hoc ipſo implicitè debet velle, & vult acceptare pœnitentiam impoſitam per ſententiam Confeſſarii, ac proinde ſicuti nemo abſolvitur à culpa, niſi volens, ita etiam nemo ligatur ad pœnam hujus ſæculi, niſi volens, ſive explicitè, ſive implicitè in voluntate explicita Abſolutionis.

Nonne Petro dictum eſt à Chriſto Matth. 193. *Confirmatur.*
16. v. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis?* Quis ergo dedit poteſtatem pœnitenti, ut audeat dicere Sacerdoti: *Nolo à te ligari ſuper terram, ſed dumtaxat ſolvi?* Ipſius certè non eſt dividere poteſtates ſolvendi, & ligandi, quas Deus inſeparabiliter & indiviſibiliter conceſſit Sacerdotibus. Si ergo velit abſolvi, etiam debet velle ligari; adeoque debet acceptare pœnitentiam ſibi impoſitam à Sacerdote.

Alioquin ſi ab ipſo pendet acceptare, vel non acceptare, neſcio, quare Sacerdos imponens leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis, efficeretur particeps alienorum peccatorum, cùm hoc totum fieret ex conſenſu licitò pœnitentium, non volentium alias pœnas acceptare. Nec video quare Sacerdos debeat imponere aliquam pœnitentiam, ſi pœnitens nullam teneatur acceptare. Debet autem aliquam imponere, ùt patet ex Trident. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Debent ergo Sacerdotes Domini* &c. Vide Concl. præced. Ergo pœnitens tenetur impoſitam acceptare.

Planè, inquis, ſed pœnitentiam præſervativam, de hac enim loquitur Trident. quoniam eâ impoſitâ & acceptatâ haudquaquam efficitur Sacerdos particeps alienorum peccatorum. 194. *Evaſio.*

Reſpondeo; loquitur Concilium de illa ſatisfactione ſeu pœnitentia, de qua immediatè ſubjicit: *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.* Ergo debent imponere non tantùm ſatisfactionem præſervativam, ſed etiam vindicativam. Alioquin efficiuntur participes alienorum peccatorum, à quibus ſatisfactio vindicativa magnopere revocat, & quaſi fræno quodam coërcet pœnitentes. Cur autem Sacerdotes teneantur imponere pœnitentiam vindicativam, ſi pœnitentes non teneantur eam acceptare? *præcluditur.*

Ut, dicet aliquis, poſſint acceptare, ſi velint, & ita ſatisfacere ex opere operato; unde 195 *Alia eva*

unde poteſtas ligandi ad pœnitentiam, non eſt aliud, quàm poteſtas taxandi pœnitentiam non autem præcipiendi, aut cogendi ad pœnitentiam.

Præcluditur.

Reſpondeo; hoc gratìs dicitur contra propriam ſignificationem verborum; nemo quippe propriè dicitur ad pœnam ligare ſolâ taxatione pœnæ. Hinc quando Princeps taxat pretia rerum aut taxat pœnas pro certis delictis, ſimul præcipit ſeu obligat ad iſta pretia, & ad illas pœnas: non quaſi aliquis abſolutè debeat vendere res ſuas tali vel tali pretio; ſed quòd ſuppoſitâ voluntate vendendi, debeat vendere pretio taxato. Et ſimili modo, ex hypotheſi, quòd aliquis commiſerit hoc vel illud delictum, jam obligatur ad pœnam taxatam à Principe. Ergo conſimiliter, licèt Sacerdos non præcipiat abſolutè hanc vel illam ſatisfactionem, tamen, ſuppoſitâ taxatione, ſi pœnitens velit abſolvi à ſuis peccatis, obligatur ad pœnam taxatam. Cæteroquin nonne fruſtranea erit hujuſmodi taxatio?

196. Prima evaſio.

Minimè, reponit quiſpiam; ſed ſervit ad hoc, ut pœnitens poſſit ſatisfacere ex opere operato, eo modo quo ſatisfactio conſulta à Multis admittitur ſacramentalis. Nonne fruſtrà diceret Princeps ſæcularis; *Talis fur ſecundùm leges ſuſpendatur, aut ſolvat mulctam mille florenorum*, tametſi furi liberum ſit ſolvere illam mulctam, vel non ſolvere? Clarum eſt quòd non. Ergo ſimiliter non erit inutile, ſi Princeps Eccleſiaſticus dicat pœnitenti; *Aut ſolves noviſſimum quadrantem in Purgatorio iuxta leges communes, aut certè ſolves talem pœnam in hoc ſæculo.*

Præcluditur.

Reſpondeo; me non admittere ſatisfactionem ſacramentalem tantùm conſultam, ùt patet ex Concl. 7. Qui putant Sacerdotem, conſulendo ſatisfactionem, ſufficienter ligare, videant ipſi, quomodo efficaciter ex poteſtate ligandi, quam Trident. concedit Confeſſariis, probent neceſſitatem acceptationis, intantùm, ut putent ſinè temeritate non poſſe eam negari, imò verè apertè definitam eſſe à Trident. ùt loquitur Suarius (qui tamen admittit conſultam) Sect. 38. Concl. 1. in principio. Ego autem dico, hujuſmodi taxationem, non obligantem, fruſtraneam eſſe; quia nullum habet effectum ex opere operato, cùm non ſit actus poteſtatis ligandi, ſed potiùs poteſtatis ſolvendi, ùt ſuperiùs probavimus. Vide Concluſ. 7. Talem autem poteſtatem ſolvendi, à Chriſto conceſſam Sacerdotibus, nuſpiam reperio. Unde ſi affirmare, probare eſt; negare, eſt reprobare.

197. Sacerdos habet poteſtatem ligandi propriè dictam.

Et gratìs admiſſâ illâ poteſtate, dico, Sacerdotes præter illam habere poteſtatem ligandi propriè dictam, id eſt, poteſtatem præcipiendi ſatisfactionem, adeòque pœnitentem obligationem acceptandi, ſi velit abſolvi. Ratio; quia verba Trident. propriè intelligenda ſunt, niſi aliquid obſtet; hìc autem nihil obſtat, ùt patet ex refutatione fundamenti contrariæ ſententiæ.

Objectio

Si inferas; ergo pœnitens ſemper tenetur acceptare pœnitentiam proportionatam, & æqualem toti debito pœnæ. Reſpondet Lugo disp. 25. n. 73. neg Sequelam; quia, inquit, ſuppoſitâ fragilitate hominum, & conſuetudine rationabili, quæ propter illam fragilitatem jam eſt introducta, non eſſet rationabilis talis pœnitentia. Quare poſſet pœnitens tamquam irrationabilem & inconvenientem rejicere. Hæc ille. Non ex eo præcisè, quòd ſit pœnitentia æqualis; ſed quia pœnitentia æqualis pro gravioribus peccatis communiter ſuperat fragilitatem humanam, quam tamen, juxta Trident. ſuperiùs allegatum, debet Sacerdos attendere in hoc judicio.

Solvitur, Lugo.

198. Spiritualis infirmitas pœnitentium excuſat à peccato impoſitionem levis pœnitentiæ pro graviſſimis peccatis.

Dedit ergo Deus Confeſſario poteſtatem imponendi pœnitentiam æqualem, ſi tamen omnibus conſideratis foret ſalutaris & conveniens pœnitenti. Et quia ſæpiſſimè talis non eſſet, ideo à peccato excuſatur hodierna praxis Confeſſariorum, quâ aliquando leves pœnitentias imponunt pro graviſſimis peccatis; id enim fit propter ſpiritualem infirmitatem pœnitentium, qui gravioribus pœnitentiis ſcandalizabuntur, & vel Confeſſionem fugient, vel certè Confeſſarios ineptos adibunt, qui eos curare neſciant. Interim docet Cardin. Lugo ſuprà n. 60. ſi Sacerdos ſciret, quantam pœnam debeat pœnitens in Purgatorio, & qualis pœnitentia in hac vita illi pœnæ æquivaleat, illam debere per ſe loquendo imponere.

Lugo.

Nec propterea ſibiipſi contrarius ſuprà n. 73. ùt perperàm exiſtimat Dicaſtillo diſp. 14. n. 32. ibi: Quomodo priùs dixit (Lugo) de pœnitentia æquali, quòd *ſuppoſitâ fragilitate hominum, & conſuetudine rationabili, quæ propter illam fragilitatem iam eſt introducta, non eſſet rationabilis pœnitentia?* Si enim non eſſet rationabilis, quomodo deberet illam per ſe imponere? An deberet per ſe id, quòd rationabile non eſt? Quomodo item dixit: *Poſſet tamquam irrationabilem & inconvenientem rejicere?* Si ex potentia imponendi intulit obligationem, & hanc potentiam putat non poſſe ſubſiſtere, ſi pœnitens poteſt pœnitentiam non acceptare, ſed rejicere, quomodo poteſt illam imponere, ſi pœnitens poteſt eandem rejicere? Componat hoc alius, ego non video modum ea conciliandi. Hucuſque Dicaſtillo.

Dicaſtillo.

199. Oſtenditur Lugonem non docuiſſe contraria.

Sed ego video modum haùd difficilem. Et quis ille? Card. n. 60. docet Confeſſarium per ſe loquendo, id eſt, ſecluſâ fragilitate pœnitentis & aliis circumſtantiis, debere imponere pœnitentiam æqualem, ſi illam noſcat, & per conſequens pœnitentem debere eam acceptare. Porrò n. 73. docet propter fragilitatem humanam, quæ communiter ſubeſt in magnis

pecca-

peccatoribus, nec poſſe, nec debere Confeſſarium imponere pœnitentiam æqualem, quia licèt per ſe rationabilis eſſet, equidem per accidens hìc & nunc eſt irrationabilis; quia magìs cedens in deſtructionem, quàm in ædificationem,& ideo pœnitens eamdem tamquam irrationabilem poteſt rejicere. Non quaſi conſuetudo imponendi pœnitentias inæquales, poſſit præſcribere contra jus divinum; ſed quia illa conſuetudo facit, ut jam non ſit pœnitentia ſalutaris, quæ alioquin foret ſalutaris; Confeſſor autem non habet poteſtatem imponendi aliam pœnitentiam, quàm ſalutarem. Cui non placet hæc conciliatio, ſeu modus conciliandi, quærat meliorem, vel dicat Lugonem contraria docuiſſe.

200. **Pœnitens poteſt rejicere pœnitentiam irrationabilem.** Interim ab omnibus concedendum eſt, & conceditur, pœnitentem poſſe rejicere pœnitentiam, quam moraliter certo conſtat eſſe irrationabilem omnibus conſideratis; cùm talem pœnitentiam non poſſit Confeſſarius imponere, magìs quàm quilibet alius Superior Civilis, vel Eccleſiaſticus poteſt imponere præceptum, aut legem irrationabilem.

Ergo ſicuti lex irrationabilis ſeu injuſta non eſt lex, & ideo non obligat ſubditos, pari ratione pœnitentia irrationabilis ſeu injuſta non eſt vera ſatisfactio, & ideo non obligat pœnitentem. Et vice versâ ſicuti lex rationabilis ſeu juſta obligat ſubditos ad eam acceptandam & obſervandam, niſi Legiſlator juſta ex cauſa condeſcendat eorum infirmitati, pari quoque ratione ſatisfactio rationabilis ſeu juſta obligat pœnitentem ad eam acceptandam, & adimplendam, niſi Confeſſarius ex cauſa condeſcendat ejus infirmitati.

Hoc enim poſtulat ratio judicii, & Iudicis, ut poſſit cogere reum ad ſententiam acceptandam & adimplendam; alioquin fruſtrà judicaret, & imponeret pœnitentiam ad vindictam & caſtigationem peccatorum, & Superiores fruſtrà præſcriberent certas pœnitentias imponendas pro quibuſdam peccatis; ùt patet ex dictis. Quamvis ergo pœnitens poſſet velle ſolvere pœnam dumtaxat in altera vita abſolutè loquendo, non tamen ſuppoſitâ inſtitutione & neceſſitate hujus judicii, niſi adſit juſta cauſa, ùt ſuprà cum Scoto diximus.

201. **An ſufficiat voluntas ſatisfaciendi ex opere operantis?** Fateor, reponit quiſpiam, ſed quæro, quare ſaltem non ſufficiat voluntas ſatisfaciendi in hac vita ex opere operantis? Nonne ſi inſtet Indulgentia plenaria moraliter certa, pœnitens poteſt recuſare aliam pœnitentiam? Nam conſtat ex Concl. 7. tali caſu Confeſſarium non debere injungere aliam pœnitentiam; ergo tali caſu etiam poteſt pœnitens aliam recuſare.

Reſponſio Dicaſtillonis. Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 37. Ad complementum judicii & ſententiæ, quam tulit Confeſſarius in Confeſſione, requiritur actus vindictæ judicialis illatæ à Superiore, vel nomine illius, niſi à Superiore remittatur; remittitur autem per Indulgentiam, non verò per opus ſatisfactorium ex opere operantis.

Sed contrà; ſi ante Abſolutionem conſtet de integra ſatisfactione ex opere operantis, ſecundùm Dicaſtillonem n. 15. non tenetur Confeſſarius pœnitentiam imponere; ergo nec pœnitens eam acceptare. Ergo pariformiter non tenetur Sacerdos imponere pœnitentiam, nec pœnitens eam acceptare, quando moraliter certò conſtat de integra ſatisfactione ex opere operantis poſt Abſolutionem. 202. **Impugnatur.**

Hanc replicam non tangit Dicaſtillo, quæ poſſet alicui videri ſatìs difficilis; ſi namque ſatisfactio ex opere operantis, præcedens Abſolutionem, eſt ſufficiens vindicta, ita ut Confeſſarius non debeat aliam imponere, certè non videtur, quare eadem ſatisfactio, ſubſequens Abſolutionem, nequeat habere rationem ejuſdem vindictæ.

Itaque reſpondeo; hunc caſum eſſe planè metaphyſicum, qui enim non vult acceptare juſtam pœnitentiam à Confeſſario, indubiè leviorem, utpotè efficacem ex opere operato, abſque alia juſta cauſa, quàm quòd velit ſatisfacere ex opere operantis, quomodo poteſt Confeſſarius moraliter certus eſſe de tali pœnitente, quòd efficaciter velit ſatisfacere ex opere operantis, & magìs quòd abſolutè ſatisfaciet, cùm voluntas efficax non infrequenter mutetur, aut impediatur? 203. **Reſponſio Auctoris.**

Aliud eſt, quando jam moraliter certò conſtat, ſatisfactum eſſe, & totam pœnam ad dignitatem illius, poſt peccatum relictam, eſſe remiſſam, quamquam & hoc rariſſimum ſit; & ideo ſolet Confeſſarius ſemper imponere aliquam pœnitentiam, tametſi pœnitens videatur accedere valde contritus, quam & hic tenetur acceptare; quia nec Confeſſario, nec pœnitenti moraliter certò conſtat de illa perfecta ſatisfactione ex opere operantis; ergo conſimiliter, & multò magìs tenebitur regulariter & per ſe loquendo Confeſſarius imponere pœnitentiam, & pœnitens eam acceptare, eſtò velit efficaciter poſt Abſolutionem ex integro ſatisfacere ex opere operantis; quia videlicet hæc ſatisfactio prorsùs incerta eſt, tam ex parte ipſius operis, quàm ex parte ipſius pœnitentis, & mille modis poteſt impediri. Perſiſto itaque in Concluſione, & rursùm dico: *Pœnitens regulariter & per ſe loquendo tenetur pœnitentiam juſtam & prudentem acceptare, ſi velit abſolvi.*

Addo illam particulam: *Si velit abſolvi*; quia videtur, ſaltem abſque peccato mortali, poſſe detrectare pœnitentiam ante Abſolutionem, & velle accedere alium Confeſſarium; cùm enim non teneatur magìs huic confiteri, quàm alteri, ùt ſuppono, & non faciat ullam injuriam priori Confeſſori, ſed potiùs maximum onus ſibi ipſi imponat, nimirùm ſecundò confi- 204. **Pœnitens ante Abſolutionem poteſt detrectare pœnitentiam.**

Digitized by Google

confitendi eadem peccata, non apparet, ex quo capite illa detrectatio foret grave peccatum. Accedit; quòd poſtea poſſit procurare ab altero Confeſſario commutationem pœnitentiæ impoſitæ.

Confirma... à ſimili Matrimo... Confirmatur à ſimili; in Matrimonio (inquit Lugo diſp. 25. n. 77. ubì tenet hanc ſententiam poſt Suarium diſp. 38. ſect. 7. n. 4. & Coninck diſp. 10. dub. 9. n. 80.) poſſet conjux poſt conſenſum expreſſum ab alio conjuge, non præſtare ſuum: ſicut ergo ex alia cauſa poſſet pœnitens nolle recipere Abſolutionem, ſic poſſet ob metum obligationis ſubeundæ ad talem pœnitentiam: ſaltem in hoc non apparet culpa gravis; nondum enim contraxerat obligationem abſolutam illius pœnitentiæ; nam ſi poſt pœnitentiam impoſitam, & ante datam Abſolutionem, Sacerdos moreretur, proculdubio pœnitens non obligaretur ad pœnitentiam impoſitam: ergo non obligat præceptum Confeſſarii ante præſtitam Abſolutionem; hanc autem poteſt pœnitens nolle accipere: ergo & impedire obligationem ad pœnitentiam. Hæc ille.

205. Impugnatur ... in ... Sed, inquis, hoc eſt quod quæritur, an ſinè juſta cauſa pœnitens poſſit nolle accipere Abſolutionem, & an metus juſtæ pœnitentiæ, ſit juſta cauſa. Et videtur quòd non; quia eo modo poſſet deludere pœnitens omnes Confeſſarios, quando illi ſuo officio optimè fungerentur, hoc autem eſt valde abſurdum.

...tradem. Deinde utì in humanis judiciis, quando ſunt diverſi Judices, ſi quis ſemel ſe uni ſubdidit, debet ſtare juſtæ illius ſententiæ, & non licet ipſi ſubterfugere ſententiam, eſtò appellare poſſit; ita quando ſe pœnitens ſemel ſubjecit uni Confeſſario, & hic prudenter & moderatè in imponenda pœnitentia ſe gerit, non licebit ullo modo pœnitenti eum ſubterfugere, licèt poſſit appellare, id eſt, poſtea procurare commutationem pœnitentiæ ab alio Confeſſario. Ita augmentatur Arriaga diſp. 48. n. 5. Ubì licèt admittat, nullum eſſe peccatum, ob probabiles cauſas detrectare Abſolutionem, & per conſequens nolle acceptare pœnitentiam; quoniam Confeſſarius tenetur ſequi ſententiam probabilem pœnitentis: equidem ceſſantibus illis cauſis exiſtimat eſſe peccatum mortale.

206. ...tium. Quod ampliùs probat n. 7. quia, inquit, quando actio ſacramentalis, quæ in ſe eſt tam gravis, jam eſt ſeriò inchoata, profectò eam non perficere ſinè juſta cauſa, non videtur poſſe excuſari à gravi culpa. Hinc Sacerdos qui Sacrum inchoaſſet, ſi ante Conſecrationem pro libitu recederet ab Altari (eſtò ſolus in ſecreto celebraret, & quidem ſinè miniſtro, utens opinione probabili, quòd liceat ſinè illo celebrare) nemo eam levitatem in re tam ſeria excuſaret à peccato mortali.

Quartum. Præterea, ſi quis infantem animo baptizandi abluiſſet, & antequam proferret totam formam, diceret: *Relinquamus Baptiſmum hunc in craſtinum, quandoquidem nihil urget nos*; ego non dubitarem, eum graviter peccaturum, etiam omni ſcandalo ſecluſo; quia reverà eſt contra reverentiam debitam Sacramento, illud ſinè ulla probabili cauſa imperfectum relinquere, & cùm inceperit nomine Chriſti eam actionem, illam poſtea ex levitate vertere in aliam actionẽ quaſi ridiculam. Hactenus Arriag.

Et n. 8. aſſignat triplicem diſparitatem inter Matrimonium & pœnitentiam. Prima; quia in Matrimonio eſt illud graviſſimum onus totius vitæ, quod poteſt ſemper hominem prudenter retrahere ab eo contrahendo; at verò in Sacramento Pœnitentiæ non imponitur onus intolerabile aut perpetuum; ſed pœnitentia prudens, quam ex ſe alioquin tenetur acceptare: unde ſi caſu omnes Confeſſarii, ad quos ille recurrerit, impoſuerint illam eandem, tandem debebit cedere; ergo nulla illi infertur vis. 207. Prima diſparitas inter Matrimonium & Pœnitentiam ex eodem Auct.

Secunda diſparitas; quia meliùs eſt per ſe, non nubere, quàm nubere: at verò pœnitens abſolutè tenetur ea peccata confiteri ſive huic, ſive alteri, & aliunde omiſſio Sacramenti non eſt ibi melior, quàm ipſum Sacramentum. Secunda.

Tertia; quia ad Matrimonium, ùt eſt Sacramentum, præcedit priùs naturâ, per modum materiæ, ſuper quam cadit Sacramenti eſſentia, ratio contractûs humani; ad contractum autem humanum perficiendum, ſecluſâ obligatione voti, aut promiſſionis, non tenetur ullus ſub mortali, immo per ſe nec ſub veniali. At verò in præſenti caſu nullus nec realiter, neque ratione præcedit contractus humanus ante inchoationem actionis ſacramentalis ùt talis, ratione cujus poſſit recedere, nullâ factâ Chriſto, aut ejus Sacramento injuriâ. Non ergo, inquit præfatus Auctor, valet argumentum ab uno ad alterum. Tertia.

Reſpondeo ad tertiam diſparitatem: ad Matrimonium nullus realiter præcedit contractus humanus ante inchoationem actionis ſacramentalis ùt talis, ſed ipſe contractus humanus eſt actio ſacramentalis; unde præſtito conſenſu ab uno conjuge, jam non ſolùm contractus humanus, ſed etiam ipſa actio ſacramentalis eſt inchoata; ſi ergo licet relinquere imperfectum contractum ſacramentalem, cur non etiam judicium ſacramentale? 208. Reſpondetur ad 3. diſparitatem.

Sanè quotidiana experientia docet, partes litigantes poſſe communi conſenſu ſubterfugere ſententiam Judicis, amicabiliter rem inter ſe componendo; ſi autem in aliquo caſu non liceat ſubterfugere ſententiam, causâ jam inchoatâ, hoc fit propter præjudicium tertii; jam autem in caſu præſenti non fit præjudicium, niſi ipſi pœnitenti, in cujus favorem Sacramentum totaliter eſt inſtitutum; & qui ſubterfugiendo ſententiam hujus Judicis, tenetur, non abſque magno ſuo incommodo,

Ccccc rursùm

Digitized by Google

rurſum ſe ſubjicere alteri Judici, per iteratam Confeſſionem eorumdem peccatorum.

209. Objectio. Dices; etiam fit præjudicium ipſi Confeſſario. Et ſi quæras, quod præjudicium? Reſpondet Arriaga ſup. n. 6. Sinè dubio debet cenſeri grave, ei talem facere pudorem, ut deſeratur fortaſſis cum rubore, & aliorum nota. Et ſanè negari non poteſt, quin aperire viam hanc pœnitentibus, grave afferat incommodum, & vehementer contrarietur Conc. Trident. deſiderio: quomodo enim Sacerdotes erunt conſtantes ad imponendas eas pœnitentias, quas tam graviter ibi præcipit proportionatas prudenter ipſis peccatis, ſi ſciant licere ſinè gravi peccato pœnitentibus, eas non acceptare, & effugere ſententiam, facto ipſis Confeſſariis ingenti pudore? Certè ego nullo modo dubito, quin hoc inconveniens ſit adeò grave, ut ſufficiat ad obligationem ſub mortali. Hæc ille.

Solvitur. Ego autem nullo modo dubito, quin hoc inconveniens ſit adeò parvum, ut vix ſufficiat ad obligandum ſub veniali. Profectò dum hæc ſcriberem, interrogavi quemdam Confeſſarium; quid ſibi videretur de illo inconvenienti, qui ſubridens reſpondebat: Ego gaudeo quòd tales, qui difficiles ſe reddunt in acceptandis pœnitentiis proportionatis, ſinè Abſolutione ad alium accedant, ex quo mihi indè nullus rubor, aut pudor, ſed exoneratio conſcientiæ meæ, dum ſæpiùs dubito de legitima diſpoſitione hujuſmodi pœnitentium.

210. Aliud argumentum Arriagæ. Ergo non valet argumentum Arriagæ ſuprà: Sicut Confeſſarius non poteſt uti contra pœnitentem notitiâ in Confeſſione habitâ, etiam ſecretò & inſcio ipſo pœnitente; v. g. quando per ſecreta ſuffragia eum rejiceret: quia licèt pœnitens nihil ea de re tunc intelligeret, ipſum tamen ſcire antecedenter, quòd hoc liceat Confeſſario, poteſt deterrere à Confeſſione, ideóque graviter id prohibetur; ergo ſimiliter ipſum ſcire antecedenter, quòd pœnitenti liceat effugere eas pœnitentias juſtas cum rubore Confeſſarii, vehementer retrahet ipſos Confeſſarios ab imponendis talibus pœnitentiis; ergo ea licentia graviter adverſatur intento Tridentini.

Rejicitur. Hoc, inquam, argumentum non valet; nam, præterquam, quòd illa fuga pœnitentiæ, fiat cum parvo aut nullo rubore Confeſſarii, rariſſimè contingit, ut aliquis pœnitens velit effugere juſtas pœnitentias cum tanto incommodo, ſcilicet iterata Confeſſione eorumdem peccatorum cum incertitudine accipiendi minorem pœnitentiam: unde non eſt periculum morale, quòd plures ſic illudent omnes Confeſſarios. Si autem Confeſſarius uti poſſet ſecretâ notitiâ confeſſionali, rejiciendo ipſum per ſecreta ſuffragia, aut alio modo in ipſius præjudicium, cùm Confeſſarius hoc faceret abſque ullo ſuo incommodo, caſus forent ſatis frequentes, idque cum notabili damno pœnitentium, & ideo meritò retraherentur pœnitentes à Confeſſione.

De cætero conſulunt Omnes Confeſſariis, ut non præbeant ſe difficiles, ſed ut accommodent ſe fragilitati pœnitentium, & leviores illis pœnitentias imponant, ſi graviores, etſi alioquin juſtas, acceptare nolint, præſertim quando non eſt aperta eorum malitia, & medicinæ neceſſitas in futurum non urget, & ita fiet, inquit Suarius ſuprà, ut moraliter vix poſſit fieri magna diſſenſio inter Confeſſorem, & pœnitentem; ſi uterque licitè & juſtè ſuo munere fungatur. 21 Conſi Confeſſariis, ut comm fragilit pœnit tium.

Igitur ex caſu rariſſimo, quo aliquis pœnitens ex pura malitia non vult ſuſcipere juſtam pœnitentiam, ſed ſinè Abſolutione mavult accedere alium Confeſſarium, eſtò id dicamus eſſe licitum ſinè gravi peccato, non ideo debent Confeſſarii vehementer retrahi ab imponendis pœnitentiis proportionatis juxta doctrinam Tridentini, nec credo quòd retrahantur. Hæc de tertia diſparitate.

Ad ſecundam dico, quamvis per ſe melius ſit non nubere, quàm nubere; equidem per accidens poteſt meliùs eſſe nubere, quàm non nubere; & tamen indè non ſequitur, quòd tali caſu ſit grave peccatum relinquere Sacramentum Matrimonii imperfectum. Ergo licèt per ſe meliùs ſit ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ ab hoc Confeſſario, indè tamen non bene infertur; ergo eſt peccatum mortale ſinè cauſa illud accipere ab alio Confeſſario, priori relicto. 2 Reſp tur ad cunda

Quantùm ad primam diſparitatem; fateor, majus onus imponitur in Matrimonio, quàm in Sacramento Pœnitentiæ, nihilominus, quia onus, quod imponitur in Sacramento Pœnitentiæ, aliquibus, quamvis imprudenter, videtur intolerabile, & quia aliunde Confeſſarii valde variant in imponendo iſto onere; hinc non apparet tanta irreverentia ſinè alia cauſa, quàm mutationis pœnitentiæ, relinquere hoc judicium jam inchoatum, imperfectum, & ſe ſubjicere alteri ſententiæ, non apparet, inquam, nobis, & Aliis irreverentia mortalis, quidquid ſit de irreverentia, quæ committeretur ab illo, qui abſque ulla cauſa relinqueret Sacramentum Baptiſmi imperfectum; aut Sacrificium jam inchoatum, interrumperet, aut abſolutè intermitteret. & pri diſpar tem.

Ut omittam, non quamcumque inchoationem Sacramenti Baptiſmi, aut Sacrificii, ſufficere ad conſtituendam gravem irreverentiam. V. g. ſi Parochus, poſtquam incepit ceremonias Baptiſmi ſolemnis, ſecluſo omni ſcandalo, diceret: *Relinquamus Baptiſmum hunc in craſtinum, quandoquidem nihil urget nos.* Item ſi Sacerdos incepto *Iudica*, recederet ab Altari ſinè ſcandalo & contemptu.

Si

Digitized by Google

213. *Objectio.* Si dixeris; factâ Confeſſione, & impoſitâ ſatisfactione, jam ſatis notabiliter inchoatum eſt Sacramentum Pœnitentiæ; nam Confeſſio eſt pars quaſi eſſentialis, ſatisfactio autem pars integralis, & quidem gravis, ſi pœnitentia ſit gravis pro gravibus delictis. Cur ergo non ſit gravis irreverentia Sacramentum Pœnitentiæ, ſic inchoatum, relinquere imperfectum?

Reſponſio. Reſpondeo; propter onus, quod imponitur, licèt enim ejus acceptatio non debuerit eſſe omnino libera; equidem quia tanta diverſitas eſt inter Confeſſarios in impoſitione hujus oneris majoris, vel minoris, fideles communiter non apprehendunt notabilem irreverentiam in eo, quòd pœnitens recuſet pœnitentiam, nolens ab hoc Confeſſario abſolvi, ſed experiri judicium ſeu ſententiam alterius Confeſſarii, quod non habet locum in Sacramento Baptiſmi, aut Sacrificio Miſſæ. Interim res non caret difficultate, quam optimè propoſuit Arriaga; an autem ei per omnia ſatisfactum ſit, relinquo judicio Lectoris: ego, ut verum fatear, non video quid aliud reſponderi poſſit.

Omittitur alia objectio. Tranſeamus itaque ad ultimam partem Concluſionis: nam quòd Aliqui præterea objiciunt, Confeſſarium poſſe obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam, priuſquam illum abſolvat, per ſe loquendo falſum eſt, ſi loquamur de ſatisfactione merè vindicativa; & quando per accidens verum eſt, de quo Concluſione ſequenti in principio, ſupponitur voluntas recipiendi Abſolutionem; quâ proinde ceſſante, ceſſat præceptum Confeſſarii, & per conſequens obligatio pœnitentis. Igitur nullius momenti hæc objectio.

214. *[Pœ]nitens [regular]iter per ſe [lo]quendo [tenetur pœn]itentiam [acce]ptatam [a]dimplere [con]tra Ca[jet.] & Suar[iu]m.* Nunc quod attinet ad ultimam partem Concluſionis; videlicet, *Pœnitens regulariter & per ſe loquendo tenetur pœnitentiam acceptatam adimplere:* Cajet. tom. 1. opuſ. tract. 6. q. 2. ad 2. non tantùm negat, pœnitentem teneri ad acceptandam pœnitentiam; ſed, etiamſi acceptet, teneri ad implendam. Et videtur ſanè, inquit Suarius diſp. 38. ſect. 7. n. 1. magis conſequenter loqui; quia illa acceptatio non eſt votum, nec promiſſio, ſed tantùm ſimplex propoſitum: ſi ergo præceptum Confeſſoris per ſe non inducit obligationem, nec acceptatio illam inducet. Ita Suarius.

Sed non aſſentior; quia dum pœnitens acceptat ſatisfactionem, hoc ipſo ſe ſubjicit Confeſſario, non tantùm quoad remiſſionem culpæ; ſed etiam quoad remiſſionem pœnæ, quid ni ergo teneatur ſtare ejus ſententiæ? Ita docet Scotus 4 diſt. 19 q. un. n. 27. ibi: *Sed numquid pœnam, à Clave non errante impoſitam, tenetur pœnitens adimplere? Reſpondeo, quòd ſic; ſi velit ſe ſubmittere Sacerdoti huic, & quantùm ad Abſolutionem culpæ, & quantùm ad ſuſceptionem pœnæ totalis correſpondentis; quia tunc obligatur præcepto Eccleſiæ, cui ſe voluntariè ſubmiſit.*

Putas, quia magis conſequenter loquitur, qui dicit: *Populus non tenetur acceptare legem Principis, neque acceptatam adimplere,* quàm ille qui dicit: *Populus non tenetur acceptare legem Principis, acceptatam autem tenetur adimplere?* Sanè quamvis Nonnulli ſint, qui exiſtiment, acceptationem populi eſſe neceſſariam ad legis obligationem; nemo tamen docet, legem acceptatam non obligare. Ergo ſimiliter, eſtò ad obligationem ſatisfactionis foret neceſſaria acceptatio pœnitentis, equidem minùs conſequenter loquitur, qui negat obligationem ſatisfactionis, à pœnitente acceptatæ. 215. *Reſpondetur argumento Suarii.*

Nec obſtat; quòd illa acceptatio non ſit votum, nec promiſſio; quia ſaltem per eam ſubjicitur pœnitens, quoad vindicationem peccati, Judici habenti poteſtatem ligandi, ſuppoſitâ ſubjectione & conſenſu Rei; ergo deinceps non eſt ipſi liberum reſilire à ſententia lata. Nonne acceptatio legis eſt votum, vel promiſſio? Patet quòd non: & tamen ſuppoſitâ acceptatione, lex obligat, eſtò ante acceptationem non obligaſſet: quia jam tunc conſtat illam legem convenire communi bono totius populi. Ergo conſimiliter in caſu præſenti, poſitâ acceptatione ſatisfactionis, eo ipſo conſtat, eam eſſe ſalutarem & convenientem pœnitenti, quid ni ergo obliget? Noli dubitare, ſi non vis errare in bonis moribus.

Si autem à me quæritur, an hæc obligatio ſit gravis. Reſpondeo citiùs & Dico decimo:

CONCLUSIO X.

Regulariter & per ſe loquendo peccat mortaliter, qui ſinè juſta cauſa non implet pœnitentiam, impoſitam pro peccatis mortalibus numquam confeſſis, aliàs ſolùm venialiter.

Obligationem tum acceptandi pœnitentiam, tum acceptatam adimplendi, ex genere ſuo eſſe mortalem, patet ex dictis Conclu. 8. de obligatione Confeſſarii eam imponendi; quia videlicet materia de ſe gravis eſt, pertinens ad Religionem ſeu reverentiam debitam Sacramentis, immo quodammodo ad juſtitiam divinam; quia per ſatisfactionem redditur Deo æquivalens moraliter pœnis, alioquin ſecundùm juſtitiam vindicativam hìc, aut in futuro ſæculo in Purgatorio exſolvendis. 216. *Obligatio ſatisfactionis ex genere ſuo eſt mortalis.*

Interim Doctores communiter docent, hanc obligationem in individuo ſubinde tantùm eſſe ſub veniali, ùt conſtat ex generali regula peccatorum, quæ ex levitate materiæ venialia fiunt. Erit autem levis materia (in- *Ex levitate materiæ ſit venialis.*

 quit

Quæ materia ſit levis ex Suario.

quit Suarius diſp. 38. ſect. 7. n. 5.) primò, ſi Confeſſio ſit de ſolis venialibus. Secundò, ſi ſit de mortalibus jam confeſſis; quia licèt integritas Sacramenti non ſervetur, tamen eſt in re valde extrinſeca & ſecundaria. Tertiò, ſi omittat partem pœnitentiæ in Confeſſione mortalium, quando pars illa non eſt gravis. Quartò, ſi contingat in Confeſſione mortalium levem pœnitentiam imponi, etiamſi illa tota omittatur non erit peccatum mortale; quia licèt cauſa ſit gravis, tamen materia præcepti non eſt ſufficiens ad tantam obligationem. Et, ſi illa eſſet materia partialis, omiſſio ejus non eſſet mortalis, ergo nec etiamſi ſit totalis, quia, ùt diximus, ſola hæc mutilatio Sacramenti non ſufficit ad peccatum mortale. Hactenus Suarius, verè, an falsò reſtat examinandum.

217. Materia eſt gravis, quando pœnitentia eſt gravis pro gravi peccato.

Atque in primis Omnes in eo conveniunt; quando Confeſſio eſt de materia mortali & neceſſaria, & pœnitentia impoſita etiam eſt gravis, tunc eſſe peccatum mortale, ſi voluntariè & ſinè cauſa rationabili omittatur. Si enim tunc non eſſet, non apparet quando eſſet; cùm ergo ex genere ſuo ſit mortale, ùt dictum eſt, ſaltem tunc debet eſſe mortale. Quid ni eſſet, cùm Sacramentum neceſſarium mutiletur in materia gravi?

Igitur hìc præcipuè diſputatur, Primò; an ſi pœnitentia ſit res in ſe levis, v. g. una ſalutatio Angelica, impoſita tamen pro peccatis mortalibus numquam confeſſis, peccet ſolùm venialiter, qui eam non implet. Secundò, an ſi pœnitentia ſit res in ſe gravis, v. g. jejunium, impoſitum tamen pro peccatis venialibus, aut mortalibus priùs confeſſis, peccet mortaliter, qui non jejunat.

218. Quid ſi pœnitentia ſit levis pro gravi peccato?

Ad primam quæſtionem Suarez ſuprà reſpondet, ſolùm peccare venialiter, & probat primò, ùt vidimus, quia licèt cauſa ſit gravis, tamen materia præcepti non eſt ſufficiens ad tantam obligationem.

Oſtenditur ex Suario contra Suarium eſſe peccatum mortale eam omittere.

Sed videtur contradicere ſibi-ipſi in tract. de Leg. ubi l. 3. c. 25. n. 4. ſic ait: Denique addo, ſæpè materiam, quæ nudè ſpectata levis apparet, prout in tali occaſione, & in ordine ad talem finem præcipitur, eſſe gravem. Et poſt pauca: Neque ampliùs probat exemplum Religionum (in quibus aliquando ponuntur præcepta Obedientiæ, & ſub excommunicatione de rebus minimis) nam doctrina data in eis etiam locum habet de neceſſitate materiæ gravis, quamvis in illis, propter altiorem finem perfectionis, poſſit accidere, ut res in ſpecie levis, in tali ſtatu, & in ordine ad finem ei conſentaneum, gravis meritò cenſeatur.

Quare Inobedientia Adæ fuerit gravis.

Deinde in fine illius numeri, ita lego: Dico ergo, præceptum Adæ impoſitum fuiſſe de re gravi; quia illa abſtinentia à cibo vetito, impoſita fuit in recognitionem Obedientiæ Deo debitæ, & quaſi in tributum humanæ ſubjectionis ad Deum, & ad reprimendam hominis elationem, quodammodò ſubjiciendo illum inferiori creaturæ in obſequium Dei, ſub quibus rationibus præceptum illud graviſſimum erat.

Quæ conſiderandi ferendo judicium gravitat materiæ.

Denique nu. 7. Ad ferendum, inquit, hoc prudentiale judicium (de gravitate materiæ) duo præcipuè in lege conſideranda ſunt, unum eſt finis legis, præſertim proximus, ratione cujus materia præcepta cenſetur conſtitui per legem in hac, vel in illa ſpecie virtutis; aliud æqualitas ſeu proportio medii præcepti in ordine ad talem finem, & ex his duobus, prudenti arbitrio ſpectatis, colligenda eſt materiæ gravitas. Hucuſque Suarius.

Similiter modo loquitur de Cenſ. diſp. 4. ſect. 6. num. 11. ibi: Obſervare oportet in hujuſmodi humanis præceptis, ſæpè materiam eorum eſſe ex ſe indifferentem, aut levem videri, & tamen relatam ad aliquod commune bonum, quod reſpicit præceptum humanum, eſſe gravem, & ideo, ſi præcipiatur ſub cenſura, validam eſſe totam cenſuram; ùt quando Judex præcipit ſub Excommunicatione, aliquem comparere in judicio, aut cùm Inquiſitores vocant ad edictum audiendum, vel aliquid ſimile. Et ideo non facilè ſunt contemnendæ hujuſmodi cenſuræ, vel putandum comminatorias eſſe, aut ſolùm ad terrorem. Quia ſæpè ignoratur gravis ratio, vel neceſſitas talis præcepti, quod materialiter (ut ita dicam) conſideratum, apparet leve, formaliter autem, & in ordine ad talem finem eſt ſatìs grave. Hæc ille. 219

Sæpè materia ex ſe levis fit gravis ratione boni communis, quod reſpicit.

Ex quibus ſic argumentor contra Suarium de Pœnit. diſp. 38. ſect. 7. n. 5. Si contingat in Confeſſione mortalium levem in ſpecie pœnitentiam imponi, cauſa ſeu ratio eſt gravis, ùt fatetur præfatus Auctor; atqui dum ratio gravis eſt, quod materialiter conſideratum leve apparet, formaliter eſt ſatis grave; ergo talis pœnitentia in ſpecie levis, eſt formaliter gravis, ac proinde materia præcepti ſufficiens ad gravem obligationem.

Si dixeris cum Suario; ſi illa eſſet materia partialis, omiſſio ejus non eſſet mortalis: ergo nec etiam ſi ſit totalis. Reſp. neg. Conſeq. diſparitas; quòd in uno caſu Sacramentum ſit omnino incompletum integraliter; ſecùs in alio caſu. Et quamvis ſola mutilatio Sacramenti non ſufficiat ad peccatum mortale, tamen videtur ſufficere mutilatio Sacramenti neceſſarii, id eſt, omiſſio ſatisfactionis, vel notabilis ejus partis, impoſitæ propter gravem cauſam, id eſt, propter peccatum mortale nunquam confeſſum, ſive hæc ſatisfactio, vel notabilis ejus pars ſit in ſe materia gravis, ſive levis; v. g. Confeſſarius graviſſimo peccatori, conſiderans ejus fragilitatem, impoſuit pro ſalutari pœnitentia unam Salutionem Angelicam, pœnitens incepit Salutationem his binis verbis: *Ave Maria*, cæteram partem neglexit, dico 220

Objectio ex Suario. Solutio.

Digitized by Google

dico in illa ſententia eum mortaliter peccaſſe ac ſi nihil omnino dixiſſet. Sin autem recitaverit totam Salutationem exceptis his verbis: *Nunc & in hora mortis noſtræ amen*, exiſtimo eum tantùm peccaſſe venialiter: ratio, quia non omiſit partem notabilem, ſicut in priori caſu. Nam pars notabilis alicujus orationis eſt, quâ omiſſâ moraliter cenſetur omiſſa ipſa oratio.

221. Quod ſi pœnitentia in ſe ſit gravis pro levibus peccatis? Hæc ſententia ſic explicata eſt prima pars noſtræ Concluſionis contra Suarium ſuprà, & Omnes illos, qui exiſtimant, gravitatem hujus obligationis non eſſe deſumendam ex peccato, pro quo ſatisfactio imponitur, ſed ex materia, quæ præcipitur; prout exiſtimat Card. Lugo diſp. 25. n. 74. Qui propterea, & magìs conſequenter quàm Suarius, ad ſecundam quæſtionem ſuprà propoſitam: An ſi pœnitentia ſit res in ſe gravis, v. g. jejunium, impoſitum tamen pro peccatis venialibus, aut mortalibus priùs confeſſis, peccet mortaliter, qui non jejunat? Reſpondet affirmativè, contra Suarium ſuprà, ubì abſque aliqua limitatione docet, ex parvitate materiæ peccari venialiter, ſi Confeſſio ſit de ſolis venialibus.

[Ex]iſtimat [Lu]go, omiſ[ſi]onem eſſe [p]eccatum [m]ortale.

[Pro]batur. Probat autem Card. ſuam ſententiam; quia pœnitentia levis, impoſita pro peccato mortali, non obligat ſub mortali: ſi autem materia gravis, v. g. jejunium, imponatur pro multis peccatis venialibus, non apparet cur non obliget graviter, cùm oriatur à poteſtate Iudicis, & res præcepta ſit gravis, & capax præcepti gravis. Hæc ille.

222. [R]eſponſio [A]uctoris. Sed reſponſio patet ex dictis; nam pœnitentia in ſe levis, impoſita pro peccato mortali, ſecundùm me, obligat ſub peccato mortali; ergo ſimili ratione, materia gravis ex ſe, impoſita pro peccato veniali, ſolùm obligat ſub peccato veniali, quæ eſt ſecunda pars noſtræ Concluſionis. Ratio; quia illa materia gravis in ſe, formaliter eſt levis, quia cauſa eſt levis, & ideo licèt oriatur à poteſtate Judicis, nihilominus eſt incapax præcepti gravis; quia Iudex non poteſt quæcumque etiam gravia graviter præcipere pro ſuo libitu, ſed dumtaxat exiſtente juſtâ & rationabili causâ; nulla autem eſt juſta ratio imponendi obligationem mortalem pro levi peccato, ac proinde talis lex excedit poteſtatem Confeſſarii in tali caſu, quandoquidem foret injuſta & irrationabilis, magìs cedens in deſtructionem, quàm in ædificationem. Enimverò cùm non ſit obligatio confitendi venialia, ſed multis aliis remediis expiari poſſint, meritò homines averterentur ab eorum Confeſſione, ſi paſſim Confeſſarii poſſent illos obligare ſub mortali ad acceptandam, & implendam ſatisfactionem, utpote obligatio omnium judicio graviſſima.

[E]t probatio [o]ppoſitæ [ſ]ententiæ.

223. [Ob]jectio. Dices; bene poteſt ex actione libera oriri obligatio ad aliud, quod ex ipſa conſequitur: aliàs nequidem ſub veniali obligaretur pœnitens, cùm nequidem ſub veniali teneatur confiteri. Item nemo tenetur ſuſcipere Ordines ſacros, nequidem ſub veniali peccato, & tamen ſi liberè ſuſcipiat, non poteſt fugere obligationem gravem, quæ ſequitur ſuſceptionem Ordinum de recitando divino officio, de obſervanda caſtitate &c.

Diluitur. Reſpondeo; me totum illud libenter concedere: ſed quid ad propoſitum noſtrum? Nam obligatio ſub veniali, quæ ſequitur ex Confeſſione, & Abſolutione venialium, non eſt tanta, ut meritò poſſit homines retrahere à Sacramento, quod Deus voluit eſſe medicinam quaſi quotidianam, contra peccata quaſi quotidiana, immo verè quotidiana; à qua tamen medicina, ſicut dixi, meritò homines averterentur, ſi Medicus poſſet præſcribere, & præſcriberet ſatisfactionem ſub peccato mortali; ſecùs quando ſolùm ſub peccato veniali. Et verò Sacramentum Ordinis nonne Deus inſtituit ut paſſim ab omnibus ſuſciperetur? Perſpicuum eſt quòd non, & ideo Eccleſia potuit annectere obligationem gravem ſervandæ caſtitatis, legendi divinum officium &c. eſtò indè multi homines avertantur à ſuſceptione illius Sacramenti.

224. Inſtantia. Urget aliquis cum Lugone ſuprà n. 75. hæc obligatio ſatisfaciendi pro peccato veniali, propriè loquendo non ſuccedit obligationi vitandi peccatum veniale, quæ erat levis; ſed potiùs obligationi; & debito paſſivo patiendi pœnam temporalem, quod relictum fuit ex culpa veniali: hoc autem debitum, ſeu hæc obligatio non erat ad culpam gravem aut levem, ſed ad pœnam. Et quidem erat obligatio gravis, hoc eſt, ad pœnam gravem; erat enim obligatio ejuſdem rationis cum illa, quæ remanet ex culpa etiam mortali jam remiſſa ad pœnam temporalem, quæ obligatio commutatur in obligationem ſatisfactionis ſacramentalis: & poteſt contingere, quòd aliquis debeat majorem pœnam temporalem propter multa venialia, quàm alius propter mortalem culpam jam remiſſam.

Solvitur. Reſpondeo; quidquid ſit de hoc exceſſu, pœna Purgatorii, eſtò gravis comparativè ad pœnam fori civilis, equidem in foro Dei ſimpliciter & abſolutè eſt levis.

225. Alia inſtantia. Si inferas; ergo neque pœna gravis, pro peccato mortali impoſita, graviter obligabit: nam ſolùm imponitur ad redimendam pœnam Purgatorii.

Solvitur. Reſp. Neg. Conſeq. quia cauſa ex qua remanet illa pœna, eſt gravis, ſcilicet peccatum mortale, cujus malitia infinitè quodammodo excedit ſeu ſuperat malitiam peccati venialis, tum propter repugnantiam cum amicitia Dei, & viſione beata, tum propter pœnam æternam, quam meretur. Ex quo fit, ut plura peccata venialia, per ſe loquendo, numquam conſtituant unum peccatum mortale quoad gravitatem culpæ. Jam autem in imponenda ſatisfactione

In imponenda ſatisfactione magìs attendenda

Digitized by Google

eſt gravitas criminis, quam pœnæ.

ctione non tam attendenda eſt gravitas, aut levitas pœnæ, quàm bene gravitas aut levitas cauſæ, ex qua oritur obligatio ad pœnam.

Trident.

Hinc Trident. ſeſſ 14. c. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum .... ſatisfactiones iniungere.* Non ait: *Pro qualitate pœnarum temporalium:* ſed, *Pro qualitate criminum.* Neque communiter ſic loquimur: *Impoſita eſt mihi talis vel tanta pœnitentia pro pœnis temporalibus,* ſed, *pro peccato mortali vel veniali.*

226. *Objectio.*

Sed dicet aliquis; quando conſtat de remiſſione totius pœnæ, non eſt imponenda ulla ſatisfactio, & ſi conſtat de remiſſione partis pœnæ, tanto minor pœnitentia eſt imponenda; ergo magìs attendi debet quantitas pœnarum, quàm qualitas cauſæ; præſertim cùm frequenter culpa remiſſa ſit, antequam ſatisfactio imponatur, ùt patet in Confeſſione iterata eorumdem peccatorum. Quòd autem dicat Trident. *Pro qualitate criminum*, non mirum, quia ex qualitate criminum, cognoſcitur quantitas pœnarum.

Diluitur.

Reſpondeo; planè cognoſcitur, & ideo magìs attendenda qualitas criminum, quàm quantitas pœnarum: quia illa magìs cognoſcibilis eſt, & ideo ei pœnitentia proportionanda, niſi fortè aliunde conſtet pœnas jam totaliter, vel ex parte remiſſas, quod merè per accidens eſt, & rariſſimè conſtat.

Non igitur ſolæ pœnæ ſunt attendendæ, ſed magìs principaliter ipſa cauſa, ex qua oritur obligatio ad illas pœnas, ita ut, licèt eædem pœnæ deberentur pro peccato mortali & veniali, & eadem pœna imponeretur pro utroque peccato, equidem impoſita pro peccato mortali, graviter obligaret, impoſita autem pro veniali, ſolùm venialiter: quia licèt utraque ſit res in ſe gravis, attamen una eſt formaliter levis, quia impoſita propter peccatum, quod non eſt materia neceſſaria, nequidem ſub peccato veniali, Sacramenti Pœnitentiæ, per conſequens quod non eſt materia neceſſaria ſatisfactionis ſacramentalis; altera autem eſt res etiam formaliter gravis; quia impoſita propter peccatum, vel pœnas debitas peccatis, quæ per ſe loquendo ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ & ſatisfactionis ſacramentalis.

227. *Nulla eſt juſta ratio præcipiendi gravem pœnam ſub gravi obligatione pro peccato veniali.*

Proinde licèt Sacramentum de ſolis peccatis venialibus, aut mortalibus antea dimiſſis, ſit tam propriè Sacramentum, quàm Sacramentum de mortalibus numquam confeſſis, equidem non eſt Sacramentum tam grave; quia non tam neceſſarium, & ideo mutilatio ejus non tam graviter peccaminoſa, eſtò pœna, quæ omittitur, in ſe conſiderata, ſit ſufficiens ad peccatum mortale. Breviter; nulla eſt juſta ratio præcipiendi illam pœnam ſub gravi obligatione; ergo Confeſſarius non poteſt eam ſic præcipere.

Non dico; *Nullam poſſe occurrere rationabilem cauſam, iniungendi rem in ſe gravem*, ſed, *iniungendi eam ſub gravi obligatione,* quæ ſunt multùm diverſa: nam poteſtas civilis poſſet præcipere rationabiliter auditionem, v. g. Miſſæ, quæ eſt materia per ſe ſufficiens ad peccatum mortale, ùt patet ex præcepto Eccleſiaſtico; tamen non poteſt illam præcipere ſub gravi obligatione, quia hæc auditio ad finem politicum, quem ſolùm intendit poteſtas civilis ſeu politica, parvam habet proportionem, quæ tamen proportio conſideranda venit, juxta Suarium ſuprà, ad formandum prudens judicium de gravitate materiæ.

228. *Objectio Coninck*

Dices; fieri poteſt, ut pœnitens confiteatur multa, & gravia peccata venialia; multa & gravia peccata mortalia priùs adhuc confeſſa; ne autem leviter æſtimet peccata venialia, & ea ſinè ſcrupulo frequentet, atque ita ſe periculo peccandi mortaliter exponat, videtur neceſſarium imponere gravem pœnitentiam; præſertim cùm, quando tales confitentur ſinè magna Contritione, probabiliſſimum ſit, iis adhuc longè plura reſtare perſolvenda in Purgatorio, quàm quibus delendis ea pœnitentia ſufficiat. Quare cùm ſit intrà condignitatem pœnæ, ab iis meritæ, nulla apparet ratio, cur eam Sacerdos non poſſit injungere. Ita Coninck diſp. 10. n. 81. Addit: Non credo tamen Sacerdotem umquam teneri tam gravem pœnitentiam pro ejuſmodi peccatis imponere, niſi quando hoc credit neceſſarium, ut pœnitentem à peccando conſervet.

Solvitur.

Nec ego credo, maximè ſi loquatur de gravi pœnitentia materialiter, & formaliter; immo credo, non poſſe imponere, niſi quando alioquin eſſet periculum proximum peccati mortalis; ſed tunc illa pœnitentia non erit merè vindicativa, de qua hic tractamus, ſed medicinalis, quæ indubiè obligat ſub peccato mortali (ſi non ex præcepto Confeſſarii, ſaltem ex virtute oppoſita illi peccato mortali) etſi in ſe minima foret.

229. *Pro peccatis venialibus poteſt impon. pœnitentia materialiter gravis.*

Non nego ergo, poſſe imponere pœnitentiam materialiter gravem, quod ſolùm probat argumentum Regii; ſed dico, non poſſe imponere pœnitentiam formaliter gravem, propter rationes ſuperiùs allegatas, præcipuè; quia ſic homines meritò averterentur à Confeſſione venialium peccatorum.

Hinc conſequenter aſſero; pœnitentias primitivæ Eccleſiæ, ſi quæ fortè inveniantur materialiter graves pro levibus peccatis, non obligaſſe, niſi ſub veniali. Similiter puto; ſi quis omiſiſſet plures leves pœnitentias præcedentium Confeſſionum, tametſi in hac Confeſſione omnes illæ ſimul rursùm injungerentur, nihilominus ad eas omnes ſimul pœnitentem tantùm obligari venialiter. Sin autem pœnitentiam, impoſitam pro mortali numquam confeſſo, invincibiliter non impleverit,

non

non mirum ſi poſtea debeat eam implere ſub peccato mortali, , quia priùs ſic obligabat, & Confeſſarius eandem nunc imponens pœnitentiam in Confeſſione venialium, non intendit priorem obligationem auferre, ſed ſuperaddere obligationem aliquam venialem, proportionatam peccatis venialibus jam jam confeſſis.

230. Duplex argumentum Lugonis. Ex dictis haud difficilis erit ſolutio duplicis argumenti Lugonis ſuprà n. 76. Si aliquis, inquit, promitteret jejunium ad finem hunc ſatisfaciendi pro ſuis venialibus, votum illud obligaret ſub mortali; ergo ſi ad eumdem finem præcipiatur jejunium à Confeſſario, obligabit eodem modo graviter.

Prætereà Prælatus ſi ad eundem finem præciperet ſubditis jejunium hodiernum, ut placaretur Deus, offenſus noſtris peccatis venialibus, illud præceptum obligaret ſub mortali: cur ergo præceptum Confeſſarii, qui eſt Superior & Judex legitimus, non æquè graviter obligabit, cùm Confeſſarius præcipit jejunium ad eumdem finem?

231. Reſpondetur ad ſecundum. Reſpondeo; Prælatum poſſe præcipere jejunium ſub gravi obligatione, etiam ſinè ordine ad ullum peccatum præcedens, dummodo ſubſit alia rationabilis cauſa; Confeſſarius autem non niſi per ordinem ad peccatum, & pœnam ex peccato relictam. Deinde Superior per ſuum præceptum ſub peccato mortali, non reddit Sacramentum Pœnitentiæ odioſum, nec avertit homines ab eo; ſecùs Confeſſarius, ùt dictum eſt, & ideo Superiori competit illa poteſtas, non Confeſſario, qui non habet poteſtatem niſi utilem & convenientem ipſi Sacramento, cujus eſt miniſter, per conſequens cujus ſuſceptionem magìs debet promovere, quàm impedire ſeu retardare.

Reſponſio ad primum. Per idem reſpondeo ad primum; ſcilicet, per illud votum pœnitentis, quod ei eſt planè liberum, nemo avertitur à frequentatione hujus Sacramenti; & deinde ad plura poteſt quis ſeipſum obligare, quàm poſſit obligari à Confeſſario, ùt patet in voto perpetuæ Caſtitatis, & ſimilibus.

232. Aliqui negant Confeſſario poteſtatem imponendi gravem pœnitentiam ſub levi obligatione. Atque hìc fuiſſet finis hujus Concluſionis, niſi Aliqui apud Lugonem ſuprà n. 59. negaſſent Confeſſario poteſtatem imponendi gravem pœnitentiam ſub veniali, eſtò Prælatus fortaſſe poſſet rem gravem præcipere ſub veniali. Probant: quia Confeſſarius non obligat in perſona ſua, ſed gerens perſonam Dei, & juxta inſtitutionem Sacramenti, cujus vim ipſe miniſter temperare non poteſt.

Lugo. Confirmari poteſt, inquit Lugo, ex Sacramento Matrimonii, in quo non fieret procul dubio Sacramentum, ſi contrahentes vellent ſe obligare ſolùm ſub veniali: nam inſtitutio Sacramenti exigit obligationem gravem juxta capacitatem materiæ: ſic ergo inſtitutio hujus judicii videtur exigere obligationem gravem juxta capacitatem materiæ, ita ut ſententia obliget reum, ſicut in judiciis humanis, ſcilicet juxta gravitatem vel levitatem materiæ, de qua agitur. Hæc ille.

233. Reſpondetur eorum argumentis. Verùm quis non videat diſparitatem inter Sacramentum Matrimonii, & Sacramentum Pœnitentiæ? Nam, ùt fatetur Lugo, & veriſſimum eſt, Sacramentum Matrimonii nequit ſubſiſtere abſque gravi obligatione, quoniam Matrimonium requirit conſenſum, ſeu potiùs eſſentialiter eſt conſenſus, quo conjuges tradunt jus perpetuum in mutua corpora ad uſum conjugalem, quod objectum non recipit magìs & minùs, ſed omnium judicio graviſſimum eſt, quia obligatio ad rem graviſſimam, immediatè præſcripta ab ipſo Deo inſtitutore Sacramenti: at verò judicium ſacramentale, communi calculo, poteſt abſolutè ſtare abſque ulla obligatione, non dico, gravi, ſed etiam levi; cur ergo non poterit ſtare cum obligatione levi in materia gravi, quando ita expedit ſaluti pœnitentis?

Trident. *Debent Sacerdotes*, inquit Trident. loco ſæpiùs præcitato, *ſalutares & convenientes ſatisfactiones iniungere.* Non ſic ergo attendenda qualitas delicti, ut Sacerdos obliviſcatur facultatis & ſalutis pœnitentis. At verò in Sacramento Matrimonii non attenditur niſi bonum Sacramenti, prolis, & fidei. *Florent.* *Tria*, inquit Florent. in Decret. Euge. *ſunt bona Matrimonii. Primum, proles ſuſcipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum, fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium, indiviſibilitas Matrimonii, propter hoc, quòd ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ.* Itaque obligatio Matrimonii immediatè præſcribitur, ut mox inſinuavimus, ab ipſo Deo inſtitutore Sacramenti; ſecùs obligatio ſatisfactionis, cujus impoſitionem ſecundùm facultatem pœnitentis reliquit Deus immediatæ determinationi Confeſſarii.

234. Deus poteſt rem gravem præcipere ſub levi obligatione. Et quamvis hanc determinationem faciat nomine Dei, vel ex hoc ipſo tantò meliùs cognoſcitur, quomodo poſſit leviter obligare in materia gravi, cùm plerique concedant, Deum rem gravem poſſe præcipere ſub levi obligatione. *Dicaſtillo.* Quidquid contradicat Dicaſtillo disp. 14. n. 32. dicens: unde nec ipſe Deus id poſſet facere, involvit enim contradictionem; nam ſicut involvit contradictionem, eſſe propriè loquendo præceptum aut legem, & non inducere obligationem: ita propriè loquendo contradictionem involvit, eſſe legem aut præceptum grave (id eſt de materia gravi præcepta, ex qua gravitas præcepti deſumenda eſt) & non reſultare obligationem gravem, nam (ùt aiunt Philoſophi) ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magìs ad magìs. Hæc ille.

Præceptum leviter obligans in ma- Sed ex falſo ſuppoſito; videlicet, præceptum leviter obligans in materia gravi, eſſe

præceptum

Digitized by Google

teria gravi potiùs dicendum leve, quàm grave præceptum.

præceptum grave, nam potiùs dicendum leve, quia obligatio levis. Unde præceptum non dicitur grave, quia de materia gravi, ſed quia graviter obligans; & ita veriſſimum eſt, quòd ſicut involvit contradictionem eſſe propriè loquendo præceptum, & non inducere obligationem, ita propriè loquendo contradictionem involvere, eſſe præceptum grave, & non graviter obligare.

235. Ex quo deſumatur gravitas præcepti?

Igitur non ex ſola materia gravi deſumitur gravitas præcepti, ſed ex materia gravi, & voluntate Legiſlatoris, quæ eſt anima legis, à qua proinde lex habet totam ſuam vim obligandi. Talis ergo erit vis illa obligandi, & per conſequens obligatio paſſiva in ſubdito, qualis illa fuerit voluntas, obligatio utique gravis, ſi voluntas fuerit gravis, id eſt, ſi Legiſlator voluerit graviter obligare; levis autem, ſi voluntas fuerit levis, id eſt, ſi leviter voluerit obligare.

Multæ Conſtitutiones Religionum ſolùm obligant ad pœnam.

Interim lex obligans leviter in materia gravi, non eſt lex ſimpliciter ſeu adæquata capacitati materiæ, ùt patet, ſed potiùs ſecundùm quid ſeu inadæquata; talem autem legem eſſe poſſibilem, conſtat ex multis conſtitutionibus Religionum, quæ ſolùm obligant ad pœnam, cùm alioquin, ſi voluiſſent Superiores, obligaſſent etiam ad actum; cur ergo non poſſent fieri ſimiles conſtitutiones, obligantes ad actum ſub peccato veniali tantùm, tametſi, ſi voluiſſent Superiores, obligaſſent ſub peccato mortali? Non video in eo ullam contradictionem, quamvis ordinariè Legiſlator, utì etiam Confeſſarius, cenſeatur præcipere adæquatè, id eſt, graviter in materia gravi, niſi aliud declaret.

236. Sententia Medinæ, Confeſſarium poſſe leviter obligare in materia gravi, à Suario vocatur probabilis.

Cæterùm aliter poſſe facere Confeſſarium, docet Medina apud Suarium ſuprà n. 5. qui & ipſe eam ſententiam vocat probabilem; licèt enim, inquit, præcipiens non poſſit excedere gravitatem materiæ in imponenda obligatione; quia hoc ſuperat poteſtatem, & non pendet ex ſola voluntate; tamen ſatìs probabile videtur, poſſe obligationem moderari infra materiæ gravitatem: quia in hoc non ſe habet tamquam agens naturale, ut neceſſariò agat ſecundùm ultimum potentiæ ſuæ. Probabilis ergo videtur hæc opinio Medinæ. Hæc ille.

Auctor exiſtimat eam probabiliorem.

Ego autem exiſtimo eſſe probabiliorem, ſicuti probabilior & communior eſt ſententia, quæ docet, Legiſlatorem poſſe præcipere materiam gravem ſub levi obligatione. Enimverò ſuperiùs diximus, determinationem quantitatis, & qualitatis ſatisfactionis, relictam à Chriſto arbitrio Sacerdotis, cur non etiam determinatio obligationis debeat cenſeri relicta? Nam fieri poteſt, ut uni expediat ad ſalutem gravis materia cum levi obligatione, alteri autem gravis materia cum gravi obligatione; ſi ergo gravis materia abſolutè ſit capax levis obligationis, inducendæ per Legiſlatorem, quando ſic expedit bono communi, cur negabimus illam poteſtatem Confeſſario, quando ſic fieri expedit ſaluti pœnitentis? Nullam prorsùs video rationem, quæ ulteriorem mereatur refutationem.

Et ideo proſequendo propoſitam materiam, putà obligationem, quam habet pœnitens ſatisfaciendi pro peccatis ſecundùm arbitrium Confeſſarii: quæro Primò; an ſit neceſſaria intentio ſatisfaciendi. Secundò; quo tempore teneatur pœnitens implere ſuam pœnitentiam. Ad primam quæſtionem Reſpondeo & Dico undecimò:

CONCLUSIO XI.

Satisfacit pœnitens ſuæ obligationi exequendo opus impoſitum, eſtò memoria obligationis penitùs exciderit.

Satisfieri poſſe præcepto audiendi Miſſam & per conſequens aliis præceptis Eccleſiæ abſque intentione ſatisfaciendi, immo cum intentione contraria non ſatisfaciendi, tamquam probabile docuimus Diſp. 5. Sect. finali Concl. 8. ad quam remitto Lectorem. Sed numquid eadem ratio præcepti ſacramentalis, id eſt, ſatisfactionis ſacramentalis? Numquid & huic ſatisfieri poteſt abſque intentione ſatisfaciendi, immo cum contraria intentione non ſatisfaciendi?

237. Satisfit præceptis Eccleſiæ abſque intentione ſatisfaciendi.

Ita exiſtimat Sanchez Sum. lib. 1. c. 13. n. 10. ubì ſic ait: Satisfit (Pœnitentiæ ſacramentali) exequendo opera in pœnitentiam injuncta, dummodo pro alia re non applicentur, etſi non adſit intentio implendi pœnitentiam, ſed penitus ejus obligatio memoriâ exciderit. Quia hæc, utpote lex ſpecialis, inſtar legis generalis obligat. Et n. 17. ita ſcribit: Tertiò deducitur, idem dicendum eſſe de Pœnitentia ſacramentali injuncta: illa enim verè impletur, ſi opus injunctum executioni mandetur cum expreſſa intentione illius non implendæ, nec opus eſt, ut mutetur ea intentio, ſed ſatìs eſt ſcire per illud opus impletam jam eſſe. Quia cùm pœnitentia ex quodam Confeſſoris præcepto debeatur, idem de illa, quod de aliis præceptis ſentiendum eſt.

Eandem eſſe rationem Pœnitentiæ ſacramentalis docet Sanchez.

Idem docet lib. 4. c. 13. n. 40. Quamvis, inquit, votum vel pœnitentia ſint disjunctiva, nec factâ alterius partis electione vovens aut pœnitens impleat alteram; immemor voti vel pœnitentiæ, vel habens intentionem non ſatisfaciendi illo actu: quia fortè voluit iterùm implere, aut eligere alteram partem, manet liber à voto vel pœnitentia. Quia reverà implet ſubſtantiam rei promiſſæ, vel in pœnitentiam injunctæ quoad alteram partem: & votum

Digitized by Google

votum ac pœnitentia tantùm obligabant ad hanc vel illam. Hæc ille.

138. Contrarium docet Vaſquez, Contrarium docet Vaſquez Tom. opuſc. Tract. de Beneficiis c. 4. n. 117. ibi: Dices; ergo ille, qui accipit injunctam pœnitentiam à Confeſſore, ſi ſolvat illam non animo ſatisfaciendi, non tenetur iterùm ad illam. Reſpondeo, quòd tenetur; quia tenetur ita injunctam pœnitentiam peragere, ut illam impleat ex virtute Clavium, applicans illam pœnis debitis ſuis peccatis: quod non facit, quando illam non implet, ut ſatisfaciat mandato Confeſſoris injuncto ſibi. Ita Vaſquez: eſtò ibidem & alibi doceat, præceptum audiendi Miſſam, & alia ſimilia optimè impléri abſque animo ſatisfaciendi.

& videri poſſet ſententia Scoti. Pro hac ſententia videtur ſtare Doct. Subt. 4. diſt. 15. q. 1. n. 11. ibi: *De primo dico, quòd ſatisfactio eſt operatio exterior laborioſa vel pœnalis, voluntariè aſſumpta ad puniendum peccatum commiſſum à ſe, & hoc ad placandum divinam offenſam, vel eſt punitio voluntariè tolerata in ordine prædicto.* Item n. 14. ubi ſic ait: *Quia ergo ipſe labor continuus, eſt ſibi ieiunium continuum, quia continua maceratio carnis, tantummodo inducendus eſt, ut illum laborem ſubeat in remiſſionem peccatorum, intendens illum ad hunc finem referre, ſaltem quouſque occurrat ſibi opportunitas ſolvendi aliquam aliam ſatisfactionem.* Loquitur Doct. de ſatisfactione ſacramentali. Ergo videtur ad eam requirere intentionem ſatisfaciendi, id eſt, faciendi opus injunctum in remiſſionem peccatorum ſeu pœnarum Purgatorii.

239. Sed quæ ratio? Quia, ùt ait Vaſquez ſuprà, tenetur ita injunctam pœnitentiam peragere, ut illam impleat ex virtute Clavium, id eſt, ut ſit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, talis autem non videtur eſſe ſinè tali intentione, ſaltem habituali; veluti narratio peccatorum, facta Confeſſario ſinè ordine ad Abſolutionem, aut certè intentione contraria, nullatenus cenſeri debet, aut poteſt Confeſſio ſacramentalis; & Abſolutio deſuper data, niſi per compendium illa narratio reaſſumatur ad prædictum finem, eſt omnino invalida. Et conſimiliter, ut dolor ſit ſacramentalis, neceſſe eſt, ùt aliquo modo referatur ad Sacramentum, ùt probavimus Sect. 4. Concl. 5.

240. Diſparitas inter præceptum Eccleſiæ & Confeſſarii. Ex quo videtur colligi diverſitas inter præceptum univerſale Eccleſiæ audiendi Sacrum diebus Dominicis & feſtivis, & præceptum particulare Confeſſarii audiendi Sacrum hoc vel illo die pro ſalutari pœnitentia. Siquidem præceptum univerſale Eccleſiæ nullum particularem finem determinat, ſed nudam auditionem Miſſæ; illa autem ponitur abſque intentione ſatisfaciendi præcepto; imò cum voluntate non ſatisfaciendi. At verò præceptum particulare Confeſſarii determinat finem particularem, ſcilicet ſalutarem ſeu ſacramentalem Pœnitentiam, ùt patet ex communi praxi Confeſſariorum, qui ſolent id expreſſis verbis declarare dicendo: *Facies hoc pro ſalutari ſua pœnitentia.* Ergo qui non vult facere pro ſalutari pœnitentia, ſed ad alium finem, non implet præceptum Confeſſarii: ſicuti dum Prælatus injungit ſuo ſubdito, ut celebret ad hanc vel illam intentionem, non ſatisfacit ſubditus celebrando ad aliam intentionem; de quo alibi egimus. Præſertim cùm Confeſſarius habeat poteſtatem præcipiendi actus merè internos.

Ratio itaque diſparitatis; quia ſatisfactio ſacramentalis eſt pars Sacramenti, ſi non eſſentialis, ſaltem integralis; ſicut ergo ad Sacramentum, ſive in miniſtro ſive in ſuſcipiente, requiritur aliqua voluntas miniſtrandi, ſive ſuſcipiendi, actualis, virtualis, aut habitualis, & numquam validè miniſtratur, aut ſuſcipitur Sacramentum cùm voluntate poſitiva non miniſtrandi, aut ſuſcipiendi Sacramentum quà tale eſt, ùt patet ex dictis Diſp. 1. Sect. 7. Concl. 4. & Sect. 8. Concl. 2. ſic itidem non videtur valida ſatisfactio ſacramentalis, quam exequitur pœnitens cum poſitiva voluntate non ſatisfaciendi ſacramentaliter. Certè alia ratio diſparitatis non videtur aſſignabilis, niſi quòd ſatisfactio ſolùm ſit pars integralis, quæ an ſit ſufficiens, relinquitur judicio Lectoris.

Si dixeris; ſufficit pœnitentem conſenſiſſe, quando pœnitentiam acceptavit à Confeſſario. Contrà facit; quia etiam quando pœnitens confitetur, habet voluntatem recipiendi Abſolutionem; & tamen ſi poſt Confeſſionem ante Abſolutionem habeat voluntatem contrariam & intentionem non recipiendi Abſolutionem, vel non recipiendi eam illâ die, non erit valida Abſolutio, quia confertur invito pœnitenti; ergo eodem modo non ſufficit voluntas præterita ad valorem hujus ſatisfactionis, ſi hìc & nunc habet homo voluntatem contrariam; ſcilicet quâ vult non recipere in hac actione ullam partem Sacramenti. Ita Lugo diſp. 25. n. 36. 241. Objectio. Solvitur. Lugo.

Addit n. 37. adhuc tamen probabile mihi videtur, non requiri intentionem in ſatisfactione. Probat autem à ſimili, quia dolor, qui eſt pars Sacramenti, poteſt haberi abſque memoria præcedente recipiendi Sacramentum. Sic ergo dici poteſt de ſatisfactione: nam illa poſtea non fit à pœnitente, tamquam miniſtro operante nomine Chriſti, ſed ſolùm fit ex obligatione & debito propter ſententiam, & præceptum præcedens Confeſſarii: ad hoc autem, ùt fiat aliquid ex debito & obligatione, non requiritur, quòd fiat ex animo ſatisfaciendi illi debito. Et quidem per hoc præcisè, quòd fiat opus impoſitum à Confeſſario nomine Chriſti, elevatur illud opus ad effectum ſacramentalem, cauſandum per voluntatem Sacerdotis præcedentem. 242. Probatur ſententia Sanchez à ſimili.

Quod confirmari poteſt; quia ille pœnitens

 verè

Digitized by Google

verè ſatisfecit præcepto Confeſſarii: poſuit enim jejunium, quod præcepit illi Confeſſarius; ergo poſuit totum opus præceptum: nam intentio non præcipitur. Huculque Cardinalis.

Reſponſio. Sed reſponſio patet ex dictis, jam enim oſtendimus Confeſſarium præcipere aliquam intentionem, & ſuo loco diximus, dolorem nullatenus relatum ad Sacramentum, nullatenus eſſe partem Sacramenti. Quomodo autem vel Dolor, vel Confeſſio, vel Satisfactio poteſt aliquatenus referri ad Sacramentum, ſi poſitivè à pœnitente finis Sacramenti excludatur, & ad alium finem referatur?

243. Sufficit ad ſatisfactionem intentio habitualis. *Dicaſtillo.* Propter hoc ergo argumentum Dicaſtillo diſp. 14. n. 189. exiſtimat probabiliorem ſententiam Vaſquezii, ſic tamen ut ſufficiat intentio præterita, quam habuit pœnitens, dum pœnitentiam acceptavit, non revocata per actum contrarium, quæ eſt intentio quædam habitualis; minùs enim, inquit Lugo ſuprà n. 38. requiritur in ſuſcipiente, quàm in miniſtrante Sacramentum; quare licèt in miniſtro non ſufficiat voluntas merè habitualis, ſed requiratur actualis, vel ſaltem virtualis, quâ hîc & nunc operetur ex illo fine, & ex illa intentione; in ſuſcipiente tamen Sacramentum, hoc non requiritur; & ideo poteſt recipere Baptiſmum validè aliquis dormiens vel amens ex vi voluntatis præteritæ. Sic ergo ſufficiet talis voluntas præterita non revocata, ut recipiatur validè ſatisfactio ſacramentalis, etiamſi daretur non ſatisfacere, quando eſt revocata per contrariam intentionem. Hæc ille.

Probatur ex Lugone.

Et ideo ibidem docet noſtram Concluſionem, ſcilicet ſatisfacere pœnitentem ſuæ obligationi exequendo opus impoſitum, eſto memoria obligationis penitùs exciderit. Conſonat Dicaſtillo ſuprà n. 194.

244. Contrarium docet Averſa, Diſſonat autem Averſa q. 13. de Satisfact. Sect. 6. in fine dicens: Quâ ratione, nec etiam videtur ſufficere intentio habitualis ex actu præcedente non retractato, quo acceptavit, & adimplere voluit ſatisfactionem, ſed poſtea caſu, vel ex puta devotione facit tale opus; quin immo requiretur intentio ſaltem virtualis. Quamvis enim in ſuſcipiente Sacramentum ſufficiat ea intentio habitualis, quando ſuſceptio eſt mera paſſio, ùt in Baptiſmo & ſimilibus: tamen non videtur ſufficere, quando importat veram actionem ejuſdem ſuſcipientis, ùt ſe habet contactus materiæ in Ordine, & ſic etiam ſatisfactio in hoc Sacramento. Et quamvis pœnitens non operetur ùt miniſter Chriſti, ſicut nempe ille, qui confert Sacramentum: tamen debet operari ex intentione ſacramentali, quando ejus operatio activè requiritur. Hactenus Averſa.

& probat.

Et ibidem ſic ait: Si Confeſſarius alicui imponat, ùt præter Miſſam debitam die Feſto, aliam audiat in pœnitentiam: ſi is plures Miſſas audiat, nullam determinans, non utique per omnes recipiet ſatisfactionis effectum, nec magìs per unam quàm per aliam; debebat ergo determinare aliquam. Hæc ille.

Confirmatur à ſimili: Si aliquis ex pluribus hoſtiis, quas habet ante ſe poſitas unam tantùm velit conſecrare, niſi aliquam determinet, nulla erit conſecrata; quia non eſt ratio, quare magìs hæc, quàm illa. Confirmatur à ſimili.

Reſpondeo; diſparitas eſt, quòd hoſtia ſit materia eſſentialis Conſecrationis, & conſecrans miniſter Sacramenti, à cujus ſola voluntate dependet determinatio materiæ, ut proinde eâ ſeclusâ, nulla prorsùs ſit ratio, quare potiùs hæc, quàm illa cenſeatur conſecrari. At verò in noſtro caſu, auditio Miſſæ in pœnitentiam injuncta, non eſt materia eſſentialis Sacramenti Pœnitenitæ, neque pœnitens propriè eſt miniſter Sacramenti, ſed potiùs ſuſcipiens, neque ab ipſius ſola voluntate dependet materia ſatisfactionis ſacramentalis, ſed magìs à voluntate Confeſſarii, qui propriè eſt miniſter Sacramenti, eamque determinat: jam autem cenſetur Confeſſarius determinaſſe primam auditionem, niſi aliquid obſtet; nam, ùt conſtabit ex dicendis ſequenti Concluſione, pœnitentia debet impleri pro primâ opportunitate, niſi aliud Confeſſarius declaraverit; ergo prima auditio ſatìs determinata eſt, ut ſit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, niſi poſitivè per voluntatem pœnitentis excludatur. 245. Aſſignatur diſparitas.

Quantum ad contactum materiæ in Ordine, parvuli validè tangunt, juxta eundem Auctorem, & communiorem ſententiam, de qua ſuo loco, abſque intentione etiam habituali, cur ergo hæc non ſufficiat in adulto? Ergo ſimiliter in noſtro caſu. Quamvis enim ſatisfactio debeat eſſe voluntaria, quia præcepta; & ita non competat parvulis; equidem quia ſolùm eſt pars integralis Sacramenti, & actus ſuſcipientis potiùs, quàm miniſtrantis Sacramentum: ſicuti ſufficit voluntas habitualis ſuſcipiendi Abſolutionem, ſimiliter dolor habitualis, & Confeſſio habitualis, id eſt, dolor non revocatus, & Confeſſio non revocata, cur itidem non ſufficiat voluntas ſatisfaciendi non revocata, ut ſatisfactio ſubſequens, per Abſolutionem priùs elevata ad effectum ſacramentalem, verè ſit ſacramentalis, ſeu pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ? 246. Reſponſio ad probationem Averſæ.

Non video quid ultra poſſit objici, quod mereatur reſponſionem. Et ideo tranſeo ad ſecundam quæſtionem ſuprà propoſitam, ſcilicet; Quo tempore teneatur pœnitens implere ſuam pœnitentiam? Ad quam Reſpondeo & Dico duodecimò:

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO XII.

Tenetur pœnitens implere pœnitentiam acceptatam pro prima opportunitate, niſi certo tempori ſit affixa : dilatio tamen non ſemper eſt mortalis, tametſi terminus impletioni fuerit præfixus, niſi obligatio cum termino expiret.

247. ...feſſa... per ſe ...ndo ... poteſt ...gare ad ... pœni... ante ...lutio...

PRænotandum, Confeſſarium per ſe loquendo non habere jus, obligandi pœnitentem ad implendam pœnitentiam, priuſquam illum abſolvat. Dico; *Per ſe loquendo*, quia per accidens, v. g. ſi meritò timeat pœnitentem eam non adimpleturum poſt datam Abſolutionem, poterit id juſtè facere ùt docet Suarez hìc diſp. 38. ſect. 7. n. 7. Sicut etiam ad probandam diſpoſitionem pœnitentis poteſt, & interdùm debet Sacerdos non abſolvere, donec impleat pœnitentiam, in præcedenti Confeſſione impoſitam, & iniquè ac ſæpiùs omiſſam; quamquam in hoc prudentia neceſſaria ſit, ne per illam dilationem Abſolutionis avertatur pœnitens à Confeſſione.

248. ...tentia ... non poſſe ...pleri ſatisfactionē ...te Abſolutionem.

Unde non ſatìs intelligo, quod docet Henriquez part. 4. tract. 4. diſp. 4. de Satisfactione n. 12. ibi: Non poteſt (ſatisfactio) impleri ante Abſolutionem, ùt conſtat ex uſu, idcirco obſervando, quòd ſatisfactio deleat reſiduum pœnæ reſtantis poſt culpam remiſſam, cujus remiſſio fit per Abſolutionem, & præcedere debet remiſſionem pœnæ. Hæc ille.

...pugna.

Sed contrà; conſtat quidem ex uſu, ſatisfactionem impleri poſſe poſt Abſolutionem; verùm non poſſe impleri ante Abſolutionem, neſcio quomodo hoc ipſi conſtet ex uſu. Fateor, communiter pœnitentes non implent pœnitentias ante Abſolutionem, quòd ſufficiens ſignum eſt, non eſſe obligationem implendi, præſertim cùm pœnitentiæ ſæpiſſimè tales ſint, quæ non poſſunt impleri commodè ante Abſolutionem: ſi tamen Confeſſarius imponeret pro pœnitentia, v. g. unam ſalutationem Angelicam, quòd pœnitens tali caſu non poſſet eam recitare ante Abſolutionem, ex quo uſu probatur? Imo apud Græcos (inquit Lugo hìc diſp. 14. n. 170.) ſic ſolitum fieri, ut nemo ante expletam pœnitentiam abſolveretur, dicit Palatius in 4. diſt. 15. qu. 1.

249. ...ponde... ad ra...tem.

Ad rationem reſpondeo; ex ea ſolùm ſequi, ſatisfactionem, impletam ante Abſolutionem, pro illo tempore antecedenti non obtinere ſuum effectum; quòd autem accedente Abſolutione, & per Abſolutionem ſubſequentem non poſſit delere reſiduum pœnæ reſtantis poſt culpam remiſſam, unde probatur? Si ablutio, præcedens formam Baptiſmi, poteſt adveniente formâ delere pœnam reſtantem poſt culpam remiſſam, cur idipſum non poterit facere ſatisfactio? Igitur, ſalvo meliori, licitè impletur ſatisfactio ante Abſolutionem, quamvis pro tunc non habeat ſuum effectum ex opere operato.

Dico; *Ex opere operato*, quia cùm per Contritionem Charitate perfectam ante Abſolutionem non raró peccata ſint remiſſa, etiam ante Abſolutionem poterit delere reſiduum pœnæ reſtantis poſt culpam remiſſam, delere, inquam, ex opere operantis, ùt clarum eſt. Enimverò ante Abſolutionem, non minùs, quàm poſt eam, eſt actio bona & pœnalis, cur ergo non erit ſatisfactoria ex opere operantis? Fiet autem ſacramentalis, & conſequenter ſatisfactoria ex opere operato, dum informabitur formâ Abſolutionis, eo modo quo Contritio & Confeſſio fiunt partes Sacramenti Pœnitentiæ per Abſolutionem ſubſequentem, aut concomitantem, ſinè qua minimè tales partes eſſent, eſtò alioquin actiones bonæ & meritoriæ de condigno in homine juſto gratiæ, & gloriæ. Satisfactio ante Abſolutionem poteſt delere pœnas ex opere operantis, lecùs ex opere operato,

Nec aliud fortè voluit Scotus 4. diſt. 16. q. 1. n. 7. dicens: *Satisfactio debet ſequi Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc, ut habeat efficaciam, & hoc in re, vel in voto, niſi Iudex poſſet perpendere illas pœnas, alias præcedentes, ſufficere ad totalis pœnæ ſolutionem. Iſta enim ſententia Sacerdotis ſic abſolvit, quòd tamen ligat. Abſolvit quidem à debito pœnæ æternæ; ſed ligat ad ſolutionem pœnæ temporalis, niſi ſit ſufficienter iam ſoluta. Ipſa etiam vel nullo modo abſolvit, vel ſaltem non ſufficienter, niſi ille reus ſit in ſe debito modo diſpoſitus: quia Sacramentum eſt ſignum Abſolutionis interioris, quæ interior non concomitatur, niſi ſit debita diſpoſitio in mente interiùs abſolvendi.* 250. Explicatur Scotus.

Non ait Doctor: *Satisfactio debet impleri poſt Sacramentum Pœnitentiæ*, ſeu, *poſt Abſolutionem*, in qua, ſecundùm ipſum, conſiſtit eſſentialiter Sacramentum Pœnitentiæ, ſed, inquit, *Satisfactio debet ſequi Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc, ut habeat efficaciam*, id eſt, ſatisfactio non habet effectum ex opere operato, niſi præviâ Abſolutione ſacramentali, quæ eſt forma, immo tota eſſentia ſtrictè dicta hujus Sacramenti.

His ita prænotatis, accedo ad Concluſionem, cujus prima pars eſt communis, & probatur à ſimili: quia votum, emiſſum abſque temporis determinatione, obligat pro prima opportunitate, id eſt, teneris iſtud reddere, quàm primùm moraliter potes; eſt quippe naturalis cauſa obligationis, ac proinde confeſtim obligat, niſi impediatur per contrariam intentionem voventis, argumento Leg. Pre- 251. Probatur 1. pars Concl. à ſimili in voto, quod obligat pro 1. opportunitate.

Digitized by Google

Lex Promiſſor ff. de Conſtit. pecun.

Promiſſor §. 1. ff. de Conſtit. pecun. ibi: *Si ſinè die conſtituas, poteſt quidem dici te non teneri, licèt verba edicti latè pateant, alioquin & confeſtim agi tecum poterit, ſi ſtatim ùt conſtituiſti, non ſolvas, ſed modicum tempus ſtatuendum eſt, non minus decem dierum, ut exactio celebretur.*

Deuter. 23.

Hinc ſcriptum eſt Deuter. 23. v. 21. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et

Eccle. 5.

Eccle. 5. v. 3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.*

252. *Ratio à priori.*

Ratio à priori; quia ſi tale votum non obligat pro prima opportunitate, nullâ certâ ratione poterit deſignari tempus, pro quo obligare incipiat, quia votum ex ſe ſeu natura ſua non magìs exigit impleri hoc tempore, quàm illo; niſi ergo vovens per ſuam voluntatem certum tempus determinaverit, vel confeſtim tenetur reddere, vel numquam; cùm non ſit major ratio quare hoc menſe, vel anno teneatur, quàm ſequenti.

Atque hæc eſt communis ſententia de obligatione voti omninò indeterminati. Ergo ſimiliter argumentandum de præcepto Confeſſarii, quando omninò eſt indeterminatum, non præfigens diem, aut horam, menſem, vel annum, quo pœnitens debeat pœnitentiam implere; cùm enim certum ſit quòd aliquando teneatur, incertum autem quando, nequit alia regula certa aſſignari, quàm prima opportunitas.

Explicatur Lex Promiſſor ff. de Conſt. pecu.

Nam quod in Lege ſuprà allegata dicitur: *Sed modicum tempus ſtatuendum eſt, non minùs decem dierum* &c. ſpeciale eſt, ùt notat Gloſſa ibi verb. *Modicum*, ubi ſic ait: *Modicum ſcilicet ex æquitate, quo impleto intelligitur non feciſſe, & eſt decem dierum, ùt dicit hìc lex: ſed aliter ponitur* Modicum *ſup. de Iudiciis. l.* Si debitori. *Et ſup. Ex quibus cauſ. mai. l.* Ab hoſtibus §. Sed quod. *& aliter infrà de Iti. actuq. pri. l. 1. §. 1. & ſunt hæc ſpecialia.* Hucuſque Gloſſa.

L. fin. C. de Iudiciis.

Cæteroquin C. de Judiciis leg. finali per ly *Ilicò* intelligitur triduum ibi: *Ilicò autem, id eſt, intrà triduum proximum ſinè ulla dilatione* &c. Similiter explicatur ly *Ex continenti* leg.

L. fin. C de Err. Advoc.

finali Cod. de Errore Advoc. ibi: *Neque cauſa palam ex continenti, id eſt, triduo proximo contradixiſſe.* Quapropter exiſtimo conformiter his ultimis juribus, eſto pœnitentia *ilicò*, ſeu, *ex continenti* foret adimplenda, ſicut reverà adimplenda eſt, *niſi certo tempori ſit affixa*, ùt habet Concluſio, exiſtimo, inquam, non peccare, qui intrà triduum illam adimplet, ſiquidem triduum communi hominum æſtimatione cenſetur prima opportunitas, ſeu tempus moraliter commodum, & ſufficiens pro adimpletione alicujus obligationis, niſi aliquid aliud obſtet.

Non peccat qui intra triduum implet pœnitentiam.

253. *Non qualibet dilatio ultra triduum eſt mortalis.*

Interim non quælibet dilatio ultra iſtud tempus erit mortalis, cùm non cenſeatur Confeſſarius cum tanto rigore voluiſſe obligare ad circumſtantiam temporis, quando expreſsè nullum tempus determinavit. Immo tametſi certum tempus determinaſſet, ùt ſtatim videbimus. Hinc oritur diverſitas ſententiarum in aſſignanda nimia dilatione, quæ poſſet ſufficere pro peccato mortali.

Semper præcavendum periculum non adimplendi ſatisfactionem.

Atque in primis ſemper præcavendum erit periculum non adimplendi ſatisfactionem, vel propter oblivionem, vel aliunde, ſi ulteriùs impletio differatur. Nonne peccat mortaliter, qui differt Communionem Paſchalem in ultimum diem, in quo prævidet ſe impediendum? Planè, ſi obligatio ſit affixa illi tempori, ita ut cum tempore expiret, & tamen, ſecluſo illo impedimento, poſſet abſque ullo peccato ſuam Communionem in illum diem differre. Cur ergo non poteſt, quando prævidet impedimentum? Ratio; quia tunc per illam dilationem exponitur proximo periculo, numquam adimplendi legem illam, graviter obligantem, cùm tamen poſſit, & debeat illam implere.

Ergo conſimiliter in caſu præſenti, etſi hìc & nunc non obliget graviter ſatisfactio, ſed poſſet differri in aliud tempus; tamen ſuppoſito periculo proximo oblivionis, vel impotentiæ implendi, ex dilatione, id eſt, niſi hìc & nunc ſatisfaciat, tenetur ſub peccato mortali, ſi reliqua adſint, hìc & nunc ſatisfacere, etſi alioquin, ſecluſo illo periculo, poſſet ulteriùs differre. Et eadem ratio militat in dilatione votorum, etiam minima, ex qua oriretur tale periculum, quamvis tunc meliùs diceretur nimia.

Si dixeris; non peccat mortaliter, qui differendo Confeſſionem uſque ad finem anni, exponit ſe periculo non confitendi aliquod peccatum mortale propter oblivionem. 254. *Objectio.*

Solutio.

Reſpondeo, diſparitatem eſſe; quòd præceptum Confeſſionis non obliget, niſi ad confitendum ea peccata, quorum pœnitens poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habet illo tempore, quo Confeſſio eſt inſtituenda. At verò ſatisfactio abſolutè imponitur, & non cum illa clauſula: *Cuius pœnitens poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habet*; ergo abſolutè adimplenda eſt, & præcavendum omne periculum oblivionis, & alterius impotentiæ implendi.

Et idem eſt de voto, ùt expreſsè docet D. Antoninus p. 2. tit. 11. c. 1. §. 2. hiſce verbis: Qui vovit intrare Religionem, ſi ex mora circa diſpenſationem temporalium, probabiliter timet perpetuum impedimentum, putà contrahendo Matrimonium & hujuſmodi, talis tenetur ulteriùs non differre, & ex hoc videtur, quòd talis in hujuſmodi dilatione peccet mortaliter; quia exponit ſe periculo mortalis, ſcilicet tranſgrediendo votum. Et idem videtur de differentibus impletionem aliorum 255. *Quod de ſatisfactione idem dicendum de voto. S. Antoninus*

aliorum votorum per multa tempora, cùm tamen commodè poſſint, & recordentur, & ex ipſa nimia dilatione, vel obliviſcuntur, vel impotentes redduntur, ut ſenes ad longam peregrinationem, & hujuſmodi. Hucuſque Antoninus.

Ubì nota ly *Per multa tempora*, quod non dicitur de voto Religionis, ſed de aliis votis. In votis illis, inquit Sanchez Sum. lib. 4. c. 14 n. 22. quibus quis in perpetuum ſe divino obſequio emancipat, ùt eſt votum Religionis, aſſumendi Ordinis ſacri, ſerviendi in perpetuum Xenodochio, dijudicanda eſt minor mora mortalis, quàm in aliis votis. Rationem aſſignat ex Antonino ſuprà §. 1. & aliis Auctoribus: Quia cùm in his votis totum reſiduum tempus vitæ Deo dicetur in ejus obſequium, differens ea, tantam obſequii divini partem aufert, quanta eſt temporis mora. Quod in aliis votis temporaneis minimè contingit, ſed integrè poſtea redduntur. Ita Sanchez.

Minor mora eſt mortalis in voto Religionis & ſimilibus quàm in aliis. Sanchez.

256. Quod idem cum proportione de pœnitentia, à Confeſſario injuncta, dici debet: v. g. quædam præſcribuntur à Confeſſario, non ſolùm in ſatisfactionem præteritorum peccatorum, ſed potiſſimùm in præſervationem futurorum, ùt ſæpè ſunt orationes, flagellationes, jejunia, & ſimilia, quibus & divinum auxilium promeretur pœnitens, & rebellis caro domatur, ut ſerviat ſpiritui, quæ opera ſi multùm differantur, toto dilationis tempore caret homo iis remediis: adeòque cum proportiòne tanta pars pœnitentiæ aufertur, quanta eſt temporis mora: cum proportione, inquam; quia in caſu Religionis aufertur pars realis obſequii divini, hìc autem datur quidem totum jejunium, quod fuiſſet datum ſinè dilatione, ſed aufertur fructus intermedius, propter quem tamen jejunium erat impoſitum.

Quod cum proportione applicari debet ſatisfactioni.

Et quamvis effectus ſatisfactionis non cadat ſub præceptum, ùt patet in illis, qui eam implent in ſtatu peccati mortalis, qui, ſecundùm Multorum ſententiam, pro tunc ſaltem non obtinent remiſſionem pœnarum temporalium, & tamen reverà implent præceptum Confeſſarii; equidem videtur taliter debere fieri actus præceptus, ut per ſe loquendo poſſit habere ſuum effectum, jam autem jejunium dilatum ad unum annum per ſe loquendo tempore dilationis non poteſt habere effectum.

Verùm hic caſus ùt notat Dicaſtillo diſput. 14. n. 55. in fine poſſet reduci ad alterum caſum, quo Confeſſarius determinavit tempus, quamvis enim ille non præſcribat tunc expreſsè tempus, eo ipſo tamen, quòd in tale remedium præſcripſit ea opera, cenſetur ſuſtuliſſe poteſtatem differendi per longum tempus. Itaque reſtat examinandum, quid facto opus, quando aliquâ ratione explicitè vel implicitè tempus præſcribitur.

Dicaſtillo.

Et quidem duobus modis præſcribitur, aut certè præſcribi poteſt tempus implendi ſatisfactionem. Primò, ſic, ut, elapſo tempore, expiret obligatio. Secundò, ita, ut, elapſo tempore, non expiret obligatio. 257.

Duobus modis præſcribitur tempus à Confeſſario.

De primo caſu non controvertitur inter DD. ſed omnes unanimiter docent, pœnitentem peccare mortaliter, ſi tempore præſcripto non impleat ſatisfactionem; v g. ſi non jejunet primo die Veneris, ſicuti peccat mortaliter, qui non jejunat, quando Eccleſia præcipit jejunare. Ratio eſt manifeſta; quia tranſgreditur præceptum grave, non ſolùm quoad circumſtantiam temporis, ſed abſolutè quoad ſubſtantiam actûs, cùm nequeat impoſterùm præceptum implere.

De ſecundo caſu nimia eſt diverſitas opinionum (ſicuti ſolet in his, quæ pendent à morali judicio prudentum) tunc enim, etſi præfixo tempore ſatisfactio non impleatur, alio tempore poteſt impleri, adeòque ſolùm differtur ejus impletio; cumque illa dilatio habeat magis, & minùs, hinc, ſicut dixi, maxima varietas opinionum; quoniam quod uni videtur exigua mora ſeu dilatio, ab alio judicatur gravis. Quæritur ergo, an ſola dilatio ſatisfactionis, alioquin certo tempori affixæ, ſemper ſit mortalis, an verò ſemper venialis, vel certè quæ dilatio ſit mortalis, & quæ venialis. 258.

Quale ſit peccatum, tantùm differre ſatisfactionem certo tempori affixam.

Thomas à Ieſu in Tribunali conſcientiæ tract. 3. c. 2. dub. 9. ſic ait (ùt refert Diana p. 3. tract. 4. reſol. 92.) Dicet aliquis, quod peccatum eſt, non facere pœnitentiam tempore à Confeſſario determinato? Reſpondet: Ordinariè eſt peccatum veniale negligentiæ, quando ſinè cauſa differtur; ſed quando cum juſta cauſa differtur nullum eſt peccatum.

Sententia Thomæ à Ieſu.

Sancius in Selectis diſp. 13. nu. 9. inquit: Animadvertito non tranſgreſſurum pœnitentiam illum, cui eſſet juſſum intrà unum menſem confitendum fore, ſi per tres, vel quatuor dies ultra menſem, Confeſſionem differret, præſertim ex cauſa; quia non poteſt eſſe magnum damnum in mora modici temporis l. *Si debitor*. l. *Et ſi poſt tres* ff. Si quis cautionibus. Et idem judico ſi votum eſſet emiſſum de Confeſſione agenda: non enim ita mathematicè præfigendus eſt terminus, nec Deus adeò rigoroſus exactor erit judicandus. 259.

Sententia Ioan. Sancii.

Immo ſi intrà octò dies, à menſe elapſo, ſolemnis aliquis dies ſequeretur, vel Jubilæum, poſſe differri Confeſſionem uſque ad illum diem mihi perſuadeo, ſi ægrè pœnitens ferret bis intrà octo illos dies confiteri, vel Jubilæum non lucrari. Ad majorem tamen ſecuritatem, ſi commodè poſſit, petat ab eodem Confeſſario differri terminum, vel ab alio: qui ſicut commutare poſſet pœnitentiam illam ex cauſa, potiùs terminum elongaret; quod minus quidem eſt. Hæc ille.

Digitized by Google

Et nu. 10. ibidem ſcribit in hæc verba: Poſſe anticipari per octo dies minimè dubito, ex cauſa illa Jubilæi, vel ſolemnis diei. Quòd ſi per tres hebdomadas Confeſſionem præveniret, fortè non implebit præceptum, cùm mens jubentis eò tendat, ut per menſem curet pœnitens mundam habere conſcientiam: certior namque experientia ſumitur emendationis pœnitentis per ſpatium unius menſis, quàm unius hebdomadæ. Hactenus Sancius.

260. *Opinio Lugonis.* Cardinalis Lugo diſp. 25. n. 90. Si, inquit, Confeſſarius præcipiat non differre Confeſſionem ultra menſem, & differatur per unum diem ultra menſem, non auderem illam dilationem condemnare ùt mortalem. Hæc ille. Intellige, ſi tempus iſtud ſolùm ùt terminus obligationis poſitum ſit, & non ob alium reſpectum. *Probatur à ſimili.* Probat à ſimili; Nam ſi tibi, inquit, promiſi intrà hebdomadam reddere mutuum, & differam per duas horas poſt hebdomadam, non videor tibi grave damnum inferre, nec violare promiſſionem in re gravi.

Sin autem Confeſſarius determinaverit tempus, intendendo frequentiam operis injuncti, & ſimul alligando ad tale tempus, v. g. ut ſingulis menſibus ſemel ſaltem confiteatur, vel Euchariſtiam ſumat; ut ſingulis hebdomadis recitet ſeptem Pſalmos &c. In his, inquit Lugo ſuprà n. 91. & ſimilibus, credo, ſi materia ſit gravis, non poſſe ſinè peccato gravi differri ultra illum terminum, atque ideo peccare graviter, ſi intrà illum menſem non confiteatur, vel accipiat Euchariſtiam.

261. *Probatur ex ratione.* Ratio eſt; quia ille, ſi vel unâ die differret Confeſſionem, & hoc toto menſe non confiteretur, ſed primâ die menſis ſecundi ſequentis; planè non teneretur menſe tertio ſequenti iterùm confiteri: quia præceptum eſt de una Confeſſione in uno menſe: quare cùm jam intrà illum ſecundum menſem confeſſus fuiſſet, non teneretur ad aliam Confeſſionem illo ſecundo menſe, atque ita duobus menſibus ſemel tantùm confiteretur, quod eſt contra mentem Confeſſarii.

Fatendum ergo eſt, in iis præceptis, licèt tempus aſſignetur ùt terminus, ultra quem non differatur opus injunctum; alligari tamen ſub obligatione gravi ad illud tempus, eò quòd dilatio præjudicium afferret materiæ præceptæ, ùt vidimus, quatenus ex duplici Confeſſione v. g. redderetur una, ſi prior Confeſſio extraheretur à ſuo tempore determinato. Hucuſque Eminent.

262. *Ab hac opinione non diſſentit Auctor, ſi verum eſt ejus ſuppoſitum;* A quo non diſſentio, ſi verum eſt, quod ſupponit, ſcilicet, primam Confeſſionem, ſeu Confeſſionem primi menſis, voluntariè & ſinè cauſa omiſſam; ampliùs non obligare; quippe eo caſu non eſt ſola dilatio ſatisfactionis, ſed abſoluta omiſſio partialis ſatisfactionis, adeòque judicandum eſt de gravitate ejus ſimili modo, ac ſi unica Confeſſio præſentis menſis fuiſſet impoſita; ſicut ergo ille peccaret mortaliter, qui illam unicam Confeſſionem omitteret, ſuppoſito, quòd cum tempore expiret obligatio, quid ni etiam, qui in caſu præcedenti omitteret Confeſſionem primi menſis, eſtò confiteretur ſecundo, & tertio menſe? Non eſt alia diſparitas, quàm quòd Confeſſio in uno caſu ſit integra ſatisfactio, in alio autem caſu pars ſatisfactionis: jam autem non tantùm eſt mortale omittere totam ſatisfactionem, ſed etiam notabilem ejus partem, qualis indubiè eſt illa Confeſſio.

Sin autem cum primo menſe non expiret obligatio, & pœnitens primo die ſecundi menſis confiteatur, ruſumque in medio vel fine ejuſdem menſis, non video, quare tali caſu peccaret mortaliter, per illam dilationem ad unum diem poſt primum menſem, eò quòd dilatio parvum afferat præjudicium materiæ præceptæ, ùt patet: quia ſpatio trium menſium tertiò confitetur; adeòque habetur frequentia Sacramenti, quam Confeſſarius intendit, & mora unius diei nimis exigua videtur ad conſtituendum peccatum mortale. *Secùs ſi falſum eſt.*

Ponamus caſum, quòd promiſerim Petro reddere mutuum trecentorum florenorum per partes, ſingulis ſeptimanis centum florenos, putas, ſi primâ hebdomadâ differam ſolutionem ad primum diem hebdomadæ ſequentis, putas, inquam, me peccaſſe mortaliter per illam dilationem? Scio, quia non putas, niſi ſpeciale damnum indè emerſerit Petro, vel lucrum ceſſaverit: ſic tamen ut eâdem ſeptimanâ tenear alios centum florenos ſolvere, quia ſolutio facta primâ die ſecundæ ſeptimanæ, moraliter erat ſolutio primæ ſeptimanæ, ſive debiti primæ ſeptimanæ; ergo reſtat adhuc debitum ſecundæ ſeptimanæ, cui proinde in eadem ſeptimana ſatisfaciendum. 263. *Probat Auctor ſuam ſententiam à ſimili.*

Ergo ſimiliter in noſtro caſu, cùm conſtet Confeſſarium voluiſſe triplicem Confeſſionem, ſingulis menſibus unam, eſtò pœnitens differat Confeſſionem primi menſis unâ die, & ex eo capite peccet venialiter, equidem non liberatur ab obligatione trium Confeſſionum; ideòque debebit ſequenti menſe binas facere.

Dices; qui hoc anno non fuit confeſſus, utì debuiſſet ex præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis, non tenetur ſequenti anno bis confiteri, ſed unicâ Confeſſione ſatisfacit obligationi utriuſque anni; ergo ſimiliter hìc. 264. *Objectio.*

Reſpondeo; Antecedens valde eſſe dubium, & à Multis negari, ùt patet ex dictis Sect. 6. Concl. 9. attamen, quia eo loci partem affirmativam tenui, ideo Reſpon. hoc loco Neg. Conſeq. Ratio diſparitatis; mens ſeu voluntas Confeſſarii, qui determinavit tempus, intendendo frequentiam operis injuncti, tum ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, tum ad præteritorum peccatorum vin- *Diluitur.* *Diſparitas inter præceptum annuæ Confeſſionis, & ſatisfactionem in caſu propoſito.*

Digitized by Google

vindictam & caſtigationem: certum autem eſt, tres Confeſſiones ampliùs conducere ad præallegatos fines, quàm duas tantùm.

Cùm ergo poſſit velle duas Confeſſiones imponere, imò tres, & plures ſingulis menſibus, ex hypotheſi, quòd obligatio non expiret cum ipſo menſe, liquet profectò, pœnitentem, qui primo menſe omittit Confeſſionem, obligari ſecundo menſe ad duas Confeſſiones. Vel ſi hoc durum tibi videtur, dicito, obligationem expirare cum menſe, & per conſequens pœnitentem peccare mortaliter omittendo Confeſſionem.

Quantùm ad præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis, conſtat Eccleſiæ, iſtud à multis Doctoribus ſic explicari: cùm ergo Eccleſia non contradicat, eſtò facilè poſſet contradicere, eo ipſo ſatìs ſignificat, ſuæ voluntatis eſſe, ut poſſit ſatisfieri unâ Confeſſione pluribus obligationibus præcedentium annorum, præſertim cùm finis illius legis ſit, ne Confeſſio ulteriùs differatur cum periculo numquam adimplendi præceptum divinum Confeſſionis, qui finis perfectè obtinetur per unicam Confeſſionem præſentis anni, eſtò pœnitens per 50. & ultra annos non fuiſſet confeſſus: ergo non eſt ratio eum obligandi ad omnes Confeſſiones priùs omiſſas.

265. Hæc ſufficiant, ut quilibet poſſit amplecti, vel non amplecti ſententiam Lugonis, quæ ſic explicata nobis placet; quidquid in contrarium videatur docere Sanchez Sum. l. 4. c. 14. n. 21. ibi: Quòd ſi objicias, idem procedere, quando quis determinatâ die vovit jejunium, vel recitare calculos Virgineos: cùm tamen tunc ſit mortale ultra eam differre (ùt dicemus n. 25. in fine) ſed dico diverſam eſſe rationem. Quia cùm tunc ſub voto comprehendatur determinata illa dies, obligetque id votum inſtar legis Eccleſiaſticæ, certam diem præſcribentis, erit mortalis tranſgreſſio, qualis eſt cùm ſimile præceptum Eccleſiaſticum frangitur. Præterea quia totum tempus ſub voto comprehenſum omittitur. At ubì tempus eſt incertum, & ideo cenſendum eſt obligare habitâ implendi commoditate, non ita rigidè hæc commoditas accipienda eſt, ut judicemus eſſe mortale, aliâ causâ urgentiori non prementi, niſi quando mora eſt valde notabilis. Hæc ille.

Sententia Tho. Sanchez.

Et n. 25. in fine ſic ait: Atque eſſet culpa lethalis non implere votum tempore præfixo, etiamſi non in temporis honorem præfixum ſit. Docet autem ibidem tali caſu, tempore elapſo manere obligationem.

266. Ergo opponitur hic Auctor Lugoni ſuprà n. 90. & per conſequens nobis, qui ſequimur ſententiam Lugonis: & recedimus in hoc puncto à Sanchez; quia nullam adfert rationem ſui dicti generaliter intellecti de quacumque dilatione.

Quæ opponitur opinioni Lugonis.

Nam quod ait n. 21. id votum obligare inſtar legis Eccleſiaſticæ, non concernit hunc caſum, in quo remanet obligatio elapſo tempore, ſed alium, in quo cum tempore expiret obligatio, prout communiter expirat obligatio legis Eccleſiaſticæ; ubì autem non expirat, v. g. ſi Eccleſia præciperet Communionem hoc determinato menſe, non temporis intuitu & devotione, ſed tantùm ut executionis termino, quo caſu putat Sanchez ſuprà non expirare obligationem, tunc dico conſequenter, eum, qui differret ad unum diem illam Communionem, non peccare mortaliter.

Nec obſtat, quòd totum tempus ſub lege comprehenſum omittatur; quia ſolùm eſt aliqua circumſtantia, cujus omiſſio non videtur nobis peccatum mortale, quando alioquin ipſa ſubſtantia præcepti impletur, abſque notabili mora; poſt tempus à lege conſtitutum; quia parùm tollitur de fine intento per talem legem. Ex fine autem cognoſcimus voluntatem Legiſlatoris. Non ergo Legiſlator tam rigidus exactor cenſeri debet, ut nolit, impletionem ſubſtantiæ legis, vel ad unum diem procraſtinari, abſque gravi peccato. Et idem à pari cenſendum de Confeſſario, qui pœnitentiam determinato tempori tali modo alligavit, & de vovente, qui ſic determinato tempori alligavit votum ſuum. 267.

Objectio diluitur.

Quod Joannes Sancius ſuprà extendit ad tres, vel quatuor dies, ùt vidimus, quia illud, ſecundùm ipſum, eſt modicum tempus. Immò ad octo dies ex cauſa lucrandi Jubilæum, quod aliàs difficulter poſſet lucrari. Et eodem modo argumentatur de anticipatione.

Quæ argumentatio neſcio an poterit diſplicere Arriagæ diſp. 48. n. 16. ubì ſic ait: Judico eam anticipationem unâ vel alterâ die eo modo factam, non fore mortale; quia licèt in præceptis aliis fori exterioris id ſit materia gravis, quia magìs ea præcepta ordinantur ad bonum Communitatis, pro quo valde expedit, ne poſſit fieri talis permutatio, in hoc tamen foro non cenſetur Confeſſarius eo rigore procedere, ut ad eam (quæ circumſtantia dici poteſt) velit cum tanto rigore obligare: quod etiam poteſt dici, etiamſi opus illud faciendum ſolùm ſit pro uno die; v. g. Communio die Aſſumptionis B. V. in ejus honorem: non enim ea circumſtantia videtur ab eo adeò fortiter imperata, ut ſi in diem ſequentem differat Communionem, aut anticipet in Vigilia, eo ipſo debeat peccare mortaliter; quia reſpectu intenti præcipui Sacerdotis ea dilatio non videtur materia adeò gravis. Hæc ille. 268.

Sententia Arriagæ.

Tametſi nu. 16. abſolutè doceat, non eſſe licitum anticipare orationes, v. g. ſi Confeſſarius præſcribat pœnitenti; *Debebis ſingulis diebus orare Officium B. V.* non eſſe, inquam, licitum, unâ die orare duplex officium, & alterâ die omittere; eſtò alioquin illa anticipatio aliquan-

Digitized by Google

aliquando poſſet eſſe utilior pœnitenti, & gratior Deo; quia, inquit, hæc impoſitio pœnitentiæ eſt à poteſtate præcipientis, ac proinde ſequitur regulam aliorum præceptorum. Ratio eſt; quia expediebat, ut in his rebus pœnitens non proprio judicio, ſed alieno dirigeretur; quia in cauſa propria nemo eſt ordinariè prudens Judex. Hactenus Arriaga.

269. *quæ hic expenditur ab Auctore.* Sed ſi impoſitio pœnitentiæ ſequitur regulam aliorum præceptorum, ùt hic ait, jam videtur ſibiipſi contrarius, affirmans n. 16. anticipationem per unum diem, non eſſe mortalem, cùm anticipatio aliorum præceptorum talis ſit; v. g. peccaret mortaliter, qui die Sabbatho audiret Miſſam, & eam omitteret die Dominicâ. Vel, ſi impoſitio pœnitentiæ non ſequitur regulam aliorum præceptorum, ſaltem quoad gravitatem peccati, ùt videtur ſupponere n. 16. ignoro planè quomodo poſſet ipſi diſplicere ſententia Sancii ſuprà, quæ permittit anticipationem per octo dies causâ Jubilæi, vel ſolemnis diei. Si enim ſinè cauſâ licet anticipatio per unum diem abſque gravi peccato, quidni ex juſta cauſa liceat ſinè omni peccato, non tantùm per unum diem, ſed per octo dies? Non dubito, quamquam fortè dubitari poſſet, an Jubilæum, vel ſolemnis dies foret juſta cauſa excuſationis ab omni peccato.

Interim ſi verum eſt, quòd docet idem Auctor ſuprà n. 18. facilè dubium depoſuero. Si, inquit ille, Sacerdos non præſcripſerit tempus, tunc communis ſententia eſt, dilationem, niſi ſit nimia, non eſſe mortalem; nimium autem dicit Diana non eſſe, niſi ſit ultra annum. Mihi valde longum tempus videtur, maximè ſi pœnitentia ſit poſita in præſervationem; tunc enim propter periculum reincidentiæ, cui Confeſſarius voluit occurrere, non putarem poſſe ſinè gravi peccato differri ultra menſem, ſi verò non ſit præſervativa, intrà medium annum. Ubi iterùm noto, quod ſæpè dixi, quando ſemel recedimus à puncto fixo, & venimus ad materiam habentem magìs & minùs, difficillimum eſſe determinare, an hæc, an illa ſit ſufficiens ad peccatum grave; quia quæ uni videtur exigua, ab alio judicatur gravis. Hucuſque Arriaga.

270. *Difficile eſt determinare an hæc vel illa cauſa ſit ſufficiens ad excuſandum à peccato.* Cæterùm quod ipſe de materia, hoc ego pronuntio de cauſa, videlicet difficillimum eſſe determinare, an hæc, vel illa cauſa ſit ſufficiens ad excuſandum à gravi, vel etiam ab omni peccato. Ideóque ſi verum eſt, quod hic docet Arriaga, non video ego quare Iubilæum vel ſolemnis dies non foret juſta cauſa anticipandi, vel differendi pœnitentiam per octo dies, pœnitentiam, inquam, affixam certæ diei, ùt termino executionis.

Dico; *Vt termino executionis*, quia ſi in honorem, & ſpecialem cultum alicujus diei, v.g. Confeſſarius imponit auditionem Miſſæ vel Communionem pro die Aſſumptionis B. Mariæ in ejus honorem, exiſtimant Multi, obligationem expirare cum ipſo die, adeòque pœnitentem peccare mortaliter, qui eo die non audit Miſſam, etſi die ſequenti audiret, eodem modo quo peccat contra præceptum Eccleſiæ.

271. *Sententia Caſtro Palao.* Sed contrarium docet Arriaga ſuprà, ùt vidimus. Item Caſtro Palao tom. 4. tract. 23. diſp. un. p. 21. §. 4. n. 13. ubì ſic ait: Si tempus deſignatum à Confeſſario ſit v. g. ut proximo die Veneris, vel Vigiliæ B. V. jejunes, confitearis, aliudve opus præſtes, non eſt dubium te obligatum eſſe eo die exequi. At ſi ob malitiam vel impotentiam eo die pœnitentiam omittas, alicui videri poterit te excuſatum eſſe: quia illius deſignatio in ſpecialem B. Virg. vel Paſſionis Chriſti Domini honorem facta eſt, quem honorem non reſpicit jejunium alio die aſſumptum; ac proinde ceſſat materia præcepti, ſicut ceſſaret, ſi obligatio eſſet ex voto, & alio quovis præcepto. Sic ſentire videtur Fagundez de ſecundo Eccleſiæ præcepto l. 9. c. 4. n. 5. & favet Henriquez l. 5. Sum. c. 22. in fine. *Fagundez.* *Henriquez.*

Sed omnino dicendum, per ſe non ceſſare obligationem jejunii & Communionis: nam eſtò hæc opera eò die tibi præcipiantur exequi in honorem B. Virg. vel Chriſti Paſſionis: non tamen hic finis eſt ultimatus, ſicuti eſt in voto, alióque Eccleſiaſtico præcepto; ſed eſt finis medius, & relatus ad finem ſatisfaciendi pro peccatis commiſſis, & præcavendi futura. Unde eſtò ceſſet illius finis medii conſecutio, cùm non ceſſet hic finis ultimus & præcipuus, non ceſſat præceptum.

272. *Objectio ſolvitur.* Quòd ſi urgeas: ceſſat materia præcepti; ſiquidem ceſſat fieri jejunium in Chriſti, vel B. Virg. honorem, quæ fuit materia præcepta. Reſpondeo; ceſſare ex parte, ſed non ex toto: ceſſare, inquam, quoad acceſſorium, ſed non quoad principale. Etenim in prædicto præcepto duo continentur, primum & principale, jejunium: ſecundum minus principale & acceſſorium, ut eo die in honorem Virginis jejunes, & utrumque ſatisfactionem præteritorum, & futurorum medelam reſpicit: at ceſſante ſecundo, primum conſiſtere poteſt, cùm ſuum finem ſpecialiter ſpectet. Non igitur ex deſignatione temporis finitur pœnitentiæ obligatio.

Atque ita docet Suarez dictâ diſput. 38. ſect. 7. n. 6. Coninck diſp. 10. dub. 9. n. 84. & 85. Bonac. diſp. 5. de Pœnit. q. 5. ſect. 3. p. 4. n. 5. Quapropter omittere jejunium eo die temporis vel Vigiliæ intentione transferendi in ſequentem, crederem non excedere culpam venialem ob materiæ levitatem. Hucuſque præfatus Auctor. *Suarez.* *Coninck.* *Bonacina.*

273. *An Suarez* Legi Suarium loco citato, ubì non tractat illum particularem caſum, ſed in generali loquitur

Digitized by Google

...erit hanc ...entiam. loquitur dicens: Si Confeſſor deſignat tempus, intrà illud implenda eſt (Satisfactio) ùt conſtat, quòd ſi fortè intrà illud non impleatur, non ſtatim ceſſat obligatio, ùt contingit in præceptis Eccleſiaſticis &c. Similiter loquitur Coninck, non n. 84. & 85. ubì nihil de hac quæſtione, ſed n. 83. Nec aliud docet Bonacina. Et ratio eſſe poteſt; quia ordinariè Confeſſor deſignans tempus, non intendit ſpecialem honorem, aut cultum ejus temporis, ſed dumtaxat præfigit terminum executionis, intrà quem vult impleri ſatisfactionem abſque alio reſpectu. Et tunc communiter docent Theologi cum Suario, & Aliis ſuprà citatis, non expirare obligationem cum tempore, adeòq; parvam dilationem non eſſe mortalem.

Coninck. Bonacina.

274. *Quando ſatisfactio expirat cum deſignato tempore.* Cum hac autem ſententia optimè & firmiſſimè ſtat, obligationem expirare, quando Confeſſarius expreſsè addit ſe præcipere, v. g. jejunium, in ſpecialem cultum & honorem hujus vel illius diei: & non dubito, quin ſic poſſit præcipere, ſi velit. An autem ſemper velit, ſub judice lis eſt.

Caſtro Palao. Concedunt præcitati Auctores, etiam Caſtro Palao ſuprà, ſic velle, quoties pœnitentia per longum tempus ſtatis temporibus diſtribuitur, quæ ſi in unum conjungeretur, intolerabilis eſſet: v. g. ſi debeas ex pœnitentia injuncta ſingulis hebdomadis, imò & ſingulis menſibus jejunare, vel communicare, & longo tempore jejunia, vel Confeſſiones omiſeris; cenſent te non eſſe obligatum compenſare: quia intentio Confeſſarii eam pœnitentiam imponentis, fuit, finire ſimul cum tempore obligationem, ne ſi ſimul cum ſubſequente perſiſteret, pœnitens nimium gravaretur. Hæc Illi.

Hoc certum eſt, expirare obligationem cum tempore, quando Confeſſarius id expreſsè declarat: ſin autem non declaret; incertum eſt quando expiret, & quando non, ùt liquidò conſtat ex ante dictis.

275. *Sententia Tho. à Jeſu communiter à DD. reprobatur. Nimis laxa videtur ſententia Antonii Fernandez.* Tantùm addo; ſententiam Thomæ à Ieſu, ſuprà relatam, communiter à DD. reprobari, tamquam deſtitutam probabili fundamento. Et nimis laxam videri ſententiam Antonii Fernandez in Inſtruct. Conf. p. 1. docum. 7. § 2. nu. 2. ubi (teſte Dianâ p. 2. tract. 1. Miſcell. reſol. 53. in fine) ſic ait: Habet obligationem pœnitens adimplendi pœnitentiam ad minus intrà unum annum, ſi Confeſſarius non obligaverit intrà tempus brevius. Colligitur ex cap. *Omnis.* de Pœnit. ibi: *Et injunctam ſibi pœnitentiam.* Sic Fernandez. Qui propterea citatur à Diana loco mox allegato, quaſi docuerit, poſſe pœnitentem pœnitentiam, à Confeſſario injunctam, per annum differre.

Non probatur ex cap. Omnis utriuſque &c. Sed hoc, meo judicio, vix vel ne vix quidem probatur, aut colligitur ex cap. *Omnis* de Pœnit. ibi: *Omnis utriuſque ſexùs fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere.*

Ex quo textu colligitur obligatio ſemel in anno confitendi, ſeu adimplendi præceptum divinum Confeſſionis, & per conſequens adimplendi injunctam pœnitentiam, non vi præcepti Confeſſionis annuæ quaſi pœnitens omittens pœnitentiam, peccaret contra præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis; hoc quippe hactenùs nemo docuit, ſed ex præcepto integritatis Sacramenti, & ſpeciali præcepto Confeſſarii; adimplendi, inquam, injunctam pœnitentiam juxta regulas communes, ſeu tempore ordinario, id eſt, quàm primùm moraliter, hoc eſt, commodè, fieri poteſt. 276. *Ut hic oſtendit Auctor.*

Quòd autem ſufficiat, hodie confiteri, & in fine anni adimplere pœnitentiam, ex quibus verbis colligitur aut probatur? An fortè ex illis: *Saltem ſemel in anno?* Quippe ex his colligitur & probatur pœnitentem poſſe differre ſuam Confeſſionem uſque ad finem anni; ergo ſimiliter poſſe differre ad impletionem pœnitentiæ injunctæ uſque ad finem anni.

Reſp. Neg. Conſeq. ſi intelligas finem anni à tempore injunctæ pœnitentiæ. Alioquin, ſicuti primo die anni non tenetur confiteri, ſic neque adimplere injunctam pœnitentiam, immò impoſſibile eſt implere, cùm ſupponatur non injuncta, quoniam non niſi in Confeſſione injungitur: ſicut ergo poteſt differre Confeſſionem uſque ad finem anni, ita etiam adimpletionem pœnitentiæ tali ſenſu. Ergo ſi confeſſus fuerit in principio anni, poteſt differre adimpletionem injunctæ pœnitentiæ uſque ad finem anni, negatur Conſeq. 277. *Solvitur objectio.*

Aliàs ſi ultimo die anni confiteretur, etiam eodem die deberet adimplere pœnitentiam, quod conſtat eſſe falſum. Probatur ſequela; quia ſemel in anno, ſecundùm te, debet adimplere pœnitentiam, ſicut ſemel in anno debet confiteri; ſicut ergo ultimo die anni tenetur confiteri; ſi priùs non fuerit confeſſus, etiam conſequenter tenebitur ultimo die anni adimplere pœnitentiam injunctam.

Itaque verba illa: *Saltem ſemel in anno,* non afficiunt adimpletionem pœnitentiæ, quaſi ſingulis annis pœnitens debeat adimplere pœnitentiam, hoc enim falſum eſt, utì jam oſtendi, ſed afficiunt ſolam Confeſſionem, adeòque nihil ex illis verbis colligitur pro ſententia Fernandez. Ac proinde nullatenus admittenda ſic intellecta, ùt nullum ſit peccatum, pœnitentiam ſuam differre per integrum annum: ſin autem intelligatur de peccato mortali; fortè Aliquibus illa dilatio non videretur nimia, præſertim quando pœnitentia non eſt præſervativa, & non eſt periculum oblivionis pœnitentiæ vel impotentiæ eam implendi. 278. *Ly Saltem ſemel in anno non afficit ſatisfactionem.*

Eeeeee Enim-

Digitized by Google

Enimverò nimia dilatio, ſufficiens ad mortale, nequit certâ aliquâ regulâ determinari; ſed neceſſariò relinquitur judicio prudentum: jam autem, ùt ſuprà notavimus, quæ uni prudenti videtur dilatio exigua, & ſolùm venialis, ab alio judicatur gravis & mortalis. Eo ſemper ſalvo, quòd ex juſta cauſa poſſit differri adimpletio pœnitentiæ injunctæ, non ſolùm ad unum, ſed etiam ad plures annos. Nec mirum, cùm ex rationabili cauſa poſſit omnis pœnitentia abſolutè omitti, ùt ediſſeto Concluſione ſequenti; quæ talis eſt:

CONCLUSIO XIII.

Excuſat ab impletione ſatisfactionis injuſta gravitas; impotentia phyſica, vel moralis ratione paupertatis, infirmitatis, infamiæ &c. Et ideo non facilè imponenda publica pœnitentia, niſi ad eam pœnitens obligetur pro tollendo ſcandalo.

279. Alia eſt interpretatio pœnæ, alia ejus mutatio ſeu ablatio. Suarez.

ITa communiter DD. ſcribentes de hac materia. Suarius diſp. 38. ſect. 10. n. 1. primam partem Concluſionis non tam probat, quàm ſupponit dicens: Diſtinguere oportet interpretationem, ſeu declarationem, à propria mutatione, ſive ablatione pœnæ: interpretatio enim non eſt actus poteſtatis; ſed prudentiæ vel doctrinæ.

Interpretatio duobus modis fit.

Et duobus modis habet locum in præſenti. Primò; ſi quis rationabiliter judicet Clavem à principio erraſſe, & ſatisfactionem injuſtam impoſuiſſe: & ideo declarat pœnitentem non teneri ad illam implendam. Secundò; ſi à principio fuit juſtè impoſita, poſtea verò pœnitens factus eſt impotens, vel ſuborta eſt ſufficiens cauſa, quæ illum excuſet: tunc enim etiam habet locum interpretatio, & quando cauſa ſeu impotentia reverà eſt ſufficiens ad excuſandum, non tenetur pœnitens commutationem poſtulare; quia nulla eſt ratio talis obligationis, ùt in aliis præceptis, & votis patet: nam quia obligatio cadit in talem actum vel materiam, & ille actus jam non eſt moraliter poſſibilis vel conveniens, ceſſat obligatio. Hæc ille.

280. Pœna ab initio imprudenter injuncta, aut poſtea facta moraliter impoſſibilis non indiget commutatione. Coninc.

Eodem modo loquitur Coninck diſp. 16. n. 97. Nota, inquit, primò, nos non agere hìc de caſu, in quo aut pœnitentia ab initio imprudenter eſt injuncta, ita ùt vel longè pœnas debitas peccatis, quæ pœnitens confeſſus eſt, excedat; vel ei ſit moraliter impoſſibilis: aut etſi initio fuerit prudenter injuncta, poſtea mutatis circumſtantiis eſt pœnitenti facta moraliter impoſſibilis, quia eam ſinè gravi incommodo explere non poteſt. Tunc enim nullâ poteſtate opus eſt, quâ illa in aliam mutetur, ſed ſolùm prudenti judicio, quo cauſâ cognitâ judicetur hìc & nunc, vel ex toto, vel ex parte non obligare. Hucuſque Coninck.

Ubì nota hæc verba: *Vel longè pœnas debitas peccatis, quæ pœnitens confeſſus eſt, excedat:* cùm enim defectu exactæ ſcientiæ gravitatis peccatorum, & pœnarum temporalium correſpondentium, nequeat Sacerdos ſemper attingere indiviſibile punctum pœnæ debitæ pro peccatis confeſſis, haùd facilè propter levem aliquem exceſſum pœnitentia eſt omittenda, vel mutanda proprio judicio; ſtat enim poſſeſſio pro Confeſſario, cui convenit ex officio arbitrari circa pœnas debitas. Oportet ergo manifeſtè conſtare de notabili aliquo exceſſu, quoniam hæ pœnæ non conſiſtunt in indiviſibili, ſed habent latitudinem, ùt cùm Scoto diffuſiùs diſputavimus & concluſimus ſuprà hàc Sectione Concluſ. 3. ad quam remitto Lectorem.

281. Oppoſitum docet Hiquæus.

Hinc non aſſentior Hiquæo in ſuo Comment. 4 diſt. 19. q. un. n. 81. ubì ſic ait: Ex his ſequitur altera Concluſio Doctoris; nempe, ſi Sacerdos non ſervet latitudinem debitam ſatisfactionis, ab eo deficiendo, vel notabiliter excedendo; judicium illud non eſſe ratum in cælo: tenetur quidem pœnitens ex præcepto Eccleſiæ, cui ſe ſubjecit, adimplere pœnitentiam acceptatam, ùt in tertio argumento docet, ſed exhibitio actûs compenſabitur à Deo per remiſſionem alterius pœnæ debitæ, vel ad meritum gratiæ & gloriæ, quia liberalis eſt in donis ſuis, nec opera juſti relinquit ſinè præmio: quòd ſi ſatisfactio erit deficiens, acceptabitur pro rata & valore ſuo. Hæc ille.

Oppoſitum. D. Aug.

Sed contrà; pœnitentia notabiliter excedens latitudinem debitam, eſt injuſta, & ideo non ligat; veluti lex injuſta non ligat, quia non vera lex, juxta illud Evodii apud D. Auguſt. l. 1. de lib. Arbit. c. 5. *Mihi lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit.* Et illud D. Aug. lib. 19. de Civit. c. 21. *Quod jure fit, profectò juſtè fit. Quòd autem fit injuſtè, nec jure fieri poteſt. Non enim jura dicenda ſunt, vel putanda iniqua hominum conſtituta.*

282. Hiquæus malè profitat Scotum.

Nec contrarium docet Scotus in tertio argumento, ùt perperàm ait Hiquæus ſuprà, ſic enim inquit Doctor illo loco n. 25. *Item ſi Sacerdos imponat pœnitentiam aliquantulum majorem, quam reſpondeat peccatis, non eſt probabile, quin pœnitens teneatur eam implere; ergo ſi aliquantulum minùs pœnâ condignâ, illa videtur ſufficere: nam ſi non ſufficeret aliqua citra illam punctualem, quam dictat divina juſtitia: ergo non oporteret explere aliam ultra illud punctuale divina juſtitia.*

Digitized by Google

inſtitiæ. En tertium argumentum Scoti, in quo, ùt vides, nullatenus docet, pœnitentem teneri adimplere pœnitentiam notabiliter excedentem, ſed aliquantulum majorem intrà latitudinem juſtam, ùt apertiſſimis verbis docet n. 26. ubì ſic ait:

Dico ergo, quòd ſicut in aliis commutationibus iuſtitia commutativa habet aliquam latitudinem, ita quòd non reſpicit in commutationibus indiviſibile, ſed medium rectæ rationis: ita iuſtitia punitiva, quæ eſt commutativa pœna pro culpa, non reſpicit neceſſariò gradum indiviſibilem pœnæ correſpondentem huic culpæ, ſed eſt ibi aliqua latitudo, infra quam pœna minor non ſufficit, & ultra quam pœna maior non eſt imponenda: & extra totam iſtam latitudinem Clavis citra vel extra ligans, errat; & tunc non immeritò, quæ ſolvitur in terris, non ſolvitur in cælis, id eſt, non ratificatur: ſed intra latitudinem non errat, & ideo arbitrium ratificatur in tantùm, quòd quidquid imponitur intrà illam latitudinem, hìc oportet implere, & ſi hìc non impletur, reſiduum in Purgatorio exigetur, & ſi minus imponatur, & expleatur, nihil maius exigetur in Purgatorio. Quid clariùs dici poterat ad noſtrum propoſitum? Itaque, etiam ſecundùm Scotum, pœnitens pœnitentiam injuſtæ gravitatis, tametſi priùs acceptaſſet, exiſtimans eſſe juſtam, injuſtitiâ tamen ſufficienter cognitâ, non tenetur adimplere.

283. Impoſſibilitas ex duplici capite oritur. Reg. 6. de Reg. Iuris in 6. Leg. 185. ff. eod.

Quantum ad impotentiam habemus Reg. Juris 6. de Reg. Juris in 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* Et leg. 185. ff. eodem titulo *Impoſſibilium nulla obligatio eſt.* Impoſſibilitas verò duplici ex capite oriri ſolet, aut quia natura impedimento eſt, veluti montes Alpium ultra mare deferre, dare Solem, Lunam, & Stellas, Cælum aſcendere vel digito tangere &c. aut quia jus vel boni mores vetant, veluti rem ſacram vel religioſam dari: aut ſi furti, vel alterius delicti nomine promiſſio fiat; aut ſi hæredis inſtitutio, aut legatum à teſtatore ita relictum ſit, ſi parentibus alimenta non præſtiterit, ſi ab hoſtibus patrem non redemerit &c.

L. 15. ff. de Condit. inſtit.

Eleganter Papinianus l. *Filius* 15. ff. de Condit. inſtitut. *Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram & (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.*

284. Satisfactio phyſicè aut moraliter impoſſibilis non obligat.

Si igitur ſatisfactio, impoſita à Confeſſario, hìc & nunc quando implenda foret, læderet pietatem, exiſtimationem; verecundiam noſtram; & (ut generaliter dixerim) ſi contra bonos mores fieret; nec facere nos poſſe credendum eſt, per conſequens nec facere nos debere credendum eſt, cùm impoſſibilium nulla ſit obligatio, & nemo poſſit ad impoſſibile obligari: *Quia* (inquit Gloſſa in Reg. 6. verb. *Nemo poteſt*) *omnis obligatio aut in dando aut in faciendo conſiſtit ff. de Verb. oblig. l. 2. in principio. Sed quod non eſt nec eſſe poteſt, dari vel fieri non poteſt: ergo ibi conſtitui nequit obligatio. Item obligatio actionem parit ff. de Proc.* Licet §. Ea; *ſed quod non eſt, nec eſſe poteſt, obligationem parère non poteſt, & ſic nec actionem. Item actiò eſt ius perſequendi in iudicio, quod nobis debetur. Inſtit. de act. 2. reſp. debere autem eſt de alio habere; ſed quod non eſt, nec eſſe poteſt; de alio haberi non poteſt; ergo ibi non eſt actio & ſic nec obligatio.*

Breviter ratio Concluſionis eſt; quia alia Probatio. præcepta vel leges Eccleſiæ non obligant cum impotentia phyſica aut morali; nam materia legis humanæ non eſt quilibet actus bonus, ſed qui ſuâ difficultate, humanam fragilitatem communiter non ſuperat; ergo neque obligat ſatisfactio; quæ eſt præceptum aliquod Confeſſarii; ad impoſſibile phyſicè, vel moraliter id eſt, quod ſuâ difficultate hìc & nunc communiter ſuperat fragilitatem humanam.

Unde non placet doctrina Joannis Sancii in 285. Doctrina Ioan. Sanches. Select. diſp. 13. n. 11. Eſtò, inquit, lex exterior ferri non poſſit, quòd aliquis ritè confeſſus peccata ſua, & ab iis legitimè abſolutus, teneatur eadem iterùm denudare, videlicet ſi lex illa ferretur à Superiore poſt Confeſſionem factam; eò quòd intolerabilis & nimis rigida foret..... poterit tamen ferri lex in foro interiori ſacramentali à Confeſſario; cùm nec intolerabilis ſit; ſed potiùs medicinalis. Non enim Superior ferens legem in communi fatendi peccata ſemel confeſſa arbitrari poterit, an medicinale ſit, vel non, & neceſſarium ſubditis obligationem illam exiſtere, qualiter judicat Confeſſarius id expedire pœnitenti: at tantum onus imponere ſubditis abſque neceſſitate, intolerabile putatur prudenter. Nec de virtutibus æquum erit legem inducere, quando illud neceſſarium non eſſet; & aliàs difficile eſſet illis vacare; præſertim dum in pœnam alicujus delicti non eſſet inducta, qualiter à Confeſſario injungente pœnitentiam reiterandæ Confeſſionis fertur in pœnam, ſcilicet criminum ſibi patefactorum. Hactenus Sancius.

Sed, ſicut dixi, hæc doctrina non placet, ſi 286. Rejicitur; ſic intelligatur, quòd Confeſſarius poſſit pœnitentem invitum cogere ad iteratam Confeſſionem mortalium, quando illa non eſt omnino neceſſaria ad evitandum peccatum futurum. Vide Concluſionem 6.

Profectò lex exterior, præcipiens iteratam & oppugnatur ab Auctore, Confeſſionem peccatorum mortalium, non minùs medicinalis eſt, quàm lex in foro interiori ſacramentali, ùt probo ex eodem Auctore n. 4. ibi: Obligari pœnitentem iterùm, vel ſæpè eadem peccata confiteri, vel indifferenter Confeſſionem ſibi præcipi, ſive venialium ſive mortalium; medicinale eſt ipſi tam ob pudorem, quàm ob bonam conſuetudinem gignendam ex crebra Confeſſione. Subſumo ego; atqui ad hos effectus planè impertinens eſt, quòd crebra Confeſſio ſit debita ex

 lege

Digitized by Google

lege exteriori, vel ex lege in foro interiori ſacramentali; ergo ſi hæc non eſt intolerabilis, ſed potiùs medicinalis; nec iſta erit intolerabilis, ſed potiùs medicinalis.

Infero ulteriùs: ergo Superior, ferens legem in communi, fatendi peccata ſemel confeſſa, arbitrari poterit, an medicinale ſit vel non, & neceſſarium ſubditis obligationem illam exiſtere. Quippe prudenter judicat, crebram Confeſſionem, quam præcipit, gignere tum pudorem, tum bonam conſuetudinem, illumque pudorem, & hanc conſuetudinem, licèt non omnino neceſſariam omnibus pœnitentibus, tamen valde utilem eſſe ad præcavendum peccatum futurum. Cur ergo non poſſit eam præcipere? Vel ſi ipſe non poſſit, cur poterit Confeſſarius, reluctanti pœnitenti eam imponere, quando non eſt omnino neceſſaria, ſed ſolùm valde utilis? De hoc enim caſu quærimus, ùt ſuprà inſinuavimus. Non video diſparitatem. Cùm ergo Superior non poſſit, quia talis actus ſuperat communiter fragilitatem humanam, & talis lex potiùs eſſet in deſtructionem, quàm in ædificationem, dico, etiam Confeſſarium non poſſe, quia talis pœnitentia magìs cederet in deſtructionem pœnitentis, qui veriſimilius eam propter ſuam difficultatem non adimplebit, quàm in ædificationem.

287. *Probatur communis doctrina exemplo legis communis.*

Igitur, ut ad propoſitum revertamur, ſicuti impotentia moralis, id eſt, nimia difficultas excuſat ab impletione legis communis, etiam pœnalis, pari ratione videtur excuſare ab impletione præcepti particularis, impoſiti per Confeſſarium in foro interiori ſacramentali in pœnam criminum ſibi patefactorum: excuſare, inquam, ex toto, vel ex parte, ſi pœnitentia impoſita eſt diviſibilis ſecundùm prudens judicium omnibus conſideratis: v. g. impoſita eſt in pœnitentiam oratio flexis genibus, vel coram Crucifixo, eſto infirmitas aliqua excuſet, ne pœnitens debeat orare flexis genibus; non ideo ſemper excuſat ab ipſa oratione juxta Reg. 37. de Reg. Juris in 6. *Utile non debet per inutile vitiari*; ſi tamen utile ab inutili ſeparari poſſit, prout ſuppono in præſenti caſu poſſe. Cæteròquin talis & tanta poſſet eſſe infirmitas, ut excuſaret à toto, id eſt, etiam ab ipſa oratione.

Reg. 37. de Reg. Iuris in 6.

Similiter aliquis pro pœnitentia accepit eleëmoſynam 100. florenorum, ſupervenit paupertas, ita ut licèt poſſit ſinè incommodo gravi dare eleëmoſynam unius floreni v. g. non tamen ſinè maximo incommodo eleëmoſynam 100. florenorum, tametſi tali caſu pœnitens excuſetur ab eleëmoſyna 100. florenorum, non tamen ab eleëmoſyna unius floreni, & ſic de cæteris; eodem modo, quo aliquis excuſaretur, qui voviſſet dare eleëmoſynam 100. florenorum, vel voviſſet orare flexis genibus, ſuperveniente ſimili infirmitate, vel paupertate.

Et ſanè ſi paupertas vel infirmitas ſuperveniens excuſat ab obligatione voti, quæ eſt juris naturalis, quidni ſimiliter, ſi non magìs, excuſet à præcepto Confeſſarii? Nonne infamia aut aliud grave incommodum extrinſecum Sacramento excuſat à formali integritate Confeſſionis; quæ eſt juris divini poſitivi? Cur ergo ſimiliter infamia non excuſabit ab impletione ſatisfactionis? Noli dubitare.

Et ideo non facilè imponenda publica pœnitentia, niſi ad eam pœnitens obligetur pro tollendo ſcandalo, quæ eſt poſtrema pars Concluſionis. Ratio patet; quia fieret cum pœnitentis infamia, & aliorum quandoque ſcandalo; ergo pœnitens non tenetur eam acceptare, niſi ſit neceſſaria pro tollendo ſcandalo, antea à ſe dato per peccatum publicum: cùm enim tali caſu, etiam abſque præcepto Confeſſarii jure naturali obligetur tollere ſcandalum, quidni ad illud tollendum per publicam pœnitentiam poſſit cogi à Confeſſario? 288. *Probatur ultima pa. Concl.*

Hæc eſt ſententia communis, quam docet Coninck ſuprà n. 74. & Suarius ſuprà ſect. 6. n. 3. vocans pœnitentiam publicam, non omnem illam, quæ coram aliis fit: nam ſi ita fiat, ut perſona maneat occulta, vel cauſa; quia eſt res, quæ ſponte fieri ſolet: vel certè ſi talis eſt pœnitentia, ut ſoleat pro levibus peccatis imponi, de his non eſt dubium, quin imponi poſſint. Dicitur ergo publica pœnitentia, quæ ita fit coram aliis, ut ex illa colligi poſſit Confeſſorem propter grave crimen illam impoſuiſſe. Ita Suarius. *Quæ ſit publica pœnitentia. Coninck. Suarez.*

Et quamvis Navarrus (teſte Suario ſuprà) in cap. *Sacerdos.* de Pœnit. d. 6. nu. 87. & in Sum. c. 8. n. 10. neget tales pœnitentias poſſe imponi, etiam pro peccatis publicis, quia (inquit Navarrus in Sum.) illud eſſet rumpere indirectè ſigillum; equidem contrarium videtur docere Conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 8. de Refor. quod ſic incipit: *Apoſtolus monet, publicè peccantes, palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos commotoſq; fuiſſe non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus, in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magìs judicaverit expedire.* Et ante Trident. idem docet Alexander (aliàs Calixtus) Papa, ùt refertur de Pœnit. & Remiſſ. c. 1. *Manifeſta*, inquit, *peccata non ſunt occultâ correctione purganda.* 289. *Navarrus negat publicas pœnitentias poſſe imponi pro publicis peccatis.* *Conc. Trid.* *cap 1. de Pœnit. & Remiſſ.*

Reſpondet Navarrus ſuprà; hoc jus intelligendum in foro mixto exteriori, in quo (ſubjungit) poſſet intelligi hoc dictum Concilii, & non in mero interiori, quod ſignificat dictum Concilium in tribuendo poteſtatem Epiſcopis mutandi pœnitentiam publicam, de qua 290. *Reſpondet ad Concil. Trid. & c. de Pœnit. Remiſſ.*

qua loquitur; tum quia non eſt recedendum ab antiquo jure, quando novum ad id nos non compellit.

Itaque, infert hic Auctor, credo Confeſſarium non debere palam facere indirectè, quod pœnitens ſibi confeſſus fuit aliquod peccatum publicum ſcandaloſum, imponendo ei pœnitentiam publicam, ſic ut credatur ab illo fuiſſe data; quamquam bene poteſt imponere ita, ut crederetur, pœnitentem illud à ſe facere ad ædificationem eorum, quos ſcandalizavit, dicendo ſe id facere, quò ſciant ſe ex animo pœnitere, percupereque ne quis ejus exemplo peccet. Hactenus Navarrus in Sum. loco citato.

Porrò in cap. *Sacerdos* de Pœnit. diſt. 6. n. 87. & ſequentibus latiùs examinat hanc difficultatem, & fatetur n. 93. DD. & etiam D. Thom. 4. diſt. 14. qu. 1. a. 5. intelligere prædictum textum de Pœnitentia ſacramentali. Pro quibus, inquit, facit etiam conſuetudo Pœnitentiariorum Papæ, & quorumdam Epiſcoporum, qui peccatores ſibi confeſſos peccata gravia reſervata, quandoque in publico ſpectaculo verberant. Tertiò facit quòd in illo Tit. de Pœnit. tractari videtur ſolùm de Pœnitentia ſacramentali, ùt patet in cap. *Significavit.* cap. *Quod quidam.* cap. *Deus.* cap. *Officii.* cap. *Omnis.* cap. *Cùm infirmitas.* cap. finali. Ita ſibi objicit hic Auctor.

291. Reſpondet ad aliam objectionem,

Sed (inquit n. 94.) hæc facilè confutantur: nam qui per alium aliquid facit, ipſe videtur id facere, & ideo qui per pœnitentem revelat, cogendo illum publicè pœnitere, per ſe videtur revelare. Neque obſtat quod de Pœnitentiariis ac Vicariis prædictis dicitur: nam illi non verberant ob peccata, ſed ob excommunicationem, cujus abſolutio non eſt ſacramentalis, ſed potiùs exterioris fori per ea, quæ traduntur in cap. *Tranſmiſſam* de Elect. cap. *Duobus* de Sent. Excom. atque ideo per Clericos minorum Ordinum fieri poteſt, ùt tradit S. Thomas 4. diſt. 18. a. 2. q. 2. licèt Noſtri non ſatis aperuerint.

Quòd ſi pro peccato, eis clam aperto, illud, ſine facultate id publicandi, faciunt, videtur mihi cum Durando incautè factum; quoniam negari non poteſt, per talem pœnitentiam ſaltem indirectè prodi pœnitentem à Confeſſario; quod non licet per cap. *Omnis* de Pœnit. & cap. *Noſtrum.*

292. ...tiones ...ttri,

Ad hunc modum intelligendi rejiciendum, magnopere me movet, Primò; quòd ſi verus eſſet, errarent omnes ferè Confeſſarii, quos quotidie videmus pro publicis criminibus ſecretas imponere pœnitentias. Deinde; quòd pœnitentia illa, de qua cap. 1. agit, invito imponitur ſecundùm Omnes: at communiori calculo receptum eſt, abſolvendum illum, qui aliàs legitimè confeſſus eſt, quamvis nullam, vel non niſi parvam pœnitentiam velit acceptare, modò proponat ſe aliter vel hìc, vel in Purgatorio Deo ſatisfacturum, ùt poſt Hoſtienſem, Panormitanus & Alii tradiderunt, & poſt alios Theologos non ſemel docuit Cajetanus, quod & nos ſuprà tenuimus in cap. *Conſideret.* Si igitur in eo foro non tenetur ad acceptandum id, quod imponitur ei ſecretiſſimum, quomodo tenebitur ad acceptandum publicum? Igitur id cap. 1. de pœnitentia fori exterioris loquitur. Tertiò movet; quòd multa illius tituli capitula loquuntur etiam de ſatisfactione non ſacramentali, ùt c. 2. c. *Quod autem.* c. *Licet.* c. *Quæſitum.* c. *Cùm ex eo.* c. pen.

Hoſtienſis. Panormitan. Cajetanus.

& limitatio ſententiæ ipſius.

Tenendo tamen ſententiam quæ mihi verò propior viſa eſt, poſſe Confeſſionem revelari de confitentis conſenſu, verum crediderim, ſponte ſuſcipienti, poſſe pro publico peccato publicam injungi pœnitentiam. Non eâ ratione quâ moventur alii, ſed quòd eam ſuſcipiens expreſsè vel tacitè conſentiat ſuæ Confeſſionis publicationi ex juſta cauſa; nempe Deo & populo, quos ſcandalizarat, ſatisfaciendi, quod temperandum eſt, dummodo ea pœnitentia fiat coram eis; quibus ille erat infamis. Intellectus ergo verus illius capitis ille fuerit: Manifeſta peccata purganda correctione manifeſtâ, in foro ſcilicet exteriori non interiori, & etiam in interiori, ſi vel ſponte petat, vel ſuſcipiat pœnitens illam. Hucuſque Navar.

Fortè in re ipſa parùm vel nihil diſſentiens à communi ſententia, quæ non docet, Confeſſarium paſſim propter peccatum publicum poſſe imponere publicam pœnitentiam, & ad eam cogere pœnitentem involuntarium; hæc enim eſſet res nimis periculoſa, quia talis pœnitentia moraliter vix implenda, ſed tunc ſolùm poſſe cogere quodammodo pœnitentem, ad acceptandam publicam pœnitentiam, quando ex jure naturali; ſecluſo præcepto Confeſſarii, ipſe tenetur pœnitentiam illam publicam agere ad tollendum ſcandalum; cogere, inquam, negando aliter Abſolutionem, quâ alioquin indignus eſt propter indiſpoſitionem, id eſt, defectu propoſiti de cætero non peccandi. Simili modo, quo poteſt cogere pœnitentem ad reſtitutionem, ad evitandam occaſionem proximam peccati &c. nolendo eum abſolvere, niſi firmiter proponat reſtituere, evitare occaſionem proximam peccati, v. g. dimittere concubinam &c. 293. Parùm vel nihil diſſedit à communi ſententia.

Igitur hoc eſt, quod me movet ad intelligendum prædictum textum, uti etiam Concil. Tridentinum, & alia jura ſimilia, non tantùm de pœnitentia in foro exteriori; ſed etiam interiori ſeu ſacramentali; non quidem abſolutè & generaliter pro omni caſu, ſed quando omnibus conſideratis jure naturæ tenetur pœnitens publicè pœnitere ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, quam ſcandalizarat ſuis peccatis. Quomodò intelligenda communis ſententia.

 Ex quo

Digitized by Google

294. Reſpond. ad 2 rationem Navarri. Ex quo patet reſponſio ad primum motivum Navarri ſuprà; videlicet, non errare Confeſſarios, quos videmus quotidie pro publicis peccatis ſecretas imponere pœnitentias; id enim faciunt, quia publica pœnitentia omnibus conſideratis non judicatur neceſſaria ad tollendum ſcandalum, vel quia nullum ſcandalum ortum fuit, vel quia alio medio commodiùs putatur tollendum.

Ad ſecundam. Quantùm ad ſecundum motivum; communiori calculo receptum eſt, ùt patet ex dictis Concl. 9. non debere abſolvi pœnitentem, qui ſinè juſta cauſa renuit acceptare pœnitentiam ſecretam, prudenter à Confeſſario impoſitam. Et admiſsâ ſententiâ Navarri, & Aliorum paucorum; diſparitas eſt, quòd pœnitens in caſu noſtro jure naturæ teneatur publicè pœnitere; ergo illam pœnitentiam publicam tenetur acceptare, eſtò non deberet acceptare pœnitentiam privatam, ad quam jure naturæ non tenetur.

295. Ad tertiam. Tertium motivum Navarri eliditur alio ſimili motivo, quia nempe, ut ipſemet fatetur, etiam multa illius Tituli capitula loquuntur de pœnitentia ſacramentali; ergo ex ea parte non eſt ratio quare cap. 1. debeat potiùs intelligi de pœnitentia fori externi, quàm ſacramentalis. Quapropter dico cum Catechiſmo Rom. p. 2. c. 5. q. 63. ubì manifeſtè agitur de ſatisfactione ſacramentali: *Si interdum ob publicam offenſionem, publica pœnitentia praſcribenda fuerit, quamvis eam pœnitens refugiat, ac deprecetur, non erit facilè audiendus: verùm perſuadere ei oportebit, ut quæ tum ſibi, tum aliis ſalutaria futura ſunt; libenti atque alacri animo ſuſcipiat.*

296. Aliquando poteſt imponi publica pœnitentia pro crim nibus occultis. Immo idipſum aliquandò non inconſultum erit, eſtò crimina ſint occulta, ùt idem Catechiſmus docet ibidem qu. 55. his verbis: *Præterea pœnitentia noſtra exempla alios docent, quomodo ipſi vitam inſtituere, & pietatem ſequi debeant. Cum enim pœnas pro peccatis noſtris irrogatas cæteri homines intueantur, & ſummam cautionem ſibi in omni vita adhibendam, & mores priſtinos corrigendos eſſe intelligunt. Quare ſapientiſſimè illud ab Eccleſia obſervatum eſt, ut cùm ab aliquo publicè flagitium commiſſum eſſet, publica etiam pœnitentia ei indiceretur, ut cæteri timore perterriti, deinceps peccata diligentiùs vitarent: quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent, interdum fieri ſolitum erat. Sed in publicis, ùt diximus, hoc perpetuum fuit, ut qui ea commiſerant, antequam publicam pœnitentiam ſuſcepiſſent, non abſolverentur.*

Vbì nota ly *Interdum,* quia ordinariè id non expedit, quia contra bonam famam pœnitentis, quæ cenſetur adhuc integra, cùm ſupponantur peccata eſſe occulta. Quando autem peccata ſunt publica, famâ utique jam amiſsâ, non ſequitur ex pœnitentia publica nova infamatio pœnitentis, & aliunde non revelatur peccatum niſi ab ipſo pœnitente, adeòque ne indirectè quidem violatur ſigillum.

Si dixeris; pœnitens facit id coactus. Reſpondeo; ſed juſtè coactus, quia tenetur Confeſſarius illam pœnitentiam imponere, & reluctantem non abſolvere. Dico; *Tenetur*, quia ſi non ſit pœnitentia omnino neceſſaria, quamvis valde expediens & utilis tam Communitati, quàm ipſi pœnitenti, eſtò poſſet eam libenti animo acceptanti imponere; equidem reluctans cogendus non foret: quippe, ùt ſuprà notavi, talis curatio eſſet valdè periculoſa, quia moraliter vix talis pœnitentia implenda, præſertim ſi peccata ſint occulta, cùm unicuique ſit maxima cura boni nominis, & infamia ſit juſta cauſa non implendi ſatisfactionem. 297. Objectio diluitur.

Sed numquid etiam oblivio eſt juſta cauſa? Numquid pœnitens, qui per ſeipſum non poteſt explere ſatisfactionem ob impotentiam phyſicam, vel moralem, tenetur illam explere per alium? Aut fortè non peccat, qui poteſt eam per ſe implere, implet autem per alium? Reſpondeo & Dico decimoquarto:

CONCLUSIO XIV.

Oblitus pœnitentiæ, non tenetur Confeſſionem iterare. Conſcius pœnitentiæ, tenetur eam per ſeipſum explere, niſi fortè aliud declaraverit Sacerdos; aut talis ſit, quæ per alium fieri ſoleat.

PRima pars eſt communis, etiam intellecta de oblivione culpabili, de qua Aliqui contrarium docent, ſed ſinè ſolido fundamento, quod tamen videtur neceſſarium, ad imponendam tam gravem obligationem iteratæ Confeſſionis eorum peccatorum, à quibus pœnitens ſemel directè fuit abſolutus. Hæc ergo ſit ratio Concluſionis; non eſt imponenda obligatio iteratæ Confeſſionis, ubì nec jus divinum, nec jus Eccleſiaſticum, eam imponit, ſed in hoc caſu neque jus divinum, neque jus Eccleſiaſticum eam imponit; ergo non eſt imponenda. 298. Probatur 1. pars Concl.

Quin immo, inquis, jus divinum imponit; nam jure divino tenetur pœnitens curare quantùm commodè poteſt, ut Pœnitentiæ Sacramentum ſit integrum: ſed Sacramentum non eſt integrum, & omnino completum non adimpletâ pœnitentiâ, fit verò integrum, ſi adimpleatur pœnitentia, quæ fuit in prima, aut in ſecunda Confeſſione per commutationem injuncta; ergo pœnitens tenetur iterùm confi- 299. Objectio.

Digitized by Google

confiteri, ut ſatisfaciat perfectæ integritati Sacramenti, nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

Bonacina. Antoninus. Silveſter. Navarrus. Adrianus. Paludanus. Cajetanus. Vaſquez. Coninck. Lugo. Dicaſtillo. Herincx.

Ita pro hac ſententia argumentatur Bonacina diſp. 5. q. 5. ſect. 3. p. 3. n. 8. ubi eam docet cum S. Antonino 3. p. tit. 14. c. 19. §. 19. Silveſtro v. Confeſſio 1. q. 3. & Aliis, contra Navarrum in Sum. c. 9. n. 17. (ubi refert Adrianum & Paludanum) Sotum diſt. 20. q. 2. a. 2. Cajet. in Sum. v. Confeſſionis iteratio §. *Ex ſatisfactionis*. Vaſquez q. 94. a. 2. dub. 4. Coninck diſp. 10. n. 86. Lugo diſp. 25. n. 87. Dicaſtillo diſp. 14. n. 108. Herincx part. 4. tract. 4. diſp. 4. n. 19. & Alios communiter tam recentiores quàm antiquiores; pro quibus.

300. *Reſponſio.* Reſpondeo ad argumentum Bonacinæ; teneatur pœnitens jure divino curare quantum commodè poteſt, ùt Pœnitentiæ Sacramentum ſit integrum: atqui in hoc caſu commodè poteſt id curare, nego Minorem; maximum enim incommodum eſt iteratò confiteri peccata, præſertim mortalia ſemel directè abſoluta, in tantum ùt Eccleſia non poſſit hujuſmodi iteratam Confeſſionem præcipere propter ejus difficultatem, ùt patet ex alibi dictis: quid ergo mirum, ſi cum tanta difficultate pœnitens non teneatur curare integritatem Sacramenti? ſi tamen tali medio poſſit eam curare. *Dicaſtillo.* Nam, inquit Dicaſtillo ſuprà, etiamſi iterùm repetat Confeſſionem, priùs illud Sacramentum non integratur: ſecunda enim Confeſſio cum pœnitentia ibi impoſita, eſt aliud Sacramentum, & illa pœnitentia non eſt pars integrans prioris Sacramenti. Hæc ille. Quæ commodiùs infrà examinabimus. Sufficit modò ſumma difficultas iteratæ Confeſſionis, ùt ratione ejus pœnitens excuſetur à procuranda integritate prioris Sacramenti, eſtò procurari poſſet illo medio.

Hinc ſi fortè oblivio accidiſſet ſtatim poſt datam pœnitentiam; & pœnitens crederet Sacerdotem adhuc ejus eſſe memorem, teneretur, ſi poſſet, ab eo petere, quid injunxiſſet, præſertim, quando pœnitentia eſſet gravis. Ita *Coninck* Coninck ſuprà. Quippe tunc abſque iterata Confeſſione, & alio gravi incommodo, ùt ſuppono; poteſt curare integritatem Sacramenti, quod aliàs maneret imperfectum; ergo tenetur tali medio curare. Ergo etiam tenetur curare medio iteratæ Confeſſionis Neg. Conſeq. patet ex dictis diſparitas.

301. *Alia objectio.* Dices; pœnitens tenetur jure divino ſatiſfacere pro peccatis: atqui non poteſt ſatisfacere, niſi iteratò confiteatur; ergo &c.

Solvitur. Reſpondeo, tenetur jure divino ſatisfacere ex opere operato Neg. Majo. ex opere operato, vel opere operantis, tranſeat Major. Atqui non poteſt ſatisfacere, niſi iteratò confiteatur; diſt. Min. non poteſt ſatisfacere ex opere operato ſeu ſacramentaliter, conc. Min. ex opere operantis, vel etiam ex opere operato per Sacrificia, & Indulgentias, neg. Min. Omitto, pœnitentem abſolutè non obligari, ſaltem graviter, ad ſatisfaciendum in hac vita pro pœna temporali Purgatorii.

Igitur non obligatur jure divinò ad iteratam Confeſſionem, ùt per eam accipiat remiſſionem culpæ; illam enim ſuppono remiſſam per præcedentem Abſolutionem, cujus valor non pendet à peccato futuro; & aliunde culpa ſemel legitimè remiſſa non redit per ſubſequens peccatum, ùt conſtat ex alibi dictis; neque ad accipiendam remiſſionem pœnæ temporalis; quam aliis mediis poteſt accipere, & ſi nolit in hac vita recipere, ſed ſolùm in futura, non peccat, ſaltem graviter.

Dixi ſignanter: *Illam enim ſuppono remiſſam per præcedentem Abſolutionem*, ut excluderem 302. *Quis ſit caſus Concl.* caſum, quem Navar. ſuprà proponit hiſce verbis: Quando pœnitenti ante Abſolutionem injungitur pœnitentia, & ille; cùm imponitur ipſi, contemnit; aut juſtam curam non adhibet, quo poſtea injunctæ pœnitentiæ recordetur, ut eam poſſit adimplere. Tunc enim, inquit ille, nihil valeret, etiamſi poſtea eam injunctam exequeretur, non quia illam non adimplet; ſed quia, quando illa injungebatur, peccavit, & de illo peccato non ſe accuſavit; atque ideo non fuit integra Confeſſio. Hæc Navar.

Porrò caſus noſtræ Concluſionis eſt, quando pœnitens in ipſa injunctione pœnitentiæ non peccavit, & ideo integrè fuit confeſſus, & legitimè abſolutus, poſtea tamen peccat dando voluntariè cauſam oblivionis pœnitentiæ; ex qua oritur impotentia adimplendi eam. Tali caſu dico, tametſi pœnitens teneatur confiteri illam culpabilem oblivionem; equidem non obligatur ad iteratam Confeſſionem priorum peccatorum, neque ex jure divino, ùt jam oſtenſum eſt, neque ex jure humano, quod enim illud?

Non Eccleſiaſticum generale, cùm hactenus 303. *In quo non obligat præceptum Eccleſ. generale ad iteratam Confeſſionem.* nemo illud allegaverit, nec allegare poſſit, quia nuſquam extat. Nam quòd ait Bonac. ſuprà, eſſe communem uſum fidelium, Confeſſionem tali caſu repetere, planè incertum eſt; ſi autem ab aliquibus fiat, non conſtat quòd ex obligatione, quia fieri poteſt ex devotione, aut pro majori ſecuritate propter oppoſitam ſententiam, vel etiam ex ignorantia noſtræ ſententiæ; igitur hæc conſuetudo, ſi quæ eſt, inſufficiens meritò reputatur ad imponendam gravem obligationem.

Et dato, quòd ſententia Bonac. contineretur in aliquibus Confeſſionalibus, ùt videtur ſignificare Navar. ſuprà, hæc Confeſſionalia non ſunt regula generalis, & ſecuta ſunt illam ſententiam, propter aliquam majorem ſecuritatem. Nihilominùs, ſicut dicit Navar. ibi, proculdubio noſtra ſententia tenenda eſt, quia licèt

Digitized by Google

licèt contraria ſit magìs ſecura, quia iterata Confeſſio abſolutè bona eſt, adeoque ex hac parte nullum periculum peccati; tamen ex altera parte, quia iterata Confeſſio difficilis eſt, periculum eſt, ne ſæpiùs omittatur cum gravi peccato, juxta ſententiam Bonacinæ & Aliorum; illud autem periculum cavetur in noſtra ſententia, & ideo tenenda, quidquid aliquot Confeſſionalia contineant. Igitur nullum generale præceptum Eccleſiæ, præcipiens tali caſu iterationem Confeſſionis, quamvis indubiè illa iteratio res optima ſit.

304. **Sed neque præceptum particulare Confeſſarii**

Neque etiam præceptum particulare Confeſſarii, quo pœnitentiam impoſuit; quia ſuppono, quòd pœnitentia impoſita non ſit iterata Confeſſio, ſed jejunium v. g. aut oratio, vel ſimile aliquod opus pium, diſtinctum ab iterata Confeſſione; cùmque expletio illius operis impoſſibilis ſit, niſi ex caſu fortuito, defectu utique ſcientiæ, patet, quia nulla ad illud eſt obligatio, neque ad iteratam Confeſſionem, cùm illa non ſit impoſita. Atque hæc ſufficiant pro prima parte Concluſionis, de qua alia non occurrit ratio dubitandi.

305.

Pro ſecunda parte quæritur primò; an pœnitens propriâ auctoritate poſſit aliquem tertium ſubſtituere, qui impleat ejus pœnitentiam, quando illa talis eſt, ut non ſoleat per alium communiter fieri, v. g. oratio, jejunium, auditio Miſſæ, & ſimilia. Nam ſi agatur de eleëmoſyna, quæ ſolet fieri per famulum, niſi Confeſſarius expreſsè declaret contrarium, ſatisfacit pœnitens, ſi det eleëmoſynam per alium, quia equidem ipſe ſentit incommodum, ſcilicet carentiam pecuniæ, propter quod incommodum hujuſmodi pœnitentia imponitur. Alioquin ſi Confeſſarius propter ſpecialem conſiderationem vellet eleëmoſynam fieri ab ipſo pœnitente, neque tunc pœnitens ſatisfaceret dando per alium, ùt nimis manifeſtum eſt, cùm tota obligatio pœnitentiæ dependeat à voluntate Confeſſarii. Neque de hoc caſu controvertitur inter Doctores.

Satisfacit pœnitens ſi det eleëmoſynam per alium niſi aliud declaraverit Confeſſarius.

Tenetur per ſeipſum orare, jejunare &c.

De aliis pœnitentiis oratione, jejunio &c. videtur pœnitens ea debere per ſeipſum explere, ſaltem ubì Confeſſarius contrarium non declaraverit. Ratio patet; quia ſunt opera perſonalia, ut ſic loquar, id eſt, quæ impleri ſolent à perſona, cui præcipiuntur, ùt patet ex præceptis Eccleſiæ de ſimilibus operibus; nemo quippe putat ſe ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam diebus Dominicis & feſtivis, ſi per alium audiat, aut obligationi recitandi divinum Officium, ſi per alium recitet, vel præcepto jejunandi, ſi per alium jejunet, & ſic de cæteris. Ergo conſimiliter nemo debet cogitare, ſe ſatisfacere præcepto Confeſſarii, audiendo Miſſam, orando, vel jejunando per alium. Quæ enim ratio diſparitatis? Cur verba Sacerdotis: *Audies Miſſam*; *Recitabis divinum Officium*; *Ieiunabis*, magìs ſignificent, facies hæc per te, vel per alium, quàm verba ſimilia Eccleſiæ?

Eſtque hæc communior ſententia Theologorum; immo communiſſima, quando non ſubeſt rationabilis cauſa implendi per alium. Alioquin quando hæc ſubeſt, docent Nonnulli, pœnitentem poſſe ſatisfacere per alium. Quæ ſit autem rationabilis cauſa, ſtatim ediſſero, referendo verba illorum Doctorum. 306. **Quid ſi non poſſit per ſeipſum facere, an teneatur facere per alium?**

Paludanus 4. diſt. 20. q. 3. Concl. 3. ſic ait: Quòd ſi non poteſt facere per ſeipſum, poteſt facere per alium (ecce prima rationabilis cauſa, ſecundùm iſtum Doctorem, ſcilicet impotentia) quia iſta videtur fuiſſe voluntas imponentis, qui noluit ad impoſſibile obligare, nec voluit ad Purgatorium mittere: unde cùm dicitur: *Ieiunes*, verùm eſt, ſi potes per teipſum; aliàs per alium: unde quia homo non poterat ſatisfacere peccato naturæ per ſeipſum; juſtum fuit quòd hæc ſatisfactio poſſet fieri, & fieret per alium, ſicut & facta eſt per Chriſtum. Hæc ille: dicens, eam Concluſionem Omnes concedere. **Affirmat Paludanus.**

Quod hodie patet eſſe falſum, cùm plerique ei contradicant. Noluit quidem Sacerdos ad impoſſibile obligare, & ideo diximus Concl. præc. impotentiam excuſare ab impletione ſatisfactionis: ſed neque voluit obligare ad opus poſſibile alienum, exemplo Eccleſiæ, quæ non obligat fideles, ut per alium audiant v. g. Sacrum, quando per ſeipſos non poſſunt audire. **Contrarium videtur verius.**

Dices; diſparitas eſt, quòd alioquin Sacerdos mittat ad Purgatorium, ſecùs Eccleſia. 307. **Evaſio præcluditur.** Reſpondeo; Sacerdos liberat à Purgatorio, imponendo ſatisfactionem, quæ per ſe poteſt fieri, eſto hìc & nunc per accidens fiat impoſſibilis; non itaque mittit Sacerdos ad Purgatorium, ſed potiùs cauſa per accidens impediens impletionem ſatisfactionis.

Alioquin ſequeretur, pœnitentem, qui non poteſt jejunare, non ſolùm poſſe, ſed etiam debere aliud opus ſatisfactorium facere ex præſumpta voluntate Confeſſarii, quod eſt contra communem ſenſum fidelium. Sequela probatur; quia aliàs Confeſſarius mitteret ad Purgatorium, unde cùm dicitur: *Ieiunabis*, verum eſt, ſi potes, aliàs, *Audies Sacrum.* Non enim eſt major ratio, cur in caſu impotentiæ jejunii per ſe, debeat cenſeri impoſuiſſe jejunium per alium, quàm in caſu impotentiæ jejunii per ſe, & per alium, auditionem Miſſæ.

Profectò tametſi ex illa præſumpta voluntate Confeſſarii, pœnitens habeat illud commodum, quòd poſſit ex opere operato ſatisfacere, ùt Aliqui volunt, de quo ſtatim diſputabimus; attamen non ſinè gravi incommodo, ſcilicet obligatione procurandi jejunium alterius, vel obligatione audiendi Sacrum, à qua liberan- 308. **Majus incommodum videtur ſequi ex ſententia Paludani, quam commodum.**

liberantur in noſtra ſententia. Et aliunde poſſunt ſatisfacere ex opere operantis, & ex opere operato per Indulgentias & Sacrificium Miſſæ abſque obligatione.

Unde exiſtimo, majorem partem pœnitentium malle carere illâ obligatione, quàm cum illa poſſe ſatisfacere ex opere operato: ac proinde potiùs præſumendum eſſe, tali caſu Confeſſarium non velle obligare ad opus per alium faciendum, vel ad aliud opus faciendum, ne nimium indè pœnitentes graventur. Si nolit obligare, non erit ſatisfactio ſacramentalis; per conſequens non erit remiſſiva pœnarum ex opere operato ſecundùm noſtra principia, de quibus ſuprà. Hæc de tertia Concluſione Paludani.

Audiamus quartam. Quando poteſt ſatisfacere per ſeipſum, & quidem quando pœnitentia eſt data in remedium, ſi nec ipſe alio modo recompenſet, certum eſt, quòd non ſufficit: ùt ſi jejunium eſt impoſitum ad domandum carnem, & ipſe illud jejunium alii imponit, & vult carnem ſuam nutrire, nec aliquo alio æquipollenti modo domare, non poteſt ſe ſic acquietare, & hoc etiam Omnes concedunt. Ita hic Auctor; & quis audeat contradicere?

309. ...n ſufficiet ...mplere pœ...tentiam ...r alium, ...ando id ...ditur gra...s Deo? Sed plus dico ego; tametſi ipſe alio modo recompenſet, non ſufficit, quidquid in contrarium videatur Aliquibus aſſerere Paludanus eâdem Quæſt. Concl. 5. ibi: Dicendum eſt igitur ad rationem, quòd ſi aliquis propter nimium amorem carnis ſuæ vellet facere per alium, quod eſſet ſibi impoſitum vel per ſe, vel de alio faciendum, non liberaretur; ſed ſi (...lud. vi...tur affir...are.) occupat ſe in illis, quæ ſunt Deo magìs accepta, quàm ſit illud, & ſunt majora remedia contra peccatum, quàm illud, & nihilominus illud quod ſibi eſt impoſitum vult facere per alium, videtur quòd ſit plena ſatisfactio apud Deum; quia etiam videtur præſumpta voluntas imponentis, utputà ſi pugnando contra hoſtes Fidei, vel prædicando aut peregrinando, vel aliis piis operibus æquè domet carnem, paratus nihilominus illud facere per ſe, vel de ſuo; quod alius vult per ſe, & de ſuo, & mallet per ſe, quàm per alium; niſi quia credit iſtud magìs Deo acceptum, tunc omnino videtur acquietare ſeipſum. Hæc ille. Igitur, ſecundùm hunc Auctorem, altera cauſa rationabilis explendi pœnitentiam per alium, eſt melior, ſeu Deo gratior occupatio, magiſque contraria peccato.

Addit tertiam cauſam ibidem Art. 3. Concluſ. 3. dicens: Ille qui pœnitentiam ſuam alii imponit, debet ſatagere, quòd non ſolùm ille ſit bonus, ſed quòd ſit melior ſe, ut non ſolùm ſit ſatisfactoria, ſed etiam magìs: & hæc eſt tertia cauſa, propter quam licet alii imponere, etiam ubì homo eſt potens per ſe facere, & non vult melioribus occupari; ſed non propter amorem carnis, quam vult bene aliàs domare, ſed quia per magìs charum Deo vult eam facere. Ita Paludanus.

Ego autem non credo, illam fuiſſe inten- 310. tionem Confeſſarii, à qua tamen dependet ſa- Contrarium tisfactionis valor, ùt patet in aliis duobus ca- eſt verum. ſibus in quibus recurritur ad præſumptam voluntatem Confeſſarii.

Etenim cur magìs in hoc & præcedenti caſu debeo, aut poſſum præſumere hujuſmodi voluntatem Confeſſarii, quàm in eiſdem circumſtantiis præſumere talem voluntatem Eccleſiæ, præcipientis v. g. jejunium, vel auditionem Miſſæ? (Probatur exemplo præceptorum Eccleſiæ.) Vel fortè exiſtimas, implere præceptum Eccleſiæ, qui jejunat vel audit Miſſam per alium; Deo magìs charum; aut tempore audiendi Miſſam, occupat ſe operibus, magìs Deo charis, & alii imponit auditionem Miſſæ? Noli exiſtimare, ſi non vis aperire viam infinitis tranſgreſſionibus legum Eccleſiaſticarum, & Civilium. Omitto, valde incertum eſſe, quis ſit magìs charus Deo, & quæ ſit melior occupatio, ut proinde hoc non debuerit relinqui judicio pœnitentis.

311. Item ex Script. 1. Reg. 15. Nonne Saul 1. Reg. 13. offerens Holocauſtum, fecerat, quod ſibi videbatur Deo gratiùs? *Vidi* (inquit ille ad Samuëlem) *quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras juxta placitos dies, porrò Philiſthiim congregati fuerant, in Machmas, dixi: Nunc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placavi. Neceſſitate compulſus, obtuli Holocauſtum.* Et tamen audivit à Samuële: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi* &c.

Et rursùm 1. Reg. 15. interrogatus Saul à Samuële v. 19. (& 1. Reg. 15.) *Quare non audiſti vocem Domini, ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini?* Reſpondet v. 20. *Immò audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam miſit me Dominus, & adduxi Agag Regem Amalech & Amalech interfeci. Tulit autem de præda populus oves & boves, primitias eorum, quæ cæſa ſunt, ut immolet Domino Deo ſuo in Galgalis.* Opus utique ex ſe magìs gratum Deo. Et tamen ait Samuël ad eum v. 22. *Numquid vult Dominus Holocauſta, aut victimas, & non potiùs, ut obediatur voci Domini? Melior eſt obedientia, quàm victima, & auſcultare magìs, quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.*

312. Deo gratiùs eſt per ſe facere opus impoſitum minus bonum, quàm per alium magìs bonum non impoſitum. Similiter dico ego; meliùs eſt, & Deo gratiùs, pœnitentem acquieſcere & obedire voci Confeſſarii, implendo opus impoſitum, in ſe minùs bonum, per ſeipſum, minùs charum Deo, quàm facere opus melius in ſe, non impoſitum; aut opus impoſitum, ut fiat per ipſum pœnitentem, facere per alium, magìs charum Deo. Et ideo minùs rationabiliter præſumitur contraria voluntas Confeſſarii, quæ tamen planè neceſſaria foret ad ſatisfactionem ſacramentalem, de qua ſola hìc loquimur.

 Cætero-

Digitized by Google

Unus pro altero poteſt ſatisfacere ex opere operantis

Cæterộquin libenter fatemur cum communi ſententia, unum pro altero ſatisfacere poſſe ex opere operantis; & ideo quando pœnitens impotens eſt ad ſatisfaciendum ſacramentaliter, id eſt, ad implendum opus impoſitum à Confeſſario, indubiè optimum conſilium eſt, per alium opus impoſitum facere, quia ſi non ex opere operato, ſaltem ex opere operantis poterit prodeſſe pœnitenti ad remiſſionem pœnarum temporalium.

313. **Argumentum Palud. non concludit ſatisfactionem ex opere operato.**

Hinc non concludit argumentum Palud. ſuprà art 1. Si homo, inquit, non niſi per ſe poteſt, & numquam poteſt per alium ſatisfacere, tunc gratia Dei in Baptiſmo requireret planctum & gemitum, & eſſet illi, qui ante Baptiſmum multa peccata fecit, pœnitentia injungenda, ſicut in Sacramento Pœnitentiæ; quia Chriſtus eſt alius homo à baptizato, & ſic non potuit pro iſto ſatisfacere, cùm iſte poſſit ſatisfacere; ſicut pro parvulis ſufficit meritum Chriſti, quia non poſſunt mereri; ſed adultis non ſufficit meritum Chriſti cum Baptiſmo, ſed tenentur addere meritum proprium. Et quamvis in hoc ſit diſſimile; quia homo etiam impotens non poteſt mereri per alium, niſi ſoli parvuli, vel non habentes uſum rationis per ſolum Chriſtum, non ſic autem ſinè baptiſmo ſalvaretur per cujuſcumque alterius meritum: tamen in hoc conſtat virtus argumenti, quòd ſi potens per ſe ſatisfacere, non poteſt per alium; ergo nec per Chriſtum. Hæc ille.

Sed quis noſtrum negat, unum hominem poſſe pro alio ſatisfacere? Quid ergo? Negant Multi, unum hominem poſſe pro alio ſacramentaliter ſatisfacere, præſertim quando non conſtat de voluntate Confeſſarii. Sed

Chriſtus non ſatisfecit pro nobis ſacramentaliter.

numquid Chriſtus ſacramentaliter pro nobis ſatisfecit? Numquid opera Chriſti fuerunt pars Sacramenti Pœnitentiæ, aut ſunt pars Sacramenti Pœnitentiæ, quod pœnitentes ſuſcipiunt? Veriſſimum eſt, per Sacramentum Pœnitentiæ nobis applicari merita & ſatisfactiones Chriſti, ſicut etiam per Sacramentum Baptiſmi: ſed quis umquam dixit, opera Chriſti eſſe aut fuiſſe partem Sacramenti Pœnitentiæ? Hoc autem eſt quod quæritur; an jejunium v. g. alterius hominis poſſit fieri pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, quod ego ſuſcipio, vel ſuſcepi: quod fieri poſſe, nullatenus probatur exemplo Chriſti, eſtò ſuâ ſanctiſſimâ Paſſione in ligno Crucis nobis, tam parvulis, quàm adultis, juſtificationem meruerit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecerit.

314. **Probatur ex Trident. unum hominem non poſſe pro alio ſacramentaliter ſatisfacere.**

Immo contrarium videtur Aliquibus probari ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 3. ibi: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.* Et can. 4. *Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem* &c. *anathema ſit.* Ergo non minùs Satisfactio, quàm Contritio, & Confeſſio, debet præſtari ab ipſo pœnitente.

Reſponſio Paludani.

Reſpondet Palud. ſuprà a. 3. Non eſt ſimile de Contritione & Confeſſione, reſpectu quorum homo debet ſe habere activè, & niſi agat illos actus per ſe, non dicitur conteri, nec confiteri; ad ſatisfaciendum verò non oportet quòd homo agat illa, quibus ſatisfacit, ſed quòd ſolùm acceptet ea: ſic homo acceptando pro ſuis peccatis flagella à Deo, vel homine illata, ſatisfacit, maximè quando ex intentione facientis ad ipſum applicantur. Hæc ille. Et continuò attexit: Propter opiniones autem tutum eſt, quòd pœnitenti imponatur, quòd per ſe, vel per alium faciat, & tunc ſinè hæſitatione poteſt per alium ſatisfacere.

Sed quamvis hoc tutiùs ſit, & indubiè tunc pœnitens ſatisfaciat præcepto Confeſſarii; tamen adhuc dubium eſt, an opus, quod per alium ſit, ſit ſatisfactorium ex opere operato; an verò ſola procuratio illius operis. Et ideo dixi in Concluſione: *Niſi fortè aliud declaraverit Sacerdos.* Equidem non eſſe ſatisfactorium ipſum opus alterius, tenet Vaſquez q. 94. a. 2. dub. 1. n. 10 Coninck. diſput. 10. n. 66. & 82. quos ſequitur Lugo diſput. 25. n. 82. & Dicaſtillo diſput. 14. n. 70. & probant, ſicut dixi, ex Conc. Trident. *Vaſquez. Coninck. Lugo. Dicaſtillo.*

Nec valet reſponſio Paludani; quia petit principium; de hoc enim quæritur, quare homo reſpectu Contritionis, & Confeſſionis magìs debeat ſe habere activè, quàm reſpectu ſatisfactionis, nam ſicut ipſe dicit: niſi agat illos actus per ſe; non dicitur conteri, nec confiteri; eodem modo ego dico, niſi ſatisfaciat per ſe, non dicitur ſatisfacere. Satisfacit quidem ex opere operantis, acceptando pro ſuis peccatis flagella, à Deo, vel homine ſibi illata; & etiam ſatisfaceret, ſalvo meliori, ex opere operato ſacramentaliter, ſi dum impoſita foret pœnitentia flagellationis, curaret ſe flagellari per alium; ſed quòd aliquis ſatisfaciat ſive ex opere operantis, ſive ex opere operato per hoc, quòd acceptet flagella, quæ alteri infliguntur à Deo, numquam audivi, nec credo eſſe verum. 315. **Rejicitur.**

Docet Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 9. *tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis, ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis &c. ſed etiam, quòd maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus. A Deo*, inquam, *inflictis*, ſcilicet nobis, ſicut priùs dixerat, *ſponte à nobis ſuſceptis*, & ſtatim poſt dicit, *& à nobis patienter toleratis.*

Scio aliquem poſſe ſatisfacere ex opere operantis per flagella alteri inflicta, & ab eo patienter tolerata, ſed de hac ſatisfactione, utì

ſuprà

Digitized by Google

ſuprà dixi, hîc non agitur, neque ad eam neceſſaria eſt acceptatio, ſed ſufficit ſola applicatio patientis, ùt patet ex ſuprà dictis. Probandum igitur eſt, flagella patienter ab alio tolerata, poſſe eſſe ſatisfactionem ſacramentalem, ſeu partem integralem, & quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, quod ego ſuſcipio, & non ille alter, qui patitur.

316. Argumentum Arriagæ pro ſententia Paludani.

Probatur, inquis, quia Chriſtus inſtituit judicium ſacramentale per modum judicii ordinarii, in quo abſolvitur reus impoſitâ ei aliquâ pœnitentiâ ab ipſo implendâ, quam pœnitentiam elevavit Chriſtus in hoc Sacramento ad ſatisfactionem ex opere operato: atqui Iudices in cauſis ordinariis, etiamſi habeant jus obligandi reum, ùt per ſeipſum ſubeat impoſitam pœnitentiam, quo caſu ille non poterit ſatisfacere per alium, nihilominus ſimul habent poteſtatem, ut permittant reum ſubſtituere alium loco ſui, qui ſedeat v. g. in carcere, qui eat ad triremes &c. nam illa pœna tertii cenſetur proportionata intento Reipublicæ, id eſt, ſufficit ad alios deterrendos, cùm ſit valde difficilè invenire, qui talia pro altero velit ſuſtinere, & præterea per eam vindicantur peccata commiſſa; utì quando alter abdicando à ſe ſuas ſatisfactiones, eas mihi offert, non manent inulta peccata. Cur ergo illam poteſtatem negabimus Sacerdoti in judicio ſacramentali? Ita argumentatur Arriaga pro hac ſententia diſp. 48. n. 12.

Reſponſio ad Trident.

Ex quo reſpondet ad Trident. illud loqui de hac ſatisfactione, ùt de actione ipſius pœnitentis, quia directè & primariò poteſtas data Sacerdoti, & Iudici, eſt in ordine ad puniendum pœnitentem in propria perſona; utì in aliis Iudicibus primariò & per ſe poteſtas judicativa eſt ad imponendam pœnam ipſi reo: per hoc tamen utì Iudices habent poteſtatem aliquando acceptandi, ut per alium illa impleatur, ita dicimus id poſſe permittere Confeſſarios. Adde, eam actionem, quæ fit per alterum, poſſe reputari meam, utì in ordine ad conficiendum Sacramentum Matrimonii conſenſus, quem legatus præſtat nomine alterius eſt ultimum complementum materiæ. Hæc ille n. 13.

317. Reſponſio impugnatur à Auctore.

Reſpondeo ad ultimum, & quæro: an ſicut poſſum contrahere Matrimonium per legatum, qui nomine meo conſentiat, ſic etiam poſſim abſolvere ſacramentaliter per legatum, qui nomine meo proferat verba Abſolutionis? Patet quod non. Ergo illa additio nullius momenti; nam Auctores contrariæ ſententiæ contendunt, ſatisfactionem ſacramentalem eſſe actionem perſonalem, quemadmodum Abſolutio, & Contritio, & Confeſſio: ſicut ergo Abſolutio per alium non valet, eſtò valeat Matrimonium per alium; ſimiliter non valet Contritio tertii, aut Confeſſio tertii, ſed requiritur Contritio propria, & propria Confeſſio; pari certè ratione eſtò valeat Matrimonium per alium contractum, non indè rectè infertur; ergo etiam valet ſatisfactio per alium.

318. Objectio.

Dices; valet Confeſſio per interpretem, ergo etiam ſatisfactio per alium: quia eodem modo loquitur Concilium de utraque illa parte.

Diluitur.

Reſpondeo; etiam eodem modo loquitur de Contritione, num ideo valet Contritio per alium? Valet quidem Confeſſio per interpretem, quia hæc ipſa eſt propria Confeſſio pœnitentis, id eſt, explicatio peccatorum non interpretis, ſed pœnitentis, & quidem explicatio facta ab ipſo pœnitente, non quidem immediatè Sacerdoti, ſed immediatè interpreti, & per ipſum Sacerdoti. Hinc explicatio, facta à pœnitente, propriè eſt Confeſſio ſacramentalis, non illa quæ fit ab interprete; cùm interpres propriè non confitetur, quia non explicat propria peccata. Utì etiam in Matrimonio per legatum, conſenſus legati non eſt propriè pars Sacramenti, ſed conſenſus conjugis antea præſtitus, & moraliter adhuc perſeverans in conſenſu legati: ipſe enim conjux miniſter eſt Sacramenti, non legatus.

Ergo ſimiliter in ſatisfactione, quæ fieret per alium, jejunium v. g. tertii propriè non erit pars Sacramenti; quia ipſe nec eſt miniſter Sacramenti, nec ſuſcipiens Sacramentum, ſed pars Sacramenti erit procuratio illius jejunii, ac proinde hæc ſola, & non jejunium tertii erit remiſſiva pœnarum temporalium ex opere operato: veluti conſenſus legati in Matrimonio non cauſat ex opere operato gratiam ſanctificantem; ſed conſenſus principalis virtualiter ſeu moraliter exiſtens in conſenſu legati.

319. Reſpondetur ad principale argumentum Arriagæ.

Ex quo patet reſponſio ad principale argumentum Arriagæ: non negatur Confeſſario poteſtas, ut permittat pœnitentem ſubſtituere alium loco ſui, qui v. g. pro ipſo jejunet; ſed affirmant hi DD. ſolam illam ſubſtitutionem eſſe pœnitentiam ſacramentalem, non autem jejunium tertii, idque, quia illa ſola ſubſtitutio, eſt proportionata intento Confeſſarii; nam ſola difficultas, quam pœnitens reperit in illa ſubſtitutione, revocat eum & quaſi fræno quodam coërcet à peccato, cautioremque & vigilantiorem in futurum efficit.

Vindicta propriè reſpicit ſubjectum quod peccavit. Ezech. 18. Deut. 24.

Atque hæc ſola eſt ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem propriè loquendo; nam vindicta propriè reſpicit ſubjectum, quod culpa coinquinatum eſt, juxta illud Ezech. 18. v. 20. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur: Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Et Deut. 24. v. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.*

Exod. 20.

Hinc Exod. 20. v. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Non ait: *Vindicans iniquitatem*

Digitized by Google

patrum in filios, quia videlicet propriè dicta vindicta reſpicit ſubjectum, quod peccavit. Licèt ergo Deus poſſit infligere mortem temporalem filiis ob peccata parentum, tamen illa mors non eſt propriè vindicta peccati præteriti, niſi in quantum illa mors eſt difficilis parentibus ſeu moleſta & doloroſa, ita ut ſola moleſtia ſeu dolor indè proveniens parentibus, propriè ſit vindicta.

Cùm igitur ſatisfactio ſacramentalis debeat imponi in vindictam & caſtigationem peccati præteriti, ùt patet ex Trident. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem*, nec aliquid cogat, verba illa impropriè intelligere, dico, quando Confeſſarius imponit jejunium v. g. per alium, illud jejunium non habere rationem ſatisfactionis ſacramentalis, niſi in quantum aliquo modo moleſtum & difficile pœnitenti; ſive, quia difficùlter poteſt invenire tertium, qui velit pro ipſo jejunare, vel quia tertius quem invenit paratum, filius v. g. eſt, quem, quia valde diligit, mallet bene comedere, quàm jejunare, unde dolet de ejus jejunio.

320. Diſparitas inter judicium ſæculare & ſacramentale. Et verò quis non videt diſparitatem inter judicium ſæculare, & judicium ſacramentale? Nam in hoc judicio idem eſt reus, accuſator & teſtis; numquid etiam in judicio ſæculari? In judicio ſacramentali requiritur præſentia Rei, ut poſſit validè abſolvi, ſecùs in judicio ſæculari, & ita in aliis multis diſcrepant hæc judicia: quare ſimiliter non poſſent diſcrepare in hoc puncto ſatisfactionis? Diſcrepare autem, videtur colligi ex Trident. ſuprà, quod gratis exponit Arriaga de ſatisfactione primaria & directa, & non de omni omninò ſatisfactione ſacramentali.

Præterea in judicio ſacramentali Confeſſarius nullum jus habet in eum, qui ſuſcipit alterius pœnitentiam adimplendam, neque tenetur ſubſtitutus eam implere ex vi ſententiæ ſeu præcepti Confeſſarii, ſed tantùm ex vi propriæ promiſſionis; ut proindè tametſi pœnitentiam non impleat, nullatenus peccet contra præceptum Confeſſarii, ſed tantùm contra fidelitatem. Cùm igitur, juxta ſuperiùs dicta, ſatisfactio ſacramentalis debeat eſſe præcepta; jejunium autem tertii non ſit præceptum, ſed ſola procuratio jejunii, liquet profectò, ſolam procurationem eſſe ſatisfactionem ſacramentalem.

321. Reſponſio Arriagæ. Reſpondet Arriaga ſuprà: illud jejunium non eſſe ex præcepto reſpectu tertii, niſi moraliter, quatenus voluit repræſentare perſonam pœnitentis, eſſe tamen ex præcepto reſpectu hujus, cui in ipſo præcepto data eſt poteſtas ſubſtituendi alterum. Utì quando lex præcipit, ut quilibet Nobilis eat ad bellum, dat tamen libertatem, ut ſubſtituat loco ſui alium; certè ille ſubſtitutus non obligatur propriè eo præcepto, tamen jure optimo dici poteſt, quòd actus illius ſit ex præcepto, quatenus præceptum fuit cauſa, ut Nobilis ab illo id peteret, & ipſe propterea voluit ire, ut Nobilis ſatisfaceret hoc modo ei præcepto, in ſe disjunctivo; non eſt ergo cur indè negetur, eam ſatisfactionem habere valorem ex opere operato. Hæc ille.

Sed contrà; ſi ille ſubſtitutus non obligatur propriè eo præcepto; ergo actus illius non eſt propriè præceptus: eſt ergo cur indè negetur, eam ſatisfactionem habere valorem ex opere operato, quia ſatisfactio ſacramentalis debet eſſe propriè præcepta, cùm procedat à poteſtate propriè ligandi. Cùm ergo ſola illa ſubſtitutio procedat à poteſtate propriè ligandi, illa ſola erit propriè præcepta, per conſequens illa ſola erit ſatisfactio ſacramentalis, & non actus ipſius ſubſtituti, cui Confeſſarius non poteſt propriè præcipere. Oppugnatur.

Si inferas; ergo pœnitens erit liber, tametſi non ſequatur actus ſubſtituti. Reſpondeo; pendet à voluntate Confeſſarii. Certùm eſt in exemplo ſtatim allegato, Nobilem non eſſe liberum ab obligatione militandi per ſe, niſi cùm effectu procuret ſubſtitutum, qui non tantùm promiſſione, ſed re ipſâ eat ad bellum, alioquin fraudatur Rex intento ſuo. 322. An pœnitens ſit liber, ſi non ſequatur actus ſubſtituti?

An autem idem dicendum ſit de pœnitente in caſu propoſito, ſicut dixi, pendet à voluntate Confeſſarii, qui potuit ſolùm velle ipſum laborem procurationis, & tunc indubiè pœnitens eſt liber, eſtò ſubſtitutus negligat actum; potuit etiam velle ipſum actum ſubſtituti à parte rei, ut videlicet per illum pœnitens ſatisfaciat, ſi non ex opere operato, ſaltem ex opere operantis, aut per modum impetrationis; & tunc, niſi cum effectu procuret actum ſubſtituti, ipſe tenetur actum impoſitum implere, ùt per ſe conſtat, vel tenetur alium ſubſtitutum quærere, qui reverà impleat.

De cætero ſive ſequatur actus, ſive non, æqualem habebit fructum remiſſionis pœnarum ex opere operato; niſi ipſum opus, quod tenetur procurare, per ſe independenter à præcepto Confeſſarii ex opere operato remittat pœnas Purgatorii; v. g. præcepit Sacerdos pœnitenti, ut ſacrificet per ſe, vel per alium, tametſi Sacrificium alienum pro me oblatum non ſit ſatisfactio ſacramentalis in hac ſententia, ſed ſola procuratio illius Sacrificii; tamen ſi reverà Sacrificium iſtud offeratur, pœnitens majorem fructum remiſſionis pœnarum accipiet ex opere operato aut quaſi, quam ſi ſubſtitutus Sacrificium negligeret; non ex vi Sacramenti Pœnitentiæ, ſed quia ipſum Sacrificium, independenter à præcepto Confeſſarii, cauſat ex opere operato aut quaſi remiſſionem pœnæ temporalis.

Hinc ſæpè talis pœnitentia prudenter imponi poteſt (utì etiam lucratio Indulgentiæ) ut pœnitens, quem videt Confeſſarius per 323. Sæpe prudenter imponitur

pœnitentia Sacrificium Miſſæ, aut lucratio Indulgentiæ.

per ſe non poſſe ſatisfacere, ſaltem ſatisfaciat per alium, ſive ex opere operato, aut quaſi, putà per Sacrificium Miſſæ, per quod applicantur nobis ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, ſive ex opere operantis, vel per modum impetrationis, putà per jejunia, orationes, & alia bona opera.

Cap. 1. 26. q. 7.

Appoſitè Theod. Cantuar. Archiep. in Pœnit. ſuo (& refertur 26. q. 7. c. 1.) *Ab infirmis in periculo mortis poſitis per Presbyteros pura inquirenda eſt Confeſſio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda: & cum amicorum orationibus & eleëmoſynarum ſtudiis pondus pœnitentiæ ſublevandum*; non ſacramentaliter, ſeu ex opere operato, ſed ex opere operantis, vel per modum impetrationis: nam de ſacramentali ſatisfactione ſtatim ſubjungitur: *A quo periculo ſi divinitùs ereptus convaluerit, pœnitentiæ modum à Sacerdote ſibi impoſitum diligenter obſervet.* Atque hæc ſufficiant pro illa ſententia verè probabili.

324. An ſubſtitutus, exiſtens in ſtatu peccati, poſſet alteri obtinere remiſſionē pœnæ ex opere operato? Lugo.

Omitto, quod addit Lugo ſuprà n. 81. Si jejunium alterius eſſet pars mei Sacramenti, videtur ſequi, quòd licèt ipſe ſit in peccato mortali, acquiret mihi fructum ex opere operato: ad hoc enim ſolùm requiritur ſtatus gratiæ in eo, qui recipit fructum Sacramenti, non in alio, ùt conſtat in eo, qui contrahit Matrimonium per procuratorem, exiſtentem in peccato; nam conjux adhuc recipit gratiam per illam actionem. Conſequens autem videtur abſurdum, quòd jejunium hominis peccatoris ſit ſatisfactorium tunc ex opere operato pro me. Hæc ille.

Arguitur quod ſic.

Omitto, inquam, illam probationem; quia Conſequens illud non videtur abſurdum magìs, quàm quòd Sacerdos, in malo ſtatu offerens Sacrificium, mihi acquirat fructum remiſſionis pœnæ temporalis, quod ab Omnibus admittitur.

Deinde, dicet aliquis; ſi conjux recipit gratiam per actionem procuratoris, qui eſt in peccato mortali, ùt Eminent. ibi admittit, quid ni pœnitens poſſet recipere fructum ex opere operato per jejunium alterius, qui eſt in peccato mortali, ſuppoſito quòd illud jejunium foret ſatisfactio ſacramentalis? Nonne pœnitens accipit fructum ex opere operato per eleëmoſynam, factam à famulo ejus nomine, eſtò hic ſit in ſtatu peccati mortalis? Non eſt dubium.

Ergo aliunde probandum eſt, quòd jejunium alterius non ſit ſatisfactio ſacramentalis, quàm ex illo Conſequente, quòd nullatenus abſurdum videtur, ex hypotheſi, quòd jejunium iſtud foret ſatisfactio ſacramentalis. Immo, ſecundùm Aliquorum ſententiam, de qua ſuprà, ſatisfactio confert effectum ex opere operato impleta ab ipſo pœnitente in ſtatu peccati mortalis, quantò magìs ſi pœnitens ſit in bono ſtatu, & ſolus ſubſtitutus in peccato mortali? Hæc igitur probatio Lugonis parvæ eſt conſiderationis, nec ab ea pendet veritas probabilis illius ſententiæ.

Interim oppoſita ſententia videtur Aliquibus probabilior, quam præter Paludanum ſuprà, docuit Sylveſter verb. *Satisfactio*: q. 3. & D. Antoninus 3. part. tit. 14. c. 20 §. 1. ubì requirunt hi Auctores, ut ſubſtitutus ſit in Charitate: Si quis, inquit Antoninus, eſt per ſe impotens ſatisfacere, tunc alius, qui eſt in Charitate, poteſt ſatisfacere, ſicut & confiteri pro eo. Et infrà: Sed ſi imponit ſibi per ſe fiendum, tunc non poteſt ſatisfacere per alium, quando per ſe poteſt; ſed ſi non poteſt per ſe, ſive quia infirmus eſt, ſive quia moritur, tunc ſi imponit ipſe pœnitens alteri, & ille ſuſcipiat onus, & facit in Charitate, utique ſatisfacit. Hæc ille. 325. Probabilior Aliquibus videtur ſententia, quæ docet per alium poſſe ſatisfieri ex opere operato. *Palud. Sylveſter. D. Antonin.*

Idem docet Palud. ſup. art. 3. concl. 1. Commune, inquit, eſt utrique ſatisfactioni, quæ fit pro vivo & mortuo, quòd fiat ab exiſtente in Charitate: quia actus, qui non eſt Deo acceptus, non poteſt eſſe ſatisfactorius pro faciente, nec pro alio, unde & qui vult pœnitentiam ſuam alii imponere, niſi velit ſe periculo exponere, debet quærere hominem de quo confidat, quòd ſit in Charitate vivens, abſtinens à mortali. Ita Paludanus. Eſtò art. 1. de eleëmoſyna per alium facta ſic ſcribat: Etſi nuncius eſſet in peccato mortali, nihilominus eſſet illa eleëmoſyna ſatisfactoria, quia ſicut dare eleëmoſynam per manum peccatoris non diminuit in actu rationem merendi, ita nec ſatisfaciendi. Non enim plus requiritur, quòd actus ſit Deo acceptus ad ſatisfaciendum, quàm ad merendum.

Sed quæ ratio diſparitatis? Exiſtimo, quia eleëmoſyna per famulum, non tam eſt actio famuli quàm domini; cùm famulus nullum ex ea ſubeat incommodum, nec propriè ſubveniat pauperi, niſi tamquàm merum inſtrumentum, eodem modo, quo equus v. g. aut aliud animal irrationale, quod dominus aſſumit ad eleëmoſynam pauperi deferendam: at verò jejunium famuli propriè non eſt actus domini, ſed famuli, qui pro domino jejunat, & ſolus ſentit incommodum jejunii, adeòque ipſe eſt principalis cauſa & propriè dicitur jejunare; famulus autem dans eleëmoſynam ex mandato domini non dicitur propriè dare eleëmoſynam, ſed ipſe dominus. 326. Diſparitas inter famulum qui dat pro domino eleëmoſynam, & qui pro eo jejunat.

Conſimiliter in contractu Matrimonii per nuncium vel procuratorem: procurator non eſt, qui propriè contrahit, cùm hic nullam ex eo contractu ſubeat obligationem, ſed qui inſtituit procuratorem; & ideo parùm refert ſive procurator ſit in ſtatu gratiæ, ſive non: nam, ùt ſuprà notavi, non tam ipſius conſenſus, quàm conſenſus conjugis eſt cauſa efficax gratiæ ex opere operato. Et ecce altera reſponſio ad argumentum Lugonis ſuprà.

Digitized by Google

327. *Suarius citat. D. Tho, Bona Durand. Sotum. Gab. & Alenſem pro ſententia Paludani.*

Pro fine, Nota, Suarium diſp. 38. ſect. 9. n. 3. citare D. Thom. Bona. Durand. Sotum, Gabriëlem & Alenſem, quaſi apertè docuiſſent ſatisfactionem per alium factam, ſufficere non tantùm ad implendum præceptum Confeſſoris, ſed etiam ad ſatisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit. Unius Seraphici Doctoris verba exſcribo: *Dicendum*, inquit, *quòd pœna ſatisfactoria habet in ſe duplicem rationem ſive veritatem. Pœna enim talis propter duo eſt maximè, & propter medicamentum contra ſequelas peccati, & in pretium ad ſolvendum reatum peccati. Si ergo loquamur de iſta pœna, ſecundùm quod eſt purgatoria ſive medicinalis, cùm morbus non recipiat medicinam ex pœna aliena, ſed propria: unde non extinguitur concupiſcentia in me, ſi tu ieiunas pro me, quantùm ad hanc rationem pœna ſatisfactoria nec poteſt, nec debet commutari in aliam perſonam. Poſſet tamen commutari in pœnam internam, quia gemitus cordis plus frequenter medetur, ut reparet animam, quàm diuturnitas pœnæ exterioris. Si autem loquamur de pœna, ſecundùm quòd habet rationem pretii, hoc modo eſt concedendum, quòd poteſt commutari, quia poteſt unus pro alio ſolvere pœnam. Sed hæc commutatio debet fieri auctoritate Sacerdotis.* Ita Bona. 4. diſt. 20. qu. 1.

Quæ verba, an apertè doceant iſtam ſententiam, judicet Lector. Mihi aperta ſunt verba Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *Habeant autem præ oculis* (Sacerdotes) *ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam* &c. Ergo ſatisfactio ſacramentalis debet eſſe ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum: ſed, ſecundùm Doct. Seraphicum, pœna medicinalis, *nec poteſt, nec debet commutari in aliam perſonam*; ergo &c.

328. *Subſtitutio alterius perſonæ debet fieri auctoritate Sacerdotis.*

Saltem hoc habemus ex Doct. Seraphico, quòd commutatio pœnæ in aliam perſonam debeat fieri auctoritate Sacerdotis. Contrariam propoſitionem, videlicet: *Pœnitens propriâ auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat*, ad minus tamquam ſcandaloſam prohibuit ac damnavit Alex. VII. an. 1666. die 24. Sept.

Si autem à me quæritur; an etiam commutatio pœnæ, in aliam pœnam, debeat fieri auctoritate Sacerdotis? Reſpondeo & Dico decimo quinto:

CONCLUSIO XV.

Non commutatur ſatisfactio ſacramentalis propriâ auctoritate, etiam in meliorem. Ob cauſam mutari poteſt ab eodem, vel altero Confeſſario, ſaltem ſi peccata repetantur; fortè etiam abſque repetitione.

Oppoſitum primæ partis docet Portel verb. *Pœnitentia Sacramentalis* n. 6. Poteſt, inquit, pœnitens auctoritate propriâ commutare pœnitentiam ſibi impoſitam in aliud opus, cognitum evidenter melius. Probatur à ſimili: nam Omnes dicunt, poſſe quemlibet ſuum votum commutare auctoritate propriâ in opus evidenter melius, ùt qui vovit dicere tertiam partem Roſarii, poterit commutare in unum diem jejunii. Eſt autem eadem ratio in præcepto, orto ex voto, & ex mandato Confeſſoris. Ita probabiliter Portel, inquit Diana, part. 2. Tract. 1. Miſcell. reſol. 53. circa finem, licèt Aliqui, etiam magìs probabiliter, contrarium aſſerant. 329. *Oppoſitum 1. partis Concl. docet Portel.* *Dian.*

Meliùs dixiſſet; *Licèt Alii communiter* &c. nam præter hunc Auctorem, nullum alium citat iſto loco. Dico; *Iſto loco*, quia part. 3. tract. 4. reſol. 53. adhuc unum citat, videlicet Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 9. diff. 79. n. 1. ubi ſic aſſerit: Ipſe pœnitens poteſt commutare pœnitentiam in aliam meliorem, quæ ſit cognita melior in ratione ſatisfactionis, & in ratione medicinæ. Et non obſtat dicere, quòd Confeſſor mandat facere illam pœnitentiam, quia mandat facere in ordine ad utilitatem ſpiritualem. Et ſi ille diceret, quòd vellet commutare in aliud opus, quod fuerit cognitum meliùs in ratione ſatisfactionis & medicinæ, eſt res multùm plana, quòd debeat Confeſſor tenere pro bono; & ita poteſt commutare pœnitens per Epykiam. Hæc ille. *Item Villalobos.*

Deinde Diana part. 9. tract. 9. reſol. 53. pro eadem ſententia citat Leandrum tom. 1. tract. 5. diſp. 9. q. 102. & Cæleſtinum. *Leander & Cæleſtin.*

330. *Concluſ. noſtra eſt communis. Sanchez. Reginaldus. Coninck. Ioan Sanch. Lugo Arriaga. Henriquez. Tambur Turrianus. Herincx.*

Sed propter hos quatuor Auctores non eſt recedendum à communi ſententia Sanchez Sum. lib. 4. c. 11. n. 36. Reginal. in Praxi tom. 1. l. 7. c. 8. n. 85. Coninck diſp. 10. n. 13. Sancii ſelect. diſp. 14. n. 22. Lug. diſp. 25. n. 96. Arriag. diſp. 48. n. 20. Dicaſt. diſp. 14. n. 134. Henriquez l. 5. c. 20. n. 5. Tamb. Opuſc. 1. de Confeſſ. l. 4. c. 3. p. 1. n. 15. Turr. in ſelect. p. 2. diſp. 31. dub. 62. Herincx ſuprà n. 28. & Aliorum, ut proinde meritò Dia. ſuprà, quamvis ſententiam

tentiam Portel vocet probabilem, noſtram tamen exiſtimet probabiliorem.

Probatur argumento præceptorum Eccleſiæ. Quæ præcipuè probatur argumento præceptorum Eccleſiæ, putà audiendi Miſſam, jejunandi &c. quæ à ſubditis nequeunt commutari in evidenter melius; ergo neque præceptum Confeſſarii: tanta quippe eſt poteſtas Confeſſarii, præcipiendi certam pœnitentiam pœnitenti in Sacramento Pœnitentiæ, quanta eſt poteſtas Eccleſiæ, præcipiendi fidelibus hæc vel illa opera bona extra Sacramentum Pœnitentiæ. Si Ergo fideles non poſſunt illa opera bona, ſibi præcepta ab Eccleſia, commutare in alia opera evidenter meliora, neque pœnitens poterit pœnitentiam, ſibi præceptam à Confeſſario, commutare in evidenter meliorem, multò minùs in æqualem.

331. *Reſpondetur ad rationem in contrarium.* Nec obſtat ratio Villalobos; putà, quia Confeſſarius præcipit hanc vel illam pœnitentiam in ſpiritualem utilitatem pœnitentis; ergo cenſetur velle opus, quòd utilius eſt. Nam etiam Eccleſia præcipit jejunium, præcipit auditionem Miſſæ in ſpiritualem utilitatem fidelium, & tamen non ideo cenſetur velle omne opus, quod utilius eſt, quando ſimul poteſt poni opus præceptum.

Quod addo; quia ſi uno & eodem tempore ponenda ſint, & ſimul poni non poſſint, ſæpè excuſatur ſubditus à ponendo opere præcepto; propter majorem utilitatem aut neceſſitatem alterius operis; v. g. non poteſt audire Sacrum, & ſimul intendere Confeſſionibus audiendis fidelium, aut ſimul aſſiſtere infirmo agonizanti, poteſt fieri, ut propter hæc opera adimplenda majoris utilitatis, & quodammodo neceſſitatis, excuſetur ab opere præcepto, id eſt, ab auditione Miſſæ diebus Dominicis vel Feſtivis. Similiter qui debet ſtudere pro Concionibus habendis, debet concionari, debet audire Confeſſiones fidelium, & non poteſt ſimul commodè jejunare, aut legere Horas Canonicas; poteſt fieri, ut excuſetur à jejunio præcepto, aut lectione Horarum Canonicarum.

332. *Fieri poteſt, ut propter opus melius hìc & nunc pœnitens excuſetur pro aliquo tempore ab impletione pœnitentiæ.* Pari igitur ratione fieri poſſet, ut propter opus melius, hìc & nunc faciendum, pœnitens excuſaretur pro illo tempore ab impletione pœnitentiæ; ergo tali caſu illud opus melius erit Pœnitentia ſacramentalis, Negatur Conſeq. quia Pœnitentia ſacramentalis eſt opus impoſitum, ſeu præceptum à Confeſſario, conſtat autem, iſtud opus meliùs non eſſe præceptum à Confeſſario; alioquin qui tali caſu omitteret illud opus, peccaret contra præceptum Confeſſarii, quod eſt manifeſtè falſum: immo tenetur opus, aliàs expreſsè impoſitum à Confeſſario, alio tempore implere, niſi obligatio cum priori tempore expiraſſet. Ergo hìc nulla commutatio intercedit unius operis in aliud, ſed pura excuſatio, vel pro ſemper, vel pro aliquo tempore, ab opere alioquin præcepto, propter aliud opus incompoſſibile.

De hoc autem caſu hìc non quæritur, ſed an pœnitens pro libitu ſuo ex hoc præcisè, quòd unum opus ſit melius altero, poſſit relinquere opus expreſsè impoſitum, minùs conducens ad ſpirituale ejus bonum, & minùs ſatisfactorium pro pœnis temporalibus, & aſſumere aliud opus magìs utile, & magìs ſatisfactorium, benignè præſumens de voluntate Confeſſarii.

Ad hanc quæſtionem, communis ſenſus fidelium ac Doctorum, & communis praxis pœnitentium, Reſpondet negativè; quia melior eſt obedientia, quàm victimæ, ùt oſtendi Concl. præc. & patet ex præceptis Eccleſiæ, quorum materiam non licet mutare, eſtò evidenter conſtaret, materiam non præceptam magìs conducere ad finem à Legiſlatore intentum; v. g. ad cultum divinum, & macerationem carnis &c. 333. *Materiam præcepti Eccleſiæ non licet mutare in meliorem.*

Nam in puncto obedientiæ, ùt bene advertit Arriaga ſuprà n. 21. non tam conſideratur rei præceptæ bonitas (licèt etiam hæc debeat ſupponi) quàm quòd ſubditus permittat ſe regi voluntate Superioris, & ſuam voluntatem ſubjiciat alienæ: in quo puncto ſolet eſſe maxima difficultas; & conſequenter etiam magnum meritum; attenditur etiam ad hoc, ut vitetur periculum erroris, quod ſolet eſſe, quando homo, poſtpoſito Superioris mandato, ſequitur ſuum judicium, exemplo Saulis, quo Concl. præc. uſus fui. Cùm ergo hæc obligatio pœnitentiæ oriatur ex præcepto Confeſſarii, cui in eo puncto eſt ſubjectus ille, qui confitetur, neceſſe eſt, ut non ſit in hujus poteſtate, eam materiam, impoſitam pro ſatisfactione; in aliam commutare. *Probatur.*

Urget aliquis ex Villalobos ſuprà: Si pœnitens diceret Confeſſario, ſe velle commutare materiam impoſitam, v. g. tria Pater noſter, & Ave Maria, in unum Roſarium, vel in jejunium &c. deberet tenere pro bono; ergo inſcio Confeſſario per Epykiam poteſt facere talem commutationem. 334. *Objectio ex Villalobos.*

Reſpondeo Neg. Antec. poſſet quidem tenere pro bono, & ſæpiùs teneret; quia omittit imponere majores pœnitentias, eò quòd timeat detrectationem pœnitentis, & periculum non adimpletionis, qui timor tunc ceſſat: interim quòd ſemper debeat tenere pro bono, non puto, quia ſufficit quòd imponat pœnitentiam ſalutarem & convenientem pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, de qua convenientia ipſius eſt judicare, non pœnitentis, neque tenetur imponere maximè ſalutarem, cùm moraliter ſit impoſſibile eam dignoſcere. *Solvitur.*

Unde quamvis pœnitens ſe oſtenderet paratiſſimum, ad quæcumque opera pœnalia etiam graviſſima adimplenda, equidem Confeſſarii

Digitized by Google

feſſarii eſt, pro ſua prudentia hoc vel illud opus magis aut minùs pœnale imponere : mi- nori itaque impoſito, non eſt pœnitentis, con- tra expreſſam voluntatem Confeſſarii, majus aſſumere; eſto etiam Confeſſarius deeſſet offi- cio ſuo, & majus debuiſſet imponere; cùm ſicut nemo poteſt ſeipſum abſolvere à peccatis, tametſi Confeſſarius injuſtè neget Abſolutio- nem, ita etiam nemo ſibi-ipſi poſſit imponere ſatisfactionem ſacramentalem remiſſivam pœ- narum ex opere operato, eſtò Confeſſarius in- juſtè nollet imponere ullam ſatisfactionem, vel ſaltem condignam.

335. *An poſſit præſumi voluntas Confeſſarii, quando non impoſuit condignam pœnitentiam?*

Planè, inquis, ſic eſt; ſed de hoc caſu non quæritur, cùm tunc non poſſit præſumi vo- luntas Confeſſarii circa meliorem materiam. Aliud eſt, quando pœnitens in ipſa Confeſſio- ne non aperuit ſuam voluntatem Confeſſario, & ideo Confeſſarius, metuens periculum, non impoſuit pœnitentiam à parte rei condignam; cur enim tunc non licet præſumere volunta- tem Confeſſarii circa meliorem materiam?

Videtur quòd non

Reſpondeo; poſſum quidem præſumere; quòd ſi in ipſa Confeſſione bonam meam vo- luntatem aperuiſſem, impoſuiſſet majorem pœnitentiam (quæ eſt voluntas præſumpta tantùm de futuro, & ideo minimè ſufficit ad imponendum præceptum, ùt Omnes admit- tunt) ſed nullum eſt ſufficiens fundamentum præſumendi, quod ſemel expreſsè impoſitam pœnitentiam velit in aliam commutari; immo potiùs fundamentum contrarium præſumendi, utputà, quia pœnitens non eſt bonus judex in propria cauſa; ita ut meritò poſſit timeri error in judicio, quo judicat hoc vel illud eſſe me- liùs omnibus conſideratis. Nunquam autem errat pœnitens, conformando ſe voluntati expreſſæ Confeſſarii, eſtò alioquin ipſe Con- feſſarius erraſſet.

Deinde oſtendi non poteſt ullum Sacramen- tum, quod conficiatur aliquando per ſolam præſumptam voluntatem miniſtri, abſque eo quòd aliquando præceſſerit actualis voluntas: Et quamvis ſatisfactio non ſit Sacramentum, aut pars eſſentialis Sacramenti, ſed ſola inte- gralis, equidem nulla apparet efficax ratio eam excipiendi ab illo ordinario modo admi- niſtrandi partes eſſentiales Sacramentorum.

336. *Reſpondetur ad rationem Portel.*

Ex his facillimè reſpondetur ad rationem Portel; putà, votum poteſt commutari pro- priâ auctoritate in evidenter meliùs; ergo et- iam Pœnitentia ſacramentalis. Reſpondetur; inquam, Neg. Conſeq. Diſparitas plana eſt; quia obligatio voti inducitur ab ipſo vovente, obligatio ſatisfactionis à Confeſſario; non à pœnitente. Ergo licèt vovens poſſit com- mutare rem, à ſe promiſſam, in meliorem; non ideo pœnitens pœnitentiam, impoſitam à Confeſſario: nam per quas cauſas naſcitur aliqua res, per eaſdem etiam diſſolvitur aut mutatur; ſicut ergo per voluntatem pœniten- tis non naſcitur obligatio pœnitentiæ, ita ne- que per eam diſſolvitur aut mutatur; ſed per ſolam voluntatem Confeſſarii, eodem modo, ſicut in præcepto Eccleſiæ. Quia autem obli- gatio voti naſcitur primariò per voluntatem voventis, ita non mirum ſi per eam, acceden- te præſumptâ voluntate creditoris, ſeu Dei, diſſolvatur ſeu mutetur.

Diſparitas inter votum & ſatisfactionem.

Igitur quemadmodùm ad commutationem voti non ſufficit præſumpta ſeu habitualis vo- luntas voventis, qui eſt cauſa principalis obli- gationis, ſed requiritur aliqua voluntas actua- lis: quis namque dixerit, aliquem eſſe libe- rum à voto recitandi unum Roſarium, eò quòd audiverit Sacrum, &, ſi occurriſſet ei ſuum votum, voluiſſet illud commutare in votum audiendi Sacrum? Pari, dico, ratione non ſufficit præſumpta ſeu habitualis voluntas Confeſſarii, qui eſt cauſa principalis, imò ſola, ùt ſic dicam, ſatisfactionis ſacramentalis, quam explicitâ voluntate impoſuit, ſed requiritur aliqua voluntas actualis, ut per eam poſſit præ- cedens actualis voluntas diſſolvi.

Ad commutationem voti non ſufficit præſumpta voluntas voventis.

337. *Commutans votum in meliùs, prudenter præſumit de voluntate actuali Dei.*

Deinde, commutans votum in meliùs, prudenter præſumit de voluntate actuali Dei, qui non quærit bonum ſuum, ſed tantùm bo- num voventis; ergo cenſetur velle, quod me- lius eſt omnibus conſideratis, id eſt, quod eſt majus bonum voventis; quia hoc ipſi gratius eſt; promiſſio autem ſeu votum eſt de re gra- ta Deo. Et ideo dicitur cap. *Pervenit.* 3. de ju- re jurando: *Non enim propoſitum aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat.* Et cap. *Scripturæ.* 4. de Voto. *Reus fracti voti aliquatenùs non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare.* Oſten- dant Adverſarii jus aliquod, in quo dicitur: *Pœnitentiam non infringit, qui in meliorem illam commutat*, & credimus eis.

Cap. 3. de Iurejurando

Cap. 4. de Voto.

Secùs commutans pœnitentiam, de voluntate actuali Confeſſarii.

Aliàs, ſicut ſuprà dixi; imprudenter præ- ſumitur talis voluntas Confeſſarii; quoniam faciliùs errari poteſt in illa ſubſtitutione, ſeu commutatione pœnitentiæ, quàm in commu- tatione voti, cùm difficiliùs ſit cognoſcere, quæ pœnitentia ſit melior tam in ratione ca- ſtigationis, quàm medicinæ, quàm ſcire, quod opus ſit Deo gratius. Nam bonitas ſatisfactio- nis non ſumitur ex ſola honeſtate rei, ſecun- dùm ſe conſideratæ; ſed etiam ex circumſtan- tiis, ratione indigentiæ hujus perſonæ, ratio- ne peccatorum, quæ tali vel tali medicinâ in- digeant, de quibus meliùs poteſt judicare Confeſſarius quàm pœnitens, & ideo hæc res non à pœnitente, ſed à Confeſſario debet de- cidi: ſemel autem deciſa per expreſſam volun- tatem Confeſſarii, non expedit eam deciſio- nem in dubium revocari, aut mutari ex ſolo judicio pœnitentis, eſtò conſtaret aliam pœ- nitentiam fore magis gratam Confeſſario.

Enimverò pœnitentia impoſita debetur, non ſolùm ex ratione generali, quòd ſit res

grata præcipienti, ſicuti debetur res promiſſa Deo ex eo quòd ſit grata Deo, ſed ex eo, quòd voluerit hanc pœnitentiam in particulari per determinatam & expreſſam voluntatem, quam non vult mutari, niſi per expreſſam ſuam voluntatem, tametſi alioquin mutatio ſecundùm ſe foret grata.

338. Objectio ex Diana.

Dices cum Diana p. 3. tract. 4. reſol. 53. Quoties quis abundantiorem ſolutionem offert pro debito, ad quam eſſet ex lege adſtrictus, legem non ſolvit, ſed abundantiùs implet; nec cenſendum erit, novam legem pœnitentem ſibi propriâ auctoritate imponere, mutando pœnitentiam, nec actum judicii exercere & juriſdictionis, ſed uberiùs implere legem, à Confeſſario impoſitam.

Prima reſponſio.

Reſp. I. Si pœnitens non imponit ſibi novam legem mutando pœnitentiam, nec actum judicii exercet & juriſdictionis; ergo nova pœnitentia non eſt præcepta; ergo non eſt ſacramentalis. Probatur prima Conſequentia; quia Confeſſarius eam non præcipit, defectu ſcilicet actualis voluntatis obligandi; ergo ſi pœnitens non imponit ſibi novam legem, nova pœnitentia non eſt præcepta: ergo non eſt ſacramentalis juxta alibi dicta.

339. Secunda reſponſio.

Reſp. II. Quoties quis non offert ſolutionem pro debito, ad quam in ſpecie ex lege Superioris eſt adſtrictus, v. g. Princeps præcipit, ut pro debito ſolvat quis annuè certam menſuram tritici, niſi offerat menſuram lege præceptam, eſtò offerat abundantiorem pecuniam, aut aliam rem majoris valoris, non implet legem, ſed ſolvit eam. Sin autem lex præſcribat ſolutionem unius floreni, ipſe autem offerat decem, indubiè tali caſu non ſolvit legem, ſed abundantiùs implet.

Et ſimiliter impræſentiarùm, ſi Confeſſarius injunxit unam Miſſam, pœnitens autem audiat duas, nullus dubitat quin ſatisfaciat ad ſuperabundantiam, argum. legis 15. ff. de Annuis Legatis. *Eum qui rogatus poſt decem annos reſtituere pecuniam, ante diem reſtituerat: reſpondit ſi propter capientis perſonam, quòd rem familiarem tueri non poſſet in diem fidei commiſſum relictum probetur, & perdituro ei id hæres ante diem reſtituiſſet, nullo modo liberatum eſſe: quòd ſi tempus hæredis cauſâ prorogatum eſſet, ut commodum medii temporis ipſe ſentiret, liberatum eum intelligi: nam & plus eum præſtitiſſe, quàm debuiſſet.*

L. 15. ff. de Annuis legatis.

Sed de hoc caſu non quæritur, nam in eo datur ſeu offertur res præcepta, ùt patet, qui enim audit duas Miſſas, etiam audit unam, cùm binarius conſtet ex duabus unitatibus. Sed quod quæritur eſt, an quando debet jejunium, poſſit offerre auditionem Sacri, quia judicat illam meliorem, & an per illam oblationem impleat legem.

Dico; *Impleat legem*, quia poteſt pœnitens aliquid melius offerre, per quod tollat obligationem prioris legis, v. g. ſi lucretur Indulgentiam plenariam, ùt conſtabit ex infra dicendis.

Reſtat argumentum Leandri, qui, ùt ait Diana p. 9. tract. 9. reſol. 53. mordicùs docet ſententiam Portel, non tantùm ex ratione de commutante votum in melius; ſed quia ex Nugno, & Aliis, quando pœnitens obliviſcitur pœnitentiæ injunctæ, ſi non poſſit adire primum Confeſſarium, poteſt adimplere pœnitentiam ſecundùm proprium arbitrium, conſiderando peccata confeſſa, & ſatisfactionem, quæ communiter ſolet adjungi pro ſimilibus peccatis: ergo pœnitens poteſt commutare illam. Ita Diana. Et continuò adjungit: Unde hæc ſententia habet uſque adhuc quatuor validiſſimos Patronos Villalobos, Portel, Cæleſtinum & Leandrum. 340. Argumentum Leandri,

Hos quatuor Patronos habere, nolo inficias ire, quamvis locum aut verba Cæleſtini Diana non citet, ſed illos validiſſimos eſſe, uſque adhuc non potui intelligere: ſatisfecimus quippe ſuperabundè argumento Villalobos & Portel; argumentum autem Leandri minus validum eſt. Siquidem & Antecedens negari poteſt, & Conſequentia. Antecedens quidem; quia gratis aſſeritur, hujuſmodi pœnitentiam, ſecundùm arbitrium pœnitentis adimpletam, eſſe ſacramentalem: Conſequentia autem; quia in caſu Antecedentis non conſtat de particulari & determinata voluntate Confeſſarii, ſed ad ſummum de voluntate generali; ſecùs in caſu Conſequentis. quod Auctor oſtendit eſſe invalidum.

Quæro nunc, & pono caſum, quòd ſciam Eccleſiam aliquid præcepiſſe, dubito autem, an jejunium, an verò auditionem Miſſæ, quæro, inquam, num bene concludat hoc argumentum: tali caſu ſatisfacio alterutrum faciendo vel jejunando, vel audiendo Miſſam; ergo quando conſtat mihi præceptum jejunium, poſſum illud commutare in auditionem Miſſæ. Quis non videat infirmitatem ſeu invaliditatem hujus Conſequentiæ? Igitur quatuor illi, per me licet, ſint Patroni, ſed invalidi, ne dicam invalidiſſimi; quos proinde non judico audiendos, ſed repellendos cum communi ſententia, quæ ad commutationem pœnitentiæ ſemel determinatè impoſitæ, & de qua adhuc conſtat, poſtulat expreſſum conſenſum, vel ejuſdem, vel ſaltem alterius Confeſſarii, ùt mox ediſſero.

Equidem pœnitentiam ob cauſam mutari poſſe ab eodem Confeſſario, præſertim in Sacramento, factâ iteratâ explicatione eorumdem peccatorum, eſt communiſſima ſententia, ita ut hactenus neminem invenerim, qui id negaverit. 341. Pœnitentia mutari poteſt ob cauſam ab eodem Confeſſario in Sacramento.

Immo unum citat Diana p. 2. Tract. 1. Miſcel. Reſol. 53. qui putat id poſſe fieri ſinè cauſa, quia ſicut fuit in ejus arbitrio illam ponere, ita in eodem debet eſſe illius commutatio, nam unaquæque res propter quaſ- Diana.

Digitized by Google

cumque cauſas naſcitur, propter eaſdem diſſolvitur. Ita Valerus in differentiis utriuſque fori verb. *Iudex* diff. 14. nu. 5. ſi credimus Dianæ.

Valerus.

342. An etiam ſinè cauſa?

Cui ſententiæ ſubſcribo, ſi intelligas eam de commutatione valida, ita ùt pœnitens ſit tutus in conſcientia, ſi omiſsâ priori pœnitentiâ, adimpleat pœnitentiam ſubſtitutam; alioquin ſi de licita agatur, ſicut Legiſlator illicitè revocat vel mutat legem ſuam ſinè juſta cauſa, nam ad minùs eſt actus otioſitatis; pariformiter peccat, ſaltem peccato otioſitatis, Confeſſarius, qui ſinè juſta cauſa commutat pœnitentiam, ſemel legitimè impoſitam. Et veluti Legiſlator ſemper validè revocat legem ſuam, etiam abſque juſta cauſa; ita videtur, quòd idem Confeſſarius ſemper validè revocet ſuam pœnitentiam, etiam abſque juſta cauſa.

Occurritur cuidam objectioni ex Dicaſtillone.

Admitto fieri poſſe, ut aliquis habeat poteſtatem condendi legem aut præceptum, non tamen præceptum poſitum mutandi aut temperandi: quâ ratione, inquit Dicaſtillo diſp. 14. n. 136. in Hiſpania in aliquibus pagis ſuburbanis (*Aldeas* illi appellant) poteſt judex pagi mandare, in certis præſertim caſibus, ut aliquis incarceretur; ſemel tamen incarceratum, non poteſt ampliùs liberare: admitto, inquam, ſic fieri poſſe; ſed dico, illam limitationem poteſtatis legiſlativæ ſeu præceptivæ eſſe extraordinariam, & ideo non admittendam, niſi clarè de ea conſtet: porrò non conſtat, poteſtatem Confeſſarii ſic à Deo fuiſſe limitatam; ergo non eſt, quòd nos eam hac ratione limitemus.

343. An etiam extra Sacramentum?

Præterea docent Multi, eumdem Confeſſarium poſſe mutare pœnitentiam quodammodò extra Sacramentum, ſi recordatur peccatorum, variant tamen in aſſignando tempore intermedio. Suarez diſp. 38. ſect. 10. n. 3. Si pœnitens, inquit, ad ipſum recurrat intrà tempus adeò breve, ut moraliter poſſit idem judicium exiſtimari. Ita Soto diſt. 20. q. 2. a. 3. cujus ſententia propterea mihi probatur; quia hæc res moraliter penſanda eſt, & juxta prudens & humanum judicium, & quia ſæpè ita poteſt expedire ad bonum animarum, ad quod hoc judicium ordinatur: & præſertim locum habet, quando Confeſſor cauſam memoriâ retinet, & rationabilis cauſa ſubeſt mutandi judicium. Hæc ille. Qui propterea putat, hanc mutationem non fieri omnino extra Confeſſionem, ſed potiùs in ipſa Confeſſione, quia ex vi ejuſdem Confeſſionis, & moraliter adhuc perſeverante eâdem causâ, & eodem judicio.

Sententia Suarii.

Sotus.

Megala. Coninck. Henriquez. Ledeſma. Vivaldus. Valerus. Salas. Arriaga.

Porrò tempus breve Aliqui exiſtimant mediam horam, ùt Megala in 1. p. l. 6. c. 5. q. 3. n. 5. Alii unum vel alterum diem, ùt Sotus ſuprà, & Coninck diſp. 12. n. 102. Nonnulli hebdomadam unam, ùt Henriquez l. 5. de Pœnit. c. 21. §. fin. cum Ledeſma, Vivaldo, & Valero. Alii denique putant id poſſe fieri etiam poſt longum tempus, quod placet Lugoni diſp. 25. n. 112. citans n. 111. Ioan. de Salas in Manuſcriptis, quos ſequitur Arriaga diſp. 48. n. 31.

344. Probatur ex Lugone id fieri poſſe etiam poſt longum tempus.

Probat Lugo ſuam ſententiam; quia non eſt ratio, cur additio vel limitatio pœnitentiæ, etiam poſt longum tempus facta, non poſſit uniri moraliter ſufficienter cum partibus præcedentibus ad faciendum unum integrum judicium; nam ipſa, inquit, ſatisfactio, impleta poſt longum tempus, integrat unum judicium cum partibus præcedentibus, ùt conſtat: ergo quamdiu ſatisfactio non eſt poſita, adhuc intelligitur judicium illud incompletum, & quaſi ſuſpenſum, & adhuc Judex habet jus ad urgendum pro executione ſententiæ; ergo adhuc poterit ex conſenſu pœnitentis mutare, vel diminuere priorem ſententiam, ut poſſit meliùs executioni mandari.

Confirmatur.

Confirmatur; quia ſi Confeſſarius imponens pœnitentiam, expreſsè retineret ſibi facultatem moderandi vel mutandi poſtea illam, non videtur dubitandum, quin poſſet hoc facere; ergo præſumi poteſt, quòd ſemper virtualiter habeat aliam intentionem relinquendi ſibi talem facultatem; ſemper enim intendit ſe obligare, quàm minimum poſſit; & retinere totam poteſtatem, quam poteſt. Hæc ille.

& reſpondetur objectioni.

Si inferas; ergo poterit Sacerdos poſtea pro libitu augere pœnitentiam. Reſp. Card. n. 113. Sententia ſemel legitimè prolata, & acceptata, videtur tranſire in rem judicatam quaſi per modum contractûs, ita ut non poſſit mutari, niſi ex conſenſu utriuſque, ſcilicet & Iudicis & ſubditi.

345. Hæc ſententia non placet Dicaſtilloni.

Nihilominùs hæc doctrina non placet Dicaſtilloni diſp. 14. n. 129. ubì negat paritatem inter ſatisfactionem, & additionem ſeu mutationem poſt longum tempus factam: quia, inquit, ſatisfactio eſt id, quòd manet poſt finitam ſententiam Iudicis cum ſuo tractu temporis juxta materiæ capacitatem, atque adeò non eſt functio officii, quo jam ab initio functus fuerit pœnitens, qui eſt reus in eo judicio, ſed eſt obligatio ſuſcepta impoſterùm præſtandi mandatum. Sententia verò Confeſſarii eſt quædam functio officii præſtiti tunc plenè & integrè, quo jàm eſt functus ille Iudex, ùt contingit in aliis judiciis, in quibus poſtquam jam functus eſt Iudex plenè ſuo officio, & planè datâ ſententiâ, nihil ampliùs poteſt, niſi fortè aliquando propter novam cauſæ cognitionem, aut partium litigantium novam delationem, novum inſtituatur judicium, quod hìc fit à pœnitente per novam delationem per extenſum, vel per compendium, non verò ſinè hac. Hæc ille.

Exiſtimans proinde, Confeſſarium non poſſe mutare pœnitentiam ſinè nova Confeſſione, ſi pœnitens jam acceptâ Abſolutione receſſerit

qui exiſtimat tali caſu Confeſſarium non

Digitized by Google

[...]poſſe mutare pœnitentiam ſinè iterata Confeſſione.
cap. 7. de Teſt.

receſſerit à Confeſſario; ſecùs antequam receſſerit, quia tunc cenſetur adhuc permanere idem judicium: nam ea quæ fiunt incontinenti videntur ineſſe, argum. c. 7. de Teſtib. cog. ibi: *Quorum teſtimonia, ſi quandoque non ſtudiosè, ſed in proferendo erraverint, & ſe incontinenti correxerint reprobari non debent: ſecùs autem erit, ſi correctioni ſuæ interpoſuerint intervallum*

346.
Quid ſignificet in jure ly Incontinenti.

Ubì Gloſſa verb. *Incontinenti. Id eſt*, inquit, *in eadem inſtantia judicii, antequam loquatur partibus, vel antequam recedat à præſentia Iudicis: quia poſtea ſubornatus præſumitur; ſed hoc poſſet intelligi, habito reſpectu ad qualitatem perſonæ: ut ſic poſſit corrigere, vel addere etiam ex intervallo. Qualiter intelligatur*, Incontinenti, *probatur ff. de Verb. oblig.* Continuus actus *ff. de Adul.* Quod ait lex §. *ult. in fine C. de Errore Advoc. l. ult. & 32. q. 1.* Apud miſericordem. *& melius ſup. de Elect.* Quia propter. *ibi invenies multas expoſitiones huius verbi*, Incontinenti, *ſive mox.* Hactenus Gloſſa.

Cùm igitur ly *Incontinenti*, ſeu *Mox* (ùt refert Gloſſa cap. *Quia propter* 42. de Elect. verb. *Mox*) aliquando accipiatur pro ly *Statim*, cum quodam temperamento 10. dierum ff. de Conſt. pec. *Promiſſor*, aliquando cum temperamento unius anni 20. q. 2. *Si in qualibet*; ſubinde cum temperamento tridui C. de Jud. *Cùm ſpecialis.* Si verum eſt, quod ait Dicaſtillo ſuprà, *Ea quæ fiunt incontinenti videntur ineſſe*, neſcio quare ſaltem intrà triduum non poſſet idem Confeſſarius mutare pœnitentiam, eâdem Confeſſione moraliter euſque perſeverante: nam quæ fiunt incontinenti videntur ineſſe; atqui quæ fiunt intrà triduum, fiunt incontinenti; ergo videntur ineſſe; id eſt, pœnitentia impoſita vel mutata intrà triduum à Confeſſione facta, & Abſolutione accepta, moraliter ſpectat ad hoc judicium; ergo non requiritur nova Confeſſio vel Abſolutio ad illam mutationem faciendam.

347.
An requiratur ad mutationem pœnitentiæ faciendam memoria peccatorum? Arriaga.

Sed nunquid requiritur memoria peccatorum? Hanc requiri, videtur certum, inquit Arriaga ſuprà n. 31. quia non poteſt ille exercere actum judicii, & ſuam ſententiam mutare ſinè notitia cauſæ, alioquin poterit graviſſimè errare, non minùs, quàm ſi ipſe non audiviſſet eam Confeſſionem.

Sed hoc eſt quod quæritur; an ille poſſit graviſſimè errare, qui habet notitiam pœnitentiæ priùs prudenter impoſitæ, & mutat eam in æqualem, vel etiam meliorem de conſenſu pœnitentis. Et videtur quòd non; quia, ùt ſupponitur, prior pœnitentia fuit juſtè & prudenter impoſita; ſi ergo mutat eam in æqualem, nullum omnino periculum eſt erroris; ſin autem in inæqualem majorem vel minorem, fateor poſſet eſſe aliquod periculum erroris, ſi abſque ratione in notabiliter minorem (de majori non eſt difficultas in praxi, cùm pœnitentes non quærant ordinariè, immò numquam moraliter loquendo commutationem in majorem) equidem quia ſemper ſupponitur aliqua ratio, ſaltem fragilitas pœnitentis, quæ ſi priùs cognita fuiſſet, Confeſſarius prudenter minorem impoſuiſſet pœnitentiam, ideo nunc cognitâ illâ fragilitate, poteſt prudenter & ſinè ullo errore, pœnitentiam graviorem, priùs impoſitam, in hanc minorem mutare. Si ergo requiritur cognitio peccatorum, ultra cognitionem pœnitentiæ, ad faciendam debito modo illam commutationem, haùd equidem ob periculum graviſſimè errandi.

Ob quam ergo rationem? Reſpondet Sancius in Select. diſp. 14. n. 7. Qui commutat pœnitentiam, antiquam auferendo, novam imponit: at implicat partem ſacramentalem confici abſque toto Sacramento. Quâ ratione convictus, arbitror (inquit idem Auctor n. 8.) oppoſitam ſententiam improbabilem eſſe, etiam practicè, ſed omnino opus eſſe ad commutationem pœnitentiæ peragendam; eademmet graviora crimina ſacramentaliter narrari. Nam eſtò per principia extrinſeca, ſcilicet ob auctoritatem DD. dicimus diſp. 41. n. 7. poſſe aliquem operari juxta opinionem Aliorum, quantumvis eam reputet falſam: id tamen verum non eſt; quoties ratio omnino evidens & convincens auctoritati DD. opponitur, ùt contingit in præſenti. Hæc ille. 348.

Ratio ob quam Ioan. Sanchez putat eam requiri.

Ego autem judico, nec propter iſtam rationem ſententiam oppoſitam eſſe improbabilem. Hinc Reſpondeo ad argumentum: Qui commutat pœnitentiam, antiquam auferendo, novam imponit; concedo Majorem: at implicat partem ſacramentalem confici abſque toto Sacramento; concedo & Minorem: ergo non poteſt fieri illa commutatio abſque iterata Confeſſione, graviorum ſaltem peccatorum; nego Conſequentiam.

Sed rejicitur ab Auctore.

Probatur, inquis, Conſequentia; quia aliàs conficitur pars ſacramentalis abſque toto Sacramento, quoniam Abſolutio ſacramentalis præexigit Confeſſionem ſacramentalem, quæ tali caſu deeſt, ùt ſupponitur.

Reſpondeo; neque deeſt Confeſſio ſacramentalis, neque Abſolutio ſacramentalis; quia, ùt ſupponitur, præceſſit Confeſſio ſacramentalis, & præceſſit Abſolutio ſacramentalis; uſque modò autem defuit ſatisfactio, quæ eſt pars integralis illius Abſolutionis, ac proinde uſque modo manſit Sacramentum illud imperfectum integraliter, ſaltem in actu ſecundo, id eſt, ex parte pœnitentis; ſicut ergo pœnitens, hodie implens pœnitentiam impoſitam, non conficit partem ſacramentalem abſque toto Sacramento, ſed potiùs conficit, quantum eſt ex ſua parte, totum Sacramentum, quod aliàs maneret mutilum & incompletum: ita Sacerdos hodie mutans pœnitentiam antiquam, & imponens novam, non conficit partem ſacramentalem abſque toto Sacramento, ſed deſtructâ antiquâ parte 349.

In caſu propoſito neque deeſt Confeſſio ſacramentalis, neque Abſolutio.

 Sacra-

Digitized by Google

Sacramenti, moraliter ſeu virtualiter adhuc exiſtentis, conficit ſeu conſtituit novam partem ejuſdem Sacramenti, præſertim ſi eſt idem Confeſſarius; veluti ſi heri auditâ Confeſſione non impoſuiſſet aliquam pœnitentiam vel ex oblivione, vel ex malitia, & hodie eam imponeret, non conficeret partem ſacramentalem abſque toto Sacramento, ſed conficeret totum Sacramentum, id eſt, ex Sacramento integraliter incompleto, faceret Sacramentum integraliter completum, in quo nulla apparet implicantia.

Enimverò in hoc Sacramento poſſunt partes valde eſſe diſtantes inter ſe, nam dolor heſternus, & Confeſſio heſterna ſufficiunt ad hoc, ut hodie detur Abſolutio. Cur ergo non ſufficiat heſterna Abſolutio, ad hoc, ut hodie detur ſatisfactio, & ſimiliter, ut hodie mutetur ſatisfactio nondum adimpleta?

350. *Quid ſi pœnitentia ſit mutanda ab alio Confeſſario?* Dixi; *Præſertim ſi eſt idem Confeſſarius*, quia ſi eſt diverſus, exiſtimat Lugo diſp. 25. n. 107. cum Aliis, quos citat, non poſſe eum mutare pœnitentiam priorem ab alio impoſitam, niſi audiat peccata pro quibus fuit impoſita. Probat ratione n. 108. quia Sacerdos non poteſt ſententiam proferre, aut exercere juriſdictionem in pœnitentem, niſi in hoc judicio; ſed non exercetur judicium, niſi ipſe ſe accuſet, & deferat peccata ſua: ergo non auditis peccatis, non poteſt pro illis pœnitentiam imponere: alioquin poſſet etiam pro peccatis confeſſis & pro numquam confeſſis pœnitentiam ſacramentalem imponere, quod dici non poteſt; quia causâ non cognitâ, non poteſt ſententia proferri, nec prior ſententia mutari.

Neceſſaria probatur notitia peccatorum.

Confirmatur primò. Confirmatur I. quia Sacerdos ſecundus eatenus poteſt revocare vel mutare priorem ſententiam, quatenus cognoſcit in eodem tribunali de eadem cauſa, perinde ac ſi numquam fuiſſet judicata; hoc autem fieri non poteſt, niſi iterùm audiat eadem peccata.

Confirmatur ſecundò. Confirmatur II. quia pœnitentia, quam ſecundus Confeſſarius imponit pro prioribus peccatis, eſt ſacramentalis; ergo eſt pars Sacramenti. Interrogo itaque, cujus Sacramenti? Non hujus ſecundi: quia non poteſt eſſe pars hujus Sacramenti ea ſatisfactio, quæ non imponitur pro peccatis confeſſis in hoc Sacramento, & quorum non datur Abſolutio: nam ſatisfactio ſequitur Confeſſionem, & Abſolutionem. Sed neque poteſt eſſe pars prioris Sacramenti; quia non eſt ex præcepto primi Confeſſarii, qui fuit ejus miniſter, ſed ex præcepto ſecundi; ergo non eſt pars illius Sacramenti. Hucuſque Lugo.

Lugo.

351. *Sufficere confuſam notitiam non videtur improbabile.* Ubi in primis ſatis inſinuat, id fieri poſſe ab eodem Confeſſario. De ſecundo Confeſſario quamvis ipſe ibi oppoſitum doceat, & non abſque fundamento, quæ etiam eſt communior ſententia, equidem n. 109. ob multitudinem DD. qui eamdem poteſtatem tribuunt ſecundo Confeſſario, non audet negare hanc ſententiam in praxi eſſe probabilem per principia extrinſeca, (præſertim, inquit) ſi ſecundus Confeſſarius ex Confeſſione aliorum peccatorum, & ex ſtatu pœnitentis, & ipſius teſtimonio, habeat aliquam notitiam confuſam quòd plus minuſve eadem ferè fuerunt peccata præteritæ Confeſſionis. Ita limitat Fagundez de Præcep. Eccl. Præcep. 2. l. 9. c. 4. n. 22. in fine.

Et ratio eſſe poteſt: quia cum hac notitia jam poſſunt fieri materia hujus ſecundæ Confeſſionis, & Abſolutio poteſt ſuper illa cadere, ac per conſequens impoſitio pœnitentiæ novæ. Obligatio autem procurandi notitiam magìs diſtinctam, non videtur fortaſſe procedere in hoc caſu: quia in ordine ad ſatisfactionem convenientem imponendam, videtur ſufficiens illa notitia confuſa: nam de facto quando Sacerdos imponit pœnitentiam, non retinet niſi ejuſmodi notitiam confuſam peccatorum. Aliunde verò illa peccata ſupponuntur jam ſufficienter explicata diſtinctè in alia Confeſſione. Hucuſque Card.

Sed audiamus Dianam p. 2. tract. 1. Miſcel. reſol. 53. ubì poſtquam plurimos DD. enumeraſſet pro oppoſita ſententia, ſic inquit: Sed ego exiſtimo ſupradictos DD. in Cathedra vel in cella hanc opinionem docuiſſe; ſed in Confeſſionario contrariam ſententiam practicaſſe; nam onus nimis magnum eſſet pro Confeſſariis & pœnitentibus in commutatione alicujus pœnitentiæ præteritas iterare Confeſſiones. 352. *Immo probabiliſſimum appellat Diana multis pro eo allegatis Auctoribus.*

Ideo exiſtimo probabiliſſimam eſſe illam ſententiam, quæ docet, poſſe Confeſſarios, non auditâ priori Confeſſione eorumdem peccatorum, pœnitentias commutare, & ita docet Navar. in Man. c. 26. n. 22. Tolet. in Sum. l. 3. c. 11. n. 12. Portel in addit. ad dub. reg. verb. *Pœnit. Sacram.* nu. 8. Henriquez in Sum. l. 5. de Pœnit c. 22. n. 1. Beia p. 1. caſ. 15. Raphael de Cæſare in Conſol. anim. dial. 8. c. 26. Victor. in Sum. c. 211. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. 2. de pœnit q. 4. concl. 2. in fine. Villalobos in Sum. p. 1. tract. 9. diff. 79. n. 5. Em. Sa verb. *Satisfactio* n. 5. Rodriguez in Sum to. 1. c. 56. concl. 7. n. 8. Vivaldus in Candelab. de Satisf. n. 37. Ioan. Valerus vir Doctiſſimus ubì infrà, & Alii, vel ut melius dicam communis uſus Confeſſariorum. *Navarr. Tolet. Portel. Henriquez. Beia. Raph. à Cæſare. Victoria. de la Cruz. Villalobos. Sa. Rodriguez. Vivaldus. Valerus.*

Et hanc etiam ſententiam probabilem & practicè ſecuram vocavit Anton. Fernandez in Exam. Theol. mor. p. 3. c. 6. §. 7. n. 20. in fine. & Sylvius in addit. ad 3. p. q. 18. a. 3. dub. 4. concl. 1. & ratio eſt; quia præſens Confeſſor poteſt de tota ſimul cauſa pœnitentis juxta præſentem diſpoſitionem judicare, prout magìs expedire judicaverit ipſi pœnitenti. Hactenus Diana. *Anton. Fernandez. Sylvius.*

Et

353. *Quorum aliqui videntur requirere gravem cauſam. Lugo.*

Et quamvis Lugo ſuprà nu. 107. dicat: Multi ex his Auctoribus non eam ſententiam docent univerſaliter, ſed ſolùm quando ſubeſt aliqua gravis & rationabilis cauſa, parùm refert eſtò id concederetur, de quo tamen mihi non conſtat; nam in primis Navar. Portel, Victoria univerſaliter eam docent nullâ factâ mentione gravis & rationabilis cauſæ; Sa, Toletus, Vivaldus, Fernandez & Sylvius meminerunt juſtæ ſeu rationabilis cauſæ; Henriquez, Villalobos & Rodriguez cauſæ gravis, non quaſi ſpecialiter illam requirant ad hunc caſum, ſed generaliter ad omnem licitam mutationem pœnitentiæ, eſtò priora peccata repeterentur. Alios Auctores non vidi, quia non erant ad manum, & longiùs quærere propter hanc difficultatem non judicavi neceſſarium, quia ſuppono eodem modo loqui ſicuti Auctores jam allegati.

Et dato quòd graviorem cauſam requirerent ad unam mutationem, quàm ad aliam, quid tum? Nam illa gravior cauſa non poteſt facere, ut pœnitentia nova ſit, vel non ſit ſacramentalis, ut pertineat, vel non pertineat ad hoc, vel illud Sacramentum Pœnitentiæ, quæ tamen videtur eſſe præcipua ratio propter quam communiter negatur id licere, aut validè fieri.

354. *Fieri poteſt commutatio ſi peccata repetantur etiam ab æquali Confeſſario.*

Si autem quæritur, quid ego ſentiam de commutatione pœnitentiæ per alium Confeſſarium? Concluſio clara eſt, videlicet, fieri poſſe talem commutationem, ſaltem ſi peccata repetantur, ita ut fiant materia novæ Abſolutionis, fortè etiam ſinè tali repetitione. Prima pars eſt communis, præſertim quando ſecundus Confeſſarius eſt Superior primi; nam quando æquales ſunt, exiſtimant Sotus 4. diſt. 20. q. 2. a. 3. & Alii hujuſmodi commutationem non valere; hâc utique ratione, quòd par in parem non habeat imperium. *Sotus.*

Forte & ab inferiori.

Sed propter hanc rationem non judico recedendum à communi ſententia, quæ docet, perinde eſſe ſeu ſecundus Confeſſarius ſit Superior, ſeu inferior, ſeu æqualis, dummodo peccata, pro quibus pœnitentia fuit impoſita, non fuerint ex reſervatis Superiori, immo etiamſi fuiſſent reſervata, adhuc Multi docent, illam commutationem poſſe fieri ab inferiori Confeſſario, qui alioquin non habet poteſtatem abſolvendi à peccatis reſervatis. Examinemus ſingula.

355. *Probatur 1. pars.*

Ratio itaque primæ partis eſt; quia in hoc Sacramento ſuppoſitâ legitimâ juriſdictione, quam inferior debet recipere à Superiore, omnes Sacerdotes ſunt æquales & ſupremi Judices ſub Chriſto, cujus vice abſolvunt & ligant; ergo ſi idem Sacerdos poteſt facere illam commutationem, eandem facere poterit Sacerdos ſuccedens in eodem tribunali ſeu munere; veluti ſecundus Epiſcopus poteſt commutare pœnam à prædeceſſore impoſitam abſque ejus injuria, iteratò cauſâ diſcuſsâ coram ſe, quoniam occupat locum prædeceſſoris, eiq; ſuccedit in eodem tribunali ſeu munere.

356. *Occurritur objectioni.*

Nec dixeris; diſparitas eſt, quòd in caſu præſenti primum Sacramentum maneat mutilum & imperfectum; quippe ſecunda ſatisfactio non erit pars primi Sacramenti, quia non ab eodem miniſtro impoſita: ne, inquam, ſic argumenteris; quia tunc ſolùm inconveniens eſt, quòd Sacramentum maneat abſque hac integritate, quando ex ejus ablatione, id eſt, ex defectu ſatisfactionis priùs impoſitæ, deeſt aliquid requiſitum ad integritatem judicii; hìc autem nihil tale deeſt, quando ex commutatione ſententiæ, facta ab eodem, vel ſucceſsore Iudice in eodem tribunali, non ponitur executio ſententiæ antea prolatæ. Sicuti non manet Sacramentum mutilum ſeu inconpletum, quando Pontifex conceſsâ Indulgentiâ aufert obligationem pœnitentiæ in illo Sacramento impoſitæ.

In caſu propoſito non manet Sacramentum mutilum.

Sed cur hoc? Reſpondeo; quia obtinetur effectus iſtius pœnitentiæ, id eſt, remiſſio pœnarum. Ideo quippe ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur ſatisfactio, quia abſque ea non fit plena & perfecta remiſſio peccatorum, ad quam tamen remiſſionem Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt; quando ergo aliunde accipitur hæc remiſſio, non videtur Sacramentum manere mutilum, niſi tantùm materialiter, ſi ita placeat loqui, eſtò ſatisfactio impoſita non impleatur, ſaltem quando ad hoc concurrit auctoritas Confeſſarii, vel alterius Superioris: jam autem in caſu propoſito concurrit auctoritas Confeſſarii imponentis novam pœnitentiam, per quam obtinetur & ex opere operato confertur idem moraliter effectus, qui collatus fuiſſet per antiquam pœnitentiam.

357. *Eadem ſatisfactio poteſt eſſe pars integralis plurium Sacramentorum.*

Si hæc ſolutio non placet, dic eamdem ſatisfactionem poſse eſse partem integralem plurium Sacramentorum, ſicuti idem dolor ſufficit ad diverſas Abſolutiones, utì cum probabili ſententia dixi ſect. 4. concl. 6. Si ergo pœnitens, qui petit commutationem pœnitentiæ, eadem omnino peccata confiteatur, quæ antea confeſsus fuerat, nec illa indigeant duplici ſatisfactione, cur una ſatisfactio non ſufficiat ad complendum utrumque Sacramentum? Præſertim ſi eſt idem miniſter.

Immo etſi foret diverſus. Si enim ſecundus Sacerdos poteſt perficere Sacrificium Miſſæ, quod primus, peractâ ſolâ Conſecratione Corporis Chriſti, reliquerat imperfectum, propter ſubitam infirmitatem, ùt Omnes admittere debent, cur etiam ſecundus Confeſsarius non poterit perficere Sacramentum Pœnitentiæ, quod primus Confeſsarius, datâ Abſolutione, reliquerat imperfectum, propter ſubitam mortem antequam poſset imponere pœnitentiam?

Digitized by Google

Cur, inquam, tali caſu Sacerdos ſuccedens in locum defuncti, habens eamdem poteſtatem & notitiam ſaltem confuſam peccatorum non poſset imponere ſatisfactionem ſacramentalem abſque nova Abſolutione? Cur minùs hæc ſatisfactio foret complementum prioris judicii, quàm Conſecratio Sanguinis complementum Conſecrationis Corporis ſeu Sacrificii incepti in caſu prææallegato? Hinc ſi idem Confeſſarius abſque nova Abſolutione poteſt commutare pœnitentiam, non ſatis video, cur id etiam non poſſit alius Confeſſarius.

Igitur impræſentiarùm non manet primum Sacramentum incompletum ſeu mutilum, ſed completur per novam pœnitentiam, vel eandem, per quam perficitur ſecundum Sacramentum, ſi eadem omnino peccata abſolvantur, vel diverſam, ſi præter peccata priùs confeſſa, pœnitens alia confiteatur; tunc enim Sacerdos poterit imponere unam pœnitentiam pro peccatis priùs non abſolutis, & aliam pro peccatis in præcedenti Sacramento abſolutis, ùt clarum eſt.

358. Reſpondetur ad rationem Soti.

Ad rationem Soti ſuprà: *Quòd par in parem non habeat imperium*, ùt expreſsè dicit Nicol. 3. c. *Exiit* 3. de Verb. Signif. in 6. §. *Cæterùm ſanctæ memoriæ.* ibi: *Nec ſucceſſorem ſuum quomodolibet obligavit, cùm non habeat imperium par in parem.* Et colligitur ex leg. *Ille à quo* 13. §. 4. ff. Ad Senatuſconſ. Trebell. ibi: *Et dicendum eſt Prætorem quidem in Prætorem, vel Conſulem in Conſulem nullum imperium habere.*

Cap. 3. de verb ſignif. L. 13. ff. ad Senatuſconſ. Treb.

Ad hanc, inquam, rationem, Reſp. iſta verba Nicol. malè hùc applicari. Etenim ſecundus Confeſſarius non exercet imperium in priorem Confeſſarium, ſed in pœnitentem, quem judicat & condemnat ad hanc vel illam pœnitentiam, prout ſibi magìs expedire videtur. Et verò quia habet par imperium cum præcedente, ideo poteſt leges illius corrigere, & quia par non habet imperium in parem, ideo ait Pontifex ſuprà, S. Franciſcum non potuiſſe obligare ſuos ſucceſſores ad obſervantiam ſui teſtamenti. Ergo ſimiliter primus Confeſſarius non poterit obligare ſucceſſorem ſuum in eodem tribunali & munere ad impoſitionem ejuſdem pœnitentiæ.

359. Objectio.

Dices; ad retractandam ſeu revocandam ſententiam unius Judicis, adiri debet Superior per viam appellationis, quia æqualis id facere nequit ex cap. *Ut debitus honor* 59. de Appell. ibi: *Cùm autem ex rationabili cauſa putaverit appellandum, coram eodem Iudice cauſâ probabili appellationis expoſitâ, tali videlicet, quæ ſi foret probata, deberet legitima reputari, Superior de appellatione cognoſcat.*

Reſponſio Dianæ.

Reſpondet Diana ſuprà; ſecundus Sacerdos pœnitentiam commutans, non propriè revocat ſententiam prioris, ſed ſuam profert; & hoc poſterius judiciùm non inſtituitur ad derogandum priori, ſed ad conſulendum pœnitenti, in cujus favorem talis iteratio conceditur; neque totum hoc efficitur per modum appellationis, ſed per modum novi judicii, æqualis judicio præcedenti, quorum judiciorum neutrum adverſatur alteri, ſed ipſum in ſua integritate relinquit. Hæc ille. Relinquit, inquam, in ſua integritate, ſublatâ tantummodo obligatione antiquæ pœnitentiæ, ſi velit pœnitens implere novam pœnitentiam.

360. Factâ commutatione pœnitentiæ manet liberum pœnitenti antiquam implere. *Suarez. Reginaldus. Dicaſtillo.*

Dico, *Si velit pœnitens* &c. nam factâ commutatione, adhuc putant Multi liberum eſſe pœnitenti, vel antiquam implere, vel novam, ita ut ad neutram determinatè obligetur, ſed indeterminatè ad alterutram; eodem modo, quo factâ commutatione voti, manet voventi liberum ad prius redire. Ita docet Suarius diſp. 38. ſect. 10. nu. 7. Reginaldus lib. 7. n. 89. & Alii quos ſequitur Dicaſtillo diſp. 14. nu. 131.

Probatur.

Ratio eſt; quia ſicut commutatio voti fit in favorem voventis, & ideo vovens poteſt illi cedere, & rurſum acceptare prius votum, ſic itidem commutatio pœnitentiæ fit in favorem pœnitentis, cui proinde poteſt cedere; & rurſum acceptare priorem pœnitentiam, quæ potius erat ſuſpenſa, quàm totaliter extincta. Siquidem non tollitur abſolutè prius præceptum Confeſſarii, ſed ſolùm ſub conditione, ſi pœnitens velit obedire præcepto ſecundi Confeſſarii, & ſimiliter non imponitur abſolutè præceptum ſecundi Confeſſarii, ſed ſolùm ſub conditione, ſi pœnitens nolit adimplere præceptum primi Confeſſarii.

361. Contrarium inſinuat Lugo.

Contrarium inſinuat Lugo diſp. 25. n. 103. ubì docet, non ſufficere quòd idem, vel alius Sacerdos audiat de novo eadem peccata, & aliam pœnitentiam imponat; ſed neceſſarium eſſe, ut habeat expreſſam voluntatem, priorem pœnitentiam in hanc commutandi, alioquin poſſet pœnitens, inquit ille, relictâ poſteriori pœnitentiâ adhærere priori, quæ nondum revocata eſt per ſecundam.

Reſponſio.

Reſpondeò; poſſet omnino adhærere, tametſi Confeſſarius habuiſſet expreſſam voluntatem commutandi, ùt jam diximus, & probavimus exemplo voti, ac proinde ex eo, tamquam inconvenienti, malè probatur neceſſitas expreſſæ voluntatis commutandi unam pœnitentiam in aliam. Ex quo ergo? Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 119. quia cùm prior pœnitentia ſit pars alterius Sacramenti, & alterius judicii ritè peracti, non ex eo tantùm, quòd iterùm peragatur aliud judicium, debet pœnitentia & ſententia alterius cenſeri revocata. *Dicaſtillo.*

362. An requiratur expreſſa voluntas commutandi?

Sed hoc eſt quod quæritur; cùm enim, ùt vult Suarius ſuprà, poſterior Confeſſarius non revocet propriè ſententiam prioris, ſed ſuam tantùm proferat, ſic ut pœnitenti liberum maneat eligere pœnam, quam voluerit, unde probatur, quòd non ſufficiat nuda iteratio judicii,

Digitized by Google

dicii, ſuper eamdem cauſam? Ideo, niſi dixeris, hìc intercedere propriè dictam revocationem, ſeu correctionem prioris pœnitentiæ ſeu ſententiæ (utì quando loco præcedentium Judicum in eodem tribunali externo ſunt alii ſubſtituti, qui in reviſione ſententiam priorum propriè revocant, & corrigunt, ita ut non ſit liberum partibus à poſteriori ſententia reſilire) difficulter mihi probaveris neceſſitatem expreſſæ voluntatis commutandi unam pœnitentiam ſacramentalem in aliam.

Unde pœnitens nihil dicens ſecundo Confeſſario, ſed ſimpliciter confitens eadem peccata, manebit ex vi ſecundæ pœnitentiæ liber à priori. Quid miraris? Nam per ſecundam pœnitentiam aufertur illa pœna, propter quam remittendam impoſita erat prima pœnitentia; ſicut ergo ceſſat obligatio primæ pœnitentiæ, quando per Indulgentiam remittitur eadem pœna, quæ alioquin remittenda erat per illam pœnitentiam, quid ni etiam ceſſet, quando illa pœna remittitur per ſecundam pœnitentiam ſacramentalem? Non video ullam diſparitatem, neque difficultatem, quæ mereatur ulteriorem inquiſitionem.

363. *Quid ſi peccata fuiſſent reſervata, & 2. Confeſſarius non haberet poteſtatem reſervatorum?*

Pergamus itaque ad alia, & videamus, ſi præcedens doctrina ſit vera, tametſi peccata, pro quibus primus Confeſſarius impoſuit pœnitentiam, fuiſſent reſervata, & Confeſſarius ſecundus non haberet poteſtatem abſolvendi à reſervatis.

Suarius ſuprà n. 14. cum Aliis, quos citat, exiſtimat per ſe loquendo & jure ordinario tali caſu ſecundum Confeſſarium non poſſe pœnitentiam prioris commutare. Quia, inquit, inferior per ſe non habet juriſdictionem in illa peccata, præcisè ſpectata quatenus talia ſunt, ſeu quatenus commiſſa ſunt: ergo non poteſt pœnitentiam mutare, quæ pro illis ſic ſpectatis fuerat impoſita. Probatur Conſequentia; quia non poteſt pœnitentiam ſacramentalem injungere pro peccato, niſi qui poteſt abſolvere à peccato; nam ſatisfactio ſacramentalis ab eadem juriſdictione & poteſtate ligandi ac ſolvendi manat, & conjuncta eſt Abſolutioni, ùt acceſſorium principali: atqui ſecundus Confeſſarius non poteſt abſolvere à peccato reſervato, niſi ex ſuppoſitione prioris judicii; ergo neque pœnitentiam imponere; ergò non poteſt pœnitentiam mutare, quia mutatio pœnitentiæ non fit niſi per impoſitionem novæ pœnitentiæ. Ita argumentatur Suarius.

Suarez probat tali caſu 2. Confeſſarium non poſſe commutare.

Duplex confirmatio.

Et duplicem ſubjungit confirmationem. Prima ex ratione; quia pœnitentia impoſita à Superiore, includit quoddam præceptum à Superiore impoſitum; inferior autem non poteſt præceptum Superioris mutare per ſe loquendo. Secundam accipit ex jure Canonico cap. *Accedens*. 10. diſt. 50. cap. *Tempora*. 2. 26. q. 7. & cap. *Latorem*. 15. 33. q. 2. Ubì Pontifex conceſſit Epiſcopo ſpecialem facultatem ad minuendam pœnitentiam à ſe impoſitam ſub certis limitationibus & conditionibus: ergo ſignum eſt (quod etiam notavit Gloſſa in dicto cap. *Latorem*) hoc non poſſe inferiorem facere jure ordinario: ſed ſolùm quatenus à Superiore intelligitur conceſſum.

His non obſtantibus, contrariam ſententiam amplectitur Vaſquez q. 94. a. 2. dub. 3. n. 9. dicens: Hàc poſitâ probabilitate (ſcilicet, quòd ſecundus Confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam, impoſitam pro peccatis non reſervatis) conſequenter idem dicendum eſt de pœnitentia, in mero foro interiori impoſita pro reſervatis, ſicut pro aliis. 364. *Contrariam ſententiam amplectitur Vaſquez.*

Reſervatio enim non videtur facere ſententiam magìs irrevocabilem, tantùm impedit, ne ſtante reſervatione, aliquis poſſit abſolvere illa peccata; jam verò ſemel abſoluta quoad culpam, & impoſitâ pœnitentiâ, iterùm poteſt pœnitens illa confiteri, & ab alio accipere pœnitentiam; cur ergo non commutabitur illa pœnitentia prior, ſi commutatur, quoties caſus non erant reſervati? Hæc ille. *Probatur.*

Eandem ſententiam docent apud Dianam ſuprà Fernandez in inſtruct. confeſſ. p. 1. docum. 7. n. 5. & Joan. Valerus in differ. utriuſque fori verb. *Iuriſdict. differ.* 1. n. 7. Et ratio, inquit Diana, eſt; quia conſtat, quòd per Abſolutionem caſuum reſervatorum, remanent illa peccata non reſervata; ergo conſequenter non remanebit reſervata pœnitentia pro eis impoſita, hæc ſententia eſt probabilis & tuta in praxi. Ita hic Auctor. *Eandem ſententiam docet Fernandez & Valerus apud Dianam.*

Et ex Recentioribus eam defendit Dicaſtillo diſp. 14. n. 120. & ſequentibus. Probat autem tum ratione Vaſquezii mox allegatâ; tum quia ablatâ reſervatione per priorem Abſolutionem, manent illa peccata ſicuti cætera peccata communia; non minùs quàm ſi nunquam fuiſſent reſervata, ac proinde tunc nullus Judex eſt ſuperior altero, ſed uterque habet æqualem poteſtatem & idem tribunal. *Item Dicaſtillo.*

Confirmatur primò; quia ablatâ reſervatione per invalidam Abſolutionem, poteſt inferior abſolvere ab illo peccato, & dare pro ipſo pœnitentiam, quam ipſe judicaverit, independenter ab ea pœnitentia, quam in illa Confeſſione invalida dedit Superior. 365. *Confirmatio prima.*

Quo argumento etiam utitur Bonac. de Pœnit. diſp. 5. qu. 5. ſect. 3. p. 3. nu. 6. ubì cenſet, Confeſſarium inferiorem poſſe pœnitentiam, pro reſervatis à Superiore injunctam, commutare juſtâ interveniente cauſâ, qualis, inquit, eſt pia utilitas pœnitentis, vel neceſſitas, vel magna difficultas in perficienda pœnitentia, arbitrio prudentis Confeſſarii, qui non debet ſe facilem præbere in mutanda & minuenda pœnitentia, ne pœnitentes occaſionem arripiant, non adimplendi pœnitentias, ùt communiter obſervant DD. Hæc ille. *Quâ etiam utitur Bonacina, juſtâ interveniente cauſâ.*

Sed

Digitized by Google

366. **Quod non negat Suarius.** Sed nunquid, interrogat quiſpiam, id negat Suarius? Conſule eum ſuprà nu. 15. & dicet tibi: Addunt Auctores citati limitationem, niſi neceſſitas, vel pia utilitas aliud poſtulet: nam tunc piè præſumitur, hanc eſſe intentionem Superioris, propter quam limitationem nos addidimus illas duas particulas: *Per ſe*, & : *Iure ordinario*. Unde eſt notanda in primis differentia inter peccata reſervata, & non reſervata, quòd in non reſervatis poteſt fieri commutatio per ſe, & ex vi propriæ juriſdictionis, & non tantùm ex virtuali commiſſione, aut interpretativa voluntate prioris Confeſſarii.

Et licèt fortè requiratur aliqua rationabilis cauſa, ut id fiat ordinatè; ne detur occaſio pœnitentibus facilè procurandi hujuſmodi commutationes: non oportet tamen, ut tanta ſit cauſa, quæ moralem neceſſitatem inducat, aut quæ obliget ad conjecturam faciendam de alterius Confeſſoris voluntate. In caſibus autem reſervatis oportet hanc neceſſitatem intervenire, & conjecturam moralem facere de Superioris voluntate. Ita Suarius.

367. **Reſponſio Averſæ ad argumentum Bonac. & Dicaſt.** Porrò ad argumentum iſtud Bonac. & Dicaſt. reſpondet Averſa q. 13. de Satisf. Sect. 8. §. *Sed tamen*. Etiamſi Confeſſio facta Superiori, & Abſolutio ab eo data, fuerit nulla, & pœnitens jam poſſit ea peccata reſervata liberè alteri confiteri, ita ut ſaltem ea Confeſſio illi valeat pro ablatione reſervationis; adhuc, inquam, ſub obligatione manet pœnitentia à Superiore impoſita, nec poteſt ab inferiori commutari, ſed debet ab ipſo inferiori denuò confirmari, ſicut ſi ſibi conceſſa fuiſſet licentia abſolvendi cum taxatione talis pœnitentiæ, ne melioris conditionis ſit qui invalidè, quàm qui validè apud Superiorem confeſſus fuerat. Ita præfatus Auctor.

Impugnatur. Sed, inquis, faciliùs eſt aliquid dicere, quàm efficaciter idipſum probare. Et ſanè quomodo pœnitentia poteſt adhuc manere ſub obligatione, quæ numquam fuit ſub obligatione? Quod autem numquam fuerit, probatur; quia acceſſorium ſequitur ſuum principale; ſi ergo Abſolutio fuit invalida, quæ eſt principale, etiam invalida fuit pœnitentia, quæ eſt acceſſorium, ùt Suarius ſuprà docet; ergo nulla ejus obligatio ex tali impoſitione ſeu Abſolutione.

368. **Non valet ſimile quod adducit Averſa.** Nec valet illud ſimile: *Sicut ſi ſibi* &c. alioquin etiam qui haberet poteſtatem in reſervata, deberet eandem pœnitentiam confirmare: nam & huic poteſt Superior præſcribere ſeu taxare certam pœnitentiam, imponendam pro reſervatis. Gratìs ergo aſſeritur, illam invalidam impoſitionem pœnitentiæ, eſſe validam taxationem pœnitentiæ, poſtmodùm imponendæ ab illo Confeſſario, qui validè eundem pœnitentem abſolvet. Alioquin ipſe pœnitens deberet declarare pœnitentiam ſibi impoſitam in prima Confeſſione, nec ſufficeret ſimpliciter confiteri invalidam Confeſſionem, quod videtur eſſe contra praxim omnium pœnitentium, & Confeſſariorum.

Neque ideo erit melioris conditionis, qui invalidè fuit confeſſus, quàm qui validè: quia ille, velit nolit, debet iteratò ſua peccata explicare ſeu confiteri; hic autem non, niſi velit accipere commutationem pœnitentiæ, quam etiam poteſt probabiliter accipere ab inferiori, & fortè ſinè iterata explicatione peccatorum, ùt conſtat ex dictis; ergo ejus conditio multò melior eſt. Igitur corruit reſponſio Averſæ.

Corruit planè, ſi verum eſt, quòd Superior, invalidè abſolvens, non obliget ad pœnitentiam. An autem hoc verum ſit, patebit ex dicendis proprio loco.

369. **Secunda confirmatio ſententiæ Vaſquez à ſimili in commutatione voti.** Interim confirmatur ſecundò ſententia Vaſquezii à ſimili in commutatione voti reſervati; nam ſecundum votum, alioquin non reſervatum, in quod præcedens reſervatum à Pontifice fuit commutatum, poteſt ab Epiſcopo, & aliis habentibus facultatem commutandi non reſervata, iterùm & iterùm commutari, ùt communiùs docent Theologi, etſi nonnulli Canoniſtæ contradicant, cauſantes ſubrogatum debere ſaperè naturam ejus, pro quo ſubrogatur.

Sed non ſunt audiendi: quia hoc intelligendum eſt de eo, quod per ſe & intrinſecè pertinet ad talem ſubrogationem, non verò quoad ea, quæ ſunt extrinſeca, & à lege aut voluntate extrinſeca provenire poſſunt. Sic ergo in præſenti ſufficit, quod materia, quæ ſubrogatur, ſit apta ad cultum Dei, & quod cadat ſub obligationem Religionis; quod autem ſit reſervata vel non, eſt quid extrinſecum, & ideo non pertinet ad ſubrogationem, maximè cùm reſervatio ſit odioſa, & numquam per Pontificem id fuerit declaratum.

370. **Diſparitas inter commutationem voti, & pœnitentiæ ex Suario.** Quidquid ergo ſit de hoc Antecedente, quod Suarez ſuprà n. 16. cenſet valde probabile, nihilominus negat hic Auctor Conſequentiam, ſcilicet, ergo inferior poteſt per ſe & jure ordinario mutare pœnitentiam impoſitam prò reſervatis. Rationem differentiæ aſſignat; quia per commutationem voti non imponit Superior aliquod præceptum, ſed tantùm mutat materiam, & obligatio relinquitur ex vi voti, quod juxta materiæ qualitatem ſubjicitur poteſtati commutandi, vel diſpenſandi, quam habet Sacerdos. Quando verò Superior pœnitentiam imponit, ſuâ auctoritate & juriſdictione imponit ſpecialem obligationem & præceptum, quod ab inferiori mutari non poteſt. Hæc ille.

Rejicitur. Sed contrà primò; fieri poteſt, ſecundùm Suarium, ut Superior non præcipiat pœnitentiam, ſed tantùm conſulat; ergo ſaltem illo caſu non valet hæc differentia. Secundò, etiam Superior imponit præceptum, quando

imponit

Digitized by Google

imponit pœnitentiam pro peccatis non reſervatis, & tamen illud mutari poteſt ab inferiori.

371. Inſtatio. Planè, inquis; ſed differentia eſt, quòd tunc non imponat præceptum ùt Superior, ſed ùt æqualis; at verò quando præcipit pœnitentiam pro reſervatis, præcipit ùt Superior.

Excluditur. Reſpondeo; eſt petitio principii, nam hoc eſt quòd quæritur, an præcipiat tunc ùt Superior, id eſt, an ſublatâ reſervatione peccati per Abſolutionem, pœnitentia maneat reſervata. Et verò non manere videtur colligi ex Solum peccatum reſervari probatur ex Tridente. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c.7. ubi explicans reſervationem caſuum ſic inquit: *Quoniam natura & ratio iudicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hac confirmat, nullius momenti Abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuſvis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur. Vnde meritò Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſervare.*

In quibus verbis, ùt vides, non fit expreſſa mentio impoſitionis pœnitentiæ, ſed Abſolutionis. Et cùm aliunde reſervatio ſit odioſa, quidni meritò reſtringatur ad reſervationem Abſolutionis tantùm, juxta Reg. Reg. 15. de Reg. Juris in 6. juris 15. de Reg. juris in 6. *Odia reſtringi* (ſcilicet intrà proprietatem verborum, & niſi ſequatur aliquod abſurdum) *& favores convenit ampliari?*

372. Objectio. Dices; hìc ſequitur aliquod abſurdum ex iſta reſtrictione: immo contrarium videtur ſatis clarè ſignificari illis verbis Concilii: *Magnopere verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere &c.* quod non eſſet, niſi propter pœnitentias varias imponendas; unde illuditur illius judicium, ſi poſtea ejus pœnitentia commutari poteſt.

Solvitur. Reſpondetur: per reſervationem primò hoc habetur, quòd nunquam tolli poſſit aut commutari obligatio comparendi coram Superiore, & ab eo accipiendi Abſolutionem à culpa. Secundò, quòd peccatores arceantur à gravioribus criminibus, quia ſciunt eſſe ſummis Sacerdotibus reſervata: nam ipſa ſola comparitio moleſtiſſima eſt. Tertiò, quòd ad ipſos accedentes, qui talia habent crimina, ſalubria monita accipiunt, & quæ magìs eis proſunt, & in majori apud eos ſunt æſtimatione, quòd ſint à ſummis Sacerdotibus aut Prælatis, quàm ſi eſſent à quocumque communi Sacerdote. Hæc autem omnia quis non videt pertinere ad Chriſtiani populi diſciplinam, tametſi hujuſmodi pœnitentes non maneant perpetuò obligati peculiari pœnitentiâ ipſius ſupremi Sacerdotis?

Iis etiam addendum, inquit Vaſquez ſuprà n. 373.
10. quòd quamvis motiva ratio reſervandi peccata, hæc debeat eſſe; tamen poteſtas reſervandi non eſt ex eo, quia auctoritas ſupremi Sacerdotis ſit ſuperior auctoritate alterius inferioris in foro pœnitentiæ, ut ita ſibi reſervet judicium illud, quaſi ſuperiori poteſtate ferendum, quod nullo modo tolli aut commutari poſſit; ſed quia Superior aut applicat materiam Sacerdoti inferiori, ut ei, cui ex commiſſione concedit poſſe abſolvere; aut applicatam à Pontifice, ùt ordinariis Paſtoribus, nihilominùs limitare poteſt quicumque ſuperior Sacerdos, ùt Prælati; unde reſervantes ſibi quædam peccata, limitant materiam ſubjectam aliis Sacerdotibus. Non ergo ideo reſervant, quaſi eorum poteſtas ſit ſuperior in abſolvendo à peccatis, & imponendo pœnitentiam, ſed ratione dictâ. Hucuſque Vaſq. Ex quo ſit poteſtas reſervandi peccata ex Vaſquez.

Breviter; Superior limitat juriſdictionem inferioris ſubtrahendo materiam: interim poteſtas abſolvendi in omnibus eſt æqualis, ſuppoſitâ ſubjectione materiæ. Dictum quippe eſt omnibus æqualiter: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ioan. 20. v. 22. & 23. Ioan. 20.

Itaque Abſolutio reſervata eſt, non pœnitentia, ſuppoſitâ Abſolutione, ita ut ſi per oblivionem, vel malitiam Superior abſolviſſet à caſibus reſervatis abſque impoſitione pœnitentiæ, pœnitens non teneretur recurrere pro pœnitentia ad Superiorem, ſed quilibet inferior poſſet eam imponere. Ergo etiam poteſt mutare impoſitam à Superiore ex ſuppoſitione prioris Abſolutionis. 374. Sola Abſolutio eſt reſervata non pœnitentia.

Et ſic patet veriſſimum eſſe, quòd nemo poſſit imponere, vel mutare pœnitentiam, niſi qui poteſt abſolvere, quia ex ſuppoſitione prioris Abſolutionis poteſt inferior abſolvere; ergo etiam imponere pœnitentiam novam; ergo pœnitentiam antiquam mutare; quia *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Reg. 42. de Reg. Iuris in 6. nova autem pœnitentia ſeu mutatio antiquæ pœnitentiæ eſt acceſſorium Abſolutionis. Reg. 42. de Reg. Iuris in 6.

Dices; quia impoſitio pœnitentiæ eſt acceſſorium Abſolutionis, ideo reſervatâ Abſolutione, cenſetur etiam reſervata impoſitio novæ pœnitentiæ, & per conſequens mutatio pœnitentiæ, ùt ſuprà argumentabatur Suarius. 375. Objectio.

Reſpondeo concedendo totum; quamdiu manet reſervatio Abſolutionis à peccatis; ſicuti quamdiu manet reſervatio excommunicationis, manet reſervatio Abſolutionis à peccatis. Abſolvat Superior ab excommunicatione reſervata, & ecce tollitur reſervatio Abſolutionis à peccatis. Ergo ſimili ratione ſublatâ reſervatione Abſolutionis à peccatis, tollitur reſervatio pœnitentiæ. Reſponſio.

Hhhhhh Pona-

Ponamus caſum, quòd Superior, ſtatim poſt Abſolutionem ab excommunicatione, propter quam peccatum reſervatum eſt, moriatur, antequam poſſit abſolvere à peccato; putas quia pœnitens debeat recurrere pro Abſolutione ab illo peccato ad alium Superiorem? Clarum eſt, quòd poſſit abſolvi ab inferiori. Quare? Quia reſervatio peccati ablata eſt per Abſolutionem à Cenſura.

Cur ergo ſi Superior moriatur poſt Abſolutionem à peccato reſervato, ante impoſitionem pœnitentiæ, non poterit inferior imponere pœnitentiam pro hujuſmodi peccato? Non apparet ulla diſparitas. Ergo licèt Superior impoſuiſſet ſeu præcepiſſet aliquam pœnitentiam, poterit inferior illam mutare, quià non præcepit tamquam Superior, ſed tamquam æqualis in foro pœnitentiæ, ſeu foro interiori.

376. Inferior non poteſt mutare pœnitentiam Superioris in foro externo.

Dico; *In foro pœnitentiæ, ſeu foro interiori*; quia in foro exteriori indubiè præcipit tamquam Superior, ut proinde inferior in hoc foro nequeat mutare pœnitentiam Superioris, niſi de ejus licentia. Ex quo feſtinè cognoſcitur, quid reſpondéri poſſet ad jura, quæ Suarius ſuprà allegat in ſecunda confirmatione ſuæ ſententiæ, nimirum, quòd loquantur etiam de pœnis impoſitis in foro exteriori, ſeu extra Sacramentum Pœnitentiæ. Exſcribo ſingulorum verbà.

De hoc foro intelligitur cap. 10. diſt. 50.

Pervenit namque ad nos, quia, poſtquàm pro crimine lapſûs ſui à Sacerdotii Ordine eſt dejectus, ad explendum miniſterium Sacerdotii præſumpſit accedere, & omnipotenti Deo hoſtias immolare. Quòd ſi ita factum fraternitas veſtra repererit, eum ſacri Corporis & Sanguinis Dominici participatione privatum in pœnitentiam redigat; ita ut uſque ad diem obitûs ſui in eadem excommunicatione permaneat, & Viaticum tantùm exitûs ſui tempore percipiat. Sin autem eum fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognoverit, ut ei juſtè ad recipiendam inter laicos Communionem, & ante exitum debeat miſereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus poteſtate. Ita Greg. Pontifex Venantio Lunenſi Epiſcopo l. 4. Epiſt. 5. ſeu c. 49. & refertur diſt. 50. cap. *Accedens* 10. Ubì Gloſſa verb. *In tua. Ergò Epiſcopus poteſt remittere pœnitentiam, injunctam à Papa. Sic* 33. *q.* 2. *Latorem.* ſequentis tenoris:

377. Item cap. *Latorem* 33. q. 2.

Latorem præſentium matricidam eſſe cognovimus. Cui præcipimus, ùt ſub pœnitentiæ jugo permaneat, ita ut per annum integrum Eccleſiam non ingrediatur, ſed antè fores Baſilicæ orans & deprecans Deum perſeveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo verò anni circulo intrcëundi in Eccleſiam licentiam habeat, tamen inter audientes flet, ſed nondum communicet &c. *Tamen ſi illius converſionem & lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus & optimis operibus pullulare, humaniùs circa eum veſtra ſolicitudo pervigil appareat, mitiſque omnibus demonſtretur.* Ita Nicol. Papa Rhatoldo Epiſc. ſanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis. Ubì Gloſſa verb. *Converſionem. Poteſt ergo Epiſcopus causâ cognitâ relaxare de pœnitentia, quam Papa impoſuit. Eâdem ratione & Clericus de ea, quam Epiſcopus impoſuit, ſed dic quòd Papa licentiam dedit de hoc.*

Quantùm ad cap. *Tempora*, quod eſt Leonis 378. & cap. *Tempora* 26. q. 7.
Papæ Epiſt. 57. aliàs 79. ad Nicetam Epiſc. c. 6. hæc ſunt ejus verba: *Tempora pœnitudinis habitâ moderatione conſtituenda ſunt tuo judicio, prout converſorum animos perſpexeris eſſe devotos: pariter etiam habens ætatis ſenilis intuitum & periculorum quorumcumque aut ægritudinis reſpiciens neceſſitates. In quibus ſi quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet, de ſalute ipſius deſperetur, oportet ei per Sacerdotalem neceſſitudinem Communionis gratiâ ſubveniri.* Ubì Gloſſa verb. *Tuo judicio. Ex hoc patet, quòd pœnitentiæ omnes ſunt arbitrariæ. Unde Epiſcopus poteſt diminuere pœnitentiam, quam indixit Papa ùt* 33. *q.* 2. Latorem. *Sicut Procurator ex cauſa poteſt mandare contrarium illius, quod mandavit dominus ùt ff. Mandati. Si hominem.*

Omittò in his juribus non fieri ullam diſtinctionem inter peccata reſervata, & non reſervata; ſive inter pœnas impoſitas pro peccatis reſervatis, & pœnas impoſitas pro peccatis non reſervatis; ergo inferior, vel omnes poteſt commutare, vel nullas. Poſſe aliquas admittit Suarius, ergo malè adfert iſta jura, ut probet non poſſe commutare pœnas impoſitas pro peccatis reſervatis. Hæc ſufficiant ad oſtendendam probabilitatem ſententiæ Vaſquezii & Aliorum. In iſtis juribus nulla fit diſtinctio inter peccata reſervata. & non reſervata.

Ex qua ſententia ſequitur, ſimplicem Sacerdotem, eſtò non poſſit abſolvere à peccatis mortalibus, poſſe tamen mutare pœnitentiam pro his impoſitam ex ſuppoſitione Abſolutionis: quia comparatione peccatorum mortalium, ſemel legitimè abſolutorum, ſicut & venialium, ille etiam eſt judex. Ita docet Sancius in Select. diſput. 14. n. 14. poſtquam n. 13. docuiſſet ſententiam Vaſquezii de peccatis reſervatis. 379. Simplex Sacerdus poteſt mutare pœnitentiam impoſitam pro peccatis mortalibus. *Joan. Sanchez.*

Poſſe, inquit ille n. 14. ſimplicem Sacerdotem mutare pœnitentiam peccatorum mortalium, quæ jam ſunt confeſſa, ex dictis principiis neceſſariò fore inducendum exiſtimo, cùm jam reſpectu ſimplicis Sacerdotis ea reſervata non ſint. Nec video quânam ratione Suarius Tom. de Pœnit. Diſput. 38. Sect. 10. in fine aſſerat, oppoſitum fateri Diverſos; cùm potiùs id admittere debeant, dicentes poſſe inferiorem mutare pœnitentiam pro reſervatis injunctam. Hæc ille. Quem ſequitur Diana p. 3. tract. 4. reſol. 53. §. *Notandum.* Dicaſtillo diſp. 14. n. 123. Herincx part. 4. tract. 4. diſp. 4. de Satisf. n. 33.

Illud pro fine hujus Concluſionis & Sectionis addiderim, quæ hucuſque dicta ſunt de commutatione pœnitentiæ, intelligi poſſe 380. An etiam poſſit commutari pœ
etiam

...ntia me- ...præſerva- ...a. etiam de pœnitentia merè præſervativa, præſertim quando non eſt omnino neceſſaria, ſed tantùm utilis ad vitandum peccatum in futurum; immo tametſi ita foret neceſſaria, ut ad eam pœnitens obligaretur independenter à præcepto Confeſſarii, v. g. reſtitutio rei injuſtè ablatæ, vitatio occaſionis proximæ peccandi &c. non quòd idem vel alius Confeſſarius poſſit auferre obligationem naturalem reſtituendi rem injuſtè ablatam, ſed quia poteſt auferre obligationem poſitivam, ſi quæ præcisè reſultet ex impoſitione hujuſmodi pœnitentiæ in Sacramento Pœnitentiæ. Quidni poſſit auferre, ſicut potuit non imponere?

381. ...n poſſit ...alidè auferri ſine ...a? Ne- ...r Dicaſtillo. Quia, inquis, ablatio ſemper eſt illicita, quoniam primum Sacramentum manet imperfectum, ergo non videtur credibile, quòd Chriſtus dederit poteſtatem ad id; atque adeò in tali caſu non ſolùm erit illicita ablatio prioris pœnitentiæ, ſed etiam invalida, ita ut quantumvis ſecundus Confeſſarius auferat pœnitentiam prioris Sacramenti, ſemper illud Sacramentum maneat mutilum in ratione judicii, non impletâ ſententiâ ex ea parte & conſequenter irreverentia fiet Sacramento. Ita diſcurrit Dicaſtillo diſp. 14. n. 145.

...ontrà ar- ...itur. Sed contrà; etiam quando Confeſſarius non imponit pœnitentiam, manet Sacramentum mutilum in ratione judicii, & conſequenter fit irreverentia Sacramento; & nihilominus valet illa non impoſitio, ita ut quamvis omittendo reſtitutionem, pœnitens peccaret contra obligationem naturalem reſtituendi injuſtè ablatum, tamen non peccaret contra Sacramentum & virtutem Religionis.

382. Reſponſio Dicaſtillonis. Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 146. Aliud eſt non imponere præceptum, cùm poſſet aut etiam deberet; aliud verò poſitum, & ritè poſitum, & tamquam partem judicii peracti conſtitutum, abolere & tollere in alio judicio contra fas & per ſummum nefas, ad quod accepiſſe poteſtatem à Chriſto, ut auctoritate Chriſti & judicando loco Chriſti poſſit facere, non videtur credibile, nec tollitur deformitas judicii mutili, ùt dictum eſt. Ita præfatus Auctor.

...llicitur. Sed fruſtrà; quia non eſt minor deformitas, aut minus nefas non imponere præceptum; cùm poſſet & deberet imponi, quàm præceptum ſemel ritè impoſitum, tamquam partem judicii peracti, abolere & tollere in alio judicio; ſi ergo Sacerdos accepit à Chriſto poteſtatem, ut auctoritate Chriſti & judicando loco Chriſti, poſſit abſolvere non impoſitâ ex pura malitia ullâ ſatisfactione, ſive præſervativâ ſive vindicativâ, adeòque relinquendo Sacramentum abſolutè imperfectum & mutilum, maximè credibile eſt, etiam accepiſſe poteſtatem, ut auctoritate Chriſti, & judicando loco Chriſti, poſſit pœnitentiam ſeu ſatisfactionem impoſitam in hoc judicio, in ſequenti judicio abolere & tollere. Alioquin ſequitur, Confeſſarium non poſſe ullam pœnitentiam ſive præſervativam, omnino neceſſariam, aut ſolùm valde utilem, ſive vindicativam ſinè cauſa validè tollere, quia ſemper manet Sacramentum mutilum.

Mea ergo reſolutio eſt; totum poſſe facere Confeſſarium in ſecunda Confeſſione, quod poterat in prima, adeòque ſemper validè poſſe auferre pœnitentiam, ſemel ritè impoſitam, ſicut poterat validè eam non imponere, & licitè eam auferre in illis circumſtantiis, in quibus licitè poterat eam non imponere. Tenetur quippe Confeſſarius juxta Trident. ſeſſ. 14. c. 8. imponere pœnitentias, tum ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, tum ad præteritorum peccatorum vindictam. Et ſi alterum deſit ſinè juſta cauſa, ipſe deeſt ſuo officio, & peccat, interim, ùt per ſe patet, pœnitens nec obligatur ad unam, nec ad alteram, ſi non fuerit impoſita licitè, vel illicitè. 383. Totum poteſt facere Confeſſarius in 2. Confeſſione, quod poterat in prima.

Sic tamen, ut pœnitens peccet contra reverentiam Sacramenti, ſi abſque cauſa procuret ablationem pœnitentiæ; ſicuti peccaret ſi abſque cauſa impediret primam impoſitionem pœnitentiæ. Probatur à ſimili. Docent Multi, diſpenſationem in lege propria ſinè juſta cauſa, tametſi ſit illicita, equidem valere. Diſpenſet igitur ſinè juſta cauſa legiſlator; diſpenſatus liber eſt ab obligatione legis, & per conſequens non obſervando legem minimè peccat contra illam legem; attamen ſi procuraverit illam diſpenſationem, in hoc procùl dubio peccavit, quia cooperatus fuit poſitivè peccato Legiſlatoris. Pœnitens peccat, ſi abſque cauſa procuret ablationem pœnitentiæ.

Ergo ſimiliter, eſtò pœnitens, qui ſinè juſta cauſa petit ablationem pœnitentiæ priùs impoſitæ, illâ obtentâ non peccet, omittendo pœnitentiam primò impoſitam; contra integritatem Sacramenti, quoniam tametſi eam impleret, non ideo perficeret Sacramentum, cùm ampliùs non ſit pœnitentia ſacramentalis; nihilominus peccavit contra reverentiam Sacramenti, procurando illam ablationem, quæ, ùt ſuppono, fuit contra reverentiam Sacramenti.

De cætero fieri poteſt; ut pœnitentia aliqua, impoſita ad infirmitatis medicamentum, attentâ vel fragilitate pœnitentis, qui pœnitentiam non implebit, vel emendatione ejus, vel alia de cauſâ non ſit ampliùs ſalutaris & conveniens; aut certè alia ſit magìs ſalutaris & conveniens, cur ergo tunc non poterit licitè auferri, aut mutari ab eodem, vel alio Confeſſario? 384. Poteſt ſubinde licitè auferri aut mutari pœnitentia medicinalis ab eodem vel diverſo Confeſſario.

Non video quid obſtet; eſtò Confeſſarius habeat poteſtatem obligandi pœnitentem, non tantùm ad pœnitentiam vindicativam, ſed etiam ad medicinalem ſeu præſervativam, adeò ut licèt per Indulgentias remittantur pœnæ impoſitæ, ùt ſatisfactivæ ſunt, non tamen, ùt medicinales: hoc, inquam, admiſſo, adhuc

Digitized by Google

adhuc non video rationem negandi Confeſſario eidem, vel diverſo, poteſtatem mutandi vel auferendi pœnitentiam præſervativam, priùs impoſitam, quando ita expedit ſaluti pœnitentis.

385. Probatur ex Trident. Nonne eodem tenore verborum Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 8. mandat ſeu potiùs ſignificat mandatum Chriſti de imponenda ſatisfactione *Non tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem?* Sicut ergo ex illis verbis colligitur poteſtas Confeſſarii, obligandi pœnitentem ad pœnitentiam vindicativam, cur non etiam obligandi ad ſatisfactionem præſervativam? Et ſicuti per illa verba non tollitur poteſtas vel auferendi vel immutandi pœnitentiam vindicativam, ſemel impoſitam, quando ita expedit ſaluti pœnitentis, ſic itidem non tollitur poteſtas auferendi vel immutandi pœnitentiam præſervativam, quando Confeſſarius idem, vel diverſus, judicat id expedire ſaluti pœnitentis. Nam ſicut unus ſuccedit alteri in officio Iudicis, ita quoque in officio Medici; ergo ſicut ſuccedens poteſt mutare ſententiam Iudicis, pari ratione poterit mutare medicinam Medici.

386. Objectio. Sed dicet aliquis: ſi pœnitentia præſervativa eſt medicina, ergò ùt talis non obligat, ſicuti non obligat medicina corporalis.

Solvitur. Dicaſtillo. Reſpondet Dicaſtillo ſuprà n. 149. Confeſſarius præſcribit medicinam non tantùm ùt Medicus conſiliarius, ſicut Medici corporum, ſed ùt Medicus judicialis (ut ſic dicam) non tantùm dicendo quid expediat, ſed etiam imperando & obligando ad id; hoc enim genus Medici eſt in hoc Sacramento juxta Trident. ſuprà.

Suarius exiſtimat per Indulgentias non remitti pœnitentias medicinales. Hinc Suarius diſp. 38. ſect. 10. n. 10. exiſtimat, per Indulgentias remitti pœnitentias impoſitas, ùt ſatisfactivæ ſunt, non ùt medicinales; quia Indulgentia non datur in deſtructionem, ſed in ædificationem animæ: tollere autem remedium ſeu medicinam curativam peccati, eſſet in magnum detrimentum animarum: non eſt ergo hæc intentio concedentis Indulgentiam, nec ad hoc habet poteſtatem, ſed ſolùm ad remittendam vindictam. Cùm enim ſit veluti diſpenſator ſupremi Iudicis & Domini, poteſt remittere pœnam debitam pro aliqua culpa, & conſequenter tollere obligationem ſatisfaciendi pro illa. Ex qua limitatione intelligitur his temporibus, conſiderato modo, quo pœnitentiæ imponi ſolent, raró vel numquam licere omittere pœnitentias impoſitas propter Indulgentias; quia reverà imponuntur leviſſimæ pœnitentiæ, & ſic vix ſufficiunt per modum medicinæ. Hæc ille.

387. Oppoſitum docet Lugo. Lugo autem diſp. 27. n. 22. cum Aliis, quos citat ibi in magno numero, exiſtimat, per lucrationem Indulgentiæ liberari pœnitentem ab omni omnino ſatisfactione tam vindicativâ, quàm præſervativâ. Et probat I. ex cap. *Cùm ex eo* 14. de Pœnit. & Remiſſ. ibi: *Ad hæc, quia per indiſcretas & ſuperfluas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & Claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur.* Ergo aufertur obligatio implendi pœnitentias: alioquin ſi manet obligatio implendi illas, ſaltem ratione medicinæ, nihil prorſus enervabitur ſatisfactio. Probat I. ex cap. de Pœn. & Remiſſ.

Reſponſio. Reſp. Neg. Conſeq. quia ponamus, quòd Confeſſarius injunxerit diverſa opera, aliqua ùt præſervativa, alia ùt vindicativa, ſaltem ex parte per illas indiſcretas Indulgentias enervabitur ſatisfactio pœnitentialis, ſcilicet quantùm ad opera vindicativa. Deinde exiſtimant Aliqui, Pontificem ibi locutum non de ſatisfactione ſacramentali, quæ in Confeſſione imponitur, ſed de ſatisfactione Canonica, quæ per jura Eccleſiaſtica imponebatur.

388. Secunda probatio Lugonis. Probat II. idque clarè, ùt ait, ex Bonifacio VIII. qui, ùt refert Gloſſa in Extrava. *Antiquorum* de Pœnit. & Remiſſ. nolebat Confeſſarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui Iubilæum anni ſancti lucrabantur: quia nimirum ſatisfactione aliâ non indigebant. Hæc ille.

Rejicitur. Legi Gloſſam præfatam, & verb. *Confitebuntur* longè poſt medium hæc ſcripta reperio: *Papa declaravit conſiſtorialiter, quòd pœnitentiæ antea injunctæ etiam tolluntur per commutationem operis ſatisfactorii hîc impoſiti.* Si per commutationem; ergo per Indulgentiam, vel potiùs per ipſum Pontificem non ita tollitur ſatisfactio, quàm benè commutetur in alia opera, quæ indubiè etiam poſſunt eſſe præſervativæ ſeu medicinales pœnitentiæ.

Deinde paucis interjectis magìs ad propoſitum ſic lego: *Declaravit etiam, quòd ſui Pœnitentiarii nihil debent injungere ultra injunctionem hîc poſitam* (ergo ſaltem illam injunctionem poſſent injungere, quæ poſſet ſufficere pro pœna medicinali) *aliàs (ùt dicebat) Indulgentia fruſtraretur: niſi confitens volens facere opera ſupererogationis, voluntariè pœnitentiam ſatisfactoriam aliam ab hac taxata reciperet; niſi ad alium finem injungeretur: v. g. pœnitentia ne dum eſt ad remiſſionem pœnarum, pro commiſſis, & omiſſis debitarum, ſed etiam ad cautelam futurorum: & quoad iſtud forſan poteſt pœnitentia injungi.* Quid clarius poſſet dici pro ſententia Suarii? Ergo ſecunda probatio ex Bonifacio VIII. nimis obſcura.

389. Tertia probatio Lugonis ex ratione. Probat III. ratione à pari: quia Confeſſarius imponit pœnitentiam vel pœnam ad ſatisfaciendum pro peccato; ergo ſublato debito totius pœnæ, prout fit per Indulgentiam, ceſſat omnino fundamentum illius obligationis: ſicut ſi condonaretur à Principe pœna debita pro aliquo crimine, eo ipſo ceſſaret obligatio,

Digitized by Google

ligatio, impoſita per ſententiam Judicis ad pœnam aliquam pro illo crimine ſubeundam.

Reſponſio. Reſpondeo; qui peccat duplex incurrit debitum, unum pœnæ Purgatorii, alterum emendationis in futurum. Per Indulgentiam tollitur pœna Purgatorii, per conſequens pœnitentia impoſita pro hoc debito; ſed quia non tollitur debitum emendationis, niſi fortè per opera requiſita ad lucrandam Indulgentiam, ideo præcisè per ipſam Indulgentiam non tollitur pœna impoſita ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum.

390. Objectio ex Lugone. Dices cum Card. ſuprà n. 24. Confeſſarius non poteſt obligare ad medicinam, niſi quatenus illam imponit in pœnam peccati. Sicut licèt Judex debeat procurare, quòd pœna delinquentis ſit talis, ut ſimul ſit medicina in futurum, non tamen poſſet imponere illam pœnam, nec verberare reum, ſi pœna fuiſſet à Principe condonata.

Solvitur 1. Reſpondeo I. Judicem ſæcularem ordinariè & per ſe loquendo tantùm infligere pœnam ad vindictam & caſtigationem præteriti peccati, & ideo non mirum ſi nequeat verberare reum, cui pœna à Principe fuiſſet condonata. At verò Judex Eccleſiaſticus in foro ſacramentali per ſe curare debet, ut pœna quam imponit, ſit ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ita ut unam pœnam poſſit imponere ad hunc finem, aliam autem ad vindictam, v. g. poteſt imponere pœnitenti, ne tranſeat per talem aut talem plateam, ne intret talem vel talem domum, eſto iſtud non foret omnino neceſſarium ad evitandum peccatum, dummodo valde utile ſit; inſuper poteſt imponere jejunium pro pœnitentia vindicativa. Et ſi idem faceret Judex ſæcularis (neſcio autem cur id non poſſet facere) dico, etſi Princeps condonaret v. g. pœnitentiam verberationis, adhuc reus obligaretur ad pœnam illam medicinalem, & Judex poſſet eam imponere, etſi Princeps antecedenter reo condonaſſet pœnitentiam vindicativam, v. g. verberationem.

391. Replica. Si replices; Confeſſarius poteſt quidem conſulere illam pœnam, uti etiam Judex ſæcularis; ſed non poteſt ad eam obligare.

Solvitur. Reſpondeo; eſt petitio principii. Cur enim Deus non potuit Sacerdotibus dare poteſtatem ligandi pœnitentes ad pœnitentiam tantùm medicinalem, & non vindicativam? Et ſi potuit dare, quod indubitatum eſt, cur negamus illam dediſſe?

Quia, inquis, non conſtat de illa voluntate. Nam quod dicit Trident. ſeſſ. 14. c. 8. *Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*, ad ſolam pœnitentiam vindicativam refertur, eſt enim probatio ejus, quod præmiſerat, ſcilicet: *Habeant præ oculis ut Satisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: nam Claves* &c.

Quæ ratio, inquit Lugo ſuprà n. 25. potiùs oſtendit, non poſſe Sacerdotem obligare, niſi quatenus imponit pœnitentiam ùt pœnam, ſi enim ligat, etiam imponens ùt medicinam, ineptè argueret Concilium probans, debere Sacerdotem non ſolùm imponere medicinam, ſed etiam pœnam, quia habet poteſtatem etiam ligandi: qui arguendi modus ut ſubſiſtat, ſupponit poteſtatem ligandi non exerceri, quatenus medicina imponitur. Hæc ille. 392. Probatur ex Trident. Sacerdotem non poſſe obligare ad medicinam.

Reſpondeo; ſenſus verborum Concilii eſt: *Habeant præ oculis*, ut præcipiant ſatisfactionem, tam ad novæ vitæ cuſtodiam, quàm etiam ad præteritorum peccatorum vindictam; *Nam Claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum*, tam ad ſatisfactionem præſervativam, quàm vindicativam, *conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*. Explicantur verba Concilii.

Unde in Can. nulla fit diſtinctio inter unam, & alteram pœnam, ſed ſimpliciter definitur: *Si quis dixerit, Claves Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſolvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes dum imponunt* (id eſt præcipiunt) *pœnas* (medicinales vel vindicativas) *agere contra finem Clavium, & contra inſtitutionem Chriſti* &c. *anathema ſit*. Igitur hic arguendi modus, ut ſubſiſtat, ſupponit, poteſtatem ligandi exerceri, quatenus medicina imponitur, id eſt, præcipitur.

Si autem à me quæritur, an ergo jejunium v. g. quod tantùm obligaret per modum medicinæ, deberetur ùt ſatisfactio ſacramentalis, quæ ſit pars Sacramenti? Reſp. affirm. Quomodo, inquis, cùm ille, qui nihil jam debet pro peccatis, non poſſit obligari ad ſolvendum, nec poſſit puniri à Iudice ille, cui condonata eſt pœna? Reſpondeo ùt priùs; peccator pro peccatis non tantùm debet pœnas Purgatorii, ſed etiam emendationem vitæ; hæc autem non eſt condonata à Iudice, ſed ſolâ pœna Purgatorii, ac proinde licèt Sacerdos non poſſit imponere ſatisfactionem vindicativam, poterit tamen imponere ſatisfactionem medicinalem, ſeu præſervativam à peccato futuro. 393. Jejunium impoſitum per modum medicinæ, debetur ùt ſatisfactio ſacramentalis.

Quin immo Averſa q. 13. de Satisfact. Sect. 9. longè & latè probat, etiam ſuppoſitâ remiſſione omnium pœnarum Purgatorii, Confeſſarium nihilominus poſſe imponere ſatisfactionem vindicativam. Et citat pro hac ſententia D. Thom. Quodl. 3. a. 28. Alenſem 4. p. q. 24. mem. 4. a. 5. & Alios ex antiquis. Specialiter autem non tolli obligationem pœnæ per Indulgentias, ſignificavit, inquit, Gloſſa in cap. *Quòd autem* verb. *Quod poſſit* de Pœnit. & Remiſſ. dicens, non tolli hanc obligationem, niſi ex voluntate Confeſſarii, qui impoſuit pœnitentiam. Ita Averſa. An ſuppoſitâ remiſſione pœnarum Purgatorii poſſit imponi ſatisfactio vindicativa? Affirmat Averſa citans D. Th. Alenſ. & Alios.

Subſcribo verba Gloſſæ non verb. *Quod poſſit*, nam illud verbum nec in Textu, nec in 394. Verba Gloſſæ ex qui-

 Gloſſa

Digitized by Google

bus colligit Averſa per Indulgentias non tolli obligationem pœnæ.

Gloſſa habetur, ſed verb. *Vt proſint. Ex hoc capite veriùs colligitur, quòd qui iniungit pœnitentiam, ſicut ſibi videtur, imponit & concedit, ut eam per has remiſſiones* (Indulgentias intelligit) *vel in totum, vel in partem redimat: quòd ſi fecerit, ùt hic dicitur, valent remiſſiones ad relaxationem iniunctæ pœnitentiæ: alioquin non. Hoc tamen verum eſt, quòd licèt non valeant ad relaxationem iniunctæ pœnitentiæ quoad Eccleſiam, valent tamen ad minorem pœnam peccati quoad Deum, ſicut alia bona. Sic ergo ſi Iudex iniungat alicui ſeptenniùm pœnitentiam, & non concedit, ut poßit redimere, licèt ipſe vel alius pro eo generalem faciat remiſſionem ad pontem vel ad alium locum, qui ponti confert de ſuo, quantitatem pœnitentiæ ſibi iniunctæ quoad Eccleſiam non diminuit.*

Expenduntur.

Ex quibus verbis in primis habemus, ex voluntate Confeſſarii per Indulgentias remitti pœnitentiam injunctam in totum vel in partem. Secundò; quòd Confeſſarius, qui injungit pœnitentiam, ſicut ſibi videtur, imponit & concedit, ut pœnitens eam per Indulgentias vel in totum vel in partem redimat; in totum quidem, ſi Indulgentia eſt totalis, in partem verò, ſi Indulgentia ſolùm eſt partialis.

395. Ex cap. *Quod autem* de Pœnit & Remiſſ. nullatenus colligitur per Indulgentiam non tolli pœnam.

Quòd autem Confeſſarius poſſit impedire quò minùs pœnitens per Indulgentiam conceſſam à Pontifice, vel alio proprio Prælato ſeu Judice, redimat ſatisfactionem ſacramentalem, dico, nullatenùs colligi ex hoc capite; quod ſic ſonat: *Quòd autem conſuluiſti, utrùm remiſſiones, quæ fiunt in dedicationibus Eccleſiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis proſint, quàm his, qui remittentibus ſubſunt. Hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quòd cùm à non ſuo Iudice ligari nullus valeat, vel abſolvi: remiſſiones prædictas prodeſſe illis tantummodò arbitramur, quibus ut proſint, proprii Iudices ſpecialiter indulſerunt.* Et titulus ſeu ſummarium capitis: *Indulgentiæ, quæ conceduntur per Prælatos non ſubditis, non proſunt, niſi proprii Iudices hoc concedant.*

Ergo veriùs colligitur ex hoc capite, per Indulgentias, conceſſas per Prælatos ſuis ſubditis, non tolli obligationem pœnitentiæ ſacramentalis, niſi ex voluntate Confeſſarii, qui eam impoſuit: non valet hæc Conſequentia, quidquid dicat; vel non dicat Gloſſa.

396. Allegat præterea pro ſua ſententia Averſa Conc. Salegunſtadienſe.

Allegat præterea Averſa Concilium Salegunſtadienſe, celebratum ſub Benedicto VIII. & relatum tom. 3 Concil. in quo cap. 18. ſic definitur: *Quia multi tantâ mentis ſuæ falluntur ſtultitiâ, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à Sacerdotibus ſuis accipere nolint, in hoc maximè confiſi, ut Romam euntibus Apoſtolicus* (forus) *omnia ſibi dimittat peccata, ſancto viſum eſt Concilio, ut talis Indulgentia illis non proſit, ſed priùs iuxta modum delicti pœnitentiam, ſibi datam à ſuis Sacerdotibus, adimpleant: & tunc Romam ire, ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam & litteras ad Apoſtolicum* (forum) *ex* (aliàs *de*) *iiſdem rebus deferendas accipiant.*

Sed neque hæc definitio multùm favet huic ſententiæ; nam, præterquam, quòd non ſatìs mihi conſtet, an loquatur de ſola pœnitentia ſacramentali, propter ultima illa verba: *Et tunc Romam ire, ſi velint* &c. non enim de peccatis, ſemel in foro conſcientiæ dimiſſis, & debitè caſtigatis, ſolent litteræ deferri ad forum Apoſtolicum; præter hoc, inquam, dici poſſet Concil. tantùm velle, quod licèt per Indulgentiam pœnitentiæ impoſitæ ſuppleri poſſent, non ideo earum executio differri poſſet uſque ad Jubilæum Romæ, vel alibi obtinendum, cùm illarum executio, ùt ſuo loco vidimus, pro prima opportunitate imperetur. Ita intelligit hanc definitionem Scilders in ſua Synopſi de Sacram. §. 82. in fine.

Explicantur verba Conc.

397. An & quando Confeſſarius excuſetur ab imponenda pœnitentia ratione Indulgentiæ.

Et ideo, quando DD. excuſant Confeſſarium ab imponenda pœnitentia ratione Indulgentiæ, addunt ly *Inſtantis*, id eſt, quaſi præſentis. Deinde addunt ly *Moraliter certæ*, quales vix hodiè reperiuntur; quæ totam pœnam debitam peccatis remittant; ſive propter defectum cauſæ, ſive propter defectum diſpoſitionis ipſius pœnitentis, fortè etiam defectu intentionis Pontificis.

Unde Urbanus VIII. in Bulla Jubilæi an. 1628. quæ incipit: *Quòd ab initio*, & eſt 82. apud Cherubinum, ubi agitur de caſuum reſervatorum Abſolutione; expreſsè addit: quòd pœnitentiæ ſalutares imponi debeant: Hæc ſunt verba Bullæ. §. 6. *Et inſuper vota quæcumque* (*Religionis & Caſtitatis exceptis*) *in alia pia & ſalutaria opera commutare* (valeant) *iniunctâ tamen eis & eorum cuilibet in ſupradictis omnibus caſibus pœnitentiâ ſalutari, aliiſque eiuſdem Confeſſarii arbitrio iniungendis.* Et eandem clauſulam reperies in Bulla Iubilæi a. 1629. quæ incipit: *Irritatus aſſiduis.* 105. apud Cherubinum. Quare ſemper videntur imponendæ & implendæ pœnitentiæ ſaltem medicinales ſeu moderatæ, quales jam ob fragilitatem pœnitentium dari ſolent, ſic ut defectum condignitatis ſuppleat Indulgentia.

398. Quis ſit ſenſus communis & praxis in hac re.

Nec aliud probat ſenſus & praxis communis Confeſſariorum & pœnitentium, Confeſſariorum, qui non obſtante Indulgentiâ plenariâ ſolent imponere aliquas pœnitentias, & pœnitentium, qui ſolent eas adimplere.

Ac proinde per Indulgentias non valde enervatur poteſtas ligandi, quæ ad pœnitentias injungendas à Trident. refertur; neque fruſtrà ſtabilita eſt obligatio Confeſſarii de congruis pœnitentiis imponendis, & obligatio pœnitentis de iis adimplendis. Providetur quoque integritati Sacramenti, ſi non omnimodæ, ſaltem tali quali, ita ut non maneat Sacramentum omnino mutilum & imperfectum.

399. Objectio ex Averſa.

Dices; non ſatìs conſtat, quando pœnitentiæ injunctæ ſint in vindictam, vel in medicinam; quia nec Confeſſarii id ſolent declarare, nec

Digitized by Google

re, nec ex natura operum apparet talis diſtinctio, cùm eadem opera poſſint unâ, vel aliâ ratione imponi. Immo de facto ut plurimùm injunguntur pœnitentiæ, tamquam vindicativæ & ſatisfactivæ de præterito, conſiſtentes in precibus & orationibus, aut quæ brevi tempore perficiuntur: & ſolùm iis, qui ſæpiùs in eadem peccata per modum continuatæ conſuetudinis relapſi ſunt, ſolent imponi pœnitentiæ magis adaptatæ ad medicinam & præſervationem. Niſi dicatur, hoc ipſo, quòd pœnitentia eſt vindicativa de præterito, eſſe etiam præſervativam de futuro, ob illam vexationem & laborem, quem inducit: quo pacto ſemper & omnis pœnitentia habebit rationem medicinæ præſervativæ: & ſic inutilis ac fruſtratoria redditur illa ſententia, quòd per Indulgentias compenſetur obligatio pœnitentiæ. Ita Averſa ſuprà §. *Septimo*.

Reſponſio. Reſpondeo; in tantùm utilis eſt hæc ſententia Confeſſariis, quòd ratione Indulgentiæ poſſint imponere minores pœnitentias, quàm aliàs, præcisè attendendo qualitatem delicti; & facultatem pœnitentis, impoſuiſſent. Et conſequenter in tantùm utilis eſt pœnitentibus, quòd adimplendo illas minores pœnitentias, ad plenum ſatisfaciant. Voca vindicativas, voca medicinales, parùm refert: quia ſicuti pœnitentia vindicativa de præterito, eſt etiam præſervativa de futuro, ob illam vexationem & laborem, quem inducit; ſic vice verſâ pœnitentia præſervativa, ordinariè eſt etiam vindicativa; quia ordinariè habet conjunctam aliquam vexationem & laborem. Unde etſi nullæ pœnæ Purgatorii reſtarent exſolvendæ pro peccatis tunc confeſſis, equidem illa pœnitentia præſervativa adhuc foret vindicativa, id eſt, deleret pœnas debitas aliis peccatis, ſi non ex opere operato, ùt Aliqui putant (Aliis contrarium exiſtimantibus) ſaltem ex opere operantis.

90. D.Tho. Alenſis non ſen- tiz A- æ

Finio cum D. Tho. & Alenſi, ſuprà adductis pro ſententia Averſæ. Et ſanè D. Tho. loco allegato, ſcilicet Quodl. 3. a. 28. nullo omnino verbo attingit hanc controverſiam; ſed quærit, *Utrum ſatisfactio univerſaliter iniuncta* (putà his verbis: *Quidquid boni feceris* &c.) *à Sacerdote ſit ſacramentalis*. Similiter Alenſis 4. part. q. 24. memb. 4. a. 5. ne verbulo hanc controverſiam inſinuat; agit enim in illa quæſtione de Sacramento Confirmationis.

Immo, quod magìs mirandum eſt, 4. p. q. 83. a. 2. memb. 6. ubi tractat hanc controverſiam, in terminis docet contrarium, ùt patet ex ejus verbis, quæ ſubſcribo: *Reſpondeo; quòd praexiſtente pœnâ debita & ſufficientis Contritionis, poteſt Summus Pontifex totam pœnam, debitam peccatò, pœnitenti dimittere; non tamen debet, niſi ex cauſa magna.* Et infrà: *Ad illud, quòd quæritur, ſi oportet illum, cui facta eſt plena Indulgentia, facere aliquid de pœna ſibi iniuncta? Dicendum, quòd non oportet opportunitate neceſſitatis, ſed tantùm opportunitate expeditionis; licèt enim tantùm ſit alicui collatum de Indulgentia, quantùm ſufficit ſibi ad deletionem totius pœnæ, quam debet pro peccatis, tamen non expedit illi prætermittere ſibi pœnitentiam iniunctam, ſed expedit, quòd illam adimpleat quamdiu vixerit.* Quid luculentiùs poterat dici contra ſententiam Averſæ?

Niſi ergo alios adduxerit Patronos, quàm D. Thom. & Alenſem, nolite credere ei. Credimus quidem Conc. Trident. quod docet, pœnitentiam, quam imponunt Sacerdotes, debere eſſe non tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem; ſed quòd pœnitens debeat Deo, præter vindictam & caſtigationem moraliter æquivalentem pœnis Purgatorii, & præter emendationem vitæ, aliam vindictam & punitionem ſcelerum, diſtinctam à Confeſſione ſacramentali, ad ſatisfaciendum divinæ juſtitiæ, & quaſi ad reſarciendum divinum honorem læſum, atque adeò ad ita ſervandam judicii æquitatem: credere non debemus, nec credimus, niſi Averſa efficaciùs probaverit, quàm de facto probat. Igitur expectans expectabo efficaciorem probationem. Interea proſequar opus inceptum.

F I N I S.

AD MAJOREM DEI,

DEIPARÆ IMMACULATE CONCEPTÆ

AC SERAPHICI PATRIS NOSTRI,

FRANCISCI

GLORIAM.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM PRÆCIPVARVM

Quæ in hac tertia Parte continentur.

A

ABLUERE.

POenæ temporales Purgatorii rectè dicuntur ablui. pag. 122. n. 330

Juſtificatus ante Baptiſmum propriè dicitur per Baptiſmum abluere peccata. ibid.

ABSOLVERE. ABSOLUTIO.

Soli Abſolutioni competit definitio Sacramenti. p.891.n.9

Ex juſta cauſa poteſt abſolvere Sacerdos ſub conditione. p. 462. n. 135

Abſolutio poteſt dari dormienti, ſurdo &c. p.381.n.10

Abſolutio Sacerdotis non eſt nudum miniſterium annuntiandi Euangelium vel declarandi remiſſa eſſe peccata. p. 405. n. 159

Abſolutionem Sacerdotis remittere peccata, probatur ex Conc. Trid. & Florent. p.406.n.160.& ſeqq.

Non ſemper ante Abſolutionem peccata ſunt remiſſa à Deo. ibid. n. 162. & ſeqq.

Videtur ſententia D. Bonaventuræ, per Abſolutionem ſolùm remitti pœnã temporalẽ. p.407.n.171

Explicatur mens D.Bonaventuræ.p.408.n.172. &ſeqq.

Quomodo poteſtas Clavium extendat ſe ſupra culpam. ibid. n. 174

Reprobatur ſententia quæ docet per Abſolutionem ſolam pœnam temporalem relaxari. ibid.n.175

Ad quid ſit inſtituta Abſolutio in Sacramenro Pœnitentiæ. p.409 n.182. & ſeqq.

Scotus nuſpiam negavit, Abſolutionem ſemper infundere gratiam. Neque Abſolutionem ſecundam remittere pœnam, quando prima non remiſerat totam. p.426.n.51

Scotus docet, Claue non errante per primam Abſolutionem remitti totam pœnam, Clave autem errante pœnitentem poſſe abſolvi à pœna ab alio. ibid. n. 52

An Abſolutio à cenſuris aliquando ſit deprecatoria. p.449. n. 72.

Hæc verba: *Deus ignoſce illi*, non ſignificant formaliter voluntatem abſolvendi. p.450.n.74

Abſolutio Conc, Trid. vocatur actus judicialis: ſecùs Contritio aut Confeſſio. p.431.n.75

Abſolutio non operatur ſinè applicatione obiecti per doloroſam Confeſſionem. ibid.n.76

Ly *Abſolvo* aliquando ſignificat gratiam juxta inſtitutionem humanam. p.554.n.94. & ſeqq.

Videtur ſufficere ſignificatio indirecta & per accidens. ibid. n. 97.

Ad Abſolutionem ſacramentalem requiruntur verba realia & propriè dicta. p.459.n.117.& ſeqq.

Cur potiùs Chriſtus hic requiſiverit verba propriè dicta, quàm in Matrimonio. ibid.n.119

Non valere Abſolutionem abſenti datam probatur ex Conſtitutione Clementis VIII. p.460.n.125

Olim Multi contrarium docuerant. p.461.n.126

Judicavit Pontifex, Abſolutionem in abſentia non valeret etiam in neceſſitate. ibid.n. 127

Qualis & quanta præſentia requiratur. ibid.

An Scotus ante Clementem VIII. docuerit Abſolutionem inter abſentes non valere. ibid. n.128

Thomas Cantuarienſis non petiit abſens Abſolutionem ſacramentalem, ſed à ſuſpenſione. ibid.n.129

Reſpondetur ad cap. *Qualis debeat*. 30.q. 5. ibid. n.130. & ſeqq.

Solvitur objectio deſumpta ex verbis Cypriani.p.462. n.133.

Prima ratio Vaſquez, quare Abſolutio ſub conditione de futuro non valeat. p.463. n. 140. & ſeqq.

Secunda ratio Vaſquez, quâ probat non valere Abſolutionem ſub conditione de futuro, rejicitur. p.464.n.145. & ſeq.

Ratio ob quam Lugo negat Abſolutionem conditionatam de futuro. p.465. n.147 & ſeq.

Ex Conc. Florent. colligitur differentia inter Matrimonium & alia Sacramenta quoad conditiones de futuro. ibid. n. 149

Eam etiã colligit Arriaga ex Decreto Clem.VIII.ibid

Duæ congruentiæ ex eodẽ Auctore. ibid.n.150.& ſeq.

An dimidiari poſſit Abſolutio ſacramentalis circa peccata ritè confeſſa. p.467.n.158. & ſeq.

Non licet dimidiata Abſolutio. p.469.n.164

Plures miniſtri poſſunt ſucceſſivè eundem abſolvere ab iiſdem peccatis, & ſimul à diverſis, etiam mortalibus. ibid.n.165

Poſſunt ſimul ab iiſdem abſolvere diverſo tempore confeſſis, quo caſu erit duplex Sacramentum formaliter. ibid.n.166 & ſeq.

An idem contingat in aliis Sacramentis. p.470.n.167.

Eſt contra praxim Eccleſiæ. quòd moribundus ſæpius ſucceſſivè abſolvatur, niſi de novo confiteatur. ibid. n. 170.

Unus proceſſus & una accuſatio ſolùm inchoat unum judicium, unum autem judicium terminatur per unam ſententiam. ibid. n. 171

An abſolutus ſimul à duobus, debeat dici bis abſolutus. p.472.n.181

An plures miniſtri ſimul abſolventes, poſſint ſinguli uti hâc formâ: *Nos te abſolvimus* &c. ibid.

An ex duabus formis Abſolutionis poſſit aliquando cõflari una forma totalis adæquata. p. 473. n.182.

An verba in prima perſona numeri pluralis ſignificent partialem, an verò totalem concurſum.ibid.n.183

Exempla in quibus ſignificant concurſum totalem.ibid.

Exempla in quibus ſignificant concurſum partialem. n. 184

Chriſtus ſic videtur inſtituiſſe Sacramentum Pœnitentiæ, ut plures ſimul abſolventes ſinguli debeant abſolvere totaliter. ibid.n. 185

Oppoſitum videtur probabile Arriagæ, ſi utraque forma ſimul finiatur. p.474. n. 186

Quid dicendum ſi unus citiùs altero finiat formam. ibid.n. 188. & ſeq.

An forma Abſolutionis ſignificet remiſſionem culpæ & pœnæ in jure. p.493.n.85. & ſeq.

An forma Abſolutionis ſignificet remiſſionem obligationis confitendi. ibid.n.87

Non poteſt Sacerdos valide abſolvere ab uno peccato ex duobus legitimè confeſſis, niſi illud determinet. p. 511. n. 170.

An poſſit differri Abſolutio quando pœnitens eſt diſpoſitus. p.537 n.296

Probatur poſſe differri ex juſta cauſa. p.538.n.297.
An tres Abſolutiones ſacramentales in ſtatu peccati mortalis ſint tantùm unicum peccatum.p.826.n.29
Abſolutio ſacramētalis eſt actio perſonalis,p.460.n.123
Eccleſia poteſt obligare ad id, quod neceſſarium eſt, ut validè ſuſcipiatur Abſolutio. p. 571. n. 73
Oſtenditur licitus uſus quarumdam Religionum abſolvendi itinerantes à caſibus reſervatis, cum onere poſtea ſe Superioribus manifeſtandi. p.574 n. 85.
An illa obligatio ſe manifeſtandi ſit gravis, ibid. n.86
An Superior tali caſu poſſet imponere pœnitentiam ſacramentalem. ibid. n.87. & ſeq.
An illa obligatio contrahatur ab ignorante, p.575. n. 89. & ſeqq.
Illa obligatio oritur aliquo modo ex præcepto humano. p.576 n.93
An ex Decreto Clementis probetur invaliditas Abſolutionis datæ in abſentia. p.613.n.93.& ſeq.
Abſolutio ſacramentalis non eſt actus meræ juriſdictionis. p. 460. n. 123.
Finis mortalis invalidat Abſolutionem. p.614.n.93
Quid ſit directa Abſolutio. p.661.n.138. & p.667. n. 162
Confeſſio peccati venialis in genere per ſe eſt ſufficiens materia Abſolutionis, etiam extra neceſſitatem. p. 704.n. 114
An illa abſolutio liceat. ibid. n.115. & ſeq.
Abſolutio ſacramentalis eſt actus juriſdictionis voluntariæ. p 718. n. 171
Chriſtus noluit, ut miniſter poſſet Abſolutionem ſuſpendere à conditione de futuro. p 463.n.138

ABSOLUTIO MORIBUNDI.
Vide *Infirmus*.
Recenſentur plures Auctores, qui docuerunt vitam Catholicè actam eſſe ſufficientem materiam Abſolutionis in articulo mortis. p.713.n.150.& ſeq.
An Clemens VIII. practicaverit illam ſententiam, ibid. n.151. & ſeq.
Poteſt fieri ut morbo oppreſſus aliquod ſignum edat, eſtò incognitum Confeſſario. p.714.n.154
An tale ſignum requiratur, ibid.n.155
Confeſſarii Caſtrenſes abſolvunt milites in pugna cadentes non expectato ullo ſigno doloris. p.716. n. 161
Homo baptizatus vitam Chriſtianam tacitè ordinat ad ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ in articulo mortis. ibid. n.163
Quare minùs ſufficiat implicita Contritio, quàm implicita Confeſſio. p.717.n.164
Petitio tamdiu manet, quamdiu res petita non eſt conceſſa. ibid. n. 165
Vita Catholica eſt ſufficiens fundamentum præſumendi in articulo mortis legitimam diſpoſitionem ad Sacramentum Pœnitentiæ. ibid. n. 168
Quid dicendum de Sacerdote, qui dictâ Confeſſione generali in Miſſa ſtatim obmuteſcit. p.718.n.170
An poſſit in periculo mortis conditionatè abſolvi, qui antè ſceleratè vixiſſet. ibid. n.172
An poſſit abſolvi, qui ſolummodo poteſt dicere, ſe peccaſſe. p.700. n. 98. & ſeq.
Talis Confeſſio eſt vera materia Sacramenti Pœnitentiæ. ibid. n. 101
Quem effectum habeat accuſatio de peccato in communi. p.701.n.101
An in tali Confeſſione aliqua peccata directè remittantur. ibid. n. 103
Pœnitens debet abſolvi ad quodcumque ſignum externum Contritionis, quando exhibetur cum ordine ad Claves. ibid. n.104. & ſeq.
Quid ſi ponatur ſine ordine explicito ad Confeſſionem. p.702.n.106. & ſeq.
An quando conſtat ſigna Contritionis oriri ex vera interna pœnitentia, ſit apponenda conditio in Abſolutione. p.703.n.110. & ſeqq.

ABSTINENTIA.
An ſit duplex virtus abſtinentiæ. p.674.n.189

ABUSUS.
Non omnis abuſus rei ſacræ eſt mortalis. p.614.n.98

ACCEPTATIO.
Quid Scotus intelligat per acceptationem Dei, quam affirmat neceſſariam ad rationem meriti condigni. p.356.n.18
Non tenetur Deus acceptare opera hominis juſti ad præmium. ibid. n. 19

ACCUSARE. ACCUSATIO.
Non eſt peccatum mortale falsò ſe accuſare de peccato mortali tamquam ſemel directè remiſſo. p.513. n. 181
Regulariter in judiciis humanis requiritur accuſatio. p. 431. n. 77
Accuſatio in judicio humano non aſſumitur ad ſignificandam remiſſionem. p.433.n.88

ACTIO.
Quando actio pendeat à ſubjecto. p.271. n.303
Actio unitiva aliquando eſt creatio. ibid.n.304. & ſeq.
Actio quâ Deus agit cum cauſa ſecunda pendet à ſubjecto. ibid.n.306

ACTUS.
Actus naturalis & ſupernaturalis poſſunt habere idem objectum. p.11.n.44
Actus poſſunt ſpecie diſtingui in ordine ad principia. ibid. & n. 45
Actus naturalis & ſupernaturalis non diſtinguuntur ſpecie ratione propoſitionis naturalis & ſupernaturalis. p.14.n.58
Non valet, idem actus non poteſt habere plures ſpecie bonitates, ergo nec malitias. p.834.n.67
Ut actus ſit malus non requiritur, quòd iſta malitia ſit volita. p.835.n.67
Ut actus ſit bonus requiritur, ut ipſa objectiva bonitas moveat voluntatem. ibid.
Non ſequitur, unus numero actus non poteſt habere plures numero bonitates,ergo nec malitias. ibid. n. 68. & ſeq.
Sententia Felicis, eundem actum poſſe habere plures ſpecie bonitates, probatur ex Scoto & ratione ibid. n.70
Idem actus poteſt habere plures bonitates numero. ibid.n.71. & ſeq.
Actus ex objecto bonus, manens talis, poteſt extrinſecè vitiari. p.809. n.385
Actus intellectûs & voluntatis diſtinguuntur ſpecie, etiam penes objectum materiale. p.111.n.276
Actus voluntatis diſtinguuntur ſpecie penes objecta ſecundaria. p.112.n.278
Explicatur mens Philoſophorum,diſtinguentium actus ſpecie per ſola objecta vel principia primaria & formalia. p.113.n.285
Actus efficax & inefficax diſtinguuntur ſpecie propter diverſum modum tendendi. ibid.n.286.& p.114. n. 288.
Etſi diſtinctio ſpecifica objectorum diſtinguat ſpecie actus, unitas tamen eorum non unificat actus. p. 113. n. 286.
Actus diſtinguūtur ſpecie per objecta motiva.p.158.n.2
Aliud eſt quod requiritur ut actus ſit laudabilis, aliud quod ſufficit ad ejus bonitatem. p.173.n.85
Tranſacto actu non manet actus formaliter vel virtualiter voluntarius. p.297. n. 433
Idem actus poteſt eſſe intrinſecè bonus & extrinſecè malus. p.615.n.101
Actus neceſſarius poteſt eſſe formaliter honeſtus.p.617. n. 109
Actus imperatus eſt verè imputabilis. ibid.
Imputabilitas alia interni,alia externi actus.ibid n.112
Idem actus poteſt eſſe meritorius ex objecto, & demeritorius ex circumſtantia. p.618.n.117. & ſeq.
Actus redditur ſimpliciter malus ex malo effectu. p.619.n.119.
Actus

Digitized by Google

Actus malus poteſt imperare actum ſupernaturalem, ibid. n.121. & ſeq.
A quo ſpecificetur actus bonus & malus, p.720.n.7
Idem actus poteſt eſſe effectus & objectum alicujus virtutis, p.38.n.181
Actus voluntatis imperatus habet ſe per modum externi, ſi comparetur ad eum, à quo imperatur, & in hoc ſenſu deteſtatio peccati poteſt dici actus externus, ibid.n.182
Quis actus ſit materialiter tantùm malus, p.46.n.225
Non eſt vindicabilis nequidem negativè. p.47.n.225
Generat habitum vitioſum, ibid.n.226
Odium ejus non eſt actus directus proximus & immediatus juſtitiæ vindicativæ, ibid.
Nequit probari ex Scriptura aut ratione, non poſſe dari actus moraliter bonos ſinè ſpeciali gratia Chriſti, p.66. n. 37
Actus imperatus habet bonitatem moralem propriam, p.839. n.86
Probatur ex D. Auguſt. quem Varii variè explicant, ſed rejiciuntur, ibid.
Actus imperatus habet duplicem bonitatẽ, p. 85.n.136
Obliquitas in actu non propriè manet poſt actum, p. 280. n. 349.

ACTUS EXTERNUS.

An actus externus habeat meritum diſtinctum, p.617. n. 111
Actus externus ſæpè eſt occaſio majoris aut extenſioris bonitatis vel malitiæ in actu interiori, p.837.n.78
Actus exterior ſuperaddit interiori bonitatem vel malitiam objectivam. p.838.n.79
Multi docent actum exteriorem non ſuperaddere formalem bonitatem vel malitiam actui interiori. ibid. n. 80
Quid Scotus de hoc ſentiat. ibid. n. 81. & ſeq.
Actus exterior peccati ſæpè non eſt cauſa, ut interior intendatur vel magis perſeveret. p.839.n.89
Eadem numero malitia quæ eſt in actu interiori, eſt per extenſionem in exteriori. p.840. n. 91
Scotus admittit propriam imputabilitatem in actu exteriori. p.841.n.95
Admittit etiam diſtinctam rationem voluntarii. ibid. n. 96.
Quid requiratur ut actus ſit formaliter bonus vel malus. ibid.n.97
Scriptura & SS. PP. non negant actibus exterioribus bonitatem aut malitiam formalem. p.142.n.99
Opus externum & internum prohibentur diverſis præceptis. ibid.
Sententia Piloſi, actum externum peccati diſtingui ab interiori Theologicè, rejicitur. p.843.n.105. & ſeq
Cur SS. PP. minus frequenter meminerint malitiæ actus exterioris. p.842. n. 101
Actus internus & externus liber circa idem objectum ſunt unum peccatum in morali æſtimatione. p.843. n. 104.
Omnes admittunt actum internum & externum, eſſe phyſicè duo peccata. p.844. n.107
An actus externus liber debeat in Confeſſione explicari. p.847.n.126

ACTUS HUMANUS.

Quid requiratur ut actus aliquis dicatur eſſe humanus. p. 166. n. 72
Actio humana fundat propriam laudabilitatem vel vituperabilitatem. p 867. n. 76

ACTUS INTERNUS.

Actus internus non participat ab actu imperante niſi bonitatem extrinſecam. p.86.n.140
Actus internus imperatus poteſt ſubinde habere majorem bonitatem, quàm actus imperans. p.617 n.113
Deus poteſt præcipere & punire actus merè internos. p. 630. n. 4.
Diverſo modo participant malitiam actus internus & externus. p. 764. n.186
Deus potuit elevare actum internum ad effectum ſacramentalem. p. 921. n. 142

ACTUS SUPERNATURALIS.

In actu ſupernaturali eſt ſpecialis aliqua conditio, ſcilicet quòd ſit ſpecialiter acceptabilis Deo. p.106 n. 248.
Illam conditionẽ accipit ab habitu ſupernaturali. ibid
Quis dicatur actus ſupernaturalis in ſubſtantia. ibid. n. 249.
Actus ſupernaturalis ſpecie diſtinguitur ab actu naturali. p.107.n.251
Supernaturalitas actûs non facilè cognoſcitur pro hoc ſtatu. p. 123. n. 337.
Non datur actus ſupernaturalis niſi circa objectum ſupernaturale. p.161. n.20
Actus ſupernaturalis poteſt extrinſecè vitiari, p.165. n. 37.
Quomodo Deus poſſit & debeat concurrere ad actum ſupernaturalem extrinſecè vitiatum, ibid. n.38
Actus ſupernaturalis Spei ſufficit ad excludendam omnem omnino voluntatem peccandi, p.174. n.86
Contrarium videtur Eccleſia damnaſſe in Luthero, ibid. n.87. & ſeq.
Actus Spei imperatus à Charitate eſt perfectior actu Spei non imperato, ſecùs actu elicito Charitatis, p. 86. n.143
Perfectio actûs deſumitur non tantùm à multitudine, ſed etiam à præſtantia virtutum imperantium vel elicientium, ibid.n.144
Quantò ex pluribus virtutibus & perfectioribus actus elicitur, tantò eſt melior, p. 85 n. 138
An actus elicitus à virtute Spei, & imperatus à Charitate, ſit perfectior actu Charitatis, ibid.n.139
Ex quo colligatur, quòd actus Fidei, Spei & Charitatis ſint ſupernaturales in ſubſtantia. p.476. n. 5
Cur Trident. Pœnitentiam adjungat cæteris actibus ſupernaturalibus in ſubſtantia, ibid. n. 6

ADAM.

An Peccatum Adami tantæ fuerit gravitatis, ut propter illud hominibus ſubtrahatur gratia ſufficiens, p. 234. n. 117 [n.231
Quales vires habuerit voluntas primi hominis, p. 258.
Deus peccatum ejus præſcivit, non ad id coëgit. ibid.
Adam non indigebat adjutorio ad reſiſtendum motibus concupiſcentiæ, ibid. n. 232
Aliqui per bonam voluntatem, quam Deus dederat primo homini, intelligunt gratiam habitualem, ibid. n. 234. & ſeq.
Contrarium probatur ex mente D. Aug. p. 259. n. 237
Facultatem benè agendi omnes amiſerunt in Adamo, ibid. n. 240
Quæ fuerit cauſa peccati primi parentis, p.260.n.246
Quare inobedientia Adæ fuerit gravis, p.940.n.218
Dona gratiarum Adę in creatione collata, p.256.n.223

ADJUTORIUM. [n.221

Diſcurſus D.Aug. de adjutorio ſinè quo non, p.256.
Diſtinctio inter adjutorium quo, & ſine quo non, ibid. n. 224
Exiſtimant Aliqui Auguſt. per adjutorium ſinè quo non intellexiſſe gratiam habitualem, ibid.n.225
Eſto S. Auguſt. per adjutorium ſine quo non intellexiſſet gratiam voluntatis, non ideo negaſſet gratiam ſufficientem. p.264. n 265
Variæ explicationes illorum verborum D. Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 11. *Nunc autem quibus deeſt* &c. ibid. n. 266

ADULTERIUM.

Adulterium ex parte utriuſque debet diſtinctè explicari in Confeſſione, p.836 n.73
Diſparitas inter hunc caſum, & illũ, quo aliquid duplici præcepto ex eodem motivo prohibetur. ibid. n.74
An in caſu illo adulterii ſit duplex ſpecie malitia. ibid. n. 75. & ſeq.
In caſu illo adulterii eſt duplex primaria malitia injuſtitiæ, p. 837. n. 77
Malitia adulterii exterioris præcipuè deſumenda eſt ab actu interiori, p.843.n.103

Digitized by Google

INDEX RERUM.

ADULTUS.

An adultus poſſit acquirere regnum cælorum ſinè merito de condigno. p.179.n.113

Regula ex qua poſſit cognoſci, quod aliquis ſit adultus, p.545.n.22

ÆGROTUS.

Ægrotus amans medicinam, non ideo amat morbum. p.35.n.167

AFFECTUS.

Non ſufficit ad mutationem priorum affectuum, alios in futurum habere. p.72.n.67

Affectus efficax contrahit omnem malitiam, quæ eſt in objecto. p.730.n.48

ALBEDO.

In primo inſtanti, quo alicui rei unitur albedo vel calor, eſt alba vel calida. p.419.n.12

ALENSIS.

Alenſis ſolùm requirit ſummum dolorem appretiativum. p.109.n.266

Quando ſecundùm Alenſem diſplicentia peccati excedat diſplicentiam amiſſionis oboli. p.110.n.267

AMICITIA.

Virtus amicitiæ dolet de damno illato amico inadvertenter. p.47.n.227.

Poteſt dari amicitia ad propriam perſonam. p.53.n.257.

AMOR. AMARE.

Non omne quod reſpicitur ab actu amoris, eſt objectum amatum. p.10.n.39

An amor ſupernaturalis prærequirat cognitionem ſupernaturalem. p.13.n.54

Amor concupiſcentiæ & amicitiæ non habent idem ſpecie phyſicâ objectum motivum. p.53.n.258

An amor, quo meipſum amo, ſit ſpecie diſtinctus ab amore proximi. ibid. n.255.

Sinè amore Creatoris nullus bene utitur creaturis. p.65.n.31.

An amor Dei ſuper omnia ſit valde difficilis. p.84 n.132

In memoria peccatorum regulariter non invenitur amor Dei ſuper omnia, abſque explicita pœnitentia. p.90.n.166

Amor Dei propter ſe ſuper omnia eſt actus amicitiæ. p.91.n.172.

Non poteſt quis velle diligere Chriſtum, niſi etiam velit, ſaltem implicitè ab illo diligi. ibid.

An amor Dei ſuper omnia neceſſariò cauſet dolorem de peccatis remiſſis & peccatis alienis. ibid. n.175. & ſeq.

Quomodo amor ſuper omnia virtualiter contineat dolorem. p.92.n.179

Amor Dei non ſuper omnia nullatenus cogit ad dolendum de omnibus peccatis, adeoque non ſufficit ad juſtificationem. ibid.n.180.& ſeq.

Amare honeſtatem genericam in una ſpecie, eſt amare ipſam ſpeciem. p.95.n.197

Non poteſt quis vero amore amicitiæ amare Deum, & ſimul velle peccare mortaliter. p.100.n.221

Quid ſit Deum amare ſuper omnia intenſivè & extenſivè. p.105.n.242

Diſtinctio amoris in ferventiorem & fortiorem. ibid.

Amor Dei, & amor proximi propter Deum diſtinguuntur ſpecie. p.112.n.278

Sicut Deus eſſentialiter excedit omne objectum, ita etiam amor Dei excedit eſſentialiter omnem dilectionem objecti creati. p.117.n.301

Alia eſt intenſio amoris ſenſitiva, alia intellectiva. ibid. n.303.

Intellectiva alia ſecundùm portionem inferiorem, alia ſecundùm ſuperiorem. ibid.

Perfectus amor Dei poteſt eſſe ſinè lacrymis. p.125. n.346

Amor retributionis æternæ, eſt amor concupiſcentiæ. p.172. n.75

Datur amor juſtitiæ imperfectus, quo non fit ſtatim juſtus homo. p.175.n.92.

Amor amicitiæ completus eſt reciprocus, ſecùs incompletus. p.315.n.527

Non omnis collatio ſpecialis beneficii eſt amor amicitiæ in Deo. p.316.n.528

Amor quatenus eſt virtus ſpecialis non conſiderat bona particularia ſecundùm ſuam ſpeciē. p.783.n.271

Amor Dei ſuper omnia habet aliquam difficultatem, p.872. n.103

Poſſum aliquid amare abſolutè propter bonitatem, quam tantùm amo ſub conditione. p.34.n.163

Non debent amari omnes circumſtantiæ, ſinè quibus actio amata non foret amabilis. p.35.n.167

An memor peccatorum abſolutè poſſit amare Deum ſuper omnia, ſinè explicito dolore, p.90.n.169

Inconvenientia, quæ ſequuntur ex obligatione amandi Deum magis intenſè gradualiter, quàm creaturam, p.117.n.305

Deus non neceſſariò amat aliquam creaturam ex natura rei, p.274.n.321

Quomodo Deus nunc poſſit amare Petrum, quem heri odio habebat, p.303.n.464

Poteſt quis amare rem pulchram, & tamen in ſe manere deformis, p.314.n.522

Sæpè fideles dolent ex amore Dei nullâ prævià conſideratione peccatorum in ſpecie vel in numero, p.79.n.205

ANGELUS.

An in Angelis dentur veræ virtutes morales, p.58. n.280. & ſeq.

In Angelo poteſt eſſe ſimplex complacentia pœnitentiæ, ibid. n.281

Angeli non acceperunt ſuam beatitudinem, propter merita propria futura, p.149.n.478

An Angeli boni & mali habuerint omnimodam æqualitatem gratiæ in actu ſecundo, p.229.n.97

Stetit Angelus per liberum arbitrium, ſed adjutum gratiâ ſpeciali, p.230.n.100

An bona voluntas bonorum Angelorum ſit facta cum ipſis, p.262.n.256

Angeli non fuerunt facti meliores à ſeipſis, ſed operante adjutorio Creatoris, ibid.

Angeli ſancti numquam fuerunt ſinè bona voluntate, p.263.n.259.

Omnes Angeli ſimul ùt facti ſunt, lux facti ſunt, ibid. n.260

In quo conſiſtat beatitudo Angelorum ibid. n.261

Mali Angeli non fuerunt certi felicitatis æternæ, ibid n.262.

S. Auguſt. de Prædeſtinatione Angelorum obſcurè & dubiè fuit locutus, ibid. n.263

De ſanctis Angelis dici poteſt, quòd Charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, ibid.n.264

ANIMA.

Anima mittitur ad inſpirandum corpus, eo fine ut ipſi comparet cæleſtis incorruptionis locum, p.245. n.168.

Dedit Creator animæ facultatem bene operandi & viam Fidei, ibid.

Non abſtulit Creator animæ voluntatem petendi & quærendi & conandi, ibid.n.169

Anima rationalis eſt pars præcipua hominis, p.436.n.3

An animæ in Purgatorio poſſint peccare venialiter, p.351. n.131

Animæ in Purgatorio non ſatisfaciunt, ſed ſatiſpatiuntur, p.864.n.63

ANNIHILATIO.

Annihilare nequit creatura & quare, p.270.n.298

ANTIOCHUS.

Quare oratio Antiochi 2. Machab.9. non fuerit exaudita, p.212.n.14

APOSTASIA.

Apoſtaſia à Fide non eſt explicanda in Confeſſione, p.792. n.312

Perinde eſt Fides ſuſcepta fuerit in Baptiſmo vel extra, p.793.n.313

Obedien-

Digitized by Google

Obedientia debita Eccleſiæ ex Baptiſmo non eſt ſpecialiter explicanda, ibid. n. 314.

APOSTOLUS.

Apoſtoli non habuerunt omnem poteſtatem remittendi peccata, quam habuit Chriſtus, p. 390. n. 55

Apoſtoli acceperunt poteſtatem Ordinis in ultima cœna, Juriſdictionis verò Joann is 20. p. 544. n. 21

APPETITUS.

Cuilibet principio cognoſcitivo correſpondet appetitus elicitus ſui ordinis. p. 620. n. 123. & ſeq.

APPRETIATIO.

Appretiatio eſt ipſa ſubſtantia ſpecifica actus, orta ex modo attingendi objectum. p. 117. n. 301.

Explicita appretiatio inter peccatum gravius & levius, non eſt neceſſaria ad Contritionem juſtificativam extra Sacramentum. p. 137. n. 410.

AQUA.

Cur aqua recuperet frigiditatem deperditam. p. 152. n. 489.

AQUA BENEDICTA.

Quomodo aqua benedicta ſanctificet & mundet. p. 346 n. 99 & ſeq.

ARBOR.

Arbor ſterilis apud Deum non eſt bona. p. 65. n. 31

ARGUMENTUM.

Non ſemper valet argumentum à phyſicis ad moralia. p. 457. n. 110.

Non valet in omnibus argumentum à judicio ſacramentali ad judicium humanum & vice verſâ. p. 459. n. 120. & p. 493. n. 88

Non eſt in omnibus argumentandum à Matrimonio ad alia Sacramenta. p. 509. n. 161.

Non valet argumentum à permiſſione alieni peccati ad permiſſionem proprii peccati. p. 531. n. 267.

Non valet argumentum ab impoſſibilitate phyſica vitandi occaſionem proximam peccati ad impoſſibilitatem moralem. p. 533. n. 275.

An valeat argumentum ab Abſolutione à cenſura dubia, ad Abſolutionem à peccato dubio. p. 662 n. 143.

An valeat argumentum ab Abſolutione à cenſura poſſibili, ad Abſolutionem à peccato poſſibili. p. 663. n. 145

Non valet ſemper argumentum à propria infamia ad infamiam complicis. p. 681. n. 24.

Aſſenſus Fidei ſemper eſt univerſalis virtualiter. p. 93. n. 187

Aſſenſus Fidei eſt maximè liber, ſaltem quoad exercitium, p. 94. n. 191. & ſeq.

Aſſenſus Fidei in uno articulo credit virtualiter omnes alios, p. 95. n. 195.

ATTRITIO.

Ad attritionem requirit Conc. Trident. actum poſitivum Spei, p. 88. n. 153

Quare in Martyrio & Sacramento ſufficiat Attritio, p. 89. n. 581

Scotus per Attritionem intelligit aliquando Contritionem Charitate perfectam, p. 146. n. 459

Quid ſit Attritio, & quam vim habeat, p. 158. n. 1

Attritio ſpecie diſtinguitur à Contritione Charitate perfecta, ibid. n. 2

Trident. per Attritionem intelligit quaſi materiam Sacramenti, ibid. n. 4

Attritio debet eſſe dolor cum aliquo reſpectu ad Deum, p. 159. n. 7

Quid Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. intelligat per turpitudinem peccati, ibid. n. 8

Non ſufficit ad Attritionem converſio ad Deum, ut ſolummodo eſt caput naturæ rationalis, p. 160. n. 9

Non omnis Attritio diſponit ad gratiam impetrandam in Sacramento, ibid. n. 12

Attritio concepta ex ſpeciali turpitudine furti ut opponitur juſtitiæ, non excludit voluntatem peccandi, ibid. n. 14

Conc. Trident. loquitur de Attritione ut eſt elicita aut imperata ex motivo virtutis Spei, ibid. n. 15

Non poteſt quis ſufficienter atteri, niſi credat ſe poſſe obtinere veniam, p. 162 n. 21

Attritio eſt Contritio veri nominis & rationis eſſentiæ, p. 163. n. 30

Attritio de qua Trident. debet eſſe actus elicitus aut ſaltem imperatus Spei, p. 164 n. 32

An illa Attritio ſit timor ſervilis, ibid. n. 33

Vitatio pœnæ non eſt finis ultimus Attritionis, ib. n. 35

Auctoritates D. Auguſt. pro Attritione, p. 171. n. 72 & ſeq.

An Attritio ſit dilectio Dei ſuper omnia, p. 174 n. 89 & ſeq.

Quæritur quomodo Attritio non ſit perfecta dilectio, p. 175 n. 93

Adducitur decretum Alex. VII. contra ſufficientiam Attritionis, p. 184 n. 141

Explicatur doctrina Scoti, p. 176. n. 95. & ſeq.

A quo actu Attritio dicatur involuntaria ſecundum quid. p. 178 n. 104

Diverſitas inter projectionem mercium in periculo naufragii & Attritionem, ibid. n. 105

Attritio non debet eſſe multū accepta Deo, ibid. n. 106

Secundùm Scotum Attritio ſufficit cùm Sacramento. ibid. n. 107

Scotus apertè diſtinguit inter Attritionem & voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum. ibid. n. 109

Impugnatur probatio Poncii adducta contra ſufficientiam Attritionis. p. 180. n. 117. & ſeq.

Reſponſio pro Poncio rejicitur, p. 181. n. 121

Adſertur S. Bonaventura contra ſufficientiam Attritionis, p. 182. n. 129

Sed contrarium oſtenditur ex ipſius verbis, ibid. n. 130

An Attritio juſtificet cùm Sacramento in articulo mortis, p. 183. n. 133

An Attritio cum Sacramento ſit medium certiſſimum ſalutis, ibid. n. 136

Explicantur verba quædam Didaci Stellæ, quæ ab Adverſariis afferuntur contra ſufficientiam Attritionis, p. 185. n. 143

Quomodo Attritio poſſit tranſire in Contritionem, ibid. n. 148

Attritio ſeu Contritio informis poteſt fieri formata. p. 186. n. 149

Quomodo in Confeſſione Attritio fiat Contritio, ibid. n. 150 & ſeq.

Attritio eſt actus imperfectæ dilectionis excludens omnem voluntatem peccandi mortaliter, p. 202. n. 91.

Attritio juſtificativa extra Sacramentum, non eſt neceſſaria in Sacramento, p. 292. n. 408

Illa Attritio, quæ requiritur in Sacramento eſt meritum congruum, ibid.

Attritio peccatoris non remittit venialia extra Sacramentum, ſecus Attritio hominis juſti, p. 339. n. 61

An Attritio extra Sacramentum remittat omnia venialia, ad quæ ſe extendit, ibid. n. 62 & ſeq.

Pœnitens cum imperfecta Contritione eſt dignus Abſolutione & gratiâ juſtificante, p. 406. n. 165.

Attritio ſupernaturalis eſt deteſtatio peccati propter Deum, p. 339. n. 64

An finis vanæ gloriæ impediat Attritionem ſupernaturalem, p. 614. n. 99 & ſeq.

AVERSIO.

Averſio à natura rationali non vocatur propriè peccatum, ſed malitia moralis, p. 160. n. 10

AUGUSTINUS.

D. Auguſt. lib. de Spiritu & litt. cap. 33. non tradit ſententiam Pelagianorum, ſed propriam & veram, p. 222. n. 60

Explicantur verba D. Auguſt. *Deo Authore nemo fit, deterior.* p. 280. n. 348

Dictum Auguſt. quantumcumque Cathecumenus proficiat &c. explicatur de neceſſitate præcepti. p. 126. n. 351

Explicatur ex D. Auguſt. locus Apoſt. Rom. 1. *Quia cum cognoviſſent* &c. p. 247. n. 180
Peccata de quibus ibi loquitur Apoſt. fuerunt Ethnicis imputata, ibid. n. 181

AURUM.

Aurum & argentum ſpecie diſtinguuntur ſi phyſicè conſiderentur, ſecus ſi Theologicè, p. 52. n. 251
D. Auguſt. per potentiam & impotentiam ſæpè intelligit actum & negationem actûs, p. 251. n. 198 & ſeq.
Quare S. Auguſt. reprehendat eos qui dicunt: *Ego peccata dimitto*, p. 450. n. 76
D. Auguſt. de civitate cap. 13 per illuſtrationem & accenſionem voluntatis, intelligit ipſum amorem Dei, non autem motum inde liberatum, p. 260. n. 247. & ſeq.

BAPTISMUS. BAPTIZARE.

Effectus proprius Baptiſmi non recipitur ante receptionem Baptiſmi, p. 126. n. 352
Omnia peccata ſimul remittuntur in Baptiſmo, p. 268 n. 288. & ſeq.
Baptiſmus mundat ab omni culpa & pœna, ſi non in hac vita, ſaltem in alia, p. 343. n. 83
Per Baptiſmum non reſtituitur juſtitia originalis, p. 366. n. 73
Oſtenditur memoriam Baptiſmi non eſſe remedium remiſſionis peccatorum, p. 385. n. 29
Contra rationem eſt, quòd facilius remittantur peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quàm ante, ibid.
Recordatio Baptiſmi non eſt fructus dignus pœnitentiæ, ibid. n. 31
Patres nuſpiam meminerunt recordationis Baptiſmi, tamquam medii remiſſivi peccatorum, ibid. n. 32
Baptiſmus remittit omnem culpam originalem & actualem, p. 387. n. 40
Pro remiſſione peccatorum præcedentium Baptiſmum, eſt inſtitutus Baptiſmus, p. 417. n. 5
Rejicitur ſententia Angeli, peccatum commiſſum ante Baptiſmum eſſe confitendum, ibidem
An Scotus docuerit peccatum commiſſum ante Baptiſmum eſſe confitendum, ibid. n. 6. & ſeq.
An peccatum commiſſum in ipſo inſtanti Baptiſmi ſit materia Confeſſionis, p. 418. n. 9
Illo inſtanti vel tempore quo homini imprimitur Character Baptiſmi eſt Chriſtianus & fidelis, p. 419. n. 11. & ſeq.
Nuſpiam aliquod Concilium dixit, ablutionem in Baptiſmo præparare ad remiſſionem peccati originalis, aut diſponere ad impetrandam Dei gratiam in Sacramento Baptiſmi, p. 432. n. 81
Quare invocatio SS. Trinitatis magis ſit neceſſaria in forma Baptiſmi, quam Pœnitentiæ, p. 437. n. 8
Forma Baptiſmatis ſumpta eſt ex verbis Chriſti, *baptizantes eos* &c. p. 440. n. 24
Qui in conficiendo Baptiſmate miſceret aquæ naturali guttam aquæ roſaceæ, per ſe loquendo non peccaret mortaliter, p. 511. n. 173
Quare potius ſufficiat probabilis Confeſſio, quam probabilis Baptiſmus, p. 659. n. 130
Baptiſmus ſuſceptus cum peccato veniali cauſat gratiam ſanctificantem, p. 909. n. 87
An Paulus fuerit juſtificatus ante Baptiſmum, p. 122 n. 331
Non licet parvulum rebaptizare ad majorem ſecuritatem quando non ſubeſt morale dubium, p. 183. n. 137

BEATITUDO. BEATUS.

In hac vita non habetur illa dilatio beatitudinis, quæ in altera vita, p. 161. n. 17
Ex deſiderio beatitudinis poteſt voluntas ſibi imperare actum dilectionis Dei ſuper omnia, p. 165. n. 40
Voluntas efficax beatitudinis infert voluntatem efficacem non peccandi, p. 166. n. 42
Beatus ſi per poſſibile vel impoſſibile deberet peccare vel amittere Beatitudinem, deberet poſtremum eligere, p. 103. n. 234
Multi beati carent multâ gloriâ, quam potuiſſent habere ex meritis neglectis, p. 358. n. 27

BENEFICIUM.

Ad compenſationem beneficii, nullatenus requiritur odium beneficii, p. 37. n. 175
Aliqua beneficia Dei ſunt omnibus hominibus communia, p. 61. n. 17

BIBERE.

Poteſt aliquis intemperanter bibere ſine privatione uſûs rationis, p. 673. n. 187

BLASPHEMIA.

Quid ſit blaſphemia, & an poſſit dari blaſphemia non hæreticalis, p. 202. n. 88
Cur difficilius dimittatur blaſphemia in Spiritum ſanctum, quam verbum in filium hominis, p. 212. n. 12
Quid ſit blaſphemia in Spiritum ſanctum, ibid.
Dignitas perſonæ tribuit blaſphemiæ ſpeciem actûs, p. 320. n. 555
Verba blaſphema materialiter prolata nullam habent malitiam, p. 755. n. 145
Quid ſit blaſphemia, p. 788. n. 293
Diviſione blaſphemiæ, ibid.
An omnes blaſphemiæ ſint ejuſdem ſpeciei, ibid. n. 294
Locutio injurioſa de Sanctis ſecundùm ſe conſideratis non eſt propriè blaſphemia, ibidem.
Blaſphemia in Sanctos, prout in ipſis relucet Deus, eſt ejuſdem ſpeciei cum blaſphemia immediatè contra Deum, p. 789. n. 295
Blaſphemia hæreticalis & non hæreticalis ſunt ejuſdem ſpeciei in ratione blaſphemiæ, ibid. n. 298
Blaſphemia enunciativa, imprecativa & dehoneſtativa ſunt ejuſdem ſpeciei, ibid. n. 299
Quare omnes blaſphemiæ ſint ejuſdem ſpeciei, p. 790. n. 300
An in Confeſſione debeat explicari, quod blaſphemia fuerit directè volita, p. 791. n. 307. & ſeq.
Quòd blaſphemia ordinetur ad alium finem, non poteſt mutare ejus ſpeciem, p. 792. n. 310
An qui ſæpiùs blaſphemat in eodem colloquio uno iracundiæ calore debeat numerum blaſphemiarum explicare in Confeſſione, p. 826. n. 31.

BONUM. BONITAS.

Verus ſenſus hujus principii: *Bonum ex integra cauſa.* p. 36. n. 170. & p. 615. n. 102
An bonum compenſationis ſit objectum formale pœnitentiæ. p. 36. n. 172. & ſeq.
Quid Trident. ſeſſ. 14. c. 4. intelligat per bonum motum ſuſcipientium, p. 478. n. 18
Quid ſit bonitas moralis ex Scoto, p. 840. n. 92
Bonitas actûs eſt quodammodo bonitas objecti, ibid. n. 93.

BREVIARIUM.

Qui Breviarium projeciſſet in mare hoc neceſſariò dicere deberet in Confeſſione ſpecificando tempus navigationis. p. 812. n. 401

CÆCUS.

Non omnis cæcus oculis carnis caret omnimodâ poteſtate videndi, ut nec omnis cæcus oculis cordis, p. 254. n. 210
Quomodo intelligenda verba D. Auguſt. *Quis volens cæcus eſt corde* &c. ibid. n. 211.
Neceſſe eſt ut cæcus corde offendat, ſed neceſſitate dependente à libera voluntate, ibid n. 213
Poteſt fieri, ut qui cæcus fuit, non ſit cæcus, p. 255. n. 214

CALOR.

Introductio caloris eſt cauſa formalis expulſionis frigoris, p. 299. n. 442
Non poſitio caloris in aqua non conſtituit formaliter frigus, ibidem.

CALVINUS.

Calvinus non negat adjutorium gratiæ, p. 220. n. 54
Calvinus non negavit, hominem gratiæ pediſſequâ

Digitized by Google

quâ voluntate conſentire, p. 221. n. 55
Quo ſenſu Calvinus negaverit, benè & malè agere eſſe in noſtra poteſtate, ibid. n. 56
Calvinus agnoſcit actiones ſpontaneas. ibid. n. 57
Calvinus admittit liberum arbitrium ſi coactioni opponitur libertas, p. 220. n. 54

CASTITAS.

Non omne peccatum contra Caſtitatem eſt fornicatio, p. 673. n. 186
Virtus Caſtitatis non videtur obligare, ſaltem graviter, ut oppoſitum vitium in aliis impediamus, p. 731. n. 53
An qui ſe accuſat locutionis de rebus turpibus debeat explicare qualitates perſonarum quæ aderant, p. 734. n. 64
An debeat explicare earum numerum, p. 735 n. 65
Diſtinctiones inter Caſtitatem & pudicitiam ex Caramuele, ibid. n. 66
Secundùm D. Thomam eadem eſt virtus caſtitas & pudicitia, p. 736. n. 69
Quomodo caſtitas nequeat vi violari nec in carne, nec in animo, p. 737. n. 72.
Eadem caſtitas deteſtatur propriam & alienam fornicationem, p. 742. n. 92
Non eſt ſimpliciter caſtus, qui alteri deſiderat luxuriam, ibid. n. 93
Bona diſpoſitio ad generandum non eſt regulâ caſtitatis, p. 860. n. 345
Alio modo privat caſtitate peccatum contra naturam, alio fornicatio, p. 724. n. 20

CATECHISMUS ROMANUS.

Catechiſmus Rom. docet pauciſſimos poſſe ſperare veniam per Contritionem, p. 124. n. 341
Catechiſmus Rom. docet Contritionem Charitate perfectam etiam extra neceſſitatem juſtificare, ibid. n. 342
Catechiſmus Rom. non ſatis clarè & diſtinctè explicat naturam Contritionis, p. 125. n. 343
Videtur Catechiſmus Rom. diſtinguere Contritionem perfectam ab imperfecta per lacrymas. ibid. n. 345
Per veram Contritionem ſtatim remittuntur peccata juxta Catechiſmum Rom. ibid. n. 347

CATECHUMENUS.

Olim Catechumeni non baptizabantur, niſi in Paſchate & Pentecoſte, p. 194. n. 45

CAUSA.

Eadem cauſa poteſt habere plures effectus, p. 54. n. 264
In cauſa principali non requiritur illa diſpoſitio quæ eſt in inſtrumento, p. 63. n. 23
Duæ cauſæ totales poſſunt eundem effectum diviſim ponere, p. 146. n. 461
Singularitas effectus non dependet ex ſingularitate cauſæ, ſed ex determinatione Dei, ibid. n. 462. & ſeq.
Poſſunt aliqua ſibi invicem eſſe cauſæ quò ad eſſe ſecundùm quid, p. 151. n. 487
Non eſt efficiens cauſa malæ voluntatis Angelorum, ſed deficiens, p. 228. n. 92
Quæ ſit cauſa bonæ voluntatis Angelorum, ibid. n. 93
Cauſa formalis non poteſt ſeparari ab effectu ſuo primario, ſecus à ſecundario, p. 276. n. 328
Defectus contingit quandoque ex unâ cauſa & non ex altera, licèt effectus ſit communis, p. 373. n. 108
Omnis cauſa activa præter voluntatem eſt naturaliter activa, p. 839. n. 84
In aliquo ſenſu Deus poteſt ſupplere genus cauſæ materialis, in aliquo ſenſu non poteſt, p. 297. n. 430

CENSURA.

Quomodo cenſura ſit pœna medicinalis, p. 850. n. 135
Abſolutio à cenſura non eſt fori ſacramentalis, p. 599 n. 33
An ad incurrendam cenſuram ſufficiat actus externus neceſſarius, p. 849 n. 131
Oppugnatur diſtinctio inter forum internum & externum, ibid. n. 132
Probatur ſententia quæ docet in omni foro incurri cenſuram, ibid. n. 133

CHARITAS.

Bona creata tantùm ſunt objecta ſecundaria Charitatis, p. 8. n. 31
Ad primum actum Charitatis juſtificativum prærequiritur actus Fidei ſupernaturalis, p. 13. n. 55
An actus Charitatis in via ſpecie diſtinguatur ab actu Charitatis in patria, ibid. n. 57
Ad Charitatem magis ſpectat imperare actus aliarum virtutum, quàm è contra, p. 38. n. 185
Charitas deteſtatur omne peccatum, ſimiliter Spes & Amor honeſti in genere, p. 39. n. 188
Charitas eſt de peccato ut eſt offenſa, p. 40. n. 192
Charitas magis inclinat ad amandos noſipſos, quàm proximum, p. 53. n. 256
Sola Charitas ex ſe refert actus bonos immediatè in Deum, p. 65. n. 30
Ex conſortio Charitatis habitualis omnia opera bona hominis juſti accipiunt rationem meriti de condigno, p. 81. n. 114.
Per Charitatem habitualem conſtituitur homo filius adoptivus Dei, ibid. n. 115
Quid Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 4. intellexerit per illam particulam *Charitate perfectam*. ibid. n. 116
Aliqui actus Charitatis ſpecie differunt propter diſtinctionem objecti materialis & modi tendendi, p. 82. n. 120
Charitas imperans non poteſt dare actui imperato ſupernaturalitatem, p. 86. n. 140
Habitus Charitatis rectè dicitur continere eminenter habitus aliarum virtutum, p. 88. n. 156
Charitas Dei eſt amicitia, latè eam accipiendo, p. 91. n. 171
Scriptura aliquando tribuit remiſſionem peccatorum Charitati, nullâ factâ mentione Pœnitentiæ, p. 92. n. 178
Charitas non poteſt inclinare ad offendendum Deum, p. 102. n. 231
Non eſt neceſſe, quòd per Charitatem deteſtemur peccata ſuper omnia mala in hypotheſi impoſſibili, ibid. n. 232
Non oportet habentem Charitatem velle mori pro Chriſto, p. 103. n. 236
Quod objectum primarium, & quod ſecundarium Charitatis, p. 112. n. 279
Qualiter Scotus neget proximum & ſecundarium objectum Charitatis, ibid. n. 280
Charitas ſolum Deum habet pro objecto quietativo, ibid.
Petrus quando Dominum negavit non habuit parvam Charitatem, quam antea habuerat, p. 116. n. 297
Non peccat contra Charitatem, qui actu gradualiter magis intenſo amat patrem, quàm Deum, p. 118. n. 308
Per habitum Charitatis non contemnitur vita, ſed magis per actum, & actus eſt, qui procedit de corde puro, p. 119. n. 312
Non præcipitur habitus Charitatis, ſed actus, ibid. n. 313
Charitati in Scriptura promittitur ſinè ulla limitatione remiſſio peccatorum, ibid. n. 314
Charitas habitualis non opponitur peccato phyſicè, ſed tantùm moraliter, p. 128. n. 365
Per minimam Charitatem habitualem tolluntur omnia peccata mortalia, uti etiam per minimam Charitatem actualem, p. 129. n. 366
Perfectioni ſubſtantiali Charitatis adſcribitur reconciliatio, non adæquationi ſeu intenſioni accidentali, ibid. n. 368
Id magis amat Charitas, quòd Deus vult me magis amare, p. 142. n. 438
Qualiter exteræ virtutes formentur à Charitate habituali, p. 146. n. 460
Explicantur verba Joannis 1. c. 4. *In hoc eſt Charitas &c.*

Digitized by Google

&c. de dilectione Dei, p. 157. n. 513

Motivum Charitatis non includitur in propoſito emendationis, p. 164. n. 31

Diſcurſus Janſenii de imperfecto actu Charitatis, p 175. n. 91

Non dantur plures habitus Charitatis ſpecie aut numero diſtincti, p 181. n. 126

Ex præcepto Charitatis Dei & proximi, Scotus colligit Præceptum Confeſſionis, & Auctor præceptum Pœnitentiæ, p. 189. n. 14. & ſeq.

Charitas ergo noſipſos non ſemper obligat ad vitandum quodcunque malum, etiam grave, p. 197. n. 61

Trident. nuſpiam docet, Charitatem ex natura ſua expellere peccatum, p. 287. n. 383

Quare Charitas magis obliget ad evitandam occaſionem peccati, quàm Caſtitas, p. 732. n. 55

CHRISMA.

Benedictio Chriſmatis aut confectio panis non debet fieri ex intentione Sacramenti, p. 500. n. 120

CHRISTUS.

Quare Chriſtus non dicatur egiſſe pœnitentiam, quamvis ſatisfecerit pro peccatis noſtris, p. 48. n. 235

In Chriſto ponitur ſcientia beata & per ſe infuſa reſpectu ejuſdem objecti, p. 51. n. 248

Voluntas Chriſti eſt ſubjectum pœnitentiæ, p. 57. n. 278

Chriſtus pro omnibus hominibus, nemine excepto, mortuus eſt, p. 230. n. 101

Juſtitia noſtra non tribuit jus ad gloriam, niſi ex meritis Chriſti, p. 275. n. 323

Omnes ante Baptiſmum ſunt ſubditi Chriſti, p. 417. n. 4

Sanguis Chriſti eſt pretium univerſale, Baptiſmus & alia Sacramenta ejus applicatio, p. 422. n. 31

Quomodo ſecundùm Aliquos Chriſtus mortuus ſit pro parvulis, qui abſque Baptiſmo moriuntur, p. 237. n. 133

In operibus Chriſti poteſt diſtingui ratio ſatisfactionis & meriti, p. 292. n. 405

Chriſtus non meruit ſuam gratiam, p. 318. n. 543

Quomodo intelligendi PP. qui dicunt Chriſtum mortuum pro omnibus quo ad cauſæ communitatem, p. 246. n. 174

Poſitiva Chriſti oblatio pro omnibus probatur ex Scriptura, ibid. n. 173

CIRCUMSTANTIA.

Circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt explicandæ, p. 632. n. 11

Quid Scotus ſenſerit de circumſtantiis peccatorum, p. 633. n. 17

Quas Scotus vocet circumſtantias notabiliter aggravantes, ibid.

Quid ſit circumſtantia, p. 634. n. 21

Quæ circumſtantia mutet ſpeciem peccati, ibid. n. 22

Quæ circumſtantia mutet numerum peccati. ibid. n. 23

An *Quoties*, ſit circumſtantia, ibid. n. 24

Quæ circumſtantiæ aggravent aut minuant intrà eandem ſpeciem, p. 635. n. 25

Circumſtantiæ minuentes non ſunt explicandæ, ibid. n. 26. & ſeq.

Incertum eſt an circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſint explicandæ, ibid. n. 29

Non eſſe confitenda videtur ſententia D. Thomæ & D. Bonaventuræ, quos Alii multi ſequuntur, p. 636. n. 30. & ſeq.

Oppoſita ſententia nec conſtat ex Scriptura, nec ex natura inſtitutionis hujus Sacramenti, nec ex definitione aliqua Pontificis aut Concilii, ibid. n. 32

Solvuntur objectiones, p. 637. n. 33. & ſeq.

Potuit Chriſtus velle abſque ullo inconvenienti, ut explicaretur ſpecies vel numerus peccatorum, eſtò non circumſtantiæ aggravantes, p. 638. n. 38

Circumſtantiæ minuentes poſſunt extrahere actum ab ordinario modo peccandi, ibid. n. 39

Circumſtantias notabiliter aggravantes non eſſe confitendas, oſtenditur eſſe probabilius, ibid. n. 40

Pœnitens interrogatus de circumſtantiis aggravantibus, an teneatur eas explicare, p. 641. n. 50. & ſeq.

Circumſtantiæ non mutantes ſpeciem non ſemper deſerviunt ad variandum judicium circa pœnitentiam, ibid. n. 52

An quando deſerviunt, Confeſſarius habeat jus interrogandi. ibid. & n. ſeq.

Quæ ſit circumſtantia notabiliter aggravans. p. 642. n. 54. & ſeq.

Explicantur aliqua loca D. Auguſt. in quibus videtur requirere Confeſſionem harum circumſtantiarum. p. 643. n. 58. & ſeq.

An circumſtantia aggravans, propter quam peccatum eſt reſervatum, aut habet annexam cenſuram, debeat in Confeſſione explicari. ibid. n 60. & ſeq.

Non eſt circumſtantia actûs moralis, quòd ſit liber, aut ex conſideratione bonitatis. p. 725. n. 24

Recenſentur ſeptem circumſtantiæ. ibid. n. 27

An ſtatus Religionis ſit circumſtantia notabiliter aggravans peccatum fornicationis. p. 727. n 31

An Sacerdos Religioſus confitens peccatum luxuriæ poſſit alterutram circumſtantiam ſubticere. p. 728. n. 37

Ut circumſtantia tribuat actui malitiam, ſufficit quòd ſit cognita. p. 756. n. 154

Quid intelligatur per circumſtantiam *Cur*. p. 808. n. 382

CISTERCIENSIS.

An Ciſtercienſes debeant ſua peccata, etiam alteri confeſſa, ſemel in anno Prælato confiteri. p. 573. n. 81. & ſeq.

CLAVIS.

Poteſtas Clavium extendit ſe ad pœnam temporalem. p 425. n. 46

COGNITIO.

Cognitio ſupernaturalis, non requirit voluntatem ſupernaturalem. p. 13. n. 56

Quare volitio ſupernaturalis prærequirat cognitionem ſupernaturalem. ibid.

COMESTIO. COMEDERE.

Poteſt quis in uno prandio bis comedere carnes. p. 831. n. 55

Actus comeſtionis accipit malitiam formalem à cognitione præcepti non comedendi, & voluntate comedendi. p. 814. n. 406

COMMUNIO.

Prævidens impedimentum, debet prævenire Communionem annuam, ſecùs Paſchalem. p. 591. n. 161

Perinde eſt ſive impedimentum præviſum ſit voluntarium, ſive non. ibid. n. 163

Excuſatus hoc anno à Communione, non hoc ipſo eſt liber à Confeſſione. p. 592. n. 164. & ſeq

Ceſſatio à Communione poteſt eſſe pœna. p. 918. n. 126

Abſtinentia à Communione poteſt aliquando expedire, p. 919. n. 130

Canones pœnitentiales præſcribunt abſtinentiam à Communione, p. 920. n. 136

COMPLACERE. COMPLACENTIA.

Aliud eſt complacere ſibi in peccato præterito, aliud non retractare illud, p. 194. n. 49

Complacentia inefficax mutuatur malitiam ex ſolo objecto formali, p. 800. n. 348

Simplex complacentia poteſt eſſe intenſior gradualiter, quàm voluntas efficax, p. 111. n. 272

COMPLEX.

Quare teneatur pœnitens explicare complicem, quando poteſt, p. 687. n. 46

Major eſt ratio revelandi complicem in articulo mortis, quàm extra, p. 688. n. 48. & ſeq.

Revela-

INDEX RERUM.

Revelatio complicis in Confeſsione ſinè neceſsitate eſt injuſta, p. 689.n.52
Poſſet eſſe detractio levis & alia mortalis injuſta damnificatio, ibid.n.53
An liceat confiteri peccatum veniale, quando non poteſt explicari ſinè gravi peccato complicis, p.691. n.63. & ſeq.
Quid dicendum de revelatione tertiæ perſonæ quæ non eſt complex, p.692.n.66. & ſeq.
Aliqui caſus in quibus Guerrerus putat, Confeſſarium poſſe obligare pœnitentem ad revelationem complicis, p. 693.n.71
Quid de hac re ſenſerit Doctor Seraphicus & Doctor Subtilis, p.694.n.72.& ſeq.
An ſigillum reſpiciat etiam complicem, p.696.n.82
Oſtenditur ex revelatione peccati complicis apud ſolum Confeſſarium non oriri veram infamiam, p. 684. n.33
Minor infertur infamia complici per revelationem in Confeſſione quàm extra, p.685.n.37
An magis per ſe connectatur cum Confeſſione infamia pœnitentis, quàm complicis, ibid.n.38.& ſeq.
Neutra infamia univerſaliter connectitur, frequentiùs autẽ infamia pœnitentis, quàm cõplicis, p.686.n.40
Oſtenditur probabiliùs ex ratione poſſe revelari complicem, quando aliter pœnitens non poteſt integrè confiteri, p.687.n.45

CONCIONATOR.

Concionator agit officium Præconis, Confeſſarius autem officium Judicis, p.384.n.22

CONCURRERE. CONCURSUS.

Deus ſupernaturaliter concurrit ad Conſecrationem ex fine extrinſeco malam, p.616.n.103
Concurſus Dei non eſt de formali ratione hominis etiam ut exiſtit, p.299.n.445

CONDONATIO.

Deus per condonationem vult deſtruere jus ortum ex peccato præterito, p.299. n.447
Condonatio peccati non habet pro objecto actum voluntatis divinæ, p.300. n.448. & ſeq.
An Deus poſſit condonare peccatum antequam fiat vel etiam quando fit, p.301.n.453. & ſeq.
Quid ſit condonare culpam, p. 376.n.120

CONFESSARIUS.

Confeſſarius poteſt ad vindictam peccatorum imponere orationem mentalem, p.32.n.151
Nullus Confeſſarius debet petere à pœnitente, an mallet potiùs mori, quàm peccare, p.99.n.218
Confeſſarius poteſt indiſpoſito imponere manus cum illa oratione : *Miſereatur* &c. p.450. n.75
Non eſt neceſſe quòd Confeſſarius poſſit omnia peccata determinatè demonſtrare, quæ vult abſolvere, p.510.n.169
An Confeſſarius poſſit abſolvere pœnitentem, qui ſi interrogaretur, reſponderet ſe nolle relinquere peccatum, p.516.n.194. & ſeq
Confeſſarii per ſe loquendo non tenentur ſingulariter interrogare, p.517.n.198
Confeſſarius poteſt obligare pœnitentem ad ſatisfactionem ante Abſolutionem, p.538.n.298
Confeſſarius aliquando poteſt differre Abſolutionem, etiamſi pœnitens ſit diſpoſitus, p.537.n.296
Oppoſitum docet Joannes Sancius, p.538.n.300
Confeſſarius non habet jus interrogandi de omnibus illis, quæ aliquo modo poſſent eſſe utilia ad inſtructionem pœnitentis, p.539.n 304
An Confeſſarius propter majorem utilitatem pœnitentis poſſit differre Abſolutionem, p.540.n.306
An Confeſſarius poſſit imponere opus præceptum, p.879.n.131
Non debet Confeſſarius judicare de æqualitate inter pœnam Purgatorii & ſuã ſatisfactionẽ, p.897.n.34
Confeſſarii non cognoſcunt de pœna alterius vitæ, neque ad forum ſuum ſpectat, ibid.n.35
An opus præceptum etiam ex malitia Confeſſarii impoſitum, conferat effectum ex opere operato, p.913. n. 104
An etiam opus merè internum, ibid.n. 105
Regulariter imponendum eſſe opus externum probatur ex SS. PP. ibid.& n. ſeq.
Item ex Conc.Trident.& exemplo ſatisfactionis Chriſti, ibid. n. 107
Confeſſarius debet dare eam pœnitentiam, quæ omnibus conſideratis magis congruit, p.914.n.110
Scotus non negat Confeſſario omnem poteſtatem ligandi, p.933.n.187
Chriſtus voluit ut Confeſſarius imponeret pœnas vindicativas, & per conſequens ut pœnitens eas acceptaret, p.934.n.190
Reſpondetur ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ & ſolvuntur objectiones, ibid. n.192. & ſeq.
Sacerdos habet poteſtatem ligandi propriè dictam, p.935.n.197
An Confeſſarius poſſit leviter obligare in materia gravi, p.944. n. 236
Confeſſarius per ſe loquendo non poteſt obligare ad executionem ſatisfactionis ante Abſolutionem, p.947. n.247
An Confeſſarius poſſit pœnitentem invitum obligare ad iteratam Confeſſionem peccatorum mortalium, p. 955. n. 285
Confeſſarius pro pœnitentia licitè aliquando imponit actum præceptum, p.910.n.92
Opus ſimpliciter impoſitum à Confeſſario intelligitur de indebito, ibid. n.93
Quid ſi confitenti in Quadrageſima Confeſſarius imponat diem jejunii, ibid.n.95.& ſeq.
Quid ſi dubitetur de mente Confeſſarii, ibid.n.97
Sicut Confeſſarius poteſt præcipere eleemoſynam corporalem, ita & ſpiritualem, p.922.n.144
In ſpirituali eleëmoſyna impoſita à Confeſſario diſtinguitur ſatisfactio à materia eleëmoſynæ, ib.n.145
An Confeſſarius peccet mortaliter, qui infirmo imponit ſatisfactionem ſolùm implendam ſi convaluerit, p. 928. n.169
Ratio à priori quare Confeſſarius non peccet mortaliter, ſi pro parvis peccatis non imponat ſatisfactionem, ibid.n.170
Quare potiùs ſemper peccet mortaliter, ſi omittat partem eſſentialem, ibid.n.171
Probatur peccare mortaliter Confeſſarium, qui non imponit ſatisfactionem pro peccatis mortalibus, p.930. n.176. & ſeq.
Confeſſarius non debet ferre judicium de ſpeciebus entis, ſed de moribus, p.628.n.188
An Confeſſarius debeat ſcire peccatum in individuo, p.638.n.41
Confeſſarius eſt arbiter inter Deum & peccatorem, p.895.n.27
Confeſſarius non alio modo præcipit jejunium, quàm Eccleſia, p.909.n.88
Confeſſarius poteſt imponere unum opus vindicativum, & aliud præſervativum, p.919. n.132

CONFESSIO. CONFITERI.

Ad Confeſſionem requiritur recogitatio ſingulorum peccatorum, p.96.n.201
Patres qui videntur requirere dolorem de ſingulis peccatis in particulari, loquuntur de eo quod meliùs eſt, ibid.n.203
Probatur neceſſitas Confeſſionis ex Conc. & SS.PP. p.393.n.74. & ſeq.
Contrarium nuſpiam docuit Scotus, p.394.n.96
In lege naturæ non erat Confeſſio facienda homini, ſed ſoli Deo, ibid.n.99
Quæ Confeſſio fiebat à Sacerdote in lege Moyſi, p.395.n.100
Ex lege naturæ eſt Deo confitendum, ibid.
Præceptum Confeſſionis non eſt tantùm de jure Canonico, ibid. n.105
Oppoſitum docet Gloſſa de Pœnit. diſt. 5. quod meritò diſplicet Scoto, p.396.n.106.& ſeq.

Digitized by Google

Conſuetudo Græcorum non confitendi ante celebrationem Miſſæ confirmat ſententiam Scoti, ſcilicet Confeſſionem non eſſe tantùm juris Canonici, ibid. n. 109
Probatur in Eccleſia Græca ſemper permanſiſſe uſum Confeſſionis, ibid. n. 110
Rationabiliùs videtur Scoto quòd Confeſſio ſit juris divini poſitivi, ibid. n. 111
Probatur ex Joan. 20. Confeſſionem eſſe juris divini poſitivi, ibid. n. 112
Objectio contra hanc probationem ſolvitur ex Scoto, p. 397. n. 113. & ſeq.
Alia probatio Scoti deſumpta ex præcepto Charitatis Dei & ſuiipſius, ibid. n. 116. & ſeq.
Præceptum Confeſſionis eſt valde rationabile pro multitudine, p. 398. n. 118
An præceptum Confeſſionis habeatur ex verbis Jacobi Apoſtoli. ibid. n. 119. & ſeq.
Putat Scotus, neceſſitatem Confeſſionis non evidenter probari ex Joannis 20. ibid. n. 123
Contra neceſſitatem Confeſſionis adducitur auctoritas D. Chryſoſtomi. ibid. n. 124
Item auctoritas Caſſiodori & S. Auguſt. p. 399. n. 125. & ſeq.
S. Chryſoſt. agnovit neceſſitatem Confeſſionis, ibid. n. 127
Uti etiam D. Auguſt. & alii PP. p. 400. n. 128
Explicantur aliqua verba D. Ambroſ. ibid. n. 130. & ſeq.
Petrus non tenebatur ad Confeſſionem abnegationis Chriſti, uti nec alii Diſcipuli ad Confeſſionem infidelitatis, ibid.
An Nectarius Patriarcha Conſtantinopolitanus abrogaverit Confeſſionem, ibid. n. 134
Duplex eſt Confeſſio, laudis & fraudis, p. 403. n. 149
Non aliter tollitur obligatio confitendi per Abſolutionem, quàm obligatio Baptiſmi per Baptiſmum, p. 409. n. 181
Probatur ex D. Auguſt. peccatum commiſſum in Baptiſmo eſſe materiam Confeſſionis, p. 419. n. 17
Objectio ex D. Auguſt. ſolvitur, p. 420. n. 18. & ſeq.
Peccatum veniale non eſt materia neceſſaria Confeſſionis, neque mortale ſemel directè abſolutum, p. 427. n. 56. & ſeq.
Peccata oblita debent exprimi in alia Confeſſione, uti etiam peccata remiſſa per Contritionem, ibid. n. 58. & ſeq.
Solum peccatum mortale eſt materia neceſſaria Confeſſionis, p. 428. n. 60
Quid intendat Scotus quando dicit, Confeſſionem, quæ fit ſimul pluribus Sacerdotibus, non eſſe ſacramentalem, p. 472. n. 180
Confeſſio non debet procedere ex perfecto & abſoluto odio delicti, p. 496. n. 101
Vita Chriſtianè acta potiùs eſt vocanda Confeſſio explicita, quàm interpretativa, p. 501. n. 126
Quare potiùs Confeſſio debeat procedere ex intentione Sacramenti, quàm dolor, p. 502. n. 128
An peccata reſervata abſoluta ſacramentaliter à Superiore, debeant confiteri inferiori, p. 504. n. 140
Sententia negans probatur ex Conc. Trid. ibid.
Rejicitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ, p. 505. n. 141
Cur eadem Confeſſio non poſſit deſervire ad duplicem Abſolutionem, ibid. n. 145
Confeſſio ſummè utilis eſt ad curandos ſpirituales morbos, p. 546. n. 27
Confeſſio eſt ſatisfactio pro offenſa divina, ibid. n. 28
Confeſſio eſt medium à Deo ordinatum ad recuperandam primam gratiam, p. 549. n. 43
Poteſt aliquis habere votum Confeſſionis, etſi actu non confiteatur dum poteſt, ibid. n. 44
Votum Confeſſionis ſolùm probat ſimplicem obligationem, ibid. n. 45
Frequens Confeſſio non eſt medium communiter neceſſarium ad evitanda peccata mortalia, p. 554. n. 66. & ſeq.
Oſtenditur quàm ſit difficilis Confeſſio, p. 560. n. 20
Multiplex utilitas Confeſſionis, ibid. n. 21
In Confeſſione ſecunda eorundem peccatorum, non ſunt omnes utilitates, quæ in prima, p. 561. n. 24
Iterata Confeſſio eorundem peccatorum mortalium non poteſt præcipi, etiam in aliqua Religione, ſub mortali, p. 574. n. 83
Obligatio per ſe confitendi iteratò peccata mortalia non poteſt provenire ex ſolo præcepto humano, p. 576. n. 96
Difficultas Confeſſionis patet ex Trident. p. 597. n. 23
Sententia affirmans valere Confeſſionem factam abſenti, defenſa fuit Lovanii poſt Decretum Clementis, p. 613. n. 91
Confiteri propter finem venialiter malum, non eſt peccatum mortale, p. 614. n. 97
Inanis gloria non excludit à Confeſſione ſpem veniæ, ibid. n. 98
An ſi intentione vanæ gloriæ pro eodem inſtanti efficaciter imperaretur Confeſſio externa, & dolor internus, Confeſſio foret valida, p. 618. n. 115 & ſeq.
Poteſtas confitendi eſt favorabilis, obligatio videtur odioſa, p. 646. n. 73
Concilium Trident. nuſpiam colligit materiam neceſſariam Confeſſionis ex materia neceſſaria Contritionis. ibid. n. 74
An quia tutiùs eſt aliquid confiteri, ideo ſit etiam obligatorium, p. 651. n. 95. & ſeq.
Qui ſolet facere bonas Confeſſiones, in dubio de peccati alicujus Confeſſione, poteſt præſumere Confeſſionem, p. 657. n. 121
An iteratò tenear confiteri aliquod peccatum, quando tantùm eſt probabile, quòd fuerim illud confeſſus, ibid. n. 123. & ſeq.
Defectus ſatisfactionis non inducit obligationem iteratæ Confeſſionis eorumdem peccatorum, p. 660. n. 133
An ſufficiat confiteri peccatum ſecundùm omnes ſuas circumſtantias, non diſtinguendo utrùm fuerit mortale vel veniale, p. 663. n. 148. & ſeq.
Sufficit in Confeſſione exprimere numerum magis veriſimilem, quando præciſa ejus notitia non eſt poſſibilis, p. 665. n. 153
Quis numerus intelligatur ſub his verbis: *Plus minuſve*, ibid. n. 154. & ſeq.
Non eſt exprimendus major numerus poſteà occurrens, niſi notabiliter excederet, ibid. n. 156
Non debent repeti peccata, niſi manifeſtè conſtet de invaliditate prioris Confeſſionis, p. 487. n. 61
Peccat mortaliter qui confitetur peccatum mortale, vel unicum veniale ſinè debito dolore, p. 508. n. 155. & ſeq.
Non omnia ſubjecta malitiæ ſunt explicanda in Confeſſione, p. 809. n. 389
Quid faciendum ſi pœnitens nullum prorſus veriſimilem numerum poſſit exprimere, p. 666. n. 157
In tali caſu Confeſſarius plus debet eſſe ſollicitus de ſerio propoſito emendationis, quàm de materiali integritate Confeſſionis, ibid. n. 158
Notabile pro pœnitentibus in tali caſu, ibid. n. 159
Diverſitas votorum ex parte materiæ non explicanda in Confeſſione, niſi materia aliunde ſit præcepta, p. 668. n. 164
An ſit vera hæc Confeſſio: *Violavi votum in re gravi*, non ſpecificando materiam, ibid. n. 165. & ſeq.
Ab imprudenti errore Confeſſarii non dependet veritas Confeſſionis, p. 669. n. 169
An qui furatus centum, ex oblivione confitetur tantùm quinquaginta, ſatisfaciat explicando in ſequenti Confeſſione alia quinquaginta, ibid. n. 170. & ſeq.
An in eadem Confeſſione poſſim dividere meum peccatum, p. 670. n. 173.
Quare non ſufficiat confiteri, offendi Deum in materia gravi, p. 671. n. 177
Con-

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Confeſſio poteſt ordinari ad alios fines honeſtos præter juſtificationem pœnitentis, p.696.n.83

An vita Chriſtianè acta ante peccatum admiſſum ſit ſufficiens Confeſſio pro articulo mortis, quando alia Confeſſio eſt impoſſibilis, p.715. n.119 & ſeq.

Vita Chriſtianè acta non eſt Confeſſio, niſi in articulo mortis, ibid.n.120

Non ſufficit ad Confeſſionem Contritio, quæ fuit ante peccatum, p.706.n.122

Satis eſt ad Confeſſionem, quòd exiſtat dolor ante Abſolutionem, ibid.n.123

An ex Conc. Trident. & aliis Conciliis probetur, vitam Chriſtianè actam non eſſe Confeſſionem, ibid. n.124. & ſeq.

Concilium Arauſicanum loquitur de Abſolutione abſoluta, adeòque nullum hìc eſt periculum hæreſis, p. 707.n.127

Reſpondetur ad Conc. Trident. ibid.n.128

Confeſſio latè accipitur pro quolibet externo deſiderio Confeſſionis, p.708 n.130

Tale deſiderium eſt vita Chriſtianè acta ex S. Auguſt. ibid. n. 131

Oſtenditur S. Auguſt. non fuiſſe locutum de reſponſo verbali, ibid.n.133

Oſtenditur S. Auguſt. non fuiſſe locutum de peccatore, qui pœnitentias Canonum exercebat, ibid. n. 135

Per vitam Chriſtianè actam ſenſibiliter imploratur officium judicis, p.710.n.137

An alia ſigna externa requirantur ad Confeſſionem, quàm ad extremam Unctionem, ibid.n.138

Peccata commiſſa ante inſtitutionem Sacramenti, aut etiam ante promulgationem novæ legis, non erant materia neceſſaria Confeſſionis, p. 544. n. 17

An fuerint materia ſufficiens, ibid. n. 18, & ſeq.

An Confeſſio eorumdem peccatorum ſit medicina quotidiana, eodem omnino modo, quo Euchariſtia eſt panis quotidianus, p. 904. n. 64. & ſeq.

An pueri vel ruſtici obligentur ad iteratam Confeſſionem, ſi ex ignorantia, vel inadvertentia non ſatis diſtinctè expreſſerint ſpecies & numerum peccatorum, p. 662. n. 142

Qui oblitus circumſtantiæ voti confeſſus fuit fornicationem, non tenetur iteratò fornicationem confiteri, p.668.n.164

Quid ſit confiteri ſua peccata ex S. Auguſt. p. 336. n. 47

Non oportet in ſpeciali confiteri peccata præcedentia tamquam circumſtantias aggravantes, ſed neque in generali, p.372.n.102

Difficiliùs videtur ſingulis annis confiteri, quàm ſemel tantùm in fine vitæ, p.560.n.18

An fur ſacrilegus poſſit ſeorſim confiteri ſacrilegium, p.674. n.190

Quid ſit confiteri Sacerdoti abſenti, p.715.n.156

Vita Chriſtianè acta ſaltem eſt dubia Confeſſio, p.716. n. 160

Duplex eſt integritas Confeſſionis, materialis & formalis, p.629.n.1

Jure divino confitenda ſunt omnia peccata mortalia, etiam merè interna, ibid. n. 2. & ſeq.

Contrariam doctrinam Petri de Oſma, damnavit Sixtus IV. p.630.n.4

Non ſufficit unum peccatum mortale confiteri uni Sacerdoti, & alterum alteri, ibid.n.5

Quid de hac re ſenſerit Durandus, ibid. n. 6. & ſeq.

An implicet hoc Sacramentum aliter fuiſſe inſtitutum, ibid. n. 9

Etiam peccata quæ aliunde novit Confeſſarius ſunt confitenda, p.631.n.10

Compendium totius doctrinæ Catholicæ de integritate Confeſſionis, p. 632.n. 12

Lutherus erravit circa integritatem Confeſſionis, ibid. n. 13

Integritas Confeſſionis probatur ex Florent. ibid.

Doctrina Scoti de integritate Confeſſionis, ibid. n. 14

Integra Confeſſio quamvis difficilis, tamen poſſibilis, p.634.n.10

CONFESSIO INTEGRA.

Integra Confeſſio non obligat, quando phyſicè vel moraliter eſt impoſſibilis, p. 676.n. 1

Diverſæ circumſtantiæ in quibus integra Confeſſio eſt phyſicè impoſſibilis, ibid.

Quando integra Confeſſio ſit moraliter impoſſibilis, ibid.

Impotentiam excuſare ab integra Confeſſione probatur ex communi ſenſu Eccleſiæ, ibid.n.2

Incipiendum tunc eſt à peccato mortali non confeſſo, & adveniente poſſibilitate pergendum in Confeſſione incepta, ibid. n.3

Aqua eſt eſſentialis materia Baptiſmi, ſecùs integra Confeſſio Sacramenti Pœnitentiæ, p.677.n.5

Rationes congruentiæ, ibid. n.6

Non eſt veriſimile quod Deus voluerit obligare præceptum integræ Confeſſionis contra Charitatem, ibid. n.7

Grave damnum excuſans ab integra Confeſſione eſt mors corporalis & ſpiritualis, p.678 n.8

An etiam peccatum Confeſſarii, ibid n. 9

Regula generalis quæ hìc debet conſiderari, ibid. n. 10

Quid ſi timeatur ſcandalum etiam ex omiſſione Confeſſionis, ibid. n. 11

Quid ſi urgeat præceptum divinum aut humanum Confeſſionis, p.679.n.11

Grave etiam damnum hìc eſt fundatus timor revelationis ſigilli, ſive faciendæ à Confeſſario, ſive à pœnitente. ibid. n.12. & ſeq.

An pœnitens in caſibus prædictis teneatur dimidiatè confiteri, ſi urgeat præceptum Confeſſionis, ibid. n.15

Qui juſtè tacet aliquod peccatum, omnia confitetur quæ memoriæ occurrunt, p.680.n.17

An ſit neceſſe elicere Contritionem Charitate perfectam de peccato quod juſtè omittitur, ibid. n.19

Damnum intrinſecum Confeſſioni non excuſat ab integritate, p.681.n.20

Propria infamia non excuſat ab integritate, ibid.n.21

An obliget integra Confeſſio cum infamia Complicis, ibid. n. 22. & ſeq.

Bonum integræ Confeſſionis prævalet famæ complicis, p.682.n.28

Infamiam complicis non excuſare ab integritate eſt ſententia D. Thomæ & D. Bonav. D. Bernardi & Scoti, p. 683.n.29. & ſeq.

Declaratur bonum notabile integræ Confeſſionis, ibid. n. 31. & ſeq.

Sæpè poteſt pœnitens integrè confiteri, etſi non teneatur, p.687. n.46

Omiſſio integræ Confeſſionis in articulo mortis affert novum detrimentum ſpirituale, p 688.n.50

An difficultas iteratæ Confeſſionis ſit cauſa ſufficiens dimidiandi Confeſſionem. p.699.n.94

CONFESSIO PUBLICA.

Probatur valor Confeſſionis publicæ, p.596.n.15

Publica Confeſſio aliquando licet, ibid.

Publicam Confeſſionem non obligare, probatur ex Trident. ibid. n. 17

Confeſſio publica, aut per interpretem ſufficit ad valorem Sacramenti, oppoſitum nuſpiam docuit Scotus, p.594.n.8. & ſeq.

Probatur Deum Confeſſionem publicam non præcepiſſe, ibid. n.10

CONFESSIO SACRAMENTALIS.
Quam Scotus vocet Confeſſionem ſacramentalem, p. 596. n. 16
Quare Confeſſio ſacramentalis præmittenda ſuſceptioni Euchariſtiæ, p. 123. n. 336. & ſeq.
Sufficit aliquando Confeſſio in voto, p. 393. n. 72
An requiratur tali caſu votum explicitum, ibid. n. 73
Confeſſio ſacramentalis non eſt de jure naturæ, p. 394. n. 99
In Lege Moyſis non fiebat Confeſſio ſacramentalis, p. 395. n. 100
Quid ſit Confeſſio ſacramentalis, p. 472 n. 179
Præcisè ex vi præcepti divini Confeſſionis, non eſt obligatio confitendi per interpretem in articulo mortis, p. 600. n. 35
An ſaltem ex præcepto Charitatis ſit obligatio, ibid. n. 36
Confeſſio vocalis non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti, ibid. n. 37. & ſeq.
An conſuetudo confitendi vocaliter obliget ſub mortali, p. 601. n. 39. & ſeq.
Conſulitur Confeſſio vocalis, ibid. n. 41
Sufficit ad vocalem Confeſſionem, quòd pœnitens dicat: *Accuſo me de his omnibus*, poſtquam Sacerdos legit peccata, p. 602. n. 42
An etiam ſufficiant hæc verba antequam Sacerdos legit peccata, ibid. n. 43
Fortè ſufficerent, ſi moraliter ſimul daret ſchedulam in qua ſcripta ſunt peccata, p. 603. n. 46
Confeſſio realis in defectum vocalis eſt præcepta, ibid. n. 48. & ſeq.
Modus confitendi per ſcriptum Confeſſario præſenti, per ſe non eſt publicus, ibid. n. 49
Differentia inter modum confitendi per interpretem, & per ſcriptum, p. 604. n. 51
An valeat Confeſſio per ſcriptum facta abſenti, ibid. n. 52.
Confeſſio abſenti facta extra neceſſitatem eſt graviter peccaminoſa. ibid. n. 53
An propter Decretum Clementis VIII. Confeſſio abſenti facta ſemper ſit invalida, ibid. n. 54
Reſponſio Suarii ad illud Decretum, p. 605. n. 55
An fuerit ejus reſponſio cenſurata à Sede Apoſtolica, ibid. n. 56
Quo ſenſu declaratio Suarii fuerit reprobata, ibid. n. 59
Ante Decretum Clementis VIII. aliqui Theologi aſſeruerunt valorem Abſolutionis datæ abſenti, p. 606. n. 61
Cur Chriſtus potiùs requiſiverit Abſolutionem in præſentia, quàm Confeſſionem, p. 607. n. 66. & ſeq.
Confeſſionem poſſe fieri abſenti probatur ex Rituali Romano & aliis antiquis Ritualibus. Item ex D. Leone, Conc. Arauſ. Carthag. 3. & 4. ibid. n. 68. & ſeq.
Quæ ſit pura Confeſſio, p. 614. n. 98
Quæ ſit Confeſſio fidelis & quæ infidelis, p. 620. n. 125
Peccat mortaliter, qui confitetur peccatum mortale, quod non fecit, ibid.
An contrarium inſinuet Sylveſter, ibid. n. 126. & ſeq.
Quare peccet mortaliter, qui confitetur peccatum mortale fictum, p. 621. n. 127
Qui confitetur veniale fictum, non pervertit judicium in re gravi. ibid. n. 128. & ſeq.
Quando levitas materiæ faciat peccatum veniale, ibid. n. 130
An peccet mortaliter qui confitetur peccatum mortale fictum tamquam prius confeſſum, p. 622. n. 161. & ſeq.
Non peccat mortaliter, qui primo Confeſſario confitetur ſola mortalia, ſecundo autem ſola venialia, p. 624. n. 171. & ſeq.
Non peccat mortaliter, qui ſimpliciter confitetur ſua peccata, tacendo quod fuerint, vel non fuerint prius directè abſoluta, p. 625 n. 174
Argumenta Ludovici de Torres pro oppoſita ſententia ſolvuntur, ibid. n. 175. & ſeq.
Peccatum de ſe, idem eſt tam antè, quàm poſt Confeſſionem. p. 626. n. 178
Non peccat mortaliter, qui in Confeſſione generali confitetur nova peccata, ibid. n. 179
Similiter ſi aliqua antiqua omitteret, ibid. n. 180
An ſit mortale affirmare peccatum mortale confeſſum, quod non fuit confeſſum, & è contra, p. 627. n. 181. & ſeq.
An ſit peccatum mortale exprimere peccatum mortale tamquam heri commiſſum, quod hodie fuit commiſſum. ibid. n. 186
An Confeſſio ſacramentalis poſſit imponi pro pœnitentia, & arguitur quòd non, p. 915. n. 111
An poſſit imponi Confeſſio ſub conditione relapsûs in idem peccatum, ibid. n. 112
An Confeſſio ejuſdem venialis, aut novi mortalis, abſolutè poſſit imponi, ibid. n. 114
An etiam ejuſdem peccati mortalis, ibid.
Affirmat Joannes Sanchez, ibid. n. 115. & ſeq.
Fundamentum ejus rejicitur. p. 916. n. 117

CONFESSIO SECRETA.
Quæ ſit ſecreta Confeſſio, p. 592. n. 2
Modus ſecretè confitendi habetur ex traditione divina vel Apoſtolica, p. 593. n. 3.
Concilium Trident. Confeſſionem publicam nuſpiam vocat ſacramentalem, ibid. n. 4
Probatur ſecreta Confeſſio teſtimonio Originis. ibid. & n. 6.
Ex ſecreta Confeſſione proceſſit olim publica pœnitentia, ibid. n. 5
Obligatio ſecretæ Confeſſionis, probatur ex praxi Eccleſiæ, ibid. n. 7

CONFESSIO VENIALIUM.
Confeſſio venialium aliquando per accidens obligat, p. 555. n. 69
An Eccleſia poſſit præcipere Confeſſionem peccatorum venialium, p. 576. n. 96. & ſeq.
Per tale præceptum non fieret peccatum veniale materia neceſſaria, p. 577. n. 98
An Eccleſia poſſit directè obligare ad Confeſſionem peccati venialis, ibid. n. 99. & ſeq.
In extrema neceſſitate ſufficit Confeſſio unici peccati venialis in particulari, p. 699. n. 93
Perinde eſt, ſive neceſſitas proveniat ex parte infirmi, ſive ex parte Confeſſarii, ibid.
Confeſſio venialis in genere, quàmvis ſpeculativè foret ſufficiens, non tamen practicè, p. 705. n. 117

CONFESSIONIS PRÆCEPTUM DIVINUM.
Quas perſonas obliget præceptum divinum Confeſſionis, p. 540. n. 1
Præceptum divinum Confeſſionis obligat ſub mortali, ibid. n. 2
An infideles teneantur præcepto divino Confeſſionis, ibid. & n. ſeq.
An præceptum divinum Confeſſionis obliget fideles juſtos, p. 541. n. 5. & ſeq.
Quare potius infideles obligentur præcepto Euchariſtiæ, quàm Confeſſionis, ibid. n. 7
Præceptum Confeſſionis latum videtur pro certo ſtatu hominum, alioquin etiam pueri forent obligati, p. 542. n. 10
Præceptum divinum Confeſſionis tantùm obligat illos, qui tenentur adhibere omnia neceſſaria ad ſuſcipiendum Sacramentum, ibid. n. 11
An fideles non ſuſcipiendo Baptiſmum peccent contra præceptum Confeſſionis, p. 543. n. 12
An Apoſtoli poſt Baptiſmum lapſi in peccatum mortale, fuerint obligati ad Confeſſionem, ibid. n. 13. & ſeq.
Nulla certa ætas requiritur in perſonis, quæ obligantur præcepto Confeſſionis, p. 545. n. 22

An præ-

Digitized by Google

An præceptum divinum Confeſſionis pluries obliget in vita, ibid. n. 23. & ſeq.
Conveniens fuit ut Eccleſia determinaret aliquod tempus, in quo obligaret Confeſſio, ibid. n. 26
Qui non confitetur annuè non infringit præceptum Chriſti, p. 546. n. 30
Qui aſſerunt Confeſſionem ex jure divino obligare extrà articulum mortis, multiplicant obligationes ſinè neceſſitate, ibid. n. 31
Scotus docet obligare præceptum divinum Confeſſionis, I. in articulo mortis, II. quando eſt ſumenda Euchariſtia, p. 547. n. 33
An Confeſſio ex jure divino obliget in receptione omnium Sacramentorum, ibid. n. 34. & ſeq.
An Confeſſio ſtatim poſt peccatum obliget, ibid. n. 36. & ſeq.
Præceptum divinum Confeſſionis non poteſt aboleri conſuetudine, p. 551. n. 54
An præceptum divinum Confeſſionis obliget, quando quis habet copiam Confeſſarii, quàm poſteà per totam vitam non habebit, p. 552. n. 56. & ſeq.
Satisfit ſententiæ negativæ, & affirmativa probatur, ibid.
Chriſtiani non tenentur communiter plus quam ſemel in anno confiteri, p. 554. n. 64. & ſeq.
Non eſt proponenda pœnitentibus obligatio ſæpius communiter confitendi ſingulis annis, p. 555. n. 70
An ſatisfiat præcepto Confeſſionis per abſolutionem validam, ſed informem, p. 571. n. 74 & ſeq.
Aliqui docent Confeſsionem per interpretem eſſe neceſſariam jure divino, ſecùs Eccleſiaſtico, p. 596. n. 18
Arguitur contrà, p. 597. n. 19. & ſeq.
Probatur Confeſsionem per interpretem non obligare ex jure divino, ibid. n. 22
Aliqui caſus, in quibus oportet Superiori & inferiori manifeſtare ſuum peccatum, non probant neceſsitatem confitendi per interpretem, p. 598. n. 24. & ſeq.
Per Confeſsionem peccati in genere, aut unius in ſpecie non ſatisfit præcepto divino, p. 667. n. 163

CONFESSIONIS PRÆCEPTUM ECCLESIASTICUM.

An Eccleſia præcipiat Confeſsionem venialium in defectum mortalium, p. 568. n. 57. & ſeq.
An per Confeſsionem venialium in Paſchate ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico confitendi, p. 569. n. 60
An ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico confitendi per Confeſſionem peccati mortalis dubii, ibid. n. 61
An ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis per Confeſſionem certò invalidam, etiam ex defectu ſolius doloris interni, ibid. n. 62
Tenetur præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis qui habet ſola peccata merè interna, p. 570. n. 64. & ſeq.
Pontifex tenetur præcepto annuæ Confeſsionis quoad vim directivam, idque directè & per ſe ſub eadem obligatione, quâ alii, p. 566. n. 47. & ſeq.
An Chriſtus præceperit Eccleſiæ, quòd determinaret tempus Confeſsionis, p. 567. n. 54
Eccleſia non præcepit Confeſsionem peccatorum venialium, ibid. n. 55
An Confeſsio venialium poſsit præcipi ſub gravi peccato, p. 578. n. 104
An Eccleſia præceperit ſub gravi peccato Confeſsionem venialium in Clement. *Ne in agro Dominicos* ibid. n. 105. & ſeq.
An illa Clement. concernat omnes Monachos, ibid. n. 108
An Eccleſia poſsit præcipere Confeſsionem venialium purè internorum, p. 579. n. 109. & ſeq.
Cur potiùs poſsit præcipere Confeſsionem mortalis interni, quàm venialis, p. 580. n. 111
Homo non baptizatus non tenetur præcepto annuæ Confeſsionis, etſi aliquo modo obligaretur præcepto divino, p. 562. n. 30
Præcepto Confeſsionis annuæ poteſt ſatisfieri quocumque tempore anni, ibid. n. 112
Huic doctrinæ non repugnat Scotus, ibid. n. 113
Conſuetudo fidelium confitendi circa feſtum Paſchatis pia eſt, ſed non obligans, p. 581. n. 114
Qui ſemel confeſſus fuit peccatum mortale tametſi recidat, non tenetur eodem anno iterùm confiteri, ibid. n. 115. & ſeq.
Oppoſitum docet Suarius, & variè probat, ibid. n. 117. & ſeq.
An teneatur iterum confiteri, ſi aliquod peccatum omiſerit confiteri inculpabiliter, p. 582. n. 120. & ſeq.
Quis ſit proprius Sacerdos in ordine ad præceptum annuæ Confeſſionis, p. 583. n. 126. & ſeq.
Probabile eſt quòd ſatisfecerit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confeſſus eſt mortale non reſervatum, omiſſo reſervato ob defectum poteſtatis in Confeſſario, p. 584. n. 130
Qui ſolùm confeſſus eſt peccatum veniale, ignorans ſe habere mortale non ſatisfecit præcepto annuæ Confeſſionis, ibid. n. 131
Quomodo computandus ſit annus quoad præceptum annuæ Confeſſionis, ibid. n. 132. & ſeq.
Eccleſia non exigit Confeſſionem in Paſchate ùt debitam præcisè ex vi præcepti annuæ Confeſſionis, p. 585. n. 133
Explicatio Extravag. Sixti quarti de treuga & pace, ibid. n. 134 & ſeq.
Per accidens planè eſt quod aliquis differat Confeſſionem ſuam per duos ferè annos, ibid. n. 137
Qui uſque ad Paſcha non peccavit mortaliter, ſi poſteà peccet, tenetur confiteri in reliqua parte anni, p. 586. n. 138
Non eſt annus præſcriptus pro Confeſſione computandus à primo peccato mortali, neque ab ultima Confeſſione, aut à principio rationis, ibid. n. 139
An qui non eſt confeſſus intrà annum, teneatur ſtatim poſt annum elapſum confiteri, ibid. n. 141
Diverſitas quoad hoc punctum inter Confeſſionem & auditionem Miſſæ, p. 587. n. 142
Stricta obligatio non ſatis probatur ex verbis legis, ibid. n. 144.
Per Confeſſionem, quæ fit ex obligatione anni præcedentis poteſt ſatisfieri etiam obligationi anni currentis, ibid. n. 145
Perinde eſt quod peccatum mortale exprimatur hujus vel alterius anni, ibid. n. 146
An particularis Eccleſia poſſit præcipere Confeſſionem pro tempore Paſchatis, ibid. n. 147
Finis præcepti Confeſſionis annuæ eſt, ne diutius quam par eſt differatur Confeſſio, p. 589. n. 154
Unicâ Confeſſione ſatisfit pluribus obligationibus præcedentium annorum, p. 590. n. 158
An ille, qui diſtulit Confeſſionem ex concilio Confeſſarii poſſit unicâ Confeſſione ſatisfacere præcepto præſentis anni & præcedentis, p. 591. n. 159
Prævidens ſe impediendum à Confeſſione reliquo tempore anni, tenetur nunc confiteri, ibid. n. 160
Eccleſia præcipit Confeſſionem annuam, p. 556. n. 2. & ſeq.
Durandus videtur ſubdubitaſſe de hoc præcepto, ibid. n. 4. & ſeq.
Confeſſio non fuit inſtituta, nec potuit inſtitui jure puro humano, p. 557. n. 5
Eccleſiæ non poteſt conſtare de obedientia, vel inobedientia hominis reſpectu præcepti Confeſſionis, ibid. n. 6
Confeſſio per ſe præcipitur, & non ſolùm ùt eſt neceſſaria ad dignè communicandum, ibid. n. 8
An incurreret pœnam conſtitutam cap. *Omnis utriuſque ſexus*, qui omitteret ſolam Confeſſionem, ibid. n. 9

Oſtenditur Durandum nimis leviter dubitaſſe de præcepto annuæ Confeſſionis, p. 558. n. 10
Pœna cap. *Omnis utriuſque*, videtur obligare etiam non confitentes, ibid. n. 11
Si Chriſtus non inſtituiſſet Sacramentum Pœnitentiæ, Eccleſia non potuiſſet præcipere Confeſſionem hodie præceptam, p. 559. n. 14. & ſeq.
Non valet argumentum à præcepto Confeſſionis annuæ, ad præceptum Confeſſionis ſimpliciter, p. 560. n. 18
Non obligat Confeſſio, ſi ſciam Confeſſarium vel uni tantùm revelaturum ea peccata, p. 561. n. 22. & ſeq.
Quare Eccleſia potiùs poſſit præcipere tempus confitendi, quàm ipſam ſubſtantiam Confeſſionis, p. 562. n. 26
Quare Eccleſia potiùs poſſit præcipere Confirmationem & extremam Unctionem, quàm Confeſſionem, ibid. n. 27
Præceptum Confeſſionis annuæ tantùm eſt determinatio præcepti divini, ibid. n. 28
Per Confeſſionem factam ultimo die hujus anni, non poteſt ſatisfieri obligationi anni ſequentis, p. 589. n. 151
Per hoc quòd unicâ Confeſſione ſatisfiat duplici obligationi, Eccleſia nullum patitur detrimentum, ibid. n. 154

CONFIRMATIO. CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

Duplex confirmatio in bono, p. 255. n. 218
Sacramentum Confirmationis poteſt conferri ſub conditione, p. 653. n. 106
Quare potiùs requiratur relatio aliqua doloris ad Sacramentum Pœnit. quàm relatio aliqua benedictionis Chriſmatis ad Sacramentum Confirmationis, p. 500. n. 121
Confirmatio Fidei non eſt primarius finis Sacramenti, ſed concionis, p. 383. n. 17
Hæc Confirmatio æqualiter reperitur in Pœnitentia & Baptiſmo, ibid.
Votum Sacramenti Confirmationis obligat ſub mortali, p. 623. n. 168
Agere contra conſcientiam errantem, non eſt ſpeciale peccatum, p. 813. n. 405
Per ſe loquendo illa conſcientia non eſt explicanda in Confeſſione, ibid. n. 408

CONJUX.

An conjux poſſit cedere jure quòd habet in corpus conjugis, p. 24. n. 111
Conjux eo inſtanti, quo contrahit Matrimonium poteſt peccare contra fidem Matrimonii, p. 419. n. 13

CONSECRATIO. CONSECRARE.

Non valet hæc forma Conſecrationis: *Jubeo hoc eſſe corpus Chriſti*, p. 445. n. 52. & ſeq.
Quid ſignificet vox *Conſecrare*. p. 447. n. 60
A voce *Conſecrare* ad alias voces ſynonymas non valet argumentum, ibid. n. 61
SS. PP. aliquando vocant formam Conſecrationis Orationem, p. 449. n. 70
Velle conſecrare ſolam aquam, eſt materia graviſſima, p. 508. n. 119
Non oportet, ut Sacerdos poſſit humano modo diſcernere materiam conſecrandam ab omni alia, p. 511. n. 170
An graviter peccet, qui Sacerdoti conſecraturo multas hoſtias, proponit aliquas hordeaceas, p. 512. n. 177. & ſeq.
Cur ſit peccatum conſecrare vinum mixtum alio liquore, ibid. n. 176
Sacerdos qui per integram horam, quâ duravit concio, dormivit, vi prioris intentionis haud validè conſecraret, p. 828. n. 37

CONSEQUENS.

An conſequens ſit imperfectius antecedente, p. 286. n. 379

CONSILIUM.

Conſilium fornicationis ſacrilegæ contrahit malitiam ſacrilegii. p. 731. n. 49
Conſilium eſt affectus efficax. ibid.
Deus plùs æſtimat phyſicè actum remiſſum quo impletur præceptum, quàm actum intenſum conſilii, plùs in ordine ad præmium, p. 324. n. 572

CONSUETUDO.

An pœnitens interrogatus debeat dicere conſuetudinem præteritam peccandi, p. 538. n. 301. & ſeq.
An ſententia negans ſit contra praxim Eccleſiæ aut finem Sacramenti, p. 539. n. 305
Quid ſit conſuetudo, p. 751. n. 129
Aliqui docent conſuetudinem eſſe explicandam in Confeſſione, ibid. & n. ſeq.
Contrarium probatur, p. 752. n. 131. & ſeq.
Conſuetudo peccandi formaliter nihil eſt diſtinctum ab ipſis peccatis, ibid. n. 134
Per accidens poteſt eſſe neceſſaria explicatio conſuetudinis in Confeſſione, ibid.
Conſuetudo jurandi ſe ſolâ non arguit virtualem attentionem vel intentionem in pejerante, p. 754. n. 144

CONTACTUS.

Contactus phyſicus inſtrumentorum probabiliter non eſt actio ſacramentalis, p. 500. n. 118
Aſſignatur diſparitas inter contactum phyſicum inſtrumentorum & dolorem, ibid. n. 120

CONTEMPTUS.

Inflictio alapæ in neceſſitate non eſt ſignum contemptûs, p. 143. n. 446
Contemptus virtualis non eſt peccatum diſtinctum à ſimplici tranſgreſſione, p. 770. n. 213
Quid ſit contemptus virtutis, p. 788. n. 292
Aliud eſt fieri contemptibilem, aliud actualiter contemni, p. 802. n. 356

CONTINERE. CONTINENTIA.

Aliud eſt contineri in aliquo ùt in cauſa vel applicante, aliud ùt in voluntate æquivalente, p. 90. n. 168.
Quid ſit implicita continentia unius verbi in alio, p. 444. n. 42

CONTINUATIO.

Quando fiat continuatio moralis plurium actuum internorum, p. 820. n. 4
Sententia negans quamcumque minimam interruptionem eſſe moralem, probatur & exemplificatur, ibid. n. 5
Oppugnatur à Suario, ibid. n. 6

CONTRACTUS.

Non irritatio non ingreditur formalem rationem contractus moraliter permanentis. p. 298. n. 442
Quid ſit contractus, ibid.
Moralis permanentia contractûs aut peccati nihil eſt diſtinctum ab ipſo contractu aut peccato permanente, p. 299. n. 446
Contractus poſſunt aliquando celebrari ſolùm in foro externo ſinè conſenſu interno ad evitandum grave malum, p. 509. n. 161

CONTRITIO.

Quid ſit Contritio remiſſiva peccatorum, p. 70. n. 57
Contritio eſt deteſtatio formaliter, dolor autem cauſaliter, ibid.
Contritio Charitate perfecta juſtificat antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur, non tamen ſinè ejus voto, p. 78. n. 94
An requiratur votum explicitum, ibid. n. 95
Quandocumque ſufficit implicitum propoſitum, etiam ſufficit implicitum votum, ibid. n. 96
Utrùm Contritio Charitate perfecta ſit formalis actus Charitatis, ibid. n. 97
Ut Contritio juſtificet non requiritur actus dilectionis diſtinctus per ſe juſtificativus, p. 81. n. 112
Contritio non eſt actus imperfectior Charitate, p. 82. n. 117

Digitized by Google

Idem actus Contritionis eſt receſſus à peccato & acceſſus ad Deum, ibid.
Quid intendant Theologi quando dicunt, motivum Contritionis eſſe Deum ſummè dilectum, ibid. n. 118
Summa Dei dilectio non eſt objectum Contritionis, ſed ſumma Dei bonitas, ibid. n. 119
Contritio eſt actus amoris Dei per modum fugæ, ibid. n. 120
Ad juſtificationem extra Sacramentum præter deteſtationem peccati propter Deum, non requiritur alius actus amoris, ibid. n.121
Scriptura aliquando ſoli Contritioni promittit remiſſionem peccatorum, ibid. n. 122
An ſufficiat ad Contritionem charitate perfectam imperium charitatis, p. 85. n. 136
Contritio non diſtinguitur ab Attritione per imperium Charitatis, p. 87. n. 149
Explicantur hæc verba Trident. ſeſſ. 14 cap. 4. *Etſi Contritionem hanc* &c. ibid. n. 151.
Contritio charitate perfecta debet eſſe actus elicitus dilectionis Dei ſuper omnia, p. 88. n. 152
An ad Contritionem charitate perfectam ſufficeret deteſtatio unius peccati ex plurimis, quæ memoriæ occurrunt, p. 93. n. 184. & ſeq.
Contritio charitate perfecta neceſſariò deteſtatur omnia peccata mortalia, ſaltem virtualiter, p 95. n. 194. & 198.
Ad Contritionem charitate perfectam non requiritur dolor de ſingulis peccatis in particulari, ſive per unum, ſive per diverſos actus, p. 96. n. 200
Scripturæ quæ in contrarium allegantur ſolùm ſignificant utilitatem, non neceſſitatem, ibid. n. 201
Contritio poteſt eſſe actu tantùm de uno mortali, ſed habitu neceſſariò eſt de omnibus mortalibus, p. 98. n. 213
Contritio charitate perfecta deteſtatur peccata mortalia ſuper omnia alia mala, p. 99. n. 216. & ſeq.
Ad Contritionem perfectam non requiritur explicita comparatio inter malum culpæ & mala temporalia, ibid. n. 218
Contritio debet eſſe ſumma appretiativè, non intenſivè, ibid.
Contritio deteſtatur peccatum etiam ſuper pœnas inferni, p. 101. n. 225
Contritio charitate perfecta juſtificat quantumcumque imperfecta ſit in intenſione accidentali, p. 103. n. 237
Contritionis dolor quoad ſenſum non debet eſſe maximus, ibid.
Neque ſecundùm diſplicentiam rationis abſolutè, ibid.
Contritio ſecundùm diſplicentiam rationis debet eſſe dolor maximus in comparatione ad alios dolores, p. 104. n. 238
An intenſio debeat juxta Scotum intelligi inter cæteras circumſtantias Contritionis, ibid. n. 240
Contritio charitate perfecta non conſiſtit in eo, quòd homo nunquam ampliùs, vel valde difficulter ſit peccaturus, p. 114 n. 289
Contritio habet vim juſtificandi à perfectione ſua eſſentiali, p. 115. n. 292
Contritio non dicitur charitate perfecta, quia impedit peccatum craſtinum, p. 116. n. 297
Contritio charitate perfecta etiam minimæ intenſionis remittit peccata extra caſum neceſſitatis aut Martyrii, ùt oſtenditur ex Trident. & Bulla Pii V. p. 118. n. 310. & ſeq.
Caſus aliqui, in quibus ſecundùm Eſtium Contritio remittit peccata ſinè Sacramento, p. 119. n. 316. & ſeq.
Non eſt certus aliquis gradus intenſionis, ad quem cùm pertigerit Contritio, perpetuâ lege remittat peccata ſecundùm Eſtium, p. 120. n. 318
Contritio charitate perfecta non remittit omnem pœnam peccatis debitam, uti nec ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, ibid. n. 319
Remittit ſtabili lege peccata quoad culpam, non ex natura ſua, ſed ex miſericordia Dei, idque propter merita paſſionis Chriſti, ibid. n. 320
Contritio non remittit peccata ſinè ordine ad Claves, ibid. n. 321
Non magis derogat præcepto Confeſſionis, ſtabilis remiſſio peccatorum per Contritionem, quàm inſtabilis, p. 121. n. 322
Gratis aſſeritur, Contritionem remittere peccata in neceſſitate, & non extra neceſſitatem, ibid. n. 323
S. Bernardus cùm Auguſtino & Ambroſio docet ſufficere Contritionem in neceſſitate, ſed non ideo negat eam ſufficere extra neceſſitatem, ibid. & n. ſeq.
Exempla, quibus Eſtius conatur probare Contritionem non juſtificare extra neceſſitatem, p. 122. n. 328
Reſpondetur ad exemplum Geneſii & Emerentianæ, ibid. n. 329
Reſponſio ad exemplum Pauli, ibid. n. 330
Actus Contritionis charitate perfectæ ſatis arduus eſt, nec ſemper adeſt, dum adeſſe videtur, p. 123. n. 337
Actum Contritionis charitate perfectæ non eſſe adeo infrequentem probatur ex praxi & ſenſu totius Eccleſiæ, ibid. n. 338
Sacerdos cum ſolâ Contritione charitate perfecta poteſt adminiſtrare Sacramenta, ibid.
Fideles cum ſola Contritione charitate perfecta poſſunt ſuſcipere Sacramenta, exceptâ Euchariſtiâ, p. 124. n. 339
Ante legem Evangelicam ſatis frequens fuit Contritio charitate perfecta, p. 124. n. 340
Quomodo pauciſsimi ſint, qui eliciunt Contritionem charitate perfectam, ibid. n. 343
Vera Contritio non corporis ſenſu, ſed dolore animi eſt metienda, ibid.
Contritio vehementiſsimum animi dolorem conjunctum habet, ibid.
Contritio poteſt eſſe vera & efficax, etſi non perfecta, ibid n. 345.
Quæ ſit illa vera & non perfecta Contritio, ibid.
Trident. non lacrymis, ſed charitate dicit perfici Contritionem, ibid. n. 346
Pauciſsimi perveniunt ad illam vehementiam Contritionis, quæ ſufficiat ad delendam culpam & omnem pœnam, p. 126. n. 348
Faciliori ratione obtinetur plena & integra peccatorum remiſſio per Sacramentum, quàm per ſolam Contritionem, ibid. n. 349
Quomodo ſententia Petri præcedat ſententiam cæli, etiam dum quis juſtificatur per ſolam Contritionem, ibid. n. 350
Contritionem charitate perfectam juſtificare ſtatim, etiam extra neceſſitatem, probatur auctoritate Scripturæ & SS. Patrum, ibid. n. 353. & ſeq.
Reſponſio Adverſariorum rejicitur, p. 127. n. 358. & ſeq.
Deus cenſetur omnem Contritionem charitate perfectam acceptare tamquam ſolutionem æquivalentem, p. 128. n. 362
Non cuicumque Contritioni promittitur reconciliatio, ſed tantùm excellenti, p. 129. n. 370
Scotus non docet Contritionem juſtificantem requirere certam durationem, p. 130. n. 372
Loquitur Scotus de Contritione in fieri, non in facto eſſe, ibid. n. 374.
Contritio charitate perfecta magis deteſtatur proprium peccatum actuale ſeu perſonale, quàm proprium peccatum originale, p. 137. n. 411
Contritio charitate perfecta directè magis deteſtatur proprium peccatum veniale, quàm originale per ſe ſumptum, ibid. n. 414. & ſeq.
Contritio charitate perfecta poteſt ſtare cum veniali, ſecùs cum originali, p. 140. n. 429.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Contritio charitate perfecta eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem ex Scoto, p. 145. n. 457. & p. 148. n. 471
Oſtenditur ex Scoto habitum gratiæ non cauſare Contritionem charitate perfectam, p. 146. n. 460
Secundùm Scotum idem numero actus eſt Contritio informis & formata, ibid. n. 461
An Scotus docuerit Contritionem charitate perfectam aliquo tempore vel momento ſeparari à gratia, p. 147. n. 465. & ſeq.
Quomodo Contritio charitate perfecta præcedat & ſequatur deletionem peccati ex Scoto, ibid. n. 466
Sententia Richardi, Contritionem charitate perfectam poſſe deſinere antequam infundatur gratia, reprobatur à Scoto, ibid. n. 467. & ſeq.
Quæ ſit cauſa phyſicè efficiens Contritionem charitate perfectam, p. 149. n. 475
Contritio charitate perfecta meretur gratiam juſtificationis, p. 150. n. 481
Contritio diſponit tam ad receptionem gratiæ, quàm ad infuſionem, p. 153. n. 494
Contritio eſt diſpoſitio etiam ad ipſas virtutes, ibid. n. 495.
Nulla neceſſitas aſſerendi mutuam cauſalitatem Contritionis & gratiæ ſecundùm eſſe ſimpliciter, p. 154. n. 502
Quare Deus noluerit ut Contritio in peccatore produceretur à principio habituali, ibid. n. 503
Contritio charitate perfecta eſt effectus gratiæ actualis, p. 155. n. 504
Explicantur verba Conc. Arau. c. 4. de gratia actuali, ibid. n. 505.
Explicantur verba Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 7. de dono habituali, ibid. n. 506
Conc. Trident. non exprimit motivum charitatis in deſcriptione neque Contritionis in genere, neque Contritionis imperfectæ, p. 163. n. 30
Cum vera Contritione poteſt ſtare voluntas peccandi venialiter, p. 164. n. 36
Motivum intrinſecum Contritionis Charitate perfectæ & Attritionis, p. 166. n. 43
Metus gehennæ probatur eſſe objectum extrinſecum Contritionis charitate perfectæ, ibid. n. 44
Scotus Contritionem charitate perfectam vocat meritum de congruo, p. 180. n. 114. & ſeq.
Contritio perfecta & Attritio aliqua ſecundùm Poncium poſſunt eſſe ejuſdem ſpeciei, & poſſunt eſſe ejuſdem intenſionis gradualis, p. 181. n. 122
Diſtinctio Poncii inter Contritionem & Attritionem, ibid. n. 124
Experientia communis probat ſollicitudinem Confeſſariorum circa Contritionem perfectam, p. 184. n. 140
Excitandi ſunt fideles ad Contritionem charitate perfectam etiam extra articulum mortis, p. 185. n. 146. & ſeq.
Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. vocat Contritionem diſpoſitionem, p. 311. n. 505
Homo poteſt juſtificari ſubitò per Contritionem perfectam, p. 312. n. 509
Nemo accipit veniam peccatorum, niſi impetratam per Contritionem, p. 313. n. 511
Dignitas peccati non tollitur ad æqualitatem per dilectionem vel perfectam Contritionem, p. 316. n. 533
Moralis permanentia peccati non tollitur per Contritionem, niſi acceſſerit remiſſio Dei, p. 317. n. 534
Contritio majorem habet valorem ad merendum præmium, quàm ad ſatisfaciendum, p. 324. n. 574
Contritio charitate perfecta non delet peccata venialia de quibus non dolet, p. 336. n. 49
Quomodo Contritio deleat peccata venialia, de quibus dolet, ibid. n. 50
Contritio non opponitur ex natura ſua peccato veniali habituali, ibid.
Contritio juſti videtur Aliquibus eſſe condigna ſatisfactio pro peccato veniali, p. 337. n. 51
Contritio charitate perfecta remittit omnia venialia ad quæ ſe extendit, p. 336. n. 47
Contritio charitate perfecta poteſt ſtare cum actuali peccato veniali, ibid. n. 48
Contritio tollit culpam & mutat pœnam æternam in temporalem ante alias partes Sacramenti Pœnitentiæ, p. 373. n. 105
Ante legem novam pe Contritionem remittebatur culpa & pœna æterna, etiam damni, p. 407. n. 168. & ſeq.
Tanta poteſt eſſe Contritio, ut deleat omnem pœnam, p. 412. n. 195
Contritio non delet pœnam æternam ex natura rei, neque de condigno meretur illam remiſſionem, ibid. n. 196
Deus potuiſſet quamlibet Contritionem acceptare ad remiſſionem omnis pœnæ, ſed non conſtat id feciſſe, ibid. n. 197. & ſeq.
Quare quælibet Contritio potiùs remittat omnem culpam, quàm omnem pœnam, p. 415. n. 212
Quomodo Contritio peccatoris deleat pœnam, p. 415. n. 213. & ſeq.
Peccata ſemel remiſſa per Contritionem, poſſunt eſſe objectum novæ Contritionis, p. 457. n. 110.
Definitio Contritionis ex Trident. p. 475. n. 1
Quomodo intelligendum, quòd ait Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. *Hic timore* &c. ibid. n. 2.
Neceſſaria eſt Contritio etiam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, p. 494. n. 91.
Quare potiùs Contritio debeat præcedere Abſolutionem, quàm ſatisfactio, ibid. n. 94
Quare potiùs ablutio in Baptiſmo poſſit ſequi formam, quàm Contritio in Sacramento Pœnitentiæ, p. 495. n. 95
Contritio ſic debet referri ad Confeſſionem, ut intrà debitum tempus dolor præcedens ſignificetur per ſubſequentem Confeſſionem, p. 502. n. 130
Quod ſit illud tempus debitum, ibid. n. 131
Quantum temporis poſſit intercedere inter dolorem & Confeſſionem, explicatur exemplo, ibid. & n. 132
Quando cenſeatur nimia intercapedo temporis, p. 503. n. 133
Eadem Contritio, phyſicè perſeverans, poteſt ſubſervire duplici Confeſſioni, p. 504. n. 138
Quid ſi ſolùm moraliter perſeveret, ibid.
Sententia affirmans illam perſeverantiam ſufficere, probatur ex communi praxi in tribus caſibus, ibid. n. 134
Contritio, quæ ſolùm remotè foret libera, diſponeret ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, p. 617. n. 110
Per imperium neceſſitans non minuitur formalis bonitas Contritionis, p. 618. n. 114

CONTUMACIA.

In quo conſiſtat contumacia & inobedientia contra Eccleſiam, quæ requiritur ad incurrendam excommunicationem, p. 772. n. 223

CONTUMELIA.

Contumelia ſi ab ebrio proferatur, non eſt contumelia, p. 753. n. 139
Omnes contumeliæ ſunt ejuſdem ſpeciei, p. 785. n. 280. & ſeq.
Multi docent qualitatem contumeliæ & detractionis eſſe explicandam in Confeſſione, p. 786. n. 282. & ſeq.
Per accidens aliquando debet exprimi in Confeſſione materia contumeliæ aut detractionis, ibid. n. 285

CONVERSIO.

Quantum malum fuit peccatum avertens à Deo, tantum bonum eſt converſio ad Deum ex Charitate, pag. 318. n. 542

COPU-

Digitized by Google

COPULA.

Veriùs videtur tactus & copulam non habere malitiam ſpecie diſtinctam, p.763.n.183
Hinc tamen non ſequitur, eum, qui habuit copulam ſatisfacere confitendo ſolos tactus, ſicuti non ſufficit explicare ſolum actum internum, ibid. n. 184. & ſeq.
Sufficit Confeſſio copulæ, uti etiam Confeſſio actûs externi, p.64.n.187
An ſufficiat dicere: *Expoſui me periculo proximo copulæ per oſcula, amplexus* &c. ibid.n.188. & ſeq.
Non eſt ſimilis ratio partis inchoativæ & conſummativæ peccati, ibid.n.189
Quare non ſufficiat dicere in Confeſſione: *Commiſi peccatum grave contra caſtitatem cum ſoluta*, p.765. n. 191
Non valet hæc Confeſſio: *Commiſi grave peccatum in materia ſimplicis fornicationis*, ibid.n.193

CORRECTIO. CORREPTIO.

An notitia confeſſionalis ſit conveniens medium ad correctionem, p.694.n.74
Probatur ex Suario talem uſum notitiæ confeſſionalis non eſſe contra juſtitiam aut Charitatem, ibid. n. 75
Explicatur doctrina Scoti, p.695.n.77
Scientia extra Confeſſionem aptior eſt ad finem correctionis, ibid. n. 79
Pœnitentem poſſe dare ſcientiam confeſſionalem aſſerit Lugo & probat, ibid.n. 80
Peccatum futurum eſt materia correptionis, & non omninò præteritum, p.198.n.67. & ſeq.
Non teneor proximum corripere, quando ipſe poteſt correptionem reſpuere, ibid.n.68
Præceptum correptionis fraternæ obligat ad correptionem ſecretam, p.594.n.11
Omittens correptionem fraternam non debet in Confeſſione explicare ſpeciem peccati, p.732.n.55
Aliqua differentia inter eum qui omittit correptionem fraternam, & eum qui dat occaſionem per accidens peccati, ibid.n.56
Prælatus ex juſtitia tenetur corripere ſuos ſubditos, p.745.n.103

CREATIO. CREARE.

Quid ſit creatio & annihilatio, p.270.n.298
Quare potiùs gratia habitualis creetur, quàm actus ſupernaturalis, p.271.n.306

CREDERE. CREDIBILE.

Deo aliquid revelanti poſſum credere Fide naturali & bonitatem ejus naturaliter ſperare & diligere, p.11.n.46.& 47
An judicare Deum vera dixiſſe, ſit illi credere, p.202. n. 90
Quomodo illi, qui non audierunt Evangelium poſſent credere, ſi vellent, p.227.n.81
Quare Judæi non potuerint credere, p.250.n.196
Aliquando apud D. Auguſt. diſtincta ſunt nolle credere, & non poſſe credere, p.251.n.200
Credibilia ſunt in triplici differentia, p.59.n.286

CREDITOR.

An creditor poſſit ſecundò idem debitum condonare, p.45.n.217.& ſeq.

CULPA.

Culpa & gratia non ſunt formaliter oppoſita nec formaliter repugnantia, p.269.n.296.
Expulſio culpæ nullam habet cauſam formalem, p.287. n. 381
Scotus ſæpè diſtinxit inter culpam & reatum pœnæ, p.309.n.494
Concilium Trident. diſtinguit inter culpam & reatum pœnæ, ibid.
Quomodo culpa dicatur pœna ex Scoto, p.333. n. 31
Culpa remittitur ante delationem ad locum Purgatorii, p.353.n.136

CULTUS.

Diſparitas inter cultum divinum, qui ſingulis diebus præcipitur Clericis, & qui omnibus fidelibus præcipitur diebus Feſtivis, p.818.n.424

D

DAMNARE DAMNATIO. DAMNATUS.

Eccleſia oraret pro converſione eorum, quos ſciret damnandos propter peccata ſubſequentia, p.526.n.244
An aliquis poſſit eligere æternam damnationem, ne committat novum peccatum, p.101.n.226 & ſeq.
Nulla de facto eſt neceſſitas eligendi malum culpæ ad evitandam damnationem, p.102.n.230
A damnatione nemo liberatur, niſi per Fidem Chriſti, p.227.n.85
Per damnationem non tantùm accedit ſcientia impoſſibilitatis, ſed etiam ipſa impoſſibilitas æternæ ſalutis, p.234.n.116
Nihil damnationis eſt iis, qui verè ſunt baptizati, p.241.n.153
An damnati debeant pœnitere ſi poſſint, p.191.n.28
Juſtiſſimè derelinqui damnatos in ſua malitia exemplis declaratur, p.333.n.31
Damnatus eſt continuè in aliquo malo velle, ibid. n. 32
Damnatus poteſt habere actum bonum ex genere, ibid. n. 33
Non conſtat, quod damnatus continuè de novo complaceat ſibi in peccatis venialibus præteritis, ibid. n. 34
Pœna damnati non creſcit intenſivè, ſicut nec gloria beati, tamen mali eorum actus non erunt impuniti, nec boni irremunerati, ibid.n.35
Damnatus per complacentiam in peccatis præteritis non meretur novam pœnam, p.334.n.36
An damnati ſint capaces alicujus refrigerii, p.335. n. 43
Pœnæ damnatorum non ſunt ſatisfactio reconciliativa, ibid. n. 45

DAMNUM.

Quare peccatum mortale ſit grave damnum ſpirituale, p.195.n.54
Non eadem gravitas damni excuſat ab omnibus præceptis, p.678.n.7
Quid ſit damnum emergens & lucrum ceſſans, p.749. n. 119

DEBERE. DEBITUM.

Debitum juſtitiæ ſtrictè dictæ poteſt non obligare pro aliquo tempore, p.28.n.131
Nihil habemus, quod non ſit debitum Deo aliquo modo, p.318.n.540
Juſta ratio differendi ſolutionem debiti, non eſt ſemper juſta ratio numquam ſolvendi debitum, p.688. n. 49
Ly *Debet*, non ſemper importat præceptum, p.173. n. 84
Poteſt oriri majus debitum ad præmium ex opere externo libero. p.864.n.65

DELECTARE. DELECTATIO.

Explicatio illorum verborum Divi Auguſt. *Quod ampliùs nos delectat* &c. p.116.n.298.& ſeq.
Homo creatus eſt cum poſſibilitate frænandi delectationem ab illicito, p.227.n.85

DELECTATIO MOROSA.

Delectatio moroſa prohibetur in Decalogo, p.738. n. 75
Religioſi vovent abſtinentiam à delectationibus moroſis, ibid.n.76.& ſeq.

Digitized by Google

Abſtinentia à moroſis delectationibus eſt moraliter poſſibilis, ibid. n. 78
Quid ſit delectatio moroſa, p. 793. n. 315
Eſt peccatum mortale de opere mortali, ibid. & p. 737. n. 74
Delectari cogitatione rei malæ per ſe non eſt malum, p. 793. n. 316
Differentia inter delectationem de cognitione, & de re cognita, p. 794. n. 317
Quare una ſit mala, & alia non, ibid.
Objectum delectationis moroſæ eſt ipſa res mala, ibid. n. 318
Licet delectari de modo indifferenti alicujus actionis malæ, ibid. n. 319
Ex quo delectatio moroſa deſumat ſuam ſpeciem, ibid, n. 320
Delectatio moroſa ſumit ſpeciem & ſpecie diſtinguitur, tum ex oppoſitione cum virtute, tum ex objecto formali, p. 795. n. 322
Quid ſit delectatio libidinoſa, p. 796. n. 326
Eſt illicita illi, cui non eſt licitus actus, ad quem diſponit, ibid. n. 327
Ut delectatio moroſa de copula cum conjugata non ſit injuſta, ſufficit quòd negativè præſcindatur injuſtitia, ibid. n. 328
Utrùm omnes delectationes moroſæ ſint ejuſdem ſpeciei, ibid. n. 330
Utrùm omnes delectationes in materia luxuriæ ſint ejuſdem ſpeciei, p. 797. n. 331
Sententia Felicis, delectationem veneream in voluntate aut appetitu viduæ de copula præterita non eſſe peccatum mortale, ibid. n. 333. & ſeq.
Hæc ſententia rejicitur, p. 798. n. 338
An ſicut delectatio voluntatis poteſt eſſe de objecto conditionali, ac à malitia præciſo, ita etiam delectatio appetitûs, ibid. n. 335
Delectatio venerea non ſolùm in appetitu, ſed etiam in voluntate eſt mortalis, ibid. n. 337
Differentia inter delectationem & deſiderium, ibid.
Delectatio venerea eſt affectus & propenſio in copulam carnalem præſentem, ibid. n. 338
Plus eſt delectari, quàm deſiderare, ibid.
An liceat delectari de actibus ex ſe mortalibus, excuſatis à culpa ratione ſomni, ebrietatis &c. p. 8.0. n. 347

DESIDERARE.

Poſſum illicita aliqua deſiderare ſub conditione, ſi mihi licerent, p. 799. n. 341
Regulariter plus meretur, qui martyrium patitur, quàm qui tantùm illud interiùs efficaciter deſiderat, p. 838. n. 79

DESPICERE.

Prudentes non adeo deſpiciunt hominem ex peccato, quàm imprudentes, p. 684. n. 34

DETESTARI. DETESTATIO.

Homines timorati ſæpiùs deteſtantur actus tantùm materialiter malos, & damnum proximo inadvertenter illatum; item negligentiam inculpabilem in vindicando peccato commiſſo, p. 48. n. 231
Poteſt deteſtari culpa, etiamſi non privaret æternâ beatitudine, p. 172. n. 75
Deteſtatio peccati à SS. Patribus appellatur pœnitentia, p. 38. n. 183
An deteſtatio ſit actus elicitus pœnitentiæ, ibid. n. 184
Aliqua peccata deteſtatur amor proprius, p. 39. n. 188
Aliud eſt deteſtari peccatum, quia eſt malum Dei, & aliud deteſtari, quia offendit Deum, p. 40. n. 193
Quid ſit deteſtatio peccati, ibid. n. 196
Deteſtatio peccati poteſt eſſe actus imperatus ſpecialis virtutis pœnitentiæ, p. 41. n. 198
Fortè etiam actus elicitus, ſed ſecundarius tantùm, ibid.
Probatur neceſſitas deteſtationis ex ratione naturali, p. 72. n. 65
Eadem deteſtatio peccati poteſt eſſe amor & odium, p. 79. n. 98
De hac deteſtatione verificantur Scripturæ & auctoritates Patrum, quæ videntur requirere ad Contritionem amorem Dei, ibid. n. 99 & ſeq.
Qui deteſtatur unum peccatum mortale propter timorem æternæ pœnæ, virtute deteſtatur omnia mortalia, p. 94. n. 187
Quid ſit deteſtari peccatum ſuper omne aliud malum, p. 101. n. 223
Quid ſit deteſtari peccatum ſuper æternam damnationem & malum Dei intrinſecum, p. 102. n. 230
Deteſtatio ſuper omnia reſpicit etiam peccatum præteritum, p. 103. n. 234
An deteſtatio efficax peccatorum non habeat appretiationem & firmitatem niſi ab intenſione graduali, p. 110. n. 270
Deteſtatio peccati non ſolùm debet eſſe maxima, ſed etiam vehementiſſima ex Catechiſmo Romano, p. 125. n. 344

DETRACTIO.

Diſcrimen aliquod inter impoſitionem criminis falſi & revelationem criminis veri, p. 682. n. 25
Detractio & contumelia habent diſtinctum objectum, p. 685. n. 35
Peccat mortaliter, qui coram uno ſolo imponit crimen falſum, ibid. n. 36
Formalis detractio eſt peccatum contra juſtitiam, p. 688. n. 51
Malitia detractionis conſiſtit in voluntate proferendi illa verba cum cognitione gravis nocumenti, p. 814. n. 407

DEUS.

Quidquid Deum decet, juſtum eſt ex Divo Anſelmo, p. 22. n. 100
Deus tenetur ex juſtitia aut fidelitate reddere vitam æternam pro bonis operibus, ibid. n. 101
Deus non cenſetur exigere actum præceptum tamquam debitum ex ſtricta juſtitia, p. 23 n. 105
Quid Deus ſignificet per hæc verba: *Ego Dominus*, ibid. n. 106. & ſeq.
Deus habet jus dominii in omnes noſtros actus, ibid. n. 109
An Deus poſſit cedere illo jure, ibid. n. 110. & ſeq.
An Deus habeat ſtrictum jus juſtitiæ ad ſuam amicitiam, p. 24. n. 115
Deus habet juſtiſſimas cauſas non impediendi peccata, p. 27. n. 128
Deus poteſt in homine conſervare gratiam, tametſi velit peccare mortaliter, p. 272. n. 310
De potentia Dei abſoluta poteſt quis eſſe ordinatus ad vitam æternam, tametſi non ſit juſtus, p. 288. n. 386
An Deus habeat aliquem affectum erga peccatum præteritum, p. 34. n. 159. & ſeq.
Quomodo Deo placeat bonitas punitionis, ibid. n. 161
An Deus habeat odio notitiam, quæ præcedit peccatum, ibid. n. 164
Deus licèt puniat peccatorem, non tamen dicitur pœnitere, p. 37. n. 179
Aliud eſt habere Deum placatum, aliud habere amicum, p. 40. n. 194.
Quomodo Deus dicatur iratus, p. 42. n. 206
Cur unus mandata Dei obſervet & alius contemnat, p. 231. n. 106
An Deus in Sacramento Pœnitentiæ ſæpiùs remittat eadem peccata, p. 45. n. 217. & 219

Digitized by Google

Deus cognoſcit creaturas etiam in ſeipſis, p. 51. n. 247
In Deo poteſt admitti actus aliquis virtutis ſpecialis Pœnitentiæ, à quo tamen non bene diceretur Deus pœnitens, ibid. n. 249
Fieri poteſt, ut, quæ bonâ conſcientiâ omiſimus, poſteà teneamur Deo reddere, p. 658. n. 128
Deus poteſt rem ex ſe bonam, ſuo præcepto facere malam, p. 768. n. 208
Deus non neceſſitatur ad productionem gratiæ, p. 272. n. 309.
Dependentia accidentalis abſolutè, poteſt ſuppleri à Deo, ibid.
Deus non deſerit juſtificatum, niſi priùs ab eo deſeratur, p. 522. n. 221
Quod natum eſt prohiberi à Deo ſub gravi obligatione, multò magis ſub levi, p. 267. n. 285

DIES.

An ultimus dies antecedentis menſis, ſit primus ſubſequentis, p. 588. n. 150. & ſeq.

DIFFERRE. DIFFERENTIA.

Ternarius hominum & ternarius equorum differunt ſpecie phyſicâ ſecùs arithmeticâ, p. 52. n. 251
Differentia ſpecifica, quæ dicatur, ibid.
An qui differt pœnitentiam exponat ſe morali periculo damnationis, p. 204. n. 101

DIGNUS. DIGNITAS.

Homo non eſt ſimul dignus gloriâ & privatione gloriæ pro eodem tempore & immediatè; ſecùs pro diverſo tempore & mediatè, p. 242. n. 156
Utrùm dignitas perſonæ peccantis aggravet peccatum, p. 744. n. 98. & ſeq.

DILECTIO. DILIGERE.

Dilectio noſtra Dei potentior eſt, ut phyſicè nos convertat ad Deum, quàm fuerit peccatum Adæ, ut phyſicè avertat nos à Deo, ſecùs ut moraliter, p. 317. n. 536
Entitas dilectionis phyſicè tantùm placet, quantum diſplicet peccatum, p. 324. n. 572
Honeſtas in diligibili & redamatio in dilecto ſunt conditiones per ſe in diligibili, æqualitas in iſtis conditio concomitans, p. 91. n. 171
Quid ſit diligere Deum ſuper omnia p. 104. n. 238
Quis diligat Deum ſuper omnia intenſivè ſecundùm Scotum, p. 105. n. 244
Scotus non docet nos teneri ad dilectionem Dei gradualiter intenſiorem omni alio, ibid. n. 245
Ratio naturalis dictat bonum infinitum eſſe ſummè diligendum, p. 117. n. 301
Tenemur plus diligere Deum, quàm patrem aut matrem ſecundùm portionem ſuperiorem; ſecùs ſecundùm portionem inferiorem, ibid. n 304
Quid ſit plùs diligere Chriſtum, quàm divitias ex D. Auguſt. p. 118. n. 306. & ſeq.
Dilectio actum ſignificat, & non habitum tantùm, p. 119. n. 313.
Deus liberaliter abſolvit peccatorem, qui Deum propter ſe ſimpliciter & abſolutè ſuper omnia diligit, p. 129. n. 371
Deus diligit hominem etiam per infuſionem gratiæ actualis, p. 157. n. 516.
An Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. per ly, *Diligere incipiunt* intelligat actum dilectionis Dei propter ſe, p. 168. n. 53. & ſeq.
Quid ſit Deum plùs diligere, quàm ſeipſum, & vice verſâ plùs ſeipſum, quàm Deum, p. 185. n. 144
Cur Deus Jacob dilexerit, Eſau autem odio habuerit, p. 241. n. 149
Quomodo ille, cui plus Deus donavit, plus diligat, & quomodo non, p. 371. n. 98. & ſeq.

DILIGENTIA.

Non tenetur homo ad diligentiam metaphyſicam circa ea, quæ ſpectant ſalutem æternam, p. 204. n. 102

DILUVIUM.

Bonitas Dei non defuit impiis ante diluvium, p. 255. n. 219

DISCURSUS.

Quare aliquis diſcurſus vocetur diſputatio, p. 220. n. 50

DISPENSARE.

Deus poteſt aliquo modo diſpenſare in præceptis primæ tabulæ, p. 190. n. 23
Quâ ratione præcepta primæ tabulæ dicantur à Scoto indiſpenſabilia, p. 191. n. 25. & ſeq.
Poſſet Deus diſpenſare in præcepto pœnitentiæ, ibid. n. 27

DISPLICENTIA,

Quid ſit diſplicentia virtualis, p. 2. n. 4
Apud homines aliquando ſola diſplicentia impetrat veniam. p. 75. n. 80
An ſimplex diſplicentia peccati habeat bonitatem eandem in ſpecie & objecto, quam habet voluntas efficax, p. 110. n. 271
An Scotus præter voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum, requirat aliquam diſplicentiam peccati, p. 178 n. 108

DISPOSITIO.

Diſpoſitio prævia ad deletionem peccati, informis, concomitans, formata ex Scoto, p. 148. n. 469
Homo cauſat diſpoſitiones, quæ neceſſariò exigunt infuſionem animæ rationalis, p. 272. n. 310
Diſpoſitio ad formam debet eſſe ejuſdem ordinis cum forma, p. 480. n. 26
Diſpoſitio diſtinguitur à forma, ad quam diſponit, p. 311. n 503
Conc. Trident. menſuram juſtitiæ tribuit, non ſoli diſpoſitioni, ſed etiam voluntati Spiritûs ſancti, p. 365. n. 68
Meliùs diſpoſitis confertur remiſſio majoris pœnæ, p. 893. n. 20
Forma non dependet à ſuis diſpoſitionibus, quoad eſſe ſimpliciter, p. 152. n. 488

DISPUTATIO.

Non eſt completa diſputatio quæ caret ſolutione, p. 220. n. 50

DISSENTIRE. DISSENSUS.

Poteſt homo diſſentire gratiæ interiori ſi velit, p. 220. n. 52. & ſeq.
An negatio ſit objectum in diſſenſu. p. 7. n. 22

DISSIMULARE.

Aliud eſt diſſimulare aliquid, aliud ſimulare, p. 624. n. 173
Quid ſit diſſimulare veram Fidem, & quid ſimulare falſam Fidem, p. 625. n. 173

DISTANTIA.

Diſtantia inter malos homines & dæmones ex ſancto Proſpero, p. 233. n. 112. & ſeq.
Quæ ſit diſtantia inter homines reprobos & dæmones, ibid. n. 114
Quæ ſit diſtantia inter homines reprobos in hac vita, & inter homines damnatos, ibid. n. 115

DISTINCTIO NUMERICA PECCATORUM.

A quo deſumatur diſtinctio ſpecifica & numerica peccatorum, p. 819. n. 1
Ad numericam diſtinctionem actuum merè internorum ſufficit ſecundùm Suarez & Vaſquez quælibet minima interruptio, ibid n. 2

Digitized by Google

Quælibet diſtinctio numerica non eſt materia præcepti Confeſſionis, p.821. n. 8
Quæ ſit interruptio ſufficiens ad multiplicandum numerum in ordine ad Confeſſionem, ibid. n. 9. & ſeq.
Perinde eſt ad hanc interruptionem quanto tempore duraverit actus, p. 822. n. 11
Lugo putat eandem voluntatem internam non perſeverare communiter ultra duas vel tres horas, ibid. n. 12
An ſit neceſſaria ſaltem voluntaria ceſſatio à priori actu, ibid. n.14
Quid ſi aliquis poſt ſomnum cogitet de priori actu, & ideo eum renovet? Probatur à poſteriori conſtituere unum peccatum, ibid. n. 15
Ratio à priori, p.823.n.16
Oſtenditur hæc ſententia eſſe difficilis, ibid. n. 17
Reſponſio ad probationem à poſteriori, ibid. n. 18
Docent Aliqui non ſufficere ad multiplicandum numerum, interruptionem quæ fit naturali oblivione aut inconſideratione. ibid. n. 19
Limitatio illius ſententiæ; probatio ex ratione, & confirmatio, p.824.n.20. & ſeq.
Reſpondetur ad rationem & confirmationem, ibid. n. 23
Limitatio rejicitur; ibid.n.24
Quando actus externus ſimul cum interno ceſſat, & alius ſimilis poſteà repetitur, ſunt plura numero peccata, p.825. n. 26
Ad unitatem peccati non juvat unitas internæ concupiſcentiæ, ubi actus externi peccaminoſi ſunt plures, ibid. n. 27
Plures actiones externæ non peccaminoſæ ex ſe, ordinatæ ad eundem finem malum, conſtituunt unum peccatum, p.826.n.31
Quid ſentiendum quando actiones illæ externæ interrumpuntur, p.827.n.33. & ſeq.
Actus interior cum exteriori facit unum peccatum, p. 826. n. 32
Sola habitualis voluntas non ſemper ſufficit, ut actiones illæ quantumcumque interruptæ uniantur, p. 827. n. 35
Non eſt neceſſaria voluntas actualis, ibid.
An requiratur voluntas virtualis, ibid.n.36
Videtur aliquando ſufficere voluntas habitualis, p.828. n. 37
Plures actiones phyſicè diſtinctæ poſſunt componere unam moraliter actionem peccaminoſam, ibid.
Quid ſi illæ actiones per ſe ſint peccata mortalia ſinè ordine ad hunc vel illum finem? Probatur eſſe peccata numero diſtincta, ibid. n. 38
Arguitur pro ſententia oppoſita, quæ Aliquibus videtur probabilis, ibid. n. 39
Unitas numerica etiam in actionibus vel qualitatibus, non eſt ſemper ejuſdem rationis, p. 829. n. 43
An qui non reſtituit rem per integrum annum, non peccet niſi unico peccato, etſi voluntatem non reſtituendi ſæpiùs repetat, p.830.n.48
Quibus modis interrumpatur voluntas non reſtituendi, ibid.n.49
An impotentia magis interrumpat peccatum, quàm ſomnus vel diſtractio, p.831.n.50. & ſeq.
An interruptio per voluntatem contrariam ſemper impediat unitatem moralem actionis & peccati, ibid.n.53
An plures numero malitiæ in eodem actu ſint explicandæ in Confeſſione, p.832.n.56. & ſeq.
Plures malitiæ numericæ in eodem actu repertæ, conſtituunt plura numero peccata formaliter, p.833. n. 59
Poſſunt in eodem actu phyſico eſſe plures malitiæ ſolo numero diſtinctæ, ibid.n.60. & ſeq.
Oppoſita ſententia probatur à Suario diverſis rationibus, ibid.n.62
Reſpondetur ad tertiam rationem. p.834.n.63

DOLOR. DOLERE.

An præter deteſtationem peccatorum ſit neceſſarius dolor aliquis intellectivus aut ſenſitivus, p.71. n. 60. & ſeq.
Debet admitti ad Pœnitentiam, qui dicit, ſe nolle peccaſſe, & dicit, ſe dolere, quòd non poſſit dolere, ibid. n. 62
Ex quo cognoſci poſſit ſumma appretiatio doloris, p. 100. n. 219, & ſeq.
Dolor quantumcumque ſit parvus ſufficit, ſi ſit gratiâ informatus, p. 104. n.238
Diſtinctio doloris appretiativi non enervat ſolicitudinem Peccatorum, p.109.n.263
Inconvenientia, quæ ſequuntur ex neceſſitate doloris ſummè intenſi gradualiter, ibid. n. 264
Non ſufficit ad contritionem dolor quantumcumque parvus, p.110.n.268
Dolor magìs intenſus, magìs conducit ad vincendas tentationes, p.114.n.290
Non omnis dolor efficax juſtificat extra Sacramentum, p.115.n.291
Quis ſit dolor & amor efficax, ibid. n. 295
Dolor & timor impediunt liberum uſum rationis, p. 132 n. 380
An dolor venialiter malus ſufficiat ad juſtificationem, ibid. n. 383
Quo modo poſſim magis dolere de peccato mortali alieno, quàm de veniali proprio, p.144. n.452
Quis ſit dolor formalis, p. 476. n. 7
Quis ſit dolor efficax, p. 477. n. 12
Ad efficaciam doloris requiritur propoſitum emendationis formale vel virtuale, p. 514. n. 187
Quid ſufficiat ad efficaciam doloris circa præteritum, ibid. n. 188
An ſufficiat propoſitum generale cavendi peccata, p. 515. n. 188
An ſufficiat propoſitum generale, quod virtualiter ſe extendat ad ſingula in particulari, ibid. n. 191
Trident. requirit poſitivam excluſionem voluntatis peccandi, p. 516. n. 192
Saltem requiritur libera carentia voluntatis peccandi, ibid. n. 193

DOLOR SACRAMENTALIS.

Quis ſit dolor ſacramentalis, p. 475. n. 3
Quòd dolor ſacramentalis debeat eſſe ſupernaturalis, probatur ex Trident. ibid.
Quòd dolor ſacramentalis debeat eſſe formalis, probatur ex Conc. Florent. & Trident. p. 476. n. 7
An Scotus docuerit dolorem ſacramentalem non debere eſſe formalem, ibid. n. 9
Probabile putat Tamburinus in Confeſſione venialium ſufficere dolorem virtualem, p. 478. n. 17
Rejicitur ejus fundamentum, ibid. n. 18
Tamburinus falsò allegat Suarium pro ſua opinione, ibid. n. 20
Suarez loquitur de remiſſione venialium, quatenùs eſt effectus Sacramenti, p. 479. n. 21
Sacramentum Pœnitentiæ præcisè ad effectum remiſſionis venialium non requirit formalem Attritionem, ibid. n. 22
Suarez putat probabile, quòd valeat Abſolutio venialium abſque Attritione ſupernaturali, ibid. n. 23
Rationes propter quas illa opinio diſplicet, ibid. n. 24. & ſeq.
Dolor de venialibus debet eſſe efficax, p. 480. n. 29
An ſufficiat ad dolorem ſacramentalem dicere, *Doleo, quòd dolere non poſſim*, ibid. n. 30. & ſeq.
Dolor ſacramentalis debet eſſe univerſalis de mortalibus, ſecùs de venialibus, p.481. n. 33

An

Digitized by Google

An dolor univerſalis de venialibus retractetur per peccatum veniale ſubſequens, ita ut Abſolutio non valeat, p.483. n. 39. & ſeq.
Sententia Suarii, non ſemper eſſe nullam Confeſſionem, quæ fieret cum Attritione particulari, p. 484. n. 44. & ſeq.
Quare ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ potiùs requiratur dolor univerſalis, quàm Confeſſio univerſalis, ibid. n. 47
Aliqui caſus, in quo ſecundùm Aliquos requiritur dolor ùt diſpoſitio ad effectum, & non ùt pars Sacramenti, p. 486. n. 57. & ſeq.
Reſponſio ad illos caſus, p. 487. n. 59
Nullus dolor eſt pars, qui non ſufficiat ad effectum, & nullus requiritur ad effectum, qui non ſit pars, ibid. n. 60
Objectiones ſolvuntur, ibid. n. 61. & ſeq.
Tam facilè eſt juxta Aliquos elicere dolorem ex motivo univerſali Charitatis aut Spei, quàm ex motivo particulari hujus vel iſtius honeſtatis, ibid.
Æquè difficilè eſt elicere propoſitum univerſale, quàm dolorem univerſalem, ibid.
Deus non ſupplet defectum doloris in Sacramento Pœnitentiæ, ſicuti nec defectus materiæ aut formæ in aliis Sacramentis, p. 488. n. 62
Dolor ſacramentalis debet ex ſe tendere efficaciter ad reconciliationem, ibid. n. 64
Dolor ſacramentalis debet, virtualiter ſaltem, deteſtari omne peccatum quod impedit reconciliationem, p. 489. n. 67
Talis non eſt dolor præcisè propter turpitudinem furti, ibid.
An requiratur major extenſio propoſiti, quàm doloris, ibid. n. 68. & ſeq.
Requiritur carentia actualis propoſiti peccandi, ibid.
Gratis videtur requiri bona fides, ut dolor particularis valeat, p. 490. n. 69
Quare Chriſtus potiùs requiſiverit dolorem univerſalem, quàm Confeſſionem materialiter integram ibid. n. 70
Diſcrimen inter dolorem & propoſitum quo ad univerſalitatem ex Lugone, oppugnatur, ibid. n. 71. & ſeq.
Propoſitum univerſale videtur ſupponere dolorem univerſalem, ibid. n. 72
Dolor ex natura ſua poteſt implicitè ferri ad illud peccatum, quod non occurrit, ibid. n. 73
An Aliquis dolor ſit neceſſarius ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ, p. 493. n. 88
Probatur ex praxi pœnitentium & Confeſſariorum dolorem ſacramentalem non poſſe ſubſequi Abſolutionem; ratio à priori eſt, voluntas Chriſti, p. 494. n. 92
An dolor tempore debeat præcedere Confeſſionem, p. 495. n. 96
Confeſſarii ſolent excitare pœnitentes ad exhibenda ſigna doloris poſt Confeſſionem, ibid. n. 97
Quare potiùs Contritio debeat præcedere Abſolutionem, quàm Confeſſionem, p. 496. n. 99
Dolor ſubſequens ſit ſenſibilis per Confeſſionem præcedentem, ibid. n. 102
An pœnitens, qui non cogitat de dolore quando confitetur, mentiatur, ibid. n. 103
Periculoſum eſt in praxi differre dolorem uſque ad finem Confeſſionis, p. 497. n. 104
Item differre dolorem uſque ad finem Abſolutionis, ibid. n. 105
An ſufficiat quòd dolor concomitetur Abſolutionem, ibid.
Diverſi modi, quibus dolor poteſt referri ad Confeſſionem, ibid. n. 108
Dolor ſacramentalis poteſt tempore antecedere Confeſſionem, p. 498. n. 109
An debeat procedere ex intentione formali aut virtuali confitendi, ibid. n. 110
Probatur ſufficere relatio conſequens ex communi ſenſu fidelium, p. 499. n. 113
Non eſt omnimoda paritas inter dolorem baptiſmalem & pœnitentialem, ibid. n. 115
Quare potiùs requiratur relatio aliqua doloris ad Sacramentum Pœnitentiæ, quàm relatio aliqua benedictionis Chriſmatis ad Sacramentum Confirmationis, p. 500. n. 121
An modus procedendi à dolore ad Confeſſionem ſit magis connaturalis, quàm vice verſâ, p. 501. n. 122
Probatur ſufficere relatio conſequens doloris ad Sacramentum, exemplo ſatisfactionis, ibid. n. 124
Diſcrimen inter ſatisfactionem & dolorem, ibid. n. 125
Sufficit habitualis permanentia doloris, p. 503. n. 134
Cur magis requiratur virtualis intentio, quam virtualis dolor, ibid. n. 135
Probatur ex ratione, unicum dolorem poſſe ſubſervire duplici Confeſſioni, p. 505. n. 142. & ſeq.
An unus dolor poſſit ſubſervire duplici Confeſſioni de iiſdem peccatis, p. 506. n. 147. & ſeq.
Novus dolor elici poteſt ex eodem motivo, p. 507. n. 151.
An qui initio anni habuiſſet dolorem de aliquibus peccatis, poſſit ſingulis diebus confiteri illa peccata in virtute illius doloris, ibid. n. 154
Non eſſe mortale confiteri unicum veniale ſinè debito dolore, probatur quadrupliciter, p. 508. n. 157.
Quæ ſit materia, quæ hîc debet conſiderari, p. 508. n. 158
Rejicitur quadruplex illa probatio, p. 509. n. 160
Probatur eſſe peccatum mortale confiteri plura venialia, cum dolore tantùm de uno, ibid. n. 162
Probatur non eſſe mortale, ibid
An ſit aliquod peccatum confiteri unum peccatum veniale abſque debito dolore, p. 511. n. 171. & ſeq.
Ad Confeſſionem venialium requiritur dolor ſupernaturalis, formalis, & efficax, p. 477. n. 13
Poteſt dari dolor ſufficiens de uno peccato veniali, qui non ſit virtualiter de alio ejuſdem ſpeciei, p. 481. n. 36

DOMINIUM. DOMINUS.

Quid ſit dominium, p. 689. n. 51
Homo eſt dominus vitæ ſpiritualis, ſecùs corporalis, p. 195. n. 51

DUBIUM. DUBIUS.

Dubium aliud eſt de ſubſtantia, aliud de qualitate, aliud negativum, aliud poſitivum, p. 644. n. 63
Quid ſit dubium poſitivum & negativum, ibid. & n. ſeq.
Si ſit dubium de ſubſtantia actus ſecundùm Marchantium nulla eſt obligatio confitendi, p. 647. n. 76
Sententia Regii de hac re, ibid. n. 77
Auctor amplectitur ſententiam Marchant, ibid. n. 79
Peccatum ſic dubium non debet ſimpliciter dici peccatum, p. 647. n. 80
In dubio an caſus ſit reſervatus, non tenetur pœnitens adire Superiorem, p. 648 n. 81
Adverſariorum diſparitas inter reſervationem & obligationem confitendi rejicitur, ibid. n. 82. & ſeq.
An Lutherus docuerit peccata dubia non eſſe confitenda, p. 649. n. 87. & ſeq.
Concil. Trident. per peccata occultiſſima non intellexit peccata dubia, p. 650. n. 91
Pœnitens ſtupidus qui dubitat de qualitate delicti, tenetur dubium ſuum Confeſſario, vel alteri viro docto aperire, p. 651. n. 93
An praxis confitendi peccata dubia induxerit obligationem, ibid. n. 94
In dubio juris poteſt eligi pars minùs tuta, p. 651. n. 97
An poſſit aliquis abſolvi à peccato dubio, etſi non teneatur illud confiteri, p. 653. n. 105. & ſeq.
An peccato dubio in Confeſſione debeat adjungi aliquod certum, ibid. n. 104. & 106

Obligatio confitendi peccata dubia probatur ex praxi, p. 654. n. 108.
An ſit poſſibilis caſus, in quo aliquis dubitet de Confeſſione alicujus peccati mortalis, p 656. n. 117
An poſſit aliquis eſſe certus de peccato commiſſo, & dubius de Confeſsione, ibid. & n. ſeq.
Ex quo proveniat, quòd homo dubitet, an conſenſerit in aliquam delectationem, ibid. n. 119
In tali dubio homo timoratæ conſcientiæ poteſt præſumere partem benigniorem, homo perditæ conſcientiæ, debet præſumere ſeveriorem, ibid.
Quod in Capitibus Conc. Trident. eſt dubium, reſolvendum eſt ex Canonibus, p. 311. n. 504

E

EBRIETAS. EBRIUS.

Ebrietas eſt peccatum mortale contra ſobrietatem, p. 193. n. 39
An ebrietas, in qua prævidetur homicidium ſit contra juſtitiam, p. 734. n. 61
Prævidens homicidium in ebrietate, peccat graviter contra juſtitiam ſe inebriando, p. 753. n. 138
Nunquam licet ſe inebriare, p. 800. n. 344
Quare potiùs liceat ſumere potum inebriantem uſque ad violentam privationem uſûs rationis, causâ ſanitatis, quàm ad eundem finem procurare pollutionem, ibid.

ECCLESIA.

Qui peccat in Eccleſiam, v. g. occidendo in Eccleſiâ, non defenditur ab illa, p. 212. n. 13
Eccleſia permittit uſum Sacramentalium peccatoribus, p. 328. n. 7
Eccleſia poteſt interpretari præcepta divina, p. 551. n. 55
Aliqui actus polluunt Eccleſiam quia ſacrilegi ſunt, p. 801. n. 352
Ejiciuntur ab Eccleſia qui defunctorum oblationes detinent, p. 869. n 84
Eccleſia fert leges ſuas etiam pro ſubditis futuris, p. 419 n. 14
Eccleſia Græca potuit & poteſt in multis errare, p. 449. n. 68
An Eccleſia præcipiat res difficiliores Confeſsione, p. 560. n. 19
Eccleſia poteſt facere materiam liberam Sacramenti neceſſariam, p. 578. n. 101
Dantur aliqui actus, qui ex natura ſua repugnant ſanctitati Eccleſiæ, p. 803. n. 358
Probatur ex Scriptura & Jure Canonico, ibid. n. 359
Res accommodata Eccleſiæ quaſi ſacra reputatur, p. 806. n. 373
Probatur ex Conc. Toletano, quòd Eccleſia habeat poteſtatem in actus merè internos, p. 571. n. 71. & ſeq.
In Eccleſia eſt poteſtas præcipiendi uſum Sacramentorum, p. 556. n. 1
Eccleſia ſæpè præcipit ea, de quibus non facilè cognoſcit in foro externo, p. 558. n. 10

ELECTIO. ELIGERE.

Sola electio efficax nata eſt generare virtutem, p. 58. n. 282.
Sancti priùs ſunt electi, quàm vocati à Deo, p. 236. n. 125
Deus his quos elegit ſinè meritis, dat unde ornentur & meritis, ibid. n. 126
Per electionis propoſitum non laxatur liberi arbitrii devotio, ibid.
Deus elegit fideles ſed ut ſint, non quia jam erant, ibid. n. 128
Nemo de facto poteſt eligere peccatum ad evadendam pœnam, p. 163. n. 27

ELEEMOSYNA.

Non magis amor eleëmoſynæ ex natura ſua reſpicit bonitatem ùt ſic, quàm odium eleëmoſynæ, p. 94. n. 193
Qui diligit eleëmoſynam ſuper omnia, neceſſitatur ad dandum omnem eleëmoſynam poſsibilem, p. 95. n. 196
Obligatio juſtitiæ non ſemper evacuat rationem eleëmoſynæ, p. 350. n. 125
Eleëmoſyna exterior imperata ab actu malo, retinet ſuam bonitatem objectivam. p. 618. n. 117
Quomodo eleëmoſyna, quæ fit poſt mortem, ſit pœnalis defuncto, p. 869. n. 86

ENS RATIONIS.

Ens rationis aliquando infert mutationem, p. 302. n. 461

ERROR.

Error ex craſſa ignorantia non expellit habitum Fidei, ſecùs error ex ſcientia etiam circa unum tantum articulum, cum quo non conſiſtit aſſenſus Fidei circa alium articulum, p. 760. n. 171. & ſeq.
Illi errores non ſunt peccata ſpecie diſtincta, ibid. n. 173

ESAU.

Quomodo intelligendum quod Apoſtolus Heb. 12. ſcribit de Eſau, p. 212. n. 15

ESSENTIA.

Deus non poteſt mutare eſſentias rerum, p. 266. n. 278
An omne illud ſinè quo aliquid non poteſt concipi, ſit de ejus eſſentia, p. 279. n. 347
Non omne id, ſinè quo aliquid non poteſt exiſtere, eſt de ratione ejus formali, p. 299. n. 444
In moralibus ſæpè manet eſſentia ſinè paſſionibus, p. 332. n. 30

EVA.

Eva non ſtultè egiſſet, ſi rogaſſet Deum pro gratia efficaci, p. 230. n. 99

EVANGELIZARE.

Poteſtas Evangelizandi data eſt, Matth. ult. p. 383. n. 21.

EVENTUS.

An eventus neceſſarius ex cauſa voluntaria non revocata ſit peccatum in ſua cauſa, p. 844. n. 109
Quid ſi prior voluntas fuerit revocata? ibid. n. 110. & ſeq.
An retractatio prioris voluntatis faciat effectum naturaliter ſubſequentem involuntarium, p. 846. n. 120

EUCHARISTIA.

Quantitas materiæ in Sacramento Euchariſtiæ non eſt determinata jure divino, ſed per intentionem miniſtri debet determinari; ſecùs materia Pœnitentiæ, p. 468. n. 159
Forma Euchariſtiæ per ſe primò reſpicit materiam, & illam deſignat, & effectum circa illam ſignificat, p. 511. n. 173
In Euchariſtia tot ſunt Sacramenta, quot ſunt diſtinctæ hoſtiæ, quæ conſecrantur, p. 513. n. 179
Præceptum Euchariſtiæ comprehendit infideles, p. 541. n. 4.
Alia Sacramenta non ſunt omnino ſimilia Euchariſtiæ, p. 548. n. 41.
Eccleſia videtur ſignificare, ad alia Sacramenta, præter Euchariſtiam, non eſſe neceſſariam Confeſſionem, p. 549. n. 42
An plures diſtributiones Euchariſtiæ in ſtatu peccati mortalis ſint unicum peccatum, p. 826. n. 30
Sumptio Euchariſtiæ eſt actus medicinalis & vindicativus, p. 916. n. 126
An Euchariſtia remittat venialia ex opere operato, p. 344. n. 89

EXAMEN.

Quod ſit diligens examen requiſitum ad Confeſſionem legitimè inſtituendam, p. 632. n. 14
Non requiritur exactiſſima & extraordinaria diligentia, p. 633. n. 16
Prætextu inſufficientis examinis non ſunt facilè rudes homines remittendi, ibid.

EXCOM-

Digitized by Google

EXCOMMUNICATIO.
Poteſt contingere, quòd juſtificatus à peccato incurrat excommunicationem, p. 848. n. 128
Contrarium Aliquibus placet, ſaltem pro foro interno, ibid. n. 129
Privatio paſſiva Sacramentorum eſt effectus Excommunicationis, p. 918. n. 126
Excommunicatio eſt pœna medicinalis, eſto ſeparet à perceptione Sacramentorum, p. 920. n. 135
An pœnitens in Confeſſione debeat explicare circumſtantiam excommunicationis, p. 772. n. 224
EXTREMA UNCTIO.
An ad valorem Extremæ Unctionis neceſſe ſit explicitè nominari peccata, p. 441. n. 30
Ad Extremam Unctionem ſufficit vita Catholicè acta, p. 710. n. 136
Forma Extremæ Unctionis apud Græcos, item forma Ambroſiana, p. 441. n. 31
Extrema Unctio remittit peccata venialia ex opere operato, p. 343. n. 87
Ad hunc effectum non eſt opus novo aliquo fervore vel devotione, p. 344. n. 88
EXTREMA.
Difficile eſt in extremis habere veram pœnitentiam, p. 131. n. 377
An requiratur intenſior diſplicentia peccatorum in extremis, ibid.
Cur Eccleſia nolit in extremis miniſtrari pœnitentiam à pluribus miniſtris, p. 471. n. 174

F

FAMA.
Quid ſit fama, & quid ſit bona fama, p. 684. n. 33
Modus reſtituendi famam, p. 689. n. 53. & ſeq.
FEMINA.
Femina quæ peccavit cum Sacerdote ſatisfacit dicendo: *Peccavi cum habente votum Caſtitatis*, p. 730. n. 46
Femina non tenetur conſervare omnia, quibus poteſt magis placere viro, p. 749. n. 120
Integritas corporis non eſt medium neceſſarium ad placendum viro, ibid.
Peccat mortaliter vir qui videt feminam totam nudam, tametſi ſciat ſe ex tali conſpectu non moveri ad libidinem, p. 529. n. 257
FICTIO.
Quomodo ſe habeat fictio ad Baptiſmum & ad Pœnitentiam, p. 418. n. 10
Quid per fictionem intelligatur, ibid.
Peccatum externum fictionis neceſſariò coincidit cum puncto Baptiſmi, ſecùs internum, p. 422. n. 28
An peccatum fictionis minùs pertineat ad Pœnitentiam, quàm alia peccata, p. 423. n. 36. & ſeq.
Peccat mortaliter qui fictè confitetur peccatum mortale ùt nunquam remiſſum, p. 513. n. 182

FIDES. FIDUCIA.
Qomodo habitus & actus Fidei poſſint dici principia naturalia, p. 62. n. 12
Non cuicumque fiduciæ promittitur tranſlatio montium, ſed tantùm excellenti, p. 129. n. 369
Oſtenditur ex D. Auguſt. Fidem peccatoris mereri remiſſionem peccatorum, p. 150. n. 482
An per ſe loquendo citiùs debeat elici primus actus Fidei, quàm Charitatis, p. 201. n. 83
Quomodo Fides ſit cultus intellectualis, ibid. n. 84
Actus Fidei per ſe & intrinſecè eſt honeſtus, ibid.
Sicuti Charitas eſt virtus diſtincta à Religione, ita & Fides, ibid. n. 85
An ſit eadem obligatio eliciendi actum Fidei poſt amiſſam Fidem per infidelitatem, & eliciendi actum Charitatis poſt amiſſam Charitatem per peccatum mortale, ibid. n. 86. & ſeq.
Error Maſſilienſium, Fidem eſſe ex nobis, quem refellit D. Auguſt. lib. de ſpir. & litt. c. 33. p. 222. n. 61. & ſeq.
Perperàm dicitur, Auguſtinum ibi ſolùm voluiſſe ſignificare, conſentire & diſſentire eſſe officia voluntatis, ibid. n. 64
FIERI.
Procurans aut præcipiens aliquid fieri, ſæpè dicitur cauſa effectûs, p. 447. n. 60. & ſeq.
Quid dicatur regulariter fieri, p. 90. n. 165
Aliquid poſſe fieri, tametſi nunquam fiat, non debet videri abſurdum, p. 521. n. 218
FILIUS.
Filius habet verum dominium & proprietatem bonorum caſtrenſium & quaſi caſtrenſium, p. 25. n. 120
Homo juſtus eſt filius Dei adoptivus, non naturalis, p. 275. n. 321
FINIS.
Volens ordinatè finem & media, priùs vult finem, p. 235. n. 125
Amor finis non ſemper continet æquivalenter actus illos, qui ſunt media neceſſaria, p. 489. n. 66
Finis mortalis invalidat Abſolutionem, p. 614. n. 97
Finis principaliùs movet, p. 85. n. 137
FORNICATIO.
Fornicatio cum concubina æquè mala eſt ſive conjungatur Baptiſmo parvuli jam morientis, ſive non, p. 534. n. 278
Fornicatio ſacrilega quamvis ſit phyſicè unicus actus, tamen moraliter duplex eſt, p. 671. n. 175
Qui vult efficaciter fornicari in ebrietate, peccat, p. 800. n. 348
Non valet: Occulta fornicatio non polluit; ergo non eſt ſacrilega, p. 801. n. 353
Tres fornicationes ſucceſſivæ debent explicari in Confeſſione, p. 825. n. 28
FRATER MINOR.
Franciſcanus frangens jejunium in Quadrageſima peccat dupliciter, p. 774. n. 233
Regula FF. Min. præcipit jejunium Quadrageſimæ, p. 775. n. 234
Præcepta Regulæ FF. Min. non eſſe vota, aſſerit Rodriguez, & probat ex Concil. Viennenſi, ibid. n. 235
Oppoſitum oſtenditur ex eodem Conc. ibid. n. 236
Qui tranſgreditur præceptum expreſſum in Regula FF. Min. facit ſecundùm D. Thomam contra obedientiæ votum, p. 776. n. 238
An idem ſignificet apud Dominicanos: *Promitto obedientiam ſecundum Regulam*, quod apud nos: *Promitto Regulam*, ibid. n. 240
Frater Minor tenetur ad præcepta, conſilia &c. eo modo, quo in Regula traduntur, & non alio, p. 777. n. 242
Præcepta Regulæ FF. Minor. ſunt aliquo modo vota ſolemnia, ibid. n. 243
In præceptis Regulæ FF. Min. diſpenſare poteſt Pontifex, immo etiam in votis eſſentialibus, ibid.
Præcepta Regulæ FF. Min. non ſunt vota primaria, à quibus dependeat eſſentia ſtatûs Religioſi, ibid. n. 244
Præcepta formalia Regulæ FF. Min. non poſſunt à Superioribus relaxari, p. 778. n. 247. & ſeq.
An omnia præcepta Regulæ FF. Min. ſint impoſita per obedientiam, ibid. n. 250. & ſeq.
Omnia præcepta Regulæ FF. Min. ſunt leges propriè dictæ, p. 779. n. 255
Frater Minor peccat ſpeciali peccato contra virtutem paupertatis, p. 780. n. 256
Omnia præcepta Regulæ FF. Min. tradita ſunt per obedientiam, ibid. n. 257

FRIGUS.
Expulſio frigoris non eſt cauſa introductionis caloris, p. 152. n. 491

FRUI-

Digitized by Google

FRUITIO. FRUI.

Fruitio Dei non denominat hominem beatum, niſi adſit ſanctitas ſubjecti, p. 313. n. 516
Fruitio Dei propriè eſt vita æterna, p. 360. n. 36
Gratia ſanctificans eſt cauſa partialis fruitionis ex Scoto, p. 364. n. 65
Fruitio non eſt à gratia ùt cauſa totali, p. 365. n. 65
Quid ſit frui bono creato, p. 65. n. 30

FUGA.

An poſſit dari actus meræ fugæ, p. 6. n. 20. & 21
Actus meræ fugæ in voluntate poteſt eſſe honeſtus, p. 8. n. 27
An Contritio ſit actus honeſtus meræ fugæ, ibid.

FURARI. FURTUM.

Explicatur illud Philoſ. *Qui furatur propter mœchari* &c. p. 86. n. 142.
Furtum, homicidium & ſimilia peccata prævisa in cauſa per ſe, ſunt ejuſdem rationis cum furto, homicidio &c. expreſsè intentis, p. 734. n. 61
Ad furtum ſufficit voluntas domini, quâ vult retinere jus ad rem, quam videt ſurripi, p. 26. n. 125
An per furtum fiat injuria Deo, p. 203. n. 95
In furto, jejunio, voto & ſimilibus poteſt certò aſſignari materia gravis, p. 207. n. 115.
An furtum grave ſolum ſit complexum aliquod ex pluribus levibus furtis, p. 267. n. 283
An obſervatio pacis ſit finis intrinſecus legis humanæ prohibentis furtum, p. 767. n. 203
Quare furtum auri non ſit diverſum ſpecie à furto argenti, p. 790. n. 302
Quot modis committatur furtum ſacrilegum, p. 805. n. 369
Ex furto rei in ædem ſacram depoſitæ non eſt actio ſacrilegii, ibid. n. 371
An peccet mortaliter qui furatur rem levem à Confeſſario, eſtò etiam eam aſſumat tamquam medium, p. 807. n. 379.
Eſt eadem moraliter actio furti, quâ aufertur verum aurum, & quâ aufertur plumbum, quòd putatur aurum, p. 814. n. 408

G

GAUDERE.

Poſſum gaudere de aliqua re, quam non poſſum procurare, p. 799. n. 342
Non poſſum gaudere de venerea delectatione, quæ concomitatur pollutionem naturalem, ibid. n. 343

GEHENNA.

Quid Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. intelligat per gehennam & pœnas, p. 159. n. 6
Metus gehennæ ſecundùm Trident. poteſt excludere omnem voluntatem peccandi, p. 162. n. 24. & ſeq.
Fructus timoris gehennæ, p. 169. n. 62. & ſeq.
De bonitate & honeſtate timoris gehennæ non eſt dubitandum, p. 170. n. 64
Contrarium errorem damnavit Leo decimus, & ex naturali ratione reprobatur, ibid. n. 67
Non poteſt effugere dolores gehennæ, qui tantùm abſtinet à peccato externo, ibid. n. 68
De timore inefficaci gehennæ loquitur paſſim D. Auguſt. tamquam de frequentiori, ibid. n. 69

GRÆCI.

Multa laudabilia omiſerunt Græci, poſtquam defecerunt ab Eccleſia Romana, p. 396. n. 108.

GRATIA.

Sinè gratiis actualibus non poteſt homo ſufficienter bene vivere, p. 62. n. 16
Gratia ſpecialis non eſt omnibus communis, p. 63. n. 17
Quâ ratione dona gratiæ neceſſaria ad juſtificationem poſſint dici dona generalia, ibid. n. 19. & 20
Gratia efficax pœnitendi eſt ſpecialis benevolentia, ibid. n. 21
Duplex acceptio gratiæ ex D. Thoma, p. 64. n. 25
Secundùm D. Thomam ad habendam gratiam ſanctificantem poteſt ſe homo præparare ex ſolo libero arbitrio, ibid.
Sinè gratia, non tantùm monſtrante, ſed etiam adjuvante nihil fit boni, cui debetur merces æterna, p. 67. n. 40
Gratia data antiquis Patribus non fuit cauſa phyſica & efficiens meritorum Chriſti, p. 149. n. 475
Expulſio gratiæ non eſt cauſa introductionis peccati, p. 152. n. 490
Gratia non exiſtit phyſicè, niſi ſit recepta, ibid. n. 493
Infuſio gratiæ & receptio non ſunt cauſalitates in re diſtinctæ, p. 153. n. 493
Quid ſit gratia actualis præveniens, p. 156. n. 507
Non eſt neceſſaria gratia habitualis, ut velimus purgari à peccatis, ibid. n. 508.
Explicantur aliqua verba S. Auguſt. & S. Proſperi de gratia actuali, ibid. n. 509
Phyſica ablatio gratiæ tantùm ad aliquod tempus, non eſt grave damnum, p. 195. n. 54
An carentia gratiæ habitualis adferat novum peccatum mortale actuale, p. 199. n. 71. & ſeq.
Peccatoribus non ſemper deeſt, gratia ad implenda omnia mandata divina, ibid. n. 74
Hominibus juſtis magis debetur gratia actualis, quàm peccatoribus, ibid. n. 75
Recuperatio gratiæ per Sacramentum Pœnitentiæ, eſt alia à receptione gratiæ per Baptiſmum, p. 210. n. 4
An aliquando reſiſtatur gratiæ inſufficienti, p. 223. n. 65
Quid ſit reſiſtere, ibid.
Non reſiſtit, qui tamdiu cedit, quamdiu impellitur, ibid. n. 66.
Voluntas ſæpè diſſentit gratiæ ſufficienti, ibid. n. 67. & ſeq.
Homo poteſt diſſentire gratiæ efficaci, eſto illi quà tali nunquam diſſentiat, ibid. n. 69.
Ut voluntas liberè conſentiat huic gratiæ, non eſt neceſſe ut eadem vel alia voluntas eidem gratiæ aliquando diſſentiat, ibid. n. 70. & ſeq.
Hominem aliquando diſſentire gratiæ ſufficienti, probatur auctoritate D. Auguſt. D. Ambr. D. Anſel. & S. Proſp. p. 224. n. 73. & ſeq.
Secundùm D. Auguſt. datur gratia merè ſufficiens, p. 225. n. 77
Efficacia gratiæ non apparet, niſi ex volitione, p. 228. n. 90
Tametſi admitteretur Angelos bonos ſtetiſſe per liberum arbitrium ſinè efficaci gratia, equidem de hominibus in ſtatu naturæ lapſæ id admitti non poſſet, p. 229. n. 94. & ſeq.
Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. vel loquitur de hominibus in ſtatu naturæ integræ vel de æquali affectione tantùm in actu primo, ibid. n. 96
Quare paſſim S. Auguſt. inculcet gratiam efficacem, p. 231. n. 104
Quare S. Auguſt. non attribuat efficaciam gratiæ divinæ voluntati humanæ, ibid. n. 105
Deus nemini negat auxilium, ſaltem remotè ſufficiens ad ſalutem, p. 234. n. 118
Deum non dare omnibus gratiam proximè ſufficientem probatur exemplo hominis juſti, p. 235. n. 121
Deus operatur in nobis victoriam tentationis per auxilium gratiæ efficacis, ibid. n. 123
Apoſtolo datum eſt auxilium gratiæ efficacis abſque propria oratione, ſed non ſinè oratione aliena, ibid. & n. ſeq.
Probatur defectus gratiæ proximè ſufficientis exemplo infidelium & parvulorum, p. 236. n. 130. & ſeq.
Cauſa parvulorum movit S. Auguſt. ut dictum Apoſtoli: *Qui omnes homines* &c. non intelligeret de omnibus omnino hominibus, p. 237. n. 132
Carentia gratiæ efficacis non eſt damnatio, p. 242. n. 158

Digitized by Google

Sola gratia ſufficiens non liberat à damnatione, & ideo à S Auguſt. non vocatur miſericordia, p.243 n. 160
Deus non ſubtrahit omnem gratiam ſufficientem, quamdiu homo vivit, vel ſi aliquando ſubtrahit, homo non peccat demeritoriè in eo, quod neceſſariò facit defectu illius gratiæ, ibid. n.161
Deus oſtendit divitias gloriæ ſuæ, quando uni providet gratiam efficacem, alteri tantùm ſufficientem, p.246. n.175
Potentior eſt gratia quam Chriſtiani accipiunt, quàm quæ Adæ fuit collata, p.256. n.222
Carentia gratiæ habitualis eſt pœna peccati originalis vel actualis, p. 257. n.225
Gratia habitualis non ſufficit hodie ad perſeverandum, ibid. n.226
Idem eſt gratiam deſerere, & à gratia excidere, p.259. n. 238
Proprium eſt gratiæ actuali, quod ad ſolos actus detur, ibid. n. 239
Gratia habitualis eſt participatio immutabilis boni, p.260. n. 244
Sinè gratia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet ullum meritum, ibid. n. 245
Gratia habitualis non eſt meritum, ibid.
Duodecim nomina, quibus S. Auguſt. appellat gratiam voluntatis, p.261. n. 253
An ex illis aliquod adhibuerit S. Auguſt. gratiæ perſeverantiæ conceſſæ Adamo & Angelis, p.262. n.254. & ſeq.
Gratia in nihilum deſtruitur, ſicut de nihilo producitur, p.270. n. 299. & ſeq.
Quæ ſit independentia gratiæ à ſubjecto, p.271. n.303
Scriptura non tribuit gratiæ majus jus ad gloriam, quàm bonis operibus, p.275. n.322
Gratia ſolùm expellit moraliter peccatum, ibid. n. 325
Infuſio gratiæ eſt ſignum voluntatis Dei remittentis peccata, ibid. n. 326
Sicuti Baptiſmus eſt cauſa remiſſionis peccati, ſed moralis tantùm, ita etiam infuſio gratiæ. ibid. n. 327
Gratia juſtificans ex ordinatione divina facit nos amicos & filios Dei adoptivos, p. 276. n.328
Gratia eſt objectum formale amoris Dei, p.277. n.333
Privatio gratiæ non ingreditur conceptum eſſentialem peccati habitualis, p.281. n.353
Quare Deus poſſit eſſe cauſa privationis gratiæ, ſed non rectitudinis debitæ, p.282. n.358
Privatio gratiæ eſt defectus inſeparabiliter conſequens peccatum, ibid. n. 359
Ut gratia reddat hominem amicum Dei, neceſſe eſt ut expellat quodcumque peccatum mortale, p.284. n.369
Probatur ex Trident. infuſionem gratiæ & expulſionem culpæ non eſſe unam mutationé, p.286. n.377
Non eſt ordo aliquis cauſalitatis inter infuſionem gratiæ & expulſionem culpæ, ibid.
An gratia magis inferat carentiam culpæ, quàm è converſo, ibid. n 378
Per gratiam Dei verè & propriè ſumus filii Dei, licèt non ex ſola natura rei, p. 288. n.387
Fortè hodie definitum eſt, parvulis in Baptiſmo conferri gratiam informantem, p.289. n.394
In eſſe morali gratia æquivalet pluribus formis, p.291. n.399
De facto datur infuſio gratiæ ſinè remiſſione peccati, ibid. n. 400
Infuſio gratiæ eſt perfectior & primariò à Deo intenta, ibid. n. 401
Pro oppoſita ſententia adducitur D. Auguſt. & explicatur, ibid n.402. & ſeq.
Objectio ex Scriptura 1. Joan. 3. ſolvitur, ibid. n.404
Prima gratia habitualis eſt ſimpliciter gratia, ſecùs ejus augmentum, p.295. n.421
S. Auguſt. agnoſcit eandem gratiam infundi parvulis & adultis, p.326. n. 581. & ſeq.
S. Auguſt. diſtinguit actum gratiæ ab habitu gratiæ, p.326. n.583. & ſeq.
Gratia debita meritis remiſſis datur in inſtanti mortis, p.349. n.117
Licèt gratia ſit præmium operum, equidem poteſt etjam eſſe diſpoſitio ad gloriam, p.364 n.59
Gratia eſt ſemen gloriæ & principium ejus effectivum, ibid. n.60. & ſeq.
Deus per modum præmii poteſt infundere majorem gratiam, quàm ſit præexiſtens, ibid. n. 63
Gratia non potiùs debet commenſurari præſenti diſpoſitioni, quàm gloria. p.365. n.67
Aliqui docent, Contritionem Charitate perfectam eſſe meritum de condigno primæ gratiæ, ibid. n. 70
Deus non dat primam gratiam propter opera præcedentia, tamquam merita de condigno, p.366. n.71
Recuperatio gratiæ colligitur ex Scriptura & ratione, ibid.
An ſit inconveniens, quòd reſurgens ſemper reſurgat in majori gratia, p.367. n.76. & ſeq.
Gratia eſt aliquando hominibus peccatum, neque oppoſitum docet D. Auguſt. p. 529. n. 227. & ſeq.
Gratia efficax eſt propria electorum, ibid. n.229
Scotus numquam negavit gratiam habitualem, p.308. n. 492
Gratia habitualis eſt ſemen Dei, p.315. n.522
De facto non fit remiſſio peccati mortalis abſque infuſione gratiæ, p. 269. n.291
Explicantur verba Chriſti Lucæ 7. *Cui minus dimittitur* &c. ibid. n. 293
Infuſio gratiæ & remiſſio culpæ, non ſunt ſimpliciter una mutatio, ibid. n.295
Gratia habitualis producitur ùt quoddam independens à ſubjecto, p.272. n.307
Sinè gratia adjuvante nihil poſſumus habere veræ ſanctæque pietatis, p.480. n.26
Cur Deus potiùs huic, quàm illi det gratiam efficacem, eſt pro nunc inſcrutabile. p.226 n.83
Deus nulli injuſtè negat gratiam efficacem, ibid. n.84

GUBERNATOR.

Gubernator qui furatur bona ſubditorum, videtur peccare duplici peccato injuſtitiæ, p. 745. n. 104

GULA.

Quare gula & ebrietas ſint peccata ſpecie diſtincta, p. 723. n. 18

H

HABITUS.

IDem habitus virtutis inclinat ad actum liberum & neceſſarium, p. 52. n 252
Habitus inclinat ad entitatem phyſicam, & non tantùm ad moralem, ibid.
Idem habitus poteſt producere actum bonum & malum, ibid.
Major facilitas propriæ pœnitentiæ oritur ex alio habitu adjuncto. p. 53. n. 254
Habitus eſt perfectio ſimpliciter, quam in ſuo conceptu eſſentiali non involvit voluntas. p.54. n.263
In Deo habitus ſuperadditi forent ſuperflui, p.55 n.267
Habitus non generatur in naturaliter inclinatis ad unum, ibid. n. 269
Habitus non tantum dantur ad facilitandum, ſed etiam ad quandam perfectionem individualem, p. 56. n 271
Differentia inter habitum Principii & concluſionis ex una parte, & habitum Charitatis ex altera. p.112. n.281
Habitus virtutis & vitii in gradibus remiſſis ſimul conſiſtere poſſunt in eadem voluntate, p. 128 n.364

Digitized by Google

Secundùm Aliquos habitus ſupernaturales amoris optimè componuntur cum habitu intenſiſſimo odii, ibid.

Habitus malus continuatus uſque ad finem vitæ multùm retrahit ab actu pœnitentiæ, p. 131. n. 379

Non infunditur habitus Fidei ante primùm actum Fidei, nec habitus Spei ante primum actum Spei, p. 155. n. 153

Per habitum perfectiùs participamus naturam divinam, quàm per actum, p. 315. n. 525

Magis conveniens fuit, quòd vita ſupernaturalis conſiſteret in principio operationum ſupernaturalium, ibid. n. 526

Habitus malus continuatus uſque ad finem vitæ multùm retrahit à pœnitentia, p. 209. n. 116

HABITUS INFUSUS.

Ratione naturali non poteſt probari habitus infuſus Fidei, neque Spei, neque Charitatis, p. 11. n. 42

Multò minùs virtutum moralium, ibid. n. 43

Poſſet per ulteriorem intenſionem, quam dat habitus infuſus Charitatis actui, intelligi ratio meriti, p. 106. n. 249

HABITUS SUPERNATURALIS.

Ex nullo actu noſtro vel circumſtantia ejus probari poteſt dari habitum ſupernaturalem, p. 105. n. 246

Qualiter habitus ſupernaturalis ſit ratio accepiandi naturam & actum ex Scoto, p. 106. n. 250

Habitus ſupernaturalis concurrit efficienter ad actum, p. 107. n. 250

Habitus ſupernaturalis ſpecie phyſicâ diſtinguitur ab habitu naturali, ibid. n. 251

Habitus ſupernaturalis eſt principium connaturale potentiæ, p. 364. n. 64

Scotus per intenſionem ulteriorem, quam docet habitum ſupernaturalem dare actui, non intelligit gradualem, p. 105. n. 246

HÆRESIS. HÆRETICUS.

Non licet legere libros hæreticorum, etſi hìc & nunc non ſit periculum perverſionis, p. 697. n. 88

An ſit differentia ſpecifica inter hæreſim & errorem ex culpabili ignorantia, p. 759. n. 169. & ſeq.

Quis ſit hæreticus, p. 760. n. 170

Omnes hæreſes ſunt ejuſdem ſpeciei, p. 790. n. 303

Quæ ſit præciſa malitia hæreſis, p. 792. n. 311

An hæretici teneantur præcepto annuæ Confeſſionis, p. 562. n. 30

Perfecta cognitio non eſt circumſtantia ſubſtantialiter requiſita ex parte objecti in peccato hæreſis, p. 761. n. 176

HOMICIDA. HOMICIDIUM.

Denominatio homicidæ eſt valde impropria, ſimilis denominationi patris, p. 848. n. 127

Cur potiùs quando plures homines occiduntur uno ictu ſint plura homicidia, quàm plura furta quando quis furatur ſimul integrum millionem, p. 639. n. 43

Quid ſi aliquis furaretur millionem pertinentem ad diverſos dominos, ibid. n. 44. & ſeq.

An homicidium commiſſum in ebrietate ſit diſtinctè explicandum in Confeſſione, p. 844. n. 108

An homicidium in ebrietate ſit formaliter peccatum, p. 145. n. 114. & ſeq.

An qui venenum dedit dicatur verè homicida, ſi dormiat quando venenum bibitur, p. 867. n. 76

Tria homicidia ſucceſſiva debent explicari in Confeſſione, p. 825. n. 28

An ſit obligatio confitendi homicidium, de quo dubitatur, an fuerit perfectè deliberatum, p. 652. n. 101. & ſeq.

HOMO.

Homo poteſt reſiſtere malæ voluntati, p. 243. n. 162

Homo in multis deficit, niſi ſpeciali auxilio Dei ſanetur, p. 69. n. 51

Homo creatus & generatus ſunt ejuſdem ſpeciei, p. 107. n. 252

Homo in puris naturalibus eſt placitus Deo, non tamen acceptus ſpecialiter, p. 314. n. 519

HONESTAS.

Honeſtas, quæ movet ad propriam & alienam pœnitentiam, eſt ejuſdem ſpeciei, p. 52. n. 250

Major eſt honeſtas operantis bonum internum & externum, quàm ſolùm bonum internum, p. 864. n. 64

HONOR.

An unus honor per alterum poſſit compenſari, & una fama per aliam, p. 786. n. 284

Æqualis bonitatis eſt honor, qui defertur Deo in ſe, & prout relucet in Sanctis, p. 789. n. 296

HORÆ CANONICÆ.

Unicâ recitatione Matutinarum & Laudum, non poteſt ſatisfieri obligationi duorum dierum, p. 589. n. 153

Qui primò manè recitat Horas Canonicas, perfectè implet votum eas recitandi ſingulis diebus, p. 546. n. 30

I

JACTANTIA.

EX quo ſumatur deformitas mortalis in peccato jactantiæ, p. 787. n. 286

Sæpè eſt obligatio explicandi in Confeſſione ſpeciem peccati mortalis, de quo quis ſe jactavit, ibid. n. 287

Quod ſit objectum jactantiæ quà talis, ibid. n. 289

Jactantia opponitur vel humilitati, vel reverentiæ Deo debitæ, ibid. n. 290

Jactantia non eſt formalis contemptus virtutis, p. 288. n. 292

IDOLOLATRIA.

Idololatria deſtruit unitatem Dei, p. 202. n. 88

Qui ex metu mortis exteriùs tantùm colit idola, graviter inhonorat Deum, ibid. n. 89

An teneatur ad reſtitutionem honoris divini tranſactâ idololatriâ, ibid.

JEJUNARE. JEJUNIUM.

Faber ferrarius ſive lignarius etſi dives ſit non tenetur die jejunii ceſſare ab opere, ut poſſit jejunare, p. 533. n. 273

Idem jejunium poteſt deſervire pro materia integrali duplicis Sacramenti, p. 505. n. 144

Lex jejunii poteſt me hodie obligare, ſecùs craſtinâ die, p. 673. n. 184

Jejunium vigiliæ alicujus Sancti non præcipitur ut immediatè per illud aut Deum aut Sanctum colamus, p. 773. n. 228

Quod ſit motivum intrinſecum iſtius jejunii, ibid.

Si ad votum jejunii accedat præceptum Superioris, tranſgrediens peccat duplici peccato, p. 774. n. 231

Idem dicendum ſi accedat præceptum Confeſſarii, ibid. n. 232

IGNIS.

Eſſentia ignis non eſt activitas, p. 432. n. 83

IGNOMINIA.

Quomodo Deus tradat in paſſiones ignominiæ, p. 247. n. 182

IGNORANTIA.

Ignorantia non eſt peccatum propriè dictum in parvulis, ſed magnum aliquod malum, ortum ex primo parente, p. 244. n. 165

Ubi etiam ignorantia & concupiſcentia in quolibet baptizato, ibid. n. 166

Cur Deus laudandus, etſi ignorantia & concupiſcentia forent hominis primordia, ibid. n. 167

Quamquam anima in ignorantia & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in ea cogitur, ibid.

Tametſi Deus nulli homini lapſo dediſſet facultatem ſe liberandi ab ignorantia & difficultate, non foret injuſtus, p. 245. n. 171

Quæ

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Quæ ſit ignorantia venialiter culpabilis, & quæ mortaliter, p.755.n.147
Datur ignorantia mortalis reſpectu juris divini, quæ non eſt talis reſpectu juris humani, ibid. n.148
Ignorantia mortalis non eſt ſpecialiter explicanda in Confeſſione, p.756.n.150
An ſit explicanda ignorantia affectata, ibid.n.151
Peccatum ex ignorantia mortali eſt ejuſdem ſpeciei cum peccato ſcienter commiſſo in eadem materia, ibid. n.152
Quæ ſit differentia inter illa peccata, ibid.n.153
An ſit neceſſaria diſtinctio inter ignorantiam juris & facti, juris poſitivi, & naturalis, ibid. n. 157. & ſeq.
Qualiter ſit confitendum peccatum ex ignorantia, p. 758. n.160
An ignorantia ſit ſpeciale peccatum oppoſitum ſtudioſitati, ibid. n. 161
Sententia negans, quando ignorantia verſatur circa res operabiles, probatur & confirmatur, ibid. & n. ſeq.
Ignorantia, quæ eſt privatio ſcientiæ ſpeculativæ, opponitur ſtudioſitati, ibid. n.164
An talis ſit ignorantia Myſteriorum Fidei, ibid.n.165
Ignorantia præceptorum Decalogi non eſt ſpeciale peccatum, p.762.n.117
Diſtincta ſunt ignorare fornicationem eſſe peccatum, & dicere: fornicatio non eſt peccatum, ibid.n.178
Ignorantia alia eſt puræ privationis, alia pravæ diſpoſitionis, ibid.
Neceſſarium eſt explicare in Confeſſione cujus præcepti Decalogi fuerit ignorantia, ſecùs cujus Myſterii Fidei, ibid. n.180
An ignorare plures Articulos Fidei ſint plura peccata numero, ibid.n.181

IMAGO.

Imago Dei non omnino deleta in Gentibus, p.68. n.43

IMPEDIRE.

An tenear impedire, ne aliquis auferat bona mea corporalia, p.195.n.52

IMPERARE. IMPERIUM.

Actus imperans propriè non imperat, nec imperatus propriè obedit, p.39.n.186
Imperium voluntatis ordinariè non tollit libertatem, p.616. n.108

IMPOENITENTIA.

Impœnitentia finalis eſt ſpeciale peccatum, p.192. n.33. & ſeq.
Differentia inter impœnitentiam finalem & alia peccata, p.193.n.40
Non diſtinguitur ſpecie impœnitentia penes peccatum, ibid. n.42
Impœnitentia arguit multitudinem peccatorum, non infinitudinem, ibid.

IMPOSSIBILE.

Scriptura non hortatur ad id, quod impoſſibile eſt, p.210.n.5
Explicatur locus Apoſt. ad Hebr. 10. *Voluntariè enim peccantibus*, &c. p.211.n.6
Deus non præcipit impoſſibilia, p.234.n.119

IMPUDICITIA.

Impudicitia ordinatur ex natura ſua ad delectationem concubitûs, p.736.n.70

INCARNATIO.

Poſſibile fuit Filium Dei non fuiſſe incarnatum, p.318.n.541
An ſint diverſa ſpecie peccata, negare Deum exiſtere, & negare Incarnationem, p.791.n.305

INCESTUS.

An inceſtus cum parentibus ſpecie diſtinguatur ab inceſtu cum aliis conſanguineis, p.724 n.23

INDIVIDUUM.

In rebus moralibus pro nihilo reputatur quod ſit hoc vel illud individuum planè ſimile, p.628.n.189
Error in tali individuatione, non invalidat Confeſſionem, ibid.n.190

INDULGENTIA.

An qui ſimul audiret duas Miſſas, lucraretur eandem Indulgentiam, ac ſi ſucceſſivè audiviſſet, p.470. n.168
Verba Gloſſæ, ex quibus colligit Averſa per Indulgentias non tolli obligationem pœnæ, expenduntur, p.981.n.394
Ex cap. *Quod autem* de Pœnit. & Remiſſ. nullatenus colligitur per Indulgentiam non tolli pœnam, p.982.n.395
Explicatur Conc. Salegunſtadienſe, quod Averſa pro ſe citat, ibid. n.396
An & quando Confeſſarius excuſetur ab imponenda ſatisfactione ratione Indulgentiæ, ibid.n.397
Quis ſit ſenſus communis & praxis in hac re, ibid. n. 398
Oſtenditur D. Thomam & Alenſem non favere ſententiæ Averſæ, p.983.n.400

INDURARE.

Quomodo Deus induraverit Pharaonem, p. 246. n. 176
Explicantur ex D. Auguſt. illa verba Exodi: *Ego indurabo* &c. p.247.n.182

INFAMIA. INFAMARE.

Infamia filii, aut filiæ non redundat eſſentialiter in infamiam familiæ, ſecùs patris-familias in aliquo caſu, p.748.n.114
An ex Confeſſione oriatur infamia, p.561.n.22
An qui unico actu infamavit plures perſonas, teneatur in Confeſſione explicare earum numerum, p.640.n.46

INFERNUS.

Quomodo intelligendum, quòd in inferno nulla ſit redemptio, p.331.n.26
In inferno nulla eſt ſatisfactio reconciliativa, p.334. n. 37
Non eſt inconveniens, quòd, quantum ad aliquid accidentale, pœnæ inferni minuantur, p.335.n.44
Pœna peccati venialis & pœna temporalis pro mortali remiſſo finiuntur in inferno, p.962.n.55

INFIDELIS. INFIDELITAS.

Aliquando filiis infidelium præſtatur gratia Baptiſmi, filiis autem fidelium non, p.239.n.141
Tenetur infidelis ad legem Euangelicam ſuſcipiendam, p.541.n.4
Infidelitas Judæorum veniebat de libera eorum voluntate, p.251.n.197
Quæ de Judæis, eadem eſt ratio de Pharaone, p.254. n. 201
Infidelitati poteſt adjungi alia ſpecie malitia, p. 791. n. 304

INFINITUM.

Nullum malum eſt formaliter infinitum, p. 321. n. 556
Quid ſit malum ſimpliciter infinitum, ibid.
Peccatum ideo dicitur infinitum, quia avertit à termino infinito, ibid.n.557
Si infinitum corrumperetur, illa corruptio foret infinita, non ſimpliciter, ſed ratione termini à quo, ibid.
Nullum peccatum in ſua ſpecie eſt infinitum, ibid. n. 558
Carentia unionis hypoſtaticæ non eſt pœna infinita, ibid. n. 559
Pœna inferni eſt infinita extenſivè. p. 322.n.561
Uri etiam peccatum mortale in inferno, ibid.
Pœna infinitè intenſa per unam horam non eſt ſimpliciter infinita, ibid. n. 562

Digitized by Google

Æterna duratio pœnæ non arguit ſimpliciter infinitatem in culpa, ibid.

INFIRMUS.

Quis infirmus indigeat intenſiori diſplicentiâ, p. 131. n. 378

Infirmus, qui in abſentia Confeſſarii dedit ſigna pœnitentiæ, non ſolùm poteſt, ſed etiam debet abſolvi, quando de tali ſigno conſtat per teſtes, p.609.n.76

Sufficit unus teſtis, etiam infidelis, dummodo ſit fide dignus, ibid. p.77.& ſeq.

Non requiritur teſtimonium immediatum, neque quòd detur in præſentia infirmi, p. 610. n. 79

An in tali caſu fiat Confeſſio abſenti, ibid.n.80

An infirmus tunc confiteatur in præſentia quaſi per interpretem, ibid. n. 81

Non ducitur efficax argumentum à matrimonio per interpretem, ad Confeſſionem per interpretem, ibid. n. 85

An qui teſtantur infirmum dediſſe ſigna pœnitentiæ cenſeantur ejus interpretes, p.611.n.86

An Decretum Clem. VIII loquatur tantùm de Confeſſione ſtricta, p.612. n.87. & ſeq.

Clem. VIII. noluit prohibere Abſolutionem, quando infirmus dedit ſigna pœnitentiæ in abſentia Confeſſarii, ibid. n. 90

INFLUENTIA.

Quæ ſit communis influentia, p.62.n.13

INFUNDERE.

Actus minùs uſitatè dicitur infundi, p.313 n.516

INIQUITAS.

Iniquitas perſequentium Chriſtum non eſt orta ex Dei conſilio, p.249.n.189

INJURIA.

Non omni peccato mortali fit injuria notabilis Deo, p. 23. n. 104

Ad veram injuriam ſufficit voluntas retinendi jus in rem ablatam, p.26.n.116, & ſeq.

Nullus eſt, qui faciat alteri injuriam, niſi qui fieri ſibi nolit, p. 69. n.47

Judex occidendo reum in Eccleſia, facit ei injuriam, p.675. n.192

Tranſgreſſio legis humanæ aliquando eſt injuria perſonalis, uti etiam tranſgreſſio legis divinæ, p.25. n.118

INJUSTITIA.

Qui confitetur injuſtitiam mortalem, hoc ipſo ſatis exprimit malitiam gravem contra Charitatem, p.196.n.66

INNOCENTIA.

Majus eſt beneficium conſervare innocentiam, quam inſpirare pœnitentiam ex Scoto, p.61. n.9. & p.370. n.90

Homo magis ingratus eſt cadendo ab innocentia, quàm à pœnitentia, p.371.n.96

Aliquorum ſententia, graviùs eſſe relabi poſt juſtificationem, quàm recedere ab innocentia, p. 372. n. 100

INOBEDIENTIA.

Ad peccatum inobedientiæ ſufficit voluntas obligandi, eſtò Legiſlator deſideraret inobedientiam, p. 26. n.126

An inobedientia in Deum ſpecie differat ab inobedientia in hominem, p. 770. n. 214 & ſeq.

Inobedientia non cenſetur poſitiva inhonoratio Superioris, ſi deſit formalis contemptus, p.771 n. 217

INSTRUMENTUM.

Uſus inſtrumenti ad finem ſuum poteſt eſſe malus materialiter, p.838.n.82

INTELLECTUS.

Intellectus per remiſſum actum ſcientiæ firmiùs inhæret Concluſioni, quàm per intenſum actum opinionis, p. 118. n. 307

INTENSIO.

Quid ſit intenſio eſſentialis, p.106. n. 247

Explicantur Scripturæ & auctoritates SS. Patrum, quæ videntur requirere certam intenſionem gradualem ad perfectam Contritionem, p. 107. n. 253. & ſeq.

Explicatur Conc. Trident. quod videtur requirere ad perfectam Contritionem intenſionem gradualem, p. 109. n. 261. & ſeq.

Intenſio & remiſſio aliquando poſſunt & debent determinare ſpeciem, p. 110. n. 269

Intenſio gradualis in actu fit ex vehementia objecti moventis, p. 118. n. 307

INTENTIO.

Efficax intentio finis infert electionem medii neceſſarii, p. 162. n. 23

Quam intentionem debeat habere Sacerdos, quando profert verba Abſolutionis, p. 444. n. 45

Intentio virtualis ſufficit ad Sacramentum miniſtrandum, ſecùs habitualis, p. 464. n. 142

Diverſo modo concurrit intentio pœnitentis ad Abſolutionem, quàm infirmi ad Extremam Unctionem, p. 471. n. 175

Ab intentione pœnitentis pendet, ut accuſatio facta coram pluribus ſimul, ſit una vel multiplex accuſatio, ibid.

Intentio communicantis nec phyſicè nec moraliter multiplicat manducationes, ibid. n. 177

Non requiritur alia intentio in ſuſcipiente Ordinationem more Latino, quàm more Græco, p. 500. n. 117

An intentio interpretativa ſufficiat in aliis Sacramentis à Pœnitentia, p. 501. n.126

Intentio obtinendi Abſolutionem, ſaltem habitualis, debet durare à primo verbo eſſentiali Abſolutionis uſque ad ultimum, p. 502. n. 129

Ad ſatisfactionem non requiritur intentio ſatisfaciendi, quod probatur ex Conc. Trident. & ratione, p. 879. n. 133

Confirmatur exemplo meriti, ad quod non requiritur intentio merendi, ibid.

INVIDIA.

Si ex invidia peto à Deo ut occidat Joannem, non poteſt Deus me exaudire, p.616. n. 105

IRASCI.

Aliquando poteſt accidere, ut qui ex majori paſſione iraſcitur, faciliùs mutet animum, p. 822. n.13

IRREGULARITAS.

Lex infligens pœnam irregularitatis propter homicidium eſt purè pœnalis, p. 746. n. 107

Ad incurrendam irregularitatem ſufficit actus externus neceſſarius, etſi præceſſiſſet retractatio, p. 848. n. 130

IRRELIGIO.

Irreligio non eſt ſpecies atoma, p.672.n.180

IRREVERENTIA.

Deus de abſoluta potentia potuiſſet non prohibere irreverentiam, p.190.n.23

Non poteſt eam præcipere, ibid. n. 24

An irreverentia contra Deum ſpecie differat ab irreverentia contra hominem, p. 770. n.214. & ſeq.

JUDEX. JUDICARE. JUDICIUM.

Judex tenetur peccatum punire, etiam ex juſtitia commutativa, p. 22. n. 99

Quid ſufficiat ad poteſtatem judicativam, p.391. n. 63

Peccatum judicari debere ab homine, non eſt juris naturæ, p.395.n.104

In judi-

Digitized by Google

In judiciis humanis verba interpretativa æquivalent enuntiativis, p. 446. n. 55
Quando judicandum pro libertate, & quando pro lege, p. 656. n. 116
Aliqua diſparitas inter judicium ſæculare & ſacramentale, p. 964. n. 320

JULIANUS.

Julianus ut ſit vera virtus; attendendum dicit, quid, non propter quid agatur, p. 66. n. 35

JURARE. JURAMENTUM.

An juramenta omnino indeliberata orta ex conſuetudine jurandi, ſint peccata in ſua cauſa, p. 754. n. 140. & ſeq.
Diſparitas inter juramentum falſum in ebrietate, & ex inadvertentia, ibid. n. 142
Juramenta ſunt ejuſdem ſpeciei, ſive juretur per Deum in ſe, ſive ùt in Sancto relucentem, p. 789. n. 296
Quando homines jurant per Sanctos, eorum intentio ſolet dirigi in Deum, ibid. n. 297
Juramentum falſum prolatum ab eo, qui invincibiliter ignorat ſubſtantiam juramenti, nullam habet malitiam objectivam, p. 755. n. 146
An qui eandem rem plurimis juramentis falſis confirmat in eodem colloquio uno iracundiæ calore, debeat numerum juramentorum in Confeſſione explicare, p. 826. n. 31

JURISDICTIO.

Prælatus Religionis gaudet duplici poteſtate, juriſdictionis videlicet, & dominativâ, p. 779. n. 252
Quid ſit poteſtas juriſdictionis, ibid.
Poteſtatem juriſdictionis accipit Prælatus Religionis à Pontifice, ibid. n. 253

JUSTIFICATIO.

Enumerantur à Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 6. plures actus præparatorii ad juſtificationem, qui tamen non omnes debent eſſe diſtincti & formales, p. 76. n. 85. & ſeq.
Docent Aliqui ad juſtificationem extra Sacramentum ſufficere deteſtationem peccati ex motivo obedientiæ, Religionis, aut pœnitentiæ ſpecialis, p. 83. n. 124
Durandus dicit, ſufficere dolorem ex motivo Spei, ibid. n. 125
Hæc doctrina minùs conſonat Conc. Trid. ibid. n. 127
Ille actus certiùs & proximiùs diſponit ad juſtificationem, qui perfectiùs avertit à peccato, & convertit ad Deum, p. 84. n. 129
Quòd aliquis actus juſtificet, non habet ex natura ſua, ſed ex liberali Dei voluntate, ibid. n. 130
Conc. Trident. ſeſſ. 14. c. 4. loquitur de Charitate actuali, ibid. n. 131
In Sacramento Pœnitentiæ inferior dolor diſponit ad juſtificationem, ibid. n. 133
Scotus non docuit actum Spei ſufficere ad juſtificationem extra Sacramentum, p. 85 n. 135
Aliquid plus requiritur ad actum meritorium primæ juſtificationis, quàm ſecundæ, p. 87. n. 147
Fides, quâ credo me poſſe juſtificari, non eſt ſpes veniæ, p. 88. n. 154
Amor Dei propter ſe ſuper omnia abſque explicito dolore juſtificat extra Sacramentum, p. 89. n. 160
Scripturæ, quæ videntur requirere ad juſtificationem pœnitentiam, intelligendæ ſunt de pœnitentia explicita vel actu æquivalente, ibid. n. 162
Homo immemor peccatorum poteſt juſtificari, ibid. n. 163
Incertitudo juſtificationis oſtenditur ex Apoſtolo, p. 133. n. 386
Homo non juſtificatur ſinè omni diſpoſitione, p. 148. n. 472
Quid ſit juſtificatio, p. 161. n. 16
Verba Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. poſſunt accommodari juſtificationi impii intrà & extrà Sacramentum, p. 168. n. 5
Conc. ibi non intendit enumerare omnes & ſolos actus omninò neceſſarios ad juſtificationem, ibid. n. 57
Conc. deſcribit ibi diſpoſitionem, quæ optima eſt, ibid. n. 58
Ly, *Diligere incipiunt*, ibi non ſignificat imperfectionem ſed novitatem actûs, ibid.
Juſtificationis exordium ſumendum eſt à Dei gratia, p. 149. n. 474
In juſtificatione juſtitiam in nobis recipimus, p. 272. n. 308
Conc. Trident. non negat aliquem favorem Dei concurrere ad juſtificationem, p. 287. n. 381. & ſeq.
Favor Dei, qui concurrit ad juſtificationem, non ſequitur gratiam jam infuſam, ibid. n. 384
Unica eſt cauſa formalis juſtificationis, ſed non indiviſibilis, p. 288. n. 389
Duplex mutatio in juſtificatione variè probatur, p. 289. n. 391. & ſeq.
Scotus non eſt primus inventor meriti congrui juſtificationis, p. 292. n. 407.
An bene ſequatur: expulſio culpæ eſt prior; ergo gratia non eſt unica cauſa formalis juſtificationis, p. 287. n. 380
Per gratiam juſtificationis aliquando intelligitur tota ſeries auxiliorum, quibus ad juſtificationem diſponimur, p. 295 n. 422
An Trident. ſeſſ. 6. c. 8. illam ſeriem intellexerit, ibid. n. 423
Alius locus Trident. oſtenditur non repugnare merito congruo juſtificationis, ibid. n. 424
Utrùm pœnitentia, per quam remittuntur peccata, ſit forma juſtificans, p. 309. n. 495
Quæ ſit cauſa formalis juſtificationis, ibid. n. 496
Probatur adultum extra Sacramentum juſtificari gratiâ habituali tamquam formâ, p. 310. n. 498
Prima ratio Adverſariorum deſumpta ex Scriptura, ſolvitur, ibid. n. 499. & ſeq.
Dilectio & Contritio ſunt cauſæ inſtrumentales juſtificationis, ibid. n. 501. & ſeq.
Dilectio eſt diſpoſitio ad juſtificationem, p. 311. n. 503
Gratis aſſeritur alia forma juſtificans præter gratiam habitualem, ibid. n. 506
In juſtificatione adulti non neceſſariò infunditur actus Spei, p. 313. n. 516
Scotus nuſpiam agnoſcit duplicem formam juſtificantem, p. 314. n. 520
Nihil clariùs eſt in Scoto, quàm Contritionem charitate perfectam eſſe ſolùm diſpoſitionem præviam ad juſtificationem, ibid. n. 521
An ad juſtificandum ſufficiat, ſaltem amor beatificus, p. 315. n. 524
Conc. Trident. tantùm meminit juſtificationis impii, quæ eſt digna gloriâ tanquam hæreditate, p. 316. n. 530
Juſtificatio eſt diſtinctum beneficium poſt Contritionem, p. 317. n. 537. & ſeq.
Deus diſpoſuit nos gratis juſtificare, p. 325. n. 578
Quid ſit gratis juſtificari, ibid.
Aliqua Contritio aut dilectio potuiſſet eſſe forma juſtificans, de facto nulla eſt, p. 326. n. 580
Neque ex Scriptura, neque ex Conc. neque ex SS.PP. probatur duplex forma juſtificationis, p. 313. n. 512. & ſeq.
Modus diſponendi ſe ad juſtificationem ex Trident. p. 130. n. 374
Non poſſumus eſſe certi de noſtra juſtificatione, p. 132. n. 383
Cauſæ aliquæ ex quibus oritur hæc incertitudo, ibid. n. 384

JUSTITIA.

Pœnitentia ſpecialis diſtinguitur à juſtitia tam commutativa, quàm diſtributiva, p. 20. n. 90

Juſtitia duplex legalis & particularis, hæc etiam duplex. ibid. n. 93
Juſtitia ad alterum dividitur in commutativam & diſtributivam, ibid.
Medium juſtitiæ commutativæ non conſiſtit in indiviſibili, ùt etiam medium temperantiæ, p. 809. n. 387
Juſtitia commutativa non poteſt eſſe ſimpliciter in Deo reſpectu creaturæ, p. 20. n. 9
Quis actus inter omnes actus juſtitiæ ſit nobilior, p. 22. n. 98
An juſtitia Dei ſit virtus diſtincta ab ejus voluntate, ibid. n. 103
An detur juſtitia ſtrictè dicta, hominis ad Deum, p. 25. n. 119
Datur juſtitia ſtrictè dicta inter Patrem & Filium, ibid. n. 120
Juſtitia inclinat ad ſervandum jus Dei circa bona extrinſeca, ibid. n. 121
Quæ ſit latitudo medii juſtitiæ commutativæ ex Scoto, p. 899. n. 42
Juſtitia vindicativa etiam eſt in miniſtro exequente pœnam, quamvis minùs principaliter, p. 29. n. 136
Quomodo poſſit eadem carentia juſtitiæ eſſe culpa & pœna, p. 31. n. 145
Juſtitia vindicativa aſſimilatur gratitudini, p. 33. n. 157
Non poteſt habere actum abſolutum & efficacem ante peccatum, ibid. n. 158
Poteſt habere actum inefficacem; p. 34. n. 159
Obligatio juſtitiæ, obedientiæ &c. per primum actum perfectè extinguitur, p. 44. n. 212
Quæ ſit latitudo medii juſtitiæ vindicativæ, p. 899. n. 43
Juſtitia inclinat ad ſolvendum pretium ſummum, ſecùs ad ſolvendum id, quod excedit omne pretium juſtitiæ, p. 44. n. 214
An ſecundò poſſit ſatisfieri eidem præcepto & eidem debito juſtitiæ, ibid. n. 215
Juſtitia & miſericordia in Deo habent effectus diſtinctos, p. 54. n. 261
Qui ſint illi effectus, ibid. n. 262
Juſtitia & miſericordia habent diverſa propria motiva, p. 55. n. 264
Eſt probabile juſtitiam & miſericordiam in Deo diſtingui formaliter, ibid. n. 265
Juſtitiam & miſericordiam in Deo non diſtingui formaliter probatur & variè confirmatur, ibid. n. 266. & ſeq.
Cur magis propriè in Deo ponatur juſtitia, quàm temperantia, p. 56. n. 270
Quæ ſit vera juſtitia ſecundùm D. Auguſt. p. 66. n. 36
Juſtitia ſolùm prohibet accipere res alienas, domino rationabiliter invito, p. 143. n. 445
Quid ſit juſtitia, p. 204. n. 99
Non poteſt homo extendere legem divinam juſtitiæ vindicativæ, p. 880. n. 134
Juſtitia punitiva reſpicit commodum alienum, p. 771. n. 218
Juſtitia punitiva non reſpicit gradum indiviſibilem pœnæ correſpondentem culpæ, p. 894. n. 25
Per juſtitiam vindicativam Deus conſtituit quemlibet hominem ſuum miniſtrum ad vindicandum in ſeipſum, p. 56. n. 272
Per juſtitiam vindicativam Deus non dicitur pœnitere, ibid. n. 273

JUS.

Jus Dei poteſt aliquando à nobis lædi, p. 26. n. 123
Hoc non repugnat perfectiſſimo dominio Dei, ibid
Tali caſu ſimpliciter eſt Deus nolens, ibid. n. 124
Jus Dei reſpici poteſt ab eadem virtute ante & poſt offenſam, p. 33. n. 157
Poteſt Deus remittere jus ad grave odium ex fornicatione, & retinere jus ad leve odium ex eodem peccato, p. 267. n. 284
Duplici titulo competit homini jus ad gloriam, titulo hæreditatis, & titulo mercedis, p. 359. n. 31
Aliquis poteſt habere jus ad majorem gloriam, quàm habeat, aut habiturus ſit gratiam, p. 363. n. 52
Exempla in quibus aliqui invalidè cedunt jure ſuo, p. 747. n. 111
Quid ſignificet in jure ly *Incontinenti*, p. 971. n. 346

L

LECTIO HORARUM.

Finis lectionis Horarum eſt ſolutio debiti, quod habet Eccleſia ad Deum colendum, p. 589. n. 154
Diſparitas inter præceptum recitandi Horas hâc horâ & hâc die, p. 591. n. 162

LEGISLATOR.

Legiſlator habet jus ne fiat tranſgreſſio legis, p. 33. n. 156
Quæ ſit cauſa obligationis Legiſlatoris, p. 566. n. 50. & ſeq.
Legiſlator quodammodo ſibiipſi præcipit & obedit, p. 567. n. 51
Voluntas Legiſlatoris eſt præferenda cortici verborum, p. 654. n. 108
Legiſlator poteſt materiam liberam temperantiæ, facere neceſſariam, p. 672. n. 183
An Legiſlator divinus & humanus reſpiciant diverſum ſpecie finem, p. 767. n. 201. & ſeq.
An Legiſlator humanus poſſit iteratò præcipere eandem rem cum animo inducendi novam obligationem, p. 768. n. 205

LEX.

Lex Evangelica eſt regula communiſſima, p. 62. n. 13
Sola legis prævaricatio eſt peccatum propriè dictum, p. 68. n. 47
Requiritur lex ad dignitatem formalem pœnæ, quamvis non ad fundamentalem, p. 275. n. 324
Leges Eccleſiaſticæ non obligant cum gravi damno corporali aut ſpirituali, p. 461. n. 126
Diſparitas aliqua inter abrogationem legis & Abſolutionem à peccatis, p. 382. n. 12
Lex pœnalis reſpicit actum futurum, non præteritum, p. 543. n. 16
Factum extraordinarium non ſtatuit legem, p. 389. n. 49
Ceſſante fine legis in caſu particulari, non ceſſat lex p. 529. n. 257
Quædam leges obligant abſolutè ad actus omnes & ſingulos, aliæ obligant ex ſuppoſitione, p. 542. n. 8
Lex non debet neceſſariò omnes omnino comprehendere, quando fertur pro certo ſtatu hominum, ibid. n. 9
Ut lex aliqua ſit rationabilis, ſufficit quòd obſervetur à ſaniore parte Communitatis, p. 463. n. 32
Hauſtus vini ad extinguendam ſitim contra legem Superioris, non eſt moderatus, p. 673. n. 186
Deus cenſetur communiter eſſe contentus probabili adimpletione ſuæ legis, p. 658. n. 124
Quid ſit lex naturalis, p. 394. n. 96
Gratianus non rectè loquitur de jure legis naturæ, ibid. n. 97
Ceſſante fine legis negativè in caſu particulari, non ceſſat ipſa lex: ſecùs ſi ceſſet in univerſali, vel contrariè in caſu particulari, p. 697. n. 88. & ſeq.
Lex debet eſſe honeſta, juſta, poſſibilis, p. 768. n. 205
Oſtenſio poteſtatis legiſlativæ non ſufficit ad juſtitiam legis, ibid. n. 207
An actus in ſe malus, nondum tamen prohibitus, per legem accipiat novam malitiam, p. 769. n. 209

Finis

Digitized by Google

Finis principalis legis eſt bonum ſubditorum, non Legiſlatoris, ibid. n. 212
Ex divina Excellentia reſultat ſpecialis malitia in actu lege divinâ prohibito, p. 772. n. 221
Lex requiritur neceſſariò ad denominationem peccati actualis, & tamen non ideo eſt pars ejus eſſentialis, p. 279. n. 347
An quoties aliquis abundantiorem ſolutionem offert eâ, ad quam aliàs eſt ex lege aſtrictus impleat legem, p. 969. n. 339
Communis ſententia diſtinguit inter legem naturalem & divinam poſitivam, p. 394. n. 98

LIBERALITAS.

Poteſt actus liberalitatis eſſe debitus ex juſtitia, p. 350. n. 123. & ſeq.
Liberalitas reſpicit ſumptus honeſtos, ſed non quacumque honeſtate, p. 808. n. 385

LIBERTAS.

In voluntate creata eſt triplex libertas, ſcilicet ad oppoſitos actus, objecta, & effectus, p. 50. n. 242
Quæ libertas competat voluntati divinæ, ibid. n. 242
Quæ ſit actio libera, p. 224. n. 70
Libertas, ſaltem participata, eſt conditio eſſentialis formalis malitiæ, p. 845. n. 115
Quare actus non poſſit denominari liber à libertate omnino præterita, p. 846. n. 117
Effectus voluntatis liberæ præſentis eſt liber denominativè, p. 866. n. 71

LIBERUM ARBITRIUM.

Liberum arbitrium abſque gratia poteſt exire in aliquod bonum morale, p. 67. n. 39
Liberum arbitrium propriè non peccat, ſi lateat veritatis via, p. 68. n. 46.
Calvinus admittit liberum arbitrium, ſi coactioni opponatur libertas, p. 221. n. 54
Liberrimum tunc erit arbitrium cùm peccato ſervire non poterit, p. 257. n. 228
S. Auguſt. aliquando ſumit liberum arbitrium ùt comprehendit gratiam habitualem, p. 259. n. 242
Liberum arbitrium primi hominis non ſufficiebat retinendæ juſtitiæ, p. 260. n. 243
Liberum arbitrium inſtructum gratiâ habituali, non poteſt peccare, niſi perdat illam gratiam, ibid. n. 244
Liberum arbitrium eſt integrum quantum ad eſſentiam potentiarum, non quantum ad perfectionem habilitatum, p. 265. n. 270
Quâ ratione libero arbitrio ſit neceſſaria gratia gratum faciens & gratia gratis data, ibid. n. 271
Non eſt uſus liberi arbitrii meritorius poſt mortem, p. 348. n. 113
Secundùm D. Thomam non videtur neceſſarium ponere gratiam quæ inclinet liberum arbitrium ad volendum, p. 64. n. 24
Secundùm D. Thomam ad eliciendum actum converſionis ſufficit liberum arbitrium, ibid.

LIBER VITÆ.

Per peccatum mortale homo quodammodo deletur ex libro vitæ, & per pœnitentiam rurſus inſcribitur, p. 209. n. 130

LIGARE.

Vox, *ligare*, propriè ſonat abſolutam obligationem, p. 924. n. 151

LOCUTIO.

An qui ſe accuſat locutionis de rebus turpibus debeat explicare qualitates perſonarum, quæ aderant, p. 734. n. 64
An debeat explicare earum numerum, p. 735. n. 65

LOTH.

Exemplum Loth volentis proſtituere filias ſuas, ut impediret majus peccatum, p. 143. n. 447
Excuſatur Loth ab omni peccato, p. 144. n. 450

LUTHERUS.

Lutherus erravit circa integritatem Confeſſionis, p. 632. n. 13
Error Lutheri, non poſſe peccatorem Deo ſatisfacere pro peccato, p. 851. n. 4

M

MACULA.

An macula peccati mortalis pro formali ſit deputatio paſſiva ad pœnam æternam, p. 278. n. 341
Quomodo macula peccati pendeat ab extrinſeca voluntate Dei, p. 285. n. 374. & ſeq.
Quare permanentia in ordine ad odium ſit potiùs macula, quàm permanentia pœnæ, p. 306. n. 479

MALITIA. MALUM.

Malitia contra Charitatem, quæ invenitur in quolibet peccato mortali, eſt ſpecifica, p. 193. n. 41
Quomodo hæc malitia ſpecialiter conveniat impœnitentiæ finali, ibid.
Malitiæ eo modo differunt, quo bonitates, quæ deberent ineſſe, ſi ſpecie, ſpecie, ſi numero, numero, p. 273. n. 314
In actu peccati non eſt malitia intenſivè infinita, p. 320. n. 553
In quo fundetur malitia formalis & moralis, p. 374. n. 110
Malitia reproductionis actûs mali, non deberet Deo imputari, ibid. n. 112
Si poſſit redire idem numero actus phyſicus, etiam eadem numero malitia, ibid. n. 113
Quid Scotus intelligat per malitiam ex genere, p. 720. n. 5
An malitia ſpecificetur ab efficiente, ibid. n. 6
Non quælibet malitia privat totaliter honeſtate virtutis oppoſitæ, ùt oſtenditur in liberalitate & ſobrietate, p. 723. n. 15. & ſeq.
Quomodo malitia ſit in ſermone & in voluntate, p. 838. n. 81
Explicita comparatio inter malum culpæ & mala temporalia laudabilis eſt, & perfectioni ſtudentibus commendanda, p. 101. n. 224
Sæpè permittuntur mala minora, ut evitentur majora, p. 144. n. 451
Quamdiu quiſque malus eſt, non poteſt facere fructus bonos, p. 254. n. 214
Cauſare malum, abſolutè eſt malum, p. 619. n. 119
Effectus malæ cauſæ poteſt eſſe bonus, ibid.
Aliqua ſunt objecta, quorum intentio licèt ſit mala, conſecutio tamen non eſt mala, ibid. n. 120
Malitia, quæ contrahitur ex loco ſacro, ordinariè ſolùm eſt venialis, ſeclusâ prohibitione Eccleſiæ, p. 803. n. 362

MANDATUM.

S. Auguſt. non damnat Catholicos, qui credunt poſſibilia eſſe mandata, etiam his, qui ea tranſgrediuntur, p. 523. n. 226

MARTYR. MARTYRIUM.

Martyres habuerunt magnam & robuſtam Charitatem, quam non habuit Petrus quando Dominum negavit, p. 116. n. 296
Martyr, ſi in illo inſtanti, in quo accipit gratiam Martyrii, peccaret venialiter, deberet ire ad Purgatorium, p. 423. n. 34
Voluntas Martyrii cum opere, majoris meriti eſt, quam ſola voluntas, p. 842. n. 101

MATRIMONIUM.

Chriſtus non immutavit contractum Matrimonii, p. 460. n. 124
In Matrimonio idem eſt miniſter & ſuſcipiens, p. 464. n. 143
Valet Matrimonium, tametſi conſenſus utriuſque conjugis non ſimul phyſicè exiſtat, ibid.
Etiam in Matrimonio poſitis omnibus partibus eſſentialibus, ſtatim ponitur effectus, p. 466. n. 151
Matrimonium in rigore nunquam miniſtratur ſub conditione de futuro, ibid. n. 154

Contractus

Digitized by Google

Contractus matrimonialis admittit conditionem de futuro, p. 467. n. 155
Matrimonium poteſt miniſtrari indigno, ſecùs alia Sacramenta, p. 509. n. 161
Non valet Matrimonium contractum ſinè Parocho, etſi hic & nunc foret neceſſarium pro bono communi. p. 698. n. 89
Quare Eccleſia voluerit ut Ordo ſacer & profeſſio Religioſa dirimerent Matrimonium, p. 729. n. 43
Quare Eccleſia ſtatuerit conſanguinitatem impedimentum dirimens Matrimonium, ibid.
Malitia ſupplet ætatem in contractu Matrimonii, p. 564. n. 40
An in Matrimonio Parochus debeat eſſe præſens, quando conjuges exprimunt ſuum conſenſum interpreti, p. 610. n. 83
An ſufficiat ad Matrimonium, quòd Parochus videris conjuges loquentes interpreti, p. 611. n. 84

MEDICINA. MEDICUS.

Medicina eſt expetibilis, p. 4. n. 11
Præceptum impoſitum medicis, ut ante omnia moneant infirmos de facienda Confeſſione, p. 549 n. 47
Non obligat in quibuſcumque morbis, p. 550. n. 48
Satis eſt ſi medicus per alium admoneat, ibid. n. 49
An ſi infirmus renuat confiteri, medicus debeat eum deſerere, ibid. n. 50
An medicus teneatur monere, quando non ſperat fructum, ibid. n. 51
Quæ fuerit ratio illius præcepti, ibid. n. 52
Pœna impoſita contravenientibus, p. 551. ibid.
Quomodo intelligendum, quod dicitur in illo præcepto de fide Confeſſoris in ſcriptis facta, ibid. n. 53
Quomodo obliget juramentum, de quo fit mentio in illo præcepto, ibid.
Medicus rectè agit applicando medicinam per accidens tantùm profuturam, p. 920. n. 134

MEDIUM.

An medium poſſit efficaciter eligi propter finem non efficaciter intentum, p. 34. n. 161
Deus poſt lapſum Adæ providit omnibus media ſufficientia ad ſalutem, p. 62. n. 14
Media non addunt actui ſpecialem malitiam mortalem, niſi ipſa contineant talem malitiam, & ideo non niſi tali caſu explicanda in Confeſſione, p. 807. n. 380.
An debeant exprimi media de ſe non mala, quando finis non fuit ſubſecutus, ibid.

MENDACIUM. MENTIRI.

Quomodo ſit intelligendum quod ait S. Auguſt. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum*, p. 69. n. 48
Non omne mendacium in Confeſſione admiſſum eſt peccatum mortale, p. 624. n. 169
Aliquod mendacium in Confeſſione admiſſum poteſt eſſe peccatum mortale, ibid. n. 170
Nunquam eſt omnino mentiendum, p. 141. n. 431
Diverſa genera mendaciorum, ibid.
An poſſim mentiri, ne Deus patiatur aliquod damnum intrinſecum, p. 142. n. 140. & ſeq.
Mendacium in neceſſitate manet mendacium, p. 143. n. 446
An qui dolet de omnibus mendaciis, & non explicat numerum in Confeſſione, accipiat remiſſionem omnium, p. 482. n. 37

MERERI. MERITUM.

Plus eſt mereri de congruo infallibilem remiſſionem peccatorum extra Sacramentum, quàm de condigno augmentum gratiæ, p. 87. n. 145
Nihil meretur de condigno primam juſtificationis gratiam, p. 149. n. 474
Chriſtus non meruit unionem hypoſtaticam præcedentibus meritis, ibid. n. 476
Neque ſubſequentibus, aut concomitantibus, ibid.
Plus requiritur ad merendum, quàm demerendum, p. 275. n. 324
Solum meritum condignum meretur nomen meriti ſimpliciter, p. 315. n. 523
Contritio aut dilectio hominis peccatoris non meretur de condigno vitam æternam, p. 316. n. 531
Sæpiſſimè meretur homo plus ſupplicii actu aliquo, quàm laudis actu oppoſito, p. 324. n. 571
Solius viatoris eſt mereri & demereri, p. 334. n. 35
An actus dilectionis poſſit ſimul cum augmento gratiæ de condigno mereri bona temporalia, p. 338. n. 58. & ſeq.
Homo juſtificatus bonis operibus meretur augmentum gratiæ, p. 359. n. 32
Gratia & gloria ſunt diſtincti effectus operis meritorii, ibid.
Sententia Vaſquez, ad meritum condignum non requiri relationem in finem Charitatis, p. 87. n. 147
Quid ſit ratio meriti ſecundùm Scotum, p. 106. n. 249
Meritum debet ordine naturæ præcedere præmium, p. 150. n. 478
Meritum de congruo ſufficit ſecundùm Scotum ad acquirendum regnum cælorum, p. 180. n. 116
Deus vult noſtra eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, p. 236. n. 127
Quid requiratur ad meritum de congruo, p. 292. n. 408
Meritum congruum agnovit D. Auguſt. pluribus locis, ibid. n. 409. & ſeq.
Ratio meriti convenit actui magis quia eſt ex Charitate, quàm quia eſt à voluntate, p. 293. n. 411. & ſeq.
Quomodo peccator de congruo mereatur juſtificationem, ibid. n. 413
Duplex objectio ſolvitur, ibid. n. 414
Oſtenditur D. Auguſt. meritum propriè intellexiſſe, ibid. n. 415
D. Auguſt. nuſpiam retractavit meritum Fidei, p. 294. n. 416
Meritum juſtificationis aſſeruit D. Ambr. item D. Hier. D. Bonavent. & Conc. Trident. ibid. & n. ſeq.
In quo conveniat meritum congruum cum ſtricta impetratione. ibid. n. 419
Quomodo intelligendum, quod ait Trident. nihil eorum, quæ præcedunt juſtificationem, eam promereri, ibid. n. 420
Explicatur dictum Apoſtoli Rom. 11. *Si gratia iam non ex operibus* &c. p. 295. n. 420
Sicuti per Sacramenta ex opere operato, ita per pœnitentiam ex opere operantis applicantur merita Chriſti, ibid. n. 425
Quare Chriſti meritum potuerit delere peccatum, p. 320. n. 556
Status gratiæ ad meritum de condigno ſolùm requiritur de potentia ordinata, p. 325. n. 577
In omni opere meritorio ſit plurimum eſt humiliatio & devotio, aut certè pœnalitas, p. 341. n. 73
Ratio meriti condigni completè eſt ex ordinatione divinæ voluntatis, p. 356. n. 20
In manu noſtra eſt mereri, ibid. n. 21
Deus nequit mereri, ibid.
Acceptatio divina non includitur in ratione meriti ſecundùm quid, ibid. n. 22
Formæ morales, quales ſunt merita, cùm ſemel extiterint, ſemper deinde exiſtunt moraliter, p. 358. n. 29. & ſeq.
Merita reviviſcunt ad totam gloriam & gratiam, p. 360. n. 36
Merito quantumcumque remiſſo debetur præmium eſſentiale, non tamen gratia ſtatim danda, ibid. n. 38
Merito correſpondet gradus eſſentialis gloriæ, p. 361. n. 42
Augmentum gratiæ debitum, etiam meritis remiſſis, ſtatim dari, eſt communior ſententia, oppoſitum cenſet probabile Scotus, ibid. n. 45. & ſeq.

Sufficit

Digitized by Google

Sufficit ad opus meritorium, quòd aliquando habebit augmentum gratiæ, p.362.n 47

Exiſtimat Hiquæus gratiam ſemel datam, ſive ex meritis, ſive ex aliis mediis, numquam redire: item meritum fundare proprium titulum reſpectu gloriæ diſtinctum à gratia habituali, ibid. n. 48. & ſeq.

Gloria eſt præmium eſſentiale correſpondens meritis, ibid. n. 51

Non intenſioni Charitatis ſeu gratiæ, ſed operi meritorio correſpondet præmium, ibid.

Merita poſſunt præmiari ultra menſuram gratiæ ſanctificantis juxta Hiquæum, p.363 n.53

Primum argumentum Hiquæi contra reviviſcentiam meritorum ad gratiam amiſſam, ſolvitur, ibid. n.54. & ſeq.

Secundum argumentum Hiquæi ſolvitur, ibid. n.57. & ſeq.

Merita non ſemper applicantur ad omnem effectum, quem poſſent habere, ſi Deus vellet, p.366.n.74

Merita dum ſunt mortificata, non poſſunt mereri minimam gratiam, interim aliquid faciunt pro reſurrectione, p.367.n.78

Meritum condignum completur acceptatione divinâ. p.412.n.200

Ad meritum de congruo non requiritur ſtatus gratiæ, p.902.n.57

Quomodo diſtinguantur meritum & ſatisfactio, p.853 n.13

An valeat; Poſſum accipere remiſſionem pœnæ abſque ſolutione æquivalente; ergo etiam augmentum gratiæ abſque merito condigno, p.859.n.43

Arriaga exiſtimat improbabile, negare actui naturali rationem meriti de condigno. p.862.n.53

Non eſt inconveniens, aliquem qui jam eſt in termino quoad ſe, per orationem mereri alteri, p.858 n.38

Pro meritis mortificatis remanet jus ad gloriam, ſed impeditum, p. 355.n. 14

Deus potuiſſet merita noſtra ad majorem gratiam & gloriam acceptare, p.874.n.111

METUS.

Metus inferni eſt ſufficiens motivum ad vitandum omnia peccata, quæ de facto occurrunt per ſe & ſeclusâ ignorantiâ, p.165.n.41

MISERICORDIA.

Ex miſericordia poſſum velle actum Religionis, p.39. n. 186

MISER.

Miſer & felix non diſtinguuntur per habitum, p. 362. n. 50

MISSA.

Quod ſit motivum proximum & intrinſecum auditionis Miſſæ, quæ præcipitur in Feſto, p. 774. n.229

Omiſſio Miſſæ ex juſta cauſa, ne quidem materialiter eſt mala, p.801. n.350

Plus eſt aliquam actionem impedire Miſſam, quàm eſſe incompatibilem cum illa, p.812. n.402

MONACHUS.

Quid Monachus voto ſolemni promittat juxta Caramuelem, p.735.n.67

Quid reverà ſignificetur nomine caſtitatis, quam Monachi vovent, p.736.n.68

Monachus voto ſolemni promittit veram virtutem caſtitatis & pudicitiæ, p.737.n.73

MONIALIS.

Monialis quæ tactibus ſinè delectatione propria ſæcularem pollueret, peccaret contra votum caſtitatis, p.743.n.97

MORS.

Sibiipſi, aut alteri mortem inferre, regulariter eſt peccatum mortale, p.196.n.60

Mors voluntariè accepta ſolvit magnam partem pœnæ debitæ peccatis mortalibus dimiſſis, p. 352. n. 135

Probabile eſt quòd augmentum gratiæ meritis remiſſis debitum, reſervetur uſque ad inſtans mortis, p. 527. n. 2.

Contrarium eſt probabilius, ibid. n. 3

In articulo mortis non debet quis pluribus confiteri, p.204.n.103

In caſu quo foret periculum mortis teneretur peccator ſtatim pœnitere, p.205.n.105

Mors voluntariè accepta eſt pœna ſufficiens pro pœna cujuſcumque peccati venialis, p.887.n.163

Quid Eccleſia intelligat per mortis periculum in quo aliquis debet confiteri jure divino, p. 551.n.55

Excuſat à Confeſſione in periculo mortis revelatio peccati à Confeſſatio facienda, vel uni tantùm, p. 599. n. 32

An periculum oblivionis peccatorum æquivaleat periculo mortis, p. 552. n. 57. & ſeq.

Poteſt contingere ut quis ſubitâ morte præventus de futuris peccatis non cogitet, ſed tantùm de præteritis, p. 77. n. 89

An mors ſit voluntaria ſufficienter ad peccatum, quæ neceſſariò ſequitur cauſam voluntariè poſitam, p. 847. n. 125

An illa mors debeat explicari in Confeſſione, ibid.

MOTUS.

Unitas termini motuum, non concludit unitatem ſpecificam motuum, p. 114. n. 286

N

NATURA.

Natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta, p. 69. n. 51

An omnia peccata contra naturam ſint ejuſdem ſpeciei. p. 724. n. 21. & ſeq.

NAVIGARE.

Navigantes non peccant peccato ſuicidii, p.205 n.104

NECESSITAS. NECESSITARI.

Deus non neceſſitatur ad productionem gratiæ, p.272. n. 309

Phyſicè neceſſitatus ad non audiendum Sacrum non peccat, etiamſi putet ſe peccare, p. 134. n.395

Quædam peccandi neceſſitas ex D. Auguſt. p. 522. n. 223. & ſeq.

Quam neceſſitatem ſignificent illa verba Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c. p. 188. n. 9

Multa licent in neceſſitate, quæ ſunt illicita extra neceſſitatem, p. 802. n. 357

NEGLIGERE.

Negligere voluntariè aliquod augmentum gratiæ non eſt peccatum, p. 196. n. 55

Multi Beati carent multâ gloriâ, quam potuiſſent habere ex meritis neglectis, p. 358. n. 27

NINIVITÆ.

Per miſericordiam, quam conſecuti ſunt Ninivitæ, poſſumus intelligere liberationem à ſubverſione civitatis, p. 161. n. 18

Quare Trident. ſeſſ. 14. c. 4. utatur exemplo Ninivitarum, ibid. n. 19

Pœnitentia Ninivitarum fuit proxima diſpoſitio ad miſericordiam impetrandam ſuper excidium civitatis, p. 166. n.46

O

OBDURARE. OBDURATIO.

S. Auguſt. per obdurationem peccatoris intelligit ſubtractionem gratiæ efficacis finalis, p.247.n.179

Pharaonem divina potentia quodammodo obduravit, p. 249. n. 191

Quid fecerit Pharaonem obdurare, ibid. n. 192

Pharao obduratus potuit obtemperare, p.250.n.193

Obduratio non Dei potentiâ, ſed indulgentiâ perficitur, p. 248. n. 185

Quomodo Deus aliquando obduret etiam per potentiam, ibid. n. 186
S. Auguſt. numquam docuit, Deum homines per potentiam in peccata compellere, ibid.n.187
Quid ſit tradere per patientiam, & quid ſit tradere per potentiam, p.249.n.188
Quomodo fiat obduratio peccatoris, p.255.n.206
Pharao obduratus retinuit liberum arbitrium, ibid.
Diſcrimen inter obdurationem hujus vitæ & damnatorum, ibid. n. 207. & ſeq.

OBEDIENTIA. OBEDIRE.

Obedientia eſt virtus generalis, & inobedientia peccatum generale, p.671.n.178
Violans votum obedientiæ non peccat contra obedientiam, p.743.n.96
Obedientia magis intendit bonum ſubditi, quàm præcipientis, p.771.n.219
Numquam obedimus præcepto humano, quin ſimul implicitè obediamus præcepto divino, idid.n.220
Diverſitas poteſtatis habet ſe per accidens ad obedientiam, p.772.n.220

OBEX.

An ſit peccatum mortale ponere obicem effectui ſecundario pœnitentiæ, p.907.n.76. & ſeq.
An ſit peccatum veniale, ibid.n.78.& ſeq.

OBJECTUM.

Quid ſit objectum remotum alicujus virtutis, p.41. n. 201
Objectum materiale remotum virtutis ſpecialis pœnitentiæ eſt malum vindicabile à ſe commiſſum, ibid.
Aliquo ſenſu malum vindicabile poteſt dici objectum proximum, p.42.n eod.
Deus quodam ſenſu eſt objectum materiale proximum Religionis,& quodam ſenſu remotum, ibid.n.202
Idem formale objectum poteſt appeti diverſis ſpecie actibus, p.114.n.287
Quod ſit objectum hujus propoſitionis mentalis: *Homo non eſt lapis.* p.7.n.23

OBLIGATIO. OBLIGATUS.

Obligatio gratitudinis eſt interminabilis, p.44.n.212
Obligatio ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ non eſt pro prima opportunitate, p.121.n.326
Obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum eſt pro prima opportunitate, ibid.
Neganti obligationem, non incumbit probatio, ſed affirmanti, p.207.n.116
Obligatio præcepti affirmativi non eſt pro ſemper, p.541.n.3
Quæ ſit obligatio per ſe & immediata alicujus præcepti, p.545.n.23
Non eſt obligatio ſcribendi ſua peccata, etſi aliqui id faciant, p.553.n.60
An obligetur quis nunc confiteri peccata reſervata, ſi poſt non ſit habiturus legitimum Confeſſarium, ibid. n.61. & ſeq.
Quæ ſit obligatio per accidens alicujus præcepti, p.554.n.63
Diverſitas inter obligationem juſtitiæ vel ex voto, & obligationem annuam confitendi, p.590. n. 155. & ſeq.
Obligatio non ſumit ſpeciem ab efficiente, ſed à termino, p.769.n.211
Chriſtus non fuit obligatus legibus civilibus aut canonicis, p.463.n.139

OBSTINATIO.

Duplex obſtinatio in malo, p.255..217

OCCASIO.

Differentia aliqua inter occaſionem proximam peccati mortalis & venialis, p.528.n.248
Quæ ſit occaſio proxima & remota, ibid. n. 249. & ſeq.
Per ſe loquendo negotiatio aut militia non eſt deſerenda etſi in ipſis plures ſint occaſiones peccatorum, ibid. n.251. & ſeq.
Negotiatio & militia poſſunt per accidens eſſe occaſio proxima peccandi, p.529.n.252
Converſatio cum mulieribus poteſt uni eſſe occaſio proxima peccandi, etſi non alteri, ibid. n. 254
Vir & mulier cohabitantes, & ſæpiùs peccantes poſſunt abſolvi, ſi accedant cum extraordinario propoſito, præſertim ſi ſinè incommodo non poſſint ſeparari & ſint primæ vices, p.530.n.259
An poſſint abſolvi ſi ſæpiùs ſic fuerint confeſſi, ibid. n. 260.
An Judith & Eſther expoſuerint ſe periculo proximo peccati, p.531.n.263.& ſeq.
An cum occaſione proxima peccati poſſit conjungi efficax propoſitum non peccandi, ibid.n.265.& ſeq.
Probatur ex Rituali Rom. numquam eſſe licitum permanere in proxima occaſione, p.532.n.272
An liceat baptizare parvulum alioqui ſinè Baptiſmo moriturum, ſi eſt proximum periculum peccati, ibid.
Eâdem ratione teneor vitare occaſionem proximam peccati determinati & indeterminati, p.535.n.281
Faciliùs poteſt evitari cauſa peccati determinati, quàm indeterminati, ibid. n. 283
Quare occaſio aliqua peccati dicatur proxima. ibid. n. 284
Caret ſufficienti propoſito, qui non vult deſerere occaſionem proximam peccati determinati, quando commodè poteſt eam deſerere, ibid.n.285
An poſſit abſolvi qui licitè manet in proxima occaſione peccati, tametſi ſemper relabatur, p.536.n.286
Non vitare occaſionem proximam peccati venialis, quando commodè poteſt evitari, eſt peccatum veniale, ibid.n.288
An qui confiteretur unicum peccatum veniale, & nollet vitare occaſionem proximam, quando commodè poteſt eam vitare, poſſet abſolvi, ibid.n.289
Major ratio eſt negandi Abſolutionem perſeveranti in occaſione proxima, quàm relapſo in priora peccata, p.537.n.293.& ſeq.

OCCISIO. OCCIDERE.

An occiſio hominis ſtatim reſuſcitandi foret peccatum mortale homicidii, p.193.n.38
Qui vult occidere multitudinem hominum concipit confuſè aliquem numerum, p.834.n.64

ODIUM.

Odium unius objecti eſt virtualiter amor objecti oppoſiti, p.7.n.26
An & quomodo diſtinguatur odium, dolor & deteſtatio, p.71.n.58.& ſeq.
Deus non poteſt præcipere odium Dei, p.191.n.24
Deus non poteſt permutare culpam odii Dei in culpam luxuriæ, p.266.n.278
Poteſt Deus facere ut peccatum præteritum non ſit amplius ſufficiens fundamentum odii, p.300.n.451
Quid ſit odium inimicitiæ, p.782.n.265
Odium inimicitiæ opponitur directè amori amicitiæ, ibid.
Odium non deſumit ſuam ſpeciem ab aliquo determinato malo, ſed à malo in genere, p.783.n.268
Sæpiùs peccato odii conjungitur affectus efficax aut moroſa delectatio, ibid. n. 269
Quo pacto odium ſit ſpeciale vitium, ibid.n.272
Peccatum odii pro objecto formali non reſpicit malitiam particularem, p. 784. n. 274. & ſeq.
Quomodo odium diſtinguatur ab injuſtitia interiori, p. 785. n. 277
Quomodo parvitas materiæ excuſet odium à peccato mortali, ibid. n. 278
Dantur odia ſpecie diſtincta, ibid. n. 279
An ſatisfaciat, qui confitetur odium ad ſex, quando fuit ad octo, p. 640. n.47. & ſeq.

OFFENSA.

Quid ſit offenſa Dei, p. 40. n. 192. & n. 195
Quomodo differant offenſa, macula & reatus, p. 42. n.206. item p.305.n.473

Implicat

Digitized by Google

Implicat eſſe materialem offenſam Dei, non tamen materiale malum, p.47. n. 228
Quid ſit offenſa, macula & reatus, p.278.n.340
Quid ſit Deum offendi, p.305.n.473
Quid ſit offenſa illa, ibid.
Offenſa non creſcit arithmeticè ex dignitate perſonæ, uti nec amor Dei, p.320.n.554
Quando circumſtantia perſonæ aggravet offenſam, & quando non, ibid. n. 555
Offenſa Dei in genere eſt circumſtantia generalis, ibid.

OMISSIO.

Si ponatur omiſſio voluntaria ſinè volitione, illa ſeparatio non eſt explicanda in Confeſſione, p.81c. n. 393
Volitio non audiendi Sacrum, eſt adæquata cauſa externæ omiſſionis, p.812.n.399
Regulariter non datur pura omiſſio ex Scoto, p.885. n. 153
Dubium eſt, an poſſit dari ex eodem, ibid.n.154
Regulariter conjuncta eſt omiſſioni poſitiva voluntas, p.886.n.155
Omiſſio poſitiva poſitivè voluntaria, eſt poſitiva entitas, p.919. n.130

OPERARI.

Poteſt quis bene operari circa malum, p.4.n.12
Quod ampliùs nos delectat ſecundùm hoc operamur, p.71.n.66

OPINIO.

Senſui communi non poteſt derogare paucorum DD. contraria opinio, p. 198.n.65

OPTARE.

Poteſt homo appetitu elicito optare carentiam propriæ exiſtentiæ, p.36.n.174
Pœnitentia poteſt optare carentiam peccati, ibid.n.175

OPUS.

Quodnam opus bonum ſecundùm D. Auguſt. p. 65 n. 31
Opus aliquod tripliciter dici poteſt bonum ex D. Boventura, p.67.n.38
Quomodo defectus debiti finis reddat opus peccaminoſum, ibid.n.41
Opera infidelium communiter fiunt perverſo fine, & ideo vocantur à D. Auguſt. peccata, p.68.n42
D. Auguſt. non negat aliqua bona opera infidelium, ibid. n. 43
Sine aliquibus bonis operibus difficillimè invenitur vita cujuſlibet peſſimi hominis, ibid.
Quomodo opus infructuoſum poſſit vocari peccatum, ibid. n.45
Quomodo opus infructuoſum vocetur mendacium & peccatum, p. 69. n. 49
Opus bonum hominis juſti dignificatur à gratia habituali, p.87.n.146
Qui propter Deum ſolùm vult facere unum opus bonum, non amat Deum ſuper omnia opera bona, p. 95. n. 194
Opera Beatorum non ſunt meritoria, nec viator alteri meretur gloriam, ſed ſibiipſi tantùm, p.275. n. 323
Homo ut ordinatur ad præmium aut pœnam nequit abſtrahere ab operibus, p.279.n.343
Proxima dignitas ad præmium in bonis operibus provenit ex acceptatione divina, p.284.n.371
Opus bonum duplicem habet effectum, unum quà pœnoſum, alterum quà hominis juſti, p. 328. n. 10
Opera ſatisfactoria hujus vitæ debent eſſe voluntaria, p.334.n.41
Ad aliqua opera in ſubſtantia naturalia requiritur ſpecialis gratia Dei, p.476. n. 4
Totus valor operis non exhauritur in promerendo augmento gratiæ & gloriæ, p.853.n.14
Opera noſtra pœnalia ex natura rei non æquivalent pœnis Purgatorii, d.855.n.24
Oppoſitum docet Vaſquez, ibid. n. 25
Opus indifferens non placet Deo, p.861.n.50
An opus ſatisfactorium de condigno ex opere operantis, debeat ſaltem imperari ab aliqua virtute ſupernaturali, ibid n.51.& ſeq.
Opus per accidens bonum poteſt eſſe meritorium & ſatisfactorium, p.918.n.125
An opus merè præſervativum poſſit eſſe pars Sacramenti, p.919. n. 131. & ſeq.
Difficultas alicujus operis dupliciter poteſt conſiderari, p.872. n. 104
Non valet; opus bonum meretur vitam æternam, ergo ablationem ejus, quod poteſt conſecutionem vitæ æternæ impedire, p.872.n.100
Opera externa magis à peccato revocant, quàm merè interna, p.914.n.108

OPUS SERVILE.

Multa peccata non ſunt opera ſervilia propriè, p.815. n. 412.
Quare Eccleſia potiùs prohibuerit in die Feſto opera ſervilia, quàm peccata, ibid.n.413
Objectiones ſolvuntur, ibid. n. 414. & ſeq.

ORARE. ORATIO.

Aliud eſt non orare ùt oportet, & aliud non poſſe orare ùt oportet, p.522 n.225
Præcipitur oratio tempore tentationis, p.235.n.122
Ex neceſſitate orationis non efficaciter colligitur defectus gratiæ proximè ſufficientis, p. 236. n. 129
Oratio Dominica ſciri debet propter operationem, p.762.n.179
Oratio non eſt meritum condignum remiſſionis pœnæ, ſed meritum congruum, & ideo fallibile, p.860. n.48
Qui per orationem petit remiſſionem pœnæ, non petit miraculum, ibid.
Quomodo magis debeat attribui remiſſio venialium orationi Dominicæ, quàm aliis orationibus, p.345.n.97
An ſit eadem ratio Dominicæ orationis & aliorum Sacramentalium, ibid. n. 98

ORDINARE.

Deus ſubinde ordinat bonum altioris ordinis ad bonum ordinis inferioris, p.164 n.34
Res altioris ordinis poteſt ordinari ad bonum inferioris ordinis, p.696.n.83

ORDINIS SACRAMENTUM.

Quid ſignificet forma Ordinationis: *Accipe Spiritum ſanctum*, p.485.n.93
Forma Ordinationis: *Accipe Spiritum ſanctum* eſt vera, tametſi numquam detur gratia, p. 486. n. eod. & ſeq.
Infans poteſt validè ordinari, p. 500.n.118
Deus potuiſſet conferre poteſtatem Ordinis adultis non conſentientibus, quàm jam per Sacramentum confert ſolis conſentientibus, ibid. n. 119
Qui vovit ſuſcipere Ordines ſacros, majori jure obligatur ad continentiam, quàm qui non vovit, p.541.n.7

P

PARABOLA.

Parabolæ non ſunt in omnibus adaptandæ, p.372. n. 103
In quo conſiſtat comparatio parabolæ Chriſti Matt. 18. de ſervo &c. ibid.

PARENS.

Primi parentes ceciderunt, quia Deum non oraverunt pro auxilio, p.230.n.98
Parentes habent æquale jus cuſtodiendi corpus filiæ corruptæ atque filiæ virginis, p.748. n. 113

Parentes non habent majus jus, ut honorentur per bonos mores filiæ virginis, quàm corruptæ, ibid.
Parentes habent æquale jus cuſtodiendi corpus filiorum, ac filiarum, ibid. n. 114

PAROCHUS.

An major requiratur notitia in Parocho, qui aſſiſtit matrimonio, quàm in Confeſſario, p. 595. n. 13. & ſeq.

PARVULUS.

Parvuli decedentes ſinè Baptiſmo non cremabuntur igne materiali ſecundùm D. Bonaventuram & Scotum, p. 137. n. 412
Contrarium videtur admittere D. Auguſt. ibid. n. 413
De parvulis & infidelibus, qui nullam omnino gratiam receperunt, dici non poteſt, quod redimi noluerint, p. 238. n. 136
Quomodo parvuli pertineant ad generalem Dei gratiam, etiam illi qui moriuntur abſque Baptiſmo, ibid. n. 137. & ſeq.
S. Auguſt. ſolùm negat illis potentiam proximam Baptiſmi, p. 239. n. 140
Quomodo voluntas Dei, quâ vult ut parvulo non detur Baptiſmus ſit poſitiva, & quomodo tantùm permiſſiva, ibid. n. 144

PASSIO.

Paſſio Chriſti meritoriè delet culpas, p. 318. n. 541
Paſſio Chriſti non eſt ſimpliciter infinita, ibid. n. 543

PATER.

Pater non tenetur alere filium prodigum ſuorum bonorum, p. 748. n. 113
Pater non tenetur filiam meretricem honeſtè elocare, ibid.

PATIENTIA.

Definitio patientiæ ex Auguſt. p. 884. n. 148
Quid ſignificet ly *Voluntaria* in illa definitione, ibid. n. 149
Alia definitio patientiæ ex D. Auguſt. ibid.

PATRIA.

In patria manebit pius affectus credendi, p. 59. n. 285

PECCARE.

Quomodo peccet, qui caret gratiâ, p. 31. n. 146. & ſeq.
Vitæ conſervandæ cauſâ peccare non licet, p. 125. n. 344
Non poteſt eſſe neceſſitas peccandi, p. 133. n. 391
Perplexus non peccat eligendo minus peccatum, tametſi illa perplexitas ſit culpabilis, p. 134. n. 392
Et dato etiam, quòd erroneè invincibiliter judicaret ſe peccare, ibid. n. 393
Perplexus eligens adulterium præ mendacio peccat mortaliter, ibid. n. 396
Item qui mallet potiùs adulterari, quàm fornicari, ibid.
Quid ſi mallet furari, quàm fornicari, ibid. n. 397
Quid ſi furtum mille florenorum præponeret furto unius aurei, ibid. n. 398
Quid ſi furtum unius aurei cum quatuor ſtufris furto unius aurei, p. 135. n. eod.
Quid dicendum de illo, qui non perplexus diceret: Mallem in neceſſitate committere adulterium, quàm fornicationem, ibid. n. 400. & ſeq.
Quid Sotus doceat de hac quæſtione, ibid. n. 403 & ſeq.
Proponitur de hoc caſu ſententia Henriquez, p. 136. n. 408
Sententia Henriquez rejicitur ab Auctore, ibid. n. 409
Quid ſit voluntate peccare, p. 247. n. 178
An cadens à pœnitentia neceſſariò peccet duobus peccatis, p. 371. n. 96
Quare ille, qui ſemel tantùm in anno confitetur ſæpiùs peccet mortaliter, p. 555. n. 68
Qui peccat duplex incurrit debitum, unum pœnæ Purgatorii, alterum emendationis in futurum, p. 980. n. 389
Qui peccat in aliena voluntate tantùm moraliter peccat, p. 139. n. 424

PECCATOR.

An peccator ex ſtricta juſtitia teneatur jus Dei reparare, p. 23. n. 104
Peccator tenetur Deo ſatisfacere ex virtute Charitatis, p. 24. n. 114
Peccator pœnitens tenetur punire peccatum in ſeipſo, p. 29. n. 135
An ſuppoſito peccato injuſtitiæ teneatur peccator ſtatim ſatisfacere, p. 27. n. 129
Ad ſolam peccati admiſſi compunctionem aliquando juſtificantur peccatores, p. 74. n. 78
Peccator in extremis poteſt habere veram pœnitentiam, p. 130. n. 375
An illa pœnitentia poſſit eſſe inſtantanea ſecundùm Scotum, ibid. n. 376
Peccator debet velle remiſſionem peccati tum ex præcepto Spei, tum ex præcepto Charitatis divinæ, p. 189. n. 13
Maximos peccatores aliquando converſos fuiſſe ad pœnitentiam, oſtenditur exemplo Mariæ Magdalenæ, Petri, Davidis & Latronis cum Chriſto crucifixi, p. 213. n. 17. & ſeq.
Quod Deus nulli peccatori neget auxilium ſufficiens, probatur ex Apoſt. 1. Timoth. 2. ibid. n. 20. & ſeq.
Ut homini peccatori adveniat nova denominatio realis non peccatoris, ſufficit realis mutatio temporis, p. 303. n. 458

PECCATUM.

Quâ ratione PP. vocent peccatum injuriam Dei, p. 24. n. 114
An omne peccatum ſit notabilis inhonoratio Dei, p. 25. n. 118
Ad deletionem peccati requiritur communiter punitio voluntaria, p. 29. n. 138
Peccatum eſt pœna peccati, p. 30. n. 142
Peccatum eſſe pœnam peccati probatur auctoritate D. Auguſt. ibid. n. 143
Quomodo peccatū poſſit eſſe pœna peccati, p. 31. n. 146
Peccatum non eſſet pœna, niſi eſſet voluntarium, p. 32. n. 150
Non omne peccatum opponitur juſtitiæ vindicativæ, p. 33. n. 157
Odium peccati, quo deſtruitur peccatum, non conſiſtit cum amore qualicumque peccati, p. 35. n. 166
Peccatum præteritum tantùm eſt conditio punitionis, uti etiam Sacramenti Pœnitentiæ, ibid. n. 168
Ad deletionem peccati non requiritur actus ſpecialis pœnitentiæ, p. 37. n. 178
Ad deletionem peccati requiritur punitio vel æquivalens. p. 40. n. 195
An fuga peccati ſit actus elicitus à Charitate, p. 41. n. 199
Differentia inter eum qui non peccavit, & cui peccatum dimiſſum fuit, p. 43. n. 210
An peccatum dimiſſum ſit materia pœnitentiæ, etiam quoad actum vindictæ, ibid. n. 209. & ſeq.
Peccatum plenè dimiſſum poteſt puniri pœnâ latè dictâ, p. 46. n. 221
Peccatum plenè dimiſſum eſt materia Abſolutionis ſacramentalis, ibid. n. 222
Sicuti peccatum primi parentis vocatur peccatum commune, ita gratia Chriſti gratia communis, p. 63. n. 20
Peccatum eſt nihil ex D. Auguſt. p. 68. n. 45

Coin-

INDEX RERUM.

Coincidunt nolle Deo peccatum, & velle Deo carentiam peccati, p.78.n.98
Tantùm diſplicet Deo unum peccatum mortale, quantùm placet bonum opus hominis juſti, ibid.
Peccatum magìs directè expellit habitum Charitatis, quàm aliarum virtutum, p.88.n.157
Peccatum mortale eſt maximum malum Dei, & venia maximum beneficium, p. 89. n. 158
Diſtincta conſideratio ſingulorum peccatorum ſæpè eſt moraliter impoſſibilis, p. 97. n. 206
Perfecta averſio à peccato & converſio ad Deum fieri poteſt breviſſimo tempore, ibid. n. 209
Peccatum habet oppoſitionem cum bono intrinſeco Dei, p. 102. n. 231
Cùm ſimplici complacentia bonitatis divinæ poteſt ſtare peccatum mortale, p. 114. n. 288
Peccata inæqualia inæqualiter participant motivum deteſtacionis, p. 133. n.388
Si homini peccandum foret, vel graviori, vel minori peccato, deberet eligere levius, quod tunc non foret peccatum, ibid.
Recta ratio dictat potiùs faciendum minus peccatum, quàm majus, ibid. n. 389
Adducitur ad hoc propoſitum auctoritas D. Gregorii, ibid. n. 390
An aliquid deſinat eſſe peccatum quando hìc & nunc eſt neceſſarium ad procurandam majorem gloriam Dei, p. 142. n. 439. & ſeq.
Quæ in neceſſitate licent, alioquin illicita, non ſunt per ſeipſa peccata, p. 343. n. 445
Peccatum ùt peccatum eſt averſio à Deo ùt Legiſlatore, & non ſolùm ùt eſt caput naturæ rationalis, p. 160. n. 9
Peccatum poſt Baptiſmum commiſſum dupliciter remittitur, per Sacramentum, & ſinè Sacramento, p. 178. n. 167
Mors actualis peccati adfert novum malum graviſſimum, ſecùs perſeverantia in peccato habituali, p. 196. n. 57
An peccatum ſit injuſtitia contra Deum, p. 202. n.92. & ſeq.
Aliquod peccatum poteſt ex ſpeciali ſua ratione & materia ſubjecta eſſe ſtricta injuria Dei, p. 203. n. 94
Non ſequitur; peccatum eſt injuria ſtrictè dicta; ergo peccator tenetur ſtatim pœnitere, ibid. n. 96. & ſeq.
An per quodlibet peccatum Deus quaſi colaphizetur, p. 204. n. 100
Quæ peccata dicantur ad mortem, & quæ non ad mortem, p. 211. n. 7
Converſio peccantis ad mortem non eſt omnino impoſſibilis, niſi intelligatur ad mortem incluſivè, ibid. n. 8. & ſeq.
De tali peccato ad mortem intelligitur Scriptura, 1. Regum 2. *Si peccaverit* &c. ibid. n. 10
Explicantur verba Chriſti Matth. 12. *Omne peccatum* &c. de difficili remiſſione defectu gratiæ, p. 212. n. 11
Quare Deus non impediverit omnia peccata, p. 240. n. 147
Deus propter primum peccatum juſtè aliquando ſubtrahit gratiam efficacem, p. 241. n.148
Cur nemo ſit in hac vita ſinè peccato, ibid. n. 151
Peccati cauſæ duæ ignorantia & infirmitas, ibid.
Nullo modo eſt peccatum propriè dictum quod non eſt voluntarium, p. 246. n. 177
Peccatum eſt, cùm vel non eſt Charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quàm eſſe debet, p. 254. n. 202
An Deus potuerit aliqua peccata mortalia ſolùm remittere partialiter, p. 266. n. 277
Peccatum non poteſt effectivè corrumpere gratiam, ſed tantùm demeritoriè, p. 270. n. 296
Peccatum non eſt formaliter privatio gratiæ, p. 273. n. 311. & ſeq.
Quæ ſit præciſa ratio peccati ſecundùm Scotum, ibid. n. 315
Peccatum eſt formaliter corruptio rectitudinis in actu ſecundo, ibid. & ſeq.
Materiale peccati commiſſionis eſt actus poſitivus voluntatis, p. 274. n. 317
Privatio gratiæ non eſt eſſentia peccati, ſed effectus moralis, ibid. n. 320
An peccatum actuale & gratia ſint oppoſita contrariè, p. 276. n. 329
Peccatum & gratia genere diſtant, ibid.
Peccatum & gratia non habent ſe ſicut calor & frigus, ibid.
Qualem repugnantiam ex natura rei habeant gratia & peccatum, ibid. n. 330
Gratia ex natura ſua quodammodo exigit ut Deus remittat peccatum, ibid. n. 331
Peccatum ex natura ſua quodammodo exigit ut Deus auferat gratiam, ibid. n. 332.
Peccatum eſt objectum formale odii divini, p. 277. n. 333
Congruentia aliqua ob quam habitus Charitatis expellatur per peccatum actuale, ibid. n. 335
Videre Deum peccata, eſt ad pœnam imputare, p. 278. n. 338
Peccatum non efficit hominem inimicum Dei phyſicè & ex natura ſua, p.284. n 369
An peccatum per Abſolutionem priùs naturâ condonetur, quàm infundatur gratia, p. 288. n.385
Mutatio à peccato ad ejuſdem expulſionem non eſt realis, ibid. n. 390
Peccatum ponendum ſub conditione, ſi nullo modo actu ſit, non eſt rationabilis cauſa offenſionis, p. 297. n. 431
Peccatum præteritum retractatum, & tamen non remiſſum à Deo, quoad aliquid eſt voluntarium, & quoad aliquid involuntarium, p.298. n. 438
Non condonatio non ingreditur conceptum eſſentialem peccati præteriti moraliter permanentis, ibid. n 441
Deus poteſt facere ut actus craſtinus non ſit peccatum, qui aliàs eſſet peccatum, p. 301. n. 455
Implicat eſſe verum peccatum & non veram offenſam Dei, ibid. n. 456
Fieri poteſt ut maneat peccatum præteritum quoad culpam, & non quoad pœnam, & vice verſâ, p. 306. n. 480
Deus aliquando in hac vita ſubtrahit gratiam efficacem propter peccatum præteritum remiſſum, ibid. n. 481
Poſſet etiam ſubtrahere in inferno, ibid. n. 482
Peccata ſunt inæqualia non ſolùm in intenſione graduali ſed etiam in ſua ſpecie, p. 321. n. 558
Quare nullum peccatum ſit committendum pro ulla re, p. 322. n. 563
An in genere moris magis diſpliceat Deo peccatum, quàm placeat actus Contritionis, p. 324. n. 570
Peccatum hominis peccatoris non eſt majoris malitiæ, quàm hominis juſti, p. 331. n. 22
Peccatum aliquod quoad culpam & pœnam tollitur poſt mortem, p. 352. n. 136
Peccata redire videtur fuiſſe Aliquorum ſententia, fundata in parabola Chriſti Matth. 18. de ſervo &c. p. 369. n. 84. & ſeq.
Explicatur illa parabola de reditu æqualis damnationis quantum ad durationem, ſecùs intenſionem, uti etiam verba Jacobi 2. *Quicumque autem* &c. ibid. n. 87. & ſeq.
Peccatum dimiſſum redit tamquam circumſtantia ingratitudinis, p. 370. n. 90.
Alius modus quo peccatum dimiſſum redit tamquam circumſtantia aggravans, ibid. n. 91
Exponuntur aliquæ Scripturæ, quæ videntur ſignificare reditum peccatorum. p. 372. n. 104

De potentia Dei abſoluta poſſet redire idem numero peccatum actuale, p. 373. n. 107

Quomodo Deus ſe habeat in prima productione peccati, ibid.

Peccatum poteſt redire de potentia Dei abſoluta ad eandem pœnam, p. 375. n. 114

Per peccatum in Scriptura aliquando ſignificatur pœna temporalis, uti etiam in Conc. Trident. p. 408. n. 175

Evertitur ſententia, quæ docet per peccatum intelligi obligationem confitendi, p. 409. n. 177. & ſeq.

Æquum & juſtum eſt, ut peccata præterita non maneant impunita, & quare, p. 411. n. 192

An omnia peccata debeant directè deleri per Baptiſmum vel Pœnitentiam, p. 419. n. 15. & ſeq.

Homo pro tota vita ſua poteſt eſſe abſque ullo peccato cum gratia Dei, p. 518. n. 204

Nemo eſt in hac vita ſinè ullo peccato, ibid. n. 205

Nemo præter Chriſtum eſt, vel fuit, vel futurus eſt ſinè peccato, p. 519. n. 208

Expoſitio illorum verborum 1. Joan. 1. *Si dixerimus* &c. ibid. n. 209. & ſeq.

Quanto tempore poſſit homo vivere ſinè peccato, p. 520. n. 211

Deus præcipit ut nullum omnino habeamus peccatum, p. 521. n. 219

Homines habent gratiam ſufficientem cum qua, ſi vellent, abſtinerent ab omni peccato, ibid. n. 220

Peccata explicanda prout ſunt in conſcientia tempore Confeſſionis, p. 660. n. 135

Difficilis eſt cognitio peccatorum in ſpecie & ſigillatim, p. 719. n. 1

Definitio peccati ex D. Auguſt. explicata à Scoto, ibid. n. 2

Peccatum conſiſtit formaliter in negatione conformitatis ad legem, ibid.

An illa negatio debeat vocari privatio, ibid. n. 3

Peccatum materialiter ſumptum accipit ſpecificam malitiam ab objecto, p. 720. n. 8

Delectabilitas non ſpecificat peccatum, etſi per ſe intendatur, p. 721. n. 9

Peccatum ùt eſt actus humanus ſpecificatur ab objecto, ùt autem peccatum eſt, à rectitudine virtutis oppoſitæ, ibid. n. 11

Quomodo eidem virtuti poſſint opponi diverſa ſpecie peccata, p. 722. n. 12. & ſeq.

Cur potiùs amor Dei in via & in patria ſpecie diſtinguantur, quàm peccatum ex ignorantia & ſcienter commiſſum, p. 757. n. 155

Quomodo per legem definiatur & conſtituatur peccatum, p. 766 n. 198

Peccatum omiſſionis & commiſſionis aliquando habent eandem ſpecie & numero malitiam, p. 810. n. 391

Peccatum non poteſt eſſe formaliter, niſi in voluntate, p. 838. n. 81

In voluntate eſt peccatum primariò, ibid. n. 83

In cogitatione, ſermone & opere non eſt peccatum formaliter & primò, p. 839. n. 84

An diſtinctio ſeptenaria peccatorum capitalium ſit ſufficiens, p. 843. n. 106

Ad peccatum actuale non ſufficit voluntarium habituale, p. 845. n. 113

Sufficit ad peccatum actuale libertas virtualis, ibid.

Quomodo omni peccato conjungatur inobedientia, contemptus &c. p. 371. n. 96

Scriptura aliquando dicit peccatum ſolvi, p. 453. n. 88

PECCATUM ALIENUM.

Peccata aliena non poſſumus retractare, p. 48. n. 232

An poſſimus de peccatis alienis dolere ſicut de propriis ibid. & n. ſeq.

Peccatum alienum poteſt eſſe directum & immediatum objectum meæ pœnitentiæ, ibid. n. 234

PECCATUM CERTUM.

Peccatum certum ex oblivione vel alia juſta cauſa non expreſſum in hac Confeſſione, debet exprimi in ſequenti, p. 667. n. 160. ſeq.

Peccatum confeſſum ùt certum, non debet iterùm confiteri ùt dubium, etſi tale poſtea deprehendatur, p. 660. n. 134

Arguitur contra ſententiam oppoſitam, ibid. n. 136

PECCATUM DUBIUM.

Peccata dubiè abſoluta, vel ſtatim ſunt confitenda, vel nunquam, p. 659. n. 131

Qui habet peccata dubiè abſoluta, poteſt ea abſolutè & ſimpliciter confiteri, ibid. n. 132

An peccatum dubium ſit ejuſdem ſpeciei cum peccato certo, p. 660. n. 136

Fundamentum ſententiæ, quæ docet peccatum confeſſum ùt dubium, debere iteratò confiteri ùt certum, ſi tale poſtea deprehendatur, p. 661. n. 138

Fundamentum oppoſitæ ſententiæ, ibid.

An qui bona fide peccatum certum declaraſſet ùt dubium, teneretur cognito errore iteratò illud confiteri, ibid. n. 139. & ſeq.

An praxis Eccleſiæ & ſenſus DD. oſtendant, Chriſtum voluiſſe explicationem certitudinis peccati, p. 662. n. 141

An aliter inſtruendus pœnitens, qui habet peccata certa, quam qui ſolùm habet dubia, ibid. n. 144

Peccatum dubium in odioſis non eſt ſimpliciter peccatum, ſecùs in favorabilibus, p. 663. n. 146

Aliqui Recentiores cenſent non eſſe confitendum peccatum ùt certum, quòd antea expreſſum fuit ùt dubium, ibid. n. 147

Vide *Dubium*.

PECCATUM HABITUALE.

Quid ſit peccatum habituale, p. 42. n. 205

Peccatum habituale poteſt deleri & deletur, p. 43. n. 207

Peccatum habituale non eſt aliquid reale abſolutum vel relativum, p. 277. n. 336

Poteſt ſtare peccatum habituale cum converſione hominis ad Deum, ſecùs peccatum actuale, ibid. n. 334

Non retractatio peccati per actum oppoſitum non ingreditur conceptum eſſentialem peccati habitualis, p. 296. n. 429

Deus poteſt tollere peccatum habituale, licèt actus præteritus maneat in ratione voluntarii habitualis, p. 298. n. 436

Peccatum mortale habituale eſt actus peccati mortalis phyſicè præteritus, moraliter perſeverans, p. 279. n. 344

Quid ſit illa perſeverantia moralis, ibid.

An non remiſſio ſit pars eſſentialis peccati habitualis, ibid. n. 345

Peccatum habituale eſt peccatum præteritum prout hominem reddit inimicum Dei, ibid. n. 346

Fieri poteſt per abſolutam Dei potentiam, ut tranſacto peccato actuali, non maneat peccatum habituale, etiam ſinè phyſica mutatione peccatoris, p. 301. n. 456

Semper intervenit aliqua mutatio moralis, p. 302. n. 258

Fieri poteſt ut maneat peccatum præteritum quoad culpam & non quoad pœnam, & vice verſâ, p. 306. n. 480

PECCATUM MORTALE.

Peccato mortali ſolùm debetur pœna quæ de facto eſt, vel paulo gravior, p. 321. n. 560

Quomodo peccans mortaliter conſtituat ultimum finem in creatura, p. 322. n. 564

Scotus æternitatem pœnæ debitæ peccato mortali refundit in permanentiam culpæ, p. 331. n. 24

Per peccatum mortale omnia opera meritoria mortificantur, p. 353. n. 1

Quodlibet peccatum mortale abſolutè offendit Deum, p. 482. n. 35

PECCATUM ORIGINALE.

Quid ſit peccatum originale, p. 42. n. 205. Item p. 317. n. 535

Originali peccato debetur pœna æterna damni, peccato mortali habituali etiam æterna pœna ſenſûs, p. 42. n. 206

An peccatum originale ſit malum vindicabile, p. 43. n. 207

Peccatum originale eſt actio noſtra moraliter, ibid. n. 208

Peccatum originale non ſubjacet noſtræ retractationi, ibid.

An peccatum originale ſit minimum omnium peccatorum, p. 139. n. 425

Peccatum originale, quà moraliter meum, eſt minimum inter peccata mortalia, maximum, quà phyſicè peccatum alienum, p. 140. n. 426

Cur pœna peccati originalis videatur hominibus dura & injuſta, ibid. n. 427

Ratio gravitatis peccati originalis, ibid.

Propter peccatum originale, cui obnoxius homo jacuit, noluit Deus ipſum à perditionis maſſa diſcernere, p. 242. n. 154

Ex reliquiis peccati originalis ſit, ut baptizatus iterum cadat in perditionem, ibid.

Quod ſit illud peccatum quod conſequitur de ſupplicio peccati originalis, p. 243. n. 163. & ſeq.

In quo formaliter conſiſtat peccatum originale, p. 281. n. 354. & ſeq.

Primum peccatum non fuit transfuſum in poſteros, niſi ex ſpeciali voluntate Dei, p. 317. n. 535

PECCATUM PERSONALE.

Quomodo peccatum perſonale ſubjaceat noſtræ retractationi, p. 43. n. 208

Peccatum perſonale eſt actio noſtra phyſica, ibid.

PECCATUM PROBABILE.

An qui probabiliter judicat ſe peccaſſe mortaliter & etiam probabiliter oppoſitum, teneatur confiteri, p. 644. n. 65

An lex Charitatis obliget ad Confeſſionem illius peccati in periculo mortis, p. 645. n. 67

Quid faciendum tali caſu ſi urgeat præceptum Communionis, ibid.

Peccatum mortale probabile eſſe confitendum, non ſatis probatur ex Conc. Trid. p. 645. n. 69. & ſeq.

PECCATUM RESERVATUM.

Quando Superior non poſſet vel non vellet abſolvere ſacramentaliter à peccatis reſervatis, poteſt pœnitens communicare cum ſola Contritione, p. 598. n. 28

PECCATUM VENIALE.

Peccatum veniale eſt phyſicè voluntarium, originale ſolùm moraliter, p. 138. n. 415

Conjunctioni voluntatis cum Deo magis opponitur peccatum veniale perſonale, quàm originale, ibid. n. 416

Non poteſt quis committere peccatum veniale, ut non contrahat maculam originalem, ibid. n. 417

An exiſtens in ſtatu peccati mortalis poſſit mentiri venialiter, ut ab eo exeat, ibid. n. 418. & ſeq.

An privilegium exemptionis ab omni veniali ſit præeligendum privilegio præſervationis ab originali, p. 139. n. 421. & ſeq.

Potiùs peccandum originaliter mortaliter, quàm venialiter perſonaliter, ibid. n. 423

Nunquam licet peccare venialiter ad evitandum peccatum mortale alienum, p. 140. n. 430

Peccatum veniale non eſt medium ordinatum curandæ ſalutis alienæ, p. 141. n. 435

An peccatum grave alienum magis diſpliceat Deo, quàm veniale proprium, p. 142. n. 436. & ſeq.

Peccatum veniale habituale non conſiſtit formaliter in ſola deputatione ad pœnam, p. 278. n. 342

Multis remediis expiari poſſunt peccata venialia, p. 327. n. 1

Quæ ſint iſta remedia, ibid.

De potentia ordinata non remittitur peccatum veniale in hac vita abſque infuſione gratiæ habitualis, ibid. n. 2

Fieri poſſet ut eſſet aliqua ratio differendi remiſſionem venialium uſque ad inſtans mortis, putà permanentia actualis in illis, p. 328. n. 5

Aliqui docent, peccatum veniale remitti in hac vita ſinè infuſione gratiæ, ibid. n. 6

Peccatum veniale præter obligationem ad pœnam relinquit maculam, ibid.

Peccata venialia non remittuntur niſi gratis divinâ miſericordiâ, p. 330. n. 15

Peccatum veniale relinquere maculam probatur ex praxi Eccleſiæ & ratione à priori, ibid. n. 18

Peccato veniali non reſpondet niſi pœna temporalis etiam in inferno, ibid. n. 19. & ſeq.

Macula peccati venialis in inferno nunquam remittitur, p. 331. n. 23

Secundùm aliquam ſententiam peccatum veniale poteſt remitti in inferno, p. 332. n. 26

Culpa venialis etiam in æternum manens non meretur niſi pœnam temporalem, ibid. n. 27

Diſtinctio aliqua peccati mortalis à veniali, ibid. n. 28

Peccatum veniale in hac vita remitti poteſt per pœnitentiam interiorem vel exteriorem, immo per quemcumque actum, Deo magis acceptum, quàm veniale diſpliceat, p. 336. n. 46

Quomodo peccatum veniale gratis remittatur, p. 337. n. 51

An ſit neceſſaria acceptatio Dei ad hoc, ut Contritio ſit ſatisfactio condigna pro culpa veniali, ibid. n. 53. & ſeq.

Deus potuit Contritionem juſti acceptare tamquam ſatisfactionem condignam pro peccato veniali, ibid. n. 55

Veniale ſe ſolo eſſe materiam Confeſſionis probatur ex Trident. Leone X. & verbis generalibus Chriſti, p. 424. n. 38

Probatur auctoritate Scoti, ibid. n. 41

Sacerdos habet aliquam poteſtatem retinendi peccata venialia, p. 425. n. 43

Eadem peccata venialia poſſunt ſæpiùs confiteri, ibid. n. 44

Hæc doctrina non repugnat Scoto, ibid. n. 45

Non remittitur peccatum veniale propter repugnantiam, quam habet cum gratia ſanctificante, p. 468. n. 161

Peccatum veniale aliquando remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ, p. 478. n. 16

Unum peccatum veniale graviùs offendit Deum, quàm aliud, p. 482. n. 35

Veniale peccatum non eſt occaſio proxima peccati mortalis, p. 555. n. 69

PELAGIUS.

Pelagius aliquando docuit, hominem abſque gratia Dei poſſe omnia mandata implere, p. 70. n. 52. & ſeq.

An Pelagius admiſerit veram internam gratiam poſſibilitatis, p. 225. n. 78

Quam gratiam negaverint Pelagius & Maſſilienſes, p. 226. n. 80

Pelagiani & Maſſilienſes adſcribunt divinæ bonitati indifferentiam gratiarum erga omnes homines etiam ipſos parvulos, ibid. n. 81

An etiam hoc doceant, qui admittunt gratiam internam ſufficientem, ibid. n. 82

POENA.

Pœna quodammodo debita eſt malefactori, ſicuti præmium benefactori, p. 21. n. 98

In

Digitized by Google

In pœna pro malis operibus poteſt Deus diſpenſare, uti etiam ſubinde Judex humanus, p. 22. n. 102
Quid ſit pœna, p. 29. n. 140. Item p. 870. n. 90
Pœna dicit duo, malum, & ordinem ad præcedens meritum, p. 30. n. 142
Res, quæ eſt pœna, poteſt eſſe eſſentialiter voluntaria, ibid.
Duplex eſt pœna, poſitiva, & privativa, p. 31. n. 149
Pœnæ exteriores poſſunt eſſe voluntariæ, p. 30. n. 140
Quid ſit æqualitas moralis pœnæ ad culpam, p. 32. n. 153
Quomodo pœna ordinet culpam, p. 35. n. 165. Item p. 41. n. 198
Pœna eſt actus internus vel externus aſſumptus ad vindicandum, p. 38. n. 180
Naturalis regula Pœnitentiæ tantùm oſtendit unam pœnam infligendam, ſupernaturalis plures, p. 41. n. 197
Quomodo pœna temporalis ſit offenſa Dei, p. 46. n. 224
Diverſitas inter pœnam peccati actualis & originalis, p. 137. n. 412
Quomodo pœna ſit voluntaria & involuntaria, p. 254. n. 212. & p. 29. n. 137
Proxima dignitas ad pœnam poteſt auferri à malis operibus abſque infuſione gratiæ, p. 285. n. 372
Cur Deus magis per partem voluerit remittere pœnam, quàm culpam, p. 266. n. 276
Quid per pœnam communiter intelligatur, p. 305. n. 477
Deus de facto remittit culpam & retinet jus ad pœnam temporalem, p. 306. n. 478
Poteſt manere actus præteritus in ordine ad obligationem pœnæ, tametſi non maneat in ordine ad rationabilem averſionem, & è converſo, ibid. n. 479
Major pœna eſt auferre viſum corporeum, quàm ſcientiam Philoſophiæ, p. 321. n. 559
Exceſſus in pœna non debet attendi ſecundùm quantitatem extenſionis, p. 323. n. 565
Æternitas non eſt per ſe de ratione pœnæ in quantùm æqualiter punitiva, ibid. n. 567
Quomodo intelligendus Scotus, quando dicit, ideo pœnam durare in damnatis, quia peccatum in eis durat, p. 332. n. 29
Maxima pœna eſt privatio maximi boni, p. 333. n. 35
Deus unicâ remiſſione mutat pœnam æternam in temporalem, inæqualem juxta inæqualitatem Contritionis, p. 415. n. 217. & ſeq.
Pœna æterna numquam commutatur in temporalem tam gravem, quin poſſit commutari in graviorem, p. 416. n. 220
Quâ ratione Deus non delectetur in pœnis noſtris, p. 871. n. 94
Non omne opus bonum videtur eſſe pœna ſtrictè dicta, p. 873. n. 105
Non eſt ſtricta æqualitas inter opera pœnalia hujus vitæ, & pœnas Purgatorii, p. 879. n. 131
Non eſt hîc eadem regula obſervanda, quæ in ſolutione debiti ex juſtitia, ibid. n. 132
An pœnæ hujus vitæ ſint proportionatæ pœnis Purgatorii, p. 902. n. 56
Unde accipiant illam proportionem, ibid.
Poteſt eſſe alicui pœnale ab opere virtutis vacare, p. 918. n. 128

POENITENS. POENITERE.

Pœnitens poteſt perfectè diligere Deum extra neceſſitatem, p. 121. n. 325
Pœnitens ſemper ordinatur ad majorem gloriam, ſed non ſemper reſurgit in majori gratia, p. 360. n. 38
Pœnitens non reportat commodum ex lapſu ſuo, ibid. n. 39
An pœnitens ex juſtitia teneatur differre Confeſſionem, ne complicem infamet, p. 689. n. 56. & ſeq.
Quanto tempore debeat pœnitens differre Confeſſionem, ne revelet complicem, p. 691. n. 61. & ſeq.
Etymologia nominis pœnitere, p. 1. n. 1
Eraſmus conatur verbum *Pœnitere* deducere à *Pone tenere*, ibid.
Lutherus aliique hæretici ex bibliis ſuis ubique eraſerunt verbum *Pœnitere*, ſubſtituentes ly *Reſipiſcere*, ibid.
Quatuor deſcriptiones ly *Pœnitere* ex Scoto, p. 2. n. 3. & ſeq.
Prima deſcriptio: pœnitere eſt vindicare peccatum à ſe commiſſum, ibid.
Secunda: pœnitere eſt deteſtari peccatum à ſe commiſſum, ibid. n. 4
Tertia: pœnitere eſt pœnam inflictam pro peccato ſuo commiſſo gratanter acceptare, ibid. n. 5
Quarta: pœnitere eſt pœnam ſibi pro peccato ſuo inflictam patienter ſufferre, p. 3. n. 6
Suarius falsò dicit, diſtinctionem vocis, *Pœnitere* à Scoto traditam, nullâ methodo aut ratione datam; ibid. n. 7
Pœnitere modo poteſt eſſe actus virtutis, ibid. n. 8
Pœnitens eſt executor legis Dei de pœnitentia, ibid.
Pœnitere primo modo non eſt ſemper actus elicitus à virtute, ibid. n. 9
Poteſt eſſe actus ſpecialis virtutis, ibid. n. 10
Sola voluntas hominis peccatoris propriè dicitur pœnitere à principali actu pœnitentiæ, ibid.
Cujus virtutis actus ſit pœnitere tertio modo, p. 5. n. 15
Cujus virtutis actus ſit pœnitere quarto modo, ibid.
Aliqui docent, deteſtationem peccati eſſe actum primarium pœnitentiæ, vindictam autem actum ſecundarium; Alii putant eſſe unum & eundem actum, ibid. n. 16
Pœnitere eſt actus juſtitiæ vindicativæ, p. 28. n. 133
Probatur ex Conc. Trident. & ratione, ibid. & n. ſeq.
Poſſum pœnitere de uno peccato & non de alio etiam habitualiter, ſed inſufficienter ad juſtificationem, p. 98. n. 213
An verè pœnitens debeat deſiderare, ùt occurrat occaſio in qua peccavit, p. 103. n. 235
Quid ſit meritoriè & ſufficienter pœnitere ſecundùm Scotum, p. 132. n. 382
Non poteſt peccator ſufficienter pœnitere ſolis viribus naturæ, p. 162. n. 22
Nulla eſt obligatio formaliter & explicitè pœnitendi, dum peccatum eſt remiſſum per dilectionem, p. 191. n. 29
Quare potiùs tali caſu obliget præceptum Baptiſmi, quàm pœnitentiæ, ibid. n. 30
Quare potiùs præceptum Confeſſionis, p. 192. n. eod.
Quid ſentiendum de illo, qui juſtificatus eſt per Attritionem cum Sacramento, ibid. n. 31
An qui determinat numquam pœnitere niſi in extremis, peccet mortaliter, p. 208. n. 122. & ſeq.
Nullibi invenitur ſtabilis lex Dei negandi gratiam efficacem pœnitendi propter gravitatem aut multitudinem peccatorum, p. 213. n. 19

POENITENTIA. VIRTUS.

Pœnitentia eſt per ſe expetibilis, p. 4. n. 11
Pœnitentia reſpicit malum ſub propria ratione, in quantum ſcilicet à ſe perpetratum & Dei offenſivum, ibid. n. 13
Deteſtari culpam videtur eſſe actus ſecundarius pœnitentiæ, p. 5. n. 14
An ſit actus ſpecialis virtutis, ibid.
Cur Patres nomine pœnitentiæ potiſſimum exprimant deteſtationem peccati, ibid. n. 17
Pœnitentia ſpecialis eſt virtus appetitiva, non intellectualis, p. 8. n. 29
Pœnitentia ſpecialis non eſt virtus Theologica, ibid. n. 30
Pœnitentia non habet pro objecto immediato Deum, p. 9. n. 32
Quid ſit placatio Dei, & qualiter Pœnitentia eam intendat, ibid. n. 34
Actus voluntatis divinæ non eſt pars intrinſeca formalis objecti pœnitentiæ, p. 10. n. 37

Primar-

INDEX RERUM.

Primarius actus pœnitentiæ eſt punire peccatum, ibid.
Honeſtum foret agere pœnitentiam, licet Deus peccata nollet condonare, ibid. n. 38
Spes veniæ inducit hominem ad pœnitentiam, ibid.
Quomodo Deus teneat ſe ex parte objecti formalis pœnitentiæ, ibid. n. 39
Infinita perfectio condonationis non reſpicitur formaliter à pœnitentia, ibid. n. 40
Amicitia Dei eſt finis extrinſecus pœnitentiæ, ibid.
Specialis ratio, quare non detur pœnitentia per ſe infuſa, p. 17. n. 73. & ſeq.
Pœnitentia ſpecialis non requiritur ad remiſſionem peccati, ibid. n. 75
Pœnitentia ſpecialis non eſt virtus appretitiva ordinans ad ſeipſum, ſed ad alterum, ibid. n. 76
Pœnitentia ſpecialis diſtinguitur à virtute Religionis, p. 18. n. 81
Pœnitentia ſpecialis non eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, ibid. n. 82
Religio imperare poteſt actum pœnitentiæ, & pœnitentia actum Religionis, p. 19. n. 84
Pœnitentia ſpecialis non eſt virtus amicitiæ, ibid. n 85
Objectiones ſolvuntur, ibid. n. 86. & ſeq.
Quis ſit finis intrinſecus & extrinſecus pœnitentiæ, ibid. n. 89
Pœnitentia per ſe non ſtatim obligat, p. 27. n. 130
An indè bene infertur quòd non ſit actus juſtitiæ ſtrictè dictæ, ibid.
Quod ſit objectum materiale proximum virtutis ſpecialis pœnitentiæ, p. 37. n. 180
Pœnitentia ſpecialis pœnitet de peccatis tam præteritis, quàm futuris, d. 33. n. 155
Pœnitentia eſt deteſtatio non formaliter, ſed cauſaliter. ibid.
An pœnitentia inclinet ad non peccandum, ibid. n. 156
Quâ ratione pœnitentia reſpiciat ſatisfactionem voluntariam, p. 32. n. 150
Pœnitentia ùt eſt juſtitia vindicativa pro objecto formali reſpicit correſpondentiam pœnæ ad culpam, ibid. n. 152
Ex vi virtutis ſpecialis pœnitentiæ per ſe ſpectatæ non tollitur peccatum, p. 41. n. 199
Pœnitentia ſubjectatur immediatè in voluntate, p. 56. n. 274
Voluntas hominis peccatoris eſt ſubjectum pœnitentiæ, p. 57 n. 278
An pœnitentia fuiſſet in ſtatu innocentiæ, ibid. n. 279
Virtus ſpecialis pœnitentiæ non poteſt infligere pœnam ſtrictè dictam pro peccato plenè dimiſſo, p. 45. n. 220
An actus materialiter tantùm malus ſit objectum pœnitentiæ, p. 46. n. 225
An pœnitentia maneat in beatitudine, p. 57. n. 279
Virtus pœnitentiæ in ſtatu beatitudinis non erit otioſa, p. 59. n. 285
Potuit in ſtatu innocentiæ eſſe virtus pœnitentiæ, etiam quoad denominationem, p. 58. n. 284
Actus pœnitentiæ ſpecialis non requiritur ad remiſſionem peccati, p. 59. n. 287
In qua ſignificatione Scriptura, PP. & Concilia utantur illâ voce pœnitentia, ibid.
Pœnitentiam delectivam peccati extra Sacramentum oportet eſſe ex dilectione Dei, p. 61. n. 7
Ad pœnitentiam fructuoſam Scotus requirit gratiam, ibid. n. 8
Secundùm Scotum inſpirare fructuoſam pœnitentiam eſt opus ſpeciale Dei, ibid. n. 9
Duplex regula pœnitentiæ, naturalis & ſupernaturalis, ibid. n. 10
Pœnitentia aliqua dicitur naturalis, quia eſt ex motivo naturaliter cognito, p. 64. n. 28
Quid ſit pœnitentia fructifera, p. 65. n. 29
Scriptura non meminit propoſiti in illis, quos dicit juſtificatos per pœnitentiam, p. 75. n. 78
Præter pœnitentiam de admiſſis peccatis requiritur obſervatio mandatorum ad conſequendam vitam æternam, ibid. n. 81
Pœnitentia poteſt remittere peccata præſentia, eſtò moraliter certò alia ſint ſubſecutura, ibid. n. 82
Non ſufficit peccatori continentia à peccatis, niſi etiam adſit pœnitentia, p. 73. n. 69
Explicatur hoc dictum: *Optima pœnitentia nova vita*, ibid. n. 70
Non ſufficit ad veram pœnitentiam, plangere peccata præterita, ſed inſuper requiritur propoſitum emendationis, ibid. n. 72
An requiratur propoſitum formale, ibid.
Sententia affirmans probatur ex Script. PP. & ratione, ibid. & n. ſeq.
Perfecta pœnitentia ſemper conjunctum habet actu vel virtute propoſitum mutandi vitam, p. 74. n. 76
Falſa pœnitentia eſt, quæ de uno peccato agitur, p. 95. n. 199
Pœnitentia interior debet eſſe de omnibus, de quibus eſſe debet pœnitentia exterior, quando iſta eſt pars hujus, p. 96. n. 204
Pœnitentia ponitur ſub virtute juſtitiæ, ſed non ſtrictè dicta, p. 129. n. 370
Pœnitentia ejus, qui peccare non poteſt, communiter præſumitur inſufficiens, p. 131 n. 379
Talis pœnitens indiget majori conatu voluntatis, qui ſæpè deficit, ibid. n. 380
Per pœnitentiam in Scriptura aliquandò intelligitur revocatio alicujus gratiæ jam factæ, p. 213. n. 16
Quare Trident. ſeſſ. 6. can. 3. diſtinctè enumeret actum Spei & pœnitentiæ, p. 162. n. 22
Aliqui docent Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. agere de pœnitentia juſtificativa ante Baptiſmum, p. 167. n. 49. & ſeq.
Rejicitur hæc doctrina ab Aliis, ibid. n. 51. & ſeq.
Pœnitentia poteſt eſſe voluntaria etſi non diligat, p. 176. n. 97
Scotus non docet expreſſè pœnitentiam in Sacramento debere diligere, ibid. n. 98
An pœnitentia ex timore ſit mala, p. 185. n. 145

POENITENTIÆ NECESSITAS ET PRÆCEPTUM.

An obliget pœnitentia, ſi Deus abſque pœnitentia remiſiſſet peccatum, aut per eam peccatum nollet remittere, p. 189. n. 15. & ſeq.
An peccator tali caſu haberet majorem obligationem diligendi Deum quàm juſtus, p. 190. n. 19. ſeq.
Ad quod præceptum Decalogi, pertineat præceptum pœnitentiæ, p. 192. n. 32
Pœnitentiam non obligare pro prima opportunitate, probatur primò ex uſu & ſenſu fidelium, p. 194. n. 44
Probatur ſecundò ex inconvenientiis, quæ ſequuntur ex ſententia oppoſita, ibid. n. 45
Probatur tertiò ratione à priori, ibid. n. 46
Explicantur Scripturæ in oppoſitum, ibid. n. 47. & ſeq.
Nulla eſt neceſſitas virtutis ſpecialis pœnitentiæ, p. 186. n. 1
Pœnitentia non eſt neceſſaria, niſi ad deletionem peccati, p. 187. n. 2
Probatur neceſſitas pœnitentiæ ex Trident. Scriptura & ratione, ibid. n. 4
Poteſt abſolutè deleri peccatum ſinè formali & explicita pœnitentia. ibid. n. 5
Neceſſitas pœnitentiæ non eſt ex natura rei, ſed ex ſola voluntate Dei, ibid. n. 6
Qui differt pœnitentiam ad decem vel viginti annos, non ſemper ſe exponit periculo proximo damnationis, p. 209. n. 128

Digitized by Google

Conſulitur pœnitentia ſtatim poſt peccatum commiſſum, ibid.n.129
Pœnitentia non obligat niſi ex ſuppoſitione peccati, p.541.n.5
Datur aliquod præceptum pœnitentiæ, p.188.n.7
An ſit merè poſitivum, ibid.n.8
Pœnitentia ſolùm obligat in ordine ad remiſſionem peccatorum, ibid.n.10
Obligatio pœnitentiæ videtur eſſe juris naturalis ſeu connaturalis gratiæ, ibid.n.11
An lex juſtitiæ obliget ad pœnitentiam, ibid.n.12
Rectè præcipitur cuilibet peccatori pœnitentia, etiam maximè obdurato, p.235.n.120
An dilatio pœnitentiæ graviter repugnet legibus amicitiæ & reverentiæ Deo debitæ, p.199 n.76.& ſeq.
Deus non ſemper vocat ad pœnitentiam præcipiendo, ſed aliquando tantùm invitando & conſulendo, p.200.n.80
Duplex diſparitas inter obligationem ſtatim eliciendi Fidem poſt infidelitatem, & eliciendi actum pœnitentiæ poſt peccatum ex Lugone, quam oppugnat Arriaga, ibid.n.81. & ſeq.
Pœnitentia ſæpè obligat per accidens ratione aliorum præceptorum, p.205.n.106
Pœnitentia ſolùm per accidens obligat, quando creditur neceſſaria ad vincendam aliquam tentationem, ibid.
Non poteſt certò determinari, an, quando & quoties obliget pœnitentia extra articulum mortis, p.206.n.108
Pœnitentia non obligat toties quoties peccata memoriæ occurrunt, ibid.n.109
Laudabile eſt de iiſdem peccatis ſæpiùs pœnitere, ibid.
Explicantur verba Eccle.5. *De propitiato peccato* &c. ibid. n.110
Exponuntur SS. PP. de eadem materia loquentes, ibid. n.111
An ex incertitudine temporis pœnitendi, bene probetur incertitudo obligationis, ibid.n.112.& ſeq.
Quare potiùs extra articulum mortis obliget præceptum charitatis, quàm pœnitentiæ, p.207.n.113
Probatur obligatio pœnitendi extra articulum mortis ex dignitate Dei offenſi, ibid.n.117
Explicatur Scriptura Prov.1. *Quia vocavi* &c. ibid.n.118
Urì etiam Scriptura Eccle. 5. *Non tardes* &c. ibid.
Similiter verba Apoſt. Rom. 2. *An divitias* &c. p.208. n.119

POENITENTIÆ EFFICACIA.

Pœnitentia quovis tempore fuit utilis ad impetrandam remiſſionem peccatorum mortalium, p.210.n.1
Nullum eſt peccatum mortale, quod non poſſit deleri per pœnitentiam, ibid.n.2
Explicantur verba Apoſt. ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt* &c. ibid.n.3
Pœnitentia de facto remittit omnia peccata mortalia totaliter, p.265.n.274
Probabile cenſet Scotus non ſemper per pœnitentiam ſtatim recuperari totam gratiam deperditam, p.361.n.43. & ſeq.
Virtus pœnitentiæ ſe ſolâ olim ſufficiebat ad vitam, nunc autem ex præcepto Chriſti in hominibus poſt Baptiſmum lapſis requirit conſortium Sacramenti Pœnitentiæ, p.378.n.132
Fructus dignus pœnitentiæ eſt Confeſſio peccatorum, p.385.n.32
Virtutem pœnitentiæ prædicabat Joannes Baptiſta Matth. 3. & Marci 1. Apoſt. Petrus Act. 2. & Paulus Act. 26. p.387.n.43
Virtuti pœnitentiæ Prophetæ teſtimonium perhibuerunt. ibid. n.44
Quæ ſit falſa pœnitentia, p.516.n.193
Signum veræ pœnitentiæ ex Hiquæo. p.514.n.186

POENITENTIÆ SACRAMENTI FORMA.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ eſt pars eſſentialis, p.435.n.1
Duplex objectio ſolvitur, ibid.& n.2
Ly *Ego* non pertinet ad eſſentiam formæ Pœnitentiæ, p.437.n.12
Verba eſſentialia formæ Pœnitentiæ: *Abſolvo te*, p.438.n.eod.
Non conſtat, Chriſtum requiſiviſſe in forma Pœnitentiæ expreſſionem peccatorum vel poteſtatis, ibid.
Fundamenta oppoſitæ ſententiæ ex Wiggers, ibid.n.13. & 14
Reſponſio ad illa fundamenta, ibid.n.15.& ſeq.
Quid Concilia in forma Pœnit. voluerint ſignificare per ly *Te*, ibid n.16
Ly *Abſolvo* habet ſuam ſignificationem ex inſtituto hominum, licèt ambiguam, p.439.n.18
Confeſſio & intentio Sacerdotis ſunt aliquid prærequiſitum, ut ly *Abſolvo* ſacramentaliter ſignificet, ibid.n.19
Forma Sacramenti Pœnitentiæ conſtat ex ſolis verbis propriè dictis, ibid.
Putant Aliqui ly *Abſolvo* per antonomaſiam ſignificare Abſolutionem internam à peccatis, ibid.n.20
Preces præcedentes & ſubſequentes formam Abſolutionis, p.436.n.4
Modus abſolvendi ex Rituali Rom. qui tamen non obligat quoad omnia, ibid.n.5.& ſeq.
Omiſſio invocationis SS. Trinitatis in forma Pœnitentiæ ad ſummum venialis, ibid.n.7.& ſeq.
Peccant mortaliter qui omittunt ly *A peccatis* in forma Pœnitentiæ, p.441.n.32
Quando ly *A peccatis* concurrat ad effectum Sacramenti, & quando non, p.442.n.33
Exiſtimat Vaſquez ly *A peccatis* ſemper concurrere ad effectum Sacramenti, ibid.n.35.& ſeq.
Ly *A peccatis*, implicitè continetur in ly *Abſolvo*, ib.n.36
An Sacerdos poſſit differre intentionem ſuam & effectum Sacramenti uſque ad completam prolationem horum verborum: *A peccatis tuis*, ibid.n.38. & ſeq.
Poteſt forma Sacramenti vitiari defectu debitæ intentionis, ut oſtenditur in forma Sacramenti Pœnitentiæ, ibid.n.39.& ſeq.
Non poteſt Sacerdos proferre illa verba: *Ego te abſolvo*, cum debita intentione & ſuſpendere effectum, p.444.n.41
Quare Conc. non expreſſerint illa verba: *A peccatis tuis*, ibid.n.46
Hæc verba: *In nomine Patris* &c. neque explicitè, neque implicitè concurrunt ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, ibid.n.47
Quæ formulæ verborum æquivaleant formæ ordinatiæ, p.445.n.48
Sententia Scoti, in Euchariſtia requiri verba magis præciſa, quàm in Pœnitentia, ibid.n.49
Chriſtus in Euchariſtia determinavit verba in individuo, ſecùs in Sacramento Pœnitentiæ, ibid.n.50. & ſeq.
Non aliter in forma Pœnitentiæ debet exprimi perſona miniſtri, quàm in forma Baptiſmi, p.446.n.56. & ſeq.
Quid ſignificet illa verba: *Abſolvat te Deus*, p.447.n.59
Sententia Lugonis de hac forma; *Abſolvat te Deus*, ibid.n.63
Cur hæc forma; *Abſolvat te Deus*, non valeat in ſenſu deprecativo, p.448.n.64
Expenditur uſus abſolvendi Eccleſiæ Latinæ & Græcæ, ibid.n.65.& ſeq.
Quare Græci non utantur indicativo activo, ibid.n.66
Oſtenditur formas aliquas Eccleſiæ Græcæ apud Jacobum Goar non eſſe intelligendas de Abſolutione à cenſuris, ibid.n.67
Forma Sacramenti Pœnit. magis fuit determinata à Trid. quàm materia, p.707.n.129
Forma eſſentialis Pœnitentiæ, quâ ratione vocetur oratio, p.449.n.69
Quare potiùs valeat forma deprecativa in Baptiſmo & Extrema Unctione, quam in Pœnitentia, ibid. n.71

Digitized by Google

INDEX RERUM.

An hæc forma: *Abſolvatur talis ſervus Chriſti*, æquivaleat ordinariæ, p.451.n.77.& ſeq.

Hæc verba: *Dimittantur tibi peccata*, valent in ſenſu imperativo, ibid n.78

An illa valeant : *Dimittuntur tibi peccata*, ibid.n.80. & ſeq.

Non licet uti illâ formâ, & aliis ſimiliter dubiis ſinè gravi peccato, p.452.n.83

Quid dicendum de hac forma : *Ego auctoritate Papæ* &c. ibid.n.84

Quare Eccleſia potiùs utatur verbo, *Abſolvo*, quàm, *Remitto*, p.453 n 89

Quare Chriſtus fuerit uſus verbo, *Remitto*, ibid.

Quis ſit ſenſus horum verborum : *Ego te abſolvo*, ibid. n. 90

Expoſitio D. Thomæ : *Sacramentum Abſolutionis tibi impendo*, commodè eſt intelligenda, ibid.n.91

Hæc expoſitio videtur melior : *Impendo tibi gratiam remiſſivam peccatorum*, ibid. n.92

Sufficit quòd ly *Abſolvo* ſignificet collationem gratiæ ùt ſubſtat inſtitutioni Chriſti, p.454.n.93

Defenditur hæc expoſitio *Remitto tibi peccata tua*, p.455. n.102. & ſeq.

Quòd Chriſtus ad formam Abſolutionis requiſiverit verba propriè dicta non invenitur expreſsè definitum, p.459.n.120

An valeret hæc forma : *Abſolvo illum*, p.460.n.122, & ſeq.

Aliqui docent ſufficere ly *Abſolvo* pro forma Pœnitentiæ abſque ly *Te*, ſed communis Doctorum ſententia eſt in contrarium. p.440.n.27.& ſeq.

Græci non explicant peccata in ſua forma apud Jac. Goar. ſecùs pœnitentem, p.441.n.29

Partialis falſitas formæ in Confeſſione venialium non videtur materia gravis, p.510.n.164

An Confeſſarius limitet ſuam intenſionem ad peccata venialia debitè confeſſa, ibid. n.165. & ſeq.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ per ſe primò ſignificat perſonam & effectum circa illam, p.511. n. 173

Quare Concil. ad formam Sacramenti Pœnit. addiderit ly *Etc.* p.437.n.10

Quare in forma Sacramenti Pœnit. non requirantur verba ita præciſa, ſicut in Baptiſmo , vel Euchariſtia, ibid. n. 11

Quâ ratione præcipua vis Sacramenti Pœnitentiæ ſita ſit in forma, p.431.n. 74. & ſeq.

In Sacramento Pœnitentiæ tantùm eſt unica forma & unicum Sacramentum tametſi à pluribus peccatis pœnitens abſolvatur, p.513.n.179

Non eſt inconveniens, quòd forma Sacramenti Pœnitentiæ ſit falſa quando pœnitens eſt indiſpoſitus, p.455.n.102

An forma Sacramenti Pœnitentiæ ſit vera in Sacramento valido, ſed informi, p.456.n.103. & ſeq.

POENITENTIÆ SACRAMENTI MATERIA.

Quaſi materia proxima Pœnitentiæ Contritio, Confeſſio & Satisfactio, materia remota peccata, p.416.n.2

Peccata commiſſa ante Baptiſmum non ſunt materia Abſolutionis ſaltem directa. p.417.n 3

Quâ ratione Contritio, Confeſſio & Satisfactio dicantur partes Sacramenti Pœnitentiæ, p.429.n.64

Quare Conc. vocet illos actus quaſi materiam, ibid n.65

Ex verb. Conc. non probatur Contritionem & Confeſſionem eſſe partes intrinſecè componentes, ibid.

Scotus non opponitur Concilio, ibid.n.66. & ſeq.

Sacramentum Pœnitentiæ abſque dolore & Confeſſione eſt invalidum, ſecùs ſinè ſatisfactione, ibid. n. 68

In Sacramento Pœnitentiæ ipſe ſuſcipiens applicat materiam, p.468.n.160

Quare Contritio, Confeſſio & Satisfactio vocentur materia proxima Sacramenti Pœnit. p.428.n.61

Solam Abſolutionem ſignificare gratiam ex opere operato, docet Andreas Vega, p.433.n.84

Idem Auctor docet ſolam Abſolutionem & Confeſſionem eſſe partes eſſentiales, ibid.

Docet præterea Contritionem tantùm eſſe partem integralem, ibid. n. 86

Suarius putat etiam Contritionem & Confeſſionem eſſe ſigna gratiæ, p.433.n.88

Suarez docet omnes partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ habere vim activam, p.434.n 89.& ſeq.

Quare potiùs materiæ aliorum Sacramentorum cauſent gratiam ex opere operato, quàm materia Sacramenti Pœnitentiæ, ibid.n.92

Quid Trident. intelligat per pœnitentiam, quando actus pœnitentis vocat partes pœnitentiæ, p.435. n. 95

An Sacramentum Pœnitentiæ non conſtet aliquâ materiâ intrinſecâ, ibid.n.96

Quare Concilia meminerint materiæ extrinſecæ Pœnitentiæ, ibid. n. 97

Quare potiùs in Sacramento Pœnit. requiratur materia ſupernaturalis, quàm in aliis Sacramentis, p.480. n. 28

POENITENTIA SACRAMENTUM.

Doctrina de Sacramento Pœnitentiæ ſubalternatur doctrinæ de judiciis & ſententiis, p.437.n.11

Sacramentum Pœnitentiæ ſupplet defectum doloris, p. 79. n. 104

Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt in ſublevamen pœnitentium, ibid.

An juſtificatio per Sacramentum Pœnitentiæ ſit magis incerta, quàm per Contritionem, ibid. n. 102. & ſeq.

Sacramentum Pœnitentiæ ſupplet defectum Contritionis charitate perfectæ, p. 166. n. 46

Fuit Deo poſſibile per Sacramentum Pœnitentiæ remittere omnem culpam & pœnam, ſicut per Sacramentum Baptiſmi, p. 323. n. 569

Sacramentum Pœnitentiæ in recto ſolùm importat Abſolutionem ſacramentalem. p.430.n.69. & ſeq.

Nunquam fuit quæſtio inter Catholicos & hæreticos, an voluntas ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ foret bona, p. 478. n. 19

Non dari Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe ex defectu doloris probatur ex Conc. Trid. p. 485. n. 49. & ſeq.

Cur potiùs alia Sacramenta poſſint eſſe valida & informia, quàm Sacramentum Pœnitentiæ, ibid. n. 51

Potuiſſet Sacramentum Pœnitentiæ ſic inſtitui, ut daretur validum & informe, p. 486. n. 55. & ſeq.

An poſſit dari Sacramentum validum & informe defectu doloris vel integritatis mortaliter culpabili, p.491.n.76

Quid ſenſerit D. Thomas de Sacramento Pœnitentiæ valido & informi, ibid. n. 77

Scotus uno loco videtur dubitaſſe de valore informi Sacramenti Pœnitentiæ, p. 492. n. 80

Alio loco negat talem valorem, ibid. n. 82

Scotus videtur requirere eandem Contritionem & Confeſſionem ad valorem & ad effectum, p.493. n. 84

Sacramentum Pœnitentiæ eſt opus divinæ miſericordiæ, p.379 n. 1

Non defuerunt olim, nec modo deſunt negantes hoc Sacramentum, quos tamquam hæreticos condemnat Trident. ibid. n.2

Deſcriptio Sacramenti Pœnitentiæ ex Scoto, p.380.n.3

Aliæ definitiones, ibid. n. 4

Diverſa nomina hujus Sacramenti, ibid.

Poſſibilitas & congruitas Sacramenti Pœnitentiæ probatur ex Scoto, ibid. n. 5

Factum fuiſſe, quòd potuit fieri, probatur ex Scriptura, p. 381. n. 7

Interpretatio hæreticorum rejicitur à Trident. ibid n.8

Digitized by Google

Chriſtus non inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ per modum alicujus Contractûs, ſed *judicii*, ibid. n. 11
Pœnitentia agnoſcitur pro vero Sacramento à Conc. Florent. & Trident. item à Lucio 3. c. 9. de hæreticis, p. 382. n. 13
Impudens mendacium Calvini, Romanenſes anxiè deſudare in reperiendo Sacramento Pœnitentiæ, ibid. n. 14
Acatholici anxiè laborant in excludendo Pœnitentiam à numero Sacramentorum, ibid.
Lutherus aliquando affirmat, aliquando negat Pœnitentiam eſſe Sacramentum, ibid. n. 15
Melanchthon aliquando affirmat, aliquando negat Pœnitentiam eſſe Sacramentum, p. 383. n. 16
Oſtenditur viſibilitas Sacramenti Pœnitentiæ, ibid. n. 18
Per ſignum viſibile D. Auguſt. intelligit quodlibet ſignum ſenſibile, ibid.
Ubi Chriſtus inſtituerit Sacramentum Pœnitentiæ, & ei promiſerit remiſſionem peccatorum, ibid. n. 20
Verba Chriſti: *Accipite Spiritum ſanctum* &c. ineptè intelligunt hæretici de poteſtate Euangelizandi, ibid.
Sacramentum Pœnitentiæ diſtinguitur à Baptiſmo, materiâ, formâ, miniſtro & effectu. p. 384. n. 27. & ſeq.
An foret duplex Sacramentum Pœnitentiæ formaliter, ſi pœnitens ſimul confiteretur duobus, p. 470. n. 169. & ſeq.
Sacramentum Pœnitentiæ eſt quaſi determinatio formalis pœnitentiæ, p. 477. n. 14
Ad veritatem Sacramenti Pœnitentiæ ſufficit ſenſibilitas Abſolutionis, p. 496. n. 102
Potuit Chriſtus ſolam Confeſſionem requirere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, p. 493. n. 89
Sacramentum Pœnitentiæ non ſucceſſit in locum Contritionis perfectæ, p. 646. n. 75
An detur Sacramentum Pœnitentiæ validum, in quo non abſolvitur directè ullum peccatum, p. 662. n. 141
Qui Patres appellaverint Pœnitentiam laborioſum Baptiſmum, p. 387. n. 39
Sacramento Pœnitentiæ promiſſa eſt remiſſio pœnæ, p. 922. n. 146
Quare Sacramentum Pœnitentiæ non ſit forum iræ, vel pœnarum, p. 933. n. 189
Chriſtus non inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ Matthæi 10. p. 387. n. 42
Quare nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Prophetæ prædicaverint Sacramentum Pœnitentiæ, p. 388. n. 44
Explicatur aliqua doctrina S. Fulgentii, ibid. n. 45
Probatur inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ ex verbis Chriſti Joan. 16. ibid. n. 46
Non erat conveniens quòd priùs daretur poteſtas in corpus Chriſti myſticum, quàm verum. ibid.
Sententia quæ docet Sacramentum Pœnitentiæ fuiſſe ante legem novam exploditur, & objectiones ex Scriptura ſolvuntur, ibid n. 47. & ſeq.
Marci 1. quamvis fiat mentio Confeſſionis non tamen Abſolutionis, p. 389. n. 50
Illa verba: *Ego te abſolvo* ſunt ceremonia ſacra à Chriſto inſtituta, præcipuè Joan. 20. ibid. n. 51. & ſeq.
Rectè dicitur totum Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum Joan. 20. ibid. n. 53
Solvuntur objectiones, ibid. n. 54. & ſeq.
Jacobus non fuit principalis inſtitutor Sacramenti Pœnitentiæ, ſed ad ſummum promulgator obligationis, p. 390. n. 58
Rationes ex D. Bonaventura, ob quas Chriſtus per ſe non promulgaverit obligationem Sacramenti Pœnitentiæ, ibid. & n. ſeq.
Neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ colligitur ex verbis Chriſti Joan. 20. p. 391. n. 62
Duplex eſt poteſtas ligandi in Sacramento Pœnitentiæ, p. 392. n. 65
Neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ potiùs colligitur ex retentione peccatorum, quàm ex remiſſione, p. 393. n. 70

POENITENTIÆ SACRAMENTI EFFECTUS.

Quis ſit effectus Sacramenti Pœnitentiæ, p. 401. n. 135
Variæ ſententiæ circa efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ, ibid. n. 139
Sacramentum Pœnitentiæ remittit verè & propriè omnia peccata ſibi ritè ſubjecta, p. 410. n. 185
Differentia inter Sacramentum Pœnitentiæ & virtutem quoad hunc effectum, ibid. n. 186
Sententia Mag. ſolum Deum dimittere peccata, p. 402. n. 139. & ſeq.
Rejicitur à Scoto, ibid. n. 141
Sacramentum Pœnitentiæ poteſt dignè recipi ab attrito tantùm, ibid. n. 142
Quomodo Sacramentum Pœnitentiæ ſit inſtrumentum ad gratiam, ibid.
Non eſt ſimile de Sacerdote legali & Euangelico, ibid. n. 143
Quomodo Sacerdos Euangelicus deleat maculam & pœnam, & quomodo Deus, ibid. n. 144. & ſeq.
Sacerdos dimittit peccata in Pœnitentia, ſicut in Baptiſmo, p. 403. n. 145
Reſponſio Scoti ad auctoritatem D. Hieronymi in contrarium, ibid. n. 146
Sacerdos non tantùm oſtendit pœnitentem mundatum, ibid. n. 147
Reſponſio Scoti ad exemplum Lazari, ibid. n. 148 & ſeq.
Ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet ſuſcitari vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid, ibid. n. 149
Remiſſio peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ probatur ex Ambr. Hieron. & Cyrill. Alexand. p. 386. n. 36. & ſeq.
Doctrina Cyrilli Explicatur, ibid. n. 38
Explicantur aliquot auctoritates PP. de remiſſione peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ, p. 404. n. 154. & ſeq.
Sacramentum Pœnitentiæ eſt Sacramentum mortuorum, p. 406. n. 166
Per Sacramentum Pœnitentiæ non tantùm remittitur pœna æterna, ſed etiam culpa, p. 407. n. 167
Quid ſit Sacramentum Pœnitentiæ commutare pœnam æternam in temporalem, p. 413. n. 202
Sacramentum Pœnitentiæ ſemper remittere aliquam partem pœnæ temporalis probatur ex Trident. & uſu Eccleſiæ, ibid. n. 205. & ſeq.
Quare Chriſtus meminerit peccatorum, inſtituendo Sacramentum Pœnitentiæ, p. 440. n. 25
Per alia Sacramenta non confertur gratia eo fine principali ut remittantur peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ſicut confertur per Pœnitentiam, p. 455. n. 100
Effectus proprius Sacramenti Pœnitentiæ non recipitur ante ſuſceptionem Sacramenti, p. 126. n. 352

PERICULUM.

Malum, propter quod evitandum poſſet quis ſe exponere periculo proximo peccati, debet eſſe reſpectivè grave, p. 534. n. 279
Tale malum non eſt amittere centum aureos reſpectu peccati fornicationis aut oblectamentum aliquod ciborum, vel aliquod lucrum temporale, ibid. n. 281

PERJURIUM.

Perjurium aſſertorium aufert ſummam Dei veracitatem, p. 202. n. 88
Fictio perjurii eſt gravis injuria Dei, p. 753. n. 136
Perjuria indeliberata, quantumvis frequentata, non ſunt peccatum mortale, ibid. n. 137
Aſſuetus pejerare aut blaſphemare, ſæpiùs adverten-
ter

Digitized by Google

ter id facit, tametſi ipſemet id non percipiat, ibid. n. 138

PERMANERE. PERMANENTIA.

Majus peccatum eſt procurare alteri permanentiam in peccato, quàm ſibiipſi, p. 197. n. 62

An permanentia in peccato habituali ſit continuatio damni, ſicuti permanentia in cæcitate, ibid. n. 63. & ſeq.

Ratio quare ſit gravis indecentia conſtituere ſe primò objectum odii divini, ſecùs ad parvum tempus permanere tale objectum, ibid. n. 65

PERMITTERE. PERMISSIO.

Deus permittit peccata hominum, p. 531. n. 267

Iſta permiſſio peccati aliquando eſt effectus prædeſtinationis, p. 532. n. 268

An liceat orare pro permiſſione proprii peccati, ibid.

PERMUTARE.

Deus poteſt permutare offenſam adulterii in offenſam ſimplicis fornicationis, p. 266. n. 280

Deus poteſt permutare furtum 100. florenorum in furtum 50. p. 267. n. 281

Poteſt Deus permutare furtum mortale in veniale, ibid. n. 282

PERSEVERANTIA. PERSEVERARE.

Primus homo ex eo, quòd in creatione acceperat, potuiſſet perſeverare, p. 256. n. 221

Perſeverantiæ adjutorium quale ſit primo homini datum, p. 257. n. 229

Munus perſeverantiæ incertum eſt, ibid. n. 230

Quare Deus jam det aliud adjutorium perſeverantiæ, quàm primo homini, p. 229. n. 59. Item p. 257. n. 226

Velle non eſt neceſſarium ad potentiam perſeverandi, ſed ſolùm ad ipſum actum perſeverantiæ, ibid. n. 227

PERSUADERE.

Parato committere peccatum mortale, poſſum perſuadere, ut potiùs committat peccatum veniale, p. 533. n. 277

Ut aliquis evadat mortem temporalem, non poſſum ei ſuadere ut peccet, ibid.

PERTINACIA.

Quid ſit pertinacia quæ requiritur ad hæreſim, p. 759. n. 166

PHARAO.

Ut cor Pharaonis non moveretur patientiâ Dei, vitii proprii fuit, p. 248. n. 183

Ad hoc non fuit neceſſarium, ut Deus ſubtraheret omnem gratiam ſufficientem, ibid. n. 184

Pharao fatetur proprium peccatum, p. 254. n. 202

Quomodo non imputetur Pharaoni quod non obtemperaverit, ibid. n. 203. & ſeq.

Pharao etiam obduratus afflictus pœnituit, p. 255. n. 218

Quomodo Pharao non potuerit obtemperare, p. 250. n. 195

POLLUTIO.

An peccet mortaliter, qui exercet actionem, quam comitatur moraliter ſemper pollutio, p. 529. n. 255. & ſeq.

Pollutio prævisa in cauſa per ſe, eſt ejuſdem ſpeciei cum pollutione expreſsè intenta, p. 734. n. 61

Poſſum deſiderare pollutionem naturalem, & de illa habita ſpeculativè gaudere propter bonum effectum, p. 799. n. 342

An liceat procurare pollutionem propter bonum effectum, ibid. n. 343

Quare potiùs liceat deſiderare pollutionem in ſomno, quàm fornicationem, p. 801. n. 351

PONTIFEX.

An pontifex poſſit commutare votum contra meam voluntatem in iteratam Confeſſionem peccati mortalis, p. 916. n. 118

Pontifex poteſt concedere indulgentiam ei, qui oraverit pro defunctis, p. 922. n. 147

Pontifex in Indulgentiis utitur poteſtate Clavium præcisè ad aperiendum, p. 926. n. 158

Pontifex fert leges tamquam miniſter Dei, p. 566. n. 49

Pontifex ſimpliciter & abſolutè dicitur concedere indulgentias, tametſi id faciat auctoritate ſibi à Deo conceſſâ, p. 404. n. 150

POSSESSIO.

Datur poſſeſſio facti etiam rerum incorporearum, p. 652. n. 99

POTENTIA.

Potentiæ animæ realiter ipſi identificantur, p. 56. n. 274

Potentia cum habitu acquiſito poteſt dare tantam intenſionem gradualem actui ſuo, quantam potentia cum habitu infuſo, p. 106. n. 247

Duplex Dei potentia, abſoluta & ordinaria, p. 283. n. 365

Ad præteritum non datur potentia, p. 514. n. 187

PRÆCEPTUM. PRÆCIPERE.

Scotus nuſpiam docet diverſitatem præceptorum cauſare diverſitatem peccatorum, p. 767. n. 199

Præcepta impoſita hominibus non obligant niſi humano modo, p. 284. n. 138

Præceptum non extrahit actum à propria ratione virtutis, quam ex ſe habet, p. 671. n. 177

Magìs honeſtum videtur facere aliquid ex præcepto, quàm ſinè illo, p. 877. n. 126

Quando licet obſervare præceptum fortius, debet obſervari, p. 687. n. 47

Multiplicatio præceptorum purè ratione temporis, non multiplicat peccata, p. 765. n. 194

An augeat malitiam, p. 766. n. 195

Satisfit præcepto Eccleſiæ abſque intentione ſatisfaciendi, p. 944. n. 237

Sola diverſitas præcipientium non variat præceptum in ſpecie neque in numero, p. 766. n. 196. & ſeq.

Ratio, quare ſatisfiat præceptis divinis per probabilem obſervantiam, p. 659. n. 129

Deus nihil potuit impoſſibile præcipere, p. 522. n. 223

Materiam præcepti Eccleſiæ non licet mutare in meliorem, p. 967. n. 335

Homo poteſt præcipere graviter, quod lex naturæ ſolùm leviter præcipit, p. 805. n. 368

De ratione eſſentiali præcepti eſt obligatio, p. 926. n. 159

Deus poteſt rem gravem præcipere ſub levi obligatione, p. 943. n. 234

Præceptum leviter obligans in materia gravi, potiùs dicendum leve quam grave, ibid.

Ex quo deſumatur gravitas alicujus præcepti, p. 944. n. 235

Nunquam violamus præceptum humanum, quin ſimul violemus præceptum divinum, p. 772. n. 220

PRÆDESTINATIO. PRÆDESTINATUS.

Prædeſtinatio in Scriptura appellatur dilectio, p. 157. n. 513. & ſeq.

Voluntas hominis lapſi non diſcernit ſeipſam à maſſa perditionis, ſed prædeſtinatio gratiæ, p. 227. n. 87

Quid ſit prædeſtinatio, ibid.

Quare S. Auguſt. intelligat dictum Apoſt. *Qui omnes homines* &c. de ſolis Prædeſtinatis, p. 231. n. 103

Prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, p. 236. n. 129

Prædeſtinati non dimittuntur ſuo deſiderio ut pereant, ſecùs reprobi. p. 241. n. 152

PRÆLATUS.

Prælati non incurrunt pœnas à ſe conſtitutas, p. 565. n. 46

Prælatus in præcipiendo uti poteſt tam poteſtate juriſdictionis, quàm dominativâ, p. 780. n. 258

Quando utatur utrâque poteſtate, ibid. n. 257

Quid poteſtas dominativa Prælati Religionis, p. 779. n. 254

Digitized by Google

PRÆMIATIO. PRÆMIUM.
In inſtanti præmiationis de condigno non poteſt poni obex, p.147.n.468
An idem in præmio de congruo, ibid.
Præmium poteſt præcedere cauſam meritoriam in eſſe phyſico, p.148.n.473
Præmium ex conventione promiſſum poteſt antecedere meritum, p.325.n.576
Deus præmiat ultra condignum, p.357.n.22
PRÆSUMPTIO.
Quid ſit præſumptio juris, p. 653. n. 103
PRÆVARICATOR.
Nullo excepto prævaricatores æſtimantur omnes peccatores terræ, p. 69. n. 47
PRINCEPS.
Princeps, qui juſtis de cauſis non impedit uſuras, non cenſetur eas moraliter velle, p.26.n.124
Princeps ſupremus poteſt pœnam capitis à lege ſtatutam ex cauſa mutare in flagellationem, p. 413. n. 203
An princeps teneatur ſervare leges, taxantes pretia rerum, p. 567. n. 52
An Princeps, violans juſtitiam, debeat ſuam dignitatem in Confeſſione explicare, p. 744. n. 101
PRIVATIO.
Ad unitatem privationis quæ requirantur, p. 373. n. 106
Privationes diſtinguuntur ſpecie ex diſtinctione ſpecifica habituum, & numero ex diſtinctione habituum numerica, p. 720. n. 4
PRIUS.
Impoſſibile eſt idem eſſe priùs phyſicè & poſteriùs reſpectu ejuſdem, p. 148. n. 470
Non apparet major repugnantia in eo, quòd idem ſit priùs & poſteriùs tempore reſpectu ejuſdem, quàm quòd ſit priùs & poſteriùs naturâ, p. 154. n. 499
Quid ſit prioritas & poſterioritas naturæ, ibid. n. 500
Priora generatione ſunt poſteriora perfectione, p. 286. n. 379
PRODIGUS.
Prodigus non peccat contra juſtitiam, p. 747. n. 110
PROFESSIO.
Profeſſio Religioſa poteſt repeti, p. 456. n. 107
Profeſſio Religioſa aliquam includit traditionem ſui in jus Ordinis, p. 727. n. 34
Quid ſignificent illa verba profeſſionis, *Promitto Deo, & tibi Pater*, ibid. n. 35
Quare in profeſſione ſpecialiter exprimantur obedientia, paupertas, & caſtitas, p. 777. n. 245
Profeſſio Religioſa adfert ſecum expiationem totius pœnæ temporalis, p. 862. n. 56
Unde profeſſio habeat tantam vim, p. 863. n. 57
PROPOSITUM.
Quis habeat propoſitum virtuale emendandi vitam, p. 74. n. 76
Admonendi ſunt pœnitentes de propoſito emendationis, ibid.
Poſſent abſolutè ſeparari deteſtatio præteritæ vitæ, & propoſitum novæ vitæ. ibid. n. 77
Diſtinctio propoſiti in formale & virtuale colligitur ex Trident. p. 76. n. 84
Per diſtinctionem propoſiti formalis & virtualis nulla infertur doctrinæ Conc. ac PP. ſuperfluitas aut nugatio, ibid. n. 87
Quare Conc. Trident. ſeſſ. 14. n. 4. deteſtationi adjungat propoſitum emendationis, ibid.
Experientia docet, poſſe contingere deteſtationem peccati ſinè formali propoſito defectu attentionis, p. 77. n. 91
Sententia Suarii, in articulo mortis non eſſe neceſſarium propoſitum vitæ futuræ, ibid.n.92.& ſeq.
Poſſum hodie habere propoſitum efficax ſervandi mandata divina, etſi Deus ſciat me cras peccaturum, p. 115. n. 295
Propoſitum efficax, quantumcumque parvum non datur, niſi à Deo, p. 116. n. n. 297
In propoſito emendationis, non includitur voluntas patiendi pœnas inferni, p. 165. n. 40
An quis voluntariè poſſit omittere formale propoſitum emendationis, p. 513. n. 183
Neceſſitas propoſiti formalis non probatur evidenter ex Conc. ibid.
Cur non ſufficiat propoſitum formale abſque dolore formali, p. 514. n. 184. & ſeq.
Potiùs ex deteſtatione oritur propoſitum, quàm è converſo, ibid. n. 185
An poſſit dari propoſitum efficax vitandi omnia venialia, p. 523. n. 230. & ſeq.
Quid ſufficiat ad efficaciam propoſiti, p. 527. n. 246
Sententia Regii, non requiri propoſitum ex ſe tam efficax vitandi omnia venialia, ſicuti mortalia, ibid. n. 247. n. & ſeq.
PROXIMUS.
Non teneor proximum liberare à miſeria corporali, quando ipſe non tenetur eam liberationem acceptare, p. 198. n. 69. & ſeq.
Quilibet tenetur ſuccurrere proximo extremè indigenti, p. 541. n. 4
PRUDENTIA.
Regulari per prudentiam non eſt de ratione virtutis moralis ùt ſic, uti nec arduitas objecti, neque actualis moderatio paſſionum, p. 49. n. 141
PUDICITIA.
An ſecundùm D. Auguſt. pudicitia diſtinguatur à caſtitate, quam Monachi vovent, p. 736. n. 71
Quare S. Auguſtinus conſtituerit pudicitiam in animo, p. 737. n. 72
PUERI.
Quare pueri potiùs obligentur legibus naturalibus, quàm poſitivis, p. 542. n. 10
PUNIRE. PUNITIO.
Poteſtas punitiva eſt bona, uti etiam ipſa punitio, p. 4. n. 11
Punitio non eſt actus juſtitiæ commutativæ ſtrictè dictæ, p. 20. n. 92
Ly *Puniendum* ſumitur participialiter & nominaliter, p. 303. n. 461
Quid ſit puniri peccatum pœnâ æternâ per ſe, & quid per accidens, p. 332. n. 18
Ad deletionem peccati ordinariè requiritur punitio voluntaria, p. 334. n. 39
Ceſſatio à punitione poteſt dici præmium, p.853.n.14
PURGATORIUM.
Orationes offeruntur pro animabus Purgatorii, ſecùs pro damnatis, p. 335. n.42
Privilegium S. Franciſci liberandi animas Fratrum ſuorum ex Purgatorio, p. 858. n. 35
Conſimile privilegium conceſſum Scapulari, ibid.n.36
Solvuntur objectiones contra privilegium Sancti Franciſci, ibid. n. 37. & ſeq.
Omnis liberatio animarum ex Purgatorio facta per Sanctos, redundat in merita Chriſti, ibid.
Privilegium S. Franciſci omnibus convenit ſivè plura, ſive pauciora habuerint peccata, ſive moriantur in vigilia Feſti, ſive diu ante mortui fuerint, ibid. n. 38
Quomodo hoc privilegium non obſcuret doctrinam Catholicam de operibus pœnitentiæ, p. 859. n. 39
Non manent peccata impunita quando pœna remittitur per Indulgentias, Sacramenta, & Sacrificia, ibid. n. 40
An animæ in Purgatorio poſſint ſibi ipſis impetrare remiſſionem pœnæ, ibid. n. 44
Quis ſit ſenſus orationis, quâ Eccleſia orat pro animabus Purgatorii, p. 860. n. 45. & ſeq.
Scriptura Matth. 5. *Non exies indè* &c. eſt parabolica, & ideo non in omnibus neceſſariò adaptanda, ibid. n. 46

Incertum

Digitized by Google

Incertum eſt, an pœnæ Purgatorii remittantur abſque ſolutione æquivalente; probabile tamen eſt, quòd ſic aliquando remittantur, p. 861. n. 49
An diminutio pœnæ Purgatorii ſit aliquod bonum ſpirituale, ibid. n. 51
An Deus determinaverit certas pœnas hujus vitæ loco pœnarum Purgatorii, p. 887. n. 162
An qui in ſuſceptione Baptiſmi peccaret venialiter, & ſtatim moreretur, deberet ire ad Purgatorium, p. 423. n. 32
Pœna Purgatorii in foro Dei eſt ſimpliciter levis, p. 941. n. 224

Q

QUALITAS.

Sexdecim qualitates Confeſſionis ſacramentalis, p. 592. n. 1
Satisfactio ſacramentalis reſpicit qualitatem delicti, p. 897. n. 35

QUANTITAS.

Quantitas ſatisfactionis eſt relicta arbitrio Confeſſarii, p. 931. n. 181

R

RAPINA.

Fieri poteſt, ut parva materia furti, ſit gravis materia rapinæ, p. 685. n. 37

REATUS.

Reatus pœnæ alterius vitæ eſt materia virtutis ſpecialis pœnitentiæ, p. 46. n. 223
D. Auguſt. videtur reatum pœnæ intelligere nomine reatûs, p. 305. n. 474
An D. Auguſt. aliquando docuerit, culpam habitualem eſſentialiter eſſe reatum pœnæ, p. 307. n. 483. & ſeq.
Reatus culpæ manet objectivè in conſcientia delinquentis, quamdiu ſe meminit deliquiſſe, alioquin in occultis legibus Dei, ibid. n. 485

RECONCILIATIO.

Reconciliatio pertinet ad gratiam generalem, p. 63. n. 18
Ut quis reconcilietur inimico, non ſufficit quòd dicat ſe ampliùs non illaturum injuriam, p. 72. n. 68
Perſeverans in peccato mortali eſt indignus omni reconciliatione, p. 329. n. 11. & ſeq.
Quid ſit reconciliatio, p. 406. n. 163. Item p. 488. n. 64
Revocatio offendentis tantùm eſt diſpoſitio ad reconciliationem, p. 431. n. 78

REDEMPTIO.

Redemptionis proprietas penes illos ſolùm eſt, qui membra ſunt Chriſti, p. 237. n. 134
Non ideo tamen alii omni deſtituuntur beneficio mortis Chriſti, p. 238. n. 135

RELAPSUS.

An frequens relapſus ſit ſignum incorrigibilitatis, p. 536. n. 291
Ex frequenti lapſu in eadem mortalia, colligitur ſæpiùs propoſitum non fuiſſe, aut eſſe efficax, p. 537. n. 292

RELIGIOSUS. RELIGIO.

Religioſus eo inſtanti, quo emittit vota Religionis poteſt contra ea peccare, p. 419. n. 13
An Religioſi teneantur confiteri primâ opportunitate poſt peccatum, p. 548. n. 37. & ſeq.
Religioſi non obligantur ex juſtitia ad caſtitatem, p. 727. n. 33
Quis cenſendus perfectus Religioſus, p. 739. n. 79
An velle fornicari in Religioſo, ſit formaliter ſacrilegium, ibid. n. 81. & ſeq.
Religioſus qui alterum poſitivè induxit ad fornicandum, peccat contra proprium votum, p. 740. n. 84. & p. 742. n. 91
Oppoſitum docet Dicaſtillo tamquam clarum, doctum & receptum à Pleriſque, ſed malè, p. 740. n. 85
Quid Lugo ſentiat de hac doctrina, p. 741. n. 86
Quare Religioſus conſulens matrimonium, non peccet contra votum caſtitatis, p. 743. n. 94
Quare Religioſus conſulens peccatum inobedientiæ, non peccet contra votum obedientiæ, ibid. n. 95
Quilibet Religioſus poteſt peccare duplici peccato contra præceptum ſui Prælati, p. 780. n. 258
Multæ conſtitutiones Religionum ſolùm obligant ad pœnam, p. 944. n. 235

RELIQUIÆ.

Qui in actu venereo geſtavit reliquias Sanctorum, non debet hanc circumſtantiam in Confeſſione explicare, p. 814. n. 410

REMISSIO, REMITTERE.

Scotus docet ad remiſſionem peccati regulariter requiri explicitam pœnitentiam, p. 90. n. 165
Cur in humanis ſæpiùs fiat remiſſio odii per partes, p. 268. n. 286
Quando Deus remittat peccatum, p. 281. n. 360
Probatur ex Scriptura de facto non remitti peccatum mortale abſque infuſione gratiæ, ibid. n. 361
Eadem veritas probatur ex Conc. Trident. p. 283. n. 362
Non implicat Deum remittere peccatum mortale abſque infuſione gratiæ, ibid. n. 364
An remiſſio culpæ præcedat infuſionem gratiæ, p. 286. n. 376
An aliquo ſenſu remiſſio culpæ poſſit vocari mutatio rationis, p. 290. n. 398
An aliquis actus peccatoris ſit abſolutè neceſſarius ad remiſſionem peccatorum, p. 296. n. 406. & ſeq.
Ad remiſſionem peccati ſufficit moralis converſio ad Deum, p. 298. n. 440
Quod ſit objectum remiſſionis peccati, p. 299. n. 446
Quòd ſola mutatio temporis ſufficiat ad remiſſionem, vel non remiſſionem peccati probatur duplici exemplo, p. 303. n. 467. & ſeq.
Peccatum mortale de facto non remitti abſque commutatione pœnæ, probatur ex Scriptura & Conc. Trident. item ex ratione, p. 304. n. 471. & ſeq.
Offenſam poſſe remitti abſque remiſſione pœnæ probatur exemplo dilectionis inimicorum, p. 305. n. 475
Sed hoc exemplum rejicitur tamquam impertinens, ibid. n. 476
An in humanis remittatur aliquandò pœna abſque remiſſione offenſæ, ibid. n. 477
Quomodo peccatum veniale remittatur poſt hanc vitam ex Scoto, p. 308. n. 488. & ſeq.
Non recedit à Scoto, qui diſtinguit inter remiſſionem culpæ mortalis, & remiſſionem pœnæ æternæ, ibid. n. 489
An qui non diſtinguit, ſit damnatus à Pio V. & Gregorio XIII. ibid. n. 490. & ſeq.
Remittitur de facto peccatum veniale per quemlibet actum meritorium juſti, in eum finem relatum, p. 339. n. 65
Explicantur aliqua verba S. Auguſt. ut etiam Auctoris de vera & falſa pœnitentia in contrarium, p. 340. n. 66
Cur SS. PP. ordinariè requirant lamenta de peccatis quotidianis, ibid. n. 67
An relatio actûs boni in finem remiſſionis venialium, tribuat ei aliquam efficaciam, ibid. n. 68
Oſtenditur Scotum per actum magis acceptum Deo, quàm veniale diſpliceat, intellexiſſe quemcumque actum meritorium, ibid. n. 70
Non eſſe neceſſariam expreſſam & formalem relationem actûs meritorii in finem remiſſionis venialium, videtur eſſe ſententia D. Bonaventuræ, ibid. n. 72
Quomodo Sacramenta & ſacramentalia adjuvent gratiam gratum facientem ad remiſſionem venialium, p. 341. n. 73

Piè

Digitized by Google

Piè credi poteſt; Deum acceptare quemcumque actum meritorium juſti ad remiſſionem aliquorum venialium, ibid. n. 75
Probatur Baptiſmum remittere peccata venialia ex opere operato, ibid. n. 76
Peccatum veniale numquam tollitur ſinè mutatione intrinſeca morali, ibid. n. 77
In quo differat remiſſio venialium à remiſſione mortalium, ibid.
Gratia habitualis alio modo tollit peccatum mortale, quàm veniale, p. 342. n. 78. & ſeq.
An venialia in Baptiſmo remittantur ſinè aliqua diſplicentia, ibid. n. 80
Sufficit quòd homo ita ſit diſpoſitus, ut ſi occurrerent peccata, diſpliceret, ibid.
Quid ſit illa conditionalis diſplicentia, ibid.
An aliquid minùs requiratur ad remiſſionem venialis, quàm mortalis, ibid. n. 81. & ſeq.
Sacramentum Pœnitentiæ remittit ex opere operato peccata venialia, p. 343. n. 84. & ſeq.
Oſtenditur D. Auguſt. non ſoli huic petitioni: *Dimitte nobis* &c. tribuere effectum remiſſionis venialium, p. 345. n. 97
Quare Eccleſia poſſit magis remittere reatum pœnæ, quàm culpæ, ibid. n. 98
Duplex modus remiſſionis venialium poſt hanc vitam ex Scoto, p. 346. n. 103. & ſeq.
Venialia remittuntur in hac vita, niſi continuetur actus peccati uſque ad mortem, p. 347. n. 105
Quid ſit illa continuatio ex Hiquæo, ibid.
Ejus explicatio rejicitur, ibid. n. 106. & ſeq.
Impedimenta remiſſionis venialium in hac vita ex Hiquæo, ibid. n. 108. & ſeq.
Actualis complacentia in peccato veniali impedit ejus remiſſionem in hac vita, p. 348. n. 111
Lugo requirit ad remiſſionem venialis poſt mortem actum retractationis, ibid. n. 114
Illa retractatio non requiritur ùt meritoria aut ſatisfactoria, ibid. n. 115
Neceſſitas illius retractationis eſt incerta, quamvis indubiè adſit, p. 349. n. 116
An peccata venialia remittantur poſt mortem gratis, ibid.
Juſtus meretur remiſſionem venialium ſubordinatè ad augmentum gratiæ, & non niſi pro illo tempore quando non eſt ampliùs locus propriæ ſatisfactioni, ibid. n. 119. & ſeq.
Quid ſi aliquis poſt ultimum peccatum veniale nulla habuerit nova merita, ibid. n. 121
Quid ſi nulla omnino habuerit merita, p. 350. n. 122
Quòd Deus ex juſtitia teneatur remittere venialia poſt mortem, non aufert rationem liberalitatis, ibid. n. 126
Fieri aliquam remiſſionem peccatorum poſt hanc vitam probatur ex Scriptura & auctoritate SS. Patrum, ibid. n. 127. & ſeq.
Objectio ſolvitur ex Scoto, p. 351. n. 129. & ſeq.
Quare potiùs poſſit remitti peccatum veniale poſt mortem, quàm mortale ex Scoto, ibid. n. 133. & ſeq.
Peccata ſemel remiſſa numquam redire probatur ex Scriptura & communi ſenſu DD. p. 367. n. 79
Non benè probatur ex Apoſt. Rom. 11. *Sine pœnitentia enim ſunt* &c. p. 368. n. 80
An efficaciter probetur ex Naum. 1. & Ezech. 18. ibid. n. 81. & 82
Probatur ratione à priori, ibid. n. 83
Eo ipſo quòd culpa remittitur conditionatè, homo poteſt dici mundatus ab ea, p. 377. n. 125
Diſparitas inter peccatum conditionatè remiſſum, & meritum mortificatum, ibid.
Deus poſſet aſſumere humanitatem hominis, cujus conditionatè remiſiſſet peccata, ibid. n. 126
An talis humanitas poſſet orare pro peccatis ſuis, ibid. n. 127
Duplex objectio contra remiſſionem conditionatam peccati, ſolvitur, ibid. n. 128. & ſeq.
Remiſſio conditionata peccati habet ſufficientem effectum & ſufficiens objectum, ibid. n. 130
Quid ſit illa remiſſio conditionata, p. 376. n. 124
Non conſtat Deum aliquando conditionatè remittere peccata, p. 378. n. 131
Verba Chriſti Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum* &c. non ſignificant tantùm poteſtatem denuntiandi peccata eſſe remiſſa, p. 384. n. 23. & ſeq.
Peccatum mortale & veniale non uniformiter remittuntur, p. 392. n. 67
Peccata verè & propriè remittuntur, p. 401. n. 136. & ſeq.
Doctrina Conc. Trident. de remiſſione peccati originalis per Baptiſmum, ibid. n. 138
Quare Scotus potiùs tribuat remiſſionem pœnæ temporalis Sacerdotibus, quàm remiſſionem culpæ, p. 403. n. 150
Nulla eſt ratio verba Chriſti Joan. 20. *Quorum remiſeritis* &c. metaphoricè intelligendi, p. 409. n. 176
Remanere pœnam temporalem poſt remiſſionem pœnæ æternæ, negant hæretici, definit Conc. Trid. & probatur ex Scriptura, p. 410. n. 188. & ſeq.
Plus eſt remittere durationem & ſubſtantiam pœnarum quàm ſolam durationem, p. 412. n. 199
Quare Deus non acceptet quodlibet opus bonum hominis juſti ad remiſſionem omnis pœnæ, ibid. n. 201
D. Bonaventura docet vi Clavium remitti aliquam partem pœnæ temporalis, p. 414. n. 207
Hæc remiſſio non præjudicat divinæ juſtitiæ, ibid. n. 208
An fiat ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, ibid. n. 209
Non poteſt remitti peccatum pro inſtanti quo primùm eſt, p. 420. n. 20
Objectio ex Conc. Trid. ſolvitur, p. 421. n. 21. & ſeq.
Arguitur contra reſponſiones Lugonis, ibid. n. 25. & ſeq.
Nihil remittit peccata, quæ committuntur eo tempore, quo applicatur, p. 423. n. 35
An per plures Abſolutiones remitteretur tota Pœna temporalis, p. 425. n. 46. & ſeq.
Scotus non negat omnem fructum Sacramento pœnitentiæ iterato de eiſdem peccatis, p. 426. n. 49
Quomodo intelligendum, quod ait Scotus, per iteratas Abſolutiones non poſſe remitti totam pœnam, ibid. n. 53
Remiſſio peccatorum non eſt ſpecies donationis, p. 458. n. 115
Poteſt remitti offenſa alteri nihil minùs cogitanti, ibid. n. 116
Qui ſemel remiſit debitum, poteſt iteratò illud remittere ſinè mendacio, p. 456. n. 106
Quare potiùs peccatum ſemel remiſſum poſſit remitti, quàm peccatum numquam commiſſum, p. 457. n. 111
Medium remiſſionis peccatorum non eſt coarctatum in lege nova, p. 477. n. 15
Conveniens fuit, ut omnia peccata remitti poſſent per Sacramentum Baptiſmi vel Pœnitentiæ, p. 544. n. 21
Non remittuntur de facto peccata mortalia diviſim, p. 268. n. 287
De ordinata potentia non poteſt Deus remittere peccatum mortale ſinè infuſione gratiæ, ſecùs de abſoluta, p. 283. n. 365. & ſeq.
Deus de abſoluta potentia poteſt remittere unum peccatum mortale ſinè alio, p. 284. n. 368
Culpa poteſt remitti ſub hac conditione, ſi rurſum homo non offendat, p. 376. n. 120
Poteſtas remittendi peccata non exercetur inter homines, niſi per ſignum viſibile. p. 381. n. 9
Neceſſitas hujus ſigni probatur ex Traditione, ibid.

Non

Digitized by Google

Non eſt idem Sacerdotem velle remittere jus Dei, & velle quod Deus ipſe remittat, p.450.n.73

REPROBATIO. REPROBUS.

Effectus reprobationis negativæ, eſt ſubtractio gratiæ efficacis, p.241. n.150
Quomodo verum ſit, quòd reprobi poſſint ſalvi eſſe, ſi vellent, p.226.n.84
Quomodo liceat orare pro ſalute reproborum, p.526. n. 243

RESERVATIO. RESERVARI.

Ex quo ſit poteſtas reſervandi, p.977. n.373
Sola Abſolutio eſt reſervata, non ſatisfactio, ibid. n. 374
Reſervatio peccati non videtur facere ſententiam magis irrevocabilem, p.975 n.364
Ablatâ reſervatione peccatorum per priorem Abſolutionem, manent illa peccata ſicuti cætera non reſervata, ibid.
Ablatâ reſervatione per invalidam Abſolutionem, poteſt inferior abſolvere ab illo peccato, & dare pro ipſo ſatisfactionem, ibid. n. 365
Solum peccatum videtur reſervari, non autem ſatisfactio pro eo impoſita, p.977. n.371

RESTITUTIO.

Minima reſtitutio non eſt adæquatè reparativa juris læſi, quando quis ex ſtricta juſtitia ad æqualitatem debet ſatisfacere, p.128.n.360
An ſit peccatum mortale differre reſtitutionem vitæ corporalis per aliquod tempus, p.195.n.53
Omiſſio reſtitutionis rei ablatæ ferè æquivalet primæ ablationi, p.196.n.58
Reſtitutio non eſt neceſſariò ſatisfactio generalis, nec ſpecialis ex Scoto, p.876.n.122
Reſtitutio requiritur ante partes pœnitentiæ, ibid.
Non negat Scotus reſtitutionem poſſe eſſe ſatisfactionem, p.877.n.123
An peccatum contra juſtitiam obliget ad reſtitutionem, ſi jam ceſſaverit omne damnum, p.204.n.98

RETINERE.

Quid ſit retinere peccata, p.391.n.64
Verbum retinendi non poteſt æqualiter intelligi de peccato mortali & veniali, p.392.n.66
Poteſtas remittendi & retinendi eſt principaliter data propter peccatum mortale, ibid. n.67
Verba Chriſti Joan. 20. *Quorum retinueritis* &c. cum proportione applicanda ſunt peccato mortali & veniali, ibid. n. 68

REVELATIO.

Non obſtante revelatione damnationis, homo tenetur ſervare omnia præcepta divina, p.524.n.232
An aliqua revelatio peccati futuri impediat libertatem, ibid n.233. & ſeq.
Peccatum revelatum à Deo non eſt futurum, niſi dependenter à libera voluntate hominis, p.525.n.236
Suppoſitâ revelatione peccatum certò futurum eſt in ſenſu compoſito, ſecùs in ſenſu diviſo. ibid.n.238
Cui foret revelatum peccatum finale deberet ſperare beatitudinem, ibid. n. 239. & ſeq.

REVELATIO CONFESSIONIS.

Quando æquivaleant licentia loquendi de rebus confeſſis & manifeſtatio extra Confeſſionem. p.695.n.78
Ex uſu ſcientiæ confeſſionalis de licentia pœnitentis nata ſunt frequentiùs oriri ſcandala & alia inconvenientia, p.697.n.85
An illa ſcandala ſint tantùm accepta, ibid.n.86
Violatio ſigilli non licet, etſi ſummè foret neceſſaria pro conſervanda fide integri regni, p.698. n.90

REVIVISCENTIA. REVIVISCERE.

Merita mortificata reviviſcunt per pœnitentiam ex Apoſt. Hebr. 6. p 353.n.3
Alia probatio ex Apoſtolo ad Galat. 3. p. 354.n.6
Tertia probatio ex Ezech. 18. ibid. n. 7. & ſeq.
Quarta probatio ex Trident. ibid. n. 10. & ſeq.
Quinta probatio ex auctoritate Patrum, ibid. n. 12
Quare potiùs reviviſcant merita, quàm peccata ex Scoto, p. 355. n. 14
Meritis mortificatis reviviſcentibus an ex juſtitia debeatur præmium, ibid. n.15
Reviviſcentia eſt opus divinæ miſericordiæ, ibid.n.17
Deus abſolutè potuit impedire reviviſcentiam meritorum, p. 357. n. 23
De facto eſt opus cujuſdem juſtitiæ, ibid.
An ex natura rei eo ipſo, quòd homo redit in gratiam Dei, priora merita reviviſcant, ibid.n.25.& ſeq.
Merita de facto reviviſcunt ex quadam eorum condignitate, p. 358. n. 28
Rejicitur ſententia, quæ docet, merita ſolùm reviviſcere ad aliquod præmium accidentale, p. 359. n. 33
Uti & illa, quæ aſſerit reviviſcentiam nihil aliud eſſe, quam retributionem ejuſdem præmii diverſis titulis, ibid n.34. & ſeq.
Quare magis debeat reviviſcere Pœnitentia, quàm Euchariſtia ex Lugone. p. 904. n.62
Quare Deus voluerit Baptiſmum reviviſcere, ibid.n.63

REUS.

Idem poteſt eſſe reus & executor pœnæ, p. 28. n. 135
Ratio naturalis dictat, reum eſſe judicandum, p. 395. n. 103
In foro externo aliquando abſolvitur reus, tametſi conſtet non ad eſſe dolorem, p. 494. n. 93
Tribunal ſacramentale eſt à Chriſto inſtitutum, non tantùm ut reus abſolvatur, ſed etiam ut ligetur, p. 646. n. 72

RITUALE ROMANUM.

Rituale Romanum comparatur à Paulo V. Breviario, Miſſali & Pontificali Romano, p. 608. n. 72
Confeſſionem poſſe fieri abſenti probatur ex Rituali Romano, p. 607. n. 68
Rituale Romanum non continet errorem damnatum à Clemente VIII. p.608.n.73
An Rituale Romanum requirat ſigna externa doloris, ut moribundus poſſit abſolvi, p.711.n.141
Hoc Rituale non videtur loqui de Abſolutione conditionata, ibid. n. 143
Loquitur tum de ſanis obſtinatis, tum de moribundis non obſtinatis, ibid. n. 141

S

SACERDOS.

An Sacerdos obligetur ad caſtitatem ex præcepto Eccleſiæ & non ex voto, p.728.n.39
An Scotus doceat Sacerdotem obligari ad caſtitatem ex præcepto Eccleſiæ, ibid. n.40
Sacerdotem obligari ex voto ad caſtitatem probatur ex cap. un. de voto in 6. p. 729. n 41
Sacerdos diſpenſatus ad matrimonium, adhuc peccaret peccato ſacrilegii ſi fornicetur, ibid.n.43
Sacerdos confitens peccatum luxuriæ, ſatisfacit, dicendo ſe habere Ordinem ſacrum, p. 730. n. 45
An Sacerdos occidens aliquem vel mutilans, peccet duplici peccato, p. 746. n. 105. & ſeq.
Aliquando per accidens Sacerdos qui aliquem occidit, debet explicare in Confeſſione ſuum ſtatum, ibid.n.108
Poteſt fieri ut Sacerdos ferè per biduum nihil recitet de divino Officio, p.585.n.137

SACERDOTALE ROMANUM.

Sacerdotale Romanum favet ſententiæ, quæ docet, vitam Chriſtianè actam in articulo mortis eſſe ſufficientem Confeſſionem, p.712.n.145
Lugo conatur ejus auctoritatem enervare, ibid.n.146
Oſtenditur illud Sacerdotale loqui de Abſolutione ſacramentali, ibid.n. 147
Non errat in eo, quod dicat bonum eſſe confiteri laico in periculo mortis, ibid. n. 148

Digitized by Google

INDEX RERUM.

SACRAMENTALIA.

Enumerantur Sacramentalia, p.344.n.91
An immediatè remittant venialia, ibid. n.92.& ſeq.
Quomodo Sacramentalia ex opere operato remittant venialia, p.346.n.101

SACRAMENTUM.

Sacramenta per ſe cauſant eundem effectum in omnibus, per accidens poteſt fieri contrarium, p.365. n. 66. & ſeq.
An Sacramenta cauſent gratias actuales amiſsâ gratiâ habituali, p.366 n.75
Omnia Sacramenta novæ legis rebus tamquam materiâ, & verbis tamquam formâ perficiuntur, p.416. n. 1
Materia eſt duplex, proxima & remota, ibid.
In materiis & formis Sacramentorum ſolent Concilia magis præciſè loqui, p.422.n.29
In Sacramentis poteſt forma præcedere materiam, p.428.n.62
Significatio non eſt forma Sacramenti, ſed potiùs externa pronuntiatio verborum, p.467.n.155
Sacramenta novæ legis ſignificant & conferunt gratiam ex opere operato, quod non convenit Contritioni & Confeſſioni, p.432. n. 82
Eſſentia Sacramenti non eſt aliud, quàm practica ſignificatio gratiæ, ibid.n.83
Non omne, per quod perficitur Sacramentum, eſt pars ejus eſſentialis intrinſecè componens, p. 435. n. 94
Quid ſit Sacramentum validum & informe, p.484.n.48
Sacramentum habet eaſdem partes eſſentiales reſpectu infantis & adulti, p.500.n.118
Peccat mortaliter, qui facit Sacramentum eſſe invalidum. p.508.n 155
Sacramentum hoc ipſo quo eſt producit ſuum effectum, p.442.n.34
Piè creditur omnia Sacramenta remittere aliqua peccata venialia ex opere operato, p.344.n.90
Forma Sacramenti potiùs determinat materiam, quàm vice verſâ, p.439.n.21
Non ſemper materia remota Sacramenti debet exprimi in forma, ibid.

SACRIFICIUM.

Sacrificium cordis contriti non mundat peccatorem, niſi vel eliciatur, vel imperetur à Charitate, p. 80. n. 107
An Sacrificium & Indulgentia conferant remiſſionem pœnæ exiſtenti in peccato, p. 905.n.66
Quare plus ſatisfactio conferat remiſſionem pœnæ exiſtenti in peccato, quàm Sacrificium aut Indulgentia; ibid.n.67

SACRILEGIUM.

An circumſtantia Sacrilegii reducatur ad ſpeciem irreligionis, ſicuti tranſgreſſio voti, p 674.n.191. & ſeq.
Sacrilegium ex ſpecifica materia accipit gravitatem eſſentialem, p.675.n.193
Dantur Sacrilegia ſpecie diſtincta, ibid. n.194
Per malitiam Sacrilegii furtum rei ſacræ non diſtinguitur eſſentialiter à ſimplici furto, p.725. n.24. & ſeq.
Cur in furto rei ſacræ potiùs Sacrilegium ſit accidens, quàm furtum, ibid.n.26
Probatur omnia peccata externa, in Eccleſia commiſſa, eſſe Sacrilegia, p.802.n.357
Quare potiùs ex loco ſacro, quàm ex die feſto peccata contrahant malitiam Sacrilegii, p.803. n 360
Placita ſæcularia & alia enumerata in cap. *Decet* de Immun. Eccl. in 6. ſunt Sacrilegia, p.804.n.366. & ſeq.
Auferre rem ſacram ex loco ſacro eſt Sacrilegium præciſè propter locum, p.805.n.372
Multi docent, auferre rem, in Eccleſia per accidens exiſtentem, non eſſe Sacrilegium, & quo fundamento id doceant, p.806.n.374. & ſeq.
Reſpondetur ad fundamentum, ibid.n.376.& ſeq.

SACRUM.

Qui non poteſt audire Sacrum die Dominico, non tenetur audire die Sabbathi, p.591.n.161
Qui properat ad nundinas non tenetur, ut audiat Sacrum die feſto, iter interrumpere, ſi occaſio illabatur è manibus, p.533.n.273
Quare ille, qui non audivit Sacrum die Dominico, non teneatur illud audire die Lunæ, p.658.n.128
Qui die Dominicâ poſt voluntatem non audiendi Sacrum ſe ſomno tradit peccat, hoc tamen peccatum non eſt ſpecialiter explicandum in Confeſſione, p.812.n.401
Qui die Dominicâ non poteſt audire Sacrum horâ undecimâ, tenetur prævenire, p. 591.n.160

SALVARE.

Quid requiratur, ut Deus dicatur velle omnes ſalvos fieri, p.239. n.142. & ſeq.
An Deus ſic potuerit diſponere cauſas naturales & liberas, ut omnes ſalvi fierent, p. 240.n.145.& ſeq.
Deus etiam poſt peccatum voluit omnes ſalvos facere, p 243.n.159
Cauſæ communitas & pretii dignitas non videntur ſufficere ad veritatem dicti Apoſt. *Qui vult omnes homines ſalvos* &c. p.246.n.172

SAMSON.

Samſoni propria mors, ſecundùm Aliquos, non fuit voluntaria, p.533.n.277
Mors propria Samſonis, ſecundùm Aliquos, non erat peccaminoſa, quia indirecta, p.534.n.278

SANCTIFICARE. SANCTITAS.

Non propriè ſanctificat omne illud, quod mundat à peccato, p.313.n.517
Aliqui actus ex natura rei graviter repugnant ſanctitati loci, p.803.n.361
Diſcrimen inter ſanctitatem perſonæ, loci & temporis, p.817.n.418. & ſeq.
An ſanctitas Dei augeat notabiliter malitiam intrà ſpeciem, ibid.n.420
Proponuntur duo caſus, in quibus Lugo putat ratione temporis ſacri contrahi novam gravem malitiam, p. 818.n.421. & ſeq.
An tempus ſpecialiter ſanctificetur per ſuſceptionem alicujus Sacramenti, ibid. n.423

SATISFACERE. SATISFACTIO.

De potentia abſoluta homo poteſt ſatisfacere pro peccato independenter à Paſſione Chriſti, ſecùs de potentia ordinata, p. 318. n. 544.& ſeq.
Non oportuit ſatisfactionem pro peccato Adæ excedere omnem creaturam, p. 319. n. 546
Debuit excedere amorem cujuſcumque creaturæ, ibid.
Si placuiſſet Deo potuiſſet unus bonus Angelus ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, immo & purus homo ſanctus & innocens, ibid. n. 547
Non videtur repugnantia, quin quilibet pro ſe poſſet ſatisfacere, ibid. n. 548
Nuſpiam Scotus docuit Contritionem aut dilectionem poſſe eſſe ex natura rei completam ſatisfactionem, ibid. n. 550
Contritio poſſet eſſe æqualis ſatisfactio, ſi Deus vellet, ibid.
Contrarium aſſerit Lugo, cujus argumento ſatisfit, ibid. n. 551
Argumentum Lugonis, quo probat puram creaturam non poſſe ſatisfacere æqualiter pro peccato mortali, p. 323. n. 566
Intellectum de potentia abſoluta retorquetur, ib. n. 567
Conveniens fuit hominem ſatisfacere Deo pro peccatis, p. 411. n. 193
Chriſtus ſatisfecit pro peccatis noſtris, ibid. n. 194
Noluit ſuas ſatisfactiones applicare per Sacramentum Pœnitentiæ ad remiſſionem omnis pœnæ, p. 412. n. 194
Meliùs eſt in hac vita ſatisfacere, quàm expectare poſt hanc vitam, p. 860. n. 46
Securiùs eſt opera ſatisfactoria referre in Deum, p.863. n. 55

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Major bonitas actûs auget valorem ſatisfactionis, ibid.
Opus merè internum poteſt eſſe ſatisfactorium, p.873. n. 106
Scotus non negat actibus interioribus omnem vim ſatisfaciendi, ùt perperàm ei adſcribunt Suarez & Arriaga, ibid. n. 107. & ſeq.
Sententia Arriagæ, opera interiora nullam habere vim ſatisfaciendi, ibid. n. 109
Rejicitur, ibid. n. 110
Deus non acceptat quodlibet opus ad ſatisfactionem pro tota pœna, p.874.n.112
Diverſo reſpectu opus eſt meritorium & ſatisfactorium, ibid.
Quæ ſatisfactio correſpondeat peccato carnis, peccato ſuperbiæ, & peccato circa temporalia, p.875.n.115
Oratio merè interna poteſt eſſe ſatisfactoria, ib.n.116
Quid intelligatur per orationem, jejunium, & eleemoſynam, ibid.n.118
Quod ex illis ſit magìs ſatisfactorium ex D. Bonaventura, ibid.n.119
Lugo exiſtimat eleemoſynam eſſe magìs ſatisfactoriam, quàm jejunium, p.876.n.120
Non requiritur ſatisfactio ſpecialis ſecundùm ſpeciem vel numerum ad ſpeciale peccatum, p.98.n.210
Poſſunt plures ſatisfactiones totales vel partiales correſpondere uni peccato, ibid.n.211
In quo conſiſtat ſatisfactio, ibid.n.212
Satisfactio totalis reconciliat ſatisfacientem, ibid. n. 214
Quid ſatisfactio totalis, p. 99.n.215
Deus non requirit à peccatore ſummam ſatisfactionem in individuo, p.109. n.265
Major videtur obligatio ſtatim ſatisfaciendi hominibus, quàm Deo, p.200.n.79
An purus homo poſſit ſatisfacere ad æqualitatem pro peccato mortali, p 317.n.539. & ſeq.
Tametſi Deus acceptaſſet Contritionem ad ſatisfactionem æqualem pro peccato mortali, non ideo vileſceret offenſa Dei, p.323.n.568
Non eſt contra naturam ſatisfactionis anticipata extinctio delicti, p.325. n.575
Satisfactio pœnæ etiam fundatur in operis bonitate, p.338.n.57
Condigna ſatisfactio completur acceptatione divinâ, p.413.n.201
Deſcriptio ſatisfactionis generaliter acceptæ ex Scoto, p.850.n.1. & ſeq.
Satisfactio pro pœna temporali, ſubinde appellatur ſatisfactio pro peccato. p.851.n.3
Etſi nomen ſatisfactionis non inveniatur in Scriptura, ſecùs tamen res ipſa, ibid. n. 5
Poteſtas ſatisfaciendi Deo pro peccatis definita eſt in Conc. Florent. ibid n.6
Eadem veritas definita eſt in Conc. Trid. ibid.n.7
Putat Arriaga nullum eſſe locum Scripturæ aut SS. PP. qui clarè loquatur de ſatisfactione, p.852.n.8
De illa videtur intelligenda Scriptura Matth. 3. *Facite fructum* &c. ibid. n. 9
Homo poteſt de condigno ſatisfacere, ibid.n 10
Contrarium videtur damnatum à Pio V. Gregorio XIII. & Urb. VIII. ibid. n. 11
Communis doctrina Catholicorum probatur ex ratione, ibid.n.12
Solus homo juſtus poteſt ſatisfacere de condigno, p.853.n.15
Objectio diluitur, ibid. n.16
Huic doctrinæ non repugnat Scotus, uti falsò ei imponit Lugo, ibid n.17.& ſeq.
Scotus diſtinguit inter ſatisfactionem & ſatiſpaſſionem. Item inter ſatisfactionem reconciliantem, & non reconciliantem, p.854.n.20
Opera bona hominis peccatoris non reviviſcunt ad effectum ſatisfactionis ex opere operantis, ibid.n.21
Ad ſatisfactionem de condigno requiritur ſtatus viatoris, ibid.n.22
Satisfactio de condigno ex opere operantis requirit acceptationem Dei, p. 855. n. 23
An qui minimam pœnam ſolveret, accedente promiſſione Dei, ſatisfaceret ex æqualitate, p. 856. n. 26
Aliud eſt ſatisfacere in Chriſto, aliud per gratiam ejus patienter tolerare flagella, ibid. n. 29
Ad ſatisfactionem condignam requiritur ſpecialis Dei acceptatio, ibid.
Objectiones ſolvuntur, p. 857. n. 30. & ſeq.
Juſtus ſatisfacit de rigore juſtitiæ vindicativæ quoad æqualitatem ſolutionis, ibid. n. 32
Major eſt neceſſitas pœnitentiæ ad remiſſionem culpæ, quàm ſatisfactionis ad remiſſionem pœnæ, p.859. n. 42
Opus ſatisfactorium de condigno ex opere operantis debet eſſe honeſtum, p.861.n.50
Opus ſatisfactorium debet eſſe liberum, ſaltem denominativè, p. 863. n. 58
Plus videtur ſatisfacere qui actu jejunat, quàm qui ſolùm vult jejunare, ibid.
Cur potiùs ſatisfactio creſcat per actum externum, quàm meritum, ibid. n. 61
Satisfactio non eo modo extinguit pœnas, quo ſatiſpaſſio, p. 864. n. 63
Diſcrimen inter meritum & ſatisfactionem, ibid. n. 65
An actus externus neceſſariò non augeat ſatisfactionem, p. 865. n. 66
Ut opus externum augeat ſatisfactionem, non ſufficit voluntas bona omnino præterita, ibid. n. 67. & ſeq.
An poſſit dari actualis ſatisfactio ſinè actuali merito, ibid. n. 68
An ad ſatisfactionem ſufficiat quilibet effectus, quovis modo procedens ex præcedente voluntate, ibid. n. 69
An requiratur permanentia voluntatis, p. 866. n.71
Ad ſatisfactionem non ſufficit bonum propoſitum patienter tolerandi, ſed requiritur patiens tolerantia, p. 867. n. 75
Dormiens non poteſt ſatisfacere de condigno ex opere operantis, p. 868. n. 79
Cur minùs quàm contrahere matrimonium per procuratorem, ibid. n. 80
An defunctus ſatisfaciat per eleemoſynam, quam in vita præcepit, ibid. n. 81. & ſeq.
Probabiliſſimum eſt in tali caſu eleemoſynam nihil addere ſatisfactionis ex opere operantis per ſe loquendo, ibid. n. 83
An ſi pecunia danda in eleemoſynam furto auferatur, homo habiturus ſit ſatisfactionem. p. 869. n.85
Opus ſatisfactorium regulariter debet eſſe pœnale ex Scoto, ibid. n. 87
Probatur ex D. Auguſt. ibid.
Confirmatur ex Scriptura, SS. Patribus. Canonibus pœnitentialibus, Conc. Trident. & Catechiſmo Romano, p. 870. n. 89. & ſeq.
Ratio à priori voluntas Dei. ibid. n. 91
Satisfactio fieri poteſt per opus præceptum. Pro oppoſito Suarez malè citat Scotum, p. 876. n. 121
Satisfactionem fieri poſſe per opus præceptum probatur ex Conc. Trident. Item ex ſenſu Eccleſiæ & præcepto Confeſſarii. p. 877. n. 124. & ſeq.
Explicatur quod ait Apoſt. 2. Cor. 9. *Unuſquiſque* &c. ibid.
Opus præceptum eſſe ſatisfactorium probatur ex ratione, p. 878. n. 128
Reſpondetur ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ, n. 129
Objectio ſolvitur, ibid.n.130
Diſparitas inter ſatisfactionem & ſolutionem debiti ex ſtricta juſtitia, p. 880. n. 135
Ad ſatisfaciendum ſufficere mala à Deo inflicta & à nobis patienter tolerata, probatur ex Conc.Trid. & communi ſenſu fidelium, ibid.n.136

Digitized by Google

An per ipſa mala extrinſeca propriè ſatisfaciamus, p. 881. n. 138
Fundamentum ſententiæ negativæ, ibid.
Sententia affirmans probatur ex Conc.Trid.ibid.n.139
Objectio contra ſententiam negantem ſolvitur, p.882. n. 140
Quomodo in ſententia negante illa ſatisfactio ſit maximum amoris argumentum, ibid.n.141
Explicatur S. Auguſt. & alii SS. PP. qui videntur favere ſententiæ affirmanti, ibid.n.142. & ſeq.
Reſpondetur ad exemplum Chriſti, & paſſionem ejus, p.883.n.144
Oſtenditur rationem Suarii pro ſententia affirmante non ſatis probare. ibid.n.145. & ſeq.
In quo conſiſtat valor ſatisfactionis, p.884.n.147
Condignitas ſatisfactionis conſiſtit in indiviſibili, p. 885. n. 151
An ſufficiat ad ſatisfactionem pura omiſſio impatientiæ, ibid.n.153
An creſcat ſatisfactio per paſſionem flagelli externi, p. 886. n. 156
Quid ſi Deus infligat pœnas homini amenti vel dormienti, ibid. n. 157
Quæ ſint opera pœnalia regulariter requiſita ad ſatisfactionem, p.869.n.88
In quo conſiſtat ſatisfactio pro pœna, p.870.n.92
Quatuor rationes propter quas ſatisfactio debeat fieri per opera pœnalia ex D. Bonavent. ibid.
Objectiones ſolvuntur ex eodem Doctore Seraphico, p.871.n.eod.& ſeq.
Oppoſita ſententia placet Vaſquezio, qui malè pro ſe citat Scotum, ibid.n.97
Ratio ſententiæ Vaſquez, quæ oſtenditur non valere, ibid. n. 98. & ſeq.
Sententia Suarez & Lugonis omne opus bonum eſſe aliquo modo pœnale, adeòque ſatisfactorium, p. 872. n. 103
Unus pro altero poteſt ſatisfacere ex opere operantis, p. 962. n.312

SATISFACTIO SACRAMENTALIS.

Satisfactio non eſt pars intrinſeca & eſſentialis, ſed tantùm integralis, p.428.n.62
Sententia Paludani ſatisfactionem eſſe partem eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ, ſicuti Confeſſio, p. 888. n. 2
Sed falsò nititur fundamento, p.889.n.3
Quid ſit ſatisfactio ſacramentalis ex Scoto, ibid.
Satisfactio non poteſt appellari Sacramentum partiale Pœnitentiæ, ibid.n.5.
Satisfactio ſacramentalis non cauſat gratiam ſanctificantem ex opere operato, p.890.n.6
Explicatur Doct. Angel. qui videtur contrarium docere, ibid. n.7
Ut ſatisfactio ſit pars hujus Sacramenti, ſufficit quòd cauſet remiſſionem pœnæ, ibid.n.8
Satisfactio in executione, eſt ſimilis Baptiſmo in executione, ibid.
Etſi ſatisfactio præcedens Abſolutionem conferret gratiam, non ideo ſubſequens, p.891.n.12
Satisfactio ſacramentalis non cauſat gratias actuales, p.892.n.14
Quâ ratione ſatisfactio ordinetur ad Medicinam, ibid. n. 15
Satisfactio cauſat ex opere operato remiſſionem pœnæ temporalis, ibid. n. 17
Quare potiùs ſatisfactio habeat aliquem effectum ex opere operato, quàm Confeſſio aut Contritio, ibid. n. 18
Objectio ſolvitur, p.893.n.19
Satisfactio ſi eſt proportionata tollit totam pœnam, ibid. n. 20
Major devotio, etiam tempore quo ſatisfactio impletur, auget effectum, p.894.n.22. & ſeq.
Certum videtur unum opus magis ſatisfacere ex opere operato, quàm aliud, ibid.n.24
Probatur ex Scoto, ſatisfactionem æquivalentem pœnæ reſtanti totam delere, eſto non attingat punctum ejus indiviſibile, ibid.n.26. & ſeq.
Probatur etiam exemplo Baptiſmi, & confirmatur à ſimili in judiciis humanis, p.896.n.30. & ſeq.
Item à ſimili deſumpto ex diſpenſatione voti, ibid.n.32 & exemplo commutationis voti, p.898. n. 41
Satisfactio ſacramentalis reſpicit qualitatem delicti, p. 897. n. 35
Regula diſcernendi peccatum & ſatisfactionem ex Hiquæo, ibid.n.36
Modus præſcribendi ſatisfactionem, ibid.
Satisfactio non eſt neceſſaria, quando aliunde conſtat de totalis pœnæ ſolutione, p.898.n.38
Confeſſarius poteſt habere idoneum fundamentum ad prudenter judicandum, hanc vel illam ſatisfactionem eſſe proportionatam, ibid.n.39
Diſtinctio inter ſatisfactionem & voti diſpenſationem ex Dicaſt. & ad eam reſponſio, ibid. & n.40
Diverſitas inter remiſſionem pœnæ per ſatisfactionem, & culpæ per Abſolutionem, p. 899. n. 45
Per ſatisfactionem impletam in malo ſtatu, obtinetur effectus ex Scoto, p.900 n.46
Probatio Scoti, ibid.n.48.& ſeq.
Ratio à priori voluntas Chriſti, p.901.n.50
Objectio ex Trident. ſolvitur, ibid. n. 51
Satisfactio ſacramentalis hominis peccatoris non eſt ſimpliciter ſatisfactio, ibid. n. 52
Duæ partes ſatisfactionis, purgatio ſordium, & abſolutio à pœnis, ibid.
Opus ſatisfactorium hominis peccatoris poteſt eſſe meritum de congruo, p.903.n.57
Satisfactio non reviviſcit, p.903.n.61
Verba aut alia ſigna, quibus ſatisfactio imponitur, potiùs ſunt materia Sacramenti, quàm forma, p.428. n.63
Satisfactio non præcepta requirit ſtatum gratiæ, p.905. n. 69
Contrarium nec Scotiis, nec Conc. Trident. docet, ibid. n. 70
Non valet hic argumentum à ſatisfactione ſacramentali, ad non ſacramentalem, p.906.n 71
Nec valet argumentum ab aliis Sacramentis, ibid. n. 72 & ſeq.
Per ſatisfactionem impletam in malo ſtatu ſatisfit obligationi, p.907.n.75
An opus peccaminoſum venialiter, vel mortaliter, poſſit eſſe ſatisfactio ſacramentalis, p.908.n.82
Sententia Arriagæ, ſatisfactionem peccaminoſam, non eſſe ſatisfactionem, rejicitur, p.909.n.84. & ſeq.
Satisfactio extrinſecè peccaminoſa actu movet Deum ad avertendam iram ſuam, ibid.n.86
An cuilibet peccato correſpondeat propria ſatisfactio ex Scoto, p.914.n.110
Non entitas poteſt alicui ſatisfacere. p.918.n. 129
Satisfactionem ſacramentalem conferre diſtinctum effectum ex opere operato, probatur à ſimili, p.922.n.146
Aliquando nulla ſatisfactio eſt imponenda, p. 926. n. 161
Obligatio imponendi ſatisfactionem ex genere ſuo eſt gravis, p.927.n.165
Ex parvitate materiæ poteſt ſolùm peccari venialiter, ibid. n.166
An omittens parvam ſatisfactionem peccet mortaliter, ibid. n. 167
Arbitrarium videtur imponere ſatisfactionem ante, vel poſt Abſolutionem, p. 930. n. 179
Convenientiùs eſt, ut imponatur ante Abſolutionem, ibid. n. 180
Tam quantitas, quàm modus ſatisfactionis eſt relictus arbitrio Confeſſarii, p.931.n.181
Ex rationabili cauſa debet Sacerdos imponere leviorem ſatisfactionem, ibid.n.182

Poteſt

Digitized by Google

Poteſt dari caſus in quo non expedit imponere ſatiſfactionem condignam, etſi pœnitens velit eam acceptare, p. 933. n. 188
Obligatio ſatiſfactionis ex genere ſuo eſt mortalis; ex levitate materiæ fit venialis, p. 939. n. 216
Quæ materia ſit levis, ibid.
Materia eſt gravis, quando pœnitentia eſt gravis pro gravi peccato, p. 940. n. 217
Quid ſi ſatiſfactio ſit levis pro gravi peccato, ibid. n. 218
Quæ conſideranda ad ferendum judicium de gravitate materiæ, ibid.
Sæpè materia ex ſe levis fit gravis ratione boni communis, quod reſpicit, ibid. n. 219
Quid ſi ſatiſfactio in ſe ſit gravis pro levibus peccatis, p. 941. n. 221. & ſeq.
In imponenda ſatiſfactione magis attendenda eſt gravitas criminis, quàm pœnæ, ibid. n. 225. & ſeq.
Nulla eſt juſta ratio præcipiendi gravem pœnam ſub gravi obligatione pro peccato veniali, p. 942. n. 227. & ſeq.
Pro peccatis venialibus poteſt imponi ſatiſfactio materialiter gravis, ibid. n. 229
Aliqui negant Confeſſario poteſtatem imponendi gravem ſatiſfactionem ſub levi obligatione, p. 943. n. 232
Reſpondetur eorum argumentis, ibid. n. 233
An ſatiſfactioni ſacramentali poſſit ſatiſfieri abſque intentione ſatiſfaciendi? Affirmat Sanchez, p. 944. n. 237
Contrarium docet Vaſquez, p. 945. n. 238
An idem ſentiat Scotus, ibid.
Sententia Vaſquez probatur ex ratione, ibid. n. 239
Diſparitas inter præceptum Eccleſiæ & Confeſſarii, ibid. n. 240
Probatur ſententia Sanchii à ſimili, ibid. n. 242
Sufficit ad ſatiſfactionem intentio habitualis, p. 946. n. 243
Contrarium docet Averſa, ibid. n. 244
Non peccat, qui intrà triduum implet ſatiſfactionem primâ opportunitate adimplendam, p. 948. n. 252
Non quælibet dilatio ultra triduum eſt mortalis, ibid. n. 253
Semper præcavendum periculum non adimplendi ſatiſfactionem, ibid.
Minor mora in una ſatiſfactione eſt mortalis, quàm in alia, p. 949. n. 256
Duobus modis præſcribitur tempus adimplendi ſatiſfactionem, ibid. n. 257
Quale ſit peccatum tantùm differre ſatiſfactionem certo tempori affixam, ibid. n. 258. & ſeq. in quibus variæ de hac re ſententiæ referuntur.
Diſparitas inter præceptum annuæ Confeſſionis & ſatiſfactionis in caſu propoſito, p. 950. n. 264
Difficile eſt determinare, an hæc vel illa cauſa ſit ſufficiens ad excuſandum à peccato anticipationem vel dilationem ſatiſfactionis, p. 952. n. 270
An Jubilæum vel ſolemnis dies, foret juſta cauſa anticipandi vel differendi ſatiſfactionem per octo dies, ibid.
Quid ſi præcipiatur jejunium in Vigiliâ Beatæ Virginis, & eo die omittatur, ibid. n. 271
Quando ſatiſfactio expiret cum aſſignato tempore, p. 953. n. 274
An ſufficiat adimplere ſatiſfactionem intrà unum annum, ſi Confeſſarius non obligaverit intrà tempus brevius, ibid. n. 275
Alia eſt interpretatio ſatiſfactionis, alia ejus mutatio, ſeu ablatio, p. 954. n. 279
Interpretatio duobus modis fit, ibid.
Satiſfactio ab initio imprudenter injuncta, aut poſtea facta moraliter impoſſibilis, non indiget commutatione, ibid. n. 280
Oppoſitum docet Hiquæus, qui malè pro ſe citat Scotum, ibid. n. 281. & ſeq.
Impoſſibilitas ex duplici capite oritur, p. 955. n. 283
Satiſfactio phyſicè aut moraliter impoſſibilis non obligat, ibid. n. 284
Non facilè imponenda publica ſatiſfactio, p. 956. n. 288
Quæ ſit publica ſatiſfactio, ibid.
Navarrus negat publicas pœnitentias ſeu ſatiſfactiones poſſe imponi pro publicis peccatis, ibid. n. 289. & ſeq.
Reſpondet ad Conc. Trident. & cap. 1. de Pœnit. & Remiſſ. ibid. n. 290
Rationes Navarri & limitatio ſententiæ illius, p. 957. n. 292
Parùm vel nihil diſſentit à communi ſententia, ibid. n. 293
Quomodo intelligenda communis ſententia, ibid.
Reſponſio ad rationes Navarri, p. 958. n. 294. & ſeq.
Aliquando poteſt imponi publica ſatiſfactio pro criminibus publicis, ibid. n. 296. & ſeq.
Oblitus ſatiſfactionis, etiam culpabiliter, non tenetur Confeſſionem iterare, ibid. n. 298. & ſeq.
Reſponſio ad argumentum pro parte oppoſita, p. 959. n. 300
Objectio ſolvitur, ibid. n. 301
Satiſfacit pœnitens, ſi det eleemoſynam per alium, niſi aliud declaraverit Confeſſarius, p. 960 n. 305
Tenetur per ſeipſum orare, jejunare &c. ibid.
Quid ſi non poſſit per ſeipſum facere, an teneatur facere per alium, ibid. n. 306. & ſeq.
An ſufficiat explere ſatiſfactionem per alium, quando id creditur gratiùs Deo, p. 961. n. 309
Non ſufficere probatur exemplo præceptorum Eccleſiæ & ex Scriptura; ibid. n. 310. & ſeq.
Deo gratiùs eſt per ſe facere opus impoſitum minus bonum, quàm per alium magis bonum non impoſitum, ibid. n. 312
Chriſtus non ſatiſfecit pro nobis ſacramentaliter, p. 962. n. 313
Probatur ex Trident. unum hominem non poſſe pro alio ſacramentaliter ſatiſfacere, ibid. n. 314
Pœnitens niſi ſatiſfaciat per ſe, non dicitur ſatiſfacere, ibid. n. 315
Aliquis poteſt ſatiſfacere ex opere operantis per flagella alteri inflicta, ſecùs ex opere operato, ibid. & n. ſeq.
Sæpè prudenter imponitur pro ſatiſfactione Sacrificium Miſſæ aut lucratio Indulgentiæ, p. 964. n. 323
An ſubſtitutus exiſtens in ſtatu peccati poſſet alteri obtinere remiſſionem pœnæ ex opere operato, p. 965. n. 324
Probabilior Aliquibus videtur ſententia, quæ docet per alium poſſe ſatiſfieri ex opere operato, ibid. n. 325
Diſparitas inter famulum, qui dat pro domino eleemoſynam, & qui pro eo jejunat, ibid. n. 326
An pœnitens propriâ auctoritate poſſit commutare ſatiſfactionem ſacramentalem in meliorem. Affirmat Portel; p. 966. n. 329
Oppoſita ſententia probatur argumento præceptorum Eccleſiæ, ibid n. 330
Reſpondetur ad rationem in contrarium, p. 967 n. 331
Fieri poteſt, ut propter opus melius hic & nunc pœnitens excuſetur ab impletione ſatiſfactionis, ibid. n. 332.
An poſſit præſumi voluntas Confeſſarii reſpectu commutationis ſatiſfactionis, quando non impoſuit condignam, p. 968 n. 335
An quando pœnitens oblitus ſatiſfactionis, aſſumit aliquam ſecundùm proprium arbitrium, hæc ſit ſacramentalis; p. 969. n. 340
Satiſfactio mutari poteſt ob cauſam ab eodem Confeſſario in Sacramento, ibid. n. 341
An etiam ſine cauſa, p. 970. n. 342

Digitized by Google

An etiam extra Sacramentum, ibid. n.343
Probatur id fieri poſſe, etiam poſt longum tempus, ibid. n. 344
Dicaſtillo exiſtimat id fieri non poſſe ſine nova Confeſſione, ibid.n.345
An requiratur memoria peccatorum ad faciendam mutationem ſatisfactionis, p.971.n.347
Ratio ob quam Arriaga putat eam eſſe neceſſariam, ibid.
Alia ratio Joan. Sanchez, ibid. n. 348
Rejicitur ratio Sanchez, ibid.
Quid ſi ſatisfactio ſit mutanda ab alio Confeſſario? Neceſſaria probatur notitia peccatorum, p. 972. n. 350
Sufficere confuſam notitiam non videtur improbabile, ibid. n. 351
Immo probabiliſſimum appellat Diana, ibid.n.352
Aliqui videntur requirere gravem cauſam, p.673.n.353
Fieri poteſt commutatio, ſi peccata repetantur, etiam ab æquali Confeſſario, fortè & ab inferiore, ibid. n. 354. & ſeq.
Reſpondetur ad rationem in contrarium, p. 974. n. 358
Eadem ſatisfactio poteſt eſſe pars integralis plurium Sacramentorum, p.973.n.357
Secundus Confeſſarius immutans ſatisfactionem non exercet imperium in priorem Confeſſarium, ſed in pœnitentem, p.974.n.358
Secundus Confeſſarius commutans ſatisfactionem, non propriè retractat ſententiam prioris, ibid. n.359
Factâ commutatione ſatisfactionis, manet liberum pœnitenti antiquam implere, ibid. n. 360. & ſeq.
An requiratur expreſſa voluntas commutandi. ibid. n. 362
Quid ſi peccata fuiſſent reſervata, & ſecundus Confeſſarius non haberet poteſtatem reſervatorum, p.975.n.363
Suarez probat tali caſu ſecundum Confeſſarium non poſſe commutare jure ordinario, ibid.
Contrariam ſententiam amplectitur Vaſquez & Alii, ibid.n.364. & ſeq.
Diſparitas inter commutationem voti & ſatisfactionis ex Suario rejicitur, p.976.n. 370. & ſeq.
Inferior non poteſt mutare ſatisfactionem Superioris in foro externo, p.978. n. 376
De hoc foro explicantur aliqua jura, ibid. & n. ſeq.
Simplex Sacerdos poteſt mutare ſatisfactionem impoſitam pro peccatis mortalibus, ibid. n.379
An etiam poſſit commutari ſatisfactio merè præſervativa, ibid. n. 380
An poſſit validè auferri ſine cauſa, p.979.n.381.& ſeq.
Totum poteſt facere Confeſſarius in ſecunda Confeſſione, quod poterat in prima, ibid. n. 383
Pœnitens peccat, ſi abſque cauſa procuret ablationem ſatisfactionis, ibid.
Poteſt ſubinde licitè auferri, aut mutari ſatisfactio medicinalis ab eodem, vel diverſo Confeſſario, ibid. n. 384. & ſeq.
An per Indulgentias remittatur ſatisfactio medicinalis? Negat Suarez, p.980.n.386
Oppoſitum docet Lugo, & variè probat, ibid. n. 387
Confeſſarius poteſt imponere unam ſatisfactionem medicinalem, & alteram vindicativam, p. 981. n. 390
An poſſit obligare ad medicinalem, ibid.n.391
Jejunium impoſitum per modum medicinæ debetur ut ſatisfactio ſacramentalis, ibid. n. 393
An ſuppoſitâ remiſſione pœnarum Purgatorii, poſſit imponi ſatisfactio vindicativa? Affirmat Averſa citans D.Thomam, Alenſem & Alios, ibid.
An poſſit impleri ſatisfactio ante Abſolutionem, p.947. n. 248. & ſeq.
Satisfactio ante Abſolutionem poteſt delere pœnas ex opere operantis, ſecùs ex opere operato, ibid.n.249
Quid ſi ſatisfactio ſit diviſibilis, & pro una ſola parte impoſſibilis, p. 956.n.287
Confeſſarius poteſt permittere ut pœnitens ſubſtituat alium, qui pro ſe jejunet, p 963.n.319
Sola illa ſubſtitutio procedit à poteſtate propriè ligandi, adeòque ſola eſt ſatisfactio ſacramentalis, p. 964. n. 321
An pœnitens ſit liber ſi non ſequatur actus ſubſtituti, ibid. n. 322
An cui pro ſatisfactione impoſita eſt eleemoſyna, ſatisfaciat dando eam extremè indigenti, p. 911. n. 94
An Confeſſio ſacramentalis poſſit imponi pro ſatisfactione, p.915.n.111
An poſſit imponi Confeſſio ſub conditione relapsûs in idem peccatum, ibid. n. 112
An Confeſſio ejuſdem venialis aut novi mortalis abſolutè poſſit imponi, ibid.n.114
An etiam ejuſdem peccati mortalis, ibid.
Affirmat Joannes Sanchez, ibid. n.115. & ſeq.
Fundamentum ejus rejicitur, p.916.n.117
An pœnitens, qui nollet acceptare levem ſatisfactionem, deberet abſolvi, p.929.n.172
Diſparitas inter ſumptionem Euchariſtiæ poſt cibum & recuſationem parvæ ſatisfactionis, ibid.n.173
Item inter peccatum ſimoniæ & illam recuſationem, ibid. n. 174
Eadem hîc eſt ratio fori externi & ſacramentalis, ibid. n. 175
Nolens recipere ullam ſatisfactionem non abſolvendus ex Scoto, p.931.n.183
An Scotus docuerit pœnitentem per ſe & regulariter non tenere acceptare ſatisfactionem, p.932. n. 184
Ferè ubique loquitur Scotus de ſatisfactione condigna, ibid. n.185.& ſeq.
Pœnitens poteſt rejicere ſatisfactionem irrationabilem, p.936.n.200
An ſufficiat voluntas ſatisfaciendi in hac vita ex opere operantis, ibid. n.201. & ſeq.
Pœnitens ante Abſolutionem poteſt detrectare ſatisfactionem, ibid. n.204
Argumenta Arriagæ in oppoſitum diſſolvuntur, p.937. n. 205
Conſulitur Confeſſariis ut in imponenda ſatisfactione ſe accommodent fragilitati pœnitentium, p.938.n.211
Pœnitens tenetur ſatisfactionem acceptatam adimplere, p 939.n.214
An eadem ſatisfactio poſſit imponi pro peccato certo & dubio, p. 660. n. 136
Explenti magnam pœnitentiam in peccato, reſurgenti non eſt imponenda nova pœnitentia ex Scoto, p. 901. n. 53
An pro pœnitentia poſſit imponi ſumptio Euchariſtiæ, p. 916 n. 119. & ſeq.
An abſtinentia à Communione poſſit imponi pro pœnitentia, p. 917. n. 124, & ſeq.
Quâ ratione jejunium imponatur ſub pœnitentia ex Sancio. p. 920. n. 137
Probatur ex praxi licitum eſſe imponere pro Pœnitentia ſacramentali orationem pro defunctis, p. 921. n. 140
Hanc praxim improbat Joannes Sanchez, ibid. n. 141
Satisfit argumentis Sanchii, ibid. n. 142
Oratio pro defunctis impoſita pro pœnitentia habet eundem effectum ſacramentalem, ac ſi legeretur pro pœnitente, ibid. n. 143
Eccleſia imponit minores ſatisfactiones meliùs diſpoſitis, p. 413. n. 206
Requiritur nova impoſitio, ut eadem ſatisfactio poſſit deſervire pluribus Sacramentis, p. 506. n.146
Spiritualis infirmitas pœnitentium excuſat à peccato impoſitionem levis ſatisfactionis pro graviſſimis peccatis, p. 935. n. 198

SATIS-

Digitized by Google

INDEX RERUM.

SATISPASSIO.

Satisfit juſtitiæ divinæ & humanæ per ſatispaſſionem involuntariam, p. 334. n. 38. & ſeq.
Quis ſit finis ſatispaſſionis, ibid.
Deum requiſiviſſe pœnam voluntariam ad ſatispaſſionem pro peccato veniali non ſatis probatur ex pœnis Purgatorii aut doloribus à Deo immiſſis in hac vita, ibid. n. 40
Mala à Deo inflicta & impatienter tolerata fortè ſunt ſufficiens ſatispaſſio in hac vita, p. 335. n. 42
Ad ſatispaſſionem in hac vita non requiritur ſtatus gratiæ, p. 886. n. 158
Si ebrius ſuſpenderetur, an ſatispateretur, ibid. n. 159
Sententia Medinæ, quæ concedit flagellis à Deo inflictis ſatispaſſionem, negat ſatisfactionem, p. 888. n. 164
Sufficit ſatispaſſio ad ſolutionem pœnæ, p. 902. n. 53
An valeat in hac materia argumentum ab homine ad Deum, ibid. n. 54

SCANDALUM.

Scandalum aliud directum, aliud indirectum, p. 730. n. 47
Scandalum indirectum non contrahit malitiam peccati, quod ſcandalizatus committit, p. 731. n. 52
Quare potiùs in aliquo caſu liceat ſcandalum indirectum, quàm directum, p. 732. n. 57
In quo præciſè conſiſtat malitia ſcandali indirecti, p. 733. n. eod.
Quomodo intelligendum commune dictum: Implicitum & explicitum ad eandem ſpeciem pertinet, ibid. n. 60. & ſeq.
Scandalum directum & indirectum pertinent ad aliquam eandem ſpeciem, ibid.
Ratio ſcandali per accidens conjungitur peccatis Superiorum, d. 744. n. 100

SCIENTIA.

Scientiæ totales quomodo ſint à Philoſophis in certa genera diviſæ, p. 113. n. 285

SCOTUS.

Manet Scotus dubius, an juſtitia in Dèo diſtinguatur formaliter à voluntate, p. 56. n. 270
Elogium doctrinæ Scoti, p. 60. n. 2
Cur Aliqui cenſurent Scotum tamquam Pelagianum aut Semipelagianum, ibid. n. 3
Explicatur mens Scoti, ibid. n. 4
Scotus per illa verba: *Ex naturalibus cum communi influentia*, tantùm excludit gratiam habitualem, ibid. n. 5
Oſtenditur Scotum docuiſſe neceſſitatem gratiæ actualis, ibid. n. 6
Scotus per ly *Ex naturalibus cùm communi influentia*, non excludit habitum aut actum Fidei ab intellectu, p. 61. n. 11
Scotus ſub communi influentia comprehendit omnia media operandi ſupernaturaliter, p. 62. n. 12
Quomodo Scotus explicet illa verba: *Vult omnes homines ſalvos fieri*, ibid. n. 15
Nuſpiam Scotus docuit, hominem pœnitere poſſe ut oportet ad juſtificationem ſine gratia actuali, p. 64. n. 26
Aſſignantur loca, in quibus Scotus videtur admittere actum pœnitentiæ moraliter bonum abſque ſpeciali auxilio Dei, ibid. n. 27
Scotus admittit actus moraliter bonos abſque relatione in finem ultimum, p. 65. n. 30
An Scotus uſpiam doceat, actus non diſtingui ſpecie penes diſtinctionem ſolius objecti materialis, p. 112. n. 282

SCRUPULUS.

Quid ſit ſcrupulus, p. 655. n. 114
Unde ſciri poſſit aliquem eſſe ſcrupuloſum, ibid. n. 115

SEMEI.

Quomodo Deus dixerit Semei, ut malediceret David, p. 249. n. 190

SEMIPELAGIANI.

Quæ fuerit doctrina Semipelagianorum, p. 312. n. 507
Hæc ſola non fuit damnata in Can. 3. ſeſſ. 6. Conc. Trident. ibid.

SENTENTIA.

Sola ſententia in judicio humano ſignificat Abſolutionem, p. 430. n. 73
Sententia Sacerdotis ſignificat remiſſionem peccatorum, ibid.

SERVIRE. SERVITIUM. SERVUS.

Quomodo homo dicatur ſervire Deo, p. 25. n. 116
Servitium aliquando accipitur pro omni obſequio, etiam indebito ex juſtitia, p. 24. n. eod.
Quo titulo obſequium Dei ſit ſervitium, p. 25. n. 117
Quo ſenſu dicantur ſervi, qui ſervant præcepta Dei, ibid.

SIMILITUDO.

In quo conſiſtat ſimilitudo inter vitem & Christum palmitem, & nos, p. 156. n. 512

SOLUTIO.

Quare non poſſit repeti ſolutio vinculi corporei, niſi ipſum vinculum repetatur, p. 456. n. 108

SPECIES.

Quid ſit ſpecies, p. 112. n. 277

SPES.

An Spes ab Auguſt. aliquando vocetur Charitas Dei, p. 167. n. 48
Verus actus Spei eſt difficilis peccatori in extremis, p. 177. n. 101

SPIRITUS SANCTUS.

Fruſtrà invocat auxilium ſancti Spiritûs, qui directè in eum committit, p. 212. n. 13
Spiritus ſanctus ſæpè dimittit peccata per hominem, p. 450. n. 76

STATUS GRATIÆ.

An Status gratiæ poſſit intrare rationem Pœnitentiæ ſacramentalis, p. 917. n. 123
Quomodo ſtatus gratiæ fiat ſenſibilis, ibid.
Propter immaterialitatem non eſt rejiciendus ſtatus gratiæ ab operibus ſatisfactoriis, ibid.

STATUS INNOCENTIÆ.

Gratia habitualis fuit neceſſaria pro ſtatu innocentiæ, p. 258 n. 233
An in ſtatu innocentiæ fuerit neceſſarium adjutorium gratiæ actualis, & quale, p. 261. n. 251. & ſeq.

STUDIOSITAS. STUDIUM.

Quomodo fieri poſſit, ut Superior prohibeat ſtudium ex motivo ſtudioſitatis, p. 809. n. 386
Studioſitas ex genere ſuo non obligat ad mortale, p. 808. n. 384
Quando ſtudium eſt finis omiſſionis Sacri, participat ejus malitiam, ibid. n. 383
Studium tali caſu non opponitur virtuti ſtudioſitatis, ibid. n. 384
Quomodo ſtudium poſſit eſſe idem peccatum cum omiſſione Sacri, p. 810. n. 391
An omittens Sacrum propter ſtudium, conſtituat finem ultimum in ſtudio, p. 811. n. 396

Digitized by Google

Studium præciſè quatenus eſt effectus omiſſionis Sacri non videtur eſſe malum, ibid. n. 398
Vaſquez docet oppoſitum, ibid. n. 399

STUPRUM.

Ex quo oriatur ſpecialis malitia ſtupri, p.751.n.127
Virgo ex metu mortis conſentiens in copulam, non cooperatur ſtupro quà tali, ibid. n. 128

SUADERE.

Non licet ſuadere abſolutè peccatum minus Petri, ad impediendum peccatum majus Pauli, p.144.n.453
Licet ſuadere comparativè, p. 145. n. eod.
Qui ſuadet alteri fornicationem, peccat contra caſtitatem, p. 731. n. 51

SUPERBIA.

Initium omnis peccati ſuperbia, p.260.n.246

SUPERIOR.

Poteſtas divina in omni Superiore quodammodo reperitur, p. 771. n. 226.
Superior Religionis habet juriſdictionem diſtinctam à voto, p. 780. n. 259
Superior Religionis habet in ſuos ſubditos poteſtatem quaſi Epiſcopalem, p.781. n.eod.
Non ſemper expedit bono communi, quòd Superior Religionis utatur duplici poteſtate, p. 782. n. 263

T

TACTUS.

Tactus inhoneſti non ſunt exprimendi, quando copula ſubſecuta fuit, eſtò forent peccata numero diſtincta, p. 829. n. 41. & ſeq.
An tactus conſequentes copulam debeant exprimi in Confeſſione, ibid. n. 44. & ſeq.
An liceant aſpectus & tactus partium inhoneſtarum causâ curationis, quando eſt periculum proximum conſenſûs, p. 532. n. 271

TEMPERANTIA.

Concedi poteſt in Angelis temperantia, p. 18. n. 77
Temperantia etiam alteri appetit bonum commodum ex affectu ejuſdem honeſtatis, ibid. n. 80
Temperantia dolet de ebrietate tantùm materialiter mala, p. 47. n. 227
In Angelis poſſet eſſe habitus temperantiæ, p. 49. n. 236
Idem poteſt eſſe ſimul temperans in cibo, & intemperans in potu, ibid. n. 240
Qui alteri vult temperantiam ex amore temperantiæ, eam etiam ſibiipſi procurat, ibid.
Eccleſia poteſt imperare temperantiam, nec diceretur abſtinens qui non ſervaret præceptum, p. 674. n. 189
Qui frangit votum jejunii, emiſſum ex motivo temperantiæ, tantùm peccat unico peccato contra Religionem, p.774. n.230
Fieri poteſt, ut ſive comedas, ſive abſtineas à comeſtione, temperanter agas, p.809.n.388
Hoc caſu poteſt Superior prohibere actum temperantiæ, ibid.

TENEBRA.

Eadem tenebra non poteſt naturaliter redire, p. 373. n. 106

TIMOR. TIMERE.

Non eſt malum ex timore pœnæ fugere peccatum, p. 164. n. 33
Quis ſit ſervilis timor, & quis caſtus ex D. Auguſt. p. 171. n. 70
Timor amittendi beatitudinem eſt timor caſtus, p. 172. n. 74
Quid Auguſt. aliquando intelligat per timorem ſervilem & filialem, ibid. n. 76
Quomodo timor caſtus permaneat in ſæculum ſæculi ex Auguſt. ibid n.77
De quo timore intelligatur Joannes dicens: *Timor non eſt in Charitate*, ibid. n. 78. & ſeq.
Quid timuerit Petrus quando negavit Chriſtum, p. 173. n. 81
An timor mortis corporalis ſit malus, ibid.
An ſit malus timor quo aliquis abſtinet ab externo opere peccati, interiùs ſibi complacens, ibid. n. 82. & ſeq.
Quomodo aliter faciat quàm debet, qui implet timore præceptum, ibid. n. 84
Qui timet privationem beatitudinis anxiatur pro gloria, p. 177. n. 99
Hanc anxietatem ſolùm videtur Scotus requiſiviſſe, ibid. n. 100
Quæ ſit voluntas peccandi, quæ ſecundùm Bonaventuram neceſſariò manet in timore ſervili, p. 182. n. 131
Tres conditiones timoris ſervilis ex D. Bonaventura, p. 183. n. 132

TYRII.

Tyrii & Sidonii in maſſa perditionis relicti, uti etiam Judæi, p. 227. n. 87
Cor Tyriorum & Sidoniorum non erat excæcatum & induratum ſicut cor Judæorum, ibid.n.88

TRANSUBSTANTIATIO.

In tranſubſtantiatione eſt duplex mutatio, p. 290. n. 395

TRISTITIA.

Quid ſit triſtitia, p. 29. n. 140
Triſtitia poteſt eſſe voluntaria, p. 30. n. 141
Quæ ſint cauſæ triſtitiæ, ibid.
Quandoque ex Charitate ſtatim ineſt quædam deteſtatio peccati, & ſequitur maxima triſtitia, quandoque non ſequitur triſtitia, p. 72. n. 63
Plus delet peccatum actus cauſativus triſtitiæ, quàm ipſa triſtitia, ibid. n. 64

V

VANA GLORIA.

Vana gloria poteſt eſſe motivum ſufficiens ad imperandum actum ſupernaturalem, p.616.n.107

VELLE.

Licet inefficaciter & conditionatè velle propriam damnationem pro ſalute aliorum, p. 145. n. 454
An liceat inefficaciter & conditionatè velle proprium peccatum pro ſalute aliorum, ibid.n.455
Secundùm D. Auguſt. duo quædam ſunt, velle & poſſe, p. 225. n. 76
Stat benè nec volentem, nec volitum mutari, licèt volitum ſit poſt nolitum, p.302.n.460

VENENUM.

Non eſt peccatum mortale bibere venenum, quando adeſt adjutorium moraliter efficax contra illud venenum, p. 192. n. 36
An qui dedit venenum debeat confiteri mortem ſubſecutam, ſi priùs revocaverit ſuam voluntatem, p. 846. n. 119
An homo actualiter peccet toto tempore, quo venenum operatur ad mortem, p. 847. n. 123
Quando is, qui venenum dedit incipiat denominari homicida, ibid. n. 126

VENIA.

Secundùm gratiam venia datur pœnitentibus, non ſecundùm merita, p. 70. n. 56

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Sinè expreſſa converſione ad Deum non habetur ſpes veniæ, p. 160. n. 13
Quid ſit ſpes veniæ, p. 161. n. 16

VENTUS.

Ingreſſus venti non pendet ab apertione feneſtræ tamquam diſpoſitione, p. 151. n. 485
Non ingreditur ventus, quia aperitur feneſtra, ſed è converſo, ibid.
Quare requiratur major virtus ut ventus ingrediatur clauſâ feneſtrâ, ibid. n. 486

VERBUM.

Verbis propriè dictis non utimur, niſi ad præſentem, p. 460. n. 121
Verbum *Et* ſumitur pro *Vel*, quoties ex ſubjecta materia hoc colligitur, p. 605. n. 57
Eadem verba Scripturæ diverſas patiuntur interpretationes, p. 217. n. 40

VERUM.

Quando aliquid ſit ſpeculativè verum & non practicè, p. 704. n. 116

VIDERE. VISIO.

Manente actu viſionis eodem, poſſunt videri & non videri creaturæ in verbo, p. 113. n. 282
Poteſt videri eſſentia divina, non viſâ perſonâ, & una perſona, non viſâ aliâ, ibid.
Viſiones beatæ diſtinguuntur penes objecta ſecundaria, p. 112. n. 277
Viſio eſſentiæ cum perſonis, nequidem numero videtur diſtingui ſecundùm Scotum, à viſione eſſentiæ ſinè perſonis, p. 113. n. 283. & ſeq.

VIDUA.

Non licèt viduæ de præterita copula, nec ſponſo de futuro venereè delectari, p. 795. n. 324

VINDICARE. VINDICTA.

Velle vindicare & deteſtari peccatum non eſt unus actus in re, p. 6. n. 18
Vindicare non eſt principaliter propter correctionem puniti, p. 19. n. 88
An vindicatio ſit ſpecialis virtus, p. 21. n. 95
Vindicatio poteſt eſſe actus variarum virtutum, ſed imperatus tantùm, ibid. n. 96
Objectio ſolvitur, ibid. n. 97
Amor vindictæ nullum includit amorem peccati, p. 35. n. 165
Aliud eſt velle ſe vindicare, & aliud actu ſe vindicare, p. 37. n. 177
Quid ſit malum vindicabile, p. 42. n. 203
An peccatum veniale ſit malum vindicabile, ibid.
An omiſſio actûs perfectioris ſeu conſilii, ſit malum vindicabile, ibid. n. 204
An peccatum habituale ſit malum vindicabile, ibid. n. 205
Principalis vindicta peccati, eſt retractatio peccati, p. 48. n. 234
Aliquis poteſt habere maximum actum vindicandi peccatum, cum nullo, vel modico effectu triſtitiæ, p. 72. n. 64
Major vindicta debetur majori peccato, quàm minori, p. 108. n. 259
Vindicta propriè reſpicit ſubjectum, quod peccavit, p. 963. n. 319

VIRGINITAS. VIRGO.

An debeat explicari in Confeſſione circumſtantia virginitatis in omni peccato carnis, p. 747. n. 109
Fornicatio virginis non opponitur juſtitiæ, ibid. n. 110
Natura ita providit feminis ut ſæpè viri non poſſint cognoſcere fractionem clauſtri virginalis, p. 749. n. 120
Fractio clauſtri virginalis poteſt occultari medicamentis, ibid.
Fractio clauſtri virginalis non ſufficit ad peccatum mortale contra obligationem conſervandi vitam & membra, ibid. n. 121
Caſus, in quo nulla ſequitur injuria ex fornicatione virginis, neque gravis malitia contra obedientiam patri debitam, p. 748. n. 115. & ſeq.
An virgo fornicans peccet contra charitatem & pietatem ergà parentes, ibid. n. 117
Aliqui putant in omni peccato carnis explicandam eſſe circumſtantiam virginitatis; Alii in ſolo peccato externo, p. 749. n. 118
Jactura virginitatis & aureolæ correſpondentis non ſuperaddit malitiam ſpecificam mortalem, ibid. n. 119
Qui violenter opprimit virginem tenetur virginitatem exprimere in Confeſſione, p. 749. n. 122
Quid per violentiam intelligatur, p. 750. n. 122
An virgo conſentiens ex gravi metu teneatur virginitatem in Confeſſione explicare, ibid. n. 123

VIRTUS.

Virtus proſecutiva debet habere objectum bonum; ſecùs averſativa, p. 4. n. 12
Virtus debet habere objectum bonum formale, ſecùs materiale, ibid.
Quælibet virtus deteſtatur peccatum contra ſe commiſſum, p. 5. n. 14. & p. 39. n. 187
Eadem virtus inclinat ad finem & ad media, p. 12. n. 48
Diſtinctio virtutum deſumitur etiam ab objecto materiali, p. 18. n. 78
Cujus virtutis ſit deteſtari peccatum ùt eſt offenſa Dei, p. 39. n. 189. & ſeq.
Duplex objectum alicujus virtutis, materiale & formale, p. 32. n. 152
In voluntate increata propriè reperitur ratio virtutis, p. 54. n. 260
Hæc virtus non eſt aliquod accidens, ibid.
An ſit formaliter diſtincta à voluntate, ibid. n. 261
Formalis diſtinctio virtutis à voluntate, non repugnat perfectioni divinæ, ibid. n. 263
Perfectio virtutis non poteſt reperiri ubi ipſa virtus non reperitur, pag. 43. n. 211
Aliud eſt, ad quod virtus obligat, aliud, ad quod movet perfectio virtutis, ibid. n. 210
Poteſt fieri ut præceptum virtutis obliget ad actum, & non ad perfectionem actûs, p. 44. n. 213
An ejuſdem virtutis ſit ſibi velle caſtitatem, & aliis, p. 49. n. 236
An in Deo poſſint eſſe virtutes morales, ibid. n. 237. & ſeq.
Quæ requirantur ad actum veræ virtutis, ibid. n. 240
Duplex eſt honeſtas virtutis, una ipſiuſmet virtutis, altera referibilitas ejus ad Deum; p. 50. n. 244
Opus quò à pluribus virtutibus procedit, eò perfectius eſt, ibid. n. 245
Opus virtutis moralis ex Charitate dupliciter fieri poteſt, elicitivè, & imperativè, p. 51. n. 246
Eadem virtus elicit actus magis & minùs intenſos, p. 53. n. 256
Virtus propriè dicta eſt habitus electivus, p. 56. n. 274
Virtus eſt perfectio potentiæ, p. 57. n. 275
Quæcumque Virtus propriè dicta ſubjectatur in voluntate, ibid. n. 276. & ſeq.
Nulla virtus inclinat ad finem ultimum, niſi mediante Charitate, p. 60. n. 6
Virtutes ſinè Charitate informes & per eam formatæ, p. 61. ibid.
Virtutes infidelium potiùs divino muneri, quàm eorum voluntati tribuendæ, p. 65. n. 32
Vera virtus niſi in juſto eſſe non poteſt ſecundùm D. Auguſt. ibid. & n. ſeq.
D. Auguſt. videtur tantùm admittere veras virtutes in iis, qui ſunt verè juſti, p. 66. n. 34

Ex

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Ex nudo conſortio plurium actuum diverſarum virtutum, nulla in ipſis cauſatur perfectio, p. 81. n. 112
Quis ſit finis intrinſecus virtutis, p. 86. n. 140
Nulla virtus infuſa corrumpitur in nobis per aliquem actum noſtrum, quaſi per naturam repugnantiæ, p. 270. n. 297
Eadem virtus poteſt inclinare in actus ſpecie diſtinctos, p. 722. n. 14
Actus, qui ſecundariò prohibetur per aliquam virtutem, eſt aliquo modo contra illam, p. 741. n. 83
Virtutes, quæ ſunt ad alterum, reſpiciunt bonum commodum alienum, p. 771. n. 217
An ejuſdem ſit virtutis vel vitii, velle aliquid, & facere illud, p. 784. n. 274
An idem actus virtutis poſſit habere plures ſpecie bonitates ex proximo objecto, p. 834. n. 65. & ſeq.

VIRTUS MORALIS.

Ratio, quâ Aliqui probant infuſionem virtutum moralium, rejicitur, p. 12. n. 50. & ſeq.
Unde dicatur aliqua virtus moralis, p. 14. n. 59
An parvuli habeant virtutes morales in patria, ibid. n. 60
An virtus moralis per ſe infuſa ſit poſſibilis, ibid. n. 61
Virtus moralis per ſe infuſa probatur ex Scriptura & Conc. Viennenſi, p. 15. n. 62
Reſponſio ad Conc. ibid. n. 63. & ſeq.
Conc. Trident. tantùm docet in juſtificatione infundi Fidem, Spem & Charitatem, p. 16. n. 69
Actus virtutum moralium ut conducant ad vitam æternam, requirunt ſpecialem gratiam Dei, ibid. n. 70
Habitus virtutum moralium meritò dici poſſunt dona Dei, ibid. n. 71
Perperàm Quidam cenſurarunt ſententiam Scoti, negantis virtutes morales infuſas, ibid. n. 73
In Deo eſt ſufficiens indifferentia ad virtutem moralem, p. 50. n. 242
Omnis virtus moralis poteſt eſſe in Deo quoad actus aliquos minus principales, p. 51. n. 248
Virtutes morales ſunt perfectæ in ſuo genere, ſecùs Fides, p. 59. n. 285

VIRTUS SUPERNATURALIS.

Virtus ſupernaturalis non poteſt probari ex aliquo actu, p. 11. n. 43
An virtus ſupernaturalis debeat habere effectum ſupernaturalem, p. 12. n. 49
Quomodo Fide, Spe & Charitate colatur Deus, p. 19. n. 84

VIRTUS THEOLOGICA.

Virtus Theologica pro objecto immediato habet Deum, p. 8. n. 30
Sola virtus Theologica eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, p. 10. n. 41

VITA.

Quamdiu non diſplicet prior mala vita, non eſt ex toto nova vita, p. 73. n. 71
Aliter conſervatur vita, aliter fama vel pecunia, p. 723. n. 15

VITARE.

Eſt moraliter impoſſibile vitare omnia peccata venialia, p. 518. n. 201
An hoc ſit intelligendum etiam de venialibus perfectè deliberatis, vel de aliquo determinato peccato, ibid. n. 202
An aliquis pro parvo tempore poſſit eſſe ſinè veniali peccato, ibid. n. 203
Impotentia vitandi omnia peccata non eſt phyſica, ſed moralis, p. 520. n. 21. & ſeq.
Quid ſit illa impotentia moralis, p. 521. n. 216
Trident. negans hominem poſſe evitare omnia venialia, loquitur de impotentia phyſica, ibid. n. 217
Poſſum efficaciter velle evitare omnia peccata venialia, eſto ſciam me non vitaturum, multò magis omnia, quæ confeſſus ſum, p. 526. n. 245
Quomodo propoſitum vitandi peccata venialia ſit efficax, non obſtante frequenti relapſu, p. 527. n. 246

UNIO HYPOSTATICA.

Unio hypoſtatica eſt omnimodò neceſſaria ad omne meritum Chriſti, p. 150. n. 480

VOCATIO.

Explicatur ex D. Auguſt. Scriptura Matth. 20. *Multi ſunt vocati* &c. p. 231. n. 107. & ſeq.
Nulla Dei vocatio eſt deluſoria, p. 232. n. 110
Nos ignoramus cur unum potiùs Deus congruè vocet, quàm alium, ibid. n. 111
Non defuit Pharaoni vocatio, p. 250. n. 194

VOLITIO.

Volitio duplex, efficax & inefficax, p. 111. n. 274
Efficax non eſt alicujus apprehenſi ſub ratione impoſſibilis, ſecùs inefficax, ibid.
Velle efficax aliud eſt intenſum, aliud remiſſum, ibid.
Scotus non diſtinguit volitionem efficacem ab inefficaci per majorem intenſionem gradualem, ſed per ordinem ad media, ibid. n. 275
Scotus ſubinde per velle remiſſum intelligit voluntatem inefficacem, ibid.
Eſſe volitum non eſt mutatio rationis; ubi volitio non eſt terminus mutationis, p. 290. n. 397
Quando objectum ſit per ipſum actum, pro eodem reputatur in genere moris volitio & actus, p. 816. n. 394

VOLUNTARIUM.

Quid ſit voluntarium & involuntarium, p. 29. n. 139
Triplex acceptio ſimpliciter voluntarii, p. 177. n. 102
Quomodo illud quòd ſit ex metu ſit voluntarium ſimpliciter, ibid.
Projectio mercium in periculo naufragii, eſt ſimpliciter voluntaria aliquo ſenſu, ibid. n. 103
Non requiritur ſimplex volitio projectionis, ibid. n. 104

VOLUNTAS.

Regulariter voluntas in odio mali movetur à bono, p. 7. n. 24
Poteſt ſubinde elicere odium mali, abſque prævio amore boni, ibid.
Sola voluntas ſibi & intellectui imperat, p. 8. n. 29
Voluntas imperat actum unius virtutis ex motivo alterius, p. 38. n. 185
Voluntas non amat eodem modo bonitatem ac ipſum bonum, p. 34. n. 160
Quomodo voluntas in puris naturalibus poſſit movere ad actum ſupernaturalem Fidei, p. 63. n. 22
Per ly *In puris naturalibus*, Scotus ſolùm excludit habitum infuſum voluntatis, ibid.
Scotus longè diſtat à ſententia Semipelagianorum, ibid. n. 23
Voluntas creata eſt formale principium determinativum actionis peccaminoſæ, p. 373. n. 109
Sola & omnis voluntas creata ex natura ſua eſt defectibilis, p. 69. n. 49
Deus facit omnia quæ juſtâ, vel injuſtâ voluntate fiunt, ibid. n. 5
Sola voluntas non ſufficit ad peccata præterita expianda & futura vitanda, p. 70. n. 55
Quid Conc. Trident. intelligat ſeſſ. 14. c. 4. per excluſionem voluntatis peccandi, p. 76. n. 84
Una voluntas efficax poteſt eſſe intenſior alterâ, p. 111. n. 272

Differentia

Digitized by Google

Differentia inter voluntatem bonam rem & intenſam exD. Auguſt. p. n. 293
Voluntas merè habitualis nihil operatur, 63. n. 28
Ab eadem voluntate poteſt ſimul abſceſſatio & complacentia peccati præteriti, p. n. 121
Voluntas credendi eſt à Deo, & quomod p. 220. n. 51
Quomodo intelligendum Conc. Tridentinum dicit voluntatem poſſe diſſentire gratiæ velit, p. 221. n 57. & ſe
Deus inclinat voluntates hominum quo vult ſive ad bonum, ſive ad malum, p. 9. n. 190
Voluntas creata non poteſt phyſicè deſtruere gratiam p. 270. n. 298
Poteſt voluntas creata diverſis actibus velle oppoſita eidem, non tamen ſimul, p. n. 459
Quidquid vult voluntas creata diverſis actibus, præter peccatum, voluntas divina poteſt velle uno actu, ibid. n. 460
Voluntas non ſemper contrahit totam bonitatem aut malitiam objecti, p. 3. n. 564
Deo moraliter eſt impoſſibile non cooperari voluntati creatæ, p. 374. n. 1. & ſeq.
Quæ ſit voluntas efficax, p. 8. n. 65
Duplex eſt affectio voluntatis juſtitiæ & commodi, p. 782. n. 26.
Voluntas efficax contrahit omnem malitiam objecti, ſimplex complacentia illam ſolam, quæ proponitur per intellectum, p. 78 n. 274
Voluntas efficax contrahit eam malitiam quæ reperitur in objecto p. 79 n. 321
Voluntas omittendi quippiam, etiam materialiter eſt privatio, p. 81 n. 395
Præſtantior eſt voluntas efficax, quàm inefficax p. 338. n. 79
Conſentire vel diſſentire vocationi Dei, proprie voluntatis eſt, p. 21. n. 47
Utrùm voluntas quâ credis, ſit donum Dei, ibid. n. 48

VOLUNTAS DIVINA.

Non repugnat, quòd unus actus divinæ voluntatis feratur in bonum tum propter ſe, p. 51. n. 247
In voluntate divina meritò eſt ponenda juſtitia vindicativa, p. 5. n. 272
Quæ ſit voluntas Dei antecedens, quâ vult omnes homines ſalvos fieri p. 214. n. 22
Quæ ſit voluntas Dei conſequens, ibid. n. 23
Deus habuit generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, etiam reliquos de facto damnaverit, ibid.
Eandem habuiſſe erga omnes homines exiſtimat Divus Damaſcenus, ibid. n. 24. & ſeq.
Quare voluntas antecedens dicatur à Damaſceno voluntas bonitatis, ibid. n. 27
Tam voluntatem antecedentem, quàm conſequentem D. Bonaventura voluntatem beneplaciti, n. 215. n. 28
Quæ fuerit mens D. Thomæ de duplici voluntate, ibid. n. 29
An DD. iſti locuti fuerint de hominibus in ſtatu innocentiæ, ibid. n. 30
Quid de hac re ſenſerit S. Auguſt., p. 216. n. 32
Præter voluntatem antecedentem circa ſalutem omnium hominum habuit ſpecialem voluntatem conſequentem circa electos, ibid. n. 33
Quomodo S. Auguſt. intellexerit verba Apoſt. *Qui vult omnes homines* &c. ibid. n. 34. & ſeq.
Expoſitiones D. Auguſt. ſine errore poſſunt ſuſtineri, p. 217. n. 39
D. Auguſt. ex damnatione parvulorum morientium ſinè Baptiſmo, probat non pertinere ad dictum Apoſt. *Vult omnes* &c. p. 218. n. 41. & ſeq.
S. Proſper comprehendit parvulos, qui moriuntur ſinè Baptiſmo, ſub omnibus hominibus, quos Deus vult ſalvos fieri, ibid. n. 44
Dictum Apoſt. *Vult omnes homines* &c. alio modo poſſe intelligi, quàm de voluntate conſequente, inſinuat ipſe D. Auguſt. p. 219. n. 45
Voluntas antecedens Dei non cogit nos credere. Deum aliquid voluiſſe fieri, factumque non eſſe, ibid.
Voluntas Dei ſemper invicta eſt, licèt multi faciant contra ejus voluntatem, ibid. n. 47

VOTUM.

Tamdiu manet votum moraliter, quamdiu manet obligatio voti, p. 280. n. 350. & ſeq.
Pontifex poteſt tollere obligationem voti, tametſi votum maneat in ratione voluntarii habitualis, p. 297. n. 435
Deus poteſt remittere votum ſinè omni ſui, aut hominis mutatione, p. 303. n. 463
An votum de confitendis mortalibus ritè confeſſis, obliget ſub mortali, p. 623. n. 167
Votum addit materiæ ſpecialem honeſtatem divini cultûs, p. 671. n. 177
Frangens jejunium ex voto debitum, non peccat contra temperantiam, ibid.
Vota non diverſificantur ſpecie ex diverſitate materiarum, p. 672. n. 180
Violatio voti eſt ſpecies atoma, ibid.
Cur non orare & non dare eleëmoſynam, quando ad utrumque teneor ex voto, ſint ejuſdem ſpeciei infimæ, & non quando ad ea obligor ex præcepto, ibid. n. 181
Votum poteſt jejunium facere materiam neceſſariam Religionis, ſecùs temperantiæ, p. 673. n. 184
Votum ſolemne eſt ſpecie indiſtinctum à voto ſimplici p. 726. n. 28
Qui cum voto ſolemni contraxiſſet matrimonium, deberet hoc explicare, ibid. n. 29
An eadem res poſſit ſecundò voveri, p. 45. n. 217. & ſeq.
Votum caſtitatis eſt ejuſdem rationis in Sacerdote & Religioſo, p. 728. n. 37
Votorum multiplicatio in eadem materia, non multiplicat peccata, p. 729. n. 44
Renovantes vota ſua communiter non intendunt inducere novam obligationem, p. 768. n. 204
Qui intendit votum, neceſſariò intendit cultum Dei, p. 774. n. 230
Votum, quod fit Deo immediatè, non diſtinguitur ſpecie, à voto, quod fit Deo in Sanctis, p. 789. n. 296
Votum emiſſum abſque temporis determinatione, obligat pro prima opportunitate, p. 947. n. 251. & ſeq.
In voto Religionis & ſimilibus, minor mora eſt mortalis, quàm in aliis votis, p. 949. n 255
Diſparitas aliqua inter diſpenſationem in voto & Abſolutionem à peccatis, p. 382. n. 12
Præter vota eſſentialia poſſe eſſe alia vota & præcepta alicujus Regulæ probatur ex Trident. p. 778. n. 246
Commutatio voti in melius pendet à propria voluntate voventis, p. 281. n 352
Cur magis votum proprâ auctoritate poſſit commutari in melius, quàm ſatisfactio, p. 968. n. 336
Ad commutationem voti non ſufficit voluntas præſumpta voventis, ibid.
Commutans votum in melius, prudenter præſumit de voluntate actuali Dei; ſecùs commutans ſatisfactionem de voluntate actuali Confeſſarii, ibid. n. 337
Votum non reſervatum, in quod commutatum fuit votum reſervatum, poteſt ab inferiori iterùm & iterùm commutari, p. 976 n. 369

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Votum non eſt cauſa per ſe poteſtatis juriſdictionis in Superiore Religionis, p. 781. n. 259

Sicuti per votum caſtitatis & paupertatis inducitur obligatio diſtincta ab ipſis votis, ita etiam per votum obedientiæ, ibid. n. 261

USURARIUS.

An petens mutuum ab uſurario ſinè juſta cauſa, & ex directa intentione uſuræ, peccet contra juſtitiam, p. 731. n. 50

W

WIGGERS.

Docet Wiggers juſtificatum à peccato non incurrere excommunicationem pro foro interno, p. 848. n. 129

Wiggers e in forma Pœnitentiæ debere exprimi pecc p. 438. n. 12

X

XISTUS.

Xiſtu V. limitavit oteſtaten juriſdictionis iatorum Regulam, p. 779. n. 253

Z

ZACHEUS.

Ex q virtute Zachæ reſtituerit quadruplum, p. n. 211

ERRATA.

Pag. 69. col. 2. lin. 24. à fine *aliquem actum* adde: *moraliter bon.* pag. 71. col. lin ult. *diſt.* 4 delet Pag 90 col. 1. lin. 3. à fine *imperatus* l. *imperans.* Pag 107. ol 2. lin. 29. à f *Sctura* l. *Scriptura.* Pag. 129. col. 2 lin. 19. à fine *summam* adde: *ſolvis.* Pag 139 col lin. 22. à fine *affectu effectum* Pag 139. col. 2 lin. 30. *altera* l. *altero.* Pag 142. col 1, lin 19. à fine *vulgale*: Pag. 168. a n. 4. à fine *diligis* l. *diliget.* Pag 176 col. 1. lin. 25. *voluntarii* l. *involuntarii.* P 176. col. 2 lin à fine *eſſet pœna* l. *eſſet à pœna* Pag. 196. col. 2 lin. 12. *oblationi* l. *ablationi.* Pag. 20 col. 1. lin. 10. q l. *quam* Pag. 207. n. 116. in marg *obligatio* l. *probatio.* Pag 270 col 2. lin. 19. *reducantur* l. *producan* Pag 300. col. 2. lin 10 à fine *juſte* l. *juſta.* Pag 318. n. 541. in marg. *deleat* l. *et.* Pag 375. co n. 36. *praced.* l. 5. Pag. 395. n. 103. in marg. *judicare* l *judicari.* Pag. 419 n. 15 in marg. *communi* *nitis.* Pag 432. col. 1. lin. 24 à fine *Abſolutio* l *ablatio.* Pag. 472 col. 1 lin. 22 à fine 1. 14. P5 col. 2. l. 30. à fine *etſi* l. *& ſi.* Pag. 610. col. 2 lin. 9 à fine *tantum uni* l. *tantum u* Pag 718. col n. 23. à fine *mulos* l. *multos.* P. 812. col. 1. lin. 26. *externis* l. *externæ.*

FINIS.

Digitized by Google

5. 3. 6

Digitized by Google